4-I-47-8

IX.L.36

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
47 1
7

57

XIX L 12

Digitized by Google

40

8-F.H-I-4.

Digitized by Google

Digitized by Google

9-47-I-7

LEONARDI LESSII

E SOCIETATE IESV

THEOLOGI

OPVSCVLA NOVA ET VARIA,

omnibus animarum curam habentibus Bibliotheca maximè neceſſaria. Tranſpontina

CVM PRÆLECTIONIBVS THEOLOGICIS,
& variis Caſuum Conſcientiæ reſolutionibus,
nunquam antehac Edita.

PARISIIS.

Sumptibus MICHAELIS SOLY, ſub ſigno
Phœnicis, via Iacobæa.

M. DC. LV.

CVM APPROBATIONIBVS DOCTORVM.

Digitized by Google

Digitized by Google

PRÆFATIO AD LECTOREM.

BENEVOLE LECTOR,

SATIS scio, & resipsa persuadet, quòd huiusmodi te cogitatio subitura sit vbi hæc aspexeris, quid causæ sit cur post 20. & amplius annos, quibus à LESSII morte in paucorũ priuatorum manibus hæsere hæc scripta, in lucem tandem iubeantur prodire. Falli nos dices, si nomen LESSIO nouum decusque conciliandum existimemus: qui longè accuratioribus, atque ad limam exactis lucubrationibus, consentiente Doctorum calculo inter primos sæculi huius fertilissimi Theologos locum non infimum sortitus est: tum à scopo aberrare quàm longissimè, si huiusmodi minùs digestis curis, post tot doctissima sapientissimorum Magistrorum volumina in his ipsis, quas damus, materiis, ad plenum publico elaborata, arbitremur nouâ Theologiam luce illustrandam. Rectè ais, quicunque ista differis; & habes nos minimè repugnantes. Neque enim ita hospites fumus in LESSIANIS scriptis, quorum ipse dum viueret censor & iudex fuit vt prælo dari possent, vt aut nomini eius quidpiam splendoris accrescere posthumo hoc fœtu, aut Theologiam sub hæc tempora longè excultissimam nouis inuentis locupletandam arbitremur. Quid ergo? inquies. Paucis tem habe cuiusmodi hæc scripta sint, quorsum, & quibus de causis tam serò edita. Sunt imprimis non publico ab Auctore destinata, sed discipulis in scholis prælecta, dum Theologiæ Professorem Louanij ageret ab Anno LXXXV. superioris seculi, vsque ad primum nunc currentis. Itaque hunc in iis sibi præfixit scopum, non vt vndique numeris suis absoluta essent, quibus ad perfectionem addi posset nihil; sed vt ad instructionem, vtilitatemque studentium quàm maximè forent accommodata. Quod optimè assequi se posse existimauit, si materiam anni vnius lectionibus præfixam, quoad angustiæ temporis sinerent, ita totam complecteretur, vt nihil alicuius momenti non esset delibatum saltem, & auditorum meditationi subiectum: quem morem iam inde à LESSII temporibus scholæ nostræ Louanienses hactenus seruant, secùs ac alibi fieri assolet, vbi Magistri ex annuâ materiâ aliquam dumtaxat partem pro arbitrio deligunt, in quam se totos effundunt, aliis intereà penitus intactis (vtri conuenientiùs iam non disputo.) Necesse igitur fuit LESSIO huiusmodi docendi viam insistenti multas hinc inde quæstiones obiter perstringere; nonnullas etiam quæ ad intelligentiam præsentis materiæ non essent omnino necessariæ, intactas transilire. En tibi ipsissimas causas, quare tanto post obitum viri tempore publico denegatæ sint. Vrserunt quidem iam inde ab annis plurimis, & auctoritate & ingenii laude præstantes viri non pauci, inter hos frequentissimè *Carolus Scribanius* noster, vir

omnino magnus, LESSII aliquando auditor, qui mihi religionem mouebat, nisi hæc euulgarem; & vt aptiùs fortiusque persuaderet, suam è cælis, quò tunc contenderet, opem promittebat. Non defuere complures qui suo ære ac impensis hæc exequi coeperant; atque vt de Canonicis, Capitulorum Decanis, & aliis taceam, certè *Leonardus Schoofs* nobilis Abbatiæ S. Michaëlis Ordinis Præmonstratensis apud Antuerpienses Religiosus Canonicus, LESSII è sorore nepos, has Prælectiones Posthumas à se & à dominis Canonicis suis descriptas, prælo mandasset, nisi præmatura contagio pium Pastorem, cum pro ouibus animam poneret, magno suorum luctu sustulisset. Fuere & alii qui commune quoddam doctorum hominum hæc scripta legendi desiderium in suis Bibliothecis & Academiis expressere; quorum nonnulla testimonia subnexa inuenies. Fauebat etiam horum votis ipse Præpositus Generalis Societatis nostræ Reuerendus admodum Pater Mutius Vitelleschus, qui Anno M. DC. XXIII. (ipso nimirum quo LESSIVS è viuis excessit) peculiaribus me litteris adhortatus est, *vt omnes LESSII lucubrationes, quæ luce dignæ iudicantur, typis ederentur, Ne*, vt ait *de tanti viri laboribus quidquam periret.* Verùm ne illo tempore ijs fieret satis, (vt alia sileam quæ intercurrere, bellorum turbines, occupationes distractionesque eorum qui hæc maturandi curam susceperant, aliaque ex his nata) remorata tantisper est hæc consideratio, quòd ipse Auctor publico non parasset, nec eâ essent accuratione expolita, quâ reliqua viri scripta, inter quæ de ijsdem obiectis nonulla erant plenius vberiusque tractata. Quia tamen *Lessiana* claritas, & cetera lineamenta subtilis dilucidæque mentis in ijs apprimè relucebant, quibus permultos capi, delectarique iam dudum constabat, vicit tandem ea pars, quæ diutiùs ea supprimi non oportere, contendebat. Et qui ni viciisset, suffulta cùm esset nobili suffragio, patrocinioque eminentissimi Cardinalis *Francisci Barberini*, qui anno huius sæculi trigesimonono *R.P. Andream Ludoci* nunc Flandrobelgicæ Societatis nostræ Præpositum Prouincialem, tunc verò Romæ Prouinciæ Procuratorem agentem, suopte impulsu rogauit, vt, si qua Lessij essent Posthuma, typis vulgarentur; aut si hoc non fieret, ad se inter manuscripta asseruanda quouis pretio mitterentur. Tantam de Lessij doctrina ex alijs eius scriptis opinionem animo conceperat, ingenio iudicioq; acri præditus eximius ille Ecclesiæ Princeps. Igitur de prælo seriò cogitari cæptum est, hoc præsertim tempore, cùm Lessiani nominis celebritas ex vitæ integritate, morumque sanctimonia longè latéque nouâ luce inclaresceret. Atque vtilitas sufficiens visa, si multi, quibus *Lessiana* claritas breuitate mixta placet, & abditæ retrusæque speculationes parùm cordi sunt, habeant compendiosam quandam ac dilucidam Theologiæ quasi synopsin (nihil enim est aliud, si cum vastissimis aliorum tractatibus conferas) in quâ sine temporis longi impendio, aut magno labore, quem adhibere, aut non lubet, aut non vacat, nanciscì possent, quo sciendi desiderio, aut necessitati facerent satis. Quin & hæc vna de causis fuit, vt hę modò, prę alijs, *Lessianæ* Theologię partes in lucem edantur: quia nimirum harum scientia (vtpote quę Casus conscientię & cetera, quę *Positiua* vocant, maximè complectantur) Parochis, atque animarum curatoribus magis & vtilis sit, & necessaria. Ceterę tamen proximè, si res & temporum iniquitas patiatur, vulgabuntur; atque ita vniuersâ à Lessio explicatâ Theologiâ frueris. Habes amice lector voluminis huius edendi rationem, ac ordinem. Tuę beneuolentię erit, si quid fortasse occurrerit quod penitius discursum optares, ita id accipere, vt memineris, quod antè monui virum prudentiâ eximium, cùm omnia complecti non posset, tempori & studentium vtilitati seruire voluisse alia prę alijs seligendo; & quasi fœcundum semen iecisse in animos audientium, in quo

virtus

Digitized by Google

virtus quidem tota contineretur, ſed meditatione interim, quaſi vitali quodam calore foueri deberet, vt in plenos ſeſe fructus efferret. Tum præcipuè cogites velim, hæc non offerri iis, qui reconditiſſimas difficultates Metaphyſicas vſque ad abyſſum quandam retectas videre geſtiunt, quàm alteri doctorum hominum generi, qui planam atque apertam Theologicæ doctrinæ faciem ſimpliciori intuitu contemplari ſatis habent. Denique rogatum Te velim, vt ſi quid in editis iam pridem ab ipſo Auctore ſcriptis non nihil ab his diuerſum reperias, ne ita id accipias, quaſi ipſe non ſat ſui memor, pugnantia inter ſe ſtatuat; ſed quòd nos hæc vti accepimus integra efferenda potius, quàm vel minimùm immutata tibi obtrudere, cenſuerimus; ſcientes tuæ id eſſe prudentiæ, vt poſteriora ab ipſo Auctore emendata euulgataque hiſce Poſthumis prælaturus ſis.

TESTIMONIA NONNVLLA

Quam auidè ſemper expectatæ fuerint
Theologicæ hæ Leſſii *Commentationes.*

IVSTVS LIPSIVS inter literarum principes nominatiſſimus, iam inde ab anno ſeculi huius ſexto, & vitæ ſuæ vltimo, teſtamentarias de Leſſii Theologicis commentationibus tabulas conſignauit, quas hic velut ad tumulum religiosè appendo. *Ante quindecim dies*, inquit ſcriptis ad Leſſium litteris, *ne ſcio quia pauxi in Theologica tua, quæ multi expecta-mus; hic exſcripſi, ne qualecumque mihi pereat, & iudicium ſaltem meum conſignet.*

Digitized by Google

IN R. P.

LEONARDI LESSII
SOCIETATIS IESV THEOLOGI
COMMENTARIOS THEOLOGICOS.

Videſne Lector *hoc opus? Sophiæ vides*
Opus ſacratæ. Quidquid illa condidit
A condito orbe, conditum his libris habes.
Abyſſus ante & pelagus hoc rerum fuit:
Sed iſte lumen fecit & compendium.
Sublimia hic videbis & ſubtilia:
Humanáque hic videbis & cæleſtia.
In pauca tibi ſed vera verba conferam.
Philoſophus eſſe qui voles, lege hos libros:
Theologus eſſe qui voles, lege hos libros.

ANDREAS VALERIVS DESSELIVS, Vir non tantum Iuris vtriuſque titulo, ſed & ſcientiæ, quam eruditis ſuis monumentis poſteritati tradidit, elogio clariſſimus, poſteaquam in ſuâ Bibliotecâ Belgicâ Anno 1623. qui LESSIVM immortalibus adſcripſit, in lucem datâ, multa de editis à LESSIO voluminibus præclarè enarraſſet, tandem concludit. *Sunt & in manibus plurimorum in totam D. Thomæ Summam dictati ab eo quondam in ſcolis Commentarij: quos vtinam typis mandatos orbis legat vniuerſus!*

Non minùs ad horum LESSII poſthumorum commendationem magnificè pronuntiauit NICOLAVS VERNVLEVS, qui ſingularibus ſuis lucubrationibus eximium cenſeri poteſt Louanienſis Vniuerſitatis ornamentum: & modò tertiùm eiuſdem pro tempore ſummus eſt Præſes ſeu Rector: is in ſua Academia, quam ad alterum centenarium iubilante hac Vniuerſitate Anno 1627. euulgauit, LESSIANÆ doctrinæ coronidem hanc adijcit. *Quidquid publici iuris ſcribendo fecit, omnium applauſum tulit. Quidquid è cathedra dictauit, ob omnibus quæritur, deſcribitur, aſſeruatur. Ita dignum prælo iudicatur quidquid ab eius ore vel calamo prodijt.*

Digitized by Google

APPROBATIO SVPERIORVM.

EGO *Andreas Iudoci, Societatis Iesu per Flandro-belgium Praepositus Prouincialis, pro potestate mihi facta à Reuerendo admodum P. N. Mutio Vitelesco Praeposito Generali, concedo Cornelio Cœnestenio Typographo Louaniensi, facultatem excudendi* R. P. LEONARDI LESSII *Societatis nostra Theologi, in D. Thomam* De Beatitudine & Actibus Humanis, de Incarnatione Verbi, de Sacramentis ac Censuris *Praelectiones Theologicas posthumas. Item*, Variorum Casuum Conscientiæ resolutiones. *Quæ omnia à deputatis eiusdem Societatis Theologis examinata, & approbata. In quorum fidem, hasce manu mea subscriptas, & consueto officii sigillo munitas dedi. Louanii* 11. *Ianuarii* 1645.

ANDREAS IVDOCI.

APPROBATIO CENSORIS.

PRaelectiones *Theologicæ posthumæ* R. P. LEONARDI LESSII Societatis Iesu De *Beatitudine & actibus Humanis*, de *Incarnatione Verbi, de Sacramentis & Censuris*; quibus accesserunt *Variæ Resolutiones Morales*; dignissimæ sunt quæ typis vulgentur: vt pote in quibus dilucida claritas cum breuitate conspirans (qui est proprius LESSIANI calami character) multorum vtilitati seruiet, quibus aut non vacat, aut non libet vastas aliorum Auctorum Commentationes euoluere. Ita censeo. XII. Nouembris M. DC. XLIV.

GASPAR ESTRIX S. Theologiæ Licentiatus,
Plebanus & Librorum censor Antuerpiæ.

Digitized by Google

QVÆSTIO PRIMA

DE VLTIMO FINE Hominis.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum homini conueniat agere propter finem.

Concluſio eſt. Homo in omnibus actionibus ſibi propriis, ſeu (quod idem eſt) in omnibus actionibus humanis, agit propter aliquem finem.

Vbi duo ſunt notanda. Primus eſt, illas actiones dici hoc loco *homini proprias*, non quæ ſecundùm ſubſtantiam operis ipſi propriæ ſunt, vt intelligere & velle: ſed eas omnes quas operatur ſecundùm modum agendi ſibi proprium, qui eſt agere liberè tamquam dominum ſuarum actionum.

Finis duplex.

Alterum eſt, finem eſſe duplicem, ſcilicet *finem-cui*, & *finem-qui*. *Finis-cui* dicitur is, cui aliquod bonum appetitur. *Finis-qui*, eſt ipſum bonum quod appetitur. Vt cum homo appetit Deo gloriam; Deus eſt *finis-cui*, gloria *finis qui*: cum homo ſibi appetit ſalutem; homo, eſt *finis-cui*; ſalus eſt *finis qui*. Hoc modo ab Ariſtotele & Doctoribus homo dicitur *finis rerum corporearum*.

Finis-qui rurſum eſt duplex; ſcilicet *bonum ipſum* ſecundum ſe, quod propriè dicitur *finis-qui* & *coniunctio huius boni*, quem vocant *finem quo*, nam mediante vnione habetur bonum principale. D. Thomas hic loquitur potiſſimùm de *fine-qui*, quatenus ſignificat ipſum bonum eiuſque coniunctionem, ſiue obtentum ſit, ſiue obtinendum: ex conſequenti etiam de *fine cui*; quia quidquid appetitur, alicui appetitur. Vide eundem infrà, q. 3. a. 1.

Nunc Probatur Concluſio; Primò, Quia omnes actiones humanæ procedunt à voluntate deliberata, ſeu iudicio rationis directæ: atqui voluntatis obiectum à quo ipſa mouetur, eſt finis aliquis; ergo omnes iſtæ actiones procedunt ab obiecto voluntatis, tamquam à cauſa finali, ac proindè fiunt propter finem.

2. quomodo omnis actio voluntatis ſit propter finem?

Secundò Probatur, Quia omnis actio humana, vel eſt elicita à voluntate, vel imperata. Si eſt elicita; vel eſt *Proſecutio*, vel *Fuga*: ſed omnis proſecutio tendit in aliquod bonum tamquam finem, omnis etiam mali fuga prouenit ex vi alicuius inclinationis in bonum: ergo omnis actus voluntatis elicitus tendit in finem, ſeu eſt propter finem. Confirmatur, quia omnis actio elicita voluntatis, eſt vel *Amor*, vel *Deſiderium*, vel *Gaudium*, vel eſt motus his contrarius, vel eſt quaſi mixtus ex contrariis, vt *Ira*: atqui hi omnes tendunt in aliquem finem propter quem fiunt: *Deſiderium*, in finem obtinendum: *Gaudium*, in finem obtentum; *Amor*, in finem abſolutum (quia amor eſt ſimplex complacentia boni propter ſe, quam voluntas primo in ſe excitat, vt bono, per huiuſmodi affectionem, inhæreat. Loquor de *Amore* propriè, vt eſt prima affectio voluntatis, diſtincta a deſiderio.) Reliquæ affectiones voluntatis ex his oriuntur: *Odium*, ex *Amore*, *Timor*, *Triſtitia* & *Deſperatio* (quæ eſt ſpecies triſtitiæ) oriuntur ex *deſiderio*: *Ira*, eſt affectio mixta ex *Triſtitia* & *Deſiderio*: *Audacia*, *Spes*, *Intentio*, ſunt deſiderii motus. Hinc patet omnem motum internum voluntatis, fieri propter aliquem finem.

Idem Probatur de motibus imperatis. Nam hi omnes procedunt ex motu deſiderii; deſiderium autem procedit à bono obtinendo, per intellectum apprehenſo, tamquam à cauſa finali: ergo omnes motus imperati ab eodem bono, tamquam à cauſa finali, procedunt.

DVBIVM I.

Vtrùm verum ſit quod ait D. Thomas in corpore, *obiectum voluntatis eſſe finem?*

Videtur enim hoc falſum; Primò, Quia ſi Deus ſtatuiſſet nullam condere creaturam, bonitas eius eſſet obiectum voluntatis ipſius, & tamen non eſſet vllo modo finis: neque enim eſſet finis reſpectu Dei; quia Deus ſicut nullam habet cauſam efficientem, ita nec finalem: ſicut enim dicitur eſſe à ſe, id eſt, non ab vllo, ita etiam dicitur eſſe propter ſe, id eſt, nó propter vllum finem. Neque etiam eſſet finis reſpectu creaturæ vt quæ nulla eſſet futura.

Secundo, Quia bonum vtile, ſeu id quod eſt medium ad finem, eſt obiectum voluntatis: nam eſt ſpecies boni, & tamen non habet rationẽ finis.

Reſpondeo, Nomen finis dupliciter accipi poſſe. Primo *Pro fine in actu ſecundo* id eſt, pro eo quod exercet actu cauſalitatem finis: ſicut efficiens in actu ſecundo dicitur quod actu exercet cauſalitatem efficientis. Et hoc modo finis non eſt obiectum voluntatis, quia non ſupponitur actui voluntatis, ſed illum includit. Secundo, *Pro*

Digitized by Google

fine in actu primo, id eſt, pro bono quod per ſe amabile eſt, ac proinde proximè aptum vt exerceat cauſalitatem finis: & ſic finis eſt obiectum voluntatis, ac ſupponitur eius actui tamquam prius. Hinc patet Reſponſio ad primum Argumentum.

quomodo finis fit obiectum voluntatis.

4. Ad ſecundum, quidam dicunt bonum vtile non pertinere ad obiectum voluntatis, eo quod non ſit per ſe amabile, ſed ſolùm per accidens. Sicut nix per accidens eſt viſibilis.

Sed hoc non rectè dicitur, tum quia bonum vtile eſt ſpecies boni; tum quia ita eſt amabile propter finem, ſicut Concluſio eſt intelligibilis propter principia: atqui Concluſio non eſt per accidens intelligibilis, ſed natura ſua, quamuis non ſit intelligibilis niſi ex principiis: ergo ſimiliter vtilitas non eſt per accidens amabilis, ſed natura ſua; quæ tamen tota pendet ex bonitate finis.

Reſpondeo igitur, D. Thomam non loqui de adæquato voluntatis obiecto, hoc enim eſt bonum in genere complectens etiam bonum vtile, ſed de obiecto principali. Obiectum enim principale eſt quod per ſe primò attingitur à potentia, vt quod per ſe amatur, intelligitur, videtur, eſtque ratio cur attingantur reliqua. Hoc modo finis eſt obiectum voluntatis; quia finis per ſe amatur, & cetera omnia propter finem. Dicuntur autem media non amari per ſe, non vt illud *per ſe* opponitur ei quod eſt *per accidens*, ſed vt opponitur ei quod *propter aliud*.

DVBIVM II.

Vtrum finis ſit cauſa vt eſt in intentione (vt inſinuat D. Thomas in Reſponſione ad primum*) An vt eſt in rerum natura?*

5. OMiſſis ſententiis. Reſpondeo & Dico primo, Vt finis exerceat ſuam cauſalitatem reſpectu intentionis, non requiritur vt prius tempore vel natura ſit in intentione.

Probatur, Quia eſſe in intentione, nihil eſt aliud, quàm eſſe intentum, ſicut eſſe in intellectione, eſt eſſe intellectum: atqui eſſe intentum includit intentionem iam eſſe à fine cauſatam: ergo eſſe in intentione, non eſt quid prius naturum neceſſarium vt finis cauſet, ſed eſt denominatio extrinſeca proueniens ex effectu finis.

Dico Secundo, vt finis ſit cauſa actionum à voluntate imperatarum, requiritur, vt priùs tempore vel natura ſit in intentione. Patet, quia finis non eſt cauſa vllius actionis imperatæ, niſi mediante intentione, cuius vi applicantur aliæ facultates ad ſuas operationes. Hinc patet, vt finis ſit cauſa ipſius intentionis, ſolum requiri vt prius natura exiſtat in intellectu; vt autem ſit cauſa aliarum operationum, requiri vt ante exiſtat in intentione.

6. Dico Tertio, Ratio proxima cauſandi per modum finis, eſt bonitas ipſius, vt exiſtit in rerum natura actu, vel poteſtate vel certè opinione; conditio autem neceſſaria ad ſic cauſandum, eſt, eſſe obiectiue in intellectu.

Aliud eſt ratio cauſandi in fine aliud conditio neceſſaria ad cauſandū. Similiter in cæteris cauſis.

Explico Sicut in cauſa efficiente, priùs natura quam cauſet, duò requiruntur; ſcilicet vis operandi, quæ requiritur tamquam ratio formalis per quam res eſt actiua, & applicatio ſeu propinquitas ad patiens, quæ requiritur tamquam conditio neceſſaria: ita etiam in cauſa finali duo requiruntur prius natura, quam vim ſuam finalem (vt ſic loquar) exerat, nempe bonitas rei exiſtens actu, vel poteſtate, vel putata exiſtere. Et hæc eſt ratio formalis per quam finis habet vim finalem: & apprehenſio huius bonitatis, tamquam conditio ſeu applicatio. Cum enim finis debeat vim ſuam exercere in voluntatem (nihil enim poteſt à fine moueri niſi voluntas) neceſſe eſt vt illi applicetur, & fiat præſens voluntati; fit autem præſens per intellectionem. Eadem duo diſtingui poſſunt in cauſa formali & materiali.

Nunc probatur prior pars, Quia voluntas non intendit finem vt eum intelligat, ſed vt eius bonitatem realem poſſideat & ſibi coniunctam habeat; vt patet cùm quis intendit conſequi ſanitatem, diuitias, honores, voluptates: ergo ipſa realis bonitas rei quæ dicetur finis, eſt ratio cauſandi per modum finis, non autem eius cognitio. Illud enim eſt ratio cauſandi per modum finis, quod eſt ratio cur voluntas ad illud moueatur.

Altera pars, Scilicet quod cognitio ſit neceſſaria conditio, patet; quia voluntas non poteſt moueri ſeu trahi ab aliquo bono, niſi mediante intellectu, vt infra dicetur. Et hoc eſt quod vult Diuus Thomas in Reſponſione ad Primum.

7. Dices Primo, Bonitas finis ſæpe non exiſtit; vt cum quis intendit conſequi ſanitatem: imo interdum eſt impoſſibilis: ergo illa non poteſt eſſe ratio realiter cauſandi. Patet conſequentia, quia realis cauſa ſupponit eſſe reale in rerum natura; vt videmus in ceteris cauſis.

Reſpondeo Negando Conſequentiam. Id enim peculiare eſt cauſæ finali, quod poſſit vim ſuam exercere etiam dum non exiſtit. Ratio eſt, quia bonum poſſibile vel exiſtimatum poſſibile, ſufficiens eſt vt concipiatur intellectu, idque propter amplitudinem iſtius potentiæ, quæ ſe extendit ad omne poſſibile & imaginabile: exiſtens autem obiectiuè in intellectu ſufficiens eſt vt ratio bonitatis & pulchritudinis quæ in eo apparet, alliciat voluntatem in ſui amorem, non enim voluntas minus late patet quam intellectus: vnde ad omne illud ſe extendere poteſt, ad quod ſe porrigit vis intellectus.

Nec obſtat quòd voluntas dicatur moueri & allici à fine: tum quia intellectus etiam dicitur moueri ab obiecto intelligibili: tum quia hæc motio eſt metaphorica, nihilque dicit niſi dependentiam actus voluntatis ab obiecto, tamquam à cauſa formali extrinſeca, ſine qua per intellectum apprehenſa, voluntas non poteſt in ſe talem ſpeciem actus efficere.

Dices ſecundò, Pro varia apprehenſione eiuſdem obiecti mutatur in voluntate ſpecies actus; ſi enim Deus apprehendatur vt bonum noſtrum, eſt obiectum ſpei, ſit vt bonum ſuum, eſt obiectum charitatis, ſi apprehendatur cognitione naturali, eſt obiectum amoris naturalis, ſi per fidem, eſt obiectum amoris ſupernaturalis qui habetur in via, ſi per claram viſionem, eſt obiectum amoris beatifici: qui omnes amores videntur ſpecie diſtincti: ergo apprehenſio non eſt conditio, ſed ratio formalis obiecti.

Variata cognitione varia eſt ſpecies actus voluntatis.

Reſpondeo Negando Conſequentiam. Quod enim variata cognitione varietur ſpecies actus in voluntate, ex eo prouenit, quod per diſtinctam cognitionem diſtincta bonitas voluntati proponatur, diſtincta, inquam, vel re, vel ratione. Hinc tamen non ſequitur cognitionem eſſe rationem formalem, non autem conditionem ſeu applicationem obiecti: eodem enim modo ſi quis eandem virtutem agendi diuerſo modo applicaret patienti, diuerſa eſſet actio, tamen applicatio

eſt ſolùm conditio, non autem ratio agendi. Vide Caietanum hoc loco.

DVBIVM III.

Vtrùm verum ſit quod dicitur in reſponſione ad ſecundum, Impoſſibile eſſe vt actus à voluntate elicitus ſit vltimus finis.

VIdetur enim eſſe falſum; quia poteſt quis vltimum finem conſtituere in delectatione ſpirituali, quæ eſt actus voluntatis. Et quidem de actu amoris & deſiderij, non eſt dubium; quia hi actus non expetuntur niſi propter obiectum, vt illi inhæreatur. Solùm difficultas eſt de gaudio, quod eſt actus quidam voluntatis vltimò reſultans ex bono adepto; vnde videtur poſſe eſſe vltimus finis ſeu vltimum appetibile.

Sed etiamſi gaudium propter ſummam ſuauitatem quam ſecum adfert & qua formaliter afficit voluntatem, dignum ſit quod per ſe expetatur, tamen non poteſt eſſe vltimum expetendum.

Cur gaudiũ ſpirituale non poſſit eſſe vltimũ expetendũ.

Ratio eſt, Quia etſi gaudium ſit vltimum bonum quod reſultat in animo, non æſtimatur tamen eſſe principale & præcipuum bonum: maius enim bonum cenſetur poſſeſſio illius obiecti, quæ eſt fons gaudij, quàm ipſum gaudium: vnde reuera illud gaudium eſt propter bonum poſſeſſum tamquam propter finem; vt ſuprà dictum eſt.

Poteſt quis ſibi voluptatem carnis expetere vltimò, vt patet in Epicureis.

Secus eſt de carnali delectatione; hanc enim poteſt quis ſibi conſtituere tamquam finem vltimum, ſeu tamquam primum appetibile; quia cùm hæc delectatio oriatur ex rebus infimis nullam excellentiam habentibus, ob quam expetantur ſecluſa delectatione, tota, vel certè principalis ratio appetendi illam, eſt ipſa delectatio: vnde delectatio ipſa æſtimatur vt maius bonum & principalius, ad quod conſequendum illa appetantur veluti media.

Hinc patet verum eſſe quod ait D. Thomas, ſi qua actio humana ſit vltimus finis, ipſam eſſe imperatam à voluntate: nam hæc delectatio eſt actus imperatus.

Dices Primò, Ergo verum non eſt omnem actionem humanam eſſe propter finem.

Reſpondeo Negando Conſequentiam: Nam iſta delectatio quatenus eſt actio humana, eſt propter ſeipſam, vt eſt paſſio; ideò enim illam vult elicere, vt eius ſuauitate afficiatur. Diuus autem Thomas nihil vult aliud quàm in omni actione libera aliquem intendi finem, ſiue extrinſecum ſiue intrinſecum; quod fit, quando quis vult delectationem propter ſeipſam.

Dices Secundò, Vltimus finis eſt viſio Dei, tamen hic actus non eſt imperatus: ergo non eſt verum ſi actio humana ſit vltimus finis, illam eſſe imperatam à voluntate.

Reſpondeo Negando Conſequentiam, Quia viſio Dei non eſt actio humana; non enim ſubdita eſt noſtræ libertati; ſed eſt actio ſupernaturalis, quæ per modum naturalis operationis elicitur, nempe neceſſariò: loquitur autem D. Thomas de vltimo fine quem homines ſibi conſtituunt, qui ſemper eſt aliqua actio humana.

ARTICVLVS II.

Vtrùm agere propter finem ſit proprium rationalis naturæ?

CONcluſio Prima, Omne agens generali quadam ratione dicitur agere propter finem, quatenus per ſuam actionem tendit ad aliquid determinatum, quod eſt finis illius operationis. 9.

Concluſio Secunda, Sola natura rationalis propriè dicitur agere propter finem; quia cognoſcit & ſeipſum mouet in finem. Affirmatur.

Notandum, Tria eſſe rerum genera: *Ratione prædita, ſenſu prædita, ratione & ſenſu carentia.* Horum omnes operationes tendunt ad aliquod determinatum, quod eſt finis cuiuſque operationis.

Sed ſola ratione prædita propriè dicuntur agere propter finem, idque ob duas cauſas. Prima, Quia ſola cognoſcunt rationem finis & mediorum, id eſt, obiectum propoſitum eſſe per ſe conueniens & propter ſe appetendum, &, hæc media eſſe vtilia ad talem finem. Secunda, Quia ſola ſe determinant ad ſuas actiones, idque ex vi cognitionis finis, vnde non ſolùm operantur propter finem, ſed etiam ſeipſa mouent & agunt in finem. Ob duas cauſas.

Senſu prædita ſeu bruta non ita propriè agunt ob finem: tum quia nullo modo cognoſcunt illud bonum, quod eſt finis operationum, tum quia penitus à natura ſua ſiue à Deo ſunt determinata ad ſuas actiones. Itaque aguntur ab finem, ſicut ſagitta in ſcopum.

Hinc ſequitur Primò, Omnes & ſolas actiones proprias naturæ rationali, quatenus à tali agente procedunt, fieri propriè & formaliter propter finem: quia hæ omnes & ſolæ procedunt ex formali cognitione finis.

Secundò, Actiones aliarum rerum, vt procedunt ab ipſis rebus, non fieri propriè & formaliter propter finem; quia cauſa finalis non exercet in ipſis propriè vim ſuam, cùm eam non cognoſcant, & finis non exerat vim ſuam niſi cognitus: tamen quatenus eædem actiones ſubſunt directioni diuinæ, & quodammodo à Sapientia diuina procedunt, ſic propriè ſunt propter finem. Duplici autem ratione illæ actiones procedunt à Deo: Primò, Ratione virtutis actiuæ per quam fiunt: Deus enim per ſuam ſapientiam, ac proinde ob certum finem, omnem vim agendi quæ eſt in creaturis, inſtituit, formauit, & conſeruat. Secundò, Ratione concurſus generalis, quem Deus ad ſingulas operationes, ob certum finem exhibet. Ratione prioris dependentiæ, omnes actiones rerum fiunt ob finem certum, ſicut motus ſagittæ fit ob certum finem. Sicut enim cùm Sagittarius ob certum finem imprimit ſagittæ impetum ad motum, ille motus prouenit ex vi impreſſa, & conſequenter ex intentione ſagittarij: ita Deus, quia ſingulis rebus impreſſit vires ad certos fines, operatio manans ex illis viribus, manat ab intentione Dei, & fine à Deo concepto, adeoque illi, vt auctori, adſcribenda. Omnis rerum naturalium operatio vt eſt à Deo, fit ob certum finem, tum proprium rebus, tum cõmunem. Actiones rerum dupliciter pendent à Deo.

Ratione alterius dependentiæ, fiunt ob finem, quatenus concurſus generalis qui cuique rei datur ob certum finem, ita cum naturæ operatione coaleſcit, vt fiat vna operatio. Hinc

sapienter dictum est à philosophis, Opus naturæ esse opus Intelligentiæ. Vide cetera apud D. Th. & Caietanum.

ARTICVLVS III.

Vtrùm actus humani accipiant speciem à fine?

CONclusio est affirmans. Intellige de fine intrinseco, qui est ipsum obiectum actus; sed de hoc infra q. 18. & 19.

ARTICVLVS IV.

Vtrum sit aliquis finis vltimus humanæ vitæ?

11. CONclusio est affirmans. Ratio est, quia non potest in finibus per se ordinatis esse processus in infinitum: idque probat D. Thom. rationibus allatis ex Aristotele 2. Metaphys. & 1. Ethic.

Vltimus finis dupliciter accipitur.

Notandum Primò, Finem vltimum posse accipi dupliciter. Primò in genere; sic nihil est aliud, quàm plenitudo omnis boni, seu, esse optimè. Secundò, in particulari; sic nihil est aliud, quàm illa res vel rerum collectio, in qua inuenitur boni plenitudo; vt Deus, secundùm veritatem; secundùm autem falsas opiniones, diuitiæ, voluptates, honores &c. D Thomas loquitur de fine vltimo vtrouis modo accepto

Notandum Secundò, Rationes D. Thomæ tantùm probare in omni intentione esse aliquid vltimum quod intenditur, in quo sistat intentio; & in omni serie mediorum eligendorum ob aliquem finem intentum, esse aliquid vltimum in quo sistat intentio, & a quo inchoanda sit executio.

Patet exemplis, Finis enim vltimus quem agricola, vt est agricola, intendit, est copiosa messis: vt hanc assequatur, disponit mediorum seriem: ob hanc enim primò vult serere, vt serat, vult arare, vt aret, comparat equos & instrumenta: vbi videmus intentionem eius sistere in messe, electionem in parandis instrumentis. Possumus tamen ex hac ratione colligere esse aliquem vltimum finem humanæ vitæ apud omnes homines: si subsumamus, omnes homines intendere esse beatos, saltem in genere, idque non propter aliud, sed quia hoc per se bonum est: & vt hoc assequantur, omnes actiones suas eò referre, saltem implicitè seu interpretatiuè. Itaque esse beatum, seu, esse quam optimè est vltimus finis humanæ vitæ, quia propter se expetitur, & omnes vitæ actiones propter illum.

Dices, Hinc non sequi esse aliquem vltimum finem totius humanæ vitæ ex natura & conditione rei: sed solùm ex hominum destinatione.

Respondeo Negando quod assumitur, Quia necesse est vt ille sit vltimus finis humanæ vitæ, quem omnes homines rationis naturalis ductu sibi proponunt, & in quo nemo potest falli: atqui talis est beatitudo in genere.

ARTICVLVS V.

Vtrùm vnius hominis possint esse plures vltimi fines?

12. CONclusio, Neque ex natura rei, neque ex hominum intentione, possunt vnius hominis esse plures vltimi fines simul. Vtrumque intendit D. Thomas & tam de fine vltimo in particulari, quàm in genere.

Prior pars probatur clarè, Quia vltimus finis in genere ex natura rei consistit in summa perfectione omnium potentiarum animæ, atqui summa perfectio cuiusque potentiæ est vnica, seu vnius speciei: ergo & aggregatum ex illis summis perfectionibus est vnicum: hoc autem est vltimus finis.

Altera pars probatur clarè à D. Thoma, & satis per se patet ex terminis, nam de ratione vltimi finis est, vt sit bonum necessarium, & sufficiens vt sis quàm optimè: atqui nullo modo fieri potest vt intendas duo bona tamquam tibi necessaria, & tamen vtrumque seorsim putes tibi sufficere.

Dices, Qui peccat mortiferè, constituit vltimum finem in creatura: atqui homo potest peccare mortiferè etiam simul peccatis diuersi generis, verbi gratia, fornicatione, & sic constituet finem vltimum in voluptate, & ambitione, sicque constituet in honore.

Respondent Caietanus & Medina non constituere finem vltimum in bono creato, quod est obiectum peccati, sed in seipso: ipse autem in omni peccato est vnus idemque. Sed hæc responsio non satisfacit: loquimur enim hic de fine *qui* appetitur, non *cui*, peccator autem non est finis *qui* appetitur, sed *cui* Oportet ergo vt bonum distinctum ab homine sit finis vltimus qui appetitur Itaque poterit vnus homo habere plures fines vltimos quos appetat.

Quomodo peccator constituat finem vltimum in bono creato.

Respondeo igitur, Peccatorem non constituere propriè finem vltimum in obiecto peccati, quia non censet illud continere omne bonum necessarium vt sit quàm optimè: sed solùm secundùm quandam æstimationem moralem, quatenus dum amore illius rei deserit verum summum bonum, censetur illud pluris æstimare, ac proinde facere sibi summum bonum Dici etiam potest peccatorem non constituere in bono creato vno vel duobus totum finem vltimum, sed partem tantùm: Conclusio autem agit de fine toto.

Dices Secundò, Eiusdem effectus possunt esse duæ causæ efficientes integræ, saltem per diuinam potentiam: ergo similiter eiusdem hominis poterunt esse plures fines vltimi. Patet Consequentia, quia vtrumque est causa extrinseca, ac proinde videtur par vtriusque ratio.

Respondeo Negando Consequentiam, Quia finis vltimus comparari debet non cum quauis causa efficiente, sed cum causa prima efficiente, vnde sicut vnius rei non possunt esse plures causæ primæ efficientes, ita nec plures fines vltimi. Adde, esse malum & contra rectam rationem, constituere sibi plures fines: vnde Deus non potest ad hoc cooperari supernaturaliter modo, sicut potest cooperari ad hoc, vt duæ causæ efficientes proferant eundem effectum.

Digitized by Google

ARTICVLVS VI.

Vtrùm homo omnia quæ vult, velit propter finem vltimum?

11. COnclusio est affirmans. Loquitur autem D. Thom. de fine vltimo in genere, qui est, esse beatum, seu, esse quam optimè.

Notandum, tribus modis aliquid appeti propter finem. Primò, ex vi præsentis intentionis. Secundò, ex vi intentionis quæ præcessit. Tertiò, intentione interpretatiua, id est, quæ ex ipsa natura operis, siue ex naturali perfectione voluntatis censetur esse. Nunc

DVBIVM EST,

Quonam modo ex his tribus appetantur omnia propter finem vltimum in genere?

D. Thomas hîc ad 3. insinuat secundum modum, scilicet ex virtute præcedentis intentionis. Et ita multi Thomistæ tenent. Idem videtur sentire Durandus in 4. dist. 49. quæst. 4. num. 8.

Sed contra, Primò, Multa appetimus cùm primùm venimus ad vsum rationis, vt cibum, potum, vestem, lusum &c. & tamen numquam ante cogitaueramus de vltimo fine aut hæc esse appetenda propter illum: non ergo omnis appetitio prouenit ex vi intentionis vltimi finis quæ præcesserit.

Secundò, Vt aliquid dicatur appeti ex vi præcedentis intentionis, non sufficit vt intentio talis finis, vel ordinatio actionum nostrarum ad talem finem præcesserit, sed necesse est vt post se relinquat aliquem effectum, vel effectuum continuatam seriem, ex quorum vltimo talis appetitio sequatur vel actio. Et ratio est, quia intentio debet habere aliquam vim & influxum in vltimum opus quod ex vi illius fieri dicitur, saltem mediatè, alioqui nulla esset causa cur opus ex illius virtute dicatur proficisci. patet exemplo. Cùm quis intendit celebrare ex vi huius intentionis sequitur alia voluntas scilicet adeundi templum: ex hac, sequitur itio vsque ad locum, ex loci & vestium præsentia, sequitur voluntas se vestiendi & ipsa vestitio, hinc itio ad altare, hinc lectio totaque actio sacra & sacrificatio, animo etiam nihil cogitante de sacrificio, sed omninò distracto. Si hæc series interrumpatur, opus est noua intentione actuali, vt si quis vadens ad sacrum, abducatur à via, vel si quis in sacro committat errorem. Nunc subsumo: atqui non cernitur talis cohærentia & connexio omnium nostrarum appetitionum cum appetitione vltimi finis: ergo non sequuntur ex virtuali intentione finis. Vide Scotum in 4 d. 49. q. 10 §. Ex his sequitur. Vbi sententiam illam refutat.

Quid requiratur vt aliquid dicatur fieri ex intentione virtuali.

14. *Omnia appeti propter finem intentione interpretatiua.*

Respondeo igitur, Non hoc sensu dici omnia appeti propter vltimum finem sed iuxta tertium modum, nempe, quia omnis appetitio boni partialis, censetur sequi ex appetitione boni integri, idque ob duas causas. Prior est, quia omne bonum partiale natura sua ordinatur ad complectionem boni integri ipsius suppositi, sicuti omnis pars natura sua ordinatur ad totum. Secunda, quia voluntatis inclinatio per se primò tendit in bonum adæquatum suppositi: in bonum autem singularum potentiarum tendit quasi secundariò, quatenus hoc bonum est necessarium ad bonum integrum suppositi. Itaque omnis inclinatio & affectio voluntatis in bona particularia, secundùm æstimationem moralem censetur sequi ex affectu boni integri, quod est vltimus finis in genere, scilicet, esse optimè. Fortasse D. Thom nihil aliud voluit.

Ex his soluitur argumentum eorum, qui existimabant omnia opera Infidelium esse peccata, eò quòd Infideles aliquandò se & omnia sua retulerint ad honorem Idoli, tamquam ad vltimum finem. Nam esto aliquando sic retulerint, non tamen dum illa faciunt; faciunt ex vi illius præcedentis intentionis: nam ex illa intentione non sequitur aliqua continuata series, vel aliquis effectus, vnde proximè omne opus illorum prodeat. Sed neque interpretatiuè omnia faciunt propter honorem Idoli, quia faciunt multa opera indifferentia, quæ natura sua non tendunt ad honorem Idoli: faciunt etiam multa opera moraliter bona, quæ natura sua non ad honorem Idoli, sed veri Dei tendunt. Omne enim opus virtutis natura sua cedit in honorem veri Dei, ac proinde interpretatiuè censetur propter Deum fieri.

Omnes actiones infidelium nõ sunt peccata.

Opposita damnata est a Pio V. & Gregor. XIII. ac nouissimè anno 1641. ab Vrb. no VIII. speciali constitutione.

Dices, Causa secunda efficiens non potest mouere seu efficere nisi cooperante causa prima efficiente: ergo similiter finis particularis non potest mouere voluntatem, nisi simul cooperante fine vltimo.

Respondeo Primò, Si hoc argumentum valeret, conuinceret omnia appeti ab homine ex actuali intentione finis vltimi, quod tamen illi non concedunt.

Respondeo Secundò, Finem vltimum in omni motu voluntatis cooperari fini particulari: non quod moueat immediatè voluntatem hominis, aut quòd homo velit propter illum, sed quia causa prima cooperatur homini in omni volitione idque propter vltimum finem. Dum enim homo aliquid vult ob aliquem finem particularem, Deus cooperatur eius voluntati ob finem vniuersalem seu vltimum. Et ita fit, vt finis vltimus concurrat non tantùm ad omnem motum voluntatis, sed etiam ad omnem operationem creaturæ.

DVBIVM II.

Vtrùm hoc modo omnia quæ homo appetit, appetat ob vltimum finem in particulari consideratum, qui est Deus?

16. *Dupliciter aliquid appetitur propter Deum.*

NOtandum est, hominem dupliciter posse aliquid appetere propter Deum. Primò, vt Deum honoret, vel ei gratificetur. Secundò, vt Deum consequatur tamquam summum bonum. Nunc Respondeo, Homo sola obiecta honesta, hoc modo, scilicet interpretatiuè, appetit propter Deum.

Ratio est, quia hæc sola natura sua tendunt ad Dei honorem, suntque media ad Deum consequendum: ergo hæc sola censentur fieri ex affectu voluntatis in Deum. Indifferentia, vt talia sunt, non censentur appeti propter Deum: quia neque illis Deus honoratur, neque sunt media promerendi Deum. Multò minùs ea quibus connexa est malitia venialis vel mortalis; absurdum enim est dicere eum qui fornicatur, appetere illam delectationem propter Deum, tanquam ob

Digitized by Google

vltimum finem, Deumque plus diligi in huiuſmodi delectatione, quàm ipſam delectationem; vt quidam videntur dicere. Nam illa appetitio nullo modo ſequitur ex affectu erga Deum; neque natura ſua ducit in Deum, ſed abducit; neque honorat, ſed inhonorat

In omni bono quod appetitur, an Deus appetatur.

Dices primò, Omne bonum eſt quædam Dei participatio; ergo in omni bono appetitur ipſe Deus

Reſpondeò Primò, Hinc non ſequi omne bonum appeti propter Deum, ſed potius è contrario Deum appeti propter quoduis bonum Appetitur enim in omni bono vt Deus ſit, vt videlicet illud bonum quod amatur, eſſe poſſit, quod ſine Deo eſſe nequit.

Secundò, Fateor in omni bono appeti quandam Dei imitationem analogam. Hinc tamen non ſequitur appeti ipſum Deum, niſi quali ratione etiam bruta & omnes creaturæ quandam Dei imitationem appetunt. Et ſic D. Thomas 1. qu. 6. art. 4 ad 2. dixit omnia appetendo propriam perfectionem, apperere Deum, quatenus perfectiones omnium rerum, ſunt quædam ſimilitudines diuini eſſe. Verum talis locutio non eſt propria.

Dices Secundò, Qui appetit bonum partiale, magis appetit bonum integrum, in quo omnia partialia continentur. Sed omne bonum creatum reſpectu Dei eſt veluti particula, ergò &c.

Reſpondeo, Maior tantùm eſt vera de bono integro quod componitur ex bonis aliis particularibus: tale autem bonum non eſt Deus.

Dices Tertiò, Omnis appetitio boni cenſetur eſſe propter vltimum finem in genere, qui eſt plenitudo boni & carentia mali, atqui iſte vltimus finis reuera continetur in Deo, ergo omnis appetitio boni cenſetur eſſe propter Deum.

Reſpondeo, Negando Conſequentiam, tum quia illa plenitudo boni quam homo deſiderat, eſt quid communius & abſtractius quàm Deus. Tum quia non continetur in Deo niſi obiectiuè vel cauſaliter, non autem formaliter. Tum denique quia ſufficit diſtinctio rationis, vt alterum ſine altero appeti poſſit, vt patet in attributis diuinis: multi enim amant Dei Miſericordiam, & oderunt ipſius Iuſtitiam, cùm tamen hæc ſola ratione diſtinguantur.

Dices Quartò, Si ſola obiecta honeſta hoc modo in Deum tendunt, ergo quotieſcumque homo appetit aliquid ob delectationem vel commodum naturæ, appetit illud vt vltimum finem (qui appetit illud propter ſe, & nullo modo refert in Deum) ac proinde peccat mortiferè: quod tamen eſt falſum, quare & illud ex quo ſequitur,

Reſpondeo, Appetit illud vt vltimum finem operis, non autem vt vltimum finem operantis, vnde ob hanc cauſam nullum eſt peccatum. Quia etſi vltimum finem operis ſtatuat in aliquo obiecto delectabili, non tamen ſuum finem vltimum in eo ponit.

ARTICVLVS VII.

NOn habet peculiarem difficultatem. Vide D. Thomam.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm omnes Creaturæ habeant eumdem vltimum finem?

CONcluſio eſt, Omnes creaturas habere eundem vltimum finem tamquam rem cuius gratia ſunt, non tanquam rem, quam adipiſcantur. 27.

Quomodo Deus ſit finis omnium Creaturarum.

Notandum eſt, cùm Deus dicitur finis omnium creaturarum, non eſſe intelligendum de *fine-qui* intenditur, ſed *cui*; quem D. Thomas hîc videtur accipere per *finem cuius gratiâ*, cùm tamé Ariſtoteles quem hîc citat, per *finem cuius gratiâ*, intelligat rem illam quæ intenditur. *Finis* autem *qui* intenditur in omnibus creatis, eſt gloria Dei extrinſeca, quæ conſiſtit in duobus, ſed diuerſo modo. Nam obiectiuè conſiſtit in eo quòd diuinæ perfectiones, potentia, ſapientia, miſericordia, iuſtitia, cæteraque attributa in creaturis tamquam in effectis & quaſi ſpeculis reſplendeant: formaliter verò conſiſtit in eo quòd creatura rationalis illas cognoſcat amet, veneretur, & laudet. *Gloria* enim formaliter eſt *clara cum laude notitia*. teſte Cicerone Seu eſt *notitia alterius excellentia pariens amorem, venerationem & laudem*. Intrinſeca Dei gloria obiectiuè conſiſtit in excellentia & veluti luce diuinarum perfectionum, formaliter in notitia & amore æterno ſui.

Gloria Dei in quo conſiſtat.

Quod autem Deus ſit *finis-cui* omnium creaturarum, gloria verò Dei ſit *finis-qui*, patet Proverb. cap. 16. *Omnia propter ſemetipſum operatus eſt Dominus*: Nempe tamquam propter eum, cui quæritur vel intenditur aliquod bonum per totam creaturarum collectionem Non poteſt autem Deo quæri aliquod bonum intrinſecum, ipſum perficiens, cùm per eſſentiam ſuam ſit infinitè perfectus: ergo intenditur bonum aliquod Dei extrinſecum, quod perficiat ipſas creaturas. hoc autem non poteſt eſſe aliud quam gloria Dei. Quod patet. Tantùm enim ſunt duo genera bonorum extrinſecorum, diuitiæ & gloria [Sub gloria enim comprehenditur fama, laus & honor.] Diuitiæ non ſunt per ſe expetendæ, ſed ſolùm propter vtilitatem ad alia bona. Non ergo Deus intendit diuitias per creaturas, cùm illi nullam vtilitatem adferre poſſint, ergo gloriam: hæc enim ſola inter bona extrinſeca, eſt per ſe expetenda. Vnde Deuter. 16. *Fa iet te excelſiorem cunctis Gentibus, quas creauit in laudem & nomen & gloriam ſuam.*

QVÆSTIO SECVNDA.

In quibus conſiſtat Beatitudo?

DOcet hac Quæſtione, Beatitudinem non conſiſtere in diuitiis, honoribus, fama, imperio, voluptatibus huius vitæ, aut in aliquo bono creato, tamquam in obiecto, cuius poſſeſſione & fruitione beati ſimus.

In ſpeciali hac explicata ſunt l. de ſummo bono.

Ratio generalis eſt: nam cùm his omnibus poteſt quis eſſe miſer, & ſine his poteſt eſſe beatus. Relinquitur ergo in ſolo Deo beatitudinem hominis conſiſtere, quia in ipſo ſolo eſt plenitudo omnis boni, & in ipſo ſolo hæc boni plenitudo tota ſimul poſſideri poteſt.

Digitized by Google

QVÆSTIO TERTIA.

Quid ſit Beatitudo?

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum beatitudo ſit aliquid creatum?

CONcluſio eſt: Obiectum Beatitudinis eſſe increatum; ipſam verò formalem noſtram Beatitudinem, eſſe creatam.

Notandum eſt Primò, Rem quam deſideramus vltimò adiſpici, cuius adeptione efficimur beati, vocari beatitudinem obiectiuam, ipſam verò poſſeſſionem ſeu tentionem huius boni, vocari beatitudinem formalem; quia eſt perfectio quædam nobis inhærens.

Notandum Secundò, Quoſdam exiſtimaſſe, ipſam viſionem Dei increatam qua Deus ſeipſum intuens, beatus eſt, eſſe noſtram beatitudinem formalem, hanc enim viſionem intellectui noſtro communicari, vt per eam, Deum videat. Ita ſenſerunt Doctores quidam Pariſienſes, vt refert Gregorius in 2. d. 2. q. .

Viſio increata Dei non eſt noſtra beatitudo.

Sed omninò tenendum eſt, Viſionem Dei increatam, non eſſe noſtram beatitudinem, neque per illam nos Deum viſuros: ſed per aliquod donum creatum. Eſt communis ſententia Theologorum.

Et quidem quòd beati reipſa non ita videant Deum, ſatis colligitur primò ex Concilio Bremenſi, Clementina *Ad noſtrum, de hereticis*, vbi definitur beatos egere lumine gloriæ ad videndum Deum, quo ſanè lumine non egerent, ſi per ipſam viſionem Dei increatam viderent: lumen enim non requiritur in intellectu, niſi ad viſionem in ſe eliciendam. Secundò, Ex Concilio Tridentino ſeſſ. 6. can. 11. vbi contra Lutherum & Oſiandrum definitur nos non eſſe formaliter iuſtos per iuſtitiam Chriſti vel Dei: vnde ſequitur nos etiam non eſſe beatos beatitudine Dei. Patet conſequentia, tum quia beatitudo eſt præmium iuſtitiæ, tum quia beatitudo eſt vita beati, cùm tamen iuſtitia non ſit vita. Quo fit vt multò minùs poſſimus eſſe beati per aliquid extrinſecum, quàm iuſti.

Quod verò etiam contradictionem implicet, Probatur, quia viſio increata Dei, eſt ipſe Deus, ſed implicat cõtradictionem, vt Deus per ſeipſum ſuppleat effectum formalem actus vitalis: idque ob duas cauſas: prior eſt, quia actus vitalis debet informare potentiam, vita enim debet eſſe in viuente. Atqui viſio increata non poteſt eſſe forma intellectus creati: ergò &c. Altera eſt, quia actus vitalis vt tribuat ſuum effectum potentiæ, neceſſarium eſt vt ab ipſa effectiuè procedat: de ratione enim motus vitalis eſt vt procedat ab intrinſeco principio, alioqui per illum potentia non dicetur viuere, ſed modo mortuo eum excipiet: atqui repugnat viſionem increatæ procedere à creatura.

Denique ſi homo poſſit videre per ipſam Dei viſionem, neceſſariò videret omnia, & tam perfectè, quàm ipſe Deus: nam vbi eſt eadem forma, ibi eſt idem effectus formalis.

2. Obiectio de ſpecie intelligibili.

Obiicitur primò, Non repugnat eſſentiam diuinam ita nobis vniri, vt per eam intelligamus tamquam per ſpeciem intelligibilem, vt dictum eſt, 1. p. q. 12. ergo neque vt per illam videamus tamquam per operationem intelligibilem.

Et confirmatur, Quia Deus poteſt humanæ naturæ tribuere ſuam ſubſiſtentiam, eamque ita ipſi vnire, vt ipſa per eam formaliter ſubſiſtat. Cur non etiam poterit ei dare vel vnire ſuam beatitudinem, vt per eam formaliter ſit beata?

Reſpondeo, Negando Conſequentiam. Eſt enim diſpar valdè ratio. Nam ſpecies intelligibilis non poſtulat vt intellectum informet, aut vt ab eo procedat, ſed tantùm vt intimè ei ſit præſens, & cooperetur. Viſio autem qua intellectus videt, debet ab ipſo procedere, & ipſum vitaliter informare: hoc enim ſignificat nomen viſionis. Refellitur.

Hinc patet reſponſio ad confirmationem. Nam id, in quo aliquid ſubſiſtit, tamquam in hypoſtaſi, non debet illud informare, nec ab eo procedere. Non enim Petrus eſt in ſuo brachio, neque à brachio procedit, ſed potiùs brachium ab illo. Pari modo vt ſubſiſtentia Verbi diuini communicetur humanæ naturæ, ſatis eſt vt humana natura illi inexiſtat & innitatur tanquam ſuppoſito, neque requiritur vt illa ſubſiſtentia informet naturam humanam.

Obiicitur ſecundò, Beatitudo debet eſſe quid perfectiſſimum in beato: nam eſt ſummum bonum. Atqui operatio creata non eſt huiuſmodi, nam eſt accidens quoddam imperfectius ſubſtantiis & potentiis.

Beatitudo non eſt perfectiſſima in ratione entis, ſed operationis entis vltimo fini.

Reſpondeo, Beatitudo non poſtulat vt ſit quid perfectiſſimum in ratione entis, ſed vt ſit perfectiſſima operatio in modo vitaliter attingendi & conſequendi vltimum finem, quod conuenit operationi creatæ.

Obiicitur Tertiò, Homo ordinatur ad beatitudinem, non autem ad aliquam operationem creatam, alioqui ordinaretur ad aliquid imperfectius

Reſpondeo, Hominem non ordinari ad beatitudinem, tamquam ad rem diuerſam: Nam beatitudo ipſa ordinatur ad perficiendum hominem: ſed ordinatur homo non beatus ad ſeipſum beatum, ſicut pars ordinatur ad totum, vel res incompleta ad ſeipſam completam.

3.

Obiicitur Quartò, Maius bonum eſt amari à Deo, quàm operari operatione creata circa eum. Atqui amamur à Deo actu increato, ergo in eo eſt noſtra beatitudo.

Amor increatus non eſt formalis noſtra beatitudo.

Reſpondeo, Amari à Deo, dupliciter poteſt conſiderari. Primò, præcisè quatenus eſt denominatio extrinſeca nihil ponens in amato: Et ſic etiamſi amor quo amamur, ſit quid optimum (nam eſt Charitas Dei increata) tamen non eſt bonum nobis intrinſecum, ac proinde non poteſt eſſe noſtra formalis beatitudo. Secundo, quatenus ille amor eſt efficax, & fons omnis noſtri boni: ſic melius nobis eſt amari quàm amare, quia in amari, tanquam in cauſa, comprehenditur eminenter omne bonum noſtrum ſupernaturale, videre, amare, frui. Non tamen idcirco beatitudo noſtra conſiſtit formaliter in eo quod eſt amari à Deo, ſed cauſaliter: quia ex vi huius amoris conferuntur nobis maxima bona creata quibus formaliter beati ſumus.

Digitized by Google

ARTICVLVS II.

Vtrùm Beatitudo ſit operatio.

COnclusio eſt affirmans, Beatitudinem formalem, eſſe operationem. Probatur, quia Beatitudo eſt vltima hominis perfectio, atqui perfectio cuiuſque rei, eſt eius operatio. Quod intellige de operatione immanente: vt eſt, videre, amare, frui. Nam operatio tranſiens, non eſt perfectio operantis, ſed patientis: vt illuminatio, non eſt perfectio ſolis, ſed aëris. Hæc tamen operatio ſupponit operans iam perfectum.

Beatitudo immediatius perficit potentias animæ, quàm ipſam eſſentiam.

Hinc ſequitur, Beatitudinem principaliùs & immediatiùs perficere potentias animæ, quàm eſſentiam, ſiue eſſentia diſtinguatur ex natura rei à potentiis, ſiue non. Nam operatio non conuenit eſſentiæ, qua eſſentia eſt, ſed quatenus habet rationem potentiæ vitalis. Vide Scotum in 4. d. 49. q. 2. vbi contrariam ſententiam tribuit Henrico, nempe beatitudinem non conſiſtere principaliter in operatione ſeu perfectione potentiarũ, ſed in illapſu quodam obiecti beatifici in eſſentiam animæ, ex quo quaſi ſecundariò redundet in potentias, mediante operatione potentiarum: hanc ſententiam ſic intellectam vt primò ſonat, Scotus refutat tribus Argumentis.

Scotus impugnat ſententiam Henrici de illapſu obiecti beatifici in eſſentiam animæ

Primò, Quia impoſſibile eſt vt Deus habeat aliquem nouum illapſum in eſſentiam animæ, niſi ratione alicuius noui doni creati: nam antea erat intimè in illa eſſentia per ſuam eſſentiam. Vnde niſi aliquid noui in ea faciat, habebit ſe ad illam vt antea: ergo per illud donum nouum erit formaliter beatus, non autem per ipſum eſſentiæ illapſum.

Secundò, Quia ille illapſus eſt prior natura quàm quæuis operatio ergo ſi in illapſu conſiſtat beatitudo formalis homo erit beatus, etſi per diuinam potentiam nihil operetur. Et ita dormiens poterit eſſe beatus, quod eſt contra rationem naturalem & Ariſtotelem 12. Metaph.

Tertiò. Deus ipſe non eſt beatus præcisè per hoc quòd identificetur ſuæ eſſentiæ, ſed per hoc quòd eſt intelligens & amans ſeipſum [alioqui ſequeretur eſſe beatum, etſi non eſſet intelligens:] ergo ſimiliter creatura non eſt beata per hoc, quod obiectum beatificum illi ſit intrinſecum illique illabatur & intimè eam penetret: ſed per cognitionem & amorem.

Henricus ea ſic ut

Sed fortaſſe longè eſt alia mens Henrici, quàm ea quam Scotus ei attribuit. Non enim dicit illapſum in eſſentiam fieri abſque dono creato, vel in hoc illapſu conſiſtere formalem beatitudinem: ſed videtur hunc illapſum ponere vt principium beatitudinis, & veluti beatitudinem in habitu Vnio enim Dei cum anima per dona habitualia, maximè per lumen gloriæ, eſt beatitudo in habitu, non tamen eſt beatitudo abſolutè, quia hæc conſiſtit in operatione.

Dices habitus ſupernaturalis eſt perfectior operatione: ergo beatitudo potiùs conſiſtit in habitu quàm in operatione. Conſequentia patet: quia beatitudo conſiſtit in perfectiſſima vnione animæ cum Deo: atqui ea vnio eſt perfectior quæ fit per donum perfectius (non enim Deus nouo modo vnitur creaturæ niſi per nouum donum:) ergo cum habitus ſit donum perfectius quàm operatio, etiam vnio quæ fit per habitum, perfectior erit vnione quæ fit per operationem.

Quod autem habitus ſit donum perfectius operatione: Probatur, tum quia habitus ſupernaturalis infunditur à ſolo Deo, operatio autem fit à nobis: tum quia habitus ille habet ſe per modum potentiæ reſpectu operationis: atqui potentia eſt perfectior operatione: nam eſt cauſa æquiuoca, id eſt, diuerſæ rationis, virtute in ſe continens omnes operationes.

Reſpondeo, Negando conſequentiam. Etſi enim habitus ſupernaturalis in ratione entis fortè ſit perfectior operatione: tamen non eſt perfectior in modo attingendi Deum tamquam obiectum beatificum. Nam per habitum nudum non attingitur Deus vitali modo & proximè: ſed modo mortuo & remotè, vt patet in dormiente.

Non in qua uis perfectiſſima vnione bum Deo fit eſt beatitudo, ſed in vitali.

Ad Probationem conſequentiæ, Beatitudo non conſiſtit in quauis perfectiſſima vnione cum Deo (vt patet in vnione hypoſtatica, quæ etſi perfectiſſima ſit, tamen non eſt ipſa beatitudo: neque anima Chriſti per illam eſt beata) ſed conſiſtit in perfectiſſima vnione vitali, qua ſentitur & guſtatur ipſe Deus: & anima ita afficitur, acſi ipſamet transformaretur in Deum. Itaque nihil refert quòd vnio illa, ſeu præſentia Dei per gratiam in eſſentia animæ (quam præſentiam Henricus *illapſum* vocat) ſit perfectior quam vnio obiectiua per operationem: quia illa vnio per gratiam cum eſſentia animæ, non eſt vitalis: id eſt, non fit mediante ſenſu vitali: vnde ſecundum ſe non ſentitur, ſed modo mortuo ſe habet. Vtrùm autem Deus illabatur eſſentiæ creatæ per donum diſtinctum ab habitibus, qui ſunt in potentiis, an per idem: non eſt huius loci. Sanè ſi eſſentia animæ non diſtinguitur à potentiis, non eſt neceſſe ponere donum illud quo illabatur eſſentiæ, eſſe diſtinctum ab habitibus potentiarum: de quare in Tractatu de gratia.

DVBIVM I.

Vtrùm operatio illa in qua conſiſtit noſtra Beatitudo, debeat effectiuè ab anima procedere: an ſufficiat eam extrinſecùs immitti?

MVlti Doctores affirmant viſionem & amorem beatificum infundi à ſolo Deo, intellectu & voluntate ſe merè paſſiuè habentibus. Ita Ockam & Gabriel. in 1 d. 1. & Petrus ab Aliaco ibidem. & multi alii. Scotus verò dubitat.

Beatitudo formalis emanare debet ab ipſis potentiis.

Sed contrarium omninò tenendum: ſcilicet has operationes non ſolùm debere recipi, ſed etiam effectiuè manare à potentiis animæ. Ita paſſim alii doctores vel inſinuant vel expreſsè docent.

Probatur Primò, Quia in Concilio Conſtantienſi definitum eſt intellectum beatorum vt ad viſionem beatificam eleuetur, egere lumine gloriæ: vt habetur Clement. *Ad noſtrum. De hæreticis.* Atqui lumen non requiritur in potentia cognoſcente, niſi ad eliciendum actum cognitionis. Non enim requiritur ad recipiendam viſionem: quia viſio immediatè debet exiſtere in ipſa potentia intellectiua, non in lumine: vt fit in omni habitu.

Dices: Lumen erit neceſſaria diſpoſitio ad recipiendam viſionem à Deo immiſſam: ſicut lumen corporale in aëre, eſt neceſſaria diſpoſitio ad recipiendas ſpecies ab obiecto diffuſas.

Reſpondeo, Eſſe diſparem rationem: Ideò enim requiritur lumen in aëre, quia cùm ſpecies ſint magis ſpirituales quàm obiectum, obiectum non poteſt eas producere niſi lumine quodam-

by Google

dò elicetur & iuuetur ad earum productionem: quare tantummodò circa obiectum requiritur lumen: nullo autem modo requiritur vt viſio recipiatur in oculo. Deus autem non diffundit ſui ſpeciem: & ſi diffunderet, non egeret externo lumine, cùm ipſe ſit prima & ſumma lux.

Secundò Probatur: Nam Scripturę & Patres paſſim inſinuant nos beatos fore per hoc quod videbimus, & amabimus, & fruemur Deo. Atqui hęc nomina non ſignificant nudam paſſionem ſeu receptionem, ſed productionem vitalem viſionis & amoris.

Tertiò Probatur à priori, Quia videre, amare, gaudere, frui & ſimilia, ſunt vitæ, ſeu vitales motus, per quos formaliter viuimus: (cuius ſignum eſt quòd nullo modo poſſint competere rebus inanimis) atqui vita debet manare à principio intrinſeco. Vnde viuentia dicuntur quæ ſeipſa mouent, id eſt, à principio intrinſeco, & per hoc diſtinguuntur à non viuentibus; quæ potiùs dicuntur moueri à generante, quod impreſſit vim mouendi. Cuius etiam ſignum eſt, quòd ea quæ ab extrinſeco recipiuntur, ſubiecto nihil cooperante, ſuſcipiuntur & inexiſtunt modo mortuo; ſicut lumen ab aëre, calor ab aqua, habitus ab anima. Quare ſi viſio & amor ſuſcipiuntur à potentiis ſe merè paſſiuè habentibus, modo mortuo ſuſcipiuntur, poſſuntque ſic ſuſcipi à dormiente. Quare non poſſunt beatum reddere.

Quid ſit vita ſeu vitalis motus,

8. Solutiones obiectionũ.

Argumenta in contrarium, ſunt nullius fere momenti. Non enim ſi beati lumine gloriæ adiuti eliciunt viſionem effectiuè, ſequitur eos poſſe ceſſare. Nam ſi homo totus eſſet oculus, vel ſi acciſæ eſſent palpebræ, non poſſet ceſſare à viſione, tamen effectiuè illam viſionem produceret. Similiter non ſequitur hominem ſeipſum beare propriè: quia iſta locutione ſignificatur vel ipſum eſſe obiectum ſuæ beatitudinis, vel cauſam efficientem virtute propria. Poteſt tamen aliquo ſenſu admitti: ſi enim homo dicitur ſeipſum iuſtificare, mundare, ſaluare: cur non poſſit etiam dici ſeipſum beare, quatenus virtute diuinitùs accepta & Dei auxilio, in ſeipſo elicit actus illos quibus beatus eſt? quia tamen id liberè non facit, neque virtute propria, ſatis impropria eſt locutio.

DVBIVM II.

Vtrùm per potentiam Dei abſolutam, iſti actus viſio, amor & alii ſimiles poſſint produci abſque concurſu effectiuo potentiarum?

OMiſſis ſententiis, Reſpondeo & Dico Primò, Iſtos actus, & quemuis alium actum vitalem, poſſe ſecundùm totam ſuam ſubſtantiam & entitatem produci à ſolo Deo, abſque cooperatione potentię creatæ. Eſt Scoti, Occami, & multorum aliorum.

Probatur, Quia actus vitales, ſecundùm ſuas entitates, ſunt qualitates quædam realiter diſtinctæ à potentiis animę (vt patet ex ſumma perfectione quam adferunt potentiis) manantes ab illis effectiue, & in illis tamquam immediatis ſubiectis inhærentes: atqui Deus poteſt per ſe immediate ſupplere omnem influxum effectiuum creaturarum: ergo omnem efficientiam quam habet anima in illos actus, poteſt ſupplere.

Vnde ſequitur Primò, Deum poſſe illos actus ſecundùm totam ipſorũ ſubſtantiam producere extra ſubiectum: & eos qui producti ſunt, in ſubiecto & per ſubiectum, ponere extra omne ſubiectum. Quod patet, quia actus illi ſolum duplicem dependentiam habent ab anima, ſcilicet in genere cauſæ efficientis, & in genere cauſę materialis ſeu ſubiectiuæ. Atqui Deus poteſt per ſe ſupplere dependentiam effectiuam, vt dictum eſt: & etiam quodammodò potentiam ſubiectiuam, non quidem tribuendo accidenti eundem modum exiſtendi, quem habebat in ſubiecto, ſed cõſeruando totam illius entitatem extra ſubiectum: ſicut in Tractatu de Euchariſtia eſt oſtenſum. Poteſt enim Deus omne accidens habens propriam entitatem ſeparare à ſubiecto, & ſeparatim conſeruare.

Actus vitales ſecundũ ſuam entitatem poſſunt diuina virtute produci ſine concurſu potentiarum.

Sequitur Secundò, Non eſſe de eſſentia illorum actuũ, vt reipſa manent à potentiis, aut exiſtant in illis, ſicut non eſt de eſſentia accidentis, actu ineſſe ſubiecto: & tamen de illorum eſt eſſentia aptitudo ad emanandum à potentiis, & ad illas informandas.

10.

Dico Secundò, Per huiuſmodi tamen actus à ſolo Deo productos in intellectu vel in voluntate, anima non intelliget, non amabit, non fruetur: ſed ſolùm recipiet eos per modum rei mortuæ. Patet ex dictis dubio ſuperiore.

Actus vitales non tribuunt ſuum effectum formalem, niſi manent à potentiis effectiue.

Probatur, Quia intelligere, amare, frui, non ſolùm eſt informari talium actuum entitate: ſed etiam eſt eos producere in ſeipſo ab intrinſeco, ita vt eſſentia & vis animę effectiue in illos influat. Quare ſimplex informatio non ſufficit, vt hi actus tribuant ſuum effectum formalem ſeu denominationem: ſed vlteriùs requiritur emanatio. Ratio eſt, quia non ſolùm denominant quatenus ſunt formæ inhærentes, ſed etiam quatenus actus emanantes: & vtrumque in illorum denominatione includitur.

ARTICVLVS III.

An beatitudo ſit operatio partis ſenſitiuæ, an intellectiuæ tantum?

11.

CONcluſio, Beatitudo eſt tantũ intellectiuæ partis operatio. *Partem intellectiuam* vocat, in qua eſt intellectus & voluntas. Probatur quia ſola pars intellectiua immediatè poteſt attingere ſummum bonum, ſeu vltimum finem.

ARTICVLVS IV.

An beatitudo ſit operatio intellectus, an voluntatis?

PRima Concluſio: Eſſentia beatitudinis non poteſt conſiſtere in actu voluntatis. 12.

Probatur: Quia beatitudinis eſſentia conſiſtit in aſſecutione vltimi finis: ſed non aſſequimur vltimum finem per actum voluntatis: ergo &c.

Secunda Concluſio: Beatitudo conſiſtit in actu intellectus.

Probatur, Quia per actum intellectus conſequimur vltimum finem.

DVBIVM I.

Vtrùm tota beatitudinis ratio conſiſtat formaliter in vnica operatione.

13.

THomiſtæ defendunt totam conſiſtere in ſola viſione: reliquas verò operationes, vt amorem & fruitionem, eſſe veluti perfectiones beatitudinis extrinſecas. Ratio eſt: quia ſola viſione

Thomiſtæ ſtatuunt beatitudinẽ in ſola viſione.

Refellitur. Dei poſſidemus ipſum Deum, eumque intra nos præſentem tenemus,

Sed hæc ſententia difficilis eſt intellectu. Primò: Quia ex ea ſequitur eum qui videret Deum, eſſe verè & perfectè beatum, etiamſi non amaret, neque gauderet illo, Deo non præbente concurſum ad hos actus. Quod ſanè videtur abſurdum, & contra communem modum concipiendi. Quomodo enim verè eſt beatus, qui nec amat, nec gaudet de bono obtento? Reſpondet Scotus in 4. d. 49. q. 1. a. 4. talem non fore beatum: quia beatitudo eſt omnium bonorum aggregatio, quam ille non habet. Rectè: ſed hinc ſequitur non in ſola viſione totam eſſentiam beatitudinis conſiſtere: quod nos volumus: cuius tamen contrarium a. 3. docet Scotus.

Vt etiam Scoti aliorumque reſponſio.

Alii Reſpondent, talem non fore beatum, quia etſi tota beatitudo in viſione conſiſtat: tamen hoc intelligendum eſſe de viſione vt actu cauſat amorem & gaudium: quam cauſalitatem hic non habet.

Sed contra: vel enim hoc ita intelligendum eſt, vt tota beatitudo cenſeatur conſiſtere in viſione, & illa actuali cauſatione, excluſis effectis, ſcilicet amore & gaudio: & hoc dici nequit, quia illa cauſatio non facit viſionem meliorem: nec illi quidquam addit niſi forte aliquam relationem reſultantem, quæ nullius eſt momenti ad hominem magis beandum. Vel eſt ita intelligendum, vt includantur effectus cauſati: & ſic non conſiſtit beatitudo in ſola viſione, ſed etiam in aliis actibus.

14 Secundò Probatur, Si quis Deum videns, impediretur ab amore & gaudio, neceſſariò eſſet animo inquieto, & doleret ſe tanto bono violente priuari. At quomodo cum illa inquietudine & dolore de re neceſſaria ad perfectam Dei coniunctionem, conſiſtere poterit beatitudo, quæ debet ſatiare appetitum?

Tertiò, Ille non haberet in ſua poteſtate frui bono obtento: Frui enim, vel eſt gaudere, vel cum delectatione vti. Atqui *nemo beatus eſt, qui eo quod amat, non fruitur*: vt inquit D. Auguſt. l. 8. de Ciuitate cap. 9. Vnde etiam propriè non diceretur adeptus vltimum finem: quia non ita poſſideret, vt poſſet illo frui.

Quartò, Si auarus qui vltimum finem conſtituit in diuitiis, non poſſet illas amare, nec vllam voluptatem ex illis accipere, non cenſeret ſe beatum poſſeſſione diuitiarum: ergo ſimiliter hic.

Quintò, Ad perfectam rationem beatitudinis requiritur perfecta vnio vitalis cum Deo: atqui ad perfectam vnionem requiritur nō ſolùm vnio per intellectum, ſed etiam per voluntatem. Nam non minùs voluntas immediatè attingit ipſum Deum quàm intellectus: ergo etiam vnio voluntatis pertinet ad eſſentiam beatitudinis. Quare

Dico Primò, Verius eſt & communi modo concipiendi conformius, ad rationem integræ beatitudinis pertinere non ſolùm nudam viſionem, ſed etiam amorem & gaudium.

Requiritur præterea Amor & Gaudium.

Probatur primò, Rationibus ſupra allatis.

Bonau. Richar. Gabriel. Secundò, Quia id eſt magis conſentaneum ceteris Doctoribus, qui beatitudinem conſtituunt in pluribus operationibus. D. Bonauent. in 4. d. 49. a. 1. q. 5. in tribus conſtituit, ſcilicet viſione, dilectione & fruitione. Alii conſtituunt in viſione & fruitione: vt Richardus & Supplementum Gabrielis eadem. d. Per fruitionem intelligunt hi duo Doctores dilectionem, quę tamen coniuncta ſit cum gaudio: niſi enim cum gaudio quis diligat, non dicetur frui. Imò ipſe D. Thomas opuſc. De beatitudine, dicit beatitudinem conſiſtere in viſione, dilectione, fruitione, vnione, laude, gratiarum actione & gratulatione: vbi ponit tres actus externos manantes ex beatitudine, in quibus non vult ipſam eſſentiam beatitudinis eſſe ſitam, ſed tantùm indicare qui actus externi immediatè ex beatitudine ſequantur. Et infra q. 4. a. 8. ad 3. dicit perfectionem charitatis eſſe beatitudinem eſſentialem, quantùm ad dilectionem Dei.

Tertiò, Quia id eſt magis conſentaneum definitioni Benedicti XI. quam habet in quadam extrauagánti, vbi inter cetera ſic ait: *Animæ Sanctorum qui ex hac vita migrarunt, ex viſione & fruitione Dei vere eſſe beatas.* Nomine *fruitionis*, videtur intelligere quod paſſim doctores, amorem cum gaudio: vel gaudium, quod neceſſariò amorem includit. Vide Caſtro verb. *Beatitudo* hæreſ. 6. vbi etiam hanc extrauagantem ad verbum ponit. Certè, hoc modo loquendi ſatis inſinuat fruitionem non eſſe accidentariam & extrinſecam beatitudini. Benedict. XI.

Quartò, Quia expreſsè hanc ſententiam inſinuat Catechiſmus Romanus in explicatione vltimi articuli Symboli: *Solida beatitudo, quam eſſentialem communi nomine licet vocare, in eo ſita eſt vt Deum videamus, eiuſque pulchritudine perfruamur, qui omnis bonitatis & perfectionis fons eſt & principium.* Catech. Rom.

Quintò, Eſt magis conſentanea Scripturæ & Patribus, qui beatitudinem aliquando explicant nomine gaudii, aliquandò nomine fruitionis. Matth. 25. *Intra in gaudium Domini tui.* Pſal. 35. *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos: quoniam apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.* Vbi tres actus inſinuantur. D. Auguſt. lib. 10. Confeſſ. c. 22. *Omnes ipſum gaudium, beatam vitam vocant.* & cap. 23. *Vita beata eſt gaudium de veritate.* Scripr. Auguſt.

16. Dico Secundò, Ad rationem perfectam beatitudinis eſſentialis requiritur, non ſolùm amor & gaudium concupiſcentiæ, ſed etiam amor & gaudium amicitię: ac proinde in vniuerſum requiruntur quinque actus. Vbi notandum, *Amorem concupiſcentiæ in Deum*, vocari à Doctoribus eum, quo amamus Deum nobis, cupientes eum poſſidere in noſtrum commodum. *Gaudium concupiſcentiæ* eſt, quo gaudemus de Deo poſſeſſo, ſicut auarus gaudet obtenta pecunia. *Amor amicitiæ Dei*, quo cupimus ipſi Deo omne bonum tam intrinſecum quàm extrinſecum, nulla commodi noſtri habita ratione: ſed ſolum vt ipſi Deo bene ſit, *Gaudium amicitiæ eſt*, quo gaudemus videntes Deum tantis bonis intrinſecis & extrinſecis affluere. Quinque Actus eſſentiales beatitudini.

Nunc probatur, quia hi omnes actus verſantur immediatè circa ipſum Deum, vti ſuppono, & ſunt neceſſarii ad perfectam mentis vnionem cum Deo: ergo omnes pertinent ad rationem beatitudinis, quæ poſtulat perfectam vnionem cum Deo.

Antecedens probatur, Quia ſinguli nouo modo vniunt mentem cum Deo. Viſio enim facit Deum menti præſentem, eumque veluti intus in anima detinet. Amor concupiſcentiæ inclinat animam in Deum, vt illum per intellectum, tamquam per manum quandam præſentem tenet, & non dimittat. Gaudium concupiſcentiæ eſt vitalis ſuauitas & quies tanquam in bono proprio iam obtento. Amor amicitiæ eſt motus animi in Deum eiuſque bona, vt ipſa ſunt. Gaudium amicitiæ eſt vitalis ſuauitas in bonis diuinis, vt ſunt bona Dei.

Hi actus ſunt ad beatitudinem neceſſarii.

Secundò. Quia hi quinque actus ſunt neceſſarii & ſufficientes vt excludant omnem inquietudinem & moleſtiam vndecumque prouenientem, & plenè ſatient appetitum : atqui hoc videtur requiri & ſufficere ad rationem beatitudinis : ergo.

Quòd ad hoc ſint neceſſarii, Probatur Primò, Quia ſi vel vnus ex iſtis deſit, naſceretur magnum deſiderium tanti boni à quo violenter impediretur: quod non erit ſine afflictione. Secundò, Quia nemo beatum abſolutè dixerit, qui ex bono obtento nullam ſuauitatem percipit. Neque ſufficit quòd beatus gaudeat de bonis Dei ; quia etiam debet gaudere de Deo, tanquam de bono proprio iam obtento ; alioqui non fruetur eo tamquam bono ſuo : quod tamen requirit D. Auguſt. Auguſt. l. 8. de Ciuit. c. 9. cum ait : *Nemo beatus eſt, qui eo quod amat, non fruitur.* Et l. 1. de Doctr. Chriſt. c. 32. *Summa merces hæc eſt, vt Deo fruamur.* Neque etiam ſufficit, vt gaudeat de Deo, vt eſt bonum ipſius; nam gaudium amicitiæ eſt præſtantius gaudio concupiſcentiæ, tum ſuauitate, tum honeſtate, ac proinde minùs poteſt à beatitudine abeſſe.

Confirmatur, Quia beatitudo continet ſummã amicitiam hominis cum Deo tamquam filii cum parente : atqui non eſt perfecta amicitia, vbi non eſt gaudium de bonis amici. Itaque neceſſariò requiritur vt ſummè gaudeat de bonis Dei. Quod ſi vtrumque gaudium eſt neceſſarium, etiam vterque amor neceſſarius eſt : cùm gaudium intrinſecè amorem vel includat vel ſupponat.

Et ad eam ſufficiunt.

Quòd verò iſti quinque actus ſufficiant. Probatur Primò, Quia non ſunt alij modi, quibus anima immediatè Deo vniatur vitali modo. Quò fit, vt excludant omnem inquietudinem animæ circa Deum, faciantque deſiderium animæ ſatiari. Dico : *modo vitali* : quia etſi poſſit dari maior vnio cum Deo, ſcilicet hypoſtatica : tamen quia hæc non fit mediante actu vitali, ideo non facit formaliter beatum : neque excludit inquietudinem circa Deum : neque ad beatitudinem eſt neceſſaria.

Secundò, Quia hi actus, tantis bonis & tanto gaudio implent animam, vt nulla creatura ei aliquam moleſtiam poſſit afferre. Nam naturaliter impoſſibile eſt vt cum ſummo gaudio conſiſtat vel minima triſtitia. Vnde ſi anima beata eſſet in corpore mortali, non perciperet naturaliter dolorem ex alteratione vel læſione corporis : nam ex gaudio voluntatis, tanta deſcenderet delectatio in appetitum ſenſitiuum, vt non eſſet futurus capax moleſtiæ, quam alioquin illa lætitia cauſaret. Vnde, quòd Dominus pati potuerit, ſingulari diſpenſatione factum eſt (vt docent Theologi) Deo cohibente portionem animæ ſuperiorem, ne in inferiorem, ſuum gaudium transfunderet : vel impediente inferiorem, ne per ſympathiam vitium, delectationem ex gaudio voluntatis conciperet.

17. Beatitudo radicaliter conſiſtit in viſione.

Dico Tertiò, Aliquo tamen ſenſu dici poteſt totam beatitudinem conſiſtere in viſione : nempè tamquam in radice & fundamento aliarum perfectionum.

Probatur, Quia viſio eſt prima vnio mentis cum Deo, per quam Deum intra ſe tenet, ex qua ceteræ vniones neceſſariò conſequuntur. Ergo ceteræ perfectiones continentur in viſione tamquam in fundamento. Ergo ipſa poteſt dici tota beatitudo, ſcilicet fundamentaliter. Sicut Sap. 15. *Notitia Dei* vocatur *conſummata iuſtitia*, id eſt, Iuſtitiæ perfectę fundamentum. Sed contra.

Obiicitur Primò, Scripturam multis locis beatitudinem per ſolam viſionem vel apparitionem Dei explicare, ſimiliter Patres. 18. Soluuntur obiectione 1

Reſpondeo Primò, Non dicunt eam conſiſtere in ſola viſione, ſed in viſione. Simili modo dicunt conſiſtere in gaudio & delectatione. Et quamuis dicerent ſolam viſionem Dei eſſe noſtram beatitudinem, non ideò excluderent actus neceſſariò viſionem ſequentes, ſed tantum viſionem & fruitionem creaturarum : vt multis exemplis Scripturæ oſtendi poteſt.

Secundò, Exponi poſſunt conſiſtere in viſione tamquam in fundamento : ſi enim Scriptura dicit hominem iuſtificari per fidem, quia fides eſt fundamentum iuſtitiæ, vt explicat Concil. Trid. ſeſſ. 6. c. 8. quantò magis poteſt dici beari viſione Dei ? cum viſio non ſit fundamentum remotum, ſicut fides, ſed proximum vnde tota reliqua perfectio beatitudinis neceſſariò profluit : neque ſit fundamentum extrinſecum, ſed intrinſecum, & primaria pars, veluti radix in arbore.

Obiicitur Secundò, Beatitudo conſiſtit in adeptione vltimi finis : ſed hunc adipiſcimur ſolo actu intellectus, vt probat D. Thom. hoc art.

Reſpondeo, Eam non conſiſtere totam in nuda adeptione ſeu præſentia vltimi finis : ſed in adeptione & reliquis perfectionibus, quæ natura ſua adeptionem comitantur : quas exiſtimo D. Thomam non excludere. Sicut ſi obiectum beatitudinis eſſet pecunia, ipſa formalis beatitas non eſſet ſita in nuda poſſeſſione pecuniæ : ſed in poſſeſſione & fruitione. Adde, non eſſe perfectam adeptionem, niſi bono obtento poſſis frui, vt patet in beatitudine falſa.

Obiicitur Tertio, Beatitudo obiectiua eſt quid vnum : ergo etiam formalis debet eſſe vna aliqua operatio, quâ obiectum illud poſſideatur. Conſequentia probatur : Primò, Quia beatitudo formalis debet reſpondere obiectiuæ. Secundò, Quia beatitudo formalis eſt vltimus finis intrinſecus, & vltimum expetendum : atqui ſola viſio eſt vltimũ appetibile : quia, vt ſupra dictum eſt, nullus actus voluntatis poteſt eſſe vltimum appetibile, cùm tendat in obiectum appetibile vlteriùs. Tertiò, Quia ſummum gaudium oritur ex beatitudine : atqui ſi gaudium eſſet pars beatitudinis, oporteret gaudere de gaudio. 19.

Reſpondeo, Negando Conſequentiam, Quia etſi obiectum beatificum ſit vnicum, tamen pluribus modis debet vniri, vt omninò beatos reddat. Itaque non eſt imaginandum beatitudinem formalem eſſe quandam ſimplicem perfectionem, ſed eſſe collectionem multarum perfectionum, quibus Deo iungimur. Formalis beatitudo eſt collectio multarum perfectionũ quibus Deo iungimur.

Ad primam Prob. Beatitudo formalis non debet reſpondere obiectiuæ in ſimplicitate : nam vni obiecto reſpondent plures actus, qui neceſſarij ſunt vt obiecto perfectè vniamur.

Ad Secundam Probationem, Nego ſolam viſionem eſſe vltimum appetibile completum. Eſt quidem pars præcipua, in qua reliqua tamquam in radice continentur : non tamen eſt formaliter completum appetibile vltimum. Qui enim ſolam viſionem haberet, non quieſceret, ſed vlteriùs appeteret fruitionem. Dicitur autem vltimum, vel fundamentaliter, vel iunctis illis perfectionibus quæ neceſſariò ex illa ſequuntur.

Ad Confirmationem, Nullus actus voluntatis poteſt eſſe abſolutè vltimum appetendum : poteſt tamen eſſe vltimum expetendum inter bona intrinſeca homini : vel ſaltem poteſt eſſe pars vltimi boni intrinſeci & completi : quamuis inter has

partes etiam ſit aliquis ordo.

Duplex gaudium ex beatitudine.

Ad Tertiam Prob. Dupliciter poteſt intelligi ex beatitudine naſci ſummum gaudium. Primò, ex tota beatitudine formaliter, tamquam ex vno integro bono. Non enim dubium eſt quin beati videntes in ſeipſis totam illam excellentiam, mirè gaudeant. Et ſic etiam gaudent de ſuo gaudio beatifico. Sed hoc gaudium non eſt neceſſarium ad eſſentiam beatitudinis; nam proximè eſt de ſolo bono creato. Secundò, ex beatitudine obiectiua, id eſt, ex Deo, vt eſt bonum tuum, & vt eſt bonum ipſius beati. Et hoc gaudium eſt intrinſecum beatitudini, eſtque ſufficiens vt per ſe & formaliter incomprehenſibili ſuauitate animã perfundat, ita vt non ſit opus alio gaudio de hoc gaudio.

Itaque Deus vt eſt bonum ſuum, & vt eſt bonum noſtrum, eſt obiectiuè cauſa omnis ſuauitatis & oblectationis beatificæ. Amor vterque eſt cauſa veluti effectiua vel diſpoſitiua: nam eſt neceſſaria diſpoſitio in voluntate, vt in ea delectatio oriatur, Gaudium verò vtrumque eſt cauſa formalis illius ſuauitatis. Vnde patet non eſſe opus vt de gaudio beatifico ſit aliud gaudium, ſicut de viſo Deo debet eſſe gaudium: cùm enim Deus viſus non delectet formaliter, ſed ſolùm obiectiuè, opus eſt aliquo alio actu de hoc obiecto, qui formaliter ſuauitatem afferat.

DVBIVM II.

In quonam ex his actibus potiſſimùm conſiſtat beatitudo.

HOc Dubium eò pertinet vt magis intelligatur, quænam ſit vis ſingulorum actuum ad beandam animam. 20.

Tres ſententiæ. 1 D. Thomæ. 2. Scoti.

Sunt tres ſententiæ.

Prima eſt: Eam potiſſimùm conſiſtere in viſione Dei. Ita D. Thomas hîc & alibi.

Secunda, Potiſſimùm conſiſtere in fruitione. Ita Scotus in 4. d. 49. q. 1. & Richardus eadem diſt. circa Primum principale. q. 1. & quidam alii. Per *fruitionem* intelligunt amorem amicitiæ

3. Aureoli

Tertia eſt. Eam potiſſimùm conſiſtere in gaudio ſeu delectatione, iuxta illud Matth. 25. *Intra in gaudium Domini tui* Ita Cardinalis Aureolus, vt refert Capreolus *in* 4. d. 49.

Beatitudo princip. liter ſita eſt in clara Dei viſione.

Reſpondeo & Dico Primò, Beatitudinem noſtram principaliter eſſe ſitam in actu intellectus, ſcilicet in clara viſione Dei. Ita D. Thomas hoc loco, & eius ſectatores.

Probatur Primò, Quia viſione apprehendimus & tenemus in nobis ſummum bonum noſtrum. Sicut manu tenemus pecuniam, viſu pulchritudinem, auditu ſymphoniam, guſtu dulcedinem. Et ex hac apprehenſione, cetera bona tamquam ex fonte manant. Ergo in hac conſiſtit principaliter noſtra beatitudo. Sicut ſi vltimus finis eſſet ſymphonia, beatitudo noſtra principaliter conſiſteret in auditu, per quem tenemus ſymphoniam.

Reſponſio Scoti.

Reſpondet Scotus, tentionem per viſionem, eſſe quidem primam ordine generationis, ſed eam quæ ſit per fruitionem, eſſe primam ordine perfectionis & intentionis: nam per viſionem intenditur fruitio.

Soluitur.

Sed contra. Amor amicitiæ, quem intelligit Scotus, non eſt tentio obiecti formaliter: non enim ſi amico velis bonum, ideò vel tu, vel amicus cenſetur tenere & habere præſens illud bonum, ſed vt ſummùm amor impellit vt per aliam potentiam illud bonum amico procuretur.

Confirmatur, Quia hic amor non ſpectat bonum amantis, ſed amati: ergo per eum non rectè dicitur amans tenere ſuum bonum. Sed neque per gaudium tenetur obiectum beatificum præſens: quia gaudium & delectatio ſupponunt bonum iam eſſe obtentum: qui enim gaudet de ſuo bono, iam illud obtinuit: & qui gaudet de bono Dei, ſupponit Deum iam illud habere.

21.

Dicet aliquis, Quomodo verùm eſt viſione Dei apprehendi & poſſideri Deum? non enim viſione domus, poſſideo, id eſt, habeo domum: neque viſione pecuniæ, teneo pecuniam, eamue poſſideo.

Deus per viſionem poſſidetur.

Reſpondeo, Ad rationem perfectæ poſſeſſionis pertinet vt res ita habeatur præſens, & in poteſtate poſſidentis, vt poſſit ea vti & frui, & omne commodum & oblectamentum ex ea percipere, quod ex ea capi poteſt. Itaque cùm per viſionem Deus ita habeatur præſens & teneatur, vt videns poſſit eo frui, & omne oblectamentum ex eo percipere, quod ex eo capi poteſt, viſio eſt vera Dei poſſeſſio. Simili modo auditio ſymphoniæ eſt eius poſſeſſio, quia ita per auditum tenetur, vt omnem oblectationem ex ea poſſis percipere. Secus eſt de viſione domus vel pecuniæ, non enim videndo duntaxat, vtimur & fruimur domo, commodúmue ex ea percipimus, ſed inhabitando. Prouenit autem id ex ipſis rerum naturis, quæ poſtulant vario modo nobis vniri, vt ex ipſis commoda propria percipiamus.

Sed difficultas eſt quo ordine hi actus concurrant ad conſtituendam beatitudinem.

22 Quo ordine hi actus ſe habeant.

Dico Secundò, Primo loco, eſt Viſio. Secundo, Amor amicitiæ in Deum. Tertio, Gaudium amicitiæ. Quarto, Amor concupiſcentiæ. Quinto, Gaudium concupiſcentiæ De viſione ſe iam dictum eſt.

De Amore amicitiæ probatur, Quia hic amor videtur prior amore concupiſcentiæ. Nam immediatè oritur ex ſola directa viſione Dei. Amor concupiſcentiæ requirit præterea aliquam reflexionem viſionis ſuper ſeipſam. Vt enim quis cupiat poſſidere bonum, debet concipere intellectu non ſolùm ipſum bonum, ſed etiam eius poſſeſſionem, quæ hîc eſt ipſa viſio directa: nam per viſionem directam Dei, Deum poſſidemus. Vt ergo appetam Deum poſſidere, debeo ipſam viſionem videre ſeu intelligere: ergo priùs ratione oritur amor amicitiæ ex directa viſione, quàm amor concupiſcentiæ.

Tertio loco eſt Gaudium amicitiæ: quia immediatè oritur ex amore & viſione Dei, quatenus Deus eſt bonum ſuum.

Quarto loco eſt Amor concupiſcentię: vt patet iam ex dictis: quia requirit reflexionem viſionis ſuper ſeipſam, quod priores actus non requirunt.

Quinto loco eſt Gaudium concupiſcentiæ, quia gaudium natura poſterius eſt amore, ſupponit enim amorem.

Gaudiũ eſt quid præſtãtius amore.

Aduerte tamen, etſi gaudium ſit amore poſterius, videri tamen quid præſtantius, quia eſt terminus & conſummatio omnium motuum voluntatis: eſt enim quies in bono adepto: & ſanè, longè ſuauiùs afficit animam, quàm amor. Hinc amor non excludit omnem moleſtiam, gaudium verò excludit. Quare poſt viſionem, homo videtur principaliter beari gaudio amicitię: vnde id perfectionis ordine videtur tenere ſecundùm locum; tertium verò, Amor amicitiæ: quartum

Gaudium

Gaudium concupiſcentiæ: quintum, Amor concupiſcentiæ: quamuis ordine generationis aliter ſe habeant, vt dictum eſt. Vnde rectè Pontifex in Extrauag. ſupra citata dicit. *Animas eſſe vere beatas viſione & fruitione Dei*: *fruitio* enim propriè eſt gaudium includens vel ſupponens amorem.

23. obiectiones ſoluuntur.

Contra obiicitur Primò, Voluntas eſt perfectior facultas quàm intellectus: ergo beatitudo conſiſtit potiſſimùm in operatione voluntatis.

Antecedens Probatur, Nam voluntas formaliter eſt libera, intellectus non eſt liber.

Secundò; Voluntas mouet, intellectus autem mouetur.

Tertiò, Voluntas eſt appetitus vniuerſalis extendens ſe ad omnia bona: intellectus eſt appetitus particularis inclinans ſolùm ad intelligere.

Denique voluntatis obiectum eſt *bonum*, intellectus autem *verum*: atqui *bonum* eſt præſtantius *vero*.

Intellectus eſt perfectior voluntate.

Reſpondeo Negando Antecedens; Perfectior eſt enim intellectus, vt rectè docet D. Thomas cum Caietano 1. parte, quæſt. 82. artic. 3. & Durand. in 4. d. 49. quæſt. 4. idque ob duas cauſas. Primò, quia per intellectum anima in ſeipſa quaſi creat omnia: format enim in ſe perfectas & viuas omnium eſſentiarum veluti picturas, quibus ſpiritali modo ſit omnia, veluti nouus quidam mundus ſpiritalis, multò pulcrior & admirabilior quàm mundus iſte corporeus. Secundo, quia per intellectum omne bonum quodammodo in nobis recipimus: nam intellectio & maximè viſio facit obiectum animę præſens, illudque intus tenet. Per voluntatem ſolum inclinamur in bonum; vt mediante intellectu vel alia facultate, illud teneamus.

Ad Primam Confirmationem. Etſi voluntas ſit formaliter libera, intellectus tamen eſt fons & origo huius libertatis. Nam libertas voluntatis oritur ex indifferentia & amplitudine intellectus.

Ad Secundam. Etſi voluntas moueat intellectum applicando illum per quandam ſympathiam ad exercitium actus: tamen intellectus mouet voluntatem altiori modo; nempe eam illuminando, eiuſque actui tribuendo ſpeciem. Adde, quod intellectus non ſemper eget motione voluntatis; vt patet in viſione beatifica quæ naturaſua in beatitudine antecedit omnem actum voluntatis. At voluntas nihil poteſt, niſi ab intellectu moueatur: nam eſſentialiter ab eius illuminatione pendet: implicat enim contradictionem vt voluntas aliquid velit, intellectu eam non illuminante.

Ad Tertiam, Etſi voluntas ſit appetitus vniuerſalis, intellectus tamen eſt diſcretor vniuerſalis, & iudex omnia cognoſcens, diſcernens & diiudicans: quod ſanè eſt perfectius.

Ratio boni nõ eſt præſtantior ratione veri, nec contrà.

Ad Quartam, Ratio *boni* non eſt præſtantior ratione *veri*. Nam ex parte rei eſt vna formalis ratio *veri* & *boni* ſolum ratione diſtincta; vt alibi dictum eſt. Deinde, *verum* non eſt propriè obiectum intellectus, niſi accipiatur fundamentaliter; ſcilicet pro entitate rei quæ denominatur vera, quatenus in ſe idonea eſt vt ei reſpondeat verus conceptus; vel quatenus eſt conformis ſuæ ideæ per quam facta eſt. Adde, cùm vtraque potentia ſit vniuerſalis attingens omne ens, non poſſe eas diſtingui ex diuerſitate obiectorum ſecundùm ſe diſtinctorum, ſed ex diuerſo modo tendendi in idem obiectum: intellectus enim ita tendit in obiectum, vt illud in ſe formet, & cum tota eius bonitate ſibi vniat: voluntas verò veluti pondus quoddam in illud inclinat. Atqui patet hoc eſſe minùs perfectum, quàm illud. 24.

Obiicitur Secundò, Charitas eſt perfectiſſima virtus: ergo eius operatio, eſt perfectiſſima operatio; & conſequenter potiſſima in beatitudine. Antecedens probatur ex D. Thoma 1. parte quæſt. 108. artic. 5. & 6. vbi dicit *Ordinem Seraphim qui eſt ſummus, dici ab amoris ardore, non à cognitione: quia* (inquit) *reiecta Dei amor eſt perfectior cognitione.* Secundò Probatur ex D. Anſelmo l. 2. Cur Deus homo cap. 1. *Peruerſus ordo eſt amare vt intelligas, rectiſſimus, intelligere vt ames*: ergo vltimus finis eſt amare, non videre. D. Thomas. Anſel.

Charitas viæ, ordinatur ad viſionem patriæ

Reſpondeo, Charitas eſt perfectiſſima virtus inter eas quæ habentur in via: vt patet 1. ad Corinth. 13. *Maior horum eſt Charitas*, videlicet, fide & ſpe; tamen lumen gloriæ eſt perfectius. Sed hoc non habetur in via. Hinc patet reſponſio ad primam confirmationem antecedentis. Ad ſecundam reſpondeo, Eam ſententiam non haberi apud D. Anſelmum eo loco, tamen poſſe colligi. Loquitur Anſelmus de cognitione & amore in ſtatu viæ, qui eſt ſtatus merendi. Quare cùm charitas ſit principium totius meriti, iure cenſetur in hoc ſtatu perfectiſſima. Non tamen negat Anſelmus, quin amor iſte, ob quem data eſt homini cognitio in via, ordinetur ad viteriorem cognitionem tamquam ad finem ſuum, imò idipſum ſatis ibidem inſinuat: ait enim homini datam eſſe cognitionem vt Deum amaret: huiuſmodi autem amorem non eſſe fruſtrà, ac proinde debere aliquando Deum aſſequi: Atqui hæc aſſecutio fit per cognitionem claram. Ergo etiam amor huius vitæ eſt ob cognitionem, nempe patriæ.

Obiicitur Tertiò, Etſi amor amicitiæ erga Deum in via ordinetur ad viſionem Dei, ſicut meritum ad præmium, & ſicut medium ad finem: non tamen in patria: ſed potiùs viſio ordinatur ad ipſum. Non enim ideo beati volunt Dei honorem & gloriam vt ipſum videant: ſed contrà ideò volunt videre, vt ipſum ament & honorent: imò ob hunc finem viſio Dei datur creaturæ. Ergo Amor amicitiæ in patria eſt præſtantior viſione: ac proinde in eo conſiſtet præcipuè noſtra beatitudo. 25.

Amor ſpectari poteſt, vel vt bonũ beati, vel vt bonum Dei. Vt primus nõ eſt finis viſionis.

Reſpondeo, Hunc amorem dupliciter ſpectari poſſe. Primò, Vt eſt perfectio quædam hominis. Secundò, Vt cenſetur bonum quoddam dilecti: nam beati per amorem omne bonum, etiam ſuam beatitudinem, & omne bonum creaturarum, Deo offerunt: imò omnes perfectiones Deo intrinſecas, quatum in ipſis eſt, Deo tribuunt. Si ergo amor ſpectetur priore modo, ſic viſio propriè non ordinatur ad ipſum, ſed eſt perfectio ſumma in ſuo genere, ex qua reſultat alia perfectio ſumma alterius generis. Poteſt tamen dici viſio ordinari ad illam perfectionem, ſicut eſſentia rei dicitur ordinari ad operationem, id eſt, ad ſeipſam operantem, ſicut pars ordinatur ad totum. Omnis enim perfectio partialis ordinatur ad integram ad quam non peruenitur, niſi comitante vel mediante alia perfectione partiali. Sic viſio quæ eſt perfectio partialis, ordinatur ad integram beatitudinem, quæ integritas non poteſt haberi niſi comitantibus aliis perfectionibus quæ ex viſione manant. Et ideò dicitur viſio ad illas ordinari tamquam ad fines ſecundarios, per quos peruetur ad integram beatitudinem & perfectionem totalem.

Viſio quo ſenſu poſſit dici ord nari ad Amorem.

Si autem amor ſpectetur vt eſt bonum Dei,

mor vt eſt num dile , eſt finis tiſſori.

ſic viſio magis propriè ordinatur ad amorem: ideò enim beati cupiunt Deum videre, vt ipſum ament; id eſt, vt omne bonum increatum ipſi gratulentur, & omne bonum creatum ad ipſius gloriam referant. Vnde hac ratione amor præfertur viſioni, & beati magis cupiunt amare, quam videre: quia bonum diuinum præferunt ſuo. Hinc Moyſes & D. Paulus ex amore in Deum, parati fuerunt carere Dei viſione & beatitudine, non tamen carere ipſius amore: vt multi Patres docent. De quo alibi dictum eſt.

Moyſes D. Paulus.

An verò, ſi vterque actus conſideretur vt eſt bonum Dei, amor ſit præferendus viſioni, dubitari poteſt. Nam viſio, eſt gloria quædam Dei, vtpote *Clara dei cum laude notitia*, eſt etiam ſuprema Dei imago ipſum repræſentans. Nihilominus amor videtur præſtantior, non phyſica excellentia, ſed æſtimatione morali: nam omnia bona creata & increata Deo tribuit. Cuius ſignum eſt quòd quiuis Princeps malit amari à ſubditis, quàm ſuam potentiam cognoſci. Hinc tamen non ſequitur hunc amorem eſſe maius bonum hominis, aut hominem magis per illum beari, quàm per viſionem.

ea ratione amor ſit præſtantior viſione.

26. Obiicitur Quartò, Amor eſt vis vnitiua transformans amantem in amatum: vt docet Dionyſ. 4. diu. nom. Atqui beatitudo maximè conſiſtit in vnione cum Deo, & in quadam transformatione in diuinitatem, ergo &c.

Reſpondeo, Amor dicitur vis vnitiua, tum quia formaliter efficit illam vnionem quæ conſiſtit in conſenſu affectuum: tum quia impellit ad conſecutionem realem rei amatæ, vt eam realiter vnitam habeamus. Sed hæc vnio fit per actum alterius potentiæ, nempe per viſionem in præſente negotio. Dicitur autem transformare amantem in amatum, quia facit vt amans de ſe ſuiſque commodis nihil cogitet vel curet, ſed ſolum de bonis dilecti, non ſecus ac ſi ipſe non eſſet diſtinctus à dilecto. Transformat itaque cogitatione, affectu & ſtudio.

Amor transformas in dilectum.

ARTICVLVS V.

Vtrùm Beatitudo ſit operatio intellectus ſpeculatiui an practici.

27 Conclusio eſt, Beatitudo magis conſiſtit in operatione intellectus ſpeculatiui, quàm practici. Vbi aduerte, illud magis non ſignificare beatitudinem patriæ conſiſtere in operatione intellectus practici; hoc enim verum non eſt: nam beatitudo ita conſiſtit in viſione Dei ſpeculatiua: vt cognitio practica non ſit pars eſſentialis beatitudinis. Tantùm ergo ſignificatur quandam beatitudinem, ſcilicet imperfectam qualis haberi poteſt in hac vita, conſiſtere ſecundariò in operatione intellectus practici, cuius eſt dirigere operationes & moderari paſſiones, vt rectè exponit Conradus, idque patet ex fine *Corporis*.

Conradus

DVBIVM I.

Vtrùm viſio Dei tantùm ſit ſpeculatiua an etiam practica?

28 Cognitio practica iuxta Scotum

NOtandum hic, Scotum in 1. quæſt. 4. Prologi, exiſtimare omnem cognitionem eſſe practicam, quæ antecedit operationem voluntatis, eamque aliquo modo dirigit, vel quæmouet voluntatem ad illam. Vnde vult Theologiam eſſe practicam ſcientiam, etiam vt verſatur circa myſterium Trinitatis & perfectiones diuinas: quia horum cognitio apta eſt voluntatem mouere & dirigere. Quare iuxta eius ſententiam viſio beatifica vt verſatur circa diuinam eſſentiam, practica cognitio erit. Quare ſententia in re non peccat, ſed recedit abvſitato modo loquendi, iuxta quem cognitio practica ea dumtaxat dicitur, quæ immediate verſatur circa noſtras actiones tamquam circa obiectum, oſtendendo illas eſſe agendas vel omittendas, vel modum agendi. Quo poſito

Iuxta communem ſcatentiam. Viſio beatifica eſt ſimul ſpeculatiua & practica.

Reſpondeo, Viſionem beatificam ſimul eſſe contemplatiuam & practicam formaliter, ſed quatenus ſe extendit ad diuerſa obiecta: ita tamen vt primariò ſit ſpeculatiua, ſecundariò practica.

Quod ſit ſpeculatiua, patet: quia eſt cognitio Dei, & increatæ ipſius perfectionis, quæ non poteſt fieri.

Quod practica, Probatur; Quia viſione beatifica beati non ſolum cognoſcunt perfectiones diuinas, ſed etiam omnes regulas ſuarum operationum, & omnia quę ipſis agenda ſunt, ſaltem in genere; vt, ſe debere ſummè Deum diligere, venerari, in omnibus obedire, ſemper laudare, &c. quæ iudicia ſunt practica. Hinc vlteriùs patet viſionem hanc, quatenus beatifica, eſſe ſolùm ſpeculatiuam; quia vt beatifica, verſatur ſolum circa bonum increatum, quod non cadit ſub praxim. Deinde, quia non eſt practica, niſi vt verſatur circa operationes, quæ pertinent ad ordinem creaturarum, quarum cognitio eſt extra ordinem beatitudinis.

ſed quatenus eſt beatifica eſt ſolum ſpeculatiua.

Dices Primò: Ad rationem beatitudinis requiritur amor & gaudium: ſed ad hæc requiritur cognitio practica quæ immediatè verſetur circa illas operationes: ergo &c. 29

Reſpondeo, Negando minorem: Nam hi actus ſequuntur ex nuda cognitione ſpeculatiua qua Deus cognoſcitur vt ſummum bonum ſuum, & ſummum bonum noſtrum. Ratio eſt, quia iſti actus ex clara cognitione Dei ſequuntur neceſſariò; ipſaque natura voluntaris eſt determinata ad illos, hoc ipſo, quo obiectum proponitur. Cognitio practica vt ſummum tunc neceſſaria eſt, quando voluntas poſita cognitione obiecti, non eſt per ſe ad eius amorem determinata: tunc enim vt ſeipſam determinet, videtur debere cognoſcere aliquo modo ſuum actum, & an hic & nunc ſit conueniens illum elicere, quę cognitio eſt practica. Verum ſi quis benè conſideret, neque tunc ſemper cognitio practica eſt neceſſaria. Nam nuda cognitio ſpeculatiua obiecti boni vel mali ſufficit vt voluntatem alliciat vel auertat, vt infra patebit.

ad amorem & gaudium non eſt neceſſaria cognitio practica.

Dices Secundò, Vt viſio eſſet ſimul practica & ſpeculatiua, oporteret in ea contineri varia iudicia: atqui hoc repugnat ſimplicitati, ergo &c. 30

Reſpondeo, Viſionem poſſe comparari vel ad diuinitatem, vel ad ea quæ in diuinitate eminenter continentur.

Reſpectu diuinitatis, continet tantum vnum iudicium ex parte rei, quo cognoſcitur diuinitas ſicuti eſt in ſeipſa. Vnde ſicuti ex parte rei inter attributa diuina non eſt diſtinctio, ita neque eſt diſtinctio cognitionum ſeu iudiciorum in viſione. Cum hoc tamen ſtat primò, quod viſio formaliter ſit iudicium quo iudicant Deum

eſſe vnum, Trinum, Omnipotentem, Æternum, Summum bonum, ſummè diligendum, honorandum: id eſt, dignum ſumma dilectione & honore &c. quia ſicut Deus eſt formaliter hæc omnia abſque diſtinctione quæ ſit ex parte rei: ita viſio clara Dei, eſt formaliter horum omnium cognitio & iudicium abſque diſtinctione quæ ſit ex parte rei. Secundò, cum hoc ſtat, quòd in viſione contineantur multa iudicia ratione diſtincta. Nam etſi à beatis non diſtinguantur reſpectu obiecti, diſtinguuntur tamen à nobis. Non enim poſſumus illam viſionem concipere, niſi comparando illam ad diuerſa attributa, quæ ratione à nobis diſtinguuntur: vel ad diuerſas conceptiones noſtras quibus Deum cognoſcimus, quibus illa viſio eminenter æquipollet.

Viſio Dei, vt extendit ſe ab obiecta creata eminenter in Deo contenta, nõ eſt omnino ſimplex.

Reſpectu verò eorum quæ in diuinitate videntur, poteſt continere plura iudicia aliquo modo ex parte rei diſtincta, quæ ex vi viſionis ſequuntur circa ſecundaria obiecta. Et hac ratione viſio illa non eſt omninò ſimplex. Sed hoc nihil refert: ſufficit eſſe omnino ſimplicem, reſpectu diuinitatis, quæ eſt obiectum primarium. Itaque fatemur non eſſe omnino ſimplicem quatenus eſt intellectio ſpeculatiua reſpectu Dei, & practica reſpectu noſtrarum actionum. Verum hac de re plura in 1. parte q. 12.

DVBIVM II.

Vtrùm verum ſit quod ait D. Thomas in corpore *beatitudinem huiusvitę potiſſimum conſiſtere in contemplatione, ſecundariò in operatione practici intellectus dirigentis actiones & paſſiones.*

REſpondeo, Verum eſſe, ſi rectè exponatur. Si enim nomine contemplationis intelligamus nudam contemplationem, vt non includat charitatem Dei & gaudiũ ex charitate naſcens, ſic non eſt verum: vt benè oſtendit Canus lib. 9. de locis c. 9. Nam contemplatio huius vitę, præſertim quæ ſolis naturæ viribus habetur, (de qua Ariſtoteles loquebatur citatus à D. Thoma) eſt valde imperfecta & laborioſa, ita vt ob eam ſolam non poſſit quis rectè beatus dici. Si verò contemplatio accipiatur, vt includit charitatem & gaudium, nempe pro vita contemplatiua, ſic eſt verum beatitudinem huius vitæ potiſſimùm conſiſtere in contemplatione ſeu vita contemplatiua: ſecundario in vita actiua, id eſt, in exercitio virtutum per operationes externas.

Beatitudo huius vitę primariò conſiſtit in vita contemplatiua, ſecundariò in practica.

Probatur, Quia beatitudo huius vitæ nihil aliud eſt quàm ſumma quædam participatio ſeu imitatio veræ beatitudinis: atqui hæc potiſſimum conſiſtit in vita contemplatiua, ſecundario in vita practica: ergo &c.

Antecedens patet, Quia cùm in hac vita non poſſit haberi vera beatitudo, ſed ſolum quædam imitatio: ſumma imitatio illius erit beatitudo huius vitæ. Rurſus, cum beatitudo viatoris vt ſic, ſit, non quidem habere, ſed tendere ad veram beatitudinem, eique fieri proximum, beatitudo ipſius conſiſtit in eo, per quod maximè tendit in veram beatitudinem. Vtrumque horum maximè conuenit vitæ contemplatiuæ.

Dices, Vita practica conſiſtens in exercitio virtutum, non eſt participatio beatitudinis veræ: ergo in eo non conſiſtit beatitudo huius vitæ ſecundario.

Reſpondeo, Etſi non ſit participatio beatitudinis eſſentialis, quę ſolum verſatur circa Deum, tamen pertinet ad beatitudinem huius vitæ, quatenus per virtutum exercitia noſipſos in veram beatitudinem promouemus. Non enim ſolùm beatus dicitur qui habet actu veram beatitudinem, ſed & qui ad illam tendit, vel ad eam ius acquirit. Sicut diues dicitur, non ſolum qui poſſidet, ſed etiam qui ius habet. Vnde iuxta Scripturæ phraſim, iuſti *Beati* dicuntur. Pſal. 118. *Beati immaculati in via.* Quia ius habent ad veram beatitudinem, & per opera bona ad eam tendunt in dies. Singulari tamen modo dicuntur *Beati*, qui in vtraque vita iuxta modum humanum ſunt perfecti; vt colligitur ex ſermone Domini in monte, Matth. 5. v. 3. & ſequentibus.

Qui in vtraque vita perfecti iuxta modum humanum maxime beati in via.

ARTIC. 6. 7 8.

Vide D. Thomam.

QVÆSTIO QVARTA.

De his, quæ ad Beatitudinem exiguntur.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum delectatio requiratur ad Beatitudinem.

REſpondet D. Thomas eam requiri vt quiddam beatitudinem concomitans. Sed notandum, delectationem ſeu gaudium eſſe quiddam conſequens ſeu concomitans viſionem Dei, quæ eſt beatitudo fundamentalis: tamen intrinſecè includitur in beatitudine integra: vnde reſpectu huius non eſt quid concomitans vel conſequens, ſed pars intrinſeca: vt oſtenſum eſt. q. 3. a. 4. n. 25.

DVBIVM.

Vtrum Beati delectentur immediate de ipſo Deo, an ſolum de ipſa viſione?

DVrandus in 1. d. 1. q 2. & in 4. d. 49. q. 5. negat Beatos immediatè frui Deo, aut de Deo delectari, aut Deum eſſe obiectum immediatum fruitionis aut delectationis: ſed vult eos frui & delectari immediate tantum de ipſa viſione, de Deo ſolum mediate. *Sicut*, inquit, *qui friget, dicitur delectari ſole, quia calore eius delectatur.* Fundamentum Durandi eſt: quia Deus cum ſit ſuppoſito à nobis diſtinctus, non poteſt eſſe per ſe & immediatè proprium bonum noſtrum, ſed ſolum mediante aliquo effectu, per quem nobis coniungatur. Sicut ſol non eſt bonum hominis frigentis, niſi ratione caloris illi communicati: ergo beati non poſſunt illo immediatè frui, vel delectari tamquam proprio bono: ſed ſolum mediatè, quatenus eius effectu vel viſione delectantur.

1. Durandus aſſerit de ſola viſione

REſpondeo, Beatos non ſolum frui & delectari immediatè ipſa viſione Dei, ſed etiam ipſo Deo, & quidem primariò. Ita paſſim alii DD. in 1. d. 1. Ockam, Gabriel, Gregorius, Maior. Et in 4. d. 49. vbi Paludanus. Et Caietanus 2. 2. q 1. a. 5. Vbi tamen Durandum ita refellit, quaſi negaret beatos non poſſe immediatè frui & delectari bonis Dei, quatenus Dei ſunt, quod tamen Durandus non negat. Solùm enim loquitur de delectatione ſeu gaudio concupiſcentiæ, quo gaudent de Deo, tamquam bono proprio.

2. Beati primariò & immediate delectantur & fruuntur Deo. Ockam. Gabriel. Gregor. Maior. Palud. Caiet.

Digitized by Google

Probatur Primò, Quia Deus eſt ſummum bonum noſtrum, non ſolùm ratione alicuius effectus vel viſionis, ſicut Sol ratione luminis & caloris; ſed etiam per ſe & immediatè: ergo per ſe & immediatè delectat, eóque fruimur. Conſequentia per ſe patet. Antecedens Probatur; Quia viſio non ſe habet veluti bonum quoddam ſolitarium diſtinctum à Deo: ſicut calor reſpectu ſolis, vt imaginatur Durandus: ſed habet ſe tamquam coniunctio Dei eiuſque apprehenſio; ſicut poſſeſſio pecuniæ, & pecunia non cenſentur duo bona diſtincta, ſed vnum integrum bonum. Ergo ſicut auarus delectatur immediatè non ſolùm poſſeſſione, ſed etiam pecunia poſſeſſa: ita beatus proximè de toto illo, ſcilicet Deo viſo, delectatur tamquam integro bono ſuo; Non autem priùs de viſione, & conſequenter ſolùm de Deo. Vbi notanda eſt differentia inter exemplum Durandi & rem poſitam. Sol enim non eſt ſecundùm ſe, nec formale bonum frigentis, ſed calor à Sole productus in ipſo: vnde Sol non dicitur eius bonum niſi cauſaliter, quòd in illo aliquod bonum cauſet. Deus verò ſecundùm ſe & formaliter efficitur bonum beati; Nam viſio Dei & Deus conſtituunt vnum integrum bonum formaliter homini inexiſtens: viſio enim habet ſe per modum vnionis, tentionis & poſſeſſionis, qua immediatè vnitur & poſſidetur Deus: vnde intrinſecè includit ipſum Deum; ſicut vnio rem vnitam, & poſſeſſio rem poſſeſſam. Secus eſt de calore reſpectu Solis

Durandi ſin illudo refellitur.

Deus & viſio Dei habent ſe per modum vnius boni. Sicut res & rei poſſeſſio.

Probatur Secundò, qui delectatur viſione picturæ, immediatè delectatur pictura viſa tamquam obiecto immediatè cauſante delectationem: neque viſio vllo modo delectare poteſt, niſi quatenus includit ipſam picturam. Et qui delectatur potu vini, immediatè delectatur ipſo vino; vt benè explicat Caietanus: ergo ſimiliter qui delectatur viſione Dei, immediatè delectabitur ipſo Deo viſo.

Probatur Tertiò, Idem eſt obiectum immediatum ſpei, & fruitionis ſeu delectationis patriæ. Nam idem bonum quod ante ſperabatur, poſtquam obtentum fuerit, delectat. Atqui obiectum ſpei eſt ipſe Deus, non autem viſio Dei conſiderata vt eſt quid diſtinctum à Deo, ſicut Durandus conſiderat: ergo Deus idem iam obtentus & poſſeſſus, eſt immediatum obiectum delectationis & fruitionis. Minor probatur, Quia ſi Deus non eſſet immediatum obiectum ſpei, ſpes non eſſet virtus Theologica: ad virtutem enim Theologicam non ſufficit vt mediatè Deum reſpiciat, alioqui etiam Religio eſſet virtus Theologica: reſpicit enim immediatè cultum Dei, mediatè verò ipſum Deum.

4. Reſponſio ad obiectiones. Ipſe Deus ſecundùm ſe eſt immediatè bonũ noſtrum.

Ex his patet Reſponſio ad fundamentum Durandi. Falſum enim eſt Deum ſecundùm ſe non eſſe immediatè bonum noſtrum. Dupliciter enim Deus dicitur bonum noſtrum, Primò, effectiuè, quatenus ab ipſo tamquam fonte manat omne bonum noſtrum nobis inhærens: quo modo etiam Sol dicitur bonum noſtrum ratione effectuum. Secundò, quaſi formaliter & per ſeipſum. Neque ad hoc requiritur vt ipſe tamquam forma inhæreat homini. Nam pecunia & diuitiæ per ſe cenſentur bonum auari, & tamen nulla reali vnione ipſi iunguntur. Vnde vt aliquid realiter cenſeatur bonum meum, ſufficit vt apprehendatur tamquam aliquid ad me pertinens per modum rei poſſeſſæ, cuius vſus vel fruitio ſit in mea poteſtate. Et hoc modo Deus ipſe per ſe formaliter eſt bonum noſtrum, ſcilicet tamquam res poſſeſſa, qua ſemper poſſumus frui ſeu delectari, præſertim cùm vitali vnione perpetuò nobis in beatitudine iungatur.

5.

Obiicitur Secundò, Deſiderare ſibi Deum, nihil eſt aliud quàm deſiderare Dei viſionem: ergo ſimiliter frui Deo, eſt frui Dei viſione, & Deum eſſe bonum noſtrum, eſt Dei viſionem eſſe bonum noſtrum: ac proinde neque ipſe immediatè eſt bonum noſtrum, neque ipſe immediatè delectat, ſed viſio eius.

Reſpondeo, Hæc eſſe quidem coniuncta, ſic vt ſeparari nequeant tamen non eſſe omninò eadẽ, ſed diſtingui formaliter. Nã in altero exprimitur obiectum veluti formale deſiderij, in altero materiale. Viſio enim Dei non deſideratur niſi quatenus intrinſecùs includit Deum, veluti formam ſuam, à qua omnem ſuam bonitatem & excellentiam quaſi formaliter habet: nam obiectum ſe habet per modum formæ reſpectu actus vitalis: vel, quod in idem ferè recidit, dicendum eſt, Deũ deſiderari tamquam bonum principale, viſionem verò tamquam vnionem & poſſeſſionem huius boni. Quare deſiderium & fruitio immediatè verſantur circa vtrumque, nempe circa viſionem & circa Deum, tamquam circa vnum integrum obiectum conſtans veluti duabus partibus materiali & formali, vel tãquam re & rei poſſeſſione. Non verò tamquam circa duo obiecta, quorum alterum ſit proximum, alterum remotum.

6.

Obiicitur Tertiò, Damnati ſummè triſtantur non de Deo ſecundùm ſe, ſed de carentia viſionis diuinæ: ergo beati ſummè gaudent non de Deo ſecùndum ſe, ſed immediatè de viſione diuina. Conſequentia Probatur, Quia ſicut Deus non eſt malus damnatis, niſi ratione pœnæ quam infert, ita nõ eſt bonus beatis, niſi ratione præmii quod confert, quod præmium eſt viſio.

Aliter damnati dolent de carentia Dei, aliter Beati gaudent decium viſione.

Reſpondeo Negando Conſequentiam. Ideò enim damnati non poſſunt triſtari de Deo, ſicut beati poſſunt de illo gaudere, quia Deus non poteſt damnatis vniri tãquam ipſe per ſe ſit illorum malum, ſicut poteſt vniri beatis tamquam ſecundùm ſe, ipſorum bonum. Ad Confirmationem. Nego illam comparationem: Deus enim per ſe non poteſt eſſe malum damnatorum, cùm nihil in eo ſit niſi ſumma dulcedo: poteſt tamen per ſe eſſe bonum beatorum, vt dictum eſt.

Obiicitur Quartò, Delectationes diſtinguuntur ſecundùm operationes quas cõſequuntur, & ex illis iudicantur bonæ vel malæ vel indifferẽtes: ergo illæ operationes ſunt cauſæ delectationum. Atqui non ſunt cauſæ niſi obiectiuè, ergo proximum obiectum delectationis eſt operatio.

Reſpondeo, operationem eſſe quidẽ obiectum delectationis, ſed non ſolam, verùm etiam rem illam circa quam verſatur operatio. Hæc enim duo conſtituunt vnum integrum obiectum delectationis, vt patet in viſione pulchritudinis, in auditu ſymphoniæ &c.

Aliter reſpondet Caietanus, ſed non ad vim argumenti.

ARTICVLVS II.

Vtrùm in Beatitudine principalior ſit Viſio quam delectatio.

CONcluſio eſt, Viſionem eſſe principalem.

Patet ex dictis ſupra q. 3. a. 4.

Circa Reſponſionem *Ad ſecundum*, eſt

DVBIVM.

Quomodo appetitus animalium non ſit peruerſus appetendo operationem propter delectationem, cum Deus inſtituerit delectationem propter operationem.

REſpondeo, Deum inſtituiſſe delectationes propter operationes, miſcendo eas operationibus veluti condimentum, vt ab animalibus auidiùs expeterentur operationes: ſicut Medicus miſcet dulcia quædam medicamento, vt lubentius ſumatur. Hunc autem ordinem nullo modo peruertunt animalia: Primò, quia non appetunt operationem ob delectationem, ordinando operationem ad delectationem tanquam medium ad finem: hoc enim eſſet peruertere ordinem diuinæ inſtitutionis: ſed ſimplici modo appetunt operationem ob delectationem, tamquam ob rationem quandam boni quæ eſt in operatione: ſicut appetitur ſaccharum ob dulcedinem, tamquam ob bonitatem intrinſecam. Non enim eſt neceſſarium vt res ſemper appetatur propter optimam rationem boni quæ in ipſa eſt, ſufficit vt ob aliquam appetatur, & nulla adſit mala circumſtantia. Secundò, quia non ob ſolam delectationem appetunt operationes, ſed etiam quia per ſe ſunt naturę conuenientes. Sic aues nidificant, non quia hoc delectabile, ſed quia inſtinctibus naturæ conueniens. Verùm quia delectatio facit eas magis conuenientes, quàm per ſe ſint, ideò in cauſa eſt vt operationes ardentiùs appetantur.

Animantia appetunt operationes non ſolùm ob delectationem, ſed etiam quia naturæ conuenientes.

ARTICVLVS III.

Vtrum ad Beatitudinem requiratur comprehenſio.

RESpondeo, Ad beatitudinem neceſſariò concurrere tria: Viſionem, Comprehenſionem, & fruitionem.

DVBIVM I.

Quis actus ſignificetur hic, nomine Comprehenſionis.

NOtandum eſt, viſionem per ſe ſolùm dicere claram cognitionem rei viſæ, & formaliter non eſſe tentionem ſeu conſecutionem boni deſiderati; Nam qui amat pecunias, licet videat eas, non tamen ideò eas tenet, & tamen ſi amet pulcritudinem, videndo eam tenet; ſi amat muſicam, audiendo tenet. Et contrà, comprehenſio per ſe non dicit viſionem, ſed ſolùm adeptionem boni deſiderati eo modo, quo aptum eſt haberi. Nam aliter habentur honores, aliter diuitiæ & voluptates. Quamuis igitur ratio viſionis & comprehenſionis, in viſione Dei concurrant tamen aliquo modo diſtinguuntur: quia viſio, Dei, tantùm dicit ſummam quandam perfectionem intellectus, non autem tentionem ſummi boni: comprehenſio autem includit quidquid eſt de ratione viſionis, & addit præterea ſpecialem quandam habitudinem ad Deum, tamquam ad finem obtentum: vt notat D. Thomas q. 4. art. 3. ad 3. quæ habitudo eſt in voluntate: Quo poſito.

Diſtinctio inter viſionem & comprehenſionem.

Reſpondeo, Nomine comprehenſionis non ſignificari aliquem actum diſtinctum à viſione & amore concupiſcentiæ: ſed vtrumque habere rationem comprehenſionis, connotando tamen concomitantiam alterius. Viſio enim habet rationem comprehenſionis immediatæ. Nam per viſionem immediatè tamquam per manum quandam apprehenditur & tenetur Deus. Requirit tamen hæc viſio vt rationem habeat perfectæ comprehenſionis, concomitantiam amoris concupiſcentiæ. Et ratio eſt, quia comprehenſio dicit apprehenſionem ſeu tentionem boni amati: illud enim dicitur comprehendi quod ante ſumus proſecuti, & etiamnum amamus, & propter amorem tenemus. Vnde etiam amor habet rationem comprehenſionis, ſed mediatæ. Quia ſicut voluntatis eſt proſequi bonum, dum eſt abſens & ad illud tendere: ita eiuſdem voluntatis eſt tenere illud cum fuerit præſens. Atqui voluntas non tenet illud aliquo actu ſuo, niſi amore concupiſcentiæ: vt patet in beatitudine falſa: auarus enim obtenta pecunia, non tenet illam aliquo actu voluntatis, niſi amore quo vult illam poſſidere. Itaque amor concupiſcentiæ habet rationem comprehenſionis mediatæ; quia hoc amore homo tenet Deum præſentem per intellectum. Itaque per voluntatem fit comprehenſio tanquam per cauſam applicantem, & quantum in ſe eſt mouentem, & quaſi ſtringentem intellectum, veluti manum, vt fortiter teneat.

quo modo viſio ſit cõprehenſio, & quomodo amor?

Voluntas comprehendit Deum mediante viſione.

Hinc ſequitur, Viſionem vt eſt prior amore, non eſſe perfectam comprehenſionem: quia non conſideratur vt terminus proſecutionis voluntatis. Verum quia ex viſione eodem inſtanti temporis ſequitur amor qui fertur in viſionem & in Deum viſum, & quantum in ſe eſt neceſſitat intellectum vt omnibus viribus teneat Deum præſentem, fit vt eodem inſtanti temporis viſio incipiat habere rationem completæ comprehenſionis.

Viſio vt eſt prior amore non eſt perfecta cõprehenſio.

Hinc etiam intelligitur quomodo verum ſit quod ait D. Thomas *ad tertium* etiam viſionem eſſe obiectum comprehenſionis. Comprehenſio enim pertinet ad voluntatem, tamquam ad id quo Deum mediatè comprehendimus: & ſic viſio eſt eius obiectum. Voluntas enim vult ipſam viſionem manere, & ad hoc intellectum quantum in ſe eſt, mouet, vt ſemper Deum per viſionem præſentem habeat.

DVBIVM II.

Vtrùm Viſio, Comprehenſio, Delectatio recte dicantur dotes animæ.

RESpondeo, Rectè dici dotes animæ, metaphora accepta ab eo quod in nuptiis humanis fieri ſolet. Sicut enim ibi dos dicitur quod ſolet dari ſponſæ, dum eam ſponſus in domum ſuam ſolenniter introducit: ita rectè dotes dicuntur diuitiæ illæ quæ animę dantur, dum à ſponſo ſuo in cœlum traducitur. Pari modo dicuntur dotes corporis, ornamenta ſupernaturalia quæ corpori tribuentur quando in cœlum transferetur. Quare cùm animæ tunc hæc tria dentur, rectè dicuntur animæ dotes. *Viſio* reſpondet fidei, *comprehenſio* ſpei, *delectatio* ſeu *fruitio* charitati. Vbi nomine *comprehenſionis* vt diſtinguitur à *viſione*, debet intelligi actus voluntatis, quatenus in eo eſt vis quędam tenendi obiectum beatificum per viſionem tamquam per manum quandam. Nomine *fruitionis* ſiue *delectationis* intelligi debet vtraque delectatio, ſcilicet tam ea-

10. quid ſit Dos

Dotes animæ ſunt viſio, comprehenſio & delectatio.

quæ est de Deo, vt est bonum beati, quam quæ est de Deo, vt est bonum suum.

ii. Cur charitas non dicitur dos.

Petes Primò, Cur charitas non numeretur inter dotes, cùm tunc detur etiam actus charitatis longè perfectior quam in via? Respondeo, quia Charitas pertinet ad ipsum essentiale vinculum spiritalis matrimonii inter Christum & animam: Nam matrimonium spirituale constat vinculo charitatis. Vnde non ponitur inter dotes quæ matrimonio superueniunt.

In baptismo contrahitur matrimonium inter Christum & animam.

Petes Secundò, cum matrimonium spiritale inter Christum & animam contrahatur in baptismo, cur dona quæ tunc illi dantur, non dicuntur dotes? Respondent quidam, tunc non contrahi matrimonium, sed sponsalia tantùm, quæ sunt promissio futurarum nuptiarum. Verùm rectè dici potest tunc fieri matrimonium: nam Ecclesia passim dicitur sponsa Christi, vxor agni &c. imò ipsum matrimonium humanum est signum matrimonii spiritalis Ecclesiæ cum Christo: vt patet ad Ephes. 5. Ratio est, quia tunc fit contractus de præsenti, non de futuro. Vnde non expectatur alius consensus: vel alius contractus.

Dos quãdo dandi.

Respondeo igitur, dotem non solere dari dum matrimonium contrahitur, sed promitti: datur autem reipsa quando sponsa in domum sponsi solenniter traducitur: hoc autem non fit per baptismum: sed relinquitur veluti in longinqua regione vt eius probetur fides in sponsum: & interim dantur ei quædam dona cælestia instar viatici quo se sustentet, & ad sponsum absentem proficiscatur.

Notandum est, has dotes non eodem modo assignari à Doctoribus. Tamen assignatio D Thomæ est magis recepta, & tantum est quæstio nominis, non rei.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm ad Beatitudinem requiratur rectitudo voluntatis.

12. Affirmatur.

CONclusio, Rectitudo voluntatis requiritur ad beatitudinem, antecedenter tamquam necessaria dispositio: & concomitanter, quia beati nihil possunt velle nisi in ordine ad diuinam voluntatem.

Notandum est, vtramque partem esse fide certam Priorem quidem quia certum est, neminem posse saluari absque charitate, vt colligitur tum ex aliis Scripturæ locis, tum prioris ad Cor. 13. Charitas autem est rectitudo voluntatis. Intellige hæc secundum legem ordinatam seu statutam: Nam per absolutam Dei potentiam potest quis saluus fieri absque Charitate antecedente. Alteram verò: quia certum est beatos peccare non posse: ita enim tradunt omnes PP. & DD. Scholastici, & colligitur apertè ex Scripturis.

13. Contrarium videtur tenuisse Origenes homil. 20. super Numeros, asserens Angelos Custodes adducendos in iudicium, vt constet vtrum fortè aliquid ex ipsis causæ fuerit quòd deliquerimus. *Nisi enim*, inquit, *esset etiam aliquid in ipsis quod in causa nostra culpandum videretur, nunquam diceret Scriptura Angelos huius & illius Ecclesiæ dereliquisse Charitatem pristinam, suam patientiam*, &c. Idem repetit hom. 24. idque confirmari potest Iob. 4. *Qui seruiunt ei, non sunt stabiles, & in Angelis suis reperit pranitatem.*

Sed est error exploratus. Primò, quia si peccarent vllo modo, amitterent beatitudinem: non enim illa potest cum tanto malo consistere, Atqui beatitudo est perpetua & incorruptibilis: vt patet ex Scripturis 1. Petri 1 *Regeneranit nos in spem viuam, in hereditatem incorruptibilem, & inconta-minatam, & immarcessibilem. conseruatam in vobis in calis.* Psal 38. *Beati qui habitant in domo tua, Domine, in secula seculorum laudabunt te.*

Secundò, Quia si possent peccare, falsum esset illud Apoc. 21. *Non intrabit in eam quidquam coinquinatum.* Etc. 22. *Omne maledictum non erit amplius.*

Apocal. 21. & 22.

Tertiò, falsum esset non esse ibi luctum & dolorem, contra illud Apoc. 21 *Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, & mors vltra non erit, neque luctus, neque clamor: neque dolor erit vltra; quia prima abierunt:* quia ex peccato vtrumque necessariò sequitur.

Nec obstat illud Apoc. 2. quod mouit Origenem: Angeli enim illi sunt septem Ecclesiarum Episcopi. Illud autem Iob. 4. intelligitur de Angelis, cum adhuc essent in statu viæ: quorum pars peccauit.

DVBIVM

Quæ sit causa cur illi qui sunt Beati, peccare non possint?

14. Quidam putant, id non prouenire ex vi visionis beatificæ: sed eò quòd Deus vel assiduè causet actum amoris beatifici in Beatis: vt volunt Ockam, Gabriel, Gregorius. Veleetè quod assidè determinet voluntatem ipsorum ad amorem beatificum eliciendum: vt vult Scotus in 4. d. 49. qu. 6. Cum amore autem illo non posse vllum peccatum consistere. Quòd si Deus relinqueret voluntatem videntis essentiam ipsius, absque tali determinatione vel infusione actus, existimant talem hominem Deum videntem peccare posse.

Quidam ponunt in Amorem. Ockam, Gabriel. Gregorius.

15. Sed contrarium est multò probabilius, scilicet ex vi beatificæ visionis prouenire, vt nullo modo peccare possint. Ita D. Thomas hic cum Caietano, Durando in 2. d. 7. q 1. & in 4. d. 49. q. 8 n. 16. & alii qui docent voluntatem beatorum necessitari ad amorem, à Deo clare viso.

Verùm refertur in visionem. D Th. Caiet Durand.

Probatur Primò, Quia ex vi visionis beatificæ prouenit vt voluntas sit determinata ad amandum Deum super omnia, & quantùm fieri potest perfectissimè: atqui cum perfectissimo amore actuali nullo modo potest consistere vllum peccatum veniale, vt omnes fatentur: (hic enim amor extendit se toto conatu ad omnia facienda quæ nouit Deo placere vt faciat, & ad vitanda quæ nouit Deum velle vitari:) ergo cum visione nullo modo stare potest, vt vel omissione vel commissione peccent. Maior probatur, quia visio ita proponit voluntati summum bonum, vt nulla possit ei occurrere ratio, cur velit aut non amare, aut cessare ab amore: ergo facit vt necessariò amet. Patet consequentia, quia nemo potest voluntariè cessare ab aliquo opere, nisi occurrat aliqua ratio cessandi: Non enim priuatio, præsertim tanti boni, est per se appetibilis Antecedens probatur, quia amor Dei nihil continet laboris vel incommodi, nec impedit aliquod aliud bonum, estque per se quid præstantissimum, & fons ineffabilis gaudii.

Dices, cur non poterit occurrere aliqua voluptas appetenda quę Deo displiceat?

Respondeo, tum quia omnis voluptas sibi eminenter continetur quæ parte naturam benè afficit;

Digitized by Google

tum quia in comparatione illius boni, omne aliud bonum nihili reputatur, & cenſetur non bonum; imò ſi repugnet illi bono, cenſetur ingens malum: ac proinde non poteſt eſſe ratio ceſſandi à tanto bono.

16. Bonum infinitum, infinitè trahit voluntatem.

Probatur Secundò, Quia bonum quò maius eſt, eò magis trahit voluntatem in ſui amorem ſi clarè proponatur: ergo bonum infinitum in quo eſt plenitudo boni, infinitè eam trahet: *infinite*, inquam, comparatiuè, nempe ſic, vt per nullam ſuam potentiam poſſit reſiſtere quantumuis ſit perfecta, vel, quod idem eſt, vt non poſſit cohibere impetum amoris in illud. Si enim, quo bonum, quod ei clarè exhibetur, eamque ad ſui amorem ſollicitat, eſt maius eò difficiliùs ſe continet ab eius amore: quomodo ſe queat continere quando bonum infinitum clarè propoſitum, eam ſollicitabit & alliciet?

Probatur Tertiò, Voluntas videntis Deum ita ſe habet ad Deum, ſicut voluntas viatoris ſe habet ad rationem boni in communi: atqui viator nihil poteſt appetere niſi ſub ratione boni: ergo beatus nihil poteſt appetere niſi ſub ordine ad Deum, ac proinde nihil poteſt velle quod ſit peccatum

Dices, eſſe diſparem rationem, quia ratio boni in genere includitur in omni re, etiam in peccato: eſt enim peccatum bonum delectabile: at bonitas diuina non includitur in omni re particulari, quam beati poterunt appetere.

Beati nihil poſſunt appetere, niſi in ordine ad Deum.

Reſpondeo, Etſi bonitas diuina non includatur intrinſecè in re particulari tamen poteſt in ea re ſpectari aliquis ordo ad diuinam bonitatè, vt, quòd placeat Deo, quòd ad eius gloriam pertineat. Voluntas autem beati ita erga Deum afficietur, vt omne aliud bonum nihili æſtimet, niſi quatenus talem habitudinem ad Deum habet, ac proinde non poterit aliquid, niſi in quo ſit talis habitudo, appetere. Quare ſicut viator nihil poteſt appetere niſi inueniat in eo aliquam rationem boni, ita beatus nihil poterit velle niſi Deum ipſum, & quod talem ordinem ad Deum habet.

Dices, ſaltem per inconſiderationem poterunt aliquid appetere in quo non ſit iſte ordo.

Reſpondeo, Id fieri non poſſe, tum quia lumine gloriæ omnes circunſtantias ſtatim perſpicient in omni opere, tum quia charitas Dei eos determinat ad ſummam diligentiam & circumſpectionem.

Viſio Dei per ſe reddit voluntatem impeccabilem.

Sed dubitari poteſt, vtrùm poſſent Beati peccare, ſi amor iſte diuinitus ſuſpenderetur, ſolaque cum viſione manerent.

Verius videtur etiam hoc euentu non poſſe peccare, quia voluntas eorum manet in actu primo determinata ad amorem Dei ex vi illius viſionis, & conſequenter ad omne illud quod concipitur vt neceſſarium ad illum amorem. Quare cum vitatio omnis peccati ſit neceſſaria ad illum amorem, manet etiam determinata ad illud vitandum.

17. Obiectiones ſoluuntur.

Obiicitur Primò, Voluntas ex natura ſua eſt libera, ac proinde indeterminata ad illum amorem, vt patet in hac vita: per viſionem autem non ſuperuenit illi aliqua intrinſeca diſpoſitio illam neceſſitans. Nam idem eſt obiectum Charitatis in via & in patria, ſolúmque eſt diuerſitas in modo illud applicandi: atqui diuerſa applicatio non poteſt efficere vt amor qui hic eſt liber, ibi ſit neceſſarius.

Reſpondeo, Etſi voluntas ſit indeterminata ad amorem Dei in hac vita, eò quòd clarè in ipſo non cernat vniuerſitatem bonorum: tamen poſita clara viſione, ex natura ſua eſt determinata abſque vlla re illi ſuperaddita. Talis enim eſt naturæ vt ſi Deum non videat clarè, maneat indeterminata ad eius amorem, ſi videat clarè, iam hoc ipſo ſit determinata.

Amor viæ & patriæ ſpeciè videtur diſtingui.

Ad Confirmationem, Reſpondeo. Valdè probabile eſſe obiectum amoris viæ & patriæ diſtingui quodammodo ratione formali & hos amores diſtingui ſpecie. Nam in via non concipitur Deus proprio conceptu, & ſicut eſt in ſeipſo, ſed confuſo & generali accepto ex creaturis, quibus quodammodo veſtitur. In patria verò concipitur conceptu proprio, prout eſt in ſeipſo. Vnde propria ratio deitatis, in via manet incognita.

Diuerſus modus applicandi obiectum, efficit vt aliquid nunc liberè, nunc neceſſariò appetatur.

Quòd ſi quis tueri velit amorem viæ & patriæ eſſe eiuſdem ſpeciei, tunc reſpondendum eſſet diuerſum modum applicandi obiectum poſſe efficere vt aliquid nunc neceſſariò, nunc liberè appetatur, quamuis appetitiones illæ ſint eiuſdem ſpeciei: vt videre eſt in primis motibus, qui in primo inſtanti dum fiunt, ſunt neceſſarij, poſteà tamen liberè poſſunt continuari per hoc ſolùm, quod ratio incipiat ad aliquid attendere, ad quod in primo inſtanti non attendebat. Simili modo diuerſa apprehenſio efficere poterit vt id quod ante liberè amabatur, nunc neceſſariò ametur. Sed prior reſponſio eſt verior.

18.

Obiicitur Secundò, Amor beatificus non procedit ex naturali propenſione voluntatis, cùm ſit ſupernaturalis: ergo ab intrinſeco non eſt neceſſarius, ſed tantùm ab extrinſeco.

Confirmatur, quia ſi voluntas deſtitueretur auxilio ſupernaturali, non amaret Deum etſi clarè viſum: ergo tota neceſſitas prouenit ab auxilio extrinſeco.

Poſita viſione Dei, voluntas ab intrinſeco eſt determinata vt eum amet quantùm poteſt per omnes ſuas vires, ſiue naturales ſiue ſupernaturales.

Reſpondeo, Amor ille non prouenit ex ſola propenſione naturali: nihilominus hæc etiam concurrit adiuta habitu charitatis & concurſu diuino. Nam hoc ipſo quo quis videt Deum, voluntas eius ab intrinſeca ſua propenſione eſt determinata ad illum amandum quantùm poteſt, ſiue per vires intrinſecas, ſiue per habitum charitatis infuſum, ſiue per auxilium ſupernaturale aſſiſtens illi. Quòd tamen ille amor ſit ſupernaturalis, non habet qua parte procedit ex naturali propenſione voluntatis, ſed qua parte procedit ab habitu & auxilio ſupernaturali.

Bonũ quantumuis ſit ſupernaturale in ſubſtantia, poteſt tamen amore naturali amari.

Ad Confirmationem, Si voluntas omni auxilio ſupernaturali deſtituta Deum videret, non poſſet quidem illum amare ſublimi illo amore beatifico, neceſſariò tamen illum amaret amore quodam naturali, in quem omnem ſuam vim expenderet: quia bonum, quantumuis ſit ſupernaturale, poteſt amari amore naturali: quo enim eſt excellentius, eo eſt magis idoneum vt viribus naturæ ametur. Vnde cum hoc bonum ſit infinitè excellens, etiam infinitè quodammodo naturam voluntatis ad ſe trahit. Verum quod reipſa nunc iſte amor non ſit naturalis, ſed ſupernaturalis, profluit ab habitu Charitatis qui cooperatur naturæ.

Obiicitur Tertiò, Charitas eſt habitus: atqui de ratione habitus eſt vt illo vtamur, cum volumus: ergo beati non neceſſariò amant Deum.

Reſpondeo, non eſſe de ratione habitus vt illo poſſimus vti & non vti, vt patet in lumine gloriæ. Quare etſi in hac vita omnes habitus ita ſint in noſtra poteſtate, vt poſſimus eos applicare & non applicare ad vſum, non tamen in altera vi-

ta, quando & ipsa voluntatis propensio erit ad amorem Dei determinata, quæ nunc est indeterminata & libera.

ARTICVLVS V.

Vtrùm ad beatitudinem hominis, requiratur Corpus?

CONclusio est. Ad perfectam beatitudinem, Corpus non esse necessarium. Vide D. Thomam.

DVBIVM I.

Vtrùm ante resurrectionem Corporum, animæ sanctæ sint re ipsa beatæ

19. Veteres qui iam negant.

QVidam Veteres id negarunt, existimantes interim eas detineri in abditis quibusdam receptaculis & promptuariis. Insinuat Irenæus l. 5. contra hæreses sub finem Et Iustinus q. 69. & 76. ad Orthodoxos. Qui tamen liber non est Iustini Martyris, sed alicuius posterioris. Hos tamen duos multi Catholici excusant. Apertè docet hanc sententiam Tertull. l. 4. contra Marcionem Lactantius l. 7. diu. Inst. c. 21. Ex hæreticis Vigilantius, teste Hieronymo, lib. contra Vigilantium pag. 2. Græci iam à quingentis annis idem tenent. Item Armeni & Anabaptistæ. Vide Castrum de hæresibus, verbo *Beatitudo*, hæresi 6. Idem docet Caluinus lib. 3. Inst. cap. 25. §. 6. vbi dicit stultum esse definire, an animæ sint in cælo, & gloria fruantur. Et statim post duas lineas, definit eas nondum gloria frui, seipsum hoc modo stultitiæ condemnans.

Item varii hæretici.

Verum fide tenendum est, animas iustorum corporibus exutas, simul atque perfectè fuerint expiatæ, recipere essentialem beatitudinem, quæ consistit in visione & fruitione Dei.

10. Animæ sanctæ statim recipiunt beatam essentialiter.

Est definitum in Concilio Florentino sess. vlt. vbi Græci hunc suum errorem reuocarunt. *Definimus* inquit Concilium *illorum animas, qui post baptismum susceptum, nullam omninò peccati maculam incurrerunt, illas etiam quæ post contractam peccati maculam, vel in suis corporibus, vel ijsdem exutæ corporibus sunt purgatæ, in cælum mox recipi & intueri clare ipsum Deum Trinum & Vnum, sicuti est, pro meritorum tamen diuersitate aliam alia perfectius.*

Ex Concil. Florent.

Concil. Trid. sess. 25. in decreto de veneratione Sanctorum, docet Sanctos quorum reliquiæ sunt in terra, cum Christo regnare, & æterna felicitate in Cœlo frui.

Trident.

Idem definiuit Benedictus XI. vel potius XII. in extrauag. *Benedictus Deus.* quam refert Castro supra

Benedictus XII.

Idem ante illum definiuit Innocentius III. Cap. *Apostolicam* de Presb non baptizato & Cap. *Cum Martha*, de celebrat. Missarum.

Innocent. III.

Probatur ex Script. 2 ad Cor. 5. *Scimus quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, quod ædificationem ex Deo habemus domum non manufactam æternam in Cælis.* id est, non conturbet nos, quod per varias afflictiones istud corpus nostrum, veluti terrestris quædam animæ domus, dissoluatur, quia aliam domum iam paratam habemus in cælis. vbi per *domum æternam* intelligit ipsam cæleste manſionem vel gloriam illam & claritatem, in quam velut in domum quandam lucidissimam ingrediemur. Paulò antè, hanc domum vocauerat *æternum gloriæ pondus.* Vult ergo Apostolus statim à morte animam recipi in Cælum. Vbi notandum verbum *habemus*: quo significatur statim dissoluto corpore haberi. Nec esse amplius expectandum, vt in veteri testamento. Et infra v. 6. *Scientes quoniam dum sumus in corpore, peregrinamur à Domino: per fidem enim ambulamus non per speciem: audemus autem, & bonam voluntatem habemus magis peregrinari à corpore, & præsentes esse ad Dominum.* id est, quia scimus nos quàmdiu sumus in hoc mortali corpore, esse peregrinos à Domino, ideò desideramus potiùs esse peregrini à corpore, & præsentes esse ad Dominum. Vbi apertè significat animam statim ac corpus deseruit, esse Domino præsentem, & non ampliùs eum per fidem cognoscere: sed eius speciem coram intueri. Vide Melchiorem Canum, lib. 12. de locis c. 7.

12. Ex Script.

Idem patet Luc. 23. vbi Dominus ait latroni: *Hodie mecum eris in paradiso*, id est, in gloria & fruitione diuinitatis, vt exponit D Augustinus epist. 57. & Cyrillus Hierosol. catech. 13. Chrysost. hom. 1. de cruce & latrone. Denique Ambrosius, Theophylactus, Beda & alij in hunc locum.

Paradisus Latroni promissus est essentialis beatitudo.

Quod confirmatur, Nam *Paradisi* nomen non potest ibi locum aliquem corporalem designare: Primò, quia Christus mox descendit ad inferos, non autem ad locum aliquem corporalem amœnum. Secundò, Quia ex loco corporali & amœnissimo parum solatij accessisset animæ latronis. Tertiò, Quia latro petebat vt Dominus ipsius recordaretur, quando veniret in suum regnum: atqui Dominus hoc ipsum & ampliùs præstitit, vt inquit Ambros. in illum locum, quia non solùm meminit in futurum, sed eodem die regnum promittit. Vtitur autem *Paradisi* nomine potiùs quàm regni, vt significet per mortem suam nobis restitui, quod Adam amiserat. Quartò, Quia Dominus promittit Latroni perpetuam secum manſionem, parum enim fuisset vnum aut alterum diem esse cum Christo: ergo ex eo tempore semper cum Christo fuit, ac proinde etiam cum illo cœlum adscendit. Atqui cœlum est locus beatorum: Ad Philipp. Primò, *Cupio dissolui & esse cum Christo*, vbi indicat mox à dissolutione corporis, animam cum Christo esse. Ad Ephes. 2. *Adscendens Christus in altum, captiuam duxit captiuitatem*: id est, duxit secum in Cælum animas Sanctorum, quas è limbo liberauerat, vt Patres exponunt. Actor. 7. ait Stephanus, *Ecce video Cælos apertos, &c.* insinuans cælum sibi patere, Vnde addit, *domine* IESV *accipe Spiritum meum.*

Ad Philip. 2

Actor. 7.

Confirmatur, quia per Christi mortem apertum est nobis regnum Cælorum antea clausum, vt patet ex cap. 9. ad Hæbr. vbi significatur *viam in Sancta Sanctorum* id est in Cœlum, *nondum fuisse propalatum*, id est, patefactam, *donec Christus per proprium sanguinem in sancta introiit*, id est, donec Christus moreretur, & in Cœlum ascenderet: quod significatum fuit veli scissione ante Sancta Sanctorum pendentis, vt passim docent Interpretes in illum locum. Denique ad Hebr. 12. v. 23. *Accessistis, inquit, ad Ecclesiam primitiuorum, qui conscripti sunt in Cœlis & Spiritus iustorum perfectorum, & multorum millium Angelorum.* Vbi apertè significat congregationem *primitiuorum*, id est, Patriarcharum & Prophetarum, & *spiritus iustorum perfectorum* esse in cœlis cum frequentia multorum millium Angelorum.

Hebr. 9.

Hebr. 12.

Secundò Probari potest ex Conciliis & Ponti-

ficibus initiò allatis.

Est communis sensus Ecclesiæ.

Tertiò, Ex communi sensu Ecclesiæ & omnium fidelium. Nam Ecclesia orat sanctos tamquam charissimos Dei amicos, qui & nostras preces intelligãt, & nos iuuare possint. Supponit ergo eos esse in cœlo. Præterea veneratur tamquam beatos, & colit eorum festa; qui cultus est signum gloriæ.

Quartò, Quia hæc est sententia ferè omnium Patrum, tam Græcorum quàm Latinorum: quos vide apud Bellarminum & Gregorium à Valentia.

22. Probatur ratione.

Quintò, Probatur ratione. 1. Anima corpore exuta capax est perfectæ beatitudinis; hæc enim consistit in operationibus omninò spiritualibus, ad quas nihil iuuat corpus: & Deus non differt mercedem laborum sanctorum suorum sine causa, iuxta illud Leuitici 19. *Non morabitur apud te opus mercenarij tui vsque mane.* atqui nulla post Christi mortem est causa differendæ mercedis animæ: ergo &c.

Leuit. 19.

Paradisus Latroni promissus est ostensio beatitudo.

Secundò, Angeli statim expletis meritis beatitudinem acceperunt: atqui hominum merita complentur in morte: ergo statim post mortem, si nihil restet expiandum, beatitudinem accipiunt.

Tertiò, Animæ impiorum statim recipiunt præmium demeritorum; vt patet Lucæ 16. *Mortuus est diues, & sepultus est in inferno.* Ergo animæ piorum statim accipiunt præmium meritorum. Patet conseq. Quia Deus est pronior ad beneficentiam, quàm ad vindictam.

23. Obiectiones è Scripturis soluuntur.

Obiicitur Primò, lib. 4 Esdræ c. 4. dicitur animas Iustorum interrogasse in promptuariis suis dicentes, *Vsquequo sperosic?* Et responsum est eis, *quando impletus fuerit numerus & mensura Sanctorũ.* Quod etiam indicatur. Apoc. 6. vbi Ioannes vidit illas sub altari.

Respondeo Primò, Illum librum Esdræ non esse canonicum. Secundò, locus ille intelligitur de patribus veteris testamenti, qui eo tempore quo liber ille scribebatur, vsque ad Christi mortem, fuerunt in certis promptuariis.

Per Stolã, intellige gloriam animæ, & per Altare, Christum

Ad locum Apocalypsis: Respondeo, ibi confirmari nostram sententiam. Nam dicitur singulis esse datas stolas singulas, quæ significãt gloriam animæ: alteram stolam, resurrectionem. Ita ferè intelligunt omnes Interpretes. Quod cõfirmatur ex cap. 7. vbi dicitur *Qui amicti sunt stolis albis, sunt ante thronum Dei, & seruiunt ei die ac nocte in templo eius.* Atqui esse ante thronum Dei & in templo Dei, est esse in cælo & videre Deum. Altare autem sub quo dicuntur visæ, non est extra cœlum sed in cœlo; vt ibidem patet. Est autem ipse Christus, pro quo, & super quo immolati sunt, & sub quo iam requiescunt; iuxta D. Anselmum. Alludit autem S. Ioannes ad altaria Christiana, sub quibus Martyrum corpora ab initio Ecclesiæ poni consueta, iuxta Hieronymum contra Vigilantium, & iuxta August serm 11. de Sanctis. Nec mirum, Christum appellari *Altare*, cùm etiam appelletur Templum. Apoc. 21.

Apoc 7.

Merces quando soluitur.

Obiicitur Secundò Matth. 20. Omnes mercenarij accipiunt mercedem, idque ad vesperam tantùm; id est, in fine sæculi. Quod confirmatur, quia Scriptura passim indicat coronam iustorum conseruari in diem iudicij, 2. Ad Timoth. 3. *Reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus illa die iustus iudex.* & alibi.

Respondeo, Ibi significari in fine sæculi vltimam mercedem conferendam, idque publicè coram toto mundo cum summa solennitate; vt solent coronæ distribui iis qui in certaminibus fuerunt Victores. Vide Chrysost. hom. 28. in Ep. ad Hebr.

Obiicitur Tertiò, Ad Hebr. 11. dicitur *Sanctos non accepisse repromissiones, vt non sine nobis consummarentur.* Respondeo, id intelligendum de Sanctis veteris testamenti qui ante tempus noui testamenti non acceperunt gloriam animæ; & ante diem iudicij nõ accipient gloriam corporis: (exceptis iis qui cum Domino resurrexerunt) & sic non consummantur sine nobis. Vide Chrysost. in hunc locum.

Hebr. 11.

24. 1 Ioan. 3. quando & quomodo fimiles Deo erimus.

Obiicitur quartò, 1. Ioann. 3. *Cùm apparuerit, similes ei erimus; quoniam videbimus eum sicuti est.* Ergo antequam appareat, non videbimus eum.

Respondeo, Sensus est, cùm illa gloria quam habituri sumus, quæque modò cum Christo abscondita est in Deo, apparuerit, id est, foras producta fuerit, nobisque collata: tunc erimus similes Deo, quia videbimus eum sicuti est. hoc autem fiet in morte cuiusque, vel paulò pòst anima expiata. Hic videtur esse legitimus sensus. Alij intelligunt de similitudine corporis glorioſi, & referunt ad diem iudicij; vt sensus sit: Cùm coram toto mũdo proferẽdum erit præmium, quod habituri sumus, tunc similes erimus Christo secundùm externam gloriam, quod nobis præstabitur propter visionem diuinæ essentiæ Et sic quoque argumentum nihil probat. Sed magis placet prior expositio, quia non dicimur propriè similes Deo, ratione gloriæ corporis: *Deus* enim hic significat *diuinitatem*, vt est communis tribus personis; sic enim accipitur cùm dixit ante. *Iam filij dei sumus*, ergo & quando subiungit, *similes ei erimus.*

25. Obiectiones è Patribus soluuntur. Chrys.

Obiicitur Quintò, S. Chrysostomus hom. 39. in 1. Epist. ad Cor. dicit: *Quamuis decies millies anima sit immortalis, tamen sine carne ipsa admirandis illis bonis non fruetur.* Respõdeo, non negat Chrysostomus quin anima fruetur illis bonis, vel punietur in inferno, vsque ad diem Iudicij sine carne, sed negat solam puniendam vel beandam in æternum: quia cùm vtraque pars laborauerit, debet vtraque vel neutra mercedem accipere, vt patet ex sequentibus verbis Chrysostomi. Vide Chrysostomum homil. 3. in Epistol. ad Philip. vbi dicit iustos videre Deum, non per fidem, sed facie ad faciem. Idem docet homil. 4. & alibi.

Hilarius.

Obiicitur Sextò, Hilarius in Psal. 118. ait. *Hæc humana lex est necessitatis, vt sepultis corporibus, anima ad inferos descendant.*

Respondeo, Loquitur de tempore veteris testamenti. Vide Illum in Psal. 60. vbi dicit sanctos perpetuò cum Deo habitare in mansionibus cælestibus.

Augustin.

Obiicitur Septimò, D. Augustinus l. 9. conf. c. 3. dicit. *Vixit Nebridius in sinu Abrahæ, quidquid illud est, quod illo significatur sinu.* Et enchirid. c. 108. *Tempus quod inter hominis mortem & vltimam resurrectionem est interpositum, animas in abditis receptaculis continet, sicut quæque digna est vel requie vel ærumna.* Idem habet lib. 12. de Ciuit. c. 9.

Respondeo, D Augustinus numquam dubitauit quin animæ sint beatæ & Deum videant ante resurrectionem, sed aliquando dubitauit de loco, vt notat Ludouicus viues in c. 6. l. 20. de Ciuitate. Quod de beatitudine non dubitet, patet ex cap. 3. lib. 9. Confess. & lib. Medit. c. 21. & alibi. Postea tamen re meliùs examinata, expressè docuit esse in cœlo; & *sinum Abrahæ* esse secretum quid sua

Abrahæ Auguſtino.

Patris quò poſt paſſionem Chriſtus reſurgens aſſumptus eſt. Vide illum lib. 2. qq. Euangel. c. 18. Quamdiu fuit incertus de loco, dixit eſſe in abditis receptaculis, vſus nomine generali, quod & cœlo conuenire poſſet.

Obiicitur Octauò, D. Auguſtinus lib. 12. de Gen. c. 35. dicit *minime dubitandum mentem hominis poſt Mortem carne depoſita non ſic videre poſſe incommutabilem ſubſtantiam, vt Sancti Angeli vident, & ideo debere reſumere corpus, vt ſic videat.*

Reſpondeo, Auguſtinum putaſſe non poſſe tam perfectè videre ob deſiderium corporis; videre tamen, & eſſe beatos. De qua ſententia ſtatim dicemus.

Obiicitur Nonò, D. Bernardus ſermon. 3. de omnibus Sanctis, dicit. *In illam beatiſſimam Dei domum nec ſine nobis intrabunt, nec ſine corporibus ſuis.*

Quid atria animarum. Bernardo.

Reſpondeo, Per beatiſſimam domum intelligit claram & omninò perfectam diuinitatis contemplationem. Putat enim D. Bernardus animas Sanctorum ante reſurrectionem videre quidem Deum, ſed non perfectè, impediri enim deſiderio corporum, & quaſi corrugari, ne omnino ſe in diuinitatis contemplationem explicent. Itaque vult illas eſſe in *atrys*, donec corpora reſumant: id eſt, in contemplatione non omnino perfecta; ſecutus D Auguſtinum.

Dices, idem ſerm. 4. de omnibus ſanctis dicit *animas quieſcere ſub altari*, id eſt, in contemplatione humanitatis Chriſti, *donec veniat tempus quando ſuper altare exaltentur*, id eſt, quando oſtendetur eis manifeſtè diuinitas.

Reſpondeo, ſolùm vult dicere diuinitatem non omnino clarè videri ante reſurrectionem, ſicut dictum eſt: quòd tamen diuinitatem videant, alibi apertè docet, ſerm. de obitu Vmberti, & ſerm. de Sancto Malachia, & epiſt. 166.

Ioanni 22. Obiicitur Decimò, Ioannem XXII. definiuiſſe contrarium, & mandaſſe Pariſienſibus vt ita docerent.

Reſpondeo, id falſum eſſe patet ex Bulla Benedicti XII. qui fuit ſucceſſor Ioannis. Dicit enim apertè prædeceſſorem ſuum mãdaſſe omnibus, vt quando rogarentur, liberè dicerent ſententiam, & cùm ſe ad definitionem paratet, morte prẽuentum Vbi notanda eſt ſingularis Dei prouidentia, quæ ſuſtulit Pontificem ante definitionem: ſi tamen verum eſt Ioannem habuiſſe in animo definire eam partem, quam falſam oſtendimus.

DVBIVM II.

Vtrùm animæ Sanctorum poſt Reſurrectionem Corporum, non ſint viſuræ clariùs Deum quam ante?

16. Affirmat Auguſtinus Bernardus Magiſter D. Thom Bonauent. Richard.

QVidam putant tunc clariùs viſuras. Ita docet D. Auguſtinus l. 2. de Gen. c. 29. & inſinuat l. 1. Retract. c. 14. D Bernardus ſermon. 3. de omnibus Sanctis. Magiſter in 4. d. 49. D Thomas ibidem q. 2. a. 4. D. Bonauent. ibidem 2. p. a. 1. q. 1. Richardus eadem diſtinctione circa ſecundum princ. q. 7. Ratio horum eſt duplex: Prior eſt, quam habet D. Bernardus ex D. Auguſtino: ait enim ſerm. 3. de omnibus ſanctis *adeo vigere in animabus deſiderium naturale ad Corpus, vt tota earum affectio non pergat libere in Deum* ſed *quodammodo contrahatur, & veluti corrugetur.*

Altera eſt, quam habet D. Thomas, quia anima in corpore habet perfectius eſſe quàm extra corpus: ergo & perfectiorem operationem. Patet Conſequent quia operatio ſequitur eſſe.

Verùm negatur à D. Thoma. Cai. t. Durand. Palud. Ioan. mai.

Sed longè probabilius & verius eſt Beatos nec clariùs viſuros, nec perfectiùs amaturos Deum poſt reſurrectionem corporum, quàm ante. Ita D. Thomas hic cum Caietano. Durandus in 4. q. 7 d. 49. Paludanus ibidem q. 6. Ioannes Maior ibidem q. 2. & alij.

Probatur Primò, Quia hæc ſententia eſt valdè conſentanea definitioni Benedicti XII in Extrauag. *Benedictus Deus.* Vbi dicit viſionem Dei, quam accipiunt animæ ſtatim poſt mortem, continuari vſque ad finale iudicium, & inde in æternum. Vbi inſinuat eam non creſcere, ſed ſolùm continuari.

Probatur Secundò, quia anima ex vnione cum corpore, non fit perfectior neque ſecundùm ſubſtantiam neque ſecundum potentiam intellectiuam, ſed ſolùm accipit modum quemdam exiſtendi in corpore quem naturaliter poſtulat. Atqui modus exiſtendi in alio, nihil confert ad hoc vt operatio ſit perfectior: vt patet in ſpeciebus Euchariſtiæ, quæ tantum vim agendi habent dum ſeparatæ, quantum dum coniunctæ. Multò minùs vnitum eſſe corpori conferet ad actionem quæ omnino eſt ſpiritalis: quin imò, potius videbitur eſſe impedimento, ſi res humano iudicio æſtimetur: ita enim ſenſerunt Platonici.

Animæ ex vnione cum corpore nõ fit perfectior.

Probatur Tertiò, Modus exiſtendi humanitatis Chriſti in verbo, etſi ſummam humanitati dignitatem tribueret, nihil tamen per ſe conferebat ad perfectiorem humanæ naturæ operationem. Vnde illa natura opus habebat donis ſuperadditis, ſicut in aliis hominibus. Ergo multò minùs modus exiſtendi in corpore aliquid conferet.

17. Appetitus vnionis nõ impedit animæ beatitudinem.

Probatur Quartò Sed neque appetitus vnionis impedit: vel enim per hunc appetitum, intelligimus naturalem aptitudinem quam habet ad corpus, & hęc non impedit operationes animæ, quia non eſt aliquis actus diſtrahens mentem, ſed nuda aptitudo eſſentię: ſicut inclinatio quam habet accidens ad ſubiectum, non impedit operationem accidentis in Euchariſtia Vel intelligimus deſiderium elicitum quo deſiderant animæ Beatę reſumere corpora, vt D. Auguſtinus & Bernardus intelligunt. Et hoc deſiderium non eſt tam vehemens vt poſſit intellectum à viſione diſtrahere, tum quia ſubditum eſt poteſtati liberi arbitrii quoad exercitium: vnde beati ratione illud moderantur & ſubiiciũt diuino beneplacito Tum quia viſio Dei eſt actio omninò neceſſariò procedens ab intellectu, vnde per nullum actum liberum impediri poteſt.

Denique anima Chriſti in triduo mortis non diſtrahebatur appetitu corporis: vnde non minùs tunc perfectè videbat Deum, quàm ante mortem, vel poſt reſurrectionem. Ergo ſimiliter animæ Sanctorum. Ex his patet reſponſio ad contrarias rationes.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm ad beatitudinem requiratur aliqua Corporis perfectio?

COnclusio, Ad beatitudinem omninò completam requiritur perfectionem corporis & 18

Requiritur ad beatitudinem omni ò completam

antecedenter & conſequenter. *Antecedenter* quidem, tamquam bonam corporis diſpoſitionem, ne mens ab illa viſione auertatur, ſi corporis moleſtias ſuſtineat. *Conſequenter* verò, tamquam effectum, qui neceſſariò ex beatitudine animæ in corpus dimanet.

Vbi duo Notanda. Primò, rationem illam priorem non ſic eſſe intelligẽdam quaſi corporis moleſtia poſſit viſionem beatificam impedire aut retardare. Contrarium enim patuit in Chriſto, quem etiam maxima tormenta non potuerunt impedire, quin ſemper æquè clarè Deum videret: quia per paſſionem ſuam non debebat pati detrimentum in beatitudine eſſentiali. Tantùm ergo vult dicere perfectionem corporis requiri tamquam diſpoſitionem, vt homo congruentiſſimè ad illam viſionem ſit comparatus. Nam corporis moleſtia ex ſe apta eſt impedire intellectus functiones. Quòd autem illam viſionem non impediat, id prouenit ex ſumma efficacia & intrinſeca neceſſitate, qua illa viſio ab intellectu & lumine gloriæ dimanat.

Moleſtia corporis nõ poteſt viſioni diuinæ eſſentiæ officere.

Secundò Notandum, Poſterius illud de emanatione, non ſic accipiendum quaſi dotes corporis glorioſi à beatitudine animę dimanent per veram efficientiam, ſeu phyſicam emanationem, ſicut ſplendor à Sole, calor à luce; vt quidam imaginati ſunt. Patet, quia neque à lumine gloriæ manare poſſunt: hoc enim lumen eſt habitus quidam ſupernaturalis intellectus, qui non eſt productiuus niſi ſui actus ad quẽ ordinatur. Neque ab ipſa viſione poſſunt manare, quia hæc eſt actus intellectus immanens, nihil foris producens extra potentiam in qua recipitur, vt patet in aliis actibus intellectus.

Anima ex vnione cum corpore nõ fit perfectior.

Dotes Corporis glorioſi non manãt more phyſico à beatitudine Animæ

Confirmatur, quia & lumen gloriæ & viſio beatifica ſunt affectiones intellectus omnino ſpirituales, nullam habẽtes habitudinem ad corpus, vel ad qualitates corporales, vt patet in Angelis, in quibus nihil corporale producunt. Dicuntur itaque iſtæ dotes emanare ex gloria animæ, modo quodam morali. Quia nimirum anima beata poſtulat tale corpus, & beatitudo animæ eſt cauſa cur Deus has dotes animæ conferat, vt ſcilicet gloria corporis, gloriæ animæ ſit commenſa. Simili modo dici ſolet perfectiones animæ Chriſti dimanaſſe ex vnione hypoſtatica, quia propter vnionem hypoſtaticam illi à Deo ſunt collatæ.

27. Appetitus vnionis nõ impedit animæ beatitudinem.

DVBIVM I.

Quæ, & quot ſint illa Corporis perfectiones futura in ſtatu Beatitudinis?

De his fusiùs vide l. 3 de Summo Bono.

29 quatuor dotes Corporis glorioſi.

REſpondeo & dico Primò, in corporibus beatorum futuræ ſunt quatuor illuſtres perfectiones, quas Theologi vocant corporis *dotes*, nempe *Impaſſibilitatem*, *Claritatem*, *Agilitatem* & *ſubtilitatem*. Eſt communis ſententia DD. in 4. d. 49. Et colligitur ex Apoſtolo 1. ad Cor. 15. vbi ait: *Seminatur corpus noſtrum in corruptione, reſurget in incorruptibilitate.* Vbi inſinuat primam dotem, ſcilicet *Impaſſibilitatem*, quę multis aliis Scripturæ locis indicatur. Iſai. 49. v. 10. *Non eſurient, neque ſitient, & non percutiet eos æſtus.* 2. ad Cor. 15. *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem &c.* Apoc. 7. vbi ad verbum ponitur locus Iſaiæ. Et c. 21. *Abſterget Deus omnem lacrymam, &c. Et mors vltrà non erit, neque clamor neque dolor &c.*

1. Cor. 15.

Impaſſibilitas. Iſai. 49.

Secundò, inquit Apoſtolus: *Seminatur in ignobilitate, ſurget in gloria*: vbi inſinuat dotem *Claritatis* quæ multis aliis Scripturæ locis clarè deſcribitur. Dan. 12. *Qui docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti, & qui ad iuſtitiam erudiunt multos, tamquam ſtellæ in perpetuas æternitates* Mat. 13. *Tunc fulgebunt iuſti ſicut ſol in regno Patris eorum.* Ad Philip. 3. *Reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ.* Vide D. Aug. l. 22 de Ciuitate c. 19. & Anſelmum lib. de ſimilitudinibus c. 50. *Beati*, inquit Anſelmus, *futuri ſunt pulchriores & ſplendidiores ſole.*

Claritas. Dan. 12. Matth. 13. Philip. 3.

Tertiò Apoſtolus ait: *ſeminatur in infirmitate, ſurget in virtute*, vbi inſinuat dotẽ *Agilitatis*; quæ confirmatur Sap. 3. *Tamquã ſcintillæ in arundineto diſcurrent.* Iſaiæ 40. *Aſſument pennas ſicut aquilæ, current & non laborabunt, ambulabunt & non deficient.* Et D. Aug. l. 13 de Ciuit. c. 18. *Si Angeli poſſunt ſine labore rapere corpora animalium, & conſtituere vbi voluerint, cur Sanctorum Spiritus ſine vlla difficultate poſſe ferre quo voluerint & ſiſtere corpora ſua, non credamus?* Et l. 22. c. vlt. *Certe*, inquit, *vbi volet ſpiritus, ibi protinus erit & corpus.* Et Anſelmus ſupra c. 51. *Ipſis Angelis Dei æque celeres erimus, qui dicto citiùs de cælo ad terras, & è converſo delabuntur.* Vide totum illud caput

Agilitas. Sap. 3. Iſai. 40. Auguſt. Anſel.

Quartò ait Apoſtolus. *Seminatur corpus animale, ſurget corpus ſpiritale*: vbi per *corpus animale*, Græcè ψυχικον intelligitur corpus craſſum, graue, corruptibile, egens cibo, potu, ſomno, quiete. Per *Corpus Spiritale* intelligitur corpus conueniens ſpiritui, nempe his imperfectionibus carens. Vt autem ſpiritui ſit conueniens, requiritur inter cetera vt ſpiritui in motu & celeritate non obſtilat. Vnde requirit quandam facultatem penetrandi alia corpora vnà cum ſpiritu, abſque vlla leſione, vel figuræ mutatione, quæ facultas ſignificatur à Doctoribus per dotem *Subtilitatis*. Itaque hæc dos inter cetera hic inſinuatur ab Apoſtolo.

Subtilitas.

Confirmatur Primò, Nam omnes Doctores, præter Durandum, admittunt corpus beatum habiturum hanc penetrandi facultatem: cùm illam habuerit corpus Chriſti glorioſum, cui corpora beatorum erunt ſimilia, iuxta illud ad Philip. 3. v. 21. *Reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ.* Atqui ob hanc facultatẽ meritò corpus dicitur ſpiritale: quia proprium ſpirituum eſt poſſe omnia peruadere.

Duran lus negat ſubtilitatem.

Confirmatur Secundò, Quia idem expreſsè docet D. Ambroſ. l. 10. in Lucam. *Per reſurrectionis*, inquit, *corporea qualitatem, imperuia vſu clauſa penetrauit &c.* ad quod declarandum adfert verba Apoſtoli, *Seminatur corpus animale &c.* Damaſcenus lib. 4. de fide cap vlt. explicat illud *ſpiritale*, vt idem ſit quod impaſſibile & ſubtile. *Hoc enim*, inquit, *deſignat ſpiritale, quale Domini corpus poſt reſurrectionem clauſis portis ingrediens.* Omitto alios.

Ambroſ. Damaſc.

Dico Secundò, Hæ quatuor dotes ſufficiunt ad plenam corporis perfectionem ſupernaturalem, qualem ſtatus ille requirit. Dico, *Supernaturalem*, quia naturalis perfectio non pertinet ad dotes, ſed illis ſupponitur, ſicut natura gratiæ, vt perfecta ſanitas, membrorum optima conformatio, partium organicarum integritas. Cùm enim virtute diuina corpora in reſurrectione ſint formanda, formabuntur perfectiſſima intra naturæ limites, maximè corpora beatorum Sed his perfectionibus accedent dotes ſupernaturales. *Impaſſibilitas*, vt conſeruentur in æternum in optima diſpoſitione, ſic vt à nulla creatura laedi

30 Dotes hę ſufficiũt ad plenam perfectionem corporis beati.

28

possint. *Claritas*, ad pulchritudinem. *Agilitas & Subtilitas*, vt perfectè spiritui ad omnes motus obediant, non secus ac si spiritus essent. His dotibus instructo corpore, homo par erit angelicis spiritibus, æternitate, impassibilitate seu inuiolabilitate, celeritate & penetrabilitate.

DVBIVM II.

Per quid corpora Beatorum futura sint impatibilia?

31 QVidam putant fore impatibilia per quasdam qualitates supernaturales corporibus illis infundendas. Ita Richardus d. 49. circa 4. princ. qu. 2.

Richard.

Sed hæc sententia vix mente concipi potest. Nam quæ qualitas potest impedire ne corpus possit gladio incidi vel contundi, nisi forte duricies plusquam adamantina, quæ ibi non erit? Secundò, illa qualitas in corde, admittit v. g quatuor gradus caloris, quod temperamentum cordis postulat, cur non admittat quatuor etiam in pulmone? Si dicas totidem admittere: Ergo pulmo poterit à corde alterari. Idem dicam de cæteris membris quæ poterunt ab extrinseco alterari.

Qualitas supernaturalis reiicitur.

Dices, Illam ideò in pulmonibus non posse consistere cum quatuor gradibus caloris, quia illa qualitas ibi est intensior, ita vt solùm admittat duos gradus quos requirit temperamentum pulmonis. Idem dicendum de ceteris partibus.

Sed contrà. Primò, Omnes ferè partes habent aliquo modo diuersum temperamentum; ergo illa qualitas debebit in singulis esse secundùm diuersos gradus intensionis.

Prima ratio.

Secundò, Illa qualitas est supernaturalis: ergo non habet formalem repugnantiam cum gradibus qualitatum naturalium: quare si cum vno possit consistere, etiam poterit cum decem.

Secunda

Dices, illa qualitas repugnat virtualiter seu effectiuè pluribus gradibus.

Sed contrà, illa qualitas dicitur effectiuè alteri repugnare, quæ producit qualitatem formaliter illi repugnantem: atqui illa supernaturalis qualitas nó producit in pulmone aliquam qualitatem formaliter repugnantem tertio vel quarto gradui caloris. Nulla enim qualitas sic repugnat, nisi frigus ita intensum, vt non possit cum illis gradibus caloris consistere: quod frigus in pulmone non potest produci à qualitate illa supernaturali, hoc enim pertinet ad naturale temperamentum pulmonis, quod nó prouenit ab aliqua qualitate supernaturali, sed à solo Deo formante corpus in resurrectione, qui illud etiam postea conseruat, concurrente anima suo modo.

Si quis fingat Deum statim post primum instans definere illud intimè per se conseruare, & incipere conseruare per dotem impassibilitatis.

Respondeo, hoc non esse consentaneum rationi. Hæc enim conseruatio fit per intimum influxum, quo temperamentum producitur in rerum natura; eodem enim influxu res omnis producitur à Deo, & conseruatur. Cùm ergo solus Deus per se intimè faciat totum temperamentum in resurrectione, cur illud postea conseruet mediante aliqua qualitate supernaturali? præsertim cùm fermè omnia quæ producuntur (exceptis actibus vitalibus & speciebus intentionalibus) à solo Deo conseruentur. Deinde quid opus est illa qualitate conseruante, cùm intimus influxus Dei sufficiat?

Tertiò, Illa qualitas non solùm debet excludere omnes gradus caloris & frigoris qui possent accedere ad singulas partes, sed etiam debet conseruare eos, qui iam insunt & pertinent ad naturale temperamentum: alioqui illa qualitas non faciet corpus intrinsecè impassibile. Atqui non potest intelligi quomodo eadem qualitas vtrumque possit præstare, neque id vllo exemplo potest explicari.

Tertia.

Quartò, Oportebit similem qualitatem ponere contra frigus, & alias corporis alterationes.

Quarta.

Hæ & similes rationes reddunt hanc sententiam valdè difficilem. Et quamuis non negem Deum per potentiam absolutam posse illa corpora talibus qualitatibus afficere, quæ natura sua illa reddant impatibilia, tamen quia suppetit alia ratio facilior, & magis consentanea naturis rerum, non puto ad illud obscurum esse confugiendum.

Vnde alij dicunt illa corpora fore impatibilia tantummodò per extrinsecam Dei conseruationem, qua non solùm omne noxium amolietur, sed etiam concursum subtrahet, ne possit nocere, adeo vt etiamsi in igne constituantur, non possint alterari: sicuti nec tres pueri in fornace Babylonica. Ita Scotus in 4. d. 49. qu. 13. Ioannes Maior ibidem q. 17. Durandus q. 44. q. 4. & quidam alij.

32 Extrinseca Dei conseruatio, iuxta Scotum.

Hæc sententia est facilis & satis probabilis. Nam secundùm æstimationem moralem, huiusmodi impatibilitas non est minoris facienda, quàm ea, quę est per dona intrinseca. Hic enim nihil aliud quæritur, quàm vt nulla passio vel alteratio possit inferri. Vnde perinde videtur esse siue id fiat per intrinsecam dispositionem, siue per extrinsecam custodiam.

Dices, Adam hoc modo erat impassibilis in statu innocentiæ, atqui beatis aliquid debetur amplius: ergo &c.

Respondeo Negando Maiorem. Primò, quia in eo statu non erat immortalis. Etsi enim poterat non mori, tamen etiam poterat mori. Atqui beati ita conseruantur, vt nullo modo possint mori. Secundò, Quia in eo statu calor naturalis absumebat humidum, & ita naturaliter illud corpus fuisset absumptum, nisi cibo ei fuisset succursum. Tertiò, Non semper erat in eadem temperie calidis, frigoris, humoris, siccitatis. Quartò, Extrinseca agentia potuissent eum lædere, nisi ea cauisset: non enim erant priuata concursu diuino ne læderent vel alterarent: sed sic erant disposita vt homo posset ea vitare.

33. Qualis ima passibilitas Adami.

Verius tamen existimo hanc impassibilitatem fieri per aliquid intrinsecum corporibus beatorum, non tamen per aliquam qualitatem supernaturalem. Pro quo

Impatibilitas fit per aliquid intrinsecum, non tamen per qualitatem supernaturalem.

Notandum, Corpus nostrum dupliciter pati posse. Primo modo, Per incisionem vel contusionem factam aliquo instrumento corporeo, vt gladio, malleo: Hoc modo corpus beatorum pati non poterit propter conditionem spiritalem seu subtilitatem: nam instar spiritus omnia penetrabit. Sicuti si gladio vitreo verberes radium solis, non illum diuides, sed sine eius læsione penetrabis. Hæc est sententia Damasceni lib. 4. cap. vlt. vbi *impassibilitatem* refert *ad conditionem spiritualem*. Addo, non esse improbabile id etiam fieri posse per vim animæ, quia potest partes

Damasc.

Digitized by Google

tes corporis ita continere & ſeruare coniunctas, vt nulla vi externa poſſint vel ſeparari, vel loco moueri.

Secundo modo poteſt corpus noſtrum aliquid pati per actionem caloris, frigoris & ſimilium qualitatum. Et hoc modo corpora beatorum pati non poſſunt: Vel ratione ſubtracti concurſus, iuxta ſententiam ſupradictam: (qui concurſus non tantùm cauſis extrinſecis alternatiuis ſubtrahetur, ſed etiam partibus corpori intrinſecis, vt cordi, ne valeat alias partes ampliùs calefacere, quàm poſtulet eorum optima conſtitutio:) Vel ratione potentiſſimi influxus quo conſeruabitur ipſorum temperamentum in eodem gradu & ſtatu: manente enim temperamento in eodem ſtatu, impoſſibile eſt corpus alterari: nam ſi aliquis gradus caloris vel frigoris accederet, mutaretur ſtatus temperamenti, qui conſiſtit in indiuiſibili. Hic autem influxus conſeruatiuus prouenit à Deo, & fortaſſe aliquo modo ab anima; Deo tamen ſingulari modo cooperante. Omnis enim anima viuentis vim habet conſeruandi temperamenti ſui corporis, ſicut aqua vim habet conſeruandi ſui frigoris: cuius ſignũ eſt quòd anima recedente, ſtatim pereat temperamentũ. Verùm hęc vis animæ eſt inſufficiens vt queatur illud à cauſis extrinſecis & intrinſecis, vnde diuinitus debet iuuari per concurſum: qui concurſus nõ videtur alius, quàm influxus ille, quo Deus temperamentum ipſum produxit & conſeruat: hoc ipſo enim quo Deus vult ſuum influxum, quo intimè res aliqua conſeruatur, continuare, non poteſt illa aboleri, etiamſi à contrario impugnetur. Vnde ſi gutta aquæ frigidæ poneretur in fornace ardente, non poſſet calefieri ab igne, Deo volente continuare influxum ſuum quo frigus illud intimè conſeruat, quia omnipotens eſt. Sed de hoc plura Tractatu de Euchariſtia. Quia verò hæc continuatio influxus eſt debita ſtatui beatitudinis, ideò D. Auguſt. epiſt. 50. ad Dioſcorum ait: *Tam potenti natura Deus fecit animam, vt ex eius pleniſſima beatitudine, redundet etiam in inferiorẽ naturam quod eſt corpus, plenitudo ſanitatis, id eſt, incorruptionis vigor.* Ob eandem cauſam non poterunt ſol & aſtra ampliùs alterare elementa, Deo conſeruante illorum naturalem conſtitutionem.

Fit per influxum conſeruatiuum Dei, & animę.

Quid ſit cõcurſus conſeruatiuus Dei.

Debetur Beatis.

Auguſt.

Et elemẽtis poſt reſurrectionem.

DVBIVM III.

Quidnam ſit illa claritas corporum Beatorum?

Scotus.

SCotus in 4. d. 49. quæſt. 15. videtur dubitare an reuera illa corpora ſint futura lucida, an verò dicantur clara, quòd clarè ſe poſſint manifeſtare.

Durandus.

Durandus d. 44. quæſt. 8. dubitat an dicantur clara, quòd ſint terſa & polita ita vt luce ſolis irradiata fulgeant, vt gladius politus vel ſpeculum chalybeum: an quia lucem habent intrinſecam.

Sunt clara per intrinſecã lucem.

Reſpondeo & Dico Primò, Certum eſt claritatem illã non eſſe ſolùm polituram corporum cum luce extrinſeca aut vim ſe manifeſtandi, ſed lucem corpoream corporibus illis intrinſecam. Ita paſſim Theologi in 4. d. 49.

Probatur, Quia alioquin illa corpora non eſſent verè lucida intrinſecè; neque vi ſua fulgorem emitterent, ſed ſolùm quando radij ſolis inciderent. Quod videtur repugnare Scripturis quæ comparant illa corpora ſoli & ſtellis, quæ per ſe & intrinſecè lucida ſunt. Idem patet ex Domini Transfiguratione, cuius facies reſplenduit ſicut ſol. Eadem eſt ſententia Patrum & Interpretum in illum locum.

Cur dum apparent, non ſemper videantur lucida.

Dices, ſi ſint intrinſecè lucida, quomodo dum apparent, non cernitur ſemper illa lux?

Reſpondeo, Quia in poteſtate illorum eſt illam lucem cohibere, ne ſe foras effundat. Simili modo poſſunt cohibere natiuum colorem ne ſpecies diffundat, ſicq; ſe reddere inuiſibiles. Non quòd in illorum voluntate, vel anima, ſit vis aliqua realis & phyſica qua id impediant, ſed quia ipſis volentibus Deus præbet concurſum, vel eum ſuſpendit: ſine quo concurſu, neque lux poteſt diffundere lumen, neque color ſpecies, vt rectè docet Scotus d. 49. q. 15. Et hoc modo intelligendum eſt quod D. Thomas & alii Doctores dicunt, *Omnia quæ beatis ſuppoſito ſunt coniuncta, ſubiecta eſſe quo ad operationẽ, imperio voluntatis ipſorum.*

Erunt intime clara.

Dico Secundò, Hæc claritas non ſolùm erit in extima ſuperficie, ſed ipſa corpora intime penetrabit. Patet in ſole, ſtellis, & aliis lucidis corporibus. Imò impoſſibile eſt vt color aut lux in ſola ſint ſuperficie: quia cùm ſuperficies ſit ſolùm modus quidam corporis (ſi tamen eſt aliquid poſitiuum à corpore diſtinctum) non poteſt eſſe ſubiectum qualitatis habentis ſolidam entitatem, ſicut eſt lux & color.

Diaphana.

Accedit, quòd quidam Patres docent, corpora beatorum fore pellucida ſeu diaphana, vt totum internum artificium, quod non minùs eſt admirabile quàm partium mundi diſpoſitio, poſſit oculis cerni. Ex qua ſententia ſequitur omnia interiora fore lucida. Ita D. Aug l. 22. de ciu. c. 30. *Omnia*, inquit, *illi de quibus iam locutus ſum, qui nunc latent harmonię corporalis numeri, non latebunt extrinſecus & intrinſecus per corporis cuncta diſpoſiti, & cum ceteris rebus quæ ibi magnæ & mirabiles videbuntur, rationales mentes in tanti artificis laudem, rationabilis pulchritudinis delectatione ſuccedent.* Et Greg. lib. 18. moral. cap 27. explicans illa verba Iob. cap. 28. *Non adæquabitur ei aurum vel vitrum*, ait, *Patebit corporalibus oculis ipſa etiam corporis harmonia, & ſic quiſq; erit conſpicabilis alteri, ſicut nunc non poteſt eſſe conſpicabilis ſibi.* Idem paſſim docent Recentiores, eſtque valdè rationi conſentaneum.

Auguſt.

Greg.

Aduerte tamen, hanc ſententiam Auguſtini & Gregorij non eſſe omnino certam, quia neque ex Scripturis, neque aliunde ſatis poteſt conuinci. Vnde Bonauentura, Scotus & Durandus contrarium tenent: fatentur tamen interiora fore conſpicua, ſed per poros corporis: quod ſanè parum eſt probabile, tum quia pori ſunt anguſtiſſimi, tum quia non ſunt directi, ſed innumeris modis implicati propter muſculos rectos obliquos, & tranſuerſos, vt norunt Anatomici.

Non tamen per poros corporis.

Dico Tertiò, Hæc lux ſimul conſiſtet cum colore natiuo ſingularum partium interiorum & exteriorum. Patet ex corpore Domini in quo manſit natiuus color, quem Apoſtoli poſt reſurrectionem viderunt, claritate occultata. Ratio eſt, quia donum ſupernaturale claritatis nõ deſtruet perfectionem naturalem. Atqui coloris ſuauitas eſt magna perfectio corporis humani nullam habens repugnantiam cum luce, vt patet in niteduli, in lapidibus pretioſis, in chryſtallo colorata & ſole illuſtrata. Quod ſi praua lux poteſt naturaliter cum colore conſiſtere, cur magna non poſſit ſupernaturaliter? Itaque credibile eſt corpus humanum cum omnibus venis, neruis, arteriis, cereriſque interioribus, fore inſtar puriſſimę chryſtal-

Et odorata.

li, ſingulis partibus, ſuis coloribus & figuris diſtinctis, & ſumma luce impletis.

36 Lux illa erit perfectior luce ſolis.

Dico Quartò, Probabile eſt lucem illam fore perfectioris naturæ, quàm ſit lux ſolis. Ita Richardus in 4. d. 49. circa 4. principale q. 6. & Suares 3. p. tom. 2. q. 54. a. 4. Cuius ſignum eſt: Primò, Quòd hæc lux non calefaciat ſicut lux ſolis. Secundò, Quòd maior ſit luce ſolis, ſaltem in Chriſti Domini, Beatæ Virginis, & maximorum Sanctorum corporibus. Tertiò, Quòd pertineat non ad ordinem naturæ, ſed ad ſtatum gloriæ. Quartò, Quòd facilè conſiſtat cum colore & perſpicuitate, quod luci ſolis non videtur naturale. Denique, Deo non eſt difficile, talem lucem ſupernaturalem, quæ tamen ſit viſibilis oculis corporeis, creare.

Aduerte tamen, hanc ſententiam non eſſe certam. Nam ceteri Doctores ferè tenẽt hanc lucem fore eiuſdem ſpeciei, cuius eſt lux ſolis; quorum ſententia nõ videtur minùs probabilis, præſertim cùm Scriptura dicat faciem Domini in reſurrectione inſtar ſolis reſplenduiſſe, & talẽ ſeſe oculis Apoſtolorum exhibuiſſe. Quòd ſi oculus non diſtinguit inter eam & lucem ſolis, non videtur inter illas eſſe ſpecifica diſtinctio.

Cõtrarium eſt probabile.

DVBIVM IV.

Qua & qualis futura ſit agilitas corporis glorioſi?

37 Durandus ait eſſe habilitatem ad motum progreſſiuum.

DVrandus d. 49. q. 7. putat hanc agilitatem nihil eſſe aliud quàm habilitatem quandam corporis ad facilè ſe mouendũ motu progreſſiuo. Ad hanc habilitatem requirit ſolùm duo, Primò, vt grauitas à corpore tollatur, vel certè impediatur eius impetus, quodcorſum tendit. Secundò, vt ſpiritus & organa non poſſint diſſolui.

Refellitur.

Sed abſurda eſt hæc ſententia, qua parte ponit beatos ſolùm ad motum progreſſiuum foreagiles. Quomodo enim hoc motu aſcendent & deſcendent per aërem & per orbes cæleſtes? quomodo pares erunt Angelis velocitate, & breuiſſimo tempore à terra in cælum ſeſe quaſi iaculabuntur? cùm enim paſſus hominis ſint breues, opus erit innumerabili paſſuum alternatione breuiſſimo tempore: opus erit etiam auxilio corporis, quo ſingula veſtigia nitantur. Adde, non eſſe conſentaneum Scripturis ſuprà citatis. Omitto Durandum niti falſo fundamento de motu & loco ſpirituum.

Scotus detractionem ponderis à corpore.

Scotus verò d. 49. q. 14. rectiùs ſentit. Cum ceteris enim omnibus Doctoribus ponit in beatis motum ſimplicem, quo totum corpus ſimul vno impetu, inſtar ſagittæ feratur: putat autem ad eum ſufficere vim naturalem animæ, & ponderis detractionem à corpore. Ratio ipſius eſt, quia anima ſeparata poteſt ſeipſam in omnem partem mouere, ſicut Angeli; ergo vnita corpori poterit mouere ſuum corpus, ſi illud non reſiſtat, non reſiſtet autem detracta grauitate.

Refellitur.

Contra tamen hanc ſententiam facit Primò, Quòd ex ea ſequatur, beatos non poſſe ſurſum mouere aliquod pondus, quod æquet grauitatem proprij corporis. Patet, nam anima naturaliter non poteſt pondus ſui corporis ſurſum attollere. Secundò, Non poſſent beati ſe firmiter collocare aliquo loco, quin facilè vi humana queant inde auelli. Tertiò, Non haberent parem Angelis celeritatem, neque cum illis pariter ambulare poſſent.

38 Dicendum igitur Primò, Agilitatem hanc eſſe vim quandam ſupernaturalem collatam beatis, per quam poſſint repentè mouere corpora ſua ſimplici impetu in quamuis mundi partem incõprehenſibili celeritate. Ita ceteri Doctores. Debent enim eſſe pares Angelis, vt probat Anſelmus lib. de ſimilitudinibus c. 51. qui in ictu oculi à cælis in terram deſcendunt. Neque grauitas corporis impediet; quia hæc, vel auferetur, vt videtur ſentire D. Auguſtinus l. 13. de ciuit. c. 18. ſub finem, vbi inſinuat quòd Deus detrahet ponderis tarditatem: vel impetus eius quo reſiſtit mouenti, impedietur, Deo concurſum non præbente: vel certè tanta vis erit, vt ſine difficultate illud pondus vincat.

Eſt qualitas ſupernaturalis ad celerrimum motum.

Dico Secundò, Hæc vis motiua non erit aliqua qualitas corporis, ſed animæ beatæ, cuius eſt mouere corpus.

Non inhærens corpori.

Prior pars probatur à Scoto & Durando. Primò, Quia qualitas corporalis ſolùm in vnam partem impellet corpus; vt ſurſum vel deorſum. Secundò, Semper impellet etiã dum quieſcet; vt patet in elementis, quæ actiuè ſe continent in ſuis locis. Tertiò, Quia motus illorum erit actus vitalis, ergo debet eſſe effectiuè ab anima. Quartò Si hæc qualitas eſſet in corpore, non operaretur naturaliter ad imperium animæ: nam ex imperio animæ ſolùm ſequitur naturaliter operatio earum virium quæ in eadem eſſentia fundatæ ſunt, vel eidem identificantur: hæ enim ſolæ habent hanc ſympathiam cum voluntate, vt infra patebit.

Sed animæ, Auguſt.

Hinc patet altera pars, ſcilicet, hanc vim fore in anima. Probatur autem Primò ex D. Auguſt. l. 19. de Ciuit. c. 18. vbi ait, *Deum præſtare poſſe animis beatis vt corpora ſua poſſint ponere vbi volunt, & agere quò volunt ſitu motuque facillimo.* Et infrà. *An ſi hoc Angeli faciunt vt quamis terreſtria animalia rapiãt vnde libet, & conſtituant vbi libet &c. Cur ergo Sanctorum perfectos atque beatos diuino munere ſpiritus, ſine vlla difficultate poſſe ferre quò voluerint & ſiſtere vbi voluerint ſua corpora, non credamus?* Vnde patet Auguſtinum ſentire hanc vim eſſe in anima, ſicut eſt in natura Angelica. Secundò, quia anima primò mouet ſeipſam præſertim ſimplici raptu, & ſimul rapuit corpus ſuum, ei parem impetum imprimens, alioquin ſolùm moueretur per accidens ad motum corporis, impetu impreſſo in corpus trahente animam. Tertiò, Omnis vis motiua corporis etiam per motum progreſſiuum eſt in anima: hæc enim primò imprimit ſpiritibus impetum, & per ſpiritus muſculis: hinc ſequitur motus vnius partis, quâ ſtatim pòſt firmatâ in veſtigio immobili, imprimitur impetus ſpiritibus alterius partis: hinc motus alterius partis, & ſic viciſſim alternante impetu, fit progreſſio. Imò omnes motus locales viuentium veniunt à virtute motiua animæ, vt motus cordis & arteriarum, attractio alimenti, & expulſio redundantium: ſunt enim vitales.

Eſt tamen Dos corporis.

Dices, quomodo ergo hęc agilitas eſt dos corporis? Reſpondeo, Quia eius effectus ad corpus pertinet, & in eo perficitur & cernitur.

39 Non ſe mouent in inſtanti.

Dico Tertiò, per hanc dotem non poſſunt beati ſe mouere ab extremo in extremum per medium in inſtanti. Ratio eſt, quia iſte motus poſtulat vt mobile ſit in medio, & in termino ad quem. Atqui beati non habent poſſe vt ſimul exiſtant in pluribus locis. ergo.

Neque de extremo in extremum, ſine medio.

Neque etiam poſſunt ſe mouere de extremo in extremum ſine medio. Ratio eſt, quia hoc fieri non poteſt niſi ſubtractione conſeruationis in

vno extremo, & reſtitutione illius in altero extremo per ſubſtantialem quàndam reproductionem, ſeu per collationem eiuſdem eſſe, (nullus enim alius modus videtur intelligibilis, vt in tractatu de Euchariſtia dicendum eſt) quomodo ſolus creator ſua omnipotentia creaturam mouere poteſt.

DVBIVM V.

In quo conſiſtat ſubtilitas corporum beatorum.

40 Durandus eam ſtatuit in acumine ſenſuum, & in ſubiectione appetitus inferioris.

DVrandus in 4. d. 44. q 5. dotem ſubtilitatis ponit in duobus. Primò, in acumine ſenſuũ proueniente ex organorum perfecta diſpoſitione & ſpirituum claritate & tenuitate. Secundò, In ſubiectione appetitus inferioris ſub imperio voluntatis. Hoc enim corpus rectè dici ſpirituale & ſubtile, quod ſpiritui perfectè obedit.

Refellitur.

Sed contra hanc ſententiam facit Primò, Quòd ſenſuum acumen pertineat ad perfectionem cognitionis, ac proinde potiùs ad animæ quàm corporis ornamentum. Credibile autem eſt, acumen hoc non tamùm fore ex ſpirituum claritate & organorum diſpoſitione (hæc enim naturalia ſunt:) ſed etiam ex maiore Dei concurſu, vt poſſint videre & minora, & remotiora & perfectiùs, quàm per ſolas naturæ vires.

Secundò, Subiectio appetitus & membrorum non fiet per aliquam dotem corporis, ſed proueniet ex vi viſionis & amoris, quibus anima ſic vegetabitur, vt omnes motus appetitus inferioris & ſpirituum animalium ſit habitura in ſua poteſtate, vt ad nihil poſſint moueri niſi voluntatis imperio, ſicut neque ipſa voluntas poterit motibus indeliberatis ad obiectis moueri.

Tertiò, In Adamo erat acumen ſenſuum, quod Durandus ponit, & ſubiectio virium inferiorum ſub imperio volũtatis, qualẽ Durandus requirit, (ſcilicet partim per habitus internos appetitus inferioris partim per rationis vigilantiam, partim per diuinam aſſiſtentiam) & tamen corpus ipſius, in ſtatu innocentiæ non erat ſpirituale ſecundùm Apoſtolum, ſed animale, vt patet 1. Cor. 5. Ergo ſpiritalitas quæ eſt dos corporis glorioſi, non conſiſtit in illis.

Omitto hanc ſententiam à Durando fuiſſe excogitatam, quòd putaret implicare contradictionem vt vnum corpus aliud penetraret, quod fundamentum omnino falſum eſt & erroneum: nam non poteſt conſiſtere cum multis fidei noſtræ myſtriis: vt, quòd Dominus natus ſit, clauſo vtero, quòd reſurrexerit clauſo ſepulcro, quòd ingreſſus ſit ad diſcipulos clauſis ianuis; ad quæ abſurdè reſpondet Durand ſed de hoc alibi.

41 D. Thom. in perfecta corporis informatione Scotus.

Secunda ſententia eſt D. Thom. in ſuppl. q 33. art 1. hanc dotem ſubtilitatis conſiſtere in perfecta corporis informatione. Quod explicat Scotus ſic, per ſubtilitatem corpus eſſe idoneum vt obtemperet animæ in ſuſpiciendis facilè potentiis, organis, viribus, ac debitis complexionibus corporis, quæ proximè fluunt ex eſſentia hominis.

refellitur.

Sed contra Primò, Quia perfecta informatio naturaliter conuenit animæ & corpori, vnde etiam erant in ſtatu innocentiæ: anima enim naturaliter informat, & corpus ritè diſpoſitum perfectiſſimo modo informatur; non enim hæc informatio ſuſcipit magis & minùs. Fieri quidem poteſt vt naturali vnioni animæ cum corpore accedat vnio ſeu vinculum quoddam ſupernaturale: ſed neque hoc eſt neceſſarium, neque D Thomas de tali vinculo loquitur. Et ſi eſſet, potiùs pertineret ad immortalitatem corporis, quàm ad ſubtilitatem.

Secundò, Corpus per ſuas diſpoſitiones naturales eſt maximè idoneum vt obtemperet animæ in ſuſcipiendis eius potentiis, & aliis quæ anima ſecum adfert, quæcumque illa ſint (quod addo, quia verũ non eſt debitam complexionem & diſpoſitionem organicam fluere ab eſſẽtia hominis, cùm illi ſupponatur:) ergo ad hoc non eſt opus aliqua dote propria beatitudini.

Tertiò, Corpus non eſt ſuſceptiuum potentiarum animæ, niſi quatenus eſt ſuſceptiuum animę: nam potentiæ ipſæ immediatè ſunt in anima, vt alibi oſtenſum eſt. Ergo non poteſt ob hanc aptitudinem dici ſpirituale.

Quartò, Hæc omnia parum iuuant vt corpus poſſit dici ſubtile & ſpiritale. His igitur omiſſis & aliis quæ ſatis nota.

42 Conſiſtit in vi penetrãdi alia corpora.

Reſpondeo & Dico Primò, Dotem ſubtilitatis conſiſtere in vi penetrãdi alia corpora; ita vt duo corpora ſint ſimul, vt patet ex dictis dub. 2.

Corpora non vertentur in ſpiritum

Dico Secundò, Hanc vim penetrandi non conſiſtere in eo quòd corpora beatorum ſint vertenda in ſpiritum, ſicut olim docuerunt quidam hæretici, contra quos D. Auguſtinus lib. 13. de Ciuit. cap. 23. vel quod vertentur in aeream tenuitatem, ſicut docuit Eutychius Epiſcopus Conſtantinopolitanus, vt refert Gregorius l. 19. moral. c. 31. vbi hunc errorem refutat ex c. 19. Iob.

Neque in aëream tenuitatem.

Non eſt qualitas ſuperaddita.

Dico Tertiò, Hanc vim penetrandi non conſiſtere in aliqua qualitate naturali vel ſupernaturali illi corporibus infuſa.

Probatur, quia nulla qualitas corporea poteſt tollere intrinſecam repugnantiam quæ eſt inter duo corpora, reſpectu eiuſdem ſpatij, vt probat D. Thomas in additionibus quæſt. 85. art. 2. Ratio eſt, quia illa qualitas eſſet corpori coextenſa, ſolumque ſuum effectum formalem illi adderet, nihil ei detrahendo. Hinc Patres, quòd Chriſtus clauſo vtero ſit natus, & clauſo ſepulcro reſurrexerit, & clauſis ianuis intrarit, virtuti diuinæ aſſignant, non alicui qualitati creatæ. De quo vide D Hieronym. lib. 1. contra Iouinian. Auguſtinum epiſt. 3. ad Voluſian. Iuſtinum quæſt. 112. ad Orthodoxos. Et Gregor. hom. 26. in Euangel.

43 Sed ablatio modi vel cuius.

Dico Quartò, Hanc vim penetrandi videri conſiſtere in eo, quòd modus quidam naturalis quantitati vel materiæ intrinſecus, vnde hæc repugnantia ſimul exiſtendi prouenit, diuinitus auferatur vel impediatur, idque vel permanenter, vel ſaltem quando corpus actu penetrare debet.

Cur quantitas vnius rei cum altera eſſe nequeat.

Pro quo, Notandum eſt Primò, Non eſſe de ratione quanti ſiue extenti, vt non poſſit ſimul penetratiue exiſtere cum alio, ſeu vt ſit extra aliud: nam qualitates corporales vt lumen, color, calor, frigus, & ſimiles, ſecundùm ſe extenſæ ſunt & diffuſæ per ſua ſubiecta, & poſſunt in ſua propria extenſione à Deo conſeruari, ſubiecto repente annihilato, & tamen penetrant totam ſubſtantiæ molem & quantitatem. Itaque quòd vnius rei quantitas non poſſit ſimul eſſe cum quantitate alterius, prouenit ex aliquo modo intrinſeco, qui naturaliter rem comitatur, ratione cuius ſit, vt res ita repleat ſpatium, vel ſubiecti capacitatem, vt aliam in eodem ſpatio vel ſubiecto ſecum non admittat; aliam, inquam, quæ non ordinetur ad eiuſdem rei perfe-

ctionem. Nam quæ ad vnam rem perficiendam ordinantur, etsi distinctas quantitates habeant, simul esse possunt; vt patet in substantiis, vbi simul existunt extensio materiæ, extensio formæ, & extensio singulorum accidentium. Hinc fit vt duæ materiæ non possint esse naturaliter in eodem spatio, neque duæ formæ substantiales non subordinatæ in eadem materia, neque duo accidentia eiusdem muneris in eodem subiecto, quia hæc non ordinantur ad perfectionem vnius, sed diuersorum: vnde à natura habét quemdam modum intrinsecum qui impedit quò minùs possint in vnum confluere. Verùm cum hic modus non sit de essentia rerum, potest diuina virtute tolli, tota quantitate, figura & qualitatibus omnibus manentibus integris: & tunc illud corpus poterit se per alia corpora transfundere sine vlla sua, vel alterius læsione. Sicut lumen sese per vitrum fundit, sine vlla sui vel vitri læsione: quod exemplum esset omnino simile, si sententia Platonicorum, lumen esse corpus, vera esset.

quãdo hæc dos confertur.

Hinc sequitur, dupliciter hanc dotem concipi posse. Primò, vt iste modus repugnantiæ auferatur tunc tantummodo per diuinam virtutem assistentem, quando iam actu corpus debet aliud peruadere, & postea statim redeat. Secundò, vt perpetuò maneat hæc imperfectio sublata à corporibus beatorum, quod fortasse est probabilius: tum quia est perfectius: sic enim sine noua Dei operatione corpora illa manebunt intrinsecè idonea vt instar spirituum omnia penetrent: tum quia alioqui singulis momentis, quibus beati vellent aliud corpus peruadere, deberet hæc diuina operatio repeti.

Vnde celeritas in corporibus beatis.

Hinc etiam intelligi potest, quî fieri possit vt tanta celeritate se ad quamuis distantiam moueant: nam per omnia instar luminis se traiiciunt sine diuisione aut distractione illorum corporum per quæ transibunt. Hinc Hieron. lib. contra Vigilantium ait *Sanctos esse vbique*: quia nimirum in ictu oculi sunt vbicumque voluerint.

DVBIVM VI.

Vtrùm sensus sint habituri suas functiones in beatis, & quas?

44

REspondeo, Omnes sensus habituros perfectissimas operationes, & oblectationes sibi congruentes.

Probatur Primò, Quia omnes erunt perfectissimè dispositi suis organis & spiritibus, neque deerunt obiecta: ergo &c.

Sensus suam beatam vitam habebunt.

Secundò Singuli sensus capaces sunt summæ cuiusdam perfectionis sui ordinis, quæ singulorum est beatitudo seu vita beata, quàm facilè & sine incommodo & indecoro possunt in patria habere. Cur ergo non habeant?

Tertiò, Sancti in sensibus habuerunt multas afflictiones & mortificationes: ergo par est vt in iisdem recipiant cõsolationes, vt qui socij fuerunt afflictionis, sint etiam consolationis.

Confirmatur, Quia damnati in omnibus sensibus recipient maxima tormenta: ergo beati in iisdem maxima solatia: non enim Deus seuerior est in puniendo, quàm benignior in remunerando.

Quartò, Anima non solùm est rationalis, sed etiam sensitiua: ergò non solùm debet beari in parte rationali, quod fiet per visionem & fruitionem Dei, sed etiam in parte sentiente, quod fiet perceptione & delectatione obiectorum sensibilium.

Visus.

Hinc infertur Primò, Visum habiturum suam beatitudinem in aspectu pulchritudinis corporum beatorum, maximè Christi Domini & Beatæ Virginis. Hæc enim pulchritudo maxima est quæ sub illam potentiam cadere potest. Aspectus quoque ipse erit perfectissimus, non enim splendor corporum turbabit spiritus oculorum, sicut hic splendor solis, sed potiùs suauissimè corroborabit.

Dices, Beati erunt cum Christo super cœlum empyreum, ita vt pedibus insistant superficiei ipsius conuexæ, totoque corpore sint extra mundum: ergo non poterunt se mutuo videre. Antecedens probatur ex D. Thom. 3. p. q. 57. art. 4. vbi id docet de Christo, & probat ex illo loco Apostoli ad Ephes. 4. *Qui descendit, ipse est & qui adscendit super omnes cœlos.* Et ratio eiusdem conuincit de omnibus Sanctis Consequentia probatur, quia non poterunt ibi diffundi species.

Beatos fore in cælo non supra.

Respondeo, Antecedens non videri valdè credibile. Primò, Quia sic locus beatorum non esset in cœlo, sed extra cœlum in vacuo immenso, vbi nihil est: quod perinde est, ac si dicas Principem cum aulicis non esse in palatio, sed super palatium in tecto.

Secundò, Ibi non est locus consentaneus corporum beatorum: nam ibi nihil est. Atqui natura corporea abhorret à nihilo, sicut & à vacuo.

Tertiò, Non est consentaneum modo loquendi Scripturæ & Patrum qui semper dicunt sanctos esse in cœlo, non supra: neque communi conceptui: omnes enim concipiunt cœlum tamquam amplissimum domicilium, intra quod beati versentur: ita vt cœlum non præbeat illis tantummodò solum cui insistant, sed habitaculum intra quod habitent.

Explicatur locus ad Ephes. 4.

Neque locus iste ad Ephes. 4. debet tam rigidè accipi, sed more Scripturæ, vt dicatur Christus ascendisse super omnes cœlos, scilicet nobis notos, vel absolutè super omnes, etiam super supremum, sed secundùm partem. Sicut aquæ dicuntur esse super cœlos: non quòd sint suprà totum aliquod cœlum, sed quia suprà inferiorem aëris regionem. Sitamen sancti ibi aliquandò esse velint, puto id ipsis non fore impossibile: & tunc, si opus est speciebus ad videndum, vel fiet traiectio specierum ab obiecto in oculum sine medio (quod diuina virtute fieri potest:) vel certè Deus suo concursu supplebit vices specierum.

45 Auditus.

Infertur Secundò, Auditum habiturum suam beatitudinem in perceptione suauissimi cantus, quo Beati Deum laudabunt, iuxta illud Psal. 149. *Exultabunt Sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis, exaltationes Dei in gutture eorum.* Idem colligitur ex Apocalypsis variis locis. Hic Cantus incomparabiliter omnem vocum humanarum, & instrumentorum musicorum suauitatem superabit: sicut cœlestia præstantiora sunt rebus mortalibus. Ratio est, quia cùm anima & corpore constent beati, opus est vt non solùm animo, sed etiam corpore Deo seruiant. Seruitus autem Dei ibi consistit in laude & gratiarum actione. Neque est vlla ratio cur id negari queat, præsertim cùm in eiusmodi cantu sit honestissima voluptas, ea-

Digitized by Google

que tanta, vt mortalis natura eam in terris vix eam ferat.

Dices, Quomodo poterit ibi eſſe cantus, ſiue beati ſint in cœlo ſiue ſupra, cùm ibi non ſit aër, qui ad formandam vocem eſt neceſſarius? Nam ſupra cœlum nihil eſt: ipſum verò cœlum eſt ſolidum, inſtar marmoris aut æris. Iob 37. *Cœli ſolidiſſimi quaſi ære fuſi ſunt.*

Beati non deferent è terra aërē, quo in cœlo vtantur,

Reſpondent quidam, Beatos habituros pulmones, ſtomachum, ceteraſque cauitates corporis aëre plenas, quem hinc in cœlum deferent, hunc, dum loqui volent aut canere, ſurſum attracturos, & alliſuros palato & dentibus, ſicque vocem formaturos; ita tamen vt nihil eius foras emittant, ſed per corporis poros, vel dimenſionum penetrationem ad priores cauitates redire faciant, idque aſſidua quadam veluti in orbem conuerſione.

Sed non eſt neceſſe cogi in has anguſtias. Non enim credibile videtur totū cœlum Empyreum eſſe corpus ſolidum inſtar montis ærei, in quo nulla ſit cauitas, nulla natura liquida. Sic enim non eſſet vllo modo idoneum habitationi humanæ; nec haberet illam amœnitatem & commoditatem, quam communis conceptus fidelium, & Sanctorum Patrum deſcriptio ei tribuit. Et quāuis per dotem ſubtilitatis poſſint exiſtere in tali corpore, tamen hoc omnino eſt ſupra naturam, & conceſſum potiùs ob motum, ne ab aliquo occurrēte poſſint impediri, quàm quòd eſſet neceſſarium ad exiſtendum in cœlo. Itaque longè verius exiſtimo fore ibi corpus aliquod ſpirabile inſtar aëris, ſeu quandam cæleſtem auram, in qua ſint commoraturi, quam poſſint attrahere & expirare ſi velint. Credibile enim eſt cœlum Empyreum conſtare tribus partibus, quarum infima ſit ſolida, & præbeat beatis veluti ſolum cui poſſint inſiſtere; ſic vt terræ ſuperficies mortalibus: media ſit ſpirabilis, circumquaque diffuſa; ſicut aër circum terram: ſuprema rurſum ſolida includens & coërcens naturam ſpirabilem totumque mundum interiorem, ſicut cœlum Lunæ vndique coercet aerem. Videtur quoque hoc conſentaneum Scripturis, quę paſſim loquuntur de cœlo, tamquam de Ciuitate quadam amœniſſima & commodiſſima ad vitam & habitationem. Vide Apoc c.21. totum & c.22.

In cœlo eſſe auram ſpirabilem.

64. Odoratus.

Infertur Tertiò, Odoratum habiturum ſuam beatitudinem in ſuauitate odoris, quem corpora beatorum, & fortaſſe locus ipſe diffundent. Si enim in inferno futurus eſt odor teterrimus, & corpora damnatorum fætidiſſima, cur non contrarium futurum ſit in cœlo? Neque ad hoc neceſſe eſt vt corpora aſſiduè vapores emittant: poteſt enim odor ſine huiuſmodi vapore diffundi.

47. Gustus & Tactus.

Infertur Quartò, Etiam guſtum & tactum habituros ſuam beatitudinem, etſi quidam dubitēt. Sed rationes ſupradictæ id ſatis probant. Si enim damnati in his ſenſibus acerrimè punientur, vt pater Luc 16. in diuite Epulone, cur beati in iiſdem non oblectentur? Guſtus quidem non in perceptione cibi & potus, ſed humoris ſuauiſſimi, qui linguam, palatum & interiora imbuet, qui proueniet partim ex optimo temperamento (ſi enim homo boni temperamenti ſuauiter afficitur lingua etiam ieiunus, quantò ſuauius ibi afficietur, vbi temperamentum erit præſtantiſſimum?) partim ex aliquo forte liquore cœleſti diuinitus infuſo, quem credibile eſt etiam per ſtomachum cæteraque interiora diffundendum. Nam hæc membra poſtulant aliquem humorem externum, quo lubrica & humida conſeruentur. Tactus autem ſuam beatitudinem habebit tum ex aura cœleſti & cœleſtis corporis attactu, tum ex intimo ſenſu optimi temperamenti. Nam homo perfectè ſanus ipſam corporis bonam conſtitutionem in ſe ſuauiter ſentit.

Vis imaginatrix & appetitus interior ſuam habebunt beatitudinem.

Infertur Quintò, Vim imaginatricem & appetitum ſenſitiuum ſuam quoque beatitudinem habituros, idque dupliciter. Primò, ſecundùm ſe, quatenus mouentur obiectis ſibi commenſis. Sic beatitudo imaginatricis cōſiſtet in imaginatione præſtantiſſimorum obiectorum, quæ ſenſibus externis percipientur. Appetitus verò ſenſitiuus in delectatione hinc conſequente: delectatio enim in appetitu ſenſitiuo ſequitur ex operatione ſenſuum, & rebus ſenſibilibus, tamquam ex integro obiecto, nempe tamquam ex re & poſſeſſione rei, vt ſuprà diximus in ſimili: ex imaginatione verò horum, tamquam ex conditione ſeu applicatione obiecti. Sicut enim gaudium in voluntate ſequitur ex bono præſente tamquam ex obiecto de quo gaudet, ex intellectione verò tamquam ex conditione applicante & proponente obiectum: ita delectatio in appetitu inferiori ſequitur proportionaliter.

1. quatenus mouentur ab obiectis.

2. quatenus mouentur per ſympathiam ab intellectu & voluntate.

Secundò, Quatenus mouentur per quandam ſympathiā ab intellectu & voluntate. Sicut enim naturaliter nihil poſſumus intellectu percipere, niſi idipſum per vim imaginatricem corporali ſpecie in nobis depingamus, ita viciſſim id quod per intellectum pure & ſpiritualiter intelligitur (quamuis ſupernaturaliter intelligatur) poteſt imaginatrix ſuo modo in ſe formare ſicque appetitum inferiorem mouere! Hinc fiet vt ex viſionis Dei, imaginatrix ſit applicanda ad apprehendendum Deum ſuo modo. v. g. tamquam infinitam lucem & dulcedinem animæ, & conſequēter appetitus ſenſitiuus maximam delectationem ex Deo ſic apprehenſo ſit percepturus.

Confirmatur, quia ſi in hac vita ex contemplatione intellectus, & gaudio voluntatis, interdum tanta ſuauitas in vires inferiores redundet, vt corporis imbecillitas eam vix ferat (iuxta illud Pſalmi 72. *Defecit caro mea, & cor meum, Deus cordis mei & pars mea Deus in æternum.* Et Pſalm. 83. *Cor meum & Caro mea exultauerunt in Deum viuum &c.*) quanta ibi redundatura eſt delectatio in vires inferiores ex clara viſione & fruitione Dei?

Hinc ſequitur, Deum non tantùm fore obiectum beatificum virium ſuperiorum, ſed etiam, modo quodam, inferiorum, ſcilicet imaginatricis & appetitus ſenſitiui.

QVÆSTIO QVINTA.

De conſequutione Beatitudinis.

ARTICVLVS I.

Vtrùm homo poſſit conſequi Beatitudinem?

CONcluſio eſt affirmans. Patet ex Scripturis, quæ docent hominem poſſe conſequi vitam æternam, cœleſtia gaudia, regnum cœlorum, viſionem Dei, & ſimilia, quibus vera beatitudo ſignificatur. Matth. 25. 23. 28. prioris ad Cor. 12. 1. Ioan. 3.

DVBIVM.

Vtrùm ratione naturali certò cognoſci poſſit hominem poſſe perfectè beari?

2. Scotus affirmans refutatur.

SCotus in 4. d. 49. q 8. affirmat.

Verius tamen credo non poſſe id vllis rationibus naturalibus omnino certò conuinci. Ita ſentiunt plerique Doctores. Cuius ſignum eſt quòd nemo Philoſophorum hactenus cognouit Deum ab homine clarè poſſe videri, in qua clara viſione conſiſtit vera beatitudo, & nuſquam alibi. Si enim aliquis illorum id putaſſet fieri poſſe, haud dubiè ſtatuiſſet in eo beatitudinem. Itaque myſterium eſt ſupernaturale id fieri poſſe, vt docetur 1. parte q. 1. & 12.

Rationes quibus probari videtur quòd rationi naturali id cognoſci poſſit, non conuincunt; ex ſunt potiſſimùm duæ.

Prior eſt, quòd homo per intellectum & voluntatem ſit capax boni vniuerſalis.

Ad quam reſponderi poteſt: verum id eſſe hoc ſenſu Hominē poſſe aliquo modo omne bonum intellectu apprehendere, & voluntate appetere: hinc tamen non conuincitur poſſe omne bonum perfectè & intuitiuè cognoſcere.

Altera eſt: qui cognoſcit effectum, deſiderat videre cauſam: atqui hoc deſiderium naturale non poteſt eſſe fruſtra: ergo poteſt expleri. Non expletur autem niſi videat cauſam ergo &c.

Reſponderi poteſt, hoc argumento, ſi efficax eſſet, probatum iri hominem non ſolùm poſſe videre Deum, ſed etiam reipſa viſurum, alioqui deſiderium naturale fruſtraretur: hoc tamen ſola fide credimus: potuiſſet enim Deus hominem condere in nuda natura, & ad viſionem beatificam non deſtinare.

Adde, non eſſe euidens id omne fieri poſſe quod homo ſic naturaliter deſiderat: aut huiuſmodi deſiderium nō poſſe eſſe fruſtra Non enim eſt efficax, ſed velleitas tantùm & ſimplex affectio, quæ etiam impoſſibilium eſſe poteſt, vt docet Ariſtoteles 3. Ethic. cap. 2. & infrà oſtendetur.

Hæ tamen rationes faciunt veritatem illam ſatis probabilem & rationi conſonam, quamuis non conuincant.

ARTICVLVS II.

Vtrùm alius alio poſſit eſſe beatior?

3. CONcluſio eſt affirmans: quia fieri poteſt vt alius alio clariùs Deum videat, eoque fruatur perfectiùs: atqui beatitudo formalis conſiſtit in viſione & fruitione: ergo poteſt eſſe in alio minor. De hoc ſatis multa in 1. p. q. 12.

ARTICVLVS III.

Vtrùm aliquis in hac vita poſſit eſſe beatus?

4. CONcluſio eſt, veram ſeu eſſentiali beatitudine neminem in hac vita beatum eſſe poſſe. Ratio eſt, quia in hac vita nemo Deum clarè videre poteſt: vt multis locis docet Scriptura. Intelligo hæc, ſecundùm legem ſtatutam. Nam per abſolutam Dei potentiam fieri poteſt vt quis in vita mortali beatus ſit: exemplum habemus in humanitate Chriſti.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm beatitudo poſſit amitti?

5. CONcluſio eſt, eſſentialem beatitudinem amitti non poſſe. Eſt articulus fidei. Credimus enim *vitam æternam*. Idem patet ex plurimis Scripturæ locis, quibus docemur præmia iuſtorum & ſupplicia impiorum fore perpetua, vt Matth. 25. Pſalm. 83. & alibi. Item vbi cæleſtis hæreditas dicitur *incorruptibilis* & *immarceſſibilis*; vt 1. Petri, c. 1.

DVBIVM I.

Vtrùm beatitudo ſuapte natura ſit incorruptibilis, An ſolùm ſupernaturali Dei conſeruatione?

6. RESpondeo, Omiſſis ſententiis, corruptibile & incorruptibile aliquid dici reſpectu cauſæ quæ poſſit corrumpere vel non corrumpere. Cauſa verò iſta eſſe poteſt vel Deus ipſe, vel aliqua creatura.

Nihil incorruptibile reſpectu Dei.

Itaque ſi beatitudo hominis comparetur, ad Deum, ſic haud dubiè eſt corruptibilis; ſicut & omnis creatura. Quomodo Patres ſæpè dicunt nullam creaturam natura ſua eſſe incorruptibilem, ſed ex voluntate Dei. Ratio eſt, quia aſſiduè pendet ex libero Dei fluxu; ſicut pondus quod in aëre ab aliquo ſuſtinetur, vel ſicut imago in ſpeculo ab obiecto relucens. Suppoſita tamen diuina promiſſione qua promiſit beatitudinem fore æternam, etiam à Deo nequit interimi vel auferri: quia ſeipſum negare non poteſt

Beatitudo eſt incorruptibilis cōparata ad res creatas;

Si verò beatitudo comparetur ad res creatas, ſic natura ſua eſt incorruptibilis: talis enim eſt naturæ vt à nulla creatura poſſit impediri vel aboleri.

Probatur, Quia poſito lumine gloriæ, & concurſu Dei huic lumini & intellectui debito, neceſſariò ſequitur viſio Nam eſſentia diuina eſt intimè præſens menti; vnde mens non poteſt ſe ab ea auertere, neque iudicium viſioni contrarium cōcipere. Poſita autem viſione, neceſſariò ſequuntur cæteri actus, ſcilicet amor & gaudium. Tam igitur eſt incorruptibilis beatitudo tamque ſolida, quàm ſubſtantia vel cœlorum vel Angelorum. Verùm incorruptibilitas gaudii & amoris, pendet ex incorruptibilitate viſionis. Hæc autem pendet ex firmitate luminis quod contrarium non habet, & diuini concurſus: in quibus duobus eſt totum fundamentum æternitatis beatæ vitæ.

DVBIVM II.

Quomodo verum ſit quod ait D. Thomas in Corpore *de ratione Beatitudinis eſſe, vt omne deſiderium hominis impleat?*

7. VIdetur enim falſum. Nam Chriſtus verè beatus fuit in hac vita: & tamen non omne eius deſiderium erat impletum: & animæ Sanctorum beatæ ſunt, tamen deſiderant corporum reſurrectionem.

Reſpondeo, Ad rationem beatitudinis non re- eatitudo

debet eſſe ſufficiens implere om nedeſideriũ

quiri vt actu impleat omne deſiderium, ſed vt ex ſe ſit ſufficiens implere, ſic vt non reſtet vlla moleſtia in animo ex abſentia rei deſideratæ. Qui enim tanto bono fruitur, facilè fert abſentiam aliorum bonorum, quæ eius comparatione quaſi nihil ſunt. Quòd autem in Chriſto Domino non omnis moleſtia excluſa fuerit, miraculo factum eſt, vt poſſet pro nobis pati. Animæ Sanctorum etſi deſiderent ſua corpora, non tamen ex dilatione afficiuntur moleſtia. His adde, non eſſe neceſſarium vt eſſentialis beatitudo per ſeipſam formaliter omne deſiderium omninò expleat, ſufficit ſi id faciat vel per ſe, vel per ea bona quæ ſecum trahit, quæque ex illa pendent.

DVBIVM III.

Vtrum ad Beatitudinem requiratur ſecuritas?

VIdetur non requiri. Primò, Quia eiuſdem rationis eſt viſio perpetuò durans, & ea quę ſolum durat vnum diem: ergo ea quæ diem durat tam benè faciet beatum, ſaltem pro illo die, quàm perpetua faciat beatum in perpetuum.

2 Argumenta pro parte negatiua

Secundo, Ad rationem beatitudinis non requiritur excluſio omnis triſtitiæ: vt patet in Chriſto Domino: ergo etiam non requiritur vt omnis timor beatitudinis amittendæ excludatur.

Tertiò, Si ſecuritas requiritur ad beatitudinem: ergo viſio & fruitio non ſufficiunt.

Reſpondeo, Requiri ſecuritatem, ſicut rectè hic docet D. Thomas. Quod vt probetur,

Securitas quid.

Nota. Securitatem veram nihil eſſe aliud quàm abſentiam timoris de bono amittendo, vel malo incurrendo, natam ex certa cognitione rei non euenturæ. Dico *ex certa cognitione*, quia ſi cognitio ſit incerta, erit non vera, ſed fallax ſecuritas.

requiritur ad beatitudinem.

Nunc probatur Reſponſio: Primò, quia cum timore amittendi tanti boni, non poteſt quies animi conſiſtere: ſed neceſſe eſt ſumma anxietate affici: ergo ad beatitudinem requiritur huius timoris vacuitas; ergo ſecuritas, quæ nihil eſt aliud quàm timoris vacuitas.

Antecedens probatur: Nam qui magnum aliquod bonum obtinet, ſi meruit hoc amittere, quò plus amat, hoc maiore anxietate afficitur ex timore amittendi: Atqui beati ſummè amant viſionem & fruitionem Dei: ergo maxima moleſtia afficientur timore eius amittendi, cum qua moleſtia beatitudo quæ omnem moleſtiam excludere poteſt, conſiſtere nequit.

Secundo, id quod ſummè affligit damnatos, & maximè efficit miſeros, eſt æternitas ſupplicii, quatenus vident ſe nunquam poſſe euadere: ergo id quod maxime gaudio afficit beatos, eſt æternitas præmii, quatenus vident ſe numquam tantum bonum poſſe amittere: qua in re ſita eſt illorum ſecuritas. Ergo ſecuritas omnino neceſſaria eſt ad beatitudinem.

3 ſoluuntur argumenta

Ad Primam Rationem, Reſpondeo: Etſi viſio vnius diei ſit eiuſdem naturæ atque viſio perpetua; tamen in infinitum differunt ſecundùm æſtimationem moralem, ac proinde in ordine ad voluntatem, vt ſunt bona appetibilia. Itaque viſio vnius diei non poteſt hominem abſolutè facere beatum, ne ad vnum quidem diem.

Viſio beatifica vnius diei non beatificaret abſolutè.

Dices, quid ſi ille ignoret viſionem fore tam breuem, eritne beatus?

Reſpondeo, ille vel ſimul putabit fore æternam, ſicque decipietur in re maxima: & gaudium ipſius præcipuum fundatum erit in falſa opinione quare ille non erit beatus. Vel nihil in alterutram partẽ cogitabit; quod tamen fieri nequit niſi diuinitùs impediatur, & ſic quoq; nõ erit propriè beatus vel ad vnum diem; quia non apprehendetur æternitas bõni, quæ præcipuum gaudium affert. Deinde, viſio illa ſecundùm ſe non eſt talis vt poſſit omnem mœrorem excludere, ſi eius conditio cognoſcatur.

Nec eſt ſufficiens excludere omnẽ mœrorem

Ad ſecundam Rationem, Nego Conſequentiam. Etſi enim ratio beatitudinis non poſtulet vt actu omnem mœrorem excludat: tamen poſtulat vt ex ſe ſit ſufficiens excludere omnem mœrorem, adeo vt reipſa id præſtitura ſit, niſi diuinitus impediatur. Eſt enim tantum bonum, vt carentia aliorum bonorum nihili æſtimetur, modò ipſa retineatur. Viſio verò Dei quæ ſolum ad tempus eſt duratura, vel quam is qui videt, timet amittere, non eſt ſufficiens vt excludat omnem mœrorem: quia non poteſt excludere mœrorem qui ex amiſſione ipſius impendente concipitur: tantum enim malum æſtimatur amiſſio rei, quantum bonum putatur eius poſſeſſio. Quare cùm poſſeſſionem Dei æſtimet ſummum bonum, eius amiſſionem cenſet ſummum malum, ac proinde neceſſariò eſt anxius & mœſtus.

Ad Tertiam Nego conſequentiam. Quia ſecuritas non eſt aliquis actus diſtinctus à viſione & fruitione: ſed ex parte ſubiecti ſolùm eſt vacuitas timoris ex certa notitia beatitudinis non amittendę proueniens, quę notitia habetur per viſionem eſtque ſolum conditio requiſita. Ex parte autem beatitudinis, nihil ponit niſi durationem æternam, quam viſio & fruitio natura ſua poſtulant, cùm hæc duratio non diſtinguatur ab illorum actuum exiſtentia, niſi ratione.

ARTICVLVS V.

Vtrum homo per ſua naturalia poſsit acquirere beatitudinem.

10

CONcluſio eſt, Imperfectam beatitudinem, qualis eſt huius vitæ, hominem poſſe acquirere, non autem perfectam.

nullam poteſt in ſtatu naturæ lapſæ.

Nota. Si loquamur de ſtatu naturæ lapſæ, hominem nullam omninò beatitudinem per ſolas naturę vires poſſe comparare, neque perfectam, neque imperfectam. Ratio eſt: Quia neque à peccatis quę naturam rationalem dehoneſtant, neque ab aliis miſeriis innumeris ſeipſum immunem præſtare poteſt. Cognitio quoque quam de Deo rebuſque diuinis poteſt conſequi, eſt imperfectiſſima, vtpote obſcura, & maxima ex parte ambigua.

Poteſt in imperfectã in ſtatu naturę nudę.

Si verò loquamur de ſtatu nudę naturæ in qua Deus hominem condere potuiſſet, probabile eſt potuiſſe eum in hoc ſtatu per vires naturæ aliquam imperfectam beatitudinem conſequi. Nam omnino credibile eſt in eo ſtatu futurũ fuiſſe aliquod præminum bonorum operum, & aliquam Dei prouidentiam circa hominem, qua ſic gubernatus fuiſſet, vt poſſet hoc præmium mereri & conſequi.

Aduerte tamen, illum neque hac imperfecta beatitudine fruiturum fuiſſe, niſi Deus aliqua ſupra naturæ conditionem circa ipſum operaretur. Ratio eſt, quia cùm hęc beatitudo ſit vltima in eo ſtatu, requirit æternitatem & vacuitatem miſeriarum huius vitæ: quorum neutrum poterat homo cõſequi ſine ſupernaturali Dei operatione.

Digitized by Google

Nam naturali neceſſitate debebat mori: mortuus autem non poterat reſurgere, neque poſt reſurrectionem in æternum viuere, abſque ſupernaturali Dei operatione & protectione.

Si dicas, non fore Reſurrectionem in eo ſtatu, ac proinde non fore opus ſupernaturali operatione Dei ad hanc beatitudinem.

Reſpondeo, hoc parum videri credibile: Nam anima naturaliter poſtulat & deſiderat vniri corpori, neque poteſt abſque hac vnione habere ſuum naturalem modum cognoſcendi, qui eſt per cooperationem ſenſuum & phantaſiæ. Atqui ſine naturali modo cognoſcendi non poteſt habere beatitudinem naturalem. Adde, illo modo non hominem: ſed animam dumtaxat fore beandam.

ARTICVLVS. VI.

Vide D. Thomam.

ARTICVLVS VII.

Pertinet ad materiam de gratia.

ARTICVLVS VIII.

Patet ex Dictis 1. p. q. 12.

QVÆSTIO SEXTA.

De Voluntario & Inuoluntario.

POſt tractatum de Beatitudine, diſputat D. Thomas de actibus humanis in genere, quibus tamquam mediis ad Beatitudinem peruenitur. In his autem tria ſunt conſideranda, ex quibus eorum bonitas & malitia dependet: Obiecta, Circumſtantiæ, & modus productionis.

De obiecto agitur Quæſtione octaua, de circumſtantiis q. 7. de modo productionis hac q. 6. idque ſub nomine voluntarii & inuoluntari, de quo diſſerit Ariſtoteles 3. Ethic. c. 1. Damaſcenus l. 2 de fide Orthodoxa c. 24. & Nemeſius l. de homine c. 29. 30 31. 32.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum in humanis actibus inueniatur voluntarium.

REſpondet D. Thomas perfectè voluntarium in humanis actibus reperiri.

DVBIVM I.

Quid ſit Voluntarium?

1. Voluntas dupliciter accipitur.

NOtandum eſt, *Voluntarium* dici propriè, quod pendet à voluntate. *Voluntas* autem accipitur dupliciter. Primò, ſpeciatim & propriè pro appetitu rationali, qui ſolùm in Deo, Angelis & hominibus reperitur.

Secundo, Generatim, vt comprehendat appetitum etiam ſenſitiuum. Nam & bruta dicuntur quodammodo velle & habere voluntatem: vt patet ex Auguſtino l. 5. de Ciuitate Dei c. 9. cum ait: *Corpora magis ſubiacent voluntatibus: quædam noſtris, id eſt, omnium animantium mortalium, & magis hominum, quàm beſtiarum: quædam vero Angelorum: ſed omnia maxime Dei voluntati ſubdita ſunt.*

Vnde etiam *voluntarium* dupliciter accipitur. Primò, Speciatim, pro eo quod pendet à voluntate rationali: quo modo omnes actiones elicitæ vel imperatæ à voluntate humana vel Angelica, dicuntur voluntariæ: & omnis creatura eſt opus voluntarium reſpectu voluntatis diuinæ. Voluntariũ dupliciter accipitur.

Secundo, Generatim, pro omni eo quod pendet ab appetitu rationali vel ſenſitiuo, quem vno nomine vitalem appellare ſolemus: quia nulla eſt vis appetendi, cuius operatio ſit vita, præter appetitum ſenſitiuum & rationalem.

D. Thomas hoc loco accipit *voluntarium* generatim, vt idem ſit, quod Græcis, ἑκούσιον, quod *ſpontaneum* propriè dici poteſt, de quo agit Ariſtoteles 3. Ethic. c. 1. Damaſcenus lib. 2. de fide c. 24. Nemeſius lib. de Homine c. 29. & tribus ſequentibus.

Quid autem ſit *ſponteneum*, explicandum eſt ex contrario (vt illi auctores faciunt) quod eſt *inuitum*, quod Græci vocant ἀκούσιον. Dupliciter autem dicitur aliquid *inuite* fieri, Primo, Si vi extrinſecus illata, voluntate repugnante, fiat; vt cùm nocens ducitur ad ſupplicium. Secundò, Si ex ignorantia fiat: vt cùm quis occidit amicum, putans hoſtem. Dupliciter aliquid fit inuitè.

Hinc ſequitur, vt aliquid ſponte, ſeu voluntariè fiat, duo requiri. Primò, vt fiat à principio intrinſeco ei, in quo eſt illa operatio. Secundò, Vt fiat ex cognitione ſingulorum, in quibus verſatur actio, vt loquitur Ariſtoteles: id eſt, obiecti & circumſtantiarum: vt explicat Damaſcenus.

2. Definitio voluntarii.

Hinc definitur *voluntarium eſſe id, quod fit à principio intrinſeco, cum cognitione obiecti & circumſtantiarum.* Dico, *à principio intrinſeco*, nempe diſtincto à cognitione: nam cognitio ſe habet ſolùm per modum dirigentis operationem. Vt de hoc principium intrinſecum non poteſt eſſe aliud quam appetitus, qui in homine & animantibus eſt principium omnium operationum ipſis propriarum, & ſolus immediatè dirigitur per cognitionem. Dico, *cum cognitione obiecti &c.* quia ſi quis fallatur circa obiectum: vt ſi comedat carnem die veneris, putans eſſe piſcem: non voluntariè comedit carnem: vel ſi fallatur circa circumſtantias: qua parte fallitur, non agit voluntariè: vt ſi ſciat quidem ſe comedere carnem, non aduertat tamen eſſe diem veneris, non voluntariè violat legem abſtinentiæ.

Alia definitio voluntarii

Clariùs ſic definiri poteſt: *Voluntarium eſt opus vel omiſſio operis ab appetitu vitali, maxime rationali cum cognitione dependens.* Dico, *præſertim rationali* quia ſicut appetitus ſenſitiuus non dicitur voluntas niſi impropriè; ita motus ipſius, niſi dependeant à voluntate ſuperiore, non dicuntur voluntarii, niſi impropriè, & generatim accepto nomine. Dico, *vel omiſſio operis*: Quia non ſolùm aliquod opus poſitiuum eſt voluntarium, ſed etiam omiſſio operis: vt art. 3. oſtendemus. Vnde non minùs omiſſiones ſunt peccata, quàm commiſſiones.

4. quid magis, & minùs perfecte voluntarium. Ordo actuũ voluntariorum.

Ex his ſequitur, eos motus eſſe maxime voluntarios, qui maxime ſunt conſentanei propenſioni voluntatis, fiuntq; cum perfecta cognitione obiecti & circumſtantiarum: hi enim longiùs abſunt ab inuoluntario. Tales ſunt, Primò, amor beatitudinis. Secundò, omnes actus liberi, quibus pro-

Digitized by Google

sequimur ea, quæ per se sunt expetenda. Tertiò, actus liberi quibus prosequimur media. Quartò, quibus fugimus mala. Quò autem quisque est minùs consentaneus propensioni voluntatis, aut quò minor est cognitio, vnde procedit, eò minùs censeri voluntarium. Tales actus sunt, quibus aliquid prosequimur coacti metu, aut cum aliqua ignorantia vel inconsideratione.

Dices; Multi motus oriuntur contra voluntatem: vt patet in motu tristitiæ, & similibus: ergo non omnes qui procedunt ab appetitu vitali, sunt voluntarii.

Respondeo, Distinguendo consequens: si enim voluntarium accipias pro spontaneo, nego consequentiam: omnes enim motus qui oriuntur ab appetitu vitali sunt spontanei, etiamsi contra voluntatem oriantur: vt omnes passiones appetitus inferioris & omnes motus voluntatis præuenientes libertatem, qui oriuntur, voluntate repugnante. Si autem voluntarium accipias pro eo quod dependet à voluntate rationali, vel à libertate voluntatis: sic concedo totum: sed nihil contra definitionem positam. Hoc modo dicuntur illi motus inuoluntarii, qui displicent voluntati, & contra eius renisum exoriuntur.

DVBIVM II.

Vtrum voluntarium dicatur ex eo tantùm, quod procedat à voluntate vel appetitu vitali, an ex eo quòd sit volitum per modum obiecti?

REspondeo, Vtrumque requiri: procedere enim debet à voluntate seu appetitu vitali quia est effectus vel operatio eius. Debet etiam esse volitum, vt patet à contrario. Nam nihil est inuoluntarium, nisi quatenus est contra voluntatem, tamquam obiectum nolitum à voluntate, quæ vel actu est, vel esset, si ignorantia non impediret.

Dices, Ergo ipsi motus voluntatis, vt amor, odium, lætitia, tristitia, non sunt voluntarii: quia non sunt voliti; alioqui per alium motum voluntarium deberent esse voliti, & ille rursus per alium; sicque esset progressio in infinitum.

Respondeo. Istos motus esse maximè voluntarios: vtpotè intrinsecè tales. Nam sunt ipsæ volitiones manantes à voluntate, eamque informantes, à quibus aliæ operationes dicuntur extrinsecè tolum voluntariæ, vt ambulare, loqui, &c. Neque opus est vt alia volitione sint volitæ, sicut illæ quæ extrinsecè dicuntur voluntariæ: quia seipsis implicitè sunt volitæ: qui enim amat, vult amare; qui odit, vult odisse: non alio actu, sed eodem quo amat & odit obiectum.

Actus voluntatis seipsis implicitè sunt voliti.

ARTICVLVS II.

Vtrùm voluntarium reperiatur in brutis: id est, vtrum motus & operationes brutorum sint voluntariæ seu spontaneæ.

4. Voluntarii triplex acceptio.

CONclusio est, Esse imperfecte voluntarios. Ratio est, quia procedunt ex imperfecta cognitione.

Notandum est, nomen *Voluntarii* accipi dupliciter, vel potiùs tripliciter. Primò, Vt opponitur *Inuito*, sicque idem est quod *Spontaneum*. Ita accipit Aristoteles 3. Ethic. cap. 1. & D. Thomas passim hac quæstione.

Secundo, Pro omni actu vel effectu, qui à voluntate rationali quouis modo dependet; & sic omnes actus & effectus voluntatis, etiam necessarii, dicuntur voluntarii.

Tertio, Accipitur pro omni actu & effectu qui procedit à voluntate, non tantùm secundùm substantiam operis, sed etiam secundum proprium modum operandi voluntatis. Nam dupliciter potest aliquis actus à voluntate procedere. Primò, modo naturali, videlicet tamquam effectus à causa determinata, qui modus est proprius eorum, quæ naturaliter sunt: sic procedunt actus necessarii. Secundò, modo voluntati proprio: videlicet libere, tamquam effectus à causa indeterminata. Sicut enim proprius modus operandi naturæ, est operari necessariò, seu ex potestate determinata ad effectum; ita proprius modus operandi voluntatis, est operari libere, seu ex potestate indeterminata ad effectum. Et quia hic modus operandi est proprius voluntati, & inuenitur in omnibus actibus voluntatis, quos cum plena rationis aduertentia habet in hac vita; ideo voluntarium à PP. & DD. sæpè ita accipitur, vt idem sit quod *liberum*: vt opponatur *naturali*. Quo modo Augustinus lib. de vera religione cap. 14. ait: *Vsque adeò peccatum est voluntarium malum, vt nisi voluntarium sit, non sit peccatum.* Dupliciter aliquid procedit à voluntate

Nunc, si primo modo accipiatur voluntarium, non video cur motus & operationes brutorum non debeant censeri absolutè voluntarii, id est, spontanei: cùm non minore propensione intrinseca fiant, neque minùs distent ab inuito, quàm actiones humanæ. Vnde Aristoteles 3. Ethic. c. 2. & Damascenus l. 2 c. 24. absolutè tribuunt brutis & pueris spontaneum. Neque refert, quod cognitio ex qua illi motus procedunt, sit imperfecta: quia sufficit vt obiecta sensibilia per eam proponantur appetitui, absque errore. Si tamen ipsum nomen *Voluntarii* vrgeamus, vt hîc videtur facere D. Thomas, sic imperfectè & impropriè voluntarii sunt: qui a appetitus est imperfecta & impropriè dicta voluntas: quod insinuat D. Augustinus lib. 5. de Ciuitate, cap. 9. cum ait: *Iam verò causæ voluntariæ aut Dei sunt, aut Angelorum, aut hominum, aut quorumcumque animalium: si tamen appellandæ sunt voluntates animalium rationis expertium motus illi, quibus aliquid boni appetunt, vel mali euitant.* 1. Modo

Si verò accipiatur secundo modo, sic motus brutorum non sunt voluntarii, quia non pendent vllo modo à voluntate. Amor tamen beatificus, gaudium beatificum, amor quo Deus se diligit, & Spiritum sanctum spirat, & ipsa Spiritus sancti spiratio, hoc modo voluntarii sunt: quia à voluntate cum plena cognitione. Similiter omnes actus nostri boni & mali, iuxta Caluinum lib. 2. Instit. cap. 2. voluntarii sunt: quamuis secundùm ipsum, non sint liberi. Denique motus primi voluntatis sic voluntarii sunt, etsi imperfectè ob cognitionem imperfectam. 2. Modo

Quod si tertio modo, scilicet omnino propriè nomen *Voluntarii* accipiamus; sic soli actus humani dicuntur voluntarii: & quod libere fit, voluntariè dicitur fieri. Quo modo Iacobi 1 dicitur: *Voluntarie enim genuit nos verbo veritatis.* Et ad Heb 10. *Voluntarie peccantibus nobis iam relinquitur hostia pro peccato*, &c. Iuxta hunc modum amor beatificus non erit voluntarius, quamuis ex inclinatione voluntatis, & perfectissima cognitione procedat; quia non procedit à voluntate secun- 3. Modo

dum modum operandi, qui proprius est voluntati; nempe tamquam à causa indeterminata, sed per modum naturæ. Idem dicendum de amore quo Deus se diligit, & quo spiritum sanctum producit: Etsi enim hic amor quadam ratione perfectissimè sit voluntarius, vt dictum est; tamen secundùm aliam rationem voluntarii aliquid ei deest, scilicet, modus ille proprius actibus voluntatis, qui consistit in processu à causa indeterminata. Voluntas enim diuina est determinata ad illum amorem, sicut causæ naturales ad suos effectus.

Dices, Ergo aliquid perfectionis deest illi amori: esse enim perfecte voluntarium, est magna perfectio.

Esse perfecte voluntarium circa summum bonum, nō est perfectio simplex.

Respondeo, Esse sic perfecte volutarium respectu summi boni, non est perfectio, sed imperfectio. Magna enim imperfectio est: si voluntas non sit determinata ad amorem summi boni, quod est Deus; vt patet in viatoribus, & magna perfectio est, esse determinatum ad hunc amorem: vt patet in Beatis. Ad alia bona esse indeterminatum, eaque non necessario amare, est perfectio, vel potiùs est perfectionis signum: nam est signum capacitatis boni infiniti, quod, ne in tota quidem creaturarum collectione, inuenitur.

DVBIVM I.

Quis actus proprie dicatur liber.

NOtandum est Primò, In actibus humanis, vt censeantur moraliter boni vel mali, laudabiles vel vituperabiles, meritorii, vel demeritorii, non solum considerandum esse, sintne generatim voluntarii seu spontanei: sed multo magis sintne propriè & strictè voluntarii, id est, sintne liberi an necessarii.

Explicandum igitur quis actus dicatur liber.

Notandum secundo, Non solum actum dici liberum: sed etiam ipsam potentiam, & quidem magis propriè & primo. Dicitur autem potentia libera, quæ in operando soluta est ab omni necessitate, ita vt, dum operatur, habeat in sua potestate non operari. Actus dicitur liber, qui ab huiusmodi potentia procedit.

Notandum Tertiò, Etsi omnis determinatio, qua voluntas prius natura quàm operetur, determinatur ad actum, repugnare videatur libertati: tamen quadruplex à quibusdam ponitur determinatio in ipsa voluntate, quam putant libertati actus non repugnare, ita vt cum huiusmodi determinatione possit esse meritorius vel demeritorius.

Quadruplex determinatio voluntatis à quibusdā ponitur.

Prima est, Per influxum Dei, vt est causa prima; putant enim primam & summam causam omnes causas creatas, & consequenter voluntatem humanam & Angelicam debere mouere, applicare & determinare ad suos actus. Sed hæc sententia refutata est 1. p. q. 19. art. 8.

Secunda est, Per gratiam efficacem, qua putant voluntatem humanam in statu naturæ lapsæ debere determinari ad opera pietatis. De hac dicendum infra tractatu de Gratia.

Tertia est, Per iudicium rationis practicum, aut per imperium intellectus, quo putant voluntatem ita determinari, vt illo stante in intellectu, ipsa non possit non consentire: sicut stante visione beatifica, voluntas in Beatis non potest non amare. De hoc infrà q. 9. a. 1. dub. 6.

Quarta est, Per procliuitatem voluntatis ad ista bona sensibilia, quando non habet gratiam efficacem, quam procliuitatem putant prouenisse ex peccato originali. De hac infrà, in Tract. de Gratia.

Nunc tantùm in genere ostendendum est, omnem veram determinationem, quæ præuenit libertatem voluntatis, seu quæ non sit in potestate volūtatis repugnare libertati, & efficere vt actus non sit liber. Dico, *Quæ non sit in potestate voluntatis*: quia si sit in potestate voluntatis eam habere, vel non habere, iam voluntas ad illam determinationem non est determinata, ac proinde est libera. Vnde, talis determinatio non repugnat libertati; vt infrà, de electione dicemus. 8 *Omnis determinatio quę non est in potestate voluntatis, repugnat libertate.*

Scripturæ.

Probari potest hæc sententia; Primò, ex Scripturis, Iosue 24. *Optio vobis datur, eligite quod vobis placet.* Similia sæpè locis aliis. Atqui absurdè daretur optio ei, cuius voluntas sit ad alteram partem determinata, vel determinanda per aliam motionem præuenientem, quę non sit in eius potestate.

Ecclesiastici 15. *Deus reliquit hominem in manu consilii sui, adiecit mandata & præcepta, si volueris mandata seruare, seruabunt te*, &c. At, quomodo est in manu consilii sui, qui necessario sequitur determinationem aliunde immissam. Item quomodo dicitur, *Si volueris*, cum non potest velle, nisi aliunde determinetur.

Ecclesiastici 31. Laudatur, *qui potuit transgredi & non transgressus est*: erat ergo iste indeterminatus ad vtrumlibet, & poterat vtrumlibet. Omitto alia loca quibus hæc indifferentia significatur.

Tridene.

Secundo, Probari potest ex Conc. Trid. Sessione 6. c. 5 & Canone 4. Vbi Concilium apertè requirit ad liberum consensum, vt voluntas, posita gratia præueniente, qua potest consentire, possit etiam dissentire, ac proindè, vt immediatè sit sufficiens ad consensum & dissensum. quare, ad neutrum determinatur. De quo loco infra Tractatu de Gratia.

Patres.

Tertiò, Ex Patribus, qui multis modis hanc indeterminationem indicant. Primò, cùm dicunt hominem esse liberi arbitrii, eò quòd solutam ab omni necessitate, & in sua potestate sitam à Conditore vitam acceperit. Secundò, Cùm dicunt hominem per voluntatem esse dominum suarum actionum. *Hoc enim, esse dominum*, significat illum nulli suarum actionum esse adstrictum, & vnamquamque dum elicit, sic elicere, vt possit non elicere. Tertiò, Cùm dicunt in potestate voluntatis esse eligere & non eligere, & flectere se semper in vtramuis partem. Vbi etiam apertè indicatur indifferentia cum potestate ad vtrumlibet. Quartò, Cùm dicunt cuique suæ voluntatis habenas commissas. Testimonia Patrum fusè recitantur ab iis qui contra hæreticos scribunt, vt à Bellarmino & aliis.

Ex nomi nis.

Apud Latinos.

Quartò, Probari potest ex ipsis nominibus, quibus Patres hanc vim explicant. Latini enim vocant *Liberum arbitrium, liberam potestatem: liberum*, scil. ab omni necessitate, ab omni determinatione & vinculo ad alteram partem contradictionis constringente, scil. ad velle, aut ad nolle: ad agere, vel non agere. Quòd si in eo poneretur aliqua determinatio ad alteram partem, iam non esset liberum, sed seruum arbitrium: quo modo hæretici, ponentes huiusmodi determinationem illud vocant. *Arbitrium* dicitur, quia est potestas faciendi id quod velis; nam & hoc quoque arbitrium significat: vnde Latini dicunt, *Res ista non*

by Google

eſt mei arbitrii. Idem patet Numer. 30. *In arbitrio viri erit vt faciat, vel non faciat.*

Græci Patres vocant hanc vim, τὸ αὐτεξούσιον, de quo vide Damaſcenum lib. 2. c. 25. & Nemeſium c. 39. de Homine Caluinus lib. 2. Inſtitutionum. c. 2. dicit id eſſe nomen nimis arrogans. Sed quid aliud ſignificauit Apoſtolus 1. Cor. 7. cum ait, ἐξουσίαν ἔχει περὶ τοῦ ἰδίου θελήματος poteſtatem habens propriæ voluntatis. Nam ſignificatur hoc nomine, quòd voluntas ſit ſui potens, (dicitur enim αὐτεξούσιον quaſi ἑαυτοῦ ἔχον ἐξουσίαν) nempe vt ſe moueat ad ſuos actus, vel vt ſe cohibeat tamquam indifferens ad illos, & tamen ſufficiens. Idem ſignificatur cùm dicitur habere dominium actuum.

9 Scholaſtici. Henricus

Quinto, Probari poteſt ex DD. Scholaſticis, qui communiter ita docent: Henricus Quodlib. 9 qu. 5. *Cum voluntas ſit libera, & domina ſuorum actuum*, inquit, *impoſſibile eſt vt ab alio procedat ad actum volendi; hoc enim repugnat voluntati: nam non minus ageretur voluntas, quam appetitus ſenſitiuus. Vnde, ſi Deo agente (nimirum prius natura) fieret de non volente volens, non eſſet ille actus liber, nec laudabilis: nam actio libera debet eſſe in poteſtate ipſius agentis, ita vt ab alio non moueatur, licet aliquo aſſiſtente & cooperante. vt Spiritu ſancto, vel per ſe & immediate, vel per aliqua dona ſua, vel vtroque modo* Hæc ille. Nihil poteſt dici clarius contra illam determinationem.

Scotus

Scotus in 1. d. 3. hoc euidenter docet, inter cætera ſic ſcribens: *Actus primus* (id eſt, liberum arbitrium habens ſe per modum actus primi, ſeu principii ſufficienter præparati ad eliciendũ actũ ſecundum) *conſideratus in illo inſtanti, in quo eſt prior naturaliter actu ſecundo, id eſt, volitione, ita ponit illum in eſſe, tamquam effectum ſuum contingentem, vt prior natura poſſit æque ponere aliud oppoſitum in eſſe.* Idem in 3. d. 18. loquens de actu meritorio: *Voluntas*, inquit *in primo inſtanti, vt prior natura ſuo actu, ita contingenter elicit actum, ac ſi per diem præceſſiſſet actum.* Atqui nulla cauſa prius determinata, contingenter agit: nam cauſa determinata ſemper agit quamdiu eſt determinata. Perſpicuum eſt ergo Scotum velle voluntatem, vt libere agat debere eſſe prius natura indeterminatam, & nullam præcedere in ipſa determinationem. Idem docet in 4. d. 39. q. 2. & in 4. d. 1. q. 1. ad vltimum.

Marſilius.

Marſilius in 2. q. 16. a. 4. *De natura agentis liberi eſt, vt omnibus eodem modo habentibus poſſit ea oppoſita.* Item. *Vt poſſit ſe determinare ad acceptationem & refutationem.* Et infrà: *Cauſa determinans voluntatem ad volitionem liberam, non eſt aliud quam ipſa voluntas per ſuam libertatem.* Vide eundem toto illo articulo.

Occam.

Guil. Occam Quodlib. 1. q. 16. *Libertas, eſt poteſtas qua poſſum eundem effectum cauſare & non cauſare, nulla diuerſitate circa ipſam potentiam facta.* Et infrà: *Omnibus requiſitis ad actum volendi poſitis, poteſt voluntas actum volendi elicere, & non elicere, ſine omni actione intrinſeca, ſolum propter ſuam libertatem.* Idem docet in 3. Sent. d. 38. q. vnica & Gab. d. ead. q. vn. Not. 6.

Vbi aduerte, Hos DD. non ſentire voluntatem non eſſe liberam, reſpectu actus quem elicit, aut in eo inſtanti in quo agit (vt quidam eis tribuunt) ſed tantum docent, libertatem voluntatis non conſiſtere in eo, quod voluntas eodem inſtanti quo elicit actum, poſſit non elicere: ita vt ſimul ſtent elicere & non elicere: aut in eo, quod habeat potentiam ad oppoſita ſimul habenda, ſed in eo quod poſſit agere & non agere ſucceſſiuè, ſic vt eo inſtanti quo agit, habeat potentiam, vt immediatè poſt hoc inſtans ceſſet ab agendo, poſſitque non agere: & dum non agit, poſſit immediate poſt hoc inſtans incipere agere, nulla facta variatione circa aliquid eorum quæ ſunt prærequiſita ad agendum vel non agendum. Quæ ſententia veriſſima eſt, loquendo de libertate creaturæ, de qua ipſi agunt: nec repugnat ſententiæ aliorum DD. & bene explicat naturam potentiæ liberæ.

Idem Occam. in 2. q. 5. *Deus non attingit effectum prius quam cauſa ſecunda, niſi quia perfectius & illimitatius & independentius.* Quod etiam docet D. Thomas Scotus expreſſe in 2. d. 37. & Gabriel ibidem, & Caiet. 1. p. q. 14. a. 13. & q. 19. a. 8.

D. Thomas paſſim docet, voluntatem ideo eſſe liberam, *quia eſt domina ſuorum actuum, & quia habet poteſtatem ad actus oppoſitos.* Quod non poteſt eſſe verum, ſi determinetur ad alteram partem, & illa determinatio non ſit in eius poteſtate. Neque enim erit domina, aut habebit poteſtatem ſui actus ante determinationem: quia ſine determinatione non poteſt agere: neque quando iam erit determinata, quia tunc non poterit non agere. Vide D. Thomam ſupra q. 1. a. 1 & infrà q. 10 a. 4. vbi expreſſe dicit, *Voluntatem non determinari ad vnum, ita vt neceſſariò ad illud moueatur, ſed ita vt motus eius ſemper ſit contingens.* Vide eumdem infrà, q. 112. a. 2. q. 113. a. 1. & 5. & in 2. Sentent. d. 24. q 1. a. 1. ad 1. De Veritate q. 22. a. 6. in Corp. Luculenter mentem ſuam exprimit *de malo q. 6. in Corp.* vbi ſic ait: *Quidam poſuerunt, quòd voluntas hominis ex neceſſitate moueatur ad aliquid eligendum, nec tamen ponebant, quod voluntas cogeretur: non enim omne neceſſarium eſt violentum: ſed ſolum id, cuius principium eſt extra: violenti autem principium eſt extra.* Deinde poſt pauca: *Hæc autem opinio eſt hæretica: tollit enim rationem meriti & demeriti, in humanis actibus: non enim videntur eſſe meritorium, vel demeritorium, quod aliquis ſic ex neceſſitate agit, quòd vitare non poſſit. Eſt etiam annumeranda inter extraneas Philoſophiæ opiniones, quia non ſolum contrariatur fidei, ſed ſubuertit omnia principia Philoſophiæ moralis: ſi enim non ſit liberum aliquid in nobis, ſed ex neceſſitate moueamur ad volendum, tollitur deliberatio, exhortatio, præceptum, & punitio, & laus, & vituperium, circa, quæ moralis Philoſophia conſiſtit.* Hactenus S. Thomas.

Menſi Iulio An. 1643.

Obſerua Lector. *Sub hoc ipſum tempus, quo hæc typis mandantur, venit Bulla ab* Vrbano VIII. *Pontifice Maximo contra Librum, cui titulus* Auguſtinus Cornelii Ianſenii Iprenſium Epiſcopi, *cuius primarius ſcopus erat, oſtendere Chriſti redemptoris gratiam voluntatem neceſſitare ad conſenſum, in quo reuocare, ac reſtituere conatus fuit inter alios.* Michaëlis Bay *damnatas propoſitiones, hanc:* Quod voluntariè ſit, etiamſi neceſſario fiat, liberè tamen fit. Cui malo, *inquit Pontifex*, in ſcandalum totius Reip. Chriſtianæ & Fidei Catholicæ perniciem vertenti, opportunum remedium adhibere volentes, hac perpetuo valituta Conſtitutione, Pii & Gregorii Prædeceſſorum Conſtitutiones perpetuo confirmamus & approbamus. *Itaque conformiter ad doctrinam Angelici Doct. & Auctoris noſtri, tam à tribus Pontificibus damnata eſt Propoſitio*: Cum neceſſitate operandi libertatem conſiſtere. Bonauent.

Idem docet D. Bonauentura in 2. d. 25. q. 2. vbi etiam oſtendit actum liberum debere eſſe deliberatum. At ſi voluntas aliunde debeat de-

terminari, fruſtrà eſſet deliberatio. Et d. 37. q. 1. ad vltimum, docet Deum non præuenire voluntatem per ſuam operationem, niſi excitando per gratiam præuenientem: præter hanc excitationem, nullam eſſe præuentionem, ſed ſolùm cooperationem, quæ non præueniat.

Durandus. Durandus in 1. d. 24. q. 1. n. 4. *Liberum arbitrium non inclinat determinate ad bene vel male operandum, ſed indifferenter ad vtrumque. Nam libertas nominat illam proprietatem voluntatis, quam habet reſpectu eorum, ad quæ non neceſſitatur.* Et quæſt. 2. num. 11. *Libertas arbitrii eſt, qua quis poteſt in aliquem actum vel eius oppoſitum contrarie, vel contradictorie, & ſic libertas excludit omnem neceſſariam habitudinem.*

Ariminẽſis. Gregorius Arim. in 2. d. 35. quæſt. 1. art. 3. *Deus ſequitur determinationem voluntatis, non quod determinatio voluntatis ſit aliqua entitas diſtincta à voluntate & actu eius, quæ primo fiat à voluntate (ſicut imaginari videtur argumentum.) Nec etiam intelligendum, quòd priùs natura voluntas agat actum illum, quàm Deus proprie loquendo de priori natura, quoniã ſequeretur quod poſſet illud agere, Deo non cooperante: ſed ad hunc ſenſum dico Deum ſequi determinationem voluntatis, quoniam ideò Deus agit actum illum, quia eum voluntas agit, & non ideò quia Deus agit, voluntas agit. Et ideò magis proprie dicitur coagere voluntati quam voluntas dicatur coagere Deo.* Omitto alios plurimos recentiores.

10 Probatur ratione. Sextò Probatur ratione vnica. Si voluntas ad actum liberum eſſet determinata, idem actus eſſet liber & neceſſarius: quod implicat, eſtque damnatum à duobus Pontificibus in hac propoſitione: *Id quod voluntarie fit, libere fit, etiamſi neceſſario fiat.* Illud autem ſequi probatur. Nam non eſt in poteſtate voluntatis, vt illam determinationem habeat vel non habeat, vti ſupponimus (nam actum liberum præuenit:) illa vero determinatione poſita, non eſt in poteſtate voluntatis actum impedire, hoc autem eſt actum eſſe neceſſarium. Omitto quæ dicta ſunt 1. p. q. 19. a. 8.

Ex his colligi poteſt, duo quædam propria eſſe cauſæ liberæ, nempe indifferentiam ſeu indeterminationem ad ſuum actum & poteſtatem immediatam ad vtramlibet partem contradictionis.

Definitio actus liberi. Vnde actus liber duobus modis definiri poteſt. Primò, ſic: *Actus liber eſt, qui procedit à potentia, quæ in omni inſtanti priori & temporis & naturæ ſit ad ipſum indeterminata.* Hanc habet Scotus in 1. d. 39. & in 3. d. 18.

Secundò, ſic: *Actus liber eſt, quem potentia ſic produxit, vt poſitis omnibus ad illum prærequiſitis, poſſit illum non producere.* Hanc paſſim ponunt DD.

Differentia inter actus liberos & neceſſarios. Quæ definitiones faciliùs intelligentur, ſi explicetur differentia quæ eſt inter actus liberos & neceſſarios. Dicuntur autem actus neceſſarii, ſeu neceſſario ab aliqua potentia procedentes, *ad quos ipſa potentia priùs natura eſt determinata, quàm operetur*: vt ignis neceſſario calefacit aquam admótam, quia per calorem eſt determinatus ad illam actionem, patiente applicato. Oculus neceſſariò videtrem obiectam, poſitis omnibus neceſſariis ad viſionem, ſcilicet, lumine, ſpecie & obiecto. Nam tunc per ſpeciem, lumen & obiectum, eſt determinatus ad illam viſionem. Appetitus ſenſitiuus apprehenſo obiecto delectabili per imaginationem, neceſſariò delectatur, niſi voluntas impediat, quia per apprehenſionem determinatur ad illam delectationem, ita vt non poſſit ſe cohibere. Denique idem cernitur in intellectu, vt infrà dicemus. Et hæc determinatio, ſaltem ordine naturæ prior eſt quam ipſa operatio.

Idem dicendum de omnibus aliis potentiis operatiuis quæ ſunt in mundo, excepta voluntate, vt rectè docet Scotus in 2. d. 39. q. 2. in fine. Voluntas enim etiamſi apprehendat obiectum (vt bonum eſſe agere pœnitentiam, dare eleemoſynam) imò, etſi Deus immittat illi bonam inſpirationem, & piam affectionem, qua ad hoc afficiatur, manet tamen indeterminata ad conſenſum, quo id abſolutè velit, ita vt poſitis omnibus neceſſariis ad conſenſum, poſſit non conſentire. Itaque ſola voluntas, vt eſt prior natura ſuo actu, manet ad illum indeterminata, eſtque potens ex ſua indifferenti poteſtate illum elicere & non elicere; cùm omnis alia potentia operatiua, ſiue creata ſiue increata ſit determinata priùs natura quàm operetur: ita vt ſuam operationem cohibere nequeat.

11 obiectiones contra indeterminationẽ volũtaris ſoluuntur. Sed contrà. Obiicitur Primò, Si talis indeterminatio eſt de ratione libertatis, ergo Deus non eſt liber. Patet conſequentia: quia eius voluntas non eſt priùs tempore, vel natura indeterminata ad ſuum velle quàm velit: nam ab æterno voluit quidquid voluit: æterno enim nihil eſt prius. Rurſus; ergo Adam & Angeli in primo inſtanti ſuæ creationis non potuerunt habere actus liberos, quòd expreſſe eſt contra D. Auguſtinum de Geneſi ad litteram variis locis; & contra communem DD. ſententiam. Hoc ſequi, Patet; quia voluntas eorum non fuit priùs tempore indeterminata; nam ante primum inſtans ſuæ creationis non extabat in rerum natura, vt poſſet eſſe indeterminata.

Reſpondeo, Non dicimus eſſe de ratione actus liberi, vt voluntas prius tempore & natura ſit indeterminata, quàm operetur: ſed vt in omni inſtanti priori & temporis, & naturæ, quàm actum eliciat, ſit indeterminata. Quæ quantum differant, nemo non videt. Non enim dicimus debere aliquod inſtans temporis præcedere actum, ſed ſi detur inſtans prius, ſiue temporis, ſiue naturæ, in quo voluntas exiſtat, in eo inſtanti voluntatem debere eſſe indeterminatam ad ſuum actum. Secus res habet in omnibus aliis potentiis operatiuis, quæ ſemper priùs natura quàm agant, ſunt determinatæ.

quo modo in Deo ſit libertas. Quod ad voluntatem diuinam attinet, ea non eſt actus aliquis realiter à voluntate diuina elicitus, de quali actu nobis hîc eſt ſermo; ſed eſt ipſa Dei eſſentia: vnde non eſt neceſſarium in diuina voluntate aſſignare aliquam naturæ prioritatem, qua voluntas ſit prior ſuo velle. Poteſt tamen aſſignari aliquod inſtans rationis, habens fundamentum in re ipſa. Nam priùs ratione voluntas diuina eſt indeterminata, vt velit creaturas eſſe, quàm ipſas velit, adeo vt in illo priori, ſicuti poteſt eas velle, ita poſſit nolle.

Obiicitur Secundo, Dum voluntas vult, eſt determinata ad velle: ſed hæc determinatio non impedit quò minùs actus ſit liber: ergo libertati non repugnat determinatio.

quomodo voluntas etiam tunc cum vult, ſit ſecundum ſe indeterminata. Reſpondeo Primò, Dum voluntas vult, eſt quidem determinata ad velle: ſed hæc determinatio eſt in pleniſſima ipſius poteſtate, ita vt poſſit eam habere, vel non habere prout voluerit. Quò fit, vt voluntas ſecundùm ſe ſit indeterminata ad hanc determinationem: quod ſic patet. Nam hæc determinatio, qua voluntas determinatur ad velle, nihil aliud eſt, quam liber influxus voluntatis in ipſum velle, ad quem influxum voluntas ſecundùm ſe eſt indeterminata: nam poteſt illum cohibere. Secus eſt de determinatione præueniente, quæ non eſt in poteſtate voluntatis.

Reſpondeo

Reſpondeo Secundò, etiamſi voluntas dum vult, ſit determinata ad velle, ſcilicet per ſuum liberum influxum, tamen ſecundùm ſe, ſeu quatenus eſt natura prior ſuo velle, ſemper manet ad illud velle indeterminata, etiam in eodem inſtanti, in quo iam vult. Nam poteſt ex ſua indifferenti poteſtate etiam tunc ſuspendere ſuum velle, & elicere nolle. Secùs eſt, ſi voluntas determinaretur priùs natura, quam velit, ſic vt poſita illa determinatione non poſſit ſe flectere ad nolle. Talis enim determinatio repugnat libertati.

Obiicitur Tertiò: Talis erat ratio liberi arbitrii in ſtatu innocentiæ, vt ei præueniens determinatio repugnaret. Nunc verò quando voluntas adeo eſt debilitata per peccatum originale, vt nihil poſſit boni ad pietatem pertinens facere, niſi ad hoc efficaciter determinetur, alia eſt quærenda definitio actus liberi. Confirmatur ex D. Auguſtino l. de Corrept. & gratia c. 12.

Reſpondeo, Liberum arbitrium eſſe quidem debilitatum, non tamen extinctum. Extinctum autem eſſet, ſi id, quod ad eius eſſentiam olim pertinebat, iam non pertineret. Nam ratio rei ſemper debet eſſe eadem. Quiare, cum debilitatum ſit, recte ſequitur, debere corroborari per vires gratiæ illi ſuperadditas; ſic tamen vt poſt omnem illam corroborationem maneat indeterminatum, habeatque in ſua poteſtate ſeſe flectere in vtramuis partem, non minus quàm in ſtatu innocentiæ.

Neque contrarium ſentit D. Auguſtinus lib. de correptione & gratia c. 12. vbi ait, *Subuenetum eſſe humanæ voluntatis infirmitati poſt peccatum Adami, vt indeclinabiliter & inſeparabiliter à diuina gratia ageretur* Senſus enim eſt, vt ita ageretur, non, vt non poſſit declinare à recto, ſed vt reipſa non declinet; vt patet ex verbis quæ ibidem ſubiicit: addit enim, *Et ideò, quàmuis infirma, non deficiat.* Verum de hoc loco, & ſimilibus in Tractatu de gratia.

Obiicitur Quartò, Deus eſt infinitæ ſapientiæ & potentiæ: ergo non deeſt illi modus, quo voluntatem determinet: & tamen ita ſuauiter inclinet, vt ipſa liberè operetur, Confirmatur: Quia eius determinatio non tollit naturalem facultatem ad contrarium, neque illam aliqua qualitate inficit, ob quam non poſſit in contrarium ferri.

Reſpondeo Primò. Hic non quæri quid Deus per abſolutam potentiam poſſit, ſed quidnam rerum naturis ſit conſentaneum. Et Affirmamus non eſſe conſentaneum naturæ liberi arbitrii, vt ad ſuos actus determinetur.

Implicat eſſe determinatum & tamen liberè operari.

Reſpondeo Secundò, per nullam potentiam fieri poſſe, vt voluntas determinetur ad actũ determinatione præueniente, quæ non ſit in eius poteſtate (de qua hic agimus) & tamẽ liberè operetur: hoc enim implicat. Eſſe enim liberum, eſt eſſe indifferens & indeterminatũ, ita vt ſicut ſe poteſt flectere ad hoc, ita poſſit ad oppoſitum Atqui repugnat, & eſſe indeterminatum, & eſſe determinatum: ſicut etiam repugnat, vt vnus idemque actus ſit liber, & neceſſarius.

Ad Confirmationem, Et ſi naturalis facultas tendendi in contrarium maneat: tamen poteſtas vtendi illa in contrarium, non manet: poſita enim determinatione ad vnum, voluntas non poteſt vti ſua facultate, vt tendat in contrarium Sicut, ſi Deus de induſtria voluntatem meam ad amorem Chriſti neceſſitaret, maneret quidem facultas naturalis non amandi, & etiam odio habendi, ſed non poſſem tunc ea vti, propter illam determinationem: vnde tunc non eſſet libera in illo actu. Neque tunc inficeretur aliqua qualitate, quæ naturalem facultatem ad vnum conſtringat.

Adde, ſi, vt voluntas maneat libera, ſatis eſt eã retinere naturalem facultatem tendendi in contrarium. Nulla eſt nobis controuerſia cum hæreticis in reipſa de libertate, ſed ſolum in verbis: nam ipſi facilè hæc omnia admittent. Nulla quoque difficultas in intelligendo, quomodo voluntas per gratiam liberè agat: facillimè enim quiuis intelliget per illam determinationem non tolli naturalem facultatem. Aliæ obiectiones, quæ huc reduci poſſent, expeditæ ſunt partim 1 p. q. 19. partim expediendæ infra ſuis locis

DVBIVM II.

Vtrùm intellectui conueniat formaliter eſſe liberum?

19 Durandus affirmat:

DVrandus in 2. d. 24. q. 1 n. 15. docet non ſolùm voluntatem, ſed etiam intellectum eſſe potentiam formaliter liberam reſpectu oppoſitorum; idque prius & principalius, quàm voluntatem: quod probat duabus rationibus.

Prior eſt, illi potentiæ priùs & principaliùs conuenit libertas, per cuius actum, prius & principalius habemus dominium cæterorum actuum: ſed cæterorum actuum dominium habemus prius & principalius per actum intellectus, quam per actum voluntatis: ergo intellectui prius & principalius conuenit eſſe liberum, quam voluntati. Maior per ſe patet, inquit Durandus. Minorem Probat: quia, cum per duos actus habeamus dominium ceterorum, ſcilicet per notitiam mediorum, & per electionem eorundẽ; notitia eſt principalior: nam per notitiam habemus in poteſtate ipſam electionem, & conſequenter omnes actus qui electionem ſequuntur.

Altera eſt, Primi actus, qui ſunt in noſtra poteſtate, ſunt iudicium concluſiuum rei eligendæ, & electio: atqui iudicium eſt prius electione: nam electio ſequitur iudicium: ergo prius libertas conuenit iudicio quam electioni.

Sed contrarium omnino tenendum, Vnde:

16 Refutatur.

Dico Primo, Intellectum non eſſe potentiam formaliter liberam, ſeu id ſoli voluntati conuenire. Eſt communis ſententia aliorum DD. in 2. d. 24. & 25 & D. Tho 1. p. q. 82. a. 4. & alibi.

Probatur Primò, quia intellectus prius natura quam intelligat, ſeu iudicet, eſt ita determinatus ad intelligendum, vt non poſſit ſuum actum cohibere: ergo nõ eſt formaliter liber Conſequentia patet ex definitione libertatis. antecedens probatur, intellectus prius natura quàm intelligat debet eſſe inſtructus ſpecie intelligibili, & applicatus ad conſiderationem obiecti, quia applicatione poſita, neceſſario elicit actum intelligendi

Intellectus triplicitèr applicatur ad actum.

Probatur ſecundo, intellectus non ſemper eſt in actu intelligendi, ergo debet ab aliquo applicari. Applicatur autem tripliciter; ſcilicet: vel à voluntate, vel inſtinctu naturali, poſita apprehenſione obiecti in vi imaginatiua, vel à Deo per aliquam inſpirationem naturalem, aut ſuper naturalem; atqui nulla ex his applicationibus eſt in poteſtate intellectus: ergo neque actus qui neceſſario ſequitur, poſita huiuſmodi applicatione.

Probatur Tertiò, ſi intellectus eſſet liber, eſſet liber ad aſſentire & non aſſentire eidem veritati

item ad assentire & dissentire eidem veritati: sicut voluntas est libera ad velle & non velle idem bonum, item ad velle & nolle idem bonum. Atqui non est in potestate intellectus eidem veritati assentire & dissentire. Nam illa veritas, vel est euidens, & sic non potest dissentire: vel est obscura, & sic potest quidem dissentire, sed hoc habet à voluntate: vt patet in rebus fidei, vbi assensus & dissensus intellectus pendet à voluntate; quò fit, vt alterum sit meritorium, alterum demeritorium, quod est signum libertatis in voluntate; non in intellectu. Similiter non est in potestate intellectus assentire & non assentire, seu assensum cohibere: quia proposito obiecto euidente, necessariò assentitur, proposito obscuro, non assentitur: nisi à voluntate moueatur.

Probatur Quartò, Libertas est perfectio simpliciter potentiæ liberæ; vnde etiam reperitur in Deo: atqui indeterminatio intellectus non est perfectio, sed magna imperfectio: vnde in Deo non reperitur, cuius intellectus ad omne verum est naturaliter determinatus: ergo indeterminatio intellectus non est libertas, sed defectus, ac proinde intellectus non est formaliter liber.

Dico Secundò, Potest tamen intellectus dici liber fundamentaliter, quia in ipso est fundamentum libertatis, idque ratione amplitudinis ipsius. 17 Hoc solùm probant rationes Durandi. Docet hoc D. Thomas infra, q. 13. art. 6. & alii passim Doctores.

Intellectus potest dici liber fundamentaliter, non formaliter.

Probatur, Quia ideò voluntas positis omnibus necessariis ad volendum potest idem velle & nolle, quia intellectus in eadem re potest considerare aliquam rationem cur illa res possit appeti, & aliam cur possit reiici: idque non successiuè tantùm, sed simul. Pari modo, ideò voluntas potest idem velle & non velle, seu actum suum suspendere: quia intellectus potest simul considerare in obiecto, vel saltem in illo actu volendi, aliquam rationem boni, & aliquem defectum; verbi gratia, illum actum esse laboriosum vel importunum, vel, hic & nunc non necessarium. Amplitudo itaque intellectus qua simul potest eamdem rem, vel eumdem actum sub diuersa ratione proponere voluntati, est radix libertatis, quæ est in voluntate: sicque mediante hac amplitudine habemus omnes actus voluntatis in nostra potestate. Hæc tamen amplitudo intellectus non est libertas formaliter, quia cum hac amplitudine, intellectus potest esse determinatus ab intrinseco ad omnia sua obiecta [vt patet in intellectu diuino] quæ determinatio repugnat libertati. Item hæc amplitudo talis est, vt iudicia vel apprehensiones diuersæ, ratione quarum est libertas in voluntate ad velle & nolle, non insint eis successiuè, sed simul: cum tamen velle & nolle non possint simul inesse voluntati.

Aliter intellectus, aliter voluntas est indeterminata.

Nec obstat, quod interdum auctores dicant, voluntatem esse potentiam indeterminatam: quia intellectus est potentia indeterminata; aliter enim intellectus, aliter voluntas dicitur indeterminata. Intellectus dicitur indeterminatus, non quod respectu eiusdem veritatis sit indifferens ad assensum & dissensum, sed quia non est astrictus ad vnum solum obiectum, verum plurima simul possit considerare. Voluntas verò dicitur indeterminata, non propter amplitudinem, qua potest plura simul velle, sed quia respectu eiusdem obiecti est indifferens ad velle & nolle, aut ad velle & non velle.

Ex his patet, Primò, solutio rationum Durandi, 18 quatenus contra nostram sententiã intenduntur. Per actum enim intellectus non habemus alios in nostra potestate formaliter, sed radicaliter, scilicet tamquam per fundamentum libertatis, nõ autem tamquam per actum formaliter liberum. Vnde solùm sequitur, libertatem priùs conuenire intellectui, tamquam causæ & radici, quàm voluntati tamquam subiecto formaliter libero. Simili modo dici posset libertas priùs conuenire essentiæ quàm potentiis: quia essentiæ conditio est causa cur potentia sit libera.

Responsio ad argumenta Durandi.

Notandum est, Durandum in hac sententia supponere tria, quæ falsa sunt. Primum, Voluntatem non esse liberam in appetendo vltimo fine, cùm tamen sit libera quoad exercitium actus. Secundum est, Iudicium conclusiuum consilii esse actum per se liberum, ante omnem actum liberũ voluntatis: quod iam refutatum est. Tertium est, Primum actum liberum voluntatis esse electionẽ medii non necessarii ad finem. Ex his infert quartum, Libertatem prius conuenire intellectui, quàm voluntati.

Patet Secundò Quo modo intelligendum sit quod multi DD. dicunt, liberum arbitrium esse facultatem rationis & voluntatis, & vtramque potentiam complecti. Hoc enim non ita accipiendum est, quasi libertas sit in vtraque potentia: sed quia vtriusque potentiæ facultas requiritur, scilicet, amplitudo intellectus, vt fundamentum: indifferentia voluntatis, vt formalis & propriè dicta libertas.

19 Quo sensu nonnulli arbitrium dicant facultas Rationis & voluntatis.

DVBIVM III.

Quid sit libertas tum in ipsa potentia, tum in ipsis actibus liberis.

RESpondeo & dico primò, Libertas fundamentalis nihil aliud est, quàm ipsa amplitudo intellectus, seu vis intelligendi comparata ad omnia obiecta (siue illa sint res, siue actus in quibus potest aliquam rationem boni, & aliquam defectus considerare. Vnde non differt ab ipso intellectu, nisi ratione: est enim ipsa vis intelligendi inadæquatè considerata.

20 Libertas fundamentalis, quid.

Dico Secundò, Libertas formalis nihil aliud est, quàm vis voluntatis considerata, vt est indeterminata & tamen proximè sufficiens ad velle & nolle: ad velle & non velle eiusdem rei. Itaque non differt, nisi ratione, ab ipsa voluntate, sed est ipsa voluntas inadæquatè considerata, scilicet respectu obiectorum & actuum, in quibus consideratur aliqua ratio boni, & aliquis defectus.

Libertas formalis, quid.

Quod autem ad actus liberos attinet: notandum est, alios vocari elicitos, alios imperatos. *Eliciti* dicũtur, qui à voluntate eliciuntur, & in ipsa existunt. *Imperati*, qui ab aliis potentiis eliciuntur voluntatis imperio. Quamquam & in ipsa voluntate esse possint, dum per vnum actum, alium imperat. Nunc

Actus elicitus & imperatus.

Dico Tertio, Libertas in actibus elicitis voluntatis, præter entitatem actus, nihil est aliud, quam habitudo ad causam indeterminatam, à qua immediatè procedit. Probatur, Quia præter substantiã actus, & illam dependentiam à causa indeterminata, nihil est necessarium, vt actus voluntatis dicatur liberè fieri.

Libertas in actibus elicitis, quid.

Si quæras, quid sit illa habitudo: Respondeo, Esse dependentiam a causa efficiente indeterminata; dependentia autem, præter rem quæ dicitur dependens, nihil dicit, nisi denominationem extrinsecam à tali causa: vt alibi ostensum est.

Digitized by Google

Quòd ſic, vt libertas in actibus voluntatis, præter entitatem actus nihil addat, niſi denominationem extrinſecam à cauſa libere.

Libertas in actibus imperatis, quid.

Dico Quartò, Actus aliarum potentiarum vocantur liberi denominatione plane extrinſeca ab actu libero voluntatis, vnde aliquo modo dependent. Itaq; libertas in his actibus nihil eſt niſi denominatio extrinſeca ab actu libero voluntatis.

Confirmatur: Quia omnes actus aliarum potentiarum reſpectu principiorum, à quibus immediate procedunt, ſunt neceſſarii: ergo non poſſunt dici liberi, niſi reſpectu voluntatis, à qua mediate pendent. Atqui non pendent à voluntate, niſi mediãte aliquo actu formali, vel interpretatiuo: ergo ratione huius actus dicuntur liberi.

Ex his patet, actum elicitum voluntatis & imperatum eadem omnino libertate liberum eſſe. Actus enim elicitus eſt liber ſeipſo: quia ipſe per ſe & immediate pendet à cauſa libera: vnde etiam dicitur liber intrinſece: quia per ſuam entitatem ſic dependentem eſt liber. Actus autem imperatus eſt liber formaliter per actum elicitum voluntatis: quò fit, vt non addat nouum meritum actui interno, vt ſuo loco dicemus.

ARTICVLVS. III.

Vtrum voluntarium poſsit eſſe abſque omni actu.

22 CONcluſio eſt, Id quod directe eſt voluntarium: non poteſt eſſe ſine omni actu voluntatis: ſed voluntarium indirecte, ſine omni actu eſſe poteſt.

Aduerte, Non eſſe difficultatem de voluntario directo. Eſſe enim directe voluntarium, eſt eſſe directe volitum, vel eſſe actum, quo aliquid directe volitum eſt. Nihil autem poteſt eſſe directe volitum, niſi per aliquem actum poſitiuum voluntatis.

Indirecte voluntarium quid. Et id dupliciter.

Sed difficultas eſt de voluntario indirecte, quod etiam dicitur voluntarium interpretatiue. Voluntarium indirecte dicitur, quod non eſt in ſeipſo volitũ, ſed in alio, ex quo aliquo modo, tamquam ex cauſa, ſequitur: quod dupliciter fieri poteſt. Primò, Si ex actione directe voluntaria ſequatur aliquis euentus præter expreſſam intentionem: ratione tamen aliquo modo aduertente, vt ſi non ſatis circumſpecte emittens ſagittam, aliquem interficias, occiſio erit indirecte voluntaria, quia ſequitur ex actione directe voluntaria cum aliqua rationis aduertentia (aduertebas enim actionem tuam eſſe periculoſam.) Sic qui peccat, indirecte ſeu interpretatiue vult Dei inimicitiam, vitæ æternæ priuationem, & ſimilia. Secundò, ſi ex omiſſione voluntaria alicuius actionis ſequatur aliquis euentus, ratione aliquo modo aduertente: vt ſi omittas ſuccurrere proximo in neceſſitate, & ille moriatur, mors eius cenſebitur tibi voluntaria.

Aduerte tamen, non omne illud quod ſequitur ex actione poſitiua, vel omiſſione alicuius actionis cenſeri voluntarium: ſed illud tantum quod tenebaris impedire vt ſtatim oſtendemus.

Prior modus voluntarii indirecti non poterit eſſe ſine omni actu voluntatis: quia ſequitur ex eo quod directe voluntarium eſt, in quo, tamquã in ſua cauſa, eſt volitum. De ſecundo, eſt difficultas. Et quamuis D. Thomas potiſſimum loquatur de euentu, qui ſequitur ex omiſſione, tamen expli-candum eſt generatim de ipſa omiſſione, & de euentu ex omiſſione, quando ſint voluntarii.

DVBIVM.

Quando omiſsio ſit voluntaria.

REſpondeo, Omiſſio eſt voluntaria; primò, Quando eſt directè volita; vt ſi nolis audire Sacrum. Secundò Quando aliquid voluntarie fatimus, quod nobis eſt cauſa omiſſionis; vt ſi velis ambulare, & ideirco Sacrum omittas. Tertiò. Poteſt omiſſio actus exterioris vel interioris eſſe voluntaria, ſine omni actu interno vel externo, qui ſit cauſa illius omiſſionis. Colligitur hoc ex D. Thom. in corpore, & ad 3.

23 Omiſſio triplicites voluntaria.

Datur omiſſio pure libera.

Probatur, Quia potes omittere Sacrum abſque hoc quod nolis audire Sacrum: aut velis aliquid vnde neceſſariò ſequatur omiſſio Sacri, tamquam effectus; ſeu, quod ſit tibi cauſa cur Sacrum omittas: pari modo potes omittere internos actus: vt actum amoris Dei, odii peccati, abſque alio actu interno, qui tibi ſit cauſa omittendi. Datur ergo omiſſio exterior, & interior voluntaria ſine omni actu.

Ratio à priori eſt; quia, ſicuti voluntas liberè poteſt velle, ſcilicet audire Sacrum, & nolle: ita etiam poteſt ſuum actũ ſuſpendere, vt neque velit neque nolit. Et hæc ſuſpenſio (quæ nihil aliud eſt, quàm omiſſio actus interni) eſt omninò libera, ac proinde voluntaria, & conſequenter etiam omiſſio exterior eam conſequens, erit voluntaria. Vide infrà q. 7. a. 6.

Vt hæc omiſſio ſit voluntaria, tria requirũtur.

Aduerte tamen, tria requiri vt omiſſio hoc tertio modo ſit voluntaria. Primò, vt id quod omittis, poſſis facere. Si enim quod omittis, non eſt in tua poteſtate præſtare, omiſſio non erit tibi voluntaria, etiamſi eſſet expreſſe volita: vt ſi ob morbum non poſſis audire Sacrum, vel recitare officium, omiſſio iſta, etiamſi fortè à te ſit volita, non tamen tibi cenſetur voluntaria: quia non pendet à tua voluntate, ſicut effectus à cauſa: ſed pendet à morbo: vnde etiamſi eſſet lata excommunicatio in omittentem, non incurreres illam, quamuis ex malitia illam omiſſionem velles. Sic, qui omittit ſoluere cum non poſſit, omiſſio illa non eſt ei voluntaria: neque contra iuſtitiam, etiamſi ipſe ex malitia nollet ſoluere.

Secundò, Vt aduertat ſe poſſe facere idque vel diſtinctè, vel ſaltem in confuſo: ſi enim nullo modo aduertat, omiſſio non erit voluntaria. Ratio eſt, quia quidquid actu eſt voluntarium, debet eſſe aliquo modo cognitum: alioquin quidquid homo quouis momento non agit, cenſeretur voluntariè omittere: vnde ſingulis propè momentis haberet innumeras omiſſiones voluntarias, quod abſurdum.

Tertiò, Requiritur vt non agat. Hoc enim per ſe primò eſt neceſſarium ad ſubſtantiam omiſſionis.

Quidam addunt quartum, ſcilicet, vt opus quod omittitur, ſit præceptum. Verum, etſi præceptum operis ſit neceſſarium, vt omiſſio ſit culpabilis: non tamen vt ſit voluntaria. Probatur, quia omiſſio rei nõ præceptæ, poteſt eſſe directè voluntaria: vt non ducere vxorem, non ingredi Religionem. Ergo etiam indirecte, nempe tunc quando voluntas ita ſe gerit, ac ſi directe vellet omittere: vt cum quis abſque hoc quod velit aut nolit, Sacrũ non præceptum negligit. Confirmatur: quia ſicut voluntas volendo eſt cauſa operis: ita non volendo ſeu ſuſpendendo ſuum velle, eſt per ſe cau-

24 Non requiritur vt opus quod omittitur, ſit præceptum.

ſa omiſsionis actus externi. Cauſa enim effectus per ſe priuatiui, debet eſſe priuatiua: ergo vt omiſsio ſit voluntaria abſque vllo actu, non requiritur vt ſit contra præceptum.

Dices, fieri nequit, vt quis ſciens omittat aliquid, niſi voluntariè aliquid faciat, cui omiſſio illa neceſſariò ſit coniuncta; qui enim omittit Sacrum, ſimul vult aliquid, cum quo ſimul ſtare nequit Sacri auditio; vt ambulare, ſtudere, & ſimilia: ergo omiſſio numquam eſt ſine aliquo actu.

Reſpondeo, Non negamus quin omiſſioni ſemper aliquis actus voluntarius coniunctus ſit: ſed dicimus, omiſſionem non habere ab illo actu quòd ſit voluntaria; quia actus ille non eſt cauſa omiſſionis, neque ab illo pendet omiſſio; ſed tantùm per accidens ei coniungitur. vt patet, cùm quis omittens Sacrum, vadit ambulatum: non tamen ideo omittit, vt ambulet.

DVBIVM II.

Quando euentus, qui ex omiſſione ſequitur, cenſeatur voluntarius?

Vt euentus cenſeatur tibi voluntarius ex omiſſione, requiritur vt teneatis illum impedire.

REſpondeo, præter tria ſuprà dicta, ſcilicet vt poſſit euentum impedire, vt aduertat ſe poſſe, & vt omittat impedire; requiritur vlteriùs quartum, nempe præceptum, vt teneatur impedire.

Colligitur ex D. Thoma hoc loco, cum ait: *Id quod ſequitur ad defectum actionis, non ſemper reducitur ſicut in cauſam, in agens, eò quòd non agat.* Probatur exemplis: nam ex eo quòd Deus non impediat hominum malitiam, eueniunt multa peccata, non tamen peccata ſunt Deo voluntaria, ſed inuoluntaria; vtpote contra expreſſam ipſius voluntatem, etſi non efficacem: cuius non eſt alia ratio, niſi quòd non teneatur illa impedire: omiſſio tamen non impediendi, eſt illi omninò voluntaria; quia directè vult non impedire. Pari modo, ſi ex eo, quòd omittam pugnantes ſeparare, ſeſe interficiunt, mors eorum non eſt mihi voluntaria, quando abſque periculo non poteram; quia non tenebar eam impedire cum periculo vitæ meæ; omiſſio tamen ſeparandi, voluntaria eſt. Denique eſt hoc adeò verum, vt non ſolùm euentus ſecutus ex libera omiſſione cenſeatur non voluntarius, ſi non tenearis illum impedire; ſed neque etiam is, qui ſequitur per accidens ex aliqua poſitiua actione, quando illam actionem non tenebaris propter illum euentum euitare. v. g. ſi ex eo, quòd pulchra mulier prodit in publicum, ſequatur aliquos eius forma prouocari, euentus ille non cenſetur illi mulieri voluntarius, qui præter eius intentionem ſecutus eſt; quia non tenebatur abſtinere à publico, vel ornatu conueniente, ad illum euentum euitandum.

Cur euentus, quem non teneris impedire, cenſeatur minus voluntarius quam omiſſio cenſeatur voluntaria quã nõ teneris vitare.

Petes, quare euentus ſecutus per accidens ex aliquo opere, vel operis omiſſione, cenſetur potiùs eſſe voluntarius, quando tenemur illum impedire, quàm quando non tenemur, cùm tamen omiſſio cenſeatur voluntaria, etiamſi non teneamur eam vitare?

Reſpondeo, Omiſſio eſt voluntaria, quia per ſe & directè pendet à voluntate, vel directè volente omittere, vel ſuſpendente actum ſuum: vnde ad hoc non requiritur vt ſit contra præceptum. Euentus autem qui præter intentionem ſequitur ex opere, vel operis omiſſione, non pendet per ſe à voluntate: quia neque directè volitus eſt, neque ſequitur directè ex volitione, vel omiſſione voluntatis: vnde voluntas non poteſt eſſe cauſa phyſica huius effectus, præſertim quando ſequitur ex omiſſione: omittendo enim non poteſt effectum poſitiuum realiter cauſare. Cenſetur tamen hic euentus voluntarius, quando tenemur impedire, & non impedimus: quia ſecundum eſtimationẽ moralẽ cenſemur tunc illũ voluiſſe. Ratio eſt, quia quando eſt obligatio impediendi euentum, quamdiu ea viget & vrget, nulla poteſt eſſe iuſta ratio non impediendi. Vnde ſi non impediat, præſumitur euentum voluiſſe, ſicque imputatur, ac ſi voluiſſet directè: quamuis non æquali gradu.

à ſimili.

Confirmatur à ſimili: Si enim voluntas non impediat euentum quem tenetur impedire, perinde cenſetur facere, ac ſi columna fulciendæ domui conſtituta, ſeipſam ſubſtraheret, ex qua ſubſtractione ſequeretur domus ruina. Vnde ſicut illa ſubſtractio eſſet cauſa ruinæ, ita omiſſio voluntatis obligatæ ad aliquem effectum impediendum, cenſetur cauſa illius effectus. Si verò non teneamur euentum impedire, non poſſumus præſumi illum voluiſſe, ex eo quòd non impediamus: quia iuſtam cauſam habemus non impediendi. Vt ſi non ſuccurras laboranti extrema fame eò quòd tu vel parens tũus in ſimile periculum incideret, non cenſeris voluiſſe eius mortem.

ARTICVLVS IV.

Vtrum voluntati poſsit inferri violentia?

17.

CONcluſio eſt, voluntati poſſe vim inferri, quod attinet ad actus imperatos, non tamen ſecundùm actus elicitos.

Notandum eſt. Et ſi Coactum & Violentum ſæpe pro eodem accipiantur, quia vtrumque eſt contra propriam inclinationem: eſt tamen inter hæc nõnulla diſtinctio. Itaque vtriuſque ratio eſt explicanda. *Violentum* dicitur, *cuius principium eſt extra, nihil conferente eo, quod patitur.* Colligitur ex Ariſtot. 3. Ethic. cap. 1. Senſus eſt, violentum dicitur, quod non oritur ab interna inclinatione, ſed à cauſa extrinſeca irrogatur, nihil conferente paſſo, id eſt, paſſo renitente in contrarium, vt rectè explicat Almaïnus Tractat. 3. moralium, cap. 2. & Alij. Niſi enim hæc particula ſic explicetur, oportebit fateri omne ſubiectum vim pati, dum perficitur, & materiam violentè informari formâ, animam gratia, aërem lumine (quod tamen abſurdiſſimè diceretur, cum hæc ſecundùm naturalem inclinationem recipiantur) quia hæc inferuntur à cauſa extrinſeca, ſubiecto nihil conferente, ſeu coadiuuante. Debet ergo illa particula exponi contrariè, vt idem ſit quod *renitente ſubiecto.*

quid violentum.

Clariùs ſic, *Violentum eſt, quod irrogatur à cauſa extrinſeca, contra internum rei appetitum, ſine naturalem, ſine elicitum*, verbi gratia, Motus lapidis ſurſum, violentus eſt; quia infertur à cauſa extrinſeca contra internum lapidis nutum, quo deorſum inclinat: calefactio aquæ violenta eſt reſpectu aquæ: quia ab extrinſeco infertur contra internam eius propenſionem: materiæ primæ (ſi tamen eſt aliqua, præter elementa) nihil eſt violentum, tum quia nihil eſt contra eius inclinationem, tum quia non habet vllam inclinationem niſi paſſiuam, id eſt, ad recipiendum. Violentum autem debet eſſe contra inclinationem actiuam, & veluti reniſum ipſius rei, vel

Digitized by Google

vel certè contra formalem, qualis eſt inter formas, quæ ſe viciſſim expellunt: vt ſi diuina virtute cum calore in aqua conſeruaretur frigus; tunc enim vtraque forma alteri eſſet violenta, ſeu violentè illi coëxiſteret. Quidquid igitur in tota creatura fit à cauſa extrinſeca, ſiue creata, ſiue increata, contra inclinationem rei, eſt violentum.

18 Quid Coactum.

Coactum autem dicitur, *quod à cauſa extrinſeca infertur contra appetitum elicitum.* Vnde ſolum locum habet in brutis, hominibus, & Angelis: ac proinde minùs latè patet quam violentum. Omne enim coactum, eſt violentum, non contra, vt patet ex definitione. Nec obſtat, quòd dicamur aliquid facere coacti, quod tamen à principio intrinſeco, ſcilicet voluntate & potentia motiua facimus: quia talis eſt imperfecta coactio: quatenus nimirum eſt à cauſa extrinſeca contra quandam voluntatem imperfectam & inefficacem: vt eſt id quod cum metu facimus: vellemus enim non facere, ſi commodè poſſemus: omnibus tamen conſideratis abſolutè volumus: His poſitis,

DVBIVM I.

Vtrum voluntati aliquo modo poſſit vis inferri circa actus internos ipſi inexiſtentes, vel circa huiuſmodi actuum carentiam?

O Miſſa quorumdam Nominalium ſententia, qui putant actus voluntatis extrinſecus infundi poſſe.

19 Nominales.

Dico Primò, Fieri nullo modo poſſe, vt voluntas vim patiatur circa ſuos actus internos, quibus, v. g. vult, amat, odit, gaudet, ſiue, vt iſti actus ſint violenti.

Probatur. Quia fieri nequit, vt iſti actus voluntatis, ſint à principio extrinſeco, voluntate, nihil ad eos cooperante: ergo fieri nequit, vt ſint violenti. Conſequentia patet à definitione. Antecedens probatur, Quia omnis actus quo voluntas vult, eſt actus vitalis, & vita quædam, de cuius ratione eſt procedere à principio intrinſeco: vt ſupra oſtenſum eſt. Hinc infero idem dicendum de actibus intellectus, ſenſuum interiorum & exteriorum, & appetitus ſenſitiui, comparatis ad potentiam, à qua eliciuntur: nullus enim huiuſmodi actus poteſt eſſe violentus, reſpectu ſuæ potentiæ, cuius eſt actus vitalis: vt etiam rectè docuit Durandus in 2. d. 25. q. 3. Aduertè tamen, Etſi nullus actus voluntatis poſſit eſſe violentus, vel coactus, poteſt tamen aliquis eſſe inuoluntarius vt patet in primis motibus rationem præuenientibus: ſunt enim contra voluntatem elicitam non tamen ſunt à principio extrinſeco, vt poſtulat violentum.

Nullus actus poteſt eſſe violentus reſpectu ſuæ potentiæ

Dico Secundo, Etiamſi huiuſmodi actus ſecundùm ſuam ſubſtantiam producerentur à ſolo Deo in voluntate, non poſſent tamen eſſe violenti reſpectu naturalis inclinationis voluntatis: poſſent tamen eſſe violenti & coacti reſpectu appetitus elicitu.

Prior pars eſt Durandi ſupra, & probatur: Quia inclinatio voluntatis eſt ad omnem actum quem poteſt recipere, neque renititur in recipiendo: ſicut & in cæteris potentiis eſt inclinatio ad omnem actum, cuius potentiæ ſunt capaces, quæ non renititur: in intellectu ad omnem intellectionem recipiendam: in viſu ad omnem viſionem: ſicut in materia eſt potentia ad omnem formam. Itaque voluntas reſpectu naturalis potentiæ non poteſt vim pati.

Nullus actus, etſi extrinſecè infuſus, poteſt eſſe violentus potentiæ naturali

Altera pars probatur: Quia voluntas per actum elicitum poteſt reniti infuſioni talis actus; ſicut & infuſioni habitus, & gratiæ, expreſſe nolendo, vt talis actus vel habitus infundatur: & ſic talis infuſio erit violenta & coacta: vtpote renitente voluntate per actum elicitum.

Hinc inferunt, Gregorius in 1. d. 15. & alii Nominales, fieri poſſe per potentiam Dei abſolutam, vt ſimul in voluntate exiſtant volitiones contrariæ, v. g. Vt quis ſimul Deum odio habeat per actum à ſe elicitum, & amet per actum à Deo infuſum, qui odio ſit contrarius.

30 Amorem & odiũ nullo modo poſſe eſſe in eodẽ, reſpectu eiuſdem.

Sed reuera neque id ſequitur iuxta noſtram ſententiam: neque vllo modo videtur verum.

Primò, Quia poſito amorem violentè infuſum, voluntas non amabit Deum; amare enim eſt vitaliter in ſe amorem elicere. Secundò, Quia iſte amor infuſus naturaliter excludet odium: Deus enim non poteſt illud ſupernaturaliter conſeruare, quia eſſet auctor peccati. Tertiò, Etiamſi cætera omnia concederentur: iſti tamen actus non poſſunt eſſe ſimul, quia alter alterius obiectum viciſſim interimit: amor enim ſtatuit bonum, & tollit malum: odium ſtatuit malum, & tollit bonum. Vnde, ſicut implicat vt quis ſimul effectum det bonum, & tollat: ita etiam implicat vt ſimul affectũ det & tollat, quod fit per amorem & odium. Pari ratione non poteſt quiſpiam eidem veritati ſimul aſſentire & diſſentire: quia aſſentiendo, ſtatuit eſſe verum, & non falſum: diſſentiendo, ſtatuit eſſe falſum, non verum.

Quidam aliam rationem afferunt, nempe requiri, vt verſentur circa idem obiectum eodem modo apprehenſum, & ſub eadem ratione. Vnde ſi verſentur circa diuerſa obiecta, vel circa idem diuerſo modo conſideratum, non fore contraria. Sed hæc ratio non videtur vera: ſicut enim vt duo aſſenſus ſint contrarii, non eſt neceſſe, vt ob eamdem cauſam diſſentias, ob quam alius aſſentit: ſed ſufficit, vt abſolutè diſſentias, negans eſſe verum, quod alius affirmat eſſe verum, etiamſi diuerſis rationibus moueamini: ita, vt amor, & odium ſint contraria, non requiritur vt eadem ſit cauſa amoris & odii. Confirmatur, Quia alioquin non eſſet poſſibile odium, quod ſit contrarium amori diuino. Nam fieri nequit vt Deus odio habeatur propter excellentiam ſuæ bonitatis, ob quam amatur, ſed ob aliam cauſam habetur odio, nempe quia pœnam infert. Itaque ſolum requiritur vt vnum idemque obiectum abſolutè ametur, volendo ipſi bonum, & non malum, & abſolutè odio habeatur volendo illi malum, & nullum bonum, etiamſi ob diuerſas rationes id fiat. Fateor tamen maiorem eſſe contrarietatem actuum, quando eſt eadem ratio & cauſa.

Dico Tertiò. Etſi voluntas non poſſit vllo modo vim pati in actionibus ſuis eliciendis, ſiue in actibus poſitiuis; poteſt tamen aliquo modo vim pati in non eliciendis, ſeu in actuum carentia. Vbi

31

Notandum eſt, dupliciter, voluntatem impediri poſſe, ne amet, aut odio habeat, aut delectetur.

Primò, Si Deus intellectum diſtrahat, voluntate renitente, ne de re amanda cogitet, ne delectetur affectus. Hic proprie & immediatè voluntas nõ patitur vim circa carentiam ſui actus, quaſi violenta ſit illi hæc amoris vel delectationis carentia: quia hæc carentia prouenit voluntati ab intrinſeco (intellectu enim non valente comprehendere obiectum amabile, ſecundùm inclinatio-

Voluntas dupliciter poteſt ab actu ſuo impediri.

Nam naturali neceſſitate debebat mori: mortuus autem non poterat reſurgere, neque poſt reſurrectionem in æternum viuere, abſque ſupernaturali Dei operatione & protectione.

Si dicas, non fore Reſurrectionem in eo ſtatu, ac proinde non fore opus ſupernaturali operatione Dei ad hanc beatitudinem.

Reſpondeo, hoc parum videri credibile: Nam anima naturaliter poſtulat & deſiderat vniri corpori, neque poteſt abſque hac vnione habere ſuum naturalem modum cognoſcendi, qui eſt per cooperationem ſenſuum & phantaſiæ. Atqui ſine naturali modo cognoſcendi non poteſt habere beatitudinem naturalem. Adde, illo modo non hominem: ſed animam dumtaxat fore beandam.

ARTICVLVS. VI.

Vide D. Thomam.

ARTICVLVS VII.

Pertinet ad materiam de gratia.

ARTICVLVS VIII.

Patet ex Dictis 1. p. q. 12.

QVÆSTIO SEXTA.

De Voluntario & Inuoluntario.

POſt tractatum de Beatitudine, diſputat D. Thomas de actibus humanis in genere, quibus tamquam medijs ad Beatitudinem peruenitur. In his autem tria ſunt conſideranda, ex quibus eorum bonitas & malitia dependet: Obiecta, Circumſtantiæ, & modus productionis.

De obiecto agitur Quæſtione octaua, de circumſtantijs q. 7. de modo productionis hac q. 6. idque ſub nomine voluntarii & inuoluntari, de quo diſſerit Ariſtoteles 3. Ethic. c. 1. Damaſcenus l. 2 de fide Orthodoxa c. 24. & Nemeſius l. de homine c. 29. 30 31. 32.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum in humanis actibus inueniatur voluntarium.

REſponder D. Thomas perfectè voluntarium in humanis actibus reperiri.

DVBIVM I.

Quid ſit Voluntarium?

2. Voluntas dupliciter accipitur.

NOtandum eſt, *Voluntarium* dici propriè, quod pendet à voluntate. *Voluntas* autem accipitur dupliciter. Primò, ſpeciatim & propriè pro appetitu rationali, qui ſolùm in Deo, Angelis & hominibus reperitur.

Secundo, Generatim, vt comprehendat appetitum etiam ſenſitiuum. Nam & bruta dicuntur quodammodo velle & habere voluntatem: vt patet ex Auguſtino l. 5. de Ciuitate Dei c. 9. cum ait: *Corpora magis ſubiacent voluntatibus: quædam noſtris, id eſt, omnium animantium mortalium, & magis hominum, quàm beſtiarum: quædam vero Angelorum: ſed omnia maximè Dei voluntati ſubdita ſunt.*

Voluntarium dupliciter accipitur.

Vnde etiam *voluntarium* dupliciter accipitur. Primò, Speciatim, pro eo quod pendet à voluntate rationali: quo modo omnes actiones elicitæ vel imperatæ à voluntate humana vel Angelica, dicuntur voluntariæ: & omnis creatura eſt opus voluntarium reſpectu voluntatis diuinæ.

Secundo, Generatim, pro omni eo quod pendet ab appetitu rationali vel ſenſitiuo, quem vno nomine vitalem appellare ſolemus: quia nulla eſt vis appetendi, cuius operatio ſit vita, præter appetitum ſenſitiuum & rationalem.

D. Thomas hoc loco accipit *voluntarium* generatim, vt idem ſit, quod Græcis, ἑκούσιον, quod *ſponteneum* propriè dici poteſt, de quo agit Ariſtoteles 3. Ethic. c. 1. Damaſcenus lib. 2. de fide c. 24. Nemeſius lib. de Homine c. 29. & tribus ſequentibus.

Dupliciter aliquid fit inuitè.

Quid autem ſit *ſponteneum*, explicandum eſt ex contrario (vt illi auctores faciunt) quod eſt *inuitum*, quod Græci vocant ἀκούσιον. Dupliciter autem dicitur aliquid *inuite* fieri, Primo, Si vi extrinſecus illata, voluntate repugnante, fiat; vt cùm nocens ducitur ad ſupplicium. Secundò, Si ex ignorantia fiat: vt cùm quis occidit amicum, putans hoſtem.

Hinc ſequitur; vt aliquid ſponte, ſeu voluntariè fiat, duo requiri. Primò, vt fiat à principio intrinſeco ei, in quo eſt illa operatio. Secundò, Vt fiat ex cognitione ſingulorum, in quibus verſatur actio, vt loquitur Ariſtoteles: id eſt, obiecti & circumſtantiarum: vt explicat Damaſcenus.

3. Definitio voluntarij.

Hinc definitur *voluntarium eſſe id, quod fit à principio intrinſeco, cum cognitione obiecti & circumſtantiarum.* Dico, *à principio intrinſeco*, nempe diſtincto à cognitione: nam cognitio ſe habet ſolùm per modum dirigentis operationem. Vt de hoc principium intrinſecum non poteſt eſſe aliud quam appetitus, qui in homine & animantibus eſt principium omnium operationum ipſis propriarum, & ſolus immediatè dirigitur per cognitionem. Dico, *cum cognitione obiecti &c.* quia ſi quis fallatur circa obiectum: vt ſi comedat carnem die veneris, putans eſſe piſcem: non voluntariè comedit carnem: vel ſi fallatur circa circumſtantias: qua parte fallitur, non agit voluntariè: vt ſi ſciat quidem ſe comedere carnem, non aduertat tamen eſſe diem veneris, non voluntariè violat legem abſtinentiæ.

Alia definitio voluntarij.

Clariùs ſic definiri poteſt: *Voluntarium eſt opus vel omiſſio operis ab appetitu vitali, maximè rationali cum cognitione dependens.* Dico, *præſertim rationali* quia ſicut appetitus ſenſitiuus non dicitur voluntas niſi impropriè; ita motus ipſius, niſi dependeant à voluntate ſuperiore, non dicuntur voluntarij, niſi impropriè, & generatim accepto nomine. Dico, *vel omiſſio operis*: Quia non ſolùm aliquod opus poſitiuum eſt voluntarium, ſed etiam omiſſio operis: vt art. 3. oſtendemus. Vnde non minùs omiſſiones ſunt peccata, quàm commiſſiones.

4. Quid magis, & minùs perfectè voluntarium. Ordo actuũ voluntariorum.

Ex his ſequitur, eos motus eſſe maximè voluntarios, qui maximè ſunt conſentanei propenſioni voluntatis, fiuntq; cum perfecta cognitione obiecti & circumſtantiarum: hi enim longiùs abſunt ab inuoluntario. Tales ſunt, Primò, amor beatitudinis. Secundò, omnes actus liberi, quibus pro-

Digitized by Google

sequimur ea, quæ per se sunt expetenda. Tertiò, actus liberi quibus prosequimur media. Quartò, quibus fugimus mala. Quò autem quisque est minùs consentaneus propensioni voluntatis, aut quò minor est cognitio, vnde procedit, eò minùs censeri voluntarium. Tales actus sunt, quibus aliquid prosequimur coacti metu, aut cum aliqua ignorantia vel inconsideratione.

Dices; Multi motus oriuntur contra voluntatem: vt patet in motu tristitiæ, & similibus: ergo non omnes qui procedunt ab appetitu vitali, sunt voluntarii.

Respondeo, Distinguendo consequens: si enim voluntarium accipias pro spontaneo, nego consequentiam: omnes enim motus qui oriuntur ab appetitu vitali sunt spontanei, etiamsi contra voluntatem oriantur: vt omnes passiones appetitus inferioris & omnes motus voluntatis prœuenientes libertatem, qui oriuntur, voluntate repugnante. Si autem voluntarium accipias pro eo quod dependet à voluntate rationali, vel à libertate voluntatis: sic concedo totum: sed nihil contra definitionem positam. Hoc modo dicuntur illi motus inuoluntarii, qui displicent voluntati, & contra eius renisum exoriuntur.

DVBIVM II.

Vtrum voluntarium dicatur ex eo tantùm, quod procedat à voluntate vel appetitu vitali, an ex eo quòd sit volitum per modum obiecti?

REspondeo, Vtrumque requiri: procedere enim debet à voluntate seu appetitu vitali quia est effectus vel operatio eius. Debet etiam esse volitum, vt patet à contrario. Nam nihil est inuoluntarium, nisi quatenus est contra voluntatem, tamquam obiectum nolitum à voluntate, quæ vel actu est, vel esset, si ignorantia non impediret.

Dices, Ergo ipsi motus voluntatis, vt amor, odium, lætitia, tristitia, non sunt voluntarii: quia non sunt voliti; alioqui per alium motum voluntarium deberent esse voliti, & ille rursus per alium; sicque esset progressio in infinitum.

Respondeo, Istos motus esse maximè voluntarios: vtpotè intrinsecè tales. Nam sunt ipsæ volitiones manantes à voluntate, eamque informantes, à quibus aliæ operationes dicuntur extrinsecè tolum voluntariæ, vt ambulare, loqui, &c. Neque opus est vt alia volitione sint volitæ, sicut illæ quæ extrinsecè dicuntur voluntariæ: quia seipsis implicitè sunt volitæ: qui enim amat, vult amare; qui odit, vult odisse: non alio actu, sed eodem quo amat & odit obiectum.

Actus voluntatis seipsis implicitè sunt volit.

ARTICVLVS II.

Vtrùm voluntarium reperiatur in brutis: id est, vtrum motus & operationes brutorum sint voluntariæ seu spontaneæ.

CONclusio est, Esse imperfectè voluntarios. Ratio est, quia procedunt ex imperfecta cognitione.

1. Voluntarii triplex acceptio.

Notandum est, nomen *Voluntarii* accipi dupliciter, vel potiùs tripliciter. Primò, Vt opponitur *Inuito*, sicque idem est quod *Spontaneum*. Ita accipit Aristoteles 3. Ethic. cap. 1. & D. Thomas passim hac quæstione.

Secundo, Pro omni actu vel effectu, qui à voluntate rationali quouis modo dependet; & sic omnes actus & effectus voluntatis, etiam necessarii, dicuntur voluntarii.

Tertio, Accipitur pro omni actu & effectu qui procedit à voluntate, non tantùm secundùm substantiam operis, sed etiam secundum proprium modum operandi voluntatis. Nam dupliciter potest aliquis actus à voluntate procedere. Primò, modo naturali, videlicet tamquam effectus à causa determinata, qui modus est proprius eorum, quæ naturaliter sunt: sic procedunt actus necessarii. Secundò, modo voluntati proprio: videlicet libere, tamquam effectus à causa indeterminata. Sicut enim proprius modus operandi naturæ, est operari necessariò, seu ex potestate determinata ad effectum; ita proprius modus operandi voluntatis, est operari libere, seu ex potestate indeterminata ad effectum. Et quia hic modus operandi est proprius voluntati, & inuenitur in omnibus actibus voluntatis, quos cum plena rationis aduertentia habet in hac vita; ideo voluntarium à PP. & DD. sæpè ita accipitur, vt idem sit quod *liberum*: vt opponatur *naturali*. Quo modo Augustinus lib. de vera religione cap. 14. ait: *Vsque adeò peccatum est voluntarium malum, vt nisi voluntarium sit, non sit peccatum.*

Dupliciter aliquid procedit à voluntate

Nunc, si primo modo accipiatur voluntarium, non video cur motus & operationes brutorum non debeant censeri absolutè voluntarii, id est, spontanei: cùm non minore propensione intrinseca fiant, neque minùs distent ab inuito, quàm actiones humanæ. Vnde Aristoteles 3. Ethic. c. 2. & Damascenus l. 2 c. 24. absolutè tribuunt brutis & pueris spontaneum. Neque refert, quod cognitio ex qua illi motus procedunt, sit imperfecta: quia sufficit vt obiecta sensibilia per eam proponantur appetitui, absque errore. Si tamen ipsum nomen *Voluntarii* vrgeamus, vt hîc videtur facere D. Thomas, sic imperfectè & impropriè voluntarii sunt: qui a appetitus est imperfecta & improprie dicta voluntas: quod insinuat D. Augustinus lib. 5. de Ciuitate, cap 9. cum ait: *Sum verò causæ voluntariæ aut Dei sunt, aut Angelorum, aut hominum, aut quorumcumque animalium: si tamen appellandæ sunt voluntates animalium rationis expertium motus illi, quibus aliquid boni appetunt, vel malis euitant.*

Voluntarii primo modo.

Si verò accipiatur secundo modo, sic motus brutorum non sunt voluntarii, quia non pendent vllo modo à voluntate. Amor tamen beatificus, gaudium beatificum, amor quo Deus se diligit, & Spiritum sanctum spirat, & ipsa Spiritus sancti spiratio, hoc modo voluntarii sunt: quia à voluntate cum plena cognitione. Similiter omnes actus nostri boni & mali, iuxta Caluinum lib. 2. Institut. cap. 2. voluntarii sunt: quamuis secundùm ipsum, non sint liberi. Denique motus primi voluntatis sic voluntarii sunt, etsi imperfectè ob cognitionem imperfectam.

2. Modo.

Quod si tertiò modo, scilicet omnino propriè nomen *Voluntarii* accipiamus, sic soli actus liberi dicuntur voluntarii: & quod libere fit, voluntariè dicitur fieri. Quo modo Iacobi 1 dicitur: *Voluntariè enim genuit nos verbo veritatis.* Et ad Heb 10. *Voluntariè peccantibus nobis iam relinquitur hostia pro peccato*, &c. Iuxta hunc modum amor beatificus non erit voluntarius, quamuis ex inclinatione voluntatis, & perfectissima cognitione procedat; quia non procedit à voluntate secun-

3. Modo.

Digitized by Google

dum modum operandi, qui proprius eſt voluntati; nempe tamquam à cauſa indeterminata, ſed per modum naturæ. Idem dicendum de amore quo Deus ſe diligit, & quo ſpiritum ſanctum produxit: Etſi enim hic amor quadam ratione perfectiſſimè ſit voluntarius, vt dictum eſt; tamen ſecundùm aliam rationem voluntarii aliquid ei deeſt, ſcilicet, modus ille proprius actibus voluntatis, qui conſiſtit in proceſſu à cauſa indeterminata. Voluntas enim diuina eſt determinata ad illum amorem, ſicut cauſæ naturales ad ſuos effectus.

Dices, Ergo aliquid perfectionis deeſt illi amori: eſſe enim perfectè voluntarium, eſt magna perfectio.

Eſſe perfectè voluntarium circa ſummum bonum, nō eſt perfectio ſimplex.

Reſpondeo, Eſſe ſic perfectè volutarium reſpectu ſummi boni, non eſt perfectio, ſed imperfectio. Magna enim imperfectio eſt: ſi voluntas non ſit determinata ad amorem ſummi boni, quod eſt Deus; vt patet in viatoribus, & magna perfectio eſt, eſſe determinatum ad hunc amorem: vt patet in Beatis. Ad alia bona eſſe indeterminatum, eaque non neceſſario amare, eſt perfectio, vel potiùs eſt perfectionis ſignum: nam eſt ſignum capacitatis boni infiniti, quod, ne in tota quidem creaturarum collectione, inuenitur.

DVBIVM I.

Quis actus proprie dicatur liber.

NOtandum eſt Primò, In actibus humanis, vt cenſeantur moraliter boni vel mali, laudabiles vel vituperabiles, meritorii vel demeritorii, non ſolum conſiderandum eſſe, ſintne generatim voluntarii ſeu ſpontanei: ſed multo magis ſintne propriè & ſtrictè voluntarii, id eſt, ſintne liberi an neceſſarii.

Explicandum igitur quis actus dicatur liber.

Notandum ſecundo, Non ſolum actum dici liberum: ſed etiam ipſam potentiam, & quidem magis propriè & primo. Dicitur autem potentia libera, quæ in operando ſoluta eſt ab omni neceſſitate, ita vt, dum operatur, habeat in ſua poteſtate non operari. Actus dicitur liber, qui ab huiuſmodi potentia procedit.

Notandum Tertiò, Etſi omnis determinatio, qua voluntas prius natura quàm operetur, determinatur ad actum, repugnare videatur libertati: tamen quadruplex à quibuſdam ponitur determinatio in ipſa voluntate, quam putant libertati actus non repugnare, ita vt cum huiuſmodi determinatione poſſit eſſe meritorius vel demeritorius.

Quadruplex determinatio voluntatis à quibuſdā ponitur.

Prima eſt, Per influxum Dei, vt eſt cauſa prima; putant enim primam & ſummam cauſam omnes cauſas creatas, & conſequenter voluntatem humanam & Angelicam debere mouere, applicare & determinare ad ſuos actus. Sed hæc ſententia refutata eſt 1. p. q. 19. art. 8.

Secunda eſt, Per gratiam efficacem, qua putant voluntatem humanam in ſtatu naturæ lapſæ debere determinari ad opera pietatis. De hac dicendum infra tractatu de Gratia.

Tertia eſt, Per iudicium rationis practicum, aut per imperium intellectus, quo putant voluntatem ita determinari, vt illo ſtante in intellectu, ipſa non poſſit non conſentire: ſicut ſtante viſione beatifica, voluntas in Beatis non poteſt non amare. De hoc infrà q. 9. a. 1. dub. 6.

Quarta eſt, Per procliuitatem voluntatis ad iſta bona ſenſibilia, quando non habet gratiam efficacem, quam procliuitatem putant prouenire ex peccato originali. De hac infrà, in Tract. de Gratia.

Nunc tantùm in genere oſtendendum eſt, omnem veram determinationem, quæ præuenit libertatem voluntatis, ſeu quæ non ſit in poteſtate volūtatis repugnare libertati, & efficere vt actus non ſit liber. Dico, *Quæ non ſit in poteſtate voluntatis*: quia ſi ſit in poteſtate voluntatis eam habere, vel non habere, iam voluntas ad illam determinationem non eſt determinata, ac proinde eſt libera. Vnde, talis determinatio non repugnat libertati; vt infrà, de electione dicemus.

3 Omnis determinatio quę non eſt in poteſtate voluntatis, repugnat libertate.

Probari poteſt hæc ſententia; Primò, ex Scripturis, Ioſue 24. *Optio vobis datur, eligite quod vobis placet.* Similia ſæpè locis aliis. Atqui abſurdè daretur optio ei, cuius voluntas ſit ad alteram partem determinata, vel determinanda per aliam motionem præuenientem, quę non ſit in eius poteſtate.

Scripturæ

Eccleſiaſtici 15. *Deus reliquit hominem in manu conſilii ſui, adiecit mandata & præcepta, ſi volueris mandata ſeruare, ſeruabunt te*, &c. At, quomodo eſt in manu conſilii ſui, qui neceſſario ſequitur determinationem aliunde immiſſam. Item quomodo dicitur, *Si volueris*, cum non poteſt velle, niſi aliunde determinetur.

Eccleſiaſtici 31. Laudatur, *qui potuit tranſgredi & non tranſgreſſus eſt*: erat ergo iſte indeterminatus ad vtrumlibet, & poterat vtrumlibet. Omitto alia loca quibus hæc indifferentia ſignificatur.

Secundo, Probari poteſt ex Conc. Trid. Seſſione 6. c. 5 & Canone 4. Vbi Concilium apertè requirit ad liberum conſenſum, vt voluntas, poſita gratia præueniente, qua poteſt conſentire, poſſit etiam diſſentire, ac proindè, vt immediatè ſit ſufficiens ad conſenſum & diſſenſum, quare, ad neutrum determinatur. De quo loco infra Tractatu de Gratia. Trident.

Tertiò, Ex Patribus, qui multis modis hanc indeterminationem indicant. Primò, cùm dicunt hominem eſſe liberi arbitrii, eò quòd ſolutam ab omni neceſſitate, & in ſua poteſtate ſitam à Conditore vitam acceperit. Secundò, Cùm dicunt hominem per voluntatem eſſe dominum ſuarum actionum. *Hoc enim, eſſe dominum*, ſignificat illum nulli ſuarum actionum eſſe adſtrictum, & vnamquamque dum elicit, ſic elicere, vt poſſit non elicere. Tertiò, Cùm dicunt in poteſtate voluntatis eſſe eligere & non eligere, & flectere ſe ſemper in vtramuis partem. Vbi etiam apertè indicatur indifferentia cum poteſtate ad vtrumlibet. Quartò, Cùm dicunt cuique ſuæ voluntatis habenas commiſſas. Teſtimonia Patrum fusè recitantur ab iis qui contra hæreticos ſcribunt, vt à Bellarmino & aliis. Patres.

Quartò, Probari poteſt ex ipſis nominibus, quibus Patres hanc vim explicant. Latini enim vocant *Liberum arbitrium, liberam poteſtatem: liberum*, ſcil. ab omni neceſſitate, ab omni determinatione & vinculo ad alteram partem contradictionis conſtringente, ſcil. ad velle, aut ad nolle: ad agere, vel non agere. Quòd ſi in eo poneretur aliqua determinatio ad alteram partem, iam non eſſet liberum, ſed ſeruum arbitrium: quo modo hæretici, ponentes huiuſmodi determinationem illud vocant. *Arbitrium* dicitur, quia eſt poteſtas faciendi id quod velis; nam & hoc quoque arbitrium ſignificat: vnde Latini dicunt, *Reſiſta non*

Ex vi nomi nis. Apud Latinos.

Digitized by Google

eſt mei arbitrii. Idem patet Numer. 30. *In arbitrio viri erit vt faciat, vel non faciat.*

Græci Patres vocant hanc vim, τὸ αὐτεξούσιον, de quo vide Damaſcenum lib. 2. c. 25. & Nemeſium c. 39. de Homine Caluinus lib 2. Inſtitutionum. c. 2. dicit id eſſe nomen nimis arrogans. Sed quid aliud ſignificauit Apoſtolus 1. Cor. 7. cum ait, ἐξουσίαν ἔχει περὶ τοῦ ἰδίου θελήματος poteſtatem habens propriæ voluntatis. Nam ſignificatur hoc nomine quòd voluntas ſit ſui potens, (dicitur enim αὐτεξούσιον quaſi ἑαυτῆς ἔχον ἐξουσίαν) nempe vt ſe moueat ad ſuos actus, vel vt ſe cohibeat tamquam indifferens ad illos, & tamen ſufficiens. Idem ſignificatur cùm dicitur habere dominium actuum.

9 Scholaſtici. Henricus

Quinto, Probari poteſt ex DD. Scholaſticis, qui communiter ita docent: Henricus Quodlib. 9 qu. 5. *Cum voluntas ſit libera, & domina ſuorum actuum*, inquit, *impoſſibile eſt vt ab alio procedat ad actum volendi; hoc enim repugnat voluntati: nam non minus ageretur voluntas, quam appetitus ſenſitiuus. Vnde, ſi Deo agente (nimirum prius natura) fieret de non volente volens, non eſſet ille actus liber, nec laudabilis: nam actio libera debet eſſe in poteſtate ipſius agentis, ita vt ab alio non moueatur, licet aliquo aſſiſtente & cooperante, vt Spiritu ſancto, vel per ſe & immediate, vel per aliqua dona ſua, vel vtroque modo* Hæc ille. Nihil poteſt dici clarius contra illam determinationem.

Scotus

Scotus in 1. d. 3. hoc euidenter docet, inter cætera ſic ſcribens: *Actus primus* (id eſt, liberum arbitrium habens ſe per modum actus primi, ſeu principii ſufficienter præparati ad eliciendũ actũ ſecundum) *conſideratus in illo inſtanti, in quo eſt prior naturaliter actu ſecundo, id eſt, volitione, ita ponit illum in eſſe, tamquam effectum ſuum contingentem, vt prior natura poſſit aque ponere aliud oppoſitum in eſſe.* Idem in 3. d. 18. loquens de actu meritorio: *Voluntas*, inquit *in prime inſtanti, vt prior natura ſua actu, ita contingenter elicit actum, ac ſi per diem præceſſiſſet actum.* Atqui nulla cauſa prius determinata, contingenter agit: nam cauſa determinata ſemper agit quamdiu eſt determinata. Perſpicuum eſt ergo Scotum velle voluntatem, vt libere agat debere eſſe prius natura indeterminatam, & nullam præcedere in ipſa determinationem. Idem docet in 2. d. 39. q. 2. & in 4. d. 1. q. 1. ad vltimum.

Marſilius.

Marſilius in 2. q. 16. a. 4. *De natura agentis liberi eſt, vt omnibus eodem modo habentibus poſſit in oppoſita.* Item. *Vt poſſit ſe determinare ad acceptationem & refutationem* Et infrà: *Cauſa determinans voluntatem ad volitionem liberam, non eſt aliud quam ipſa voluntas per ſuam libertatem.* Vide eundem toto illo articulo.

Occam.

Guil. Occam Quodlib. 1. q. 16. *Libertas, eſt poteſtas qua poſſum eundem effectum cauſare & non cauſare, nulla diuerſitate circa ipſam potentiam facta.* Et infrà: *Omnibus requiſitis ad actum volendi poſitis, poteſt voluntas actum volendi elicere, & non elicere, ſine omni actione intrinſeca, ſolum propter ſuam libertatem.* Idem docet in 1. Sent. d. 38. q. vnica & Gab. d. ead. q. vn. Not. 6.

Vbi aduerte, Hos DD. non ſentire voluntatem non eſſe liberam, reſpectu actus quem elicit, aut in eo inſtanti in quo agit (vt quidam eis tribuunt) ſed tantum docent, libertatem voluntatis non conſiſtere in eo, quod voluntas eodem inſtanti quo elicit actum, poſſit non elicere: ita vt ſimul ſtent elicere & non elicere: aut in eo, quod habeat potentiam ad oppoſita ſimul habenda, ſed in eo quod poſſit agere & non agere ſucceſſiuè, ſic vt eo inſtanti quo agit, habeat potentiam, vt immediatè poſt hoc inſtans ceſſet ab agendo, poſſitque non agere: & dum non agit, poſſit immediate poſt hoc inſtans incipere agere, nulla facta variatione circa aliquid eorum quæ ſunt prærequiſita ad agendum vel non agendum. Quæ ſententia veriſſima eſt, loquendo de libertate creaturæ, de qua ipſi agunt: nec repugnat ſententiæ aliorum DD. & bene explicat naturam potentiæ liberæ.

Idem Occam. in 2. q. 5. *Deus non attingit effectum prius quam cauſa ſecunda, niſi quia perfectius & illimitatius & independentius.* Quod etiam docet D. Thomas Scotus expreſſe in 2. d. 37. & Gabriel ibidem, & Caiet. 1. p. q. 14. a. 13. & q. 19. a. 8.

D. Thomas paſſim docet, voluntatem ideo eſſe liberam, *quia eſt domina ſuorum actuum, & quia habet poteſtatem ad actus oppoſitos.* Quod non poteſt eſſe verum, ſi determinetur ad alteram partem, & illa determinatio non ſit in eius poteſtate. Neque enim erit domina, aut habebit poteſtatem ſui actus ante determinationem: quia ſine determinatione non poteſt agere: neque quando iam erit determinata, quia tunc non poterit non agere. Vide D. Thomam ſupra q. 1. a. 1 & infrà q. 10 a. 4. vbi expreſſe dicit, *Voluntatem non determinari ad vnum, ita vt neceſſariò ad illud moueatur, ſed ita vt motus eius ſemper ſit contingens.* Vide eumdem infrà, q. 112. a. 2. q. 113. a. 1. & 5. & in 2. Sentent. d. 24. q. 1. a. 1. ad 1. De Veritate q. 22. a. 6. in Corp. Luculenter mentem ſuam exprimit *de malo q. 6. in Corp.* vbi ſic ait: *Quidam poſuerunt, quòd voluntas hominis ex neceſſitate mouetur ad aliquid eligendum, nec tamen ponebant, quod voluntas cogeretur: non enim omne neceſſarium eſt violentum: ſed ſolum id, cuius principium eſt extra: violenti autem principium eſt extra.* Deinde poſt pauca: *Hæc autem opinio eſt hæretica: tollit enim rationem meriti & demeriti, in humanis actibus: non enim videtur eſſe meritorium, vel demeritorium, quod aliquis ſic ex neceſſitate agit, quòd vitare non poſſit. Eſt etiam annumeranda inter extraneas Philoſophiæ opiniones, quia non ſolum contrariatur fidei, ſed ſubuertit omnia principia Philoſophiæ moralis: ſi enim non ſit liberum aliquid in nobis, ſed ex neceſſitate moueamur ad volendum, tollitur deliberatio, exhortatio, præceptum, & punitio, & laus, & vituperium, circa, quæ moralis Philoſophia conſiſtit.* Hactenus S. Thomas.

Menſe Iulio An. 1643.

Obſerua Lector. *Sub hoc ipſum tempus, quo hæc typis mandantur, venit Bulla ab* Vrbano VIII. *Pontifice Maximo contra Librum, cui titulus* Auguſtinus Cornelii Ianſenii Iprenſium Epiſcopi, *cuius primarius ſcopus erat, eſtendere Chriſti redemptoris gratiam voluntatem neceſſitare ad conſenſum, in quo renocare, ac reſtituere conatus fuit inter alias.* Michaëlis Bay *damnatas propoſitiones, hanc:* Quod voluntariè ſit, etiamſi neceſſario fiat, liberè tamen fit. Cui malo, *inquit Pontifex*, in ſcandalum totius Reip. Chriſtianæ & Fidei Catholicæ perniciem vertenti, opportunum remedium adhibere volentes, hac perpetuo valitura Conſtitutione, Pii & Gregorii Prædeceſſorum Conſtitutiones perpetuo confirmamus & approbamus. *Itaque conformiter ad doctrinam Angelici Doct. & Auctoris noſtri, iam à tribus Pontificibus damnata eſt Propoſitio*: Cum neceſſitate operandi libertatem conſiſtere. Bonauent.

Idem docet D. Bonauentura in 2. d. 25. q. 2. vbi etiam oſtendit actum liberum debere eſſe deliberatum. At ſi voluntas aliunde debeat de-

gitized by Google

terminati, fruſtrà eſſet deliberatio. Et d. 37. q. 1. ad vltimum, docet Deum non præuenire voluntatem per ſuam operationem, niſi excitando per gratiam præuenientem: præter hanc excitationem, nullam eſſe præuentionem, ſed ſolùm cooperationem, quæ non præueniat.

Durandus. Durandus in 2. d. 24. q. 1. n. 4. *Liberum arbitrium non inclinat determinate ad bene vel male operandum, ſed indifferenter ad vtrumque. Nam libertas nominat illam proprietatem voluntatis, quam habet reſpectu eorum, ad quæ non neceſſitatur.* Et quæſt. 2. num. 12. *Libertas arbitrii eſt, qua quis poteſt in aliquem actum vel eius oppoſitum contrarie, vel contradictorie, & ſic libertas excludit omnem neceſſariam habitudinem.*

Arimineſis. Gregorius Arim. in 2. d. 35. quæſt. 1. art. 3. *Deus ſequitur determinationem voluntatis, non quod determinatio voluntatis ſit aliqua entitas diſtincta à voluntate & actu eius, quæ primo fiat à voluntate (ſicut imaginari videtur argumentum.) Nec etiam intelligendum, quòd priùs natura voluntas agat actum illum, quàm Deus proprie loquendo de priori natura, quoniã ſequeretur quod poſſet illud agere, Deo non cooperante: ſed ad hunc ſenſum dico Deum ſequi determinationem voluntatis, quoniam ideò Deus agit actum illum, quia eum voluntas agit, & non ideò quia Deus agit, voluntas agit. Et ideò magis proprie dicitur cogere voluntati quam voluntas dicatur cogere Deo.* Omitto alios plurimos recentiores.

10 Probatur ratione. Sextò Probatur ratione vnica. Si voluntas ad actum liberum eſſet determinata, idem actus eſſet liber & neceſſarius: quod implicat, eſtque damnatum à duobus Pontificibus in hac propoſitione: *Id quod voluntarie fit, libere fit, etiamſi neceſſario fiat.* Illud autem ſequi probatur. Nam non eſt in poteſtate voluntatis, vt illam determinationem habeat vel non habeat, vti ſupponimus (nam actum liberum præuenit:) illa vero determinatione poſita, non eſt in poteſtate voluntatis actum impedire, hoc autem eſt actum eſſe neceſſarium. Omitto quæ dicta ſunt 1. p. q. 19. a. 8.

Ex his colligi poteſt, duo quædam propria eſſe cauſæ liberæ, nempe indifferentiam ſeu indeterminationem ad ſuum actum & poteſtatem immediatam ad vtramlibet partem contradictionis.

Definitio actus liberi Vnde actus liber duobus modis definiri poteſt. Primò, ſic: *Actus liber eſt, qui procedit à potentia, quæ in omni inſtanti priori & temporis & naturæ ſit ad ipſum indeterminata.* Hanc habet Scotus in 1. d. 39. & in 3. d. 18.

Secundò, ſic: *Actus liber eſt, quem potentia ſic producit, vt poſitis omnibus ad illum prærequiſitis, poſſit illum non producere.* Hanc paſſim ponunt DD.

Differentia inter actus liberos & neceſſarios. Quæ definitiones faciliùs intelligentur, ſi explicetur differentia quæ eſt inter actus liberos & neceſſarios. Dicuntur autem actus neceſſarii, ſeu neceſſario ab aliqua potentia procedentes, *ad quos ipſa potentia priùs natura eſt determinata, quàm operetur*: vt ignis neceſſario calefacit aquam admótam, quia per calorem eſt determinatus ad illam actionem, patiente applicato. Oculus neceſſariò videtrem obiectam, poſitis omnibus neceſſariis ad viſionem, ſcilicet, lumine, ſpecie & obiecto. Nam tunc per ſpeciem, lumen & obiectum, eſt determinatus ad illam viſionem. Appetitus ſenſitiuus apprehenſo obiecto delectabili per imaginationem, neceſſariò delectatur, niſi voluntas impediat, quia per apprehenſionem determinatur ad illam delectationem, ita vt non poſſit ſe cohibere. Denique idem cernitur in intellectu, vt infrà dicemus. Et hæc determinatio, ſaltem ordine naturæ prior eſt quam ipſa operatio.

Idem dicendum de omnibus aliis potentiis operatiuis quæ ſunt in mundo, excepta voluntate, vt recte docet Scotus in 2. d. 39. q. 2. in fine. Voluntas enim etiamſi apprehendat obiectum (vt bonum eſſe agere pœnitentiam, dare eleemoſynam) imò, etſi Deus immittat illi bonam inſpirationem, & piam affectionem, qua ad hoc afficiatur, manet tamen indeterminata ad conſenſum, quo id abſolutè velit, ita vt poſitis omnibus neceſſariis ad conſenſum, poſſit non conſentire. Itaque ſola voluntas, vt eſt prior natura ſuo actu, manet ad illum indeterminata, eſtque potens ex ſua indifferenti poteſtate illum elicere & non elicere; cùm omnis alia potentia operatiua, ſiue creata ſiue increata ſit determinata priùs natura quàm operetur: ita vt ſuam operationem cohibere nequeat.

11 obiectiones contra inde terminationẽ voluntatis ſoluuntur. Sed contrà. Obiicitur Primò, Si talis indeterminatio eſt de ratione libertatis, ergo Deus non eſt liber. Patet conſequentia: quia eius voluntas non eſt priùs tempore, vel natura indeterminata ad ſuum velle quàm velit: nam ab æterno voluit quidquid voluit: æterno enim nihil eſt prius. Rurſus; ergo Adam & Angeli in primo inſtanti ſuæ creationis non potuerunt habere actus liberos, quòd expreſſe eſt contra D. Auguſtinum de Geneſi ad litteram variis locis: & contra communem DD. ſententiam. Hoc ſequi, Patet; quia voluntas eorum non fuit priùs tempore indeterminata: nam ante primum inſtans ſuæ creationis non extabat in rerum natura, vt poſſet eſſe indeterminata.

Reſpondeo, Non dicimus eſſe de ratione actus liberi, vt voluntas prius tempore & natura ſit indeterminata, quàm operetur: ſed vt in omni inſtanti priori & temporis, & naturæ, quàm actum eliciat, ſit indeterminata. Quæ quantum differant, nemo non videt. Non enim dicimus debere aliquod inſtans temporis præcedere actum, ſed ſi detur inſtans prius, ſiue temporis, ſiue naturæ, in quo voluntas exiſtat, in eo inſtanti voluntatem debere eſſe indeterminatam ad ſuum actum. Secus res habet in omnibus aliis potentiis operatiuis, quæ ſemper priùs natura quàm agant, ſunt determinatæ.

quo modo in Deo ſit libertas. Quod ad voluntatem diuinam attinet, ea non eſt actus aliquis realiter à voluntate diuina elicitus, de quali actu nobis hîc eſt ſermo; ſed eſt ipſa Dei eſſentia: vnde non eſt neceſſarium in diuina voluntate aſſignare aliquam naturæ prioritatem, qua voluntas ſit prior ſuo velle. Poteſt tamen aſſignari aliquod inſtans rationis, habens fundamentum in re ipſa. Nam priùs ratione voluntas diuina eſt indeterminata, vt velit creaturas eſſe, quàm ipſas velit, adeo vt in illo priori, ſicuti poteſt eas velle, ita poſſit nolle.

Obiicitur Secundo, Dum voluntas vult, eſt determinata ad velle: ſed hæc determinatio non impedit quò minùs actus ſit liber: ergo libertati non repugnat determinatio.

quomodo voluntas etiam tunc cum vult, ſit ſecundum ſe indeterminata. Reſpondeo Primò, Dum voluntas vult, eſt quidem determinata ad velle: ſed hæc determinatio eſt in pleniſſima ipſius poteſtate, ita vt poſſit eam habere, vel non habere prout voluerit. Quò fit, vt voluntas ſecundùm ſe ſit indeterminata ad hanc determinationem: quod ſic patet. Nam hæc determinatio, qua voluntas determinatur ad velle, nihil aliud eſt, quam liber influxus voluntatis in ipſum velle, ad quem influxum voluntas ſecundùm ſe eſt indeterminata: nam poteſt illum cohibere. Secus eſt de determinatione præueniente, quæ non eſt in poteſtate voluntatis.

Reſpondeo

Reſpondeo Secundò, etiamſi voluntas dum vult, ſit determinata ad velle, ſcilicet per ſuum liberum influxum, tamen ſecundùm ſe, ſeu quatenus eſt natura prior ſuo velle, ſemper manet ad illud velle indeterminata, etiam in eodem inſtanti, in quo iam vult. Nam poteſt ex ſua indifferenti poteſtate etiam tunc ſuspendere ſuum velle, & elicere nolle. Secùs eſt, ſi voluntas determinaretur priùs natura, quam velit, ſic vt poſita illa determinatione non poſſit ſe flectere ad nolle. Talis enim determinatio repugnat libertati.

Obiicitur Tertiò: Talis erat ratio liberi arbitrii in ſtatu innocentiæ, vt ei præueniens determinatio repugnaret. Nunc verò quando voluntas adeo eſt debilitata per peccatum originale, vt nihil poſſit boni ad pietatem pertinens facere, niſi ad hoc efficaciter determinetur, alia eſt quærenda definitio actus liberi. Confirmatur ex D. Auguſtino l. de Corrept. & gratia c. 12.

Reſpondeo, Liberum arbitrium eſſe quidem debilitatum, non tamen extinctum. Extinctum autem eſſet, ſi id, quod ad eius eſſentiam olim pertinebat, iam non pertineret. Nam ratio rei ſemper debet eſſe eadem. Quare, cum debilitatum ſit, recte ſequitur, debere corroborari per vires gratiæ illi ſuperadditas; ſic tamen vt poſt omnem illam corroborationem maneat indeterminatum, habeatque in ſua poteſtate ſeſe flectere in vtramuis partem, non minus quàm in ſtatu innocentiæ.

Neque contrarium ſentit D. Auguſtinus lib. de correptione & gratia c. 12. vbi ait, *Subuenitur eſſe humanæ voluntatis infirmitati poſt peccatum Adami, vt indeclinabiliter & inſeparabiliter à diuina gratia ageretur* Senſus enim eſt, vt ita ageretur, non, vt non poſſit declinare à recto, ſed vt reipſa non declinet: vt patet ex verbis quæ ibidem ſubiicit: addit enim, *Et ideò, quàmuis infirma, non deficiat.* Verum de hoc loco, & ſimilibus in Tractatu de gratia.

Obiicitur Quartò, Deus eſt infinitæ ſapientiæ & potentiæ: ergo non deeſt illi modus, quo voluntatem determinet: & tamen ita ſuauiter inclinet, vt ipſa liberè operetur, Confirmatur: Quia eius determinatio non tollit naturalem facultatem ad contrarium, neque illam aliqua qualitate inficit, ob quam non poſſit in contrarium ferri.

Reſpondeo Primò, Hic non quæri quid Deus per abſolutam potentiam poſſit, ſed quidnam rerum naturis ſit conſentaneum. Et Affirmamus non eſſe conſentaneum naturæ liberi arbitrii, vt ad ſuos actus determinetur.

Implicat eſſe determinatum & tamen liberè operari.

Reſpondeo Secundò, per nullam potentiam fieri poſſe, vt voluntas determinetur ad actũ determinatione præueniente, quæ non ſit in eius poteſtate (de qualibet hic agimus) & tamẽ liberè operetur: hoc enim implicat. Eſſe enim liberum, eſt eſſe indifferens & indeterminatũ, ita vt ſicut ſe poteſt flectere ad hoc, ita poſſit ad oppoſitum Atqui repugnat, & eſſe indeterminatum, & eſſe determinatum: ſicut etiam repugnat, vt vnus idemque actus ſit liber, & neceſſarius.

Ad Confirmationem, Et ſi naturalis facultas tendendi in contrarium maneat: tamen poteſtas vtendi illa in contrarium, non manet: poſita enim determinatione ad vnum, voluntas non poteſt vti ſua facultate, vt tendat in contrarium Sicut, ſi Deus de induſtria voluntatem meam ad amorem Chriſti neceſſitaret, maneret quidem facultas naturalis non amandi, & etiam odio habendi, ſed non poſſem tunc ea vti, propter illam determinationem: vnde tunc non eſſet libera in illo actu. Neque tunc inficeretur aliqua qualitate, quæ naturalem facultatem ad vnum conſtringat.

Adde, ſi, vt voluntas maneat libera, ſatis eſt eã retinere naturalem facultatem tendendi in contrarium. Nulla eſt nobis controuerſia cum hæreticis in reipſa de libertate, ſed ſolum in verbis: nam ipſi facilè hæc omnia admittent. Nulla quoque difficultas in intelligendo, quomodo voluntas per gratiam liberè agat: facillimè enim quiuis intelliget per illam determinationem non tolli naturalem facultatem. Aliæ obiectiones, quæ huc reduci poſſent, expeditæ ſunt partim 1 p. q. 19. partim expediendæ infra ſuis locis

DVBIVM II.

Vtrùm intellectui conueniat formaliter eſſe liberum?

15 Durandus affirmat:

DVrandvs in 2. d. 24. q. 1 n. 15. docet non ſolùm voluntatem, ſed etiam intellectum eſſe potentiam formaliter liberam reſpectu oppoſitorum; idque prius & principalius, quàm voluntatem: quod probat duabus rationibus.

Prior eſt, illi potentiæ priùs & principaliùs conuenit libertas, per cuius actum, prius & principalius habemus dominium cæterorum actuum: ſed cæterorum actuum dominium habemus prius & principalius per actum intellectus, quam per actum voluntatis: ergo intellectui prius & principalius conuenit eſſe liberum, quam voluntati. Maior per ſe patet, inquit Durandus. Minorem Probat: quia, cum per duos actus habeamus dominium cæterorum; ſcilicet per notitiam mediorum, & per electionem eorundẽ; notitia eſt principalior: nam per notitiam habemus in poteſtate ipſam electionem, & conſequenter omnes actus qui electionem ſequuntur.

Altera eſt, Primi actus, qui ſunt in noſtra poteſtate, ſunt iudicium concluſiuum rei eligendæ, & electio: atqui iudicium eſt prius electione: nam electio ſequitur iudicium: ergo prius libertas conuenit iudicio quam electioni.

16 Refutatur.

Sed contrarium omnino tenendum, Vnde:

Dico Primo, Intellectum non eſſe potentiam formaliter liberam, ſeu id ſoli voluntati conuenire. Eſt communis ſententia aliorum DD. in 2. d. 24. & 25 & D. Tho 1. p. q. 82. a. 4. & alibi.

Probatur Primò, quia intellectus prius natura quam intelligat, ſeu iudicet, eſt ita determinatus ad intelligendum, vt non poſſit ſuum actum cohibere: ergo nõ eſt formaliter liber. Conſequentia patet ex definitione libertatis. antecedens probatur, intellectus prius natura quàm intelligat debet eſſe inſtructus ſpecie intelligibili, & applicatus ad conſiderationem obiecti, quia applicatione poſita, neceſſario elicit actum intelligendi.

Intellectus triplici re applicatur ad actum.

Probatur ſecundo, intellectus non ſemper eſt in actu intelligendi, ergo debet ab aliquo applicari. Applicatur autem tripliciter; ſcilicet: vel à voluntate, vel inſtinctu naturali, poſita apprehenſione obiecti in vi imaginatiua, vel à Deo per aliquam inſpirationem naturalem, aut ſuper naturalem: atqui nulla ex his applicationibus eſt in poteſtate intellectus: ergo neque actus qui neceſſario ſequitur, poſita huiuſmodi applicatione.

Probatur Tertiò, ſi intellectus eſſet liber, eſſet liber ad aſſentire & non aſſentire eidem veritati;

item ad aſſentire & diſſentire eidem veritati: ſicut voluntas eſt libera ad velle & non velle idem bonum, item ad velle & nolle idem bonum. Atqui non eſt in poteſtate intellectus eidem veritati aſſentire & diſſentire. Nam illa veritas, vel eſt euidens, & ſic non poteſt diſſentire: vel eſt obſcura, & ſic poteſt quidem diſſentire, ſed hoc habet à voluntate: vt patet in rebus fidei, vbi aſſenſus & diſſenſus intellectus pendet à voluntate: quò fit, vt alterum ſit meritorium, alterum demeritorium, quod eſt ſignum libertatis in voluntate: non in intellectu. Similiter non eſt in poteſtate intellectus aſſentire & non aſſentire, ſeu aſſenſum cohibere: quia propoſito obiecto euidente, neceſſariò aſſentitur, propoſito obſcuro, non aſſentitur: niſi à voluntate mouetur.

Probatur Quartò, Libertas eſt perfectio ſimpliciter potentiæ liberæ: vnde etiam reperitur in Deo: atqui indeterminatio intellectus non eſt perfectio, ſed magna imperfectio: vnde in Deo non reperitur, cuius intellectus ad omne verum eſt naturaliter determinatus: ergo indeterminatio intellectus non eſt libertas, ſed defectus, ac proinde intellectus non eſt formaliter liber.

Dico Secundò, Poteſt tamen intellectus dici liber fundamentaliter, quia in ipſo eſt fundamentum libertatis, idque ratione amplitudinis ipſius. 17 Hoc ſolùm probant rationes Durandi. Docet hoc D. Thomas in hic, q. 13. art. 6. & alii paſſim Doctores.

Intellectus poteſt dici liber fundamentaliter, non formaliter.

Probatur. Quia ideò voluntas poſitis omnibus neceſſarijs ad volendum poteſt idē velle & nolle, quia intellectus in eadem re poteſt conſiderare aliquam rationem cur illa res poſſit appeti, & aliā cur poſſit reiici: idque non ſucceſſiue tantùm, ſed ſimul. Pari modo, ideò voluntas poteſt idem velle & non velle, ſeu actum ſuum ſuſpendere: quia intellectus poteſt ſimul conſiderare in obiecto, vel ſaltem in illo actu volendi, aliquam rationem boni, & aliquem defectus; verbi gratia, illum actum eſſe laborioſum vel importunum, vel, hic & nunc non neceſſarium. Amplitudo itaque intellectus qua ſimul poteſt eamdem rem, vel eumdem actum ſub diuerſa ratione proponere voluntati, eſt radix libertatis, quæ eſt in voluntate: ſicque mediante hac amplitudine habemus omnes actus voluntatis in noſtra poteſtate. Hæc tamen amplitudo intellectus non eſt libertas formaliter, quia cum hac amplitudine, intellectus poteſt eſſe determinatus ab intrinſeco ad omnia ſua obiecta [vt patet in intellectu diuino] quæ determinatio repugnat libertati. Item hæc amplitudo talis eſt, vt iudicia vel apprehenſiones diuerſæ, ratione quarum eſt libertas in voluntate ad velle & nolle, non inſint eis ſucceſſiuè, ſed ſimul: cum tamen velle & nolle non poſſint ſimul ineſſe voluntati.

Aliter intellectus, aliter voluntas eſt indeterminata.

Nec obſtat, quod interdum auctores dicant, voluntatem eſſe potentiam indeterminatam: quia intellectus eſt potentia indeterminata: aliter enim intellectus, aliter voluntas dicitur indeterminata. Intellectus dicitur indeterminatus, non quod reſpectu eiuſdem veritatis ſit indifferens ad aſſenſum & diſſenſum, ſed quia non eſt aſtrictus ad vnum ſolum obiectum, verum plurima ſimul poſſit conſiderare. Voluntas verò dicitur indeterminata, non propter amplitudinem, qua poteſt plura ſimul velle, ſed quia reſpectu eiuſdem obiecti eſt indifferens ad velle & nolle, aut ad velle & non velle.

Ex his patet, Primò, ſolutio rationum Durandi, 18 quatenus contra noſtram ſententiā intenduntur. Per actum enim intellectus non habemus alios in noſtra poteſtate formaliter, ſed radicaliter, ſcilicet tamquam per fundamentum libertatis, nō autem tamquam per actum formaliter liberum. Vnde ſolùm ſequitur, libertatem priùs conuenire intellectui, tamquam cauſæ & radici, quàm voluntati tamquam ſubiecto formaliter libero. Simili modo dici poſſet libertas priùs conuenire eſſentiæ quàm potentiis: quia eſſentiæ conditio eſt cauſa cur potentia ſit libera. Reſpondeo ad argumenta Durandi.

Notandum eſt, Durandum in hac ſententia ſupponere tria, quæ falſa ſunt. Primum, voluntatem non eſſe liberam in appetendo vltimo fine, cùm tamen ſit libera quoad exercitium actus. Secundum eſt, Iudicium concluſiuum conſilii eſſe actum per ſe liberum, ante omnem actum liberū voluntatis: quod iam refutatum eſt. Tertium eſt, Primum actum liberum voluntatis eſſe electionē medii non neceſſarii ad finem. Ex his infert quartum, Libertatem priùs conuenire intellectui, quàm voluntati.

Patet Secundò Quo modo intelligendum ſit quod multi DD. dicunt, liberum arbitrium eſſe facultatem rationis & voluntatis, & vtramque potentiam complecti. Hoc enim non ita accipiendum eſt, quaſi libertas ſit in vtraque potentia: ſed quia vtriuſque potentiæ facultas requiritur, ſcilicet, amplitudo intellectus, vt fundamentum: indifferentia voluntatis, vt formalis & propriè dicta libertas. 19 Quo ſenſu dicatur liberum arbitrium facultas Rationis & voluntatis.

DVBIVM III.

Quid ſit libertas tum in ipſa potentia, tum in ipſis actibus liberis.

REſpondeo & dico primò, Libertas fundamentalis nihil aliud eſt, quàm ipſa amplitudo intellectus, ſeu vis intelligendi comparata ad omnia obiecta (ſiue illa ſint res, ſiue actus in quibus poteſt aliquam rationem boni, & aliquam defectus conſiderare. Vnde non differt ab ipſo intellectu, niſi ratione: eſt enim ipſa vis intelligendi inadæquatè conſiderata. 20 Libertas fundamentalis, quid.

Dico Secundò, Libertas formalis nihil aliud eſt, quàm vis voluntatis conſiderata, vt eſt indeterminata & tamen proximè ſufficiens ad velle & nolle: ad velle & non velle eiuſdem rei. Itaque non differt, niſi ratione, ab ipſa voluntate, ſed eſt ipſa voluntas inadæquatè conſiderata, ſcilicet reſpectu obiectorum & actuum, in quibus conſideratur aliqua ratio boni, & aliquis defectus. Libertas formalis, quid.

Quod autem ad actus liberos attinet: notandum eſt, alios vocari elicitos, alios imperatos. *Eliciti* dicūtur, qui à voluntate eliciuntur, & in ipſa exiſtunt. *Imperati*, qui ab aliis potentiis eliciuntur voluntatis imperio. Quamquam & in ipſa voluntate eſſe poſſint, dum per vnum actum, alium imperat. Nunc Actus elicitus & imperatus.

Dico Tertio, Libertas in actibus elicitis voluntatis, præter entitatem actus, nihil eſt aliud, quam habitudo ad cauſam indeterminatam, à qua immediatè procedit. Probatur, Quia præter ſubſtantiā actus, & illam dependentiam à cauſa indeterminata, nihil eſt neceſſarium, vt actus voluntatis dicatur liberè fieri. Libertas in actibus elicitis, quid.

Si quæras, quid ſit illa habitudo: Reſpondeo, Eſſe dependentiam à cauſa efficiente indeterminata; dependentia autem, præter rem quæ dicitur dependens, nihil dicit, niſi denominationem extrinſecam à tali cauſa: vt alibi oſtenſum eſt.

Quarto, vt libertas in actibus voluntatis, præter entitatem actus nihil addat, niſi denominationem extrinſecam à cauſa libere.

Libertas in actibus imperatis, quid.

Dico Quartò, Actus aliarum potentiarum vocantur liberi denominatione plane extrinſeca ab actu libero voluntatis, vnde aliquo modo dependent. Itaq; libertas in his actibus nihil eſt niſi denominatio extrinſeca ab actu libero voluntatis.

Confirmatur: Quia omnes actus aliarum potentiarum reſpectu principiorum, à quibus immediate procedunt, ſunt neceſſarii: ergo non poſſunt dici liberi, niſi reſpectu voluntatis, à qua mediate pendent. Atqui non pendent à voluntate, niſi mediãte aliquo actu formali, vel interpretatiuo: ergo ratione huius actus dicuntur liberi.

Exhis patet, actum elicitum voluntatis & imperatum eadem omnino libertate liberum eſſe. Actus enim elicitus eſt liber ſeipſo: quia ipſe per ſe & immediate pendet à cauſa libera: vnde etiam dicitur liber intrinſece: quia per ſuam entitatem ſic dependentem eſt liber. Actus autem imperatus eſt liber formaliter per actum elicitum voluntatis: quò fit, vt non addat nouum meritum actui interno, vt ſuo loco dicemus.

ARTICVLVS. III.

Vtrum voluntarium poſsit eſſe abſque omni actu.

28 CONcluſio eſt, Id quod directe eſt voluntarium: non poteſt eſſe ſine omni actu voluntatis: ſed voluntarium indirecte, ſine omni actu eſſe poteſt.

Aduerte, Non eſſe difficultatem de voluntario directo. Eſſe enim directe voluntarium, eſt eſſe directe volitum, vel eſſe actum, quo aliquid directe volitum eſt. Nihil autem poteſt eſſe directe volitum, niſi per aliquem actum poſitiuum voluntaris.

Indirecte voluntarium quid. Et ad duplic. iter.

Sed difficultas eſt de voluntario indirecte, quod etiam dicitur voluntarium interpretatiue. Voluntarium indirecte dicitur, quod non eſt in ſeipſo volitũ, ſed in alio, ex quo aliquo modo, tamquam ex cauſa, ſequitur: quod dupliciter fieri poteſt. Primò, Si ex actione directe voluntaria ſequatur aliquis euentus præter expreſſam intentionem: ratione tamen aliquo modo aduertente, vt ſi non ſatis circumſpecte emittens ſagittam, aliquem interficias, occiſio erit indirecte voluntaria, quia ſequitur ex actione directe voluntaria cum aliqua rationis aduertentia (aduertebas enim actionem tuam eſſe periculoſam.) Sic qui peccat, indirecte ſeu interpretatiue vult Dei inimicitiam, vitæ æternæ priuationem, & ſimilia. Secundò, Si ex omiſſione voluntaria alicuius actionis ſequatur aliquis euentus, ratione aliquo modo aduertente: vt ſi omittas ſuccurrere proximo in neceſſitate, & ille moriatur, mors eius cenſebitur tibi voluntaria.

Aduerte tamen, non omne illud quod ſequitur ex actione poſitiua, vel omiſſione alicuius actionis cenſeri voluntarium: ſed illud tantum quod tenebaris impedire vt ſtatim oſtendemus.

Prior modus voluntarii indirecti non poterit eſſe ſine omni actu voluntatis: quia ſequitur ex eo quod directe voluntarium eſt, in quo, tamquã in ſua cauſa, eſt volitum. De ſecundo, eſt difficultas. Etquamuis D. Thomas potiſſimum loquatur de euentu, qui ſequitur ex omiſſione, tamen expli-candum eſt generatim de ipſa omiſſione, & de euentu ex omiſſione, quando ſint voluntarii.

DVBIVM.

Quando omiſſio ſit voluntaria.

RESpondeo, Omiſſio eſt voluntaria; primò, Quando eſt directè volita; vt ſi nolis audire Sacrum. Secundò Quando aliquid voluntarie facimus, quod nobis eſt cauſa omiſſionis: vt ſi velis ambulare, & ideirco Sacrum omittas. Tertiò, Poteſt omiſſio actus exterioris vel interioris eſſe voluntaria, ſine omni actu interno vel externo, qui ſit cauſa illius omiſſionis. Colligitur hoc ex D. Thom. in corpore, & ad 3.

23 Omiſſio triplicites voluntaria.

Omiſſio naturom. ſio pure libera.

Probatur, Quia potes omittere Sacrum abſque hoc quod nolis audire Sacrum: aut velis aliquid vnde neceſſariò ſequatur omiſſio Sacri, tamquam effectus; ſeu, quod ſit tibi cauſa cur Sacrum omittas: pari modo potes omittere internos actus: vt actum amoris Dei, odii peccati, abſque alio actu interno, qui tibi ſit cauſa omittendi. Datur ergo omiſſio exterior, & interior voluntaria ſine omni actu.

Ratio à priori eſt; quia, ſicuti voluntas liberè poteſt velle, ſcilicet audire Sacrum, & nolle: ita etiam poteſt ſuum actũ ſuſpendere, vt neque velit neque nolit. Et hæc ſuſpenſio (quæ nihil aliud eſt, quàm omiſſio actus interni) eſt omninò libera, ac proinde voluntaria, & conſequenter etiam omiſſio exterior eam conſequens, erit voluntaria. Vide infrà q. 7. a. 6.

Aduerte tamen, tria requiri vt omiſſio hoc tertio modo ſit voluntaria. Primò, vt id quod omittis, poſſis facere. Si enim quod omittis, non eſt in tua poteſtate præſtare, omiſſio non erit tibi voluntaria, etiamſi eſſet expreſſe volita: vt ſi ob morbum non poſſis audire Sacrum, vel recitare officium, omiſſio iſta, etiamſi fortè à te ſit volita, non tamen tibi cenſetur voluntaria: quia non pendet à tua voluntate, ſicut effectus à cauſa: ſed pendet à morbo: vnde etiamſi eſſet lata excommunicatio in omittentem, non incurreres illam, quamuis ex malitia illam omiſſionem velles. Sic, qui omittit ſoluere cum non poſſit, omiſſio illa non eſt ei voluntaria: neque contra iuſtitiam, etiamſi ipſe ex malitia nollet ſoluere.

Vt hæc omiſſio ſit voluntaria, tria requirũtur.

Secundò, Vt aduertat ſe poſſe facere idque vel diſtinctè, vel ſaltem in confuſo: ſi enim nullo modo aduertat, omiſſio non erit voluntaria. Ratio eſt, quia quidquid actu eſt voluntarium, debet eſſe aliquo modo cognitum: alioquin quidquid homo quouis momento non agit, cenſeretur voluntariè omittere: vnde ſingulis propè momentis haberet innumeras omiſſiones voluntarias, quod abſurdum.

Tertiò, Requiritur vt non agat. Hoc enim per ſe primò eſt neceſſarium ad ſubſtantiam omiſſionis.

Quidam addunt quartum, ſcilicet, vt opus quod omittitur, ſit præceptum. Verum, etſi præceptum operis ſit neceſſarium, vt omiſſio ſit culpabilis: non tamen vt ſit voluntaria. Probatur, quia omiſſio rei nõ præceptæ, poteſt eſſe directè voluntaria: vt non ducere vxorem, non ingredi Religionem. Ergo etiam indirecte, nempe tunc quando voluntas ita ſe gerit, ac ſi directe vellet omittere: vt cum quis abſque hoc quod velit aut nolit, Sacrũ non præceptum negligit. Confirmatur: quia ſicut voluntas volendo eſt cauſa operis: ita non volendo ſeu ſuſpendendo ſuum velle, eſt per ſe cau-

24 Non requiritur vt opus quod omittitur, ſit præceptum.

Digitized by Google

vel certè contra formalem, qualis eſt inter formas, quæ ſe viciſſim expellunt: vt ſi diuina virtute cum calore in aqua conſeruaretur frigus; tunc enim vtraque forma alteri eſſet violenta, ſeu violentè illi coëxiſteret. Quidquid igitur in tota creatura fit à cauſa extrinſeca, ſiue creata, ſiue increata, contra inclinationem rei, eſt violentum.

18 Quid Coactum.

Coactum autem dicitur, *quod à cauſa extrinſeca infertur contra appetitum elicitum.* Vnde ſolum locum habet in brutis, hominibus, & Angelis: ac proinde minùs latè patet quam violentum. Omne enim coactum, eſt violentum, non contra, vt patet ex definitione. Nec obſtat, quòd dicamur aliquid facere coacti, quod tamen à principio intrinſeco, ſcilicet voluntate & potentia motiua facimus: quia talis eſt imperfecta coactio: quatenus nimirum eſt à cauſa extrinſeca contra quandam voluntatem imperfectam & inefficacem: vt eſt id quod cum metu facimus: vellemus enim non facere, ſi commodè poſſemus: omnibus tamen conſideratis abſolutè volumus: His poſitis.

DVBIVM I.

Vtrum voluntati aliquo modo poſſit vis inferri circa actus internos ipſi inexiſtentes, vel circa huiuſmodi actuum carentiam?

19 Nominales.

OMiſſa quorumdam Nominalium ſententia, qui putant actus voluntatis extrinſecus infundi poſſe.

Dico Primò, Fieri nullo modo poſſe, vt voluntas vim patiatur circa ſuos actus internos, quibus, v. g. vult, amat, odit, gaudet, ſiue, vt iſti actus ſint violenti.

Probatur. Quia fieri nequit, vt iſti actus voluntatis, ſint à principio extrinſeco, voluntate, nihil ad eos cooperante: ergo fieri nequit, vt ſint violenti. Conſequentia patet à definitione. Antecedens probatur, Quia omnis actus quo voluntas vult, eſt actus vitalis, & vita quædam, de cuius ratione eſt procedere à principio intrinſeco: vt ſupra oſtenſum eſt. Hinc infero idem dicendum de actibus intellectus, ſenſuum interiorum & exteriorum, & appetitus ſenſitiui, comparatis ad potentiam, à qua eliciuntur: nullus enim huiuſmodi actus poteſt eſſe violentus, reſpectu ſuæ potentiæ, cuius eſt actus vitalis: vt etiam rectè docuit Durandus in 2. d. 25. q. 3. Aduertè tamen, Etſi nullus actus voluntatis poſſit eſſe violentus, vel coactus, poteſt tamen aliquis eſſe inuoluntarius vt patet in primis motibus rationem præuenientibus: ſunt enim contra voluntatem elicitam non tamen ſunt à principio extrinſeco, vt poſtulat violentum.

Nullus actus poteſt eſſe violentus reſpectu ſuæ potentiæ

Dico Secundo, Etiamſi huiuſmodi actus ſecundùm ſuam ſubſtantiam producerentur à ſolo Deo in voluntate, non poſſent tamen eſſe violenti reſpectu naturalis inclinationis voluntatis: poſſent tamen eſſe violenti & coacti reſpectu appetitus elicitiui.

Nullus actus, etſi extrinſecè infuſus, poteſt eſſe violentus potentiæ naturali.

Prior pars eſt Durandi ſupra, & probatur: Quia inclinatio voluntatis eſt ad omnem actum quem poteſt recipere, neque renititur in recipiendo: ſicut & in cæteris potentiis eſt inclinatio ad omnem actum, cuius potentiæ ſunt capaces, quæ non renititur: in intellectu ad omnem intellectionem recipiendam: in viſu ad omnem viſionem: ſicut in materia eſt potentia ad omnem formam. Itaque voluntas reſpectu naturalis potentiæ non poteſt vim pati.

Altera pars probatur: Quia voluntas per actum elicitum poteſt reniti infuſioni talis actus; ſicut & infuſioni habitus, & gratiæ, expreſſe nolendo, vt talis actus vel habitus infundatur: & ſic talis infuſio erit violenta & coacta: vtpote renitente voluntate per actum elicitum.

Amorem & odiũ nullo modo poſſe eſſe in eodẽ, reſpectu eiuſdem.

Hinc inferunt, Gregorius in 2. d. 25. & alii Nominales, fieri poſſe per potentiam Dei abſolutam, vt ſimul in voluntate exiſtant volitiones contrariæ, v. g. Vt quis ſimul Deum odio habeat per actum à ſe elicitum, & amet per actum à Deo infuſum, qui odio ſit contrarius.

Sed reuera neque id ſequitur iuxta noſtram ſententiam: neque vllo modo videtur verum.

Primò, Quia per iſtum amorem violentè infuſum, voluntas non amabit Deum; amare enim eſt vitaliter in ſe amorem elicere. Secundò, Quia iſte amor infuſus naturaliter excludet odium: Deus enim non poteſt illud ſupernaturaliter conſeruare, quia eſſet auctor peccati. Tertiò, Etiamſi cætera omnia concederentur: iſti tamen actus non poſſunt eſſe ſimul, quia alter alterius obiectum viciſſim interimit: amor enim ſtatuit bonum, & tollit malum: odium ſtatuit malum, & tollit bonum. Vnde, ſicut implicat vt quis ſimul effectum det bonum, & tollat: ita etiam implicat vt ſimul affectũ de: & tollat, quod fit per amorem & odium. Pari ratione non poteſt quiſpiam eidem veritati ſimul aſſentire & diſſentire: quia aſſentiendo, ſtatuit eſſe verum, & non falſum: diſſentiendo, ſtatuit eſſe falſum, non verum.

Quidam aliam rationem afferunt, nempe requiri, vt verſentur circa idem obiectum eodem modo apprehenſum, & ſub eadem ratione. Vnde ſi verſentur circa diuerſa obiecta, vel circa idem diuerſo modo conſideratum, non fore contraria. Sed hæc ratio non videtur vera: ſicut enim, vt duo aſſenſus ſint contrarii, non eſt neceſſe, vt ob eamdem cauſam diſſentias, ob quam alius aſſentit: ſed ſufficit, vt abſolutè diſſentias negans eſſe verum, quod alius affirmat eſſe verum, etiamſi diuerſis rationibus moueamini: ita, vt amor, & odium ſint contraria, non requiritur vt eadem ſit cauſa amoris & odii. Confirmatur, Quia alioquin non eſſet poſſibile odium, quod ſit contrarium amori diuino. Nam fieri nequit vt Deus odio habeatur propter excellentiam ſuæ bonitatis, ob quam amatur, ſed ob aliam cauſam habetur odio, nempe quia pœnam infert. Itaque ſolum requiritur vt vnum idemque obiectum abſolutè ametur, volendo ipſi bonum, & non malum, & abſolutè odio habeatur volendo illi malum, & nullum bonum, etiamſi ob diuerſas rationes id fiat. Fateor tamen maiorem eſſe contrarietatem actuum, quando eſt eadem ratio & cauſa.

Dico Tertiò: Etſi voluntas non poſſit vllo modo vim pati in actionibus ſuis eliciendis, ſiue in actibus poſitiuis; poteſt tamen aliquo modo vim pati in non eliciendis, ſeu in actuum carentia. Vbi

Notandum eſt, dupliciter, voluntatem impediri poſſe, ne amet, aut odio habeat, aut delectetur.

Voluntas dupliciter poteſt ab actu ſuo impediri.

Primò, Si Deus intellectum diſtrahat, voluntate renitente, ne de re amanda cogitet, ne delectetur affectus. Hîc proprie & immediatè voluntas nõ patitur vim circa carentiam ſui actus, quaſi violenta ſit illi hæc amoris vel delectationis carentia: quia hæc carentia prouenit voluntati ab intrinſeco (intellectu enim non valente comprehendere obiectum amabile, ſecundùm inclinatio-

nem naturalem voluntatis est, vt careat affectu amoris illius obiecti) sed immediatè vim patitur circa carentiam actus intellectus: quia intellectus à causa extrinseca impeditur à consideratione obiecti contra renisum voluntatis. Vnde ipsa etiam voluntas remotè seu mediatè vim patitur circa carentiam sui actus, qui debebat sequi ex consideratione intellectus.

Secundò, Potest voluntas impediri subtractione concursus diuini, immediatè ad ipsius actum necessarii, idque apprehenso iam obiecto per intellectum, & voluntate ad illud vel habitu vel motu præueniente affecta: quo modo quidam doctores putant confirmatos in gratia non posse mortiferè peccare. Etsi enim apprehendat bonum delectabile, & voluntas ad illud motu aliquo primo sollicitetur; tamen si Deus nolit præbere suum concursum ad eliciendum consensum, non poterunt consentire. In hoc & simili casu Almainus Tract. primo moralium c. 2. & Palud. in 4. quem ibidem citat, putant voluntatem violentè impediri, & carentiam consensus esse violentam ipsi: & ratio est quia prouenit à principio extrinseco, scilicet à Deo suspendente suum concursum: & est contra voluntatis inclinationem, quam habet ad illum consensum, ratione primi motus, seu affectus præuenientis.

Almainus Palud.

Quæ sententia, quod ad rem attinet, mihi placet, eamque tradit Gabr. in 2. d. 25. q. vnica, a. 3. propositione tertia. Nam sicut potest fieri vis alicui rei, inferendo aliquid positiui contra naturalem inclinationem vel appetitum elicitum, ita potest fieri vis subtrahendo aliquid positiui contra rei inclinationem, quod fit per potentiam causæ superioris suspendentis suum influxum, quem causa inferior postulabat. Quo modo dici potest, ignem Babylonicum per vim prohibitum diuinitus ab vrendo: nam positis omnibus antecedenter necessariis ad vrendum, & vi ipsius naturali ad hoc determinata, impeditus fuit contra naturalem inclinationem. Sic si quis videns Deum, non amaret, aut non gauderet, ob defectum concursus diuini, per vim transferetur impediri: quia quòd non amaret, aut non gauderet, esset contra naturalem inclinationem actiuam. Si tamen modum loquendi vulgarem spectemus, propriè non dicetur voluntas hinc vim pati aut ἀπάθεια. Nam hoc nomen designat aliquam positiuam impressionem fieri à causa extrinseca, qua impediatur à suo nativo motu: hîc autem nihil positiui infertur. Verum hoc ad modum loquendi pertinet.

Gabriel.

DVBIVM II.

Vtrum voluntas possit vim pati in actibus imperatis, & eorum cessatione?

REspondetur posse, vt rectè hîc D. Thomas. Hoc tamen sic intellige, non quòd actus aliquis possit imperari à voluntate, seu ab eius pendere imperio, & simul esse violentus voluntati, hoc enim implicat [si enim pendet à voluntatis imperio, iam non est à vi extrinseca voluntati, sed ab intrinseca, ac proinde non est violentus] sed quod illi actus, qui alias solent imperio voluntatis excitari in cæteris animæ potentiis, possint ab extrinseca causa excitari contra renisum voluntatis. Explico id in singulis potentiis subditis voluntati.

Voluntas potest vim

Primò, In intellectu, qui dupliciter potest habere aliquem actum seu cogitationem contra renisum voluntatis: Primò, Si Deus immediatè illum applicet ad cogitandum: & tunc violentia proximè erit in actu intellectus: sic damnati perpetuò coguntur omnes suas miserias cogitare, vt quidam docent. Secundò, Si proponatur intellectui obiectum mediante phantasia, voluntate renitente: sic hominibus bonis & malis multæ incidunt cogitationes contra voluntatem. Hîc tamen vis ipsa non est immediate in actu intellectus: neque etiam in actu phantasiæ (quia nulla causa creata extrinseca potest immediatè in actum intellectus vel phantasiæ, vel sensus exterioris influere) sed in motione spirituum, vel languinis, vel in alio actu, quo obiectum interiùs offertur: quo proposito naturaliter sequitur actus phantasiæ vel intellectus.

pati circa actum intellectus dupliciter.

Iidem modi duo locum habent in phantasia & sensibus exterioribus: possunt enim hæ vires immediatè applicari à Deo ad operandum contra voluntatis renisum [potest enim Deus facere, vt videas etiam clausis oculis, & obturatis auribus audias] & tunc vis immediatè est in ipsa sensuum operatione: at causæ creatæ non possunt id immediatè, sed solùm mediante alio: quatenus offerunt obiectum, vel impediunt ne quid interueniat inter obiectum & sensum; nam etiam tunc sensus necessariò operantur, etsi voluntas renitatur: quia ipsorum operatio non subest arbitrio voluntatis, nisi indirectè & remotè, quatenus in potestate voluntatis est mouere membra, ea applicando, auertendo, vel aliquid interponendo.

similiter circa actum phantasiæ & sensuum externorũ.

Dico Secundò, Voluntas potest vim pati in cessatione actuum imperatorum, seu aliarum potentiarum. Patet ex D. Thoma. Potest autem id fieri dupliciter: Primò, Si membrum aliquod vi detineatur, ne possit moueri, vel spiritus ad motum necessarii subtrahantur, voluntate ad motum conante. Secundò, Si omnibus necessariis positis & voluntate conante ad motum, Deus non præbeat concursum.

Potest vim pati in cessatione actuum imperatorum, dupliciter.

Dico Tertiò, Violentia quæ infertur voluntati circa actus imperatos, non est violentia respectu ipsarum potentiarum, à quibus isti actus procedunt, sed solum respectu voluntatis. Patet ex dictis suprà. Nam oriuntur isti actus ab intrinseca vi illarum potentiarum, & sunt iuxta illarum inclinationem. Idem dicendum de cessatione actuum, præter eam quæ fit subtractione concursus diuini. Omnis enim cessatio actus earum potentiarum, quæ imperio voluntatis subsunt, est naturalis ipsis potentiis, præter illam quæ fit per nudam concursus diuini subtractionem, vt patet ex supradictis.

quæ cessatio ipsis potentiis sit violenta.

ARTICVLVS V.

Vtrum violentia causet inuoluntarium.

SEnsus est: Vtrum effectus, qui per vim seu violentè in nobis causatur, sit inuoluntarius.

Conclusio est; omninò esse inuoluntarium.

Probatur Primò, Quia ratio violenti hoc includit, vt sit contra propriam inclinationem eius, cui violentum dicitur: atqui propria inclinatio hominis vt homo, est per voluntatem elicitam: ergo quidquid est homini violentum, est contra ipsius voluntatem: & consequenter inuoluntarium.

Digitized by Google

Vbi aduerte, D. Thomam hic loqui de violentia, quæ infertur homini, qua homo eſt, vt patet in reſponſione *ad tertium*. Nam quæ aliis rebus infertur, non pertinet ad negotium morale.

Secundò Probatur, Sicut violentum in aliis rebus opponitur ei, quod eſt ſecundùm naturam, ita in homine opponitur ei, quod eſt ſecundùm voluntatem, ſeu voluntarium: ſed voluntario opponitur ſolum inuoluntarium: ergo violentum homini eſt inuoluntarium. Quare, cum violentia cauſet effectum violentum, cauſat inuoluntarium.

Tria cauſãt inuoluntarium.

Notandum eſt, tria eſſe quæ cauſant inuoluntarium (de quibus D. Thomas hoc artic. & ſequentibus) vt docet Almainus cap. 2. tract. 1. de moralibus. Et colligitur ex Ariſtotele 3. Ethic. c. 1. nempe, Vim, Metum, & Ignorantiam. Vis & Ignorantia faciunt vt opus ſit omninò inuoluntarium. Metus verò ſolùm facit, vt ſecundùm quid cenſeatur inuoluntarium, abſolutè tamen voluntarium.

Hinc ſequitur, vt, quidquid agimus vel patimur ab externa aliqua cauſa, voluntate repugnante, quantum poteſt & debet; non imputetur nobis ad culpam; quia eſt violentum, ac proinde omninò inuoluntarium. Quod etiam colligitur ex Apoſt. Roman. 7. & principio capitis 8. & capitulo Preſbyteros diſtin. 50. & cauſa 23. q. 1.

Dices Primò, Si quis te neque volentem, neque nolentem, ſed permittentem trahat, motus iſte erit violentus, tamen non erit inuoluntarius: ergo vis non ſemper cauſat inuoluntarium.

Obiectiones ſoluuntur.

Reſpondeo, Iſtum motum non eſſe propriè violentum ſeu coactum homini, vt homo eſt; quia non fit renitente voluntate, quantum poteſt; ſed ſolùm eſt violentus corpori, vt graue eſt: vnde non eſt mirum ſi non ſit propriè inuoluntarius. Si tamen tenebaris iſtum motum impedire, & non impedias cum poſſis, cenſebitur tibi abſolutè voluntarius; vt patet ex dictis art. 3. Nam ſequitur ex omiſſione voluntaria, cùm tamen deberes impedire. quòd ſi non tenebaris impedire, nec erit tibi voluntarius, nec inuoluntarius, ſed ſolùm non voluntarius, ſeu permiſſus.

Nõ eſt violentum homini quod ipſe patitur, niſi reſiſtat quantum debet.

Hinc fit, vt ſi puella quæ defloratur, non reſiſtat quantum debet, non cenſeatur vi, neque abſolutè inuoluntariè id pati, ſed voluntariè, quia ſequitur ex omiſſione voluntaria, & tenebatur impedire. Quòd ſi metu mortis non reſiſtat, etiãſi omiſſio illa reſiſtendi ſit abſolutè voluntaria, (eſt enim ex metu tantummodò illa omiſſio, qui ſolum facit inuoluntarium ſecundùm quid) tamen euentus ſecutus, ſcilicet defloratio, eſt omninò inuoluntarius, imò & violentus; quia infertur ab extrinſeco, voluntate reſiſtẽte, quantum poteſt & debet.

Dices Secundò, Paſſiones Chriſti & Martyrum non erant coactæ, nec inuoluntariæ, non enim contra voluntatem patiebantur, erant tamen violentæ, quia per vim extrinſecus illatam contra naturalem inclinationem, quæ appetit ſuppoſiti conſeruationem: ergo violentia non ſemper cauſat inuoluntarium.

Reſpondeo, Etſi erant violentæ reſpectu naturalis inclinationis voluntatis; tamen non erant violentæ reſpectu voluntatis deliberatæ: nam volebant illas excipere, & voluntas ad eas coopetabatur, quatenus ſe voluntariè offerebant, & nolebant ſubtrahere: vel ſaltem quatenus malebant illas pati, quàm veritatem negare. Vide D. Thomam in reſpon. *ad ſecundum*.

Paſſiones Martyrum non erant violentæ.

Vbi tamen aduerte, Paſſiones iſtas non dici propriè voluntarias, quatenus Martyres ſe habebant merè paſſiuè: quia voluntarium eſt quod pendet à voluntate, aliquo modo, vt effectus à cauſa. Nec ſufficit quòd illis placuerint per modum obiecti, alioquin paſſiones Martyrum eſſent etiam nobis voluntariæ, quia placent noſtræ voluntati. Sed dicuntur voluntariæ, quia Martyres ad illas voluntariè cooperabantur, ſicut dictum eſt.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm metus cauſet inuoluntarium ſimpliciter.

SEnſus eſt, Vtrum id quod metu facimus, aliàs non factum, cenſeatur abſolute inuoluntarium. 37

Concluſio, Id quod metu fit, eſſe mixtum ex voluntario & inuoluntario, ſic tamen vt ſit voluntarium ſimpliciter, inuoluntarium ſecundum quid.

Ratio eſt, Quia id quod metu fit, acceptum cum circumſtantiis quibus fit, eſt abſolutè volitum. Cuius ſignum eſt, quod ex vi illius voluntatis homo ſe applicet ad externam operationem: vt patet, cum quis metu naufragij in tempeſtate proijcit merces: hæc proiectio tali tempore & loco eſt abſolutè volita, tamen ſecundum quid eſt inuoluntaria, quia conſiderata nudè extra talo periculum, planè diſplicet voluntati.

Vbi Notandum Primo, metum differre à violentia, quòd violentia non inclinat voluntatem, ſed illa omnino repugnante, ſuum effectum ponat: metus vero inclinet voluntatem, vt ipſamet aliquid velit & faciat, quod per ſe conſideratum illi diſplicet, idque ad vitandum maius malum.

Dũ aliquid fit metu, quatuor actus cõcurrunt.

Notandum Secundo, cum aliquid metu fit, interuenire quatuor actus. Primus eſt, Timor maioris mali, vt naufragij. Secundus eſt, volitio alicuius operationis, v. g. eiectionis mercium, vt illud maius malum auertatur. Tertius eſt, diſplicentia illius operationis ſecundum ſe conſideratæ, eo quod ſit incommoda, & damnoſa. Quartus, Ipſa externa operatio, ſcilicet eiectio. Inter hos, primus non eſt inuoluntarius: timere enim malum impendens, eſt ſecundum inclinationem voluntatis; ſicut deſiderare bonum. Neque etiam ſecundus, quia voluntas eiiciendi merces, ad vitandum maius malum non diſplicet voluntati, ſed eſt illi conſentanea. Neque Tertius, quia diſplicentia illa non diſplicet: non enim voluntas habet aliquem actum, quo nollet ſe habere illam diſplicentiam, ſiue, quo nollet ſibi diſplicere eiectionem. Solus quartus actus eſt inuoluntarius, ſcilicet, externa eiectio, quia hic ſolus diſplicet: non tamen abſolutè diſplicet, quia placet cum circumſtantiis quibus fit: ſed ſeorſim ſine talibus circumſtantiis conſideratus, diſplicet. Vnde dicitur inuoluntarius ſecundum quid, id eſt, vt nude & ſecundum ſe conſideratur.

Id quod metu fit, nõ cenſetur in uoluntarium, niſi cõcretum

Hinc ſequitur Primo, Nõn omne quod metu fit, eſſe inuoluntarium, ſed requiri vt ſimul in voluntate ſit quædam diſplicentia, quã, id quod fit, ſecundum ſe conſideratum diſplicerat. Si enim hoc modo non diſpliceat, non eſt vllo modo

habeat dis plicentiam.

voluntarium. Neque ſufficit qualiſcumque diſplicentia, nam primi motus non ſufficiunt vt dicamur aliquid inuoluntariè facere: ſed requiritur vt ſit deliberata nolitio, qua quis nollet hoc facere, niſi eſſet neceſſarium ad aliud malum vitandum. Vnde, qui metu infetni pœnitentia ducitur, & ſeruat diuina mandata non cenſetur id inuoluntariè facere; ſicut qui metu naufragij proiicit merces, niſi coniuncta ſit talis nolitio, qua nollet pœnitere, & mandata ſeruare, niſi id eſſet neceſſarium ad vitandum infernum. Sicut ille qui proiicit merces, habet nolitionẽ qua nollet proiicere, niſi id eſſet neceſſarium ad vitandum naufragium. Ab hac nolitione, quando timori coniungitur, timor dicitur ſeruilis, vt ſuo loco dicetur.

Secundò ſequitur, contractum metu initum non eſſe irritum defectu voluntarij, vt multi docent, quia eſt abſolutè voluntarius: abſoluta autem voluntas ſufficit ad efficiendum validum contractum, modò debita materia interueniat.

Contractus metu factus non eſt irritus defectu voluntarij

Itaque ſecluſo iure poſitiuo, verius exiſtimo, matrimonium metu graui contractum, eſſe validum, modò interueniat vltrò citroque idonea materia, in qua contractus verſetur, nempe perſonarum habilitas. Idem dico de emptione, venditione, permutatione, locatione, & ſimilibus contractibus. Poſſunt tamen huiuſmodi contractus ſic initi, excepto matrimonio, facilè irritari, voluntate eius, qui iniuriam paſſus eſt: nam poteſt petere reſtitutionem in integrum, & agere de damno illato. Excipio matrimonium, quia ſemel initum, natura ſua eſt inſolubile, vnde iure poſitiuo ab initio debuit irritum decerni. Fateor tamen contrariam ſententiam probabilem eſſe, ſcilicet, contractus omnes per iniuriam extortos, iure naturæ eſſe irritos. Sed de hoc latiùs Tractatu de Matrimonio.

39 Dices. Si id quod metu fit, eſt abſolutè voluntarium: ergo metus numquam excuſat à culpa, ſi quis ratione metus contra legem agat.

An metus excuſet a culpa.

Reſpondeo, Numquam ratione metus licere tranſgredi legem, vel agere contra legẽ formaliter conſideratam: nam hoc eſt facere cõtra legis obligationem: ſed ſæpe fit, vt obligatio legis, ratione periculi quod metuitur, ceſſet: & tunc licet omittere id quod lex præcipit, & agere contra legem materialiter conſideratam. Quod non ſolùm in legibus humanis locum habet, quarum omnium obligatio ceſſat in graui periculo vitæ, aut fortunarum (imò interdum magnitudo rei præceptæ aliud poſtulet) ſed etiam in legibus diuinis affirmantibus, quia etiam hæ non obligant cum periculo vitæ. Sic præceptum Confeſſionis, Communionis etiam & Baptiſmi, non obligat cum periculo vitæ. Idem vſu venit in quibuſdam præceptis legis naturalis, vt correptionis proximi, & eleemoſynæ in neceſſitate. De quibus ſuo loco.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm concupiſcentia cauſet inuoluntarium?

40 Concluſio eſt. Concupiſcentiam non cauſare, ſed potiùs facere aliquid voluntarium.

Duo hic inſinuantur dubia.

DVBIVM I.

Vtrùm id quod ex Concupiſcentia facimus, ſit cenſendum inuoluntarium, ſicut id quod ex metu facimus?

NOta Primò, Concupiſcentiam hic vocari paſſionem qua afficimur ad aliquod bonũ, præſertim delectabile.

Nota ſecundò, Hanc Cõcupiſcentiam eſſe duplicem, ſcilicet, Antecedentem & Conſequentem, vt docet D. Th. q. 77. a. 6. Cùm enim ſit duplex appetitus, ſenſitiuus & rationalis hique in eadem ſimplici eſſentia animæ iungantur, ſit vt ſe mutuo moueant, etſi diſpari modo. Appetitus enim rationalis, ſeu voluntas, mouet appetitum ſenſitiuum efficaciter per modum imperantis: appetitus autem ſenſitiuus non ita poteſt mouere voluntatem, ſed mouet per modum ſuadentis, faciendo vt obiectum videatur intellectui expetendum. Quòd ſi intellectus non attentè conſideret, facilè ſeducitur iudicans ita eſſe ſicuti proponitur, & ſic voluntas ad illud mouetur. Quando igitur voluntas mouet appetitum inferiorem ad concupiſcendum, eſt Concupiſcentia Conſequens: quando verò appetitus inferior mouet voluntatem, eſt Antecedens: vt cùm quis ex tentatione trahitur ad conſenſum. De conſequenti nulla eſt dubitatio, quia cùm ipſa ſequatur voluntatem, effectus quoque eius pendet à voluntate, tamquam à cauſa ſua primaria, vnde eſt omninò voluntarius: non tamen concupiſcentia cenſetur eſſe cauſa huius voluntarij: quia concupiſcentia non induxit voluntatem, ſed voluntas concupiſcentiam. Vnde hæc concupiſcentia propriè non facit voluntarium, ſed eſt ſignum intenſæ voluntatis. Confert tamen, vt homo in eadem voluntate faciliùs perſeueret, ſæpeque contingit vt concupiſcentia à voluntate excitata, ipſum viciſſim magis excitet & augeat. Sed hac ex parte non tam eſt Conſequens, quàm Antecedens. De Antecedente igitur eſt tota quæſtio.

Concupiſcentia Conſequens & Antecedens

Reſpondendum eſt, Id quod per Concupiſcentiam Antecedentem fit, non eſt vllo modo inuoluntarium. Ita D. Thomas hoc loco, & colligitur ex Ariſtotele, Ethicor. cap. 1 vbi ait *Ea quæ ex ira vel cupiditate fiunt, non dici ab inuitis fieri.* Et ratio eſt, quia quando aliquid ex concupiſcentia fit, non fit repugnante voluntate, ſicut quando ex metu mortis proiiciuntur merces.

41 Concupiſcentia Antecedens non facit inuoluntarium.

Contrà obiicitur Primò, Metus ideò cauſat inuoluntarium, quia trahit voluntatem ad id volendum, quod ei ſecundùm ſe conſideratum diſplicet: atqui hoc etiam efficit concupiſcentia: trahit enim voluntatem ad id, quod illi extra concupiſcentiam conſideratum diſplicet, ſcilicet ad turpia, vt patet ad Rom. 7. v. 15. *Non quod volo, hoc ago: ſed quod odi, illud facio*, & infra: v. 23. *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ*: ergo etiam concupiſcentia facit inuoluntarium.

Reſpondeo, eſſe diſparem rationem. Metus enim facit inuoluntarium, quia id quod proximè ex metu eligitur, eſt inuoluntarium, etiam poſtquam voluntas in illud conſenſit. Nam manet tanta diſplicentia, vt etiam cum mœrore exequatur, ac proinde inuoluntariè, vt patet in eo, qui metu naufragij proiicit merces. Id autem

diſcrimen inter metũ & concupiſcentiam reſpectu effectus.

Digitized by Google

quod proximè ex concupiſcentia eligitur, etſi initio aliquantulùm diſpliceat voluntati; tamen poſtquam conſenſit, non exequitur illud cum diſplicentia ſaltem notabili, quæ triſtitiam pariat; vt patet in eo, qui tentatione victus, fornicatur; vel hoſtem vlciſcitur: Oblectatio enim quæ eſt in illo actu, tollit diſplicentiam, quæ antè erat in voluntate. Quod verò ſecundariò eligitur ex concupiſcentia ſcilicet tamquam medium, interdum videtur habere aliquid inuoluntarij, vt ſunt labor & ſumptus qui fiunt, vt opus illicitum, in quo delectatio perpetretur: tamen non cenſetur etiam inuoluntariè fieri, ſicut id quod metu fit: tum quia imaginatio obiecti delectabilis tollit illam diſplicentiam, ita vt abſque mœrore, & etiam cum gaudio pericula ſubeat, ſumptuſque faciat: tum etiam, quia qui metu aliquid agit, ei incumbit neceſſitas, & quidem ab extrinſeco, quod non eſt in ipſius poteſtate, qui autem ira vel cupiditate, nulla neceſſitate impellitur; non enim eſt ei neceſſaria illa voluptas, neque ab extrinſeco vrgetur, ſed à cauſa intrinſeca quæ eſt in ipſius poteſtate, & ita totum eſt voluntarium, & nihil eſt inuoluntarium.

42 Quatuor actus cùm ex concupiſcentia aliquid fit.

Vt hæc meliùs intelligantur, Notandum eſt, cùm quis aliquid ex concupiſcentia facit, interuenire quatuor actus.

Primus eſt, Paſſio concupiſcentiæ Hæc ſæpè eſt inuoluntaria, quia repugnante voluntate excitatur. Tamen, cùm ſit in poteſtate voluntatis eam compeſcere, ſi id omiſerit, cenſetur ipſa voluntaria, & omne id quod ex ipſa mali ſequitur. Secundus actus eſt, conſenſus voluntatis in opus, in quod fertur concupiſcentia. Hoc conſenſu poſito, concupiſcentia non eſt ampliùs inuoluntaria, neque ipſum opus, quia neutrum ampliùs voluntati diſplicet. Tertius actus eſt, conſenſus in aliquid quod eſt medium neceſſarium ad obtinendum illud in quo eſt delectatio Quartus, eſt, Executio medij & ipſius operis. Hi duo actus etiam non ſunt inuoluntarij: nam etſi hoc medium per ſe diſpliceat, tamen, quia nulla neceſſitas vrget illud amplecti, cenſetur homo prorſus voluntariè illud amplecti, & multò magis ipſum opus, ob quod ſuſcipit illud medium. Confirmatur, Quia nemo dixerit eos, qui opes, vel voluptates per magnos labores & pericula ſectantur, inuoluntariè illa ſuſcipere, eò quòd nulla neceſſitas eos ad hoc cogat, ſed totum ab eorum libertate primitùs oriatur. Secùs eſt de eo, qui metu naufragij proiicit merces, quia non eſt in ipſius poteſtate aliter mortem euadere.

Hinc ſequitur, eum qui metu furatur, vel alio genere peccati peccat, minùs peccare, quàm qui incenſus cupiditate id facit.

Obiicitur Secundò, Ipſe metus oritur ex concupiſcentia, vt docet D. Thomas infra q. 41. a. 5. & D. Auguſtinus lib. 83. quæſtionum, q. 33. Nam ex amore vitæ naſcitur inuoluntaria proiectio mercium: ergo cum metus faciat inuoluntarium, etiam concupiſcentia faciet, quæ eſt cauſa metus.

Reſpondeò, Hinc tantùm ſequi concupiſcentiam mediante metu efficere inuoluntarium: nos autem loquimur de concupiſcentia per ſe, & ſine metu: hæc enim non facit inuoluntarium.

DVBIVM II.

Vtrùm concupiſcentia augeat voluntarium?

41 Voluntariũ poteſt tripliciter accipi.

REſpondeo cum diſtinctione. Voluntarium enim variè accipitur. Si igitur accipiatur pro eo quod fit à voluntate ſecundùm proprium modum voluntatis, vt idem ſit quod liberum, vt ſuprà diximus, ſic concupiſcentia non auget voluntarium, ſed minuit. Ratio eſt, Tum quia inclinat voluntatem in vnam partem, tum quia impedit conſiderationem intellectus, vt non poſſit rem ſuis momentis examinare. Hoc modo videtur accipere D. Thomas voluntarium præſenti articulo. Nam ad 1. dicit In amentibus non eſſe voluntarium, nempe quia in illis non eſt libertas, quamuis in illis ſint actus voluntatis & ſpontanei. Item dicit, voluntarium eſſe, quod eſt in poteſtate voluntatis: atqui hoc eſt liberum. Simili modo accepit voluntarium infrà, qu. 77. ar. 6. cum ait, Paſſionem minuere voluntarium, & alibi.

Si verò accipiatur pro eo quod eſt ſpõtaneum voluntati ſic etiam paſſio non auget volũtarium, quia non auget ſpontaneum voluntati. Ratio eſt, quia eò magis voluntati aliquid eſt ſpontaneum, quò magis ipſa ex ſe illud vult, non autem aliundè. Hinc fit vt magis ſponte peccet, qui à nemine perſuaſus, aut incitatus peccat, quàm qui alterius perſuaſione vel hortatu. Atqui paſſio eſt extrinſeca voluntati, habens ſe per modum importuni ſuaſoris: ergo, cum moueatur à paſſione, minus ſponte ſua cenſetur velle, quàm quando ſine paſſione. Vide D. Thomam infrà q. 77. a. 6. vbi hãc rationem inſinuat

Nec obſtat quòd D. Thomas, hoc loco in *corpore*, dicat: *Concupiſcentia non cauſat inuoluntarium, ſed magis facit aliquid voluntarium*: Non enim ſenſus eſt, concupiſcentiam facere opus magis voluntarium, quàm eſſet ſine concupiſcentia: ſed ſenſus eſt, concupiſcentiam facere potius, vt opus ſit voluntarium, quàm inuoluntarium, vt rectè notauit Conradus exponens hæc verba D. Thomæ. Cum hoc tamen ſtat, vt minuat illam formalitatem & conditionem, quæ eſt eſſe ex principio intrinſeco, vt ibidem ait. Denique, ſi voluntarium accipiatur pro eo quod pendet ex conatu voluntatis, abſtrahendo à libero & neceſſario, à ſpontaneo & inuito, ſic concupiſcentia auget voluntarium, quia auget voluntatis conatum & perfectionem intenſiuam actus: facit enim vt voluntas magno conatu feratur in opus, vt patet in iis qui ex concupiſcentia peccant.

DVBIVM III.

Vtrùm habitus ſive bonus ſive malus, & auxilium præueniens augeat voluntarium?

44

REſpondeo, & Dico Primò: Augent voluntarium iuxta tertium modum, quia faciunt vt voluntas maiore conatu operetur, & vt actus ſit intenſior: afferunt enim facultatem operandi, & quemdam veluti impetum.

Dico Secundò, Non tamen augent rationem ſpontanei, niſi quatenus impediunt paſſiones, quæ minuunt ſpontaneum in voluntate.

Prior pars patet, Quia voluntas his imbuta &

ized by Google

incitata, cenſetur minùs ex ſe operari, quàm ſi illa abeſſent.

Altera pars patet; Quia habitus virtutum, & auxilium diuinum impediunt paſſiones, quæ rationem perturbant, &, opus minùs ſpontaneum efficiunt.

Habitus & auxilium præueniens quomodo minuãt libertatem.

Dico Tertiò, Hæc tamen phyſicè loquendo, minuunt libertatem; non tamen eam minuunt ſecundùm æſtimationem moralem.

Prior pars probatur, Quia habitus & auxilium præueniens inclinant voluntatem in vnam partem per modum naturæ, quia ſunt principia ad vnam partem naturaliter determinata. Similiter determinant quodammodo iudicium rationis ad vnam partem approbandã. Habitus enim prauus excæcat rationem, occultans malum quod in opere latet, & rem delectabilem faciens magis apparere delectabilem, quàm reuera ſit. Habitus autem bonus facit vt honeſtas operis appareat illuſtriùs.

Altera pars, nempe quòd ſecundùm æſtimationem moralem non minuant libertatem, ac proinde neque meritum vel demeritum. Probatur: quia cùm habitus ſit procreatus ex actibus liberis, tota inclinatio habitus voluntati eſt libera & voluntaria. Similiter inclinatio auxilij præuenientis, eò quòd hoc auxilium à voluntate deſideretur, vel certè quia in poteſtate hominis eſt ei non conſentire. Hinc ſequitur, omninò liberam cenſeri actionem, quæ ex habitu & auxilio præueniente ſequitur.

Si hominẽ pœniteat, propenſio ex habitu fit inuoluntaria.

Aduerte tamen, Si contracta prauæ conſuetudine ſeu habitu, hominem pœniteat illius, ea propenſio cenſebitur in poſterum inuoluntaria. Vnde motus ex ea interdum ſuborientes, non cenſebuntur voluntarij aut liberi: quare nec imputabuntur ad culpam, ſicut neque motus primi. Quòd ſi non interceſſerit pœnitentia, inclinatio illa habitus praui manebit voluntaria, & conſequenter motus ex ea ſuborti.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm ignorantia cauſet inuoluntarium?

45 PRima Concluſio. Ignorantia Antecedens cauſat inuoluntarium ſimpliciter.

Secunda Concluſio. Ignorantia Conſequens cauſat voluntarium ſimpliciter, inuoluntarium ſecundùm quid.

Tertia Concluſio. Ignorantia Concomitans neque voluntariũ neque inuoluntariũ cauſat, ſed ſolùm non voluntarium.

Circa diuiſionem Ignorantiæ in Antecedentem, Comitantem & Conſequentem: Notandum Primò, Omnem Ignorantiam Comitantem eſſe, vel Antecedentem, vel Conſequentem. Si enim ſit omninò inculpabilis, eſt Antecedens, ſi autem ſit culpabilis, eſt Conſequens. Vnde non ponitur tamquam tertium membrum, ſed tamquam diſtinctus quidam modus, quo ignorantia ſe habet reſpectu operis. Nam poteſt ignorãtia ſe habere ad opus externum, vel tamquam cauſa, ſiue ſit antecedens ſiue conſequens, & poteſt ſe habere concomitanter, ſiue ſit antecedens ſiue conſequens.

Ignorantia reſpectu voluntatis, alia eſt antecedens, alia conſequens voluntatem.

Itaque inſinuantur hic duæ diuiſiones ignorãtiæ: altera, reſpectu voluntatis, & ſic ignorantia alia eſt antecedens, alia conſequens. Antecedens dicitur quæ voluntatem omnem, quæ circa ipſam ſit, antecedit: vnde non eſt voluntaria. Conſequens dicitur, quæ aliquo modo à voluntate pendet: vnde eſt voluntaria.

Reſpectus operis, alia eſt cauſa alia comes operis.

Altera reſpectu operis, ſic ignorantia, alia eſt cauſa operis ſiue ſit antecedens ſiue conſequens: alia non eſt cauſa, ſed comitãter ſe habet ad opus, ſiue ſit antecedens ſiue conſequens. Nulla autem eſt ignorantia quæ conſequens ſit reſpectu operis, quia opere facto non reſtat aliqua ignorantia, quæ ſit operis effectus, præter eam quæ eſt conſequens, reſpectu voluntatis.

Clariùs locutus fuiſſet D. Th. ſi Ignorantiam Antecedentem, vocaſſet non voluntariam, Conſequentem, voluntariam.

Ignorantia conſequẽs eſt triplex,

Affectata.

Not. Secundò, Ignorantiam Conſequentem ſeu Voluntariam, eſſe triplicem: Alia enim eſt directè voluntaria, vt, cùm quis vult expreſsè neſcire, vt liberiùs peccet. Hæc dicitur *affectata*. Talis eſt eorum, de quibus Iob 21. *Qui dixerunt Deo, recede à nobis, ſcientiam viarum tuarum nolumus*. Et Pſalm. 35. *Noluit intelligere, vt benè ageret*. Alia eſt voluntaria indirectè, nempe quæ non eſt in ſe volita, ſed cenſetur volita in negligentia & omiſſione diſcendi: quæ negligentia ſi magna ſit, Ignorantia dicetur *craſſa*: qualis plerumque eſt eorum, qui ignorant articulos fidei, & peccata contra Decalogum. Si verò negligentia ſit parua, tamen culpabilis, erit ignorantia *leuis*, quæ etiam *vincibilis* propriè vocari ſolet. Talis eſt, cum res eſt cognitu difficilis, & adhibita eſt aliqua diligentia ad eam cognoſcendam, ſed non tanta, quantam oportebat. Atque hæc omnia intelligenda ſunt de ignorantia earum rerum, quas ſcire tenemur: aliarum enim rerum ignorantia, non pertinet ad hanc materiam. His poſitis eſt

Craſſa.

Leuis ſeu vincibilis.

DVBIVM I.

Vtrùm Ignorantia Antecedens, quando eſt cauſa operis, faciat opus inuoluntarium?

46 REſpondeo & Dico Primò, Ignorantia Antecedens, id eſt, ea quæ prorſus eſt inuoluntaria, quando eſt cauſa operis, facit abſolutè inuoluntarium. Ita D. Thom hoc loco & Damaſc. l. 2 de Fide, c. 24. cùm ait: *Hic quod per ignorantiam fit, eſt inſpontaneum, ſi ignorantiæ cauſam non dedimus*. Et Nemeſius lib. de homine, cap. 31. iiſdem verbis.

Ratio eſt, Quia id quod ex ignorantia inuoluntaria fit, nihil habet voluntarij, & præterea voluntati repugnat: ergo &c. Quod nihil voluntarij habeat, probatur, neque enim eſt in ſeipſo volitum, cum non ſit cognitum: neque eſt etiam volitum in ſua cauſa, nempe in ipſa ignorantia, quia hæc eſt omninò inuoluntaria. Quare opus illud neque directè, neque indirectè eſt voluntarium. Quod etiam repugnet voluntati, ſaltem implicitè, patet: nam voluntas ſic eſt diſpoſita, vt ſi ſciret, nollet, vnde poſteà cum ſcierit, dolet, quod eſt ſignum inuoluntarij, vt docet Ariſtoteles libr. 3. Ethicor. capit. 1. Talia ſunt omnia, quæ homines per ignorantiam inculpatam faciunt, ſiue ſit ignorantia *iuris*, ſiue *facti*.

Hic tamen aduerte, Id quod per ignorantiam antecedentem fit, eſſe inuoluntarium ſecundum eam rationem, eaſque circumſtantias, ſecundum quas ex ignorantia procedit, non autem ſecundum alias, vt docent Damaſcenus & Nemeſius

Digitized by Google

Iudas vt accessit ad Thamar.

ſuprà. Sic Iudas inuoluntariè cognouit Thamar ſuam nurum, quatenus erat nurus, vnde non commisit incæſtum coram Deo: tamen commisit fornicationem, quia sciebat esse non ſuam; & ita voluntariè cognouit, vt non ſuam: inuoluntariè vt nurum. Ignorantia enim non facit, vt actus ſecundùm omnem rationem & circumſtantiam conſideratus, ſit inuoluntarius; ſed ſolùm ſecundùm eam rationem & circumſtantiam, ſecundùm quam ab ea procedit. Vide Almaïnum cap. 2. Tractat. 1. Moralium. Et Alfonſum à Caſtro libr. 4. de poteſtate legis pœnalis cap. 14.

47 Quomodo Ignorantia ſit cauſa inuoluntarij.

Petes, Quomodo ignorantia dicitur cauſare inuoluntarium? Reſpondeo, Occultando obiectum vel alias circumſtantias; & conſequenter efficiendo vt homo ſolùm videat, id quod voluntati placet, non videat quod diſplicet; & ſic iudicet eſſe amplectendum, quod aliàs non iudicaret. Itaque eſt cauſa operis, quatenus facit intellectum errare in iudicio practico, & interdum etiam in ſpeculatiuo: vt cum Iacob putaret Liam

Iacob vt accessit ad Liam.

eſſe Rachelem, eò quòd ignoraret eſſe Liam: tunc enim habebat iudicium ſpeculatiuũ falſum, nempe, Hæc eſt vxor mea.

Dices, Inuoluntarium eſt quod voluntati repugnat & diſplicet: atqui ignorantia non eſt cauſa, vt opus voluntati diſpliceat; ergo ipſa non facit inuoluntarium.

Reſpondeo Negando Conſequentiam; Ignorantia enim dicitur facere inuoluntarium, quia eſt cauſa operis, quod voluntati diſplicet; quamuis non ſit cauſa diſplicentiæ. Itaque facit inuoluntarium materialiter. Id autem quod eſt cauſa cur opus voluntati diſpliceat facit inuolũtarium formaliter; hoc autem eſt vel conditio operis natura ſua repugnans voluntati, vel libertas voluntatis pro arbitrio aliquid nolens.

Aduerte tamen, Ab ignorantia prouenire vt opus formaliter ſit non voluntarium: quia etſi ignorantia non ſit cauſa, cur opus diſpliceat voluntati, eſt tamen directè cauſa, cur actu non placeat, ſiue cur actu non ſit volitum. ac proinde cur ſit non voluntarium, vt colligitur ex iis quæ circa art. 1. dicta ſunt.

Dico Secundò, Ignorantia antecedens non minuit voluntarium, ſed omninò tollit. Patet, quia facit, vt opus abſolutè ſit non voluntarium.

DVBIVM II.

Vtrùm Ignorantia Conſequens non affectata, quando eſt cauſa operis; faciat Inuoluntarium?

48 Ignorantia non affectata abſolutè facit voluntarium, ſecundùm quid inuoluntarium.

REſpondeo & Dico Primò, Ignorantia conſequens non affectata facit actum, cuius ipſa eſt cauſa, abſolutè voluntarium, ſecundùm quid inuoluntarium. Patet ex Auctoribus ſuprà citatis.

Prior pars probatur, Quia etſi ille actus non ſit directè, & in ſe voluntarius, tamen eſt voluntarius indirectè, ſcilicet in cauſa ſua, quæ eſt ignorantia voluntaria. Quod enim ex cauſa voluntaria fit, abſolutè voluntarium cenſetur. Vnde hæc ignorantia non excuſat à tota culpa.

Altera pars probatur, Quia qui ex tali ignorantia operatur, ita eſt animo affectus, vt ſi ſciret, nollet facere: ergo ſaltem ex parte inuoluntariè facit, cuius ſignum eſt, quod ſtatim ac ſciuerit, quid fecerit, doleat.

Dices Primò, Hæc ignorantia facit opus voluntarium: ergo non facit inuoluntarium. Conſequentia patet, quia hæc non poſſunt ab eadem cauſa proficiſci, cùm ſint contraria.

Reſpondeo Negando Conſequentiam, Quia ſub diuerſa ratione facit vtrumque. Facit enim voluntarium non per ſeipſam, ſed ratione ſuæ cauſæ, per quam & ipſa ignorantia eſt voluntaria: non enim opus eſt voluntariũ quia ex ignorantia, ſed quia ex voluntaria ignorantia. Inuolũtarium, autem facit ſecundum ſeipſam quidem, ſed ſolum per accidens & materialiter, quatenus eſt cauſa operis quod voluntati diſplicet. Simili modo metus facit, vt opus ſit abſolutè voluntarium, & tamen facit etiam ex parte inuoluntarium. Ad confirmationem, voluntarium abſolutè, & inuoluntarium ex parte, non ſunt contraria: vnde poſſunt in eundem actum conuenire, & ab eadem cauſa. Nam voluntas ipſa directè eſt cauſa vtriuſque, etſi per diuerſos actus, à quibus hæc denominatio alicui vni actui conuenit: aliunde enim habet actus quod dicatur voluntarius, aliunde quod inuoluntarius, vt patet ex dictis.

Dices Secundò, Ad voluntarium requiritur, vt fiat cum cognitione, vt patet ex dictis art. 1. Atqui cum aliquid fit ex ignorantia deeſt cognitio eius quod fit: ergo non cenſetur voluntarium.

Reſpondeo, Quando aliquid eſt voluntarium non in ſe, ſed in cauſa tantum, ſufficit in cauſa eſſe illud cognitum & confusè. Itaque cum hic ignorantia ſit cauſa operis, ſufficit vt homo ignorantiam ſuam cognoſcat, & ex illa poſſit in genere aliquid mali, vel omittendo, vel omittendo, ſequi. Cognoſcit autem ſuam ignorantiam, quando aduertit in particulari vel in genere debere ſe aliqua diſcere, quæ neſcit.

49

Dico Secundò, Hæc ignorantia conſequens, etiamſi craſſa ſit, minuit tamen rationem voluntarij.

Ignorantia craſſa minuit rationem voluntarij.

Probatur Primò, Quia facit vt opus non ſit volitum in ſeipſo, ſed ſolum in cauſa ſua: minus autem eſt volitum, quod in ſeipſo non eſt volitum, quàm id, quod in ſeipſo eſt volitum: ergo minuit rationem voluntarii. Secundò, Qui ex ignorantia craſſa operatur, facit id quod nollet, ſi ſciret: ergo minus voluntariè operatur quàm ſi ſciens faceret. Hinc Apoſtolus 1. Corinth. 15. dicit ſe miſericordiam conſecutum quòd ignorans perſecutus eſſet Eccleſiam Dei: & tamen ipſius ignorantia craſſa erat.

Aduerte, ignorantiam per ſe & directè eſſe cauſam imminutionis voluntarij: idcò enim minus voluntariè cenſetur facere, quia ignorat conditionem rei. Non ita eſt cauſa operis, aut voluntarij in opere, aut inuoluntarij, vt patet ex dictis.

DVBIVM III.

Vtrùm Ignorantia conſequens affectata minuat voluntarium, aut faciat ex parte inuoluntarium?

50 Bonauent. Almain. D. Thom.

D. Bonauentura in 2. diſt. 22. art. 2. quæſt. Almaïnus Tract. 1. Moraliũ cap. 5. docent etiam hanc minuere voluntarium. D. Thomas hoc loco, & quæſt. 76. artic. 4. docet hanc ignorantiam potius augere, quàm minuere voluntarium.

Sed notandum eſt, Tribus modis fieri poſſe, Tribus

modis potest quis directè velle ignorare.

vt quis directè velit ignorare; Primò, Propter molestiam discendi vel inquirendi. Secundò, Ob cupiditatem aliquid agendi coniunctam cum voluntate non faciendi id, quod constet esse peccatum: vt si dubites de firmitate matrimonij, nolis tamen vlteriùs inquirere, ne tenearis abstinere: si enim apertè scires esse invalidum, omninò velles abstinere. Tertiò, vt liberiùs peccet, seu ne per scrupulos, quos scientia ingenerat, vel alia ratione, à peccando auertatur.

His positis, Dico Primò, Ignorantia affectata primo & secundo modo, facit vt opus ex parte sit minùs voluntarium, quàm esset, si cum scientia fieret, & etiam facit aliquo modo inuoluntarium.

Ignorantia affectata quomodo minuat voluntarium.

Probatur prior pars, quia efficit hæc ignorantia, vt opus, dum sic fit, non sit directè volitum, nam occultat operis conditionem. Cùm enim voluntarium includat cognitionem, id quod priuat cognitione, priuat ratione voluntarij, vt rectè D. Bonauentura loco citato.

Altera pars etiam patet. Quia ignorantia est causa cur faciat id quod voluntati displicet: ergo facit quodammodo inuoluntarium.

Dices, Ignorantia affectata est omninò voluntaria, nam est directè volita: ergo non potest minuere voluntarium, aut facere aliquo modo inuoluntarium.

Respondeo Negando Consequentiam, Sicut enim mortis metus in tempestate est omninò voluntarius, tamen causat quodammodo inuoluntarium: ita ignorantia affectata, licet ipsa directè sit volita potest tamen esse causa, cur aliquid minùs voluntariè, & etiam ex parte inuoluntariè faciamus: facit enim, vt nō videamus illud, quod, si videremus nollemus facere. Hinc sequitur, hanc ignorantiam multum minuere de culpa, quia minuit de ratione voluntarij, & de ratione contemptus: minùs enim censetur contemnere diuinam legem, qui ex huiusmodi ignorantia peccat, quàm qui ex industria.

52 Dico Secundo, Ignorantia affectata tertio modo, etsi physicè minuat voluntarium, tamen moraliter non censetur minuere. De hac ignorantia loquitur D. Thom. & hoc modo exponendus est.

quando nō minuat, sed augeat potiùs.

Probatur, Quia etsi illud opus, quod fit ex hac ignorantia, non sit ita expresiè volitum, ac si esset in seipso volitum, eò quòd ignorantia occultet operis conditionem dum fit: tamen coram Deo censetur æquè volitum. Ratio est, quia illud opus anteà fuit directè volitum in genere, quando, vt liberiùs peccaret, voluit ignorare, & ita ardenter volitum, vt propter illud, ne impediretur, voluerit habere dispendium scientiæ: ergo non minùs, sed magis censetur voluntarium, quàm si simplici modo cum scientia fecisset. Multi enim peccant cum scientia, qui tamen non tam afficiuntur operi, vt velint propter illud ignorare, & à se amouere omnia impedimenta peccati in posterum. Confirmatur, Quia id quod sequitur ex vi maioris voluntatis, censetur magis voluntarium: atqui id quod fit cum tali ignorantia, sequitur ex vi maioris voluntatis: ergo &c. Secus accidit in primo & secundo modo ignorantiæ affectatæ. Non enim illi volebant ignorare, vt liberius peccarent, sed alter ob laborem, alter ne grauiter peccaret.

Dices, D. Bonauentura dicit generaliter verum esse, omnem ignorantiam, in quantum huiusmodi, excusare peccate: ergo etiam hæc excusabit, ac proinde minuet voluntarium.

Respondeo, Excusat qua parte est ignorantia, quia occultat conditionem operis, sed accusat & auget ratione causæ suæ, nempè ratione voluntatis liberius peccandi, quæ est causa ignorantiæ, & operis secuti.

DVBIVM IV.

Vtrùm Ignorantia, quæ non est causa actus, sed duntaxat comitatur actum, faciat actum inuoluntarium?

51 REspondeo & Dico Primò, Ignorantia comitans numquam facit actum inuoluntarium, siue ipsa sit voluntaria, siue inuoluntaria.

Ignorantia comitans non facit vnquam inuoluntariū

Probatur, Quia tunc dicitur quis operari cum ignorantia Comitante, quando nescit quid faciat, si tamen sciret, nihilominus vellet facere. Hinc fit, vt cum sciuerit quid fecerit, non displiceat, neque tristetur. Quod signum est nullo modo fuisse inuoluntarium. Vnde cum quis putans esse feram, interficit inimicū sagitta emissa, quem alioqui voluisset interficere, si sciuisset esse inimicum, non inuoluntariè illum interficit quia non displicet voluntati. Itaque aliud est facere aliquid ex ignorantia seu per ignorantiam, aliud cum ignorantia, vt Aristoteles 3. Ethicor. cap. 1. docet. Quod enim ex ignorantia fit, displicet voluntati, cum sciuerit: si enim abfuisset ignorantia, non fuisset factum. Quod verò solum cum ignorantia fit, non displicet, eius enim causa non est ignorantia: nam etiamsi ignorantia abfuisset, æque bene factum fuisset.

52 Facit tamē voluntar. si sit inculpata.

Dico Secundò, Si hæc ignorantia sit antecedens, id est, omninò inuoluntaria, opus quod cum ea fit, censetur non quidem inuoluntarium, sed omninò non voluntarium, ac proinde carens omni culpa: vt si quis in emissione sagittæ, adhibita debita diligentia ne noceret, nihilominus occidit inimicum, hæc occisio est omninò non voluntaria.

Probatur, Quia hæc occisio non est in se voluntaria, cum sit ignorata: neque etiam est voluntaria in sua causa: quia neque in ignorantia, cum hæc non sit voluntaria, & etiam non sit causa actus: neque in emissione sagittæ; nam hæc prudenter fit, & cum debitis circumstantiis, nihil enim circa illam omittitur, quod ad euitationem illius euentus debeat adesse. Hinc sequitur, occisionem illam ratione ignorantiæ comitantis excusari à culpa: nam, vt opus non sit peccatum, non est necesse, vt sit inuoluntarium, sed sufficit esse non voluntarium. Hoc autem facit hæc ignorantia comitans.

Ignoranter occidens inimicum, tripliciter se habere potest.

Dices Primò, Si ille sciret esse inimicum, vellet occidere: ergo illa occisio saltem est indirecte voluntaria, scilicet in illo prauo affectu.

Respondeo, Eum qui cum praua affectione occidendi, aliquid ignoranter facit, tripliciter se posse habere, Primò: Si illa affectio seu dispositio solum sit habitualis, v. g. habituale propositum occidendi inimici, nihil tamen actu de eo cogitet, tunc illa dispositio nihil facit ad opus præsens, nec vllo modo illud peccato contaminat. Quare ille nec interius, nec exterius peccat peccato homicidij. Nec refert quòd ille sit in proposito habituali occidendi, quia ex hoc proposito non operatur. Illa autem conditionalis, *si sciret, vellet occidere*, non ponit illud *velle* in re, sicut nec illud *scire*, ac proinde illud *velle* non influit in opus.

Secundo,

Digitized by Google

Secundò, Si illè non ſolùm habitu, ſed etiam actu optet occiſionem inimici, dicens in corde ſuo, Vtinam hac ſagitta inimicum interficerem! tunc licet hæc voluntas ſit praua, & habeat culpam interiorem homicidij, tamen effectus ſecutus non cenſetur adhuc voluntarius, ſi neceſſariam diligentiam adhibuit. Ratio eſt, quia affectus ille interior, licet comitetur emiſſionem ſagittæ, & occiſionem inimici, neutrius tamen eſt cauſa. Nam emiſſio ſagittæ procedit non ab illa voluntate, qua optat occidere inimicum, ſed à voluntate occidendi feram. Quod confirmatur: quia non habet abſolutam voluntatem, Volo nunc occidere inimicum; ſed deſiderium inefficax, Vtinam occiderem! Atqui actus exterior non procedit à voluntate inefficaci, ſed abſoluta.

Dices, Effectus ſecutus eſt volitus ab iſto homine: ergo cenſebitur illi eſſe voluntarius.

Reſpondeo, Eſſe volitum inefficaci quadam voluntate per modum obiecti optabilis, ſed non eſſe ſecutum ex hac volitione ſeu deſiderio, quia merè per accidens illi coniungitur: perinde ac ſi alio emittente ſagittam ad interficiendam feram, tum optares interfici inimicum. Sequitur enim emiſſio ſagittæ ex voluntate interficiendi feram, cui voluntati per accidens coniungitur illud deſiderium interfectionis inimici.

Tertiò, Fieri poteſt, vt quis in genere habens hanc voluntatem, Volo emittere ſi fortè occidam, reuera occidat inimicũ: ſed moraliter fieri vix poteſt, vt quis hoc faciat cũ ignorãtia inuoluntaria. Nam hæc voluntas non poteſt eſſe cum ſufficienti diligentia & circumſpectione ne occidat. Tamen etſi contingeret adhiberi debitam diligentiam, videretur nihilominùs actus ille eſſe voluntarius, quia reuera oriretur à volũtate occidendi inimici. Neque ignorantia præſentiæ inimici eum excuſaret, quia ex voluntate occidendi emittit ſagittam exiſtimamus fortaſſis accidere poſſe, vt hoc modo inimicum occidat.

Dico Tertiò, Quando hęc ignorantia eſt cõſequens, id eſt, voluntaria directè vel indirectè, non facit vt opus quod cũ ea fit, ſit non voluntarium, ſed vt cenſeatur voluntarium. Vnde neque omninò à culpa excuſat. Patet exemplo: Si quis incautè emittens ſagittam, occidat hoſtem, voluntariè cenſebitur occidere, ſaltem indirectè: tenebatur enim adhibere diligentiam ſufficientem ne quem læderet, & non fecit; ergo cenſebitur occidere voluiſſe. Confirmatur, Si occidiſſet hoc modo amicum, cenſeretur homicida, quem tamen videretur minùs occidere voluiſſe quàm inimicum: ergo ſimiliter, ſi hoc modo occiderit inimicum.

Ignorantia comitãs, ſi ſit culpabilis, facit voluntarium

Dices Primò, Illa inimici occiſio neque eſt voluntaria in ſeipſa, quia ignorabat eſſe inimicum: neque eſt in cauſa ſua, ſcilicet in ignorantia, quia ignorantia illa, etſi ſit voluntaria, non tamen eſt cauſa occiſionis: ergo nullo modo eſt voluntaria.

Reſpondeo, eſſe voluntariam in ſua cauſa, non quidem in ignorantia, ſed in illa emiſſione ſagittę ſic facta. Qui enim ſic inconſideratè tali tempore & loco vult emitere ſagittam, cenſetur implicitè hominem velle occidere. Nam ſicut id quod ſequitur ex omiſſione voluntaria, ſi tenebar impedire, & non impediam, erit voluntarium in cauſa: ita id quod ſequitur ex actione voluntaria, ſi tenebar impedire, & non impediam, erit voluntarium in illa actione, ex qua præter intentionem ſequitur.

Dices Secundo, D. Thomas infrà qu. 75. ar. 4. docet, *Ignorantiam comitantem, neque accuſare, neque excuſare.* Ergo numquam facit voluntarium, aut non voluntarium.

Reſpondeo, Omiſſis iis quæ ibi docet Caietanus. D. Thomam nihil aliud velle, quàm ignorantiam comitantem per ſe, qua comitans eſt, neque accuſare, neque excuſare, quod verum eſt. Cum hoc tamen conſiſtit, quod poſſit excuſare vt eſt antecedens, ſeu non voluntaria: & accuſare vt eſt conſequens ſeu voluntaria, vt oſtenſum eſt. Reliqua quæ de ignorantia dici poſſent, pertinent ad quęſt. 76.

QVÆSTIO SEPTIMA

De Circumſtantiis actuum humanorum.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Circumſtantia ſit accidens humanorum actuum?

REſpondetur affirmatiuè. Ratio eſt, quia omnis conditio rem attingẽs, quæ tamen eſt extra eius naturam, rectè dicitur accidens: atqui circumſtantia eſt conditio operis, ipſum aliquo modo attingens, & tamen extra eius ſubſtantiam: ergo &c.

Notandum Primò, Non omne adiunctũ quod quouis modo attingit, vel afficit actum, vocari hoc loco circumſtantiam: ſed illud quod ita afficit, vt aliquid cõferat ad bonitatem vel malitiam eius moralem. Vnde conditio perſonæ, vel materiæ, vel temporis, vel loci, vel inſtrumenti, ſi nihil conferant ad bonitatem vel malitiam actus, erunt quidem circumſtantiæ ipſius naturales, non tamen morales, de quibus hic loquimur. Quid circumſtantia theologica.

Notandum Secundò, Circumſtantias vocari accidentia actuum humanorum; non quod phyſicè ipſis inhæreant (excepta vna, ſcilicet *quomodo*) ſed quòd actus humani ordinem quendam accidentarium ad illas habeant; ratione cuius moraliter ab eis affici cenſetur, accipientes aliquod eſſe morale, tamquam à veris accidentibus. Exempli cauſa, Si Religioſus furtum committat, conditio perſonæ cenſetur accidens iſtius operis, quà furtum eſt; quia non eſt de ratione furti, vt auctor eius ſit religioſus: tamen furtum ex ordine ad illam conditionem, accipit aliquod eſſe morale: ſcilicet nouam repugnantiam reſpectu dictaminis rectæ rationis: efficitur enim ſacrilegium.

ARTICVLVS II.

Vtrùm Circumſtantiæ humanorum actuum ſint conſideranda Theologo?

REſpondetur affirmatiuè. Ratio eſt, quia bonitas & malitia humanorum actuum, magnam partem ex circumſtantiis pendet. Vnde Concil. Trident. ſeſſ. 14. cap. 5. ait; *Peccata ſine circumſtantiis neque integrè explicari, neque cognoſci poſſe.*

Digitized by Google

ARTICVLVS III.

Vtrùm conuenienter enumerentur Circumſtantiæ 3. Ethic. c. 1.

3 COnclusio eſt, rectè enumerari.

Aduerte tamen, Ariſtotelem ibi duas omittere, *Vbi* & *Quando*. Sunt igitur vniuerſum octo circumſtantiæ hoc verſiculo comprehenſæ: *Quid Vbi, Quibus auxiliis, Cur, Quomodo, Quando, &, Circa quid.* Quæ vltima, ſecundùm D. Thomam, intelligitur ſub *Quid*. Has omnes enumerat Nemeſius lib. de Homine cap. 31. & Damaſcenus lib. 2. de fide cap. 24. non plures, aut pauciores.

Explicatur ſingulæ Circumſtantiæ.

Notandum Primò, Circumſtantias non ſignificare cõditiones neceſſariò actibus humanis adiacentes, ſicuti dictum eſt; ſed eas quæ per accidens cõiunguntur, vel actui immediatè, vel cauſis eius, vel effectui: vt circumſtantia *Quis*, non deſignat perſonam operantem (hæc enim non eſt circumſtantia, ſed cauſa eſſentialiter neceſſaria, vt actus fiat) ſed deſignat conditionem perſonæ per accidens ei coniunctam, quæ tamen aliquid ad bonitatem vel malitiam operis conferat; vt eſſe perſonam publicam, Sacerdotem, Religioſum, matrimonio iunctum, &c.

quis.

quid.

Circumſtantia *quid*, vt diſtinguitur à circumſtantia *Circa quid*, ſignificat duo. Primò, Magnum & paruum in obiecto, v. g. in re per furtũ ablata: quamuis alij hoc referant ad circumſtantiam *Circa quid*. Secundò, Deſignat effectum aliquem, qui per accidens ex opere ſecutus eſt: vt ſi ex homicidio ſecuta ſit paupertas liberorum occiſi, prauа inſtitutio, & ſimilia.

Circa quid.

Circa quid, ſignificat conditionem perſonæ, vel obiecti contra quod peccatur: vt ſi ſit Sacerdos, ſi parens, ſi res ſit ſacra.

quomodo.

Circumſtantia *Quomodo*, ſignificat modum actionis: vt, ſi feruenter, an tepidè, ſi ſpontè, an coactè, ſciens, an ignorans, ex paſſione, an ex malitia.

Cur.

Cur, ſignificat finem extrinſecum operis, vt, ſi det eleemoſynam ob vanam gloriam.

Vbi.

Vbi, ſignificat conditionem loci, vt, ſi in loco ſacro, an Prophano.

Quando.

Quando, ſignificat conditionem temporis, vt, ſi die Feſto, an alio.

DVBIVM I.

Vtrùm non ſint plures circumſtantiæ quam iſtæ octo?

4 RAtio dubitandi eſt, quia D. Bonauentura in 4. d. 16. explicans textum Magiſtri num. 9. ponit 14. circumſtantias his verſibus:

Aggrauat Ordo, Locus, Perſona, Scientia, Tempus,
Ætas, conditio numerus, mora, copia, cauſſa,
Eſt modus in culpa, ſtatus actus, luſtra pusilla.

Ioannes Maior in 4. diſt. 17. q. 4. ponit, *quotia* inter circumſtantias.

Reſpondeo, Omnes circumſtantias contineri octo iam enumeratis: neque Ariſtoteles, neque Nemeſius, vel Damaſcenus plures enumerant. Idque probari poteſt hac ratione D. Thomæ. Circumſtantia enim eſt aliquid extrinſecũ actui, certo tamen modo illum attingens in ordine ad dictamen rationis. Tripliciter autem poteſt actum attingere. Primò, Attingendo ipſum actum in ſeipſo. Secundò, Attingendo cauſam eius. Tertiò, Attingendo ipſius effectum.

Tantum octo ſunt circumſtantia.

Si actum in ſe attingat, id fiet vel per modum menſuræ, vt *tempus*, & *locus*: vel per modum qualitatis actus, vt circumſtantia, *Quomodo*.

Si attingat actum ratione effectus, erit circumſtantia *Quid*.

Denique ſi ratione cauſæ attingat, id erit vel ratione cauſæ finalis, vt, *Cur*: vel ratione cauſæ materialis, vt circumſtantia *Circa quid*: vel efficientis principalis, vt *Quis*: vel efficientis inſtrumentalis, vt *quibus auxilius*.

Vnde patet eſſe octo circumſtantias, non plures. Nec obſtat quod D. Bonauentura enumeret 14. nam reducit ſex ad circumſtantiam *quis*, ſcilicet, *ſcientiam, ætatem, ordinem, conditionem, perſonam, & ſtatum*, quia ſunt conditiones perſonæ operantis. Superſunt octo, è quibus *Numerus*, ſeu *Quotia*, non eſt circumſtantia actus, ſed eſt actuum multitudo, quorum vnus non eſt circumſtantia alterius, vt rectè notat hic Caietanus. *Mora* pertinet ad circumſtantiam, *quando*: ſub *quando* enim intelligitur *quandiu*. *Modus* agendi, ad *quomodo*. *Copia* pertinet ad numerum peccantium, & ſic non eſt propriè circumſtantia actus: vel poteſt reduci ad circumſtantiam *Quis*, eſt enim conditio quædam perſonæ, quòd multorum exemplis prouocata fuerit. *Cauſa*, eſt idem quod *Cur*. *Luſtra puſilla* pertinet ad *quando*. *Locus* & *Tempus*, ad *Vbi* & *quando*.

DVBIVM II.

Vtrùm iſtæ Circumſtantiæ afficiant omnes actus humanos, etiam internos?

REſpondeo & Dico Primò: Non omnes circumſtantiæ afficiunt ſingulos actus in particulari, ſed ordinariè quædam tantùm. Sæpiſſimè enim Locus, Tempus, Conditio, Perſonæ, nihil ad rem faciunt. Poteſt tamen dari caſus vbi omnes circũſtantiæ adſint: Vt ſi Religioſus furetur rem ſacram, in loco ſacro, cum ſcandalo, tempore Sacrificij, vi illata, inſtrumento prohibito, vt abſumat in illicita: hic omnes circumſtantiæ adſunt.

Dico Secundò, Circumſtantiæ iſtæ afficiunt actus humanos accidentario modo conſideratos, non ſolùm ſecundùm eſſe naturale, ſed etiam ſecundùm eſſe morale.

Probatur, Quia manente eadem ſpecie morali poſſunt eſſe variæ circũſtantiæ. *Magnum* enim & *paruum* ſunt circumſtãtię furtorum eiuſdem ſpeciei moralis. Similiter *diuturnum* & *breue*, *intenſum* & *remiſſum*, ſunt circumſtantiæ fornicationis, homicidij, furti, & ſimilium peccatorum, manente eadem ſpecie morali. Quomodo autem eſſe morale, & eſſe naturale in actibus diſtinguantur, explicandum infrà, q. 18.

Dico Tertiò, Iſtæ circumſtantiæ etiam afficiunt actus interhos voluntatis tamquam circumſtantiæ. Odium enim longum & breue, intenſum & remiſſum ſunt eiuſdem ſpecie moralis. Similiter voluntas furandi centum, & furandi mille.

Dices, Actus exterior cum ſuis circumſtantiis habet ſe inſtar obiecti, reſpectu actus interioris voluntatis: eſt enim volitus cum ſuis circumſtantiis actu interiore: ergo ſaltem circũſtantiæ actus exterioris non poſſunt eſſe circumſtantiæ actus interioris. Patet conſequentia, quia cùm ſint vo-

by Google

litæ, tribuent actui interno ſpeciem tanquam partes obiecti.

Reſpondeo Negando Conſequentiam, Quia etiamſi omnes circumſtantię actus exterioris cenſeantur volitæ actu interiore, ſaltem interpretatiuè, non tamen idcircò ſemper ſunt partes obiecti. Ratio eſt, quia non ſemper ſunt volitæ tamquam neceſſariæ ad obiecti honeſtatem, vel turpitudinem; ſed ſæpè tantùm, vt eam augent, vel vt adiungunt nouam ſpeciem, manente priore.

quando circumſtantię tranſeãt in rationem obiecti, quando non.

Quod vt intelligatur, Notandum eſt, tunc circumſtantias deſinere eſſe circumſtantias, & tranſire in obiectum, quando neceſſariæ ſunt vt obiectum induat certam ſpeciem honeſti, vel turpis. Quando autem ad hoc non ſunt neceſſariæ; vt cùm obiectum ſine illis iam habet certam ſpeciem honeſti vel turpis, tunc circumſtantiæ ſuperadditæ habent rationem circumſtantiarum, ſiue nouam ſpeciem addant, ſiue non. Vtrumque explicatur exemplis. Comedere, ſecũdùm ſe non eſt moraliter bonum vel malum, ſed indifferens: vt autem fiat moraliter bonum, requirit certas circumſtantias; ſcilicet, materiæ, temporis, modi, & finis. Itaque illæ quatuor circumſtantiæ non ſunt comeſtionis, vt eſt actus temperantiæ, ſed ſunt veluti partes neceſſariæ ad illam ſpeciem moralem. Similiter non ſunt circumſtantiæ reſpectu actus interioris temperantiæ; ſed ſunt partes obiecti tribuentis actui interno ſpeciem: velle enim comedere cum iſtis circumſtantiis, ſcilicet tali tempore, tali modo, tali fine, & tali quantitate, eſt actus temperantiæ. Quòd ſi quis hunc actum externum referat ad aliquem finem extrinſecum, v. g. vt proximo det bonum exemplum, iam iſte finis extrinſecus habet rationem circumſtantiæ; quia ſuperuenit actui temperãtiæ, & ad eum non eſt neceſſarius. Similiter eſſe alienum, eſt quidem aliqua circumſtantia rei quæ accipitur, & acceptionis, ſed non eſt circumſtantia iſtius acceptionis, vt induit rationem furti: verùm tranſit in rationem obiecti. Quòd autem hæc res aliena, etiam ſit ſacra, eſt quidem circumſtantia furti, ſed non ſacrilegij. Feminam eſſe iunctam matrimonio, eſt quidem circumſtantia actus, quatenus eſt actus libidinis, ſed non quatenus adulterij.

Quando verò actus eſt per ſe bonus vel malus, tum circumſtantiæ quæ accedunt, retinent rationem circumſtantiarum. v. g. dare eleemoſynam, eſt per ſe bonum, vnde circumſtantiæ accedentes, quæ aliquid ad bonitatem conferunt, retinent rationem circumſtãtiarum, & non tranſeunt in rationem obiecti. Mentiri, eſt per ſe malum, vnde ſi qua circumſtantia accedat, retinet rationem circumſtantiæ. Idem intellige de omni actu bono & malo ſecundùm propriam ſuam ſpeciem conſiderato. De quo plura infrà.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm principales Circumſtantiæ ſint, quid, & propter quid?

REſpondetur, Inter circumſtantias principalem locum obtinere *propter quid*. Ratio eſt, quia finis eſt obiectum voluntatis, vnde ex fine potiſſimùm iudicatur actus eſſe bonus vel malus. Quod intellige de actu exteriore.

Secũdum locum. Circumſtantia *quid*, ſeu effectum ex opere ſecutum. Ratio eſt, quia poſt finem maximè iudicamus de actu ex effectu ſecuto.

QVÆSTIO OCTAVA.

De Obiecto Voluntatis.

NOtandum eſt, Ab hac quæſtione vſque ad decimam octauam, D. Thomam explicare naturam actuum voluntatis, quibus homo à prima intentione finis, vſque ad vltimam eius conſecutionem, progreditur. 1

Verſantur autem hi actus partim circa finem, partim circa media. Circa finem verſantur, *Amor, Intentio, Fruitio*. Circa media, *Conſilium, Conſenſus* ſeu *Electio, Imperium* & *Vſus*.

Vt autem explicet naturam actuum voluntatis. Primò agit de obiecto voluntatis. Secundò, de cauſa mouente. Tertiò, de modo motionis.

ARTICVLVS I.

Vtrùm voluntas ſit tantùm boni?

Reſpondetur affirmatiuè.

DVBIVM I.

Vtrùm voluntas nihil poſſit velle ſeu appetere proſequendo, niſi ſub ratione boni?

QVidam Doctores videntur exiſtimare, voluntatem poſſe appetere malũ quà malum, & odiſſe bonum quà bonũ, ſic vt malum placeat quia malum, & bonum diſpliceat quia bonum eſt. Quæ ſententia tribui ſolet Occamo & Maiori, & aliis quibuſdam. 2 Occam. Maior.

malum ſub ratione mali, appeti non poteſt.

Verùm contraria ſententia, ſcilicet malum ſub ratione mali appeti non poſſe ab vlla voluntate, eſt communis Doctorum; neque puto, ſi rectè explicetur, à quoquam negari poſſe: & meo iudicio Occamus & Maior in re ipſa non diſſentiunt ab hac ſententia. Occam enim in 3. q 1;. dub. 3. vbi de hac re agit, ſolùm docet malum quod verè eſt & cognoſcitur eſſe malum, poſſe acceptari, vt cultum idolorum: non tamen excludit omnem ſpeciem boni, v. g. commodi, honoris, &c. Maior verò clarè requirit aliquam ſpeciem boni, vt videre eſt in 4. d. 49. q. 6.

Ex Patribus Dionyſ.

Probatur Primò, Auctoritate Dionyſii lib. de Diuinis nominibus cap. 4. parte 4. verſus finem: *Omni gratia omnia ſunt, & quæ bona, & quæ bonis contraria, nam & hæc boni appetitu aggrediuntur. Nemo enim in malum intuens agit quæ operatur: idcirco neque hypoſtaſin habet malum, ſed παρυπόστατον* (id eſt, adiacet hypoſtaſi) *dum boni gratia, & non ſui ipſius geritur.* Et infrà: *Itaque malum, eſt præter viam, præter intentionem, præter naturam, præter cauſam, præter principium, præter finem, præter terminum, præter voluntatem, præter hypoſtaſin.*

Auguſt.

Auguſtinus lib. 2. Confeſſ. cap. 4. docet, *Omne peccatum committi ex appetitione alicuius boni, quãuis infimi.* Et cap. 5. dicit, *Omnè peccatum tendere ad aliquid habens ſpeciem boni, quod tamen in eo eſt verum bonum.* Sentit igitur Auguſtinus, ne in peccatis quidem, malum ſub ratione mali appeti poſſe.

Anſelm.

Anſelmus de Cõcordia gratiæ & liberi arbitrij verſus finem: *Inſtrumentum volendi* (id eſt, ipſa potentia voluntatis) *duas habet aptitudines, quas vocat*

Digitized by Google

affectiones, quarum vna eſt ad volendum commoditatem, altera ad volendum rectitudinem; nempe nihil vult voluntas, quæ eſt inſtrumentum, niſi aut commoditatem, aut rectitudinem: quidquid enim aliud vult, aut propter commoditatem aut rectitudinem vult; & ad has, etiamſi fallitur, putat ſe referre quod vult. Vbi per *rectitudinem*, intelligit bonum honeſtum, quod ibidem ſæpè vocat iuſtitiam. Per *commoditatem*, intelligit quidquid vllo modo delectabile eſt, vel naturæ commodum. Per *id quod appetitur propter hæc*, intelligit bonum vtile. Itaque apertè indicat Anſelmus, nihil poſſe appeti niſi ob bonum honeſtum, vel aliquo modo commodum.

Adde Ariſtotelem.

His adde teſtimonium Ariſtot. 1. ethic. cap. 1. *Omnis ars & methodus, omnis actio & electio bonum aliquod appetere videtur, vnde recte pronuntiarunt (Veteres) Bonum eſſe quod omnia appetunt.*

1. Ex ratione

Secùdò probatur ratione. Prima ratio, Id quod in ceteris rebus eſt inclinatio naturalis, ſeu motus ſequens naturalem inclinationem, id in rebus cognitione prædituseſt inclinatio appetitus ſenſitiui, vel rationalis: atqui illa non poteſt tendere, niſi in id quod eſt rei ſecundùm naturam conueniens: ergo neque hæc poteſt tendere niſi in id quod rei eſt cõueniens ſecundùm apprehẽſionẽ. Sicut enim illa inclinatio ſequitur naturam rei, ita hæc ſequitur apprehenſionem.

Secunda ratio, Intellectus non poteſt aſſentiri falſo quia falſum, ſed ſolùm quia verum, vel ſpeciem veri habet: ergo ſimiliter voluntas non poteſt appetere malum quia malum, ſed ſolùm quia bonum, vel ſpeciem boni habet. Patet conſequentia, quia non minùs voluntas abhorret à malo, quàm intellectus à falſo.

Tertia, Nihil ob eandem rationem poteſt eſſe appetendum & fugiendum: atqui malum, quà malum eſt fugiendum: ergo non poteſt eſſe expetendum.

Quarta, Malum non poteſt eſſe expetendum, cùm nihil habeat quo alliciat voluntatem: ergo ſi expetatur, id ſolùm erit propter aliquod bonum ei coniunctum. Quod confirmatur Experientia; Quia nemo vnquam peccauit appetendo, quin ſpectauerit aliquid boni, vel ſpeciem boni habens; vt honorem, laudem, diuitias, voluptates, vindictam & ſimilia.

4 Soluuntur obiectiones.

Obijcitur Primò, Quidam appetunt non eſſe, & verti in nihilum; vt colligitur Iob. 3. & 10. & conſtat experientia: atqui non eſſe, non ſolum eſt malum, ſed etiam ſummum malum; eſt enim priuatio omnis boni: ergo, &c.

Quomodo Non eſſe poſſit appeti.

Reſpondeo, *non eſſe*, dupliciter ſpectari poſſe; Primò, Secundum ſe nudè: ſic nemo poteſt illud appetere. Secundò, vt includit liberationem à miſeria: ſic poteſt appeti; quia habet rationem cuiuſdam boni. Sicut enim triſtitia & dolor eſt quoddam malum poſitiuum homini, ita carere miſeria, eſt quoddam bonum negatiuum. Neque verum eſt id quod ſubſumitur, nempe quod non eſſe, ſit ſummum malum; quia malum requirit ſubiectum, eſt enim priuatio boni, non pura negatio. Vnde Dionyſius loco citato ait, *malum non habere hypoſtaſin, ſed παρυπόστασιν* quia videlicet adiacet bono. Poteſt tamen largè vocari malum, quatenus eſt negatio boni, quod fuit. Adde, quòd damnatio ſit malum poſitiuum, quod longè pluris æſtimatur, & deterius eſt damnatis, quàm negatiuum, quale *eſt non eſſe*: vnde malunt hoc malum negatiuum, quàm afflictionem damnationis. Imò quod cupiant *Non eſſe*, eſt ex amore ſui eſſe: vt enim ſuum ipſorum eſſe liberum ſit, tanto magis optant non eſſe, idque ſecundùm rectam rationem, quia eſt illis melius non eſſe, quàm ſic eſſe, vt apertè colligitur Matth. 26.

Obiicitur Secundò: Dæmones appetunt peccatum, quia eſt offenſio Dei: Atqui hoc modo peccatum habet rationem puri mali, ergo &c.

Reſpondeo, Appetunt quidem peccatum, quà eſt offenſio Dei, ſed non ibi ſiſtunt, verùm id referunt ad aliquid, quod ſpeciem boni habet. Appetunt enim id, vt ſe quodammodo de Deo vleiſcantur, quod ipſi apprehendunt tamquam ſibi commodum. Sicut qui aliquid appetit in contumeliam ſui inimici.

Obiicitur Tertiò Qui odit inimicum, vult ei malum, idque tantùm vt ei malè ſit: vt docet D. Thomas 2. 2. qu. 34. art. 6. Hoc enim differt odium ab ira, quòd odium velit malum, quia malum, ira autem velit malum ſub ratione iuſtæ vindictæ.

Poteſt quis velle malũ qua malum alteri, non ſibi.

Reſpondeo: Qui odit inimicum, vult illi quidem malum, vt malè ſit illi, ſed ratio cur hoc totum velit, eſt, vt ſibi bene ſit: nam inimico malum eſſe, apprehendit ſub ratione ſui boni.

Obiicitur Quartò, Poteſt quis nolle beatitudinem, & velle ea carere: atqui in hoc nullum eſt bonum: ergo poteſt velle purum malum. Maior probatur, Primò, Quia multi optant non eſſe, &. numquam fuiſſe, & conſequenter non eſſe beati, qui enim vult antecedens, vult conſequens, quod neceſſariò inde ſequi videt. Secundò, Quia Deus, ſuppoſita præuiſione, qua præuidet Petrum in peccatis moriturum, poteſt ei damnationem iuſtam futuram reuelare, & ſe nolle vt ſit beatus: atqui Petrus poteſt ſe huic diuinæ voluntati conformare; ergo poteſt velle non eſſe beatus.

Quomodo poſſit homo nolle beatitudinem.

Reſpondent quidam, Hominem poſſe nolle beatitudinem in particulari, quæ conſiſtit in viſione Dei: non tamen beatitudinẽ in genere, quæ eſt plenitudo boni, & carentia mali; ſed ſi quis benè aduertat, videbit vtriuſque eandem rationem, ſuppoſita certa cognitione in homine, qua ſciat plenitudinem boni, & carentiam mali non poſſe haberi niſi in viſione Dei, vt rectè Scotus in 4. d. 49. q. 10.

Vnde Reſpondeo: Etſi beatitudo ſiue in genere ſiue in particulari conſiderata non poſſit reſpui ſecundùm ſe, & ſolitariè accepta, cùm nihil habeat in ſe, cur poſſit diſplicere: tamen ſi ſpectetur vt habet coniunctum laborem in acquirendo, vel vt acquiſitio impedit aliud bonum, vel denique vt carentia ipſius apprehenditur tamquam mediũ ad aliud bonum, ſic poteſt quis nolle beatitudinem, & nolle ad illam conari. Sic enim multi ad vitandum laborem præſentis vitæ, & ne careant voluptate præſenti, nolunt beatitudinem futuram, modicis bonis contenti. Simili modo Moſes, & Apoſtolus Paulus optabant carere æterna beatitudine, vt Iſraël ſaluus fieret, iuxta Chryſ. homil. 16. ad Rom de qua ſententia dicendum eſt 2. 2. q. 26. a. 4. His tamen caſibus non reijcitur beatitudo quatenus bona eſt, ſed quatenus habet aliquod malum coniunctum. Neque appetitur priuatio eius, quà malum eſt, ſed quatenus videtur neceſſaria ad aliquod aliud bonum.

Qui appetit antecedens non neceſſariò appetit conſequens expreſsè (cùm poſſit illud formaliter nolle) ſed

Ad Primam confirmationem, Qui appetit non eſſe, appetit conſequenter, ſaltem interpretatiuè, carere beatitudine, non ob ipſam beatitudinem, ſed vt careat incõmodis, quæ ante beatitudinem obtentam deberent ſubiri. Sicut dictum eſt de eo qui expreſsè non cupit beatitudinem futuram, vt vitet laborem & incommoda huius vitæ.

Hinc patet ad confirmationem, Nam ſi quis eo

appetit illud interpretatiuè, & ſecũdum æſtimationem moralem.

caſu nollet eſſet beatus; id non nollet, quatenus beatitudo eſt bona; ſed quatenus eſt iniuſta; & vellet ea carere, quia id iuſtum & conforme diuinæ voluntati.

Obiicitur Quintò, Propoſitis duobus æqualiter bonis, poteſt voluntas alterum reſpuere electo altero, hac ſola ratione; quia ſic placet: ergò poterit aliquid velle, vbi nihil eſt boni: nam ipſius beneplacitum erit ſufficiens ratio.

Reſpondeo Negando Conſequentiam. Beneplacitum enim voluntatis eſt ſufficiens ratio acceptandi alterum præ altero, quando vtrumque eſt bonum, non tamen quando in obiecto nihil boni apprehenditur.

Obijcitur Sextò, Si voluntas non poteſt appetere malum, & odiſſe bonum, non poterit mereri in appetitione beatitudinis, & deteſtatione æternæ miſeriæ. Probatur, Quia neceſſariò illam appetet, & hanc fugiet.

Reſpondeo. Voluntas non appetit beatitudinem neceſſariò ſecundùm exercitium actus (ſic enim numquam poſſet ab illo actu ceſſare) ſed liberrimè, vnde in illa appetitione mereri poteſt: nam libertas exercitij ſufficit ad meritum. Secũdùm ſpecificationem actus neceſſariò quidem illam appetit, ſed hoc non obſtat merito: nihil enim hoc aliud eſt, quàm illam ſecundùm ſe non poſſe odio haberi.

DVBIVM II.

Vtrùm voluntas ſemper abſolutè feratur in bonum, & quidem in tale, quod etiam abſolute ſit bonum, an aliquando ſub conditione, & in bonum ſub conditione?

5. quorumdã ſententia.

QVidam docent Primò, Voluntatem affectu præſenti numquam ferri ſub conditione in aliquod obiectum, ſed ſemper abſolutè: vnde omnem actum voluntatis eſſe abſolutum, nullum conditionatum. Itaque non dari vllum affectum voluntatis præſentem, qui explicetur per *Vellem*, ſed omnem explicari per *Volo*. Confirmatur à ſimili, in ſenſu & intellectu: nullus enim eſt actus ſenſus vel intellectus qui feratur ſub conditione in ſuum obiectum, ſed omnis fertur abſolutè. Vnde nullus eſt actus præſens qui explicetur per, *Viderem*, *Intelligerem*, ſed omnis præſens explicatur per, *Video*, *Intelligo*.

Secundò. Docent voluntatem affectu præſenti numquam ferri in obiectum ſub conditione conſideratum. v. g Si eſſet bonum Si eſſet licitum, ſed abſolutè, Quia eſt bonum, vel Licitum. Sicut patet à ſimili in ſenſu & intellectu: non enim intelligimus, ſi eſſet verum, ſed quia verum eſt.

Pro ſolutione. Notandum eſt, actum voluntatis dupliciter poſſe ſpectari, Primò, vt eſt ſimplex affectus erga aliquod obiectum. Secundò, vt eſt efficax, vel inefficax, id eſt, vt habet vim mouendi ad executionem, vel non habet.

Dico Primò, Si actus voluntatis ſpectetur vt eſt ſimplex affectus, non fertur in obiectum ſub conditione, ſed abſolutè. Ratio eſt, Quia non habet eſſe ſub conditione, ſed abſolutè eſt, vel abſolutè non eſt. Si eſt, debet actu ferri in obiectum, nam tendere in obiectũ eſt actui eſſentiale. Itaque quodiam exiſtens tendat vel non tendat in obiectum, non pendet ab aliqua conditione. Rurſus, ſi tendit in obiectum, iam obiectum debet abſolutè habere aliquam rationem boni; nam tribuit actui ſpeciem. Confirmatur, Quia ſicuti actus habet aliquam ſpeciem abſolutè, ita obiectum debet habere aliquam rationem boni abſolutè. Hinc patet verum eſſe quod ſecundo loco docent.

6 Quomodo detur actus voluntatis conditionalis.

Dico Secundò, Si actus voluntatis ſpectetur vt eſt efficax, vel inefficax, ſic fertur in obiectũ ſub conditione. Quod patet experientia: poſita enim conditione, actus ille mouet ad executionem, non poſita, non mouet. Itaque efficacia non conuenit tali actui, niſi ſub conditione. Explico duobus exemplis, Primo, in verbo *Vellem*, vt cùm dico, Vellem tibi dare Canonicatum, ſi eſſes doctus, ſignifico me nunc habere abſolutum affectum ad dandum tibi canonicatum, ſed non abſolutè efficacem, qui tamen habet vim cauſandi affectum efficacem, poſita conditione: Tunc enim ex *Vellem*, fieret *Volo efficaciter*. Secundo In verbo *Volo*, vt, Volo ſis canonicus, ſi es doctus: vbi, *Volo*, ſignificat affectũ ſimplicem quem habeo ad hoc vt ſis canonicus, ſed inefficacem, niſi ſubſit cõditio; efficacem, ſi ſubſit. Eſt tamen nonnulla differentia inter *Vellem* & *Volo* quod *Vellem*, poſita conditione immediate cauſet in creaturis alũ affectum, ſcilicet, *Volo*, qui mouet ad executionem. *Volo* autem, poſita conditione, non cauſat alium affectum, ſed immediate mouet ad executionem, vel ponit ipſum effectum. Idem facit, *Vellem*, in Deo, non enim cauſat aliũ affectum, ſed poſita conditione, ipſum *Vellem* fit *Volo*, & parit immediate effectum: Vt cùm dico, Deus vellet omnes ſaluos, ſi ipſi gratiæ ipſius cooperarẽtur: ſignifico Deum habere affectum verum & ſincerum erga ſalutem omnium, hunc tamen affectum non fore efficacem ſalutis & vitæ æternæ, niſi poſita conditione. Et hoc modo ponitur in Deo proprie voluntas condionata.

Differentia inter Vellẽ & Volo & ſub conditione.

7 Reſponſio ad obiectionem.

Ex his patet Primò Quo modo verum ſit, affectum voluntatis præſentem ferri in obiectum abſolute, & quo modo ſub conditione: vt ſimplex enim affectus, fertur abſolute, vt efficax, vel inefficax, fertur ſub conditione.

Ratio huius diuerſitatis eſt, Quia tendere in obiectum per modum affectus, eſt conditio realis actui intrinſeca, nam tribuit ei ſpeciem, vnde debet illi abſolutè ineſſe, ſi actus ſit, neque poteſt pendere à conditione extrinſeca, id eſt, vt poſita conditione conueniat actui, non poſita non conueniat. Tendere autem in obiectum tamquam in effectum, ſeu mouere ad executionem, non eſt aliqua conditio intrinſeca, ſed denominatio extrinſeca actus voluntatis, ſicut calefacere reſpectu ignis: vnde poteſt conuenire actui voluntatis, poſita aliqua conditione, abſque vlla mutatione illius actus.

Patet Secundò, Verum non eſſe, nullum dari affectum præſentem, qui explicetur per *Vellem*: *Vellem* enim eſt verbum optandi: qui optat, iam habet aliquem affectum ad id, quod optat. Hic tamen affectus ante conditionem poſitam eſt inefficax: poſita autem conditione fit efficax ſine vlla ſui mutatione.

Nec obſtat quòd in ſenſu vel intellectu fortaſſe non detur actus præſens, qui explicetur ſimili modo, aut qui tendat ſub conditione in obiectũ, quia proprium voluntatis eſt mouere efficaciter ad executionem ex vi præſentis affectus. Inuenitur autem in intellectu aliquid proportionale, vt cum dico, Iudicarem hoc eſſe honeſtum vel licitum, niſi Scriptura obſtaret: ſignifico enim me habere aliquod præſens iudicium, quo hoc ita videtur ſimile honeſto, vt ſi Scriptura non obſtaret, iudicarem eſſe abſolutè honeſtum.

Digitized by Google

ARTICVLVS II.

Vtrùm voluntas ſit tantùm finis an etiam mediorum?

1 PRima Concluſio, Si voluntas accipiatur pro ipſa potentia, fertur in finem, & in media. Secunda Concluſio, ſi accipiatur pro actu voluntatis, propriè tantummodò voluntas eſt finis. Probatur; quia nomen potentiæ accommodatum actui, denotat ſimplicem actum illius potentiæ, ſcilicet, eum qui tendit in id quod per ſe eſt obiectum illius potentiæ. Sic intellectus dum accipitur pro actu, ſignificat cognitionem principij per ſe veri: ergo ſimiliter voluntas accepta pro actu, ſignificat volitionem eius quod per ſe bonum eſt: hoc autem eſt finis: ergo voluntas eſt tantùm finis. Vide reliqua apud D. Thomam.

DVBIVM.

Vtrùm omnis actus voluntatis verſetur circa finem, vel circa medium?

2 Scotus non ponit volitionē, quæ neque ſit medij neq; finis.

CAietanus hic putat Scotum ſenſiſſe dari aliquem actum voluntatis neutrum, id eſt, qui neque ſit appetitio finis, neque medij. Sed ſi quis bene aduertat longe eſt alia mens Scoti, vt patet ex ſentent. d. . q . . Solùm enim docet, dari medium inter fruitionem & vſum: per *fruitionem* enim, intelligit amorem vltimi finis; per *vſum*, intelligit volitionem mediorum relatorum in vltimum finem. Inter quæ duo recte à Scoto datur actus medius, ſcilicet volitio finis non vltimi, propter ſuam intrinſecam bonitatem: vt ſi quis velit reddere depoſitum, quia id iuſtum eſt.

Non datur actus neuter.

Reſpondeo itaque, Si loquamur generatim de fine, non datur vllus actus voluntatis neuter, id eſt, qui neque verſetur circa finem, neque circa aliquod medium, ita Caietanus hoc, & alibi.

Probatur Primò, Quia velle aliquid vt finem, eſt velle illud propter ſeipſum, ſeu nō referendo ad aliud: velle autem mediū, eſt velle propter aliud, non propter ſe. Atqui propter ſe, & propter aliud opponuntur contradictoriè reſpectu obiecti volitī: nam, propter aliud, includit negationem eius quod propter ſe, & contrà: ergo fieri nequit, vt aliquid ſit volitum neutrum, id eſt, neque per modum finis, neque per modum medij.

Probatur Secundò, Voluntas nihil poteſt velle niſi ſub ratione boni, vt *art.* 1. Atqui omne bonum vel eſt per ſe bonum, vel dicitur bonum propter aliud: ergo quidquid voluntas vult, vult vel vt per ſe bonum, & ſic vult illud tamquam finem, vel vult illud vt bonum propter aliud. & ſic vult tamquam medium: ergo non datur actus neuter.

10 Solutio obiectionum.

Dices Primò, Sæpè volumus aliquid ſimplici affectu complacentiæ abſque conſideratione mediorum ad hoc vtilium, vt quando quis optat impoſſibilia, vt eſſe Rex, eſſe Angelus, eſſe Deus. Atqui tunc non volumus aliquid tamquam medium, vt per ſe conſtat, neque etiam tamquam finem, quia nihil eſt volitum inſtar finis, niſi id moueat voluntatem ad appetitionem mediorum: ergo talis volitio eſt neutra.

Reſpondeo, talem volitionem eſſe appetitionem finis, quia eſt affectus ad bonum per ſe amabile: bonum autem per ſe amabile, habet rationem finis in actu primo, quamuis non exerceat vim & cauſalitatem finis in actu ſecundo, vt ſup. q. 1. dictum eſt.

Dices Secundò, Voluntas poteſt alicui rei affici abſolutè, quatenus bona eſt non conſiderando an per ſe bona ſit, an ſolùm propter aliud: ergo poteſt aliquid velle, quod tamen non velit vt finem vel medium Conſequentia patet Antecedens probatur, Nam ratio boni abſtrahit à bono per ſe & propter aliud.

Reſpondeo, Fieri non poſſe vt voluntas ſic alicui rei afficiatur: dum enim aliquid iudicatur eſſe bonum, ſemper ita iudicatur, vel quia illud in ſe bonum videtur, vel quia videtur vtile ad aliud, quod in ſeipſo bonum putatur. Idque patet, ſiue quis appetat bonum in genere. v.g bene eſſe, (hoc enim apprehendit tamquam per ſe bonum) ſiue appetat aliquod bonum particulare, vt honores, diuitias, voluptates. Et ratio eſt, quia affectus erga rem aliquam oritur vel ex conſideratione bonitatis, quæ illi rei ineſſe videtur, & ſic eſt appetitio finis: vel oritur ex conſideratione bonitatis, quæ alteri ineſſe videtur, ad quam illa putatur vtilis, & ſic eſt appetitio medij.

Rari boni non poteſt abſtrahi à bono per ſe & propter aliud, quia ab eadem numero bonitate pendet.

Ad probationem antecedentis, Reſpondeo, rationem boni nō poſſe abſtrahi à bono per ſe, & à bono propter aliud, quia eadem numero bonitas eſt ob quam diligitur finis, & ob quam diligitur medium: bonitas enim finis non ſolùm eſt cauſa, cur finis diligatur, cui illa bonitas ineſt, ſed etiam cur diligantur media quibus ipſa ineſt, vt patet exemplis: bonitas enim ſanitatis, eſt cauſa cur ipſa ſanitas ametur, & medicina ametur. Bonitas vitæ eſt cauſa cur & ipſa ametur, & labores huius vitæ, & pœnitentia.

ARTICVLVS III.

Vtrùm voluntas eodem actu moueatur in finem, & in id quod eſt ad finem?

11 REſpondet D. Thomas duabus Concluſionibus.

Prima eſt, Voluntas poteſt ferri in finem abſolutè, ita vt non feratur in media. Ratio eſt; quia appetitio finis prior eſt electione mediorum.

Secunda, Voluntas non poteſt ferri in media, niſi feratur in ipſum finem Ratio eſt: quia media, vt talia ſunt, non appetuntur niſi propter finem; & conſequenter in eis appetitur finis, tamquam ratio volendi illa Hinc infertur, Voluntatem eodem motu ferri in finem, vt eſt ratio volendi media, & in ipſa media; diuerſo autem, in finem abſolutè, & in media.

Vbi Notandum, Voluntatem hic accipi pro ipſa potentia voluntatis, non pro actu, vt vult Caietanus. Quæritur enim, an ipſa potentia vno eodemque actu feratur in finem, & in media.

DVBIVM I.

Quomodo voluntas eodem actu feratur in finem & in media, directe an indirecte?

12 Quid ſit ferri in finem directè.

SVppono, Voluntatem dupliciter poſſe ferri in finem, Primò, Directè & expreſsè tamquam in obiectum quod appetitur, vt quando

Digitized by Google

quid indirectè.

quis appetit ſanitatem, ſcientiam &c. propter intrinſecam illorum bonitatem. Secundò, Indirectè & implicitè tamquam in rationem appetendi extrinſecam; vt quando quis appetit medicamentum ob ſanitatem. Medium quoque dupliciter appeti poteſt: Primò, directè & formaliter. Secundò, indirectè & virtute.

Voluntas non eodem actu fertur directè in finem & directè in media;

His poſitis, Dico Primò, Voluntas non eodem actu quo fertur directè in finem, fertur etiam directè in media. Similiter non eodem actu quo fertur in media, fertur etiam directè in finem, vt in *obiectum quod*. Docet hoc Gregor. in 1. d. 1. q. 1. a. 2. Neque D. Thomas id negat.

Probatur Primò, Volitio finis eſt cauſa volitionis mediorum: atqui idem non eſt cauſa ſui ipſius: ergo volitio finis non eſt volitio mediorum. Maior probatur: quia velle medicinam propter ſanitatem, eſt velle illam ob ſanitatem volitam, quod nihil eſt aliud, quam affectum ſanitatis eſſe cauſam cur velis medicinam. Quò fit, vt volitio finis ſemper præcedat appetitionem mediorum, vel tempore, vel ſaltem ordine naturæ.

Secundò probatur, Quia ita ſe habet volitio finis & mediorum in voluntate, ſicut cognitio concluſionum & principiorum ſe habent in intellectu: ſed hæ cognitiones ſunt diſtinctæ: ergo & illæ appetitiones ſunt diſtinctæ.

Tertiò, probatur allata ratione à priori; Iſtæ appetitiones habẽt diuerſa obiecta: alterius enim obiectum eſt finis, alterius medium: atqui diuerſa obiecta faciunt, vt actus non ſolum numero, ſed etiam ſint ſpecie diuerſi.

Dices, Eſt idem obiectum formale vtriuſque actus, ſcilicet bonitas finis: nam finis amatur propter bonitatem ſuam, medium verò propter eandem bonitatem: ergo non ſunt actus diuerſi.

Bonitas finis non eodem modo conuenit fini & medio

Reſpondeo Primò, Negando eſſe propriè idem obiectum formale appetitionis medii & finis. Nã etſi ſit eadem bonitas ob quam appetitur finis & medium: tamen illa bonitas non eodem modo vtrique conuenit: fini enim conuenit intrinſecè, medio autem non conuenit, niſi ratione alicuius extrinſeci reſpectus: quatenus in medio eſt ordo quidam ad illam bonitatem, tamquam ad effectum extrinſecum; vt patet in medicamento reſpectu ſanitatis. Ad obiectum autem formale actus voluntatis, non ſolùm pertinet bonitas rei nudè conſiderata, ſed etiam modus quo ipſa applicatur & conuenit rei volitæ. Hinc fit, vt longè aliter æſtimetur finis, aliter medium, aliter Deus, aliter creatura, quamuis ob eamdem bonitatem amentur.

quæ ſit immediata ratio, cur medium ametur.

Reſpondeo Secundò. Dici poteſt, Proximam & immediatam rationem cur medium ametur, non eſſe bonitatem finis, ſed aptitudinem ſeu vim effectiuam, quæ eſt in medio ad finem obtinendum: hæc enim aptitudo eſt aliqua bonitas, quæ vocatur vtilitas, ob quam medium immediatè eſt appetendum. Quia tamen hæc aptitudo non eſt appetibilis per ſe, ſed ſolùm propter finem; ideò bonitas finis in materia morali cenſetur immediata ratio appetendi medii, quamuis metaphyſicè aptitudo ad finem ſit ratio immediata illius.

13

Dico Secundò, Voluntas tamen eodem actu, quo fertur directè in medium, fertur abſolutè in finem, ſed indirectè & implicitè tamquam in rationem volendi. Hoc intendit D. Thomas.

Probatur Primò, Quia finis continetur in mediis tamquam in cauſa: vt ſanitas, in medicina: commoda vitæ, in pecunia. Vnde qui vult media vult finem in cauſa, & ſic virtute & implicite vult finem.

quo modo voluntas eodem actu quo fertur in media, fertur in finem.

Probatur Secundò. Quia appetitio mediorum intrinſecè oritur ex affectu finis, ſicut aſſenſus concluſionis ex aſſenſu principiorum, ergo affectus finis continetur in appetitione mediorum, tamquam in proprio effectu habente intrinſecam dependentiam. Quare ſecundum æſtimationem moralem amor finis cenſetur includi in appetitu mediorum.

Verum hæ duæ rationes ſolum probant, eodem actu, quo amatur medium, aliquo modo amari finem: ſed non explicant proprium modum. Vnde

Probatur Tertiò, Quia finis eſt quaſi ratio formalis obiectiua, cur medium appetatur. Atqui potentia fertur eodem actu in obiectum materiale, & in rationem formalem: eodem enim actu videtur lumen & color, vt recte D. Thomas in Reſponſ. *ad ſecundum*.

Dices, Hoc exemplum non videri accommodatum. Nam lumen eſt proxima ratio cur color videatur; eſt enim veluti forma obiecti viſibilis: vnde eodem actu quo videtur color, directè & propriè videtur lumen, non ſolum tamquam *obiectum quo*, ſeu ratio videndi: ſed etiam *vt obiectum quod*. Finis autem non eſt proxima ratio cur ametur medium: ſed ipſa vtilitas quæ in medio eſt ad finem, eſt proxima ratio cur medium ametur.

Reſpondeo, Exemplum quidem non eſſe omnino ſimile: tamen eſſe ſufficiens ad propoſitum. Omnis enim obiecti ratio formalis debet attingi eodem actu cognitionis vel affectus, quo ipſum obiectum materiale: iuxta illud Ariſtotelis: *Propter quod vnumquodque & illud magis*. Et quidem, ſi ſit ratio formalis intrinſeca, attingitur vt *obiectum quo*, & *obiectum quod*. Si extrinſeca, ſaltem vt *obiectum quo*. Et hoc modo attingitur finis dum appetitur medium: etſi enim non ſit proxima ratio cur medium appetatur, loquendo metaphyſicè: moraliter tamen cenſetur proxima, vt dictum eſt. Simili modo eodem actu quo aſſentimur concluſioni propter principia, aſſentimur etiam principiis, non directè, ſed implicitè, tanquam rationi aſſenſus.

14

Volitio finis eſt cauſaliter volitio medii neceſſarii.

Dico Tertio Voluntas quoque eodem actu quo fertur efficaciter in finem, fertur etiam aliquo modo in media; ſcilicet virtute & implicitè. Dico, *Efficaciter*: quia affectus inefficax circa finem non fertur hoc modo in media: ſæpè enim ſit vt optemus aliquod bonum, & tamen vel omnino à mediis abhorreamus, vel ſaltem illis nullo modo ex vi illius deſiderii afficiamur.

Probatur Primo, Quia qui intendit aliquem finem conſequi, v. g. ſalutem animæ, hoc ipſo implicite vult adhibere media ad hoc neceſſaria: ergo intentio finis implicite eſt volitio mediorum.

Probatur Secundo. Volitio mediorum expreſſa oritur ex intentione finis: ſicut aſſenſus concluſionis ex aſſenſu principiorum: ergo continetur in illa tamquam in cauſa: ergo intentio finis eſt ſaltem cauſaliter appetitio mediorum, ſicut aſſenſus principiorum eſt cauſaliter aſſenſus concluſionum, quod ſufficit vt per intentionem finis media dicantur implicite volita.

Aduerte tamen, hoc ſolùm eſſe verum de mediis neceſſariis, ſine quibus finis haberi non poteſt: ac proinde de mediis in genere, & de illo in particulari, quod in particulari eſt neceſſarium, ſicut Baptiſmus eſt neceſſarius ad ſalutem. Volitio enim mediorum non neceſſariorum, continetur in intentione tamquam in cauſa indeterminata: ſicut actus liber in potentia voluntatis. Quare antequam actu talis volitio eliciatur, non magis ipſa continetur in intentione, quam eius negatio: ac proinde tale medium non cenſetur volitum in particulari per intentionem.

DVBIVM II.

Vtrùm voluntas feratur etiam eodem actu in obiectum quod *appetitur, & perſonam, ſeu* rem cui *appetitur?*

1 Affirmatur.

REſpondeo & dico primò, Eodem actu in vtrumque ferri. Et

Ratio eſt, Quia ſicut ſe habet aſſenſus & diſſenſus in intellectu, ita ſe habet volitio & nolitio in voluntate: ergo ſicut obiectum aſſenſus & diſſenſus non eſt aliquid ſimplex, ſed complexum: ita & obiectum volitionis & nolitionis non eſt aliquid ſimplex, ſed coniunctum. Quod etiam experientia patet: nemo enim poteſt aliquid velle, quin illud ſibi vel alteri velit: quod nihil eſt aliud, quàm velle illud ſibi vel alteri eſſe coniunctum. Sic non poteſt quiſquam nolle aliquid, quin nolit hoc ſibi vel alteri coniunctum. Itaque intrinſecè & eſſentialiter omnis volitio & nolitio reſpicit *obiectum quod*, & *obiectum cui*: hæc enim iuncta non faciunt niſi vnum obiectum integrum: ſicut attributum & ſubiectum coniuncta, non faciunt niſi vnum obiectum aſſenſus.

Notandum tamen eſt, Hanc volitionem, quatenus reſpicit *obiectum quod*, vocari à Doctoribus amorem concupiſcentiæ: quatenus autem reſpicit *obiectum cui*, amorem beneuolentiæ, ſeu amicitiæ: Non quod hic concurrant duo diſtincti actus, ſed quia in eodem ſimplici actu concurrunt duo reſpectus ad duo obiecta partialia, ratione quorum, actus ſubit diuerſas rationes, partiales tamen, & diuerſa nomina. Itaque in omni huiuſmodi actu includitur amor amicitiæ, & concupiſcentiæ, generatim loquendo.

16 Duo requiſita ad amorem beneuolentiæ

Vt autem propriè ſit amor beneuolentiæ erga aliquem, duo requiruntur.

Primum, vt *obiectum cui*, ſit aliqua natura rationalis: nam ad hanc ſolam propriè habetur beneuolentia, ſeu amicitia. Quòd ſi interdum brutis velimus aliquod bonum, id fit propter eorum poſſeſſorem: vnde eſt beneuolentia erga hunc, non erga ipſa. Si tamen quiſpiam illis bene velit, duntaxat vt illis bene ſit, non habito reſpectu ad dominum, eſt affectus ſimilis amicitiæ, & generatim dici poteſt amicitiæ vel beneuolentiæ amor, vt colligitur ex Gabr. in 1. d. 6. q. vnica, a. 3 dub. 2. vbi ait: *Sicut poteſt voluntas amare quodlibet ens amore amicitiæ, ita etiam poteſt quodlibet ens concupiſcere amatum.* Gabriel.

Secundum eſt, vt *obiectum quod*, id eſt bonum, ſit volitum illi naturæ rationali, duntaxat vt illi bene ſit, non referendo hoc ad vlteriorem finem. Explicatur exemplis: Si enim ſeruo tuo velis bonum vt tibi bene ſit, non erit beneuolentia erga illum, ſed erga te ipſum: & hoc totum, ſeruum tuum bene habere, tantum eſt obiectum amoris, vt eſt concupiſcentia. Sic ſi velis proximo tuo ſalutem propter Deum, ſeu vt Deus honoretur in illo: non eſt amor beneuolentiæ erga proximũ, ſed erga Deum: Proximus autem ibi amatur amore concupiſcentiæ. Simili modo, dum omnem creaturam volumus eſſe, permanere, perfici ad gloriam Dei, eſt beneuolentia erga Deum, non erga creaturam.

Dico Secundò, Etiamſi voluntas eodem actu quo fertur in *obiectum quod*, feratur etiam in *obiectum cui*, ſeu in perſonam, cui res illa appetitur: tamen non eodem modo fertur in illam perſonã, quando in eius bono immediate ſiſtit, & quando illud ad alterius bonum refert. Patet. Quando enim ſiſtit in illius bono, tunc expreſſe & formaliter fertur in illam perſonam, tamquam in finem per modum intentionis, eſtque formaliter actus beneuolentiæ erga illam: vt cum ſeruo vis ſanitatem duntaxat vt ipſi bene ſit, abſque conſideratione tui commodi: dum verò id ei vis in tuum commodum, tunc illo actu non ferris in ipſius perſonam, vt in finem, ſed tamquam in medium: ferris verò in tuam perſonam vt in finem, ſed ſolùm implicite, vt in rationem volendi: Sicut qui vult media, implicite vult finem, tunc enim tuum commodum eſt volitum in ipſius commodo ſicut finis in mediis. Vnde & neceſſe eſt, vt præceſſerit aliqua volitio, qua immediate tuum commodum appetiiſti, ex cuius virtute profecta eſt illa volitio qua ſeruo ſanitatem optas. Quare ſecundum æſtimationem moralem hoc actu cenſeris magis amare teipſum, quam ſeruum tuum, quia ratio cur illi velis bonum, non eſt bonum ipſius, ſed bonum tuum. Similiter illo actu quo deſideras proximo ſalutem, vt Deus honoretur, magis amas Deum quam proximum, etiamſi tunc de Deo non cogites. Itaque in ratione virtutis, potius eſt dilectio Dei quam proximi: Nam bonum proximi ſe habet vt obiectum materiale, vel vt medium; Dei autem, vt obiectum formale illius actus, vel vt finis. Simili modo iudicandum eſt de actu odii, quo quis odit peccatum propter Deum, de quo hic Caietanus ait, Hoc odium, eſſe ſimul velle & nolle; eſſe actum charitatis erga Deum, & refutationis reſpectu peccati. Quod non ſic intelligendum eſt, quaſi vtrumque ei formaliter conueniat: ſed quod alterum ei formaliter, alterum virtute conueniat. Hic enim actus non fertur expreſſe in Deum, ſed ſolum implicitè & virtute, vnde non eſt formaliter amor Dei, ſed virtute tantum, quatenus prima ratio huius odii eſt Deus; oritur enim ex amore Dei: ſicut electio medii ex amore finis. Eſt tamen alio ſenſu actus charitatis; quia elicitus ab habitu charitatis.

QVÆSTIO NONA.

De Motiuo Voluntatis.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum voluntas moueatur ab intellectu?

1.

REſpondetur duabus Concluſionibus.

Prior eſt, Voluntas mouet omnes alias animæ potentias ad exercitium actus. Hinc ſequitur, quòd etiam moueat intellectum ad exercitium: & conſequenter quod intellectus non moueat voluntatem ad exercitium, ſed voluntas ſeipſam. Loquitur D. Thomas tantum de

illis animæ potentiis quæ interdum agunt, interdum non agunt: quæ enim ſemper agunt, à natura ſunt applicatæ ad agendum.

Altera Concluſio. Intellectus mouet voluntatem ſecundum ſpecificationem actus.

DVBIVM I.

Quid ſit mouere ad exercitium actus, vel ad ſpecificationem.

Mouere ad exercitium

REſpondeo, *Mouere ad exercitium*, eſt per intrinſecam applicationem potentiæ ex parte ſubiecti eſſe cauſam cur hic & nunc agat potius, quàm alias. Dico, *Per intrinſecam applicationem*, quia extrinſeca applicatio, vt cum quis ignem applicat lignis, non ſufficit vt quis dicatur præcisè cauſam agentem mouere ad exercitium. Dico *Ex parte ſubiecti*, quia qui proponendo obiectum eſt cauſa cur potentia hic & nunc agat, non mouet ad exercitium. *Mouere ad ſpecificationem actus*, eſt eſſe cauſam præciſe cur actus ille, qui ex parte potentiæ eſt indifferens ad varias ſpecies, ſit potius huius ſpeciei, quàm alterius: vt quod hæc intellectio, hæc volitio, hæc viſio ſit potius huius ſpeciei, quàm alterius, referendum eſt in illud quod mouet ad ſpeciem actus.

Mouere ad ſpecificationem.

1 Potentiæ ex ſe ad certæ ſpeciei operationem determinatæ non egẽ motore.

Hinc ſequitur, Primò. Eas potentias quæ ex natura ſua ad certæ ſpeciei operationem ſunt determinatæ, non egere motore ad exercitium actus, vel ad ſpecificationem: vt ſunt, vis alendi, concoquendi, attrahendi, vel pulſatrix cordis & arteriarum. Nec refert quod hæ vires egeant materia, vt exeant in actum quia ex parte ſua ſunt determinatæ ad certam operationem.

Dices: D. Thomas ait, Id quod eſt in potentia ad agere & non agere, eget motore, quo ad exercitium actus moueatur: atqui illæ vires ſunt in potentia ad agere & non agere: quia non ſemper agunt.

Reſpondeo, Has vires neque ex parte ſua præcisè, neque ex parte ſubiecti vtentis, eſſe in potentia ad agere & non agere, ſed ſolùm defectu materiæ. D. Thomas loquitur de eo quod ex parte ſua, vt eſt voluntas, vel, vt eſt in tali ſubiecto, eſt indeterminatum & indifferens ad agere & non agere, vt intellectus, phantaſia, appetitus ſenſitiuus, &c.

Neque ſenſus exteriores.

Sequitur Secundò. Senſus exteriores non egere motore, quo directè moueantur ad exercitium; quia natura ſua ſunt determinati ad exercitium actus, præſente obiecto; ſed tantùm egent motore indirectè, quatenus per motum localem debent applicari obiecto, vel impedimentum interpoſitum tolli; vt patet in oculis, obductis vel reductis palpebris.

DVBIVM II.

Vtrum voluntas moueat alias animæ potentias ad exercitium actus, & quo modo?

DIco Primò: Certum eſt, voluntatem in hominibus, & appetitum ſenſitiuum in brutis mouere alias animæ potentias, quæ ex parte ſubiecti non ſunt determinatæ vt ſemper agant, ad exercitium actus. Patet experientia: proxima enim ratio cur homo vel brutum hoc vel illud agat, eſt quia vult.

4 Voluntas mouet potẽtias, quæ nõ ſũt ex parte ſubiecti determinatæ, vt ſemper agant.

Ratio à priori eſt, quam hic inſinuat D. Thomas: quia voluntas in homine, & appetitus ſenſitiuus in brutis, eſt inclinatio, ſeu pondus, quo fertur in totum bonum ſuppoſiti. In aliis autem viribus, eſt ſolùm inclinatio in aliquod bonum particulare ſuppoſiti: in intellectu ad intellectionem, in ſenſu interiore ad imaginationem: atqui inclinatio in bonum totius, debet mouere & incitare inclinationes particulares: quia bona particularia debent referri ad bonum totius: ſicut cauſa quæ reſpicit finem vniuerſalem, mouet cauſas quæ reſpiciunt fines particulares, vt optimè explicat D. Thomas exemplo ducis exercitus.

Secundò, Voluntas eſt inclinatio in bonum totius: atqui hoc bonum non poteſt ipſa per ſe conſequi, ſed ſolùm mediantibus aliis potentiis: ergo neceſſe eſt vt poſſit alias potentias ad hoc bonum proſequendum mouere.

Dico Secundò, Quod ad modum huius motionis attinet: voluntas non mouet alias potentias effectiue, per realem aliquem influxum in eas; ſed tantùm ratione naturalis connexionis, quæ illæ cum voluntate in eadem eſſentia habent.

5 Non mouet eas per realem influxũ in eas.

Prior pars eſt fere certa; probatur; Quia vires inferiores ex communi DD. & Probatorum ſententia, ſatis idoneæ ſunt, ſuaſque perfectiones intrinſecas, ſatisque decentes ſuos actus ſecundùm ſubſtantiam, eosque modos intrinſecos illorum: ergo fruſtrà poneretur influxus voluntatis in illas. Antecedens patet; Intellectus enim inſtructus habitu conueniente, ſeu ſpecie intelligibili eſt ſufficiens ad omnem intellectionem; nec vlla eſt ratio formalis, vel modus intrinſecus in actu intellectionis, ad quem opus ſit influxu voluntatis. Vt enim eſt intellectio, eſt à potentia intellectiua: vt eſt ſupernaturalis, eſt ab habitu vel auxilio ſupernaturali, tamquam à proprio principio: vt autem eſt huius vel illius ſpeciei, eſt ab obiecto mediante ſpecie intelligibili.

Dices: Illa intellectio eſt etiam voluntaria & libera: atqui hoc non habet niſi à voluntate: ergo influxus voluntatis ad hoc erit neceſſarius.

Reſpondeo, Eſſe voluntarium & liberum non ſuperaddit actui aliquid extrinſecum, ſed ſolùm extrinſecam denominationem ab actu voluntatis. Idem dicendum eſt de actu imaginationis, appetitus ſenſitiui, ſenſuum exteriorum & potentiæ motiuę, ſiue hæc ponantur immediatè in anima, ſiue in inſtrumento corporeo.

Non cauſat immediatè motum localem.

Vtrùm autem voluntas poſſit cauſare immediatè motum localem in corpore, vt Medina hoc loco putat cum quibuſdam aliis Doctoribus, dubitari poteſt. Sed omninò verius eſt, voluntatem non eſſe cauſam immediatam motus localis, & dari potentiam motricem, à qua effectiue & immediatè procedat motus; quam potentiam voluntas duntaxat applicet: de qua plura in 1. parte, q. 25.

6

Altera pars probatur: quia non ſupereſt alius modus mouendi illas vires, & hic ſufficit. Vel enim vires animæ non diſtinguuntur ab anima, ſed ſunt ipſamet animæ eſſentia, quatenus idonea ad varias operationes: vt intellectus nihil aliud ſit, quàm ipſa eſſentia animæ, vt eſt idoneum principium intellectionis; & voluntas, ſit eadem eſſentia, vt eſt idoneum principium volitionis, & ſic de cæteris (quæ ſententia eſt ſatis probabilis, eamque optimè explicat & defendit Gabr. in 2. d. 26. q. vnica.) Et hoc modo facile eſt intelligere, quo modo aliarum virium operatio poſſit à voluntate dependere, cùm tanta hanc potentias

Voluntas mouet alias

ratione naturalis vnitatis vel cõnexionis in eadem eſſentia.

ſententiam omnes vires non ſint niſi vna ſimplex anima, quæ cùm vult, eſſentia tota in rem volitam trahitur: & conſequenter ex illa eſſentia ſequuntur operationes conſentaneæ ad illam rem obtinendam. Vel vires animæ diſtinguuntur realiter ab eſſentia animæ, ſic tamen vt ab eadem maneant, & in eadem exiſtant, & dum operantur ipſæ, eſſentia quoque influxum in opus habeat. Et hoc etiam modo facilè intelligi poteſt connexio potentiarum in operando: dum enim voluntas vult alicuius potentiæ operationem, v. g. intelligere, imaginari, ambulare, tota eſſentia trahitur per voluntatem in illam operationem: & conſequenter etiam potentia propria, qua illa operatio elicitur.

A ſimili.

Idem confirmatur à ſimili. Sicut enim operatio intellectus dependet ab operatione ſenſus interioris, ita vt naturaliter non poſſimus quidquam intelligere, niſi id ipſum imaginemur; & operatio ſenſuum exteriorum, vt perfecta ſit, requirit attentionem ſenſus interioris: ita mirum non eſt, ſi operatio quarumdam potentiarum dependeat à voluntate, quæ eſt appetitus inclinans in totum bonum hominis, aliter ſenſus externos, aliter

Adueſtin & imaginatricem ad exercitium moueri. Intellectus enim & imaginatrix applicantur interius ex vi conſenſionis immediatæ cum voluntate: ſenſus autem externi non habent talem cum voluntate immediatum conſenſum. Quare ſolùm mediante potentia motiua applicantur ad operandum. Quò fit, vt voluntas non poſſit ſenſuum operationes excitare vel impedire, intenſiores aut remiſſiores facere, niſi mediante motu locali, quo vel ipſi ſenſus fiunt obiectis viciniores, vel ſpiritus ad ſenſuum organa plures excitantur. Propoſito enim obiecto & ablato impedimento, ſenſus naturaliter ſuam perfectiſſimam operationem eliciunt, ſiue voluntas velit, ſiue non velit. Secus eſt de intellectu & imaginatrice.

Ex dictis patet, cur operatio vnius potentiæ circa ſuum obiectum, impediat perfectam operationem alterius potentiæ circa ſuum: vt attenta ſpeculatio intellectus, operationes ſenſuum, & operatio vnius ſenſus, attentionem alterius. Ratio enim eſt, quia tota animæ eſſentia trahitur in illud obiectum, circa quod quiſpiam attente operatur: & ſic non poteſt perfectè alteri operationi applicari (niſi diuinitus ſupra modum naturalem iuuetur, ſicut fiet in cælo; vbi operatio vnius potentiæ non impediet perfectionem operationis alterius potentiæ:) neceſſe enim eſt vt in omnem operationem vitalem eſſentia influxum habeat.

Cur vnius potentia operatio impediat operationem alterius nõ ſubordinata.

DVBIVM III.

Quo modo voluntas moueatur ab intellectu, & ab obiecto.

OMiſſis ſententiis. Dico Primò, Obiectum cognitum non eſt de cauſa effectiua actus voluntatis; vt rectè docet Scotus in 2. d. 25. q. vnica. Et Durandus in 2. d. 24. q. 1.

1 Obiectum cognitum nõ eſt cauſa effectiua actus voluntatis.

Probatur Primò Quia obiectum ſæpe non exiſtit in rerum natura, dum appetitur, vt cùm quis appetit ſanitatem, doctrinam, ſalutem. Id autem quod non exiſtit, non poteſt habere realem efficientiam. Quòd ſi aliquando contingat tunc temporis exiſtere, id nihil refert; quia etiam tunc non aliter agit quàm dum non exiſtit.

Probatur Secundò, Si obiectum effectiue cauſaret ipſam volitionem; vel efficeret ſe ſolo, vel vnà cum voluntate. Si ſe ſolo, ſcilicet vt integra cauſa, ſequeretur voluntatem ſe habere merè paſſiuè in omni volitione, & conſequenter nullam volitionem eſſe liberam, meritoriam, vel demeritoriam: imò nullam eſſe voluntariam ſeu ſpontaneam; quæ omnia ſunt contra fidem, & rationem naturalem. Si vna cum voluntate efficeret, ſcilicet vt cauſa partialis, ſaltem deberet exiſtere, & eſſe realiter præſens: cum tamen ſæpè vel non ſit, vel longiſſime abſit.

Dico Secundò, Cognitio obiecti non eſt cauſa efficiens volitionis, ſiue volitio ſit neceſſaria, ſiue libera. Eſt contra quoſdam, inter quos Marſilius in 2. quæſt. 16. artic. 3. qui docent, motus primos voluntatis eſſe effectiue à ſola cognitione, non tamen liberos: Sed

Neque etiã cognitio obiecti.

Probatur, Si ſola cognitio obiecti efficeret in voluntate volitionem, hæc volitio non eſſet actus vitalis: quia non procederet à principio intrinſeco (ſicut habitus non eſt quid vitale, quia fit immediatè à ſolo actu, non à potentia vitali:) vnde neque eſſet libera, quia non procederet à principio indeterminato: cognitio enim illam produceret vt agens naturale. Imò neque eſſet ſpontanea: quia non procederet effectiuè à voluntate. Hæ rationes vim habent, etiamſi ponamus intellectum non diſtingui à voluntate, niſi ratione: vt patet à ſimili de habitu orto ex actu cognitionis.

Nec obſtat, Quod aliqui motus voluntatis ſint neceſſarii, ſic vt non poſſint à voluntate impediri: non enim id ex eo prouenit, quod à ſola cognitione fiant: ſed quia obiectum proponitur tamquam bonum neceſſarium carens omni malo, vt in beatis: vel quia ita proponitur ſub ratione boni, vt eo momento non conſideretur vlla ratio non appetendi, vt fit in motibus primis.

Sed difficultas eſt, Vtrum cognitio obiecti concurrat ſaltem vt cauſa partialis ad actum voluntatis, ſicut ſpecies intelligibilis cum intellectu. Multi enim putant, ſic concurrere, vt Caietanus 1. p. quæſt. 80. artic. 2. & hic quæſt. 22 art. 2. Idem tenent Gregorius in 2. d. 25. Heruæus & Adam teſte Caietano, & Gabriel in 2. d. 25. quæſt. vnica, art. 3. Sed contrarium verius videtur. Vnde

Dico Tertiò, Cognitionem obiecti non concurrere effectiuè cum voluntate, ſed ſolam voluntatem eſſe cauſam effectiuam ſui actus. Indicat D. Thomas 1. parte quæſt. 82. art. 4. vbi clarè inſinuat bonum apprehenſum mouere voluntatem ſolum per modum finis, non autem per modum agentis. Idem docet de veritate quæſt. 22. artic. 12. Scotus in 2. diſt. 25. quæſt. vnica, vbi benè id probat, & Capreolus, teſte Caietano.

2 Cognitio obiecti non concurrit effectiuè ad volitionem.

Probatur Primò; Quia voluntas eſt perfectè libera; vnde eodem obiecto propoſito, habet in ſua poteſtate velle & nolle. Ergo velle & nolle debet ab ipſa ſola procedere. Fateor tamen hoc argumentum non eſſe validum: quia eſt alia cognitio, ex qua ſequitur velle; alia, ex qua nolle, etſi obiectum materiale ſit idem. Vnde

Probatur Secundò: Voluntas eſt quoddam pondus animæ in bonum: ergo fertur in illud, ſicut alia rerum pondera feruntur in ſuos terminos, ſeruata proportione. At modus tendendi alicuius ponderis in ſuum terminum, eſt vt ſe-

ipſum inclinet & impellat, nec opus habeat cauſa extrinſecus adiuuante.

Tertiò, Numquam actus vnius potentiæ eſt principium effectiuum actus alterius potentiæ; quia omnes potentiæ ſunt in ſeipſis perfectæ & completæ, vel certè poſſunt compleri perfectionibus intrinſecis, vt ſint integra ſuarum functionum principia: ergo neque actus intellectus erit principium effectiuum actus voluntatis. Hæc ratio potiſſimùm vim habet in ſententia eorum qui ponunt intellectum & voluntatem reipſa diſtingui

Dico Quartò: Cognitio ſolùm mouet voluntatem mediante obiecto, quatenus proponit illi, & veluti applicat obiectum, quod immediate voluntatem mouet. Mouet autem obiectum voluntatem non proprie inſtar efficientis, ſed metaphoricè inſtar finis, quatenus voluntas ſeipſam mouet in obiectum propter obiectũ ipſum; ſic vt ex ordine ad obiectum, actus ſuam habeat ſpeciem.

11 Cognitio non mouet, niſi ratione obiecti.

Prior pars patet: Quia cognitio non eſt cauſa efficiens realiter volitionis, vt oſtenſum eſt, neque eſt obiectum eius: ſed proponit obiectum, & ſic mouet. Vnde ſequitur, cognitionem mouere inſtar ſuadentis: ſuaſio enim fit proponendo rei bonitatem & præſtantiam. Cumque ſuaſio ſit cauſa efficiens moralis, ſicut mandatum: cognitio quoque cenſebitur cauſa efficiens moraliter: quãuis non ſit efficiens phyſicè.

Altera pars, quòd obiectum ſolũm metaphoricè moueat: Probatur, non enim mouet proprie efficiendo motum voluntatis, vt oſtenſum eſt. Dicitur tamen mouere voluntatem, eamque ad ſe trahere & allicere: quod non aliter intelligi poteſt, quàm quòd voluntas in ſeipſa excitet motum tendentem in obiectum: idque propter obiecti bonitatem. Ex vi illius motus mouet alias potentias.

Obiectum mouet metaphoricè

Hinc ſequitur Primò, Eamdem eſſe motionem qua voluntas ſeipſam mouet, & qua obiectum mouet voluntatem. Vt enim motio illa manat effectiuè à voluntate, ſic per eam voluntas mouet ſeipſam: vt autem dependet ab obiecto, ſic per eam obiectum mouet voluntatem. Et quia dependet ab obiecto per ſe primò ſecundum ſpeciem actus, ideò obiectum dicitur mouere voluntatem ad ſpeciem actus.

Eadem eſt motio qua voluntas ſe mouet, & qua obiectũ mouet voluntatem.

Sequitur Secundò, Etſi actus voluntatis totus, & ſecundùm ſpeciem, & ſecundùm exercitium in individuo pendeat à voluntate tamquam à cauſa efficiente, & ab obiecto tamquam à cauſa finali: tamen propriè voluntas mouet ſe ad exercitium, non autem obiectum: & obiectum mouet illam ad ſpeciem actus, non autem ipſa ſeipſam. Patet, quia propria ratio cur actus iſte hic & nunc fiat, eſt, quia voluntas ſic vult: non autem quia tale eſt obiectum. Propria autem ratio cur actus ſit huius vel illius ſpeciei, eſt, quia tale habet obiectum: non autem quia ſic placet voluntati.

Sequitur Tertiò, Intellectum non mouere voluntatem ad ſpeciem actus, niſi proponendo obiectum, à quo actus ſpeciem ſumat.

Obiicitur Primò, Verbum diuinum eſt principium productiuum amoris, ſcilicet, Spiritus ſancti, qui eſt amor: Ergo ſimiliter verbum creatum, quod nihil eſt aliud: quàm cognitio obiecti; erit productiuum amoris. Conſequentia probatur; quia ſolùm differunt hæc verba, quod illud ſit per ſe ſubſiſtens, hoc non. Atqui non eſſe per ſe ſubſiſtens, non tollit vim efficiendi: ſed ſolùm facit vt id quod erat principium *quod*, ſit principium *quo*. Ita Caietanus.

Ra obiectiones ſoluuntur.

Reſpondeo: Verbum diuinum non producit amorem præcisè quà Verbum, ſeu intellectio, vt quidam putant (alioqui non eſſet vnum principium cum Patre: non enim eadem vi produceret Spiritum ſanctum qua Pater, cum Pater producat Spiritum ſanctum voluntate, non intellectione) ſed quatenus præditum voluntate fœcundá. Filius enim Dei, dum generatione accipit à patre intellectionem, etiam accipit eſſentiam, & conſequenter voluntatem: vnde per illam vnà cum patre producit Spiritum ſanctum.

Verbũ non producit amorem intellectione:

Obiicitur Secundò. Idem non poteſt eſſe principium actiuum & paſſiuum reſpectu eiuſdem: ergo cum voluntas in ſe recipiat ſuum actum, non poteſt ipſum ſola efficere. Antecedens probatur: quia idem non poteſt ſimul eſſe actu & potentia, reſpectu eiuſdem. 13

Reſpondeo Negando Antecedens: Hoc enim falſum eſſe patet in Angelis, qui ſeipſos effectiuè loco mouent, & motum recipiunt. In intellectu, qui eſt principium effectiuum intellectionis vt intellectio eſt, & receptiuum eiuſdem. Et in ſenſibus. Denique in ipſis elementis: aqua enim ſeipſam ad frigus reducit. Simili modo voluntas poteſt habere totam vim effectiuam ſui actus, & eumdem actum in ſe recipere. Ad confirmationem, Concedo quod aſſumitur, ſed illud non eſt eſſe ſimul in actu & potentia, reſpectu eiuſdem: ſed eſt eſſe in actu, reſpectu virtutis effectiuæ: & in potentia, reſpectu formæ efficiendæ. Vide Scotum in 2. diſtinct. 15. §. *Ad Primam rationem*. Et Marſilium in 2. quæſt. 16. artic. 3. Vbi id fusè oſtendit ex Ariſtotele & Auerroë.

Idem ſecundum eamdẽ formam poteſt eſſe principium efficiens, & recipiens eiuſdem.

Scotus. Marſil.

Obiicitur Tertiò, Quòd intellectio ſit intellectio, habet ab intellectu: quòd verò ſit huius vel illius ſpeciei, non habet ab intellectu tamquã à proprio principio effectiuo: ſed ab obiecto concurrente per ſpeciem intelligibilem. Ergo ſimiliter quòd volitio ſit huius vel illius ſpeciei, non habet effectiue à voluntate: ſed ab obiecto concurrente per cognitionem ſui. Hoc argumentum Caietanus dicit ſe non potuiſſe vnquam ſoluere. 14

Reſpondeo Primò, Non conſtat ſpeciem intelligibilem aut obiectum concurrere effectiue ad intellectionem.

Etſi ſpecies intelligibilis concurreret effectiue ad intellectionẽ, non tamen cognitio obiecti concurreret effectiue ad volitionẽ

Secundo, Etiamſi id concederemus, non tamen ideò neceſſariò concedendum, cognitionem obiecti concurrere effectiue ad volitionem: tum quia voluntas operatur per modum inclinationis: intellectus per modum aſſimilationis: tum quia ſpecies eſt intrinſeca intellectui, cognitio autem non eſt voluntati intrinſeca: tum denique, quia ſpecies actus poteſt eſſe effectiue ab aliqua cauſa efficiente integra, in qua tamen cauſa non reperitur propria ratio illius ſpeciei, quaſi formaliter, ſed ſolùm virtute vel eminenter: ita tamen vt illa cauſa determinetur ad hanc vel illam producendam à ſubiecto vel obiecto extrinſeco. Sicut ſi ſol illuminet vitrum triangulum, rubrum; lumen productum erit talis figuræ & ſpeciei, effectiue à ſole, ſed propter diſpoſitionem ſubiecti. Eodem modo, ratio cur actus voluntatis ſit huius ſpeciei, peti poteſt ab obiecto, etiamſi obiectum nihil efficiat, quia tota ſpecies actus continetur virtute in potentia voluntatis.

15 Auerroes

Obiicitur Quartò, Auerroes 12. Metaphyſ. comm. 76. affirmat appetibile dupliciter mouere appetitum: Primò, vt eſt apprehenſum, & ſic mouere effectiue. Secundò, vt eſt in rerum natura, & ſic mouere per modum finis. Ita Caietanus.

Confirmatur, Quia Ariſtoteles multis locis docet appetibile, id eſt, bonum quod appetitur, eſſe mouens immotum: appetitum vero eſſe mouens motum.

Reſpondeo, Bonum vt apprehenſum poſſe dici mouere effectiue voluntatem per illam cognitionem, non efficientia phyſica, ſed morali; ſicut conſulens & mandans dicitur cauſa efficiens: & tunc illa cognitio eſt ratio agendi, per quam obiectum agit. Quòd ſi aliud velit Auerroës, ipſe præſtet: neque enim tantus eſt, vt eius auctoritas nos moueat. Dicitur *mouere per modum finis* vt eſt extra animam: quia ipſum vt actu vel poteſtate eſt in rerum natura, eſt cauſa & ratio, cur appetitus ſeipſum & alias potentias moueat in illud: quod eſt eſſe finem. Cognitio autem eſt ſolùm conditio, ſine qua non, in hoc modo appetendi: ſicut applicatio cauſæ eſt conditio neceſſaria ad cauſandum; vnde etiam dici poteſt cauſa. Sicut enim qui applicat ignem, cenſetur cauſa eius, quod ignis facit: ita qui proponit obiectum, cenſetur cauſa eius, cuius obiectum eſt cauſa.

Ad Confirmationem. Appetibile mouet non effectiue, ſed vt finis: nempe quia eſt ratio cur appetitus ſe moueat in illud: In hoc enim conſiſtit cauſatio finis. Vt autem dicatur appetitus eſſe mouens motum, non eſt neceſſe vt priuſquam appetitus ſe moueat, præceſſerit in eo motio illata ab appetibili: non enim vt ſeipſum mouet, dicitur mouens motum, ſed vt mouet alias potentias, vt enim alias potentias moueat, neceſſe eſt ita ipſum eſſe motum, non effectiue ab obiecto, ſed à ſeipſo effectiue, ab obiecto per modum finis.

DVBIVM IV.

Vtrùm ad motum voluntatis neceſſariò requiratur cognitio intellectus: an verò aliquando voluntas poſſit ſine intellectu moueri?

16 Quidam affirmat dari amorem ecſtaticum ex cluſa cognitione.

QVidam Doctores docent in viris perfectis, diuini amoris feruore ſuccenſis apicem affectus poſſe vi amoris ferri in Deum, ſine prævia cognitione. Ita D. Bonauentura Tractatu de myſtica Theologia, quæſt. vltima. Et Gerſon Alphabeto ſeu Tractatu 66. Conſideratione quarta. Et Hugo de Balma, lib. de triplici via: quem ſæpe hoc opuſculo citat Gerſon.

Alii putant, Motum voluntatis non poſſe quidem inchoari ſine cognitione: ſemel tamen inchoatum poſſe continuari, etiamſi intellectus deſinat conſiderare. Inſinuat Gerſon Alphabeto 69. ſub finem. Vtramque ſententiam fusè refutat Dionyſius Carthuſ. lib. 3. de Contemplatione, art. 15.

Dico Primò, Voluntas non poteſt vllum ſuum motum inchoare ſine prævia cognitione obiecti.

Colligitur ex D. Thoma hic, cùm ait, voluntatem moueri ab intellectu ad ſpeciem actus. Hinc enim ſequitur: ſicut nullus poteſt eſſe actus voluntatis, qui non ſit certæ ſpeciei: ita etiam nullum actum voluntatis poſſe eſſe ſine intellectione, à qua trahit ſpeciem. Idem docet Durandus in 1. diſt. 3. 2. parte diſtinctionis q. 4. num. 14. vbi dicit, Deum non poſſe cauſare actum in voluntate, niſi præcedat actus intellectus. Quod ſic intellige, non poſſe ita cauſare actum in voluntate, vt voluntas per illum vitaliter operetur & velit, ſicut per proprium actum elicitum: alioqui dictum Durandi non eſt verum: poteſt enim Deus efficere quemuis actum in voluntate, ipſa voluntate non concurrente, vt ſuprà oſtenſum eſt, & ad hunc non requiretur cognitio: quia non procedet vitaliter à voluntate: ſed tantùm in ea modo mortuo recipietur. Denique eſt communis ſententia Theologorum & Philoſophorum, voluntatem non poſſe ferri in incognitum. Quam ſententiam fusè docet D. Auguſtinus lib. 10. de Trinitate cap. 1. 2. & 3. Cap. 1. ait, *Ac primùm, quia rem prorſus ignotam amare nullus omninò poteſt, diligenter intuendum eſt, cuiuſmodi ſit amor ſtudentium, id eſt, non iam ſcientium, ſed adhuc ſcire cupientium.* Auguſt. Deinde fusè oſtendit eum qui cupit aliquid ſcire, iam illud ſcire aliquo modo & in genere; ſed cupere ſcire perfectè. Eadem proſequitur cap. 2. & c. 3. docet quomodo mens ſeipſam amet incognitam ſibi. Idem docet Ariſtoteles lib. 3. de Anima cap. 10. cum ait, *Appetibile mouet manens immotum, eò quod intellectu vel imaginatione perceptum ſit.* Ariſtot.

Probatur ratione, Primò, Sicut appetitus inſitus, ſeu inclinatio naturalis cuiuſque rei ſupponit formam naturalem, eamque ſuo modo ſequitur, vt patet in elementis, & in omnibus facultatibus effectiuis, ita appetitus elicitus ſupponere & ſequi debet formam apprehenſam, id eſt, obiectum cognitione apprehenſum: ac proinde non poteſt eſſe ſine cognitione obiecti. Sicut nulla inclinatio naturalis ad actionem, vel motum aliquem eſſe poteſt ſine forma naturali, in qua fundatur.

Secundò. Si non requireretur cognitio intellectus, non poſſet reddi ratio, cur non poſſimus amare Deum, & mereri, dum dormimus, vel dum eſt ſopita: neque cur voluntas ad hoc obiectum ſe moueat potiùs, quàm ad illud.

Tertiò, Amor patriæ qui tamen eſt perfectiſſimus, ſequitur cognitionem. Ergo etiam amor viæ quantumuis perfectus. Patet ex conſequentia: quia ratio, cur illi excludunt cognitionem ab amore ecſtatico, eſt perfectio amoris: quaſi talis amor non poſſit cognitioni inniti.

Dico Secundò, Vt motus voluntatis perſeueret, requiritur vt etiam perſeueret conſideratio intellectus. Probatur, quia eiuſdem rationis eſt actus in primo inſtanti, dum elicitur, & reliquo tempore quo continuatur. Ergo ſi non poteſt incipere abſque cognitione, neque poterit continuari. Secundò, Actus voluntatis ita dependet ab obiecto apprehenſo in genere cauſæ, quaſi formalis, ſicut dependet in genere cauſæ efficientis: vt docet hoc loco ex D. Thoma Caietanus. Atqui ne momento quidem temporis exiſtere poteſt abſque influxu voluntatis: ergo neque ſine obiecti apprehenſione. 17 Motus voluntatis nullo modo continuari poteſt abſque actuali conſideratione intellectus

Ex dictis ſequitur implicare contradictionem, vt voluntas aliquid velit ſine actuali illius cognitione, quia à cognitione obiecti ſpeciem trahit.

Obiicitur primò, Dionyſius Areop. cap. 1. de Myſtica Theologia, & alibi docet, Supremam vnionem cum Deo, eſſe interdum per ignorationem & ablationem omnium operationum ſenſus & intellectus.

Reſpon-

Reſpondeo, Per ignorationem, intelligit cognitionem Dei, quæ habetur per negationem omnium conceptuum obiectiuorum, qui à nobis concipi poſſunt; non autem abſentiam omnis cognitionis; vt argumentum ſupponit.

Vbi notandum eſt, Ad intelligentiam multorum locorum Dionyſii, dupliciter Deum à nobis cognoſci poſſe; Primò, Per affirmationes, id eſt, conceptus poſitiuos diuinarum perfectionum; vt cùm concipimus Deum eſſe potentiſſimum, ſapientiſſimum, optimum, iuſtiſſimum, eſſe vitam, lucem, potentiam, ſapientiam, bonitatem, &c. Hanc cognitionem vult eſſe minùs ſublimem, eamque vult relinqui, vt ſupremo modo Deo vniamur. Secundò, Per negationes, id eſt, per negationem omnium perfectionum, quæ à nobis concipi poſſunt, vt quando concipimus Deum non eſſe ſubſtantiam, non eſſe vitam, non ſapientiam, non potentiam, non bonitatem, non veritatem, non Deitatem (nempe eo modo quo hæc à nobis concipi poſſunt) ſed eſſe quiddam omnibus his eminentius. Hanc cognitionem vocat ignorationem, eamque dicit multò illa priore ſublimiorem, & maximè idoneam ad ſupremam cum Deo vnionem. Vide illum c. 1., 4. & 7. de Myſtica Theologia.

Cognitio Dei per negationes eſt ſublimior eâ quæ eſt per affirmationes apud Dionyſium.

Obiicitur Secundò, Voluntas poteſt intellectum ad quidlibet cogitandum applicare: atqui hoc fieri non poteſt niſi ipſa in rem illam, ante omnem illius cognitionem, poſſit ferri: ergo, &c.

Vide l. 1 de perfect. diuin. c. 3.

Reſpondeo Negando Minorem: Non enim poteſt applicare intellectum ad alicuius rei cogitationem, niſi intellectus iam anteà rem illam aliquo modo, ſaltem confusè cognoſcat: vt rectè docet D. Auguſtinus lib. 10. de Trinitate cap. 1. Et quia intellectus poteſt confuse plurima conſiderare, vel etiam omnia; ideò voluntas poteſt illum applicare, vt quiduis ex tota illa multitudine diſtinctè conſideret.

Quomodo voluntas applicet intellectũ ad rem determinatã.

Obiicitur Tertiò, Voluntas poteſt velle, vt intellectus nihil cogitet; & ſi ſit efficax, ita fiet. Ergo tunc voluntas habebit velle, intellectu nihil cogitante:

Reſpondeo, Voluntas qua quis vult nihil cogitare, non poteſt habere effectum in illo inſtanti in quo ipſa eſt, ſed ſolum immediatè poſt illud, & tunc ſimul etiam ipſa ceſſabit. Quòd ſi velit eodem inſtanti quo ipſa eſt, intellectum nihil cogitare, eſt ſibi ipſi contraria & inefficax

Obiicitur Quarto, Poſtquam per contemplationem excitati ſumus ad amorem Dei, experimur interdum amorem perſeuerare, veluti quemdam calorem impreſſum, ceſſante contemplatione, ſicuti calor perſeuerat luce ſemota. Et confirmatur: quia intellectus non aduertit ſe quidquam amplius de Deo cogitare; ergo, &c.

Reſpondeo, Negando illam experientiam: fieri enim nequit, vt intellectu nihil cogitante, voluntas amorem continuet. Fit tamen perſæpè vt intellectus non aduertat ſe de Deo cogitare: nam ita rapitur in Deum actu directo (accedente præſertim amore Dei) vt non reflectat ſe ſuper ſeipſum, aut ſuper ea quæ circa ſe fiunt, vnde non aduertit ſe contemplari: hæc enim animaduerſio non fit niſi per actum reflexum. Quin imo hoc ſignum eſt, eum tunc attentiſſime contemplari.

Obiicitur Quinto, Cognitio obiecti eſt ſolum conditio quædam neceſſaria ad actum voluntatis: habet enim ſe tanquam applicatio obiecti: ergo non eſt eſſentialiter neceſſaria: ac proinde ſaltem diuina virtute eius defectus ſuppleri poterit.

Quædam conditiones neceſſariæ non eſſentialiter.

Reſpondeo, Cognitionem eſſe quidem conditionem obiecti, non tamen ſe habere inſtar conditionis accidentariæ, ſicut applicatio localis obiecti (hæc enim cum accidentaria ſit, ſuppleri poteſt; fieri enim poteſt diuina virtute vt etiam remotiſſima oculis videamus:) ſed eſt eſſentialiter neceſſaria ad actum voluntatis. Sicut, vt materia & forma conſtituant vnum compoſitum, requiritur mutua & intima præſentia, & mutua vnio tamquam conditio: quę tamen conditio eſt eſſentialiter neceſſaria, nec vllo modo eius defectus poteſt per aliud ſuppleri. Simili modo vt obiectum moueat voluntatem, requiritur eius cognitio: ita vt nullo modo eius defectus poſsit ſuppleri. Cuius ſignum eſt, quod etiam in Deo actus voluntatis ſupponat cognitionem, adeo vt Deus nec ſe, nec aliud amare poſsit, niſi cognoſcat.

DVBIVM. V.

Vtrùm ad mouendam voluntatem neceſſaria ſit cognitio iudicatiua intellectus, an vero ſufficiat apprehenſiua?

SVppono Primo, Non ſufficere cognitionem phantaſiæ ad mouendam voluntatem. Ratio eſt, quia voluntas eſt ſuprema inclinatio in homine tendens in bonum: ergo non poteſt ſequi niſi ſupremam cognitionem, quæ eſt intellectus: debet enim habere regulam ſibi proportionatam. Hinc Ariſtoteles voluntatem paſſim vocat appetitum intellectiuum, quod propria eius regula ſit intellectus.

1º Cognitio phantaſiæ non ſufficit ad mouendam voluntatem.

Suppono Secundo, In intellectu eſſe duos actus, Apprehenſionem, & Iudicium. Per Apprehenſionem concipimus vel aliquid ſimplex, vt deum, Angelum, &c, vel aliquid complexum, vt nos eſſe in cœlo, eſſe reges, &c. non quidem exiſtimando ſic eſſe, ſed ſolum imaginando, & ita menti obiiciendo ac ſi vere ſic eſſet, In hoc actu propriè non eſt veritas, aut falſitas. Iudicium autem eſt actus, quo aliquid putatur ſic eſſe vel non eſſe: in hoc ſemper eſt veritas vel falſitas.

Duo actus intellectus

His poſitis, Medina hoc loco, & quidem alii exiſtimant, ſemper requiri aliquod iudicium ad actum voluntatis, quia non ideo appetimus aliquid, quod apprehendamus eſſe bonũ, ſed quòd vere putemus eſſe bonum.

Medina requirit iudicium.

Contrarium tenet & fuſè probat Marſilius in 2. q. 16. a. 1. Idem tenet Scotus in 2. d. 6. q. 1. ad argumenta: & Gabriel eadem diſtinctione. Pro quo,

Marſilius negat.

dico Primo, Verius videri, non requiri ad quemuis motum voluntatis aliquod formale iudicium, ſed ſæpe ſufficere ſimplicem apprehenſionem obiecti, per modum boni vel mali.

2º

probatur Primo, Quia apprehenſio ſimplex poteſt mouere appetitum ſenſitiuum, ergo ſimilis apprehenſio in intellectu poterit mouere appetitum intellectiuum. Conſequentia probatur, quia ſimilis eſt proportio. Antecedens patet, non ſolum in animalibus imperfectis de quibus id probat Marſilius, ſed etiam in perfectis. Quis enim apprehenſo lupo fugit, & tamen non habet niſi ſimplicem apprehenſionem lupi, ſub ratione mali.

Simplex apprehẽſio poteſt voluntatem mouere.

Dices, Quis iudicat lupum inimicum.

Reſpondeo, Id valde impropriè dici: cum

non ſit capax vllius iudicii, niſi quod in nuda apprehenſione poteſt includi, vt ſtatim patebit.

Probatur Secundò, Experientia docet homines delectari rebus imaginatis, & apprehenſis, quas tamen non iudicant ſibi eſſe abſolutè conuenientes, vt cùm imaginantur ſe eſſe Reges, ſe vincere, triumphare, volare, &c.

Probatur Tertiò, Experientia docet nos poſſe amare, & velle quidquid apprehenditur ſub ratione boni: & nolle quidquid proponitur ſub ratione mali, etiamſi de eo nullum ſit formale iudicium. Hoc modo Scotus Gabriel & alii quidam, Luciferum optaſſe æqualitatem Dei abſque vllo iudicio proprie dicto, putant.

Sic Lucifer optauit æqualitatẽ dei.

Probatur Quartò, Quia primi motus plerunque in nobis abſque aliquo formali iudicio excitantur per nudam apprehenſionem rei conuenientis vel diſconuenientis, mouemur enim iſtis motibus antequam iudicemus, ſitne res abſolutè conueniens, an diſconueniens.

Ratio horum omnium eſt: Quia cognitio non mouet appetitum per ſe immediatè, ſed ſolùm quatenus proponit obiectum, oſtendendo eius pulchritudinem & bonitatem, vel delectationem vt ſuprà dictum eſt: tunc enim immediatè ipſum obiectum mouet: ſed hæc poſſunt oſtendi per ſimplicem apprehenſionem, vt experientia docet.

Periculoſũ eſt imaginari delectabilia tactu.

Poteſt enim pulchritudo & voluptas apprehendi & proponi abſque formali iudicio, quo iudicet rem illam eſſe pulchram vel delectabilem: ergo obiectum ſic propoſitum poterit allicere appetitum. Et ſanè nulla poteſt dari ratio, cur apprehenſa pulchritudine, vel obiecto delectabili, voluntas non poſſit allici & affici, niſi accedat formale iudicium, Hoc eſt pulchrum, hoc eſt delectabile. Ad multos igitur motus ſufficit apprehenſio.

Hinc infert Marſilius, Periculoſum eſſe imaginari delectabilia tactus: quia ſola apprehenſio illorum poteſt prauos motus excitare.

21

Dico Secundò, In omni tamen huiuſmodi apprehenſione continetur implicitum quoddam, ſeu virtuale iudicium, quo implicite iudicatur res eſſe bona vel mala.

In omni apprehẽſione complexi, aliquod iudicium implicitum continetur

Probatur, Quia qui apprehendit, v. g. eſſe Regem, eſſe Angelum, ſub ratione boni; implicitè iudicat rationem boni illi conuenire: ſicut qui apprehendit Ioannem ſub ratione hominis: implicit eiudicat rationem hominis conuenire rei apprehenſæ. Ratio eſt, quia res ſimplices non poſſunt apprehendi niſi ſecundùm rationes proprias, vel communes, actu vel poteſtate ipſis inhærentes: alioqui non ipſæ, ſed aliæ apprehenderentur. Itaque hoc ipſo quo aliquid apprehenditur ſub aliqua ratione, implicite iudicatur illa ratio illi conuenire. Vnde non eſt verum, quod hic ait Medina, Beatitudinem ſecundùm ſe poſſe apprehendi, vt malam. Si enim apprehenderetur vt mala, non ipſa ſed aliud apprehenderetur; cùm in ipſius apprehenſione carentia omnis mali apprehendatur. Atqui fieri nequit, vt aliquid apprehendatur ſub rationibus contradictoriis.

Medina refellitur quod beatitudo ſecundũ ſe poſſit apprehendi vt mala.

Dices, Poſſunt apprehendi monſtra quæ conſtent gemina natura, vt Tragelaphus, quod ſignificat animal conſtans natura cerui & hirci; quale tamen eſſe, implicat contradictionem: ergo &c.

Reſpondeo, Huiuſmodi monſtra non poſſe apprehendi niſi ſecundùm formam externam; quo modo non implicant contradictionem. Non enim naturã cerui & hirci poſſunt apprehendi, vt partes

qualiter monſtra apprehendimus.

conſtituentes vnam integram naturam, cum in illarum ratione contineatur, quod ſint naturæ integræ & completæ.

Dico Tertiò, Ad quoſdam tamen actus voluntatis requiritur expreſſum & formale iudicium intellectus.

Patet de *intentione & electione*: vt enim aliquid intendas conſequi, neceſſe eſt vt præcedat iudicium hoc eſſe poſſibile ſiue per te ſiue per alium. Vnde etiam *ſpes* iudicium requirit; quia eſt intentio conſequendi ſaltem per alium. Similiter non potes aliquod medium eligere, niſi ante iudices eſſe idoneum ad finem. Illi quoque motus qui apprehenſione excitari poſſunt, vt *complacentia & diſplicentia, delectatio & optatio*, poſſunt etiam expreſſo iudicio excitari: quod enim poteſt iudicium implicitum, poteſt etiam explicitum.

22 Iudiciũ ad quoſdam actus voluntaris eſt neceſſarium

DVBIVM VI.

Vtrum ad mouendam voluntatem neceſſarius ſit aliquis actus intellectus, quo voluntas omnino determinetur. Et ſinen, vtrum neceſſarium ſit practicum iudicium?

MEdina in hunc articulum, docet duos actus intellectus eſſe neceſſarios, vt voluntas moueatur: Alterum quo ſpeciosè obiectum proponatur, ſicut orator artificiosè proponit, quod vult perſuadere; & hunc actum non determinare voluntatem efficaciter. Alterum, quo intellectus imperet voluntati efficaciter vt acceptet obiectum propoſitum. Hunc actum dicit efficaciter rapere voluntatem, & illo ſtante in intellectu, nullam reſtare libertatem in voluntate ad contradicendum. Fundamentum eſt, quia ad actum voluntatis requiritur imperium efficax, quod imperium eſt actus intellectus, quo intellectus iubet voluntati, vt velit aut nolit rem propoſitam. Atqui imperium non eſt efficax, ſi voluntas poſſet reſiſtere: ergo &c.

23 Medina requirit ad hoc duos actus intellectus.

Alii quidam requirunt quoddam iudicium particulare practicum, quo intellectus iudicet iſtud omnibus conſideratis hic & nunc eſſe appetendum. Quo poſito, dicunt non eſſe in poteſtate voluntatis non acceptare: ſicut poſita viſione beatifica non eſt in poteſtate voluntatis non amare: Fundamentum illorum eſt: quia voluntas ſequitur vltimum iudicium practicum, quod eſt; iſtud omnibus conſideratis eſt acceptandum. Atqui poſito hoc vltimo iudicio, non poteſt voluntas aliud velle, aut iſtud non velle, quia ſi hoc poſſet, daretur volitio explicita vel implicita ſine iudicio intellectus, & actio ſine obiecto. Quod patet; quia vltimum iudicium non patitur ſecum aliud vltimum iudicium: repugnant enim hæc duo iudicia. Hoc omnibus conſideratis eſt acceptandum, &, Hoc omnibus conſideratis non eſt acceptandum.

quidã iudicium practicum particulare.

Dico Primò, Ad motionem voluntatis non requiri vllum actum intellectus, cuius vi voluntas determinetur ad conſenſum: ita vt illo ſtante voluntas non poſſit diſſentire. Eſt communis ferè ſententia Doctorum, quos citauimus ſuprà, qu. 6 art. 2.

24

Probatur Primo, Quia talis actus intellectus omnino videtur euertere intrinſecam libertatem actuum voluntatis. Si enim poſito iudicio vel imperio intellectus, voluntas neceſſariò vult: illa volitio non eſt in ſeipſa libera, ſed vt ſummum

Actus intellectus, quo voluntas determinetur, ita vt non

possit dissentire, repugnat libertati.

tantummodò in ſua cauſa ; quatenus videlicet hoc iudicium vel imperium, quod eſt cauſa ipſius, eſt liberum ; (ſi tamen verè eſt liberum.) Quòd illa volitio non ſit in ſeipſa libera, patet ; tum quia voluntas poſito illo actu determinante, eſt ad illam volitionem determinata, idque priùs natura quam eam eliciat : ſicut amor beatificus non eſt in ſeipſo liber : quia poſita viſione voluntas eſt determinata ad illum amorem : tum quia voluntas, poſitis omnibus antecedenter requiſitis ad illam volitionem, non habet in poteſtate ſua illam non elicere : hoc enim iudicium eſt vnum ex requiſitis. Itaque actus ille volitionis non procedit à ſuæ cauſa immediata, tamquam à cauſa indeterminata, ſed tamquam à cauſa neceſſario operante : quare non eſt in ſe liber. vnde vlteriùs ſequetur actus voluntatis non eſſe per ſe meritorios : ſed ſolùm ratione ſuæ cauſæ, id eſt, ratione illius iudicii.

Probatur Secundò, Quia etiam videtur euertere omnem omninò libertatem. Probatur, nam iudicium intellectus non eſt in ſeipſo liberum vt procedit ab intellectu (non enim libertas eſt formaliter in intellectu, ſed in voluntate :) ergo ſi eſt liberum, eſt tantum modo liberum, quatenus pendet ab aliquo actu voluntatis libero. Atqui hic actus voluntaris ſupponit aliud iudicium vel imperium determinans, & ſic quoque iſte actus voluntatis ſecundus non erit liber, ſed neceſſarius.

Si dicas, Iſtum ſecundum actum voluntatis eſſe ſimiliter liberum in alio iudicio vel imperio, à quo immediatè pendet. Rurſus quæretur de illo iudicio : ſicque vel erit progreſſio in infinitum, quod per ſe abſurdum eſt : vel ſiſtetur in aliquo iudicio vel imperio non libero : quod tandem Medina concedit. Sed hinc ſequitur, omnes volitiones eſſe abſolutè neceſſarias non liberas, quia omnes neceſſariò ſequentur ex aliquo actu intellectus non libero.

Dices Primò, Iſtud imperium vel iudicium eſſe liberum, quia poteſt à voluntate tolli.

Contrà, Si voluntas poteſt illud tollere, poteſt habere aliquem actum circa iſtud imperium, quo illud tollat, vt patet in ſimili, quando voluntas vult tollere aliquas cogitationes. Atqui iſte actus requiret etiam iudicium vel imperium determinans, & ſic eadem redibit difficultas.

Responſiones Medinæ ſoluuntur.

Dices Secundò, Iudicium hoc vel imperium eſſe liberũ, quia ita naſcitur in intellectu, vt tamen voluntas poſſit illud impedire : & quia non impedit, cùm poſſit, ideò illi imputatur, cenſeturque liberum.

Contra, Si voluntas poteſt illud impedire, ſicut malas cogitationes, ergo per aliquem actum : atqui hic actus voluntatis rurſum requiret iudicium vel imperium determinans : de quo erit eadem difficultas.

Tertio probatur allata ratione, Actus intellectus non mouet voluntatem, niſi proponendo obiectum : vt ſupra oſtenſum eſt dubio 3. ſolum enim ſe habet vt applicatio obiecti immediatè mouentis : vnde non poteſt magis mouere vel determinare voluntatem quàm obiectum : ſicut qui applicat ignem non magis poteſt calefacere quam ignis. Atqui nullum obiectum vi ſua poteſt voluntatem determinare, quantumuis perfectè proponatur, præter illud obiectum, in quo tota boni plenitudo continetur : vt ſuprà q. 4. a. 4. dub. vnico, oſtenſum eſt : ergo neque vllus actus intellectus poteſt volũtatem determinare : ſic nempe vt voluntas non poſſit illud nolle, aut ſaltem non velle.

Ad fundamentum Medinæ, Reſpondeo non requiri talem actum imperii : vt infra dicetur : & ſi requireretur, non inde ſequeretur, illum viſu adeterminare voluntatem, ſed ſolùm vi voluntatis : nam tale imperium ſequitur volitionem liberam, qua quis vult ſibi imperare. Itaque imperium determinare voluntatem, nihil eſt aliud quã voluntatem determinare ſeipſam : ſicut quando quis expreſſe vult amare.

25. Euertitur fundamentum Medinæ.

Ad alterum fundamentum, Reſpondeo, verba illa, *Iſtud omnibus conſideratis eſt acceptandum* dupliciter poſſunt intelligi. Primo vt ſenſus ſit, *Omnibus conſideratis*, neceſſarium eſt hoc velle ; & ſic eſt omnino falſum : numquam enim eſt neceſſarium velle, id quod eſt peccatum. Quare tale iudicium non requiritur ad actus voluntatis. Secundò, Vt ſenſus ſit, *iſtud omnibus conſideratis* eſt bonum velle, bonum, inquam, vel honeſtum, vel delectabile, vel vtile. Et tale iudicium ſæpè quidem requiritur : ſed nullo modo determinat voluntatem, nam cum hoc iudicio ſtare poteſt aliud iudicium, ſcilicet, *hoc non eſt neceſſarium* : quod iudicium ſufficit vt non acceptes.

26.

Dico Secundo, ad actum amoris, odii, delectationis, & triſtitiæ non requiritur in intellectu iudicium practicum proprie dictum, ſed ſufficit ſpeculatiuum.

Iudicium ſpeculatiuũ poteſt mouere voluntatem.

Probatur, Quia amor Dei, & gaudium in Beatis, & odium peccatorum oritur in illis ex actu intellectus ſpeculatiuo : vt enim Deũ ament, non eſt neceſſe, vt cogitent bonum eſſe vt ament, quod eſt iudicii practici, ſed ſufficit vt ſpeculẽtur Dei pulchritudinem : illa enim comtempla ſufficiens eſt ad amorem excitandum. Simile eſt in odio peccati. Idem fieri poteſt in viatoribus, & paſſim fit.

Dices, Quando cognoſcendi cauſa diuina contemplamur, non excitamur ad amorem : cuius non videtur alia ratio, quam quod hæc cognitio ſit ſpeculatiua : ergo ſpeculatiua non ſufficit.

27. Intentio & electio requirunt iudicium practicum.

Reſpondeo, Non illam eſſe cauſam, quòd illa conſideratio ſit ſpeculatiua : nam etiam eſt ſpeculatiua, dum ordinatur ad amorem (niſi quis generatim vocet practicam, ob extrinſecam illam relationem ad praxim, quod tamen non propriè diceretur) nam obiectum eſt merè ſpeculabile, non operabile. Ratio ergo, cur non moueamur tali ſpeculatione, eſt, vel quia affectus non mouetur, niſi quando res modo ſenſibili veluti ob oculos ponitur, vel quia amor eſt liber, tunc autem non volumus amare, ſed intelligere penitiùs penetrando. Quod ſi velimus amare, ſtatim, poſita illa ſpeculatione, id poſſumus. Itaque ſpeculatiuum iudicium ſufficit.

Dico Tertiò, Ad actum intentionis & electionis requiritur iudicium practicum.

Probatur, quia iudicium practicum eſt, quo mens dictat quid nobis, vel aliis ſit agendum : ideo enim dicitur practicum, quod verſetur circa noſtras operationes, tamquam circa proprium obiectum. Atqui intentio requirit tale iudicium, intendere enim aliquid, eſt velle illud conſequi : ergo debet antecedere iudicium, bonum eſſe id conſequi. Pari ratione electio requirit iudicium, quo iudices vtile eſſe hoc facere.

ARTICVLVS II.

Vtrum voluntas moueatur ab appetitu ſenſitiuo.

18 REſpondetur, Voluntatem interdum moueri ab appetitu ſenſitiuo, nempe ex parte obiecti & mediante iudicio rationis. Ratio eſt, quia motus appetitus ſenſitiui eſt cauſa cur aliquid ab intellectu apprehendatur, vt conueniens vel diſconueniens ſubiecto: ſicut enim inſtinctus naturales in animalibus faciunt, vt quædam obiecta ab illis apprehendantur vt conuenientia vel diſconuenientia: ita affectiones appetitus, *amor*, *odium*, *ira*, *timor*, ſunt cauſa cur interdum intellectus apprehendat tamquam conueniens vel repugnans, quod alias non reprehenderet.

Dices, ergo quando appetitus inferior mouet voluntatem, neceſſe eſt intellectum induci in errorem.

Reſpondeo, Non eſt neceſſe, vt inducat in aliquem errorem ſpeculatiuum; ſufficit enim vt intellectus iudicet hoc opus, v. g. occidere inimicum, eſſe hic & nunc conueniens; quod iudicium eſt verum: nam ratione iræ vere eſt conueniens, non quidem vt res honeſta, ſed vt delectabilis: quod ſine ira non fuiſſet ſic conueniens. Sicut potus eſt conueniens & delectabilis ei qui ſitit, qui tamen abſque ſiti non eſſet conueniens. Interdum tamen paſſio eſt tam vehemens, vel intellectus tam cæcus, vt id quod ratione paſſionis eſt conueniens, iudicetur eſſe honeſtum vel licitum; & tunc intellectus decipitur. Verùm hæc deceptio non eſt neceſſaria, vt appetitus inferior moueat voluntatem.

DVBIVM.

Vtrum appetitus inferior, ſeu paſſio, moueat aliquando voluntatem per ſe immediate abſque interuentu rationis.

Medina aſſerit. MEdina hoc loco affirmat. Docet enim voluntatem tribus modis mouere appetitum inferiorem. Primò, Mediante imaginatione. Secundò, Mediante ſolo imperio intellectus, quo imperet paſſionem. Tertio, Ex ſola redundantia affectus ex voluntate in appetitum inferiorem, ſine imaginatione & imperio.

Pari modo docet, voluntatem tribus modis moueri ab inferiore appetitu, qui tamen tres modi, reuera non niſi duo ſunt. Primò, Ex parte obiecti, dum paſſio efficit, vt obiectum, ad quod ipſa incitat, intellectui videatur bonum. Secundò, Ex parte ſubiecti; dum ipſa paſſio per ſe trahit voluntatem ratione colligationis virium animæ: talis enim eſt connexio appetitus ſuperioris cum inferiore, vt vis motus alterius redundet in alterum.

Negatur. Reſpondeo, Numquam poſſe voluntatem immediatè moueri ab appetitu inferiori, ſed tantum mediante iudicio, vel apprehenſione rationis. Vnde ſecundus ille modus eſt fictitius.

Probatur Primò, Quia ratio eſt propria regula & menſura voluntatis, per quam ipſa, cum ex ſe ſit cæca, eſt dirigenda: ergo ſine hac moueri nequit.

Secundò, Quia alioquin ferretur in incognitum: apprehenſio enim imaginatricis non eſt illi vllo modò proportionata: vnde perinde ſe habet ad illam, ac ſi non eſſet.

Tertio, Quia inter actum intellectus & voluntatis, eſt eſſentialis ordo & quaſi dependentia: vt patet in Deo, & in Angelis.

Hinc patet, Voluntatem quoque vna duntaxat ratione mouere appetitum inferiorem, nempe mediante imaginatione, quæ eſt propria illius appetitus regula.

Obiicitur Primò, Experientia docet, dum ira vel alia paſſione vehementi affecti ſumus, nos difficillimè cohibere conſenſum voluntatis: atqui hæc difficultas in voluntate non poteſt prouenire ex ſola propoſitione obiecti, quod apprehenditur vt conueniens: quia alias, etiamſi apprehenderetur vt conuenientiſſimum, tamen non adferet tantam difficultatem voluntati. Ergo paſſio per ſe ipſam trahit potentiam voluntatis in conſenſum. 19 Soluuntur argumenta

Reſpondeo, Illam difficultatem in voluntate prouenire non immediate ex vi & tractu paſſionis; ſed ex affectu quodam orto in voluntate mediante apprehenſione intellectus: ſimul atque enim paſſio exoritur, intellectus apprehendit obiectum vt conueniens, & eodem momento oritur vehemens complacentia vel diſplicentia in voluntate, quæ omnem difficultatem parit, quia intrinſecè voluntatem inclinat.

Obiicitur Secundò, Interdum fit vt voluntas repente moueatur vi paſſionis, priuſquam ratio aduertat: ergo non ſemper mouet voluntatem mediante ratione.

Reſpondeo, Numquam moueri voluntatem à paſſione, niſi priùs natura intellectus apprehendat obiectum vt conueniens.

Nec obſtat, quòd ratio non aduertat ſe apprehendere: nam ad hoc opus eſt actu reflexo, qui non eſt neceſſarius vt intellectus voluntatem moueat. Imò in nobis naturaliter ex paſſione ſequitur apprehenſio intellectus, idque repente, & priuſquam poſſimus perfectè attendere; quia non habemus vires noſtras perfectè in noſtra poteſtate, ſicut in ſtatu innocentiæ.

Obiicitur Tertiò, Motus voluntatis interdum perſeuerat iudicio rationis repugnante, & contrarium dictante: vt fit cùm quis ex inopinato videt inimicum: tunc enim ſubitò exoritur affectio vlciſcendi in voluntate, quæ perdurat, etiam ſi intellectus dictet non eſſe vlciſcendum. Idem experimur in aliis tentationibus, ergo &c.

Reſpondeo, mirum non eſſe motionem voluntatis perſeuerare contra dictamen intellectus: quia etiam perſeuerat imperfecta quædam apprehenſio intellectus, qua continue apprehenditur obiectum vt conueniens quæ apprehenſio facilè poteſt conſiſtere cum iudicio, quo iudicatur non eſſe honeſtum vel licitum.

ARTICVLVS III.

Vtrum voluntas moueat ſeipſam.

REſpondet D. Thomas, voluntatem mouere ſeipſam, quatenus ex vi intentionis finis mouet ſe ad electionem mediorum: vt cùm quis ex amore ſanitatis eligit medicinam.

Digitized by Google

ARTICVLVS. IV.

Vtrum voluntas moueatur ab aliquo exteriori principio?

REſpondetur tribus Concluſionibus.

Prima eſt, Voluntas ad ſpeciem ſui actus mouetur ab aliquo exteriori principio, quod eſt ipſum obiectum. Patet ex art 1.

Secunda eſt, Voluntas ad exercitium actus in electione mediorum, mouetur à ſeipſa. Patet ex art. 3.

Tertia, Voluntas in quouis primo motu ſuo, non mouet ſeipſam ad exercitium actus, ſed mouetur ab aliquo exteriori principio: quod eſt Deus: vt patet art. 6. Quod ſeipſam hic non moueat, probat; quia vt ſeipſam moueat, debet mediante conſilio, & ex affectu alicuius finis præcedente mouere: atqui primum motum non præcedit conſilium aut affectus prior, ex cuius vi ſequatur: ergo non mouet ſeipſam ad primum motum. Vnde relinquitur moueri à cauſa extrinſeca ſcilicet à Deo.

Vbi Notandum, Primum motum voluntatis hic vocari, non eum ſolum qui primus eſt totius vitæ: ſed etiam qui in quouis negotio primus eſt, ſeu, qui non eſt ortus ex vi prioris voluntatis; vt patet ex *corpore huius Articuli*, vbi ponit exemplũ in amore ſanitatis. Talis eſt amor cuiuſuis finis; vt cùm quis appetit ſanitatem, honores, voluptatem, & ſimilia, propter ſeipſa, non referendo illa ad alia bona.

DVBIVM.

Vtrùm voluntas in primis actibus ſeipſam moueat ad exercitium, an vero tantum moueatur ab exteriori principio?

11 quidam Thomiſtæ negant.

QVidam Thomiſtæ, inter quos Capreolus in 2. d. 24. ad octauum contra 5. Concluſ & d. 25. ad argumenta contra 1. & 2. Concluſ. putant voluntatem neque phyſicè, neque moraliter ſe mouere ad primos actus; ſed eos à Deo veluti infundi.

Alii concedunt voluntatem ſe phyſicè mouere, non tamen moraliter: ob rationem D. Thomæ, quam diximus.

Reſpondeo, Voluntatem verè & propriè ſeipſam mouere in primis actibus, ſeu in amore & intentione cuiuſuis finis, non ſolùm phyſicè, ſed etiam moraliter. Eſt communior ſententia Doctorum. Vide Scotum in 2. d. 5. q. 2. & d. 25. q. vnica. & Marſil. in 2. q. 16. a. 4.

Quòd phyſicè ſeipſam moueat, probatur; quia amor finis eſt actus vitalis: ergo effectiue procedit à voluntate: tamquam à principio intrinſeco: hoc enim eſt de ratione vitæ, vt ſuprà oſtenſum. Secundò, Quia eſt actus voluntarius & ſpontaneus: ergo à principio intrinſeco; hoc enim eſt de ratione ſpontanei. Tertiò, voluntas applicat alias potentias ad exercitium actus, hoc ipſo quod vult illarum operationes: ergo & ſeipſam applicat ad amorem finis, dum vult amare: ergo hoc ipſo quod amat, applicat ſe ad amandum. Quartò, Quia intellectus & omnes ſenſus ſeipſos phyſicè mouent; in ſeipſis enim motus ſuos vitales producunt. Cur non etiam voluntas ſeipſam moueat.

Voluntas ſeipſam mouet phyſicè & moraliter ad actũ intentionis.

Quod vero etiam formaliter ſeipſam moueat, id eſt, non vt cauſa naturalis, ſed vt libera, & domina ſui actus (hoc enim voco hic moraliter mouere; motus enim humani habent eſſe morale à libertate) probatur Primò: Quia voluntas nulla neceſſitate amat aliquod bonum in hac vita: ſed ita cuiuis amori dominatur, vt dum illum elicit, in plena ſua poteſtate habeat non elicere: ergo ſeipſam liberè mouet ad exercitium cuiuſuis amoris Secundò, voluntas ſeipſam determinat ad exercitium amoris cuiuſlibet finis: vt patet ex dictis ſupra, q. 6. a. 2. Atqui hoc eſt libere ſeipſam mouere: ergo, &c. Tertiò, Amor finis imputatur voluntati ad meritum, ſi ſit bonus; & ad demeritum ſi ſit malus, ergo ipſa in his ſe moraliter mouet: Is enim moraliter mouet & agit, cui opus imputatur ad laudem, vel vituperium. Denique amor finis ſæpe eſt prauus: vt cùm quis amat illicitas voluptates, & indebitos honores: atqui talis amor non poteſt referri ad Deum, tamquam in cauſam, quæ voluntatem ad illum moueat: ergo in ſolam voluntatem.

14 Soluitur ratio Thomiſtarum.

Ex his patet reſponſio ad rationem Thomiſtarum ſupra poſitam. Vt enim voluntas ſeipſam moueat, non eſt neceſſe vt præcedat aliqua conſultatio, vel intentio finis, ex cuius vi ſe moueat; ſed ſufficit vt præcedat cognitio finis: tunc enim voluntas ex ſua indifferenti poteſtate poteſt ſeipſam ad amorem illius mouere, ſiue bonus ille ſit, ſiue malus.

Explicatur D. Thomas

Dices, Quid ergo ſibi vult D. Thomas hiſce duobus articulis, dum docet voluntatem ſe tantùm mouere ad electionem, ad intentionem verò moueri ab exteriori principio.

Reſpondeo D. Thomas exiſtimabat non propriè aliquid à ſeipſo moueri, niſi illum motum mediante aliqua virtute diſtincta in ſe produceret ne videlicet cogeretur admittere idem eſſe actu & poteſtate, agens & patiens reſpectu eiuſdem, & ſecundùm idem. Vnde maluit dicere, voluntatem moueri ab aliquo externo principio, ſcilicet à Deo ad primos ſuos actus, quàm à ſeipſa: nam non cauſat illos in ſe mediante aliqua alia virtute, ſeu inclinatione in ipſa exiſtente. Fatetur autem illam moueri à ſeipſa ad actiones ſecundas, id eſt, ad electionem mediorum, quia producit illas mediante alia virtute, ſcilicet ex vi intentionis in ipſa exiſtentis. Itaque potius eſt hic quæſtio cum D. Thoma de modo loquendi, quàm de re ipſa Sed quod ad modum loquendi attinet, vt propriè dicatur aliquid ſe mouere, non eſt neceſſariũ vim mouendi eſſe diſtinctam, ab eo, quod mouet & mouetur. Nam Angeli propriè ſeipſos mouere dicuntur, dum locum mutant; tamen id faciunt per vim ſibi naturalem. Vide ſupra art. 1. dub. 3 huius quæſtionis. Verum tamen eſt magis apparere quo modo res ſeipſam moueat, quando eſt aliqua diſtinctio inter mouens & virtutem mouendi. Reliqua quæ hic dici poſſent, pertinent ad art. 6.

ARTICVLVS V.

Vtrum voluntas moueatur à corporibus cæleſtibus.

PRima Concluſio, voluntas non poteſt directè moueri à corporibus cæleſtibus, quaſi ipſa poſſint aliquid immediatè voluntati imprimere. Ratio eſt quia ipſa eſt ſpiritualis, corpus autem nõ poteſt vi ſua in ſpiritum agere. Confirmatur, quia ipſa non eſt capax niſi motiõnis ſpiritalis; atqui

15 Nõ directe.

Digitized by Google

corpus non poteſt efficere impreſſionem ſpiritalem. Vide D. Thomam 1. p. q. 111. & 116. & lib. 3 contra Gentes c. 84. & 85. & D. Auguſtinum lib. 2 de Geneſi ad litteram, c. 16. 17. & de doctrina Chriſtiana c. 21. vſque ad 29.

ſed indirecte

Secunda Concluſio. Poteſt tamen voluntas indirectè aliquo modo moueri à corporibus cæleſtibus: ſcilicet ex parte obiecti, quatenus illa corpora variè afficiendo corpus humanum, poſſunt efficere, vt aliquid apprehendatur tamquam conueniens vel diſconueniens.

quomodo corpora cæleſtia mouant humanam voluntatem.

Notandum eſt, corpora cæleſtia non habere vllam vim mouendi voluntatem humanam, niſi mediante motu appetitus ſenſitiui: vnde non poſſunt amplius mouere voluntatem, quam appetitus ſenſitiuus. Itaque non poſſunt illi inferre neceſſitatem, vt olebant Aſtrologi, contra quos agit Picus Mirandula. Ratio eſt, quia corpora cæleſtia non poſſunt agere directe, niſi in corpus humanum, in humores & ſpiritus, v. g. inducendo temperamentum melancholicum, phlegmaticum, ſanguineum, cholericum [quæ quatuor temperamenta rurſum infinitis modis inter ſe variari & miſceri poſſunt] ratione quorum fit, vt idem obiectum à diuerſis variè per imaginationem apprehendatur: ac proinde varii affectus in appetitu inferiori excitentur: qui affectus ſunt cauſa, cur ratio variè apprehendat, & conſequenter voluntas variè afficiatur.

ARTICVLVS VI.

Vtrum voluntas moueatur à Deo, ſicut ab exteriori principio.

36 REſponderur vnica Concluſione, voluntatem moueri à ſolo Deo, tamquam à principio externo motus.

Probatur, quia omnis motus voluntatis debet procedere ab ipſa voluntate, tamquam à principio intrinſeco; ſicut omnis motus naturalis à natura, vt à principio intrinſeco: ergo nihil extrinſecum voluntati poteſt eſſe cauſa efficiens motus voluntatis, niſi quod eſt cauſa ipſius voluntatis: ſicut nihil extrinſecum poteſt eſſe cauſa motus naturalis, niſi quod eſt cauſa naturæ: atqui ſolus Deus eſt cauſa voluntatis: (tum quia ſolus creat animam rationalem, cuius vis eſt voluntas, tum quia voluntas inclinat in bonum vniuerſale inclinatio autem in bonum vniuerſale non poteſt imprimi niſi à cauſa vniuerſali) ergo ſolus Deus mouet voluntatem ad exercitium actus, tamquam principium extrinſecum.

Notandum, D. Thomam hic loqui de motione voluntatis ad primos actus, ſcilicet ad amorem & intentionem finis, vt colligitur ex art. 4. Nam ad electionem mediorum ipſa ſeipſam mouet, vt oſtendit artic. 3.

DVBIVM I.

Quot, & quibus modis Voluntas moueatur à Deo?

37 Quinque modis Deus voluntatem mouet.

REſpondeo, Generatim quinque modis Deus voluntatem mouet.

Primò, Mouet voluntatem quatenus eſt auctor voluntatis, qui naturam eius ad tales actus inſtituit, & aſſidue ſuo influxu conſeruat: qui enim dat inclinationem ad actum, eſt cauſa actus, iuxta Philoſophos. Sic qui imprimit ſagittæ, impetum, eſt cauſa motus. Sic ſol vapores trahit ſurſum: quia leuitatem imprimit, vnde ſequitur motus ſurſum.

1. quatenus talem naturã formauit

Secundò, Quatenus concurrit ad actum voluntatis, ſiue vt influit in illum: (nulla enim creatura poteſt operari, niſi Deo intimè cooperante) ſicut enim aſſidue à Deo pendet ſecundum ſuum eſſe, ita etiam pendet ſecundùm operationem. Itaque cùm Deus per ſuam cooperationem ſit cauſa vniuerſalis omnis motus voluntatis: voluntas in omni motu quodammodo à Deo mouetur, tamquam à cauſa ad motum cooperante.

2. quatenus in actum influit.

Per hunc influxũ non mouetur voluntas ad exercitium actus.

Aduerte tamen, hoc non eſſe propriè mouere voluntatem ad exercitium actus: tum quia concurſus Dei non tendit immediatè in ipſam potentiam voluntatis, quaſi in ipſa debeat aliquid prætium fieri, v. g. aliqua determinatio vt actum ſuum producat: ſed immediatè tendit in ipſum actum: tum quia concurſus Dei eſt vniuerſalis, & ſecundùm ſe indeterminatus ad hanc vel illam ſpeciem actus: vnde non eſt cauſa cur voluntas potiùs hac ſpecie motus, quàm alia moueatur. Tum denique quia non eſt ratio cur iſte actus hic & nunc fiat: ſed influxus voluntatis eſt huius ratio: ideò enim hic & nunc voluntas mouetur, quia hic & nunc præbet influxum; non autem quia Deus præbet influxũ. Itaque hac ratione voluntas potius mouet ſeipſam, quàm Deus: nam motus eius ſecundum ſuam ſpeciem & exercitiũ actus, reducitur potius in voluntatem, quàm in Deum.

3. quatenus ad - ũ determinat.

Tertiò, Mouet ipſam determinando ad actum, vt cùm immittit pias affectiones ad fidem, ſpem, charitatem, pœnitentiam, &c. quæ affectiones ſunt motus voluntatis producti à Deo ſingulari influxu, voluntate neceſſariò concurrente. Vnde potius tribuuntur Deo tamquam auctori, quàm voluntati.

4. quatenus præter affectiones animæ relinquit.

Quartò, Mouet voluntatem Deus mediantibus his piis affectionibus, tamquam virtute à ſe impreſſa, & veluti ſemine quodam diuino, ad eliciendum actum liberum, v. g. fidem, ſpem, charitatem, pœnitentiam &c. Simili ferè modo dicitur mouere per habitum infuſum: eſt enim hic ſemen quoddam Dei, teſte Ioanne, epiſtola 1. c. 3. Diſcrimen tamen eſt, quod habitus ſupernaturalis non ita ſenſibiliter inclinet voluntatem.

5. propoſitione obiecti.

Quintus modus eſt, quo mouet voluntatem interiùs vel exterius proponendo obiectum ex inopinato, & efficiendo vt abſque præcedente conſilio aliquid menti incidat, quo voluntas alliciatur vel auertatur. Sic Deus mouet per bonas cogitationes, quas ſua prouidentia immittit.

DVBIVM II.

De quo ex his modis loquatur D. Thomas hoc articulo.

REſpondeo, D. Thomam videri potiſſimum loqui de primo modo, quamquam reliquos non excludat. Quòd primario de primo loquatur, probatur; quia ratio ipſius directe ſolum probat Deum mouere voluntatem, quatenus eſt auctor noſtræ voluntatis qui inclinationem in bonum vniuerſale ei impreſſit.

Quod reliquos non excludat, probatur Primo, quia reliqui modi ſequuntur ex primo. Ideò enim neceſſario Deus cooperatur ad omnes voluntatis motus, quia natura voluntatis aſſiduè ab

Digitized by Google

ipſo ſolo dependet: ideò etiam poteſt ſolus voluntati prævios inſtinctus immittere, & per eos ipſam ad varias operationes inclinare; quia ſolus eſt voluntatis auctor. Denique hæc eadem cauſa eſt, cur ad ipſius prouidentiã pertineat, vt omnis propoſitio obiectorum, vel ipſius directione, vel ſingulari permiſſu fiat.

Secundò probatur quia ſolus ille primus modus non eſt ſufficiens, vt Deus cenſeatur propria cauſa primorum motuum voluntatis. Nam diuerſo tempore, & diuerſis hominibus diuerſi motus incidunt, cùm tamen omnium hominum voluntates eodem ſemper modo à Deo dependeãt: Ergo hæc dependentia non eſt propria cauſa cur huic incidat talis motus, alteri verò talis: ſed hoc referendum eſt in diuerſos inſtinctus, quos Deus diuerſis temporibus immittit; vel certè in diuerſa obiecta, quæ per ipſius prouidentiam diuerſis hominibus occurrunt. Nihil enim vnquam occurit homini interiùs vel exteriùs, quod non ſingulari Dei prouidentia vel ſit ad hoc directum, vel permiſſum. Vide Proſperum ſententia 58. vbi explicat, quomodo Deus ſit ſumma cauſa omnium motionum corporalium & ſpiritalium.

19 Dices primò, ſi idcircò Deus dicitur mouere voluntatem, quia inſeruit inclinationem, ex qua motus ille ſequitur: ergo Deus etiam erit auctor malorum motuum, ſiue prævenientium, ſiue liberorum; quod eſt contra fidem: vt Prima parte oſtenſum eſt.

Deus non eſt auctor malorum motuum.

Reſpondeo Primò, Deum eſſe auctorem horum motuum, & mouere voluntatem ad hos motus non abſolutè, ſed quatenus generatim tendunt in bonum. Quod enim omnis motus voluntatis tendat in aliquam boni rationem, habet à Deo, qui voluntati impreſſit inclinationem ad bonum in genere præciſum à ratione honeſti & inhoneſti. Colligitur ex D. Thoma *ad tertium*.

Secundò, Reſponderi poteſt, non oẽs primos motus qui ſequuntur ex inclinatione voluntatis, referendos eſſe in Deum auctorem; ſed eos tantùm, propter quos Deus inclinationem dedit: dedit autem inclinationem naturalem voluntati, non vt praui motus ex ea ſequerentur, ſed honeſti. Quare etſi praui motus ſequantur ex inclinatione voluntatis; tamen non ſunt in Deum referendi; quia non ſequuntur ex hac inclinatione, vt ſubeſt intentioni & directioni Dei, ſed vt ab ea declinat. Sicut cùm quis vtitur gladio, non ad ſui defenſionem, ad quam factus eſt ab artifice; ſed ad latrocinium, artifex non cenſetur cauſa latrocinij.

Dices Secundò, Hac ratione Deus etiam dicetur mouere ad electionem: nam electio ſequitur inclinationem voluntatis à Deo inſitam. Atqui hoc eſt contra D. Thomam: ergo, &c.

Neque ita propriè auctor electionis, ſicut intentionis.

Reſpondeo, Poſſe id aliquo modo dici; tamen non ita propriè, ſicut de intentione. Et hoc eſt quod vult D. Thomas. Ratio eſt, quia naturalis inclinatio voluntatis, primò & per ſe tendit in amorem finis, ſeu boni per ſe amabilis, in media verò non tendit, niſi ex vi amoris finis, ac proinde non niſi mediante alia volitione. Quare cùm electio oriatur immediatè à volitione finis, non autem ex propenſione voluntatis inſita à Deo, magis propriè refertur in voluntatem, quàm in Deum auctorem naturæ. Simile eſt in intellectu, qui quatenus mouetur ad aſſenſum primorum principiorum, cenſetur moueri ab auctore naturæ, qui iſtud lumen intellectui impreſſit: quatenus verò ex vi aſſenſus principiorum mouetur ad aſſenſum concluſionis, cenſetur mouere ſeipſum.

DVBIVM III.

Vtrùm aliqua cauſa creata, vt Angelus vel dæmon, poſſit voluntatem directè mouere ad exercitium actus?

Reſpondeo, Non poſſe eam mouere directè, ſed ſolùm indirectè, ſcilicet proponendo obiectum. 40

Non directè. Primò, Quia Scriptura ſoli Deo tribuit cordis motionem, Prouerb. 21. *Cor Regis in manu Domini, quocunque voluerit, vertet illud.* Eidem ſoli tribuit ſecretorum cognitionem 3. Reg. 8. *Tu ſolus noſti corda filiorum hominum* Et alibi. Quòd ſi cordis ſecreta ſubſunt illius ſolius cognitioni, multò magis ſolius ſubſunt motioni. Secundò, Quia nullo quatuor modorum ſupradictorum poteſt Angelus eſſe cauſa motus voluntatis, vt patet diſcurrenti per ſingulos: ſed ſolo quinto, qui fit propoſitione obiecti. Tertiò, Probatur ex D. Auguſt. l. 3. de Trinitate c. 8. & 9 & lib. 9. de Geneſi ad literam, cap. 15. & D. Thoma 1. p. qu. 110. art. 2. qui docent, Angelum non poſſe quidquam efficere circa naturam corpoream, niſi motum localem. Ergo multò minùs poterit in voluntate efficere actus vitales. Hinc ſequitur neque reliquas creaturas poſſe quidquam directè efficere in voluntate, præſertim cum reliquæ creaturæ ſint corporales, voluntas autem ſit ſpiritalis.

directè nõ poteſt.

Auguſtin. D. Thom.

Altera pars, ſcilicet poſſe indirectè mouere voluntatem. Probatur Primò, Quia poteſt exteriùs vel interiùs proponere obiectum, & efficere vt phantaſia illud aſſiduè apprehendat; quæ apprehenſio tandem trahet voluntatem in conſenſum. Secundò, Quia poteſt variè immutare corpus, humores, & ſpiritus, ex qua immutatione ſequitur etiam varia phantaſiæ apprehenſio ſub ratione conuenientis vel diſconuenientis, & proinde varij quoque motus in appetitu ſenſitiuo, ratione quorum fit, vt intellectus ariè obiectum apprehendat, & voluntatem alliciat. Hi duo modi mouendi voluntatem pertinent ad ſuaſionem, ſeu propoſitionem obiecti: quæ eſt indirecta motio voluntatis.

Poteſt indirectè proponendo obiectum & immutãdo humores.

QVÆSTIO DECIMA.

De modo quo Voluntas mouetur.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Voluntas ad aliquid naturaliter moueatur.

Reſpondetur Vnica Concluſione, Voluntas mouetur naturaliter in bonũ in communi, in beatitudinem, & in omnia quæ conueniunt homini ſecundùm naturam. 1.

Vbi Notandum *naturaliter ferri in aliquid* hoc loco nihil eſt aliud, quàm ferri inſtar inclinationis naturalis, quæ ita eſt ad vnam partem determinata, vt non poſſit in oppoſitam. Itaque diſtinguitur contra *liberam*, vt notat Caietan. & patet

ex *reſponſ. ad primum* vbi D. Thom. diſtinguit *naturale* à *voluntario*, id eſt, *libero*.

In quæ bona volũtas moueatur naturaliter.

Probatur prima pars: nempe quod in bonum in communi moueatur naturaliter, quia omnis potentia naturaliter eſt determinata ad ſuum obiectum formale; ita vt non poſſit in oppoſitum: atqui obiectum formale voluntatis eſt bonum in communi: (quidquid enim voluntas vult, vult ſub ratione boni:) ergo voluntas eſt naturaliter determinata ad bonum, ac proinde naturaliter fertur in bonum.

Secunda pars, ſcilicet quòd in beatitudinem moueatur naturaliter. Probatur, quia finis vltimus ita ſe habet inter bona expetenda, ſicut prima principia inter veritates cognoſcendas: ſed prima principia ſunt naturaliter cognita [nam ex vi apprehẽſionis terminorum ita illis aſſentimur, vt non poſſimus aſſentiri contrario:] ergo vltimus finis eſt naturaliter volitus, id eſt, eo modo, vt non poſſimus velle contrarium.

Tertia pars, quòd in omnia quæ homini ſecundùm naturam conueniunt, naturaliter moueatur, Probatur, Quia voluntas data eſt homini loco inclinationis naturalis, vt in totum hominis bonum illum inclinet [id enim quod eſt inclinatio naturalis in rebus naturalibus, in homine & Angelo eſt voluntas:] ergo ſicut res aliæ feruntur naturaliter in bonum ſuæ naturę conueniens, ita voluntas fertur naturaliter in id quod per ſe humanæ naturæ eſt conueniens: vt eſſe, viuere, intelligere, eſſe integrum, ſanum, pulchrum, &c. quæ ſecundùm ſe nihil habent mali. Denique omne id quod apprehenditur ſub ratione boni, qua parte ſic apprehenditur, naturaliter apperitur; quia ſub ea ratione non poteſt reſpui.

2

Notandum eſt primò, ſicuti voluntas duplici ratione poteſt aliquid amare liberè, ſcilicet ſecundùm exercitium actus, & ſecundùm ſpeciem: ita duplici ratione poteſt aliquid amare naturaliter; ſecundùm exercitium actus, & ſecundùm ſpeciem actus.

Voluntas nihil amat naturaliter ſecundùm exercitium

Secundùm exercitium, nihil amat naturaliter; nec vllus motus in hac vita eſt ei naturalis [loquor de motu qui eſt ex perfecta rationis conſideratione.] Ratio eſt, quia ad omnem amorem eliciendum voluntas eſt libera & indeterminata. Vnde, ad exercitium actus non habet ſe, vt inclinatio naturalis.

Sel quædã ſecundùm ſpeciem actus.

Secundùm verò ſpeciem actus, naturaliter amat omnia bona ſupradicta per ſe conſiderata; quia ita eſt ad illa determinata, vt ſi velit in illa tendere, non poſſit niſi motu proſecutionis. Dico *per ſe conſiderata*; quia ob aliquod incommodum vel defectum qui illis apprehenditur connexus, poſſunt reſpui. Sic multi optant non eſſe ob miſerias huius vel alterius vitæ, multi nolunt ſapientiam & virtutem ob laborem & corporis incommoda.

Voluntas qua natura, voluntas qua voluntas, quid ſignificent.

Notandum Secundò, Ex his facilè intelligi duplicem illam rationem voluntatis, cuius frequens apud Theologos mentio, ſecundùm quam dicitur moueri, nempe *vt voluntas*, & *vt natura*. Quæ duæ rationes non diſtinguuntur tamquam duę res vel duæ formalitates, ſed vt vna eademq; res duplici modo inadæquatè concepta.

Dicitur enim moueri *vt voluntas*, quatenus in modo operandi habet conditionem propriã voluntati, quæ eſt liberè ferri in aliquid. Prouenit autem hic modus operandi ex perfecta rationis conſideratione, qua res conſideratur cum omnibus ſuis circumſtantiis.

Dicitur autem moueri *vt natura*, quatenus in modo operandi habet conditionem naturæ, quæ eſt eſſe determinatum ad vnum. Et prouenit hic modus ex imperfecta rationis conſideratione, vel ex ea qua bonum ſolùm conſideratur vt conueniens, malum vt diſconueniens abſque circumſtantiis.

Lucta Chriſti in horto.

Vterque modus patuit in Chriſto, dum oraret in horto. Nam voluntas eius, vt natura, amabat vitam, & horrebat mortem: vt voluntas verò, acceptabat mortem, & contemnebat vitam.

Vna Anima æquiualet toti vniuerſo corporeo.

Notanda eſt Tertiò *Reſponſio* D.ⁱ Thomæ *ad Tertium*: ex qua rectè colligit Caietanus vnam animam æquiualere toti vniuerſo corporeo: quia totius illius perfectionis, ſublimiori modo, nempe ſecundùm eſſe intelligibile conſideratæ, eſt capax, & voluntas ad totam illam inclinatur.

ARTICVLVS II.

Vtrùm voluntas moueatur neceſſario à ſuo obiecto.

NOtandum eſt, Non hic quæri vtrùm obiectum habeat aliquam efficientiam in voluntatem, vt Caietan. exponit. Hoc enim ſatis patet ex qu. 9. art. 1. & 4. Sed vtrùm poſito obiecto, voluntas in illud rapiatur neceſſariò.

Reſpondetur duabus Concluſionibus.

Prima, Voluntas à nullo obiecto mouetur neceſſariò ſecundùm exercitium actus. Intellige in hac vita. Eſt communis ſententia Doctorum. Vide Scot. in 4. d. 49. q. 10.

Probatur Primò, Ratione D. Thomæ, Quia poſſumus à quouis obiecto cogitationem auertere, ac proinde actu non amare. Sed hæc ratio non eſt ſufficiens, quia non probat voluntatem non moueri neceſſariò ab obiecto, perſeuerante apprehenſione intellectus, ſed ſolùm eatenus non neceſſariò moueri, quatenus eſt in eius poteſtate apprehenſionem intellectus tollere.

Voluntas à nullo obiecto in hac vita neceſſitatem patitur.

Secũdò igitur probatur, Quia experimur dum cogitamus de quouis obiecto, v. g. de beatitudine, voluntatem noſtram non neceſſariò ferri in illius amorem, ſed poſſe cohiberi. Quamuis Durandus in 4. d. 49. qu. 8. n. 18. pũtet voluntatem neceſſariò moueri ad quamdam imperfectam volitionem beatitudinis, dum illa intellectu apprehenditur. Sed eſt contra experientiam, facilè enim cohibemus omnem affectum. Et ratio eſt, quia quantumuis magnum ſit bonum, quod in hac vita mente concipimus, ſemper tamen poſſumus iudicare non eſſe nobis vtile, vel commodum, vel opportunum, vel ſaltem neceſſarium illud hic & nunc amare: & conſequenter voluntas non neceſſitatur ad exercitium actus. Sicut enim voluntas non neceſſitatur ad ſpeciem actus, quãdo circa obiectum poteſt cõſiderare aliquam rationem diſconuenientiæ, v. g. quod impediat aliud bonum, vel certè quod non ſit neceſſarium ad benè eſſe: ita etiam non neceſſitatur ad exercitium actus, quando circa exercitium ipſum poteſt apprehendere aliquam rationẽ diſconuenientiæ, vel non neceſſarij.

4 Soluuntur obiectiones

Dices Primò, In primis motibus, qui apprehenſo obiecto neceſſariò excitãtur, non ſolùm in appetitu inferiori, ſed etiam in voluntate eſt vera neceſſitas; ergo voluntas aliquando mouetur

neceſſariò ad exercitium actus ab obiecto.

Reſpondeo nos hic loqui de obiecto, quod perfecta rationis conſideratione proponitur: hoc enim numquam in hac vita neceſſariò mouet ad exercitium actus Perfecta autem conſideratione tunc proponitur, quando conſiderantur eius cõditiones, non ſolùm vt eſt conueniens, ſed etiam vt eſt non conueniens, aut non neceſſarium, ſaltem hic & nunc Sicut optimè explicat D. Thomas, & patet ex ſuprà dictis q. 6. a 2. Dum igitur ratio non ſatis ſibi præſens, apprehendit rem ſolùm vt conuenientem, non valens tunc temporis eam conſiderare, vt non conuenientem, aut non neceſſariam; voluntas neceſſariò in illam fertur, ſed ſimplici & inefficaci affectu.

Voluntas mouetur ſæpe neceſſariò ſimplici affectu.

Dices Secundò, Intellectus dum ei proponitur principium aliquod per ſe notum, non poteſt ſuſpendere iudicium; ergo nec voluntas propoſito fine poterit ſuſtinere affectum.

Conſequentia probatur, Quia ſicut intellectus ſe habet ad prima principia, ita voluntas ſe habet ad finem, præſertim vltimum.

Reſpondet D. Thomas *in reſpon. ad ſecundum*, ſed ſatis obſcurè.

Clariùs reſponderi poteſt, negãdo conſequentiam. Tum quia intellectus non eſt formaliter liber, ſicut voluntas: tum quia intellectui principium non eſt ſatis propoſitum, niſi apprehendat perfectè extrema: atqui aſſenſus principij vel nihil eſt aliud quàm perfecta extremorum apprehenſio; vel certè intrinſecè ex illa apprehenſione oritur: vnde non eſt mirum, quòd intellectus apprehenſis extremis, non poſſit ſuſtinere iudicium. At volitio non ſic oritur ex intellectione, ſeu ex propoſitione obiecti.

Ad confirmationem. Comparatio illa inter intellectum & voluntatem non eſt facienda ratione libertatis, ſed ratione aliarum conditionum: nempe, quòd ſicut intellectus aſſentitur principiis propter ſeipſa, non ob alia principia, ita voluntas amet finem propter ſeipſum, non ob alium finem. Et ſicut aſſenſus principiorum eſt cauſa, cur aſſentiamur concluſioni, ita amor finis ſit cauſa, cur amplectamur media.

Secunda Concl. D. Thomæ. Voluntas neceſſariò mouetur ab aliquo obiecto ad ſpecié actus. Patet ex d. a. 1. Vtrùm verò voluntas in altera vita ab aliquo obiecto neceſſariò moueatur ad exercitium, dictum eſt ſuprà tract de Beatitudine q. 4. a. 4.

ARTICVLVS III.

Vtrùm Voluntas neceſſariò moueatur ab appetitu inferiore, ſeu à paſſionibus?

REſpondetur duabus Concluſionibus.

Prima, ſi paſſio rationis vſum prorſus impediat, voluntas neceſſariò mouetur. Patet in amentibus. Ratio eſt, quia tunc intellectus non poteſt rem apprehendere cum indifferentia, ſed ſolum ſub vna ratione: ita enim apprehendit conſentaneam, vt non poſſit aduertere rationes, cur ſit diſſentanea, & ita apprehendit diſſentaneam, vt in illa nullam poſſit videre rationem conſentanei. Ac proinde neceſſariò amat, vel neceſſariò odit.

Quid ſiat, ſi paſſio prorſus impediat vſũ rationis.

Secunda Concluſio. Si paſſio non ſit adeò vehemens, vt rationis vſum impediat, non mouet neceſſariò: quia cum illa paſſione, intellectus poteſt rem aliter apprehẽdere quàm à paſſione proponitur. Intellige hoc de neceſſitate Phyſica. Nam fortaſſe interdum talis paſſio poteſt mouere neceſſariò neceſſitate morali, ita vt non peccetur conſentiendo, ſaltem mortiferè, de quo plura in Tractatu de Gratia.

Quid, ſi non impediat vſum rationis.

Notandum Primò, *in Reſp. ad Tertium* quod ait D. Thomas: *Voluntas non ſolùm mouetur à bono vniuerſali apprehenſo per rationem, ſed etiam apprehenſo per ſenſum*, non eſſe ſic intelligendum, quaſi apprehenſio ſenſus ſufficiat ad mouendam volũtatem: id enim falſum eſſe patet ex dictis q. 9. a. 2. ſed ſenſus eſt, Voluntem non tantum moueri à bono vniuerſali, quod ſola ratione percipitur, v. g. à voluptate in genere, ab honeſto in genere, verum etiam à particulari, quod primò apprehenditur ſenſu, & à ſenſu tranſit eius apprehenſio ad rationem, à qua vbi apprehenſum fuerit, poteſt mouere voluntatem.

6

Notandum Secundò, Pueros & amentes non in omnibus ſuis motibus neceſſariò moueri, vt rectè docuit Victoria, Relect. *De venientibus ad vſum rationis*: ſed tantum in quibuſdam, nempe in iis appetendis vel fugiendis, quæ ita apprehendunt eſſe bona, vt nullam cernant rationem mali, vel ita mala, vt nullam cernant rationem boni: vel ſi vtramque aliquo modo apprehendant, tamen non poſſint illas ita inter ſe comparare, quin apprehenſio alterius obtineat & vincat. Sic videmus iſtos neceſſariò amplecti, vbi apprehendunt magnas voluptates, & neceſſariò fugere, vbi magnos dolores: vbi verò nihil horum apprehendunt, vel valdè parum, habent in ſua poteſtate acceptare vel non acceptare, vt experientia docet: poſſuntque reddere rationem, cur ſic, vel ſic faciant. Quæ autem hic obiicit Medina, facilè ſolui poſſunt. Vide infrà quæſt. 13. art. 2.

Pueri & amentes in quibus neceſſariò mouentur

Dicuntur autem pueri & amentes carere vſu rationis, quia eo carent circa bonum & malum morale, quod eſt proprium bonum hominis, & perfectum vſum rationis requirit: non autem quia eo carent circa bona ſenſibilia, eorumque contraria, ad quæ ſufficit vſus rationis multò minor.

Quo modo careant vſu rationis.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm voluntas neceſſariò moueatur à Deo?

7

COncluſio eſt, Voluntatem non neceſſariò moueri à Deo, id eſt, motus voluntatis non eſſe neceſſarios, ſed liberos, etiamſi à Deo proueniant. Ratio eſt, quia Deus mouet res omnes conſentaneè naturali illarum conditioni, ſic vt à cauſis neceſſariis proueniant effectus neceſſarii, à liberis, contingentes, atqui naturalis conditio voluntatis eſt eſſe cauſam non determinatam ad vnum, ſed indifferenter ſe habere ad multa: ergo Deus illam ſic mouet, vt non determinet ex neceſſitate ad vnum, ſed vt motus eius maneat contingens.

Notandum Primò, D. Thomam loqui de motione, qua Deus mouet, non quidem vt obiectum, vel vt proponens obiectum per ſuam prouidentiam (nam de hoc modo dictum eſt art. 2. vbi oſtenſum eſt, voluntatem in hac vita à nullo obiecto ad exercitium neceſſariò moueri.) Sed loquitur de motione, qua mouet vt efficiens

De qua motione hic agat, D. Th.

Digitized by Google

motum voluntatis, præſertim per ſuum concurſum & per auxilium præueniens voluntati impreſſum: His enim modis accommodat ſe conditioni voluntatis. De motione illa qua dicitur mouere, vt eſt auctor & conſeruator naturæ voluntatis, nulla poteſt eſſe quæſtio; quia ſolùm mediante natura ſic mouet, non autem per ſe immediatè: Vnde hæc motio ex parte Dei nihil eſt aliud, quàm creatio & conſeruatio naturæ voluntatis, vt motus ſibi conuenientes edat. Itaque nihil ponit circa naturam vel operationem voluntatis, vnde poſſit prouenire neceſſitas in operatione.

Notandum Secundò, Hic eſſe ſermonem de actibus voluntatis perfectis, quibus abſolutè aliquid vult aut recuſat, non autem de imperfectis affectionibus à Deo immiſſis.

Notandum Tertiò *in Reſp. ad Tertium: Si Deus*, inquit, *mouet voluntatem ad aliquid, impoſſibile eſt vt voluntas ad illud non moueatur, non tamen eſt impoſſibile ſimpliciter*: ex his verbis aliquos ſumere argumentum pro prædeterminatione voluntatis, ſed minimè ſecundùm mentem D. Thomæ Nam D. Thomas loquitur non de motione præueniente, ſed comitante, qua Deus mouet voluntatem, concurrendo per ſe & per auxilium gratiæ; non priùs natura quàm voluntas moueatur, ſed omnino ſimul. Etſi autem poſita illa motione, impoſſibile ſit, vt voluntas non moueatur (non enim hæc duo ſimul ſtare poſſunt, Deus mouet voluntatem concurrendo cum illa, & voluntas non mouetur:) non tamen inde ſequitur eſſe abſolutè impoſſibile, voluntatem tunc non moueri, aut eſſe neceſſarium moueri: nam illa Dei motio eſt in poteſtate voluntatis, vt incipiat vel deſinat, vt continuetur vel abrumpatur: Simili modo, ſi voluntas ſeipſam mouet, neceſſe eſt ipſam moueri, non tamen tunc neceſſariò mouetur, quia in poteſtate voluntatis eſt vt ſeipſam moueat. Eodem modo intellige D. Thomam *in Corp.* cùm ait: *Sic Deus voluntatem mouet, vt non ex neceſſitate ad vnum determinet. Non ex neceſſitate*, id eſt, non eo modo, vt illa determinatio non ſit in poteſtate voluntatis & arbitrio. Longè eſt alia ratio prædeterminationis. Poſita enim prædeterminatione, quâ Deus voluntatem præueniendo prædeterminet ad actum, voluntas abſolutè mouetur neceſſariò: quia non eſt in poteſtate voluntatis, vt illa prædeterminatio incipiat vel non incipiat (quia præuenit omnem concurſum liberum voluntatis:) & illa poſita, non eſt in eius poteſtate vt actus non ſequatur, quia cum illa determinatione neceſſariò eſt connexus, cùm re ipſa ab illa non diſtinguatur.

Male ſumitur hinc argumentum pro prædeterminatione.

QVÆSTIO XI.

De Fruitione.

ARTICVLVS I.

Vtrùm frui ſit potentiæ appetitiuæ?

CONcluſio eſt affirmans. Vide Diu. Thomam

DVBIVM I.

Quid proprie ſit fruitio.

SCotus in 1. d. 1. qu. 3. putat, Fruitionem nihil eſſe aliud quàm amorem, quo res diligitur propter ſeipſam, & frui Deo, nihil eſſe aliud, quàm Deum amare. Scotus.

Dominicus Soto in 4. d. 49. qu. 1. a. 4. putat, fruitionem eſſe ipſam rei adeptionem per actum vitalem, qui generet delectationem in appetitu. Frui enim pictura, nihil eſt aliud quàm videre picturam cum voluptate, frui cibis, eos guſtare cum voluptate, frui Deo, videre Deum, & inde gaudium percipere. Dom. Soto.

Vt res explicetur. Suppono hæc tria requiri, vt quis propriè dicatur frui, & eadem ſufficere. Nempe amorem rei, cõiunctionem rei per actum aliquem vitalem, & delectationem. Qui enim amat, & non habet rem præſentem, non dicitur frui, ſed deſiderare frui. Fruitio enim eſt terminus deſiderii, vnde Prou. 6. dicunt quidam: *Venite, fruamur concupitis amplexibus.* Rurſus, qui amat, & rem præſentem habet, ſi non delectatur, non fruitur, ſicut is qui ſumit potionem amaram, quam tamen deſiderabat, non dicitur frui. Vnde D. Auguſt. l. 10. de Trin. c. 10. *Fruimur rebus cognitis, in quibus ipſis propter ſe voluntas delectata requieſcit.* Ad fruitionem tria neceſſaria: amor, coniunctio vitalis, delectatio.

Vt autem intelligatur quid propriè ex his tribus vocetur fruitio:

Dico primò, Amorem non propriè dici fruitionem. 1 Amor non eſt fruitio

Probatur Primò, Ex cõmuni modo loquendi: frui bonis, non eſt amare bona, ſed ex illis capere voluptatem. Frui concupitis amplexibus, non eſt amare amplexus, ſed habere præſentes, & illis delectari. Secundò Probatur, Quia amor non requirit præſentiam rei, nec delectationem ex præſentia, hæc tamen requirit fruitio. Tertiò, Ex D. Auguſt. l. 8. de Ciuit. c. 9. *Nemo*, inquit, *beatus eſt qui ea non fruitur, quæ amat.* Vbi apertè amorem & fruitionem diſtinguit. Quare cùm idem Auguſt. l. 1. de doctr. Chriſt. c. 4. ait, *Frui, eſt amore inhærere*, non vult fruitionem eſſe amorem, ſed illam inhæſionem voluntatis, quæ ex amore naſcitur. Denique idem patet ex vi nominis. Frui enim, eſt fructum capere; amare vero nihil eſt aliud, quàm pondere quodam in rem amatam inclinari. Auguſt.

Dico Secundo, Coniunctio boni per actũ vitalem non eſt propriè & formaliter fruitio, rectè tamen dici poteſt fruitio cauſaliter. Neque etiã coniunctio boni per actum vitalem, eſt fruitio.

Prior pars probatur, quia ſi ex illa coniunctione nulla ſequeretur delectatio, non frueremur, vt ſi veſcaris cibo ſuaui, vel audias ſuauem ſymphoniam, ſi non delectaris, non frueris. Confirmatur ex D. Auguſtino l. 8. de Ciuit. c. 9. & lib. 83. qq. q. 30. vbi ait, *Frui, eſſe voluptatem capere.*

Altera pars, ſcilicet quod cauſaliter rectè dicatur fruitio, Probatur, quia coniunctio boni eſt cauſa delectationis & gaudij: rem enim ipſam qua fruimur, præſentem ſiſtit: imo ipſa quoque eſt obiectum delectationis. Iuxta hunc modum intellige D. Thomam in *reſp. ad Primum*, cùm *viſionem Dei* vocat *fruitionem*. Eſt enim cauſaliter fruitio, quia viſio eſt cauſa, & etiam quodammodo obiectum fruitionis. quamuis ſit fruitio cauſaliter.

Dico Tertio, Delectatio vel gaudium conſequens rei præſentiam & coniunctionem, propriè Fruitio quid.

Digitized by Google

& formaliter eſt fruitio. Quod patet tum ex cõmuni modo loquendi; tunc enim & numquã alias dicimur frui re optata, quando ea præſente delectamur & gaudemus: tùm quia cætera iam excluſa ſunt. Hinc ſequitur fruitionem propriè ad voluntatem pertinere. Eſt enim vltimus ipſius motus, omniumque motuum terminus.

DVBIVM II.

Vtrùm fruitio ſit actus elicitus à voluntate, an ſolùm paſſio impreſſa voluntati ab obiecto, ipſa non concurrente?

3 Scotus. Henricus.

SCotus in 1. diſt. 1. quæſt. 3. & in 3. diſt 15. putat gaudium & delectationem (quæ nos nomine fruitionis intelligimus) & triſtitiam ſolùm eſſe paſſiones productas ab obiectis in appetitu. Idem ſentit Henricus Quodlib. 11. quæſtion. 8. & 9.

Reſpondeo, Fruitionem eſſe actum à voluntate effectiuè productum. Idem dico de triſtitia. Eſt communior Theologorum ſententia in 1. diſt. 1. & D. Thom. infra, qu. 11. art. 3. ad 3. & Caiet. qu. 31. art. 4. Ratio eſt, quia fruitio & triſtitia ſunt actus vitales, atque adeò vitæ quædam ipſius animæ, actus autem vitales non debent manare à principio effectiuo extrinſeco, vt ſuprà oſtenſum eſt.

Fruitio & triſtitia nõ ſunt nudæ paſſiones, ſed vitales motus ab intrinſeco.

Contra obiicitur ex Scoto: Primò, omnis actus voluntatis eſt velle aut nolle: ſed delectatio & gaudium non eſt velle, neque triſtitia eſt nolle [Beati enim habent nolitionem de peccatis, non tamen triſtitiam:] ergo non ſunt actus voluntatis.

Soluuntur argumenta Scoti.

Reſpondeo, Conceſſa maiore, generatim loquendo nego minorem. Triſtitia enim eſt quoddam nolle generatim accepto nomine, quia eſt quædam vitalis fuga & auerſio appetitus à malo præſente, cum quadam amaritudine & afflictione. Similiter gaudium eſt quoddam velle [nam D. Aug. l. 4. de Ciu. c. 6. *Omnem motum voluntatis, docet eſſe voluntatem*, id eſt, *volitionem*] quia eſt vitalis quædam inhæſio in obiecto cum quadam dulcedine.

Nec obſtat, quòd in Deo & Beatis ſit nolitio peccati, & tamen in illis non ſit triſtitia, quia triſtitia non eſt quæuis nolitio, ſed amara.

Obiicitur Secundò, Si Petrus ſummè nolit filium mori, & filius moriatur, Petro veniet noua triſtitia. Sed non obueniet ei noua aliqua nolitio, quia iam ponitur ſummè noluiſſe: ergo ſolùm ſuperuenit ei quædam paſſio illata ab obiecto præſenti.

Reſpondeo Negando minorem generatim loquendo; etſi enim habeat ſummam nolitionem propriè dictam, poteſt tamẽ ei ſuperuenire nouus motus auerſionis vitalis ex præſentia mali, qui ſpecie ſit diſtinctus à priore nolitione: poſſet tamen generatim vocari nolitio, quia eſt vitalis auerſio à malo præſenti.

Obiicitur Tertiò, Omnis actus voluntatis eſt in eius poteſtate: ſed delectatio & triſtitia non ſunt in poteſtate voluntatis: ergo, &c.

Reſpondeo, Omnem actum voluntatis in hac vita, qui ſit ex perfecto rationis vſu, eſſe quidem in poteſtate voluntatis, ſed mediatè vel immediatè, non autem immediatè; vt patet in electione medij neceſſarij ſuppoſita efficaci intentione. Itaque triſtitia & delectatio, etſi non ſint immediatè in poteſtate voluntatis, ſunt tamen mediatè. Poſito enim amore alicuius boni, & illius boni præſentia, neceſſariò reſultat gaudium & delectatio. Et poſito odio alicuius obiecti, & eius præſentia, neceſſariò emicat triſtitia. Sed hæc neceſſitas ſolùm eſt ex ſuppoſitione alicuius rei, quæ eſt in mea poteſtate. Si enim tollam amorem & odium, vel cogitationem aliò diuertam, tollam etiam gaudium & triſtitiam.

Quomodo gaudium & triſtitia ſint in noſtra poteſtate.

ARTICVLVS II.

Vtrùm frui tantùm conueniat naturæ rationali, an etiam brutis?

4 Frui naturæ rationali competit perfectè.

PRima Concluſio. Perfecta fruitio ſoli naturæ rationali competit, ſcilicet Deo, Angelo, homini. Ratio eſt, quia fruitio eſt quædam vitalis inhæſio appetitus in bono præſente propter ipſũ. Atqui ſola natura rationalis diſtinctè cognoſcit rationem boni, eiuique habitudinem ad ſubiectum: ergo, &c.

Brutis imperfectè.

Secunda Concluſio. Brutis non conuenit ratio fruitionis niſi imperfectè. Ratio eſt quia non cognoſcunt rationem boni niſi confuſè; non enim cognoſcunt proportionem & conuenientiam, quam habet cum ſubiecto, & ſitne propter ſe, an propter aliud conueniens.

Notandum eſt Fruitionem, id eſt, gaudium & delectationem naſci ex tribus, ex potentia, obiecto, & coniunctione obiecti per aliquem actum vitalem, vt per cognitionem intellectus vel ſẽſus. Vnde ſequitur, cæteris paribus eò maiorem eſſe & perfectiorem fruitionem, quò aliquid horum trium perfectius fuerit; & cõſequenter perfectiſſimam eſſe ex viſione Dei. Nam hæc naſcitur in ſuprema potentia, ex ſuprema coniunctione boni ſupremi. Si enim tanta eſt delectatio appetitus ſenſitiui ex bonis infimis per ſenſum apprehenſis, quanta erit in appetitu ſupremo, ex infinito bono, viſione beatifica nobis vnito?

ARTICVLVS III.

Vtrùm fruitio ſit tantum vltimi finis?

5 Fruitio eſt vltimi finis propriè.

PRima Concluſio. Fruitio propriè tantùm eſt vltimus finis.

Probatur, Quia fruitio propriè deſignat quietem voluntatis in aliquo bono delectabili. Atqui voluntas in nullo bono perfectè quieſcit niſi in vltimo; ſcilicet, poſt quod non ſperat aliud: quamdiu enim aliud ſperat, non ſiſtit, ſed eſt inquieta, donec obtinuerit quod cenſet ſibi vltimò eſſe obtinendum. Hoc modo D. Aug. paſſim vtitur nomine fruitionis, vt lib. 83. qq. q. 30. cùm ait, *Omnem humanam peruerſionem eſſe, fruendis vti velle, & vtendis frui.* Et lib. 1. de doct. Chriſt. c. 1. vbi dicit, *Tantum fruendum eſſe Patre, Filio & Spiritu ſancto.*

Eſt etiam aliorum bonorum.

Secunda Concluſio. Quodam tamen modo rectè dicimur frui quouis alio bono, quod propter ſe diligimus, etiamſi non habeamus illud pro vltimo fine.

Probatur, Quia omne tale bonum habet in ſe vnde delectet, & voluntatẽ in ſe quieſcere faciat, ſi non omninò, certe in præſenti negotio, & in præſenti intentione, in qua eſt vltimum. Confirmatur ex D. Auguſtino l. de doct. Chriſt. c. 4. vbi dicit: *Frui eſt amore inhærere alicui rei propter ſeipſam.* Fruimur ergo omni bono, quod propter ſe

Fruitio iuxta Aug.

ized by Google

diligimus, si illud præsens habeamus. Sic dicimur frui amicis & amicorum consortio, contemplatione cælesti, lectione Scripturarum, & similibus. Aduerte tamen, si illud bonum quo fruimur, non sit in se honestum, talem quoque fruitionem non fore honestam. Talis enim est delectatio, quale est bonum quo delectamur.

Dices, Delectatio est tantùm de bono delectabili: atqui bonum delectabile distinguitur ab honesto tamquam diuersum genus boni; ergo nulla delectatio per se & intrinsecè est honesta, neque versatur circa bonum honestum.

Bonum honestum adamatum, est delectabile. Augustin.

Respondeo, Omne bonum honestum adamatum esse delectabile, & in sua intrinseca ratione includere vim delectandi: vnde si præsens fuerit, causabit delectationem. Colligitur ex D. Aug. l. 1. de doct. Christ. cap 13. *Cùm adest*, inquit, *quod diligitur, etiam delectationem secum geras necesse est.* Ratio est, quia delectatio nascitur ex præsentia boni adamati, qualecumque illud bonum sit, siue delectabile tantùm, siue honestum. Vnde quando bonum diuiditur in honestum & delectabile, per delectabile intelligitur, vel quod solùm delectabile est, & non honestum, vt sunt bona sensibilia: vel solum ista membra ratione distinguuntur: nam ipsa bonitas honesti est delectabilis, & eius delectatio est bonum honestum, neque hæ rationes per vllam potentiam possunt separari.

DVBIVM.

Vtrùm etiam mediis fruamur quatenus media sunt?

4 Respondeo & Dico Primò, Si frui accipiatur vt idē sit quod cum delectatione vti, (quomodo definitur à D. Augustino libr. 1. de doct. Christ. c. 4.) rectè dicimur frui mediis, etiam vt media sunt. Ratio est; quia propriè vtimur mediis, & ex illorum vsu percipimus delectationem: sic dicimur frui hereditate, opibus, domo, consortio, &c. etiamsi hæc non amentur propter seipsa: sed solùm propter vitæ commoda, quæ per ea comparantur.

Notandum tamen, vsum mediorum non adferre delectationem, ratione bonitatis intrinsecæ [quia bonitas mediis intrinseca, sicut nec amatur propter se ita neque delectare potest per se] sed solum ratione bonitatis finis, ob quem bonitas medij amatur. Confirmatur, Quia tota bonitas quę est in mediis vt media sunt, nihil est aliud quàm vtilitas eorum ad finem, seu efficacia quam habent ad finem comparandum: sed hęc efficacia non est amabilis nisi ob finem: ergo nec delectabilis nisi ratione finis. Patet exemplis Medicina enim non delectat, neque gaudio afficit, nisi ratione sanitatis quę in illa apprehenditur: pecunia non delectat, nisi quatenus in ea, tamquam in virtute causæ apprehendimus nos habere huius vitę commoda.

Media per se non sunt obiectum delectationis.

Dico Secundò, Si *frui* accipiatur, vt idem sit, quod quiescere in aliquo bono propter se adamato [quod est propriè frui, vt accipit Aug. lib. 10. de Trinit. c. 10.] sic non dicimur vllo modo frui mediis, vt media sunt; quia non quiescimus in illis, sed vlterius tendimus vt ibi quiescamus. Nec obstat illud Apostoli ad Philæmonem, *Ita, frater, ego te fruar in Domino*, sensus enim est, fac vt fruar tuo beneficio in Onesimo, quod beneficium erat ignoscere Onesimo, & illum benè tractare. Hoc enim Apostolus censebat sibi ipsi fieri. Itaque hic locus ad præsens negotium nihil facit.

Apostolus ad Philemonem.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm fruitio sit solum finis habiti?

7 PRima Conclusio. Fruitio perfecta non est nisi finis iam perfectè obtenti. Probatur, quia fruitio perfecta est quies animi perfecta in bono: atqui animus non quiescit, nisi fine perfectè obtento: ergo, &c.

Secunda Conclusio Fruitio imperfecta est fine imperfectè obtento, scilicet obtento in spe. Probatur, quia qui habet spem obtinendi, iam aliquo modo censetur habere finem; habet enim eum in mediis, per quæ sperat, tamquam in causis: vnde Apostolus ad Rom. 12. *Spe gaudentes.*

QVÆSTIO XII.

De Intentione.

ARTICVLVS I.

Vtrum Intentio sit actus voluntatis?

1 Intentio, vnde dicatur.

CONclusio Intentio est actus voluntatis. Probat D. Thom. ab etymo nominis. Intentio enim dicitur ab eo, quod est tendere ad aliquem terminum seu finem; atqui tendere in finem pertinet primò ad voluntatem; nam voluntas ceteras etiam animæ vires in finem dirigit: ergo intentio est actus voluntatis. Idem probari potest ex nominis vsu. Intendere enim lucrum, sanitatem, honores, iuxta communem vsum loquendi, nihil est aliud quàm velle hæc per aliqua media consequi: atqui velle consequi, est actus voluntatis: ergo.

Intentio quid.

Hinc patet, Intentionem ex parte rei nihil esse aliud, quàm desiderium efficax, id est, quo quis ita desiderat aliquid consequi, vt ex vi huius desiderij moueatur ad executionem.

Dices, Intentio est tendentia voluntatis in finem per certa media: atqui desiderium non includit certa media, ergo distinguitur à desiderio.

Resp. Non est de ratione Intentionis vt expressè contineat volitionem certorum mediorum, sed sufficit vt implicitè contineat volitionem mediorum in genere. Confirm. Quia intentio est causa electionis mediorum, sicut assensus principiorum est causa assensus conclusionis: ergo est prior volitione mediorum, ac proinde non magis includit volitionem mediorum, quàm desiderium efficax.

Intendere finem & efficaciter eum velle &c. eadem sunt.

Hinc sequitur, eadem esse, intendere finem, efficaciter velle, aut amare, aut desiderare finem, *Efficaciter*, inquam, id est, eo modo, vt ex vi illius volitionis vel desiderij, moueatis ad executionem: vnde Græci non habent proprium nomen, quo exprimant actum intentionis, sed vocant eam βούλησιν, id est, *Volitionem*, ὄρεξιν λογικὴν, id est, *appetitum rationalem*, & προαίρεσιν, *propositum*. Vide Aristotel. 3. Ethic. c. 2. & Damasc. l. 2. de Fide, cap. 22.

Bonum amabile

Notandum in *Respons. ad quartum*, finem, id est, bonum quodvis per se amabile, posse tripliciter spectari.

Digitized by Google

tripliciter ſpectari poteſt.

ſpectari. Primò, Vt eſt præſens; ſic verſatur circa illud fruitio. Secundò, Vt eſt abſens, per aliqua tamen media comparandum; ſic verſatur circa illud intentio. Tertiò, Secundùm ſe nudè; ſic verſatur circa illud amor, vt eſt primus affectus, ſeu prima boni complacentia, quæ etiam voluntas dicitur. Itaque tres actus verſantur circa finem tamquam obiectum Medium verò per ſe non poteſt niſi vno modo ſpectari, ſcilicet vt eſt vtile ad finemobtinendum. Eſſe autem abſens vel preſens, eſt illi commune cum fine.

ARTICVLVS II.

Vtrum Intentio tantum ſit vltimi finis?

COncluſio eſt, Intentionem circa quemuis finem verſari poſſe, non tantùm circa vltimum. Ratio eſt, quia quoduis bonum per ſe amabile, poteſt eſſe terminus motus voluntatis; ac proinde ſi per media poteſt comparari, poteſt intendi.

DVBIVM.

Vtrum Media quatenus habent rationem boni vtilis, poſſint intendi?

1 Media propriè non intenduntur.

REſpondeo, Propriè loquendo, non poſſe ſic intendi. Ratio eſt, quia motus voluntaris non ſiſtit in mediis, neque in eorum intrinſeca bonitate ſeu vtilitate: ſed vlteriùs tendit in finem, & in eo ſiſtit: atqui illud duntaxat intenditur in quo motus voluntatis ſiſtit, vt in termino. Quare in omni volitione, vbi vnum medium appetitur, propter aliud medium, v. g. cùm vis adire medicum, propter pharmacum, pharmacum ſumere, ob euacuationem, euacuationem facere ob ſanitatem, ſanitas, propter ſeipſam, non tam vt medium, quàm vt finis intenditur, ob quem omnia illa media inter ſe ordinata appetuntur.

Aduertè tamen, nomen intentionis interdum latiùs ſumi, vt ſe ad media extendat, vt D. Tho. inſinuat hoc artic. in corp. & art. ſeq.

ARTICVLVS III.

Vtrum aliquis poſſit ſimul duo intendere?

2 Plura ſubordinata poſſunt intendi.

CONcluſio Prima, Poſſe plura diuerſa ſimul intendi, ſi ea inter ſe ſint ſubordinata. *Simul*, id eſt, eodem actu & motu voluntatis, vt pharmacum & ſanitatem, obſeruationè mandatorum & ſalutem. Ratio eſt, quia hoc ipſo quo quis vult medium propter finem, vult etiam ipſum finem tamquam rationem volendi, vt ſuprà q. 8. art. 1. oſtenſum.

3 Etiam non ſubordinata.

Concluſio Secunda, Poſſe etiam plura nõ ſubordinata ſimul intendi. Ratio eſt, quia vna res poteſt eſſe vtilis ad diuerſos fines non ſubordinatos. Sic qui ducit vxorem, poteſt ſimul intendere diuitias, oblectationem, commoda domeſtica & prolem.

4 quid velit D. Thomdum ait plura non

Notandum Primò, Quando D. Th. dicit plura non ſubordinata poſſe ſimul intendi, vult ea conſiderari non per modum plurium, ſic vt ſingula habeant rationem integri finis [vt videtur illum intelligere Caietanus:] ſed quatenus ſunt vel partes vnius integri boni [ſicut qui intendit conſtruere domum vel vrbem, intendit omnia ad hæc neceſſaria, ſed per modum vnius:] vel certè quatenus illa plura conueniunt in aliqua cõmuni ratione commodi vel honeſti, vel etiam conuenientis: vt ſi intendas ſimul voluptatem & ſanitatem ſub ratione commodi, vel exercere officia omnium virtutum ſub ratione honeſti Nam D. Tho. ſolùm loquitur de iis, quæ per vnum actum intentionis ſimul intẽdi poſſunt, huiuſmodi autẽ omnia conſiderari debent per modũ vnius integri obiecti. Ratio eſt, quia vnius actus non poſſunt eſſe plura obiecta integra, ſicut nec vnius motus plures termini, vt ipſe oſtendit in *reſp. ad ſecundum*. Simili modo in *reſp. ad tertium* ait, plura non poſſe intelligi, niſi quatenus aliquo modo accipiuntur vt vnum.

ſubordinata poſſe ſimul intẽdi.

Notandum Secundò, Etiam bona diuerſi generis poſſe conſiderari tamquam partes vnius integri boni, ac proinde poſſe ſimul vnica intentione appeti, vt patet cùm quis appetit beatitudinẽ, quæ eſt omnium bonorum animi & corporis delectabilium & honeſtorum aggregatio. Ratio eſt, quia omnia quæ per ſe bona ſunt, ſiue delectabilia, ſiue honeſta, conueniunt in communi ratione boni, ſeu conſentanei ſubiecto. Vnde ſub hac ratione omnia poſſunt ſimul appeti per modum vnius integri boni.

5 Plura bona diuerſi generis poſſunt vnica intentione ſimul intendi, vt partes vnius integri boni.

Simili modo plures rationes, quibus aliqua veritas confirmatur, poſſunt accipi in modum vnius integræ probationis ob quam poſſis illi veritati aſſentiri: quod potiſſimùm locum habet, quando rationes illæ ſunt ſolùm probabiles, & vna ſola non perfectè conuincit intellectum Sic poteſt quis ob notas fidei ſimul conſideratas, aſſentiri veritatibus fidei.

Vnus aſſenſus poteſt immediatè fieri ob multas rationes quatenus partiales.

DVBIVM I.

Vtrum nullo modo poſſint plura ſimul intendi tamquam integri finis?

6 Affirmatur

REſpondeo poſſe, vt rectè hic Caietanus. Patet exemplis, quia fieri poteſt, vt quis in ducenda vxore intendat diuitias, tamquam finem ſufficientem, & intendat oblectationem, tamquam alium finem etiam per ſe ſufficientem, & commoda domeſtica, & prolem ſimiliter. Poteſt enim hos fines ita intendere, vt ob ſingulos ſeorſim & in ſolidum velit nuptias, etiamſi ceteri abeſſent. Simili modo poteſt Canonicus velle adire templum, & ob diſtributiones, tamquam ſufficientem cauſam, & vt colat Deum, tamquam ob alium finem & cauſam ſufficientem.

Sunt hic duo diſtincti actus intentionis,

Aduerte tamen hic interuenire duos diſtinctos actus intentionis, quia ſunt diuerſi fines integri, ac proinde diuerſa obiecta.

Ratio autem, cur poſſit quis hoc pacto ſimul plura intendere, eſt, quia voluntas non minus poteſt ſe ad multa extendere, quàm intellectus: atqui intellectus poteſt ad plura attendere, quæ nullam inter ſe, aut cum aliquo tertio coniunctionem habeant, quamuis non tam perfectè quam ad vnum ſolum: ergo ſimiliter voluntas poteſt plura velle tamquam plura.

Digitized by Google

DVBIVM II.

Vtrùm ex duabus intentionibus duorum finium integrorum poſſit ſequi vnum numero opus.

7 REſpondeo & Dico primò, Non poſſe ex vi duarum intentionum ſequi vnum numero actum electionis, ſed neceſſariò tot debent eſſe electiones, quot ſunt intentiones: vt ſi eligas ieiunium quia ſanum, & quia vitæ æternæ meritorium, vtrumque finem in ſolidum ſpectans, ieiunium duabus electionibus acceptatur.

Tot ſunt electiones, quot intentiones.

Probatur, quia electio accipit ſuam ſpeciem ex ordine ad finem intentum: ergo ſi fines intenti ſint diuerſi, diuerſæ quoque erunt electiones; ſicut ſi formæ ſint diuerſæ, ſpecies quoque, quarum ſunt formæ, diuerſæ erunt.

Vnum opus ex duabus intentionibus.

Dicò Secundò, Ex vi duarum intentionum poteſt ſequi vnum numero opus externum æqualiter ex vtraque pendens. Ita Almainus tract. 1. c. 12. Vt ſi ieiunes ob vtrumque finem ſupradictum ſeorſim ſpectatum.

Eſt contra quoſdam, qui putant fieri non poſſe, vt idem numero opus externum procedat æquè, ex duplici intentione; ſed neceſſariò ex altera duntaxat procedere, altera ſe tantummodò per modum complacentiæ circa opus habente. Quod probari poteſt, quia ſicut vna res non poteſt habere duplicem materiam integram, vel duplicem formam, vel duplicem cauſam efficientem, ita etiam non poteſt habere duos integros fines non ſubordinatos.

Obiectio à duplici materia & forma, & efficiente.

Sed probatur noſtra ſententia, primò experientia. Sicut enim experimur nos aliquid velle ob duos fines in ſolidum, ita etiam experimur nos facere intuitu vtriuſque: nam ita facimus, vt etiamſi alter finis imperetur, nihilominus ex vi alterius intentionis perſiſteremus in opere. Quod ſignum eſt nos vtraque intentione ad operandum impulſos fuiſſe.

Secundò, Si opus ex vi vnius duntaxat intentionis ſequeretur, id fieret, quia vnus finis magis intenderetur quàm alter [nulla enim alia ratio aſſignari poteſt:] atqui fieri poteſt, vt vterque finis æqualiter intendatur, & neuter alteri præferatur: ergo tunc opus ſequetur ex vi vtriuſque æqualiter. Conſequentia patet, quia nulla ratio dari poteſt, cur potiùs dicamus ſequi ex intentione huius finis quàm illius, cùm vterque æquè primò & æquè efficaciter intendatur.

8 Ad argumentum in contrarium, Reſpondeo, Eſſe diſparem rationem. Materia enim & forma ſunt cauſæ, quę rem intrinſecè conſtituunt. Vnde implicat vnius rei eſſe duas materias, vel duas formas totales, qui vnum numero, eſſet duo numero.

Soluitur obiectio.

Eadem res duas cauſas totales efficientes habere poteſt.

Quod ad cauſam efficientem attinet, cùm ſit extrinſeca, non implicat vt eadem res duas cauſas efficientes totales habeat. v. g. vt idem lumen à duabus cãdelis tamquam cauſis integris pendeat. Imò probabile eſt, reipſa id fieri, quamuis ſuccelliuè. Pari modo in effectibus Sacramentorum poſſe eos à duabus cauſis efficientibus integris pendere, eſt valde probabile, etſi efficientiam phyſicam in illis ponamus. Quòd ſi idem effectus pendere poteſt à duplici cauſa efficiente, multò magis à duplici cauſa finali pendere poterit, præſertim cùm hæc ſit remota, mereque intrinſeca, ad quam opus nullum ordinem naturalem habet, ſed ſolùm arbitrio voluntatis. Quòd ſi idem effectus ex duplici fine pendere poteſt, poteſt etiam ex duplici intentione pendere: nihil enim à cauſa finali pendere poteſt, niſi mediante intentione, quæ cauſæ finalis immediatus eſt effectus.

Nec obſtat, quòd intentio ſe ad opus externum habeat in modum cauſæ efficientis: nam ita efficit, vt nullum realem influxum in opus vel in potentiam exequentem habeat: ſed tantùm dicitur efficere, quia poſita intentione in voluntate, aliæ potentiæ per quamdam ſympathiam naturaliter ad operandum applicantur.

ARTICVLVS IV.

Vtrum voluntas finis ſit idem actus cum voluntate eius, quod eſt ad finem?

CONcluſio Prima, Quando voluntas fertur in finem, & in medium ſeorſim ſpectatum, fertur diuerſo motu. Ratio eſt, quia tunc medium non habet rationem medij, ſed diſtincti finis, vt cùm quis vult ſanitatem propter ſeipſam, & ambulationem propter ſeipſam.

Concluſio Secunda, Quando voluntas fertur in medium propter finem, vt cum vult ambulationem propter ſanitatem, tunc eodem actu fertur in medium & in finem, ſed diuerſo modo: in medium, tamquam in obiectum *quod*, in finem, tamquam in obiectum *quo*, id eſt, in rationem obiectiuam.

Idem actus voluntatis tendit in finem & in media.

Aduerte tamen, hinc non ſequi, eumdem numero motum voluntatis eſſe intentionem & electionem, vt quidam hinc collegerunt. Electio enim & intentio ſunt motus realiter diſtincti; quamuis electio ex intentione neceſſariò pẽdeat, ſicut aſſenſus concluſionis ex aſſenſu principiorum. Et ratio eſt quam inſinuaui ſuprà qu 8 ar. 3 obiectum enim electionis materiale quidem, eſt res quæ dicitur medium, formale proximum, bonitas vtilis ad finem, remotum, ipſe finis. Cum enim bonitas vtilis ſpeciem habeat ex ordine ad finem, ad quem vtilis eſt, etiam electio, quæ à bonitate vtili ſpeciem accipit, à fine ſpeciem habebit. Obiectum autem intentionis proximum, materiale quidem, eſt res illa quæ intenditur, vt ſcientia, ſalus: formale, bonitas eius intrinſeca. Itaque differunt hi actus obiectis, ac proinde ſpecie. Nec obſtat quòd D. Thomas hic ad *Tertium* inſinuare videatur, *intentionem & electionem eſſe vnum motum, ſicut aſcenſus & deſcenſus*: tantum enim vult dicere, intentionem & electionem verſari aliquo modo circa eadem, quamuis contrario modo [ſicut aſcenſus & deſcenſus verſantur in eodem ſpatio contrario modo.] Intentio enim immediatè tendit in finem, & per finem in media. Electio immediatè in media, & per media in finem.

ARTICVLVS V.

Vtrum Intentio conueniat brutis?

CONcluſio Prima, Si intentio accipiatur generatim, vt idem ſit quod in aliquid determinatum tendere: ſic intentio conuenit brutis & rebus naturalibus: quia horum omnium motus

to. Diſtinguitur.

tendunt ad aliquid certi & definiti à Deo.

Concluſio Secunda, Si intentio accipiatur propriè, non conuenit brutis: quia intentio eſt velle conſequi finem per aliqua media idonea, atqui bruta non cognoſcunt rationem finis, neque proportionem quam media habent ad finem; ergo, &c. Vide ſuprà q. 1. a. 2.

QVÆSTIO XIII.

De Electione.

EXplicatis tribus actibus voluntatis, qui verſantur circa finem, ſcilicet *voluntate* ſeu *amore fruitione*, & *intentione*: incipit agere de actibus qui verſantur circa media; inter quos tres potiſſimùm pertinent ad voluntatem, *electio, conſenſus, vſus.*

Electio quid. Ariſt.

Nomen autem *Electionis* dupliciter accipitur; primò, vt idem ſit quod libera acceptatio voluntatis etiam ipſius finis. Sic Ariſtoteles accepit 2. Ethic. c. 4. cùm ait, *opus virtutis debere fieri ex electione*, id eſt, non caſu, non neceſſitate, ſed libera voluntatis acceptatione. Et alibi, cùm ait, *virtutem eſſe habitum electivum*. Secundò, Pro acceptatione alicuius medij è multis ad finem conducentibus. Hoc modo accipitur in hac Quæſtione.

ARTICVLVS I.

Vtrùm electio ſit actus voluntatis?

2 Electio eſt actus voluntatis.

CONcl. Electio eſt actus elicitus à voluntate, qui tamen peculiarem ordinem ad rationem dirigentem habeat.

Prior pars patet tùm ex Ariſtot. lib. 3. Ethic. c. 3. vbi oſtendit, electionem eſſe appetitum conſultum, id eſt, qui ſequitur conſultationem: tùm ex communi modo loquendi; propoſitis enim multis nemo cenſetur elegiſſe (etiamſi intellectu iudicet vnum cæteris præſtare) donec illud præ cæteris velit; ergo eligere eſt velle.

Habet ordinem ad rationem dirigentem.

Altera pars patet ex Ariſtotele 6. Ethic. cap. 2. vbi dicit, *electionem* eſſe vel *intellectum appetitiuum*, [νοῦν ὀρεκτικὸν] vel *appetitum intellectiuum*, [ὄρεξιν διανοητικὴν] quibus verbis inſinuat electionem pertinere etiam ad intellectum tamquam ad dirigentem. Nullus eſt enim actus voluntatis, qui tantam intellectus conſiderationem poſtulet: vt enim eligas, debes conſiderare finem & media, & mediorum inter ſe ad finem proportionem & circumſtantias. Hinc D. Thomas ait, electionem formaliter eſſe actum rationis, materialiter voluntatis; nempe quia modum & ſpeciem ſuam accipit ex collatione mediorum facta per rationem: ſine qua collatione ſi aliquod medium acceptetur, non erit propriè electio, ſed ſimplex acceptatio.

ARTICVLVS II.

Vtrùm electio conueniat brutis?

3 Negatur.

CONcluſio eſt, Electionem non eſſe in brutis

Probatur Primò, Quia propoſito obiecto, bruta non ſunt indifferentia ad illud proſequendum, vel non proſequendum; ſed in illud feruntur neceſſariò, vel neceſſariò non feruntur. Atqui ad electionem requiritur indifferentia, alioqui non eſt electio, ſed naturæ impulſus & neceſſitas. Vide Caietanum. Secundò, Ad electionem requiritur vt poſſis media inter ſe & ad finem conferre, & cognoſcere quid cuiq; præſtet in ordine ad finem. Nam electio eſt appetitio eius, quod conſultatione eſt concluſum, vt ait Ariſt. 3. Ethic. cap. 3. Atqui bruta non poſſunt conſultare, nec media inter ſe & ad finem comparare.

DVBIVM.

Vtrùm electio conueniat pueris ante vſum rationis, & amentibus?

4 Affirmatur

RESpondeo, His verè conuenire electionem.

Primò, Quia his conuenit conſultatio: poſſunt enim media inter ſe comparare, & expendere quidnam è multis ad finem ſit commodius, quod eſt conſilij.

Secundò, ſi amens, vel puer interrogetur, cur hoc faciat, vel cur hoc potius quàm illud? rationem reddet ex ordine ad finem.

Tertiò, Quia in illis eſt ſufficiens notitia boni delectabilis & conuenientis naturæ: diſtinguunt enim inter delectabile & delectabilius, inter conueniens naturæ & conuenientius, & norunt rationem reddere, cur hoc illo ſit delectabilius vel conuenientius, diſtinguunt etiam inter media quæ ad hæc conducunt, & norunt vtrum è duobus ſit vtilius.

Pueri, etſi liberi ſint, peccare tamen non poſſunt.

Hinc tamen non ſequitur, eos poſſe peccare, quia ad hoc nõ ſufficit libertas vel libera electio, ſed etiam requiritur notitia boni & mali moralis, quam illi non habent. Non enim poſſunt perpẽdere, vtrum aliquid ſit conſentaneum dictamini rectæ rationis, ſeu iudicio prudentiæ. Prius enim quiſque habet notitiam boni delectabilis & conuenientis naturæ, quàm boni honeſti, quia hoc eſt ſuperioris ordinis.

ARTICVLVS III.

Vtrùm media eligantur, an etiam finis?

1 Electio ſolùm eſt mediorum.

CONcluſio eſt, electionem ſolum eſſe mediorum, non autem finis. Senſus eſt, Nihil propriè dicitur eligi, niſi quod conſideratur vt medium conferens ad aliquem finem: id autem quod habetur loco finis, non dicitur eligi, ſed ſupponitur electioni.

Probatur Primò. Quia electio ſequitur conſultationem & ſententiam [quæ eſt conſultationis concluſio:] atqui conſultatio non eſt de fine [nam in omni conſultatione ſupponitur aliquis finis tamquam principium vnde tota conſultatio pendeat] ſed tantum de mediis, ergo & electio.

Probatur Secundò, Quia omnis volitio finis eſt vel amor, vel intentio, vel fruitio: atqui electio nihil horum eſt, & præterea oritur ex intentione, ergo non poteſt verſari circa finem, ſed circa media.

Dices, Homo, propoſitis pluribus finibus, etiam vltimis, deliberat quis ex illis ſit amplectendus, ac tandem vnum ex illis eligit: ergo electio etiam verſatur circa finem.

Digitized by Google

Respondeo Negando conseq. si loquamur de fine formaliter, nam illa deliberatio & electio procedit ex intentione alicuius finis communis seu formalis, qui vt possit obtineri, consultatio instituitur, in qua materia, id est, in quibus rebus ille sit constituendus. Itaque iste homo non eligit finem formalem, sed materiam finis formalis, quam considerat instar medii; per quod finem formalem possit obtinere. Vt cùm quis quærit vtrùm beatitudo consistat in voluptatibus huius vitæ, an verò in Deo? Vbi viderit in Deo consistere, eligit Deum tamquam materiam in qua reperiatur finis formalis, quæ hic est beatitudo in genere Itaque electio non est nisi de mediis, vel de iis quæ instar mediorum considerantur.

Electio versatur circa media, & circa materiam finis formalis.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm electio sit tantùm eorum, quæ per nos aguntur?

Affirmatur. 6

CONclusio est, Tantùm eligimus ea quæ per nos agenda sunt. Vbi illud *tantùm*, excludit solùm ea quæ nullo modo à nobis pendent, vt fiant vel non fiant.

Probatur Primò, Ex definitione electionis, quam habet Arist. 3. Ethic. c. 3. *Electio est appetitus consultinus eorum quæ in nostra sunt potestate.* Secundò, Quicumque eligit rem aliquam, eligit illam, vel possidere, vel percipere sensu aut intellectu, vel applicare ad vsum, vel agere vel pati. Ergo eligit aliquam suam operationem, vel quasi operationem: possessio enim est quasi operatio. Tertiò, Quia nullam rem externam eligimus, nisi quatenus subiecta est nostræ operationi; nobisque per operationem coniungitur.

Vbi aduerte, etsi res æternæ non cadant sub electionem, nisi quatenus nobis mediante operatione coniunguntur; tamen electionem immediatè versari non solùm circa nostras operationes, sed etiam circa res ipsas, quæ sunt operationum obiecta. Sicut dictum est de delectatione & gaudio. Obiectum enim integrum electionis constat re externa & nostra operatione; vt patet exemplis allatis in secunda ratione. Vnde non solùm operatio dicitur eligi, sed etiam res circa quam operatio versatur; eligimus enim hanc vestem, hunc librum, &c.

Obiectum integrum electionis

ARTICVLVS V.

Vtrùm electio sit tantùm possibilium?

Affirmatur. 7

CONclus. Tantum eligimus ea quæ putamus possibilia nobis.

Probatur Primò, Ex art. præcedenti. Cum enim electio sit tantum eorum quæ in nostra sunt potestate, necesse est, vt tantum sit possibilium.

Probatur Secundò, à priori; quia nihil potest eligi, nisi quod putatur vtile ad finem obtinendum: nam tota ratio electionis est vtilitas medij ad finem: atqui id quod est factu impossibile non potest esse vtile ad finem obtinendum, ergo. Hinc fit, vt, quando in consultatione deuenimus ad aliquod medium necessarium quod iudicamus impossibile, cessemus à prosecutione illius finis, quem intendebamus.

DVB. circa *resp. ad Primum.*

Vtrùm quis possit finon eligere, saltem appetere id, quod nouit esse impossibile?

Caietanus 1

CAietanus 1. p. qu. 63. art. 3. agens de peccato Angelorum, distinguit duplex impossibile, per se, & per aliud, seu ex suppositione: & docet id quod solũ per accidens est impossibile, posse secũdum se & directè esse volitũ; v. g. Possum velle vt numquam peccauerim, vt patens non sit mortuus, quæ per se quidem possibilia sunt, cum nullam repugnantiam includant, tamen ex suppositione, qua supponitur quòd peccauerim, quòd patens mortuus sit, sunt impossibilia. Nam impossibile est vt non peccasse conueniat subiecto, in quo iam supponitur peccatum (hæc enim nullo modo eidem simul conuenire queunt,) aut vt non esse mortuum conueniat ei, in quo iam mors supponitur.

Aliud est impossibile per se, aliud per accidẽs

Ratio, cur talia velle possimus, est, quia possunt secundum se nudè considerari absque huiusmodi suppositione, quomodo considerata sunt possibilia. Qui enim peccauit, potest se considerare nudè sine peccato, quatenus est homo, & sic non repugnat ei non peccasse. Itaque potest illud hoc modo appetere. Id verò quod per se & natura sua est impossibile, dicit non posse per se appeti, quia non potest apprehẽdi vt possibile, ac proinde neque vt bonum. Concedit tamen posse appeti per accidens, scilicet quatenus coniunctum est alicui, quod per se sit expetẽdum. Hoc modo damnato; appetere Deum nõ esse, quia hoc necessarium est, vt liberentur à miseriis, quę libetatio est per se expetenda.

Impossibilia nõ possunt efficaciter appeti. 9

Respondeo & Dico Primò, Neutrum genus impossibilium posse appeti volitione efficaci. Est communis sententia Doctorum. Intellige, si cognoscatur esse impossibile; nam de tali est quæstio. Constat enim si putetur esse possibile, posse efficaciter appeti. Efficacem volitionem voco eam, qua quis vult rem volitam adipisci, siue quæ mouet ad executionem.

Ratio huius Conclusionis est, quia conari vt fiat id, quod est impossibile, non potest vllo modo apprehendi vt conueniens, ergo non potest appeti. Consequentia patet, Quia nihil potest appeti, nisi sub ratione conuenientis. Antecedens probatur, quia laborare vt fiat id, quod est impossibile, non est per se conueniens, sicut bonum honestum, & delectabile, neque est conueniẽs propter aliud, vt bonum vtile: nam conatus ad impossibile nullam vtilitatem habet.

Possunt inefficaciter. 10

Dico Secundò, vtrumque genus impossibilium posse secundum se & directè appeti volitione inefficaci, quæ explicetur per verbum *vellem, opto.*

Aristot.

Probatur Primò, Hæc est sententia Arist. 3. Ethic. c. 1. cum ait, *voluntatem esse impossibilium, vt immortalitatis; electionem autem non nisi possibilium.* vbi Aristoteles loquitur de eo quod putabat per se esse impossibile: non enim existimabat hominem, cum ab intrinseco sit mortalis, posse effici immortalẽ, aut posse sisti pugnam elementorum, quibus cõstat, quod erat necessarium ad immortalitatem. Idem iisdem verbis docet Nemesius c. 33. de homine, & Damasc. l. 2. de fide cap. 22. Idem sentit D. Thomas hic ad 1. & Scotus in 2. d. 6. q. 1. & Gab. eadem d. a. 3.

Patet exemplis.

Secundò, Probatur exemplis.

Quia pœnitens cupit & optat non peccasse:

quod tamen ſcit nunc eſſe impoſſibile.

Homines interdum optant eſſe Angeli, etſi ſciãt id fieri nullatenus poſſe.

Quidam impij optant Deum non eſſe, idq; expreſsè & directè. Nec refert quòd id non optent, niſi propter aliquid coniunctum; ſcilicet vt liberiùs poſſint peccare, vel vt nõ puniantur: id enim ex eo prouenit, quòd non eſſe Dei non ſit per ſe expetendum, cùm nihil in ſe boni habeat: ſed ſufficit vt id cupiant volitione directa. Simili modo iuxta Scotum, Gabrielem, & multos Doctores, peccatum primi Angeli fuit, quòd appetierit eſſe æqualis Deo ſecundùm ſubſtantiam: quæ ſententia non eſt impoſſibilis, imò eſt valdè probabilis, ſi loquamur non de primo peccato, ſed de aliquo ex ſequentibus poſt primum.

Peccatum primi Angeli, iuxta Scotum.

Tertiò, Voluntas poteſt appetere non ſolum id, quod abſolutè ſubiecto eſt conueniens, ſed etiam quod ei eſt conueniens ſecundùm aliquam partem, id eſt, gradum naturæ vel conditionem (poteſt enim appetere quod eſt ſubiecto conueniens ſecundùm corpus, etſi non ſit conueniens ſecundùm animam; & quod eſt conueniens ſecundum gradum naturæ vegetantis, etſi non ſit conueniens ſecundum gradum naturæ ſentientis:) ſed id quod eſt abſolutè impoſſibile ſubiecto, poteſt ei eſſe conueniens ſecundùm aliquem gradum, & non habere repugnantiam ſecundùm illum gradum: v. g. eſſe Angelum, eſſe Deum, eſt conueniens homini, ſecundùm gradum ſubſtantiæ, & nullam ſecundùm illum gradum habet repugnantiam. Ergo voluntas poterit illud appetere.

quomodo impoſſibilia poſſint appeti.

Obiicitur Primò, id quod ſcitur abſolutè eſſe impoſſibile, non poteſt iudicari eſſe bonum: ergo non poteſt appeti. Conſeq. patet, quia nihil poteſt appeti niſi ſub ratione boni. Antecedens probatur, quia quod ſcitur eſſe impoſſibile, non poteſt iudicari exiſtere actu vel poteſtate, ac proinde non poteſt iudicari eſſe ens: ergo neque bonum; nam ratio boni ſupponit rationem entis. Ita Caietanus.

11 Soluuntur obiectiones.

Reſpondeo primò, ſi hæc ratio aliquam vim habet, etiam vim habet contra Caietanum. Nam ipſe concedit, impoſſibile appeti propter aliquid ei coniunctum; vt non eſſe Dei, propter liberationem à miſeria: neceſſe ergo eſt fateatur *non eſſe Dei* iudicari vel apprehendi eſſe bonum ratione illius coniuncti. Quomodo autem id fieri poteſt, cum ſit prorſus impoſſibile?

Reſpondeo Secundò, vt aliquid poſſim appetere, non eſt neceſſe vt iudicem illud mihi ſecundùm naturam particularem quam habeo, eſſe bonum vel conueniens, ſed ſufficit vt iudicem illud eſſe bonum in ſe, vt Scotus & Gabr. docent: verbi gratia, quòd bonum ſit eſſe Deum, eſſe Angelum. Vel certè, eſſe bonum mihi conſiderato præcisè ſecundùm rationem ſubſtantiæ vel entis, ſeclusis omnibus aliis rationibus repugnantibus. Cuiuis enim indiuiduo entis infra Angelum, quatenus ens eſt, nihilque includit naturæ Angelicæ repugnans, melius eſt eſſe Angelum, quàm eſſe id quod iam eſt, & cuiuis indiuiduo entis infra Deum, melius eſt eſſe Deum, quàm eſſe id quod nunc eſt.

A ſimili de intellectu.

Ratio eſt, quia ſicut intellectus poteſt conſiderare & apprehendere ſubiectum ſecundùm rationem præcisè, ita voluntas poteſt aliquid ei ſecundùm hanc rationem appetere. Sicut enim intellectus extendit ſe ad omne verum: & ſub quauis præciſione rationis formalis, ſecundùm quàm eſt verum. Ita voluntas ſe extendit ad omne bonum & conueniens ſub quauis præciſione, ſecundum quàm eſt conueniens.

Imò ſufficit ſimplex apprehenſio, abſque expreſſo iudicio.

Neque eſt neceſſarium, vt iudiciis expreſſis iudicem eſſe conueniens vel poſſibile, ſufficit vt ſimplici apprehenſione apprehendam, v. g. eſſe Deum, eſſe Angelum, tamquam mihi conueniens ſecundum rationem entis, & vt non repugnans ſecundum hanc rationem abſque aliquo formali iudicio. Nam apprehenſio ſufficit ad actum complacentiæ.

Hinc patet, quomodo poſſit appeti id quod contradictionem implicat. Non enim eſt neceſſe vt iudicetur eſſe poſſibile, ſed ſufficit vt poſſit apprehendi tamquam non repugnans ſecundum illam rationem, etiamſi ſecundum alias rationes ſit repugnantia. Exempli gratia. Quando diabolus optat eſſe Deus, non optat eſſe Angelus ſimul & Deus, Angelus & non Angelus, creatura & non creatura, ſed optat tantum alterum extremum contradictionis, naturam ſcilicet & qualitatem diuinam, quæ eſt maximè appetibilis, & maximè ipſi conueniens, conſiderato ſub ratione entis: quamuis ſecundum rationem creaturæ vel Angeli non ſit conueniens.

12 Impij aucta contradictionem qui appeti poſſint.

Obiicitur Secundò, Nemo poteſt appetere id, ex quo nihil commodi acciperet, etiamſi fieret quod cupit: ſed ſi Angelus fieret Deus per eſſentiam, ipſe nihil inde commodi reportaret: nam ipſe deſineret eſſe, & ſic non ipſe eſſet Deus, ſed alius: ergo non poteſt illud appetere.

Confirmatur, Quia nemo poteſt appetere ſui interitum, vt inquit Anſelm. lib. de caſu Diaboli cap. 4. præſertim vt aliquid boni poſitiui conſequatur.

Reſpondeo Negando maiorem, ſi intelligatur de perceptione commodi in ſua perſona, quia ſi poſſimus quædam appetere, quæ aliis ſunt commoda, etiamſi nos inde nihil in perſona noſtra recipiamus (patet in amore parentum erga filios, & amicorum erga amicos,) multò magis poterit aliquis appetere, quod ſibi eſſet commodum in natura aliena, in quam conuerteretur. Vnde etiamſi Angelus nihil in natura Angelica commodi perciperet, ſi votum ipſius quo Deus fieri deſideraret, impleretur, tamen perciperet in natura diuina, in quam conuerteretur. Nec refert quod non ipſe, ſed alius perciperet, quia ſecundum æſtimationem moralem, ipſe cenſeretur percipere, idque multò magis quàm parentes mortui cenſentur in filiis viuere, & eſſe beati.

Poteſt quis appetere amittere ſuum eſſe, vt aſſequantur melius eſſe.

Ad Confirm. Etſi prudenti iudicio nemo poſſit appetere non eſſe, vt alicuius boni poſitiui compos fiat, tamen abſolutè poteſt. Nam ſi damnati appetant non eſſe quod ſunt, vt careant miſeria, cur non poſſit quis appetere non eſse quod eſt, vt vertatur in naturam præſtantiorem?

Nec obſtat quod D. Th. 1. p. q. 63. art. 3. ait, Angelum non potuiſſe appetere ſimilitudinem Dei per æqualitatem, quia loquitur de appetitu efficaci. Vnde non ſequitur, quin potuerit illam appetere appetitu inefficaci.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm homo eligat ex neceſſitate an libere.

13

COnclusio eſt, hominem eligere non ex neceſſitate, ſed liberè. Ratio eſt, tum quia in poteſtate eſt eligere & non eligere, tum quia

in poteſtate eius eſt eligere hoc vel illud.

Vbi notandum Primò, D. Thom. priore modo ſignificare electionem eſſe liberam ſecundùm exercitium, poſteriore modo ſecundum ſpeciem.

Notandum Secundò, Radicem libertatis conſiſtere in amplitudine intellectus, vt hic rectè explicat D. Thomas.

DVBIVM I.

Vtrùm quando eſt vnicum ſolum medium ad finem idoneum, electio ſit libera, an neceſſaria?

14 REſpondeo, Electionem talis medij eſſe neceſſariam ex ſuppoſitione, abſolutè tamen & ſimpliciter liberam.

Eſt neceſſaria ex ſuppoſitione.

Prior pars probatur, quia ſuppoſita efficaci intentione finis, ſi in ea intentione perſiſtas, non eſt in poteſtate tua vt illud medium non eligas. Ratio eſt, quia intentio efficax mouet ad executionem. Executio autem nihil eſt aliud, quàm vſus medij, qui vſus ſupponit electionem. Itaque cùm vnum tantum ſit medium, neceſſe eſt illius electionem interuenire: idque confirmatur experientia: qui enim efficaciter vult conſequi ſanitatem, & certò nouit non eſſe niſi vnum pharmacum ad hoc idoneum, neceſſe eſt velit illud pharmacum. Quòd ſi nolit, non perſiſtit in priori intentione. Sic qui vult fieri Chriſtianus, neceſſe eſt velit Baptiſmum; qui vult placere Deo, neceſſe eſt velit ſeruare mandata, iuxta illud Ioann. 14. *Si quis diligit me, mandata mea ſeruabit.*

Aduerte tamen, hanc electionem medij non eſſe neceſſariam, niſi pro eo tempore vel momento quo intentio incipit eſſe efficax. Incipit autem intentio eſſe efficax, quando ex vi ipſius homo ſe incipit applicare ad executionem. Nam intendere efficaciter, eſt ita velle finem, vt ex vi illius affectus moueatis ad executionem: vnde non eſt neceſſe vt electio fiat priùs tempore, quàm homo ſe applicet ad executionem.

Abſolutè tamen eſt libera.

Altera pars probatur, quia omni momento eſt in poteſtate voluntatis non eligere: nam omni momento potes facere, vt intentio non ſit efficax, id eſt, vt non moueat ad executionem: potes enim vel intentionem mutare, vel differre executionem.

15 Hinc ſequitur, hanc neceſſitatem non obſtare, quin in electione talis medij ſit nouum meritum.

In electione eſt nouũ meritum, vel demeritum.

Primò, Quia nulla eſt neceſſitas eligendi niſi in primo inſtanti executionis: nam ante illud inſtans poteſt voluntas ſuſpendere electionem, vnde ante illud inſtans eſt omninò libera: atqui hoc modo paſſim ab omnibus fit electio: non enim expectant vſque ad inſtans executionis, vt eligant, ſed anteà eligunt cum magna libertate & indifferentia.

Secundò, Quia etiam in illo primo inſtanti, quo debet inchoari executio, tantùm eſt neceſſitas ex ſuppoſitione, quæ non impedit quò minùs actus ſit abſolutè liber, modò illa ſuppoſitio ſit in poteſtate voluntatis, vt oſtenſum eſt prima parte quæſt. 1. Et ratio eſt, quia omni momento eſt in poteſtate voluntatis, talem actum non elicere tollendo ſuppoſitionem. Quod ſi ſuppoſitio non eſſet vllo modo in poteſtate voluntatis, & actus ex ea ſequeretur neceſſariò, iam ille actus eſſet abſolutè neceſſarius, & non liber; vt ibidem oſtenſum eſt.

Dices, Poſita intentione efficaci, voluntas in primo inſtanti executionis eſt determinata ad electionem: ergo electio tunc non eſt libera de ſeipſa, ſed ſolum in ſua cauſa, ſcilicet in volitione vnde procedit, & conſequenter non erit nouum meritum aut demeritum in electione, ſicut neque eſt in opere externo.

Reſponderi poteſt Primò Negando primam conſequentiam. Actio enim in ſe dicitur libera per denominationem extrinſecam, quatenus elicitur à potẽtia intrinſecè libera & indeterminata. Quod poteſt fieri dupliciter, Primò, Immediatè, ſic intentio eſt libera: Nam immediatè comparatur ad voluntatem indeterminatam. Secundò, mediatè, ſic electio eſt libera. Neque eſt ſimile de opere externo, quia hoc elicitur à potentia omninò determinata, v. g. à potentia intellectiua, ſenſitiua vel motiua, quæ non ſunt intrinſecè liberæ. Cuius ſignum eſt, quòd voluntas & opus externum cenſeantur vnus actus moralis, habens vnam eandemque malitiam, vel bonitatem moralem; opus enim externum eſt ſolùm complementum & terminus voluntatis internæ. Intentio autem & electio cenſentur diſtincta opera moralia, habentia diuerſam bonitatem, vel diuerſam malitiam quia diuerſa obiecta diuerſum ordinem ad rationis dictamen habentia: vnde aliter intentio eſt rationi conformis, aliter electio.

Electio poſtiùs dicitur eſſeque libera quam opus externum.

Reſpondeo Secundò, Admiſſa priore conſequentia nego ſecundam. Quia etiamſi illo momento electio in ſe libera non ſit, tamen eſt in ea nouum meritum: eò quòd ad hoc ſufficiat, vt abſolute loquendo libera ſit, ſiue in ſe, ſiue in ſua cauſa, & nouam honeſtatem formalem habeat. Quando enim duo actus neceſſariò ſunt connexi, diuerſam honeſtatem formalem habentes, vterque ſimul reddit hominem meliorem, magiſque laudabilem, quàm alter ſolus: ſicut patet à ſimili in actibus intellectus. Cognitio enim principij & cognitio concluſionis magis illuminant intellectum veritate, quàm cognitio ſola principij. Eodem modo intentio finis honeſti, & electio medii ſimul iunctæ, affectum reddunt magis rectum & conformem legi æternæ, & rationis dictamini, quàm intentio ſola. Secus eſt de actu externo, qui non elicitur à voluntate, quia hic non habet propriam bonitatem formalem, qua voluntas ipſa conformetur rectæ rationi, & melior in ſe fiat: ſed tantùm obiectiuam, in quam voluntas vt in obiectum tendat, quæ in executione eſt bonitas materialis actus virtutis.

DVBIVM II.

Vtrum ſi plura ſint media ad finem idonea, neceſſarium ſit, poſita efficaci intentione finis, eligere id quod eſt ad finem vtilius?

16 OMiſſis ſententiis reſpondeo & dico Primo, Illud medium neceſſariò eligi, quod præ ceteris iudicatur eſſe vtilius ad obtinendum finem, eo modo quo intendis obtinere. Exempli gratia: Si intendas conſequi ſanitatem citiſſime, vel perfectiſſime, vel commodiſſime, neceſſe eſt eligere illud medium, quod præ ceteris ad hoc iudicatur eſſe vtilius. Ratio eſt, quia tunc eſt vnicum medium ad finem intentum. Sicut enim quando finis nullo modo poteſt haberi, niſi per certum medium, neceſſe eſt illud medium eligere;

quid dicendum, ſi finis intenditur ſub certo modo

Digitized by Google

ita quando non poteſt eo modo obtineri quo intendis, niſi per certum medium, neceſſe eſt illud eligere: nam tunc cetera non cenſentur vtilia. Itaque qui efficaciter vult non ſolum ſaluus fieri, ſed ſecuriſſime ſaluus fieri, neceſſe eſt fugiat mundum, & eligat Chriſti conſilia. Qui vult citiſſime fieri Theologus, neceſſe eſt eligat viam methodicam & compendiariam.

Hinc ſequitur, ſi duo ſint media æque vtilia ad finem intentum conſequendum, ex vi intentionis non poſſe alterum alteri præferri, ſed neceſſarium eſt vt id fiat ob aliam cauſam, vel certe pro nudo arbitrio voluntatis.

quid, ſi finis non intenditur ſub certo modo.

Dico Secundò, Quando ſunt plura media ad finem vtilia, & finis non intenditur ſub certo aliquo modo, non eſt neceſſarium eligere id, quod eſt vtiliſſimum, ſed poteſt eligi minus vtile. Probatur, quia nullum ex his eſt determinatè neceſſarium ad finem, cum per quoduis ex illis poſſit obtineri. Confirmatur experientia in electione ſtatuum: Etſi enim ſtatus conſiliorum ſit ad ſalutem vtiliſſimum medium, non tamen omnes illum ſtatum eligunt: quia ſufficit illis, ſi aliquo modo poſſint ſalui fieri.

37 Soluitur obiectio.

Contra Obiicitur Primò. Electio eſt appetitio præconſultati, teſte Ariſt. 3. Ethic. c. 3. & 4. id eſt eius quod per conſultationem ante iudicatum eſt, vt ipſe explicat. Atqui fieri nequit vt iudicium conſultationis, quod eſt conſultationis concluſio, ſit de medio minus vtili, niſi forte per errorem intellectus, quem hic excludimus: ergo fieri nequit vt medium minus vtile eligatur, relictis vtilioribus.

Secundò, In electione neceſſe eſt vnum præferri alteri in ordine ad finem: Nam electio eſt de duobus vel pluribus, acceptatio vnius præ aliis, vt Ariſtot. docet lib. 3. Ethic. c. 2. ex ipſo nomine Græco, προαίρεσις enim dicitur ἀπὸ τοῦ αἱρεῖσθαι πρὸ ἑτέρων, id eſt, quod præ cæteris eſt eligendum.

Reſpondeo, Dupliciter fieri poſſe electionem inter plura media.

quo modo neceſſe ſit vt electio ſit medii vtilioris, & quo modo non

Primò, Vt in acceptatione mediorum ſolum habeatur ratio vtilitatis ad finem, & ſic fieri nequit vt quis eligat medium minus vtile, relicto vtiliori. Ratio eſt, quia medium minus vtile, etiamſi per ſe conſideratum ſit vtile ad finem, tamen comparatum cum medio vtiliore non eſt vtile, ſed inutile: ac proinde fieri nequit vt præ altero acceptetur: nam inutile cenſetur malum: malum autem per ſe non poteſt appeti. Atqui hic modus proprie ſignificatur nomine electionis apud Ariſtotelem. Vnde concedendum eſt, ſi nomen electionis ſtrictè accipiatur (ſcilicet pro appetitione vnius medii præ altero, habita ſolius vtilitatis ad finem conſideratione) fieri non poſſe vt eligatur medium minus vtile, relicto vtiliore. Sed paſſim non ita ſtrictè hoc nomen accipitur, neque in electionibus faciendis hæc ſola vtilitas ab hominibus ſpectari ſolet.

Secundo igitur modo fieri poteſt electio inter plura media, ita vt præter vtilitatem ad finem primarium, ſpectetur etiam vtilitas ad alios quoſdam fines, & ſic eligatur medium minus vtile ad finem præcipuum, relicto vtiliore ad eumdem finem. Sic æger eligit medicamentum ſuaue, etſi minùs efficax præ amaro efficaciore, quia non ſolùm intendit ſanitatem, ſed etiam voluptatem. Sic multi eligunt ſtatum matrimonii, relictis conſiliis, quia non ſolum intendunt ſalutem, ſed etiam commoda & voluptates huius vitæ, quas putant eſſe in matrimonio

Hinc omnis error in electione ſtatus: cùm enim in hac electione quiſque hoc tantùm ſpectare deberet, qui ſtatus conſideratis omnibus circumſtantiis, futurus ipſi videatur vtiliſſimus ad ſuam ſalutem, & ad Dei gloriam: multa alia ſpectat tamquam fines quoſdam ſaltem ſecundarios, quæ ad hanc tantùm vitam pertinent, vt commoditates, honores & ſimilia; ſicque fit vt medium ſalutis periculoſum & minus vtile præferat ſecuro & vtiliſſimo. Vnde error in electione

QVÆSTIO XIV.

De Conſilio.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum conſilium ſit inquiſitio.

1.

Concluſio eſt. *Conſilium* eſt inquiſitio ſeu quæſtio quædam. Patet ex Ariſt. 3. Ethic. cap. 3 vbi dicit, omnem conſultationem eſſe inquiſitionem, non contrà. Idem docet Nemeſius lib. de Homine, c. 34. & Damaſc. lib. 2. de Fide cap. 22.

Conſilium ſeu Conſultatio, quid.

Nota Primò, *Conſilium* ſeu *Conſultationem*, quæ & *Deliberatio* dicitur, proprie eſſe inquiſitionem mediorum ad finem vtilium. Vnde continet varios actus intellectus, nempe conſiderationem cauſarum, effectuum & circumſtantiarum, quę ad recte iudicandum ſunt neceſſariæ. Ex hac inquiſitione ſequitur *Iudicium*, quod eſt effectus conſilii, & verſatur circa conſilii concluſionem. Vtrum autem debeat iudicium cenſeri pars conſilii, vt vult Cajet. hoc loco, an effectus, parum refert. D. Thomas hoc loco dicit, iudicium eſſe poſt conſilium, vnde videtur ſentire non eſſe partem ſed effectum: idque magis eſt conſentaneũ communi modo concipiendi, & Ariſtot. 6. Ethic. c. 9 & 11. vbi diſtinguit εὐβουλίαν & γνώμην, id eſt, bonam conſultationem, & iudicium æqui & boni. Ratio eſt, quia conſilium eſt inquiſitio. Atqui inquiſitio ceſſat accedente iudicio; ergo iudicium non eſt pars conſilii. Deinde ſæpe habetur conſilium ſine concluſione: ergo concluſio non eſt pars.

Iudicium quid.

Aduerte tamen, nomine conſilii ſæpe intelligi iudicium: nam effectus appellantur nominibus cauſarum: vt cum dicimus, hoc eſt meum conſilium.

Nota Secundò, Conſilium proprie non conuenire Deo, quia Deus non inquirit quid agendum, ſed quidquid in quouis negotio per totam æternitatem expedit facere, id ei ab æterno cum omnibus circumſtantiis eſt præſens. Secùs de Angelis: non enim ſtatim illis eſt præſens quid in omni negotio circa hominum gubernationem agendũ; nam ſæpe plurima ſunt conſideranda, tum præſentia tum futura, quæ Angelo non ſtatim ſunt obuia. Itaque & per ſe inquirunt, & Deum in dubiis conſulunt, vt ex Scripturis colligitur. Si tamen conſilium accipiatur pro iudicio de rebus agendis, quod iudicium in nobis eſt terminus conſilii, ſic tribuitur Deo in Script. ad Epheſ. 1. *Qui operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ.*

Conſilium nõ cõuenit Deo ſtrictè Conuenit Angelis.

Google

ARTICVLVS II.

Vtrum conſilium ſit de his, quæ ſunt ad finem.

1 Conſilium eſt de mediis, non de fine.

CONcluſio eſt. Conſilium tantùm eſt de mediis, non autem de fine, Ita expreſſè Ariſt. 3. Ethic. c. 3. Nemeſius & Damaſc. ſuprà. Ratio eſt; quia in omni deliberatione rerum agendarum: debet ſupponi aliquis finis, vnde tota deliberatio tamquam ex principio dependeat, Sicut in omni inquiſitione veritatis ſpeculatiuæ, neceſſe eſt ſupponi aliqua principia ſpeculatiua, ex quibus inquiſitio dicatur.

Dices, Interdum conſultant homines, quidnam loco finis ſit habendum, vtrùm bona huius vitæ an futuræ, vtrùm Deus Chriſtianorum, an dii Gentium, vt patet 3. Regum 18. ergo etiam de fine eſt conſultatio.

Poteſt eſſe conſultatio de fine materiali.

Reſpondeo, Poſſe eſſe conſultationem de fine materialiter conſiderato, id eſt, de rebus illis, in quibus ratio beatitudinis, vel boni humani ſit conſtituenda. Sed in hac conſultatione, beatitudo in communi ſupponitur tamquam finis, vnde ducatur conſultatio; res autem illæ in quibus quæritur beatitudo, habent ſe per modum mediorum; quia de illis fit inquiſitio propter rationem formalem beatitudinis, ſicut dictum eſt de electione. Nam eodem modo de his rebus eſt conſultatio, quo electio, & contra.

ARTICVLVS III.

Vtrum conſilium ſit ſolum de iis, quæ à nobis aguntur.

4 Affirmatur.

CONcluſio. Conſilium eſt ſolum de iis quæ à nobis agenda ſunt, vel ab iis, quorum actiones quodammodo ſunt in noſtra poteſtate. Ita Ariſtot. Nemeſ. & Damaſc. ſuprà. Conſultamus enim de iis quæ per ſeruos noſtros ſunt agenda, quibus poſſumus imperare: & de iis quæ per amicos, quos poſſumus rogando inducere. Nemo autem conſultat de iis quæ nullo modo ſunt in eius poteſtate, vt ſic vel aliter fiant: vt de rebus neceſſariis vel ipſi impoſſibilibus, quia fruſtra eſſet talis conſultatio.

ARTICVLVS IV.

Vtrum conſilium ſit de omnibus quæ à nobis aguntur.

1 Conſiliũ eſt ſolum de dubiis.

CONcluſio eſt. Conſilium non eſt de omnibus ſed ſolum de dubiis alicuius momenti. Probatur: quia nemo conſultat de iis, ad quæ natura vel arte eſt determinatus, vt ait Ariſtot. ſupra v. g. Scriptor non conſultat quomodo ſingulas formet litteras: ſimiliter nemo de rebus minimis, vbi nihil refert, ſi ſic vel ſic fiant.

Electio fit ſubinde ſine conſultatione.

Notandum circa *Reſp. ad Primum* non ſemper opus eſſe proprie dicta conſultatione ad electionem, vt quando ſtatim & per ſe eſt euidens, quodnam ex mediis præſtet cæteris in ordine ad finem: nam conſultatio ſolum eſt de dubiis.

Dices, Quomodo ergo Ariſtot. 3. Ethic. cap. 3. ait *idem eſſe conſultabile & eligibile.* Item *electionem eſſe appetitum præconſultati.*

Reſpõdeo, Quia vix vmquam fit proprie dicta electio, abſque conſultatione præuia, quæ vel tunc fiat, vel olim facta ſit: etſi enim Scriptor nunc non deliberet de ſingulis litteris, olim tamen de ſingulis deliberatum eſt. Ratio eſt: Quia rarò fit vt propoſitis pluribus mediis, quæ antea non expendimus, ſtatim primo obiectu nobis ſit perſpicuum, quodnam ex illis præſtet in ordine ad finem Itaque fere ſemper opus eſt aliqua inquiſitione, quamuis breui. In Angelis verò ſæpiſſime fit electio ſine conſultatione. In Chriſto Domino numquam opus erat conſultatione, quia ſtatim omnia illi erant præſentia. Semper tamen ad electionem requiritur iudicium, quod in nobis eſt conſilii terminus.

Angeli ſæpe non conſultãt Chriſtus nunquam.

ARTICVLVS V.

Vtrum conſilium procedat ordine reſolutorio.

CONcl. Proceſſus conſilii ſit ſecundum ordinem reſolutorium. Notandum eſt, Reſolutionem & compoſitionem proprie tantum habere locum in toto & partibus, ſiue eſſentialibus, vt ſunt materia & forma, ſiue integrantibus, vt ſunt partes mundi, corporis humani, &c. nam proprie ex ſolis partibus eſt compoſitio, & in eas ſolas fit reſolutio. Ordo tamen ſeu modus quidam reſolutionis & compoſitionis, etiam in aliis ſeruari poteſt, quæ etſi non ſe habeant vt totum & partes, tamen cum his habent quamdam analogiam, vt videmus in fine & mediis. Nam etſi finis non componatur ex mediis tamquam partibus, vel cauſis intrinſecis: tamen vt exiſtat vel comparetur neceſſaria ſunt media tamquam cauſæ naturæ priores, per quas obtineatur: ſicut vt exiſtat totum neceſſariæ ſunt partes quibus conſtet. Itaque in conſultatione ſeruatur ordo reſolutorius: quia primò conſideratur finis, quem volumus obtinere, tamquam totum quoddam completum. Deinde conſideramus media, tamquam cauſas ad finis conſecutionem neceſſarias; vnde finis reſoluitur in media, tamquam ſuas cauſas.

In conſultatione ſeruatur ordo reſolutorius.

7

Dices, Procedere à cauſis ad effectus, eſt ordo compoſitionis, vt inquit hic D. Thomas in corp. atqui proceſſus à fine ad media eſt proceſſus à cauſa ad effectus: ergo eſt ordo compoſitionis, non reſolutionis.

Reſpondeo; omiſſa ſolutione Caietani, D. Thomam eſſe intelligendum de proceſſu ab illis cauſis quæ ſuis effectis ſunt priores, non ſolum intentione, ſicut finis: ſed etiam exiſtentia, vt materia, forma; cauſa efficiens, tam inſtrumentalis quam principalis. Proceſſus ab his cauſis ad effectus eſt compoſitionis. Vnde proceſſus executionis eſt proceſſus compoſitionis, quia in eo proceditur à cauſis exiſtentia prioribus ad affectum, verum proceſſus ab effectis ad has cauſas, eſt reſolutorius: quia eſt in ea, quæ neceſſario requiruntur tamquam priora ad exiſtentiam effectus. Quare cum proceſſus à fine ad media, ſit proceſſus ab effectu ad cauſas efficientes, eſt proceſſus reſolutorius.

Proceſſus à cauſis, quæ ſuis effectis ſũt priores exiſtẽtia, eſt compoſitionis

Nec obſtat quod finis vicißim ſit cauſa mediorum, quia non eſt ſic cauſa, vt eius exiſtentia realis ſupponatur ad exiſtentiam mediorum: ſed potius vt ſit poſterior. Vnde fit, vt medium non cenſeatur reſolui in cauſam finalem. Adde in conſultatione non quæri media tamquã effectus finis, ſed tamquam cauſas, per quas finis producatur vel obtineatur.

Digitized by Google

ARTICVLVS VI.

Vtrum consilium procedat in infinitum.

4. Omnis consultatio est finita.

CONclusio. Omnis consultatio est finita & ex parte principii, & ex parte termini. Probatur, quia in omni consultatione supponitur intentio alicuius finis, de quo nulla sit consultatio vel controuersia. Ex hoc fine tamquam principio deducitur tota consultatio ad media certo ordine vsque ad extremum medium, quod est in executione primum: itâque ibi sistit consultatio. Hinc illud receptum, *Id quod est primum in executione, est vltimum in intentione, & quod est primum in intentione, est vltimum in executione.* Vide D. Tho.

QVÆSTIO XV.

De Consensu.

ARTICVLVS I.

Vtrum Consensus sit apprehensiuæ virtutis, an appetitiuæ.

1. Consensus varie accipitur.

CONclusio est, Esse actum facultatis appetentis. Probatur, Quia consensus dicit applicationem facultatis appetentis ad rem quæ cognitione proponitur.

Notandum, Nomen *consensus* variè vsurpari.

Primò, pro concordia iudiciorum, siue in speculatiuis, siue in practicis, sic dicimus Theologis consentire.

Secundò, pro concordia voluntatum, sic dicuntur consentire, qui idem volunt, & idem nolunt.

Tertiò, Accipitur pro actu voluntatis conformantis se iudicio intellectus. Dum enim voluntas acceptat quod intellectus iudicat esse bonum vel vtile, idem quodammodo sentit quod intellectus, ac proinde illi consentit. Sentire enim voluntatis, est velle & nolle.

ARTICVLVS II.

Vtrum consensus conueniat Brutis.

2. Negatur.

CONclusio est Negatiua. Ratio est, Quia consentire est applicare motum appetitus ad id quod cognitione proponitur. Atqui bruta non habent in sua potestate suos motus, vt possint eos applicare, vel non applicare. Nam propositis obiectis, ex instinctu naturali ad ea determinantur; ac proinde non tam à brutis applicantur ad obiecta, quam ab Auctore naturæ, qui naturales instinctus inseruit. Vide supra quæst. 1. art. 2.

ARTICVLVS III.

Vtrum consensus sit de fine, an de iis quæ ad finem.

3. Consensus est propriè de mediis non de fine.

CONclusio est. Consensum proprie esse de mediis, non de fine.

Prior pars patet, Quia consensus est de iis, quæ per consilium definiuntur: sed definitio consilii est de mediis: ergo & consensus.

Altera pars probatur, quia appetitus tendit in vltimum finem naturaliter: atqui consensus est applicatio libera motus appetitus.

Notandum primo, Hanc rationem solum probare de fine vltimo in genere, scilicet nos non propriè consentire in vltimum finem in genere, seu abstractè consideratum, quia in hunc tantùm naturaliter inclinamur: nam si consideretur vt est in certa materia, non inclinamur naturaliter seu absque consilio. Eadem tamen ratio potest extendi ad omnia alia bona, in quæ naturaliter absque vllo consilio inclinamur. Horum enim omnium appetitio non est libera, sed necessaria quoad speciem actus.

Consensus etiam est in finem, non tantum in media.

Notandum Secundò, Etsi propriissime dicamur consentire in media, tamen hoc nomen non restringitur ad media; sed omnis actus voluntatis acceptantis obiectum intellectu propositum, vocatur consensus & recusantis dissensus. Sic dicimur consentire diuinæ inspirationi, tentationibus, passionibus, in delectationem, in opus: quo modo passim vtuntur Theologi & Philosophi. Vnde non videtur differre ab electione, tamquam quiddam communius. Electio enim proprie est volitio efficax vnius medii ex multis, cum quadam prælatione respectu alterius. Consensu autem non necessario est volitio efficax: neque requirit comparationem plurium mediorum inter se, sed est simplex acceptatio medii, vel etiam finis.

ARTICVLVS IV.

Vtrum consensus in actum pertineat ad partem animæ superiorem.

CONclusio est affirmans. Ratio est, quia nemo consentit in aliquod opus, quin consideret vel considerare possit & debeat, sitne consentaneum rationibus æternis, id est legi naturali, seu dictamini rectæ rationis. De hoc infrà qu. 74.

QVÆSTIO XVI.

De Vsu.

ARTICVLVS I.

Vtrum Vti sit actus voluntatis.

1. Vsus, quid

CONclusio est. Vti est proprius actus voluntatis.

Probatur; Quia vti re aliqua est eam applicare ad suam functionem: Atqui voluntatis est applicare vires animæ, corporis membra: & res exteriores, quæ sunt in nostra potestate, ad

Digitized by Google

ſuas functiones vel quaſi functiones: ergo vti eſt actus voluntaris.

Dices, Ipſæ functiones aliarum virium & rerum, ſunt vſus earum: ergo vti non eſt actus voluntatis. Antecedens patet. Vſus enim oculi eſt videre, vſus auris eſt audire, manus apprehendere, mallei tundere, & ſic de cæteris.

Vſus actiuus & paſſiuus.

Reſpondeo, Eſſe duplicem vſum: actiuum & paſſiuum (qui & formalis dicitur) & vtrumque eſſe actum voluntatis, ſed non eodem modo. Nam vſus actiuus eſt actus voluntatis elicitus, per quem applicamus alias animæ vires ad ſuas functiones: applicamus enim illas volendo illarum operationes, vt ſuprà oſtenſum eſt. Sic velle videre, eſt vſus actiuus oculi: velle audire, eſt vſus auditus; velle currere, eſt vſus potentiæ motiuæ, velle equitare eſt vſus equi. Vſus paſſiuus eſt operatio vel quaſi operatio rei qua vtimur, quatenus illa operatio eſt dependens à voluntatis applicatione: vnde hic viſus eſt etiam actus voluntatis, non quidem elicitus, ſed imperatus: quia nòn habet rationem vſus, niſi vt à voluntate dependet, tamquam effectus & motio quædam rei, qua voluntas dicitur vti. Vnde etiam vocatur vſus paſſiuus, rectius tamen diceretur vſus formalis: nam eſt id quo formaliter voluntas dicitur vtens aliqua potentia: vt patet ex communi modo loquendi. Et hoc modo res omnis dicitur eſſe propter ſuum vſum, id eſt propter ſuam operationem.

Dices, Iſta operatio non exiſtit in voluntate, ſed in potentia, vel re illa qua voluntas vtitur: ergo voluntas non dicitur per eam formaliter vtens: forma enim debet ineſſe ſubiecto quod denominat.

Reſpondeo Negando Conſequentiã. Quia viſus ſe habet reſpectu vtentis per modũ actionis tranſeuntis, ſicut calefactio reſpectu ignis. Vnde non debet eſſe in vtente, ſed in re qua vtimur. Sicut calefactio non eſt in igne, ſed in aqua quæ calefit. Indicat hoc D. Thomas, cùm ait, *Vſum eſſe voluntatis, tamquam primi mouentis: aliarum potentiarum tamquam exequentium.*

Ad vſum quatuor concurrunt.

Vt autem hæc melius concipiantur, Notandum eſt, vt minimum quatuor concurrere ad omnem vſum proprie dictum. Primum eſt, potentia voluntatis. Secundum eſt, volitio; v. g. volitio videndi. Tertium, Potentia, verbi gratia viſiua. Quartum, Viſio.

Voluntas eſt illa vis quæ propriè dicitur vtens: Primò, Seipſa. Secundò, Aliis potentiis. Tertiò, Membris. Quartò, Rebus externis.

Volitio videndi eſt vſus actiuus. Eſt enim actus ille, per quem voluntas cauſat quodammodo vſum formalem rei. Vnde etiam eſt prior ſaltem natura, quam vſus formalis, tamquam cauſa effectiua illius.

Potentia viſiua eſt res quas voluntas vtitur.

Viſio eſt vſus formalis: Non reſpectu potentiæ viſiuæ (non enim potentia viſiua proprie dicitur vtens, cum ſe habeat per modum inſtrumenti) ſed reſpectu voluntatis, quatenus viſio pendet à voluntate. Vnde patet, vſum formalem cuiuſque rei dicere operationem illius rei cum actuali dependentia à voluntate, tamquam à cauſa applicante.

ARTICVLVS II.

Vtrum vti conueniat brutis.

Conclusio eſt negans.

Probatur Primò, Quia vti eſt applicare aliquod principium actionis ad ſuam functionem: atqui bruta proprie non applicant ſuas vires ad functiones: ſed naturali inſtinctu applicantur apprehenſo obiecto.

Brutis non cõuenit vti.

Secundò, Quia non cognoſcunt ordinem viriũ & membrorum ad ſuas functiones: quod tamen ad vſum requiritur.

Tertiò, ex D. Auguſtino, lib. 83 quæſt. q 30. *Frui cibo, & qualibet corporali voluptate, non adeò abſurde exiſtimantur & beſtiæ. Vti autem aliqua re non poteſt, niſi animal rationis particeps. Scire namque quò quidquid referendum eſt, non eſt datum rationis expertibus: nec vti poteſt quiſquam ea re, quæ quò referenda ſit, neſcit.*

ARTICVLVS III.

Vtrum vſus poſsit eſſe vltimi finis.

Conclusio eſt. Non vtimur vltimo fine, ſed iis tantùm quæ ad finem ſunt vtilia.

Negatur.

Notandum, nomen vſus varie accipi.

Vſus Tripliciter accipitur.

Primò, Generatim pro omni actu, quo voluntas verſatur circa aliquod obiectum, ob aliquem finem: quomodo accipitur à D. Auguſt. l 10 de Trinit. c 11. cum ait: *Vti, eſt aſſumere aliquid in facultatem voluntatis. Frui autem, eſt vti cum gaudio, non adhuc ſpei ſed rei. Proinde omnis qui fruitur, vtitur; Aſſumit enim aliquid in poteſtatem voluntatis cum fine electionis: nõ omnis autem qui vtitur fruitur.* Iuxta hunc modum vtimur etiam vltimo fine, & ipſo Deo; quia voluntas per intellectum aſſumit Deum in ſua poteſtate, ita vt ex ipſo voluptatem capere poſſit.

Primò, Generatim.

Secundò, Specialiùs pro omni actu voluntatis, quo aliquid volumus propter aliud, quo fruendum eſt. Sic accipitur ab eodem Auguſtino eodem lib. 10. c. 10. cum ait: *Fruimur cognitis, in quibus voluntas ipſis propter ſeipſa delectata conquieſcit. Vtimur vero eis, quæ ad illud referimus quo fruendum eſt. Nec eſt alia vita hominum vitioſa atque culpabilis, quàm male vtens & male fruens.* Similia habet lib. 83. quæſt. q. 30. *Frui dicimur ea re, de qua capimus voluptatem. Vtimur ea, quam referimus ad id vnde voluptas capienda eſt.* Iuxta hunc modum vſus non eſt vltimi finis. Nam contra rationem vltimi finis eſt, vt ad aliud quo fruamur, referatur. Sic enim non haberet rationem finis, ſed medii.

Secundò, Speciatim.

Dices, D. Thomas in *Corp.* ait, poſſe nos vti re illa, quæ eſt vltimus finis, quatenus referimus illam ad poſſeſſionem; ex poſſeſſione autem voluptas capienda eſt: ergo ita poſſumus vti vltimo fine, vt referamus illum ad id vnde voluptas capienda eſt.

Reſpondeo, D. Thomas generalius accipit verbum vtendi, ſcilicet iuxta primam acceptionem. Nam referre Deum ad poſſeſſionem, non eſt illum quærere vel diligere propter aliud, ſicut bonum vtile quæritur propter finem; ſed eſt illum quærere & diligere propter ſeipſum. Poſſeſſio enim Dei includit ipſum

Digitized by Google

Deum, tamquam bonum principale, propter quod poſſeſſio appetitur. Qui ergo quærit Deum, vt Deum poſſideat, quærit Deum propter intrinſecam ipſius excellentiam poſſidendam. Dicitur tamen hic vti Deo generali modo, quia voluntas aſſumit illum mediante intellectu in ſuam poteſtatem ad aliquem finem, qui tamen finis non eſt res diſtincta à Deo. Vnde vtitur Deo propter ipſum Deum. Simile accidit, quando quis meditatur de Deo, vt ipſum amet, vt de ipſo gaudeat; vtitur enim tunc Deo tamquam obiecto meditationis, vt circa ipſum verſetur per alium actum, ac proinde propter ipſum Deum; vt rectè Durandus in 1. d. 1. q. 4. Hoc tamen non eſt proprie vti, quia vſus proprie dictus requirit, vt res illa qua vtimur, referatur ad alium finem tamquam medium ad illum: vt patet ex verbis. D. Auguſtini.

Tertio ſtrictè.

Nec obſtat, quòd Deus poſſit amari eo fine, vt beneficia conferat: quia hic amor ſaltem interpretatiue & ex natura ſua in Deum tendit: & ſic Deus non refertur ad aliud, ſed implicite ad ſeipſum.

Tertiò, Accipitur vſus omninò ſtrictè: ſicut art. 1. explicatum eſt: quomodo non poſſumus etiam vti fine vltimo, quia non eſt in poteſtate noſtra applicare Deum ad operationem, niſi fortè rogando; qui modus etſi ſufficiat vt dicamur vti amicis & eorum opera: non tamen vt vtamur Deo: quia nullum ius in Deum habemus, ſicut in amicos. Chriſti tamen humanitas recte dicitur vti virtute diuina: quia in poteſtate eius erat eam applicare ad quæuis miracula facienda.

Chriſti humanitas recte dicitur Vti virtute diuina.

DVBIVM.

Quomodo intelligendum ſit illud D. *Auguſtini lib.* 10. *De Trinitate cap.* 10. Nulla vita hominum eſt vitioſa, niſi male vtens & male fruens.

4 Vita male vtens & male fruens.

REſpondeo, Vita male vtens apud Auguſtinum eſt, quæ applicat animæ potentiam, vel rem externam ad fruitionem vel ad finem, ad quem non debet ſecundum rectam rationem. Quod fit in omni peccato commiſſionis: quia in omni tali peccato abutitur homo aliqua animæ ſuæ potentia, ſaltem ipſa voluntate & intellectu, & plerumque re aliqua externa. In peccato omiſſionis eſt malus vſus ſecundùm æſtimationem moralem, vel certè priuatiue: quia bonus vſus qui deberet adeſſe, non adeſt.

Vita male fruens eſt quæ aliquo bono malè delectatur. Similia habet lib. 83. quæſt. q. 30. *Omnis*, inquit, *humana peruerſio* (non vt Medina citat, ſummæ peruerſio) *quod etiam vitium vocatur, fruendis vti velle, atque vtendis frui. Omnis ordinatio, quæ virtus etiam nominatur, fruendis frui & vtendis vti.* Senſus eſt, omne peccatum in eo conſiſtit, quod bona temporalia ſeu creata, quibus vtendum eſſet ad comparanda æterna, amemus propter ſeipſa: & æterna quibus fruendum eſſet, non amemus, niſi propter temporalia. Rurſus: omnis actus virtutis conſiſtit in eo, quod temporalia amentur propter æterna (intellige ſaltem implicite ſeu interpretatiue) & æterna propter ſeipſa.

5 quomodo omnibus rebus

Notandum, ex Durando in 1. d. 1. q. 4. Nos omnibus rebus tam malis, quàm bonis poſſe vti, præterquam vltimo fine. Bonis quidem, vel tamquam potentiis, vt viribus animæ: vel iamquam habitibus: vel tamquam inſtrumentis vnitis, vt membris, vel tamquam inſtrumentis ſeparatis, vt inſtrumentis artium, vel tamquam materia, vt cibo & potu: vel tamquam tegumento, vt domo & veſte, vel denique tamquam obiecto: quia poſſumus rebus omnibus creatis vti tamquam obiectis, vt ex illis aſſurgamus in cognitionem & laudem Dei: ſunt enim animæ noſtræ, veluti ſcala quædam, per quam ad Deum cogitatione & amore aſcendat. bus poſſimus vti, etiã peccatis.

Mala vero ſunt vel pœnæ vel culpæ. Malis pœnæ vtimur ad ſatisfactionem & medicinam vitiorum. Peccatis autem vtimur, tamquam obiectis ad excitandam contritionem & humilitatem.

ARTICVLVS IV.

Vtrum vſus præcedat electionem.

6 Reſpõdetur ſub diſtinctione.

CONcluſio Prima, Si electio & vſus comparentur ad idem, electio eſt prior vſu: electio enim pharmaci, eſt prior vſu pharmaci: electio inſtrumenti, eſt prior vſu inſtrumenti.

Concluſio Secunda, Si comparentur ad diuerſa, vſus poteſt antecedere electionem: nam vſus, quo voluntas vtitur intellectu ad conſultandum, eſt prior electione, quæ ſequitur conſultationem.

Prior Concluſio probatur à D. Thoma ſatis obſcure. poteſt ſic explicari. Voluntas priùs reſpicit aliquid tamquam obiectum volitum, quàm reſpiciat illud tamquam effectum ſuum executioni mandandum: ſed per electionem reſpicit medium tamquam obiectum volitum: per vſum verò tamquam effectum ſuum mandandum executioni ad finem conſequendum: ergo electio eſt prior vſu. Idem clarius ſic probari poteſt. De ratione electionis non eſt vt ſimul tempore & natura coniunctam habeat executionem (eligimus enim id quod poſtea exequendum eſt:) atqui de ratione vſus eſt, vt ſimul tempore & natura ſit coniunctus executioni: ergo electio præcedit vſum. Minor probatur: quia vſus formalis ſeu paſſiuus eſt ipſa executio ſeu operatio potentiæ exequentis, vſus autem actiuus eſt quidem ipſa volitio ordine naturæ prior executione: ſed hæc volitio non habet rationem vſus actiui, niſi quatenus iam actu mouet potentiam exequentem: & ita vſus actiuus includit executionem in obliquo: eſt enim volitio mouens actu potentiam exequentem ad operandum.

Dices, Hinc ſequi, eundem numero actum poſſe eſſe vſum actiuum, & electionem. Idem numero actus poteſt eſſe electio & vſus actiuus.

Reſpondeo, Id verum eſſe. Tamen actus ille alia ratione eſt electio, alia viſus. Eſt electio quatenus eſt volitio medii, tamquam obiecti. Eſt vſus actiuus, quatenus eſt cauſa mouens ad executionem, coniuncta executioni. Sunt igitur diuerſæ rationes horum actuum, etiamſi in eumdem numero actum poſſint conuenire.

Google

DVBIVM.

Quando electio ſit actus diſtinctus ab vſu actiuo & quando non.

7 Reſpõdetur ſub diſtinctione.

REſpondeo, Quando aliquis ita eligit aliquod medium, vt ex vi illius electionis non ſequatur immediate executio, ſed opus ſit alia voluntate ad executionem: tunc electio eſt actus omnino diſtinctus ab vſu actiuo. Vt cum proponimus aliquid facere, v. g. ſtudere, ſumere medicamentum; ſed non ſtatuimus ſimul de tempore, loco, modo, materia & ſimilibus circumſtantiis ad executionem neceſſariis: quo pacto paſſim fit electio mediorum. Et ita verum eſt quod ait D. Thomas ad 1. *Vſum eſſe medium inter electionem & executionem*, quia eſt actus medius diſtinctus ab extremis.

Quando verò ita quis eligit, vt ex vi illius electionis abſque alia volitione interueniente, ſequatur executio, tunc illa electio eodem momento quo ſequitur executio, fit vſus actiuus. Vt cum aliquid eligimus hic & nunc cum cæteris circumſtantiis, v. g. hanc medicinam hoc tempore & loco ſumendam: & hoc modo vſus non eſt actus medius inter electionem & executionem, tamquam realiter diſtinctus ab electione: ſed idē actus ſecundum rem eſt electio & vſus actiuus: & ſolum ſecundum rationem, ſcilicet quatenus habet rationem vſus, eſt medius.

Explicatur D. Thomas, quomodo in omni actu ſint conſentus, electio & vſus.

Notandum in Reſp. ad 3. vbi D. Thomas ait *in qualibet actu voluntatis poſſe deciſi conſenſum, electionem & vſum*, id non ſic eſſe intelligendū, quaſi in quouis actu voluntatis hæc tres rationes explicite concurrant, id enim falſum eſt, ſed ſolum implicite & virtute hæc fiunt per vnum eumdemque actum tripliciter conſideratum, quia omnis actus voluntatis implicite reflectitur ſuper ſeipſum. Itaque qui eligit aliquid, implicite etiam eligit ipſum eligere, quatenus præfert ipſum eligere ei, quod eſt non eligere. Conſentit etiam in electionem quatenus placet abſolute electio ſine comparatione ad non eligere. Denique vtitur etiam ſua voluntate ad electionem, quatenus per eundem actum eam ad electionem applicat. Itaque ſolum eſt vnus actus ſimplex triplici modo conſideratus. Poſſent hoc modo etiam plures rationes in eodem actu conſiderari: vt actus imperii & vſus paſſiui.

QVÆSTIO XVII.

De imperio.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum Imperare ſit actus rationis.

1 CONcluſio, Imperare eſt eſſentialiter actus rationis: ſupponit tamen actum voluntatis, cuius virtute moueat ad exercitium actus.

DVBIVM. 1.

Cuius potentiæ actus ſit imperium.

QVidam Doctores ſentiunt, Imperium eſſe actum voluntatis. Nihil enim eſſe aliud, quam efficacem volitionem, vt aliquid fiat. Ita Iac. Almainus tract. 3. Moral. c. 2. Ioan. Medina C. de oratione, q. 1. Occam in 3. q. 12. & alii. Almainus, Medina, Occam.

Contrarium docet hic D. Thomas cum ſuis.

Verum vtraque ſententia recte explicata vera eſt.

Vnde notandum eſt, imperium dupliciter accipi poſſe; Primò, proprie: & ſic reſpicit alterum, ſcilicet inferiorem: nemo enim proprie ſibi imperat, ſed alteri in quem habet ius ſuperioris: ſicut etiam nemo ſeipſum orat aut rogat, aut ſibi ipſi aliquid ſuadet: hæc enim omnia reſpiciunt alterum. Secundò, Generalius: quomodo omnes actus qui pendent á ratione & voluntate, dicuntur imperati. Imperium dupliciter accipitur.

2 Dico Primò, ſi imperium accipiatur proprie, vt reſpicit alterum, ſic non eſt actus voluntatis, ſed intellectus. Imperium proprie eſt actus intellectus.

Probatur Primò, Quia nemo dicitur imperare ſuo inferiori, eò quod velit aliquid fieri. Nam inferior non tenetur illud facere, etiamſi ſciat ſuperioris voluntatem, niſi vlterius id illi imperetur: ergo imperium proprie non eſt volitio, ſed aliquis alius actus: qui non poteſt eſſe alterius potentiæ, quam intellectus.

Secundò, ſicut ſe habet deprecatio ad ſuperiorem, & ſuaſio ad parem vel quaſi parem: ita imperium ſe habet ad inferiorem. Atqui deprecatio non eſt actus voluntatis, ſed intellectus: ſimiliter ſuaſio: ergo & imperium. Minor probatur: nam deprecatio eſt locutio quædam, per quam deſiderium ſuperiori explicamus, vt oſtenſum eſt l. 2. de Iuſtitia & Iure cap 57. tractatu de oratione, dubio 2. Similiter ſuaſio eſt locutio quædam conſilium alterius alteri explicans. Atqui locutio eſt actus intellectus (agimus enim de locutione interiore.) Quod patet, quia locutio interior fit, vel per actum iudicii interioris ſine conceptu vocum: vel per apprehenſionem ſignorum vocalium, quibus explicatur iudicium: vt quando mens interius loquitur in aliqua lingua; quod fit, quoties locutio interior dirigitur ad formandam exteriorem. Locutio interior fit dupliciter.

Tertiò, Tunc proprie dicitur quis imperare, quando ordinat eum, cui imperat ad aliquid agēdum, ſignificando ſuam voluntatem, & illa ſignificatione mouendo, vt cum dicit inferiori, Fac hoc. Atqui talis ordinatio per talem ſignificationem, eſt actus rationis, ergo imperare eſt actus rationis. Maior patet ex communi modo concipiendi. Minor probatur, quia ſicuti formare propoſitionem, qua aliquid ſignificetur abſolute, eſt actus rationis, ita etiam formare rationem, qua aliquid ſignificetur, mouendo ad opus, eſt actus rationis.

Vt autem hæc melius intelligantur. Notandum eſt, ad imperium poſſe concurrere plures actus. Primus eſt, iudicium intellectus, bonum eſſe hoc fieri. Secundus, voluntas vt inferior hoc faciat. Tertius, voluntas illum obligandi. Quartus, Locutio ſignificans hanc voluntatem. Quintus, Obligatio producta in inferiore per illam locutionem. 3 quinq; actus concurrant ad imperiū.

Ex his,

Ex his, primus, ſecundus, & tertius actus non ſufficiunt ad rationem imperii, ſed quartus ſufficit ſuppoſitis prioribus. Quintus autem eſt effectus imperii, quando quis ſeriò & iuſte imperat.

locutio per imperiũ fit duplicitèr.

Poteſt autem locutio illa fieri dupliciter, vt recte notauit D. Thomas, Primo, Abſolute, vt ſi quis diceret ſe habere voluntatem vt inferior faciat opus: & ſic non eſt explicitum imperium: quia voluntas ſuperioris non intimatur inferiori cum quadam motione & veluti impulſu: tamen quando tale quid dicitur intentione mouendi inferiorem, eſt inſtar imperii. Secundò, fieri poteſt cum quadam motione & impulſu morali: vt cum dicitur inferiori, Fac hoc. Tunc enim non ſolum ſignificat ſuperior ſuam voluntatem inferiori, ſed eo modo ſignificat, vt per illam ſignificationem cauſet obligationem, & veluti impetum moralem ad opus in inferiore. Hic modus ſignificandæ voluntatis eſt proprius imperii, vnde nemo eo vti poteſt, niſi ſe gerat ad alterum, inſtar ſuperioris.

4 Imperium eſt in genere ſigni.

Hinc ſequitur primò, Imperium formaliter eſſe in genere ſigni. Eſt enim ſignum voluntatis ſuperioris, gignens obligationem in inferiore: ſi tamen eſt iuſtum & verum imperium. Quod addo, quia interdum imperium nõ parit obligationem, vel quia imperans non habet poteſtatem: & tunc imperium eſt iniuſtum: vel quia non intendit obligare, & tunc non eſt imperium verum, ſed ſolum deſiderii explicatio. Ratio cur imperium debeat eſſe in genere ſignorum, eſt, quia eſt id, quo voluntas ſuperioris mouet voluntatem inferioris, atqui hoc fieri non poteſt influxu immediato, ſed ſolum mediante ſigno, quo voluntas ſuperioris intellectui inferioris repræſentetur, ergo &c.

Sequitur Secundò, Internam locutionem in nobis non ſufficere ad completam imperii rationem, ſed vlterius requiri externam. Ratio eſt, quia per ſolam interiorem non poſſumus alteri noſtram voluntatem ſignificare: ſi tamen id poſſemus, ſicut Angeli poſſunt, ſufficeret.

5 Dico Secundò, ſi imperium accipiatur generalius [quo modo vna potentia alteri dicitur imperare] etiam actus voluntatis efficax, & iudicium practicum dirigens operationes, recte dicitur imperium.

Probatur quia duæ ſunt conditiones ſeu officia imperantis, ſcilicet præſcribere quid & quomodo ſit agendum, & mouere alios ad agendũ. Ratione prioris officii, iudicium practicum intellectus rectè dicitur imperium, quia intellectus hoc iudicio tamquam ſuperior præſcribit quid, quomodo, quando, vbi agendum: & oſtendit obligationem ſi qua ſubſit: quô fit vt tamquam imperium ſuperioris debeamus illud ſequi. Hoc modo dicimur obedire rationi, & pars inferior ſuperiori, iuxta Ariſtot. 1. Polit. c. 3. Sic idem Ariſtot. l. 6. Ethic. c. 10. ait *Prudentia eſſe imperare opus faciendum*, non quòd prudentia propriè imperet homini in quo eſt, cũ non imponat obligationem: ſed quia præſcribit quid rectum ſit: & oſtendit obligationem. Ratione poſterioris officii, actus voluntatis vocatur imperium; quia per hunc actum cæteræ potentiæ mouentur ad executionem. Vnde D. Thomas q. 71 a. 6. ad 2. ait voluntatis eſſe imperare cæteris potentiis & intellectui.

Ariſtotele:

DVBIVM II.

Vtrùm illud imperium rationis proprie dictum diſtinctum à iudicio ſit neceſſarium ad actus elicitos vel imperatos voluntatis?

6 Quidam putant ad omnem actum voluntatis liberum, illud imperium rationis, quo mens ſibi dicat: fac hoc, eſſe neceſſarium.

Quidam putant.

Probant Primò, Quia ad prudentiam ac proinde ad rationem practicã requiruntur tres actus, iuxta Ariſtot. 6. Ethic. c. 9 & 10. ſcilicet, *Conſilium* quod ipſe refert ad virtutem *Inuentiuam*: *Iudicium* quod ipſe refert ad *Intellectum*: & *Imperium* quod ad *Prudentiam*. Atqui hic actus imperii eſt præcipuus: ergo requiritur non minus quam iudicium.

Ex Ariſtot.

Secundò probant: Ex parte intellectus debet aſſignari propria cauſa, cur voluntas eliciat actum circa obiectum: ſed nulla poteſt huius rei eſſe propria cauſa præter hoc imperium: ergo ſemper requiritur hoc imperium.

Maior probatur; tum quia alioquin voluntas non moueretur niſi fortuito, & ſine ratione in obiectum: quod conſtat eſſe falſum: tum quia voluntas per ſe eſt cæca, ac proinde ex parte intellectus debet dari peculiaris ratio ipſius motus.

Minor probatur, quia omne iudicium intellectus eſt indifferens, vt voluntas moueatur vel non moueatur: ergo ex parte iudicii non poteſt aſſignari propria ratio, cur voluntas moueatur potius in obiectum quam non moueatur: ergo hæc ratio referenda eſt in imperium intellectus. Confirm. quia fieri poteſt vt ex duobus vterque idem apprehendat & iudicet, & tamen alterius voluntas illud amplectatur, alterius non amplectatur. Cuius ratio non poteſt eſſe alia quam quod in altero fuerit imperium intellectus voluntatem mouens, in altero non fuerit. Hinc inferunt Hoc imperium eſſe neceſſarium ad omnem actum liberum voluntatis: eoque poſito, neceſſariò voluntatem illi conſentire, ſcilicet neceſſitate ex hypotheſi.

7 Reſpondeo, Omnino verius eſſe non requiri ad actus voluntatis, vel aliarum potentiarum huiuſmodi imperium intellectus diſtinctum à iudicio. Ita docent Henr. quodlib 9. q. 6. Occam in 3. q. 12. ar. 4. Almainus ſupra, & alii.

Probatur Primò, Quia vt voluntas poſſit velle aliquod obiectum, non requiritur aliud quàm vt intellectus illud proponat ſub ratione conuenientis, quæ propoſitio abundè fit iudicando hic & nunc hoc eſſe conueniens. Similiter, vt poſſit nolle, ſufficit, vt intellectus proponat illud cum aliquo defectu, vel vt non neceſſarium, quod etiam ſufficienter fit iudicando: ergo non requiritur aliquod imperium à iudicio diſtinctum.

Antecedens patet, ex dictis ſupra q. 8. art. 1. Et ratio eſt, Quia omnis potentia non impedita poteſt ferri in ſuum obiectum conuenienti modo propoſitum. Et ſanè, ſine ratione dicitur voluntatem obiecto clarè per intellectum propoſito non poſſe conſentire, niſi intellectus alio quodam actu imperet voluntari, dicendo, fac hoc.

Dices imperium tale eſſe neceſſarium, vt voluntas determinetur ad conſenſum.

Sed contrà. Voluntas, propoſito obiecto ſeipſam determinat eliciendo conſenſum, vel illum ſuſpendendo, vt ſupra oſtenſum q. . ar. 2. Neque eget vllo alio quam obiecti propoſitione:

tunc enim immediatè eſt in eius poteſtate, ſe determinare ad actum, vel non determinare; alioqui non eſſet libera.

Probatur Secundò, Imperium eſt ſignificatio ſeu intimatio volitionis ordinata ad mouendam voluntatem, vt ſuprà oſtenſum eſt: atqui voluntas vt moueatur, non eget aliquo ſigno, quo ſignificetur ipſi ipſam velle, vt moueatur aut conſentiat. Ergo, &c. Confirm. Quia voluntas non percipit per ſeipſam illam ſignificationem imperii, ſed ſolùm per intellectum. Intellectus autem inde tantùm concipit iudicium: ergo imperium non mouet voluntatem, niſi mediante iudicio. Hoc autem iudicium non eſt aliud, quàm quo intellectus iudicat voluntatem velle, vt ipſamet eliciat actum v. g. conſenſum. Quod iudicium non eſſe neceſſarium, conſtat.

Probatur Tertiò. A ſimili in brutis. Sufficit enim apprehenſio conuenientis, vel diſconuenientis vt appetitus ſenſitiuus proſequatur obiectum, vel vt fugiat: ergo ſimiliter in parte rationali ſufficit iudicium vel apprehenſio, vt voluntas moueatur.

Neque etiã eſt ne cellariũ d actus aliarum potentiarum.

Quòd verò ad aliarum potentiarum actus non requiratur illud imperium intellectus, probatur, Primò, Quia vt aliæ potentiæ operentur, non requiritur aliud, quàm voluntas velit illarum operationes: ex vi enim talis volitionis ſtatim vis animæ applicatur ad illam operationem: atqui vt voluntas velit, non requiritur illud imperium: ergo &c. Secundò Idcircò requiritur imperium propriè dictum, dũ ſuperior vult mouere inferiorem; quia voluntas ſuperioris non eſt per ſe præſens potentiis executiuis ſubditi, vt per ſe illas mouere poſſit. Quod ſi per ſe præſens eſſet illa volitio, non opus eſſet imperio atqui voluntas per ſe præſens eſt aliis potentiis eiuſdem ſuppoſiti: ergo vt illas moueat, non eget imperio. Confirm. Quia per ſe multò efficaciùs illas mouet, quàm ſi tantùm per ſignum aliquod ſui moueret, vnde fit vt vires inferiores non poſſint voluntati reſiſtere. Atqui imperium ſolum eſt ſignum voluntatis.

Imperium interdum eſt vtile ad voluntatem excitandam

Aduerte tamen, locutionem quamdam internam vel externam ſimilem imperio (cum potius ſit exhortatio) interdum eſſe vtilem, præſertim in rebus difficilibus ad voluntatem excitandam, vt maiori affectu vel conatu vel celeritate rem aggrediatur vel vt conſtantius in ea perſeueret. Sic ſæpe dicitur in Pſalmis. *Benedic anima mea Domino*, Item. *Lauda anima mea Dominum ſpera in Domino, ſuſtine Dominum* Ratio eſt, quia ſicut exhortatio alterius vim habet excitandi animi ad opus, ita etiam exhortatio & locutio propria. Nam homo tunc fungitur vice duorum, tamquã ſibi ſuperior, ſibi imperans; vel tamquam alter ipſe ſe exhortans. Sic intellige illud D. Auguſtini l. 8. Confeſſ c. 9. *Imperat animus, vt velit animus nec alter eſt, nec facit tamen Imperat, inquã, vt velit qui non imperaret, niſi vellet, & non fit quod imperat*, &c. Videtur enim accipere imperium pro locutione illa mentali qua ſeipſum excitat animus, vt quod debiliter vult firmiter & abſolute velit. Ideo autem non fit, quod imperat; quia non abſolute & omnino vult, ſed optat potius, vnde etiam non omnino imperat, ſed ex parte tantum: vt ibidem indicat Auguſtinus.

Reſpõſio ad argumẽtũ ex Ariſtot.

Ad primum argumentum in contrarium. Reſpõdeo, Ad rationem practicam non requiri illos tres actus: ſufficiunt enim duo, conſilium & iudicium.

Quòd ad Ariſtotelem attinet, longe alia eſt mens ipſius. Primo, Quia non vult ipſe *νοῦν & γνώμην* requiri ad ſingulos actus prudentiæ voluntatem dirigentis: vt argumentum ſupponit. Secundò per *σύνεσιν* non intelligit quodcunque iudicium prudentiæ, ſed acumen quoddam & perſpicaciam ad rectè iudicandum, ſecundùm regulas prudentiæ de concluſione conſilii alterius. Exempli gratia, proponit aliquis quid ſibi per conſultationem videatur; is qui habet *σύνεσιν*, ſtatim perſpicit an conſilii concluſio ſit bona, & ad fidem idonea, minima quæque notans. Idem poteſt facere dum ſe reflectit ſuper concluſionem conſilii proprii. Colligitur hoc ex Ariſt. 6 Ethic. cap. 10. vbi dicit, *τὸ ξυνιέναι, conſiſtere in rectè iudicando de his, de quibus eſt prudentia* [id eſt, de his de quibus iudicat prudentia] *alio dicente*. Hinc vocari aliquem *εὔνουν* & *εὐσύνετον*. Et lib. 1. Magnorum Moral. cap. 35. ait, *cum dicis εὔνουν, & habere σύνεσιν, qui poteſt conſultare & rectè iudicare minima quæque perſpiciendo.*

γνώμη, autem apud Ariſt. non ſignificat imperium, ſicut neque apud vllum auctorem; ſed ſignificat, *rectum iudicium æqui & boni*, vt expreſſe habetur 6. Ethic. c. 11. *Æquum & bonum eſt, quod cum in ſpecie videatur eſſe contra legem, ratione vniuerſalitatis ipſius, iudicio prudentis ſecundum rationis æquitatem definitur* Vnde Ariſtoteles lib. 5. Ethic. cap. 10 ait *τὸ ἐπιεικὲς*, id eſt, *æquum & bonum, eſſe correctionem legis*, quando ipſa deficit à recto, propter vniuerſalitatem.

Circa hoc verſatur virtus quædam quę dicitur *ἐπιείκεια*. Nam vt Ariſtoteles docet ibidem, circa idem verſantur *ἐπιείκεια* & *γνώμη*. Eſt enim *ἐπιείκεια*, voluntas ſeu amor æqui & boni (etſi hoc nomen etiam aliter ſumi poſſit) *γνώμη* vero, eſt rectum iudicium eiuſdem. Itaque *γνώμη* eſt iudicium intellectus dirigens virtutem *ἐπιείκειαν*, tamquam propria eius regula, non autem imperium à iudicio diſtinctum. Deinde *γνώμη* non verſatur in omni materia, in qua prudentia, vt ipſi exiſtimãt, ſed ſolum in ea quæ legibus repugnare videtur, eò quod ſit contra tenorem verborum. Vide Ariſt. l. 2. magnorum Moral. c. 1. & 2. vbi hæc omnia expreſſe docet.

Reſponſio ad ſecundũ argumen.

Ad ſecundum, Reſpondeo negando maiorem: ſi enim ex parte intellectus deberet aſſignari propria ratio, cur voluntas hic & nunc conſentiat, ipſa non determinaret ſeipſam ad exercitiũ actus, quod eſt contra D. Tho. ſupra & contra communem ſententiam Doctorum. Vnde viterius ſequeretur, voluntatem non eſſe liberam ad exercitiũ actus, quia totum exercitium penderet ab imperio intellectus, vt ſupra oſtenſum, q. 9. a. 1. dub. 6

10 Voluntatis conſenſum non eſſe fortuitum.

Neque ex his ſequitur, voluntatem fortuitò conſentire. Quia voluntas conſentit ex propoſito & intentione (qui enim conſentit, intendit conſentire, non alio actu, ſed illo ipſo quo conſentit.) Fortuitum autem dicitur, quod præter intentionem accidit. Alioqui imperium quoque ipſum quando liberum eſt, fortuitò fiet. Nam ideò hic & nunc eſt imperium, quia voluntas illud vult. Quod ſi imperium & quiuis alius actus voluntarius, idcircò non eſt fortuitus, quia fit ſecundum voluntatis intentionem, multò minus ipſe actus voluntatis erit fortuitus, cùm ſit ſecundum intentionem ſui ipſius, atque adeo ſui ipſius intentio.

Fortuitum, quid.

ARTICVLVS II.

Vtrum imperare ſit brutorum.

Negatur.

COnclusio eſt : Imperare non eſt brutorum. Ratio eſt, quia bruta non poſſunt ſeipſa vel alia ordinare ad aliquid agendum cum quadam motiua ſignificatione.

ARTICVLVS III.

Vtrum vſus præcedat imperium.

12 Vſus conſultationis.

PRima Concl. Vſus quo quis vtitur ratione conſultando & iudicando de mediis, eſt prior imperio, quo quis imperat executionem. Probatur: Quia iſte vſus rationis eſt prior electione: conſilium enim & iudicium præcedunt electionem: electio autem eſt prior imperio: ergo iſte vſus rationis eſt prior imperio.

Vſus executionis.

Secunda Concl. vſus quo quis vtitur potentia exequente vel mediis, vt ſubſunt potentiæ exequenti, eſt poſterior imperio, Probatur: quia imperium antecedit executionem: vſus autem non antecedit executionem, ſed eam includit: ergo imperium antecedit vſum.

Triplex diſtinctio imperii reſpectu vſus.

Vbi notandum eſt primò, ſi nomen imperii accipiatur pro illa locutione, qua quis ſeipſum hortatur ad rem deliberatam & electam aggrediendam: ſic quando interuenit, antecedit ipſum vſum.

Secundo, ſi accipiatur pro actu voluntatis efficaci, ex quo ſequitur executio: ſic nõ diſtinguitur reipſa ab vſu actiuo. Et interdum neque ab electione: nempe quando electio reſpicit mediũ cum omnibus circumſtantiis, vt hic & nunc exequendum. Idem enim actus eſt quo hic & nunc volo ſumere medicinam: & quo moueo membra ad eam ſumendam: & quo vtor iiſdem membris & medicina. Quatenus enim per illum actum volo medicinam hanc præ alia, dicitur *Electio*: quatenus habet vim mouendi membra, dicitur *Imperium*. Vt vero membrorum motus iam actu ei iungitur, dicitur *Vſus actiuus* membrorum & medicinæ. Prius tamen natura habet rationem imperii, quàm habeat rationem vſus: nam habet vim mouendi antequam actu moueatur potentia executiua. Atqui non habet rationem vſus actiui, niſi dum potentia executiua mouetur, vt recte hic D. Tho. ergo, &c.

Tertio, Si nomen imperii accipiatur pro iudicio ſeu dictamine prudentiæ, quo præſcribit quid agendum ſit: ſic imperium quoddam antecedit electionem, quoddam ſequitur electionem, ſed antecedit vſum. Nam iudicium ſequens ex conſilio, eſt dictamen prudentiæ, quo prudentia dirigit electionem: vnde neceſſariò præcedit electionem. Quod ſi in electione nõ ſint determinatæ circumſtantiæ, cum quibus medium eſt exequendum, vt tempus, locus, modus, &c. opus eſt alio iudicio, quo hæc determinentur: quod eſt neceſſarium ad prudentem vſum mediorum. Vnde hoc iudicium præcedit vſum, ſed ſequitur electionem.

ARTICVLVS IV.

Vtrum imperium & actus imperatus ſint vnus actus.

13 Quomodo imperium & actus imperatus ſint vnus numero actus moraliter.

CONcluſio eſt, Imperium & actum imperatum in genere moris eſſe vnum actum, etſi alioqui ratione naturæ valde differant.

Ratio eſt, Quia in vtroque eſt eadem numero libertas (actus enim imperatus non eſt liber, niſi libertate actus imperantis) vterque eodem rationis dictamine dirigitur, in vtroque eſt eadem conformitas vel difformitas cum recta ratione, eadem ratio virtutis & vitii, honeſti & turpis, meriti & demeriti, laudabilis & vituperabilis. Ratione tamen naturæ ſunt valde diſtincti: Alter enim eſt ſpiritalis, alter corporalis, vel ſaltem potentiæ genere diſtinctæ. Sicut anima & corpus ſunt vnum numero viuens, etſi naturis valde diſcrepét: eadem enim vita viuit anima & viuit corpus. Actus autem imperans ſe habet ad actum imperatum tamquam anima & vita.

Nomen Imperii accipitur hic pro actu voluntatis efficaci, non autem pro illa locutione intellectus; quia hæc locutio non efficit vnum actum cum actu imperato: ſed hoc proprium eſt actui voluntatis.

14

Notandum Primò, Hæc eſſe intelligenda de actu imperato, qui tantum eſt imperatus, & non elicitus à voluntate: qui enim elicitus eſt à voluntate, quamuis ſit imperatus alio actu, habet tamen propriam bonitatem & malitiam, & propriam libertatem: vt patet, quando quis vult in ſeipſo excitare actum contritionis, vt reconcilietur Deo, actum charitatis, vt Deo placeat.

Notandum Secundò, Quando quis imperat alteri, & ille ex imperio facit aliquid, illud opus externum comparari ad duplicem actum imperantem, & cum vtroque cenſeri vnum actum in genere moris: vt patet cum quis dat eleemoſynam per famulum. Illa enim eleemoſynæ largitio, quatenus procedit à voluntate Domini, conſtituit vnum actum cum illa voluntate, à qua morali modo informatur: Vt verò procedit à voluntate famuli, eſt etiam vnus numero actus cum illius voluntate. Etſi enim famulus ſe habeat vt inſtrumentum Domini, tamen eſt inſtrumentum ſua ratione & libertate præditum. Hinc fieri poteſt, vt idem numero actus exterior ſit bonus & malus, quatenus diuerſis actibus voluntatis, à quibus procedit, informatur.

ARTICVLVS V.

Vtrùm actus voluntatis imperetur.

15 Affirmatur

CONcluſio eſt, Actum voluntatis imperari poſſe. Ratio eſt, quia quidquid eſt in noſtra poteſtate, poteſt noſtro imperio fieri: atqui actus voluntatis ſunt in noſtra poteſtate. Idque verum eſt, ſiue loquamur de imperio, vt eſt locutio (poteſt enim voluntas excitare ſeipſam per locutionem vt amet, vt ſperet, &c.) ſiue vt eſt efficax volitio: nam actus voluntatis poteſt eſſe directe volitus alio actu.

Dices, Quando animus imperat ſibi vt velit, iam vult: niſi enim vellet, non ſibi imperaret vt

Digitized by Google

vellet, vt inquit Aug. l. 8. Confess. c. 9. ergo frustra est illud imperium.

Respondeo Negando consequentiam. Primò, Quia etiamsi voluntas absolute nunc velit, amet, speret, doleat, potest tamen imperare, vt perfectius & ardentius hos actus præstet. Secundò, Quia qui sibi aliquem voluntatis actum imperat, iam vult quidem illum actum, non tamen hoc ipso illum habet, neque hoc ipso vult illud, quod per illum actum est volendum: Nam ex eo quod quis vult in se excitare amorem Dei, dolorem peccatorum, spem veniæ, non habet hoc ipso istos actus: neque expresse tendit in obiecta istorum actuum. Quare non frustra imperantur.

DVBIVM.

Quinam actus voluntatis dicantur imperati.

16 REspondeo, Omnes eos & solos dici imperatos qui aliqua volitione antecedente, ex cuius vi sequuntur, voliti sunt. Patet, Quia hac sola ratione actus aliarum potentiarum dicuntur imperati à voluntate: ergo etiam actus voluntatis dicentur ob hanc rationem imperati.

Hinc sequitur primò, Actum voluntatis primum in quouis negotio non esse imperatum, vt docet D. Thom. ad 3. quia illum non antecedit alius actus voluntatis, ex cuius vi sequatur.

Actus cuiusuis virtutis potest esse imperatus à quauis virtute.

Secundò sequitur, actum cuiusuis virtutis non solum externum, sed etiam internum posse imperari à quauis virtute.

Probatur, quia quiuis actus bonus potest esse directe volitus ex affectu cuiusuis virtutis (potest enim esse medium ad illam virtutem assequendã) vt ex affectu charitatis in Deum potest quis velle quosuis bonos motus & affectus interiores virtutum, & quasuis operationes earum exteriores. Ex affectu temperantiæ potest quis excitare in se affectum charitatis, spei, fidei, religionis, & aliarum virtutum: quia hi omnes actus valent ad impetrandam temperantiam. Idem dicendum de cæteris virtutibus, quia omnis virtus valet ad impetrandum augmentum cuiusuis virtutis. Quia tamen aliarum virtutum actus natura sua ordinantur ad finem charitatis, scilicet ad placendum Deo; ideò imperare aliis virtutibus, conuenit charitati, vi intrinseca, & quasi naturaliter: cæteris virtutibus per extrinsecam voluntatis ordinationem: quatenus in potestate voluntatis est vti actibus aliarum virtutum, tamquam mediis ad consequendam quamuis virtutem.

Aliter actus interni voluntatis, aliter actus aliarũ potentiarũ imperantur

Aduerte tamen, esse magnum discrimen inter actus internos voluntatis & aliarum potentiarum quia actus voluntatis non sequuntur immediate ex imperio voluntatis, sed opus est noua consideratione intellectus, vt proponatur illorum obiectum, qua consideratione posita, adhuc voluntas est libera, vt eliciat actum imperatum. Actus verò aliarum potentiarum sequuntur immediate ex suis potentiis, posito imperio voluntatis, nec opus est noua consideratione intellectus. Hinc vlterius fit vt actus imperati aliarum potentiarum contrahant nouam bonitatem vel malitiam ab actu imperante; actus autem imperati voluntatis minime contrahant: vt infra dicetur.

ARTICVLVS VI.

Vtrum actus rationis imperetur.

NOtandum ex D. Thom. Actum rationis seu intellectus considerari posse vel secundum exercitium, vel secundum speciem. Rursus, secundum speciem considerari potest, vel vt est apprehensio obiecti, vel vt est iudicium de obiecto: idque vel euidentis veritatis, vel obscuræ. Nunc Respondeo & dico primò, Exercitium actus intellectus potest imperari. Sic magister imperat discipulo, vt studeat, vt attendat &c. 18

Aduerte, hoc tantum esse verum, quando exercitium actus est in potestate voluntatis. Vnde illi actus intellectus qui à Deo immittuntur, vel apprehenso per imaginationem obiecto instinctu naturali ab intellectu eliciuntur, non possunt imperari. Quia non est in potestate nostra quibus visis tangamur, vt inquit D. August. aut quid nobis in mentem incidat. Quando tamen huiusmodi cogitationes aduertimus incidisse, possumus mentem ab illis declinare: nisi forte vehemens imaginatio illas assidue suggerat: tunc enim non nisi magno conatu & imperfecte id possumus. Nam conatu cessante, mox priores cogitationes redeunt.

An quoad speciem.

Dico Secundò, Apprehensio obiecti secundum suam speciem non cadit sub imperium voluntatis, quia non est ex arbitrio voluntatis, quòd intellectus canem v. g. sic potius apprehendat quam aliter: similiter equum, bouem: hoc enim pendet partim ab obiecto, partim à lumine intellectus, qui naturaliter formar conceptum obiecto respõdentem. Alioqui non est conceptus talis obiecti, sed alterius.

Quid si obiectum sit euidens. 19

Dico Tertio, Iudicium siue assensus, si obiectum sit euidenter verum vel falsum, non subest imperio secundum speciem actus. Patet, quia intellectus tunc non potest nisi vno modo iudicare, scilicet assentiendo, si sit verum, vel dissentiendo si sit falsum.

Si obscurũ.

Dico Quarto, Si obiectum non sit euidens, sed obscurum, assensus intellectus subest imperio voluntatis secundum speciem actus: ita vt possit assentire vel dissentire. Patet hoc in rebus fidei, & in multis sententiis Philosophorum vel Theologorum: in quibus vt assentias vel dissentias, affectus voluntatis magnam vim habet. Ratio est, quia facit vt tibi videatur verum, vel vero similius, quod alteri videtur falsum vel similius falso.

Aduerte tamen, præter affectum debere suppetere vtrimque aliquas rationes, quæ faciant obiectum verisimile, saltem in speciem. Si enim neutram in partem suppetat vlla ratio, voluntas non potest facere vt assentias vel dissentias, vt stellas esse pares, vel impares.

DVBIVM.

Vtrum si vtrinque sint rationes omninò pares, & tibi etiam pares videantur, possis alteri parti pra altera assentiri, solum quia sic placet.

QVidam putant id fieri posse, non solum quando vtraque pars videtur æque probabilis, sed etiam quando altera videtur probabilior: tunc enim posse te reiecta parte quam iudicas, pro- 20 quidã assentiunt.

oogle

babiliorem, aſſentiri alteri quam cenſes minus probabilem.

Reſpondeo, Contrarium eſſe verius: nempe fieri non poſſe vt ſeriò iudices eſſe verius id, in quo minor aut æqualis cernitur ſpecies veri.

Probatur Primò, non poſſumus alicui complexo aſſentiri, niſi ſub ratione veri: ergo non poſſumus aſſentiri alteri parti præ altera, niſi eluceat in ea maior veriſimilitudo, quam in altera. Conſequentia patet, quia id in quo eſt minor veriſimilitudo, etſi abſolute conſideratum habeat ſufficientem ſpeciem veritatis: tamen comparatum ad alteram partem tamquam acceptandum præ illa, nullam habet: ac proinde intellectus non poteſt in illud præ altero ferri.

Non poteſt quis aſſentiri ei quod iudicat minus probabile.

Secundò, Quia experientia conſtat, dum volumus alicuius opinioni aſſentiri, non poſſe nos id ſtatim præſtare: ſed primò inquirere rationes, cur illa ſententia poſſit videri veriſimilior.

Tertio, quia etſi rogati, cur hoc potius velimus quam aliud, interdum reſpondeamus, quia ſic placet: numquam tamen rogati, cur hoc potius credamus quam illud, ſolemus reſpondere, quia ſic placet ſed quia videtur veriſimilius.

Obiicitur Primò, voluntas propoſitis duobus bonis, poteſt eligere id quod ſumus eſt, relicto eo quod ipſa iudicat eſſe melius, quia etſi ſit melius, non tamen eſt neceſſarium, & minus illi ſufficit ad præſens negotium: ergo ſimiliter intellectus, propoſitis duabus propoſitionibus oppoſitis, poterit aſſentiri minus probabili tamquam veræ, relicta ea quam iudicat probabiliorem: quia etſi ſit probabilior, tamen rationes eius non cogunt intellectum.

21 obiectiones ſoluuntur.

Reſpondeo Negando conſequentiam. Eſt enim magnum diſcrimen inter intellectum reſpectu ſui obiecti, & inter voluntatem reſpectu ſui. Primò Quia voluntas eſt potentia libera, nihilque neceſſariò vult, niſi illud, in quo eſt p'enitudo boni. Intellectus autem non eſt potentia libera: ſed neceſſario aſſentitur cuiuis veritati propoſitæ, ſi ſit euidens. Si autem non ſit euidens, non aſſentitur quidem neceſſario, tamen non poteſt diſſentire, niſi incipiat videri minus veriſimile, quam oppoſitum. Deinde quando voluntas relicto meliore bono eligit deterius, poteſt in hoc eligendo conſiderare aliquam rationem boni, quam non conſiderat in altero, nempe quod ſic oſtendat ſe poſſe altero carere, ſibique id quod minus eſt ſufficere. Intellectus autem non poteſt in eo quod minus videtur probabile, inuenire aliquam rationem veri, ſeu aſſentiendi, quæ non ſit in altero, quod iudicatur eſſe probabilius. Denique quia voluntas poteſt ſic velle, quia ſic placet, non tamen intellectus poteſt ſic aſſentiri, quia ſic placet.

Diſcrimen inter intellectum & voluntatem in modo tendendi in obiectum.

Obiicitur Secundò, Affectus ſæpe facit, vt quis relicta opinione probabiliore, ſequatur minus probabilem: ergo homo pro arbitrio ſuo poteſt aſſentiri vtri maluerit Reſpondeo; Affectus non poteſt facere vt ſerio aſſentiar minus probabili, tamquam veriori, niſi faciat illam quoque videri probabiliorem, ad quod ſane affectus magnam vim habet. Sicut enim facit aliquid videri longe melius, quam ſit: ita etiam facit aliquid videri longe verius, quam ſit, & hac ſola ratione, actus intellectus quoad aſſenſum vel diſſenſum, ſubeſt arbitrio voluntatis.

Affectus facit vt minus probabile videatur probabilius

Obiicitur Tertiò, Poſſum ſequi minus probabilem opinionem in praxi, relicta probabiliore: ſed hoc fieri nequit, niſi iudicem illam veriorem: ergo &c.

Reſpondeo Negando minorem: vt enim illam ſequar in praxi, ſufficit vt iudicem illam probabilem & veriſimilem, & vt ſciam me poſſe operari ſecundùm ſententiam probabilem, vt infrà dicetur, q. 19. a. 6. dub. 7.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm appetitus ſenſitiui actus imperentur.

22 Paſſiones animi, vt ira odium &c. imperari poſſunt.

Reſpondeo & Dico Primò, Actus appetitus ſenſitiui, vt ira, odium, concupiſcentia, triſtitia, poſſunt imperari. Probatur, Quia voluntate aliquid abſolutè volente, vel nolente, ſequitur in phantaſia apprehenſio conformis, ex qua vlteriùs ſequitur motus in appetitu ſenſitiuo cõformis. Et ratio eſt, quia cùm appetitus inferior non ſit ſuapte natura liber, neceſſariò ſequitur apprehenſionem phantaſiæ. Hæc autem neceſſariò ſequitur imperium voluntatis & intellectus.

Dices, Sæpè experimur non poſſe nos excitare dolorem in parte inferiore, dum de peccatis volumus dolere: ergo appetitus inferior non neceſſariò obedit.

Reſpondeo, ſi voluntas perſtet, neceſſariò orietur aliquis motus in appetitu inferiore, vt rectè docet Caietanus. Hic tamen motus ſæpè erit valdè remiſſus, niſi voluntas ſit vehemens, quò fit vt vix ſentiatur, præſertim cùm notabilis ſpirituum & ſanguinis commotio ob aliquod impedimentum non coniungitur.

23 Nõ poſſunt ſẽper tolli.

Dico ecundò motus appetitus ſenſitiui non ſemper poſſunt tolli imperio rationis & voluntatis, vt experientia docet. Hoc autem fit, quotieſcumque non eſt in noſtra poteſtate tollere imaginationem, ex qua illa commotio oritur. Quod tripliciter accidit Primò, cùm obiectum eſt præſens & ſenſu percipitur. Secundò, Quando imaginatio excitatur cum magna humorum & ſpirituum commotione, vt fit in ſubito terrore, ſubita ira, &c. Tertiò, Quando ab aliqua cauſa extrinſeca, vt ab Angelo, vel dæmone, imaginatio cietur. His euentis, non poteſt voluntas omninò tollere paſſiones excitatas, quia non poteſt tollere imaginationem, ex qua neceſſariò ſequuntur. Sicut enim non poteſt mouere appetitum inferiorem, niſi mediante imaginatione, ita neque poteſt eius motus tollere, niſi tollendo imaginationem.

24 Poſſunt tamen iſti motus reddi inefficaces.

Dico Tertiò Eſt tamen in poteſtate voluntatis, quamdiu ratione vtitur, efficere vt iſti motus ſint inefficaces, ſeu vt non prorumpant in actum externum completum

Probatur Primò, quia actio humana completur in actibus exterioribus: atqui completio operationis pertinet ad directionem ſuperioris potentiæ, vt docet D. Auguſt lib 12. de Trinit. c 12. *Non poteſt*, inquit, *peccatum efficaciter perpetrandum mente decerni, niſi illa mentis intentio, penes quam ſumma poteſtas eſt membra in opus mouendi, vel ab opere cohibendi male actioni cedat & ſeruiat*; Itaque neceſſe eſt, vt voluntas conſentiat.

Secundò, Si paſſiones poſſent mouere membra in opus, renitente voluntate maxima eſſet inordinatio in natura humana, & in Repub. Nam homo & in ſeipſum & in proximos grauiſſima ſæpè committeret abſque culpa, vnde nec iuſtè poſſet puniri.

Dixi, *Completum*, quia interdũ imperfecti mo-

Digitized by Google

tus in parte genitali ſequuntur ex paſſione & imaginatione: quæ pars non ita paret rationi vt cætera membra. Cuius ratio eſt, quod imaginatio delectabilium tactus maxime concitet ſpiritus, quibus hæc pars potiſſimum regitur, qui concitati eam mouent. Reliquis partibus neque tanta copia ſpirituum ſeruit, neque illi ſpiritus concitantur imaginatione operationis, eò quòd in illorum operatione non ſit tanta voluptas.

Praxis reſiſtẽdi prauis motibus.

Ex his patet, quomodo prauis motibus & cupiditatibus ſit reſiſtendum. Primò, Tollenda eſt imaginatio, ex qua oriuntur, diuertendo illam ad aliud; vt ad mortis, iudicii, inferni conſiderationem. Secundo, ſi ſic tolli nequeat, fortiter id quod proponitur, eſt voluntate repudiandum tamquã ſummum malum, æternam concilians miſeriam. Ex hac enim voluntate fiet, vt etiam phantaſia hoc tamquam malum apprehendat, vnde motus ille præuius mitigabitur. Tertiò, implorandum eſt diuinum auxilium: quia etiamſi voluntas ſuis viribus poſſit aliquantulùm reſiſtere, tamen niſi diuinitus iuuetur, importunitate imaginationum & motuum appetitus inferioris, tandem tædio affecta trahitur in conſenſum. Quid enim ſupereſt, *Niſi vt quo adiuuante vincimus, eodem non opitulante vincamur*: vt ait D. Leo.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum actus animæ vegetantis imperentur.

16 Negatur.

COnclusio eſt, Hos actus non ſubdi imperio rationis; vt ſunt, concoctio, attractio, expulſio retentio, aſſimilatio. Idem dicendum de pulſu cordis & arteriarum, qui tamen motus ſunt ab anima ſentiente.

Ratio eſt, Quia hi motus neque ſunt apprehenſio aliqua, neque ſequuntur apprehenſionem, ſed vim merè naturalem.

Item negatur de actibus ſenſuum exteriorum

His etiam addi poteſt, neque actus ſenſuum exteriorum ſubiacere voluntatis imperio, niſi mediante motu locali, quo poſſunt applicari obiectis, vel auerti, vel interpoſito medio impediri. Ratio eſt, quia propoſitis obiectis, merè naturaliter operantur, ſicut vires rerum naturalium. Intellectus autem & phantaſia ſecundum ſe & immediate ſubiacent imperio voluntatis, quia ſecundùm ſe poſſunt applicari ad operandum abſque interuentu vllius alterius motus circa ipſos, præter actum voluntatis.

ARTICVLVS IX.

Vtrum actus membrorum exteriorum imperentur.

17 Affirmatur.

COnclusio eſt, Actus membrorum ſubſunt imperio rationis. Probat Diuus Thomas quia motus membrorum ſunt à potentiis ſenſitiuis: atqui potentiæ ſenſitiuæ ſubſunt imperio rationis & voluntatis; ergo etiam motus membrorum.

Dices, Hæc ratio non videtur vera, nam motus manuum & pedum non fit per ſenſus, ſed per potentiam motiuam.

Reſp. Etſi motus iſti ſint à potentia motiua, egent tamen ſenſuum directione: non enim rectè fieri poſſunt, niſi ſenſuum cognitione dirigantur: & ita pendent à ſenſibus quoad directionẽ & modum, quo fiunt. Vnde rectè ſequitur, hos motus pendere ab imperio rationis & voluntatis, quoad directionem & modum ſui. Quòd verò ſecundum ſubſtantiam ſuam ab imperio rationis pendeant, patet, tum quia modus quo iſti motus fiunt, non diſtinguitur ab ipſorum ſubſtantia: tum quia toti fiunt à potentia motiua, quæ ad nutum paret voluntati.

18 Anima imperat corpori deſpotice mens appetitui inferiori politice.

Ex his intelligi poteſt illud Ariſtot. 1. Polit. cap. 3. animam imperare corpori δεσποτικῶς, id eſt, imperio herili: intellectum verò imperare appetitui ſenſitiuo πολιτικῶς & βασιλικῶς, nempe quia anima per intellectum & voluntatem ſic imperat corpori, vt reſiſtere nequeat; ſed ad nutum parere debeat, tamquam mancipium, quod nullo modo poteſt imperio domini reſiſtere, aut tergiuerſari: appetitui verò inferiori, ſicut magiſtratus ciui, & Rex ſubdito, qui poteſt tergiuerſari. Etſi enim voluntate abſolute volente, appetitus inferior vtcumque pareat, tamen ſimul poteſt reniti per quoſdam motus inefficaces, qui ſi durent, interdum, faciũt rem videri tam ſuauem & commodam, vt voluntatem alliciant ad immutandum bonum propoſitum, & in conſenſum pertrahant.

Ratio huius diſcriminis eſt, quia membra non habent vllam functionem, niſi quæ intrinſece & immediate pendeat à vi motiua, quæ immediate applicatur à voluntate. Vnde ad nutum parent, niſi corpus ſit male affectum: vt ſi deſint ſpiritus, qui ſunt motus inſtrumentum, appetitus autem inferior habet propriam operationem, ad quam naturaliter excitatur propoſito obiecto, vnde non habet intrinſecam dependentiam à voluntate in ſuis operationibus, ſicut neque ſenſus externi.

DVBIVM.

Quot genera actuum voluntariorum concurrant in quouis negotio, & quo ordine?

19 Caiet.

CAietanus qu. 6. art. 4. enumerat duodecim, quidam alii quindecim. Sed reuerà multi ex illis quos iſti enumerant, non ſunt neceſſarii, vt ex ſupra dictis colligi poteſt.

Pro reſponſione, Notandum eſt eſſe duos ordines actuum, ad quos omnes ſunt referendi; ſcilicet ordinem intentionis & executionis.

In ordine intentionis ſunt quinque genera actuum.

Ad ordinem intentionis quinque actus ſunt neceſſarii. Primus, Cognitio finis. Secundus, Intentio finis. Tertius, Conſilium de mediis. Neque hic opus eſt imperio quo ratio imperet conſilium, neque electione qua voluntas eligat conſultare. Nam ex vi intentionis finis, intellectus naturaliter applicatur ad conſultandum. Quartus, Iudicium de medio eligendo. Quintus, Electio; hic eſt vltimus in ordine intentionis. Damaſcenus lib. 2. cap. 22. poſt iudicium, ponit βούλευσιν, deinde electionem. Per *Gnomen* videtur intelligere *Conſenſum*. Sed ſupra dictum eſt, *Conſenſum* non diſtingui re ab *Electione*. Vnde hic actus non eſt neceſſarius.

20 In ordine executionis quatuor.

Sequitur ordo executionis, in quo primus actus eſt imperium (accepto hoc nomine pro voluntate exequendi) quod imperium interdum diſtinguitur ab electione, nempe quando electio non complectitur omnes circumſtantias, cum quibus opus eſt exequendum. Interdum verò nõ diſtinguitur niſi ratione, ſcilicet quando has circumſtantias complectitur, vt ſupra dictum eſt.

Damaſcenus videtur hoc imperium intelligere per ὄρεξιν, id eſt, impetum: ponit enim ὄρεξιν immediatè poſt electionem. Secundus, Eſt vſus paſſiuus, ſeu operatio potentiæ exequentis, nam vſus actiuus non diſtinguitur ab imperio. Tertius, Eſt Adeptio finis; ſi tamen hæc adeptio per aliquem actum diſtinctum fiat. Quartus, fruitio ſeu gaudium ex præſentia finis, & hic terminatur ordo executionis. Itaque in vniuerſum nouem ſpecies actuum ſunt neceſſariæ.

32 Series horum actuũ facit vnum numero peccatum in ordine ad confeſſionem.

Notandum Primò, Omnes actus qui ſunt poſt intentionem, trahere bonitatem vel malitiam ex intentione, quia ex vi intentionis ſequuntur. Ideò enim Conſultatio eſt moraliter bona vel mala, quia procedit ex bona vel mala intentione. Idem dicendum de Iudicio, Electione, Imperio, Vſu, Adeptione. Itaque tota hæc actuum ſeries cenſetur vnum numero peccatum in ordine ad confeſſionem. Vnde qui homicidium cõmiſit, non tenetur dicere ſe intendiſſe, conſultaſſe de mediis, iudicaſſe, elegiſſe, &c. Sed ſufficit, dicat ſe commiſiſſe homicidium: niſi fortè aliquod medium alias per ſe illicitum interueniſſet, vt ſi arte magica, vel opera alterius vſus fuiſſet.

Notandum Secundo, In omni actu libero plures rationes actuum concurrere, ſed tantùm implicitè, quatenus vnus idemque actus implicitè ſuper ſeipſum reflectitur, vt ſuprà dictum eſt.

QVÆSTIO XVIII.

De Bonitate & malitia actuum humanorum.

1 POſtquam explicuit Diuus Thomas naturam actuum humanorum in genere, incipit hic agere de bonitate & malitia eorumdem actuum. Quæſtione quidem 18. de bonitate & malitia actuum humanorum, præſcindendo ab internis & externis. Quæſtione 19. de bonitate & malitia actuum internorum voluntatis. Quæſtione 20 de bonitate & malitia actuum externorum. Quæſtione 21. de quibuſdam conditionibus actuum, quæ ſequuntur bonitatem & malitiam, vt eſſe laudabile, vituperabile, meritorium, demeritorium.

ARTICVLVS I.

Vtrùm omnis actio humana ſit bona?

2 Bonũ qui l. malũ quid

COnclusio eſt, Non omnes eſſe bonas, ſed quaſdam eſſe malas. Probat D. Thomas, quia bonum eſt quod habet plenitudinem eſſendi ſibi debitam, id eſt, omnem perfectionem quæ illi debetur, vt ſit perfectum. Malum verò eſt, cui aliquid deeſt de plenitudine eſſendi ipſi debita, atqui multæ ſunt actiones humanę, quibus deeſt aliquid de plenitudine perfectionis debita actui humano, vt ſi quis cõtendat non ſeruata iuſta menſura, conuenienti loco vel tempore: ergo multæ actiones humanæ ſunt malæ.

Notandum hoc Articulo & ſequentibus, agi de bonitate & malitia, quæ conuenit actibus humanis ſecundùm eſſe morale, non autem de ea quæ conuenit ei ſecundùm eſſe naturale. Breuiter itaque explicandum eſt quid ſit eſſe morale, quid naturale.

DVBIVM.

Quid ſit eſſe naturale, & eſſe morale actuum humanorum, & quomodo differant?

1 quid eſſe naturale actum humanorum.

REſpondeo & Dico Primò, *Eſſe naturale* actuum humanorum, ſiue elicitorum à voluntate, ſiue imperatorum, conſiſtit in habitudine ad obiectum formale in quod tendunt, & ad potentiam, vnde immediatè apti ſunt procedere.

Ratio eſt, Quia quiuis actus vitalis ex ordine ad hæc duo totam ſuam entitatem & ſpeciem naturalem accipit. Ex ordine enim ad potentiam, vnde immediatè aptus eſt procedere, accipit quaſi rationem genericam, quia omnes actus vnius potentię conueniunt in hoc ordine: v. g. Omnes viſiones conueniunt in eo quòd apti ſint procedere à potentia viſiua; omnes intellectiones à potentia intellectiua; & omnes volitiones à potentia voluntatis. Ex ordine verò ad obiectum formale, accipiunt rationem ſpecificam; quia actus vnius potentiæ diſtinguuntur per obiecta formalia; vt viſio albi, & viſio nigri. Notandum, Entitatem ſeu naturalem eſſentiam actuum vitalium non poſtulare vt actu procedant à ſuis potentiis, (poſſet enim illa entitas à Deo fieri, vt ſuprà dictum eſt) ſed ſolùm vt ſint apti procedere: ſicut non eſt de eſſentia accidentis, vt actu inhæreat ſed vt ſit aptum inhærere, idque naturaliter poſtulat. Idcircò dixi, *Eſſe naturale actus* conſiſtere in ordine ad potẽtiam, vnde aptus eſt procedere. Quòd enim actu procedat, non pertinet ad eius eſſe naturale, ſed eſt quiddam acceſſorium, veluti modus naturalis, qui ſæpè pertinet, ad eſſe morale.

4 Eſſe morale quid.

Dico Secundò. *Eſſe morale* actuũ humanorum conſiſtit in eo quod eſt liberè fieri, & cum certo ordine ad dictamen rectæ rationis, qui ordo eſt fieri conſentaneè vel diſſentaneè, vel indifferenter rationi rectæ.

Duo requiſita, ad eſſe morale.

Probatur, Quia duo requiruntur ad *eſſe morale* actuum humanorum. Primum eſt, Liberè fieri. Quod patet Primò, Quia quæ in nobis excitantur neceſſariò, vt ſunt primi motus, ad naturam potiùs, quàm ad mores pertinent: nam homo non operatur illa vt homo habens dominium ſuorum actuum, ac proinde non vt cauſa moralis, ſed per modum cauſæ naturalis. Secundò, Quia *eſſe morale* in actu, eſt id, cuius ratione eſt laude vel vituperio, pœna vel præmio dignus: Sed non eſt dignus laude vel vituperio, pœna vel præmio, niſi liberè fiat: ergo ad eſſe morale requiritur libertas. Idem expreſsè docet Scotus in 2. d. 40. & paſſim alij Doctores.

Primum, Liberè fieri

Eſſe liberũ, eſt eſſentiale actui cõſiderato ſecundum eſſe morale

Hinc ſequitur, etiamſi eſſe liberum ſit accidentarium quid, vel potiùs denominatio extrinſeca ipſius actus ſpectati ſecundùm ſpeciem naturalem, tamen eſt eſſe eſſentiale actui conſiderato ſecundùm *eſſe morale*. Eſt enim prima ratio vnde actus dicitur moralis, vt rectè Scotus loco citato, quamuis non ſit omninò ad hoc ſufficiens, vt ſtatim dicemus.

Secundum eſt ordo ad dictamen rectę rationis.

Secundò, Requiritur vt habeat aliquem ordinem ad dictamen rationis rectæ, tamquam conformis illi, vel difformis, vel indifferens. Probatur Primò, Quia dictamen rationis eſt regula hu-

manorum actuum, ſecundùm quam fieri debent & æſtimantur boni vel mali moraliter: ergo vt actus cẽſeatur pertinere ad mores, debet aliquem ad hoc dictamen habere ordinem. Secundò Quia actiones puerorũ & amentium, etiamſi liberę ſint, vt ſuprà dictum eſt q. 11. a. 2. in Dub. non tamen cenſetur actiones morales capaces laudis vel vituperij: eò quòd non poſſint dirigi iudicio rationis rectæ, id eſt, dictantis de honeſto proſequendo, & turpi fugiendo. Quia illi non tantum rationis vſum habent, vt de his iudicare poſſint, quamuis alioqui bonũ delectabile & conueniens naturæ, ſatis cognoſcant.

1 Conuenit immediatè actibus elicitis à voluntate.

Ex his infertur Primò, *Eſſe morale* primò & immediatè conuenire actibus voluntatis elicitis: his enim primò & immediatè conuenit liberè fieri: ſecundariò verò & mediatè actibus imperatis: quia hi non ſunt liberi, niſi mediante actu libero voluntatis, à quo procedunt, & quodammodo informantur, vt docet D. Thom. infrà art. 5.

2 Species moralis diſtinguitur à ſpecie naturali in actibus imperatis.

Infertur Secundò, Speciem moralem in omnibus actibus imperatis eſſe diſtinctam à ſpecie naturali. Actus enim matrimonij & fornicationis ſunt eiuſdem ſpeciei naturalis, quia immediatè ab eadem potentia procedunt, & circa idem obiectum verſantur. Sunt tamen diuerſæ ſpeciei moralis, quia diuerſum ordinem habent ad iudicium rationis rectum. Idem dicendum de actu homicidij & iuſtitiæ, Idololatriæ & religionis. Denique omnes actus externi virtutum poſſunt eſſe eiuſdem ſpeciei naturalis, atque actus vitiorum.

7

Infertur Tertiò, Non repugnare vt actus elicti voluntatis, qui non habent eſſe morale, illud acquirant; & qui iam habent eſſe morale, illud amittant, manente eadem ſpecie naturali. De quo vide Gabr. in 2. diſt. 41. qu. vn. art. .

Poteſt actus qui habet eſſe morale amittere eſſe morale, & rurſus illud acquirere.

Prior pars patet, Quia fieri poteſt vt primi motus voluntatis, qui in nobis excitantur non liberè, ac proinde non habent eſſe morale: incipiant eſſe liberi ratione aduertentem obiecto aliquam conditionem mali vel defectus, & conſequenter acquirant eſſe morale, fiantque moraliter boni vel mali, nulla in illis motibus facta reali mutatione.

Altera pars patet. Quia fieri poteſt, vt actus, qui iam liberi ſunt, ac proinde habent eſſe morale, deſinant eſſe liberi, impedita rationis conſideratione, ne defectum obiecti vel actus poſſit conſiderare. Quod Deo eſt facilè efficere: quando enim id quid apprehenditur vt bonum, & intellectus non poteſt aliquem defectum in illo aduertere, neque in illius appetitione, tunc illud neceſſariò amatur; vt ſuprà oſtenſum eſt.

ARTICVLVS II.

Vtrum actio hominis habeat bonitatem vel malitiam ab obiecto?

8 Affirmatur

CONcluſio. Primam bonitatem & primam malitiam moralem actionum humanarum ſumi ab obiecto.

A ſimili de bonitate rerum naturalium.

Probatur, Quia in rebus naturalibus prima bonitas accipitur à forma. quæ dat illis ſpeciem: ergo in actionibus moralibus, prima bonitas accipitur ab obiecto, quod ſit conueniens rectæ rationi. quod inſtat formæ tribuit actioni ſpeciem moralem.

Item à ſimili de malitia rerum naturalium

Rurſus, Primum malum in rebus naturalibus eſt ex eo, quòd res non conſequatur formam ſpecificam, quam natura intendit, ſed aliã: vt ſi pro homine generetur ſimia. Ergo primum malum in actionibus moralibus eſt ex eo, quòd actio non habeat obiectum conueniens rectæ rationi, ſed diſconueniens. Conſequentia patet, ex analogia & proportione, quæ eſt inter res naturales & morales.

Item declaratur exemplis.

Idem declarari poteſt exemplis: id eò enim velle dare eleemoſynam eſt bonum, quia ſubleuare miſeriam pauperis quod eſt obiectum illius) bonum eſt: ſimiliter ideò velle mentiri malum eſt, quia mentiri quod eſt obiectum illius, eſt malum.

Sed contra hanc doctrinam obiici poteſt.

Tres obiectiones.

Primò, In obiectis ipſis nõ eſt bonitas vel malitia moralis, præſertim in obiectis actuum exteriorum: ergo obiecta non poſſunt actibus humanis bonitatem vel malitiam tribuere; non enim poſſunt dare quod non habent.

Secundò, Quia obiecta actuum, præſertim interiorum, ſunt effectus eorum: dare enim eleemoſynam, eſt effectus voluntatis interioris. Atqui cauſæ non poſſunt habere bonitatem à ſuis effectis, nam ſunt illis priores.

Tertiò, Actus exteriores habent bonitatem moralem ab interioribus: ergo interiores non habent bonitatem ab ipſis; ac proinde neque à ſuis obiectis, alioquin idem eſſet cauſa ſui ipſius.

Soluuntur.

Ad Primum Reſpondeo, In obiectis non eſſe bonitatem vel malitiam moralem formaliter, ſed cauſaliter; in actibus autem humanis formaliter: ſicut in medicina eſt ſanitas tamquam in cauſa, in animali verò vt forma in ſubiecto & ſicut in rebus eſt veritas tamquam in fundamento, in cognitione autem eſt veritas formaliter.

Quomodo cauſa poſſit habere ſuã bonitatem ab effectu.

Ad ecundum, Cauſa non habet bonitatem à ſuo effectu, quaſi bonitas effectus ſit bonitas cauſæ; ſed habet ab effectu, quia ex ordine & reſpectu ad effectum tamquam ad terminum, vel tamquam ad obiectum. Ideò enim dare eleemoſynam eſt bonum, quia tendit ad bonum terminum, ſcilicet ad leuamen miſeriæ & ſolatium pauperis; & ideò velle dare eleemoſynam eſt bonum, quia ordinem habet ad tale obiectum, ſcilicet ad donationem externam eleemoſynæ, quæ bona eſt. Rurſus, Occidere hominem eſt malum quia terminus eius priuatio vitæ, mala eſt; & velle occidere eſt malum, quia obiectum huius volitionis occidere, malum eſt.

Actus interiores habent ab exterioribus bonitatem vel malitiã: exteriores ab interioribus moralitatem.

Ad Tertium, Omiſſis variis ſolutionibus. Reſpondeo duo requiri ad bonitatem moralem, ſcilicet libertatem & conformitatem cum ratione. Similiter duo ad malitiam, ſcilicet libertatem & repugnantiam cum ratione. Actus igitur interiores ab exterioribus, tamquam ab obiectis ſuis, habent quòd ſint conformes vel difformes rationi: verùm actus exteriores viciſſim ab interioribus habent, non quòd ſint conformes vel difformes rationi, ſed quòd ſint liberi. Itaque actus interiores habent ab exterioribus bonitatem vel malitiam moralem ex parte, non integrè; & viciſſim exteriores ab interioribus, ex alia parte; non etiam integrè: ſicque nulla eſt repugnantia. Vel (quod in idem recidit) actus interiores habent ab exterioribus bonitatem vel malitiam, ex-

teriores ab interioribus moralitatem. Nam bonitas moralis duo dicit: ſimiliter malitia moralis: quæ duo à diuerſis pendent.

DVBIVM I.

Vtrùm etiam actus exteriores habeant bonitatem vel malitiam ex obiecto?

10 RAtio dubitandi eſt, Quia actus externi non habent propriè obiecta rationi conuenientia vel repugnantia, ſed ipſi potiùs ſunt obiecta reſpectu actuum internorum voluntatis.

Affirmatur. Reſpondeo, Etiam actiones exteriores habere bonitatem vel malitiam ex ſuis obiectis, etſi non tam propriè quàm interiores.

Probatur Primò, quia D. Th. hic generatim loquitur de actibus humanis tam externis quàm internis; nam de peculiari modo quo actus interni ex obiecto habent bonitatem vel malitiam, agit qu. 19. a. 1.

11 Quomodo actus externi habeant bonitatem vel malitiã ex obiecto. Secundò, Quia etiam actiones externæ dicuntur aliæ bonæ ex genere, aliæ malæ, aliæ indifferentes, idque ratione obiecti circa quod verſantur; quod obiectum, vel eſt conueniens, vel diſconueniens, vel indifferens. *Obiectum* voco perſonam cui fit aliquid, & materiam ipſam quæ contrectatur. Cenſetur autem hoc obiectum conueniens vel diſconueniens rationi rectæ, vel naturæ rationali liberè operanti; nempe vt per talem actionem circa tale obiectum agas. Quod explicatur,

12 Patet primo in actionibus bonis Primò, In actionibus bonis. Obiectum enim largitionis eleemoſynæ, eſt res quæ datur, & pauper cui datur. Sacrificij externi, eſt hoſtia quæ offertur, & etiam quodammodo Deus, cui offertur. Actus matrimonij, coniux. Reſtitutionis, res debita, & cui debetur; ſicque in cæteris. Hæc obiecta ſunt materia conueniens harum actionum. Pauper enim eſt materia conueniens, cui res illa ſecundùm rectam rationem dari poſſit. Hoſtia eſt obiectum conueniens, quæ Deo ſecundùm rectam rationem offeratur. Coniux, circa quam iſte actus fiat.

a. In actionibus malis Secundò, In actionibus malis. Nam actionis homicidij obiectum, eſt vita hominis; furti, res aliena; adulterij, coniux alterius; ſacrilegij, res ſacra. Hæc obiecta ſunt materia diſconueniens, vt actiones illæ humanæ poſſint in illis exerceri. Non enim vita hominis eſt materia conueniens, vt talis actio vitæ priuatiua abſque legitima auctoritate circa eam fiat. Neque res aliena vt auferatur. Neque coniux alterius, vt illa voluptas ex ea percipiatur. Sed hæc omnia conditionem habent his actionibus repugnantem, ob quam deberent omitti. Quòd autem ex his obiectis hæ actiones externæ ſuam bonitatem vel malitiam trahant, patet; quia quò materia circa quam verſantur, eſt excellentior, eò actus ex genere ſuo eſt melior, ſi materia ſit conueniens; vel peior, ſi non ſit conueniens. Vt actus Religionis ex obiecto ſuo ſunt meliores largitione eleemoſynæ; quia materia eſt præſtantior; illi enim exhibentur Deo, hæc proximo. Homicidium eſt peius furto; quia materia homicidij, ſcilicet vita hominis, eſt præſtantior re externa.

DVBIVM II.

Vtrùm bonitas quæ ſumitur ex obiecto ſit prima bonitas moralis in actu?

13 REſpondeo, Eſſe primam, atque adeò maximè intimam.

Probatur ratione D. Thomæ ſuprà allata. Confirmatur, Quia ſi actus conſideretur ſine ordine ad tale obiectum, non erit bonus vel malus moraliter, ſed tantùm habebit quamdam bonitatem naturalem, quæ ſupponitur bonitati & malitiæ morali, vt docet D. Thomas in 2. diſtin. 36. art. 5. vbi dicit; *Primam bonitatem actus eſſe, quam habet vt procedit ex bona virtute agentis* [id eſt, ex bona natura] *& hanc eſſe communem actibus bonis & malis. Secundam, quam habet ex obiecto. Tertiam, quam habet ex circumſtantiis obiecto additis.* Vnde ſequitur, bonitatem ex obiecto eſſe primam bonitatem moralem in actu.

Bonitas quã habet actus, vt eſt ex bona virtute agentis, eſt naturalis & genetica.

14 Medina merè arguit Scotum. Notandum, Medinam, & alios quoſdam Thomiſtas, hic accuſare & refutare Scotum, quaſi in 2. diſtin. 40. docuerit primam bonitatem moralem actuum ſumi ex conuenientia ad ſuam cauſam efficientem, quæ eſt voluntas liberè operans, non autem ex ordine ad obiectum. Sed minimè id ſentit Scotus. Ait enim: *Prima ratio bonitatis actus moralis, eſt ex conuenientia actus ad efficiens, à quo actus dicitur moralis, quia liberè elicitus, & hoc eſt commune actui bono & malo; neque enim actus eſt laudabilis aut vituperabilis, niſi ſit à voluntate.* Hæc ille. Vbi clarum eſt, Scotum non tribuere vllam bonitatem moralem actui formaliter, ex eo, quòd ſit à voluntate liberè operante, cùm dicat id eſſe commune actui malo, qui nihil bonitatis moralis habet. Itaque per primam rationem bonitatis, non intelligit aliquam rationem, qua actus ſit formaliter bonus, ſed quæ ſit prima radix bonitatis & malitiæ in actibus humanis. Libertas enim eſt prima radix, cur actus ſit bonus vel malus moraliter. Nam à libertate habet actus eſſe morale indifferens ad bonitatem & malitiam. Hęc eſt mens Scoti.

DVBIVM III.

Vtrum bonitas quæ ſumitur ex obiecto ſit ſpecifica, an generica in actibus humanis?

15 REſpondeo, Certum eſt bonitatem & malitiam quæ ſumitur ex obiecto, eſſe ſpecificam.

Ratio eſt, Quia omnes actus intellectus & voluntatis accipiunt ſuam ſpeciem ex ordine ad obiectum, in quod tendunt, quantumuis hoc obiectum ſit generale: ergo ſi hoc obiectum ſit per ſe bonum vel malum, accipient ex eo bonitatem vel malitiam ſpecificam. Conſequentia patet ex dictis. Bonitas enim ſpecifica eſt, quæ ſequitur ex forma tribuente ſpeciem, vel ex eo quod inſtar formæ ſe habet, vt eſt obiectum: ſimiliter malitia ſpecifica. Antecedens Probatur ex communi ſententia Philoſophorum & Theologorum. Confirmatur exemplis. Intellectio enim entis, veri, boni, ſubſtantiæ, accidentis, habet certam ſpeciem infimam, tamen obiecta ſunt generaliſſima. Similiter amor virtutis, propoſitum benè viuendi, odium peccati, ſunt in certa ſpecie infima, quamuis obiecta ſint generalia.

Bonitas quæ ſumitur ex obiecto, eſt ſpecifica, ſi obiectum ſit generaliſſimum.

Ab exẽplis.

Digitized by Google

Ratio eſt. Quia etſi obiecta ſint generalia, tamen reſpectus, ordo, & tendentia ad illa obiecta quæ eſt in actu humano, ſpecialis eſt, atque adeò ſingularis ſicut & actus ipſe. Non enim poteſt aliqua ratio generica exiſtere ſine ſpecifica; nec ſpecifica ſine indiuidua. Obiecta tamen ipſa poſſunt obiici intellectui & voluntati, ſecundùm ſuas rationes genericas præciſas à rationibus ſpecificis & indiuiduis.

16 Dices. Si iſti actus amor virtutis, odium peccati, &c. habent bonitatem ſpecificam, ad quam ergo virtutis ſpeciem pertinent?

Medina male refert hos actus ad iuſtitiã legalem.

Reſpondet Medina, pertinere ad Iuſtitiam legalem, vel ad Syndereſin.

Sed contrà. Iuſtitia legalis reſpicit bonum commune Reipublicæ, vt docet D. Thomas 2.2. quæſt. 58. artic. 6. Sed hi actus non fiunt ad bonum Reipubl ſed ob priuatum. Syndereſis autem eſt habitus intellectus: eſt enim cognitio habitualis primorum principiorum moralium, vt docet D. Thomas 1. part. q. 79. art. 12. Nos autem hic quærimus de virtute pertinente ad voluntatem.

Reſpondeo igitur, ſi iſti actus eliciuntur ex affectu erga Deum, erunt actus charitatis. Si autem ex affectu honeſti naturalis à recta ratione dictati, ad nullam propriè virtutem pertinent. Vt enim honeſtum in genere ametur, & peccatum odio habeatur, ſufficit naturalis inclinatio voluntatis ad bonum honeſtum, vt expreſsè docet D. Tho. infrà, quæſt. 56 art. 6. vbi ait, *Voluntatem non egere virtute ad bonum rationis voluntati proportionatum*: hoc tamen intellige de bono rationis conſiderato in genere; ſic enim præſcindit ab omnibus difficultatibus quæ occurrunt in executione. Nam ad bonum rationis applicatum propriè materiæ, voluntas eget virtute: omnis enim difficultas in virtutibus moralibus prouenit ex materia.

17 Hic tamen duo ſunt aduertenda, Primò, Hos actus potiùs eſſe affectus ſimplices & complacentias, quàm efficaces volitiones, quia verſantur circa honeſtum in genere, quod non intenditur efficaciter, niſi in particularibus virtutibus. Vnde non eſt mirum ſi naturalis inclinatio ad tales motus ſufficiat.

Ad affectus honeſti in genere concurrunt virtutes particulares.

Secundò, Ad huiuſmodi affectus, non ſolam inclinationem naturalem voluntatis, ſed etiam habitus particularium virtutum poſſe cõcurrere. Quod etſi à quibuſdam negetur, facilè tamen probari poteſt. Primò, à ſimili, Nam habitualis notitia naturæ ſpecificæ concurrit etiam ad cognitionem naturæ genericæ: ergo ſimiliter habitualis affectio ad honeſtum certæ ſpeciei, inclinat ad honeſtum in genere. Secundò, In ratione ſpecifica continetur ratio generica: ergo quod inclinat in ſpecificam, inclinat etiam in genericam. Tertiò, Ad effectum honeſti ſupernaturalis: verbi gratia. Vt quis velit viuere conuenienter homini Chriſtiano vel Religioſo, non ſufficit inclinatio naturalis, vt conſtat ex Scripturis & Conciliis: ergo hæc inclinatio debet iuuari aliquo habitu ſupernaturali. Atqui non eſt aliquis habitus ſupernaturalis proprius ad tales actus, ſed particulares virtutes infuſæ ad eos ſufficiunt: ergo ſimiliter ad effectum naturalem honeſti, iuuant virtutes particulares. Itaque cauſa præcipua cur ad huiuſmodi affectus non requiratur aliqua propria virtus, eſt quòd particulares virtutes ad illos ſufficiant.

18 Notandum hic Primò, Caietanum & Medinam in hunc locum, tribuere Scoto, ipſum docuiſſe in 2. diſtinc. 40. hanc bonitatem & malitiam quæ ex obiecto ſumitur, eſſe genericam: ſed nullo modo id eſt credibile, ſi quis eius verba expendat. Sic enim ait: *Secunda conditio eſt ex obiecto, quod ſi ſit conueniens, tunc actus eſt bonus ex genere, quia eſt indifferens ad bonitates vlteriores, quæ ſumuntur ex circumſtantiis ſpecialibus: ſicut genus eſt indifferens ad multas differentias poſt illud.* Idem iiſdem ferè verbis docet Diu. Thomas in 2. diſtin. 40. artic. 5. & Gabriel. in 2. diſt. 40. artic. 1. vbi non ſignificatur, bonitatem ex obiecto eſſe genus reſpectu bonitatis ex circumſtantiis, ſed ſolùm habere ſimilitudinem cum genere, quia ſicut genus contrahitur differentiis, ita bonitas ex obiecto modificatur circumſtantiis. Quod ex eo patet, quia bonitas ex circumſtantia finis, quæ eſt prima circumſtantiarum, ſecundùm Scotum merè per accidens ſe habeat ad bonitatem obiecti. Nam omnino per accidens eſt bonitati eleemoſynæ, quòd fiat vel ad implendum votum, vel ad ſatisfactionem peccatorum, vel ad aliquid à Deo impetrandum. Atqui differentia ſpecifica non ſe habet ad genus accidentaliter. Scotus defenditur.

Notandum Secundò, Etſi bonitas ex obiecto ſit indifferens ad bonitates vlteriores, quæ ſunt ex circumſtantiis, ſicut genus eſt indifferens ad ſuas differentias, nõ tamen inde videri acceptum hunc modum loquendi, quo bonum ex obiecto vocatur bonum ex genere, ſed potiùs ex eo, quòd nomen generis paſſim vſurpatur pro ſpecie, vt rectè hoc loco D. Thomas: dicimus enim genus humanum, genus ouium, &c. Vnde idem valent opus bonum vel malum ex genere, ex ſpecie, ex obiecto, ex natura ſua. 19 Opus bonũ vel malum ex genere, ex ſpecie, ex obiecto, ex natura ſua, pro eodem accipiuntur.

DVBIVM IV.

Quomodo obiectum debet eſſe volitum vt actus habeat bonitatem vel malitiam ex obiecto?

20 Bonitas obiecti debet eſſe directe volita.

Respondeo & Dico Primo, Vt actus interior voluntatis ſit bonus ex obiecto, non ſufficit obiectum eſſe honeſtum, ſed etiam debet eſſe volitum, quia honeſtum, ſeu propter bonitatem honeſti. Colligitur ex Ariſtot. 2. Ethicor. 4. vbi docet, *Opus virtutis debere fieri propter bonum virtutis.*

Probatur Primo, Quia velle aliquod bonum verbi gratia. Intereſſe officio diuino, quia delectabile aut naturæ commodum, aut vtile ſeu lucroſum, non eſt laudabile, nec opus virtutis, idque ideo, quia etiamſi velit illud, quod eſt bonum & honeſtum, non tamen quia honeſtum.

Secundo, Quia ſicut bonitas in genere eſt obiectum formale volitionis in genere, ita bonitas honeſta eſt obiectum formale volitionis honeſtæ: ac proinde vt volitio ſit moraliter bona, tendere debet in bonum honeſtum propter ipſum.

Tertio, Quia bonitas voluntatis conſiſtit in quadam tendentia in bonitatem obiecti: quæ tendentia fieri debet perfecto modo [bonum enim idem eſt quod perfectum:] atqui non eſt perfecta tendentia in bonitatem obiecti, niſi in eam tendatur tamquam in rationem formalem obiecti: ergo &c.

21 Malitia nõ debet eſſe directe volita.

Dico Secundo, Vt actus interior ſit malus ex obiecto, non eſt neceſſarium, vt obiectum ametur propter ſuam malitiam, aut vt malitia aliquo

modo directe ſit volita, ſed ſufficit eam eſſe obiecto ita coniunctam, vt ipſa cenſeatur interpretatiuè volita, quando quis vult obiectum. Verbi gratia. Velle actum fornicationis vel adulterij, eſt malum ex obiecto; & tamen ratio volendi non eſt turpitudo ſeu malitia obiecti, ſed voluptas, [quæ per ſe eſt indifferens, cùm etiam in matrimonio reperiatur.] Imò peccator veller omnem illam turpitudinem abeſſe, & opus eſſe honeſtum & laudabile. Quia tamen vult illud opus, cui hic & nunc talis turpitudo eſt annexa; vult illud totum vt eſt: & ita cenſetur interpretatiuè velle ipſam turpitudinem. Qui enim vult principale, vult acceſſorium illi annexum.

18 Cur potiùs bonitas debet eſſe directè volita, quàm malitia?

Dices, Cur potiùs bonitas obiecti debet eſſe directè & propter ſe volita, quàm malitia?

Reſpondeo Primò, Quia bonum eſt per ſe expetendum; malum autem non poteſt per ſe appeti, ſed ſolùm propter bonum, cui concipitur annexum.

Secundò, Quia bonitas actus requirit perfectam tendentiam in obiectum, vt dictum eſt: ad malitiam autem ſufficit quæuis tendentia quantumuis imperfecta, cuius ſignum eſt, quod actus qui eſt ex ignorantia culpabili, ſit malus, etiamſi malitia obiecti non ſit volita niſi imperfectiſſimo modo. Et ratio eſt, *quia bonum ex integra cauſa dicitur: malum autem ex ſingulis defectibus*, vt ait Dionyſius c. 4. diuin. nom. id eſt, Vt aliquid ſit bonum, requiruntur omnia quę ad eius perfectionem ſunt neceſſaria. Bonum enim idem eſt quod perfectum ſeu completum. Vt verò ſit malum, ſufficit vel vnus defectus.

ARTICVLVS III.

Vtrùm actio hominis ſit bona vel mala ex circumſtantiis?

21 Ex circumſtantiis creſcit bonitas vel malitia

Conclusio: Actus humani non habent totam bonitatem vel malitiam ex obiecto, ſed incrementum accipiunt ex circumſtantiis. Probatur ex analogia rerum naturalium, quæ non habent omnem ſuam perfectionem à forma ſubſtantiali, ſed magnam partem ab accidentibus

24 Nota Primò, D. Thom. loqui de circumſtantiis quæ manent circumſtantiæ, id eſt, quæ non tranſeunt in rationem obiecti; quales ſunt omnes illæ, quæ non ſunt neceſſariæ, vt actus ſit moraliter bonus vel malus, ſed actui conſtituto in ſpecie boni vel mali ſuperueniunt, vt ſunt maior & minor cognitio, libertas, conatus, continuatio, quantitas materiæ, euentus conſequens, perſonę dignitas &c. harum enim augmentũ actus bonos facit meliores, malos verò peiores, manente eadem ſpecie quam habent ex obiecto. Patet in largitione eleemoſynæ, quæ eò eſt melior, quò ſit maiore cognitione boni (perfecta enim cognitio facit actum magis voluntarium) maiore feruore, maiore libertate, quantitate longiori tempore, perſonæ digniori. Similiter in furto, quod eò eſt peius, quo notitia malitiæ eius, vel conatus vel libertas, vel materiæ quantitas, vel continuatio maior fuerit, vel euentus nocentior. Illæ autem circumſtantiæ quæ neceſſariæ ſunt, vt actus conſtituatur in ſpecie boni vel mali, non ſunt ampliùs circumſtantiæ, ſed tranſeunt in rationem obiecti. Sic velle accipere alienum, retinere depoſitum, cognoſcere non ſuam, non eſt malum ex circumſtantia ſed obiecto, quia conditiones illæ obiectis adiunctæ, ſunt neceſſariæ vt actio ſit mala, ſeu vt conſtituatur in ſpecie mali.

Quando circumſtantiæ tranſeũt in rationem obiecti, & quãdo non.

Nota Secundò, Ad bonitatem vel malitiam moralem non eſſe neceſſarias circumſtantias, Nam poteſt actus ſufficientem habere bonitatem vel malitiam ex obiecto, vt patet in amore Dei, in odio Dei, & in omnibus actibus ex obiecto bonis vel malis: tamen quia plerumque reipſa non fiunt ſine circumſtantiis, ideò vt plurimùm habent incrementum boni vel mali ex circumſtantiis. 25

DVBIVM.

Quomodo bonitas ex circumſtantiis iungatur bonitati quæ ex obiecto, in actu interno & externo.

Reſpondeo & Dico primò, Si loquamur de actu interno, bonitas ex circumſtantiis coniungitur bonitati obiecti per modum diuerſorum reſpectuum, quo actus habet ad ſuas circumſtantias. 26 In actu interno bonitas ex circumſtantiis conſiſtit in ordine, quẽ habet actus ad circumſtantias tãquam ad obiecta ſecundaria.

Probatur, Quia ſicut bonitas ex obiecto conſiſtit in ordine quem habet actus ad obiectum, vnde ſumit ſuam ſpeciem: ita bonitas ex circumſtantiis conſiſtit in ordine quem habet actus ad circumſtantias, tamquam ad obiecta quædam ſecundaria, ſaltem interpretatiuè volita. Patet, exẽplo ſupra poſito. Qui enim dat eleemoſynam cum illis circumſtantiis, non ſolùm vult eleemoſynam ipſam, ſed etiam vult omnes circumſtantias: nam vult illã cum tali notitia, libertate, &c. Itaque vult illas tamquam circumſtantias. Nam id quod principaliter vult, vult præſtare cum omnibus illis circũſtantiis: cuius ſignum eſt quòd ſi aliqua circumſtantia ſit, quam ipſe nullo modo, ne confusè quidem aduertat vel aduerterit, ea non erit illi circumſtãtia, nec aliquam bonitatem operi tribuet: quia quod prorſus eſt incognitum, non poteſt eſſe voluntarium.

Similiter ferè modo malitia ex circumſtantia, coniungitur malitiæ quam habet actus ex obiecto, vt patet in voluntate furandi: qui enim furatur, non ſolùm vult accipere alienum, ſed etiam vult cum circumſtantiis quas videt operi coniunctas: & quamuis aliquæ ex iſtis ſecundùm ſe diſpliceant, tamen cenſetur illas abſolutè velle, quia vult opus, cui ſcit eſſe annexas. Declaratur exemplo. Sit aliqua domina pulcherrima, habens multas pediſſequas indiuiduas comites, quæ tamquam harpyę omnia deuorent, vbi ſemel penetrauerint, qui vult admittere hanc dominam, neceſſariò etiam vult admittere has pediſſequas, ſine quibus ſcit dominam non ingreſſuram. Sic qui vult voluptates, vel compendia illicita, neceſſariò etiam vult mala annexa, quæcumque demum ea ſint. Itaque malitia ex circumſtantiis conſiſtit in ordine, quem habet actus ad circumſtantias. 27 Idem eſt de malitia ex circumſtantiis. A ſimili.

Dico Secundò, ſi loquamur de actibus exterioribus, bonitas & malitia ex circumſtantia non coniungitur bonitati vel malitiæ ex obiecto, niſi ſecundùm æſtimationem moralem, quatenus actus ratione circumſtantiarum cenſetur eſſe magis vel minùs conformis vel diſformis rationi. Quod enim eleemoſyna detur tali fine, tali neceſſitate, tali perſonæ, nihil ponit in ipſo actu externo, niſi quòd actus ob concomitantiam talium circumſtantiarum, apprehendatur vt melior. 28 Secùs eſt in actu externo.

igitized by

ARTICVLVS IV.

Vtrum actio hominis sit bona vel mala ex fine?

29 Affirmatur. CONclusio. Actio humana præter bonitatem quam habet ab agente & obiecto, habet etiam aliquam ex fine.

Probatio D. Thomæ est obscura; mens videtur hæc Res omnis ab alio dependens, ab eodem habet aliquam bonitatem, à quo habet aliquam dependentiam sui esse: atqui esse actionis humanæ pendet non solùm ab agente & obiecto, sed etiam à fine, à quo res omnis habet suum complementum: ergo actio humana habet bonitatem non solùm ab agente & obiecto, sed etiam ex fine, & quidem præcipuè tamquam à causa vnde res habet suum complementum, & vltimam perfectionem.

Dices, Hæc ratio solùm probat de bonitate; sed probandum quoque erat, malitiam ex fine sumi.

Respondeo, Id probandum simili modo. Si enim complementum bonitatis actus pendet à fine boni, complementum malitiæ pendebit ex fine mali; vt quando actus est malus non solùm ex obiecto, sed etiam ex fine. Exemplum sit, cùm quis furatur, vt mœchetur cùm facit homicidiú, vt spolict.

30 Quadruplex bonitas actu. Hinc sequitur, Quadruplicem bonitatem in actibu considerari posse. Prima est, Naturalis & generica, quam actio habet, vt est actio vitalis habens esse ab agente. Hanc D Thomas vocat bonitatem secundùm genus, eáque communis actibus bonis & malis

Secunda, Moralis quam actus habet ex obiecto consentaneo rationi, suppositá libertate.

Tertia Quam habet à circumstantiis, veluti quibusdam accidentibus, quæ tribuunt esse accidentarium. Hoc intellige de circumstantiis distinctis à fine

Quarta, Quam habet à causa finali, quæ est præcipua causarum, à qua pendet rei complementum.

31 Dices, Artic. 3. ostensum est, actionem humanam habere aliquam bonitatem & malitiam à circumstantiis: atqui finis est aliqua circumstantia: ergo etiam ex fine: ergo superuacaneè hic quæritur, vtrùm actio sit bona vel mala ex fine

Respondeo Negando consequentiam. Primò Quia finis non est tantùm circústantia, sed etiam est causa actus, vnde potissimùm eius malitia & bonitas pendet. Itaque explicanda erat propria ratio, qua finis tribuit bonitatem vel malitiam. Secundò, Quia etsi finis sit circumstantia actus exterioris, tamen non est circumstantia actus interioris voluntatis, sed transit in obiectum; vt docet Caietanus hic, & D. Th. infrà, art. 6. & patet ex dictis suprà qu. 8. art 3.

32 Explicatur D. Thom. Notandum *in resp. ad* 1. quando D. Thomas ait actionem, quę secundùm suam speciem & circumstantias bona est, posse ordinari ad malum finem, id non esse sic intelligendum, sicut hic explicat Caietanus, quasi D. Thomas sub circumstantiis comprehendat circumstantiam finis, velitq; actum bonum ex obiecto & circumstantiis omnibus, etiam fine, posse ordinari ad malum finem: sed tantùm vult dicere actionem bonam secundùm speciem & omnes circumstantias, excepto fine, posse ordinari ad malum finem, ob causam dictam. Et sanè id quod Caietanus dicit fieri non posse, patebit infrà.

ARTICVLVS V.

Vtrùm aliqua actio hominis sit bona vel mala in sua specie?

CONclusio, Bonum vel malum in obiecto faciunt diuersitatem specificā in actibus moralibus. Probatur, quia sunt differentiæ per se in genere moris.

33 Actus boni specie differunt à malis in genere moris.

Notandum, Mentem D Thomæ esse, omnes actus bonos specie differre ab actibus prauis, non entitate naturali, sed in genere moris. Ratio est, quia esse morale consistit in ordine actus ad iudicium rationis rectæ. Qui ordo generatim est triplex, scilicet conformitatis, difformitatis & indifferentiæ. Itaque conformitas, difformitas & indifferentia ad iudicium rationis rectæ, sunt actus morales Proueniunt autem hæ differentiæ in actibus ex obiectis: Ideò enim actus sunt tales, quia versantur circa obiectum conforme, difforme, indifferens.

Triplex esse actus ad iudicium rationis in genere moris.

DVBIVM.

Vtrum bonum & malum sint etiam differentiæ essentiales actuum, secundùm esse naturale consideratorum?

34 Sententia Conradi. CONradus in hunc art. docet, bonum & malum aliter esse differentias actuum exteriorum, aliter interiorum *Quia*, inquit, *actus exteriores non differunt per illas differentias in genere entis, sed solùm in genere moris. Actus verò interiores*, inquit, *quia per se ad genus moris pertinent, idò ex bono & malo quod est in obiecto, distinguuntur tamquam per differentias essentiales.* Sentit igitur bonum & malum, respectu actuum exteriorum in ratione entis consideratorum, esse solùm accidentia: sed respectu actuum interiorum voluntatis, secundùm suam entitatem realem consideratorum, esse differentias essentiales.

Ratio ipsius est Primò Quia bonum & malum sunt differentiæ per se actus voluntatis, vt inquit D. Thomas tùm hoc loco, tùm qu. seq artic. 1. Secundò, Quia bonum & malum ita se habent ad actum voluntatis sicut verum & falsum ad actum intellectus. Sed actus intellectus per se distinguuntur differentia veri & falsi, vt idem D. Thomas ait: ergo, &c. Tertiò, Quia actus voluntatis per se pertinent ad genus moris: ergo bonum & malum non conueniunt illis accidentaliter; sed vt differentiæ essentiales.

Sed contraria sententia est vera, quàm docet Caietanus hic & quæst. 19 art. 1. & Medina ibidem Et Durandus in 2. dist. 40. quæst. 2. & 3. pro qua.

Dico Primò, Bonum & malum morale respectu actuum exteriorum in genere naturæ consideratorum sunt merè accidentia [accepto hoc nomine latè] vel denominationes extrinsecæ, quæ possunt abesse & adesse, manente eadem specie actus in genere naturæ.

35 Bonum & malum morale, respectu actuum externorum in natura considerato-rum, sunt merè accidentia.

Patet exemplis. Homicidium enim in ratione entis est eiusdem speciei, cuius est actus iustitiæ; tamen specie differt in genere moris. Similiter adulterium & actus matrimonij Denique omnes actus externi possunt esse eiusdem speciei naturalis in stulto & in sapiente, tamen in stulto non

Digitized by Google

non habebunt ſpeciem moralem boni vel mali, in ſapiente habebunt. Ratio eſt, quia non ſolùm eſſe morale eſt accidentarium actui externo, ſed etiam quòd cum his vel illis circumſtantiis fiat, cum quibus eſt conueniens rationi, vel diſconueniens.

16 Item, malũ morale reſpectu actuũ interiorũ.

Dico Secundo, Malum morale reſpectu actuum interiorum voluntatis in genere naturæ conſideratorum, non eſt indifferentia eſſentialis; ſed accidentaria.

Probatur Primò, Idem actus interior, qui priùs non habebat malitiam moralem, poteſt eam incipere habere. Primi enim motus prauivoluntatis, antequam ratio aduertat eſſe prauos, non ſunt moraliter mali: poſtquam autem aduertens negligit comprimere, incipiunt eſſe mali. Et è contrario qui habebant malitiam moralem, poſſunt deſinere eam habere, ſi ratio deſinat obiecti prauitatem aduertere: & tamen in his nulla fit variatio ſecundùm eſſe naturale: ergo differunt in illis ſpecies naturalis & moralis. Sed hoc argumentum tantùm probat malum non eſſe differẽtiam eſſentialem, ſi conſideretur vt actu habet eſſe morale; quod facilè conceſſerit Conradus: quia actualis libertas non eſt de eſſentia actus voluntatis. Vnde probandum eſt, malum ſecundùm ſe, vt præſcindit ab actuali libertate, non eſſe differentiam eſſentialem actus.

Probatur igitur Secundò, Quia in eodem actu poteſt eſſe duplex ſpecies mali: vt patet in voluntate furandi rem depoſitam in loco Sacro, in qua eſt malitia furti, & malitia ſacrilegii, quæ ſpecie diſtinguuntur: atqui nulla res ſimplex poteſt habere duas ſpecies naturales, ſeu eſſe in duabus ſpeciebus; ſed benè poteſt habere duo accidentia.

Tertiò, Omnis volitio habet ſuam ſpeciem naturalem ab obiecto formali, quod eſt per ſe ratio volendi: atqui malitia moralis non poteſt per ſe eſſe ratio aliquid volendi: nemo enim intendẽs in malum operatur: ergo nõ poteſt dare ſpeciem naturalem actui voluntatis.

Quartò, Ratio volendi ſemper eſt aliquod bonum vel delectabile, vel naturæ conueniens, vel honeſtum: atqui ratio volendi tribuit ſpeciem naturalem actui voluntatis: ergo omnis volitio mala habet ſpeciem naturalem à bono delectabili, vel conuenienti naturæ. Atqui tali bono eſt accidentarium, quòd ſit contra rationem. Nam eadem delectatio quæ eſt cõtra rationem propter aliquas circumſtantias, poteſt eſſe ſecundùm rationem mutatis circumſtantiis: ergo ſimiliter ſpeciei naturali actus voluntatis accidentarium eſt, quòd ſit mala.

17 quomodo bonum morale nõ tribuat, & quomodo tribuat actui voluntatis ſpeciẽ naturalem

Dico Tertiò, Bonũ morale, etſi conſideratum vt actu & formaliter habet eſſe morale, non conſtituat ſpeciem naturalem actus voluntatis; tamen ſi conſideretur præcisè & ſecundùm ſe, vt poteſtate duntaxat habens eſſe morale, ſic videtur differentia ſpecifica conſtituens ſpeciem naturalem actus voluntatis.

Prior pars probatur, Quia fieri poteſt vt actus moraliter bonus amittat eſſe morale, ſcilicet amittendò eſſe liberum; vt ſuprà art. 1. Si amittit eſſe morale, neceſſariò etiam amittit bonitatem actu moralem, quæ ſupponit eſſe morale. Pari modo fieri poteſt, vt actus tendens in obiectum honeſtum, non habeat eſſe morale [vt patet in affectibus primis diuinitus inſpiratis] & poſteà ratione attendente, incipiat habere eſſe morale, & conſequenter bonitatem moralem actu.

Altera pars probatur, Quia bonum morale quod eſt in actu interno voluntatis, præcisè conſideratum, conſiſtit in ordine ſeu habitudine ad obiectum honeſtum: hic autem ordo tribuit actui voluntatis ſpeciem: quia omnis actus accipit ſpeciem naturalem ex ordine ad obiectum formale: ergo bonum morale tribuit actui voluntatis ſpeciem naturalem. Vnde in actu voluntatis non diſtinguuntur ſpecies naturalis actus & ſpecies moralis, ſed vna eademque ſpecies actus, quæ præcisè conſiderata abſque actuali libertate, eſt ſpecies naturalis actus, ſit ſpecies moralis hoc ipſo quo ſuperuenit libertas. Secus eſt de actibus malis: malitia enim actus non conſiſtit in habitudine ad obiectum formale tribuente ſpeciem naturalem actui, ſed in habitudine ad aliquid annexum obiecto. Vnde in actu malo differt ſpecies moralis à naturali: Species enim naturalis accipitur ex ordine quẽ actus habet ad obiectum formale, quod eſt cõmodum naturæ, vel bonum delectabile: moralis verò ex ordine ad aliquid annexum illi obiecto, vt quod illa res ſit ſacra, quòd illa mulier, ſit vxor aliena, &c.

In bonis actibus non diſtinguitur ſpecies naturalis & moralis.

Secus eſt in actibus &c.

18 Reſponſio ad Argumenta Conradi.

Ad primam rationem Conradi Reſpondeo, Dupliciter intelligi poſſe bonum & malum eſſe differentias per ſe actus voluntatis, Primò, vt illud *per ſe* iungatur cum actu voluntatis: & ſic ſenſus eſt, bonum & malum conuenire actibus voluntatis immediatè, non mediante alio actu, ſicut conuenit actibus imperatis à voluntate, qui non ſunt immediatè boni & mali moraliter, ſed ſolùm mediante actu voluntatis quo informantur, vt docet D. Thomas art. 6. Hoc modo teſtimonium iſtud nihil probat. Secundò, Vt illud *per ſe*, iungatur cum differentiis; vt ſenſus ſit, bonum & malum eſſe differẽtias eſſentiales actuum voluntatis: ſed tunc vt verum ſit, intelligendum eſt de actibus conſideratis non ſecundùm eſſe naturale ſed morale.

Ad ſecundam rationẽ. Hoc argumento probatur potius cõtrarium, quia verum & falſum ſunt quaſi accidentia actuum intellectus. Idem enim aſſenſus vel numero vel ſaltẽ ſpecie poteſt ex vero fieri falſus, & contra, vt docet Ariſtoteles in Categoriis: quia aſſenſus verus nihil habet ex parte ſua quo differat à falſo, nec falſus quidquam in ſe habet quo differat à vero: ſed merè per extrinſecã denominationem dicitur verus aut falſus: nempe ex eo quòd res ſic ſe habeat, vel non habeat, ſicut iudicium dictat. Quod intellige de aſſenſu naturali & obſcuro. Secus enim res habet in aſſenſu ſupernaturali fidei, cui non poteſt dari ſimilis ſpecie, qui ſit falſus: ſecus etiam eſt in aſſenſu naturali claro, qui euidenter attingit connexionem extremorum, ita vt ex modo quo ſit, non poſſit ei ſubeſſe falſum. Dicit autem D. Thomas Actus intellectus *per ſe* diſtingui differentia veri & falſi, non quòd verum & falſum ſint differentiæ eſſentiales, ſed quia immediatè conueniunt actibus intellectus, ſicut bonum & malum actibus voluntatis.

Explicatur D. Thom.

Dices, Hinc ſequi videtur etiam Bonum non eſſe differentiam eſſentialem actus voluntais, ſicut verum non eſt differentia eſſentialis actus intellectus.

Reſpondeo. Tantum ſequi bonum conſideratum, vt actu habens eſſe morale, non eſſe differẽtiam eſſentialem, quia eſſe morale actuale, eſt denominatio extrinſeca, reſpectu actus voluntatis: ſicut eſſe verum, eſt denominatio extrinſeca aſſẽſus obſcuri intellectus, vt dictum eſt. Si verò cõſideretur bonum, vt potentia habens eſſe morale, ſic non ſequitur: quia hoc modo eſt differentia eſ-

ſentialis conſtituens ſpeciem naturalem actus voluntatis. Quod confirmatur exemplo propoſito; ita enim ſe habet bonum ad actum virtutis voluntatis, ſicut verum ad actum virtutis intellectus: ſed verum eſt quaſi differentia eſſentialis actus virtutis intellectualis (talis enim actus numquam poteſt eſſe falſus:) ergo bonum eſt differentia eſſentialis actus virtutis pertinentis ad voluntatem: debet enim fieri comparatio inter actus virtutum vtriuſque potentiæ, quibus perfectè attingitur bonum, & verum.

Ad tertiam rationem. Actus voluntatis *per ſe* ad genus moris pertinent, quia immediatè abſq; actu medio: ſicut è contrario actus imperati à voluntate, ſolùm *per aliud* & mediatè ad genus moris pertinent.

39 ſoluuntur obiectiones.

Obiicies Primò, Id quòd directè & per ſe eſt volitum, tribuit ſpeciem naturalem actui voluntatis: atqui malitia obiecti poteſt eſſe directè volita, vt patet in odio Dei, in amore peccati vt eſt offenſio Dei: ergo ſaltem tunc tribuit ſpeciem naturalem actui.

Malitia nõ poteſt per ſe eſſe volita.

Reſpondeo Negando minorem. Poteſt enim malitia eſſe directè volita, non tamen *per ſe*, id eſt, ita vt non propter aliud; quia malitia non eſt per ſe amabilis: vt patet in odio Dei; qui enim odit Deum, vult Deum non eſſe, non quòd hoc per ſe ei placeat; ſed quia placet carentia pœnæ quam Deus infert, & licentia vitæ quam prohibet. Sic qui amat peccatum, quatenus eſt offẽſio Dei, quod propriè diabolicum eſt, non amat ipſam offenſionem per ſe, ſed quia per illum ſe quodammodo de Deo vindicat.

Obiicies Secundò, Vitia inclinant ad actus moraliter malos: atqui non inclinant niſi ad ſpeciem naturalem actuum: ergo ſpecies naturalis non diſtinguitur à morali in vitiis.

Reſpondeo Negando Minorem. Etſi enim non inclinent primariò ad malitiam moralem; tamen abſolutè in eam inclinant, tamquam ad quid annexum ſpeciei naturali actuum, ſicut etiam inclinant ad rationem demeriti. Primariò enim & ex natura ſua inclinant ad ſpeciem naturalem actuum: ſecundariò autem, tamquam ad quid annexum ſpeciei naturali in agente libero, inclinant ad malitiam moralem, quæ eſt conditio quædam accidentaria ſpeciei naturalis.

40 Dices, Ergo nullus habitus eſt eſſentialiter vitium, ſed ſolùm per accidens; quia ſolùm per accidens inclinat ad malitiam moralem actus.

Nullus habitus eſt eſſentialiter vitium.

Reſpondeo, Concedendo totum, ſi loquamur de habitu vitioſo conſiderato ſecundùm ſuam ſpeciem naturalem. Sicut enim ſpecies naturalis actus vitioſi, accipitur ex ordine ad aliquod bonum delectabile, vel commodum naturæ, cui annexa eſt aliqua turpitudo; ita ſpecies naturalis habitus vitioſi. Vnde non eſt de eſſentia illius habitualis inclinationis, quòd inclinet in malum morale; ſed quòd inclinet in aliquod bonum delectabile, vel commodum, cui ratione alicuius circumſtantiæ vel præcepti connexa eſt malitia. Secus in virtutibus: harum enim habitus eſſentialiter & per ſe primò inclinant in bonum honeſtum qua non tale; non tamen in eſſe morale actuale, ſeu in libertatem: quia inclinatio virtutis eſt naturalis & ad vnum determinata.

Habitus virtutum eſſentialiter ſunt virtutes.

ARTICVLVS VI.

Vtrum actus habeat ſpeciem boni vel mali ex fine?

41 PRima Concluſio. Actus interior voluntatis accipit ſpeciem boni vel mali ex fine. Ratio eſt, quia accipit ſpeciem ab obiecto; finis autem eſt obiectum voluntatis: ergo accipit ſpeciem à fine.

Secunda Concluſio. Actus exterior ſecundùm ſe conſideratus, accipit ſpeciem ſuam ab obiecto ſeu materia. Patet in homicidio, ſacrilegio, furto, &c.

Tertia Concluſio. Actus exterior conſideratus vt eſt actus humanus ſeu moralis, accipit ſpeciem boni vel mali ex fine. Probatur, quia actus exterior non eſt actus humanus, niſi quatenus eſt voluntarius: atqui voluntas accipit ſpeciem à fine: ergo &c. Hinc ſequitur,

Quarta Concluſio. Actus humanos formaliter conſideratos habere ſpeciem à fine: materialiter autem ab obiectis actuum exteriorum. Probatur, Quia actuum humanorum pars formalis, eſt actus interior voluntatis, qui habet ſpeciem à fine: pars autem materialis eſt actus exterior, qui habet ſpeciem à materia circa quam.

42 Medium vel ob ſuã, vel ob alienam bonitatem appetitur.

Notandum, Actum interiorem voluntatis verſari immediatè vel circa finem, vel circa medium: hoc autem medium vel habet aliquam bonitatem per ſe amabilem, quæ tamen vlteriùs ſit vtilis ad aliud bonum; vt opera virtutum ſunt amabilia ob propriam honeſtatem, & tamen vlteriùs ſunt vtilia ad ſalutem, & ob hanc vtilitatem amabilia: Vel non habet aliquam talem bonitatem, ſed ſolùm eſt amabile propter aliud; vt pharmacum ob ſanitatem, opera pœnitentiæ ob ſatisfactionem. Rurſus, medium quod eligitur ob aliquem finem, vel eſt actus exterior, vt ſumere pharmacum; vel actus interior voluntatis, vt amare Deum, dolere de peccatis propter Deum, velle dare eleemoſynam ad ſatisfactionem pro peccatis. His poſitis, duo ſunt certa.

Medium vel eſt actus interior vel exterior.

Actus interior voluntatis, habet ſpeciem boni vel mali ex fine.

Prius eſt, actum interiorem voluntatis, qui immediatè verſatur circa finem, vt amor, intentio, fruitio, habere ſpeciem boni vel mali ex fine. Ratio, eſt, quia finis eſt immediatum obiectum talis actus. Ob hanc cauſam actus diuerſarum virtutum diſtinguntur ſpecie boni; quia verſantur immediatè circa diuerſos fines, id eſt, circa diuerſa obiecta per ſe amabilia: & actus diuerſorum vitiorum diſtinguuntur ſpecie mali; quia verſantur circa diuerſos fines, qui diuerſo modo rationi rectæ repugnant; vt in voluntate furti, adulterij, &c. Et hæc eſt primaria ſpecies boni vel mali in actu intentionis.

Alterum eſt, actum electionis, medij per ſe indifferentis, non habere ſpeciem boni vel mali ex medio, ſed tantùm ex fine ad quem hoc medium dirigitur. Itaque ſi finis eſt bonus, electio erit bona, ſi malus, mala. Et hæc quoque eſt primaria ſpecies boni & mali in huiuſmodi electione. Sed duo ſunt Dubia.

Digitized by Google

DVBIVM I

Vtrum, Quando aliquod opus externum per ſe bonum eligitur ob alium finem, electio illa habeat primariam ſpeciem boni ex intrinſeca bonitate medij, accidentariam autem ex fine? Similiter quando medium eſt per ſe malum, & refertur ad aliud malum, tamquam ad finem?

41 Sententiæ medinæ.

QVidam, inter quos Medina ſuprà artic. 4. & quæſt 19. artic. 2. putant in hoc caſu electionem illam habere duplicem ſpeciem. Vnam ex ordine ad propriam bonitatem medij; & hanc eſſe primariam, & eſſentialem, ratione cuius ſpeciei ipſa ſit actus elicitus à propria virtute. Alteram ex ordine ad finem extrinſecum; hanc eſſe ſecundariam & accidentalem, quæ competat electioni; vt eſt actus imperatus à virtute propria illius finis. v. g. Vis dare eleemoſynam vt placeas Deo: primariam ſpeciem illius voluntatis dicunt eſſe ex habitudine ad honeſtatem eleemoſynæ; ideoque eſſe actum elicitum à virtute miſericordiæ: ſecundariam autem & accidentalem eſſe ex relatione ad gratificandum Deo; & hac ratione eſſe actum imperatum à charitate. Similiter cùm quis vult ieiunare vt ſatisfaciat pro peccatis; hanc voluntatem eſſe actum imperatum à iuſtitia, elicitum à virtute abſtinentiæ.

Fundamentum eſt, Quia quando medium eſt per ſe bonum vel malum, accidentarium ei eſt, quòd ordinetur ad alium finem: ergo finis ille ſolùm ſe habebit vt circumſtantia, non autem vt obiectum reſpectu illius electionis.

Sed contraria ſententia eſt verior. Pro qua

44 Dico Primò, Quando medium quod eligitur, eſt ſecundùm ſe malum, & finis ob quem eligitur, malus, tunc electio habet duplicem ſpeciem malitiæ, ſcilicet ex fine, & ex medio. Patet exemplo Ariſtotelis. Cùm quis vult furari, vt mœchetur, hæc enim voluntas habet malitiam furti & adulterij, quæ ſunt duæ ſpecies malitiæ. Sic cùm quis vult occidere, vt ſpolier, volitio illa habet malitiam homicidii & furti. Ratio eſt, quia vt voluntas contrahat aliquam ſpeciem malitiæ, non eſt neceſſe vt illa malitia ſit propter ſe, aut etiam directè volita, ſed ſufficit vt illud ſit volitum, cui ipſa eſt annexa: tunc enim & ipſa cenſetur volita interpretatiuè: quod ſatis eſt vt actui ſpeciem mali tribuat, vt dictum eſt ar 2. dub 4. Itaque propria malitia medij non minùs tribuit ſpeciē actui voluntatis, quam malitia finis. Neque mirum eſt poſſe eſſe duas ſpecies malitiæ in eodem actu ſimplici, quia reſpectu ſubſtantiæ actus, ſunt accidentariæ.

45 Dices, D. Thomas hoc loco docet actum interiorem accipere ſpeciem boni vel mali ex fine, eò quòd finis ſit obiectum actus interioris: ergo in actu interiore non eſt niſi vna ſpecies malitiæ, ſcilicet quæ accipitur ex fine.

Reſp. D. Thomam non negare, quin in electione praui medij ob prauum finem, ſit duplex ſpecies malitiæ, ſed tantùm vult illam ſpeciem quæ accipitur à prauitate finis, eſſe principalem in actu interiore. Electio enim illa qua quis vult furari, vt adulterium committat, magis eſt affectus adulterii, quàm furti, quia non tendit in furtum propter furtum, id eſt, propter furti commodum, ſed propter adulterium, id eſt, adulterii voluptatem. Vnde magis cenſetur malitia adulterii eſſe volita, & tribuere ſpeciem, quàm malitia furti: quia ſicut in electione cenſetur magis eſſe volita bonitas finis, quàm bonitas medii, ita etiam inordinatio annexa fini, magis cenſetur volita, quàm ea quæ eſt annexa medio. Itaque malitia ex fine accepta, erit principalis, ex medio autem, ſolùm acceſſoria.

Aduerte tamen, contrario modo contingere in actu externo: dum enim committis furtum ob adulterium, iſtud furtum externum habet malitiam furti tamquam principalem, & veluti eſſentialem, malitiam adulterii, ſolùm acceſſoriam.

Ex his intelligi poteſt, quomodo verù ſit quod 46 ait Ariſtoteles 5. Ethic. cap. 2. *qui furatur propter adulterium, magis eſt adulter quàm fur*: hoc enim verum eſt, non quia illud furtum magis eſt adulterium, quàm furtum, vt Medinæ placet, hoc enim falſum eſt, ſed quia affectus illius hominis magis tēdit in adulterium, quàm in furtum: habet enim duos affectus interiores tendentes in adulterium, ſcilicet intentionem adulterii & electionem furti propter adulterium, quæ electio etiam tendit in adulterium tamquam in rationem formalem obiecti. In furtum autem ſolùm habet vnum affectum, qui tamen non tendit in furtum propter furtum, ſed propter adulterium, & ita magis in adulterium quàm in furtum, iuxta illud, *propter quod vnum quodque, & illud magis.*

Dico Secundò, Etiamſi medium quod eligitur, per ſe bonum ſit, ſi tamen ordinetur ad alium finem bonum, electio huius medii non habebit vllam ſpeciem boni ex medio, ſiue primariam, ſiue acceſſoriam, ſed ſolùm ex fine. Verbi gratia. Si velis eleemoſynā, vt placeas Deo, illa volitio habet ſpeciem virtutis ex fine, non ex medio: vnde eſt actus charitatis in Deum, non miſericordiæ in proximum. Si velis eleemoſynam, vt ſatisfacias pro peccato, eſt actus iuſtitiæ, non miſericordiæ. Si velis ieiunium, vt ſatisfacias voto, eſt actus religionis, non abſtinentiæ. Loquor autem de actu interno, non de externo.

47 Electio medii non habet vllam ſpeciem boni, ex propria bonitate medii.

Colligitur ex D. Th. hoc loco, & ex Ariſtotele 2. Ethic. c. 4. vbi, vt opus aliquod ſit opus virtutis, inter cetera requirit, *vt fiat propter bonum illius virtutis.*

Ratio eſt, quia etſi bonitas eleemoſynæ hic ſit volita, non tamen eſt volita propter ſeipſam, ſed ſolùm vt eſt vtilis ad alium finem, ac proinde tota ratio illam volendi, eſt bonitas finis: ergo bonitas finis tribuit ſpeciem virtutis illi volitioni, non autem propria bonitas eleemoſynæ. Conſequentia probatur, quia illa bonitas tribuit ſpeciem actus voluntatis, quæ eſt ratio volendi: ſecùs eſt de malitia, vt ſuprà dictum a. 5. in dub.

Obiicitur Primò, Actus habet ſuam primariam ſpeciem à ſuo obiecto formali: atqui obiectum formale electionis, eſt bonitas ipſius medii, non autem bonitas finis: ergo habet primariam ſpeciem à medio, à fine ſolùm ſecundariam. Ita Medina.

48 Soluuntur obiectiones

Reſpōdeo: Negando ſecundam partem minoris, quia etſi obiectum formale electionis ſit bonitas medii, quatenus eſt vtilis ad finem, tamen quia hæc bonitas habet ſuam ſpeciem à fine (conſiſtit enim in quodam ordine ſeu aptitudine ad finem) etiam electio ſpeciem habet à fine: à bonitate autem propria, quam medium per ſe habet, nullam accipit ſpeciem, quia hęc bonitas ſe habet vt obiectum materiale, à quo actus non habet ſpeciem.

Obiicitur Secundò, Si des eleemoſynam vt placeas Deo, illa largitio eleemoſynæ habet du-

plicem ſpeciem bonitatis, ſcilicet eleemoſynæ & charitatis; illa, eſt ex obiecto, vnde eſt primaria & inuariabilis; hæc eſt ex fine, ac proinde acceſſoria & variabilis: ergo ſimiliter voluntas dandi eleemoſynam ob talem finem, habebit primariam ſpeciem ex obiecto, acceſſoriam ex fine.

Conſeq. Probatur, quia actus exterior & interior in ratione moris ſunt vnus numero actus.

49 Reſpondeo Negando Conſequentiam, Quia largitio eleemoſynæ externa, habet ſuam ſpeciem ab obiecto, vt docet hic D. Thomas, quæ ſpecies manet dum ordinatur ad vlteriorem finem; quia hæc ordinatio eſt illi, merè extrinſeca. Itaque manente ſpecie quam habet ex obiecto, additur ei noua ſpecies bonitatis ex ordinatione ad finem. Et ſic largitio eleemoſynæ, manens largitio eleemoſynæ, ex illa ordinatione extrinſeca fit actus charitatis in Deum, quia ſequitur ex affectu dilectionis Dei. Electio autem eleemoſynæ in illum finem, non habet vllam ſpeciem ex obiecto materiali, ſed ſolùm ex formali, ſicut omnis actus voluntatis: hoc autem obiectum eſt finis, vt ſuprà dictum. Vnde ordinatio ad finem non eſt extrinſeca electioni, ſicut eſt extrinſeca medio quod eligitur, ſed eſt ei eſſentialis tribuens ei ſpeciem eſſentialem.

Largitio externa eleemoſynæ habet ſuam ſpeciem ab obiecto, quę non variatur, etſi ordinetur ad vlteriorem finem.

Actus interior & exterior ab interiori imperatos, ſunt veluti compoſiti ex anima & corpore.

Ad probationem Reſpondeo, Actum interiorem & exteriorem imperatum ab interiori, eſſe quidem vnum numero actum compoſitum ex duobus, veluti anima & corpore. Sed hinc tantùm ſequitur, actum exteriorem vt informatur interiore, non habere ſpeciem niſi à fine, ſicut corpus non habet ſpeciem niſi humanam, vt informatur anima. Cum hoc tamen ſtat quòd ſecundùm ſe & materialiter conſideratus habeat ſpeciem primariam ab obiecto, & accidentariam ex ordine ad finem, ſicut corpus humanum habet ſuam ſpeciem primariã à forma carnis, oſſis, &c. accidentariam ab anima.

50 Obiicitur Tertiò, Si electio non habet vllam ſpeciem boni à medio, ſed ſolùm à fine, ergo omnes electiones factæ ob eumdem finem ſunt pares bonitate, ac proinde non erit melius velle dare magnam eleemoſynam propter Deum, quàm paruam, velle vitam profundere pro Chriſto, quàm fortunas.

Melius eſt velle dare magnam eleemoſynã. propter Deum, quã paruam.

Reſpondeo Negando Conſequentiam. Quia eõ melior eſt electio, quò medium quod eligitur, eſt vtilius & efficacius ad finem, ſiue ipſum in ſe ſit melius, ſiuè non. Vtilius autem eſt ad placendum Deo, dare omnia, quàm partem tantùm. Itaque illa electio eſt melior, non quia eleemoſyna illa præcisè in ratione eleemoſynæ eſt melior, ſed quia eſt vtilior ad finem, & ita magis particeps bonitatis finis. Bonitas tamen eleemoſynæ eſt fundamentum iſtius vtilitatis. Vnde dici poteſt, quòd electio habeat bonitatem ex propria medij bonitate, tamquam ex fundamento, ſeuratione materiali.

51 Obiicitur Quartò, D. Thomas 2. 2. quæſt. 31. artic. 2 ad . docet actum qui propriè eſt vnius virtutis elicitiuè, attribui alteri virtuti, ſicut imperanti ad ſuum finem. Ponit exemplum in eo q uidat eleemoſynam, vt ſatisfaciat pro peccatis. Hanc enim eleemolynam eſſe actum elicitum miſericordię, ſed imperatum à iuſtitia. Vnde apertè ſequi videtur, primariam ſpeciem electionis accipi à propria bonitate medij, acceſſoriam autem ex fi e.

Reſpondeo, D. Thomas loquitur de actu externo eleemoſynæ, quem dicit propriè eſſe actum miſericordiæ elicitiuè. quia ſecundùm propriam bonitatem non pertinet niſi ad virtutem miſericordiæ. Hinc tamen non ſequitur, electionem huius actus externi factam ob alium finem, eſſe actum elicitum miſericordiæ, aut ipſum actum externum fieri ex virtute miſericordiæ, quando fit ex affectu ſatisfaciendi pro peccatis, aut alterius virtutis. Simili modo intelligendum eſt, quando dicimus aliquem actum virtutis eſſe elicitum ab vna virtute, & imperatum ab alia. Tantùm enim ſignificatur, illum actum externum ſecundùm propriam bonitatem, quam habet ex ſua materia, pertinere ad propriam aliquam virtutem, & ab ea elici, ſi per ſe & ob ſuam propriam bonitatem fiat, non autem ſi fiat ob bonum alterius virtutis. Vnde rectè D Thomas ſuprà, quæſt. 13. artic. 1. air, Actum fortitudinis factum ex amore Dei, ſolum materialiter eſſe actum fortitudinis, formaliter autem charitatis. Itaque elicitur à charitate, non à fortitudine.

quo modo dicatur actus elicitus ab vna virtute, & imperatus ab alia.

DVBIVM II.

Vtrum quando aſſumitur aliquis actus interior voluntatis ad aliquem alium finem, accipiat aliquam bonitatem vel malitiam ex fine?

52 Sent. Caiet. Caietanus hoc loco putat eamdem eſſe rationem actus interioris & exterioris, quando ordinantur ad aliquem finem extrinſecum. Quare ſicut actus exterior habet duplicem ſpeciem boni vel mali, primariam ex obiecto, ſecundariam ex ordine ad finem, ita quoque actum interiorem habere duplicem ſpeciem boni vel mali, primariam ex obiecto, ſecundariam ex fine, ad quem ordinatur. Exemplum ponit in eo, qui odio habet Deum, vt aſſequatur regnum Quod exemplum ſic videtur intelligendum Promittit diabolus alicui regnum alienum, ſi velit Deum odiſſe: acceptat ille conditionem. & excitat ſe ad odium Dei: hoc odium, non ſolum habebit malitiam odij, ſed etiam iniuſtæ occupationis regni Aptius exemplum fuerit in eo, qui excitat in ſe amorem erga Deum, erga res diuinas & virtutum officia, vt mereatur vitam æternam, ſeu ex affectu vitæ æternæ, qui affectus ad ſpem pertinet. Item in eo qui contritionem excitat, vt obtineat veniã peccatorum.

58 Reſpondeo, Verius eſſe, actum internum voluntatis nullam bonitatem vel malitiam contrahere ex eo, quòd ſic ordinetur ad finem extrinſecum bonum, vel malum: vnde hac in parte magna eſt differentia inter actus internos & externos.

Actus internus voluntatis non contrahit bonitatem vel malitiã accidentalem ex fine extrinſeco.

Ratio colligitur ex dictis ſuprà qu. 17. art. 4. Idcirco enim actus exterior accipit aliquã ſpeciem boni vel mali ex ordinatione ad finem extrinſecum, quia informatur actu interiore, reſpiciente illum finem, ita vt vnus numero actus moralis cum illo efficiatur, ſicque eſſe morale, & bonitas actus interioris communicatur exteriori, tamquam parti materiali vnius actus completi: ſicut excellentia animæ communicatur corpori. Interior autem actus voluntatis quo aliquid propter ſe amatur, vel odio habetur, non poteſt ſic informari alio actu interiore, vt vnum actum moralem cum illo conficiat, ac proinde non poteſt ei communicari bonitas vel malitia illius actus, quo erat volitus & relatus ad alium finem. Verbi gratia. Volo excitare in me amorem Dei, vt mereat

vitam æternam: Voluntas excitandi hunc amorem propter vitam æternam, habet bonitatem ex fine, ſcilicet ex ordine ad vitam æternã; eſt enim electio medij vtilis ad hunc finem: ſed hanc bonitatem non cõmunicabit actui amoris Dei, quia non informat illum amorem, ita vt vnum actum moralem cum illo efficiat.

Quòd autem non poſſit ille amor ſic informari ab illa voluntate,

Vt fiat vnus actus ex volitione & actu volito requiritur vt actus volitus non habeat eſſe morale, niſi cõmunicatum ſibi ab illa volitione.

Probatur Primò, Quia vt fiat vnus actus ex volitione & actu volito, requiritur vt actus volitus non habeat eſſe morale, niſi communicatum ſibi ab illa volitione [nam ad actum moraliter vnum, requiritur vt tantùm vnum eſſe morale habeat, ſicut ad actum naturaliter vnum, requiritur vt tantùm ſit vnum eſſe naturale.] Atqui ille amor habet propriũ eſſe morale, quia habet propriam & diſtinctam libertatem, cùm immediatè à potentia libera eliciatur, & habet propriam conuenientiam cum recta ratione, propriam quoque laudem & meritum: ergo volitio illa qua amor Dei eſt volitus propter vitam æternam, merè extrinſecè ſe ad illum habet, ſecundum eſſe morale, ac proinde non communicat illi ſuam bonitatem.

Dices, Actus interior volitus pendet ab illa volitione qua volitus eſt: ergo ab illa moraliter informatur. Conſequentia patet quia ideò actus exterior informatur ab interiore, quia ex eo pendet.

Reſpondeo, ſolum per accidens, & veluti occaſionaliter pendet ab illa volitione. Nam fieri poteſt ſine illa, & habebit ſuam libertatem & ſpeciem moralem. Secus eſt de actu externo, qui ita pendet ab interno, vt ſine hac dependentia non habeat eſſe morale.

Probatur Secundò, ſi actus interior acciperet bonitatem vel malitiam à fine extrinſeco, ſequeretur actum fidei, ſpei, charitatis poſſe eſſe malũ, & peccatum: atqui hoc eſt abſurdum, vt infrà oſtendetur.

Sequela maioris probatur, quia poteſt quis hos actus velle in ſe excitare ad vanam gloriam, vel advanam ſui complacentiam, vel vt impetret à Deo donum miraculorum, vel quid ſimile.

14 Probatur ex D. Tho

Probatur Tertiò, Ex D. Thoma hoc loco, vbi generatim docet, actum interiorem voluntatis à fine non habere aliquam ſpeciem accidentariam, ſed primariam, eò quòd finis ſit obiectum actus interioris voluntatis Vnde immeritò Caiet. hoc reſtringit ad actum interiorem, qui ſe habet inſtar imperantis, quaſi non ſit verum in actu interiore imperato, id eſt, qui eſt volitus alio actu. Nam ratio D. Thomæ generaliter probat omnem actum interiorem voluntatis habere ſpeciem primariam à fine.

Caiet

Soluitur obiectio ex D. Thom.

Dices, D. Thomas q. 19. a. 2. ad 1. ait, in actu interiore voluntatis non differre bonitatem ex obiecto, & bonitatem ex fine, niſi fortè per accidens, prout finis dependet ex fine, & voluntas ex voluntate, vbi videtur inſinuare actum voluntatis, quando vnus finis eſt volitus propter alium finem, aut quando voluntas vna pendet ex alia, habere duplicem bonitatem.

Reſpondeo Primò, D. Thomam ibi dubitanter loqui, quia non magnoperè pertinebat, ad id, quod ibi agebatur. Siue enim actus voluntarius habeat aliquam accidentariam bonitatem ex relatione ad alium finem, ſiue non, ſemper verum eſt, ex ſolo obiecto accipi bonitatem ſpecificam actus voluntatis, quod ibi D. Tho. intendit docere.

Reſpondeo Secundò, D. Thomam non velle dicere bonitatem ex obiecto, & bonitatem ex fine, in aliquo actu interiore differre per accidens [hoc enim non eſt intelligibile: ſi enim differunt, eſſentialiter differunt, cum ad diuerſas virtutes pertinere debeant, etiam iuxta illos, qui eas ponunt diſtinctas:] ſed per accidens fieri, vt bonitas ex obiecto, id eſt, ex actu externo, qui eſt obiectum interni, ſit diſtincta à bonitate, quæ eſt ex fine, quia accidit interdum vt opus externum per ſe bonum [vt eſt largitio eleemoſynæ] ordinetur ad aliud finem, v. g ad ſatisfactionem peccatorum: & conſequenter per accidens fit, vt voluntas aliam ex obiecto bonitatem habeat, & aliam à fine, non in eodem actu, ſed in diuerſis.

ARTICVLVS VII.

Vtrum ſpecies quæ eſt ex fine, contineatur ſub ſpecie, quæ eſt ex obiecto, ſicut ſub genere, vel contra?

RESpondeo duabus Concluſionibus.

11 1 Concluſ. Species ex obiecto nõ continetur ſub ſpecie ex fine, niſi obiectum natura ſua ad finem ordinetur.

Prima eſt Quando obiectũ non ordinatur ad finem natura ſua, ſed ſolum arbitrio voluntatis, tunc ſpecies ex obiecto non continetur ſub ſpecie quæ eſt ex fine, nec contra: ſed ſunt ſpecies morales diſparatæ.

Omiſſis variis expoſitionibus Thomiſtarum.

Notandum, ea quæ hic tradit Diuus Thomas eſſe intelligenda de actibus moralibus completis, vt conſtant actu interno & externo Si enim ſolus interior conſideretur, ſpecies ex fine & obiecto, eſt eadem. Si ſolus externus, hic non habet ſpeciem ex fine, ſed ex obiecto. Si verò vterque conſideretur vt efficiunt vnum actum completum, ſic actus materialiter conſideratus habet ſpeciem ex obiecto, formaliter ex fine, & hæ duæ ſpecies hic inter ſe comparantur. Explicatur exemplo. Mœchatur quiſpiam vt furetur: ſpecies ex obiecto, eſt adulterij, ex fine, eſt furti, quarum neutra comparatur ad alteram, vt generale ad ſpeciale, ſed ſunt diuerſæ ſpecies mali in eodem actu, non habentes inter ſe naturalem connexionem. Similiter ſi quis occidat vt ſpoliet: ſpecies homicidij quæ eſt ex obiecto, non continetur ſub ſpecie rapinæ, vt ſpeciale ſub generali, ſed ſunt duæ malitiæ ſpeciales, quarum neutra ex natura ſua ad alteram ordinatur.

Notandum, D. Thomam interdum aliter loqui. Nam 2. 2. q. 154. ar. 1. ad 2. ait, *Vitia habere ſpeciem ex obiecto, genus ex fine, vt quando quis mœchatur, vt furetur, ſpeciem mœchiæ eſſe ex obiecto proprio. ſed hanc ſpeciem contineri ſub furto, tãquam effectum ſub cauſa, vel ſpeciem ſub genere.* Hic vult furtum eſſe inſtar generis. Et ratio eſt, quia cum furtum ſit finis illi homini propoſitus, affectus furti eſt multò generalior, quã affectus adulterij: generalior, inquam, non attributione, ſed cauſalitate; nam quoduis genus vitij, ex hoc affectu oriri poteſt: itaque ratione illius generalitatis habet quamdam analogiam cum genere. Hic tamen negat furtum ſe habere inſtar generis reſpectu adulterij, quia ex natura rei nulla eſt inter hæc connexio, ſed ſolum per accidens ex ordinatione voluntatis. Itaque vt ſpecies ex obiecto ſe habeat ad ſpeciem ex fine, ſicut ſpecies ad genus, duo hic requirit: Primò, Connexionem illorum in-

16 Conciliantur duo loca D. Th.

Digitized by Google

ter ſe ex natura rei prouenientem. Secundò, generalitatem alterius ad alterum: quæ duo requiruntur inter genus & ſpeciem.

17 3. Concl. Secunda Concluſio, Quando obiectum ex natura ſua ordinatur ad finem, tunc ſpecies quæ eſt ex obiecto, ſe habet ad ſpeciem quæ eſt ex fine, ſicut ſpecies ad genus.

Explicatur exemplo, Eleemoſyna ex natura ſua ordinatur ad placendum Deo, ſicut omne opus bonum. Si quis ergo det eleemoſynam intentione placendi Deo, ſpecies quam hic actus habet ex obiecto, ſcilicet ſpecies eleemoſynæ, eſt ſub ſpecie quæ eſt ex fine, id eſt, ſub actu charitatis, tamquam ſpecies ſub genere.

Duo requiſita vt aliquid ſe habeat tamquam ſpecies ad genus. Ratio eſt, Quia vt aliquid ſe habeat tamquam ſpecies ad genus, duo requiruntur. Primò, vt alterum ſit generalius, alterum ſpecialius. Secundò, vt id quod eſt generalius, comparetur ad ſpecialius per ſe, non per accidens. Quæ duo ſecundùm quamdam analogiam reperiuntur inter has duas ſpecies morales. Nam affectus placendi Dei ſe habet vt quiddam generale ad largitionem eleemoſynæ (non attributione, ſicut animal ad hominem, ſed cauſalitate, ſicut finis ad media, intentio ad electionem) quia eſt affectus erga finem vltimum, qui mouet ad appetitionem omnium mediorum, quæ ad illum finem ſunt vtilia; vt ſunt omnia virtutum opera. Deinde eſt etiam connexio naturalis inter affectum erga Deum, & reliqua virtutum officia: nam hæc omnia ex natura ſua illi affectui ſubſeruiunt. Aliud exemplum ſit in actibus malis. Committit quis ſacrilegium vt Deum contemnat. Species ſacrilegij quæ eſt ex obiecto, eſt ſub ſpecie contemptus vel odij Dei. Quia ſicut omne opus bonum natura ſua tendit ad honorem Dei; ita omne opus malum natura ſua tendit ad Dei contemptum ſeu odium. Itaq; odium Dei habet ſe inſtar generis, quia eſt affectus quidam generalis mouens ad omne genus vitiorum, & ſic quodammodo omne vitium in ſe per modum cauſæ complectens: & omne peccatum, ex natura ſua habet ordinem ad odium Dei; nam in omni peccato eſt quædam participatio odij Dei, ſicut in omni opere bono eſt quædam participatio affectus charitatis.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm actus aliquis ſecundum ſpeciem ſuam ſit indifferens?

51 Concluſio, Sicut ſunt aliqui actus ſecundùm ſpeciem ſuam, boni, & aliqui mali; ita etiam ſunt aliqui ſecundùm ſpeciem ſuam indifferentes.

Indifferens ſecundùm ſpeciē quid Probatur, Quia actus humani habent ſpeciem moralem ab obiectis ad dictamen rationis comparatis: atqui ſicut datur obiectum conſentaneum rationi, à quo actus eſt bonus ſecundùm ſuam ſpeciem; & diſſentaneum rationi, vnde eſt malus ſecundùm ſuam ſpeciem: ita datur obiectum ad dictamen rationis indifferēs ſecundùm ſpeciem; id eſt, quod nec eſt conſentaneum nec diſſentaneum rationi; vt tollere feſtucam: ergo etiam datur actus indifferens ſecundum ſpeciem, id eſt, qui nec ſit rationi conſentaneus, nec repugnans.

DVBIVM.

Virum præter has tres ſpecies ſit quarta, nempe actuum male ſonantium?

Quatuor ſpecies actuum moralium ex obiecto. D. Thomas Quodl. 9. a. 15. docet eſſe quatuor ſpecies actuum moralium ex obiecto, ſcilicet bonorum, malorum, indifferentium, & malè ſonantium. Ad quam poſtremam ſpeciem pertinet, retinere plura beneficia, occidere hominem, &c. hæc enim neque per ſe bona ſunt, neq; mala; cum benè & malè fieri poſſint: neque etiam indifferentia, ſicut leuare feſtucam; ſed malè ſonantia, quia plerumque malè fiunt.

Reſpondeo, Hanc ſententiam probè intellectam eſſe veram. Vnde diſtinguendum eſt.

Actus malè ſonantes. Si per actus malos ex obiecto, intelligantur qui ita mali ſunt, vt benè fieri non poſſint; ſic datur quarta ſpecies illorum qui vocantur malè ſonantes. Hi enim neque ſunt ita mali vt nullo caſu benè fieri poſſint, neque etiam ſunt per ſe boni; neque per ſe & ſolitariè accepti ſunt indifferentes [quia niſi grauis aliqua cauſa accedat, ſunt mali:] ſed ſecundum ſe ſunt malè ſonantes, quia ſolitariè accepti reuerà ſunt mali: accedente tamen graui cauſa, poſſunt eſſe non mali, & etiam boni.

Si verò actus ex obiecto malus dicatur, quia ex obiecto talis eſt vt ſolitariè acceptus ſit malus [quomodo dicitur actus ex obiecto bonus & indifferens:] ſic iſti actus malè ſonantes ſunt mali ex obiecto, neque conſtituunt quartam ſpeciem; quia iſti actus ſolitariè ſine adiunctis circumſtantiis conſiderati, ſunt mali; etſi enim non ſint per ſe mali, vt illud *per ſe*, idem valet, quod intrinſecè & eſſentialiter: ſunt tamen per ſe mali, vt illud *per ſe*, idem eſt quod ſine nouis circumſtantiis: quomodo tamen dicitur aliquid per ſe indifferens, & per ſe bonum.

ARTICVLVS IX.

Vtrum ſit aliquis actus indifferens ſecundum individuum?

60 Concluſio Prima. Fieri poteſt vt actus ſecundum ſpeciem indifferens, ſit bonus vel malus, vt ſit in individuo. Patet, quia ratione circumſtantiarum poteſt eſſe bonus vel malus, etiamſi ſecundum ſpeciem ſit indifferens, vt ſi ambules viſendi infirmi cauſa.

Concluſio Secunda. Neceſſe eſt, omnem actum à ratione deliberata procedentem, eſſe bonum vel malum, vt ſit in reipſa. Probatur, Quia vel ordinatur ad debitum finem cum debitis circumſtantiis, & ſic eſt bonus; vel non ordinatur, & ſic eſt malus.

Concluſio Tertia. Actus indeliberati non ſunt boni vel mali moraliter. Ratio eſt, quia ſunt extra genus moris.

DVBIVM I.

Vtrum omnis actus deliberatus, vt ſit in individuo, ſit vere & proprie bonus aut malus moraliter, ita vt laude vel vituperio ſit dignus?

Affirmant Thomiſtæ. 62 Dvo ſunt hic celebres ſententiæ. Prior affirmat. Hanc tenet Conradus & Medina hic, & pleique Thomiſtæ, quia putant eſſe ſenten-

riam D. Thomæ. Eamdem tenet Durandus in 2. d. 40. q. 1. Maior eadem d. q. 2. Greg. in 2. d. 28. q. 1. Concl. 1. & d. 39. a. 2. Sed hic nititur falso fundamento, quia putat omne opus, vt non malum sit, debere aliquo actu referri in Deum. Vnde etiam concludit omnia opera infidelium esse peccata, quia carent hac relatione.

Aliorum fundamentum est, quia vt actus circa obiectum indifferens sit bonus, debet referri in finem formaliter honestum: ergo hoc ipso quod non refertur, deest ei aliqua circumstantia debita, ac proinde erit malus.

61 Negant alii

Altera sententia negat omnem actum humanum esse proprie bonum vel malum. Esse enim aliquos indifferentes.

Hanc expresse tenet D. Bonauentura in 2. d. 41 q. 3. Scotus ead. d. q. vn. & quodl. 28. a. 1. Nec obstat, quod ibidem docet actum indifferentem posse dici malum: quia per malum non intelligit peccatum, sed solum carentiam bonitatis indebitæ, vt patet ex adiunctis. Gabriel ead. d. q. vn. a. 2. Io. Bassol. ib. q. vn. a. 2. Occam in 1. d. 2 q. 1 col. 4. Alexand. Hal. 3. p. q. 35. in 3. Almainus tract. 1. moral. c. 14. Eamdem sententiam tenent aliqui discipuli S. Thom. vt refert Medina.

Notandum, Actum aliquem posse dupliciter dici bonum in genere moris. Primò, formaliter,

63 Actus in genere moris dupliciter dici potest bonus.

quando fit non ex affectu delectabilis, vel commodi naturæ, sed quia honestum, aut quia recta ratio hic & nunc dictat, vt infra dicam q. 19. a. 3. dub 2. Secundo, Materialiter, vt quando fit quidem cum cognitione circumstantiarum, cum quibus est conueniens rationi, non tamen fit propter illam conuenientiam, seu propter bonum virtutis & honestum: sed quia est delectabilis & commodus naturæ, v. g. Comedit quis tempore, loco, modo, mensura debita, non quia hoc totum est honestum, aut rationi consentaneum, sed vt pellat famem, vel vt naturam recreet, nihil aliud actu vel virtute intendens. Nunc

64 Non datur actio indifferens si per bonum intelligas quouis modo bonum.

Dico Primò, si per actionem bonam intelligamus omnem quouis modo bonam siue materialiter siue formaliter, sic non datur actio indifferens reipsa, sed omnis est bona vel mala. Hæc videtur esse mens D. Thomæ & quorumdam eius discipulorum, etiam Medinæ. Nam videntur ponere tales actus esse bonos. Vnde Medina in hac q. in fine, dicit, ire ad agros ob salutem corporis, esse actum bonum ex obiecto, quod tamen non est verum, nisi materialiter. Similia habet q. 19. a. 3.

Probatur, Quia omnis actio humana vel est conueniens dictamini rectæ rationis saltem materialiter, vel non est conueniens. Si est conueniens, est bona, vero nullo modo, ne materialiter quidem est conueniens, sine dubio est mala: nam homo tenetur operari consentaneè rectæ rationi, id est eo modo vt operatio rectæ rationi non repugnet. Vnde sequitur omnem actum, quo voluntas aliquid secundum se indifferens vult, quia delectabile vel naturæ commodum, aut quo aliquid refutat, quia naturæ molestum, non considerans vllo modo, an nulla adsit circumstantia prohibita, esse malum. Si autem cõsideret nullam adesse prauam circumstantiam, esse bonum, saltem materialiter: quia cum his circumstantiis potest apprehendi, vt conformis rectæ rationi, & appeti ob hanc conformitatem. Nam vnum obiectum potest secundum vnam rationem esse delectabile, & secundum aliam, honestum; imò ratio delectabilis & commodi naturæ potest esse proximum fundamentum honesti.

Dico Secundò, si nomine actionis bonæ intelligamus eam solam, quæ formaliter bona est & laudabilis: sic dantur multæ actiones, quæ neque sunt bonæ, neque malæ, sed indifferentes.

65 Datur actio indifferens si per bonũ intelligas formaliter bonum & laudabile. Probatur auctoritate Hieronym.

Probatur Primò, Ex Patribus. Hieronymus epist. ad Augustinum de cessatione legalium. Est 11. inter epistolas Augustini, sic ait: *Neque enim indifferentia sunt* (scilicet legalia obseruata) *inter bonum & malum, sicuti Philosophi disputant bonum est continentia, malum luxuria, inter vtrumque indifferens ambulare, egerere alui stercora, naribus capitis purgamenta proiicere, sputis rheumata iacere, hoc nec bonum nec malum est: siue enim feceris, siue non feceris, nec iustitiam habebis nec iniustitiam.*

Male is explicatur à maiore

Hoc testimonium adfert etiam Ioan. maior, & respondet esse intelligendum de actibus, qui naturaliter fiunt, *Et ita*, inquit, *non innuit sententiam Doctoris Seraphici.*

Sed hæc responsio non est probabilis. Dicit enim Hieronymus, *Obseruare legalia non est indifferens, sed aut bonum aut malum: illa vero facere est indifferens*: ergo loquitur de vtrisque liberefactis. Nam legalia libere seruantur, non actu naturali.

Dices, Hieronymus solum vult dicere, illa esse indifferentia ex obiecto, non autem vt hic & nunc in individuo fiunt.

Sed contrà, Hoc repugnat intentioni & verbis Hieronymi, ait enim *siue hoc feceris, siue non feceris, nec iustitiam habebis nec iniustitiam*, id est, nec secundum legem, nec contra legem feceris: & inde probat hæc neque bona esse, neque mala. Loquitur ergo de his vt reipsa fiunt per se, sine alio fine, & contrarium asserit de legalibus.

Gregorius

Gregorius Homilia 27. in Euangelia. *Sunt nonnulli qui diligunt proximos, sed per affectionem cognationis & carnis, quibus in hac dilectione sacra Eloquia non contradicunt.* Vbi *diligere per affectionem carnis*, est velle bona temporalia, non quia ratio dictat: sed quia frater, quia sanguine iunctus: quod non est formaliter bonum & laudabile.

Auctor Hypognostici l. 3. col. 3. docet hominem habere tantum liberum arbitrium, sine auxilio Dei in bonis & malis huius vitæ. Deinde explicans, qualia sint ista bona, ait: *Dico, quæ de bona natura oriuntur, id est, velle laborare in agro, velle manducare & bibere, velle habere amicum, velle habere iumenta, velle fabricare domum, vxorem velle ducere, pecora nutrire, artem discere diuersarum rerum bonarum, velle quidquid bonum ad præsentem vitam pertinet. Quæ omnia non sine gubernaculo Dei subsistunt, imo ex ipso & per ipsum sunt, vel esse cœperunt.* Hic per *bona*, intelligit indifferentia vt rectè notauit Hieronymus Hangestus c. 15. Moral. Nam clare insinuat, ista opera non esse opera virtutum, sed solum commoda vitæ temporalis, & tamen non esse mala, vt ab hominibus fiunt ob suam commoditatem. Vide sequentia, vbi ponit quæ sint bona.

Secundò, Probatur ratione. Primò, Appetere sanitatem, solum quia naturæ commoda, & fugere morbos & dolores, quia naturæ incommoda, non sunt affectiones formaliter bonæ, vti suppono; nemo enim propter has laudatur. Sed neq; etiam sunt malæ: ergo indifferentes. Quod tales

66 Probatur septem rationibus.

Prima ratio

affectiones non ſint malæ, probatur Primò, Quia oriuntur ex inclinatione naturali voluntatis, ſeu quòd idem eſt, ex voluntate vt natura, vt patet ex dictis q. 10. a. 1. Atqui inclinatio naturalis non tendit in motus per ſe malos. Tum quia alioqui natura eſſet praue inſtituta, vt quæ non poſſet tendere niſi in actus, qui per ſe ſeu ſolitarie conſiderati, ſint mali. Tum quia hæc inclinatio fuiſſet etiam in ſtatu innocentiæ, & potuiſſet habere ſuos liberos motus quoad exercitium. Tum denique quia huiuſmodi motus fuerunt in Chriſto: nam voluntas vt natura abhorruit à morte, præciſe quia naturæ repugnans, & appetiit vitam, quia naturæ commoda.

Secunda ratio. Secunda ratio. Bonum naturæ conueniens, eſt verum bonum. dignum quod per ſe expetatur: & malum naturæ repugnans, verum malum per ſe fugiendum. Sicut enim natura in ſe bonum eſt, ita etiam quod per ſe conueniens naturæ eſt, eſt per ſe bonum & dignum quod expetatur, etiamſi nullum aliud bonum in ipſo ſpectetur: modo tamen nihil ei ſit annexum, quod maiori bono repugnet: v. g aliqua circumſtantia vel præceptum: ratione cuius repugnet bono honeſto, quod maius eſt bonum quam naturæ. Ergo illud per ſe appetere, & hoc per ſe recuſare, non eſt moraliter malum.

Tertia ratio Tertia Ratio, Quia paſſim homines etiam boni, dum vident aliquid eſſe delectabile, vel naturæ commodum, nihilque illiciti ei eſſe adiunctum, illud deſiderant, vel efficiuntur, ſolum quia delectabile vel commodum: neque ſibi faciunt ſcrupulum, quod non appetierint ſub ratione honeſti. Simili modo fugiunt triſtia & naturæ moleſta. Itaque communis ſenſus generis humani eſt, hæc non eſſe peccata.

quarta ratio Quarta ratio. Promiſſiones veteris Teſtamenti erant bonorum indifferentium, vt abundantiæ frumenti, vini, olei, temporalis tranquillitatis, gloriæ humanæ, longæ vitæ, &c. ergo hæc bona per ſe appetere non eſt peccatum. Conſequentia probatur, quia alioqui Deus dediſſet illis maximam occaſionem peccandi, proponendo illis huiuſmodi præmia: nam Iudæi mouebantur dumtaxat commodis naturalibus, & ſenſibilibus illorum bonorum, nihil vlterius in illis ſpectantes.

67 Quinta ratio Quinta ratio, Appetitio commodi, & fuga incommodi naturalis, non eſt mala ex obiecto, vt omnes fatentur: neque etiam ex circumſtantia, vel ex prauo fine, vti ſuppono: ergo non eſt mala.

Patet conſequentia, Quia actus voluntatis non habent malitiam, niſi ex obiecto materiali vel formali, vel ex circumſtantiis.

Obiectio quòd requiratur relatio in finem honeſtum. Dices, Hos actus voluntatis eſſe malos, quia deeſt aliqua circumſtantia neceſſaria, ſcilicet relatio in finem honeſtum.

Sed contra, primò, Etiamſi relatio in finem honeſtum ſit neceſſaria, vt opus ſit honeſtum, non tamen probari poteſt eſſe neceſſariam ad hoc, vt opus ſit non inhoneſtum & non malum. Non enim vt opus ſit non malum, tantum requiritur, quintum, vt ſit bonum. Comedere, bibere, ambulare, non ſunt opera honeſta, niſi referantur ad finem honeſtum: neque relatio in finem honeſtum neceſſaria eſt, vt ſint opera moraliter bona non tamen hinc ſequitur iſtam relationem etiam eſſe neceſſariam, vt ſint non mala, quia per ſe non mala ſunt.

Solvitur triplicitèr. Primò.

Secundò. Secundò, Si vt iſta ſint non mala, requiritur relatio ad finem honeſtum: ergo non eſt dicendum eſſe ſecundum ſe indifferentia, ſed potius eſſe mala, quia ſecundum ſe & ſolitariè accepta non poſſunt, niſi male fieri & male appeti. Neque ſatisfacit quod quidam dicunt eſſe indifferentia, quia poſſunt bene & male fieri; bene, ſi referantur ad bonum finem; male, ſi ad malum: nam hoc modo etiam occiſio hominis eſſet indifferens: poteſt enim benè & malè fieri pro diuerſitate finis & circumſtantiarum. Similiter acceptio rei alienæ, largitio eleemoſynæ, & omnia opera externa virtutum, & plurima vitiorum, eſſent indifferentia, quia bene & male fieri poſſunt pro diuerſitate finis. Atqui nemo dixerit, occiſionem hominis eſſe opus ita indifferens, ſicut comedere & bibere: Ergo comedere & bibere non tantùm eſt indifferens, quia eſt indifferens ad diuerſos fines, & ad bonitatem malitiamque à finibus prouenientem: ſed quia ſecundum ſe & ſolitarie acceptum, eſt immediate indifferens; id eſt, neque bonum moraliter, neque malum.

68 Dupliciter aliquid dici poteſt indifferens. Vbi notandum, Dupliciter poſſe aliquod opus dici indifferens. Primò, Quia ex ſe eſt indifferens vt ordinetur ad diuerſos fines, & conſequenter vt habeat bonitatem vel malitiam ab illis. Hoc modo omnia externa virtutum opera ſunt indifferentia, cum tamen ſecundum ſe conſiderata ſint moraliter bona: & plurima vitiorum ſunt indifferentia, cum tamen ſecundum ſe, ſeu ſolitariè ſint mala. Secundò, Quod per ſe & ſolitarie nec bonum eſt nec malum moraliter, hoc proprie & ſecundum ſe eſt indifferens: ſicut opera externa virtutum ſecundum ſe ſunt bona & vitiorum mala. Tale eſt comedere, bibere, ludere & ſimilia, vt naturæ commoda. Velle ergo hæc ſecundum ſe non eſt malum, etiamſi ad vlteriorem finem non referantur.

69 Tertiò, Si obligamur illa indifferentia referre ad finem honeſtum, dum ea appetimus vel facimus; id vel ita intelligendum eſt, vt non liceat illa ob naturæ commodum appetere, & reuera per ſe ſunt mala, non indifferentia; quia prohibita ſunt per ſe appeti: vel ita intelligendum eſt, vt liceat quidem illa per ſe appetere, verum ſimul teneamur aliquo actu ad finem honeſtum referre: & ſic ſunt illa per ſe eſt indifferentia; & illa per ſe appetere, eſt indifferens, non malum, ſed ſola omiſſio illius actus, quo in finem honeſtum referri deberent, mala erit. Itaque dabitur volitio in individuo, quæ non ſit bona vel mala moraliter, ſed indifferens. Nam illa omiſſio non facit illam volitionem eſſe malam, cùm non ſit illius circumſtantia. Sicut ſi teneremur dolere de peccatis, quotieſcumque ea memoriæ occurrunt, (vt quidam docuerunt) omiſſio quidem contritionis peccatum eſſet, ſed non faceret illam recordationem eſſe peccatum: cum nullo modo illam afficiat. Pari modo omiſſio relationis actus in finem honeſtum, non facit illum actum eſſe peccatum. Confirmatur, Quia finis extrinſecus non poteſt eſſe circumſtantia actus interioris voluntatis, neque tribuere illi bonitatem vel malitiam, vt oſtenſum eſt art. 6. dub. 2. ergo ſiue referatur illa volitio, qua commodum naturæ appetitur ad alium finem, ſiue non referatur: ſemper manebit in ſe indifferens.

70 Sexta ratio Sexta ratio, Quia totum fundamentum ſententiæ oppoſitæ eſt, quod teneamur omnia noſtra opera referre ad finem formaliter honeſtũ. Quod fundamentum neque vlla firma ratione vel auctoritate poteſt probari. Neque ſatis congruit naturę voluntatis, vt habet conditionem naturæ, cuius inclinatio eſt in commodum & delectabile. Neque congruit infirmitati humanæ, vt recte D Bo-

náuentura cui nimis difficile eſt ita à ſuis commodis eſſe auulſam, vt nihil in omnibus niſi rationem honeſti ſpectet. Neque ſatis videtur conſentaneum inſtitutioni diuinæ, quæ quibuſdam operationibus voluptates annexuit, vt ab animãtibus & hominibus non neligerentur: quamuis in hominibus modus teneri debeat, qui rationis regulæ non ſit contrarius.

Septima ratio. Septima ratio, Saltem hæc ſententia eſt probabilis; nam plerique Doctores illam tenent: ergo ſiquis ex ea operetur, volendo aliquid quia naturæ commodum: aut recuſando, quia moleſtum, nihil aliud ſpectans, non peccabit: conſequentia patet, quia qui in modo operandi ſequitur opinionem probabilem, non peccat, ſed neque tale opus erit formaliter honeſtum, quia non fiet ob finem honeſtum: Ergo dabitur opus in indiuiduo indifferens,

Ex his patet reſponſio ad fundamentum ſententiæ contrariæ: & ſi enim tali actui deſit aliquid, ad hoc vt ſit formaliter bonus, tamen non deeſt illi aliquid neceſſarium ad hoc, vt ſit non malus. Nam nihil deeſt, ad quod pro illo tempore obligetur operans: nulla enim eſt obligatio referendi illum actum ad finem honeſtum. De quo vide Occam & Scotum loco citato.

Obiicitur Primò, omnis actus otioſus eſt malus: ſed omnis actus carens fine honeſto, eſt otioſus: ergo eſt malus.

7. Obiectiones. 1. ex Scripturis. Maior patet Math. 12. *Amen dico vobis, omne verbum otioſum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicii.*

Gregor. Minor probatur ex Gregorio Homil. 6. in Euang. *Otioſum verbum eſt, quod aut vtilitate rectitudinis, aut ratione iuſtæ neceſſitatis caret.* Et ex Basilio in Regulis breuioribus, quæſt. 23. *Omne verbum quod non conducit ad propoſitam in Domino vtilitatem, vanum & otioſum eſt.*

Basil.

Soluitur. Reſpondeo. Diſtinguendo minorem. Si actus ita careat fine honeſto, vt nullum finem, vel materialiter honeſtum habeat, concedo eſſe otioſum vt ſi quis colligat palea, nullo alio fine: hoc enim nihil commodi vel delectationis habet, cur poſſit appeti. Si vero habeat aliquem finem naturæ commodum vel delectabilem, nego eſſe otioſum, modo fiat cum circunſtantiis nihil indecori habentibus.

Actio otiosa. Recreatio licita. Ad teſtimonium Gregorii, verbum quod dicitur ad recreationem, modo nulla mala circumſtantia adſit, non cenſetur carere omni vtilitate vel neceſſitate: vt recte D Bonauentura reſpõdet. Neceſſe eſt enim aliquando naturam exhilarari. Basilius autem loquitur non tantum de Verbo, quod genere ſuo ſit indifferens, ſed etiam quod Genere ſuo ſit bonum, verum ob defectum alicuius circunſtantiæ, non conducit ad ædificationem, quin potius offendit, vt ſi non ſuo tempore vel loco dicatur, vel non eo modo quo docet: vnde ait, *Huiuſmodi verbo cõtriſtari Spiritũ ſanctũ.*

7. obiectio An debeat homo omnibus ſuis actionibus ad beatitudinem contendere 1. Corinth. 10. Obiicitur Secundo, Ideo ratio data eſt homini, vt ſuis actionibus ad beatitudinem contendat, & vt operetur propter Deum, finem vltimum. Atqui homo id non præſtat dum operatur abſque fine honeſto: ergo abutitur ratione, & peccat.

Maior probatur 1. ad Cor. 10. v. 31. *Omnia in gloriã Dei facite.* Vbi ſignificatur, omnẽ actionem debere eſſe talem, vt ad finem vltimum conducat.

soluitur. Reſpondeo Primò, ſi hoc argumentum aliquid probaret, deberet homo etiam in omni opere ſuo beatitudinem mereri: nam ad hunc finem ei ratio data eſt.

Secundò. Non ſolùm ad hunc finem data eſt ei ratio, vt ad beatitudinem contendat: ſed etiam vt naturam ſuam, quæ beatitudinis eſt capax, conſeruet, eique conuenientia requirat. Vnde nõ ſequitur hominem abuti ratione ſua, quãdo non tendit in beatitudinem ſed ſolum nõ vti ea ad vltimum ſuum finem, quod non ſemper tenetur facere.

Ad locum Apoſtoli. Ad probationem maioris Illud Apoſtoli, vel eſt conſilium & hortamentum, præceptum, vt D. Bonauentura & alii multi Doctores dicunt. Neque enim tantum Apoſtolus videtur velle, vt opus ſecundum ſe ſit honeſtũ, ſic que natura ſua in Deum tendat, ſed etiam, vt ex vi affectus præſentis vel preteriti in Deum referatur; vel, ſi quis velit accipi vt præceptũ, debet exponi negatiue, vt nihil contra honorem Dei faciamus, quæ videtur eſſe mens Apoſtoli: vult enim nos in manducando, bibendo, totaque noſtra conuerſatione ita agere, vt neque gentibus, neque Iudęis, neque Chriſtianis demus vllam offenſionem.

7. Obiectio quomodo dentur habitus indifferentes Obiicitur Tertio, Si dantur actus indifferentes, erunt etiam habitus indifferentes: atqui hoc aſſerere, ab omni philoſophia alienum eſt.

Confirmatur, Nam in hoc differt habitus à potentia, quod potentia poſſumus; habitu, bene vel male poſſumus, teſte Ariſtotele 2. Ethic. c 1. Ita Medina.

soluitur. Reſpondeo cum Scoto, Nullum eſſe inconueniens ponere in voluntate habitus indifferentes. Experimur enim vſu contrahi inclinationem ad ambulandum certis locis vel temporibus, & ad ſimilia indifferentia naturæ commoda, vel exercitia, quam inclinationem ægre poſtea à mutamus Sicut enim in variis hominibus ſunt varii inſtinctus ad varias artes, quibus fit, vt diuerſę artes à diuerſis apprehendantur, vt conuenientes ſuo ingenio; ita poſſunt affectus voluntatis ad illas crebro vſu creſcere & perfici in habitum, vnde non hoc alienum, ſed conſentaneum philoſophiæ Et ſane ſi crebro affectu ad bonum delectabile iunctum prauis circumſtantiis, naſcitur habitus pravus, cur non etiam crebro affectu ad bonum delectabile iunctum debitis circunſtantiis, naſcatur habitus indifferens.

Ad confirmationem, Ariſtoteles ibi loquitur de habitibus moralibus, illi autem non cenſentur inter habitus morales, quia non pertinent ad bonos vel malos mores, ſed ſunt indifferentes ſicut naturales potentiæ.

DVBIVM II.

Quomodo verum ſit quod ait D. *Tho. in reſp. ad Tertium* Omnis finis ratione deliberata intentus pertinet ad bonum alicuius virtutis, vel ad malum alicuius viti.

74 Explicatio Medinæ. Refutatur. REſpondet Medina, vt verum ſit, addendum eſſe tertium membrum, nempe *vel ad bonum quod eſt maius virtute.* Vnde, inquit, *quando homo iuſtus pergit ad agros, non cogitans actu de alio fine, niſi de ſalute & quiete corporis, ille actus nõ pertinet ad aliquam virtutem ſpecialem, ſed pertinet ad finem illum ad quẽ voluntas naturaliter eſt bene inclinata ſcilicet ad corporis & vitæ bonum proprium.* Quibus verbis inſinuat Primo, Hunc actum eſſe vere & proprie honeſtum. Secundo Inſinuat bonum corporis & vitæ, eſſe bonum maius virtute. Quæ quomodo vera ſint non intelligo: Conſtat enim, bonum virtutis eſſe longe præſtantius corporali, & eſſe ſuperioris ordinis, quia eſt bonũ honeſtum. Alterum vero eſt commodum naturæ: vnde laudabile

Digitized by Google

eſt, vitam exponere pro bono virtutis etiam ſine obligatione.

75 Vt ira explicatio,

Reſpondeo igitur, omnem finem intentum pertinere ad aliquam virtutem vel vitium, non formaliter, ſed materialiter. Quando enim aliquis intendit bonum delectabile vel conueniens naturæ, debet intendere cum illis circumſtantiis, cum quibus ſaltem materialiter eſt conueniens rationi, vt ſupra dictum. Et hoc tantum modo intendit bonum corpori conueniens ille, qui corpus ſuum ad bonum virtutis ordinauit: cauet enim ne admiſceat aliquam circumſtantiam, quæ bono virtutis repugnet.

Quod autem Medina addit, *Cùm quis ordinauit ſuam ambulationem ad omnes virtutes, illam ambulationem pertinere ad charitatem Dei*, id non eſt neceſſarium. Poteſt enim quis non ſolum ex affectu charitatis in Deum, ſed etiam affectu honeſti in genere, referre ambulationem ſuam ad omnes virtutes; nempe volendo ambulare, vt ad quoduis opus virtutis ſit aptior, ſicut poteſt quis velle bene viuere ex affectu honeſti, qui non pertinet ad ſpecialem aliquam virtutem, vt ſupra dictum.

ARTICVLVS X.

Vtrum aliqua circumſtantia conſtituat actum in ſpecie boni vel mali.

76 CONcluſio prima, illa circumſtantia quæ facit vt actus habeat peculiarem conformitatem vel repugnantiam cum dictamine rationis, conſtituit illum in ſpecie boni vel mali.

Concluſio Secunda, Illa circumſtantia quæ non facit vt actus habeat peculiarem conſonantiam vel diſſonantiam ad rationis dictamen, non tribuit ſpeciem boni vel mali, vt patebit art. 11.

Circumſtantia tribuit ſpeciem dupliciter.

Nota primò, Circumſtantiam poſſe dupliciter conſtituere actum in ſpecie boni vel mali. Primò, Tribuendo actui primam ſpeciem moralem: quod fit, quando ſine circumſtantia non eſſet moraliter bonus vel malus. Vt cùm quis tollit rem alienam, circumſtantia illa, *eſſe alienum*, tribuit actui primam ſpeciem mali; quia ſine illa circumſtantia non eſſet malum. Secundò, Tribuendo ei ſpeciem ſecundam: quod fit, quando iam actus habebat ſpeciem ex obiecto, & circumſtantia addit nouam. Vt ſi tollas alienum è loco ſacro, vbi erat depoſitum; circumſtantia loci facit vt actus ille habeat ſecundam ſpeciem mali, ſcilicet ſacrilegii, quatenus idem ſimplex actus violat loci ſanctitatem.

Nota Secundo, Circumſtantiam illam quæ tribuit ſecundam ſpeciem, etſi retineat rationem 77 circumſtantiæ reſpectu actus, vt ſubit priorem ſpeciem; non tamen retinet rationem circumſtantiæ, reſpectu illius, vt ſubit nouam ſpeciem, ſed tranſit in rationem obiecti, veluti differentia ſpecifica obiecti: vt docet D. Thomas *ad primum & Secundum*. V.g. Sanctitas loci eſt quidem circumſtantia rei alienæ, & proinde furti, qua furtum: ſed non eſt circumſtantia furti, qua ſacrilegium verum habet ſe inſtar obiecti. Itaque in tali furto eſt duplex ſpecies, ſcilicet furti & ſacrilegii. Vt habet furti ſpeciem, ſic eius obiectum eſt res aliena. Vt ſacrilegii, ſanctitas loci. Similiter ſi quis fornicetur contra votum; hic actus eſt fornicatio, & ſacrilegium. Vt fornicatio, obiectum habet, non ſuam: vt ſacrilegium, obiectum habet, corpus ſuum Deo dicatum. Idem dicendum in ceteris ſimilibus.

Furtum in loco ſacro continet duplicem ſpeciem malitia

Item fornicatio cõtra votum

Circumſtantia autem quæ tribuit primam ſpeciem, nullo modo retinet rationem circumſtantiæ moralis: Nam non ſupponit aliquem actum moralem bonum vel malum, cuius ſit accidens, cum ipſamet tribuat actui primam bonitatem vel malitiam. Vocatur tamen circumſtantia, quia eſt circumſtantia naturalis, ſcilicet rei nude conſideratæ, & actus exterioris conſiderati ſecundum eſſe naturale: v.g. Eſſe alienum, tribuit actui, ſcilicet ablationi rei, primam ſpeciem malitiæ; quia facit, vt ablatio illa ſit in ſpecie furti, cùm ipſa ablatio alioqui per ſe eſſet indifferens. Itaque non manet accidens reſpectu illius ablationis, vt ablatio habet ſpeciem furti: quia ſic eſt eſſentialis differentia obiecti: ſed ſolum reſpectu illius ablationis, vt eſt actio naturalis ſecundum ſe indifferens, qualis eſſe poteſt in amente. Similiter ſi ieiunes ob vanam gloriam, ille finis non eſt circumſtantia reſpectu ieiunii, quatenus iſtud ieiunium eſt actus ambitionis, quia ſic tribuit illi ſpeciem, tamquam ratio formalis obiecti. Neque etiam vt eſt actus per ſe bonus: quia relatum ad talem finem, non manet actus bonus: ſed eſt circumſtantia ieiunii conſiderati ſecundum eſſe naturale: ſic enim ſupponitur illi ſpeciei & manet.

Notandum Tertio, Ex dictis colligi tres regulas 78 de circumſtantiis actuum. Prima, Quando circumſtantia facit actum ex indifferenti bonum, vel ex bono aut indifferenti malum, tribuit primam ſpeciem moralem actui. Secunda, Quando circumſtantia reſpicit ſpecialem ordinem ſeu ſpeciale dictamen rationis, tribuit ſpeciem actui. Tertia Circumſtantia quæ tribuit ſpeciem actui, tranſit in rationem obiecti. Vnde patet, hæc duo non pugnare: Actus morales habent ſpeciem boni vel mali ex obiecto; & habent interdum ſpeciem boni vel mali ex circumſtantia: quia quando habent ſpeciem boni vel mali ex circumſtantia, tunc circumſtantia tranſit in rationem obiecti, ſaltem reſpectu actu interioris.

Tres regulæ de circumſtantiis.

ARTICVLVS XI.

Vtram omnis circumſtantia augens bonitatem vel malitiam, conſtituat actum in ſpecie boni vel mali.

PRima Concluſio. Circumſtantia, quæ ſecundùm ſe reſpicit peculiarem ordinem rationis, conſtituit actum in ſpecie boni vel mali. Hæc concluſio explicata eſt art. 10. 79

Secunda Concluſio, Circumſtantia, quæ ſecundum ſe non reſpicit peculiare dictamen rationis, ſed ſolum ſuppoſita alia circumſtantia, à qua actus habet ſpeciem boni vel mali: non tribuit vllam ſpeciem, ſed ſolum auget bonitatem vel malitiam intra ſpeciem, quam ſupponit.

Circũſtãtia magnum & paruum.

Explicatur exemplis. Das eleemoſynam magnam vel paruam, quantitas illa magnum & paruũ ſecundum ſe, non dicit peculiarem ordinem ad rationem (ſepoſita enim ſpecie eleemoſynæ, vel alia ſimili, ratio non dictat eſſe honeſtum vel turpe, ſiue multum des ſiue parum:) ſed ſolum habet aliquem ordinem, ſuppoſita conditione elee-

Digitized by Google

moſynæ vel alia ſimili, vnde actus habeat ſpeciem. Similiter furatur quis magnam ſummam, illa circumſtantia non addit nouam ſpeciem, quia ſecundum ſe præciſo furto non habet aliquem peculiarem reſpectum ad dictamen rationis, ſed ſolum ſuppoſitâ conditione furti, vnde auget malitiam quam ſupponit, intra eamdem ſpeciem.

Modus Idem accidit in circumſtantia *Modi:* vt intenſe, remiſſe, ex metu, ſine metu, ex concupiſcentia, ex mera libertate.

Tempus Denique in circumſtantia *continuationis:* longo tempore vel breui.

80 Dices *multum* & *parum* videntur interdum conſtituere ſpeciem boni vel mali, etiam dum non ſupponunt aliam ſpeciem. Nam multum comedere, eſt peccatum contra temperantiam, per exceſſum: parum vero, eſt peccatum per defectum.

Reſpondeo, *Multum & parum* dupliciter accipi. Primò, comparatiue, reſpectu operantis: vt *multum*, ſit idem quod *nimium*, ſeu plus quam natura poſtulat, & *parum*, ſit *minus* quam poſtulet. Et hoc modo conſtituunt ſpeciem mali, quia per ſe habent peculiarem repugnantiam ad dictamen rationis. Secundò, Abſolute, vt idem ſint quod magna vel parua quantitas, quomodo non conſtituunt ſpeciem mali. Nam fieri poteſt, vt quis multum comedens, temperatè comedat, nam iſtud multum, non eſt ipſi multum ſed æquale.

81: Omnis circumſtantia neceſſaria ad bonam virtutis, includit peculiarè ordinè ad rationē.

Vbi aduerte, omnes circumſtantias neceſſarias ad actum bonum, v. g. ad actum temperantiæ, includere peculiarem reſpectum ad rationem, vt *tempus*, *locus*, *modus*, *quantitas*. Non enim ſimpliciter hoc vel illud tempus eſt neceſſarium ad bonum temperantiæ, hic vel ille locus, hic vel ille modus, hæc vel illa menſura: ſed tale tempus, locus, modus, menſura, qualem ratio omnibus ſpectatis poſtulauerit. Pari modo omnes circumſtantiæ, quæ actum ex bono vel indifferenti faciunt malum, ſecundum ſe includunt peculiarem repugnantiam ad dictamen rationis. v.g. Comedere eſt actus indifferens: vt autem ex circumſtantia fiat malum, requiritur vel locus, vel tempus, vel modus, vel menſura, vel finis rationi repugnans.

QVÆSTIO XIX.

De Bonitate & Malitia actus interioris voluntatis.

ARTICVLVS I.

Vtrum bonitas voluntatis pendeat ex obiecto.

1. Affirmatur. CONcluſio eſt. Bonitas voluntatis pendet ex obiecto.

Probatur, quia omnis diuerſitas ſpecifica actuum voluntatis ſumitur ab obiectis: atqui bonum & malum per ſe ſunt differentiæ ſpecificæ actuum voluntatis: ergo bonum & malum in actibus voluntatis ſumitur ex obiectis.

Maior propoſitio generatim eſt vera, tam de ſpecie naturæ, quam moris. Cuius ratio eſt, quia ex parte voluntatis non poſſunt actus habere vllam diuerſitatem ſpecificam: nam vt præciſè à voluntate manant, omnes ſunt eiuſdem rationis; ſicut etiam in aliis potentiis: omnes enim intellectiones, qua parte præciſe manant ab intellectu, ſunt eiuſdem rationis, nec habent vnde alia ab alia ſpecie diſtinguatur: & omnes viſiones vt ſunt præciſe à potentia viſiua, ſunt eiuſdem rationis. Ergo ſimiliter omnes volitiones, vt præciſe ſunt à voluntate, ſunt eiuſdem rationis. Ergo omnis diſtinctio ſpecifica, eſt ab obiecto, tamquam à forma quadam extrinſeca, & quaſi ſigillo.

Minor propoſitio intelligenda eſt de ſpecie morali: cùm enim actus voluntatis habeat duplicem ſpeciem, ſcilicet naturalem & moralem; naturalis non conſtituitur per malum, ſed moralis; vt oſtenſum eſt, q. 18. a. 6. d. 1. Per bonum tamen conſtituitur & ſpecies naturalis actus voluntatis, & moralis, quamuis alio & alio modo conſideratum; id eſt, vt actu liberum, & vt præſcindens à libero, vt ſupra dictum.

Secundò Probatur eadem concluſio. Ideò voluntas eſt bona, quia id quod per eam volumus eſt bonum: ideo eſt mala, quia id quod volumus, eſt malum: atqui id quod volumus, eſt obiectum: ergo ex obiecto pendet bonitas & malitia voluntatis. Hæc ratio colligitur ex D. Thoma §. *Sedcontra.*

2 Obiectum integrum. Vbi notandum eſt, nomine obiecti intelligi obiectum integrum conſtans materiali & formali, ſcilicet re volita, & ratione volendi. Nam ſi obiectum materiale ſit bonum, & ratio volendi ſit mala, integrum obiectum erit malum: ac proinde & voluntas: Vt ſi velis eleemoſynam ob vanam gloriam. Similiter ſi obiectum materiale ſit malum, & ratio volendi ſit bona, totum erit malum, ac proinde etiam voluntas: Vt, ſi velis furari, vt des eleemoſynam. Itaque quando bonitas voluntatis dicitur pendere ex obiecto, integrum obiectum eſt accipiendum.

ARTICVLVS II.

Vtrum bonitas voluntatis pendeat ex ſolo obiecto.

3 CONcluſio. Bonitas voluntatis ex ſolo obiecto pendet, & non ex circumſtantiis. Probatur, quia id quod eſt primum in quouis genere, debet conſiſtere in aliquo vno: ſed actus voluntatis eſt principium bonitatis & malitiæ in actibus humanis: ergo bonitas voluntatis debet conſiſtere in aliquo vno: atqui hoc vnum non eſt aliud quam obiectum: ergo ex ſolo obiecto pendet bonitas voluntatis.

Dices, *Magnum, intenſum, diuturnum* augent bonitatem voluntatis, & tamen non pertinent ad obiectum: nam retinent rationem circumſtantiarum: ergo non eſt verum quod hic dicit D. Tho.

Reſpondeo, Duobus modis id poſſe eſſe verum. Primò, Vt tantum intelligatur de bonitate ſpecifica actus exterioris: hæc enim ex ſolo obiecto pendet, non ex circumſtantiis: nam quæ à circumſtantiis augentibus intra eamdem ſpeciem pendet, non eſt ſpecifica, ſed accidentalis. Hæc videtur eſſe mens D. Thomæ: nam eius probatio nihil aliud conuincit. Secundò, vt dicatur pendere à ſolo obiecto, quia bonitas obiecti eſt neceſſaria, & ſufficit ad bonitatem actus

Digitized by Google

interioris, non autem neceſſaria eſt bonitas circumſtantiarum: ſatis enim eſt vt nulla mala circumſtantia adſit.

ARTICVLVS III.

Vtrum bonitas voluntatis pendeat ex ratione.

CONcluſio, Bonitas voluntatis pendet ex ratione. Probatur, Quia bonitas voluntatis pendet ab obiecto: atqui obiectum non proponitur voluntati, niſi per rationem: ergo pendet à ratione tamquam proponente ſeu applicante obiectum.

4 Bonitas voluntatis pendet à ratione oſtendente boni atem obiecti.

Dices, Simili modo etiam malitia voluntatis pendet ex ratione: quia niſi ratio proponat voluntati obiectum malum, voluntas non poteſt eſſe mala.

Reſpondeo, vt voluntas mala ſit, non eſt neceſſe vt ratio oſtendat obiecti prauitatem, ſufficit vt ipſum obiectum materiale proponat, & poſſit eius ſimul prauitatem aduertere, quamuis actu non aduertat, niſi confuſe. Vnde malitia voluntatis non ita cenſetur à ratione pendere, ſicut bonitas. Nam vt voluntas ſit bona, ratio debet oſtendere obiecti bonitatem: hæc enim in opere bono eſt cauſa volendi. Deinde bonitas voluntatis non pendet ex quauis ratione, ſed ſolum ex ratione recta, & prudenti: malitia vero non pendet à recta ratione, ſed potius à praua.

DVBIVM. I.

Quid ſit ratio recta, cui voluntas, vt bona ſit, debet conformari.

5 Ratio dubitandi.

CAuſa dubitandi eſt, Quia ſi recta ratio dicatur reſpectu rei, nempe quia iudicatur eſſe honeſtum id quod vere eſt honeſtum, ſic actio illa Iacob, qua cognouit Liam, non fuiſſet conformis rationi rectæ, ac proinde non fuiſſet bona: quod eſt falſum. Si vero dicatur ratio recta reſpectu affectus recti (vt inſinuat Ariſt. 6. Ethic. c. 2. cum ait, *Bonum intellectus practici eſſe veritatem quæ conſentanea ſit appetitui recto*:) ſic non explicatur origo rectitudinis: non enim ideo recta eſt, quia eſt conformis appetitui recto: ſed contrà, ideo appetitus eſt rectus: quia eſt conformis rationi rectæ. Vnde cum appetitus ſit rectus ex ordine ad rationem rectam, ratio non poteſt habere ſuam rectitudinem ex ordine ad appetitum rectum: nam idem eſſet cauſa veluti formalis ſuæ cauſæ formalis, & tribueret rationem formalem ei, vnde habet ſuam rationem formalem.

Ariſtot.

6 Quid Ratio recta.

Reſpondeo, Omiſſis ſententiis. Rationem proprie dici rectam ex ordine & conformitate ad obiectum, ita vt illa ratio ſit recta, qua iudicatur vel apprehenditur eſſe honeſtum, quod vere eſt honeſtum, aut turpe & fugiendum, quod vere eſt tale.

Dico, *Vel apprehenditur*: quia etiam ſimplex apprehenſio poteſt obiectum honeſtum vel turpe proponere, vt patet ex ſupra dictis. *Rationem* voco actum intellectus, ſiue ſit iudicium, ſiue apprehenſio.

D. Thomæ.

Hæc ſententia eſt manifeſte D. Thomæ hoc articulo 3. cum docet voluntatis bonitatem pendere à ratione, quatenus ratione proponitur obiectum. Vbi inſinuat rectitudinem rationis pendere ab obiecto, quod eſt cauſa, cur ratio tribuat voluntati bonitatem.

Probatur Primò, Tota origo & radix veritatis in actu intellectus eſt ex obiecto [veritas enim in actu intellectus nihil eſt aliud quam conformitas cum obiecto:) ergo etiam totum fundamentum rectitudinis in actu intellectus, ratione cuius eſt regula humanorum actuum, debet eſſe ex obiecto. Patet conſequentia, quia hæc rectitudo nihil eſt aliud, quam veritas quædam, vt patet ex Ariſt. ſuprà.

Secundò, Quia prima cauſa cur voluntas interior ſit bona eſt, quia tendit in obiectum honeſtum; vt patet ex D. Thoma art. 1. Conformitas enim cum recta ratione eſt ſolum cauſa ſecundaria: ideo enim voluntas eſt conformis rationi rectæ, quia eſt conformis obiecto honeſto, quod per eam proponitur. Ergo rectitudo rationis conſiſtit in habitudine ad obiectum, quatenus ratio eſt propoſitio obiecti honeſti.

Tertiò, Quia ratio non habet ex ſeipſa rectitudinem: ergo non poteſt eam habere niſi ab obiecto, à quo accipit ſuam ſpeciem.

7 Soluuntur obiectiones

Sed contrà. Primò, Veritas & falſitas non eſt in ſimplici apprehenſione, ſed ſolum in compoſitione & diuiſione, ſeu in iudicio compoſitiuo & diuiſiuo: atqui in ſimplici apprehenſione poteſt eſſe rectitudo vel prauitas: nam poteſt eam ſequi bona vel mala voluntas: ergo rectitudo rationis non eſt ipſa veritas actus intellectus.

In ſimplici Apprehẽſione poteſt. Virtualiter eſſe Veritas vel falſitas.

Reſpondeo, veritas & falſitas formaliter ſolum ſunt in compoſitione & diuiſione, virtute tamen & implicite ſunt etiam in ſimplici apprehenſione. Cum enim quis apprehendit ſub ratione honeſti vel delectabilis, quod non eſt tale; apprehenſio non reſpondet rei, & ſic dicitur eſſe falſa, quamuis nihil affirmet vel neget.

8

Obiicitur Secundò, Iudicium Iacob quo acceſſit ad Liam, non erat conforme obiecto honeſto, & tamen erat rectum, quia erat conforme appetitui recto: ergo rectitudo rationis non conſiſtit in conformitate cum obiecto honeſto, ſed cum appetitu recto.

Iudiciũ quo Iacob ad Liã acceſſit, fuit cõforme obiecto honeſto.

Reſpondeo, Negando illud iudicium non fuiſſe conforme obiecto honeſto: iudicabat enim Iacob ſibi honeſtum eſſe & decens, ſe hic & nunc ad hanc accedere; quod iudicium verum erat, poſito enim illo errore intellectus inculpato, quo putabat eſſe ſuam vxorem; iſte acceſſus reſpectu ipſius Iacob erat reuera honeſtus, id eſt, decens illum ex ratione & libero arbitrio operantem: nam poteſt aliquid eſſe honeſtum reſpectu alicuius, poſitis quibuſdam in illo circumſtantiis, quod ſimpliciter ſine illis non eſt honeſtum. Sicut id quod naturæ humanę vel corpori ſecundum ſe conſiderato non eſt conſentaneum, poteſt ei eſſe conſentaneum, ſi conſideretur in certa diſpoſitione: vt, frigida febricitanti, caro viperina elephantiaco. Pari itaque modo, etſi ſecundum ſe & abſque illo errore, non fuiſſet honeſtum ad hanc accedere, poſito tamen illo errore, erat illi honeſtum: & ſic iudicium erat conſentaneum obiecto honeſto reſpectiue.

Obiicitur Tertiò, Ariſtoteles 6. Ethic. c. 2. explicat veritatem intellectus practici, per conformitatem ad appetitum rectum: ergo non debet explicari per conformitatem ad obiectum.

Confirmatur

Confirmatur, Quia alioqui veritas practica non videtur diſtincta à veritate ſpeculatiua, niſi obiecto; quod eſt contra Ariſtotelem loco citato, & contra communem ſententiam Doctorum qui dicunt ſæpè fieri, vt id quod ſpeculatiuè eſt verum, ſit practicè falſum, & quod practicè verum, ſit ſpeculatiuè falſum.

Reſpondeo cum D. Thoma, Ariſtotelem ibi loqui, non de omni intellectu practico, ſed tantùm de eo qui verſatur circa media, huius enim veritas rectè explicatur per cõformitatem ad appetitum rectum finis, quia ratio mediorum conſiſtit in habitudine ad finem; vnde, ſicuti media ſunt honeſta, quatenus habent ordinem ad finem honeſtum, ita iudicium de mediis eſt rectum, quod eſt conforme appetitui recto finis. Nihilominùs rectitudo huius iudicij immediatè pendet ex honeſtate mediorum, tamquam ex proximo obiecto, mediatè tantùm ex honeſtate finis, vnde media habent quòd ſint honeſta, & conſequenter ex conformitate ad appetitum rectum circa finẽ. Veritas autem ſeu rectitudo rationis, vt verſatur circa finem non poteſt cõſiſtere in conformitate ad appetitum rectum, quia appetitus rectus ſupponit hanc rectitudinem rationis tamquam priorem, ſed conſiſtit in conformitate cum obiecto honeſto. Itaque rectitudo rationis ſiue verſetur circa finem, ſiue circa media, conſiſtit primò & immediatè in conformitate cum obiecto honeſto, vt ſupra explicatum eſt.

Quo modo veritas practica conſiſtat in cõformitate cum appetitu recto.

Reſpondetur etiam poteſt, rectam rationem vocari eam, quæ eſt conformis appetitui recto, hoc ſenſu, quia illud dictamen eſt rectum, cui appetitus ſi conformetur rectus erit: iuxta quem ſenſum appetitus rectus non erit regula rationis rectæ, ſed contrà, ratio recta erit regula appetitus recti.

ad.

Ad Confirmationem Veritas practica diſtinguitur à ſpeculatiua, non ſolùm obiecto, ſed etiam fine: obiectum enim veritatis practicæ, eſt aliquid à nobis operabile: finis verò eſt ipſa illius operatio. Obiectum autem veritatis ſpeculatiuæ non eſt aliquid operabile à nobis, ſed ſpeculabile tantùm, & finis ipſa contemplatio.

Iudicium ſpeculatiuè falſum, quo modo practicè verũ.

Quando autem aliquod iudicium dicitur ſpeculatiuè falſum, practicè verum, neceſſariò fit comparatio ad diuerſa obiecta: ſignificatur enim iudicium quod ſpeculatiuè falſum eſt ratione ſuę probabilitatis eſſe fundamentum alterius iudicij, quod practicè verum eſt, ac proinde regula actionis bonæ, v. g. Jacob exiſtimabat Liam eſſe vxorem ſuam Rachelem, iudicium hoc ſpeculatiuè falſum erat, practicè tamen verum, quia erat fundamentum alterius iudicij veri, Decet me hanc cognoſcere: quod iudicium etiam ſpeculatiuè, de illo obiecto cum ſuis circumſtantiis conſiderato, verum erat, quamuis alio ſenſu dicatur ſpeculatiuè etiam falſum.

11.

Obiicitur Quartò, Obiectum dicitur honeſtum, quod eſt conforme rectæ rationi tamquam ſuæ menſuratæ: ergo ratio non dicitur recta quòd ſit conformis obiecto honeſto. Conſequentia patet, tum quia eſſet circulus, tum quia nihil poteſt tribuere rationem formalem illi vnde accipit rationem formalem; eſſet enim prius & poſterius ſeipſo.

Honeſtum eſt quod naturam rationalem decet.

Reſpondeo, Honeſtatẽ obiecti non conſiſtere in conformitate cum recta ratione, ſed cum natura rationali: honeſtum enim eſt quod decet ſuppoſitum naturæ rationalis, quatenus in operãdo, ratione vtitur. Decet, inquam, vel tamquam operatio, vel tamquam obiectũ circa quod eius operatio verſetur. Verùm, quia nobis notior eſt recta ratio, ſeu rectum iudicium quàm natura ipſa rationalis ideò obiecti honeſtatem potiùs explicamus per conformitatem ad rationem rectam, quàm ad naturam rationalem: quæ enim ſit ratio recta facilè cognoſcimus ex aliis ſignis, vt ſi ſit conſentanea legibus, ſi iudicio prudentis, ſi appetitui recto vel fini honeſto. Itaque recta ratio poteſt eſſe menſura obiecti honeſti, non ex natura rei, ſed iuxta noſtrum modum cognoſcendi, nam ex natura rei obiectum honeſtum eſt regula rationis rectæ, recta tamen ratio eſt regula bonæ voluntatis, proponendo obiectum honeſtum.

Ex his patet, hæc non diſtingui, rationem rectam eſſe regulam bonæ voluntatis & rationem rectam proponere obiectum honeſtum. Voluntas enim non dirigitur à ratione niſi quatenus ratio proponit obiectum: proponit autem tantummodò illud cognoſcẽdo cum ſuis circumſtantiis, ſiue cognitione iudicatiua, ſiue apprehenſiua.

DVBIVM. II.

Vtrùm, vt voluntas ſit bona, requiratur vt obiectum ſit volitum, quia conforme rectæ rationi?

Reſpondeo, Non eſſe quidem neceſſarium, vt obiectum exprese ob hanc conformitatem ſit volitum, ſed tamen vel ob hanc, vel ob aliam rationem, in qua hæc implicitè continetur, volitum eſſe debet.

Non debet obiectũ eſſe volitũ, ſaltẽ implicitè volitum.

Prior pars probatur: nam vt voluntas ſit bona, ſatis eſt vt obiectum ſit volitum quia conforme legi æternæ, vel diuinæ voluntati, vel alicui præcepto naturali vel poſitiuo, vel quia opus virtutis, &c. ergo non requiritur vt expreſſe ſit volitum ob conformitatem cum recta ratione.

Contrarium videtur tenere Guil. Occam in 3. q. 13. Vult enim dictamen prudentiæ eſſe obiectum partiale omnis bonæ voluntatis. Sed puto in re non diſcrepare. Nam rationes eius non conuincunt, niſi alteram partem obiectæ concluſionis, ſcilicet quod obiectum debeat eſſe volitum ob aliquam cauſam, in qua ſaltem implicitè contineatur conformitas cum recta ratione, & ex actuali iudicio prudentiæ.

Occam.

ſed implicitè.

Quæ Pars probatur ex Ariſtotele 2. Ethic. c. 4. vbi, vt aliqua actio ſit virtutis, inter cætera requirit tria. Primò *Vt quis ſciens operetur*, ſciens, inquam, omnia quæ ſunt neceſſaria ad bonum virtutis. Secundo, *Vt ex electione*, id eſt *non caſu, non coactè, ſed libere*. Tertiò *Vt operetur ex electione propter ipſum*, id eſt propter bonum virtutis, vt omnes explicant. Et lib. 6. cap. . dicit *eos qui iuſta faciunt, non eſſe iuſtos, ſi faciant ob aliam cauſam quàm quia iuſta ſunt*. Idem docet D. Thomas infrà, art. 7. ad 3. *Vt voluntas ſit bona debet eſſe boni & ſub ratione boni*, id eſt, inquit, vt velit bonum, & propter bonum. Gabriel in 3. diſt. 4. q. vnica, in principio. Almainus tract. 3. moralium c. 3.

11. Probatur Auctoritate Ariſtot.

D. Thom.

Gabriel Almainus.

Probatur Ratione. Quia obiectum debet eſſe volitum ob aliquam rationem honeſti: ergo ob aliquam rationem, ob quam directè ſit conforme ſuppoſito rationali ratione vtenti, & conſequenter rectæ rationi.

Prob. Ratione.

Antecedens Probatur, quia cùm triplex ſit ratio boni, ſcilicet, honeſtum delectabile (ſub quo intellige naturæ commodum, iuxta Anſelmum) & vtile, ratio delectabilis, non ſufficit vt voluntas ſit moraliter bona, vndeneque ratio vtilis ad

delectationem, vel ad naturæ commodum: relinquitur ergo sola ratio honesti, quæ ad bonam voluntatem sufficiat.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm bonitas voluntatis pendeat ex lege æterna.

14 Affirmatur. CONclusio est. Bonitas voluntatis pendet ex lege æterna, idque magis quàm à ratione humana.

Probatur; Quia quando effectus pendet à duabus causis subordinatis, magis pendet à prima quàm à secunda [quia causa secunda non agit nisi virtute accepta à prima:] atqui bonitas voluntatis pendet à lege æterna tamquam à causa prima; à ratione humana tamquam à causa secunda [quia quòd ratio humana sit regula voluntatis, habet à lege æterna:] ergo magis pendet à lege æterna, quàm à ratione humana.

Lex æterna Notandum Primò, *Legem æternam* hic vocari, non præceptum, vel legem propriè dictam [quia ad bonitatem voluntatis non est necessarium, vt sit conformis alicui præcepto vel legi;] sed dictamen æternum diuinæ mentis, quo Deus iudicat qualis actus esse debeat, vt sit bonus.

Notandum Secundò, facile intelligi quo modo omnis bona voluntas debeat esse conformis legi æternæ [nam hoc ipso quo est conformis iudicio rationis rectæ, est etiam cõformis legi æternæ, quæ rationis est exemplar.] Sed est

DVBIVM

Quomodo bona voluntas pendeat à lege æterna, & in quo genere causæ.

15. RAtio dubitandi est; quia vt voluntas sit bona, non est necesse eam lege æterna dirigi; aut vt obiectum sit volitum, quia conforme legi æternæ, sed sufficit vt voluntas tendat in obiectum honestum, vt patet ex suprà dictis.

Respondeo. Bonam voluntatem nõ necessariò pendere à lege æterna tamquam ab obiecto seu ratione obiectiua: quia etsi obiectum possit esse volitum, quia conforme legi æternæ idtamen non est necessarium vt voluntas bona sit: Neque tamquam à regula immediata proponente obiectum: quia lex æterna non proponit voluntati creatæ quid sit bonũ, nisi mediante ratione creata: Sed dependet aliis modis, idque tripliciter.

quotmodis bona voluntas dependet à lege æterna. Primò, Tamquam à causa exemplari sua. Sicut enim omnium rerum creatarum perfectio pendet à causa exemplari, cuius conformitate quæque res est perfecta in sua specie, sic omnis bonitas voluntatum pendet à lege æterna, cuius conformitate omnis voluntas est bona: ideò enim omnis bona voluntas est bona, dum est, quia suo exemplari est conformis, quod exemplar est lex æterna. Porrò hoc exemplar ita concurrit ad productionem & conseruationem bonæ voluntatis, sicut ideæ cum effectis, quæ à rebus creatis dependent.

Secundò, Tamquam à causa bonitatis sui obiecti. Cùm enim bonitas voluntatis pendeat à bonitate obiecti, bonitas autem obiecti pendeat à lege æterna, etiam bonitas voluntatis à lege æterna pendet. Loquor de obiecto voluntatis creato, quale est actio externa, ideò enim colere Deum, reddere depositum, viuere tẽperatè, &c. est bonum actuali bonitate, quia conforme legi æternæ, id est, quia ita se habet, sicut dictat lex æterna. Verùm aduerte, has duas dependentias magis esse physicas quàm morales.

Tertiò igitur Bona voluntas pendet à lege æterna modo magis morali, nempe tamquam à prima sua regula proponente voluntati, quid bonum, quid sequendum mediante ratione recta. Immediata enim regula omnis bonæ actionis, est ratio recta, seu dictamen rectæ rationis proponẽs obiectum: hæc autem regula est imago legis æternæ, & lex æterna est huius exemplar.

16 Vnde sequitur, legem æternam esse regulam mediatam & primam, quæ per rationem rectam proponit voluntati obiectum honestum. Ideò enim mens humana iudicat quid bonũ, quid malum, quia est imago diuinæ mentis dictantis quid bonum quid malum, & consequenter iudicium rectum mentis humanæ est imago iudicii mentis diuinæ, quod iudicium est lex æterna.

17 Soluuntur obiectiones Dices Primò, Etiamsi non esset lex æterna, tamen voluntas circa obiectum honestum esset bona: ergo non necessariò pendet à lege æterna.

Si non esset lex æterna, nulla esset bona voluntas. Respondeo, Antecedens implicare contradictionem: si enim lex æterna non esset, nullum obiectum haberet rationem honesti, & sic nulla quoque voluntas posset esse honesta. Causa est, quia non potest esse natura rationalis, vel humana ratio cuius respectu dicitur honestum. Sicut, si non essent exemplaria in mẽte diuina, nulla creatura posset esse; quia etsi ex parte ipsius creaturæ non esset repugnantia ad existentiam, esset tamen ex parte causæ efficientis.

Opus ideò a lege æterna præceptum, quia bonum. Dices Secundò, Non ideò Idololatria, furtum, adulterium, mendacium & similia, sunt mala, quia sunt prohibita lege æterna, sed ideò sunt prohibita, quia mala: ergo similiter, non ideò opus est bonum, quia legi æternæ consentaneum, sed contrà, ideò est consentaneum, quia bonum.

Respondeo Negando consequentiam, Quia non seruatur debita proportio: oportebat enim inferre, ergo non ideò opus est bonum, quia præceptum lege æterna, sed ideò est præceptum, quia bonum, quod verum est: nam obligatio in homine ad opus per legem æternam inducta, supponit bonitatem operis, non autem illam facit. Secundò, Quia etsi bonitas rei dependeat à lege æterna, non ideò defectus ab ea dependere debent: vt patet à simili in rebus naturalibus, quarum perfectio pendet à diuinis exemplaribus, defectus autem pendet à causis creatis, vel ex eo, quòd sint ex nihilo.

ARTICVLVS V.

Vtrùm voluntas discordans à ratione errante, sit mala.

22 Affirmatur. CONclusio est. Omnis voluntas discordans siue à ratione recta, siue à ratione errante, est mala.

Prior pars patet ex art. 3. Nam bonitas voluntatis pendet ex conformatione cum ratione recta.

Altera pars, scilicet, quod voluntas quæ à ratione errante dissentit, sit mala, probatur, quia voluntas accipit speciem ab obiecto, non vt est in seipso, sed vt est in apprehensione rationis: ergo si obiectum bonum apprehendatur à ratione errante, vt malum seu fugiendum, & voluntas il-

lud acceptet, contrahet ſpeciem mali commiſſionis: & ſi id quod malum eſt, apprehendatur vt bonum & præceptum, voluntas non acceptet, contrahet malitiam omiſſionis.

Notandum eſt, hic eſſe ſermonem de ratione errante, qua id quod bonum eſt vel indifferens, iudicatur eſſe malum; vel quod non eſt præceptũ, iudicatur eſſe præceptum: alii enim errores ad præſens negotium non pertinent, niſi quatenus ex illis talis error ſequitur.

ARTICVLVS VI.

Vtrum voluntas concordans rationi erranti, ſit bona?

Concluſio Prima. Voluntas concordans rationi, ſeu conſcientiæ erranti errore culpabili, eſt mala: vt ſi quis vellet exercere vſuras, quòd putaret eſſe licitas. Ratio eſt, quia talis error non facit inuoluntarium, ſed abſolutè voluntarium, vt patet ex q. 6. a. 8

Concluſio Secunda. Voluntas concordans conſcientiæ erranti errore inculpato, non eſt mala. Ratio eſt, quia talis error facit inuoluntarium.

Notandum eſt, D. Thomam his duobus articulis tantùm explicare qualis ſit voluntas, quando conſentit vel diſſentit conſcientiæ erranti: qualis autem ſit quando conſcientia habet dictamen probabile, vel dubium, vel ſcrupuloſum, non tractat. Quare hoc loco paulò fuſiùs de conſcientia eſt agendum, & quomodo voluntas ſecundùm quamuis conſcientiæ ſpeciem ſe habere poſſit, vel debeat.

DVBIVM I.

Quid ſit Conſcientia?

10. Variè accipitur.

NOtandum eſt, nomine *Conſcientiæ* interdum ſignificari ipſam facultatem cognoſcendi, ſeu naturale lumen intellectus, quatenus verſatur circa principia moralia. Sic. D. Baſilius Præfatione in Prouerbia, vocat conſcientiam *φυσικὸν κριτήριον naturale iudicatorium*. Et Damaſcenus *Lumen mentis*. Aliquando habitum principiorum moralium, vt docet D. Bonauent. in 2. diſt 39. a. 1. q. 1. Sic D. Hieronymus in cap. 1. Ezechielis explicans illud, *Quatuor facies vni*, conſcientiam vocat *Synteresim* quæ eſt cognitio primorum principiorum in practicis, ſcilicet Decalogi, & bonũ eſſe faciendum, malum fugiendum. Ratio eſt, quia actus qui tribui ſolent conſcientiæ, vt accuſare, excuſare, &c. Rectè tribuuntur menti noſtræ, & illi habitui, qui dicitur ſynteresis. Et hoc modo videtur accipi, quando dicimus eſſe aliquid contra dictamen conſcientiæ. Verùm quia nihil dicitur fieri contra conſcientiam, vel ſecundùm conſcientiam, niſi quod fit contra actuale iudicium intellectus, vel ſecundùm illud, nomen conſcientiæ, propriè pertinet ad actum intellectus. Vnde.

Syntereſis.

11. quid proprie Conſcientia.

Reſpondeo, Hoc nomine hic intelligi iudicium, ſeu dictamen intellectus, quo iudicat aliquid eſſe bonum, vel malum, præceptum vel prohibitum, benè vel malè à nobis factum aut non factum.

Eius actus.

Probatur Primò, Quia huic iudicio conueniunt omnes actus, qui tribui ſolent conſcientiæ, Dicitur enim conſcientia *Accuſare & Reprehendere*, quod fit, dum actu iudicamus nos malè feciſſe: dicitur *Remordere*, dum hoc iudicium moleſtiam ingerit animo, dicitur *Ligare*, dum iudicamus eſſe præceptum: dicitur *Teſtificari*, dum iudicamus nos feciſſe, aut non feciſſe: dicitur *Accuſare*, dum nos pœna dignos iudicamus; dicitur *Abſoluere*, dum cenſemus nos non eſſe pœnam commeritos. Omnes ergo actus conſcientiæ conueniunt iudicio actuali intellectus.

Secundò, Quando aliquid dicimur feciſſe contra, vel ſecundùm conſcientiam, non poteſt aliud, quàm iudicium mentis intelligi.

Tertiò, Quia conſcientia ſecundùm D. Thomam 1. p. q. 79. a. 13. eſt applicatio ſcientiæ ad aliquem actum particularem: ſed hæc applicatio formaliter fit per tale iudicium: notitia enim habitualis applicatur mediante iudicio actuali, & vniuerſalis mediante particulari ad obiectum.

Dices Primò, Ex Durando in 2. diſt. 39 q. 4. Accuſare, Excuſare, Teſtificari, & ſimilia ſunt actus conſcientiæ: atqui non ſunt actus iudicii actualis, ſed habitualis: ergo conſcientia eſt iudicium habituale. 12. Soluuntur obiectiones

Reſpondeo, illa eſſe actus conſcientiæ non elicitos, ſed formales: ſicut enim notitia actualis dicitur illuminare, dirigere, mouere voluntatem, ita etiam dicitur accuſare, excuſare, teſtificari, &c.

Dices Secundò, Voluntas non poteſt facere contra iudicium actuale, ſed tamen poteſt facere contra conſcientiam: ergo iudicium actuale non eſt conſcientia.

Reſpondeo, Antecedens non eſſe verum, vt ſupra oſtenſum q. 9. a. 1. dub. 6. Nam cum iudicio actuali, quo iudicamus, Hoc eſt præceptum, poſſumus ſimul habere aliud iudicium, Hoc eſt moleſtum, & ita poſſumus illud nolle, ſtante iudicio quod teneamur velle: hoc autem eſt agere contra conſcientiam.

DVBIVM II.

Vtrum vt quis agat contra conſcientiam, debeat agere contra iudicium actuale præſens?

MEdina hoc loco negat, dicens ſufficere vt iudicium præceſſerit, & non ſit retractatum, tunc enim ſi quis contrarium agat, agere contra conſcientiam. 13 Medina negat.

Reſpondeo, Verius eſſe requiri iudicium præſens cui non obtemperet.

Probatur Primò, Quia nemo dicit ſe egiſſe contra ſuam conſcientiam, niſi, cùm ageret, iudicaret ſe male agere.

Secundò, Quia non ſufficit iudicium habituale contrarium, vt quis dicatur agere contra conſcientiam, ergo non ſufficit iudicium præteritum. Conſequentia probatur quia ſi iudicium præteritum non reuocatum ſufficeret, etiam iudicium habituale ortum ex illo iudicio præterito ſufficeret, nihil enim ex ipſo iudicio præterito manet, quam iudicium habituale. Vt quis agat contra conſcientiã debet agere contra iudicium actuale.

Tertiò, Quia ſequeretur, omnia opera infidelium, qui putant ſe debere facere omnia ad honorem idolorum, eſſe peccata, quod ſuppono nunc eſſe falſum. Hoc ſequi probatur. Vel enim referunt ea in hunc finem, & ſic peccant, vel non referunt, & ſic etiam peccabunt, quia faciunt contra conſcientiam præcedentem nondum reuocatam. 14

Medina reſpondet refutatur.

Ad hoc reſpondet Medina dupliciter: Primò,

Digitized by Google

Si paganus pietate naturali ductus det eleemosynam, implicitè retractat intentionem præcedentem.

Sed contrà. Non agimus hîc de intentione præcedente, sed de dictamine conscientiæ, quo iudicabat omnia opera sua ad honorẽ idolorum debere referri; hoc autem dictamen non retractauit; quia simul posset stare cum illa largitione el ëmosynæ; & tunc sine dubio peccaret in illa largitione, quia faceret contra conscientiã actualem: ergo similiter peccabit, si sufficit illam conscientiam præcessisse, & non esse reuocatam.

Respondet Secundò, Illam generalem relationem in idolum, si multum temporis intercesserit, euanescere; ac proinde non sufficere vt inficiat opera, quæ post sequuntur præsertim cùm bona opera natura sua in Deum referantur.

Sed neque hæc solutio ad rem facit; quia hîc non agitur de intentione, sed de dictamine conscientiæ, quod etiam sine omni intentione potest præcessisse.

Adde etiam, non esse verum, quod de intentione dicitur; non enim ideò intentio potest inficere opus sequens, vel non inficere, quia parum vel multum temporis inter ipsam & opus intercesserit (hoc enim nihil ad rem facit:) sed quia post intentionem aliquis effectus proximus vel remotus remanet, ex cuius præsentis vi sequitur opus, vt suprà q. 1. a. 6. est explicatum. Neque est necesse renouare intentionem, nisi quando series effectuum ex intentione sequentium est intercisa.

DVBIVM III.

Quale peccatum sit agere contra Conscientiam?

25 Adrianus.

ADrianus in 4. de Sacramento Confessionis, q. 4. §. *Venio nunc*, putat agere contra conscientiam esse speciale peccatum: *Circunstantia*, inquit, *contra conscientiam, aut contra dubitum conscientiæ facit transgressionem distinctæ prohibitionis.* Vnde infert semper exprimendum esse in confessione, nisi sacerdos satis per se aliàs aduertat.

Sed contrarium docet Diuus Thomas art. 5. ad 3 & alij passim. Et ex professo Nauarrus cap. *Consideret*, notabili 6. de Pœnitentia, dist. 5. Vnde.

Peccatum ex eo quòd sit contra cõscientiã, non habet specialem malitiam.

Respondeo & Dico Primò Peccatum ex hoc præcisè quòd sit contra conscientiam, non habet specialem malitiam, nisi fiat, vt conscientia vincatur.

Prior pars probatur; quia commune est omni speciei peccati fieri contra conscientiam, sicut fieri contra præceptum, contra obedientiam, & charitatem Dei: ergo sicut peccatum ex eo quòd sit contra præceptum, obedientiam, vel charitatem Dei, non habet specialem malitiam, sed generalem in omni specie peccati inclusam; ita etiam ex eo, quòd fiat contra conscientiam, non habet malitiam specialem.

Nisi fiat vt conscientia vincatur.

Altera pars probatur, quia qui ideò agit contra conscientiam, vt illam vincat, & quodammodo extinguat, ne ampliùs remordeat, (quo modo Lutherus decem annis contra conscientiam pugnasse dicitur) directè contemnit regulam omnis bonæ operationis, & consequenter Synteresim, & ipsum bonum honestum, & exponit se omnium scelerum periculo: atqui in hoc contemptu est specialis quædam inordinatio, eaque grauissima: ergo sic agere contra conscientiam, est speciale peccatum contra synteresim, & contra naturalem inclinationem voluntatis in bonum honestum.

A simili.

Confirmatur à simili. Nolle facere opus præceptum, vt contemnas præceptum, est speciale peccatum contra obedientiam: & nolle facere, vt contemnas Deum, est speciale peccatum contra charitatem Dei: ergo nolle facere vt contemnas conscientiam, est speciale peccatum contra conscientiam, & consequenter contra synteresim & affectum naturalem honesti.

26 Peccatum habet suam speciem ex ordine ad materiam vel præceptum, cui putatur aduersari.

Dico Secundò. Peccatum contra conscientiam commissum, habet suam speciem ex materia particulari, in qua putatur versari, vel ex ordine ad particulare præceptum, cui putatur aduersari. v. g. Si putes rem, quam accipis, non esse tuam, attamen reuerà tua sit, erit peccatum furti. Si putes esse contra obligationem voti, erit peccatum sacrilegii. Ratio est, quia peccata accipiunt speciem ex obiecto vel actionis externæ vel voluntatis. Nec refert, sitne hoc obiectum reuerà malum, an apprehendatur vt malum, quia voluntas fertur in illud, prout à ratione proponitur.

Idem colligitur ex D. Thoma art. ad. cùm ait: *Quando aliquid apprehenditur vt malum, semper apprehenditur sub aliqua speciali ratione mali, vt quòd aduersetur tali præcepto, vel sit scandalum, vel simile quid.*

Obiectiones soluuntur.

Dices Primò, fieri potest vt quis aliquid velit contra conscientiam, nec tamen apprehendat aliquam specialem rationem mali, vt si quis proponat malè agere in genere: ergo non est verum quod ait D. Thomas, ac proinde tale peccatum non habebit specialem malitiam.

Respondeo, Diuum Thomam loqui de eo, qui aliquid exteriùs contra conscientiam operatur: etsi enim possim velle malum in genere, non tamen possum malum in genere operari: talis autem volitio mali in genere habebit suã malitiam ex obiecto in genere considerato, erit tamen hæc malitia non generica, sed specifica, etsi ad nullam speciem particularium vitiorum pertineat, sicut amor honesti in genere, habet specialem bonitatem quæ tamen ad nullam particularem virtutem sit adstricta.

28

Dices Secundò, Interdum peccamus contra cõscientiam dictantem id quod facimus esse peccatum, non cogitantes interdum an sit peccatum mortale, an veniale, sed tãtùm in genere esse peccatum: quale peccatum est?

Si dubites, an sit mortale an veniale: quale peccatum committatur.

Respondeo Primò, Si dubitamus actu vtrùm sit peccatum veniale, an mortale quod facimus, & tamen facimus, est peccatum mortale. Ratio est, quia sic operans, voluntariè se exponit periculo peccati mortalis.

quale, si solùm in genere putes esse malum.

Secundò, Si non occurrat vlla dubitandi ratio, sed solùm in genere putemus esse malum, tunc vel conscientia errat, vel non errat: si non erat, eò quòd reuerà opus sit malum, tunc iudicandum est ex materia, quale sit peccatum: si enim materia sit grauis, erit peccatum mortiferum illud facere, vt si quis circa se, vel alium turpem habeat contactum causa voluptatis, sciens id esse peccatum, nesciens tamen vel non cogitans an sit veniale an mortale, peccat mortiferè: quia materia illum obligabat ad diligentiorem considerationem, & etiam sui conditione eum ad hoc excitabat. Si autem materia sit leuis, solùm peccat venialiter. Similiter si conscientia dictans esse peccatum, erret erit solùm peccatum veniale, vt rectè docet Nauarrus præludio 9. num. 6. Ratio est, quia conscientia non proponit illud, nisi vt

malum in g. nere: ergo voluntas acceptans, non contrahet niſi malitiam eam, quæ ſatis ſit ad generalem rationem peccati: ergo ſolum venialem, hæc enim ſufficit ad rationem peccati: nam ratione materiæ, cùm non ſit mala, nihil contrahet malitiæ. Nec obſtat quod is, qui ſic operatur, videatur ſe exponere periculo peccati mortalis ex modo operandi: quia reuera ſe non exponit periculo ex modo ſic operandi abſolute, ſed ex modo operandi ſic in grauimateria.

Nota.

28 Non eſt duplex peccatum.

Dico Tertiò, Peccatum contra conſcientiam commiſſum, non eſt duplex peccatum, nec habet duplicem mali ſpeciem; aliam vt eſt contra aliquòd præceptum particulare.

Probatur Primò, Quia eſſe contra conſcientiam, non eſt aliqua ſpecies mali, ſed ſolum eſt quædam circumſtantia nonnihil aggrauans peccatum intra propriam ſuam ſpeciem, eò quod efficiat illud magis voluntarium.

Probatur Secundò à priori. Quia conſcientia non ſe habet per modum obiecti reſpectu voluntatis, ſed ſolum per modum applicantis obiectum: eſt enim actus intellectus proponens obiectũ ſub ratione præcepti, vel vetiti boni vel mali, vnde per ſe non tribuit actui bonitatem vel malitiam, ſed ſolum ratione obiecti, quod per conſcientiam vt bonum vel malum, præceptum vel petitum proponitur.

Confirmatur, Quia actus bonus non habet duplicem bonitatem. ex eo quod ſit conformis conſcientiæ, & obiecto honeſto: quia hęc duo habent ſe per modum vnius boni & vnius regulæ. ergo opus malum non habet duplicem malitiam, eò quòd ſit contra conſcientiam, & contra bonum honeſtum, vel legem diuinam: quia hæc duo ſe habent ſicut vnum bonum: & vnius regulæ à qua diticeditur. Item modo obiectum turpe, & iudiciũ quo aliquis iudicat faciendum illud, quia delectabile, non ſunt duo mala, ſed vnum applicatum voluntati ad proſequendum.

29 Atqui entũ Adriani ſoluitur.

Dices ex Adriano Qui facit bonum contra conſcientiam, qua putat illud eſſe malum, vel qua dubitat an ſit malum, peccat, quia contra conſcientiam facit: ergo qui facit malum, ſciens eſſe malum peccabit duplici ratione: facit enim quod vere malum eſt, & facit contra conſcientiam. Confirmatur, quia malitia quam actus habet ex obiecto. non impedit malitiam, quæ oritur ex eo, quod ſit contra conſcientiam.

Reſpondeo Negando conſequentiam: quia vtrobique eſt tantum vna ratio mali, quam voluntas acceptat: qui enim facit bonum, putans eſſe malum, ſua apprehenſione & conſcientia apponit nouam malitiam obiecto, & illud cum illa malitia acceptat: qui autem facit malum, ſciens eſſe malum, non apponit obiecto nouam malitiam, ſed cognoſcens eam quæ inerat, acceptat obiectum. Itaque hic non eſt nouum peccatum ex eo quòd fiat actus contra conſcientiam: quia conſcientia non apponit aliam malitiam obiecto, quam ea quę reipſa ineſt: ibi verò eſt nouum peccatum: quia conſcientia apponit obiecto malitiam, quæ ipſi non inerat. Eamdem autem vim habet obiectum ad inficiendam voluntatem, ſiue in re malum ſit, ſiue in apprehenſione. Ad Confirmationem. Conſcientia hic non addit nouam malitiam, & ideò non eſt duplex peccatum.

DVBIVM IV.

Quotuplex ſit conſcientia.

30 REſpondeo. Eſt quintuplex. *Recta, Erronea, Dubia, Probabilis Scrupuloſa.*

Recta vocatur, quando iudicium eſt verum.

Erronea, Quando falſum.

Dubia, Cum neutri parti determinate aſſentimur, rationum inopia pendentes animi.

Probabilis, Cum alteri parti aſſentimur ducti ratione vel auctoritate, tamen cum formidine de oppoſito: vel quando vtraque pars eſt probabilis. Eſt quintuplex.

Scrupuloſa, Cùm leuibus rationibus ſuſpicamur aliquid eſſe prohibitum, vel præceptum.

DVBIVM V.

Vtrum voluntas quæ conſentit conſcientiæ erranti, aliquando ſit bona?

REſpondeo & Dico primo, Si error conſcientiæ ſit culpabilis, voluntas conſentiens non poteſt eſſe bona. Eſt communis ſententia Doctorum, & D. Thomæ art. 6. 31 Error culpabilis.

Ratio eſt, quia error culpabilis, quo id quod reuerà peccatum eſt, putatur non eſſe peccatum, non facit vt malitia operis cenſeatur non voluntaria, ſed potiùs facit voluntariam: cum enim error ſit voluntarius, etiam id quod ſequitur ex errore, & debebat impediri ne ſequeretur, voluntarium cenſetur, iuxta ea quæ dicta ſunt q. 6 art. 3.

Dico Secundo, Si error conſcientiæ ſit omnino inculpatus voluntas illi conſentiens non ſolum nõ eſt mala, ſed etiam poteſt eſſe honeſta & laudabilis. 32 Error inculpabilis.

Probatur Primò, Quia error inculpatus omnino malitiam obiecti veluti abſtergit, ita eam occultans ac tegens, ac ſi non eſſet, ſicque excuſat voluntatem à culpa: facit enim vt voluntas nullo modo, nec directe nec indirecte cenſeatur illam malitiam velle. Vlterius vero apponit operi honeſtatem, prudenter illud apprehendendo ſub ratione honeſti, & ſic voluntas acceptans illud, eſt honeſta.

Secundo, Quia qui habet errorem inculpatum, poteſt prudenter cum his circumſtantiis iudicare hoc opus ſibi eſſe licitum & honeſtum (nam quilibet recte diſpoſitus, cum his circumſtantiis idem iudicabit:) Atqui voluntas prudenti iudicio conformis eſt honeſta: ergo, &c. Explicatur exemplis. Putabat Iacob errore inculpato hanc eſſe Rachelem vxorem: qui error primo tegebat malitiam, quæ alioqui in illo obiecto apparuiſſet: Deinde faciebat vt prudenter poſſet apprehendere & iudicare hanc cognoſcere, eſſe licitum & honeſtum, vnde voluntas poterat hoc ſub ratione honeſti velle. Voluntas ſequens cõſcientiam erratem, poteſt eſſe bona.

Dices, Qui ex errore culpabili aliquid faciunt putantes eſſe honeſtum, vel Deo gratum (ſicut Iudæi perſequentes Chriſtum & Apoſtolos) etiam feruntur in opus ſub ratione honeſti, putant enim ſe obſequium præſtare Deo: ergo eorum voluntas poteſt eſſe bona. 33

Reſpondeo, Non proprie ſub ratione honeſti illud volunt, quia vere reſpectu illorum hoc opus cum his circumſtantiis non eſt honeſtum: ſed ſolum quamdam imaginem honeſti habet: nemo enim prudens cum his circumſtãtiis iudicabit hoc eſſe honeſtum. Secus vero res habet, quando ignorantia eſt inculpata: tunc enim id quod ſecundum ſe & abſque errore non eſt honeſtum, fit honeſtum reſpectu huius propter illam circumſtantiam erroris, nam quiuis cum tali errore prudenter iudicabit hoc eſſe honeſtum. Vnde patet, errorem inculpatum non ſolum excuſare, ſed etiã per modum circumſtantiæ facere, vt id quod in ſe non eſt honeſtum, fiat honeſtum reſpectu operantis. Iudæi perſequentes Chriſtũ & Apoſtolos, non fecerũt id ſub ratione honeſti.

DVBIVM. VI.

Vtrum Conscientia errans obliget?

DVrandus in 2. dist. 39. quæst. 5. num. 7. docet duo: primo, conscientiam errantem non obligare; quia nemo obligatur ad malum, vel ad bonum non debitum Secundò, Conscientiam tamen errantem, si sit imputabilis, id est culpabilis, ligare hominem; quia ita constringit, vt neque secundum eam, neque contra eam possit facere Si autem non sit imputabilis, solùm ligare secundum quid, nempe vt non possis agere contra eam, possis tamen secundùm eam Idem docet Almaïnus Tract. 1. Moral. c. 5.

Medina affirmat.

Medina verò & alii multi absolute docent, conscientiam erroneam obligare, vt eam vel sequamur, vel deponamus.

Conscientia culpabili errans, non obligat vt agamus secundùm eam.

Respondeo & dico Primò, Conscientia errans, si error culpabilis sit, obligat quidem vt non agamus contra illam, quamdiu perseuerat, non tamen verè obligat, vt agamus secundùm eam, sed solum videtur nobis obligare propter falsam nostram opinionem.

Prior pars est communis DD. & colligitur ex D. Thoma art. 5.

Prob. prima pars.

Probatur Primò, Quia agere contra dictamen conscientiæ, est intrinsecè peccatum; ita vt ne Deus quidem possit in hoc dispensare. atqui obligamur ad vitandum peccatum, ergo obligamur non agere contra conscientiam.

Ad Rom. 4. Fides idem quod Conscientia.

Maior patet ad Romanos 14. *Quidquid non est ex fide, peccatum est.* Quem locum etsi D. Augustinus interdum explicet de fide catholica, [de cuius sententia infrà dicetur quæst 09.] tamen communis sententia aliorum est intelligendum esse de *Conscientia*, vt sensus sit, Quidquid fit contra conscientiam, vel non secundum cõscientiam, est peccatum. Ita Origenes, Chrysostomus, Commentarius Ambrosii, Theodoretus, Theophylactus, Anselmus, Glossa & alii, & manifestè conuincitur ex verbis Apostoli.

35. Voluntas quia cæca, debet dirigi.

Probatur Secundò quia voluntas, cùm perse sit cæca, tenetur non agere contra propriam suam regulam, à qua debet dirigi: atqui proxima regula voluntatis est dictamen conscientiæ [quia per hanc omnis alia regula, vt lex æterna lex humana, & omne obiectum proponitur & applicatur: ergo tenetur non agere contra conscientiam.

Probatur Tertiò, Conscientia errans vel proponit id quod non est peccatum, tamquam peccatum, & sic agere contra conscientiam, est velle id quod putatur esse malum & peccatum, vel quod non est præceptum, proponit tamquam præceptum, & tunc agere contra conscientiam, est implicitè contemnere præceptum, atqui obligamur non velle malum, & non contemnere præceptum: ergo obligamur non agere contra conscientiam, Sicut enim possumus obligari ad actum positiuum liberum, ita etiam ad liberam negationem actus.

Soluitur obiectio.

Dices, Id quod conscientia errans proponit tamquam malum, non est verè malum, sed bonum: ergo non facit vt voluntas sit verè mala.

Respondeo Negando consequentiam, Quia etsi in se sit bonum, tamen hæc bonitas est incognita, vnde perinde se habet ac si non esset, quia voluntati non proponitur & vlterius apprehenditur tamquam malum, vnde cum illa malitia est volitum: quare facit voluntatem malam. Quod apertè colligitur ex Apostolo ad Rom. 4. *Qui existimat aliquid esse commune, ei est commune*, id est immundum, ac proinde prohibitum.

Altera pars est D. Bonauenturæ in 2 dist. 39. art. 1. q. 3 vbi dicit: *Si conscientia erronea dicteret aliquid faciendum esse, quod est contra legem Diuinam, tunc obligat ad faciendum, vel ad non faciendum, sed ad se deponendum, quia*, inquit, *quamdiu manet, ponit hominem extra statum salutis* quod intellige quando datur occasio operandi secundum eam.

36. Prob. secunda pars. Bonauent.

Idem insinuat D. Thomas hoc loco art. 5 dum solum probat, nos teneri non agere contra conscientiam.

D. Thomas.

Idem docet Conradus in hunc locum, & Almainus suprà. vnde non est verum quod ait Medina, contrariam sententiam esse communem Theologorum.

Conradus. Almainus.

Probatur Primò Ratione Durandi. Nemo vnquam potest obligari ad peccandum: Sed agere secundum conscientiam erroneam, dum error est culpabilis, est peccare: ergo nemo obligatur ad sequendam conscientiam erroneam.

Secundò, quia aliundè obligamur illam corrigere seu deponere, idquod aliter nobis est possibile, vt supponimus: ergo non tenemur eam sequi. Consequentia patet, Quia hæ obligationes repugnant si enim teneor eam hic & nunc deponere ne illam sequar, teneor non sequi, cui obligationi repugnat obligatio sequendi.

37. Prob. tertia pars.

Tertia pars probatur, Quia etsi reuera non teneamur illam sequi, tamen putamus nos teneri, vnde fit vt non facere secundum eam, sit implicitè contemnere præceptum quod putamus esse. Confirmatur ex Apostolo ad Galat. 5. *Testificor omni homini circumcidenti se, quod debitor est vniuersæ legis.* Intellige non verè debitor, sed secundùm suam opinionem, qua putabat circonciſionem esse necessariam: hinc enim sequebatur, vt putaret etiam obseruationem totius legis esse necessariam, quia circumcisio erat professio quædam, qua profitebantur se totam legem acceptare: sicut modo Baptismus est acceptatio totius legis Christianæ.

Circumcidens se, quomodo sit Debitor legis.

38 Conscientia errans inculpatè, obligat, vt agamus secundùm eam.

Dico Secundo, Conscientia errans, si error sit inculpatus obligat vt non solum non agas contra eam, sed etiam vt agas secundùm eam, faciendo quod dictat faciendum. Prior pars satis patet ex dictis

Altera pars, scilicet quòd obligemur facere secundum eam, videtur esse contra Durandum, quia generatim negat, conscientiam errantem obligare. Sed probatur, Quia hoc ipso quo obligamur non agere contra eam, obligamur agere secundùm eam, non agere secundum eam, est agere contra eam, non enim datur aliquid tertium. v. g. Conscientia alicui dictat esse mentiendum pro vita hominis, quia id aliquando legit in patribus: non agere secundum hanc conscientiam, est agere contra conscientiam. Secùs est, quando error conscientiæ est culpabilis; tunc enim datur tertium.

Dices. Oportet illam conscientiam corrigere, cùm sit falsa, & ita neque ages contra conscientiam, neque secundùm eam.

Respondeo, Non esse in mea potestate illam corrigere, quia suppono errorem esse inculpatum, seu inuincibilem, nihil enim occurrit, vnde meritò possim dubitare; vel si occurrit, non est tempus deliberandi, eò quòd res vrgeat.

39 Soluuntur obiectiones

Obiicitur Primò, ex Durando. Obligatio neque est ad illicitum, neque ad indebitum: sed conscientia errans dictat esse faciendum quod est

illicitum fieri, aut certè non debitum: ergo non obligat.

A) illicitum formaliter non eſt vera obligatio.

Reſpondeo non eſſe veram obligationem ad illicitum formaliter; quò fit vt conſcientia errans, ſi culpabiliter erret, non verè obliget ad faciendum quod ipſa dictat; quia illud facere eſt formaliter illicitum facienti: poteſt tamen obligari aliquis ad id quod materialiter eſt illicitum; nam id poteſt ob aliquam circumſtantiam ſe habere, reſpectu operantis, tamquam licitum & honeſtum, vt ſuprà dictum eſt. Pari modo, quod per ſe non eſt debitum, poteſt fieri debitum ob aliquam circumſtantiam, qualis eſt opinio inculpata.

40

Obiicitur Secundò, Vera notitia de re non tollit obligationem, ſed eam confirmat: atqui vera notitia de eo quod conſcientia erronea dictat, tollit obligationem: ergo antea nulla erat obligatio.

Quandoñ vera cognitio tollat obligationem.

Reſpondeo, Quando aliquid per ſe conſideratum obligat, tunc vera cognitio non tollit obligationem, ſed quando aliquid ſolùm obligat ratione ignorantiæ, vel falſæ opinionis, tunc vera cognitio tollit obligationem, ſicut oſtendi poteſt in exemplo circumciſionis.

41

Obiicitur Tertiò, Conſcientia errans culpabiliter, ſolum inducit obligationem putatitiam: ergo etiam conſcientia errans inculpatè: ergo non veram.

Obligatio quæ eſt ex errore culpabili, aliter debet dici putatitia, quàm quæ eſt ex errore inculpabili.

Reſpondeo vtramque poſſe dici putatitiã, quia prouenit ex opinione, ſed diuerſimodè: nam illa prouenit ita ex opinione, vt ſolum ſit in opinione obiectiuè, non autem in re; quia illa obligatio non eſt, ſed tantum putatur eſſe. Hæc verò ita prouenit ex opinione, vt verè ſit in re, & opinio tantum ſe habeat vt conditio, quâ poſitâ oritur vera obligatio in homine ex ipſa natura hominis, vel voluntatis, quæ tenetur ſequi dictamen conſcientiæ, quod non poteſt prudenter deponi: tale enim dictamen cum iſtis circumſtantiis eſt prudens. In ſingulis autem virtutum materiis tenemur ſequi quod proponitur, vt neceſſarium ad honeſtatem illius virtutis.

DVBIVM VII.

Vtrùm in operando poſſimus ſequi opinionem probabilem, omiſſâ eâ quam iudicamus probabiliorem?

42

NOtandum eſt, nos hic loqui de opinionibus, quibus opinamur aliquid eſſe iuſtum, vel iniuſtum, licitum vel illicitum, præceptum, vel non præceptum: nam opiniones de aliis operum conditionibus non pertinent ad directionem voluntatis in actibus moralibus, niſi mediatè, quatenus ex illis conditionibus colligi poteſt an opera ſint licita, vel illicita, præcepta, an non præcepta.

quidam putant ſemper ſequendam eſſe ſententiam probabiliorem.

Multi Doctores videntur exiſtimare, ſemper ſequendam eſſe ſententiam probabiliorem, niſi fortè ea quæ minus probabilis eſt, ſit tutior. Ea autem vocatur *tutior*, in qua nullum eſt periculum peccati, vel (ſi in vtraque eſt periculum) in qua eſt periculum minoris peccati, quàm in altera. *Peccatum* voco materiale opus peccati, quod imputaretur ad peccatum, niſi aliunde excuſaretur. v. g. Omittere cambium Francofurtenſe, Vel Byzantinum, dicitur tutior pars quàm talem contractum facere, quia in omiſſione nullum eſt periculum peccati.

Angelus. Sylueſter.

Hanc ſententiam ſequitur Angelus Verbo *Opinio*, num. 2. & 3. Sylueſter ibidem quæſt. 1. & 2. Adrianus Quod l. 1. Nauarrus cap 27, Enchiridii num. 18. & ſequentibus. Caietanus in ſumma, Verbo *Opinio*, vbi videtur etiam amplius velle, ſcilicet vt operans habeat moralem certitudinem, licitum eſſe quod facit, ita vt non formidet de oppoſito: quæ ſententia Caietani ſi intelligatur de certitudine ſpeculatiua, eſt nimis dura; ſi de practica, eſt vera, vt patebit dub. 8. Et de hac eſſe intelligendam, colligitur ex Tomo 1. opuſculo vltimo, reſp. 13. ad 7.

Adrianus. Nauarrus.

Caietanus.

Dico Primò Neminem in operando poſſe ſequi opinionem, quam putat eſſe improbabilem, vel de cuius probabilitate dubitat. Eſt communis Doctorum.

43 Opinio improbabilis non eſt ſequenda nec vnquàm probabilis.

Ratio eſt, Quia qui iudicat improbabilem, abſolutè iudicat eſſe falſam, & præterea carere omni ſpecie veritatis, omni ratione & auctoritate, ob quam prudenter poſſit illam amplecti. Si verò dubitat de probabilitate, non ſolum dubitat de veritate, ſed etiam de ſpecie veritatis, nec vllam habet rationem vel auctoritatem, quæ ſufficiens ſit, vt prudenter poſſit illi adhærere.

44 Æquè probabilis ſi eſt elige.

Dico Secundò, Si opiniones in vtramque partem ſint æquè probabiles, potes ſequi vtramlibet. Ita Sotus lib. 5. de Iuſtitia qu. 6. art. 5 ad 4. & alij recentiores.

Probatur, Quia vtrimque eſt ſufficiens ratio prudenter aſſentiendi; neque eſt maior, cur credam opus eſſe licitum, quàm illicitum, præceptum, quàm non præceptum.

Dices, Tutius eſt in tali caſu credere eſſe præceptum, & facere, &c.

Periculoſum eſt onerare conſcientiam præceptis non neceſſariis.

Reſpondeo, Imò tutius eſt credere non eſſe præceptum, quia periculoſum eſt conſcientiam onerare multis præceptis non neceſſariis, facilè enim tunc contingit hominem peccare ob conſcientiam erroneam. Itaque melius eſt, vt ſciat ſe non obligari; ſic enim ſi omittat non peccabit, ſi faciat, faciet opus ſupererogationis. Fateor tamen tutius eſſe facere, quàm non facere in tali caſu: non tamen ideò neceſſarium eſt facere, aloqui omnes deberent ſequi conſilia Chriſti, hoc enim eſt tutius: omnes tenerentur exequi omnes bonas inſpirationes, omnes tenerentur abſtinere à negotiatione.

45 Poſſumus ſequi in operando ſententiam probabilẽ, omiſſa probabiliore.

Dico Tertiò, Si vtrimque ſint opiniones, quarum tamen altera ſit probabilior altera, potes in operando, relicta ſententia, quam iudicas probabiliorem, ordinariè ſequi eam, quæ videtur minùs probabilis, modò tamen verè ſit probabilis ſiue ea pars tutior ſit, ſiue minùs tuta. Ita docet Medina hic & paſſim recentiores, qui hoc tempore ſcribunt. Et colligitur ex Nauarro in *cap. Si quis*, de pœnit. diſt. 7. numer. 53. 54.

Probatur Primò, Quia poſſumus ſequi opinionem probabiliorem, omiſſa via certa (vt quando probabilius eſt opus eſſe licitum quàm illicitum, poſſumus illud facere omiſſa via certa, quæ eſt abſtinere ab opere:) ergo poſſumus ſequi opinionem probabilem, omiſſa probabiliore, eſt enim par vtrobique ratio

Secundò, Quando non conſtat de veritate, poteſt ſe quiſque ſubiicere iudicio prudentum in rebus agendis: atqui ſententia probabilis eſt iudicium prudentum: ergo quiuis poteſt ſe ei conformare.

Tertiò, Non ſemper tenemur ſequi id quod videtur melius, ſed ſufficit ſequamur id quod videtur bonum: ergo neque tenemur ſequi id quod videtur verius, id eſt, quod maiorem habet veritatis ſpeciem; ſed ſufficit ſequi id, quod

habet ſpeciem veritatis talem, ob quam poſſit prudenter videri verum.

In quibus teneatur ſubdit' obedire Superiori.

Quartò, Si Superior præcipiat aliquid inferiori, quod probabile ſcit eſſe licitum, etiamſi contrarium ſit probabilius; tamen ſubditus tenetur obedire, vt communiter Doctores docent (tenetur enim ſemper, niſi conſtet eſſe illicitum, vel niſi ſit periculum grauioris incommodi:) ergo poſſumus ſequi ſententiam probabilem, quamuis contraria videatur nobis probabilior. Conſequentia probatur, quia ſi teneremur ſequi id, quod nobis eſt probabilius, etiam teneremur Superiori præcipienti id quod minùs eſt probabile, non obedire.

Quintò, Nemo reprehendendus eſt quòd ſequatur ſententiam verè probabilem in ſentiendo: ergo neque quòd ſequatur eam in operando: cur enim quod abſque culpa poſſum iudicare eſſe licitum, non poſſim abſque culpa facere?

Sextò, Intellectus humanus in rebus practicis plerumque non poteſt aſſequi certam cognitionem veritatis; ſed ſolùm probabilem opinionem: ergo in operando poteſt hanc ſequi [alioqui à pleriſque actionibus huius vitæ teneretur abſtinere:] atqui ſæpè fit, vt opinio quæ vni videtur probabilior, ſit falſa; & minùs probabilis, ſit vera; & contrà. Item vt probabilior ſit falſa, & minus probabilis ſit vera [nam multa falſa habent maiorem ſpeciem veri, quàm quædam vera:] ergo non erat æquum, vt homo ſemper teneretur ſequi id, quod ei probabilius videretur.

46 In dando conſilio.

Ex his ſequitur Primò, Etiam in dando aliis conſilio poſſe nos ſequi opinionem probabilem, relicta ea quam putamus probabiliorem, quando ita videtur expedire, ad melius bonum, &c. quod eſt contra Nauarrum cap. 17. Enchiridij. n. 138. Vt plurimum tamen in dando conſilio ſequenda eſt opinio tutior.

Contra propriam ſententiam.

Secundò Poſſe nos ſequi opinionem probabilem contra propriam ſententiam, quam putamus probabiliorem, quod eſt contra Adrianum Quodl. 2. & contra Auctores alterius ſententiæ.

47 Soluuntur obiectiones.

Contra obiicitur Primò, Qui putat alteram partem eſſe probabiliorem, non poteſt prudenter iudicare hanc quam vult ſequi eſſe veram, ſed potius cenſet eſſe falſam; quia minor ſpecies veri in ea cernitur: ergo non poteſt eam in operando prudenter ſequi. Conſequentia probatur; quia non poteſt quis prudenter velle quod ex parte rei iudicat eſſe illicitum, vel certè quod non poteſt determinatè iudicare eſſe licitum.

Cũ iudicio ſpeculatiuo quo iudicàs item hanc in ſe eſſe illicitam, ſtat poteſt iudicium practicum quo iudices eam hic & nunc eſſe licitam.

Reſpondeo Negando Conſequentiam: Non enim eſt neceſſarium, vt putes hanc partem quamvis ſequi, eſſe in ſeipſa ſeu ſpeculatiuè veram [v. g. hunc contractum ex parte rei eſſe iuſtum, alioqui quando vtrimque ſunt rationes æquè probabiles, non poſſes vtramuis partem ſequi, quia non potes determinatè iudicare hanc vel illam eſſe veram.] Sed ſufficit vt iudices eſſe probabilem, [id eſt, habere tantam veritatis ſpeciem ob rationes vel auctoritates Doctorum, vt prudenter alicui in ea ſcientia perito poſſit videri vera] & fortaſſis eſſe veram, quamuis in re putes eſſe falſam: quia cum hoc iudicio ſpeculatiuo quo putas talem contractum in ſe eſſe illicitum, poteſt conſiſtere aliud iudicium quod ſit practicum, quo iudices hoc opus tibi hic & nunc eſſe licitum, id eſt, non imputandum ad culpam, eò quòd prudens iudicium aliorum, vel probabiles rationes ſequaris.

Obiicitur Secundò, Si licitum eſſet ſequi ſententiam probabilem, omiſſa probabiliore, iudex non teneretur ferre ſententiam pro eo, cuius ius eſt probabilius: atqui hoc manifeſtè eſt falſum: ergo & id vnde ſequitur. 48

Quidam cenſent veroſimile Iudicē poſſe ſequi ſententiam probabilē in q. Iuris.

Reſpondeo Primò, Iudicem teneri ex iuſtitia ſequi id, quod eſt probabilius in quæſtione facti: veroſimile autem quibuſdam videri id ipſum non teneri Iudicem facere in quæſtione Iuris. Ita ſentit Michaël Salon 2.2. qu. 6. ar. 4. controu. 2. vbi pro hac ſententia citat Pet. Sotum & DD. Salmanticenſes. Vt ſi quæſtio ſit, vtrum Teſtamentum Pauli quo me inſtituit heredem, ſit ſolemne, an non, & ego meliorſbus indicis & rationibus probem eſſe ſolemne, quàm aduerſarius probat non eſſe ſolemne, tenetur Iudex mihi hereditatem adiudicare. Si verò quæſtio ſit, vtrum ex teſtamento minus ſolemni hereditas debeatur, etiamſi ego probem partem aientem eſſe probabiliorem, non tenetur tamen Iudex hoc ſequi. Sed difficultas eſt in aſſignanda ratione huius diuerſitatis, ſi enim dicas illum qui in quæſtione facti melius probat, maius ius habere, cur non etiam plus iuris habeat, qui melius probat in quæſtione Iuris? Vnde hæc ſententia mihi non omnino probatur. Quare

49 Sed verius negatur.

Reſpondeo Secundò, Simpliciter negando maiorem. Etſi enim huius ius ſit probabile, tamen non eſt probabilis opinio iudicem poſſe illi rem adiudicare quando ius alterius eſt probabilius. Ratio eſt, quia iudex conſtituitur eſt vt cuique tribuat ſecundum ius cuique competens. Ergo quando non poteſt conſtare vtri parti ius competat, illi fauere debet cui magis videtur cõpetere, ſic enim humano modo maximè accedit ad veritatem.

50 Nõ ſemper poſſ ut ſequi ſententiã probabiliorem

Dico Quartò, Fieri interdum poteſt, vt in operando teneamur ſequi opinionem probabilem dimiſſa probabiliore, vel æquè probabili. Eſt contra quoſdam recentiores, Medinam hoc loco, & Salon 2.2. quæſt 63. artic. 4. dubium 2.

In dubio Baptiſmi.

Probatur exemplis. Primò, Probabile eſt pro Baptiſmo infantis in extrema neceſſitate poſſe pecuniam dari: contrarium ſit etiam probabile vel probabilius: qui ſcit illam ſententiam eſſe probabilem, tenetur illam in praxi ſequi, & data pecunia curare infantem baptizari.

In dubio Confeſſionis.

Secundò, Probabile eſt, eum qui oſtendit ſigna contritionis in extremis, poſſe abſolui: contrarium eſt etiam probabile, & ſecundum Nauarrum probabilius: teneris ſequi in praxi illam probabilem. Ratio eſt, quia potes in his caſibus proximo ſuccurrere ſine peccato, vel vllo alio incommodo: ergo lege charitatis teneris ſuccurrere, quia grauiſſimum periculum ſalutis æternæ vrget.

Dices, Quo modo altera pars eſt probabilis, ſi non poſſim illam ſequi?

Reſpondeo, Si noſti benigniorem partem in praxi eſſe probabilem, durior pars ſolum ſpeculatiuè eſt tibi probabilis, id eſt, probabile tibi eſt ex parte rei non eſſe licitum facere, quamuis ob ignorantiam veritatis, iunctam opinioni probabili alterius partis, tibi non ſit imputandum, etiamſi opus facias. Itaque cum ſine peccato poſſis proximum iuuare in tanto diſcrimine, teneris, quamuis fortaſſis opus quod facis, ſit in ſe illicitum. Qui verò ignorat inculpatè benignioris partis probabilitatem, ei altera pars e-

etiam practicè sit probabilius

51 In dubio Præcepti.

Tertiò superior aliquid imperat subdito, quod probabile est esse licitum, quamuis contrarium sit probabilius, subditus tamen tenetur obedire, vt docet Siluester verbo *Conscientia* qu. 4. ex D Bonaventura in 2. dist. 39. art. 1. quæst. 1. in fine. Ratio est, Quia inferior potest illud facere: ergo tenetur ratione præcepti: quando enim materia est licita & honesta, præceptum Superioris obligat.

In dubio Restitutionis, quid teneatur debeat qui debet Cõfessarius.

Quarò Audiuisti Confessionem alicuius, qui non vult relinquere contractum, quem probabiliter tenet esse licitum, etiamsi probabilius sit esse illicitum, non tolùm potes, sed etiam teneris illum absoluere. Ratio est, Quia iste non habet impedimentum absolutionis cùm sine peccato sequatur sententiam probabilem: ergo cùm ipsius confessionem iam audiueris, teneris ex officio. Sacerdos enim ex officio audita iam confessione, tenetur pœnitentem non impeditum absoluere. Quòd si confessionem nondum audiuisses, posses eum remittere ad suum Parochum, eò quòd tuam sententiam, quę probabilior est sequi nollit. Parochus tamen, qui ex iustitia tenetur audire, non potest eum reticere, etiamsi sententiam eius sequi nolit. Vide Sotum in 4. dist. 18. qu. 2. art 5. ad 5.

Quid hic sequi debeat Parochus.

52. Aduerte tamen ad hoc exemplum Responderi posse, eum qui absoluit pœnitentem in tali casu, non sequi opinionem probabilem, sed certam, quia certum est, Sacerdotem audita confessione teneri absoluere pœnitentem, quem non scit esse indispositum, non est autem indispositus, qui sequitur opinionem probabilem.

DVBIVM. VIII

Vtrùm voluntas conscientiâ dubiâ aliquid faciens, sit mala?

53 NOrandum est, aliud esse dubium practicè, aliud speculatiuè.

Quid dubium practicè.

Practice Dubium dicitur de quo dubitatur in ordine ad operationem, scilicet an liceat illud facere an omittere, id est, vtrum imputetur ad peccatum. Idque fieri potest dupliciter, vel in vniuersali sine circumstantiis, vel in particulari cum his vel illis circumstantiis.

Quid Speculatiuè.

Dubium Speculatiuè dicitur, de quo dubitatur vtrùm in se sit tale vel tale, verum, an falsum, licitum, an illicitum.

Quid Iuris.

Rursus illud est *dubium Iuris*, vt cum dubitatur vtrùm liceat, vtrùm sit obligatio vtrùm extet aliqua lex. Aliud *Facti*, vt cum dubitatur de substantia facti, vel aliqua eius circunstantia. His positis.

Quid Facti.

54. Cõscientia Practicè dubia in particulari, sic operans, nõ est recta.

Dico Primò Si conscientia sit practicè dubia in particulari, dubitando an hic & nunc opus sit licitum, voluntas cum tali conscientia operans, non potest esse recta. Est communis Doctorum. Vide Nauarrum in *cap. Si quis*, de pœnitentia d. 7. num. 56. & sequentibus & n. 3. & Caietanum Tomo 1. opusculo vltimo, respons. 13. dub. 7. Adrianum Quodl. 7.

Rom. 14.

Probatur cõmuniter ex illo ad Rom. 14. *Quid quid non est ex fide, peccatum est*, id est, ex credulitate, qua credas hoc esse licitum: de hac enim fide loquitur Apost Ratio est, Quia qui cum tali dubio operatur, apertè se exponit periculo peccandi: ergo peccat, iuxta illud Ecclesiastæ 3. *Qui amat periculum peribit in illo* Hinc sequitur, hominem peccare quotiescumque aliquid facit, nesciens an sit licitum, an illicitum.

Petes, An ergo debeat esse certus esse licitum? Respondeo, Debere esse moraliter certum hoc opus cum his circumstantiis sibi esse licitum; id est, se in eo nõ peccare, vt rectè Nauar. sup n 5.

Ratio est, Quia debet esse iudicium prudens quo hoc faciat: iudicium autem prudens debet esse moraliter euidens & certum Dico *moraliter*, quia non est opus euidentiâ Mathematicâ, vel certitudine fidei, sed qualis in rebus humanis haberi solet.

Aduert tamen, cùm hoc iudicium practicum possit consistere cum dubio speculatiuo id non semper excludere omnem scrupulum & formidinem quia ex dubio speculatiuo assiduè suggeritur aliqua ratio dubitandi, quæ facilè scrupulum parit, nisi fortè quis sit iudicio bene firmo, & rationes, ob quas practicè censet esse licitum, constanter consideret

Dico Secundò, Quamuis conscientia speculatiuè sit dubia, vel etiam practicè in vniuersali, si tamen in particulari non dubitet practicè & determinatè iudicet cum his circũstantiis hoc opus esse licitum, voluntas consentiens poterit esse recta v.g Subditus etsi speculatiuè nesciat vtrùm bellum sui Principis sit iustum an iniustum, tamen in particulari potest iudicare sibi esse licitum quia non constat ipsi esse iniustum, vt expressè docet Augustinus lib. 22. contra Faustum c. 5. Sic mulier quæ bona fide contraxit si postea superueniat dubium de matrimonii firmitate, potest tamen in particulari iudicare hîc & nunc sibi licere reddere debitum, vt expressè habetur *cap. Dominus*, de secundis nuptiis.

Ratio est, Quia ex aliis principiis pendet veritas iudicii speculatiui, ex aliis practici: aliæ enim rationes ne essentiæ sunt, vt credas hunc, de quo dubitas, esse maritum tuum; aliæ, vt credas te posse ei debitum reddere: aliæ, vt credas hoc in re esse iustum, aliæ, vt credas te posse militare. Etsi modo ob aliam rationem credimus aliquid esse verum absolutè sine circumstantiis, ob aliam verò cum circumstantiis in particulari.

Dices Qui dubitat in vniuersali, etiam necessariò dubitat in particulari: ergo fieri nequit vt tunc habeat determinatum iudicium in particulari.

57 Soluitur obiectio.

Respondeo, Qui dubitat in vniuersali, necessariò etiam dubitat in particulari, si vtrumque consideretur cum iisdem circumstantiis, etsi contrarium videatur sentire Nauarrus sup. à nu 6. & Caietanus hoc loco: quia in vtroque est eadem ratio dubitandi. Secus si illud particulare accipiatur cum certis circumstantiis, cum quibus non consideratur vniuersale fieri potest vt de eo non dubites, quamuis dubites in vniuersali. v.g. Dubitas in genere vtrùm die Festo licitum sit facere iter, si tamen tibi aliqua grauis causa superueniat, non dubitas quin tibi ob hanc causam liceat.

DVBIVM. IX.

Quid faciendum quando vtrimque est dubium, scilicet, vtrùm liceat facere, & an teneatur omittere?

58 EXempli gratia, Vxore petente debitum, maritus dubitat an possit reddere, ne fortè committat fornicationem, eò quòd sit incertus de firmitate matrimonii, & ex altera parte dubitat an possit negare, ne fortè faciat iniuriam coniugi.

Digitized by Google

Præcepit aliquid Superior, de quo dubitat inferior an ſit licitum. Debes adeſſe infirmo, & ſimul incumbit obligatio Sacri audiendi &c.

quãdo obligationes contrariæ concurrũt.

Reſpondeo & dico Primò, In tali caſu, quando videntur concurrere obligationes contrariæ, vt voluntas ſit recta, neceſſe eſt alteram partem determinatè iudicet hic & nunc ſibi eſſe licitam. Ratio eſt, quia alioqui ipſo modo eligẽdi exponit ſe periculo errãdi, ſiue eligat facere ſiue omittere.

59 Obſeruãda vt hic prudenter eligas.

Dico Secundò, In huiuſmodi dubiis, vt prudenter iudicet, hæc ſunt obſeruanda. Primò, Vtatur aliorum conſilio, ſi poteſt, & res patiatur. Secundò, Si id nõ poteſt, vel quia res non patitur, vel quia conſilium non eſt ad manum; conſideret per ſe diligenter vtrùm videatur minus malum, & hoc eligat: hoc enim in tali caſu cenſetur licitum & honeſtum; minus enim malum comparatum ad maius, rationem boni habet; vt rectè docet Ariſtot. 5. Ethic cap. 3. Vt, minus mali eſt in dubio matrimonii, reddere debitum vxori petenti, quàm negare, quia minus malum eſt exponere ſe periculo incontinentiæ incerto, quàm coniugem ſpoliare certo iure quod habet ratione poſſeſſionis matrimonii bona fide contracti, & hactenus continuati. Sic minus malum eſt omittere Sacrum quàm deſerere infirmum; quia illud eſt contra præceptum affirmatiuum iuris humani; hoc verò eſt contra præceptum negatiuum iuris naturalis. Et ſic in cæteris.

In dubio matrimonii potiùs reddas quam neges debitum.

Potius omittere Sacrum audire, quã ægrum deſeras

60 Si eligat malum, quale ſit peccatũ? Si æquè malum, quid eligat.

Dico Tertiò, Quòd ſi in tali caſu aliquis eligat id quod ei videtur maius malum, ſi quidem videatur magnus exceſſus, erit peccatum mortale; ſi paruus, erit veniale.

Dico Quartò, Si vtrumque videatur æquè malum, poterit eligere vtrum maluerit. Patet, Quia nulla eſt ratio cur hoc potiùs quàm illud teneatur acceptare.

Ratio horum omnium eſt, Quia nemo vmquã vllo caſu poteſt obligari ad impoſſibile: atqui concurrentibus occaſionibus contrariis, impoſſibile eſt vtrique ſatisfacere: ergo neceſſe eſt alteram ceſſare, ceſſabit autem ea quæ eſt minor, neceſſe enim eſt, vt hæc cedat maiori: ergo contra hanc licebit facere. Quod ſi vtraque ſit æqualis, vtra vis ceſſabit, vnde poteris facere contra vtram libet. Vt, ſi dubites an in extrema neceſſitate ratione famis, hoſtis, ignis, vel aquæ, debeas ſuccurrere vxori, an filio primogenito, videaturque tibi par obligatio, nec valeas vtrique ſuccurrere, potes vtri libuerit.

An vxori, an primogenito in fame ſubueniendum.

Nec refert, Vtrum teipſum tua culpa in hanc perplexitatem conieceris, an abſque culpa incideris, quia in omni euentu potes te ita gerere, vt nouo peccato non pecces, faciendo pro illo tempore quod in te eſt, nullo enim tempore Deus amplius ab homine requirit, vt rectè docet Gerſon in 2. parte Tract. 1. qui eſt, *regula morales*, columna 2. Qui enim ſua culpa ſe coniecit in illam difficultatem, poteſt de illa dolere, & ita quod ex ea neceſſariò ſequitur, non imputabitur ad culpam, & non erit voluntarium: vt ſi abieceris Breuiarium, ne poſſis legere officium, ſi poſteà doleas, & facias quod in te eſt, omiſſio officii non erit peccatum. Vide Couarruuiam in 4. decret. 2. parte, cap. 7. §. 2. nu. 10.

61 Qui ſi ſe in hanc neceſſitatem conieceris?

Omiſſio officii ex abiectione Breuiarii.

DVBIVM X.

Vtrum ſemper in dubiis tutior pars ſit eligenda?

62 Negatur.

Reſpondeo, Non ſemper id eſſe neceſſarium, ſed aliquando poſſe nos ſequi partem minùs tutam. Vt autem intelligatur quando id poſſimus, & quando non.

Notandum eſt, Dubium eſſe poſſe de varia materia, vt de Natalibus, de Dominio, de Cenſura, de Matrimonio, de Voto, de Lege vel præcepto. Nunc

Dico Primò, Quando pars minùs tuta per rationes vel auctoritates prudentum, ſit verè probabilis, non tenemur ſequi partem tutiorem. Patet ex dictis dubio 7. Hac ratione poteſt ſe homo in pleriſque dubiis expedire, quia plerumque poſt adhibitam requiſitionem debitam, altera, vel etiam vtraque pars redditur probabilis.

Dico Secundò, Si dubites de tuis natalibus, vtrùm ſis legitimus an illegitimus, naturalis an ſpurius, non eſt ſequenda pars tutior, ſed mitior. Ita Silueſter Verbo *filij*, quæſt. 12. ex Panormitano & aliis Doctoribus, eſtque communis ſententia DD. Ratio eſt, Quia nulla æquitas poſtulat vt tam graue onus, tamque odioſam conditionem aſſumas, niſi moraliter de ea conſtet.

63 Si dubium ſit de natalibus.

Dices, Periculum eſt ne legitimis hæredibus fiat iniuria, quam teneris vitare: ergo, &c.

Reſpondeo, Ex altera parte etiam eſt periculum, & quidem maioris iniuriæ, ſcilicet vt habearis illegitimus, cùm fortè non ſis, & ab hereditate tibi debita excludaris. Nemo autem in dubio tenetur ſubire maius malum, vt euitet minus malum alterius. Et hoc modo limitanda eſt illa regula, *In dubio tutior pars eſt eligenda*, ſcilicet, niſi tibi inde maius incommodum imperendat.

64 Dubii illegitimi & expoſititii promoueri poſſunt ad Ordines.

Hinc ſequitur, poſſe huiuſmodi promoueri ad Ordines ſine diſpenſatione. Si enim non escendus illegitimus, niſi moraliter conſtet, non eſt etiam cenſendus irregularis ob defectum natalium. Idem dicendum de pueris expoſititiis, vt docet Ananias, Filinus, & Gabriel Paleottus, qui dicit hanc eſſe communem opinionem, vt refert Couarruuias (*Clementina*, *Si furioſus* in præmio, num. 9. [etiam ſi ipſe non omnino conſentiat.] Quod confirmauit Gregorius XIV. anno 1591. decernens vt habeantur pro legitimis & puri ſanguinis ad omnes præbendas, idque merito. Cùm enim ſæpè etiam legitimi exponantur propter paupertatem parentum, cur expoſiti potiùs præſumerentur illegitimi, cum periculo grauis & irreparabilis damni, quàm legitimi ſine illius iniuria.

65 Si dubiũ de Dominio.

Dico Tertiò, Si dubites, vtrum hæc res, quam bona fide hactenus poſſediſti, ſit aliena, teneris inquirere veritatem, nec antea poteſ eam conſumere, vel alienare (niſi fortè alia aliqua cauſa vrgeat, vt rei corruptio, vel grauis tua neceſſitas.) Sed ſi poſt debitam diligentiam maneat dubium, non teneris ſequi partem tutiorem, reſtituendo illam alteri [vt vult Adrianus Quodl. 2.] ſed potes eam integram retinere. Ita paſſim Doctores. Couar. *regula poſſeſſor.* p. 2. §. 7. num. 5. Ioannes Medina q. 17. de reſtitutione. Sotus in 4. diſt. 27. q. 1. a. 3. & Silueſter verbo Præſcriptio, num. 3. §. Tertium, vbi citat Gloſſam, & Panormitanum, qui hanc ſententiam dicit eſſe communem. Ratio eſt, Quia *In dubio melior eſt conditio poſſidentis*, vt habet regula Iuris.

Si dubia fide cœpit poſſidere.

Vbi nota, Hanc regulam intelligendam de eo qui bona fide cœpit poſſidere: ſi enim dubia fide cœpit, perſeuerante dubio poſt examen veritatis, non poteſt eam integram retinere; ſed tenetur diuidere cum eo, cuius eſſe dubitatur, idque pro ratione dubii, vt docet Medina ſuprà, & colligitur ex Caiet. 2. 2. qu. 62. a. 5. & Soto lib. 4.

de Iuſt. q. 1 a. 1. ad 3. qui docent, rem inter duos dominos dubios eſſe diuidendam. Ratio eſt, quia cùm neutri poſſeſſio ſuffragetur, & alioqui vtrimque ſit dubium vtrius ſit, nulla eſt ratio cur alteri tota detur.

66 Si ſit dubiũ Iuris.

Dico Quartò, in dubio Iuris (v. g. Vtrùm contractus ſit licitus: Vtrùm ob tale opus non incurratur Cenſura) ante examen rei, ſequenda eſt pars tutior; poſt ſufficiens examen, ſi non poteſt aliquid determinati in alteram partem haberi, non eſt neceſſe ſequi partem tutiorem: præſertim quando ea eſt multùm onerosa.

Prior pars patet ex dictis: Quia alioqui exponit ſe manifeſto periculo peccati.

Altera pars probatur. Primò, quia ſi poſt diligens examen non poteſt determinatè cognoſci tutiorem partem eſſe iure definitam, probabiliter præſumi poteſt non eſſe definitam: ſi enim eſſet definita, poſſet per diligens examen deprehendi.

Secundò, Quia quando quis vtrimque habet rationes vel auctoritates æquè probabiles non tenetur ſequi partem tutiorem: ergo etiam non tenetur, quando poſt examen non deprehendit tutiorem partem eſſe definitam. Conſequentia patet; Quia ille qui habet rationes vtrimque probabiles, non eſt magis certus de veritate partis mitioris, quam hic certus ſit facto examine: quin imò hic habet maiorem rationem præſumendi partem tutiorem non eſſe definitam, eò quòd de ea non potuerit quidquam determinatè cognoſci

Tertiò. Quia iura debent eſſe talia, vt per diligens examen poſſint determinatè cognoſci; quia pertinent ad omnes: ſi ergo per diligens examen aliquod ius non poſſit ſic cognoſci, meritò cenſetur non exiſtere.

67 Si dubium facti de lege, vel voto.

Dico Quinto, Idem cenſendum eſt in dubio facti de Lege, vel Voto. quando dubitatur vtrum lex ſit lata, vtrum votum ſit emiſſum. Ita Sotus l. 7 de Iuſt. qu. 3. art. 2. & Medina in Summa lib. 1. cap. 1. § 7.

De Lege, Probatur, Quia poſt diligentiam, ſi non deprehendas determinatè eſſe promulgatam, potes meritò præſumere non eſſe; debent enim leges ita promulgari, vt poſſint ab omnibus cognoſci.

De voto probatur. Primo, Quia cùm votum ſit lex quædam priuata, quam homo ſibi imponit, ita fieri debet, vt ipſi poſſit determinate innoteſcere, alioqui cenſeri poteſt non factum.

Votum eſt inſtar legis priuatæ.

Eſt promiſſio.

Secundo, Quia votum eſt promiſſio quædam: atqui promiſſio rei vel obſequii facta alteri, non obligat, quando de ea conſtare non poteſt, quia in dubio melior eſt conditio poſſidentis.

Eſt graue onus.

Tertiò, Ideirco in dubio poſt diligentem inquiſitionem nemo tenetur rebus ſuis ſe ſpoliare, quod illud graue ſit onus: atqui ſpoliare ſe ſua libertate, qua hactenus eſt vſus, eſt graue onus, imò ſæpe onus hoc voti eſt grauius, quam priuatio omnium bonorum, vt patet in voto paupertatis & religionis: ergo nemo tenetur hæc vel ſimilia onera acceptare, niſi poſt diligens examen, ita iudicet ſe vouiſſe, vt contrarium non ſit ei probabile.

Promiſſarius eſſet irrationabiliter inuitus.

Quartò, Quia ſicut Dominus non eſt iuſta ratione inuitus, quod poſſeſſor bonæ fidei rem in dubio retineat poſt adhibitam diligentiam, ita etiam legiſlator, vel is cui facta eſt promiſſio, non eſt merito inuitus, ſi ille qui de voto ſuo poſt adhibitam diligentiam dubitat, illud non præſtet, & libertatem ſuam retineat,

Addo tamen, Si is qui hoc modo de voto dubitat, facile poſſet obtinere diſpenſationem, fortaſſe debere eam petere. Ratio eſt quia ſi ſine notabili incommodo potes ſequi partem tutiorem, videris teneri vt cuites periculum materialis ſacrilegii. Verius tamen non teneri. An hic petenda diſpenſatio.

Dico Sexto, Si ſciens legem eſſe promulgatam, dubitat an ſit recepta? vel ſi fuerit recepta, & in vigore, dubitat an poſtmodum ſit abrogata; tenetur ſequi partem tutiorem, etiamſi poſt inquiſitionem adhuc dubius maneat. Si dubium de legis receptione vel abrogatione.

Probatur, Quia quando lex eſt promulgata, præſumitur eſſe recepta, niſi conſtet contrarium (id eſt, niſi ita iudicetur non recepta, vt contrarium non ſit probabile) quia debet recipi. Similiter ſi lex viguit, præſumitur non eſſe abrogata, niſi de contrario conſtet: ergo debet ſeruari.

Idem dicendum quando id conſtat de voto emiſſo, ſed dubitas an ſolueris: teneris enim ſolvere manente dubio. Ratio eſt, Quia certæ obligationi non potes ſatisfacere ſolutione incerta. Simile videtur, quando quis ſcit certò ſe debitorem, ſed dubitat vtrum fecerit reſtitutionẽ: putò tamen in hoc caſu non debere reſtitui totum, ſed ſolùm dimidium, quia ſicuti creditori fauet ius liquidum, ita debitori fauet poſſeſſio rei tradiræ. Si certus de voto & debito, dubitet an ſolueris.

69 In dubio facti de Cenſura, ſequenda eſt pars tutior.

Dico Septimo, In dubio facti de Cenſura vel Irregularitate (vt quando dubitatur vtrum à nobis commiſſum ſit tale factum, cui conſtet iure annexam eſſe cenſuram vel irregularitatem) ordinarie ſequenda eſt pars tutior, niſi quando ex ea graue incommodum ſequeretur.

Probatur prima pars

Prior pars eſt communis ſententia Canoniſtarum, ſi loquamur de foro conſcientiæ, vt docet Nauarrus in *cap. Si quis autem*, n. 1 & 2. Silueſter eodem Verbo quæſt. 4. Adrianus Quodl. 1. Couarruuias in *Clementina Si furioſus*, in principio.

Probatur, *cap. Significaſti* 2. *de homicidio. Si diſcerni non poſſit ex cuius ictu percuſſus interiit, in hoc dubio tamquam homicida debet haberi Sacerdos, etſi forte homicida non ſit, à Sacerdotalis officio abſtinere debet cùm in hoc caſu ceſſare ſit tutius, quàm temere celebrare.* Idem decernitur *cap Ad audientiam*, eodem titulo. Ratio eſt Quia homo tenetur, quantum poteſt ſine graui incommodo, vitare periculum etiam materialis ſacrilegii, præſertim in Sacramentis, quæ ſummam puritatem & venerationẽ poſtulant. Itaque ſi dubitas an aliquid feceris ob quod ſis irregularis, vel excommunicatus, non potes cum illo dubio ordines ſuſcipere, vel celebrare; ſed debes ad tempus abſtinere, vel procurare abſolutionem ad cautelam. Ob eandem cauſam, qui dubitat an commiſerit aliquod peccatũ quod ſi mortale, tenetur illud ſub dubio confiteri, quia non confitendo, exponit ſe periculo materialis ſacrilegii ſine cauſa. Peccatum mortale dubium, ſub dubio confitendum.

Sed difficultas eſt vtrùm etiam in foro exteriori id ſeruari debeat.

Panormitanus *in cap. Ad audientiam* & communis ſententia, Canoniſtarum tenet id non habere locum in foro exteriori, iudicem enim in dubio non poſſe iudicare hominem eſſe irregularem. Idem tenent Silueſter & Angelus ſuprà.

Sed bene id refutat Nauarrus ſuprà num. 45. & ſeqq. Primo, Quia forum internum & externum cõſentiunt in iudicando, niſi quando forum externum nititur præſumptione. Secundo, Quia *cap. Ad audientiam*, loquitur in foro exteriori, præſcribẽs Epiſcopo, quid Presbytero, de quo erat quæſtio, deberet iniungi. Tertio, Quia *cap. Significaſti* 2. etiam loquitur in foro exteriori. 70 Idem valet in foro exteriori.

Hinc ſequitur, in foro exteriori, allatis proba-

Parliament, and by the Authoritie of the same, That all and singuler Statutes and Lawes made for the vnyting and Stabliſhing of the Common Prayer and Seruice in the Church, and the Adminiſtration of the Sacraments, ſhall be obſerued, and kept, and put in Vre, in all Churches, Chappels, and other Places within the Realme of England, Wales, Calais, and the Marches of the ſame, and other the Kings Dominions, as they be now vſed in the Church of England, and ſhall be in force after the Feaſt of the Nativitie of Saint Iohn Baptiſt next coming.

And that all Perſons Inhabiting within the ſame, ſhall from and after the ſaid Feaſt, diligently and faithfully, having no lawfull or reaſonable Excuſe to be abſent, reſort to their Pariſh Church or Chappell vſually vſed for Common Prayer vpon Sundayes and other Holydayes, or elſe vpon reaſonable Cauſe to the Miniſter thereof notified, in their Pariſh Churches or Chappells accuſtomably vſed, and there abide orderly during the time of the ſame Common Prayer, Preachings, or other Seruice of God there vſed and vſually ſaid, vpon paine of Cenſures in the ſame Booke mentioned, to be vſed by the Diſcretion of the Ordinarie of the Place.

And that the Miniſters in all Cathedrall and Parochiall Churches and other Places, ſhall ſay and vſe the Mattins, Euenſong, Celebration of the Lords Supper, and all their Common Prayer in the vſuall Place of the ſame Churches and Chappells, and the Miniſter in Parochiall Churches and Chappells ſhall vſe a Decent Cope, and other Miniſters according to their Degrees, but in Cathedrall Churches Copes ſhall be vſed, and in the Abſence of a Biſhop, Archbiſhop, Biſhop, Deane, Maiſter of the Colledge, Archdeacon, Prebendarie, Parſon, Vicar, or Curate, the Principall Miniſter vſually ſerving in the ſame Church ſhall vſe the ſame Copes.

And that the Miniſters ſhall ſay Mattins, Euenſong, and all their Common Prayer, and Miniſter the Sacraments, Rites, and Ceremonies in the Church, and vſe Playne and Diſtinct Note, and ſhall be ſeene of the People, and heard, and underſtanded of the Hearers, and ſhall not vſe any Rites or Ceremonies, but ſuch as be in the ſame Booke appointed, or ſuch as ſhall be ſet forth by Authoritie of Parliament.

And that the Miniſters ſhall not ſay Mattins, Euenſong, nor Miniſter the Sacraments, Rites, nor Ceremonies, in any Church, Chappell, or Place, but in the Vſuall Place, Order, and Manner, and Tongue, that is not commonly vſed, nor in any Order, Manner, or Place, but as is prouided in the ſame Booke.

And that euery Perſon Miniſter, Incumbent, Prebendarie, Parſon, Vicar, or Curate, ſhall be bound to ſay and vſe the Mattins, Euenſong, Celebration of the Lords Supper, and all their Common Prayer, in ſuch Order and Manner as is mentioned in the ſame Booke, and none other, nor otherwiſe

agas, reputa ſcrupulum.

ſcrupulum. Ratio eſt, Quia niſi iudicet eſſe ſcrupulum, dum contrà agit, aget contra dictamen conſcientiæ, etſi erranti quod conſtat eſſe peccatum, vt ſuprà oſtenſum eſt.

Expedit contra agere.

Dico Secundò, Si reputet eſſe ſcrupulum, poteſt contra facere; imò ſæpè expedit, ad ſcrupulos vincendos. Ratio eſt, Quia contra faciendo vincitur illetimor inanis, & imaginatio peccati.

78 Remedia ad ſcrupulos vincendos. Primum.

Sed difficultas eſt, quomodo is qui ſcrupulis angitur, poterit eos cognoſcere; vt ſic eos vincat & deponat?

Reſpondeo, Optima remedia ſint hæc. Primò, Auxilium diuinum, crebra & frequenti oratione imploratum.

Secundum.

Secundò, Cogiter ſe ſcrupuloſum, ac proinde non poſſe in rebus agendis ſeipſum dirigere, ſed debere dirigi ab alio.

Tertium.

Tertiò Credat omninò viro docto & pio, potiſſimùm ſuo Confeſſario, cui eius conſcientia ſit perſpecta; nec dubitet, quin Deus per hoc inſtrumentum ſalubriter ipſum ſit directurus. Primò, Quia hoc meretur illa humilis ſubmiſſio. Secundò Quia hoc faciendo, facit quod in ſe eſt, vt peccatum vitet: vnde etiamſi Confeſſarius fortè in conſulendo deciperetur, ipſi tamen conſilium ſequenti non imputabitur ad culpam: imputabitur autem, ſi ſuo fidens iudicio non ſequatur, quia imprudenter agit. Tertio, Quia ſi Chriſtus ipſe nobiſcum verſaretur in terris eum in ſcrupulis adiremus, ad obtinendam conſcientiæ tranquillitatem: at nunc loco ſuo conſtituit Sacerdotem, qui totius conſcientiæ ipſius ſit arbiter: ergo ipſius conſilium tamquam à Chriſto profectum accipere debemus: ſicut enim Chriſtus non deeſt Pontifici in definiendis iis quæ totam concernunt Eccleſiam; quia hunc conſtituit ad hunc effectum, ſuum Vicarium: ita exiſtimandum eſt non defuturum Sacerdoti in iis præſcribendis, quæ ad tranquillitatem conſcientiæ pœnitentis pertinent, quia ad hunc effectum cõſtituit illum Vicarium.

Cõfeſſarius vt Chriſtus ipſe audiendus.

Quartum.

Quarto, Noter in charta ſcrupulos aliquot præteritos, in quibus deprehendit ſe inaniter fuiſſe anxium; & nouos ex horum ſimilitudine diiudicet.

Quintum.

Quinto, Studeat quæſtionibus conſcientiæ, & diſcat quæ opiniones ſint probabiles; quia plerumque ſcrupuli proueniunt ex ignorantia. Norit etiam generales regulas epyiciæ: vt, Neminem obligari ad impoſſibile, aut nimis difficile præſertim in rebus ordinariis: Onus Chriſti eſſe leue, & iugum ſuaue: Scrupuloſos in dubiis ſuis non obligari ad partem tutiorem, ſed poſſe ſequi benigniorem; & his ſimilia.

79 Sextum.

Sexto, Quando res vrget, & aliud conſilium non ſupperit, ſtatuat coram Deo ſe nullam ob cauſam velle facere, quod ei diſpliceat; & ſic, niſi res ſit euidens, reputet eſſe ſcrupulum, & faciat contrarium.

Dices, Hoc iudicium videtur imprudens: non enim ſequitur; Non eſt euidens eſſe illicitum, ergo eſt licitum.

Scrupuloſus prudenter ſibi perſuadere poteſt, niſi res ſit euidens, eſſe ſcrupulum.

Reſpondeo In tali diſpoſitione hominis non eſſe imprudens; quia rectè ſequitur, Ego ſum ſcrupuloſus nec poſſum nunc alium conſulere: ergo cùm opus vrgeat, & non ſit euidens opus eſſe illicitum, poſſum prudenter iudicare mihi non eſſe illicitum; id eſt, mihi non imputandum ad culpam, ſi fecero. Et Ratio eſt, quia nimis durum eſt, vt in omni tali caſu ſcrupuloſus teneatur opus differre, donec alium conſulat. Similiter ſi ex ſcrupulo vincar mihi teneri ad aliquid ſtatim agendum. v. g. Ad corripiendum proximum, ſi non eſt euidens me teneri, poſſum prudenter præſumere me hic & nunc non teneri.

80 Septimum. Scrupulus circa Confeſſionem.

Septimo, Quod attinet ad ſcrupulos circa confeſſiones præteritas, ſciat ſe non teneri quidquam repetere, niſi certus ſit ſe vel non eſſe confeſſum, vel non benè confeſſum: non eſt autem certus, quamdiu dubitat, vel quamdiu contrarium videtur illi aliquo modo verſimile.

Octauum.

Octauo, Valdè expedit ſcrupuloſos multum occupari ſtudiis, & aliis negotiis ſeriis: nam otioſis animis maximè tales ſcrupuli ſolent occurrere.

DVBIVM XII.

Quomodo conſcientia erronea, vel dubia ſit deponenda?

81 Deponitur ſpeculatiuè & practicè.

REſpondeo & Dico Primo Conſcientiam dupliciter poſſe deponi. Primo, Speculatiuè, cùm mutato priore iudicio contrarium indicas: vel ſi antè dubitabas neutri parti adhærens, determinas alteram: v. g. putabas hanc rem eſſe alienam, vel certè dubitabas, poſteà deprehendis certis ſignis eſſe tuam, hic deponis conſcientiam ſpeculatiuè Secundo, Practicè, cùm manente priore dubio, vel iudicio ſpeculatiuo, ob certas rationes iudicas te poſſe hic & nunc agere, perinde ac ſi iudicium illud vel dubium non eſſet: vt cùm manente dubio an res ſit tua, poſt diligens examen, iudicas te poſſe illam retinere, perinde ac ſi indubitanter eſſet tua. Similiter cùm manente opinione probabili contractum eſſe illicitum, iudicas eum tibi hic & nunc eſſe licitum, id eſt, ad culpam non imputandum eò quod alii Doctores probabiliter teneant eſſe licitum.

82 Vt cõſcientia poſſit deponi. Quid requiratur.

Dico Secundo, Vt autem hoc modo conſcientia poſſit deponi, requiritur ſemper aliquod principium, ex quo, non obſtante dubio, vel iudicio ſpeculatiuè contrario, rectè poſſit inferri iſtud opus poſſe ſine peccato hic & nunc fieri, vel hic & nunc omitti. Talia principia ſunt. *In dubio melior eſt conditio poſſidentis. In operando licitum eſt ſequi opinionem probabilem. Cum graui damno non neceſſariò in dubiis ſequenda eſt pars tutior*, &c. de quibus ſuprà. Ratio eſt, quia abſque tali principio non poteſt formari iudicium prudens de re agenda vel omittenda, repugnante iudicio vel dubio ſpeculatiuo.

83

Dices, fieri poteſt, vt quis ſine omni ratione ex ſolo affectu putet ſibi aliquid eſſe licitũ, quod tamen abſolutè in vniuerſali credit eſſe illicitum, vt docet hic Caietanus, quem ſequitur Medina hoc loco, & Nauarrus in cap. *Si quis autem*. num. 61. Exemplum ponit Caietanus de muliere quæ audiuit à Concionatore eſſe peccatum mortale vti capillis alienis [quod tamen non eſt verum] & deinde ſibi format conſcientiam erroneam in genere, tamen in particulari ob affectum iudicat ſibi non eſſe peccatum mortale, & ita dum vtitur tali capillitio, non peccat contra conſcientiam: ergo poteſt conſcientia in particulari deponi abſque omni ratione, ſed ſolo affectu.

Poteſt conſcientia deponi vi affectus.

Reſpondeo Primo, Etiamſi concederemus ſic poſſe conſcientiam deponi, tamen qui tunc operaretur, peccaret; tum quia talis depoſitio conſcientiæ non eſſet prudens: ſine ratione enim iudicaret ſibi eſſe licitum, quod actu iudicabat in

genere eſſe illicitum, tum quia exponeret ſe periculo manifeſto mortiferè peccandi, dum ſine examine & ratione facit, quod generatim credit eſſe peccatum mortiferum.

Nō tamen manēte iudicio vniuerſali contrario.

Reſpondeo Secundò: Etſi interdum fieri poſſit vt quis conſcientiam deponat ſolo affectu ſine nouis rationibus; (quatenus affectus facere poteſt vt ſpecies veritatis quæ apparet, & videtur ſubeſſe, maior & illuſtrior intellectui appareat:) tamen id fieri nequit, quando manet iudicium generale contrarium: ſicut in propoſito exemplo, Iudicat illa mulier abſolutè & in genere, Non licet vti alienis capillis, quia concionator dixit; quo modo ſimul cū hoc iudicio poteſt iudicare, licitum eſt mihi vti alienis capillis? ſimul enim aſſentiretur contradictoriis explicitè. Nam cùm iudicat non eſſe licitum vti alienis capillis, ſatis explicitè iudicat etiam ſibi non eſſe licitum: ergo non poterit iudicare ſibi eſſe licitum. Sic qui ſentit omnem mulam eſſe ſterilem, non poteſt ſimul actu iudicare hanc geſtare vterum, vt Ariſtoteles lib. 2. Analyt. docet: quamuis hoc iudicium actuale cum illo habituali ſtare poſſit, vt ibidem tradit. Itaque hic modus deponendi conſcientiam, eſt omninò impoſſibilis. Vt igitur eam deponat, neceſſe eſt, vt vel iudicium illud generale iam retractet; vel certè, vt aliquam circumſtantiam in particulari circa ſe conſideret, quam in genere non conſideraut. vt v. g. ſe habere iuſta cauſam cur ſibi liceat, quæ in aliis paſſim non reperiatur: vel denique vt illud iudicium contrarium non occurrat memoriæ, ſed maneat tantùm habitu, quando eſt operandum. Tunc enim, etiamſi habitu teneat eſſe peccatum, id quod facit, ob auctoritatem concionatoris, vel aliam cauſam, tamen actu poteſt iudicare ſibi non eſſe peccatum, idque vel ob alias rationes, vel quia paſſim fit etiam à bonis, vel quia nulla occurrit ratio cur non liceat. Sed, hoc modo non tam deponitur conſcientia erronea, quàm non applicatur.

ARTICVLVS VII.

Vtrum bonitas voluntatis in his quæ ſunt ad finem, pendeat ex intentione finis.

84 Conclusio eſt, Bonitas volitionis, qua volumus aliquid propter finem, pendet ex intentione finis. Senſus eſt, bonitas electionis pendet ex intentione finis. Probatur, Quia bonitas electionis pendet ex ordine mediorum ad finem, quia in hoc ordine conſiſtit ratio formalis obiecti: ergo pendet ex fine, & conſequenter ex finis intentione. Vbi

Electio pendet à fine & ex finis intentione, ſed diuerſo modo.

Notandum Primò, Quando bonitas electionis dicitur pendere ex intentione finis, ſub intentione etiam comprehendi finem intentum, ab vtroque enim bonitas electionis pendet: A fine quidem, tamquam à cauſa formali [ordo enim ad finem eſt ratio formalis obiecti electionis, & conſequenter ipſe finis, qui illi ordini ſpeciem tribuit, ratio formalis obiectiua cenſetur:] Ab intentione verò tanquam à cauſa efficiente: electio enim manat effectiuè ab intentione, & ita bonitas & malitia intentionis transfunditur in electionem, tamquam in effectum: conditio enim cauſæ imprimitur effectui: vnde quidquid parit mala intentio, eſt malum, & quidquid parit bona intentio, eſt bonum, ſi tamen aliunde non vitietur.

Velle malū ſub ratione mali, quid ſit.

Notandum Secundò, Circa *reſponſ. ad 2. & 3.* Velle malum ſub ratione mali, non eſt velle malum ob malitiam, ſecundùm D. Thomam [non enim malitia poteſt allicere voluntatem:] ſed eſt velle malum ob malum finem, vt velle mentiri, vt fureris. Velle bonum ſed ratione mali, eſt velle bonum ob malum finem. Itaque rationem mali vocat D. Thomas non ipſam malitiam, ſed bonum delectabile, vel conueniens naturæ, cui annexa eſt malitia.

DVBIVM I.

Vtrum intentio boni finis fiat mala, ex electione mali medij?

85 Finis dupliciter poteſt intendi.

NOtandum eſt, Finem dupliciter poſſe intendi. Primò. Determinando certum medium per quod conſequaris illum. Secundò, Abſque determinatione certi medii, quod ſecundum dupliciter fieri poteſt. Primò, Si eo modo intendas, vt ex vi intentionis paratus ſis vti quouis medio, non curando ſi ne licitum an illicitum. Secundò. Si non eo modo intendas, ſed ſimpliciter ſub ratione honeſti. Nunc

Si cum bono fine ſimul determinetur prauū medium, intentio eſt prana.

Dico Primò, Quando intendit bonum finem, vt ſimul determinet prauum medium, illius intentio eſt praua, non propriè ex electione, ſed quia ipſa intētio actu ſe extendit ad prauum medium, tamquam ad circumſtantiam quamdam obiecti: vt ſi intendas conſequi beneficium per ſimoniam, facere Sacrum abſque veſtibus benedictis, dare eleemoſynam ex re aliena.

Probatur, Quia hic actus eſt tantùm actus intentionis, tendens in finem tamquam in ſuum obiectum, & in medium tamquam in circumſtantiam: ſicut cùm quis vult occidere gladio, in hac volitione non eſt intentio & electio, ſed ſola intentio, quæ tendit in occiſionem vt in finē ſeu in obiectum, & in gladium tamquam inſtrumentum, quod eſt quædam circumſtantia obiecti. Pari modo cùm quis vult dare eleemoſynam ex re aliena, eſt ſolùm vnicus actus intentionis, tendens in largitionem eleemoſynæ tamquam in obiectum, & in rem alienam, vt in circumſtantiam materiæ.

86 Finis non poteſt quouis modo, ſed debita menſura affectus, intendi.

Dico Secundò, Si quis eo affectu intendat finem, vt paratus ſit vti quouis medio, illa intentio eſt mala, non ratione electionis prauæ ſuperuenientis [eſſet enim mala, etiamſi nulla praua electio ſequeretur] ſed ratione modi, quo tendit in finem.

Probatur, Quia talis affectus ita tendit in finem, vt implicitè & virtute tendat in prauum medium, velle enim omnino conſequi finem, eſt velle implicitè omne medium neceſſarium, & conſequenter eſt velle prauum, ſi fortè ſit neceſſarium.

Secundò, Quia talis intentio vi ſua inclinat ad prauam electionem, ſi fortè bonum medium non ſuppetat: ergo eſt praua. Conſequentia patet, quia omnis actus voluntarius vi ſua, ſi perſeueret, inclinans ad prauum conſenſum, eſt malus.

87

Dico Tertio, Si quis intendat ita bonum finem, vt neque ex vi intentionis inclinetur ad electionem praui medii, neque ſimul determinet prauum medium, hæc intentio non fiet mala, quamuis ei coniungatur praua electio. v. g. Intendis dare eleemoſynam, ſed quando venitur ad

executionem, ex ignorantia vel auaritia eligis dare rem alienam; hæc electio eſt mala, tamen non inficit priorem intentionem.

Probatur Primò, Quia talis intentio boni finis ſecundùm ſe eſt intrinſecè bona, id eſt, conformis rationi; quia eſt obiecti honeſti, qua honeſtum: ergo electio ſuperueniens non poteſt eam reddere malam. Conſequentia patet, quia quod eſt natura poſterius, non poteſt tollere id quod alteri priùs conuenit.

Prana electio non poteſt ſequi ex vi bonæ intentionis

Secundò, Quia illa electio non eſt circumſtantia intentionis, ſed meræ per accidens ad illam ſe habet: non enim ſequitur ex vi bonæ intentionis, ſed aliunde. Quod probatur 1. quia omnis intentio honeſta excitat ad prudentem conſiderationem mediorum [eſt enim voluntas conſequendi finis modo rationi conſentaneo:] ergo non poteſt impellere ad electionem praui medii. 2. Quia prauum medium non poteſt prudenti iudicio cenſeri conueniens ad finẽ honeſtum. Tertiò denique, Quia ſicut principium verum numquam vi ſua eſt cauſa concluſionis falſæ, ſed ſi aliquando ex eo contingat falſum concludi, id prouenit ex aliquo alio principio ei coniuncto: ita numquam intentio bona vi ſua eſt cauſa electionis prauæ, ſed ſi contingat aliquem in hoc honeſto affectu eligere prauum medium, id non prouenit ex vi huius affectus, ſed ex alio affectu ei coniuncto, qui latẽter ſubrepit: qui enim antè honeſto affectu voluit dare eleemoſynam, priuſquam eligat medium illicitum, mutat priorem intentionem, & incipit alia intentione eleemoſynam velle, nempe, non quia ratio dictat, ſed quia cõſentaneum affectui naturali, vel quia ſpeciem habet pietatis, & ex vi huius affectus facit imprudentem electionem. Vnde patet, hanc electionem non eſſe circumſtantiam intentionis honeſtę, neque ex vi illius proficiſci, ac proinde non efficere aliam malam.

Dico Quartò, Propriè loquendo prana electio numquam inficit bonam intẽtionem. Sequitur ex dictis: Intentio enim natura ſua eſt prior electione, vnde ſi ipſa ex ſe mala non ſit, non poteſt effici mala per electionem ſuperuenientem. Quare, etſi bonitas electionis pendeat ex bonitate intentionis, non tamen bonitas intẽtionis tollitur prauitate electionis.

DVBIVM II.

Vtrum malitia electionis & operis minuatur per bonam intentionem?

32 Duæ ſententiæ extremæ.

SVnt duæ ſententiæ extremæ.

Prior eſt, Bonam intentionem omnino excuſare peccatum. Ita ſentit Auctor Operis imperfecti apud Chryſoſt. tom. 3. hom. 19. in Matth. explicans illud: *Omnis arbor bona. Ex bono propoſito, etiam quod videtur malum, bonum eſt, quia propoſitum bonum, malum opus excuſat.* Et infrà: *Sicut ergo bonorum hominum omnia opera etiam mala, bona ſunt: ita malorum hominum omnia opera, etiam bona, mala ſunt*, &c. Idem ſenſerunt aliquot antiqui DD. ſpeciatim de mendacio, vt Abbas Ioſeph apud Caſſianum, collatione 7. cap. 17. & ſeqq. vbi docet, *Vtendum mendacio tamquam helleboro, ſicut enim vſus hellebori, dum neceſſitas poſtulat, eſt ſalutaris, extra verò neceſſitatem noxius, ita vſum mendacij in neceſſitate, ſi fiat bona intentione, eſſe bonum, extra neceſſitatem, malum.* Quam ſententiam primus docuit Plato lib. 3. de Repub dicens, *Deo quidem mendacium eſſe indecorum & inutile, hominibus tamen quandoque eſſe vtile, vt eorum quam medicamento vtantur.* Ab hoc hauſit Origenes in Epiſt. ad Gal. Ab Origene multi alii, præſertim Græci, & D. Hieronymus in eamdem Epiſtolam (vt videtur) quod etiam eſt impingit Auguſtinus Epiſt. 8. cap. 3.

Altera ſententia eſt, bonam intentionem nullo modo minuere malitiam operis. Ita communiter tenent Doctores, ait Almainus tract. 1. Moral. cap. 10. dub 2. quod intellige de Doctoribus Pariſienſibus illius temporis.

33

Reſpondeo & Dico Primò. Certum eſt, non omne quod ſecundùm ſe, ſeu ſolitarie malum eſt, poſſe per bonam intentionem excuſari, ita vt deſinat eſſe peccatum.

Bona intentio nõ ſemper excuſat electionem

Probatur Primò, Ex Scriptura, Eccleſiaſtici 34. *Immolantis ex iniquo, oblatio eſt maculata.* Et infrà, *qui offert ſacrificium ex ſubſtantia pauperum, quaſi qui victimat filium in conſpectu patris.* Hic videmus intentionem honoris diuini non excuſare opus ex ſe prauum. Eccleſ. 34.

Ad Rom. 3. dicit Apoſtolus iuſtè damnari eos qui dicunt, *Faciamus mala vt eueniant bona.* Rom. 3.

Secundò Probari poteſt ex Patribus, Qui docet ob nullam cauſam licitum eſſe mentiri, ſtat hos Gratianus 22. quæſt. 2. Idem multis argumentis ex Scriptura docet D. Auguſtinus duobus libris, altero de mendacio, altero contra mendacium. Libro de mendacio cap. 14. ponit octo gradus mendaciorum, & oſtendit nullo horum licere vti. De quibus vide D. Thomam 2. 2. q. 110. art. 2. & 3. D. Aug.

Tertiò, Probatur ratione. Quia multa ſunt intrinſecè mala [id eſt in quorum conceptu formali includitur repugnantia cum recta ratione:] atqui certũ eſt hæc nullo modo poſſe fieri bona, neque per neceſſitatem quantumuis grauem vel per bonam intentionem poſſe excuſari: ergo &c. Maior patet de fornicatione, adulterio, mendacio, &c. hæc enim omnia in ſuo conceptu includunt aliquid rationi repugnans. Minor patet, quia quod in conceptu formali continetur, non poteſt appoſitione finis extrinſeci, vel alterius circumſtantiæ, tolli. Intrinſeca mala nullo fine vel modo benè fieri poſſunt.

Aduerte tamen, Multos eſſe actus, qui etſi per ſe, id eſt, ſolitariè mali ſint, tamen quia non ſunt intrinſecè mali, ſed ſolùm alicuius circumſtantiæ defectu, poſſunt appoſita circumſtantia fieri boni, vt habere plura beneficia occidere hominem, capere alienum: tale putabant illi Auctores eſſe mendacium, ſed fallebantur, quia mendacium alia ratione dicitur per ſe malum, ſcilicet quia intrinſecè malum eſt. Mẽdacium eſt intrinſecè malum.

34

Dico Secundò, Etſi bona intentio non tollat omnem malitiã actus intrinſecè mali, tamen eam minuit. Eſt communis ſententia Doctorum. Bona intentio minuit malitiam.

Probatur ex D. Auguſtino lib. contra mendacium cap. 8. *Dicet aliquis, ergo aequanum eſt, fur quilibet ei furi, qui miſericordia voluntate furatur. quis hoc dixerit? ſed horum duorum non ideò quiſquã eſt bonus, quia peior eſt vnus: peior eſt enim, qui concupiſcendo, quàm qui miſerando furatur.* Et infrà. *Stuprum grauius eſt, luxuria, quàm miſericordia patrare.* Simili modo Loth nonnihil excuſatur à Patribus, quòd filias ad ſtuprum obtulerit, quia id fecit bona intentione, ad grauius incommodum vitandum. Ex Auguſt. Qui furatur vt det eleemoſynam. Loth exponens filias.

Ratio eſt Primò, quia opus malum conſideratum vt ſubeſt fini honeſto, ſubit quandam honeſti ſpeciem, & ex parte tegitur eius turpitudo, vt non ita appareat, quò fit, vt quando appetitur, ſub imagine honeſti appetatur, & conſequenter Prob. Ratione. quia ſic tegitur turpitudo.

vt eius turpitudo sit minùs voluntaria; quia quod minùs apparet, minúsque cognitum est, minùs est voluntarium. Adde, fieri posse vt eo modo tegatur turpitudo specie finis honesti, vt ab operante non possit aduerti; & tunc nullum est peccatum; quia turpitudo nullo modo est voluntaria.

Et magis appetitur bonũ quàm malum

Secundò, Quando opus malum appetitur propter aliquod bonum, magis appetitur illud bonum, quàm opus malum; ac proinde ipsum opus minùs appetitur, quàm si propter se, suamque commoditatem appeteretur; & consequẽter est minus peccatum: quod enim est minus voluntarium, ceteris paribus est minus peccatum. Itaque tota ratio, cur sit minus peccatum, est, quia est minus voluntarium; est autem minus voluntarium, tum quia malitia minus apparet, tum quia opus non propter se, sed propter aliud appetitur.

91 Soluuntur obiectiones

Obicitur Primò, Matth. 6. *Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus lucidum erit*, id est, *Si intentio recta fuerit, omnia opera, quæ secundùm eam operaris, bona erunt*, vt exponit Diuus Augustinus libr. 2. de Sermone Domini in monte, capite 21.

Matth. 6.

Respondeo, Dominum ibi loqui de hypocritis, quorum opera secundùm se erant bona, & solum ipsis deerat bona intentio. Si autem sententiam illam generatim velimus accipere, & per *corpus* cum Diuo Augustino intelligamus opera externa, solum de operibus non malis accipienda est, vt colligitur ex eodem D. August. libro contra mendacium cap. 7.

Ex August.

Obicitur Secundò, Ex D. Augustino lib. 50. homiliarum hom. 7. *Si quis cogitet bonum esse furari à diuitibus auaris, vt det pauperibus talis cogitatio est à diabolo*: quod probat; *Nam si totum tribuat pauperibus, quod abstulerat, addit potiùs peccatum, quàm minuat.*

Respondeo, D. Augustinus comparat eum qui dat eleemosynam ex furto, eoque modo se reddit impotentem ad restituendum, cum eo qui rem furto sublatam conseruat, & potestatem restituendi retinet, hic enim minus peccat, quàm ille: cum hoc tamen consillit, quòd ille qui furatur libidine furandi, plus peccet quàm ille qui affectu eleemosynę, si cetera sint paria. Sed ibi cetera non sunt paria.

Obicitur Tertiò, Si bona intentio minuit malitiam electionis & operis, v. g. mendacii, ergo melior intentio magis minuet: ergo poterit dari tam bona intentio, vt penitùs tollat malitiam mendacii. Patet consequentia, Quia cum hæc malitia finita sit, detractione tandem consumetur.

Malitia nõ potest penitùs tolli.

Respondeo Negando secundam consequentiam, Simile est in continuo, sicut enim quantitas continua nunquam detractione partium absumitur, quamdiu manet in ea ratio quantitatis: sic malitia operis nunquam absumitur, quamdiu manet in ea ratio voluntarii, vnde etiamsi fiat opus intentione optimi finis, qualis est summa gloria Dei, & salus omnium hominum, tamen manet malum. Ad confirmationem consequentiæ, etiamsi malitia sit finita, non potest tamen detractione absumi, quamdiu retinet rationem voluntarii, & esse moralis: alioqui si ratio voluntarii tollatur, etiam malitia tolletur.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum quantitas bonitatis vel malitiæ in voluntate, sequatur quantitatem boni vel mali in intentione?

92

SEnsus est, Vtrum quando quis vult aliquod opus propter aliquem finem, illa volitio & operatio volita, sit tam bona vel mala, quàm est intentio finis.

Intentio tripliciter dicitur melior vel peior, quam sit electio.

Notandum est, Intentionem tripliciter posse dici meliorem, vel peiorem, quàm sit electio vel operatio exterior: Primò, Ratione obiecti, vt quando quis maius bonum aut malum intendit, quàm sit in opere seu medio, quo intendit illud assequi: vt si des eleemosynam, vt conuertas illum ad fidem, vel vt peruertas ad hæresim. Secundò, Ratione inefficaciæ medii: vt si maius bonum vel malum intendas, quàm reipsa per illud opus possis assequi. Tertiò, Ratione perfectionis intensiuæ: vt quando ardentius aliquid intendis, quàm sit conatus ille, quem posteà adhibes. Nunc sit

93 Quando opus non sit tam bonum vel malum, quàm intentio.

Prima Conclusio. Si ratione obiecti spectetur bonitas intentionis, & operis, sæpè fit vt opus non sit tam bonum, quàm est intentio. Idem dicendum de malo. Fit autem hoc duplici modo, Primò, Quia opus non est proportionatum ad finem consequendum, vt si quis ad extruendum templum cõferat centum aureos, cum necessaria sint decem millia. Secundò, Quia et si opus sit secundum se sufficiens, tamen contingit impediri, ne consequatur finem intentum, vt si quis proficiscens Romam ad Iubilæum, impediatur morbo, non assequitur finem, scilicet Indulgentias.

Vbi notandum est, D. Thomam non tantum loqui de bonitate & malitia morali, sed in genere, quia in omni rerum genere verum est opus non æquari intentioni ex parte obiecti, quando non assequitur finem intentum, siue id proueniat, quòd non eligatur medium satis efficax, siue quòd in conatu extrinsecus occurrat impedimentum.

Si eleemosyna ad pauperem missa, in via intercipiatur, an dari quid pereat

Dices, Ergo qui mittit pauperi eleemosynam, quæ in via intercipitur, non tantum meretur, quantum si perlata fuisset.

Respondeo Negando consequentiam. Quando enim eligitur medium fini commensum, & ex parte voluntatis præstitum est omne id, quod præstari debet, si extrinsecus incidat impedimentum, non ideò minus est meritum. Tamen etiam hoc casu verum est, opus non esse tam bonum ex parte obiecti, quàm sit intentio, quia non assequitur finem intentum, qui est leuamen paupertatis.

94 Bonitas & malitia intẽtionis redundat in electionem, & opus externum.

Secunda Conclusio, Tota tamen bonitas & malitia intentionis redundat in electionem, & consequenter in opus externum.

Vbi notandum est, id fieri dupliciter. Primò, Quatenus electio intrinsecè est melior, quæ sequitur intentionem melioris finis, & peior, quæ peioris finis: cum enim electio accipiat suam speciem ex ordine ad finem intentum, quò finis est melior, hoc quoque ipsa melior est. Secundò, Quatenus intentio se habet vt forma quædam electionis in genere moris: nam electio speciem accipit à fine, mediante intentione finis, vnde

ſubeſt intentioni, ſicut materiale formali, in genere moris, & conſequenter etiam ipſum opus conſequens electionem, ſubeſt intentioni: ſi enim intentio eſt forma electionis, & electio eſt forma operis externi, etiam intentio erit inſtar formæ reſpectu operis externi: formale enim in genere moris, eſt id, vnde actus habet eſſe morale, ſeu quòd laude ſit vel vituperio dignus: actus autem exterior habet eſſe morale ab intentione: ergo &c.

Obiectio. Dices, Electio ſecundùm ſe habet eſſe morale, vt ſupra dictum eſt: ergo intentio non ſe habet ad illam inſtar formæ tribuentis ei eſſe morale. Conſequentia patet, Quia ideò actus interior ſe habet ad exteriorem inſtar formæ, quòd exterior per ſe non habeat eſſe morale; ergo cùm electio per ſe habeat eſſe morale, non ſuberit alteri actui tamquam ſuæ formæ.

Solutio. Reſpondeo, Hac ratione benè probari electionem, vt ſit bona vel mala, non neceſſariò conſiderari vt informatam intentione; tamen non probat, quin poſſit ſic conſiderari. Ratio eſt, Quia totum eſſe electionis pendet ab intentione tamquam à propria cauſa; vnde ratione iſtius dependentiæ & intrinſecæ connexionis cenſeri poteſt vnus numero actus cum intentione: nam vbi eſt vnum propter vnum, non ceſſetur niſi eſſe vnum. Itaque intentio, electio, & opus externum ſunt vnus numero actus in genere moris.

91 Quomodo intentio & electio ſint vnus actus moraliter. Aduerte tamen, Non eſſe hic tantam vnitatem moralem, quanta eſt in actu interno & externo, vt patet ex tupradictis. In actu enim interno & externo eſt tantùm vnum eſſe morale communicatum actui externo per denominationem extrinſecam: in electione & intentione eſt duplex eſſe morale; ſed ob dependentiam alterius ab altero cenſetur vnum; ſicut fons & riuus, radix & rami, lux & radij, cognitio cauſæ & effectus cenſentur vnum.

Tota bonitas intentionis ſemper redundat in electionem & in opus, ſi opus ſit capax bonitatis. Hinc ſequitur, Etiamſi bonitas electionis & operis, ratione obiecti aut inefficaciatis, non aſſequatur bonitatem intentionis; tamen totam bonitatem intentionis ſemper redundare in electionem & in opus: quod tamen intelligendũ eſt, ſi opus quod eligitur ſit capax bonitatis: etſi enim malitia intentionis ſufficiat ad malitiam electionis & operis, & ideò tota malitia intentionis ſemper redunder in electionem; tamen bonitas intentionis non ſufficit ad bonitatem electionis & operis, ſed requiritur, vt opus quod eligitur, ſaltem non ſit malum, alioqui bonitas intentionis non poterit ei communicari

92 Tertia Concluſio, Tota bonitas & malitia quam habet intentio ex perfectione graduum, etiam redundat in electionem, & in opus externum. Sequitur ex ſecunda concluſione.

Electio & opus externũ eò ſunt meliora, quò intentio eſt vehementior. Hinc ſit vt ceteris paribus electio & opus eò ſit melius vel peius, quò intentio fuerit vehementior: vt ſi ex feruenti affectu charitatis detur eleëmoſynam. illa eleëmoſyna erit melior, quàm ſi ex minori affectu, quia meliore intentione informatur.

Aduerte tamen, Non ideo electionem in ſeipſa ſeu intrinſecè eſſe meliorem vel peiorem; nam fieri poteſt vt intentio ſit valdè feruens, & electio ſit valdè remiſſa, & quodammodo inuoluntaria: vt cùm quis ex magno affectu ſanitatis eligit cauterium, vel ex ardenti charitate in Deum eligit martyrium: tamen etiam tunc electio & opus conſequens cenſentur meliora per denominationem extrinſecam, quatenus à perfectiore intentione, ſub qua veluti ſub forma conſideratur, procedunt.

79 Quantitas voluntatis & operis, non ſemper ſequitur quantitatem intentionis. Quarta Concluſio, Si perfectio intenſiua voluntatis, vel operis externi comparetur ad intentionem, tamquam ad obiectum (vt quando quis vult feruenter amare, dolere, operari, &c.) quantitas voluntatis & operis non ſemper ſequitur quantitatem intentionis. Hæc concluſio ſequitur ex prima Ratio eſt. Quia non eſt in hominis poteſtate conſequi, quidquid optat. Hinc fit, vt non poſſit tantum mereri, quantum vult mereri.

Quando voluntas reputatur pro facto. Dices, voluntas pro facto reputatur, quando opus non eſt in noſtra poteſtate.

Reſpondeo, Hoc in meritis & demeritis verum eſſe, quando voluntas ex ſe eſt efficax operis, & ſolùm extrinſecùs impeditur, non autem aliàs.

ARTICVLVS IX.

Vtrùm bonitas voluntatis dependeat ex conformitate ad voluntatem Diuinam.

98 Affirmatur. CONcluſio eſt, vt voluntas hominis bona ſit, requiritur vt diuinæ voluntati conformetur. Ratio eſt, quia bonitas voluntatis pendet ex recto ordine ad ſummum bonum: atqui hic rectus ordo ad ſummum bonum eſt primario in voluntate diuina: ergo omnis alia voluntas eſt bona ex conformitate cum voluntate diuina. Conſequẽtia probatur, quia id quod eſt primum in ſuo genere, eſt reliquorum menſura.

Quid ad hãc conformitatem ſuffi- Notandum eſt, non eſſe neceſſarium vt voluntas noſtra in ſuis motibus internis & externis intendat hanc conformitatem cum voluntate diuina. ſed ſatis eſt, vt ſic omnia velit & peragat, vt in ipſo exercitio, conſecutione quadam, hæc conformitas reſultet. ciat.

ARTICVLVS X.

Vtrùm voluntas noſtra debeat conformari diuinæ voluntati in volito?

99 CONcluſio eſt, voluntas noſtra debet conformari diuinæ in volito formali, non autem in volito materiali.

Quadruplex cõformitas cum voluntate diuina. Notandum eſt, quatuor modis voluntatem noſtram diuinæ poſſe conformari, vt colligitur ex D. Thoma. Primo, in volito materiali, vt quando idem volumus quod Deus vult, & tunc dicitur conformis materialiter. Secundo, in volito formali, id eſt, in ratione volendi, vt quando ob eandem cauſam volumus, ob quam Deus vult, & tunc dicitur conformis formaliter. Tertio, ſecundùm rationem cauſæ efficientis & effectus, vt quando volumus id, quod Deus vult nos velle, & tunc dicitur conformis effectiue, vel etiam obiectiuè quia voluntas noſtra tunc e[st] obiectum voluntatis diuinæ. Quarto, ſecundùm rationem principij formalis quo volumus, vt quando volumus aliquid ex affectu vel habitu charitatis in Deum, ſicut Deus omnia quæ vult, ex affectu erga ſuam bonitatem vult. Hæc tamen conformitas reducitur ad formalem. His poſitis, duo ſunt dubia.

itized by Google

DVBIVM I.

Quibus modis teneamur voluntatem noſtram diuinæ conformare.

100 REſpondeo & Dico Primò, Quod ad quartum modum attinet, non tenemur ſecundùm eum voluntatem noſtram diuinæ conformare. Patet, quia non tenemur omnia velle ex affectu charitatis in Deum [imò neque id neceſſarium eſt, vt opera noſtra ſint meritoria, vt infrà oſtendemus:] ſufficit enim velle ex affectu alicuius virtutis. Eſt tamen ſalubertimum conſilium, vt omnia ex illo affectu velimus & agamus, iuxta illud Apoſtoli 1. Corinth.10. *Omnia ad gloriam Dei facite.*

Quatuor modis Deus vult nos aliquid velle

Dico Secundò, Quòd verò ad tertium modum attinet, ſcilicet quando Deus vult nos aliquid velle; notandum eſt, id poſſe fieri quatuor modis. Primò, Si velit voluntate conſulente; vt quando maius eſt bonum volitum, quàm eius contrarium. Secundò, Si præcipiente vel prohibente. Tertiò, Si prædefiniente: vt ſi abſoluta voluntate, ſuppoſita ſola præſcientia conditionata, ante præſcientiam operis abſolutè futuri, decernat vt aliquid faciam, vel conſentiam; & ideò voluntatem mouere ſtatuat eo modo, quo ſcit me conſenſurum: quo modo videtur prædefiniuiſſe conſenſum Beatiſſimæ Virginis in Verbi conceptione, & Apoſtolorum in ſequendo Chriſtum, &c. Quartò, Si velit ſolùm approbando, vt quando minus eſt bonum volitum, quàm contrarium, vt eſt matrimonium. His addi poteſt quintus modus, vt quando vult permittendo: ſed hoc non eſt velle propriè ipſum opus, ſed velle non impedire. His poſitis

101 Si conſulēs

Si præcipiens vel prohibens.

Si approbans.

Si voluntas diuina tantùm ſit conſulens, non tenemur ei conformari, quia ita conſulit vt totum relinquat in noſtro arbitrio. Si autem ſit præcipiens, tenemur ei conformari poſitiuè, volendo & faciendo, quod præcipit. Si ſit prohibens, debemus ei conformari negatiuè id eſt, non volendo, aut non faciendo contrarium. Si tantùm ſit approbans, non tenemur conformari, quia Deus mauult nos facere contrarium.

102 Si prædefiniens.

Sententia Medinæ.

Sed difficultas eſt, ſi voluntas ſit prædefiniens, & mihi diuinum decretum innoteſcat, vtrùm teneat illi conformari eliciendo actum prædefinitum?

Medina putat me non teneri, niſi præceptum intercedat. Primo, Quia etſi ſciam Prælatum velle vt legam, vel vt prædicem, non teneor, niſi præcipiat: ergo etiamſi ſciam Deum velle, vt hoc faciam, non tenebor niſi præcipiat. Secundo, Quotieſcumque aliquid facio, Deus voluntate beneplaciti vult me illud facere: vt ſi legam, vult me legere, ſi comedam, vult me comedere, & tamen non teneor niſi præcipiat: ergo, &c. Hinc infert, *Quapropter moderni Theologi fere vniuerſi errant, dicentes, quod tenemur velle, quidquid Deus vult nos velle, niſi addant, de voluntate præceptiua.* Sed in hac reſponſione Medinæ videtur peti principium: quæritur enim an ex natura rei naſcatur obligatio præcepti naturalis ex huiuſmodi decreto cognito?

103 Reſpondeo ergo Primo, In hoc caſu me obligari vt non coner in contrarium, hoc enim eſſet velle irritum reddere abſolutum Dei decretum.

Secundo, Si ſciam momentum temporis, quo Deus me vult conſentire, verius videri me teneri & obligari ſponte conſentire, vt rectè Occam & Gabriel in 2. diſt. vltima.

Teneor me cōformare voluntati Diuinæ actum liberū meum prædefiniēti, ſi de ea mihi conſter.

Probatur, Quia teneor tunc non omittere voluntariè conſenſum [eſſet enim hoc voluntariè irritum reddere Dei decretum:] ergo teneor elicere conſenſum. Conſequentia patet, quia non omittere conſenſum, eſt conſentire. Secundo, Si amicus efficaciter aliquid vellet, quod non poſſet perficere, niſi me cooperante, amicitia poſtularet vt ei cooperarer: ergo ſimiliter ſi Deus abſolutè aliquid velit, quod non poſſit fieri, niſi me liberè cooperante, teneor cooperari. Tertio, Si voluntas diuina dum vult nos velle, obligat etiamſi non abſolutè & efficaciter velit fieri, quomodo non multo magis cenſebitur obligare, ſi abſolutè velit fieri, & hanc voluntatem ſignificet?

104 Soluuntur argumenta Medinæ.

Ad primam rationem Medinæ, Reſpondeo Negando Conſequentiam. Si enim Superior abſolutè vult vt ego aliquid faciam, poteſt & debet præcipere, alioqui non efficaciter vult: eſt ergo conſilium, non præceptum, illi voluntati ſe conformare. Deus verò poteſt abſolutè & efficaciter velle vt faciam, etiamſi nullo præcepto poſitiuo id præcipiat, quia poteſt ſine tali præcepto mandare executioni, homini ita inſpirando, ſicut nouit facturum. Itaque ſi ſciam eius abſolutam voluntatem, debeo me illi conformare, illam implendo, cùm eius impletio ſit neceſſaria, vt diuinum propoſitum non fruſtretur. Adde, ſi Superior ſignificaret mihi ſe omnino velle vt faciam, hæc ſignificatio haberet vim præcepti, vt rectè Durandus in . diſt. 47. q. 1. niſi expreſsè diceret ſe nolle obligare: ergo multo magis illa illuminatio, qua Deus mihi panderet ſuum decretum, præcepti vim haberet.

Ad ſecundam rationem, Non omne quod fit, Deus vult abſolutè vt fiat, vt quidam imaginantur, ſed multa ſolùm permittit, vel ſolùm ſub conditione vult, ſcilicet ſi nos velimus. Vnde nullo modo tenemur ea velle.

105

Dico Tertiò, Quod ad ſecundum modum attinet. Semper tenemur voluntatem noſtram conformare diuinæ in aliqua ratione volendi.

Vbi nota, Poſſe diſtingui varias rationes, propter quas Deus aliquid velit: vt, quia conſentaneum naturis rerum, quia conſentaneum rationi vel legi æternæ, quia hominibus ſalutare: quia conſentaneum iuſtitiæ, vel miſericordiæ, vel alicui alteri perfectioni diuinæ declarandæ.

In ratione volendi dupliciter Deo cōformamur.

Dupliciter autem voluntas noſtra poteſt eſſe conformis in ratione volendi.

Primo negatiue. Hoc modo ſemper debet eſſe conformis in ratione volendi, quia id quod Deus vult, nunquam poteſt nobis ſub aliqua ratione diſplicere ſub qua illud vult, quamuis ſub alia poſſit diſplicere. Ratio eſt, quia cauſa, cur Deus aliquid velit, ſemper eſt ingens bonum, ſcilicet bonum commune, quod ſecundùm ſe non poteſt eſſe ratio diſplicendi abſque grauiſſimo peccato, hoc enim nihil eſſet aliud quàm odiſſe bonum, quod Deus intendit.

Secundo, poſitiue. Hoc modo non neceſſario debet eſſe conformis in omni ratione volendi, ſed ſatis eſt eſſe conformem in aliqua ratione, quę reliquis non repugnet, id eſt, ratio honeſti, vel commodi naturalis.

106 Non tenemur conformari in re

Dico Quarto, Quod ad primum modum attinet, certum eſt Primo, Nos non obligari vt voluntas noſtra ſit conformis diuinę in obiecto ma-

materialiter volita.

teriali, quando ignoramus quid Deus velit. Patet exemplis Scripturæ: Dauid enim bona voluntate volebat ædificare templum Domino, quod tamen Deus per ipsum nolebat fieri. Paulus volebat carere stimulo carnis, quo tamen Deus illũ carere nolebat. Idem accidit interdum Beatis. Vt patet Danielis 10. vbi Angeli Dei, diuinám voluntatem nescientes circa populum Iudaïcum, contraria volebant & petebant; vt multi Patres & DD. Scholastici explicant.

1 Paralip. 28.

Dan.10.

Hinc sequitur, Quamdiu non constat Deum absolutè velle aliquod malum, siue nostrum, siue aliorum [eò quòd fortassè tantùm se permissiuè habeat, vel solùm sub conditione velit] posse nos non solùm illud nolle, sed etiam omni conatu impedire.

107 Secundò, Certum est, etiamsi cognita nobis sit diuina voluntas, sæpè tamen posse nos laudabiliter contrarium velle.

Imò sæpe possumus laudabiliter contrarium velle.

Probatur Primò, Exemplis Scripturæ. Sciebat Abraham Deum velle subuertere Sodomam, & vrbes finitimas; & tamen quantum in se erat, id nolebat, & rogabat ne fieret. Sciebat Dauid velle Deum vt infans ex adulterio susceptus moreretur; & tamen vehementer de hoc dolebat. Sciebat Apostolus Deum velle deserere gentem Iudaïcam; & tamen de hoc ita dolebat, vt optaret fieri anathema à Christo ne desereretur. Sciebat Christus Deum velle gentem Iudaïcam & vrbem euertere; & tamen fleuit super eam. Sciebat Deum velle vt mortem subiret; & tamen de illa tristatus est grauissimè.

Gen.18. 2.Reg.12. Rom 9. Luc.19. Mat.h.26.

108 Eadem res aliter à Deo, aliter ab homine approbari aut improbari potest.

Secundò Probatur allata ratione ex D. Augustino Enchiridij cap. 101. *Multum interest quid velle homini, quid Deo congruat, & ad quem finem suam quisque referat voluntatem, vt aut approbetur, aut improbetur.* Cum enim Deus sit auctor & gubernator vniuersi, congruit illi vt ea procuret, quæ ad bonum commune vniuersi secundùm modum, mensuram & ordinem ab ipso intentum pertinent; ac proinde vt quamque rem & rei dispositionem velit, quatenus ad hunc ordinem spectat, etiamsi alteri rei inde incommodum proueniat Sicut Rex qui spectat bonum sui regni, omnia vult vt ad hoc bonum expediunt; etiamsi aliqui particulares inde damnùm ferant. Homini verò, cui gubernatio sui, & suorum duntaxat commissa est, congruit vt velit ea, quæ sibi & suis sunt cõmoda, & incommoda auersetur. Sic Deus vult parentem aliquem mori, quia ita congruit ordini rerũ à se instituto, postulante id natura vel culpa: filius dolet de eius morte, eamque conatur impedire; quia vel pietas naturalis, vel commodum proprium id postulat. Atqui velle sibi congruentia & dolere de contrariis, non est malum: ergo &c. Quod confirmatur, tum quia etsi talis volitio non sit conformis diuinæ voluntati in obiecto materiali; est autem aliquo modo conformis, scilicet effectiuè iuxta tertium modum, quia Deus singulis rebus proprias inclinationes, vt sibi congruentia appeterent, dedit: tum quia ipse Deus id quod vna ratione vult, altera ratione non vult; displicet enim illi perditio hominum, quatenus sunt eius creaturæ; quamuis placeat quatenus sunt peccatores.

Quod Deus vna ratione vult, altera ratione non vult.

109 Soluuntur obiectiones

Dices Primò, Qui optat vt id non fiat, quod Deus vult fieri, optat implicitè diuinam voluntatem non impleri: atqui hoc est impium; satius enim esset omnem perire creaturam, quàm minimam Dei voluntatem, vel prædictionem non impleri.

Secundò, Qui conatur impedire id, quod Deus vult fieri, seipsum Deo opponit, suoque facto significat se diuinæ potentiæ posse obsistere: quod etiam est impium: ergo &c.

Ad primum Respõdeo, Ille nullo modo optat diuinam voluntatem non impleri; nõ enim cupit vt diuina voluntas, postquam aliquid absolutè decreuit, non assequatur intẽtum, hoc enim esset impium: sed optat vt tale decretum numquam in Deo fuerit; vtque malitia humana ei occasionem non dederit, vel si dederit, vt Deus benignius in illos consuluerit, quod sine omni iniuria in Deum, imò ex perfecta charitate optari potest, vt patet in Apostolo ad Rom 9. qui grauissimè dolebat de diuino decreto reiectionis Iudæorum. Nec obstat quòd hoc decretum fuerit æternum, quia pendet suo modo ex hominum malitia, quæ est in tempore.

Quid proprie optet, qui optat diuinam voluntatem non impleri.

Ad secundum. Non omnia quæ Deus vult fieri, vult inuitabili necessitate fieri, sed multa tantùm vult supposita præuisione causarum secundarum, quæ impediri possunt: neque posita tali præuisione, semper absoluta voluntate vult, sed sæpè sub conditione, quæ vel industria humana, vel precibus possit auerti. Quòd si quis id, quod absolute decretum esse nouit, conaretur impedire, id sane impium esset, quia id fieri nequit, nisi ex opinione, quod diuinum decretum possit frustrari, & ex voluntate illud frustrandi. Sicut fecit Herodes, qui putauit se prædictiones diuinas & diuina decreta posse irrita reddere, impediendo regnum Messiæ.

110

Impie ageret qui absolutũ Dei decretum vellet impedire.

DVBIVM II.

Vtrùm sit laudabile in omnibus idem velle, quod vult Deus?

111 Negat Tostatus.

ALphonsus Tostatus in cap. 2. Iosue qu. 18. docet aliquando esse peccatũ mortiferum, si idem obiectum materiale velis, quod Deus vult: vnde si sciam per reuelationem Deum velle vt parens occidatur à latrone, nihilominùs tamen sub peccato mortali teneri me parentem defendere In quam sententiam propendet Victoria, vt refert Medina, & ipse quoque Medina dicit non esse laudabile se conformare in huiusmodi. Quod

Victoria. Medina.

Probatur Primo, Quia Deus vult vt tu in peccato mortali existens, careas gratia, & vt parens tuus, quem scit moriturum in peccatis, damnetur, tu tamen non potes hoc velle: non enim potes hoc velle vt finem, neque vt modum ergo &c.

Secundo, Si vides vrbes incendi, homines occidi, vides esse diuinam voluntatem vt hæc fiant, tibi tamen hæc non possunt placere, hoc enim charitati repugnat.

Contrarium tamen est verius, vnde

112 Possum velle quicquid Deus vult.

Respondeo & Dico Primo, Posse nos laudabiliter velle id omne, quod Deus vult fieri, siue id velit voluntate Antecedente, quæ ex ipso duntaxat ortum habet, siue voluntate Consequente, quę occasionem accipit ex nobis.

Probatur Primo, Ex Scriptura 1. Machab. 3. *Si fuerit voluntas in cælo, fiat.* Vbi Iudas euentum belli, & proinde internecionem gentis ad diuinam voluntatem reiicit, præstans interim, quod in se erat. Matth. 6. *Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra.* Quem locum generatim de omni voluntate Dei accipiendum esse ostendit Maldonatus: & merito, quia magnæ perfectionis est optare non tãtum, vt id fiat quod Deus præcipit,

1.Mach.3.a

Maldonat.

Luc. 22. sed etiam vt in omnibus fiat quod Deo est gratissimum Lucæ 22. Cùm Dominus precatus esset vt calix à se transiret, subiecit, *Non tamen mea sed tua voluntas fiat*, ostendens quo modo etiam in summa calamitate voluntas nostra diuinæ sit accommodanda.

Quæ vult Deus, vult ob iustissimas causas. Secundò Probatur, Quia in omnibus quæ Deus vult, habet iustissimas & decentissimas causas, cur velit: ergo ob easdem causas possumus & nos eadem affectu complacentiæ velle. Consequentia patet, quia complacentia honesti, qua honestum, est laudabilis: atqui hæc est talis: ergo, &c.

Deus & Beati idem in omnibus volunt. Tertiò, Beati in omnibus idem volunt, quod Deus vult: ergo etiã viatores idem velle possunt: Consequentia probatur, quia viatorum est aspirare ad illam perfectionem & animi tranquillitatem, qua Beati fruuntur.

Dices, Beati norunt rationes in particulari cur Deus singula velit, & ideo hæc illis placere possunt: nos autem rationes illas ignoramus.

Respondeo, Etsi illas ignoremus in particulari, tamen in genere, scimus esse honestissimas: quod sufficit, vt possimus nos conformare. Adde, nec Beatos semper scire causas in particulari, cur Deus velit, quia nec semper sciunt, quid velit. Quòd autem ipsi malis non perturbentur, nos autem perturbemur, parum refert; quia conandum est, vt minùs perturbemur. Deinde etsi perturbemur, tamen cum hoc stare potest, vt id ipsum quod non perturbat, nobis placeat, etsi sub alia ratione.

113 Sæpè tamen charitas postulat vt præter concors displicentiam & dolorem concipere. Dico Secundò, Sæpè tamen charitas postulat, vt præter hunc affectum, excitemus affectum displicentiæ & doloris; quatenus cares quam Deus vult, est nobis vel aliis noxia. Sic debet homo dolere, quòd gratia Dei careat, & curate vt non careat, &c.

114 Responsio ad 1 argumẽtum Medinæ. Ad primum argumentum. Respondeo, Posse me velle affectu complacentiæ, vt carcam gratia, quamdiu sum in peccatis; vt damner, si in peccatis moriar: peccatorem enim priuari gratia, & morientem à peccatis damnari, est iustum, honestũ, laudabile, consentaneũ rationibus æternis, Deoque dignum. Itaque sub hac ratione potest mihi & omni affectui benè ordinato placere; si enim affectui diuino placet, qui per se ordinatissimus est, atque adeò exemplar & regula omnis affectus creati, cur nõ posset etiam placere affectui creato, qui est eius imago? Fateor tamen, eandem rem sub alia ratione mihi debere displicere, cùm etiã Deo sic displiceat. Etsi enim placeat Deo, peccatorem quà peccator est, carere gratia, & damnari, displicet tamen ei, peccatorem quà homo, & imago ipsius est, hęc perpeti; vt insinuatur Isaiæ 1. *Heu! consolabor in hostibus meis*. Vide D. Hieronymum in istum locum.

Peccator qua peccator, Deo displicet, qua homo, placet.

Quo modo peccator quamdiu in peccato est, possit recte velle se carere gratia. Ad confirmationem. Qui vult se carere gratia, quamdiu est in peccato; potest hoc velle, vel per modum finis, vel per modum medii: Per modum finis; quia est honestum, ac proinde per se expetendum: itaque est finis, non quidem operantis, sed operis & affectus: Per modum medii, quia est quiddam vtile ad declarandam Dei iustitiam.

115 Non omne quod fit, est volitum à Deo, vt fiat. Ad secundum argumentum Respondeo, Non omne quod videmus fieri, est volitu màDeo, vt fiat, sed sæpè tantùm est permissum in vindictam peccatorum, vnde non est laudabile illud velle, nisi aliundè constet Deum illud velle: sufficit vt placeat nobis, vel certè vt non displiceat diuina prouidentia, & iustitia, quæ ob causas iustissimas hæc permittit, id est, cùm facilè possit, non impedit.

116 Responsio ad exemplũ Abulensis. Ad exemplum Abulensis, Respondeo: Si mihi constet diuina reuelatione parentem meum à Petro interficiendum, non teneor illum tueri, quia frustrà esset ille conatus ad saluandũ eius vitam: possem tamen, nisi constaret Deo id displicere, ad declarandum affectum, quem decet habere filium in parentem. Simili modo excusat Abulensis Rahab, quòd exploratores absconderit, quos alioqui iure naturali, seu gentium debuisset prodere: frustrà enim fuisset illa proditio: nam constabat illi diuino decreto vrbem debere perire. Vtrùm autem poterit prodere tamquam hostes, vt ibidem docet Abulensis, alia quæstio est. Puto non potuisse, quia sciebat Iudæos diuina auctoritate hæc facere. De quo plura in Tractatu de Bello.

Rahab bene abscõdit Iudæos.

Neque eos poterat prodere.

QVÆSTIO XX.

De Bonitate & malitia actuum exteriorum.

ARTICVLVS I.

Vtrum bonum & malum priùs inueniatur in actu exteriori quàm in interiori?

Ex fine. PRima Conclusio. Ratio boni & mali, quam actus exterior habet in ordine ad finem, priùs est in actu voluntatis, & ex eo deriuatur ad opus externum. Ratio est, Quia actus voluntatis immediatè essentialiter tendit in finem (quia finis est proprium eius obiectum,) opus verò externum, solùm per accidens, & mediante actu interno tendit in finem: ergo bonitas & malitia ex fine priùs conuenit actuali interno quàm externo.

Ex obiecto & circumstantiis. Secunda Conclusio. Bonitas & malitia actus exterioris quam habet ex obiecto & circumstantiis, si consideretur vt est in apprehensione rationis, est prior, quàm bonitas & malitia actus voluntatis. Si verò consideretur vt est in executione operis, est posterior bonitate & malitia voluntatis.

Prior pars probatur, quia actus exterior vt est in apprehensione intellectus, est obiectum actus interioris, ac proinde est eius causa: atqui conditio quam habet effectus à causa, priùs conuenit causæ quàm effectui: ergo bonitas & malitia priùs conuenit actui exteriori tamquam obiecto, quàm interiori.

Altera pars probatur, Quia si actus exterior consideretur vt est in executione, sit actus interior est causa efficiens ipsius, & etiam modo quòdam forma: ergo eius bonitas & malitia pendet à bonitate & malitia voluntatis.

2 Notandum Primò, *Actum interiorem* hic vocari actum voluntatis, *exteriorem*, eum qui est alterius potentiæ: Nam actus aliarum potentiarum habent esse morale à solo actu voluntatis.

Notandum Secundò, D. Thomam in his articulis semper distinguere finem à circumstantiis, ac proinde nomine circumstantiarum non comprehendere finem, sed reliquias circumstantias,

Digitized by Google

vt oſtenſum eſt ſuprà qu. 18. art 4. quod quia non aduertit Caietanus, fruſtrà laborat vt hæc conciliet.

Bonitas, malitia, veritas, &c. dupliciter deriuatur ex vno actu in alium.

Notandum Tertiò, Bonitatem, malitiam, veritatem, & ſimiles conditiones dupliciter poſſe deriuari ex vno actu in alium. Primò, Per ſolam denominationem extrinſecam; quomodo conditio effectus redundat in cauſam, eamque denominat: & contra, conditio cauſæ in effectum. Medicina enim dicitur ſana per denominationem extrinſecam ab effectu ſuo, ſcilicet à ſanitate, quam efficit in homine; vrina verò dicitur ſana à cauſa ſua, quia eſt effectus & ſignum ſanitatis. Secundo, Per participationem intrinſecam; ſiue illa conditio ſit eiuſdem rationis in vtroque, ſiue diuerſa: quomodo veritas ex cognitione principii deriuatur in cognitionem concluſionis.

DVBIVM I.

Vtromodo deriuetur bonitas & malitia ab actu externo ad internum, vel contra?

1. Concluſio.

REſpondeo & Dico Primò, Bonitas & malitia actus interioris ita deriuatur ab obiecto, vt ipſe actus propriam & intrinſecam bonitatem vel malitiam accipiat diſtinctam à bonitate vel malitia obiecti: Patet ex dictis qu. 19. art. 1. Alia enim eſt conformitas rectæ rationis in actu interno, alia in externo, qui eſt obiectum; alia, inquam, non moraliter, ſed phyſicè.

2. Concluſio.

Dico Secundò, Bonitas & malitia quam habet actus exterior ex ordine ad finem, deriuatur ab actu interiore ad exteriorem per denominationem extrinſecam, ita vt eadem numero bonitas vel malitia, quæ actui interiori conuenit primariò, immediatè, & intrinſecè; tribuatur actui externo, ſecundariò, mediatè, & extrinſecè. Colligitur ex D. Thoma hoc loco.

Probatur & explicatur. Si des eleëmoſynam, vt ſatisfacias voto; iſta largitio ex ordine ad talem finem, eſt actus religionis, habetque religionis bonitatem: verùm hæc bonitas primariò & immediatè conuenit voluntati interiori, & tantùm ſecundariò, mediante interna volitione, per denominationem extrinſecam tribuitur actui externo, qui ideò dicitur actus religionis, quia ſubeſt actui interno religionis à quo procedit, quod nihil ponit in actu externo, præter denominationem extrinſecam.

3. Concluſio

Dico Tertiò, Bonitas & malitia quam habet actus exterior ſecundùm ſe, id eſt, ex obiecto & circumſtantiis, duplici modo deriuatur in actum internum voluntatis, obiectiuè, & effectiuè Colligitur ex D Thoma & docet expreſsè Caietanus a. 2. dub 4 Quod vt meliùs intelligatur.

Bonitas actus externi dupliciter deriuatur in voluntatem.

Notandum, Interiorem actum habere duplicè habitudinem ad exteriorem, ſcil. tamquam ad obiectum, & tamquam ad effectũ. Eleëmoſyna enim exterior eſt obiectũ voluntatis internæ, & etiam effectus. Prior habitudo tribuit actui interno ſpeciem, ac proinde intrinſecam bonitatem vel malitiam: altera habitudo eſt quid conſequens ſpeciem (ſicut vis efficiendi ſequitur naturam rei) & facit vt actus interior dicatur bonus vel malus denominatione extrinſeca, iuxta Caietanum, ſicut medicamentum dicitur ſanum à ſanitate, quam efficit.

1. Obiectio.

Dices Primò, In actu interiore eſt vis intrinſeca cauſandi ſuo modo actum externũ: ergo dicetur intrinſecè bonus vel malus ab hac vi, & non tantùm denominatione extrinſeca.

Reſpondeo, Verum eſt, Si rẽ ipſam ſpectemus quia ratione huius efficaciæ eſt conſentaneus vel diſſentaneus rationi, vnde eſt quædã bonitas actus interni, & non ſolùm cauſa bonitatis actus externi. Secus eſt de medicamento, quia vis medicamenti non eſt ſanitas, ſed eſt cauſa ſanitatis: vnde medicamentum non dicitur intrinſecè ſanum, ſed ſolum denominatione extrinſeca, ac proinde eſt diſpar ratio. Si tamen ſpectetur deriuatio nominis, eſt ſimilitudo: Sicut enim hoc nomen *ſanum* primò dicitur de homine, & deinde deriuatur ad medicamentum; ita actus exterior primo vocatur bonus vel malus, quia notior eſt, & inde deriuatur hoc nomen ad cauſam internam, quamuis hæc etiam intrinſecam bonitatem habeat. Soluitur.

2. Obiectio

Dices Secundò, Si actus interior habet duplicẽ habitudinem ad actum externum: ergo habet duplicem bonitatem vel malitiam: nam vtraque habitudo aliquam bonitatem tribuit.

Soluitur.

Reſpondeo Primò, Neg Conſeq. Quia bonitas quam habet actus exterior vt obiectum, & ea quam haberet effectus, non eſt diuerſa, ſed eadem omnino: ſicut idem eſt *eſſe rei* quod ante erat obiectiue in intellectu, & nunc eſt actu in rerum natura.

In actu efficaci eſt duplex ratio cur dicatur bonus vel malus.

Reſpondeo Secundò, Si loquamur de actu voluntatis efficaci, poſſe concedi quod infertur, quia in tali actu eſt duplex ratio cur dicatur bonus vel malus, eſt enim bonus ex ordine ad obiectum, & ex ordine ad effectum, nempe vt affectus boni & vt cauſa boni: actus autem qui naturâ ſuâ eſt inefficax, ſolum eſt bonus ex obiecto, quia tantum eſt affectus boni, non cauſa.

Quid voluntas efficax & inefficax.

Hinc ſequitur, ceteris paribus, actũ qui natura ſua efficax eſt, eſſe multò meliorem magiſq meritorium actu inefficaci. Dicitur autẽ *natura ſua efficax*, qui efficit opus externũ, vel ſaltẽ ex parte ſua talis eſt, vt efficeret, ſi facultas adeſſet. *Inefficax natura* ſua eſt, qui nõ efficeret, etiãſi facultas adeſſet.

4. Concluſio.

Dico Quartò, Tota bonitas & malitia moralis quam actus interior habet ex obiecto & circumſtantiis, redundat in actum exteriorem per denominationem extrinſecam. Colligitur aperte ex D. Thoma, &

Probatur, Hæc largitio eleëmoſynæ eſt bona, non ſolum ſecundum ſe, ſed etiam quia ex bona voluntate proficiſcitur, tamquã eius complementum. Et furtum eſt malum, non ſolum per ſe, ſed quia malæ voluntatis eſt germen. Quod confirmatur, quia talis mala voluntas inficeret opus etiam ſecundum ſe indifferens, communicando ei ſuam malitiam: cur non etiam inficiat opus malum? Non enim malitia operis quam per ſe habet, impedit quin malitia voluntatis poſſit ei communicari.

Obiectio.

Dices, Malitia quam opus externum ſecundum ſe habet, deriuatur in actum internum voluntatis: ergo fieri nequit vt malitia actus interni deriuetur in opus externum: eſſet enim circularis deriuatio, in qua idem eſſet ſibi cauſa & effectus.

Soluitur.

Reſpondeo Negando Conſequentiam, Quia ex actu externo deriuatur malitia in actum internum, tamquam ex obiecto habente eſſe in apprehenſione intellectus ante actum internum: ex interno verò deriuatur in externum, tamquam ex cauſa efficiente in effectum. Neque hoc mirum videri debet, quia efficiens & finis ſunt ſibi viciſſim cauſa. Imò finis vt eſt in apprehenſione, eſt ſibi ipſi cauſa, vt eſt in rerum natura. Simile videmus in artibus, quæ omnes efficiunt ſua obiecta.

ogle

7 Bonum & malum primò inueniuntur in obiectis, ſecundò in actu voluntatis, tertiò in opere externo.

Ex his patet, bonum & malum primò inueniri in obiectis, ſiue illa obiecta ſint actus externi, vt dare eleëmoſynam, furari, &c. Siue res aliquæ, vt bonum Dei vel proximi: Siue priuationes, vt malum Dei & proximi. Secundo, Ex obiecto deriuari in actum voluntatis. Tertiò, Ex actu voluntatis in opus externum, quatenus eſt in executione. Itaque prius natura voluntas habet bonitatem vel malitiam ſuam, quàm actus externus, teſt in executione, habeat ſuam. Quamuis idem actus vt eſt in apprehenſione intellectus, prius natura habeat ſuam bonitatem vel malitiam, quam voluntas ſuam.

DVBIVM II.

Vtrum actus exteriores ſecundùm ſe & immediatè ſint boni vel mali moraliter?

8 Sententia quorundã.

QVidam putant actus externos ſecundum ſe eſſe formaliter malos, nullos tamen ſecundùm ſe, eſſe formaliter bonos, ſed habere hanc bonitatem formalem ab actu interno. Ratio eſt, Quia vt actus exterior ſit peccatum, non requiritur vt aliquo actu interno ſit expreſſe volitus, ſed ſufficit voluntas implicita, quæ poteſt eſſe abſque omni actu reali voluntatis: ergo actus exterior non habet malitiam formalem ab actu interno. Vt autem actus exterior ſit formaliter bonus, requiritur vt ſit expreſſe volitus, idque propter bonum virtutis. Vt patet ſuprà qu. 18. art 2. dubium 4 & qu 19. art. 1. dubium 2.

Sententia Medinæ.

Medina verò art. 3. huius quæſtionis docet, non ſolum quoſdam actus externos ſecundùm ſe eſſe formaliter malos ſed etiam quoſdam eſſe formaliter bonos. Sunt enim triplices actus externi id eſt non eliciti à voluntate.] Quidam ſunt intellectus, & alii appetitûs ſenſitiui, alii potentiæ exequentis per membra corporis. Actus potentiæ exequentis fatetur non eſſe ſecundùm ſe formaliter bonos vel malos, eò quòd in ipſis nulla ſit libertas. Actus tamen intellectûs & appetitus ſenſitiui, vult per ſe eſſe bonos vel malos formaliter, quia non ſolum velle credere, & velle vouere eſt bonum, ſed etiam ipſum credere, & ipſum vouere per ſe bonum eſt. Neque ſolum velle errare contra fidem & velle temerè iudicare eſt malum, ſed etiam ipſe error, & temerarium iudicium, formaliter malum eſt. Ratio ipſius eſt, quia his actibus ſecundum ſe competit ratio voluntarii.

Actus externus eſt triplex.

Pro ſolutione. Notandum, Actum dupliciter dici bonum vel malum, *obiectiue* & *formaliter*, *Obiectiue bonus* dicitur, qui ſecundum ſe dignus eſt vt appetatur & fiat ab homine ratione vtente. vt largitio externa eleëmoſynæ *formaliter bonus* dicitur, qui ſecundum ſe & immediate eſt laude dignus, reddítque hominem laude dignum, ſiue qui libere tendit in obiectum honeſtum, quà honeſtum, vt affectus dandi eleëmoſynam. *Obiectiue malus* dicitur, qui ſecundùm ſe talis eſt vt non poſſit ſecundùm rectam rationem appeti, vel fieri ab homine ratione vtente, vt ſunt praui motus concupiſcentiæ, furta, &c. *Formaliter malus* dicitur, qui perſe immediate reddit hominem vituperio dignum, ſiue qui libere tendit in obiectum rationi repugnans. His poſitis.

9 Actus dupliciter dicitur bonus obiectiuè & formaliter.

10 Nullus actus exterior ſecundum ſe eſt formaliter bonus bonitate moali.

Dico Primò, Nullus actus externus ſecundum ſe, ſeu immediate habet formaliter bonitatem vel malitiam moralem, eſt communis Doctorum Durandi in 2. diſt. 42. quæſt. 1. num. 6. & 7. Occam Quod lib. 1. quæſt. 20. & alibi. Gabriel in 2. diſt. 42. art. 1.

Probatur primo, Quia nullus actus externus ſecundùm ſe ſeu immediate habet eſſe liberum, ſed ſolum mediante actu voluntatis: atqui eſſe liberum eſt neceſſarium ad bonitatem vel malitiam moralem formaliter: ergo.

Secundò, Nullus actus exterior ſecundùm ſe, reddit hominem laude vel vituperio dignum, ſed hoc totum habet ab actu libero voluntatis.

Tertiò, Et ſi vt actus exterior ſit malus, non requiratur actus interior explicitus, requiritur tamen actus interpretatiuus, id eſt, tacitus conſenſus, in quo eſt tota culpa: totumque demeritum Nec refert, quod hic tacitus conſenſus non ſit aliquid reale: ſufficit vt ſit aliquid morale. Si enim in nuda omiſſione poteſt eſſe culpa, & quidem primario, cur non etiam in conſenſu interpretatiuo?

Dices, Actus exterior non habet malitiam à libertate, non enim ideo malus eſt, quia liberè fit, ergo à ſeipſo: Libertas autem eſt ſolum conditio quædam.

Actus exterior habet malitiam formalem à libertate.

Reſpondeo, Etſi non habeat malitiam obiectiuam & fundamentalem à libertate, habet tamen malitiam formalem; quia non eſt vituperio vel ſupplicio dignus, niſi ratione libertatis.

11 Medina reprehenditur.

Quod verò Medina excipit actus intellectus, & appetitus ſenſitiui, ſine ratione facit: Nam eadem omnino eſt ratio actuum potentiæ exequentis, atque intellectus & appetitus inferioris. Nulli enim actus ſunt liberi, niſi per denominationem extrinſecam ab actu voluntatis, vt patet ex dictis ſuprà quæſt. 6. art. 2. Nam à ſuis potentiis neceſſario procedunt, poſitis omnibus prærequiſitis. Experientia etiam conſtat, credere, iudicare, & motus appetitus non eſſe magis voluntario aut in noſtra poteſtate, quàm motus membrorum: quin potius motus membrorum eſſe magis in poteſtate, quia membra ad nutum obediunt, non autem appetitus ſenſitiuus, vt ſuprà qu. 17. Hinc fit vt credere non ſit meritorium vel laudabile, niſi ratione voluntatis credendi. Neque temerè iudicare vel errare in fide, eſſe demeritorium, niſi ratione voluntatis, quia hæc expreſſe vel implicite ſunt volita.

Actus intellectus & appetitus ſenſitiui non ſunt liberi niſi per denominationem extrinſecam.

Dico Secundo, Actus tamen externi ſecundum ſe, habent bonitatem vel malitiam obiectiuam. Patet ex notatione ſuprà poſita num. 9. Solum notandum, hanc bonitatem vel malitiam prius cõuenire actibus externis, quàm bonitas formalis actibus internis, quia obiecta ſunt priora ratione, quàm actus quorum ſunt obiecta. 12

Dico Tertio, Actus externi non ſolum vt obiecta habent per ſe bonitatem vel malitiam, ſed etiã vt actus, ſeu vt fiunt in executione. Verum hæc bonitas & malitia non eſt diſtincta à bonitate & malitia obiectiua, eſtque ſolum materialiter moralis, non autem formaliter. 13

Probatur, Quia furari non tantum eſt malum obiectum, quod non liceat appetere, ſed etiam eſt malus actus; quia ab homine ratione vtente non poteſt niſi male fieri. Quod autem hæc malitia ſolum ſit materialis in genere moris, patet, nam in amente non eſſet, niſi materiale peccatum, tamẽ in amente habet omnia, quæ ipſi ſecundum ſe competunt. Nec obſtat quod actus externi ſint conformes vel difformes rationi, quia hinc tantum ſequitur quod ſecũdum ſe ſint boni vel mali obiectiue & materialiter: hæc enim conformitas & difformitas non eſt per ſe laude vel vituperio digna, ſed ſolum ratione actus voluntatis, à qua

pendet & moraliter informatur.

14 1 Obiectio. Dices primò, Actus externi secundùm se prohibentur legibus, non solùm humanis, sed etiam diuinis; vt, non furtum facies, &c. ergo secundùm se habent malitiam moralem. Consequentia patet, quia sicut leges non puniunt nisi malitiam moralem, ita neque prohibent.

Soluitur. Respondeo, Actus externus prohiberi quidem secundùm se, id est, non tantùm ratione malæ voluntatis, sed etiam ratione propriæ turpitudinis quàm immediatè habent. Hinc tamen non sequitur, hanc turpitudinem esse malitiam moralem formaliter: sufficit enim vt sit moralis obiectiuè vel materialiter.

Dices: Ergo prohibetur etiam in amente, quia habet illam malitiam obiectiuam & materialem in illo.

Quomodo actus exter. ni prohibeantur. Respondeo Negando Consequentiam, Quia id, quod prohibetur, non est præcisè actus simplex, sed complexum quiddam: scilicet talem actum externum fieri ab homine ratione vtente: hoc enim est adæquatum obiectum prohibitionis. Ipsum autem fieri ab amente, non prohibetur; non quòd ibi non habeat suam malitiam: sed quia operans non est capax prohibitionis.

2. Obiectio. Dices Secundò. Furari non est malũ, quia velle furari malum est, sed contrà, velle furari est malum, quia furari est malum: ergo actus exterior secundùm se habet malitiam moralem.

Soluitur. Respondeo, Hinc tantùm sequi actum exteriorem secundùm se esse malũ obiectiuè & materialiter in genere moris. Nam furari, non est malum formaliter in genere moris, nisi quia velle furari est malum: Ideò enim actus ille externus reddit hominẽ vituperio & pœna dignum, quia voluntas à qua procedit, talis est. Simile est in actu cognitionis & obiecti: Cognitio enim est vera, quia obiectum est verum; & tamen obiectum non est per se verum nisi fundamentaliter; formaliter autem dicitur verũ à cognitione cui subest. Pari modo voluntas furandi est mala, quia furtum externum est malum, & tamen furtum externum non est per se malum nisi fundamentaliter: formaliter autem dicitur malum à voluntate cui subest.

ARTICVLVS II.

Vtrùm tota bonitas & malitia actus exterioris pendeat ex voluntate?

15 PRima Conclusio, Tota bonitas quam actus exterior habet ex fine, ad quem destinatur, pendet ex intentione voluntatis. Patet ex artic. 1.

Secunda Conclusio, Tota bonitas quàm actus exterior habet ex obiecto & circumstantiis, pendet ex ratione, & per rationem derivatur in actum voluntatis.

Quo modo bonitas actus exterioris quam habet ex obiecto pendeat tãtum à ratione. Notandum, Bonitatem actus exterioris, quam habet ex obiecto & circumstantiis, v. g. bonitatem eleemosynæ dici pendere à ratione, quia tantùm à ratione pendet, ita vt non ab alio aliquo actu deriuetur: tantùm enim consistit in conformitate cum ratione, & mediante ratione deriuatur in actum voluntatis. Dare enim eleemosynam bonum est, quia immediatè conforme est rectæ rationi. Et hanc conformitatem non accipit ab alio aliquo actu. Quamuis quod hæc bonitas fiat bonitas moralis, formaliter habeat ab actu voluntatis.

ARTICVLVS III.

Vtrùm bonitas & malitia sit eadem actus exterioris & interioris?

16 Si actus exterior sit non bonus vel malus ex fine. PRima Conclusio, Quando actus exterior solùm est bonus vel malus ex fine tunc est eadem numero bonitas & malitia actus interioris & exterioris. Vt, si faciasitem, vt des eleemosynam. Ratio est, Quia tunc actus exterior secundùm se est indifferens: vnde non habet vllam bonitatem vel malitiam, nisi ex intentione voluntatis

Si talis sit &c. Secunda Conclusio, Quando actus exterior secundum se est bonus vel malus, tunc est alia bonitas & malitia in actu interno ex fine, alia in actu externo secundùm se considerato: Vt, si des eleemosynam propter Deum. Actus enim interior est affectus charitatis in Deum: exterior verò secundum se est actus misericordiæ in proximum.

Tertia Conclusio, Semper tamen bonitas & malitia voluntatis quam habet ex fine, redundat in actum externum. Similiter bonitas & malitia quam actus exterior habet secundum se, redundat in voluntatem.

DVBIVM.

Vtrùm actus interior & exterior sint vnum numero peccatum?

17 Scotus docet esse duo peccata. SCotus Quodl. 18. art. 3. docet propriè esse duo peccata. Eadem est sententia Gabrielis in 2. dist 42. art. 2.

Primò, Quia sunt duo actus distincti, quorum vterque secundum se habet propriam repugnantiam contra rectam rationem, & legem diuinam.

Secundo, Quia diuersis præceptis prohibentur furtum externum, & voluntas furandi; adulterium externum & concupiscentia vxoris alienæ, vt patet in præceptis Decalogi.

Tertiò Quia actio externa punitur: ergo per se est peccatum.

Actus interior & exterior physicè sunt duo actus. Respondeo & Dico Primò Voluntas interna & opus externum sunt actus distincti habentq; distinctas bonitates & malitias, si physicè loquamur. Vnde & physicè dici possunt duo mala opera, & duo peccata. Et hoc tantum probat prima ratio.

18 Moraliter vnus. Dico Secundò Moraliter tamen sunt vnus numero actus & vnum peccatum. Est communis sententia Doctorum

Ratio est primò, Quia voluntas interior, & actus exterior habent eamdem num. 20 libertatem, vt patet ex supradictis, quæst. 19. atqui libertas tribuit esse morale actui: ergo habent idem esse morale, ac proinde sunt vnus actus in genere moris: sicut anima & corpus sunt vnum viuens, vnum sentiens, quia habent vnam vitam & eundem sensum: corpus enim eodem sensu sentit, quo anima, & eadem vita viuit. Pari modo actus externus eadem bonitate est laudabilis qua actus internus.

Secundò, Quia vnitas moralis sicut & artificialis, non postulat tantam simplicitatem & par-

Digitized by Google

tium coniunctionem, quantam vnitas naturalis: ſicut enim vt opus artificiale ſit vnum, verbi gratia, vna domus, vna veſtis, non requiritur niſi certa partium diſpoſitio & cohærentia, ita vt actio ſit vna moraliter, ſufficit dependentia exterioris ab interiore, & habitudo ad vnum terminum.

Tertiò, Quia actus exterior natura ſua pendet ab interiore, eſtque eius veluti complementum & terminus: ergo in ratione moris non debet cenſeri opus diſtinctum.

Omnes actus qui ordine quodam ex vi alicuius intentionis ſequuntur, cenſentur vnus actus.

Hinc fit vt omnes actus qui ordine quodam ex vi alicuius intentionis ſequuntur & ad vnum terminum tendunt, cenſeantur moraliter vnus numero actus; quia habent inter ſe connexionem, & dependentiam, & ordinem ad vnum terminum: vt *intentio, conſilium, iudicium, electio, imperium, vſus*. Et quamuis *intentio, electio* & *imperium*, habeant diuerſam libertatem, tamen propter connexionem & dependentiam in ordine ad eundem terminum, cenſentur moraliter vnus actus. Maior tamen eſt vnitas moralis, vbi tantùm eſt vna libertas.

Ex dictis patet Reſponſio ad primum argumentum.

Soluuntur Argumenta Scoti.

Ad ſecundum, Illi actus diuerſis præceptis prohibentur, non quòd diuerſa ſint peccata, ſed vt populus ille intelligeret, non ſolùm opus externum, ſed etiam internam cupiditatem, peccatum eſſe. Itaque ob illius populi ruditatem hoc factum.

Ad tertium, Numquam actio externa ſecundùm ſe punitur, id eſt, præciſa voluntate interna. Sed ſicut ſola bona voluntas meretur laudem, ita ſola mala voluntas meretur pœnam.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm actus exterior aliquid bonitatis vel malitiæ addat actui interno?

19 PRima Concluſio. Actus exterior quatenus eſt bonus ex ordine ad finem, nihil bonitatis addit actui interno. Ratio eſt, Quia tota hæc boniras eſt in ſolo actu interno, & ſolùm denominatione extrinſeca tribuitur externo.

Secunda Concluſio. Actus exterior vt eſt bonus ex materia & circumſtantiis, aliquid addit actui interno. Ratio eſt, Quia talis actus exterior ſecundùm ſe habet bonitatem obiectiuam, quæ formaliter terminat actum voluntatis, & hanc bonitatem addit actui interno.

Tertia Concluſio. Si deſit facultas operandi, & voluntas alioqui ex ſe ſit perfecta, actus interior ſolus tam eſt bonus moraliter quàm interior & exterior ſimul. Probatur, Quia tunc defectus actus externi eſt omnino inuoluntarius: atqui inuoluntarium ſicut non meretur præmium, ita neque de præmio vel pœna quicquam detrahit.

20 Opus externũ ad multa valet vi ſua.

Notandum, Opus externum per ſe multis modis aliquid commodi vel incommodi adferre, quod opus internum ſolùm præſtare non poteſt.

Primò, quia ſcandalum & ædificatio proximorum, damnum & reſtitutio, pax & perturbatio generis humani, ex operibus externis prouenit.

Secundò, Quia ſanctificatio per Sacramenta & per ſacrificia fit operibus externis. Ipſum quoque externum martyrium habet vim ſanctificandi, iuxta probabiliorem ſententiam, quam interna voluntas ſola non habet.

Tertiò, Quia actus externi valent ad ſatisfactionem pro pœna temporali, vt alibi oſtenſum eſt

Quartò, Quia actibus externis incurruntur cenſuræ Eccleſiaſticæ, vt excommunicatio, ſuſpenſio, interdictum, & irregularitas; non tamen nudis actibus internis quantumuis prauis.

Quintò, Quia actibus externis efficimur habiles ad rectè operandum: crebrò enim ieiunando, orando, officia charitatis obeundo, reddimur faciles & expediti; non ſimiliter ſolo interno affectu, qui in opus externum exire non poteſt: hic enim affectus non ita vincit difficultates, quæ in opere ſentiri ſolent. Paſſionum quoque moderatio & mortificatio maximè perficitur actibus externis.

Triplicitèr affectus internus fit melior ratione operis externi.

Sextò, Actus externi ſæpè ſunt occaſio cur affectus interior in ſeipſo nat melior vel peior: hoc autem fit tripliciter, vt colligi poteſt ex D. Thoma. Primò, Quia dum verſamur in opere externo, vel ſpes eſt eius perficiendi, actus interiores multiplicantur. Secundò, Quia ratione operis externi diutiùs continuantur. Tertiò, Quia ratione operis externi affectus interior accenditur, fitque intenſior; idque vel vt impedimenta occurrentia vincat, ſicut cùm quis pugnat cum hoſte, animus in opere accenditur; Vel quia ex opere voluptatem percipit; vt patet in meditatione, oratione, &c. His poſitis ſupereſt

DVBIVM.

Vtrùm actus exterior aliquid bonitatis vel malitiæ moralis addat ſupra internum, ita vt vterque ſimul ſit magis laudabilis vel vituperabilis, meritorius vel demeritorius, quàm internus ſolus?

21 Scotus affirmat.

NOtandum, Nos hic loqui de actu interno voluntatis, qui ex parte ſua eſt efficax, ita vt, vel re ipſa ex vi ipſius ſequatur opus externũ; vel certè, non ſequatur, id fit non ex defectu voluntatis, ſed facultatis.

Scotus Quodl. 18. art. 3. tenet partem affirmatiuam. Sed contraria ſententia eſt D. Th. & communis, pro qua.

Negatur.

Reſpondeo & Dico Primò, Opus externum nihil addere bonitatis meritoriæ, vel malitiæ demeritoriæ voluntati internæ. Ita D. Thomas hoc loco cum ſuis. Durandus in 2. diſt 42. qu. 1. num. 8. & 9. Bonauentura ead. diſt artic 1. quæſt. 2. Gregorius ibid. quæſt 1 Gabriel ibid. quæſt. vn. artic. 1. & 2. Occam. Quodl. 1. quæſt. 20.

Explicatur locus 2. Corint. 8.

Probatur Primò, Ex Scripturis 2. ad Cor. 8. *Si voluntas prompta eſt ſecundum id quod habet, accepta eſt, non ſecundùm id, quod non habet*; id eſt, ſi voluntas prompta eſt in dando pro ſua facultate, accepta eſt Deo, ſecundùm proportionem facultatis. Vnde ſequitur, voluntatem pauperis dantis ſecundum ſuam facultatem, non minus eſſe gratam, quàm voluntatem diuitis dantis ſecundum ſuam, ſi cetera ſint paria. Vnde vlterius infertur: ſi cui nulla omnino ſit facultas, par tamen ſit voluntas, eam æquè gratam futuram. Ita ferè exponunt Patres hunc locum. Gloſſa ſic habet: *deceptio diuina non menſuratur ſecundum quantitatem*

Gloſſa.

tem eleemoſyna, quæ non eſt in poteſtate dantis, ſed ſecundùm promptitudinem voluntatis, quæ ſtatim exiret in actum, habita facultate. Vnde impedimentum, quod eſt inuoluntarium, nihil tollit de merito. Theodoretus, *Ea quæ offeruntur viribus ſingulorum metitur Deus, non enim quantitatem ſed mentis qualitatem reſpicit.* Anſelmus, *Omnes æqualiter dant ſi quiſque ex tanto dat, quantum habet.* Theophylactus, *Qui non habet, ſine qui non poteſt quod ad voluntatem attinet, opus implenit.*

Theodor. Anſelmus. Theophyl.

Confirmatur Marci 12. *Vbi vidua duo minuta offerens laudatur pra ceteris, quia plus dedit pro ſua facultate* Vnde ſic argumentator. Si is qui plus dat pro ſua facultate, plus eſt laudabilis ceteris paribus; ergo qui dat æquale pro ſua facultate, æqualiter eſt laudabilis: atqui is qui nihil habet, reipſa tamen æquali affectu deſiderat dare, dat æquale ſecundùm ſuam facultatem: quia non poteſt dare, niſi affectu: ergo æqualiter & laudandus.

Marcita.

22 Ex Patrib. Auguſt.

Secundò probatur ex Patribus. D. Auguſtinus libr. 1. de libero arbitrio, cap 3. *Vt intelligas libidinem in adulterio malum eſſe, ſi cui etiam non contingat facultas concumbendi cum coniuge aliena, planum tamen aliquomodo ſit eum id cupere, & ſi poteſtas detur, facturum eſſe, non minùs reus eſt quàm ſi in ipſo facto deprehenderetur.* Epiſt. 29. qu. 4. exponens illud Matth. 7. *In qua menſura, &c. Ibi quiſque fit beatus, vel miſer id eſt, in ipſo ſuæ voluntatis affectu, qua omnium, aliorum meritorumque eſt menſura.*

Chryſoſt. Chryſoſt. hom 17. in Matth. docet *ſolam voluntatem remunerari pro bono & condemnari pro malo: opera verò externa eſſe ſolùm ſigna huius voluntatis.*

Marcus eremita. Sanctus Marcus Eremita libr. de lege Spirituali cap. 13. *Cui eſt animus aliquid faciendi, nec poteſt? perinde eſt apud Deum corde cognitorem, ac ſi feciſſet.*

Bernard. Bernard. Epiſt. 77. *Quid planius, quàm quòd voluntas pro facto reputetur, vbi factum excludit neceſſitas?* Aduertetamen, hoc teſtimonium non videri efficax, vt patet intuenti ſcopum Bernardi: vult enim probare Baptiſmum externum, non eſſe neceſſarium, quando haberi non poteſt; ſed tunc ſufficere voluntatem. Hinc tamen inferre non licet, baptiſmum externum nihil addere.

Hugo. Hugo lib. 2. de Sacrament. parte 11 cap. 6. fusè probat, *Totum meritum eſſe in voluntate. & vbi eſt par voluntas, par eſſe meritum, etiamſi in altero ob impotentiam deſit opus.*

21 Ex Ratione

Tertiò pro hâc ratione. Primò, Quia actus externus ſecundùm ſe non habet bonitatem vel malitiam moris formaliter: ergo non addit eam actui interiori; non enim dare poteſt, quod non habet.

Secundò, Actus externi, poſita voluntate interna, omninò naturaliter & neceſſariò proceduntà potentiis naturali modo operantibus: atcui propter ea quæ naturaliter fiunt, non ſumus laude vel vituperio digni: ergo propter actus externos non ſumus laudandi vel vituperandi, niſi ratione voluntatis.

Tertiò, Quia alioqui facultas merendi vitam æternam in iuſtis, magnaex parte non eſſet in ipſorum poteſtate actus enim externi multis modis vel cauſis naturalibus vel hominum violentia poſſunt impediri, quod non eſt conſentaneum diuinæ prouidentiæ, cuius erat rem tantam ponere in poteſtate cuiuſque, ita vt ab aliis non poſſet dari vel auferri.

Quartò, Quia alioqui qui per famulum dat eleemoſynam, ſi iſte faudet, amittet partem ſuorum meritorum, quod nemo dixerit.

24 Actus exter nus addit aliquam malitiam materialem in genere moris.

Dico Secundò Actus exterior addit aliquam bonitatem vel malitiam obiectiuam & materialem in genere moris, quia opus externum ſecundùm ſe eſt bonum vel malum obiectiuè & materialiter. Hoc modo intelligendum quod quidam dicunt, hominem qui peccat voluntate & opere, magis peccare extenſiuè, quàm qui voluntate tantùm: non quòd maior ſit malitia formalis in vtroque, quàm in voluntate ſola: ſed quia malitia voluntatis extendit ſe ad opus externum, eique communicatur, ſicut anima in corpore magis viuit extenſiuè, quàm in ſe ſola.

25 Obiectio.

Obiicies primò ex D. Auguſtino libr. 11. de Trin. c. 5. *Mala voluntate vel ſola, quiſque miſer efficitur, ſed miſerior poteſtate, qua mala voluntatis deſiderium impletur*

Soluitur.

Reſpondeo, Id verum eſſe, ſed per accidens. Nam qui poteſt malam voluntatem implere, in ea diutiùs perſeuerat, ſæpiùs eam reperit, & in executione operis eam intendit, facitque vehementiorem, vt patet in eo qui homicidium vel adulterium perpetrare intendit, qui verò videt ſe non poſſe implere, eam deponit

2. Obiectio.

Obiicies Secundò. Bonitas moralis conſiſtit in integritate omnium eorum, quæ recta ratio dicat actui debere conuenire: atqui alia eſt integritas eorum, quæ debent conuenire actui interno, alia quæ externo: ergo alia eſt bonitas actus externi, alia interni. Si alia bonitas, etiam alia eſt malitia: ergo actus exterior addit aliquid bonitatis vel malitiæ moralis ſupra interiorem. Ita Scotus.

Soluitur.

Reſpondeo, Si loquamur de integritate quæ neceſſaria ſit ad formalem bonitatem moris, nego minorem: Illa enim integritas, quæ requiritur ad bonitatem actus interioris, requiritur etiam ad bonitatem actus exterioris Nam ſine illa, actus exterior non erit formaliter bonus bonitate moris. Sicut vita animæ neceſſaria eſt ad vitam corporis, cùm ſit vna eademque. Si vero loquamur de bonitate obiectiua vel materiali in genere moris, ſic admitto diuerſam eſſe integritatem actus exterioris & interioris Sed hoc non eſt contra noſtram doctrinam, vt ſuprà dictum.

26 3. Obiectio.

Obiicies Tertio, Quando deeſt facultas operis, non poteſt actus interior eſſe tam perfectus, quàm ille qui efficaciter cauſat opus: non enim poteſt homo tunc habere actum abſolutum, *volo*, ſed ſolùm conditionatum, *vellem*, qui actus eſt imperfectus, reſpectu alterius: ergo ſemper quando fit opus externum, eſt maius meritum vel demeritum.

Soluitur.

Reſpondeo Primo, Etiamſi totum eſſet verum, hinc tamen nõ ſequeretur, opus externum ſecundùm ſe aliquid bonitatis addere, ſed tantummodò actum internũ eſſe in ſe perfectiorem & meliorem quando opus fit.

Secundo, Si ille cui deeſt facultas operis, id ignoret, poterit habere actum voluntatis abſolutum æquè perfectum atque is qui operatur, vt patet in eo qui vult dare eleemoſynam, & in executione videt ſe carere pecunia.

Vellem aliquando eſt tam perfectũ quam volo.

Tertio, Etſi actus, *volo*, phyſicè habeat aliquam perfectionem, quia caret, *vellem*, tamen ſecundùm æſtimationem moralem, *vellem*, non eſt minùs perfectum quàm *volo*, ſi illud *vellem* ſit tale, vt ex vi ipſius ſequeretur, *volo*, & opus ipſum

posita operis facultate; quia tunc, *vellem*, virtute continet, *volo*, & opus, vt suprà dictum. Quòd autem hæc voluntas non exeat in actum, causa est, non imperfectio affectus interni, sed extrinsecus defectus materiæ. Vnde patet, pauperem tantum posse mereri affectu eleemosynæ, quantum diuitem dando eleemosynam. Secùs est, quando quis habet facultatem operis: tunc enim, *vellem*, non est tam perfectum quàm *volo*, quia ex vi ipsius non potest opus sequi. Deo quo vide Hugonem suprà lib. de Sacrament. p. 14. cap 6.

27 4. Obiectio

Obiicies Quartò, Si effectus nihil addit interiori voluntati: ergo qui tantum vult mereri quantum s. Paulus re ipsa meruit, tantumdem habebit meriti. Similiter qui tantum vellet peccare quantum Antichristus, tantumdem habebit demeriti.

Soluitur.

Respondeo Negando consequentiam. Primò, Quia nos hic loquimur de actu vel affectu externo, id est, qui non sit actus vel effectus voluntatis; hunc enim dicimus nihil addere internæ volitioni. Secùs est si effectus vel actus volitus, sit actus internus voluntatis: hic enim addit propriam bonitatem vel malitiam actui, quo volitus est; vt fit in proposito. Velle enim mereri, est velle actum voluntatis, vel aliquid quod ex illo pendeat.

Sola volitione non possumus alicui quidlibet bonitatem, vel malitiam.

Secundò, Quia hic comparamus actum internum voluntatis cum actu vel affectu, qui natus est sequi ex vi internæ volitionis. Atqui sanctitas Pauli non est nata sequi ex tali volitione, sed solùm ex aliis præstantissimis virtutum actibus. Ob eamdem causam is qui optat toto affectu alere infinitos pauperes, non meretur infinitè, vt argumento quodam calculatorio videtur probari, quia opus non est tale natura, vt ex vi alicuius affectus sequi possit; nam vel contradictionem implicat, vel certè est omni naturæ creatæ impossibile. Sic qui optat conuertere totum mundum, non tantum meretur, quantum si reipsa conuerteret, quia opus non est aptum sequi ex vi vnius talis affectus, sed opus est innumeris aliis bonis affectibus.

28 5. Obiectio.

Obiicitur Quintò, Si actus externus non addit nouam malitiam: ergo non debet exprimi in confessione, nam tota malitia peccati satis intelligetur, si dicas te voluisse.

Soluitur.

Respondeo Negando consequentiam. Primò, Quia totum peccatum debet explicari, ac proinde etiam opus externum, quod est pars peccati etsi materialis, & complementum voluntatis.

Cur opus externum exprimendum in Cõfessione.

Secundò, Quia confessio iure diuino positiuo introducta est. Vnde credendum est, eam institutam modo commodissimo & salubertimo: talis autem est, in quo explicantur opera externa. Primò, Quia sic facillimè & breuissimè malitia voluntatis & à pœnitente explicatur, & intelligitur à Sacerdote. Secundò, Quia plebs vix potest aliter se explicare. Tertio, Quia id sæpè necessarium, vt præscribatur idoneum remedium vel restitutio, vel satisfactio, vel vt vitetur scandalum, vel vt absoluatur à censura. Quarto, Quia peccatum externum cum interno simul est maius peccatum extensiuè, & turpitudo peccati in vtroque simul magis cognoscitur.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm idem actus exterior possit esse simul bonus & malus?

29

PRima Conclusio. Idem actus non potest simul esse bonus & malus. Ratio est, quia contraria non possunt esse in eodem.

Secunda Conclusio. Actus manens idem secundùm esse naturæ, potest successiuè esse bonus & malus, non autem si maneat idem secundùm esse moris.

DVBIVM I.

Vtrum nullo modo fieri possit, vt idem actus exterior eodem temporis momento sit bonus & malus?

30

RAtio dubitandi est in duobus casibus. Prior est, quando executio operis pendet à duabus voluntatibus, quarum altera bonam intentionem habet, altera malam: vt cùm Dominus bona intentione iubet dari eleemosynam, & famulus mala intẽtione exequitur. Alter est, quando executio pendet ab vna voluntate, mediantibus duabus intentionibus, altera bona, altera praua: vt si des eleemosynam ob duos fines in solidum, vt ob laudem humanam, & ob satisfactionem peccatorum: hoc enim fieri posse patet ex dictis suprà qu. 12. ar. 3.

Respondeo & Dico Primo In priore casu idem actus exterior simul est bonus & malus, meritorius vitæ æternæ, & mortis æternæ.

Idem actus exterior pendens à duabus voluntatibus, potest simul esse bonus & malus

Probatur, Quia illa largitio, vt est actus Domini, est meritoria; proficiscitur enim ex bona intentione, neque Dominus ei aliquid apponit, quod meritum impediat. Vt vero est actio famuli, est demeritoria, facit enim illam mortifera intentione, vti suppono.

Respondent quidam, illam actionem non esse mortalem respectu Domini, sed solùm respectu famuli, proinde Dominum non mereri per illam, sed solùm per imperium quo iubet illam fieri, quia non est in potestate Domini nisi remotè.

Sed contrà, Is qui mandat, proprie est causa moralis effectus secuti, vnde in vtroque foro incurrit pœnas iuris, non secus, ac si per se feciſſet. Nec refert, quod effectus non sit immediatè in eius potestate: quia dum quis occidit sagitta, effectus non est immediate in sagittarij potestate, tamen occisio illa proprie est opus eius, ac peccatum. Itaque modo dum quis per famulum agit, imperio enim suo ei veluti impetum quemdam ad opus imprimit, ex quo moraliter sequitur operatio, sicut sagittarius imprimit sagittæ impetum, ex quo sequitur motus & percussio.

Dices, Contraria non possunt esse in eodem: atqui bonum & malum sunt contraria.

Respondeo, Non posse esse in eodem respectu eiusdem, sed bene respectu diuersorum, sicut simile, dissimile, æquale, inæquale: bonum enim & malum dicunt relationem sicut simile & dissimile, quod enim vni bonum, est alteri malum. Adde, bonitatem & malitiam non esse in actu exteriore intrinsece vel immediate, sed solùm per denominationem extrinsecam, à diuersis actibus interioribus.

Dico Secundo, In altero casu probabilius vi-

31

Idem actus exterior pendens ab vna voluntate, mediante duplici intentione vna bona, altera mala eſt abſolute malus.

detur, idem opus externum non eſſe ſimul bonum & malum, ſed abſolute malum.

Probatur, Quia vt actus dicatur bonus, nihil debet habere mali reſpectu ſubiecti cui bonus dicitur: Bonum enim eſt ex integra cauſa. Atqui talis actus exterior habet aliquid mali, ſcilicet quod procedat ex intentione vanæ gloriæ in eadem voluntate: ergo non eſt bonus.

Dices, Iſte actus procedit etiam ex bona intentione.

Reſpondeo, Hinc tantum ſequi eſſe bonum ſecundum quid, ſeu vt præciſe ab illa intentione pendet, non autem eſſe bonum abſolutè. Et ratio eſt quia bona intentio interior, non poteſt opus externum facere ſimpliciter bonum, reſpectu operantis, ſi ipſe operans vel per negligentiam vel per prauam aliam intentionem illam contaminet: Nam hoc ipſo veluti maculam contrahit, quæ impedit ne bona intentio ipſum abſolutè bonum & pulchrum reddat. Secùs res habet quando opus à diuerſis voluntatibus procedit, tunc enim is qui facit opus bona intentione, non apponit ei labem per malam intentionem, vti ſupponimus.

Hinc ſequitur, idem opus externum non eſſe ſimul meritorium & demeritorium, quia etſi in bona intentione ſit meritum hoc tamē non poteſt operi externo communicari, eo quòd per infectionem quam trahit à mala intentione, reddatur incapax

72 Contrariū tamen eſt probabile.

Dixi, *eſſe probabilius*, quia contrarium etiam eſt probabile, vt docet Almainus tract. 1. Moral. cap. 12. Adam in fine 2. Sent. dub. vlt. Medina hoc loco, & alii quidam. Ratio eſt, eſt quia opus externum procedens ex duabus intentionibus, etſi phyſice ſit vnum, tamen moraliter eſt duplex vt pote duplici intentione informatum, & ita meritum videri non debet, ſi ſimul ſit bonum & malum, meritorium & demeritorium, præſertim cùm hæc ſolùm per denominationē extrinſecam conueniat.

Probabile eſt idem opus externum vt ſubeſt diuerſis intentionibus, eſſe ſimul bonū & malum veniale.

Dices: ergo idem in eodem opere poterit ſimul mereri vitam æternam, & damnationem.

Reſpondeo. Negando conſequentiam. Repugnat enim vt hæc ſimul fiant, non ſolum eodem actu; ſed etiam diuerſis, quia repugnat vt idem ſubiectum operans ſit dignum vita eterna, & morte æterna. At non repugnat vt idem operans dignus ſit vita æterna & pœna temporali, vt ſit in ſtatu gratiæ, & peccati venialis. Nihil ergo incommodi, ſi concedamus hominem eodem opere externo, propter diuerſas intentiones mereri ſimul vitam æternam, & peccare venialiter: Hoc enim meritum immediate conuenit intentionibus, mediate vero & extrinſeca denominatione operibus externis.

73 Idem actus externus poteſt ſucceſſiuè eſſe bonus & malus.

Dico Tertio, Idem opus externum poteſt ſucceſſiuè eſſe bonum, & malum, meritorium vitæ æternæ, & mortis æternæ. Eſt communis ſententia Doctorum.

Probatur Primo, Quia quæuis externa operatio ſucceſſiua, poteſt inchoari bona intentione, & ſic erit meritoria, & paulo poſt continuari mala intentione, & tunc incipit eſſe de meritoria: erit tamen vna & eadem actio continua, quamuis ſecundum aliam partem futura ſit bona, ſecundum altam, mala.

Secundo, Idem probatur de actione indiuiſibili, quæ non habet partem poſt partem, quia fieri poteſt vt eadem conſideratio intellectus, imaginationis, oculorum, primo fiat bona intentione, deinde mala intentione continuetur, nulla facta mutatione in ipſa conſideratione: Vt ſi cogites de materia turpi, initio quidem animo iuuandi proximi, poſteà animo te oblectandi.

DVBIVM. II.

Vtrum idem actus internus poſſit eſſe ſimul bonus & malus?

74 Quidam Pariſienſes affirmant.

QVidam Pariſienſes affirmant teſte Almaino, tract. 1. c. 12. Et probant Primo, Et voluntate mentiendi obſtetricum ad ſaluandos infantes Hebræorum. Exodi 1. Secundò, Quia poteſt aliquid eligi ad duos fines, alterū bonum, alterum prauum: atqui talis electio ſimul eſt bona & mala. Tertio, quia poteſt quis velle temperate comedere, eo tempore, quod eſt cōtra votum: atqui hæc voluntas videtur bona, quia tendit in bonum temperantiæ, & praua, quia eſt contra votum.

Negatur

Reſpondeo, fieri nullo modo poſſe vt idem numero actus interior voluntatis ſimul ſit bonus & malus, meritorius & demeritorius. Eſt communis ſententia Doctorum, & probat Gregorius in 2. d. 28. & Almainus ſuprà.

Probatur Primo, Quia actus interior non dicitur bonus vel malus denominatione extrinſeca ab alio actu, ſicut exterior: ſed per ſe & immediate: atqui fieri nequit, vt per ſe ſit conformis rectæ rationi, & ſimul eidem repugnet: ergo &c.

Secundò, Vt actus interior ſecundum ſe ſit bonus, oportet vt nihil habeat mali: implicat ergo vt ſecundum ſe ſit bonus & malus.

75 Reſponſio ad argumenta.

Ad primam rationem. In obſtetricibus illis erat duplex voluntas, ſcilicet ſaluandi infantes, quæ voluntas proficiſcebatur ex timore Dei, & erat bona: eamque Dominus mercede temporali compenſauit: & mentiendi, vt euaderent pœnam violatæ iuſſionis regiæ: hæc fortaſſis erat mala.

Probabile eſt, obſtetrices non peccaſſe mentiendo Exod. 1.

Dico fortaſſis, quia probabile eſt, illas mentiendo non peccaſſe, quod putarent errore inculpato id eſſe licitum in tam graui cauſa. Quod etiam in Rahab, Iudith, multiſque aliis veteris Teſtamenti videtur locum habuiſſe. Si enim viri doctiſſimi putarunt aliquando eſſe licitum mentiri, quando facilius id homines ſimplices abſque culpa exiſtimare potuerunt.

Ad ſecundam rationem. Dum aliquid ob duos fines ſeorſim eligitur, eſt duplex electio: altera bona, & altera mala, vt patet ex dictis q. 11. a. 3.

Ad tertiam rationem, Illa voluntas temperate comedendi, eſt praua, quia eſt contra votum, nec vllo modo eſt bona, cum per ſe & immediate mala ſit. Neque verum eſt, eam tendere in obiectum honeſtum, quia opus externum cum ſuis circumſtantiis non eſt honeſtum: & quamuis omnes poſitiuæ circunſtantiæ virtutis temperantiæ adſint, hoc tamen ſatis non eſt ad bonum temperantiæ requiritur enim vt non adſit etiam vlla circumſtantia contra aliam virtutem, quæ bonum temperantiæ in opere impediat. Et ratio eſt, quia omne opus virtutis debet eò modo quo fit in re, eſſe conſentaneum rectæ rationi. Vnde omnis circunſtantia quæ facit, vt opus ſit contra rectam rationem, ad quodcumque illa vitium pertineat, facit vt non ſit opus virtutis, ſed vitii.

Digitized by Google

DVBIVM III.

Vtrum idem actus interior voluntatis possit successiuè esse bonus & malus?

16 Durandus affirmat.

DVrandus in 1. d. 40 q. 2. num. 4 affirmat. Adfert exemplum in eo qui vult celebrare Missam, & continuat illam volitionem superueniente interdicto: hæc enim volitio ante interdictum, est bona, post interdictum, est mala. Idem docet Caiet. hic loco, & Medina suprà, qu. 19. art. 1. Et quæst. 18 art. 9. ait, *Certissimum est, quod omnis Bona operatio, etiam dilectio Dei, potest esse mala per appositionem alicuius circumstantiæ.* Idem docet Maior in 3. dist. 17. quæst. 3 de omni actu bono: putat enim, Deum posse prohibere etiam ipsum amorem Dei, & ita amorem Dei posse fieri malum.

Caiet. Medina. Maior.

Respondeo & Dico Primò Verius omnino, esse, eumdem actum interiorem voluntatis non posse successiuè esse bonum & malum formaliter. Ita Occ. in 2. qu. 10 & 11. Gabriel in 2. d. 22. qu. 1. art. 1. cor. 2. Conradus in hunc art. quod probat ex D. Thoma.

Idem actus internus voluntatis non potest successiuè esse bonus & malus. Occam, Gabriel. Conrad.

Probatur Primò, Quia si actus virtutis posset esse malus possemus virtute malè uti; Nam virtus esset principium eliciens prauæ operationis; atqui virtus talis est naturæ, vt nemo ea malè uti possit: vt docet D. Thomas infrà qu. 56 art. 4. ex D. Augustino, & consentiunt passim Theologi, & Philosophi.

17 Deus sic esset causa multorum peccatorũ. Trident.

Secundò, Sequeretur Deum auxilio speciali gratiæ, & virtutibus infusis ad actus peccatorum cooperari: imò propriè esse causam multorum peccatorum, & ad ea excitare; sicuti propriè est causa operum bonorum, & ad ea excitat. Quæ omnia à veritate sunt aliena, & repugnant Concilio Trid. sess. 6. c. 6.

Hoc sequi probatur Primò, Quia si ille actus manet idem specie & numero, nec accipit illam intrinsecam mutationem [vt supponimus:] ergo quando erit malus, pendebit ab iisdem causis, à quibus pendebat initio, cùm esset bonus: atqui initio pendebat ab auxilio diuino tamquam à propria causa: ergo & postea pendebit ab eodem auxilio. Secundò, Quia si potest initio elici bonus & postea fieri malus, etiam potest initio elici malus & postea fieri bonus, vt manifestè patet exemplo Durandi: potest enim quis velle celebrare tempore interdicti, & continuare illam voluntatem interdicto reuocato: atqui tunc Deus per auxilium gratiæ non minùs est causa illius actus, quàm si esset bonus [est enim actus supernaturalis:] ergo non minùs propriè erit causa actus mali quàm boni.

18 Prob. à Priori.

Tertiò Probatur à priori. Obiectum tribuens speciem bonæ volitioni, est bonum honestum, non quouis modo, sed prudenti iudicio propositum: ergo si hæc propositio mutetur, & desinat esse prudens, non manebit idem specie actus. Patet consequentia, quia mutato obiecto vel propositione necessaria, mutatur actus. Antecedens probatur, quia alioqui si quis imprudenter & ex ignorantia crassa vel affectata iudicaret aliquid esse honestum Deoque gratum, illudque vellet, illa volitio esset eiusdem speciei, atque volitio eius, quod vere honestum est. Et ita zelus ille Iudæorum, quo zelabant pro lege sua, persequentes Christum & Apostolos, esset eiusdem omnino speciei & virtutis cuius est zelus Catholicorũ in hæreticos & blasphemos, & consequenter esset

Differentia inter zelum Iudæorum in Christũ, & Catholicorum in hæreticos.

actus charitatis vel religionis, quod plane falsum est. Confirmatur, quia actus charitatis habet suam speciem ab obiecto non nude considerato, sed vt ab intellectu proponitur & applicatur: atqui longe aliter applicatur iudicio prudenti, aliter imprudenti [iudicium enim prudens est euidens & certum, imprudens est obscurum & incertum:] ergo hæc iudicia efficiunt diuersitatem specificam in actibus voluntatis.

Dices, hanc sententiam non habere locum in actibus supernaturalibus, sed solùm in naturalibus.

Sed contrà. Primò, Hoc est contrà mentem illorum auctorũ: non enim ponunt exemplum in voluntate celebrandi sacri, quę voluntas est actus supernaturalis religionis. Secundò, Ratio cur putent eũdem actum naturalem successiue esse posse bonum & malum, etiam locum habet in actu supernaturali: sicut enim honestum naturale potest initio proponi prudenter, postea mutata circumstantia imprudenter, ita etiam honestum supernaturale, neque vllum hac in re videtur esse discrimen inter actus naturales & supernaturales; & tamen hoc est eorum fundamentum, cur putent eamdem voluntatem posse successiue esse bonam & malam.

19 Responsio ad exemplũ Durandi.

Ad exemplum Durandi, Respondeo, Voluntas celebrandi ante tempus interdicti, est per se & intrinsece bona, id est, conformis rectæ rationi, quia tendit in obiectum honestum prudenter propositum, quod est, celebrare hoc tempore, quo nulla est interdicti suspicio: quando autem superuenit interdictum, tunc is qui volebat celebrare, vel illud aliquo modo nouit, vel non nouit. Si nullo modo nouit voluntas eius continuata manet bona: si verò aliquo modo nouit, ita vt habeat saltem rationem de eo dubitandi, non potest illa prior voluntas eadem numero continuari: quia etsi possit persistere in volendo eodem opere quod ante volebat, tamen ratio volendi non est eadem, quæ erat ante: si enim dubitat an sit interdictum, non potest iudicare esse bonum & Deo gratum, vt celebret, ac proinde non potest ob hanc causam velle celebrare; vnde non potest prior voluntas continuari.

Dices, Potest illud dubium reiicere.

Respondeo, Non potest prudenter reiicere, ac proinde non poterit prudenter iudicare esse bonum tunc celebrare. Iudicium igitur necessariò mutatur ex prudenti, in imprudens, ex euidenti & certo, in obscurum & incertum: vnde non est mirum, si etiam volitio mutetur, quamuis eadem esse videatur, nam vitia sæpe virtutibus sunt similia.

Dices, Secundò, Non est opus iudicio quo iudicet esse honestum tunc celebrare, sufficit enim apprehensio, qua illud instar honesti apprehendat.

Respondeo Negando sufficere apprehensionem, nisi implicite includat iudicium prudens. Alioquin Iudæi apprehendentes animo occisionem Apostolorum esse Deo gratam, potuissent illam velle vero actu supernaturali charitatis aut religionis: quòd constat esse falsum.

40 Responsio ad argumẽtum Maioris.

Ad rationem Maioris Nullo modo potest Deus amorem sui prohibere. Primò, Quia quòd homo suppositâ naturæ humanæ existentia teneatur Deum diligere, non pendet ex libera Dei voluntate, sed ex ipsa essentiali conditione naturæ humanæ, & excellentiæ diuinæ, quatenus obiectiue prior est omni voluntate libera: ergo non potest vllo modo tolli per voluntatem Dei libe-

ram. Conſequentia patet, quia quod nullo modo à libera Dei voluntate pendet, non poteſt per eam tolli. Secundò, ſi prohiberet ſui amorem, eſſet ſibi contrarius; adimeret enim ſibi dignitatem ſummi boni, ſicut ſi vetaret ne quis ipſi crederet, adimeret ſibi laudem primæ veritatis.

Aliquando illicitum eſt excitare in ſe amorem Dei.

Aduerte tamen, fieri poſſe aliquo caſu, vt homini non liceat intendere amori diuino in ſe excitando; vt ſi per hoc negligeretur aliquod opus præceptum: vt ſi eſſet aliquis moriturus ſine confeſſione, vel ſufficienti fidei inſtructione. Verùm tunc, ſi quis vellet amare, neglecto illo opere, nõ eſſet verus amor Dei ſuper omnia; quia hic includit omnium præceptorum obſeruationem, neque poteſt cum peccato mortali, quod tunc committitur, conſiſtere; ſed eſſet affectus amori ſimilis.

4ª Idem actus interior poteſt ſucceſſiuè eſſe indifferens & malus, non tamen bonus.

Dico Secundò, Idem tamen actus interior voluntatis poteſt eſſe indifferens & malus ſucceſſiuè, Vt ſi quis feria quinta ſub horam duodecimam noctis velit comedere carnes ob delectationem vel naturæ commodum, & continuet hanc voluntatem poſt duodecimam ob eumdem finem. Hæc voluntas ante duodecimam, erit indifferens, poſt duodecimam erit mala. Poſſe autem hanc voluntatem continuari eamdem numero, patet, quia eſt idem obiectum, & eadem ratio appetendi ante & poſt duodecimam. Confirmatur, quia idem obiectum poteſt fieri ex indifferenti malum, ſine vlla ſui mutatione, ſolo temporis lapſu adducentis prohibitionem, manente eadem ratione appetendi.

4ª

Dico Tertiò, Idem actus interior ex indifferenti non poteſt fieri bonus ſucceſſiuè. Ratio eſt, quia etſi poſſit eſſe idem obiectum materiale voluntatis indifferentis & voluntatis bonæ, tamen non poteſt eſſe eadem ratio volendi: nam ratio volendi in voluntate bona, eſt honeſtum, in voluntate indifferenti, eſt delectabile vel commodum naturæ. Poteſt tamen eſſe Idem obiectum & eadem ratio volendi, in voluntate indifferenti & in voluntate praua, vt patet ex dictis: quia ratio volendi in voluntate praua, poteſt eſſe aliquod bonum per ſe indifferens.

QVÆSTIO XXI.

De his quę conſequuntur actus humanos, quatenus boni ſunt vel mali.

Sex affectiones. Actus humanorum

AGit D. Thomas hac quęſtione de ſex veluti affectionibus, quæ conſequuntur actus humanos, quatenus boni vel mali ſunt: quæ ſunt, *rectum, peccatum, laudabile, culpabile, meritorium, demeritorium.*

Vt autem intelligatur quomodo hæc poſſint diſtingui, Notandum eſt, *bonum* & *rectum, malum* & *peccatum*, parum differre: Nam paſſim pro eodem à Patribus & Doctoribus vſurpantur.

Quis *Actus bonus & malus.

Videntur autè hoc modo poſſe optimè diſtingui, vt actus dicatur *Bonus*, quatenus eſt conſentaneus naturæ rationali. *Malus*, quatenus eidem naturæ eſt diſſentaneus. *Bonum* enim & *malum* dicunt ordinem ad aliquod ſubiectum, cui aliquid commodi vel incommodi adferant.

Quis rectus & Peccatũ

Rectus verò, quatenus eſt conformis ſuæ regulæ, ſiue hæc ſit ratio recta, ſiue lex æterna. *Peccatum* autem quatenus aberrat à ſua regula. Quod confirmatur à ſimili in artibus. Dicitur enim quis *recte operari*, ſi iuxta præſcriptum & regulam artis operetur: *peccare* verò dicitur *in operando*, ſi à præſcripto artis diſcedat. Vnde D. Auguſtinus & Ambroſius definiunt peccatum ex ordine ad legem diuinam, vt infrà patebit.

Quis laudabilis & culpabilis.

Dicitur *laudabilis*, quatenus eſt bonum liberum. *Culpabile*, quatenus eſt malum liberum. Itaque *laudabile* & *culpabile* ſupra rationem *boni* & *mali, recti* & *peccati*, includunt libertatem, quam illarum ratio generatim conſiderata non includit, ſed ſolùm ſi conſideretur quatenus formaliter habet eſſe morale.

Quis meritorius & demeritorius.

Denique dicitur *Meritorium*, ſi fiat incommodum vel obſequium alterius. Ideò enim opus meretur aliquod præmium ab aliquo, quia cedit in ipſius commodum vel obſequium: hinc enim fit, vt ille vel ex iuſtitia, vel certè ex gratitudine aut fidelitate teneatur compenſare. *Demeritorium* dicitur, quatenus in alterius cedit iniuriam ſeu offenſionem. Itaque ratio *meriti* & *demeriti* aliquid addit ſupra rationem *boni* & *mali laudabilis* & *vituperabilis*, ſcilicet, quòd fiat in commodum vel incommodum alterius.

FINIS.

Digitized by Google

R. P.

LEONARDI LESSII
AVCTVARIVM ad 1. 2.
COMPLECTENS

VARIORVM CASVVM CONSCIENTIÆ
Resolutiones.

PROLOCVTIO AD LECTOREM.

Lara, breuis, & distincta illa methodus, qua perplexam de Conscientia *materiam,* Auctor noster, *ad quæstionem XIX. superiore libro complexus est, me excitauit, vt hic nonnullas è multis* Casuum conscientiæ resolutiones AVCTARII *in modum adjcerem, quas ipse iam inde ab anno præcedentis sæculi millesimi quingentesimi nonagesimo quarto, vsque ad annum nunc currentis vigesimum tertium, vitæ suæ postremum, è variis mundi regionibus consultus, in aduersariis annotauit. Scio quidem hæc omnia festinanter, & prima, vt aiunt, manu, ab homine plurimis negotiis distracto, valetudine infirma, vrgentibus responsum nuntiis conscripta, non ea mente vt lucem aliquando viderent, sed vt perplexis mentibus affusas tenebras dissiparent. Vnde præmonitum Lectorem velim, ne hic* Viuum Lessivm *in* posthumo *requirat: sed vel hinc gratum laborem meum habeat quòd* De tanti viri laboribus (*verba sunt Reuerendi admodum* P. N. MVTII VITELLESCI *Societatis nostræ Præpositi Generalis*) quàm minimum perire patiar. *Vt verò compendio tuo seruirem, totam hanc materiam à* LESSIO, *vt fors & tempus obtulerant, absq; ordine, plerumque etiam sine interrogatione conscriptam, per verba ordine alphabetico digessi, quò cuiusque responsi breuior clariorque vtilitas ad te perueniat; & ne, quod de Sibyllinis oraculis Poeta canit, hæc* Rapidis fiant ludibria ventis. *Tu affectum benignè consule.*

ABSOLVTIO.

CASVS I.

Absolutio absque signo doloris.

Titius inopinatò incidit in articulum mortis, adeò vt nullum tunc signum doloris vel contritionis dare possit: nec verò anteà vllam dedit significationem, eò quod vis morbi subitò vsum rationis impedierit.

QVÆRITVR,

An liceat ei beneficium Sacramentalis absolutionis impendere?

Digitized by Google

HOc licitum eſſe, videtur probari poſſe. Primò, Auctoritate Cordubæ quæſt. 26. de Indulgent. vbi id docet. Secundò, Quia in tali caſu licitum eſt ei impendere Sacramentum extremæ-Vnctionis, & Euchariſtiæ, & beneficium abſolutionis à cenſuris; vt patet ex praxi Eccleſiæ, & communi ſententia Doctorum. Cur non etiam à peccatis? Tertiò, Quia parum videtur referre vtrùm edat ſigna contritionis in genere, an non; cùm huiuſmodi ſigna non ſint confeſſio peccatorum. Si ergo abſolutio poteſt dari editis ſignis contritionis, poterit etiam dari non editis, quando putatur infirmus eſſe in ſtatu idoneo.

2 Sententia negatiua tenenda.

His tamen nõ obſtantibus, omnino tenendum videtur contrarium. Primò: Quia ſolus Cordoba id docet, idque nulla allata ratione, & obiter duntaxat, his verbis: *Abſoluat eum à cenſuris ſi quibus ligatus teneatur & etiam dicat: Abſoluo te à peccatis: valeat quod valere poteſt.* Hęc ille. Ceteri Auctores vel docent non poſſe dari abſolutionem Sacramentalem, etiamſi adſint ſigna contritionis, niſi aliquid in particulari poſſis confiteri: vt Sotus, Canus, Nauarrus: vel certè requirunt ſigna contritionis; vt Ioannes Medina, & alii recentiores.

Secundò: Quia de eſſentia Sacramenti Pœnitentiæ ſunt actus pœnitentis; vt colligitur ex Cõcilio Florentino in inſtructione Armenorum; & Trident. ſeſſ. 14. cap. 3. & can. 4. Atqui hic nullus eſt actus pœnitentis: ergo non poteſt hic eſſe Sacramentum Pœnitentiæ: ergo neq; ſacramentalis abſolutio.

Tertiò, Si abſolutio eſſet valida abſque vllo actu pœnitentis, totum Sacramẽtum eſſentialiter conſiſteret in actu abſolutionis, quod eſt contra communem ſententiam Doctorum, exceptis paucis, & videtur eſſe contra Concilium Florentin. & Tridentinum locis citatis. Neque ſolùm conſiſteret in abſolutione, ſed etiam non opponeret neceſſariò actus pœnitentis; quod eſt contra omnes Doctores.

3 Reſponſio ad argumẽta contraria.

Ad Argumenta contrariæ ſententiæ. Ad primum, Patet ex dictis. Ad ſecundum, Eſt diſparratio: nam Sacramentum extremæ Vnctionis & Euchariſtiæ non neceſſariò poſtulat vllum actum ſuſcipientis. Similiter neque abſolutio ab excõmunicatione, quia etiam inuito dari poteſt. Ad tertium, Ad rationem Sacramenti Pœnitentiæ ſufficit generalis confeſſio quando particularis præſtari non poteſt. Generalis autem confeſſio fit quouis ſigno externo quo quis ſignificat ſe peccaſſe, vel eſſe peccatorem in ordine ad abſolutionem Sacerdotis. Qui autem nullum poteſt ſignum edere, nec ante edidit in ordine ad abſolutionem obtinendam, quo ſignificet ſe peccatorem, nullo modo generaliter confitetur, vnde non poteſt abſolui.

4 Notabile.

Aduertendum tamen eſt, ſi quis dum ſanus eſt, aliquod peccatum confiteretur, vt obtineat abſolutionem Sacerdotis quando iam eſt expiraturus, is verè abſolueretur, etiamſi nec ante, nec in morte aliud contritionis ſignum daret.

CASVS II.

Abſolutio à reſeruatis.

Verum Parochus poſſit abſoluere à quouis caſu reſeruato infirmum, ad cuius confeſſionem audiendam vocatus eſt, etiamſi non ſit ita ſalutis deſperata, quin alius haberi poſſit?

REſpondeo, Non eſſe dubitandum quin poſſit, modò tanta ſit infirmitas, vt videatur eſſe in periculo mortis. Ratio eſt, quia Concilium Trident. ſeſſ. 14. c. 7. expreſſe ait, *In Eccleſia Dei cuſtoditum ſemper fuit, vt nulla ſit reſeruatio in articulo mortis.* Quod ſi tunc nulla eſt reſeruatio: ergo Parochus poteſt abſoluere ab omnibus: quia parem quo ad omnia habet iuriſdictionem. [Suppono autem iuxta variorum ſententiam inter articulum mortis, & periculum mortis, non eſſe faciendam hic diſtinctionem, vt plerique Doctores docent cum Nauarro.]

Neque dici poteſt Concilium intelligi *nullam in articulo mortis eſſe reſeruationem*, niſi, videlicet, poſſit haberi aliquis, qui iure ordinario vel delegato poſſit ab illis abſoluere: quia violenta eſt hęc reſtrictio, & contra vim verborum: nam dicit abſolutè, *In articulo mortis nullam eſſe reſeruationem, & ideo omnes Sacerdotes quoſlibet pœnitentes tunc poſſe abſoluere ab omnibus caſibus & cenſuris.* Vbi Concilium non limitat, quando non adeſt Superior vel alius habens poteſtatem, ſed generaliter indulget vt omnes poſſint, ne quis infirmus ob reſeruationem pereat.

7 Poteſt quiliber Sacerdos tunc præferri ſuperiori.

Vnde etſi deceat vt in abſolutione reſeruatorum Superior præferatur inferiori, & proprius alieno non habenti aliàs poteſtatem, tamen non eſt neceſſarium: ſed poteſt pœnitens tunc eligere quemuis idoneum prout ſibi magis expediẽs viſum fuerit: ſicut qui habet Bullam vel priuilegium eligendi Confeſſorem, qui ipſum ab omnibus abſoluat. Vt docet Henriquez lib. 3. c. vndec.

8 Maxime Parochus.

Et ſanè quin Parochum ſuum poſſit eligere prætermiſſo priuilegiato, nullo modo eſt dubitandum: quia Parochus proprie & ex officio obligatur tunc maxime ei omnia ſacramenta ſaluti opportuna miniſtrare. Vnde etſi priuilegiatus tunc haberi poſſit, non tamen eſt dubitandũ quin Concilii mens ſit, vt etiam Parochus tunc omnem poteſtatem habeat. Plura adferri poſſent, ſed nulla mihi videtur ratio dubitandi.

CASVS III.

Abſolutio à reſeruatis.

Vtrùm reſeruatio tollatur ſi irrita ſit confeſſio defectu doloris? & quomodo oblitorum reſeruatio tollatur.

REſpondeo Confeſſarius abſoluens eum qui confitetur reſeruata, tollit reſeruationem, etiamſi confeſſio ob defectum contritionis irrita fuerit. Oblitorum autem reſeruatio non tollitur, niſi pœnitens eo fine confeſſionem illam inſtituerit, vt ſe ab omnibus reſeruatis, atque adeò ab omni onere peccatorum liberaret, ad plenam tranquillitatem conſequendam, idque Confeſſario indicauerit. Hoc enim caſu valde probabile eſt Confeſſarium tollere omnem reſeruationem. Qua de re videndus Suarez diſp. 31. n. 15. & ſequent.

CASVS IV.

Abſolutio à reſeruatis.

Incidit quidam in caſum Epiſcopo reſeruatum quem in Confeſſione exponit.

Quæritur I. *An aliqua ratione abſolui poſſit à Parocho?*

Quæritur II. *An ab eo abſolutus, poſſit communicare, vel celebrare.*

Google

REſpondeo *ad Primum*: Dupliciter poteſt fieri reſeruatio caſuum. Primò, Subſtractione iuriſdictionis. Secundò, imponendo ſolùm onus comparandi coram ſuperiore. Plerique Doctores ante Concilium Tridentinum intellexerunt eam fieri ſecundo modo. Itaque ſentiebant pœnitentem qui in caſum reſeruatum incidiſſet, non ſolùm in neceſſitate, ſed ordinariè quando non patebat commodè acceſſus ad Superiorem, poſſe abſolui à Parocho ſuo, cum onere poſteà prima opportunitate ſe præſentandi Superiori, & ei caſum reſeruatum explicandi ſiue in confeſſione, ſiue extra, ſub ſigillo ſecreti, & acceptandi ſatisfactionem ab eo imponendam. Et ſanè hic modus ſufficiens eſt ad intentionem Eccleſiæ, & ad finem reſeruationis caſuum, eſtque alias commodior & vtilior ipſis pœnitentibus. Hanc ſententiam etiam poſt Concilium Tridentinum ſentio probabilem, ac proinde in caſu propoſito poſſe ſeruari; nimirum quando pœnitens poſt longam confeſſionem exponit aliquem caſum reſeruatum, & ægrè poſſet induci ad totam confeſſionem repetendam, & metueret fortè notari ab aliis, ſi tunc Superiorem adiret, eique confiteretur.

11 Addo Epiſcopum eiuſque Vicarium poſſe ſuis Parochis ſignificare ſe hoc modo reſeruationem caſuum intelligere & accipere, id enim eſt in eorum poteſtate; nempe vt hoc vel illo modo caſuum reſeruationem faciant: ac proinde quando pœnitentes cum huiuſmodi caſibus ad Parochos veniunt, poſſe abſolui, ſi non poſſunt tunc commodè induci vt Superiorem adeant, modò promittant ſe prima opportunitate Superiorem adituros, & caſum illum explicaturos: & ita ceſſat omnis difficultas.

12 Reſpõdeo *ad Secundum*. Qui abſolutus eſt cum onere ſolùm comparendi modo iam explicato, poteſt communicare & celebrare quoties occaſio ferret, etiamſi Superiori nondum ſe ſiterit; quia reuerà directè eſt abſolutus. At verò cùm quis abſolutus eſt indirectè tantùm, eò quòd caſus eſſet reſeruatus per iuriſdictionis ſubtractionem, maior eſt difficultas. Ac primùm, quando caſus eſt ſic reſeruatus, ſentio non poſſe pœnitentem abſolui ab inferiore, niſi cauſa aliqua grauis ſubſit; vt ſi abſque periculo infamiæ, vel nota & ſuſpicione criminis alicuius non poſſet tunc abſtinere à communione vel confeſſione, vt bene probat Suares diſputat. 31. ſect. 1. Poſtquam tamen ſic abſolutus eſt, & expectat commoditatem adeundi Superiorem, vt directe abſoluatur à reſeruatis, non requiritur tanta cauſa vt celebret, vel communicet. An autem ſola deuotio ſufficiat, dubitari poteſt. Probabile ſentio ſufficere, quia probabile eſt præceptum de præmittenda confeſſione non eſſe diuinum, ſed ſolùm Apoſtolicum, nec tanto rigore accipiendum. Deinde ille confeſſionem præmiſit qualem potuit, & abſolutionem obtinuit.

CASVS V.

Abſolutio à reſeruatis.

Gregorius xiii. *petente Philippo* ii. *tempore Ducis Parmenſis cùm ciuitates Belgij reducerentur ad obedientiam Regis, conceſſit Epiſcopis, vt facta huiuſmodi reductione, poſſint abſoluere ſubditos participes rebellionis à quibuſuis criminibus eidem Sedi Apoſtolicæ in Bulla Cœna Domini reſeruatis.*

Quæritur Primò, *Vtrum vt huius priuilegium poſſint abſoluere ſubditos ſuos participes illorum tumultuum & rebellionis, qui tamen non ſunt ſubditi ipſius Regis, ſed alterius Principis. Contingit enim Epiſcopum Belgicum habere iuriſdictionem ſpiritualem extra Belgium, verbi gratia, in locis Regi Gallia, vel Principi Leodienſi ſubiectis; ſicut patet in Archiepiſcopo Cameracenſi, cui ſubeſt Lobium in ditione Leodienſi, & multi pagi in Gallia.*

REs vtrimque videtur ſatis ambigua. Probabiliorem tamen iudico partem affirmantem. 13 Quia non videtur cõſentaneum Epiſcopis Belgij concedi poteſtatem abſoluendi ex ſuis ſubditis eos qui grauius longe peccauerunt, vt potè rebelles ſuo legitimo Principi, & reos læſæ maieſtatis, non autem eos, qui in eodem opere leuiùs peccauerunt, in quibus cooperatio ad bellum nec erat rebellio, nec crimẽ læſæ maieſtatis, ſed ſolùm bellum iniuſtum. Qui enim Regi non erant ſubditi, non fuerunt rebelles, nec crimen periurij, felloniæ, aut læſæ maieſtatis commiſerunt, etiamſi rebellibus ſe coniunxerint, iiſque militauerint. Itaque cenſendum eſt, Pontificem feciſſe poteſtatem indifferenter abſoluẽdi omnes ſubditos culpabiles, nulla facta exceptione. Nec obſtat quòd Rex Philippus de his non cogitauerit, nec pro his petierit, ſed ſolùm pro ſubditis ſuis, vt illis conſuleret. Primò, Quia etſi ipſe non petierit expreſsè, Pontificis tamẽ erat generatim cõcedere pro omnibus ſubditis Epiſcoporum, ob rationem dictã. Deinde, quia ſi Rex rogatus fuiſſet, valde credibile eſt quòd noluiſſet tales ab hoc beneficio excludi. Intendebat enim omnes allicere ad obedientiam & pacem. Denique, Principes ſuorum Epiſcoporum ſubditos non omnino reputant vt extraneos, etſi alteri Principi in temporalibus ſubſint. Hanc ſententiam, cùm valde probabilis ſit, iudico ſecuram in praxi. Idem cenſet P. Ægidius de Koninck.

Quæritur Secundò, *Vtrum illud priuilegium abſoluendi, ſolùm pertineat ad ea oppida, & eos ſubditos qui rebelles ſuo Principi fuerunt, vel rebellibus iuncti.*

REſpondeo, Exiſtimo illud priuilegium abſoluendi ſolum pertinere ad ea oppida, & 14 eos ſubditos qui rebelles ſuo Principi fuerunt, vel rebellibus iuncti, non autem ad ea, quæ ſemper in obedientia perſtiterunt. Finis enim petitionis Regiæ in his ceſſat, quia erat facilior reconciliatio cum Deo & ſuo Principe. Hoc dico, ſpectato eo ſcripto, quod ego legi. P. Ægidius tamen aſſerit ſibi exhibitum aliud ſcriptum ab Archiepiſcopo Cameracenſi Vander Burch cum adhuc ageret Mechliniæ, quo omnino videtur concedi hæc poteſtas pro omnibus ſubditis, abſque limitatione ad ciuitates reductas: cui hac in re credi poteſt.

CASVS VI.

Abſolutio à reſeruatis.

Vtrum reſeruatio caſuum poſſit tolli extra confeſſionem Sacramentalem?

REſpondeo, Habens poteſtatem delegatam, 15 non poteſt abſoluere à reſeruatione caſuum extra confeſſionem ſacramentalem: id enim ſolus Superior poteſt qui caſum reſeruauit, & eius ſucceſſor, & Superior. Si tamen reſeruatione eſſet ſolum ratione cenſuræ, vt in caſibus Pontificiis,

is qui potest tollere censuram, potest tollere reseruationem. Sed Confessarius habens solùm potestatem delegatam, non potest tollere censuras Pontificias extra confessionem sacramentalem.

Absolutio à reseruatis Papæ.

CASVS VII.

Vtrum crimen sit reseruatum, quod habet annexam excommunicationem Papalem?

16 Respondeo, Crimen habens annexam excommunicationem Papalem (si excommunicatio illa, seu lex pœnalis, qua excommunicatio infligitur, nullo modo est recepta quo ad pœnam) non manet reseruatum: cùm reseruatio Papalis non constet nisi ratione censuræ, vt communiter Doctores tradunt: adeoque de eo absolutio dari potest, tamquam de non reseruato.

Absolutio à Censuris.

CASVS VIII.

Vtrum Mendicantes qui habent potestatem absoluendi à Censuris in foro conscientiæ, possint id facere extra Sacramentum Pœnitentiæ?

Item, *An absolutus ab excommunicatione in foro interno, possit se exteriùs gerere tamquam non excommunicatum?*

17 Respondeo ad primum: Potestas absoluendi a censuris non est ita Mendicantibus religiosis concessa, vt non possint ea interdum vti extra Sacramentum Pœnitentiæ. Neque enim absoluere in foro interiori, idem est quod absoluere in foro Pœnitentiæ, sed absoluere ita vt non habeat necessariò vim in foro externo si lis moueatur: vt docet Emanuel Sà, & multi recentiores apud Henriq. lib. de Indulgent. capit. 13. num. 2. vt Victoria, Penna, Barthol. Medina, & alii.

Forum interius & forũ Pœnitentiæ quomodo differant.

18 Respondeo ad secundum, Qui absolutus est in foro interno [nisi fuerit nominatim denuntiatus] non tenetur se foris gerere tanquam excommunicatum, præsertim si constet illum sic absolutum. Neque id in Belgio tantùm locum habet, ob consuetudinem præscriptam, sed etiam in Italia & Hispania. Vbiq; enim possunt Religiosi Mendicantes absoluere etiam publicè excommunicatos à Iure vel ab homine generatim, modò denuntiati non sint nominatim. Et hoc illis valet ad publicè versandum cum hominibus, & ad diuina officia & Sacramenta frequentanda. Absolutio enim in foro interiori valet ad omnia, præterquam quando lis mouetur in iudicio Tunc enim Iudex secundùm Iuris rigorem posset non habere rationem huius absolutionis, eumque condemnare: tamen secundùm æquitatem deberet hæc absolutio etiam ibi valere, vt docet Henriq. c. 27. de Excommunicatione, & de Indulg. c. 13. vbi citat alios.

19 Non tamen existimo eum qui post absolutionem in foro interiori factam celebrauit, posse iure tanquam irregularem condemnari; quia hæc irregularitas non contrahitur sine culpa lethali, quæ hic præsumi non potest.

Itaq; celebrãs non potest condemnari, vt irregularis.

CASVS IX.

Absolutio à censuris.

Sixtus IV. Pontifex concessit cuidam Abbati priuilegium absoluendi Monachos sibi subditos ab omnibus censuris.

Quæritur, *Quinam hoc priuilegio gaudeant?* seu, *Ad quos priuilegium illud se extendat?*

20 Respondeo Primò, Ex priuilegio Sixti IV. Abbas ille potest absoluere Priorem, & omnes ac singulos Monachos sibi subiectos, ab omnibus censuris etiam Sedi Apostolicæ reseruatis. Et dispensare in omni irregularitate, præter eam quæ ex homicidio voluntario; ita vt etiam ad sacros Ordines promoueri possint, & in susceptis ministrare.

Absente vel non existente Abbate, hæc potestas deuoluitur ad Priorem.

Si Abbatem contingeret in censuram vel irregularitatem incidere, potest absolui & restitui à Priore.

Hæc absolutio & dispensatio solùm valet in foro conscientiæ: vnde in foro externo, si fortè causa ad illud forum deuoluteretur, non prodesset.

Nomine *Monachorum* intelliguntur Monachi vel coniunctim, vel seorsim: nomine *Personarum* singuli seorsim.

Hoc priuilegium etiam ad Nouitios extendendum: quia sunt participes priuilegiorum religionis, sicut religiosi: si tamen casus ante Nouitiatum non commissus. Tunc enim credibile est non posse vi huius priuilegij absolui, quia nondum Abbati subeuant, sed Episcopo: & priuilegium expressè agit de religiosis sub Abbate degentibus.

21 Respondeo Secundò, Hæc potestas cùm sit annexa officio Abbatis, est ordinaria; ac proinde potest denegari. Simili modo Prior absente vel non existente Abbate, potest eam delegare.

Absente Abbate & Priore, hæc potestas deuoluitur ad eum qui in locum eorum in gubernando monasterio succedit, siue is secundus Prior sit, siue tertius, siue alius; modò cum vera iurisdictione in absentia vel defectu aliorum præsit. Ac proinde hic quoque sublegare ad factũ aliquod particulare poterit.

Absolutio per delegationem.

CASVS X.

Ad caput 6. sess. 14. Concilii Tridentini quod sic habet: *Liceat Episcopis in Irregularitatibus omnibus & suspensionibus ex delicto occulto prouenientibus, exceptis ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare, & in quibuscumque casibus occultis, etiam Sedi Apostolicæ reseruatis, delinquentes quoscumque sibi subditos, in diœcesi sua per seipsos, aut Vicarium ad id specialiter deputandum, in foro conscientiæ gratis absoluere, imposita pœnitentia salutari. Idem & in hæresis crimine in eodem foro conscientiæ sic tantùm, non eorum Vicariis, sit permissum.*

Quæritur Primò, *An Episcopus possit delegare ad omnia quæ hoc Capite continentur? Et quis hic per Vicarium intelligatur?*

22 Respondeo, Episcopus potest quemuis idoneum delegare ad ea quæ ipsi hoc c. 6. sess. 24. conceduntur, excepta absolutione ab hæresi. Quia datur ei potestas ordinaria; quæ semper delegari potest, nisi expressè prohibeatur, sicut prohibetur in absolutione hæreseos. Idem satis patet ex ipsis Concilii verbis, dum ait, *Per seipsum, aut*

ed by Google

Vicarium ad id ſpecialiter deputandum : vbi tamen non excluditur Vicarius Generalis, nec Pœnitentiarius ; vt Congregatio Cardinalium reſpondit.

Quæritur Secundo, *An eandem poteſtatem delegandi habeat Capitulum, Sede Vacante?*

31 Reſpondeo, Eandem poteſtatem Sede vacante habet Capitulum. Vnde ſimiliter poteſt Vicarium ſpecialem deputare: quia ſuccedit Epiſcopo in omnibus quæ ſunt iuriſdictionis ordinariæ, exceptis caſibus in Iure expreſſis ; vt docet Nauarrus l. 1 Conſil. p. 50. nuſquam autem hi caſus in Iure excipiuntur.

Quæritur Tertiò, *Quam delegandi poteſtatem habeat Epiſcopi Vicarius?*

14 Reſpondeo Primò, Vicarius temporalis delegare non poteſt quia poteſtatem ordinariam non habet, ſed ſolùm delegatam, atqui delegatus non poteſt ſubdelegare.

Reſpondeo Secundò, Vicarius perpetuus delegare poteſt, quia ordinariam poteſtatem habet. Vide Silueſtrum Verbo *Vicarius* q 5.

Cæterum ad vitandos ſcrupulos, niſi conſtet de contrario, præſumendum eſt ſimiles Vicarios legitimè facere quæ faciunt. Solent enim Epiſcopi dare varias commiſſiones ſuas Vicarijs, quę eſſent inſpiciendæ.

CASVS XI.

Titius inculpatè ignorat ſuam excommunicationem. Delegatus ipſi poteſtas audiendi confeſſiones.

Abſolutio delegata excõmunicato.

Quæritur, *An hæc delegatio ſit valida?*

25 Reſpondeo, Valdè probabile eſt quando quis ignorat ſuam excommunicationem inculpatè, validè ipſi delegari poteſtatem audiendi confeſſiones ; ita vt ea hic & vti poſſit poſt abſolutionem abſque noua delegatione. Idem multò magis dicendum eſt de facultate legendi libros prohibitos tali excõmunicato collata. Certiſſimum autem eſt actus eius qui ſic accepit iuriſdictionem, eſſe validos.

BAPTISMVS.

CASVS I.

Baptiſmus ab hęretico collatus.

An liceat Infantem deferre ad Miniſtrum hæreticum, vt ab eo baptizetur?
Vel adſtare inſtar Patrini?
Vel in ereſſe cauſa honoris?
Vel dare nomen inſcribendum Miniſtro?
Vel ſuſcipere infantem per interpoſitam perſonam?
Vel in illo Baptiſmo admittere nomen Patrini?
Vel dare munuſculum ſeu eleemoſynam?

7 Reſpondeo, Non videtur quidquam iſtorum permittendum, Quia ſunt actus Religionis, quibus tacitè ſecundùm vſum populi Chriſtiani profitentur illos eſſe legitimos Eccleſiæ Miniſtros. Confirmatur, Quia ideò præcipitur, vt adeant Miniſtrum, & ab illo petant baptiſmum, vt hac ratione profiteantur illum eſſe verum Miniſtrum Eccleſiæ : ergo non eſt licitum parere. Sicut enim non licet parere dum aliquid præcipitur in odium Religionis veræ, ita neque dum præcipitur aliquid in confirmationem & profeſſionem religionis falſæ.

Vnde primò, Nefas eſt ſuis manibus infantem Miniſtro offerre. 2

Secundò, Adſtare inſtar Patrini; nam & hic approbat ſuo facto & honorat illud Miniſterium. Sed dices; Honorat baptiſmum, non officium Miniſtri. Reſpondeo, Imò vtrumque ſuo facto honorat, Non enim aditur Miniſter ob extremã neceſſitatem, ſicut laicus : ſed tamquam ordinarius & publicus Miniſter populi. Accedit, quòd patrinus illi cooperetur, infantem tenendo, & ſupponendo actioni Miniſtri.

Tertiò, Intereſſe cauſa honoris. Nimirum ſi adſtas, vt alii, externo habitu & geſtu honorem habens illi actioni. Secùs ſi comiteris cauſa honorandi infantem vel parentes, & baptiſmo non interſis : vel certè non vt alii ſpecie venerationis. Nec refert quòd rogati in genere à Miniſtro, an fateãtur hanc eſſe ſinceram doctrinam de baptiſmo, aliqui ex iſtis nihil reſpondeant : quia ſuo facto & honore exhibito id videntur fateri, & ſilentio illo id quodammodo confirmare, ſaltem alius videri poſſunt confirmare, & ita res non caret ſcandalo.

Quartò, Dare nomen inſcribendum miniſtro: hoc enim eſt conſentire in cooperationem cum Miniſtro ad baptiſmum, etiamſi exteriùs illa cooperatio non ſequatur.

Quintò, Suſcipere per interpoſitam perſonam : nimirum ſi intendat eſſe ſuſceptor in tali baptiſmo ; hoc enim eſt in illum baptiſmum conſentire.

Sextò, Admittere Nomen Patrini : intelligein illo baptiſmo. Secùs ſi in genere, non intendendo eſſe Patrinus in tali baptiſmo.

Septimò, In dando munuſculo ſeu eleemoſyna non eſt difficultas, modò non detur Miniſtro ſed infanti : eſt enim munus honorarium & politicum dari conſuetum, non eleemoſyna propriè.

CASVS II.

Rebaptizatio.

Verum Infans quem alter parentum vult à Miniſtro poſt aliquot menſes baptizari, poſſit ante à Catholico Sacerdote rite baptizari?

5 Reſpondeo, Expedire vt talis infans ante à Catholico Sacerdote ritu Eccleſiæ baptizetur. Alter enim parens ius habet vt ſic curet baptizari. Nec refert quòd ſecundò baptizabitur iuſſu alterius ; quia ad hoc alter permiſſiuè ſe habet.

CASVS III.

Inſtructio ad baptiſmum.

An valde rudes ante plenam inſtructionem non poſſint baptizari, ſi periculum ſit ne forte non redeant, poſito quod aliquis fide iubeat pro illis, quod curabit eos plenius inſtrui?

4 Reſpondeo, Si norunt ea quæ neceſſaria ſunt ad iuſtificationem, & doleant de peccatis cum propoſito emendationis ; poſſunt eo caſu baptizari. Sed oneranda conſcientia fideiuſſoris vt præſtet quod promiſit.

Digitized by Google

BELLVM.

CASVS I.

Fraus in numero militum.

Commiſſarius, Capitaneo id petente, annotauit plures militet, quam re vera ſub ſigno erant: hinc plus Capitaneo ſolutum, quàm ipſi debebatur.

Quæritur *Verum Capitaneum, an verò Commiſſarium Regi reſtituere debeat?*

1 REſpondeo, Commiſſarij obligationem pendere ad obligatione Capitanei, cui pecunia numerata: non enim tenetur niſi ſecundariò, & in ſubſidium ſeu defectum ipſius.

Capitaneus autem duplici ex capite excuſari poteſt: Vel quia ſtipendia ordinaria, iudicio bonorum & intelligentium, non ſufficiunt [quod tamen non facilè credēdum, cùm apud hoſtem ſufficiant minora:] & tunc poſſet ex furto illo ſupplere ad eam ſummam, quę iudicaretur ęquare liquo, quod ſuperat, reſtituto. Vel quia illa vtiliter in negotium Regis expendit, v g. ad iuuandos milites, qui defectu ſolutionis vel perirent miſeriis, vel fugerent vel ſeditionem mouerent: Tunc enim, quia negotium ſui Principis vtiliter geſſit, non tenetur; vt colligitur ex l. 2 ff. *De negotiis geſtis*; & ratio naturalis dictat. Aliud caput excuſationis eſſe poſſet, ſi Capitaneos remitteret Regi tantumdem ex iis quæ nomine iuſti ſtipendii ipſi debentur.

2 Si nihil horum ex parte rei interueniat, Commiſſarius tenetur de ſuo non ſolùm ad id, quod primò ſolutum eſt; ſed etiam ad id quod poſteà ſolutum eſt ex vi falſæ ſcripturæ, cuius ipſe auctor exitit.

CASVS II.

Militare ſtipendium.

Princeps aſſignat Militi ſtipendium decem aureorum in ſingulos menſes: Capitaneus qui militem conſcribit, paſciſcitur cum ſingulis de nouem aureis quia loco commodas ſuas diſpoſuit.

Quæritur, *An poſſit decimum illum aureum ſibi reſeruare.*

3 Si militis eſt, reſtituatur militi. REſpondeo, Decimum illum aureum eſſe vel Principis, vel militis. Si militis, ſi Princeps tanti taxauit meritum obſequium. Sicut enim reliquis rebus poteſt pretium legitimum imponere, ita etiam obſequio militum & famulorum: & eo caſu debetur militi. Hoc modo videtur Princeps hic facere. Nam non datur Capitaneo auctoritas vt pactum ineat, ſed vt militem conſcribat, cui non ipſe, ſed Princeps per alium miniſtrum ſatisfacit. Accidit, quòd Princeps in ſingula capita præparet decem aureos, eoſque accipit Commiſſarius vel Capitaneus diſtribuendos in miſites. Sicut ergo Oeconomus iniquè ageret, ſi pecuniam vel partem pecuniæ quam accepit ad ſoluendum operariis, ſibi retineret: ita etiam Capitaneus vel Commiſſarius retinens ſibi decimum illum aureum. Præterea militibus fit iniuria; nam non datur illis pretium legitimum ſui obſequii.

4 Si Principis (quod verius) reſtituatur Principi. Si Principis illa pecunia, ſi Princeps non aſſignauit veluti pretium legitimum obſequii, ſed tamquam id, quod dari poſſit: relicta tamen libertate paciſcendi minoris, ſi occaſio ſe offerat ex loci vel vrbis opportunitate: tunc enim ſi Capitaneus paciſcatur minoris, id quod ſupereſt, pertinet ad Principem. Sicut ſi Dominus det Oeconomo pecuniam vt operarios conducat, & ille cōducat minoris quàm dominus putabat conducendos, id quod ſupereſt, ad dominum pertinet. Valde credibile eſt Principem hoc modo aſſignare ſtipendium, præſertim oro militibus qui in locis commodis militant, vbi ad æquæſtus occaſiones ſe offerunt. Quia credibile eſt illum velle vt quam vtiliſſimo modo omnia adminiſtrentur. Et ſane, tali loco melius eſt habere nouem aureos, quàm alibi decem. Deinde, ſi princeps ſciret magnam ſummam tali modo retentam, ea ſibi vſurparet tamquam ſuam nec agnoſceret eſſe militis, cùm militi rationabiliter ſit ſatisfactum.

CASVS III.

Militare ſtipendium

Vtrum Capitanei poſſint aliquo artificio aliquid amplius accipere à Principe, quando ſtipendia non ſufficiunt?

1 officialibus & militibus debetur moderata ſuſtentatio. REſpondeo, Olim fuiſſe aſſignata ſtipendia, quæ illis temporibus ſufficiebāt ad officium militare decore præſtandum; quæ poſteà, vbi pecunia facta eſt vilior, & res cariores, non ſunt aucta iuſta proportione. Officia tamen militaria merentur ſuſtentationem moderatam, quodque in ſuo ordine. Nam ſi quis bene ea obire velit, non ſupperunt ei rationes & tempus aliter lucrandi. Itaque putarem Capitaneis & ſingulis militibus tantum deberi, quantum præciſe neceſſarium eſt ad ſuſtentationem moderatam & ad officium illud decore præſtandum. Quòd autem non tantum eis aſſignetur, in cauſa eſt, quia Principes norunt ſi amplius detur, fore augendum luxum; nam non ideò à fraudibus plerique abſtinebunt: & tandem ſtipendia fore tam magna vt non poſſint ſatis facere. Quia tamen norunt id quod dari ſolet ſufficere, & fere omnes variis artibus fraudare, videntur tacite conſentire & permittere, vt ita fiat. Vnde Princeps Parmenſis aliquando reſpondit Societatis IESV Patribus regia caſtra ſequentibus, non eſſe faciendum ſcrupulum Capitaneis, ob quinque vel ſex *pagas* minuetas, vt vocant.

6 Princeps videtur tacitè conſentire, vt hāc fraudem.

CASVS IV.

Pabulatio.

Vtrum Militibus, ceteriſque ſtipendiariis iuſta caſtra ſequentibus licita ſit Pabulatio?

7 In terra hoſtili. DIco Primò, pabulatio eſt licita in locis hoſtium ſtipendiariis omnibus iuſta caſtra ſequentibus, ſicut & aliis militibus; quia cùm ſeruiant Principi in exercitu, iure militum vtuntur in omnibus illis, in quibus ipſorum & militum eadem eſt ratio, qualis eſt pabulatio.

In locis amicorum ſubditorum Dico Secundò, pabulatio non videtur licita in locis amicorum ſubditorum Principi, ſi ſatis pabuli ad caſtra aduehatur, & poſſis tibi comparare etſi magno pretio: ſicut patet de carne, pane, & aliis eſculentis & poculentis. Quia nec auctoritas principis, nec naturæ ius ſuffragatur: qui duo tituli ſoli videtur poſſe tribuere poteſtatem in vindicanda re aliena.

8 In neceſſitate. Dico Tertiò, Si pabulum non aduehatur, nec poſſis comparare per inopiam, videtur licita pabulatio: quia eſt extrema vel grauis neceſſitas: quo caſu pabula debent cenſeri communia.

Tñe tamen facienda compēſatio In hoc tamen caſu ſi quis enormiter lædatur, facienda ei videtur cōpenſatio ab iis qui habent: ſicut paſſim DD. docent de rebus magni pretii ac-

Digitized by Google

ceptis in extrema necessitate. Si enim quando domini sunt præsentes, non audent accipere iis inuitis, & soluunt, cur non etiam teneatur absentibus?

Nec obstat quòd quando paucæ turmæ alicubi consident, fiat distributio per pagos & loca quæ pabula suppeditent, ac proinde cum hoc in exercitu iuncto fieri nequeat, videatur Princeps permittere liberam pabulationem. Primò, Quia ideò fortè non assignantur singulis turmis sua loca, quod tunc pabula aduehantur ad castra, sicut annona. Deinde, Quia etiamsi Princeps permitteret liberam pabulationem ob necessitatem, tamen nō cēseretur dare auctoritatē lædendi enormiter absque compensatione, sed proportione quadam: nam Princeps in oneribus subditorum tenetur seruare iustitiam distributiuam, quantū fieri potest. Quod si aliqui excedant modum, est præter voluntatem Principis, vnde cēsetur id relinquere conscientiis ipsorum, iuxta naturę leges, vt in multis aliis necesse est.

Similiter non obstat quod Prouincia, pro qua bellum geritur, debeat iuuare subsidiis quantum opus est ad belli finem: quia hoc non tribuit militi potestatem grauandi enormiter hunc pręillo: imo nec Principi, nec Magistratibus patriæ, quia in oneribus debet seruari iustitię distributiuę proportio, quæ hic facile seruari potest si Magistratus curent vt sumptu publico sufficiens pabulum aduehatur modico pretio; sicuti à prouido Principe & republica benè ordinata fieri & ordinari debet.

Dices, Ex consuetudine videtur hoc esse onus pærdiorum, quando bellum geritur pro bono Prouinciæ. Quæ consuetudo non videtur contra rationem; nam damnum potissimum in diuites redundat, quorum sunt ea prædia, respectu quorum non est enorme ordinari. Et meritò videntur hoc onus posse ferre, cùm ex prædiis magna quoque emolumenta aliis omnibus temporibus accipiant. Quod confirmatur. Quia ea vectigalia censetur iustissima quæ imponuntur rebus pretiosis, quibus diuites potissimum vtuntur, vt ipsi solt, quibus facile est perferre, sentiant hinc detrimenta.

Respondeo, Propter hanc rationem non ausim condemnare hanc sententiam, modo constet Principem fecisse potestatem libere vbiuis accipiendi sine compensatione, vel talis sit consuetudo legitime præscripta & ab omnibus passim vsurpata, vel sit recepta iam olim consuetudo, Principe permittente: & si qui pauperes graue damnum percipiant, eis fiat, re cognita, compensatio.

An autem Princeps hanc potestatem fecerit, est quęstio facti. Certè non videtur fecisse, dum permittit Magistratibus vti potestate ordinaria in huiusmodi pabulatores. Et consuetudo quoque talis nō videtur esse, præsertim apud probos: quia domino præsente non acciperent absque compēsatione, cur ergo absenti adimant?

BENEFICIVM.

CASVS I.

Institutio beneficiati.

An semper ius instituendi & electio eius qui instituendus est, pertineat ad Episcopum?

QVòd Archidiaconus sua auctoritate nō habeat ius instituendi, sed solum ex episcopi mandato, expresse definitū est ab Alexandro III. Cap. *Cum olim*, de Officio Archidiaconi. Vnde manifestum est cum Archidiaconus instituit aliquem in cura animarum, id eum non facere posse nisi Episcopi auctoritate, & ipsum Episcopū censeri illam institutionem facere, quia facit per Archidiaconum, tamquam per suum instrumētum. Itaque ius instituendi per se & propriè tunc residet in Episcopo, & ad eum pertinet qui iure proprio potest illum actum institutionis facere, sicut potest committere.

Ex quibus vlteriùs manifestè sequi videtur, electionem instituendi quando patronatus est Ecclesiasticus, pertinere ad patronum, non ad Episcopum, iuxta Concilium Tridentinum sess. 24. cap. 18. Quia institutio in casu proposito ad nullum alium proprio iure pertinet, quàm ad Episcopum. Episcopus enim illa commissione facta Archidiacono, non facit vt ius instituendi ad aliū, quàm ad seipsum pertineat, aut *vt institutio ab alio, quàm ab Episcopo facienda sit* vt Concilium requirit, quæ verba benè notanda sunt, quia aperiè requirunt vt ad alium proprio iure pertineat, sic vt Episcopus eam facere per se non possit. Accedit quòd alioquin Episcopus semper posset sibi reseruare electionem instituendi, & sic eludere ius patronorum, contra apertam Concilii dispositionem.

CASVS II.

Denominatio ad Beneficium ex priuilegio Vniuersitatis.

Titius ex denominatione Vniuersitatis N cuius Priuilegium requirit vt nominandus tempore vacationis beneficij habeat legitimam ætatem, accepit beneficium quod requirebat vt denominandus esset Sacerdos, cum Titius tunc solum egerit annum vigesimum tertium.

Quæritur, *An Titius fuerit capax denominationis ad illud beneficium?*

REspondeo breuiter, Cum ipsa Bulla Priuilegii Vniuersitatis expressè requirat, vt nominandus tempore vacationis beneficii ætatem legitimam attingat, quam beneficium tale requirit, & solùm concedat dilationem Ordinis illi annexi, non videtur dubitandum quin Titius fuerit incapax denominationis, quia tempore vacationis ætatem legitimam, quam beneficium postulabat, non attingebat: Beneficium enim ex sua fundatione requirebat vt denominandus iam esset ad Presbyterium promotus: ac proinde iure communi postulabat ætatem 25. annorum saltem inchoatorum: at denominatus solùm agebat annum 23.

Secus fortè esset si nullam ætatis mentionem fecisset. Nam cum ipsum beneficiū non postulet illā ætatem, nisi ratione Ordinis, adeo vt si adsit Ordo ante illam ætatem [vt si quis esset factus Sacerdos anno 21. ætatis] etiam adsit capacitas denominationis, hocipso quo dispensatur circa Ordinem, etiam dispensatum censetur circa ętatem. Accessorium enim sequitur suum principale, & sublato fine tollitur ratio mediorum. Hoc tamen in nostro casu locum non habet, quia expresse talis ætas requiritur. Vnde non se habet per modum accessorii.

CASVS II.

Beneficium collatum ab Episcopo solùm confirmato.

Postquam Episcopus sedi Apostolicæ præsentatus, ab eadem confirmatus est, vacat beneficium, ille hoc Titio confert ante captam possessionem sui Episcopatus.

Quæritur,

Quæritur, *An collatio illa per Regulas Cancellariæ Romanæ reddatur inualida?*

Regulæ illæ an obligent alias Prouincias

REspondeo, Probabile est Regulas Cancellariæ Romanę non obligare in externis prouinciis, nisi sint ibidem promulgatæ & receptæ. Primò, Quia id est probabile de aliis constitutionibus Pontificis & Conciliorum: cur non etiam de Regulis Cancellariæ. Antecedens docet Angelus V. *Lex*, n. 13. Sotus l. 1. de Iustitia, qu. 1. ar. 4. Caiet. & Barth. Medina 1. 2. q. 90. aliique recentiores non pauci.

Secundò, Quia istæ regulæ potius pertinent ad Iudices Cancellariæ & Rotę, vt secundum eas Romæ causas beneficiarias decidant, quàm ad totius orbis beneficiarios, ac proinde nō obligant eos ante sententiam Romæ latam. Quod confirmatur, Quia ante Ioannem XXII. nullæ erant Regulæ scriptæ secundum quas iudicaretur, sed solum consuetudo & praxis, teste Ludouico Gomez, in Regulas Cancellariæ, in principio: quod signum est eas non pertinuisse ad alias Prouincias. Quod ipsum etiam nomen Regulæ indicat. Dicuntur enim Regulæ Cancellariæ, quòd secundū eas Cācellaria Romana dirigi debeat. Quare non videntur alios Iudices Ecclesiasticos in conscientia obligare.

Tertio, Si istæ regulæ obligarēt in foro conscientiæ, deberent vbique extare, & curandum esset, vt in omnium Ecclesiarum & Capitulorum deuenirent notitiam, quod non fit. Item quando aliquæ vel reuocantur, vel ob non vsum obsolescunt, deberet idipsum omnibus innotescere.

Quarto, Leges reuocatoriæ priuilegiorū, iuxta communem sententiam, non obligant ante promulgationem in diœcesi, vt docet Sotus loco citato; idque ob incommoda quæ possunt euenire, etiam tunc quando quis bona fide suis priuilegiis vteretur. Ergo multo minus debet censeri reuocata potestas conferendi talis beneficij [de quo hîc superius quæritur] vacantis post confirmationem Episcopi; quandoquidem illa potestas non ex priuilegio competeret Episcopo confirmato, sed Iure communi: quod enim sic alicui competit, magis est proprium & intrinsecum, quàm id quod solum ex priuilegio competit: præsertim cum graue incommodum inde euenire possit; vt si quis titulo talis beneficii sit promotus ad ordines, idque absque vlla culpa Collatoris, vel eius cui facta est collatio. Neque credibile est mentem suæ Sanctitatis esse, vt quando Episcopus bona fide tale beneficium contulit, quod ante captam possessionem, post confirmationem tamen suam vacauit, Collatarius teneatur in cōscientia ante latam sententiam tale beneficium resignare: nimis enim id durum videtur, & non consentaneum humanitati Canonum.

Illa collatio non redditur inualida per hāc regulam Cācellariæ.

Collatarius nō tenetur istud beneficium resignare ante sententiam

7 Quinto, Omnes istæ reseruationes sunt odiosæ limitantes potestatem Episcoporum, quę ipsis Iure communi & ordinario inest, ac proinde sunt restringendæ, quantum commodè possunt. Quare cum hæc reseruatio, de qua hîc agitur, ita possit intelligi, vt non intendat obligare in conscientia ante sententiam, quid est cur eam sic non restringamus?

Sexto, Si Pontifex voluisset in omni tali euentu Episcopi collationem esse nullam, addidisset clausulam irritātem: atqui hoc non fecit. Poterit ergo Episcopi collatio censeri valida donec irritetur.

Denique, Hæc regula hactenus fuit ignorata in Cameracensi Episcopatu, & per decem saltem annos & amplius non recepta. Atqui obligatio legis nouæ expirat, iuxtà Nauarrum & alios Doctores, si decem primis annis recepta non fuerit. Hæc & similia faciunt hanc sententiam probabilem.

Beneficium diuersis collatum à Papa & Episcopo.

CASVS IV.

Pontifex non obstante concessione facta Ordinario de beneficiis conferendis, contulit Iulio beneficium, iam antè à Titio Episcopo loci Caio collatum.

Quæritur I. *Vter dicendus sit verus beneficiarius?*

Quæritur II. *Vtrum Caius se possit tueri beneficio Cap. Cum olim.*

SVppono Sixtum V. & Clementem VIII. summos Pontifices potuisse non obstante illa concessione in erectione Episcopatus facta, validè illam reseruationem beneficiorum facere; quia secundum communem sententiam, Papa in beneficialibus habet omnem potestatem. Vnde de iure vbique potest conferre concurrendo cum Ordinariis, & ipsos Ordinarios præuenire, reseruando sibi huius vel illius collationem, vt omnes Canonistæ docent. Verum si hæc regula Cancellariæ, seu lex quæ reseruatio ista facta est, decennio non fuit recepta, secundum probabilem sententiam non obligat: de qua vide Felinum in cap. 1. num. 12. *De Treuga & Pace*, vbi multos adducit Doctores; & Couarruuiam l. 2. variarum, cap. 16. n. 6. quem sequuntur multi recentiores.

Caius in conscientia tuto possidet hoc beneficium.

Itaque cum fuerit Titius in possessione conferendi; poterit Caius in conscientia beneficium retinere. Imo poterit se etiam in foro externo tueri ex cap. *Cum olim*, De causa possess. & Proprietatis.

In foro tamen externo maxima erit difficultas; præsertim si decennium ab vltima reseruatione nondum effluxerit. Nec poterit se validè tueri per illud cap. *Cum olim*, & similia; quia præsumetur Titius mala fide contulisse. Ignorantia enim Iuris non præsumitur, nec toleratur, maximè in Episcopo. Quare totum erit irritum in foro externo; quamuis in foro conscientiæ, si regula illa in Belgio non seruabatur à Collatoribus, probabile sit valere, etiam decennio non elapso. Vt Titius vtatur contra reseruationem Pontificiam auxilio Curiæ sæcularis, non possum vllo modo probare; cum multi Canones, & ipsa Bulla Cœnæ id apertè reprobent.

Itaque potius auctor sum vt Caius transigat cum Iulio optimo modo quo poterit: & quamuis non possit in pactum deducere se curaturum, vt Titius conferat Iulio primam dignitatem vacaturam; tamen Titius ad vitandas lites in sua Ecclesia, poterit Iulio id liberaliter promittere, vt iure suo cedat.

rō quid in hoc casu suadēdum Caio.

CASVS V.

beneficium collatum adultero.

Titio Presbytero adultero, & de adulterio infamato & puncto, facta est collatio præbendæ Ecclesiasticæ.

Quæritur, *An hæc collatio irritari possit & debeat?*

RESpondeo, Non videtur dubitandum quin collatio facta criminoso, nempe Presbytero adultero, & de adulterio infamato, aut vehementissimè suspecto, irritari possit & debeat. Vt aper-

ri

Digitized by Google

tè colligitur ex Cap. *Inter dilectos*, de Exceſſibus Prælatorum. Quod non ſolum de dignitatibus, ſed omnibus beneficiis Eccleſiaſticis Doctores intelligunt, vt patet ex ipſo ſummario quod Capitulo præfixum eſt, & ex Panormitano in hoc Cap. n. 1. & 6. vbi dicit: *Notat Gloſſa, quòd aleator clericus indiſtinctè repellitur à beneficio obtinẽdo, cum collatio illi facta, ſit nulla, ſi de hoc conſtabat, tanquam facta vili & indigno. Si non conſtabat, quia occultus, debet irritari.* Hoc ille. Vilibus enim & indignis nullum beneficium Eccleſiaſticum patere debet. Si enim portæ dignitatum ſæcularium non debent patere vilibus & indignis, vt Imperator ait l. 2. c. *de Dignitate*: multò minus portæ beneficiorum Eccleſiaſticorum, quæ maiorem requirunt probitatem & honeſtatem perſonarum, quàm dignitates ſæculares. Vnde Gloſ. in Reg. *Infamibus*, ait dignitatem largè ſumi.

Vilibus & indignis nullum Eccleſiaſticum beneficium patere debet.

Imò valdè probabile eſt illam collationem ipſo iure fuiſſe irritã; vt hîc docet Panormitanus & in hanc ſententiam exponit hoc Capitulum. Cui plerique Canoniſtæ conſentiunt. Præſertim cum hîc accedat infamia, quę ſola ſufficit. Neque enim punitio illa infamiam abſterſit, ſed potius confirmauit, & immobilem fecit. Quia condemnatus de huiuſmodi crimine, ipſo iure fit infamis, & cõſequenter beneficij incapax. Ita Panormitanus in cap. *At ſi clerici*, de Iudiciis. Colligitur ex Regula *Infamibus*, de Reg. Iuris in 6. & cap. *Inter dilectos*, ſuprà.

12 Collatio ipſo Iure fuit irrita.

CASVS VI.

Beneficiũ collatum à Patrono hæretico.

Accepit ab hæretico patrono beneficium Eccleſiaſticum aliquis Catholicus.

Quæritur I. *An illud retineri poſſit, inſcio Epiſcopo?*

Quæritur II. *An Catholici emere poſſint ab hæreticis bona Eccleſiaſtica?*

Quæritur III. *An emere ab illis poſſint beneficia Eccleſiaſtica?*

Quæritur IV. *Quomodo hæretici ſe gerere debeant circa Eccleſiaſtica bona ad ipſos deuoluta?*

21 AD *Primum*, Reſpondeo; Habens beneficium à Patrono hæretico ſine legitima collatione ordinarij Collatoris, non poteſt tuta conſcientia illud retinere: quia Patronus non poteſt conferre ius in re, & dominium beneficij, ſed ſolum ius ad rem: vnde beneficiatus iſte eget collatione ſeu inſtitutione, qua conferatur ius in re. Quòd ſi ille ſciens ſe nõ habere canonicam inſtitutionem occupet beneficium tamquam eius dominus, eiuſque fructus abſque legitima inſtitutione velit percipere, efficitur intruſus, & fit inhabilis ad idem beneficium: vnde eget diſpenſatione vt poſſit illud obtinere. Secus tamen eſt, ſi omninò ſit ignarus ſe contra iura agere. Vnde pueri facilè excuſantur à vitio intruſionis.

Vt autem tale beneficium bona cõſcientia obtineri poſſit, petenda eſt collatio à legitimo Collatore, vel à Nuntio Apoſtolico, vel à Sede Apoſtolica. Quòd ſi etiam intruſionis vitium interuenerit, id explicandum in ſupplicatione, vt rehabilitetur inſtituendus.

Ad Secundum, Reſpondeo: Non licet Catholicis emere bona Eccleſiarum vel monaſteriorum ab hæreticis occupata & confiſcata, niſi cum animo reſtituendi ea ſuo tempore legitimis dominis, cum omnibus emolumentis & fructibus, qui inde obuenerunt: quia bona illa in ſpecie ſunt aliena, ſimiliter fructus illorum. Atqui ſecũdum inſtitiæ normam, omne quod vero domino iniuſtè ablatum eſt, eſt reſtitutioni obnoxiũ. Nec obſtat quòd ſi Catholici illa non emerent, & fructus eorum perciperent, hæretici illa obtinerent, & fructus acciperent; quia etiam illi ad reſtitutionem obligarentur. Poſſent tamen Catholici agere cum Generali, & ab illo emere, vel conuenire eo modo quo rationi conſonum iudicarent. Neque hîc vllum periculum ſimoniæ. Nulla enim eſt ſimonia in venditione domorum vel agrorum Eccleſiaſticorum.

Ad Tertium, Reſpondeo: Non eſt licitum emere beneficium Eccleſiaſticum ab hæretico. Poſſet tamen à ſummo Pontifice occultè peti collatio beneficij, quod ab hæretico poſſidetur. Deinde ex eiuſdem diſpenſatione agi cum hæretico de fructibus; non ſimul inuoluendo titulũ, ſed ſolum tractando de fructibus titulo annexis; quia Pontifex non facile permittet emptionem explicitam ipſius beneficij. v. g. Canonicatus, propter ſcandalũ. Sed obtento prius beneficio ſeu titulo, erit redemptio fructuum, qui iniuſtè ab hæretico obtinentur. 15

Ad Quartum, Reſpondeo; Hæredes Catholici nõ poſſunt poſſidere bona Eccleſiaſtica ipſis à patre relicta, etſi ea ab hæreticis emerit: Niſi eum animo reſtituendi ea ſuo tempore cum omnibus fructibus, veris dominis. Quare obtinere debent diſpenſationem à Sede Apoſtolica, vel conuenire cum veris dominis, vt dictum eſt. Alia ratione non poſſunt bona Eccleſiaſtica iniuſtè à ſuis dominis ablata poſſidere. 16

CASVS VII.

Beneficiũ collatum excommunicato.

Petro ignoranter exiſtenti in excommunicatione collatum eſt beneficium, quod, errore cognito, alteri datum.

Quęritur, *Cuinam fructus à Petro ſuſcepti reſtitui debeant?*

17 SIue Petrus verè fuerit dominus beneficij (quod longè probabilius puto, cum ob lectionem librorum Eraſmi his locis non cenſeatur quia excommunicatus: & quamuis Petrus fuiſſet excommunicatus, tamen id ignorabat) ſiue non fuerit, reſtitutio fructuum non debetur ſucceſſori. Hoc enim ſolum locum habet in maioribus beneficiis (& quibuſdam locis in minoribus) in quibus modò Camera Apoſtolica habet ius ſpoliorum. Itaque hi fructus in pias cauſas expendi debent. Quòd ſi parens Petri eſt diues, & factus eſt locupletior ex illis fructibus, deberet reſtituere pauperibus, & Petrus deberet eum monere de hoc, ſi putet ſuam monitionem profuturam, ſecus ſi non putet. Si verò eſt tenuis fortunæ, & illud beneficium fuit cauſa cur Petrum aleret in ſtudiis, aliàs id non facturus; poſſunt cenſeri expenſi in alendo Petro, eique tanquam pauperi poſſunt applicari.

CASVS VIII.

Beneficii veri cum ficto permutatio.

Titius circumuentus permutauit verum beneficium cum ficto in præſentia Collatoris inſcij fraudis.

Quęritur I. *An hæc permutatio ſit prænſſa?*

Quęritur II. *An Epiſcopus hanc contractum poſſit reſcindere?*

Quęritur III. *An ille Collator priuandus ſit iure conferendi?*

Quęritur IV. *An Titio beneficium reſtitui non poſſit?*

18 AD *Primum*, Curia Romana non permittit permutationem veri beneficii cum *Beneficio de pertica* vt vocant, hoc eſt, cum beneficio ficto vel inani titulo, nullos omnino habente fructus. Gomezius in Regulam *de Infirmis*, q. 19.

Ad Secundam, Reuerendiſſimus poteſt talem permutationem reſcindere, vel potiùs irritam declarare: Tum quia non fuit vera permutatio beneficij cum vero beneficio, ſed cum re nullius valoris; ac proinde ex vi contractus permutationis nihil actum eſt: Tum quia iſte contractus, reipſa nihil aliud eſt, quàm ſimplex renuntiatio in fauorem, cum clauſula *non aliter, nec aliàs*, quàm renuntiationem ſtilus Curiæ non permittit fieri in manibus Ordinarij, ſed habet pro ſimoniaca: Tũ quia hæc reſignatio facta eſt in fauorem cũ onere penſionis; qualis etiam non poteſt fieri niſi in manibus Papæ, excepto caſu veræ permutationis, quæ hic non interuenit.

Ad Tertium, Cùm ordinarius collator planè fuerit ignarus huius ſimoniacæ cõuentionis inter partes, & permutatio coram ipſo purè facta fuerit, non eſt priuandus iure conferendi. Vnde collatio ad ipſum pertinebit. Poterit tamẽ eam Epiſcopo concedere, ſi velit.

Ad Quartum, Cùm Titius in toto hoc negotio, non videatur peccaſſe, ſed ſimplicitate quadam deceptum ſe dicat, non video cur ipſi ſuum beneficium non poſſit reſtitui.

CASVS IX.

Beneficij inutilis cum vtili permutatio ſub penſione.

Vtrùm in permutatione beneficij iam habentis nullos fructus, cum beneficio mille florenorum, poſſit conſtitui penſio ducentorum Florenorum, quamuis ille cum quo fit permutatio, nondum per ætatem integros fructus poſſit recipere; imò ne ſexcentos quidem?

19 REſpondeo, Talem permutationem ſub tali penſione poſſe fieri. Ratio eſt, Primò, quia nullum Ius eſt quod ſtatuat non poſſe penſionem quæ imponitur, excedere tertiam partem fructuum, ſed ſolùm eſt vſus Curię. Quando enim Papa imponit penſionem, ſolet dicere vt penſio tertiam partem fructuum non excedat; vt docet Gigas q. 9. de Penſione, Rebuffus in Praxi de reſeruationibus. Nihil tamen hic præcipitur Epiſcopis. Secundò, Quando Papa dicit ne penſio excedat tertiam partem fructuum, id non debet intelligi de tertia parte fructuum, quos beneficiarius in abſentia recipiet; ſed quos recipiet reſidens, & per ſe miniſtrans, habens plenam ętatem. Itaque cùm iſte reſidens poſſit recipere ſexcentos, non ſuperabit hęc penſio tertiam partem fructuum.

Tertiò, Quando beneficium ſperatur poſt paucos annos amplius daturum, poteſt in conſtitutione penſionis haberi eius ratio; vt colligitur ex Nauarro Conſil. 49. de Præbendis, l. 3. part. 147.

20 Itaque cum beneficium quod nullos habet fructus, aliquando tamen habet, vel habiturum ſperatur, poſſit permutari cum beneficio fructuoſo, eaq; permutatio ſit valida, vt docet Gomez q. 97. in Regulam *De annali poſſeſſore*, & Decius Conſil. 210. & Epiſcopus poſſit conſtituere penſionem cauſſa permutationis; vt patet ex Cap. *Ad quæſtionem*, De rerum permutatione; non video vlli Iuri aduerſari vt in præſenti caſu imponatur penſio ducentorum florenorum.

Addo, Quando penſio imponitur ab eo qui poteſtatem habet, etſi debitum modum ſuperet, non tamen cenſeri ſimoniã, ſed ſolum contra æquitatẽ naturalem. Æquum enim eſt vt beneficiarius qui onus beneficii ſubit, ex eo poſſit viuere. Quod tamen non ſemper eſt neceſſarium, præſertim quando onus eſt paruum, vel quando anni ſequentes compenſabunt. 21 Si penſio excedat fructum, non eſt ſimonia

CASVS X.

Reſignatio beneficii ſub conditione, Si Ej iſcopus conſentiat.

Titius Parochus ſenex & pene inutilis ſuo miniſterio, reſignat ſuum beneficium in manus Collatoris, rogans vt conferatur Caio ſub onere certæ penſionis, addita tamen hac clauſula, Si Reuerendiſſimo Domino placuerit hæc approbare.

Quæritur, *Vtrum ſecuta collatione ſub dicta conditione, propter hoc factum, vacet hoc beneficium, & Titius ſit eo priuatus, ſi Reuerendiſſimus nolit conſentire?*

22 REſpondeo, Non videre eſſe aliquam ſolidam rationem, cur hoc beneficium cenſendum ſit vacare. Etſi enim reſignatio, collatio, & acceptatio ſub onere penſionis facta videatur ante conſenſum Reuerendiſſimi obtentum; tamen non eſt facta abſolutè, ſed conditionatè & dependenter à futura approbatione Superioris, qui ſupponitur habere auctoritatem approbandi; ac proinde nihil attentatum contra Iura. Licitum enim eſt priuatim inire tractatum, modò nihil abſolutè cenſeatur effectum ante Superioris approbationẽ, & totus tractatus ad illum referatur vt eum approbet, vel irritum reddat: Quòd ſi irritum reddiderit, manet reſignans in poſſeſſione ſui beneficij, quia nec reſignatio, nec collatio fuit facta abſolutè, ſed ſub conditione futuræ approbationis; qua conditione non ſecuta, nihil actum cenſetur, vt per ſe notum eſt.

CASVS XI.

Reſignatio beneficii ſub variis oneribus.

Titius Canonicus ſtatuit vxorem ducere, adeoque vult reſignare ſuam prebendam 600. florenorum, ſub onere penſionis 300. florenorum. Inſuper requirit: Primò, Vt apud Mercatorem vel alium, ſeptem anticipata ſolutiones deponantur. Secundò, Vt penſio non poſſit redimi niſi octuplo, cum ordinarie ſoleat quintuplo. Tertiò, Vt ſtatim fiat redemptio, antequam contrahat nuptias. Quartò, Vt veſtem emam eius vxori.

Quæritur I. *An poſſim talem reſignationem acceptare ſub tali penſione?*

Quæritur II. *An Epiſcopus poſſit talia onera admittere?*

Quæritur III. *An Epiſcopus poſſit dare Licentiam extinguendi penſionem?*

Quæritur, IV. *An de veſtis vxori danda poſſit venire in principale?*

23 REſpondeo *Ad Primum*: Poſſe te acceptare illam reſignationem Canonicatus ſub onere penſionis, licet reſignans, cum ſtatuerit vxorem ducere, non poſſit cum tali onere reſignare. Et quamuis penſio magna ſit, tamen quia relinquit quod ſatis eſt ad ſuſtentationem, nempe trecentos florenos ex ſexcentis, poteſt cõcedi. Vt autem penſio non excedat tertiam partem fructuum, intelligendum eſt de penſione impoſita Epiſcopatibus, vel beneficiis curatis. Accedit, non pertinere ad conſcientiam reſignatarii, ſed reſignantis, vt

Digitized by Google

penſio ſit rationabilis. Itaque ſi penſio ſit exceſſiua, non tua culpa eſt, ſed imponentis.

Ad Secundum; An Epiſcopus poſſit admittere
24 huiuſmodi pacta? Reſpondeo, Quamuis concedi poſſit Ordinarium cauſa reſignationis poſſe imponere penſionem, vbi id iam longo vſu eſt præſcriptum, non tamen poteſt admittere huiuſmodi pacta, nempe, vt ſeptem ſolutiones anticipatæ deponantur apud mercatorem: vt non poſſit redimi niſi octuplo (cùm ordinarie ſoleat quintuplo:) & vt penſio ſtatim redimatur. Hæc enim ſunt cõtra Ius: ſunt enim graues obligationes pretio æſtimabiles, quæ iure ſunt prohibitæ in rebus ſpiritualibus: Nec vllus Doctor extat qui admittat Ordinarium in his poſſe diſpenſare. Itaque ſolus Pontifex hoc poteſt ex plenitudine poteſtatis.

25 *Ad Tertium*, An Epiſcopus poſſit dare licentiam extinguendi penſionem? Reſpondeo, Quando omnia legitime ſunt conſtituta, Probabile eſt Ordinarium poſſe dare licentiam extinguendi penſionem, modo vſitato. Nullo tamen modo id poteſt in pactum explicitum vel implicitum deduci. Neque opus eſt vt diu expectetur, ſed poteſt ſtatim redimi. Quamuis ad vitandam ſuſpicionem ſimoniæ expediat aliquãdiu expectare, ne videatur tacitum interueniſſe pactum de ſtatim redimendo. Poſſet tamen hoc euitari addita proteſtatione. Nec refert etiamſi putes alterius mentem eſſe vt ſtatim redimas, modo te ad illud nullo modo obliges, maxime ſi proteſteris te nolle ad hoc obligare, ſed facturum quod tibi commodum viſum fuerit.

Ad Quartum An de veſte vxori danda poſſit ve-
26 nire in pactum principale? Reſpondeo. Id nullo modo in pactum principale venire poſſe: ſed eo abſoluto, potes cum illo conuenire pro vt tibi commodius fuerit, commutando videlicet veſtẽ vxori dandam cum veſtibus ipſius Eccleſiaſticis: Si tamen gratis dederis, præſumetur Simonia: non enim is, qui ſub tanta penſione reſignauit, cenſetur quidquam feciſſe, vt tale quid ex gratitudine mereatur, quia tenebatur abſque omni penſione reſignare.

CASVS XII.

Penſio ſuper nuda reſignatione benefi. ij.

An Ordinarius poſſit conſtituere penſionem ſuper beneficia cauſa reſignationis ſolius?

27

REſpondeo, Communis ſententia DD. eſt inferiorem Papa non poſſe conſtituere penſionem ſuper beneficia cauſa reſignationis ſolius. Rebuffus in Praxi beneficiorum §. *de Reſeruatione*, Nauarrus l. 5. Titul. *de Simonia*, Conſil. 6. & alibi. Sotus l. 9. q. 7. ar. 2. & alii. Itaque Ordinarius non poteſt penſionem admittere, quando eſt nuda reſignatio. Ratio eſt, quia ſtilus Curiæ habens vim legis, id non permittit.

Secùs fortaſſis eſt in permutatione: etſi Sotus contradicat. Nam Cap. *Ad quæſtiones*, de rerum permutatione, id permittere videtur.

CASVS XIII.

Penſio ſuper reſignatione Gratię expectatiuæ.

Verum Ordinarius poſſit conſtituere penſionem ſuper reſignatione Gratia expectatiua.

28 REſpondeo, In eo caſu multò minus poſſe Ordinarium permittere, vt reſignatio fiat ſub onere penſionis ſoluendæ. Multi etiam Doctores tenent [etſi contrarium non ſit improbabile] gratiam expectatiuam non poſſe permutari cum beneficio auctoritate Ordinarii.

Si tamen Ordinarius bona fide per 40. annos fuiſſet vſus hac poteſtate conſtituendæ penſionis in reſignationibus beneficiorum, non auſim damnare.

Si per 40. annos vſus hac poteſtate Ordinarius. Peccat penſionem petens ſi ſtatũ Eccleſiaſticum deſerat.

Qui tamen vult deſerere ſtatum Eccleſiaſticũ, nec vllam habet iuſtam cauſſam petendæ illius penſionis, niſi quia beneficium deſerit, non eſt ſecurus in conſcientia Cur enim bonis Eccleſiæ fruatur, eaque detrahat vero beneficiario, cui ea iure debent competere, ſine cauſſa quæ ad honorem Dei, vel vtilitatem Eccleſiæ pertineat.

CASVS XIV.

Beneficium litigioſum.

Inter duos litigantes ſuper poſſeſſione beneficii, inita eſt talis concordia, vt qui beneficium retineret, alteri procuraret beneficia ſimplicia vſque ad certam ſummam, intra feſtum S. Ioannis Baptiſtæ proximum & quod inde deſeret, alunde ſuperadderet, donec beneficia realiter præſtiſſet, dato fideiuſſore in caſum mortis de ſuper addendo huiuſmodi reſiduo ad ſex, ſeptem, plureſue annos: ac illi vicißim cederetur ius alterius, data ab eodem cautione de reſtituendis beneficiis, & præfato additamento, in caſum euictionis principalis beneficij.

QVÆRITVR, Anhuiuſmodi concordia auctoritate Ordinarij ratificari poſſit, ad euitandas impenſas Curiæ Romanæ.

29 REſpondeo, Ordinarium non poſſe illam concordiam ratificare. Sunt enim in ea quatuor contractus, vel partes contractuum illicitæ.

Prima eſt, Ceſſio iuris beneficii ex vna parte, pro obligatione procurandi beneficia ſimplicia ad certam ſummam ex altera parte. Hanc Ordinarius ratificare non poteſt, quia in ea committitur ſimonia: hæc enim obligatio ex parte, eſt pretio æſtimabilis, ſicut obligatio dicendi ſacri; requirit enim magnam ſollicitudinem & induſtriam vt impleatur. Itaque non poteſt ſuſcipi pro iure beneficii. Accedit, quod hæc obligatio per ſe parum ſit honeſta, quaſi beneficia concedenda ſint importunitati ſollicitantium, non meritis & virtuti deferenda. Longè alia eſt ratio in reſignationibus & commutationibus, quas Epiſcopi etiam cum penſionis impoſitione admittunt. Pẽſio enim imponitur beneficio vacanti, & ſic confertur cum onere.

Secunda pars eſt, Quod is cui ceditur beneficium, aliunde ſuper addet ſeu ſoluet, donec beneficia ad certam ſummam realiter præſtiterit. Hic etiam eſt ſimonia. Quia ius beneficii reſignatur ex parte pro penſione tannua mero temporali non impoſita beneficio. Secùs quando penſio à principio imponitur beneficio, & ita tranſit cum onere: quod poteſt facere Epiſcopus concordiæ cauſa, vt etiam Sotus docet.

Tertia pars eſt, Vt det fideiuſſorem de ſoluendo ad certam ſummam donec beneficia promiſſa ſint præſtita. Hæc obligatio etiam eſt pretio æſtimabilis, nec ſolet ab Epiſcopis admitti: neque vero poteſt. Quia eſt extranea naturæ contractus reſignationis & permutationis: cumque ſit pretio æſtimabilis, facit ſimoniam.

Quarta pars eſt, Vt alter qui beneficia ſimplicia & additamenta accepiſſet, teneretur illa omnia reſtituere in caſum euictionis beneficii principalis; & daret hac de re cautionem. Hic ſeruat ſibi regreſſum ad illa beneficia, quæ in alterum reſi-

Regreſſus ad beneficia eſt illicitus.

Digitized by Google

gnauit, vel curauit conferri: qui regreſſus ſublatus eſt per Concilium Tridentinum ſeſſ. 25. c. 7. *de reformatione*. Vnde Epiſcopus non poteſt hoc admittere.

CASVS XV.

Beneficia compatibilia.

Vtrum Canonicatus Andernacenſis, & Decanatus S. Donatiani Brugis, ſint beneficia compatibilia?

30 REſpondeo Primo, Canonicatum Andernacenſem, & Decanatum S. Donatiani Brugis, non eſſe beneficia incompatibilia primi generis. De quibus Cap. *De multa*, de Prębendis. Quia Canonicatus non eſt dignitas, nec Perſonatus, nec beneficium curatum. Vnde Decanatus nullo modo reddit inhabilem ad obtinendum Canonicatum, etiam alterius Eccleſiæ.

31 Reſpondeo Secundò, Si Canonicatus ille ex conſuetudine legitimè præſcripta, non requirit reſidentiam perſonalem, vt in caſu refertur, nullo modo eſt incompatibilis cum Decanatu, modo Decanatus non ſufficiat ad decentem ſuſtentationem. Vnde tunc non requiritur vlla diſpenſatio vt iſta ſimul ab eodẽ obtineri & poſſideri poſſint. Patet ex Concilio Trident. ſeſſ. 24. cap. 17. *de Reformatione* vbi expreſſè ſtatuitur, *vt habenti vnũ beneficium Eccleſiaſticum ſi hoc non ſufficiat ad vitam bene honeſtè ſuſtentandam, liceat aliud vel aliquot beneficium ſimplex ſufficiens conferre, dummodò vtrumque perſonalẽ reſidẽtiam non requirat*. Quare cum generatim ſtatuitur hoc licere, nulla opus eſt diſpenſatione. Neque dici poteſt Canonicatum non eſſe beneficium ſimplex: hoc enim falſum eſt, vt oſtendit Nauar. lib. 5. Conſil. tit. de Simonia, Conſilio 61. vbi dicit; *Canonicatus eſt beneficium ſimplex ſecundum communem Doctorum ſententiam, quæ probatur*. Cap. Statutum, *De reſcriptis* lib. 6. &c. Idem docet lib. 3. tit. de Prębendis, Conſilio 45. etiam de Canonicatu Eccleſiæ Cathedralis.

Canonicatus eſt beneficium ſimplex.

Ex quibus patet D. conſulentem non teneri ad reſignationem prædicti Decanatus: & poſſe retinere fructus ex eo perceptos: nec opus habere

32 Corollaria vlla diſpenſatione, vt illa duo beneficia retinere queat, ſuppoſita veritate eorum quæ narrantur: nempe Canonicatum illum ex conſuetudine non requirere reſidentiam, & Decanatum non ſufficere hoc tempore ad honeſtam ſuſtentationem. Si tamen metuit moleſtias, ſuadeo omnino vt obtineat diſpenſationẽ ab Illuſtriſſimo Domino Nuntio Apoſtolico.

CASVS XVI.

Beneficia compatibilia.

Vtrum is qui obtinet beneficium Curatum in Eccleſia Cathedrali poſſit in eadem obtinere Canonicatum?

33 Ratio dubitandi. VIdetur non poſſe: Primò, Quia hæc beneficia ſunt incompatibilia, de quibus Capitulo *de multa*, de Prębendis, vbi ſtatuitur, *Vt quicunque receperit aliquod beneficium curam habẽs animarum annexam, ſi prius tale beneficium habebat eo ſit ipſo iure priuatus: & ſi forte illud retinere contenderit, etiam alio ſpolietur*. Et Clementina *Gratiæ*, de Reſcriptis, vbi dicitur, Tunc videri primo Beneficio, nempe Curato, de quo ibi agitur, aliquis renunciare, cum aliud beneficium pacifica poſſeſſione aſſequitur. Neque excuſat, ſi dicas illum non percipere fructus groſſos beneficij, ſed ſolum diſtributiones; & conſequenter non poſſidere ſecundum cum affectu & vtiliter; adeoque eum vtrumque poſſidere poſſe. Ratio eſt, quia ille recipiet fructus groſſos ſecundi beneficij poſt mortem; ac proinde non debet hæc poſſeſſio cenſeri vacua, & ſine effectu. Secundo, quia non eſt licitum habere plura beneficia quando vnum ſufficit: ſed Curatum ſufficit ſeorſim, & Canonicatus ſimiliter: ergo.

Reſpondeo breuiter, Hæc duo beneficia ſimul ab eodem retineri poſſe, ſi ille muneri vtriuſque ſatisfacere poſſit, & aliàs alterum non ſufficit. 34 Reſponſio.

Probatur Primo, Quia hæc duo beneficia non ſunt incõpatibilia, de quibus Cap. *De multa*. Illud enim caput ſolum loquitur de Dignitatibus, Perſonatibus, Officiis curatis, vt patet intuenti, & tenet Gloſſa & Panormitanus cum communi Doctorum in illud Cap. & in Cap. *Referente eodem*. Canonicatus autem Eccleſiæ Cathedralis nihil horum eſt, ſed beneficium ſimplex, vt docet Nauarrus *de Prębendis*, Conſil. 45. Itaque diſpoſitio illius Capitis non eſt extendenda ad noſtrum caſum: præſertim cum ſit diſpoſitio pœnalis, quæ non eſt extendenda vltra ſuum caſum.

Probatur Secundo, Quia poteſt quis retinere vnam Parochialem cum aliquot Canonis non requirentibus reſidentiam, vt docet Nauarrus *de Prębendis*, Conſil 12. ergo etiam poteſt quis retinere Parochialem cum Canonia requirente reſidentiam, cui reſidentiæ ſimul poteſt ſatisfieri.

Probatur Tertio, Quia etſi non poſſit quis habere duo beneficia vniformia in eadem Eccleſia, v. g. duos Canonicatus, duas Capellanias, nec etiam duas Dignitates; poteſt tamen in eadem Eccleſia habere duo difformia, quorum alterum ſit Dignitas, alterum Canonicatus, etiam abſque vlla diſpenſatione Epiſcopi vel Põtificis, vt probat Nauarrus *de Prębendis* Conſil. 29. ergo etiam poteſt habere Parochiam & Canonicatum ſub eodẽ tecto. Conſequentia patet, quia quando agitur de pluritate, Parochiæ & Dignitates ęquiparantur, vt patet Cap. *De multa*. Et confirmatur, quia Iura non minus fauent habentibus curam animarũ, quàm habẽtibus alias dignitates ſiue curas. Quin imo illis eo plus fauoris præſtandum, quo plus in Eccleſia laborant.

In eadem eccleſia haberi poſſũt duo beneficia difformia, non vniformia.

Probatur Quarto, Quamdiu non percipit fructus Canonicatus, cenſetur poſſeſſio inutilis, & ſine effectu: ergo poteſt retinere etiam Curatum donec ſit in plena fructuum perceptione. Nec refert quod percipiat diſtributiones, quia hæ dantur ratione obſequij perſonalis, nec propriè ad fructus pertinent. Nec obſtat quod poſt mortem ſit percepturus corpus fructuum: quia hoc non impedit quin ſaltem pro hoc anno poſſeſſio ſit illi inutilis: nec eum iuuat ad ſe ſuſtentandum; ac proinde non impedit quin aliud beneficium ſimul retinere poſſit. Et hoc euidenter colligitur ex Cap. *Si tibi conceſſo*, de prębendis in 6. vbi Gloſſa & Doctores communiter id tradunt.

Ex his concludo Primò, Beneficium illud curatum non vacare per aſſecutionem Canonicatus etiamſi plenè fructum illius Canonicatus percipere. Secundò, Si neutrum prædictorum beneficiorum per ſe ſufficit ad honeſtam ſuſtentationem, vtrumque ſimul retineri poſſe, ſaltẽ cum Epiſcopi vel Nuntij Apoſtolici diſpenſatione. Imo probabile eſt nullam omnino diſpenſationem ad hoc requiri. Tertio, Si alterum ſufficit, tenetur beneficiarius alterum reſignare, nempe quod ei placuerit, ſiue Curam ſiue Canonicatum, quia eſt contra Concil. Trident. ſeſſ. 24. c. 17. habere duo 35 Corollaria

beneficia, quando vnum sufficit. Intelligo debere alterum resignare non statim obtento secundo, sed quando ex altero quod retinere desiderat, fructus integros percipere cœperit. Quarto, Si ex secundo quod retinere desiderat, nondum percipit fructus maiores, neque per illum stat quo minus nunc percipiat, non tenetur resignare Curam, sed potest eam simul retinere, & ei simul inseruire: nec ad hoc eget vlla dispensatione; idque tam diu donec fructus illos percipere cœperit, vt dictum est.

16 Solumntur argumenta.

Ex dictis patet responsio ad rationes in contrarium obiectas. Nam Cap. *De multa*, non extenditur ad casum propositum. Et Clementina *Gratia*, non dicit beneficium præcedens vacare, sed gratiam expectatiuam extingui per impetrationẽ alterius beneficij: itaque ad rem non pertinet.

CASVS XVII.

Onerare beneficia.

Capitulum statuit vt Canonici qui imposterum instituentur, teneantur soluere tres flore nos ad necessariam subuentionem D Cantoris.

Quæritur, *Vtrum hoc non aduersetur Concilio Tridentino* sess. 24. cap. 14. de Reformat. *quod vetat in promissione seu admissione ad possessionẽ cuiuscunque beneficij aut distributionum, fieri illorum fructuum deductiones conuersibiles in vsus non pios* &c.

17 REspondeo, Caput illud 14. sess. 24. Concilij Trid. de Reform. non aduersatur illi statuto Dominorum Canonicorum facto ad necessariam subuentionem D. Cantoris, quo singulis Canonicis, qui in posterum instituentur, imponitur onus soluendi D. Cantori tres florenos. Quia manifestũ est ibi solum prohiberi eas solutiones, eaq; onera, quę non cedunt in pias causas; sed habent speciem sordium, & simoniacæ labis: quæ autem in pias causas cedunt, eæ permittuntur. Atqui necessaria subuentio, de qua hic agitur, æquatur piæ causæ; imo illi præfertur, cum pertineat aliquo modo ad iustitiam: exigit enim iustitia vt dignitatibus & officiis ita prouideatur, vt decorè suum munus præstare possint.

18 Nullum onus imponi potest beneficio sine consensu Papa.

Hic tamen aduertendum, prædictum statutum, etsi Capitulum totum in illud consenserit, robur non habiturum, nisi à Sede Apostolica fuerit confirmatum. Quia Capitulũ non potest noua onera prębendis imponere; cum Iure cautum sit vt beneficia sine diminutione conferantur. Cap. vnico. *Vt Eccles. beneficia* &c. & 1. qu. 3. Cap. *Si quis prębendas* &c.

19. Cautela.

Quod in statuto illo dicitur, *Hæc danda pro installatione & promissione*, nõ benè sonat; quia simoniç imaginem ingerit. Vnde putarem immutandum, vt dicatur, *Hoc onus imponi, & debere solui dum fit installatio vel promisso prębendæ, ad necessariam subuentionem D. Canteris.*

CASVS XVIII.

Beneficiariorũ absentia.

Vtrum D. Adrianus Canonicus Ecclesiæ Collegiatæ Leodiensis, possit cum bona venia sui Capituli, aliquot annos abesse à sua Ecclesia, & Romæ versari, vt ibi praxi studeat Romanæ, & se aptiorem negotijs Ecclesiasticis gerendis præstet, & simul causam cuiusdam Principis in Curia agat.

20 Duæ rationes pro parte negatiua.

DVo videntur obstare: Alterum est, dispositio Concilii Trident. sess. 24. c. 12. de Reform. qua sic statuitur: *Præterea obtinentibus in ijsdem Cathedralibus aut Collegiatis dignitates, Canonicatus, prębendas, aut portiones, non liceat vigere cuiuslibet statuti aut consuetudinis, vltra tres menses ab eisdem Ecclesijs quolibet anno abesse* &c.

Alterum est, causæ insufficientia. Debet enim subesse causa iusta, & tanti momẽti, vt merito propter illam, absentia sit concedenda. Canones autẽ solum duas causas exprimunt, necessitatem, & studium ordinarium in aliqua Vniuersitate.

41 Responsio.

Nihilominus verius sentio hoc non obstare, & posse D. Adrianum abesse. Nam illud Cõcilij decretum non videtur vsquam ferè in Belgio moribus receptum: quia passim etiam in Cathedralibus & Metropolitanis, in quibus est accuratior disciplina, & Canonum obseruatio, absunt Canonici Capituli concessu multis annis, nec ea in re scrupulum sibi faciunt. Extant exempla quotidiana, etiam eorum qui à probitate vitæ & doctrina cõmendantur. Lex autem moribus vtentium nunquam recepta, non obligat; vt communiter omnes Doctores tradunt. Imo si post legem latam consuetudo antiqua præter decennio, planè antiquatur vis legis; adeò vt, nisi nouum præceptum Superioris accedat, communitas non teneatur eam recipere; vt docet Nauar. lib. Consiliorum tit. *de Excommunicatione* consil. 8. & fusè probat Felinus in cap. 1. *de Treuga & Pace*, n. 13. pro ea adducens multos Doctores. Idem tenet Couar. lib. 2. variarum resol. c. 16. nu. 6. sequitur Azor. lib. 5. Instit. moral. c. 4. q. 3. & alij recentiores. Quod si absque nouo præcepto Superioris non tenetur communitas talem legem recipere, quãto minus priuatus quispiam: cum obligatio legis recipiendæ principaliter ad communitatem pertineat.

42 Quæ iusta absentiæ causa.

Causa etiam iusta videtur; vt patet ex ijs quæ scribit Nauar. in Enchirid. c. 25. n. 121. Illa enim causa iusta dicitur, quæ probabiliter talis arbitrio boni viri iudicatur. Nec refert quod Canonibus non sit expressa; quia consuetudo illam approbat, cum etiam ob minoris momenti causas facultas absentiæ dari soleat. Omitto, sæpè locum Beneficij talem esse, vt longè melius sit ibi non residere, quàm residere.

43 Nisi nouum obstet edictum.

Hæc dixerim spectata sola obligatione iure Concilij Tridentini inducta. Si enim Romæ de nouo edictum fieret, quo præciperetur, vt omnes beneficiarij ad suas residentias se conferant, præsertim sub graui aliqua pœna, vt interdum fieri scio, tunc opus esset dispensatione, propter obligationem de nouo impositam.

CASVS XIX.

Beneficiariorũ absentia.

In Ecclesia Cathedrali Gandensi consuetudo est vt Canonici quotannis per tres menses ob rationabilem & iustam causam possint abesse, & nihilominus recipere distributiones quotidianas.

Quæritur. *Vtrum illa consuetudo possit legitimè retineri?*

44 OMnibus consideratis, quæ suprà allata sunt; sentio DD. Canonicos in illa consuetudine sua sine scrupulo posse perseuerare, quamdiu per aliquem Superiorem contrarium non introducitur. Ratio est, quia ex Cap. finali *De consuetudine*, constat consuetudinem non irrationabilem legitimè præscriptam, posse legi humanæ derogare, eamque tollere, ita vt non obliget eos qui illa cõsuetudine vtuntur; vt passim Doctores docent. Atqui consuetudo DD. Canonicorum Ecclesiæ Cathedralis Gandensis, qua ipsi quotánis per tres menses, ob rationabilem & iustam causam possunt abesse, & nihilominus recipere distributiones quotidianas, videtur seclusa lege prohibente, non

Digitized by Google

irrationabilis; maximè attentis circumſtantiis ibi commemoratis: quia nulli iuri naturali aut poſitiuo diuino repugnat, & in ipſa fundatione poſſet id ſtatui, vel etiam poſteà per Summum Pontificem concedi, vt olim ante Concilium Tridentinum in plurimis Eccleſiis erat in vſu; quod manifeſtum ſignum eſt, id per ſe non eſſe rationi aduerſum; ſed ſatis rationabile, vt conſuetudine poſſit confirmari. Deinde, hæc conſuetudo videtur omnino legitimè præſcripta, cum in ea pluſquam quinquaginta annis fuerint, etiã poſt erectionem Eccleſiæ in Cathedralem, etiam videntibus Epiſcopis, & Nuntiis Apoſtolicis, nec contradicentibus, aut eam tollere conantibus. Ad legitimam autem præſcriptionem cõſuetudinis contra legem Canonicam, & Concilii vniuerſalis ſtatutum, nullus Doctorum requirit amplius quàm annos quadraginta, etiam quando lex illa fuerat ante recepta. Quando autem nunquam fuit recepta, multi putant ſufficere annos decem ad vim eius obligatoriam in conſcientia eneruandam.

Ad præſcriptionem contra legẽ Canonicã ſufficiunt anni XL.

Aliquando X.

Quare prædicta conſuetudo videtur legitima præſcriptione ita corroborata, vt vim ſtatuti ſeu legitimæ conceſſionis habeat; ita vt Canonicis non ſit faciendus ſcrupulus, modò cauſa abſentiæ verè ſit iuſta, ſeu rationi conſona. Secus ſi talis non ſit. Talis autem non videtur ſola recreatio.

45 Reformationi obtẽperandum.

Si tamen per legitimum Superiorem aliquando inducatur reformatio iuxta decretum Concilii, tenentur DD. Canonici acceptare; quia certum videtur eam & à decreto Concilii, & conſtitutione Bonifacii VIII. quàm Concilium innouauit, deuiare.

CASVS XX.

Beneficium carens Ordine requiſito.

Titius in quadam Eccleſia Cathedrali obtinens Canonicatum, non fuit initiatus ſacris. Itaque cùm peteret à Capitulo groſſos fructus, qui debentur profeſſoribus diſciplinarum in vniuerſitate; reſponſum ei fuit vt oſtenderet ſe ſacris initiatum.

Quæritur, *An Titius iure habeat cogendi Capitulum ad fructuum ſolutionem?*

46 Ratio dubitandi.

VIdetur Titius habere tale ius: quia Ius non priuat ipſum niſi voce in Capitulo, & dimidia parte diſtributionum. Vt colligitur ex Concilio Tridentin. ſeſſion. 22. cap. 4. & Clementina *Vt ij qui*, De ætat. & qual. præficiendorum, quam Concilium Trid. innouat. Itaque non videtur poſſe priuari fructibus.

Reſponſio.

Contrarium tamen videtur verius. Nam Concil. Tridentin. ſeſſ. 24. cap. 12. de Reformat. iubet omnibus Canonicatibus & Portionibus in Eccleſiis Cathedralibus annecti Ordinem Preſbyterii, Diaconatus & Subdiaconatus. Facta autem hac annexione ab Epiſcopo cum conſilio Capituli, Epiſcopus cogere poteſt Canonicum quemlibet ad ſuſceptionem ſui Ordinis intra annum faciendam, etiam ſub pœna priuationis ipſius beneficii: imò ſi monitus neglexerit, poterit declarari priuatus ipſo iure per ſtatutum Concilii Conſtantienſis, ſeſſ. 43. de diſpenſat. vt habet Cardinalium declaratio. Idem poterit facere Capitulum ſi ſit exemptum. Vnde ſequitur multò facilius poſſe priuari fructibus denegando eorum ſolutionem, niſi tempore ſtatuto promotus fuerit.

Erectio Præpoſituræ ex Perſonatu per Epiſcopum

CASVS XXI.

An poſſit Epiſcopus cum conſenſu Capituli erigere Præpoſituram ex Perſonatu, etiamſi non vacet, etiamo inuito poſſeſſore?

47

REſpondeo Affirmatiuè. Etſi enim hoc non expreſsè concedatur, nuſquam tamen in Iure prohibetur: imò videtur id ei tacitè concedi per Concilium Trident. ſeſſ. 24. c. 15. de Reform. & ſeſſ. 21. c. 5. vbi conceditur Epiſcopis facere vnionem quorumuis beneficiorum cumcuratis propter eorum paupertatem, & in cæteris caſibus à Iure permiſſis: & Capitulo *Sicut vnire*, de exceſſibus Prælatorum, generatim dicitur, Epiſcopi eſſe Eccleſiarum ſuæ diœceſis vnionem curare. Quòd ſi poteſt facere tales vniones, cur non poſſit etiam erigere & extollere beneficium inferioris dignitatis ad titulum & conditionem ſuperiorem, cum hoc non cedat in diminutionem præbendarum & ſeruitii diuini, ſicut vniones, ſed potius in augmentum? Et confirmatur, Quia poteſt erigere titulum Præpoſituræ, & tunc ei facere hanc vnionem; ſicut poteſt facere vniones cum præbendis Canonicalibus tenuibus, vt patet ex ſeſſ. 24. cap. 15.

48 Non requiritur Conſenſus poſſeſſoris.

Quòd autem non requiratur conſenſus poſſeſſoris, colligitur ex iiſdem locis: nam vult Concilium has vniones non poſſe infringi aut impediri ratione cuiuſuis reſignationis. Nec obſtat quòd capit. 5. ſeſſ. 21. dicat *ſine præiudicio obtinentium*: quia non loquitur de præiudicio reſignationis, ſed retentionis beneficii & fructuum interim quamdiu poſſeſſor viuet: alioquin non cohærerent ea verba cum iis quæ habentur in fine.

49 Sed Patroni laici.

Requiritur tamen conſenſus Patroni ſi beneficium illud erat patronatus laici, vt inſinuat idem Concilium.

CASVS XXII.

Vnio Perſonatus cũ dignitate iam erecta.

Vtrum poſſit Epiſcopus vnire Perſonatum non vacantem dignitati iam erectæ, ſed non ſufficienter dotatæ, etiamſi poſſeſſor non conſentiat?

50

REſpondeo, Epiſcopum id poſſe. Colligitur apertè ex Concilio Trident. ſeſſ. 24. c. 15. vbi conceditur Epiſcopo cum conſenſu Capituli vt poſſit ſimplicia beneficia vnire præbendis Canonicalibus tenuioribus, &c. Cur non poſſit etiam dignitati tenuiori?

Perſonatus eſt beneficium ſimplex.

Nec obſtat quòd Perſonatus non videatur beneficium ſimplex: quia reuerà eſt ſimplex, cum non habeat curam animarum: hæc enim eſt vna diſtinctio beneficii ſimplicis à dignitate, quòd hæc habet curam animarum, illud non: vnde Canonicatus etiam Cathedralis eſt beneficium ſimplex. Accedit, quòd Capitulum *Sicut vnire*, de exceſſibus Prælatorum, generatim loquatur de cuiuſuis beneficii Epiſcopo ſubiecti vnione. Idem inſinuat Concilium Tridentinum capit. 5. ſeſſ. 21.

Non requiritur conſenſus poſſeſſoris.

Neque videtur requiri cõſenſus poſſeſſoris: nam Concilium non requirit locis citatis, & apertè inſinuat per reſignationem non poſſe talem vnionem impediri.

Digitized by Google

CASVS XXIII.

Vtrum possit Capellania per Episcopum erigi in nouam dignitatem Patrono consentiente?

Erectio Capellaniæ in dignitatem.

61 REspondeo Affirmatiuè. Sequitur ex dictis. Neque requiritur consensus possessoris, etiamsi per hoc impediatur resignatio, quæ sæpè ob iustam causam per Superiorem impediri potest; vt colligitur ex Tridentino. Non tamen cogi potest possessor vt ipse dignitatem subeat, &c.

Onera curanda. Hic tamen aduerte, Curandum esse vt onera Capellaniæ præstentur, v.c. si certa sacra dicenda sint; quia fundatores priuari non debent, nisi iuxta modum à Tridentino præscriptum sess. 25. cap. 4.

CASVS XXIV.

Erectio Capellaniæ in Pastoratum. *In quadam Ecclesia non habente proprium Parochum, sed dependente ab alia, sunt duæ Capellaniæ, reddentes simul circiter centum quinquaginta florenos, quarum altera debet duo sacra in singulas septimanas; altera nunc quatuor, nunc quinque.*

Quæritur, *Vtrum possint erigi in beneficium Parochiale, adhibita moderatione in onere sacrorum?*

58 Ratio dubitandi. RAtio dubitandi est, Quia quando Concilium Triden. concedit Episcopis potestatem vniendi beneficia Seminariis, iubet id fieri sine cultus diuini præiudicio; vt patet sess. 23. c. 18. hic autem videtur cultus diuinus minui, quia minuitur sacrorum numerus, quę ex institutione ipsorum beneficiorum facienda. Deinde, quia Concilium non concedit illis potestatem moderandi, nisi quando onus est communitatis, v. g. monasterii vel Capituli; vel si prouentus non sufficiant, vt patet sess. 25. c. 4. de Reformat.

Responsio. *Respondeo*, Non esse dubitandum: Primò, Quin Episcopus talem erectionem & vnionem facere possit, quando id bonum Ecclesiarum postulat, & alia commodiore ratione iis prouidere non potest, v. g. assignatione fructuum ad Ecclesiam matricem pertinentium, vel collectis subditorum; id enim ei luculentè conceditur sess. cap. 4. & 5.

Requiritur consensus Patroni laici. Hoc tamen non debet fieri sine consensu Patronorum, si beneficia sint Patronatus Laici; vt aliàs Congregatio Cardinalium respondit, quia huic Patronatui sine expressa clausula non derogatur.

55 Potest Episcopus numerum sacrorum moderari. Secundò, Dubitandum non videtur, quin Episcopus etiam possit onus sacrorum moderari: dum enim Concilium facit potestatem noui oneris imponendi, tacitè etiam concedit moderationem prioris, præsertim si vtrumque iunctim iustum modum & vires excedat, vt in præsenti casu; alioquin non magni momenti esset hæc facultas; neque ad eam opus esset Concilii auctoritate, quia solum esset potestas grauandi, non autem ex æquo & bono statuendi. Deinde, quia onus quod hîc imponitur de nouo, facilè compensat illam moderationem; nam onus Pastorale est maioris momenti, quàm onus aliquot sacrorum. Tertiò, Quia Episcopus ex causa habet potestatem commutandi vnum pium opus in aliud, si illud æquè vel magis Ecclesiæ & animarum saluti prosit.

Nota præsens. In præsenti autem casu censeo illum Pastorem non obligandũ, vt omnia illa sacra per se vel alios semper dicat; sed vt dicat quot commodè poterit, prout valetudo, dispositio animi & corporis, negotia & onera pastoralia permittent: nam ordinariè beneficiarii ipsi non aliter solent obligari: & hac ratione valdè ad numerum primitus constitutum accedet.

54 Soluuntur Argumenta. Ad primam rationem dubitandi, Respondeo: Nulla hîc fiet absolutè cultus diuini imminutio, sed potius accretio per functiones pastorales.

Ad secundam, Etsi Concilium non concedat expressè in aliis casibus, concedit tamen tacitè; idque prudenti iudicio & ratiocinatione colligendum relinquit.

CASVS XXV.

Vnio Beneficii Subdiaconalis cũ Præpositura. *Vtrum Episcopus possit in Ecclesia sibi subiecta, qualis est S. Pharaildis Gandani, facere vnionem prębendæ Subdiaconalis cum ipsa Præpositura ob illius paupertatem?*

55 REspondeo, Mihi dubium non est, quin possit Episcopus in Ecclesia sibi subiecta, qualis est S. Pharaildis Gandaui, talem vnionem facere: mirum vnire prębendam subdiaconalem ipsi Prępositurę, ob illius paupertatem. Quia sunt multi textus in Iure, quibus id satis apertè declaratur: vt Clement. *Si vna*, de rebus Eccles. non alienandis, vbi dicitur: *Si vna Ecclesia alteri Ecclesiæ, vel dignitati alicui, vel prębendæ per Episcopum, suo consentiente Capitulo, vniatur, aut religioso loco donetur*, &c. *impugnari non poterit.* Ex Cap. *Sicut vnire*, Extra. de excessibus Prælatorum. vbi dicitur: *Episcopi est Ecclesiarum suæ diœcesis vnio & subiectio*, &c. Verum cæteris omissis abundè nobis sufficit Concil. Triden. quod sess. 21. c. 5. de Reform. ita statuit: *Vt etiam Ecclesiarum status, vbi sacra Deo officia ministrantur, ex dignitate conseruetur, possint Episcopi etiam vt Apostolicæ Sedis delegati, iuxta formam iuris, sine tamen præiudicio obtinentium, facere vniones perpetuas quarumcumque Ecclesiarum parochialium, & baptismalium, & aliorum beneficiorum curatorum, vel non curatorum, cum curatis, propter earum paupertatem, & in cæteris casibus à Iure permissis, etiamsi dicta Ecclesia vel beneficia essent generaliter vel specialiter reseruata aut qualitercumque affecta*, &c.

Clementina si vna. Tridentũ

Nec obstat, quòd per talem vnionem videatur Summus Pontifex priuari iure cõferendi suo mense, si tunc contingeret tale beneficiũ vacare: Quia si nec generalis nec specialis reseruatio impedire potest talem vnionem, multò minus ius mensis Pontificii, quod longè remotius est, & generalius, quàm reseruatio.

Non obstat mensis Pontificius. Ex quibus vlterius sequitur, Episcopum sua auctoritate posse confirmare & approbare cõmutationem iuris conferẽdi inter Serenissimum Principem & Dominum Prępositum; quia hæc iura sunt valdè commutabilia, cum vtrumque sit spirituale, & eiusdem ordinis, nec vsquam huiusmodi commutatio sit prohibita; & nemini per eam fiat præiudicium. Nam quòd Sedes Apostolica amittat suum mensem, non prouenit ex illa commutatione, sed ex vnione. Vnde commutatio illa est planè ad eam rem impertinens.

58 Communicatio iuris cõferendi beneficia potest fieri ab Episcopo.

CASVS XXVI.

Vnio monasterii vnius cum altero per Episcopum 57

Vtrum Episcopus possit monasterium sibi subiectum, consentientibus Monialibus, vnire alteri monasterio, absque pleno Capituli sui consensu?

RESpondeo: Quod Episcopus possit hãc vnionem facere, videtur clarè probari Cap. *Consultationibus*, de Donationibus. Vbi Alex. III. *Donationes verò vel concessiones Ecclesiarũ si quæ fiãt priuatis personis, vinẽtibus illis qui ipsas Ecclesias possident, nullius debent esse momenti. Si religiosis fiant locis ab Episcopo, vel eius auctoritate, rata debent haberi ita quod personæ, quæ iam dictas Ecclesias possident, sine ipsorum assensu eis in vita sua non debent spoliari.* Potest ergo auctoritate Episcopi, Ecclesia perpetuò vniri monasterio seu loco religioso, etiam viuentibus monialibus, quæ illam possident: & cùm illarum consensu potest fieri executio, & transferri possessio in locum religiosum. Vnde sequitur id posse fieri etiamsi illæ per alia monasteria forent dispergendæ: id enim necessarium est, si priuent se possessione, eaque cedat alteri monasterio vel collegio religioso.

Alexander III.

Idem confirmatur Can. *Si quis*, 6. q. 7. vbi dicitur: *Si quis vult monasterium suum ad meliorandũ, in aliũ locum ponere, fiat cum consilio Episcopi & Fratrũ suorum.* Et Can. *Nemini*, eadem q. vbi dicitur; *Nemini Regũ aut cuiquam hominum in proprium ius liceat monasterium tradere vel cõuertere nisi ad aliud monasterium.* Vbi permittitur Principi conuertere & tradere vnum monasterium alteri, quãdo causa iusta subest. Hoc tamen intellige faciendum esse interuentu auctoritatis Episcopi; vt ex aliis Canonibus constat.

Canon Si quis.

Idem manifestè confirmari videtur ex Cõcilio Trident. sess. 21. c. 5. de Reform. vbi sic statuitur:

Tridentinum.

Vt etiam Ecclesiarum status, vbi sacra Deo officia ministrantur, ex dignitate conseruetur, possint Episcopi etiam tanquam Apostolicæ Sedis delegati, iuxta formã Iuris sine tamen præiudicio obtinentium, facere vniones perpetuas quarumcunque Ecclesiarum parochialium & baptismalium, & aliorum beneficiorum, curatorum, vel non curatorum, cum curatis, propter earum paupertatem; & in cæteris casibus à Iure permissis, etiamsi dicta Ecclesia vel beneficia essent generaliter vel specialiter reseruata, aut qualitercunque affecta. Quæ vniones etiã non possint reuocari, nec quoquo modo infringi vigore cuiuscunque promissionis, etiã ex causa resignationis, aut derogationis, aut suspẽsionis. Hic Episcopis conceditur vt ad cõseruationem & augmentum cultus diuini, possint facere vniones etiam beneficiorum Curatorũ; quod longè maius est & difficilius, quàm vnire monasterium nõ exemptum paucarum monialium (quæ etiã consentiunt) idque causa publica & necessaria exigente. Cui autẽ conceditur, quod maius est, eidem concessum censetur quod minus est; præsertim quando hoc est æquè vel magis necessarium ad cultum diuinum & animarum profectum.

Idem colligitur ex illis verbis, *Et in cæteris casibus Iure permissis*: Atqui Ius nusquã prohibet Episcopis talem vnionẽ ob causã necessariã faciendam; imò apertè concedit 16. q. 7. duobus Canonibus suprà citatis, & Cap. *Consultationibus* suprà.

Denique huc pertinent ea quæ idem Concilũ Trident. sess. 25. c. 8. statuit de conuertendis quibusdam hospitalibus fundatis ad certũ vsum qui iam ferè cessauit, ad meliorem vsum, & vniendi aliis piis locis. Vbi etiam mandat Episcopis vt id faciant. Idem manifestè probatur ex Cap. *Sicut vnire*, de Excessibus Prælat. & Clementina *Si una*, de rebus Eccl. non alienandis.

Ex quibus omnibus satis liquere videtur Episcopo hãc potestatem competere in monasterium non exemptum, concurrentibus suprà dictis circumstantiis.

Sed difficultas est, Vtrùm ad hoc requiratur cõsensus Capituli. Mihi probabilissimum est hunc consensum non requiri; quia nullũ Ius id statuit. Solùm quędam iura requirunt, vt id fiat cum cõsilio Canonicorum. At multum illa differunt *cum consensu*, & *cum consilio*. Cum enim requiritur cõsentius actus est inualidus si contra vel absque cõsentu fiat. Cum consilũ, solùm requiritur vt non faciat nisi audita illorum sententia, rõ tamen absolute tenetur eam sequi, vt passim Doctores tradunt. Deinde nullus Canon requirit in hoc actu vt adhibeat consilium Capituli: nam Cap. *Consultationibus*, nulla fit mẽtio Capituli, vel Canonicorum, sed solius Episcopi. Concilium Trid. sess. 24. c. 5. solùm dicit posse Episcopum facere vniones iuxta formã Iuris; atqui Ius in vnionibus non requirit consilium Capituli quando ea res ad Capitulum non pertinet. Rursus, quando Concilium agit de Hospitalium applicatione ad alium pium vsum, non requirit consilium Capituli, sed solum duorum Canonicorũ ab ipso Episcopo eligendorum: idque propter varia ingenia, quæ solent esse in Capitulis, quæ difficillimè in idem conspirant. Denique quando consilium sess. 23. c. 18. de Reformat. agit de iis quę pertinẽt ad dotandum Seminariũ, datur Episcopo potestas vt cum consilio quatuor Ecclesiasticorũ, omnia peragat, quorum duo sint de Capitulo, duo ex reliquo Clero: ita vt electio duorum sit penes Episcopum, reliquorum duorum vnius penes Capitulum, alterius penes reliquum Clerum.

58 Potest id Episcopus absque consensu Capituli.

Consilium & consensus multum differunt.

Nec obstat Can. *Si quis*, 16. q. 7. quia non dicitur, *Cum consilio Capituli*, sed cum consilio Episcopi & Fratrum eius, vbi non est necesse intelligi omnes Canonicos, sed aliquos prudentiores tantum.

Duo hic aduertenda quæ plurimùm ad rem faciunt. Primò, Etiamsi requireretur consensus Capituli, sufficit vt maior pars consentiat: tunc enim res dicitur fieri ex vnanimi consensu Capituli, vt docet Emanuel Sà V. *Capitulum*, citans Baldum & Fabienam. Idem ipse vsus confirmat: ordinariè enim fit conclusio in deliberationibus ex sententia maioris partis, etiamsi vel vno tantùm superet. Idem dicendum quando requiritur consilium: sufficit enim iudicium maioris partis.

59 Sufficit ad consensum, maior pars.

Secundò, quòd quando dicitur, *vt aliquid faciat Episcopus cum consilio Capituli*, teneatur quidem audire eorum iudicium, sed non teneatur, sequi. Fumus V. *Consilium*. Panormit. in Cap. *Cùm in veteri*, de elect. Sil. V. *Consilium* n. 4. Emanuel à eodem verbo. Estque communis Doctorum sententia.

Consilium non tenetur sequi.

CASVS XXVII.

Vnio Prioratus cum alio monasterio.

Vtrum Summus Pontifex possit derogare iuri Collatoris ordinarii dum vniones facit; idque nominatim in vnione Prioratus cuiusdam monasterii, cum alterius ordinis monasterio?

60 Papa potest derogare iuri Patronatus Ecclesiastici & Laici.

RESpondeo, Certissimum est Pontificem posse huic iuri derogare. Primò, Quia potest derogare iuri Patronatus Ecclesiastici, vt docet Couarruuias lib. 1. qq. Practicarũ q. 36. & secundũ veriorem sententiam etiã iuri Patronatus Laici,

quando causa subest, & plenitudine potestatis vtitur: cuius signum est, quod huiusmodi beneficia vacātia in Curia conferat nō expectata Laici præsentatiōne: ergo multò magis potest derogare iuri Collatoris, nam hoc ius multò minùs est, quam ius præsentandi; præsentandi enim ius oritur ex fundatione vel dotatione; & si ad egestatē deueniat Patronus seu Præsentator habet ius alimentorum. Conferendi verò ius pendet ex voluntate Pontificis: cuius signum est quòd Pontifex illud sibi reseruet ob varias causas, etiamsi nulla culpa collatoris ordinarij intercesserit; & quòd cum Episcopis & aliis menses diuidat.

Plenaria dispositio omniū beneficiorum ad eum pertinet.

Secundo Quia plenaria dispositio Ecclesiarū, Personatuum, dignitatum, & aliorū beneficiorū noscitur ad Romanum Pontificem pertinere; vt habetur Cap. *De Prebendis*, in 6. Hinc est quod possit Episcopos & alios collatores præuenire vt ait Glossa ibidem.

Non debēt vocari habētes interesse

Tertiò, Quia etsi de aliis beneficiis posset quis dubitare tamen de Regularibus nullū potest esse dubium quin liberè possit illa vnire, quando ita expediēs iudicabit, nullo collatoris ordinarij (qui hic Abbas est vel saltem Monachus) requisito consensu. Quia Papa est ordinarius superior omnium Regularium, & potest eos pro arbitrio priuare suis beneficiis, & alio transferre: quamuis probabilius sit non posse transferre in seculares.

Quartò, Quia etsi in vnionibus quas facit Episcopus, debeant vocari omnes quorū interest non tamen id fieri debet in iis, quas facit Papa; vt docet Petrus Rebuffus in Regul. 11. Cancellariæ glossa 15. n. 7. eo quod ipse in his habeat plenitudinem potestatis: præsertim cùm illud præiudiciū quod fieri videtur Collatori, sit minimum, & non considerabile. Vnde etiam per clausulam generalem ei potest derogari, vt docet Ludouicus Gomezius q. 1. in Regulam *de non tollendo iure quæsito*.

Quintò, Legatus vniendo potest ab Episcopo auferre collationem, vt fatetur Rebuffus titul. de Vnionibus n. 16 citatque Dominos de Rota: ergo multo magis id potest Pontifex.

Hinc patet, potuisse hanc vnioem fieri, non vocato prædicto Abbate collatore. Imò quando causa vnionis est tam manifesta certoque constat Collatorem nihil posse adferre cur non expediat vnionem fieri, non est opus illum vocari: nam ob hanc solam causam vocandus est. Causa enim cognita & probata superiori, potest fieri vnio, velit nolit Collator, & alij quorum interest; vt rectè Rebuffus Glossa 11. n. 7.

61 Quandonā vocari debeant habētes interesse.

Petes Quandonam hæc derogatio censeri debeat sufficienter facta esse in Bulla?

62 Quandonā censeri debeat derogatio sufficienter esse facta

Respondeo, Certum esse hanc derogationem sufficientissimè tunc factam censeri debere, quādo variæ clausulæ adhibentur, quibus id manifestè declaratur, quales sunt: *Prima*, Cùm dicit Pontifex se Prioratum illius monasterio vnire, annectere, & incorporare, simulatque primùm vacauerit, (etiamsi vacet mensibus ordinariis Collatoribus concessis vel concedendis) ita vt statim possit capi possessio, nullius licentia requisita. *Secunda*, Cū decernit omnes alias prouisiones in posterum faciendas de prædicto Prioratu, inualidas, & nullas &c. *Tertia*, Cùm dicit, præsentes litteras non posse impugnari, aut inualidari de vitio subreptionis, obreptionis, vel alio quouis defectu. *Quarta*, Cum dicit, non obstantibus priori voluntatis nostræ prædictæ, in qua continebatur vt vnio non valeret, nisi vocatis quorum interest: &c. *Quinta*, Cum dicit, non obstantibus monasterii & Prioratus & Ordinis prædictorum consuetudinibus, priuilegiis, & indultis, super prouisione vel nominatione personarum ad illa, cum pro tempore vacant: &c. quibus verbis aperte Pontifex derogat iuri conferendi & præsentandi.

CASVS XXVIII.

Vtrum Summus Pontifex possit beneficium conferre, & etiam vnire alicui loco pio absque consensu Patroni, præsertim Ecclesiastici. Et quidsi in litteris concessionis non deroget huius iuris?

Vnio Prioratus absq; consensu Patroni.

63

REspondeo, Cùm Summus Pontifex, omniū Doctorum iudicio, in re beneficiaria plenitudinem potestatis habeat, vt eam dispenset prout Ecclesiæ vtilius magis expedire, non est dubitandum quin possit beneficia conferre, & etiā vnire alicui loco pio absque consensu Patroni. Ita docet Rochus de Iure Patronatus V *Honorificum* qu. 1. estque communis sententia. Et quamuis cùm beneficium est iuris patronatus laici, in quibusdam regnis non admittatur collatio vel vnio absque patroni consensu, vt in Hispania, & Gallia, teste Couarruuia lib. 1. pract qq c. 36. tamen nemo dubitat quin id admittendum sit, quando patronus est Ecclesiasticus. Solùm requiritur hic consensus quando vnio facienda est auctoritate Ordinarii, vt colligitur ex iis quæ scribit Couar. suprà, nu. 11. & Panor. in c. 8. de constit. nu. 5. Imò quando est Ecclesiæ necessitas, vel euidens vtilitas, valet etiam Episcopi collatio, & vnio facta absque consensu patroni; vt patet ex additionibus ad Panorm. it. loco citato, & Felino in dictum, cap. 8. n. 10.

Priuilegium Patronatus Laici in quibusdam regnis

Episcopus potest subinde vnire absque consensu patroni Ecclesiastici.

Cùm ergo Pontifex, omnium sententia, possit facere talem vnionem absque consensu Patroni Ecclesiastici: superest, vtrum hic de facto intenderit eam facere, cùm speciatim iuri patronatus non videatur derogasse.

64

Ad quod Respondeo, Pontificem intendisse omni modo quo poterat, hanc vnionem ratam & validam efficere; ac proinde hoc ipso generatim satis derogasse iuri patronatus, præsertim Ecclesiastici. Quod omni modo intenderit: satis patet, Tum ex eo *quod nulla alia decreta canonica velit obstare huic suæ dispositioni* vt patet pag. 4. in fine: atqui omne ius patronatus est ex decretis Canonum. Tum *quod has litteras nolit impugnari de surreptionis vel obreptionis vitio, aut intētionis suæ, alioue aliquò defectu*. Quæ sanè verba satis apertè indicant illum omni modo voluisse hanc suā dispositio nem esse validam sublatis omnibus impedimentis: Nec posse aduersarios obiicere, Pontificē non fuisse satis informatum; aut non intendisse vnionē efficere validā absque consensu Patroni. Tum denique, quia in Curia Romana nunquam expediuntur huiusmodi vniones, quin omnia minutim intelligantur. quæ ad conditionem rei vniendæ pertinent; & maximè, an beneficiū subsit iuri patronatus, an vero sit liberum; an patronus sit laicus, an clericus; an sæcularis, an religiosus &c. Accedit quod omnes Prioratus S. Benedicti sint dependentes à monasteriis; ac proinde subiecti iuri patronatus. Vnde non potuit Summus Pontifex ignorare hunc Prioratum habere patronum Quod autem eius expressa mē tio cum derogatione facta non fuerit, fortasse id factum obliuione vel inaduertentia eorum, qui litteras huiusmodi expediunt.

Vnde constet. An sufficienter derogatum sit Iuri Patronatus.

Omnes Prioratus dependentes à monasteriis, sūt subiecti iuri Patronatus.

65

Quod bella tunc temporis inter Gallos, & Re-

gem noſtrum Catholicum vigerent, parum ad negotium propoſitum facit: quia illa bona confiſcata non fuerant, imo nec confiſcari poterant, cum Eccleſiaſtica ſint; & res Eccleſiaſticæ ob bella & iniurias Principum confiſcari nequeant. Vnde etiam Abbas Gallus non potuit priuari à noſtro Rege, iure patronatûs, &c.

Bona Eccleſiæ non cadunt in fiſcum.

16

Verum Summus Pontifex propter Eccleſiæ bonum, potuit bona illius Prioratûs aliis vſibus applicare, & conſequenter priuare Abbatem iure patronatûs. Imo Legatus à latere id poterat, etiamſi patronus non eſſet illi ſubiectus, vt pote extra limites ipſius legationis degens; vt docet Rochus ſuprà.

Legatus à latere poteſt beneficia vnire abſque conſenſu patroni Eccleſiaſtici.

Scripſit Felinus tractatum, *Quando litere Apoſtolice nocent patronis Eccleſiarum*; quem citat Rochus. Verum nos in opere Felini cum non habemus. Is omnino conſulendus eſt.

BONA ECCLESIÆ.

CASVS I.

Acquiſitio bonorum Eccleſiæ.

Titius euidam loco religioſo donatione inter vinos contulit aliqua bona immobilia, ad ea vel perpetuò poſſidenda, vel ea vendenda, eamque donationem poſtea teſtamento confirmauit.

Quæritur, *Verum hæres ipſius prætextu priuilegij Leti introitus, & ſimilium, poſſit bonâ conſcientiâ denegare illi loco non ſolum prædicta bona, ſed etiam illorum æſtimationem.*

1

REſpondeo, Expenſo prædicto priuilegio eiuſque qualitate & mente conſiderata, clarum videri, non poſſe ex hoc capite ſine peccato & graui iniuria, æſtimationem illorum bonorum denegari.

Explicatur finis ſeu intentio edicti Carolini

Primo, Quia mens illius conſtitutionis non eſt irritas reddere huiuſmodi donationes ſeu diſpoſitiones, niſi quatenus per eas transferuntur bona immobilia ad manum mortuam, nempe vt poſſideantur & retineantur ab Eccleſia locove pio, vt ex verbis illius conſtitutionis diuerſis locis, & ex fine illius apertè colligitur. Vnde ſi donentur ad vendendum, & ea mente acceptentur, donatio non erit irrita. Cum igitur dicta donatio facta ſit alternatiuè ad alterum iſtorum, poterat à pio loco ſic acceptari: cenſetur autem ſic acceptaſſe, quia intendit acceptare eo modo quo optimè poteſt.

2 Videtur repugnare iuri Eccleſiæ & SS. Canonibus

Secundo, Quia, cum hæc conſtitutio videatur valdè dura, & repugnans iuri Eccleſiæ & ſacris Canonibus, ac multis Conciliis Oecumenicis, vt Concilio magno Lateranenſi ſub Innocentio III. cap. 44. & refertur cap. *Cum Laicis*, de rebus Eccleſiæ non alienandis: & Concil. Conſtantienſi in articulo de Eccleſiaſt. libertate: & Concil. Lateranenſi ſub Leone X. ſeſſ. 10. denique Concilio Tridentino ſeſſ. 25. de Reformat. capit. 20. cum inquam videatur manifeſtè repugnans his Conciliis & Iuri Eccleſiæ, libertatique Eccleſiaſticæ, ea interpretatio neceſſario adhibenda eſt quæ illam conſtitutionem mitiget, vt quàm minimum repugnet, non quæ exaſperet, vt per ſe notum eſt. Quare etſi in ea conſtitutione ſtatuatur vt tranſlatio bonorum immobilium facta in pium locum ſit irrita, id ſolum intelligendum de ipſo corpore poſſidendo, non de illo vendendo, & obtinendo eius pretio. Sic enim obtinetur finis illius conſtitutionis, & minus læditur ius Eccleſiæ.

Adhibenda eſt mitigàs interpretatio.

3

Confirmatur ex doctrina Bartoli quam habet lib. 2. Minoricarum. diſtinctio. 4. capit. 2. & 3. vbi docet etiamſi fratres Minores ſint incapaces bonorum immobilium, ſi tamen aliquid immobile illis legetur, valere legatum, ſed illud eſſe vendendum, vt obtineant ex illo pretium. Sic enim ob fauorem piæ cauſæ tales diſpoſitiones eſſe interpretandas, & hanc cenſeri mentem diſponentium. Multo ergo magis idem habebit locum in noſtro caſu, vbi pius locus ex ſe non eſt incapax dominij rei immobilis, ſed ſolum prohibetur per Principem ſæcularem poſſidere. Idē docet Emanuel Rodriges tom. 2. qu. 126. ar. 1. de aliis Mendicantibus, qui bona immobilia poſſidere non poterant, nempe illos ex teſtamento poſſe capere bona immobilia, non vt illa retineant in proprio vel in communi, ſed vt vendant, & eorum pretia in ſuas neceſſitates conuertant, vt ait Gloſſa in cap. 1. v. *Domum*. de Relig. domibus in 6. quam ſequitur Calderinus, & teſtantur eſſe ſententiam communem Alexander & Decius. Non enim dicuntur accipere immobilia, ex quo ſtatim illa vendere, & pretium in ſuas neceſſitates cōuertere intendunt, vt poſt alios reſoluit Iulius Clarus lib. 2. ſententiarum, §. Religioſus. Hæc Emanuel Rodriges. His aliiſque conſideratis, perſpicuum mihi videtur ſine graui iniuria pretium non poſſe loco illi denegari.

Mendicātes ſūt capaces. pretij prouenietis ex venditione immobiliū

CASVS II.

Reuocatio donationis factæ monaſterio.

Princeps bona quædam fiſco addicta abſolute dedit cuidam monaſterio: poſtea ex pacto Induciarum, quæ bona eiuſmodi ad priores dominos redire debent, amici ſeu hæredes qui Regi ſemper fuerunt fideles, ea repetunt.

Quæritur, *Verum Princeps poſſit illa bona iterum monaſterio eripere, & amicis reſtituere.*

4

PErpenſa ſpecie facti. Planè manifeſtum videtur ſalua conſcientia Principem non poſſe illa bona Religioſis abſolutè & in perpetuum donata, adimere, vt aliis, quantumuis fidis miniſtris, gratiam faciat. Idque propter duas cauſas, quarum quælibet per ſe ſufficit.

Nemo de alterius rebus poteſt diſponere.

Prima cauſa eſt, Quia nemo, ne Princeps quidem, poteſt alteri gratiam facere in re alterius, ſed in ſua duntaxat, quam ipſe bono iure poſſidet: quia nemo de re alterius pro ſuo arbitratu diſponere poteſt, ſed quiſque tantum rei ſuę eſt arbiter. Notum eſt exemplum de vinea Naboth 3. Regum cap. 21. Conſtat autem illa bona per talem Principis donationem, tranſlata fuiſſe in dominium Religioſorum: ac proinde non poſſe ea principem, pro ſuo arbitratu amplius donare. Hoc ſi in priuatorum rebus, omnium Doctorum conſenſu certum eſt, multo magis in iis quę Deo conſecrata ſunt, & locis piis ad cultum diuinum applicata, quæ abſque crimine ſacrilegij reuocari non poſſunt 17. q. 4.

5 Quandoñ poſſit Princeps ſtatuere de bonis priuatorum

Nec obſtat quod Princeps de rebus priuatorum ſtatuere poſſit, quando bonum commune id poſtulat, quia id locum non habet in præſenti caſu, vbi non prætenditur neceſſitas boni communis, ſed petitur gratia & beneficium. Vnde argumentum, quod pro aduerſa parte adducitur, nimirum, æquius & iuſtius eſſe, vt ſubditi ſemper fideles, dicto priuilegio fruantur, quam rebelles, quibus ius tale datum eſt, nullius eſt ponderis: quia id quod rebellibus conceſſum eſt, non eſt priuilegium liberum & gratioſum, ſed diſpoſitio neceſſaria bono Reipublicæ. Aliter enim periculum erat non obtinendarum Induciarum, neque

pernicioſo bello finis imponendi. Talis autem diſpoſitio non poteſt extendi ad alios caſus : Iniquum enim eſt vt quidquid permittitur rebellibus ad redimendam ſeditionem, concedatur fidelibus ſubditis, eo nomine quod morigeri & fideles permanſerint. Alioquin ciuitates quę ſemper in fide perſtiterunt, poſſent ſimili argumento petere exceptionem vectigalium & liberam adminiſtrationem.

6 Princeps tenetur ex promiſſo.

Secunda cauſa eſt: Quia Princeps, vt omni modo quo poſſet, hanc piam donationem ratam & irreuocabilem faceret, promiſit ſe eſſe curaturum prędictos Religioſos de illis bonis contra omnes & quoſcumque : quæ promiſſio illum obſtringit in conſcientia, vt quamdiu illa donatio via iuſtitiæ defendi poteſt, non patiatur illam in irritum recidere. Itaque quamuis Princeps, quà Princeps, ſeu iuſtus Iudex, obligetur curare vt nemini, contra ius, quod ſuum eſt, adimatur ; quia omnibus ius dicere debet : tamen in hoc caſu non ſolum illa generali ratione, & vt Princeps tenetur ; ſed etiam ſpeciali ratione promiſſionis, quaſi patronus, qui totum periculum rei in ſe ſuſcepit. Hæc promiſſio talis eſt naturæ, vt etiam in priuato inducat obligationem iuſtitiæ ; adeò vt, ſi quis facta tali promiſſione, non defendat cauſam, pro qua ſpopondit, & ſinat illam euerti, teneatur ad reſtitutionem. Vnde patet hanc obligationem eſſe diſtinctam ab ea, qua tenetur Princeps, vt Princeps & Iudex.

Ex quibus manifeſtè ſequi videtur, quod initio propoſuimus, in pręſenti caſu non poſſe Principem ſalua conſcientia bona illa Religioſis adimere, vt alicui alteri gratiam faciat.

Prohibitio acquiſitionis bonorũ Eccleſiæ.

CASVS III.

Vtrum ſtatutum quo Eccleſia & pia loca reddantur inhabilia ad acquirendum poſſeſſiones & immobilia ſit, contra libertatem Eccleſiaſticam ?

7 REſpondeo, Statutum quo Eccleſię & pia loca redduntur inhabilia ad acquirendum poſſeſſiones & immobilia, eſt contra libertatem Eccleſiaſticam. Probatur Primò, ex Cap. 1. de Immunit. Eccleſiaſt. in 6. in fine, vbi apertè id habetur. Secundò, Quia eſt contra ius conceſſum Eccleſię, l. *Generaliter*, & l. *Iubemus*, & l. *Vt inter diuinum*. C. de Sacroſanctis Eccl. Vide etiam l. *Caſſa*, & l. *Priuilegia*, eodem titulo. Tertiò, Quia eſt contra ius Gentium, & cedit in iniuriam Chriſti, cuius ſunt bona Eccleſię.

Qui condunt talia ſtatuta, vel ea exequuntur, ſunt Excommunicati, Cap. *Non minus*. de Immunit. Eccl. & Cap. *Nouerit*, de Sententia excommunicationis. Et in Bulla Cœnæ excommunicatione 15. apud Nauarrum num. 69. Concilium autem Tridentin. renouat omnia Iura antiqua & pœnas illis contentas, ſeſſ. 25. capit. 20. de Reformatione.

Prohibitio acquiſitionis bonorũ Eccleſiæ.

CASVS IV.

Vtrum licite poſſit fieri conſtitutio, qua illi, qui volunt ingredi Religionem, vel iam ingreſſi ſunt, prohibeantur bona ſua, vel portionem legitimam ipſis obuenturam dare pauperibus, vel conferre in Religionem, præſertim ſi ea pauper ac tenuis ſit ?

8 VIderi poſſit alicui talis conſtitutio licitè fieri poſſe. Primò, quia diſpoſitio bonorum temporalium pertinet ad Principem, cuius etiam eſt prouidere ne illa transferantur ad extraneos, & exhauriantur familiæ. Secundò, quia alioquin Religiones nimias diuitias accumulabunt, quæ ipſis poſteà erunt in ruinam, dum commeſſationi & crapulæ Religioſi indulgent. Tertiò, quia Principes habent in hac cauſa exemplum magni Theodoſij, qui conſtitutionem edidit, qua viduæ vetantur Eccleſię bona ſua relinquere, vt patet ex C. Theod. leg. 27. Et glorioſæ memor. Carolus V. in diplom. *Lati introitus*, vt vocant, & aliis quibuſdam, ſanxit ne Eccleſiæ, monaſteria, aliaque pia loca poſſint vllo modo de nouo acquirere bona immobilia, grauiterque vetuit Iudicibus ne illos iuridicè inueſtiant ; & ſi contra fiat, totum reddit irritum.

Rationes cur id videatur licere.

His tamen non obſtantibus, certum eſt talem cõſtitutionem, poſitis illis circumſtantiis, abſque graui peccato fieri non poſſe, quod peccatum eò deterius, & periculoſius eſt, quòd aſſiduè duret & continuetur, nec remitti poſſit quamdiu talis lex non reuocatur.

9 Non poteſt fieri ſine graui peccato.

Probatur hęc aſſertio : Primò, quia directè eſt contra conſilium Chriſti Domini, & contra Euangelicam perfectionem, quam Dominus communiter omnibus ſuaſit, cum ait Matthæi 19. *Si vis perfectus eſſe, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus.* Vbi notant ſancti Patres Dominum non dixiſſe, da amicis, & conſanguineis ; ſed, *Da pauperibus.* Vnde alibi dicit : *Venalia quæ poſſidebitis, & date eleemoſynam*, hoc eſt date pauperibus. Atqui repugnare conſilio Chriſti, & homines ab eo iectando prohibere, grauis eſt iniuria in Chriſtum. Etſi enim non ſequi conſilium Chriſti non ſit peccatum, quia conſilium eſt, non præceptum ; nec vlli neceſſitas imponitur, ſed librum cuique Domini noſtri benignitate relinquitur : auertere tamen alios, & vi prohibere, graue peccatum eſt, ad ſacrilegium vel impietatem pertinens. Sicut ſi ſupremus Princeps ſuaderet omnibus ad arma ferenda idoneis, vt capeſſant militiam contra infideles, vel quid aliud in eius obſequium faciant ; profectò grauiter Principem offenderet, qui ſuaderet contrarium, & multò magis qui vi impediret : imò hic reus cenſeretur læſæ maieſtatis, quamtumuis ipſe varias cauſas facto ſuo prætexeret. Chriſtus autem eſt Rex Regum & Dominus Dominantium, cui infinita reuerentia debetur : qui ergo eius conſiliis ſe opponit, graue crimen committit, & impius vel ſacrilegus videtur cenſendus. Quod ſanè maximè locum habet, quando id fit per legem, quę ad omnia loca, & tempora, & perſonas ſe extendit. Nullus eſſe poteſt modus ſe opponendi conſilio Chriſti vel efficacior, vel latius patens, vel diuturnior. Vnde ſi peccat, qui, vel in vno ſolo, conſilium Chriſti vi impedit, quantò grauius peccat qui impedit vi & lege, in tam multis, & tam diuturno tempore.

Repugnat conſilio Chriſti.

Secundò, Talis conſtitutio non ſolum eſſet iniurioſa Chriſto, quatenus eius conſilium prohibet ; ſed etiam quatenus impedit augmentum cultus diuini, & ſalutis animarum. Multi enim per inopiam Religionis ab ea excluduntur, qui ſi potuiſſent admitti, gloriam Dei & ſalutem animarum valdè promouiſſent.

10 Eſt Chriſto & Religioni iniurioſum.

Tertiò, Fit etiam iniuria Religioni, cuius intereſt, vt, qui volunt illi benefacere, & cultum diuinum ac numerum ſeruorum Dei augere, relinquantur ſuæ libertati, neque vi aut metu prohibeatur. Sed & illi, qui Religionem ingreditur, iniuria irrogatur : Hic enim cum iure diuino & hu-

& humano poſſit ſua in cauſas pias ad ſalutem animæ ſuæ expendere, nec teneatur ea hæredibus non neceſſarius abſque fructu ſpiritus [præſertim cum inopia non laborant] relinquere; cogitur cũ detrimento ſpirituali diuitibus dimittere: quod ſanè non parua videtur iniuria, vt ex ſanctis Patribus oſtendemus. Æquum enim eſt vt ſicut ipſe corpus ſuum Dei obſequio conſecrat [in quo à nemine ſine graui ſacrilegio & iniuria impediri poteſt:] ita etiam bona ſua quibus ſæculo ſeruiit, vel ſeruiturus fuiſſet, poſſit Deo conſecrare, iuxta Domini ſui, ipſum à ſæculo vocantis, conſilium.

Quartò, Talis conſtitutio eſt contra ſanctorũ Patrum doctrinam, qui etiam cenſent eam eſſe impiam & ſacrilegam. S. Hieronymus epiſt. 8. ad Demetriadem *Si vis, ait magiſter bonus ad adoleſcentem, perfectus eſſe, vade vende omnia quæ habes, & da pauperibus; & veni, ſequere me. Apoſtolici faſtigij eſt, perfectæque virtutis, vendere omnia, & pauperibus diſtribuere; & ſic leuem & expeditum cum Chriſto ad cœleſtia ſublimari.* Et infrà: *Da pauperibus*, inquit, *non diuitibus, non propinquis, non ad luxuriam ſed ad neceſſitatem. Laudent te eſurientium viſcera, non crudelium opulenta conuiuia.* Et idem epiſt. 26. ad Pammachium nobilem iuuenem: *Si vis eſſe perfectus, & deſideras eſſe quod Propheta, quod Apoſtoli, quod Chriſtus eſt, vende non partem ſubſtantiæ, ſed vniuerſa quæ poſſides: cumque vendideris, da pauperibus, non locupletibus, non ſuperbis. da quo neceſſitas ſuſtentetur, non quo augeãtur opes. Pars ſacrilegij eſt rem pauperum dare non pauperibus.* Dicit hoc eſſe *partẽ ſacrilegij*, quia eo ipſo quo perſona Deo ſe cõſecrat, etiã bona ſua cõſecrare videtur. Nã *Acceſſorium ſequitur ſuũ principale*, vt habet Regula Iuris. Quod ſi dare talia nõ pauperibus, huic ſancto Doctori videtur pars ſacrilegij; multò magis legem & conſtitutionem, qua talia vetantur dari pauperibus, & iubentur relinqui conſanguineis opulentis, dixiſſet eſſe ſacrilegam. Idem epiſt. 34. ad Iulianum, hortatur ipſum, vt partem filiarum quæ obierant, non in ſororum ornamenta, & luxum effundat, ſed in pauperum conferat alimenta.

11 Aduerſatur SS. Patribus Hieronymus.

Baſilius.

S. Baſilius in quæſtionibus fusè diſputatis q. 9. cum propoſuiſſet quæſtionem, *Quibus deberent ij qui religionem ingrediuntur, ſuas facultates relinquere*; ita reſpondet: *Cùm Dominus noſter dixerit, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo & veni, ſequere me. Et iterum, venalite quæ poſſideris, & date eleemoſynam: equidem colligo qui hac mente à ſuis diſcedit, hunc huiuſmodi curam de parte patrimonij ſui nullo modo debere negligere; ſed contra illud vrgere, vt cum diligentiſſime omnia ſecum abſtulerit, tanquam rem Domino conſecratam ſumma religione diſtribuat.* Et infrà dicit, ſi cognati naturales iniquius ſe geſſerint, & oppoſuerint, nõ eſſe cũ illis magnopere litigandum, *Admonendi tamen* inquit, *qui tales ſunt, & ſedulò reſtificandum, ſacrilegij ſcelere ſe ipſos aſtringere, idque à nobis faciendum vt pareamus præcepto Domini, qui dixit; Si peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eum* &c. Idem in regulis breuioribus q. 187. quærit hoc modo: *An ii qui cœnobio ſe dedunt, debeant à propinquis quæ ad ſe pertinent accipere?* cui quæſtioni ita reſpondet: *Omnino iſs qui ad Dominum accedunt, neceſſario quæ ad ipſos pertinent, reddere illorum propinqui debent, neque quidquam ſubtrahere, ne ſacrilegij iudicium incurrant* &c. Idem q. 92. docet ob duas cauſas bona potius pauperibus, quàm amicis locupletibus diſtribuenda: Primo, quia in pium vſum collata, valent ad redemptionem animæ, & remiſſionem peccatorum in ſæculo admiſſorum, iuxta illam Domini ſententiam, *Quod ſupereſt date eleemoſynam; & ecce omnia munda ſunt vobis.* Secundo, quia valent ad obtinendum regnum cœlorum, & theſaurũ in cœlis non deficiẽtem, iuxta illud, *Facite vobis ſacculos qui non veteraſcunt, theſaurum non deficientem in cœlis.*

Auguſtinus.

S. Auguſtinus in ſua regula, quæ habetur epiſt. 109. *Qui aliquid habebant in ſæculo, quando ingreſſi ſunt monaſterium libenter velint eſſe commune.* Idem in regula Clericis tradita: *Si quis venire deſiderat ad congregationem fratrum qui in vnum eſſe videntur, non ignoret hæc Euangelij dicta, Vendat omnia ſua, & erogет egenis & pauperibus.* Similia habet c. 25. de opere Monachorum. Idem Epiſt. 89. ad Hilarium cum propoſuiſſet tres gradus diuitum ſaluandorum, tandem addit: *Ego qui hæc ſcribo, perfectionem de qua locutus eſt Dominus, quando ait diuiti adoleſcenti: Vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo, & veni, ſequere me; vehementer adamaui, & non meis viribus, ſed gratia illius adiunctа fecі. Neque enim, quia diues non fui, ideò mihi minus imputabitur: Num neque Apoſtoli qui priores id fecerunt, diuites fuerunt. Sed totum mundum dimittis, qui, & illud quod habet, & quod optat habere, dimittit. Et ad hoc propoſitum, quãtis poſſum viribus, alios exhortor; & in nomine Domini habeo conſortes, quibus hoc per meum miniſterium perſuaſum eſt.* Vbi notandum S. Auguſtinum non ſolum hoc conſilium Chriſti ſecutum, ſed etiam totis viribus conatum perſuadere omnibus, quibus id eſſet integrum, vt ſequerentur, omnia ſua in pauperes erogando.

Ambroſius.

S. Ambroſius lib. 1. Officiorum cap. 30. *Nec enim propterea te Domino dicaſti, vt tuos diuites facias, ſed vt vitam tibi perpetuam fructu boni operis acquiras, & pretio miſerationis peccata tua redimas. Putant* (qui à te Religionem ingreſſuro facultates tuas petunt) *parum ſe poſſere! Pretium tuum quærunt; vitæ tuæ fructum adimere conantur. Et accuſat quod cum diuitem non feceris, cùm; te ille velit æternæ vitæ priuare mercede?* Quibus verbis apertè oſtendit quanta iniuria fiat illis, qui non permittuntur res ſuas in pia opera diſpenſare.

Omitto reliquos Patres & Doctores Scholaſticos, qui omnes docent, eos qui Religionem capeſſunt, ſeſeque Deo conſecrare volunt, etiam bona ſua eidem debere conſecrare, conferendo ea in pauperes, vel opera pietatis; non in amicos & cõſanguineos, niſi & hi quoquè pauperum numero cenſeri poſſint. Vnum tantum adferam Saluianum Maſſilienſem Epiſcopum (qui ferè coæuus fuit S. Auguſtino) qui totam hanc rem luculentiſſimè proſequitur lib. 3. contra Auaritiam Chriſtianorum, ad Eccleſiam Catholicam, vbi fusè oſtendit quam impiè faciant parentes, quòd filiis ſuis, qui Religionem ingrediuntur, ſubtrahant ſuam portionem legitimam, & minus relinquant, quàm ſæcularibus. Hoc enim nihil eſſe aliud, quàm Chriſtum exhæredem facere, & prouidere ne quid ad Chriſtum (à quo tamen omnia acceperunt) ex bonis ſuis perueniat. Inter cætera cum oſtendiſſet in teſtamentis condendis etiam pietatis rationem habendam, ita ſubdit: *At verò nunc diuerſiſſimè & impiiſſimè. Nullis à ſuis minus relinquitur, quam quibus ob Dei reuerentiam plus debetur; nullos pietas minus reſpicit, quam quos præcipuè Religio commendat. Denique ſi qui à parentibus filij offerantur Deo, omnibus cæteris poſtponantur oblati: indigni iudicantur hereditate, qui digni fuerant conſecratione: & per hoc vna tãtum re viles parentibus ſunt, quia cæperunt Deo eſſe pretioſi. Ex quò intelligi poteſt, quòd nullus pænè apud homines vilior eſt, quàm Deus, cuius vilitas fit deſpectione, vt cæ præcipuè filios ſpernant parentes, qui ad Deum cæperint pertinere.* Quibus verbis oſtendit id eſſe impium,

Saluianus.

& in Dei iniuriam redundare. Vide diſputationem noſtram *De ſtatu vitæ deligendo*, q. 11. vbi multa longè præclariſſima in amentiam multorum teſtamenta condentium, à viro illo ſanctiſſimo, & deuotiſſimo adducuntur.

Ex quibus omnibus perſpicuum eſt, talem conſtitutionem Sanctorum Patrum doctrinæ è diametro repugnare.

12 Repugnat antiquis Chriſtianorum Imperatorum legibus.

Quintò, Eadem etiam conſtitutio repugnat antiquis Chriſtianorum Imperatorum legibus. Nouella enim 125. cap. 38. ita ſtatuit Iuſtinianus: *ſi qua mulier aut vir monaſticam elegerit vitam, & intrauerit monaſterium filiis non extantibus, monaſterio quod ingreditur, res eius competere iubemus.* Vbi non ſolum permittit, ſed etiam lege præcipit, vt res ingredientium tradantur monaſterio. Deinde, de iis qui liberos habent, ſtatuit vt parens Religionem ingreſſurus relinquat liberis in ſæculo manentibus portiones ſuas, & reliquum in monaſterium conferat: nulloque caſu vult priuari monaſterium portione legitima, perinde ac ſi ipſum cenſeatur in numero filiorum. Eadem habentur Authent. *Si qua mulier* C. de Sacroſanctis Eccleſiis. Rurſus cap. 41. eiuſdem Nouellæ ita ſtatuit; *Nullum damnis licentiam aut parentibus filios, aut filiis parentes facultates vitam relinquentes, velut ingratos à ſua excludere hæreditate, ob cauſam quæ religioſam vitam antecedit. Interdicimus autem parentibus, ne filios ſuos monaſticam vitam eligentes, ex ſacris monaſteriis abſtrahant.* Vbi notandum, eam cauſam quæ ſufficiens erat ad filium exheredandum ante ingreſſum in Religionem, per ingreſſum ita extingui & aboleri, vt ob illam non poſſit ſua legitima priuari, ſed poſſit illam ſecum ad Religionem conferre. Si tantus eſt fauor ingreſſus Religionis, vt eum, qui per crimen iam exciderat, in integrum reſtituat; cuius animi erit filium nihil commeritum, ob ſolum ingreſſum excludere; vel etiam [quod amplius eſt] lege cauere ne ſua ſecum in Religionem aſportet? Idem Iuſtinianus eadem Nouella c. p. 37. ſtatuit in fauorem Religionis, *Vt ſi cui alicui electa hæreditas vel legatum ſub conditione impiarum, vel illegarum, vel datis cauſa, vel antenuptialis donationis, cum onere ſubſtitutionis & reſtitutionis, & talis Religionem ingrediatur; tales conditiones eſſe inualidas, & pro non ſcriptis habendas.* Eadem conſtitutio habetur Authent. *Niſi rogati*, C. ob S C. Trebellianum, quæ conſtitutio mirum indicat fauorem, quo olim Monarchæ orbis Religionem ſunt proſecuti. Voluerunt enim omnia ſubmouere quæ à Religione poſſant retrahere. Olim apud Romanos, cum adhuc eſſent Ethnici, conditio ſi non nupſerit, adiecta legato, vel inſtitutioni hæredis, habebatur pro non adiecta, eò quòd retraheret à nuptiis, quibus tunc magis fauebatur, quàm caſtitati. L. *Titia* 71. de conditionibus & demonſtrationibus. At modò in media luce Euangelica, quando pretium Caſtitatis & Religionis innotuit, Imperatores & Principes fauere cœperunt Religioni, & ſubmouere a omnia quæ ab ea capeſſenda poſſent retrahere.

13 Eſt contra libertatem Eccleſiæ.

Sexto, Talis conſtitutio apud Catholicos eſſet planè noua, & repugnans tot ſæculorum praxi & conſuetudini. Item eſſet manifeſtè contra Eccleſiæ libertatem, & cederet in magnam Religionis & Eccleſiæ iniuriam. Vnde Auctores non euaderent cenſuram excommunicationis, ipſo facto latam in conditores ſtatutorum, quæ Eccleſiaſticæ libertati officiunt. Hanc tulit Honorius III. Cap. *Nouerit*, De ſententia excommunicationis, eſtque confirmata à Concilio Trident. ſeſſ. 25. c. 20.

Septimò, His addo huiuſmodi conſtitutiones non rarò eſſe damnoſas & perniciosas ſtatui Principum & Rerumpub. quæ in eas conſentiunt. Viuit enim Numen Chriſti, cuius prouidentia mundus iſte regitur, & iniurias ſibi & ſuis irrogatas inſpicit, & ſentit; & ſæpenumero etiam in hoc mundo vlciſcitur. Qui enim Chriſtum, à quo omnia accepit, exhęredem ſcribit & inteſtabilem, merenit etiam ab illo exhęres fieri, & non ſolum cæleſti, ſed etiam terreno regno excidere. Qui illius gloriam & obſequium imminuit, meretur & ipſe inglorius fieri: nec ſolum meretur, ſed reipſa accipit. *Quicunque* [inquit, 1. Regum 2.] *honorificauerit me, glorificabo eum; qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.* Et Paulò ante: *Dominus pauperem facit, & ditat, humiliat & ſublimat: ſuſcitat de puluere egenum, & de ſtercore eleuat pauperem, vt ſedeat cum Principibus, & ſolium gloriæ teneat.* Ab ipſius prouidentia familiarum exaltatio & depreſſio, proſperitas & aduerſitas, diuitię & paupertas, gloria & ignominia pendet. Poſſet id plurimis exemplis tum veteris, tum noui teſtamenti, & etiam huius æui, ſi opus foręt, oſtendi.

15 Reſpondetur argumẽtis num. 8 poſitis.

Ad rationes initio allatas nunc breuiter reſpondendum. Ad Primam: Pertinet quidem ad Principem temporalium diſpoſitio; ita tamen illa vtendum, vt nulla Religioni & Pietati fiat iniuria. Neque dicimus familias nobiles eſſe exhaurienda, aut dominia nobilia ad Religionem transferenda. Hoc tamen olim valdè erat vſitatum, neque id circò familiæ nobiles nunc concidebant, ſed magis, diuina prouidentia ipſis benedicente, fiebant illuſtres & opulentę. Verum hoc modo non agitur, ſed ſolum vt permittatur libertas ea inferendi in Religionem, quę familię non ſunt affecta, ſed in quemuis extraneum liberè transferri poſſent. Quod ſi familia pro ſuo ſtatu pauper ſit, illius ratio in primis habeatur.

Ad ſecundam: Non agimus modo de iocis Religioſis, quibus abundè, vt viuant, eſt proſpectum: Religioſus enim non amplius de rebus temporalibus vel optare debet, quàm neceſſe ſit, vt tranquillè & decorè, iuxta inſtituti ſui rationem viuat. Sed agimus de illis quę ſuis reditibus & conſuetis eleëmoſynis viuere non poſſunt.

Ad Tertiam: Theodoſius quidem ſanctionem edidit, qua viduę prohibebantur donare Eccleſiis ſæcularibus, ob certam cauſam, quæ tunc incidit: non tamen verebantur dare monaſteriis. Deinde Theodoſius monitus, à S. Ambroſio etiam talem legẽ eſſe Deo aduerſam, mox eam reuocauit, vt patet ex lege 28. De Epiſcopis, in C. Theodoſiano. Qua de re fusè tractat Baron. ad annum Domini 390. Quod ad conſtitutionem glor. mem. Caroli V. attinet, de ea modo non diſputo. Fortaſſe melius eſſet Belgicę, ſi talia à ſuo Principe non extorſiſſet. Quæ enim calamitates, quæ damna ab eo tempore non ſuſtinuit? Notatum eſt à plurimis Illuſtriſſimam quandam Rempub. ex quo talia attentare cępit, grauiſſima damna accepiſſe. Sæpè iram Dei accendit, & menſuram peccatorum ab ipſo definitam implet, quod à mortalibus parui vel nullius momenti æſtimatur.

Reſpond. ad conſtitut. Caroli V.

CASVS VII.

Prohibitio acquiſitionis bonorũ Eccleſiæ.

Vtrum Politica auctoritate ſtatui poſſit *ne Religiones excedant certum numerum perſonarum.* Item, *certam quantitatem redituum.* Item, *ne vel ingrediantur vel alij laici, plura bona mobilia, quàm ad conſuetam tantum neceſſaria ſunt, Religioſis conferantur; idque ſolum certe præmiſſo examine per de-*

putatos, quo constet, an taxam constitutam non excedant?

Quæstio ista supponit Principem politicum habere ex se potestatem disponendi & statuendi de monasteriis & Ecclesiasticis personis, de quantitate bonorum, de numero personarum qui in quouis loco esse debeat: & prohibendi ne plures recipiantur, & ne laici eis bona sua etiam mobilia vel partem eorum vllo titulo donent vel relinquant, nisi certo prænotis exercine per deputatos, quo constet an taxam constitutam non excedant; & alia his similia, cum clausulis irritantibus si quid fiat in contrarium.

16

Quæ suppositio variis modis improbanda est. Primò, Quia manifestè accedere videtur ad errorem Marcilij Patauini damnatum à Ioanne XXII. qui docebat dispositionem bonorum temporalium spectantium ad Ecclesias & loca pia, pertinere ad Principem sæcularem, non ad Summum Pontificem. De quo Albertus lib. 5. De Eccles. hierarchia cap. 1. & Aluarus Pelagius l. 1. De planctu Ecclesiæ cap. 58. qui etiam ob eam causam eum vocat nouum hæresiarcham. Imò, quod magis est, videtur accedere ad errorem schismatis Anglicani; qui non solum supponit Principem habere ius statuendi de bonis, sed etiam de personis Ecclesiasticis & Religiosis, præscribendo qui numerus possit recipi in quouis loco, quantum singula monasteria habere, quantum eleëmosynarum possit admittere; & si vltra taxam constitutam aliquid datum fuerit, posse auferri tanquam nullo titulo possessum.

17 Hi articuli accedunt ad errorem Marsilij.

Et ad schisma Anglicanum.

Secundò, Articuli isti nouitatem sapiunt, cum nullo exemplo alicuius Reipub. Catholicæ [quod sciam] defendi queant. Certum enim est in regnis Hispaniarum Regi subiectis, vel in tota Italia nihil hactenus tale quid constitutum. Idem credo de locis Catholicis Galliæ, Germaniæ, Poloniæ, Belgij, &c.

18 Videntur alieni ab omni principe Catholico.

Nec obstat quod Serenissima Respub. Veneta nuper voluerit quædam similia constituere, nam Summus Pontifex Paulus V. mox per graues censuras se opposuit. Et multi scriptores Catholici doctissimis scriptis ostenderunt, hanc potestatem non competere Reipub. aut Principi sæculari. Vbi notandum est, istos articulos qui hîc in quæstione proponuntur, longè deteriores esse, & magis lædere cultum diuinum, & studium perfectionis, & magis impedire consilia Christi euangelica, quàm articulos Venetorum, etiamsi fortè non magis videantur lædere iurisdictionem externam fori Ecclesiastici. Venetorum enim articuli non statuunt de numero personarum, & de quantitate redituum, nec prohibent subditis plura donare locis piis, si sint mobilia, sed solum prohibent ne absque venia Senatûs ædificentur nouæ Ecclesiæ, monasteria, aliáque pia loca, & ne bona immobilia Laicorum, quocunque titulo, ad Ecclesias & pia loca deuenire possent. Quæ certè videntur minus impedire progressum cultus diuini, & largitionem eleëmosynarum, & consiliorum Christi executionem, quàm illi articuli qui hîc proponuntur. Nam bona ista immobilia possunt vendi, & loco illorum haberi pecunia æquiualens. Et venia Senatus non difficulter impetrari potest, quando aliquis se offert qui Ecclesiam vel locum pium fundare velit. Nemo impeditur ingredi Religionem, aut res suas Religioni donare, aut legare, modò non sint immobilia, & sic adhuc cultus diuinus potest crescere. At per articulos qui hîc proponuntur, cultus diuinus non potest crescere, quia numerus Religiosorum non potest augeri: nec qui adspirant ad Religionem vt Christi consilia sequantur, possunt id exequi, quia Religio non potest illos admittere, cum non possit illos alere, nec illi possint res suas illi Religioni donare, vt sic recipi queant absque aliorum incommodo, quia Religio non potest illa bona habere, cum taxam excedant. Itaque duplici modo impeditur ille homo ne consilium Christi possit exequi: Primò, quia non potest admitti, eò quòd numerus præstitutus personarum sit completus. Secundò, quia sua non potest donare Religioni ad cultum diuinum & salutem animarum promouendam.

Veneti talia molientes, à Papa prohibiti.

Sunt priores Venetorum articulis.

Neque solum in his, qui cupiunt ingredi Religionem, impeditur Christi consilium, sed etiam in omnibus illis, qui tali Religioni ad augmentum cultus diuini & promotionem salutis animarum cuperent aliquam pecuniam vel supellectilem relinquere.

Ex quibus ritè perpensis satis constat articulos istos Pietati Christianæ parum videri consentaneos.

19 Non obstat incolumitati Prouinciæ magnus Religiosorum numerus.

Nec obstat quòd talis prouisio prætendatur tanquam necessaria ad consulendum paupertati Prouinciæ, & ne Religiosi omnia absumant si magno sint numero, aut si tam effusæ liberalitates in eos fiant. Quia si quis rem istam sincerè considerare velit, deprehendet ad opulentiam Prouinciæ & familiarum pertinere, vt quàm plurimi ad Religiones se conferant. Sic enim [excepto modico quod alimentis Religiosi sufficit] omnia bona deuoluuntur ad paucos qui manent in sæculo. Hinc passim vbi multæ sunt proles, datur opera vt aliquæ monasterium ingrediantur. Quo casu parentes non debent esse tam iniqui in suas proles, & ingrati in Religionem, vt non simul conferant congruentia alimenta, quando facultates suppetunt, & Religio tenuiter est dotata. Qua de re præclare disserit Saluianus Massiliensis Episcopus, qui ferè ante 1200. annos vixit lib. 3. de Auaritia ad Ecclesiã Catholicam, vbi ostendit huius rei indignitatem: quam etiam Deus sæpè multis calamitatibus in proles sæculares, quę bona illa retinent, vindicat. Deinde qui in sæculo erat absumpturus in rebus vanis & sæpè illicitis aliquot millia francorum, in Religione vix ducentos vel trecentos, idque ad solam necessitatem, consumit. Itaque sicut parsimonia ciuium non facit ciuitatem aut prouinciam pauperiorem, sed ditiorem, cum facultates familiis saluæ maneant, ita nec Religiosorum multitudo, qui modico in Religione sunt contenti. Nam in sæculo longè amplius, & sæpè in regionibus externis, absumpti essent.

20 Incolumitas regni potiùs à Dei prouidentia quam hominũ cura pendet.

Tertiò, Cuiuis bono Catholico persuasum esse debet promotionem & felicitatem Prouinciarum & familiarum longè magis pendere ex diuina prouidentia & benedictione, quàm ex hominum prudentia, & talium articulorum obseruatione, qui etiam per se & politicè considerati, nihil nisi minutias quasdam continent, nihil virium ad bonum publicum habentes. Nam vt 1. Regum 2. dicitur *Dominus est qui viuificat & mortificat, pauperem facit & ditat, humiliat & sublenat, suscitans de terra inopem & de stercore erigens pauperem, vt sedeat cum Principibus, & solium gloriæ teneat*: & Psalmo 126. *Nisi Dominus ædificauerit domum* [familiam excitauerit, & illustrem fecerit] *in vanum laborauerunt qui ædificant eam. Nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustrà vigilat qui custodit eam*: & aliis locis innumeris Scriptura nos docet omnem huius vitę splendorem & abundantiam, omnem potentiam Rerumpub. & familiarum à diuina prouidentia pendere: non à mu-

igitized by Google

nutis quibuſdam inuentiunculis politicorum, nec ab induſtria humana.

Timendum regno quod talia fouet.

Quod ſi ita eſt, valdè timendum, ne huiuſmodi inuenta humana cum iniuria cultus diuini & famulorum eius coniuncta, Rempub. & familias potius euertant, aut multis calamitatibus inuoluant, quàm promoueant, & felices opulentaſque efficiant. Nam vt Dominus ait 1. Regum 2. *Quicunque honorificauerit me, glorificabo eum; qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.* Atqui per huiuſmodi articulos Deus cenſetur contemni ſeu inhonorari. Nam & cultus eius, & numerus famulorum eius reſtringitur; & procuratio ſalutis multarum animarum ad eius gloriam inſtituta, auertitur, & executio conſiliorum Chriſti in plurimis impeditur. Quid ergo mirum, ſi, cum Princeps & Reſpub. reſtringit cultum & familiam Chriſti & procurationem negotiorum eius, quæ ad ſalutem animarum pertinent, ob ſpeciem aliquam tenuem commodi temporalis: quid inquam, mirum, ſi Chriſtus viciſſim reſtringat eorum opes, potentiam, felicitatem, permittendo bella & vaſtationes, immittendo ſterilitatem, naufragia, incendia, aliaſque calamitates? Quid mirum, cum tam parci ſumus in Deum eiuſque cultum, & familiam ac honorem, ſi Deus viciſſim parcus ſit in commoda noſtra, non ſolum ſpiritualia [quæ ad vitam internam pertinet] ſed etiam ad temporalia, ad quę tam auidè inhiamus? Nulli Principes feliciores & potentiores, & opibus affluentiores fuere, quã Conſtantinus, & Carolus Magnus; nulli etiam magis effuſi in Eccleſiam & cauſas pias. Nullum hoc tempore regnum opulentius & tranquillius Hiſpania, nuſquam maior liberalitas in Eccleſiam & monaſteria: nuſquam maior Eccleſiaſticorum & Religioſorum vtriuſque ſexus copia: nuſquam maior veneratio. Omitto referre multas calamitates in quas coniectæ Reſpublicę & regna poſt huiuſmodi decreta, etiam noſtro æuo.

Illi potentiſſimi qui Eccleſiæ fauent.

Refert Theodorus Balſamon Græcum Imperatorem Nicephorum Phocam, ſimilem quandoque conſtitutionem edidiſſe, ne de nouo monaſteria vel aliæ religioſæ domus extruerentur. Sed eam conſtitutionem Baſilius Imperator, qui illi poſt Ioannem Zemiſcem ſucceſſit, reuocauit, cum clara teſtificatione & aſſertione, quòd omnes calamitates quibus perturbatum fuerat Imperium, propter Nicephori conſtitutionem eidem Imperio acciderint.

11 Hi articuli repugnant iuri & libertati Eccleſiæ

Quarto, Conſiderandum hos articulos manifeſtè eſſe contra iura Eccleſiæ, & Eccleſiaſticam libertatem: ac proinde à ſummis Pontificibus & Cõciliis generalibus ſub grauibus pœnis eſſe prohibitos; quas pœnas ipſo facto incurrant tum talia ſtatuentes, tum exequentes.

Concil. Lateranenſe magnum.

Concilium Lateranenſe ſub Innocentio III. longè ampliſſimum Capite *Cum laicis*, de rebus Eccleſię non alienandis, dicit laicis de rebus Eccleſiæ diſponendi nullam attributam poteſtatem, eoſque grauiter reprehendit, quòd audeant ſibi iuriſdictionem Eccleſiaſticam, vel circa res Eccleſiæ vſurpare; & eorum ſtatuta de huiuſmodi rebus irrita eſſe decernit; & cenſuris Eccleſiaſticis, eos, qui talia ſtatuta faciunt, compellendos.

Conſtantienſe.

Concilium Conſtantienſe ſeſſ. 19. confirmat conſtitutiones Frederici II. & Caroli IV. pro Eccleſiaſtica libertate, vbi plurima ad hanc cauſam pertinentia habentur.

Lateranenſe ſub Leone X.

Concilium Lateranenſe ſub Leone X. ſeſſ. 10. in Bulla quæ incipit *Regimini*, innouat omnes conſtitutiones contra violatores libertatis Eccleſiaſticæ olim editas, & nominatim contra eos qui ſtatuta condiderint eandem libertatem lædentia; & contra omnes qui ad hoc auxilium, conſilium vel fauorem præſtiterint.

Tridentinum.

Concilium Tridentinum ſeſſ. 25. de Reformat. cap. 20. innouat omnes Canones, omnia decreta Conciliorum generalium, & omnes Apoſtolicas ſanctiones in fauorem Eccleſiaſticarum perſonarum, libertatis Eccleſiaſticæ, & contra eius violatores editas, & præcipit vt ab omnibus exactè ſeruentur. Deinde addit; *Propterea admonet Imperatorem, Reges, Reſpub. Principes, & omnes, & ſingulos, cuiuſcunque ſtatus, & dignitatis extiterint, vt, quò largiùs bonis temporalibus, atque in alios poteſtate ſunt ornati, eò ſanctius, quæ Eccleſiaſticis iuris ſunt, tanquam Dei præcipua, eiuſque patrocinio tecta, venerentur*, nec à ſuis miniſtris vel ſubditis lædi patiantur; *ſed ſeuerè in eos, qui illius libertatem, immunitatem, atque iuriſdictionem impediunt, animaduertant: quibus etiam ipſimet exemplo ad pietatem, religionem, & Eccleſiarum profeſſionem exiſtant, imitantes anteriores optimos religioſiſſimoſque Principes, qui res Eccleſię, ſuæ in primis auctoritate, & munificentia auxerunt, nedum ab aliorum iniuria vindicarunt*, &c.

Bulla Cœnę.

Denique Summus Pontifex quotannis renouat excommunicationem latæ ſententiæ in eos qui ſtatuta, ordinationes, conſtituriones pragmaticas ſeu quæuis alia decreta, ex quauis cauſa, & quouis quæſito colore, fecerint, ordinauerint, publicauerint, vel factis & ordinatis vſi fuerint, vnde libertas Eccleſiaſtica in aliquo lædatur, vel deprimatur, vel quouis modo reſtringatur.

Nec refert quòd huiuſmodi articuli eſſent per Epiſcopos mandandi executioni: quia nec Epiſcopi ex ſe talem poteſtatem habent, nec Princeps ſecularis poteſt eam dare, nec huiuſmodi ſtatura condere.

CASVS VI.

Alienatio Bonorum Eccleſiæ.

Verùm Epiſcopus non faciat contra ſuum iuramentum quo iurauit non alienare poſſeſſiones ſuæ menſæ inconſulto Romano Pontifice: vel contra diſpoſitionem Extrauag. Ambitioſæ, *De rebus Eccleſiæ non alienandis, ſi vendat alicui Religioni domum ſuam in alia ciuitate, eiuſque tradat poſſeſſionem ſub ratihabitione ſeu beneplacito Summi Pontificis?*

Reſpondeo, Certum eſt non facere contra iuramentum, aut ius vllum, & poſſe licitè ita alienare. 12

Ratio eſt Primò: Quia illud iuramentum, ſicut & Extrauagans illa, intelligenda eſt de alienatione abſoluta & perfecta, non autem de conditionata: diſpoſitiones enim pœnales, & aliæ reſtringentes poteſtatem Ordinariorum, quam alioqui ex vi ſui muneris haberent, ſtrictè ſunt intelligendæ; vt omnes DD. tradunt: Pœnæ enim & odia reſtringenda: vt ex Regu. Iuris conſtat. Atqui hæc alienatio non eſt abſoluta, nec perfecta; ergo ea ibi non comprehenditur.

Secundò, Quia hæc alienatio confertur in Summi Pontificis beneplacitum: ergo non fit illo inconſulto. Non enim perficitur, nec vim habet niſi ipſius conſilium acceſſerit, idque poſterius natura & dependenter ab illo, adeò vt ſi conſenſus eius non acceſſerit, contractus reſoluatur, & ab initio ſit irritus. Et Confirmatur, Quia non poteſt dici inconſulto altero facere, qui totum quod agit, ipſius iudicio ſubiicit vt ratificet vel irritet pro ſuo arbitrio. Idem confirmatur ex paxi quotidiana in beneficiorum reſignatione & permutatione recepta, & Iure approbata. Nam fiunt huiuſmodi 13

Quod fit ſub alterius beneplacito, non fit ipſo inconſulto.

actus inter priuatos ſub beneplacito SuæSanctitatis; quamuis alioqui Iure abſque huiuſmodi conditione fieri nequeant. Pari modo filius familias qui mutuum accipere non poteſt abſque conſenſu Patris, poteſt tamen ſub parentis ratihabitione, quamuis non obligetur, niſi illa acceſſerit; illa verò accedente obligatio retrotrahitur ad tempus contractus; lege vlt. C. ad Macedon. Præterea cõmunis ſententia Doctorum eſt, quando res vrget, poſſe fieri alienationem etiam abſolutam abſque conſenſu Superioris, ſi degat in remotis; vt docet Panormitanus in Cap. vlt. de Eccleſ. ædificatione: multò magis fieri poterit vbi ſolum conſilium alicuius requiritur. Poſtremò, Ex vi iuramenti ſolum tenetur non alienare inconſulto Romano Pontifice. At multò plus eſt conferre totum in ipſius beneplacitum & ratihabitionem, quàm petere conſilium.

CASVS VII.

Alienatio bonorum Eccleſiæ.

Vtrum Prælatus volens alienare rem Eccleſiæ, ſatisfaciat, Iuramento ſuo, quo iuranit eam non alienare ſine conſilio Pontificis, ſi recurrat ad Nuntium Apoſtolicum eiuſque conſilio vtatur?

24 Ratio dubitandi.

VIdetur ſatisfacere. Quia Illuſtriſſimus Nuntius ſupplet locum Suæ Sanctitatis in prouincia, eiuſque perſonam refert. Deinde, quia cõſilium ſolum videtur neceſſarium quando ambiguum eſt vtrum alienatio ſit vtilis: ergo non eſt opus quando eſt perſpicua vtilitas.

Recurſus ad Nũtium Apoſtolicũ hic nõ ſufficit.

Sed contrarium videtur omnino tenendum, maximè ſi res patitur moram. Primò, quia alienatio rerum Eccleſiarum pertinet ad maiores Eccleſiæ cauſas, quæ ad Summum Pontificem ſunt referendę.

Secundò, ſi recurſus ad Nuntiũ ſufficit, vel, id eſt, quia Nuntius poteſt in illo iuramento diſpẽſare, vel quia illud iuramentũ ita eſt interpretãdum vt conſilium Nuntij cenſeatur eſſe conſiliũ Summi Pontificis. Non primum, quia inferior non poteſt diſpenſare in iuramento præſtito Superiori, maximè cum non poſſit diſpenſare in iuramento cum præiudicio tertij, etſi ille Superior non ſit: at hic diſpenſatio eſſet in præiudicium tertij, & quidem Superioris; nam diſpenſaret in iuramento fidelitatis præſtito ſuperiori. Non ſecundum,

A ſimili de de Vicario Epiſcopi.

quia conſulere Vicarium Epiſcopi, non eſt conſulere Epiſcopum: ergo multo minus conſulere Nuntium, eſt conſulere Summum Pontificem. Antecedens probatur, quia quando collatio beneficij pertinet ad Capitulum cum conſilio Epiſcopi, conſulendus eſt ipſe Epiſcopus, nec ſufficit conſulere Vicarium: alioquin quando Epiſcopus eſt in remotis, conſulendus eſſet Vicarius; quòd apertè eſt contra Cap. *Si ad Epiſcopum*. §. vltimo, *Ne ſede vacante* in 6. ergo quando Ius requirit conſilium Epiſcopi, non poſſumus interpretari ſufficere conſilium Vicarij. Conſequentia probatur, quia Epiſcopus & Vicarius cẽſentur vna perſona; habent enim idem Conſiſtorium & Tribunal: vnde à Vicario ad Epiſcopum non eſt appellatio; ſicut à Summo Concilio Regis non eſt appellatio ad Regem, quia eſt idem tribunal; Cap. 2. de Conſuetudinibus in 6. At Nuntius & Summus Pontifex habent diuerſas poteſtates, ſiue agatur de Cauſis in quibus ille habet iuriſdictionem ordinariam, ſiue in quibus ſolum delegatam: nam ab omnibus eius ſententiis eſt appellatio ad Summum Pontificem. Confirmatur, quia inter Vicarium & Epiſcopum tanta eſt connexio, vt condemnatus vel abſolutus à Vicario; in Iure dicatur abſolutus vel condemnatus ab Epiſcopo: & tamen conſilium Vicarij non eſt Epiſcopi, quando Ius requirit Epiſcopi conſilium: ergò multò minus conſilium Nuntij erit dicendum conſilium Summi Pontificis; cum abſolutus vel condemnatus à Nuntio, non dicatur abſolutus vel condemnatus à Pontifice, cum ei competat ad Summum Pontificem appellatio.

25 Induſtria in Conſiliario requiritur, quæ delegari nequit.

Tertio, Quando Ius ſtatuit in aliqua cauſa requiri conſilium alicuius, quæritur induſtria perſonæ, vt communiter DD. tradunt: ergo non poteſt id extendi ad ipſius delegatum. Et ſanè in propoſito induſtriam perſonæ requiri, manifeſtum eſt, quia dare conſilium non eſt iuriſdictionis, ſed prudentiæ, quæ maximè cenſetur eſſe in Summo Pontifice, vt qui totum Ius in ſcrinio pectoris ſui continere dicatur.

26 Alienatio bonorum Eccleſiæ refertur inter caſus Maiores.

Quartò, Quia Pontifex habet illam rem inter caſus maiores, quos ſibi reſeruat; iuxtà Cap. *Maiores*, de Baptiſmo & eius effectu. Nimirũ vt ſemper in iſtis alienationibus ſit quędam recognitio & dependentia ab ipſius auctoritate, qua eſt ſupremus bonorum Eccleſiaſticorum vbique terrarum exiſtentium diſpenſator: ergo vicẽ ſui in hac re non cenſetur dediſſe Nuntiis. Confirmatur, quia hanc cauſam tanti facit, vt eam in iuramento fidelitatis, quod Prælati in ſua conſecratione præſtant, voluerit includi, adiunctis grauibus pœnis, in eos qui ipſum non conſulerent: nam in Extrauagant. *Ambitioſæ*, ſic habetur, *Alienãti verò bona Eccleſiarum, monaſteriorum, locorumque piorum quorumlibet inconſulto Romano Pontifice, aut contra præſentis conſtitutionis tenorem, ſi Pontificali vel Abbatiali præfulgeat dignitate, ingreſſus Eccleſiæ ſit penitus interdictus*: quam pœnam deinde aggrauat, & totum contractum irritum decernit. Et ſanè ſi conſilium Nuntij ſufficeret, numquam ferè opus eſſet conſulere Pontificem; quia ferè ſemper ſunt Nuntij in Prouinciis, per quos minora quædam adminiſtrat; & ſic maximę alienationes fieri poſſent abſque Pontificis conſcientia.

Plectitur graui pœna.

27 Denique, Poteſtas gerendi hac in re vices Pontificis, neque iure ordinario competit Nuntio; cum nullus Doctorũ illum recenſeat inter ea quæ Nuntio competunt: neque ex ſpeciali delegatione ſeu cõmiſſione; quia id Nuntius in ſua delegatione expreſſum haberet. Ob has rationes iudico contrariam ſententiam non eſſe ſecuram.

CASVS VIII.

Alienatio bonorum Eccleſiæ.

Prioratus aliquis ante 40. vel 60. annos vendidit bona quædam immobilia inualide ob defectum conſenſus Generalis: & ideſtum interea ſpius fecit: neque interim vſus fuis priuilegio reſcindendi tales contractus.

Quæritur I. *An poſſit bona illa repetere, & contractus reſcindere.*

Quæritur II. *An priuilegium reſcindendi tales contractus amiſerit tam Prioratus quàm Generalis?*

28 AD *Primum*, Reſpondeo: Si bona aliqua immobilia illius Prioratus ante 40. vel 60. annos vendita fuere inualidè ob defectum conſenſus Generalis & interim bona fide poſſeſſa ab emptoribus, nec repetita intra illud tempus; non poſſunt elapſo tempore repeti, nec contractus reſcindi: quia per vſucapionem tranſlatum dominium.

Ad ſecundum, Reſpondeo Primo, Si actum eſt contra illud priuilegium per 40. vel 60. annos,

vendendo bona ſine recurſu ad Generalem, nec illi ſe oppoſuere intra illud tempus, curando irritari talem venditionem, & repetendo bona illa ſic vendita; amiſſa ſunt non ſolum illa bona, ita vt repeti non poſſint tanto tempore elapſo; ſed ipſum etiam priuilegium amiſſum eſt, quo tanto tempore non ſunt vſi, cum daretur occaſio.

Reſpondeo Secundo, Si in omnibus vel pleriſque locis illius Ordinis in prouincia aliqua ſitis, non eſt ſemata illa ſolemnitas recurrendi ad Generalem: ſed res ſunt venditæ cum conſenſu Capituli, & auctoritate Epiſcopi, nec poſtea curarum eſt vt illi contractus reſcinderentur ob defectum conſenſus Generalis, ſi inquam id factum eſt ſæpius in pleriſque locis, iam videtur amiſſum priuilegium per conſuetudinem contrariam, etiamſi non ſint elapſi 40. anni. Quia conſuetudo, vt legitimè cenſeatur præſcripta, ſecundum veriorem ſententiam, non requirit niſi decem annos.

Translatio bonorum Eccleſiæ iniquè poſſeſſorum.

CASVS IX.

Vtrum poſſim vendere ædes meas Miniſtro hæretico, qui nullas habet pecunias niſi ex beneficiis Eccleſiaſticis quæ iniquè poſſidet?

29 REſpondeo, Cum ædes tuas venales habeas, ſi Miniſter hæreticus qui ex ſolis bonis Eccleſiaſticis alitur, eas emere velit, non teneris illum repellere: ſicut nec alij mercatores qui res neceſſarias vendunt, id tenentur facere. Non enim Eccleſia, poſito illo rerum ſtatu, inuita aut repugnante illam pecuniam accipis à Miniſtro: quia hæc acceptio non eſt vllo modo cauſa, cur Miniſter illam Eccleſiæ non reſtituat.

Peres, An efficiaris propriè dominus pecuniæ ſic à Miniſtro acceptæ? Reſpondeo, Te non effici propriè dominum illius pecuniæ; quia Miniſter ille dominium rei alienæ transferre non poteſt: ſed acquiris poſſeſſionem, quam Eccleſia, ſtante hoc rerum ſtatu, concedit. Vbi tamen rebus tuis pecunia iſta ſic permixta fuerit, vt non poſsit internoſci, iam dominium tranſlatum eſt; vt conſtat ex iis quæ habentur §. *Si dominorum.* Inſtit. de rerum diuiſione, & L. *Si alienæ.* de ſolutionibus.

BVLLA PONTIFICIA.

Clauſula Priuatorij nullis inſerta.

CASVS I.

Quando Pontifex in Bullis ſeu Conſtitutionibus ſuis priuat Superiores, aliaſque Prælaturæ, Beneficiis, Voce actiua & paſſiua, & inhabiles ad earedditi hac formula: Eo ipſo priuamus, & priuatos ac inhabiles decernimus & declaramus, &c.

Quæritur, *Quid illa verba operentur?*

REſpondeo, Illa verba, *Eo ipſo priuamus, ac priuatos & inhabiles decernimus & declaramus*: non puto habere eam vim vt auferant beneficium, aut prælaturam iam ante iuſtè poſſeſſam, ita vt homo teneatur ſponte dimittere ante ſententiam declaratoriam Iudicis ferentem ſecum executionem & priuationem. Ita enim communiter ſentiunt Doctores. Quia nimis graue eſt, nec humanæ infirmitati accommodatum, vt quis ſeipſum teneatur ſpoliare bonis iam poſſeſſis, nemine exterius cogente.

2 Tamen quod attinet ad inhabilitatem reſpectu beneficij acquirendi; puto hanc ipſo facto irrogari, ſicut & irregularitatem, & inhabilitatem ex ſimonia; vt communiter Doctores tradunt.

Idem puto de priuatione vocis actiuæ & paſſiuæ: quia hæc non requirunt executionem hominis, ſicut nec cenſuræ: & ipſa cenſura excommunicationis habet annexam talem inhabilitatem.

Fateor tamen, Si quis hinc incurreret infamiam, v. g. quia abſtinet abeligendo, tunc poſſet vti iure eligendi, ſicut & celebrare in irregularitate. Idem dixerim de inhabilitate & priuatione vocis paſſiuæ.

3 Non tamen condemnauerim ſententiam quorundam Doctorum, qui putant etiam hic requiri ſententiam Iudicis declaratoriam criminis. De quo videri poteſt Sancius lib. 9. diſput. 30. Doctores quidam hoc ſunt ſecuti in quibuſdam diſpoſitionibus, quæ alioqui nimis durę videbantur. Vnde in caſu Sixti puto iſtam ſententiam non improbabilem. Sancius lib. 9. diſp. 30.

CASVS II.

Bullæ publicatio & reuocatio.

Pontifex Romę Bullam publicat qua vniuerſam concernit Eccleſiam, & iubet eam vbique publicari & obſeruari.

Quæritur I. *An hoc ipſo Bulla illa obliget alias Prouincias?*

Quæritur II. *Ad quem ſpectet eius alibi promulgatio?*

Quæritur III. *Quid requiratur vt dicatur recepta?*

Quæritur IV. *An ſi Bulla illa reuocetur Romæ, eo ipſo cenſetur vbique reuocata?*

Ad Primum, Reſpondeo: Probabilis eſt ſententia Bullas Pontificias nõ obligare in alias Prouinciis, niſi ibi ſint promulgatę; vt diximus in Tract. de Legibus, qu. 91. art. 4. Niſi contrarium expreſsè dicatur in ipſa Bulla, quod bis tenue fecit Xiſtus V.

Ad Secundum, Epiſcopi tenentur eas curare promulgari & obſeruari, ſi commodè poſſint. Quod ſi nequeãt ſine magna perturbatione, vel difficultate, poſſunt excuſari; modo bona fide faciant quod in ipſis eſt, vt ſeruentur.

Ad Tertium, Vt Bulla dicatur recepta, requiritur vt à maiore parte populi vel communitatis ſeruetur, cum occaſio ſe offert. Vbi tamẽ promulgata eſt, cenſetur recepta; ſaltem in propoſito & acceptatione populi, niſi conſtet de contrario: vnde in dubio ſeruanda eſt.

5 *Ad Quartum*, Reſpondeo ſub diſtinctione. In illa Bulla Romæ reuocata, vel agitur de cõtractibus, & ſimilibus ex quibus nata eſt ſequi magna perturbatio: vel agitur de priuilegiis. Si agatur de contractibus & ſimilibus, ex quibus poſtea ſequeretur in Prouinciis magna perturbatio, requiritur vt illa reuocatio ſolemniter promulgetur more legum præceptiuarum in prouincia, ibidemque recipiatur. Si vero agitur de priuilegiis, non requitur ſolemnis illa publicatio in prouincia, ſed ſufficit vt Romę more conſueto facta ſit, & vt de ea certo conſtet in prouincia. Nam priuilegia cum leges non ſint, multo facilius, quàm leges reuocari poſſunt, quandoquidem ſint gratuitæ conceſſiones, quales ſunt, delegata poteſtas abſoluendi à cenſuris, à caſibus reſeruatis, Indulgentię, &c. Hoc ipſo enim quo ad notitiam delegatorum talis reuocatio perfertur, amittunt delegati omnem iuriſdictionem, &c. Quænam vero leges

Digitized by Google

in particulari obligent in Gallia, colligendum est ex regulis Doctorum.

Placitum Aulæ.

CASVS III.

Vtrum vigorem Bullæ Apostolicæ requiratur Placitum Aulæ?

6 Respondeo, Placitum Aulæ est impertinens ad valorem Bullæ. Hoc ipso enim quo recipitur aliqua Bulla, obstringit. Placitum Aulæ facit ad promouendam vel impediendam executionem alicuius sententiæ vel mandati Apostolici: quia absque illo non permittitur fieri executionem in præiudicium partis quæ videtur grauata.

CASVS IV.

Receptio Bullæ Cœnæ.

Verum Bulla Cœnæ Domini, secundum omnia sua in Belgio sit admissa?

7 Respondeo, De Bulla Cœnę Domini non dubito quin sit recepta in Belgio quoad antiquos & ordinarios articulos, quales plerique sunt qui in ea continentur: vix enim modo in ea aliquid ponitur, quod ab 80 vel 100. annis & amplius in vsu non fuerit. Nec refert quod hic promulgata non fuerit: sufficit enim promulgatio Romana, & ea receptio, quam monitio & cura bonorum Confessariorum & Concionatorum induxit. De nouis articulis qui interdum inseruntur, maius est dubium; quia cessat illa ratio.

Noui articuli in ea inserti.

CASVS V.

Bullæ reformatæ ac certæ an & obligatio.

Bulla quædam reformatoria concernens omnes Religiosos, recepta est in Variis prouinciis vnius Ordinis, non tamen in monasteriis Belgicis eiusdem Ordinis. Item recepta est ab omnibus Ordinibus in aliquo regno habitantibus, excepto tamen vno aliquo Ordine vel altero eiusdem regni.

Quæritur I. *An admissio Bullæ in Variis prouinciis vnius Ordinis, obliget monasteria Belgica?*

Quæritur II. *An hoc ipso quo alij Ordines in vno regno Bullam admittunt, etiam vnus ille Ordo eam ibidem teneatur admittere?*

8 Ad Primum, Respondeo: Etsi Bulla aliqua in multis aliis Prouinciis alicuius Ordinis sit recepta; si tamen in Belgio non est in eo Ordine recepta, probabile est, ibidem non obligare, nec habere effectum; præsertim si ignoretur. Contrarium tamen est plurimorum Doctorum, præsertim quando est constitutio irritans, vel inhabilem reddens. Et iuxta hanc sententiam declarat Xistina etiam eorum qui ignoranter contra formam à se præscriptam admissi sunt vel professi, admissionem, & professionem esse irritam.

9 *Ad Secundum*, Respondeo: Etsi non negauerim esse probabile, omnes Religiosos diuersorum Ordinum, in eadem Prouincia habitantium, facere vnum corpus in ordine ad receptionem vel obseruationem constitutionis, quæ generaliter ad omnes dirigitur, sicut prædictæ Xistinæ ad omnes dirigunturs. Tamen contrarium puto esse planè verum & probabilius. Quia in hoc Ordine possunt esse rationes recipiendi vel non recipiendi aliquam constitutionem, quæ non sunt in alio. Vario quoque iure & variis institutis viuunt, adeo vt magis videantur distingui varij Ordines religiosi, quàm varię ciuitates eiusdem regni. Sæpissimè tamen fit vt lex Principis in vno oppido communiter recipiatur, & consequenter obliget singulos eius oppidi ciues; in alio non recipiatur, & ciues ibi non obligentur.

CAMBIVM.

Fictum Cambium.

CASVS I.

Mercatores secundum rationem cambii Francofurtensis dant Curiæ Regię 100. quasi Curia ibi haberet pecuniam, cum pacto vt soluat recambium secundum æstimationem currentem; & præfixum terminum solutionis singulis mensibus vnum cum dimidio in 100. nomine interesse.

Quæritur, *An contractus ille sit iustus?*

1 Respondeo, Contractus ille quomodo ab iniustitia vindicari queat non video: Primo, Quia communis Doctorum sententia est, Non esse verum cambium, sed vsuram nomine cambij palliatum, quando Campsorius non habet pecuniam actu vel in fide amicorum eo loci, quo cambium destinatur. Atqui Curia vel Rex nullam habet pecuniam Francofurti existentem reipsa aut in fide aliorum. Ergo hîc non potest esse verum cambium, sed solum fictio cambij. Siue enim dicas cambium esse emptionem, siue permutationem, nihil habet Curia aut Rex Francofurti, cum quo fiat permutatio, aut quod possit censeri emptum in hoc contractu. Quod si quis contendat Regem ibi posse habere pecunias, & ita iuxta quandam probabilem sententiam, quam quidam Doctores tenent de cambio Bizuntino, posse subsistere naturam cambii, hoc vt gratis demus, non tamen ideo redditur licitum: quia Rex non cupit remitti Francofurtum, cum sine ingenti dispendio non possit ibi pecuniam habere. Vnde est saltem contra charitatem: nemo enim vellet sibi, si in necessitate esset, id fieri, & cum tanto damno per tales ambages circumduci.

Nemo potest obligari ad recambium.

2 Secundo, Quia in eodem contractu obligatur Rex soluere recambium, quod etiam omnium iudicio illicitum est: quia nemo potest amplius petere ratione carentię pecuniæ suę, quàm æstimationem interesse, & forte etiam periculum sortis: ergo non potest præcisè ad recambium, quod plerumque longè maius est, obligari. Deinde, cum Rex nullam pecuniam Francofurti recipiat, qua specie iustitiæ poterit obligari ad recambium soluendum, perinde ac si rursus ad cambium accepisset?

Tertio, Quia immodicum videtur vt Rex postea nomine interesse soluat vnum cum dimidio singulis mensibus, id est, 18. anno: sic enim vno contractu lucrabuntur 33. & quinque septimas in singulos centenarios; quo amplius non lucrantur publici & professi vsurarij.

CASVS II.

Cambij precium.

Vtrum Campsor tantum possit exigere, quantum baiulus realiter transferret?

An Campsoris & baiuli pecunias transferentis, eadem sit ratio.

1 Videtur posse: Eo quod, id, quod Campsor præstat, æquiualeat ei, quod præstat baiulus; nam transfert pecuniam virtualiter, quæ translatio tanti est Campsorio, atque si realiter transferatur. Confirmatur, quia quod habeat faciliorem

Digitized by Google

modum traiiciendi, non debet ei esse fraudi, sed eius bonæ fortunæ assignandum; sicut si baiulus inueniret aliquem qui similem pecuniam in loco, ad quem fit traiectio, ei offerret, qualem accepit transferendam, nõ deberet realiter traiicere; tamen posset pretium pactum pro reali traiectione accipere. Quod autem minus exigant Campsores, id prouenit ex eorum benignitate.

4 Pretiũ pro cambiis statutum, non est trasgrediendum.

In contrarium tamen facit quod pretia cambiorum communi ipsorum iudicio sint constituta, ac proinde non possint excedi à particularibus: hęc autem pretia sunt longè minora, quàm ea, quæ baiulo deberentur: ergo saltem nunc non possunt amplius exigere.

Cambium quoddam Francofurtense illicitum.

Vnde sequitur non rectè excusari cambium Francofurtense [in quo campsor dans pecuniam quinto mense ante Nundinas, lucratur 5. grossos in singulos florenos, quarto autem mense dans, lucratur 4. in singulos, tertio, tres, secundo, duos, vno mense ante Nundinas dans, lucratur vnum vel nihil] eo quod campsor dans vno mense ante Nundinas, possit exigere etiam quinque grossos, sicut exigebat quinto mense, quia tantum potest exigere, quantum baiulus realiter transferens, qui posset exigere quinque in singulos florenos. Hoc enim fundamentum verum non est, cum pretium cambij vnius mensis, seu ad visas literas, sit constitutum.

5 Campsor æst mare debet operæ suæ conditionẽ, nõ commodũ campsarij.

Ad rationem in contrarium, esto, id quod præstat campsor, sit æquè commodum campsario atque ipsa realis translatio, quam facit baiulus, non tamen ideo eo tantum potest exigere, quia non debet æstimare commodum campsarii, sed conditionem suę operę, quæ non tanti valet quanti opera baiuli, longè enim minoris æstimatur virtualis traiectio, quę reipsa est solum permutatio rerum eiusdem speciei loco distantium, quàm realis, cum hæc sit difficillima & periculosissima, illa facillima, & exigui periculi, sicut longè plus exigere potest auriga qui curru rem traiicit, quàm nauta qui nauigio, & baiulus qui humeris, quàm qui equis. Ad Confirmationem: Non pertinet hic modus ad bonam fortunam campsoris in re proposita, quia non est initus contractus de reali traiectione, sed de virtuali, quę sola campsoribus vsitata. Secus esset si contractum esset de reali traiectione, & ille alibi similem omnino pecuniam numerare posset: Hoc enim ad bonam eius fortunã pertinere censeretur. Quo pertinet exemplum baiuli qui recepit in se traiectionem realem, & inuenit commoditatem similis pecuniæ in termino.

Cambium est permutatio pecuniarũ loco inter se dissitarum.

His addere licet, cambium potius esse permutationem pecuniarum quæ loco inter se dissitæ sunt, quàm locationem operarum ad eas transferendas. Vnde non sequitur eum posse tantum accipere, quantum is qui operas locat ad realem translationem. Quod autem de benignitate campsorum dicitur, videtur incredibile, cum constet quàm ingentes opes lucrentur, idque ferè cum euersione fortunarum illorum qui ad illos crebro coguntur confugere.

CASVS III.

Cambium vnum æquivalens 4. cambiis.

Petrum Campsor dans Antuerpię 1000. vsque ad proximas Nundinas Francofurdenses, quę erunt intra 4. menses, possit tantum exigere, quantum posset pro 4. cambiis mensruis factis singulis mensibus illis, ad visas literas.

Videtur posse, Probatur Primo, Quia cambium 1000. datum ad 4. menses videtur implicitè in se continere 4. cambia eiusdem sortis menstrua, quę soluuntur in termino mensis cuiusque: ergo tantum potest exigere, quantum pro 4. Confirmatur, quia id commodius est campsariis, qui pecuniam non possunt Francofurti, statim visis literis, v. g. in fine mensis, restituere; & minus soluunt, quàm si 4. cambia cogerentur accipere; nam non soluunt tot prouisiones pro numeratione pecuniæ. Potuerunt ergo Campsores communi iudicio sic pretia cambiorum instituere, quasi 4. cambia interueniissent; nonnihil tamen exigendo minus, quàm iure poterant, habita etiam ratione communis cursus Bursę, id est, praxis mercatorum mutuantium pro interesse.

6 Cambium datum ad 4 menses æquivalet 4. cambiis datis ad singulos menses.

Probatur Secundò, Quia in maiori mora maius est periculum sortis.

Tertiò, In maiori termino maior est incertitudo pretij futuri cambij, ac proinde maior metus: ergo.

Quartò, Campsor dans ad 4. menses, censetur implicitè velle facere 4. cambia menstrua, maximè cum communiori vsu mercatorum ita fiat, quorum vnanimis praxis debet potius in iustam partem sumi cum possit, quàm in iniustam: illam enim censendi sunt velle mercatores, non hanc.

Quintò, Vbi nullum est inuoluntarium, ibi non est acceptio vel retentio alieni: atqui hic nullum est inuoluntarium, nec expressum nec tacitum, nec formale, nec virtuale. Confirmatur, quia cum campsarius in prędicto casu deberet facere 4. cambia magno eius commodo 4. contrahuntur in vnum continens virtute 4. idque ex receptoriam vsu communiori mercatorum.

Sextò, Nemo sic contrahentium censetur non velle, quod velle potest, cum velit eo modo lucrari in hac terminorum concessione, quo licitissimè potest: posset autem lucrari licitè, si in 4. supradictorum mensium concessione, tria à parte rei faceret distincta cambia, etiam in primo horum mensium: ergo etiam poterit, si vnum contractum faciat, qui virtute contineat 4. Qui plura de Cambio desiderat, videat lib. 2. de Iustitia & Iure cap. 23. vbi 21. dubitationibus hæc materia fusè tractatur.

CENSVS.

CASVS I.

Census Vitalitius.

Nicolaus accepturus à Paulo summam 2671. florenorum, promisit ei 600. florenos annuos, nulla facta mentione de vita Pauli, sed tantum de vita Nicolai. Moritur Paulus.

Quęritur, *An promissio illa se ad Pauli hęredes extendat?*

1 Census vitalitius quis dicatur.

Respondeo, Considerata forma propositi contractus, non videtur hic propriè esse contractus census vitalij: tum, quia hic non solet constitui super vita debitoris, sed creditoris, vel filij, vel alterius personæ ipsum contingentis: tum, quia summa capitalis nullo modo secundum rationem census respondet tantę pensioni annuæ; nam deberet ferè esse duplo maior. Nisi velimus dicere esse censum vitalem extinguibilem duplici ratione; nimirum & morte creditoris, & morte debi-

toris; potuit enim iustè hoc apponi propter sortis exiguitatem.

4 In casu videtur esse contractus innominatus, nec trãsire ad heredes Pauli.

Sed verius puto esse contractum innominatum, in quo Nicolaus habita ratione beneficiorum acceptorum à Paulo, & summæ 2671. florenorum præterea accipiendorum, promittit eidem se ad vitam suam daturum illi 600. florenos annuos: vbi manifestum est bonam huius pensionis partem esse donationem, seu promissionem remuneratoriam pro beneficiis acceptis; quæ promissio solum respicit personam à qua beneficium acceptum est, non autem ipsius hæredes, nisi id exprimatur. Sicut cum Princeps alicui propter multa obsequia constituit pensionem annuam; hæc pensio extinguitur non solum morte Principis: sed etiam ipsius pensionarij, nec transit ad heredes.

Nec obstat quòd nulla sit facta mentio vitæ pensionarij, sed solum constituentis pensionem; quia in huiusmodi promissionibus remuneratoriis id per se intelligi videtur, nimirum vt non extendantur vltra vitam eius, quem cupis remunerari, quia solum ipsius commodum intenditur. Et sanè si Nicolaus constituens non volebat suos heredes obligari post suam mortem, sicut expressè cauit, multo minus volebat seipsum obligare heredibus pensionarij post mortem pensionarij, cum illi nihil cum hæredibus fuerit negotij.

CASVS II.

Pensio ex capitali anticipatè detracta.

Titius dat Caio 100 *florenos ad censum* 6. *& vnam Quartam, & statim recipit* 6. *florenos &* 5. *stuferos tanquam cessum canonem seu pensionem anni lapsi.*

Quæritur, *An deinceps ad rationem* 100. *florenorum, an verò solum* 93. *florenorum &* 15. *stuferorum pensionem recipere debeat?*

3 REspondeo, Cum pecunia datur ad emendum censum, vel ad societatem, vel causa mutui sub interesse iniquum est statim repetere pensionem annuam, vel interesse, cum reipsa non detur tanta summa quanta fingitur. Qui enim dat centũ causa census, & mox repetit pensionẽ, nimirũ 6. & vnam quartam, reuera non dat nisi 93. R tres quartas seu 93. florenos & 15. stuferos. Vnde in posterum non potest exigere pensionem de 100. sed solum de 93. florenis, & 15. stuferis. Itaque subducenda est ratio quantum, v. g. 6. annis acciperetur ex censu 93 florenorum & 15. stuferorum: & quod plus acceptum est, restituendum est: vltimus tamen annus etiam est computandus. Porro ex censu 93. florenorum & 15. stuferorum acciperentur quotannis 5. floreni & 16. vel 17. stuferi circiter.

CASVS III.

Pecunia data ad modũ census.

Ex pecunia pupillari mutuo data per modum census vtrimque redimibilis, accepi à te primò quotannis 6. *& vnam quartam in centum. Deinde, errore illo correcto, paciscor tecum de iusto reditu.*

Quæritur, *An aliquid restituere debeam, & quomodo id commodè possim facere?*

4 Si pecunia hæc data mercatori. Si data non mercatori.

REspondeo, Illa pecunia pupillaris quæ ad lucrum dari solet, vel data fuit mercatori, vel alteri: Si mercatori data fuit secundum vsum receptum, & bona fide, non videtur quidquam restituendum, quia censetur data eo modo quo iustè fieri potest, vt Nauarrus & alij docent. At-

qui iustè dari potuit ad societatem per tres contractus, exigendo lucrum secundum rationem censuum, nimirum 6. & vnam quartam in centum. Si autem alteri data sit, qui ea lucraturus non erat, non potest videri data ad societatem lucri, quod nullum est; sed potius per modum census redimibilis vtrimque: qui quoniam plurimis emi debet quàm census ordinarius, eo quod emptor obliget venditorem ad redemptionem, quando ipsi placuerit repetere pretium, non sufficit dare 16. florenos pro vno floreno annuo, sed dandi erunt 20. ac proinde pro 100. non recipiet quotannis nisi 5. nam onus istud facile tanti æstimari potest, nimirum 4. florenis. Vnde sequitur si ex tali contractu acceperis per 6. annos singulis annis 6. & vnam quartam pro centum, & teneri restituere 7. florenos & medium: quia singulis annis reddendus florenus & 5. stuferi. Vide ea quæ tradidimus lib. 2. de iustitia cap. 22. dub. 10. & quæ Valentia 2. 2. disp. 15. qu. 22. puncto 6. & qu. 25. puncto 2.

5 Potes tamen, censu iusto iam constituto, exigere quotannis pensiones currentes, etiamsi ratione præcedentium annorum debitori tuo teneatis aliquid restituere. Satis enim est vt postquam scis te ipsi teneri, data opportunitate soluas, vel tantundem remittas. Nec teneris ad vsuras quanto tempore in bona fide fuisti.

CASVS IV.

Pensio cum iure repetẽdi sortem.

Vtrùm Ciues qui non sunt mercatores, nec possunt obtendere lucrum cessans vel damnum emergens, vel periculum sortis, possint aliquo iusto titulo accipere 4. *vel* 5. *in centum quotannis, salua sorte, cum facultate, sortem repetendi.*

6 REspondeo posse per duos contractus. Primo, Si ineant contractus census, emendo censum ad rationem vnius in 15. sicut Leodij, vel in 16. sicut in Belgicis prouinciis Regi subiectis. Deinde, Si conueniat inter eos vt emptor certo pretio possit repetere pretium, nempe remittendo ex annua pensione. 1. & vnam quartam, vel 2. in 100. Sicut enim si venditor cuperet tale onus suscipere, rogaretque emptorem vrà se tale ius emat [censu iam constituto] posset emptor illud emere; ita etiam vicissim si emptor offerat & cupiat tale onus emere, potest venditor in illud consentire si velit, iusto pretio. Potest autem totum simul fieri, si res vtrique sit explicata, & vterque sponte sua in talem contractum consentiat.

CASVS V.

Pecunia ad censum destinata, sed aliò conuersa.

Ioannes potens cuidam Mercatori dedit 100. *quæ cupiebat apud alterum exponere in censum annuum.*

Quæritur, *Virùm ab hoc Mercatore posuerit petere* 8. *& in* 100?

7 REspondeo, In rigore Iuris non videtur Ioannes posse exigere 8. in centenarium, cum non inierit contractum censuarium, sed simplicis mutui, vt videtur. Nisi fortè potens fuerit mercator, & ita possit, ratione triplicis contractus cum mercatore, illud exigere, præsertim si generatim intendit omni titulo iusto illa accipere. Videtur etiam posse exigere ex quadam æquitate, ratione lucri cessantis nam reliquit contractum censuarium, quem alioquin facere cupiebat cum altero, ad ipsius petitionem. Itaque non cogerem ad restitutionem, sed iuberem contractum reformari.

Digitized by Google

Approbatio Cõfessarij.

CONFESSARIVS.

CASVS I.

Quid Nuntius Apostolicus valeat circa Approbationem Confessariorum?

REspondeo, Nuntius Apostolicus habet potestatem approbandi Confessarios, etiam absentes, & per alium designandos. Imò potest Superiori Regularium dare potestatem approbandi; cum in ipso Nuntio sit potestas ordinaria ad id faciendum.

CASVS II.

Approbatio Cõfessarij.

Virùm Capitulum possit sibi assumere potestatem approbandi & designandi Confessarios, vivente Episcopo?

2 REspondeo, aliud est approbare Confessarios: aliud nominare vel designare. Approbatio est solius Episcopi per Concilium Tridentinum; neque huic quæstioni potest se Capitulum immiscere. Designatio facilius ad eos pro certo loco pertinere potest: nam etiam Parochus in sua parochia Confessarios designare potest, modò ab Episcopo sint approbati. Approbatio per se non tribuit iurisdictionem, sed reddit capacem vt ei detur iurisdictio; quæ per nominationem vel designationem dari potest, modò ille sit approbatus.

CASVS III.

Approbatio Cõfessarij.

Confessariis monasterij datum est priuilegium à Papa audiendi confessiones, etiam sæcularium.

Quæritur, *An nihilominùs indigeant Episcoporum approbatione: aut possint censeri approbati quasi ex parochiali beneficio?*

3 PRiuilegium Summi Pontificis ad confessiones sæcularium audiendas, non supplet approbationem Episcopi iure Concilij Tridentini necessariam. Neque Confessarius Monialium habens tale priuilegium, potest censeri habere quasi parochiale beneficium, ita vt non sit ei necessaria approbatio; quia alioquin Confessarij conuentus apud Mendicantes, non egerent approbatione Episcopi ad audiendas confessiones sæcularium.

Parochiale beneficium respicit curam sæcularium.

Addo parochiale beneficium non dici nisi quod primariò respicit curam sæcularium: Hic autem solum accessoriè habet sæcularium curam, nimirum, quia seruiunt monasterio. Denique Concilium loquitur generatim de omnibus sæcularibus, etiam Sacerdotibus. Itaque non videntur isti Confessarij liberi ab obligatione se præsentandi Ordinario vt approbentur, si velint sæcularium, etiam Sacerdotum confessiones audire, etiamsi fortè habeant priuilegium audiendi omnes sæculares ad eos accedentes.

4 Non obstãte priuilegio, cedendum est, vbi Episcopi sese pristinè opponunt.

Si tamen post Concilium Tridentinum vsque ad hoc tempus mansuerunt in illa consuetudine audiendi confessiones sæcularium, Episcopo non contradicente, validè potuerunt absoluere; & propter tam longam consuetudinẽ videntur posse continuare, donec Episcopus se opponat, qui si se opposuerit, tenebuntur cedere, propter clausulam, *Priuilegiis, & consuetudine quacunque etiam immemorabili, non obstantibus.*

CASVS IV.

Electio Cõfessarij.

Superior Religiosus tenetur ex decreto Clementis VIII. vel etiam ipse Generalis, constituere duos vel plures, qui præter se domesticorum suorum confessiones audiant; ille id facere neglexit, aut recusat.

Quæritur, *An subditus possit sibi Confessarium eligere?*

5 REspondeo, Non potest inferior eligere sibi Confessarium, etiamsi Superior ex decreto Clementis VIII. duos vel plures constituere teneatur, idemque Generalis fieri iusserit, & superior exequi noluerit. Ratio est, quia non apparet vnde iste ita electus possit habere iurisdictionem. Nam in decreto illo Clementis solum dicitur §. 2. *Non liceat superioribus Regularium confessiones subditorum audire*, &c. & §. 3. *Superiores in singulis domibus deputent duos, vel tres, aut quatuor pro subditorum numero*, &c. quibus verbis Superioribus non aufertur potestas, sed solum redditur vsus illicitus, & iniungitur vt aliis potestatem dent. Vnde nec aliis conceditur vlla potestas, sed iubetur vt Superiores concedant. Quare si ipsi nolint concedere, non habebunt isti electi potestatem. Et sanè, si alia mens Pontificis fuisset, id aliquo modo explicasset.

Vsus illicitus potestatis, sed validus.

6 quid tali casu agendum.

Itaque in hoc casu recurrendum iudico ad Generalem, vel, quod facilius & expeditius est, ad Nuntium Apostolicum, vt ipse inferioribus hanc potestatem eligendi Confessorem concedat, vel Superiorem immediatum cogat vt decretum Clementis VIII. seruet. Interea debent Superioribus confiteri; quia hi soli iurisdictionem habent. Hoc intellige in peccatis mortalibus nunquam anteà confessis. Nam de venialibus alia est ratio.

CASVS V.

Rudes?

Quid faciet Confessarius cum rudibus, qui non habent fidem explicitam & distinctam Trinitatis, & Incarnationis?

7 Si horum fides explicita non sit necessaria absolue.

REspondeo, Probabilis sententia est fidem explicitam & distinctam Trinitatis & Incarnationis non esse necessariam ratione medij, sed solum præcepti: quam in paxi sequi possumus. Vnde possumus absoluere eos qui hæc ignorant si promittant se daturos operam vt discant prima opportunitate: maximè quando periculum est ne moriantur antequam possint reuerti, vel putentur non reuersuri. Si enim putarentur reuersuri, melius esset eos absque absolutione dimittere, vt vbi didicerint, reuertantur: sed hoc rarum est. Interdum sunt satis capaces, & subitò instrui possunt vt rem aliquo modo apprehendant: & tales, si tempus ferat, sunt breuiter instruendi, & posteà absoluendi, iniuncto onere melius vt eadem discant. Expediret etiam Catechismos ante solemnia Festa quibus confiteri & communicare solent, instrui variis locis, & hæc necessaria breuiter & dilucidè explicari.

Quando & quomodo hi sint instruendi.

8 Si sit necessaria hæc fides ne absoluat.

Iuxta alteram sententiam non possunt absolui si sint in peccato mortali: quia fides illa explicita est medium necessarium ad iustificationem. Non tamen est medium necessarium, vt is, qui iam iustus est, saluetur, si contingat illum mori. Nec ob defectum huius fidei amittet iustitiam, nisi, quando occasio est discendi illa mysteria, & ex crassa negligentia prætermittit.

Digitized by Google

Pueri.

CASVS VI.

Quandonam Confessarius censebit pueros capaces Absolutionis sacramentalis?

9 REspondeo, Pueri videntur capaces Absolutiones sacramentalis, si sciant quid euenturum sit malè agentibus, quid benè. Tunc enim concipiunt timorem Numinis, & affectum seruitutis erga Deum. Itaque de hoc rogandi. Si dubitet, potest illis dari bona precatio & benedictio, quæ magni est æstimanda. Nec est quòd Sacerdos hîc se implicet aut vexet.

CASVS VII.

Crebro relabentes.

Quid Confessario agendum cum his qui in eadem peccata crebrò relabuntur?

10 Expedit ordinariè eos sine absolutione remittere.

REspondeo, Qui ita crebrò relabuntur in eadem peccata, si post tres vel quatuor confessiones certis interuallis factas, non apparet vlla emendatio, aut conatus resistendi, expedit ordinariè eos remittere sine absolutione [explicato periculo in quo versentur, & absolutionem ipsis fore noxiam, cum non videantur habere sincerum propositum] vt conentur resistere, & adhibere remedia quę præscribuntur. Si non redierint, committat illos Deo, nec se ob id crucier.

11 Non est id absolutè necesse.

Dico, *Expedire ordinariè*: quia absolutè non est necessarium, si dicant se valdè dolere, & promittant emendationem. Quòd autem sæpè cadant vt antè, id infirmitati humanæ, quæ sanè maxima est, adscribendum. Vnde etiam Dominus septuagies septies peccatum in fratrem vult ignosci. Fieri etiam potest vt expediat sæpius absolui, si putetur id eis fore magis salutare. Hæc enim est regula qua Confessarius vti debet circa Pœnitentem in absoluendo, vel remittendo, in magnis vel paruis pœnitentiis iniungendis, *Vt spectata conditione pœnitentis, faciat id, quòd iudicat ei fore magis salutare.* Si dubitet, vtatur nunc hoc, nunc illo modo. Sæpè hæc repulsio est illis saluti; quia sic magis imprimunt animo rei momentum.

Sæpè expedit absolue re.

Regula.

Occasio relapsus.

CASVS VIII.

Quam occasionem Confessarius censere debeat proximam Pœnitenti ad lapsum.

12 REspondeo, Ea occasio censenda est proxima alicui, in qua dum ille constituitur, plerumque succumbit, & raro euadit illæsus. Itaque quando post aliquot confessiones deprehensum fuerit Pœnitenti conuersationem aliquam esse causam propinquam peccandi, cogendus est illam relinquere, & efficiendum vt alibi habitet. Si id ob iustas rationes impetrari non possit, cogendus est vitare illam conuersationem, quantum fieri potest. Si promittat se id facturum quantum poterit, præscriptis in particulari aliquot modis, poterit absolui: aliàs est remittendus.

CASVS IX.

Delectatio morosa.

Quomodo inuestigabit Confessarius an delectatio, de qua pœnitens se accusat, fuerit morosa? & an in eam consenserit?

13 Delectatio, quãdo morosa.

REspondeo Primò, vt sciatur an delectatio fuerit morosa, quærendum an inhæserint cogitationi turpi postquam aduerterunt esse talem, animo se oblectandi. Si affirmant, satis constat esse morosam; nec opus est rogare an turpes motus sint exorti. Si dicant post perfectam animaduersionem displicuisse, non sunt condemnandi peccati mortalis. Similiter si solum curiositatis causa, vt scirent, non vt delectarentur re cogitata, dicant se cogitasse; quamuis hoc rarius sit. Non debet Confessarius circa hoc esse anxius: non enim est necessarium vt ipse semper possit statuere, an peccatum fuerit mortale, an veniale hîc & nunc; id enim sæpè impossibile: sufficit vt inquirat circumstantias necessarias, & prout videt pœnitentem esse capacem.

Confessarius ne hîc sit anxius.

14 quando in delectationem censeatur consentire.

Respondeo Secundò: Tunc in delectationem consentis, quando tibi placet ea voluptas, quæ resultat in parte inferiore ex imaginatione actus carnalis, vel turpium contactuum; quæ voluptas est eiusdem rationis, ac ea, quæ ex opere nascitur, nam similiter concitatur sanguis & spiritus, & excitantur membra ad rebellionem, & seminis effusionem.

Pœnitentia seu satisfactio.

CASVS X.

Qualis pœnitentia conuenientissimè pœnitenti imponatur?

15 REspondeo, Illa pœnitentia conuenientissimè pœnitenti imponitur, quæ omnibus consideratis, iudicatur ipsi pœnitenti fore magis salutaris. Hue enim omnia tendunt, vt iste perducatur ad salutem.

Hinc fieri poterit vt pro 10. adulteriis, vel fornicationibus, non imponatur pœnitentia grauis homini simplici; nimirum si non putaretur eam expleturus; vel non habeat commoditatem propter vxorem & familiam; vel si alienaretur in posterum à confessione &c. Tunc enim tali possent imponi quinquies Pater & Aue per medium annum; & vt confiteatur quinquies vel sexies magnis Festis per annum; idque ad tres vel quatuor annos & similia.

Quòd si persona sit capax, & putetur ei fore vtile, conueniens erit imponere etiam ieiunia, & afflictiones corporis. Verum quod ad graues pœnitentias attinet, facilè pœnitentes possunt eas redimere per indulgentias, vti diximus in Tract. de Indulgentiis cap. 3. dub. 2. Vnde magis sunt inducendi vt sponte sua peccata castigent, quàm strictè obligandi, nisi quando Confessor iudicat hoc magis expedire.

Surdastri.

CASVS XI.

Quid faciet Confessarius surdastris imperfectè confitentibus in magno populi confluxu?

16 REspondeo, Non existimo surdastros in magno populi confluxu, qui imperfectè confitentur, posse absolui; sed esse remittendos in aliud tempus quo possint examinari, & instrui de necessariis; nisi fortè essent in periculo mortis &c. multoque minus id licet quando præceptum confessionis non obligat.

Debitor.

CASVS XII.

Quid faciet Confessarius cum Nobilibus; qui accusantur à suis creditoribus de defectu solutionis?

17 REspondeo & dico Primò, Non facilè denegãda est Nobilibus illis absolutio ob defectũ solutionis respectu suorũ creditorum, nisi constet eos in ea re iniquè agere. Suspiciones & dicta creditorum sæpè non sufficiunt.

Respondeo Secundò, Si agatur de solutione redituum personalium, vel etiam realium, facilius excusari possunt, etiamsi aliquot annis non soluant; quia ferè consuetudine receptum est, vt in pensionibus annuis non fiat ita prompta solutio.

Respondeo Tertio, Si ipsi in confessione se non accusant, quod debita non soluerint, & putentur bona fide existimare, se posse adhuc solutionem differre, posset Sacerdos dissimulare eam inquisitionem, si animus eorum crederetur inde offendendus, & maius bonum quod intenditur, impediendum timeretur. Si tamen non putentur esse in bona fide, vel ignorantia videantur crassa, suauiter sunt monendi, & instruendi.

CASVS XIII.

Vtrum teneatur Confessarius monere pœnitentem vt confiteatur peccatum mortale quod olim commisit, & per obliuionem pretermisit.

Peccata oblita.

18 REspondeo, Rectè dicitur me non teneri monere Titium vt confiteatur peccatum mortiferum quod olim commisit, & per obliuionem prætermisit confiteri: quia illa omissio præcepti diuini positiui fuit absque culpa, nec obest illi ad salutem aut bonam vitam &c.

CASVS XIV.

Sigillum confessionis. *Confessarius dubitat an male absolueris pœnitentem à casu reseruato: de eo, ipse confitetur apud Confessarium istum pœnitentem.*

Quæritur, *An ille omnino teneatur cauere, ne iste Confessarius possit coniicere illum pœnitentem rursus in talem casum incidisse?*

19 REspondeo, Confessarius qui dubitat an malè absoluerit pœnitentem à casu reseruato, tenetur cauere ne ita confiteatur illud suum peccatum, vt Sacerdos possit coniicere illum pœnitentem rursus in talem casum incidisse. Et si enim sciebat illum aliàs talia commisisse, ignorabat tamen hunc peculiarem lapsum. Nec refert quod id per accidens coniiciat: quia tenetur Confessarius cauere ne vllo modo det occasionem, vnde alius deueniat in notitiam peccati, quod ipse in confessione audiuit. Secus fortè esset quando idem casus illi Sacerdoti esset notus: tunc enim pœnitens non censetur inuitus, maximè si erat necessarium ad petendum consilium. Si tamen ab alio consilium haberi poterat, non potest conferre cum eo, qui coniiciet personam. Expedit in hac materia esse strictum. Vide quæ diximus in Additionibus ad 3. Partem de Pœnitentia q. 11. de Sigillo Confessionis.

CONFESSIO.

CASVS I.

Dispositio pœnitentis. *Quæ sit dispositio sufficiat ex parte doloris, detestationis, & propositi ad absolutionem sacramentalem?*

1 REspondeo, Illa dispositio, qua quis, reuocatis in memoriam suis peccatis, ex considera-

tione malignitatis eorum, prosilit in hunc actum animi internum: *O maledicta peccata quibus Deum meum offendi, vel quibus animam meam gratia, diuina priuaui, & pœnis æternis obstrinxi!* & simul proponit illa explicitè confiteri, & in posterum abstinere; & sic accedit ad confessarium eaque confitetur: illa, inquam, dispositio est sufficiens ad obtinendum beneficium absolutionis, & remissionem peccatorum, etiamsi dum Confitetur, nouum actum internum non eliciat. Imo talis dispositio est valdè bona & perfecta. Est enim abominatio & detestatio vitæ præteritæ quatenus offendit Deum; & sic est vera contritio: vel si tendat in peccata, vt faciunt reum pœnæ æternæ, est attritio supernaturalis, ac proinde sufficiens cum Sacramento. Porro in ista abominatione expressè continetur illud nolle, quo quis nollet peccasse: Sicut enim amare, est velle; ita detestari, odisse, abominari, quæ omnia idem valent, est nolle. Denique ex hoc actu necessario oritur dolor, saltem in parte superiore, etiamsi homo non semper id aduertat. Impossibile enim est in se ipso videre aliquod malum ingens, & illud detestari seu abominari, & non dolere de eius præsentia &c. Quare dubitandum non est quin tales confessiones validæ fuerint, & nullo modo sint repetendæ.

Detestatio peccati ob Deum offensum gratiã deperditam & pœnam æternam commeritã.

CASVS II.

Dolor. *An, qui dolet se non satis dolere de peccatis, cum absoluto proposito imposterum abstinendi, sufficienter sit dispositus ad absolutionem.*

2 REspondeo, Si res moraliter consideretur, qui dolet se non satis dolere de peccatis, videtur habere sufficientem dolorem, modo adsit propositum absolutum imposterũ abstinendi. Qui enim dicit se dolere ob defectum sufficientis doloris peccatorum, hoc ipso satis indicat peccata displicere, & nolle se ea commisisse, quamuis illam displicentiam non ita sentiat. Si ergo adsit propositum absolutum emendationis, conferi potest ille dolor sufficiens.

CASVS III.

Dolor. *An dolor pridie excitatus sufficiat vt postridie absolutionem consequar absque nouo dolore.*

3 REspondeo, Dolor semel conceptus de peccatis in ordine ad confessionem recogitatis, si quis ex vi illius, & proposito tunc concepto, applicet se etiam postridie ad confessionem, sufficiens est ad fructum Sacramenti, etiamsi quis in actu confitendi nouum dolorem non concipiat. Manet enim iste dolor virtute. Sicut cum quis ex vi propositi quod hodie facit, crastino die se applicat ad aliquam peregrinationem, illud propositum tendendi ad talem terminum manet virtute. Idem cernitur in alijs bonis operibus.

Confessio malè intellecta.

CASVS VI.

Si Confessarius apprehendat vt scrupulos, quæ vere sunt mortalia: Aut vt non facta à pœnitente, quæ tamen vera fecit: An teneatur repetere?

4 REspondeo, Siue Confessarius apud se iudicet pœnitentem quædam non verè patrasse, quæ tamen verè patrauit, & confitetur; aut putet esse scrupulos, vt interdum fieri potest cum de consensu interpretatiuo agitur, quæ verè sunt peccata mortifera:

Digitized by Google

mortifera : bona est absolutio ; modò tamen Confessarius conferat absolutionem in omnem euentum, cogitans se posse decipi in hoc iudicio, & ideo tum ratione illorum, tum aliorum quæ constat esse peccata, dandam censet absolutionem. Ratio est, quia pœnitens ex parte sua satis se explicuit, vti suppono; & Confessarius ipsum factum satis intellexit [quamuis priuato errore putauerit illud non esse peccatum, vel non esse à pœnitente commissum] & intendit illum ab omnibus peccatis confessis absoluere.

CASVS V.

Confessio malè intellecta.

Vtrum valida sit confessio, si Confessarius solum apprehendat vt venialia, quæ tamen sunt mortalia, & vtilè à pœnitente sunt exposita?

5 REspondeo, Si Confessarius ex ignorantia putauit esse venialia ; quæ erant mortifera, pœnitens tamen ex parte sua satis illa cum circumstantiis explicuit, ita vt confessarius factum intellexerit, etiamsi putauerit in eo non nisi venialem culpam latere : non ideò confessio est inualida : ac proinde neque repetenda. Nullo enim iure aut solida ratione contrarium probari potest ; esset que res plena scrupulis, & valdè grauis pœnitentibus. Sufficit vt pœnitens talem Confessarium non quæsierit, nec eius ignorantiam in confessione aduerterit : si enim aduerteret, deberet illum instruere, vt rectè iudicare posset. Hanc sententiam docent passim hoc tempore Doctores. Vide Suarem disp. 28. n. 14. & seqq.

CASVS VI.

Confessio malè explicata.

An qui explicuit peccatum in proprio gradu malitiæ, vt potuit, putans esse veniale, & postea deprehendit esse mortale, teneatur id iterum confiteri?

6 Si mortale confessum est vt veniale.

REspondeo, Qui intendit confiteri peccatum in proprio gradu malitiæ, & illud explicat quantum nouit, etiamsi putet illud esse veniale, non tenetur postea repetere, cum intellexerit esse mortale. Quia illa priuata opinio non excluſit intentionem confitendi illud secundum omnem eius malitiam. Secus est si solum intenderet confiteri vt veniale, & cuperet ita persuasum Sacerdoti, quod ordinariè non contingit.

Si confessũ vt dubium quod postea noscis esse mortale.

Cum autem dubitat an commiserit, & tanquam dubium confitetur, tenetur postea vbi certus fuerit, iterum confiteri. Ratio est, quia dubium crimen & certum mutant totam iudicij rationem. Longè enim aliter censendus reus & puniendus [si tamen puniri potest] qui dubitat an crimen commiserit : aliter qui certò commisit. Vnde etiam fit vt confessio criminis dubij non sit sufficiens materia Sacramenti. Loquor de dubio negatiuo, nimirum cum in neutram partem potest formari probabile iudicium.

CASVS VII.

Confessio dubiorum.

Quomodo dubia negatiua sint confitenda?

7 Quid agat Scrupulosus in dubiis.

REspondeo Primo, scrupulosus in multis potest excusari ; quia sæpè potest formare iudicium practicum, quod non potest is, qui mente est tranquilla. Vt in præsenti casu potest inducere in animum se tale peccatum, de quo dubitat, non commisisse ; sed *Scrupulum esse, qui eum torquet : Scrupulos non esse parendum*, &c.

8 Dubium negatiuum est triplex.

Respondeo Secundò, Absolutè tamen in dubio negatiuo tenemur confiteri, sed sub conditione Primò, cum peccatum est mortale, & dubitamus an illud fecerimus, an non. Secundò, cum scimus nos commisisse, sed dubitamus sit ne veniale, an mortiferum. Tertio, cum scimus nos commisisse, & esse mortiferum, sed dubitamus an simus confessi, an non. In hisce casibus manente dubio negatiuo, hoc est, in quo non possumus probabile iudicium in alteram partem formare, tenemur confiteri, iuxta communem Doctorum sententiam.

9 In tertio confitendũ

De tertio casu, non est dubium ; quia obligationi certæ non satisfacimus solutione incerta.

In secundo similiter.

De Secundo etiam patet : quia vt aliquid censeatur materia necessaria confessionis, non est necesse vt constet esse mortale, vel absolutè putetur esse mortale (distinctio enim peccatorum mortalium & venialium semper habita fuit obscurissima) sed sufficit vt constet esse peccatum, & non habeatur probabilis opinio esse veniale : tunc enim ob rei obscuritatem, suspectum haberi debet malitiæ mortalis. Nec obstat quod in dubio æquali homo non teneatur ad onus voti ; nam si constat illum vouisse, sed dubium est an plenè in illud consenserit, tenetur voti ; quia præsumitur habuisse sufficientem consensum, si ætas adsit, nisi constet de contrario. Eodem modo si materia erat grauis, præsumitur habuisse sufficientem deliberationem ad peccatum mortale, ita vt teneatur confiteri.

10 In primo nõ teneris confiteri.

In Primo casu cum dubitas an commiseris tale quid, an non probabile mihi est te non teneri confiteri. Ratio est, quia nemo censendus est reus obcrimen dubium, sed in omni iudicio est absoluendus, vt innocens ; non enim præsumenda sunt in dubio delicta. Ita puto intelligendos Doctores qui hanc sententiam insinuant, nempe Henriques lib. 8. c. 45. & Sà V. Eucharistia nu. 23. Tenetur tamen tunc confiteri, nisi dubium possit deponere.

Sed dices ; Nemo in dubio tenetur ad onus voti ; ergo nec ad onus confessionis.

In dubio nõ teneris ad onus voti.

Respondeo, Ideo in dubio neminem teneri ad onus voti, præcepti, &c. quia par non est vt tantum oneris imponatur cum res est dubia, quantum imponitur cum est certa ; quod tamen fieret, si dubius, voto teneretur. At hoc non fit in nostro casu : Non enim in dubio imponitur ei vt confiteatur crimen absolutè, sicut fieri debet cum res est certa : sed solum vt confiteatur sub conditione, & sub dubio ; quod longe minus est & facilius ; vnde non obligatur ad aliquid quod excedat illam dubitationem, sicuti obligaretur dubius voti, si teneretur votum implere.

CASVS VIII.

Confessio speciei & numeri.

Vtrùm in confessione teneamur explicare species & numerum omnium peccatorum mortalium?

11 REspondeo, Certum est apud omnes, pœnitentem teneri confiteri distinctè omnia quæ nouit : vnde si sciret distinctè species & numerum omnium, teneretur explicare. Nulla enim est ratio cur in quibusdam generibus peccatorum satis sit explicare species subalternas, in aliis etiã oporteat vltimas. Et vnde sciemus in quibus illo vel hoc modo fieri debeat ? Vel enim in omnibus sufficeret explicare species subalternas, quod planè falsum ! vel in nullis, vel in aliquibus ; si hoc vltimum, in quibus, & in quibus non ? Itaque nul-

nuris quibuſdam inuentiunculis politicorum, nec ab induſtria humana.

Timendum regno quod talia fouet.

Quod ſi ita eſt, valdè timendum, ne huiuſmodi inuenta humana cum iniuria cultus diuini & famulorum eius coniuncta, Rempub. & familias potius euertant, aut multis calamitatibus inuoluant, quàm promoueant, & felices opulentaſque efficiant. Nam vt Dominus ait 1. Regum 2. *Quicunque honorificauerit me, glorificabo eum; qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.* Atqui per huiuſmodi articulos Deus cenſetur contemni ſeu inhonorari. Nam & cultus eius, & numerus famulorum eius reſtringitur; & procuratio ſalutis multarum animarum ad eius gloriam inſtituta, auertitur, & executio conſiliorum Chriſti in plurimis impeditur. Quid ergo mirum, ſi, cum Princeps & Reſpub. reſtringit cultum & familiam Chriſti & procurationem negotiorum eius, quæ ad ſalutem animarum pertinent, ob ſpeciem aliquam tenuem commodi temporalis: quid inquam, mirum, ſi Chriſtus viciſſim reſtringat eorum opes, potentiam, felicitatem, permittendo bella & vaſtationes, immittendo ſterilitatem, naufragia, incendia, aliaſque calamitates? Quid mirum, cum tam parci ſumus in Deum eiuſque cultum, & familiam ac honorem, ſi Deus viciſſim parcus ſit in commoda noſtra, non ſolum ſpiritualia [quæ ad vitam internam pertinẽt] ſed etiam ad temporalia, ad quę tam auidè inhiamus? Nulli Principes feliciores & potentiores, & opibus affluentiores fuere, quã Conſtantinus, & Carolus Magnus; nulli etiam magis effuſi in Eccleſiam & cauſas pias. Nullum hoc tempore regnum opulentius & tranquillius Hiſpania, nuſquam maior liberalitas in Eccleſiam & monaſteria: nuſquam maior Eccleſiaſticorum & Religioſorum vtriuſque ſexus copia: nuſquam maior veneratio. Omitto referre multas calamitates in quas coniectæ Reſpublicę & regna poſt huiuſmodi decreta, etiam noſtro æuo.

Illi potentiſſimi qui Eccleſiæ fauent.

Refert Theodorus Balſamon Græcum Imperatorem Nicephorum Phocam, ſimilem quandoque conſtitutionem edidiſſe, ne de nouo monaſteria vel aliæ religioſæ domus extruerentur. Sed eam conſtitutionem Baſilius Imperator, qui illi poſt Ioannem Zemiſcem ſucceſſit, reuocauit, cum clara teſtificatione & aſſertione, quòd omnes calamitates quibus perturbatum fuerat Imperium, propter Nicephori conſtitutionem eidem Imperio acciderint.

22 Hi articuli repugnant iuri & libertati Eccleſiæ

Quarto, Conſiderandum hos articulos manifeſtè eſſe contra iura Eccleſiæ, & Eccleſiaſticam libertatem: ac proinde à ſummis Pontificibus & Cõciliis generalibus ſub grauibus pœnis eſſe prohibitos; quas pœnas ipſo facto incurrant tum talia ſtatuentes, tum exequentes.

Concil. Lateranenſe magnum.

Concilium Lateranenſe ſub Innocentio III. longè ampliſſimum Capite *Cum laicis*, de rebus Eccleſię non alienandis, dicit laicis de rebus Eccleſiæ diſponendi nullam attributam poteſtatem, eoſque grauiter reprehendit, quòd audeant ſibi iuriſdictionem Eccleſiaſticam, vel circa res Eccleſiæ vſurpare; & eorum ſtatuta de huiuſmodi rebus irrita eſſe decernit; & cenſuris Eccleſiaſticis, eos, qui talia ſtatuta faciunt, compellendos.

Conſtanienſe.

Concilium Conſtantienſe ſeſſ. 19. confirmat conſtitutiones Frederici II. & Caroli IV. pro Eccleſiaſtica libertate, vbi plurima ad hanc cauſam pertinentia habentur.

Lateranenſe ſub Leone X.

Concilium Lateranenſe ſub Leone X. ſeſſ. 10. in Bulla quæ incipit *Regimini*, innouat omnes conſtitutiones contra violatores libertatis Eccleſiaſticæ olim editas, & nominatim contra eos qui ſtatuta condiderint eandem libertatem lædentia; & contra omnes qui ad hoc auxilium, conſilium vel fauorem præſtiterint.

Concilium Tridentinum ſeſſ. 25. de Reformat. cap. 20. innouat omnes Canones, omnia decreta Conciliorum generalium, & omnes Apoſtolicas ſanctiones in fauorem Eccleſiaſticarum perſonarum, libertatis Eccleſiaſticæ, & contra eius violatores editas, & præcipit vt ab omnibus exactè ſeruentur. Deinde addit; *Propterea admonet Imperatorem, Reges, Reſpub. Principes, & omnes, & ſingulos, cuiuſcunque ſtatus, & dignitatis extiterint, vt, quò largiùs bonis temporalibus, atque in alios poteſtate ſunt ornati, eò ſanctius, quæ Eccleſiaſticis iuris ſunt, tanquam Dei præſidia, eiuſque patrocinio tecta, venerentur*, nec à ſuis miniſtris vel ſubditis lædi patiantur; *ſed ſeuerè in eos, qui illius libertatem, immunitatem, atque iuriſdictionem impediunt, animaduertant: quibus etiam ipſimet exemplo ad pietatem, religionem, & Eccleſiarum profectionem exiſtant, imitantes anteriores optimos religioſiſſimoſque Principes, qui res Eccleſię, ſua in primis auctoritate, & munificentia auxerunt, nedum ab aliorum iniuria vindicarunt*, &c.

Tridentinum.

Denique Summus Pontifex quotannis renouat excommunicationem latæ ſententiæ in eos qui ſtatuta, ordinationes, conſtituriones pragmaticas ſeu quæuis alia decreta, ex quauis cauſa, & quouis quæſito colore, fecerint, ordinauerint, publicauerint, vel factis & ordinatis vſi fuerint, vnde libertas Eccleſiaſtica in aliquo lædatur, vel deprimitur, vel quouis modo reſtringitur.

Bulla Cœnę.

Nec refert quòd huiuſmodi articuli eſſent per Epiſcopos mandandi executioni: quia nec Epiſcopi ex ſe talem poteſtatem habent, nec Princeps ſecularis poteſt eam dare, nec huiuſmodi ſtatuta condere.

CASVS VI.

Alienatio Bonorum Eccleſiæ.

Verùm Epiſcopus non faciat contra ſumm iuramentum quo iuranit non alienare poſſeſſiones ſuæ menſæ inconſulto Romano Pontifice: vel contra diſpoſitionem Extranag. Ambitioſæ, *De rebus Eccleſiæ non alienandis, ſi vendat alicui Religioni domum ſuam in alia ciuitate, eiuſque tradat poſſeſſionem ſub ratihabitione ſeu beneplacito Summi Pontificis?*

Reſpondeo, Certum eſt non facere contra iuramentum, aut ius vllum, & poſſe licitè ita alienare. 21

Ratio eſt Primò: Quia illud iuramentum, ſicut & Extrauagans illa, intelligenda eſt de alienatione abſoluta & perfecta, non autem de conditionata: diſpoſitiones enim pœnales, & aliæ reſtringentes poteſtatem Ordinariorum, quam alioqui ex vi ſui muneris haberent, ſtrictè ſunt intelligendæ; vt omnes DD. tradunt: Pœnæ enim & odia reſtringenda: vt ex Regu. Iuris conſtat. Atqui hæc alienatio non eſt abſoluta, nec perfecta; ergo ea ibi non comprehenditur.

23 Quod fit ſub alterius beneplacito, non fit ipſo inconſulto.

Secundò, Quia hæc alienatio confertur in Summi Pontificis beneplacitum: ergo non fit illo inconſulto. Non enim perficitur, nec vim habet niſi ipſius conſilium acceſſerit, idque poſterius natura & dependenter ab illo, adeò vt ſi conſenſus eius non acceſſerit, contractus reſoluatur, & ab initio ſit irritus. Et Confirmatur, Quia non poteſt dici inconſulto altero facere, qui totum quod agit, ipſius iudicio ſubiicit vt ratificet vel irritet pro ſuo arbitrio. Idem confirmatur ex paxi quotidiana in beneficiorum reſignatione & permutatione recepta, & Iure approbata. Nam fiunt huiuſmodi

actus inter priatos sub beneplacito Sux Sanctitatis; quamuis alioqui iure absque huiusmodi conditione fieri nequeant. Pari modo filius familias qui munum accipe re non potest absque consensu Patris, potest tamen sub parentis ratihabitione, quamuis non obligetur, nisi illa accesserit; illa vero accedente obligatio retrotrahitur ad tempus contractus, ilege vii. C. ad Macedon. Præterea communis sententia Doctorum est, quando res reget, posse fieri alienationem etiam absolutam absque consensu Superioris, si deget in remotis, ve docet Panormitanus in Cap. vit. de Ecclesiædificatione: multò magis fieri potest vbi folum consilium alicuius requiritur. Postremò, Ex vi iuramenti fidium tenetur non alienare consilio Romano Pontifice. At multò plus est conferre totum in ipsius beneplacitum & ratihabitionem, quàm petere consilium.

CASVS VII.

Vtrum Prælatus valens alienare rem Ecclesiæ, satisfaciat, iuramento suo, quo iurauit eam non alienare sine consilio Pontificis, si recurrat ad Nuntium Apostolicum eiusque consilium vtatur?

Alienatio bonorum Ecclesiæ.

VIdetur satisfacere. Quia Illustrissimus Nuntius supplet locum Sux Sanctitatis in prouincia, eiusque personam refert. Deinde, quia cōsilium solum videtur necessarium quando ambiguum est vtrum alienatio sit vtilis: ergo non est opus quando est perspicua vtilitas.

2 Ratio dubitandi.

Recursus ad Nuntium Apostolicū hoc nō fuit fieri.

Sed contrarium videtur omnino tenendum, maximè si res patitur mora. Primò, quia alienatio rerum Ecclesiarum pertinet ad maiores Ecclesiæ causas, quæ ad Summum Pontificem funt referendæ.

Secundò, si recursus ad Nuntiū sufficit, vel, id est, quia Nuntius potest in illo iuramento dispensare, vel quia illud iuramentū ita est interpretādum vt consilium Nuntij censeatur esse consilū Summi Pontificis. Non primum, quia inferior non potest dispensare in iuramento præstito Superiori, maximè cum non possit dispensare in iuramento cum præiudicio tertij, etsi ille Superior non sit; at hic dispensatio esset in præiudicium tertij, de quidem Superioris, nam dispensat ein iuramento fidelitatis præstito superiori. Non secundum, quia consulere Vicariæ Episcopi, non est consulere Episcopum: ergo multò minus consulere Nuntium, est consulere Summum Pontificem. Antecedens probatur, quia quando collatio beneficij pertinet ad Capitulum cum consilio Episcopi, consulendus est ipse Episcopus, nec sufficit consulere Vicarium: alioquin quando Episcopus est in remotis, consulendus esset Vicarius; quòd aperè est contra Cap. *In ad Ecclesiarum*. §. vltimo, *Ne sede vacante* in 6. ergo quando ius requirit consilium Episcopi, non posfumus interpretari sufficere consilium Vicarij. Consequentia probatur, quia Episcopus & Vicarius efficiunt vna persona; habent enim idem Consistorium & Tribunal: vnde à Vicario ad Episcopum non est appellatio; sicut à Summo Concilio Regis non est appellatio ad Regem, quia est idem tribunal; Cap. 2. de Consuetudinibus in 6. At Nuntius & Summus Pontifex habent diuersas potestates, siue agamur de Causis in quibus ille habet iurisdictionem ordinariam, siue in quibus solum delegatus munus ab omnibus eius sententijs est appellatio ad Summum Pontificem. Confirmatur, quia inter Vicarium & Episcopum tanta est connexio, vt condemnatus vel absolutus à Vicario; in iure dicatur absolutus vel condemnatus ab Episcopo: & tamen consilium Vicarij non est Episcopi, quando ius requirit Episcopi consilium: ergo multò minus consilium Nuntij erit dicendum consilium Summi Pontificis: cum absolutus vel condemnatus à Nuntio, non dicatur absolutus vel condemnatus à Pontifice; cum ei competat ad Summum Pontificem appellatio.

3 Consilium Vicarij Episcopi, non est consilium Episcopi.

Tertiò, Quando ius stantis in aliqua causa requirit consilium alicuius, quæritur industria personæ, vt communiter DD. tradunt: ergo non potest id exercendi ad ipsius delegatum. Et hoc in proposito industria in persona requirit maximum, ut quia dare consilium est iurisdictionis, & prudentiæ, quæ maximè censetur esse in Summo Pontifice, vt qui totum ius in scrinio pectoris sui continere dicitur.

4 Alienatio bonorum Ecclesiæ ex ferra inter ratione Maiorcs.

Quartò, Quia Pontifex habet illam rem inter causas maiores, quos sibi reseruat; iuxta Cap. *Maiores*, de Baptismo & eius effectu. Nuntius vt semper in illis alienationibus sit quædam recognitio dependentia ab ipsius auctoritate, qua est superemus bonorum Ecclesiasticorum vbique terrarum alienationum dispensator: ergo vicè sui in hac re non censetur delisse Nuntius. Confirmatur, quia hanc causam tanti facit, vt eam in iuramento fidelitatis, quod Prælati in sua confecratione præstant, voluerint includi, adiunctis grauibus pœnis, in eos qui ipsam non conseruarent; iuxta in Extrauagan. *Ambitiosæ*, sic habetur, *Alienatio vero bonæ Ecclesiasticæ, monasteriorum, hereditatum prædictarum, quæ ad Romanum Pontificem, aut eiusve prædecessores constituentes remotum, & Pontificis vel Abbatialis præsidentis diligentiæ, interesse Ecclesiæ spectat inscriptæ*: quam pœnam deinde aggrauat, & totum contractum irritum decernit. Et cùm si consilium Nuntij sufficeret, nunquam fere opus esset consulere Pontificem, qui fere semper sunt Nuntij in Prouinciis, per quos minora quædam administrat, & sic maxime alienationes fieri poſſent absque Pontificis consilentia.

Plerique grauiores.

Denique, Pontifex gerendi hac in re vices Pontificis, neque iure ordinario competit Nuntio; cum nullus Doctorū illum recenſeat inter eos quæ Nuntio competunt: neque ex speciali delegatione seu commissione quia id Nuntius in sua delegatione expressum haberet. Ob has rationes iudico contrariam sententiam non esse ſecuram.

CASVS VIII.

Prioratus aliquis ante 40. vel 60. annos vnitus fuit, qui nunc immobilia vnualde ab desitum confusa Generalis: & ideo sum interessepotest: neque interim vsus fuit prius ea refundendo tales contributus.

Alienatio bonorum Ecclesiæ.

Quæritur I. *An possit bona illa vendere, & contractus celebrare.*

Quæritur II. *An priuilegium refundendi tales contributus amiserit cum Prioratus quam Generalis?*

AD *Primum*, Respondeo: Sibona aliqua immobilia illius Prioratus ante 40. vel 60. annos vendita fuere inualide ob defectum consensus Generalis & interim bona fide poſſeſſa ab emptoribus, nec repetita intra illud tempus; non poſſunt elapſo tempore repeti, nec contractus refundi quia per vſucapionem transfunum dominium.

11

Ad secundum, Respondeo Primo, Si actum est contra illud priuilegium per 40. vel 60. annos,

vendendo bona ſine recurſu ad Generalem, nec illi ſe oppoſuere intra illud tempus, curando irritari talem venditionem, & repetendo bona illa ſic vendita; amiſſa ſunt non ſolum illa bona, ita vt repeti non poſſint tanto tempore elapſo; ſed ipſum etiam priuilegium amiſſum eſt, quo tanto tempore non ſunt vti, cum daretur occaſio.

Reſpondeo Secundo, Si in omnibus vel pleriſque locis illius Ordinis in prouincia aliqua ſitis, non eſt ſentata illa ſolemnitas recurrendi ad Generalem: ſed res ſunt venditæ cum conſenſu Capituli, & auctoritate Epiſcopi, nec poſtea curatum eſt vt illi contractus reſcinderentur ob defectum conſenſus Generalis, ſi inquam id factum eſt ſæpius in pleriſque locis, iam videtur amiſſum priuilegium per conſuetudinem contrariam, etiamſi non ſint elapſi 40. anni. Quia conſuetudo, vt legitimè cenſeatur præſcripta, ſecundum veriorem ſententiam, non requirit niſi decem annos.

Tranſlatio bonorum Eccleſiæ iniquè poſſeſſorum.

CASVS IX.

Vtrum poſſim vendere ædes meas Miniſtro hæretico, qui nullas habet pecunias niſi ex beneficiis Eccleſiaſticis quæ iniquè poſſidet?

29 REſpondeo, Cum ædes tuas venales habeas, ſi Miniſter hæreticus qui ex ſolis bonis Eccleſiaſticis alitur, eas emere velit, non teneris illum repellere: ſicut nec alij mercatores qui res neceſſarias vendunt, id tenentur facere. Non enim Eccleſia, poſito illo rerum ſtatu, inuita aut repugnante illam pecuniam accipis à Miniſtro: quia hæc acceptio non eſt vllo modo cauſa, cur Miniſter illam Eccleſiæ non reſtituat.

Petes, An efficiaris propriè dominus pecuniæ ſic à Miniſtro acceptæ? Reſpondeo, Te non efficiri propriè dominum illius pecuniæ; quia Miniſter ille dominium rei alienæ transferre non poteſt: ſed acquiris poſſeſſionem, quam Eccleſia, ſtante hoc rerum ſtatu, concedit. Vbi tamen rebus tuis pecunia iſta ſic permixta fuerit, vt non poſsit internoſci, iam dominium tranſlatum eſt: vt conſtat ex iis quæ habentur §. *Si dominorum*. Inſtit. de rerum diuiſione, & L. *Si abenus*. de ſolutionibus.

BVLLA PONTIFICIA.

Clauſulæ Priuatorũ nullis inſertæ.

CASVS I.

Quando Pontifex in Bullis ſeu Conſtitutionibus ſuis priuat Superiores, aliosque Prælatura, Beneficiis, Voce activa & paſſiua, & inhabiles ad ea reddit hac formula: Eo ipſo priuamus, & priuatos ac inhabiles decernimus & declaramus, &c.

Quæritur, *quid illa verba operentur?*

REſpondeo, Illa verba, *Eo ipſo priuamus, ac priuatos & inhabiles decernimus & declaramus*: non puto habere eam vim vt auferant beneficium, aut prælaturam iam ante iuſtè poſſeſſam, ita vt homo teneatur ſponte dimittere ante ſententiam declaratoriam Iudicis ferentem ſecum executionem & priuationem. Ita enim communiter ſentiunt Doctores. Quia nimis graue eſt, nec humanæ infirmitati accommodatum, vt quis ſeipſum teneatur ſpoliare bonis iam poſſeſſis, nemine exterius cogente.

Tamen quod attinet ad inhabilitatem reſpectu beneficij acquirendi; puto hanc ipſo facto irrogari, ſicut & irregularitatem, & inhabilitatem ex ſimonia; vt communiter Doctores tradunt.

Idem puto de priuatione vocis actiuæ & paſſiuæ: quia hæc non requirunt executionem hominis, ſicut nec cenſuræ: & ipſa cenſura excommunicationis habet annexam talem inhabilitatem.

Fateor tamen, Si quis hinc incurreret infamiam, v. g. quia abſtinet ab eligendo, tunc poſſet vti iure eligendi, ſicut & celebrare in irregularitate. Idem dixerim de inhabilitate & priuatione vocis paſſiuæ.

Non tamen condemnauerim ſententiam quorundam Doctorum, qui putant etiam hîc requiri ſententiam Iudicis declaratoriam criminis. De quo videri poteſt Sancius lib. 9. diſput. 30. Doctores quidam hoc ſunt ſecuti in quibuſdam diſpoſitionibus, quæ alioqui nimis durę videbantur. Vnde in caſu Sixti puto iſtam ſententiam non improbabilem.

Sancius lib. 9. diſp. 30.

CASVS II.

Bullæ publicatio & reuocatio.

Pontifex Romę Bullam publicat qua vniuerſam concernit Eccleſiam, & iubet eam vimque publicari & obſeruari.

Quæritur I. *An hoc ipſo Bulla illa obliget alias Prouincias?*

Quæritur II. *Ad quem ſpectet eius alibi promulgatio?*

Quæritur III. *Quid requiratur vt dicatur recepta?*

Quæritur IV. *An ſi Bulla illa reuocetur Romæ, eo ipſo cenſetur vbique reuocata?*

Ad Primum, Reſpondeo: Probabilis eſt ſententia Bullas Pontificias nõ obligare in alias Prouinciis, niſi ibi ſint promulgatę; vt diximus in Tract. de Legibus, qu. 91. art. 4. Niſi contrarium expreſsè dicatur in ipſa Bulla, quod bis terue fecit Xiſtus V.

Ad Secundum, Epiſcopi tenentur eas curare promulgari & obſeruari, ſi commodè poſſint. Quod ſi nequeãt ſine magna perturbatione, vel difficultate, poſſunt excuſari; modo bona fide faciant quod in ipſis eſt, vt ſeruentur.

Ad Tertium, Vt Bulla dicatur recepta, requiritur vt à maiore parte populi vel communitatis ſeruetur, cum occaſio ſe offert. Vbi tamẽ promulgata eſt, cenſetur recepta; ſaltem in propoſito & acceptatione populi, niſi conſter de contrario: vnde in dubio ſeruanda eſt.

Ad Quartum, Reſpondeo ſub diſtinctione. In illa Bulla Romæ reuocata, vel agitur de cõtractibus, & ſimilibus ex quibus nata eſt ſequi magna perturbatio: vel agitur de priuilegiis. Si agatur de contractibus & ſimilibus, ex quibus poſtea ſequeretur in Prouinciis magna perturbatio, requiritur vt illa reuocatio ſolemniter promulgetur more legum præceptiuarum in prouincia, ibidemque recipiatur. Si vero agitur de priuilegiis, non requiritur ſolemnis illa publicatio in prouincia, ſed ſufficit vt Romę more conſueto facta ſit, & vt de ea certo conſtet in prouincia. Nam priuilegia cum leges non ſint, multo facilius, quàm leges reuocari poſſunt, quandoquidem ſint gratuitæ conceſſiones, quales ſunt, delegata poteſtas abſoluendi à cenſuris, à caſibus reſeruatis, Indulgentię, &c. Hoc ipſo enim quo ad notitiam delegatorum talis reuocatio perfertur, amittunt delegati omnem iuriſdictionem, &c. Quænam vero leges

Digitized by Google

in particulari obligent in Gallia, colligendum est ex regulis Doctorum.

Placitum Aulæ.

CASVS III.

Vtrum vigorem Bullæ Apostolicæ requiratur Placitum Aulæ?

6 REspondeo, Placitum Aulæ est impertinens ad valorem Bullæ. Hoc ipso enim quo recipitur aliqua Bulla, obstringit. Placitum Aulæ facit ad promouendam vel impediendam executionem alicuius sententiæ vel mandati Apostolici: quia absque illo non permittitur fieri executionem in præiudicium partis quæ videtur grauata.

CASVS IV.

Receptio Bullæ Cœnæ.

Vtrum Bulla Cœna Domini, secundum omnia sua in Belgio sit admissa?

7 REspondeo, De Bulla Cœnę Domini non dubito quin sit recepta in Belgio quoad antiquos & ordinarios articulos, quales plerique sunt qui in ea continentur: vix enim modo in ea aliquid ponitur, quod ab 80 vel 100. annis & amplius in vsu non fuerit. Nec refert quod hic promulgata non fuerit: sufficit enim promulgatio Romana, & ea receptio, quam monitio & cura bonorum Confessariorum & Concionatorum induxit. De nouis articulis qui interdum inseruntur, maius est dubium; quia cessat illa ratio.

Noui articuli in ea inserti.

CASVS V.

Bullæ reformatiuæ acceptatio & obligatio.

Bulla quædam reformatiua concernens omnes Religiosos, recepta est in Prouincia nostra omnis, nostra; item in monasterijs Prælatorum suæ Ordinis. Item recepta est ab omnibus Ordinibus in vno aliquo regno habentibus, excepto tamen vno aliquo Ordine vel altero eius dem regni.

Quæritur I. *An admisso Bullæ in variis prouincijs vnius Ordinis, obliget monasteria Belgica?*

Quæritur II. *An hoc ipso quo alij Ordines in vno regno Bullam admittunt, etiam vnus hic Ordo eam eodem teneatur admittere?*

8 *Ad Primum*, Respondeo: Etsi Bulla aliqua in multis aliis Prouincijs alicuius Ordinis sit recepta; si tamen in Belgio non est in eo Ordine recepta, probabile est, ibidem non obligare, nec habere effectum; præsertim si ignoretur. Contrarium tamen est plurimorum Doctorum, præsertim quando est constitutio irritans, vel inhabilem reddens. Et iuxta hanc sententiam declarat Xistina etiam eorum qui ignoranter contra formam à se præscriptam admissi sunt vel professi, admissionem, & professionem esse irritam.

9 *Ad Secundum*, Respondeo: Etsi non negauerim esse probabile, omnes Religiosos diuersorum Ordinum, in eadem Prouincia habitantium, facere vnum corpus in ordine ad receptionem vel obseruationem constitutionis, quæ generaliter ad omnes dirigitur, sicut prædictæ Xistinæ ad omnes dirigunturr. Tamen contrarium puto esse planè verum & probabilius. Quia in hoc Ordine possunt esse rationes recipiendi vel non recipiendi aliquam constitutionem, quæ non sunt in alio. Ratio quoque iure & variis institutis viuunt, a-

deo vt magis videantur distingui varij Ordines religiosi, quàm varię ciuitates eiusdem regni. Sæpissimè tamen fit vt lex Principis in vno oppido communiter recipiatur, & consequenter obliget singulos eius oppidi ciues; in alio non recipiatur, & ciues ibi non obligentur.

CAMBIVM.

Fictum Cambium.

CASVS I.

Mercatores secundum rationem cambii Francofurtensis dant Curiæ Regię 100. quasi Curia ibi haberet pecuniam, cum pacto vt soluat recambium secundum æstimationem currentem; & post terminum solutionis singulis mensibus vnum cum dimidio in 100. nomine interesse.

Quæritur, *An contractus ille sit iustus?*

2 REspondeo, Contractus ille quomodo ab iniustitia vindicari queat non video: Primo, Quia communis Doctorum sententia est, Non esse verum cambium, sed vsuram nomine cambij palliatum, quando Campsorius non habet pecuniam actu vel in fide amicorum eo loci, quo cambium destinatur. Atqui Curia vel Rex nullam habet pecuniam Francofurti existentem reipsa aut in fide aliorum. Ergo hîc non potest esse verum cambium, sed solum fictio cambij. Siue enim dicas cambium esse emptionem, siue permutationem, nihil habet Curia aut Rex Francofurti, cum quo fiat permutatio, aut quod possit censeri emptum in hoc contractu. Quod si quis contendat Regem ibi posse habere pecunias, & ita iuxta quandam probabilem sententiam, quam quidam Doctores tenent de cambio Bizuntino, posse subsistere naturam cambii, hoc vt gratis demas, non tamen ideo redditur licitum: quia Rex non cupit remitti Francofurtum, cum sine ingenti dispendio non possit ibi pecuniam habere. Vnde est saltem contra charitatem: nemo enim vellet sibi, si in necessitate esset, id fieri, & cum tanto damno per tales ambages circumduci.

Secundo, Quia in eodem contractu obligatur Rex soluere recambium, quod etiam omnium iudicio illicitum est: quia nemo potest amplius petere ratione carentię pecuniæ suę, quàm æstimationem interesse, & fortè etiam periculum sortis: ergo non potest præcisè ad recambium, quod plerumque longè maius est, obligari. Deinde, cum Rex nullam pecuniam Francofurti recipiat, qua specie iustitiæ poterit obligari ad recambium soluendum, perinde ac si rursus ad cambium accepisset?

3 Nemo potest obligari ad recambium.

Tertio, Quia immodicum videtur vt Rex postea nomine interesse soluat vnum cum dimidio singulis mensibus, id est, 18. anno: sic enim vno contractu lucrabuntur 33. & quinque septimas in singulos centenarios; quo amplius non lucrantur publici & professi vsurarij.

CASVS II.

Cambij pretium.

Vtrum Campsor tantum possit exigere, quantum baiulus realiter transferens?

1 VIdetur posse: Eo quod, id, quod Campsor præstat, æquiualeat ei, quod præstat baiulus; nam transfert pecuniam virtualiter, quæ translatio tanti est Campsorio, atque si realiter transferatur. Confirmatur, quia quod habeat faciliorem

An Campsoris & baiuli pecunias transferentis, eadem fit ratio

Digitized by Google

modum traiiciendi, non debet ei esse fraudi, sed eius bonæ fortunæ assignandum; sicut si baiulus inueniret aliquem qui similem pecuniam in loco, ad quem fit traiectio, ei offerret, qualem accepit transferendam, nõ deberet realiter traiicere; tamen posset pretium pactum pro reali traiectione accipere. Quod autem minus exigant Campsores, id prouenit ex eorum benignitate.

4 Pretiũ pro cambiis statutum, non est transgrediendum.

In contrarium tamen facit quod pretia cambiorum communi ipsorum iudicio sint constituta, ac proinde non possint excedi à particularibus: hęc autem pretia sunt longè minora, quàm ea, quæ baiulo deberentur: ergo saltem nunc non possunt amplius exigere.

Cambium quoddam Francofurtense illicitum.

Vnde sequitur non rectè excusari cambium Francofurtense [in quo campsor dans pecuniam quinto mense ante Nundinas, lucratur 5. grossos in singulos florenos, quarto autem mense dans, lucratur 4. in singulos, tertio, tres, secundo, duos, vno mense ante Nundinas dans, lucratur vnum vel nihil] eo quod campsor dans vno mense ante Nundinas, possit exigere etiam quinque grossos, sicut exigebat quinto mense, quia tantum potest exigere, quantum baiulus realiter transferens, qui posset exigere quinque in singulos florenos. Hoc enim fundamentum verum non est, cum pretium cambij vnius mensis, seu ad visas literas, sit constitutum.

5 Campsor est mercator debet operæ suæ conditionẽ, nõ commodũ campsarij.

Ad rationem in contrarium, esto, id quod præstat campsor, sit æquè commodum campsario atque ipsa realis translatio, quam facit baiulus, non tamen ideo tantum potest exigere, quia non debet æstimare commodum campsarii, sed conditionem suę operę, quæ non tanti valet quanti opera baiuli, longè enim minoris æstimatur virtualis traiectio, quę reipsa est solum permutatio rerum eiusdem speciei loco distantium, quàm realis, cum hæc sit difficillima & periculosissima, illa facillima, & exigui periculi, sicut longè plus exigere potest auriga qui vtrum rem traiicit, quàm nauta qui nauigio, & baiulus qui humeris, quàm qui equis. Ad Confirmationem: Non pertinet hic modus ad bonam fortunam campsoris in re proposita, quia non est initus contractus de reali traiectione, sed de virtuali, quę sola campsoribus vsitata. Secus esset si contractum esset de reali traiectione, & ille alibi similem omnino pecuniam numerare posset: Hoc enim ad bonam eius fortunã pertinere censeretur. Quo pertinet exemplum baiuli qui recepit in se traiectionem realem, & inuenit commoditatem similis pecuniæ in termino.

Cambium est permutatio pecuniarũ loco inter se distantium.

His addere licet, cambium potius esse permutationem pecuniarum quæ loco inter se distant, quàm locationem operarum ad eas transferendas. Vnde non sequitur eum posse tantum accipere, quantum is qui operas locat ad realem translationem. Quod autem de benignitate campsorum dicitur, videtur incredibile, cum constet quàm ingentes opes lucrentur, idque ferè cum euersione fortunarum illorum qui ad illos crebro coguntur confugere.

CASVS III.

Cambium vnum æquivalet 4. cambiis.

Primus Campsor dans Antuerpię 1000. vsque ad proximas Nundinas Francofurdenses, quę erant intra 4. menses, possit tantum exigere, quantum posset pro 4. cambiis mensuis factis singulis mensibus illis, ad visas literas.

Videtur posse, Probatur Primo, Quia cambium 1000. datum ad 4. menses videtur implicitè in se continere 4. cambia eiusdem sortis menstrua, quę soluuntur in termino mensis cuiusque: ergo tantum potest exigere, quantum pro 4. Confirmatur, quia id commodius est campsariis, qui pecuniam non possunt Francofurti, statim visis litteris, v. g. in fine mensis, restituere; & minus soluunt, quàm si 4. cambia cogerentur accipere; nam non soluunt tot prouisiones pro numeratione pecuniæ. Potuerunt ergo Campsores communi iudicio sic pretia cambiorum instituere, quasi 4. cambia interuenissent; nonnihil tamen exigendo minus, quàm iure poterant, habita etiam ratione communis cursus Bursę, id est, praxis mercatorum mutuantium pro interesse.

6 Cambium datum ad 4 menses æquivalet 4: cambiis datis ad singulos menses.

Probatur Secundò, Quia in maiori mora maius est periculum sortis.

Tertiò, In maiori termino maior est incertitudo pretij futuri cambij, ac proinde maior metus: ergo.

Quartò, Campsor dans ad 4. menses, censetur implicitè velle facere 4. cambia menstrua, maximè cum communiori vsu mercatorum ita fiat, quorum vnanimis praxis debet potius in iustam partem sumi cum possit, quàm in iniustam: illam enim censendi sunt velle mercatores, non hanc.

Quintò, Vbi nullum est inuoluntarium, ibi non est acceptio vel retentio alieni: atqui hic nullum est inuoluntarium, nec expressum nec tacitum, nec formale, nec virtuale. Confirmatur, quia cum campsarius in prędicto casu deberet facere 4. cambia magno eius commodo 4. contrahuntur in vnum continens virtute 4. idque ex recepto iam vsu communiori mercatorum.

Sextò, Nemo sic contrahentium censetur non velle, quod velle potest, cum velit eo modo lucrari in hac terminorum concessione, quo licitissimè potest: posset autem lucrari licitè, si in 4. supradictorum mensium concessione, tria à parte rei faceret distincta cambia, etiam in primo horum mensium: ergo etiam poterit, si vnum contractum faciat, qui virtute contineat 4. Qui plura de Cambio desiderat, videat lib. 2. de Iustitia & Iure cap. 23. vbi 21. dubitationibus hæc materia fusè tractatur.

CENSVS.

CASVS I.

Census Vitalius.

Nicolaus accepturus à Paulo summam 1671. florenorum, promisit ei 60. florenos annuos, nulla facta mentione de vita Pauli, sed tantum de vita Nicolai. Moritur Paulus.

Quęritur, *An promissio illa se ad Pauli hæredes extendat?*

1 Census vitalicius quis dicatur.

Respondeo, Considerata forma propositi contractus, non videtur hic propriè esse contractus census vitalij: tum, quia hic non solet constitui super vita debitoris, sed creditoris, vel filij, vel alterius personæ ipsum contingentis: tum, quia summa capitalis nullo modo secundum rationem census respondet tantę pensioni annuæ; nam deberet ferè esse duplo maior. Nisi velimus dicere esse censum vitalem extinguibilem duplici ratione; nimirum & morte creditoris, & morte debi-

Digitized by Google

toris; potuit enim iustè hoc apponi propter sortis exiguitatem.

2 In casu videtur esse contractus innominatus, nec trãsire ad hæredes Pauli.

Sed verius puto esse contractum innominatum, in quo Nicolaus habita ratione beneficiorum acceptorum à Paulo, & summæ 2671. florenorum præterea à accipiendorum, promittit eidem se ad vitam suam daturum illi 600. florenos annuos: vbi manifestum est bonam huius pensionis partem esse donationem, seu promissionem remuneratoriam pro beneficijs acceptis; quæ promissio solum respicit personam à qua beneficium acceptum est, non autem ipsius hæredes, nisi id exprimatur. Sicut cum Princeps alicui propter multa obsequia constituit pensionem annuam; hæc pensio extinguitur non solum morte Principis: sed etiam ipsius pensionarij, nec transit ad heredes.

Nec obstat quòd nulla sit facta mentio vitæ pensionarij, sed solum constituentis pensionem; quia in huiusmodi promissionibus remuneratorijs id per se intelligi videtur, nimirum vt non extendantur vltra vitam eius, quem cupis remunerari, quia solum ipsius commodum intenditur. Et sanè si Nicolaus constituens non volebat suos heredes obligari post suam mortem, sicut expressè cauit, multo minus volebat seipsum obligare heredibus pensionarij post mortem pensionarij, cum illi nihil cum hæredibus fuerit negotij.

CASVS II.

Pensio ex capitali anticipatè detracta.

Titius dat Caio 100 *florenos ad censum 6. & vnam Quartam, & statim recipit 6. florenos & 5. stuferos tanquam cessum canonem seu pensionem anni lapsi.*

Quæritur, *An deinceps ad rationem* 100. *florenorum, an verò solum* 93. *florenorum & 15. stuferorum pensionem recipere debeat?*

3 Respondeo, Cum pecunia datur ad emendum censum, vel ad societatem, vel causa mutui sub interesse iniquum est statim repetere pensionem annuam, vel interesse, cum reipsa non detur tanta summa quanta fingitur. Qui enim dat centũ causa census, & mox repetit pensionẽ, nimirũ 6. & vnam quartam, reuera non dat nisi 93. R tres quartas seu 93. florenos & 15. stuferos. Vnde in posterum non potest exigere pensionem de 100. sed solum de 93. florenis, & 15. stuferis. Itaque subducenda est ratio quantum, v. g. 6. annis acciperetur ex censu 93 florenorum & 15. stuferorum: & quod plus acceptum est, restituendum est: vltimus tamen annus etiam est computandus. Porro ex censu 93. florenorum & 15. stuferorum acciperentur quotannis 5. floreni & 16. vel 17. stuferi circiter.

CASVS III.

Pecunia data ad modũ census.

Ex pecunia pupillari mihi data per modum census vtrimque redimibilis, accepi à te primò quotannis 6. & vnam quartam in centum. Deinde, errore illo correcto, paciscor tecum de iusto reditu.

Quæritur, *An aliquid restituere debeam, & quomodo id commodè possim facere?*

4 Si pecunia hæc data mercatori. Si data non mercatori.

Respondeo, Illa pecunia pupillaris quæ ad lucrum dari solet, vel data fuit mercatori, vel alteri: Si mercatori data fuit secundum vsum receptum, & bona fide, non videtur quidquam restituendum, quia censetur data eo modo quo iustè fieri potest, vt Nauarrus & alijdocent. Atqui iuste dari potuit ad societatem per tres contractus, exigendo lucrum secundum rationem censuum, nimirum 6. & vnam quartam in centum. Si autem alteri data sit, qui ea lucraturus non erat, non potest videri data ad societatem lucri, quod nullum est; sed potius per modum census redimibilis vtrimque: qui quoniam plurimis emi debet quàm census ordinarius, eo quod emptor obliget venditorem ad redemptionem, quando ipsi placuerit repetere pretium, non sufficit dare 16. florenos pro vno floreno annuo, sed dandi erunt 20. ac proinde pro 100. non recipiet quotannis nisi 5. nam onus istud facile tanti æstimari potest, nimirum 4. florenis. Vnde sequitur si ex tali contractu acceperis per 6. annos singulis annis 6. & vnam quartam pro centum, & teneri restituere 7. florenos & medium: quia singulis annis reddendus florenus & 5. stuferi. Vide ea quæ tradidimus Lib. 2. de iustitia cap. 22. dub. 10. & quæ Valentia 2. 2. disp. 15. qu. 22. puncto 6. & qu. 25. puncto 2.

Potes tamen, censu iusto iam constituto, exigere quotannis pensiones currentes, etiamsi ratione præcedentium annorum debitori tuo tenearis aliquid restituere. Satis enim est vt postquam scis te ipsi teneri, data opportunitate soluas, vel tantundem remittas. Nec teneris ad vsuras quanto tempore in bona fide fuisti.

CASVS IV.

Pensio cum iure repetẽdi sortem.

Vtrùm Ciues qui non sunt mercatores, nec possunt obtendere lucrum cessans vel damnum emergens, vel periculum sortis, possint aliquo iusto titulo accipere 4. vel 5. in centum quotannis salua sorte, cum facultate, sortem repetendi.

Respondeo posse per duos contractus. Primo, Si ineant contractus census, emendo censum ad rationem vnius in 15. sicut Leodij, vel in 16. sicut in Belgicis prouinciis Regi subiectis. Deinde, Si conueniat inter eos vt emptor certo pretio possit repetere pretium, nempe remittendo ex annua pensione. 1. & vnam quartam, vel 2. in 100. Sicut enim si venditor cuperet tale onus suscipere, rogaretque emptorem vt à se tale ius emat [censu iam constituto] posset emptor illud emere; ita etiam vicissim si emptor offerat & cupiat tale onus emere, potest venditor in illud consentire si velit, iusto pretio. Potest autem totum simul fieri, si res vtrique sit explicata, & vterque sponte sua in talem contractum consentiat.

CASVS V.

Pecunia ad censum destinata, sed aliò conuersa.

Ioannes patruus cuidam Mercatori dedit 100. *quos cupiebat apud alterum exponere in censum annuum.*

Quæritur, *Virùm ab hoc Mercatore potuerit petere 8. & in* 100?

7 Respondeo, In rigore Iuris non videtur Ioannes posse exigere 8. in centenarium, cum non inierit contractum censuarium, sed simplicis mutui, vt videtur. Nisi fortè potens fuerit mercator, & ita possit, ratione triplicis contractus cum mercatore, illud exigere, præsertim si generatim intendit omni titulo iusto illa accipere. Videtur etiam posse exigere ex quadam æquitate, ratione lucri cessantis nam reliquit contractum censuarium, quem alioquin facere cupiebat cum altero, ad ipsius petitionem. Itaque non cogerem ad restitutionem, sed iuberem contractum reformari.

Digitized by Google

Approbatio Cõfessarij.

CONFESSARIVS.

CASVS I.

Quid Nuntius Apostolicus valeat circa Approbationem Confessariorum?

1 REspondeo, Nuntius Apostolicus habet potestatem approbandi Confessarios, etiam absentes, & per alium designandos. Imò potest Superiori Regularium dare potestatem approbandi; cum in ipso Nuntio sit potestas ordinaria ad id faciendum.

Approbatio Cõfessarij.

CASVS II.

Vtrum Capitulum possit sibi assumere potestatem approbandi & designandi Confessarios, vacante Episcopo?

2 REspondeo, aliud est approbare Confessarios: aliud nominare vel designare. Approbatio est solius Episcopi per Concilium Tridentinum; neque huic quæstioni potest se Capitulum immiscere. Designatio facilius ad eos pro certo loco pertinere potest: nam etiam Parochus in sua parochia Confessarios designare potest, modò ab Episcopo sint approbati. Approbatio per se non tribuit iurisdictionem, sed reddit capacem vt ei detur iurisdictio; quę per nominationem vel designationem dari potest, modò ille sit approbatus.

Approbatio Cõfessarij.

CASVS III.

Confessariis monasterij datum est priuilegium à Papa audiendi confessiones, etiam sæcularium.

Quæritur, *An nihilominùs indigeant Episcoporum approbatione: aut possint censeri approbati quasi ex parochiali beneficio?*

3 PRiuilegium Summi Pontificis ad confessiones sæcularium audiendas, non supplet approbationem Episcopi iure Concilij Tridentini necessariam. Neque Confessarius Monialium habens tale priuilegium, potest censeri habere quasi parochiale beneficium, ita vt non sit ei necessaria approbatio; quia alioquin Confessarij conuentus apud Mendicantes, non egerent approbatione Episcopi ad audiendas confessiones sæcularium.

Parochiale beneficium respicit curam sæcularium.

Addo parochiale beneficium non dici nisi quod primariò respicit curam sæcularium: Hic autem solum accessoriè habet sæcularium curam, nimirum, quia seruiunt monasterio. Denique Concilium loquitur generatim de omnibus sæcularibus, etiam Sacerdotibus. Itaque non videntur isti Confessarij liberi ab obligatione se præsentandi Ordinario vt approbentur, si velint sęcularium, etiam Sacerdotum confessiones audire, etiamsi fortè habeant priuilegium audiendi omnes sæculares ad eos accedentes.

4 Non obstante priuilegio, cedendum est, vbi Episcopi sese posituè opponunt.

Si tamen post Concilium Tridentinum vsque ad hoc tempus manserunt in illa consuetudine audiendi confessiones sæcularium, Episcopo non contradicente, validè potuerunt absoluere; & propter tam longam consuetudinẽ videntur posse continuare, donec Episcopus se opponat, qui si se opposuerit, tenebuntur cedere, propter clausulam, *Priuilegiis, & consuetudine quacunque etiam immemorabili, non obstantibus.*

CASVS IV.

Electio Cõfessarij.

Superior Religiosus tenetur ex decreto Clementis VIII. vel etiam ipse Generalis, constituere duos vel plures, qui præter se domesticorum suorum confessiones audiant; illeque id facere neglexit, aut recusat.

Quæritur, *An subditus possit sibi Confessarium eligere?*

5 REspondeo, Non potest inferior eligere sibi Confessarium, etiamsi Superior ex decreto Clementis VIII. duos vel plures constituere teneatur, idemque Generalis fieri iusserit, & superior exequi noluerit. Ratio est, quia non apparet vnde iste ita electus possit habere iurisdictionem. Nam in decreto illo Clementis solum dicitur §. 2. *Non liceat superioribus Regularium confessiones subditorum audire*, &c. & §. 3. *Superiores in singulis domibus deputent duos, vel tres, aut quatuor pro subditorum numero*, &c. quibus verbis Superioribus non aufertur potestas, sed solum redditur vsus illicitus, & iniungitur vt aliis potestatem dent. Vnde nec aliis conceditur vlla potestas, sed iubetur vt Superiores concedant. Quare si ipsi nolint concedere, non habebunt isti electi potestatem. Et sanè, si alia mens Pontificis fuisset, id aliquo modo explicasset.

Vsus illicitus potestatis, sed validus.

6 Quid tali casu agendum.

Itaque in hoc casu recurrendum iudico ad Generalem, vel, quod facilius & expeditius est, ad Nuntium Apostolicum, vt ipse inferioribus hanc potestatem eligendi Confessorem concedat, vel Superiorem immediatum cogat vt decretum Clementis VIII. seruet. Interea debent Superioribus confiteri; quia hi soli iurisdictionem habent. Hoc intellige in peccatis mortalibus nunquam anteà confessis. Nam de venialibus alia est ratio.

Rudes.

CASVS V.

Quid faciet Confessarius cum rudibus, qui non habent fidem explicitam & distinctam Trinitatis, & Incarnationis?

7 Si horum fides explicita non sit necessaria absolue.

REspondeo, Probabilis sententia est fidem explicitam & distinctam Trinitatis & Incarnationis non esse necessariam ratione medij, sed solum præcepti: quam in paxi sequi possumus. Vnde possumus absoluere eos qui hæc ignorant si promittant se daturos operam vt discant prima opportunitate: maximè quando periculum est ne moriantur antequam possint reuerti, vel putentur non reuersuri. Si enim putarentur reuersuri, melius esset eos absque absolutione dimittere, vt vbi didicerint, reuertantur: sed hoc rarum est. Interdum sunt satis capaces, & subitò instrui possunt vt rem aliquo modo apprehendant: & tales, si tempus ferat, sunt breuiter instruendi, & posteà absoluendi, iniuncto onere melius vt eadem discant. Expediret etiam Catechismos ante solemnia Festa quibus confiteri & communicare solent, institui variis locis, & hæc necessaria breuiter & dilucidè explicari.

Quando, & quomodo hi sint instruendi.

8 Si sit necessaria hęc fides ne absoluat.

Iuxta alteram sententiam non possunt absolui si sint in peccato mortali: quia fides illa explicita est medium necessarium ad iustificationem. Non tamen est medium necessarium, vt is, qui iam iustus est, saluetur, si contingat illum mori. Nec ob defectum huius fidei amittet iustitiam, nisi, quando occasio est discendi illa mysteria, & ex crassa negligentia prætermittit.

Pueri.

CASVS VI.

Quandonam Confessarius censebit pueros capaces Absolutionis sacramentalis?

9 REspondeo, Pueri videntur capaces Absolutiones sacramentalis, si sciant quid euenturum sit malè agentibus, quid benè. Tunc enim concipiunt timorem Numinis, & affectum seruitutis erga Deum. Itaque de hoc rogandi. Si dubitetur, potest illis dari bona precatio & benedictio, quæ magni est æstimanda. Nec est quòd Sacerdos hîc se implicet aut vexet.

CASVS VII.

Crebro relabantur.

Quid Confessario agendum cum his qui in eadem peccata crebrò relabuntur?

10 Expedit ordinariè eos sine absolutione remittere.

REspondeo, Qui ita crebrò relabuntur in eadem peccata, si post tres vel quatuor confessiones certis intervallis factas, non apparet vlla emendatio, aut conatus resistendi, expedit ordinariè eos remittere sine absolutione [explicato periculo in quo versentur, & absolutionem ipsis fore noxiam, cum non videantur habere sincerum propositum] vt conentur resistere, & adhibere remedia quę præscribuntur. Si non redierint, committat illos Deo, nec se ob id crucier.

11 Non est id absolutè necesse.

Dico, *Expedire ordinariè*: quia absolutè non est necessarium, si dicant se valdè dolere, & promittant emendationem. Quòd autem sæpè cadant vt antè, id infirmitati humanæ, quæ sanè maxima est, adscribendum. Vnde etiam Dominus septuagies septies peccatum in fratrem vult ignosci. Fieri etiam potest vt expediat sæpius absolui, si putetur id eis fore magis salutare. Hæc enim est regula qua Confessarius vti debet circa Pœnitentem in absoluendo, vel remittendo, in magnis vel paruis pœnitentiis iniungendis, *Vt spectata conditione pœnitentis, faciat id, quòd iudicat ei fore magis salutare.* Si dubitet; vtatur nunc hoc, nunc illo modo. Sæpè hæc repulsio est illis saluti; quia sic magis imprimunt animo rei momentum.

Sæpè expedit absolucre.

Regula.

Occasio relapsus.

CASVS VIII.

Quam occasionem Confessarius censere debeat proximam Pœnitenti ad lapsum.

12 REspondeo, Ea occasio censenda est proxima alicui, in qua dum ille constituitur, plerumque succumbit, & raro euadit illæsus. Itaque quando post aliquot confessiones deprehensum fuerit Pœnitenti conuersationem aliquam esse causam propinquam peccandi, cogendus est illam relinquere, & efficiendum vt alibi habitet. Si id ob iustas rationes impetrari non possit, cogendus est vitare illam conuersationem, quantum fieri potest. Si promittat se id facturum quantum poterit, præscriptis in particulari aliquot modis, poterit absolui: aliàs est remittendus.

CASVS IX.

Delectatio morosa.

Quomodo inuestigabit Confessarius an delectatio, de qua pœnitens se accusat, fuerit morosa? & an in eam consenserit?

13 Delectatio, quãdo morosa.

REspondeo Primò, vt sciatur an delectatio fuerit morosa, quærendum an inhæserint cogitationi turpi postquam aduerterunt esse talem, animo se oblectandi. Si affirmant, satis constat esse morosam; nec opus est rogare an turpes motus sint exorti. Si dicant post perfectam animaduersionem displicuisse, non sunt condemnandi peccati mortalis. Similiter si solum curiositatis causa, vt scirent, non vt delectarentur re cogitata, dicant se cogitasse; quamuis hoc rarius sit. Non debet Confessarius circa hoc esse anxius: non enim est necessarium vt ipse semper possit statuere, an peccatum fuerit mortale, an veniale hîc & nunc; id enim sæpè impossibile: sufficit vt inquirat circumstantias necessarias, & prout videt pœnitentem esse capacem.

Confessarius ne hic sit anxius.

14 Respondeo Secundò: Tunc in delectationem consentis, quando tibi placet ea voluptas, quæ resultat in parte inferiore ex imaginatione actus carnalis, vel turpium contactuum; quæ voluptas est eiusdem rationis, ac ea, quæ ex opere nascitur, nam similiter concitatur sanguis & spiritus, & excitantur membra ad rebellionem, & seminis effusionem.

14 quando in delectationem consentire.

Penitentia seu satisfactio.

CASVS X.

Qualis pœnitentia conuenientissimè pœnitenti imponatur?

15 REspondeo, Illa pœnitentia conuenientissimè pœnitenti imponitur, quæ omnibus consideratis, iudicatur ipsi pœnitenti fore magis salutaris. Hue enim omnia tendunt, vt iste perducatur ad salutem.

Hinc fieri poterit vt pro 10. adulteriis, vel fornicationibus, non imponatur pœnitentia grauis homini simplici; nimirum si non putaretur eam expleturus; vel non habeat commoditatem propter vxorem & familiam; vel si alienaretur in posterum à confessione &c. Tunc enim tali possent imponi quinquies Pater & Aue per medium annum; & vt confiteatur quinquies vel sexies magnis Festis per annum; idque ad tres vel quatuor annos & similia.

Quòd si persona sit capax, & putetur ei fore vtile, conueniens erit imponere etiam ieiunia, & afflictiones corporis. Verum quod ad graues pœnitentias attinet, facilè pœnitentes possunt eas redimere per indulgentias, vti diximus in Tract. de Indulgentiis cap. 3. dub. 2. Vnde magis sunt inducendi vt sponte sua peccata castigent, quàm stricte obligandi, nisi quando Confessor iudicat hoc magis expedire.

Surdastri.

CASVS XI.

Quid faciet Confessarius surdastris imperfectè confitentibus in magno populi confluxu?

16 REspondeo, Non existimo surdastros in magno populi confluxu, qui imperfectè confitentur, posse absolui; sed esse remittendos in aliud tempus quo possint examinari, & instrui de necessariis; nisi fortè essent in periculo mortis &c. multoque minus id licet quando præceptum confessionis non obligat.

Debitor.

CASVS XII.

Quid faciet Confessarius cum Nobilibus, qui accusantur à suis creditoribus de defectu solutionis?

Digi ogle

mortifera : bona est absolutio ; modò tamen Confessarius conferat absolutionem in omnem euentum, cogitans se posse decipi in hoc iudicio, & ideo tum ratione illorum, tum aliorum quæ constat esse peccata, dandam censet absolutionem. Ratio est, quia pœnitens ex parte sua satis se explicuit, vti suppono; & Confessarius ipsum factum satis intellexit [quamuis priuato errore putauerit illud non esse peccatum, vel non esse à pœnitente commissum] & intendit illum ab omnibus peccatis confessis absoluere.

CASVS V.

Confessio malè intellecta.

Vtrum valida sit confessio, si Confessarius solum apprehendat vt venialia, quæ tamen sunt mortalia, & vitè à pœnitente sunt exposita?

Respondeo, Si Confessarius ex ignorantia putauit esse venialia ; quæ erant mortifera, pœnitens tamen ex parte sua satis illa cum circumstantiis explicuit, ita vt confessarius factum intellexerit, etiamsi putauerit in eo non nisi venialem culpam latere : non ideò confessio est inualida : ac proinde neque repetenda. Nullo enim iure aut solida ratione contrarium probari potest ; esset que res plena scrupulis, & valdè grauis pœnitentibus. Sufficit vt pœnitens talem Confessarium non quæsierit, nec eius ignorantiam in confessione aduerterit : si enim aduerteret, deberet illum instruere, vt rectè iudicare possit. Hanc sententiam docent passim hoc tempore Doctores. Vide Suarem disp. 28. n. 14. & sequent.

CASVS VI.

Confessio malè explicata.

An qui explicuit peccatum in proprio gradu malitiæ, vt potuit, putans esse veniale, & postea deprehendit esse mortale, teneatur id iterum confiteri?

6 Si mortale confessum est vt veniale.

Respondeo, Qui intendit confiteri peccatum in proprio gradu malitiæ, & illud explicat quantum nouit, etiamsi putet illud esse veniale, non tenetur postea repetere, cum intellexerit esse mortale. Quia illa priuata opinio non excluſit intentionem confitendi illud secundum omnem eius malitiam. Secus est si solum intenderet confiteri vt veniale, & cuperet ita persuasum Sacerdoti, quod ordinariè non contingit.

Si confessus vt dubium quod postea noscis esse mortale,

Cum autem dubitat an commiserit, & tanquam dubium confiteatur, tenetur postea vbi certus fuerit, iterum confiteri. Ratio est, quia dubium crimen & certum mutant totam iudicij rationem. Longè enim aliter censendus reus & puniendus [si tamen puniri potest] qui dubitat an crimen commiserit : aliter qui certò commisit. Vnde etiam fit vt confessio criminis dubij non sit sufficiens materia Sacramenti. Loquor de dubio negatiuo, nimirum cum in neutram partem potest formari probabile iudicium.

CASVS VII.

Confessio dubiorum.

Quomodo dubia negatiua sint confitenda?

7 Quid agat Scrupulosus in dubiis.

Respondeo Primo, scrupulosus in multis potest excusari ; quia sæpè potest formare iudicium practicum, quod non potest is, qui mente est tranquilla. Vt in præsenti casu potest inducere in animum se tale peccatum, de quo dubitat, non commisisse ; sed *Scrupulum esse, qui eum torquet: scrupulis non esse parendum*, &c.

Respondeo Secundò, Absolutè tamen in dubio negatiuo tenemur confiteri, sed sub conditione Primò, cum peccatum est mortale, & dubitamus an illud fecerimus, an non. Secundò, cum scimus nos commisisse, sed dubitamus sit ne veniale, an mortiferum. Tertio, cum scimus nos commisisse, & esse mortiferum, sed dubitamus an simus confessi, an non. In hisce casibus manente dubio negatiuo, hoc est, in quo non possumus probabile iudicium in alteram partem formare, tenemur confiteri, iuxta communem Doctorum sententiam.

8 Dubium negatiuum est triplex.

9 In tertio confitendũ

De tertio casu, non est dubium ; quia obligationi certæ non satisfacimus solutione incerta.

In secundo similiter.

De Secundo etiam patet : quia vt aliquid censeatur materia necessaria confessionis, non est necesse vt constet esse mortale, vel absolutè putetur esse mortale (distinctio enim peccatorum mortalium & venialium semper habita fuit obscurissima) sed sufficit vt constet esse peccatum, & non habeatur probabilis opinio esse veniale : tunc enim ob rei obscuritatem, suspectum haberi debet malitiæ mortalis. Nec obstat quod in dubio æquali homo non teneatur ad onus voti ; nam si constat illum vouisse, sed dubium est an plenè in illud consenserit, tenetur voti ; quia præsumitur habuisse sufficientem consensum, si ætas adsit, nisi constet de contrario. Eodem modo si materia erat grauis, præsumitur habuisse sufficientem deliberationem ad peccatum mortale, ita vt teneatur confiteri.

10 In primo nõ teneris confiteri.

In Primo casu cum dubitas an commiseris tale quid, an non probabile mihi est te non teneri confiteri. Ratio est, quia nemo censendus est reus obcrimen dubium, sed in omni iudicio est absoluendus, vt innocens ; non enim præsumenda sunt in dubio delicta. Ita puto intelligendos Doctores qui hanc sententiam insinuant, nempe Henriques lib. 8. c. 45. & Sà V. Eucharistia nu. 23. Tenetur tamen tunc confiteri, nisi dubium possit deponere.

Sed dices ; Nemo in dubio tenetur ad onus voti ; ergo nec ad onus confessionis.

In dubio nõ teneris ad onus voti.

Respondeo, Ideo in dubio neminem teneri ad onus voti, præcepti, &c. quia par non est vt tantum oneris imponatur cum res est dubia, quantum imponitur cum est certa ; quod tamen fieret, si dubius, voto teneretur. At hoc non sit in nostro casu : Non enim in dubio imponitur ei vt confiteatur crimen absolutè, sicut fieri debet cum res est certa : sed solum vt confiteatur sub conditione, & sub dubio ; quod longe minus est & facilius ; vnde non obligatur ad aliquid quod excedat illam dubitationem, sicuti obligaretur dubius voti, si teneretur votum implere.

CASVS VIII.

Confessio speciei & numeri.

Vtrùm in confessione teneamur explicare species & numerum omnium peccatorum mortalium?

Respondeo, Certum est apud omnes, pœnitentem teneri confiteri distinctè omnia quæ nouit : vnde si sciret distinctè species & numerum omnium, teneretur explicare. Nulla enim est ratio cur in quibusdam generibus peccatorum satis sit explicare species subalternas, in aliis etiã oporteat vltimas. Et vnde sciemus in quibus illo vel hoc modo fieri debeat ? Vel enim in omnibus sufficeret explicare species subalternas, quod planè falsum ! vel in nullis, vel in aliquibus ; si hoc vltimum, in quibus, & in quibus non ? Itaque nul-

Digitized by Google

la certa regula dari potèrit. Verum quia pauci norunt omnes illas specierum distinctiones, solum obligantur prout commodè possunt, adhibito examine diligenti pro capacitate personæ & causæ grauitate.

12 Hinc tamen non sequitur illos debere esse anxios, quia satis est eos facere quod commodè possunt: nec ad amplius tenetur Confessarius.

Sufficit vt Confessarius sciat distinctionem venialium, & mortalium in genere.

Neque hinc sequitur paucissimos esse idoneos Confessarios: quia si ille solus esset idoneus qui omnes peccatorum distinctiones nosset, nemo esset idoneus. quis enim nouit distinctionem mortalis & venialis in casibus particularibus? id tamen videbatur maximè necessarium ad hoc iudicium. Vt ergo censeatur idoneus, satis est vt sciat distinctionem venialium & mortalium in genere; & distinctiones specierum passim à Doctoribus traditas, quæ non difficulter ex circunstantiis colliguntur.

13 Numerus exponēdus si cōmodè sciri possit.

Quod ad numerum attinet, is aperiendus, si sciatur: si nescitur, vel non facilè in memoriam reduci potest, sufficit dicere numerum verisimilem; vel si hoc non potest, consuetudinem. Sanè in praxi non vidi hac in re tantam difficultatem. Si enim Confessarius est dexter & minimè scrupulosus, facilè & speciem & numerum à confitente eliciet, saltem quantum satis est, vt eius statum cognoscat.

CASVS IX.

Varię species peccatorum. *Proponuntur varia peccatorum species, & quomodo hæ in confessione explicanda?*

14 Osculum libidinosū. REspondeo Primo, Osculum libidinosum, si in sola voluptate illius oculi stetur absque desiderio coitus, esse eiusdem rationis sepositio scandalo, siue fiat circa coniugatam, siue circa solutam; nec esse necessarium explicare illam obiecti circumstantiam.

Delectatio morosa. Secundo, Idem semper sensi de delectatione morosa. Quod etiam docet Vasquez 1. 2.

Affectus copulæ. Tertio, Non tamen idem sentio de affectu copulæ, etiamsi ob timorem pœnæ, vel alia simili causa non velis ad actum externum prodire. Desideras enim in corde tuo feminam; ac proinde es adulter coram Deo iuxta Domini sententiam. Ratio est, quia desiderium illud accipit speciem ab opere desiderato tanquam obiecto, & exiret in opus, nisi impediretur extrinsecus.

15 Hęresis. Quarto, Puto omnes hæreses, in ratione hæresis, esse eiusdem speciei: vnde sufficere vt dicat, se negasse vel dubitasse de aliquo articulo fidei.

Periurium. Quinto, Periurium per Deum & in sanctos esse eiusdem rationis. Idem existimo de periurio execratorio & simplici: nam in omni periurio tacitè continetur execratio.

Blasphemiaq Sexto, Blasphemiam in Deum & in Sanctos, immediatè esse diuersæ speciei, sicut & laudem & cultum.

petractio. Septima, Probabile est in infamia & iudicio temerario non necessario explicandam esse speciē peccati de quo infamauit, vel temere iudicauit.

Iudicium temerariū. Quia probabile est omnes detractiones esse eiusdem speciei, similiter omnia iudicia temeraria, & contumelias. Etsi enim crimina sint diuersa, opiniones tamen hominum de te, quatenus sunt contra famam vel honorem tuum, censentur eiusdem speciei; & solum differre secundum magis & minus: sicut variæ læsiones corporis, vel bonorum fortunæ. Tota enim fama est vna species bonorum, sicut diuitiæ. Vnde sufficit dicere, *Detraxi in materia grauī*, nec opus est explicare quid dixeris. Ita etiam docet Sà in Romana magistri S. Palatii correctione. Idem probabile de blasphemiis in Deum, ob eandem causam.

Diuinatio Octauo, In speciebus diuinationis, materiale instrumentum non mutat speciem moralem.

Incestus. Nono, In incestu, excepto primo gradu cum parente & cum sorore; puto probabile cæteros esse eiusdem speciei.

CASVS X.

Numerus peccatorū. *Quomodo peccatorum numerus in Confessione sit explicandus?*

16 Numerus. DE Numero, Non est magna difficultas. Nam si absque magna molestia non possit exactè numerum attingere, sufficit dicere rudi modo: v. g. fortè vicies, aut circiter, plus minus: Si hoc non potest, dicat suam consuetudinem, vt Doctores tradunt.

Opus externum. Quando autem agitur de opere externo exequendo, sufficit dicere quamdiu ea in re fuerit occupatus: v. g. *Occidi illum? & fui per mensem in eo conatu parando arma, proficiscendo, & capiendo occasionem.* Eodem modo si conatus fuerit pertrahere feminam in turpia.

Interruptio. Quod ad interruptionem attinet, si voluntas tendat ad executionem, non censetur interrumpi nisi per retractationem & mutationem propositi: vt si decreuisti manè non audire sacrum, vel non recitare officium, & sequatur omissio exterior, censetur vnum peccatum, etiamsi decies habueris illam voluntatem; & toties illam aliis cogitationibus intermiseris; Si autem non sequatur executio, sunt diuersa numero peccata. Sed si hic numerus ignoratur, satis est dicere, *Fui diu in voluntate non audiendi sacri, tamen postea audiui.*

17 Numerus actuum internorum. Numerus actuum internorum difficulter sciri potest, nisi contrariis actibus fuerint interrupti, Vnde ordinariè explicandus est per durationem temporis, & hoc satis est. Confessarius mediocriter doctus, qui non est scrupulosus, non habet in his rebus magnas difficultates. Quod si sit scrupulosus, etsi doctissimus, vbique hærebit, eritque anxius.

CONSECRATIO.

CASVS I.

Consecratio Calicis. *Cuidam Abbati per bullam Pontificiam concessum, vt possit monasterii sui, siue suorum calices &c. consecrare vel benedicere.*

Quæritur, *An possit accedente saltem Ordinariorum licentia similiter externorum calices &c. consecrare vel benedicere?*

1 REspondeo; Verius videri non posse; Quia sicut Ordinarius non potest Abbati dare tale priuilegium [vt communiter Doctores fatentur:] ita neque datum à Pontifice, & restrictum ad certam materiam, nempe ad calices sui monasterij, extendere ad calices suæ diœcesis. Eiusdem enim rationis est concedere aliquam facultatem, & limitatè concessam extendere ad aliam materiam. Confirmatur, quia hæc duo priuilegia multum differunt, Posse consecrare calices sui monasterij, &, Posse consecrare quosuis permittentibus Ordinariis. Accedit quod in priuilegiis quæ exorbitant à iure communi, strictior interpretatio sit fa-

Google

cienda: vt docet Panor. in Cap. *Quod dilecti a*, de consanguinit. Et affinit. Quam sententiam dicit esse certam & communem. Addo tamen, si talis Abbas ex vi talis concessionis, vel quia vtitur insignibus Pontificalibus, haberet consuetudinem consecrandi calices quosuis qui ad ipsum deferuntur, posse eam consuetudinem retinere, modò sit legitimè præscripta; nempe per 40. annorum spatium cum titulo, vel à tempore immemoriali sine titulo.

CASVS II.

Cõsecratio Virginum.

Virum Episcopus vel Archiepiscopus ex causa possit committere consecrationem Virginum Abbati vel alteri non Episcopo?

Videtur posse quia res illa non est tanti momenti, & sæpè grauiores eius occupationes possunt impedire.

REspondeo tamen breuiter, non posse. Colligitur ex Cap. *Aqua*, de Consecrat. Eccl. & altarium: vbi Gregorius IX. statuit *Episcopum non posse committere simplici sacerdoti reconciliationem Ecclesiæ poluti, etiamsi aqua per Episcopum sit benedicta: & contrariam consuetudinem dicit esse corruptelam.* Rationem subdit: *Quia licet Episcopus committere valeat quæ iurisdictionis existunt; quæ Ordinis tamen Episcopalis sunt, non potest inferioris gradus Clericis demandare.* Vnde infert Glossa, *non posse etiam illum demandare consecrationem Virginum, quia pertinet ad Ordinem Episcopalem.* Idem docent communiter Canonistæ in illud Cap. & in Cap. *Denuntiis.* 20. q. 1. & omnes Theologi qui hanc materiam attingunt. D. Thomas in 4. d. 38. q. 1. a. 5. in Corpore ait: *Propter hoc solus Episcopus, cui cura Ecclesiæ committitur, Virgines desponsat, velando, non sibi, sed Christo, tanquam paranymphus & amicus.* Richardus in 4. d. 25. a. 1. q. 1. D. Anthoninus 3. p. t. 2. c. 2. in principio Paludanus in 4. dist. 38. & ex illo Silucster V. *Consecratio Virg.* nu. 3. vbi ait; *Velare Virgines nullus potest nisi Episcopus; quia ipse est quasi paranymphus desponsans Virgines Christo. Imo hoc Episcopus demandare non posset non Episcopo; quia hoc est ordinationis & consecrationis Episcopalis, sicut consecrare Ecclesias, & non iurisdictionis.* Idem tenent cæteri Doctores in suis Summis: Fumus V. *Virginum Consecratio*, n. 1. Rosella eodem V. nu. 1. Angelus V. *Consecratio Virginum.* n. 1. Denique passim idẽ docent recentiores: Sà V. *Consecratio* n. 4. & 5. Nec vllum legere me memini auctorem, qui diceret hoc ab Episcopo posse committi Presbytero vel Abbati: quia annexum est Ordini Episcopali, & fundatur in ipsa consecratione, per quam factus est Episcopus, non in Iurisdictione, sicut consecratio Ecclesiarum, altarium, calicum, & similium, vt constat ex dicto Capite *Aqua.* De consecratione Ecclesiæ & altarium.

Potest Pontifex committere Presbytero

Fatentur tamen Doctores posse hæc à Summo Pontifice committi sacerdoti: tum quia non sunt essentialiter annexa Ordini Episcopali; tum quia sunt ex institutione Ecclesiæ.

Nec obstat Cap. *Si iubet*, & sequens 26. q. 6. ex Concilio Carthaginensi II. & III. vbi apertè dicitur Presbyterum ex commissione Episcopi posse puellas consecrare: quia id correctum est per Capit. *Aqua.* Vnde Glosa ibidem dicit *illud fuisse locale vel temporale: hodie enim solis Episcopis competere.* Idem clarè colligitur ex Pontificali Romano, vbi habetur formula illius consecrationis, solique Episcopo tribuitur.

CASVS III.

Velum Virginitatis & consecrationis.

Virum Puella occultè corrupta, facta professione, & accepto velo virginitatis, possit manere cum cæteris. Item an talis puella possit accipere velum consecrationis?

REspondeo, Posse: & omnino debere; quia verè est professa, cuius professionis vis non pendet à velo & forma qua vellum datur. Imò potuit hoc velum accipere, quia non est velum consecrationis, quod datur solum anno 25. ætatis, idque ab Episcopo cum magna cæremonia; sed est velum professionis. Nullus autem est Canon qui requirat ad hoc integritatem corporis. Accedit quod hæc sit virgo in foro externo.

Verum probabile est posse etiam velum consecrationis accipere. Hoc tamen limitarem, si non potest cõmodè detrectare absque suspicione corruptionis. Sed hęc cõsecratio est modo raro inusu.

CASVS IV.

Venditio rei consecratæ.

An vestes benedicta lapides & ligna monasterij possint vendi in vsus prophanos?

REspondeo, Vt vestes benedictæ vendantur in vsus prophanos, non ausim concedere; quia est contra reuerentiam rebus sacris debitam. De lapidibus & lignis, quia benedictio periit, non videtur tanta difficultas. Conceditur passim vt impendantur in ædificationem vel reparationem monasterij. Non est rutum in huiusmodi à communi Doctorum sententia recedere.

Si tamen alicubi vestes sacræ venderentur in vsus prophanos, deberent anteà dissui, & prorsus dissolui, alioquin res non esset tolerabilis.

Societas hic nullum habet priuilegium præ cæteris monasterijs.

Facile ex vestibus sacris attritis potest aliquid aliud fieri, quod Ecclesiæ seruiat: vt ex duab⁹ Albis veteribus & laceris potest fieri vna bona &c.

CONTRACTVS.

Cõtractus illicitus bona fide putatus licitus.

CASVS I.

Virum qui bona fide fecit contractum illicitum, credens esse licitum, possit tantumdem sibi detinere ex eo quod super sortem accepit, quantum fuisset lucraturus ex alio contractu licito?

OPus est distinctione. Alioquin hoc absolute falsum esse, patet hoc exemplo: Emisti anticipata solutione lanam vel aliam mercem infrà dimidium iusti Pretij, persuasus ab alijs ita posse fieri, nec habes rationem lucri cessantis aut alterius tituli extrinseci, potuisses tamen per cambia vel alijs industrijs tantundem lucrari: certum est te teneri explere iustum pretium. Quia contractus intrinsecè est iniquus, cum sit inæqualitas. Similiter si quis persuasus lucrum Bursæ esse iustum, deferat iusta mercimonia, & mutuet cum lucro supra sortem, putans hoc per se iustum, sine vllo respectu ad interesse. Et ratio est, quia non potest quicquam accipi in contractibus ratione lucri cessantis, quando illud non est generatim vel particulatim deductum in æstimationem, quia tunc non censetur pars pretij, aut rei quæ venit in contractum.

Contractus vēditionis.

CASVS II.

Mercatores ineunt contractum venditionis panni cum Rege, qui dant vlnam panni 60. aſſibus vel 61. ea lege vt nomine recompenſæ Rex in ſingulas vlnas det 27. aſſes iuxta proportionem conſuetam.

Quæritur, *An illud lucrum ſit iuſtum?*

2 REſpondeo, Hic opus eſt diſtinctione: Si enim Rex debet illos 27. aſſes ex iuſtitia aliunde licitè poteſt tale pactum in venditione panni apponi. Verum non apparet ob quem titulum poſſit hæc ſumma determinata eſſe debita; niſi forſan ratione intereſſe: quia venditio fit credito, & ad 4. menſes differtur ſolutio vel tota vel ex parte. Sed hoc intereſſe videtur exorbitans: nam erit 25. in ſingulos centenarios intra 4. vel 5. menſes. Vnde intra annum facilè lucrabitur 100. in 100. & amplius; quod neſcio cui non poſſet videri enorme, & excedens omnem iuſtitiæ modum. Quod ſi non debetur ex iuſtitia, non poteſt poni in contractu, vt ex iuſtitia debeatur. Nam tunc re vera, & ſecundum æſtimationem moralem, habet nomen pretij; vt facilè poteſt explicari exemplis vſure, & ſimoniæ. Vnde reipſa, ſepoſitis nominibus, vlna panni 60. aſſium venderur 87. qua ratione lucrabuntur 45. in 100. in quouis contractu.

CASVS III.

Contractus venditionis adiecta pœnâ.

Titius Iuuenis 23. annorum, egens pecunia, egit per amicum ſuum Caium cum Sempronio, vt ab eo pecuniam accipiat. Sempronius per ſuum actorem Andream vendit illi ligna ducentis libris Anglicanis ſoluendis intra ſex menſes, addita pœna ducentarum librarum ſi intra illud tempus non ſoluerit. Sciebant Titium non fore ſoluendo. Itaque cùm non ſolueret elapſo termino, incurrit pœnam. Titius per ſuum amicum Caium vendit ligna Sempronio, ſeu eius actori Andreæ, pro 120. libris. Pater Titij vocat actorem Sempronij in ius, quòd fraudem videretur feciſſe filio. Poſt multas vtrinque expenſas, offert Pater Titij ſexto anno poſt 240. libras in commodum Sempronij.

Quæritur, *Ad quid teneatur Sempronius, cum deductis expenſis litis ſolum lucratus ſit decem libras?*

3 Pretiũ redẽptionis eſt hic nimis vile.

REſpondeo, Multa hîc inuolui, quæ ſeorſim ſunt conſideranda.

Primò, Si ponamus potuiſſe ligna illa iuſtè vendi 200. libris pretio ſummo: non potuerunt ab eodem venditore redimi 120. libris. Non enim poteſt eſſe tanta diſtantia inter pretium ſummum & infimum, iuxta communem æſtimationem. Sed ſi pretium ſummum iudicio intelligentium erat 200. librarum, infimum erit 170. vel 160. Quo poſito, ſi Titius ſoluiſſet illas 200. libras, deberent ei 30. reſtitui.

Pœna fuit per iniuriã aciecta.

Secundò, Non potuit exigi illa pœna à Titio, cum ſcirent illum abſque ſua culpa non fore ſoluendo. Itaque fuit facta iniuria Titio cum illa pœna exacta fuit. Non enim poteſt conſtitui pœna, neque conſtituta exigi in contractibus, niſi debitor committat culpam non ſoluendo intra terminum elapſum.

4 Hinc Sempronius tenetur ad litis.

Hinc ſequitur, Sempronium teneri ad reſtitutionem damni ex lite ſecuti, ſi lis intentata fuit à patre Titij ad euitandam ſolutionem illius pœnæ: quia iniuſtè illam litem ſuſtinuit Sempronius contra patrem Titij ad obtinendam ſolutionem pœnæ.

Excipe caſus.

Excuſari tamen poſſet à reſtitutione illius damni Sempronius, ſi bona fide putauit ſe illam litem poſſe ſuſtinere, ob conſuetum ibi vſum fori externi in huiuſmodi pœnis, vel ob aliam cauſam: ita vt non peccauerit, ſaltem mortiferè, illam ſuſtinendo: quia tunc non fecit formalem iniuriam illam ſuſtinendo. Item ſi lis illa fuit intentata ad elidendum totum debitum. Nam Sempronius potuit ſuſtinere litem, ſaltem qua parte agebatur de pretio lignorum, & de intereſſe illius pretij: vt ſi pro certo illud impendiſſet ad alia lucra, ſi tempore debito ſolutum fuiſſet. Hæc enim omnia ſunt conſideranda vt aliquid certi de quantitate reſtitutionis poſſit ſtatui.

5 Sempronius retinere poteſt pretium rigoroſum.

Ex his patet Primo, Sempronium poſſe ex dicta ſumma 240. librarum, quas accepit à patre Titij retinere quantum erat pretium ſummum & rigoroſum lignorum, quæ per Andream Titio vendidit. Quantum autem id ſit, à peritis æſtimandum.

Item lucri ceſſans.

Secundo, Poſſe etiam retinere vel exigere æſtimationem lucri ceſſantis, vel damni emergentis ex eo, quod pretium illud, intra terminum ſtatutum non fuit ſolutum; & poſteà per ſex annos dilatum. Intellige tamen, ſi culpa lata Titij, vel patris eius, pretium non eſt ſolutum, & re vera Sempronius illud vtiliter impendiſſet. Itaque facienda erit æſtimatio illius lucri ceſſantis, vel damni emergentis, & tantundem ex illa ſumma detrahi poteſt & retineri à Sempronio.

Excipe caſus.

Tertio, Si nulla culpa commiſſa eſt in dilatione ſolutionis, nihil ex hoc capite poteſt Sempronius exigere.

Quartò, Si mala fide ſuſtinuit illam litem, exigendo pœnam 200. librarum; tenetur ad expenſas litis, quas pater Titij eo nomine incurrit.

CASVS IV.

Contractus perpetuæ locationis.

Titius non ſoluit Canonem ex contractu locationis perpetuæ.

Quæritur, *Vtrùm ex non ſolutione amittat in hac locatione vtile dominium?*

6 REſpondeo, Cum iſte contractus ſit contractus locationis perpetuæ, qui diſtinguitur ſecundum Iura à contractu Emphyteuſeos, non poteſt locator vti iure contractus Emphyteuſeos; ac proinde ex eo quod Emphyteuta amittat Emphyteuſim, non ſoluendo Canonem per tres annos, non poteſt concludere etiam in hac locatione vtile dominium amitti ex non ſolutione. Neque verba illa, *Quandiu ſoluerit Canonem, permittimus illi vſum fructum*, &c. ſufficiunt vt à contrario ſenſu inferamus rem eſſe commiſſam, ſi aliquot annis non ſoluerit: nimis enim dura eſt illa interpretatio: ſed ſolum ſignificatur poſſe retrahi, ſi monitus abſolutè nolit amplius ſoluere.

CASVS V.

Contractus locationis ignorato onere decimarum.

Ruſticus conductor agrorum neſciuit alicui parti illorum mains decimarum onus impoſitum, quam reliquis: & hactenus bona fide non ſoluit, neque exactum fuit amplius.

Quæritur, *An ad aliquid teneatur in præteritum, vel in futurum? & an poſſit damnum ſarcire à locatore?*

REſpondeo, Iſtum ruſticum conductorem ad nihil teneri, neque in præteritum, neque in

Digitized by Google

futurum; nisi constiterit re vera tale onus inesse. Vnde, cum lis ea de re sit mota, ad nihil tenetur, donec lata fuerit sententia, aut aliunde moraliter certum fuerit partem illam tale onus habere. Quod addo: quia sufficit vt de re constet, etiamsi sententia ob aliquam causam lata non fuerit, vel actor defectu probationis destiterit prosequi litem.

2 Verum autem possit hoc damnum sarcire à locatore, pendet ex forma contractus. Si enim locator simpliciter locauit non specificatis oneribus, sed generatim vt conductor solueret omnes decimas soluendas, &c. non tenetur locator sarcire, nec potest conductor vti compensatione. Nisi fortè illud detrimentum sit tantum, vt conductor nollet tanti conducere, si sciuisset. Tunc enim ratione illius deceptionis, posset detrahere de pretio conductionis, quanti minoris conducturus fuisset si sciuisset. Idem dicendum si in contractu expressè fuisset dictum, vt non teneretur ad alia onera, quàm ad ea, quæ tunc temporis erant nota.

Restitutio in integrũ. 9 Petes Primò, An possit elocator petere restitutionem in integrum, si ipse solum recipiat XI. libras Flandricas, conductor verò recipiat XXVII.

Respondeo, Non videtur dubium quin possit elocator petere restitutionem in integrum saltem pro illis annis quibus conductor recepit XXVII. libras Flandricas, ipse verò solum XI. Idem credo etiam quando solum accipit XVI. quia est grauis læsio.

Fructus ex accreta terra. 10 Petes Secundo, Si terris ad flumen sitis sensim accrescat terra, fructus ex accreta terra prouenientes eruntne elocatoris, an conductoris?

Respondeo, Sicuti accreta terra ad elocatorem seu dominum agri spectat, ita etiam ad eundem spectant fructus ex ea prouenientes: vnde potest à conductore exigere pretium pro illis fructibus: hæc enim terra non erit comprehensa in primo contractu conditionis.

CASVS VI.

Retractio fructuũ in emphyteusim. *Titius in emphyteusim dedit terras quasdam Caio. Caius illas non colit: ac proinde Titius vt derelictas occupat & excolit.*

Quæritur, *An Titius teneatur repetenti Caio fructus restituere.*

11 Respondeo, Cum Titius sit dominus directus illarum terrarum, easque derelictas videat, probabile videtur quod possit eas excolere, & fructus retinere. Durum enim videtur dominum directum, quando videt bona sua deserta, non posse ea colere in suum commodum, sed teneri emphyteutæ restituere fructus detractis solum expensis culturæ, & iis canonibus qui ipsi erant soluendi. Sic enim non plus posset quàm extraneus nullum ius habens in illas terras. Sanè in pignore non tenetur fructus computare, cum sit dominus directus: ergo à pari neque hîc.

CASVS VII.

Fraus in Retractu. *Titius annis abhinc 20. emit domum à Caio 500. aureis. Verùm ne retraheretur à consanguineis Cai, ad frandandum retractum, egit cum Caio, & conuenit inter eos, vt in instrumento contractus scriberetur pretium 500. aureorum.*

Quæritur, *An Titius teneatur ad aliquam restitutionem.*

12 Respondeo, Titium non teneri ad vllam restitutionem. Ratio est, quia non peccauit contra iustitiam commutatiuam: quamuis possit videri commisisse dolum quendam, quem generali nomine vocant *Stellionatum*, etsi non putem hunc adeò fuisse grauem, vt pertigerit ad culpam lethalem. Retrotrahendo non peccat contra iustitiã.

Non peccasse contra iustitiam commutatiuam, patet; quia iustitiæ ratio non postulat, vt in instrumento contractus exprimatur verum pretium, sed potest poni maius vel minus vero, modò id fiat consensu contrahentium. Nec vllum ius id præcipit. Vnde etiamsi lex ciuilis concedat ius Retractus consanguineis venditoris [nimirum vt reddito pretio quod emptor numerauit, possint rem sui facere mancipij:] emptor tamen, etiam interrogatus, non tenetur eis pretium verum indicare, nisi ex virtute veracitatis: neque lex ciuilis hanc ei obligationem imponit. Nec contra vllum ius.

13 Item dico de venditore (etsi minor de hoc videatur ratio, eo quod ipsius non tanti interfit retractum non fieri, quanti emptoris) quia nulla talis obligatio inuenitur. Idem dic de venditore.

Idem confirmatur à simili; quia si quis emens merces certi generis, v. g. pannum argenteum, simulet se singulas vlnas emere 20. florenis, cum non emat nisi 13. vel 14. non facit per hoc iniuriam aliis quibusdam emptoribus paratis emere, si verum pretium sciuissent: nec peccat contra Iustitiam commutatiuam; non enim id facit vt alij pluris emant pannum illum, quàm valet; sed vt ipse solus emat & alij magnitudine pretij deterriti non ausint emere: qua in re sibi consulit. Idem dico etiamsi merces improbet & vituperet coram aliis mercatoribus, vt solus emat omnes: nemo enim cum de notabili commodo agitur, tenetur alteri veritatem aperire, qua cognita, ille commodum istud impediret, vel ad se pertraheret. Neque mendacium tale censetur pernicioſum, sed officiosum. A simili.

Si quis tamen habens ius Retrotractus refudisset Caio quingentos, putans eum tanti emisse, teneretur Caius ex iustitia restituere ducentos, cum ipse solum trecentis emerit. Ille enim ius habet, vt refuso eodem vero pretio, rem sibi vindicet. Super plus tenetur restituere.

14 Denique Retrotractus facilè eludi potest hac ratione, nimirum, si conueniat inter contrahentes, vt res v.g. domus, ematur quingentis, & illud pretium scribatur in instrumento; sed simul se obliget venditor ad condonandum post contractum ducentos. Atqui eo ferè modo videtur accidisse in casu proposito, vel facilè huc reuocari potest: quia in foro externo censetur domus vendita quingentis: & tali instrumento in foro externo posset Titius petere quingentos, & obtineret. Itaque hoc ipso quo promisit se id non facturum, intercedit hic tacita quædam condonatio. Omitto alia quæ in hanc sententiam adduci possent. Retrotractus eludi potest.

CASVS VIII.

Dubiũ debitum ex contractu. *Titius à Caio acceperat 100. dato chirographo. Mortuus est Titius & Caius. Huius haeredes reperto chirographo petunt ab heredibus Titii solutionem, qui se nihil debere affirmant, quòd soluta in libro rationum inueniãt.*

Quæritur, *Vtrùm iustè negetur & petatur solutio?*

Respondeo, Heredes Titij si omnino credunt parétem soluisse illos 100. florenos [quod merito credere possunt, cum inueniant id in libro parentis ipsius manu annotatum, assignato die certo] non tenentur soluere, nisi à Iudice compellantur,

Hæredes tamen Caij, quia reperiunt apud se chirographum seu obligationem Titij, si omnino credunt non esse solutum, possunt petere in iudicio. Si propter contrarias probationes inierint compositionem v. g. vt soluatur illis dimidium; non possunt reliquum occulta compensatione repetere; quia compensatio locum non habent nisi vbi certa est iniuria: hic autem non est certa iniuria

CASVS IX.

Mẽdacium mercatorũ

Vtrùm mercator interrogatus ab alio mercatore teneatur facere scientiam primam de precio mercium aliarum Prouinciarum, si negatio vergat in damnum interrogantis.

16 REspondeo, Mercator qui rogatus ab alio de precio frumenti in tali Prouincia, respondit minus pretium, & dixit ibi esse magnam frumenti copiam, ne alter eò suum frumentum destinaret; sicque contingeret ipsum suum frumentum, quod ibi habebat, minoris vendere, non videtur cogendus ad restitutionem. Receptum enim est inter mercatores, vt veritatem in huiusmodi non aperiant; quia id in eorum damnum cederet.

DEPOSITVM.

CASVS I.

Depositum vsus.

Petrus Ædilis depositam apud se habet pecuniam Ecclesiæ

Quæritur, *An possit ea vti in suum, vel in publicum commodum.*

1 Non potest vti in suum commodũ.

REspondeo Primò, Qui pecuniam Ecclesiæ accepit in custodiam per modum depositi, non potest ea vti in suum vel aliorum commodum absque consensu Rectoris Ecclesiæ 1 & tenetur illam restituere quando repetita fuerit. Quòd si non restituerit, & inde lucrum cesset Ecclesiæ, eò quòd illa pecunia fuisset impensa in emptionem census, vel rei fructiferæ, tenetur ad interesse, quia est in mora; sicut fur qui alienum detinet. Confirmatur, quia si illa pecunia non esset expensa, sed adhuc extaret apud depositarium, & depositarius nollet illam reddere cùm expetitur, teneretur ad interesse: ergo etiam tenetur postquam expensa est: quia quod sit expensa, hoc non potest præiudicare Ecclesiæ, cum sine eius consensu id factum sit.

2 Neque in commodũ publicum

Respondeo Secundò, Non refert quòd illa deposita pecunia in publicum commodum expensa sit: quia commodum publicum non debet solius Ecclesiæ expensis, sed publico sumptu procurari. Vnde communitas debet contribuere, vt non sola Ecclesia totum onus ferat. Similiter non refert quòd hac ratione communitas fuit defensa à milite, & ita non fuerit coacta cum magno Ecclesiæ incommodo confugere ad Ecclesiam: quia Ecclesia non tenetur gratis illud refugium permittere: imo communitas debet potius contribuere ne cogatur Ecclesiam conspurcare.

3 Tenetur ad auctariũ si species ẽ valor est auctus.

Respondeo Tertiò, Non solum tenetur ad interesse ex eo tempore quo detentio cœpit esse damnosa Ecclesiæ; sed etiam tenetur ad auctarium, si specierum valor auctus est, & ipse promisit se easdem species restituturum. Ratio est, quia absque consensu Ecclesiæ illam pecuniam expendit, & ita fuit illi causa damni: si enim illam pecuniam custodisset vt depositam, sicut tenebatur ex

contractu, crcuisset in Ecclesiæ commodum.

Addo tamen, Ecclesiam quoque pro sua parte in sumptum venire debere. Et hac ratione posset fortè aliquid detrahi restitutioni, siue quoad monetæ augmentum, siue quoad interesse pensionis.

CASVS II.

Depositi cõseruatio & restitutio.

Ex qua culpa teneatur depositarius si fortè depositum deponendi fartum tectum non præstiterit? Item, *An quis possit se obligare ad custodiam depositi cum damno Reipublicæ?*

4 Si in commodum solius deponentis, tenetur solum ex culpa graui vel dolo.

REspondeo Primo, Quando depositum factum est in commodum solius deponentis, & depositarius nihil inde percipit vtilitatis, depositarium non teneri nisi ex culpa graui vel dolo, si fortè depositum deponenti fartum tectum non præstiterit. l. 1. *ff. Depositi.* Estque communis Doctorum sententia. Itaque quando maior vis ingruit, aduersus quam, sine grauissimo damno non potest depositum tueri, extra omnem culpam est, si illud à se dimittat: non enim cum tanto suo damno videtur illius custodiam voluisse præstare, cum nullum inde commodum esset percepturus. Actus enim agentium non operantur vltra intentiones eorum, vt Doctores dicunt.

5

Respondeo Secundo, Quemlibet posse se obstringere ad custodiam depositi, etiam cum manifesto periculo & damno rerum propriarum quarum est absolutus dominus, & liberam habet dispositionem: non tamen cum damno publico, quia non est dominus bonorum Reipublicę sed solum administrator, etiamsi sit Rex aut Princeps in temporalibus superiorem non agnoscens. Vnde absque consensu Reipublicæ, seu eorum qui Rempub. repræsentant, vt apud Belgas sunt Status Generales, non potest facere aliquas promissiones in præiudicium boni communis; vel si aliquæ factæ sunt, quas rerum successus ostendit in damnum publicum cessuras, non tenetur eas seruare; imò per se loquendo, nec potest. Sicut enim non potest bona subditorum in suum commodum conuertere, ita non potest ea suis priuatis contractibus periculo bellorum vnà cum vita ipsorum exponere. Tenetur enim omnis Princeps Rempublicam administrare prout expedit ad bonum commune, & non aliter. Et hic est scopus quem in omnibus spectare debet. Hoc enim est discrimen inter Principem iustum & tyrannum, quod Princeps iustus spectet in omnibus bonum commune Reipubl. cui conseruando & promouendo est præpositus, tyrannus spectet commodum & honorem suæ personæ. Princeps nõ potest bona Reip. quorũ solum est administrator, onerare

Ex quibus manifestè consequens est, Principem non teneri coram Deo, & apud Sapientes, promissione quam priuatim fecit, nisi quantum commodè potest absque damno publico.

HÆRETICORVM CVM CATHOLICIS CONVERSATIO.

HABITATIO.

CASVS I.

Habitatio hæretici inter Catholicos.

An liceat Principi seu potestati publicæ concedere hæretico ob artem vel scientiam habitationem in locis suæ iurisdictioni subiectis?

REspondeo, non licere Principi seu potestati publicæ concedere hæretico habitationem in

locis ſuæ iuriſdictioni ſubiectis; etiamſi ille præclara arte inſtructus ſit. Nam etſi conſiſtendo intra Iuris naturalis limites non videantur illicitum, modo caueatur vt abſit periculum contagij; tamen eſt apertè contra Ius Eccleſiaſticum, & contra iuramentum quod præſtare debent poteſtates ſæculares. In conſilio enim magno Lateranenſi ſub Innocentio III. c. 3. ſic dicitur, *Moneantur & inducantur, & ſi neceſſe fuerit, per cenſuram Eccleſiaſticam compellantur ſeculares poteſtates quinſcumque officij, vt vocari cupiant & haberi fideles, ita pro defenſione fidei præſtent publicè iuramentum, quòd de terris ſuæ iuriſdictioni ſubiectis, vniuerſos hæreticos ab Eccleſia denotatos, bona fide pro viribus exterminare ſtudeant; ita quòd amodò quandocunque quis fuerit in poteſtatem ſiue ſpiritualem ſiue temporalem aſſumptus, hoc teneatur Capitulum firmare*, & cætera quæ ſequuntur.

Concil. Lateranenſe diſerte id prohibet.

Neque hîc fiat vlla exceptio artis aut ſcientiæ; ſicut nec ſecundum rectam rationem fieri debet: quia ob aliquod temporale compendiolum, fides aut Religio periclitanda non eſt: præſertim cum hæretici, qui magno ſunt ingenio, plurimum nocere poſſint, etiam occultè & obiter.

Non excipit artem aut ſcientiã

Accedit quod leges ſeruandæ ſunt iuxta tenorem verborum, niſi aliquid contrarium intentioni legiſlatoris inde obueniret: vt ſi maius malum ſecuturum valdè probabiliter timeretur; quod hîc non videtur locum habere: non enim magnum malum, quòd alioquin hæretici ea arte fruentur; niſi forteſſis talis eſſet ars illa, vt per eam grauia damna eſſent Catholicis inferenda; vt ſi quis eſſet valdè peritus conflandi tormenta bellica, vel conficiendi pulueris tormentarij, & ſimiles non reperirentur apud hæreticos.

Leges ſeruandæ iuxta tenorem verborum.

Neque dici poteſt illam conſtitutionem Concilij non eſſe receptam: conſtat enim receptam eſſe, & à catholicis Principibus hoc iuramentum præſtari. Quod ſi à quibuſdam poteſtatibus ſecularibus interdum non præſtetur, negligentia eſt & abuſus: neque idcirco conſtitutio Concilij deſinit illos obligare.

2 Soluuntur obiectiones

Neque hîc vrget quòd dicatur S. Hieronymus cum Iudæis familiariter conuerſatus, & ab iis multa arcana didiciſſe. Quia D. Hieronymus non fungebatur poteſtate publica, vt ipſius eſſet admittere vel expellere Iudæos. Deinde, non nego quin priuatus poſſit aliquid diſcere ab hæretico iam inter Catholicos commorante, ſi aliunde non poteſt & abeſt periculum peruerſionis; vti D. Hieronymus abſque periculo animæ ſuæ à Iudæis multa didicit. Sed hîc quæritur an liceat poteſtati publicæ dare hæretico facultatem commorandi inter Catholicos; quod dico non licere, maximè ob conſtitutionem Concilij.

Exemplum S. Hieronymi.

3 Spes conuerſionis.

Neque etiam excuſat quòd fortè talis inter Catholicos poſſet conuerti: quia facilius vnus hæreticus peruertet Catholicos multos, quam Catholici multi vnum hæreticum conuertent. Alioquin cur Apoſtolus ad Titum 3. v. 10. poſt vnam vel alteram correptionem iubet eum deuitari, tanquam ſubuerſum, & proprio iudicio condemnatum; idque quia ſermo eius tanquam cancer ſerpit? Cur S. Ioannes Euangeliſta epiſtolæ ſuæ ſecundæ v. 10. & 11. nec Aue vult ei dici? Cur Dominus Matth. 18. v. 17. vult eum haberi tanquam Ethnicum & Publicanum? Rariſſimè abeſt omne periculum contagij, præſertim quando ſunt homines ingenioſi, & abaliqua ſcientia vel artificio auctoritatem ſibi vindicant. Debent igitur Superiores quanum poſſunt eos expellere & exterminare, & nullomodo ad ſuas ditiones admittere.

CASVS III.

Vtrùm Sereniſſimus Princeps poſſit bona conſcientia permittere, vt mercatores Angli negotientur Antuerpiæ, & ibidem commorentur, ſicut alim conſuetum?

Cõmercium hæreticorũ in emporio Catholico.

VIdetur non poſſe id permittere, quia periculum eſt ne ciues inficiant, cum plerique illorum ſint hæretici.

Poſſunt Angli hæreticâ negotiari Antuerpiæ;

Sed ſi quis rem penitus inſpiciat, non videtur eſſe vlla iuſta ratio dubitandi cur non poſſit permittere, & etiam eos inuitare in commodum primarij ſui emporij, quod alioquin hoc tempore extremam videtur minari ruinam.

Romæ & in Polonia permittantur Iudæi.

Primò, Summus Pontifex in ipſa Religionis Chriſtianæ arce Roma permittit tot millia Iudæorum, qui quotidie per vrbem diſcurrunt, & cum ciuibus exteriſque negotiantur. Idem facit Rex Poloniæ in primariis regni ſui oppidis. Neque quiſquam Doctorum cenſet eos hac in re ſuam lædere conſcientiam. Cur non poſſint Antuerpiæ permitti aliquot mercatores Angli cauſa negotiationis? Maius enim eſt periculum ſcandali à Iudæis, quibus omnes ſui ritus permittuntur, & fixam omnino ſedem habent, & linguam probè norunt, & magnum ſuæ Religionis zelum habent quàm ab iſtis mercatorious, qui plerumque parum Religioni ſuæ ſunt addicti, & linguam patriam ignorant, & pauci ſunt numero.

5 In Hiſpania coleruntur mercatores hæretici.

Secundò, In ipſa Hiſpania, vbi maximè Religioni Catholicæ cauetur, permittuntur tales negotiatores; nec quiſquam ideircò Regem accuſat. Cur ergo non poſſint hîc admitti, vbi ipſa neceſſitas cogit admittere maiorem libertatem quàm in Hiſpania. Poſſet enim Rex Hiſpaniæ, ſi veller, non admittere vllos hæreticos, & expellere omnes, tamen propter bonum regni ſui non facit. Hic autem maximo numero admittuntur.

6 Tolerauit eos in Belgio Carolus V & Philippus II.

Tertio, Tempore glor. mem. Caroli V. Imperatoris permiſſi fuere: & cum anno 1550. graui edicto hæreticos perculiſſet, propter quod etiam Angli exceſſuri erant, paucis tamen menſibus poſt, de re tota per ſororem Mariam Hungariæ Reginam, probè inſtructus, edictum ſuum mitigauit, declarans illud ad mercatores exteros non extendi. Pari modo permiſſi fuere ſub imperio Philippi II. & Philippus II. bona conſcientia eos admittere potuerunt, cur non etiam ſua Celſitudo poſſit? maximè cum modo ſit longè maior neceſſitas.

7 Hollandis id permittitur.

Quarto, Sua Celſitudo permittit omnes negotiatores imo omnes hæreticos Prouincianum vnitarum liberè verſari, non ſolum Antuerpiæ, ſed etiam per totam regionem, à quibus tamen longè maius periculum peruerſionis imminet Catholicis: quia linguam norunt, & amicos habent, & longè famularius, quàm exteri, cum omnibus verſantur. Si illi paſſim permittuntur, & tanto numero, à quibus longè maius eſt periculum, & parum commodi: cur non poſſint vno loco pauci quidam admitti, à quibus nihil ferè periculi Religioni, & maxima ſpes commodi, ac reſtitutionis nobiliſſimi emporei, alioquin, vt nunc videtur, tendentis ad ruinam, cum maximo Principis & regionis totius damno.

8 Nullũ hinc periculum Religioni.

Quinto, Hactenus non eſt intellectum aliquos ex ciuibus vel incolis ab Anglis Antuerpiæ fuiſſe peruerſos: ſed è contrario conſtat plurimos ex illis ab hæreſi ad Religionem Catholicam conuerſos. Ergo vel ob hanc ſolam cauſam, nempe ob

ſpem conuerſionis, bona conſcientia admitti poſſent, etiam ſi nihil commodi temporalis ab illis ciuitati eſſet obuenturũ. Charitas enim Chriſtiana ſuadet vbi tanta ſpes boni ſpiritalis & ſalutis animarum affulget, à Principe non negligatur.

9 Catholici negotiãtur inter hæreticos.

Sextò, Longè maius eſt periculum peruerſionis cum noſtri mercatores ad hæreticas regiones proficiſcuntur, & ibidem cum hæreticis verſantur, & commorantur. Ibi enim eſt ſumma libertas, & nihil ferè niſi blaſphemias & diſputationes in Catholicam Religionem audiunt. Vnde hac maximè ratione initio hæreſes introductę nimirum ab incolis alibi infectis. Itaque ſi conſcientię & Religionis ratio habeatur, prohibendi eſſent potius incolæ, ne in regionibus hæreticis negotiẽtur; quàm excludendi exteri à regione Catholica. Parum enim ex illorum commoratione periculi, eò quod non audeant liberè loqui, vel diſputare contra Religionem Catholicam, & plerumque lingua eorum plebi ſit ignota, & ipſi toti negotiis ſuis ſint intenti.

10 Quare hinc non ſit timendũ Antuerpiæ.

Septimo, Quæ omnia maximè locum habent hoc tempore propter copiam Doctorum & piorum virorum, qui publicè & priuatim, omnem ętatem, diligenter in Religionis negotio inſtituunt, & omnes hæreticorum verſutias detegunt; adeo vt non ſit metuendum Antuerpiæ hæreſim facturam progreſſum, ſed ſummoperè ſperandum eam ſenſim extinguendã, vel ſaltem valdè debilitandã.

Euitabũtur multa incõmoda.

Octauo denique, Si ſupradicti mercatores non admittantur, multa timenda ſunt incommoda, non ſolũ temporalia, ſed etiam ſpiritualia. Multorum enim affectus à Principe auerterur, tanquam qui de induſtria tam nobile emporium velit perdere, cum facilè poſsit illud erigere & ſaluare. Multi per iram & impatientiam Principi omnia dira imprecabuntur: & quia prætextu ſaluandæ Religionis dicetur, id fieri etiam ab ipſa Religione, animo alieni reddentur, & ad loca hæretica ſe trans-ferent.

Quibus omnibus conſideratis, non ſolum videtur Princeps poſſe, ſed etiam debere permittere, vt iſta negotiatio permittatur; adhibita ea moderatione, quæ alias propoſita fuit.

STVDIOSI.

CASVS III.

Promotio in Vniuerſitate hæretica.

Virum Catholicus Philoſophiæ Profeſſor in hæretica Vniuerſitate quæ nec à Pontifice neque à legitimo Rege inſtituta eſt, poſsit diſcipulos ſuos præmiſſo examine promouere ad Magiſterium ſeu Doctoratum Artium, hac forma: Ego: N. Artium Magiſter, nomine & auctoritate facultatis artium, creo te Magiſtrũ artium, & Philoſophiæ Doctorem, *& porrecto libro Ariſtotelis facit eidem poteſtatem docendi Philoſophiam, ac de eius quæſtionibus publicè diſputandi.*

11 Per ſe eſt illicitum.

Respondeo, Videri id per ſe illicitum. Primò, Quia ad creandum Magiſtrum vel Doctorẽ artium, requiritur legitima auctoritas, ſicut ad creandum Nobilem, Baronem, Comitem: atqui in illa municipata Facultate artium non eſt legitima auctoritas: cum hæc non habeatur niſi à Pontifice vel certè à Principe, aut conſentiente etiam Principe, vt conſtat conſuetudine recepta in populo Chriſtiano. Ratio eſt, quia Doctoratus ſeu Magiſterium, non eſt ſolum nudum teſtimonium eruditionis, ſed eſt dignitas quædam & nobilitas ratione doctrinæ collata, vt paſſim DD. docent; quam in Republica nemo conferre poteſt niſi auctoritate Principis Eccleſiaſtici, cuius eſt vbique curare vt ea doctrina tradatur quæ fidei orthodoxæ non repugnet. Præterea, etiam requiritur conſenſus Principis ſecularis in Vniuerſitatibus ſecularibus; quia eius quoque intereſt quinam in eius ditionibus ad hos honores promoueantur. Secundò, Id per ſe illicitum videtur, quia per talem actũ conciliatur auctoritas Vniuerſitati hæreticæ.

12 Ex circumſtantia poteſt eſſe licitum.

Si tamen circumſtantia ſpectetur, videri poteſt licitum; nempe ſi id fiat ad maiora mala euitanda: vt ſi non poſſit omitti, niſi is qui docet, relinquat profeſſionem, & tunc ſucceſſurus ſit aliquis hęreticus, qui hęreſim ſtudioſis inſtilleť. Tunc enim cenſeri poſſunt Pontifex & Rex ſeu Princeps ratum habere ad maius malum vitandum. Quod ſi ille poteſt declinare hanc promotionem ſine tali incommodo, tenetur abſtinere.

CASVS IV.

Abſolutio Studioſorũ a iuramento per Miniſtrum hæreticum.

An Abſolutio ſeu diſpenſatio iuramenti facti à Studioſis dum gradus reciperent in Vniuerſitatibus Catholicis, peti poſſit à Miniſtris hæreticis, vel Magiſtratu hæretico;

13 Quia non poſſunt tollere vinculum iuramenti.

Respondeo, Negatiuè. Primo, Quia nemo poteſt vinculum iuramẽti tollere ſeu in eo diſpenſare, niſi pars in cuius fauorem facta eſt; vel Prælatus Eccleſiaſticus qui id auctoritate diuinitus accepta facit; vel Princeps, qui interdum in pœnam partis, liberat alteram partem à iuramento. Sed nullo horum titulorum id poſſunt in hoc caſu Miniſtri hæretici eorũque Magiſtratus: ergo.

Secundo, Quia petere abſolutionem ſeu diſpenſationem iuramenti ab ipſis, eſt ſuo facto agnoſcere, & profiteri in ipſis eſſe aliquam iuriſdictionem ſpiritualem ligandi & ſoluendi. Atqui hoc eſt omnio illicitum: nam hæreticum eſt dicere in Miniſtris illis, vel Magiſtratu, eſſe ſpiritualẽ poteſtatem ligandi & ſoluendi. Maior patet, quia abipſis non peteretur abſolutio tamquam à parte, in cuius fauorem iuramentum factum eſt: neque etiam tamquam ab habentibus iuriſdictionem in eos in quorum fauorem factum eſt; ſicut interdum Princeps poteſt ſubditum liberare vinculo iuramenti quod factum alteri ſuo ſubdito in iuſtam pœnam: ergo tanquam ab habentibus iuriſdictionem ſpiritualem, & poteſtatem ligandi & ſoluendi, Confirmatur quia alioquin liceret etiam petere ab illis abſolutionem peccatorum, & diſpenſationem in votis, & ſimilia.

Petere abſolutionem à iuramento, eſt hic agnoſcere iuriſdictionem ſpiritualem.

Tertio, Quia iuramenta quæ fiunt in Promotionibus, partim ſunt de retinenda profeſſione fidei iuxta formulam ordinariam; quæ iuramenta fiunt Deo & Eccleſiæ, & ab horum vinculo nemo poteſt liberare, & nemo petere liberationem, quia non poteſt ſubeſſe vlla ratio liberandi: Partim in fauorem Vniuerſitatis, & ab his etiam nemo poteſt inuita Vniuerſitate, niſi legitimus Superior Eccleſiaſticus, idque ex iuſta cauſa: ergo petendo ab his liberationem, agnoſcunt & habent illos pro veris Superioribus: quod omnino illicitum eſt.

14 Iniurius eſt Deo & Vniuerſitati petens talem diſpenſationem.

Quarto, Quia tota illa conſtitutio hæretici Magiſtratus, qua imperatur vt ſtudioſi in Catholicis Vniuerſitatibus promoti, talem abſolutionem vel diſpenſationem à ſe, vel Miniſtris ſuis petant, eo videtur tendere, vt promoti ad gradus agnoſcant Miniſtros vel deputatos pro legitimis Superioribus habentibus auctoritatem eximendi à iuramentis huiuſmodi, tanquam hoſti factis, vel potius vt eis renuntient tamquam illicitis & nefarijs, eaque abiurent: nam non apparet

Finis huius diſpenſationis eſt illicitus.

quis poſſet eſſe alius vſus huius abſolutionis petendæ. Atqui hoc penitus eſt illicitum : nam iuramento profeſſionis fidei renuntiare, proteſtatio eſt perfidiæ : & iuramento Vniuerſitatis renuntiare, iniurium eſt Vniuerſitati : nec propter hanc renuntiationem deſinet obligatio iuramenti.

Eſt graue peccatum.

Hinc ſequitur, graue eſſe peccatum abiurare [illegible] iuramenta ; id eſt, iurare ſe non habere ea pro legitimis, & nolle ſeruare.

FESTA ECCLESIÆ.

CASVS V.

An hæretici teneantur præceptis Eccleſiæ de clandeſtinis matrimonijs ? Item de ieiunio & abſtinentia ciborum? Item de audiendo ſacrificio Miſſæ &c.

Hæretici obligantur præceptis Eccleſiæ.

RESpondeo ad Primum, Certum eſt hæretici matrimonium, in loco vbi decretum Concilii Tridentini de Cland. matrimoniis eſt promulgatum, eſſe inualidum, ſi fiat abſque Parocho: vnde cum redeunt ad Eccleſiam, coram Parocho & teſtibus eſt renouandum. Aperte id colligitur ex decreto Concilii *Qui aliter quàm præſente Parocho.* Quod decretum etiam hæreticos conſtringit. Cur enim per hæreſim ſint exempti Eccleſiæ legibus; Sicque ante 24. annos reſponſum Roma pro Belgio, & in praxim reductum.

11 Clandeſtina hæreticorum matrimonia ſunt irrita.

Reſpondeo ad Secundum, Hæretici non minus ligantur his legibus quàm Catholici. Vnde toties peccant mortaliter quoties ieiunium violant, vel carnes die ieiunij comedunt. Non enim par eſt vt ipſorum malitia proſit illis ad exemptionem ab Eccleſiæ obedientia.

12 Tenentur præceptis Eccleſiæ.

Reſpondeo ad Tertium, Hinc tamen non ſequitur eos obligari intereſſe rei diuinæ, quia id ab Eccleſia illis prohibetur ; nec eſt vlla ad id obligatio niſi ex Eccleſiæ præcepto ; quod præceptum ceſſat quando ob aliquam cauſam contrarium præcipit.

Non tamen intereſſe rei diuinæ.

CASVS VI.

An aliter liceat vti diebus feſtis opera hæreticorum, quàm Catholicorum?

Conductio operarum die feſto.

RESpondeo, Non aliter licet vti diebus feſtis opera hæreticorum, quàm Catholicorum : quia hæretici non minus obligantur præceptis Eccleſiæ quam Catholici. Vnde quando eſt talis neceſſitas vt liceat Catholicos operi admouere diebus feſtis, licitum etiam eſt adhibere hæreticos ibidem habitantes, præſertim ſi alij commodè haberi nequeant. Loquor autem de eo, qui non tenetur, vel qui non poteſt eos expellere : nam is qui & poteſt & tenetur eos expellere, non poteſt eorum opera vti, niſi fortè ad breue tempus, idque ſi aliter res ſuas expeditas habere nequiret, præſertim quæ publico bono ſunt neceſſariæ.

17 Nulli licet magistri opera hæreticorum die feſto, quam Catholicorum.

Multo minus id licet ijs qui poſſunt vel debent hæreticos expellere.

Si quis autem putet diebus feſtis licere vti opera hæreticorum potius quam Catholicorum, eò quod hæretici non ſint dies feſtos ſeruaturi, fallitur : quia non licet petere ab hæretico, quod ipſe ſine peccato præſtare non poteſt : atqui non poteſt laborare die feſto ſine peccato, ſi tunc Catholicus non poſſet ; quia non minus obligatur præceptis Eccleſiæ, quàm Catholicus.

18 Hæretici æque ac Catholici obligantur præceptis Eccleſiæ.

Neque verum eſt poſſe dominum mancipia Chriſtiana diebus Feſtis occupare ; niſi neceſſitas excuſet : quia etſi mancipia excuſentur ob domini metum, dominus tamen non excuſatur, quia tenetur curare vt feſta non violent, multoque magis cauere ne illis ipſe ſit auctor violandi.

Mancipia Chriſtiana non poſſunt diebus feſtis occupari.

Nec obſtat quod hæreticus ille ſua ſponte die feſto ſit operatus; quia id non eſt facturus, nec poteſt facere ſine peccato, vnde non poteſt ad hoc conduci.

Non Excuſat quod ſponte ſua Hæreticus ſit operaturus.

Poteſt tamen priuatus aliquis opus aliquod dare faciendum ſiue hæretico ſiue Catholico, quamuis putet illum etiam die feſto in hoc opere verſaturum, & modo illum ad hoc nullo modo inducat, & ille nihilominus aliquid erat operaturus, tunc enim merè paſſiuè ſe habet ad illam feſti violationem.

19 Priuatus poteſt hic negatiue ſe habere.

Hoc tamen intelligendum eſt de eo qui non tenetur curare vt ille feſtum ſeruet, & à ſeruili opere abſtineat, qui enim tenetur id curare, vt ſuperior, non poteſt permittere, ſed debet cogere vt feſtos dies non violet.

Non tamen ſuperior.

FESTA ECCLESIÆ.

CASVS VII.

An liceat Catholicis in locis hæreticorum transferre Paſcha & alia mobilia feſta, eò quod hæretici antiquum Kalendarium velint ſeruari?

Tranſlatio Feſtorũ illicita.

RESpondeo, Vbi Kalendarium Romanum Gregorij XIII. eſt receptum, & vſu annorum comprobatum, non poſſunt Catholici Paſcha, & alia mobilia feſta transferre, eo quod hæretici antiquum Kalendarium velint ſeruari. Quia hæretici non poſſunt legem illam de celebrandis feſtis talibus temporibus abrogare, ſicut nec Natalem Domini transferre. Itaque, ceſſante graui periculo tenentur Catholici ſuis temporibus ea celebrare.

20

CASVS VIII.

An liceat Catholicis in locis hæreticorum, diebus feſtis ab Eccleſia præceptis, ſuas officinas aperire?

Aperire officinam die feſto.

RESpondeo Primo, Si Magiſtratus hæreticus mihi in particulari præcipiat vt die feſto ab Eccleſia Catholica præcepto aperiam officinam: vel id facit in contemptum Eccleſiæ, vel non. Si in contemptum Eccleſiæ, idque aliquo ſigno externo prodat, v. g. vt abroget ſuperſtitionem Papiſticam (vt loquuntur) quam ego ſeruo, non poſſum obedire, vt paſſim omnes DD. docent. Quia obedire cum his circumſtantijs, eſt exequi prauam voluntatem Magiſtratus in cõtemnendis Eccleſiæ mandatis. Si ob aliam cauſam præcipiat, v. g. vt merces non deſint, vt ſit vniformitas in ciuitate, poſſim obedire.

21 Si præceptũ hoc ſit particulare.

Reſpondeo Secundo, Quod ſi per ſtatutum generale præcipiatur vt talibus diebus officinæ aperiantur, v. g. omnibus diebus præterquam Dominicis. Poſſum obedire, ſi abſque graui damno non poſſem omittere. Quia quando eſt generale præceptum, non cenſetur ſtatim quiuis in particulari obedire quo ad modum operis ſeu finem extrinſecum à legiſlatore intentum, ſed ſolum ſecundum ſubſtantiam. Debet tamen abeſſe ſcandalum.

22 Si generale.

CASVS IX.

An liceat Catholicis ibidem officinas ſuas claudere iuſſu Magiſtratus die dicato orationi hæreticorum?

Claudere officinas die Precũ hæreticorum.

RESpondeo, Id licere, quando graue damnum ex contrario impenderet, etſi mihi in parti-

culari præciperetur. Solum enim iubeor hic abstinere ab aliquo opere publicè obeundo.

Cantus psalmorum.

CASVS X.

An liceat Catholicis canere Psalmos inconuiuiis?

REspondeo, In conuiuiis canere Psalmos duplici ratione potest esse illicitum. Primo, ratione scandali; quia videtur professio hæreseos. 24 Secundo, ratione præcepti Ecclesiæ: prohibentur enim tales libri, & consequenter vsus eorum quæ illis continentur: etsi forte tale præceptum ibi non fuerit vnquam receptum. Certè ratione scandali non videtur facilè permittendum.

CASVS XI.

Organista in templo hæretico.

An iuueni Catholico liceat esse organistam in templo hæreticorum, & vespері ludere Psalmos, ipsis in templo ambulantibus. Item ludere sub concionem, aut cænam Caluinisticam?

REspondeo, sicut non licet voce canere Psalmos in conuentibus hæreticorum, eorumque cætibus & concionibus; ita nec instrumento musico. 25 Est enim hoc publica quædam istius religionis approbatio & professio. Eadem ratione liceret se adiungere cætui hæreticorum, & vnà cum illis Psalmos canere, eorumque sacrilega sacra & preces condecorare.

IEIVNIVM ECCLESIÆ.

Abstinentia à carnibus.

CASVS XII.

Titius iubetur sub periculo mortis die Veneris in contemptum Ecclesiæ carnes manducare.
Quæritur, *An hic Titius possit obedire?*

26 REspondeo, Doctrina illa Doctorum vera est, Præcepta Ecclesiæ non obligare cum periculo mortis vel fortunarum. Si tamen in particulari præcipiatur mihi aliquid quod est contra præceptum Ecclesiæ, idque in contemptum Ecclesiæ non possum obedire: non quia præceptum Ecclesiæ obligat cum periculo mortis, sed quia præceptum diuinum de non contemnenda Ecclesia obligat cum periculo mortis. Censeor autem contemnere, si sic præcipienti obtemperem. Debet autem aliquo signo exterius apparere illum in contemptum Ecclesiæ præcipere.

Possum obedire si statutum sit generale sepo. sito omni scandalo.

27 Secus est quando statutum sit generale: quia tunc quiuis in particulari non censetur obedire nisi secundum substantiam operis præcepti, non autem secundum prauum finem præcipientis. Vnde si magistratus in contemptum Ecclesiæ, vel ad cognoscendum qui sint Catholici, præciperet vt omnes diebus Veneris & Sabbathi carnibus vescerentur, possem ego, sepositio omni scandalo, in graui periculo, ad meam occultandam Religionem carnes edere, nempe quando non edendo deprehenderer & punirer, vt in Anglia. Si tamen in particulari iuberet in contemptum Ecclesiæ vt carnes ederem, non possem, etiamsi mors apperenda foret. Idem locum habet quando aliquid præcipitur in contemptum alterius virtutis, ita vt si obtemperem, censeat velle illam virtutem contemnere. Sed quia id nimis manifestam turpitudinem continet, ideo nihil tale præcipi solet.

Abstinentia à carnibus.

CASVS XIII.

An Catholico liceat hæretico coquere, & apponere carnes die ab Ecclesia prohibitis?

QVando Dominus vult comedere carnes in contemptum Ecclesiæ, vel Religionis Catholicæ: non est per se illicitum illi coquere & subministrare. Vnde famulus potest eas coquere & porrigere, si sine graui damno non possit euitare; quia actio quæ præcipitur famulo non est ea, qua intendit Dominus Ecclesiam contemnere, sed ipsa domini manducatio. Neque difficile est aduertere vtrum aliquid in contemptum Religionis præcipiatur: quia id signo externo indicari debet, alioquin si nullum tale signum appareat, præsumi potest quòd non præcipiatur ex contemptu Ecclesiæ, &c. 28

Abstinentia à carnibus.

CASVS XIV.

Vtrum leporarius & auceps in terris hæreticorum possit in Quadragesima venari, & prædam vendere?

29 REspondeo, Cessante scandalo puto leporarium & aucupem posse illis locis in Quadragesima venari & prædam vendere. Quia opus illud per se non est prohibitum: & valdè remotè cooperatur violationi præcepti Ecclesiæ. Imò quibusdam in locis in Quadragesima venditur caro pro iis qui facultatem habent, quod illorum conscientiæ relinquitur.

Hospites videntur propinquius cooperari, quia cibos coctos apponunt. Permittunt tamen Auctores, si sine notabili incommodo suo non possint denegare; vt, si hospites illic nollent diuersari.

LIBRI.

Qui non vere libri hæretici.

CASVS XV.

Quidam Religiosi habent potestatem concedendi suis pœnitentibus facultatem legendi libros prohibitos, qui tamen non sunt editi ad stabilienda dogmata hæretica.
Quæritur, *Quinam libri non censeantur editi ad stabilienda dogmata hæretica?*

REspondeo, libri illi non censentur editi ad stabilienda dogmata hæretica, qui non ex professo hæc agunt vt hæresin probent, aut introducant; sed aliud argumentum tractant, & obiter sub inde aliquid hæreticum admiscent: qualia sunt opera Erasmi Rotterodami [exceptis quibusdam colloquijs & Ludouici Viue. VVesembecius Bodinus de Republica, Munsteri historia. De Sleidano dubito, quia ex professo hoc agit vt causam Lutheri commendet. Hi, & similes, in facultate ista continentur quam quidam Religiosi habent concedendi potestatem suis pœnitentibus aliisque externis libros prohibitos legere, qui non sunt editi ad stabilenda dogmata hæretica. 30

Vbi aduerte, mentem Suæ Sanctitatis esse, vt cùm conceditur potestas legendi huiusmodi libros, moneantur lectores, vt errores occurentes deleant: quod etiã colligitur ex instructione Indicis librorum prohibitorum præfixa.

Digitized by Google

CASVS XVI.

Libri corrigendi.

Quid faciendum de libris corrigendis?

51 REspondeo, In hisce locis qui habent libros corrigendos, possunt eos apud se retinere, donec tradant Correctori, vel ipsi obtineant facultatem corrigendi.

Episcopus his locis potest Religiosis & etiam externis dare facultatem corrigendi etiam libros externorum; vt patet ex instructione Clementis VIII. quæ habetur in Indice librorum prohibitorum.

Similiter potest Episcopus dare facultatem legendi libros prohibitos viris idoneis, modo tales sint vt corrigi possint; vt patet ex eadem instructione. Vbi verò est Inquisitor, ab vtroque facultas obtinenda.

CASVS XVII.

Typographus & Bibliopola.

Vtrum liceat Catholicis Typographis libros hæreticos lucri causâ excudere? Item an liceat Bibliopolis libros hæreticos vendere?

52 REspondeo Primo, Non est permittendum Catholicis Typographis vt libros, qui exprofesso hæresin tradunt, lucri causa excudant. Ratio est, quia librum excudere, moraliter est doctinam libri per orbem disseminare: quod sicut voce non licet, ita nec scripto.

Respondeo Secundo, Similiter non est permittendum Bibliopolis vt hæreticorum librorum faciant mercaturam, eos alibi conquirendo, & inferendo in patriam, vel efferendo, vt diuendant. Ratio est, quia hoc est operam suam locare vt doctrina falsa disseminetur; quod constat esse illicitum.

CASVS XVIII.

Bibliopegus.

An liceat compingere libros hæreticos?

11 Iure naturæ non est id per se malum.

REspondeo, Spectando Ius naturæ non damnauerim Iuuenem illum librorum hæreticorum compactorem, præsertim si alia ratione victum quærere non potest. Inter alios enim libros compingere etiam libros hæreticos per se malum non est: & abstinendo non impediet illarum lectionem: non enim deerunt alii qui compingant: & sine tali compactura legi possunt.

Bulla Cœnæ prohibet.

Bulla tamen Cœnæ excommunicat etiam habentes tales libros: & ex hac parte posset esse illicitum; nam contraria consuetudo non videtur adhuc legitimè præscripta. Biblia tamen hæreticorum non videntur illa Bulla comprehendi.

CASVS XIX.

Retentio libri hæretici.

Vtrum liceat in Prouincijs confœderatis Belgij apud se habere libros hæreticos?

54 REspondeo, Vix dubitauerim quin olim Bulla Cœnæ fuerit isthic recepta, sicut modo hic est, saltem quoad illum articulum de hæreticis & hæreticorum libris. Et licet ibidem secuta sit religionis mutatio, tamen apud Catholicorum cœtum non ideo desiit esse recepta.

Et quamuis fortè catholici cepissent vti moribus contrarijs, nihilominus nondum elapsi sunt anni quadraginta necessarij ad legis Canonicæ receptæ abolitionem, seu vt contra eam legitimè compleatur præscriptio; vt communiter DD. tradunt, & colligitur ex Cap. Finali. De Consuetud. Quamuis non sit improbabile decennium sufficere, si bona fide contra factum sit.

CASVS XX.

Reuenditio libri hæretici.

Vtrum liceat reuendere libros hæreticos vel obscœnas picturas?

55 REspondeo, Qui libros pestilentes vel picturas obscœnas emerunt, non possunt ea vendere ijs quibus inde aliquid periculi putatur vel dubitatur obuenturum: erit enim peccatum scandali. Si quis fortè per imprudentiam noxium librum emit, vbi aduerterit, potest dissoluere contractum & repetere pecuniam, quia deceptus est: nam res habet vitium occultum, & dolus dedit causam contractui. Si tamen venditor nolit, non ideo potest emptor indifferenter cuilibet talia vendere, vt se indemnem præstet.

CASVS XXI.

Venditio libri Hæretici.

An hæreticus ad fidem conuersus in locis hæreticorum possit vendere suos libros hæreticos?

56 REspondeo, Hæreticus ad fidem conuersus in locis hæreticorum, potest vendere suos libros hæreticos ijs, qui possunt tales libros legere. Vt alijs vendat, non facilè permittendum propter Ecclesiæ prohibitionem. Si tamen inde esset graue damnum passurus, videtur posse dissimulari, si vendere velit bibliopolis hæreticis, qui talium librorum copiam habere solent: quia per hoc causam Catholicam non facit deteriorem, nec alicui ex illo actu periculum peruersionis impendet, cum similium librorum copia ibi supperat. Confirmatur, quia in illis circumstantijs censeri potest Ecclesia non velle id prohibere, cum desideret talibus fauorem impendere, vt eos alliciat.

CASVS XXII.

Venditio libri Hæretici.

An liceat Catholico vendere libros hæreticos hæreditate à Parentibus acceptos?

Videtur posse toleari in locis hæreticorum, vt illi qui in bibliotheca à parentibus relicta libros hæreticos reperiunt, damni vitandi causa; eos commutent cum libris catholicis, tradendo eos bibliopolis etiam hæreticis, vel alijs: præsertim quãdo in particulari non putant inde aliquam accessionem hæresi stabiliendę futuram. Ratio est, quia tunc non censentur locare operam vel moraliter cooperari ad doctrinæ fallæ propagationem, sed facere id quod per se malum non est, vt damnum euitent. Dare enim alicui vel vendere librum hæreticum per se malum non est, quia bene fieri potest. Vnde accedentibus certis circumstantijs (vt si fiat ad notabile malum auertendum) in particulari non erit illicitum. Expedit tamen hortari vt potius comburant zelo fidei: Deum enim hoc damnum facilè posse compensare sua prouidentia, alijs in rebus prosperos successus largiendo.

57

Digitized by Google

Mattimonium eum hæretico.

MATRIMONIVM

CASVS XXIII.

Verum in locis vbi hæreſis dominantur, licitum ſit perſonæ Catholicæ contrahere matrimonium cum hæretico?

38 Circumſtantiæ excuſantes ſeu permittentes tale matrimonium.

REſpondeo Iâ ibi non videri illicitum, concurrentibus his circumſtantiis. Primo, vt nullum ſit periculum peruerſionis, & Catholica perſona permittatur libere viuere iuxta ſuam Religionem. Secundo, vt permittatur ipſi educare proles catholice. Tertio, vt catholico non ſit facile inuenire parem & commodam coniugem inter catholicos. Quarto, vt hæreticus non ſit denunciatus, nec notorius percuſſor clerici. Quinto, vt ibi paſſim ſit conſuetudo ita contrahendi, vt nullum ſit ſcandalum. Ratio eſt, quia tribus prioribus circumſtantijs concurrentibus, ceſſat ius diuinum: & conſuetudo tollit ius humanum, quo id erat prohibitum. Accedit quod Sũmus Pontifex ſciat & permittat in multis regnis ita fieri, vbi hæretici & Catholici permixti viuunt. Ita docet Azor lib. 8. Inſtit. moral. cap. 11. q. 5. Sanches lib. 7. de matrim. diſput. 72. n. 5. Fauet Nauarrus lib. 1. Concil. tit. de conſtit. Conſ. 1. n. 59. & 70. Andreas Victorellus in Emanuelem Sà V. impedimenta dirimentia. n. 8. Addo tamen, non facilè ſuadendum, ſed diſſuadendum, quantum commodè fieri poteſt.

CASVS XXIV.

Mattimonium coram miniſtro hæretico.

An liceat contrahere Matrimonium coram Miniſtro hæretico, tamen, vt poſtea coram Catholico legitimo Sacerdote Matrimonium renoues.

39 REſpondeo, Dubium non eſt quin peccent qui coram miniſtro hæretico contrahunt: tum quia videtur eſſe profeſſio quædam perfidiæ hæreticæ; nam miniſter videtur adhiberi vt perſona quædam ſacra: tum quia eſt ſcandalum plerumque; nam alij Catholici inde ſenſim ad conſuetudines hæreticorum ſeſe accommodant: tum vel maximè ſi habeant intentionem conſummandi; tunc enim conſentiunt in fornicationem, quod eſt contra Ius diuinum.

Proclamationes tamen fieri poſſunt, in templis hæreticorum, ſicuti proclamationes aliorum contractuum, modo abſit ſcandalum.

Renouatio Matrimonij coram miniſtro hęretico.

CASVS XXV.

Verum is qui ante legitime iunctus eſt coràm Catholico Sacerdote, poſſit denuo iungi coram miniſtro hæretico.

40 REſpondeo ſub diſtinctione: Si ille Miniſter adhiberi ſolet ad quandam cæremoniam religioſam; v. g. ac benedictionem nuptiarum, legitimè ante iunctus non poteſt denuo iungi coram Miniſtro hæretico; ob rationes num. præcedenti dictas: Neque excuſat periculum mulctæ vel infamiæ.

41 Licet, ſi ob cauſſam politicam adhibeatur.

Si ille Miniſter adhibeatur ob cauſſam politicam; nempe vt legitimæ perſonę coniungantur, & impediantur nuptiæ illegitimæ, & vt horteatur ad Matrimonii fidem; ſic non videtur per ſe malum, quamuis coram illo verba Matrimonii pronuntianda eſſent, & concio ab illo habenda, vel aliquæ preces recitandæ, modo nulla interna vel externa reuerentia & veneratio habeatur illius concioni vel orationi, qualem hæretici præſtare ſolent. Ratio eſt, Quia tunc adhibere Miniſtrum non cenſetur cęremonia religioſa, ſed quidquam pertinens ad politiam externam. Non enim adhibetur vt miniſter Eccleſiæ qui aliquid conferat Sacramento, ſed vti perſona politica. Vnde etiam apud Ethnicos poſſent incolæ Chriſtiani ſic coniungi, ſi ſimilis lex vel conſuetudo eſſet vt nullum matrimonium poſſet fieri, niſi coram ſacerdote idolorum, quamuis ipſe Sacerdos ad caſtitatem & alia honeſta horaturus eſſet; modo nihil pertinens ad infidelitatem adhiberetur; hoc enim etiam externo ſigno recuſandum eſſet, neque ipſe ſacerdos adhibeatur vt perſona ſacra, ſed tamquam publica, quæ optime norit matrimonii leges, & hortari ad eius fidem; & ſine qua Matrimonia habeantur ſuſpecta.

Sic adhiberi poſſet Sacerdos idolorum.

42 Non facilè tamen id permittendum.

Verum, Et ſi hæc per ſe non ſint mala, tamen ratione ſcandali non eſt facile permittenda: nam & ipſi contrahentes facile ad reuerentiam Miniſtrorum, precum, & concionum inducuntur: & alii Catholici putant eos animo hæretico id facere; quò fit, vt ipſi ſenſim hæreticorum conſuetudines & ritus ſuſcipiant. Quod ſummoperè cauendum. Deinde, cum tantam mali ſpeciem habeat, non eſt permittendum niſi ob graue malum auertendum. Vbi autem abeſſet omne ſcandalum, & impenderet graue damnum, non video cur non ſit licitum.

43 Non licet iuxta formulam, qę ordinariè in hęreticorũ prouinciis ſeruatur.

Verum poſteà lecta formula quæ in Prouinciis hęreticis ſeruatur, aduerti Miniſtrum adhiberi vt Miniſtrum Eccleſię, & dare firmitatem matrimonio, & orare ſuper coniuges, & populum hæreticum habendum pro Eccleſia Chriſti &c. Vnde iuxta priorem partem Reſponſionis cenſeo non eſſe licitum.

CASVS XXVI.

Conuiuium nuptiale hęreticorũ.

An liceat Catholico Conuiuium nuptiale hæreticorum honeſtare præſentia ſua vel munere?

44 REſpondeo, Id ordinarie non licere. Ratio eſt, quia Matrimonium eſt nullum: vnde coniunctio illa eſt fornicaria. Conuiuium, autem celebratur & munera dantur ad gaudendum & gratulandum de coniunctione: Nullo autem modo licet gaudere & congratulari de illa coniunctione.

Licet aliquando, & quacautela.

Quia tamen adire tale Conuiuium, etiam alium vſum habet, nempe ad ſeruandam amicitiam, ad paſcendum corpus; ideo non videtur per ſe malum, modo coniunctis non gratulentur de coniunctione.

Idem videtur dicendum de munere dando: nam cum hę functiones duplicem vſum habeant, alter poteſt ab altero ſeparari. Deberet tamen adeſſe cauſa: nam magam ſpeciem mali habent.

45 Verum cum vix fieri poſſit vt adeuntes talia conuiuia & dantes munera, non gratulentur, putarem in paxi non eſſe permittendum: niſi in caſu in quo abeſſet omne ſcandalum, & poſſet vti tali modo loquendi, quo re vera non gratuletur coniunctioni nefarię; vt quando oratio eſt ambigua, & grauis cauſſa ſubeſſet Si tamen paſſim putaretur verum Matrimonium, poſſet quis gratulari tanquam putatio Matrimonio.

SEPVLTVRA

Digitized by Google

SEPVLTVRA ET FVNVS Hæreticorum.

CASVS XVIII.

Vtrùm liceat hæreticorum funera comitari, eosque sepelire?

46 REspondeo, Non est per se illicitum hæreticorum funera comitari. Quia non est cæremonia religiosa, sed honor politicus.

Nec refert quòd in loco Sacro sepeliatur, id est in loco sepulturæ ordinario. Quia qui comitatur, non videtur consentire in loci sacri iniuriam, (qui quamuis prophanatus sit, tamen adhuc sacer manet, cum consecratio, manente saltem rei substantia, perseueret) solùm enim defuncto honorem exhibere censetur. Quòd autem in hoc loco sepeliatur, pendet ex aliorum voluntate. Non tamen potest cum hæreticis psalmos concinere.

Cauendum verò hîc est scandalum. Deinde non comitandum, nisi grauis aliqua subsit causa.

47 Sepeliens autem excommunicatus est, non verò is qui tantummodò comitatur.

HORÆ CANONICÆ.

CASVS I.

Officium mutilum.

Vtrùm teneatur Capitulum deserere officium propriæ Ecclesiæ mutilum, & Romanum acceptare?

REspondeo, Si officium propriæ Ecclesiæ est mutilum, vel carens rubricis & iusto directorio, ita vt sciri nequeat quomodo superioribus temporibus maiores eo sint vsi, vel vti nunc oporteat; tenetur Capitulum illud deserere, & acceptare Romanum. Ratio est, quia concessio illa de retinendo officio propriæ Ecclesiæ ducentis annis antiquiore, intelligenda est de Officio compleo, quod decorè, & absque confusione iuxta certam regulam obiri potest. Non enim credibile est Ecclesiam velle concedere, præsertim in celebratione Missæ & actione Liturgica officium imperfectũ, vagum, & legitimâ normâ destitutum, quod sine periculo irreuerentiæ celebrari vix potest; in quo quilibet pro suo affectu vel phantasia ritus, gestus, cæremonias addere & mutare potest, cũ nullam certam regulam habeat. Credibile est officiũ illud nunc mutilum, olim suas rubricas & regulas directorias habuisse: alioqui maiores nostri ab insigni negligentia in re omnium maxima excusari non possent. Debent enim hæ regulæ esse certæ, nec à priuatis vllo modo augeri aut minui possunt, vt omnes Doctores tradunt. Sunt enim ritus liturgici pleni mysteriis. Vnde etiam in constitutione Pij V. præcipitur ne quis in Missæ celebratione alias cæremonias, vel preces, quàm quæ in Missali continentur addere, vel recitare præsumat. Et Conc. Trident. sess. 22. in decreto de obseruandis & vitandis in celebratione Missæ, præcipit ne Sacerdotes alios ritus aut alias cæremonias & preces in Missarum celebratione adhibeant, præter eas, quæ ab Ecclesia probatæ ac frequenti & laudabili vsũ receptæ fuerint.

CASVS II.

Quid si Capitulum velit Officium antiquum imperfectum retinere, An singulis fas sit in priuatis Missis vti Romano?

Officium mutilum.

REspondeo, Si Capitulũ nolit acceptare Romanum, sed velit retinere officiũ & Missale ita imperfectum, & suis necessariis regulis destitutum, singulis fas erit in Missis priuatis vti Romano. Ratio est, quia non subest iusta causa retinendi prioris, aut prohibendi vsus Romani; ac proinde deueniendum est ad Romanum: imò, vt dictum est, Capitulum tenetur acceptare Romanũ. Nam quòd ad sumptus in hac mutatione faciendos attinet, facile erit obtinere, vt fructus aliquot annorum beneficij proximè vacantis in eam rem applicentur. a

Nec obstat quòd summus Pontifex permittat hanc *mutationem fieri de consensu Prælati, & vniuersi Capituli*; vnde à contrario sensu colligas sine illo consensu fieri non posse: hoc, inquam, dictis non obstat; quia Pontifex loquitur de mutatione in officiis publicis, non autem in priuatis. Vnde passim videmus etiam in Ecclesiis, vbi officium antiquum adhuc publicè viget, multos priuatim seruare vsum Romanum; quia re vera id non est contra illius constitutionis mentem. Quod maiori sanè ratione locum habet, cùm proprium Ecclesiæ officium est imperfectum.

CASVS III.

Officium mutilum.

Quid eo casu singuli facient in officijs publicis?

REspondeo, In publicis officiis quibus Capitulum non permittit seruari vsum Romanum, sed vult seruari antiquum, puto seruandas rubricas Romanas, eásque illis officiis aptandas, prout commodè fieri potest. Cùm enim sint proprius destituta, vt supponitur, nec ea res possit reinqui arbitrio cuiuslibet priuati; nec possint diuina officia sine decoris & congruis ritibus obiri, hoc solum restare videtur, vt Romani, qui ab Ecclesia sunt approbati, adhibeantur: nec ea res multum difficultatis habet. Et quamuis sit contra mentem Summi Pontificis, vt rubricæ Romanæ alienis aptẽtur Officiis (hoc enim est quodammodò nouum officij formam constituere) tamen necessitas hîc excusat inferiores, & personas singulas: minus enim incommodi est sic fieri, quàm officium antiquum sine congruis ritibus celebrari. Viderint illi qui ad has angustias cogunt, & causa sunt cur legitima mutatio fieri nequeat. Quòd si Capitulum vult omnino vsum antiquum in sua Ecclesia retinere, curet rubricas & regulas idoneas accommodari; & totum à Summo Pontifice approbari: Nam sine tali approbatione non puto id fieri posse. Ritus enim & cæremoniæ non minùs sunt significatiuæ mysteriorum, quàm verba. Vnde sicut verba & preces nõ possunt ex Romano Missali in Officiũ antiquum illi Ecclesiæ proprium transferri: (hoc enim esset diuersa Officia miscere, & nouum quodammodò cudere, quod priuatis omnino est prohibitum) ita nec ritus & cæremoniæ. Priuati tamen ob necessitatem, vt diximus, excusantur. Imò iis consulendum vt sic faciant; quia melior ratio non suppetit, illis circumstantiis positis. b

Vrantur officio mixto.

4 Capitulum tenetur curare idoneas rubricas à Pontifice approbandas.

Si tamen Capitulum permitteret in Officiis 5

Digitized by Google

Melius tamen est vti officio alternatim nunc proprio, nunc Romano, quàm solo proprio, vel mixto.

publicis vsum Romanum absque vlla mixtione, hoc omnino esset præferendum, etiamsi nullo communi decreto statuissent Romanum recipere: quia posita Capituli permissione, nihil est quod obstet cur Romanum celebrari non possit; quamuis communi consensu non sit absolutè receptũ. Et licet videatur aliquid incommodi quod hoc die seruetur vsus Romanus, alio vsus antiquus; minus tamen hoc est, quàm quod fiat in vno eodem Officio illa mixtio & confusio diuersorum. Deinde, hac ratione sensim disponuntur ad Romanum absolutè recipiendum, & antiquum abolendum.

CASVS IV.

Officium mutilum.

An in eadem Missa Collegiata vti quis possit istâ Rubricarum & Officiorum mixturâ.

6 REspondeo, Non videtur improbandum (posito officio adeò imperfecto & incerto, & Capitulo non permittente vsum Romanum) vt Sacerdos sacrum collegiatum peragens, in iis quę publicè canenda sunt, vt in Collectis, Gloria, Credo, Præfatione, &c. sequatur ordinem suæ Ecclesiæ; in cæremoniis autem priuatis, præsertim in canone, Missale Romanum: quia non videtur commodior ratio iniri posse rebus ita constitutis. Putarem tamen etiam in Introitu, Epistola, Graduali, Euangelio, Offertorio, & post Communionem se antiquo conformare debere: quia absurdum est, vt in his dissentiat à Choro vel cantu publico, & in vna missa sit duplex Introitus, duplex Epistola, duplex Graduale, & cætera præter Canonem & pauca alia, sint duplicia. Itaque hoc vitandum: & in iis se debet accommodare Choro. In Canone autem si omnia more Romano fiant, nihil est incommodi.

CASVS V.

Vtrùm singula monasteria Ordinis S. Benedicti possint amplecti nouum Breuiarium à Paulo V. approbatum, & Romæ in hunc finem excusum, etiamsi alia monasteria eiusdem Congregationis id non acceptent.

7 LEcta Pauli V. Bulla & literis Generalium præsidentiũ, & considerata quæstione proposita: Respõdeo posse singula monasteria ord. S. Benedicti amplecti nouũ Breuiariũ à Paulo V. approbatũ, & Romæ in hunc finẽ excusum. Probatur, quia in hunc finẽ excusũ est, & reformatũ, vt omnia monasteria quæ sub vexillo & regula magni Patriarchæ Benedicti militant, vniformem modũ in diuino cultu seruent, abolitis omnibus aliis modis & officiorum formis. Hoc enim plurimum ad illius Ordinis splendorem, & ad decorum cultus diuini pertinet, vt vniformitas hac in re, in toto ordine seruetur. Itaque mens summi Pontificis est, vt singula monasteria statim acceptent, non curando, an alia quæ ad eandem congregationem seu Visitationem pertinent, acceptent, an non. Si enim non vellet vt singula monasteria possent statim acceptare, sed deberent expectare donec tota congregatio communi consensu acceptet, hoc exprimeret, & hortaretur vt singula acceptarent, addita hac conditione: si tamen alia monasteria eiusdẽ cõgregationis vnanimi cõsensu illud acceptent. Nunc verò nullã talem conditionem addit, sed absolutè hortatur omnes & singulos ad acceptandum, propositis indulgentiis iisdem quas Pius V. officium Romanum recitantibus concessit.

1. Quia hæc est mens Pontificis.

Nec obstant illa verba Pontificis, *Omnes eiusdem Ordinis Religiosos ad Breuiarium, & libros chorales reformatos, vnanimiter recipiendos, in Domino hortantes*, &c. Non enim vult insinuare non posse recipi ab vno monasterio, nisi alia monasteria, vel tota congregatio consentiat. Hoc enim longè abest à mente Pontificis, sed solùm indicat se desiderare, vt nemo in toto ordine sit, qui repugnet, aut se opponat. Desiderat enim vt omnes tam eximium munus obuiis vlnis excipiant. Hinc tamen nullo modo sequitur quin quoduis monasteriũ possit recipere, etiamsi aliã monasteria in hoc non cõspirent. Itaque sicut cùm Pius V. promulgauit Romanum Breuiarium, & facultatem fecit Capitulis vsum antiquiorem ducentis annis habentibus, illud acceptandi, modò Episcopus & vniuersum Capitulum in eo consentirent, non habita ratione aliorum Capitulorum eiusdem diœcesis: ita modò Paulus facit potestatem, & hortatur singula monasteria, vt illud acceptent, modò Prælatus, & maior saltem pars monasterij consentiat: non curando an alia monasteria eiusdem Ordinis vel congregationis consentiant. Accedit, quòd huiusmodi ordinationes dirigantur per se primò ad ipsa monasteria, quæ sunt iuris, nec dependent ab aliis, nisi quoad visitationem: & planè insolens est aliorum consensum requirere, nisi id expresè declaretur.

8 A simili.

Idem conuincitur ex literis Præsidentium generalium, in quibus in virtute sanctæ obedientiæ, & sub formali præcepto iniungitur omnibus & singulis, vt admittant prædictum officium, eóque vtantur, nec vlla fit mentio consensũs aliorum monasteriorum. Itaque singuli Abbates non solum possunt, sed etiam tenentur recipere, item singuli & omnes religiosi non expectato consensu illorum Abbatum vel religiosorum. Neque vlla modò occurrit ratio cur merito hac de re debeat dubitari.

9 Quia id Præsidentes iniungunt.

CASVS VI.

Prælatus cum suo Capitulo in Ordine S. Benedicti notabiliter immutauit Breuiarium S. Benedicti post editam Bullam Pij V. Breuiario Romano præfixam. Quæritur, An Religiosi illi satisfaciant præcepto Ecclesiæ ne horas legendas?

Breuiarium alteratum

10 REspondeo Primò, Certum videtur non posse Prælatum cum consensu Capituli inducere notabilem mutationem seu alterationem in Breuiarium S. Benedicti. Nam Pius V. in Bulla præfixa Breuiario Romano, abolet omnia Breuiaria non Romana, præter ea quæ iam à ducentis annis consueta sunt in aliqua Ecclesia vel Conuentu legi. Atqui Breuiarium S. Benedicti notabiliter immutatum & alteratum, non est Breuiarium consuetudine ducentorum annorum receptum, sed nouum planè. Et planè dubitandum non est, quin Pontifex permittat Ecclesiis & monasteriis vsum illorum ob antiquitatem & continuationem, & quia graue illis foret tam diuturnam consuetudinem relinquere. Vnde nulla ratione permittit ea sic immutari vt quodammodo noua videantur. Quòd si aliqua mutatio facienda videatur, ea primùm exhibenda Sedi Apostolicæ, vt approbetur & possit in vsum deduci; sicut in quibusdam locis vsu fieri.

Nemo potest alterare Breuiarium.

11 Hunc sequitur, eos qui sunt auctores huius mutationis,

Digitized by Google

Authoris hanc sententiam confirmatur.

13. Alii Ecclesiæ.

Ecclesiæ, non fuisse ex præcepto de Horis legendis astrictos ad diu, vel quotidie eadem Divina Officia persolvenda? Primo dicendum censeo fuisse ferè, quæ legunt apud Bellarminum, quos Romanum, vel aliquem ex primitivis, quod ad ejus diocesis munus spectabat recepisse, non tamen quod sic ad unumquemque.

Addo tamen, Hæc omnia fuisse ante hanc primam ætatem, qua cognitum publicè constat illos ad quotidiem Officium divinum obeundum astrictos fuisse sub illa diræ. Ratio est, quia hanc quoque ætatem, de qua Bernardus infra de Capitulo Cisterciensi loquitur, de qua Bellarminus, non ex decreto, sed ex illius ætatis usu loquitur. Apostolicum fuisse, dicit, hanc ætatem ad celebrandum Officium, licet ad hoc nemo hominum haberet. Vnde non est credibile Sedem Apostolicam illos ad id vel ab origine vel ab Officium præcipere necessum.

Nec obstat, quod Pontifices in eadem Bullarum collectione, quos ante fuisse obligatos, affirmant, quam simul Regulares, quam Romanum, vel quidvis illi humanitatis in amplitudine Ecclesiæ recipiens; quo loquitur de illis qui se Pontifices fuisse? non autem de illis, qui ante constitutionem illius ut pote nunquam compertæ. Hæc sic explicandum Breviarum Romanum, Regulæ pro Monachis, quæ diligenter inspexi, nullum unquam Officium in se prodidere, nec vel illud Benedictinum Nobis ignotum, quod ex Sigeberto Gemblacensi, Trithemio, aliisque refert Bellarminus, ut ex eodem ejusdem scriptore clarè videtur, quia certum non est, quod ante Sigebertum fuerit.

Addo, non esse per inconsiderationem vel leve correctiuncule Officium unius diei prodigiosum, non tam integrum (si unius Diuturni desint) quam non mutilum, ut Ecclesiæ Officium clamitant Innocentius III. Lyranus cum illo pro non fuisse, non tam integrum, quam non mutilum esse, ut Bellarminus, Durandus, aliique nullis omnes calumniantibus. Habet ille Breviarium Pontificium, ita quo mihi videtur, ut illa Innocentium efficiunt. Salvo tamen omnium meliori judicio.

CASVS VII.

Fratres Clericos Ecclesiæ, ex quibus plerique sacris ordinis nondum initiati, Horas Canonicas, quas ipsi quotidiem breviarium & ritu, ut ajunt, Romano recitant, an teneantur?

Respondeo, Clericos Ecclesiæ Augustinensis, ut vix unus est, qui non ordinem sacrum habeat, Ecclesiæ Regulari subditos esse, & consecratos ut Ordini sui Conventui, qui Romanum, vel Sarisburiense, vel Cisterciense, vel Cluniacense, vel Præmonstratense, vel Sancti Victoris Parisiensis, vel quidvis aliud Breviarium amplectitur, ita ut Horas Canonicas, quas ipsi quotidiem recitant, ex præcepto teneantur. Quod ex eo constat, quia Ecclesiæ Regularis Clerici, quamvis non professi, tamen ad Regularem vitam, & ad

Officijs, quando aliquid ministeris ipsis est obeundum.

dere, accurrentes tunc quando functio ipsorum recurrit. Quid enim iuuat residentia sine suo vsu, qui est frequentatio Chori? Paria sanè sunt nō residere, & rarissimè comparere. Neque Canones aliam ob causam residentiam requirunt, nisi vt beneficio deseruiant in officijs publicis: vt patet Cap. *Quia nonnulli*. Cap. *Cùm ad hoc*. Cap *Clericos*, & alijs multis, *de Clericis non residentibus*. Beneficium enim datur propter officium, non tam rarò obeundum, sed quotidianum. Vnde non solùm est contra Canones, sed etiam contra primarium finem institutionis Canonicatuum & beneficiorum. Idem satis apertè colligitur ex Concilio Trident. sess. 24. c. 12. de Reform. vbi iubet illos compelli vt per se, & non per substitutos diuina officia obeant. Sanè nisi ex ipsa institutione tenerentur, non iuberet compelli. Accedit quòd quando simul viuebant in communi, & nihil præter simplicem victum & vestitum haberent, non erat illis liberum abesse à Choro: quantò minùs nunc liberum esse debet, quando tam amplas opes habent, & splendidè viuere possunt. Absurdum profectò est dicere illos tam opima stipendia sacra accipere, vt duntaxat certis quibusdam diebus præsentes se exhibeant.

17 Neque, vt vni vel alteri Horæ, vel sacrificio Missæ.

Respondeo Secundò, Opinio eorum qui dicunt sufficere vt Canonici quotidie intersint vni duntaxat ex maioribus Horis, vel duabus, vel sacrificio Missæ tantùm, accedente consuetudine, tolerari posset, non tamen est ex mente Canonum. Non enim ideò requirunt residentiam, vt vni duntaxat ex maioribus Horis, vel duabus, vel sacrificio Missæ tantùm, singulis diebus intersint; sed vt ordinariè. Quærsum enim concedant illam absentiam, si nulla causa rationabilis subsit, cùm ex institutione ad omnes teneantur, & ideò tam magna stipendia suscipiant, nimirum vt toti huic rei possint incumbere? Nec obstat quòd diebus solemnioribus distributiones sint constitutæ iis, qui vni ex Horis maioribus interfuerint: id enim factum, non quòd sufficiat vni interesse, sed ne facilè se excusent ob causas occurrentes tunc temporis.

18. Tenentur ordinariè interesse quotidie singulis Horis.

Respondeo Tertio, Mihi magis probatur opinio eorum qui dicunt Canonicos teneri ordinariè interesse quotidie singulis Horis, nisi aliqua causa excuset. Hanc tamen obligationem non iudico ita rigidè & asperè explicandam, vt adstringat ad peccatum mortale, quando Superiores dissimulant, non vtentes iure præcipiendi & cogendi: quia vnius vel alterius diei abientia etiam sine causâ, non notabiliter lædit finem principalem institutionis, qui est, vt regulariter cultui diuino intersint. Si tamen absque causa multis diebus abessent (exceptis tribus illis mensibus quo Concilium Tridentinum permittit, vel breuiori tempore, prout habet vsus Ecclesiæ illius) non viderentur excusandi à peccato mortali; quia peccant contra principalem finem institutionis.

19 Abusus aliorū alios non excusat.

Si quis obiciat vsum Colonienſium Canonicorum, & aliorum multis locis Germaniæ receptum: Respondeo, Abusum illum non esse tolerabilem, nisi ad grauiora incommoda vitanda; quæ tamen non sunt vbique timenda, etiamsi Canonici cogātur ad chorum. Accedit quòd consuetudo tolerata & recepta, illos vtcumque fortasse excuset: quæ consuetudo non est communiter Leodij-

CASVS XI.

Canonici Ecclesiæ Cathedralis vel Collegiatæ subinde solent se à choro absentare præsertim dum sunt prolixiora officia, & nihilominus distributiones recipere. Absentia à Choro.

Quæritur Primò, *An illas distributiones possint recipere.*

Quæritur secundò, *Cui teneantur perceptas distributiones restituere?*

Quæritur Tertiò, *An in Confessione illis Canonicis faciendus scrupulus?*

Quæritur Quartò, *An is possit distributiones percipere, qui sanitatis causâ ab inchoato officio recedit, ex quod longa continuatio illi sit noxia?*

20 No possunt distributiones recipere.

Ad Primū: Resp. Canonicis Eccl. Cathedralis vel Collegiatæ, qui nō interſunt summo Sacro, vel alteri diuino officio, quando prolixius fuerit, non posse percipere distributiones, quæ ratione illius officij dātur, nec perceptas retinere. Nam Cap. vnico de Clericis nō residentibus in 6. statuitur *Vt absens (nisi infirmitas, vel iusta corporis necessitas, aut euidens Ecclesiæ vtilitas excuset) nō acquirat dominium rerum sic receptarum, nec faciat eas suas; imò ad omnium restitutionem teneatur.* Idem renouat Concil. Trident. sess. 24. c. 12. de Reform. non obstantibus quibuslibet cōsuetudinibus; excludens simul omnes colluſiones & condonationes.

Etsi omnes passim eas recipiant.

Nec obstat quòd viri docti, atque adeò omnes Canonici illius Ecclesiæ id liberè faciant (excepto vno qui ob id scrupulosus habetur) quia res est nimis aperta, & notoria, lure antiquo statuta, & à Concilio Tridentino renouata; & rationi quàm maximè consentanea. Et sanè nō video quo modo efficaciùs & clariùs possit significari eos ad restitutionem teneri, quam à Iure antiquo, & Concilio Tridentino significetur: vt valdè mirum sit viros doctos, quibus sit aliquid bonæ conscientiæ, posse hoc pro scrupulo habere.

Sitque consuetudo.

Neque obstat consuetudo: tum quia hæc debet esse rationabilis, & legitimè præscripta, vt possit contra legem scriptam valere: hæc autem neque est rationabilis: cùm distributiones sint stipendia præsentium, & ideò introductæ vt solis præsentibus darentur: neque legitimè præscripta; quia nō potuit bona fide esse continuata per quadraginta annos; cùm per Concilium Tridentinum omnis talis consuetudo sit sublata.

Et Episcopus permittat.

Neque refert quod Episcopus permittat: quia non potest dispensare in decretis Conciliorum & Pontificum.

21 Facienda restitutio Ecclesiæ.

Ad Secundum: Respondeo, Videtur quòd teneantur Ecclesiæ restituere perceptas distributiones. Quia cùm Canonici illi non acquirant earum dominium, manent in dominio Ecclesiæ.

Cauendum tamen ne accrescant aliis qui similiter absunt. Quod si putaretur futurum, dandæ sunt fabricæ, vel in quosuis alios pios vsus, iuxta Concilium Tridentinum sess. 22. c. 3. de Reform. Neque opus est arbitrio Ordinarij, nisi ipse per sententiam vel statutum alicui pio loco applicuisset.

22 Faciendus est in Cōfessione scrupulus.

Ad Tertium: Vtrùm omnibus istis Canonicis Doctoribus venientibus ad confessionem faciēdus sit scrupulus, præcipuè, si hæc in confessione non attingant? Respondeo, Faciendum esse scrupulū, rogando an abientes tales distributiones non acceperint. si fatentur, ostendendum est esse illicitum: si negant, nihil amplius faciendum. Tenetur enim Confessarius instruere pœnitentem, quem videt

videt versari in errore culpabili; qualis est iste.

23. Si noxia sit continuatio officij.

Ad Quartum: De eo qui è choro recedit, eo quòd illi notabiliter noxia sit continuatio: Respondeo, Eum posse abesse à choro, cui iudicio Medici notabiliter obesset longa officij continuatio, eúmq; posse distributiones percipere, etiamsi interim sanitatis causa deambularet. Secùs verò si illa continuatio non putetur notabiliter obesse. Cauendum tamen scandalum, ob quod, deberet se domi continere, & deambulare in cubiculo vel horto. Quòd si publicè deambulet, possunt ei istæ distributiones negari ob præsumptionem, & statutum.

CASVS XII.

Absentia à Choro.

Vtrùm Canonici qui ante finem exeunt, sint ipso iure privati distributionibus?

Respondeo, Concilium Tridentinum non priuat Canonicos distributionibus ipso facto, nisi ablentes. Itaque qui præsentes sunt, etiãsi ante finem exeant, non sunt ipso iure priuati. Digni tamen essent qui aliquo modo mulctarentur, qui sine causa exeunt: sicut & illi qui multùm confabulantur. Statuta autem cùm pœnam solùm habeant irrogandam, vt indicat verbum (priuentur) non obligant ad pœnam, nisi mandentur executioni.

24

CASVS XIII.

Fabulæ in choro.

Vtrùm Canonici alíque beneficiarij per substitutos officium celebrantes, possint alijs canentibus, inter se dimissi & liberè colloqui?

25. Respondeo, Canonicos & Capellanos, qui tempore diuini officij ordinariè per notabile tempus, & ad omnem occasionem fabulantur, non possum excusare à graui peccato: tum propter scandalum, tum quia lege diuinæ iustitiæ tenentur diuino officio interesse. Et quamuis propter receptam consuetudinem non teneantur per se canere, sed possint id per cantores & Capellanos explere, tamen ipsi suâ præsentiâ debent omnia moderari vt decorè transigantur. Vnde tenentur exhibere præsentiam religiosam, & decoram. Ideò enim tam ampli fructus constituti vt saltem religiosá & graui præsentiâ suâ diuinum officium exornent, & decorè peragi curent. Neque illos excusat, quòd priuatim officium recitent: qui etsi non teneantur in choro canere; tamen non possunt se liberè à choro absentare, sed tenentur ibi præsentiam debito modo exhibere. Non enim fructus recipiunt pro officio quod domi priuatim legunt, sed quod publicè exhibent. Tenentur ergo illud congruo modo; & cum debitis circumstantiis obire.

CASVS XIV.

Monialium obligatio ad Horas Canonicas.

Vtrùm sententia Caietani de Monialibus choro mancipatis, eas non teneri sub peccato mortali Horas Canonicas recitare, sit probabilis

26 NOn erat operæ pretium ex Belgio de hac, & duabus subsequentibus quæstionibus petere iudicium, cùm Hispania viris doctissimi sit referta, adeò vt hodie palmam sapientiæ teneat. Verùm quia Reuerendissimo Domino placuit meum sensum exquirere. dicam quod in Domino ea de re sentiam, saluo saniori iudicio. Itaque ad primam quæstionem.

Respondeo, sententiam Caietani de Monialibus choro mancipatis, eas non teneri sub peccato letali Horas Canonicas recitare, mihi semper visam etiam in praxi probabilem. Idem sentio de Religiosis professis choro mancipatis, qui nondũ Ordine sacro insigniti. Quam sententiam tenet etiam Ioannes Medina vir doctissimus qu.7. de Oratione sub finem: vbi etiã apertè indicat, quòd si ex consuetudine tenentur, eam consuetudinem non obligare ampliùs, quàm statutum Regulæ. Et Emanuel Sà V. Horæ Canonicæ nu 1. vbi dicit hanc sententiam esse probabilẽ. Nec obstat quod addit, *non esse vsu receptã*, hoc enim nihil aliud est, quàm Religiosos & Moniales putare se obligari sub mortali, & se peccare mortiferè si aliquando omittant. Fauet etiã huic sententiæ Petrus Arragon. qu.83.art.11 & Angelus V. Hora Canonica n.10. vbi approbat sententiam Richardi tanquam humaniorem, qui docet nõ esse mortale omittere Horas ex negligentiâ, sed ex fastidio diuini cultus, vel contemptu, vel consuetudine. Itaque si aliquoties omittantur ex negligentiâ, nisi toties id fiat vt censeatur inducta cõsuetudo, nõ erit peccatũ mortiferum, iuxta istos duos Doctores. Quæ sententia etsi mihi nõ probetur quoad Beneficiarios & ordinatos Ordine sacro; tamen, videtur valdè rationabilis quoad moniales & professos non ordinatos. Fumus V. Horæ n.4. probat opinionem Caietani tanquam veriorem, etiamsi alij communiter contrarium tenent; *Quia*, inquit, *eorum opinio nullo iure probatur.*

Nec Moniales nec professi nõdum sacris initiati tenentur ad Horas sub mortali. Ioan. Medina.

Emanuel Sà.

Arragon. Richard. & Angelus.

Fumus.

Probari potest hæc sententia: Primò, Quia Moniales non tenentur ad Horas Canonicas aliquo voto, vel ex vi suæ professionis, vt passim Doctores fatentur; neque ex aliquo Ecclesiæ præcepto; neque ex vi alicuius statuti aut regulæ; sed solùm consuetudine, vt cõmuniter Doctores admittunt. Atqui illa consuetudo non est ita durè interpretanda vt sub peccato mortali obligare singulis vicibus censeatur: tum quia id parùm humanũ esset, & sæpè periculosum saluti; tum quia consuetudo regularis non debet censeri mágis obligare quàm expressum statutum regulæ. Atqui si esset expressum statutũ regulæ de Horis à singulis recitandis, illud non censeretur obligare sub peccato mortali, sed solùm sub reatu regularis correptionis, vel vt summũ sub peccato veniali, & pœna regulari; sicut alia statuta regularia. Nisi fortè haberet verba quæ perpicuè maiorem obligationẽ designarẽt, qualia sunt, *Præcipimus in virtute S. Obedientiæ. Præcipimus, strictè iniungimus*, &c. Verùm nullũ est statutum regulare, vt existimo, quod verba tam obligatoria habeat. Cõfirmantur, quia obligatio sub mortali est res valdè odiosa, ac proinde minimẽ præsumenda, nisi vbi necessitas cogit. Atqui hic nulla cogit necessitas præsumendi aut inducendi tam grauem obligationem: Quia sicut ad alias regulas & ad disciplinam religiosam seruandam sufficit obligatio ad pœnam & castigationẽ regularem, ita etiam ad seruandam hanc consuetudinem. Alia ratio est de Beneficiariis, & Ordinatis: Beneficiarij enim stipendia ab Ecclesia accipiunt vt officium diuinum persoluant; vnde instar mercenarij tenentur ex quasi contractu & officie. Ordinati verò Ordine sacro sponte se in ministerium Ecclesiæ tradiderunt; ad hoc enim ordinantur vt Ecclesiæ seruiant, ac proinde æquissimum fuit vt Ecclesia illis tanquam suo ministerio mancipatis hoc onus imponeret. Moniales verò non ideò deserunt sæculum, & se in monasterium abdunt, vt aliquod Ecclesiæ ministerium obeant aut vt stipendia ab Ecclesiâ percipiant; sed vt suæ

27 Non obligantur sub mortali ex consuetudine.

Neque statuta regulæ.

28 Aliter Beneficiarij & Ordinati, aliter Moniales ad Horas obligantur.

perfectioni vacent, & Deo seruiant: alimenta autem gratis percipiunt vt pauperes. Itaque ex hoc capite nulla fuit ratio tam grauis vinculi imponendi. Et sane cùm illæ sæculum deserant, omnes opes, voluptates, propriam voluntatem, & in latebras perpetuas monasterij se abdant, vt occasiones peccatorum vitent, & liberiori spiritu Deo seruiant; parùm videtur humanum, si nouus ille laqueus illis iniiciatur, & sub peccato mortali ad preces tam longas & multiplices, quas non intelligunt, astringantur. Sat enim ipsæ sibi oneris imponunt cùm tribus votis se obstringunt, & disciplinæ Religionis subiiciunt. Quis nouam illam obligationem adeò grauem non reformidet? Non esset hoc sacras Virgines ad Religionem allicere, sed absterrere.

29 Superiores ad publicũ Officium tenentur sub mortali, non tamen subditæ.

Non nego quin Conuentus ad officium publicum arcto vinculo teneatur: huius enim omissio grauis censeretur: vnde Superior sub peccato mortali tenetur procurare vt quantum fieri potest, non omittatur. Sed ago nunc de obligatione singularum: vt si aliqua in choro sponte per aliquot Psalmos animo euagetur, vel cesset à cantu, vel si non frequentans chorum (vtpote alteri muneri destinata) non recitet priuatim, sed partem aliquam notabilem, vel totum, semel bis terue omittat, non existimo eam mortiferè peccare. Et contrarium videtur mihi durum, & parum humanum: quia sine vlla necessitate, vel notabili vtilitate præbetur occasio plurimorum peccatorum mortalium, & infinitorum scrupulorum, quibus plurimæ bonæ virgines creberrimè implicantur. Abundè satis erat correptio regularis, sicut in aliis regulis & statutis.

30 A simili, de Conuersis.

Accedit quòd Conuersis qui non sunt choro mancipati, multæ aliæ preces imponantur, quas quotidie Deo persoluant; non tamen dicendum est eos sub peccato mortali ad hoc teneri (etsi aliqui Doctores contra senserint, sed infirmâ ratione) sed solùm veniali, vel regularis pœnæ correptione, vt plerique sentiunt. Si Conuersi, qui verè sunt Religiosi, & pensum precum benè longum sibi assignatum habent in dies singulos, non tenentur ad eas sub peccato mortali; cur mancipati choro teneantur ad preces Canonicas sub mortali? Cur illa mancipatio sit illis adeò onerosa? Sicut autem in monasteriis virorum sunt Conuersi qui ad ministeria domestica admittuntur; ita inter Moniales sunt conuersæ, quibus similiter multæ preces quotidie impositæ. Vnde cùm hæ Conuersæ non teneantur quotidie sub peccato mortali ad suas preces; neque cæteras putamus teneri ad suas, sed solùm sub correptione regulari, &c.

31 Item a simili de Canonissis.

Præterea sunt in Belgio & Germania Conuentus Virginum, quæ vocantur Canonissæ, exprimariis totius nobilitatis familiis, quæ publicè canunt Horas Canonicas insigni magnificentiâ, sicut Canonici, & habent præbendas instar Canonicorum; & tamen multi viri docti putant eas dum à choro absunt, non teneri sub peccato mortali ad officium diuinum; neque etiam in choro si aliquæ non canant, vel sponte distrahantur animo: si istæ non, tenentur tanto vinculo, quæ tamen certi modi præbendas habent; cur illud imponemus Monialibus, quæ aluntur vt pauperes, nec vllas habent præbendas aut obligationem ex fundatione quæ singulas constringat?

32 Male apprehenditur consuetudo hic obligare

Neque obstat, quòd dicantur consuetudine teneri sub mortali: quia, vt rectè Caietanus & alij, de tali consuetudine habente tale vinculum non constat. Etsi enim satis constet de consuetudine qua Moniales consueuerunt publicè Horas canere, non tamen satis constat de consuetudine, quâ tantum vinculum singulis priuatim sit impositum. Deinde hæc consuetudo non aliter potuit inducere talem obligationem, quàm mediante hominum opinione, qui putarunt se obligari sub mortali, & iudicabant se peccare mortaliter, si omitterent. Talis autem obligatio facilè tollitur, si ostendatur opinationem illam non solido niti fundamento. Sicut olim ante Sotum communis erat opinio omnem beneficiarium sub peccato mortali teneri quotidie ad Horas, etiamsi beneficium solùm duos vel tres aureos ei penderet: & ita consuetudine & Doctorum opinione tenebantur sub mortali: verùm postquam Sotus præclaro iudicio docuit contrarium, passim cœpit illa rigida sententia exolescere. Simili modo putabatur esse peccatum mortale facere sacrum ante preces matutinas. Itaque talis obligatio statim euanescit quoad grauitatem peccati mortalis, simulatque ostensum fuerit eã solido fundamento minimè niti. sub mortali.

Denique probabilissima sententia est posse obligationem imponi sub veniali, etiamsi materia secundum se sit grauis, & capax obligationis sub mortali; maximè quando iusta ratio subest non imponendi maiorem obligationem, sed sistendi intra limites venialis. Hic autem iustissima videtur esse ratio non imponendi aut interpretandi maiorem obligationem, quàm sub veniali iuncta simul regulari correptione. Sic enim abundè obtinebitur finis statuti, & conscientiæ infinitis scrupulis & periculis peccati mortalis eximentur. Sequitur nunc secunda quæstio. 33 Res grauis sub leui pœna potest imponi.

Vtrùm Confessarius in praxi hanc sententiam sequi possit, & Virginibus Religionem ingressuris id ipsum significare? 34

Respondeo, Posse Confessarium sequi hanc sententiam in praxi, & virginibus illis quæ timore tantæ obligationis sunt anxiæ, & absterrentur à Religionis ingressu, dicere quòd sub letali non obligentur. Vnde etiamsi in choro sint distractæ, vel cessent canere per spatium aliquot Psalmorum, non peccaturas mortaliter. Similiter si cùm non frequentant chorum, contingat aliquando ex negligentia partem aliquam officij, vel integrum officium omitti. Expedit enim vti sententia probabili ob tantum bonum promouendum: sicut ad aliquod malum impediendum interdum vtimur sententia aliqua etiam parum probabili. Addo probabile esse neminem in recitando Officio peccare mortiferè qui exterius benè recitet, etiamsi interius voluntariè animo diuagetur, vt patet ex iis quæ diximus lib. 2. de Iustitia c. 37. dub. 11. Sequitur tertia quæstio. Hæc sententia est tuta in praxi. Voluntaria distractio interna non est mortalis.

Concesso quòd Moniales choro mancipatæ peccent mortiferè omissione Horarum: Vtrùm etiam Moniales quæ ratione alicuius officij permittuntur priuatim Horas recitare, teneantur sub mortifero peccato eas recitare? 35

Respondeo, Existimo Doctores qui tenent Moniales choro mancipatas peccare mortiferè dum omittunt Horas, idem sentire de illis quibus ratione alicuius officij permittitur vt priuatim recitent. Nam choro mancipatæ dicuntur omnes, quę admittuntur vt alię sorores ad functiones spirituales; etiamsi ob aliquod officium chorum non frequentent, & distinguuntur contra Conuersas, quæ ad externa domus ministeria recipiuntur. Quod si sint aliqua monasteria feminarum, quæ ex instituto non habent chorum aut officium publicum, sed priuatim & singulatim orant (quale tamen ergo nunquam vidi) crediderim Doctores de talibus non loqui.

CASVS

CASVS XV.

Precum obligatio.

In Monaſterio N. tenentur Conuerſæ in dies legere Pſalmum Miſerere, quod aliquoties omiſerunt.

Quæritur, *Vtrùm peccarint mortaliter, ex eo quòd tot ies parua omiſerint, vnde tandem materia notabilis orta ſit?*

36 REſpondeo, Videri eas peccaſſe mortaliter ſæpiùs omittendo legere Pſalmum Miſerere. Ratio eſt, quia ſicut 100. alics efficiunt materiam notabilem, ſiue ſoluendi ſint ſimul eodem die, ſiue ſenſim diuerſis & continuis: ita 100. Miſerere efficiunt materiam notabilem. Idem dico de 100. ſalutationibus Angelicis. Pari modo etſi die ieiunij modicum quid ſumere non ſit peccatum veniale; tamen ſi quis decies vel duodecies id faceret, peccaret mortiferè. Sic magnas interdum pœnitentias iniungimus per plures dies diſtributas, quarum plures omittere, eſſet peccatum mortale.

Hæc tamen intellige quando obligatio operis
38. quotidie faciendi, non expirat lapſu termini, ſed manet. Cùm enim imponitur à Superiore, vel voto ſuſcipitur opus aliquod quotidie faciendum eo modo, vt ſingulæ obligationes ſint alligatæ diei, & vnà cum die expirent; tunc ex obiectis non componitur quid vnum; & dici debet ex illis omiſſionibus non exurgere peccatum mortale. Vnde ſi illa obligatio Pſalmi Miſerere quotidie dicẽdi eſſet ita alligata diei, ſicut Horæ Canonicæ, (quod non eſt improbabile) tunc prior ratio vim non haberet, nec omiſſio eſſet mortale.

CASVS XVI.

Canonicarum obligatio ad Horas Canonicas.

Vtrùm Canonicæ Montenſes, Malbodienſes & Niuellenſes peccent mortaliter ſi officium non dixerint quotidie?

39 VT ſolidè reſpondeatur, oporteret legiſſe illarum Canonicarum ſtatuta, & præbendarum inſtitutiones. Sed quia hæc non ſuppetunt, dicam quid probabilius mihi videatur.

Iſtæ præbendæ non ſunt vera beneficia.

Suppono Primò Præbendas illarum, etſi ad imitationem Canonicatuum, qui ſunt beneficia, inſtitutæ ſint, tamen non eſſe veros Canonicatus, ſeu beneficia. Quia verum beneficium requirit Ordinem, vel certè primam Tonſuram; & animum perpetuò ſe addicendi ſtatui Eccleſiaſtico; & habitum clericalem. Vnde quæ in Iure vel à Doctoribus dicuntur de Beneficiariis, non ſunt intelligenda de iſtis Præbendariis feminis: neque obligationes & pœnæ aliorum adiectas extendendæ: odia enim & pœnæ ſunt reſtringendæ.

In iſtis Canonicis eſt aliqua obligatio ad officium diuinum.

Suppono Secundò, Illas habere aliquam obligationem quamdiu ſunt in eo ſtatu ſicut ad certum habitum ſaltem in Eccleſia geſtandum, ita etiam ad officium diuinum: tum quia ad imitationem Canonicatuum iſtæ Præbendæ videntur inſtitutæ (Canonici enim illo tempore ſanctè viuebant, & in multis nobilibus Eccleſiis videmus non niſi Nobiles admitti:) tum quia ſi non obligarentur, non tam ſedulò illud obirent. Hinc

39 Conuentus tenetur ſub mortali quotidie curare vt fiat officiũ diuinum.

Infero Primò, Conuentum ſeu Capitulum illarum, & ſingulas de Capitulo obligari ſub peccato mortali vt quotidie officium diuinum fiat: ita vt ſi quæ id impediret, vel præſentiæ ſuæ ad id neceſſariæ ſubtractione (vt ſi admodum eſſent paucæ) vel alio modo, illa eſſet peccatrix mortaliter. Quia officium diuinum publicè obeundum, eſt præcipua functio ad quam & Canonicatus, & Præbendæ ſunt inſtitutæ.

40 Abſentes paucis diebus à Choro, nõ peccant mortaliter.

Infero Secundò, Abſentiam vnius, duorum, vel etiam trium dierum, alicuius perſonæ non neceſſariæ Choro, non eſſe cenſendam peccatum mortale, etiamſi commodè poſſet adeſſe. Quia etiamſi interim non concurrat ad officium publicum, non tamen inde aliquod notabile ſequitur incommodum illi officio, ratione cuius deberet cenſeri illa abſentia peccatum mortale. Idem iudico de Canonicis reſidentibus. Non tamen excuſarem eas à peccato veniali, ſi abſque cauſa legitima abſint.

41 Neque ſi officium extra Chorum non recitent quotidie.

Infero Tertiò, Omittere officium vno vel altero die, dum Chorum non frequentant, non videtur peccatum mortale. Primò, Quia non tenentur ratione veri beneficij, vel Ordinis, vt pátet. Neque etiam ratione ſuæ Præbendæ tam ſtrictè ſunt obligandæ: quia hæ non ſunt potiſſimùm inſtitutæ vt orent pro Eccleſiâ; ſicut Præbendæ Canonicorum; ſed vt ibi honeſtè alantur, & piè inſtituantur, vt poſteà, vbi ſtatum firmum capeſſerint, ſciant viuere ſicut decet Chriſtianas, &c. Officij recitatio ſolùm videtur annexa tanquam pium exercitium, quod iuuet illas ad pietatem. Secundò, Quia niſi Eccleſia tam grauiter iniungeret beneficiariis quotidianam precum recitationem, & Doctores omnes in hanc ſententiam irent; non interpretarentur illorum obligationem tam ſeuerè, nempe ſub peccato mortali eos teneri quotidie recitare, modò officium publicum fiat in Eccleſia. Quia non videtur illa fuiſſe mens fidelium, qui illas fundationes fecerunt. Hi enim non videntur reſpexiſſe niſi ad publicum officium. Ergo multò minùs id faciendum in hoc caſu. Tertiò parum mihi videtur credibile S. Waldetrudem, & alias ſanctas Fundatrices, tam ſeuerè illas nobiles Virgines intendiſſe obligare ad quotidianam recitationem, modò fieret officium publicum. Primaria enim intentio non erat vt orarent pro Eccleſiâ tanquam Miniſtræ Eccleſiæ, ſicuti orant Canonici; ſed vt hoc exercitio ſe ad pietatem formarent: quæ intentio non multùm violatur ſi aliquoties officium omittant priuatim dicere; præſertim dum parentes inuiſunt.

42 Secùs eſt ſi ad longum tempus officium omittant.

Si tamen ad longum tempus omitterent, v. g. ad menſem integrum, vel fortè etiam ad hebdomadam vnam, credibile eſt eas mortaliter peccare. Quia etſi non multùm ſit contra finem inſtitutionis, & intentionem Fundatricis ad paucos dies omittere hoc pietatis exercitium; tamen videtur multùm repugnare ſi ad longum tempus id fiat.

43 Non amittunt fructus ipſo facto.

Vtrùm autem amittant fructus ſuarum Præbendarum, pro eo tempore quo non recitarunt officium, dubitari poteſt. Omnibus ritè perpenſis cenſeo non omittere ipſo facto; ac proinde non teneri ad reſtitutionem. Primò, Quia neque Canonici illos amittunt (quidquid aliqui dixerint) ſeclusâ ordinatione Pontificis & Concilij Lateranenſis ſub Leone X. quæ ad ipſas extendi non debet, cùm ſit pœnalis. Loquor de Groſſa quam vocant, ſeu Corpore, non autem de diſtributionibus. Secundò, Quia iſtæ Præbendæ non ſunt potiſſimùm inſtitutæ vt orent pro Eccleſia, & vt ſint inſtar ſtipendij, ſicut Præbendæ Canonicorum. Addo tamen, Poſſe ſtatui, vt, ſi omittant, præſertim per multos dies, non poſſint accipere fructus, vel certè vt illis detrahantur, ſeu vt non dentur.

ed by Google

Canonicarum obligatio ad residentiam.

CASVS XVII.

Statuit Carolus V. *glor. mem. ad instantiam* Canonicarum Montensium *ad impediendas longas absentias (quia tunc ordinariè aberant tres vel quatuor annos) vt sint obligatæ quouis anno ad residendum sex menses sub pœna perdendi grossos fructus suarum prębendarum, vel prorata temporis, quo excedent dictos sex menses.*

Quæritur, *Vtrùm virtute illius statuti, debeant priuari dictis fructibus domicellæ, quæ superiori anno abfuerunt ab oppido Montensi propter contagionem, sicut prætendunt sex vel septem domicellæ quæ manserunt?*

44 EXpensis verbis & mente Statuti Imperatoris, censemus non esse priuandas: suppositò quòd illis domicellis iudicio Medicorum fuerit notabile periculum infectionis, si mansissent in oppido eo tempore. Ratio est, quia contra hoc statutum non peccarunt. Non enim mens statuti fuit eas in notabili vitæ periculo obligare ad residentiam, sed solùm quando absque incommodo graui possent residere. Hanc esse statuti mentem manifestè ex multis colligitur: Primò, Ex persona statuentis. Quis enim credat Imperatorem tam durè & inhumanè voluisse illas virgines tractare, vt etiam cum periculo vitæ vellet eas residere, & nisi residerent, priuare sua portione? Secundo, Ex conditione ipsarum virginum, quas non decet tam durè tractari. Tertiò, Ex occasione quia hoc statutum est conditum: Non enim petiuerunt illæ dominæ tale statutum fieri propter eas quæ iusta de causa abessent, sed ad tollendum abusum, quo vnum vel plures annos pro arbitrio aberant. Hæc fuit tota ratio illius statuti condendi: ac proinde secundùm hanc limitandum est & interpretandum. Ratio enim & finis legis est anima legis, vt rectè dixit Baldus in L. *Si quis seruo*, C. de Furtis. Quartò, Idem colligitur ex eo quòd possint ob causas longè minoris momenti, vt ob nuptias, baptismum, exequias parentum, & similes, abesse supra illos sex menses: Vnde contra rationem foret eis non permittere absentiam durante periculo vitæ.

Absentes virgines ob pestem à Choro & vrbe, non sunt priuandæ grossis fructibus.

45 Denique non minùs strictè obligantur Canonici & alij beneficiarij ad residentiam, sed multò strictiùs; & tamen in tali casu non possunt priuari fructibus propter absentiam; vt docet Couarr. lib. 3. Variarum. cap. 13. n. 8. & Franciscus à Ripa in tract. de Peste p. 2. n. 145. quem citat Couar. vbi dicit, quòd absens à loco beneficij tempore pestis, præcipuos ac principales fructus percipere debeat, non tamen distributiones quotidianas, quæ solis præsentibus dari consueuerunt. Nos hîc solùm de fructibus præcipuis agimus, non de distributionibus. S. Canonici & alij beneficiarij qui multò arctiùs obligantur ad residentiam, nõ sunt priuandi fructibus maioribus propter absentiam tempore pestis, eò quòd hæc causa absentiæ sit iusta, multò minùs priuandæ sunt illæ virgines, quarum prębendæ non sunt beneficia Ecclesiastica, sed subsidia honestæ educationis. Valdè enim inhumanum foret velle illas virgines nobiles & sæculares statuto Principis sæcularis duriori vinculo constringere ad residentiam, quàm Ecclesia per suos Canones constringat Canonicos.

Non est contra eas præscriptum.

46 Dicet aliquis: Dominæ seniores iam à viginti annis cœperunt hoc statutum seruare cum eo rigore: ergo iam præscriptione acquisiuerunt ius vt possint in posterum illud curare seruari.

Ad hoc respondetur, non potuisse hoc ius priuandi eas quæ tempore pestis essent absentes, præscribi intra viginti annos, cùm intra illud tempus ille casus nisi semel, nempe superiori anno acciderit. Itaque nunquam hoc iure vsæ sunt, nec vnquam in huius iuris fuerunt possessione; ac proinde non potest huius iuris prætendi præscriptio, aut consuetudo, quæ requirit longi temporis possessionem. Imò nec refert quòd propter absentiam ex morbo semel quandam priuarunt; quia casus morbi est diuersæ rationis.

Ex quibus omnibus concludo suprà dictas domicellas ex vi illius statuti non esse fructibus prębendarum suarum priuandas, ne quidem pro rata temporis, quo abfuerunt durante periculo prædicto.

ILLEGITIMVS.

CASVS I.

Illegitimi legitimatio.

Titius famulus Caij & Lucretiæ, viuente Caio ex Lucretia genuit Terentiam, quæ adeò spuria est. Mortuo Caio duxit Lucretiam in vxorem Titius, & curauit Terentiam suam per Nuntium Apostolicum legitimari.

Quæritur Primò, *Vtrùm Lucretia iuxta legem oppidi istius possit tertiam partem bonorum suorum dare Terentiæ, non obstante iure communi, quo prohibetur dare quidpiam spurijs præter alimenta.*

Quæritur Secundò, *Si non possit dare in præiudicium liberorum Caij, vtrùm poterit illi dare illam tertiam per fideicommissum?*

AD *Primum*: Respondeo, Lucretiam non posse relinquere trientem suæ filiæ spuriæ. Est communis sententia Doctorum; vt patet ex Couarruuia de Matrimonio parte 2. c. 8. §. 5. num. 5. & Iulio Claro l. 3. §. testamentum qu. 31. & aliis Probatur Primò, Authentica *Licet*, C. de Natural. lib. in fine: *Qui ex damnato sunt coitu, omni prorsus, beneficio secludantur.* Et Nouella 74. cap. 6. dicitur, *Nulla eis participanda clementia est*; & infrà, *Vt sciant nihil habituros paterna concupiscentiæ filios*: huius autem Authenticæ dispositio est in vsu. & obseruanda in vtroque foro, vt docet Clarus, Couar. & alij. Hinc colligunt DD. si Pater spurio aliquid in testamento præter alimenta relinquat, nihil per hoc iuris illi acquiri, sed teneri in conscientia restituere legitimis heredibus; vt docet Couar. np. 11. & Molina disp. 168. quia per leges factus est incapax. Idem sentiunt omnes DD.

1 Negatur posse.

Dices, Istas leges loqui de patre, non de matre: quare cùm materia sit odiosa, non esse extendendam ad matrem.

Leges quæ de patre, etiam de matre sunt intelligendæ.

Respondeo, Eas loqui in genere, *Omni prorsus beneficio secludantur*: *sciant eos nihil habituros*, vbi apertè excluditur etiam beneficium maternum. Idem apertè conuincitur ex L. *Si quas illustris* C. ad S. C. Orfitianum, vbi dicitur mulierem illustrem, si proles habeat legitimas, non posse quidquam dare, vel testamento relinquere suo spurio. Denique, hæc est communis sententia DD. Vide Couar. §. 5. n. 20.

Dices, Cur mater non potest disponere de illo triente in spurium, cùm possit in extraneum?

2 Potiùs extraneis quàm spurijs possunt parentes bene facere.

Respondeo, Quia lex reddit spurios incapaces talis beneficij à parentibus accipiẽdi, idque in pœnam adulterij; vt docet Clarus suprà: vbi dicit, *Pater spurij potest cuiuis in testamento relinquere, præterquam filio spurio; & filius spurius potest à quouis, præterquam à patre, sibi relicta accipere.* Sub patre, etiam matrem intellige à fortiori. Præterea si posset

fet mater filiæ suæ reliquere trientem, plus ei reliquerunt, quàm legitimis prolibus: hoc autem iniquum esse, docent DD. nam illegitimo etiam legitimato nō potest maior portio reliqui, quàm si mater naturalis aliosve ex legitimis; vt docent Additiones ad Iulium Clarum ex Decio, & alijs.

3 Alimenta non possunt relinquere, nisi aliunde ea habeat.

Pollunt tamen proli spurie relinqui alimenta si aliunde non habeat, vt patet ex Cap. *Cùm haberet*, dicto quidam in vetero, quam per nouissimum ius. Eit communis sententia DD. tex. in Cap. Cleuse. 5. 6. num. 9. Quod si aliunde habeat, non potest ei quidquam relinqui: leges enim ne alimenta quidem illis relinquendum: quod ius Canonicum moderatum est, vt parentes teneantur necessaria subministrare, non amplius: sed quæ ad victum, vestitum, institutionem, habitationem, & similia tunc necessaria, secundùm conditionem personæ. 8. Itaque si hæc aliunde habeat, non possunt parentes ea dare. Idem docet Molina disp. 168. Itaque cùm Terentius à patruo religionem ingressus esset, sitne annui mille octingenti flareni & amplius? non possunt illi à matre aliæ falcultates ad alimenta relinqui.

Ad secundum. Respondeo, Lucretiam non posse vti illo testimonio Aldeocinnullo: si enim dei vel relinqui extrinseco, etiam ante filij consummatum stituendi filiæ, peccat mortaliter ex decreto Molinæ & alij passim. Et heres si accedat, promittens impune, similiter peccat mortaliter. Et licet huius fundamentum sit ratio transferendi ius spurium, totum est tritum, nec potest iuris oracu scientiæ retinere; vt idem Molina & ceteri D.D. passim docent. Ratio est, Tum dita violant legem constitutionis Principis secularis. Contra tium tamen est verius, vt idem Couarr. dicit dict. num. 48. quia iurisdictio non est exercenda in illos Clericum, sed in Laicum, qui est subditus Principi secularis.

4 Non potest per filiæ commissum spurio prouidere.

5 Quid intentare sua deodum.

Sentis igitur nullam esse remedium, nisi vt petat legitimationem à Principe suo, qui quo ad ciuilem iurisdictionem spectat non subest.

Addo, Si hic de facto concessa esset Bulla Pij V. qua statuit vt Ecclesiastici eorum bona ad filios eorum ex laicis legitimatos non perueniant, opus fore duplici dispensatione, vt possint parenti illegitimi succedere; Principis quidem, tantum ad hoc Bullæ. Principis secularis, tactione habilitatis ad succedendum absolutè.

An posse Pontifex legitimare ad bona Ecclesiastica.

Bulla Pij V. contra Clericos Ecclesiasticæ eorum.

8

CASVS II.

Illegitimi Legitimatio.

An Titio Subdituno & Caia subditanata sint filij incestuosi dispensatione Papæ, & Caia contrahant matrimonium.

Quæritur 1. *Vtrum filij exijsti ante matrimonium nati, per matrimonium sint legitimi?*

Quæritur II. *Quis illos possit legitimare, & illi modo non efficiantur legitimi?*

6 Non sunt

Ad Primum: Respondeo, Non effici per tale matrimonium legitimos. Ratio est, Quia non sunt naturales, sed spurij concepti ex copula facrilega. Atqui soli nati, ales, (de qui concepti ex parentibus, inter quos tempore conceptionis vel nimis ei, nati nati non erat impedimentum dirimens) per quæ quos subsequens matrimonium efficiuntur legitimi, vt communiter docent D.D. & colligitur ex Cap. *Tanta*, qui filij sint legitimi: vbi vtitur natus ex adulterio viri, non effici legitimum per subsequens matrimonium, etiamsi parentes effectum extrahant, quia est spurius, id est, quia est ex coitu qui accedente consensu non poterat esse coniugalis. Vide DD. idem colligitur de omnibus spurijs. Ita Panormitanus in illud Cap. Vide Covarr. in Epitome 4. cap. 8. § 2. num. 1. & sequentibus.

legitimi per hoc ma-

Ad secundum: Respondeo, Suam Sanctitatem non posse illos legitimare ad successionem hereditatem, neque ad officia secularia, nisi sint subditi in temporalibus; sed tantùm ad spiritualia, nempe ad Ordines, beneficia & dignitates; excepto eo casu, quo ceteris communis potestas temporalis ex causis inferiorem habet ad exercendam iurisdictionem in alterno fegno. Vt aperte colligitur ex Cap. *Per venerabilem*, qui filij sint legitimi. Ratio est, quia legitimatio subditorum ad temporalia, est actus ad superiorem pertinens: ad spiritualia vero, Vide Couarr. citatum in principio. Vide Couarr. citatum in princ. 8. § 3. nu. 47. vbi id expresse docet, efficque communis opinio, quæ seruanda est, vt testatur Panorm. in Cap. *Per venerabilem*, num. 2. Quamus non sit improbabile si talem spatur de successione in bona illius Clerici, Pontifice posse legitimare; eo quod bona Clericorum exempta sint Iurisdictione Principis secularis. Contra-

7 Pontifex non potest legitimare ad bona spiritualia.

CASVS III.

Quidam Illegitimus ex Sacerdote & soluta, cernit Dispensationem absque dispensatione: desinit ab illa, suppliciter postulat. Nouus petit dispensationem ad Ordines & beneficia: & breuiter etiam Curatum: & suppliciter narrat se per in administrationem defectum natalium, coram ipsis per subticuisse, quod sal fuerat.

Quæritur, *An dispensatio obtenta non confecta subreptitia?*

9 Dispensatio subreptitia.

Respondeo non confecti subreptitiam illam dispensationem.

Probatur. Quia dispensatio Illustrissimi Nuncij non continet illa inadæquentia, sed mentis, & bonæ turbonæ vitæ, ac doctrinæ supplicantis, vt expresse habetur in instrumento dispensationis, ait enim: *Misericordiam cum eo habentes, & volentes eum gratiam facere volentes &c.* Vnde nec addit clausulam (*Si inest*) sed absolute apponit.

Secundò, Quia expressio falsi, & omissio veri, non vitiat dispensationem, quando illas eque bene citat concedenda, vt communiter Doctores

tradunt. Quia tunc erant non eft causa dispensandi, sed absolvendi a peccato mortali, quod est excludit illegitimum. Nomine fortè peccatorum intelligunt etiam peccata venialia, de quibus nemo est sine speciali privilegio immunis, sed non spectat ad Episcopum ea remittere.

Illegitimi peccata mortalia non possunt remittere.

Tenuit. Quod illegitimus nullo modo expressè prohibeat, accipere primam Tonsuram, fol. 164. Sanchez. Nonnulli tenent Ordinem Acolythatus nemo eximere potest. Tandem tenendum D. Thomas, Bonaventura, Durandus cum communi tenent, non fuit datus culpa in accipienda Tonsura, quæ necessaria est ad dispositionem, dummodo postea illegitimi accipere velint tam ordines quam, quæcunque prohibentur sacros Ordines: de quibus Tonsura est propinqua dispositio ad Ordines.

13. Tenetur Sacerdos ordines petitos accipere.

CASVS IV.

Titius Religiosus ductus est absque dimissoriis ad Ordinem, in habitu, & professione illegitimus constanter, sine ullo impedimento, & ordines suscepit, quæritur an sit sufficiens.

Quæritur Primò, *An illegitimus dispensetur ad Ordines?*

Quæritur Secundò, *An possit sic susceptis Ordinibus ministrare, & an peccet in ministrando?*

Quæritur Tertiò, *An possit ulteriores ascendere?*

Quæritur Quartò, *An possit accipere sub diversa ordinatione?*

Ad Primum. Respondeo, Excepto de Titius ille dimissorialis Ordine, sine ista culpa, non dispensatur ad Ordines, etiam Sacros, quia dispensatio est privilegium quo quis liberatur in Ordinibus, & quoad illa non habet jus, sed Gratiam, quæ non datur sine justa causa, ut dictum fuit. Dixi, excepto de Titius, quia ipse non habet culpam, quia ignorabat defectum, & ideo ordines ab Episcopo petiit, & ab eo suscepit, ut communiter tenent Doctores, & ratio est, quia ignorantia excusat ab omni culpa, & ideo non tenetur ad dispensationem, quia non tenetur ad illa, quæ ignorat, & ideo non tenetur ad dispensationem, quia ignorat se esse illegitimum.

10. Non requiritur dispensatio ob ignorantiam.

Ad Secundum. Respondeo, Quod Titius non tenetur ad dispensationem, quia ignorat se esse illegitimum, & ideo non tenetur ad illa, quæ ignorat, & ideo non tenetur ad dispensationem, quia ignorat se esse illegitimum, & ideo non tenetur ad illa, quæ ignorat, & ideo non tenetur ad dispensationem, quia ignorat se esse illegitimum.

Titius non tenetur ad dispensationem.

Ad Tertium. Respondeo, Quod Titius non tenetur ad dispensationem, quia ignorat se esse illegitimum, & ideo non tenetur ad illa, quæ ignorat, & ideo non tenetur ad dispensationem, quia ignorat se esse illegitimum.

Titius non tenetur ad dispensationem.

Ad Quartum. Respondeo, Quod Titius non tenetur ad dispensationem, quia ignorat se esse illegitimum, & ideo non tenetur ad illa, quæ ignorat, & ideo non tenetur ad dispensationem, quia ignorat se esse illegitimum.

Titius non tenetur ad dispensationem.

CASVS V.

Quæritur quisque Indigenam possit dare Ordines sine dispensatione?

Ordinans Indigenam sine dispensatione peccat.

Indigenæ non possunt ordinari sine dispensatione.

Indigenæ non possunt ordinari sine dispensatione.

Indigenæ non possunt ordinari sine dispensatione

CASVS III.

Indulgentia plenaria in forma Iubilæi.

In die Circumcisionis Domini conceditur in templo Societatis IESV *plenaria Indulgentia in forma Iubilæi.*

Quæritur Primo, *An eadem illa causa, quæ sufficit pro concedendis illis Indulgentiis, non possit etiam sufficiens censeri pro dispensatione votorum particularium?*

Quæritur Secundò, *An ex vi talis Indulgentiæ non possit quinis eligere Confessarium qui absoluat à reseruatis, commutet vota &c. sicut fit in Iubileo?*

3 *Ad Primum*: Respondeo. Certum est causam illam communem, quæ sufficit ad concedendas Indulgentias etiam plenarias, non sufficere pro dispensatione votorum particularium: Hæc enim requirit iustam causam respectu huius personæ; quæ plerumque nullam habet connexionem cum causâ Indulgentiarum: v. g. Vouit quis continentiam, vel non ludere aleis ob periculum blasphemiæ, iræ &c. ratio voti perseuerat, etiamsi amplissima detur Indulgentia. Quare non potest liberari obligatione voti. Irrita enim est dispensatio nisi causa iusta subsit.

4 *Ad Primum*: Respondeo, Quam vim habeat Indulgentia plenaria in formâ Iubilæi, seu ad instar Iubilæi (quæ duo idem valent) docet Nauarrus de Iubileo notabili 9. & 26. & ostendit idem esse quod Indulgentia plenissima. Quòd verò talis formula verborum non contineat facultatem eligendi Confessarium qui absoluat à reseruatis, dispenset in votis &c. vel ex eo colligi potest, quòd hac de re nihil certi sit constitutum pro ipsis Iubilæis. Nam interdum maior, interdum minor potestas conceditur. Deinde res tanti momenti claris verbis exprimenda erat, sicut in diplomatibus Iubilæorum exprimitur. Denique est contra mentem Societatis: non enim Societas pro die Circumcisionis intendit à Pontifice obtinere vt fideles possent eligere alium, quàm Societatis Confessarium, aut vt alijs daretur potestas absoluendi à reseruatis & dispensandi &c. Vnde mihi certum est talem potestatem illis verbis non concedi.

CASVS IV.

Eleemosyna pro Iubileo.

Vtrùm Teneantur Religiosi mendicantes, maximè subditi quidquam erogare in eleemosynam, vt Indulgentiam Iubilæi consequantur?

5 Respondeo, Non teneri. Tum, quia Iubilæum intelligitur de ijs qui habent administrationem: Tùm, quia in aliud opus commutari id potest; vt expresè in Bulla habetur. Vnde etiam subditi non tenentur petere licentiam vt possint aliquid sibi subtrahere ad eleëmosynæ largitionem.

CASVS V.

Electio Confessarij in Iubileo.

Vtrùm Religiosi possint ex vi Iubilæi confiteri Sacerdotes non approbato? Et quisnam per Ordinarium *intelligatur.*

6 Respondeo, Etsi alias Religiosi possint confiteri Confessario non approbato: si tamen ex vi Iubilæi velint absolui, debent confiteri approbato; quia id expresè requiritur in Bulla.

Per Ordinarium, non intelligitur Superior Regularium; sed Episcopus, & Vicarius eius Generalis, & Abbas habens Ecclesiam, in qua exercet Episcopalem iurisdictionem.

CASVS VI.

Commutatio voti in Iubileo.

An qui commutauit votum suum vi Iubilæi in aliud pium opus, possit post Iubilæum vi eiusdem hoc pium opus rursum mutare in prius votum, vel in aliud pium opus?

Respondeo, Eum qui semel commutauit votum suum vi Iubilæi in aliud pium opus, non posse post Iubilæum vi eiusdem Iubilæi hoc pium opus rursum mutare in prius votum, vel in aliud pium opus; nisi fortè id fiat paulò pòst, ita vt censeatur completio actionis antè tempore Iubilæi inchoatæ. Ratio est, quia illa potestas commutandi votum, iam cum Iubilæo expirauit; nec censetur continuari, nisi ad necessariam continuationem eorum quæ antè erant incœpta. 7

Si votum erat reseruatum.

Aduerte tamen, Si votum illud erat reseruatum, iam facta mutatione desinere esse reseruatum, dummodò votum id sit mutatum in opus, cuius intuitu votum non fuisset reseruatum. 8

IVDEX.

CASVS I.

Inquisitio extraiudicialis.

Titius fuit socius Caio in homicidio perpetrando: capitur Caius: fatetur: plectitur detecto antè socio. Capitur Titius: torquetur: pertinaciter negat: dimittitur. Post triennium idem Titius ob furtum captus est, & in carcerem coniectus. Index illum agnoscens, extra tormenta rogat: Nonne tu es ille, qui talem virum, tali tempore occidit? Fatetur, & propter vtrumque condemnatur.

Quæritur, *An Iudex peccarit quærendo &c.*

Respondeo, Non peccasse: quia mansit suspicio & indicium pristinum ex depositione Caij. Nec obstat quòd fuerit dimissus: quia illa dimissio non habet vim abolitionis vel declarationis innocentiæ; sed solùm facta fuit defectu probationis. Vnde si veniant postea noui testes, vel ipse sponte fateatur, plecti potest. Hic autem sponte fatsus est; poterat enim negare.

Iudices quando habent indicia, multa possunt interrogare dum examinant reos: modò id fiat absque tormentis, vel tormentorum minis. Idem vsu receptum est. Reo tamen videndum quid fateatur.

Si tamen hæc confessio rei extra iudicium facta est, non potuit ex ea condemnari, nisi eadem iudicio repetatur: quod credibile est hîc factum. Poterat reus in iudicio negare. Sibi imputet inconsultam confessionem. Cauendum est ne facilè tales Iudicum praxes reprehendantur, nisi manifestè sint iniquæ.

CASVS II.

Informatio exorta.

Iudex secularis suadente Petro Canonico occultè cæpit informationes contra Ioannem Canonicum, adigendo subditos suos sub iuramento, vt coram se deponerent quod de eo nossent.

Quæritur, *Vtrùm tam Iudex, quàm suasor Canonicus, incurrerint excommunicationem Bullæ Cœnæ*

Specie facti diligenter expensa: Respondeo Etsi Iudex ille sæcularis malè fecerit capiens

itized by Google

do occultè informationes contra Ioannem Canonicum, & adigendo sub iuramento subditos suos vt deponerent coram se quod nossent in causa iniuriarum Canonici contra Monialem: non tamen in excommunicationem Bullæ Cœnæ, vel aliam incidit. Ratio est, quia illi soli excommunicantur in Bulla Cœnæ, quòd ad hunc articulum attinet, qui personas Ecclesiasticas ad tribunal sæcularis Iudicis pertrahunt, vel pertrahi faciunt, &c. Atqui capere occultè informationes contra personam Ecclesiasticam, non est illam pertrahere ad tribunal. Nulla enim adhuc facta citatio, &c. Vnde cùm pœnæ non sint extendendæ vltra verborum proprietatem, non est dicendum Iudicem illum, aut Canonicum suasorem, incurrisse pœnam excommunicationis Bullæ Cœnæ. Neque est aliud ius quo tale factum pœnâ excommunicationis plectatur.

Probabilis ignorantia excusat ab excommunicatione.

Accedit quòd Iudex illam informationem videatur fecisse, non vt vsurparet sibi iudicium in Canonicum, sed vt iuuaret partes accusantis: quod non esset illicitum, nisi excessisset in modo, nimirum adigendo subditos deponere sub iuramento. Denique probabilis ignorantia excusat coram Deo à pœna excommunicationis, quia abest contumacia.

Consilium.

CASVS III.

Vtrùm Aduocatus consultus à Iudice seu Magistratu de pœna reo irroganda, fiat irregularis, si mors reo deinde inferatur?

3

SI Aduocatus ille à Magistratu seu Iudice consultus de pœna reo irroganda, respondit solùm in genere explicando quid Iura statuant, non erit irregularis, etiamsi reus morte sit plexus à Iudice. Si verò respondit in particulari. Hunc merereri mortem, & multò magis si Iudicem instigauit ad hunc plectendum, erit irregularis, modò illa incitatio fuerit causa mortis, vel accelerationis eius. Siluester V. homicidium 1. n. 12. citans Hostiensem & Panormitanum. Henriq. cap. 16. nu. 4. & alij.

4 Hæc irregularitas non potest tolli ab Episcopo.

In hac irregularitate non potest dispensare Episcopus, etiamsi possit in casuali, quod est contra Couarruuiam in Cap. *Alma.* 2. p. §. 3. in fine. Estque communis sententia Recentiorum, vt docet Henriques cap. 19. Porrò Societas ex Priuilegio Gregorij XIII. viuæ vocis oraculo potest dispẽsare in hac irregularitate, sed solùm in foro interno. Vnde etli hæc dispensatio faciat licitam Ordinum & beneficij receptionem, non tamen prodest in foro externo, si fortè lis moueatur ei, quocum ita est dispensatum. Quare vt sit securus in foro externo, debebit obtinere dispensationem Romæ à summo Pontifice. Quòd si non timet aduersarium, sufficit ei dicta dispensatio.

Potest tolli à Societate in foro interno.

DE IVRAMENTO.

Promissio iuramento cõfirmata.

CASVS I.

Petrus promittit se daturum 100. *Monasterio, idque iuramento confirmat. Monasterium recusat accipere.* Quæritur Primò, *An teneatur Petrus dare illa centum ratione iuramenti?*

Quæritur Secundò, *Quid si Petrus simpliciter iuret se daturum* 100. *Monasterio, & Monasterium recuset: quid faciet Petrus?*

VT hæc res clarè intelligatur: Notandum est, quòd dupliciter potest se quis iuramento obstringere: Primò, cùm aliquid promittit alicui, & addit iuramentum quo iurat se promissum seruaturum. Secundò, cùm absolutè iurat se aliquid facturum, v.g. daturum 100. pauperibus. Nunc.

Respondeo Primò, Cùm fit priore modo, iuramentum non cadit immediatè in executionem rei; sed in obseruationem promissionis. Vnde dicitur esse accessorium promissioni: nam stante promissione, obligat; eâ autem cessante, non obligat. Vnde si contingat promissionem non insinuari ei cui facta est, aut non acceptari, aut acceptatam legitimè tolli seu elidi; cessat obligatio iuramenti. Solùm enim iuramentum obligat ad seruandũ promissum, supposito quòd promissio legitimè acceptetur. Neque hinc sequitur cum qui sic promisit & iurauit, teneri aperire suam promissionẽ: Non enim magis ad hoc tenetur, quàm si non iurasset. Nec ideò tale iuramentum est illusorium aut frustraneum: nam fuit ad inducendam obligationem absolutam in euentum quo continget promissionem legitimè acceptari.

Respondeo Secundò, Cùm iuramentum sit secundo modo, tunc immediatè cadit iuramentum in executionem rei: vnde non est opus vlla acceptatione; sed tenetur homo ex se rem exequi, ne Deum faciat testẽ falsi. Itaque tenetur insinuare, imò & offerre rem quam iurauit se daturum. Sitamen alter recusет eam accipere, cessat obligatio; quia illi iuramento inerat hæc tacita conditio, *Si alter, in cuius fauorem res est cessura, velit.* Itaque cùm hoc modo factum est iuramentum, non est accessorium promissioni, sed stat per se.

CASVS II.

Priuilegiati potestas circa votum iuramento cõfirmatum.

An Priuilegiatus qui potest tollere votum simplex, possit etiam tollere iuramentum supra id votum cadens? Item, *An qui potest tollere votum, possit etiam tollere iuramentum cadens circa eandem materiam.*

RESpondeo, Primò; Quando iuramentum superuenit promissioni, is qui potest tollere vinculum promissionis, potest etiam tollere vinculum iuramenti, quod promissioni est accessoriũ. Vnde quando votum hoc modo est iuramento confirmatum, Priuilegiatus qui potest in voto simplici dispensare, potest etiam in tali iuramẽto, quia id per se euanescit sublato vinculo voti. 7.

Respondeo Secundò, Quando iuramentum non est accessorium, sed stat per se, tunc Priuilegiatus qui potest dispensare in voto, non potest dispensare in iuramento circa eandem materiam, sed opus est ad hoc peculiari priuilegio, quod se extendat immediatè ad tollendum vinculum iuramenti; vt ostensum est lib. 2. de Iustit. & Iure cap. 42. n. 60.

CASVS III.

Iuramenti promissorij & absoluti inuestigatio.

Vnde sciemus, vtro modo, scilicet, An promissoriè, an absolute iuramentum factum sit?

RESpondeò, Id colligendum est ex verbis: vt si expressè promisit vel vouit, & iurat se promissionem seruaturum. Secundò, ex intentione ipsius iurantis; vt cùm quis iurat se dimidiam partem bonorum suorum daturum pauperibus. Et quidem, si mentem dirigat ad Deum, & iuret Deo, est votum iuratum; & videtur non esse accessorium voto, sed per se consistere. Si nihil de Deo cogitet, sed solum velit se in illo bono proposito

Digitized by Google

posito per iuramentum firmare, videtur esse solùm iuramentum, quod propter honorem Dei est seruandum; etiamsi pauperibus nullum ius per illud sit acquisitum.

CASVS IV.

Absolutio à iuramento.

Caia & hæres Titij ob acceptam ab eo non magnam pecuniæ summam, sese cum marito iuramento obligat ad inhabilitatem testandi. Moritur Titius: & iuramenti obseruatio cedit in damnum nepotum Titij, in quorum tamen commodum ab illo exactum est.

Quæritur I. *An Titius censendus sit illud iuramentum acceptasse?*

Quæritur II. *An coniuges modò ad iuramenti obseruationem teneantur, non petita absolutione?*

Quæritur III. *An sufficiat simplex absolutio in foro externo vt possit de bonis disponere?*

Quæritur IV. *An opus fuerit citatione vt coniuges absoluerentur?*

Quæritur V. *An obligatio iuramenti fuerit personalis?*

10 *Ad Primum*: Respondeo, si constaret hoc iuramentum non fuisse acceptatum à Titio, cui illa promissio facta fuit, nullo modo esset obligatorium; nec egeret dispensatione. Quia iuramentum promissorium factum alicui, non obligat, ipso acceptante; sicut nec promissio (cui iuramentum est accessorium) si non acceptetur, non obligat.

Censendus est Titius acceptasse iuramentum.

Verùm non video quomodo dicatur id constare, cùm Titius tale iuramentum exegerit à suo genero & Caia filia, & noluerit pecuniam numerare, cùm Titius tale iuramentum exegerit à suo genero & Caia filia, & noluerit pecuniam numerare quam ipsi petebant, nisi tali modo promitterent: videtur enim satis acceptasse, quando promissionis iuratæ schedulâ acceptâ, pecuniam numerauit. Itaque posito quòd fuerit sufficienter acceptata illo signo externo, verè in conscientia obligauit illos coniuges, quia non fuit de re illicitâ ex parte ipsorum promittentium. Potest tamen Titius cui facta est, condonare & remittere omnem illam promissionem etsi iuratam; & tunc nulla opus est dispensatione Pontificiâ.

11 Morruo Titio videtur cessare obligatio.

Quod si Titius non remiserit, & iam obierit, cùm hæc promissio nõ videatur ipsi facta in ipsius fauorem & commodum; sed in commodum nepotum (ideò enim talem promissionem exegit ne gener bona grauaret, vel alienaret in damnum prolũ nepotũ Titij) videtur eius obligatio per se cessare, si obseruatio illius promissionis cederet in damnum prolium: quia quod in illarum commodum inuentum est, non debet cum earum damno seruari. Idem dicendum quando alia grauia incõmoda ex obseruatione sequerentur. Hæc enim censeri debet fuisse mens exigentis, vtpote hominis Christiani & prudentis, & etiam ipsorum cõiugum promittentium. Nunquam enim promissio alicui facta etiam iurata, quam obseruari, vel non obseruari non magnoperè interest eius cui facta est ita durè interpretanda est, vt etiam cum grauissimis incommodis, & in quouis euentu obseruanda sit; aut quod mens promittentis vel exigẽtis fuerit vt in omni euentu subsisteret obligatio. Promissiones enim habent multas tacitas conditiones, vel iure, vel hominum consuetudine, vel prudentum interpretatione.

12 Ecclesia potest dispensare in iuramento promissorio.

His accedit, Quòd etsi tale iuramentum per se non cessaret positis circumstantiis iam commemoratis; tamen facillimè per dispensationem Ecclesiæ tolli potest omnis eius obligatio: tum, quia non magnoperè interest eius, cui facta est talis promissio, eam seruari: tum maximè, quia per iniuriam extorta videtur. Nimis enim grauis & onerosa erat talis obligatio; neque vllo modo cum tantilla summa pecuniæ comparanda: quod euidentissimum est, si vel data fuit mutuo, vel si Titius non habebat alios hæredes, quàm Caiam filiam; & omnia Titij bona erant ab intestato ad Caiam eiusque liberos deuoluenda. Quòd si alios hæredes habebat, adhuc non potuit tam grauis obligatio iure imponi; casus enim necessitatis erat excipiendus.

Promissio priuatiua facultatis testãdi irrita censetur.

Omitto quòd plurimi Doctores docent, promissionem, qua quis se priuat facultate testandi, irritam esse, etiamsi iuramento confirmata sit. Quidquid enim sit de veritate huius sententiæ, certum tamen puto posse obligationem talis iuramenti facilè tolli per Ecclesiam.

13 Cõtractus iuratus ex errore initus, rescindi potest.

Addo; quòd quando quis est enormiter læsus aliquo contractu etiam iurato, ex ignorantia vel simplicitate, eò quod non aduerteret incommoda secutura, posse resilire postea; quia non censetur illum euentum voluisse comprehendere. Neque videtur dubium quin posset petere absolutionem iuramenti, vt agat ad rescissionem, facta restitutione eius quod accepit. Quod receptissimi Iuris est, & maximè locum habet in oneribus quæ quis pro aliqua summa pecuniæ, vel alia re, in se susscipit, quando onus incomparabiliter maius euaderet, si in omni euentu deberet sustineri, quàm res accepta possit æstimari: iuxta quem modum in hoc casu sufficit, vt aliis Titij hæredibus, si qui sint, fiat restitutio ex summa accepta cuique pro ratâ portione. Ex his apparet Caiam cum marito multis nominibus esse solutam ista obligatione quæ per promissionem iuratam Titio factam prætenditur inducta.

14

Ad Secundum: Patet responsio ex dictis: Probabile enim est etiam absque absolutione licitum esse contrauenire tali iuramento, quando eius obseruatio in graue damnum prolium, vel Reipublicæ, vel ipsorum promittentium cederet. Tutius tamen est petere dispensationem, sicut hic factum est.

15 Sufficit absolutio simplex.

Ad Tertium: Simplex absolutio facta in foro externo sufficit tum ad agendum, tum ad omnes alios Iuris effectus consequendos. Posita enim absolutione restituitur pristinæ libertati circa sua bona; vnde potest de illis disponere, & illa grauare sicut ante iuramentum poterat.

16 Non opus fuit citatione.

Ad Quartum: Nulla opus fuit citatione, vt coniuges absoluerentur. Quando enim interuenit iniuria, non opus est citare partem cui factum iuramentum: neque etiam alij hæredes citandi, quia illis non est facta vlla promissio, sed soli Titio.

17 In casu est pactum personale.

Ad Quintum: Planum est obligationem iuramenti esse personalem, ac proinde non transire ad hæredem. Itaque hæres nulla iuramenti religione tenetur. Obligatio tamen pacti potest ad hæredem transire; nimirum quando quis intendit suum hæredem obstringere. Hîc verò solùm fuit pactum personale, non respiciens hæredes. Itaque nec pacti obligatio etsi valida fuisset, transire ad hæredes in nostro casu potest.

CASVS V.

Iuramẽtum fidelitatis.

An Ciues bello iniuſto ſubiugati poſſint ſuis illis ſubiugatoribus præſtare iuramentum fidelitatis?

18 Sub quæ cautela id liceat.

REſpondeo, Tales ciues poſſe iſtis iniuſtis iuratoribus præſtare generale iuramentum fidelitatis, modò nihil illicitum iſti iuramento expreſsè admiſceatur, & ipſi in mente ſua intelligant ſe ſolùm iurare fidelitatem in licitis, & honeſtis. Principem tamen ſuum legitimum & naturalem abiurare non poſſunt: id enim eſt illum non agnoſcere, & non habere pro ſuo Principe in ſuâ Prouinciâ, quæ illi per iniuriam erepta eſt; cùm tamen reuerà ſit & permaneat eius Prouinciæ dominus: quod eſt grauis iniuria in dominum ſuum & Principem. Itaque talis abiuratio eſt periurium cadens in materiam falſam, & in iniuriam tertij.

LVXVRIA.

CASVS VNICVS.

Delectatio morosa.

Titius Magno amore proſequitur filiam vt cum illâ contrahat?

Quæritur, *Vtrùm peccet fouendo affectum circa actus Matrimonij cum filiâ contrahendi?*

1. ACcepi ſcriptum tuum, Reuerende Domine, benè longum de delectatione moroſa, & legi totum, etſi occupatiſſimus. Video totam controuerſiam ferè reuocari ad hanc quæſtionẽ: Vtrùm licitum ſit delectari de ipsâ paſſione delectationis ortâ ex imaginatione actus matrimonij futuri vel præteriti: ita enim proponit D. T. quod Doctores proponere ſolent his verbis: *Vtrùm licita ſit delectatio ex cogitatione copulæ matrimonij futuri, vel præteriti.* Ad quod.

Illicita eſt delectatio orta ex imaginatione copulæ futuræ vel præteritæ.

Reſpondeo, Certum eſſe non eſſe licitam talẽ delectationem. Etſi enim poſſis gaudere (ſaltem abſque peccato mortali) quòd ſis habiturus illam voluptatem in matrimonio, vel quòd habueris eam; tamen non licet gaudere quòd nũc, cùm non es coniugatus, in te ſit illa paſſio delectationis, quæ ex imaginatione concubitûs naſcitur. Hoc enim eſt conſentire in delectationem moroſam, eámque amare. Etſi enim concubitus, ex cuius imaginatione naſcitur illa paſſio, non ſit præſens, ipſa tamen paſſio ſeu delectatio eſt præſens, & ita afficit ac ſi ipſe actus præſens eſſet. Imò nunquam naſcitur talis delectatio in appetitu inferiori, niſi concubitus vel actus exterior apprehendatur vt præſens. Delectatio enim appetitûs inferioris eſt boni apprehenſi vt præſentis tantũ, non vt præteriti, vel futuri. Imaginatio enim, quã ſequitur hic appetitus, non apprehendit rationem præteriti & futuri, ſed præſentis tantùm, vt etiam in brutis patet. Itaque in ſponſo de futuro non naſcitur illa paſſio delectationis in appetitu inferiori (quâ in corpore fit commotio ſanguinis & ſpirituum, & ſentitur rebellio membrorum) niſi apprehendat concubitum vel contactus vt præſentes; id eſt, niſi vi imaginis, iſtos actus hic & nunc exerceat. Idem dicendum de vidua, dum reuoluit animo voluptates præteritas. Vnde impertinens eſt quòd iſti actus fuerint vel erunt licici: quia hoc tempore & in hoc ſtatu cùm apprehenduntur vt præſentes, ſunt illiciti; ac proinde illicita eſt delectatio ex eorum imaginatione reſultans.

Delectatio appetitus inferioris eſt tantùm boni apprehenſi vt præſentis.

Hoc fundamentum nititur refellere D. T. hoc modo: Si malitia huius delectationis ſumenda eſt ex ſtatu, & non ex obiecto formali, coniugatus oblectans ſe in actu matrimonij imaginario, abſente cõiuge, ſine ordine ad copulam, peccaret nõ ſolũ fornicatione imaginaria ſed etiam adulterio; quia delectatio illa ex reali actu exteriori hîc & nunc, & in hoc ſtatu eſt illi prohibita: nam cum ſuâ eſt illi hæc delectatio nunc impoſſibilis. 2.

Malitia delectationis ſumenda eſt ex obiecto formali.

Miratus ſum hanc, & aliquot alias ſimiles rationes, ex quibus aduerti rem nõ rectè apprehendi. Si præſens D. T. eſſet, hæc omnia facilè potuiſſent declarari: ſcripto res nimis longa eſt & difficilis. Malitia delectationis ſumenda eſt ex obiecto formali. Verùm obiectum formale non eſt actus turpis, vel fornicationis in genere, ſed vt in hoc ſubiecto, nempe vt à Titio exercitus. Vt enim Titius percipiat delectationem moroſam, de qua agitur, debet imaginari actum à ſe fieri: alioquin non apprehendet, vt bonum delectabile ſibi præſens, quod eſt neceſſarium ad delectationem. Itaque ipſa perſona, eiuſque ſtatus continetur in obiecto formali. Obiectum enim formale delectationis, vt alibi notaui, eſt quid complexum. Itaque quando homo eſt in eo ſtatu vt actus matrimonij ſit ipſi illicitus, mutatur obiectum formale, eſtque intrinſecè malum: vnde etiam affectus & complacentia illius obiecti, & conſequenter etiam delectatio ex illo prouenies, intrinſecè mala eſt.

3 Cõiugatus delectando ſe circa nõ ſuam, peccat.

Hinc patet illa exempla nihil probare. Nam fateor coniugatum illum per talem imaginationem & delectationem cum non ſua, peccare non ſolùm ſimplici peccato imaginariæ fornicationis, ſed etiam cuiuſdam adulterij; quia fides matrimonij illum obligat vt etiam imaginariè non cognoſcat alienam: quam ſententiam vt veriorem etiam tenet Vaſquez 1. 2. diſp. 96.

Ad alterum exemplum, patet ex dictis; quia non eſt in ſtatu matrimonij cum ea, de qua delectatur: vnde ad eam comparatur vt adulter.

Ad tertium exemplum, ſi actu delectatur de aliena in parte ſenſuali, nihil iuuat illum iſta conditio, *ſi propria moriatur*; quia eſt imaginarium adulterium abſolutum hîc & nunc exercitum, & eſt abſoluta delectatio inde conſequens.

Ad quartum exemplum de Carthuſiano: Non eſt contra votum vel præceptum quòd imaginatione, viſu, vel odoratu epuletur, & inde ſe delectet: ſicut eſt prohibitum imaginariè copulari feminæ, &c. Imaginaria enim copula extra ſtatum matrimonij eſt illicita, ſicut & actus exterior: quia ſimili modo concitat naturum ad genituræ effuſionem: vnde per ſe repugnat caſtitati. In cæteris non eſt difficultas.

4 Delectatio ex duello quo pacto licita ſit vel illicita.

Quòd attinet ad delectationem, quæ percipitur ex imaginatione bellorum, duellorum, euentuũ crudelium, &c. Auctores communiter diſtinguunt: Vel enim talis delectatio prouenit ex affectu ad rem ipſam; & tum eſt eiuſdem rationis, cuius eſt affectus & deſiderium rei talis: Vel prouenit ex affectu cognitionis & ſpectandi res miras, raras, ingenioſas: homines enim magni facere ſolent noſſe & ſpectare res admirãdas, & raras, etſi triſtiſſimas: & hoc modo non eſt per ſe peccatum, niſi fortè curioſitatis: talis enim delectatio non eſt immediatè de re ipſa mala, ſed de cognitione, viſione, vel imaginatione talis rei, quatenus ea eſt mira, rara, &c. Vnde immediatum obiectum non eſt malum. Hinc facilè eſt intelligere longè aliam eſſe rationẽ delectationis de duellis, cædibus

cordibus, &c. & delectationis de concubitu futuro vel præterito.

5 Cæterum hoc monuerim, non esse cutum re-fectionis recepta sententia his pendicis, præsertim in quo ad voluptates carnis, ad quas summa eft corruptæ naturæ propenfio, pertinent. Vnde Palludius & Conradus. cogerent, peccata esse tantos quantas similia materia: & præterea fubinde exemplo peccatorum immanium absolui, & rachimbarum multitudinem: & à clandestinis colloquiis in locis abditis.

Nota Lector: *Reſpondentem ad Replicam, quæ obiecta fuerat, eſſere ſimpliciter obſcillantem, quod Dominus confeſſus fuerit ea ſuperiorem reſolutionem non fatis intellexiſſe.*

RESPONSIO AD REPLICAM.

6 Literas teas, Reuerende Domine Paſtor darae 1583. accepi 17. Aprilis, quibus obtendere fibi non fatisfactum, & rationes meas conatur diffoluere. Res illa non facilè ſcripto inter nos poteft tranſigi, qui animo aduertendo D. T. in vtrumminorum dicrpearè à communi modo loquendi Doctorum, & proinde mea dicta non fatis affequi, quod breuiter infinuabo. Primò cùm quæ-**Delectatio ſit obiectum de-liberationis, *an ea ſalus aliquis delectare de ſe ſatisfaciat in ſe ipſo, an non eſt bonum ſecundum ſe conſiderata tantum rectæ rationis.* Non ſolemus delectari de paſſione illa tantum in ipſa eſt delectatio ſenſualis non enim dicimus, *Ego delector de illa delectatione.* Vide illa delectatio non eſt obiectum deliberationis, ſed eſt formalis delectatio, de qua quæritur, *an delectare debeamus in ea, an non debeamus delectare, aut ſic delectare.* Non tamen nego quin poſſit quis gaudere per voluntatem, quòd talem delectationem ſentiat: ſed non eſt quæſtio inquibo, vt ſit peccatum: ſufficit conſenſus formalis, vel interpretatius.**

7 Secundò, Obtendit ſe mea dicta non fatis affequi, *quòd ſatis ſufficiens reſponſum ex tam ex parte ſtatus, & ex imaginatione rei ſecutæ, eſſe obiectum deliberandi non ſatis* non inquit obtendit ſe fatis affequi mea dicta quia quæ quæritur illa paſſio de formaliter delectatio morofa, quatenus ſubeſt libertati voluntatis conſentientis, vel permittentis. Vnde huius obiectum, quæritur an eſt. Porrò huius obiectum, vide malitiam trahit, eſt actus ipſe, v. g. turpis contactus, vel fornicatio petenti reipſa, vel interpretatiuè imaginationem exercita. Ideò enim illicita eſt delectatio quia actus illicitus. Dicit quarto mea obiectum delectationis eſſe quid complexũ, quia non eſt bonum ſeparatum, ſed vt coniunctum fubiecto & partium: delectatur enim homo ſe habere tale bonum, ſe hoc vel illud agere. Hinc dicta ſtatum perfonæ pertinere ad formale obiectum delectationis morofæ, vt pila habet eſſe materiale, non vt quod phyſicum. Nam ex ſtatu pendet quòd illa actio ſit mala, vel non mala, vel non ſit grauemalum. Quòd etiam in ſtatu matrimonij, ſi delectetur quis actu turpi vxoris, non peccet mortiferè per ſe loquendo, etiamſi non ſtatim ordine ad copulam, ſed ſolùm venialiter; quia ſtatus excuſat, non quo eſſet peccatum mortiferum. Idem dico de imaginatis contactibus vel actibus circa vxorem imaginatione propoſitam. Quòd ſi idem ſenſuum ſibi obiectũ habeat, & hoc modo circa illam delectetur, erit peccatum mortiferum: quia cum illa non eſt in ſtatu matrimonij, fed cum alia: ac proinde reſpectu illius materiæ obiectum formale ad mores pertinet. Valde enim differunt illa intentione motis. Vnde notoe in ſecunda ratione contra me obiecta, quòd ea me dicto ſequa-

retur, coniugantem, ſi delectetur de aliena non peccare mortiferè, quia eſt ut ſtatuum quod delectatio illa eſt in actu. Vel hoc ſolum indicio eſſe poteſt D. Tuam mea dicta non percepiſſe.

Tertiò, Cùm dicit *quæ quam poſſe delectari de poſſe coniugem vxorem ſaltem reſpectiuè, vt ſimplex mentum præterea aut futuri.* Nemo vnquam, quòd ſciam, ita locutus eſt: de verba illa multis modis accipi poſſunt. Sumitur enim *hoc reſpectiue modo* *tertio ſignificato, vt ſumitur de malitia illius delectationis, dicit quòd ſit delectatio & malitiam non ſit delectationis peccandi.* Hæc obiecta fint. Quantum conſtetere poſſim, explicare vellem ductre delectationem meam coniugum non eſſe peccatum mortiferum, ſi habeatur ex imaginatione actus matrimonij præterriti, vel futuri; ſicuti vero de habeatur ex imaginatione actus fornicarij, vel abſque cogitatione matrimonio. Quæ duo non videntur bene conſiſtere; nec vllus reperiam Doctorum talem diſtinctionem inuenitur, quòd ſciam. Parùm enim videtur referre quòd actus exterior fuerit ſolitus, vel erit licitus; cùm hoc tempore, & in hoc ſtatu illicitum ſit talem ſpiritualem & imaginariam inde cogitationem facere, ex qua proxime illa delectatio naſcitur. Neque verum eſt eorum hoc non eſſe tutì diſpoſitionem tenuam ad poluptuoſum, vt D. T. videtur pro certo ſuppontre quia no poteſt dici diſpoſitio remota, quod natus à tali cauſa eſt, vt effectè tenatur ad poluptuoſum. Et conſequentia, præſertim in natura ſanè & bene conſtituta, eam excludit.

9 Quòd autem obiicitur de coniugato, nimirum inopia talem delectationem fore peccatum mortiferum ſi ſit diſpoſitio proxima ad poluptuoſe, facile ſolvitur, negando conſequentiam: nam etiam contactus turpes circa vxorem nunc propinquia diſpoſitio ad poluptuoſum ſemina, fecundum omnes Doctores; & tamen in ipſo non ſunt peccatum mortiferum, modo careat ne ſequatur poluptuoſum. Idem dico de imaginatione copulæ vxore abſente.

Vnde vltimò colligere poteſt D. T. ſe parùm fatisfe argumentari contra meum dictum de ſtatu perſonæ, cùm in prima ratione vult probare delectationem meam lamabſque ordine ad copulam in coniugio eſſe peccatum mortiferum, ſi extra coniugium eſt peccatum mortale: quod non eſt vllo modo lequetur, vt patet exemplo allato de contactu turpi circa vxorem, & circa alienam.

10 Quòd ad verum Carthuſianum attinet, miror D. Tuam ſcribere le non capere *quomodo ſtatus tantum imaginatus non ſit causa veram propter.* Reales vbi eſt imaginationis perpetuæ corpus, & generat peccata delectationes, ob copiam feminis quam gignit, & excretionem ſeminum, qui ex eo naſcitur. Hæc autem non ſequuntur ex imaginatione eius carnalium, ſed imaginatio vbi interdum inuidente. Vnde nulla ratio fuit quoredi abſtinentiam ab vſu realis & exteriorabſque intentione obligandi ſe vt nunquam poſſit ſpecies vel imaginatione vtas ſpolationis delectari. Valetur ſanè hoc facile intellectu. Simili modo probabilem Clericos genere bellum exteriis & reipſa; quia hoc delectorat meum ſtatui non tamen prohibuum genere bellum per imaginationem, eaque re delectatio quia hoc eorum ſtatum non delectat. Non nego tamen quin in hominoli imaginationibus & delectationibus poſſit eſſe peccatum veniale cuiuſlibet, vel alterius venialis, de quo non eſt quæſtio.

Delectatio ſtatus perſonæ: ad formale obiectum delectationis morofæ.

Quomodo ſtatus perſonæ ſit formale obiectum delectationis morofæ.

10 Carthuſianos delectans.

MAGIA.

CASVS I.

Exploratio Magarum. *An probatio per aquam frigidam, qua Iudices interdum vtuntur ad explorandas sagas, sit illicita?*

11 Videtur licita.

REspondeo, Talis probatio non videtur esse illicita ratione pactionis cum dæmone. Probatur, quia illa actio Magistratus non continet vllum pactum dæmonis cum operante; sed effectui annexum est pactum dæmonis cum patiente, quod iam pridem ex disciplinâ illâ magicâ est constitutum. Pactus enim est dæmon, vt non submergantur, etiamsi ligatas manus pedesque habeant. Itaque Magistratus non censetur habere vllam communicationem cum dæmone, sed solùm velle deprehendere, an reus non habeat pactum cum illo; idque per actionem ipsi licitam naturâ suâ, & carentem omni pacto cùm dæmone.

Nec obstat quòd patiens habeat tale pactum, ob quod dæmon accurrit ad opitulandum: quia Magistratus nõ est causa huius pacti, neque etiam alicuius peccati ipsius rei: sed solùm est occasio & quasi causa permissiua quòd dæmon accurrat, qua in re nullum est peccatum. Confirmatur, quia nõ censeor communicationem habere cum hoste, si vt cognoscam, an subditus pactum cum illo habeat, curem signum dari horâ duodecimâ, de quo inter illos erat conuentum.

Secus est de ferro candente & aqua calida.

Neque est simile quod adfert Binsfeldius de ferro candente: quia continet tentationem Dei, sicut probatio per feruentem aquam: nam expectatur effectus miraculosus, & ad hoc Deus quodammodò cogitur sine necessitate.

12 Hinc non licet procedere ad torturam.

Non licet tamen vllo modo ex hoc iudicio procedere immediatè ad sententiam: neque etiam ad torturam præsertim grauem; quia non facit plenam probationem, nec semiplenam. Est tamen indicium probabile, quod adiunctum multis aliis posset æquiualere semiplenæ probationi.

Dissuadetur vsus.

Non est etiam consulendum nec permittendum Magistratui vt hoc modo vtatur; quia insolens est, & non secundùm Iuris præscripta. Tamen quia multis locis vsitatus, non putarem esse peccatum mortale, sepolito scandalo.

CASVS II.

Exploratio Magarum. *An liceat cor animantis veneficij enecti coquere feruenti aqua ad cognoscendum auctorem?*

13 REspondeo, Id non licere. Ratio est, quia hæc actio habet pactionem annexam dæmonis cum agente. Quia dæmon promisit se auctori necis nociturum tali signo posito.

CASVS III.

Exploratio signorum magicorũ. *An si aliqua signa dicantur magica, liceat mihi ea edere causâ experiendi, an reuera talia sint?*

14 REspondeo, Negatiuè. Quia hoc est quodammodò accersere dæmonem sub conditione: quasi dicatur, Si pactus es te adfuturũ edenti hoc signum, adsis, vt sciam an pactus sis. Secus est de probatione per aquam frigidam: quia hæc actio non habet annexum pactum cum agente; sed effectus eius cum patiente. Itaque non censetur dæmonem accersere, sed permissiuè se habere. Confirmatur, quia non debet se gerere per modũ magi, sicut ille qui edit actionem cui annexum est pactum. Eodem modo si sagæ haberent pactum ne possent lædi aciculis, liceret Magistratui expetiri punctionibus; quia non facit actionem magicam, nec accersit dæmonem, nisi permissiuè; faciendo aliquid quod habet annexum pactum dæmonis cum patiente contra vim agentis.

CASVS IV.

Quæ fides Energumenis adhibenda.

Dæmon ex corpore Energumenæ iuratus asserit Titium esse magum, dicitque; Si Titius adducatur tali die coram Vener. Eucharistia in meam præsentiam, conuincam illum criminis magiæ.

Quæritur Primo, *An fides haberi possit ipsi iuratæ assertioni?*

Quæritur Secundò, *An Titius statuto die adduci possit coram Ven. Eucharistia, vt à dæmone magiæ conuincatur?*

15 ILlustrissime Domine: Specie facti diligenter expensa: *Ad Primum*: Respondeo Sæpè rationẽ esse habendam eorum, quæ ab obsessis seu energumenis (hæc enim duo idem valent) etiam non iuratis dicuntur, non quidem ad effectum firmiter credendi, aut inde ferendi sententiam absque aliis sufficientibus indiciis, sed ad vlteriùs inquirendũ: vt si dicant inter exorcismos, *Esse in vrbe qui proditionẽ moliantur, aut hostes tali loco struxisse insidias, abdidisse arma, & similia*, licitũ erit inquirere veritatem, & adhibere omnem cautionem necessariã ad malum impendens auertendum. Ergo multò magis licitum est habere rationẽ talium dictorũ, si interueniat eorum iuramentũ. Horrent enim ipsi dæmones periuria dum subsunt illi quæstioni sacræ, & sæpè à Deo id nõ permittitur, neque facilè est dare exemplum in cõtrarium. Itaque cùm hîc agatur de crimine omnium maximo, quo maximè diuina maiestas, & bonum publicum læditur, non video cur non possit & debeat assertionis istarum obsessarum seu energumenarum sub iuramento factæ ratio haberi ad malum auertendum.

dæmonibus iuratis interdum fides aliqua haberi potest.

Ad Secundum; Respondeo. Non videre me vllã rationem cur non liceat in casu posito dictæ energumenæ operâ vti, ad dictum Titium, à duabus veneficis magiæ & veneficij accusatum, arguendũ & conuincendum, idque nominatim die & modo per energumenã designatis. Ratio est, quia id non est inducere vel petere à diabolo vt Titium accuset, vel conuincat: id enim illicitum est, cùm speciẽ quandã societatis, & opus ferendæ contineat; sed solùm est personam nominatam præsentem sistere, & cũ aduersario (vt sic loquar) confrontare. Nihil autem in hoc per se mali est. Potest enim ob iustam causam aliqua persona adduci in conspectũ & præsentiam energumenę, & diaboli obsidẽtis, vt videatur quid inde secuturum sit, permittendo diabolo vt dicat, quod non rogatus, sed coactus à Deo, vel ex se dicit. Sicut ergo cũ diabolus dicit certo loco defossa signa magica, licitum est fodere & inquirere, quia hoc per se malũ non est; ita etiã cùm dicit, *Si talis adducatur tali die, præsente Ven. Eucharistia, in meã præsentiam, conuincã illum criminis magiæ*, licitũ est adducere illo die, quia hoc per se malum non est. Simili modo si diabolus per obsessum diceret, *Ducite me in forum, & ostendã vobis eũ, qui Principi machinatur mortẽ, vel verba prodit sonẽ &c. conuincam illum aperte indicans*, licitũ esset illũ

16 Potest adduci Titius sine vllo peccato.

in forum adducere; vel certos homines adhibitis præsentium vocare & compellere; quia hi actus per se indifferentes sunt. Nihil hic à diabolo petitur, nihil rogatur, nec operâ eius vtimur, ipsum inducendo, sed tantum permittendo, & obiectum externum per sensus fistendo: quo modo Deus quotidie vtitur operâ diaboli & impiorum. Quomodo verò præstigia eâ innotuisse queápiam. Ex quibus perfectionem videtur non esse ex hoc capite vllum periculum peccati.

Quare demonia permittat hæc posse aperire.

17 Accedit nil improbabiliter credi ipsum re vera à Deo cogi ad hoc faciendum tum propter initiandum interpositum tum quia crimen magis esset, extremum malorum, continens absegnationem & desertationem Dei, & omnium facere & abuiare, & societatem diaboli in perniciem hominû. Vnde cùm hoc à plurimis hominum non æstimetur, sed exculetur, & Iudices plurimi phantasias ducant, nôsti patrimonium, quàm conniventiam dignati, nisi num eiles à Demonibus cogeretur ad illud tradu cendum, & authores præfatiendos. Denique in circumabitus tanto momento, quæ tantopere homini diuinum & humanum violant, nihil negligendû, sed omnia indicia, quæ licit à capi possunt, capiendas: ficut in crimine læsæ maiestatis heri foler, de debet. Quæ omnia quatenus locum habeant in præsentia Tiuij qui à diabus venefitis venefici legitimo depositione traductus est, ita vt lucide in illum inquiri possit. Nulla itaque ex hoc capite erit immunitas. Solum in executione cautio adhibenda, vt quantum commodè fieri potest, omnia fine mangno strepitu, & vulgi sermonibus fiant. Quod ad alios attinet, quos ille dixerit complices, prudentiâ Iudicis opus eft quoniqe progrediendum cenſebit.

CASVS V.

Titium à duabus venefitis solemni iuramento accusatum quòd catibus fuerit seruus. Et alteram venefitam certum prunitse, & inflorum stigmata in corpore Titij à demone impressa.

Quæ sides Reorum adhibenda.

Quæritur 1. *An accusatis duabus suffragia in Testimonium sufficiant?*

Quæritur 11. *An permissi possint venefitis stigmata in Titij corpore defigere?*

18 *Ad primum*: Respondeo, Depositio duarum fagarum fub iuramento facta de crimine magiæ Tiuij, ve quòd illum viderint in conventu, & fascinatum ea quæ ibi fieri folent, regulariter sufficiens est iudicium non solùm ad capiendum, sed etiam ad torquendum, maximè fi alia quædam indicia accedant, præsertim stigmata inſenibilia, quæ illis in magis reperta fuisse. Quod fusè & eruditè probant plurimi Doctores.

Potest permittere magos defigere stigmata.

19 *Ad Secundum*: Resp. 6 leo, Stigmata illa iam satè à dæmone dudicisse quo loco sint illa stigmata in corpore Tiuij, omnia licitum effet vti eius operâ, & etiam ab illa petere vt stigmata defigeret: quia id ipsa finè peccato præstare potest. Est enim peccatu dum à diabolo petitur fibi loca ad eiusmodi stigmatum defigenti; tamen poſſumus illam notitiam nacta eſt, poteſt eâ finè peccato vti. Verùm fi non dum nouit, fed ad diabolo apem recurrere debet vt ea cognoscat, qui promittit se manum eius directurum & oſtenſurum, non video qua ratione peccare à magis liceat vt notas illas oſtendat, cùm ipſa fatentur id se finè ope diaboli facere non poſſe, ac proinde non fine peccato. Recurrere enim ad ipſius opem, peccatum eſt ad ſuperſtitionem pertinens. Similiqodo non licet petere à magis vt furetur, vel alium, qui nobis damnu intulit, demonſtret, quando id non niſi dæmonis ope poteſt cognoſcere: tunc enim magà virtute pacto quod ipſi cum diabolo intercedit, & ex vi pacti illius illum ſollicitat & vtget vt rem aperiat: quod conſtat eſſe peccatum.

Quæritur 2. *An accusatus duabus suffragia in Testimonium sufficiant?*

Obiectio contra 18 & exceptio.

Dicet aliquis, Non quæritur, an licet petere à magà vt notas illas demóſtret: ſed cùm illa ſponte ſe offerant, an licet Iudici ſe permiſſas habere? Et aut dicitur eſt in priori caſu, cùm perſona accuſata adducitur in præſentiam obſeſſæ: tunc enim dicimus Iudicem ſe poſſe habere permiſſas ad actum nem diaboli demonſtrantes perſonam.

Reſpondeo, Etſamſi magà ſe ſponte offerat, nec ipſa ad hoc à Iudice inducatur; tamen à Iudice perſonam Reorum, cum nullum conſtet crimen, ſed etiam denudari, & teneri vt ipſa corpus ipſius contrectare, & in eo operari poſſit, manifeſtè eſt in hoc opere Iudicem non ſe tantùm habere permiſſum, ſed poſſibile cooperari vt abſentem ſuo perfectiùs am perficiat: ſicut is qui materiam præparat mago, circa quam operatur, et cooperari conſtatur: vt eſt qui tenet ſpeculum, vt ipſe videndo, dat ſuperius ſpecula, vt ipſe lucet cribro, vel peltino aquæ, vt ipſe acre ſua vtatur. In his enim omnibus cenſetur moralis cooperatio: cùm eo finetum fiat vt ipſi quodammodo in fabricentur, & ipſe ſuam achonem, quæ proſus illicita eſt, obire poſſit. Accedit quòd hic etiam ſit conſenſus in operationem magi: ideò enim ipſa præparatio fit circa perſonam, vt magus eam illi operari poſſit: ac proinde eius operatio intenditur. Atqui non ſolùm qui faciunt dign ſunt morte, ſed etiam qui conſentiunt facientibus, nimirum deſiderando vt faciant. Nudus enim conſenſus in opus alienus, quod ſine peccato fieri non poteſt, peccatum eſt. Hinc magi inſtructa diaboli cum aliqua mira fiunt effectibus earum aliquibus, ſolent petere à ſingulis an conſentiant; nimirum vt hac ratione omnes peccatis illius ſint participes.

Non tantùm videntes magia, ſed & conſentientes peccant.

Differentia à 18. cauſa.

Scabie autem in præſenti caſu, vbi diabolus promittit ſe oſtenſurum enum, vel comitturum inter huic Titium de Magia, ſi in Iudicium adducatur. & præcedi Nam illa actio oſtendere enum & conuincere, à 18. cauſa. diabolo ſine peccato fieri poteſt: imò Deus poteſt illum cogere vt id faciat. Deinde adducere perſonam in conſpectum, non eſt illi cooperari, nifi valde remotè: vnde ſecùm hanc malam actionem non cenſetur cooperatio. Ex quibus patet differimen verriſque caſus; reſolutio præſentis quæſtionis.

CASVS VI.

In quibus rebus damni ex Energumena loquenti præ- dicatur vendo poſſit?

Quæ ſides Energumenæ adhibenda. 21

PRimò. Certum eſt id quod dæmon per obſeſſos dicit coactus vi exorcismi, verum eſſe quia Deus non poteſt cogere ad mendacium.

Secundò, Quia tamen ordinariè conſtare non poteſt ab authoritate, vel etiam ipſi confeſſio, vt illum dæmon vere ea coactione fabricet, an ſtrepat & ſimulet coactionem, idcircò non facilè eſt fides adhibenda, ſaltem indubitatè, ſed omnia ſuſpecta habenda, niſi alia de veritate conſtet.

Non facilè dæmoni habenda fides.

Nec obſtat quòd aduersus reſpondeat, aut cum iuramento ſolemni aliquid affirmet, maximè ſi id ad expulſionem, vel finem exorcismi non ſit neceſſarium; quia facus eſt mendax, ita etiam vt falſa ſæpè poteſt petierare: neque ad expulſionem, ad quam exorcismi ordinantur, opus eſt vt credantur eſſe vera quæ dicit. Multò minus credendum, ſi dicat

se missum à Deo ad populi instructionem, vt qui non credunt Concionatoribus, & suis Pastoribus, saltem credant diabolo: idque esse extremum remedium, quo Deus vtitur ad hominum conuersionem. Multis id rationibus probari posset, & Scripturarum exémplis, si opus esset.

22. Aliquando tamen habenda fides.

Si tamen patefaciat magos occultos, vel eorum scelera, res non est omnino contemnenda: quia in atrocissimis criminibus nulla indicia negligenda. Vnde ratione talis denuntiationis potest Iudex occultè absque strepitu capere informationem, vt maiora indicia deprehendat.

MATRIMONIVM.

CASVS I.

Confessio matrimonio præmittenda.

Vtrùm rudes in Frisia vel Northollandia (qui ferè conueniunt ante nuptias) non possint coniungi legitimè antequam plenè sint instructi ad confessionem, cùm à remotis locis veniunt, & citò debent redire, ad hoc vt impediatur interim fornicatio?

1 REspondeo, Modò sciant ea quę absolutè sunt necessaria ad iustificationem, poterunt coniungi: etsi non sint satis instructi ad confessionem. Quia ad Sacramentum Matrimonij non est opus confessione, sed sufficit contritio cum proposito confitendi commodo tempore. Vnde ad contritionem disponendi. Quanquam non videam cur plerumque non possint confiteri; quia cùm sint rudes, poterunt à Sacerdote iuuari bono interrogatorio. Itaque quando hoc fieri commodè posset, magis probarem.

vellem accipere, & reipsa accipio, vnde debet blandè illam inducere vt velit renouare, prætendendo occasionem maioris amoris, & securitatis. Ita passim DD.

Quia tamen insinuat D. T. optare se vt dispiciam an contraria sententia non possit tolerari: Addo non esse prorsus improbabile, impedimento, ob quod antè erat irritum; sublato, posse renouari, etiamsi altera pars impedimentū nesciat, & putet fuisse validum; pars enim ignorans manet in consensu antiquo; eúmque vsque ad hoc tempus quo facti sunt habiles, continuat: modò tamen altera sciens illud sublatum, intendat de nouo contrahére. Vnde in illo casu etiamsi vxor non intendisset, sufficeret ad renouandum matrimonium. Hanc sententiam Sotus in 4. dist. 35. q. vnica, art. 2. Lopez 2. p. c. 47. iudicant esse probabilem; & eam tenet Caietanus tom. 1. opusc. 12. q. 2. & quidam recentiores, quos citat Sanctius lib. 2. de Matri. disp. 36. addens non esse vitandā hac sententia, nisi quando ex reuelatione impedimenti sequerentur grauissima incōmoda, & alius modus renouandi non suppetit ob alterius coniugis ingenium. Addiderim ego, vel quando aliter non posset vitare peccatum reddendo debitum: Imò quando alia ratione non posset euadere peccatum, posset in prima redditione debiti, obtenta iam dispensatione, intendere ipso actu matrimonij, affectu coniugali præstituto, contrahere: quod locum habere posset, quando vxor præueniretur à marito petente debitum priusquam illa posset de nouo contractu cum illo agere: vel quando esset vir terribilis, & nihil de renouatione contractus vellet audire.

4 Probabile tamen est sufficere vt vna pars id sciat.

Nota ad praxim.

CASVS II.

Renouatio matrimonij.

An liceat Coniugibus inter se contractum suum sapiùs renouare, quasi primò illum ineant?

2. REspondeo, Nullum est sacrilegium in repetitione cōtractus matrimonij. Sicut enim alij contractus non solùm ob dubium verum, sed etiā ob maiorem firmitatem, & quietē cōtrahentium, quantum est ex parte illorum, repeti possunt; ita etiam contractus matrimonij; v. g. vt magis se diligant, &c. Vnde qui semel publicè contraxerunt coram Parocho & testibus, possunt priuatim suū contractum renouare quotannis si velint. Et quāuis illa renouatio sit inefficax, sicut donatio secunda eiusdem rei, tamen faciunt illam, quantum in ipsis est; & iuuat ad maiorem concordiam vel amorem. Vnde non est necesse vt actu adhibeant restrictionem mentalem aut verbalem.

CASVS III.

Reformatio Matrimonij.

Quomodo reformari possit contractus matrimonij inualidus, qui tamen legitimè coram Parocho & testibus celebratus fuit?

3 Vterque coniux debet scire impedimentum.

DE reformando matrimonij cōtractu, scripsit D. T. 23. Iulij An. 1605. si ille inualidus fuit, non sufficere, quòd mulier rogata dixerit veluti admirabunda, se illum pro suo marito agnoscere: quia non videtur ista ratione voluisse de nouo cōtrahere, & illum tunc voluisse pro marito accipere, sed solùm indicare illum ex vi prioris contractus suum esse maritum. Opus autem est vt de nouo intendat contrahere quantum in se est, quasi dicat: etiamsi non esses verè vxor, tamen iam te

CASVS IV.

Matrimonium irritum defectu consensus.

Caius negat se verè consensisse in matrimonium cum Agnete, séque affectu maritali cum ea consummasse. Quare relicta Agnete ducit Bertam. Agnes verò ducit Titium.

Quæritur I. *An Agnes possit petere & reddere debitum Titio?*

Quæritur II. *An Caius possit petere & reddere debitum Bertæ?*

Quæritur III. *An Caius, si vere & à parte rei sibi conscius sit se fictè cum Agnete contraxisse, possit manere cum Berta, & Agnes manere cum Titio?*

Quæritur IV. *An Caius teneatur redire ad Agnetem, si illa, dimisso Titio, eum repetat: & an aliquid Caius debeat Titio, si ei aliquid damni ex contractu cum Agnete obuenerit?*

§. AD *Primum*: non videtur dubitandum quin hoc matrimonium Caij cum Agnete sit censendum omnino validum in vtroque foro: neque in illud posse cadere vllam dispensationem quā separentur vinculo, cùm sit consummatum. Neque Agnes dubitare meritò potest quin Caius verè consenserit, & affectu maritali consummauerit. Vnde etiamsi illam relinquat, & publicè ducat Bertam, & cum eā maneat, non tamen ideò poterit ipsa conscientiam deponere, sibíque persuadere Caium fictè consensisse; ideóque se posse nubere Titio: quia illud non est sufficiens signum fictī consensus. Vnde si Titio nupsit, non potest ei reddere debitum & multò minùs petere: quia moraliter certum est ipsum non esse eius maritum, & contractum cum ipso fuisse irritum. Vnde etiam proles erit spuria, si vterque huius impedimenti fuit conscius.

Ad Secundum

Digitized by Google

Ad Secundum: Caius non potest petere, aut reddere debitum secundæ vxori, nempe Bertæ; quia moraliter certum est matrimonium cum illâ esse inualidum; vnde tenetur eam deserere.

6 *Ad Tertium*. Si Caius fictè contraxisset cum Agnete, idque ipsi constaret, nec postea matrimonium illud ratificasset, posset in conscientiam manere cum Bertâ. Non tamen idcircò Agnes posset manere cùm Titio, nisi certò illi constaret Caium fictè contraxisse, & nunquam postea ratificasse: quod cùm illi constare non possit, sed potiùs moraliter sit certa de contrario, non potest manere cum Titio. Neque Titius potest illam retinere vbi constiterit illi de priori matrimonio Agnetis: inde enim ei liquet suum matrimonium cum Agnete fuisse inualidum, ipsámque alteri esse iunctam. Nec refert quòd Caius dicat se conscientiam de priori contractu deposuisse: hoc enim non est signum sufficiens ad prudenter iudicandum eum fictè consensisse.

7 *Ad Quartum*: Si Agnes Caium repetit, tenetur ad eam redire, vbi illa à Titio recesserit: vel certè tenetur ei iudicio prudentium de iniuriâ & damnis (si quæ ipsa incurrit propter illius iniustum recessum) satisfacere; alioquin non est censendus in bono statu. Erga Titium maritum secundum Agnetis non videtur Caius habere obligationem iustitiæ, quia nec vi, nec fraude induxit illum ad contrahendum cum Agnete, vti suppono. Vnde si illi damnum ex hoc contractu euenit, sibi imputet, vel illis qui ipsi authores fuere contrahendi.

CASVS V.

Impedimentum dirimens ratione Professionis.

Franciſca quædam ab anno ætatis decimo quinto vſque ad quadrageſimum habitu religioſo vixit in monaſterio tanquam libera, & non profeſſa. Religioſæ malunt illam eligere in Procuratricem, niſi ſe velit votis Religionis obſtringere. Quare Pater monaſterij, explicatis votis Religionis, eam interrogat, An eſſet parata amore Dei, S. Auguſtini, & Sororum domûs ad ipſis ſeruiendum conſentire in dicta tria vota, eáque præſtare prout aliæ Religioſæ domûs fecerunt; *& illa reſpondit*, Quod ſic cum Dei adiutorio, *intendens hoc facere ſuo tempore, non illo actu. Poſt hæc, ſecuta eſt benedictio Patris, oſculum Sororum, Obedientiæ promiſſio facta Prioriſſæ, conuiuium ſolitum dari à profeſſis, communis opinio Sororum & Patris putantium illam profeſſam. Denique ipſa dixit ſe non pœnitere promiſſionis factæ. Hæc Franciſca iam Procuratrix è monaſterio profuga matrimonium init cum milite.*

Quæritur, *An Franciſca contraxerit illa actione impedimentum dirimens matrimonij?*

8 Coram Deo non contraxit impedimentum dirimens matrimonij.

REſpondeo Primò, Si vera ſint quæ in facti ſpecie proponuntur, certum videtur Franciſcam non contraxiſſe illa actione impedimentum dirimens matrimonij coram Deo. Quia re vera professionem non fecit, sed simulauit. Quod enim ab anno decimo quinto ætatis vsque ad quadrageſimum non fecerit professionem, sed tanquam libera vixerit in monasterio, supponitur tanquã ibidem certum & notorium. Vnde etiam Religioſæ noluerunt illam eligere in Procuretricem, niſi ſe vellet Religionis votis obſtringere.

9 Quòd etiam postea non sit professa, quando Pater monasterii explicatis votis Religionis, eam interrogauit, *An eſſet parata amore Dei, S. Auguſtini, & Sororum domus, ad ipſis inſeruiendum conſentire in dicta tria vota, eáque præſtare prout aliæ Re-*

ligioſæ domus fecerunt; & illa reſpondit, *Quod ſic, cum Dei adiutorio*, intendens hoc facere ſuo tempore, non illo actu: manifestum est; quia defuit consensus de præsenti. Sicut enim in matrimonio & in omni alio contractu de præsenti, requiritur consensus de præsenti, quo consentiat, vt ex hoc tempore incipiat valere; sic etiam in professione. Itaque cùm hæc contulerit suum consensum; non in præsentem actum, sed in futurum, quem nondum fecit, euidens est, per illum actum coram Deo non fecisse professionem, nec contraxisse obligationem quæ ex professionis actu resultat. Actus enim cui deest consensus, est omnino inualidus ad inducendam obligationem: quia omnis obligatio in contractibus, in votis, in promissionibus, ex consensu oritur: vbi ergo deest consensus, deest obligatio. Confirmatur, quia esse paratum consentire in tria vota, non est reipsâ consentire in illa: & esse paratum illa præstare more aliarum, non est reipsâ illa præstare: sicut esse paratum contrahere matrimonium, vendere domum, &c. non est reipsa contrahere aut vendere: ergo ex tali actu præcise non potest iudicari fecisse professionem. Defuit consensus de præsenti.

10 Neque illa quæ postea secuta sunt (vt benedictio Patris, oscülum Sororum, obedientiæ promissio facta Prioriſſæ, conuiuium solitum dari à professis, communis opinio Sororum & Patris putantium illam professam; denique quòd ipsa dixit, se non pœnitere promissionis factæ:) sufficiunt ad validandam professionem; nisi ipsa per huiusmodi actus, dum se in illis gerit tanquam professam, intenderit se de nouo obligare, & esse verè professa. Quia etiamsi hi sint actus professorum, quibus videri possit inducta tacita professio, tamen coram Deo verè non inducunt, nisi consensus adsit, vt omnes DD. fatentur. Neq; postea professio fuit validata per actus professorum.

11 Reſpondeo Secundò, In foro tamen externo non parua difficultas ob hæc moueri posset; & fortasse præsumeretur verè professa; quia actus isti externi videntur sufficere ad tacitam professionem. Sed in foro interno locũ non habet præsumptio, sed nuda veritatis confessio. Itaque si ipsa profiteretur se nullam intentionem hisce actibus sese obligandi habuisse, sed solùm simulandi, quia putabatur antè professa, iudicandum esset in foro conscientiæ non fuisse tacitam professionem. In foro externo contra illi præsumi posset.

12 Ex quibus omnibus concludo Primò, Matrimonium illius postea contractum, coram Deo validum esse: & si est consummatum, non solùm ipsam non teneri, sed nec posse ad monasterium multo marito redire. Potest & debet adhærere valenti matrimonio.

Secundò, Ex iis quæ narrata sunt, non posse colligi illam vllo voto, etiam simplici teneri, nisi forte voto obedientiæ; quando Prioriſſæ obedientiam promisit. Hoc enim videtur fuisse verum votum rectum ad Deum, cuius materia fuerit obedientia præstanda Prioriſſæ, vt D. Thomas in simili docet 2.2.q.88.a.5. sic enim in Religionibus Prælato obedientia promitti solet. Huius tamen voti executio facta est impossibilis per matrimonium. Itaque non tenetur illud exequi. Deinde, Prioriſſa & Conuentus eam liberant ex parte sua quantum adstringitur, cedentes iure recipiendi. Nullo voto tenetur.

Itaque non videtur egere dispensatione, quam tamen ab Episcopo, vel habente auctoritatem Episcopalem, vel à Religioso habente priuilegium obtinere potest, si eam desiderat. Non egét dispensatione.

Illis autem verbis quibus significauit se esse paratam emittere vota, vt aliæ fecerunt; non obstrinxit se vllo voto, nec simplici nec solemni, vt ex dictis patet.

Tertio, Illam teneri petere veniam à Prioriſſa

& Conuentu ob grauem iniuriam illi & monasterio factam, & scandalum datum; & dolere de tantis peccatis, &c. Ita sentio saluo meliore iudicio.

De precatur culpam.

CASVS VI.

Impedimentum dirimens ratione affinitatis.

Quidam à viginti annis coniugatus, iam recens certò detexit se contraxisse cum impedimento dirimente, quòd sponsę sororem cognouisset ante contractum matrimonij.

Quæritur, *Vtrùm vxori possit debitum reddere, cùm illa sit in bona fide?*

13 Non potest debitum reddere.

REspondeo, Manifestum est non posse. Ratio est, quia constat illi matrimonium esse nullum: ac proinde illam redditionem non esse actum matrimonialem, sed fornicationem. Neque hic potest esse vlla sententiarum inter Doctores diuersitas. Nec refert quòd vxor sit in bona fide: quia bona illa fides vxores etiamsi possit iuuare vt maritus licitè ei reddat debitum in dubio, tamen nullo modo iuuare potest, quando certus est matrimonium esse nullum. Vtrumque habetur apertè Cap. *Inquisitioni*, de sententia excommunicationis, *Ibi credimus respondendum*, & Cap. *Literas* 13. de Restit. spoliat. 161. *Porrò cùm mulier.*

Licet ecclesiasticus Iudex id præciperet.

Fuit quidem aliquando disputatum inter Doctores, vtrùm in eo euentu quo alter coniux est certus de impedimento, & Ecclesia ei non credens præcipit sub pœna excommunicationis vt cõiugi reddat debitum, vtrùm, inquam, tunc possit reddere debitum: Non defuerunt Doctores qui tunc putarent posse reddere, propter præceptum Ecclesiæ, & bonam fidem alterius coniugis: sed alij etiam in hoc casu damnant hanc sententiam erroris, & tanquam in fide periculosam, propter Capitula allata, quæ etiam in hoc casu loquuntur. Quæ de re vide plurima apud Sancium lib. 2. disp. 39.

14 Episcopus potest in hoc impedimento dirimente dispensare.

Ne autem vir ille sine remedio maneat; potest Episcopus dispensare in illo impedimento dirimente, & concedere vt rursum contrahat; vt passim tradunt Doctores: Si tamen hæc quatuor concurrant; Primò, Vt matrimonium ipsorum sit publicum. Secundò, Vt impedimentum sit occultum. Tertiò, Vt in separatione sit scandalum. Quartò, Vt non facilis sit aditus ad Summum Pontificem ob paupertatem vel aliam causam, vel certè ob periculum peccatorum in tãta dilatione, quia interea non abstinebunt ab vsu coniugij putatiui. Credo hæc quatuor concurrere in vestro casu. Videantur plurima hac de re apud Sancium lib. 2. disput. 4. Idem his docui publicè Louanij, similiter alij Professores: estque modò communis sententia Doctorum.

Validus est talium priuatus contractus sine Parocho, &c.

Vt autem Secundò contrahant, non est opus Parocho & testibus, cùm semel ita contraxerint: sed sufficit vt inter se priuatim absque vllo teste contrahant, vt communiter Doctores tradunt.

CASVS VII.

Impedimentum affinitatis sublatum.

Vtrùm, hoc ipso, quo Concilium Tridentinum suo decreto sustulit Ius antiquum inducens impedimentum dirimens ob affinitatem in 3. & 4. gradu ex copula illicita, & Summus Pontifex decretum illud confirmauit, vbique cessauerit hoc impedimentum, etiam apud eos qui reuocationem illam ignorarunt, & in contraria consuetudine permanserunt?

15 Reuocata lege, cessauit vbique hoc impedimentum, etiam apud ignorantes.

REspondeo, Non videtur mihi dubium quin reuocata lege absolutè à legislatore, vel eius successore, cesset obligatio illius legis vniuersè apud omnes qui subsunt potestati legislatoris, etiamsi ipsi ignorent illam reuocationem. Vnde hoc ipso quo Concilium Tridentinum suo decreto sustulit Ius antiquum inducens impedimentum dirimens ob affinitatem in 3. & 4. gradu ex copula illicita, & Summus Pontifex decretum illud confirmauit, vbique cessauit hoc impedimentum. Quare si aliqui (etsi mala fide) contraxissent in 3. gradu talis affinitatis post illam confirmationem, matrimonium fuisset validum. Vt enim reuocatio legis vim habeat & impedimentum cesset, nulla requiritur promulgatio vel acceptatio. Sufficit enim voluntas legislatoris exteriùs sufficienter declarata: quamuis etiam talis declaratio absolutè non sit necessaria; sed sufficiat sola voluntas etiam interna, vt multi docent.

Et apud vtentes mala fide.

16 Denique apud vtentes contraria consuetudine.

Verùm, dubitari potest, Vtrùm Ius antiquum inducens impedimentum in 3. & 4 gradu prædicto, non videatur renouatum & inductum de nouo ex vi consuetudinis, in qua postea permansum est in regno Angliæ? Consuetudo enim potest nouum Ius, & nouam obligationem inducere.

Sed non existimo in Anglia fuisse vllam consuetudinem quæ hoc impedimentum potuerit inducere: Primò, Quia Sacerdotes qui ibi præfuerunt, non ignorarunt Concilij abrogationem; nec credibile est illos voluisse contrarium inducere. Deinde, ad inducendum de nouo tale impedimentum, deberent talia matrimonia in 3. vel 4. gradu contracta per sententiam iudicari inualida, idque sæpiùs & varijs locis. Nam priuatæ & occultæ opiniones seu iudicia ex ignorantia profecta, non possunt tale impedimentum inducere. Denique, non constat etiam de priuata & occulta consuetudine in contrarium, quæ etiam absque consensu supremi legislatoris vim non haberet, vt docet Suares de Legibus lib. 6. cap. 27. versus finem.

17 Responsio ad argumenta contraria.

Ad ea quę in contrarium adferuntur, dici potest Primò, Esse diuersam rationem decreti de potestate dispensandi. Quia per illud confertur noua potestas & nouum priuilegium, quod fortè Concilium non intendit dare Episcopis, qui Concilium non receperunt. Hìc verò legis obligatio vniuersè tollitur, vnde non est opus dare aliquod priuilegium. Deinde, de illa Cardinalium responsione, non liquet satis; vnde non obligat. Æquitati satis consentaneum est, vt si quis onera legum non suscipiat, priuetur legum priuilegijs; sed nusquam Iure statutum est vt hoc ipso sit priuatus.

Impedimenta 3. & 4. gradus affinitatis, ex copula cessant in Angliâ.

Itaque etsi aliqui fluctuent in hac quæstione, ego tamen verius & probabilius sentio, illa impedimenta 3. & 4. gradus etiam in Angliâ cessare, & matrimonia in illis gradibus ibidem contracta esse valida, etiam si contrahentes ob malam fidem peccassent.

CASVS VIII.

Dispensatio impedimenti dirimentis ratione affinitatis.

Titius cognouit suam affinem in 4. gradu. Postea cupit cum ea contrahere. Impetrat dispensationem illius impedimenti à Summo Pontifice, sed in supplicatione non expressit intercessisse copulam.

Quæritur, *An dispensatio sit valida?*

REspondeo esse irritam. Hanc vt multò veriorem probat Sanchez lib. 8. disp. 25. nu. 8. (etsi contraria sit probabilis.) Præcipua ratio est stilus Curiæ & declaratio expressa Cardinalium. Vnde in Aphorismis Sà qui contrarium tenuerat

Digitized by Google

V. Dispensatio, illi est correctum, & additur Canonicus contrarium decretalis.

Dispensatio in impedimento matrimonii, proficisti nequit absolute.

Dispensatio in gradibus prohibitis affinitatis & consanguinitatis.

Dispensatio 23 Proficisti tamen potest veritatis dictum ad casum.

Dispensatio in impedimentum dirimens ex consuetudine.

Impedimentum dirimens ex consuetudine.

Dispensatio in impedimento impedito.

Impedimentum impedito ex consuetudine.

Dispensatio in impedimento dirimente ex consuetudine.

Impedimentum dirimens ex consuetudine.

Dispensatio in impedimento impedito ex consuetudine

mento agitur, non requiritur semper probatio triennij: sed sufficit inspectio corporis cum instrumento, & aliis signis. Vnde posit primam puellæ querelam poterat diuortium concedi facta inspectione corporis puellæ & viri, accedente tribus medicorum, & tantundem viri & puellæ, & propinquorum. Multo magis poterit iam fieri, cum credibile sit virum posteà tentasse, & ideo fragilie quòd viderer se nihil posse: quæ fuga confirmat præsumptionem impotentiæ, quam etiam confirmat tam diuturna absentia.

Nec refert quòd vir confessus & iusturandum iam habeat nequitiæ, quia reliqua signa sufficiunt cum insp ctione corporis mulieris, vt colligitur ex Panor. in Cap. tan. 5. & 6. de frigid. & malef. vbi hanc sententiam clarè docet. Idem satis aperte confirmitur ex illo Capitulo. Triennij probatio necessaria maxime est in malefactis: quia non in potest datum confiteri de eius perpetuitate, cùm dæmonis nota sit voluntaria: Secùs est in frigiditate quæ à natura est, vt ibidem Panormitanus.

CASVS XII.

Matrimonium fine proprio Parocho.

Parochus originis alliuis matrimonio, eorum qui alibi habebant domicilium fixe habitationis.

Quæritur, *An matrimonium sit invalidum? An Parochus suspendus?*

24 RSpondeo, Parochus originis non potest assistere matrimonio, nec conficitur proprius Parochus in hoc negotio, licet nec in Sacramento Pœnitentiæ, si contrahentes alibi habent domicilium, seu fixam habitationem, ubique animo reuertendi & habitandi in loco originis. Quo posito matrimonium illud coram Parocho originis contractum, esset invalidum. Si tamen quispiam non defertur animo locum originis, sed habuit semper animum reuertendi, & ibi habitandi, vere retinuit ibi domicilium habitationis, etiamsi plurimis annis absuerit. Et ita posset ibi coram Parocho contrahere.

25 Parochus bona fide non subditus tenetur matrimonio, non est suspensus.

Parochus qui assistit matrimonio eorum qui alibi habebant domicilium fixæ habitationis, si bona fide id fecit, putans se id posse facere, etiamsi ex ignorantia crassa, non est suspensus per Concilium Tridentinum sess. 24. cap. 1. de Refor. Matrim. Quia requiritur vt assistentia id factum fuerit ad quod requiritur scienția, quâ scire id esse peccatum. Quod si talis scientia adfuisset, esset suspensus ad arbitrium Episcopi illius Parochi, qui debebat de iure assistere: nec posset absolui nisi ab illo Episcopo, vt patet ex verbis Concilij. Itaque hic deberet adire Archiepiscopum Mechliniensem cui Parochus contrahentium, & ipsi contrahentes subsunt. Absolutus autem à suspensione per illum Episcopum, posset dispensari in irregularitate, quam celebrando in tali suspensione incurrisset, non per Episcopum eundem, sed per Proprium Episcopum, si causa erat occultus, vel quemuis alium habentem ad hoc potestatem iure ordinario vel delegato.

CASVS XIII.

Matrimonium sine proprio Parocho.

Quidam Miles Lotharingus in oppido Thionisij præfectorij, duxerat quendam Virginem Thionisij, filiam Geldonium Brabantiæ oppidum, vtr tantum Parochu & testibus cum ea contraheret; & contraxit.

Quæritur, *Vtrum sit Matrimonium?*

26 VIdetur non esse, quia ille Parochus non erat ipsius Parochus, nec puellæ, fed Parochus Thionisius; nam per sex hebdomadas miles ibi fuerat ingratiatus.

Elt valid matrimonium.

Ratio est, quia miles ille non habebat in Belgio domicilium, sed consebatur, vagabundus; sicut alij exteri milites: commorantur enim vbicumque constituuntur à præfectis. Nec obstat, quòd per sex hebdomadas ibi fuerit: quia hoc satis non est ad contrahendam parochiam. Debet enim quis commorari in aliquo loco, saltem maioris partis anni, vt ibi parochiam sortiatur, ita vt alibi non possit Sacramenta percipere; vel saltem habere propositum ibi tam diu habitandi. Atqui tale non erat in milite, quia omni hora debet esse paratus ad recedendum. Deinde, ipsa puella, vt narratur, iam statuerat celinquere Thionis, & se conferre Leodium. At hoc ipso quo quis relinquit aliquem locum, amittit parochiam & donec perueniat ad amittatur terminum vbi statuat figere domicilium, contenit parochia. fine parochia percipi, sicut vagabundus: ergo peccat vbique Sacramenta percipere.

Quomodo

CASVS XIV.

Matrimonium sine Parocho certa proprium.

Quidam ex diuersis vbi detentum Concilij Tridentini de matrimonio est promulgatum & seruatur, addunt loca vbi decretum illud non est promulgatum, discedunt que ea fine vlla Parochi potestate contrahunt.

Quæritur Primò, *Virum sic contrahant.*

Quæritur Secundò, *Cùm Officiales illius diuersis ballatus talia matrimonia declarauerint irrita, & curauerint separari quod modo facienda de illis, quæ sic separata & quod contrahenda prout illius modi matrimonia subsequi, & de subsequis ex secundo connubio, quod iam separati inierunt cum aliis?*

27 AD Primum: Respondeo, Valide contrahere si aliquot sint habiles, vt benè probat Sanctus lib. 3. de Sponsal. disp. 18. q. 4. Vnde sequitur Primò, tales non esse separandos, si probare possint se ita contrahisse: secundò eorum proles esse legitimas. Possunt tamen puniri ab Ordinario, si publicas denuntiationes omiserint. Hanc sententiam iudico veriorem, & Iuxi omnino conformiorem.

28 *Ad Secundum*: Respondeo. Probabile etiam esse illa matrimonia fic de indultria contracta, esse irrita, vt apertè indicat Sanctus (nam alteram sententiam solùm vult esse probabiliorem) & adducit pro illa tres graues auctores, nec illi desunt probabiles rationes.

Itaque Domini Officiales separando tales secuti sunt sententiam probabilem. Vnde qui hoc modo separati sunt, & aliis iunctis, non fuit remonendi, sed permittendi in secundo matrimonio, & proles eorum censendæ legitimæ: quia bona fide contraxerunt.

Quòd verò attinet ad proles quæ ex matrimonio clandestino suscepta fuerunt, hæ relinquuntur eo statu

Digitized by Google

eo ſtatu & loco quo ſunt, niſi fortè lis de earum ſtatu moueatur. Quia ob huiuſmodi probabilitatem ſequi poſſet magna varietas in iudicando, cum magno populi ſcandalo, ſi Officiales qui nunc ſunt, iudicarent ſecundùm hanc ſententiã: qui poſteà erunt, ſecundùm aliam: & poſteriores rurſus ſecundùm primam. Idcircò ſtatuendum vt conſtanter in poſterum ſecundùm probabiliorem iudicetur.

CASVS XV.

Aurelius & Lucretia vocant Parochum & duos teſtes vt Matrimonio ſuo aſſiſtant; ſed inter ſe talia agunt, vt teſtes non videantur poſſe perfectè percipere quid illi intendant: ex modo enim agendi & ex verbis videntur poſſe exiſtimare illos vocari, vel aliud intendere quàm intendant.

Matrimonium coram teſtibus indebitè adhibitis.

Quæritur, *An ſit verum Matrimonium?*

29 Cauſa dubitandi.

RAtio dubitandi eſt, Quia non videntur contraxiſſe coram teſtibus; eò quòd teſtes non potuerint ex modo agendi & loquendi perfectè percipere quid Aurelius & Lucretia intendant. Atqui non poteſt quis dici teſtis reſpectu eius quod non percipit: ergo defectu teſtium videtur hoc matrimonium eſſe inualidum.

Eſt verum Matrimonium.

Reſpondeo, Omnino tenendum videtur fuiſſe validum matrimonium. Quia verè & propriè contraxerunt per verba de præſenti, coram Parocho & duobus teſtibus. Ideò enim Parochum & illos duos teſtes aduocarunt, vt coram ipſis contraherent, quod & fecerunt.

Non requiritur vt teſtes cognoſcant intentionem contrahentiũ.

Neque obſtat, Quòd teſtes, & fortè etiam Parochus non omnino cognouerint intentionem ipſorum: quia non eſt neceſſe vt ſciant intentionem contrahentium, vt docet Nauarrus de Sponſalibus, Conſilio 54. nullum enim Ius hoc requirit. Satis enim eſt vt actus ille dicatur fieri coram Parocho & teſtibus, ſi ita fiat coram ipſis, vt ipſi percipiant quid agatur exteriùs, etſi de intentione dubitent: ſunt enim teſtes operis externi, non internæ voluntatis.

Confirmatur: Primò. Quia ſi mulier dicat, *Volo te habere coniugẽ aut maritum*; & vir dicat, *Volo te habere vxorem*, ſi fiat coram Parocho & teſtibus, valet, etſi Parochus ignoret illorum mentem, putetque ſolùm eſſe verba de futuro; vt docet Nauarrus Conſil. vlt. de Sponſalibus. Secundò, fieri poteſt vt perſuaſum ſit teſtibus omnia ſimulatè fieri. Quo caſu quis dicat non fuiſſe matrimoniũ? Tertiò, Sæpè poſſunt addere aliquid iudicri vt rem tegant, & teſtes reddant ambiguos, vt ſe poſſint tueri ſi opus ſit.

Nec etiam obſtat, Quòd verbis obſcuris contraxerunt, vt teſtes non poſſint clarè ſcire mentem ipſorum: tum quia quibuſuis verbis conſenſum viciſſim exprimentibus matrimonium contrahi poteſt, iuxta communem DD. ſententiam; tum quia verba non fuerunt adeò obſcura, quin facilè poſſet percipi quid vellent: vſi ſunt enim verbis Scripturæ Geneſ. 2. quibus ſignificatur ſocietas & auxilium matrimoniale ad prolis generationem, dicentes vltrò citroque, *Accipio te in adiutorium meum*: tum denique, quia non eſt neceſſe vt intentionem contrahentium certò aſſequantur.

30 Neque requiritur vt verba ſint clara.

31 Forma inuidioſa, irritans contractum.

His adde, Quando aliqua diſpoſitio vel contractus iure naturæ eſt validus, ſi Ius poſitiuum formam aliquam ei ſuperinducat, ſine qua velit illam diſpoſitionem eſſe irritam, ea forma ſic accipienda eſt, vt (quantum verba patiuntur) quàm minimum præiudicet naturali libertati, & validitati diſpoſitionis, iuxta regulam Iuris, *Odia reſtringi, fauores conuenit ampliari*: talis enim reſtrictio & irritatio eſt odioſa. Quam ob cauſſam DD. dicunt non requiri vt teſtes ſint rogati, aut vt ſponte adſint, aut vt velint eſſe teſtes. Item ſufficere vt ſit Parochus alterius partis, & ſimilia: quia verba Concilij hæc omnia admittunt. Pari ergo ratione dicendum eſt, non eſſe neceſſe vt teſtes ſciant mentem contrahentium, modò percipiant ipſum contractum externum: nam etiam tunc in proprietate verborum verum eſt illos non contrahere abſque Parocho præſente & duobus teſtibus.

qui iure naturæ eſt validus, quomodo accipienda.

CASVS XVI.

Matrimonium ſine Parocho & teſtibus.

Titius & Caia contrahunt matrimonium per verba de præſenti abſque Parocho & teſtibus. Et ſtatim in ipſo contractu ſibi mutuò promittunt quòd iteratò ſint inituri illum contractum coram Eccleſia.

Quæritur Primò, *An contractus ille matrimonij de præſenti habeat rationem ſponſalium?*

Quæritur Secundò, *An ex tali contractu de præſenti irrito ex defectu Parochi & teſtium, oriatur impedimentum publicæ honeſtatis?*

Quæritur Tertiò, *An ſaltem illa promiſſio quod iteratò ſint inituri illum contractum coram Eccleſia, non habeat vim ſponſalium?*

32 Probabile eſt habere rationem Sponſaliũ.

Ad Primum: Reſpondeo, Etſi probabile ſit contractum Matrimonij per verba de præſenti abſque Parocho & teſtibus habere vim ſponſaliorum, cùm multi Doctores non ſine probabili ratione id doceant, vt Couar. in 4. p. 1. c. 3. in fine. Henriq. l. 11. de Matrimonio cap. 5. n. 4. & alij. Tamen contrarium eſt probabilius; quia Concilium Trident. *Ad ſic contrahendum omnino inhabiles reddit.* Si contractus eſſet validus inſtar ſponſaliorum, non eſſent ipſi omnino inhabiles. Ita Sanchez lib. 1. diſp. 20. & multi alij, quos ipſe citat, & benè id probat. Idem expreſsè docet Nauar. in Conſil. cit. de Sponſalibus, Conſil. 1. num. 3.

Contrarium eſt probabilius.

33

Ad Secundum: Reſpondeo, Quod ad impedimentum publicæ honeſtatis attinet, probabilius eſt ex tali contractu de præſenti irrito ex defectu Parochi vel teſtium, non oriri hoc impedimentum: quia deeſt forma eſſentialis contractûs matrimonij, nec habet vim ſponſalium, vt dictum eſt.

Nec obſtat cap. 1. de ſponſal. in 6. Quia poſt Concilium Trident. ſeſſ. 24. c. 3. ex ſponſalibus irritis non oritur vllum impedimentum. Si tamen quis velit ſequi alios Doctores qui tenent talem contractum habere vim ſponſaliorum, dicere debet per eum induci impedimentum publicæ honeſtatis. Vide Sanchez lib. 7. de Matrimonio diſput. 70. n. 13.

34

Ad Tertium: Reſpondeo, Res hæc difficultatem habet. Si enim quis dicat eos ſolùm ſibi mutuo promiſſiſſe, quòd iteratò eſſent inituri illum contractum coram Eccleſia, eò quòd putarent ſe iam coniunctos, & idcircò debere etiam publicè facere quod clanculum fecerant, ſic non videntur eſſe ſponſalia, quia promiſſio illa nititur errore quo putant ſe iam coniunctos, & idcircò debere illam cæremoniam coram Eccleſia repetere. Si verò abſolutè intenderunt de nouo ſe obſtringere ad ineundum matrimonium, etiam eo euentu, quo anteà nihil eſſet actum, nec vlla obligatio orta ex illo contractu: ſic dicendum eſt eſſe ſponſalia. Et hoc videtur verius: quia videntur omni modo voluiſſe firmare ſuum contractum. Vnde non ex

interuallo, sed statim in ipso contractu promissionem illam addiderunt. Quo posito, non possunt absque consensu mutuo ad alias nuptias transire.

CASVS XVII.

Matrimonium sine Parocho in locis hæreticorum.

An Matrimonia contracta sine præsentia Parochi sint irrita in locis hæreticorum?

35 REspondeo, Vbicumque Decretum Concilij Tridentini sess. 24. c. 1. de Matrimonio est promulgatum iuxta formam ibi præscriptam, Matrimonium contractum sine præsentia Parochi, aut Sacerdotis alterius de ipsis Parochi vel Ordinarij Licentia, est nullum: vt patet clarè ex verbis Concilij. Quod etiam dicuntur declarasse Cardinales deputati; vt ante nouem annos responsum est Româ.

Vnde vbicumque decretum istud promulgatum legitimè fuerit, quamuis fortè Concilium ipsum non fuerit ibidem promulgatum; matrimonia sine Parocho, vel alio Sacerdote ad id cõtracta, sunt irrita. Hinc sequitur irrita esse in Hollandia & Zelandia. Secùs est in Anglia, vbi non fuit promulgatum.

Præcipe Anglia.

36 Nec obstat quòd lex positiua non videatur obligare, vbi non potest seruari: quia hoc intelligendum de lege positiua, quæ solùm præcipit vel vetat aliquid ex se licitum; non autem de lege irritante contractum, & maximè quæ vlteriùs contrahentes reddit inhabiles. Non enim solùm hic irritatur ipsa contractûs substantia, sicut irritatur contractus Minorum lege Ciuili, quamuis id posset sufficere: sed etiam inducitur inhabilitas, quæ inhabilitas, non tollitur per hoc quòd non inueniatur Parochus &c. sicuti inhabilitas consanguinitatis non tollitur per hoc quòd alij omnes sint infideles. Contrahere autem Matrimonium cum hac inhabilitate, est implicitè consentire in fornicationem; quod est contra Ius diuinum.

Personæ redduntur inhabiles vt sic contrahant.

Inhabilitas illa non tollitur per extremam necessitatẽ.

Addo, Quòd nec extrema necessitas aut periculum mortis possit tollere hanc inhabilitatem, quamuis lege positiua inductam, vt communiter Doctores. Omitto plurima quæ in hanc sententiam dici possent; quia non sunt necessaria; nec multum ad rem faciunt. Nam in Hollandia & Zelandia facilè possunt inueniri qui ab Ordinario facultatem habeant Matrimonio assistendi: vel certè potest peti dispensatio à Pontifice.

CASVS XVIII.

Conuiuari in nuptiis illicitis.

Vtrùm sine peccato mortali liceat Catholico adire nuptiale conuiuium Catholicorum, quando Matrimonium non fuit contractum coram Parocho & testibus?

37 Rationes negantes. VIdetur non licere. Primò, Adire nuptiale conuiuium est gratulari sponsis nouas nuptias, easque approbare: ideò enim celebratur conuiuium vt omnes gaudeant, & benè precentur: hoc autem est illicitum. Secundò, quia tales nuptiæ sunt fornicationes: atqui non licet gratulari statum meretricium, vel alium impurum: ergo. Tertiò, quia est scandalum.

Affirmatur id per se non esse peccatum mortale.

Sed contrarium tenendum est; scilicet, hoc non esse peccatum mortale si scandalum absit, & sine periculo vitæ, vel damni notabilis, vel grauis offensionis quæ tandem possit damnum adferre, vitari nequeat.

Dico, *Si scandalum absit*, quia hoc in omni opere per se indifferenti, imò etiam in opere alias bono non præcepto vitandum est.

Dico, *Si absque periculo, &c. vitari nequeat*: quia si quis possit se commodè absentare, non videtur permittendum; habet enim quandam mali speciem. Non tamen puto esse peccatum mortiferum, si illud conuiuiũ adeas gratificandi caussâ, vt quia amicus, quia eius operâ interdum eges, vel etiam vt lautiùs comedas.

Probatur hæc sententia. Primò, Adire talia conuiuia non est per se malum, vt patet: ergo si aliqua iusta caussa interueniat, erit licitum. 38

1. Ratio Secundò, Si esset peccatum mortale, id proueniret ex aliqua suprà dictarum causarum, quæ in argumentis pro parte contraria sunt expressæ: 2. Ratio. sed nulla istarum sufficit. Non prima, quia non est necesse vt approbet illas nuptias, seu contractum eo modo quo factus est. Nam sæpè accidit vt ad conuiuium nuptiale veniat, qui nuptias illas improbat & detestatur: vnde non venit causa gratulandi & approbandi, sed solùm vt vitet offensionem amici, vel aliud incommodum. Deinde potest quis gratulari & benè precari nouis nuptijs, nõ quòd legitimæ sint ex parte rei, sed quòd tales communiter putentur; sicut potest quis alicui gratulari statum, quem vulgò putatur habere, etiamsi eum legitimè non habeat. Præterea, his gratulationibus nõ approbatur modus quo status ille ab altero acquisitus est, sed approbatur status secundum se, & significatur gaudium quod habemus, vel fingimus non habere, eò quòd ipse talem statum habeat; & apud viros bonos intelligitur hæc tacita conditio, *Si iustè possideat*. Non etiam Secunda, quia etsi tale matrimonium sit fornicarium, tamen publicè non habetur pro tali, sed pro honesto. Tu autem solùm gratularis illi sub ratione veri matrimonij. Denique non Tertia, quia supponimus abesse scandalum.

39 3. Ratio importans multiplicẽ excusationem. Tertiò, Catholici adeuntes huiusmodi conuiuia multis modis excusari possunt à peccato mortali: Primò, quia passim talia matrimonia habentur legitima. Neque id mirum, cùm etiã quidam viri alioquin benè docti, aliquando putauerint ea valida esse, eò quòd sint contracta publicè, non clandestinè: dicebant enim Concilij Tridentini mentem solùm fuisse irritare matrimonia, quæ ita clandestinè essent contracta, vt ne Parochus quidem & duo testes adessent, non autem si publicè coram toto populo: ibi enim cessare rationem Concilij. Quæ sententia etsi mihi nunquam visa sit probabilis, tamẽ videtur habere aliquam speciem ijs, qui verba Concilij non satis ponderant. Secundò, quia in istis Prouincijs hæreticorum nusquam ferè sunt Parochi, aut certè latent, vt non sint ad manum. Nuper autem Româ responsum est, vbi Parochi non sunt, ibi matrimonia absque Parocho valida esse. Quòd si hoc viris doctis visum est, quanto facilius, simpliciores id sibi persuadere poterunt? Si dicas, non deesse Sacerdotes qui habeant licentiam à Reuerẽdissimo Colossensi: At hi sæpè non sunt ad manũ, vel ignorantur, vel nescitur horum præsentiam esse necessariam, cùm non sint Parochi, nec vsus publicus contrariũ ostendat. Tertiò, quia possunt inducere in animum illos antè coram tali Sacerdote priuatim contraxisse; & postea contrahere coram magistratu vel ministro, vt euadant mulctam. Quartò, Possunt cauere ne sponsis gratuletur, vel gratulari non ex animo (non enim erit nisi mendacium & simulatio quædam politica, quæ non est peccatum mortale) vel solùm benè precari, quod peccatum non est. Quintò, possunt excusari

Vbi non sunt Parochi, Concilium non obligat.

Naaman Syrus Regi suo sacrificanti licitè assistit.

cusari ratione damni, vel offensionis grauis, quales plerumque metuitur. Si enim Naaman Syrus poterat flectere genua ante idolum, rege adorante, vt regi obsequium præstaret, idque ad offensionem regis vitandam, cùm tamen præberet speciē quandam idololatriæ, vt passim DD. tradunt, & colligitur 4. Reg. 5. quantò magis poterit Catholicus adire conuiuium nuptiale, quæ res est indifferens, nullam mali speciem præseferens, vt indignationem alterius periculosam auertat.

40 4. Ratio.

Quartò Probatur. Licitum est adire conuiuium æthnici vbi proponuntur idolothyta, & ex illis vesci, etiamsi scias fuisse immolata, modò absit scandalum, vt patet ex Apostolo 1. ad Corinth. 8. Et tamen multò maior hîc videtur esse species mali & approbatio, quàm in casu nostro, cùm ipsi cibi fuerint diis immolati: ergo.

5. Ratio.

Quintò, Licitum est adire conuiuium quod dari solet à Prælato, v.g. ab Episcopo, Abbate, Decano, quando initiatur, vel professionem accipit, etiamsi sciam ipsum simoniacè promotum, quando communiter promotio illa putatur valida; nec ideò censendus sum approbare simoniam. Ergo similiter accedendo conuiuium nuptiale, non necessariò censeor approbare illas nuptias, aut modum contractûs.

41 6. Ratio.

Sextò, Quotiescumque aliquid per se malum non est, aut specialiter prohibitum, non teneor eo abstinere, etiamsi alius eo vtatur ad malum finem, modò ego ob bonum vel indifferentē finem id faciam: nec censeor alterius malitiæ consentire, vt communiter docent Doctores, & patet his exemplis: Possum vendere Iudæo agnum & virgulta, etiamsi sciam vsurum ad superstitionem, modò non eo fine faciam: & ancilla potest ornare dominam suam, eiusque thalamum cōponere etsi sciat ipsam ad malum finem hæc destinare: Potest etiā præparare carnes die prohibito, si commodè non possit detrectare: nec censetur malum finem approbare, ob quem illa hæc parat. Cur ergo pari ratione non possum adire conuiuium nuptiale, etiamsi illud conuiuium instructum sit ad solennitatem matrimonij inualidi?

7. Ratio.

Septimò, Si Matrimonium esset inualidum ratione metus, vel impedimenti criminis, aut ob aliā causam, & passim putaretur validum, eò quòd nesciant homines hæc esse impedimenta, possem ego cum ceteris adire conuiuium, & generatum gratulari sponsis, vt vsus communis probat, cur non etiam in casu proposito?

8. Ratio.

Octauò denique, Id licitum est in ceteris contractibus; vt in emptionibus, venditionibus locationibus inualidis: cur non etiam in contractu matrimonij? Fateor tamen te teneri monere sponsos (si spes est audituros) vt tursus contrahant secundum formam Cōcilij: quia tenemur errantes corripere, si spes est emendationis.

42 Soluuntur argumenta.

Ad argumenta in contrarium, patet ex dictis. Ad Primum. Ostensum est non approbari per hoc contractum vllum in particulari, sed in genere tantùm contractum & statum matrimonij. Ad Secundum Non approbatur fornicatio, quia non approbātur nuptiæ inualidæ, sed in genere nuptiæ, cum tacita conditione, *Si Valida sint*. Ad Tertium Pomnus abesse scandalum. Quod enim potest esse scandalum ex eo quòd homines simplices adeant nuptias suorum consanguineorum, quę passim validę putantur? Secùs fortè si esset Sacerdos: quamuis & hic alicuius boni finis causâ possit interdum interesse.

CASVS XIX.

Matrimonium sine consensu parentum.

Titius contraxit cum Caia, in præsentiâ Parochi & duorum testium, absque tamen facultate parentum. Quæritur, Vtrùm hic contractus matrimonialis sit absolutè validus?

43

Respondeo, Perpensis iis quæ in facti specie narrantur: & considerato Parochi proprij testimonio, non occurrit vlla ratio alicuius momenti, ob quam contractus inter Caiam filiam & Titium, qui hîc proponitur, non debeat censeri validus contractus matrimonij. Fuit enim factus in præsentia proprij Parochi, & duorum testium; & inter ipsos contrahentes nullum intercessit impedimentū dirimens, quale esset cognatio vel affinitas intra quartum gradum, vt supponimus. Itaque & ipsæ personæ contrahentes habiles fuere, & seruata est forma ab ipso Concilio præscripta, vt patet sess. 24. cap. 1. de Reformat. matrimonij. Nihil autem aliud ad validitatem matrimonij requiri, est communis sententia Doctorum: quod etiam ex ipso Concilio satis manifestè colligitur, & ex praxi orbis Christiani rebusque sæpissimè iudicatis.

Nec obstat quòd facultas parentum non intercesserit. Etsi enim valdè decens sit vt liberi sine hac non attentent contrahere, tamen absolutè ad substantiam contractus non est necessaria, vt habetur. Cap. *Cùm virum*, de Regular. & definitur cap. 1. de Refor. matrimonij à Tridentino. Vnde etiamsi absit, & inuitis parentibus contractus matrimonij ineatur, nihilominùs validus & insolubilis erit, vt omnes Doctores tradunt.

44 Benedictio &c. hic non necessaria.

Parimodo ad substantiam huius contractus non est necessaria benedictio, aut vlla alia obseruatio temporis vel loci, vt patet ex dicto cap. primo sess. 24. Vnde nō minùs validus est qui sine benedictione initus fuit, & in cubiculo, & tempore Quadragesimæ, quàm qui in templo, & cum benedictione, & tempore nuptijs concesso, modò personæ alioquin habiles fuerint, & res in præsentiâ Parochi, & duorum testium peracta sit. De iis omnibus latè diximus in 3. p. D. Thomæ in materia de Matrimonio cap. 4. dub. 10.

CASVS XX.

Exhæredatio ob matrimonium.

Titius Anglus adolescens 32. annorum duxit filiam se non indignam contra voluntatem sui parentis, propterea ab eo per testamentum exhæredatur. Quæritur, Vtrùm illa exhæredatio sit valida? Et consanguinei ea bona possint possidere?

45

Respondeo, Certum est Iure communi Cæsareo, & Iure Canonico non potuisse Titium exhæredari, eò quòd duxerit filiam illam contra voluntatem patris: præsertim cùm illa non fuerit ea indigna, sed par conditione, etsi non opibus. Est communis sententia Doctorum, & colligitur manifestè ex Aut. *Vt cùm*. De appellat. cognosc. 8. §. *Causas autem*. Vbi recensentur 14. causæ, ob quas pater potest exhæredare filium; inter quas illa non reperitur. Et §. *Aliud quoque capitulum*, expressè dicitur ob alias causas non posse exhæredari. Confirmatur. Quia causa, ob quam filius exhæredatur, debet esse valdè grauis, quia est grauis pœna, cùm priuetur bonis, quæ iure Gentium & Ciuili ei debentur.

Causa exhæredationis filii & filiæ.

Idem ex eo probatur, quòd nec filia possit exhæredari, eò quòd inuitis parentibus nupserit,

modo turpem vitam non elegerit, vt communiter Doctores tradunt argumento Cap. vlt. De fecundis nuptiis. Vide Conar. in 4. p. 2. cap. 5. §. 8. vbi refert alios, & docet, Quòd quando modus contrahendi matrimonium non est ab Ecclesia prohibitus, neque licitè neque validè possint exhæredari, etiamsi ante 25. annum contra voluntatem parentum, cum indigno longeque inferiori contrahant, & peccent propter inobedientiam, & odia quæ fequuntur: quia Ecclesia vult matrimonia esse libera. Multò minùs id potterit fieri in casu proposito, vbi agitur de filio in trigesimum fecundum ætatis annum dilato, cui parens antè consenserat facultatem dotandi tam quam vellet, cui permiserat tam diu tamque familiariter cum illa puella viuere in eadem domo, &c. quæque eo non erat indigna.

44 Nisi reprehenderint Anglicani, bona relinquenda.

Itaque nisi ius Anglicanum expressè habeat contrarium, & in tali casu concedat parentibus facultatem filios exhæredandi (quod iuillo modo est credibile, sed rectè ratiani valde sit repugnãs) planè dicendum est, tale testamentum conlentiendum tnolicioium & iniuum, & eos qui bona illa occupant non posse bonâ conscientiâ retinere, sed teneri restituere, non obstante illâ translatione quæ non fuit libera, sed merè amissionis totius hæreditatis exorta.

Ad alteram partem Respondeo, Filios prædicti Titij posse agere bona conscientia ad illorum bonorum integram vindicationem.

CASVS XXI.

Primisso manuali in Ritu Vidualis, &c.

Titius viduus premisit filios fuos Caio vxorem ducenti, ferias Ruin celebranti permanferem, nec aliud matrimonium iniuerum. Petendo, fi ex coniugum habitatione, & culinam agrorum ex pace dimidia. Tertiò fecit expensas matrimoniales. Tandem inter Titium patrem & Caium filium intercessit simultas.

Quæritur I. *Vtrum illa promissa de non inundo alitero matrimonio stabilitè interpretanda fint, vt inducat obligationem subtilis?*

Quæritur II. *An tenetur Caius filius concedere habitationem & culinam agrorum?*

Quæritur III. *An post expletam à Caio expensas matrimoniales?*

47 *AD Primum*: Respondeo, Promissa illa quâ parens viduus præmisit filio vxorem ducenti, fe in statu viduitatis mansurum, nec aliud matrimonium initurum, non eit ita ftrictè interpretanda vt in id nec obligasse videatur, ita vt pulsâ, etiamsi videat id sue saluti expedire, non possit vxorem accipere. Absurdum esset in huiusmodi quæ ad statum & salutem pertinent, vegere promissionem. Si enim, quia nec tenebatur debet eum quæ relinqui liberum, insuala est promissio non mutandi testamentum; nulo magis invalida est promissio non ducendæ vxoris homini facta.

48 *Ad Secundum*: In reliquis tenetur pater ftare contractui inito cum filio: nimirum vt ei concedat habitationem & culturam agrorum ex parte dimidia, ficut conuentum erat. Tenetur etiam tollere ex parte fua impedimenta ob quæ contractus non potest manâari executioni. Nec potest abiolui, nili paratus fit in omnibus illis quæ ad contractus ex coutumen pertinent, ftare fententiæ & arbitrio bonorum & prudentum virorum, vel fententiæ Iudicis, si tres deducta eit ad forum contentiosum.

49 *Ad Tertium*: Quòd ad expensas pro filio in matrimonio factas attinet, non videtur posse exigere pro illis fatisfactionem, fi confuetudo eit vt à parentibus non computentur; neque ab initio patetus eit vt restituerentur: censetur enim illas donasse. Vnde non potest ob hoc difficilium reuocare. Neque eum hoc casu videtur talis vi donatio illa posse reuocari: tum quia facta eit ob causam, & secundum consuetudinem receptam; tum quia nihil eorum quæ requirit L. finalis. C. de reuocandis donat. hic videtur fubeffe: tum filius negat fe partem fuam vocasse: tum denique quia etiamsi causa iusta fuppeteret, filius tamen non teneretur restituere ante fententiam Iudicis, vt ex eadem lege colligitur.

Fabulæ in officio datis, no.

MISSA.

CASVS I.

Vtrum Missa lit in Ecclesia tempore diuini officij fabulando & ridendo, vbi principibus non fit illicitum & indecorum?

1 Ratio hu-ius fcr. pro-tionis.

VT Clariffime. In monitione hefterna quam Illuftriffimo Domino, folo Dei intuitu, & falutis honoribus illius ftudio feci, miratus fum vehementer D. Tuam defendere & excufare vocationibus, morem illum in Ecclefia tempore diuini officij fabulandi & ridendi tanquam viris principibus non illicitum & indecorum; quafi hæc in re non omnes eadê lege teneremur, fed Nobiles viri fint excipiêdi. Nolui tunc plura contra dilputare: locus erat importunus: fufficiebat paucis monuiffe homines inde offendi, & Illuftriffimi Domini fama labem aliquam aff pergi: fuffe enim in quodâ conceffu quidam Dominus quæ id narraffet, notando fuam Excellentiam & eius familiam; & à ceteris qui fimilia fæpè adueterrant, inter quos aliqui turifperiti (eculares & Theologi) idem improbatum: offendi etiam diuinum Matthæum coram qua, quantumuis quis magnus fit, reuerenter fe gerere debet: imò quò quis maior, decenti vt eo fe gerat reuerentius. His plura ibi addicere, quia hæc fuæ Excellentiæ, vt eft prudens, vtis & ingenius, fuffecere poterant: mihi D. Tuæ meritò defendere voluiffe. Puto enim fraternam charitatem à me poftulare, vt, fi D. Tua ita vera fenfit, errorê eius eximam, quia periculofus eft: finon fenit, modum ne huiufmodi vnquam vel placendi ftudio, vel difplicendi tumore defectus; quia peftifera ea dalatio eft.

Affi mo igitur etiam Principibus viris, quantumuis magnis fit, illicitum effe & indecorum in Ecclefia tempore diuini officij, & facræ liturgiæ fabulari & rideres: idque adeò certum eft, vt contrarium etiam in hîc fenferi debeat.

2 Missa ille est illicitus & indecorus.

Confirmat id Primò ex Script. Matt. 21. & Ioan. 2. *Domus mea, domus orationis vocabitur.* Si Dominus id dixit de templo veteri, quod folum erat typus Ecclefiæ Chriftianæ, quantò magis id fentiendum de Ecclefia Chriftiana? de fi cuncta inde omnentes & vendentes ex quæ ad facultas illius temporis pertinebant, qui folum in parte exteriori illius templi verfabantur, quantò magis improbaret eos, qui coram tremendis illis myfteriis bonam partem temporis fabulis & cuilibus tranfigunt?

3 Pater ex Scriptura.

Secundò, Ex Concilijs: Concilij Lugdunenfe fub Gregorio X. (habetur Cap. *Clerici*, de immunit. Ecclefiæ lib. 6.) *Cupientes Ecclesiæ vana, & nonlicita ab hominibus fidelibus vsurpationes abolere, &c. statuimus quòdsi quis Archiepiscopus, vel Episcopus, &c. in Ecclesiis suis, vel earum cimiteriis, &c. ludos, vel choreas duxerit inducendos, aut ludentibus, vel choreantibus interfuerit, &c.* Ex Concilio.

Quis offendere ab isto presumat exercentem nos pretextum de Synodo, vel alio simili, cùm potestatis Ecclesiasticæ. Concilium Trident. sess. 22. inter cætera, ubi hæc vt omnes seculares actiones, *Nam neque propria cuiusquam est Ecclesia sed vniuersa.*

Tertio, Ex Patribus: Pulcherrimè Chrysostomus Homil. 40. ad Populum, quem locum ego vt D. Tha. expendat: *Celebrauit, inquit, ritum maiorum tunc, sicut tunc fuit, quando magnis quibus homines erebantur, celebrantes sacrificium, & alijs descendentes, sine vlla pace.* Tu autem ades vesperinus, sine pace cum videris, sacrificium celebrantem, & non audies. Discessum nunciantes, quando fiat, celebrè, & frequenter, & quando fuerit satis factæ, immo prius hæc habebis sæpe quotidie. Quo tempore tamen dominus quæ vocem dedit de talibus, & quæ non? & illos celebrantes, non alios celebrantes? & illos descendentes, non alios descendentes? Certè non dixit, quando celebrabit sacerdos, & non descendet? Sed quando fiet sacrificium? Quando fiet oratio? Quando fiet exhortatio, quando fiet eulogium? Nunc enim ista tempora sunt, quæ ipse significauit, tempora tumultus, & confusionis, & omnium rerum plena: malos esse Ecclesiæ duces, & pessimos. Quando ergo videris quem etiam sacerdotem huiusmodi, quando diuinos illos ritus, & sanctificationem sacram non videris, sed tantum ea quæ ad finem tendentia, non Deum tuentia. *Audiam fortasse nobis istum nescientia, & quod animæ alicui contristatæ vtile est, & quod non vtile sit: præcipue quidem, quia simplex præterea quæ inducit ad vtilitatem & condemnatio, & Sacrum Dei tactus, & quæ simulationem videns vel laqueum, ille ipsum capies, non ego. Tu ergo cum videris, quæ ipsum tabernaculum manet. Hic, & ea cum melius & certius omnium vltimus accepero, & illa posse, & stupium intellectus, vel ipse omnes scias per ipsum, & in nullis illis offendatur neque mens.* Hæc ille. Similia habes Homil. 74. in Matth. & Homil. 17. in epist. ad Corinth. vbi etiam inter cætera, *Quid enim? Dominus ille non cognoscit indignos? Et vbi? Ne dixeris mihi: Si quis ille qui manducat, qui sacrificat, qui celebrat, qui stat, qui descendit, qui ascendit, qui colloquitur cum sanctis, & Deo? Non dixeris, sed dic, sed vide, sed vere. Nam & Deus non sic differentia, sed discendit & manducat ex illo, &c.* Omitto alterum Patrum testimonium.

Vltimò hic nemo non exigit, nam Regem, non Pontificem, nam Nobilem, non Militem, aut aliunde quemlibet, sed generatim omnes constituendo & mentio. Quid enim faret omnes gentes, & collectio hominum ad illum Magistratum? *Gentes enim, inquit, vocat ad omnium patres, licet ignorantes, & immundas, vt per ad omnium patres, licet ignorantes, & immundas, vt per eum ipsi fiant mundi.* Et Chrysostomus hic, 3. de Sacerdotio ait, quid non debent facere magistrales, *qui facta habitant domus, & terrenum habent fundamentum, quemadmodum gloria patrum & primus*, vt Scriptura loquitur?

Ad hoc postremo Augustinus.

Ad hoc postremo loco.

Ex S. Patribus.

Chrysost.

Fabulantur publicè in templo.

Admon. Discumbentes, non adhuc ex Sacrificio.

Ne templa expeditudo.

Qui fabulantur, non orant, nec precat.

Quando Deo ab hominibus fit recreatio.

Magistrati à Magistratibus.

Adhuc. Quo quis maior est inter homines, eò ipsum ex his diuinis maioribus reddentium pepetitare debere: tum vel ab ipsis exempio, qui nonter Magnorum mores loquuntur tum vt in Deum gratius sit, cujus bonitas excessu sit maior. Qui

enim est filius Principis, potissimè est filius meneficii, si Deo ita placuisset. Itaque hoc ipsum est Dei beneficium, & congrua animi submissione cepa ipsum profitendum.

Denique perpendentium illud quod Dominus ait ad Samuelem 1. Reg. 10. quando reiecit Heli, & quod Adrianus VI. cum esset magister Caroli V. ille Principi sic est ingerebat: *Quicunque sanctificat se, sanctificetur, & qui se purificat, purificetur, non tamen ignobiles* quæ sententia illi magno commodo ad reuerentiam in rebus diuinis, & moderationem subiunctionemque animi in omni vita præstandam, fuit.

Hæc sunt quæ D. Tua putauimus insinuanda, vt ea dignetur, præsertim hoc fandi Dominicæ octauæ, quo die Dominus Iesus humiliatus & exequo pronostro loeratum commemoratus, peripendere, & deliberare ab his quæ sunt Excellentiæ, neque tam facta, neque honoratius illa, nec defendendi. Excipit illa eo animo, quo dicuntur, neque excidet fi fortè videar molestus. Vides S. Chrysostomum mihi subditum & condemnatum esse: mutatem, & ceteam: nonne quisque & obtrectantia qua loam Excellentiam profitetur, me impulerunt. Non monui publicè, vel Cyrillo forsan fieri vult, fed privatim, magna humanitas vel ipsum omnium ratione. Fundamentum autem illud non posset vel tare confabulationis, fed credo & fere affidue sum vita, cum videam in omnem partem conuertere homines, illum ipsum, in quem ait, me à Chrysostomo notatum. Non dubito quin Excellentissimus Dominus, ii iudicium tum accesserit, hanc necessitatem in qua omnis propè status, omnia professiones, magnifica, & gloriosa voueo: fiue & D. Tua salutem & fummum bonum.

CASVS II.

Vtrum fabri faciant præceptum Ecclesiæ de audiendo Missæ, diebus festis Ecclesiæ, qui tempore Missæ confluentium?

RFspondeo, Valde probabile esse, eos, qui tempore Sacri diebus festis constituere, si bonam partem, v. g. tertiam eius in occupentur, ut in tempore non pollinatur tendæ ad sacrificium, nitigere remotum facere præceptum. Sic enim communiter pluri Doctores sentientem aliquam ad id, quod genitur in sacrificio; nec admittunt actus huiusmodi compossibiles. Cui attentioni erit præcepto Missæ, & similia non præcipiuntur, nisi cum illa: est ad honorandum sacrificium referri possint; cum non confluo videtur magis regulariter quia magis attentum absolutum, & alijs distrahentem, adeo de sacrificio vix possis cogitare.

Omnino tamen videtur exceptandi, quibus, rationem negotiorum, vel quia sunt in obsequium non, non est integrum aliud Sacrum audire. Itaque de duplici vel triplici capitos primo, Per *Missam* Si enim legislator effet præsens & omnes circumstantias nosset, non vellet illos obligare. Nihil dubitè mault. Summus Pontifex illos ratemodo Sacro interesse, cum tanto fructu spirituali, quam ex confessione pere; tunc, quam fuerit facultas perfectius ad sacrificium Missæ attendere.

Secundo, Per conteiudum ingenium præscriptam: Hæc enim sunt potest legem aliqui obseruare, ita multo facilius potest moderari eius obligationem; vt patet ex Cap. Finali, de Coniuge. Vbique autem Belgio eli conluetudo, vt illi, qui sub Sacro celebrantur, aut diuinis magnis pollunt, ad aliud Sacrum non teneantur obligati. Quam

7 Confessio tempore Missæ.

7 non videtur.

Excelsa tur occasio.

Per opus ritum.

8 Per conditionem ingenium præscriptum.

se missum à Deo ad populi instructionem, vt qui non credunt Concionatoribus, & suis Pastoribus, saltem credant diabolo: idque esse extremum remedium, quo Deus vtitur ad hominum conuersionem. Multis id rationibus probari posset, & Scripturarum exemplis, si opus esset.

22. Aliquando tamen habenda fides.

Si tamen patefaciat magos occultos, vel eorum scelera, res non est omnino contemnenda: quia in atrocissimis criminibus nulla indicia negligenda. Vnde ratione talis denuntiationis potest Iudex occultè absque strepitu capere informationem, vt maiora indicia deprehendat.

MATRIMONIVM.

CASVS I.

Vtrùm rudes in Frisia vel Northollandia (qui ferè conueniunt ante nuptias) non possint coniungi legitimè antequam plenè sint instructi ad confessionem, cùm à remoto loco veniunt, & citò debent redire, ad hoc vt impediatur interim fornicatio?

Confessio matrimonio præmittenda.

1 Respondeo, Modò sciant ea quę absolutè sunt necessaria ad iustificationem, poterunt coniungi: etsi non sint satis instructi ad confessionem. Quia ad Sacramentum Matrimonij non est opus confessione, sed sufficit contritio cum proposito confitendi commodo tempore. Vnde ad contritionem disponendi. Quanquam non videam cur plerumque non possint confiteri; quia cùm sint rudes, poterunt à Sacerdote iuuari bono interrogatorio. Itaque quando hoc fieri commodè posset, magis probarem.

CASVS II.

Renouatio matrimonij.

An liceat Coniugibus inter se contractum suum sæpiùs renouare, quasi primò illum ineant?

2. Respondeo, Nullum est sacrilegium in repetitione cõtractus matrimonij. Sicut enim alij contractus non solùm ob dubium verum, sed etiã ob maiorem firmitatem, & quietẽ cõtrahentium, quantum est ex parte illorum, repeti possunt; ita etiam contractus matrimonij; v.g. vt magis se diligant, &c. Vnde qui semel publicè contraxerunt coram Parocho & testibus, possunt priuatim suũ contractum renouare quotannis si velint. Et quãuis illa renouatio sit inefficax, sicut donatio secunda eiusdem rei, tamen faciunt illam, quantum in ipsis est; & iuuat ad maiorem concordiam vel amorem. Vnde non est necesse vt actu adhibeant restrictionem mentalem aut verbalem.

CASVS III.

Reformatio Matrimonij.

Quomodo reformari possit contractus matrimonij inualidus, qui tamen legitimè coram Parocho & testibus celebratus fuit?

3 Vterque coniux debet scire impedimentum.

De reformando matrimonij cõtractu, scripsit D.T. 23. Iulij An. 1605. si ille inualidus fuit, non sufficere, quòd mulier rogata dixerit veluti admirabunda, se illum pro suo marito agnoscere: quia non videtur ista ratione voluisse de nouo cõtrahere, & illum tunc voluisse pro marito accipere, sed solùm indicare illum ex vi prioris contractus suum esse maritum. Opus autem est vt de nouo intendat contrahere quantum in se est, quasi dicat: etiamsi non esses verè vxor, tamen iam te vellem accipere, & reipsa accipio, vnde debet blandè illam inducere vt velit renouare, prætendendo occasionem maioris amoris, & securitatis. Ita passim DD.

Quia tamen insinuat D.T. optare se vt dispiciam an contraria sententia non possit tolerari: Addo non esse prorsus improbabile, impedimento, ob quod antè erat irritum; sublato, posse renouari, etiamsi altera pars impedimentũ nesciat, & putet fuisse validum; pars enim ignorans manet in consensu antiquo; eúmque vique ad hoc tempus quo facti sunt habiles, continuat: modò tamen altera sciens illud sublatum, intendat de nouo contrahère. Vnde in illo casu etiamsi vxor non intendisset, sufficeret ad renouandum matrimonium. Hanc sententiam Sotus in 4. dist. 35. q. vnica, art. 2. Lopez 2. p. c. 47. iudicant esse probabilem; & eam tenet Caietanus tom. 1. opusc. 12. q. 2. & quidam recentiores, quos citat Sancius lib. 2. de Matri. disp. 36. addens non esse vitandã hac sententia, nisi quando ex reuelatione impedimenti sequerentur grauissima incõmoda, & alius modus renouandi non suppetit ob alterius coniugis ingenium. Addiderim ego, vel quando aliter non posset vitare peccatum reddendo debitum: Imò quando alia ratione non posset euadere peccatum, posset in prima redditione debiti, obtenta iam dispensatione, intendere ipso actu matrimonij, affectu coniugali præstituto, contrahere: quod locum habere posset, quando vxor præueniretur à marito petente debitum priusquam illa posset de nouo contractu cum illo agere: vel quando esset vir terribilis, & nihil de renouatione contractus vellet audire.

4 Probabile tamen est sufficere vt vna pars id sciat.

Nota ad praxim.

CASVS IV.

Matrimonium irritum defectu consensus.

Caius negat se verè consensisse in matrimonium cum Agnete, seque affectu maritali cum ea consummasse. Quare relicta Agnete ducit Bertam. Agnes verò ducit Titium.

Quæritur I. *An Agnes possit petere & reddere debitum Titio?*

Quæritur II. *An Caius possit petere & reddere debitum Bertæ?*

Quæritur III. *An Caius, si vere & à parte rei sibi conscius sit se fictè cum Agnete contraxisse, possit manere cum Berta, & Agnes manere cum Titio?*

Quæritur IV. *An Caius teneatur redire ad Agnetem, si illa, dimisso Titio, eum repetat: & an aliquid Caius debeat Titio, si ei aliquid damni ex contractu cum Agnete obuenerit?*

5. Ad Primum: non videtur dubitandum quin hoc matrimonium Caij cum Agnete sit censendum omnino validum in vtroque foro: neque in illud posse cadere vllam dispensationem quâ separentur vinculo, cùm sit consummatum. Neque Agnes dubitare meritò potest quin Caius verè consenserit, & affectu maritali consummauerit. Vnde etiamsi illam relinquat, & publicè ducat Bertam, & cum eâ maneat, non tamen ideò poterit ipsa conscientiam deponere, sibique persuadere Caium fictè consensisse; ideóque se posse nubere Titio: quia illud non est sufficiens signum ficti consensus. Vnde si Titio nupsit, non potest ei reddere debitum & multò minùs petere: quia moraliter certum est ipsum non esse eius maritum, & contractum cum ipso fuisse irritum. Vnde etiam proles erit spuria, si vterque huius impedimenti fuit conscius.

Ad Secundum

Digitized by Google

Ad Secundum: Caius non potest petere, aut tradere debitum fecundæ vxori, nempe Bertæ; quia moraliter certum est matrimonium cum illa esse invalidum; vnde tenetur eam deserere.

6 *Ad Tertium*. Si Caius ficte contraxisset cum Agnete, iisque ipsi conluctares, nec potuerit matrimonium illud ratificoffert, pollet in confcientiam manere cum Berta. Non tamen idcirco Agnes poffet manere cum Titio, nifi certo ifti conftaret Caium ficte contraxiffe, & nunquam poffe ratificare; quod cum illi conftare non poffit, fed potius moraliter fit certa de contrario, non poterit manere cum Titio. Neque Titius poteft illam retinere vbi conftiterit illi de priori matrimonio Agnetis: unde enim ei liquet fuum matrimonium cum Agnete fuiffe invalidum, fi tamquæ alteri fe iunctam. Nec refert quòd Caius dicat fe confcientiam de priori contractu depofuiffe: hoc enim non eft fignum fufficiens ad prudenter iudicandum eum ficte confeniffe.

7 *Ad Quartum*: Si Agnes Caium reperit, reftetur ad eam redire, vbi illa à Titio recefferit: vel certè tenetur ei iudicio prudentium de inuria & damnis (fi quæ ipfa incurrit propter illius inuitum receffum) fatisfacere, aliquin non eft confenfus in bono ftatu. Erga Titium manetur fecundum Agnetis non videtur Caius habere obligationem fuftitiæ, quia nec vi, nec fraude induxit illum ad contrahendum cum Agnete, vti fuppono. Vnde fi illi damnum ex hoc contractu euenit, fibi imputet, vel illis qui ipfi authores fuere contrahendi.

CASVS V.

Impedimentum diriment es ratione Profeſſionis.

Franciſca quædam ab anno ætatis decimo quinto vſque ad quadrageſimum habitu religioſo vixit in monaſterio tanquam liberta. Tandem profeſſe. Religioſa nolens illam eligere in Procuratricem, miſit vt vitæ Religioſæ obſeruantiæ. Quare Pater monaſterij, explicatis votis Religioſæ, eam interrogat. An eſſet parata amore Dei, S. Auguſtini, & Sororum domus ad ipſius ſeruitium conſentire in dicta tria vota, eaque præſtare prout aliæ Religioſæ domus faciebant; & illa reſpondit, Quod ita: cum Deus hoc ſuaderet, intendens hoc facere ſine timore, non illo actu. Poſthæc, petita eſt à quibuſdam Patres, vt eligerent Sororem. Obtentum promiſſo ſalto Prioriſſa, communem ſolitum dari à profeſſis, communia quoque Sororum & Patris potantium illam profeſſam. Denique vſq; dum ſe non pronunciet pro ſuo ſalto. Hæc Franciſca non Procuratrix ſi inualleſcit profeſſa matrimonium inijt cum milite.

Defuit eſſe conſenſus de præſenti.

Quæritur, *An Franciſca contraxerit illa actione impedimentum dirimens matrimonij?*

8 Coram Deo non contraxit impedimentum dirimens matrimonij.

REſpondeo Primò, Si vera ſint quæ in facti ſpecie proponuntur, certum videtur Franciſcam non contraxiſſe illa actione impedimentum dirimens matrimonij coram Deo. Quia re vera profeſſionem non feciſſet, fed ſimulauit. Quod enim ab anno decimo quinto ætatis vſque ad quadrageſimum non fecerit profeſſionem, ſed tanquam liberta vixerit in monaſterio, ſuppono ut tanquæ ſtudem certum & notorium. Vnde etiam Religioſæ nouerunt illam eligere in Procuratricem, imò & vellet Religiosos votis obſtringere. . .

Quòd etiam poſtea non ſit profeſſa, quando Pater monaſterij explicatis votis Religioſæ, eam interrogauit, *An eſſet parata amore Dei, S. Auguſtini, & Sororum domus, ad ipſius ſeruitium conſentire in dicta tria vota, eaque præſtare prout aliæ Religioſæ domus faciebant*; & illa reſpondit, *Quod ita, cum Deus id ſuaderet*, intendens hoc facere ſuo tempore, non illo actu: manifeſtum eſt; quia defuit conſenſus de præſenti. Sicut enim in matrimonio & in omni alio contractu de præſenti, requiritur conſenſus de præſenti, ipſo conſentiat, vt ex hoc tempore incipiat valere; ſic etiam in profeſſione. Itaque cum hæc contulerit ſuum conſenſum, non in præſentem actum, ſed in futurum, quem nondum fecit, euidens eſt, per illum actum coram Deo non feciſſe profeſſionem, nec contraxiſſe obligationem quæ ex profeſſionis actu reſultat. Adeò enim cui deeſt conſenſus, eſt omnino inualidus ad inducendam obligationem: quia omnis obligatio in contractibus, in votis, in promiſſionibus, ex conſenſu oritur: vbi ergo deeſt conſenſus, deeſt obligatio. Confirmatur, quia eſſe paratum conſentire in tria vota, non eſt reipſa conſentire inillas: & eſſe paratum illa præſtare nore aliarum, non eſt reipſa illa præſtare: ſicut eſſe paratum contrahere matrimonium, vendere domum, &c. non eſt reipſa contrahere aut vendere: ergo ex illis actu præcise non poteſt iudicari fecille profeſſionem.

Neque illa quæ poſtea fecuta ſunt (vt benedicto Patris, oſculum Sororum, obedientiæ promiſſio facta. Prioriſſæ, communium ſolitum dari à profeſſis, communium opinio Sororum & Patris potantium illam profeſſam denique quod ipſa dixit, ſe non pœnitere promiſſionis factæ:) ſufficiunt ad ualidandam profeſſionem; nisi ipſa per humilitatem actus, dum ſe in illis gerit tanquam profeſſam, intenderit ſe de nouo obligare, & eſſe verè profeſſa. Quia etiam ſi hi ſint actus profeſſionis, quibus vlteriori poſſit inducta tacita profeſſio, tamen coram Deo verè non inducunt, niſi conſenſus adſit, vt omnes DD. fatentur.

10 Neq; poſtea profeſſio fuit valida per ea facta.

11 In foro externo conſtant præſumi poſſet.

Reſpondeo Secundo, In foro tamen externo non parua difficultas eſt hoc modo recipere, ſe facta præſumeretur verè profeſſa; quia actus illi externi videntur ſufficere ad tacitam profeſſionem. Sed in foro interno ſolet non habet præſumptio, ſed indubitata certitudo ſuffragia. Itaque ſi ipſa profitetur ſe nullam intentionem habuiſſe actibus illis obligandi habuiſſe, fed ſolùm ſimulandi, quia putabatur amè profeſſa, iudicandum eſt in foro conſcientiæ non fuiſſe tacitam profeſſionem.

12 Poteſt & debet admittere vota.

Ex quibus conſequitur Primò, Miſeri monium illius poteſt contrahi cum eo coram Deo ſolùm: eſſe de ſe eſt conſummatum, non ſolum ipſam non teneri, ſed nec poſſe ad monaſterium inuito manere.

13 Nullo veto tenetur.

Secundò, Ex quæ partita ſunt, non poſſe colligi illam vllo voto, etiam ſimplici tenetur, nisi forte voto obedientiæ, quando Prioriſſa obedientiam promiſit. Hoc enim videtur fuiſſe verum vouiſſe eam ad Deum, cuius materia fuerit obedientia præſtanda Prioriſſæ, vt D. Thomas ſupra docet 2.2. q. 88. a. 3. ſic enim in Religione ſub Prælato obedientia promitti ſolet. Huius tamen voti executio facta eſt impoſſibilis per matrimonium. Itaque non tenetur illud exequi. Deinde, tione. Non eſt dispenſatione.

Prioriſſa & Conuentus eam liberant ex parte ſua quancumq; id fingitur, eidem ſuos remittendo.

Itaque non videtur egere ſpecialidispenſationem, quam tamen ab Epiſcopo, vel habente auctoritatem Epiſcopalem, vel à Religioſo habente priuilegium obtinere poteſt, ſi eam deſiderat.

Illius autem verbis quibus ſignificauit ſe eſſe paratam emittere vota, vt alia ſuæ ſocietis; non obſtrinxit ſe illo voto, nec ſimplici nec ſolemni, ut ex dictis patet.

14 Tertio, illam teneri petere à Prioriſſa

De precitat culpam.

& Conuenta ob grauem iniuriam illi & mona-sterio factam, & scandalum datum; & dolere de tantis peccatis, &c. Ita sentio saluo meliore iudicio.

CASVS VI.

Impedimentum dirimens ratione affinitatis.

Quidam à virgine annis contemptum, iam recuperandi desperatione remotis, affinitatis cum impedimento dirimente, quod sponsa fuerunt cognoscitur ante contractum matrimonij.

Quæritur, *Vtrum vxori, possit debitum reddere, cum illa sit in bona fide?*

11 Non potest debitum reddere.

REspondeo, Manifestum esse non posse. Ratio est, quia constat illi matrimonium esse nullum: ac proinde illam redditionem non esse actum matrimonialem, sed fornicationem. Neque hic poterit esse vlla fœnerationum inter Doctores dissensio. Nec refert quòd vxor sit in bona fide: quia bona illa fides vxores etiamsi possit tuiere vt maritus licitè ei reddat debitum in dubio, tamen nulla modo iuuare potest, quando certus est matrimonium esse nullum. Vtrumque habetur apertè Cap. *Inquisitioni*, de sententia excommunicationis, *Interdictum est quibusdam*, & Cap. *Literas*, 13. de Restit. spoliat. 161. *Porrò iam audiendi.*

Licet recedere à foro interno.

Fuit quidem aliquando disputatum inter Doctores, vtrum in eo casu quo alter conuictus esset de impedimento, & Ecclesia ita non cederet peræpit iuh jure, ne excommunicantes vt ei illegi reddat debitum, vt dum, inquam, tunc possit recedere debitum. Non desunt tamen Doctores qui tunc putarent posse reddere, inter quos præcipuus Ecclesiæ, & banum fidem affectus coniugis: sed alij etiam hoc casu damnant hanc fœnerationem ratio, & nonquam in fide periculum, propter Capitula allata, quæ etiam in hoc casu loquuntur. Qua de re vide plurima apud Sanchium lib. 2. disp. 39.

14 Episcopus potest in hoc impedimento dirimente dispensare.

Ne autem vt de hac remedio minister à potestate Episcopus dispensandi in alio impedimento dirimente, & concedere vt turium contrahat, vt possim tradere Doctores: Si tamen hæc quatuor concurrerint. Primò, Vt matrimonium ipsorum sit publicum. Secundò, Vt impedimentum fit occultum. Tertiò, Vt in reparatione sit scandalum. Quartò, Vt non facilis sit adire ad Summum Pontificem ob quarumcumque aliarum causarum, vel certè ob periculum peccatorum in tam dilatione, quia interea non abstinebunt ab vsu coniugij pacti. Credo hæc quatuor concurrere in vtroque casu. Videantur plurima hac de re apud Sanchium lib. 2. disp. 24. Idem his docuit Paludanus, similiter alij Perfectiores: eliqui modo communis est sententia Doctorum.

Validus est talium matrimonium contractus sine Parochi, &c.

Vt autem Secundò contrahant, non est opus Parocho, & testibus, cum semel ita contra xerint: sed sufficit vt inter se primum absque vlla tali contrahant, vt consummentur Doctores.

CASVS VII.

Impedimentum affinitatis dirimens.

Petrus, hæresis, qua Conciliam Tridentinum sua decreta fulminit, sui amicam vnius impedimentum dirimens ab affinitate in 3. & 4. gradu ex copula illicita, & Sponsalibus. Quæritur, An Petrus post eam illud consummauit, vbique effluerit hoc impedimentum, etiam apud eos qui veneratorem illum semper amant, & in contrarium sustinendit permanserunt?

15

RSpondeo, Non videtur mihi dubium quin reuocata lege absoluta à legislatore, vel eius successore, cesset obligatio illius legis vniuersè apud omnes qui subiunt potestati legislatoris, etiamsi ipsi ignorent illam reuocationem. Vnde hoc ipso quo Concilium Tridentinum hoc decreto fulminit tam antiquum inducens impedimentum dirimens ob affinitatem in 3. & 4. gradu ex copula illicita, & Sponsalia Pontifex decretum illud confirmauit, vbique cessauit hoc impedimentum. Quare si aliqui (est mihi fide) contrasserint in 3. gradu talis affinitatis post illam confirmationem, matrimonium fuisse validum. Vt enim reuocatio legis vim habeat impedimentum cessat, nulla requiritur promulgatio vel acceptatio. Sufficit enim voluntas legislatoris exteriùs sufficienter declarata: quamuis etiam talis declaratio absolutè non sit necessaria sed sufficiat sola voluntas etiam interna, vt multi docent.

Reuocatio lege, cessat vbique hoc impedimentum, etiam apud ignorantes.

Et apud veneres mala fide.

Verùm, dubitari potest, Vtrum hus antiquum inducens impedimentum in 3. & 4. gradu probabo, non videatur renouatum & inductum de nouo ex consuetudinis, in qua posteà permanserit eli in regno Angliæ? Confutetur enim potest nouum ius, & nouum obligationem inducere.

16 Dixique apud veneres consuetudine.

Sed non existimo in Anglia fuisse vllam consuetudinem quæ hoc impedimentum potuerit inducere: Primò, Quia Sacerdotes qui ibi præfuerunt, non ignorarunt Concilij abrogationem, nec credibile est illos voluisse contrarium inducere. Deinde, ad inducendum de nouo tale impedimentum, debuerunt talia matrimonia in 1. vel 2. gradu contracta per sententiam iudicarinualida, idque sæpius & variis locis. Nam priuatæ & occultæ opiniones seu iudicia ex ignorantia profectæ, non possunt tale impedimentum inducere. Denique, non constat etiam de priuata & occulta confuetudine in contrarium, quæ etiam absque confensu Supremæ legislatricis vim non haberet, vt docet Suares de Legibus lib. 6. cap. 17. versus finem.

17 Responsio ad argumenta contraria.

Ad ea quæ in contrarium adferuntur, dici potest Primò, Esse diuersam rationem decreti de potestate dispensandi. Quia per illud confertur non ad potestas & nouum priuilegium, quod fortè Concilium non intendebat facere Episcopis, qui Concilium non receperunt. Hic verò legis obligatio vnius est tollitur, vnde non est opus dare aliquod priuilegium. Deinde quia Concilium antiquum restituere, non fuisset satis; vnde non obligat, aliquatenus satis contentantem est, vt si quis onera legum non fuscipiat, priuetur legum priuilegijs, sed inuiquum fuit statuum est vt hos ipso sit priuatus.

Impedimentum cessauit in Anglia.

Itaque esti aliqui fluctuent in hac quæstione, ego tamen tutius & probabilius fentio, illa impedimenta 3. & 4. gradu ex affinitate non Anglia cessasse, & matrimonia in illis gradibus ibidem contracta esse valida, etiam si contrahentes ob malam fidem peccassent.

Dispensatio impedimenti dirimentis ratione affinitatis.

CASVS VIII.

Titius cognatus suam à Petrus in 4. gradu. Postea expectans contrahere, impetrat à Sede super eum illius impedimenti. Summo Pontifice, si de supplicatione non expressa vera mentis esse copulam.

Quæritur, *An dispensatio sit valida?*

RSpondeo esse irritam. Hanc vt multò verissimam probat Sanchez lib. 8. disp. 15. nu. 8. (esti contraria sit probabilis.) Principia ratio est illius. Quia de declaratio expressa Cardinalium, Vnde in Apostolicis SA qui contrarium tenentur

Impedimentum affinitatis dirimens.

Validus est talium matrimonium contractus sine Parochi, &c.

Impedimentum affinitatis dirimens ratione affinitatis.

V. Dispensatio, si est correctium, & additur Cardinales consentiant declarat.

Si Pontifex impedimentum dispenset, nisi interueniant copulæ carnales, & tunc executorum dispensationi interuenire copulas, ita est Ecclesia, valde probabile est valere dispensationem tunc apos ostolicam & Romam recurrere. Contrarium tamen Sanchius putat probabilius ob ipsum Curiæ.

CASVS IX.

Dispensatio in gradibus prohibitis affinitatis & consanguinitatis.

In Dioecesi Lexouiensi quadruplex, quinquaginta & plurium annos, consuetudine, Episcopi & Curia Romana præfectus ex impedimentis matrimonij, & maximis consanguinitatis & affinitatis, dispensauerunt in 4. gradu, sola publicæ causa, & subinde in 3. & inæquali consanguinitatis casu, aliquando & in 2. & legitimi parentelæ: Primò, Quando ab antecessoribus ad vltimum ius dispensationis mutuo consensu & quasi quotannis exercitum fuit, & pro eadem interuenerunt partes, videl. & humilis genuis scandala.

Quæritur, An Episcopus & Vicarius Lexouiensis moderni per illos limites consuetudinem, ex 50. vel similibus præscriptionis causis, in dictis impedimentis matrimonialibus possint dispensare?

19 Potestas dispendandi in impedimentis matrimonij, præscripti nequit absolute.

RSpondeo Primò, Potestas dispendandi in impedimentis illis ad matrimonium contrahendum, non potest absolute præscribi; etiamsi causa iusta & grauis subsit; ab Episcopo enim patuit 4.0. annorum cum tuto, vel tempore, cessus intuitu non esset memoria, absque titulo. Colligitur ex Can. 1. de Præscriptionibus 6. adiunctis ijs quæ ibi notat Glossa, & DD. communiter.

Ratio est, Nam lure communi & viu Ecclesiæ potestas illa est propria Summi Pontificis, tanquam suprema Principis Sacrorum: sicut potestas legitimandi, postulata meri & mixti imperij est propria Principis. Atqui ea propria Principis, non possunt subinferioribus præscribi, nisi modo præscriptionis præsumptus iuris eiitum præstruas, vt docet Cotarel. Reg. Possessor. p. 2. §. 3. n. 5. & seq. & colligitur ex dicto Cap. de Præscriptam. 6.

Nec refert quòd iusta & grauis causa dispensandi subsit; quia cùm semper possibile debeat vt potest fieri dispensatio in humanis. Vnde nec Summus Pontifex absque tali causa iusta dispensare potest, vt omnes DD. tenentur.

Respondeo Secundò, Probabiliter tamen est posse illam præscriptum retineri ad certum talium hominum quasi quotannis, etiam absque tua causa subsistente, ob quas dispensare non solum fit bonum, sed etiam necessarium ad grauissima malia impetrenda, quæ alias tuta, quam dispensatione & concessione necessaria impedirentur quatenus vel absque potentiæ ad hæreticos magistratum, & ibi contrahitur; vel ex certo inde patenter patentur futura.

22 Præscriptio tamen potest retineri ad certum casum.

Ratio est, quia politicis talibus circumstantijs præfumptio iuris non obstat tam bonæ fidei præsumptioni Principem in tali casu concessisse potestatem, vel tacitè illam concessere, cum ipsius mens non fit vt exclusiua potestatis, cedat in detrimentum animarum, vel Ecclesiæ, fed solùm in aliorum cedentium. Itaque cùm præsumptio malæ fidei non obstitutum videatur, & tanta absque illa præscriptis non possit, quando dicta causa concurrunt.

CASVS X.

Impedimentum dirimens ex voto.

Lutetiæ inuenta Matrimonia cum Petro, perpetuæ castitatis voto emisso ab infante, qui grandior, inuenit cum Petra, & Emerita quoque Petrum adiere, causa quod ab illo durante haberetur: iuerunt confessim vt illum impedirent, quod effectum est; primo quidem intentione absolutè simplici, quia adeo ignorabant, concubitu, concubendi finali, fuerunt delictum.

Quæritur, An dicta Matrimonia dirimantur, & quid faciendum, licentia eorum?

21 Si secunda intentio fuit contrahere, contrahunt.

RSpondeo & Dico Primò, Si fuerunt secundaria intentio fuit contrahere, contrahunt impedimentum effectu secuto. Ratio est, quia vere matrimonium fuit mortem usque contrahendi: non enim tua exprimunt debere esse primariam intentionem.

22 Si contrahunt bona fide, non dirimitur matrimonium.

Dico Secundò, Si dubitatur an habuerint intentionem secundariam, præsertim cum dubium non possunt contrahere sine dispensatione. Ratio est, quia moraliter conflare debet non fuisse de impedimento vt certum habuit, aliàs exponunt se peccato formalitatis.

23 Si omnino bona fide contrahunt, non dirimitur.

Dico Tertiò, Si contrarium non bona fide dubitarunt an subsit impedimentum, non possunt parere debitum aut reddere ante dispensationem. Obtenta autem dispensatione debent contrahere secundò, non quasi Parochi & Ecclesiæ coram quibus ante contrarium matrimonium præsumptum, sed secreto.

Dico Quarto, Bona fide contrahentes nihil fuspicantes de illo impedimento, & politè dubitatio superuenit, adhuc à debito dimittuntur, & nihil possunt mutuis consensibus petere, possunt licet ob egre offensum debitum. Dubitatio tamen ea dicta est non habuisse eos intentionem contrahendi de quorum eum bona fide coniunctionem fuerit quorum stortem inuitissimi fuerint potuerunt minus vehiculi mutuam. Vnde puto petendam dispensationem.

CASVS XI.

Impedimentum dirimens ex voto.

Ante annos triginta puella quædam simulat matrimonium vxoris cuidam, qui per aliquot menses cum ea vixit, cum ea utitur quidem. Dicebat ipsa: dilecta eorum Ecclesia, cum detrimento infestitur à tyrannis, qui homicem spiritum & impostorem deprehenderunt. Officiales nuper promouentur ex experimento per strenuum, ab ea pelli, aliquos nouos, eiam omnibus, puella rebus omnibus auferri, cum vxore ac progenie vagantes relinqui. Nobis mortem minantur, nisi ante 15. annos, cum agentes, fugi à quodam suo populari.

Quæritur, An super hoc fundamentaliter Ecclesia pelli præsumitur sententiam nullitatis grauis magistratus?

RSpondeo breuiter (omissis multis quæ in vtramque partem dici possent) pelli pronuntiari sententiam duorum quod vinculum in præsentio casu. Nam cum de impeditis impedi-

mento agitur, non requiritur semper probatio trienni; sed sufficit inspectio corporis cum iuramento, & aliis signis. Vnde poll puinam puellæ querelam portæ dimittum concessi facta inspectione corporis puellæ & viri, accedente hinc medicorum, & iuramento viri & puellæ, & propinquorum. Multo magis potest iam fieri, cum credibile sit virum posse fœminæ, & ideo frugiliæ quod videret se nihil posse; quæ fuga confirmat præsumptionem impotentiæ, quam etiam confirmat tam diuturna absentia.

Nec refert quod viri confessio desiuerandum iam habeat in quibus quia reliqua signa sufficiunt cum inspectione corporis mulieris, vt colligitur ex Panor. in Cap. un. ¶. & de frigid. & malef. vbi hanc sententiam clarè docet. Idem fatis aperte continentur ex illo Capitulo. Triennij probatio necessaria non est in masculis: quia non in potest istum constare de eius perpetuitate, cum dæmonis nova sit voluntatis: Secùs est in frigiditate quæ à natura est, vt ibidem Panormitanus.

CASVS XII.

Matrimonium fine proprio Parocho.

Parochus originis affixit matrimonia, eorum qui alibi habebant domicilium sine habitationis.

Quæritur, *An matrimonium sit invalidum? An Parochus peccet?*

24 RESpondeo, Parochus originis non potest affigere matrimonia, nec censetur proprius Parochus in hoc negotio, sicut nec in Sacramento Pœnitentiæ, si contrahentes alibi habent domicilium, seu suam habitationem, ubique animo reuertendi & habitandi in loco originis. Quo posito matrimonium illud certum Parocho originis contractum, esset invalidum. Si tamen quæstio non deferat animo loci originis, sed habeat semper animum reuertendi, & ibi habitandi, verè retinuit ibi domicilium habitationis, etiamsi plurimi annis absuerit. Et ita posset ibi coram Parocho contrahere.

Parochus qui affixit matrimonia eorum qui alibi habebant domicilium sine habitationis, si non fuit id fecit, putans id posse facere, etiamsi ex ignorantia crassa, non est suspendus per Concilium Tridentinum sess. 24. cap. 6. de Reform. Matrim. Quia requiritur vt aufert temerario id factum sit: sed quod requiritur scientia, qui scit id esse illicitum. Quod si talis scientia adfuisset, esset suspensus ad arbitrium Episcopi alius Parochi, qui debebat de iure assistere: nec posset absoluti nisi ab illo Episcopo, vt patet ex verbis Concilij. Itaque hic debetur adire Archiepiscopum Mechliniensem cui Parochus contrahentium, & ipsi contrahentes subiunt. Absolutus autem à suspensione pœnitus Episcopus, posset dispensari in irregularitate, quam celebrando in tali suspensione incurrisset, non per Episcopum eundem, sed per Propium Episcopum, in casu erat occultus, vel quemuis alium habentem ad hoc potestatem iure ordinario vel delegato.

CASVS XIII.

Matrimonium sine proprio Parocho,

Quidam Mileti Lycharnigenis opside, Thamen præfecturæ, adeoque quandam Virginem Thamensem, Geldonium Brabantiæ oppidum, ex aduerso Parocho & ipsibus eam contrahere; & contrahunt.

Quæritur, *Prædes sit detinendus?*

VIdetur non esse; quia ille Parochus non erat ipsius Parochus, nec puellæ, fed Parochus Thamensis; nam per sex hebdomadas miles ibi fuerat in præsidio. 26

Respondeo, Matrimonium illud esse validum. Est validū hoc matrimonium.
Ratio est, quia miles ille non habebat in Belgio domicilium, sed censebatur vagabundus sicut alij exteri milites: commorantur enim vbicumque constituuntur à præfecto. Nec obstat, quòd per sex hebdomadas ibi fuerit: quia hoc satis non est ad contrahendam parochiam. Debet enim quis commorari in aliquo loco, saltem mixtim parte anni, vt ibi parochiam sortiatur, sibi non possis. Sacramenta percipere; vel saltem habere propositum ibi tan diu habitandi. Atqui tale non erat in milite, quia omni hora debet esse paratus ad recedendum. Deinde, ipsa puella, vt narratur, iam fuerat relinquere Thenas, & se conferre Leodium. Ad hoc ipso quo quis relinquit aliquem locum, amittit parochianos: donec pertranseat ad amittum terminum vbi statuat ligere domicilium, censetur parochianus parochus propria, fiue vagabundus: ergo potest vbique Sacramenta percipere.

Quomodo priam.

CASVS XIV.

Matrimonium sine Parocho

Quidam ex diœcesi vbi decretum Concilij Tridentini de matrimonia est promulgatum & seruatur, adeuntes loca vbi decretum illud non est promulgatum, discedunt sequestra fine vt sine Parocho possint contrahere.

Quæritur Primò, *Verum sit valide contrahere.*

Quæritur Secundò, *Cum Officiales illius diœcesis baptismi talia matrimonia declarauerint irrita, & censuerint separari: quid sentendum de illis, qui qua separati & quid censendum de prolibus inualidi matrimonij suscepti, & de suscepti ex fœtandi commixtu, quod sum separati inscrunt tunc alij?*

27 *Ad Primum*: Respondeo, Valide contrahere fidelium qui baptizati, vt bene probat Sanctus lib. 3. de Sponsal. disp. 18. n. 4. Vnde sequitur Primò, tales non esse separandos, si probare possint se ita contrahisse. Secundò, eorum proles esse legitimas. Possunt tamen puniri ab Officiariis, si publicas denuntiationes omiserint. Hanc sententiam iudico veriorem, & Iuri omnino conformiorem.

28 *Ad Secundum*: Respondeo. Probabile etiam esse illa matrimonia fic de industria contracta, esse irrita, vt aperte indicat Sanctus (nam alteram sententiam soliam vult esse probabiliorem) & addit pro illa tres graues auctores, nec illi desunt probabiles rationes.

Itaque Domini Officiales separando tales fecerint iunt fententiam probabilem. Vnde qui hoc modo separati sunt, & aliis iunctis, non sunt monendi; sed permittendi in secundo matrimonio, & proles eorum censendæ legitimæ: quia bona fide contrahuntur.

Quòd verò attinet ad proles quæ ex matrimonio contracto fine suscepæ fuerint, hæ relinquantur eo tem-

Digitized by Google

eo ſtatu & loco quo ſunt, niſi fortè lis de earum ſtatu moueatur. Quia ob huiuſmodi probabilitatem ſequi poſſet magna varietas in iudicando, cum magno populi ſcandalo, ſi Officiales qui nunc ſunt, iudicarent ſecundùm hanc ſententiã: qui poſtea erunt, ſecundùm aliam: & poſteriores rurſus ſecundùm primam. Ideircò ſtatuendum vt conſtanter in poſterum ſecundùm probabiliorem iudicetur.

CASVS XV.

Aurelius & Lucretia vocant Parochum & duos teſtes vt Matrimonio ſuo aſſiſtant: ſed inter ſeſe illi agunt, vt teſtes non videantur poſſe perfectè percipere quid illi intendant: ex modo enim agendi & ex verbis videntur poſſe exiſtimare illos iocari, vel aliud intendere quàm intendant.

Matrimonium coram teſtibus indebitè adhibitis.

Quæritur, *An ſit verum Matrimonium?*

29 Cauſa dubitandi.

RAtio dubitandi eſt, Quia non videntur contraxiſſe coram teſtibus; eò quòd teſtes non potuerint ex modo agendi & loquendi perfectè percipere quid Aurelius & Lucretia intendant. Atqui non poteſt quis dici teſtis reſpectu eius quod non percipit: ergo defectu teſtium videtur hoc matrimonium eſſe inualidum.

Eſt verum Matrimonium.

Reſpondeo, Omnino tenendum videtur fuiſſe validum matrimonium. Quia verè & propriè contraxerunt per verba de præſenti, coram Parocho & duobus teſtibus. Ideò enim Parochum & illos duos teſtes aduocarunt, vt coram ipſis contraherent, quod & fecerunt.

Non requiritur vt teſtes cognoſcant intentionem contrahentiũ.

Neque obſtat, Quòd teſtes, & fortè etiam Parochus non omnino cognouerint intentionem ipſorum: quia non eſt neceſſe vt ſciant intentionem contrahentium, vt docet Nauarrus de Sponſalibus, Conſilio 54. nullum enim Ius hoc requirit. Satis enim eſt vt actus ille dicatur fieri coram Parocho & teſtibus, ſi ita fiat coram ipſis, vt ipſi percipiant quid agatur exteriùs, etſi de intentione dubitent: ſunt enim teſtes operis externi, non internæ voluntatis.

Confirmatur: Primò. Quia ſi mulier dicat, *Volo te habere coniugẽ aut maritum*; & vir dicat, *Volo te habere uxorem*, ſi fiat coram Parocho & teſtibus, valet, etſi Parochus ignoret illorum mentem, putetque ſolùm eſſe verba de futuro; vt docet Nauarrus Conſil. vlt. de Sponſalibus. Secundò, fieri poteſt vt perſuaſum ſit teſtibus omnia ſimulatè fieri. Quo caſu quis dicat non fuiſſe matrimoniũ? Tertiò, Sæpè poſſunt addere aliquid iudicri vt rem tegant, & teſtes reddant ambiguos, vt ſe poſſint tueri ſi opus ſit.

Nec etiam obſtat, Quòd verbis obſcuris contraxerunt, vt teſtes non poſſint clarè ſcire mentem ipſorum: tum quia quibuſuis verbis conſenſum viciſſim exprimentibus matrimonium contrahi poteſt, iuxta communem DD. ſententiam; tum quia verba non fuerunt adeò obſcura, quin facilè poſſet percipi quid vellent: vſi ſunt enim verbis Scripturæ Geneſ. 2. quibus ſignificatur ſocietas & auxilium matrimoniale ad prolis generationem, dicentes vltrò citroque, *Accepto te in adiutorium meum*: tum denique, quia non eſt neceſſe vt intentionem contrahentium certò aſſequantur.

Neque requiritur vt verba ſint clara.

Forma inuidioſa, irritans contractum.

His addo, Quando aliqua diſpoſitio vel contractus iure naturæ eſt validus, ſi ius poſitiuum formam aliquam ei ſuperinducat, ſine qua velit illam diſpoſitionem eſſe irritam, ea forma ſic accipienda eſt, vt (quantum verba patiuntur) quàm minimum præiudicet naturali libertati, & validitati diſpoſitionis, iuxta regulam Iuris, *Odia reſtringi, fauores conuenit ampliari*: talis enim reſtrictio & irritatio eſt odioſa. Quam ob cauſſam DD. dicunt non requiri vt teſtes ſint rogati, aut vt ſponte adſint, aut vt velint eſſe teſtes. Item ſufficere vt ſit Parochus alterius partis, & ſimilia: quia verba Concilij hæc omnia admittunt. Pari ergo ratione dicendum eſt, non eſſe neceſſe vt teſtes ſciant mentem contrahentium, modò percipiant ipſum contractum externum: nam etiam tunc in proprietate verborum verum eſt illos non contrahere abſque Parocho præſente & duobus teſtibus.

qui iure naturæ eſt validus, quomodo accipienda.

CASVS XVI.

Matrimonium ſine Parocho & teſtibus.

Titius & Caia contrahunt matrimonium per verba de præſenti abſque Parocho & teſtibus. Et ſtatim in ipſo contractu ſibi mutuò promittunt quòd iteratò ſint inituri illum contractum coram Eccleſia.

Quæritur Primò, *An contractus ille matrimonij de præſenti habeat rationem ſponſalium?*

Quæritur Secundò, *An ex tali contractu de præſenti irrito ex defectu Parochi & teſtium, oriatur impedimentum publicæ honeſtatis?*

Quæritur Tertiò, *An ſaltem illa promiſſio quod iteratò ſint inituri illum contractum coram Eccleſia, non habeat vim ſponſalium?*

31 Probabile eſt habere rationem Sponſalit.

Ad Primum: Reſpondeo, Etſi probabile ſit contractum Matrimonij per verba de præſenti abſque Parocho & teſtibus habere vim ſponſaliorum, cùm multi Doctores non ſine probabili ratione id doceant, vt Couar. in 4. p. 1. c. 3. in fine. Henriq. l. 11. de Matrimonio cap. 5. n. 4. & alij. Tamen contrarium eſt probabilius; quia Concilium Trident. *Ad ſic contrahendum omnino inhabiles reddit*. Si contractus eſſet validus inſtar ſponſaliorum, non eſſent ipſi omnino inhabiles. Ita Sanchez lib. 1. diſp. 20. & multi alij, quos ipſe citat, & benè id probat. Idem expreſsè docet Nauar. in Conſil. tit. de Sponſalibus, Conſil. 1. num. 3.

Contrarium eſt probabilius.

33 *Ad Secundum*: Reſpondeo, Quod ad impedimentum publicæ honeſtatis attinet, probabilius eſt ex tali contractu de præſenti irrito ex defectu Parochi vel teſtium, non oriri hoc impedimentum: quia deeſt forma eſſentialis contractûs matrimonij, nec habet vim ſponſalium, vt dictum eſt.

Nec obſtat cap. 1. de ſponſal. in 6. Quia poſt Concilium Trident. ſeſſ. 24. c. 3. ex ſponſalibus irritis non oritur vllum impedimentum. Si tamen quis velit ſequi alios Doctores qui tenent talem contractum habere vim ſponſaliorum, dicere debet per eum induci impedimentum publicæ honeſtatis. Vide Sanchez lib. 7. de Matrimonio diſput. 70. n. 13.

34 *Ad Tertium*: Reſpondeo, Res hæc difficultatem habet. Si enim quis dicat eos ſolùm ſibi mutuo promiſſiſſe, quòd iteratò eſſent inituri illum contractum coram Eccleſia, eò quòd putarent ſe iam coniunctos, & idcircò debere etiam publicè facere quod clanculum fecerant, ſic non videntur eſſe ſponſalia, quia promiſſio illa nititur errore quo putant ſe iam coniunctos, & idcircò debere illam cæremoniam coram Eccleſia repetere. Si verò abſolutè intenderunt de nouo ſe obſtringere ad ineundum matrimonium, etiam eo euentu, quo anteà nihil eſſet actum, nec vlla obligatio orta ex illo contractu: ſic dicendum eſt eſſe ſponſalia. Et hoc videtur verius: quia videntur omni modo voluiſſe firmare ſuum contractum. Vnde non ex

interuallo, fed ftatim in ipfo contractu promifsionem illam addiderunt. Quo poſito, non poſſunt abſque conſenſu mutuo ad alias nuptias tranſire.

CASVS XVII.

Matrimonium fine Parocho in locis hæreticorum.

An Matrimonia contracta ſine præſentia Parochi ſint irrita in locis hæreticorum?

55 REſpondeo, Vbicumque Decretum Concilij Tridentini lefſ. 24. c. 1. de Matrimonio eſt promulgatum iuxta formam ibi præſcriptam, Matrimonium contractum ſine præſentia Parochi, aut Sacerdotis alterius de ipſis Parochi vel Ordinarij Locorum, eſt nullum: vt patet clarè ex verbis Concilij. Quod etiam dicuntur declarafſe Cardinales deputati; vt ante nouem annos refponſum eſt Romæ.

Vnde vbicumque decretum iſtud promulgatum legitimè fuerit, quamuis forte Concilium ipſum non fuerit ibidem promulgatum a matrimonia ſine Parocho, vel alio Sacerdote ad id cótracta, ſunt irrita. Hinc fequitur irrita eſſe in Hol-

Recipe Anglia & Zelandia. Sic eſt in Anglia, vbi non fuit promulgatum.

56 Nec obſtat quòd lex poſitiua non videatur obligare, vbi non poſſet ſeruari: quia non intelligendum de lege poſitiua, quæ ſolùm præcipit vel vetat aliquid ex fe ſeruari; non autem de lege irritante contractum, & maximè quæ vltra hos contrahentes reddit inhabiles. Non enim ſolùm hic irritatur ipſa contractio ſubſtantia, ſicut vtitur contractus Matrimonij legitimi, quamuis id poſſet ſufficere: ſed etiam inducitur inhabilitas, quæ inhabilitat, non tollitur per hoc quòd non inuenitur Parochus &c. Ecclia inhabilitas coniungitur cum noſtiter per hoc quòd aliquando non fuerit hac inhabilitate, eſt implicitè contenta in ea fanctione: quod eſt contra hos dictum.

Parochus tenetur ſuos inhabiles ve fe contrahant.

Inhabilitas illa non tollitur per extremum neceſſitatis.

Addo, Quòd nec extrema neceſſitas aut periculum mortis poſſit tollere hanc inhabilitatem, per quamuis lege poſitiua tollatur, vt communiter Doctores. Quorum plurima quæ in hanc lententiam dici poſſent; quia non ſunt neceſſaria; nec multum ad rem faciunt. Nam in Hollandia & Zelandia facile poſſunt inueniri qui ab Ordinario facultatem habeant Matrimonio aſſiſtendi: vel certè poteſt peti dispenſatio à Pontifice.

CASVS XVIII.

Conuiuiti in nuptijs illicitis.

Vtrum ſine peccato mortali liceat Catholico adire nuptiale conuiuium Catholicorum, quando Matrimonium non fit contractum cum Parocho & teſtibus?

57 Rationes dubitandi.

VIdetur non licere. Primò, Adire nuptiale conuiuium eſt gratulari ſponſis nouas nuptias, cuique approbare: ideò enim celebratur conuiuium vt omnes gaudeant, & bene precentur: ſed huiuſmodi actum eſt illicitum. Secundò, quia talis nuptiæ ſunt fornicationes: atqui non licet gratulari ſtatum peccatorum, vt etiam inpurum: ergo. Tertiò, quia eſt ſcandalum.

Affirmatur ſuper ſe mortale peccatum mortale.

Sed contrarium tenendum eſt; ſcilicet, hoc non eſſe peccatum mortale ſi ſcandalum abſit, & hoc per ſe loquendo, vel damni mortalis, vel graue offenſionis quæ tandem poſſit ab eum adtuere, vitari neſciens.

Dico, Si ſcandalum abſit, quia hoc in omni opere per ſe indifferenti, imò etiam in opere alias bono non præcepto vitandum eſt.

Dico, Si abſint pericula, &c. vetare nequit: quia ſi quis poſſit ſe commodè abſentare, non videtur permittendum; habet enim quandam malè ſpeciem. Non tamen puto eſſe peccatum mortale, ſi illud communis adeas gratificandi cauſſa, vt quia amicus, quia eius opera interdum egeo, vel etiam vt lautius comedas.

Probatur hæc ſententia. Primò, Adire talia conuiuia non eſt per ſe malum, vt patet: ergo ſi aliqua nulla cauſſa interueniat, erit leuiſsimum.

58 1. Ratio

Secundò, Si eſſet peccatum mortale, id proueniret ex aliqua ſuppoſita dictarum cauſarum, quæ in argumentis pro parte contraria ſunt expoſitæ: ſed nulla illarum ſufficit. Non primo, quia non eſt neceſſe vt approbet illas nuptias, ſeu contractum eo modo quo factus eſt. Nam ſæpè accidit vt conuiuium nuptiale veniat, qui nuptias illas improbat & deteſtatur: vnde non venit cauſa gratulandi & approbandi, ſed ſolùm vt vitet offenſionem amici, vel aliud incommodum. Deinde poteſt ipſis gratulari & bene precari non ſuppoſitis, quòd legitimæ fint ex parte rei, ſed quòd tales communiter putentur: ſicut poteſt quis alicui gratulari ſtatum, quem vulgò putatur habere, etiamſi eum legitimè non habeat. Præterea, hic gratulationibus nó approbatur modus quo ſtatus ille ab altero acquiſitus eſt, ſed approbatur ſtatus ſecundum ſe, & ſignificatur gaudium ſuper habitus, vel ſingimus non habere, eò quòd ipſe talem ſtatum habeat; & apud viros bonos intelligitur hæc tacita conditio, *Si iuſtè poſſideat.* Non etiam Secunda, quia ſicut ſolemnitas matrimonium ſecretum, tamen publicè non habetur pro tali, ſed pro honeſto. Tu autem ſolùm gratularis illi ſub ratione veri matrimonij. Denique non Tertia, quia ſuppoſimus abeſſe ſcandalum.

1. Ratio impertinens & multiplicè excluſa.

59

Tertiò, Catholici adeuntes huiuſmodi conuiuia multis modis exoſtari poſſunt à peccato mortali: Poſſunt enim quæ ſunt matrimonia ſic multiplicè bentur legitima. Neque id mirum, cùm etiã quæ dam viti aliquando hæc dicti, aliquando putue- tunt ea valida eſſe, eo quòd ſint contracta publicè, non clandeſtinè: dicebant enim Concili) Trideotini mentem ſolùm fuiſſe irritare matrimonia, quæ ita clandeſtinè eſſent contracta, ve ne Parochus quidem & duo teſtes adeſſent, non autem ſi publicè coram toto populo: ita enim cerfatur ratione Concilij. Quæ ſententia eſt ſimilis eiusquam alia ſit probabilis, tamé videtur habere aliquam ſpeciem ips, qui veiba Concilij non ſatis ponderant. Secundò, quia in illis Prouinciis hæreticorum nuptiæ ferè ſunt Parochi, autcertè latent, vt non ſint ad manum. Nuper autem Romæ à me ſcripſum eſt, vbi Parochi non ſunt, ibi matrimonia abſque Parocho valida eſſe. Quod ſi hoc verũ dicitur vtiam eſt, quamuis facilis ſimplicio- neſſi ſibi perſuadere poterunt ſi Sidicas, nonde- eſſe Sacerdotes qui habeant licentiam à Reuerendiſſimo Colonſienſi. At hi ſæpè non ſunt ad manũ, vel ignorantiæ, vel neſciũt locorum determinan eſſe neceſſariam, cùm non ſint Parochi, nec vllus publicus contrarius oſtendatur. Tertiò, quia poſſunt nuptiæ eſſe annorum illis annis coram tali Sacerdote priuatim contractæ: & poſtea contrahere coram magiſtratu vel miniſtro, vt curabat multi- dam. Quarto, Poſſunt cauere ne ſponſi gratulef- tur, vel gratulari non ex animo; non enim erit mis mendacia & ſimulatio quædam politica, quæ non eſt peccatum mortale) vel ſolùm bene precari quod peccatum non eſt. Quinto, poſſunt ex-

Vbi non fuerit Parochi, Concilium non obligat.

cuſari

Google

Naaman Syrus Regi suo sacrificanti licitè assistit.

cusari ratione damni, vel offensionis grauis, qualis plerumque metuitur. Si enim Naaman Syrus poterat flectere genua ante idolum, rege adorante, vt regi obsequium præstaret, idque ad offensionem regis vitandam, cùm tamen præberet speciē quandam idololatriæ, vt passim DD. tradunt, & colligitur 4. Reg. 5. quantò magis poterit Catholicus adire conuiuium nuptiale, quæ res est indifferens, nullam mali speciem præseferens, vt indignationem alterius periculosam auertat.

Quartò Probatur. Licitum est adire conuiuium æthnici vbi proponuntur idolothyta, & ex illis vesci, etiamsi scias fuisse immolata, modò absit scandalum, vt patet ex Apostolo 1. ad Corinth. 8. Et tamen multò maior hîc videtur esse species mali & approbatio, quàm in casu nostro, cùm ipsi cibi fuerint diis immolati: ergo.

40 4. Ratio.

Quintò, Licitum est adire conuiuium quod dari solet à Prælato, v.g. ab Episcopo, Abbate, Decano, quando initiatur, vel professionem accipit, etiamsi sciam ipsum simoniacè promotum, quando communiter promotio illa putatur valida; nec ideò censendus sum approbare simoniam. Ergo similiter accedendo conuiuium nuptiale, non necessariò censeor approbare illas nuptias, aut modum contractus.

5. Ratio.

Sextò, Quotiescumque aliquid per se malum non est, aut specialiter prohibitum, non teneor eo abstinere, etiamsi alius eo vtatur ad malum finem; modò ego ob bonum vel indifferentē finem id faciam: nec censeor alterius malitiæ consentire, vt communiter docent Doctores, & patet his exemplis: Possum vendere Iudæo agnum & virgulta, etiamsi sciam vsurum ad superstitionem, modò non eo fine faciam: & ancilla potest ornare dominam suam, eiusque thalamum cōponere etsi sciat ipsam ad malum finem hæc destinare: Potest etiā præparare carnes die prohibito, si commodè non possit detrectare: nec censetur malum finem approbare, ob quem illa hæc parat. Cur ergo pari ratione non possum adire conuiuium nuptiale, etiamsi illud conuiuium instructum sit ad solennitatem matrimonij inualidi?

41 6. Ratio.

Septimò, Si Matrimonium esset inualidum ratione metus, vel impedimenti criminis, aut ob aliā causam, & passim putaretur validum, eò quòd nesciant homines hæc esse impedimenta, possem ego cum ceteris adire conuiuium, & generatim gratulari sponsis, vt vsus communis probat, cur non etiam in casu proposito?

7. Ratio.

Octauò denique, Id licitum est in ceteris contractibus; vt in emptionibus, venditionibus locationibus inualidis: cur non etiam in contractu matrimonij? Fateor tamen te teneri monere sponsos (si spes est audituros) vt rursus contrahant secundum formam Cōcilij: quia tenemur errantes corripere, si spes est emendationis.

8. Ratio.

Ad argumenta in contrarium, patet ex dictis. Ad Primum, Ostensum est non approbari per hoc contractum vllum in particulari, sed in genere tantùm contractum & statum matrimonij. Ad Secundum Non approbatur fornicatio, quia non approbātur nuptiæ inualidæ, sed in genere nuptiæ, cum tacita conditione, *Si Validæ sint*. Ad Tertium Ponimus abesse scandalum. Quod enim potest esse scandalum ex eo quòd homines simplices adeant nuptias suorum consanguineorum, quę passim validę putantur? Secùs fortè si esset Sacerdos: quamuis & hic alicuius boni finis causâ possit interdum interesse.

41 Soluuntur argumenta.

CASVS XIX.

Matrimonium sine consensu parentum.

Titius contraxit cum Caia, in præsentiâ Parochi & duorum testium, absque tamen facultate parentum.

Quæritur, *Vtrùm hic contractus matrimonialis sit absolutè validus?*

43

REspondeo, Perpensis iis quæ in facti specie narrantur: & considerato Parochi proprij testimonio, non occurrit vlla ratio alicuius momenti, ob quam contractus inter Caiam filiam & Titium, qui hîc proponitur, non debeat censeri validus contractus matrimonij. Fuit enim factus in præsentia proprij Parochi, & duorum testium; & inter ipsos contrahentes nullum intercessit impedimentū dirimens, quale esset cognatio vel affinitas intra quartum gradum, vt supponimus. Itaque & ipsæ personæ contrahentes habiles fuere, & seruata est forma ab ipso Concilio præscripta, vt patet sess. 24. cap. 1. de Reformat. matrimonij. Nihil autem aliud ad validitatem matrimonij requiri, est communis sententia Doctorum: quod etiam ex ipso Concilio satis manifestè conuincitur, & ex praxi orbis Christiani rebusque sæpissimè iudicatis.

Nec obstat quòd facultas parentum non intercesserit. Etsi enim valdè decens sit vt liberi sine hac non attentent contrahere, tamen absolutè ad substantiam contractus non est necessaria, vt habetur. Cap. *Cùm virum*, de Regular. & definitur cap. 1. de Refor. matrimonij à Tridentino. Vnde etiamsi absit, & inuitis parentibus contractus matrimonij ineatur, nihilominùs validus & insolubilis erit, vt omnes Doctores tradunt.

44 Benedictio &c. hic non necessaria.

Pari modo ad substantiam huius contractus non est necessaria benedictio, aut vlla alia obseruatio temporis vel loci, vt patet ex dicto cap. primo sess. 24. Vnde nō minùs validus est qui sine benedictione initus fuit, & in cubiculo, & tempore Quadragesimæ, quàm qui in templo, & cum benedictione, & tempore nuptijs concesso, modò personæ alioquin habiles fuerint, & res in præsentiâ Parochi, & duorum testium peracta sit. De his omnibus latè diximus in 3. p. D. Thomæ in materia de Matrimonio cap. 4. dub. 10.

CASVS XX.

Exhæredatio ob matrimonium.

Titius Anglus adolescens 32. annorum duxit filiam se non indignam contra voluntatem sui parentis, propterea ab eo per testamentum exhæredatur.

Quæritur, *Vtrùm illa exhæredatio sit valida? Et consanguinei ea bona possint possidere?*

45

REspondeo, Certum est Iure communi Cæsareo, & Iure Canonico non potuisse Titium exhæredari, eò quòd duxerit filiam illam contra voluntatem patris: præsertim cùm illa non fuerit eo indigna, sed par conditione, etsi non opibus. Est communis sententia Doctorum, & colligitur manifestè ex Aut. *Vt cùm*. De appellat. cognosc. 8. §. *Causas autem*. Vbi recensentur 14. causæ, ob quas pater potest exhæredare filium; inter quas illa non reperitur. Et §. *Aliud quoque capitulum*, expressè dicitur ob alias causas non posse exhæredari. Confirmatur. Quia causa, ob quam filius exhæredatur, debet esse valdè grauis, quia est grauis pœna, cùm priuetur bonis, quæ iure Gentium & Ciuili ei debentur.

Causa exhæredationis filij & filiæ.

Idem ex eo probatur, quòd nec filia possit exhæredari, eò quòd inuitis parentibus nupserit,

stis offendere, ab ipsis prorsus extranea; ne vbi peccatorum est venia postulanda, ibi peccandi detur occasio &c. Concilium Trident. sess. 22. inter cetera, iubet vt omnes seculares actiones, *vana atque prophana colloquia ab Ecclesijs arceantur.*

3 Ex SS. Patribus.

Tertiò, Ex Patribus: Pulcherrimè Chrysostomus Homil. 40. ad Populum, quem locum rogo vt D. Tua expendat: *Celebratur*, inquit, *oratio; omnes iacent segnes iuuenes & senes, piacula magis quàm homines; ridentes, cachinnantes, colloquentes, & alijs detrahentes, supra genua positi. Tu iuuenis ades vel senex; increpa cùm videre, accusa vehementiùs; si non toleraut, Diaconum voca, minare; quæ tua sunt, exhibe; & si quid aduersus te fuerit ausus facere, omnes prorsus habebis conspirantes. Quis enim tam irrationalis, qui te videns de talibus arguentem, & illos redargui, non adhæreat parti tuæ? Video rursum & alios loquentes rectos, dum oratio celebratur: eorum verò leues mores, non solùm dum oratio perficitur, verùm & dum Sacerdos benedicit. O rem horrendã, quando salus erit? quando Deum placare poterimus? Et sanè perfectè tremẽdum est, quòd huc venis non ludũ aut choream obiturus, & tamen stas incompositè. Nescis quòd cum Angelis consistis? & cum illis cantas, & cum illis Deum laudas, & stas ridens? Nònne mirandum est fulmen nõ interqueri non solùm in istos, verùm etiã in nos? sunt enim ista fulmine digna. Adest Rex, exercitum recenset, & tu subillius oculis stas ridens, & visum despicis? Quousque accusamus, quousque redarguimus? Nònne tales tanquam noxios, tanquam corruptores, tamquam pernitiosos & perditos, & innumeris plenos malis ex Ecclesia deceat expelli? Quando isti videre desinent, qui etiam in horroris hora rident? Quando à rugis abstinebunt, qui orationis tempore loquuntur? Nonne eos qui adstant reuerentur, non Deum timent. An non sufficit nobis mentis negligentia, & quod errantes alò circumagimur? Sed & risum oportet sub, epere? Propterea vobis, qui sanie istis, protestor, quòd iudicũ vobis erit & condemnatio; & vos tam Deo trado, si quis tumultuantem videns vel loquentem, illo præsertim tẽpore, non significet, nec corrigat. Ecce quale crimen tales non monere. Hoc est oratione melius si orationem omittens illum increpes, vt & illi prosis, & teipsum liberes facias, vt sic omnes saluari possimus. Igitur in malo illo cõsiturum neglegat nemo.* Hæc ille. Similia habet Homil. 74. in Matth. & Homil. 37. in epist. ad Corinth. vbi etiam inter cetera: *Quid enim? Domos adungendum non habetis? Ecclesiam Dei contemnitis? Si quis est qui modestus, qui tacitus esse velit, corrumpitis? Atqui dicitis, iucundum esse colloqui cum familiaris. Esto sanè: non veto: sed domi, sed foris fiat: Ecclesia enim non differendi, sed discendi & orandi locus est,* &c. Omitto aliorum Patrum testimonia.

Ex templo expellendi.

Qui fabulantes non arguit, peccat.

8

Fabulantes publicè increpandi.

Admon. Diaconum.

4 Quanta Deo ab homine debita reuerentia.

Vides hic neminem excipi; non Regem, non Pontificem, non Nobilem, non Militem, aut alium quemlibet: sed generatim omnes constringi: & meritò. Quid enim sunt omnes gentes, & celsitudo humana ad illam Majestatem? *Gutta oris antelucani, vapor ad modicum parens,* scena, vanitas, somnium, nihil. Si sublimes illi Principes & potestates cælestes cum magna reuerentia adstãt, nec audent intueri illam Majestatem *propter emicantem inde splendorem*, vt Chrysostomus lib. 3. de Sacerdotio ait, quid non debent facere mortales, *qui luteas habitant domos, & terrenum habent fundamentum; quorum gloria putredo & vermis*, vt Scriptura loquitur?

Maximè à Magnatibus.

Addo, Quò quis maior est inter homines, eò ipsum in rebus diuinis maiorem reuerentiam præstare debere: tum vt alijs sit exemplo, qui libenter Magnorum mores sequuntur: tum vt in Deum gratus sit, cuius beneficio ceteris est maior. Qui enim est filius Principis, potuisset esse filius mendici, si Deo ita placuisset. Itaque hoc ipsum est Dei beneficium, & congrua animi submissione erga ipsum profitendum.

5 Deus honorantes se, glorificat.

Denique perpendendum illud quod Dominus ait ad Samuelem 1. Reg. 2. quando reiecit Heli, & quod Adrianus VI. cum esset magister Caroli V. illi Principi sæpè ingerebat: *Quicumque honorificauerit me, glorificabo eum; qui autem contemnunt me, erunt ignobiles*: quæ sententia illi magno commodo ad reuerentiam in rebus diuinis, & moderationem submissionemque animi in omni vita præstandam, fuit.

6 Nota Auctoris modestiam.

Hæc sunt quæ D. Tuæ putaui insinuanda, vt ea dignetur, præsertim hoc sanctissimo tẽpore, quando Domini nostri humilitatem & crucem pro nobis toleratum commemoramus, perpendere; & abstinere ab ijs quæ suæ Excellentiæ, neque salutaria, neque honorifica sunt, defendendis. Excipiat illa eo animo, quo dicuntur; meque excusset si fortè videar molestus. Vides S. Chrysostomum mihi iudicium & condemnationem minantem, si taceam: amor quoque & obseruantia qua Iuam Excellentiam prosequor, me impulerunt: Non monui publicè, vt Chrysostomus fieri vult, sed priuatim, magna honoris vestrum omnium habita ratione. Fundamentum autem fuit non paucæ vel raræ confabulationes, sed crebræ & ferè assiduæ cum illis, cum vultus in omnem partem conuersione; denique illis modis qui hic maximè à Chrysostomo notantur. Non dubito quin Excellentissimus Dominus, si iudicium tuum accesserit, hanc mentem meam sit probaturus; cui omnia prospera, magnifica, & gloriosa voueo: sicut & D. Tuæ salutem & summum bonum.

CASVS II.

Confessio tempore Missæ.

Vtrùm fidelis faciant præcepto Ecclesiæ de audiendo diebus festis Sacro, qui tempore Missæ confitentur?

7 Non videntur in rigore satisfacere.

REspondeo, Valdè probabile esse, eos, qui tempore Sacri diebus festis confitentur, si bonam partem, v. g. tertiam ea in re occupentur, ita vt non possint attendere ad sacrificium, in rigore non satisfacere præcepto. Nam requirunt passim Doctores attentionem aliquam ad id, quod geritur in sacrificio; nec admittunt actus huic incompossibiles. Cui attentioni etsi preces Horariæ & similia non repugnent, præsertim cùm illæ etiã ad honorandum sacrificium referri possint; tamen confessio videtur magis repugnare; quia magis mentem absorbet, & alijs affixam tenet, adeo vt de sacrificio vix possis cogitare.

8 Excusantur occupati.

1 Per epikiam.

Omnino tamen videntur excusandi, quibus, ratione negotiorũ, vel quia sunt in obsequio aliorum, non est integrum aliud Sacrum audire. Idque ex duplici vel triplici capite. Primò, Per *Epikiam*. Si enim legislator esset præsens & omnes circumstantias nosset, non vellet illos obligare. Nã hãc dubiè mauult Summus Pontifex illos tali modo Sacro interesse, cum tanto fructu spirituali, quem ex confessione percipiunt, quàm sine illo fructu perfectiùs ad sacrificium Missæ attendere.

2 Per consuetudinem legitimè præscriptam.

Secundò, Per consuetudinem legitimè præscriptam: Hæc enim sicut potest legem aliquã abrogare, ita multò facilius potest moderari eius obseruationem; vt patet ex Cap. Finali. de Consuet. Vbique autẽ in Belgio est consuetudo, vt illi, qui sub Sacro cõfitentur, nec diutiùs manere possunt, ad aliud Sacrum non teneantur obligati. Quam

consuetudinem puto etiam alibi vigere, estq; maximè rationi consentanea, & secundùm mentem Ecclesiæ. Ad præscriptionem huius consuetudinis sufficere existimo decem annos: quia non agitur contra ius alicuius Ecclesiæ, sed solùm contra legem. Et quamuis quis contenderet quadraginta annos esse necessarios, illi facilè inueniẽtur: nam consuetudo confitendi diutiùs in Belgio floruit.

5. Propter lucrum spirituale.

Tertiò, Ratione lucri spiritualis quo alioquin priuarentur. Si enim ob notabile commodum tẽporale licitum est etiam à Sacro abesse, si alia ratione id obtineri nequit vt omnes fatentur, cur ob ingens lucrum animæ, quod alia ratione consequi moraliter non potes, non liceret tibi imperfecto illo modo Sacrum audire?

Quæ attentio sufficiat in Missa.

Addo, Ad satisfaciendum præcepto absolutè, non opus esse audire verba, aut videre sacrificantem; sed sufficere vt intersit cum reuerentia, vt sacrificium suâ præsentiâ honoret. Vnde sufficit attentio quædam confusa, quâ aduertat ibi sacrificiũ offerri, vt docet Ioannes Medina Cod. de Confess. qu. 44. quæ attentio videtur stare posse cum actu confitendi, præsertim si ille actus dirigatur ad participandum sacrificio: Tunc enim intendere illi actui, est implicitè intendere ipsi sacrificio & illud honorare.

Denique sicut præceptum de abstinendo ab opere seruili die Festo non prohibet opera recreationis, vel alicuius necessitatis temporalis; ita præceptum audiendi Sacri non prohibet exercitium orationis, aut alterius operis spiritualis. Ita Medina suprà.

9 Probabile est tales excusari ab audiendo alio Sacro etsi possint audire.

Ex quibus satis probabile iudico etiam eos non teneri ad aliud Sacrum audiendum, quibus sat tẽporis suppeditat, si bonam saltem partẽ extra confessionem audierint, ac proinde sub peccato mortali nõ cogendos tanquam obstrictos, sed hortandos tanquam ad id, quod tutius est & decentius.

CASVS III.

Collectio eleemosynarum tẽpore Missæ.

Vtrùm eidem præcepto Ecclesiæ de audiendo Sacro satisfaciant Collectores eleemosynarum, qui vsque ad Offertorium obeunt?

10 Respondeo, Vidẽtur satisfacere: excusat enim illos Collectores eleemosynarum qui vsque ad Offertorium obeunt, Primò, Lex æquitatis seu epiqiæ. Secundò, Cõsuetudo præscripta. Tertiò, Vtilitas temporalis pauperum, quæ alia ratione non videtur posse obtineri. Denique quia est opus tale cum quo possit stare attentio confusa.

CASVS IV.

Institor ratiõ audiens Sacrum die Festo.

Institor quidam assiduè ad pagos & oppidula vicina exeuntibus diebus Dominicis quando ibi est dedicatus, vt vendat suas res ulas: quò fit vt rarò audiat Sacrum. Viuit ex hac industria, nec habet famulum, aut alium, cuires suas committat.

Quæritur, *An talis possit absolui?*

11 Respondeo, Talem absolui posse, præsertim si alia ratio illi non suppetat victum conquirendi, & sustentandi familam; nec, adhibitâ diligentiâ, possit interesse Sacro absque notabili iacturâ lucri, vel periculo mercium, &c. quâ in re potest illi fides adhiberi, si alioquin non est suspectus de hæresi, vel contemptu, aut paruipensione rerum sacrarum.

12 Audiat sacrum alio vel alio commodo tempore Sacrum auditurum: vt damnum illud spirituale quodammodò sarciat. Potest enim hoc illi Confessarius imponere: quia videtur ad bonum ipsius spirituale aliquo modo necessarium, ne omnino siluescat, &c.

CASVS IV.

Sacellanus quidam admisit Legatum quo obligatur in certo Sacello peragere officium diuinum quoties salua honestate ac debitâ deuotione poterit. Obligatio ad Missam quotidie celebrandã.

Quæritur I. *An hic Sacellanus teneatur quotidie celebrare, & semper offerre pro defuncto?*

Quæritur II. *An nunquam possit abesse quin alium in suo Sacello celebrantem substituat?*

Quæritur III. *An possit simul admittere in alio templo beneficium Parochiale.*

Ad Primum: Respondeo, Illum Sacellanum nõ teneri absolutè quotidie celebrare (quia tale onus ei imponi non potest, vt patet ex Cap. *Significatũ* de Præbẽdis) sed *quoties salua honestate ac debitâ deuotione poterit*, vt patet ex literis institutionis. Sic enim explicandam esse dispositionem quotidianæ celebrationis declarat dictum Capit. *Significatum*, suprà. Quòd si saluâ honestate & debitâ deuotione possit quotidie, tenetur quotidie: nisi consuetudo recepta, vel auctoritas legitima aliquid hac in re mitigauerit, præsertim si præbenda sit tenuis.

13 Absolutè non tenetur quotidie celebrare.

Tenetur, si possit.

Quid autem sibi velit illa clausula, *quoties salua honestate ac debitâ deuotione poterit*, explicat Panormitanus in dictum Cap. *significatum* quem sequitur Siluester V. Missa 1. §. 7. in fine, & alij. Declaratur aliquot exemplis: Primò, Si quis passus sit pollutionem præsertim ex culpa, & etiam si absq; culpa, & remaneat adhuc in animo aliqua imaginatio, &c. Secundò, Si graui aliqua passione, v.g. iræ vel tristitiæ correptus, non possit facilè animum componere. Tertiò. Si corpore non sit benè affecto, vel sentiat tadium quoddam, quod non possit facilè excutere. Quartò, Si sentiat cruditates stomachi, quales ex crapula & cõuiuiis interdum relinqui solent. Quintò denique, quando ita est affectus, vt non videatur sibi posse tantum munus cum debitâ deuotione & attentione obire.

Explicatio clausulæ hic adiecta.

Non tenetur offerre pro defuncto.

Tenetur quidem orare pro defuncto Fundatore: non tamen tenetur fructum sacrificij primarij ei semper applicare: quia Fundator id non expressit. Vnde potest etiam ab aliis subinde stipendium sustentationis pro Missis suis accipere.

Ad Secundum: Respondeo. potest abesse ob iustam causam, sicut possunt alij Sacellani, v. g. ob primitias consanguinei, vel peregrinationem ad B. Virginem Gratiæ, &c. Neque tenetur tunc aliũ substituere, sed sufficit vt faciat Sacra in loco vbi erit: Solùm enim obligatur in suo Sacello celebrare *quoties salua honestate, & debitâ deuotione poterit*: quibus verbis non intendit Fundator illi omnem peregrinationem, & vilitationem amicorum prohibere: sed solùm illum obligat vt quando est in oppido, nec habet iustam causam se absentandi, nec aliquid interuenit quod suadeat sacrificium omittere, tunc in illo sacello celebret. Idem cernitur passim in aliis beneficiis: & etiam in Pastoratibus, qui maximè assiduam residentiam requirunt. Nimis rigida & inhumana esset contraria interpretatio.

14 Potest subinde à sacello abesse.

Capellanus non tenetur aliũ substituere quando ipse legitimè impeditur, si institutio seu fundatio beneficij ita facta est vt ipsius personam directè

Neque tũc tenetur alium substituere.

Digitized by Google

rectè respiciat; vt cum dicitur, *Volumus vt ipse quotescumque potest, &c. ibi celebret.* Si autem referatur immediatè ad ipsum officium, vt si dicatur, *Volumus vt ibi quotidie celebretur*, &c. tunc tenetur alium substituere. Ita Panorm. in dictum Cap. *Significârum.*

15 Hæc Capella non cõpatitur beneficium Parochiale.

Ad Tertium: Respondeo, Cùm ista Capella residentiam personalem requirat, non compatitur Pastoratum, nisi ita sit vicinus vt vtrique possit deseruire. Quod videtur difficile, quia non solùm ad Missam in capella, sed etiam ad chorum adstringitur. Causa studiorum potest absentiâ aliquot annorum vti, quo tempore ex Episcopi dispensatione poterit facere sacra in loco studiorum, nullo alio substituto. Potest enim Episcopus in huiusmodi circumstantiis ad tempus dispensare, præsertim iis quorum interest (qui sunt in hoc casu Domini de Capitulo) consentientibus.

CASVS VI.

Sacrorum obligatorũ moderatio.

Beneficiarius necdum Sacerdos, per duodecim annos quibus beneficium suum obtinuit, non recepit ex eo detractis expensis necessarijs, nisi sexcentos florenos; ac proinde pauca Sacra, cùm tamen ad quotidiana teneretur, fieri curauit.

Quæritur, Per quem, & qualis Sacrorum moderatio erit facienda?

16 Pro sacrificio licet accipere ab vno vel plutibus quantum necessariũ est ad sustentationem.

RESpondeo, Multorum Doctorum sententia est, cum qui obligatur ad Sacrificium quotidie offerendum, posse vel ab vno vel à pluribus accipere quantum necessarium est ad sustentationem. Sic Melchior Canus lib. 12. de Locis. c. 13. ad 10. *Omnis opinio*, inquit, *in hoc consentiat necesse est, Sacerdotem, siue pro pauper, siue pro multis celebret, cibum vitæ necessarium expetere suo iure posse quem, si vnus non dederit, nulli facit iniuriam si experiatur à pluribus.* Idem docet Sotus lib. 9. de Iustit. q. 3. ar. 1. sub finem Petrus Aragon. pag. 679. de Iustit. & alij multi. Hæc sententia, etsi fortè contraria sit verior, non est improbabilis.

17 Vnde sequitur Eum qui habet beneficium, ratione cuius tenetur quotidie celebrare, non obligari integrè numerum explere; nisi recipiat quantum aliquo modo sufficit ad sustentationem.

Potest in hoc casu fieri moderatio.

Quare cùm Beneficiarius ille, de quo quæritur, dicat se duodecim annis, quibus obtinuit beneficium, non recepisse, detractis expensis necessarijs, nisi sexcentos florenos in vniuersum; & quotannis cuiuis dici duo Sacra: non videtur cogendus vt integrum numerum Sacrorum præstet. Fructus enim computandi sunt detractis expensis, vt passim Doctores docent; qui non fuerunt vllo modo sufficientes ad sustentationem vel tenuissimam; nam non nisi quinquaginta florenti in singulos annos cedunt.

18 ab Episcopo.

Itaque non dubito quin Episcopus possit ei facere aliquam moderationem: hanc enim potest facere etiam in maioribus cautis & publicis; vt insinuatur Cap. *Placuit*, de Constitutionibus: vbi Glossa dicit immunitis redditibus posse auctoritate Episcopi diminui numerum ministrorum, quod longè maius est, ac proinde, multòque magis numerum Missarum. Et Concilium Trident. sess. 25. cap. 4. de Reform. permittit Episcopus vt restringant numerum Missarum, quando est ita magnus, vt nequeat eis satisfieri, vel eleemosynæ ita tenues, vt non facilè inueniantur, qui huic se muneri velint subiicere.

Extra Synodum.

Hic tamen non est opus vt moderatio fiat in Synodo Diœcesana: nam Capitulum, *Placuit*, hoc non requirit: neque Concilium Tridentinum loco citato ad id obligat, præsertim cùm hæc res sit occulta, priuata, concernens peccatum.

19 Qualis moderatio.

Abundè autem satisfactum videri poterit, si pro sex annis prioribus adhuc vnum Sacrum in singulas hebdomadas curet fieri, id est, trecenta duodecim; & pro sex posterioribus in singulas hebdomadas duo, id est, sexcenta viginti quatuor. Saluo in omnibus meliori iudicio.

CASVS VII.

Missa Epileptici.

Sacerdos sit Epilepticus: sed ante lapsus solet id præsentiscere.

Quæritur, An possit illi permitti celebratio? &, An celebrando peccet?

20 Iudicium morbi spectat medicos.

RESpondeo Primò, Medicorum est determinare qua specie morbi quis laboret, & an sit periculum relapsus; non autem an possit celebrare: hæc enim quæstio supposito & audito Medicorum iudicio, ex Iure Canonico est resoluenda, quod statuit, ne Energumeni, Epileptici, & furiosi possint ordinari, aut etiam in ordine accepto ministrare, nisi cùm certis limitationibus; vt patet 33. dist. Cap. *Communiter*, & duabus sequentibus. & 7. q. 2. per totum.

Non licet, etsi soleat lapsum præsentire.

Respondeo Secundò, Etsi soleat lapsum præsentiscere, non tamen est illi permittenda celebratio. Ita enim apertè scribit Alexander I I. Cap. *In litteris*, 7. qu. 2. *Vetis qui frequenter morbo caduco tangitur, ab oblatione, & Missarum celebratione omnibus modis prohibeatur.* Et Gelasius, Cap. *Nuper*, ibidem: *Si aliquando*, inquit, *in domo vel in processione, vel in alio quocumque loco probetur repente collapsus, vocesque dedisse confusas, & spumas ore iactasse.* Nec refert quòd dicatur *repentè collapsum* quasi non comprehenderetur qui præsentiunt lapsum futurum: tùm, quia DD. huius exceptionis non meminerunt; tum, quia commune est omnibus cadere repentè, quando morbus inuadit; tum, quia alij Canones non habent illam particulam. Idem patet ex Cap. *Illud.* 7 q. 1. in fine.

21 Debet esse perfectè curatus.

Respondeo Tertiò, Non potest illi permitti celebratio, nisi ita curetur, vt nunquam putetur sic casurus. Vt patet ex Canonibus citatis, & docent passim DD. Neque sufficit quòd rarò putetur casurus, aut rarò cadat; si id fiat cum spuma, aut vocis confusione, similibusque signis horrorem incutientibus, vt colligitur ex Gelasio: & docet Nauarrus cap. 27. nu. 203. cæteriique DD. Si verò fiat rarò & sine signis horroris, tunc potest ei permitti celebratio, modò adsit ei locius, qui iuuet & suppleat, si quid aduersi contigerit. Colligitur ex eodem Cap. *Nuper.* & Cap. *Illud.* & docet expressè Siluester V. *Corpore vexatus*, sub finem. Angelus eodem Verbo num. 7. Nauarrus suprà, &c.

Celebrans peccat mortaliter.

Respondeo Quartò, Sacerdos post illa symptomata celebrans, siue sæpè siue rarò peccat mortiferè toties quoties id facit: quia contra grauissimos Ecclesiæ Canones, & in irregularitate id facit. Nisi excusetur per ignorantiam, vt sæpè fit. Similiter peccat Superior qui permittit, nisi ignorantia excuset; nullam tamen censuram tunc incurrunt.

MONETA

CASVS I.

Valor Monetæ.

Virum Mercatores possint maiori pretio vendere pecunias expendere, quàm pollens vendunt, & ipſi accipere?

RSpondeo, Si inter mercatores iam viſus receptum eſt, vt certas ſpecies monetæ aureæ vel argenteæ maiori pretio expendant, quàm legitimo; non puto illis mouendum ſcrupulum, etiamſi ipſi ab alijs, qui non ſunt mercatores, interdum pretio, quod legæ praeſcribunt, illas ſpecies accipiant. Legem illam, quæ id prohibet in genere, lenitio ete merè penalem, præſertim quando iam viſus contrarium obtinet, & creditor libenter ex pretio accipit. Omitto alia multa quæ hic dici poſſunt; vt, quòd in vicinis regnis illud pretium viget. Quo caſu difficile eſt intelligere quomodo illa lex bono communi ſeruiat, &c.

CASVS II.

Princeps ſpernit legem, quòd ſub grani pœnâ pecuniarià prohibet, ne certæ ſpecies monetæ expendantur ſine dando, ſine accipiendo. Quæro primùm ſi ſecundum Hæc lex, quæ ſolebat grauiſſimum eſſe damnum ſentire, non ſentiatur in nullis circunſtantijs: vnde etiam alia hic vicina non ſentiatur.

Quæritur, *Vtrum Officiales Principis poſſint inquirere in mercatores, & opprimere partem ex illis, qui ſama quòd legem violent, monti & fraudium agendo cum ſuſpitio & aijs hominibus ſimplicioribus, qui cum illis mercatoribus contractum, vel venditionem ab illis quæ pretio mentis, & qua pretio accipiunt, &c. & ex huiuſmodi exterijs conſiſtente pœnæ & ipſe principibus, &c. & mercatores inſtituta mutilam legis conſtitutam; maximè cùm ne ſinè fraude panitente grauis ſequatur detrimentis timentes, mercis vbique cum ſua mercibus alia ſit transferendi?*

Quando princeps ſpernit legem.

RSpondeo, & Dico Primò, Certum eſt non poſſe mentem optimi Principis, & ſubditorum iuorum amantiſſimi, vt ſeri Officiales, & eorum miniſtri, hoc modo inquirant in bona proteſtantium. Cuius rei ratio multa indicio dedit, cum attendit ſibi quantum ab rigorem valde difficiler, & mentem eſſe, vt illa in ſumma debeatur quantum commodè fieri poſſit, abſque ſubditorum perturbatione. Vnde eſt contra mentem eius, vt cum grani perturbatione & damno ſubditorum leuilla introducatur. Lex enim vt multa fit, debet eſſe vtilis bono publico, & conſentanea populi moribus: Can. *Lex erit* dist. 4. vnde ſi eſt damnoſa bono publico, vel perturbatrix tranquillitatis publicæ, eſt inuſta; vt communes Theol. & Canoniſtæ tradunt.

Dico Secundò, Iudices ſeu Officiales Principis non poſſunt ex particularibus aduerſis aliquis inquirere, nec procedere inſamiâ, vel ſalem per vnus aliquibus indicijs. Ita docent omnes Theologi & Canoniſtæ de expreſſo delictorum: Et Capitulum *ſæpè contingit* 5. *Terræ*, de Accuſat. & Cap. *Quoniam*, 2. eodem titulo. Quæ doctrina maximè locum habet quando præcedunt nō ad malum imprudentia inconſiderata, vel ad prædationem, vel incendia, vel homicidia: ſuccedendo ad ſuſpitionē delicti, ſeu ad pœnam ſine corpoſalem ſine pecuniariam infligendā. Tanc enim communis Doctorū ſententia Iudex nō poteſt ex ſeipſo incipere inquiſitionem, ſed ſemper debet aliquid præcedere quod inquiſitionē viam aperiat, & Iudicem quodammodo cogat vtex officio procedat, v. g. notitia publica, tumultus, querela partis, vel quid ſimile: alioqui tutus proceſſus eſſet iure nullus, & ipſe teneretur ad reſtitutionem damni ſecuti: quæ contra Iuris ordinem procedendo, fuit alteri cauſa damni. Docet hoc optimè doctiſſimus Iureconſultus Iulius Clarus Iulius Clarus. Practic. ſolum Concilij Regij Mediolani lib. 5. q. 5. nu. Practicantium ita ſcribens: *Item, quod in quibuſcunque caſibus qua Iudex, ſine de iure communi, ſine de conſuetudine poteſt procedere ex officio, & per viam inquiſitionis, non poteſt, debet, neque potest ex ſola fama procedere ad torturam, ſine ad aliquem alium inſtrumentum vel indicium ſufficiens contra aliquem, nullatenus aliquod procedat, quod aperiat viam inquiſitionis; videlicet confeſſionem rei, vel denunciationem, vel teſtimonia, vel huiuſmodi. Alioqui proceſſus eſſet vtſæpe nullus, etiam & delictum ſuiſſet de iure plenè probatum. Et maximè ex quòd fuit grauiter reprehenſus Petrus de Vallo Sicidæ, qui proceſſit ex ſola fama contra quendam de morbo, quòd propterea ſtetum carcalibus cognoſſet, nulla præcedente querela vel denunciatione; & ambo fuerunt alijs ſuiſet, 9. Nou. 1560.* Hæc ille, & alia multa in eadem ſententiam. Et quibus patet inuſtum eſſe tale iudicium: ac proinde Iudicem teneri ad reſtitutionem.

Iuriſdictio & potitio exercita valorem monetæ.

MONIALIS.

CASVS I.

In quodam monaſterio feminarum iuſſa Superiorum Clauſura indumenda eſt clauſura. Conſentiunt omnes Moniales ibi exiſtentes deputatæ. Reſragantur duæ Conſeſſariæ, videntes habere ſe tertium locum. Primò, quia valde ſuperiores illarum cauſas gerebantur. Secundò, quia exclusi videntur proteſtas. Tertiò, quia cum præſentetur, non erat clauſura, nec ad eam ſe obſtringerunt.

Quæritur, *An ſalem per Eminentes poſſit hoc illis indulgere?*

Quæ meas ſer bonis Principis exercita legitimè, obſtrua tionem.

RSpondeo negatiuè, Ratio eſt, quia Eminentes locum non habet, quando conſtat legiſlatorem etiam illis eaſum velle ſua lege comprehendi, & legem, vt ſonat ſeruari. Atqui Conc. Tridentinus & Pius V. ita proponunt hanc legem, vt manifeſt. habeat. ſum ſit, eos velle, etiam hoc caſu, legem ſuam ſeruari ac proinde manifeſtum eſt illas non poſſe per Eminentiæ a lege communi eximi. Imò vt hoc modo poſſit quis excuſari, mortuliter certè eſt debet mentem legiſlatoris eſſe, velle caſus non cōprehendiuat. At hic tantum abeſt vt hoc modo ſit certum ſit, vt potiùs contrarium ſit certū. Expendantur verba Concilij Trid. ſeſſ. 25. c. 3. de Regul. vbi vniuerſis Epiſcopis grauiſſimis verbis præcipitur, vtin omnibus monaſterijs Monialis inuiolatè ducāt clauſuram, &c. deinde addit: *Nemini Sanctimonialium liceat poſt profeſſionē extra monaſterium, etiā ad breue tempus, quocumque prætextu.* Et Pius V. in ſua Conſtit. quæ incipit *Circa Paſtoralis*, renouat decretum Concilij, & declarat etiam Conuerſas ad clauſuram teneri, etiamſi alias ex inſtituto vel regula non teneretur, & quamuis in monaſterijs in quibus clauſura fetuata fuiſſet, &c. Et in Conſtit. quę incipit *Decori*, ſecluſit prohibet etiam Monialem, etiā Conuerſas de nouo introducere, excepto casu in eadem ſibidem expreſſo. Ex quibus tale pondet ratis, manifeſtum eſt mentem ipſius & Concilij fuiſſe, etiam tales Conuerſas comprehendi.

Quando Eminentiæ locum non habet.

3 Quid ex ſpiritu vel ludex poſſit in particulari in alio quem requirere.

Nec

Solicitantur Mauritius.

Quando ad-mitti cen-sendi fo-rarii legi ecclæ.

6 Merito ignominiæ & vexatio non infe-runt cen-suram.

7 Licet clau-stralem tenuerint, tamen ad statutam.

8 Monasterium publicum dici pot-est, & ejus Ecclesia for-ensis fa-ctum.

Regia Ordinis-terii et celitati consilium.

Nec obstat narratores pro illis allatâ Ad Primâ. Quia ea in ipsis non videntur periculum incontinentiæ obtinere, & ea videntur in ipsis ceffare ratione legis, tamen persistet ad decisa à Religiosis, vt non egrediantur, nec intrent ea fecularium: & tam id ceffat ratio legis, fed falem ex parte. Deinde, vt lex in particulas nō obligat aliquem, non facit eft quod in ipfo ceffet ratio legis, fed ceffante vt vel ceffet in communi vel hoc in particulari, is ceffet legem, obtenturum fit aliquid contra intentionem legislatoris vt communiter docent Doctores quod hic non accidit.

Ad Secundum: Eft prior harum Conuentuum videatur coactè profeffa, tamen ipsorte manendo tanto tempore, contrahit libertatem cenſuiffe & ratisfaciffe fuam profeffionem. Nec obſtat quòd men ignominiæ apud fecularesnon fuerit aufa egreſſus fine cauſa tam iuſta, & tam diuturnam ratificationem. Deinde, fi voluiſſet eſſe libera, debuiſſet reclamare tuta quinquennium à profeffione: quod cùm non fecerit, eam eſt audendo, vt ſtatuit Concil. Trid. ſeſſ. 25. cap. 16. fed præſumēda eſt vere eſſe religioſa. Idem & potuere rationes hic fum de alteras una vexatas non tam ex fuo fimplum profeffione, quantum ex no fine iuſtiffima, vt ipſa ſe cogerentur ingredi Religionē. Immemes fuit quin gredalium Religioſus, cui multa illa fuere parentum vel maiorum causa, quare tamen profeffio valuit eſt.

Ad Tertium: Concilium de Pontifices id non caruere per cauſe ex Conſtitutione Pij V. tam extra Eccleſia tam inclauſtrati ejuſdem ſi ſtatutendum tanquam neceſſarium ad ſeruandum votum caſtitatis, & decorum illius ſtatus in ſeminis.

Item ſi quis dicat Monaſterium illud inclauſtrale vt patrimonie ſe cum illis indicia. Primo, Quia hæc eſt violenta. Ecclesiæ quam conſtat eſſe regi à Statutis ſanctæ primæ ordinis eſt violenta ſi quis tam illud ſe reſtituere huic ordinationi, eſt reſtituere Spiritu. *Quo autem Spiritu ſi, rogabis, hoc ſtatuerunt ac ſcripſerunt?* Eſt Filius Dei quia Spiritum Dei non habet ac proinde non eſt ex hæres regni. Secundo, Quia cùm ſint ſeminæ & breui moriturę & Deo reddituræ ſuum non vitat, debent abſi dere exemplę humiliates & obedientiæ: multo minus ſe fruſtra fore à dulcazze ſua diuitiæ & obſtinatione, ſi deſint eam, & peccant contra ea. Tertio, habebit vtrum ſpiritū Religioſus, debent abhorrere à conuerſatione ſecularium, & ſponte operæ claſtralis. Nō obſtat illam adeſſe ſeminas obtendunt ne non habere ſpiritum Religioſus, ſed ſecularis etiam: præſtinde mentionem ne eſſam non accipiunt Religioſi promittam. Denique vt cogitent breui recidendam Deo ratiōnem, & conentur ſilentiā in hac quæ ſit exactus ad ea quæ iuſt perfectionem. His & ſimilis rationes illi proponi poterunt, quibus inducantur ad conſentiendum claſtrę. Quod ſi permanent obſtinatæ, poterit etiam aliqua vis adhiberi. Ea plane eſt mens Concilij & Summorum Pontificum.

CASVS III.

Ea monialis nunquam poſſe excedere locum ſuæ conſtructionis, niſi ex Conſilium.

Quæritur II. *An poſſit in habitu ſæculari ſingere ad aliquam Dominicam, vel alteri alio Ordini de nouo recipiendo?*

9

RESpondeo, Poſitis illis circumſtantiis, quas R. V. commemorat, vt monialis illa non poſſit manendo in illo loco ſe expedire à turpi conſuetudine ſui Confeſſarij, non putarem prohibendum eſſi fugam, etiam ab habitu ſeculari, ad aliam. Pronuncium, vt ibi de nouo recipiatur, etiamſi ſit alterius Ordinis. Cauſam enim omnia vocabula humana, & propria arbitrio indicata, quando ex illorum obſeruatione ſequeretur pernicies animæ, & ſchara ſalutis: neſciuit remedium moraliter eſt poſſibile.

Admiſſio de fugiatur.

CASVS IV.

Puella quædam ſanctum deſiderat poſſe admitti in monaſterium.

Quæritur I. *Prium Monialis huius conſcia poſſit in ea fum profitegatur.*

Quæritur II. *An hoc virtualiter, ſit voluntas profeſſio, & illa cognita, non poſſit admitteredo?*

10

Ad Primum: Reſpondeo, Non videtur iſta Monialis teneri in conſcientia negare ſuum ſuffragium, cùm illud puella recipiendæ vitium occultum ſit, nec videatur notabile inconuenium inde prouenturum monaſterio, & metuendum ſit ne illa puella incurrat aliquam infamiam.

Vt ſuis autem expedire alia ratione impedire eius ingreſſum, iudicandum ex circumſtantiis. Si putaretur expedire, poſſet illa Monialis dare operam, vtilli puellæ priuatim loquatur, quo obtegato, poterit illam monere ne pergat vegete ingreſſum, & indicare quid de illa cognouerit. Poſſet etiam ſub ſecreto admuais Abbatiſſæ quos vellebitur. Stamen puella præclaras habeat dotes, quibus illa labes compenſetur, melius ſortè eſſet omnia diſſimulare, & ipſe ſuffragium dare.

Ad Secundum: Reſpondeo, Certum eſt profeſſionem valere quando impedimentum non eſt ex- Certum eſt trinſecum à tramite Superioris & Conuentus ita affir- virginem mantibus valet alia, vt & ſcire tale impedi- non tenere mentum (vt eſt in præſenti caſu defectus virgini- profeſſionē tatis) nullo modo poſſunt ſolum velle admittere: Idem contrarium in contrario ſenſu. Quia ſi ſcirent affectus non inſtus in abſum, nec facit actum admiſſionis conditionalē, ſed meré per accidens, & concomitanter ſe habet. In contrariis hoc tamen qui putant conſenſu ſolubiles ſunt (quales ſunt ibi qui R. P. adferuntur) licitum eſt eis quæ decepeas eſt, ſolutere contractum, etiamſi ſolum circa qualitatem rei, quam ipſe magni faciebat, deceptus ſit: ipſe tamen contractus per ſe non eſt omnino irritus. Illud tamen non habet quando contractus conſenſu partium ſolum non poteſt ſolui ſit in matrimonio & profeſſione.

Ne obſtat quòd obſeruantiam non eſſe tam eſſentialē ſuppreſſum in examine, aliquando Religioſus poſſit expelli, (vt ſi labore morbo incurabili, præterea infectio aliquem) quia non idcirco poteſſio vel fuit tenuis, vel potuit irrita reddi, quia talis manet Religioſus. Caterum tamen virginitas non eſt tam defectus, vt perſona alio ipſa idonea, ob illum expelli debeat.

CASVS V.

An Monialis profeſſa Ordinis S. Benedicti poſſit per Ordinem diſpenſationem tranſire ad Ordinem Mendicantem S. Auguſtini?

Tranſitus ad alium Ordinem.

12

RESpondeo, Simonaſteriū eſt ſubiectū Ordinario, de iuſtè nata cauſa, poſſe. Ita expreſſe tenuerunt Panormit. & Gloſſa in Cap. *Non ſolet* de Regularibus. Siluſter V. Religio 4. q. 8. Nauar. Comment. 4. de Regular. n. 11. 24 V. Religio n. 19. Angelus, V. Religioſus, n. 15.

Vt eamen pacifice fiat, debet accedere conſenſus Conuentus, vt plerique ex prædictis authoribus notarunt.

Alimenta ſuperflua, ex bonis monaſterij.

CASVS V.

Cabarina Monialis, occupata ab hæreticis ſua menſa, fugit, ſuſtentamenta ab hæreticis accipit.

Quæritur, *An ea alimenta poſſit accipere: & ſi ſic, per quæ cohabitare tuto poſſit, aliorum morbum ſuo ſilentio celans?*

15 RSpondeo; Non eſt magna difficultas in accipiendis penſionibus ab iſtis hæreticis: quia cùm ſint verè Religioſa profeſſi, nihil habent vt alienum ex bonis monaſterij; itaque alimenta ab hæreticis taxata poſſit accipere. Eſti enim grauiter peccarit incundo matrimonium, tamen non ideò deſinit eſſe profeſſa, nec facta eſt incapax alimentorum ex monaſterij bonis percipiendorum. Accidit quòd alioqui illa penſio deuoluetur ad hæreticos.

14 Virum abſolui poſſulenta.

Verùm difficilè eſt videre quo modo poſſit abſolui qui ſibi manet cùm marito, cui facilegè copulata. Eſti enim non ſit peccatum inconſtinentiæ, vt refertur in facto, propter ætatem & ſternium mariti; & toto ſit ſeparata ab illo, tamen manet ei coniuncta habitatione publicâ, tanquam vxor viro legitimo: & tamen publicè oſtat ipſam eſſe monialem: vnde putatur perfiliere in lacrilegis nuptijs: ac proinde publicè præbet ſcandalum: quia vnit cum illo homine hæretico tanquam cum marito. Denique in omnibus rebus domeſticis agit cum illo, vt vxor cum marito. Quòd ſi hunc ſcandalo occurrit poſſet, non putarem eidem negandam abſolutionem. Verùm non video quid hîc queat.

MVTVVM SECVNDI.

Lucrum ex mutuo, titulo omiſſo negotiationis.

Titius dedit Caio anno ſuo 100. vt inde lucretur 10. ſ. eſſe tamen tantum lucrum puniſſet ex mercimonijs, & ea exercuiſſet.

Quæritur Primò, *An hoc licitè contractum ineatur?*

Quæritur Secundò, *Quid dicendum ſi hoſtes 100. confiſſent mercatori? Item ſi iuſpexit prouiſſe affecturum ſuum?*

1 Negatur affectus ſuſtinet.

AD *Primum*: Communis ſententia Doctorum, quos hîcdemus leg. eâ, ad mutuandum pecunia cum lucro, v. g. 6. 7. vel 8. in 100. non licere, quòd illam eras collaturus in commercia atque vel magis lucroſa, nihil paſſim tales mutuatarij ſolent offerrent. Aliquibus poſſet quis ſuauem pecuniam deſtinare ad tales mutationes, cum propoſito nunquam exercendi mercimonia, quia perpetuo plurimi, qui ſic petunt, ſefe offeruntinam habere; vt ſuppono: propoſitum contradictum tam confeendi lecad mercimonia, niſi ibi ratio commodior præſto eſſet, plurimique egentes pecuniæ in Republ. reperiuntur. Et ſic poſſent excuſari qui per totam vitam exercent vſuras ſeneficias, ſeparatas, beiles, vbi 6. 7. 8. exiguntur in centum, cùm forte quod nemo conceſſerit.

Ratio. Ratio eſt, quia qui abſolute ſtatuit non negotiari, ſuique rationes ad mutuandum coptulit, non poteſt, prætendere lucrum ceſſans ex hac vel illa mutatione ipſa etiamſi ego non petiſſem ab eo, nihilominus cauſſet lucro negotiationis: tam enim iuſte meam pecuniam illaueratur non negotiari. Itaque mea petitio, vel mutuatio mihi facta, non eſt cauſa cur lucrum ei ceſſet: non ergo iure à me petit huius lucri compenſationem.

2 Requirit mutuatarius mihi facta cauſa cur illud lucrum ceſſet.

Requiritur itaque vt ſtatuerit negotiari & vere mutuatio mihi facta, ſit cauſa cur lucrum illud negotiationis non conſequatur. Quare magni refert, vtrum pecunia ita ſum reuerà deſtinata negotiationi, an non: Ratio eſt, quia pecunia vt ſibi illi deſtinationi & induſtriæ, pluris valet, quam per ſe ſolam: quia illum pecuniam alienat, ſimul induſtriam ſuam, qua poterat ſe fecunda, perimit: (ſuppono enim illum non habere aliam, qua haec poſſit ſuffiſcere) & ita non dat nudam pecuniam, ſed ſimul ſuam induſtriam ſibi detrahit, fubdulà illius materiâ. Confirmatur exemplo opificis, quod à D. T. adducitur in contrarium: nam opifex qui ſtatuit deſerere artem pictoriam, quà indies lucrabatur 4. ſi conferat ſe ad ſutoriã non poterit iuſtum exigere ſibi, ceſſans ex pictoria, ſolum vendi calceos: quia hæc vel ille calceus non fuit cauſa deſerendæ pictoræ: ſimiliter ſi deſeruat ve ſeruiat alicui nobili in genere, non poterit lucrum ceſſans prætendere, modò huius vel illius ſeruitium in particulari non ſit cauſa deſertionis artis, vel quòd artem priſtinam non repetat.

Confirmatur exemplo opificis.

Ratio.

Dende, magni æſtimant homines mutare deſignationes lucroſas, & abrumpere propoſitum, quod hc dum pecunia erat deſtinata alijs lucris, non autem, ſi non erat deſtinata. Neo obſtat exemplum opificis quod adducitur: quia id potiùs aperte fauet ſi bene applicetur. Si enim ille eſſiquasi operas quaſdam, vt aliter parturiãs deſeruiat, aliàs non deſerturus poteſt paciſci cum illo de lucro ceſſante: ſi autem eſſinquat abſolutè vt alicui in genere ſeruiat, non poterit prætendere lucrum ceſſans, quamuis ſit à mente, et nihil minus egerent obſequijs, vellet repetere artem deſertam, tam enim reſpectu cuiuſuis in particulari deſeruit artem ſuam abſolutè & nemo in particulari eſt illi auctor artis & lucri deſerendi: quia tam antè id conſtiuerat. Sic qui frumentum fationi parauit, mutatà voluntate ſtatuit non ſeruire, fed vendere; non poteſt prætendere lucrum ceſſans reſpectu emptoris huius aut illius: quia nulla vendita in particulari eſt cauſa lucri ceſſantis: quamuis enim non vendidiſſet mihi, tamen non ideò voluiſſet ſementem facere. Facere tamen, quia vendito mihi facta erigit illi poteſtatem conſerendi in ſementem, ſi illa forte erat exitura in agrum non egenti, poſſit hoc æſtimatiſimiliter in locatione operarij. Sicut enim æſtimabile eſt abrumpere propoſitum negotiationis, ita etiam æſtimetur locatio, quæ fortaſſis erat exitura in agrum.

Magni æſtimantur mutare deſignationes lucroſas.

Sed hoc caſu id parum æſtimabitur.

Ad Secundum: Concedo, ſi tradat illos 100. mercatui, intendens actu vel virtute tres illos contractus, de quibus Nauarrus & alij, poſſe illum ſex & amplius in 100. ſic lucrari. Cenſetur autem tot & tales virtute intendere, quando vel conſuetudo ſic lucrandi exiſtit notoriamente nota eſt, vel ſi intendat omni modo dare & lucrari quo iuſtè poteſt: non autem ſi tantùm intendat mutuare cum intereſſe.

3 Mutuum de Mercatura.

Quod ad aſſecurationem ſortis ſuſtinet, qui Aſſecuratio ſortium, & periculi mutui.

vult locare eſſe ſaluum, non locabitur illi duo ſupra tex, ſicuti argumentum ſuppouit: ſed hoc lucrum debet dari alteri, qui ſponder ſecuritatem.

CASVS

Lucrum è mutuo titulo exercitio formale.

CASVS II.

Titius dedit Caio 100. aureos annuum fructuum, retinendo 10. Si res aliorum, tantum refluentem 90 Quæritur Primo, Virum hic contractus sit usurarius? Quæritur Secundo, Quibus tum titulis subsistere possit?

Ad Primum: Respondeo, Contractus ille quo Titius dat 100. Caio, vt quotannis recipiat 110. si Caius fuerit res fœnerit, quod si contingat mori eo anno, 10. detrahantur sorti, non possit iustificari ratione solius exactionis fœnoris: quæ tamen contractus fœnoris quia per non est conditio certa hanc ob rem iustificari non potest, quia ex illo anno non monitum, quem mortuum. Itaque alij tituli debent inuolui & intendi à Titio, & à Caio acceptari. Suppono Titio relinqui his repetendi sorte quinta voluerit prima monitione nunc vel duorum mensium.

Potest igitur hic contractus iustificari duplici titulo: Primo, si intendat triplicem contractum cum mercatore, est mutuum contingens contractum fortuitum. Posthæc enim hi contractus fœnoris finitur: vnde etiam poterit heri simul, si vtraque pars libere conferatur. Et quidem ratione contractus triplicis cum mercatore poterit lucrari 7. vel 8. in centum, præsertim in Anglia, vbi mercatura viget: relinqui 2. ratione contractus sortium. Satis enim videtur æqua conditio, si lucrum duorum opponatur amissioni 70. Sicut enim 10. respectu duorum habet proportionem quinquplicatæ centesimo vsitatæ fœnoris: ita 70. respectu certitudinem mortis Caij intra illum annum. Sed malim hunc contractum sortium relinqui, & solum mihi triplicem cum mercatore, quadruplicem cum ciuibus: & in Anglia facile dabit 8. in 100. Sit tamen velint illum adimpere vel lucrentur 10. non videtur prohibendum. Debent tamen monenti vt omnes tutiores supradictos intendere.

Secundo potest excusari si intendant mere centum vtrunque redimibilem, & simul adungant interesse Titium velle mutuum, quanti valeant ibi centus personales vel reales solum redimibiles ex parte venditoris. Nam si qui ex parte venditoris redimibilis est, debet plures emi, & choicquentemmus percipiatur pensio quotannis: Vigilantius redimibilis ex parte solius venditoris dat 4. & vnam quartam in 100. in qu. vtrunque redimibilis est debet solum 5. fit 100. Si illesitat 8. hic solum dabit 6. & vnam fecundam. De quo vide si placet 22. 2. de Iustitia, subit. 10.

Sufficit vtrumque esse verum.

Quomodo patet pensio vtrumque redimibilis.

CASVS III.

Lucrum è mutuo titulo Assignationis: Periculi fortis: Solutio exercitio pecuniæ.

Francisco Mercatur dedit Titio 100. Aureos ipsum eum assignauit super villicrop. folue. 10.

Quæritur Primo, Virum titulum hic examinatus? Quæritur Secundo, Virum Petrus habere teneatur periculi fortis?

Quæritur Tertio, Virum in mutuo habere possit rationem solutionis exercitio pecuniæ?

7 Contractus hic vitiosus multus.

Ad Primum: Supposito fundamento Francisci, 100. in pec. centum vt valeat hoc tempore communi mercatorum æstimatione, quanti ibi in assignationibus & chirographis poni meritem soluendis; non video cur multus centeri possit alle contractus, quo Franciscus de Petro eo. in præsenti pro assignationibus & 10. vel nunc vel post mentem ex exhibendis, & post mentem pecuniam soluendis.

Non facilè tamen concedi rem possè amplius quàm vnum in 100. accipere pro mentem. Num præterquam quòd ibi iure vitiæ centenæ, quæ veteribus semper valdè magnæ fuit vsæ prohibitum est per constitutionem Caroli V. ne possitur amplius quàm 12. in centum per annum exigere, etiamsi prætendenter mutuo interesse. Si certo hæc, puto posse addici hîc cum nous multis transgressori imponenda ita enim solet fieri in similibus.

Constitutio Caroli V.

Ad Secundum: Quod ad periculum sortis attinet, fatebis hunc titulum per se esse confirmabilè, quando sic facta cum mercatore non est fatis perfecta, vt clus, vel habetur aliquis modo suspectus. Audio tamen tanto eam adeo esse secuam, vt vix vnquam in toto Aurea affirmabitur, ne mentem, vel etiam nullus omnino fit pertinjuria non mutuo, nullum est, quam si pecunia maneret incisa manibus. Non dubito quin tantum ex hac linea Francisco possit prestare, aliquibus fuspitio, (si tamen mercatores in taxando pretio carentur, nullam rationem habent periculi,) quantum ipse vellet alteri dare, qui hac pecunia perfrueretur, vel quantum iudicio prudentium æstimatur.

4 Hic examinus fortuitus non iustificat hunc contractum.

5 Modus iustificandi hunc contractum.

Ad Tertium: Defundamento Francisci positione esse verum, fepolito omni interesse lucri cessantis vel periculi fortis, dubitari potest: num Doctores non videtur agnoscere alios titulos, etiamne quorum præsertim, quando absque vllo damno, plum abstinet empture. Puto tamen verum esse posse, quod præsens pecunia plus æstimetur quàm absentis, signato, cum præsumpta mercatores non nisi per allignationes foluere solerant, sed propter illas non tam pecuniæ, est abstinentia pecuniæ tantum, non tanti foluere allenaris cum non foluet tanti in vnum tantò momentum, sed ad minimum ad duos vel tres.

6 Mercatores imponere possint æstimationem pecuniæ.

Rarò ergo aut putem verum esse posse, cft. Tu quia Caio quis pecuniam aliqu, quos velcum tum, fenet pollè chirographa post alios mercatores foluenda una minutis, etiamsi omnino fint fecuta. Tum quia communis mercatorum pollè imponere certæ æstimationem mercatorum cunæ per mentem vel annum. Cum enim fere semper hæc æstimatio habeat aliquid commodi in plerisque mercatoribus, præsertim qui in cambis, ne quisque pro eo arbitrari possit mercatores, sicque supra ad quodlibitum eft, potest cui causa æstimare. Sed ideo, quia communius lus præstum imponere, quod potest exigi etiam ab aliis, quæ tanta similitudo & certitudo incommodi tantumque fit fit dubitare gren, illustrissimi Cayetani: Sicut ger cuiuslibet mercatoris non potest accipere pecuniam certam limitis non fit communis & imo quantus ab omnibus fecundum Quidquam dubitat curad vsuras incommoda maiora non poterit æstimare communis mercatores, per vnum mens, tres, quatuor, quinque mentes, & per annum, vel etiam quindecim haec certa. Et nihil aderat incommodi. Sunt ne enim vt plerique incommodi fit, vt communis aliqua æstimatio ab omnibus imponi. Hoc fundamento, addunt alicubi & peculiaris forte, puto peculiaris malos. Bunc Antuerpiæ in contractibus publicis defendi; sed non facile autem hæc ad praxim deducere; quia nullum adforem nomine iustificandi. Non tamen velim cogere ad restitutionem post factum.

CASVS IV.

Lucrum ex mutuo cum pacto recipiendi sortem.

Tutor pecuniam pupilli depositi apud quempiam non constituto reditu, cum pacto restituendi pecuniae, quando pupillus opus haberet, & interim solueret 6. & vnam quartam in 100.

Quæritur, *Vtrùm ibi sit vsura?*

10 REspondeo, Etsi secundùm iuris rigorem censeatur vsura, & ideò Rex prohibuerit, vt à quodam perito audiui: tamen probabile est, id quod ante regium interdictum factum est bonâ fide, non esse restituendum. Ratio est, quia credibile est, hanc consuetudinem ortam esse vel ratione lucri, quod ordinariè cessat; vel ex contractu triplici cum mercatore. Itaque saltem implicitè censetur aliquis talis titulus intendi in huiusmodi depositionibus. Vide plura apud Valentiã. Videtur tamen 6. & vna quarta in centum esse nimium. Valentia solùm permittit 5. in 100. Si tamen cum mercatore contrahas per tres contractus explicitos, vel implicitos, potes exigere 6. & vnam quartam in centum; imò interdum 7. & 8. prout negotiatio est lucrosior.

Mutuare absque potentia soluendi.

CASVS V.

Virgines quædam communiter viuentes se debitis supra vires oneraunt, & valdè probabiliter credunt se non posse soluere.

Quæritur I. *Vtrùm possint pecuniam mutuò vel ad censum accipere?*

Quæritur II. *An Officiales, vel alij, quæ sciunt statum illum Congregationis, possint mutuò petere, etiamsi Superior id eis committat?*

Quæritur III. *An Confessarius hæc omnia manifestè intelligens, & videns periculum scandali impendentis, teneatur monere eas quæ præsunt, ne in posterum eo in statu mutuum accipiant?*

11 *Ad Primum*: Respondeo, Certum est virgines illas, quæ debitis supra vires se oneraunt, & sciunt, vel etiam valdè probabiliter credunt, se non posse soluere; non posse pecuniam mutuò vel ad censum accipere: hoc enim æquivaleret furto. Vnde non licitum est nisi in eo casu, in quo liceret occultè & more furum accipere.

12 *Ad Secundum*: Respondeo, Officiales vel aliæ, quæ sciunt statum illum & particularia, ob quæ credunt, vel credere debent Conuentum non fore soluendo, non possunt mutuum petere, etiamsi Superior id eis committat: quia non est licitum furari. Iuniores quæ ignorant statum rerum & putant breui media suppeditandi, possunt de præteritis excusari per ignorantiam à peccato. In posterum tamen est illis inculcandum ne faciant, nisi verè spes affulgeat. Superiores forte in peractis excusari à culpa possunt, quòd omnino certò sibi persuaserint successura ex voto quæ proposuerãt. Vtrùm in posterum non possunt excusari, cum prudentibus rerum æstimatoribus videatur illud fundamentum non successurum.

13 *Ad Tertium*: Respondeo, Confessarius hæc omnia manifestè intelligens, & videns periculum scandali impendentis, tenetur monere eas quæ præsunt, ne in posterum mutuum accipiant, nisi illis certa vel valdè probabilis ratio suppetat suo tempore soluendi: & nisi velint obtemperare, debet illis negare absolutionem. Quia absque mortifero peccato non possunt id facere, vnde & graue damnum proximo, & publicum scandalum nascetur. Exponunt necessitates suas Principi, Episcopo, Prælatis, & viris primarijs, vt dignentur succurrere, ne cogantur suam congregationẽ dissoluere, & opus inchoatum ad institutionem puellarum abrumpere.

ORDINES SACRI.

Domicilium Ordinationis.

CASVS I.

Quidam puer Gandaui natus, parentibus orbatus, bonis destitutus, in familiam patrui Ruremundæ admissus est, qui eum vt filium aluit, studijs addixit, cum proposito eum perpetuò educandi, & promouendi, deque rebus illius, vt filiorum, statuendi.

Quæritur, *An hic possit dici habere Ruremundæ domicilium habitationis, ratione cuius possit ab Episcopo Ruremundensi insigniri tonsurâ, & ordinari.*

REspondeo, Affirmatiuè. Domicilium enim habitationis, secundùm omnes Doctores, sufficit vt quis eo loco possit ordinari: & habetur expressè Cap. *Cùm nullus.* De Temp. Ordinand. in 6. Atqui iste puer habet domicilium habitationis Ruremundæ apud patruum: hoc enim ipso quo patruus statuit eum detinere in suâ familiâ tanquam filium, contrahit domicilium patrui, sicut alij filij: quia patruus est illi instar patris, eique tanquam patri obedire debet. Accedit quòd ipse puer accomodet se voluntati patrui, & velit apud illum perpetuò manere, quantum in se est. Atqui voluntas habitandi perpetuò in aliquo loco sufficit ad statim contrahendum domicilium, vt passim Doctores tradunt: qua de re, præter alios, vide Sancium lib. 3. de Matrim. disput. 24. Itaque siue voluntas patrui, siue ipsius pueri spectetur, non video quomodo negari possit illum contraxisse Ruremundæ domicilium.

Quid sufficiat ad contrahendum domicilium.

1 Cùm dicitur ad domicilium requiri voluntatem manendi perpetuò in eo loco, hoc non ita intelligendum est, quasi illa voluntas debeat esse continua: sufficit enim vt ibi cum tali voluntate cœperit habitare. Etsi enim postea hæc voluntas mutetur, non ideò amittitur domicilium, donec reipsà in alium locum transferatur. Similiter illa voluntas manendi perpetuò, non excludit voluntatem aliò migrandi, si forte casus aliquis aliò vocaret; quæ omnia notissimi iuris sunt.

An requiratur voluntas perpetuò ibi manendi.

2 Confirmatur: Iste puer vel habet domicilium Gandaui vbi natus est, vel Ruremundæ, vel nullibi: non enim puto de alijs locis dubitari. Atqui dici non potest illum habere domicilium habitationis Gandaui, cum eò non statuerit redire, nec patruus eò statuerit eum remittere. Habet quidem Gandaui domicilium originis, sed hoc multùm distinguitur à domicilio habitationis, vt ex Iure constat. Neque dici potest illum nusquam habere domicilium habitationis; sic enim esset vagus seu vagabundus. Vagabundus enim dicitur qui nusquam certam sedem habet, vt docent omnes Doctores ex L. *Eius qui manumissi.* 27. §. finali ff. ad municipia. Qua de re vide Sancium lib. 3. disp. 25. At, quis dixerit puerum vtùm censendum inter vagos, qui certam sedem ab eo, qui ei parentis loco præest, obtinet?

3 Domicilij Habitationis & Domicilium Originis.

CASVS

CASVS II.

Ordinatio inualida defectu intentionis.

Titius suscepit Ordinem Subdiaconatus cum actuali intentione & protestatione interna, se nolle illum suscipere, ne inhabilis fiat matrimonio; sed solum exteriùs simulauit vt alteri satisfaceret.

Quæritur Primò, *An hic Titio sit habenda fides?*

Quæritur Secundò, *An iteratò deleat illi Subdiaconatus conferri priusquam Diaconatum suscipiat?*

Quæritur Tertiò, *An sine dispensatione possit illi Subdiaconatus iteratò conferri extra tempora?*

Literas tuas, Prænobilis Domine, 28. Iulij datas accepi 8. Augusti hora 8. vespertina, valetudine affecta: quibus vt statim satisfacerem, operam dedi. Itaque.

4 Affirmatur.

Ad Primum: Respondeo, Prorsus hîc Titio habendam esse fidem. Nulla enim ratio est cur ei contra se fatenti cupientique progredi ad Sacerdotium, non possit prudenter fides adhiberi. Secùs esset si Titius suscepto per talem simulationem Subdiaconatu, absque vlla dispensatione iniuisset matrimonium: Tunc enim Ecclesia potuisset contra eum procedere tanquam contra eum qui sacrilegas nuptias contraxisset: neque ei alleganti se caruisse intentione in ordinatione fuisset credendum; sed præsumendum id ab eo confictũ, vt nuptijs frui posset; & procedendum secundùm ea quæ exteriùs apparuere: & in hoc casu locum haberet illud, *Ecclesiam non iudicare de occultis*. Illud enim axioma verum non est; quando reus ipse quod occultum erat, in lucem profert, & cõtra se fatetur absque præiudicio partis: vt patet in iudicio Sacramenti Pœnitentiæ, vbi Ecclesia absoluit de occultis, eaque punit. Sic quoque dispensat in voto occulto & mere interno.

Quo casu Ecclesia iudicet de occultis.

5 Debet denuò conferri Subdiaconatus.

Ad Secundum: Respondeo, Deberi in hoc casu, Titio denuò Subdiaconatum conferri priusquam Diaconatum suscipiat. Ratio est, quia Titius verè non est Subdiaconus, neque suscepit characterem defectu intentionis. Ita sentiunt omnes Doctores de omnibus Sacramentis. Non enim minùs in adulto suscipiente requiritur intentio suscipiendi, quàm in conferente intentio conferendi. Vnde non minùs debet iterari si absit vel aduersetur intentio suscipientis, quàm si ablit intentio conferentis. Communis enim Doctorum sententia est Sacramentum esse iterandum quotiescumque est aliquis defectus essentialis admissus in eius collatione, siue ex parte Ministri, siue ex parte materiæ, vel formæ, siue ex parte suscipientis. Hinc si quis baptismum exteriùs suscepisset cum actuali intẽtione renitente, absque dubio deberet ei postea pœnitenti baptismus iteratò conferri. Et si quis huiusmodi animo suscepisset Sacerdotium, non posset vllo modo celebrare, nisi rursus ei Sacerdotium conferretur; quia prior collatio irrita fuit. Neque hoc est iterare Sacramentum, sed validè conferre quod ante irritum fuit.

Diaconatus non potest conferri ante Subdiaconatũ

Quòd autem non possit Diaconatum suscipere prætermisso ordine Subdiaconatus, id fit vel iure diuino, vt plerique sentiunt; vel traditione Apostolicâ, vt pauci quidam: idque semper obseruauit Ecclesia. Quare cùm Titius non sit verè Subdiaconus, non potest transire ad Diaconatum, nisi defectus suppleatur, præsertim si iure diuino debeat Subdiaconatus præcedere.

6 Potest Episcopus Subdiaconatum huic conferre extra tempora.

Ad Tertium: Respondeo mihi probabile videri Episcopum posse hunc Subdiaconatus Ordinẽ, ex hoc casu, extra tempore conferre Titio, absque dispensatione. Tum quia in foro externo ille iam censetur hunc Ordinem suis temporibus suscepisse, esseque Subdiaconus; ac proinde in foro externo satisfecit Canoni de Ordinibus suis temporibus recipiendis: sicut qui in foro externo contraxit matrimonium præsumptum coram Parocho & testibus, irritum tamen ob aliquod occultum impedimentum; sublato impedimento potest cõtrahere primatim absque Parocho & testibus, vt declarauit Pius V. quia satisfecit in foro externo, habeturque verus coniux. Tum quia absque graui scandalo & infamiæ notâ non potest ei hic Ordo conferri temporibus ordinariis; censeretur enim sacrilega iteratio. Canones autem non debent cum scandalo & infamia seruari.

Si tamen aliter Episcopo visum fuerit, peti poterit dispensatio, non expressâ causâ, nisi in genere: nempe vt liceat accipere Ordinem Subdiaconatus extra tempora, ob quandam causam occultam Episcopo notam.

CASVS III.

Ordinatio sine debitæ materiæ traditione; ideoque ordinationis tepetitio.

Titio, dum ordinatur Sacerdos, perrectus fuit calix cum sola aqua sine vino, ideoque postea curauit se iterum ordinari.

Quæritur Primò, *An prima ordinatio fuerit valida?*

Quæritur Secundò, *An cùm secundò fuit ordinatus, incurrerit censuram?*

Quæritur Tertiò, *Si tunc fuisset etiam ordinatus Episcopus, an hæc etiam ordinatio deberet repeti?*

Quæstio, quam D. T. proponit, est satis perplexa. Nullum enim inuenio Doctorem qui tractarit, vtrùm materiæ consecrandæ traditio sit necessaria ad essentiam ordinationis sacerdotalis. Ego, saluo meliori iudicio, sentio validam fuisse ordinationem, de qua agitur in casu proposito, in qua per errorem Archidiaconi aqua loco vini fuerat calici imposita. Primò, quia etiamsi ponamus traditionem materiæ esse necessariam ad essentiã ordinationis, hic non defuit materia; quia panis adfuit, qui cum calice & patena non traditur nisi ei, qui initiandus sacerdotio est; & proinde satis determinat illum actum ad significandam potestatem consecrandi seu offerendi: quæ potestas est effectus huius Sacramenti. Sicut etiamsi omnia peccata mortifera sint iure diuino materia Sacramenti Pœnitentiæ, tamen ad essentiam Sacramenti sufficit vel vnius confessio, modò reliqua absque culpa omittantur.

7 Porrectio calicis cum aqua loco vini ex errore non inualidat ordinationem.

Secundò, Quia sentio traditionem materiæ consecrandæ non esse de essentia huius ordinationis: nam sufficienter designatur effectus huius Sacramẽti per traditionẽ calicis & patenæ sub tali verborum forma: *Accipe potestatem offerendi & celebrandi Missas* &c. Idem ex eo confirmatur, quòd nec Clemens Romanus lib. 8. Constit. Apostolicarum cap. 16. vbi describit ordinationem Presbyterorum, nec Concilium Carthaginense IV. cap. 3. materiæ mentionem faciant, sed solius impositionis manuum, & precationis in qua ipsa forma continetur. Et tamen ibi accuratè præscribunt quid in hac ordinatione sit Episcopo faciendum. Vnde non modica coniectura sumitur, nec ipsam calicis ac patenæ porrectionẽ esse de essentia huius ordinationis, sed solùm requiri ex præcepto & ordinatione Ecclesiæ Romanæ, quæ in omnium Sacramentorũ administratione est accuratissima, & sequitur vbique id quod est securissimum, & maximè expressiuum effectus ipsius Sacramenti. Quæ sententia ferè pro certo habenda, si constare

Traditio materiæ consecrandæ non est de essentia ordinationis. Clemens Romanus. Concil. Charthag. 4.

possit Græcos sola manuum impositione sub legitima verborum forma suos Presbyteros ordinare consuevisse. Conferatur Canon 3. cum 5. 6. & sequentibus Concilij Carthaginensis, & planè apparebit traditionem calicis & patenæ in Sacerdotis ordinatione non fuisse necessariam.

Nec obstat instructio quam Concilium Florentinum tradidit Armenis: Ecclesia enim Romana semper tradit id quod est absolutissimum, etiamsi solùm ex præcepto sit necessarium.

Itaque sentio non esse hîc repetendam ordinationem, idque pro certo habeo, si constat apud Græcos calicem & patenam cum materia consecranda non porrigi in hac ordinatione.

Ad Secundum: Nulla est censura constituta in eos qui ordinationem repetunt. Quidam putant eos fieri irregulares: sed longè probabilius est contrarium: Non enim, quod de eo, qui Baptismum conferendo vel accipiendo repetit, constitutum est, extendendum ad eum qui ordinationem conferendo vel accipiendo repetit. Et quamuis tale quid esset statutum in repetentes ordinationem; id tamen non haberet locum in præsenti casu: quia non censetur iteratio, quando iure dubitatur, an prior actus fuerit validus. Itaque nulla egent dispensatione qui secundò ordinati sunt, sed liberè possunt officio Ordinum suorum fungi.

8 Repetens Ordinem nullam incurrit censuram, nec irregularitatem.

Ad Tertium: Post ordinationem Sacerdotalem nullus supereſt ordo præter Episcopalem; quem si quis post priorem ordinationem Presbyteralem susceperit, inualidè susceperit si ordinatio presbyteralis inualida fuit: quia ex communi sententia Doctorũ potestas Episcopalis Ordinis supponit potestatem Ordinis Presbyteralis. Vnde vtraque repetenda foret. Verùm quia supponimus vt certũ, priorem ordinationem validam fuisse, etiam censemus posteriorem, qua Episcopus ordinatus est, validam esse; nec quidquam repetendum.

9 In casu non debet repeti ordinario Episcopali.

His tamen addo, Si constare non potest Græcos ordinare Sacerdotes suos sine calicis, & patenæ ac totius materiæ porrectione: vel si putantur ipsi hæc omnia adhibere: repetendam fore ordinationem supradictam, saltem sub conditione. Quia in re tanti momenti amplectendum est id quod securius est, cùm nullum sit periculum sacrilegæ iterationis adhibita conditione, & hac ratione infiniti scrupuli tollantur, quibus alioquin ipsi ordinati, & ij qui ab ipsis sacra percipient, subiecti erunt.

10 NOTA pro securitate.

CASVS IV.

Dubitatio de debito contactu materiæ in Ordinatione.

Sacerdos post ordinationem dubitat an tetigerit patenam: putatque se habuisse propositum non consentiendi in ordinationem, casu quo calicem & patenam non tangeret, vt iteratam ordinationem facilius obtineret.

Quæritur Primò, *Vtrùm censendus sit fuisse verus contactus?*

Quæritur Secundò, *Vtrùm censendus sit habuisse sufficientem intentionem ad huius Sacramenti susceptionem requisitam?*

REspondeo, Sic ordinatum debere esse planè securum quòd ad contactum instrumentorum attinet. Cùm enim conatus fuerit tanta sollicitudine tangere calicem & patenam, & in ipso facto putarit se accuratè tangere; omnino credibile est probè tetigisse vtrumque, etiamsi post ordinationem dubitare cœperit an tetigerit patenam, quia ad hoc non reflexit. Tales enim dubitationes post factum subrepere solent scrupulosis: suntque certum signum animi perplexi & scrupulosi. Deinde, etiamsi certus esset se patenam immediatè non tetigisse, sed solùm calicem; nihilominus nõ deberet dubitare de validitate suæ ordinationis. Satis enim censetur tangere patenam per ipsum calicem; vt habet communis sententia Doctorum & praxis Ecclesiæ. Et sanè si aliquo modo dubium esset, an vtriusque tactus physicus requiratur ad essentiam Sacramenti, Ecclesia quæ regitur à Spiritu sancto, maximam diligentiam impenderet, vt vtrumque adhiberet, ne dubiam ordinationem faciat. Nulla autem diligentia hac in re adhibetur: quod certum signum est non esse necessarium immediatum vtriusque contactum, sed sufficere contactum calicis.

11

Qui tangit calicem, censetur tangere patenam.

Addo probabilissimum esse ne calicis quidem physicum contactum requiri. Imò apud Græcos dicitur fieri ordinatio Sacerdotum per solam impositionem manuum, sub formula verborum; vt nuper Romæ in simili casu accepi.

Probabilissimum est non requiri contactum physicum calicis.

Ad Secundum: Hoc ipso quo tantam diligentiam adhibent vt vtrumque instrumentum tangeret, & ita manus protendit vt putaret se tangere, idque vt ordinem Sacerdotalem acciperet; sufficientem planè intentionem habuit ad hoc Sacramentum requisitum. Neque credibile est simul habuisse propositum non consentiendi in ordinationem, casu quo vtrumque non tangeret. Stultum enim esset tale propositum, nec sine graui peccato haberi posset; quod non est præsumendũ in homine timoratę conscientię. Neque esset vtile ad facilius obtinendam iteratam ordinationem; quia Episcopo de tali proposito non potest constare, & magis reputaretur scrupulus mentis confusæ, & imaginatio (sicut re vera est) quàm seria voluntas.

12

Notabilis pro scrupulosis.

Quòd si fortè tale propositum præcessit solum, nec actu ea de re cogitarit tempore ordinationis, non vitiat ordinationem, in quam tunc absolutè consensit, dum fieret. Sicut si quis apud se ita statueret, Non consentio in consecrationem Eucharistiæ, si omisero particulam *Enim*: hoc propositum non irritaret consecrationem, si ea de re non cogitaret dum actu consecrat, & casu vel ex consuetudine particulam illam omittit.

Propositum antecedens non vitiat consensum contrarium subsequentem.

quòd si actu formali & expressè in ipso puncto ordinationis habuisset seriam voluntatem non consentiendi in ordinationem, eamque non suscipiendi in euentu quo non posset attingere vtrumque instrumentum, certè aduertisset se attingere vel non attingere, & reflexisset se super suam ordinationem, iudicando illam esse validam vel inualidam. Quare cùm tunc non iudicarit illam esse inualidam, sed potiùs validam, nihil dubitans; euidens signum est fuisse validam, & illud propositum vel non fuisse tunc temporis, vel nihil obfuisse.

CASVS V.

Ordinatio à non suo Ordinario.

Multi in Hibernia suscipiunt Sacros Ordines non à suo Ordinario, sed ab eo quem commode habere possunt.

Quæritur, *An sint suspensi, & exercendo actum Ordinis fiant irregulares?*

COnsiderata specie facti, & expensis rationibus suprà positis, probabilissimum censeo Sacerdotes illos in Hibernia sic ordinatos nõ esse suspensos, ac proinde nec contrahere irregularitatem vsu Ordinum sacrorum. Tum, quia vsus & consuetudo contraria, sciente & non contradicente Principe, tollit legem etiam Canonicam: vt

13

1. Ratio.

passim

passim Doctores: quod etiam ostendi lib. 2. de Iustitia cap. 6. dub. 14. nec ad hoc requiritur tempus præscriptionis, vt ibidem ostensum. Tũ, quia quando perpetuò vacat Sedes, per se cessat illud Ius: quia nullus est Ordinarius à quo licentia sit petenda. Itaque illa ordinatio non fuit absque licentia proprij Ordinarij iuxta mentẽ Iuris. Tum, quia illud Ius requirit præsumptionem in ordinato, vt constat ex Bulla Pij II. per quam hæc suspensio est inducta, quæ est sexta inter eius Bullas. Vnde etiam ignorantia crassa excusat: nam præsumptio requirit scientiam & dolum, vt docet Nauar. c. 27. n. 156. & alij passim. Illi autem Sacerdotes bona fide putãt se posse sic ordinari: quã ob causam etiam illos excusat Suares de Censuris disput. 31. n. 15 Tum, quia si Sacerdotes illi essent suspensi, multò magis essent suspensi ipsi Episcopi sic ordinantes, vt patet ex Cap. *Eos qui*, de Tẽporibus ordinandorum in 6. Vnde & eorum subditi possent absq; eorum licentia ab alijs ordinari, vt statuitur eodem Capitulo §. *ijs quæ*. Denique cùm Protector Hiberniæ & Summus Pontifex optimè sciant quid fiat in Hibernia, hoc ipso, quo non contradicunt, cùm facilè possint, ratum habent, & concedunt ita fieri: hoc enim est rati habitio de præsenti, vt docent Doctores. Nisi enim ratum haberent, grauiter peccarent non monendo, non contradicendo, & curando vt aliter fiat: nam obligantur ad hoc ex officio.

a. Ratio.

5. Ratio.

CASVS VI.

Ordinatus ficto titulo patrimonij.

Petrus ficto titulo patrimonij ordinatus fuit.

Quæritur, *An secundùm rigorem Iuris sit suspensus ab Ordinum executione?*

14 Affirmatur.

REspondeo, Is qui hoc modo ficto titulo patrimonij ordinatus fuit, secundùm rigorem Iuris videtur esse suspensus ab Ordinum executione; Quia Canone *Sanctorum Canonum*. dist. 70. decernitur vt ordinatio facta sine titulo, irrita habeatur. Quem Canonem renouare videtur Concilium Tridentinum sess. 21. cap. 2. in fine.

Contrarium est probabile.

Contraria tamen sententia probabilis est, quam tenet Henriquez cap. 37. de Suspens. vbi dicit, Qui absque pacto simoniaco initiatus est sacris cum ficto patrimonio, non est suspensus, contra Nauarrum: ita Doctores Salmaticenses & Complutenses, & ipse Nauarrus lib. 1. Consilio 41. tit 11. Idem Henriquez paulò pòst ficait: *Ius antiquum quo olim suspensus erat ordinatus absque titulo beneficij vel patrimonij, est reuocatum per Cap.* Cùm secundùm Apostolum. *Extrau. de prebendis.* ¶ *Neque à Concilio Tridentino innouatur*: Hæc ille. Quam sententiam, si vobis videtur expedire, sequi potestis. Quamuis contraria mihi verior videatur:

Prius tamen, est verius.

Nam Cap. *Cùm secundùm Apostolum*, solùm videtur reuocare ea quæ statuta erant cùm Episcopus erat cõscius defectũs tituli, & nihilominùs ordinabat. Itaque potest etiam quis tutò hanc sequi sententiam; quam tenet Suares de Censuris col. 764.

CASVS VII.

Ordinatio energumeni.

Titius aliquando fuit energumenus, & postea sacris Ordinibus initiatur,

Quæritur, *An sit irregularis, & illegitimè ordinatus?*

15 REspondeo, Qui aliquando fuit energumenus, seu dæmoniacus, secundùm Iura censendus est irregularis: Can. *Maritum*, cum tribus sequentibus dist. 33. Sed non facilè aliquis iudicandus dæmoniacus, nisi manifestis signis certò constet; vt si patefaciat res occultas, quas homines non possunt cognoscere, vel linguis ignotis loquatur. Quia experientiâ compertum est, eos qui morbo melancholicæ laborant, ita sæpè affici vt à multis (etiam subinde à medicis) putentur à maligno spiritu possideri. Accedit quòd dæmon se interdum isti affectui admisceat agitando humores & spiritus, absque vera possessione. Itaque nisi manifesta signa habeantur, non est quis censendus energumenus, sed potiùs morbo melancholiæ laborans, cui dæmon fortasse se nonnihil immiscet. Imò in dubio censendum est, non esse energumenum: ac proinde nec irregularem: ac proinde vbi à morbo illo curatus fuerit, poterit ordinari absque vllâ dispensatione.

Non facilè iudicandus quis energumenus.

Si tamen constaret Titium fuisse verè dæmoniacum, etsi durante illo affectu nullo modo potuerit ordinari, tamen postquam perfectè liberatus erat, poterat ordinari, cùm dispensatione Prælati regularis, cui hæc potestas in ordine Minorũ competit: vt patet ex eorum priuilegijs. V. dispensatio n. 9. Et quamuis Prælatus illum mittens ad Ordines, ea de re non cogitauerit, tamen hoc ipso quo illum mittit, vel mittendum decernit, censetur implicitè dispensare in omni impedimento suę potestati subiecto: & si rogaretur, haud dubiè responderet hanc esse suam mentem: alioquin grauiter peccaret Superior mittendo subditum cũ impedimento Canonico, quod ipse poterat tollere. Itaque iudicandum Titium legitimè ordinatum, omni impedimento irregularitatis ante per Prælatum regularem ex vi priuilegij sublato, etiamsi Prælatus de eo expresè non cogitarit.

16 Perfectè liberatus cum dispẽsatione ordinari potest.

Implicita dispensatio sufficit.

Semel autem ablata ista irregularitate, & Ordinibus legitimè susceptis, non manet incapax Prælaturæ in Ordine vel extra; nec opus est alia dispensatione. Hoc enim peculiare est in illegitimis, & in maculatam originem habentibus; non autem locum habet in hac irregularitate, cùm hoc Iure non sit cautum.

17 Sic ordinatus fit capax Prælaturæ.

Secus est de illegitimis.

CASVS VIII.

Dispensatio vt coniugatus ordinetur.

Mulier hæretica vetula non vult conuerti: Maritus agit cum Officiali Episcopi de separatione tori: à quo rogata respondet, se velle in sua fide permanere, & in posterum casta viuere, & permittere marito, vt faciat quod libet, prout suæ conscientiæ putat expedire: huius rei sunt acta.

Quæritur, *An maritus possit absque dispensatione sacros Ordines suscipere?*

18

REspondeo, Maritũ posse sacros Ordines suscipere, nec egere dispensatione, si non erat vidua, cum qua contraxit. Couarruuias in 4. p. 2. c. 7. §. 6. Castro l. 1. De iusta hæret. punit. cap. 7. Soto in 4. dist. 39. art. 4. Patet Cap. *De illa.* de Diuortijs.

PAVPERTAS RELIGIOSA.

Proprietas in habendo.

CASVS I.

Vtrùm sit contra Votum Paupertatis, & quale peccatum, habere in Religione post professionem aliquid proprium? & An Superior possit dispensare in isto voto?

AD Primum: Certum est censeri infringere votũ paupertatis religiosos vel religiosas, quæ post professionem, aliquid tanquam proprium re-

tinuerint; id eſt, ſine dependentia à ſuo Superiore.

Vt autem ſit mortale, requiritur res notabilis pretij, ſicuti in furto. Vnde qui decem ſtuferos, vel res tanti pretij, contra rationalem voluntatem Superioris retinerent, videntur mortiferè peccare: nam hæc cenſetur quantitas notabilis in furto. Vide plura apud Nauarrum Comment. 2. de Regularibus, & Lopeſium p. 2. c. 6.

1

Ii qua excuſant à mortali.

Aduerte tamen, multa excuſare à mortali: quia cenſetur eſſe conſenſus Superioris præſumptus, ſeu interpretatiuus: vt in accipiendis conditis, vel aliis eſculentis, quibuſdam locis. Vbi tamen exactè vota ſeruantur, hæc non permittuntur: vnde talia corrigenda.

2

Pontifex non poteſt diſpenſare vt religioſus habeat proprium

Ad Secundum: Manifeſtum eſt Superiorem non poſſe diſpenſare in voto paupertatis religioſi vel religioſæ profeſſæ: imò nec Pontifex id poteſt, ita vt maneat religioſus; vt expreſsè habemus Cap. *Cùm ad Monaſterium*, de ſtatu Monachorum. Poteſt tamen Pōtifex dare facultatem perſonæ religioſę vt aliqua habeat ſine dependentia ab aliis Superioribus inferioribus. Et Generalis Ordinis poteſt diſpenſare vt aliqua habeat ſine dependentia à Prouinciali, vel Superiore immediato. Sed hoc non eſt diſpenſare in voto, ſed eximere à poteſtate alicuius Superioris in aliqua re particulari.

Vnde patet Ordinarium Superiorem non poſſe diſpenſare in voto, nec ab eo liberare. Poteſt tamen abſoluere à fractione voti. Vide Concil. Trident. ſeſſ. 25. c. 3. De regularibus, vbi ſub grauibus pœnis prohibet omnem proprietatem.

CASVS II.

Proprietas ſcriptorum.

Vtrùm Religioſus qui non vult ſua ſcripta alteri communicare peccet mortaliter vt proprietarius?

3

REſpondeo, Non eſt peccatum mortale, ſi quis nolit ſua ſcripta alteri commodare, ne ipſe amittat famam aut opinionem excellentiæ, quam illorum præſidio ſibi comparauit. Solùm tenetur in neceſſitate, quando ex illa recuſatione ſequeretur graue incommodum aliis.

CASVS III.

Proprietas in acquirendorum.

Vtrùm ea quæ dantur Religioſo ab amicis, vel etiam à Superiore, cedant in ius monaſterij cuius ille eſt?

4

REſpondeo: Primò certum eſt ea quæ dantur Religioſo ab amicis, vel aliis, ſtatim cedere in ius monaſterij, cuius ille eſt: ac proinde diſpoſitionem pertinere ad Superiorem illius. Secundò, Certum eſt Superiorem non poſſe concedere Religioſo niſi vſum rerum, non autem dominium, aut diſpoſitionem. Vnde ſi illa res illi Religioſo non ſit vſui (vt ſi ſit lapillus valens contra calculum, vel morbum comitialem quo ille non laborat) nec putetur vſui futura ipſi magis quàm aliis, & ſit notabilis pretij, v. g. 4. vel 5. aureorum, non poteſt ipſi ita concedi, vt liceat transferre cùm ad alium locum migrat. Hoc enim eſſet excedere menſuram legitimę conceſſionis, quæ ſolùm eſt ad vſum neceſſarium, & priuare monaſterium re & iure ſuo: & talis modus habendi planè præ ſe fert ſpeciem proprietatis. Eadem eſt ratio aliarum rerum notabilis valoris, etiamſi eſculenta vel medicinalia ſint.

Superior nō poteſt ſuo religioſo concedere dominium vel diſpoſitionem rei notabilis, ſed ſolùm eius vſum.

CASVS IV.

Vtrùm Religioſus Vice-Paſtor habeat adminiſtrationem ſui peculij?

Proprietas in adminiſtrando ſuo peculio.

REſpondeo cum diſtinctione. Vel iſte Vice-paſtoratus eſt beneficium, ſaltem Manuale, vt vocant; vel non eſt beneficium. Si ſit beneficium, vt ſi legitima auctoritate inſtituta ſit Vicaria: cui certa portio obuentionum aſſignata ſit: tunc competit Regulari eam ligitimè obtinenti adminiſtratio non ſolùm prouentuum, ſed etiam bonorum immobilium annexorum beneficio; vt probabiliter docet Nauarrus Commentario 2. de Regularibus n. 10 & Tractatu de reditibus Eccleſiaſticis qu. 3. monito 25. & alibi,

5

Si Vice-paſtoratus ſit Beneficium.

Quòd ſi non ſit beneficium, vt ſi non habeat talem inſtitutionem, ſed ſolùm ad tempus ob aliquam neceſſitatem conſtituta ſit: Rurſus diſtinguendum eſt. Vel enim habet bona immobilia annexa quæ adminiſtrat, vt agros, cenſus annuos, &c. Vel ſolùm habet aliqua emolumenta mobilia.

6

Si non ſit Beneficiū.

Si habet immobilium adminiſtrationem, non poteſt Superior regularis eam concedere: quia expreſsè prohibetur per Concilium Tridentinum ſeſſ. 25. cap. 2. de Regularibus.

Et bona ſint immobilia.

Si autem non habet vllam immobilium adminiſtrationem, ſed ſolùm aliquorum mobilium, poteſt Superior eam concedere. Nam nec Concilium Tridentinum, nec vllum Ius id vetat: nec eſt contra rationem religioſæ paupertatis, quæ ſolùm poſtulat vt inferior nihil niſi dependenter à ſui Superioris voluntate habeat.

Si verò ſint mobilia.

CASVS V.

Donationes Religioſæ licitæ & illicitæ.

Clemens Papa VIII. edidit A. 1594. conſtitutionem, cuius titulus eſt: De largitione munerum vtriuſque ſexus Regularibus interdictâ: *quæ incipit*, Religioſæ congregationes.

Quæritur, *Quænam donationes ibidem prohibeantur?*

7

Donationes eleemoſynariæ.

REſpondeo Primò, Certum eſt, hîc nō prohiberi donationes quæ fiunt in modū eleemoſynæ, ad alterius inopiam ſubleuandam: hæ enim non dicuntur propriè munera, ſed eleemoſynæ, quas maximè decet Religioſos facere, ſi habeant vnde poſſint. Vnde Abbates & Conuentus poſſunt Religioſis mendicantibus dare libros, ornamenta ſacra, & huiuſmodi alia; vel ſummas pecuniarias ad res neceſſarias comparandas: & ſimiliter Ordines mendicantes aliis pauperibus ſæcularibus vel regularibus. Item perſonæ Societatis Iesv habentes adhuc dominium ſuorum bonorum, poſſunt dare Societati, vel aliis pauperibus.

8

Ad redimendam vexam.

Reſpondeo Secundò, Certū etiam eſt non prohiberi donationes quæ fiunt quodammodò redimendæ vexationis causâ; vt ſunt illæ, quæ fiunt interdū viris potentibus, vel in officio aut dignitate conſtitutis, ne noceant Religioni ſeu monaſterio, vel quæſtoribus, vt poſſit obtineri ſolutio. Si enim huiuſmodi donationibus eorum animi non concilientur, nocebunt Religioni ſeu monaſterio, vel non præſtabunt id quod debent. Probatur, quia hæc non tam ſunt munera, quàm redemptiones iniuriarum & incommodorum quæ timentur, quas quiuis prudens adhiberet.

9

Reſpondeo Tertiò, Certum etiam videtur non prohiberi eas donationes, quæ ſunt Antidorales ſeu

Antidorales seu remuneratoriæ.

seu remuneratoriæ : quales sunt, quæ fiunt Medicis, Aduocatis, Consiliariis, & huiusmodi gratis Monasterio seruientibus: hæc enim non tam sunt munera, quàm remunerationes, quæ strictè non dicuntur muneras; quia non omnino gratis & liberaliter dantur, sed ex obligatione gratitudinis, ad compensanda beneficia accepta: & nisi talia dentur, Religiosi illi erunt & merito habebuntur ingrati, amicorumque animos à se alienabunt. Non est autem credibile Suam Sanctitatem velle eos facere contra virtutem tam insignem, quæ maximè decet viros religiosos; eosque à se amicorum animos auertere.

10 Donationes ex laudabili consuetudine vel recta ratione factæ.

Respondeo Quartò, Valdè etiam probabile est nullam prohiberi donationem, quam, consideratis circumstantiis, vel laudabilis consuetudo, vel recta ratio faciendã dictat. Probatur, quia non est credibile Suam Sanctitatem velle prohibere eas donationes quæ decent viros religiosos spectatis circumstantiis, suntque rectæ rationi valdè consentaneæ. Non enim præsumendum est Sedem Apostolicam aliquid prohibere tam graui & seria constitutione, nisi quod sit notabiliter contra rectam rationem, & minimè decens statum & professionẽ religiosam. Quod etiã ipsa verba satis insinuant, dum ait: *Se largitiones munerum prohibere*, id est, eas donationes quæ merè sunt ex liberalitate, vti seculares solent donare: & dum *contrariam consuetudinem* ait *esse corruptelam*. Item dum insinuat se hanc constitutionem fecisse propter eos, qui ex quâcumque causâ munera dabant. Idem patet ex grauissimis pœnis adiunctis.

11 Quæ iustã habent causam.

Ex quibus patet valdè probabile esse hanc Cõstitutionem non esse intelligendam de istis donationibus, quas moraliter certum est iustam causam habere, & Religiosos decere, & omnibus circumstantiis expensis, valdè conuenire. Confirmatur Primò, Quia ita constitutiones Superiorũ, maximè Sedis Apostolicæ, sunt interpretandæ, vt nihil leue contineant, & tanta Maiestate nunùs dignũ. Minùs autẽ eius maiestate dignum videtur, vt sub tam graubus pœnis, tam seria constitutione prohibeat ea, quæ per se sunt rectæ rationi consentanea, quæque viri sanctissimi hactenus semper fecerũt. Quorsum enim hæc tam seuerè prohibeantur? Si dicas, ob periculum abusus. At abundè huic periculo occurritur, si prohibitæ intelligantur quę non decent Religiosos, & non habent graues & iustas causas. Nec refert, quòd causas velit approbari à Capitulo, vel Cõgregatione Generali: quia loquitur de causa dubia, de qua meritò ambigitur sitne iusta: vnde vult eam ibi maturè discuti, & sic approbari; quod locũ non habet in causa, quam moraliter constat iustam esse. Et quia Congregationes Generales non tam expeditè fieri possunt, si interim res feret, satis erit vt Prouincialis cum suis Consultoribus seu Definitoribus causam probet, id enim iusta epiixia postulat.

12 In lege sæpè magis spectanda rationabilis intentio legislatoris, quàm rigida verba.

Confirmatur Secundò, Quia quãdo lex aliqua continet dispositionem vel pœnam valdè exorbitantem, spectanda potiùs est intentio rationabilis ipsius legislatoris, quam id quod verba primâ facie præ se ferũt; vt patet ex multis legibus, quas D D. ita interpretantur: qualis est l. 1. ff. *de Effractoribus*, l. 1. & 3. C. *de Seruis fugitiuis* l. hac cõsultissima C. de Testamentis. Item Bulla pij IV. & Pij V. de Simonia cõfidentiæ. Præterea omnes leges & Canones qui ipso facto infligunt pœnam priuationis beneficij, officij, bonorum, &c. Ratio est, quia sæpè legislatores vtuntur modo loquendi duriore; vt magis absterreant, & vt iniquum quodãmodò postulantes, quod æquum & moderatum est, obtineant. Quamuis etiam sint multa verba quæ satis indicent Sanctitatis Suæ intentionẽ non esse, vt donationes quæ iustam euidenter causam habent, & Religiosos decent, prohibitæ censeantur: quod etiam ex grauissimis pœnis constat, quæ non possunt prudenter statui nisi contra grauia crimina.

13 Corollarium.

Ex his infero, Si quis librum in lucem edat, posse amicis aliqua exemplaria dari; ita enim recta ratio dictat, & habet laudabilis consuetudo Religiosorum, quã nisi serues, rusticus, sordidus, ingratus, vel etiã superbus habearis, & amicorũ animos à Monasterio seu ordine auertas. Item licet aliqua donare ad conciliandos animos eorum qui multũ possent prodesse monasterio vel Ordini, vel bono publico; hęc enim est iustissima causa, de qua non est opus cõsultare in congregatione Generali. Itẽ ad pertrahendum aliquem ad fidem, vel ad auertendum à flagitiis, quod sanctissimi viri fecere.

14 Minima dari possunt ex benevolentia.

Ceterum aduertendum est minima dari posse, etiamsi non subsit alia causa, quàm beneuolentiæ; vt satis colligitur ex verbis & tenore constitutionis, & explicatione ipsius Pontificis. Vnde ex graui causa dari poterunt etiam ea, quæ non censentur minima.

Quænam minima censeantur.

Quænam autem debeant censeri in minimis, partim ex ipsius Pontificis explicatione; partim ex conditione dantium & accipientium, eorumque proportione colligi potest. Primò, In minimis cẽseret Pontifex Breuiarium; nam cõcedit dari ex beneuolentia: Breuiarium autem si in duobus tomis sit, facilè est duorum aureorum. Secundò, Reliquiarium; quod etiam ordinariè est vnius vel duorum aureorum. Vnde alii libelli, imagines, thecæ Agnus Dei, cruces similis pretii in minimis censeri possunt. Tertiò, Res aliquas medicamentosas; vt lapidem Bezar, qui sæpè est multorum aureorum: & similia quę ex Indiis deferuntur. Quartò, Esculenta quædam; vt sunt condita cydoniorum, & similia. Vnde colligitur posse etiam odores & suffimenta dari quæ ex Indiis adferuntur, & alia huiusmodi rara vnius vel duorum aureorum. Nam eadem est in his, imò honestior fere ratio, quàm in esculentis & poculentis. Ex his facilè de aliis censeri potest.

15

Denique ex his quæ de minimis dicta sunt, confirmari possunt quæ suprà diximus. Si enim beneuolentiæ causâ Superiores possint subditis donare Breuiarium, Diurnum, Reliquiarium & huiusmodi. vt ipse Sanctissimus explicuit, multò magis poterunt aliquid dare externis, vbi tam grauis interuenit causa.

CASVS VI.

Titius Superior Regularis seu Religiosus accepit à Caio mercatore 100. *florenos restituendos Sempronio etiam mercatori: sed ob dilatã nonnihil restitutionem, dat eos mutuos Trebellio, qui paulò pòst foro cedit.*

Debita Superioris religiosi.

Quæritur, Vtrùm monasterium seu Conuentus teneatur loco Titij Superioris sui Sempronio?

16

RESpondeo, Indubitatum est Communitatem seu Conuentum nõ teneri. Primò, Quia Titius non poterat illam pecuniam dare Trebellio mutuam, etiam cum venia sui Superioris; quia ipsi ea solùm fuit tradita ad faciendam restitutionem Sempronio, cui debebatur. Nemo enim potest dare mutuũm ex alieno, cuius non habet liberã administrationem. Quare hoc debitum Titio censetur ex delicto. Atqui monasterium seu Conuentus non tenetur ex delicto sui Superioris, vt docent Doctores ex Innocentio & Hostiensi: quia

Conuentus non tenetur ex delicto sui Superioris.

MONETA.

CASVS I.

Valor Monetæ.

Vtrùm Mercatores possint maiori pretio certas pecunias expendere, quàm passim valeant, & ipsi acceperint?

1 REspondeo, Si inter mercatores iam vsu receptum est, vt certas species monetæ aureæ vel argenteæ maiori pretio expendant, quàm legitimo; non puto illis mouendum scrupulum, etiamsi ipsi ab aliis, qui non sunt mercatores, inferiore pretio, quod lege præscribitur, illas species acceperint. Legem illam, quæ id prohibet in genere, sentio esse merè pœnalem; præsertim quando iam vsus contrarium obtinet, & creditor libenter eo pretio accipit. Omitto alia multa quæ hic dici possent; vt, quòd in vicinis regnis illud pretium vigeat. Quo casu difficile est intelligere quomodo illa lex bono communi seruiat. &c.

CASVS II.

Inquisitio & punitio circa valorem monetæ.

Princeps statuit legem, quâ sub graui pœnâ pecuniariâ prohibet, ne certæ species monetæ expendantur siue dando, siue accipiendo, supra pretium à se taxatum. Hæc lex, quia subditi grauissimum ex ea damnum sentiunt, non seruatur in multis ciuitatibus: vnde etiam aliæ hos vicinæ non seruant.

Quæritur, Vtrùm Officiales Principis possint inquirere in mercatores, de quibus in particulari non est fama quòd legem violent, minus & fraudibus agendo cum rusticis & alijs hominibus simplicioribus, qui cum illis mercatoribus contraxerunt, vt exterqueant ab illis quas species monetæ, & quæ pretio acceperint, &c. & ex huiusmodi exterâ confessione punire & ipsos rusticos, &c. & mercatores infligendo mulctam lege constitutam; maximè cùm ex huiusmodi punitione grauis sequatur perturbatio ciuitatis, mercatoribus cum suis mercibus aliò se transferentibus?

2 Quæ mens sit boni Principis circa legũ pœnalium obseruationem.

REspondeo, & Dico Primò, Certum est non esse mentem optimi Principis, & subditorum suorum amantissimi; vt sui Officiales, & eorum ministri, hoc modo aduersus subditos procedant. Cuius rei satis multa indicia dedit, cùm ostendit sibi quorundam rigorem valdè displicere, & mentem suam esse, vt lex illa in vsum deducatur quantum commodè fieri posset, absque subditorũ perturbatione. Vnde est contra mentem eius, vt cum tam graui perturbatione & damno subditorum lex illa introducatur. Lex enim vt iusta sit, debet esse vtilis bono publico, & consentanea populi moribus: Can. *Lex erit* dist. 4. vnde si est damnosa bono publico, vel perturbatiua tranquillitatis publicæ, est iniqua; vt omnes Theol. & Canonistæ tradunt.

3 Quid requiratur vt Iudex possit in particulari in aliquem inquirere.

Dico, Secundò, Iudices seu Officiales Principis non possunt in particulari aduersus aliquẽ inquirere, nisi præcedente infamiâ, vel saltem præuiis aliquibus indicijs. Ita docent omnes Theologi & Canonistæ; & expressè definitum est Capitulo *Inquisitionis* §. *Tertia*, de Accusat. & Cap. *Qualiter*, 2. eodem titulo. Quæ doctrina maximè locum habet quando procedatur nõ ad malum pendentis amolitionem, v. g. ad perditionem, vel incendia, vel homicidia auertenda: sed ad punitionẽ delicti, seu ad pœnam siue corporalem siue pecuniariam infligendã. Tunc enim omnium Doctorũ sententiâ Iudex nõ potest ex seipso incipere inquisitionem, sed semper debet aliquid præcedere quod inquisitioni viam aperiat, & Iudicem quodãmodò cogat vt ex officio procedat, v. g. notitia publica, infamia, querela partis; vel quid simile: alioqui totus processus est iure nullus, & ipse tenetur ad restitutionem dãmni secuti: quia contra Iuris ordinem procedendo, fuit alteri causa damni. Docet hoc optimè doctissimus Iureconsultus Iulius Clarus Præses olim Concilij Regij Mediolani lib. 5. q. 5. Pract. criminal. ita scribens: *Scias, quòd in quocumq; casu, in quo Iudex, siue de iure communi, siue de iure statutario, siue ex consuetudine potest procedere ex officio, & sic per viam inquisitionis, nunquã debet, neque potest à seipso procedere ad inquirendum, siue ad assumendas informationes, vel indicia specialiter contra aliquem, nisi aliquid præcedat, quod aperiat viam inquisitioni; videlicet diffamatio, vel querela partis, vel denuntiatio, vel huiusmodi. Aliter processus esset ipso iure nullus, etiamsi delictum fuisset de iure plenè probatum. Et meminisse ego quòd fuit grauiter reprehensus Prætor Vallis Sicidæ, qui processerat contra quendam de incestu, quòd propriam filiam carnaliter cognouisset, nulla præcedente querela, vel denuntiatione; & ambo fuerint absoluti, 9. Nou. 1560.* Hæc ille; & alia multa in eandem sententiam. Ex quibus patet iniustum esse tale iudicium: ac proinde Iudicem teneri ad restitutionem.

Iulius Clarus.

Alioquin processus est ipso iure nullus.

MONIALIS.

CASVS I.

In quodam monasterio fœminarum iussu Superiorum clausura inducenda est clausura. Consentiunt omnes Monachales ad chorum deputatæ. Refragantur duæ Conuersæ, volentes habere libertatem exeundi. Primò, quia valdè sines quæ illarum castitati periculum. Secundò, quia coactè videntur professæ. Tertiò, quia cum profiterentur, non erat clausura, nec ad eam se obstrinxerunt.

Quæritur, An saltem per Eminentiam possit hoc illis indulgeri?

4 Quando Eminentia locum non habet.

REspondeo negatiuè, Ratio est, quia Eminentia locum non habet, quando constat legislatorem etiam illũ casum velle sua lege comprehẽdi; & legem, vt sonat seruari. Atqui Conc. Trident. & Pius V. ita proponunt suam legem, vt manifestum sit, eos velle, etiam hoc casu, legem suam seruari: ac proinde manifestum est illas non posse per Eminentiam à lege communi eximi. Imò vt hoc modo possit quis excusari, moraliter certũ esse debet mentem legislatoris esse, vt ille casus non cõprehendatur. At hîc tantum abest vt hoc moraliter certum sit, vt potiùs contrarium sit certũ. Expendantur verba Cõcilii Trid. sess. 25. c. 5. de Regul. vbi vniuersis Episcopis grauissimis verbis præcipitur, vt in omnibus monasteriis Monialiũ introducãt clausuram, &c. deinde addit: *Nemini Sanctimonialium liceat post professionẽ exire monasterio, etiã ad breue tempus, quocumque prætextu, &c.* Et Pius V. in Constit. quæ incipit *Circa Pastoralis*, renouat decretum Concilii, & declarat etiam Conuersas ad clausuram teneri, etiamsi alias ex instituto vel regula non tenerentur, & quamuis in monasterio nunquã clausura seruata fuisset, &c. Et in Constit. quę incipit *Decori*, seuerè prohibet exitum Monialium, etiã Conuersarũ è monasterio, exceptis certis casibus ibidem expressis. Ex quibus rectè ponderatis, manifestum est mentem ipsius & Concilij fuisse, etiam tales Conuersas comprehendi.

Nec

Soluuntur Rationes.

Nec obstant rationes pro illis allatæ. Ad Primã: Quia etsi in ipsis non videatur periculum incontinentiæ ob ætatem, & ita videatur in ipsis cessare ratio legis; tamen pertinet ad decorũ Religionis, vt non egrediantur, nec uersentur cũ sęcularibus: & ita nõ cessat tota ratio legis, sed solùm ex parte. Deinde, vt lex in particulari nõ obliget aliquem, non satis est quòd in ipso cesset ratio legis; sed requiritur vt vel cesset in communi: vel huic in particulari, si seruet legem, obuenturum sit aliquid contra intentionem legislatoris; vt communiter docent Doctores: quod hîc non accidit.

Quando nam censenda sit ratio legis cessare.

6 Mètus ignominiæ & vexatio non inducunt coactionem.

Ad Secundam: Etsi prior harum Conuersarum videatur coactè professa, tamen sponte manendo tanto tempore, censetur liberè consensisse & ratificasse suam professionem. Nec obstat quòd metu ignominiæ apud sæculares non fuerit ausa egredi: hoc enim non facit inualidam ratificationem. Deinde, si volebat esse libera, debebat reclamare intra quinquennium à professione: quod cùm non fecerit, non est audienda, vt statuit Concil. Trid. sess. 25. c. 19. sed præsumẽda est verè esse religiosa. Idem & potiore ratione dicendum de altera; quia vexatio amitæ non facit inualidam professionem, quando nõ eo fine fuit illata, vt ipsa sic cogeretur ingredi Religionẽ. Innumeri sunt qui ingrediuntur Religionẽ, vt molestias suorũ parentum vel amicorũ euadãt; quorũ tamen professio valida est.

7 Licet clausuram non vouerint, tenentur ad clausuram.

Ad Tertiam: Concilium & Pontifices id non curant; vt patet ex Cõstitutione Pii V. iam citata. Ecclesia enim iudicauit vniuersim id statuendum tanquam necessarium ad seruandum votum castitatis, & decorum illius status in feminis.

8 Rationes quibus induci possent ad suscipiendam clausuram.

Itaque fortiter & suauiter puto illas inducẽdas vt patiantur se cum aliis includi. Primo, Quia hæc est voluntas Ecclesiæ, quam constat regi à Spiritu sancto; ac proinde est volũtas Spiritus sancti: vnde resistere huic ordinationi, est resistere Spiritui S. *Qui autem Spiritui S. resistit, hic sibi damnationẽ accersit*: hic non est Filius Dei, quia Spiritum Dei nõ habet: ac proinde non erit hæres regni. Secundò, Quia cùm sint seniores & breui morituræ, & Deo reddituræ rationem totius vitæ, debent aliis dare exemplũ humilitatis & obedientiæ: multò minùs sorores suas scãdalizare sua duritie & obstinatione, sicut facient, si pergant refragari. Tertiò, si habẽt verum spiritũ Religionis, debent abhorrere à cõuersatione sæcularium, & sponte optare clausurã. Nolendo illam admittere ostendunt se non habere spiritum Religionis, sed sæcularem: ac proinde metuendum ne etiam non accipiant Religionis præmium. Denique vt cogitent breui reddendam Deo rationem, & conentur saltem in hac vitæ se excitare ad ea quæ sunt perfectionis. Hę & similes rationes illi proponi poterunt, quibus inducantur ad consentiendum clausuræ. Quod si permaneant obstinatæ, potent etiam aliqua vis adhiberi. Ea planè est mens Concilii & Summorum Pontificum.

CASVS II.

Caia monialis non potest se expedire à turpi consuetudine sui Confessarij.

Fuga è monasterio vt castitati consulatur.

Quæritur, *An possit in habitu sæculari fugere ad aliam Prouinciam, vt ibi in alio Ordine de nouo recipiatur?*

9

REspondeo, Positis illis circumstantiis, quas R. V. commemorat, vt monialis illa non possit manendo in illo loco se expedire à turpi consuetudine sui Confessarii, non putarem prohibendam ei fugam, etiam in habitu sæculari, ad aliam Prouinciam, vt ibi de nouo recipiatur, etiamsi sit alterius Ordinis. Cessant enim omnia vincula humana, & proprio arbitrio inducta, quando ex illorum obseruatione sequeretur pernicies animæ, & iactura salutis: nec aliud remedium moraliter est possibile.

CASVS III.

Admissio defloratæ.

Puella quædam clanculum defloratа petit admitti in monasterium,

Quæritur I. *Vtrùm Monialis huius conscia possit ei dare suum suffragium?*

Quæritur II. *An, hoc vitio relato, sit valitura professio, si, illo cognito, non fuisset admittenda?*

10

AD *Primum*: Respondeo, Non videtur ista Monialis teneri in conscientia negare suum suffragium, cùm illud puellæ recipiendæ vitium occultum sit, nec videatur notabile incommodum inde prouenturum monasterio, & metuendum sit ne illa puella incurrat aliquam infamiam.

Vtrùm autem expediat alia ratione impedire eius ingressum, iudicandum ex circumstantiis. Si putaretur expedire, posset illa Monialis dare operam, vt illi puellæ priuatim loquatur, quo obtento, poterit illam monere ne pergat vrgere ingressum, & indicare quid de illa cognouerit. Posset etiam sub secreto insinuari Abbatissæ, si opus videbitur. Si tamen puella præclaras habeat dotes, quibus illa labes compensetur, melius fortè esset omnia dissimulare, & ipsi suffragium dare.

11 Carentia virginitatis non irritat professionẽ

Ad Secundum: Respondeo, Certum est professionem valere quando impedimentum non est essentiale; etiamsi Superior & Conuentus ita affectus sit habitu vel actu, vt si sciret tale impedimentum (vt est in præsenti casu defectus virginitatis) nullo modo personam vellet admittere: Idem cernitur in contractu matrimonii. Ille enim affectus non influit in actum, nec facit actum admissionis conditionalẽ, sed merè per accidens, & concomittanter se habet. In contractibus tamen qui partium consensu solubiles sunt (quales sunt illi qui à R. V. adferuntur) licitum est ei qui sic deceptus est, soluere contractum, etiamsi solùm circa qualitatem rei, quam ipse magni faciebat, deceptus sit: ipse tamen contractus per se non est omnino irritus. Illud tamen locum non habet quando contractus consensu partium solui non potest: sicut fit in matrimonio & professione.

Nec obstat quòd ob impedimentum non essentiale suppressum in examine, aliquando Religiosus possit expelli, (vt si laboret morbo incurabili, præsertim infectiuo aliorum:) quia non idcircò professio vel fuit irrita, vel potest irrita reddi, quia talis manet Religiosus. Carentia tamen virginitatis non est talis defectus, vt persona alioquin idonea, ob illum expelli debeat.

CASVS IV.

An Monialis professa Ordinis S. Benedicti possit per Ordinarij dispensationem transire ad Ordinem Monialium S. Augustini?

Transitus ad alium Ordinem.

12

REspondeo, Si monasterium est subiectũ Ordinario, & subest iusta causa, posse. Ita expresse Innocent. Panormit. & Glossa in Cap. *Non est dubium*. de Regularibus. Silucster V. Religio 4. q. 2. Nauar. Comment. 4. de Regular. n. 11. Sà V. Religio n. 39. Angelus, V. Religiosus, n. 35.

Vt tamen pacificè fiat, debet accedere consensus Conuentus, vt plerique ex prædictis authoribus notarunt.

Alimenta profugæ & cæpit, ex bonis monasterij.

CASVS V.

Catharina Monialis, accepta ab hæreticis fua monasterij, eiusque alimenta ab his tracta accepit.

Quæritur, *An ea alimenta possint accipere? & quid, per ea cohabitare vere, atque, ubi res melius, ita separata esse?*

13 REspondeo Non esse magna difficultas in accipienda pensione ab illis hæreticis: quia cùm sit vera Religiosa professa, ius habet ex illa re ex bonis monasterij, quæque abstracta ab hæreticis taxata potest accipere. Esti enim grauiter peccarit incundo matrimonium, tamen non ideò desinit esse professa, nec fuit eò incapax alimentorum ex monasterij bonis prærbendorum. Accedit quòd alioqui illa pensio deuoluetur ad hæreticos.

14 Verùm difficilè est videre quo modo possit absolui quidu manet cum marito, cui facilegè copulata. Est enim non sit peccatum incestuosum, vt exfertur in facto, propter ætatem & bernam mariti? & toro sit separata ab illo; tamen manet ei coniuncta habitatione publica; tanquam vxor vitæ legitimo: & tamen publicè colitur ipsum effe monialem: vnde putant perfistere in facilegio nuptijs: ac proinde publicè præbet scandalum: quia vnit cum illo homine hæretico tanquam cum vnico. Denique in omnibus vitibus domesticis agit cum illo, vt vxor cum marito. Quòd si hinc scandalo occurri possit, non putarem esse negandam absolutionem. Verùm non video quid id fieri queat.

Verùm absolutio la.

Lucrum è mutuo, vtrùm sit de negotiatione.

MVTVVM CASVS I.

Titius debet Cæi amico scripto. Vt inde lucretur ille, offert huic tantum lucrari possibile ex mercimonijs, si ea exercuisset.

Quæritur Primò, *Vtrum hoc titulo possit tantum lucrari?*

Quæritur Secundò, *Quid dicendum si hoc non exercuisset mercatura? Item si insuper permittat officium alterius? Vtrius?*

1 Negotiat. fallacie illicitæ.

AD Primum: Communis sententia Doctorum, quos hactenus legi, est, ad mutuandum pecunia cum lucro, v. g. 6. 7. vel 8. in 100. non licificere, quòd illam eius collaterus in commercia æque vel magis lucrosa nisi possim tales mutuatari; fefe offerrent. Quandoquidem pulla quis omnino fuam pecuniam destinare ad tales mutuationes, cum proposito nunquam exercendi mercimonij, quia perpetuo plurimi, qui fic petunt, fefe offerunt tum habet (vt fæpenno) propositum condutionium conferendi fe ad mercimonia, nisi illa ratio commodior præsto esset, plutimique egentes pecunia in Repub. reperiuntur. Et fic pulchra occasiones quæ per totum vitam exercent vltras fenatores, fæpe vnicas, bellas, vbi 6. 7. 8. exiguntur in centum, sibi lotte quasi nemo conscitetur.

Ratio.

1 Requiritur itaque vt statuerit negotiari & vt mutuatio nihil facta, & cessa cur lucrum illud negotiationis non consequatur. Quare magni refert, vtrùm pecunia sit tum reuera destinata negotiationi, an non: Ratio est, quia pecunia vt fubstit illa destinatione & industriæ, plura valet, quam per fe soluitam quilibet pecuniam alienat, simul industrium fuam, qua poterat esse fecunda, præstat (suppono enim illum non habere alias, qui huic possit sufficere) & ita non dat nudam pecuniam, sed simul suam industriam filo destrahit, subducit illius materiæ. Confirmatur ex eo quod ficit, quod à D. T. adducitur in contrarium: quia pictor qui statuit deferere artem pictoriam, quâ indies lucrabatur 4. ò. 5. conferat se ad fatorii non potest lucrum exigere illis, ceffans ex pictoribus, dum vendit calceos; quia hic vel ille calceus non fuit causa deferendæ pictoriæ: similiter fi deferat vt iterum aliquo nobili negotiet, non potest lucrum cessans prætendere, modo hunc vel illum fortuitum in particulari non fit causa deferitionis artis, vel quòd artem priùstum non operat.

Deinde, magna affluunt hominum murmurationes lucrosas, & abrumpere propositum; quod fit dum pecunia erat destinata ad lucris; non autem, fi non erat destinata. Nec obstat exemplum opulicis quod adducitur: quia id potius aparet fuisse fi bene applicetur. Si enim ille calcinum operas quæstuosas, vt aliqui particulari deferuisset, adiis non deferentibus, potest pacisci cum illo de lucro cessante: fi autem relinquat absolute vt alicui in genere feruiat, non potest prætendere lucrum cessans, quamuis fit eximius, vt mihi multi egentes obsequijs, veller repetere artem deserti tam enim reperitur casuilus in particulari deferuit artem suam absolute & nemo in particulari eft illi auctor artus & lucri deferendi quia iam ante id conflituerat. Sic qui frumentum fatiori paratum, mutatâ voluntate statuit non fenere, fed vendere non potest prætendere lucrum cessans refpectu eminens: huius aut illius qua nulla venditio in particulari eft causa lucri cessantis: quamuis enim non vendidiffet mihi, tamen non ideò vellet fementem facere. Fatear tamen, quia venditio mihi facta erupit illi potestatem conuertendi in fementem, fcilia forte erat cuitus in aliam rem non emptæ, polle hoc actumantisimiliter in locatione operarij. Sicut enim affumabile eft abrumpere propositum negotiationis, ita etiam amittere potestatem, quæ fortaffis erat cuitus in actum.

Sed hoc eaufa ipsi parcr æstimabitur.

Ad Secundum: Concedo, fi eradat illos 100. necessarij, intentionis adhæ vel virtute illius contractus, de quibus Nauarrus & alij, poffe illi, fexcentum illos in 100. fic locari. Centetur autem vtile & lucrum interesse, quando vel impeditur de lucrandi ex tali mutuatione nata eft, vel fi intendat omnis modo dare de lucrari quo iuffe poteft; non autem fi tantùm intendat mutuare cum interesse.

Quod ad affecutationem fortui interes, qui affecuratio vult tertem esse falsum, non lucrabitur illa duo fortium interesse, licet argumentum fupponit: fed hoc lucrum debet dari alteri, qui ipsimet fecurauit.

Mutuans affumatur mutare ad vitium gues fi debet tantum interesse, lucrum.

CASVS

CASVS II.

Lucrum è mutuo titulo euentûs fortuiti.

Titius dedit Caio 100. *vt poſt annum, ſi viuat, reſtituat* 110. *Si verò obierit, tantùm reſtituantur* 90 Quæritur Primò, *Vtrùm hic contractus ſit iuſtus?* Quæritur Secundò, *Quibuſnam titulis iuſtificari poſſit?*

Ad Primum: Reſpondeo, Contractus ille quo Titius dat 100. Caio, vt quotannis recipiat 110. ſi Caius ſuperſtes fuerit, quòd ſi contingat mori eo anno, 10. detrahantur ſorti, non poteſt iuſtificari ratione ſolius euentus fortuiti, quaſi contractus ſortium; quia par non eſt conditio cõtrahentium: longè enim veriſimilius eſt Caium illo anno non moriturum, quàm moriturum. Itaque alij tituli debent inuolui & intendi à Titio, & à Caio acceptari. Suppono Titio relinqui ius repetendæ ſortis quando voluerit prima monitione vnius vel duorum menſium.

4 Hic euentus fortuitus non iuſtificat hunc contractum.

Poterit igitur hic contractus iuſtificari dupliciter: Primò, Si intendat triplicem contractum cum mercatore, ei ſimul coniungens contractum ſortium. Poſſunt enim hi contractus ſeorſim fieri; vnde etiam poſſunt fieri ſimul, ſi vtraque pars liberè conſentiat. Et quidem ratione contractus triplicis cum mercatore poterit lucrari 7. vel 8. in centum, præſertim in Angliâ, vbi mercatura viget: reliqua 2. ratione contractus ſortium. Satis enim videtur æqua conditio, ſi lucrum duorum opponatur amiſſioni 10. Sicut enim 10. reſpectu duorum habet proportionem quintupli; ita certitudo vitæ facilè ſuperat quintuplum certitudinem mortis Caij intra illum annum. Sed malim hunc contractum ſortium relinqui, & ſolùm iniri triplicem cum mercatore, qui vbique receptus eſt; & in Angliâ facilè dabit 8. in 100. Si tamen velint illum adiungere vt lucrentur 10. non videtur prohibendum. Debent tamen moneri vt omnes titulos ſupradictos intendant.

5 1. Modus iuſtificandi hunc contractum.

6 2. Modus iuſtificandi hunc contractum.

Secundò poteſt excuſari ſi intendant emere cenſum vtrimque redimibilem; & ſimul adiungant contractum ſortium. Videndum quanti valeant ibi cenſus perſonales vel reales ſolùm redimibiles ex parte venditoris. Nam is qui ex parte vtriuſque redimibilis eſt, debet pluris emi; & conſequenter minor percipietur penſio quotannis: V.g. ſi cenſus redimibilis ex parte ſolius venditoris dat 6. & vnam quartam in 100. is qui vtrimque redimibilis eſt dabit ſolum 5. in 100. Si ille dat 8. hic ſolùm dabit 6. & vnam ſecundam. De quo vide ſi placet c. 22. de Iuſtitia, dubit. 10.

CASVS III.

Lucrum è mutuo titulo Aſſignationis: Periculi ſortis: Solius carentiæ pecuniæ.

Franciſcus Mercator dedit Titio 100. *vt poſt menſem ei in aſſignatione vel chirographo ſoluat* 101. Quæritur Primò, *Vtrùm ei liceatum ſit ita mutuare?* Quæritur Secundò, *Vtrùm poſſit habere rationem periculi ſortis?* Quæritur Tertiò, *Vtrùm in mutuo habere poſſit rationem ſolius carentiæ pecuniæ?*

7 Contractus hic videtur iuſtus.

Ad Primum: Suppoſito fundamento Franciſci, 100 in præſenti tanti valere hoc tempore communi mercatorum æſtimatione, quanti 101. in aſſignationibus & chirographis poſt menſem ſoluendis; non video cur iniuſtus cenſeri poſſit iſte contractus, quo Franciſcus dat Petro 100. in præſenti, pro aſſignationibus & 101. vel nunc vel poſt menſem ei exhibendis, & poſt menſem primùm ſoluendis.

Non facilè tamen conceſſerim poſſe amplius quàm vnum in 100. accipere per menſem. Nam præterquam quòd iſtæ ſint vſuræ centeſimæ, quæ veteribus ſemper valdè magnæ ſunt viſæ; prohibitum eſt per conſtitutionem Caroli V. ne poſſint amplius quàm 12. in centum per annum exigere, etiamſi prætenderent maius intereſſe. Si contra fiat, puto poſſe addici fiſco cum noua mulcta tranſgreſſori imponenda; ita enim ſolet fieri in ſimilibus.

Sufficit vnum in 100 accipere per menſem.

Conſtitutio Caroli. V.

Ad Secundum: Quod ad periculum ſortis attinet, ſentio hunc titulum ſæpè eſſe conſiderabilẽ, quando ſtatus eius quocum agitur, non eſt ſatis perſpectus, vel habetur aliquo modo ſuſpectus. Audio tamen ſæpè rem adeò eſſe ſecuram, vt vix vno regali in 10● aureos æſtimetur per menſẽm, vel etiam nullius omnino ſit prętij; quia non maius periculum eſt, quàm ſi pecunia maneret in ciſta mutuantis. Non dubito quin tantum ex hoc titulo Franciſcus poſſit petere, alijs titulis ſepoſitis, (ſi tamen mercatores in taxando pretio carentiæ, nullam rationem habent periculi,) quantum ipſe vellet alteri dare, qui hoc periculum præſtaret, vel quantum iudicio prudentium æſtimatur.

8 Quomodo haberi poſſit ratio periculi.

Ad Tertium: De fundamento Franciſci poſſitne eſſe verum, ſepoſito omni intereſſe lucri ceſſantis vel periculi ſortis, dubitari poteſt: nam Doctores non videtur agnoſcere alios titulos, ratione quorum præſens pecunia pluris poſſit æſtimari, quàm abſens tempore. Puto tamen verum eſſe poſſe: nõ quod præſens pecunia pluris æſtimetur quàm aſſignatio, cùm plerumque mercatores non niſi per aſſignationes ſoluere ſoleant; ſed propter abſentiam pecuniæ; etſi abſentia per menſem tantùm, non tanti ſoleat æſtimari; cùm non ſoleat dari in vnum tantùm menſem, ſed ad minimum ad duos vel tres.

Via excludendi ab vſura ſolam carentiam pecuniæ.

Ratio ergo cur putem verum eſſe poſſe, eſt, Tũ quia Caietanus cũ quibuſdam alijs, quos ſecutus ſum, ſentit poſſe chirographa poſt aliquot menſes ſoluenda eam minoris, etiamſi omnino ſint ſecura. Tum quia puto communitatem mercatorum poſſe imponere certã æſtimationem carentiæ pecuniæ per menſem vel annum. Cùm enim ferè ſemper hæc carentia habeat aliquid incommodi in pleriſque mercatoribus, præſertim vigentibus cambijs, ne quiſque pro ſuo arbitratu hoc æſtimaret, ſicque ſupra id quod iuſtum eſt, peteret in mutuo, potuerunt mercatores boni communis causâ id æſtimare & taxare, illique carentiæ veluti pretium imponere; quod poterit exigi etiam ab ijs, qui reipsâ nihil ex illa carentia incommodi ſentiunt; eò quòd ſit inſtar prętij illius iuſtè taxati: Sicut per traiectionem pecuniæ tuæ poſſum accipere pretium (etiamſi mihi non ſit incommoda, imò quamuis ſit alias commodiſſima) quia communi æſtimatione potuit à mercatoribus hæc traiectio taxari: quæ taxatio ab omnibus ſeruanda. Quid enim obſtat cur ad vitanda incommoda maiora non potuerint æſtimare carentiam pecuniæ, per vnum, duos, tres, quatuor, quinque menſes, vel per annum, etiamſi quibuſdam hæc carentia nihil adferat incommodi; Sufficit enim vt pleriſque incommoda ſit, vt communis aliqua æſtimatio ei poſſit imponi. Hoc fundamento, addito altero de periculo ſortis, puto ſpeculatiuè multos Burſæ Antuerpienſis contractus poſſe defendi; ſed non facilè audim hæc ad praxim deducere; quia nullum auctorem inuenio ſuffragantem. Non tamen velim cogere ad reſtitutionem, poſt factum.

Mercatores imponere poſſunt æſtimationem carentiæ pecuniæ.

Lucrum ex mutuo cum pacto recuperandi ficti-tium.

CASVS IV.

Tutor pecuniam pupilli depofuit apud quempiam non confitentem reditu, cum pallio reftituendi pecuniam, quando pupillus apud habuerit, & interim folueret ei 6. quam quotannis in vsura?

Quæritur, *Vtrum ifta vſura ſit?*

10 Reſpondeo, Eſſe ſecundum ioris rigorem cenſeatur vſura, Modo Rex prohibuerit, vt à quodam petito auduiat: tamen probabile eſt, id quod ante regium interdictum factum eſſe bonâ fide, non eſſe reſtituendum. Ratio eſt, quia creditor ibi, hanc conſtituebat ſortem ortam eſſe vel retentione loci, quo ſordinariè ceſſat; vel ex contractu implici cum mercatore. Itaque ſaltem implicitè conſetur aliquis talis titulus intendi in huiuſmodi depoſitionibus. Vide plura apud Valentiã. Videtur tamen 6. & vna quarta in centum eſſe minimum. Valentia ſolùm permittit 5. in 100. ſi tamen cum mercatore contrahas per res cotentas ſingulis annis, vel impoſitas, potes exigere 6. & vnam quartam in centum: imò interdum 7. & 8. prout negotiatio eſt lucroſior.

Mutuare ubique potentia ſolendi.

CASVS V.

Pilgrim quidam communiter viuentes ſe deſerit ſupra vires ſuas viuere, & valde probabiliter credunt ſe non poſſe ſolui.

Quæritur 1. *Vtrum poſſint pecuniam mutuo vel ad cenſum accipere?*

Quæritur 11. *An Officiales, vel alij, quos ſummi Principes illum Gregem curare, & pati mandauerunt, etiam? Superiores illos committat?*

Quæritur 111. *An Confeſſarius hæc omnia manifeſtè reſpiciens, & videns periculum ſcandali imminere, teneatur monere eos, ne ſe perdant, ne impedimenta ſint illuminationum accipiant?*

11 *Ad Primum*, Reſpondeo, Certum eſt ex dictis, nec eſſe, quæ dicta ſupra vitare de oneratur, & ſolunt, vel etiam valde probabiliter credunt, ſe non poſſe ſolui, non poſſe pecuniam mutuò, vel ad cenſum accipere: hoc enim equiualere fenori. Vide non licitum eſſe emptionem facta, in quo clericus vel ſecularis ſe ſumm accipere.

12 *Ad Secundum*, Reſpondeo, Officiales, vel alios, qui tenuit illarum illuminationes particulares, quæ credunt, vel credere debere Conuentum non poſſe ſolui, & non poſſuit pecuniam petere, etiamſi Superior id ea cõmittat, non teneri ſe illorum curare. Imò nec quæ quotidie illarum ſunt, ſi putant breuem medelam poſſe adhiberi, poſſunt de praxeritis exigere per rigorem iuris à peccato. Imperitum tamen eſt illuminationes facere, nili vere quæ ſolubiles ſunt. Superiores foris ſe peccatis excuſari tenebuntur, quòd omnino certo ſibi perſuaſerint, licuiſſe eas vere quæ propoſuerit. Verum ſi poſtea ſuperiores ipſi cognoſcant, eum prudentibus rerum eſtimationibus videatur illud fundamentum non facere illum.

13 *Ad tertium*, Reſpondeo, Confeſſarius hæc omnia manifeſtè intelligens, & videns periculum ſcandali imminere, tenetur monere eas quæ pereunt, ne in poſterum mutuum accipiant, nili illiuſmodi vel valde probabilis ratio ſuppetat ſolu reſponſore ſolueniſſe: nili velint eas ſuperare, debet illis negare abſolutionem. Quia abſque merito ſperare peccato non poſſunt illa facere, ynde & grauſſimum peccatum, & publicum ſcandalum nõ

cereatur. Exponant neceſſitates ſuas Principi, Epiſcopo, Prælatis, & viris primarijs, vt dignentur ſuccurrere, ne cogantur tam congregationẽ diſſoluere, & opus tam bonum ad inſtitutionem puellarum abrumpere.

ORDINES SACRI

Domicilij Ordinatorum.

CASVS I.

Quidam puer Gandaui natus, parentibus orbatus, bonis deſtitutus, in familiam patrui Rutemundi ad miſſus eſt, qui tum vti filium aluit, ſtudijs addixit, cum propoſito eum perpetuò educandi, & promouendi, ſicque totus illius, vt filiorum, fuit curæ.

Quæritur, *An hic poſſit dici habere Rutemundi domicilium habitationis, ratione cuius poſſit ab Epiſcopo Rutemundenſi ordinari ſuum ſubdi-tum, & ordinari.*

R Reſpondeo, Affirmatiuè. Domicilium enim habitationis, ſecundum omnes Doctores, ſufficit vt quis eo loco poſſit ordinari: & habetur expreſſe Cap. *Cùm nullus.* De Temp. Ordinand. in 6. Atqui iſte puer habet domicilium habitationis Rutemundæ apud patrum: hoc enim ipſo quo patruus ſtatuit eum detinere in ſua familia tanquam filium, contrahit domicilium patrui, ſi cus alij filij; quia patruus eſt illi inſtar patris, & ſic que tanquam pater debitor Reſidentiæ. Accedit quòd iſte puer accedentes ſe voluntati patrui, & velle apud illum perpetuò manere, quantum in ſe eſt. Atqui voluntas habitandi perpetuò in aliquo loco ſufficit ad ſtatum contrahendum domicilium, vt paſſim Doctores tenãunt: qua de re, præter alios, vide Sanctum lib. 3. de Matrim. diſput. 24. Itaque hæc voluntas patrui, ſiue ipſius puerij peccatorum, non video quomodo negari poſſit illum contrariſſe Rutemundæ domicilium.

Quid ſufficiat ad contrahendum domicilium.

Cùm dicitur ad domicilium requiri voluntatem manendi perpetuò in eo loco, hoc non ita intellegendum eſt, quaſi illa voluntas debeat eſſe conſtans atque ſufficiẽs enim vt ibi cum tali voluntate coperit habitare. Eſt enim poſtea hæc voluntas mutabilis, non ideò amittitur domicilium, dum recedit ab illium locum tranſferatur. Similiter illa voluntas manendi perpetuò, non excluſit voluntatem alio migrandi, ſi forte caſu aliquo alio vocantisque omnia neceſſitas iuris ſunt.

1 An requiratur voluntas perpetuò manendi.

2 Domicilij Habitationis & Domicilium Originis.

Confirmatur: iſte puer vel habet domicilium Gandaui vbi natus eſt, vel Rutemundæ, vel nullibi; non enim puto de aliis locis dubitari. Non habet domicilium Gandaui, quia ſublatum eſt domicilium habitationis Gandaui, cum eò non ſtatuerit redire, nec patruus eò ſtatuerit eum remittere. Habet quidem Gandaui domicilium originis, ſed hoc multùm diſtinguitur à domicilio habitationis, vt ex lure conſtat. Neque dici poteſt illum nuſquam habere domicilium habitationis; ſic enim eſſet vagus ſeu vagabundus. Vagabundus enim dicetur qui nuſquam certam ſedem habet, vt docent omnes Doctores ex L. *Eum qui mancipio. 27.* §. finali ff. ad municipia. Quæ de re vide Sanctum lib. 3. diſp. 25. Ai, quis dicere poterit illum certam ſedem habere vagos, qui certam ſedem ab eo, quæ ei parentis loco præeſt, obtinet?

CASVS II.

Ordinatio inualida defectu intentionis.

Titius suscepit Ordinem Subdiaconatus cum actuali intentione & protestatione interna, se nolle illum suscipere, ne inhabilis fiat matrimonio; sed solum exteriùs simulasse vt alteri satisfaceret.

Quæritur Primò, *An huic Titio sit habenda fides?*

Quæritur Secundò, *An iteratò deberet illi Subdiaconatus conferri priusquam Diaconatum suscipiat?*

Quæritur Tertiò, *An sine dispensatione possit illi Subdiaconatus iteratò conferri extra tempora?*

Literas tuas, Prænobilis Domine, 28. Iulij datas accepi 8. Augusti hora 8. vespertina, valetudine affecta: quibus vt statim satisfacerem, operam dedi. Itaque.

Ad Primum: Respondeo, Prorsus hîc Titio habendam esse fidem. Nulla enim ratio est cur ei contra se fatenti cupientique progredi ad Sacerdotium, non possit prudenter fides adhiberi. Secùs esset si Titius suscepto per talem simulationem Subdiaconatu, absque vlla dispensatione iniret matrimonium: Tunc enim Ecclesia potuisset contra eum procedere tanquam contra eum qui sacrilegas nuptias contraxisset: neque ei alleganti se cauisse intentione in ordinatione fuisset credendum; sed præsumendum id ab eo confictũ, vt nuptijs frui posset; & procedendum secundùm ea quæ exteriùs apparuere: & in hoc casu locum haberet illud, *Ecclesiam non iudicare de occultis*. Illud enim axioma verum non est; quando reus ipse quod occultum erat, in lucem profert, & cõtra se fatetur absque præiudicio partis: vt patet in iudicio Sacramenti Pœnitentiæ, vbi Ecclesia absoluit de occultis, eaque punit. Sic quoque dispensat in voto occulto & mere interno.

4 Affirmatur.

Quo casu Ecclesia iudicet de occultis.

Ad Secundum; Respondeo, Deberein hoc casu, Titio denuò Subdiaconatum conferri priusquam Diaconatum suscipiat. Ratio est, quia Titius verè non est Subdiaconus, neque suscepit characterem defectu intentionis. Ita sentiunt omnes Doctores de omnibus Sacramentis. Non enim minùs in adulto suscipiente requiritur intentio suscipiendi, quàm in conferente intentio conferendi. Vnde non minùs debet iterari si absit vel aduersetur intentio suscipientis, quàm si absit intentio conferentis. Communis enim Doctorum sententia est Sacramentum esse iterandum quotiescumque est aliquis defectus essentialis admissus in eius collatione, siue ex parte Ministri, siue ex parte materiæ, vel formæ, siue ex parte suscipientis. Hinc si quis baptismum exteriùs suscepisset cum actuali intẽtione renitente, absque dubio deberet ei postea pœnitenti baptismus iteratò conferri. Et si quis huiusmodi animo suscepisset Sacerdotium, non posset vllo modo celebrare, nisi rursus ei Sacerdotium conferretur; quia prior collatio irrita fuit. Neque hoc est iterare Sacramentum, sed validè conferre quod ante irritum fuit.

5 Debet denuò conferri Subdiaconatus.

Diaconatus non potest conferri ante Subdiaconatũ

Quòd autem non possit Diaconatum suscipere prætermisso ordine Subdiaconatus, id sit vel iure diuino, vt plerique sentiunt; vel traditione Apostolicâ, vt pauci quidam: idque semper obseruauit Ecclesia. Quare cùm Titius non sit verè Subdiaconus, non potest transire ad Diaconatum, nisi defectus suppleatur, præsertim si iure diuino debeat Subdiaconatus præcedere.

6 Potest Episcopus Subd aconatum huic conferre extra tempora.

Ad Tertium: Respondeo mihi probabile videri Episcopum posse hunc Subdiaconatus Ordinẽ, ex hoc casu, extra tempore conferre Titio, absque dispensatione. Tum quia in foro externo ille iam censetur hunc Ordinem suis temporibus suscepisse, esseque Subdiaconus; ac proinde in foro externo satisfecit Canoni de Ordinibus suis temporibus recipiendis: sicut qui in foro externo contraxit matrimonium præsumptum coram Parocho & testibus, irritum tamen ob aliquod occultum impedimentum; sublato impedimento potest cõtrahere primatim absque Parocho & testibus, vt declarauit Pius V. quia satisfecit in foro externo, habeturque verus coniux. Tum quia absque graui scandalo & infamiæ notâ non potest ei hic Ordo conferri temporibus ordinariis; censeretur enim sacrilega iteratio. Canones autem non debent cum scandalo & infamia seruari.

Si tamen aliter Episcopo visum fuerit, peti poterit dispensatio, non expressâ causâ, nisi in genere: nempe vt liceat accipere Ordinem Subdiaconatus extra tempora, ob quandam causam occultam Episcopo notam.

CASVS III.

Ordinatio sine debitæ materiæ traditione: ideoque ordinationis repetitio.

Titio, dum ordinatur Sacerdos, porrectus fuit calix cum sola aqua sine vino, ideoque postea curauit se iterum ordinari.

Quæritur Primò, *An prima ordinatio fuerit valida?*

Quæritur Secundò, *An cùm secundò fuit ordinatus, incurrerit censuram?*

Quæritur Tertiò, *Si tunc fuisset etiam ordinatus Episcopus, an hæc etiam ordinatio deberet repeti?*

Quæstio, quam D. T. proponit, est satis perplexa. Nullum enim inuenio Doctorem qui tractarit, vtrùm materiæ consecrandæ traditio sit necessaria ad essentiam ordinationis sacerdotalis. Ego, saluo meliori iudicio, sentio validam fuisse ordinationem, de qua agitur in casu proposito, in qua per errorem Archidiaconi aqua loco vini fuerat calici imposita. Primò, quia etiamsi ponamus traditionem materiæ esse necessariam ad essentiã ordinationis, hic non defuit materia; quia panis adfuit, qui cum calice & patena non traditur nisi ei, qui initiandus sacerdotio est; & proinde satis determinat illum actum ad significandam potestatem consecrandi seu offerendi: quæ potestas est effectus huius Sacramenti. Sicut etiamsi omnia peccata mortifera sint iure diuino materia Sacramenti Pœnitentiæ, tamen ad essentiam Sacramenti sufficit vel vnius confessio, modò reliqua absque culpa omittantur.

7 Portectio calicis cum aqua loco vini ex errore non inualidat ordinationem.

Secundò, Quia sentio traditionem materiæ consecrandæ non esse de essentia huius ordinationis: nam sufficienter designatur effectus huius Sacramẽti per traditionẽ calicis & patenæ sub tali verborum forma: *Accipe potestatem offerendi & celebrandi Missas* &c. Idem ex eo confirmatur, quòd nec Clemens Romanus lib. 8. Constit. Apostolicarum cap. 16. vbi describit ordinationem Presbyterorum, nec Concilium Carthaginense IV. cap. 3. materiæ mentionem faciant, sed solius impositionis manuum, & precationis in qua ipsa forma continetur. Et tamen ibi accuratè præscribunt quid in hac ordinatione sit Episcopo faciendum. Vnde non modica coniectura sumitur, nec ipsam calicis ac patenæ porrectionẽ esse de essentia huius ordinationis, sed solùm requiri ex præcepto & ordinatione Ecclesiæ Romanæ, quæ in omnium Sacramentorũ administratione est accuratissima, & sequitur vbique id quod est securissimum, & maximè expressiuum effectus ipsius Sacramenti. Quæ sententia ferè pro certo habenda, si constare

Traditio materiæ consecrandæ non est de essentia ordinationis. Clemens Romanus. Concil. Charthag. 4.

posse Græcos sua mantuum impositione sub legitima verborum forma suos Presbyteros ordinare consueuisse. Confertur Canon 13. cum 5. & 6. sequentibus Concilij Carthaginensis, & plane apparebit traditionem calicis & patenæ in Sacerdotis ordinatione non fuisse necessariam.

Nec obstat instructio quam Concilium Florentinum tradidit Armenis: Ecclesia enim Romana semper tradit id quod est absolutissimum, etiamsi fuisse vtrumque sit necessarium.

Itaque tenio non esse hic repetendam ordinationem, ideo pro certo habeo, si conflat apud Græcos calicem & patenam cum materia consecranda non porrigi in hac ordinatione.

Ad Secundum. Nulla est ratiocinatio consistens in eo qui ordinationem repetunt. Quidam putant eos bene repetere, sed longe probabilius est contrarium: Non enim, quod de eo, qui Baptismum conferendo vel accipiendo repetit, constituunt esse, tenendum ad eum qui ordinationem consecrando vel accipiendo repetit. Et quamvis tale quid esset statuendum in repetentes ordinationem, id tamen non haberet locum in proposito casu quia non constat iterasse, quando nec habuerunt, an prior actus fuerit validus. Itaque nulla egent dispentatione qui secundo ordinati sunt, sed liberè possunt officio Ordinum fuorum fungi.

Ad Tertium: Post ordinationem Sacerdotalem nullus superest ordo præter Episcopalem: quem si quis post præsentem ordinationem Presbyteralem subsequat, inualida sequetur ordinatio presbyteralis: similis ratio fuit quia ex communi sententia Doctorū potestas Episcopalis Ordinis supponit potestatem Ordinis Presbyteralis. Vnde vt sæpe expressa fuit. Verbum quia Sacerdotium vt certis, priorem ordinationem validam fuisse, etiam consensus posteriorem, qua Episcopus ordinatus est, validam esse; nec quidquam reperendum.

His tamen adde, si certo constaret potesse Græcos ordinare Sacerdotes sine fine calicis, & patenæ actorum materiæ porrectione: vel si putamus ipsi hæc omnia ad Sacerdotem pertinere, sine ordinationem supradictam, falsem sub condition. Quia in re tanti momenti ampleè tendum est id quod securius est, cum nullum sit periculum sacrilegæ iterationis adhibita conditione. & hæc ratione minus scrupulis tollantur, quibus aliquam ipsi ordinati, & ij qui absolutis fuerit præcipuè, subiecti erunt.

CASVS IV.

Ordinatio de debito contracta manet in Ordinato.

Sacerdos post ordinationem dubitat an integrè præsumpserit quæ ad huius sacramenti perfectionem non conferentia, in ordinatione, ossa pro calicis & patenæ materiæ &c. ne iterato ordinationem sortalur? Quæritur Primò, Vtrum teneatur se ipsum accusare?

Quæritur Secundò, *Vtrum teneatur se habituro sui beneficium intentionem ad huius Sacramenti finem?*

RESpondeo, Sic ordinatum debere esse planè certum quòd ad contactum instrumentorum attingit. Cum enim constet sufficiente tanta solicitudine tangere calicem & patenam, & in ipso facto putarit se accurate id negotium omnino credibile est probè tetigisse vtrumque, etiamsi post ordinationem dubitare cœperit an tetigerit patenam, quia ad hoc non refle. Tales enim dubitationes post factum libenter solent scrupulosi tangere certum signum animi perplexi & scrupulosi. Deinde, etiamsi certus esset se patenam immediatè non tetigisse, fed solùm calicem; nihilominus non deberet dubitare de validitate fuæ ordinationis. Satis enim constetur tangere patenam per ipsum calicem; vt habet communis sententia Doctorum & pratis Ecclesiæ. Et fatis si aliquo modo dubium esset, an vtriusque tactus physicus requiratur ad essentiam Sacramenti, Ecclesia que regitur à Spiritu fancto, non permittit agentem imperitum reperdere, ve vtrumque adhiberet, ne dubitam ordinationem facta. Nulla autem diligentia hac in re adhibetur quod certum signum est non esse necessarium immediatum vtriusque contactum, fed sufficere contactum calicis.

Addo probabilissimum esse ne calicis quidem physicum contactum requiri. Imò apud Græcos dicitur fieri ordinatio Sacerdotum per solam impositionem manuum, fine formula verborum; vt super Romæ in finis cafu accepi.

Ad Secundum: Hoc ipsum diligentiam adhibent vt vtrumque instrumentum tangeret, & ita manus protendit vt patenæ se tangere, idque vt ex dictis Sacerdotum accipere; fufficientem planè intentionem habuit ad hoc Sacramentum requisitum. Neque credibile est simul habuisse propositum non consentiendi in ordinationem, cafu quo vtrumque non tangeret. Stultum enim esset tale propositum, nec fine graui peccato habere posset; quod non est præsumendū in hominē timorate consistente. Neque est vile ad facilia obtinendam iteratam ordinationem; quia Episcopo de tali proposito non posset constare, & magis reputaretur scrupulus mentis confusæ, & imaginatus (fuse vera est) quam seria voluntas.

Quòd si fortè tale propositum præcesse fuisse, nec adhuc ea de re cogitarit tempore ordinationis, non videtur consentiret, in quem tunc abfolutè consensit, dum fieret. Sicut fi quis apud fe ita statuerat, Non consentio in consecrationem Eucharistiæ, fi omisero particulam *Enim*: hoc proposito tamen non irritaret consecrationem, fi eade re non cogitaret dum alta consecrat, de cafu vel ex consuetudine particulam illam omittit.

Quòd fi adhuc formula & expressa in ipso puncto ordinationis habuisset fectam voluntatem non consentiendi in ordinationem, eamque non sufficiendi in mente quo pos poffet attingere vtrumque instrumentum, certè aduertisset se attingere vel non attingere, & reflexisset se super fuam ordinationem, iudicando illam esse validam vel invalidam. Quare cum tunc non indicarit illam esse invalidam, fed potiùs validam, nihil dubitans, eudens fignum est fuisse validam, & illud propositum vel non fuisse tunc temporis, vel nihil obfuisse.

CASVS V.

Ordinatio à non suo Ordinario.

Mulci in Hibernia fuscipiunt Sacros Ordines non à suo Ordinario, sed ab eo quem commode habere possunt.

Quæritur, *An hui suscepti, & exercendo eiusmodi Ordines sunt irregulares?*

CONsideranda specie facti, & expensis rationibus supra positis, probabilissimum censeo Sacerdotes illos in Hiberna fic ordinatos nō esse fuspensos, ac proinde nec contrahere irregularitatem vlā Ordinum sacrorum. Tum, quia vtar de consuetudo contraria, & non contradicen- te Papa, tollit legem etiam Canonicam, vt posito

Digitized by Google

passim Doctores: quod etiam ostendi lib. 2. de Iustitia cap. 6. dub. 14. nec ad hoc requiritur tempus præscriptionis, vt ibidem ostensum. Tũ, quia quando perpetuò vacat Sedes, per se cessat illud Ius: quia nullus est Ordinarius à quo licentia sit petenda. Itaque illa ordinatio non fuit absque licentia proprij Ordinarij iuxta mentẽ Iuris. Tum, quia illud Ius requirit præsumptionem in ordinato, vt constat ex Bulla Pij II. per quam hæc suspensio est inducta, quæ est sexta inter eius Bullas. Vnde etiam ignorantia crassa excusat: nam præsumptio requirit scientiam & dolum, vt docet Nauar. c. 27. n. 156. & alij passim. Illi autem Sacerdotes bona fide putãt se posse sic ordinari: quã ob causam etiam illos excusat Suares de Censuris disput. 31. n. 15 Tum, quia si Sacerdotes illi essent suspensi, multò magis essent suspensi ipsi Episcopi sic ordinantes, vt patet ex Cap. *Eos qui*, de Tẽporibus ordinandorum in 6. Vnde & eorum subditi possent absq; eorum licentia ab alijs ordinari, vt statuitur eodem Capitulo §. *ijs quæ*. Denique cùm Protector Hiberniæ & Summus Pontifex optimè sciant quid fiat in Hibernia, hoc ipso, quo non contradicunt, cùm facilè possint, ratum habent, & concedunt ita fieri: hoc enim est rati habitio de præsenti, vt docent Doctores. Nisi enim ratum haberent, grauiter peccarent non monendo, non contradicendo, & curando vt aliter fiat: nam obligantur ad hoc ex officio.

a. Ratio.

3. Ratio.

CASVS VI.

Ordinatus ficto titulo patrimonij.

Petrus ficto titulo patrimonij ordinatus fuit.
Quæritur, *An secundùm rigorem Iuris sit suspensus ab Ordinum executione?*

14 Affirmatur. RESpondeo, Is qui hoc modo ficto titulo patrimonij ordinatus fuit, secundùm rigorem Iuris videtur esse suspensus ab Ordinum executione: Quia Canone *Sanctorum Canonum*. dist. 70. decernitur vt ordinatio facta sine titulo, irrita habeatur. Quem Canonem renouare videtur Concilium Tridentinum sess. 21. cap. 2. in fine.

Contrarium est probabile.

Contraria tamen sententia probabilis est, quam tenet Henriquez cap. 37. de Suspens. vbi dicit, Qui absque pacto simoniaco initiatus est sacris cum ficto patrimonio, non est suspensus, contra Nauarrum: ita Doctores Salmaticenses & Complutenses, & ipse Nauarrus lib. 1. Consilio 41. tit 11. Idem Henriquez paulò pòst sic ait: *Ius antiquum quo olim suspensus erat ordinatus absque titulo beneficij vel patrimonij, est reuocatum per Cap.* Cùm secundùm Apostolum. *Extrau. de prebendis.* Neque à Concilio Tridentino innouatur: Hæc ille. Quam sententiam, si vobis videtur expedire, sequi potestis. Quamuis contraria mihi verior videatur:

Prius tamen, est verius.

Nam Cap. *Cùm secundùm Apostolum*, solùm videtur reuocare ea quæ statuta erant cùm Episcopus erat conscius defectús tituli, & nihilominùs ordinabat. Itaque potest etiam quis tutò hanc sequi sententiam; quam tenet Suares de Censuris col. 764.

CASVS VII.

Ordinatio energumeni.

Titius aliquando fuit energumenus, & postea sacris Ordinibus initiatur,
Quæritur, *An sit irregularis, & illegitimè ordinatus?*

15 RESpondeo; Qui aliquando fuit energumenus, seu dæmoniacus, secundùm Iura censendus est irregularis: Can. *Maritum*, cum tribus sequentibus dist. 33. Sed non facilè aliquis iudicandus dæmoniacus, nisi manifestis signis certò constet; vt si patefaciat res occultas, quas homines non possunt cognoscere, vel linguis ignotis loquatur. Quia experientiâ compertum est, eos qui morbo melancholicæ laborant, ita sæpè affici vt à multis (etiam subinde à medicis) putentur à maligno spiritu possideri. Accedit quòd dæmon se interdum isti affectui admisceat agitando humores & spiritus, absque vera possessione. Itaque nisi manifesta signa habeantur, non est quis censendus energumenus, sed potiùs morbo melancholiæ laborans, cui dæmon fortasse se nonnihil immiscet. Imò in dubio censendum est, non esse energumenum: ac proinde nec irregularem: ac proinde vbi à morbo illo curatus fuerit, poterit ordinari absque vllâ dispensatione.

Non facilè iudicandus qui sit energumenus.

Si tamen constaret Titium fuisse verè dæmoniacum, etsi durante illo affectu nullo modo potuerit ordinari, tamen postquam perfectè liberatus erat, poterat ordinari, cùm dispensatione Prælati regularis, cui hæc potestas in ordine Minorũ competit: vt patet ex eorum priuilegijs. V. dispensatio n. 9. Et quamuis Prælatus illum mittens ad Ordines, ea de re non cogitauerit, tamen hoc ipso quo illum mittit, vel mittendum decernit, censetur implicitè dispensare in omni impedimento suę potestati subiecto: & si rogaretur, haud dubiè responderet hanc esse suam mentem: alioquin grauiter peccaret Superior mittendo subditum cũ impedimento Canonico, quod ipse poterat tollere. Itaque iudicandum Titium legitimè ordinatum, omni impedimento irregularitatis ante per Prælatum regularem ex vi priuilegij sublato, etiamsi Prælatus de eo expresse non cogitarit.

16 Perfectè liberatus cum dispẽsatione ordinari potest.

Implicita dispensatio sufficit.

Semel autem ablata ista irregularitate, & Ordinibus legitimè susceptis, non manet incapax Prælaturæ in Ordine vel extra; nec opus est alia dispensatione. Hoc enim peculiare est in illegitimis, & in maculatam originem habentibus; non autem locum habet in hac irregularitate, cùm hoc Iure non sit expressum.

17 Sic ordinatus fit capax Prælaturę.

Secus est de illegitimis.

CASVS VIII.

Dispensatio vt coniugatus ordinetur.

Mulier hæretica vetula non vult conuerti: Maritus agit cum Officiali Episcopi de separatione tori: à quo rogata respondet, se velle in sua fide permanere, & in posterum casta viuere, & permittere marito, vt faciat quod libet, prouis suæ conscientiæ putat expedire: huius rei sunt acta.
Quæritur, *An maritus possit absque dispensatione sacros Ordines suscipere?*

18 RESpondeo, Maritũ posse sacros Ordines suscipere, nec egere dispensatione, si non erat vidua, cum qua contraxit. Couarruuias in 4. p. 2. c. 7. §. 6. Castro l. 1. De iusta hæret. punit. cap. 7. Soto in 4. dist. 39. art. 4. Patet Cap. *De illa.* de Diuortijs.

PAVPERTAS RELIGIOSA.

Proprietas in habendo.

CASVS I.

Vtrùm sit contra Votum Paupertatis, & quale peccatum, habere in Religione post professionem aliquid proprium? & An Superior possit dispensare in isto voto?

AD *Primum*: Certum est censeri infringere votũ paupertatis religiosos vel religiosas, quæ post professionem, aliquid tanquam propriumre-

Antidorales seu remuneratoriæ.

seu remuneratoriæ : quales sunt, quæ fiunt Medicis, Aduocatis, Consiliariis, & huiusmodi gratis Monasterio seruientibus: hæc enim non tam sunt munera, quàm remunerationes, quæ stricte non dicuntur munera; quia non omnino gratis & liberaliter dantur, sed ex obligatione gratitudinis, ad compensanda beneficia accepta: & nisi talia dentur, Religiosi illi erunt & merito habebuntur ingrati, amicorumque animos à se alienabunt. Non est autem credibile Suam Sanctitatem velle eos facere contra virtutem tam insignem, quæ maximè decet viros religiosos; eosque à se amicorum animos auertere.

10 Donationes ex laudabili consuetudine vel recta ratione factæ.

Respondeo Quartò, Valdè etiam probabile est nullam prohiberi donationem, quam, consideratis circumstantiis, vel laudabilis consuetudo, vel recta ratio faciendã dictat. Probatur, quia non est credibile Suam Sanctitatem velle prohibere eas donationes quæ decent viros religiosos spectatis circumstantiis, suntque rectæ rationi valdè consentaneæ. Non enim præsumendum est Sedem Apostolicam aliquid prohibere tam graui & seria constitutione, nisi quod sit notabiliter contra rectam rationem, & minimè decens statum & professionẽ religiosam. Quod etiã ipsa verba satis insinuant, dum ait: *Se largitiones munerum prohibere*, id est, eas donationes quæ merè sunt ex liberalitate, vti seculares solent donare: & dum *contrariam consuetudinem* ait *esse corruptelam*. Item dum insinuat se hanc constitutionem fecisse propter eos, qui ex quâcumque causâ munera dabant. Idem patet ex grauissimis pœnis adiunctis.

11 Quæ iustã habent causam.

Ex quibus patet valdè probabile esse hanc Cõstitutionem non esse intelligendam de istis donationibus, quas moraliter certum est iustam causam habere, & Religiosos decere, & omnibus circumstantiis expensis, valdè conuenire. Confirmatur Primò, Quia ita constitutiones Superiorũ, maximè Sedis Apostolicæ, sunt interpretandæ, vt nihil leue contineant, & tanta Maiestate minùs dignũ. Minùs autẽ eius maiestate dignum videtur, vt sub tam grauibus pœnis, tam seria constitutione prohibeat ea, quæ per se sunt rectæ rationi consentanea, quæque viri sanctissimi hactenus semper fecerũt. Quorsum enim hæc tam seuerè prohibeantur? Si dicas, ob periculum abusus. At abundè huic periculo occurritur, si prohibitæ intelligantur quę non decent Religiosos, & non habent graues & iustas causas. Nec refert, quòd causas velit approbari à Capitulo, vel Cõgregatione Generali: quia loquitur de causa dubia, de qua meritò ambigitur sitne iusta: vnde vult eam ibi maturè discuti, & sic approbari; quod locũ non habet in causa, quam moraliter constat iustam esse. Et quia Congregationes Generales non tam expeditè fieri possunt, si interim res feret, satis erit vt Prouincialis cum suis Consultoribus seu Definitoribus causam probet, id enim iusta epiikia postulat.

12 In lege sæpè magis spectanda rationabilis intentio legislatoris, quam rigida verba.

Confirmatur Secundò, Quia quãdo lex aliqua continet dispositionem vel pœnam valdè exorbitantem, spectanda potiùs est intentio rationabilis ipsius legislatoris, quam id quod verba primâ facie præ se ferũt; vt patet ex multis legibus, quas DD. ita interpretantur: qualis est l. 1. ff. *de Effractoribus*, l. 1. & 3. C. *de Seruis fugitiuis* l. hac cõsultissima C. de Testamentis. Item Bulla pij IV. & Pij V. de Simonia cõfidentiæ. Præterea omnes leges & Canones qui ipso facto infligunt pœnam priuationis beneficij, officij, bonorum, &c. Ratio est, quia sæpè legislatores vruntur modo loquendi duriore; vt magis absterreant, & vt iniquum quodãmodò postulantes, quod æquum & moderatum est, obtineant. Quamuis etiam sint multa verba quæ satis indicent Sanctitatis Suæ intentionẽ non esse, vt donationes quæ iustam euidenter causam habent, & Religiosos decent, prohibitæ censeantur: quod etiam ex grauissimis pœnis constat, quæ non possunt prudenter statui nisi contra grauia crimina.

13 Corollaria.

Ex his infero, Si quis librum in lucem edat, posse amicis aliqua exemplaria dari; ita enim recta ratio dictat, & habet laudabilis consuetudo Religiosorum, quã nisi ferues, rusticus, sordidus, ingratus, vel etiã superbus habearis, & amicorũ animos à Monasterio seu ordine auertas. Item licet aliqua donare ad conciliandos animos eorum qui multũ possent prodesse monasterio vel Ordini, vel bono publico; hęc enim est iustissima causa, de qua non est opus cõsultare in congregatione Generali. Itẽ ad pertrahendum aliquem ad fidem, vel ad auertendum à flagitiis, quod sanctissimi viri fecere.

14 Minima dari possunt ex beneuolentia.

Ceterum aduertendum est minima dari posse, etiamsi non subsit alia causa, quàm beneuolentiæ; vt satis colligitur ex verbis & tenore constitutionis, & explicatione ipsius Pontificis. Vnde ex graui causa dari poterunt etiam ea, quæ non censentur minima.

Quænam minima censeantur.

Quænam autem debeant censeri in minimis, partim ex ipsius Pontificis explicatione; partim ex conditione dantium & accipientium, eorumque proportione colligi potest. Primò, In minimis cẽset Pontifex Breuiarium; nam cõcedit dari ex beneuolentia: Breuiarium autem si in duobus tomis sit, facilè est duorum aureorum. Secundò, Reliquiarium; quod etiam ordinariè est vnius vel duorum aureorum. Vnde alii libelli, imagines, thecæ Agnus Dei, cruces similis pretii in minimis censeri possunt. Tertiò, Res aliquas medicamentosas; vt lapidem Bezar, qui sæpè est multorum aureorum: & similia quę ex Indijs deferuntur. Quartò, Esculenta quædam; vt sunt condita cydoniorum, & similia. Vnde colligitur posse etiam odores & suffimenta dari quæ ex Indijs adferuntur, & alia huiusmodi rara vnius vel duorum aureorum. Nam eadem est in his, imò honestior fere ratio, quàm in esculentis & poculentis. Ex his facilè de aliis censeri potest.

15

Denique ex his quæ de minimis dicta sunt, confirmari possunt quæ suprà diximus. Si enim beneuolentiæ causâ Superiores possint subditis donare Breuiarium, Diurnum, Reliquiarium & huiusmodi. vtipse Sanctissimus explicuit, multò magis poterunt aliquid dare externis, vbi tam grauis interuenit causa.

CASVS VI.

Titius Superior Regularis seu Religiosus accepit à Caio mercatore 100. florenos restituendos Sempronio etiam mercatori: sed ob dilatâ aliquantulum restitutionem, dat eos mutuos Trebellio, qui paulò pòst foro cedit.

Debita Superioris religiosi.

Quæritur, *Vtrùm monasterium seu Conuentus teneatur loco Titij Superioris sui Sempronio?*

16

Respondeo, Indubitatum est Communitatem seu Conuentum nõ teneri. Primò, Quia Titius non poterat illam pecuniam dare Trebellio mutuam, etiam cum venia sui Superioris; quia ipsi ea solùm fuit tradita ad faciendam restitutionem Sempronio, cui debebatur. Nemo enim potest dare mutuum ex alieno, cuius non habet liberã administrationem. Quare hoc debitum Titio censetur ex delicto.

Conuentus non tenetur ex delicto sui Superioris.

At qui monasterium seu Conuentus non tenetur ex delicto sui Superioris, vt docent Doctores ex Innocentio & Hostiensi: quia

ed by Google

delictum perſonæ in damnum Eccleſiæ redundare non debet: Cap. *Diligentiam*, de Regulis Iuris in 6. Silueſter V. Religio 8. q. 3. Angelus V. Monaſterium, in principio. Fumus V. Monachus n. 14. Idem docet Nauarrus Comment. 2. de Regul. num. 24. vbi addit, *Nisi communitates cum Prælato & Capitulo conſilia, id fecerit.*

17 Neque ex eius contractu nec in illum eſſe obligatio.

Secundo, quia generatim Conuentus non tenetur ex contractu religioſi, etiam Superioris, nisi quatenus ei commiſſa eſt adminiſtratio: ergo neque enim obligatur, & non amplius. Vnde ſi Titio non fuit in genere vel in ſpecie commiſſum à ſuo Superiore, vel ſaltem à Conuentu ad id habente poteſtatem, vt alteri illum pecuniam mutuaret, nullo modo obligatur Conuentus, vt ex preſate doctorum Auctores citati. Quæ omnia confirmantur: Quia Superiores ſunt tantùm adminiſtratores rerum Conuentus, ſicut Tutores pupillorum. Vnde ſicut pupilli non obligantur, ſi Tutores faciant contractus damnoſos; ita neque Conuentus ſi Superior, præſertim quando Superior ille prædet à Conuentu, vel à ſuo Superiore.

CASVS VII.

Vtrum ſi ſupradictus Titius Superior Religioſus per Cas. mercatur ſuppondens ei, ipſum Conuentum teneatur?

18 Sponſio Superioris religioſi pro extranea.

REſpondeo, perſpicuum eſt Communitatem ſeu Conuentum regularem, cuius Superior eſt Titius, non teneri ex ſponſione Titij, quam ille fecit ſine conſenſu Conuentus vel Superioris ſui. Sequitur ex fundamento ſuperiore cafa poſitus: Sponſio enim eſt contractus quidam, quo ſe Titius in damnum Conuentus ſui onerat ne non poterat. Accedit quòd meras adminiſtrator non poſſit obligare bona quæ adminiſtrat, inutiliſponſione, qualis eſt iſta ex qua nihil commodi poterat redundare in bona Conuentus.

19 Et iſta ſponſione nulla fuit ab initio in perſona Titio obligatio.

Petes, An obligatio quæ Titius ſpondendo ſe obſtrinxit, ab initio fuerit nulla: an verò tunc ſolùm cum officium Superioratus eius expirat?

Reſpondeo, Ab initio nullam fuiſſe vtam obligationem quæ Titius ſpondendo ſe ſeire obſtrinxit, atque adeò illam non expiraſſe, cùm expiraut officium Titij: quod enim nunquam exiſtit, non poteſt proprie dici expirare.

Et ſi tamen ſingere velimus illam obligationem aliquando in Titio exiſtiſſe, ea tamen haud dubiè expiraret ſimul atque expiraret officium adminiſtrandi, ſeu ſuperioratus eius: quia Titius non erat capax talis obligationis niſi quatenus ſuperior habens poteſtatem adminiſtrandi pecuniæ enim fundamento, petit relatio quæ illi tribuebantur.

Vnde ſequitur, Si Communitas & ſucceſſor Titij non tenebatur Cato pro mercibus quas vendidit Sempronio, dum adhuc Titius eſſet Superior, eò quòd ſponſio illa fuerit irrita & nullatenus modo minùs teneri pro mercibus diuendits eidem Sempronio, poſtquam Cauus vidit Titium ſolutionem offerre: tunc enim debebat Cato admittere. Titij ſponſionem non poſſe ampliùs obligare; eò quòd tota interiorum officio & poteſtate adminiſtrandi, qui iam Titius erat priuatus. Quare non bona fide agit Cauus, ſi vbi Titium etiam poſt officium depoſitum, obligari ſed ſibi impunè quibuſ perexercit merces vendere eli, pro quo ſponſio Titij iam expiraſſet.

CASVS VIII.

Prior quidam à 275. annis fundationem in monaſterio inſtituit ex quibus ſolum peculiis.
Quæritur, An poſſit modò illa fundatio extingui, ſub ſpecie tenuque inſtitutionis?

Fundatio facta à Priore monaſterij. 20

REſpondeo, Cùm fundatio à Priore facta in illo monaſterio iam 275. annis fuerit in vigore, nec tanto tempore Abbas Cluniacus aut Conuentus ſe illi omnes oppoſuerit (vt ſuppono, cùm hoc non allegetur) durum videtur illam modò extinguere ſub ſpecie inique inſtitutionis. Eſt enim Prior non poterat habere proprium, poterat tamen eo tempore cum conſenſu ſui Abbatis habere aliquod peculium, de quo, cum eiuſdem conſenſu poterat disponere ad pias cauſas, & alibi fundationem inſtituere cum tali onere Miſſarum, & Anniuerſarij. Imò cùm Prioratus, etiam Conuentualis, videatur *Beneficium regulare*, eſtà *mensalia*, quidquid ipſe acquirit, iure communi acquirit ſuo benchicio, & poteſt de eo diſponere ad pias cauſas; vt multis docet Nauarrus Comment. 2. an. 6.10. & 11. de omnibus Regulat. habentibus beneficium.

Quod Prioratus ſit beneficium.

Itaque conſiderandæ eſt conditio iſtius Prioratus. Si enim verè habet portionem aliquam bonorum ſibi aſſignatam, videtur planè eſſe *Beneficium regulare*: & ita ex fructibus, & alijs quæ ipſe acquirit, poterat inſtituere talem fundationem. Omitto quòd olim poterunt eſſe variæ conſuetudines (eſt per abſurdum) quæ hoc tempore non permitterentur. Vnde eſt non ſint omnia probanda quæ in illa fundatione habentur; ſed fecundum regularem diſciplinam moderanda; tamen ſubſtantia fundationis videtur ſubſiſtere. Quod vel ex eo confirmatur videtur, quòd nemo tunc temporis exiſtimauerit illud peculium eſſe monaſterij, nec poſſe illum Priorem de eo diſponere ad libitum in alias cauſas pias. Si enim exiſtimaſſent monaſterium habere ius in illud, Abbas illud occupaſſet: nec ipſe eum conuenire voluiſſet & poſteros in perpetuum ad tam graue onus, ſide media, & ſub voto religionis ſuæ obſtringere; & omnibus iuribus, priuilegijs, libertegijs, quibus illa fundatio poſſet in totum vel in partem caſſari, renuntiare. Cùm ergo nemo tunc temporis putauerit illud peculium eſſe monaſterij, credibile eſt verè illius non fuiſſe, ſed fuiſſe Beneficij de Priorem poteſſe liberè ad vſus pios de eo diſponere.

Hæc fundatio nō poteſt extingui.

Vt autem iſta fundatio poſſet caſſari, deberet planè conſtare illud peculium eſſe monaſterij, & totum illum contrarium ex ignorantia proceſſiſſe, & tanto tempore continuatum. Quod cùm quilibet modo conſtet, non auſim dicere monaſterium non teneri, aut poſſe illam fundationem prorſus extinguere.

PRÆLATVS.

CASVS I.

Vtrum Decanus Eccleſiæ Cathedralis S. Mariæ Antuerpiæ teſtandi & diuendi ſit Prælatus.

Decanus. 1

REſpondeo breuiter, Propriè & ſtrictè ſecundùm Iura prædictum Decanum eſſe Prælatū, & Decanatum ipſum Prælaturam. Quod ſic primo hoc ſyllogiſmo: Propriè & ſtrictè Prælatus dicitur qui habet cum animarum cum iuriſdictione, ſeu vt poſſit fubditos ſuos corrigere & punire. At-

Propriè & ſtrictè quis dicitur Prælatus.

qui

qui Decanus Antuerpienſis habet curam animarũ cum iuriſdictione, qua poſſit ſuos ſubditos punire, &c. ergo eſt Prælatus. Maior eſt communis ſententia Doctorum, vt refert Panormit. in Cap. *De multa*, n. 21. vbi ſic ſcribit: *Concluſio communis eſt, vt is dicatur habere dignitatem, qui habet iuriſdictionẽ. Vnde quilibet Rector ſeu Prior Eccleſiæ Collegiatæ, dicitur habere dignitatẽ, vt notat Paulus in Clement. 1. de Electione, & in Clement. Ne in agro. de ſtatu Regul. Dominis de Rota. deciſ. 166. & talis propriè & ſtrictè appellatur Prælatus.* Idẽ cõfirmatur apertè ex Cap. *Cùm ab Eccleſiarum*: de off. ordin. vbi Pontifex omnes Eccleſiarũ Rectores qui poſſunt excommunicare, vocat *Eccleſiarũ Prælatos*. Vnde & Plebani qui excommunicare poſſunt, verè & propriè ſunt Prælati, vti ex illo Capitulo colligitur, vbi idem luculentè tradit Gloſſa. Eadem confirmantur ex Cap. 2. iuncta Gloſſa *De Iudicij*. & ex Clement. *Dudum*. de ſepult.

Minor abundè probatur ex aſſiduo vſu, & ex ſcripturis quæ in fauorem Decanatus illius proferuntur. Quare non videtur dubitandum quin decanatus ille propriè ſit Prælatura; & decanus ſit appellandus Prælatus. Idem ſentiunt omnes Summiſtæ V. *Prælatus*: Angelus, Silueſter, Fumus & alij. Neque vllam in contrarium dubitandi rationem inuenio.

CASVS II.

Prælatus Titulo colorato.

Vtrùm Prælatus habens titulum coloratum, currente errore communi validè poſſit delegare & conferre poteſtatem ordinariam, ſi eligamus, quem inſtituit Superiorem, ſimile impedimentum occultum habeat?

RESpondeo, Prælatus habens titulum coloratum, concurrente errore communi, validè poteſt non ſolùm delegare, ſed etiam conferre poteſtatem ordinariam, ſi ipſius eſt Superiorem conſtituere: v. g. ſi Prouincialis habeat titulum coloratum ob nullitatem profeſſionis ex impedimentis Sixtinæ, quæ nullitas ignoretur.

Habens titulum coloratum poteſt conferre titulum coloratum.

Nec refert etiamſi is, quem inſtituit Superiorem, ſimile impedimentum occultum habeat: accipiet enim titulum coloratum ab habente titulum coloratum; eiuſque actus & delegationes iuriſdictionum valebunt. Si enim valent eius abſolutiones & excommunicationes, aliique actus iuriſdictionis; cur etiam non valeat ille actus, quo confert titulum vel delegat iuriſdictionem? cùm hæc collatio vel delegatio ſit etiam actus iuriſdictionis. Sanè nulla eſt ratio. Neque Sancius lib. 3. de Matrim. diſp. 22. n. 49. contrarium tenet, vt patet n. 51. in fine. Non enim *Superior legitimus* opponitur Superiori habenti *titulum coloratum*: quia & hic eſt legitimus, cùm ſit à legibus approbatus: nec vllo modo poteſt dici intruſus. *Intruſus* enim dicitur qui ſuâ vel laicâ auctoritate inuaſit, & nullo titulo vero vel collorato occupauit;

Superior legitimus.

Intruſus.

CASVS III.

Votum non ambiendi Prælaturam

Totius ex Religionis ſuæ inſtituto vouit Deo ſe nec directè nec indirectè prætenſurum aliquam Prælaturam.

Quæritur I. *An talis poſſit munuſculis & officijs electorum benevolentiam captare, eo animo, vt ipſum ex benevolentia eligant?*

Quæritur II. *An, ſi videat ſe eligendum in Priorem, vel Definitorem, poſſit aliquid agere vt eligatur potiùs in Definitorem. Similiter ſi in Vicarium, vel ſocium euntis ad Capitulum certò eligendus ſit. An poſſit alteri dare ſuffragium pro vno officio, vt per hoc alterum in ſe cadat?*

Quæritur III. *An, ſi detur optio vt è duobus Conuentibus eligat alterum cui debeat præeſſe, poſſit eligere quem placuerit?*

AD *Primum*: Reſpondeo, Qui ex Religionis ſuæ inſtituto vouet Deo, ſe nec directe, nec indirectè prætenſurum aliquam prælationem, &c. ſi per illud *prætenſurum*, intelligat ſe nihil acturum vt Prælaturam aſſequatur, (quomodo verba illa videntur omnino intelligenda) non poteſt electoribus dare munuſcula, vel præſtare aliqua officia quæ alioquin non eſſet præſtiturus, eo animo, vt eorum benevolentiam captet, & illum poſtea ex benevolentia eligant. Quamuis enim talis actus ſecundùm ſe, & ſecundùm circumſtãtias externas non ſit actus ambitionis; ac proindè ſecundùm probabilem ſententiam multorum, non caderet ſub præceptum humanum, quo vetaretur abſolutè ambitus Prælaturæ; tamen tendit ad obtinendam Prælaturam, ſaltem indirectè, nempe mediante benevolentiâ & amicitiâ, quam intendit directè & immediatè. Itaque talis indirectè prætendit ad Prælaturam irrepere. Neque puto hac de re dubitandum. Indirecta enim prætenſio ordinariè vix aliter fieri poteſt.

Vouens nõ prætendere prælationẽ, peccat contra votum etſi actus ille non ſit actus ambitionis.

Fateor tamen talem non fore ſimoniacum mentalem: quia etſi verè intendat aſſequi Prælaturam per temporale obſequium vel munuſcula; tamen abeſt pactũ non ſolùm expreſſum, ſed etiã implicitum, quod ad ſimoniam neceſſariò requiritur.

Non eſt hic ſimonia mentalis.

Quòd ſi aliud obſequium æquè bene deberet præſtari à tali (v. g. vt ſi illius vices eſſent laudandi pedes hoſpitum, ſeu Electorum iſtorum eò venientium) & tunc intenderet eorum benevolentiam conſequi, fortè hoc non eſſet contra votum: quia actus externus potiùs procedit ex debito officij, quàm ex intentione ambitioſa; & ita illa intentio eſt merè interna.

Ad Secundum: Secunda quæſtio duos caſus cõplectitur. Ad priorem: Reſpondeo, qui obſtrictus tali voto videt ſe eligendũ in Priorem, vel in Definitorem, nõ poteſt aliquid agere vt eligatur potiùs in Definitorem, quàm in Priorem: hoc enim eſſet directè, vel indirectè prætendere officiũ cadens ſub votum. Neque valet, ſi dicas, illum æquè benè, ſeu alioquin eligendum fuiſſe in Priorem: Impertinens enim eſt quòd alioquin eligendus ſit in Priorem: eſt enim inter hæc diſcrimen; cùm Prioris officium plus habeat moleſtiæ, nec cadat ſub votum; Definitoris verò officium plus habeat honoris, & cadat ſub votum.

Ad alterum: Si vtrumque officium nempe Vicarij, & ſocij euntis ad Capitulum, cadit ſub votũ, nõ poſſum quidquam facere, vt hoc potiùs, quàm illud obtineã; etiamſi certus ſim quòd alterum in me cadet: ſed debeo ſincerè dare meũ ſuffragium prout iudico coram Deo expedire, nulla habita ratione proprij commodi vel honoris: Alioquin erit ſaltem indirecta prætenſio, quę per votum eſt illicita. *Directa* enim *prætenſio* eſt, cùm quis officiũ expreſsè petit, vel ſe commendat, vel rõgat vt ſibi detur ſuffragium &c. *Indirecta* verò cùm munuſcula dantur ad obtinendam benevolentiam, per quam detur poſtea ſuffragium: vel cùm alicui datur ſuffragium ad vnum officium, vt ſuffragia ad aliud cadant in ſe, &c.

Directa prætenſio.

Indirecta prætenſio.

Ad Tertium: Reſpondeo, Si alicui detur optio vt è duobus Conuentibus eligat vtri velit præeſſe, caſu quo cogatur præeſſe alteri, poteſt eligere quẽ placuerit. Electus tamen ad vnũ, non poteſt agere

absolutè transferatur ad alium, per cuniculos inducendo Superiores. Posset tamè cogere vt omnino libereatur ab, si id nequeat obtinere, rogare vt ad alium Conuentum, vbi munus sit distractionis, & vbi melius Deo seruire queat, transferatur.

CASVS IV.

Vtr eligendum Prælatum.

Clementi. in Concilio Viennensi cap. Exiui §. Dedum, per hæc verba, Declaramus, statuimus etiam & ordinamus in hac constitutione in perpetuum valituri, *Ilicitum vt in Ordine Minorum petens Capitulum Prouincialis refutet electio Monitus Prouincialis, quem idem Capitulum duo fequenti, quæ fuerit tangregatum, facere teneatur.*

Quæritur I. *Vtrum hi compromissi Patres præcipitanter dicti Monitus sunt Prouinciales?*

Quæritur II. *Vtrum Fratres bonè confentiat passiuè recipere in Monitum Prouincialem, cum, qui amisit suæ electionem, à Generali Monitore sibi confirmatur?*

Quæritur III. *Si Generalis Monitor tam confuenit per 40. annos Fratribus imponere Monitorium Prouinciale, An hoc Clementina vsum finem, quoad hanc electionem, amiserit?*

6 *AD Primum*: Respondeo, Non videtur hæc constitutio obligare Fratres, vt hoc modo eligant: nullum enim est verbum quo hic modus electionis significetur præcipis sed ioli datur potestas eligendi, & facultas vt hæc potestas fit in Capitulo Prouinciali. Ipsa autè Capitulo videtur præcepti imponi, non vt differant vltra sequentem diem. Nam verbum (tenetur) iuxta communem & veriorem sententiam, præcepti vim infinuat. Hoc tamen non obligat nisi suppolito contentu Prouinciali ad talem finem. Sic in quibuslam electionibus præcipitur vt electores non egrediantur nisi peracta electione, vel non possint vltrà carne, &c.

Verbum, *Tenetur* continet præceptum.

7 *Ad Secundum*: Respondeo, Non peccare Fratres recipiendo in Monitum Prouincialem, eum qui à Generali confirmatur. Quamuis enim, quantum est ex vi huius Clementinæ, possent taleno non recipere, obtinendo id quod in fine huius Clementinæ habetur: *Fratres non esse quod contra formam hic præscriptam actum fuerit, vt sciant qua potestate Generalis illi fecerint tamen nullum id illis præcipitur. Vnde, si velint, possunt illum recipere, qua ex causam ipsos à hac formâ à Papa indultâ eximat ex verbis Clementinæ initio Paragraphi contenti. Deinde possunt præsumere Generalem id iuste fecisse, v.g. speciali priuilegio Sux Sanctitatis, vel ob alium causam ipsis occultam. Ita enim decet subditos tenere de suo Superiore, præsertim tam eminente, nisi de contrario conster.*

Talis facultas data per Clementinam.

Nulla inualidè.

8 *Quòd autem Generalis, non obstante illa Clementinâ, possit habere illam potestatem in aliquot casibus, recitat R. V. probatum. In primis tamè casu non posset posset Electores mittere de priuatis potestatem eligendi, sed oportet quòd recipiat per Canonem, vel contentum sine priuati, vt patet ex Glossa in cap. 2. de Postulat. In Secundo debet esse aliquis modus notorius, bonum Prouinciæ id posse fieri, vt sit non repetiretur idoneus, &c. Sed tertius est omnino certus, & Iure conformis. Tatis enim consuetudo tanto tempore durans, omnium Doctorum iudicio censetur legitimè præscripta, ita vt eam Ius Canonis tollere possit.*

Clementi. 40. annis, certum est illam Clementinam vim habere, nec opus est ad reuocationem Summam confugere. Quamuis satis probabile sit hanc reuocationem etiam illam Clementinæ compre- hendere. Nec obstat quòd in Sixtina non habeatur clausula specialis derogatoria huius Clementinæ: quia sufficit clausula generalis: nam priuilegium illud feu beneficium Sixti cùm sit in priuilegium integri Ordinis, æquatur Iuris communi, & conflitutioni corpori Iuris inferæ; vt bene docet Henriquez de Indulg. cap. 22. Verum tamen puto illam Clementinam non reuocari per Sixtinam: quia Clementina non tam continet onus, quàm fauorem, quem Sixtus non intendit tollere. Verùm sufficienter fublata cenfetur Clementina illa quod illum §. *Demum*, per contrarium vsum tanto tempore continuatum, adeò vt non putem ea de re amplius fupercelle locum dubitandi: maximè cùm Sixtus, & non Dodecus, duo vel tres Actus fine oppolitione cuiuspiam factâ à Generali fufficiant ad conluetudinem contrariam introducendam.

Talis facultas data per Clementinam.

CASVS V.

Vtrum, Quando in electione per scrutinium, ob per- tinaciam ad vnum eligendum, vt ex duobus qui plurat extenti suffragia Patres habuerunt, eligendus sit alter à toto Capitulo, vta per scrutinium per viros illos duos nullus sit amplius eligibilis: Nunquam ne vltrum habeat amplius suffragium alius.

9 REspondeo, In tali casu equus postulatur neuter illorum habeat amplius suffragii actiuum; nò istum quando vterque est præsens, & de Capitulo sed eò quando alter est absens, & alter præsens. Ratio est, quia tale actiuum suffragij adimi in illa vel sit per culpa, vel est innile. Est perculosa, quia cùm eius qui præsens est, videat se illum proximus ipse obtinendi dignatem, facilè ab ambitione terrestrique vt sibi ipsi suffragium occaleatur deat: & ita electio reddetur incerta & suspecta in cæteris Electoribus. si forte ille solum vno voto absentem superet. Est inutile, quia cùm fecundum inflitum non possit fibi dare suffragium, omnibus flatim conflat in quem ipsius suffragium cadere debeat: ac proinde fruitrà illud daret. Deinde huic præsenti non relinquitur libertas iudicandi inter duos vel plures, fed neceflariò, fi eligendum eft, debet eligere abfentem: atqui fruftrà & vtilitas eft fuffragium quod non eft libertum.

Talis facultas data per Clementinam.

Denique non folum inutile, fed etiam inique foret fuffragium quod præfens daret abienti, & redundaret in ipsius præfentis iniurtam. Inæquum enim eft vt inuelis & coram fuffragium augeat numerum, & ex vi illius obtineat abiens dignitatem: cùm in patente fuffragiorum præfens, fi fenior fit, debeat obtinere, iuxta priora illius Capituli ftatuta. Itaque ftet cùm vterque eft præfens dede Capitulo neuter debet dare fuffragij, ita neque is qui præfens eft, debet dare abfenti: alioqui conflito abientia eiffet melius quàm præfentia: fi enim ille præfens fuiflet, non obtinuiffet dignitatem, vipote iunior, ac proinde poffit pontdus alteri fenioni in fuffragiorum patitare.

CASVS

Prælatus ex indebita Electorum conspiratione promotus.

CASVS VI.

In electione Titij ad Prælaturam, suffragia fuerunt quodammodò publica, & ex pacto & conspiratione Electorum Titio addicta.

Quæritur, *An electio sit valida? An etiam simoniaca?*

10 Electio hæc est irrita vel irritanda.

RESpondeo, Electionem Titij esse irritam, vel saltem irritandam per Iudicem: idque tũ ob alias causas, tum maximè, quia suffragia fuerunt quodammodò publica, & addicta ex pacto vel promissione, & maximè suspecta de labe simoniaca, idque per priuatam conuentionem & molitionem Electorum: quorum singula sufficiunt ad irritandam electionem, vt pote non sincerè, nec ex timore domini factam.

Debent suffragia esse secreta.

Quòd enim suffragia ita secreta esse debeant, quando per viam scrutinij proceditur, vt ne socijs quidem innotescant, præsertim antè electionem peractam, manifestè colligitur ex Cap. *Quis propter.* De electione. Ea enim res impedit sinceritatem electionis. Idem passim tradunt Doctores. Sed maximè illi repugnat conspiratio Electorum: & promissio qua alicui in particulari addicunt, & promittunt suum suffragium, & quòd alios ad idem inducent. Talis enim electio non modò non est secreta, sed etiam publicè apud sæculares infamis & scandalosa: ac proinde nullo modo sustinenda.

11 Neque ex pacto addicta.

Quòd si etiam conuiuia & symposia intercedant, redditur suspecta de simonia: imò omnino præsumitur talis: quia illa fieri censentur ad compensandam promissionem Electorum, & ad animos eorũ in promisso confirmandos. Itaque hîc interuenit res temporalis pro spiritali, nempe conuiuia & symposia, pro electione futura: & pactum expressum ex parte Electorum, tum de Titio eligendo, tum de inducendis alijs vt ipsum eligant. Et quia secuta est electio, videtur hæc simonia realis completa vtrinque: & consequenter

Est hic simonia realis vtrinque completa.

incurrent tam Electores, quàm electus pœnas Iuris, quæ ex parte eligentium est excommunicatio latæ sententiæ; ex parte Titij electi, excommunicatio, nullitas electionis, & inhabilitas ad idem beneficium. Patet Extrauag. *Cùm detestabile*, de Simonia.

Estque simonia iuris humani.

His accidit quòd etiam inter Electores, dum inter se conspirarunt, & mutuo promiserunt se electuros Titium, videatur esse manifesta simonia saltem iuris humani; obligant enim se mutuo, & vltrò citroque promittunt se talem electuros; quia in re est simonia omnium Doctorum consensu, & electio inde secuta est irrita; vt patet Cap. finali de Pactis. & Cap. *Quæsitum*. De rerum permutatione.

CASVS VII.

Prælati depositio.

Titius Prouincialis à nonnullis Religiosis iustè apud Episcopum vel Capitulum prouinciale accusatus, citatus, & non comparens, depositus est ab officio, aliusque eius loco suffectus, reclamantibus nonnullis.

Quæritur I. *An censendus sit primus rectè depositus?*

Quæritur II. *An secundus habendus sit legitimus successor?*

Quæritur III. *An aliqui possint pergere adhærere primo?*

AD *Primum*: Respondeo, Supposita veritate eorum quæ hîc narrantur, nulla videtur ratio cur meritò dubitari possit, quin iustè & legitimè facta censeri debeat illius Prouincialis depositio: Quia facta ab ijs qui ad hoc habent auctoritatem secundùm Ordinis statuta, vel consuetudinem receptam & approbatam; & ob legitimam causam; accedente etiam contumaciâ, quæ sola posset sufficere; & secundùm iuris ordinem præuiâ citatione, & probationibus criminum; & à Capitulo Prouinciali cognitâ causâ approbatâ. Non video quid ampliùs ad eius validitatem possit requiri.

Ad Secundum: Non video rationem cur dubitari possit de Prouincialis successoris electione cùm facta sit à Capitulo Prouinciali debito modo celebrato &c.

Ad Tertium: Cùm depositus sit priuatus omni iurisdictione & auctoritate Prouincialis, eaque legitimè translata sit in alium; perspicuum est eos qui depositio adhærent, & successori resistunt, duplici nomine rebelles consendos, & tanquam rebelles puniri posse: maximè cum hæc rebellio sit valdè grauis, vt pote tendens ad schisma in Ordine faciendum. Vnde etiam præuia canonica monitione, nisi resipiscant, & deserant tueri depositum, possunt per censuram excommunicationis compelli.

PRÆSCRIPTIO.

CASVS I.

Præscriptio hæreticorũ contra leges Ecclesiæ.

Hæretici Catholicis permixti in aliqua Parochia viuentes, nec recipiunt, nec obseruant leges Ecclesiæ.

Quæritur I. *An illa continua non obseruatio liberet illos ab obligatione istarum legum?*

Quæritur II. *An saltem non liberentur àbillis legibus per non obseruationem, si degentium in aliqua Parochia maior pars sit hæreticorum, quàm Catholicorum?*

Quæritur III. *An saltem tempore longissimo, quale est XL. annorum, vel etiam immemorabili, possint hæretici præscribere immunitatem contra leges Ecclesiasticas?*

DIscursus D. Tuæ circa propositas hasce quæstiones Mussiponto ad me missas, est eruditus, alia tamen sentio addenda.

I Ecclesia potest obligare nolentes & nõ recipientes.

Ad Primum: Suppono, Ecclesiam, Concilium Oecumenicum, seu Summum Pontificem in quo est Ecclesiasticæ potestatis plenitudo, posse obligare etiam nolentes & non recipientes; neque scio vllum Doctorem qui id ausit negare, cùm potestas ipsis non sit ab hominum collectione, sed immediatè à Christo. Itaque cùm Doctores dicunt Ecclesiæ legem non obligare nisi recepta, supponunt Ecclesiam non intendere aliter obligare, ne filios suos multis peccatis implicet, & grauia illis incommoda inferat. At hoc in præsenti casu supponi non potest respectu hæreticorum, qui ex contemptu Ecclesiæ legem reijciunt, & recipere nolunt. Quis enim credat Ecclesiam sua lege quam tulit de matrimonijs clandestinis, non intendere obligare hæreticos qui in aliqua parochia sunt Catholicis permixti, si ipsi contumaciter legem reijciant? Et quidem si hæreticorum numerus ibi est minor, Catholicorum maior, & à Catholicis decretum illud recipiatur, non est dubitandum quin etiam hæretici teneantur. Quia omnes obligantur quando à maiore parte com-

Vbi maior pars est Catholicorum.

municatis lex est recepta: tunc enim absolutè recepta censetur. Itaque matrimonia illorum erunt inualida in eo loco, siue hæreticus cum hæreticâ, siue cum Catholica contrahat, nisi formam à Concilio præscriptam seruent; quia illa forma ibi absolutè est recepta.

2 Vbi maior pars hæreticorum.

Ad Secundum: Idem sentio, etiamsi maior pars eorum qui sunt in illa parochia, sit hæreticorum, qui ex contemptu nolunt recipere. Quia nulla est ratio cur Ecclesia vtatur illa benignitate aduersus suos rebelles: nimirum vt nolit eos communi lege adstringi, si eam non receperint.

Solumtur obiectiones quod ad essentiam legis requiratur receptio.

Neque verum est ad essentiam legis requiri receptionem: nullus enim Doctorum hanc conditionem facit essentiam: alioqui etiam lex diuina positiua non obligaret, nisi recepta. Vnde vlteriùs sequitur, legem non habere rationem mutui contractus, ad quem necesse est coire duas voluntates: sed est absolutum imperium, ad cuius vim non requiritur vllus consensus ex parte eius cui imponitur, nisi fortè aliquãdo ex benignitate imperantis. In *De quibus* ff. De legibus, agitur de legibus populi Romani, apud quem erat summũ imperium. Addo, si rationes istæ essent validæ ad probandum intentum, sequeretur alia ratione leges ferri & imponi non posse; quod est contra communem sententiam Doctorum: & loquendo de legibus Ecclesiæ, puto esse erroneum.

3 Hæretici nunquam præscribunt cõtra leges Ecclesiæ.

Ad Tertium: An saltem tempore longissimo, vel immemoriali non possint hæretici præscribere immunitatem contra leges Ecclesiæ: Respondeo, Etsi fortè non improbabiliter id dici posset, ob quædam fundamenta, quæ breuitatis causã omitto: Verius tamen mihi videtur non posse. Ratio est duplex: Primò, Quia non censentur vnquam esse in bona fide seruando suam consuetudinem,

1 quia deest bona fides.

quæ pertè consuetudini vniuersalis Ecclesiæ repugnat. At vt consuetudo vim legis accipiat, vel legem abroget, debet continuari per longum tempus bona fide. Etsi enim consuetudo non bona fide inceperit, successu tamen temporis debet censeri licita & legitima, ita vt illam seruando non pèccent: alioqui erit corrupte la & legis violatio, non consuetudo rationabilis; ac proinde vim legis non poterit tollere. Secundo, Quia consuetu-

2 quia deest consensus legislatoris.

do non potest tollere vim legis nisi ex tacito vel expresso consensu Principis; quod maximè locum habet in legibus Ecclesiæ ob causam suprà insinuatam, quod iam non probo, sed suppono. Atqui non præsumitur Ecclesia consentire in illas consuetudines, aut eximere illos à communi lege, cùm sint rebelles Ecclesiæ, neque vllum hac in re fauorem aut benignitatem mereantur. Alioqui magnum ex sua contumacia commodum mererentur. Et sanè mirum esset hæreticos esse exemptos à ieiunijs, à carnium abstinentia, à cultu festorum, ab impedimentis matrimonij iure Ecclesiastico inductis, & similibus; eò quòd ipsi, Ecclesiæ auctoritate contempta, aliam consuetudinem seruant &c. Idem confirmat vsus Ecclesiæ; nam simulatque ad fidem redeunt, statim Ecclesiæ consuetudinibus obstringuntur, & matrimonia in gradibus prohibitis, vel cum alijs impedimentis ab Ecclesia constitutis inita, dissoluuntur.

CASVS II.

Consuetudo introducta potest matrimonium absque Parocho contractũ.

In quibusdam Galliæ locis, & alibi, consuetudine introductum est, vt matrimonium absque Parocho contractum censeatur irritum.

Quæritur, *An illa consuetudo vim habeat legis, & cuius legis?*

REspondeo, Consuetudo legitimè præscripta habet vim legis: ac proinde potest introducere impedimentũ dirimens, & id quod antè erat impedimentum dirimens, facere non dirimens. Vnde si in Gallia, vel alibi, fuit consuetudo introducta, etiam vbi Concilij Tridentini decretum non est peruulgatum, vt matrimonium absque Parocho contractum censeatur irritum, credo ex vi huius consuetudinis verè esse irritum. 4

Hæc consuetudo tacitè censetur approbata à Papa

Nec refert quòd huiusmodi consuetudo per constitutiones regias, seu occasione earum, introducta fuerit: quia etsi Princeps cùm Episcopis regni non possit introducere aliquod nouum impedimentum dirimens, eò quòd ea potestas ratione Sacramenti seruetur Summo Pontifici, vt passim Doctores tradunt; tamen consuetudo orta ratione talis constitutionis, si legitimè præscripta fuerit, potest hanc vim habere; non à potestate Principis vel Episcoporum, sed ex tacito consensu Papæ, qui eam tunc vult valere; vt colligitur ex Cap. finali de Consuet. Simili modo potest consuetudine fieri, vt professio ante annum 16. ætatis facta, sit valida, sicut erat ante Concilium Tridentinum; vt rectè docet Nauarrus in Consilijs. tit. de Regular. Consil. 28.

CASVS III.

Actio pro & contra Præscriptionem.

Titius putat se legitima præscriptione acquisiuisse bona Cai: Caius verò putat præscriptionem illam esse illegitimam.

Quæritur, *Quomodo vterque tueri se poterit?*

REspondeo, Etsi is qui putat se aliquid iustè præscriptione acquisiuisse, possit illud retinere, ac se tueri iure, donec per sententiam euincatur &c. tamen is, contra quem præscriptum est, si putat non legitimè factum, potest exigere solutionem pensionum cessarum; & si opus sit, petere à Principe restitutionem in integrum, causis allegatis. Ita enim auctoritate Principis fit translatio dominij per præscriptionem, vt ex causa possit eiusdem Principis auctoritate concedi restitutio in integrum. Et sic non datur bellum vtrimque iustum sepositâ ignorantiâ. Si enim agatur, Vtrùm sit legitimè facta præscriptio, necesse est alterum errare: Si autem petatur restitutio in integrum, hoc non repugnat intentioni quâ alter rem detinet, nec vult eam relinquere ante sententiam. 1

CASVS IV.

Præscriptio Capituli contra reditus pauperum.

Vtrùm consuetudo ducentorum annorum, vel aliàs immemorialis, impendendi duas tertias partes redituum Mandati (qui supponuntur relicti ad opus eleemosynæ in vsum pauperum) in stipendia ministrorum, luminaria, & fabricam, cùm vim habeat, vt potuerit illos reditus transferre in dominium Capituli, ita vt Capitulum possit in posterum hanc consuetudinem seruare; nec teneatur ad restitutionem ipsis pauperibus?

Suppono

6 Conſuetudo immemorialis, quæ.

SVppono hanc conſuetudinem eſſe immemorialem, vt Doctores loquuntur. Conſtat enim eam ſuperare centum annos, & de eius initio nullam extare memoriam: quod ſatis eſſe, vt conſuetudo immemorialis cenſeatur, docet Couarruuias Reg. poſſeſſor, p. 2. §. n. 7. & 8.

Eius efficacia.

Porrò conſuetudinis & poſſeſſionis immemorialis ea vis eſt, vt titulum non requirat, & præſumptionem bonæ fidei inducat, etiamſi iuris præſumptio ipſi facto obſiſtat, vt communiter docent Doctores, & colligitur apertè ex Cap. 1. de Præſcript. in 6.

Niſi ſubſit mala fides.

Hoc tamen intelligendum, niſi de mala fide conſtet: certitudo enim de contrario excludit præſumptionem contrarij. Vnde quando conſtat mala fide conſuetudinem vel poſſeſſionem continuatam, etiam per tempus immemoriale nulla naſcitur præſcriptio: Regula *Poſſeſſor malæ fidei*, de Reg. Iuris in 6.

Signa bonæ fidei in hoc caſu.

Itaque tota quæſtio huc reuocatur, Vtrùm ita conſtet de mala fide, vt elidatur præſumptio bonæ fidei, quam inducit immemorialis conſuetudo vel poſſeſſio. Mihi ſanè non videtur vllo modo de mala fide hîc conſtare. Incredibile enim eſt Capitulum, in quo tot viri doctrina & pietate inſignes extitere per ducentos penè annos, in mala fide fuiſſe, & reditus illos contra ſuam conſcientiam, vel ſaltem conſcientiâ dubiâ in iſtos vſus impendiſſe. Sic enim omnes iniqui & ſcelerati fuiſſent: quod nullo modo eſt præſumendum. Deinde, ſi iniquè & mala fide iſti reditus ſic impendebantur, quomodo nemo vel è Capitulo, vel ex alijs Canonicorum Collegijs, de hac iniquitate vel Epiſcopum vel Summum Pontificem monuit? Cur Decani aliarum Eccleſiarum, quibus commiſſa erat cura & auctoritas exequendi Mandatum Apoſtolicum de non conuertendis illis redditibus in alios, quàm pauperum vſus, non ſe cõmouerunt, & oppoſuerunt tam apertæ iniquitati? Cur pauperum curatores qui in oppidis ſolent conſtitui, non ſunt conqueſti?

Vnde hæc bona fides hîc orta.

Hæc & alia huiuſmodi inſinuant aliquid ſubeſſe quod nos latet, ratione cuius iniqua non fuerit viſa talis vſurpatio: nimirum, vel conceſſionem aliquam Summi Pontificis ſaltem ad tempus, quæ poſteà fuerit vel vſu inculpata, vel priuilegio prorogata; vel bonam fidem Capituli, & aliorum exiſtimantium quamuis piam cauſam ſub nomine pauperum poſſe comprehendi; vel tenuitatẽ præbendarum quæ ad ſuſtentationem Canonicorum & cultus diuini non ſufficerent, & ita ipſos Canonicos potuiſſe inter pauperes cenſeri. Quibus omnibus perpenſis, non video ſufficiens fundamentum ad conſuetudinem tam antiquam iniuſtitiæ damnandam.

CASVS V.

Præſcriptio contra abſtinentiam à carnibus.

In aliquo Ordine ſolebant Religioſi exprimentia inſtitutione à carnibus abſtinere: ſed contraria conſuetudine eſus carnium ſenſim inductus eſt.

Quæritur Primò, *An bonâ conſcientiâ poſſint Religioſi illis pergere in vſu carnium?*

Quæritur Secundò, *An Religioſi teneantur admittere reformationem, qua Superior priorem vſum velit inducere?*

8

EXpenſis ijs, quæ hîc tum ex Bulla Sixti IV. tum ex Bulla Benedicti XII. notantur: & conſiderata conſuetudine in contrarium: Reſpondeo, Religioſos illius Ordinis in monaſterio, vbi neque talis Bulla, neque Regula de carnium abſtinentia ab hominum memoria fuit ſeruata, ſed contrarium vſu practicatum, non obligari ad carnium abſtinentiam, ſed poſſe abſque ſcrupulo carnibus veſci iuxta conſuetudinem receptam.

Conſuetudo hæc eſt legitimè præſcripta.

Ratio eſt, quia omnis lex poſitiua humana, etiamſi à Papa vel Concilio Oecumenico ſit lata, vel confirmata, poteſt aboleri, ita vt vim obligandi ampliùs non habeat per conſuetudinem rationabilem legitimè præſcriptam, vt paſſim tradunt Doctores, & colligitur ex conſtitutione Gregorij IX. Cap. finali, de Conſuetudine. De qua re videri poteſt Couarruuias lib. 3. Variarũ c. 13. n. 4. Vt verò conſuetudo ſit legitimè præſcripta, ſufficiunt anni 40. ex omnium DD. ſententia. Hic autem non ſolùm ſunt anni 40. quibus illa conſuetudo veſcendi carnibus in iſto monaſterio viguit. ſed multo plures, videlicet tempus memoriam hominum ſuperans, vt refertur in ſpecie facti.

Eſt etiam rationabilis.

Quòd etiam illa conſuetudo ſit rationabilis patet, quia Religioſum veſci carnibus nihil per ſe habet rationi repugnans, nec id vlli iuri diuino aut naturali aduerſatur. Itaque bonâ conſcientiâ poteſt illis Superior vſum carnium permittere, nõ obſtante Bulla prædicta; aut Regulæ præſcripto. Similiter etiam ipſe bonâ conſcientiâ poteſt carnibus veſci, iuxta Deceſſorum eius receptam conſuetudinem.

9 Subditi tenentur illam reformationem admittere.

Vtrùm verò Religioſi teneatur admittere eã reformationẽ qua Superior priorem vſum vellet inducère, alia quæſtio eſt. Valdè veriſimile eſt, teneri eam admittere, cùm ſit ſecundùm primæuam inſtitutionem, niſi à Sede Apoſtolica habeant indultum vt carne veſci poſſint. Hoc ipſo enim quo profitentur, & inſeruntur Religioni, tacitè cenſentur ſe obligare ad rationabilem reformationẽ acceptandam quæ Regulæ ſit conformis, ſi aliquando introducatur. Contrarium enim eſſet perniciоſum; quia impediretur via ad maiorem perfectionem, & ad rationabilem Regulæ inſtaurationem: qua de re multa dici poſſent.

NOTA ad præxim.

Verùm non facilè Superior talia tentare debet, ſed in omnibus conſiderare quid magis expediat ad Dei gloriam, & ſubditorum ſalutem. Sanè melius eſt vt benè contenti veſcantur moderatè carnibus, ſicut pleriſque locis Benedictini, & alij faciunt, quàm vt cum murmure & interna animi perturbatione veſcantur piſcibus aut oleribus. Eſca enim per ſe nos Deo non commendat: nec regnum Dei eſt in qualitate cibi, ſed in charitate, pace & gaudio in Spiritu ſancto.

CASVS VI.

Præſcriptio monaſterij contra pias ſuorum fundationes.

Abbas Pamphilus cùm luſtraret antiquas monaſterij ſui fundationes, inuenit quaſdam factas à Religioſis, alias ab Abbatibus, alias à Prioribus, quæ tamen iamindè à 100. annis non ſint in vſu.

Quæritur, *An tanti temporis non vſus præſcripſerit ſeu extinxerit illas fundationes: adeò vt Abbas Pamphilus non teneatur eaſdem ad vſum priſtinum reuocare?*

10

REſpondeo, Si fundationes iſtæ Monachorum ab exordio ſui aſſiduè fuiſſent in vigore, durum videretur illas poſt tanti temporis continuationem ſubitò abolere eo nomine, quòd ex bonis monaſterij videantur fundatæ. Verùm quia iam à centum annis putantur fuiſſe omiſſæ, & in ſpecie abolitæ, ſuffectis in earum locum ijs quæ in reformatione Burſfeldenſi præſcribuntur, minor

est difficultas: quia tanti temporis continuatio ijs non suffragatur: quin imò centum annorum omissio contra eas pugnat. Quare non tenetur Prælatus eas renocare in viam, mutato Breuiario Bursfeldensi in Romanum, nisi constet illas ex bonis alienis, non ex ijs quæ erant monasterij fundatæ esse.

11 Religiosi omnia acquirunt monasterio.

Et sanè quod attinet ad fundationes factas à Religiosis ex bonis conquisitis ab amicis, vel aliunde quæm ex beneficio: cùm illa ad monasterium statim ipso iure pertineant, non videtur ex illis potuisse fieri fundatio, ad quam monasterium ex iustitia obligaretur; quia per ea monasterium nihil accipit, nisi quod suum est: Nemo autem suis stipendijs militat se militiæ obstringens vinculo iustitiæ. Quòd autem se obligari putarint, est ex ignorantia: sicut & Religiosi eiusc temporis ex ignorantia putabant se posse habere proprium. Quare tales fundationes facilè possunt omitti; præsertim à Successoribus, qui nihil promiserunt, neque etiam voto vel iuramento Antecessorum tenentur.

12 Abbas extendens ius proprium potest obligare monasterium.

Idem dicendum de fundationibus factis ab Abbatibus, si ipsa dignitas Abbatialis non habet propria bona sibi affingnata: quia tunc omnia sunt communia, & quidquid Abbas acquirit, non acquirit dignitati, sed communitati. Si verò dignitas illa haberet bona propria legitimè annexa, alia videretur ratio: quia ex illis bonis videtur Abbas posse facere fundationem in suo monasterio, sicut ibi: nec video cur monasterium non possit obligari si cum illo contrahat; quia accipit ab illo bona quæ ad monasterium non pertinebant. Idem videtur dicendum de bonis acquisitis ab amicis eo tempore quo fuit in dignitate: censetur enim acquisita dignitati.

Interdum facta diuisione bonorum distinguntur bona Abbatialia dignitati vel mensæ assignata, à bonis monasterij. Verùm hoc non latis est vt illa dignitas dicatur habere bona propria, nisi hæc diuisio, & assignatio fit approbata à Sede Apostolica, si monasterium erat exemptum; vel certe ab Episcopo, si non erat exemptum. Quia dignitates cum certis fructibus (qui postea non possunt à titulo diuelli) instituuntur, solius est Summa Pontificis, vel Episcopi.

13

Eodem modo dicendum erit de Prioratu. Si enim Prioratus habebat bona propria legitimè fundatorum, vel si Prior eo tempore quo in dignitate fuit, bona ab amicis acquisiuit, quæ dignitati eius acquisita censeantur, potuit de ijs cum Monasterio transigere & fundationes instituere. Si verò non habebat bona propria, sed solùm communia, non potuit monasterium obligare & onere obligationis quæ intercessit, profecto videtur ex ignorantia, ac proinde nullius momenti: quia fuit error in substantia contractus.

Præscriptio per tres sententias Iudiciales conformes pro legitimatione.

Ijs omnibus, alijsque, quæ narrantur in casu proposito, conſideratis & perpensis, videtur mihi valdè probabile in hac reformatione non teneri D. Prælatum renocare in suum fundationes à Religiosis vel Abbate illius monasterij in eodem monasterio institutas.

Vt dos Sponsæ bona sua Priorissæ possit tales fundationes facere, adde vt contractus ille sit sanus per exercitum non vitiosi, vtide supra V. Religiosa pauperta-
tis. Casu 8.

CASVS VII.

§. 1.

Titius nobilis pluribus annis vixit cum Martha, eadem vbique vxoris nomine vsa, quam & vxorem frequenter fassus est coram Notario & testibus suorum: sed aliquibus præsentes testimonia probare potuit se cum ea matrimonium contraxisse. Processus verò ex vtraque parte, ipsa adhuc viuente, solemniter & iuridice Ecclesiæ Dei Casum subeunte, incœpti, nec addito tum fine, quàm Martha, se cum Martha nunquam legitimè contraxisse.

Quæritur, Vtrum filij bonorum sint legitimi à Martha an Casu?

Præscriptio per tres sententias Iudiciales conformes pro legitimatione.

PErpensa specie facti, probationibus & præsumptionibus vtriusque partis, Iurisperitorum responsis, & Iudicum sententijs: tria mihi, saluo meliore iudicio, dicenda fuit.

14

Primò, In foro externo matrimonium Titij cum Caia debere pronuntiari legitimum absolutè: quia contra solemnem contractum secundum formam Iuris initum, nulle valent præsumptiones, quantumuis fint multæ & magnæ. Vnde si viuerent cùm ijs res personæ, scilicet Titius, Caia, & Martha, etiam per sententiam excommunicationis cogendus esset Titius redire ad Caiam, quam solemniter duxerat vxorem, & matrimonium legitimum, tractare; & separandus esset à Martha. Quod confirmat sententia Officialis Attebatensis, quæ omnium prima, & legitimè lata fuit, & in rem iudicatam transijt.

Solemne matrimonium præsumitur cum præsumptionibus contrarijs.

Secundò, Etiamsi pro matrimonio Titij cum Martha sint plurimæ præsumptiones, & quidam valde vehementes, quæ tam ia se posiint reddere dubium, non sint tamen nisi præsumptiones & coniecturæ, non autem certæ & indubitatæ probationes. Vnde non sufficiunt vt post secundum matrimonium, Iudex possit iudicare illud matrimonium interuenisse, aut valide fuisse contractum, sed necessariò debet iudicare illud fuisse nullum. Ratio est, quia non potest iudicare vltra quæ matrimonium fuisse valiusmsed alterum validum, alterum nullum. Tenetur autem secundum præsumptiue valium propter solemnitatem contractus, vt dictum est. Ergo primum debet pronuntiari nullum.

15

Tertiò, Hinc recte inferri videtur, proles ex Martha susceptas, non posse in foro externo pronuntiari legitimas. Vbi enim non potest præsumi legitimum matrimonium, falsum debe contrahium, non præsumuntur filij legitimi. Legitimi enim dicuntur qui ex vero vel putatiuo matrimonio, bona fide parentum inito, nascuntur. Atqui Iudex hic non potest præsumere matrimonii, neque præsumit hic aliquem matrimonij contractum bona fide intercessisse; sicut cùm subest occultum impedimentum dirimens, sed potiùs præsumit omnia simulatè acta ad libidinem explendam. Ergo non potest pronuntiare liberos legitimos. Hoc ipso enim quo pronuntiaretur filij legitimi, tacitè pronuntiaretur de matrimonio, illud habendum esse pro legitimo, etiamsi forte coram Deo tale non fuerit. Atqui hoc est contrarium alteri sententiæ, quæ iudicat secundum esse habendum pro legitimo. Non potest autem Iudex contradicia vel ajyllata, pronuntiare præsumenda. Cùm enim expressè debeat pronuntiare secundum matrimonium fuisse & habendum esse legitimum, quomodo potest implicitè & in effectu iudicare primum

16 Martha non possunt esse testes legitimandi in foro externo.

Quinam sint necessarij ad legitimandi.

Iudex contraria celare non potest.

Digitized by Google

primum habendum pro legitimo, aut primum verè aut bona fide fuiſſe contractum; ſed ob occultum impedimentum fuiſſe irritum, cùm nullius talis impedimenti fiat mentio?

Nec obſtat quòd Titius & Martha ſæpiùs iureiurando coram Notario & teſtibus depoſuerint ſe verè coniunctos fuiſſe: quia ſi his in foro externo eſſet credendum, non debęret nec poſſet Eccleſia matrimonium cum Caia validum pronuntiare, quod tamen tenetur facere, vt dictum eſt.

17 Quando-nam fauendum matrimonio.

Similiter non refert quòd cauſa legitimitatis & matrimonij ſit fauorabilis: hoc enim intelligendum eſt in dubio, & quando cauſa maioris momenti non obſtat. Hic autem cauſa maioris momenti interuenit, nimirum ſolemne matrimonium cum Caia, quod pronuntiandum eſt fuiſſe validum.

Marthæ proles non cenſentur in poſſeſſione legitimitatis.

Neque verum eſt liberos Marthæ eſſe in quaſi poſſeſſione legitimitatis, ac proinde onus probãdi incumbere liberis Caiæ. Quia poſtquam conſtat per ſentẽtiam de matrimonio legitimo Caiæ; præſumuntur omnia priora inualida, & ipſi præſumuntur illegitimi: vnde ipſis probatio incumbit. Cùm autem non habeant vllas probationes certas, ſed ſolas præſumptiones, quæ per contrarias præſumptiones, & maximè per iuramenta Titij & Marthæ prę quia matrimonio inito cum Caia, & per ipſum ſolemnem matrimonij contractum, abundè eliduntur; non video qua ratione illis in foro externo magnopere prodeſſe poſſint ad ſententiam ſuæ legitimitatis obtinendam.

§. 2.

Titius Caiæ ſuperſtes inductus à prolibus Marthæ, & ab ijſdem coram Iudice Eccleſiaſtico citatus, declarauit eas ex legitimo connubio ſuo cum Marthæ ſuſceptas. Iudex non euocatis ad contradicendum Caiæ prolibus, pronunciauit legitimas Titij & Marthæ eſſe proles, quæ proinde paternam prætendunt hæreditatem. Proles Caiæ Iurium ignaræ ab hac ſententia prouocant: quo facto videntur eam pro ſententia legitima agnoſcere: atque adeò tres ſententias conformes (duæ namque præterea pro legitimitate prolium Titij & Marthæ latæ fuerunt) contra ſe latas debere fateri.

Quæritur, *An triplex illa ſententia pro prolibus Marthæ tanquam legitimis lata, efficiat vt Iudex, ad quem vltimatè hæc lis deferitur, debeat pronuntiare pro prolibus Marthæ, contra proles Caiæ?*

18 Ter victus in iudicio contradictorio non poteſt vlteriùs appellare.

Dico Primò, Regula illa Iuriſconſultorum, *Poſt tres ſententias conformes non poſſe vlteriùs appellari*, omnino intelligenda eſt de tribus ſentẽtijs, quibus appellans fuit ter victus in iudicio contradictorio. Nolunt enim Iura, eum, qui ter totis viribus coram tribus Iudicibus pro ſuo iure contendit, & eorum ſententijs occubuit, ampliùs iure experiri, ſed ſententiam mandari executioni: *Tria enim*, vt veteres dicebant, *ſunt omnia*. Itaque Iudicium illud, in quo quis non potuit iure contendere, non poteſt illi nocere; neque ille in eo poteſt cenſeri ſuccubuiſſe. Nemo poteſt dici victus in certamine cui non potuit adeſſe, in quo vires ſuas non potuit depromere. Quid autem eſt aliud Iudicium, quàm certamen quoddam iurium? Peſſimi res eſſet exempli ſi huiuſmodi Iudicia parti nocerent. Facilè enim eſt Iudicibus obrepere, & rem colluſione peragere.

19 Dico Secundò, Prima ſententia in fauorem liberorum Marthæ lata à D. Officiali Mechlinienſi anno 1599. die 26. Aprilis omnino videtur fuiſſe irrita, vt benè probarunt clariſſimi Iuriſconſulti Duacenſes. Confirmatur hac ratione: Quia in ea perinde actum eſt ac ſi Titius cum filijs, quos ex Martha ſuſcepit, iuiſſent ad D. Officialem, & vnanimi conſenſu petijſſent ab eo declarari ipſi Titio cum Martha intereſſiſſe verum & ratum matrimonium, & ſe eſſe legitimas eorum proles. Atqui certum eſt talem declarationem fore omnino irritam quatenus in præiudicium aliorum poteſt cedere. Nec refert quòd modo iudiciario proceſſerint citando parentem citari, & per ſententiam ad hoc condemnari vt eos pro legitimis haberet &c. quia ita fuerat inter eos conuentum, vt ex actis conſtat. Vnde in re ipſa nihil fuit niſi mera colluſio & conuentio ad obtinendam huiuſmodi declarationem in præiudicium matrimonij initi cum Caia, & poſterorum ex ea deſcendentium. Illa enim ſimulata Iudicij forma non mutat ſubſtantiam facti. Ex quo patet nullum fuiſſe hîc Iudicium contradictorium, nullam ſententiam verè iudiciariam, cùm ſolùm vna fuerit pars, & altera pars cuius intereat, quæ ſe debebat opponere, non fuerit citata. Non enim poteſt dici cõtradictor in Iudicio, qui eſt colluſor & concors, & hoc agit vt in præiudicium tertij, pars, à qua ſe curat citari, ſententiam obtineat. Quòd autem hæredes Caiæ neceſſariò citari debuerint, optimè probatum eſt à clariſſimis Doctoribus Duacenſibus: quia cedebat res in maximum eorum præiudicium. Si enim matrimonium Titij cum Martha eſt verum & ratum; neceſſariò conſequens eſt matrimonium cum Caia fuiſſe irritum; & conſequenter proles non eſſe ex legitimo toro, vnde etiam carebunt ſucceſſione familiæ paternæ &c. Quid nobilibus poteſt eſſe grauius?

Non eſt iudicium cõtradictorium vbi vna pars colludit, & habens intereſſe non citatur.

Ex quibus patet Iudicem fuiſſe deceptum. Certum enim eſt, ſi ſciuiſſet rem in tantum aliorum præiudicium ceſſuram, non tam facilè ſententiam fuiſſe laturum, niſi priùs audita parte, vt officium Iudicis poſtulat. Similiter ſi ſciuiſſet ſententiam ante annos 28. à D. Officiali Attrebatenſi in legitimo Iudicio latam pro matrimonio Caiæ, nullo modo voluiſſet ferre ſententiam illi repugnantem, niſi re maturiùs examinata. Itaque hæc ſententia omnino nulla cenſenda, nec facit ad numerum vt poſſint dici tres ſententiæ.

Sententia hinc lata, eſt nulla.

Neque his obſtat, quòd hæredes Caiæ, appellando videantur eam pro ſententia iudicaria, quæ ipſis nocere poſſet, agnoſcere: Id enim ex ignorantia factum eſt: Si enim ſciuiſſent modum procedendi Iuris, non debuiſſent illam curare, ſed nouum iudicium ordiri nullâ illius habitâ ratione.

Appellatio ab ea facta non obeſt appellanti.

Nec refert quòd ea ignorantia fuerit Iuris, quæ in foro externo obeſt: quia hæc toleratur in minore, in ruſtico, & in muliere, & in milite, ita vt illis non obſit; vt docet Molina Iureconſult. lib. 2. de Primogenijs cap. 6. n. 69. vbi etiam docet cum hac ignorantia iſtos poſſe præſcribere. Non enim patitur æquitas, vt iſti, in quibus non præſumitur talium ſubtilitatum notitia, ob huiuſmodi errores ius ſuum amittant. Atqui appellans erat vir militaris, parùm gnarus rerum fori contentioſi.

20 Contra tres ſententias conformes poteſt dari reſtitutio in integrum.

Dico Tertiò, Etiamſi concederetur fuiſſe tres ſententias validè latas (quod tamen concedendum non eſt:) tamen non impediunt appellationem, quia non ſunt vniformes, vt oſtenſum eſt à Iureconſultis Duacenſibus. Et quamuis eſſent vniformes, ob magnum præiudicium poteſt dari contra illas reſtitutio ad integrum, vt ijdem re-

ctè probant; idque non solùm pro minoribus, sed etiam pro maioribus; vt ostendit ex multis Doctoribus Thomas Sanctius lib. 7. de matrimonio disput. 37. n. 22. & lib. 10. disput. 9. n. 7.

21 Secundum matrimonium solemne præferendum priori clandestino.

Dico Quartò, Matrimonium secundum in facie Ecclesiæ contractum, præferendum est priori clandestino, etiamsi prius vno teste & famâ probatum esset; & secundum, duobus tantùm testibus probaretur. Ita Vincentius in Capitulum 2. de Clandest. desponsat. quem sequuntur Abbas, & alij doctores in dictum Cap. 2. Et Felinus in Cap. 1. *Vt lite non contestata*, n. 2. Quem sententiam esse communem dicit Soncinas consil. 129. & Aretinus consil. 13. in 3. dub. Vide Couarruuiam tom. 1. p. 2. de Impedimentis matrimonij n. 14. p. 173. vbi citat alios. Faber in suo Codice p. Decisiones Tholosanæ. Et tamen fama cum vno teste in alijs facit plenam probationem.

Hoc si verum est, quanto magis præferendum erit secundum matrimonium in facie Ecclesiæ contractum quod plurimis testibus probari potest, matrimonio clandestino priori, quod solâ famâ & quibusdam indicijs, nullo autem teste probari potest? Sanè fama & illa indicia non faciunt plenam probationem, sed solùm præsumptionem vehementem generant, quàm tamen iuramenta contraria, & contractus solemniter initus facilè elidunt.

22 Conclusio.

Hinc clarè videtur inferri, non posse proles Marthæ pronuntiari legitimas: quia sic matrimonium clandestinum ex solis præsumptionibus præferretur matrimonio solemni contracto in facie Ecclesiæ. Hoc ipso enim quo pronuntiantur proles illæ legitimæ, matrimonium prius pronuntiatur ratum: & consequenter secundum irritum. His addi possunt rationes in l. §. deductæ. Ex quibus perspicuè concludi videtur partes Iudicis esse vt matrimonium secundum declaret fuisse legitimum & ratum, & proles ex eo susceptas legitimas.

PRIVILEGIVM.

CASVS I.

Priuilegiũ benedicendi vasa sacra & altaria.

Iulius II. concessit cuidam Abbati priuilegium benedicendi vasa Sacra. Et vt ex antiquis monumentis colligitur, videtur Abbas ille aliquando Altaria consecrasse.

Quæritur Primò, *Quid hîc intelligatur nomine* Benedictionis, *& nomine* Vasorum Sacrorum.

Quæritur Secundò, *Vtrùm modernus Abbas possit consecrare Altaria?*

23 *Ad Primum*: Resp. Primò, Nomine *Benedictionis* sæpè intelligitur etiã ea benedictio quæ fit cum vnctione chrismatis: quia hoc nomen est generale, & comprehendit etiam consecrationem; vt patet non solùm apud Doctores Siluestrum, Angelum, & alios, sed etiam ex Pontificali Romano. Et hoc modo non dubito quin etiam in hac Bulla Iulij II. vsurpetur.

Respondeo Secundò, Nomine *vasorum Sacrorum* in hoc priuilegio maximè Calices videntur intelligi; hi enim proprijssimè sic appellantur. Alia vasa Sacra non opus habent benedictione: quia nullum Ius requirit vt vel Monstrantia, vel Ciborium benedicatur, quamuis etiam aliqua benedictio illis adhiberi possit. Vnde non dubito quin hîc concedatur Abbati consecratio Calicum monasterio necessariorum. Neque hoc nouum videri debet; quia Zabarella in Clementinam *Attendentes* de statu Regularium, alijque docent Abbatem vtentem insignibus Episcopalibus posse de consuetudine Calices consecrare: mirum ergo videri non debet si id fiat expresso priuilegio.

Ad Secundum: Neminem reperio qui Abbati cõcedat facultatem benedicendi seu consecrandi Altaria. Tamen dubium non est, quin Papa possit eam concedere. Sentio tamen Abbatem illum non posse in posterum vti hoc priuilegio consecrandi Altaria: quia per non vsum tanti temporis videtur illud amisisse, Episcopo contra Abbatem præscribente, quod intelligo, si occasio fuit eo priuilegio vtendi, & aliquoties non est vsus, aduocato ad hoc Episcopo. 24

Vtrùm *autem Abbas qui monasterii sui calices consecrare potest, possit etiam, accedente saltem Ordinariorum licentia, externorum calices consecrare, vide quæ dicta sunt supra* V. Consecratio. Casu 1.

CASVS II.

Priuilegij perditi recuperatio.

Vtrùm priuilegium alicuius monasterii Superioris negligentiâ amissum, possit solâ monasterii auctoritate resumi?

25

Respondeo, Priuilegium per cessionem, non vsum, vel reuocationem Superioris in aliquo monasterio amissum, non potest resumi ab eodem monasterio propria auctoritate, sed debet descendere à Superiore, nempe à Generali vel Prouinciali. Priuilegia enim Ordini conceduntur, sic tamen vt ad singulos debeant descendere secundùm Superiorum ordinationem. Et hoc modo potest priuilegium illud in aliquo loco amissum restitui. *Similem fere casum vide supra* V. Bona Ecclesiæ Casu 8.

CASVS III.

Communicatio Priuilegiorum.

Communicat Pontifex alicui Ordini priuilegia aliis Ordinibus concessa.

Quæritur, *An ea communicatio extendatur ad tempus præteritum & futurum?*

Respondeo, Communicatio illa, qua communicantur priuilegia alijs Ordinibus concessa, non est extendenda nisi ad concessa vsque ad illud tempus, non autem ad concedenda in posterum, nisi id exprimatur. Ratio est, quia quando Pontifices volunt ita extendi, id apertè exprimunt. Vnde quando id non exprimitur, censetur non fieri talis extensio. Esset enim contra proprietatem verborum. Verba priuilegiorum non plus operantur, quàm secundùm suam proprietatem significant. 26

Superior potest eligere Confessorem, à quo ab solui possit à reseruatis.

Illud autem speciale priuilegium Clementis IV. puto extendi ad omnes casus siue ante siue post illam concessionem reseruatos: quia est Iuris communis vt Prælatus possit eligere Confessorem, qui ipsum absoluat ab omnibus casibus & censuris, à quibus ipse potest absoluere suos subditos: quia non debet esse peioris conditionis, quàm subditi.

PROFESSIO

PROFESSIO RELIGIOSA INVALIDA.

CASVS I.

Professio ante expletam ætatem.

Virgo quædam annorum tredecim anno Domini 1565. professionem Delphis in Hollandia fecit. Postea nupsit, & proles protreauit.

Quæritur, *An professio fuerit valida? An validum matrimonium?*

1 VIdetur professio fuisse valida. Quia eo tempore Delphis Concilium Tridentinum non erat promulgatum, vt refertur: primùm enim Louanij dicitur promulgatum anno 1567. ac proinde manebat ius antiquum, quod solùm 12. annos in puella expletos requirit.

Professio fuit inualida.

Respondeo. Multò probabilius esse, hanc professionem fuisse inualidam. Ratio est, quia decreto Concilij Trident. sess. 25. cap. 15. de Regularibus, professio facta ante annum sextum decimum ætatis expletum, redditur irrita his verbis: *Professio autè facta, sit nulla, nullamque inducat obligationem ad alicuius Regulæ, vel Religionis, vel Ordinis obseruationē, aut ad alios quoscunque effectus.* Hoc autem decretum tum temporis vim habebat. Quia etsi fortè non esset illo anno promulgatum Delphis, tamen erat promulgatū Romæ; vt patet ex Bulla confirmationis Pij IV. Fuit enim Romæ confirmatum & promulgatum anno 1565. 7. Cal. Februar. Atqui probabilior, & ferè communis sententia tradit decreta Conciliorum, & Summorum Pontificum nō egere promulgatione in Prouincia, vt incipiant obligare, sed sufficere promulgationem solemni ritu factam Romæ: qua facta, vbique vim & robur habere. Quod etiam seruat stilus Curiæ Romanę. Vnde Summus Pontifex in Bulla Confirmationis non iubet illa amplius promulgari, sed *In virtute sanctę obedientiæ præcipit ea tanquam sufficienter promulgata vbique diligenter & inuiolabiliter tam in iudicio quàm extra iudicium obseruari.* Hinc sequitur hoc decretum anno 1565. Delphis vim & robur habuisse, & consequenter professionem fuisse inualidam.

Promulgatio Tridentini Romæ facta vbique obligat.

2 Matrimonium est validum.

Quòd si inualida professio fuit, non potuit esse impedimentum dirimens matrimonio secuto. Vnde sequitur illud matrimonium fuisse validum & legitimum; & proles legitimas, si nullum aliud impedimentum, v.g. cognationis, affinitatis, &c. interuenit.

Quamuis egressa sit monasterio, causâ coram Iudice non deductâ.

Nec obstat quòd fortè egressa sit causâ nō antè discussâ coram Ordinario, & Superiore, sicut iubet Concilium eadem sess. 25. c. 19. Quia etsi id non rectè factum sit, tamen non reddit matrimonium irritum: & credibile est ex simplicitate id factum. Vnde cùm causa nullitatis professionis sit satis manifesta, etiam re non discussa coram Iudice, ad æquum Iudicem pertinet rem adeò antiquam non mouere. Vel enim mouet eam ad instantiam partis, nempe agente Religione, vt persona restituatur monasterio; vel ex officio, vt consulatur saluti personæ. Atqui neutro modo videtur mouenda. Non primo, quia vt supponо, non est credibile monasterium vetulam post matrimonium & proles susceptas sibi velle restitui. Nec etiam secundo, quia meritò potest & debet præsumi esse in bono statu, cùm ad Religionem ratione talis professionis non obligetur, vt ostensum est. Nec refert quòd egressa sit causa non deducta coram Ordinario; quia etsi ea in re potuerit peccare, tamen peccatum illud est transitorium, & facilè per pœnitentiam deleri potuit. Deinde illud præceptum Concilij non pertinet ad ipsam, sed ad Ordinarium, qui tunc temporis erat; & solùm continet formam & ordinem iudiciarium, quem Iudex debet seruare.

3 Nō est hic opus interuentu Ordinarij.

Itaque nihil hîc video ad salutem personæ pertinens, ad quod Ordinarij partes requirantur. Vel enim agitur vt statum Religiosum repetat: & ad hunc, persona hæc non tenetur. Vel vt agat pœnitentiā de egressu facto absque sententia Ordinarij: & præsumitur hanc egisse si mala fide id fecit. Accedit, quòd vt Doctores tradunt, is qui se nouit inualidè professum, possit etiam post quinquennium egredi & fugere causâ non deductâ coram Ordinario & Superiore, quando certò putat se non audiendum. Itaque non debet egressio illius puellæ facta non seruato ordine iuris adeò grauis videri, vt post 40. vel 50 annos ei ob illam difficultas moueatur. Videatur Nauarrus Comment. 4. de Regularibus sub finem. Denique in hanc sententiam Iudicem propendere æquum est, & nihil mouere ob fauorem matrimonij, & liberorum, ne illud videatur fuisse inualidum, & liberi illegitimi: quæ res in magnam illorum iniuriam posset redundare. Omitto, Ordinarij partes esse in rebus manifestis, vbi manifesta est obligatio, nec probabilis suppetit excusatio, sequi illud Prouerbiorum 24. vers. 15. *Ne quæras impietatem in domo iusti, & ne vastes requiem eius.*

CASVS II.

Professio ante expletam ætatem.

Titius ante annum ætatis decimum sextum expletum edidit professionem in approbata Religione: post quinquennium id ei prius per matrem innotescit. Dimisso habitu fugit è monasterio vt causam suam agat.

Quæritur Primò, *An tanto tempore, bona fide in Religione permanendo, non sit factus verus Religiosus?*

4 Professio ante 16. ætatis annum est, ipso facto inualida

Ad Primum: Respondeo Primò, Notissimi Iuris est, Professionem ante XVI. annum ætatis expletum factam, irritam esse post Concilium Tridentinum, quod sess. 25. c. 15. de Regularibus, sic habet: *In quacumque Religione, tam virorum, quàm mulierum professio non fiat ante decimumsextum annum expletum: nec qui minore tempore, quàm per annum, post susceptum habitum in probatione steterit, ad professionem admittatur. Professio autem ante à facta, sit nulla, nullamque inducat obligationem ad alicuius Regulæ vel Ordinis obseruationem, aut ad alios quoscumque effectus.*

Nec tractu temporis conualescit.

Respondeo Secundò Si talis professio ab initio est nulla, vt ait Concilium, etiam nulla est nullamque inducit obligationem, quamuis per multos annos cū ea in Religione Titius permanserit. Quia *quod ab initio inualidum est, tractu temporis non conualescit*: vt habetur Cap. *Non firmatur.* de Regulis Iuris in 6.

Nec obstat, quòd Concilium Tridentinum c. 19. eiusdem sessionis dicat, Neminem Regularem qui prętendat se per vim vel metū ingressum, aut ante ætatem debitam professum, esse audiendum, nisi intra quinquennium tantùm à die professionis. Quia, non id dicit Concilium, quasi tractu longiore temporis obligetur, aut incipiat esse religiosus: sed quia præsumitur fraus, quando tam diu tacuit: & quia alioquin eiusmodi defer-

tores Ordinum, & reclamationes essent nimis crebræ, cum offensione magna secularium, & molestiâ Prælatorum.

5 Iustæ causæ non reclamandi ante quinquennium.

Sæpè tamen potest esse iusta ratio non reclamandi ante quinquennium, & reclamandi post. Primò, Si metu fis compulsus ad professionem, & metus adhuc duret, Colligitur apertè ex Cap. *Prolatum*. De his quæ vi.

Secundò, Si nullam habuisti opportunitatem, eò quòd non ppsses conuenire Ordinarium, & Superiori non auderes te aperire, metuens carcerem, vel aliam afflictionẽ. Vnde Nauarrus Comment. 4. de Regul. nu. 76. inter cetera sic scribit: *Secundò infertur, quòd si metus vel impotentia reclamandi, plus quàm quinquennio duraverit, poterit post illud, ipso Iure, vel restitutione audiri.* Et infrà, dicit Romæ aliquot Religiosos, qui impedimenta reclamandi probare poterant, fuisse auditos, etiamsi ante decem annos professi essent.

Tertiò, Si vltrà quinquennium laborauit ignorantia impedimenti. Si enim metus durans vltra quinquennium, est sufficiens causa vt possis reclamare post quinquennium, & Iure debeas audiri, vt Ius & ratio conuincit: cur non etiam ignorantia impedimenti? Hæc enim ignorantia non minùs reddit hominem impotentem ad reclamandum, quàm metus: nemo enim potest facere quod ignorat. Itaque si impotentia reclamandi durans toto illo quinquennio, est iusta causa, cur inualidè professus sit admittendus ad reclamandum post quinquennium; etiam ignorantia impedimenti toto eo tempore durans, sufficiens censeri debet, cùm hominem omnino impotentem ad reclamandum reddat.

6 Per fugam hic non est reddatus incapax vt causam pro se alleget.

Ad Secundum: Respondeo, Etsi Concilium Tridentinum dicat eum qui antè habitum sponte dimiserit, non esse admittendum ad allegandum quamcunque causam: nihilominùs tamen hunc dimisso habitu fugitiuum ad allegandam causam admitti debere.

Primò, Quia non censetur sponte dimisisse, qui ob iustas causas ad tempus deposuit; vt sunt pericula itinerum per loca bellis hæreticorum infesta, vt est Campinia Brabantiæ.

Secundò, Quia Concilium apertè loquitur solùm de eo, qui absq; animo resumendi dimiserit. Talis enim tantùm censetur apostata, & incurrit excommunicationem.

Tertiò, Quia Concilium id statuit in pœnam, quam non meretur qui bona fide processit.

Quartò, Quia ea quæ Concilium eo loco statuit, putat Nauar. Com. 4. de Reg. 77. non obligare tali modo professum in foro conscientiæ, saltem ad mortale. Adscribam verba eius, quia audio hæc à Iudicibus desiderari. Propositis ijs quæ ibi statuit Concilium, sic ait: *Super quibus multa dici possent: Primò quidem ea non ligare in foro conscientiæ, saltem ad peccatum mortale. Puto enim licere, cessante scandalo & præiudicio alius coram Deo, ei qui scit, vel iustè credit suam professionem coram eius diuina Maiestate non valere, ante reclamationem dimittere habitum, & fugere de carcere, & non deducere causas nullitatis coram Ordinario & Superiore, & non redire ad monasterium, & non teneri ad pœnam apostatæ. Secundò, Quòd etiam quo ad forum externum limitanda sunt non procedere in eo, qui iustam causam ea omittendi haberet, vt qui non posset habere licentiam eundi ad reclamandum, nec re nisi dimisso habitu, vel non permitteretur causas vllas proponere coram Prælato vel Ordinario, quales vidimus aliquos in Vrbe qui resumpto in ea habitu, benignè sunt auditi. Quartum enim ex æquo & bono sic intellige, vt significes neminẽ quidem non portantem habitum Religionis cùm audiendus est, audiri debere; sed eum qui temerè dimisit, eo resumpto audiri posse. Iniquum enim & inhumanũ videtur negare perpetuò audientiam ei, qui iustam causã habet reclamandi, eo solo quòd ad id faciendum dimisisset etiam temerè habitum; cùm id esset cogere liberum hominem per totam vitam seruire Religioni, cui nullatenus obligatur: contra leges vetantes liberi hominis venditionem & obligationem perpetuam ad manendũ alicubi, vel subeundum onus nimis onerans libertatem, & rationem naturalem, quã illa nituntur.* L. *Titio.* §. *Titio centum* ff. de Condit. demonstrat. Hęc Nauar. Ex quibus verbis tota hæc quęstio facilè soluitur.

Nauarrus dicit talem fugitiuum non peccare mortaliter.

Aitque audiendum in foro externo.

Ad probandum ætatem defuisse. Si libri baptismales non extant, sufficiunt duo testes; quia non plures etiam in criminalibus requiruntur. Nec Mater excludi potest: quia nemo melius potest scire ætatem filij. Quia tamen suspecta esse posset, posset exigi iuramentum, quo præstito, purgat suspicionem.

Mater testari potest de filij ætate.

CASVS III.

Professio ante expletam probationem. Seu, Tridui dimissio à Nouitiatu.

Religiosus tempore sui Nouitiatus fuit per triduum à Religione dimissus: & post triduum iterum acceptatus. Fecit postea professionem lapso anno, non tamen triduo illo, per aliud triduum, supplet o. Deinde plusquam quinquennio vt Religiosus cum cæteris vixit.

Quæritur, *Vtrùm eius Prælatus possit huius rei cognitionem sumere, & professionem inualidam declarare?*

8 Respondeo Primò, Religiosi istius professionem non posse declarari inualidam à solo Prælato, sed adiungi debere Ordinarium, & causam diligenter antè cognoscendam: quia res est maximi momenti. Ita Concilium Tridentinum sess. 25. de regul. cap. 19.

Respondeo Secundò, Istum Religiosum etiamsi fortè ipsius professio fuisset inualida, tamen Iure præsumi professum per mansionem quinquennii, ita vt nulla admittatur probatio in contrarium, nisi restituatur in integrum. Cùm ergo præsumatur ratificasse per lapsum tanti temporis suã professionem, non video quâ ratione possit in foro externo declarari irrita; præsertim cùm probationes in contrarium non possint à Iudice ordinario admitti.

9 Respondeo Tertio, Valdè probabile esse tridui admissionem non impedire continuationem necessariam Nouitiatus, ita vt ab initio sit repetendus: maximè cùm hæc dimissio fuerit incompleta, ipso manente illo triduo in monasterio, & curante se rursus tonderi.

Appellatio in casu ad Nuntium.

Respondeo Quartò, Si Ordinarius cum Prælato declararet professionẽ fuisse inualidam, posset Religiosus appellare ab hac sententia, & audiretur ab Illustrissimo Nuntio, cum periculo famæ Prælati & Ordinarii. Quare non iudico id facilè tentandum.

CASVS IV.

Professio ante expletam probationem.

Quædam ante exactum annum probationis professa est. Post decem annos fugit, nupsit, aliquot proles procreauit.

Quæritur, *Vtrùm matrimonium fuerit validum?*

10 Respondeo, Illud matrimonium non esse inualidum ratione professionis, nisi ipsam professionem intenderit postea ratificare. Ratio est, quia professio ista inualida fuit, vt constat ex Cõcilio

Digitized by Google

cillo Toletano fol. 55. c. 1. et de aegr. li. inquie
quemuis multos nouos poſſe manere in mo-
naſterio, non eſt effecta religioſa. Quia tenor ob-
tinendi non fuit ſuſt., non à tempore non renuntiat.
regulæ. Non tenuerunt de aegr. Rotarii ib.

Nonque dici poteſt quòd eam confecrarit tot annis manendo, & ſimulatione profeſſionem ob-
tendo: quia eſt in foro externo tale quid præſtan-
dum poſſe, eamque coram Deo & in conſcientia
nullius fuit confecrata, nec ſimulata eſſet profeſſio
non fuiſſet tenus. Et intendens eam de nouo fa-
cere non poſſet. Doctores citati ſuprà Sanchez
22. num. 13. Couarruuias 4. decret. 2. peccat. 4. num. 2. & alios, vbi dicit eſſe communem Silue-
ſtrum V. Matrimonium 8. qu. 1. & alios.

Adde, Molinos Doctores expreſsè docere, eam
perſonam, quæ tres profeſſionum tam ſimplicium, & de numquam illam facturâ, ſuppoſito
facultas, poſſe ſtagere ſimendacium, & quia
contrahere, eamdem amplius quàm quinquennij
poſſe profeſſionem illam tranſlationis monaſterij
manendo. Ita tenuit Navarrus Conſuet. 4. de
Regulas. fol. 8 num. Sanctus lib. 7. de ſp. 77. num. 11.
vbi citat alios. Vide plura apud eoſdem ad hunc
rem pertinentia.

Rancfactio profeſſionis invalidæ.

*Quidam ſeſtus monſt Nouitiatus in Ordine fauſt. Be-
nedicti eſſet annum emiſit. Quam profeſſionem
fauſt nouitiatus non tranſcurrens annus, quia
fuit vita expunctus.*

*Quæritur, Vtrum ſua profeſſio dicat reuiſi 2 Capitula de
Regulis, vel ſuprà profeſſionem fuerit reuiſcere?*

23 VIdetur dicendum reuiſcentiam. Quia receptio illa fuit invalida, atque requiritur valida re-
ceptio, cum profeſſio ſit quidam contractus. Nec
cui dam annus manſit in ordine ad inhabilitatem
tam quidquam, vt conualeſcat, ſed requiritur
vitalque non continuatus.

Probabile eſt quod Religioſus non teneatur ad
profeſſionem.

Secundum Probatur, ſi à tempore, quo illa profeſſio facta eſt, annorum annos abſtine ingre-
ſus decretum Concilij Tridentini, quo irritatur
omnis profeſſio, quidam eam receptam inualidam
eſſe, valet profeſſio ſed profeſſionem illam fuiſſe
inualidam eſt certa quidem facta in Concilio Tri-
dentino, & regulis ſanctum. Patuit eſt, quia
quodlibet eſt decretum irritans, quo non ſubſiſtit
ante receptionem, manente quando ex contrario
genere inconuenientis requiritur.

Probabile quoque eſt Secundum. Si quoniam hoc decre-
tum fuiſſe receptum, vel ſi vetuſtus legit aetatem
temporum, quo non requirit receptionem, tunc
dicendum profeſſionem illam fuiſſe inualidam;
neque ſalus temporalitatis ex causa Dei & in cen-
tate potuiſſe validum effici absque vera reſtitu-
tione: vt conſtat ex communi ſententia Doc-
torum citatis. Regulis latis. Non *Romanus*, de
regulis latis ad 6.

Reſpondeo Tertio, Vtrum profeſſionem fuiſſe, & conſulendum, non teneantur eam recipere
vel admittere Praelati ad Capitula de reſtitu-
tione admittere, quia ad illam inualidam profeſſio-
nem eſt admittio: imo conſulendum non te-
nentur. Ita Nauarrus & Regulae Conſuet. 4.
Idem ſentiunt multi alij Doctores, & expreſsè Con-
ſtus 35. num. 3. eodem tit. Angelus 3. part. de
Voto, quæſt. vnica, art. 8. § 2. V. accipio, & San-
chez lib. 7. de Matrimonio. Probatur ex Concil.
Trid. Tridentinum ſeſſ. 25. cap. 15. de regul. vbi ſi-
militer, vt qui peccauit ſemel, vel alias de caſu,

inualidæ profeſſionis, non amittitur niſi reſtituens
quia quinquennium à tempore illius profeſſionis.
Vbi Concilium non ponit illam profeſſionem,
& ſe ſumit profeſſionem tacta intra illud quin-
quennium ſicham ab quinquennium admittunt. Idem
colligitur ex Capitulo *Significatum*, de regular.
& Capit. eodem tit. vbi ex canonicis ſe profeſ-
ſio inualida, non requirit Pontifex, nec ratifica-
tionem ipſius profeſſi, vel delationem habitus
profeſſionis, &c.

CASVS VI.

*Vtrum inualidæ profeſſæ ſit ab exitu defectum, vel ſuprà
non ſimplicium annum profeſſionem.*

Quæritur Primò, *An ex Capitulo vtrumque manifeſtare profeſſionem fuerit reuiſcere?*

Quæritur Secundò, *An annus profeſſionis ſuprà?*

Quæritur Tertiò, *An annus profeſſionis ſuprà?*

Dist. Professio inualida.

13 AD Primum: reſpondeo, Titulus ille non ſe-
mittit manifeſtare profeſſionem ſuæ inſtitu-
tum ſuffici vt illum ratificet, & confirmet tan-
quam profeſſio ſit ſuprà in regulari, dicet, dicent
Rotarii. Ad quod enim teneatur hæc manifeſtatio,
nil ad ſe ſed manifeſtandum eſt non ſuo tempore re-
uocandum de Praelati an Capitulo. Si non bonè
ſe geſſit, emendet vitam, & in poſterum vitam re-
ligioſe.

14 *Ad Secundum*: reſpondeo, Si ſit qui inualidè Non potest
profeſſus eſt ab exitu anni, vel ab non exitu ex- profeſſus ab
ſtitum annum probationis, cum cauſa ea in re ſimplicium
vacat, non poſſit exiſti, etiamſi non de in monaſ- annum
terium manſerit, modo tamen ſit bonæ diſpoſitio- profeſſionis.
ne & quale bonè accommodet. Imò vitam ad
certos iuſtitiam, & ſequitur, quia credatur infir-
mus absque ſua culpa.

Et tamen aliqua ſunt ſubiti, vt, quia depre-
hendatur eſſe mollitus, vel parum ſe conformare
regulæ &c. aere validum eſt, quia non poteſt ex-
ti extra quinquennium. Sicut enim Nouitius ma-
net, vel excedit annum ſuæ probationis, quia pro-
feſſionis, ita etiam monaſterium, vt poſſit illum
ſemper dimittere ex cauſa ſubiti. Poſt tamen quin-
quennium non videtur poſſe ſic; quia ita prae-
ſumit illum profeſſum.

Sunt quidam qui non ſentiunt eſſe Praelatos pro-
feſſionem fuiſſe inualidam, & cauſa ſubiti illum
dimittendi vel, quia tenuit congruè monaſterium,
vel quia emendet ſatisfaciendo profeſſionis, & illum dimittent. Et, ſubiti, poſſquam in Praelatus
illum profeſſum ſuperbiam & vellet illum dimit-
tere, ratificet quod ſit tenus profeſſionem, erit re-
ſtis. Pauciſſis enim non tuppies defectum con-
ſeruat Praelati, quia Praelatus ſe profeſſionis abdi-
cate opponit.

15 *Ad Tertium* reſpondeo, Inualidi profeſſi ſuæ-
quitur ſibi, non monaſterio: tam eſt capax domi- Acquirit.
ni, nec ſubſit monaſterio. Nec obſtat quòd illa ſit
defert monaſterio; quia ſi ſe ex errore iuris monaſterio
eam quia ſolus inhibuerit patet eum ex defectu
monaſterio, cum non debeantur. Poteſt tamen
monaſterium exigere compenſationem alterum-
torum.

CASVS VII.

Inualidè profeſſus quæ ſibi, quæ monaſterio acquirat.

Quidam Profeſſus inualidè, dum in Religione permanſit fungens munere Concionatoris: quo tempore multos libros comparauit, quoſdam donatione amicorum ſecularium, vel pecunijs abillis acceptis: quoſdam ex eleemoſynis ob pia exercitia, cum facultate Superiorum: alios ab ipſis Religioſis vel gratis, vel pro obſequijs in infirmitate præſtitis accepit: alios commutatione vel pretio à Religioſis emit: alios communi partitione poſt obitum aliquorum, à Prælatis Ordinis cum alijs Religioſis accepit: alios conſtitutus in officio Paſtoralis emit. Poſteà declaratum eſt profeſſionem fuiſſe inualidam, & ipſum eſſe liberum.

Quæritur, *An teneatur prædictos libros Ordini reſtituere?*

16 Si ab amicis dati libri, vel eorũ pecunijs empti.

RESpondeo, Quòd ad eos attinet, quos donatione amicorum accepit, vel pecunijs in hunc finem abijſdem donatis comparauit; poteſt hos retinere, nec tenetur Ordini reſtituere. Ratio eſt, quia mens amicorum fuit eos in ipſum conferre, & donare eo modo quo iuſtè id poterat fieri, & ipſe capax erat; nam ſolùm ipſius intuitu donabant. Ergo cùm ipſe vèrè & in re capax fuerit dominij, fuit tranſlatum dominium in illum, vel ſaltem ius capiendi dominij.

Nec obſtat, quòd ipſe non intenderit ſibi acquirere, ſed Ordini & Monaſterio, eò quòd putauit ſe profeſſum, ac proinde incapacem dominij: quia id prouenit ex errore inculpato, ac proinde non debet ei obeſſe. Omnis enim donatio & ceſsio iuris, cuius principalis ratio fundata eſt in errore, eſt irrita; quia debet eſſe omnino libera: talis autem non eſt libera. Accidit, quòd ſeruus ſeu mancipium etſi omne quod acquirit, domino ſuo acquirat; tamen ſi poſteà deprehendat ſe non fuiſſe ſeruum, ſed liberum, cenſetur ſibi acquiſiuiſſe, dominus tenetur ei reſtituere: ergo & hic ſimiliter. Confirmatur, Quia ſi feciſſet teſtamentum ante profeſsionem, & facta profeſsione amici inter ſe bona ipſius diſtribuiſſent ſecundùm teſtamenti diſpoſitionem; totum fuiſſet nullum, eò quòd profeſsio non ſubſtitiſſet.

17 Si eleëmoſynis comparati cum venia Superioris.

Idem dicendum de libris ex eleëmoſynis comparatis cum venia Superiorum. Niſi forte illæ eleëmoſynæ non fuerint datæ ad ipſius vſum priuatum, ſed ad vſum monaſterij ſeu communitatis: tunc enim etſi Superior conceſſit vt libros ex illa pecunia, vel eius parte emeret, nõ tamen intentio eius alia fuit, quàm vt illorum librorum vſum duntaxat haberet, & librorum dominium monaſterio maneret. Si tamen Superior conceſſit illi eam pecuniam, vt pro ſuo arbitratu illam expenderet in bonos vſus: quo modo in quibuſdam monaſterijs dicitur concedi tertia pars eleëmoſynarum per Concionatorem acquiſitarum: tunc poſſet illos libros retinere; quia pecunia illa eſt ei abſolutè conceſſa eo modo, quo eius eſt capax.

18 Si à Religioſis acceptæ

Quos autem iuſta commutatione, vel iuſto pretio à Religioſis emit, retinere etiam poteſt, ſi tamen illi poteſtatem alienandi in exteros habebant: Secùs verò ſi non poterant alienare niſi quo ad vſum, idque in ſuos confratres: vel ſi ex exiguo pretio comparauit, vt videri poſſit vſum ad vitam potiùs, quàm dominium comparaſſe.

Si in communi partitione.

Quos verò communi partitione poſt obitum aliquorum accepit, retinere non poteſt, quia in illam partitionem venire non potuit, cùm verè profeſſus non eſſet, & ſolùm per errorem in illam partitionem admiſſus ſit.

De ijs quos accepit à quodam benefactore gratis in vſum priuatum pro tempore vitæ, cùm onere vt poſteà cedant Conuentui; hos omnino Conuentui poſt mortem reſtituendos curare debet. Si ſolùm ad tempus vitæ ſuæ.

De cõparatis in Paſtoratu, hos retinere poteſt. Quia acquiſita ex beneficio, non acquiruntur monaſterio, ſed beneficio, vt ſæpè Nauarrus docet. Accedit, quòd cùm ipſe vere non fuerit Regularis, ſibi acquiſiuiſſe putandus ſit. 19 Si in Paſtoratu comparati.

Quod attinet ad tres vel quatuor libras Flandricas quas dictus Dominus Monaſterio ſuo ex Paſtoratu quotannis dependit, dum adhuc putaret ſe Religioſum eſſe, non debet quidquam repeti quia bona fide acceptum & expenſum, nec Monaſterium inde factum eſt locupletius.

CASVS VIII.

Profeſſio inualida defectu regulæ approbatæ.

Vtrùm qui in Ordine S. Benedicti profitetur tantummodò iuxta certas quoſdam S. Benedicti Regulas, & Statuta illis adiuncta, quorum aliqua tantùm à Summo Pontifice ſunt approbata, validè profiteatur?

20 Vide infrà Caſu 21.

SVppono formulam Profeſſionis qua nunc vtuntur, non contineri inter puncta Statutorum à Pontifice approbatorum: quo poſito.

Reſpondeo breuiter cum diſtinctione: Dupliciter enim poteſt fieri profeſſio inſtali monaſterio: Primò, Intendendo expreſsè vel implicitè vouere obedientiam ſecundùm Regulam ſancti Benedicti à Summo Pontifice ſic temperatam. Et hoc modo profeſſio eſt valida; quia fit in Religione approbata, & ſecundùm Regulam approbatam. Secundò, Eo modo vt affigat intentionem ſuam ad Regulam & Statuta quæ habet in manibus, nec intendat ſe ad aliud obligare. Et hoc modo profeſſio non videtur valida. Ratio eſt, quia etſi fiat in Religione approbata, nempe in Ordine ſancti Benedicti, tamen non fit ſecundùm Regulam approbatam. Illud enim corpus diſciplinæ quod manibus tenet, & ſecundùm, quod vouet, non eſt approbatum ab Eccleſia. Etſi enim ea quæ ſunt excerpta ex Regula Sancti Benedicti, ſint approbata in ipſa Regula, & Statuta illa etiam ex parte ſint approbata: tamen tota illa viuendi norma conflata ex parte illa Regularum, & ex Statutis, non eſt approbata tanquam Regula Religionis: præſertim cùm Statuta illa ſolùm ex parte ſint approbata. Pontifex enim ſolùm approbauit quædam ex Statutis illis excerpta, quæ ad moderationem Regulæ pertinent, nimirum vt ſeruent Regulam Sancti Benedicti cum illa moderatione, quam in Bulla ſua expreſſit. Ea planè videtur fuiſſe mens Pontificis, cuius ſignum eſt, quòd nullam mentionem faciat illius partis quæ ex Regula ſunt excerpta, neque aliorum Statutorum quæ in Bulla ſunt omiſſa. Imo ipſa omiſſio apertè indicat illum noluiſſe illa approbare. Vt profeſſio ſit valida, debet fieri ſecundùm Regulam approbatã à Papa.

Confirmantur hæc omnia: quia ſi quis colligat aliqua ex Regula S. Auguſtini, & alia aduat ex Regula S. Benedicti, vel Baſilij, vt ſic integram Regulam formet, talis Regula non cenſeretur approbata ab Eccleſia, etſi partes eius approbatæ ſint. Simile eſt in noſtro caſu. Regula cõſtata ex regulis approbatis non cenſetur approbata.

Quòd autem profeſsio, vt valida ſit, debeat fieri ſecundùm Regulam à Sede Apoſtolica approbatam, eſt communis ſententia doctorum, vt docet Nauarr. lib. 3. de Regularibus conſil. 8. nu. 22. *Emiſsio*, inquit, *trium ſubſtantialium votorum etiam hoc ſit, & ſæpiùs repetita alibi quam in manibus* 21 Nauarr.

Digitized by Google

nibus potentis aggregare Ordini per Sedem Apoſtolicam approbato, & ſecundùm Regulam à Sede Apoſtolica approbatam, non efficit quem Monachum vel Monachum, ſecundùm omnes. Idem num. 20. dicit, *Non omnem obedientiam voto firmatam facere Religioſum, ſed tantùm illam, quæ ſit alicui potenti recipere profeſſionem regularem ſeruandi Regulam aliquam alicuius Religionis approbatę* &c. Idem colligitur

Miranda. nu. 11.

Miranda in ſuo Manuali Prælatorum qu. 24. art. 5. *Concluſio eſt: Expreſſa profeſſio fieri non poteſt niſi in Religione per Sedem Apoſtolicam approbata, & ſecundùm aliquam certam & determinatam regulam. Hæc Concluſio eſt omnium Doctorum communis, & habetur expreſſè Cap. Vnico, De voto & voti redemptione.* Idem quæſt. 29. art. 1. hanc tradit definitionem Religioſi: *Religioſi ſunt qui in Religionibus emittunt tria eſſentialia vota in manu Superioris, aut alterius, eius nomine, potentis Religioni incorporare, ſecundùm aliquam certam & determinatam Regulam per Sedem Apoſtolicam approbatam pro Regula certæ Religionis, & non ſolùm pro bono viuendi modo: vt tradunt omnes communiter & vnanimiter Doctores,* &c. Hæc ille.

Definitio Religioſi.

Eman. Rodriguez.

Emanuel Rodrigues tomo 3. quæſt 21. art. 1. dicit, *Oblatos non eſſe Religioſos, quia non promittunt obedientiam monachalem ſecundùm regulam à Sede Apoſtolica approbatam, vt regulam Religionis.* Et infrà, *Benè dicit Innocentius ab omnibus receptus, quòd non ſit quis Religioſus per omnem obedientiam, ſed per monachalem tantùm, hoc eſt, per illam quæ ſit alicui potenti recipere profeſſionem regularem ſeruandi regulam aliquã alicuius Religionis approbatę à Sede Apoſtolica, quæ non ſunt niſi quatuor aut quinque, vt inter alios teſtatur D. Antonius.* Et infrà, *Non ſufficit quòd emittat tria vota eſſentialia in manibus eius Prælati, qui cum poteſt aggregare Religioni approbatæ à Sede Apoſtolica: cùm ſit neceſſarium quòd illa promittantur ſecundùm obedientiam regularem, & habitum regularem,* &c.

Ex quibus patet, communem Doctorum ſen-
22 tentiam eſſe, inter cætera, hæc duo requiri, vt profeſſio ſit valida: nimirum vt fiat in Religione approbata à Sede Apoſtolicâ, & ſecundùm Regulam approbatam pro Regula Religionis. Probant autem hoc ex Capitulo vnico De voto, & voti redemptione, in 6. vbi ad profeſſionem ſolemnem, quæ irritat matrimonium, & quâ fit quis verus Religioſus, requirit Pontifex vt fiat in aliqua Religione à Sede Apoſtolica approbata.

Approbatio Religionis formaliter conſiſtit in approbatione Regulæ.

Ex quibus verbis optimè colligitur debere fieri ſecundùm Regulã approbatam pro Regula Religionis: quia approbatio Religionis formaliter conſiſtit in approbatione Regulæ. Approbare enim Religionem, eſt approbare illam Regulam ſeu formam viuendi pro ſancta & ſecura regula vitæ religioſæ, cum poteſtate illam exequendi, & ſecundùm illam gubernandi, & alios aggregandi, &c.

Profitens ſecundùm Regulam non approbatam, non eſt Religioſus.

Vnde etiamſi Religio S. Benedicti ſit approbata, nempe quatenus conſtat regulâ S. Benedicti: ſi tamen Abbas in aliquo monaſterio relictâ illâ regulâ, formet aliam, & ſecundùm illam curet fieri profeſſionem: non cenſebitur illa profeſſio fieri propriè in Religione approbata, ſed ſolùm materialiter: quia forma illa, qua Religio conſtare debet, non eſt approbata. Vnde profeſſio illa, etiamſi videatur fieri in Religione approbata, & per eam intendat quis fieri Religioſus, & excipiatur à Prelato, tamen erit inualida, nec efficiet vere Religioſum.

Neque mirum aut durum videri debet, quòd dicamus profeſſionem talem eſſe inualidam, cùm multis modis inualida reddi ſoleat profeſſio: nempe, per metum etiam reuerentialem, ſaltem in foro conſcientię; per dolum, per defectum ætatis, vel anni probationis, etiamſi vel vnicus dies deſit; vt omittam alios multos modos inductos per Sixtum V. & poſteà reuocatos.

CASVS IX.

Profeſſio inualida ratione morbi.

In Ordine Capucinorum eſt quoddam ſtatutum, quo declaratur Religionem non obligari ad retinendum eum, qui infectus lepra, morbo gallico, vel caduco ingreſſus, & in anno Probationis interrogatus an aliquo tali morbo laboret, negauerit: ſi poſt profeſſionem id patefactum fuerit.

Quæritur, *Vtrùm eius profeſſio ſit irrita?*

REſpondeo, Ex vi illius ſtatuti irritam non eſſe. Primo, Quia hîc nulla eſt clauſula irritans; & aliàs illa deceptio non impedit, quin cenſeatur voluntariè admiſſus: quia non eſt circa ſubſtantiam, ſed circa qualitatem rei, vt patet in matrimonio. Secundò, Quia hoc ſtatutum non eſt factum niſi in fauorem Religionis, vt ipſa haberet libertatem dimittendi talem ex ſuo cetu, ne alios inficiat, vel ne grauis ſit, ſi viſum fuerit expediens; & aliàs poſſet retinere, ſi iudicaret ſibi conuenire. Vnde non reddit irritam profeſſionem, nec dicit illum non eſſe Religioſum, ſed ſupponens validè profeſſum, ſibi cauet ne forte illum teneatur cum graui ſuo incommodo retinere. Itaque ſi velit illum retinere, non obſtante illo malo, tenetur manere. Sicut ſi venderes mihi domum, & proteſtarer me nolle teneri emptione, ſi domus haberet tale vitium, detecto vitio non eſt irrita venditio: nec poteſt diſſolui ſi velim domum illam non obſtante vitio retinere; quia illa clauſula ſolùm in meum fauorem adiecta fuit emptioni.

23 Profeſſio illa non eſt irrita.

Inuita Religione non poteſt egredi.

CASVS X.

Profeſſio inualida ratione grauis metus iniuſtè incuſſi.

Catharina nouitia declarat ante profeſſionem, ſi profiteri compellatur, id ſe metu duntaxat, & non animo profitendi facturam. Profitetur. Declarat D. Officialis profeſſionem eſſe validam, adeoque in omnem ſecuritatem renouandam. Renouat Catharina. Ac poſteà iterum, auctoritate Superioris inducta, idipſum facit. Sed interea pergit declarare ſe inuitam iſthic detineri, & nullam votorum obligationem agnoſcere. Non tamen intra quinquennium ipſa inſtitit vt libera declararetur.

Quæritur Primò, *An valida fuerit profeſſio? An ſaltem vtraque illa renouatio non fuerit valida?*

Quæritur Secundò, *An iure agendi exciderit, eò quòd intra quinquennium non inſtiterit vt libera declararetur?*

Quæritur Tertiò, *An, ſi egeret iure reſtitutionis in integrum, poſſet illud Nuntius Apoſtolicus concedere?*

AD *Primum*: Reſpondeo Primò, Talem profeſſionem fuiſſe irritam, quia metu graui 24
per parentes extorta fuit: metus enim carceris, vinculorum, & flagellationis, eſt grauis, præſertim in puella; vt patet ex Cap. *Perlatum.* & Cap. *Abbas.* De ijs, quæ vi metuſue cauſa: citque cõmu-

Digitized by Google

municatis lex est recepta: tunc enim absolutè recepta censetur. Itaque matrimonia illorum erunt inualida in eo loco, siue hæreticus cum hæreticâ, siue cum Catholica contrahat, nisi formam à Concilio præscriptam seruent; quia illa forma ibi absolutè est recepta.

2 Vbi maior pars hæreticorum.

Ad Secundum: Idem sentio, etiamsi maior pars eorum qui sunt in illa parochia, sit hæreticorum, qui ex contemptu nolunt recipere. Quia nulla est ratio cur Ecclesia vtatur illa benignitate aduersus suos rebelles: nimirum vt nolit eos communi lege adstringi, si eam non receperint.

Soluuntur obiectiones quod ad essentiam legis requiratur receptio.

Neque verum est ad essentiam legis requiri receptionem: nullus enim Doctorum hanc conditionem facit essentiam: alioqui etiam lex diuina positiua non obligaret, nisi recepta. Vnde vlteriùs sequitur, legem non habere rationem mutui contractus, ad quem necesse est coire duas voluntates: sed est absolutum imperium, ad cuius vim non requiritur vllus consensus ex parte eius cui imponitur, nisi fortè aliquâdo ex benignitate imperantis. In *De quibus &*. De legibus, agitur de legibus populi Romani, apud quem erat summũ imperium. Addo, si rationes istæ essent validæ ad probandum intentum, sequeretur alia ratione leges ferri & imponi non posse; quod est contra communem sententiam Doctorum: & loquendo de legibus Ecclesiæ, puto esse erroneum.

3 Hæretici nunquam præscribunt cõtra leges Ecclesiæ.

Ad Tertium: An saltem tempore longissimo, vel immemoriali non possint hæretici præscribere immunitatem contra leges Ecclesiæ: Respondeo, Etsi fortè non improbabiliter id dici posset, ob quædam fundamenta, quæ breuitatis causâ omitto: Verius tamen mihi videtur non posse. Ratio

1 quia deest bona fides.

est duplex: Primò, Quia non censentur vnquam esse in bona fide seruando suam consuetudinem, quæ apertè consuetudini vniuersalis Ecclesiæ repugnat. At vt consuetudo vim legis accipiat, vel legem abroget, debet continuari per longum tempus bona fide. Etsi enim consuetudo non bona fide inceperit, successu tamen temporis debet censeri licita & legitima, ita vt illam seruando non peccent: alioqui erit corruptela & legis violatio, non consuetudo rationabilis; ac proinde vim legis non poterit tollere. Secundo, Quia consuetudo non potest tollere vim legis nisi ex tacito vel

2. quia deest consensus legislatoris.

expresso consensu Principis; quod maximè locum habet in legibus Ecclesiæ ob causam suprà insinuatam, quod iam non probo, sed suppono. Atqui non præsumitur Ecclesia consentire in illas consuetudines, aut eximere illos à communi lege, cùm sint rebelles Ecclesiæ, neque vllum hac in re fauorem aut benignitatem mereantur. Alioqui magnum ex sua contumacia commodum mererentur. Et sanè mirum esset hæreticos esse exemptos à ieiunijs, à carnium abstinentia, à cultu festorum, ab impedimentis matrimonij iure Ecclesiastico inductis, & similibus; eò quòd ipsi, Ecclesiæ auctoritate contempta, aliam consuetudinem seruant &c. Idem confirmat vsus Ecclesiæ; nam simulatque ad fidem redeunt, statim Ecclesiæ consuetudinibus obstringuntur, & matrimonia in gradibus prohibitis, vel cum alijs impedimentis ab Ecclesia constitutis inita, dissoluuntur.

CASVS II.

Consuetudo irritare potest matrimonium absque Parocho contractũ.

In quibusdam Galliæ locis, & alibi, consuetudine introductum est, vt matrimonium absque Parocho contractum censeatur irritum.

Quæritur, *An illa consuetudo vim habeat legis, & cuius legis?*

REspondeo, Consuetudo legitimè præscripta habet vim legis: ac proinde potest introducere impedimentũ dirimens, & id quod antè erat impedimentum dirimens, facere non dirimens. Vnde si in Gallia, vel alibi, fuit consuetudo introducta, etiam vbi Concilij Tridentini decretum non est peruulgatum, vt matrimonium absque Parocho contractum censeatur irritum, credo ex vi huius consuetudinis verè esse irritum. 4

Hæc consuetudo tacitè censetur approbata a Papa

Nec refert quòd huiusmodi consuetudo per constitutiones regias, seu occasione earum, introducta fuerit: quia etsi Princeps cùm Episcopis regni non possit introducere aliquod nouum impedimentum dirimens, eò quòd ea potestas ratione Sacramenti seruetur Summo Pontifici, vt passim Doctores tradunt; tamen consuetudo orta ratione talis constitutionis, si legitimè præscripta fuerit, potest hanc vim habere; non à potestate Principis vel Episcoporum, sed ex tacito consensu Papæ, qui eam tunc vult valere; vt colligitur ex Cap. finali de Consuet. Simili modo potest consuetudine fieri, vt professio ante annum 16. ætatis facta, sit valida, sicut erat ante Concilium Tridentinum; vt rectè docet Nauarrus in Consilijs. tit. de Regular. Consil. 28.

CASVS III.

Alia pro & contra Præscriptionem.

Titius putat se legitima præscriptione acquisiuisse bona Cai: Caius verò putat præscriptionem illam esse illegitimam.

Quæritur, *Quomodo vterque tueri se poterit?*

REspondeo, Etsi is qui putat se aliquid iustè præscriptione acquisiuisse, possit illud retinere, ac se tueri iure, donec per sententiam euincatur &c. tamen is, contra quem præscriptum est, si putat non legitimè factum, potest exigere solutionem pensionum cessarum; & si opus sit, petere à Principe restitutionem in integrum, causis allegatis. Ita enim auctoritate Principis fit translatio dominij per præscriptionem, vt ex causa possit eiusdem Principis auctoritate concedi restitutio in integrum. Et sic non datur bellum vtrimque iustum sepositâ ignorantiâ. Si enim agatur, Vtrùm sit legitimè facta præscriptio, necesse est alterum errare: Si autem petatur restitutio in integrum, hoc non repugnat intentioni quâ alter rem detinet, nec vult eam relinquere ante sententiam. 1

CASVS IV.

Præscriptio Capituli contra reditus pauperum.

Vtrùm consuetudo ducentorum annorum, vel aliàs immemorialis, impendendi duas tertias partes reddituum Mandati (qui supponuntur relicti ad opus eleemosynæ in vsum pauperum) in stipendia ministrorum, luminaria, & fabricam, eam vim habeat, vt potuerit illos reditus transferre in dominium Capituli, ita vt Capitulum possit in posterum hanc consuetudinem seruare; nec teneatur ad restitutionem ipsis pauperibus?

Suppono

6 Conſuetudo immemorialis, quæ.

SVppono hanc conſuetudinem eſſe immemorialem, vt Doctores loquuntur. Conſtat enim eam ſuperare centum annos, & de eius initio nullam extare memoriam: quod ſatis eſſe, vt conſuetudo immemorialis cenſeatur, docet Couarruuias Reg. poſſeſſor, p. 2. §. n. 7. & 8.

Eius efficacia.

Porrò conſuetudinis & poſſeſſionis immemorialis ea vis eſt, vt titulum non requirat, & præſumptionem bonæ fidei inducat, etiamſi iuris præſumptio ipſi facto obſiſtat, vt communiter docent Doctores, & colligitur apertè ex Cap. 1. de Præſcript. in 6.

Niſi ſubſit mala fides.

Hoc tamen intelligendum, niſi de mala fide conſtet: certitudo enim de contrario excludit præſumptionem contrarij. Vnde quando conſtat mala fide conſuetudinem vel poſſeſſionem continuatam, etiam per tempus immemoriale nulla naſcitur præſcriptio: Regula *Poſſeſſor malæ fidei*, de Reg. Iuris in 6.

Signa bonæ fidei in hoc caſu.

Itaque tota quæſtio huc reuocatur, Vtrùm ita conſtet de mala fide, vt elidatur præſumptio bonæ fidei, quam inducit immmemorialis conſuetudo vel poſſeſſio. Mihi ſanè non videtur vllo modo de mala fide hîc conſtare. Incredibile enim eſt Capitulum, in quo tot viri doctrina & pietate inſignes extitere per ducentos penè annos, in mala fide fuiſſe, & reditus illos contra ſuam conſcientiam, vel ſaltem conſcientiâ dubiâ in iſtos vſus impendiſſe. Sic enim omnes iniqui & ſcelerati fuiſſent: quod nullo modo eſt præſumendum. Deinde, ſi iniquè & mala fide iſti reditus ſic impendebantur, quomodo nemo vel è Capitulo, vel ex alijs Canonicorum Collegijs, de hac iniquitate vel Epiſcopum vel Summum Pontificem monuit? Cur Decani aliarum Eccleſiarum, quibus commiſſa erat cura & auctoritas exequendi Mandatum Apoſtolicum de non conuertendis illis redditibus in alios, quàm pauperum vſus, non ſe cõmouerunt, & oppoſuerunt tam apertæ iniquitati? Cur pauperum curatores qui in oppidis ſolent conſtitui, non ſunt conqueſti?

Vnde hæc bona fides hîc orta.

Hæc & alia huiuſmodi inſinuant aliquid ſubeſſe quod nos latet, ratione cuius iniqua non fuerit viſa talis vſurpatio: nimirum, vel conceſſionem aliquam Summi Pontificis ſaltem ad tempus, quæ poſteà fuerit vel vſu inculpata, vel priuilegio prorogata; vel bonam fidem Capituli, & aliorum exiſtimantium quamuis piam cauſam ſub nomine pauperum poſſe comprehendi; vel tenuitatẽ præbendarum quæ ad ſuſtentationem Canonicorum & cultus diuini non ſufficerent, & ita ipſos Canonicos potuiſſe inter pauperes cenſeri. Quibus omnibus perpenſis, non video ſufficiens fundamentum ad conſuetudinem tam antiquam iniuſtitiæ damnandam.

CASVS V.

Præſcriptio contra abſtinentiam à carnibus.

In aliquo Ordine ſolebant Religioſi ex primæua inſtitutione à carnibus abſtinere: ſed contraria conſuetudine eſus carnium ſenſim inductus eſt.

Quæritur Primò, *An bonâ conſcientiâ poſſint Religioſi illi pergere in vſu carnium?*

Quæritur Secundò, *An Religioſi teneantur admittere reformationem, qua Superior priorem vſum velit inducere?*

8

EXpenſis ijs, quæ hîc tum ex Bulla Sixti IV. tum ex Bulla Benedicti XII. notantur: & conſiderata conſuetudine in contrarium: Reſpondeo, Religioſos illius Ordinis in monaſterio, vbi neque talis Bulla, neque Regula de carnium abſtinentia ab hominum memoria fuit ſeruata, ſed contrarium vſu practicatum, non obligari ad carnium abſtinentiam, ſed poſſe abſque ſcrupulo carnibus veſci iuxta conſuetudinem receptam.

Conſuetudo hæc eſt legitimè præſcripta.

Ratio eſt, quia omnis lex poſitiua humana, etiamſi à Papa vel Concilio Oecumenico ſit lata, vel confirmata, poteſt aboleri, ita vt vim obligandi amplius non habeat per conſuetudinem rationabilem legitimè præſcriptam, vt paſſim tradunt Doctores, & colligitur ex conſtitutione Gregorij IX. Cap. finali, de Conſuetudine. De qua re videri poteſt Couarruuias lib. 3. Variarũ c. 13. n. 4. Vt verò conſuetudo ſit legitimè præſcripta, ſufficiunt anni 40. ex omnium DD. ſententia. Hic autem non ſolùm ſunt anni 40. quibus illa conſuetudo veſcendi carnibus in iſto monaſterio viguit. ſed multo plures, videlicet tempus memoriam hominum ſuperans, vt refertur in ſpecie facti.

Eſt etiam rationabilis.

Quòd etiam illa conſuetudo ſit rationabilis patet; quia Religioſum veſci carnibus nihil per ſe habet rationi repugnans, nec id vlli iuri diuino aut naturali aduerſatur. Itaque bonâ conſcientiâ poteſt illis Superior vſum carnium permittere, nõ obſtante Bulla prædicta; aut Regulæ præſcripto. Similiter etiam ipſe bonâ conſcientiâ poteſt carnibus veſci, iuxta Deceſſorum eius receptam conſuetudinem.

9 Subditi tenentur illam reformationem admittere.

Vtrùm verò Religioſi teneatur admittere eã reformationẽ qua Superior priorem vſum vellet inducère, alia quæſtio eſt. Valdè veriſimile eſt, teneri eam admittere, cùm ſit ſecundùm primæuam inſtitutionem, niſi à Sede Apoſtolica habeant indultum vt carne veſci poſſint. Hoc ipſo enim quo profitentur, & inſeruntur Religioni, tacitè cenſentur ſe obligare ad rationabilem reformationẽ acceptandam quæ Regulæ ſit conformis, ſi aliquando introducatur. Contrarium enim eſſet pernicioſum; quia impediretur via ad maiorem perfectionem, & ad rationabilem Regulæ inſtaurationem: qua de re multa dici poſſent.

NOTA ad præcm.

Verùm non facilè Superior talia tentare debet, ſed in omnibus conſiderare quid magis expediat ad Dei gloriam, & ſubditorum ſalutem. Sanè melius eſt vt benè contenti veſcantur moderatè carnibus, ſicut pleriſque locis Benedictini, & alij faciunt, quàm vt cum murmure & interna animi perturbatione veſcantur piſcibus aut oleribus. Eſca enim per ſe nos Deo non commendat: nec regnum Dei eſt in qualitate cibi, ſed in charitate, pace & gaudio in Spiritu ſancto.

CASVS VI.

Præſcriptio monaſterij contra pias ſuorum fundationes.

Abbas Pamphilus cùm luſtrat antiquas monaſterij ſui fundationes, inuenit quaſdam factas à Religioſis, alias ab Abbatibus, alias à Prioribus, quæ tamen iamdiu à 100. annis non ſint in vſu.

Quæritur, *An tanti temporis non vſus præſcripſerit ſeu extinxerit illas fundationes: adeò vt Abbas Pamphilus non teneatur eaſdem ad vſum priſtinum reuocare?*

10

REſpondeo, Si fundationes iſtæ Monachorum ab exordio ſui aſſiduè fuiſſent in vigore, durum videretur illas poſt tanti temporis continuationem ſubitò abolere eo nomine, quòd ex bonis monaſterij videantur fundatæ. Verùm quia iam à centum annis putantur fuiſſe omiſſæ, & in ſpecie abolitæ, ſuffectis in earum locum ijs quæ in reformatione Burſfeldenſi præſcribuntur, minor

est difficultas: quia tanti temporis continuatio ijs non suffragatur: quin imò centum annorum omissio contra eas pugnat. Quare non tenetur Prælatus eas reuocare in vsum, mutato Breuiario Bursfeldensi in Romanum, nisi constet illas ex bonis alienis, non ex ijs quæ erant monasterij factas esse.

11 Religiosi omnia acquirunt monasterio.

Et sanè quod attinet ad fundationes factas à Religiosis ex bonis conquisitis ab amicis, vel aliunde quàm ex beneficio: cùm illa ad monasterium statim ipso iure pertineant, non videtur ex illis potuisse fieri fundatio, ad quam monasterium ex iustitia obligaretur; quia per ea monasterium nihil accipit, nisi quod suum est: Nemo autem suis stipendijs militat se militiæ obstringens vinculo iustitiæ. Quòd autem se obligari putarit, est ex ignorantiâ: sicut & Religiosi tunc temporis ex ignorantia putabant se posse habere proprium. Quare tales fundationes facilè possunt omitti; præsertim à Successoribus, qui nihil promiserunt, neque etiam voto vel iuramento Antecessorum tenentur.

12 Abbas ex bonis sit i propriis potest obligare monasterium.

Idem dicendum de fundationibus factis ab Abbatibus[1], si ipsa dignitas Abbatialis non habet propria bona sibi assignata: quia tunc omnia sunt communia; & quidquid Abbas acquirit, non acquirit dignitati, sed communitati. Si verò dignitas illa haberet bona propria legitimè annexa, alia videretur ratio: quia ex illis bonis videtur Abbas posse facere fundationem in suo monasterio, sicut alibi: nec video cur monasterium non possit obligari si cum illo contrahat; quia accipit ab illo bona quæ ad monasteriũ non pertinebant. Idem videtur dicendum de bonis acquisitis ab amicis eo tempore quo fuit in dignitate: censetur enim acquisita dignitati.

Interdum factâ diuisione bonorum distinguntur bona Abbatiali dignitati vel mensæ assignata, à bonis monasterij. Verùm hoc non satis est vt illa dignitas dicatur habere bona propria, nisi hæc diuisio, & assignatio sit approbata à Sede Apostolica, si monasterium erat exemptum; vel certè ab Episcopo, si non erat exemptum. Quia dignitates cum certis fructibus (qui postea non possint à titulo diuelli) instituere, solius est Summi Pontificis, vel Episcopi.

Eodem modo dicendum erit de Prioratu. Si enim Prioratus habebat bona propria legitimè sibi annexa, vel si Prior eo tempore quo in dignitate fuit, bona ab amicis acquisiuit, quæ dignitati eius acquisita censeantur, potuit de ijs cum Monasterio transigere & fundationes instituere. Si verò non habebat bona propria, sed solùm communia, non potuit monasterium obligare: & omnis obligatio quæ intercessit, profecta videtur ex ignorantia, ac proinde nullius momenti; quia fuit error in substantia contractus.

His omnibus, alijsque, quæ narrantur in casu proposito, consideratis & perpensis, videtur mihi valdè probabile in hac reformatione non teneri D. Prælatum reuocare in vsum fundationes à Religiosis, vel Abbate illius monasterij in eodem monasterio institutas.

Verùm *Prior ex bonis sui Prioratus possit tales fundationes facere, adeò vt contra religiosam paupertatem non peccet, vide supra* V. Religiosa paupertas. Casu 8.

CASVS VII.

§. 1.

Titius nobilis pluribus annis vixit cum Martha, eâdem vtens vt vxore; quam & vxorem suam esse sapiùs coram Notario & testibus iurauit; sed nullius præsentis testimonio probare potuit se cum ea matrimonium contraxisse. Protractis verò ex ea prolibus, ipsa adhuc viuente, solemniter & in facie Ecclesiæ ducit Caiam nobilem, iuramento item addito tam suo, quàm Marthæ, se cum Martha nunquam legitimè contraxisse.

Præscriptio per tres sententias Iudiciales conformes pro legitimitate.

Quæritur, Vtrius filij habendi sint legitimi; Marthæ an Caiæ?

14 PErpensa specie facti, probationibus & præsumptionibus vtriusque partis, Iurisperitorum responsis, & Iudicum sententijs: tria mihi, saluo meliore iudicio, dicenda fuit.

Solemne matrimonium præfertur cuiuis præsumpto.

Primò, In foro externo matrimonium Titij cum Caia debere pronuntiari legitimum absolutè: quia contra solemnem contractum secundùm formam Iuris initum, nullæ valent præsumptiones, quantumuis sint multæ & magnæ. Vnde si viuerent istæ tres personæ, scilicet Titius, Caia, & Martha, etiam per sententiam excommunicationis cogendus esset Titius redire ad Caiam, quam solemniter duxit, eamque, vt vxorem legitimam, tractare; & separandus esset à Martha. Quod cõfirmat sententia Officialis Attrebatensis, quæ omnium prima, & legitimè lata fuit, & in rem iudicatam transijt.

15 Secundò, Etiamsi pro matrimonio Titij cum Martha sint plurimæ præsumptiones, & quædam valdè vehementes, quæ rem in se possunt reddere dubiam; non sunt tamen nisi præsumptiones & coniecturæ, non autem certæ & indubitatæ probationes. Vnde non sufficiunt vt post secundum matrimonium, Iudex possit iudicare illud matrimonium interuenisse, aut validè fuisse contractum, sed necessariò debet iudicare illud fuisse nullum. Ratio est, quia non potest iudicare vtrũque matrimonium fuisse validum; sed alterum validum, alterum nullum. Tenetur autem secundum pronuntiare validum propter solemnitatem contractus, vt dictum est. Ergo primum debet pronuntiari nullum.

16 Marthæ proles non possunt cẽseri legitime in foro externo.

Tertiò, Hinc rectè inferri videtur, proles ex Martha susceptas, non posse in foro externo pronuntiari legitimas. Vbi enim non potest præsumi legitimum matrimonium, saltem fide contrahentium, non præsumuntur filij legitimi. Legitimi enim dicuntur qui ex vero vel putatiuo matrimonio, bona fide partium inito, nascuntur. Atqui Iudex hîc non præsumit legitimum matrimoniũ; neque præsumit hîc aliquem matrimonij contractum bonâ fide intercessisse; sicut cùm subest occultum impedimentum dirimens; sed potiùs præsumit omnia simulatè acta ad libidinem explendam. Ergo non potest pronuntiare liberos legitimos. Hoc ipso enim quo pronuntiarentur filij legitimi, tacite pronuntiaretur de matrimonio, illud habendum esse pro legitimo, etiamsi fortè coram Deo tale non fuerit. Atqui hoc est contrarium alteri sententiæ, quâ iudicat secundum esse habendum pro legitimo. Non potest autem Iudex contraria vel aysitata pronuntiare præsumenda. Cùm enim expressè debeat pronuntiare secundum matrimonium fuisse & habendum esse legitimum; quomodo poterit implicitè & in effectu iudicare primum

quinam dicendi sint legitimi.

Iudex contraria edicere non potest.

primum habendum pro legitimo, aut primum verè aut bona fide fuiſſe contractum; ſed ob occultum impedimentum fuiſſe irritum, cùm nullius talis impedimenti fiat mentio?

Nec obſtat quòd Titius & Martha ſæpiùs iureiurando coram Notario & teſtibus depoſuerint ſe verè coniunctos fuiſſe: quia ſi his in foro externo eſſet credendum, non deberet nec poſſet Eccleſia matrimonium cum Caia validum pronuntiare, quod tamen tenetur facere, vt dictum eſt.

17 Quando-nam fauendum matrimonio.

Similiter non refert quòd cauſa legitimitatis & matrimonij ſit fauorabilis: hoc enim intelligendum eſt in dubio, & quando cauſa maioris momenti non obſtat. Hic autem cauſa maioris momenti interuenit, nimirum ſolemne matrimonium cum Caia, quod pronuntiandum eſt fuiſſe validum.

Marthæ proles non cenſentur in poſſeſſione legitimitatis.

Neque verum eſt liberos Marthæ eſſe in quaſi poſſeſſione legitimitatis, ac proinde onus probandi incumbere liberis Caiæ. Quia poſtquam conſtat per ſententiam de matrimonio legitimo Caiæ, præſumuntur omnia priora inualida, & ipſi præſumuntur illegitimi: vnde ipſis probatio incumbit. Cùm autem non habeant vllas probationes certas, ſed ſolas præſumptiones, quæ per contrarias præſumptiones, & maximè per iuramenta Titij & Marthæ prouia matrimonio inito cum Caia, & per ipſum ſolemnem matrimonij contractum, abundè eliduntur; non video qua ratione illis in foro externo magnopere prodeſſe poſſint ad ſententiam ſuæ legitimitatis obtinendam.

§. 2.

Titius Caia ſuperſtes inductus à prolibus Marthæ, & ab ipſdem coram Iudice Eccleſiaſtico citatus, declarauit eas ex legitimo connubio ſuo cum Martha ſuſceptas. Iudex non euocatis ad contradicendum Caia prolibus, pronunciauit legitimas Titij & Marthæ eſſe proles, quæ proinde paternam prætendunt hæreditatem. Proles Caiæ iurium ignaræ ab hac ſententia prouocant: quo facto videntur eam pro ſententia legitima agnoſcere: atque adeò tres ſententias conformes (duæ namque prætereà pro legitimitate prolium Titij & Marthę latæ fuerunt) contra ſe latas debere fateri.

Quæritur, *An triplex illa ſententia pro prolibus Marthæ tanquam legitimis lata, efficiat vt Iudex, ad quem vltimatò hæc lis defertur, debeat pronuntiare pro prolibus Marthæ, contra proles Caiæ?*

18 Ter victus in iudicio contradictorio non poteſt vlteriùs appellare.

Dico Primò, Regula illa Iuriſconſultorum, *Poſt tres ſententias conformes non poſſe vlteriùs appellari*, omnino intelligenda eſt de tribus ſentẽtijs, quibus appellans fuit ter victus in iudicio contradictorio. Nolunt enim iura, eum, qui ter totis viribus coram tribus Iudicibus pro ſuo iure contendit, & eorum ſententijs occubuit, ampliùs iure experiri, ſed ſententiam mandari executioni: *Tria enim*, vt veteres dicebant, *ſunt omnia*. Itaque Iudicium illud, in quo quis non potuit iure contendere, non poteſt illi nocere; neque ille in eo poteſt cenſeri ſuccubuiſſe. Nemo poteſt dici victus in certamine cui non potuit adeſſe, in quo vires ſuas non potuit depromere. Quid autem eſt aliud Iudicium, quàm certamen quoddam iurium? Peſſimi res eſſet exempli ſi huiuſmodi Iudicia parti nocerent. Facilè enim eſt Iudicibus obrepere, & rem colluſione peragere.

19 Dico Secundò, Prima ſententia in fauorem liberorum Marthæ lata à D. Officiali Mechlinienſi anno 1599. die 26. Aprilis omnino videtur fuiſſe irrita, vt benè probarunt clariſſimi Iuriſconſulti Duacenſes. Confirmatur hac ratione: Quia in ea perinde actum eſt ac ſi Titius cum filijs, quos ex Martha ſuſcepit, iuiſſent ad D. Officialem, & vnanimi conſenſu petijſſent ab eo declarari ipſi Titio cum Martha interceſſiſſe verum & ratum matrimonium, & ſe eſſe legitimas eorum proles. Atqui certum eſt talem declarationem fore omnino irritam quatenus in præiudicium aliorum poteſt cedere. Nec refert quòd modo iudiciario proceſſerint curando parentem citari, & per ſententiam ad hoc condemnari vt eos pro legitimis haberet &c. quia ita fuerat inter eos conuentum, vt ex actis conſtat. Vnde in re ipſa nihil fuit niſi mera colluſio & conuentio ad obtinendam huiuſmodi declarationem in præiudicium matrimonij initi cum Caia, & poſterorum ex ea deſcendentium. Illa enim ſimulata Iudicij forma non mutat ſubſtantiam facti. Ex quo patet nullum fuiſſe hîc Iudicium contradictorium, nullam ſententiam verè iudiciariam, cùm ſolùm vna fuerit pars, & altera pars cuius intereat, quæ ſe debebat opponere, non fuerit citata. Non enim poteſt dici cõtradictor in Iudicio, qui eſt colluſor & concors, & hoc agit vt in præiudicium tertij, pars, à qua ſe curat citari, ſententiam obtineat. Quòd autem hæredes Caiæ neceſſariò citari debuerint, optimè probatum eſt à clariſſimis Doctoribus Duacenſibus: quia cedebat res in maximum eorum præiudicium. Si enim matrimonium Titij cum Martha eſt verum & ratum; neceſſariò conſequens eſt matrimonium cum Caia fuiſſe irritum; & conſequenter proles non eſſe ex legitimo toro, vnde etiam carebunt ſucceſſione familiæ paternæ &c. Quid nobilibus poteſt eſſe grauius?

Non eſt iudicium cõtradictorium vbi vna pars colludit, & habens intereſſe non citatur.

Ex quibus patet Iudicem fuiſſe deceptum. Certum enim eſt, ſi ſciuiſſet rem in tantum aliorum præiudicium ceſſuram, non tam facilè ſententiam fuiſſe laturum, niſi priùs audita parte, vt officium Iudicis poſtulat. Similiter ſi ſciuiſſet ſententiam ante annos 28. à D. Officiali Attrebatenſi in legitimo Iudicio latam pro matrimonio Caiæ, nullo modo voluiſſet ferre ſententiam illi repugnantem, niſi re maturiùs examinata. Itaque hæc ſententia omnino nulla cenſenda, nec facit ad numerum vt poſſint dici tres ſententiæ.

Sententia hinc lata, eſt nulla.

Neque his obſtat, quòd hæredes Caiæ, appellando videantur eam pro ſententia iudicaria, quæ ipſis nocere poſſet, agnoſcere: Id enim ex ignorantia factum eſt: Si enim ſciuiſſent modum procedendi Iuris, non debuiſſent illam curare, ſed nouum iudicium ordiri nullâ illius habitâ ratione.

Appellatio ab ea facta non obeſt appellanti.

Nec refert quòd ea ignorantia fuerit Iuris, quæ in foro externo obeſt: quia hæc toleratur in minore, in ruſtico, & in muliere, & in milite, ita vt illis non obſit; vt docet Molina Iureconſult. lib. 2. de Primogenijs cap. 6. n. 69. vbi etiam docet cum hac ignorantia iſtos poſſe præſcribere. Non enim patitur æquitas, vt iſti, in quibus non præſumitur talium ſubtilitatum notitia, ob huiuſmodi errores ius ſuum amittant. Atqui appellans erat vir militaris, parùm gnarus rerum fori contentioſi.

20 Contra tres ſententias conformes poteſt dari reſtitutio in integrum.

Dico Tertiò, Etiamſi concederetur fuiſſe tres ſententias validè latas (quod tamen concedendum non eſt:) tamen non impediunt appellationem, quia non ſunt vniformes, vt oſtenſum eſt à Iureconſultis Duacenſibus. Et quamuis eſſent vniformes, ob magnum præiudicium poteſt dari contra illas reſtitutio ad integrum, vt ijdem re-

Digitized by Google

ctè probant; idque non solùm pro minoribus, sed etiam pro maioribus; vt ostendit ex multis Doctoribus Thomas Sancius lib. 7. de matrimonio disput. 37. n. 22. & lib. 10. disput. 9. n. 7.

21 Secundum matrimonium solemne præferendum priori clandestino.

Dico Quartò, Matrimonium secundum in facie Ecclesiæ contractum, præferendum est priori clandestino, etiamsi prius vno teste & famâ probatum esset; & secundum, duobus tantùm testibus probaretur. Ita Vincentius in Capitulum 2. de Clandest. desponsat. quem sequuntur Abbas, & alij doctores in dictum Cap. 2. Et Felinus in Cap. 1. *Vt lite non contestata*, n. 2. Quem sententiam esse communem dicit Soncinas consil. 129. & Aretinus consil. 13. in 3. dub. Vide Couarruuiam tom. 1. p. 2. de Impedimentis matrimonij n. 14. p. 173. vbi citat alios. Faber in suo Codice p. Decisiones Tholosanæ. Et tamen fama cum vno teste in alijs facit plenam probationem.

Hoc si verum est, quanto magis præferendum erit secundum matrimonium in facie Ecclesiæ contractum quod plurimis testibus probari potest, matrimonio clandestino priori, quod solâ famâ & quibusdam indicijs, nullo autem teste probari potest? Sanè fama & illa indicia non faciunt plenam probationem, sed solùm præsumptionem vehementem generant, quàm tamen iuramenta contraria, & contractus solemniter initus facilè elidunt.

22 Conclusio.

Hinc clarè videtur inferri, non posse proles Marthæ pronuntiari legitimas: quia sic matrimonium clandestinum ex solis præsumptionibus præferretur matrimonio solemni contracto in facie Ecclesiæ. Hoc ipso enim quo pronuntiantur proles illæ legitimæ, matrimonium prius pronuntiatur ratum: & consequenter secundum irritum. His addi possunt rationes in 1. §. deductæ. Ex quibus perspicuè concludi videtur partes Iudicis esse vt matrimonium secundum declaret fuisse legitimum & ratum, & proles ex eo susceptas legitimas.

PRIVILEGIVM.

CASVS I.

Priuilegiũ benedicendi vasa sacra & altaria.

Iulius II. concessit cuidam Abbati priuilegium benedicendi vasa Sacra. Et vt ex antiquis monumentis colligitur, videtur Abbas ille aliquando Altaria consecrasse.

Quæritur Primò, *Quid hîc intelligatur nomine* Benedictionis, *& nomine* Vasorum Sacrorum.

Quæritur Secundò, *Vtrùm moderni Abbas possit consecrare Altaria?*

23 *Ad Primum*: Resp. Primò, Nomine *Benedictionis* sæpè intelligitur etiã ea benedictio quæ fit cum vnctione chrismatis: quia hoc nomen est generale, & comprehendit etiam consecrationem; vt patet non solùm apud Doctores Siluestrum, Angelum, & alios, sed etiam ex Pontificali Romano. Et hoc modo non dubito quin etiam in hac Bulla Iulij II. vsurpetur.

Respondeo Secundò, Nomine *vasorum Sacrorum* in hoc priuilegio maximè Calices videntur intelligi; hi enim proprijssimè sic appellantur. Alia vasa Sacra non opus habent benedictione: quia nullum Ius requirit vt vel Monstrantia, vel Ciborium benedicatur, quamuis etiam aliqua benedictio illis adhiberi possit. Vnde non dubito quin hîc concedatur Abbati consecratio Calicum monasterio necessariorum. Neque hoc nouum videri debet; quia Zabarella in Clementinam; *Attendentes* de statu Regularium, alijque docent Abbatem vtentem insignibus Episcopalibus posse de consuetudine Calices consecrare: mirum ergo videri non debet si id fiat expresso priuilegio.

Ad Secundum: Neminem reperio qui Abbati cõcedat facultatem benedicendi seu consecrandi Altaria. Tamen dubium non est, quin Papa possit eam concedere. Sentio tamen Abbatem istum non posse in posterum vti hoc priuilegio consecrandi Altaria: quia per non vsum tanti temporis videtur illud amisisse, Episcopo contra Abbatem præscribente, quod intelligo, si occasio fuit eo priuilegio vtendi, & aliquoties non est vsus, aduocato ad hoc Episcopo. 24

Vtrùm *autem Abbas qui monasterii sui calices consecrare potest, possit etiam, accedente saltem Ordinariorum licentia, externorum calices consecrare, vide quæ dicta sunt supra* V. Consecratio. Casu 1.

CASVS II.

Priuilegij perditi recuperatio.

Vtrùm priuilegium alicuius monasterii Superioris negligentiâ amissum, possit solâ monasterii auctoritate resumi?

25

Respondeo, Priuilegium per cessionem, non vsum, vel reuocationem Superioris in aliquo monasterio amissum, non potest resumi ab eodem monasterio propria auctoritate, sed debet descendere à Superiore, nempe à Generali vel Prouinciali. Priuilegia enim Ordini conceduntur, sic tamen vt ad singulos debeant descendere secundùm Superiorum ordinationem. Et hoc modo potest priuilegium illud in aliquo loco amissum restitui. *Similem fere casum vide supra* V. Bona Ecclesiæ Casu 8.

CASVS III.

Communicatio Priuilegiorum.

Communicat Pontifex alicui Ordini priuilegia alijs Ordinibus concessa.

Quæritur, *An ea communicatio extendatur ad tempus præteritum & futurum?*

26

Respondeo, Communicatio illa, qua communicantur priuilegia alijs Ordinibus concessa, non est extendenda nisi ad concessa vsque ad illud tempus, non autem ad concedenda in posterum, nisi id exprimatur. Ratio est, quia quando Pontifices volunt ita extendi, id apertè exprimunt. Vnde quando id non exprimitur, censetur non fieri talis extensio. Esset enim contra proprietatem verborum. Verba priuilegiorum non plus operantur, quàm secundùm suam proprietatem significant.

Superior potest eligere Confessorem, à quo absoluatur à reseruatis.

Illud autem speciale priuilegium Clementis IV. puto extendi ad omnes casus siue ante siue post illam concessionem reseruatos: quia est Iuris communis vt Prælatus possit eligere Confessorem, qui ipsum absoluat ab omnibus casibus & censuris, à quibus ipse potest absoluere suos subditos: quia non debet esse peioris conditionis, quàm subditi.

PROFESSIO

PROFESSIO RELIGIOSA INVALIDA.

Professio ante expletam ætatem.

CASVS I.

Virgo quædam annorum tredecim anno Domini 1565. professionem Delphis in Hollandia fecit. Postea nupsit, & proles procreauit.

Quæritur, *An professio fuerit valida? An validum matrimonium?*

1 VIdetur professio fuisse valida. Quia eo tempore Delphis Concilium Tridentinum non erat promulgatum, vt refertur: primùm enim Louanij dicitur promulgatum anno 1567. ac proinde manebat ius antiquum, quod solùm 12. annos in puella expletos requirit.

Professio fuit inualida.

Respondeo. Multò probabilius esse, hanc professionem fuisse inualidam. Ratio est, quia decreto Concilij Trident. sess. 25. cap. 15. de Regularibus, professio facta ante annum sextum decimum ætatis expletum, redditur irrita his verbis: *Professio ante à facta, sit nulla, nullamque inducat obligationem ad alicuius Regulæ, vel Religionis, vel Ordinis obseruationē, aut ad alios quoscunque effectus.* Hoc autem decretum tum temporis vim habebat. Quia etsi fortè non esset illo anno promulgatum Delphis, tamen erat promulgatū Romæ; vt patet ex Bulla confirmationis Pij IV. Fuit enim Romæ confirmatum & promulgatum anno 1565. 7. Cal. Februar. Atqui probabilior, & ferè communis sententia tradit decreta Conciliorum, & Summorum Pontificum nō egere promulgatione in Prouincia, vt incipiant obligare, sed sufficere promulgationem solemni ritu factam Romæ: qua facta, vbique vim & robur habere. Quod etiam seruat stilus Curiæ Romanę. Vnde Summus Pontifex in Bulla Confirmationis non iubet illa amplius promulgari, sed *In virtute sanctę obedientiæ præcipit ea tanquam sufficienter promulgata vbique diligenter & inuiolabiliter tam in iudicio quàm extra iudicium obseruari.* Hinc sequitur hoc decretum anno 1565. Delphis vim & robur habuisse, & consequenter professionem fuisse inualidam.

Promulgatio Tridentini Romæ facta vbique obligat.

2 Matrimonium est validum.

Quòd si inualida professio fuit, non potuit esse impedimentum dirimens matrimonio secuto. Vnde sequitur illud matrimonium fuisse validum & legitimum; & proles legitimas, si nullum aliud impedimentum, v.g. cognationis, affinitatis, &c. interuenit.

Quamuis egressa sit monasterio, causâ coram Iudice non deductâ.

Nec obstat quòd fortè egressa sit causâ nō antè discussâ coram Ordinario, & Superiore, sicut iubet Concilium eadem sess. 25. c. 19. Quia etsi id non rectè factum sit, tamen non reddit matrimonium irritum: & credibile est ex simplicitate id factum. Vnde cùm causa nullitatis professionis sit satis manifesta, etiam re non discussa coram Iudice, ad æquum Iudicem pertinet rem adeò antiquam non mouere. Vel enim mouet eam ad instantiam partis, nempe agente Religione, vt persona restituatur monasterio; vel ex officio, vt consulatur saluti personæ. Atqui neutro modo videtur mouenda. Non primo, quia vt suppono, non est credibile monasterium vetulam post matrimonium & proles susceptas sibi velle restitui. Nec etiam secundo, quia meritò potest & debet præsumi esse in bono statu, cùm ad Religionem tatione talis professionis non obligetur, vt ostensum est. Nec refert quòd egressa sit causa non deducta coram Ordinario; quia etsi ea in re potuerit peccare, tamen peccatum illud est transitorium, & facilè per pœnitentiam deleri potuit. Deinde illud præceptum Concilij non pertinet ad ipsam, sed ad Ordinarium, qui tunc temporis erat; & solùm continet formam & ordinem iudiciarium, quem Iudex debet seruare.

3 Nō est hic opus interuentu Ordinarij.

Itaque nihil hîc video ad salutem personæ pertinens, ad quod Ordinarij partes requirantur. Vel enim agitur vt statum Religiosum repetat: & ad hunc, persona hæc non tenetur. Vel vt agat pœnitentiā de egressu facto absque sententia Ordinarij: & præsumitur hanc egisse si mala fide id fecit. Accedit, quòd vt Doctores tradunt, is qui se nouit inualidè professum, possit etiam post quinquennium egredi & fugere causâ non deductâ coram Ordinario & Superiore, quando certò putat se non audiendum. Itaque non debet egressio illius puellæ facta non seruato ordine Iuris adeò grauis videri, vt post 40. vel 50 annos ei ob illam difficultas moueatur. Videatur Nauarrus Comment. 4. de Regularibus sub finem. Denique in hanc sententiam Iudicem propendere æquum est, & nihil mouere ob fauorem matrimonij, & liberorum, ne illud videatur fuisse inualidum, & liberi illegitimi: quæ res in magnam illorum iniuriam posset redundare. Omitto, Ordinarij partes esse in rebus manifestis, vbi manifesta est obligatio, nec probabilis suppetit excusatio, sequi illud Prouerbiorum 24. vers. 15. *Ne quæras impietatem in domo iusti, & ne vastes requiem eius.*

CASVS II.

Professio ante expletam ætatem.

Titius ante annum ætatis decimum sextum expletum edidit professionem in approbata Religione: post quinquennium id ei priùs per matrem innotescit. Dimisso habitu fugit è monasterio vt causam suam agat.

Quæritur Primò, *An tanto tempore, bona fide in Religione permanendo, non sit factus verus Religiosus?*

4 Professio ante 16. ætatis annum est, ipso facto inualida

Ad Primum: Respondeo Primò, Notissimi Iuris est, Professionem ante XVI. annum ætatis expletum factam, irritam esse post Concilium Tridentinum, quod sess. 25. c. 15. de Regularibus, sic habet: *In quacumque Religione, tam virorum, quàm mulierum professio non fiat ante decimumsextum annum expletum: nec qui minore tempore, quàm per annum, post susceptum habitum in probatione steterit, ad professionem admittatur. Professio autem ante à facta, sit nulla, nullamque inducat obligationem ad alicuius Regulæ vel Ordinis obseruationem, aut ad alios quoscunque effectus.*

Nec tractu temporis conualescit.

Respondeo Secundò Si talis professio ab initio est nulla, vt ait Concilium, etiam nulla est nullamque inducit obligationem, quamuis per multos annos cū ea in Religione Titius permanserit. Quia *quod ab initio inualidum est, tractu temporis non conualescit*: vt habetur Cap. *Non firmatur.* de Regulis Iuris in 6.

Nec obstat, quòd Concilium Tridentinum c. 19. eiusdem sessionis dicat, Neminem Regularem qui prętendat se per vim vel metū ingressum, aut ante ætatem debitam professum, esse audiendum, nisi intra quinquennium tantùm à die professionis. Quia, non id dicit Concilium, quasi tractu longiore temporis obligetur, aut incipiat esse religiosus: sed quia præsumitur fraus, quando tam diu tacuit: & quia alioquin eiusmodi defer-

tores Ordinum, & reclamationes eſſent nimis crebræ, cum offenſione magna ſecularium, & moleſtiâ Prælatorum.

3 Iuſtæ cauſæ non reclamandi ante quinquennium.

Sæpè tamen poteſt eſſe iuſta ratio non reclamandi ante quinquennium, & reclamandi poſt. Primò, Si metu iis compulſus ad profeſſionem, & metus adhuc duret, Colligitur apertè ex Cap. *Prolatum*. De his quæ vi.

Secundò, Si nullam habuiſti opportunitatem, eò quòd non ppſſes conuenire Ordinarium, & Superiori non auderes te aperire, metuens carcerem, vel aliam afflictionẽ. Vnde Nauarrus Comment. 4. de Regul. nu. 76. inter cetera ſic ſcribit: *Secundò infertur, quòd ſi metus vel impotentia reclamandi, plus quàm quinquennio duraverit, poterit poſt illud, ipſo Iure, vel reſtitutione audiri.* Et infrà, dicit Romæ aliquot Religioſos, qui impedimenta reclamandi probare poterant, fuiſſe auditos, etiamſi ante decem annos profeſſi eſſent.

Tertiò, Si vltrà quinquennium laborauit ignorantia impedimenti. Si enim metus durans vltra quinquennium, eſt ſufficiens cauſa vt poſſis reclamare poſt quinquennium, & Iure debeas audiri, vt Ius & ratio conuincit: cur non etiam ignorantia impedimenti? Hæc enim ignorantia non minùs reddit hominem impotentem ad reclamandum, quàm metus: nemo enim poteſt facere quod ignorat. Itaque ſi impotentia reclamandi durans toto illo quinquennio, eſt iuſta cauſa, cur inualidè profeſſus ſit admittendus ad reclamandum poſt quinquennium; etiam ignorantia impedimenti toto eo tempore durans, ſufficiens cenſeri debet, cùm hominem omnino impotentem ad reclamandum reddat.

6 Per fugam hic non eſt redditus incapax vt cauſam pro ſe alleget.

Ad Secundum: Reſpondeo, Etſi Concilium Tridentinum dicat eum qui antè habitum ſponte dimiſerit, non eſſe admittendum ad allegandum quamcunque cauſam: nihilominùs tamen hunc dimiſſo habitu fugitiuum ad allegandam cauſam admitti debere.

Primò, Quia non cenſetur ſponte dimiſiſſe, qui ob iuſtas cauſas ad tempus depoſuit; vt ſunt pericula itinerum per loca bellis hæreticorum infeſta, vt eſt Campinia Brabantiæ.

Secundò, Quia Concilium apertè loquitur ſolùm de eo, qui abſq; animo reſumendi dimiſerit. Talis enim tantùm cenſetur apoſtata, & incurrit excommunicationem.

Tertiò, Quia Concilium id ſtatuit in pœnam, quam non meretur qui bona fide proceſſit.

Quartò, Quia ea quæ Concilium eo loco ſtatuit, putat Nauar. Com. 4. de Reg. 77. non obligare tali modo profeſſum in foro conſcientiæ, ſaltem ad mortale. Adſcribam verba eius, quia audio hæc à Iudicibus deſiderari. Propoſitis ijs quæ ibi ſtatuit Concilium, ſic ait: *Super quibus multa dici poſſent: Primò quidem ea non ligare in foro conſcientiæ, ſaltem ad peccatum mortale. Puto enim licere, ceſſante ſcandalo & præiudicio alius coram Deo, ei qui ſcit, vel iuſtè credit ſuam profeſſionem coram eius diuina Maieſtate non valere, ante reclamationem dimittere habitum, & fugere de carcere, & non deducere cauſas nullitatis coram Ordinario & Superiore, & non redire ad monaſterium, & non teneri ad pœnam apoſtaſiæ. Secundò, Quòd etiam quo ad forum externum limitanda ſunt non procedere in eo, qui inſtam cauſam eam omittendi haberet, vt qui non poſſet habere licentiam eundi ad reclamandum, nec ire niſi dimiſſo habitu, vel non permitteretur cauſas vllas proponere coram Prælato vel Ordinario, quales vidimus aliquot in Vrbe qui reſumpto ea habitu, benignè ſunt auditi. Quarum enim ex æquo & bono ea intelligo, vt ſignificet neminẽ quidem non portantem habitum Religionis cùm audiendus eſt, audiri debere; ſed eum qui temerè dimiſit, eo reſumpto audiri poſſe. Iniquum enim & inhumanũ videtur negare perpetuò audientiam ei, qui iuſtam cauſã habet reclamandi, ea ſolo quòd ad id faciendum dimiſſet etiam temerè habitum; cùm id eſſet cogere liberum hominem per totam vitam ſeruire Religioni, cui nullatenus obligatur: contra leges vetantes liberi hominis venditionem & obligationem perpetuam ad manendũ alicubi, vel ſubeundum onus nimis onerans libertatem, & rationem naturalem, quâ illæ nituntur.* L. *Titio*. §. *Titio centumæ* de Condit. demonſtrat. Hęc Nauar. Ex quibus verbis tota hæc quęſtio facilè ſoluitur.

Nauarrus dicit talem fugitiuum non peccare mortaliter.

Aliquæ audiendum in in foro externo.

Ad probandum ætatem defuiſſe. Si libri baptiſmales non extant, ſufficiunt duo teſtes; quia non plures etiam in criminalibus requiruntur. Nec Mater excludi poteſt: quia nemo melius poteſt ſcire ætatem filij. Quia tamen ſuſpecta eſſe poſſet, poſſet exigi iuramentum, quo præſtito, purgat ſuſpicionem.

Mater teſtari poteſt de filij ætate.

CASVS III.

Profeſſio ante expletam probationem. Seu, Tridui dimiſſio à Nouitiatu.

Religioſus tempore ſui Nouitiatus fuit per triduum à Religione dimiſſus: & poſt triduum iterum acceptatus. Fecit poſtea profeſſionem lapſo anno, non tamen triduo illo, per aliud triduum, ſupplet o. Deinde pluſquam quinquennio vt Religioſus cum cæteris vixit.

Quæritur, *Vtrùm eius Prælatus poſſit huius rei cognitionem ſumere, & profeſſionem inualidam declarare?*

8 Reſpondeo Primò, Religioſi iſtius profeſſionem non poſſe declarari inualidam à ſolo Prælato, ſed adiungi debere Ordinarium, & cauſam diligenter antè cognoſcendam: quia res eſt maximi momenti. Ita Concilium Tridentinum ſeſſ. 25. de regul. cap. 19.

Reſpondeo Secundò, Iſtum Religioſum etiamſi fortè ipſius profeſſio fuiſſet inualida, tamen Iure præſumi profeſſum per manſionem quinquennii, ita vt nulla admittatur probatio in contrarium, niſi reſtituatur in integrum. Cùm ergo præſumatur ratificaſſe per lapſum tanti temporis ſuã profeſſionem, non video quâ ratione poſſit in foro externo declarari irrita; præſertim cùm probationes in contrarium non poſſint à Iudice ordinario admitti.

9 Reſpondeo Tertio, Valdè probabile eſſe tridui admiſſionem non impedire continuationem neceſſariam Nouitiatus, ita vt ab initio ſit repetendus: maximè cùm hæc dimiſsio fuerit incompleta, ipſo manente illo triduo in monaſterio, & curante ſe rurſus tonderi.

Appellatio in caſu ad Nuntium.

Reſpondeo Quartò, Si Ordinarius cum Prælato declararet profeſsionẽ fuiſſe inualidam, poſſet Religioſus appellare ab hac ſententia, & audiretur ab Illuſtriſsimo Nuntio, cum periculo famæ Prælati & Ordinarii. Quare non iudico id facilè tentandum.

CASVS IV.

Profeſſio ante expletam probationem.

Quædam ante exactum annum probationis profeſſa eſt. Poſt decem annos fugit, nupſit, aliquot proles procreauit.

Quæritur, *Vtrùm matrimonium fuerit validum?*

10 Reſpondeo, Illud matrimonium non eſſe inualidum ratione profeſſionis, niſi ipſam profeſſionem intenderit poſteà ratificare, Ratio eſt, quia profeſſio iſta inualida fuit, vt conſtat ex Cõcilio

cilio Tridentino ſeſſ. 25. c. 15. de Regul. Itaque quantumuis multis annis poſteà manſerit in monaſterio, non eſt effecta religioſa: *Quod enim ab initio non ſubſiſtit, morâ temporis non conualeſcit.* Regula *Non firmatur.* de reg. Iuris in 6.

Neque dici poteſt quòd eam ratificauerit tot annis manendo, & functiones profeſſarum obeundo: quia etſi in foro externo tale quid præſumi poſſit, tamen coram Deo & in conſcientiâ nulla fuit ratificatio, niſi ſciuerit ſuam profeſſionem fuiſſe irritam, & intenderit eam de nouo firmare; vt paſſim Doctores tradunt: Nauarrus cap. 22. num. 33. Couarruuias 4. decret. 2. parte cap. 4. initio, num. 5. vbi dicit eſſe communem: Silueſter V. Matrimonium 8. qu. 2. & alij.

Adde, Multos Doctores expreſsè docere, eam perſonam, quæ ſcit profeſſionem ſuam fuiſſe irritam, & ſe nunquam illam ratificaſſe, ſepoſito ſcandalo, poſſe fugere è monaſterio, & nuptias contrahere, etiamſi ampliùs quàm quinquenniũ poſt profeſſionem illam inuulidam, in monaſterio manſiſſet. Ita tradit Nauarrus Comment. 4. de regular. ſub finem. Sancius lib. 7. diſp. 37. nu. 11. vbi citat alios. Vide plura apud eundem ad hanc rem pertinentia.

CASVS V.

Ratificatio profeſſionis inualidæ.

Quidam ſexto menſe Nouitiatus in Ordine ſancti Benedicti profeſſionem emiſit. Quam profeſſionem fuiſſe inualidam primùm trigeſimo anno à profeſſione illa cognouit.

Quæritur, *Vtrùm rurſus debeat recipi à Capitulo & Prælato, vt poſſit profeſſionem ſuam ratificare?*

11 Videtur debere recipi iterum. Quia receptio illa fuit inualida: atqui requiritur valida receptio, cùm profeſſio ſit quidam contractus. Sicut cùm matrimonium eſt irritum ob inhabilitatem contrahentium, vt conualeſcat, requiritur vtriuſque nouus conſenſus.

Reſpondeo Primò, Si eo tempore, quo illa profeſſio facta eſt, nimirum annos abhinc triginta, decretum Concilij Tridentini, quo irritatur talis profeſſio, nondum erat receptum in illis locis, valdè probabile eſt profeſſionem illam fuiſſe validam: vt rectè quodam loco in Concilijs docet Nauarrus tit. de regularibus. Ratio eſt, quia probabile eſt decreta irritantia vim non habere ante receptionem, maximè quando ex contrario grauia incommoda ſequerentur.

Probabile eſt profeſſionem hãc fuiſſe validam.

Reſpondeo Secundò, Si ponamus hoc decretum fuiſſe receptum, vel ſi velimus ſequi alteram ſententiam, quæ non requirit receptionem, tunc dicendum profeſſionem illam fuiſſe inualidam; neque ſolo temporis tractu coram Deo & in veritate potuiſſe validam effici abſque vera ratificatione: vt conſtat tum ex communi ſententia Doctorum, tum ex Regulis Iuris, *Non firmatur*, de regulis Iuris in 6.

Probabile quoque eſt fuiſſe inualidam.

12 Reſpondeo Tertiò, Vt talis profeſſio ratificetur & conualeſcat, non requiritur noua receptio vel admiſſio Prælati aut Capituli; ſed ſufficit prima admiſſio, qua ad illam inualidam profeſſionem eſt admiſſus: modò conſenſum non reuocauerit. Ita Nauarrus de Regular. Conſil. 46. Idem inſinuat multis alijs locis, & expreſsè Conſilio 35. num. 3. eodem tit. Angles 2. parte de Voto, quæſt. vnica, art. 1. Sà V. religio, & Sanchez lib. 7. de Matrimonio. Probatur ex Concilio Tridentino ſeſſ. 25. cap. 15. de regul. vbi ſtatuit, vt qui prætendit ſe metu, vel alia de cauſa, inualidè profeſſum, non audiatur niſi reclamarit ante quinquennium à tempore illius profeſſionis. Vbi Concilium ſupponit illum tacitè profeſſum, & præſumit profeſſionem tacitã intra illud quinquennium factam abſque noua admiſſione. Idem colligitur ex Capitulo *Significatum*, de regular. & Cap. 1. eodem in 6. vbi vt conualeſcat profeſſio inualida, non requirit Pontifex niſi ratificationem ipſius profeſsi, vel delationem habitus profeſſorum, &c.

CASVS VI.

Dimiſſi inualidè profeſſi.

Titius inualidè profeſſus eſt ob ætatis defectum, vel ob non impletum annum probationis.

Quæritur Primò, *An ipſe teneatur manifeſtare profeſſionis ſuæ nullitatem?*

Quæritur Secundò, *An inuitus poſſit eijci?*

Quæritur Tertiò, *An ſibi, an monaſterio acquirat?*

Ad Primum: reſpondeo, Titius iſte non tenetur manifeſtare profeſſionis ſuæ nullitatem: ſufficit vt illam ratificet, & continuet tanquam profeſſus. Et ſi in culpa fuit, doleat, & confiteatur. Ad quid enim ſeruiret hæc manifeſtatio, niſi ad ſe infamandum? cùm non requiratur nouus conſenſus Prælati aut Capituli. Si non benè ſe geſſit, emendet vitam, & in poſterum viuat religioſè. 13

Ad Secundum: reſpondeo, Si is qui inualidè profeſſus eſt ob ætatis defectum, vel ob non completum annum probationis, omni culpa ea in re vacat, non poteſt eijci, etiamſi non diu in monaſterio manſerit, modò tamen ſit benè idoneus, & ſe regulæ benè accommodet. Imò videtur eſſe contra iuſtitiam, ſi eijciatur; quia redditur infamis abſque ſua culpa. 14 Non poteſt eici ſi ob graues rationes.

Si tamen aliqua ratio ſubſit, vt, quia deprehenſus eſt eſſe moleſtus, vel parùm ſe conformare regulæ &c. ante validam profeſsionem poteſt eijci intra quinquennium. Sicut enim Nouitius manet liber ad recedendum vſque ad punctum profeſsionis, ita etiam monaſterium, vt poſsit illum ſemper dimittere ſi cauſa ſubſit. Poſt tamen quinquennium non videtur poſſe eijci; quia Ius præſumit illum profeſſum.

Si ante quinquennium innoteſcat Prælato profeſsionem fuiſſe inualidam, & cauſa ſubſit illum dimittendi; vt, quia minùs congruit monaſterio, poteſt impedire ratificationem profeſsionis, & illum dimittere. Et, ſi ille, poſtquam ſe Prælatus illi oppoſuit, & ſignificauit ſe velle illum dimittere, ratificet apud ſe ſuam profeſsionem, erit irrita: Pontifex enim non ſupplet defectum conſenſus Prælati, quia Prælatus ſe profeſsioni abſolutè opponit.

Ad Tertium: reſpondeo, Inualidè profeſſus acquirit ſibi, non monaſterio; cùm ſit capax dominij, nec ſubſit monaſterio. Nec obſtat quòd illa deferat monaſterio; quia id fit ex errore: ſicut cùm quis ſoluit indebitum: putat enim ea deberi monaſterio, cùm non debeantur. Poteſt tamen monaſterium exigere compenſationem alimentorum. 15 Acquirit ſibi, non monaſterio

nibus potentis aggregare Ordini per Sedem Apoſtolicam approbato, & ſecundùm Regulam à Sede Apoſtolica approbatam, non efficit quem Monachum vel Monachum, ſecundùm omnes. Idem num. 20. dicit, *Non omnem obedientiam voto firmatam facere Religioſum, ſed tantùm illam, quæ ſit alicui potenti recipere profeſſionem regularem ſeruandi Regulam aliquam alicuius Religionis approbatæ* &c. Idem colligitur

Miranda. nu. 11.

Miranda in ſuo Manuali Prælatorum qu. 24. art. 5. *Concluſio eſt: Expreſſa profeſſio fieri non poteſt niſi in Religione per Sedem Apoſtolicam approbata, & ſecundùm aliquam certam & determinatam regulam. Hæc Concluſio eſt omnium Doctorum communis, & habetur expreſſè Cap. Vnico, De voto & voti redemptione.* Idem quæſt. 29. art. 1. hanc tradit definitionem Religioſi: *Religioſi ſunt qui in Religionibus emittunt tria eſſentialia vota in manu Superioris, aut alterius, eius nomine, potentis Religionis incorporare, ſecundùm aliquam certam & determinatam Regulam per Sedem Apoſtolicam approbatam pro Regula certæ Religionis, & non ſolùm pro bono viuendi modo: vt tradunt omnes communiter & vnanimiter Doctores,* &c. Hæc ille.

Definitio Religioſi.

Eman. Rodrigues.

Emanuel Rodrigues tomo 3. quæſt 21. art. 1. dicit, *Oblatos non eſſe Religioſos, quia non promittunt obedientiam monachalem ſecundùm regulam à Sede Apoſtolica approbatam, vt regulam Religionis.* Et infrà, *Benè dicit Innocentius ab omnibus receptus, quòd non ſit quis Religioſus per omnem obedientiam, ſed per monachalem tantùm, hoc eſt, per illam quæ ſit alicui potenti recipere profeſſionem regularem ſeruandi regulam aliquã alicuius Religionis approbatæ à Sede Apoſtolica, quæ non ſunt niſi quatuor aut quinque, vt inter alios teſtatur D. Antonius.* Et infrà, *Non ſufficit quòd emittat tria vota eſſentialia in manibus eius Prælati, qui cum poteſt aggregare Religioni approbatæ à Sede Apoſtolica: cùm ſit neceſſarium quòd illa promittantur ſecundùm obedientiam regularem, & habitum regularem,* &c.

Ex quibus patet, communem Doctorum ſententiam eſſe, inter cætera, hæc duo requiri, vt profeſſio ſit valida: nimirum vt fiat in Religione approbata à Sede Apoſtolicâ, & ſecundùm Regulam approbatam pro Regula Religionis. Probant autem hoc ex Capitulo vnico De voto, & voti redemptione, in 6. vbi ad profeſſionem ſolemnem, quæ irritat matrimonium, & quâ fit quis verus Religioſus, requirit Pontifex vt fiat in aliqua Religione à Sede Apoſtolica approbata.

22

Approbatio Religionis formaliter conſiſtit in approbatione Regulæ.

Ex quibus verbis optimè colligitur debere fieri ſecundùm Regulã approbatam pro Regula Religionis: quia approbatio Religionis formaliter conſiſtit in approbatione Regulæ. Approbare enim Religionem, eſt approbare illam Regulam ſeu formam viuendi pro ſancta & ſecura regula vitæ religioſæ, cum poteſtate illam exequendi, & ſecundùm illam gubernandi, & alios aggregandi, &c.

Profitens ſecundùm Regulam non approbatam, non eſt Religioſus.

Vnde etiamſi Religio S. Benedicti ſit approbata, nempe quatenus conſtat regulâ S. Benedicti: ſi tamen Abbas in aliquo monaſterio relictâ illâ regulâ, formet aliam, & ſecundùm illam curet fieri profeſſionem: non cenſebitur illa profeſſio fieri propriè in Religione approbata, ſed ſolùm materialiter: quia forma illa, qua Religio conſtare debet, non eſt approbata. Vnde profeſſio illa, etiamſi videatur fieri in Religione approbata, & per eam intendat quis fieri Religioſus, & excipiatur à Prelato, tamen erit inualida, nec efficiet vere Religioſum.

Neque mirum aut durum videri debet, quòd dicamus profeſſionem talem eſſe inualidam, cùm multis modis inualida reddi ſoleat profeſſio: nempe, per metum etiam reuerentialem, ſaltem in foro conſcientiæ; per dolum, per defectum ætatis, vel anni probationis, etiamſi vel vnicus dies deſit; vt omittam alios multos modos inductos per Sixtum V. & poſteà reuocatos.

CASVS IX.

Profeſſio inualida ratione morbi.

In Ordine Capucinorum eſt quoddam ſtatutum, quo declaratur Religionem non obligari ad retinendum eum, qui infectus lepra, morbo gallico, vel caduco ingreſſus, & in anno Probationis interrogatus an aliquo tali morbo laboret, negauerit: ſi poſt profeſſionem id patefactum fuerit.

Quæritur, *Vtrùm eius profeſſio ſit irrita?*

23 Profeſſio illa non eſt irrita.

Reſpondeo, Ex vi illius ſtatuti irritam non eſſe. Primo, Quia hîc nulla eſt clauſula irritans; & aliàs illa deceptio non impedit, quin cenſeatur voluntariè admiſſus: quia non eſt circa ſubſtantiam, ſed circa qualitatem rei, vt patet in matrimonio. Secundò, Quia hoc ſtatutum non eſt factum niſi in fauorem Religionis, vt ipſa haberet libertatem dimittendi talem ex ſuo cetu, ne alios inficiat, vel ne grauis ſit, ſi viſum fuerit expediens; & aliàs poſſet retinere, ſi iudicaret ſibi conuenire. Vnde non reddit irritam profeſſionem, nec dicit illum non eſſe Religioſum, ſed ſupponens validè profeſſum, ſibi cauet ne forte illum teneatur cum graui ſuo incommodo retinere. Itaque ſi velit illum retinere, non obſtante illo malo, tenetur manere. Sicut ſi venderes mihi domum, & proteſtarer me nolle teneri emptione, ſi domus haberet tale vitium, detecto vitio non eſt irrita venditio: nec poteſt diſſolui ſi velim domum illam non obſtante vitio retinere; quia illa clauſula ſolùm in meum fauorem adiecta fuit emptioni.

Inuita Religione non poteſt egredi.

CASVS X.

Profeſſio inualida ratione grauis metus iniuſtè incuſſi.

Catharina nouitia declarat ante profeſſionem, ſi profiteri compellatur, id ſe metu dumtaxat, & non animo profitendi facturam. Profitetur. Declarat D. Officialis profeſſionem eſſe validam, adeoque in omnem ſecuritatem renouandam. Renouat Catharina. Acpoſteà iterum, auctoritate Superioris inducta, idipſum facit. Sed intereà pergit declarare ſe inuitam iſthic detineri, & nullam votorum obligationem agnoſcere. Non tamen intra quinquennium ipſa inſtitit vt libera declararetur.

Quæritur Primò, *An valida fuerit profeſſio? An ſaltem vtraque illa renouatio non fuerit valida?*

Quæritur Secundò, *An iure agendi exciderit, eò quòd intra quinquennium non vrſerit vt libera declararetur?*

Quæritur Tertiò, *An, ſi regeret iure reſtitutionis in integrum, poſſet illud Nuntius Apoſtolicus concedere?*

24

Ad Primum: Reſpondeo Primò, Talem profeſſionem fuiſſe irritam, quia metu graui per parentes extorta fuit: metus enim carceris, vinculorum, & flagellationis, eſt grauis, præſertim in puella; vt patet ex Cap. *Perlatum.* & Cap. *Abbas.* De ijs quæ vi metuſue cauſa: eſtque cõmu-

nis ſententia Doctorum. Accedit, quòd ipſa puella, vt narratur, poſt prædictas minas declarauerit ſe animum profitendi non habere; ſed, ſi profiteri compelleretur, timore duntaxat, non ſe obligandi voluntate, id facturam. Vnde non ſolùm ratione metûs, ſed etiam ratione formalis diſpoſitionis animi profeſſioni repugnantis, irrita fuit.

Vtraque renouatio fuit irrita.

Reſpondeo Secundò, Illa prior renouatio videtur omnino fuiſſe irrita. Quia vt narratur in ſpecie facti, nitebatur declaratione Officialis tanquam Iudicis, qui declarabat prædictam profeſſionem fuiſſe validam, & ideò renouandam. Suppono autem in illa declaratione fuiſſe errorem, quantum ex ijs, quæ hìc narrantur, poteſt deprehendi. Atqui ratificatio voti, vel profeſſionis, vel cuiuſlibet alterius actûs plenam libertatem requirentis, eſt irrita, ſi nitatur errore, vt communiter docent Doctores: Caietanus 2.2. qu. 189. num. 5. Nauarrus cap 12. num. 72. Lopez parte 1. ca. 48. & alij. Errans enim non conſentit: Putans enim ſe validè feciſſe, renouando actum non plus intendit circa illum, quàm anteà circa illum fecit. Confirmatur, quia paulò poſt illam renouationem, dixit ſe illi renouationi non conſenſiſſe.

Reſpondeo Tertiò, Quòd ad ſecundam renouationem attinet, ad quam rurſus inducta eſt Superioris auctoritate, ſicut ad priorem inducta fuerat: hæc etiam irrita omnino videtur, ob eaſdem cauſas: quia ſimili modo inducta narratur. Cuius etiam ſignum eſt, quòd repertum inſtrumentum illius renouationis combuſſerit, dicens, quòd in renouationem non conſenſiſſet. Accedit, quòd toto tempore quo ibi manſit, & moribus & verbis declarauerit ſe ibi inuitam detineri; & nullam votorum obligationem agnoſcere.

25 Non videtur excidiſſe iure agendi.

Ad Secundum: Reſpondeo, Non videtur Catharina iure agendi excidiſſe. Primò, quia reclamauit ſtatim poſt profeſſionem. Quòd autem cauſam non ſit proſecuta, non fuit ex defectu ipſius; ſed quia Superior aduerſus eam iudicauit, & cenſuit profeſſionem eſſe validam & renouandam. Itaque fuit impedita per Superiorem. Atqui error Superioris non debet ipſi obeſſe, nec ipſa debet ius ſuũ ideircò amittere. Secundò, Ratio cur Concilium vetet tales audiri, eſt, quia ex taciturnitate & ceſſatione ab agendo per quinquennium continuata, præſumit ſpontaneam ratificationem profeſſionis. Niſi enim hanc præſumeret, non poſſet ei denegare audientiam: hoc enim nihil eſſet aliud, quàm perſonam liberam & ſui iuris, contra ſuam voluntatem, præter meritum, includere perpetuo carceri; quod eſt duriſſimum, & planè iniquum. Atqui hic non poteſt præſumi ſpontanea & tacita ratificatio; quia contraria proteſtatio aſſidua, & detentio contra eius voluntatem facta, obſtat; multoque minùs poteſt præcipi iure, vt in tali caſu præſumatur ratificatio: ergo illa diſpoſitio Concilij ad hunc caſum non extenditur; quia ſolùm pertinet ad caſum, in quo eſt præſumptio iuris, & de iure; hoc eſt, vbi ſunt illæ circumſtantiæ, ex quibus Ius præſumit, & præcipit vt Iudex præſumat tacitam ratificationem.

26 Huiuſmodi reſtitutio ad ſolum Pontificem ſpectat.

Ad Tertium: Reſpondeo, Reſtitutionem huiuſmodi pertinere ad ſolum Summum Pontificem: quia eſt remedium extraordinarium concedium contra diſpoſitionem Iuris communis: ergo ſolùm ex plenitudine poteſtatis Principis prouenire poteſt, qui ſolus eſt ſupra Ius commune, & ſolus poteſt remedia contra Ius concedere. Idem cernitur in ciuilibus: ſolus enim Princeps reſtituit in integrum contra præſcriptionem, & contra ſententiam, quæ lapſu decem dierum, tranſijt in rem iudicatam. Confirmatur: Quia ſolus Pontifex poteſt diſpenſare in diſpoſitione Concilij vniuerſalis. Atqui hoc remedium non poteſt conferri abſque tali diſpenſatione: quia Concilium præcipit talem non audiri. Verùm Pontifex concederit illud Illuſtriſſimo D. Nuntio, me latet. Certè non eſt inter poteſtates eius ordinarias. Sed, vt dixi, non puto eſſe opus in præſenti caſu hoc remedio.

CASVS XI.

Profeſſio inualida grauis metus iniuſtè incuſſi.

Titius adoleſcens XVI. annorum edidit profeſſionem extortam à matre & ſorore, à quibus pendebat, metu ſubtractionis alimentorum, & ſubſidiorum quæ ad vitam ſunt neceſſaria. Ante profeſſionem ſæpè proteſtatus eſt ſe nolle profiteri, & potiùs fugam iturum. In ipſa profeſſione, quam emiſit abſque animo ſeſe obligandi, prorupit in lacrymas, & poſtridie iterum proteſtatus eſt ſe inuitum edidiſſe profeſſionem. Notarius tamen profeſſionis aſſiſtens ſcripſit metum non interceſſiſſe.

Quæritur, *An profeſſio illa ſit valida?*

27 Profeſſio debet eſſe libera.

Conſiderata ſpecie facti, ſentio hanc profeſſionem ob duplicem rationem fuiſſe irritam & nullam. Prima ratio eſt, Quia profeſſio Religionis debet eſſe libera, non coacta, non metu graui extorta: metus enim grauis irritam reddit profeſſionem; vt patet Cap. *Perlatum*. Cap. *Abbas*. De ijs quæ vi metuſue cauſa: eſtque communis Theologorum & Canoniſtarũ ſententia. At hæc profeſſio non fuit libera, ſed coacta, & graui metu extorta. Quòd probatur primò, quia metus ſubtractionis alimentorum, & ſubſidiorum quæ ad vitam ſunt neceſſaria, eſt metus grauis, ſecundùm omnes Doctores: qui metus hìc interceſſit, & incuſſus fuit à ſorore & matre, à quibus pendebat iſte adoleſcens, ad extorquendã profeſſionẽ; vt narratur in ſpecie facti. Secundò, Metus amiſſionis maioris partis bonorum cenſetur grauis, & ſufficiens ad irritandam profeſsionẽ & matrimonium, iuxtà communem Doctorum ſententiam. Atqui multò maior cenſetur metus ſubtractionis alimentorum ad vitam neceſſariorum: ergo non eſt dubitandum quin ſit ſufficiens ad profeſsionẽ irritandam. Tertiò, In metu ſpectanda eſt conditio perſonæ cui incutitur, v. g. ſitne ſenex, femina, puer, qui ſe alimentatione iuuare non poſſunt: dicitur enim grauis iuxta qualitatem perſonæ, vt tradunt Doctores: Nauar. cap. 22. Enchir. num. 51. Sotus lib. 7. de Iuſt. quæſt. 2. art. 1. ad 2. & alij. Sed is de quo agitur, erat puer; nec ſciebat qua ratione ſubſidio matris & ſororis quæ nomine matris illum alebat detracto, poſſet viuere. Vnde apparet hunc metum, quem concepit, fuiſſe valdè grauem: quomodo enim puer huiuſmodi aſſiduis minis non grauiter percelleretur? Idem confirmant lacrymæ, in quas, in ipſa profeſſione prorupit, & tot prærupj remiſſus, & obluctationes. Si hic metus non eſt ſufficiens ad irritam reddendam profeſſionem, ſanè magna parentibus patebit fenestra vt hac ratione in monaſteria liberos ſuos intrudant, nec vllum erit contra hanc iniuriam remedium, quæ etiam in detrimentum & euerſionem Religionum redundabit. Quorſum ergo Canones qui volunt profeſſionem eſſe liberam, & inualidam eſſe iubent profeſſionem metu extortam? aut de quo tandem metu loquuntur?

Hæc fuit coacta graui metu.

In metu ſpectanda eſt perſona cui incutitur.

Ab incommodis.

28 Defuit conſenſus.

Secunda ratio, ob quam iſta profeſſio cenſeri debet irrita, eſt quia ei videtur abſolutè defuiſſe conſenſus. Nam adoleſcens iſte ſæpiùs teſtatus fuit, non obſtantibus omnibus minis & importunis

nis deprecationibus ſororis, & hortationibus Prioris, ſe nolle profiteri, & potiùs fugam initurum: idem paulò ante profeſſionem matri & ſorori teſtatus eſt, obſtirmato animo perſtans in hoc propoſito: ergo præſumendus eſt in ea voluntate permanſiſſe, & non animo ſe obſtringendi verba profeſſionis edidiſſe. *Cùm enim conſtet de proteſtatione voluntatis, adhuc præſumitur nolle*: Cap. *Lotharius* 31. *q.* 2. & l. *Si quis.* 3. *ff.* de Legibus. Idem confirmant lacrymæ quas in ipſa profeſſione fudit: item ea declaratio qua poſtridie rurſus idem teſtatus eſt, vt ipſe narrat. Imò in ſpecie facti expreſsè dicitur, quòd, cùm inſtante profeſſione amici eum obſeruarent ne poſſet fugere, vt ſæpiùs prædixerat ſe facturum; & minis ſororis ac matris, Prioriſque illicijs, accedentibus diuerſorum exhortationibus tandem ceſſiſſet, quia euadere non poterat, profeſſionem emiſerit abſque animo ſe obligandi. Defuit itaque conſenſus eſſentialiter neceſſarius.

Dices, Metus grauis non reddit irritam profeſſionem, niſi ſit iniuſtè incuſſus. At hic metus non fuit iniuſtè illatus; quia ſbror non tenebatur illum alere.

29 Metus hic fuit iniuſtè incuſſus.

Reſpondeo, Etſi ſoror non tenebatur lege iuſtitiæ eum alere, tenebatur tamen lege charitatis, ſaltem eatenus ne incideret in grauem neceſſitatem. At minabatur ſe illum ita deſeruram, vt ſineret inediâ perire; qua in re erat iniuria, ſecundum multos Doctores. Deinde ſaltem ex parte matris erit iniuria, cuius nomine ſoror hęc omnia faciebat. Nec refert quod Notarius aſſiſtens ſcripſerit metum non interueniſſe, ſi contrarium ritè probetur.

Teſtimonium. Notarij inutile.

His igitur conſideratis, & alijs, quæ in hanc ſententiam dici poſſent, puto hanc profeſſionem non fuiſſe validam.

CASVS XII.

Profeſſio inualida ratione metus reuerentialis.

Titius edidit profeſſionem precibus importunis & metu reuerentiali extortam. Ante exactum quinquennium cœpit reclamare: ſed precibus maternis adductus priorem profeſſionem ratificauit.

Quæritur, *An poſſit iterum reclamare, & audiri?*

REſpondeo Primò, Prima profeſſio Titij ſi ſolùm precibus importunis, & metu reuerentiali fuit extorta, nec interceſſerunt graues minæ, fuit valida ſaltem in foro externo. Ratio eſt, quia metus reuerentialis cum importunis precibus non cenſetur in foro externo metus grauis cadens in virum conſtantem: ac proinde non iudicatur habere ſat vitium ad irritandum matrimonium vel profeſſionem.

30 Metus reuerentialis non irritat Profeſſionem in foro externo.

Nisi graues minæ acceſſerint.

Si tamen acceſſiſſent graues minæ, vt ſi parentes dixiſſent. Nunquam ampliùs intrabis in domum meam nunquam videas faciem meam &c. valdè probabile eſt etiam in foro externo cenſendam profeſſionem inualidam, ſi ex vi talis metûs ſecuta eſt. Quia metus reuerentialis vnà cum minis huiuſmodi æquiualet metui graui, vt rectè docet Sancius lib. 4. de Matrim. diſp. 6. Dico, *Si ex vi talis metus profeſſio ſecuta eſt*; quia in propoſito caſu non videtur ſecuta ex metu, ſed ex libera voluntate, vt narratur. Quod ſi verum eſt, profeſſio erit valida. Et ſanè ita videtur iudicandum in foro externo, ſi ex ipſiuſmet profitentis teſtimonio probetur.

31 Reſpondeo Secundò, Si poſt primam profeſſionem ante exactum quinquennium cœpit reclamare, poterat & debebat audiri. Verùm non perſtitit in reclamatione, ſed cogitauit de ratificanda priore profeſſione.

Preces maternæ non æquiualent graui metui.

Reſpondeo Tertiò, Etiamſi prima profeſſio fuiſſet inualida, videtur tamen omnino ratificata per ſecundam, quæ videtur omnino liberè facta. Nam preces maternæ non æquiualent metui graui, nec habent vim irritandi profeſſionem. Accedit quòd ipſemet Titius publicè teſtatus ſit ſe liberè, & non coactè ratificare priorem profeſſionem.

Reſpondeo Quartò, Si tamen re vera metu reuerentiali ne contriſtaret matrem, neue illam in acerbum luctum conijceret, ſecundam profeſſionem emiſit, non eſt improbabile poſſe reclamare, & cauſam Ordinario ac Superiori cognoſcendam relinquere. Verùm non video qua ratione ſolidè eius profeſſio poſſit in foro externo irrita pronuntiari. Accedit quòd videatur non poſſe audiri, niſi priùs reſtituatur in integrum; cùm priorem reclamationem non ſit proſecutus, & intereà elapſum ſit quinquennium. Quare omnibus conſideratis videtur hoc fruſtrà tentaturus.

CASVS XIII.

Profeſſio inualida ratione metus reuerentialis.

Titius dimiſſo Religionis ſuæ habitu apud Iudicem in foro externo contendit irritam ſuam eſſe profeſſionem, vt pote metu reuerentiali extortam: non poteſt tamen iuratis teſtibus eum metum probare. Addit præterea ſe ante requiſitam ætatem emiſſe.

Quæritur, *Quid hic Iudex ſtatuere debeat.*

ADmodum Reuerende Domine. Non erat neceſſe huc mittere: habes iſthic viros præclaros qui quæſtioni propoſitę poſſint ſatisfacere, qui & coram melius poſſunt cognoſcere de quibuſdam circumſtantijs, quæ ad rem pertinent. Quia tamen meum quoque iudicium deſideras, breuiter aperiam quid ſentiam. Negotium videtur conſtare in tribus quæſtionibus. Prima eſt, Vtrùm metus reuerentialis ſatis ſit ad irritam reddendam profeſſionem. Secunda, An ſatis ſit probatum in præſenti caſu hunc metum interueniſſe. Tertia eſt, An ſatis probatum ſit defuiſſe profeſſioni iuſtam ætatem, quam Concilium Tridentinum requirit.

32

Probabile eſt ex metu reuerentiali poſſe irritam declarari profeſſionem à Iudice.

Quòd ad Primum attinet, Probabilis eſt ſententia metum reuerentialem irritam reddere profeſſionem: quam tradit Nauarrus multis locis, præſertim in Enchiridio c. 22. n. 51. & Comment. 2. de Regul. n. 31. Idem docent multi Doctores quos citat Couar. in 4. decretalium cap. 3. §. 6. n. 7. vbi dicit hanc ſententiam eſſe communem. Et quamuis contraria ſententia ſit verior, tamen quia illa eſt probabilis, etiam in foro externo eam Iudex ſequi poteſt, vt docet Nauar. c. 22. nu. 54. præſertim quando id iudicat expedire ob varias circumſtantias concurrentes.

33

De Secundo, eſt maior difficultas: Non enim videtur ſatis probatus ille metus reuerentialis vt in foro externo poſſit ferri ſententia declaratoria irritæ profeſſionis, vt D. Tua facilè poteſt aduertere. Qua in re etiam ſeruandum eſt quod præſcribit Concilium Trident. ſeſſ. 25. c. 19. de Reform. regul. vbi ſtatuit, Vt quicunque regularis prætendit ſe per vim & metum ingreſſum eſſe Religionem, aut ante debitam ætatem profeſſum, non audiatur, niſi cauſas quas prætenderit, coram Superiore ſuo & Ordinario deducat: quòd ſi antè habitum ſponte dimiſerit, nullatenus ad allegandam quamcunque cauſam admittatur, ſed ad monaſterium redire cogatur, &c. Hoc tamen Do-

[illegible] [illegible] [illegible] [

derum eſſet ſtatim poſt publicationem Romæ factam, per totum orbem omnia aliter facta cenſeri irrita, & tot bonos viros ſanctiſſimè admiſſos, ſine vlla culpa, cum magna infamia eijci, & ſeculariibus proponi ridendos. Confirmatur, quia par non eſt vt Conſtitutio quæ ſeruari non poteſt, vim habeat: ſed hæc non poteſt ſtatim vbique ſeruari; quia non poteſt ſtatim innoteſcere: ergo par non eſt vt vbique vim habeat. Vnde in omni conſtitutione ſolet ſufficiens tempus aſſignari, quo moraliter poſſit paſſim in omnium notitiam deuenire. Et quamuis in legibus irritātibus fortaſſe non ſit abſolutè neceſſarium, tamen quando magnum ſequeretur præiudicium alteri parti ex reſciſione contractus, debet ſecundùm rectam rationem ſufficiens tempus aſſignari vt poſsit innoteſcere: vti videmus Eccleſiam in decreto Matrimonij ſeſſ. 24. cap. 1. & in alijs feciſſe. Hinc colligo illud, *Poſt publicationem*, intelligendum de publicatione in locis Regularium.

Tertiò, Quia ſi leges reuocatoriæ priuilegiorum, non cenſentur habere vim niſi promulgatæ non ſolùm in prouincia, ſed etiam in diœceſi, vt docet Sotus l. 1. de Iuſtitia q. 1. a. 4. & multi alij; idque propter incommoda quæ alioquin ſequerentur: multò minùs obligabunt leges reuocatoriæ Iuris communis, vel quaſi naturalis, quod quiuis antè habebat vt admitteretur ad Religionem & quod Superior habebat vt admitteret; cùm graniora incommoda ſequantur, Quartò; Quia in huiuſmodi legibus valdè exorbitantibus & duris, facienda eſt mitior interpretatio, ſi verba patiantur; imo contra intentionem legiſlatoris ſecundùm verborum proprietatem.

41 Leges Reuocatoriæ Iuris communis ſunt odioſæ.

Ad Secundum: Reſpondeo, Etiamſi profeſſio illa fuiſſet inualida, Superior tamen non poſſet illum inuitum eijcere, ſi alioquin ſit idoneus, ſeſeque diſciplinæ accommodet. Ratio eſt, quia quòd profeſſio valida non ſit, factum eſt per iniuriam Superioris, qui non ita illum admiſit, ſicut ex officio tenebatur admittere. Vnde ex hac inualiditate fundata in ipſius iniuria, non poteſt ſibi vindicare ius expellendi illum.

42 Si idoneus eſt, non poteſt inuitus eijci.

Iterum tamen deberet Profeſſionē emittere.

Deberet tamen illo caſu prædictus illegitimus iterum profiteri expreſsè. Sed poſſet id omnino ſecretò fieri, ſi res ſit occulta: & tunc videtur antiquum locum poſſe retinere; non enim tenetur cum ſui infamia id propalare. Si tamen paſſim notum ſit, debet ita profiteri vt conſtet, & conſequenter locum poſtremum tenere. Abſolutè tamen ſi iſte maiurus eſt, debet rurſus profiteri, ſaltem priuatim, vt tollatur poteſtas egrediendi. Nam contraria ſententia eſt valdè probabilis, & per illam habet poteſtatem egrediendi.

CASVS XVI.

Profeſſio inualida defectu informationis.

Sixtus V. Anno Domini 1587. edidit Conſtitutionem, quæ incipit, Cùm de omnibus Eccleſiaſticis Ordinibus, *quam renouauit Anno 1588. nouâ Conſtitutione, quæ incipit*, Ad Romanum ſpectat Pontificem, *quibus Conſtitutionibus præcipit ne quis ad habitum vel profeſſionem in quocumque Ordine Regulari admittatur, niſi certa præmiſſa informatione de ætate, moribus, parentibus &c. ſub pœna nullitatis tam receptionis, quàm profeſſionis. Titius conqueritur in ſua receptione, & profeſſione hanc informationem non eſſe ſeruatam.*

Quæritur Primò, *An hæc profeſſio fuerit valida?*

Quæritur Secundò, *Ad quos hæc informatio deferri debeat?*

Quæritur Tertiò, *An hæc informatio requirat iuridicam depoſitionem, ſeu teſtium iuramenta?*

Ad Primum: Reſpondeo, Si nullę informationes vel notabiliter non ſufficientes habitæ fuerint de admittendis, videtur Sixtina conſtitutio planè locum habere. Quia in declaratione ſtatuit profeſsionem eſſe nullius roboris, ſi non fuerit ſeruata forma ab ipſo in inſtitutione præſcripta. Porrò ea forma præſcribit *Vt iuuenes 16. annis maiores, aut viri adulti, non poſſint recipi in aliquam Religionem, niſi priùs de eorum parentibus, patria, anteacta vita & moribus diligenter inquiratur. Et ex accurata informatione, & fide digna relatione comperiatur & exploratum ſit, eos non eſſe reos aliquorum criminum*; vt ſunt homicidia, furta, latrocinia, vel alia ſimilia; vel reos aut ſuſpectos exiſtere, vt propterea damnati ſint, vel damnari formident: denique ingenti ære alieno ſupra vires facultatum ſuarum grauatos, vel reddendis rationibus ita obnoxios, vt ex huiuſmodi cauſa lis vel moleſtia eis iam illata ſit, vel timendum ſit ne inferatur. Niſi denique conſtet ipſos non humanâ aliquâ ratione, ſed tantùm pietatis & deuotionis feruore, vitam religioſam ſponte & ex animo elegiſſe: deque his omnibus in Generali vel Prouinciali Capitulo indubitatâ fide factâ, tam Superioris, Generalis, ſeu Prouincialis, quàm Definitorum conſenſu approbati, ad habitum Regularem admiſsi fuerint.

43 Quæ ante profeſſionē maximè inquirenda.

Itaque forma requirit vt ante admiſsionem ad habitum, fiat *Diligens inquiſitio* de anteacta vita & moribus &c: cui inquiſitioni æquiparatur cognitio & moralis certitudo anteà habita ex longa conuerſatione &c. Item requirit vt ſit compertū *ex accurata informatione* & fide digna relatione, eos non eſſe crimino ſos &c. Quare ſi informationes ſint notabiliter inſufficientes, ita vt perſona non ſit ſatis perſpecta quoad mores, & ea quæ hîc præſcribuntur; videtur admiſſio & ſecuta profeſsio eſſe nullius roboris, vt in declaratoria habetur.

Sufficit moralis certitudo ſeu cognitio perſonæ anteà habita.

Ad Secundum: Reſpondeo, Si hæ informationes non fuerint delatæ ad eos, ad quos iuxta Sixtinam oportebat; ſed ſolùm ad magiſtrum Nouitiorum, non eſt ſeruata forma in re notabili. Illi enim debent ante omnes informari, & ſufficientem notitiam habere, quorum eſt conſentire & admittere. Finis quidem Sixtinarum eſt arcere defectuoſos; ſed inde non ſequitur formam, ſi non ſeruetur, ſolùm irritam reddere profeſsionem defectuoſorum; quia præſcribitur forma generalis ſeruanda cum omnibus; quam (ne vllo caſu defectuoſi admittantur) vult ita ſeruari, vt ſemper profeſsio ſit irrita, ſi non ſeruetur. Hæc enim ſeueritate vult Superiores cogere, ne vnquam in ea ſeruanda fiant negligentiores.

44 Hæc informatio deferri debet ad omnes conſentientes in admiſſionem.

Illa verba, *Declaramus eos*, &c. in Sixtina ſecunda edita Anno 1588. quæ incipit, *Ad Romanum ſpectat Pontificem* §. 12. manifeſtè accipienda de omnibus, qui poſt ſextum decimum ætatis annum habitum ſuſceperint, etiamſi non ſint criminoſi, vel rationibus reddendis obnoxij. Similiter & iſta, *& eorum*, vt patet totum textum expendenti: Nam in principio 12. illius §. *Quod autem pertinet*, indicat apertè ſe loqui de profeſſione omnium illegitimorum; & eorum qui maiores ſunt ſexdecim annis. Vnde non video quomodo illud, *eorum*, poſſit reſtringi ad criminoſos, vel alijs Bullæ impedimentis obnoxios.

45 Non requiritur Iuridica depoſitio &c.

Ad Tertium: Reſpondeo, Sufficientia informationum quam Sixtina requirit, non poſtulat iuridicas depoſitiones, aut iuramenta teſtiū, aut Notarij operam; ſed ſufficit vt à viris fide dignis ha-

beantur; ita vt rem humano modo certam reddant; &, vt Sixtina loquitur, plenam fidem faciant. Vnde etiam non puto requiri ſubſcriptionem aut ſcriptâ vlla: quia hoc non exprimitur.

Inualidè profeſſus fugam meditans.

CASVS XVII.

Titius inualidè profeſſus, poſt quinquennium non reclamauit, neque poteſt obtinere à ſuis Superioribus licentiam petendi à Pontifice reſtitutionem in integrum vt cauſam ſuam legitimè queat deducere.

Quæritur, *Quo remedio ſibi poſſit Titius conſulere: & quomodo interim à ſuis Superioribus haberi poſſit ac debeat?*

46 REuerende Pater. Accepi litteras tuas benè longas, quibus tuas afflictiones exponis; quæ me permouerunt vt etiamſi neſciam quis ſis, aut cuius Ordinis, reſponderem: charitas enim & cauſæ æquitas id poſtulare videbantur. Itaque procedam per propoſitiones.

I. Suppoſita profeſſionis tuæ nullitate ob impedimenta per Sixtum V. ſtatuta, ſicut ſcripto tuo proponitur, oportebat te reclamare intra quinquennium à die profeſſionis tuæ computandum: & tunc potuiſſes audiri Iure ordinario, deducendo cauſas coram Epiſcopo & tuo Superiore; vt patet ex Concilio Tridentino ſeſſ. 25. cap. 19. de Regularibus.

Non reclamans ante quinquennium elapſum eget reſtitutione in integrum.

II. Si poſt quinquennium elapſum quis reclamet, non poteſt audiri Iure ordinario; ſed opus eſt reſtitutione in integrum, quam ſolus Summus Pontifex concedit. Quia præſumitur præſumptione Iuris & de Iure intra illud tempus ratificaſſe ſuam profeſſionem.

Excipe duos caſus.

III. Si tamen impedimentum eſſet perpetuum, vt in præſenti caſu allegatur, non opus eſſet reſtitutione, ſed poſſet, & deberet Iure ordinario audiri ab Epiſcopo loci & ſuo Superiore: & probato impedimento deberet declarari liber, & ſui iuris, habituque exui. Ratio eſt, quia hîc ceſſat præſumptio ratificationis. Stante enim impedimento perpetuo nulla ratificatio poteſt eſſe valida.

IV. Idem probabile eſt cum ex ignorantia vel metu non reclamauit: ſed tunc ipſa ignorantia & metu deberent probari.

V. His ceſſantibus, Superiores talis Religioſi poſſunt cum illo agere, eumque coërcere tanquã ſuum ſubditum & verum Religioſum, eumque punire ſi delinquat; quia meritò vnà cum Concilio Tridentino præſumunt illum eſſe Religioſum.

47 Recurſus ad Pontificem non poteſt impediri à Superiore.

VI. Si tamen ille velit recurrere ad Sum. Pontificẽ vel Eminentiſſimos Cardinales vt impetret reſtitutionem in integrum ad agendam legitimè ſuam cauſam, Superiores non poſſunt impedire: quia Iure naturæ & Gentium quilibet inferior ius habet, præſertim in re tanti momenti, recurrendi ad ſupremum Superiorem. Imò ſi ad hoc opus eſſet fugâ, poſſet fugere, etiam dimiſſo habitu, ſi eſſet neceſſe, modò caueat ſcandalo, mentem ſuam poſteà ſaltem per litteras explicando.

VII. Impetrata reſtitutione à Summo Pontifice, poſſet etiam obtineri vt Illuſtriſſimo Nuntio Bruxellæ cauſa committatur, adiuncto ei Superiore illius Religioſi, vel ſine illo, prout ſuæ Sanctitati videretur. Sine autem reſtitutione, & tali commiſſione per Summum Pontificem facta, Nuntius ſe non poteſt immiſcere.

48 Deſtitutus omni auxilio poteſt fugam capeſſere.

VIII. Si reſtitutio & licentia agendi non poſſet obtineri, Religioſus ille poſſet fugam capeſſere, & redire ad ſæculum, modò ſcandalo caueat. Quia cùm non ſit verè Religioſus, nec velit eſſe, nullo iure obligatur in conſcientia perpetuò in Religione manere; nec quiſquam illum ad hoc poteſt cogere, vt rectè docet Nauar. de Regular. Comment. 4. n. 77. & 78. Sanchez lib. 7. de Matrim. p. 255. Vide lib. noſtrum 2. de Iuſt. dub. 7. n. 65. &c.

IX. Ille tamen Religioſus quamdiu non poteſt ſe expedire ab Ordine, poteſt abſolui, & frui alijs priuilegijs: quia præſumitur Religioſus donec contrarium per ſententiam declaretur; quæ præſumptio ſufficit ad Iuriſdictionem: eaque de re nullus debet eſſe ſcrupulus. *De hoc poſtremo latiùs agitur Caſu ſequenti.*

CASVS XVIII.

Sixtus V. induxit quædam impedimenta irritantia profeſſionem. Quidam bona fide cum tali impedimento profeſſionem emiſerunt eo tempore quo illa Conſtitutio vigorem habebat.

Inualidè profeſſus fugam meditans, interim vtens Ordinis priuilegijs.

Quæritur Primò, *An illa profeſſio maneat perpetuò irrita, donec eam ratificauerint?*

Quæritur Secundò, *An Superiores poſſint & debeant ſic irritè profeſſos tractare vt ſuos ſubditos in adminiſtratione Sacramentorum, correctione, promotione ad Sacros Ordines, & Superioratum &c?*

Quæritur Tertiò, *An Superior teneatur taliter profeſſos inducere ad iterandam validè profeſſionem: Et ſi illi id nolint, poſſint interim vti priuilegijs Religionis?*

49 Inualidè profeſſi niſi ratificent profeſſionem, nullo tractu temporis fiunt profeſſi.

AD *Primum*: Reſpondeo, Profeſſio eorum qui habuernnt tale impedimentum irritans inductum à Sixto V. facta eo tempore, quo illius Conſtitutio vigorem habuit, fuit irrita: vnde niſi ceſſante impedimento eam ratificauerint, manet irrita in hunc diem. Quia *Non firmatur tractu temporis quod abinitio Iure non ſubſiſtit*, regula, *Non firmatur*. De Reg. Iuris in 6. Non ratificatur autẽ coram Deo & in foro conſcientiæ, niſi quis ſciens eam fuiſſe inualidam, vel ſaltem ea de re dubitans, nihilominùs velit eam firmam eſſe, & ſe de nouo Deo obſtringere, vt ei in Religione perpetuò ſeruiat. Vel certè niſi expreſsè intendat de nouo obligari, etiam in euentum quo fuiſſet inualida: Vt cùm quis ita ſecum ſtatuit: Etiamſi mea profeſſio fuiſſet inualida, tamen ex hoc tempore cupio illam eſſe validam, & quantum in me eſt illam iterum coram Deo renouo & emitto.

Quare ſemper poſſunt redire ad ſeculũ.

Hinc ſequitur, eos qui ſic nulliter profeſſi fuere, neque profeſſionem ſuam debito modo ratificarunt, non eſſe verè Religioſos; ac proinde ceſſante ſcandalo poſſe egredi, & viuere in ſeculo. Ita Nauar. Commentar. 4. de Regul. in fine. Sancius lib. 7. de Matr. diſput. 37. n. 11. Henriques lib. 11. de Matrim. cap. 6. in Comment. finali. Emanuel Sà V. Religio. n. 71. quod intellige, quando non ſperant ſe poſſe obtinere licentiam egrediendi, eò quòd deſit eis probatio, vel quia ob elapſum quinquennium non audientur: alioqui debent vti viâ à Concilio Trident. ſeſſ. 25. c. 19. de Regul. præſcriptâ.

5 A. Superioribus poſſunt & debent haberi vt veri profeſſi.

Ad Secundum: Reſpondeo, Superiores talium profeſſorũ poſſunt & debent eos tractare vt ſuos ſubditos, audiendo eorum confeſſiones, & Sacramenta eis miniſtrando, itẽ corrigendo, puniendo. Poſſunt etiam ad Ordines & Superioratum promoueri. Ratio eſt, quia ſi quinquennio à profeſſione in Religione manſerint, nec reclamauerint intra illud tempus; nec etiã ceſſante impedimento poſt quinquennium, manentes per aliquot annos

Digitized by Google

nos impedimento ſublato abſque reclamatione, cenſetur in foro externo tacitè ratificaſſe ſuam profeſſionem: ac proinde à Superiore haberi debent pro veris profeſſis, & vt tales in omnibus tractari. Nam Concilium Trident. ſtatuit illud quinquennium, vt, niſi intereà reclament, præſumantur profeſſionem ſuam tacitè ratificaſſe: & idcircò non audiantur poſteà, ſed habeantur veri Religioſi.

Non tamè debent mitti ad Ordines, ſi nolint profeſſionem ratificare.

Si tamen illi ſe opponerent ſuæ profeſſioni, & dicerent ſe nunquam ſuam profeſſionem ratificaſſe, nec velle ratificare, non expediret eos mittere ad Ordines, aut promouere ad munus Superioris: quia etſi præſumantur eſſe Religioſi, tamen ipſi manifeſtè declarant ſe animo non eſſe Religioſos, nec velle eſſe, imò ſe cogitare de abitu: qui autē animo Religioſus non eſt, nō eſt promouendus, niſi animum mutet, vt per ſe notum eſt. Deinde, quia tales in foro externo non præſumuntur eſſe in bono ſtatu, ſed tendere ad apoſtaſiam: nam præſumuntur eſſe Religioſi. Nec refert quòd Superior priuatim credat illos verum dicere, & re vera non eſſe Religioſos, ac proinde eos eſſe in bono ſtatu etiamſi egrediantur: Qua etiamſi hæc priuata ſcientia vel credulitas Superioris ſatis ſit, vt bonâ conſcientiâ permittat talem ſubditum celebrare, & vti Ordine accepto: non tamen ſufficit vt promoueat illum ad Ordinem ſacrum accipiendum, eò quòd deſit illi animus Religionis.

Neque debeat fieri Superiores.

Idē dico de officio Superioris: In Religione enim non debent ad Ordines ſacros vel Superiorum munera promoueri, qui affirmant ſe non eſſe Religioſos, nec animum ad Religionem habere, quātumuis putentur eſſe in bono ſtatu, & verū dicere.

51 *Ad Tertium*: Reſpondeo, Superior non tenetur (per ſe loquendo) taliter profeſſos inducere ad iterandam profeſſionem, vel ad eam, quam olim fecerunt, ratificandam: nullum enim Ius id præcipit, & ſæpè accidere poteſt vt non expediat illos ratificare. Imò illi non tenentur eam ratificare ſed poſſunt expectare commodum tempus fugæ.

Non tenetur Superior illos inducere ad profeſſionem iterandam.

Vtrùm verò intereà dum nolunt profeſſionem ratificare, & fugam meditantur, poſſint ordinari, & frui priuilegijs Religionis, quibus abſoluitur religioſus à reſeruatis, & liberatur à votis, &c. vide Sancium lib. 7. de Imped. Matrim. diſp. 37. q. 5. vbi fusè & eruditè hoc proſequitur. Summa eſt, illos non poſſe ordinari priuilegio religionis, ſed debere id defugere quantum poſſunt abſque nota infamiæ. Sunt enim ſæculares, ac proinde egēt litteris dimiſſorijs ſuorum Epiſcoporum, & titulo patrimonij vel beneficij.

52 Meditantes fugam non poſſunt ordinari priuilegio Religionis.

Neque ferre vocem in Capitulo.

Similiter non poſſunt ferre ſuffragium in Capitulo, nec acceptare munus Superioris, ſed debent hæc detrectare, & recuſare quantum poſſunt ſinè infamia. Si tamen ex detrectatione & recuſatione infamiæ nota eis impenderet, quam aliter non poſſunt effugere, ſine culpa poſſent ita admittere.

Neque à reſeruatis abſolui.

Pari modo non poſſunt abſolui à reſeruatis à Confeſſario Ordinis, niſi eo modo quo quilibet ſæcularis ab eodem Confeſſario abſolui poſſet.

Neque ſe immiſcere rebus, quæ Ordini ſunt propria.

Itaque etiamſi Superior in eis regendis procedere debeat ſecundùm præſumptionem fori externi, & agere cum illis tanquam cum viris religioſis: tamen ipſi in omnibus procedere debent ſecundùm iudicium fori interni & nonſcientiæ, habendo ſe pro non religioſis, & defugiendo ea quæ religioſorum ſunt propria, quantum fieri poteſt abſq; ſcandalo & nota infamiæ: Niſi velint ſuam profeſſionem ratificare; ad quod tamen abſolutè non ſunt obligandi. Tenentur tamen illam ratificare, vel habere animum fugiendi oblatâ cōmoda occaſione: vt benè docet Sancius ſuprà.

CASVS XIX.

Profeſſio inualida ſubdito ignorata.

Superior aduertit alicuius ſubditi profeſſionem fuiſſe inualidam.

Quæritur, *Vtrùm hunc defectum ſubdito debeat patefacere? vel quomodo ſe habere debeat?*

REſpondeo, Si Superior ſucceſſu temporis aduertit alicuius profeſsionem fuiſſe inualidā; non ſemper tenetur id ſubdito indicare; vt ſi videat illum benè contentum, & ſperet perſeuerantiam, vel ſi ex manifeſtatione metuat grauia incommoda. Fieri tamen poteſt vt tales ſint circunſtantiæ, vt teneatur ei indicare: vt ſi Ordini impenderet inde aliquod graue incommodum &c. 53

Expedit benignè agere cum illo ſubdito, & totum negotium cum Epiſcopo conferre. Non puto vi aut aliqua viâ aſperâ vtendum; niſi quando conſtat quinquennium illius cucurriſſe; nec cauſam amplius ad Ordinarium pertinere: quod hîc ſanè non conſtat. Nam in Sixtina ſecunda ſtatuitur: *Vt nec tacita quidem profeſſio inducta intelligatur, ſi in receptione conſtitutionis forma ſeruata non fuerit.* Per quod videtur elidi omnis præſumptio ratificationis intra quinquennium, & conſequenter ei, qui ſic admiſſus, non cucurrit quinquennium. Vnde poſſet iure Ordinarij audiri.

CASVS XX.

Quid agendum cum volente diſcedere?

Titius Religioſus Profeſſus multa allegat, quibus oſtendit Profeſſionem ſuam eſſe inualidam.

Quæritur, *quomodo in eo caſu ſe gereat Superior?*

REſpondeo, Si vera ſunt coram Deo quæ Titius allegat, poteſt ceſſante ſcandalo diſcedere, & redire ad ſæculum; vt docet Nauar. Comment. 4. de Regul. in fine. Superior tamen non poteſt illum auctoritatiuè dimittere, vt conſtat ex Concilio Trident. Ea enim res deberet deduci coram Ordinario. Quod ſi elapſum eſt quinquennium à die profeſſionis, iam excidit omni iure reclamandi, nec illi ſpes à foro externo. Si tamen perſona Religioni eſſet noxia, poſſet Superior ſe habere permiſſiuè, id eſt, non ſe opponere volenti diſcedere. Imò ſi multū eſſet noxius, nec ſperaretur correctio, poſſet illum expellere. Tenetur autem ille, ſi vera ſunt quæ allegat, vel profeſsionem ſuam ratificare, vel diſcedere. Nū autem ſit ſcandalo, deberet ire ad loca, vbi eſt ignotus. Imò poteſt Superior ei dicere, ſi vera ſunt quæ allegat, Poſſe ipſum diſcedere, ita tamen vt caueatur ſcandalum. 54

CASVS XXI.

Profeſſio inualida defectu regulæ approbatæ.

Hoſpitale eſt Fratrum & Sororum ſimul viuentium qui ſe pro Religioſis habent, & paſſim à populo tales habentur, quorum prædeceſſores ſolebant profiteri Regulam S. Auguſtini; moderni verò iam pridem illâ Regulâ relictâ, nouam quandam Regulam aſſumpſerunt, quæ non eſt approbata à Sede Apoſtolica.

Quæritur Primò, *An ſint veri Religioſi?*

Quæritur Secundò, *An relicto hoſpitali, ad ſeculum & Matrimonium tranſire poſſint?*

Quæritur Tertiò, *An Inſtitutum iſtud ab Epiſcopo extingui queat?*

Digitized by Google

55 *Ad Primum*: Reſpondeo, Fratres illos & Sorores hoſpitalarios, non eſſe cenſendos veros Religioſos, etſi à plebe ita vocentur, & putentur tales. Ratio eſt, Quia inſtitutum & forma illa viuendi, nunquam fuit approbata à Sede Apoſtolica. Imò manifeſtè reprobatur à Canonibus: Cap. *Definimus*. & Cap. *In nullo*, 18 q. 2. & Cap. *Perculoſo*, de ſtatu regul. in 6. Item à Concilio Tridentino ſeſſ. 25. c. 5. de Regul. Denique per Conſtitutionem Pij V. quæ incipit, *Circa paſtoralis officij*. Ex qua Conſtitutione auſit fortè quis aſſirmare, ſorores quidem eas ad ſic viuendum eſſe inhabiles, ac illarum quaſlibet profeſſiones & receptiones irritas & nullas declarari: non tamen idem declarari circa Profeſſionem fratrum. Nihilominùs non videtur vllum eſſe conſtituendum diſcrimen inter profeſſionem fratrum & ſororum illarum, adeoque dicendum, neutros eſſe verè Religioſos.

Non eſt Religioſus, cuius forma viuendi nõ eſt approbata à Papa.

Neque obſtat, quòd olim ſorores, quæ has præceſſerunt, fuerint profeſſæ regulam S. Auguſtini; & fortè veræ fuerint Religioſæ: quia poſteriores ſorores regulam S. Auguſtini non profitentur, adeoque regula S. Auguſtini non poteſt eas conſtringere: quiſque enim ſua tantùm profeſſione, non aliena obligatur. Nolim tamen illis mox tam laxas præbere habenas.

56 Inuiti ne retineantur.

Ad Secundum: Reſpondeo Primò, Non videri expediens vt Fratres illi inuiti in illo Inſtituto retineantur; cùm Canonibus non congruat. Reſpondeo Secundò, Poſſe Ordinarium diſpenſare in voto Paupertatis & Obedientiæ, & abſoluere ab hoc genere viuendi: & pro voto Caſtitatis eos remittendos eſſe ad Nuntium Apoſtolicum; qui, ad vitãdum ſcandalum in populo putante eos eſſe veros Religioſos, poſſet ab eis requirere vt alibi habitent, præſertim ſi matrimonium inire velint.

Feminæ iſtæ non videntur egere diſpenſatione.

Et quamuis fortè feminæ non egeant diſpenſatione ſuæ profeſſionis ſuorumque votorum, quibus ſe illi inſtituto obligarunt, eò quòd Pius V. generatim huiuſmodi feminas inhabiles ad ſic viuendum reddiderit, earumque profeſſiones irritas eſſe decreuerit: tamen ad ædificationem ipſarum & aliorum, & vt agnoſcant poteſtatem Eccleſiæ, omnino videtur expedire vt requirant diſpenſationẽ ab Ordinario & ab Illuſtriſſimo Nuntio Apoſtolico.

57 *Ad Tertium*: Reſpondeo, Fortaſſe expedire vt Inſtitutum illud, qua parte feminas complectitur, poteſtate Ordinarij & Nuntij Apoſtolici omnino tollatur; vel certè, vtex à virorum habitatione penitus ſeparentur.

Vide ſuprà Caſum VIII. vbi fusè oſtenſum eſt, neminem posse esse Religiosum, qui non profitetur ſecundùm Regulam à Sede Apoſtolica approbatam.

CASVS XXII.

Epiſcopus non Religionem, ſed pium Inſtitutum poteſt approbare.

Titius inſtituit domum S. Agnetis, in quâ ſeruetur laudabilis, pia, & bono publico expediens viuendi norma.

Quæritur, *Vtrùm Epiſcopus, in cuius diœceſi ea domus erigitur, poſſit illud Inſtitutum vt tale approbare, commendare, & declarare, illudque aliquibus priuilegijs munire?*

58 Epiſcopus iure proprio poteſt in ſua dioceſi Religionem inſtituere.

REſpondeo, Epiſcopum, cùm ſit Princeps ſacrorum in ſuâ diœceſi, poſſe iure proprio, & ſepoſitâ Eccleſiæ reſeruatione, etiam Religionem nouam in ſuâ diœceſi inſtituendam approbare. Nam primæ Religiones, vt S. Antonij, Baſilij, Auguſtini, Benedicti, non fuerunt initio à Summis Pontificibus, ſed à ſolis Epiſcopis locorum admiſſæ & approbatæ, idque magis ipſo vſu, permiſſione, & commendatione, vel laudatione inſtitui, quàm aliquo ſolemni acta vel inſtrumento. Quòd autem modò non poſſint, prouenit ex ſola Eccleſiæ prohibitione, quâ vetatur nouarum Religionum inſtitutio abſque Sedis Apoſtolicæ auctoritate, vt patet ex Concilio magno Lateranenſi ſub Innocentio III. cap. vltimo *de Religioſis domibus*: & Lugdunenſi ſub Gregorio X. Capit. *Religionum*; de religioſis domibus in 6. Simili modo poterant olim in ſuâ diœceſi quodammodò canonizare Sanctos, & eorum cultum publicè concedere: quod adhuc modò poſſent, niſi Summus Pontifex id ſibi reſeruaſſet.

Sed id modò non poteſt ex prohibitione Eccleſiæ.

Vti neque Canonizare.

Itaque cùm Inſtitutum illud domûs S. Agnetis non eò tendat, vt ſit, aut habeatur Inſtitutum Religionis, ſed ſolùm vt cenſeatur laudabilis, pia, & bono publico expediens viuendi norma, non eſt dubitandum, quin Epiſcopus, in cuius diœceſi erigitur, poſſit illud vt tale approbare, commendare, & declarare, illudque aliquibus priuilegiis munire: certum enim eſt hanc poteſtatem ei iure proprio competere, & nuſquam per decreta Pontificum vel Conciliorum id ei eſſe prohibitum. Simili modo aliquando approbatum fuit inſtitutum *Fratrenſium*, quod tamen, præter tria vota ſimplicia, habitum nouum Religioſis proprium præſcribebat. Vidi ſimilem approbationem factam poſt Concilium Generale Lateranenſe ab Epiſcopo Tornacenſi circa annum Domini 1260. qua confirmatur Inſtitutum & regula *Fratrum hoſpitalariorum*, qui ſeruiunt cuidã hoſpitali Gandaui.

59 Poteſt piũ Inſtitutum approbare.

Ita inſtituti Fratrenſes, & Hoſpitalarij.

60

Vt autem hæc approbatio habeat plus ponderis, bonum erit ſi Regulæ & totum Inſtitutum examinentur diligenter ab aliquot Doctoribus Theologis, quorũ accepto teſtimonio, Epiſcopus auctoritatiuè declaret illud eſſe laudabile, pium, &c. & pro tali illud approbet &c. Alijs rationibus, rem adeò claram, non eſt opus confirmare.

REBELLIO.

CASVS I.

Reſiſtere legitimo Principi vrbem inuadenti.

Vtrùm fidi & legitimi ſubditi degentes in vrbe Regi ſuo iniuſtè rebelli, poſſint illi vel eius militibus vrbem rebellem inuadentibus reſiſtere?

REſpondeo, Id eiuſmodi ciues non poſſe: ſicut nec priuatus poteſt reſiſtere legitimæ poteſtati. Ratio eſt, quia Rex iure vrbem illam inuadit tanquam Iudex legitimus ſubditos rebelles: alioquin daretur bellum vtrimque iuſtum, ſepoſitâ ignorantiâ, quod omnes DD. negant. Nec refert quòd illi ciues non ſint rebelles; nec meriti ſint ſpoliationẽ: quia hoc ipſo quo ſunt pars iſtius Ciuitatis, rex habet ius inuadendi generatim omnes, & ſpoliandi ob delicta Ciuitatis, cuius ipſi ſunt pars: ſi ergo reſiſtant, faciunt ei iniuriam.

Poſſunt reſiſtere prædationi.

Poſſent tamen reſiſtere & ſeſe opponere, ſi miles abigeret prædas, & præſumeretur id facere contra voluntatem ſui Gubernatoris.

Si obijcias regem non præſtitiſſe ſuas partes defendendo ſuos ciues; ac proinde ciues non teneri agere partes regis cum tanto ſuo incommodo. Reſpondeo, regem maximè præſtitiſſe partes ſuas in hac re: Primò, Quando conatus fuit inire pacem, & ſine omni incommodo ſuorum ciuium, rebelles illos ſibi reconciliare, qui tamen pacem renuerunt. Secundò, Quando vix vllas prædationes admiſit, vt lenitate reduci poſſent. Tertiò, Quando

Quando magna vi armorum, quod tamen posset, rebelles non obruit; ex quo maximè passi fuissent fideles isti ciues.

Quid faciant externæ nationes isthic versantes.

Esto tamen: Concedamus fidos illos ciues non teneri pro Rege suo pugnare cum magno suo dãno; tamen non possunt pugnare contra Regem: tum quia manent subditi; tum quia non possunt iuuare rebelles, etiamsi non essent subditi. Vnde etiam externæ nationes isthic versantes, non possunt Regi reluctare, quia hoc est iniquitati cooperari. Qui autem vult esse extra periculum spoliationis, debet se à rebelli Ciuitate separare.

Secretarius in Oppido rebelli subscribens decretis.

CASVS II.

Secretarius cuiusdam Oppidi ab hoste oppressi cum petuntur exactiones pro bello manifestè iniusto, resistit quantum potest, & quia aliorum vota vincunt, scribit decretum, & subscribit ex officio; non vt approbans, sed vt testificans.

Quæritur, *An sic salvâ possit conscientiâ?*

3 Ratio dubitandi.

Videri possit hoc omnino illicitum: Primò, quia videtur esse aperta cooperatio ad malum. Quis enim non dicat talem iuuare ad bellum, & ad exactiones illas iniustas? Deinde, ex vi illius scripti exiguntur iniquæ exactiones: atqui omnium Doctorum sententiâ Notarius tenetur quando conficit instrumentum ex cuius vi petuntur vsuræ. Tertiò, Notarius scribens sententiam capitis apertè iniquam, est irregularis, & tenetur ad restitutionẽ, quia cooperatur ad mortem iniustam. Ob has & alias rationes censeo hoc officium esse periculosum, & omnino dissuadendum.

4 Potest id salvâ conscientia fieri certis conditionibus.

Si tamen non esset alicui integrum, vel nollet omnino deserere hoc officium, videtur posse tolerari, modò scandalum absit, & ille id faciat cum animo impediendi mala, & promouendi causam iustam vbicumque poterit. Ratio est, quia posito illo statu rerum, scribere tale decretum non est per se malum, & Respublica consentit vt faciat, & mauult talem esse in officio, quàm eum qui iniusto bello faueat. Itaque cessat hîc iniuria in Rempublicam; etsi ex vi illius decreti fiat executio: non enim ipse cogit soluere, sed auctoritas Magistratûs, quam ipse suo scripto proponit. Nec etiam facit iniuriam Principi suo naturali seu legitimo: tùm, quia illa actio est solùm remota cooperatio ad bellum, & si ipse non scriberet, alius scriberet; tùm, quia Princeps mauult talem esse quàm alium sibi planè aduersum. Denique oppressâ Republicâ per Tyrannum, non tenentur omnes quæstores, graphiarij, & alij officiales sua officia deponere, etiãsi ipse noua tributa instituat; modò ipsi nihil faciant, quod per se malum sit: nam Respublica mauult vt sint Christiani, quàm Turcæ vel hæretici, modò tamen illi animum habeant, qualem diximus.

Aduocatus in Oppido rebelli consulitus de exactionibus.

CASVS III.

Vtrùm Aduocatus à populo consultus possit respondere ipsum teneri ex vi decreti suprà dicti ad solutionem exactionum pro bello iniusto?

5

Respondeo, Si Aduocato abiit animus patrocinandi iniquitati, & câ mente officio isto fungatur vt mala impediat, & iustitiam, quantum in se est, pro re natâ promoueat, non est in malo statu, poteritque respondere quidnam ex vi talis ordinationis à Magistratibus factæ sequatur, vel debeatur: non quasi hoc absolutè debitum sit sed ex suppositione; v.g. *Sequendo ordinationem talem, ille debet tantum* &c: hoc enim declarare, non est pronuntiare, *Hoc esse iustum, vel debitum in foro conscientiæ*, sed *esse debitũ in foro illius Reipublicæ sic constitutæ*. Accedit, quòd partes in hoc cõsentiant; nam quæstio ea de re inter ipsos vertitur: & quãuis fortè interrogans seu consulens non cupiat id declarari, non refert; quia Aduocatus solùm ex suppositione definit.

Adhibenda est limitatio.

CASVS IV.

Proclamatio precum pro bello iniusto.

Verùm sit illicita proclamatio dicti precum, pro felici successu belli iniusti?

Respondeo, Sepositio scandalo non putarem illicitam esse illam proclamationem; cùm illam Secretarius vel Præco sine amissione officij non possit detrectare: modò felicem illum successum sanè intelligat & intendat; nimirum parti iustam causam fouenti, vt Deus illi felicem successum præbeat: parti iniquæ, vt superetur: id enim illi felicius esset, quàm vincere. Difficile tamen est videre quomodo possit vitari scãdalum: videtur enim cooperari parti bellum iniquum gerenti, & illi victoriam precari.

6 Adhibenda est limitatio.

Aduerte, Vt clariùs securiusque in hoc & similibus casibus procedatur, expedit ipsam verborum formam examinare, qua Secretarius diem precum pro felici successu belli iniusti proclamat.

Collectio vectigalium.

CASVS V.

Ciuitas gerens bellum iniustum, vt gerendo bello pecunias habeat, cogit ciues à se emere census: quos vt soluat, indicit vectigal.

Quæritur, *An quis ex fidis subditis, possit vt redemptor, hoc vectigal colligere?*

7

Respondeo, Posse: Si tamen non cogat soluere eos qui statum illum improbant, & scandalum absit. Ratio est, quia talis redemptor non est causa damni, posito illo statu rerum: & fideles subditi malunt talem aliquem esse istorum vectigalium redemptorem, quàm malenolum vnum, qui iniustum bellum omnino promouere desiderat.

Constructio nauium bellicarum.

CASVS VI.

Vtrùm liceat Ciuitatem rebellem iuuare in constructione nauium, quibus bellum iniustum geret?

8

Respondeo, Cooperari ad ædificationem nauium Ciuitatis rebellis, non est per se malum; cùm habeat vsum indifferentem. Itaque si absit mala intentio, & te cessante æquè bene opus fiet, puto te posse cum alijs manus admouere; præsertim si aliâ ratione non possis commodè victum conquirere. Consultum tamen est abstinere quantum commodè licet.

Transuectio annonæ.

CASVS VII.

Vtrùm liceat transuehere annonam ad naues Ciuitatis rebellis, & ad præsidiarios in oppidis imquè ab ea captis, collocatos?

Respondeo, Cùm transuectio illa annonæ ad naues, & ad præsidiarios in oppidis ab re-

Digitized by Google

belli Ciuitate captis collocatos, per ſe ſit indifferens, & te ceſſante alij plurimi non ſint defuturi, qui eam ſuſcipiant, ceſſante ſcandalo non videtur omnino prohibenda, modò praua intentio abſit: maximè ſi ſine graui iactura vel incommodo non poſſis eam relinquere.

CASVS VIII.

Emptio ſpoliorum iniquè acceptorum.

Ciuitas rebellis gerens bellum in iniſtum, ſub haſta vendit ea ſpolia, quæ à ſubditis legitimi Principis accepit.

Quæritur, *An boni fidique ſubditi inter rebelles iſtos degentes, poſſint ea bona emere?*

10 Affirmatur.

RESpondeo, Spolia illa, quæ Ciuitas rebellis iniuſtum bellum gerens accepit è terris vel nauibus ſubditorum legitimi ſui Principis, videntur à bonis fidiſq; ſubditis inter rebelles illos degentibus emi poſſe eodem modo, quo ab alijs emuntur; cum animo tamen reliquendi ea dominis eodem pretio ſi compareant: ad quos, ſi cognoſcantur, ſcribendum erit, an tali pretio velint illa redimi, quando magnâ quantitate emuntur. Ratio eſt, quia non eſt voluntas dominorum, vt ſoli rebelles & maligni illis frui poſſint, ſed etiam boni fidique ſubditi; tamen cum prædicta limitatione. Valde enim irrationabile eſſet bonos illos ſubditos, vique ibidem oppreſſos, ab illa emptione excludere: ſic enim totum commodum perueniret ad rebelles, abſque vllo dominorum fructu.

11 A ſimili de bonis naufragantiũ.

Confirmari iſta poſſunt ex his quæ habet Nauarrus cap. 17. numero 98. de proiectis in mare per naufragium, ſi domino ita pereant vt non habeat ſpem recuperandi. Hæc enim ſi quis recuperet ſuo periculo, poteſt ea retinere: niſi dominus malit ei pretium reſtituere. Idem videtur ſi ſuo ſumptu recuperet.

Dices, Eſt diſpar ratio: Quia in mari ita perirent, vt dominus nullum ius in illa, vel in alia acquireret. At per emptionem non pereunt, ſed manent in eius dominio: & illis conſumptis, habet actionem perſonalem in emptores.

Reſpondeo, Hoc ius valdè parui æſtimari à dominis, & quaſi pro nihilo reputari: nec eſſe rationabile vt propter illud velint excludi bonos fidoſque ſubditos, aut eorum conſcientias grauari, ſi cum prædicto animo emerint. Addo quando tali animo emunt, non teneri ad reſtitutionẽ cum ſuo damno: quia causâ geſtionis negotij poſſunt repetere pretium & ſumptus factos.

RELIGIOSVS.

CASVS I.

Renocatio factæ donationis ob ingreſſum Religionis.

Titius donauit Caio fratri penſionem annuam ex bonis ſuis. Caius ingreditur Religionem. Offenſus ob hoc Titius donationem reuocat.

Quæritur, *An Caius poſſit priuari illa donatione ob ingreſſum Religionis?*

VT ad Caſum propoſitum clariùs reſpondeatur:

1 Cenſus conſignatiuus quid.

Notandum Primò, Hîc eſſe donationem cenſus, quem Doctores vocant *conſignatiuum*. Datur enim ius percipiendi quotannis certam penſionem ex bonis donatoris in genere, & in defectum ſolutionis obligantur quædam in ſpecie. Quale ius quiſque ſuper ſe & bona ſua in genere, vel in ſpecie conſtituere poteſt, modò ipſe ſui iuris ſit: & hoc ius *Reditus* ſeu *cenſus conſignatiuus* dici ſolet.

Habet naturam rei corporalis.

Notandum Secundò, Tale ius etiamſi ſit quid ſpirituale, non minùs poſſe transferri in alterum, & donari, quàm res corporales, vt agros vel domos: & donatarium non minùs acquirere dominium vel quaſi-dominium talis iuris, quàm rei corporalis donatę, vel venditæ. His poſitis vt certiſſimis & notiſſimis in vtroque Iure.

2 Hæc donatio non poteſt reuocari.

Reſpondeo, Titium non poſſe reuocare illam donationem ſemel factam Caio fratri, ex cauſa ingreſſus Religionis. Ratio eſt, quia hæc donatio fuit valida, & legitimè acceptata, & per eam tranſlatum fuit dominium illius iuris in Caium. Fuit etiam hæc donatio abſoluta, non reſtricta ad vllum ſtatum, vel vitæ conditionem; nullo etiam ſonere grauata. Poſtquam autem ſemel facta eſt donatio aliqua abſolutè, non poteſt ei poſteà vllum onus, vel conditio, vel limitatio apponi abſque conſenſu donatarij, vt communiter docent Doctores. Quòd autem per hanc donationem fuerit tranſlatum dominium in Caium abſolutè, ex eo manifeſtum eſt, quòd integrum ei fuerit hunc cenſum alteri vendere vel donare: quod eſt clariſſimum perfecti dominij ſignum.

3 Non poteſt reuocari ob integreſſe Religionis.

Quòd verò ob ingreſſum Religionis reuocari non potuerit, perſpicuum eſt: Primò, quia tres ſolùm caſus aſſignantur à Doctoribus, in quibus donatio valida acceptata reuocari poteſt. Primò, Ob ingratitudinem donatarij. Secundò, Ob prolem ſuſceptam. Tertiò, Si ſit inofficioſa. Nullus horum caſuum hîc locum habet, vti ſuppono.

Secundò, Quia nemo poteſt ſpoliari re ſibi debita, aut iure quod poſſidet, propter opus bonum & laudabile, quale eſt ingreſſus Religionis. Hoc enim impium & ſacrilegum eſſe docet ſanctus Baſilius in Regulis fuſiùs diſputatis quæſt. 9. & Saluianus lib. 3. de Auaritia, etiamſi prætendatur quòd Religio non egeat. Quòd ſi id impium & ſacrilegum cẽſeat in parentibus denegantibus legitimam portionem filijs Religionem ingredientibus, quam tamen portionem filij nondum poſſident, ſed ſolùm habent ius ad rem, vt loquuntur Iuriſperiti multò magis impium & ſacrilegum erit, ſi quis ſpolietur re quam nunc poſſidebat pleno iure dominij, eò quòd Religionem ingreditur præſertim cùm illa Religio in magna ſit egeſtate, & aliæ circumſtantiæ concurrant quæ hîc allegantur.

4 Tenetur Titius ad reſtitutionem.

Ex quibus benè expenſis, apertè concluditur Titium non poſſe priuare Caium fratrem ſuum bonâ conſcientiâ donatione olim factâ cenſus illius: ſed peccare contra Iuſtitiam, & teneri reſtituere in integrum, non ſolùm ſoluendo in poſterum penſiones annuas, ſed etiam ſoluendo eaſdem penſiones pro annis præteritis quibus non ſoluit, & ſarciendo damnum omne quod Caius ob denegatam ſolutionem per Titium incurrit.

De hac materia vide infra V. Teſtamentum Caſum 1. 2. 3. 4. & 5. Item vide quæ dicta ſunt ſupra V. Bona Eccleſia Caſu 1. 2. 3. 4. & 5.

CASVS II.

Religioſus eſt capax Paſtoratus.

Vtrùm Religioſi Iure communi ſint capaces Paſtoratuum cum venia Superiorum & Epiſcopi illius diœceſis? &, An teneatur Superior eos recipere ſi infamiâ laborent?

EXpendi ea quæ Illuſtriſſima Dominatio Veſtra ex Nicolao Garcia p. 7. cap. 10. num. 17. & ſequentibus, notauerat. Nihilominùs mane 5

in

in ſententia, Religioſos Iure communi eſſe capaces Paſtoratuum cum venia Superiorum, & Epiſcopi illius diœceſis. Hæc enim eſt communis ſententia Doctorum, vt docet Panorm. in Cap. *Quòd Dei timorem*, de Statu Monachorum. Et conſtat ex multis Iuribus 16. quæſt. 1. Ex quibus etiam patet ferè omnibus ſæculis hanc praxim in Eccleſia fuiſſe.

Nec obſtant Auctores quos Garcias in contrarium adducit: tùm, quia pauciores ſunt; tùm, quia illi ipſi docent Epiſcopum poſſe illis concedere, & cum illis diſpenſare vt Paſtoratum habeant. Atqui hęc diſpenſatio ſemper, vel ferè ſemper interuenit. Epiſcopi enim eſt Parochos admittere, & plerumque ipſe etiam eſt collator. Hoc ipſo autem quo admittit, cenſetur diſpenſare. Imò hoc ipſo quo permittit illũ Paſtoratu fungi, eumque non expellit, oſtendit illum eſſe capacem Paſtoratus: Si enim nõ eſt capax, tenetur expellere.

6 Quòd verò ad illum attinet, de quo agitur; ille duobus modis ſe tueri poteſt. Primò, Quòd ab Epiſcopo admiſſus, & tam diu permiſſus fuerit illud munus obire. Secundò poterit ſe tueri per Regulam Cancellarię de Poſſeſſore triennali.

Si tamen infamià laboret de turpitudine, poterit ei indici purgatio Canonica; quam niſi poſſit præſtare, poterit ſuſpendi ab officio, & etiam priuari; quia infamis vtiliter nequit Paſtoratum gerere.

Infamiâ laborantes non tenetur Superior recipere.

Abbas tamen, cùm ſemel ſeparatus ille fuerit à monaſterio, cogi non poteſt vt illum recipiat, ſed manet ille ſub poteſtate Epiſcopi, vt communiter tradunt Doctores ex Cap. *In Parœcia.* 16. quęſt. 1. de quo videndus Nauar. Cap. *Non dicatis.* n. 7.

CASVS III.

Fuga ex monaſterio.

Vtrùm Religioſus fugiens ex monaſterio timore pœnæ, ſit excommunicatus; qui tamen non dimiſit habitum, antequam eo per ſententiam fuit priuatus à Prouinciali & Capitulo? &, An Epiſcopus poſſit vti eius operâ?

7 REſpondeo Primò, Non eſt excommunicatus per hoc quòd fugerit: vt docet Nauarrus Comment. 2. de regularibus num. 61. quia id nullo Iure cauetur.

Secundò, Non eſt etiam excommunicatus quòd dimiſerit habitum, poſtquam à Prælato & Capitulo priuatus eſt habitu & Ordine ob ſua delicta: quia non temerè dimiſit, vt Canon requirit; nam licitè potuit parêre illi ſententiæ. Vnde etiam potuit vti habitu Clericali, ſine vlla diſpenſatione Papæ: vt idem Nauarrus docet Comment. 6. num. 36.

Tertiò, Poteſt Epiſcopus vti eius operâ, & dare illi nouam iuriſdictionem. Non tamen poteſt vti eâ iuriſdictione quam habuit à Religione; nam hæc per dimiſſionem eſt extincta.

CASVS IV.

Obligatio Statutorum Monaſticorum S. Benedicti.

Vtrùm omnia illa quæ in Clementina Ne in agro, *de Statu Monachorum. Et Cap.* Cùm ad monaſterium, *eadem in 3. imperantur Monachis Benedictinis, eos obligent ad peccatum mortale?*

8 REſpondeo, Non omnia obligare. Tum, quia non omnibus adhibetur verbum præceptiuum: tum, quia materia in pleriſque eſt leuis: tum denique, quia principalis intentio non eſt vbique ſingulos actus prohibere, ſed conſuetudinem & continuationem. Vnde, etſi dicatur, *Firmiter inhibuimus ne quis de cetero Monachorum lineis camiſiis vteretur*, non tamen putandum eſt, ſi ſemel, bis, terue quis vtatur talibus, fore peccatum mortale: quia materia videtur leuis, & intentio Pontificis eſt conſuetudinem prohibere. Videtur tamen fore peccatũ mortale ſi ordinariè vtatur: quia materia videtur grauis, & aliàs apponitur verbum præceptiuum. Fortè tamen verius eſt ne quidem tunc obligare ſub peccato mortali: ſic enim ſentit Siluеſter Verbo *Religio*, 7. quæſt. 15. ex Archidiacono: quia nõ videtur maioris momenti quàm comedere carnes, quod tamen non eſt mortale, vt multi Doctores docent. Verba præceptiua non ſemper indicant præceptum perfectum obligans ſub peccato mortali.

Vſus lineæ camiſiæ.

9 Quæ verò dicuntur de ſilentio certis locis & horis ſeruando: de non veſcendis carnibus in refectorio: de modo ſuccurrendi inferioribus: puto non obligare niſi ad pœnam ſeu caſtigationem regularem ſuſtinendam: quia nulla ponuntur verba quæ ſtrictum præceptum ſignificent. Eiuſdem generis cenſeo eſſe ea quæ habentur Clementina *Ne in agro*, de Statu Monachorum, §. *Statuimus.* hoc enim verbum iuxta Doctores non ſignificat præceptum: Item ea quæ §. *Sanè*, De menſtrua confeſſione & communione, & expoſitione regulę lingua vulgari. Vnde initio §. *Si quis*, dicitur, *Si quis præmiſſorum temerarius violator exiſterit regularis ſubiaceat diſciplinæ.* Nec obſtat, quòd §. vltimo, dicitur, *Præmiſſa omnia expreſsè volumus & ſtatuimus firmiter obſeruari*: quia hæc verba non ſignificant præceptum, ſed ſtatutum.

Silentium certis locis & horis, &c.

Confeſſio & Communio menſtrua.

10 Maior difficultas eſt de ijs quæ habentur §. *Si quis*, de Sotularibus altis; de Caputijs non fiſſis: de venatione clamoſa: quia pœnæ quædam imponuntur. Sed hæ pœnæ non ſunt adeò graues vt requirant peccatum mortale.

De Sotularibus, caputiis & venatione.

Alia eſt ratio de ijs quæ habentur §. *Quia verò*: nam verba ſunt præceptiua, & grauis pœna imponitur. Idem dico de ijs quæ habentur §. *Ad hæc.* quia dicitur, *Perpetuo prohibemus edicto.*

11 Petes: Vtrùm poſito quòd ſingula ſuprà dicta cadant ſub præcepto obligante ad culpam mortalem: ſi alibi tanta obligatio non ſit in vſu, vel Religioſis ante profeſſionem non ſit inſinuata, poſſit eadem adhuc vim obtinere?

Obligatio mortalis poteſt conſuetudine fieri venialis.

Reſpondeo, Sicut lex poteſt abrogari per conſuetudinem, ita etiam poteſt abrogari obligatio: ſi nimirum ſenſim incipiat lex ſeruari tanquam res libera, nemoque putet ſe vinculo peccati teneri ſi omiſerit. Non tamen ſufficit quòd mihi profitenti hæc obligatio inſinuata non fuerit: quia hoc ipſo quo inferor profeſſione alicui monaſterio, tacitè ſuſcipio omnes leges & conſuetudines illius; idque cum ea obligatione, quâ ibidem vigent.

CASVS V.

Superior tenetur ad Religioſam reformationem, non obſtante ſuo iuramento in contrarium.

Prælatus Arſenius *in ſua inauguratione iuranit*, Quòd bonas conſuetudines, laudabiles & approbatas monaſterij obſeruabit, & obſeruari curabit: *& in fine iuramenti additur hæc clauſula* Præmiſſa per me lecta, promitto tenere & adimplere, prout & in quantum iure teneor. Quæritur, *An ſalvâ iſta iuramenti poſſit conſuetudines quaſdam minùs laudabiles, & Religioni incongruas, quæ tamen immemorabili tempore ſeruatæ ſunt, abrogare?*

12 REſpondeo, Prælatum *Arſenium* per illius iuramenti formulam, nullo modo impediri,

Affirmatur.

quin possit & debeat procedere in reformando suo monasterio, & tollendis quibusdam consuetudinibus etiam immemorialibus, quarum in articulis à Religiosis propositis, fit mentio.

Primò, Quia Abbas solùm iurat *quòd bonas consuetudines, laudabiles & approbatas monasterij obseruabit, & obseruari curabit.* At illæ consuetudines, quas ipse cupit tollere, quarum mentio fit in articulis, non sunt *bonæ & laudabiles*: vt est illa de Taillis & Contingentibus, de mensis separatis, de trimestri recreatione nouem dierum, de absentia à choro post certum annorum numerum in religione transactum, & similia. Sunt enim apertè contra regulam, quam sunt professi: nec solùm contra regulam, sed etiam contra vitæ regularis rationem & essentiam; & continent in se vel violationem votorum, vel illius violationis aut certè peccati mortiferi periculum. Vnde non consuetudines bonæ, sed tanquam corruptelæ sunt censendæ.

13 Si conditio non inest promissioni, iuramentum superueniens non obligat.

Secundò, quia in iuramento additur hæc clausula: *Præmissa per me lecta promitto tenere & adimplere, prout, & in quantum iure tenetur.* Per quam clausulam omnia restringuntur ad ea duntaxat, ad quæ aliàs iure tenebatur. Itaque cùm nullo iure, sepositò iuramento, teneretur illas consuetudines seruare aut permittere, iuramentum superueniens nullum vinculum inducit: quia solùm est accessorium, supponens obligationem iuris, ratione officij; quæ obligatio cùm non subsit, nihil etiam subest quod iuramento confirmetur. Sicut cùm quis promittit, & iurat soluere vsuras in quantum iure tenetur, nullam per hanc promissionem aut iuramentum obligationem contrahit: secùs tamen esset si illa clausula; *in quantum iure tenetur*, abesset.

A simili de vsuris.

Confirmatur, Quia illud, *in quantum iure tenetur*, vim habet cõditionis, *si iure tenetur*: atqui conditione non subsistente, sub quâ iuramentum est præstitutum, perspicuum est ipsum esse irritum, & nullam prorsus inducere obligationem.

14 Tertiò, His addo, etiamsi Prælatus expressè iurasset se seruaturum omnes illas consuetudines iam dictas, tamen nullo modo teneretur sed posset & deberet illas tollere, modò facultas exequẽdi suppetat. Ratio est, Quia iuramentum non potest esse vinculum iniquitatis. Atqui iniquum est & illicitum vt Superior illas consuetudines seruet, aut seruari curet, aut permittat. Item, Nemo potest se iuramento obstringere ad aliquid, quod repugnat ipsius officio, seu ad cuius contrarium ex officio tenetur: atqui Prælatus ex officio tenetur ad tollendas huiusmodi consuetudines; quia tenetur reformare suum monasterium, & ad veterem disciplinam reducere, vt statuit & præcipit Concilium Tridentinum sess. 25. cap. 1. de Reformat. Vnde, sicut si iuramento promitteret se non reformaturum suum monasterium, iuramentum esset planè irritum; ita etiam irritum esset, si promitteret se consuetudines illas seruaturum, aut permissurum ab alijs seruari.

Iuramentum non est vinculũ iniquitatis.

15 Denique, nullum iuramentum potest obligare contra bonum commune, aut contra decreta Conciliorum, vel Summorum Pontificum, aut aliorũ legitimorum Superiorum: quia auctoritas Superioris semper censetur excepta circa materiam illi subiectam.

Iuramentum contra bonum commune non obligat.

Ex his luce meridianâ clarius est, iuramentum illud nullo modo impedire Prælatum, quin possit & debeat reformationem sui monasterij instituere, & suprà dictas consuetudines, quantum in ipso erit, è medio tollere.

CASVS VI.

Reformatio à Nouitijs inchoanda.

Vtrùm Prælatus Arsenius *possit suis Nouitijs iam professionem emissuris, hanc formulam promissionis & renuntiationis proponere, & exigere ab ijs scriptum, quo testentur se in eam consensisse?*

16 Formula à Nouitijs proposita in ordine ad inducendam reformationem.

FOrmula est huiusmodi: *Ego, N. Nouitius Religionis monasterij* S. Paphnutij *professionẽ solemnem ibidem hodie emissurus, cùm à Reuerendo admodũ in Christo Patre ac Domino D. Arsenio dicti monasterij Prælato, iuxta Statuta Synodi nuperrimè celebratæ, de voluntate mea circa obseruationem regulæ, & reformationem examinatus essem, tam secretò & particulariter, quàm publicè coram toto Conuentu; respondi & respondere paratus sum, id quod præsenti scripto sincerè & ex animo respondeo & testor, me paratum esse & fore, vt quouis post meam professionem tempore, obseruem, Deo dante, totam ac integram Regulam* S. Paphutij. *Itẽque decreta ac reformationes non tantùm factas, sed & ex regulâ aut secundùm regulam prædictã ad meliorem eius obseruationem faciendas: quæ omnia finer esistentiâ, contrauentione, aut contramachinatione amplectar: & obseruabo quandocunque à S. Sede Apostolica, Nunitijs eius, vel à Synodo, aut à præfato Domino nostro Prælato, aut alio pro tempore existente fuerit iniunctum aut præceptum.*

Et ne huic præsentis bonæ voluntati impedimentum posteà interueniat; declaro præsenti eodem scripto, me desiderio perfectæ subiectionis ac paupertatis Christi Domini imitandæ permotum, renuntiare omni iuri & prætensioni iuris ad certas portiones, aut portionis quãtitates, aut qualitates in cibo aut potu: ad vestitus pretium seu taxam: ad vina seu emolumenta ex officijs & laboribus: ad certas recreationes, exemptiones ab officijs diuinis, aliisque regularibus: demum cuicunque iuri quomodocunque orto, renuntio in præsens, & futurum: voloque haberi incapax huiusmodi iuris acquisiti vel acquirendi: ita vt nullo prætextu vel colore quidquam mihi vt debitum postulare vnquam possim aut valeã.

Promittoque me fore contentum nuda & sola Regulæ prædictæ, & Reuerendi Domini pro tempore Prælati mei dispositione: quam, vt à Deo profectam, ipso auxiliante, æquo semper animo & gaudente suscipere conabor. In cuius rei fidem & testimonium, hoc scriptum manu propria subsignaui, hac die &c.

17 Oppositio quorundam contra prædictam formulam.

Quidam ex dicto monasterio contendunt hanc formulam non posse à Prælato Nouitijs proponi; imò eam irritam esse & nullam; & volunt vt Prælatus per instrumentũ eam irritam declaret: *Quia* inquiunt, *est actio purè personalis inter contrahentes contraria priuilegijs & cõsuetudinibus antiquis & immemorabilibus huius domus: addentes, se non reputare illos Religiosos ad aliud obligatos, quam ad id, quod verbaliter in Capitulo promiserunt iuxta nuperam Synodum, Quæ dicit debere eos examinari de voluntate obseruationis Regulæ, non obligans eos vt id scripto suo testentur.*

18 Sententia Auctoris pro prædicta formula.

Expensis sacris Canonibus & in primis S. Oecumenici Concilij decretis, & communi Doctorum de Statu regularium doctrina: Respondeo non videri vllum dubium quin Prælatus huiusmodi formulam suis Nouitijs proponere possit; & exigere ab illis vt scripto testentur se in illam cõsensisse. Primò, Quia in hac formulâ nihil habetur, quod non contineatur implicitè in ipsa professione, & ad quod, cùm quis accedit ad profitendum, non debeat esse paratus. Quod patebit, si singulæ eius clausulæ considerentur.

1. Religiosus tenetur ad obseruationem Regulæ.

Prima est, *Qua testatur se esse & fore paratum ad seruandum totam Regulam* S. *Paphnutij*. At commune est omnibus Religiosis vt regulam sui Ordinis seruare

seruare parati esse debeant; & in omnibus Ordinibus benè constitutis sæpiùs à singulis exq uiri solet, An regulam Ordinis integrè parati sint seruare. Imò hoc ipso quo quilibet votum obedientiæ in professione emittit, obligat se ad parẽdum omnibus, quæ secundùm Regulam præcipientur; vt omnes Doctores tradunt: D. Thomas quod lib. 1. qu. 9. art. 4. & quod lib. 10. art. 10. & 2. 2. qu. 186. art. 9. ad 1. Siluester V. Religio 1. num. 8. & 10. & Religio 6. num. 6. vbi dicit; *Si Prælatus præcipit secundùm Regulam, id est, secundùm contenta in regula explicitè vel implicitè, vt sunt omnia sine quibus ordo regularis, & plenior eius obseruantia conseruari nõ posset, obedire tenetur secundùm omnes:* nimirum ex *vi voti obedientiæ*, vt ibidem explicat.

Neque his obstat quòd aliqua fortè in regula per legitimam dispensationem sunt sublata, vel mutata; quia de his non agitur, si quæ talia sint; sed de alijs quæ essentiam instituti Regularis vel morum decentiam magis attingunt, & praua consuetudine sunt abolita, vt nu. 10. dicetur. Neque tamen hîc exigitur, vt regulam statim integrè, etiam quoad ista, seruent, & omnes illas consuetudines regulæ repugnantes deferant: sed solùm vt parati sint eam integrè seruare, & illas consuetudines religioso statui minimè congruentes relinquere, quando legitima auctoritate reformatione inducta, præcipietur.

19 2. Tenetur ex voto Obedientiæ ad legitimas reformationes.

Secunda est, *Quatestatur se etiam esse & fore paratum ad seruãda decreta & reformationes iustas factas, tum legitima auctoritate faciendas; idque sine resistentia & contramachinatione.* Sed & hæc clausula iustissima est: quia ad hoc totum omnis bonus Religiosus semper paratus esse debet, & per votum obedientiæ se ad hoc totum obligat. Quia eo ipso quo vouet obedientiam, obligat se ad omnia quæ præcipientur & ordinabuntur contentaneè ipsi regulæ: vt omnes Doctores tradunt.

20 3. Tenetur renuntiare iis, quæ repugnant Paupertati.

Tertia est, *Declaro me renuntiare omni iuri & prætensioni iuris ad certas portiones, aut portionis quantitates, aut qualitates in cibo & potu, ad vestitus pretiũ seu taxam, ad vina seu emolumenta ex officijs & laboribus; ad certas recreationes, exemptiones à diuinis officijs & obseruantijs alijs regularibus; & volo haberi incapax huiusmodi iuris*, &c. Hæc omnia iustissima sunt, & statui religioso intrinseca: quia ex vi voti Paupertatis in professione emissi, omni iure ad pecuniam, & ad res pecuniâ æstimabiles se spoliat quilibet Religiosus, & fit incapax talis iuris. Et ex voto Obedientiæ, priuat se iure ad actiones & recreationes externas. Vnde prætendere ius ad pecuniam, vel res temporales, pecuniâ æstimabiles, vt ad certam quantitatem vel qualitatem cibi, ad vestitus pretium, ad emolumenta ex officijs diuinis &c. ita vt de his independenter ab arbitrio Prælati possis disponere, nec Prælatus possit ea tibi auferre, est manifestè contra votum Paupertatis; estque vitium proprietatis, quod tantopere sancti Patres in religiosis semper sunt detestati. Simili modo prætendere ius ad certas exemptiones à choro, ad recreationes & ambulationes per villas & agros &c. est contra votum Obedientiæ: quia est nolle subesse Superiori in istis actionibus. Sicut enim Paupertas religiosa postulat vt in vsu omnium rerum externarum, quæ pecuniâ æstimantur, pendeat Religiosus à voluntate Superioris, ita vt Superiori liberum sit res istas auferre, earumque vsum prohibere; ita Obedientia postulat vt in omnibus actionibus externis in agendo & cessando ab actione pendeat à nutu Superioris, ita vt Superiori liberum sit illam actionem permittere vel non permittere, & exemptionem ab aliquo onere communi concessam reuocare.

Religiosus in omnibus pendet à Superiore.

Hæc omnia ita clara sunt in verâ Theologiâ, vt nullus de ijs dubitare possit, omnibus Doctoribus, sine discrepantia vlla, consentientibus. Itaque solùm vnum, vel alterum adducemus. Martinus Nauarrus scribens in illa verba regulæ S. Augustini: *Non dicatis aliquid proprium* &c. Comment. 1. n. 24. *Paupertas*, inquit, *seu Expropriatio quæ omnino necessaria est ad Religionis substantiam & essentiã, debet esse Primò, interior, qua quis sponte vult omnino carere omni iure pecuniario suo, etiã quatenus est instrumentum exercendæ virtutis, Secundò debet esse comitata paupertate exteriori, de qua infrà n. 12. Tertiò, vt non solùm sit voluntaria omniũ vel aliquorũ iurium pecuniariorum præsentium vel futurorum, sed absolutè omnium.* Et infrà dicit omnes Religiosos facere huiusmodi donationes & renuntiationes (nimirum omnium rerum & iurium suorum) expressas vel tacitas adeò necessariò, vt alias non essent Religiosi. Cap. *Non dicatis*, 12. q. 1. & Cap. *Cùm ad monasterium*, de statu monachorum. Nauarrus.

Ne quis autem putet per *ius pecuniarium* solùm intelligi ius ad speciem pecuniæ numeratæ, idem Nauarrus eodem Comment. 1. n. 16. sic ait: *Pecuniæ appellatione non solùm venit pecunia numerata, sed etiam quidquid eâ est æstimabile.* d. Capitulo *Totum.* 1. quæst. 3. & l. *Pecuniæ nomine, non solùm pecunia numerata, sed etiam omnes res tam soli, quàm mobiles, & tam corpora quàm iura continentur*: x. De verborum significatione; *qua probat etiam iura, puta obligationes & actiones, pecuniam dici*; vt ponderauit Glossa d. Cap. *Totum.* Quid sit ius pecuniarium.

Ex quibus patet Religiosum, qui res pecuniâ æstimabiles, vel ius ad illas retinere vult independenter ab arbitrio sui Prælati, nõ minùs esse proprietarium, quàm eum, qui pecuniam retinet.

Silu. V. Religio. 6. n. 7. explicans ad quid obliget votum Paupertatis: *Monachis*, inquit, *prohibitum est sub terribili præcepto habere proprium*: De statu monachor. Cap. *Cùm ad monasterium*, & Cap. *Monachi. Quod quidem proprium sumitur tripliciter. Primò, secundùm Mollicnsem, vt importat dominium rei iustis modis acquisitæ. Secundò, pro dominio vsurpato: & sic quantum ad Religiosus. Proprium secundùm Archidiaconum post Ioannem Andreã, dicitur, Quidquid celatur Abbati, vel alij Prælato suo, vel contra eius voluntatem tenetur.* Et infrà, dicit non posse Summum Pontificem dispensare cum Religioso manente Religioso, vt possit vti re aliqua ad libitum propria auctoritate absque dependentia ab arbitrio Superioris. Quod etiam docent S. Thomas, Paludanus, Archidiaconus, quos ibidem citat. Siluester. Proprium tripliciter sumitur.

Quarta clausula est. *Promitto me fore contentum nudâ & solâ regula supradictâ, & Reuerendi Domini pro tẽpore Prælati mei dispositione; quã vt à Deo profectam, ipso auxiliante, æquo semper animo & gaudenti suscipere conabor.* Nihil est hîc quod non sit summè laudabile, quodque professio Religiosa non exigat, & ipsa regula non requirat. Capite enim 3. dicitur, *In omnibus omnes magistram sequantur regulam, neque ab ea temerè declinetur à quoquam. Nullus in monasterio proprij sequatur cordis voluntatem; neque præsumat quisquam cum Abbate proterue intus vel foris contendere.* Et cap. 5. *Primus humilitatis gradus est obedientia sine mora: hac conuenit his, qui nihil vt aliquid imperatũ fuerit à Maiore, ac si diuinitùs imperetur, moram pati nesciunt in faciendo: de quibus Dominus dicit, In auditu auris obedierunt mihi*, &c. 21 4 Tenetur obedire dispositioni Superioris.

Quinta est. *In cuius rei fidem & testimonium hoc scriptum manu propria subsignaui.* Meritò hoc exigitur, vt si fortè contingat Religiosum fiacescere, 22 Clausula quare rectè addita.

ad laxiora diffluere, & velle resistere reformationi possit suo scripto conuinci & confundi. Multi enim magno cum feruore incipiunt, sed posteà vel sponte languescunt, vel ab alijs corrumpuntur, & disciplinę religiosæ iugum nituntur excutere: vnde bonis Prælatorum studijs disciplinam instaurare conantiũ se opponunt; sicque fit vt prauæ cõsuetudines confirmentur, & omnis reformatio impediatur. Itaque non satis erat hanc formulam ab illis suscipi; sed oportebat vt etiam posteris temporibus constaret quid suscepissent, ad quid se expressè paratos ostendissent; ne auderent disciplinæ reformationem impedire.

23 Conclusio. Ex his perspicuum est D. Prælatum potuisse hanc formulam à suis Nouitijs exigere, & petere vt scripto testarentur se illam per omnia admittere: neque solùm id potuisse, sed etiam debuisse facere: quia cùm teneatur Iure diuino ad reformationem sui monasterij, & hoc medium videatur necessarium ad hanc reformationem aliquando suauiter introducendam, tenetur illud amplecti; præsertim cùm sit valdè suaue, & nihil noui oneris adferat, quod ex ratione professionis secundùm regulam non insit, & à Nouitijs non libenter suscipiatur. Quisque enim tenetur vti medijs ad finem propositum opportunis. Confirmatur, quia Synodus huius religionis nuper celebrata præcipit substantiam huius formulæ his verbis: *Is qui admittentur in his monasterijs, examinari debebunt si parati erunt post professionem diligenter obseruare Regulam, decreta & reformationes, non modò factas, sed etiam quæ fient in posterum; & in eo acquiescere quod à Summis Pontificibus, eorum Nuntijs, & Synodis statuetur.* Hic expressè habes omnia, quæ continentur primâ, secundâ, & quartâ, clausulâ formulæ, & implicitè quæ in tertiâ.

Hæc formula est conformis Synodo Prouinciali.

Nec obstat quòd Synodus non iubeat scriptum exigi: quia etiam non prohibet, sed hoc relinquit prudentiæ prælati. Nemo enim dubitare potest quin is qui iure exigere potest aliquam promissionem vel declarationem sui propositi, possit etiam huius actus petere testimonium in scriptura: Scriptura enim non imponit nouam obligationem, sed solùm præbet testimonium rei transactæ, & valet ad conarguendum mendacium, si fortè alter velit negare quod fecit.

Vtilitas propriu scripti.

24 Soluuntur Obiectiones num. 17. relatæ. Ex quibus patet quàm friuolum sit quod suprà num. 17. obiectum est. Synodus prædicta non obligauit eos vt scripto suum actum testentur: ergo prælatus non potuit hoc exigere. Item, Ergo formula illa est irrita declaranda. Nulla enim hîc est rationis connexio: quia etiamsi Synodus nihil de totâ re statuisset, prælatus tamen sua ordinaria auctoritate poterat totam illam formulam à suis Nouitijs exigere; sicut & quilibet alius Superior alterius religionis; vt ex suprà dictis est manifestum.

Non minus infirmum est illud: *In illa formula est actio purè personalis inter contrahentes*, nimirum inter Abbatem & Nouitium: *ergo est inualida.* Esto, sit actio purè personalis inter contrahentes: an ideò scripto fieri non poterit? aut si scripto fiat ideò erit inualida? Vt interim omittam non esse purè personalem, cùm Abbas vices suas alteri committere possit. Sed neutrum planè ad rem pertinet. Si dicant se non in hoc vim facere, sed in eo quod sequitur, nimirum: *Quòd sit actio contra priuilegia & consuetudines antiquas & immemorialibus huius domus*, Hoc certè magis erat explicandum. Non enim putamus vllum in orbe esse monasterium, quod ex priuilegio Sedis Apostolicæ (cuius est priuilegia dare Ecclesijs & monasterijs exemptis) habeat, vt Prælatus non possit à Nouitijs suis ista exigere. Cui enim id esset priuilegium seu beneficium? Non Abbati, vt, cui potestas ordinaria maximè intrinseca officio, suspenditur. Non monasterio, quia aperit portam ad ruinam & totius disciplinæ euersionem. Quid enim magis noxium esse potest monasterio, quàm Nouitios debere admitti sine accurato examine & exploratione voluntatis circa totam regulam &c; & si obiter examinentur, non posse huius rei peti scriptum testimonium?

CASVS VII.

Religiosus. vouendo intendens Prælaturas vel officia.

Vtrùm si quis Religionem Mendicantium sit ingressus cum animo vt fiat Prior, vel Procurator, vel vt certo loco habitet, professio eius sit valida, ita vt, si postea prætextu illius finis non obtenti egrediatur non sit verè apostata & excommunicatus?

25 Intentio superueniens professioni, non potest eam vitiare

Respondeo, Iste religiosus vel concepit animum illum post professionem seu vota emissa, vel ante. Si post professionem concepit, non potest vllo modo professionem & promissionem antecedentem Deo factam infirmare. Multi enim sunt in religionibus, qui post professionem ita sunt affecti, vt nollent profiteri, si res adhuc integra esset, nisi hanc vel illam libertatem, hoc vel illud officium, hunc vel illum locum puarent sibi concedendum: non tamen idcircò laxari potest illorum promissio, quæ absolutè facta. Idem cernitur in alijs omnibus contractibus humanis, vbi non licet pœnitere, etiamsi quis videat se grauari contractu, quando aliàs legitimè celebratus est. Nec refert quòd dicat, Si tale quid sciuissem fore, noluissem me obligare, noluissem contrahere: quia talis conditio nihil ponit in re, cùm non extiterit; ac proinde contractum non potest irritum reddere, qui absolutè & absque eiusmodi conditione initus est.

26 Intentio ante professionem triplicitèr se potest habere.

Quòd si habuit animum illum ab initio ante professionem seu votorum emissionem, id tripliciter fieri potuit. Primò, vt intenderit tale officium, vel commorationem in tali loco tamquam finem principalem: vt si quis tantummodò moueatur desiderio Prælaturæ, vel similis officij ad se mancipandum religioni. Secundò, vt solùm ei fuerit finis secundarius, vel potiùs causa sine quâ non: vt si ingrediatur quidem principaliter vt Deo seruiat, non ingressurus tamen, nec professionem facturus, nisi simul putaret fore vt eligatur in Priorem vel Procuratorem. Tertiò, vt sub hac conditione ingressus & professus fuerit.

1. Si intendat Prælaturam vt finem principalem.

Si primo modo intenderit tale quid consequi, omnium Doctorum sententia est, professionem esse ratam; ac proinde non posse absq; peccato apostasiæ & excommunicationis egredi, etiamsi id quod intendit, non consequatur. Vide Caietanum q. 88. a. 2. Sotum lib. 7. q. 1. a. 3. dub. 1. assert. 2. Azor. lib. 11. cap. 15. dub. 3. Nauarrum c. 12. n. 32. & alios. Ratio est, quia etiamsi tale quid intenderit cõsequi in Religione, & tali intentione motus fuerit ad vouendum; tamen absolutè vouit, & vouit illud quod melius est Deoq; gratius, quàm eius contradictorium. Vouit enim Paupertatem, Castitatem, & Obedientiam perpetuam seruare in Religione, sicuti ceteri seruant: quod sine dubio Deo gratius est, quàm oppositum: & consequenter promissio eius facta Deo inducit insolubilem obligationem. Quod confirmatur à simili: Quia si quis voueret Deo ædificare templum vel monasterium, etiamsi ad id moueretur vanâ

vanâ gloriâ vt nomen ipſius apud omnes celebretur; tamen omnium iudicio tenetur voto, nec poteſt reſilire, etſi intentionem illam mutare debeat. Quia quod Deo promiſit, bonum eſt, & melius quàm oppoſitum. Ergo ſimiliter obligatur qui vouit in religione eo animo vt aliquando fieret Abbas, Prior, vel Procurator.

2. Si eam intendat vt finem ſecundarium.

Hinc patet etiam obligari, Si ſecundo modo ſe habuerit in vouendo, proponendo ſibi tale officium tanquam cauſam ſine qua nollet vouere, niſi putaret ſe conſecuturum: quia tunc ex bona intentione motus fuit ad vouendum, & iſte animus non facit vllo modo vt id quod vouetur, malum ſit exequi, aut minus bonum quàm eius oppoſitum; ſed eſt quiddam comitans actum vouendi, nullo modo ipſum votum inficiens. Si enim finis principalis non reddit votum irritum, multò minùs id facit finis ſecundarius.

3. Si eam intendat ſub conditione: idq; dupliciter,

Si tertio modo ſe habuerit in vouendo, fieri id potuit dupliciter: Primò, vt vouerit Paupertatem, Caſtitatem, & Obedientiam Deo, ea lege vt religio viciſſim ei promittat quòd ipſum faciet Priorem vel Procuratorem &c. ita vt ſic contractus quidam inter ipſum & Religionem: & ſic debuiſſet mentem ſuam religioni explicare. Non enim poteſt iniri contractus, niſi vtraque pars conſentiat, ac proinde vtrimque debent conditiones explicari. Hoc modo quidem non teneretur, ſed votum eſſet planè abſurdum & irreligioſum, & cum graui peccato fieret. Secundò, vt vouerit hæc, ea lege apud ſe ſtatuendo vt nolit obligari niſi in euentũ futurum; nẽpe, niſi contingeret ipſum fieri Priorem vel Procuratorem, & in eo officio continuari, ita vt ſi non continuetur, ceſſet obligatio. Hoc modo obligatio voti eſſet ſuſpenſa vſque ad impletionem euentus futuri, & duraret tantùm durante illo euentu, & ceſſante euentu ceſſaret: quæ ratio vouendi eſſet abſurda & impia. Accedit, quòd in foro externo nunquam admitteretur qui vellet allegare ſe hoc animo, & hac tacita conditione vouiſſe: Nullus enim eſt qui non poſſet tales intentiones & prætextus allegare. Denique talis conditio cùm ſit abſurda, & contra perfectionem religioſam, haberetur pro non oppoſita.

Reſtitutio famę.

RESTITVTIO.

CASVS I.

An qui bonâ fide alterum infamauit, teneatur ad reſtitutionem? Item, *An Superior poſſit condonare infamiam ſuo ſubdito factam?*

Ad Primum: reſpondeo, Qui bona fide procedens aliquem infamauit, non tenetur ad reſtitutionem, ſecundùm Doctores, ſi non poteſt eam facere ſine ſuo graui incommodo: ſi autem ſine tali incommodo poſſit, tenetur: ſicut qui damnum alteri intulit ſine ſua culpa graui, non tenetur compenſare domino cum graui ſua impenſa. ratio eſt, quia ille infamator non tenetur ratione iniuſtæ læſionis, cùm non fuerit formalis iniuſtitia; neque ratione rei acceptæ, quæ neque extat, neque poteſt reparari ſine graui incommodo.

Ad Secundum: reſpondeo, Superior, iuxta quorundam probabilem ſententiam, poteſt condonare infamiam illatam inferiori: præſertim ſi iuſta cauſa intercedat. Alioquin verius puto condonationem non valere; quia religioſus non ceſſit iure famæ ſuæ, vt rectè docet Nauar. Comment. 2. de Regul. n. 2.

CASVS II.

Dilatio reſtitutionis ne coniectura fiat de fure.

Petitur differt reſtitutionem furti: Primò, ne per eam fiat coniectura de auctore furti. Secundò, ne per hanc coniecturam (reſtitutionem faciente Confeſſario) violetur ſigillum confeſſionis.

Quæritur, An ſit cauſa ſufficiens differendi reſtitutionis?

3

Reſpondeo, Non apparet vlla ratio cur pecunia illa non ſit ſtatim reſtituenda. Quia ex ipſa reſtitutione non magis innoteſcet auctor furti, quàm anteà innotuerat. Neque Domina illa facta reſtitutione, magis certa erit de auctore, quàm erat cùm furtum fuit commiſſum, vel cùm Confeſſarius ille indicauit ſe poſſe efficere vt fiat reſtitutio.

Coniecturę de auctore furti ex reſtitutione per Confeſſarium, non violat ſigillum.

Accedit, quòd Confeſſarius qui à pœnitente accipit aliquam pecuniam nomine eius reſtituendam, non violet vllo modo ſigillum confeſſionis illam reſtituendo, etiamſi perſona cui fit reſtitutio, inde coniecturam aliquam factura ſit de auctore: quia nemo violat ſigillum faciendo id ad quod obligatur ex iuſtitia, modò prudenter & circumſpectè id agat. Quòd ſi inde capiat dominus rei aliquam coniecturam de auctore furti, id planè per accidens ſequitur ex illo facto; nempe ratione alicuius circumſtantiæ, vel facti quod anteà notum erat.

Neque idcircò cenſendus eſt Sacerdos vllo modo violare ſigillum confeſſionis. Quod etiam ex eo clarè conuincitur: Nam obligatio reſtitutionis non oritur ex vi Sacramenti Pœnitentiæ, aut ex præcepto Confeſſionis, ſed ex iure naturæ. Vnde etiamſi non eſſet à Chriſto inſtitutum hoc Sacramentum, nihilominùs auctor furti teneretur vel per ſe, vel alium reſtituere, etiamſi inde oriretur aliqua ſuſpicio de ipſo auctore apud dominum rei. Et ſicut tunc ſi per alium reſtitueret (v. g. per Titium Sacerdotem cui non fuit confeſſus) ille non cenſeretur violare ſecretum naturæ, etiamſi oriretur inde ſuſpicio de fure: ita modò dum reſtituit per Titium cui fuit confeſſus, Tutius non cenſetur violare ſecretum confeſſionis, etiamſi talis ſuſpicio ex reſtitutione oriatur.

4 A ſimili.

Idem ex alio capite Confirmatur; quia quando interuenit conſenſus pœnitentis, non violatur ſigillum: vt quando pœnitens cupit vt Confeſſarius conferat de caſu dubio cum certo Doctore cui fidit; tunc enim poteſt cum illo conferre adhibita circumſpectione, etiamſi putet Doctorem coniecturum in animo de quo agatur: ergo multò magis ſi committatur illi reſtitutio facienda ęcæ perſonæ, poteſt illam facere, etiamſi perſona illa conijciet auctorem: quia actio illa fit ex conſenſu & commiſſione pœnitentis.

Denique hæc reſtitutio non poteſt vllo modo odioſam reddere confeſſionem, cùm iure naturæ ſit debita: ac proinde non poteſt cenſeri vllo modo violatio ſigilli. Omnis enim violatio ſigilli odioſam reddit confeſſionem.

Ex quibus patet nullam probabilem cauſam hic ſubeſſe, cur iſta pecunia non debeat ſtatim reſtitui.

CASVS III.

Acceptio pignoris ab eo qui foro cessit.

Henricus foro cessit. An possit tradere creditori certum aliquod pignus, si solùm indeterminatè pignus, aliquod ante cessionem promiserat?

5 Si promissum pignus indeterminatum.

Respondeo, Id fieri posse, quamuis tunc non sit soluendo omnibus alijs creditoribus. Ratio est, quia anteà legitimè contractum erat, & solùm dilata fuit eius traditio ex benignitate creditoris, quæ ei non debet obesse. Quòd autem ab initio contracta fuerit obligatio pignoris, & non tantùm exacta à debitore promissio de contrahēda obligatione, quando creditor vellet; Valdè credibile est: quia non solet exigi promissio de contrahenda tali obligatione in futuro: (cur enim non contrahatur in præsenti, cùm nulla sit ratio differendi:) sed solùm exigi promissio de tradendo pignore in futuro, quando volet creditor, concesso interim vsu pignoris ipsi debitori: traditio autem pignoris non est necessaria in foro conscientiæ.

Nec refert quòd ab initio pignus non fuit determinatum: quia potest contrahi obligatio pignoris indeterminatè, vt videlicet tradatur id quod vellet creditor, vel quod erit iudicio boni viri sufficiens.

6 Si solùm data promissio de contrahendo super dando pignore, quãdo volet creditor.

Sed: Quid si contractus pignoris ab initio non fuit initus, ne implicitè quidem ex intentione contrahentium; sed solùm data sit promissio de contrahendo quando vellet creditor: An tunc possit certum pignus tradere?

Respondeo, Probabilius videri tale pignus posse tradi, & talem traditionem validam esse, si hæc promissio acceptata fuit à creditore. Ratio est, quia debitor ex illa promissione acceptata, tenebatur ex iustitia constituere pignus, volēte creditore: ergo illud constituendo & tradendo quando factus est impotens, non facit contra statutum vrbis suę non gratificandi vni creditori in præiudicium alterius. Non enim hoc est gratificari, seu gratis facere, sed ex obligatione iustitiæ. Promissio enim acceptata in rebus magni momenti, & ex causa, inducit obligationem stricta iustitiæ, quamuis ex ea non detur statim actio in foro ciuili.

Confirmatur, Quia creditor hic duplicem habet obligationem iustitiæ, nempe fideiussionis seu impliciti mutui, & promissionis pignoris: alij autem tantùm habent simplicem, vti supponitur in casu: ergo hic est præferendus iure naturæ, nec vllum Ius positiuum obstat. Sicut enim is qui habet expressam hypothecam præfertur iure naturę nullam habentibus hypothecam, cur non etiam præferatur is qui habet promissionem expressam hypothecæ obligantem ex iustitia?

Consectarium notabile.

Hinc sequitur, In primo & secundo casu potuisse creditorem illum sibi integrè ex pignore satisfacere, vel accipere solutionem ab ipso debitore, exclusis alijs creditoribus, vsque ad pignoris valorem. Neque in conscientia teneri restituere donec per sententiam cogatur. Quamuis nec ipsa sententia obligaret in conscientia; quia falsa præsumptione niteretur ob defectum probationum iuridicarum.

7 Si promissio non fuerit acceptata.

Sed: Quid si promissio illa acceptata non fuisset?

Respondeo, Non potuisse posteà pignus tradi. Hoc enim Iuri communi, & statuto vrbis istius repugnaret; nec posset creditor ille præferri ceteris. Nam contractus ille fideiussionis seu mutui impliciti non inducit tacitam hypothecam, nec facit priuilegiatum in ordine restitutionis; cùm neque expressum mutuum gratuitum id faciat nisi in paucis casibus Iure expressis. Nec vsquam memini me legere Doctorem qui gratuitas præstationes, id est, mutuationes putaret inducere tacitum pignus, aut priuilegium Prælationis.

CASVS IV.

Compositio cum eo qui foro cessit.

An facta compositione & remisso reliquo, quinis è creditoribus possit sollicitare & integrum debitum recuperare, sine Henricus qui priùs foro cessit, posteà ad ampliores fortunas perueniat, seu non perueniat?

Respondeo, Facta compositione & remisso reliquo, quemuis è creditoribus posse sollicitare & integrum debitum recuperare, quando is qui foro cessit, posteà ad ampliores fortunas peruenit. Ratio est, quia diligentia quâ creditor debitum conatur recuperare, facit Iure communi illum potiorem. Nec obstat remissio facta: quia censetur coacta, & conditionalis, nisi constet de contrario. 8

Idem videtur dicendum quamuis non peruenerit debitor ad fortunas ampliores; modò facta iam sit compositio cum omnibus; & coacta fuerit. Ratio est, quia debitum reliquæ partis solutionis non fuit extinctum per illam compositionem & remissionem; sed solùm consopitum, ita vt reuiuisceret, quando foret soluendo. Ergo si possum illum inducere vt mihi integrè satisfaciat ante illud tempus, & ipse consentiat, non videtur ei fieri iniuria: quia volenti non fit iniuria. Neque etiam facio iniuriam alijs creditoribus: tum, quia non sum causa ne alijs soluat hoc pro rata; suppono enim quòd alijs non esset soluturus etiamsi ego non peterem: tum, quia diligentia me potiorem fecit Iure communi: tum, quia debitor soluens ad instantiam creditoris, non censetur gratificari. Vnde non videtur hoc repugnare. Statuto Oppidi, quod vetat gratificationem; & videtur intelligendum de gratificatione quæ fit ante compositionem; nisi aliunde constet de contrario, pro quo verba Statuti essent expendenda.

CASVS V.

Restitutio ex lucro Bursæ Antuerpiensis.

Vtrùm mercator qui pecuniam suam dedit ad lucrum iuxta Bursæ Antuerpiensis consuetudinem & cursum, teneatur ad restitutionem lucri & sibi ipse non restituat, an heredes eius teneantur?

PRO parte affirmante, nimirum talem vel heredes eius teneri ad restitutionem, esse videtur communior sententia Doctorum, quæ docet non posse quidquam accipi in mutuo, nisi ratione lucri cessantis, damni emergentis, vel periculi sortis. Atqui in huiusmodi contractu non semper interueniunt isti tituli, vel saltem non tanti æstimantur, quantum cursus Bursæ assignat: ergo. 9 Ratio dubitandi.

Pro altera tamen parte, quòd non teneatur, sunt hæc argumenta. Primò, quia multorum DD. sententia est (quam etiam notauit Emanuel Sà V. restitutio) quando quis bona fide fecit aliquem contractum, qui posteà deprehenditur non fuisse iustus, illum non teneri in conscientia ad restitutionem, si alio titulo tantumdem ab eo lucrari potuisset: v.g. per cambium, vel censum annuum vtrimque redimibilem, vel per triplicem contractum cum mercatore. Nam quiuis vir bonus Negatur. Cõtractus cuiquis bonâ fide initus excusari potest à restitutione.

nus intendit contrahere & lucrari omni titulo iusto, qui contractui subest, & omni meliore modo quo potest. Atqui is qui ad Bursam dedit, potuisset tantundem lucrari ab eo eodem, si dixisset, Nolo dare ad Bursam, sed dabo ad cambium. Ergo non tenetur restituere. Idem videtur sentire Gregorius à Valentia.

10 Contractus iniquus bonæ fidei in re mobili patitur præscriptionem.

Secundò, quando quis ex inculpata ignorantia fecit contractum iniustum de re mobili, probabile est, si bona fide triennio possederit, nasci præscriptionem seu vsucaptionem, qua rem faciat suã, & non teneatur ad restitutionem. Ita Ioannes Medina q. 17. Cod. de Restitutione. & fauet Couarruuias Regula *Professor* p. 2. §. 7. n. 6. & Molina Iureconsultus l. 2. de Primogen. cap. 6. n. 69. Atqui contractus Bursæ est de re mobili, quia pecuniarius: ergo.

Mercatores licitè statuunt pretia cambiorum & carentiæ pecuniæ.

Tertiò, quia hanc sententiam debent admittere omnes, qui admittunt cambia prout sunt in vsu. Omnia enim cambia eò plus lucrantur, quòd longius est tempus solutionis: cuius non est alia ratio, quàm quòd communi mercatorum iudicio concurrentibus circumstantijs quæ ordinariè concurrere solent, carentia pecuniæ eò pluris æstimetur, quò est diuturnior. Quòd si mercatores possint hoc modo pretia cambiorum statuere, cur non etiam pretia Bursæ? Vnde etiam huic sententiæ apertè fauet Molina disp. 404. §. *Timoratus*, vbi docet, pretium quod communiter statuunt mercatores pro cambio secundùm longius vel breuius tempus nundinarum, censendum esse iustum.

11 Conclusio.

Ob hæc argumenta iste vsus Bursæ, qui est Antuerpiæ inter mercatores, non videtur damnandus, modò constitutionem Caroli V. non excedant. Et consequenter hæredes eorum qui tales contractus fecerunt, non videntur in rigore teneri ad restitutionem. Vnde mercatores à quibus hæredes ad sopiendos scrupulos & causâ tranquillitatis conscientiæ, petunt remissionem, non debent se præbere difficiles. Non enim constat illis coram Deo quidquam deberi. Qua ergo conscientia volunt sibi restitui, maximè cùm ipsimet huiusmodi contractus faciant? Vnde præter inhumanitatem, seipsos manifestè redarguunt iniustitiæ: Si enim isti contractus sint iniusti, quomodo ipsi eos faciunt? Si verò putant iustos, quâ conscientiâ volunt sibi restitui?

Notabile ad praxim

Quia tamen neutra ex parte res est satis liquida, optimum consilium iudico vt tale lucrum expendatur in pias causas, in bonum eius ad quem Deus nouit pertinere: vt si inde aliquid debebat restitui, Deus illud acceptet pro salute animæ & bonis successibus creditoris. Si verò nihil erat restituendum, heredi & parentibus illius profit. De hoc casu *vide plura lib. 2. de Iustit. cap. 20. dub. 14. & hic suprà V. Mutuum, Casu 3.*

CASVS VI.

Restitutio ex damno per pecora illato.

Puer oues, vaccas & animalia totius pagi custodit. Hæc ductu vel permissu ipsius intulêre agris vicinis damna aliquot centenariorum florenorum spatio duodecim annorum. Sed toto eo tempore non sciebat se peccare hoc faciendo. Posterioribus tamen annis etsi sciret se male facere, tamen non curabat. Hic iam est viginti quinque annorum: & legato, vel aliter acquisiuit aliquot centenarios florenos.

Quæritur, *An ex suo teneatur restituere damna in puericia illata per animalia malè per ipsum ducta vel custodita?*

Respondeo, Non tenetur de damnis illatis toto eo tempore quo ignorabat se malè facere, ista permittendo. Quia non tenetur ratione rei acceptæ, cùm non sit inde factus ditior: nec ratione iniustè acceptionis, cùm ignorauerit se malè facere. Sed difficile creditu est fuisse ignorantiam.

12 Non tenetur de damni prioris temporis.

Sed posterioris.

De posterioribus tamen damnis tenetur. Quia ex officio tenebatur cauere ne animalia ista damnum inferrent. Nec refert, quòd hoc cesserit in commodum eorum, quorum erant animalia, & ita ipsi teneantur tanquam inde facti ditiores: tum quia dammum longè maius est, quàm cõmodum, vt quando vastant segetes; tum, quia sæpè nullum est commodum, vel certè nullius momenti. Adde, etiam mancipium & Religiosum ex damno dato culpâ suâ teneri naturaliter & in conscientia, etsi non ciuiliter.

Tituli excusantes à restitutione.

Posset tamen excusari, si domini, quibus illata damma, censerentur à tali non petere restitutionẽ vt si essent ex ijs quorum erant illa pecora: item, si essent ignoti: si eorum hereditas in multos diuisa, ita vt singulis parum deberetur: si non fuit lata culpa quę sub peccato mortali obligaret, iuxta multos Doctores: item si propterea punitus fuisset. Denique si ipse sit pauper secundùm suam cõditionem, non tenetur statim restituere, sed potest ducere vxorem & dare operam vt sensim restitutio fiat, vel condonatio obtineatur.

CASVS VII.

Restitutio ex prodito thesauro alieno.

Miles in depopulatione vrbis inuadens domum meam petit sibi ostendi thesaurum in ea reconditum, in qua, quod miles nescit, bona Cai sunt deposita & abscondita. Ego mortis metu coactus, ostendo bona Cai, non mea.

Quæritur, *An teneat Caio restituere?*

Si miles, obiecto mortis metu, iubeat sibi ostẽdi thesaurum alienum, possum ostendere: & si dixerim, Ibi est, accipe; non ideò teneor ad restitutionem, si æquè benè erat accepturus: quia ista vox non est causa damni. 13

Si iubeat sibi ostendi thesaurum meum, & ego illi ostendam alienum tanquam meum: teneor ad restitutionem. Ratio est, quia censeor illum, proposito obiecto inducere vt accipiat alienum, cùm anteà non haberet voluntatem determinatam: vnde muto ipsius voluntatem, adeoque teneor; sicut tenerer si expressè dicerem, Relinque meum thesaurum, ostendam tibi thesaurum Petri.

Si tamen miles diceret: Ostende mihi thesaurum Petri, alioquin accipiam tuum; possum ostendere; quia iam est in illo voluntas determinata accipiendi thesaurum Petri. Vnde ostendendo, non induco illum, sed solùm facio opus de se indifferens: non enim cum tanto meo damno teneor rem illam non pandere.

Si miles iubeat ostendi omnem thesaurum in hac domo reconditum, possum ostendere alienum ibidem reconditum, tacito meo; & dicere, Nullũ esse amplius. Ratio est, quia iam est determinatus ad omnem auferendum; & ego non magis teneor ostendere meum, quàm alienum. Hæc videtur fuisse mens istius militis in depopulatione vrbis.

Digitized by Google

CASVS VIII.

Restitutio exte malè dispensata.

Titius administrator bonorum sui Principis, consumpsit decem millia florenorum in itineribus & negotijs sui domini conficiendis cùm sufficerent mille.

Quæritur, *An teneatur, ad restitutionem?*

14 Respondeo, De Titio administratore bonorum illius Principis, qui decem millia florenorum consumpsit in itineribus & negotijs domini sui conficiendis, cùm mille abundè sufficerent: non videtur dubitandum quin teneatur ad restitutionem; nisi re vera dominus condonet. Quia hoc non est administrare bona sui domini, sed dissipare. Tenetur enim ea prudenter & bona fide administrare. Credibile est illum excessum versum in rem Titij, etsi dicat expensum in itineribus. Habet hîc locum parabola Euangelica de villico, qui diffamatus est apud dominum suum, quasi dissipasset bona illius, qui haud dubiè tenebatur ad restitutionem. Neque vt dominus censeatur tam immanem summam condonare, sufficit quod Titium valdè charum habuerit, & quòd Titius minùs fortè fraudis fecerit quàm priores administri, &c. vt per se constat. Itaque puto illũ obligandum, nisi obtineat condonationem. Si verè intendit in omnibus vtilitatem sui domini, sed peccauit solùm excessu v. g. accipiendo comitatũ militarem ingentem, vbi exiguus sufficiebat, &c. & non conuertit illa in rem suam, cur domino suo non aperuit, & petijt condonationem? Denique nisi plura & certiora signa condonationis appareant, non ausim excusare.

Villicus iniquitatis.

CASVS IX.

Restitutio ex tibi commissa emptione.

Titius habens mandatum à Caio vt Parisijs emat merces pro Caio, ijs vili pretio emptis, tanquam institor Parisiensis vendit easdem Caio pretio maiore.

Quæritur, *An teneatur ad restitutionem?*

15 Respondeo, Certum est Titium teneri ad restitutionem. Quia cùm damno mandantis facit contra mandatum: mandatum enim ei est vt Parisijs à mercatoribus & institoribus Parisiensibus emeret merces pro Caio: at ille inueniens illas merces Parisijs emi vili pretio, emit sibi eas, vt ipse tanquam institor Parisiensis vendat easdem Caio pretio maiore. Itaque decipit Caium, persuadens illi tanti tales merces Parisijs constare.

CASVS X.

Restitutio in merito stipendij ex tibi commissa informatione.

Plures deputati. V. G. tres vel quatuor ad capiendas informationes alicuius negotij, committunt examen vni, eiusque iudicio ipsi subscribunt.

Quæritur, *An singuli possint statuta stipendia recipere?*

16 Resp. Videndũ est an illi tres vel quatuor deputati ad capiendas informationes illius negotij, satisfaciant intentioni eorũ, quorũ voluntate & auctoritate deputantur, si vnus solus negotiũ examinet, alijs absentibus & nihil agentibus, sed solùm subscribentibus iudicio vnius, qui negotiũ examinauit. Si enim satisfaciunt illorum menti, possunt stipendia statuta recipere. Si non satisfaciunt, sed agunt contra illorum mentem; non video quomodo possint illa stipendia integra recipere, cùm officium impositum non præstiterint.

Vero similibus negatur.

Longè solidior est informatio capta à pluribus siue iunctim, siue separatim, quàm ab vno. Faciliùs vni, quàm pluribus imponitur. Plura vident multi, quàm vnus solus. Faciliùs etiam vnus corrumpitur, quàm plures &c.

CASVS XI.

Restitutio lucri ex commissa tibi sollicitatione.

Titius sollicitator pecunias accepit vt Caio officium procuraret.

Quæritur, *An Titius possit illas pecunias retinere, si gratis hoc beneficium Caio procurauerit?* Item, *An possit plus accipere à suo cliente, quàm iure fit sollicitatoribus statutum?*

17 *Ad Primum.* Respondeo, Sollicitator, qui pecunias accepit, vt alteri officium procuraret, potest illas pecunias ex quâdam *æquitate* retinere, si in gratiam ipsius officium clienti datum est; quia gratiam suam apud amicos expendit, eóque fauore impetrauit, pro quo fauore alliciendo, alter pecuniam obtulit. Vnde eo nomine manet illis obstrictus: quanquam fortasse amici illi ægrè ferrent, si hoc scirent; eò quòd contrahant opinionem apud clientem, quod per sordes & munera dent officia.

18 *Ad Secundum*: Respondeo, Sollicitator non potest accipere à suo cliente amplius, quam iure sit statutum; nisi maiores labores subierit, quàm ordinariè sit consuetum. Nam quod Iure statutum est, censetur stipendium, & quasi pretium legitimum: nisi fortè longâ consuetudine id non seruetur: nam consuetudo Ius abrogat.

CASVS XII.

Restitutio lucri ex commissa tibi venditione reditũs.

Titius Brugis habet reditum 27. florenorum annuorum numero 18. difficilis solutionis. Committit Caio & Sempronio vt illum vendant, & quidquid obtinere poterunt vltra 400. florenos & 8. pensiones annuas ex retrocessis, sibi ipsorum. Dum hæc agunturam rediens ille, vnà cum agro in quo fundatus erat, transfatus erat in alium virum bonum & facilem, ignorante Titio. Hunc adeunt isti duo quibus venditio commissa, & facilè ab illo obtinent redemptionem cum solutione annorum præteritorum: ita vt supra summam à Titio expressam singulis obtinuerint 8. libra flandrica.

Quæritur, *An possint retinere?*

19 Respondeo, Non videntur posse retinere. Primò, quia ipsis commissa solùm venditio ad quam requiritur industria quæ meretur mercedem. Atqui hîc non est venditio, sed pura redemptio, in qua nulla vel parua extitit industria. Termini autem in huiusmodi mandatis strictè accipiendi iuxta mentem mandãtis. Secundò, quia non erat mens Titij committere venditionem Caio, nisi suppositio priori statu rei, qui status erat tota ratio cur vellet alienare. Vnde cùm status rei esset mutatus, tenebatur mandatarius monere mandantem, an vellet ipsum procedere ad venditionem; quod cùm non fecerit, egit contra officium suum. Mandatarius enim tenetur agere iuxta expressam vel tacitam intentionem mandantis, & vtiliter eius negotium gerere, & sic exigere mercedem constitutam Vnde non puto illum posse in hoc casu plus exigere vel retinere, quàm æstimatio operæ ab ipso præstitæ valeat.

Mandatarius non potest agere nisi ex tacita vel expressa intentione mandantis.

CASVS

CASVS XIII.

Restitutio lucri ex commissa tibi venditione reditûs.

Titius habens reditum octo librarum flandricarum super agro cuiusdam nobilis, cuius difficilis solutio: dixit Caio, Vende mihi hunc reditum, & quidquid supra 400. florenos, & 8. annos pensionum obtinere poteris, tuum erit. Acceptat Caius. Sed ante quam expediatur in Curia procuratorium venditionis, deprehendit Caius agrum esse venditum, & reditum refusa forte cum pensionibus in manus magistratus dissolutum. Caius hoc videns non monet eum dere Titium, sed solùm indicat reditum illum constituere nummo 18. non 16. Rescribit Titius se omnia ratum habiturum quæ ille fecerit. Itaque Caius perinde ac si vendidisset reditum cum pensionibus, mittit Titio 928. florenos, nempe 400. & 11. annos pensionum.

Quæritur, *An posit reliquum retinere?*

20 REspondeo; Non posse: quia non accepit illam pecuniam ex venditione: nec induxit dominum agri vt redimeret; nec aliquid omnino egit vt illa refusio sortis fieret. Solùm autem erat ei data commissio vendendi, & accipiendi quidquid supra 400. florenos, & pensiones 8. annorum ex illa venditione proueniret. Hîc autem nec vlla venditio ipsius operâ facta est, nec quidquam ex venditione prouenit. Vnde illa pecunia magistratui numerata, statim cessit in dominium Titij: nec Caius vllum ius in illam aut partem eius habet; sed solùm potest exigere aliquid pro labore, si quem subijt &c. Neque Titius putandus est tantam summam donare, nisi totâ intellectâ illud declaret. Quis enim præsumatur donare gratis 600. vel 700. florenos, ei qui nihil operæ præstitit? Neque refert siue illa refusio sortis & pensionum facta sit ante procuratorium expeditum, siue post, quandoquidem Caius nihil ad hoc operæ contulerit. Alia esset ratio si reditum illum ipsemet emisset à Titio: tunc enim distinctio illa posset locum habere, & videndum esset an emptio facta sit ante refusionem, an post.

Restitutio ex confiscatione.

CASVS XIV.

Gubernator Dunckerkanus, ortâ inter eum & Anglos controuersiâ, fisco addixit merces Anglicanas Dunckerka existentes. Similiter Regina Anglia fisco addixit merces Titij Dunckerkani in Anglia existentes.

Quæritur, *An Gubernator Dunckerkanus teneatur Titio de damno mercium eius in Anglia confiscatarum?*

21 REspondeo, Duobus modis potuit Gubernator illâ confiscatione mercium Anglicarum dedisse Titio causam damni iniustè: Primo, si illam præcipitanter fecit, non missis priùs vltrò citroque litteris vel nuntijs ad rem componendam: sic enim videtur occasionem dedisse Reginæ cõfiscandi bona Titij. Secundò, si ita occultè illam confiscationem fecit, vt non potuerit commodè venire ad notitiam aliorum mercatorum, vt possent sibi cauere. Dum enim Princeps talia vult facere, tenetur subditos monere per edictum vt sibi caueant: alioquin est illis causa damni, & tenetur ad restitutionem.

CASVS XV.

Restitutio ex omissa delatione reorum ad fiscum.

Carolus Officialis erarij Regij adeundo officio iurauit se omni modo curaturum vtilitatem Principis, & eiusdem damna auersurum: præterea, quantum in ipso erit, effecturum vt placita & decreta Principis obseruentur, inter quæ vnum est, nec mercatores maius interesse recipiant quàm 12. in 100. idque sub grani pœna. Ipse autem Carolus egens pecunia in obsequium Principis, accepit à mercatore Antuerpiensi pecuniæ subtali interesse.

Quæritur Primò, *An Carolus vi huius iuramenti teneatur deferre ciuem vel mercatorem quem occultè nouit hîc præuaricari: & si non detulerit, teneatur fisco de damno?*

Quæritur Secundò, *An posit illum mercatorem Antuerpiensem arte aliqua excusare, ne vi reus à fisco deprehendatur & mulctetur?*

Ad Primum: Respondeo, Carolum, ex eo quòd sit officialis Principis, & tale 22
iusiurandum fecerit, non teneri deferre ciuem vel mercatorem, quem occultè nouit factitare vsuras, etiamsi inde commodum confiscationis Principi obueniret. Ratio est, quia hoc est proprium munus Promotoris fiscalis, & eorum qui ex peculiari officio tenentur commoda fisci procurare: quamuis nec hos putem ex iustitia, sed solùm religione iurisiurandi ad hoc teneri vt inde fiscus ditetur.

Nec obstat quòd Carolus iurauerit se procuraturum commoda Principis, & occursurum damnis eiusdem, & curaturum vt decreta eiusdem & mandata seruentur: quia non videtur hoc ita generaliter intelligendum. (alioquin omnes Officiales æquè ad eadem obligarentur) sed secundùm conditionem officij, & in ijs quæ officium cuiusque propriè concernunt. Hinc consequens est, quòd non teneatur fisco de damno.

Ad Secundum: Respondeo, Carolum non teneri accusare mercatorem illum Antuerpiensem cum quo contraxit, eò quòd ipse supra taxam pragmaticę, Principis nomine interesse exegerit. Primò, Quia non videretur vsus bona fide, petendo ab illo pecuniam mutuam, & consentiendo in tale interesse. Secundò, Quia id posset cedere in damnum Principis, si aliàs opus esset pecuniâ. Tertiò, Quia mercatores dicunt illam pragmaticam de non accipiendo nomine interesse 12. pro 100. non esse iam plurimis annis in vsu, & contraria consuetudine esse abrogatam: vnde non esse illius habendam rationem, ita mihi ante aliquot annos responderunt. Quod si verum est, non solùm Carolus non teneretur curare mercatorem illum Antuerpiensem mulctari, sed etiam posset eum tueri, si contingeret eum deferri. Quod si non est verum, non posset eum tueri si ab alio deferretur, nisi id puraret pertinere ad obsequium Principis; vt si metueret se aliàs pecuniam ab illo, vel alijs non obtenturum, nisi eum tueretur. 23

Digitized by Google

SIMONIA.

CASVS I.

Beneficium mihi ab altero simoniacè obtentum.

Titius beneficium simoniacè obtinuit per ignorantiam simoniæ ab illo commissæ in eius fauorem.

Quæritur, *An teneatur restituere fructus extantes: & quod nam illi à Iure remedium?*

REspondeo, Qui beneficium simoniacè obtinuit, per ignorantiam simoniæ ab alio comissæ in eius fauorem, quandiu fuit in illa ignorantia seu bona fide, non tenetur restituere fructus non extantes, quibus non est factus ditior. Sed quamprimùm sciuerit, tenetur restituere fructus extantes, vel componere cum Pontifice.

1 Si planè ignorauit simoniam.

Quòd si benè functus fit officio, & fructus non superent ipsum officium, vt si beneficium erat tenue, vt Canonicatus 150. vel 200. florenorum, probabile est Episcopum dispensare posse vt fructus extantes retineat; maximè si difficilis esset ad Pontificem aditus propter sumptus &c. Secundò tenetur beneficium resignare in manus Episcopi, si ipse est collator, qui poterit de integro illi collationem facere. Similiter in manus Capituli, si Capitulum ius conferendi habeat. Hæc omnia facilè ex Iure probari possunt, vt Cap. penult. de Electione, & Cap. *Ex insinuatione*, de Simonia.

2 Si al quatenus fui conscius simonia.

Si autem sciuit alterum simoniacè pro se paciſci, vel certè scire potuit & debuit, aut postea sciens ratum habuit, non potest ab Episcopo vel alio collatore rehabilitari, sed eget rehabilitatione Papæ, vt patet ex iisdem locis, adiuncta Glossa: & tenetur restituere fructus etiam non extantes, quantum commodè potest; (non enim tenetur se in extremam inopiam conijcere:) vel tenetur compositionem facere cum Pontifice, vel Nuntio Apostolico.

CASVS II.

Permutatio beneficij ratione seruitij præstandi.

Titius Parochus obligat se ad permutationem Pastoratus, cum Caio ratione seruitij à Caio præstandi, addita hac conditione, Si Pontifex consenserit.

Quæritur, *Vtrum in hoc contractu sit simonia?*

3 REspondeo, Omnino in hoc contractu videtur esse simonia: quia ille Parochus obligat se ad permutationem Pastoratus cum alio, ratione seruitij præstandi ab altero, & illa permutatio est veluti pars stipendij: vt si Episcopus dicat alicui, Seruias mihi duos annos, dabo tibi centum florenos, & præterea beneficium si contigerit vacare. Nec refert quòd dixerit, Ea spe innixus: nam sic sæpè consueuerunt obligationẽ exprimere. Non est hęc tamen simonia confidentiæ, vt patet ex 4. speciebus huius simoniæ, in Bulla Pij V. enumeratis, sed alia inducens pœnas Iuris ordinarias si vtrimque completa fuerit, id est, si seruitium sit præstitum, & permutatio promissa sit secuta.

Aduerte tamen, Si per illa verba, Ea spe innixus &c. non intendit se obligare, sed solùm bonam spem dare se hoc facturum amicitiæ & gratitudinis causâ, non esse simoniam In foro conscientiæ. Nec refert quòd velit pensionem seruare, quia conditio addita, si Pontifex consenserit, speciem simoniæ abstergit.

CASVS III.

Resignatio sub onere expensarum in acquisitione factarum.

Titius fecit expensas ad plenum ius beneficij acquirendum. Sed, nondum perceptis ex beneficio fructibus, illud Caio resignauit pro expensis in beneficij acquisitione factis.

Quæritur, *An in isto contractu sit simonia?*

REspondeo, Hìc manifesta est simonia: quia expensas illas pro se fecit, nempe quia beneficium eas postulabat vt ipse pleno iure illud possidere posset. Vnde friuolum est dicere, quòd repetat illas ab alio, tanquam pro ipso factas. Si enim pro alio factæ fuissent, debuisset beneficium tunc alterius esse. Constat autem ex communi sententia Doctorum, expensas quas ego feci pro instrumentis & similibus ad beneficij plenum ius acquirendum pertinentibus, non posse posteà in pactum deduci, vt à resignatario mihi reddantur: id enim esse apertam simoniã. Itaque si volo beneficium meum resignare, non possum expensas exigere, sed debeo illas amittere, etiamsi nihil fructuum perceperim. Omnis enim pactio in beneficijs sine auctoritate Pontificis facta, est simoniaca & nulla, vt plurima Iura docent. Neque verum est illas expensas esse antecedenter tantum annexas beneficio; quia verè consequenter annexæ sunt: nemo enim fit debitor istarum expensarum nisi ratione beneficij iam collati.

4

CASVS IV.

Cessio & dein permutatio litigiosi beneficij inter ipsos litigantes.

Conuentum est inter Iulium & Caium prætendentes ius ad idem beneficium, vt Caius Iulio cederet iure suo ad beneficium pro expensis factis in capienda possessione beneficij. Posteà inter eosdem accessit beneficij permutatio.

Quæritur, *An debeat Iulius procurare* Perinde valere *vt beneficium retineat.*

5 OMnibus consideratis, mihi probabile est Iulium posse retinere Canonicatum; nec opus esse iterata collatione, seu *Perinde valere*. Ratio est, quia illa cõuentio inter Iulium & Caium, qua Caius pro expensis factis in capienda possessione beneficij cessit iure suo, Vel non fuit simoniaca ex parte Iulij, sed redemptio vexationis, vt tunc passim doctiores ibi iudicabant: vt si Caius nullum verum ius habuerit, sed solùm apparentem iuris vmbram: Vel si ille ex parte rei aliquid iuris habuit, Iulius excusatur per bonam fidem: & consequenter non incurrit pœnas à iure statutas, nec factus est inhabilis ad illud beneficium. Nam hæc inhabilitas pœna est, quæ in foro conscientiæ non incurritur quando abest culpa.

6 Itaque cùm Iulius non sit factus inhabilis per illum priorem cõtractum, potuit hoc beneficium aliâ viâ eidem Iulio validè conferri, v. g. viâ permutationis. Vnde permutatio, quæ posteà inter Iulium & Caium intercessit, potuit ex parte Iulij esse valida, quamuis re verâ Caius non esset verè dominus beneficij. Hæc enim permutatio facta est independenter à priore contractu: suppono enim priorem contractum non esse factum eo fine vt veniretur ad permutationem, sed simpliciter & absolutè ad vitandam litem. Itaque permutatio illa ex parte Iulij fuit valida, & ipse verè acquisiuit ius & dominium illius Canonicatus ex illa permutatione.

Nec refert quòd Caius non fuerit verè dominus illius beneficij: satis enim est in foro conscientiæ,

Digitized by Google

scientię, quòd ipse, quantum in se erat, & ad ipsum pertinebat, illud deposuerit in manus Collatoris causâ permutationis, & Collator illud contulerit in Iulium. Non enim Iulius accepit illud à Caio, sed à Collatore immediatè. Valida itaque fuit collatio, etsi permutatio ex parte Caij fuerit inualida. Accedit, quòd Collatores absolutè conferre soleãt, non restringentes actum suum ad formam huius vel illius contractus præcedentis. Vnde cùm Iulius verum ius habuerit saltem ex præsentatione, collatio fuit valida in foro cõscientię.

Denique probabile est non esse simoniam si quid detur parti pro expensis litis, vt habet Sà V. Simonia, nu. 1. atqui quod Iulius dedit Caio, æquiparatur ei, quod datur pro expensis litis: quia datum est ad vitandam litem, & quidem vt videbatur iniustam. Quibus omnibus perpensis iudico non esse absolutè necessarium, vt Iulius procuret *Perinde valere*: sed posse in conscientia beneficium retinere

CASVS V.

Pensio statuta & soluta non habij â licentiâ Ordinarij in litigioso beneficio.

Titius accepit Capellam à Nuntio Apostolico, quæ pertinebat ad ius Patronatus Principis Biarnensis. Caius hoc intellecto accedit Procuratorem illius Principis, & impetrat ab illo præsentationem, interim dum ipse Princeps adhuc esset hæreticus & excommunicatus nominatim à Sixto V. virtute cuius præsentationis litem mouet aduersus Titium. Titius tandem vt liberetur molestijs Caij, facit pactum vt ille cedat iure prætenso, & ipse det pensionem; assignato Procuratore qui eam curet constitui ab Ordinario quando vellet Caius. Verùm tergiuersante Caio, eò quòd speraret se amplius posse impetrare, pensio non fuit constituta, & tamen aliquot annis soluta.

Quæritur, *An sit commissa simonia? & quid remedij pro Titio?*

7 Si Caius nullum habuit ius, Titius potuit redimere inuistam vexationem.

REspondeo, Si ponamus Caium nihil probabilis iuris habuisse ad beneficium illud (eò quòd sciret iam legitimè esse collatum ab Illustrissimo Nuntio Apostolico, & ipse impetrauerit ab hæretico nominatim excommunicato, effectque infamis ob crimen depositione dignum) sic lis ab eo intentata, solùm fuit iniusta vexatio: ac proinde solutio pensionis ante legitimam eius constitutionem, nihil fuit aliud quàm redemptio vexationis, quare in ea solutione non fuit admissa simonia. Qui enim iam habet ius in re indubitatum, potest ei qui illum iniustè turbat, aliquid temporale promittere & soluere vt cesset, vt Doctores passim fatentur: non enim dat aliquid temporale pro spirituali, cùm alter nihil iuris spiritalis habeat; sed dat temporale vt cesset ab iniuria, seu vt cedat iure prætenso, quod re vera nullum est.

8 Alioquin est simonia.

Si tamen ponamus Caium aliquid probabilis iuris habuisse (quod tamen ego non video) solutio pensionis ante legitimam constitutionem simoniaca fuit; similiter & pactum quod ante fuit, nisi auctoritate Ordinarij, vel alterius potestatem habentis, fuerit approbatum; imò illa solutio conuentionem simoniacam compleuisset, facta simonia reali ex conuentionali: & proinde induxisset pœnas Iuris, id est, excommunicationem & inhabilitatem ad illud beneficium. Quare hoc beneficium retineri non posset, nisi à Sua Sanctitate impetraretur dispensatio, & rescriptum quod vocant *Perinde valere*. Mihi tamen probabile est Titium non incurrisse pœnas nec inhabilitatem,

Quid agendum Titio.

eò quod videatur bona fide & ex simplicitate soluisse pensionem, vti narratur: nam constituit Procuratorem qui curaret pensiones ab Ordinario constitui volente Caio: & quòd constituta non fuerit, fecit tergiuersatio ipsius Caij, cuius erat sumptus facere.

CASVS VI.

Resignatio præuiâ promissione gratitudinis.

Titius resignauit Canonicatum in Sempronium hortatu amici Semproni, qui dixit ipsum non fore ingratum. Vnde Titius expectat à Sempronio 300. vel 400. libras Flandricas.

Quæritur, *Verùm Sempronius possit illas soluere nomine gratitudinis?*

9 Hæc resignatio est simoniaca.

REspondeo Primò, Hîc commissam videri simoniam saltem mentalem, quia animus Titij præsumitur fuisse obligare Sempronium ad insignem aliquam summam, qualis ferè dari solet in expressa venditione Canonicatus. Idem videtur fuisse animus amici asserentis illum non fore ingratum. Imò videtur hæc simonia satis prodita actu externo, spectatâ consuetudine loci vbi commissa: nam huiusmodi fuco verborum solent contractus simoniacos palliare. Soluere enim ingentem summam pecuniæ vocant *courtoisiam* & gratitudinem.

Soluendo pecuniam, vtrimque completur.

Respondeo Secundò, Si Sempronius soluerit hanc summam quasi ex obligatione, sicut vt satisfaciat obligationi, quam Titius ei intendit imponere, metuendum est ne fiat simonia realis vtrimque completa, quæ inducit pœnas Iuris, nimirum excommunicationem latæ sententiæ, & inhabilitatem ad idem beneficium, & irritum reddit contractum, iuxta ea quæ communiter tradunt Doctores, Nauar. cap. 23. Enchir. nu. 104. & alij quos ibi citat: quo casu non posset retinere beneficium.

10 Si non soluerit, non incurrit pœnas Iuris.

Respondeo Tertiò, Si nihil soluerit, etiamsi in contractu fuisset expressa conuentio simoniaca, non incurrit pœnas, nec tenetur dimittere beneficium; sed potest illud retinere non obstante præuiâ promissione: quia simonia conuentionalis non inducit pœnas Iuris, nec reddit collationem irritam, vt docet Nauarrus suprà, & alii Doctores.

Si soluerit ex mera gratitudine non est simonia.

Respondeo Quarto, Si soluerit animo merè gratuito, non ex vi & debito obligationis, probabile est non esse simoniam: in foro tamen externo iudicabitur simonia realis, & priuabitur beneficio. Ratio est, Quia tanta summa pecuniæ non solet dari per modum *courtoisiæ*, vt nunc loquuntur, seu honestatis & gratitudinis, sed videtur dari in pretium. Vnde nemini velim esse auctor vt aliqua ratione, aliquoúe respectu talem summam accepto beneficio numeret. Accedit, quòd difficile sit ita animo esse comparatum, vt talem summã intuitu solius gratitudinis numeret.

11 Ex gratitudine potest refundere expensas.

Respondeo Quintò, Si Titius expensas fecit in adipiscenda possessione, & soluendis iuribus consuetis, nec tamen vllum emolumentum percepit ex beneficio, posset Sempronius gratitudinis ergò refundere expensas, modò nullum antè ea de re pactum interuenerit. Quia consentaneum & equũ videtur vt seruet suum benefactorem indemnem,

Digitized by Google

Acceptatio beneficij à Patrono sibi onere pensionis.

CASVS VII.

Titius resignauit certam præbendam in manus sui Patroni, Patronatûs habentis insignem Cai, idque sub pensione centum florenorum; & pensione necdum confirmata, Caius cepit possessionem dictæ præbendæ, eoque titulo promotus est ad Subdiaconatum.

Quæritur, *An hic commissa sit simonia?*

12 SVppono, Eum qui solùm habet Ius Patronatûs non posse creare pensiones, imò nec imponere onus creandæ pensionis dum præsentat aliquem, nisi singulari priuilegio id ei à Sede Apostolica sit indultum, sicuti Regibus & Principibus concessum videtur, à quibus quotidie videmus Abbatias pensiones imponi; quæ tamen videntur omnino confirmari & creari debere à Sede Apostolica.

Itaque si Caius acceptauit beneficium cum illo onere sub beneplacito Sedis Apostolicæ, non cõmisit vllam simoniam. Quòd si acceptauit absolutè, intendens absolutè soluere pensionem ante Sedis Apostolicæ approbationem, commisit simoniam conuentionalem: ratione tamen cuius non est priuatus beneficio cuius possessionem accepit, vt Nauarrus & alii quidam docent iuxta stilum Curiæ Romanæ. Cauere tamen debet ne illam soluat ante Sedis Apostolicæ approbationẽ, quia sic simonia conuentionalis transiret in realem veramque completam, quæ incurrit pœnas Iuris, reditusque omnia irrita, inferens simul excommunicationem & inhabilitatem ad idem beneficium. Et omnino verum est, nisi fortè, quod tamen non puto, Princeps illic potestatem habeat pensiones imponendi, quæ non egeant Sedis Apostolicæ confirmatione.

Quare vt Caius securè procedat, non soluat nisi Sedes Apostolica omnia probauerit. Potest tamen interim retinere beneficium, & illud administrare, pœnitentiâ conceptâ, si intentio non fuit qualis debuit.

Pacisci de parte fructuum vt pacificè sequatur recipias.

CASVS VIII.

Existente bello inter Regem Galliæ & Hispaniæ, cùm occupasset Rex Catholicus Abbatiam, vendit Titio quandam Abbatiam olim delectam, cui nihil superest præter nomen & partem redituum, ea intentione vt à Sua Sanctitate peteretur confirmatio, quam Titius neglexit per etc. Postea inita pace inter Reges, vbi art. 9. inter conditiones habentur, vt pensiones beneficiorum vtrimque factarum cessent. Nihilominùs Gallo vult Titius extorquere.

Quæritur, *An Titius, vt securus, quia via Iuris non superest, possit cum Gubernatore Arcis pacisci de parte fructuum?*

13 Supponitur prouisio legitimè facta.

VT ad quæstiones propositas respondeam: Suppono prouisionem factam Titio exuli Gallo de illa Abbatia per Regem Catholicum fuisse validam: quia rex Catholicus tunc iure belli obtinebat illa loca, & consequenter successerat in omne ius Regis Galliæ, cuius erat ad illam Abbatiam præsentare, vti nunc suppono. Nec obstat quòd Abbatia sit beneficium regulare, cuius Titius cùm sit secularis, non est capax sine dispensatione: quia iam ab annis centum & amplius consueuit illa Abbatia conferri seculari, cùm monasterium sit deletum. Nunc.

Et si Titius sit secularis.

Respondeo Primò, Quòd si illa prouisio valida fuit, sequitur Titium acquisiuisse saltem ius ad rem. Ac proinde posse redimere vexationem, si quis ipsum velit ab hoc per manifestam iniuriam deturbare; modò illi qui iniuriam & vexationem inferunt, tales sint, vt solùm possint obesse, & non prodesse; vti accidit in præsenti casu, sicut patet ex narratione facti. Ita docet Sotus lib. 9. quæst. 6. art. 1. in responsione ad 5. & alij quidam doctissimi recentiores. Potest igitur pacisci cum illo Gubernatore pro parte fructuum, quandoquidem nulla alia via tuendi sui iuris supereſt contra inuasores.

Titius potest sic pacisci, quia habet ius ad rem.

Respondeo Secundò, Titium per præsentationem Regis Catholici non acquisiuisse ius in re; neque factum dominum istius beneficij aut tituli (nisi fortè Rex Galliæ plus aliquid habuerit in huiusmodi beneficiorum dispositione quàm Rex Catholicus habeat in Abbatijs & Prioratibus suarum Prouinciarum, quod ego non credo.) Vnde sequitur non potuisse Titium fructus illos percipere nisi per modum administratoris sequestrando illos, donec à Sua Sanctitate obtineret tituli collationem, ad quem erat præsentatus. Neque conueniebat vt tam diu differret hanc tituli impetrationem seu confirmationem, vti narratur distulisse. Nihilominùs tamen si eos percepit tanquam suos, sufficit modò vt id in supplicatione exprimatur, & petatur condonatio. Quamuis etiam probabile sit hoc non requiri: nam fructus debentur præsentato, si confirmetur.

14 Titius solùm potuit colligere fructus vt administrator.

Quomodo supplicabit Papæ vt fructus faciat

Respondeo Tertiò, Vt Titius à Sua Sanctitate impetret titulum, nulla requiritur Regis Galliæ commendatio aut præsentatio; sed sufficit præsentatio Regis Catholici legitimè facta, & confirmata per articulum 9. pacis inter Reges initæ; de qua constabit ex litteris administrationis.

CASVS. IX.

Exigere aliquid in admissione ad monasterium opulentum.

Vtrùm sit Simonia, si monasterium satis opulentum exigat aliquid in receptione Religiosorum vel Religiosarum, pro victu, vestibus, conuiuijs & similibus; alioquin non recepturum eos?

15 Probabilius est esse simoniam.

REspondeo, Etsi probabilius sit esse simoniam, quando monasterium satis opulentum exigit aliquid in receptione Religiosorum vel Religiosarum pro victu, vestibus, conuiuijs & similibus, alioquin non recepturum eos; vt patet Extrauag. Vrbani IV. & ex Francisco Victoria 2. parte de Simonia num. 12, vbi ait hanc esse communem sententiam Doctorum, nempe Veterum: Tamen probabilis est sententia eorum, qui dicunt hoc ius per contrariam consuetudinem, Prælatis consentientibus, esse sublatum; modò non exigatur pro ipso statu Religionis. Ita multi Doctores in Hispania & Italia, qui dicunt hanc sententiam esse securam. Quia simonia iuris positiui potest consuetudine aboleri: talem autem dicunt hanc esse. Idem tenet Nauarrus cap. 27. num. 106. dum dicit, quòd excusentur à mortali, vbi est consuetudo contraria. Ex quo manifestè sequitur non esse simoniam. Vnde

Probabile quoque est, non esse.

16 Consectaria.

Infero Primò, Post factum posse hanc sententiam teneri, & non esse censendos excommunicatos, qui id fecerunt: præsertim cùm ad hanc excommunicationem requiratur præsumptio; id est, vt sciant esse prohibitum sub pœna excommunicationis.

Infero Secundò, Omnibus modis conandum vt hæc consuetudo tollatur, vbi commodè fieri potest: quia potiùs est corruptela, quàm consue-

tudo,

Digitized by Google

tudo, vt inquit Vrbanus; & maximè illa de conuiuijs; idque proprium est Episcoporum si Superiores non fecerint: quia tenentur monasteria reformare præsertim in similibus excessibus. Colligitur ex Concilio Tridentino cap. 8. 9. & 12. de reform. Regular. sess. 25.

Infero Tertiò, Alteram sententiam, nempe quòd sit simonia, cùm sit probabilior, posse etiam teneri, & ex ea Religiosos vrgeri ad reformationem, iuxta Extrauag. Vrbani IV. quæ habetur inter communes post sextum Decretalium.

17 quando vti liceat sententia vtrin.que probabili.

Hoctamen obseruandum generatim, quando de aliqua re contrariæ sunt sententiæ, & vtraque est probabilis; posse nos nunc hâc, nunc illâ vti, pro vt magis ad Dei gloriam & animarum salutem fore videbitur. Quando tamen aliquid est contra Iura, vel habet speciem mali, non facilè id est permittendum, præsertim ante factum.

CASVS X.

Exigere aliquid in admissione vt monasterium se seruet indemne.

In quodam monasterio consuetudo est petere ab iis qui ad Religionem admittuntur, vt supellectilem, aut bona alia secum conferant.

Quæritur Primò, *An hoc simpliciter petere, sit simoniacum?*

Quæritur Secundò, *An hoc petere pacto inito sit simoniacum?*

18 Licitum est petere titulo indemnitatis.

Ad Primum: Respondeo & Dico Primò, Nullam hîc esse simoniam, quando non initur pactum de illis rebus adferendis, vel soluendis; sed solùm dicitur esse consuetudo, & petitur titulo consuetudinis, ne monasterium grauetur; & persona nihilominùs esset admittenda, si aliàs esset benè idonea; nec haberet facultatem ista præstandi. Neque de hoc potest esse dubium.

Sæcè est si monasterium sit opulentum.

Dico Secundò, Si monasterium ita esset opulentum vt facilè posset suos sustentare, & simul eos quos admittere desiderat, esset que status rerum tranquillus, ita vt non sit vllum periculum egestatis, probabilius est fore simoniam, saltem Iuris humani, aliquid exigere in admissione, etiam pro indemnitate. Colligitur ex S. Thoma 2. 2. quæst. 100. art. 3. ad 4. & fusè probat Suarez lib. 4. de Simonia cap. 17. & contrariam consuetudinem dicit esse corruptelam.

19. Hæc tempora multum excusant monasteria.

Ad Secundum: respondeo, Monasterium (qualia sunt pleraque in Campinia Brabantiæ) hisce temporibus videri planè eo esse in statu, vt etiam licitè possit inire pactum (quatenus se aliquo modo seruet indemne) cum Nouitijs, quibus media suppetunt, vel cum eorum parentibus, vt secum deferant libros, vestes, vtensilia cellarum, & alia quæ necessaria, donec incorporati fuerint monasterio. Si enim, vt patet ex Concilio Trid. sess 25. cap. 16. potest monasterium accipere, imò & exigere pro victu & vestitu tempore probationis, vt docet Suarez de Simonia lib. 4. c. 17. multò magis poterit illa iam dicta exigere quæ minoris sunt sumptûs. Confirmatur, quia passim Doctores tradunt quando monasterium est pauper, vel est in periculo egestatis propter damna vel casus impendentes, posse pacisci de alimentis totâ vitâ religiosi necessarijs; multò magis de istis minutioribus.

Vnde meritò, cùm illi qui nondum audiuerunt Philosophiam, cupiunt admitti, potest Prælatus exigere à parentibus vt præstent sumptus tempore studiorum necessarios.

20 Vtrùm autem aliquantulum possit differri professio, si putentur parentes facta semel professione non soluturi quæ promiserunt, vt hac ratione inducantur ad celeriorem solutionem, puto relinquendum iudicio Prælati: modò non sit valdè diuturna ea dilatio. An idcò differenda professio.

Itaque sentio R. D. Prælatum tutâ conscientiâ in hac recepta monasterij sui consuetudine posse: cùm nec sacris Canonibus, nec rationi naturali repugnet, nec vllius simoniæ sit periculum; cùm non obstatum religiosum, sed ad aliquam monasterii indemnitatem ista exigantur.

SOCIETAS IESV.

CASVS I.

Obligatio Regularium Societatis IESV.

Vtrùm Violatio Regularum Societatis IESV sit peccatum?

OMissis iis quæ in vtramque partem dici possent:

1 Præcisè vt est violatio Regulæ, non est peccatum.

Respondeo Primò, Hanc violationem per se & præcisè consideratam, quatenus est violatio talis regulæ, peccatum non esse, nec mortale, nec veniale. Ratio est, quia obligatio legis positiuę pendet ex voluntate legislatoris volentis per eâ subditos obligare. Atqui Auctor regularum *Societatis* IESV expresè explicuit nolle se vt illę ad peccatum obligarent: ergo per se non obligant. Tribuunt tamen ius Superiori imponendi pœnitentias seu afflictiones corporis eas violantibus: hæc enim fuit mens Auctoris, & hoc modo à singulis sunt acceptatæ.

2 Est tamen peccatum ex aliis capitibus.

Respondeo Secundò, Quamuis regulæ illæ per se vim obligandi ad peccatum non habeant, possunt tamen ex aliis capitibus vim obligandi habere, ita vt si contra eas fiat, peccatum committatur. Primò, ratione voti. Sic omnes illæ quæ pertinent ad vsum rerum, donationem, acceptionem, commutationem &c. obligant sub peccato, vt 14. 16. 17. Summarii. Item 7. 8. 9. 11. 17. 25. ex Communibus. Vsus enim vel vsurpatio cuiuslibet rei absque dependentia à voluntate Superioris, peccatum est contra votum paupertatis, etsi non semper mortale, ob paruitatem materiæ. 1. Ex Voto.

Secundò, Potest obligare ex lege alicuius virtutis. Hoc modo plurimæ obstringunt sub peccato, maximè consideratâ modestiâ, maturitate & ædificatione, quam iure naturæ tenetur præbere Religiosus *Societatis*, id est, talis Religionis, quæ ad talem finem est instituta. Tales sunt ex Summario, 6. saltem quo ad primam partem, 8. 10. 14. 16. 17. 20. 22. 28. 29. 30. 42. 43. 44. 46. 49. Item ex Communibus, 13. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 28. 29. 30. 31. 32. 34. 37. 38. & similes. Nam quod his contineatur, fere totum ad ius naturæ & legem virtutum pertinent, vt quis deprehendet, si rem benè expendat. Idem cernitur in regulis plurimis particularium officiorum. 2. Ex lege alicuius Virtutis.

Tertiò, Potest obligare ratione peculiaris promissionis, vt 9. & 40. Summarii: omnis enim violatio promissionis sine iusta causa, peccatum est. 3. Ex peculiari promissione.

Quartò, Ratione scandali. Hoc modo plerumque peccatum est violatio regularum coram aliis, etiamsi re vera illi non peruertantur: non enim tantùm ab omni malo tenemur abstinere secundùm Apostolum, sed etiam ab omni specie mali, & hoc propter alios. Atqui violatio regulæ coram aliis haud dubiè speciem mali habet. 3 4 Ex scandalo.

Quintò, Ratione læsionis disciplinæ, Pulchri- 5. Ex læsione disciplinæ.

tudo enim & decus religiosæ familiæ consistit in bona disciplina seu conformatione morum cum regulis: sicut enim mirè Religionem ornat, si in ea suis temporibus seruetur silentium, si omnia tranquilla, omnia benè composita, si omnes statis temporibus surgant, orent, studeant, comedant, corpus exerceant, si morem Superioribus gerant &c. ita è contrario illam dedecorat, si omnia plena tumultu, strepitu, cachinnis, loca publica immunda; si quisque surgat, oret, comedat dum lubet; si nulla cum Superioribus coniunctio, nulla erga illos vel socios reuerentia. Qui ergo violando regulas, notabiliter lædit disciplinam, haud dubiè peccat; quia magnum Religionis bonum & ornamentum euertit, vel commaculat. Imò ratione huius læsionis violatio regulæ posset esse graue peccatum, si nimirum inde sequeretur grauis læsio disciplinæ: vt cùm quis sua libertate & laxitate alios ad laxitatem inducit. Ob eandem causam Superiores grauiter peccant, qui suâ negligentiâ patiuntur disciplinam collabi. Et subditi, qui nolunt se ad eam accommodare, vel eo sunt ingenio vt non sperentur se accommodaturi, possunt & debent eijci tanquam pernicioſi bono *Societatis*.

4 6. Ex negligentia.

Sextò, Ratione negligentiæ. Ita D. Thomas 2 2. quæst. 186. artic. 9. ad 1. & Caietanus ibidem. Idem tenent alij Doctores. Hoc in primis locum habet in ijs quæ ad cultum diuinum pertinent: vt si quis ex torpore quodam omitteret meditationem, Sacrum, lectionem rerum spiritualium, examen: est enim ille torpor, Acediæ peccatum, quod quisque vitare tenetur: similiter si quis hæc cum tali negligentia & torpore præstet. Deinde etiam id locum habet in alijs: eorum enim omissio ex negligentia est peccatum: vt si ex negligentia omittas lectionem, studium, officia charitatis &c. quia homo tenetur vt non operetur aut cesset ex tædio laboris: quod maximè verum est si non dentur actus indifferentes.

5 7. Ex affectu minùs ordinato.

Septimò, Si ex libidine Regulam violem. Ita D. Thomas suprà, id est, ex nimia cupiditate, vt exponit Caietanus, vel alio affectu minùs ordinato. Sic sæpè violatur silentium, comeditur vel bibitur extra tempora, luditur, iocatur, &c: quidquid enim ex inordinato animi motu fit, peccatum est; quia est contra legem diuinam, secundùm quam animus se in appetendo & fugiendo debet componere.

8. Ex contemptu.

Octauò, Ratione contemptûs. Ita D. Thomas suprà. Potest autem hic contemptus fieri tribus modis. Primò, Si nihil æstimes Regulam, & ideò nullam curam habeas, eius seruandæ. Et hoc sine dubio est graue peccatum; imò videtur mortiferum: nam ex vi votorum teneris habere propositum generale viuendi secundùm Regulam; vt colligitur ex D. Thoma loco citato. Secundò, Si nolis Regulam seruare, vt te illi vel Superioribus non subijcias: v. g. si frangas silentium, si omittas meditationem ne te Regulæ aut potestati Superioris submittas: hoc enim esse peccatũ mortale non est dubitandum: nam ex vi votorum subiecisti te potestati Superioris & Regulæ, vt docet Caietanus. Differunt hi duo modi; quia aliud est non habere curam seruandi, aliud nolle amplius esse subiectum. Tertiò, Si nolis seruare Regulam, vt sic ostendas te illam vel Auctorem eius nihili pendere.

6 Ex his patet qua ratione violatio Regulę peccatum esse possit.

Promissio seruandi regulas, nõ obligat sub peccato in singulis regulis.

Dices, Videntur Regulæ omnes etiam obligare ratione promissionis: quia singuli promiserunt se illas seruaturos: quisque autem tenetur seruare promissum Iure naturæ, nisi iusta causa non seruandi interueniat. Confirmatur, quia inter Religiosum & Societatem initur quidam contractus reciprocus, in quo ille se tradit Religioni & promittit seruare Regulas, si religio illum velit admittere; & vicissim religio hac lege illum admittit: ergo tenetur bona fide id præstare ex vi contractus. Cuius signum est quòd si nolit eas seruare, religio possit illum expellere, tanquam qui fidem religioni datam non seruarit.

Respondeo, Hæc ratio satis probat religiosum debere retinere propositum generale seruandi Regulas, & vitam suam eis conformandi: sine enim tali proposito religio nullo modo vellet illum retinere; & si simularet se habere illud cùm non habet, graniter peccaret, quia deciperet Religionem: nam religio hoc propositum requirit tanquam conditionem sine qua nollet illum admittere: itaque illud primariò censetur promittere. Non tamen sic promittit obseruationem singularum regularum in quouis casu. Neque religio hoc ab illo requirit, sed solùm vt bona fide agat, & si contingat labi, non detrectet pœnam. Itaque ratio illius generalis promissionis non videtur solidè posse probare esse peccatum in singulis violationibus, quamuis probabiliter dici possit.

CASVS II.

Emissio votorum simplicium ante expletum biennium.

Titius Nouitius Societatis Iesu *aliquot diebus vel horis ante expletum biennium emisit vota Scholasticorum. Deinde per plures annos sua vota cum ceteris renouauit. Denique solemnem 4. votorum professionem emisit.*

Quæritur Primò, *An prima votorum emissio fuerit valida?*

Quæritur Secundò, *Quid operata fuerit sequens illa votorum renouatio?*

Quæritur Tertiò, *An professio illa sit valida?*

Ad Primum: Respondeo, Si biennium probationis non sit expletum, non videtur probabile per talia vota fieri Religiosum: quia Canone 10. Congregationis. Quintæ ita statuitur, *Nullo casu exerceri liceat facultatem dispensandi in contrahendo biennij spatio ad hoc, vt quispiam ante expletum biennium censeatur verus Religiosus, & Scholasticus approbatus per emissa vota simplicia Scholasticorum Societatis.* Biennium autem non est expletũ si adhuc restent aliquot dies, imò si aliquæ horæ. Computatio enim facienda de momento ad momentum, quando requiritur tempus expletum: sicut si vigesimus quartus ætatis annus nondum est expletus, sed restet vnus dies, non potes initiari Sacerdotio: similiter non valet professio in alijs religionibus si vel vnus dies desit anno probationis, vel ætati requisitæ. Non negauerim tamen quin si paucæ tantùm horæ desint, probabile sit valere. 7.

Illud quod adfertur de matrimonio, nullo modo est simile: quia ipsa Iura expresse statuunt malitiam sibi posse supplere ætatem.

Ad Secundum: Respondeo, Ad ratificanda talia vota Scholasticorum ante expletum biennium facta, sufficit vt sciens vel dubitans de illorũ validitate intendat in proxima renouatione illa ratificare. Nec opus est Superiorem esse conscium, aut eum secundò admitti. 8

Ad Tertium: Respondeo, Professio, si secuta sit ex errore, quòd putaret se teneri votis Scholasticorum ante biennium expletum emissis, videtur irrita. 9

irrita. Quia actus, cui error dat causam, est irritus, præsertim qui versatur circa totum actũ, eiusque substantiam. Si autem non ex illo errore, sed spõte eam faciat, quia per se placet, ita vt error non sit eius causa, valet.

Vide similem Casum suprà V. Professio Religiosa inualida, Casu 3. & 4.

Votum simplex Scholasticorum facit eos Religiosos.

CASVS III.

Quomodo simplex votum Scholasticorum possit eos facere Religiosos, cùm non admittatur à Societate. *Non enim offertur homini, nec ab homine admittitur, sed soli Deo, vt habetur in Constit. p. 5. c. 4. §. in declarat. littera D, vbi sic dicitur*: Vt hoc votum soli Deo offertur & non homini, ita nemo admittit: propterea in nullius manibus id fieri dicitur. *Admissio tamen est omnino necessaria vt possint Doctores.*

10. Dupliciter potest spectari votũ.

REspondeo, Votum Scholasticorum dupliciter considerari posse. Primò, vt est votum seu promissio. Secundò, vt est formula quædam habens vim tradendi se in ius & corpus Religionis, quam vim habet ex ordinatione & intentione Societatis ab Ecclesia approbatæ, & ex intentione ipsius vouentis, qui per illa vota transacto biennio sic facta coram Superiore, se intendit in ius Religionis tradere, vt fiat verè membrum illius, illique subiectus.

1. Vt non admittitur ab homine.

Si primo modo votum Scholasticorum spectetur, sic non admittitur ab homine, id est, non acceptatur: quia nemo potest acceptare promissionem quæ ipsi non fit, sed alteri. Itaque cùm soli Deo hîc fiat promissio, non homini; rectè dicitur non admitti, id est, non acceptari ab homine. Secùs est in professione, & in voto Coadiutorum formatorum; quia in illis non soli Deo, sed etiam homini fit promissio, vt patet ex formulis.

11

2. Vt admittitur ab homine.

Si verò secundo modo spectetur, sic admittitur ab homine. Quia ipse vouens intendit se per illam formulam vouendi tradere in ius Religionis, & eius fieri membrum; & Superior illum intendit admittere, & Religioni incorporare, licet non omnino completè. Itaque est æquiuocatio in voce admissionis. Hinc sequitur Superiores & Societatem ius habere in Scholasticos, non ex vi promissionis ipsis factæ in votorum formula, sed ex vi traditionis, qua se per eandem formulam intenderunt tradere in corpus Religionis, eam traditionem acceptante Superiore. Neque id mirum videri debet: quia perfectio Religionis non postulat vt aliqua promissio fiat homini; sed solùm requirit vt promissio fiat Deo, quòd homini, tanquam locum Dei tenenti obedies, & in omnibus ab ipso dependebis. Potest itaque Ecclesia statuere vt per talem promissionem fiat quis verè Religiosus, si per eam intendat se tradere in ius certæ Religionis, & Superior illius Religionis eum intendat admittere & incorporare illi Religioni.

Per talem traditionẽ fit verè Religiosus.

CASVS IV.

Priuilegium eroandæ Eucharistiæ.

In Compendio Priuilegiorum V. Eucharistia §. 4. *dicitur.* Possunt nostri, in nostris Ecclesijs ministrare, ac ministrari, facere Sacramentum Eucharistiæ quibuscumque personis, quoties opus fuerit.

Quæritur, *An Nostri per externos Sacerdotes possint id facere?*

12

REspondeo, Affirmatiuè. Primò, quia alioquin ibi esset inepta eiusdem repetitio. Secundò, quia non distingueretur à §. 3. idem enim diceretur. Tertiò, quia est beneficium Principis concessum in bonum alicuius communitatis, nemini præiudicans, ac proinde amplè interpretandum. Quòd nemini præiudicet, patet ex D. Thoma opusculo contra Impugnantes Relig. c. 4. col. penult. Quòd itaque amplè interpretandum, patet ex communi sententia Doctorum in Cap. *Olim*, de Verborum significatione, Oldrado Consil. 300.

Quomodo intelligendum sit Priuilegium de Eucharistia distribuendæ tempore Paschalis & die Resurrectionis Domini, vide quæ dicta sunt in 3. p. q. 82. a. 3. num. 12.

CASVS V.

Scholæ Societatis IESV.

Vtrùm Schola Societatis IESV *obsit bono publico, vel etiam Vniuersitatibus?*

13

Argumenta aduersatorum.

VIderi possint alicui obesse. Primò, Quia per eas fit vt Professores Vniuersitatis habeant pauciores discipulos, multis ad scholas *Societatis* confluentibus: quò fit vt parùm animentur ad studia, & Vniuersitates destituantur eruditis Professoribus.

Secundò, Quia didactra & emolumenta Magistrorum minuuntur, dum in scholis *Societatis* gratis docetur.

Tertiò, Ad honorem & splendorem Principis pertinet, vt eius Professores doctrinâ, famâ, & numero discipulorum sint maximè celebres.

Quartò, Per scholas *Societatis* fit vt optima quæque ingenia se ad illum Ordinem conferant, præsertim ex Philosophia: & ita pro ministerijs Ecclesiæ & Reipub. mediocria vel tenuia duntaxat ingenia relinquuntur. Quò fit vt & Parochi, & Aduocati, ac alij, qui Reipub. vel Ecclesiæ seruiunt, sint minùs idonei.

Quintò, Quia *Societatis* homines nimis magnam auctoritatem per scholas acquirunt tum apud plebem, tum apud primarios quosque: quæ res posset periculum creare Principi, si in aliqua dissentione se plebi contra Principis mandata vel petitiones coniungerent.

Hæ ferè sunt rationes, quas ego à varijs audiui iactari, exaggerari.

14

Contrarium tamen, Scholas *Societatis Iesu* non obesse, sed prodesse plurimùm tum Vniuersitatibus, tum maximè bono publico, multis rationibus clarè demonstrari potest.

Societas suis scholis ornat Vniuersitates.

Primò, Quia Vniuersitates maximè florent in quibus *Societas* docet: vt patet Mussiponti, Treniris, Coloniæ, Moguntiæ, Ingolstadij, Grecij, Flexiæ, Lugduni, Conimbricæ, alijsque locis, vbi cùm pauciſſimi essent auditores, & omnia lãguerent, nunc per *Societatis* scholas Vniuersitates illæ abundant studiosorum numero, & omnibus disciplinis florent. Idem cernere est in Vniuersitate Duacensi.

Digitized by Google

Auget ſtudioſorum numerum.

Secundò, plurimi occaſione noſtrarum ſcholarum animum ad ſtudia litterarum appellunt, qui alioquin nunquam ſtuduiſſent: partim ob bonam diſciplinam, quam in ſcholis noſtris ipſi vel parentes eorum vident, partim ob gratuitam inſtitutionem. Ex his plurimi ſe poſteà ad Vniuerſitates conferunt. Olim Antuerpiæ, Bruxellæ, Traiecti, Gandaui, Cortraci, Valencenis, in S. Audomaro, alijſque magnis Oppidis vix centeni, vel vt ſummùm ducenteni reperiebantur qui litteras Latinas deguſtarent: nunc 500. 600. 700. 800. reperiuntur qui Latinâ, & Græcâ literaturâ inſtituantur; aucto in quadruplum ſtudioſorum numero. Ante ſcholas *Societatis* cùm iſtæ prouinciæ florerent, & ex Hollandia, Zelandia, Friſia, Geldria, Germania, Gallia ſtudioſi liberè hùc conuenirent, non erant plures philoſophiæ ſtudioſi, quàm modò ſunt, quàdo ex illis locis non veniunt. Imò modò ſunt longè plures connumeratis omnibus qui ſtudent Louanij & Duaci. Vnde dimidia pars Belgij dat modò plures Philoſophiæ ſtudioſos, quàm olim totum Belgium cum Prouincijs vicinis. Olim enim non erant in vniuerſum Philoſophiæ ſtudioſi (Logicis & Phyſicis computatis) vltra 500. vel 600. At modò in ſola Vniuerſitate Louanienſi quotannis non multò pauciores numerantur, quibus ſi iungamus eos qui Duaci Philoſophiæ dant operam, reperientur ſupra mille, & ſæpè ſupra mille ducentos. Quis vnquam in tam exigua Prouincia, & tam afflictis temporibus vſquam terrarum vidit tantum Philoſophiæ ſtudioſorum numerum? aut vbi terrarum in vna Vniuerſitate reperiuntur 500. vel 600? Tam numeroſæ iuuentutis, tantique ad Philoſophiam concurſus alia non eſt cauſa, quàm ſcholæ *Societatis*, quæ vbique ſtudia excitarunt, quarumque opportunitate plurimi ad præclaras diſciplinas animum adiecerunt. Ex quibus manifeſtum eſt, ſi numerum & concurſum ſtudioſæ iuuentutis ſpectemus ſcholas *Societatis* bono publico & ipſis Vniuerſitatibus plurimùm profuiſſe.

Si verò diſciplinarum tractationem, & iuuentutis in illis inſtitutionem conſideremus, apparebit etiam hac ex parte ſcholas noſtras bono publico & ipſis Vniuerſitatibus nõ parum contuliſſe. In litteris humanioribus à rudimentis ita inſtituuntur, vt quinquennio Latinâ & Græcâ literaturâ exculti, non ſolùm in vtráque & carmine & proſâ, pro captu illius ætatis, cum plurimorum admiratione excellant, ſed etiam hiſtoriam Romanam ac Græcam, cæteraque quæ ad notitiam antiquitatis pertinent, addiſcant: quorum pleraque anteà in ſcholis erant penitus ignota. In Philoſophicis biennio ita docentur & exercentur, vt ſub finem curſus Theſes difficillimas ex vniuerſa Philoſophia publicè cũ laude tueri poſſint: quod anteà numquam in Belgicis Vniuerſitatibus vſurpatum. Olim Metaphyſica præcipua Philoſophiæ pars non attingebatur: nunc accuratè omnes eius quæſtiones traduntur. Conferantur commentaria & dictata antiqua cũ nouis, & exercitationes antiquæ cum exercitationibus Philoſophicis huius temporis, & patebit quantum omnia ſint cultiora & meliora, aptioraque ad ſuperiores diſciplinas, reddita? In Theologicis olim erat vna lectio è Magiſtro Sententiarum, & vna S. Scripturæ, & vix duodecim annis curſus abſoluebatur: pauca de controuerſijs huius temporis, vel de ijs quæ ad conſcientiæ quæſtiones, & Parochorum inſtitutionem pertinent. *Societas* omnia hæc ſtudia excitauit, & compendiaria methodo coniunxit: nam quadriennio omnes materias Theologicas ita abſoluit, vt ſub finem illius ſpatij, ſtudioſi concluſiones ex vniuerſa Theologia tam morali quàm ſpeculatiua publicè tueri poſſint: quod nunquam anteà in Belgio factum. Caſus conſcientiæ & controuerſias cum ſubtilitate ſcholaſtica ita coniungit, vt parochi abundè ad munus ſuum comparati, & ad congrediendum cum hæreticis inſtructi eſſe queant. His ſimul adiungit Scripturarum vtriuſque Teſtamenti explicationem: adeò vt quatuor annorum ſpatio, qui bono ſunt ingenio, & mediocrem adhibent diligentiam, poſſint aſſequi totius S. Theologiæ, hoc eſt, ſubtilitatum Scholaſticarum, Caſuum conſcientiæ, Scripturarum, & Controuerſiarum inſignem notitiam. Rogatos velim eos qui olim hîc in Vniuerſitate 12. vel 15. annis ſtuduerunt, vt ſecum perpendant, vtrum concluſiones ex vniuerſa Theologia, quales modò quarto anno curſus Theologici apud nos defenduntur, multi eorum propugnare potuiſſent? Poſſent hac de re plura dici, ſed ſileo, & æquis Iudicibus, qui vtraque vidêre, conſideranda relinquo. Hi iudicent vtra ratio docendi, & tradendi diſcipinas magis ſit ex vſu publico, & Vniuerſicatum bono, illane quæ olim fuit, an ea quæ per *Societatem* inducta.

Si conſideremus diſciplinam morum, & inſtructionem in ijs quæ ad Religionem, Pietatem Timorem Domini, & morum honeſtatem pertinent; nemo negare poteſt quin *Societatis* ſcholæ hac in re potiſſimùm excellant. Idcircò enim adeò exoſæ hæreticis, quia in ijs iaciuntur ſolida Religionis catholicæ fundamenta, & iuuenum animi aduerſus hæreſes muniuntur, patefactis hæreticorum ſtrophis. Ob hanc enim potiſſimum cauſam *Societas* litteras humaniores & prophanas diſciplinas tradit, vt ea occaſione iuuentutem in ijs quæ religionem, morum probitatem, & ſalutem concernunt, informet. Itaque præcipua cura & ſtudium *Societatis* eſt, vt iuuentus in his maximè proficiat. In eum finem docetur exactè Catechiſmus, explicantur myſteria fidei Chriſtianæ, declarantur & refutantur hæreticorum errores: inſtituuntur ſodalitia B. Virginis, habentur crebræ exhortationes, confitentur ſingulis menſibus, & plerique etiam ſæpiùs. Denique ad Chriſtianam pietatem etiam ſæpiùs. Denique ad Chriſtianam pietatem, & ad peccatorum, quibus illa ætas obnoxia, fugam, & ad omnem modeſtiam, quàm diligentiſſimè inſtituuntur. Quantum autem hinc boni proueniat, æſtimari non poteſt. Hac enim ratione catholica Religio iam fugiens & exoleſcẽs, vtcunque retinetur, & hæreſeos flamma quæ omnia abſumptura videbatur, ſiſtitur, & Reſpublica viris probis & Catholicis repletur. Hinc catholici & fideles Aduocatij, Magiſtratus, Conſiliarij, ac locorum Gubernatores. Qui enim ab ineunte ætate in vera Religione & Domini timore probè educati ſunt, plerumque retinent hoc bonum per totam vitam; & ſi Reipublicæ admoneantur, iuſtè & Chriſtianè cum maximo Reipublicæ bono munus ſuum obeunt. Nihil eſt quod maiorem vim vel ad bonum vel ad malum habeat, quã prima illa inſtitutio. Vnde Scriptura Prouerb. 22. *Adoleſcens iuxta viam ſuam, etiam cùm ſenuerit, non recedet ab ea.* & Ariſtoteles lib. 2. Ethicorum c. 1. *Non parùm refert, ſed permultùm, vtrùm ſic, an ſic, à pueris aſſueſcamus; imò verò totum in eo poſitum eſt.* Itaque cùm totum bonum Religionis & Reipub. pendeat ab inſtitutione iuuentutis, meritò hæc ſummi momenti ducenda eſt, & omni diligentia & induſtria procuranda. Vnde ſcholæ illæ, in quibus ea ex profeſſo & omni conatu præſtatur, non

If Tractatione diſciplinarum illuſtrat.

16 Pietatem & religionem ſinguläriter docet.

Prouerb. 22.

Ariſtoteles.

non parui ducenda, neque sæcularium scholis in quibus ea minùs curatur, postponendæ. Ob hanc causam Philippo II. Regi Catholico glor. mem. valdè curæ fuit vt *Societas* vbique, & præsertim in oppidis recens subiectis, scholas haberet, eamque rem Principi Parmensi commendauit. Videbat prudentissimus Princeps difficile esse inueteratos in hæresi animos conuertere, & ad obedientiam Ecclesiæ, suique Principis legitimi reuocare: ac proinde à iuuentute, quæ nondum corrupta esset, incipiendum; atque in ea fundamentum boni status Reip. ac religionis collocandum. Huic prudentissimo consilio respondit euentus. Plurimi enim nunc per ciuitates longè aliter in Religionem & suum Principem animati, quàm primis illis temporibus, quando altaria & imagines frangebantur. Denique quàm accurata in scholis nostris Christianæ pietatis sit institutio, & quantam vim in animis ea habeat, non solùm ex crebro Sacramentorum vsu, & eorum modestia, morumque honestate, sed etiam ex multitudine eorum qui ex nostris scholis ad varios religiosorum Ordines in illo ætatis lubrico se conferunt, perspicere licet; adeò vt vix sit vllum monasterium, in quo non plurimi insignes Religiosi ex scholis *Societatis* reperiantur. qua ratione factum est, vt omnes ferè Ordines in Belgio & numero, & disciplina, & eruditione non parum reformarint, cum maximo Ecclesiæ & Reipub. bono. Nihil enim Reipublicæ salutarius, nihil ad eam tuendam & conseruandam incolumem efficacius, quàm si plurimos habeat pietate & doctrina insignes, qui suis precibus & bonis operibus eam communiant, & suâ doctrinâ vitæque exemplo ad Christianè viuendum excitent.

Philippus II. Societatis scholas propagauit.

17 Forma scholarum Societatis.

Denique consideranda est scholarum forma, & Magistrorum conditio. Classes studiosorum non sunt confusæ & permixtæ, vt olim passim parùm decorè visitatum; sed distinctæ per varia loca, ita vt singulæ suam scholam habeant, nec alia aliam disputando & respondendo perturbet ac impediat. Singulæ suum habent Magistrum, qui totus in eam formandam incumbit. Singulæ classes distinctæ per decurias, inter quas assidua concertatio. Ad studia excitantur non plagis seruili modo, sed laude & munusculis, vt decet ingenuos & charissimos filios. Vnde non intuentur Præceptorem tanquam seuerum censorem, vt plerumque fieri solet; sed amant vt patrem, & libenter cum illo ac familiariter colloquuntur. Quanto autem sint efficaciora illa incitamenta, quàm virgæ & plagæ, iam longa probauit experientia. Denique tota ratio exercitationum & lectionum per horas, semihoras & quadrantes accuratè est definita & præscripta in singulis classibus; à qua præscriptione fas Magistro non est suo arbitrio recedere. Quò fit vt omnia rato tenore procedant, & omnis confusio in tanta discipulorum, lectionum & exercitationum multitudine vitetur.

18 Magistrorum Societatis quatuor conditiones

Quòd ad Magistrorum conditionem attinet, multa considerari possunt, quæ alibi non reperiuntur. Primò, quòd ex proprio instituto sui Ordinis, & vocatione diuinâ *Societas* nostra ad munus docendi est comparata. Vnde non est dubitandum, quin Deus peculiari auxilio & prouidentia adsit & dirigat vt hoc munus quàm optimè præstet, & prosperos successus habeat. Deus enim cuique Ordini peculiarem largitur gratiam & opem, ad munus propriæ vocationis dignè & fructuosè obeundum. Et hæc est precipua causa tantorum successuum in scholis nostris, nimirum Domini benedictio, quæ & Magistros illuminat, & animos excitat, & conatus adiuuat: & discipulos dociles, morigeros, ac amantes suorum Magistrorum ac studiorum efficit. Sæculares verò Magistri non ita ad munus docendi sunt vocati. Sed plerique sese ad hoc, lucri, aut beneficiorum Ecclesiasticorum spe applicant; & cùm id quod petebant consecuti fuerint, deserunt: vnde mirum non est si similem Dei opem & tantos successus non habeant.

1. Gratia vocationis.

2. Solo Dei intuitu laborem subeunt.

Secundò, quòd nulla spe lucri temporalis, officij, beneficij, vel dignitatis consequendæ doceant; sed solo desiderio gloriæ Dei & salutis proximi, simplici victu & vestitu contenti, qui nulli sæculari Magistro satis esset. Plerisque sæculariũ Magistrorum 400. 500. 600. floreni in annos singulos, imò multis etiam 1000. satis non sunt, beneficia & pensiones suis stipendijs addendo: nec inuidemus: quia viri eruditi etiam pluribus digni sunt, modo benè vtantur. Professoribus *Societatis* in singula capita, 200. floreni sufficiunt ad victum, vestitum, libros, cæteraque omnia. Nemo cõuictoribus suis tam exiguo pretio omnia necessaria suppeditauerit. Et sanè nisi magna parsimonia & industria adhiberetur, quantumuis viuamus in communi, nullo modo summa illa sufficeret, vt quiuis rei œconomicæ intelligens facilè iudicare potest. Nos tamen eo modulo contenti essemus, si ad eum pertingere daretur: verùm longè absumus cùm in multis Collegijs vix 100. annuos in singula capita habeamus.

3. Liberi sunt vbi impedimenta.

Itaque cùm *Societas* nihil temporale in munere docendi quærat, sed tantùm Dei gloriam, & adolescentum, qui filij sunt Dei, salutem; fit, vt hoc munus non perfunctoriè, sed magna sinceritate, & diligentia præstet, & maximè cordi habeat. Inter famulos qui eidem domino seruiunt, nulli bonum domini magis cordi habent, aut fideliùs seruiunt, quàm qui non sui commodi causâ, sed solius domini amore, illius duntaxat commodum & honorem spectantes seruiunt.

Tertiò, Quòd plurimis impedimentis, quibus alij detinentur & impediuntur, nostri Professores sint expediti. Non enim sibi victum, vestitum, libros, aliaque necessaria curare debent: sed hæc omnia illis Superiorum vigilantia procurat. Liberi etiam sunt à conuiuijs, litibus, curis beneficiorum, & abalijs occupationibus, quibus animus distrahitur, & plurimùm à studijs auocatur, & professio disciplinarum obiter & perfunctoriè ixpe numerò peragitur. Itaque cùm nostri his omnibus impedimentis sint soluti; integras ingenij vires ad studia conferunt, & duplo vel triplo plus temporis eis impendere possunt, quàm plerique magistri sæculares. Neque his quidquam detrahunt statæ preces, & quotidianæ rerum diuinarum meditationes: quia his maximè mens humana ad sublimium rerum cognitionem illustratur, & apta redditur. Plerique sanctorum Patrum plus oratione & meditatione, quàm multâ librorum lectione profecerunt; quamuis etiam hac in re *Societas* sæcularibus non cedat; sed fortassè non parùm etiam superat; quod & aliis iudicandum relinquo, & ex plurimis libris exeusis cognosci potest.

4. Habent adminicula ad docẽdum aptissima.

Quartò, quòd multa adminicula habent quibus alij carẽt. Nam primò, Qui litteras humaniores docturi sunt, plerique per multos menses accuratè ad hoc instruuntur in seminario formandis magistris peculiariter instituto. Secũdò, Qui Philosophiam, non solùm in Philosophicis probè sunt versati, sed etiam Theologica studia (quibus cognitio philosophica mirè iuuatur & perficitur)

plerumque absoluerunt. Tertiò, Omnes nostri Professores habent suas regulas, quibus tota docendi ratio & modus exercitationum scholasticarum accuratè præscribitur, à quibus non possunt pro arbitrio recedere. Quartò, Habent Superiorum vigilantiam qui omnibus superintendunt, & regulas seruari curant; & si quid minùs rectè processerit, statim emendant. Quintò, Præfectus studiorum assiduè circumit, & omnia inspicit, vt iuxta regularum præscriptum peragantur. omnesque suo probè fungantur officio. Denique datur opera vt Professores ab omnibus alijs oneribus & curis, quæ munus professionis & instituendæ iuuentutis impedire aut retardare possent, sint exempti. Omitto crebras Professorum cum Præfecto consultationes de discipulorum tum in moribus, tum in disciplinis profectu, & varias ad hoc excogitatas industrias laudum, præmiorum, monitionum, disputationum, examinum. Omitto crebra cum illis colloquia, quibus studiosi ad studia & pietatem excitantur.

19 Conclusio. Ex quibus patet, si Professorum *Societatis* conditionem spectemus, quatuor in illis reperiri, quæ non reperiuntur in aliis. Primò, quòd ex sua vocatione & instituto ad munus docendi etiam perpetuò, si Superiori videtur, sint comparati. Secundò, quòd nulla temporali mercede, sed solo Dei & proximi amore doceant, nihil aliud quàm profectum discipulorum quærentes. Tertiò, quòd plurimis impedimentis, quibus seculares distrahuntur, sint exempti. Quartò, quòd optimis ad munus docendi præsidijs sint instructi; & optimâ in eo directionem habeant. Hæc cum ita sint, mirum non est, si nostræ scholæ floreant, & ad illas magnus fiat vbique concursus, nostrique discipuli breui spatio magnos progressus faciãt. Ex quibus æstimare quilibet poterit quantum scholæ nostræ Reipubl. & Ecclesiæ contulerint. Nec refert, quòd scholæ secularium Professorũ modò passim meliùs se habeant, quàm olim: id enim æmulatione nostrorum factum, nemo non intelligit. Nihil hac æmulatione inter Professores ad studia excitanda vtilius: sine hac statim omnia in pristinum languorem recciderent.

Henricus IV. ob scholas reuocauit Societatem in Galliam. Hæc cùm perpenderet Henricus IV. Galliæ Rex, tanti scholas nostras fecit, vt earum causâ potissimùm *Societatem* in Galliam reuocarit, & in maioribus oppidis Collegia & scholas habere voluerit, vt iuuentus Gallica ab ea institueretur. Cùm enim *Societas* expulsa esset, nullis edictis contineri iuuentus potuit, quin relicta patria scholas *Societatis* frequentaret; adeò vt Duaci in nostro Collegio supra 500. vel 600. nationis Gallicæ (inter quos plurimi nobiles) aliquot annis numerari fuerint.

Nunc veniamus ad argumenta Aduersariorum.

20 Responsio ad argumenta num. 11. proposita. *Ad Primum, & Secundum*: respondeo Primò, Si munus docendi esset quędam nundinatio doctrinæ ad quæstum & priuatam vtilitatem, vel ad honorem & famam Magistrorum instituta, obiectio illa fortasse aliquem colorem haberet. Verùm cùm bonum publicum & institutio iuuentutis in litteris ac pietate hîc quæratur, si meliùs vel certè commodiùs id præstatur in scholis *Societatis*, parui videtur faciendum, quòd aliqui Professores sæculares pauciores auditores habeãt. Id enim paucorum est incommodum, cui, tantum bonum meritò præponderat.

Respondeo, Secundò, etsi multi ad scholas *Societatis* confluant, cæteri tamen Professores tam Louanij, quàm Duaci non destituuntur honesto auditorio, adeò vt modò etiam Louanij ferè tot habeant, quot olim ante annos 40. Neque modica ab his emolumenta percipiunt, vt quæ 400. 500. 600. florenos dicantur excedere: imò quibusdam supra victum & amictum quotannis tantum supereſt, vt paucorum annorum decimi sui sumptus Licentiæ & Doctoratus facilè tolerent, ad quos supra 1200. vel 1500. florenos opus est. Taceo de didactris, & alijs sumptibus plurimùm auctis. Quando Professores sunt diligentes & assidui in professionis munere, & bonam seruant disciplinam, nunquam deest discipulorum copia, vt experientia plurimis iam annis ostendit.

11 *Ad Tertium*: Fateor ad honorem Principis & bonum publicum pertinere, vt habeat Professores celebres & eximios, qui nominis sui & doctrinæ ac disciplinæ famâ possint vndique iuuentutem allicere. At huic rei impedimento non est *Societas*, sed maximo adiumento; vt quæ omnia studia excitarit, & ad accurationem disciplinarum scrutationem & tractationem suo exemplo præiuerit. Conferantur antiqua commentaria & exercitia cum nouis, & magna cernetur discrepantia. Deinde non minùs ad honorem Principis & bonum publicum pertinet vt scholæ *Societatis* floreant, & præclaros Professores habeant: tum quia *Societas* ex instituto sui Ordinis ad docendum est mancipata, & reipublicæ ad hoc se adstringit; eique & Principi in eo inseruit non minùs, quàm sæculares Magistri, qui pro suo arbitrio id munus capessunt & deponunt: tum, qui docent, & qui docentur in scholis *Societatis* non minùs sunt subditi Principis, & reipublicę Belgicæ ciues, quàm in scholis aliorum Magistrorum: tum, quia institutio in scholis nostris non minus est accurata, imò in religione & moribus si communi hominum iudicio credimus (vt de disciplinis nihil dicam) multò accuratior. Solùm in eo est discrimen, quòd Professores *Societatis* solo victu & vestitu contenti, solius Dei amore, & desiderio profectûs iuuentutis doceant, nec vlla stipendia à Principe, Republica, vel iuuentute expectent. Seculares verò Magistri ampla stipendia beneficia, ac dignitates sibi propositas habeant. An idcircò minorem fauorem *Societatis* scholæ merentur, aut minùs Principi & Reipubl. curæ esse debẽt quòd *Societas* gratis huic muneri vacet, cæteri stipendia, beneficia, & honores expectent? Itaque iniuriam faciunt tam reipubl. quàm *Societati*, qui ita de scholis *Societatis* loquuntur, ac si bono publico non essent institutæ, sed ei potiùs officiant. Quasi bonum publicum in eo situm sit, vt scholę Magistrorum secularium in Vniuersitatibus magno studiosorum numero abundent. Sanè in Galliæ regno pluſquam 20. locis in scholis *Societatis*, petente Rege & Prouinciarum Rectoribus, Philosophia traditur, vt non opus sit ciuibus eam ob causam ad Vniuersitates liberos suos cum ingenti sumptu & periculo corruptelæ mittere. Quia commoditate oblatâ tota ferè nobilitas Gallica Philosophiâ suos filios excoli cupit; quod in magnum illius regni cedit ornamentum: fiunt enim hac ratione ad omnia Reipub. munia lõgè aptiores: Nihil est quod æquè ingenia acuat & aperiat. Nihilominùs Vniuersitates sat multos habent auditores: Nam plerique qui Philosophiam extra Vniuersitates audiuerunt, pulchritudine disciplinarum capti conferunt se posteà ad Vniuersitates, vt Superioribus disciplinis dent operam, qui alioqui nunquam ad Vniuersitates fuissent venturi. Hoc tamen vt in Belgio fiat, non ago. Solùm volo ostendere bonum publicum non esse in eo situm vt Vniuersitates maxima multitudine

Gloria scholarum Societatis redundat in principem.

In Gallia florent Societatis scholæ.

dine adoleſcentum in ſcholis ſæcularium Magiſtrorum abundent.

22. Non obeſt Reipubl. multa præclara ingenia Religionem ingredi.

Ad Quartum: Fatemur quotannis ferè aliquot ex diſcipulis ſe noſtro Ordini addicere, ſed triplo plures ad alios Ordines tranſeunt. Neque id in detrimentis reipub. ſed in benedictionibus deputandum: quia Deus per tales diſponit Reipublicæ benefacere, Si enim Reipub. bonum eſt habere multos ciues, qui chari ſint Principi & familiares, per quos multa impetrari à Principe queant; multò magis bonum eſt habere multos ciues, qui ſint chari Deo ſummo Phrincipi (à cuius prouidentia tota Reipubl. proſperitas pendet) & multa ab eo in ſalutem Reipubl. impetrare poſſint. Nulla re magis Reſpubl. firmatur, quàm religione, & Religioſorum virorum precibus & meritis, vt præter alios, multis locis Iuſtinianus teſtatur, & omnes pij Principes ſemper ſenſerunt. Parùm Chriſtianum eſt, damnum reipubl. ducere, quod inſignes adoleſcentes ſeculo deſerto Chriſti veſtigia ſequantur, & ad *Societatem*, vel aliam religionem ſe conferant. Cùm Mauritius Imperator ad inſtaurandum exércitum Romanũ bellis Perſicis valdè attritum lege ſanxiſſet, Ne quis ante militiam expletam ad Religionem trãſiret, S. Gregorius ſe illi oppoſuit, impiam, Deoque contrariam legem eſſe dicitans, vt conſtat ex Epiſt. 61. lib. 2. Quantò magis impium, Deoque aduerſum ſenſiſſet impedire ne adoleſcẽtes in illo ætatis lubrico & ſalutis periculis, ſe Chriſto addicant? Denique ſæpiſſimè fit vt qui in ſeculo reipubl. & Eccleſiæ fuiſſent parùm vtiles; vel etiam noxij morum licentiâ, vel opum ac honorum ſtudio, in Religione ſint vtiliſſimi. Imo in *Societate* omne ſtudium omniſque induſtria in eo verſatur, vt quàm plurimum boni in Republ. & Eccleſia ſuis miniſterijs quiſque præſtet.

Mauritius Imperator id prohibens reprehenditur.

Doctorum nunc plena omnia.

Quod ad Parochos attinet, nunquam maior doctorum & præſtantium Parochorum in Eccleſia copia, nunquam magis inſtructi ad hoc munus acceſſerunt. Teſtantur id multi Epiſcopi, qui diſcrimen quorundam antiquorum, & nouorum conſiderant. Olim nihil ferè aut parum de conſcientię caſibus plerique nouerant. vnde & modò reperiuntur varijs locis, qui neque de cenſuris, neque de diſtinctione peccati mortalis, & venialis, neque de contractuum iuſtitia & limitibus, alijſque ad hoc munus pertinentibus, vel mediocriter ſunt inſtructi. Pari modo Curiæ plenæ ſunt doctis Aduocatis, & Conſiliarijs, & vbique magnus doctorum virorum numerus.

Quòd ſi *Societas* in varijs diſciplinis videatur aliquid amplius præſtare quàm multi ſæculares, huius rei cauſa non tam eſt ingenij excellentia, quàm aſſiduum ſtudium, & vacuitas ab alijs occupationibus & diſtractionibus, & gratia propriæ vocationis: quibus rebus fit vt duplo vel triplo plus temporis ad ſtudia conferre poſſint, quàm ſęculares qui plurimis curis diſtrahuntur, & Deus conatibus eorum, quos ad hoc munus vocat, peculiari gratiâ aſpirat.

23. *Ad Quintum*: Optandum Principi & Reipublicæ moderatoribus bonum publicum quærentibus, vt & Clerus & Religioſi Ordines multum auctoritatis apud plebem habeant. Hæc enim auctoritatis maximam vim habet ad plebem in Religione & obedientia Principis retinendam. Nuſquam maior tranquillitas aut Reipub. proſperitas, quàm vbi magna eſt plebis erga Clerum & Religioſos ordines reuerentia. Quod ad *Societatem* attinet, mirum eſt eam poſſe in ſuſpicionem conſpirationis aduerſus Principem vocari: cùm ſuæ fidelitatis difficillimis temporibus tam illuſtre documentum dederit. Cùm enim tempore rebellionis & ſæculares & Eccleſiaſtici, & plerique ex varijs Ordinibus religioſi, & multi ex Vniuerſitatibus, iuramentum contra Principem ſuſciperent; nemo ex *Societate* illud vnquam admiſit, etſi bonorum omnium iacturam, eiectionem in exilium aduerſarij minarentur, & magnum vitæ periculum impenderet. Si illis temporibus cùm tanta impenderent pericula, & communis error excuſationem aliquam perfidiæ poterat prætexere, & capita Religionis ac reipub ſuo exemplo præirent, *Societas* in fide ſui Principis perſtitit, quâ ratione ſuſpecta reddi poteſt extra pericula, & vbi nulla perfidię foret excuſatio, ſed labes manifeſta & æterna? Qui in maximis Fidelis fuit, non dubitandum quin etiam in minimis talis ſit futurus.

Societatis in ſuum Principem conſtans fides.

Denique conſiderentur illi qui *Societati* ſunt addicti, eamque magni faciunt; & deprehendetur eos maximè & Religioni Catholicæ, & Principis ſui obſequio eſſe addictos; quales ſi multi fuiſſent primis illis rebellionis temporibus, cùm imagines diſturbarentur; credibile eſt totum illud malum, facilè fuiſſe impediendum: quo impedito nunquam calamitates illæ, quæ inde ſecutæ, Patriæ obuenirent.

Hæc ſicut à me ſincerè ex conſcientiæ iudicio coram Deo, & in timore Domini ſcripta ſunt, vt obtrectatoribus ſcholarum noſtrarum reſponderi queant; ita velim à lectore accipi: quem rogo vt ſingula diligenter examinet, & tanquam coram diuino tribunali conſtitutus ſincerè iudicet, & ſententiam ferat.

SOCIETAS OFFICIORUM ROMÆ.

CASVS VNICVS.

Vtrùm Societas officiorum, prout Romæ iniri ſolet, ſit licita?

NOtandum eſt, Romæ eſſe varia officia quæ varijs modis vendi ſolent, vt officium Notarij, Curſoris, & ſimilium.

Triplicitet initur hæc Societas.

Primus modus eſt, Petrus volens emere officium Notarij, quod vendi ſolet ad vitam 20. millibus aureorum, cùm ſolùm 10. millia habeat, adſciſcit Paulum in ſocietatem emptionis, ſumens ab eo alia 10. millia: & ſic comparat illud officium in commodum vtriuſque pro ratâ pecuniæ datæ. Ipſe tamen manet primarius poſſeſſor & adminiſtrator officij, ſolumque ſoluit alteri 12. in centum quotannis. Hæc enim penſio ordinariè eſt conſtituta in huiuſmodi officiorum ſocietate. Hac tamen lege, vt ſi Paulus moriatur ante Petrum, Petrus non teneatur illi aut hæredibus reſtituere pretium 10. millium, quod Paulus contulerat, ſed Paulus illud amittat. Si verò Petrus ante moriatur, teneatur Paulo pretium reſtituere. Atque hic eſt primus modus ineundæ iſtius ſocietatis. 1. Modus.

Secundus modus eſt, cùm Petrus totum officium ſibi comparauit ſuis pecunijs, & poſtea admittit Paulum in ſocietatem eiuſdem officij; accepto ab illo pretio dimidiato, vel tertia aut quarta totius pretij parte. 2. Modus.

Tertius modus eſt, cùm miſcetur tertia perſona, v. g. Iacobus: quod ſic vſurpatur. Iacobus egens ſumma 5000. aureorum, adit aliquem, v. g. Andream, vt hanc pecuniam mediante ſocieta- 3. Modus.

tis contractu sibi comparet; quoc vt fiat, vterque adit Petrum: & Andreas numerat Petro quinque millia aureorum vt in societate illius officii pro ratâ illius summæ admittatur. Petrus acceptâ illâ pecuniâ Andream admittit: sed mox eandem summam numerat Iacobo qui pecuniâ egebat, transferens simul in illum opus soluendi quotannis 12. in centum ipsi Andreæ, ita vt Andreas nihil amplius à Petro possit exigere, sed totum ius quod habebat in Petrum, Andreas nunc habeat in Iacobum, vtroque ita volente & liberè consentiente, ita tamen vt si contingat Petrum officialem mori ante Andream, Iacobus teneatur Andreæ restituere sortem totam, nempe 5000. aureorum, si verò contingat Andream mori ante Petrum, Iacobus lucretur sortem, nec aliquid teneatur restituere hæredibus Andreæ. Denique licitum est vtrique parti singulis semestribus contractum dissoluere reperita sorte vel sponte refusa. His positis specie facti.

2 In primo est vera societas.

Dico Primò, Si hic contractus ineatur primo modo dum compacatur officium, est verus contractus societatis, ac proinde ex natura sua licitus, habens coniunctum pactum euentus fortuiti, qui etiam per se licitus est. Quòd sit contractus societatis, patet; quia sunt socij in emptione officij & in eius dominio; & consequenter in lucro. In omni enim societate requiritur vt res, ex qua lucrum capitur, sit communis, & vterque efficiatur illius dominus, non totalis, sed partialis: ita vt omnes socij simul habeant integrum dominium, singuli verò seorsim dominium partiale. Quòd si vnus tantùm esset dominus plenum habens dominium, non esset contractus societatis, sed censualis; nam alij non haberent nisi ius fructuum pro rata pecuniæ collatæ.

3 In 2. nec est contractus societatis, nec census realis.

Dico Secundò, Si officium esset grauatum supra eius æstimationem, vel etiam ad æqualitatem æstimationis, & posteà aliquis admitteretur, non esset verè contractus societatis, nec etiam census realis.

Prior Pars, Quòd non esset contractus societatis, patet; quia non potest quis fieri socius in re aliqua, niti possit in illium transferri dominium partiale, & ius ad partẽ lucri illi dominio respondentem. atqui hoc fieri non potest quando ab alijs res tota est plenè possessa, ipsisque omnis fructus & lucrum debetur: nisi fortè aliquis illorum desinat esse socius, & ius suum in illum qui accedit, transferat. Vnde si administrator officij seu Officialis partem sibi competentem alteri vendat, poterit alter fieri socius, quia intrabit in partem dominij & iuris ad lucrum quod restabat Officiali.

Quòd etiam non posset esse contractus census realis quo emitur ius ad fructus alicuius rei, manifestum est; quia omnes fructus alijs debiti sunt. nemo autem potest vendere aut emere ius quod aliorum est.

4 Potest tamen census intervenire implicitus cõtractus census personalis.

Dico Tertiò, Posset tamen in hoc casu ex quadam æquitate censeri emptio census personalis cum pacto euentus fortuiti: & hac ratione posset iste contractus vindicari ab iniustitia. ratio est, quia est regula à multis Doctoribus recepta in foro conscientiæ, quòd quando partes intendunt iustè contrahere, & bona fide procedunt, etiamsi fortè contractus non sit iustus spectato titulo quẽ concipiunt expressè, tamen si alius titulus subsit iuxta quem contractus iustè fieri possit, contractum ad formam illius tituli reducendum: quia cùm iustè intendant contrahere, non censentur velle inhærere illi priori titulo quem concipiunt, sed alteri qui eos latebat, hunc enim implicitè intendunt. Hoc modo Gregorius à Valentia & multi viri docti (a) hîc Romæ circa annum Domini 1580. congregati excusabant contractum depositi pecuniæ pupillaris, qui in plurimis regionibus adhuc est in vsu, cùm tamen videatur manifesta vsura. Non facilè enim damnandum quod vulgò receptum, nec à nobis emendari potest: sed potiùs vt consulatur conscientiis; videndum an nulla ratione excusari possit. Quare cùm in hoc casu, per contractum censûs personalis, adiecto euentus fortuiti prædicto, possit hic contractus cum tali lucro iustificari, non putarem facilè damnandum à Confessariis. Etsi enim expressè non intendant hunc contractũ & sub propriis terminis, tamen intendunt implicitè; quia intendunt obligare personam Officialis, siue officium sit grauatum supra suam æstimationem, siue non: hoc autem propriè ad censum personalem pertinet.

(a) Hinc colligit hoc responsum ab Auctore Romæ datum.

Confirmatur, Quia nisi id intenderent, & ita suum contractum vellent intelligi, exponerent se periculo perdendi totius lucri, quando officium esset grauatum: quia nullo titulo possent aliquid exigere; & ita nunquam contraherent nisi re diligenter ante discussa constaret illis officium non esse grauatum. Quare cùm non sit moris vt de ea re multùm sint solliciti, signum est eos intendere immediatè obligare personam Officialis quod ad censum personalem pertinet.

Mediante censu personali potest peruenire ad tantum lucrum.

Quòd autem mediante censu personali possit ad tantum lucrum peruenire, sic ostendi potest. Census personalis perpetuus ordinariè reddit 6. vel 7. vel etiam 8. in centum quotannis pro locorum varietate, & semper manet sors salua donec refundatur: vt ergo sors possit extingui morientè emptore ante venditorem, potest emptor exigere 5. vel 6. in centum quotannis. nam in censu vitali vbi sors morte certæ personæ extinguitur, facilè 16. in centum accipi solent: ergo.

Obiectio.

Dices, Est contra naturam reditus personalis vt sors ab emptore possit repeti, vt omnes fatentur: videtur enim manifesta vsura.

Solutio.

Respondeo, Esse contra naturam censûs personalis, si absolutè & purè hic contractus fit initus, non autem adijciatur pactum quo hoc onus compensetur; vel si ea in pensione adhibeatur moderatio per quam onus hoc compensari queat, vt si cùm possis exigere pensionem 13. vel 14. in centũ, exigas solùm 12. nam detractio illa duorum in centum videtur esse in cõpensationem istius oneris. & credibile est eos qui taxam illam 12. in centum statuerunt, omnibus vtrimque oneribus & iuribus consideratis & pensatis, ita statuisse. ita enim æstimatio rerum & iurium taxari debet. Securius tamen esset si emptor non posset pecuniam suam repetere: tunc enim accederet magis ad naturam census: quia tunc verò non est contractus societatis quando res est grauata supra æstimationem.

5 1. Contractus videtur licitus.

Dico Quartò, Quòd ad tertium modum attinet, si contractus primus, nempe qui cum Officiali initur, est licitus, etiam licitus est secundus, quo Officialis consentientibus partibus transfert totum onus in tertium. quia hoc nihil est aliud quàm cessio contractus in alium; qui contractus cessioni fieri licitè potest etiamsi primus contractus ex parte eius qui cum Officiali contraxit societatem veram vel simulatam, fuisset iniustus, vel etiã vsurarius. Nam qui acceptâ pecuniâ ab vsurario grauatur vsurâ, potest statim cedere contractu in aliũ id petentem, numerata illi sorte accepta, & translato in illum onere soluendi vsurario: nihil enim

ipse

ipſe lucratur, nec alteri mutuat ſub vſura, ſicut fecit vſurarius cum ipſo, ita cedit contractu cum vſurario inito, petente id altero.

Si tamen cenſus perſonales istis locis nullo modo ſunt permitti, res eſt difficilior, nec volo tales contractus excuſare. *Alterum de hac materia Caſum vide infrà* V. Vſura Caſ. vlt.

SPONSALIA.

Sponſalia cum multis fidè inita.

CASVS I.

Titius adoleſcens Antuerpienſis multas virgines paris conditionis ſub ficta promiſſione coniugij corrupit in Anglia & alibi.

1 Ducat primam, ſi illa fraudē non aduerteris.

DIco Primò, Tenetur ducere primam, ſi ipſa fraudem aduertere nullo modo poterat. Secundam vel tertiam ducere non tenetur: quia etiamſi feria promiſſio fuiſſet & iuramento confirmata, irrita eſſet, cùm iam ſit primæ obſtrictus: nō enim poterat cum tribus primę valdè promittere ſecundæ vel tertiæ. Vnde ſequitur, etiamſi contingat illum cum prima tranſigere, tamen non teneri ad ſecundam. Sicut qui ferò cum duabus cōtraxit ſponſalia, non obligatur ſecundo cōtractu, etiamſi tranſigat cum prima: eò quòd contractus ſecundus ab initio irritus fuit, qui non conualeſcit per illam tranſactionem.

Secundam, ſi prima aduerterit, & ſic deinceps.

Dico Secundo, Si prima potuit facilè aduertere ſubeſſe fraudem, tenetur ducere ſecundam; niſi & hæc idipſum aduertere potuerit: tunc enim tenetur ducere tertiam, & ſic deinceps. Ratio eſt, quia ex contractu & commercio cum prima, non fuit ortâ obligatio, ac proinde manſit liber, & ſic potuit ſe obſtringere ſecundæ &c.

2 Ductâ primâ, ceteris tenetur de damno, ſi ſecutum.

Dico Tertiò, Eo caſu quo tenetur ducere primam, tenetur cæteris de damno, ſi quod ſecutum fuerit occaſione huius factæ promiſſionis. Hoc enim locum habet in omni contractu. Nam qui mala fide init aliquem contractum cum aliquo, ſi non impleat, tenetur de damno inde ſecuto. Si nullum damnum ſecutum eſt, vt ſi æquè bene nupſit, ſi Religionem ingreſſa eſt, ſi cælibem vitam ducere ſtatuit, denique ſi res ſecreta manſit, non videtur ad vllam reſtitutionem teneri, ſed ſolùm ad aliquam ſatisfactionem pro iniuria. Non videtur autem damnum ſecutum, niſi quando à ditioribus & honeſtioribus ob hanc cauſam reijcitur, qui eam aliàs libenter accepiſſent. Vel niſi grauia incommoda ob hanc cauſam à marito, qui poſteà id deprehendit, perferre cogatur. Vel denique niſi proles ſecuta ſit: hanc enim pater alere tenetur vnà cum matre. Præſumetur autem eſſe proles ipſius, ſi tempus reſpondeat, niſi conſtet eam alijs corpus ſuum vulgaſſe: Præſumitur enim non violaſſe fidem datam, niſi de contrario conſtet, &c.

Si ſecuta proles.

In dubio damni.

Dico Quartò, In dubio tenetur inquirere eo modo quo poteſt & debet fieri in re magni momenti, an damnum ſecutum ſit: & ſi quid deprehenſum ſit, compenſare pro ſua facultate. Quia omne damnum iniuſtè datum, compenſandum, quantum fieri poteſt.

3 Quibus caſibus non teneatur ducere, vel damnum compenſare.

Dico Quintò, Sunt aliquot cauſæ quæ poſſent prædictum adoleſcentem excuſare ne vel teneatur ducere, vel damnum compenſare. Primò, Si illæ virgines facilè aduertere vel ſuſpicari potuerunt fraudem ſubeſſe. Tunc enim neque tenetur ducere, neque damnum compenſare: quia eas non decepit, neque cauſa damni fuit per iniuriam, ſed ipſis conſentientibus.

Secundò, ſi ſit hæretica: tunc enim non tenetur ducere, niſi velit fieri Catholica: Nec etiam tenetur damnum compenſare: Quia hoc ipſo quo excuſatur ab illa ducenda ex culpa illius, excuſatur etiam à damno ſarciendo. 1. Si poteſt ſuſpicari fraudē. 2. Si hæreticæ.

Tertiò, Si fornicata ſit poſteà imò ſi antè fornicata eſt, & ipſe id ignorauit quando cum illa contraxit. Quia hoc ſatis eſt ad feria ſponſalia, etiam iurata dirimenda: & ipſa cogitare debebat quod ei fidem non eſſet ſeruaturus ſi hoc reſciſceret. Vnde nec tenetur damnum compenſare. 3. Si poſteà fornicata.

Quartò, Si parens puellæ nolit eam dare. Quo caſu etiam non tenetur compenſare. 4 Si earum parentes nolint.

Quintò, Si facultates non ſuppetunt ad damnum compenſandum, & ſingulis ſolùm modicum quid reſtituere poſſit, quod non ſit tanti momenti vt prudentis arbitrio ad illas regiones ſit mittendū, aut vlterior inquiſitio faciēda: tunc enim non teneretur de damno ob impoſſibilitatem. 5. Si ipſe ſit pauper.

Sextò, Perpendendum etiam an non cum manifeſto periculo animæ eſſet rediturus, v. g. in Angliam, vt primam, vel ſecundum ducat: tunc enim non teneretur eò ire. 6. Si periculum ſit animæ.

Septimò, Si illa vocata nollet venire Antuerpiam; quia tenetur ſequi ſponſum, niſi contrarium in contractu expreſſum ſit, præſertim cùm ſciret illum eſſe externum. Itaque ſi vocata nolit venire, manet liber ab ea ducenda, & etiam à damni compenſatione. Poſſet hac ratione etiam vti cum alijs quas non tenetur ducere, vel cum parentibus earum. Videndum tamen an non promiſerit ſe rediturum, & eam ibi ducturum &c. 7. Si nolit ad eum vocata venire.

Ex his colligi poteſt quid fieri poſſit in præſenti caſu. Mirandum non eſt ſi in praxi hic caſus ſit difficilis, nec facilè tales adoleſcentes extricari poſſint: quia damna multiplicia ſunt, & fraudes obligationeſque variæ.

CASVS II.

Quidam adoleſcens nobilis 17. vel 18. annorum ſub Curatoribus conſtitutus, cùm ageret Pariſijs, incidit in quandam mulierculam, quæ ita ſuis blandiſtis & amoribus illum ſibi obſtrinxit, vt ſi ſchedulam ab eo extorſiſſet, in qua ſcripſit ſe ab ea mutuò accepiſſe mill. quingentos aureos gallicos, illi reſtituendos, niſi eam in vxorem duceret. Promiſſi. dandæ tibi pecuniæ, niſi te ducam.

Quæritur, Vtrùm ratione illius ſchedulæ aliquid in conſcientia ei debeatur, aut in foro externo aliquid ab eo poſſit exigi?

REſpondeo Primò, Certum eſt Nobilem illum Adoleſcentem in foro conſcientiæ ad nihil teneri: quia fundamentum totum falſum eſt. Dicitur enim debere ex mutuo, cùm non ſolùm nullam ab ea pecuniam mutuam acceperit; ſed multas & profuſas largitiones in eam fecerit. 5 In foro conſcientiæ ad nihil tenetur.

Deinde adoleſcens nullum habuit animum tam immanem ſummam ſoluendi, aut ſe obſtringendi: ſed fecit hanc ſyngraphan ad eius petitionem, vt poſſet eius amoribus frui; vt ipſe teſtatur.

Reſpondeo Secundò, Sed nec in foro externo aliquid exigi poteſt. Primò, Quia facilè probari poteſt fundamentum totum falſum eſſe. Vnde enim illa meretricula tantum pecuniæ, nimirum 1500. aureos Gallicos (tantum enim dicitur mutuaſſe adoleſcenti) habuiſſet? & cur illam pecuniam non voluiſſet ſibi reſtitui, niſi in euentu quo non procederet matrimonium? Denique, cùm ipſa illi litem intentarit ad obtinendum eius matrimonium, cur nullam huius mutui mentionem fecit, ſed ſolùm petijt à Iudice, vt quo caſu illam non eſſet ducturus, condemnetur in pœnam 1500. Nec in foro externo.

Digitized by Google

aureorum ſibi ab illo promiſſorum? vbi manifeſtè detegitur mutui figmentum. Nihil quoque obtinuit, præterquam quòd duabus ſententijs conformibus ab eius matrimonio repulſa fuerit.

Secundò, Quia minor non poteſt ſe validè obligare abſque Curatoris auctoritate, vt ex multis Iuribus conſtat l. 3. & 5. Cod. *De in integrum Reſtitut. min.* Et ſi in aliquo contractu læſus ſit, poteſt vti beneficio reſtitutionis in integrum. Et ſi non ſoluerit, poteſt petentem ſubmouere exceptione minoris ætatis. Atqui in iſta promiſſione enormis læſio continetur.

Tertiò, Etiamſi verum eſſet illum accepiſſe pecuniam iſtam mutuam (quod tamen conſtat eſſe falſum) tamen non teneretur ſoluere beneficio legis: quia nihil ex ea pecunia in rem eius conuerſum, ſed tota in luxum & laſciuiam effuſa fuit. l. 2. C. *De filio familias.*

CASVS III.

Dilatio promiſſi matrimonij in triennium initâ parte.

Laurentius dedit Mariæ ſpem matrimonij, & eo modo impetrauit vſuram corporis. Deinde cum iuramento id ei promiſit abſolutè. Poſteà tamen coram patre & matre Mariæ dixit ſe contentum illam ducere, ſi poſſet id fieri cum bona parentum ſuorum gratia. Demque ſolemniter cum illa contraxit ſponſalia coram Parocho.

Quæritur Primò, *An Laurentius teneatur, & poſſit cogi Mariam ducere?*

Quæritur Secundò, *An poſſit Laurentius vt ſuis parentibus ſatisfaciat, differre matrimonium ad triennium? Et quo pacto impediri poſſit ne aliam ducat?*

6. Tenetur eam ducere.

Ad Primum: Reſpondeo, Non videtur dubitandum quin Laurentius teneatur, & poſſit cogi Mariam ducere. Primò, Quia hoc ipſo, quo ab illa impetrauit vſuram corporis, poteſt & debet cogi per Iudicem (querelâ ad eum delatâ) vt eam ducat, etiamſi nulla promiſſio interueniſſet: vt patet ex cap. 1. *de Adulteris*, & communiter tradunt Doctores. Vide Couar. de Sponſal. parte 2. cap. 8. §. 8. Secundò, Non ſolùm poteſt cogi per Iudicem vt eam ducat, ſed etiam tenetur in foro conſcientiæ ante omnem ſententiam. Cùm enim dedit ſpem matrimonij, & eo modo impetrauit vſurã corporis, cenſetur aliquo modo tacitè promiſiſſe. Spes enim non datur alteri niſi aliquo modo promittendo, ſaltem ſub aliqua conditione: ac proinde, niſi res ſint valdè mutatæ, tenetur implere. Deinde, quia poſteà cum iuramento promiſit filiæ abſolutè, quòd illam eſſe ducturus, à quo iuramẽto nemo poteſt illum liberare abſque cõſenſu filię, ſed ſub peccato mortali tenetur implere. Nec refert quòd poſteà coram patre & matre filiæ dixerit ſe contentum illã ducere, ſi poſſet id fieri cum bona parentum ſuorum gratia, vbi videtur apponere conditionem: quia hanc conditionem antè non apposuit, quando promiſit filiæ abſolutè cum iureiurando. Præterea tenetur, qui a cõtraxit ſolemniter coram Parocho ſponſalia cum illa, & promiſit illi nuptias abſolutè, nulla addita conditione de conſenſu parentũ ſuorum. Nec refert quòd poſteà talem conditionẽ addiderit: quia contractu abſolutè ſemel inito, fas non eſt ex interuallo aliquam conditionem vel reſtrictionem apponere inuita parte, vt docet Couar. lib. 1. Variar. cap. 14. Idem habetur expreſsè L. *Perfecta*, C. De donat. quæ ſub modo.

Ex quibus perſpicuum eſt Laurentiũ teneri in conſcientia Mariam ducere, nec poſſe ab hoc vinculo à quoquam illâ inuitâ abſolui.

7 Puella non tenetur expectare triennium.

Ad Secundum: Reſpõdeo Primò, Quòd ad tempus attinet: nõ tenetur puella expectare triennĩũ; nec parentes Laurentij poſſunt talem terminũ ſtatuere: ſed tenetur Laurentius primo quoque tempore iuxta mentem, quam in ſua promiſſione habuit, exequi quod promiſit: & ad hoc cogi per Iudicem poteſt. Omnes enim huiuſmodi promiſſiones niſi aliud expreſsè caueatur, ita intelligendæ ſunt, vt cenſeantur ſe obligaſſe ad exequendum primo quoque tempore. Quo modo etiam vota ſunt interpretanda.

Nec obſtat quòd ipſe alteri magiſtro operã addixerit; quia illa obligatio eſt poſterior: vnde nihil circa priorem obligationem mutare potuit. Deinde, quia etiã iunctus matrimonio illi obligationi poſteriori poterit ſatisfacere, vt narratur.

Neque refert quòd Laurentius dicat ſe non habuiſſe intentionẽ ſe obligandi: quia id ſolũ videtur dicere de promiſſione illa ſolemni facta coram Parocho: vnde ſaltẽ in priori promiſſione facta puellæ ſub iureiurando, animum ſe obligandi habuit. Deinde, etiamſi diceret ſe nunquam habuiſſe animum ſeſe obligandi, id minimè curandum: quia in foro externo præſumendum contratiũ, & omnes huiuſmodi fraudes ſunt reijciendæ: alioqui nihil eſſet tutum in contractibus humanis, nec ſocietas humana poſſet ſubſiſtere. Itaque nulla ratio habenda talis excuſationis. Imò qui talia de ſe dicit, grauiter ſuum honorem lædit; quia ſe impoſturem fatetur.

8 Modus cogendi Laurentium,

Reſpondeo Secundò, Modus quo Laurentius impediatur ne aliam vxorẽ, pendente controuerſia ducat, Mariâ, cui honorem abſtulit, infami relictâ, eſt varius: Primò, Vt moueatur Epiſcopus vt ſub pœna excommunicationis id ei prohibeat, & præcipiat vt expectet finem controuerſię. Secundò, Vt moneantur Parochi ne illum coniungant. Tertiò, Vt rogetur Epiſcopus ne diſpenſet in proclamationibus.

Parentes non poſſunt obſiſtere huic matrimonio.

Quòd ad parentes Laurentij attinet, ipſi non poſſunt impedire hoc matrimonium, ſed tenentur illud permittere. Quia non poſſunt impedire ne filius exequatur id ad quod tenetur.

Poſſent hæc omnia & ſingula multis Iuribus & rationibus confirmari: ſed in re clara non eſt opus immorari.

CASVS

CASVS IV.

Matrimonium de præſenti nullum nõ inducit ſponſalia.

Puella quædam Nobilis ſedecim annorum, eidem Nobili Adoleſcenti, ſed inferioris fortunæ, multis verborum lenociniis inducta, tandem hac forma verborum ſe obſtrinxit. Ego N. promitto Domino N. fidem & fidelitatem, iurans per ſanctam Trinitatem, per ſancta Euangelia, & per locum quem ſpero in cælis, me nunquam alteri nupturam: eumque accepi, & ex nunc accipio in maritum, etiamſi noſtrum matrimonium intra multos annos non ſequatur: ſi fortè eius parentes vel mei, id vellent impedire. Supra hoc do hanc meam ſignaturam prædicto Nobili. *Poſtmodum vehementer pœnituit hanc puellam facti, & parentes admodũ repugnãt.* QVÆRITVR, *An ex hoc contractu maneat obſtricta?*

9 Nõ eſt hic Matrimonium.

VT reſpondeam: Suppono tanquam certum, hunc contractum non efficere matrimoniũ: quia initus eſt, vt ſuppono, abſque præſentia Parochi & teſtium, eo loco, vbi Concilium Tridẽtinum de clandeſtinis matrimonijs, quod habetur ſeſſ. 24. cap. 1. eſt promulgatum.

Dubitatur an ſint ſpõſalia.

Sed difficultas eſt, Vtrùm non habeat ſaltem vim ſponſalium. Videtur enim habere: Primò, Quia videtur eſſe promiſſio de futuro, quatenus *iurat ſe nũquam alteri nupturam*: inſinuat igitur & tacitè promittit ſe nupturam illi; atqui talis promiſſio efficit ſponſalia, ſi ſit reciproca.

Secundò, Quia confert ipſum matrimonium in tempus futurum, dum ait: *Etiamſi noſtrum matrimonium intra multos annos non ſequatur, ſi fortè* &c. ergo intendit contrahere ſponſalia.

Tertiò, Quia matrimonium impuberum contractũ per verba de præſenti, etiamſi non habeat vim matrimonij, tamen habet vim ſponſalium: vt patet Cap. vnico, De deſpõſatione Impuberum in 6. quia cenſentur velle contrahere quantum poſſunt: ergo ſimiliter hic.

Quartò, Quia omnis promiſſio, etſi per ſe inualida, ſi tamen accedat ius iurandum, & res ſit talis quæ ſine ſalutis diſpendio fieri poſſit, ſeruanda eſt: vt expreſsè habetur Capit. *Quamuis pactum*, de Pactis, in 6. hic autem talis eſt promiſſio: ergo.

Quintò, Quia partes videntur omni modo voluiſſe contrahere; vnde quædam verba ſonant contractum de præſenti, quædam de futuro; vt ſi
10 non valeret vno modo, valeret altero.

Hæ rationes non parum adferunt difficultatis. Vnde pro maiori certitudine putarem inquirendam puellæ mentem: an re vera intenderit omnibus modis ſe obſtringere; an verò ſolùm cogitauerit de matrimonio, & cur illa alia verba addiderit. Si tamen de mente eius conſtare non poſſit, & tota res ex iſtis verbis definienda ſit, adhuc

Probabile eſt non eſſe ſponſalia.

ſatis probabile videtur non eſſe ſponſalia.

Primò, Quia per illa verba: *Ego promitto domino N. fidem & fidelitatẽ, iurans* &c. (quę maximè videntur fauere ſponſalibus) videtur tantùm intendiſſe matrimonium de præſenti: quia alioquin illa quæ ſubijciuntur; *Eumque accepi, & ex nunc accipio in maritum*, non poſſent habere vllum ſenſum: non enim poſſunt aliter accipi, quàm quòd verbis præcedentibus intenderit contrahere matrimonium. Itaque illa promiſſio intelligenda eſt de fide, & fidelitate maritali. Adijcit autem iuramentum nonnubendi alteri, ne ſponſus meueret illam receſſuram à contractu clandeſtino, qui teſtibus probari non poterat.

Secundò, Quia illa verba, *Eum accepi, & ex nunc accipio in maritum*, aptiſſimè ſignificãt contractum de præſenti, non ſponſalia. Nec obſtant illa quæ ſubijciuntur, *etiamſi noſtrum matrimonium intra multos annos non ſequatur*: quia illa intelligenda ſunt de contractu publico & ſolemni, qui etiamſi matrimonium occultè anteà contractum ſit, fieri conſueuit.

Probabile eſt clandeſtinum matrimoniũ non habere vim ſponſalium.

Tertiò, Quia quidã DD. docent matrimonium clandeſtinum ex diſpoſitione Concilij Tridentini ita eſſe nullum, vt etiamſi contrahentes intendant ſe obligare eo modo quo poſſunt, tamen non habeat vim ſponſalium: eò quòd contractus exterior ſit nullus, & interna intentio ſine actu externo valido, non ſufficiat ad inducendam obligationem: ita noſter Thomas Sanchez vir doctiſſimus lib. 1. de Matrimonio diſp. 20. nu. 6. Puto tamen hanc ſententiam non eſſe veram: & quamuis vera eſſet, non ſatis benè poſſe aptari noſtro caſui: quia non deſũt verba quæ poſſint ſignificare promiſſionem de futuro: non tamen nego eſſe probabilem, etiam in noſtro caſu.

11 Suadetur vt viciſſim ſeſe liberẽt promiſſio.

Quibus omnibus conſideratis, probabile iudico non eſſe obligationem ſponſalium, aut vllam aliam, ac proinde puellam illam liberã eſſe. Valdè tamen probarem vt agatur cum adoleſcente, vt viciſſim ſe liberent, & à iuramento abſoluant.

Poſſet peti a Pontifice diſpẽſatio inuita parte.

Addo, Etiamſi teneremus contractum illum habere vim ſponſalium; ſi tamen parentes puellæ nullo modo vellent conſentire ob imparitatem, & putarentur grauia incommoda ſecutura ex matrimonio ſic inuitis parentibus inito, poſſe peti diſpenſationem à Summo Pontifice, inuito iuuene. Quia quando cauſa legitima ſubeſt, poteſt pontifex abſoluere à iuramento in præiudicium tertij; vt docet Paludanus in 4. diſt. 27. quæſt. 1. art. 2. concluſ. 3. & alij Doctores, præſertim cùm id præſtitum ſit à puella, iuuene, & multis blanditijs illecta. Imò probabile eſt tali caſu dum grauia incommoda timentur, vt odia, rixæ, inimicitiæ inter conſanguineos ſponſorum, vel odia parentum in liberos, non opus eſſe diſpenſatione: tum, quia tacitè huiuſmodi euentus cenſentur excepti: tum, quia iuſtitia non poteſt obſtringere ad id, quod ſine peccato fieri nequit; quale eſt, contrahere matrimonium cum ſcandalo proximorum, & parentum graui & iuſta indignatione. Ita tenet Naũarrus cap. 16. num. 18. Lopez 1. parte cap. 76. Sãchez lib. 1. diſp. 14. vbi etiam alios pro hac ſententia citat. Nec obſtat iuramentum: quia de actu illicito non obligat, quamuis id fiat cum præiudicio tertij.

Probabile tamen eſt non eſſe opus diſpẽſatione.

12 Soluuntur Argumenta contrariæ ſententiæ.

Ad primam rationem: Patet reſponſio ex dictis. Illud enim iuramentum factum videtur ex ſuppoſitione matrimonij, ad reddendum alterum ſecurum. Vnde cùm ſuppoſitio fuerit falſa, iuramentum concidit: quia actus non operantur vltra intentionem agentium.

Ad Secundam: Puella hæc non confert in futurum, niſi contractum ſolemnem, ſicut olim interdum faciebant qui clandeſtinè contrahebant de præſenti.

Cur matrimonium impuberũ potiùs habeat vim ſponſaliũ, quàm matrimoniũ clandeſtinum.

Ad Tertiam: Neganda eſt conſequentia: eſt enim diſpar ratio. Contractus enim Impuberum per verba de præſenti, habent vim ſponſalium; quia ſponſalia cẽſentur contineri in matrimonio, ſicut votum ſimplex in profeſſione, niſi ius impediat. Hîc autem non impedit, ſed approbat, & ſic illorum contractum interpretatur; vt patet Cap. vnico, de Deſponſatione Impuberum in 6. Secùs verò eſt in cõtractu matrimonij clandeſtini: nam Ius huic contractui reſiſtit, eum penitùs irritum reddens, tanquam noxium bono communi. Cõn-

cilium enim Tridentinum ſeſſ. 24. cap. 1. De reform. matrim. non ſolùm huiuſmodi contractum prohibet, ſed etiam *contrahentes ad ſic contrahendum inhabiles reddit*: ſi ſunt inhabiles, ergo nullus omnino ſequitur effectus, nulla obligatio. Præterea, etiam ipſum *contractum irritum & nullum decernit*: at non eſſet contractus irritus, ſi haberet vim ſponſalium: ſicut contractus impuberum de præſenti non eſt irritus, etſi matrimonium non efficiat. Hanc ſententiam tenent multi Auctores qui poſt Concilium Tridentinum ſcripſerunt, vt Nauarrus, Ledeſma, Lopez, & alij quos citat Thomas Sanchez. lib. 1. diſp. 20.

Ad Quartam. Iuramentum confirmat quidem promiſſionem de futuro: ſed hîc non eſt promiſſio de futuro, ſed de præſenti; cui ius omnino reſiſtit & irritum reddit, nullam ex eo volens oriri obligationem. Sic qui contraxit matrimonium iniuſto metu compulſus etiamſi millies iuret ſe contrahere & accipere hanc in coniugem, nihil facit.

Ad Quintam. Patet ex dictis.

CASVS V.

Promiſſio matrimonij ſub cõditione copulæ.

Adoleſcens Belga Nobilis obtinuit copulam carnalem Puellæ imparis conditionis Pariſiis, ſub promiſſione matrimonij.

QVÆRITVR, *An illo actu cenſendus ſit conſummaſſe matrimonium?*

13 Cenſetur hæc promiſſio fuiſſe ficta & ſimulata.

ADoleſcens ille duobus modis ſe tueri poteſt, quòd illo actu matrimonium non conſummarit. Primò Quia non præſumitur ex animo, ſed fictè & ſimulatè promiſiſſe matrimoniũ, ab obtinendam ſolùm vſuram corporis. Quod præſumi poteſt, tum ex imparitate conditionis, tum quia clanculum abſque conſueta ſolemnitate inter amores hæc promiſſio facta. Vnde non eſt præſumendum quòd eam cognoſcendo voluerit conſummare matrimonium, ne videlicet fornicando peccaret. Sic paſſim Doctores ante Cõcilium Tridentinum cùm valerent matrimonia clãdeſtina, & ſponſalia vera tranſibant in matrimonium per copulam carnalem, docent ex imparitate conditionis, cùm promittitur matrimonium ſub conditione copulæ, præſumi verum animum contrahendi defuiſſe, & ita promiſſionem non tranſire in matrimonium per copulam: imò nec talem cogi poſſe vt puellam ducat. Quæ doctrina communiter recepta hîc omnino locum habere videtur.

14 Clandeſtina matrimonia ab A. 1602. Pariſiis ſunt irrita.

Secundò, Se tueri poteſt, quia matrimonia clandeſtina ſaltem ab anno 1602. Pariſijs habita fuerunt irrita, vt in adiunctis narratur ex reſponſo primarij Doctoris Domini De Val. Si habita fuere irrita, re vera ſunt irrita. Nam ideò habita sũt irrita, quia ab eo tempore receptum fuit decretũ Concilij: tunc enim in omnibus parochijs decretum illud fuit promulgatum, vt hîc narratur: & ab eo tempore matrimonia clandeſtina fuerunt irrita iudicata. Nec obſtat quòd alia quædam auctoritate regia fuerint addita, v. g. de conſenſu parentum habendo, &c. quia *Vtile per inutile non debet vitiari*; ſunt enim hæ planè diuerſæ leges: quarum altera non pendet ab altera.

15 Quomodo poſſit laicus promulgare leges Eccleſiæ.

Dices, Illam promulgationem non factam fuiſſe auctoritate Ordinarij, ſed regia, quæ in re ſpiritali non poteſt vim legi dare.

Reſpondeo Primò, Regem non promulgaſſe illud decretum tanquam ſuam ordinationem, ſed tanquam ordinationem Concilij, quam & ipſe ſua auctoritate præcipiat ſeruari. Vnde id fecit tanquam inſtrumentum Eccleſiæ, & cum expreſſo vel tacito Ordinarij conſenſu. Et quamuis poteſtas laïca nõ poſſit ſuo præcepto in materia ſpiritali imponere obligationem ſubditis, poteſt tamen cum cõſenſu expreſſo vel tacito Eccleſiæ ſtatuere pœnas tranſgreſſoribus legum Eccleſiæ: & ad hoc valet promulgatio auctoritate laïca facta.

promulgatio non requiritur quando aliũde lex ſatis innoteſcit.

Reſpondeo Secundò. Etiamſi promulgatio illius decreti non pertineret ad Regem, nec eam conſenſu Eccleſiæ feciſſe præſumeretur, ſufficit tamen illud decretum communiter eſſe receptum in ſingulis parochijs: receptio enim ſupplet vicem promulgationis. Non enim requirit Concilium promulgationem in ſingulis parochijs tanquam eſſentialiter neceſſariam ad obligationem, ſed vt decretum ad omnium notitiam poſſit deuenire, nec quenquam poſſit latere, vt expreſsè cap. illo primo, ſeſſione 24. dicitur. Et quamuis ſtatuat vt huiuſmodi decretum in vnaquaque parochia ſuum robur poſt triginta dies habere incipiat, à die primæ publicationis in eadem parochia factæ numerandos; non tamen ideò negat abſque tali publicatione per receptionem & vſum vim habere poſſe. Cur enim vellet excludere modum illum inducendæ obligationis communem omnibus legibus? Sic leges Imperatoriæ etiamſi requirant promulgationem in prouincia, tamen ſi cõtingat illas recipi in prouincia ante illam promulgationem haud dubiè obligabunt. Vnde ſi poſt illam promulgationem in S. Germani, de qua D. Bouchier, receptum fuiſſet hoc decretum in omnibus parochijs tanquam promulgatum in ſingulis, verè ex eo tempore vim habuiſſet. Verùm non fuiſſe receptum indicat D. De Val, qui dicit Sorbonam iudicaſſe matrimonia clandeſtina valida vſque ad annum 1602.

CASVS VI.

An Virgo emiſſione voti ſimplicis Caſtitatis, poſſit ſe ſoluere obligatione ſponſalium ſimplicium de futuro?

Votũ Caſtitatis dirimit ſpõſalia.

ETſi Dominatio Tua facile poſſit ex Auctoribus qui circumferuntur, dubitationem propoſitam ſoluere: tamen quia placuit ad me mittere, reſpondebo breuiter.

16 Sentio itaque Virginem illam poſſe ſe ſoluere obligatione ſponſalium ſimplicium de futuro, per votum ſimplex caſtitatis. Ita enim ſentiunt magni Auctores Angel V. Spõſal. n. 40. *Sextus decimus*, inquit, (ſcilicet caſus quo ſoluuntur ſponſalia) *propter votum caſtitatis poſtea factũ*: vt in Cap. *Veniens*, Qui Cler. vel vouentes, *ſecundùm vnum intellectum*. citat pro eâdem ſententiâ Directoriũ, & Ioãnem And in Cap. *De illis*, de Sponſalibus. Eandem ſententiam vt probabilem tenet Richardus in 4. diſt. 27. *In tertio principali*. qu. 4. §. *Decimus*. Dominicus Soto in 4. diſt. 27. quæſt. 2. art. 5. ſic ait: *Vtrùm per votum caſtitatis dirimãtur ſponſalia, diſputari ſolet: attamẽ in dubium vocari non debet quòd minùs tale votum ſit licitum, atque adeò ſpõſalia dirimẽs, cùm ſit melioris frugisque exceptio sẽper in ſponſalibus implicatur*. vide ſequẽtia. Omitto Recentiores, qui paſſim hanc ſententiam ſequũtur. Eadem ſententia colligitur ex D. Thoma in Addit. quæſt. 53. art. 1. ad 1. *Propter votum*, inquit, *ſimplex ſponſalia ſunt dirimenda*. & Silueſter Verbo Sponſalia, num. 10.

Itaque cenſeo ſecurè permitti poſſe iſti Virgi-

ni vt votum caſtitatis, in ſeculo manens, emittat; & ſic ſeſe ab obligatione ſponſalium ſimplicium liberet.

CASVS VII.

Electio Sacerdotis quimatrimonio aſſiſtat.

Titius magnæ vir nobilitatis, multo tempore ineſcatus amoribus puellæ inferioris conditionis, vult cum ea inire matrimonium, ſed planè clanculum ob graues cauſas. Quare petit ſecum diſpenſari in proclamationibus, & vt coram ignotis teſtibus & Religioſo aliquo Sacerdote liceat contrahere.

QVÆRITVR, *An validè & licitè talis diſpẽſatio indulgeri poſſit?*

17 Diſpenſatio hæc eſt valida.

REſpondeo, Dubium non eſſe quin matrimonium ſecundùm formam propoſitam contractum, ſit validum: non enim requiritur vt teſtes norint eos qui contracturi ſunt, neque vt proclamationes fiant; & ex parte Sacerdotis aſſiſtẽtis ſufficit vt ei ſit facta poteſtas ab Illuſtriſſimo Domino Nuntio, vel Archiepiſcopo, quorum iuriſdictioni vterque, vel ſaltem alter contrahentium ſubeſt.

Sed regulariter illicita.

Sed dubitari meritò poteſt, Vtrùm expediat huiuſmodi poteſtatem dari, & tale matrimonium permitti. Sanè ſi res generatim conſideretur, videtur id periculoſum. Primò, Quia ſi vir iſte velit malignè agere poterit poſteà, quando libuerit, cum alia matrimonium publicè contrahere, & negare priorem coniugem: quia teſtibus de priore contractu conuinci non poteſt, cùm illum non nouerint. Nec Sacerdos ille Religioſus poterit ſolus ſe illi opponere; neque fortè, ſi poſſet, id expediret. Secundò, Quia verendum ne naſcatur ſcandalum: putabitur enim paſſim eſſe concubina, imò ſi quid amici intellexerint, debebit ipſemet dicere eſſe concubinam, quia nolet fateri vxorem. Tertiò, proli fiet iniuria, quia non poterit ſuccedere, & habebitur illegitima.

18 Circumſtantiæ quædam poſſunt eã facere licitam.

His tamen non obſtantibus, puto in particulari eas poſſe circumſtantias concurrere, vt expediat huiuſmodi matrimonium permittere, & poteſtatem dare Sacerdoti vt illi aſſiſtat: vt ſi vir ille nobilis ita eſſet amoribus iſtius puellæ implicatus vt non ſperetur poſſe ab ea auelli; & aliàs crebrò in periculo mortis, & conſequenter æternæ damnationis verſaretur, nulloque modo expediret amicis tale matrimonium innoteſcere. Hoc ſanè euẽtu charitas videtur poſtulare vt ei talis modus cõtrahẽndi permittatur ne pereat; quia cùm hic modus non ſit ex ſe malus, ratione circumſtantiarum poterit fieri vt omnino ſit licitus & expediẽs, quales circumſtantiæ videntur eſſe, quas propoſui. Confirmatur, quia Eccleſia ob ſalutem animarum ſæpè diſpenſat in voto caſtitatis perpetuæ & religionis, quod ſanè longè maius eſt & difficilius.

Ad Primum incommodum: Non eſt præſumendum illum velle malignè agere, quia aliæ cauſæ multę poſſunt incidere cur ita contrahere velit. Ad Secundum: Non erit ſcandalum ſi occultè ad eam accedat; Ad Tertium: Cauere ſeu prouidere debet aliquo ſcripto, vt cõſtet poſteà liberos fuiſſe legitimos, & vt eam portionem conſequantur, quæ iure debebitur.

TESTAMENTVM.

CASVS I.

Præteritio hæredis neceſſarij ſi colat cælibatum.

Titius Martiæ neceſſariæ hęredi ſuæ reliquit teſtamento bona ſua cum onere, vt ſi vel Religionem ingrediatur, vel cælibatum colat, Legataria tantum ſit, & certâ ſummâ contenta, reliqua verò diſtribuantur in pias cauſas.

QVÆRITVR, *Vtrùm hoc teſtamentum cenſeri poſſit validum?*

REſpondeo, Expenſis verbis huius teſtamenti: Primò Mihi videtur hoc teſtamentum eſſe irritum, quia Titius Martiam ſuam neptem, quæ loco patris ſui ſuccedere debet vt hæres, non inſtituit hæredem prout iure debebat: ſed ſi colat cælibatum, vel ingrediatur religionem priuat illam iure hæredis, & ex hærede vult eſſe legatariam, & contentam mille florenis, hoc autem facere non poteſt. Vnde hoc teſtamentum eſt irritum duplici nomine: primò, Quia in caſu præſẽti quo Martia colit caſtitatem in ſæculo, vel ſi ingrediatur religionem, teſtamentum hoc caret inſtitutione hæredis. Secundò, Quia ipſa repręsentans proprium & vnicum filium Titij, ſuum parentem, non inſtituitur hæres, ſed excluditur hæreditate, & iubetur eſſe contenta certâ ſummâ vt legataria, hoc autem teſtamentum reddit irritum. Nec ſufficit, quòd relinquat ei per modum legati aut donationis, vel alio modo, quod legibus ei erat debitum: vt expreſsè habetur Authent. *Vt cùm de appellatione cognoſcitur* §. *Aliud quoque capitulum.* item ex Authent. *Non licet*, & Authent. *Ex cauſa.* C. De liberis præteritis.

1. Si hæres neceſſarius non inſtituatur hæres, irritum eſt teſtamentum.

2. Item ſi ei non relinquatur legitima.

Secundò, Etiamſi poneremus ipſum teſtamentum hac ex parte non eſſe inualidum (quod tamen non putamus:) tamen certum eſt ei deberi tertiam partem bonorum, iure communi debitam: neque poſſe illam minui ob religionis ingreſſum, vel celibatum in ſæculo ex omnium Doctorum ſententiâ, vnde ipſa ad eius ſupplementum agere poſſet. Neque notabilis ſumma pecuniæ quæ patri eius data fuit, in hac legitimâ computanda eſt, cùm illa à Titio in eum finem data non fuerit, vti ſuppono. Legitima enim cenſenda tertia pars bonorum tempore mortis inuentorum, quando ſunt pauciores quàm quinque proles. Itaque cum Martia ſit vnica hæres, omnino debetur ei tertia pars horum omnium tanquam vera legitima. Nimis auara & odioſa eſſet illa interpretatio, quâ ea, quæ donata Ioanni vnico filio Titii parenti Martiæ, computarentur in legitimam, cũ aliæ nullæ proles ſint in quarum incommodum cedat iſta donatio. Colligitur Authent. *De triente & ſemiſſe*, §. 1. & 2, Authent. *Nouiſſima.* & Auth. *Vnde ſi pater*, C. De inoffic. teſtament.

Quænam cenſenda legitima.

Ad ea quæ hic obijci untur de teſtamentis factis ad piam cauſam, quaſi pia cauſa poſſit hæres inſtitui præterito hærede neceſſario: Reſpondeo, Hoc teſtamentum non videri factum ad piam cauſam ſaltem principaliter, quia pia cauſa hîc non inſtituitur hæres, ſed ei relinquintur reſiduum bonorũ inſtar legati, excluſo anteà legitimo hærede. Imò videtur factum contra piam cauſam, cùm hæres auocetur per hoc ab ingreſſu Religionis, & conſilijs euangelicis; quod illicitum eſſe & irritum colligitur ex L. *De nobis*, §. 1. C. de Epiſcopis & Clericis. Deinde etiam ſi diceretur factum ad piam cauſam: tamen quando ſupereſt legitimus hæres qui neceſſariò erat inſtituendus, non poteſt præteriri vel exhæredari ſine iuſta cauſa.

3. Pia cauſa non oportet inſtitui hæres, præterito hærede neceſſario.

Digitized by Google

Vtrùm autem in eo casu sit planè irritum, an solùm competat hæredi quærela inofficiosi ad suppletionem legitimæ, Iurisperitis disputandum relinquo.

CASVS II.

Substitutio seu fidei, commissum in odium religionis.

Fulvia à sua matertera hæretica in quadrante hæres instituta cum onere restituendi hæreditatem Titio si statum religiosum vel spiritualem capesseret. Fulvia facta est Begnina.

QVÆRITVR, *Vtrùm ex vi illius testamenti teneatur relinquere illa bona Titio, nec possit de illis disponere in pias causas?*

4

REspondeo, Fulviam posse, non solùm in foro conscientiæ, sed etiam in foro externo, si ius diceretur, de illis bonis in pias causas disponere.

Hæretici sunt intestabiles.

Probatur Primò, Quia tota illa dispositio fuit irrita, vt pote hæreticæ, & in hæresi publica mortuæ. Atqui hæreticis prohibitum est testari, & facti sunt intestabiles; vt patet L. manichæos C. de Hæreticis, vbi dicitur: *Ergo & suprema illius scriptura irrita sit sive testamento, sive codicillo, sive epistola, sive quolibet alio reliquerit voluntatem, qui Manichæus fuisse convincitur*: quod postea extensũ ad omnes hæreticos, etiam ad credentes, id est, ad eos qui generatim credunt quòd aliqua secta hæreticorum, v. g. quod Caluinistæ, Lutherani, Anabaptistæ, &c. docent, aut credunt. item ad fautores & defensores, vt patet Auth. *Credentes*. C. eodem titulo, quæ est Frederici Imperatoris. Et Cap. *Excommunicamus*, §. *Credentes*, de hæreticis; vbi Concilium Generale Lateranense repetit & confirmat Authenticam Frederici. Si testamentũ talium est irritum: ergo non potest obstringere successores ab intestato, nec illis aliquod onus imponere, sicut nec executoribus; quia dispositio irrita & nulla nullam vim habet obligandi. Manet ergo Fulvia tam libera, quàm si nulla talis clausula testamento apposita fuisset; aut si ab intestato sine vllo testamento successisset. Quare sicut tunc potuisset de illis bonis ad salutem animæ suæ disponere, ita & modò poterit.

Item fautores & defensores.

Probatur Secundò. Quia etiamsi testamentum esset validum, illa clausula, *qua iubeat restituere Titio hæreditatem, si ipsa statum spiritualem acceperit*, habenda est pro non adiecta: vnde illam nullomodo obligat in foro conscientiæ. Antecedens patet: Quia illa clausula præsumitur adiecta in odium & veluti in pœnam status Ecclesiastici, vt pote ab hæretica; cuius etiam signum est quod expressè hæredibus suis in sæculo manentibus permittat vt omnia ista bona alienent & distrahant prout ipsis bonum & expediens visum fuerit; & statum Ecclesiasticum capessentibus non permittat dispositionem. Neque dici potest, quòd Ecclesiasticis hoc non permittat quia non sunt habituri liberos quibus ea relinquant; sæcularibus autem permittat, quia sunt habituri liberos: hoc, inquã, dici non potest; quia non semper præsumuntur sæculares habituri liberos; nam & ipsa testatrix liberos non habuit, cũ multis annis fuerit iuncta matrimonio? & sæcularibus absolutè permittit alienationem, siue habeant liberos, siue non: ergo nõ tam causâ liberorum manentium in sæculo, quàm in pœnam susceptæ Religionis id videtur statuisse: ac proinde censeri debet non adiectum tanquã conditio turpis pumens susceptionem status spiritualis.

5 Clausula Si statum religiosũ acceperit, habetur pro non adiecta.

1. Repugnat statui Ecclesiastico.

Confirmatur, Quia illa conditio auocat à meliori bono, nimirum à statu perfectionis & consilij Christi: ergo haberi, debet pro non adiecta argumento L. *Titiæ* 11. De eòndit. & demonstrat: sicut olim iure Pandectarum conditio. *Si non nupserit*, censebatur pro non apposita; quia putabatur auertere à maiore bono, vt communiter tradunt Doctores in d. L. *Titiæ*.

2. Repugnat consilijs Christi.

Hinc passim docent Doctores, Si leges hac forma. *Lego Titiæ 200 si nupserit, 100 si Religionem ingrediatur; Titiam habituram 200. etiamsi Religionem ingressa fuerit*: quia illa conditio *si nupserit*, quatenus potest auertere à Religione, habenda est pro non adiecta: Siluester V. hæreditas. 4. q. vltima. Medina. C. De restit. qu. 23. Panor. cap. *In præsentia* de Probat. estque communior sententia Doctorum, & fatetur Molina distinct. 207. cum Couarr. esse probabilem. Colligitur apertè Nouella 123. de sacrosanct. Episc. cap 37. vbi sic habetur *Si quis sub conditione nuptiarum, sive liberorum, sive dotis causâ, sive antenuptialis donationis, donauerit, si. ne reliquerit suis liberis, sive alij cuicũque personæ hæreditatem sive legatum; aut ab initio pure relinquens eis, oneret eos substitutione aut restitutione, aut sub vna prædictarum conditionum reliquerit, vel donauerit, substitutiones verò vel restitutiones eis fecerit adiectis conditionibus quibuscumque ex his quæ superiùs enumeratæ sunt: sancimus si personæ talibus conditionibus subiectæ sive masculi sive feminæ monasteria ingrediantur, aut Clerici, aut Diaconissæ, aut ascetriæ fiant, tales conditiones invalidas, & pro non scriptis esse. Hoc autem solatio & Clerici & Diaconissæ fruantur, si vsque ad vitam suam in his perseuerauerint, vt res sub tali conditione donatas aut relictas, ad pia opera expendant, aut relinquant.*

3. Repugnat legibus.

Nouella 123.

Dices. Id ita statutum ab Imperatore; quia præsumebat talem testatorem vel donatorem de monasterio vel statu Ecclesiastico non cogitasse, & si cogitasset eum non fuisse talem conditionem additurum. Vnde Imperatorem non vel- vt hæc locum habeant, quando testator expressè monasterium excludit.

6 Obiectio, quod hæc Nouella nitatur præsumptione.

Respondeo, Hæc expositio est contra communiorem ac receptiorem Doctorum sententiam, qui docent hanc constitutionem non procedere ex præsumptione, sed absolutè in fauorem sanctioris vitæ esse factam, ne quis à statu sanctioris vitæ per huiusmodi clausulas abstraheretur. Sicut olim iure digestorum diximus conditionem illam. *Si nũ nupserit*, habitam pro non adiecta, ne quis per eam à nuptiis, quas putabant præstare vitæ cœlibi, auerteretur. Ita auctores suprà citati, & passim Iuris vtriusque interpretes, quos citat Felinus Cap. *In præsentia* de Probat. nu. 37: vbi idem Felinus hanc sententiam egregiè tradit. Quomodo enim præsumi potest talis incogitantia in factione testamenti cùm homines omnia solent perpendere, omnes status animo voluere, vt de rebus suis iuxta suum affectum disponant; maximè cùm mẽtio nuptiarum & liberorum insinuet mox cogitationem status religiosi: nihilque sit tam proclive quàm ex cogitatione illius, in cogitationem huius status delabi? Deinde, quomodo præsumi potest talis affectus passim in hominib⁹ erga monasteria vel statum religiosum, quo, si cogitarent de illo, vellent illi tantundem relinqui? Danè nec tempore Iustiniani, nec postea passim in hominibus talis affectus fuit, sed potiùs contrarius: putant enim perire familię quod admonasteri aperuenit. Vnde idẽ Imperator statuere coactus est ne proles ob ingressum monasterii possent priuari legitimâ sedea simul transiret in monasterium, vt patet eâdem Nouellá cap. 41. Et alia multa in fauorem mo-

Refellitur

Digitized by Google

naſteriorũ. & vitæ ſanctoris eâdem Nouellâ ſanxit, vt patet cap. 38. vbi bona ingredientis monaſterium iubet deferri monaſterio, nec patitur à ſanguine iunctis occupari: & cap. 39. vbi ſolutis ſponſalibus per ingreſſum monaſterij, vult ſolùm ſimplices arras reddi, nihil amitti &c. Ex quibus omnibus colligo illam conſtitutionem non procedere ex præſumptione, ſed ex eo, quòd pietati voluit fauere. Ex his patet non videri dubitãdum quin clauſula illa ſit habenda pro non adiecta, etiamſi aliàs teſtamentum validum eſſet.

Statuta in fauorẽ vitæ religioſæ.

Tertiò, Etiamſi clauſula illa vim obtineret, neque Fuluia inde poſſet ſe tueri; tamen adhuc ex alio capite defendi poteſt; eò quòd illa clauſula ipſam non comprehendat, ac proinde nõ magis ipſam obſtringat, quàm ſi non eſſet apposita cùm ſit illi omninò impertinens. Ratio eſt, quia inſtitutum Beguinarum non eſt ſtatus religioſus, aut ſpiritalis alicuius Ordinis. Primò, quia non eſt ſtatus. Ad rationem enim ſtatus requiritur immobilis obligatio, vt docet D. Thomas. 2. 2. q. 183. art. 2. & Caiet. qu. 184. art. 4. At Beguinæ non habent immobilem obligationem; quia ſolùm habent votum temporale & poſſunt egredi quando volunt. Secundò, quia ſtatus religioſus nullus eſt niſi qui habet tria vota ſubſtãtialia, & profitetur regulam à Sede Apoſtolica approbatam, vt communiter docent Theologi cum D. Thoma 2. 2. qu. 184. art. 4. & qu. 189. art. 2. ad 1. & Canoniſtæ Cap. *Cùm ad monaſterium*, de Regularibus. At Beguinæ non profitentur tria illa vota, nec habent regulam à Sede Apoſtolica approbatam. Tertiò, quia nullum inſtitutum eſt Ordo, vel ſtatus religioſus, niſi ſit ipſe-met, & nõ ſolùm regula à Sede Apoſtolica approbatus: vt conſtat Cap. *Ne nimia*, de Religioſis domibus, & Cap. *Religionum*, in 6. eſtque certa doctrina omnium Doctorum: tale autem non eſt inſtitutum Beguinarum. Denique quòd illud inſtitutum non ſit ſtatus Eccleſiaſticus aut religioſus ex eo manifeſtum eſt, quòd Beguinæ, Antuerpiæ, vbi hæc res agitur, non ſunt exemptè à vectigalibus & foro ſæculari, tanquam veræ Laicæ.

Beguinæ non debent cenſeri religioſæ, vel eccleſiaſticæ.

His adde, cùm hæc clauſula ſit in odium piæ cauſæ, ſtrictè nomen ſtatus religioſi eſſe accipiẽdum ne alijs pijs cauſis hoc nomine non comprehenſis noceat.

7 Predicta clauſula nõ comprehẽdit Fuluiã.

8 Quid propriè intelligendum per ſtatum ſpiritualẽ.

Nec obſtat quòd teſtatrix dicat, *Qui ſe tradent ſpirituali ſtatui, qualis eſt Ordo aliquis monaſteriorũ, cœnetarũ virorũ & fœminarũ, vel ſimiles ſpirituales obligationes*; vbi extrema illa verba, *Spirituales obligationes*; videri poſſint cõplecti Beguinas. hoc, inquam, non obſtat: quia illa verba intelligenda non de quauis obligatione ſpirituali (alioquin ſi votum caſtitatis apud ſe nuncuparet manens in ſæculo, excluderetur, etiamſi haberet poſteà vel anteà liberos, quod eſt abſurdum, & contra mentem teſtatricis) ſed de obligatione conſtituente ſtatum religioſum alicuius Ordinis, vel etiã fortè ſacerdotalem. Voluit enim variis modis exprimere ſtatum regulare, vt illum excluderet: cuius euidens ſignum eſt, quòd idem ſæpè repetens in eodem teſtamento, non repetat illa verba, ſed ſolùm exprimat ſtatum ſpiritualẽ *Ceeſtelu Ken ſtaet*. Itaque omnibus illis verbis nihil aliud voluit ſignificare, quàm ſtatum religioſum, & fortè etiam ſacerdotalem, vt dictum eſt.

9 Concluſio

Ex his infertur Primò, Fuluiã non teneri reſtituere illa bona Titio, qui ſi fideicõmiſſaria ſubſtitutione ſubrogatus eſt. Primò, quia non tenetur ſeruare diſpoſitionẽ teſtatricis vt pote quæ ſit irrita & nullius roboris; & ipſa illi ab inteſtato ſuccedere debeat. Secundò, quia conditio, ſub qua eſt fidei-commiſſum, habenda eſt pro nõ adiecta. Tertiò, quia conditio illa in ipſa locũ non habet.

Infertur Secundò, Fuluiam poſſe diſponere de illis bonis in pias cauſas, ſiue ingrediatur Religionem, ſiue maneat in ſæculo. Quia cùm onus fideicommiſſi ſit nullum, & ipſam nullo modo grauet, nihil eſt vnde prohibeatur liberè de illis bonis diſponere, tanquam hæres ab inteſtato. Etquidem ſi in ſæculo maneat, ipſa teſtatrix facit ei poteſtatẽ *diſponendi in vita pro ſuo arbitrio, & commodo, & pro vt negotia eius exigent, vel vtile erit.* quibus verbis nullo modo excluduntur negotia pietatis & ſalutis. Nihil enim magis expediens aut commodum, quàm quod negotio ſalutis eſt expediens.

Infertur Tertiò, Fuluiam, etiamſi ſæcularis maneat, poſſe hæc bona etiam teſtamento ad pias cauſas relinquere. Quia cùm oſtenſum ſit teſtamentum teſtatricis eſſe irritum, non potuit illam obligare in conſcientia ad relinquendum ea, quæ ipſi in vita ſupereſſent, amicis ſæcularibus. Deinde, quia verba teſtamenti non obſtant: nam quãdo dicitur, *quòd non poſſint bona teſtãtia, teſtamẽto, vel codicillo, vel donatione mortis cauſã alienari in extraneos*, non excluduntur piæ cauſæ, ſed ſolùm prophanæ: Chriſtus enim cui dantur in ſuis membris, & ad cuius honorem dantur, & anima ad cuius vtilitatem dantur, non cenſentur extranei. Non enim ſpectãda eſt perſona cui datur materialiter, ſed formaliter, & ipſa ratio dãdi. Nec obſtat quòd Fuluia approbarit teſtamentum: quia per hoc non intendit ſibi obligationem imponere ad obſeruandas omnes eius clauſulas, ſed ad ſeruendum in foro externo, quatenus teſtamentum ipſi fauet.

Infertur Quartò, quòd, etiamſi Fuluia voueret caſtitatem & obedientiam perpetuã apud Beguinas, non tamen idcircò cenſenda eſſet religioſa aut Eccleſiaſtica: quia ad hoc requiritur ſtatus immobilis, & tria vota ſubſtantialia in Religione approbata: vel certè Ordo ſacer.

10

Petes: Quid ſi contingeret Fuluiam ſucceſſu temporis emittere votum caſtitatis perpetuæ & permanſionis in Beguinagio. Vtrùm rogata ad inſtantiam partis aduerſæ à Iudice ſub iuramento an aliquod votum fecerit, aut Beguinagio ſe voto obſtrinxerit, poſſit negare, dicendo Se nullum votum feciſſe, nec eſſe vllo voto obligatam, addita aliqua reſtrictione mentali?

Licet inquit negare, & iurare cum mẽtis reſtrictione.

Reſpondeo, Illam cum iuramento poſſe negare, tacitam reſtrictionem mentalem habente, v.g. intelligendo de voto quo efficiatur religioſa, aut perſona propriè Eccleſiaſtica, ſicut ſunt vetè religioſi: de quali voto Iudex intelligit, vel certè deberet intelligere ſuam interrogationem: vel intelligendo ſe non ita feciſſe vt teneatur in iudicio confiteri. Ratio eſt, quia nemo tenetur fateri in iudicio aut extra aliquid occulti, ex cuius pateſactione illi ſequeretur damnum, vel ablatio eius quod ipſe iuſtè poſſidet: quam ob cauſam non tenetur fateri crimen occultum. Vnde eo ſenſu quo poteſt illud negare ſimpliciter & abſque iuramẽto, poteſt illud etiam negare cum iuramento, ſi neceſſitas poſtulet. Sic Doctores multi docent, cum, qui ad portas ciuitatis rogatur ab excubitoribus, an non tranſuerit talem vrbem vbi putant graſſari peſtem; ſi ille ſcit ibi peſtem non graſſari, vel ita obiter & cautè tranſiuit vt moraliter certus ſit nihil in ſe eſſe periculi, poſſe cum iuramento negare ſe illum locum tranſiuiſſe. Vide lib. 2. de Iuſtitia, q. 42. dubit. 9. vbi id fusè multis rationibus, exemplis, & auctoribus probatur.

CASVS III.

Onus fidei commissi eliditur per ingressum monasterij.

Titius instituit sororem suam Adrianam hæredem cum hac clausula: Casu quod soror mea Adriana moriatur absque hærede è suo corpore & legitimo matrimonio, volo vt eo casu omnia bona per me relicta redeant ad proximiores consanguineos viuentes, ea conditione vt soluant omnia mea debita &c. *Adriana ingressa est monasterium capax successionis, non inito matrimonio, nec liberis susceptis.*

QVÆRITVR, *Vtrùm substitutis debeant obuenire ea bona statim emissâ professione, an expectanda sit mors eius naturalis?* Item: *An absolutè possint in monasterium transferri ita vt fidei commissum expiret?*

11 REspondeo, & Dico Primò, Substitutis non videri vllum ius competere ante mortem naturalem Adrianæ. Testator enim manifestè intelligit mortem naturalem, & veram: professio autem non est mors vera, sed ficta, & solùm dicitur mors ratione quorundam effectuum: ergo non est coarctanda ad professionem, quasi mortua dicatur esse sine liberis, quia est professa. Confirmatur, quia in pijs causis tanquam maximè fauorabilibus benigna & fauorabilis interpretatio facienda est. Itaque fideicommissum illud saltem vsque ad mortem naturalem Adrianæ monasterio relinquendum est.

12 Monasterium tanquam filius excludit substitutũ.

Dico Secundò, Non solùm talis hereditas monasterio vsque ad mortem Adrianæ, sed absolutè & in perpetuũ relinqui potest; ita vt monasterium tanquam filius excludat substitutum, & fideicommissum per professionem expiret. Habetur expressè Nouella 123. cap. 37. *Si quis sub conditione nuptiarum, siue liberorũ, siue dotis causâ donauerit siue reliquerit suis liberis, siue alij cuicũque hæreditatem aut legatum &c. Sãcimus si personæ talibus conditionibus subiectæ siue mares siue fœminæ, monasteria ingrediantur, tales conditiones inualidas, & pro non scriptis esse*: & paulò post: *In personis enim quæ in monasterium vel asceterium ingrediũtur, & relinquunt huiusmodi conuersationem castam, monasterio aut asceterio, vbi a principio ingrediuntur res sub tali conditione donatas aut relictas cum alia eorũ substantia competere volumus.* Excipit tamen nisi substitutio facta sit in aliam causam piam.

Idem insinuatur Auth. *Nisi rogati*, C. ad S. C. Trebellianum. Idem definitur Cap. *In præsentia*, de Probationibus, illis verbis: *Intelligendum non est sine hærede decedere qui monasterium sibi hæredẽ instituit*, vbi Glossa V. *Instituit*: *Ingressus monasterium fingitur habere hæredem, cùm rogatus est restituere primato, vel cùm primatus ei est substituendus.*

Eadem est communis sententia Doctorum, vt docet Antonius Gomezius De substit. fideicommiss. n. 34 Couarr. l. 1. variarum resolut. cap. 19. nu. 6. & sequent. Molina disp. 190. §. *quando quis*, vbi citat alios.

13 Ratio est, vel ne quis hac ratione, si cogatur fideicommissum alijs relinquere, retrahatur à statu perfectiore; vel quia monasteriũ est instar filij, vt passim Doctores volunt; vel denique quia præsumitur testator nõ minùs dilexisse monasterium, quam filios grauati fideicommisso: vnde si de eo, ac professione emittenda in eo per hæredem gratum cogitasset, non fuisse præsaturum fideicommissarium monasterio. Itaque non videtur dubitandum quin vtroque Iure & Canonico & Cæsareo passim apud Catholicos recepto, monasteriũ excludat fideicommissarium in hoc casu, illique possit hæreditas relinqui.

Nec obstat quòd in dispositione sit apposita cõditio talis, *Si decedat sine hærede ex suo corpore & matrimonio legitimo*; quia nihilominùs monasteriũ est præferendum substituto: vt expressè docet Couar. suprà nu. 11. addens hanc sententiam frequentiori Doctorum calculo receptam in d. Authẽt. *Nisi rogati*. & in d. Cap. *In præsentia*. Et esse opinionem magis communem asserunt Alex. consil. 121. l. 2. nu. 11. Decius in d. Cap. *In præsentia*, num. 59. Molina suprà, & alij quos citat Couar. Id probat ratio allata, & colligitur ex Nouella Iustiniani, qua absolutè sancitur omnes tales conditiones de liberis suscipiendis esse inualidas & pro non scriptis habendas, si hæres gratuitus monasterium ingrediatur.

Nõ obstat conditio apposita.

CASVS IV.

D. *Clara testamẽto relicta sunt octo millia aureorum, vt ex iis reditus constituatur, cum ea clausula*, Vt si ipsa sine liberis decedat, is reditus impendatur vel in dotem orphanorum nubentium, vel filiarum tenuioris fortunæ vt Religionem ingrediantur. *Postea verò ipsa D. Clara Religionem ingreditur.*

Substitutio ad vsus pauperum.

QVÆRITVR Primò, *An vsumfructum illius reditus transferre possit in monasterium: & an etiam proprietatem?*

QVÆRITVR Secundò, *Si non potest transferre proprietatem in monasterium, ad quem spectet post eius mortem decernere vt vsus fructus impendatur vel nubentibus, vel Religionem ingredientibus?*

PErpensis omnibus quæ Domina Clara Serenissimi Principis voluntate huc ad me directa proposuit.

14 *Ad Primum*: Respondeo, Si D. Clara Religionem ingrediatur, saltẽ vsusfructus illius reditus, qui ex 8000. aureorum constituetur, pertinebit ad monasterium: quia ipsa D. Clara etsi extra monasterium maneret, haberet vsumfructum per totam vitam, donec morte naturali defungatur; vt apertè ex testamento colligitur.

Imò valdè probabile est D. Claram non solùm vsumfructum, sed etiam proprietatem & dominium illius reditus posse in monasterium iure perpetuo transferre. Quia ex communi ferè Iuris peritorum sententiâ non censetur sine liberis decessisse, qui monasterium ingreditur, cùm monasterium sit liberorum instar. Accedit quòd omnis clausula quæ aliquo modo retraheret ab ingressu Religionis, habeatur pro non adiecta in vltimis voluntatibus: Nouella 123. cap. 37. de sanctis Episc. & Authent. *Nisi rogati*, C. ad S. C. Trebellianum; ita sentiunt plerique Doctores.

Non censetur sine liberis discedere, qui monasterium ingreditur.

Si tamen sequamur sententiam contrariã, quòd nempe non possit proprietas & dominium talis reditus in monasterium transferri, quæ sententia etiam valdè probabilis est, quamque tenet Couar. l. 1. variarum cap. 19. cum multis quos citat, & Molina disput. 207. debebunt fructus illius reditus post mortem Claræ impendi vel in dotem orphanorum nubentium, vel in dotem filiarum tenuioris fortunæ vt Religionem ingrediantur, vt manifestum est ex verbis Testamenti.

15 Contrariã est etiam probabile.

Ad Secundum: Resp. Electio alterius partis in hac alternatiua, videl. vt vsusfructus istius reditus impendatur vel in dotem orphanorum nubentiũ, vel puellarum religionem ingredientium, singulis

16 electio pertinet ad Episcopũ.

Digitized by Google

vicibus pertinebit ad Epiſcopum, ad quem pertinet omnis executio piarum cauſarum in defectum aliorum executorum: non verò pertinebit ad Principem.

CASVS V.

Hæres inſtitutus vt in pauperes hæreditatem eroget.

Sempronius inſtitutus eſt hæres à Titio ea mente, vt quod ſolutis legatis ſupererit, Sempronius in pauperes conferat.

QVÆRITVR, *An Sempronius partem illam in qua inſtitutus eſt hæres, ſibi poſſit retinere?*

19

REſpondeo, Verius omnino eſſe Sempronium partem illam in qua inſtitutus eſt hæres à Titio, non poſſe ſibi retinere. Ratio eſt, quia vel Titius intendit Sempronium vetè inſtituere hęredem in reſiduo illo quod ſolutis legatis ſupereſſet, cum obligatione & grauamine illud conferendi in pauperes: vel non intendit illum inſtituere, ſed ſolùm finxit, nomine hæredis intelligendo tantùm & intendo illum facere executorem, vt in caſu propoſito factum indicatur.

Si primo modo, Sempronius non poteſt illud reſiduum retinere, ſed vt ſummũ detrahere Trebellianicam, vt in alis fideicommiſſis; vt patet L. 1. & ſequent. C. ad Senatus Conſultum Trebell. & §. *Sed quia ſtipulationes*, inſtit. de fidei cõmiſſarijs hæredit. Sed hic non poteſt Trebellianicã detrahere; quia à legatis pijs non detrahitur, niſi fortè hæres ipſe ſit pia cauſa. Couar. de Teſtamentis c. 18. n. 13. Authent. *Similiter*. C. ad L. Falcidiam.

Si ſecundo modo, non poteſt etiam retinere; quia teſtator non intẽdit ei quidquam donare aut relinquere, ſed ſolùm ſimulare, idque ipſe nouit, vt ſuppono, quo caſu nulla lex ei quidquam iuris tribuit, niſi ſit hæres ab inteſtato, & teſtamentum careat aliqua neceſſaria ſolemnitate, iuxta ſententiam Couarr. & multorum aliorum.

CASVS VI.

Legatum pauperibus relictum, ſed in Religioſos diſtributum.

Titius Pater ſpiritualis Capuccinorũ ſcribit ad Magiſtratum vt partem legati quatuor millium aureorum relictorum ad diſtribuẽdum pauperibus, vellent applicare Capuccinis, cùm illi reuerà ſint inter pauperes illius oppidi. Magiſtratus hac occaſione bonam aliam partem diſtribuit aliis monaſteriis, adeò vt panca vel nulla portio peruenerit ad viduas & orphanos, quos tamen in ſuo Teſtamento Sempronius maximè commendarat.

QVÆRITVR, *Verùm Titius ſcribendo ad Magiſtratum peccarit? & Magiſtratus rectè de legato iſto diſpoſuerit?*

18 Titius rogando Magiſtratum, non peccauit.

REſpondeo, Titium non peccaſſe ſcribendo ad magiſtratum vt pars legati 4000. aureorum relictorum ad diſtribuendũ pauperibus, vellent applicare Capuccinis, cùm illi reuerà fuerint inter pauperes illius oppidi. Quando enim aliquid relictum eſt diſtribuendum pauperibus loci, non ſunt excludendi Religioſi pauperes, niſi conſtet aliam eſſe mentem teſtatoris, vel eius qui illa contulit. Atqui hæc mens habitualis Sempronij teſtatoris qui ſub fidei commiſſo illa 4000. reliquerat, erat vt monaſterio Capuccinorũ inde aliqua darentur. Itaque certum eſt Titium ea in re non peccaſſe: interpretatus eſt enim iſtam diſpoſitionem eo modo quo quiuis doctus & prudens interpretaretur.

Nec obſtat quòd ea occaſione Magiſtratus etiã in alia monaſteria aliqua contulerit, & pauca vel nulla in orphanos & viduas, de quibus tamen Sempronius in ſua diſpoſitione maximè cogitarat; quia id Titius, cùm moneret Magiſtratum de dando aliquid domui Capuccinorum, prævidere non potuit, ſaltem ei non occurrit; vel ſi occurrit, non putauit eſſe periculum, quòd ita eſſent facturi.

Neque Magiſtratus peccauit ſic diſtribuẽdo.

Magiſtratus quoque meritò ita potuit interpretari diſpoſitionem Sempronij: nam quando nõ conſtat de cõtraria mente teſtatoris, nomine pauperum etiam comprehenduntur monaſteria, præſertim quę egent. Imò piæ cauſæ omnes hoc nomine in iure comprehendi ſolent. Et ſanè nullis pauperibus ſalubriùs datur quàm Religioſis, qui ſunt pauperes ſpiritu, qui recipiãt datores in æterna tabernacula; de quibus dictum, *Beatus vir qui intelligit ſuper egenum & pauperem*, vt pulchrè Hieronymus epiſt. 8. ad Demetriadẽ ſub finem, & 53. contra Vigilantium. Itaque nõ expedit, quidquam ampliùs mouere. Nam credo Magiſtratum nullo modo peccaſſe: & quamuis aliquid erroris commiſſum eſſet, moraliter eſt impoſſibile illã pecuniam à monaſterijs recuperare: nec poſſet id fieri ſine graui motu & ſcandalo.

CASVS VII.

Hæreditas repudiata. Vel incapacibus relicta.

Hæreditas ex Teſtamento defertur illis qui ſunt incapaces, vt ſunt Capuccini; vel delata repudiatur.

QVÆRITVR, *Ad quem illa hæreditas pertinere debeat?*

19

REſpondeo, Talem hæreditatem deuolui ad alios hæredes iure accreſſendi, etſi teſtatoris intentio fuerit vt applicarentur pijs cauſis alijs. Si tamen Teſtator expreſſerit ſe velle vt pijs alijs cauſis bona iſta applicentur, tunc poterit Epiſcopus agere pro cauſa pia, ſi fortè propinqui Teſtatoris obſtiterent.

Pia tamen alia legata eiuſdem Teſtatoris in eodem illo teſtamento deſcripta, in alios pauperes diſtribuenda ſunt: legata enim pia valent, etſi hæredis inſtitutio ſit nulla.

CASVS VIII.

Teſtamentum Epiſcopi.

De quibus bonis teſtari poſſit Epiſcopus?

20 Pro libito poteſt teſtari de patrimonialibus, & induſtriâ acquiſitis.

REſpondeo Primò, Poteſt Epiſcopus, ſicut & quiuis alius beneficiarius, teſtari de bonis patrimonialibus, vel ſuâ induſtriâ conquiſitis, in quaſuis cauſas ſiue pias, ſiue prophanas, relinquendo ea conſanguineis, etſi minimè egeant: nec opus eſt ad hoc facultate Summi Pontificis, præſertim hoc tempore, vt probat Couar. in cap. 1. de Teſtamentis, nu. 5. dicitque eſſe ſententiam communem.

21 Non verò de iis quæ ſuper ſunt honeſtæ ſubſtentationi.

Dico Secundò, De bonis ex beneficio, vel Epiſcopali dignitate acquiſitis, quoad eam partem quæ ſupereſt honeſtæ ſuſtentationi, ſicut non poteſt ſine peccato mortali eam expendere in vſus prophanos in vitâ, ita multò minùs poteſt de eâ ad cauſas prophanas teſtari: ſiue obtinuerit licentiam à Summo Pontifice, ſiue non. Ita plerique Doctores cum Nauarro. Illa enim pars ex mente Eccleſiæ & fundatorum, debet expendi in pios vſus, etiamſi concedamus ipſum, & quemuis beneficiarium, obtinuiſſe illius dominium; quia acquiſiuit illud cum tali onere. Et quamuis aliqui

Ad Lectorem.

Ad Lectorem.

Ad Lectorem.

Sempronio primogenito suo reliquit, & relinquere iure tenebatur, non potuisse amplius grauari, quàm lex Anglicana vel cõsuetudo nobilium paris conditionis concedat, quæ habet vt primogenitus prouideat fratribus & sororibus de alimentis vel dote. Vnde cùm Sempronius solùm vnum fratrem habuerit, tenetur huic prouidere de alimentis, nisi fortè Titius pater ei anteà prouiderit; non autem omnibus eius filijs & filiabus.

Maior natu non est grauãdus vt alijs cũ imminutione status suisuccurrat.

Porrò certum videtur non potuisse ita grauari vt Sempronius nõ possit viuere secundùm dignitatem & splendorem maiorum suorum: quia id planè videtur contra intentionem Legum, quæ idcircò totum primogenito assignant, vt splendor familiæ in ipso conseruetur. Quare tota dispositio Titij qua parte iustum & rationabilem modum excedere iudicabitur, censenda inualida, ita vt Sempronium in conscientiâ non obliget.

CASVS XL.

Testamẽtum ad pias causas subscriptum sed sine testibus.

Vtrùm Testamentum manu propria à Testatore ad pias causas confectum & subscriptum, non adhibitis testibus sit validum?

28 Affirmatur esse validum.

VIdetur non esse validum, quia ad tale testamentum saltem duo testes requiruntur, vt patet cap. *Relatum*, 1. de Testamentis.

Sed contraria sententia, Tale testamentum validum esse videtur omnino verior. Quam tenet Molina disput. 134. Couar. in cap. *Relatum* n. 9. & 12. Corueus & Tiraquellus, quos ibidem citat Couar. Ratio est, Quia duo testes Iure Canonico non requiruntur ad testamenti in piam causam conditi necessariam solemnitatem, quasi sine illis testamentum sit inualidum (sicut iuxta plurimorum sententiam requiritur certus testium numerus Iure ciuili ad testamenta in causas profanas) sed solùm ad necessariam probationem, vt supradicti auctores tradunt, & apertè colligitur ex d. cap. *Relatum*, ponderando rationem quam adfert; nimirum; quia *In ore duorũ vel trium testium stabit omne verbum*: vbi insinuat apertè testes requiri ad probationem, non ad validitatem: quæ duo multum differunt: nusquam enim Iure canonico statutum est vt testamentum ad piam causam, si testibus careat, habeatur pro infecto.

29 Derogatum est hic Iuri ciuili.

Neque refert si dicas id Iure Ciuili statutum in genere de omnibus testamẽtis: quia sũmus Pontifex derogauit Iuri Ciuili hac in parte, in fauorẽ salutis animæ, ne bonorum operum cursus in eo articulo, quo quisque maximè pro sua anima est sollicitus, impediretur. Vnde non voluit aliud ad talia testamenta requiri, quàm quod iure Gentiũ est necessarium, vt ijdem Doctores tradunt: nimirum, vt testator habeat potestatem testãdi, & heres vel legatarius sit capax, & duo testes sufficiãt ad probationem, si aliunde non constet. Vnde si aliunde constet de voluntate libera testatoris, nimirum quia agnoscitur manus eius, nec occurrit vlla iusta ratio dubitãdi quin hæc fuerit eius voluntas, non opus est etiam in foro externo probatione testium. Nam iure Gentium scriptura propria in maximis quibusque causis satis est.

CASVS XLI.

Testamentum propria manu scriptum, sine testibus.

Parochus quidam in diœcesi Gandensi scripsit anno 1607. suum testamentum, sed non adhibitis testibus: quos tamen constituerat adhibere. Nam ita scribit; Acta sunt hæc corã his testibus ad hoc specialiter vocatis. *Deinde relictus est locus vbi testium nomina scriberentur. Neglexit deinde Parochus testes adhibere: Imò cùm in morbum incidisset, iussit vocari Notarium & testes, tanquã aliud testamentum conditurus. Sed cùm Notarius non adesset, accidit illum è vita decedere, priusquam aliud conderet.*

QVÆRITVR, *An prius testamentum sit validum?*

29 Consuetudo loci.

VIdetur esse validum, quia Gandaui est consuetudo (quæ ad totum territorium extenditur) vt vltima voluntas scripto manus propriæ expressa, habeatur valida, etiamsi nulli testes fuerint adhibiti.

Videtur inualidũ.

Respondeo, Re benè expensa, hoc testamentum videri inualidum. Ratio est, quia non fuit perfectum, sed relictum est imperfectum, idque de industria: atqui testamẽtum imperfectum est inualidum. L. *Si is qui testamentum.* & L. *ex ea scriptura* ff. Qui testamenta fac. pos. L. *Furiosum.* C. Qui test. fac possunt. Denique hæc est communis sententia Doctorum, vt ostendit Couar. de Testamentis cap. 11. n. 13. vbi eadem confirmat.

Consuetudo repugnans Iuri communi: strictè interpretẽda

Nec obstat dicta consuetudo loci; quia ea intelligenda est de scriptura omnino perfecta, quam testator voluit esse plenam & perfectam. Cùm enim ea consuetudo repugnet Iuri communi, strictè interpretanda est; præsertim cùm agatur in fauorem piæ causæ. Si enim testamentum fuerit inualidum, succedet Ecclesia, cùm bona illius Parochi omnia ab Ecclesia quã rexit, peruenerint.

CASVS XLII.

Compensatio testamenti promissi.

Aurelia præstitit marito suo multa obsequia indebita spe fauorabilis testamenti, quod maritus addixerat. Ille autem intestatus moritur.

QVÆRITVR Primò, *An possit sibi partem ex defuncti viri supellectile vindicare, quæ spei suæ respondeat?*

QVÆRITVR Secundò, *An possit Aurelia retinere auream catenam quam iussit maritus eius pro illa fieri, vt eius obsequia compensaret?*

AD *Primum*: Respondeo, Secundùm rigorẽ iuris non posse Aureliam sibi illam partem ex supellectile viri defuncti vindicare Neq; enim nomine compensationis, neque nomine donationis id potest; tantùm enim duo hi tituli possunt hic prætendi. 30

Non potest sibi aliquid vindicare nomine compensationis.

Non nomine compensationis: quia quòd voluerit carere prole & matrimonij voluptate, & conseruare viri famam, & multa obsequia indebita ei impendere, non fecit animo exigendi mercedem, neq; hoc modo à marito fuerunt excepta. Neque fecit animo consulendi marito, eiusque rẽ benè gerendi, sed fecit animo consulendi rebus suis; nempe vt his modis induceret maritum in sui amorem; & mediante amore ad condendum testamentum in sui fauorem. Itaque, sicut famulus aliquis qui apud dominum suum vult permanere, priuat se multis commodis quæ apud alios haberet, eique multa obsequia indebita præstat, non vt rem domini meliùs gerat, sed vt hac ratione dominum inducat ad conferendum aliquod officium, quod animo præcepit, non potest ratione priuationis illorum commodorum, vel ratione obsequiorum indebitorum aliquid accipere, si casu mors domini spes eius intercepit: ita neque Aurelia in illo euentu. Confirmatur, Quia compensatio non habet locum nisi vbi est debitum ex iustitia liquidum; vt omnes Doctores docent: at qui ea omnia quæ Aurelia præstitit, non causant

debitum ex iuſtitia in viro, ſed ſolùm ex gratitudine: ergo non poteſt vti compenſatione.

Neque etiam nomine donationis.

Sed neque nomine Donationis; quia donatio facta non fuit, ſed tantùm habuit animum donãdi; vti in caſu narratur.

31 Aurelia poteſt retinere iſtã catenam,

Ad ſecundum: Reſpondeo, Probabile videri ſecundùm epieikiam, Aureliã poſſe retinere illam auream catenam, quam pro ea maritus iuſſerat fieri vt eius obſequia compenſaret; vel ſi hanc nõ potuit obtinere impedientibus hæredibus, quanti illa valebat. Ratio eſt, Quia, vt hîc narratur, maritus iam conuenerat cum auriſabro vt vxori catenam auream cõficeret: quo actu ſatis ſignificauit exterius voluntatem ſuam eſſe, vt vxor catenam hanc haberet, niſi eam voluntatem reuocaret. Neque refert quod hic non interuenerit expreſſa donatio; quia ſufficit donatio implicita & virtualis: atqui actus ille cenſeri poteſt implicita & virtualis donatio; nam ex vi illius prouenisſet donatio expreſſa, niſi mors interueniſſet. Virtualis autem donatio in foro conſcientiæ & intra limites iuris naturæ, eã vim habet, quam expreſſa, niſi reuocetur.

32 Sola voluntate transferũtur dominia.

Adde, Iure naturali voluntate transferri dominia; voluntate, inquam, ſigno externo declarata. Atqui hîc fuit ſufficiens voluntas in marito, qua vellet Aureliam fieri dominam huius catenæ, eaque ſatis fuit declarata, quãdo iuſſit illam in eum finem fieri: ergo Sentio igitur Aureliam non eſſe cogendam in foro conſcientiæ vt catenã, vel valorem catenę acceptum in ſupellectili reſtituat heredibus mariti.

CASVS XIV.

Diſpenſatio in teſtamentis.

Titius in teſtamento ſuo ſtatuit, his verbis: Ordino & requiro à principali meo hærede, vt mittat ad Dominam noſtram Montis ſerrati, ſimul cum imagine Dominæ noſtræ ex argento duarum marcarum.

QVÆRITVR Primo, *Quot hîc ſint obligationes?*

QVÆRITVR Secundò, *an illæ obligationes ſint perſonales an reales?*

QVÆRITVR Tertiò, *A quo tolli vel commutari poſſit?*

33 Sunt duæ obligationes.

AD *Primum*: Reſpondeo, ſunt hîc duæ obligationes; altera mittendi hominis peregrinationis causâ; altera mittendæ ſimul ſtatuæ, quam ibi offerat: id enim apertè præ ſe fert illa loquendi forma.

Ambæ Reales,

Ad Secundum: Vtraque obligatio eſt realis, ac proinde tranſit ad hæredes. Sic Doctores cõmuniter docent votum mittendi hominem ad Limina Apoſtolorum, aut in ſubſidiũ terræ ſanctæ eſſe reale, & tranſire ad hæredem. Vide Sylueſtrum V. Hæreditas. 3. qu. 12. & V. Votum. 2. qu. 11. & quamuis Archidiaconus dicat aliquos putare votum mittendi incertum hominem, ſeu hominem in genere, eſſe perſonale: ipſe tamen eam opinionem non approbat: & ſanè caret fundamento; ſi enim reale eſt votum mittendi Sempronium, vt omnes fatentur, cur non etiam mittendi aliquem hominem? Ideò enim tale votum eſt reale, quia totum vel præcipuum onus eſt ex ſumptu, qui faciendus eſt.

34 Non poſſunt à Confeſſarijs commutari in alia pia opera.

Ad Tertium: Non poſſunt Confeſſarij (qui alioquin poteſtatem habent vota commutandi) tale onus hęredi in alia pia opera commutare: quia hęres non tenetur ex voto, ſed ex ordinatione defuncti; ac proinde ex quaſi contractu: hoc ipſe enim quo adit hęreditatem, ſponte ſuſcipit omnia onera quæ defunctus imponit. Vnde ſicut alias vltimæ voluntatis diſpoſitiones tales Confeſſarij non poſſunt mutare, ita nec hanc. Imò etiamſi defunctus nihil ordinaſſet, ſed ſolùm feciſſet votum mittendi hominem, adhuc nihil puto tales Confeſſarios poſſe circa hæredem: quia hęres nõ tenetur immediatè ex voto, ſed ex quaſi contractu: vt diximus lib. 2. de Iuſtit. cap. 40. num. 66. ſicut ſi promiſiſti Titio votum eius ſoluere, non poſſum te liberare. Et quãuis hæres ille originaliter obligetur ex voto, nec tamen votum commutare Confeſſarij iſti non poſſunt, cùm auctor neque cupiat, neque verò extet. Non enim poteſt votum commutari niſi petente auctore, eoque viuente: nam requiritur acceptatio eius, & conſequenter tacitum votum circa nouam materiam.

35 Recurri hic poſſet ad Nuntium apoſtolicum.

Itaque recurrendum eſt ad eos qui poſſunt in vltimis voluntatibus, ſeu oneribus inde prouenientibus diſpenſare. Poteſt autem meo iudicio in præſenti caſu Illuſtriſſimus Dominus Nuntius Apoſtolicus: quia ſufficiens cauſa ſubeſt, nempè magnus ſumptus, & tenuitas hæredis; & quia eſt hæres ſecundus ſeu mediatus, ſcilicet nepos Teſtatoris: nam hæres proximus, nempe parens huius, neglexit. Poſſet res fieri abſque ſumptu notabili, ſi expectaret donec inueniat aliquem qui illam peregrinationem obeat, cui poſſet committi vt eâdem operâ etiam ſubeat peregrinationem hic à Teſtatore præſcriptam.

VECTIGAL.

Vectigal impoſitũ ciuibus in Arce regia potentibus.

CASVS I.

Quidam Caſtellanus ſeu Gubernator Arcis regiæ accepit à caupone in ſingulos menſes 30. Philippicos, & cereuiſiam domui ſuæ neceſſariam, ea conditione, vt caupo poſſit à ciuibus ex vrbe ibi potantibus meliori pretio ob immunitatem à vectigalibus, exigere vnum liardum in ſingula pocula.

QVÆRITVR Primò, *An iuſtè poſſit Caſtellanus iſte lucrum illud ſibi ſumere?*

QVÆRITVR Secundò, *An iuſtè poſſit à caupone tantùm exigere?*

AD *Primum*: Reſpondeò, Non video vllam rationẽ cur meritò, quis poſſit dubitare an iuſtè Caſtellanus iſte lucrum illud ſibi poſſit ſumere; quandoquidé ciuibus magna in eo fiat gratia, & nulli fiat iniuria: ſicut enim Regia Majeſtas potuiſſet hoc lucrum ſibi vindicare, ita potuit illud Caſtellani is concedere: & quod alijs conceſſũ eſt, etiam huic vſurpare licet. Nec refert quòd militibus in arce dentur iſta paulò minori pretio; quia poteſt illis facere maiorem gratiam ſi velit, quàm ciuibus; nec vllo iure tenetur concedere ciuibus quod concedit ſuis militibus. Satis eſt quòd ciues non grauet ſupra cõmunem æſtimationem quæ eſt in oppido: quod infra hanc æſtimationem exigitur ab illis, eſt gratia, non debitum. Idem receptum in omnibus regnis. Sicut enim Clericis in huiuſmodi fit gratia vectigalium & impoſitionum, ita etiam militibus in ſuis locis. 1

Ad Secundum: Reſpondeo, Suppoſito quòd lucrum iſtius liardi in ſingulos menſes tanti æſtimetur (de quo non video dubitari) non video cur Caſtellanus non poſſit pro eo 30. Philippicos, & cereuiſiam domui ſuæ neceſſariam accipere. Cùm enim auctarium iſtud iuſtum ſit, cur non poſſit iuſto pretio vendi vel elocari? Idem dico de 7. illis florenis quos accipit à Tabernario in ſingula vaſa vini pro iure vnius placæ in ſingula 2

pocula. Neque vllus eſt Doctorum qui in ſupradictis contrarium ſentiat, vel dubitandum iudicet, quantum liquet ex libris eorum, qui de materia vectigalium ſcripſerunt.

CASVS II.

Hydalgia importat immunitatem à vectigalibus. 3

An, vt Titius ſit immunis à vectigalibus, ſufficiat Maiores illius ab 80. annis fuiſſe immunes?

VT Titius probet ſuã *Hydalgiam*, & conſequenter exemptionem à vectigalibus &c. non ſufficit ſi probet ſuos Maiores olim tales fuiſſe: quia etiamſi ita eſſet, ipſe tamen, & parentes, & aui poſſent non eſſe *Hydalgi*; quia nobilitas varijs modis potuit eſſe amiſſa. Amittitur enim multis modis, vt oſtendit Tyraquellus. Idque videntur Maiores ipſius iam ab 80. annis confeſſi, cùm ſoluerint vectigalia, vel impoſitiones factas à Magiſtratibus. Si dicat illos iniquè ad id fuiſſe compulſos, hoc eſt probandum: nec ſufficit ſola aſſertio, vel etiam fama; præſertim cùm tanto tempore Magiſtratus videatur præſcripſiſſe, ipſis non facientibus proteſtationem dum ſoluerent. Niſi clarè probetur iſta iniuria, non video illi remedium à Iure. Si tamen poſſit probare Maiores ſuos fuiſſe nobiles, poſſet confugere ad gratiam Regiam, & ſupplicare pro reſtitutione illius iuris, ſaltem pro ſua perſona.

VOTVM.

CASVS I.

Votum Caſtitatis in ſeculo.

Vtrùm laudabile ſit & ſaluare votum perpetuæ Continentiæ emittere in ſæculo?

4 ERror eſt, ne dicam hæreſis, aſſerere non eſſe laudabile & ſalutare in ſæculo emittere votũ Continentiæ perpetuæ, & ducere vitam ſpiritualem illi ſtatui congruentem ex iudicio prudentis Confeſſarij; aut eas, quæ id faciunt, nihil mereri.

Hereſis Iouiniani circa cælibatum.

Sciendum, olim docuiſſe Iouinianum. Continentiam ſiue in ſęculo, ſiue in monaſterio ſeruatã, non eſſe meliorem coniugio, nec amplius mereri coram Deo; vt patet ex D. Hieronymo lib. 1. contra Iouinianũ, & ex Auguſtino lib. ad Quodvult-Deum, de hæreſibus, hæreſi 82. Qui igitur dicunt virginitatem in ſęculo cultam & ſeruatam non eſſe laudabilem & meritoriam, etſi in monaſterio laudabilis ſit & meritoria, cur nõ ſint cenſendi Semi-Iouinianiſtæ non video? Sanè ſi tempore D. Hieronymi extitiſſent, & talia effutiuiſſent, ſanctiſſimus ille vir in eos tanquam in Iouiniani ſocios inuectus fuiſſet. Omnia enim argumenta quæ ille contra Iouinianum inſtituit, generalia ſunt, ac proinde & contra iſtos vim habent. Neque vllus vnquam Patrum, qui vel de virginitate, vel de cælibatu ſcripſit, monaſticam dumtaxat continentiam laudauit, ſed etiam eam quæ in ſæculo ſeruatur, ſed nunc breuiter id probemus.

5 Cælibatus laudatur ab Apoſtolo.

Primò Probari poteſt ex Apoſtolo, 1. ad Corinth. 7. quem locum diligenter expendit D. Hieronymus contra Iouinianum: aperte enim ibi docet Apoſtolus, eſſe conſilium Chriſti Domini ſeruare virginitatem, etiam in ſæculo, nam loquitur de iis quæ in ſæculo manentes virginitatem ſeruant; vt patet tum ex verbis Apoſtoli, tũ ex Hieronymo loco citato. Quæſierãt enim Corinthij ab Apoſtolo per epiſtolam, vt docet D. Hieronymus, Vtrùm illæ, quæ in virginitate erant cõuerſę ad Chriſtum, non deberent in ea permanere; an poſſent nubere. Non dubitabant an deberent ingredi monaſterium, cùm eo tempore fortè nullũ ibi eſſet; ſed an manentes in ſæculo, deberent ſeruare virginitatem. Reſpondet Apoſtolus, non eſſe præceptũ Domini: tamen eſſe valdè laudabile & ſaluberrimum conſilium à coniugio in ſæculo abſtinere, & virginitatẽ ſeruare: idque probat pulcherrimè. Qui ergo dicunt id non eſſe laudabile & meritorium, apertè repugnant Apoſtolo: ac proinde doctrinam erroneam docent.

6 Eum coluit Dei-para.

Secundò, B. Virgo virginitatẽ vouit in ſæculo, vt Patres colligunt ex illo Lucæ 1. *Quomodo fiet iſtud, quoniã virum non cognoſco?* Hanc igitur imitantur omnes quę in ſæculo virginitatem vouent. quòd ſi tunc laudabile, & meritorium erat coram Deo, cur non & modò?

4. Prophetiſſæ.

Tertiò, Philippus Diaconus habuit domi ſuæ quatuor filias virgines prophetiſſas, vt patet Actorũ 21. In quem locũ notat Theophilactus, ideò Scripturam diſertè exprimere voluiſſe, fuiſſe virgines & prophetiſſas, vt inſinuaret donũ prophetiæ fuiſſe præmium virginitatis Deo conſecratæ: non enim fuiſſe aliam cauſam hoc exprimendi.

Vidua.

Quartò Apoſtolus 1. ad Timoth. 5. apertè ſignificat illo tempore viduas plurimas ſolitas vouere cõtinentiã in ſæculo, cùm ait: *Adoleſcentiores viduas deuita* (id eſt, non eligas:) *cùm enim luxuriatę fuerint in Chriſto, nubere volũt, habentes dãnationẽ, quia primã fidem irritã fecerũt*: vbi Doctores & patres intelligunt votum continentiæ, vide quę ſequuntur. Ex quibus patet in ſęculo hæc pręſtita.

7 Parabola de fructu centeſimo.

Quintò, Matth. 13. Qui in terram bonam ſeminatus eſt, hic eſt qui audit verbum, & intelligit, & fructum adfert; & facit aliud quidem centeſimũ, aliud ſexageſimum, aliud verò trigeſimum. Multi Patres hunc locum explicantes, fructum centeſimum virginibus tribuunt, ſexageſimum viduis, trigeſimũ coniugatis. Ita D. Hieronymus in hunc locum & lib. 1. contra Iouinianum in principio, & Athanaſius epiſtola ad Ammon Monachum, & Auguſtinus de ſancta Virginitate c. 44. etſi idem Auguſtinus alibi centeſimum ad Martyres, ſexageſimum ad virgines, trigeſimum ad coniuges referat. Neque dici poteſt hoc intelligi tantùm de virginibus in monaſterio conſtitutis; quia Patres diuidunt totam doctrinam in tres ſtatus, ſcilicet coniugatorum, viduarum, virginum; ac proinde intelligunt omnes virgines, quæ in Eccleſia vniuerſa virginitatem colunt.

Eunuchi.

Sextò in Scripturis paſſim commendatur virginitas & continentia, non tantũ coniuncta paupertati & caſtitati in monaſterio, ſed etiam per ſe & ſeorſim ſpectata, vt in ſæculo colitur. Matth. 19. *Sunt Eunuchi qui ſe ipſos caſtrauerũt propter Regnum Dei. Qui poteſt capere, capiat.* Vbi Dominus generatim hortatur ad virginitatẽ, neq; adſtringit ad monaſterium. Sapientiæ 3. *Felix ſterilis & inconquinata, quæ neſciuit torum in delicto; habebit fructum in reſpectione animarum ſanctarum.*

8 1. Ratio.

Septimò probari poteſt rationibus. Primò, Si meritorium eſt colere virginitatẽ in monaſterio, cur non etiam in ſæculo? Non enim circonſtantia loci facit meritum, ſed pia voluntas, & operis ſublimitas. Atqui hæc pia voluntas poteſt etiam extra monaſticam vitam haberi. Poteſt enim virgo velle abſtinere à nuptijs, Deoque ſuam virginitatem conſecrare, quia conſilium eſt Chriſti: quia Deo gratum: quia imitatio Chriſti, Beatæ Virginis, & illuſtriſſimorum Sanctorum: quia ſpecies vitæ Angelicæ: & ſimiles ob cauſas. Sublimitas quoque operis in ſe ſpectati par eſt. Cur

Digitized by Google

ergo extra monasterium non mereant ut quę virginitatem vouent & colunt?

2. Ratio. Secundò, non solum in monasterio, sed etiam in sæculo valdè meritorium est ieiunare, orare, eleëmosynas corporales & spirituales in proximos conferre, & ad hoc se voto obstringere, cur non etiam seruare virginitatem, & ad eam se voto adstringere? Si enim alia opera bona non amittunt suam dignitatem & pretium apud Deum ex eo quòd fiant in sæculo, cur virginitas suam dignitatem non retineat in sæculo? cur cultus corporis modestus & grauis non habeat suum meritum in sæculo?

9

3. Ratio. Tertiò, Valdè laudabile est & meritorium cõiuges ex mutuo consensu abstinere ad tempus ab vsu coniugij, vt vacent rationi, etsi maneant in sęculo, vt docet Apostolus: ergo multò laudabilius est vt quis perpetuò abstineat, & voto ad hoc se astringat, etsi in sæculo manere velit.

4. Ratio. Quartò, Valdè laudabile est & meritorium vt coniuges mutuo consensu voueant cõtinentiam, etsi in sæculo manere velint; vt patet ex vsu Ecclesiæ, & passim docẽt Patres, de qua re vide pulcherrima testimonia apud D. Augustinum epistola 45 ad Armentarium, & epistola 70. ad Bonifacium, & 199. ad Edicjam, cur ergo non sit laudabile virginibus in seculo viuentibus virginitatem perpetuam vouere?

5. Ratio. Quintò, Fide tenendum est esse laudabile & meritorium si adolescentes & viri in sæculo continentiam voueant: imò Ecclesia compellit illos vouere qui sacros Ordines capessunt. Cur ergo non sit laudabile idipsum facere feminas? Non enim Deus sexum respicit, sed voluntatem. Si dicas ob pericula. At longè plura sunt pericula viris plerumque, quàm feminis: viri enim Ecclesiastici maiore libertate versãtur inter homines quàm feminæ virgines, multaſque habent illecebras libidinum, quibus feminæ carent; vnde videmus etiam longè plures labi, quàm virgines.

10

6. Ratio Sextò, Virginitas etiam culta in sæculo liberat à sollicitudinibus huius sæculi, quibus iuncti matrimonio mirè implicantur, vt docet Apostolus 1. Corinthiorum 7. *Tribulationem carnis habebunt huiusmodi. Volo autẽ vos sine sollicitudine esse.* Ergo est valdè laudabilis & meritoria.

7. Ratio Septimò, Valdè laudabile est & meritorium id amplecti, *quod facultatem præstat sine impedimento Deũ obsecrandi, & cogitandi ea quæ Domini sunt, quomodo placeamus Deo.* Atqui hoc præstat virginitas, etiam in sæculo, vt docet Apostolus 1. Corinth 7. *Mulier innupta & virgo cogitat quæ Domini sunt, vt sit sancta & corpore & spiritu.* Et infrà: *Beatior erit, si sic permanserit secundùm meum consilium: puto enim quod & ego spiritum Dei habeam.* Non ergo habent spiritum Dei, qui docent quòd non mereatur, si sic manserit: si enim nõ meretur, non est beatior.

11

8. Ratio. Octauò. Omnibus ætatibus post mortẽ Christi, plurimæ extiterunt quæ in sæculo vel virginitatem, vel continentiam in statu coniugali, vel post statum coniugalem coluerunt, & voto firmauerunt, vt patet ex historijs. Immò illustrissimæ virgines quas Ecclesia colit, tales fuere; vt Tecla, Agnes, Agatha, Cecilia, Lucia, aliæque innumeræ. & ipsa Virgo Virginum B. MARIA, quæ omnibus virginibus proposita est exemplum. Nulla est in orbe Christiano Prouincia, quæ non hodieque plurimas eius imitatrices habeat in sæculo. Mira temeritas, mirum supercilium id audere improbare, quod omnibus sæculis in vsu & veneratione fuit, & etiamnum apud omnes Catholicas nationes viget.

12

9. Ratio. Nonò, Non omnibus conuenit status monasticus. Multæ enim virgines & viduæ vel non sunt idoneæ ad omnes illas obseruantias, idque vel ob inualetudinẽ, vel ob aliquam aliã causam; vel si sunt idoneæ, non habent animum: & cur non habeant, sæpè non carent iustissimis rationibus. quis coget has ingredi monasterium, vel iungi nuptijs? Cur his non liceat in sæculo permanere, & virginitatem colere, & eandem voto firmare? Certè nemo id potest improbare nisi spiritu Iouiniani præditus. An quia non vult ingredi monasterium, ideò debet iungi nuptijs? Si non vult id quod summum tibi videtur, ideò non potest capere medium, sed tenetur vel summum, vel infimum aggredi?

13 Habitus modestus

Iam verò quòd ad habitus modestiam attinet, quòd crispantia collaria non gestent, quòd auro & serico non fulgeant, quòd omnia ad simplicitatem Christianam composita habeant, quis potest non laudare nisi Iouiniani socius? Legant illi D. Hieronymum epistola ad Lętam de institutione filiæ virginitati ab auia destinatæ; & ad Demetriadem de virginitate seruanda, præterea ad Saluinam, & aliam ad Furiam de viduitate seruandâ, & videbunt qualis debeat esse virginum & viduarum continentiam seruantium habitus.

14 Directio Confessarij.

Denique valdè laudabile esse quòd à prudente Confessario dirigantur, Clarum est: vt insanus sit, qui neget. Quis enim ita sapiens est, vt per se omnia sciat quæ ipsi in via spirituali sunt conducibilia, vel propria? Quod si per se non potest scire, expedit vt aliquem habeat quem consulat. Quis autem ad hoc est aptior quam Confessarius vir doctus & prudens, qui conditionem sui pœnitentis perspectam habet? Ineptus est ad directionem conscientiarum, tum is qui indoctus est, quàtumuis se putet spiritualem & mysticæ Theologiæ cultorem, vt multis exemplis posset ostendi, vnde Tobias monebat filium, *Consilium semper à sapiente perquire.* indocti enim ex figmentis sui capitis, non ex Patrum doctrina consilia ingerunt, cum magno detrimento eorum qui consilium petunt: tum etiam ij qui conscientiarum regendarum vsum non habent; vt sunt illi qui confessiones non audiunt, vnde monet Sapiens Ecclesiastæ 6. *Multi pacifici sint tibi, & consiliarius sit tibi vnus de mille.*

Obserua Lector. *Ex hoc Responso fuisse ab Auctore nostro editum esse Coloniæ Anno. 1615. libellum* De bono statu eorum qui vouent & colunt Castitatem in sæculo, *sub nomine* Leonis Hubertini, *quem deinde vir Clarissimus Balthazar Moretus Typographus Antuerpiensis* Lessianis *Opusculis inseruit anno 1626.*

CASVS II.

Votum non petẽdi dispensationem à suo voto.

Titius vouit instituere scholas si amicus cõualesceret, & simul vouit se non petiturum dispensationem huius voti aut commutationem.

QVÆRITVR, *An amico conualescente possit vllo modo eam petere?*

15

REspondeo, Si iusta causa à pijs & prudentibus viris iudicetur subesse petendi dispensationem vel commutationem; potest primò petere dispensationem voti secundi, quo vouit non petere dispensationem de priore: qua dispensatione obtenta, potest etiam petere de priore. Sunt enim hic duo vota distincta; de quorum altero potest immediatè petere dispensationem, de altero

altero non poteſt immediatè, ſed tantùm obtenta diſpenſatione ſecundi voti.

Quidam cenſent hoc votum non obligare.

Addo, Hoc votum non petendi diſpenſationem non obligare, niſi quando melius iudicatur omnibus cõſideratis non petere: vt rectè docet Richardus in 4. diſt. 38. artic. 9. quæſt. 3. Sotus autem lib. 8. quæſt. 1. artic. 9. ſub finem, dicit huiuſmodi vota eſſe futilia. Idem ſentiunt multi alij, vt Sylueſter, Antonius &c.

CASVS III.

Diſpenſatio Voti.

Quidam Laici vouent ſe Deo ſeruituros in Hoſpitali leproſorum, hac formula: Ego Frater N. facio profeſſionem, & vouco Deo, & B. Virgini Mariæ, & omnibus Sanctis & tibi Soreri pro hac tempore Magiſtræ huius domus Hoſpitalariæ in hac Dei domo loco Reuerendiſſimi Domini noſtri Epiſcopi, & tuis ſucceſſoribus: me in poſterum victurum in vera obedientia, in caſtitate corporis, & in voluntaria paupertate; & Ordinis veſtes geſtaturum iuxta regulam & bonam conſuetudinem huius domus vſque ad mortem. Et præterea vouco me egris huius domus vſque ad mortem ad futurum, eoſque non deſerturum. Ita me Deus adiuuet, & omnes Sancti eius. Circa hanc formulam vouendi.

QVÆRITVR Primò, *An vota illa ſint perpetua, an tantùm temporalia?*

QVÆRITVR, Secundò, *An qui ſic vouerunt, poſſint ſua auctoritate hoc inſtitutum relinquere?*

QVÆRITVR Tertiò, *An Epiſcopus loci poſſit in prædictis votis diſpenſare?*

16 Sunt hæc Vota perpetua.

EXpensâ hâc formulâ vouendi ſeu profitendi, & ſimul ſtatutis eiuſdem domus Hoſpitalis.

Ad Primum: Reſpondeo, Vota illa eſſe perpetua, non temporalia. Sunt autem hic quinque diſtincta, quæ Deo vouentur, ſcilicet, obedientia, caſtitas, paupertas, geſtatio habitus, & obſequium infirmorum: & hęc omnia vſque ad mortem obſeruanda vouentur: nam bis repetitur illud *vſque ad mortem*, ſemel vt determinet quatuor vota, quaſi principalia & religioſa conſtituentia quendam ſtatum Euangelicæ perfectionis: & ſecundò, vt quintum votum determinet, quod reſpicit principalem functionem illius inſtitutionis, quæ eſt ſeruire infirmis.

Soluitur obiectio ex verbis formulæ.

Nec obſtant illa verba formulæ, *Iuxta regulam, & bonã conſuetudinem huius domus*, in regula autem tribus locis videatur ſignificari illos liberè poſſe diſcedere quando voluerint vt, §. *De ſanis recipiendis*, §. *De recedentibus ad ſeculum* & §. *De omnimoda eiectione*: hæc, inquam, verba formulæ non obſtant. Tum quia illa verba ſolùm videntur determinare geſtationem veſtium ordinis; hic enim videtur eſſe ſenſus, quòd voueat ſe geſtaturum veſtes regulares, vti præſcribit regula & habet conſuetudo domus: idque additum, vt ſciretur quales eſſent iſtæ veſtes, & cur deberent geſtari. Tum, quia qui vult recedere, non poteſt dici facere ſecundùm regulam & bonam conſuetudinem domus, ſed potiùs contra regulam & bonam conſuetudinem. Tum denique quia repugnantia quædam eſt ſi voueas te aliquid vſque ad mortem præſtiturum & nihilominùs velis eſſe liber vt non præſtes ſi placuerit. Si enim vis eſſe liber, quomodo te obſtringis vſque ad mortem? & ſi obſtringis te vſque ad mortem, quomodo vis non eſſe obſtrictus niſi quamdiu libuerit? Vnde ſi mens formulæ vel vouentium eſt, vt non obligentur niſi quamdiu placebit in illa domo commorari, non opottebat dicere, *Vouco hæc me præſiturũ vſque ad mortem*, ſed, quamdiu hîc ſum commoraturus. Sed hanc non eſſe mentem, patet partim ex dictis; partim ex nomine *profeſſionis*, quæ perpetuitatem ſignificat: partim quòd bona recedentibus non reſtituantur; partim quia §. *De ſanis* dicitur, *elapſo tempore probationis ſi remanere debeat, ſub ſtola in manu Capellani faciendo promiſſionem, promittat ſtabilitatem in domo iſta*: atqui non eſt ſtabilitas ſi teneat libertatem abeundi: partim quia §. *De leproſis recipiendis*, expreſſè dicitur *leprojos non debere vouere caſtitatem, aut ab renuntiationem paupertatis, vt caueatur ijs qui matrimonio innecti ſunt, & aliis qui fortè à domo per malitiam ſunt receſſuri*: vbi ſatis inſinuatur eos qui vouent, & poſteà recedunt, peccare contra votum ſuum, nec habere libertatem recedendi aut matrimonium contrahendi, aut proprium habendi.

Neque obſtat quòd, §. *De ſanis recipiendis* dicitur, *Conſuetudines domus ſecundùm poſſe ſuum promittat ſe ſeruaturum, non ſub voto, ſed ſub pœnâ inferiùs annotata*: hinc enim non ſequitur eos non obligari ſub voto ad ſtabilitatem, & ad alia quæ expreſſè vouent; quia multis Religionibus id eſt commune vt conſuetudines & regulæ non obligent niſi ſub pœna.

17 Soluitur obiectio ex ſtatutis locis.

Similiter non obſtat quod §. *De recedentibus ad ſeculum*, dicitur; *Cùm ſanus recedit poſt factam profeſſionem, vel leproſus poſt annum, nihil omnino eis dabitur*, id eſt, ex ijs quæ intulerunt. Non enim hîc ſignificatur quod poſſint recedere, ſed potiùs contrarium, quia nihil eis reſtituendum iudicatur.

Denique non obſtat §. vltimus *De omnimoda eiectione*: quia ex eo quòd quis poſſit eijci in perpetuum, non ſequitur, eum qui eijcitur, non fuiſſe obligatum ex parte ſua perſeuerare: tum quia poſt vota ſimplicia licitum eſt eijcere regulares; illa autem vota ſunt tantùm ſimplicia: tùm quia etiam in probatis Religionibus licet eijcere etiam poſt profeſſionem, idque iure naturali.

Ad Secundùm: Reſpondeo, Non poſſe eos, qui ſic vouerunt, ſua auctoritate hoc inſtitutum relinquere. Suppono enim eſſe pium, & conſilia Euangelica continere: quamuis poſſint in quamcumque Religionem approbatam commutare. Nam omne votum poteſt in Religionis approbatæ profeſſionem commutari, argumento Capit. *Peruenit* 2. de iure iurando, & Cap. *Scripturæ*, de Voto: eſtque communis ſententia Doctorum: Cajetani Verbo *Voti commutatio*. Soti lib. 7. de Iuſtitia qu. 4. art. 3. & aliorum.

18 Non poſſunt ſua auctoritate inſtitutum relinquere.

Ad Tertium: Reſpondeo, Epiſcopum poſſe in prædictis votis diſpenſare, excepto voto caſtitatis. Probatur, quia Epiſcopus poteſt diſpenſare in omni voto, quod expreſſè iure vel conſuetudine non eſt reſeruatum Sedi Apoſtolicæ; vt docent omnes Doctores Theologi & Canoniſtæ, teſte Soto ſuprà, Nauarro cap. 12. nu. 75. & alijs. Reſeruata autem Sedi Apoſtolicæ ſunt tantummodò quinque vt ſummum: ſcilicet, Religionis, Caſtitatis perpetuæ, Profectionis Hieroſolimitanæ, Peregrinationis ad Limina Apoſtolorum, & ad S. Iacobum in Compoſtella; vt Nauarrus & Sotus ſuprà, & alij paſſim docent. Ex prædictis autem votis nullum eſt Sedi Apoſtolicæ reſeruatum, præter votum Caſtitatis perpetuæ: vt colligitur ex Auctoribus citatis: non enim votum Obedientiæ, Paupertatis, & Stabilitatis eſt reſer-

19 Epiſcopus poteſt diſpenſare in omni voto non reſeruato Papæ

Nec obſtat quòd fortè conſenſerit vt maritus fœnus exerceret: quia ille conſenſus non eſt notorius nec ipſam fecit manifeſtam vſurariam apud populum. Similiter non obſtat quòd fuerit vxor vſurarij; quia crimen mariti non debet refundi in vxorem, niſi conſtet ipſam fuiſſe in crimine ſociam. Vxor, ſociam tori denotat, non criminum & iniuriarum mariti.

Et ſi conſenſerit in fœnus mariti.

Secundò. Etiamſi publica vſuraria fuiſſet (quod tamen nullo modo admittimus) tamen adhuc teſtamentum eius validum cenſeri debet, idque triplici de cauſa. Primò, Quia in morte dedit omnem cautionem quam ab ea Parochus exegit: alioquin eam non abſoluiſſet, nec ad Sacramenta, & Eccleſiaſticam ſepulturam admiſiſſet. Quòd ſi Parochꝰ non exegit ab illa talem cautionem, qualem Ius præſcribit, hoc illi fraudi eſſe non debet, quæ parata fuit præſtare omnia quæ ad ſalutem neceſſaria; vt manifeſtè colligitur ex teſtamento, quo ita maritum inſtituit hæredem, vt omnia reſtitutionis onera impleat.

5 Teſtamentum publici vſurarij poteſt ex triplici cauſa eſſe validum.

1 Ex reconciliatione.

Secundò, Quia longiſſimi temporis conſuetudine obtentum in hiſce prouincijs vt teſtamenta vſurariorum, præſertim accedente Principis conceſſione, valeant, ita vt nemo ſe illis ratione Cap. *Quanquam* opponat. Atqui conſuetudo habet vim tollendæ legis, etiam Canonicæ, vt communiter tradunt Doctores, & apertè colligitur ex Cap. fin. de Conſuetudine. qua de re videatur Couar. lib. 3. variarum cap. 13. Idque maximè procliue eſt quando agitur de lege pœnali, qua parte pœnam ſtatuit: hâc enim ex parte facillimè tollitur, vt ſuprà nu. 2 dictum eſt. Quantum autem temporis ad hoc requiratur, diſputant Doctores. Sed omnes conſentiunt legem Canonicam, etiam qua parte diſpoſitiua eſt, tolli conſuetudine 40. annorum: quanto ergo facilius qua parte pœnalis eſt? Atqui hæc conſuetudo eſt pluſquam centum annorum, ita vt omnem hominum memoriam ſuperet. Ergo non eſt dubitandum quin potuerit pœnalem illam conſtitutionem Capitis *Quanquam* abolere.

2. Ex reconſuetudine.

6

Tertiò, Quia Principes Belgij legitima præſcriptione videntur ſibi iam olim comparaſſe ius illud quo concedunt priuilegium teſtandi vſurarijs. Nam pluſquam à 150. annis, nempe à tempore phi lippi Boni, vſi ſunt hoc iure, nemine repugnante, adeò vt teſtamenta vſuratiorum conceſſu Principis (*Octroy* vulgò dicunt) facta, habita fuerint valida. Atqui certum eſt tanto temporis vſu potuiſſe Principem tale ius acquirere, præſertim cùm ſolùm agatur de tollenda quadam inhabilitate inducta per legem Canonicam: & Principi ſupremo (ſepoſita Eccleſiæ diſpoſitione) iure Gentium cõueniat talis poteſtas circa ſuos ſubditos. Confirmatur, quia ſi Principes poſſunt longiſſimi temporis vſu præſcribere ius præſentandi ad quædam beneficia Eccleſiaſtica (quod tamen natura ſua eſt ſpirituale) & cognoſcendi in plurimis cauſis quãdo agitur de poſſeſſorio: quanto faciliùs poſſunt præſcribere hoc ius quo ſuis ſubditis concedant poteſtatem teſtandi cùm jus iſtud non ſit ſpirituale ſed ipſi principatui quodammodò annexum. Non videtur itaque dubitandum quin Principi tale ius per tanti temporis vſum & poſſeſſionem verè ſit acquiſitum, quamuis antea per Eccleſiam ob altiorem finem fuerit ademptum vel ſuſpenſum: ac proinde teſtamenta vſuratiorum, quibus ipſe priuilegium teſtandi dederit, valida erunt, nec ab Eccleſiaſtico Iudice poterunt infringi; quia vis diſpoſitionis Cap. *Quanquam* quoad hanc partem, tanti temporis vſu contrario, iam pridem hâc enervata eſt.

3. Exconceſſione Principis.

CASVS II.

Caia iuncta fuit matrimonio Sempronio, quem ſciebat publicum vſurarium; & cum eo multis annis vixit.

Requiſita vt quis cenſeatur manifeſtus vſurarius.

QVÆRITVR, *Vtrùm idcirco Caia in foro exteriori debeat cenſeri manifeſta vſuraria, & incurriſſe pœnas Iuris ſtatutas Capitulo* Quanquam, *De vſuris in 6. & nominatim pœnam inualidi teſtamenti?*

CErtum videtur, ob illam cauſam quòd Caia fuerit vxor Sempronii manifeſti vſurarii, nõ poſſe dici *manifeſtam vſurariã*. Primò, quia matrimonium non eſt ſocietas ſcelerum, ſed officiorum ad vitam & procreationem neceſſariorum. Vnde ſcelera mariti nõ poſſunt ratione matrimonii refundi in vxorem, nec contrà; vt per ſe notum eſt; ſed aliunde ſocietas ſcelerum probari debet. Imò tantùm abeſt vt idcircò vxor cenſenda ſit manifeſta vſuraria, vt vix aliquod leue indicium ſeu leuis præſumptio inde ſumi queat ad probandum ipſam ſimpliciter vſurariam fuiſſe. Itaque hac in re nulla poteſt eſſe dubitatio.

7 Eſſe vxorem vſurarij non facit eſſe manifeſtã Vſurariam

Secundò, In præſenti negotio, nempe ad effectum incurrendi pœnas Capitis *Quanquam*. non ſufficit probatio plena in iudicio, qua quis probatur eſſe vel fuiſſe abſolutè vſurarius; ſed requiritur probatio talis quâ probetur plenè fuiſſe vſurarius manifeſtus; vt docet Baldus l. 1. C. de ſacroſanct. Eccl. col. 4. vbi dicit; *Non ſufficeret ad hoc vt quis ſit vſurarius manifeſtus, vt probetur eum vſurarium eſſe; ſed requiri probationem actuum publicè & palam geſtorum ſuper eiuſdem criminis exercitio.* quod eſt valdè notandum Idem docet Bartolus l. *Fur.* 2. de furtis, *Quãdo quæritur*, inquit, *Vtrùm quis ſit manifeſtus peccator alicuius delicti, non ſufficit vt faciat ſemel aut bis illud delictum, ſed requiritur vt ſtet publicè paratus ad illud delictum faciendum; ſicut mœretrix in proſtibulo, vel vſurarius ad banchum.* vt l. *Palàm* in princ. 2. *de ritu nuptiarum* &c. Itaque etiamſi probari poſſet Caiam aliquando dediſſe ad vſuram abſente marito, hoc tamen non ſufficit vt cenſeatur *publica vſuraria*; aut vt teſtamentum eius cenſeatur inualidum. Idem diſertè docet Couar. lib. 3. Variarum cap. 3. n. 5.

8 Qualis probatio in iudicio requiratur vt quis incurrat pœnam Cap. Quãquam.

Tertiò, Pari modo non ſufficit vt poſt mortem incipiat eſſe manifeſtum, ipſam ante mortem fuiſſe vſurariam: ſed requiritur vt tempore quo teſtatur, fuerit manifeſtè vſuraria. Secùs ſi ante & poſt illud pœnituit: aut ſi ante mortem fuit occulta vſuraria, & poſt mortem id incipit eſſe manifeſtum: tunc enim teſtamentum valebit. Ita in terminis docet Angelus in quodam Conſilio, quod incipit; *In cauſa prædicta*, &c. Et probat ex d. Cap. *Quanquam*, vbi dicitur Primò, *nullus vſuriorum manifeſtorum teſtamentis intereſſit.* vbi apertè loquitur de teſtamentis eorum, qui tempore factionis teſtamenti, erant manifeſti vſurarij, ſecundò dicitur, *Teſtamenta manifeſtorum vſuriorũ aliter facta, non valeant, ſed ſint irrita ipſo iure.* Quod neceſſariò intelligendum de teſtamentis eorum, qui ſaltem ante mortem manifeſti erant vſurarij.

9 Non ſufficit quod poſt mortem fiat manifeſtum, viuentem fuiſſe vſurarium.

Quartò, Imò non ſatis eſt ad incurrendas pœnas Capitis *Quanquam*, vt quis in iudicio confeſſus ſit ſe vſurarium fuiſſe ſimpliciter, aut vſuras exercuiſſe: quia etſi talis confeſſio in genere ſufficiat ad effectum, vt quis poſt confeſſionem cenſeatur vſurarius manifeſtus, id eſt, manifeſtatus & publicatus, & vt puniatur per ſententiam Iudicis pœnâ pecuniariâ, vel aliâ per leges iuſtè ſtatu-

10 Nec quod quis ſit in iudicio cõfeſſus ſe ſimpliciter fuiſſe vſurarium.

ted by Google

tà, non tamen vt dicatur manifeſtus ratione manifeſti exercitij & negotij: quod tamen requiritur ad pœnas cap. *Quanquam*. Ita diſertè Couar. lib. 3. Variarum cap. 3. n. 5. & probat optima ratione quia alioquinſequeretur eum qui ſemel & occultè ad vſuram dedit, & id in iudicio confeſſus eſt, grauiſſimis illius Capitis pœnis teneri: quod à ratione alienum eſt, & contra mentem Eccleſiæ & praxim. Itaque etſi confeſſio in iudicio & ſententia Iudicis dicantur inducere notorium iuris, vt docet Gloſſa 2. q. 1. Can. *Manifeſta*. Nauar. Enchir. cap. 25. n. 73. & cap. 27. n. 255. & alii tamen ad pœnas Capitis. *Quanquam* non ſufficit, nec facit tali modo manifeſtum, qualis ibi requiritur.

Nec ſufficit infamia.

Quintò, Neque etiam infamia ſufficit, vt omnes Doctores fatentur. Fama enim non facit rem manifeſtam, ita vt nulla tergiuerſatione queat negari ſed ſolùm monet ſuſpiciones. Vnde etiam ad alias pœnas inferendas, quæ non poſtulant crimen manifeſtum, non ſufficit, ſed requirit alia adminicula, quæ per ſe probent pluſquàm ſemiplenè; vt docet Couar. ſuprà n. 4.

11 Frequentatio Sacramentorum arguit aliquem non eſſe publicum Vſurarium.

Sextò: Tantùm verò abeſt vt prædicta Caia manifeſtè fuerit vſuraria, dum viueret, vt ne quidem infamiâ huius criminis laborâſſe videatur. Si enim infamiâ laborauit, quomodo eius parochus, vir doctus & probus, eam tanquam probam fœminam publicè ad Sacramenta admiſit? quomodo eam publicè ad altare comparentem, non repulit? Graui profectò ſacrilegio ſe obſtrinxiſſet & magnam ſcandali dediſſet occaſionem populo, ſi perſonam publicè de tali crimine infamé, ad Sacramenta admiſiſſet. Atqui nullo modo præſumendum, Parochum tali crimine ſe voluiſſe contaminare: ac proinde non poteſt præſumi eam tali infamiâ laboraſſe, niſi id manifeſtè conſtet. Quòd ſi ne infamiâ quidem laborauit, multò minùs poteſt dici illam *manifeſtè* talem fuiſſe. Idem confirmatur ex eo, quòd cùm Caia eſſet mortua, etſi initio ob ſuſpicionem aliquam moram Capitulo Canonicorum negata fuerit ad aliquot dies ſepultura ſacra, poſteà tamen eſt admiſſa; nimirùm re meliùs diſcuſsâ & ſuſpicione abſterſâ, quod ipſum firmiſſimum argumentum eſt, illam non fuiſſe manifeſtam vſurariam, alioquin grauiſſimè Capitulum peccaſſet illam ad ſepulturam admittendo; vt patet clementina *Eos qui*. de ſepult. vbi infligitur excommunicatio ei, qui manifeſtum vſurarium Eccleſiaſticæ ſepulturæ tradiderit.

12. Quid requiratur vt quis dicatur manifeſtus vſurarius?

Denique vt quis dicatur manifeſtus vſurarius iuxta mentem Capitis *Quanquam*, requiritur vt ratione manifeſti & publici exercitij, & actuum vſuræ ita id clarum & perſpicuum ſit, vt nulla tergiuerſatione negari queat: vt optimè docet Couar. ſuprà. Hoc autem locum non habet in noſtro caſu. Imò etiamſi hoc nomen accipiatur latius, vt extédat ſe etiam ad confeſſos, & conuictos in iudicio, & ad eos qui per ſententiam de crimine damnati, ſicuti multi alii Doctores accipiunt, vt Siluester V. vſura 9 & alii Summiſtæ: nihilominus hîc locum non habet: quia Caia non fuit vnquam confeſſa in iudicio quòd vſuras exercèret, nec conuicta de eo multò minùs ea de re damnata.

Ob has & alias rationes, quæ adduci poſſent, omnino concludendum videtur Caiam non eſſe manifeſtam vſurariam cenſendam, nec pœnas Cap. *Quanquam*, nominatim quoad teſtamenti irritationem, in ea locum habere.

CASVS III.

Pecuniapupillaris data ad Vſuram.

Tutores & præfecti Camerę pupillorum cogunturpupillares pecunias dare fœnori ad rationem 8. vel 10. in 100.

QVÆRITVR, *Vtrùm id licitè facere poſſint.*

13 REſpondeo, Tutores & præfecti Cameræ pupillorum coacti pupillarem pecuniam fœnori dare ad rationem 8 vel 10. in centenarium, poſſunt excuſari per triplicem contractum ſi contrahant cum mercatore, & expreſſè vel implicitè triplicem illum contractum intendant.

Nec refert, quòd in illis locis vſuræ putentur licitæ ab hæreticis Magiſtratibus qui id præcipiunt: quia hi id non præcipiunt in contemptum Religionis vel fidei; ſed quia id putant non eſſe iniquum: præcipiunt tanquam vtile pupillis. Et ſanè reditus ibi longè pluris valent, quàm hîc, ſimiliter etiam lucrum cum mercatore pluris ibi valet.

Si contrahant cum non mercatore, poterunt excuſari ratione intereſſe; quia à mercatore tantundem habere facili negotio poterãt. *Vide ſupra verb.* Cenſus, *Caſum* 3. 4. 5. *&* *Verbo* Mutuum, *Caſum* 4.

CASVS IV.

Mutuare Vſurario bona fide ſub lucro 8 in 100.

Titius dedit bonam ſummam pecuniæ vſurario publico, Epiſcopo ſciente, putans id licere; accipit 8. pro 100. Poſteà intelligit id illicitum eſſe.

QVÆRITVR Primò, *An pecuniam illam poſſit aliquandiu ſperare relinquere donec tutò eam poſſit recuperare; alioquin enim periculum eſt ne vel totam vel magnam partem amittat?*

QVÆRITVR Secundò, *An poſſit retinere lucrum quod percepit bona fide?*

AD Primum Reſpondeo, Titium tuta conſcientia poſſe relinquere pecuniam ſuam ad tempus apud Vſuratium, ſi anteà non poteſt eam ſine periculo notabilis damni repetere. Ratio eſt, quia non eſt per ſe malum mutuare vel relinquere pecuniam ſuam vſurario, modò id non fiat animo iuuandi illum in vſuris exercendis, vel ob alium malum finem, qui ſi antè fuit, facilè poteſt intentione mutatâ tolli. Confirmatur, Quia ille nemini facit iniuriam: Non Vſurario quia hic optat illam habere; non etiam iis qui ad vſuram petunt, quia hi optant Vſuratium habere multas pecunias. 14

Ad Secundum: Reſpondeo, Titium teneri ad reſtitutionem lucri percepti ab vſurario, niſi aliquam ſpeciem iuſti contractus explicitè vel implicitè cum illo inierit; vt per ſe patet: quia alioquin careret titulo iuſto. Certum autem eſt non poſſe accipere titulo mutui vel depoſiti neque titulo contractus, ſocietatis iuncto contractui aſſecurationis capitalis, & lucri certi minoris pro maiore incerto: quia negotiatio vſuraria quam exercet vſurarius eſt per ſe iniuſta, nec vllum lucrum parit. 15. Lucrum ex dato mutuo vſurario, reſtituendum.

Vel ſit titulus lucri ceſſantis.

Solùm videntur hîc duo tituli poſſe interuenire: alter eſt donationis, alter lucri ceſſantis.

Niſi vſurarius gratuito donet.

Titulus donationis vix poteſt præſumi; nam vſurarius non cenſetur facilè donare. Si tamen eſſet diues, & ob commoditatem perceptam ex alterius pecunia, expreſſè diceret ſe donare animo rependendæ gratitudinis, non cogerem ad reſtitutionem: quia vſurarius habet dominium ſuarum pecuniarum, & bona ipſius non ſunt hypothecata ratione vſurarum. Titulus autẽ lucri ceſ-

Digitized by Google

ſantis hic locum habere poteſt, ſi ille, priuſquam pecuniam vſurario mutuaret, animum habebat illam applicandi ad iuſtum aliquod lucrum per mercaturam, vel emptionem reditûs &c. & mutuatio facta vſurario cauſa fuit cur illud propoſitum non ſit executus: tunc enim mutuatio eſt cauſa lucri ceſſantis.

CASVS V.

Mutuare vſurario titulo lucri ceſſantis, ix. in 100.

An liceat ei qui dat Vſurario mutuum, aliquid exigere titulo lucri ceſſantis, maximè ſi vſurarius offerat 12. pro 100. vel etiam 16.

16 Mutuare vſurario ſine cauſa, ſolum titulo lucri ceſſantis, eſt peccatum.

REſpondeo & Dico Primò, Mutuare Vſurario cum pacto farciendi lucri ceſſantis, ſpeciem habet mali, eſtque offenſiuum populi; & ſi fiat ſine cauſa, eſt peccatum. Primò, Quia quiſque ex charitate tenetur impedire peccatum proximi ſui quantum commodè poteſt: atqui hic commodè poteſt impedire peccata vſurarij, ſaltē ex parte; & non impedit. Secundò, Quia videntur tales cum vſurario conſpirare, eumque in ſuis vſuris velle iuuare præbendo inſtrumenta. Vnde etiam ſimplex mutuatio ipſi facta ſine pacto lucri, non cenſetur honeſta.

17 Non tamē obligat ad reſtitutionem.

Dico Secundò, Hoc tamen peccatum quod committitur quando ſine cauſa quis ei mutuum dat cum pacto de lucro ceſſante, non obligat ad reſtitutionem faciendam vel vſurario, vel ijs quibus ipſe ad vſuram dedit, ſi illa mutuatio cauſa fuit lucri ceſſantis; & ſpes lucri reuerà tanti æſtimata. Probatur, Quia neque ex officio tenebatur impedire vſurarium ne daret illam pecuniam ad vſuras: neque ita cenſetur iuuare vt ſit cauſa dāni mutuatarijs. Cuius ſignum eſt quòd nullus illorum æſtimet ſibi fieri iniuriam, per illam mutuationem: Nam omnes qui petunt ab ipſo, optant illum pecunijs abundare.

Dixi, *Si mutuatio cauſa fuit lucri ceſſantis*: quia alioqui titulus lucri ceſſantis locum non habet. Quod verò ſpes lucri, tanti debuerit reuerà æſtimari, quantum exigit, Patet, quia in omni tali contractu hoc eſt neceſſarium, alioquin non ſeruaretur æqualitas.

18 Si vſurarius per hoc interēſſe fiat impotens.

Dices, Vſurarius ſoluendo pro lucro ceſſante 12. in 100. fit impotens ad reſtituendum omnibus quibus debet: ergo qui accepit 12. ab illo, tenetur reſtituere.

Reſpondeo Primò, Non ſemper eſt certum quòd fiat impotentior ad ſoluendum: multi enim ſunt valdè diuites, ita vt duplo vel triplo amplius habeant, quàm debeant ratione vſurarum.

Quod ſi hoc ſciuerim, & creditores à me exigāt reſtitutionem.

Reſpondeo Secundò, Etiamſi fieret impotentior ad reſtituendum, is tamen qui contrahit cum illo titulo oneroſo, non tenetur ad reſtitutionem, ſi id ignorauit. Quòd ſi id ſciuit, adhuc non tenetur niſi à creditoribus ipſius exigatur: ſolùm enim datur illis actio reſciſſoria vt reſcindāt contractum, quatenus per illū factus eſt impotentior, vtque exigant illud lucrum, vt colligitur ex Cap. *Quæ in fraudē creditorum*. Lege vltima. Et ff. eodem Tit. l. 1. cum ſeq. & l. vltima. Quòd ſi creditores vſurarij ab illo nihil exigant, ad nihil tenetur: nam vſurarius eſt dominus rerum ſuarum, & poteſt de illis diſponere maximè per contractū oneroſos, & etiam gratuitos (præterquam in vltimis voluntatibus) & conſequenter dominium transferre; neque creditores illius ius habent in illas, niſi perſonale, id eſt, quamdiu apud ipſum ſunt: Niſi quatenus ius poſitiuum diſpoſuit de actione reſciſſoria caſu ſuprà dicto.

19 Si faciēda eſſet reſtitutio eſſet facienda ipſi vſurario.

Dico Tertiò, Poſita neceſſitate reſtituendi (quæ tamen non eſt ponenda, niſi plus acceperit quàm ſpes lucri ceſſantis æſtimata fuerit; vel niſi agant creditores vſurarij actione reſciſſoriâ; vel aliquod ſtatutum particulare alicuius loci, quod nō puto, omnes tales contractus cum vſurario irritos reddat) tenetur reſtituere vſurario: ab illo enim accepit. Id autem quod ab aliquo iniuſtè acceptum eſt, reſtituendum eſt ei, à quo acceptum. Si tamen velit, poteſt reſtituere ijs quibus vſurarius debet. Nam qui ſoluit creditori ſui creditoris, liberatur à ſuo creditore; quia transfert in ſe actionem creditoris ipſius. Interdum fieri poteſt vt quis teneatur ex charitate reſtituere creditoribus vſurarij; quando nimirum ſunt pauperes, & credibile eſt quod vſurarius illis nunquam reſtituet, & ille nihil timet incommodi ab vſurario.

Vel eius creditoribus.

20 Mutuare vſurario cum iuſta cauſa, non eſt peccatum.

Dico Quartò, Si aliqua iuſta cauſa ſubſit mutuandi vſurario, etiam cum pacto lucri, nullum eſt peccatum. Probatur, Quia non eſt per ſe & intrinſecè malum; & iuſta cauſa facit vt non teneatur impedire ipſius peccatum, & vt non cenſeatur illud approbare.

Neque refert quòd petat compenſationem lucri ceſſantis: quia poteſt illud petere quando reuera ſubeſt iuſtus titulus exigendi. Neque ideò mutuare vſurario ſine cauſa malum eſt quia ab eo exigitur compenſatio lucri ceſſantis; ſed quia per mutuationem præbetur inſtrumentum dandi ad vſuram, vt dictum. Vnde non minus malum eſt gratis ei mutuare, quàm cum lucro.

Commoditas iuſti lucri non eſt ſufficiēs cauſa mutuandi vſurario.

Dices, Semper erit iuſta cauſa mutuandi cum lucro; quia ipſa commoditas iuſti lucri quæ offertur erit ſufficiens cauſa.

Reſpondeo Negando quod aſſumitur: Cùm enim non poſſit pro mutuo exigere quidquam niſi ratione lucri ceſſantis, nec poſſit plus exigere quam valeat illa ſpes lucri; deberet potiùs proſequi negotiationem honeſtam, quâ ſperabat magnum lucrum, quàm illâ relictâ mutuare vſurario: Niſi alia quædam grauis cauſa intercedat: v. g. Si amitteret amicitiam alterius qui potens eſt, velſi ab eo ſibi timeret.

CASVS VI.

Tributum ab vſurario acceptū

Princeps conſuetum tributum ab vſurario pendi ſolitum auxit ad ter mille florenos, quos in honorarium dedit Titio.

QVÆRITVR, *An Titius vel eius hæres teneatur ad prædictæ ſummæ reſtitutionem?*

21 Vſurariis licitè imponitur tributum.

SOlutio pendet ex duobus. Prius eſt: Vtrùm Princeps tantum poſſit exigere ab vſurario. Non enim poteſt exigere per modum pœnæ, cùm vſuræ iure Ciuili communi & paſſim prouinciali permittātur. Sed ſi poteſt exigere, poteſt per modum tributi ſiue pacti vel potiùs pretij pro immunitate & licentiâ ſicut exigere poteſt à mœretricibus & Iudæis &c. quod tributum, non facilè quis dixerit, eſſe iniquum, cùm vbique ferè exigatur; & Principes iam illud vſurpatione præſcripſerint. Credibile quoque eſt iuſtas cauſas illius augendi ſubfuiſſe, præſertim cùm hoc tempore plurimùm lucrentur. Neque idcircò vſuras augeri puto, quia illæ paſſim ſunt taxatę; nimirum vt ſoluatur pro ſingulis hebdomadibus octaua pars aſſis in ſingulos florenos, quod excreſcit ferè ad 33. in 100. quotannis &c. neque exiſtimo permitti vt amplius exigant, cùm exacto anno fiat venditio pignoris, niſi redimatur; & quod ſuperat ſortem & vſuras, domino non reſtituatur.

Alterum est, Vtrùm vsurarius per hanc solutionem non fit redditus impotens ad soluendum creditoribus. Non enim potest tantum exigi vt fiat impotens solutionis priùs debitæ, vt per se patet.

22 Ex his colligi potest Responsio: Cùm enim præsumendum sit Principem iustè exigere illud tributum, ob causas dictas, quamdiu de contrario non constat; neque vsurarius videatur per solutionem 3000. florenorum factus impotens restitutionis, non est Titius aut eius hæres obligandus in conscientiâ ad restitutionẽ dictorum 1000. sed potest ea retinere. Quamuis laudabilius esset, si ea, quæ ab vsurario accipiuntur, in causas pias expenderentur; quia plerumque omnia illorum sunt obnoxia restitutioni. Si tamen in particulari non constet, non est obligatio imponenda.

Quid in casu suadendum Titio.

CASVS VII. & VIII.

§. 1.

Contractus vsurarius in societate officiorum.

Titius officialis super officio suo summam pecuniæ accipit à Sempronio, ob quam hic in societatem officij admittitur, vt proportione ad summam à se collatam, partem fructuum quotannis vsque ad mortem suam naturalem recipiat. Ad vitandas contentiones, quæ ob fructuum percipiendorum incertitudinem oriri possent, transigunt vt Titius pensionem 12 in 100. quotannis soluat, anticipando ante singula semestria pensionem semestris secundi, siue sex in 100. sic vt si quando id non præstiterit, possit Sempronius exigere vt sortem totam Titius intra dies quindecim refundat.

§. 2.

Titius officium suum Mœuio dat mutuum, siue elocat ad hunc solum effectum, vt Mœuius super illo summam aliquam pecuniæ accipiat à Sempronio, hunc admittens in societatem, non cum Titio, cui officium suum non grauatum restituitur, sed secum, quoad officium illud, quod ex consensu Titij in contractu pro formâ producitur. Deinde pro parte fructuum quæ Sempronio ex tali officio prouenire posset, similiter spondet pensionem annuam 12. in centum vsque ad mortem Sempronij naturalem, soluendam anticipatè ante singula semestria per repræsentationem 6. in 100. sic vt quando Mœuius id non præstiterit, eum cogere possit Sempronius ad sortem intra dies 15. refundendam.

QVÆRITVR, *An vtrobique Sempronius inierit contractum vsurarium?*

23 AD hunc casum difficile est solidam dare responsionem, eò quòd species facti non sit satis distinctè explicata. Nam Primò non explicatur an extinguatur obligatio soluendæ pensionis si Titius officio priuetur, vel moriatur; an verò hæredes debeant continuare solutionem vsque ad mortem Sempronij, vel donec alio modo contractus debitè dissoluatur: quod puto seruari in praxi. Secundò, an tunc debeat sors restitui Sempronio; an verò hæredes Titij illam lucrentur. quamuis putem seruari vt restituatur. Tertiò, quod si factâ anticipatâ solutione contingat Sempronium violenta morte defungi, vtrùm ius ipsius transiret ad hæredes, an verò Titius lucraretur sortem, sed dictum mihi est eo euentu ius Sempronij transire ad hæredes, & ipsi sortem esse restituẽdam, nisi contractus continuetur. Quartò vtrùm Sempronios possit recusare anticipatam solutionem, quam Titius initio cuiusque semestris facit, & tunc repetere sortem, ita vt Titius teneatur eam elapsis 15. diebus repræsentare: dicitur mihi posse recusare, & tunc repetere sortem. quod si verum est, conditio illa est valdè dura. Quintò, Vtrùm in euẽtu huius quartæ conditionis sit soluẽda pensio pro rata vsque ad diem quo refunditur sors ipsa. Hæc omnia ad exactam resolutionem deberent esse cognita. Nihilominùs respondebimus secundùm illa quę verisimiliùs putantur adesse. quod vt faciamus:

Species facti non satis hic explicatur.

24 Adferenda primùm illa ob quæ hic contractus videri possit iniquus: quorum Primum sit, quòd hîc non videatur vera societas, sed ficta; ac proinde non subsistat species contractus quæ supponitur: quod tanè contractum efficit valdè suspectum. Non esse veram societatem. Probatur: quia contractus societatis requirit rem aliquam communem & indiuisam, quæ communiter possideatur, cuiusque fructus sint communes; vt patet in variis societatum generibus. vt in societate matrimonij, in quâ est communio omnium bonorum; in societate mercaturæ, in quâ est communio sortis quæ mercimonijs imperditur; in societate animalium, in qua est communio animalium, quæ pro rata & aliquota partè pertinent ad singulos socios, in societate agriculturæ, in qua est communio agrorum, vel laborum, vel expensarum. Societas enim lucratiua requirit vt singuli sociorum aliquid in commune, veluti suam symbolam conferant, ex quo aliquis fructus in commune proueniat, postea in singulos, pro rata symbolæ collatæ (siue ea sit pecunia, siue labor ac industria) diuidendus. Atqui hic nihil tale apparet: quia officium illud non fit commune preterea in secunda forma contractûs, cùm Mœuius mutuatur illud à Titio, nam Sempronius non efficitur socius Titij in possessione illius officij, nec quidquam illi est negotij cum Titio officiali, sed solùm cum Mœuio, cui nihil iuris est in officio Titij: nam officium illud solùm in contractum producitur pro formâ, vt dicitur in specie facti, id est, ad palliandum contractum honesto societatis nomine. Itaque manifestum est nullam ibi esse veram societatem.

4. Rationes ob quas hic contractus iniquus.

1. Quia non est hic vera societas.

Secundò, Etiamsi admitteremus hic contractum societatis, nihilominùs non videretur posse excusari ab iniustitia: nam in societate non anticipatur solutio fructuum, cùm sit contra naturam societatis vt socio debeantur fructus priusquam sint nati. Atque hic anticipatur solutio: nã in principio semestris soluendi sunt fructus, qui nondum extant, quos nimirum officium decursu illius semestris lucrabitur. Nec satisfacis, si dicas, hunc contractum potiùs habere formam census vitalis, quàm societatis: quia etiam in censibus iniquum est obligare ad solutionem pensionis initio cuiusque anni vel semestris spacij. Ratio est, quia si tibi dem ad censum vel ad societatem centum aureos, & obligem te vt statim soluas mihi pensionem vel fructum 6. aureorum pro primo semestri, reuerà non do tibi 100. sed solùm 94. nam ex centum repetere 6. nihil est aliud quam dare 94. quare iniquum est si postea repetens sortem exigam 100. & iniquum est velle vt mihi statim soluatur pensio manente sorte 100. aureorum.

2. Quia anticipatur solutio fructuum.

Tertiò, In censibus vitalibus non est restituenda sors, sed extinguitur, & manet debitoris, moriente illo super cuius vitâ est census talis consti-

3. Quia sors hic non extinguitur.

Digitized by Google

turus: ſicut patet ex vſu Prouinciarum & ex Doctoribus, qui hac de re tractant. Atqui hic ſors multis caſibus non extinguitur, ſed ſalua manet creditori: quod videtur iniquum & contra iuſtam æqualitatem. Si enim eſt æqualitas cùm ſors non eſt reſtituenda, ſed manet debitoris & extinguitur morte; certè non poteſt eſſe æqualitas quando eſt certis euentis reſtituenda.

4. Quia ſors hic poteſt repeti.

Quartò, In cenſibus, in quibus dantur 16. in ſingula, ſors non poteſt repeti, quia id vſuram ſapit, vt communiter DD. tradunt: atqui hic poteſt ſors repeti, cùm tamen non dentur niſi 8. in ſingula: ergo hîc contractus ſapit vſuram.

25 Quædam reſponſioni præmittenda.

Pro Reſponſione: Notandum eſt, non eſſe hic aliquem contractum vnicum, qui poſſit dici contractus ſocietatis, aut cenſus, vt iuxta naturam illius poſſit decidi; ſed multiplicem & ex multis pactis acceſſorijs conſtitutum.

Et quidem in priore formâ in quâ Sempronius tractat cum Titio officiali, prior contractus eſt ſocietatis, ſi reuerà officium fiat commune. Sicut enim ab initio poterant officium communiter emere, ita vt eſſet vtriuſque pro ratâ, quamuis ab vno tantùm adminiſtretur; ita etiam quando ab vno ſolo emptum eſt & poſſeſſum, poteſt alius in partem admitti ſiue gratis, ſiue pretio: & ille efficietur particeps lucri, iuxta conuentionem initam. Si autem officium non fiat commune, ſed Sempronius tantum admittatur ad ius fructuum, ſic non eſt proprie contractus ſocietatis, ſicut neque cùm alij fructus ab indiuiſo à pluribus emuntur, aut poſſidentur; ſed emptio rei induiſæ pro parte aliquotâ incertâ. Poteſt tamen dici ſocietas, quatenus emptor efficitur ſocius venditoris in ordine ad dominium & diuiſionem fructuum illorum, ſed parui intereſt quo nomine vocetur, modò de re conſtet. Certum autem eſt hunc contractum eſſe licitum, modò ſeruetur æqualitas.

Alter contractus quo ad vitandas altercationes diuiſionis, paciſcuntur de 12. in centum &c. videtur contractus commutationis iuris ad lucrum incertum, cum iure ad lucrum certũ; vel venditionis lucri incerti, pro certo, adiectis certis pactiunculis & conditionibus. Hic etiam contractus iuſtus eſſe poteſt, modò ſeruetur æqualitas, ita vt onera illa quæ imponuntur præſertim debitori, ritè compenſentur; & lucrum illud incertum ſeu ſpes eius, iudicio prudentum tanti valeat quanti obligatio illa annuè ſoluendi 12. in 100. cum cæteris oneribus. Si enim ſpes illa lucri incerti ex officio percipiendi, non tanti valet iudicio prudentum, contractus eſt iniquus, neque ex hoc capite poteſt iuſtificari. Sed tunc videndum eſſet an aliâ ratione iuſtificari nequeat, v. g. per modum cenſus vitalitij. Et ſanè crediderim in praxi parũ curari, Vtrùm lucrum incertum tanti valeat; ſed ſolùm id quæri vt habeantur 12. in centum. Vnde non videtur hic eſſe vera ſocietas, aut verum ius ad fructus officij pro ratâ pretij: ſed ſolùm emptio cenſus vitalis, ſiue perſonalis tantùm; ſiue partim realis, partim perſonalis. De cuius iuſtitia.

26 Prior contractus excuſatur, ſi creditor non poſſit repetere ſortem.

Dico Primò, Si debitor ſoluens annuè 12. pro 100. anticipatè initio cuiuſque ſemeſtris, poteſt hac ratione eſſicere, vt creditor non poſſit repetere ſortem, non video cur hic contractus non poſſit admitti. Nulla enim apparet inæqualitas. Quod confirmo: quia cenſus vitales quibus ſoluuntur 12. cum dimidio in centum quotannis, conſtitui ſolent in aliis locis etiam ad duorum vitam. Atqui hoc onus (quamuis ſors non poſſit repeti) non videtur minùs graue, imò grauius quàm onus ſoluendi 12. in centum dicto modo anticipatè ad vitam vnius cum poteſtate impediendi repetitionem ſortis: onus enim ſoluendi ad duas vitas grauius videtur, quàm onus ſoluendi ad vnam tantùm anticipatè, ſi ſic poſſis impedire repetitionem ſortis.

Nec obſtat quòd ſors poſſit repeti, vel in aliam vitam transferri poſſit contractus, ſi non ſolueris penſionem anticipatè; quia id tuæ negligentiæ imputandum eſt: poteras enim præuenire & impedire.

27. Reſpondetur argumentis ſupra allatis.

Ad Primum argumentum ſuprà poſitum quatenus huic propoſitioni repugnat, dicendum eſt: Parùm referre ad iuſtitiam cõtractus quo nomine vocari debeat, aut quâ formâ celebretur, modò in ea inueniatur æqualitas inter ea quæ conferuntur à partibus, hic autem videtur ſeruari æqualitas. Obligatio enim ſoluendi 12. in 100. anticipatè modo ſupradicto ad vitam creditoris, non videtur pluris valere, quàm 100. etiamſi creditor quibuſdam caſibus ius repetendæ ſortis habeat.

Ad Secundum: Verum eſt in ſimplici contractu ſocietatis vel cenſus non poſſe peti anticipatam ſolutionem: poteſt tamen id fieri in compoſito, vbi peculiari pacto ita ſtipulatur, & debita fit compenſatio, ſicut in præſenti negotio; vt oſtenſum eſt.

Ad Tertium & Quartum: Hæc argumenta potiſſimùm vrgent. Sed dicendum, quando cenſus vitalis conſtituitur ad duas vitas, non poſſe ſortè vllo modo repeti: ſecùs, cùm ad vnam tantùm. Nam hoc tantum minuit onus debitoris, quantum illa poteſtas quibuſdam caſibus repetendi, illud augeat; præſertim cùm ipſe diligentiâ ſuâ poſſit impedire ne repetatur.

28 Nõ poteſt excuſari ſi poſſit creditor ſortẽ repetere.

Dico Secundò, Si debitor ſoluendo anticipatè non poſſit impedire quo minùs creditor poſſit repetere ſortem, difficile eſt hunc contractum excuſare ab iniquitate, imò & ab vſura. Probatur Primò quia accipit lucrum ex pecunia ſua, ſaluâ ſorte, & ius illud ſortis repetendæ non compenſatur peculiari pretio: ergo eſt inæqualitas: cumque ſors ſalua maneat, videtur eſſe tantùm mutuatio; ac conſequenter lucrum illud accipietur ratione mutuationis, vnde erit vſurariũ lucrum. Nec obſtat quòd in quibuſdam caſibus ſors amittatur creditori; quia illi caſus facilè ab ipſo poſſunt impediri ne eueniant. Neque vſurarius publicus excuſaretur ab vſuris, etiãſi ſimiles quoſdam caſus poneret in contractu quibus ſors ipſi periret: nam illud periculũ parui æſtimatur cùm facilè impediri queat. Fateor tamen excuſari poſſe ſi totum niteretur vero contractu ſocietatis, & ius Sempronij ad fructus incertos iudicio prudentum tanti valeret, quanti totum illud onus quod ſubit Titius, nempe quantum obligatio illa ſoluendi anticipatè prædictam penſionem, & periculum reſtituendæ ſortis. Si autem ius illud non tanti valeat, aut Sempronius non habeat verum ius ad fructus officij pro ratâ ſummæ collatæ, totum reuoluitur ad rationem cenſus vitalis, in quo ſors non poteſt repeti; vt ex Bulla Pij V. & aliis DD. conſtat, ſaltem non ita quin creditor id poſſit ſuâ diligentiâ impedire, vt ſuprà dictum eſt, quo caſu etiam illud ius eſt compenſandum, vel alia ratione onus creditoris leuandum.

29 Examinatur poſterior contractus.

Quod ad alteram formam attinet, in qua non Titius officialis, ſed amicus eius Mæuius tractat cum Sempronio, & ab eo accipit 100. ſuper officio Titij, cuius officij nomen & titulum ei Titius veluti equum meritorium elocat: certum eſt nullam hic eſſe ſocietatẽ; ſed fingi duntaxat, fortè propter Bullam Pij V. quæ vetat conſtitui cenſus

niſi ſuper re aliqua fructifera, & hic contractus habeat ſpeciem cenſus; vel vt imago vſuræ obueletur. Itaque ad examinandam iuſtitiam illius, nulla eſt habenda ratio officij, aut fructuum eius, aut quantum officium ſit grauatum, vel alijs ad ſimiles contractus elocatum. Hæc enim omnia impertinentia ſunt ad veram huius contractus qualitatem, cùm officium ſolùm ad formam & ſpeciem quandam externam adhibeatur.

Eſt hic contractus iniuſtus ſi creditor pro libitu poſſit ſortẽ repetere.

Quo poſito: Manifeſtum eſt hic ſolùm eſſe cõtractum cenſus vitalis perſonalis adiectis quibuſdam conditionibus & pactiunculis limitantibus: cuius iuſtitiam difficile eſt ſtatuere ſi creditori, quandocunque libuerit, fas eſt recuſare anticipatam ſolutionem, & tunc repetere ſortem: hoc enim onus valdè eſt graue & contra naturam cenſus. Si enim in cenſu perpetuo redimibili ex parte venditoris, vbi in ſingula dantur 16. non poteſt emptor repetere pretium, quantò minùs poterit in vitali, vbi in ſingula dantur ſolùm 8. quique morte deberet extingui? accedit, quòd tantum onus non videatur compenſari. Itaque non ſatis apparet quâ ratione hic contractus ab improbitate vſurariâ poſſit excuſari.

Vna ſola ratio videri poſſit; ſi dicatur poſſe emi cenſum perpetuum redimibilem ex parte venditoris pretio 100. in 10. & pretio 10. in ſingulos, vt fit in Sicilia. Cur non poſſit emi vitalis pretio 100. in 12. ſeruato iure repetendæ ſortis; cùm quibuſdam caſibus debitor poſſit ſortem lucrari, & creditor illam amittere? Ponámus enim Mæuium debere Sempronio cenſum perpetuum 10. aureorum, qui non poſſit extingui niſi reſtituta ſorte 100. aureorum: & Sempronium offerre Mæuio hanc conditionem, vt iſte reditus commutetur in vitalem, ita tamen vt ſoluat 12. in 100. & det ius repetendæ ſortis, & ipſe Mæuius certis euentis poſſit lucrari ſortem; non videbitur adeò dura hęc commutatio: ſed meo iudicio dura eſt. Vnde non auſim hunc contractum approbare, niſi pleniore informatione de re tota acceptâ. 30

Ratio aliqua excuſatoria.

FINIS.

INDEX.

Digitized by Google

INDEX QVÆSTIONVM ARTICVLORVM ET DVBIORVM.

In 1. 2. de Beatitudine & Actibus Humanis.

QVÆSTIO PRIMA.

De Vltimo fine hominis.

In Octo Articulos diuisa.

Art. 1. *Vtrùm homini conueniat agere propter finem.* Pag. 1.
Dub. 1. *Vtrùm verum sit quod ait D. Tho. in corp. obiectum voluntatis esse finem.* 1.
Dub. 2. *Vtrùm finis sit causa vt est in intentione, (vt insinuat D. Thom. in resp. ad 1.) an vt est in rerum naturâ.* 2
Dub. 3. *Vtrùm verum sit quod dicitur in resp. ad 2.* Impossibile esse vt actus à voluntate elicitus sit vltimus finis. 3
Art. 2. *Vtrùm agere propter finem sit proprium rationalis naturæ.* ibid.
Art. 3. *Vtrum actus humani accipiant speciem à fine.* 4
Art. 4. *Vtrum sit aliquis finis vltimus humanæ vitæ.* ibid.
Art. 5. *Vtrum vnius hominis possint esse plures vltimi fines.* ibid.
Art. 6. *Vtrum homo, omnia quæ vult, velit propter finem vltimum.* 5
Dub. 1. *Quonam modo ex his tribus appetantur omnia propter finem vltimum in genere.* ibid.
Dub. 2. *Vtrum omnia quę homo appetit, appetat ob vltimum finem in particulari consideratum, qui est Deus.* ibid.
Art. 7. & 8. *Vtrum omnes Creaturę habeant eundem vltimum finem.* 6

QVÆSTIO II.

In quibus consistat beatitudo.

QVÆSTIO III.

Quid sit Beatitudo.

In Octo Articulos diuisa.

Art. 1. *Vtrum beatitudo sit aliquid creatum.* 7
Art. 2. *Vtrum Beatitudo sit operatio.* 8
Dub. 1. *Vtrum operatio illa, in quâ consistit nostra beatitudo debeat effectiuè ab anima procedere, an sufficiat eam extrinsecus immitti.* 8
Dub. 2. *Vtrum per potentiam Dei absolutam isti actus visio, amor, & alij similes possint produci absque concursu effectiuo Potentiarum.* 9
Art. 3. *An Beatitudo sit operatio partis sensitiuæ, an intellectiuæ tantum.* ibid.
Art. 4. *An beatitudo sit operatio Intellectus; an Voluntatis.* ibid.
Dub. 1. *Vtrum tota beatitudinis ratio consistat formaliter in vnicâ operatione.* ibid.
Dub. 2. *In quonam ex his actibus potissimum consistat beatitudo.* 12
Art. 5. *Vtrum Beatitudo sit operatio intellectus speculatiui, an practici.* 14
Dub. 1. *Vtrum visio Dei tantùm sit speculatiua, an etiam practica.* ibid.
Dub. 2. *Vtrum verum sit quod ait D. Thom. in Corp. Beatitudinem huius vitæ potissimùm consistere in contemplatione, secundariò in operatione practici intellectus dirigentis actiones, & passiones.* 15

QVÆSTIO IV.

De his quæ ad beatitudinem exiguntur.

In Octo articulos diuisa.

Art. 1. *Vtrum delectatio requiratur ad beatitudinem.* 15
Dub. *Vtrum beati delectenter immediatè de ipso Deo, an solùm de ipsa visione.* ibid.
Art. 2. *Vtrum in beatitudine principalior sit visio, an delectatio.* 16
Dub. *Quomodo appetitus animalium non sit peruersus appetendo operationem propter delectationem, cùm Deus constituerit delectationem propter operationem.* 17
Art. 3. *Vtrum ad beatitudinem requiratur comprehensio.* ibid.
Dub. 1. *Quis actus significetur hîc nomine cõprehensionis.* ibid.
Dub. 2. *Vtrum* Visio, comprehensio, delectatio *rectè dicantur dotes animæ.* ibid.
Art. 4. *Vtrum ad beatitudinem requiratur rectitudo voluntatis.* 18
Dub. *Quæ sit causa, cur illi, qui sunt beati, peccare non possint.* ibid.
Art. 5. *Vtrum ad beatitudinem hominis requiratur corpus.* 20
Dub. 1. *Vtrum ante resurrectionem corporum animæ sanctæ sint reipsa beatæ.* ibid.
Dub. 2. *Vtrum animæ sanctorum post resurrectionem corporum non sint visurę clariùs Deum, quàm ante.* 22
Art. 6. *Vtrum ad beatitudinem requiratur aliqua corporis perfectio.* ibid.
Dub. 1. *Quæ & quot sint illę corporis perfectiones futuræ in statu beatitudinis.* 23
Dub. 2. *Per quid corpora beatorum futura sint impassibilia.* 24
Dub. 3. *Quidnam sit illa claritas corporum beatorum.* 25
Dub. 4. *Quæ & qualis futura sit agilitas corporis glorioſi.* 26
Dub. 5. *In quo consistat subtilitas corporum beatorum.* 27
Dub. 6. *Vtrum sensus sint habituri suas functiones in beatis, & quas.* 28

QVÆSTIO V.

De consecutione Beatitudinis.

In octo Articulos diuisa.

Art. 1. *Vtrum homo possit consequi beatitudinem.* 30
Dub. *Vtrum ratione naturali certò cognosci possit hominem posse perfectè beari.* 31
Art. 2. *An alius alio possit esse beatior.* 32
Art. 3. *Vtrum aliquis in hâc vitâ possit esse beatus.* ibid.
Art. 4. *Vtrum beatitudo possit amitti.* 32
Dub. 1. *Vtrum beatitudo suâpte natura sit incorruptibilis, an solùm supernaturali Dei conseruatione.* ibid.

Digitized by Google

Dub. 2. *Quomodo verum ſit quod ait D. Thomas in Corp.* De ratione beatitudinis eſſe vt omne deſiderium hominis impleat. ibid.
Dub. 3. *Vtrum ad beatitudinem requiratur ſecuritas.* ibid.
Art. 5. *Vtrum homo per ſua naturalia poſſit acquirere beatitudinem.* 33

QVÆSTIO VI.
De voluntario & inuoluntario.
In octo Articulos diuiſa.

Art. 1. *Vtrum in humanis actibus inueniatur voluntarium.* 33
Dub. 1. *Quid ſit voluntarium.* ibid.
Dub. 2. *Vtrum voluntarium dicatur ex eo tantùm quòd procedat à voluntate, vel appetitu vitali? an ex eo quòd ſit volitum per modum obiecti.* 33
Art. 2. *Vtrum voluntarium reperiatur in brutis? id eſt, vtrum motus, & operationes brutorum ſint voluntariæ, ſeu ſpontaneę.* ibid.
Dub. 1. *Quis actus propriè dicatur liber.* 34
Dub. 2. *Vtrum intellectui conueniat formaliter eſſe liberum.* 37
Dub. 3. *Quid ſit libertas tum in ipſâ potentiâ, tum in ipſis actibus liberis.* 38
Art. 3. *Vtrum voluntarium poſſit eſſe abſque omni actu.* 39
Dub. 1. *Quando omiſſio ſit voluntaria.* ibid.
Dub. 2. *Quando euentus qui ex omiſſione ſequitur, cenſeatur voluntarius.* 40
Art. 4. *Vtrum voluntati poſſit inferri violentia.* ibid.
Dub. 1. *Vtrum voluntati aliquo modo poſſit vis inferri circa actus internos ipſi inexiſtentes, vel circa eiuſmodi actuum carentiam.* 41
Dub. 2. *Vtrum voluntas poſſit vim pati in actibus imperatis, & eorum ceſſatione.* 42
Art. 5. *Vtrum violentia cauſet inuoluntarium.* ibid.
Art. 6. *Vtrum metus cauſet inuoluntarium ſimpliciter.* 43
Art. 7. *Vtrum concupiſcentia cauſet inuoluntarium.* 44
Dub. 1. *Vtrum id quod ex concupiſcentia facimus, ſit cenſendum inuoluntarium; ſicut id quod ex metu facimus.* ibid.
Dub. 2. *Vtrum concupiſcentia augeat voluntarium.* 45
Dub. 3. *Vtrum habitus ſiue bonus, ſiue malus & auxilium preuenies augeat voluntarium.* ibid.
Art. 8. *Vtrum ignorantia cauſet inuoluntarium.* 46
Dub. 1. *Vtrum ignorãtia antecedẽs, quando eſt cauſa operis, faciat opus inuoluntarium.* ibid.
Dub. 2. *Vtrum ignorantia conſequens non affectata quando eſt cauſa operis, faciat inuoluntarium.* 47
Dub. 3. *Vtrum ignorantia conſequens affectata minuat voluntarium, an faciat ex parte inuoluntarium.* ibid.
Dub. 4. *Vtrum ignorantia, quę non eſt cauſa actus, ſed dumtaxat comitatur actum, faciat actum inuoluntarium.* 48

QVÆSTIO VII.
De circumſtantijs actuum humanorum.
In quatuor Articulos diuiſa.

Art. 1. *Vtrum circumſtantia ſit accidens humanorum actuum.* 49
Art. 2. *Vtrum circumſtantię humanorum actuum ſint conſiderandæ Theologo.* ibid.
Art. 3. *Vtrum conuenienter enumerentur circumſtantiæ 3. Ethic. cap. 2.* 50
Dub. 1. *Vtrum non ſint plures circumſtantiæ, quam iſtę octo.* ibid.
Dub. 2. *Vtrum iſtę circumſtantiæ afficiant omnes actus humanos, etiam internos.* ibid.
Art. 4. *Vtrum principales circumſtantiæ ſint* quid, & propter quid. 51

QVÆSTIO VIII.
De obiecto voluntatis.
In tres Articulos diuiſa.

Art. 1. *Vtrum voluntas ſit tantùm boni.* 51
Dub. 1. *Vtrum voluntas nihil poſſit velle, ſeu appetere proſequẽdo niſi ſub ratione boni.* ibid.
Dub. 2. *Vtrum volũtas ſemper abſolutè feratur in bonum, & quidem in tale quod etiam abſolutè ſit bonum: an aliquando ſub conditione, & in bonum ſub conditione.* 53
Art. 2. *Vtrum voluntas ſit tantùm finis, an etiam mediorum.* 54
Dub. *Vtrum omnis actus voluntatis verſetur circa finem, vel circa medium.* ibid.
Art. 3. *Vtrum voluntas eodem actu moueatur in finẽ, & in id quod eſt ad finem.* ibid.
Dub. 1. *Quomodo voluntas eodẽ actu feratur in finẽ, & in media, directè, an indirectè.* ibid.
Dub. 2. *Vtrum voluntas feratur etiam eodem actu in obiectum quod appetitur, & perſonam ſeu rem cui appetitur.* 56

QVÆSTIO IX.
De motiuo voluntatis.
In ſex Articulos diuiſa.

Art. 1. *Vtrum voluntas moueatur ab intellectu.* 56
Dub. 1. *Quid ſit mouere ad exercitium actus, vel ad ſpecificationem.* 57
Dub. 2. *Vtrum voluntas moueat alias animę potentias ad exercitiũ actus, & quo modo.* ibid.
Dub. 3. *Quomodo voluntas moueatur ab intellectu, & ab obiecto.* 58
Dub. 4. *Vtrum ad motum volũtatis neceſſariò requiratur cognitio intellectus: an verò aliquando voluntas poſſit ſine intellectu moueri.* 60
Dub. 5. *Vtrum ad mouendum voluntatem neceſſaria ſit cognitio iudicatiua intellectus: an verò ſufficiat apprehenſiua.* 61
Vtrum ad mouẽdam voluntatem neceſſarius ſit aliquis actus intellectus, quo volũtas omnino determinetur. Et ſi non, Vtrum neceſſarium ſit practicum iudicium. 62
Art. 2. *Vtrum voluntas moueatur ab appetitu ſenſitiuo.* 64
Dub. *Vtrum appetitus inferior ſeu paſſio moueat aliquando voluntatem per ſe immediatè abſque interuentu rationis.* ibid.
Art. 3. *Vtrum voluntas moueat ſeipſam.* ibid.
Art. 4. *Vtrum voluntas moueatur ab aliquo exteriori principio.* 65
Dub. *Vtrum volũtas in primis actibus ſeipſam moueat ad exercitium: an verò tãtùm moueatur ab exteriori principio.* ibid.
Art. 5. *Vtrum voluntas moueatur à corporibus cœleſtibus.* ibid.
Art. 6. *Vtrum voluntas moueatur à Deo ſicut ab exteriori principio.* 66
Dub. 1. *Quot, & quibus modis voluntas moueatur à Deo.* ibid.
Dub. 2. *De quo ex his modis loquatur D. Thom. hoc articulo.* ibid.
Dub. 3. *Vtrum aliqua cauſa creata, vt Angelus, vel dæmon poſſit voluntatem directè mouere ad exercitium actus.* 67

QVÆSTIO X.
De modo quo voluntas mouetur.
In quatuor Articulos diuiſa.

Digitized by Google

Art. 1. Vtrum voluntas ad aliquid naturaliter moueatur. 67
Art. 2. Vtrum voluntas moueatur necessariò à suo obiecto. 68
Art. 3. Vtrum voluntas necessariò moueatur ab appetitu inferiore, seu à passionibus. 69
Art. 4. Vtrũ voluntas necessariò moueatur à Deo. ibi.

QVÆSTIO XI.

De Fruitione.

In quatuor Articulos diuisa.

Art. 1. Vtrum frui sit potentiæ appetitiuæ. 70
Dub. 1. Quid propriè sit fruitio. ibid.
Dub. 2. Vtrum fruitio sit actus elicitus à voluntate: an solùm passio impressa voluntati ab obiecto, ipsâ non concurrente. 71
Art. 2. Vtrum frui tantùm conueniat naturæ rationali, an etiam brutis. ibid.
Art. 3. Vtrum fruitio sit tantùm vltimi finis. ibid.
Dub. Vtrum etiam mediis fruamur quatenus media sunt. 72
Art. 4. Vtrum fruitio sit solùm finis habiti. ibid.

QVÆSTIO XII.

De Intentione.

In quinque Articulos diuisa.

Art. 1. Vtrum intentio sit actus voluntatis. 72
Art. 2. Vtrum intentio tantùm sit vltimi finis. 73
Dub. Vtrum media quatenus habent rationem boni vtilis, possint intendi. ibid.
Art. 3. Vtrũ aliquis possit simul duo intendere. ibid.
Dub. 1. Vtrum nullo modo possint plura simul intendi tanquam integri fines. ibid.
Dub. 2. Vtrum ex duabus intentionibus duorum finium integrorum, possit sequi vnum numero opus. 74
Art. 4. Vtrum voluntas finis sit idem actus cum voluntate eius quod est ad finem. ibid.
Art. 5. Vtrum intentio conueniat brutis. ibid.

QVÆSTIO XIII.

De Electione.

In Sex Articulos diuisa.

Art. 1. Vtrum electio sit actus voluntatis. 75
Art. 2. Vtrum electio conueniat brutis. ibid.
Dub. Vtrum electio conueniat pueris ante vsum rationis, & amentibus. ibid.
Art. 3. Vtrum media eligantur, an etiam fines. ibid.
Art. 4. Vtrum electio sit tantùm eorum quæ per nos aguntur. 76
Art. 5. Vtrum electio sit tantùm possibilium. ibid.
Dub. Circa resp. ad 1. Vtrum quis possit si non eligere saltem appetere, id quod nouit esse impossibile. ibid.
Art. 6. Vtrum homo eligat ex necessitate, an liberè. 77
Dub. 1. Vtrum quando est vnicum solùm medium ad finem idoneum, electio sit libera an necessaria. 78
Dub. 2. Vtrũ, si plura sint media ad finem idonea, necessarium sit posita efficaci intentione finis, eligere id, quod est ad finẽ vtilius. ibid.

QVÆSTIO XIV.

De Consilio.

In Sex articulos diuisa.

Art. 1. Vtrum consilium sit inquisitio. 79
Art. 2. Vtrum consilium sit de his quæ sunt ad finem. 80.
Art. 3. Vtrum consilium sit solùm de ijs quæ à nobis aguntur. ibid.
Art. 4. Vtrum consilium sit de omnibus quæ à nobis aguntur. ibid.
Art. 5. Vtrum consilium procedat ordine resolutorio. ibid.
Art. 6. Vtrum consilium procedat in infinitum. 81

QVÆSTIO XV.

De Consensu.

In quatuor Articulos diuisa.

Art. 1. Vtrum consensus sit apprehensiuæ virtutis, an appetitiuæ. 81
Art. 2. Vtrum consensus conueniat brutis. ibid.
Art. 3. Vtrum consensus sit de fine an de ijs quæ ad finem. ibid.
Art. 4. Vtrum consensus in actum pertineat ad partem animæ superiorem. ibid.

QVÆSTIO XVI.

De Vsu.

In quatuor Articulos diuisa.

Art. 1. Vtrum vti sit actus voluntatis. 81
Art. 2. Vtrum vti conueniat brutis. ibid.
Art. 3. Vtrum vsus possit esse vltimi finis. 82
Dub. Quo modo intelligendum sit illud D. Augustini lib. 10. de Trinit. cap. 10. Nulla vita hominum est vitiosa, nisi malè vtens, & malè fruens. 83
Art. 4. Vtrum vsus præcedat electionem. ibid.
Dub. Quando electio sit actus distinctus ab vsu actiuo, & quando non. 84

QVÆSTIO XVII.

De Imperio.

In Nouem articulos diuisa.

Art. 1. Vtrum Imperare sit actus rationis. 84
Dub. 1. Cuius potẽtiæ actus sit Imperium. ibid.
Dub. 2. Vtrum illud imperium rationis propriè dictum distinctum à iudicio, sit necessarium ad actus elicitos, vel imperatos voluntatis. 85
Art. 2. Vtrum imperare sit brutorum. 87
Art. 3. Vtrum vsus præcedat imperium. ibid.
Art. 4. Vtrum imperium & actus imperatus sint vnus actus. ibid.
Art. 5. Vtrum actus voluntatis imperetur. ibid.
Dub. quinam actus voluntatis dicantur imperati. 88
Art. 6. Vtrum actus rationis imperetur. ibid.
Dub. Vtrum si vtrimque sint rationes omnino pares, & tibi etiam pares videantur, possis alteri parti præ altera assentiri solùm quia sic placet. ibid.
Art. 7. Vtrũ appetitus sensitiui actus imperẽtur. 89
Art. 8. Vtrũ actus animæ vegetantis imperẽtur. 90
Art. 9. Vtrum actus membrorum exteriorum imperentur. ibid.
Dub. Quot genera actuum voluntariorum concurrãt in quouis negotio: & quo ordine. ibid.

QVÆSTIO XVIII.

De bonitate, & malitia actuum humanorum.

In vndecim Articulos diuisa.

Art. 1. Vtrum omnis actio humana sit bona. 91
Dub. Quid sit esse naturale & esse mortale actuum humanorũ: & quomodo differant. ibid.
Art. 2. Vtrum actio hominis habeat bonitatem vel malitiam ab obiecto. 92
Dub. 1. Vtrum etiam actus exteriores habeant bonitatem vel malitiam ex obiecto. 93
Dub. 2. Vtrum bonitas quæ sumitur ex obiecto, sit prima bonitas moralis in actu. ibid.
Dub. 3. Vtrum bonitas quæ sumitur ex obiecto, sit specifica, an generica, in actibus humanis. ibid.
Dub. 4. Quomodo obiectum debeat esse volitum, vt actus habeat bonitatem, vel malitiam ex obiecto. 94
Art. 3. Vtrum actio hominis sit bona vel mala ex circumstantijs. 95
Dub. Quomodo bonitas ex circumstantijs immutet bonitati quæ est ex obiecto in actu interno, & externo. ibid.

Digitized by Google

Art. 4. *Vtrum actio hominis ſit bona, vel mala ex fine.* 96
Art. 5. *Vtrum aliqua actio hominis ſit bona, vel mala in ſua ſpecie.* ibid.
Dub. *Vtrum bonum & malum ſint etiam differentiæ eſſentiales actuum ſecundùm eſſe naturale conſideratorum.* ibid.
Art. 6. *Vtrum actus habeat ſpeciem boni vel mali ex fine.* 98
Dub. 1. *Vtrum quando aliquod opus externum per ſe bonum eligitur ob alium finem, electio illa habeat primariam ſpeciem boni ex intrinſeca bonitate medij, accidentariam autem ex fine: ſimiliter quando medium eſt per ſe malum, & refertur ad aliud malum tanquam ad finem.* 99
Dub. 2. *Vtrum quando aſſumitur aliquis actus interior voluntatis ad aliquem alium finem, accipiat aliquam bonitatem vel malitiam ex fine.* 100
Art. 7. *Vtrum ſpecies quæ eſt ex fine, contineatur ſub ſpecie, quæ eſt ex obiecto, ſicut ſub genere, vel contrà.* 101
Art. 8. *Vtrum actus aliquis ſecundùm ſpeciem ſuam ſit indifferens.* 102
Dub. *Vtrum præter has res ſpecies ſit quarta, nempe actuum malè ſonantium.* ibid.
Art. 9. *Vtrum ſit aliquis actus indifferens ſecundùm individuum.* ibid.
Dub. 1. *Vtrum omnis actus deliberatus vt ſit in individuo, ſit verè, & propriè bonus, aut malus moraliter, ita vt laude vel vituperio ſit dignus.* ibid.
Dub. 2. *Quomodo verum ſit, quod ait D. Thom. in reſp. ad 3.* Omnis finis à ratione deliberata intentus pertinet ad bonum alicuius virtutis, vel ad malitiam alicuius vitij. 105
Art. 10. *Vtrum aliqua circumſtantia conſtituat actum in ſpecie boni, vel mali.* 106
Art. 11. *Vtrum omnis circumſtantia augens bonitatem, vel malitiam, conſtituat actum in ſpecie boni, vel mali.* ibid.

Qvæstio XIX.

De bonitate, & malitia actus interioris voluntatis.

In Decem articulos diuiſa.

Art. 1. *Vtrum bonitas voluntatis pendeat ex obiecto.* 107
Art. 2. *Vtrum bonitas voluntatis pendeat ex ſolo obiecto.* ibid.
Art. 3. *Vtrum bonitas voluntatis pendeat ex ratione.* 108
Dub. 1. *Quid ſit ratio recta, cui voluntas vt bona ſit, debet conformari.* ibid.
Dub. 2. *Vtrum vt voluntas ſit bona, requiratur vt obiectum ſit volitum, quia conforme rectæ rationi.* 109
Art. 4. *Vtrum bonitas voluntatis pendeat ex lege æterna.* 110
Dub. *Quomodo bona voluntas pendeat à lege æterna, & in quo genere cauſæ.* ibid.
Art. 5. *Vtrum voluntas diſcordans à ratione errante ſit mala.* ibid.
Art. 6. *Vtrum voluntas concordans rationi erranti ſit bona.* 111
Dub. 1. *Quid ſit conſcientia.* ibid.
Dub. 2. *Vtrum vt quis agat contra conſcientiam, debeat agere cõtra iudiciũ actuale præſens.* ibid.
Dub. 3. *Quale peccatum ſit agere contra conſcientiam.* 112
Dub. 4. *Quotuplex ſit conſcientia.* 113
Dub. 5. *Vtrum voluntas, quæ conſentit conſcientiæ erranti, aliquando ſit bona.* ibid.
Dub. 6. *Vtrum conſcientia errans obliget.* 114
Dub. 7. *Vtrum in operando poſſimus ſequi opinionem probabilem, omiſſa ea, quam iudicamus probabiliorem.* 115
Dub. 8. *Vtrum voluntas, conſcientia dubia aliquid faciens, ſit mala.* 117
Dub. 9. *Quid faciendum quando vtrimque eſt dubium: ſcilicet, Vtrum liceat facere, & an tenear omittere.* ibid.
Dub. 10. *Vtrum ſemper in dubijs tutior pars ſit eligenda.* 118
Dub. 11. *Vtrum licitum ſit agere contra ſcrupulũ, & qua ratione ſcrupuli vincendi.* 119
Dub. 12. *Quomodo conſcientia erronea ſeu dubia ſit deponenda.* 121
Art. 7. *Vtrum bonitas voluntatis in his, quæ ſunt ad finem, pendeat ex intentione finis.* 122
Dub. 1. *Vtrum intentio boni finis ſiat mala ex electione mali medij.* ibid.
Dub. 2. *Vtrum malitia electionis & operis minuatur per bonam intentionem.* 123
Art. 8. *Vtrum quantitas bonitatis vel malitiæ in voluntate ſequatur quantitatem boni, vel mali in intentione.* 124
Art. 9. *Vtrum bonitas voluntatis dependeat ex conformitate ad voluntatem diuinam.* 125
Art. 10. *Vtrum voluntas noſtra debeat conformari diuinæ voluntati in volito.* ibid.
Dub. 1. *Quibus modis teneamur voluntatem noſtram diuinæ conformare.* 126
Dub. 2. *Vtrum ſit laudabile in omnibus idem velle quod vult Deus.* 127

Qvæstio XX.

De bonitate, & malitia actuum externorum.

In Sex Articulos diuiſa.

Art. 1. *Vtrum bonum, & malum prius inueniãtur in actu exteriori, quàm in interiori.* 128
Dub. 1. *Vtro modo derivetur bonitas & malitia ab actu externo ad internum, vel contrà.* 129
Dub. 2. *Vtrum actus exteriores ſecundùm ſe, & immediatè ſint boni, vel mali moraliter.* 130
Art. 2. *Vtrum tota bonitas & malitia actus exterioris pendeat ex voluntate.* 131
Art. 3. *Vtrum bonitas & malitia ſit eadem actus exterioris, & interioris.* ibid.
Dub. *Vtrum actus interior & exterior ſint vnũ numero peccatum.* ibid.
Art. 4. *Vtrum actus exterior aliquid bonitatis vel malitiæ addat actui interno.* 132
Dub. *Vtrum actus exterior aliquid bonitatis vel malitiæ addat ſupra internum, ita vt vterque ſimul ſit magis laudabilis, vel vituperabilis, meritorius, vel demeritorius quàm internus ſolus.* ibid.
Art. 5. *Vtrum idem actus exterior poſſit eſſe ſimul bonus & malus.* 134
Dub. 1. *Vtrum nullo modo fieri poſſit vt idem actus exterior eodem temporis momento ſit bonus, & malus.* ibid.
Dub. 2. *Vtrum idem actus internus poſſit eſſe ſimul bonus, & malus.* 135
Dub. 3. *Vtrum idem actus interior voluntatis poſſit ſucceſſiuè eſſe bonus, & malus.* 136

Qvæstio XXI.

De his quæ conſequuntur actus humanos quatenus boni ſunt, vel mali. 137

Digitized by Google

INDEX
RERVM PRÆCIPVARVM

Quæ in 1. 2. *de* Beatitudine & Actibus humanis, *& in* Auctario Resolutionum Casuum Conscientiæ *continentur.*

Prior numerus paginam ; posterior, marginalem paginæ numerum denotat. Vbi numerus marginalis solùm apponitur, ad proximè designatam paginam refertur.

Abbas:

ABbati habenti priuilegium suorum Calices consecrandi, non licet, etiam accedẽte Ordinariorum licentia, externorũ Calices consecrare. 180. 1
Abbati non potest committi ab Episcopo consecratio Virginum. 2
Abbas qui ex priuilegio potest benedicere vasis sacris, non ideò potest altaria consecrare. 238. 24.
Quos Ordines possit conferre, vide Indicem de Sacramentis V. Ordo. §. 5.

Absolutio.

Absolue ostendentem signa contritionis in extremis. 116. 50 *Non ostendentem, ne absoluas.* 136. 2
Quinis Sacerdos absoluat quemuis in periculo mortis à reseruatis. 139. 5
Licet haberi possit Superior aut proprius. ibid. 7
Absoluitur à reseruatis qui confitetur Superiori, licet confessio sit irrita defectu doloris. 140
Quo casu absoluere possit Parochus à reseruatis Episcopo? 10 & seq. *Vide* Reseruatio.
Mendicantes habentes potestatem absoluendi in foro conscientiæ à censuris, possunt id facere extra Sacramentum. 141. 17
Quomodo rudes, pueri, crebrò, relabentes &c. sint absoluendi, vide Confessarius, Confessio.

ACTVS HVMANVS.

§. 1. In genere.

Actus humani sunt propter aliquem finem. 1. 1
Finis hic est duplex. ibid.
Actus etiã sunt duplices: scilicet eliciti & imperati. 2
Ostenditur quomodo vtrique sint propter finem. ibid.
Habent speciem à fine. 4. 11
Habent bonitatem à fine. 56. 29
Versantur partim circa finẽ, partim circa media. 51. 1
Soli actu humani propriè sunt propter finem. 3. 9
Actiones aliarum rerum, quatenus à tali agente precedunt, non fiunt formaliter propter finem. 10
Vt tamen à Deo procedunt & ab eo diriguntur, sunt propriè propter finem. ibid.
Actus omnes qui ab eadem potentia procedunt, quà tales, sunt eiusdem speciei. 107. 1

§. 2. Actus intellectus.

Intellectus tripliciter applicatur ad actum. 37. 16
Duo actus intellectus, appprehensio & iudicium: & quomodo differant. 61. 19
Actus intellectus & appetitus sensitiui nõ sunt liberi nisi per denominationem extrinsecam. 130. 11
Vide Intellectus.

§. 3. Actus Voluntatis.

Quid requiratur vt fiat vnus actus ex volitione & actu volito. 110. 53 *Sententia & mens D. Thomæ explicatur.* 54
Omnem actum voluntatis esse absolutum, non autem conditionatum, volunt aliqui. 53. 5
Actus voluntatis potest dupliciter spectari. ibid. 5
Quomodo detur actus voluntatis absolutus, quomodo conditionatus. ibid. 5. & 6
Differentia inter vellem, *&* volo sub conditione. ibid.
Actuum humanorum affectiones. 137
Actuum voluntariorum ordo. 34. 4
Quot actus volũtarij requirãtur in quotis opere. 23. 29
Actus voluntatis. Vide Voluntarium.

§. 4. Actus liber & necessarius.

Actus liber, quis sit. 36. 10
Quomodo differat ab actu necessario. ibid.
Qua ratione actus imperati, & eliciti sint liberi. 38. 21
Vide Libertas.

§. 5. Actus Violentus.

Nullus actus potest esse violentus respectu suę potentię. 41. 29
Nullus actus etsi extrinsecè infusus, potest esse violẽtus potentiæ naturali. ibid. *Potest tamen esse violentus respectu appetitus eliciti.* ibid. *Vide* Violentum.

§. 6. Actus elicitus.

Actus elicitus & imperatus, quid. 38. 20
Quomodo sint propter finem. 1. 2
Quomodo sint liberi. 39. 21
Actus eliciti voluntatis possunt amittere, & rursus acquirere esse morale. 92. 7
Quomodo dicatur actus elicitus ab vna virtute, & imperatus ab alia. 100. 51

§. 7. Actus imperans & imperatus.

Quinam actus concurrant ad imperium. 84. 2
Quinam sint actus imperati. 88. 16
Quinis actus virtutis imperari potest à quauis. ibid.
Quomodo actus interni & externi imperentur. ibid.
Actus imperatus & imperiũ in genere moris, est vnus actus, etsi ratione naturę differant. 87. 13
Vide Imperare. Imperium.

§. 8. Actus moralis.

In quo consistat essentia actus naturalis & moralis. 91. 3. & 4.
Ad esse morale duo requiruntur. ibid.
Esse morale quibus actibus conueniat. 5
Esse morale distinguitur à naturali. 6
Quomodo moralitatem actus externus ab interno accipiat. 92. 9.
Vide Bonum morale.

§. 9. Actus bonus.

Actiones omnes humanæ non sunt bonæ. 91. 2
Actuum humanorum bonitas & malitia à tribus dependet. 31. 1
Bonitas quæ sumitur ex obiecto, est prima bonitas moralis in actu. 93. 13 *Hæc actum specificat.* 15
Actus ab obiecto specificatus, cuius sit virtutis. 16
Actus bonus specie differt à malo in genere moris. 96. 33.
In actu quadruplex est bonitas. ibid. 30
Actus in genere moris dupliciter dici potest bonus. 103. 63

§. 10. Actus malus.

Vt actus interior sit malus, sufficit vt malitia interpretatiuè sit volita. 94. 21
In actibus malis distinguitur species naturalis & moralis. 97. 37.

In vno actu possunt esse duę species malitię. 99. 44

§. 11. Actus indifferens.

Datur actus secundùm speciem indifferens. 102. 58
Quid sit esse indifferens secundùm speciem. ibid.
Actus indifferens secundùm speciem, potest in individuo esse bonus vel malus. 60
Quo sensu dentur actus in individuo indifferentes, & quo sensu non. ibid. 64. & 65
Dupliciter dicitur aliquid indifferens. 104. 68
Satisfit argumentis contrarię sententię. ibid. 71
Dantur habitus indifferentes. 73

§. 12. Actus malè sonans, & neuter.

Quomodo dentur actus malè sonantes. 102. 59
Actus neuter, quis. 58. 9. *Talis non datur, & quare?* ibid.

§. 13. Actus internus.

Quomodo actus internus habeat ab exteriore bonitatem: & hic ab illo moralitatem. 92. 9
Vt actus interior voluntatis sit bonus ex obiecto, obiectum debet esse honestum & volitum. 94. 20
Vt actus interior sit malus, sufficit vt malitia interpretatiuè sit volita. 21
Actus interior voluntatis accipit speciem boni vel mali ex fine. 98. 41
Actus interior volũtatis qui immediatè versatur circa finem, accipit bonitatem ex fine. 42
Actus internus voluntatis non contrahit nouam bonitatem vel malitiam ex eo, quòd ordinetur ad finem extrinsecum bonum vel malum. 100. 53
Sententia Caietani reiicitur. 52
Idem actus internus non potest simùl esse bonus & malus. 136. 34
Refutatur contraria sententia. ibid.
Idem actus internus verùs non potest successiuè esse, bonus & malus. 135. 33. *Potest tamen esse indifferẽs & malus successiuè.* 137. 41. *Non tamen ex indifferenti bonus successiuè.* 42

§. 14. Actus externus.

Actus externus est triplex. 130
Habet bonitatem vel malitiam ex obiecto, etsi non tam propriè quàm internus. 93. 10
Talis actus quomodo sit conueniens. 12
Actus exterior secundùm se consideratus accipit speciem à materia. 98. 41
Idem consideratus quà moralis, accipit speciem boni vel mali à fine. ibid.
Nullus actus externus formaliter est bonus secundùm se, sed tantum obiectiuè. 130. 10
Actus externus habet malitiã formalẽ à libertate. ib.
Refutatur sententia contraria. 21. & seq.
Quomodo actus externi prohibeantur. 131. 14
Actus exterior & interior physicè sunt duo actus, moraliter tantùm vnus. 131. 18. *Sententia contraria refutatur.* ibid.
An & quando actus externus aliquid bonitatis addat interno. 19
Multis modis per se aliquid commodi adfert. 20
Nihil bonitatis meritoriç addit voluntati internę. 132. 21. *Addit tamen aliquam bonitatem obiectiuam materialem in genere moris.* 24
Quomodo idẽ actus exterior possit esse simul bonus & malus. 134. 29. *Cur in confessione explicãdus.* 28

§. 15. Actus requisitus ad beatitudinem.

Actuum requisitorum ad completam beatitudinem definitio. 10. 16
Quo ordine illi actus ad beatitudinẽ concurrãt. 12. 22
Vide Beatitudo, §. 2. & §. 5.

§. 16. Actus vitales.

Actus vitales possunt à solo Deo produci. 9. 9
Actus vitales duplicem habent dependentiam ab anima. ibid.
De illorum essentia est aptitudo ad emanandum à potentijs. 10. 9
Actus vitales non tribuunt suum effectum formalem nisi effectiuè à potentijs dimanent. 9

Adam.

Adamus qua ratione fuerit impassibilis. 24. 32

Administrator.

Restituere debet administrator suo domino si plus cõsumpserit in itineribus, negotijs illius conficiendis, quàm necesse erat. 260. 14

Aduocatus.

Aduocatus consultus à Iudice de pœnâ rei irrogandâ, potest respondere iuxta leges citra irregularitatem. 202. 3
Fit irregularis instigando Iudicẽ ad reum plectẽdũ, si idcircò mors illi vel inferatur, vel acceleretur. ib.
Aduocatus consultus in vrbe rebelli de solutione exactionum pro bello iniusto, quomodo respõdebit. 251. 5

Affectus.

Affectus facit vt minus probabile, videatur probabilius. 89. 21
Ad effectus honesti in genere concurrunt virtutes particulares. 94. 17

Agilitas.

Agilitas corporis gloriosi quid sit. 23. 29
Non cõsistit in habilitate ad motũ progressiuũ. 26. 37
Nec in detractione ponderis à corpore. ibid.
Sed in qualitate supernaturali ad celerrimũ motũ. 38
Quę tamen non inhęreat corpori, sed animæ. 26. 38. *Rectè dicitur dos corporis.* ibi. *Nõ mouebit in instãti.* 39. *Nec de extremo ad extremum sine medio.* ibid.

Amentes.

Amentes in quibus necessariò moueantur. 69. 6
Et quomodo careant vsu rationis. ibid.
Amentibus conuenit electio. 75. 4

Amor.

Amor tendit in finem absolutum. 1. 2.
Amor & odium non potest esse in eodem respectu eiusdem. 73. 30. *Et quare.* ibid.
Duo requiruntur ad amorem benevolentiæ. 56. 16
Amor Dei non potest esse sine cognitione Dei. 61. 11
Amare possum quidquid apprehendo sub ratione boni. ibid. 20
Amor viæ & patriæ videntur specie differre. 19. 17

Amor Beatorum.

Amor increatus nõ est formalis nostra beatitudo. 7. 3
Amor spectari potest vel vt bonũ beati, vel vt bonum Dei: vt prius, non est finis visionis. 13. 25
Amor vt est bonum dilecti, est finis visionis. ibid.
Amor qua ratione sit præstantior visione. ibid.
Amor transformat in dilectum. ibid.
Ad amorem & gaudium, non est necessaria cognitio practica. 14. 29
Amor beatificus etsi non sit liber, est voluntarius. 33. 6
Cur non sit liber. ibid.

Angelus.

Angelos posse peccare error fuit Origenis. 19. 13

Anima.

Anima ex vnione cùm corpore non fit perfectior. 22. 26
Anima vna æquivalet toti vniuerso corporeo. 72. 2

Animæ Sanctorum.

Animę sãctę sunt nũc reipsa beatę essentialiter. 20. 19
Ostenditur ex Conciliis, Scripturâ. ibid.
Consensu Patrum, Ratione. 22. 21. 22
Quid animarum *ait Bernardo.* 22. 25
Animæ Sanctorum post Resurrectionem Corporũ non sunt clariùs visuræ Deum, quam ante. 22. 26
Vide Beatus.

Antecedens.

Qui vult antecedens, quomodo velit consequens ei necessariò connexum. 52. 4

Appetere. Appetitus.

Appetere possum amittere meum esse, vt assequar me-

lius eſſe. 77. 13
Appetit⁹ vnionis nõ impedit animę beatitudinẽ. 22. 17
Appetitus inferior ſuam habebit beatitudinem. 30. 47
Appetitus alius eſt rationalis, alius ſenſitiuus, & quæ ſit inter vtrumque diſtinctio. 46. 40
Appetitus mouet motũ non effectiuè, ſed vt finis. 60. 15
Appetitus inferior poteſt mouere ſuperiorem abſque errore intellectus.

Apprehenſio.

Apprehenſio ſimplex obiecti ſufficit ad actum voluntatis. 61. 20.
Apprehenſio tamẽ taliscontinet virtuale iudiciũ ib. 21
Apprehenſio obiecti ſecundùm ſuam ſpeciem imperari non poteſt. 88. 18

Approbatio.

Nuncius Apoſtolicus dare poteſt poteſtatem approbãdi confeſſarios. 166. 1
Approbatio confeſſarij ad Epiſcopum non ad Capitulum ſpectat. ibid. 2.
Priuilegium Pontificis confeſſarijs monaſteriorum datum ad confeſſiones ſæcularium audiendas non ſupplet approbationem Epiſcopi. ibid. 4

Archiepiſcopus.

Quantas qualeſque Indulgentias poſſit dare? 200. 1

Aſſenſus, aſſentiri.

Vnus aſſenſus poteſt immediatè fieri ob multas rationes quaſi partiales. 77. 5
Non poſſumus aſſentiri ei quod minùs probabile iudicamus. 89. 20. *Contrarium aliqui tenent.* ibid.
Reſpondetur eorum argumentis. 21
Voluntas poteſt aſſentiri minus probabili, nõ verò intellectus. ibid.

Auxilium.

Auxilium præueniens ſeu habitus, an & quomodo augeat voluntarium. 48. 44
Phyſicè minuit libertatem, non moraliter. ibid.

Baptiſmus.

IN Baptiſmo contrahitur matrimonium inter Chriſtum & animam. 18. 11
Tenetur quis dare in neceſſitate pecunias vt puer baptizetur. 116. 50
Non licet deferre infantem ad miniſtrum hæreticũ ab eo baptizandum; ad ſtare inſtar Patrini; intereſſe cauſa honoris, &c. 142. 1. & ſeq.
Infans quem parens hæreticus vult à Miniſtro baptizari, poteſt mater Catholica priùs à Sacerdote curare baptizari. 143. 3
Poſſunt rudes baptizari, ſi alius fide iubeat pro illorum inſtructione. 4

BEATITVDO.

§. 1. Naturalis.

Beatitudo non cõſiſtit in diuitijs, honorib⁹, fama, &c. 7
Vide lib. 1. de Summo bono, *vbi Auctor latè id perſequitur.*
Beatitudo huius vitæ primariò conſiſtit in vita contẽplatiua, ſecundariò in practica. 15. 31
Nullam beatitudinem in ſtatu naturæ lapſæ poteſt homo ſolis naturæ viribus acquirere. 31. 16
Imperfectam tamen poſſet in ſtatu naturæ nudæ. ibid.
Vt tamẽ vel illâ imperfectâ frueretur, neceſſaria eſſet altera Dei ſupra naturam operatio ibid.

§. 2. Beatitudo ſupernaturalis.

Quid ſit: & in quo conſiſtat?

Beatitudinis obiectum eſt increatum. 7. 1
Beatitudo formalis eſt creata. ibid.
Beatitudo obiectiua & formalis, quid ſint. ibid.
Beatitudo noſtra formalis non eſt viſio Dei increata: & quare. ibid.
Nec amor increatus. 7. 3
Nec eſt illapſus Dei in animę eſſentiã, vt vult Henricus. ib. *Nec conſiſtit in habitu, & quare.* 5
Conſiſtit in operatione immanente, & cur. 8. 4
Immediatiùs perficit potentias animę, quàm ipſam eſſentiam. ibid.
Beatitudo in ratione entis non eſt perfectiſſima, ſed in ratione operationis vnientis vltimo fini. 8. 2
Operatio in qua noſtra beatitudo conſiſtit, non poteſt infundi à ſolo Deo. 9. 6
Debet emanare ab ipſis potentijs animę. ibi. *Hinc tamen non propriè dicendus eſt homo ſeipſum beare.* 7
Completa beatitudo non conſiſtit in ſola viſione, vt volunt Thomiſtæ. 9. 13
Sed etiam in amore, & gaudio. 14
Probatur ex definitione Eccleſiæ, & auctoritate Patrum. 10. 11. 15
Beatitudo completa requirit quinque actus. 10. 16
Eorum definitio. ibid.
Beatitudo radicaliter conſiſtit in viſione. 17
Imò & principaliter. 12. 20
Formalis beatitudo eſt collectio multarum perfectionum, quibus Deo iungimur. 11. 19
Ex beatitudine duplex gaudium naſcitur. 12
Quo ſenſu beatitudo magis conſiſtat in operatione intellectus ſpeculatiui, quàm practici. 14. 17

§. 3. Requiſita ad Beatitudinem.

Ad beatitudinem requiritur rectitudo voluntatis. 18. 12.
Ad beatitudinem completam requiritur aliqua corporis perfectio. 24. 28
Debet eſſe inamiſſibilis. 32. 5
Eſt incorruptibilis comparata ad res creatas, non autem reſpectu Dei. 6
Debet eſſe ſufficiens implere omne deſiderium. 7
Ad eam requiritur ſecuritas. 8

§. 4. Beatitudinis conſecutio.

Homo poteſt conſequi beatitudinem. 31. 1
Nequit tamẽ ratione naturali conuinci hominem poſſe perfectè beari. 2
Beatitudinem eſſentialem nemo in hac vita poteſt obtinere. 32. 4
Beatitudo ſecundùm ſe non poteſt apprehẽdi vt mala. 62. 21. *Nec ſecundùm ſe poteſt reſpui.* 52. 4
Homo non debet quouis opere ad beatitudinem contendere. 165. 72

§. 5. Beatus.

Beati primariò, & immediatè delectantur & fruuntur Deo. 15. 3
Aliter beati gaudent de viſione Dei, aliter damnati dolent de eius carentia. 16. 6
Beatorum impeccabilitas veriùs refertur in viſionem quàm in amorem Dei. 18. 14. *Et quare?* 15
Beati nihil poſſunt appetere, niſi in ordine ad Deum. 19. 16.
Beati erunt in cælo non ſupra cælum. 28. 44
Beati non deferent è terra aërem quo in cælo vtantur. 45.
Alius alio poteſt eſſe beatior. 32. 5

Begguinæ.

Begguinæ non debent cenſeri religioſæ vel eccleſiaſticæ. 279. 7

Bellum iniuſtum.

Catholicus poteſt ſepoſito ſcãdalo pro bello iniuſto preces proclamare. 251. 6
Poteſt quis pro bello iniuſto vectigal colligere. 7
Vide Rebellio.

Benedictini.

Quænam ex Clementina Ne in agro *de ſtatu Monachorũ, & Cap.* Cùm ad monaſterium eodem in 3. Benedictinos obligent ad peccatum mortale. 253. 8. 9.
Vide Horæ Canonicæ.

Beneficiarius.

Quando teneatur alium ſibi ſubſtituere. 118. 14.
Qui habet beneficium ratione cuius obligatur quotidie celebrare, non obligatur integrè numerũ explere niſi

recipiat quantum ſufficit ad ſuſtentationem. 17
Vide plura V. Sacellanus. Et V. Miſſa.

BENEFICIVM.

In eâdem Eccleſia haberi poſſunt duo beneficia diffor-mia, non vniformia. 149. 34
Nullum onus imponi poteſt beneficio ſine conſenſu Papæ. 50. 37

§. 1. Eius collatio.

Inſtitutio beneficiati ſpectat ad Epiſcopum. 144. 1
Agens annum 23. non eſt capax denominationis ad beneficium quod requirit Sacerdotium in denomi-nando. 144. 3. 4.
Collatio beneficij facta per Epiſcopũ à Sede Apoſtolicâ confirmatũ ante captam poſſeſſionem ſui Epiſcopa-tus, non redditur invalida per Regulas Cãcellariæ Romanæ. 145. 5. & ſeq.
Beneficium prius ab Epiſcopo loci vni, poſteà à Põtifice alteri collatum, illi cedit cui eſt à Pontifice collatũ, non obſtante conceſſione Pontificis Ordinario facta de beneficiis conferendis. 8. 9. 10
Collatio beneficij facta presbytero de adulterio infa-mato & punito, irritari poteſt & debet. 11
Imò ipſo iure probabiliter irrita eſt. 11
Quibus modis catholicus accipere poſſit aut retinere beneficia eccleſiaſtica ab hæretico patrono. 146. 13
Quomodo illius hæredes gerere ſe debeant circa bona eccleſiaſtica ad illos devoluta? 16
Fructus beneficij percepti ab exiſtente ignoranter in excommunicatione, non debent reſtitui ei, cui, errore cognito, collatum eſt beneficium. 153. 17
Vide Simonia.

§. 2. Eius Permutatio.

Non eſt permiſſa permutatio veri beneficij cum fict. 147. 18.
Eam reſcindere poteſt Epiſcopus. 18
In permutatione beneficii iam nullos fructus habentis cum alio mille florenorum, quanta penſio conſtitui poſſit? 19
Vide Simonia, Penſio.

§. 3. Eius Reſignatio.

Reſignatio facta ſub conditione ſi Epiſcopus conſen-ſerit, non videtur illicita; nec idcirco vacat bene-ficium. 22
Super reſignationem gratiæ expectativæ non poteſt ab Ordinario ſtatui penſio. 148. 28
Vide Penſio.

§. 4. Beneficiorum vnio. Et in titulum erectio.

Poteſt Papa conferre & vnire beneficium alicui loco pio abſque conſenſu patroni, præſertim Eccleſiaſtici. 154. 63. Vide Papa.
Idem poteſt Legatus à latere. 155. 66
Quid poſſit in hac re Epiſcopus, Vide Epiſcopus.

Bona Eccleſiaſtica.

Priuilegium læti Introitus non obſtat quò minùs re-ligioſi ſint capaces pretii prouenientis ex venditione immobilium. 155. 1. & ſeq.
Bona confiſcata monaſterio à Principe abſolutè dona-ta, adimi numquam poſſunt, & cur. 4. & ſeq.
Prohibitio quâ vel pia loca bona acquirere, vel alii ſua illis conferre prohibentur, eſt contra libertatem ec-cleſiaſticam. 156. 7
Religionẽ ingreſſi vel ingreſſuri prohiberi non poſſunt bona ſua dare pauperibus, vel religioni, præſertim ſi ea ſit paupere. 8
Politica authoritas non poteſt limitare in religionibus numerum perſonarũ, quantitatẽ redituum, aut bo-norum mobilium acquiſitionem. 158. 16. & ſeq.
Epiſcopus poteſt vendere ſuam domum alicui religioni in alia ciuitate, eiſque tradere poſſeſſionem ſub ra-tihabitione Pontificis. 160. 22. & 23.
Prælatus iramento ſuo de non alienanda re Eccleſiæ ſine conſilio Pontificis, non ſatisfacit eam alienans ſola authoritate Nuntii Apoſtolici. 161. 24. & ſeq.
Poſſum vendere ædes hæretico pro pecuniis ex benefi-cijs eccleſiaſticis ab illo iniquè poſſeſſis. 162. 29

Bonum.

Quid ſit bonum. 91. 2
Vnde in rebus naturalibus oriatur primũ bonũ. 92. 8
Bonum amabile tripliciter ſpectari poteſt. 72. 2
Omne bonum honeſtum adamatum, eſt delectabile. 5
Bonum vt apprehenſũ, morali efficientia monet volun-tatem per illam cognitionem ſicut mandãs eſt cauſa efficiens. 60. 15
Quomodo in omni bono Deus appetatur. 5. 16
Bonum quod appetitur ob delectationem, vel commo-dum naturæ, appetitur vt vltimus finis operis, non autem operantis. ibid.
Ratio boni non poteſt abſtrahi à bono per ſe, & propter aliud. 54. 10
Ratio boni non eſt præſtantior ratione veri, nec contrà. 13. 23.
Bonorum extrinſecorum duo tantùm ſunt genera, di-uitiæ & gloria. 6. 17

Bonum infinitum.

Bonum infinitum infinitè mouet voluntatem. 19. 16
Eſſe voluntarium perfectè circa ſummum bonum, non eſt perfectio ſimplex. 33. 6
Bonum quantumuis ſupernaturale in ſubſtantia, po-teſt tamen amari amore naturali. 19. 18
Vide Amor Beatorum.

Bonum morale.

Prima bonitas moralis actionum humanarum ſumitur ab obiecto. 93. 8
Quomodo bonum morale non tribuat, & quomodo tri-buat actui voluntatis ſpeciem naturalem. 97. 37
In bonis actibus non diſtinguitur ſpecies naturalis & moralis. ibid.
Bonum & malum morale reſpectu actuum externo-rum in natura conſideratorum, ſint merè accidentia. 56. 35. proponitur ſententia Conradi. 34.
Vide Actus moralis.

Bonitas ex fine.

Bonitas finis non eodem modo conuenit fini & medio. 55. 12.
Bonitas finis eſt formale obiectum electionis. 99. 4
Bonitas electionis pendet ex intentione finis. 122. 4
Bonitas & malitia ex fine priùs conuenit actui inter-no, quàm externo. 128. 1
Vide Electio, & Finis.

Bonitas ex obiecto.

Bonitas quæ ſumitur ex obiecto in actibus humanis eſt ſpecifica. 93. 15
An bonitas quæ eſt ex obiecto & circumſtantiis priùs conueniat actui interno, quam externo. 32. 1
Quomodo deriuetur bonitas actus externi ab actu ex-terno in internum, vel contrà. 129. 3
Cur potiùs debeat eſſe volita bonitas actus boni, quam malitia actus mali? 95. 22
Vide Obiectum.

Bonitas voluntatis.

Bonitas voluntatis pendet ex obiecto integro. 107. 1
Non pendet ex circumſtantiis. 3
Accidentalis bonitas pendet ex circumſtantiis angẽ-tibus intra eamdem ſpeciem. 107. 3
Bonitas voluntatis pendet à ratione proponente boni-tatem obiecti. 108. 4
Pendet etiam à lege æterna. 110. 14
Bonitas actus externi dupliciter deriuatur in volun-tatem. 132. 4
Vide Voluntas.

Brutum.

Bruta non agunt propriè ob finem. 3. 9

Digitized by Google

Motus brutorum ſunt voluntarij impropriè, non autẽ propriè, cùm nec ſint à voluntate, nec liberi. 33. 6
Brutorum non eſt imperare. 87. 11
Appetunt operationes non ſolùm ob delectationem, ſed etiam quia naturæ conuenientes. 17. 7

Bulla.

Clauſula priuatoria Bullis Pontificiis inſerta, quid operetur? 162. 1
Cùm Pontifex Romæ Bullam promulgat, quam vult vbique obſeruari: quas illa Prouincias obligit? 4. & ſeqq.
Ad valorem Bullæ impertinens eſt Placitum Aulæ. 6
Bulla Cœnæ quomodo in Belgio recepta. 7
Admiſſio Bullæ in variis Prouinciis vnius Religioſi Ordinis veroſimiliùs non obligat monaſteria Belgica eiuſdem Ordinis. 163. 8

Cambium.

Cambij ficti iniuſtitia. 163. 2
Nemo poteſt obligari ad recambium. 2
Campſor non poteſt tantum exigere, quantum bainus realiter transferens. 3. & 4
Cambium quoddam Francofurtenſe illicitum. Ibid.
Cambium datum ad quatuor menſes, æquiualet quatuor cambiis datis ad ſingulos menſes. 164. 9

Canonicatus.

Canonicatus Andernacenſis, & Decanatus S. Donatiani Brugis ſunt beneficia compatibilia, ſi Canonicatus non requirat reſidẽtiam perſonalem, & Decanatus non ſufficiat ad decentem ſuſtentationem: 149. 30. & ſeq.
Canonicatus eſt beneficium ſimplex. 31
Poteſt idem in Eccleſia Cathedrali obtinere beneficiũ curatum & Canonicatum, ſi muneri vtriuſque ſatisfacere poſſit, & alias alterum non ſufficiat: ibid. 34.
Canonicatum obtinens in Eccleſia Cathedrali, non habet ius ad groſſos fructus, niſi ſacris ſit initiatus: 151. 46.

Canonicus.

Canonicus poteſt cũ veniâ Capituli aliquot annos abeſſe à ſua Eccleſiâ, vt alibi ſtudiis vacet, & ſimul agat in curiâ negotium Principis. 150. 40
Conſuetudo quâ in Eccleſia cathedrali Gãdenſi canonici quotannis per tres mẽſes iuſtam ob cauſam abeſſe poſſũt, & nihilominùs diſtributiones quotidianas recipere, poteſt legitimè retineri. ibid. 44
Nõ ſufficit Canonicos ſolum inter eſſe diuinis officiis quando aliquid ſui muneris ipſis eſt obeundum. 194. 16.
Probabile eſt, accedente conſuetudine, ſufficere, vt interſint quotidie vni vel duabus ex maioribus horis, vel ſacrificio Miſſæ. ibid. 17
Probabilius tamen eſt teneri eos quotidie intereſſe ſingulis horis, niſi aliqua cauſa excuſet. ibid. 18. & 19
An & cui reſtituere debeant diſtributiones Canonici, qui dũ prolixiora ſunt officia, abſentant ſe à choro? ibid. 20. & 21.
Canonici tales admonendi ſunt à Confeſſario dum veniunt ad confeſſionem. 22
Canonici qui ante finem officij exeunt, non ſunt ipſo iure priuati diſtributionibus; digni tamen ſunt aliquâ mulctâ. 193. 24
Canonicorum fabulæ in choro, quale peccatum? 195. 25.

Canonicæ.

Canonicæ non tenentur ſub mortali ad legendas horas ex probabili multorum ſententiâ. 195. 31
Capitulum Canonicarũ Montenſiũ, Malbodienſium, & Ninellenſium tenetur ſub mortali curare vtquotidie fiat officium diuinum. 197. 38 & 39
Singulæ tamen Canonicę non peccãt mortaliter ſi paucis diebus abſint à Choro, vel vno alterone die non recitent officium. 197. 40 & 41
Secus eſt ſi ad longũ tempus officium omittant. 42
Canonicæ Montenſes quæ plus quàm ſex mẽſes abſuerũt à choro & vrbe metu peſtis, non ſunt priuandæ groſſis fructibus, non obſtante ſtatuto Caroli V. de reſidentia ſex menſium intra annum. 198. 44

Capitaneus.

Si Capitaneo petenti Commiſſarius plures milites annotauerit, quàm ſub ſignis erant, vter eorum reſtituere Regi debeat? 143. 1
An poſſit Capitaneus minori pretio trãſigere cum militibus, quàm ſit ſtipendium eis aſſignatum? 3
Videtur Capitanei poſſe aliquo artificio aliquid amplius accipere, quando ſtipendia non ſufficiunt. 5

Capellania.

Capellania poteſt ab Epiſcopo erigi in nouam dignitatem patrono conſentiente. 152. 51
Duæ Capellaniæ in Eccleſiâ non habente propriũ Parochum poſſunt erigi in beneficium parochiale. 154. 52.

Capuccinus.

Profeſſio Capuccini inualida noneſt, qui rogatus tempore probationis, negauit ſe laborare lepra. 243. 23
Capuccini pauperibus oppidi annumerari poſſunt, vti & alij pauperes Religioſi, cum legata pauperibus relinquuntur. 281. 18

Caſtitas.

Votum Caſtitatis in ſæculo valdè laudabile. 285. 4
Dirimit Sponſalia. 287. 16
Vt caſtitati contra intemperantem Confeſſarium Monialis conſulat, poteſt fugere. 221. 9

Cauſa.

Cauſa efficiens, vti & finalis, duo requirit prius naturâ quàm cauſat. 2. 6
Cauſa vna ſecundùm eamdem formã poteſt eſſe principium efficiens, & recipiens eiuſdem. 57. 13
Cauſæ plures efficientes poſſunt producere eũdem effectum. 74. 8. *Non poſſunt tamen vnius rei eſſe duę materia, vel duę formę totales.* ibid.
Quomodo cauſa bonitatẽ habere poſſit ab effectu. 92. 9

Cenſus.

Cenſus vitalitius, quis. 164. 1
Si promittis alteri ad vitam 600. florenos annuos ob ſummam 2671. florenorum ab eo accipiendorum & ſimul ob accepta ab eo beneficia; non eſt hic cenſus vitalitius, ſed contractus innominatus. ibid.
Qui empto & conſtituto cenſu ſtatim recipit canonem, quaſi iam ceſſum, non poteſt deinceps canones integros recipere. 165. 3
Cenſus vtrimque redimibilis non poteſt conſtitui ad ſex & vnam quartam incentum. 4
Quomodo non mercatores poſſint accipere 4. vel 5. in centum, ſalua ſorte, cum facultate ſortem repetendi? 6
Pro pecunia ad cenſum deſtinata, ſed alio conuerſa, quid accipi poſſit. 165. 7

Ceſſio fori.

Poteſt is qui ceſſit foro, certum aliquod pignus tradere creditori, etiãſi ſolum indeterminatè pignus aliquod ante ceſſionem promiſerat. 258. 5. *Imò id poteſt, licet data ſolum fuiſſet promiſſio de contrahendo, ſuper dando pignore quando vellet creditor.* 6
Poteſt quis facta compoſitione, eum qui foro ceſſit ſollicitare vt debitum integrum recuperet. 8

Charitas.

Charitas vię ordinatur ad viſionem patriæ. 13. 24
Eſt imperfectior lumine gloriæ. ibid.
Cur charitas non dicatur dos. 18. 11

Chriſtus.

Chriſti lucta in horto explicatur. 68. 2
Quomodo Chriſti humanitas dicatur vti virtute diuina: 83. 3. *Chriſtus nunquam conſultauit.* 80. 5

Digitized by Google

Quomodo exprimendus peccatorum numerus? 180. 16. & 17.
Cur opus externum ſit in confeſſione exprimendum. 134. 28
Sanus confiteri poteſt peccatum, vt de eo, cùm ager eris, abſoluatur. 139. 4

Conſcientia.

Conſcientia à variis variè accipitur. 111. 20
Hîc accipitur pro dictamine intellectus. 21. *Eius actus.* ibid.
Vt quis agat contra conſcientiam, requiritur iudicium actuale præſens. 23. *Refutatur contraria ſententia Medinæ.* 24
Quotuplex eſt conſcientia. 113. 30

Erronea.

Quãdo error conſcientiæ eſt culpabilis, voluntas cõſentiens non poteſt eſſe bona. ibid. 31. *Secùs eſt, ſi error eſt inculpatus.* 119. 32. *Hinc Iudæi perſequentes Chriſtum & Apoſtolos, ſunt culpabiles.* 33
Conſcientia erronea quomodo obliget. 114. 34
Conſcientia errans inculpatè, obligat vt agamus ſecundùm eam. 38

Dubia.

Mala eſt voluntas operans in particulari, ſi conſcientia ſit practicè dubia. 117. 54
Conſcientia ſpeculatiuè dubia, vel practicè dubia in vniuerſali eſt bona. 56. *Vide* Dubium.
Conſcientia ſcrupuloſa. Vide Scrupulus.
Conſcientia poteſt dupliciter deponi. 121. 81
Vt conſcientia poſſit deponi, quid requiratur. 82
An & quãdo conſcientia poſſit deponi vi affectus. 83

Conſecratio.

Epiſcopus non poteſt committere cõſecrationem virginum alteri non Epiſcopo. 381. 2
Poteſt eam Pontifex committere Presbytero. 3
Verum Puella occultè corrupta facta profeſſione & accepto velo virginitatis, poſſit manere cum cæteris, & accipere velum conſecrationis. 4
Quomodo veſtes benedictæ, lapides, & ligna templi conſecrati poſſint vendi in vſus profanes. 5
Vide Abbas.

Conſenſus.

A qua facultate oriatur Conſenſus. 81. 1
Quotuplex eius acceptio. ibid.
Conſenſus brutis non conuenit. 2
Conſenſus propriè eſt de medijs: aliquando latiùs ſumitur. 3
Quomodo differat ab electione, 3
Conſenſus eſt actus pertinens ad partẽ ſuperioris animæ. ibid.
Conſenſus voluntatis non eſt fortuitus. 10

Conſilium.

Conſilium, quid. 79. 1
Conſilium non conuenit Deo. 2. *Conuenit tamen ei ſi accipiatur pro iudicio.* ibid.
Conuenit Angelis. 2. *Sæpè tamen non conſultant.* 80. 5. *Chriſtus nunquam conſultat.* ibid.
Conſilium tantùm eſt de medijs. 3
Poteſt eſſe conſultatio de fine materiali. ibid.
Conſilium tantùm eſt de ijs quæ ſunt in noſtra poteſtate, vel quaſi poteſtate. 4
Solùm etiam eſt de dubiis. 84. 5
Proceſſus conſilii ſit ſecundùm ordinem reſolutorium. 6
Conſilium non procedit in infinitum. 81. 8
Poſſumus dare conſilium, ſequendo opinionem probabilem, relicto eo, quod eſt probabilius. 116. 46
Quomodo poſſit tunc aliquis prudenter procedere. 4

Conſuetudo.

Conſuetudo immemorialis, eiuſque efficacia. 235. 6
Conſuetudine poteſt obligatio mortalis fieri venialis. 235. 11.
Conſuetudo repugnans iuri communi, ſtrictè interpretanda. 283. 29
Conſuetudo poteſt inducere impedimentum dirimens, & id quod antè erat impedimentum dirimens, facere non dirimens. 234. 4
Conſuetudo poteſt præſcribere contra abſtinentiam carnium in religione. 235. 8
Vide Præſcriptio.

Contractus.

Pœna contractui vẽditionis quomodo à venditore adiici poſſit, & ab emptore incurri. 182. 3. & ſeq.
In contractu elocationis perpetuæ, non amittitur vtile dominium ex non ſolutione canonis. 6
Qui conduxit agros neſciens alicui illorum partì maius decimarum onus im poſitum, quam reliquis, ad quid teneatur? 7
Emens rem 300. aureis, & efficiẽs vt in inſtrumento contractus ſcribantur 500. ad impediendũ retractum, non peccat contra iuſtitiam. 183. 12. & ſeq.
Iuſtus eſt contractus ſi Titius Caio det centũ florenos, vt poſt annum, ſi viuat, reſtituat centum & decem; ſi obierit, tantùm nonaginta. 219. 5. *Vide V.* vſura. Mutuum.
Contractus iniquus bona fide initus, excuſari poteſt à reſtitutione. 259. 9
Cõtractus iniquus bonæ fidei in re mobili patitur præſcriptionem. 10

Conuerſæ.

Conuerſæ non tenentur preces ſuas ordinarias perſoluere ſub mortali. 196. 30
An Conuerſæ peccent mortaliter ſi ſapiùs omittant pſalmum miſerere quotidie illis ex obligatione recitandum? 197. 36. *Vide* Clauſura.

Conuiuium.

Quomodo licitum Catholico conuiuium nuptiale hæreticorum honeſtare ſuâ præſentiâ, vel munere? 190. 44. & 45.

Corpus.

Corporis perfectio requiritur ad beatitudinem completam. 22. 28
Moleſtia corporis non poteſt viſioni diuinæ eſſentiæ officere: ibid.
Corpora glorioſa qua ratione futura impaſſibilia clara, agilia, ſubtilia.
Vide Impaſſibilitas. Claritas. Agilitas. Subtilitas.

Damnati.

ALiter damnati dolent de carentia Dei, aliter Beati gaudent de eius viſione. 16. 6

Dæmones.

Dæmones quomodo appetant peccatum vt offenſiuum Dei. 52. 4.

Debitor.

Certus de debito, dubius an ſoluerit, quid facere debet. 119. 68
Hic ex chirographo defuncti aſſerit debitum, ille ex libro rationum negat: quid hîc agendum? 167. 15

Delectatio.

Delectatio quomodo includatur in beatitudine completa. 15. 1. *Vide* Gaudium.
Delectatio ex duello quo pacto licita. 204. 4

Delectatio moroſa.

Modus inneſtigãdi an delectatio fuerit moroſa. 178. 13
Illicita eſt delectatio ex cogitatione copulæ matrimonii futuri vel præteriti. 204. 1
Malitia delectationis ſumenda eſt ex obiecto formali. 2.
Quomodo ſtatus perſonæ pertineat ad formale obiectum delectationis moroſæ. 205. 7
Carthuſiano licitus eſt imaginarius eſus carnium; non tamen imaginaria delectatio venerea. 10

Delegatio.

Probabile eſt delegari validè poteſtatẽ audiẽdi cõfeſſiones, excõmunicationis ſuę ſine culpa ignaro. 142. 25

Digitized by Google

Depoſitum.

Ædilis non poteſt vti depoſito Eccleſiæ in commodum priuatum aut publicum pro ſuo arbitrio. 184. 1
Si depoſitum ſit incommodũ ſolius deponentis, depoſitarius ſolùm tenetur ex culpa graui vel dolo. 4
Non poteſt quis ſe obligare ad cuſtodiam depoſiti cum damno Reipublicæ. 5

Deſiderium.

Deſiderium tendit in finem obtinendum. 1. 2

Determinatio.

Determinatio voluntatis non officiens libertati, quadruplex à quibuſdam ſtatuitur. 34. 7
Omnis determinatio quæ non eſt in poteſtate voluntatis, repugnat libertati. 8
Oſtenditur id ex Scriptura, Tridentino, PP. Latinis & Græcis, & DD. Scholaſticis. ibid.
Probatur etiam ratione. 36. 10
Quænam determinatio non repugnet libertati. 12
Implicat eſſe determinatũ, & tamẽ liberè operari. 37. 14

Deus.

Deus eſt finis cui omnium creaturarum. 6. 17
Deus per viſionem beatificam poſſidetur. 12. 21
Deus & viſio Dei habent ſe per modum vnius boni, ſicut res & rei poſſeſſio. 17. 4
Deus eſt immediatum obiectum ſpei in via, & delectationis in patria. 16. 3
Deus eſt obiectum beatificũ etiam virium inferiorũ, ſcilicet imaginatricis & appetitus ſenſitiui. 29. 47
Deus dupliciter eſt bonum noſtrum. 16. 4
Deo ſimiles erimus, quando & quomodo. 21. 24
Deus quomodo ſit liber. 36. 11
Deus non eſt auctor malorum morum. 67. 39
Deus non eſt ita propriè auctor electionis, ſicut intentionis. ibid.

Dolor de peccatis.

Quis dolor, deteſtatio, aut propoſitum ſufficiat ad abſolutionem. 168. 1
Sufficienter dolet, qui dolet ſe non ſatis dolere, modò adſit propoſitum abſolutum impoſterũ abſtinendi. 2
Dolor pridie conceptus & virtualiter permanens, ſufficit ad confeſſionem diei ſequentis. 3
Vide Indicem de Sacramentis *V.* Dolor.

Donatio.

Quæ donationes cenſeantur prohibitæ Religioſis per bullam Clementis VIII. 7
Donatio ante facta non poteſt reuocari ob ingreſſum religionis. 255. 3

Dos.

Dos, quid ſit. 17. 10
Dotes animæ ſunt viſio, comprehenſio, & delectatio. ibid.
Dos quando danda. 18. 11
Dotes corporis glorioſi non manũ more phyſico à beatitudine animæ. 23. 28
Quatuor dotes corporis glorioſi. 24. 29. Impaſſibilitas ibid. Claritas. ibid. Agilitas. ibid. Subtilitas ibid. *Vide Singula ſuis locis.*
Dotes illæ ſufficiunt ad plenam perfectionem corporis beati. 30

Dubium.

Quid dubium practicè. Quid ſpeculatiuè. 117. 53
Quid Iuris: quid facti. ibid.
Dubitans in vniuerſali an non dubitet in particulari. 57.
Voluntas in dubio debet determinatè vtcunque aliquã partem eſſe licitam. 58. *Quid hic obſeruandũ* 59. *Si hîc eligat maius malum, quale peccatum eſt?* 118. 60
Si vtrumque æquale videtur, eligat quod vis. ibid. *Licet tua culpa in tale dubium inciderit.* 61
Si dubium ſit an ſint ſpurij, illegitimi &c. pars mitior, non tutior eligenda eſt. 63
Quid faciendũ, ſi dubites an aliquid inſtè poſſides? 65
Quid faciendum in dubio Iuris? 119. 66
Quid faciendum in dubio facti de lege vel voto? 67
Quid faciendum, ſi dubites an lex ſit recepta vel abrogata? 68
In dubio facti de cenſura vel irregularitate, ordinariè pars tutior eſt ſequenda. 69
Certus de debito, dubius an ſoluerit, quid faciet? 68
In dubio cõdemnari poteſt reus pœnâ eccleſiaſticâ. 70
Quid faciendũ in matrimonio dubio? 120. 72. &c ſeq.
Vide Conſcientia.

Electio.

§. 1. Quid ſit: & quibus conueniat.

Electio dupliciter ſumitur. 75. 1
Propriè eſt actus voluntatis habens ordinem ad rationem dirigentem. 2
Requirit iudicium practicum. 63. 27
Tot ſunt electiones, quot intentiones. 74. 7
Electio ſit ſubinde ſine conſultatione. 80. 5
Electio aliquando diſtinguitur ab vſu actiuo. 84. 7
Brutis non conuenit. 75. 3
Conuenit pueris & amentibus. 4

§. 2. Eius Materia.

Electio tantùm eſt mediorum. 79. 5. *Tamen etiam verſatur circa materiam finis formalis.* ibid.
Electio eſt ſolùm eorum, quæ per nos agimus. 76. 6
Electionis integrum obiectum. ibid.
Electio tantùm fertur in poſſibilia. 7

§. 3. Eius libertas vel neceſſitas.

Homo liberè eligit. 77. 13
Vnius ſolius medij electio eſt ex ſuppoſitione neceſſaria: abſolutè tamen eſt libera. 78. 14. *In tali electione eſt nouum meritum, vel demeritum.* 15
Electio medij vtilioris eſt neceſſaria, ſi ſola habeatur ratio vtilitatis mediorũ ad finẽ. 79. 17. *Non eſt neceſſaria, ſi etiam ſpectetur eorum vtilitas ad alios fines.* ibid. *Hinc error in electione ſtatus vitæ.* Ibid.

§. 4. Eius bonitas vel malitia.

Electio medij ex ſe indifferentis non habet bonitatem vel malitiam ex medio. 98. 42
Electio medij mali ob finem malum duplicem ſpeciem malitiæ habet. 99. 44
Sententia Medinæ &c. proponitur. 43. *Et eius ſolumntur rationes.* 48
Electio medij boni ordinata ad finem bonum non ſumit vllam bonitatem ex propria bonitate medij, ſed tantùm ex fine. 47
Omnes electiones factæ ob eumdem finem non ſunt æquales. 100. 50.
Electio pendet ex fine & ex finis intentione, ſed diuerſimodè. 122. 84
Mala electio non poteſt ſequi ex vi bonæ intentionis. 87.
Mala electio propriè nunquam inficit bonam intentionem. 87.

Electio Prælatorum.

Vide Prælatus.

Eleëmoſyna.

Largitio externa eleëmoſynæ habet ſuam ſpeciem ab obiecto. 160. 49
Electio eleëmoſynæ non habet ſpeciem boni ex obiecto materiali. ibid.
Quomodo melius ſit velle dare magnam eleëmoſynam, quam paruam. ibid.
Eleëmoſyna ad pauperem miſſa, in via ſi capiatur, danti non perit. 124. 93

Elocatio.

In contractu elocationis perpetuæ non amittimur vtile dominium ex non ſolutione canonis. 182. 6
In elocatione ſi onera non ſunt ſpecificata, quis ea ſeret, locator an conductor? 8

Si enormi-

Si enormiter plus fructuum accipiat conductor, elocator petat reſtitutionem in integrum. 9
Fructus ex accretâ terra ad elocatorem, non ad conductorem ſpectant. 10
Elocator ſeu dominus directus colens terras ab emphyteuta derelictas, non tenetur fructus eidem reſtituere. 11

Energumenus.

Energumenus ſuſcipiens Ordines, eſt irregularis. 227. 15.
Perfectè ſanatus poteſt eos ſuſcipere cum diſpenſatione. ibid.
Sufficit implicita diſpenſatio. ibid.
Si ſit ordinatus, capax eſt Prælaturæ. ibid.

Epilepticus.

Epilepticus non poteſt celebrare, etſi lapſum præſentiſcere ſoleat. 219. 20
Peccat mortaliter, quoties celebrat. 21
Debet eſſe perfectè curatus antequam poſſit celebrare. ibid.

Epiſcopus.

Ad eum ſpectat inſtitutio Beneficiati. 187. 1
Epiſcopus à Papa confirmatus, ante captam poſſeſſionẽ validè confert beneficia. 144. 5
Poteſt permutationem veri beneficij cum ficti reſcindere 147. 18
Poteſt cum conſenſu Capituli erigere Præpoſituram ex Perſonatu non vacante, etiam inuito poſſeſſore. 151. 50.
Poteſt erigere Capellaniam in nouam dignitatem, patrono conſentiente. 51
Poteſt duas Capellanias erigere in beneficiũ Parochiale vbi Eccleſia proprium Parochum non habet. 151. 52
Poteſt in Eccleſiâ ſibi ſubiectâ venire præbendã Subdiaconalem cum Præpoſiturâ, ob illius paupertatem. 55
Poteſt monaſterium ſibi ſubiectum, conſentientibus Monialibus, vnire alteri monaſterio abſque pleno Capituli ſui conſenſu. 154. 57
Poteſt vendere ſuam domum eiuſque tradere poſſeſſionem ſub ratihabitione Pontificis. 16. 22
Epiſcopi eſt Cõfeſſarios approbare, nõ Capituli. 168. 2
Poteſt delegare ſuam poteſtatem diſpenſandi in irregularitate & ſuſpentione, & abſoluendi ab omnibus caſibus occultis non tamen ab hæreſi. 141. 22
Poteſt diſpenſare in omni voto non reſeruato Papæ. 287. 19.
Non poteſt committere conſecrationem virginum alteri non Epiſcopo. 181. 2
Poteſt iure proprio in ſua diœceſi Religionem inſtituere; ſed id modò non poteſt ex prohibitione Eccleſiæ. 250. 58.
Poteſt pium inſtitutum approbare, non Religionem. 59.
Poteſt vti opera Religioſi fugientis ex Monaſterio metu pœne, qui poſteà habitum dimiſit, quo per ſententiam fuit priuatus à Prouinciali & Capitulo. 253. 7
Poteſt prohibitu teſtari de patrimonialibus & induſtria acquiſitis. 281. 20
Nõ poteſt de ijs quæ ſuperſunt honeſtæ ſuſtentationi. 21
Poteſt teſtari de ſibi ſubtractis. 282
Licita ei donatio inter vivos ad pias cauſas. 24
Quibus locis neceſſaria ſit Epiſcopi & Clericis teſtandi licentia. 28

Emphyteuta.

Si emphiteuta terras non colat, poteſt id facere dominus directus. 183. 11
Si per tres annos canonem non ſoluat, amittit ius emphyteuſeos. 6

Error.

Quando error conſcientiæ eſt culpabilis, voluntas conſentiens non poteſt eſſe bona. 113. 31
Contrarium eſt ſi error ſit inculpatus. 32
Vide Conſcientia.

Eſſentia.

Eſſentia diuina poteſt ſungi munere ſpeciei intelligibilis, non tamen operationis intelligibilis, vt beatus per illam Deum videat. 7. 2

Euentus.

Vt euentus cenſeatur voluntarius ex omiſſione, requiritur vt tenearis illum impedire. 41. 25
Cur euentus, quẽ non teneris impedire cenſeatur minùs voluntarius, quàm omiſſio cenſeatur voluntaria quã non teneris vitare, 26. Oſtenditur in ſimili. ibid.

Expoſititius.

Expoſititius promoueri poteſt ad ſacros Ordines. 118. 64

Euchariſtia.

Poteſt Societas in ſuis Eccleſijs per externos Sacerdotes adminiſtrare Euchariſtiam. 267. 12

Excommunicatio. Excommunicatus.

Iudex ſecularis capiens occultè informationem contra perſonam Eccleſiaſticam, non incurrit excommunicationem. 201. 2
Nec Canonicus ob iſtud conſilium Iudici datum. ibid
Abſolutus in foro interno ab excommunicatione, non tenetur ſe foris gerere pro excommunicato, niſi ſit nominatim denunciatus. 141. 18
Probabile eſt excommunicationis ſuæ ſine culpâ ignaro validè delegari poteſtatẽ audiendi cõfeſſiones. 142. 25
Fructus beneficij ab exiſtente ignoranter in excommunicatione, non debent reſtitui ei, cui errore cognito, collatum eſt beneficium. 146. 17

Fabulæ in Eccleſia.

Dedecẽt viros Principes tẽpore diuini officij. 216. 2
Fabulantes increpandi: & exemplo eiciendi. 3
Qui fabulantes non arguit peccat. ibid.
Canonici & Capellani in Choro fabulantes non poſſunt excuſari à graui peccato. 125. 25

Falſum.

Quomodo verum & falſum ſint differentiæ accidentales vel eſſentiales actus intellectus. 102. 38

Feſtum.

Hæretici non tenentur intereſſe rei diuinæ. 187. 16
Non licet tamen illis magis quàm Catholicis diebus Feſtis laborare. 18
Mancipia Chriſtiana non poſſunt diebus Feſtis occupari. 18
Quid agendũ Catholicis circa Feſta mobilia in locis hæreticorum, vbi ſeruant antiquum Kalendarium. 20
Quando liceat Catholicis iuſſu hæreticorum diebus Feſtis ab Eccleſia præceptis aperire officinas. 21
Inſtitor die Feſto reculas ſuas vendens, adeoque rarò Miſſam audiens, an abſoluendus? 218. 12

Fidei commiſſum.

Pia cauſa non poteſt ſubſtitui neceſſario hæredi, eo certâ ſummâ excluſo. 277. 8
Fidei cõmiſſum in odiũ religionis, eſt inualidũ. 278. 4
Onus fidei commiſſi elidituer per ingreſſum monaſterij. 280. 11.
Non cenſetur ſine liberis diſcedere qui monaſterium ingreditur. 285. 14
Actio hinc ex ſubſtitutione, inde ex ſtatuto conſuetudinario, eſt ex vtraque parte probabilis. 283. 25
Non licet prouidere ſpurijs per fidei cõmiſſum. 198. 4
Vide Teſtamentum.

Finis.

Finis quotuplex. 2. 1
Finis cui, & finis qui, quid ſint? ibid.
Finis qui, quotuplex. ibid.
Finis poteſt exercere ſuam cauſalitatem reſpectu intentionis, etſi non priùs tempore vel naturâ ſit in intentione. 2. 5
Non tamen reſpectu actionũ à voluntate imperatarũ. ib.
Aliud eſt ratio cauſandi in fine, aliud conditio neceſſaria: & quid ſint? 6

Digitized by Google

Bonitas finis mouet existens obiectiuè in intellectu. 7
Agere ob finem, est solius naturæ rationalis. 3. 9.
Finis specificat actus humanos. 4. 11
Bonitas finis non eodem modo conuenit fini, & medio. 55. 12.
Finis continetur in mediis velut in causa. 13.
Finis est quasi ratio formalis obiectiua cur medium appetatur. ibid.
Volitio finis est causaliter malitia medij necessarij. 56. 14
Ostenditur ratione. ibid.
Finis auget bonitatem vel malitiam actionis humanæ. 96. 29.
Finis non tantùm est circumstantia, sed etiam causa actus. 31
Omnis finis intentus quomodo pertineat ad aliquod vitium vel virtutem. 106 75
Finis dupliciter potest intendi. 122. 85
Si cum bono fine simul determinetur praui medium, intentio mala est. ibid.
Finis quomodo debitè intendi debeat. 68

Finis vltimus.

Finis vltimus accipitur dupliciter. 4. 11
Datur finis vltimus humanæ vitæ. ibid.
Istam ex naturâ rei, quàm ex intentione hominum potest solùm esse vnicus. 4. 12
Quomodo peccator constituat finem vltimum in bono creato. ibid.
Tribus modis aliquid appetitur propter finem. 5. 13
Omnia appetuntur propter finem intentione interpretatiua. 5. 14
Finis vltimus certo sensu concurrit ad omnem operationem creaturæ. ibid.
Finis vltimus alius est operis, alius est operantis. 6. 16 in fine.
Finis cui omnium creaturarum est Deus: finis autem qui, est gloria Dei extrinseca. 17

Fiscus.

Bona Ecclesiæ non cadunt in Fiscum. 155. 2
Bona confiscata tradita à Principe monasterio, non possunt repeti. 4
Ministri Regij etiamsi iurarint se omni modo curaturos vtilitatem Regis, non debent deferre ad Fiscum delinquentes. 261. 23

Fornicatio.

Fornicatio contra votum, duplicem speciem malitiæ continet. 106. 77

Fortuitum.

Quid sit esse fortuitum. 86. 10

Fructus.

Fructus ex accretâ terrâ ad elocatorem, non ad conductorem spectant. 183. 10
Non tenetur dominus directus colens terras ab emphyteusa derelictas, eidem fructus restituere. 11
Non excidit iure fructuum qui canonem non soluit ex contractu elocationis perpetuæ. 6

Fruitio.

Fruitio secundum Scotum & Sotum. 70. 1
Nec amor, nec coniunctio boni per actum vitalem est fruitio. 2 Hæc tamen coniunctio, est causaliter fruitio. ib.
Fruitio, quid propriè. 74. 1. *Tria ad eam requisita.* ib.
Fruitio non est passio, sed actus vitalis. 3
Frui perfectè competit soli rationali naturæ. 75. 4
Brutis imperfectè. ibid.
Ex quibus nascatur fruitio. ibid.
Fruitio propriè tantùm est vltimi finis. 5
Fruitio etiam quodam modo est aliorum bonorum. ibid.
An & quomodo fruamur mediis. 72. 6
Perfecta fruitio est perfectè obtento fine: imperfecta, sine imperfectè obtento. 76. 7

Furari.

Qui furatur vt maledicat, duplicem speciem malitiæ contrahit. 99. 44.
Furtum in loco sacro duplicem speciem malitiæ committit. 106. 77

Fvnvs.

Non est per se illicitum hæreticorum funera comitari. 191. 46

Gaudium.

Gaudium, quid sit? 71. 1
Gaudium tendit in finem obtentum. 1. 2
Gaudium spirituale cur nequeat esse vltimum expetendum. 3. 8
Cur gaudium seu delectatio carnalis possit esse vltimum expetendum, ibid.
Gaudium est quid præstantius amore. 12. 22
Gaudiũ intrinsecè includitur in beatitudine completa. 15. 1
Quomodo gaudium sit in nostra potestate. 71. 3

Gloria.

Gloria Dei in quo obiectiuè, & in quo formaliter consistat. 6. 17

Habitus.

Habitus seu auxilium præueniens quomodo negeat voluntarium. 45. 44
Minuit libertatem physicè, non tamen moraliter. ibid.
Si hominem pœniteat, propensio ex habitu sit inuoluntaria. ibid.
Nullus habitus est essentialiter vitium. 98. 49
Habitus virtutum sunt essentialiter virtutes. ibid.
Dantur habitus indifferentes. 105. 73

Hæres.

Exheredari nequit filius ducens se non indignum, contra voluntatem parentum 2. 6. 48. *Vide* Testamentũ.

Hæreticus.

An liceat Baptismum ab hæreticis accipere, vide Baptismus.
Quid inter illos liceat die Festo, vide Festum.
Quid liceat circa ciborum abstinentiam, vide Ieiunium.
Quid liceat circa libros prohibitos, vide Libri.
Quid liceat circa matrimonia cum illis, vel coram illis, vide Matrimonium.
An præscribant contra præcepta Ecclesiæ, vide Præscriptio.

§. 1. Hæreticorvm cum Catholicis habitatio.

Non licet Principi concedere hæretico ab artem vel scientiam, habitationem in locis sibi subiectis. 184. 3
Anglis hæreticis permitti potest negotiatio Antuerpiæ. 4.
Mercatores hæretici in Hispania tolerantur. 185. 5
Catholicis permissa negotiatio inter hæreticos. 186. 9.

§. 2. Studia eorum cum Catholicis.

Non licet Professori Catholico in Vniuersitate hæreticorum non approbata promouere discipulos suos ad Magisterium. 14
Dispensatio iuramẽti factã à studiosis dum gradus reciperent in Vniuersitatibus Catholicis, peti non potest à Ministris vel Magistratibus hæreticis. 15

§. 3. Oratio & cantus cum hæreticis.

Quomodo liceat Catholicis claudere suas officinas dicato orationi hæreticorum. 187. 23
Illicitum est Catholicis canere Psalmos in conuentibus hæreticorum. 188. 24
Item agere organistam in eorum templis, 25

Honestum.

Honestum est quod naturam rationalem decet. 109. 11
Quare communiter explicetur honestas obiecti per conformitatem cum recta ratione. ibid.
Ratio honesti sola sufficit vt voluntas sit moraliter bona, 12
Quando honestum in genere amatur, aliquando tantùm est affectus simplex. 94. 17
Ad affectus honesti in genere concurrunt virtutes particulares. ibid.

Digitized by Google

Horæ Canonicæ.

Omiſſio officij ex obiectione Breuiarij, ſi de ea doleas, non erit peccatum. 111. 31

Si officium alicuius Eccleſiæ mutilũ ſit, tenetur Capitulum illud deſerere, & acceptare Romanum. 191. 1

Si capitulum eiuſmodi officium retinere velit, fas eſt à ſingulis in priuatis Miſſis vti Romano. 2

Quid eo in caſu ſingulis faciendũ in officijs publicis? 3 & ſeq.

In eadẽ miſſâ Collegiatâ miſceri poſſunt rubricæ & officia diuerſa, vbi officium proprium imperfectum eſt & vſus Romanus à Capitulo non permiſſus. 192. 6

Poſſũt ſingula monaſteria Ord. S. Benedicti amplecti nouum Breuiarium à Paulo V. approbatũ, licèt alia monaſteria eiuſdẽ Ordinis id non acceptent. 7

Si prælatus cũ ſuo Capitulo in Ordine S. Benedicti notabiliter immutauit Breuiariũ S. Benedicti poſt editam Bullã Pij V. Breuiario Romano prefixam, Auctores huius mutationis illo ſic immutato vtentes, non ſatisfaciunt præcepto de legendis horis. 10

Satisfaciunt tamen alij ſubditi, qui non ſunt Auctores mutationis. 193. 12

Non poteſt Clericus relicto Breuiario Eccleſiæ in qua beneficium habet & reſidet, vti officio alterius Eccleſiæ. 13

Monaſterium vel Eccleſia quæ admiſit vſum Breuiarij Romani, nõ tenetur amplius in Choro diebus in Breuiario præſcriptis, perſoluere Vigilias mortuorum, Pſalmos graduales &c. ſed tantùm officium Beatæ Mariæ. 14

An monaſteria quæ retinent Breuiarium Burſeldẽſe, teneantur ſub mortali dicere quotidie Officium mortuorum? 15

Probabile eſt Moniales, vti & Religioſos profeſſos Choro mancipatos, ſed necdũ ſacris Ordinibus initiatos, non teneri ſub mortali ad horas Canonicas. 195. 26

Superiores tamen Monialium tenẽtur ſub mortali procurare ne Officium diuinum omittatur. 196. 29

Conuerſæ non tenentur preces ſuas ordinarias perſoluere ſub mortali. 30

An Conuerſæ precem mortaliter ſi ſæpius omittant Pſalmum Miſerere quotidie illis ex obligatione recitandum. 197 36

Canonicæ etiam non tenentur ſub mortali ad legendas horas ex probabili multorum ſententia. 155. 31

Quæ Canonicarum ad Chorum & ad horas ſit obligatio, vide Canonicæ.

Quomodo Canonici teneantur intereſſe Officijs diuinis, ibique ſe gerere, vide Canonicus.

Hoſpitalarij.

Fratres & Sorores hoſpitalarij non approbati à Sede Apoſtolica non ſunt cenſendi veri religioſi, etſi à plebe ita vocentur, & putentur tales. 250. 55

Hydalgia.

Hydalgia importat immunitatẽ à vectigalibus. 285. 3

Amitti poteſt, vti etiam nobilitas. ibid.

Iacob.

Iacob vt acceſſit ad Liam. 47. 47

Et quomodo accedendo non peccauit. 113. 32

Ieiunium.

Hæretici tenentur præcepto Eccleſiæ de ieiunio & abſtinentia ciborum. 187. 16

Quando Catholico liceat obedire Magiſtratui hæretico præcipienti eſum carnium diebus Veneris. 188. 26

Quando poſſit Catholicus domino hæretico coquere & apponere carnes die ab Eccleſia prohibito? 187. 28

Potes leporarius & anceps in terris hæreticorum in Quadrageſima venari & prædam vendere 29

In religione præſcribi poteſt contra abſtinentiam carniũ. 235. 8.

Ignis.

Ignis Babylonicus quomodo per vim fuerit diuinitus prohibitus ab vrendo. 42. 31

Ignorantia.

Diuiditur à D. Thoma in Antecedentẽ, Conſequentem, & Comitantem. 46. 45

Sed comitans, potiùs eſt modus ignorantiæ antecedentis & conſequentis, quàm diſtinctum membrum. ib.

Ignorantia alia eſt reſpectu voluntatis, alia reſpectu operis. ibid.

Reſpectu voluntatis, alia eſt antecedens *ſeu* non voluntaria; *Alia* conſequens *ſeu* voluntaria; *& hæc triplex, ſcilicet* affectata, craſſa, *&* leuis *ſeu* vincibilis. ibid.

Ignorantia **Antecedens** *dum eſt cauſa operis, facit abſolutè* inuoluntarium. 47. 46

Iudæ cognoſcenti Thamar quomodo fuerit actus voluntarius, quomodo inuoluntarius. ibid.

Quo modo ignorantia ſit cauſa inuoluntarij. 47

Patet in Iacob accedente ad Liam. ibid.

Ignorantia quomodo ſit cauſa operis. ibid.

Cur ignorantia dicatur facere inuoluntarium. ibid.

Ignorantia **Conſequens** *non affectata abſolutè facit voluntarium, ſecundùm quid inuoluntarium.* 48.

Non excuſat à totâ culpâ. ibid.

Quomodo illa ignorantia poſſit ſimul facere voluntarium, & inuoluntarium. ibid.

Quomodo ignorantia conſiſtat cum cognitione neceſſaria ad voluntarium? ibid.

Ignorantia **craſſa** *minuit rationem voluntarij.* 49

Tribus modis poteſt quis directè velle ignorare. 50

Ignorantia **affectata** *quo modo minuat voluntariũ* ib.

Quando non minuat, ſed augeat potiùs. 48. 51

Ignorantia **Comitans** *non facit vnquam inuoluntarium.* 52

Aliud eſt aliquid facere ex ignorantiã, ſeu per ignorantiam: aliud cum ignorantia. ibid.

Ignorantia tamen comitans ſi ſit inculpata, facit non voluntarium. 53

Ignoranter occidens inimicum, ſe poteſt habere tripliciter. ibid.

Ignorantia comitans ſi ſit culpabilis & conſequens, facit voluntarium. 49. 54

Illegitimus.

Proliſpurius etiã legitimatus, nihil per leges, vltra alimenta quibus indiget, relinqui poteſt. 198. 1

Non licet per fidei commiſſum ſpurijs prouidere. 195. 4

Nati ex copulâ ſacrilegâ, non efficiuntur legitimi per ſubſequens matrimonium parentum, etſi impetratâ diſpenſatione contractum. 6

Non poteſt eos Pontifex legitimare ad temporalia, ſed ad ſola ſpiritualia. 7

Illegitimus poteſt accipere primam tonſuram. 9

Illegitimus dubius poteſt promoueri ad ſacros Ordines. 118. 64.

Illegitimus eſt capax Doctoratus in Theologia. 246. 38

Religioſus dimiſſus ob impedimentum tori illegitimi cum haberet diſpenſationem Nuncij Apoſtolici, ſed per imperitiam & errorem impedimento non ſatis expreſſo, non eget noua diſpenſatione ad celebrandum. 200. 10.

Idem iam dimiſſus vti poteſt officio ſui Ordinis. 11

Non poteſt ſuccedere in bona parentis, quia verè Religioſus eſt. 12

Poteſt tamen repetere pecuniam à ſe ingreſſu monaſterio datam. 13

Profeſſio filij Presbyteri facta ante conſtitutionem Sixti V. valida eſt. 246. 15

Non poteſt à religione expelli. 16

Neque ipſe à religione abire. ibid.

Per profeſſionem tollitur irregularitas ex defectu natalium 17

Illegitimus ignarus conſtitutionis Sixti V. profeſſionem eam irritantis, ſi à Superiore etiam ignaro admiſſus ſit, probabilius validè profitetur. 19

Digitized by Google

Si alioquin idoneus eſt, licet profeſſio eſſet invalida, non poteſt ejici. 247. 42

Imaginatio.

Imaginatio ſeu vis imaginatrix ſuam habebit beatitudinem, & quare, 29. 47
Periculoſum eſt imaginari delectabilia tactu. 62. 20

Impaſſibilitas.

Impaſſibilitas corporis glorioſi, quid ſit? 23. 29
Ea non conſiſtit in qualitate ſupernaturali, & quare. 24. 31.
Nec in extrinſeca Dei conſervatione. 32
Sed in influxu conſervativo Dei, & animæ. 33
Influxus ille ſeu concurſus conſervativus Dei, quid ſit. ibid.
Impaſſibilitas ſit per aliquid intrinſecum. ibid.

Impeccabilitas.

Impeccabilitas beatorum verius refertur in viſionem, quàm in amorem Dei. 18. 14. *Et quare?* 15

Imperans, Imperare.

Quot ſint conditiones ſeu officia imperantis. 85. 5
Bruta non imperant. 87. 11
Imperari poteſt actus voluntatis. 15
Nec frustrà talis actus imperatur. ibid.
Actus cujuſvis virtutis poteſt imperari à quavis virtute. 88. 16
Aliter actus interni, & aliter externi imperantur. ibid.
Imperari poteſt exercitium actus intellectus, & quomodo. 18
Apprehenſio obiecti ſecundùm ſuam ſpeciem imperari non poteſt. ibid.
Obiectum evidens non poteſt imperari ſecundùm ſpeciem actus. 19
Poteſt autem ſi ſit obſcurum. ibid.
Imperari non poſſunt paſſiones animi. 89. 24
Vide Aſſenſus.

Imperium.

Imperium neceſſariò eſt actus rationis. 84. 1
Imperium dupliciter accipitur. ibid.
Imperium propriè eſt actus intellectus. 2
Quando quis propriè imperet. ibid.
Ad imperium plures actus concurrunt. 3
Imperium movet voluntatem per modum ſigni. 4
Interna locutio ad imperium non ſufficit. ibid.
Voluntas efficax, & iudicium practicum dirigẽs operationem, dicitur imperium latè ſumptum. 5
Imperium intellectus propriè dictum, non eſt neceſſarium ad actus voluntatis. 7
Sententia contraria proponitur cum ſuis rationibus. 6.
Reſpondetur eius argumentis. 86. 9
Imperium illud non requiritur ad actus aliarum potentiarum. ibid. 8. *Vtile tamen interdum eſt illud imperium.* ibid.
Aliquando uſus præcedit imperiũ, aliquando nõ, 91. 12
Imperium tripliciter diſtinguitur reſpectu uſus. ibid.
Imperium & actus imperatus in genere moris eſt unus actus, etſi ratione differant. 87. 13
Imperio non ſubſunt actus animæ vegetantis. 90. 26
Quomodo ei ſubſint actus ſenſuum exteriorum. ibid.
Imperio ſubſunt actus membrorum exteriorum. 27

Implicantia.

Implicantia, & contradictio quomodo appeti poſſint 77. 12.

Impoſſibile.

Impoſſibile eſt aliud per ſe, aliud per accidens. 76. 8
Impoſſibilia non poſſunt efficaciter appeti. 9
Poſſunt inefficaciter. 10
Impoſſibilia quomodo appeti poſſint. 10. & 11

Indeliberatum.

Actus indeliberati non ſunt boni vel mali moraliter. 102. 60

Indulgentia. Iubilæum.

Quantas qualeſque Indulgentias dare poſſit Archiepiſcopus? 209. 1
Indulgentia plenaria conſequens ingreſſum Religionis datur probabilius in ipſa profeſſione. 2
Cauſa quæ eſt præconcedendis Indulgentijs in forma Iubilæi, non poteſt cenſeri ſufficiens pro diſpenſatione votorum. 205. 3
Nec ex vitalis Indulgentiæ poteſt quivis eligere Confeſſarium qui abſolvat à reſervatis, commutet vota &c. ſicut fit in Iubilæo. 4
Non tenẽtur Religioſi Mendicantes, maximè ſubditi quidquam erogare in eleemoſynam, vi Indulgentiæ conſequantur. 5
Religioſi ex vi Iubilæi non poſſunt confiteri Sacerdoti non approbato. 6
Opus in quod vi Iubilæi commutatum eſt votum, non poteſt poſt Iubilæum vi eiuſdem cõmutari in primum votum, aut aliud opus pium. 7

Infamare. Infamia.

Qui bona fide infamavit alterum, non tenetur ad reſtitutionem cum gravi ſui incommodo. 151. 1
Superior probabiliùs non poteſt cõdonare infamiam ſubdito factam. 2
Infamia quæ timetur ex conjecturis de auctore facti, ſi fiat reſtitutio, non excuſat à reſtitutione. 3

Infidelis.

Omnia infidelium opera non ſunt peccata. 5. 14
Oppoſita ſententia eſt damnata à tribus Pontificibus. 15

Intellectus.

Intellectus eſt perfectior voluntate. 13. 23
Intellectus, & voluntas diſtinguũtur penes diverſum modum tendendi in idem obiectum. 14. 25
Intellectus non eſt potentia formaliter libera, ſed ſola voluntas. 37. 15
Intellectus tripliciter applicatur ad actum. 16
Intellectus poteſt dici liber fundamentaliter, non autem formaliter. 38. 17
Aliter Intellectus, aliter Voluntas eſt indeterminata. 18.

§. 1. Intentio.

Intentio, quid: & unde dicatur. 72. 1
Eſt actus voluntatis. ibid.
Intendere finem & efficaciter eli velle, ſunt eadem. 2
Quid requiratur ut aliquid dicatur fieri ex intentione virtuali. 4. 13
Omnia appetuntur propter finem intentione interpretativa. 14
Quæ intentio requiratur ad ſuſcipiendos Ordines ſacros. 227. 4
Intentio & electio requirunt iudicium practicũ. 66. 17
Intentio brutis quomodo conveniat. 75. 18

§. 2. Eius obiectum.

Intentio circa quemvis finem verſari poteſt. 2
Media, ut habent rationem boni utilis, propriè non intenduntur. 73. 3
Plura ſubordinata, & non ſubordinata, ſimul poſſunt intendi. 73. 4
Circa hæc, quæ ſit mens D. Thomæ. ibid.
Intendi poſſunt plura bona diverſi generis ſimul, ut partes unius integri boni. 5
Intendi ſimul diſtinctis actibus plura poſſunt tanquam integri fines. 6
Tot ſunt electiones, quot ſunt intentiones. 74. 7
Ex viduarum intentionum poteſt ſequi unum opus externum. ibid.

§. 3. Eius bonitas, & malitia.

Bona intentio à malo per ſe non tollit malitiã. 123. 89
Bona intentio minuit malitiam. 99
Quandonam opus non ſit tam bonum vel malum, quàm intentio. 124. 93
Bonitas & malitia intentionis redũdant in electionem, & opus externum. 94
Idem etiam eſt in bonitate intenſiva. 99
Quomodo intentio & electio ſit vel actus moralis. 125. 95

Inuitè.

Inuitè aliquid fit dupliciter. 32. 2

Inuoluntarium.

Violentia cauſat inuoluntarium. 42. 34
Tria cauſant inuoluntarium. ibid.
Vide Voluntarium. Ignorantia. Metus

Irregularis.

Dubitans de ſua irregularitate vel cenſura, poteſt accepare beneficium. 120. 71
Talis, ſi non poſſit niſi magno ſumptu obtinere diſpenſationem, non obligatur vt perpetuò ab Ordinum executione, abſtineat. ibid.
Epiſcopus delegare poteſt facultatem diſpenſandi in irregularitate. 147. 32
Eſt irregularis Aduocatus inſtigans iudicem ad reum plectendum, ſi idcircò mors illi vel inferatur, vel acceleretur. 202. 3
Non item ſi conſultus de pœnâ rei interrogatus reſpondeat iuxtà Iura. ibid.
Hæc irregularitas non poteſt tolli ab Epiſcopo; poteſt à Societate Ieſu *ex priuilegio, ſed in foro tantum interno.* 4

Iudas.

Iudas cognoſcens Thamar, quomodo peccauerit? 47. 46

Iudæi.

Iudæi poterant bona promiſſa per ſe appetere. 103. 66
Iudæi occidentes Chriſtum non fecerunt id ſub ratione honeſti. 113. 33
Tolerantur Romæ & in Polonia. 185. 4

Iudex.

Iudex non poteſt in particulari aduerſus aliquem inquirere, niſi præcedente infamia, vel præuijs quibuſdam indicijs. 210. 3
Licet iudicibus ob præuia indicia reus extra iudicium interrogare, ſed non condemnare ob eorum confeſſionem tunc factam. 201. 1
Iudex ſecularis capiens occultè informationem contra perſonam Eccleſiaſticam, non incurrit excommunicationem. 2
Iudex non poteſt edicere contradictoria. 236. 18
An & quando Iudex poſſit ſequi ſententiam probabilem, relicta probabiliori. 116. 48

Iudicium Fori.

Ter victus in iudicio contradictorio, non poteſt vlteriùs appellare. 237. 18
Non eſt iudicium contradictorium vbi vna pars cellauit, & habens intereſſe non citatur. 19
Sententia hinc lata eſt nulla. ibid.
Neque appellatio ab ea facta nocet appellanti. ibid.
Contra res ſententias in iudicio confermes, poteſt dari reſtitutio in integrum. 20

Iudicium intellectûs.

Iudicium ad quoſdam actus eſt neceſſarium. 62. 22
Iudicium ſpeculatiuũ poteſt mouere voluntatẽ. 64. 26
Iudicium practicũ dirigens operationem quando poſſit dici imperium. 84. 5
Iudicium quo Iacob ad Liam acceſſit, fuit conforme obiecto honeſto. 108. 8
Iudicium ſpeculatiuè falſum quomodo practicè ſit verum. 109. 10
Iudicium moraliter certum ſit vt voluntas operans ſit bona. 117. 55

Iuramentum.

Diſpenſatio iuramenti facti à ſtudioſis dũ gradus reciperẽt in Vniuerſitatibus Catholicis, peti non poteſt à Miniſtris vel Magiſtratib⁹ hæreticis. 186. 13. & 14
Promittens ſe daturum 100. *Monaſteriis, idque iuramento confirmans, ad quid teneatur ſi monaſterium recuſet accipere?* 201. 5. & 202. 6
Qui poteſt tollere votum ſimplex, poteſt etiã tollere iuramentũ ſuper illud votum cadens. ibid. 7. *Non poteſt tamen tollere iuramentum, dum id per ſe ſtat, licet verſetur circa eandem materiam.* 8
Vnde colligi poſſit an iuramentũ abſolutum ſit, an tantùm acceſſorium promiſſorij, ſeu voto ante facto? 9
Quomodo ſeruandum iuramentum cuius obſeruatio cedit in damnum eorum, in quorum commodum fuerat exactum? 203. 10. 11
Iuramentum fidelitatis quale præſtari poſſit iniquis ſubiugatoribus? 204. 18
Dæmonibus iuratis interdum fides aliqua haberi poteſt 206. 15.
Depoſitio duarum fœminarũ iuramento firmata regulariter ſufficit vt accuſatus tortura ſubijciatur. 207. 18
Iuramentum cum inſpectione corporis ſufficit ad declarandum impedimentum impotentiæ. 211. 23
Cõtractus iuratus ex errore initi reſcindi poteſt. 203. 13
In iuramento promiſſorio Papa poteſt diſpenſare. 12
Iuramentũ contra bonum cõmune non obligat. 254. 15
Iuramentum ſubinde licitum cum mentis reſtrictione. 279. 10

Legatum.

Legatum pauperibus relictum licitè in Religioſos diſtribuitur. 281. 18
Hæres neceſſarius non poteſt excludi, & fieri legatarius. 277. 1
Legata pia valent, etſi hæredis inſtitutio ſit nulla. 281. 19
Qui ſpe legati obſequia præſtitit, non poteſt ſibi ipſi compenſare, ſi nihil ei legetur. 283. 30
Pijs legatis non poteſt detrahi Trebellianica. 281. 17

Legitima.

Quænam cenſenda ſit portio legitima. 277. 2
Si hæredi neceſſario non relinquatur legitima, irritum eſt teſtamentum. ibid.

Legitimus.

Quinam dicendi ſint legitimi. 236. 16
Quandonam cenſendus ſit quis eſſe in poſſeſſione legitimitatis. 237. 17
Ex matrimonio clandeſtino non poſſunt proles declarari legitimæ, cùtra proles ſuſceptas ex matrimonio ſolemni. ibid. 14. & 240. 22. *Vide* Illegitimus.

Lex.

Periculoſum eſt onerare conſcientias præceptis non neceſſarijs. 115. 44
Verbum Teneatur, *continet præceptum.* 252. 6
Lex prohibens ne moneta maiori pretio expendatur, quã valeat, videtur pœnalis. 220. 1
Quæ mens Principum circa legum pœnalium obſeruationem. 2
Quando legis ratio cenſenda ſit ceſſare. 221. 6
In lege ſæpè magis ſpectanda rationabilis intentio legiſlatoris, quàm regida verba. 229. 12
Vim legis habet cõſuetudo legitimè præſcripta. 234. 4
Quomodo ad eſſentiam legis requiratur receptio. 2
Leges reuocatoriæ Iuris cõmunis, ſunt odioſæ. 247. 41
Legibus Eccleſiæ de ieiunijs & clandeſtinis matrimonijs tenentur hæretici. 187. 16
Neque contra has poſſunt præſcribere. 233. 1
Promulgatio Tridentini Romæ facta, vbique obligat. 235. 1
Promulgatio legis non requiritur quando alioqui lex ſatis innoteſcit. 276. 15
Quomodo poſſit Laicus promulgare leges Eccleſiæ. ibid
Quid faciendum ſit dubium ſit an lex ſit recepta, vel abrogata. 119. 68. *Vide* Bulla.

Lex æterna.

Quid ſit lex æterna. 110. 14
Quæ modis bona voluntas dependeat à lege æterna. 15
Si non eſſet lex æterna, nulla eſſet bona voluntas. 17
Opus id eò à lege æterna præceptum, quia bonum. ibid.

Libri prohibiti, & hæretici.

Quinam libri non cenſeantur editi ad ſtabiliendã dogmata hæretica. 178. 39

Digitized by Google

Quid faciendum de libris corrigendis? 179. 31
Non licet Catholicis Typographis libros hæreticos huius causâ excudere, nec bibliopolis vendere. 32
Non videtur tamen illicitum bibliopegis tales libros compingere. 33
An in provinciis confœderatis Belgij licitum sit apud se habere libros hæreticos? 34
Non licet vendere indifferenter cuilibet libros hæreticos, vel obscenas picturas. 35
Hæreticus ad fidem conuersus in locis hæreticorum, quibus vendere possit libros suos hæreticos? 36
Vbi & quando Catholicus vendere possit libros hæreticos hæreditate à parentibus acceptos? 37

Liberum arbitrium.

Liberum arbitrium per peccatum originale est quidem debilitatum, non tamen extinctum. 37. 13
Quo sensu liberum arbitrium dicatur facultas Rationis & Voluntatis. 38. 18

Libertas.

Libertas est necessaria vt actus humani sint moraliter boni vel mali. 34. 7
Quænam determinatio Voluntatis tollat libertatem. 8
Ostenditur ex S. Scripturâ, Concil. Tridentino, Patribus, & DD. Scholasticis. 35. 9. *Probatur etiam Ratione.* 36. 10
Implicat esse determinatum, & tamen liberè operari. 37. 14.
Libertas fundamentalis, quid sit. 38. 20. *Formalis, quid.* ibid. *Libertas in actibus elicitis, quid?* ibid.
Libertas in actibus imperatis, quid? 39. 21

Locutio.

Locutio alia interior, alia exterior. 84. 2
Locutio interna ad imperium non sufficit. 85. 4

Lucifer.

Quomodo Lucifer optauerit æqualitatem cum Deo. 62. 2

Magia.

Videtur licita probatio per aquam frigidam quâ Iudices interdum vtuntur ad explorandas sagas. 206. 11
Secus est de ferro candente, & aqua calida. ibid.
Hinc non licet procedere ad torturam. 12
Dissuadetur vsus. ibid.
Non licet cor animantis veneficij enecti coquere fœneti aquâ ad cognoscendum auctorem. 13
Non licet mihi signa aliqua, quæ putantur magica, edere causâ experiundi an reuerà talia sint. 14
Non videtur ratio cur non liceat Titium à duobus veneficis magiæ & veneficij accusatum adducere coram Venerabili Eucharistia ad illum criminis conuincendum 16
Quare dæmon permissu Dei hæc posset aperire. 207. 17
Depositio duarum sagarum sub iuramento facta de crimine magiæ Titij, regulariter sufficiens dat indicium vt tortura subijciatur. 18
Potest permitti vt maga designet stigmata in corpore Titij à dæmone impressa, si illa iam ab eo didicisset. 19
Non tantùm facientes magiam, sed etiam consentientes peccant. 20
Dæmonibus iuratis interdum fides aliqua haberi potest. 206. 15
Non facilè dæmoni habenda fides. 207. 21
Aliquando tamen habenda fides. 22

Malitia.

Quomodo malitia possit directè esse volita, & non per se. 98. 39
Malitia, quam habet electio ex fine, est principaliter in actu interno, non autem in externo. 99. 45
Circa hæc explicatur mens Aristotelis. 46
An malitia pendeat à ratione eam proponente. 108. 4

Malum.

Quid sit malum, 91. 2
Vnde in rebus naturalibus oriatur primum malum. 97. 8
Quid sit velle malum sub ratione mali. 92. 84
Malum sub ratione mali appeti non potest. 51. 3
Confirmatur auctoritate SS. Patrum, & Ratione. ibid.
Quomodo appeti possit non esse. 52. 4
Potest quis velle malum quà malum alteri, nõ sibi. ibid.
Quod per se malum est, bona intentio non excusat à malo. 123 89

Malum morale.

Prima malitia moralis actionum humanarum sumitur ab obiecto. 92. 8
Malum morale respectu actuum interiorum voluntatis in genere naturæ consideratorum, est differentia accidentaria. 97. 36
Volitio mali in genere vnde sumat suam malitiam, 111. 26
Vide Bonum.

Mandatarius.

Mãdatarius non potest agere nisi extacita, vel expressa intentione mandantis. 200. 19

Martyres.

Martyrum passiones non erãt ipsis violentæ, imò nec propriè voluntariæ. 43. 36

MATRIMONIVM.

§. 1. Clandestinum & solemne.

Matrimonium clandestinum est irritum, vbi Tridentinum est promulgatum. 213. 35
Clandestina matrimonia ab Anno 1602. Parisijs sunt irrita. 176. 14
Matrimonium Clandestinum non habet vim sponsaliũ. 213, 32. & 175. 10.
Solemne matrimonium præfertur cuiuis præsumptæ. 236. 14
Ex solemni matrimonio susceptæ proles potius legitimæ dicendæ, quàm quæ ex clandestino seu præsumpto. 16
Secundum matrimonium solemne duobus solum testibus probatum præfertur primi clandestino probato per famam & vnum testem. 238 25

§. 2. Institutio ad matrimonium & proclamatio.

Rudes in Fristâ & Nort hollandiâ (qui frequenter conueniunt ante nuptias) possunt coniungi legitimè antequam plenè sint instructi ad confessionem. 208. 1
Facultas eligendi Sacerdotem coram quo occultè contrahas, non est regulariter concedenda. 177. 17

§. 3. Eius renouatio & reformatio.

Matrimonium sæpiùs à cõiugibus renouari potest. 208. 2
Reformari potest matrimonium solemne, impedimento, ob quod ante irritum erat, sublato, etiam si altera pars impedimentum nesciat. 208. 4. *& Parochus denuò cum assistat.* 210. 14
Hæc sententia cum cautela est adhibenda. 208. 4

§. 4. Consensus in matrimonium.

Validum est matrimonium etsi Caius neget in illud se verè consensisse cum Agnete, si affectu maritali cum ea consummarit. 5
Nec Agnes, si Titium ducat, potest ei reddere cum petere debitum. 5
Caius si fictè contraxisset cum Agnete, idque ipsi constaret, nec postea matrimonium illud ratificasset, posset in conscientia manere cum Berta. 209. 6
Si Agnes Caium repetat, tenetur ad eam redire vbi illa à Titio recesserit. ibid.
Matrimonium metu graui factum, quo iure sit irritum 44. 38.

§ 5. Dubium vel certitudo de impedimento dirimente.

Qui bona fide contraxit matrimonium, & postea specialiter dubitat, potest reddere debitum. 117. 56
In dubio matrimonij potius reddendum est debitum, quàm negandum. 118. 19
Quid faciendum in dubio de matrimonij validitate.

Digitized by Google

120. 72. &c.
Maritus vxori non poteſt reddere debitum qui certo detexit ſe contraxiſſe cum impedimento dirimente, etſi illa ſit in bona fide. 210. 13
Epiſcopus poteſt in hoc impedimento dirimente diſpenſare, & concedere vt rurſum contrahant. 14
Et quidem ſine Parocho & teſtibus. ibid.

§. 6. Contractum coram hæretico vel cum hæretico.

Hæretici tenentur præcepto Eccleſiæ de clandeſtinis matrimonijs vbi decretum Concilij Tridentini eſt promulgatum. 187. 15
Quando in locis vbi hæreſis dominatur, licitum ſit Catholico contrahere matrimonium cum hæreticâ? 190. 38
Illicitum eſt contrahere matrimonium coram Miniſtro hæretico, etiam cum mente illud renouandi coram legitimo Sacerdote. 39
Quando legitimè iunctus coram Sacerdote Catholico poſsit denuò iungi coram Miniſtro hæretico? 40
Quomodo licitum Catholico conuiuium nuptiale hæreticorum honeſtare ſua præſentia vel munere. 44

§. 7. Diſpenſatio in impedimento Affinitatis & Conſanguinitatis.

Hoc ipſo quo Tridentinum ſuo decreto ſuſtulit ius antiquum inducens impedimentum dirimens ob affinitatẽ in 3. & 4. gradu ex copula illicita, & ſummus Pontifex decretum illud confirmauit, vbique ceſſat hoc impedimentum. 210. 15
Diſpenſatio irrita eſt quam Titius impetrat ſuper impedimento affinitatis ſi non exprimat interueniſſe copulam. 18
Poteſtas diſpenſandi in impedimentis matrimonij præſcribi nequit abſolutè. 211. 19
Præſcribi tamen poteſt reſtrictim ad certum caſum, 20

§. 8. Impedimentum voti & promiſſi.

Profeſſio emiſſa à puella tredecim annorum A 1565. cùm ſolùm Romæ, & nec dum in iſto loco, promulgatum eſſet Tridentinum de anno decimo ſexto, verosimilius non reddit irritum matrimonium. 239. 1.
Profeſſa ante expletum annum probationis, etſi poſteà decem annis in monaſterio manſerit, validè nubit. 24. 10.
Profeſſio hoſpitalariũ qui vouerunt regulam non approbatam à Papa, non irritat matrimonium. 249. 55. & 187. 18.
Monialis quæ 25. annis in monaſterio vixit vt libera, & non profeſſa, non contrahit impedimentum dirimens matrimonium actionibus quibuſdam profeſſarum, & reſpondendo, Quòd cũ Dei adiutorio parata ſit conſentire in vota regiminis. 209. 8.
Promiſſio, qua parens viduus promiſit filio vxorem ducenti, ſe aliud matrimonium non initurum, non obligat ex iuſtitia. 219. 47

§. 9. Impedimentum criminis, & impotentiæ.

Contrahit impedimẽtum dirimens Lucretia iuncta Matrimonio cum Petro, ſi hunc occidat, vt cum Achille, qui cum adulterio perpetrauit, matrimonium ineat, etſi hoc tantùm ſecundariò intenderit. 211. 25
Si bonâ fide contraxerit cum Achille, & poſteà dubium ſuperueniat, probabile eſt non indigere diſpenſatione ad petendum debitum. 28
In impedimẽto impotentiæ ſeu frigiditatis non ſemper requiritur probatio triennij, ſed ſufficit inſpectio corporis cum inramento & alijs ſignis. 33

§. 10. Præſentia Parochi.

Qui habent domicilium fixæ habitationis inualidè contrahunt coram Parocho originis. 212. 24
Parochus bona fide non ſubditos iungens matrimonio non eſt ſuſpenſus. 25
Validũ eſt matrimonium militis externi coram quocũque Parocho contractum. 26
Validè contrahũt ſine Parocho qui adeunt loca vbi Tridentinum admiſſum non eſt, etſi eo fine id faciant. 212. 27.
Probabile tamen eſt illa matrimonia ſic de induſtria cõtracta, eſſe irrita. 28
Matrimonia cõtracta ſine præſentia Parochi irrita ſunt in locis vbi Tridentinum promulgatum eſt. 214. 35

§. 11. Præſentia teſtium.

Videtur validum eſſe matrimonium etſi teſtes non aſſequantur quid contrahentes intendant. 213. 29. &c.
Etſi probabile ſit contractum matrimonij per verba de præſenti abſque Parocho & teſtibus habere vim ſponſalium, oppoſitum tamen eſt probabilius. 32
Inhabilitas illa per Tridentinum inducta, non tollitur per extremam neceſsitatem. 214. 36
Matrimonium abſque Parocho contractum irritum eſt etiam illis locis, in quibus Tridentinũ promulgatum non eſt, ſi conſuetudine introductum ſit. 234. 4
Non videtur licere catholico adire nuptiale conuiuium catholicorum, quando matrimonium non fuit contractum coram Parocho & teſtibus. 214. 37
Hoc tamen non eſt mortale, ſi ſcandalum abſit. ibid.

§ 12. Conſenſus Parentum.

Validus eſt contractus matrimonialis in præſentia Parochi & duorum teſtium, abſque facultate parentum. 215. 43
Nequit exhæredari Titius ducens filiam ſe non indignam contra voluntatem Parentis. 45

Medium.

Non eſt idem obiectum formale appetitionis medij & finis. 55. 12
Quæ ſit immediata ratio cur medium ametur. ibid.
Qui directè fertur in medium, indirectè fertur in finem. 15
Medium ob ſe, vel ob aliam bonitatem appeti poteſt. 98. 41.
Medium vel eſt actus interior, vel exterior. ibid.
Actus electionis medij per ſe indifferentis non habet ſpeciem boni vel mali ex medio, ſed ſolùm ex fine, ad quem medium dirigitur. 95. 24
Vide Electio.

Mercator. *Vide* Cambium.

Mercatoribus Anglis hæreticis permitti poteſt negotiatio Antuerpiæ. 185. 4
Mercatores Iudæi permittuntur Romæ, & in Polonia. 4
Item hæretici in Hiſpania. 5
Catholicis permiſſũ negotiatiari inter hæreticos. 186. 9
Titulus omiſſæ negotiationis non ſufficit mercatori ad lucrum è mutuo, niſi hæc mutuatio ſit cauſa lucri ceſſantis. 222. 1
Mercatores magni æſtimant alterius gratiâ mutare deſignationes lucroſas. 2
Vide Mutuum
Mercator qui pecuniam dedit ad lucrum iuxta Burſæ Antuerpienſis conſuetudinem, probabilius non tenetur ad reſtitutionem. 223. 9
Mercatores imponere poſſunt æſtimationem carentiæ pecuniæ. 224. 10
Mercator poteſt maiori pretio certas pecunias expendere quàm valeant, & ipſe acceperit. 220. 1
Non poſſunt Officiales Principum in Mercatores inquirere, an monetam maiori pretio expenderint, de quibus nulla ſuſpicio. 220. 2
Vide Societas officiorum.

Merces operis.

Merces operarijs ſoluenda Matthæi 20 21. 25.

Metus.

Metus cauſat voluntarium ſimpliciter, involuntarium ſecundum quid. 43. 37
Metus quomodo differat à violentia. ibid.

Digitized by Google

Dum aliquid metu fit, quatuor actus concurrunt. ibid
Id quod metu fit, non censetur involuntarium nisi adsit displicentia. 58
Metu inferni pœnitens, & seruans mandata, voluntariè id facit. ibid.
Contractus metu factus non est irritus defectu voluntarij. ibid.
Matrimonium metu graui contractum quo iure sit irritum. ibid.
An metus excuset à culpa 44. 39
Præceptum Confessionis, Communionis &c. non obligat cum periculo vitæ. ibid.
Discrimen inter metum & concupiscentiam respectu effectus. 41
Metu peccans, minùs peccat, quàm qui ex concupiscentia peccat. 45. 42
Quomodo metus possit simul facere voluntarium, & involuntarium. 47. 48
Metus iniustè incussus invalidat professionē. 245. 27
In metu spectanda persona cui incutitur. ibid.
Metus reuerentialis non irritat professionem. 30
Preces materne non æquivalent graui metui. 31
Probabile est ex metu reuerentiali editam professionē irritam posse declarari à Iudice. 34

Miles.

Miles speculatiue de iustitia belli dubitans, potest militare. 117. 56
An, & vbi militi permissa sit pabulatio. 143. 7
Miles externus non censetur in Belgio habere domicilium, estque instar vagabundi. 212. 26
An liceat militare in vrbe rebelli. 250. 2
Militi minanti mortem, an ostendam thesaurum? 259. 13.
In arce militari potitantes ciues possunt frui immunitate militum. 184. 1

Missa.

Hæretici non tenentur interesse Missæ sacrificio. 187. 16.
Mos ille in Ecclesia tempore diuini officij fabulãdi vltris Principibus illicitus est, & indecorus. 216. 3
Quanta Deo ab homine & maximè à magnatibus debita ibidem reuerentia. 217. 4
Probabile est in rigore non satisfacere præcepto de audiendo sacro, qui tempore sacri confitentur, si bonam partem, v. g. tertiam, ea in re occupentur. 7
Videntur tamen excusari valde occupati, 8
Quæ attentio sufficiat in Missa. ibid.
Eidem præcepto satisfaciunt, qui colligunt Eleëmosynas 218. 10
Institor absoluendus qui ad pagos, vbi est Dedicatio, excurrit vt reculas suas vendat, etsi sic vt raro audiat sacrum. 11
Quotidie celebrare absolutè tenetur Sacellanus qui legatum accepit quo obligatur peragere diuinum officium quoties salua honestate ac debita deuotione poterit. 13
Explicatur clausula hic adiecta. ibid. *Hinc tamen non tenetur offerre pro defuncto, sed tantùm orare.* ibid.
Pro sacrificio licet accipere ab vno vel pluribus quantum necessarium est ad sustentationem 219. 16
Missam quotidie facere non tenetur Sacellanus, qui habet beneficium, cui hæc obligatio annexa est, nisi aliquomodo sufficiat ad sustentationem. 17
Moderatio hæc facienda ab Episcopo. 18
Missam celebrare non potest Epilepticus. 21
Potius Missa omittenda est, quàm æger deserendus. 118. 59.

Monasterium.

Potest Episcopus monasterium sibi subiectum, consentientibus monialibus, vnire alteri monasterio absque pleno Capituli sui consensu. 151. 57
Bona monasterij à Principe absolutè semel donata, adimi nunquam possunt. 155. 4
Monasterium ingressui vel ingressi prohiberi non possunt bona sua dare pauperibus, vel monasterio, præsertim si id sit egenum. 156. 8
Princeps secularis, non habet potestatem disponendi de monasterijs, & Ecclesiasticis personis, rerumque bonis. 159. 16
Si exclusus ab hæreditate quia ingressus monasterium testamentum est irritum. 278. 5
Statuta Cæsarea in fauorem Monaster. 6. & 138. 12
Monasterium tanquam filius excludit substitutum. 280. 12.
Non censetur sine libertate discedere, qui monasterium ingreditur, 14

Moneta.

Moneta certa potest maiori pretio expendi, quàm valeat vel accepta sit. 210. 5
Lex id prohibens tantùm pœnalis est. ibid.
Non est acerbior & extraordinaria in delinquentes, faciendâ inquisitio. 2.

Monialis.

Probabile est moniales choro mancipatas non teneri sub mortali ad horas canonicas. 195. 26
Conuersa non tenentur preces suas ordinarias persoluere sub mortali. 196. 39
Quid si sæpius omittam Psalmum miserere quotidie ipsis ex obligatione recitandum? 197. 38
Monialis ante Tridentinum in his partibus promulgatum anno ætatis suæ 13. professa, potuit nubere. Vide Matrimonium §. 8. *vbi agitur de impedimento voti.*
Non potest ne quidem per imminutam indulgeri libertas exeundi monialibus, licet, cùm profiterentur, non esset clausura. 220. 4
Monialis quæ non potest se expedire à turpi pollutionis suæ Confessario, potest habito sæculari fugere ad aliam Prouinciam, vt ibi in alio Ordine recipiatur. 9
Non videtur in conscientia obligari monialis denegare suum suffragium puellæ clauculum defloratæ, petenti admitti in monasterium. 19
Carentia virginitatis non irritat professionem. 25
Monialis professa Ordinis S. Benedicti potest per Ordinariam dispensationem transire ad Ordinē monialium S. Augustini si monasterium illi subiectum sit. 13.
Monialis quæ occupato ab hæreticis suo monasterio nupsit, potest alimenta ab vsu taxata accipere. 222. 13
Non videtur posse absolui si permaneat apud præsumptum maritum, etsi nullum sit periculum incontinentiæ. 14

Monstra.

Monstra quæ apprehendimus. 65. 23

Moribundus.

Non potest absolui sine edito signo doloris. 139. 2
Quinuis Sacerdos quemuis moribundum absoluat à reseruatis. 5.
Etsi haberi possit Superior aut proprius. 7

Motus. Mouere.

Praxis resistendi pranis motibus. 89. 24
Motus bruto quo sensu sint voluntarij, & quo sensu non sint. 53. 6
Mouere ad exercitium, quid sit? 57. 2
Mouere ad specificationem actus, quid sit? 3

Mutuum.

Qui dedit amico suo 100. vt inde lucretur, v. g. 8. non potest tantum supra sortem percipere, etsi tantum lucrari potuisset ex mercimonijs, si ea exercuisset. 222. 5
Potest tamen tantum accipere si intendat actu vel virtute tres illos contractus cum mercatore. 8
Iustus est contractus si Titius Caio det 100. vt post annum si vinas restituat centum & decem: si verò obieris 9

Digitized by Google

tantum. 90. 23. 5
Non videtur vſura ſi Franciſcus det Petro 100. *vt poſt menſem in aſſignatione vel chirographo ſoluat centum & decem.* 7
Quomodo haberi poſſit ratio periculi. 8
Via excuſandi ab vſura ſolam carentiam pecuniæ. 9
Secundùm Iuris rigorem cenſetur vſura ſi tutor pupilli pecunias mutuò det cum pacto reſtituendi pecunias, quando is opus habebit, ſi interim 6. *in* 100. *ſolvere cogatur.* 224. 10
Qui ſciunt ſe non poſſe ſoluere, vel id probabiliter credunt, non poſſunt pecuniam mutuò, vel ad ſenſum accipere. 11
Nec etiam poſſunt mutuò petere, etſi Superior, ſi alicui ſubſint, id imperaret. 12
Confeſſarius id intelligens, tenetur eos monere ne amplius mutuò accipiant. 13
Vide Vſura.

Nuntius Apoſtolicus.

Conſilium Nuntij Apoſtolici non ſufficit ad alienationem bonorum Eccleſiæ. 161. 24
Poteſt approbare Confeſſarios. 166. 1
Poteſt cogere Superiores Hordinum vt Decreta Pontificum ſeruent. 6
Poteſt diſpenſare cum illegitimo ad Ordines, & ad Paſtoratum. 199. 9
Sine commiſſione Pontificis non poteſt ſe immiſcere indicio an profeſſio religioſa ſit invalida. 248. 47
Poteſt diſpenſare in voto Caſtitatis eorum, qui in pio Inſtituto, quod à Sede Apoſtolica approbatum non eſt, vouerunt. 255. 56
Poteſt diſpẽſare in proclamationibus, & vt cũ quouis Sacerdote contrahatur matrimonium. 277. 17
Poteſt diſpenſare in vltimis voluntatibus ad cauſas pias? 284. 35
Si eſt Legatus à Latere, poteſt beneficia vnire abſque conſenſu patroni eccleſiaſtici. 161. 26

Obiectum.

OBiecta honeſta ſolùm appeti poſſunt propter Deum. 5 16
Idem eſt obiectum Spei in via, & delectationis in patria. 17. 3
Obiectum diuerſo modo applicatum efficit vt aliquid nunc liberè, nunc neceſſariò appetatur. 19. 17
Quandonam in rationem obiecti tranſeant circumſtantia. 51. 6
Omnis obiecti ratio formalis debet attingi eodem actu cognitionis, quo obiectum materiale. 55. 13
Obiectum volitionis & nolitionis non eſt quid ſimplex, ſed complexum. 56. 15
Obiectum cognitum non eſt cauſa effectiua actus voluntatis. 58. 8
Obiecti cognitio non eſt cauſa totalis vel partialis efficiens volitionis. 9
Obiectum mouet metaphoricè inſtar finis. 59. 11
Obiectum eâdem motione mouet voluntatem, qua voluntas ſeipſam. ibid.
Obiecti cognitio non concurrit effectiuè ad volitionem, etſi ſpecies intelligibilis concurrat effectiuè ad intellectionem. 14
Obiectum euidens non poteſt imperari ſecundùm ſpeciẽ actus. 88. 19
Poteſt autem ſi ſit obſcurum. ibid.
Obiecta actionum humanarum habent bonitatem vel malitiam cauſaliter. 92. 9
Quando obiectum ex natura ſua ordinatur ad finem, tunc ſpecies, quæ eſt ex obiecto, ſe habet ad ſpeciem, quæ eſt ex fine ſicut ſpecies ad genus. 102. 57
Obiectum quomodo debet eſſe volitum vt voluntas ſit bona. 109. 12

Obligatio.

Quomodo non detur obligatio ad illicitum. 115. 39
Quandonam vera cognitio tollat obligationem. 40
Obligatio quæ oritur ex errore culpabili, an debeat dici putatiua. 41
Quando obligationes contrariæ occurrunt, voluntas debet determinatè alteram partem indicare licitam. 118. 58.
Vt hic prudenter iudices, quæ ſint obſeruanda. 59
Si maius malum eligas, quale peccatum eſt. 60
Si æquè malum vtrũque videatur, elige quodvis. ibid.
Obligatio mortalis poteſt conſurrendi eſſe venialis. 253. 11
Obligationes reales in teſtamento appoſitæ non poſſunt à Confeſſarijs mutari 284. 34

Occidere. Occidens.

Occidens inimicum, quem putat eſſe feram, cum ignorantia comitante, voluntariè occidit. 48. 32
Occidens inimicum ignoranter, tripliciter ſe habere poteſt. 53
Occiſio inimici cum ignorantia, an & quando cenſeatur voluntaria, & peccaminoſa. 33
Vide Irregularis.

Odium.

Odium & amor nullo modo poteſt eſſe in eodem reſpectu eiuſdem. 44. 50

Omiſſio.

Omiſſio tripliciter eſt voluntaria. 39. 23
Datur omiſſio pura libera ibid. *Ad illam vt ſit voluntaria, tria requiruntur.* ibid. *Vt omiſſio ſit voluntaria non requiritur vt opus quod omittitur ſit præceptum: requiritur tamen vt ſit culpabilis.* 24
Vt euentus ex omiſſione ſecuto cenſeatur voluntarius, requiritur vt teneatis illum impedire. 42. 25

Opinio.

Aliqui putant ſemper ſequendam eſſe opinionem probabiliorem. 115. 43
Opinio improbabilis non eſt ſequenda, nec dubiè probabilis. 43
Si opiniones in vtramque partem ſint æquè probabiles, poteſt ſequi vtramlibet. 44
Poſſumus ſequi ſententiam probabile omiſſa probabiliore. 45
Poſſumus ſequi opinionem probabilem relicta propria probabiliore. 116. 46
Quomodo poſſit quis tunc prudenter procedere. 47
An, & quando Iudex poſſit ſequi ſententiam minùs probabilem, relicta probabiliore. 48
Aliquando tenemur ſequi ſententiam probabilem relicta probabiliore. 50

Opera. Operarius.

Opera omnia Infidelium non ſunt peccata. 5. 14
Idem opus externũ pendens à duabus voluntatibus imperantibus, quomodo poſſit eſſe bonum & malum. 87. 14.
Opera noſtra non debent neceſſariò ferri in finem honeſtum. 104. 67
Opus ideò à lege æterna præceptum, quia bonum. 110. 17.
Merces operarijs ſoluenda Matth. 20. 22. 23

Ordines Sacri.

Quid ſufficiat ad contrahendum domicilium ordinationis. 224. 1
An requiratur voluntas perpetuò ibi manendi. 2
Titio habenda fides aſſerenti ſe Ordinem Subdiaconatus ſuſcepiſſe cum actuali intentione contraria, ſi ad Sacerdotium progredi cupit. 226. 4
Secùs ſi ſuſcepto per ſimulationẽ Ordine, matrimonium abſque diſpenſatione iniiſſet. ibid.
Debet ei denuò conferri Subdiaconatus, & quidem ante Diaconatum. 5
Poteſt Epiſcopus huic conferre Subdiaconatum extra tempora. 6
Valida eſt ordinatio Sacerdotalis ſi culpa Archidiaco-

Digitized by Google

ni parrigatur aqua loco vini. 7
Traditio materiæ conſecrandæ non eſt de eſſentia Ordinationis. ibid.
Probabiliſſimum eſt in Ordinatione Sacerdotis non requiri contractum phyſicum calicis. 226. 12
Qui tangit calicem, cenſetur tangere patenam. 11
Quæ intentio requiratur ad Ordines ſuſcipiendos. ibid
Nulla eſt cenſura conſtituta in eos qui Ordinem repetunt. 226. 8
Qui in Hibernia ſuſcipit Ordines à non ſuo Ordinario, non eſt ſuſpenſus, 13
Suſpenſus eſt qui ficto titulo patrimonij Ordines ſacros ſuſcipit. Contrarium tamen eſt probabile. 227. 14
Energumenus ſuſcipiens Ordines, eſt irregularis. 13
Perfectè ſanatus cum diſpenſatione Ordinari poteſt. ibid.
Vide plura V. Energumenus.
Poteſt ſacros Ordines ſine diſpenſatione ſuſcipere maritus, cuius vxor hæretica vult in fide ſua permanere, & marito permittit vt agat quidquid ſuæ conſcientiæ expedire putat. 227. 18

Ordo actuum.

Ordo actuum voluntariorum. 32. 4
Triplex ordo actus ad Iudicium rationis in genere moris. 96. 33

Originale peccatum.

Originale peccatum debilitauit non tamen extinxit liberum arbitrium. 56. 13

Otioſum.

Quæ ſit actio otioſa, & verbum otioſum. 105. 71

Ouis.

Ouis impropriè indicat lupum eſſe ſibi inimicum. 62. 20.

Papa.

Poteſt vbique conferre beneficia concurrendo cum Ordinarijs illas præuenire, & ſibi reſeruare huius vel illius collationem. 145. 8
Poteſt diſpenſare vt beneficia ab hæretico patrono acceptа retineas. 146. 16
Sine eius conſenſu nullum onus imponi poteſt beneficijs. 150. 38.
Sine eius conſilio non poteſt Prælatus rem Eccleſiæ alienare. 161. 24
Poteſt derogare iuri Patronatus Eccleſiaſtici & Laici, dum vacat facit. 153. 60
Plena diſpoſitio beneficiorum ad eum pertinet ibid.
Poteſt beneficium conferre & vnire alicui loco pio, abſque cõſenſu patroni, præſertim Eccleſiaſtici. 154. 63
Bullam à ſe Romæ publicatam poteſt velle vbique obſeruari. 161. 4
Poteſt ſuis legibus obligare nolentes & non recipientes 233. 8
Papa debet approbare Regulam religioſam, alioquin eſt inualida. 242. 20. & 250. 55. Similiter & religionem. 58.
Ad Papam recurrere poteſt ſubditus, nec à Superiore impediri. 47
Poteſt committere conſecrationem virginum Sacerdoti ſimplici. 181. 3
Non poteſt ſpurios Eccleſiaſticorum legitimare ad temporalia, ſed ſolùm ad ſpiritualia. 199. 7
Poteſt diſpenſare in iuramento promiſſorio. 203. 12
Poteſt diſpenſare in ſponſalibus iuratis etiam inuita parte. 275. 11
Non poteſt diſpenſare vt Religioſus habeat proprium 219. 2
Poteſt diſpenſare in vltimis voluntatibus ad cauſas pias. 284. 35

Paradiſus.

Paradiſus Patroni promiſſus, eſt eſſentialis beatitudo. 20. 21.

Parochus. Paſtor.

Parochus ne remittat pœnitentem, qui vult ſequi in confeſſione ſententiam probabilem. 117. 51
Quo caſu abſoluere poſſit Parochus à reſeruatis Epiſcopo? 144. 10
Poteſt in Eccleſia Cathedrali ſimul eſſe Canonicus. 149. 33.
Duæ Capellaniæ poſſunt ab Epiſcopo erigi in Parochiã. 152. 52
Parochi præſentia non eſt neceſſaria in reformatione matrimonij, ſi antè matrimonium ſit legitimè adhibitus. 208. 4. & 210. 14
Præſentia eius eſt neceſſaria ad matrimonij valorem. Vide Matrimonium. §. 10.
Obligans ſe ad permutationem Paſtoratus ratione ſeruitij ab altero præſtandi, committit ſimoniam. 257. 3
Ne admittat publicum vſurarium ad Sacramenta & ſepulturam. 294. 5. & 295. 11
Religioſus iure communi poteſt eſſe Parochus. 252. 5
Talem corrigat Epiſcopus. 6 Non tamen tenetur eum ſuperior recipere. ibid.
Religioſus Vice-Parochus cuius peculij habeat adminiſtrationem? 234. 5

Paſſio.

Paſſiones animi imperari poſſunt. 99. 22
Non ſemper poſſunt tolli imperio rationis. 23
Poſſunt tamen reddi ineffices. 24
Praxis reſiſtendi prauis motibus. 90. 24

Patrinus.

Non licet Catholico aſſiſtere baptiſmo miniſtri hæretici inſtar patrini. 149. 2

Peccator.

Quomodo peccator conſtituat finem vltimum in bono creato. 4. 18
Quomodo poſſit rectè velle ſe carere gratia. 128. 114
Peccator, quà talis, Deo diſplicet placet quà homo. ib.

Peccatum.

Non eſt peccatum ſpeciale agere contra conſcientiam, niſi fiat vt vincatur conſcientia. 112. 14
Peccatum habet ſuam ſpeciem ex ordine ad materiam cui aduerſatur. 26
Si dubitas an ſit mortale vel veniale, quale peccatum committis? 27
Quale peccatũ, ſi ſolùm in genere putes eſſe malũ. ib.
Peccatum contra conſcientiam commiſſum, non eſt duplex peccatum. 115. 28
Peccatum mortale dubium ſub dubio eſt confitendum. 119. 69.

Penſio.

In permutatione beneficij iam nullos fructus habentis cum alio mille florenorum, quanta penſio conſtitui poſſit? 147. 19
Penſio licet modum excedat, non tamen eſt ſimonia. 21.
Quibus modis Canonicus vxorem ducens poſſit ſub graui penſione aliſque conditionibus ſuum beneficium reſignare in manus collatoris? 23. 158. 14
Ordinarius non poteſt conſtituere penſionem ſuper beneficia causâ reſignationis ſolius: multo minus ſuper reſignationem gratiæ expectatiuæ. 27
Peccat penſionem petens, qui Eccleſiaſticum ſtatum deſerit. 28

Pignus.

Vide Ceſſio Fori.

Potentia.

Potentia magis propriè dicenda eſt libera, quàm ipſi actus. 34. 7
Potentia quænam ſit libera. ibid.
Potentia ex ſe ad certæ ſpeciei operationem determinata, non egent motore. 60. 3. Neque ſenſus exteriores. ibid.

Digitized by Google

Cur vnius potentiæ operatio impediat operationem alterius non ſubordinatæ. 58.7

Paupertas Religioſa.

Contra votum paupertatis eſt, habere in religione aliquid proprium poſt profeſſionem. 217.1
Quæ excuſent à mortali. ibid.
Quæ materia hîc ſit mortalis. ibid.
Superior non poteſt in hoc voto diſpenſare. 218.2
Imò nec Pontifex, ita vt maneat religioſus. ibid.
Non eſt mortale, ſi quis nolit ſuæ ſcripta commodare aliq. 3
Quæ religioſo dantur ab amicis vel ſuperiore, cedunt in ius Monaſterij. 4
Superior non poteſt ſubdito concedere diſpoſitionem rei notabilis, ſed tantùm vſum. ibid.
Religioſus vice-Paſtor habet adminiſtrationẽ ſui vice-Paſtoratus ſi ſit beneficium. 5
Si non ſit beneficium, & bona ſint immobilia, non poteſt habere adminiſtrationem. Secùs ſi ſint mobilia. 6
Per bullam Clementis VIII. De donationibus Religioſorum, non prohibetur illis ne dent eleemoſynas. 250. 7.
Neque prohibẽtur donationes ad redimendam vexã. 8.
Neque Antidorales & remuneratoriæ. 9
Neque donationes ex laudabili conſuetudine, & recta ratione factæ. 229.10
Religioſus omnia acquirit Monaſterio. 11
Poſſunt fieri fundationes ab Abbate & Priore ex bonis propriis abſque detrimento paupertatis. 12. & 230. 20. *Vide* Superior religioſus.
Religioſus cuius profeſſio invalida ſibi non monaſterio acquirit. 241. 15. & 242. 16.
Religioſus tenetur renuntiare iis quæ repugnant paupertati. 255.20
Quid ſit eius pecuniarum. ibid.

§. 1. Prælatus.

Quit propriè dicatur Prælatus. 230. 1
Decanus Eccleſiæ Cathedralis S. Mariæ Antuerpiæ eſt Prælatus. ibid.
Prælatus iuramento ſuo de nõ alienanda re Eccleſiæ ſine conſilio Pontificis, non ſatisfacit eam alienans ſola auctoritate Nuntij Apoſtolici. 161. 24
Poteſt ex bonis ſibi propriis facere pias fundationes & obligare ſuum monaſterium. 236.12
Tenetur ad religioſam reformationem non obſtante ſuo iuramento in contrarium. 253. 11
Vide Superior religioſus.
Quomodo ſe geret cum invalidè profeſſis Vide Profeſſio religioſa invalida.
Prælatus titulo colorato poteſt conferre titulum coloratum. 231.2

§. 2. Ambitus Prælaturæ.

Qui ex religionis ſuæ inſtituto vetat ſe nec directè, nec indirectè prætenſurum aliquam prælationem, non poteſt munuſculis & officijs Electorum benevolentiam captare. 3
Nec ſi videat ſe eligendum in Priorem vel Definitorem v. g. poteſt aliquid agere vt eligatur potiùs in Definitorem. 4
Si tamen detur optio vt è duobus conventibus eligat vtri velit præeſſe, caſu quo cogatur præeſſe alteri, poteſt eligere quem placuerit. 232.5
Qui principaliter monetur deſiderio Prælaturæ ad ſe mancipandum Religioni, adeò vt ſine tali ſpe non voueret, ipſius profeſſio non eſt irrita ſi non ſiat Prælatus. 260. 26. *Eſſet tamẽ irrita ſi per modum contractus ita cum Religione conuenisſet.* ibid.

§. 3. Electio Prælati, & depoſitio.

Non videtur Minoribus impoſi præceptum eligẽdi Miniſtrum Prouincialem à Clemente V. in Concilio Vienneſi. 6
Poſſunt tamen cedere iure eligendi per hanc Clementinam conceſſo. 7
Generalis Miniſter poteſt in certis caſibus facere contra eandem Clementinam. ibid.
Clementina hæc ſublata per contrarium vſum. 8
Quãdo duo ſolùm ſunt eligibiles, neuter illorum poteſt habere ſuffragium actiuum. 9
Electio Prælati ex indebita Electorum cõſpiratione promoti, irrita eſt, vel ſaltẽ irritanda per Iudicẽ 233. 10
Iuſtè & legitimè facta cenſeri debet Prælati depoſitio qui apud Epiſcopũ vel Capitulum Prouinciale accuſatus, citatus, & non comparens, depoſitus eſt. 12
Legitimus eius ſucceſſor habendus eſt, qui eius loco ſuffectus eſt, licet aliqui reclament. ibid.
Rebelles cenſendi ſunt qui adhæ rere pergunt legitimè depoſito. ibid.

Præſcriptio.

Ad præſcriptionem contra legem canonicam ſufficiunt anni XL. aliquando X. 151. 44
Hæretici non præſcribunt contra leges Eccleſiaſticas earum non obſeruatione. 233 1
Conſuetudo legitimè præſcripta habet vim legis. 234. 4
Si hic putet legitimam præſcriptionem, alter illegitimam, quo modo werque ſe habitur. 5
Conſuetudo immemorialis impendendi in fabricam. &c. duas tertias reditnum pauperum, ſi ſubſit bona fides præſcribit. 235. 6
Religioſi præſcribere poſſunt cõtra abſtinẽtiam carniũ. 237. 8. *Tenẽtur tamen reformationem admittere.* 9
Non vſus 100. annorum præſcribit contra pias fundationes. 10
Præſcribi nequit abſolutè poteſtas diſpenſandi in impedimentis matrimonij. 211. 19
Præſcribit tamen poteſt reſtrinctim ad certũ caſum. 20
Conſuetudo præſcribere poteſt vt matrimonium ſine Parocho contractum ſit irritum, etiam in locis vbi Tridẽtinum non eſt promulgatum. 234. 4
Tres ſententiæ conformes habent vim præſcriptionis. 236. 14.
Præſcripſerunt Principes Belgij ius concedendi priuilegium teſtandi vſurarijs. 289. 6
Principes vſucapione præſcripſerunt ius imponendi tributum vſurarijs, meretricibus & Iudæis. 297. 21
Citra tres iniquus bonæ fidei in re mobili patitur præſcriptionem. 291. 10
Vide Conſuetudo, Priuilegium.

Primogenitus.

Primogenitus licet hæreditatem adeat cum onere ſuſtẽtandi minores fratres, non tenetur eis ſuccurrere cum imminutione ſui ſtatus. 282. 27

Princeps.

Princeps videtur tacitè conſentire in aliquas frandes Militares. 145. 6
In oneribus ſub literis ſeruet iuſtitiam diſtributiuam. 9
Stamus de bonis priuatorum ex bono communi. 155. 5
Curet ne alicui ſubditorum fiat iniuria. 156. 6
Quo pacto ad Principem ſpectet diſpoſitio temporalium. 158. 15
Ne oneret bona Reipub. quorum ſolùm eſt adminiſtrator. 184. 5.
Poteſt legitimare ſuos ſubditos ad temporalia. 199. 7
Legitimum Principem nemo poteſt abiurare. 204. 18
Principi ſuam vrbem à rebellibus repetenti, ne reſiſtãt fidei ſubditi. 250. 1
Belgarum Principes præſcripſerunt ius cõcedendi priuilegium teſtandi vſurarijs. 289. 6
Item ius imponendi tributum vſurarijs, meretricibus & Iudæis. 291. 21
Principes Chriſtiani monaſteriis fauerunt. 165. 13
Atque hinc feliciſſimè. 158. 20
Non habent poteſtatem diſponendi de monaſterijs, earum perſonis. &c. 159. 26

Digitized by Google

A se bona dat à monasterio, ne repetant. 155. 4
Principis Placitum impertinens est ad valorem Bullæ Apostolicæ. 163. 6
Principi illicitum & indecorum fabulari tempore divini officij. 219. 1
Non potest inducere impedimentum dirimens in matrimonij. 234. 4
Pensio quam Princeps beneficijs imposuit, debet confirmari à Papa. 264. 12
Principes commendant & propagant scholas Societatis Iesu. 269. 16. & 19
Princeps ne permittat hæreticos ob artem habitationem publicam inter catholicos. 184. 1
Permittat tamen mercatoribus negotiationem. 185. 4

Priuilegium.

Priuilegium concessum à Greg. XIII. Episcopis Belgij, vt possent absoluere subditos participes rebellionis à quibusuis criminibus in Bullâ Cœnæ Domini reseruatis, explicatur. 140 13
Priuilegium Lexi introitus, non obstat quo minùs religiosi sint capaces pretij prouenientis ex venditione immobilium. 155. 1
Priuilegium concessum à Sixto IV. cuidam Abbati absoluendi monachos sibi subditos à quibusuis censuris, ad quos se extendat? 141. 20
Priuilegium benedicendi vasa sacra, quid significet? 238. 23.
Priuilegium consecrandi altaris amittitur non vsu. 24.
Vide Abbas.
Priuilegium rescindendi contractus ob defectum consensus Generalis amittitur per consuetudinem contrariam etsi non sint lapsi 40. anni. 169. 28
Priuilegium Superioris negligentiâ amissum, non potest sola Monasterij auctoritate resumi. 238. 25
Priuilegium communicatio facta alijs Ordinibus non est extendenda nisi ad concessa vsque ad illud tempus, non autem ad concedenda imposterum, nisi id exprimatur. 26

Professio Religiosa inualida.

§. 1. Si regula & forma viuendi non est approbata.

VT professio sit valida, debet fieri secundùm regulam approbatam à Papa. 242. 20.
Complexu regulæ secundùm quod profiteris, etsi cõstet omnibus partibus à Papa approbatis, nisi tamẽ vt sic sit ab eo approbatum, inualida est professio. 21
Approbatio religionis formaliter consistit in approbatione regulæ. 243. 22
Professio facta iuxta formam viuendi quæ à Papa non est approbata, est irrita. 250. 55. 58

§. 2 Si non sit expletus annus ætatis, & probationis.

Probabiliter inualida est professio emissa à puella 13. annorum, si Tridentinum de anno decimo Sexto Romæ, non tamen in illo loco sit promulgatum. 239. 1
Professio ante 16. ætatis annum irrita, tractu temporis non conualescit. 4
Mater de filij ætate testari hic potest. 240. 7
Professio facta ante expletum annum probationis, est inualida. 10. & 241. 11
Expletio hæc intelligenda est de hora in horam. 266. 7
Probabile tamen est paucas horas posse deesse, ibid.
Triduj dimissio non videtur impedire continuationem necessariam nouitiatus. 240. 8

§. 3. Si professio metu extorta: aut si desit consensus.

Professio emissa cũ protestatione de iniusto metu, est irrita, & si posteà renouetur semel iterumque Superiorũ inductione, non ideò censenda est valida. 243. 24
Professio extorta à matre & sorore metu subtractionis alimentorum, est irrita etsi Notarius testetur metum non interuenisse. 244. 27.
In metu spectãda est cõditio personæ cui incutitur. 27.
Metus reuerentialis verùm non inualidat professionem. 245 30.
Inualidat si accedant minæ ibid. *Preces importunæ non inualidant.* 31
Potest Iudex in foro externo iudicare professionem inualidam ex metu reuerentiali. 32
Qui non aliter profitetur quàm dicendo, Quòd cum Dei adiutorio sit paratus consentire in vota religionis inualidè profitetur, etsi alias professorum actiones obeat. 205. 8
Qui forsàn in professionem consentit stipulando, Si fiat Prælatus, non est validè professus. 256. 26

§. 4 Si desit dibita informatio.

Professio Capucciai irrita non est, qui negauit in anno probationis se lepra, morbo gallico vel caduco laborare potest tamen à Superioribus irritari. 243. 23
Si nullæ informationes, vel notabiliter non sufficientes habitæ fuerint in admissione, professio est irrita. 247. 43.
Quænam ante professionem maximè inquirenda. ibid.
Huic inquisitioni æquipolet cognitio antè habita ex long i conuersatione. ibid.
Hæ informationes non à solo Magistro Nouitiorum sunt mendæ. 44
Concernunt omnes admittendos, non solùm defectuosos vel criminosos. ibid.
Non debent fieri iuridicè. 45

§. 5. Si sint illegitimi.

Sixtus V. reddidit filios Presbyterorum inhabiles ad religionem. 246. 35
Intellige, in futurum, non in præteritum professos. 56
Gregorius XIV. eam constitutionem restrinxit. ibid.
Illegitimus ignorans hanc Sixti constitutionem, validè profitetur vbi hæc non est publicata. 246. 39. *Hæc publicatio debuit fieri in locis Regularium.* 40
Etsi talis professio esset inualida, non posset ejici si ex ignorantia Superioris admissus fuit. 247. 41
Absolutè expedit talem denuò profiteri. ibid.

§. 6 Modus quo inualidè professus se à religione expediet

Reclamare debet ante lapsum quinquennij à professione alioquin non est audiendus in iudicio. 239. 4. & 248. 46. *vbi per 9. articulos deducitur quid tali professo agendum.*
Iusta quædam causa non reclamãdi ante quinquennij. 240. 5.
Restitutio in integrum vt causam agat qui tempestiuè non reclamauit, spectat ad solum Papam. 244. 26
Recurs⁹ ad Papã nõ potest à Superiore impediri 248. 47
Qui impeditur recurrere, fugiendo & habitum dimittendo, non peccat mortaliter. 240. 6. *Nec est incapax vt pro se alleget, estque audiendus in foro externo* ib. *Imò omni auxilio destitutus potest clã ad sæculũ redire.* 248. 48. *Sed ad loca vbi ignot⁹ est.* 249. 54

§. 7. Quomodo interea se in religione geret.

Non tenetur manifestare professionis suæ nullitatem. 241 13.
Potest clam ratificare suam professionem, ibid.
Imò eam tenetur ratificare, vel discedere. 249. 54
Acquirit sibi, non monasterio. 252. 15. & 242. 16. &c.
Potest & debet à suis Superioribus haberi vt verus professus. 248. 50 *Non expedit tamen eum mitti ad Ordines, nisi velit professionem ratificare.* ibid.
Neque fieri Superiorem ibid.
Si meditetur fugã, nõ potest ordinari priuilegio Religionis. 249. 52. *Neque ferre vocem in Capitulo.* ib. *Neque absolui à reseruatis.* ibid. *Neque se miscere ijs quæ ordinis sunt propria.* ibid.

§. 8. Quomodo erga inualidè professum se geret Superior.

Si clam sciat alicuius inualidam professionẽ, non semper tenetur

Digitized by Google

per tenetur id aperire. 53. *Expedit benignè cum eo agere, & rem Ordinario exponere.* ibid.
Non poteſt eum auctoritatiuè dimittere. 54. *Poteſt ſe permiſſiuè habere vt diſcedat, ſi eſt publico maximi* ibid. & 241. 14.
Debet eum habere publice vt verè profeſſum. 248. 50
Non tenetur inducere ad ratificandam profeſſionem. 249. 51.
§. 9. Quomodo talis profeſſio renouanda.
Profeſſio ſemel inualida ſolo tractu temporis non conualeſcit. 239. 4. & 248. 49.
Multis annis manendo in religione, & functiones profeſſorum obeundo, per hoc precisè non ratificas profeſſionem, niſi id ſcias & intendas. 240. 10
Non requiritur noua acceptatio Capituli *vel Prælati.* 241. 12.
Expedit vt iterum expreſſè profitearis clam vel publicè. 247. 42

Pueri.

In quibus neceſſariò moueantur. 69. 6
Quomodo careant vſu rationis. ibid.
Ius ante vſum rationis competit electio. 75. 4
Cur ante vſum rationis peccare non poſſint? ibid.
Quæ obligatio reſtitutionis ſit in puero paſcente pecora in alienis campis? 259. 12

Ratio.

Quid ſit recta ratio? 108. 6
Ariſtotelis & aliorum de ea iudicium. ibid.
Quomodo recta ratio ſit cõformis appetitui recto. 109. 9

Rebellio.

Fidi & legitimi ſubditi degentes in vrbe belli, non poſſunt Regi vrbem inuadenti reſiſtere. 250. 1
Quid in vrbe rebelli poſſit fidus Secretarius, Aduocatus, Præco, Mercator, Nauta, &c. *Vide* Auctarium *V.* Rebellio.

Religio.

Religio non poteſt approbari ab Epiſcopo. 246. 38. *ſed à Papa. Vide* Profeſſio Religioſa inualida, §. 1.
Teſtamẽtum eſt inualidum ſi ob ingreſſum Religionis aut cælibatũ aliquẽ priuet debita hæreditate. 277. 1
Vide Monaſterium, & Fidei commiſſum.

Religioſus.

Non eſt religioſus cuius forma viuendi non eſt approbata à Papa. 250. 55. *Vide plura V.* Profeſſio Religioſa inualida. §. 1.
Religioſus tenetur ad obſeruantiam Regulæ. 254. 18
Tenetur ex voto obedientiæ ad legitimas reformationes. 255. 19
Tenetur renuntiare ijs quæ repugnant Paupertati. 20
In omnibus pendet à Superiore. 21
Eſt capax paſtoratus. 252. 5
Religioſum Parochum infamia laborantem non tenetur Superior recipere. 6
Qui vouendo principaliter intendit Prælaturam, eſt verè religioſus etſi eam non conſequatur. 256. 25
Fugiens ex monaſterio metu pœnæ non eſt excommunicatus. 253. 7
Eiectus ex Ordine poteſt deponere habitum. ibid.
Eiecti opera poteſt vti Epiſcopus. ibid.
Profeſſi choro mancipati, ſed necdũ ſacris Ordinibus initiati, probabiliter non tenentur ad horas Canonicas ſub mortali. 194. 26. *Vide* Horæ Canonicæ, & Monialis.
Religioſi Mendicantes ſunt capaces pretij ex venditione immobilium prouenientis. 155. 1
Religioſus in profeſſione conſequitur Indulgẽtias. 200 2. *Plura de Religioſorum Indulgentiis, Vide* Indulgentiæ.

Reſeruatio.

Ab omnibus reſeruatis quimis Sacerdos quemuis abſoluat in articulo mortis. 139. 5
An reſeruatio tolli poſſit extra confeſſionem? 140. 25
Quandonam crimen quod habet annexam excommunicationem Papalem, cenſeatur reſeruatum? 141. 26
Reſeruatio Papalis non conſtat niſi ratione cenſuræ. ibid. *Vide* Abſolutio.

Reſtitutio.

Canonici ſe à Choro abſentantes dum prolixiora ſunt beneficia tenentur reſtituere perceptas diſtributiones. 194. 20
Capitaneus & Commiſſarius qui plures milites quàm ſub ſignis ſunt, annotarunt, tenentur Regi ad reſtitutionem. 143. 1
Quid faciendum hæredi Catholico de bonis Eccleſiaſticis ad ſe deuolutis, quæ parentes malè poſſederunt? 146. 16
De reſtitutione famæ, Vide Infamia.
De reſtitutione eius qui foro ceſſit, Vide Ceſſio fori.
De reſtitutione quam debent varij ex varijs capitibus, Vide Auctarium, *Verbo* Reſtitutio.

Rex.

Vide Princeps.

Sacellanus.

Sacellanus qui accepit legatum, quo obligatur pro eo agere diuinum officium, quoties ſalua honeſtate ac debita deuotione poterit, non tenetur abſolutè quotidie celebrare. 218. 13
Explicatur clauſula hîc adiecta. ibid.
Non tenetur offerre pro defuncto, ſed tãtùm orare. ib.
Poteſt ſubinde à Sacello abeſſe. 14
Quando debeat alius ſubſtitui. ibid. *Hæc capella non compatitur aliud beneficium parochiale.* 219. 15
Sacellanus non tenetur quotidie celebrare, licet habeat beneficium cui hæc obligatio annexa, niſi aliquo modo ſufficiat ad ſuſtentationem. 17
Moderatio hæc facienda ab Epiſcopo. 18

Scrupulus.

Quid ſit ſcrupulus? 120. 76
Ex quibus cauſis oriatur. ibid.
An & quando liceat agere contra ſcrupulos. 77
Remedia contra ſcrupulos. 121. 78
Scrupuloſus prudenter ſibi perſuadet, niſi res ſit euidens, eſſe ſcrupulum. 127. 79

Securitas.

Securitas quid ſit? 31. 8
Requiritur ad beatitudinem. ibid.

Senſus.

Senſus ſuam beatam vitam habebunt. 28. 44
Oſtenditur id in ſingulis ſenſibus. 29. 45
Senſus exteriores, an egeant motore quoad exercitium actus? 57. 3

Sigillum.

Confeſſarius caueat ne ex ſua confeſſione, alterius ſibi confeſſi peccatum innoteſcat. 168. 19
Non frangitur confeſſionis ſigillum per reſtitutionem, etiamſi fiat coniectura de auctore furti. 257. 3. *Vide Indicem de* Sacramẽtis, *Verbo* Confeſſarius. §. 4.

Similis.

Similes Deo erimus quando, & quomodo. 21. 24

Simonia.

Penſio licet modum, excedat, non eſt ſimonia. 147. 21
Penſio ſtatuta non habita licentia Ordinarij in litigioſo beneficio, eſt ſimoniaca ſi detur ad redimendam iuſtam vexam; non verò ſi ad iniuſtam. 263. 7
Fructus beneficij ſimoniacè obtenti per ignorantiam ſimoniæ ab altero commiſſæ tantùm extantes debent reſtitui ſi ignota fuerit; ſi verò nota, etiam non extantes. 262. 1
Paciſci de parte fructuum vt pacificè reliquum recipias quando licitum? 13
Permutatio beneficij ratione fermitij præſtandi, eſt ſimonia. ibid. 3. & 262. 1
Ceſſio & dein permutatio litigioſi beneficij inter ipſos litigantes, probabiliter non eſt ſimoniaca. 262. 5

Digitized by Google

Reſignatio beneficii, nondum perceptis ex beneficio fructibus ſub onere expenſarum in acquiſitione factarum, eſt ſimoniaca. 262. 3
Reſignatio præuia promiſſione gratitudinis, quando ſit ſimoniaca? 263. 9
An ſit ſimoniacum exigere aliquid in admiſſione ad monaſterium opulentum. 264. 15
Non eſt ſimoniacum exigere aliquid in admiſſione vt monaſterium ſe ſeruet indemne. 262. 18

Sinus.

Quid ſinus Abrahæ Auguſtino. 22. 25

Syntereſis.

Quid Syntereſis. 111. 20

SOCIETAS IESV.

§ 1. Regula.

Violatio Regularũ Societatis Ieſu, *vt eſt violatio Regulæ, non eſt peccatum.* 265. 1
Ex octo capitibus violatio hæc poteſt eſſe peccatum. 2
Promiſſio ſeruandi regulas non obligat ſub peccato in ſingulis regulis. 266. 6

§. 2. Vota.

Emiſſio votorum ſimplicium Societatis ante expletum biennium, eſt inualida. 7
Renouatio votorũ ſequens inualidã eorum emiſſionem reddit eam validam ſi ſciens vel dubitans de eorum validitate intendat illa ratificare. 8
Profeſſio ſequens inualidam emiſſionem votorum, quando inualida ſit, & quando valida? 9
Votum ſimplex ſcholaſticorum Societatis facit eos Religioſos. 267. 10

§. 3. Priuilegia.

Poteſt Societas in ſuis Eccleſijs per externos Sacerdotes adminiſtrare Euchariſtiam. 12
Poteſt tollere irregularitatem prouenientem ex defectu leuitatis in foro conſcientiæ tantùm. 201. 4

§. 4. Scholæ.

Societas ſuis Scholis prodeſt bono publico & Vniuerſitatibus. 267. 13
Auget numerum ſtudioſorum. 14
Illuſtrat tractationem diſciplinarum. 268. 15
Pietatem & religionem ſingulariter promouet. 16
Forma Scholarum Societatis. 269. 17
Magiſtrorum Societatis quatuor conditiones. 18
Fidem erga Principem ipſa conſtanter ſeruauit, & ſubditos docuit. 271. 23
Philippus II. Societatis Scholas propagauit. 268. 16
Henricus IV. ob Scholas reuocauit Societatem in Galliam. 270. 19
Scholæ Societatis ibidem florent. 21
Gloria Scholarum Societatis redundat in Principẽ. 21
Reſponſio ad Argumenta Aduerſariorum. 20

Societas officiorum.

Tripliciter initur hæc Societas. 271. 1
Cõſiſtit hæc Societas in eo, quòd ſint ſocij in emptione officij, eius dominio, & lucro. 272. 2. & 292. 24.
Si officium ſit grauatum ſupra æſtimationem, & poſteà quis admitteatur in Societatem, non eſt contractus Societatis. 3. Poſſet tamen cenſeri implicitus contractus cenſus perſonalis. 4
Si paciſcãtur de fructibus officij, cũ onere vt Officialis anticipet ſingulis ſemeſtribus ſex in 100. & in defectu ſolutionis teneatur reſundere ſortẽ ſi alter velit, contractus hic non videtur iniquus, ſi alter non poſſit abſolutè ſortem repetere. 293. 26. & 28.
Contractus cẽſus vitalis perſonalis palliatus cõtractu ſocietatis officiorum, eſt illicitus ſi creditor poſſit pro libitu ſortem repetere. 29.

Sponſalia.

Adoleſcens multas virgines paris conditionis corrupit ſub ficta promiſſione coniugij, quam ex illis ducet, & ad quid tenetur? 273. 1.
Quibus caſibus non teneatur ducere, vel damnũ compenſare. 3
Adoleſcens ſub tutoribus conſtitutus promiſit mẽtriculæ magnam ſummam pecuniæ, niſi eam in vxorem ducat, ad nihil tenetur. ibid. 5. & 274. 6.
Qui contraxit ſponſalia cum illa, quã ſpe matrimonij corrupit, poteſt cogi vt eam ducat. 6
Talis non poteſt ad triennium differre matrimoniũ. 7
Modus eum cogendi ne aliam vxorem accipiat. 8
Parentes ipſius nõ poſſunt tale matrimoniũ impedire. ibid.
Matrimonium de præſenti nullũ nõ inducit ſponſalia. 275. 9.
Probabile eſt clandeſtinum matrimonium non habere vim ſponſalium. 10
Cur matrimonium impuberum potiùs habeat vim ſponſalium, quàm matrimonium clandeſtinum? 12
Belga Nobilis qui ſub promiſſione matrimonij obtinuit copulam à puella imparis conditionis Pariſijs, non cenſetur conſummaſſe matrimonium. 276. 13
Votum caſtitatis dirimit ſponſalia. 16
Valida eſt diſpenſatio ad eligendũ ignotũ Sacerdotem qui clam ſine proclamationibus matrimonio aſſiſtat. 281. 17. *Talis diſpenſatio regulariter eſt illicita.* ib.
Circũſtantiæ quædã poſſunt illã reddere licitã. 277. 18

Spurius.

Mater non poteſt relinquere rientem filia ſua ſpuria. 193. 1.
In hac re leges æquè matrem, quàm patrem obligant. ibid.
Potiùs extraneis, quàm ſuis ſpurijs poſſunt parentes benefacere. 2
Poſſunt ijs alimenta relinquere, niſi aliunde ea habeant. 199. 3
Non poſſunt per fidei commiſſum illis prouidere. 4
Spurij per ſubſequens parentum matrimonium, nõ legitimantur. 6
Spurium ex Subdiacono & ſoluta, non poteſt Pontifex legitimare ad temporalia, ſed ad ſola ſpiritualia. 7
Bulla Pij V. contra ſpurios Eccleſiaſticorum. 8
Vide Illegitimus.

Spontaneum.

Ad ſpontaneum duo requiruntur. 83. 2

Status ſpiritualis.

Beguinæ non habent ſtatum ſpiritualem. 279. 7
Quid propriè intelligẽdum per Statum ſpirituale. 8

Stipendium.

An poſſit Capitaneus minori pretio tranſigere cũ militibus, quàm ſit ſtipendium eis aſſignatum? 143. 3
Poſſunt Capitanei aliquo artificio aliquid amplius accipere, quando ſtipendia non ſufficiunt. 5

Subditus.

Quando ſubditus debeat obedire Superiori? 126. 45
Subditus tenetur obedire præcepto probabiliter licito, licet probabilius ſit eſſe illicitum. 117. 52
Subditus ſpeculatiuè dubitans de iuſtitia belli Regis ſui, poteſt militare. 56
Fidelis ſubdit⁹ nõ poteſt reſiſtere legitimo Principi vrbẽ rebellẽ inuadenti. 250. 1. *Vide* Rebellio, *vbi latè agitur quid liceat fidelibus ſubditis degentibus inter rebelles.*

Subtilitas.

Subtilitas corporis glorioſi, quid ſit? 23. 39
Non conſiſtit in acumine ſenſuum, & in ſubiectione appetitus inferioris. 27. 40
Nec in perfecta corporis informatione. 41
Sed in vi penetrandi alia corpora. 42
Vis illa non conſiſtit in eo quòd corpora Beatorum ſint vertenda in ſpiritum. ibid.
Vel in aëream tenuitatem. ibid.
Nec conſiſtit in qualitate ſuper addita. ibid.
Sed in ablatione modi alicuius. 43
Dos ſubtilitatis quando conferatur. ibid.

Ex ſubtilitate oritur celeritas in corporibus beatis. ib.

Superior Religioſus.

Superior poteſt eligere confeſſorem à quo à reſervatis abſolvatur. 238. 26

Superior non poteſt ſubdito concedere ius rei notabilis, ſed tantùm vſum. 229. 4. V. Paupertas religioſa.

Superior tenetur ad Religioſam reformationem non obſtante ſuo iuramento in contrarium. 253. 12

Poteſt ſuis Nouicijs certam formulam promiſſionis & renunciationis proponere, & exigere ab ijs ſcriptum quo teſtentur ſe in eam conſentire. 254. 16

Superior probabiliùs non poteſt condonare infamiam ſuo ſubdito factam. 257. 2

Quomodo Superior ſe gerat cum invalidè profeſſis. Vide Profeſſio religioſa invalida. §. 8.

Superioris electio, & ambitio. Vide Prælatus.

Conventus non tenetur ex delicto ſuperioris, nec etiam ex contractu, niſi in illum conſenſerit. 227. 16. 17.

Nec etiam tenetur ex ſponſione quam ſuperior fecit ſine conſenſu. 18

Suſpenſio.

Non eſt ſuſpenſus qui in Hibernia Ordines ſuſcipit à non ſuo Ordinario. 226. 13

Suſpenſus eſt qui ſine titulo patrimonij Ordines ſuſcipit. 14. *Contrarium tamen eſt probabile.* ibid.

Teſtamentum.

PRomiſſio priuatiua facultatis teſtandi, irrita cenſetur. 203. 12

Teſtamentũ eſt invalidũ, ſi ob ingreſſũ religionis aut calibatum aliquem priuet debita hereditate. 277. 1

Irritum eſt teſtamentum ſi non relinquatur legitima. 2

Nemo ex vi teſtamẽti quo conſtituitur hæres cum onere reſtituendi ſi ſtatum religioſum vel ſpiritualẽ capeſſat, tenetur bona per hereditatem acquiſita reſtituere, ſed poteſt de illis diſponere in pias cauſas. 278. 4

Hæretici ſunt inteſtabiles: item eorum fautores & defenſores. ibid.

Non debẽt reſtitui bona ſubſtitutis per teſtamentũ hoc conditionatũ, Caſu quo morietur abſque hærede è ſuo corpore & legitimo matrimonio, volo vt bona rediant ad conſanguineos ſi monaſterium ingrediatur. 280. 11. Vide Fidei commiſſum.

Hæres conſtitutus vt in pauperes hæreditatem eroget, non poteſt partem ſibi retinere. 281 17

Legatum pauperibus relictum in Religioſos diſtribui poteſt. 18

Hæreditas repudiata vel incapacibus relicta devolvitur ad hæredes. 19

Primogenitus licet hereditatẽ adeat cum onere ſuſtentandi minores fratres, non tenetur illis ſuccurrere cum imminutione ſui ſtatus. 282. 27

Teſtamentum ad pias cauſas ſubſcriptum, ſed ſine teſtibus, eſt validum. 283. 28

Teſtamentum propria manu ſcriptum ſine teſtibus, eſt invalidum. 29

Compenſatio teſtamenti promiſſi quando valida. 30

Obligationes reales in teſtamẽto appoſitæ, non poſſunt à Cõfeſſarijs mutari 289. 33. *Hic pro diſpenſatione recurrendum ad Nuntium Apoſtolicum.* 284. 35

Teſtamentum Epiſcopi, Vide Epiſcopus.

Teſtamentum publici vſurarij invalidum. Vide Vſurarius.

Triſtitia.

Quid ſit triſtitia. 71. 3

Quomodo triſtitia ſit in noſtra poteſtate. ibid.

Tutum.

Poſſum ſequi partem minùs tutam, modò probabilem, relicta tutiore. 118. 62

Non eſt ſequenda pars tutior, ſed mitior, ſi dubites an ſis ſpurius &c. 63 Vide Dubium.

Vectigal.

VEctigal poteſt a fido ſubdito inter rebelles degente colligi pro bello iniuſto. 251. 7

Vectigal impoſitum ciuibus a Gubernatore in arce regia potantibus, iuſtum eſt. 284. 1

Hydalgia importat immunitatẽ a vectigalibus. 285. 3

Principes ſolent imponere vectigal Iudæis, meretricibus, & vſurarijs. 288. 11

Veritas.

Quid ſit veritas in actu intellectus? 108. 6

Veritas & falſitas virtualiter ſunt in ſimplici apprehenſione. 7

Quomodo veritas practica conſiſtat in conformitate cum appetitu recto. 109. 9

Quomodo diſtinguatur veritas practica a ſpeculatiua. 10. *Vnde pendeat veritas practica, & veritas ſpeculatiua.* 122. 16

Verum.

Ratio veri non eſt præſtantior ratione boni, nec contra. 13. 14.

Verum quo ſenſu ſit obiectum intellectus. ibid.

Verum & falſum quomodo ſint differentiæ accidentales vel eſſentiales actus intellectus. 92. 38

Vicarius.

Vicarius temporalis delegare non poteſt. 142. 24

Poteſt Vicarius perpetuus. ibid.

Vicarius Leodienſis videtur præſcripſiſſe poteſtatem in certis caſibus diſpenſandi in impedimento affinitatis & conſanguinitatis in 3. gradu. 211. 20

Violentum.

Violentum, quid? 42. 27. *Et quomodo differat à coacto.* ibid.

Nullus actus poteſt eſſe violentus reſpectu ſuæ potentiæ. 41. 29

Nullus actus, etſi extrinſecè infuſus, poteſt eſſe violentus potentiæ naturali. ibid. *poteſt tamen eſſe violentus reſpectu appetitus elicitiui.* ibid.

Quæ ceſſatio actus ipſis potentiis ſit violenta. 42. 33

Violentia cauſat involuntarium. 34

Non eſt violenta defloratio puellæ, niſi reſiſtat quantum debet. 43. 35

Paſſiones Martyrum quomodo non fuerint violẽtæ. 36

Virtus.

Ad quam virtutem referantur actus qui ſummam bonitatem ſpecificam ex obiecto. 93. 14

Vt aliqua actio ſit virtutis, tria requirit Ariſtoteles. 109. 13.

Viſio.

Omnis viſio quà talis, eſt eiuſdem ſpeciei. 113. 1

Viſio Dei.

Viſio Dei increata non eſt noſtra beatitudo. 7. 1

Viſio beatifica eſt ſimul ſpeculatiua, & practica. 14. 21

Vt tamen eſt beatifica, eſt ſpeculatiua. ibid.

Viſio, vt ſe extendit ad diuinitatem, continet ſolum vnum iudicium. 30

Vt ſe extendit ad obiecta creata eminenter in Deo cõtenta, non eſt omnino ſimplex. ibid.

Quid ſit viſio? & an diſtinguatur à cõprehenſione. 17. 8

Viſio vt eſt prior amore, non eſt perfecta cõprehenſio. 9

Viſio Dei per ſe reddit voluntatẽ impeccabilem. 19. 16

Poſita viſione Dei voluntas eſt ab intrinſeco determinata vt eum amet quantum poteſt. 18

Viſio beatifica vnius diei nõ beatificaret abſolutè. 32. 9

Nec eſt ſufficiens excludere omnem mœrorem. ibid.

Vita.

Quid ſit vita, ſeu motus vitalis? 9. 7

Quę ſit vita malè vtens, & malè fruens. 83. 4

Vitalis.

Actus vitalis poteſt a ſolo Deo produci. 8. 9

Vide Actus vitales.

Volitio.

Volitio finis eſt cauſaliter volitioni mediꝝ neceſſarij. 55. 14

Digitized by Google

Volitio vt reſpicit obiectum quod, *vocatur amor* cõcupiſcentiæ, *vt obiectũ* cui, *amor* benevolentiæ. 56. 25
Volitio mali in genere vnde ſumat malitiam? 135. 26
Sola volitione non poſſumus aſſequi quamlibet ſanctitatem. 137. 27

Voluntarium.

Voluntarium, quid ſit? 32. 2. 3. *Sumitur dupliciter.* 2 *Imò & tripliciter.* 33. 6. & 45. 43
Quid magis, & minùs perfectè voluntarium. 32. 4
Ordo actuum voluntariorum. ibid.
Voluntariũ debet eſſe à voluntate, & eſſe volitũ. 32. 5
Actus voluntatis ſeipſis implicitè ſunt voliti. ibid.
Motus brutorum quo ſenſu ſint, & quo non ſint voluntarij. 33. 6
Hæc propoſitio, Quod voluntariè fit, etiamſi neceſſariò fiat, libere tamen fit, *à tribus Pontificibus eſt damnata.* 37. col. 2
Eſſe perfectè voluntarium circa ſummum bonum, non eſt perfectio ſimplex. 33. 6
Indirectè voluntarium, quid. 39. 22. *Fit id dupliciter.* ibid.
Directè voluntarium nequit eſſe ſine omni actu voluntatis, poteſt autem indirectè voluntarium. 22
Cur euentus quem non teneris impedire cenſeatur minùs voluntarius, quàm omiſſio cẽſeatur voluntaria quam non teneris vitare? 26. *Vide* Omiſſio.
Voluntarium quomodo minuatur ratione metus. Vide Metus.
Quomodo per Concupiſcentiã, *Vide* Concupiſcentia.
Quomodo per Ignorantiam, *Vide* Ignorantia.

VOLVNTAS.

§. 1. Eius libertas.

Voluntas & intellectus diſtinguuntur ex diverſo modo tendendi in idem obiectum. 15. 23
Voluntas accipitur dupliciter. 33. 2
Poteſt aliquid dupliciter à voluntate procedere. 33. 6
Omnis determinatio quæ non eſt in poteſtate volũtatis *repugnat libertati.* 34. 8. 9. 10
Sola voluntas eſt indifferens, & ex ſe indeterminata 36. 10.
Voluntas non requirit actum intellectus, cuius vi ipſa determinetur ad conſenſum. 65. 24. *Is actus repugnat libertati.* ibid.
Quomodo voluntas, etiam tunc cùm vult, ſit ſecundùm ſe indeterminata. 36. 12
Aliter voluntas, aliter intellectus eſt indeterminatus. 38. 17
Voluntas nullo modo poteſt vim pati circa ſuos actus internos. 43. 29. *Poteſt tamen vim pati in actibus non elicientis ſeu in actuum carentia.* 41. 31
Voluntas poteſt dupliciter ab actu ſuo impediri. 31
An & quomodo volũtas *poſſit vim pati in actibus imperatis.* 42. 32. *Voluntas poteſt vim pati circa actũ intellectus dupliciter.* ibid. *Similiter circa actum phantaſiæ, & ſenſuum externorum.* ibid.
Voluntas poteſt vim pati in ceſſatione actuum imperatorum dupliciter. 33

§. 2. Eius obiectum.

Voluntas non poteſt appetere malum ſub ratione mali. 51. 2. *Confirmatur auctoritate SS. Patrum, & ratione.* 52. 3
Quomodo voluntas appetere poſſit non eſſe. 4
Poteſt velle malum quà malum alteri, non ſibi. 4
Quomodo homo poſſit nolle beatitudinem. ibid.
Volens antecedens cenſetur interpretatiuè velle conſequens ei neceſſariò connexum. ibid.
Quomodo detur actus voluntatis abſolutus, quomodo conditionatus. 53. 5. & 6
Differentia inter Vellem, & Volo ſub conditione. ibid. *Quid voluntas efficax, quid inefficax.* 129. 5
Voluntas vt alicui rei afficiatur, debet eam cõſiderare vt in ſe bonam, vel bonam propter aliud. 54. 10
Voluntatis obiectum an & quomodo ſit finis. 55. 13
Voluntas poteſt dupliciter ferri in finem, directè & indirectè. 12. *Quid ſit ferri in finem directè.* ibid. *Quid indirectè.* ibid.
Voluntas non eodem actu fertur directè in finem, & directè in media. ibid.
Eodem tamen actu quo fertur directè in medium, fertur indirectè in finem. 13
Quando voluntas fertur in finem, & in medium ſeorſim ſpectatum fertur diverſo motu. 74. 9
Quando voluntas fertur in mediũ propter finem, eodẽ actu fertur in mediũ & in finẽ, ſed diverſo modo. ib.
Voluntas fertur eodem actu in obiectum quod appetitur, & perſonam ſeu rem cui appetitur. 56. 15
Voluntas propoſito obiecto ſe determinat. 85. 7
Voluntatis conſenſus non eſt fortuitus. 96. 10
Voluntas poteſt aſſentiri minùs probabili. 99. 21

§. 3. Eius motiuum.

Obiectum mouet voluntatem ad ſpeciem actus. 59. 11
Voluntas mouet potẽtias quæ nõ ſunt ex parte ſubiecti determinatæ vt ſemper agant. 57. 4. *Non mouet eas effectiuè per realem influxũ in eas.* 5. *Nec voluntas cauſat immediatè motum localem.* ibid. *Sed mouet alias potentias ratione naturalis vnitatis vel connexionis in eadem eſſentia.* 6
Aliter mouet intellectum ad exercitium, aliter imaginatricem. 58. 6
Cognitio obiecti nõ concurrit effectiuè cũ volũtate, ſed voluntas ſola eſt cauſa ſui actus. 10. *Non poteſt tamen actũ inchoare ſine obiecti præuia cognitione.* 16. *nec ſine actuali cognitione continuare.* 17. *ne diminitus quidem.* 17
Volũtas non poteſt intellectũ determinare ad rem aliquam, niſi intellectus antè confuſè eã cognoſcat. 18
Voluntas quæ vult intellectum nihil cogitare, pro iſto inſtanti quo ipſa eſt, eſt ſibi contraria, pro ſequenti tunc ipſa etiam ceſſat. ibid.
Voluntas interdũ mouetur ab appetitu ſẽſitiuo. 64. 28
Sed nunquam immediatè. 29
Verè & propriè moraliter & phyſicè mouet ſe in primis ſuis actibus. 65. 33. *Non eſt tamẽ neceſſe vt præcedat conſultatio.* 34. *Explicatur circa hoc mens D. Thomæ.* ibid.
Non mouetur directè à corporibus cœleſtibus, ſed tantùm indirectè & quomodo corpora cœleſtia hominum moueant voluntates. 35
Mouetur à ſolo Deo tamquam à principio externo motûs 69. 36. *Idque quinque modis.* 66. 37
Quæ circa hos modos ſit mens D. Thomæ. 38
Directè ad exercitium actus à nulla creatura moueri poteſt. 70. 40. *Poteſt tamen indirectè.* 67. 40

§. 4. Eius motus naturalis.

In quæ bona voluntas moueatur naturaliter. 68. 1
Voluntas nihil amat naturaliter ſecundùm exercitium, ſed quædam ſecundùm ſpeciem actus. 2
Voluntas quà natura, voluntas quà voluntas quid ſignificent. ibid.
Voluntas non neceſſitatur ſecundùm exercitium ab vllo obiecto. 3
Sæpè tamen mouetur neceſſariò ſimplici affectu. 4
Voluntas neceſſariò mouetur ſi paſſio rationis vſum prorſus impediat. 72. 5. *Si aliquid rationis maneat, non mouetur neceſſariò.* 69. 5
Quomodo intelligendus ſit D. Thomas cùm dicit, Motus voluntatis eſſe liberos, etſi à Deo proueniant. 7

§. 5. Voluntas bona & mala.

Vt voluntas ſit bona, quomodo obiectum debeat eſſe volitum. 114. 12
Quot modis bona volũtas depẽdeat à lege æterna 109. 15
Bona voluntas non neceſſariò pendet à lege æterna tamquam ab obiecto. ibid.
Vt volũtas ſit bona, debet habere iudicium moraliter

certum rem esse licitam. 117. 55
Bonitas voluntatis dependet ex conformitate ad divinam. 125 98
Omnis voluntas discordans à ratione sive rectâ sive errante, mala est. 100. 18
Voluntas concordans rationi erranti errore culpabili, mala est. 19. *Erranti verò errore inculpato, non est mala.* 111. 19
Voluntas potest agere contra iudicium actuale. 22
Mala est voluntas operans in particulari si conscientia sit practicè dubia. 117. 54
§. 6. Conformitas nostræ voluntatis cum divina.
Vt voluntas sit bona, debet esse cõformis cum divinâ. 131. 98. *Quid ad hanc conformitatem sufficiat.* ibid.
Quatuor modis Deus vult nos aliquid velle, quod ipse vult. 126. 100
Non tenemur nos conformare voluntati divinæ solùm consulenti vel approbanti, sed præcipienti vel prohibenti. 101
Tenemur nos cõformare volũtati divinæ actum liberũ nostrum prædefinienti, si de ea nobis constet. 103
Tenemur semper nos conformare voluntati divinæ in aliqua ratione volendi, idque dupliciter. 105.
Non tenemur conformari voluntati divinæ in re materialiter volita. 133. 106. *Imò sæpè possumus laudabiliter contrarium velle.* 127. 107
Eadem res aliter à Deo, aliter ab homine approbari aut improbari potest. 108
Quod Deus vna ratione vult, alia ratione non vult. ibid.
Quid propriè optet, qui optat divinam voluntatem non impleri. 109
Impiè ageret qui absolutum Dei decretum vellet impedire. 110
Laudabile est in omnibus idem velle quod vult Deus. 112.
Sæpè tamen insuper tenemur de quibusdam displicẽtiam & dolorem concipere. 128. 113
Contraria sententia Tostati refutatur. 114
Quidquid vult Deus, vult ob iustissimas causas. 127. 112
Deus & beati idem in omnibus volunt. ibid.

Votum.

Si dubitas an votum sit emissum, rectè petes dispensationem. 119. 67
Certùs de voto emisso, dubitans an id expleverit, debet explere. 68
Qui potest tollere votum simplex, potest etiam tollere iuramentum supræillud cadens. 202. 7
Votum castitatis in sæculo valdè laudabile. 285. 4
Dirimit sponsalia. 276. 16
Quomodo quis possit solui voto non petendi dispensationem à suo voto. 286. 15
Votum illud est perpetuum quo vouet laicus se seruiturum in hospitali, & seruaturum obedientiam, castitatem &c. nec potest sua auctoritate institutum relinquere. 287. 16. 17
Episcopus potest dispensare in omni voto non reservato Papæ. 19

Vsurarius.

Qui vult exercere vsuras, quia putat esse licitas, peccat. 111. 19
Testamentum vxoris publici Vsurarij est validum. 288. 1.
Esse vxorem publici vsurarij non facit esse manifestam vsurariam. 289. 7
Vsurarius solo iure Canonico est inhabilis ad testandum. 288. 1
Hæc inhabilitas quomodo tollatur. 2
Soli vsurarij manifesti sunt inhabiles ad testãdum. 3.
Testamentum publici vsurarij potest ex triplici causa esse validum. 289. 5. & 6
Requisita vt quis censeatur publicus vsurarius. 7
Non sufficit quòd post mortem fiat manifestum viuẽtem fuisse vsurarium. 9
Ned quòd quis in iudicio fit confessus se simpliciter fuisse vsurarium. 10
Nec sufficit infamia. ibid.
Frequentatio Sacramentorum arguit aliquem non esse publicum vsurarium. 290. 11
Tutores pupillorum pecuniam illorum dantes ad vsuram, quomodo excusandi. 13
Mutuum dedisti vsurario bona fide, repete bonâ commoditate. 14
Lucrum ex dato mutuo vsurario restituendum; nisi vsurarius gratuitò donet, vel sit titulus lucri cessantis. 15.
Mutuare vsurario sine causa, solùm titulo lucri cessantis, est peccatum. 16. *Non tamen obligat ad restitutionem.* 17. *Etiamsi per hoc vsurarius fiat impotens.* 291. 18
Mutuare vsurario cum iusta causa, non est peccatum. 20.
Commoditas iusti lucri non est sufficiens causa mutuandi vsurario. 282. 20
Vsurarijs licitè imponitur tributum. 21

Vsus.

Vsus est actus voluntatis. 8. 1
Vsus accipitur actiuè & passiuè. ibid.
Vsus passiuus propriè dicitur vsus formalis. ibid.
Ad vsum quatuor concurrunt. ibid.
Vsus non conuenit brutis. 81. 2
Non potest esse vsus vltimi finis, sed tantùm ad eum vtilium. 3
Vsus tripliciter accipitur. ibid.
Quomodo omnibus rebus, excepto vltimo fine, possimus vti. 5
Quomodo vsus præcedat electionem, & contrà. 6
Quomodo idem actus sit electio & vsus actiuus. ibid.
Vsus actiuus aliquando distinctus est ab electione. ibid.
Circa hæc explicatur mens D. Thomæ. ibid.
Vsus aliquando præcedit imperium, & contrà. 87. 12.

FINIS.

Digitized by Google

R. P.

LEONARDI LESSII

E SOCIETATE IESV THEOLOGI

IN III. PARTEM D. THOMÆ

DE INCARNATIONE VERBI

PRÆLECTIONES THEOLOGICÆ

POSTHVMÆ.

OLIM IN ACADEMIA LOVANIENSI

Anno M. D. LXXXVII. primùm,

iterum M. D. XCV. propositæ.

E T

Tam in vitâ, quam a morte Auctoris plurimorum votis ad prælum expetitæ.

Digitized by Google

Ad Tertiam Partem D. Thomæ
DE
INCARNATIONE VERBI DEI.

INDVCTIO.
De Obiecto huius Tertiæ Partis.

PRiusquam ad primæ quæstionis explicationem accedamus, enodanda sunt quędam præludia proëmij loco.

DVBIVM I.

Quod sit obiectum seu materia huius Tertiæ Partis?

1 Diuisio Tertiæ partis.

REspondeo, hæc pars continet tres Tractatus, qui diuersam habent materiam subiectam. In primo, agitur de Christo Redemptore generis humani, diuinâ humanâque naturâ constante, eiusque excellentiâ, meritis, & satisfactionibus, alijsque humanitatis mysterijs vsque ad quæst. 60. In Secundo, de instrumentis quibus redemptionis meritum nobis applicat, noſque iustificat: quæ sunt septem Sacramenta. In Tertio, agit de resurrectione, vitaque beata; quæ est finis nostræ redemptionis & iustificationis.

Obiectū Tractatus de Incarnatione est Christus vt Deus & Homo.

Itaque primi Tractatus obiectum, est Christus *Deus & Homo*; quia hîc agitur de admirabili illa vnione, qua effectum est vt eadem persona esset Deus & homo; & de ijs, quæ ex hac vnione tanquã proprietates quędam sequuntur. Non tamen hîc agitur de omnibus quę ad naturam diuinam & humanam pertinent, sed illa supponuntur ex 1. parte. Vnde hæc tractatio ordine doctrinę posterior est 1. parte, in qua de diuina & humana natura seorsim agitur. Posteriot etiá est parte 2.; tum quia tractatio finis, prior est tractatione mediorum: atqui causa finalis Incarnationis fuit liberatio à peccatis, collatio gratię, & virtutum, & beatitudinis; de quibus agitur in parte 2: tum quia consideratio eorum quę naturâ suâ nos ordinant in finem vltimum, prior est, quàm quæ solùm expositiua Dei ordinatione ad salutem disponunt.

5 Quomodo de christo possit esse scientia.

Dices, Christus Dominus est quid singulare, de singularibus autem non est scientia, vt dicunt Philosophi: ergo Christus non est obiectum huius scientiæ.

Respondeo Primò, Theologia considerat communem rationem vnionis hypostaticæ contentam in hoc indiuiduo; quę ratio est communicabilis multis: Deus enim omni creaturæ rationali hypostaticè vniri potest; sic que Theologia considerat illud singulare, sub ratione formali vniuersalis.

Respondeo Secundò, De singularibus potest esse fides, quatenus subsunt diuinæ reuelationi: & ita ex illis tanquam ex fidei principijs possunt colligi necessariæ conclusiones modo scientifico.

Addo, Multa tractari in Theologia, non tam modo scientifico, quam historico; vt sunt, gesta Christi & Sanctorum; & multa facta diuinæ potentiæ, quæ per modum exemplorum vel rerum mirabilium adducuntur; vt ex illis mores informentur, vel diuinæ perfectiones meliùs intelligantur. Huiusmodi ferè sunt quæ habet D. Thomas à quæst. 27. vsque ad 60.

DVBIVM II.

Quomodo diuidatur hic Primus Tractatus qui est de Christo?

REspondeo, In quinque Partes. Prima est, De vnione Verbi & humanæ naturę, & de ijs quę hanc vnionem sequuntur. Secunda est, De natiuitate eius seu ingressu in hunc mundum. Tertia, De progressu vitę illius, miraculis, alijsque operibus. Quarta, De morte Christi, seu egressu ex hoc mundo. Quinta, De regressu ad Patrem: resurrectione, ascensione, sessione ad dexteram Patris.

DVBIVM III.

Vtrùm hoc mysterium conuenienter dicatur Incarnatio?

4 Incarnationis diuersa nomina.

RÉspondeo, Etsi olim quidam Catholici veriti sint vti hac voce, vt ait Athanasius sermone de Deipara, ne viderentur sentire cum Apollinaristis Christum solam carnem sumpsisse sine anima rationali; tamẽ recepta est ab Ecclesia & Patribus, saltem à tempore Concilij Nicæni, in cuius Symbolo habetur, *Et incarnatus est*, & deinceps positum est in aliorum Conciliorum Symbolis. Omnes etiam Patres ea voce vtuntur. Cyprianus lib. 2. contra Iudæos cap. 2. Ambrosius toto libro de Dominicę Incarnationis Sacramento Augustinus lib. 10. de Ciuit. cap. 29. Cyrillus lib. 1. in Ioannem cap. 15. Vocatur etiam à Græcis ἐνανθρώπησις, id est, *Inhumanatio*: Ita Damascenus lib. 3. cap. 6. & cap. 11. de Orthodoxâ fide: & Concilium Ephesinum in epistola ad Nestorium. Vocatur etiam aliquando *Corporatio*: ita Tertullianus libro de carne Christi; vt & Hilarius.

Inhumanatio.

Corporatio.

Digitized by Google

5 Conuenientissimè dicitur Incarnatio.

Aduerte tamen, nomen *Incarnationis* esse conueuientissimum. Primò, quia Ioannis 1. vers. 14. dicitur *Verbum caro factũ est*; quod nihil est aliud, quàm Verbum Incarnatum. Vbi nomine carnis, iuxta phrasim Hebræam, intelligitur totus homo: sicuti Lucæ 3. vers. 6. *Videbit omnis caro salutare Dei*, id est, omnis homo. Genes. 6 vers. 12 *Omnis caro corruperat viam suam*. De quo vide D. Augustinum in Enchiridio cap. 34. & lib. 14. de Ciuit. cap. 2.

Secundò, quia indicat id quod videbatur difficilius, & magis à Deo alienum; vnde magis insinuat pietatem & amorem Dei erga homines, quàm alia nomina: quare meritò 1. ad Timoth. 3. vers. 16. dicitur *Manifestè magnum esse pietatis Sacramentum, quod apparuit in carne.*

Tertiò, Quia caro includit animam; non enim assumpsit carnem mortuam, sed viuam.

6 Vocatur etiam Oeconomia.

Porrò, nomen *Oeconomiæ*, quo etiam multi Patres in hac materiâ vtuntur, potiùs significat ipsam Dei extraordinariam ordinationem, & dispensationem, qua constituit assumere naturam humanam, & in eâ salutem nostrã operari, quàm ipsam Incarnationem. Sed Incarnatio est effectus illius Oeconomiæ; quam ob rem etiam interdum *Oeconomia* dicitur.

DVBIVM IV.

Vtrùm hæc Tractatio præstantior sit cæteris Theologiæ partibus?

7 REspondeo, Esse præstantiorem, excepta eâ quæ est de diuina natura, & personis diuinis. Ratio est, Quia Incarnatio est excellentissimum diuinorum operum, omni sermone ineffabilis, omnique intelligentiâ ignota; scilicet comprehensiue; vt ait Dionysius lib. de Diuinis Nominibus, c. 2. Vnde post Trinitatis mysterium nihil sublimis Incarnatione Verbi. Præstat cæteris Theologiæ partibus.

Secundò, Quia sicut diuinitas est vniuersalis causa salutis nostræ efficiens, ita Christus incarnatus est vniuersalis causa meritoria, ex qua omnia media, quibus ad vltimum finem peruenimus dependent: ac proinde præstantior est eius tractatio, quàm omnium mediorum.

Hinc sequitur, Eam esse maximè propriam Theologiæ Christianæ. Cuius signum est, quòd licet gentiles Philosophi, multa de ijs, quæ ad alias Theologiæ partes pertinét, disputauerint, vt de natura diuina, de creatione mundi, de Angelis, de virtutibus & vitijs; tamẽ nihil vnquam de mysterio Incarnationis cognoscere potuerũt. Adeò illud proprium est Christianæ Theologiæ. Quare Augustinus lib. 7. Confess. cap. 9. legisse quidem dicit se in libris Platonicorum: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, & omnia per ipsum facta sunt*, nunquam tamen se legisse, *& Verbum caro factum est*. Similia habet Augustinus lib. 10. de Ciuit. cap. 29. Nec mirum, quia gentibus hoc mysterium stultitia videbatur, sicut & Iudæis ignominia; vt Apostolus ait, 1. ad Corinth. 1. vers. 23. 8 Soli Christianismota & propria.

QVÆSTIO PRIMA.

De conuenientia Incarnationis.

In Sex Articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum conueniens fuerit Deum incarnari?

1 REspondetur affirmatiuè; Et probatur testimonio Damasceni & Dionisij Areopagitæ.

Notandum est, supponere D. Thomam Incarnationem esse possibilem: fortè ideò quia id directè probari non poterat; sed solùm poterant solui argumenta contraria: quod fiet in sequentibus.

Occurrunt hîc quatuor Dubia.

DVBIVM I.

Vtrùm sepositâ redemptione generis humani, sit per se conueniens Deum incarnari? id est.

2 *Vtrùm præter redemptionem generis humani, sint aliquæ rationes, ob quas potuerit hoc esse conueniens?*

REspondeo esse. Probatur, Quia id est conueniens Primò, diuinæ bonitati: secundò, perfectioni vniuersi: tertiò, humanæ naturæ.

Incarnatio est conueniens diuinæ Bonitati.

Quod diuinæ bonitati conueniens sit,

Probatur; Quia boni est communicare seipsum, vt docet Dionysius cap. 4. de Diuin. Nomin. ergo decet summum bonum, summè communicare seipsum: atqui hoc fit per mysterium Incarnationis: ergò decuit diuinam bonitatem carnem assumere. Vbi

Nota: Non esse de ratione boni, communicare se actu: sed esse sui communicatiuum: id est, esse perfectum vt possit se communicare, & ad hoc habere quandam propensionem. Communicare autem se actu, est signum bonitatis, & operatiõ illi maximè consentanea.

Petes; Quomodo communicat seipsum summè in hoc mysterio?

Respondeo: Tripliciter: Primò, In genere causæ formalis: quia non aliquam perfectionem creatam & limitatè, sed suam increatam & immensam cõmunicat creaturę, ita vt creatura incipiat esse immensa. Secundò, In genere causæ efficientis: quia creaturam facit esse Deum. Tertiò, In genere causæ finalis: quia maximè allicit nos, per hoc opus, ad sui amorem & studium. Vide D. August. in Enchiridio cap. 26. & lib. 10. de Ciuit. cap. 29. Explicatur exemplo: Si lux solis esset per se subsistens extra globum solis, & poneret seipsam efficienter & formaliter in ipso

3 Communicatio per incarnationem est summa tripliciter.

A simili.

Digitized by Google

in ipſo globo ſolari, communicaret ſeipſam ſummè per modum cauſæ efficientis, & formalis ſimul; ſed reſpectu noſtri, per modum cauſæ finalis; 3 nam per hoc maximè excitaremur ad illam videndam, & amandam; maximè ſi antè fuiſſet incognita.

Aduerte: In alijs rebus, communicationem formalem & effectiuam, non eſſe reſpectu eiuſdem, nam forma ſubiecto quidem ſuo formaliter ſe communicat, non effectiuè: rei autem productæ, effectiuè, 4 tantùm, non formaliter.

Dices. Deus communicat ſeipſum excellentiori modo per generationem æternam: ergo communicatio Incarnationis, non eſt ſumma.

Deus ſe communicat liberè creaturis quadrupliciter.

Reſpondeo, Communicatio illa per generationem, eſt omninò naturalis, nec poteſt fieri creaturæ, vnde abſolutè eſt ſumma: ſed communicatio per Incarnationem, ſumma eſt, non abſolutè, ſed reſpectu creaturæ; & inter communicationes ad extra, ſeu liberas. Nam cum Deus communicet ſe creaturis quadrupliciter; Primò, Tribuendo cuique ſpeciem & naturam, quæ eſt imitatio & quædam participatio naturalis diuini eſſe: Secundò, Tribuendo naturæ rationali virtutes ſupernaturales donaque gratuita, quæ ſunt participationes altiores diuinarum perfectionum. Tertiò, Tribuendo naturæ rationali lumen gloriæ, quo particeps ſit diuinæ beatitudinis, & ornamenta ſupernaturalia ſtatui glorioſo conſentanea: Quartò denique, Dando illis non aliquam ſui participationem & veluti particulam, ſed ſeipſum totum, ſecundum totam ſuam immenſitatem, quod fit per Incarnationem: hæc quarta, eſt ſumma communicatio poſſibilis.

Dices, Deus communicat ſeipſum totum immediatè in beatitudine; quia per ſeipſum immediatè mentibus beatorum vnitur: ergo ad ſummam communicationem non erat neceſſaria Incarnatio. Deinde, magis ſeipſum communicaſſet, ſi omnes perſonæ aſſumpſiſſent; & ſi plures naturæ fuiſſent aſſumptæ: vel etiam totum vniuerſum. 5

Incarnatio ſuperat communicationem beatorum

Reſpondeo ad primum: Communicatio illa, quâ Deus ſe communicat beatis, eſt extrinſeca. Sicuti lux ſolis, communicatur oculo dum videtur; ita Deus dicitur beatis communicari, quatenus ipſe immediatè videtur, & per ſeipſum concurrit ad illam viſionem efficiendam. In Incarnatione autem Deus per ſeipſum intimè communicatur creaturæ, & in illa corporaliter inhabitat ita vt creatura ſit Deus.

Communicatio extenſiua non arguit maiorem perfectionem

Reſpondeo ad ſecundum. In illo caſu communicaſſet ſe magis extenſiuè, non intenſiuè: atqui extenſiua communicatio, non eſt per ſe primo intenta; quia termino caret; ſed intenſiua: non enim pertinet per ſe primò ad perfectionem operum Dei, vt toc, vel toc ſint indiuidua; ſed diſtinctio generum & ſpecierum.

Adde, Quòd non ſit poſſibile, vt ſit ſumma communicatio extenſiua. Vnde ſufficiebat, vt vna perſona aſſumeret vnam naturam; quod etiã pertinet ad commendationem huius myſterij; nempe vt in toto vniuerſo eſſet vnicum & ſingulare.

Secundò, Quòd conueniens ſit perfectioni vniuerſi;

6 Eſt conueniens perfectioni vniuerſi.

Probatur primò, Quia ad vniuerſi perfectionem quodammodo pertinebat, vt ex omnibus rerum ordinibus conſtaret, quo Deo eſſet quàm ſimillimum: ergo præter ordinem naturæ, gratiæ & gloriæ, conſentaneum erat, vt tanquam omnium complementum, etiam eſſet ordo, ſiue gradus vnionis hypoſtaticæ.

Probatur Secundò, In omnibus reb⁹ creatis, vna tantùm perſona eſt in vná naturâ; in Deo tres perſonæ ſunt in vna natura: ergo vt eſſent omnes differentiæ rerum, conueniens erat, vt vna perſona eſſet in duabus naturis. Simili namque modo, D. Leo ſerm. de Natiuitate, probat conueniens fuiſſe, vt aliquis homo eſſet productus ex muliere ſine viro; quia inuenitur homo productus ſine viro & muliere: & productus ex viro & muliere, vt nos omnes; & productus ex viro ſine muliere, vt Eua: ergo debet eſſe aliquis productus ex muliere ſine viro vt Chriſtus.

In Homine voluerit creatura aſſumpta eſt.

Probatur Tertio, Quia per Incarnationem, omnis creatura ſingularem quandam dignitatem accepit: Nam omnis creatura in homine quodammodo eſt aſſumpta, quod in alia natura fieri non poterat: in homine enim omnes rerum gradus continentur; vt docet Damaſcen. lib. 2. de Fide orth. cap. 12. Eſt enim in ipſo natura corporea, communis cum rebus inanimis: eſt vegetabilis cum plantis; ſentiens cum animalibus; intelligens cum Angelis. Vnde vocatur à Philoſophis μικρόκοσμος; & iuxta D. Gregorium hom. 29. in Euang. vocatur *omnis creatura*. Hanc excellentiam omnis creaturæ contentam in homine, explicat Ireneus lib. 3. contra hæreſes cap. 18. Et Caietanus hic. Videtur etiam quibuſdam inſinuari ab Apoſtolo ad Epheſios 1. v. 10. vbi ait: *Per Chriſtum inſtaurari omnia, quæ in cælis, & quæ in terris ſunt.* Vbi pro *inſtaurare*, Græcè habetur ἀνακεφαλαιώσασθαι quod ſignificat, *in ſummâ & compendio complecti*, ſeu vt Ireneus ait *Recapitulare*. Quaſi Apoſtolus voluerit dicere, in Chriſto omnia colligi & vniri, quæ in cælo & in terra diſperſa ſunt.

Tertiò. Quòd Incarnatio valdè fuerit conueniẽs naturę humanæ.

7 Eſt conueniens naturæ humanæ.

Probatur Primò, Quia per eam effectum eſt, vt homo eſſet Deus; vnde plurimæ ſequuntur excellentiæ. Primò, Vt homo ſit caput totius vniuerſi. Secundò, Vt ſit capax infiniti meriti & perfectiſſimæ iuſtitiæ coram Deo. Tertiò, Vt ſit fons ſalutis, & omnium bonorum ſupernaturalium. Ad Epheſ. 1. v. 3. *Qui benedixit nos omni benedictione ſpirituali in cœleſtibus in Chriſto.* Quæ dignitates, etſi videantur eſſe ſolius Chriſti; tamen moraliter in totum genus humanum redundant.

Probatur Secundò, Per Incarnationem effectum eſt, vt ſinguli homines haberent ius perfectæ iuſtitiæ ad gratiam Dei, & gloriam cæleſtem; non quidem in ſeipſis, ſed in Chriſto. Ita enim debetur hominibus gratia & gloria, vt reſpectu Chriſti, ſit debitum ex iuſtitia; quamuis reſpectu noſtri ſit gratia aut miſericordia, vel ſaltem non ita perfecta iuſtitia.

Probatur Tertiò, Effectum eſt, vt haberemus caput eiuſdem generis nobiſcum: ſeu vt Theologi loquuntur, *Caput homogenium in ordine gratiæ* Vnde Auguſt. Tract. 80. in Ioannem: *Eiuſdem* ait *ſunt naturæ vitis & palmites; cùm igitur eſſet Deus, cuius naturæ nos non ſumus: factus eſt homo, vt in eo eſſet vitis humana natura, cuius nos palmites eſſe poſſemus.* Cum enim Eccleſia conſtet Angelis & hominibus, ſecundùm naturam inuiſibilem erat Deus ſimilis Angelis, ſed non nobis: vnde decebat eum aſſumere naturam viſibilem, vt etiam fieret ſimilis nobis, vt noſtra humilitas, quæ eſt Angelis inferior, hâc ratione compenſetur.

Aduerte tamen; Etiamſi ob has rationes conueniens videatur, vt Deus homo fieret, etiam ſepoſitâ redemptione humanigeneris: tamen non deeſſe alias rationes ob quas etiam fortè magis

conueniens videatur vt non fieret, niſi ſuppoſitâ neceſſitate noſtræ redemptionis.

DVBIVM. II.

Vtrùm Deum incarnari, fuerit conueniens ad reparationem generis humani?

8 Cur homo lapſus, potius ſit redemptus quàm Angelus.

SVppono ob multas rationes fuiſſe magis conueniens, vt homo lapſus redimeretur, quàm angelus. Primò, Quia tota humana natura ceciderat: Angelica ſolùm ex parte. Secundò, Quia omnes homines vnâ tantùm voluntate peccarunt, eâque alienâ, nempe primi parentis: Angeli autem ſinguli, ſua voluntate. Tertiò, Quia natura humana eſt magis infirma & calamitoſa, vnde magis apta ad mouendam Deo commiſerationem. Quartò Quia homo ob naturæ imperfectionem habet voluntatem facilè mutabilem, & longam viam in qua poſſit pœnitere: Angelus autem naturâ ſuâ magis eſt inflexibilis, vnde non eſt ita facilis ad pœnitendum: deinde breuiſſimam natura ſuâ poſtulat viam. Quintò denique, Quia Angelus ſponte ſua cecidit: homo autem inductus à dæmone per mulierem. Omitto alias minutiores. Quibus poſitis:

9 Reſpondeo, Ad reparationem humani generis, nullum potuiſſe inueniri modum conuenientiorē, quam Filij Dei Incarnationem.

Eſt certa & communis Doctorum ac Patrum: D. Auguſtinus 13. de Trinit cap. 10. Expreſſè dicit, *Sanandæ miſeriæ noſtræ conuenientiorem alium modum non fuiſſe.* Idem docet D. Leo ſerm. 1. de Natiuit. item ſerm. 4 & 10.

In Incarnatione maximè elucet iuſtitia diuina.

Probatur Primò. Quia maximè fuit conueniens, vt homo redimeretur iuſtiſſima & perfectiſſimâ ſatisfactione. Primò. Quia in tali maximè elucet iuſtitia diuina: quod valde ad gloriam Dei pertinet, & ad perfectionem operum diuinorum: Nam ſic, quod per peccatum in ordinatum erat excellentiſſimo modo ad ordinem reuocatur.

Miſericordia.

Excitatur etiam homines vt maiori circumſpectione peccata deuitent, cognitâ hâc Dei Iuſtitiâ: de quo vide Anſelm. lib. Cur Deus homo cap. 12. Secundò Maximè elucet miſericordia Dei, vt docet Damaſc. lib. 3. de Fide cap. 1. Quia non ſolum datur homini venia & tempus pœnitendi & ſatisfaciendi: ſed etiam dantur vires & infinita bona, quibus perfectè ſatisfiat. Facit quoque ad maiorem hominis dignitatem & gloriam, &

Sapientia.

ad maiorem animi tranquilitatem, vt oſtendit Richard. de Sancto Victore libro de Incarnatione cap. 8. Tertiò, Maximè elucet Sapientia: quia vt ait Damaſcen lib. 3 de Fide cap. 1. *Inuenta eſt difficillimi pretij decentiſſima ſolutio, & in eodem opere coniuncta eſt artiſſimè ſumma miſericordia & iuſtitia, quæ antea pugnare videbantur*, iuxta illud Pſalm. 84. *Miſericordia & veritas obuiauerunt ſibi, iuſtitia & pax oſculatæ ſunt.* Atqui homo non poterat redimi iuſtiſſimâ ſatisfactione, & perfectâ iuſtitiâ, niſi Deus hypoſtaticè vniretur humanæ naturæ, vel ſaltem naturæ rationali: vt dicemus attic. ſequenti: ergo hic fuit conuenientiſſimus modus.

10 Non decebat peccatum liberaliter à Deo condonari.

Probatur Secundò, Per decem vtilitates quas refert D. Thomas art. 2. Vide illum.

Dices: Deus maximè eſt liberalis: ergo magis conſentaneum erat, vt liberali condonatione, ſine aliqua ſatisfactione, genus humanum repararetur.

Reſpondeo. Negando Conſequentiam. Primò, quia etſi deceat priuatam perſonam ſine omni ſatisfactione iniuriâ remittere, nō tamē id ita decet publicam: cuius eſt vindicare crimina, vt ſeruetur iuſtitia. Secundo Quamuis Deus ſit maximè liberalis & miſericors, nō tamen eſt minùs iuſtus: vnde conuenientiſſimum fuit: vt is modus adhiberetur, in quo ſumma liberalitas & iuſtitia coniungerentur. Vius eſt enim ſummâ liberalitate & miſericordiâ erga nos: & ſummâ iuſtitiâ erga Chriſtum ſatisfacientem.

Dices Secundò, Videtur contra iuſtitiam, exigere ſatisfactionem ab innocente, & tradere illum morti pro impio.

Reſpondeo: Non eſſe contra iuſtitiam, quando innocens in hoc conſentit: conſenſiſſe autem Chriſtum patet Pſalm. 39. verſ. 7. *Sacrificium & oblationem noluiſti, corpus autem aptaſti mihi. Holocauſtum & pro peccato non poſtulaſti, tunc dixi, Ecce venio. In capite libri ſcriptum eſt de me, vt facerem voluntatem tuam. Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei.* Quem locum Apoſtolus interpretatur de Chriſto ad Hebr. 10. Poſtquam autem Chriſtus conſentit, tenebatur ex iuſtitiâ per modum fideiuſſoris, pro nobis ſatisfacere.

Satisfactio pro homine, non fuit innocenti Chriſto iniuria ſa-

Accedit: Quod iſta ſatisfactio, etiam ipſi Chriſto fuerit vtiliſſima. vt patet ad Philip. 2. v 9. *Propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen.*

Addet Cùm Deus ſit abſolutus omnium dominus, potuiſſe eum diſponere de Chriſti humanitate pro ſuo arbitratu ſine vllâ iniuriâ.

Dices Tertiò, Videri fuiſſe quandam prodigalitatem, dare rem infiniti pretij pro bono finito alterius recuperando: id eſt, pro ſalute hominum, profundere vitam Chriſti.

Neque ea ſequitur prodigalitas.

Reſpondeo: Fructus huius myſterij, non ſiſtit in ſola hominum ſalute: ſed redundat in maximam Dei gloriam & etiam ipſius Chriſti dignitatem. Et, quamuis vita Chriſti ob excellentiam perſonæ fuerit infinitæ dignitatis: tamen non erat phyſicè & realiter infinita. Deinde: ad breue ſolum tempus erat exſtinguenda, moxque cum ſummâ gloriâ excitanda; hominum autem ſalus futura eſt ſempiterna.

Adde: Ea quę ſunt perfectiora, ſæpè à Deo ordinari ad opem, directionem, & perfectionem imperfectiorum. Sic Angelos ad hominum miniſterium deſtinauit ad Hebr. 1. verſ. 14.

DVBIVM III.

Vtrùm ratione naturali probari poſſit myſterium Incarnationis eſſe poſſibile.

Reſpondeo, Non poſſe conuinci demonſtratiuè hoc myſterium eſſè poſſibile, ab vllo intellectu ſiue humano ſiue Angelico. Ita Durand. & paſſim alij Doctores. ii Negatur

Ex Scriptura.

Probatur Primò, Ex Scriptura. Iſaiæ 53. v. 8. *Generationem eius quis enarrabit?* Quod non ſolùm de diuinâ generatione, ſed etiam de humanâ, id eſt de modo quo Deus factus eſt homo, & natus de Virgine, intelligitur à Patribus, vt Hieronymo & Cyrillo in hunc locum. Leone ſerm. 10. de Natiuitate. Chryſoſtomo hom. de Ioanne Baptiſta tom. 3. Iſaiæ 64. v. 4. *Oculus non vidit Deus abſque te, quæ præparaſti exſpectantibus te:* quod intelligitur de myſterio incarnationis. vt patet ex contextu Iſaiæ, & Apoſtoli 1. ad Corinth. 2. & inſinuatur nullo intellectu creato potuiſſe percipi ſine reuelatione, vt rectè oſtendit Caietan. in hunc locum 1. Corinth. 2. Apoſtolus ad Ephel. 3. v. 9. vocat.

iſtud myſterium, *Sacramentum abſconditum à ſæculis, in Deo, & inueſtigabiles diuitias Chriſti.* Et 1 Cor 2. v. 7. *Sapientiam loquimur in myſterio, quam nemo principum huius ſæculi cognouit*: quod eſſe myſteriũ Incarnationis paſſim omnes interpretantur.

Ex Patribus.

Probatur Secundò, Ex Patribus: Dionyſ. de diuin. nominib. cap. 2. parte 1. *ipſa Ieſu in carne apparitio, & ineffabilis eſt omni oratione, & ignota omni intelligentiæ; ipſi dignißimorum Angelorum primati non cognita.* Intellige comprehenſiuè vel certè lumine naturali. Iuſtinus in lib. de rectâ fidei confeſſione: *Diſpenſationis ſiue œconomiæ ratio, inexplicabilis eſt: nec eſt quod à me quiſquam vnionis modum requirat.* Poſtea tamen addit; *Non tamen ideo ab inquiſitione ceſſandum, vt non ſolùm credam⁹ ſed etiam, quantum Deus donauerit intelligamus.* Chryſoſt. hom. 10. in Ioan. *Arcanâ & inſcrutabili vnione, verbum adhæret carni.* Et hõ. de Ioan. Bap. *Miraris quòd ignorem quomodò Verbum caro factum ſit? omnis creatura ignorat*: intellige lumine naturali; nam ſtatu ſubdit, *Cognoſci diuinâ reuelatione.* D. Auguſt. Epiſt. 3. quæ eſt ad Voluſianum: *Hic ſi ratio quæritur, non erit mirabile; ſi exemplum poſcitur, non erit ſingulare, denus Deum aliquid poſſe, quod nos fateamur inueſtigari non poſſe: in talibus rebus tota ratio falli, eſt potentia facientis.*

Ex ratione.

Probatur Tertiò Ratione; Incarnatio eſt maximum opus omnipotentiæ Dei poſſibile; quia in eo eſt maxima communicatio poſſibilis. Vnde à D. Leone ſerm. 8. de natiuit. dicitur *Omnium miraculorum maximum.* Atqui nulla creatura poteſt comprehendere quidquid eſt Deo poſſibile; quia nec omnipotentiam Dei; nec potentiam obedientialem omnium creaturarum poteſt penetrare ſeu comprehendere: ergo &c. Secundò, Quia hoc myſterium, non ſolùm quatenus factum eſt, ſed etiam quatenus poſſibile, eſt omnino ſupernaturale; nec vllo modo continetur in principijs, vel effectis rerum naturalium; nec vllam affinitatem habet in ijs, quæ in totâ rerum vniuerſitate reperiuntur: ergo nulla eſt via hoc naturaliter inueſtigandi.

Incarnatio eſt planè incognoſcibilis naturaliter, quia planè eſt ſupernaturalis.

12. Dices, Angelus cognoſcit euidenter quid ſit natura humana, quid eius hypoſtaſis: ergo etiam cognoſcit eã ſuâ hypoſtaſi poſſe ſpoliari. Secundò, Cognoſcit accidens poſſe ſeruari ſine ſuo ſubiecto: ergo etiam naturam ſine ſuâ hypoſtaſi propriâ

Naturam ab hypoſtaſi poſſe ſeparari, non eſt angelis naturaliter euidens.

Reſpondeo ad primum; Incertum eſt an hypoſtaſis addat aliquid poſitiuum ſupra naturam, an ſolam negationem exiſtendi in alio: & ſic negari poteſt Angelum naturaliter cognoſcere naturam ſuâ hypoſtaſi poſſe ſpoliari. Secundò, Etiamſi Angelus poſſet cognoſcere naturam à ſua hypoſtaſi eſſe ſeparabilem, non tamen ideo cognoſcit illam ſubſiſtentiam poſſe ſuppleri per rem omninò diſtinctam. Sicut quantitas non poteſt figurari formaliter per figuram extrinſecam.

Ad ſecundum, Incertum eſt an Angelus poſſit cognoſcere naturaliter accidens à ſubiecto eſſe ſeparabile; quia non eſt euidens, influxum cauſæ materialis ſuppleri poſſe per cauſam agẽtem. Tamen eſſi hoc poſſet cognoſcere, non ideò poſſet etiam cognoſcere hoc myſterium; quia eſt longè ſublimius: nam vim & conditionem diuinæ ſubſiſtentiæ non poteſt naturaliter cognoſcere.

Dico Secundò, Poteſt tamen ratio naturalis fide illuſtrata, exemplis & coniecturis probabiliter

13. Incarnatio eſt probabilis, ſuppoſita fide exemplo inſitionis.

perſuadere iſtud myſterium eſſe poſſibile. Ita Durand. & alij.

Primò Exemplo inſitionis; ſicut enim ramus arboris antequam inſeratur, propriam ſubſiſtentiã habet: dum inſitus eſt: amittit propriam, & accipit ſubſiſtentiam arboris, cui inſeritur: adeo vt vna arbor dicatur pyrus & prunus: & id quod inſitum eſt, poteſt exareſcere, altero manente viridi: ſic humana natura inſita diuinę, amittit propriã ſubſiſtentiam, & accipit diuinam: ãdeò vt vna perſona ſit & Deus & homo: & humanitate exareſcente per paſſionem ac refloreſcente per reſurrectionẽ, diuinitas non eſt mutata. Ita D. Bonauentura & D. Thomas in 3. quæſt. 1.

Vnionis animæ ſpiritualis ad carnem.

Secundò, Exemplo vnionis animæ ſpiritualis per ſe ſubſiſtentis in carne mortali: anima enim poteſt vniri carni, etſi maximo interuallo diſtet, eamque vitificare ſuâ vitâ, & ad ſuam dignitatem attollere, vt ſint vna perſona ergo & Verbum diuinum poterit ſe vnire naturæ humanæ tribuere ſua ſubſiſtentiam, & illam euehere ad dignitatem diuinam, vt ſint vnus Chriſtus, idque ſine imperfectione. Habet hoc exemplum Auguſtinus epiſtola ad Voluſian, & Athanaſius in Symbolo.

Ferri candentis,

Tertiò, Exemplo ferri candentis, vbi inuiolabiliter duę integræ ſubſtantię inter ſe vniuntur; & altera tribuit alteri quodammodo ſuum eſſe, nempe ignis ſuum lumen & calorem, nihil à ferro accipiẽs Ita D. Baſilius oratione in ſanctam natiuitatem. et Damaſcenus lib 3. de fide c. 5.

ex myſterio 53. Trinitatis.

Quartò, Poſſunt etiam ſumi coniecturæ ex alijs fidei myſterijs: Primò, Ex myſterio Trinitatis, vbi vna natura eſt in tribus perſonis: cur ergo etiam tres naturæ, corpus ſcilicet, anima, & diuinitas non poſſent eſſe in vna perſona? cùm facilius videatur plures naturas conuenire in vnam hypoſtaſin, quã plures hypoſtaſes in vnam ſimplicem naturam. Item ſicut in Trinitate, vna perſona non eſt alia; tamen ob eſſentię vnitatem, omnia attributa eſſẽtialia ſunt communia, ita hîc, etſi vna natura non ſit alia: tamen ob perſonæ vnitatem, etiã propria naturarum erunt communia per communicationem idiomatum. Vnde dicimus deum *natum eſſe ex Maria Virgine, paſſum, mortuum, ſepultum: Et hominem iſtum eſſe omnipotentem, creaſſe omnia* &c. hanc ſimilitudinem explicat pulcherrimè Bernar. ſerm. 3. de Vigilia Natiuit. & Damaſcenus lib 3. c. 5. Secundò, Ex myſterio Euchariſtiæ, vbi videmus accidens ſeparatum eſſe à ſuo ſubiecto, & per ſe ſubſiſtere: ergo etiam ſubſtantia, nempe humana natura poterit ſpoliari ſuo ſuppoſito, & conſtitui in alio. Item ergo ſubſiſtens per ſe, poterit in alio collocari, & ab eo ſuſtentari, præſertim ab hypoſtaſi diuinâ, quæ eſt infinitæ perfectionis in ratione hypoſtaticâ, habetque vim ſuſtentandi infinitam: nam ſuſtentare aliud, nullam dicit imperfectionem.

ex myſterio euchariſtiæ.

Tertiò quia Deus eſt omnipotens, & creaturæ ſuæ intimè præſens, tamquam vita, ſpiritus, & eſſe ipſius: cur ergo non poſſet eam ſibi aſtringere & copulare, ita vt illam tamquam hypoſtaſis ſuſtentet: cùm hoc nullam imperfectionem inuoluat?

DVBIVM IV.

Verùm Incarnatio reipſa ſit facta, & quomodo id probari queat?

14. Varij errores circa Incarnationem,

NOtandum eſt, Incarnationem negari ab omni genere infidelium, Ethnici enim dicunt eſſe impoſſibilem: quorum argumenta ſuis locis ſoluentur: & quantum res patitur, oſtendimus dubio 3. eſſe poſſibilem. quod autem reipſa ſit facta, poteſt cõtra illos ex communibus fidei notis probari de quibus dictum eſt 2. 21 qu. 1.

Iudæi etiam negant illud eſſe præſtitum: con-

tra quos valent rationes illæ communes ex fidei notis; & præterea propriæ quædam, quibus oſtendemus Meſſiam in lege promiſſum iam veniſſe, & eſſe verum Deum; ac propterea hoc myſterium eſſe reuera præſtitum.

Hæretici autem varios errores circa hoc myſterium habent. Quidam enim negant eſſe Deum, aut extitiſſe antè ortum ex virgine: vt Ebion, Cherinthus, Paulus Samoſatenus, Photinus, & alij. Contra quos ſufficiunt ea quæ tractari ſolent in Tractatu de Trinitate; vbi oſtenditur Verbum ſeu Chriſtum eſſe Deum.

15 Alij errant circa Chriſti carnem: alij circa animam: alij circa perſonam, alij circa vnionem, quę ſuis locis refutabuntur. Tantummodò ſupereſt, vt oſtendamus contra Iudæos primò; Meſſiã veniſſe: Secundò; ipſum eſſe Deum: ita enim probauerimus myſterium Incarnationis reipſâ eſſe præſtitum.

Probatur contra Iudæos.

Quòd ad primum attinet, Meſſiam veniſſe; patet 1. Gen. 49. verſ. 10. vbi Iacob benedicens filio ſuo Iudę, ait, *Non auferetur ſceptrum de Iuda, & dux de fœmore eius, donec veniat qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio gentium.* Qui locus etſi variè legatur, vt patet ex Hieronymo in Quæſt. Hæbraicis, ſenſus tamen eſt idem: Hæbraice eſt: *Donec veniat* Scilo, *& ipſi congregabuntur omnes populi.* Vbi per *Scilo* intelligitur Meſſias. Quod patet primò; quia dicitur *Expectatio gentium*, quod eſt proprium nomen Meſſiæ: vt patet Aggæi 2. verſ. 8. *Veniet deſideratus cunctis gentibus.* Secũdò, quia Chaldæa paraphraſis vertit, *Donec veniat Meſſias, cuius eſt regnum.* Tertiò, Quia ita intellexerunt hunc locum omnes antiqui Rabbini, teſte Galatino lib. 4. cap. 4. de arcanis Theologicæ veritatis. Itaque ex hoc teſtimonio apertè habemus principatum populi Iudaici non eſſe auferendum a Iuda, donec Meſſias venerit; atqui iam à mille ſexcentis annis ablatus eſt, non ſolùm à tribu Iuda, ſed etiam à toto populo Iſraëlitico: ergo certum eſt Meſſiam iam veniſſe.

Scilo.

Dices, Multis annis ant Chriſti aduentum fuiſſe ablatum principatum de Iuda, nempe à temporibus Machabæorum; quo tempore tribus Leui principatum obtinebat; nam Sacerdotes etiam in politicis præerant.

Sceptrum de Iuda ablatum, tempore Meſſiæ.

Reſpondeo Primò; Per Iudam intelligi populum Iudaicum: in quo populo principatus vſque ad Chriſti aduentum fuit conſeruatus. Ita intelligit Euſebius lib. 1. Hiſtor. cap. 6. Et lib. 3. de demonſtr. Euangelic. c. 2. Iuſtinus Dialog. contra Triphonem circa medium. Auguſt. lib. 18. de ciuit. cap. 45. Idem inſinuat Athanaſ. lib. de Incarnat. Verbi. Et Chryſoſt. in hunc locum.

Reſpondeo Secundò & meliùs, Per Iudam intelligit tribum Iuda; nam ibi benedicit Iudæ filio ſuo & poſteris eius, ſicut alijs filiis. Vnde dico ſceptrum, id eſt, principatum, non eſſe ablatum de tribu Iuda. Quia poſtquam cæpit in ea, quod factum eſt propriè tempore Dauidis, ſemper mãſit principatus ipſius tribus, quamuis non adminiſtraretur per aliquem qui proprię eſſet ex illa tribu, vt per Machabæos &c. Quod patet primò. Quia ciuitas regalis, & ſedes regni, & totus ferè populus, ad eam tribum pertinebat: nam qui ex aliis tribubus illis erant permixti, pauci erant reſpectu ipſorum; ita vt nomen proprium aliæ illæ tribus amitterent.

Secundò: Quia in ditione tribus Iuda, omnes habitabant.

Tertiò; Quia Scriptura 4. Reg. 17. verſ. 18. totum populum Iudaicum qui poſt captiuitatem decem tribuum remanſit, vocat tribum Iudæ: *Iratuſque*, inquit, *Dominus Iſraeli, abſtulit eos à conſpectu ſuo, & non remanſit niſi tribus Iuda tantummodò*, cum tamen etiam tribus Beniamin, & multi alij qui ex alijs tribubus ad Iudam acceſſerant, remanſerint.

Quartò, Quia principatus electione populi illis temporibus dabatur, non autem iure hęreditario, vt patet 1. Machab. c. 9. quod ſignum eſt fuiſſe ipſius populi. Vide Pererium in c. 49 Genes.

16 Septuaginta hebdomades Danielis.

Probatur Secundo: Ex cap. 9. verſ. 24. Danielis: *Septuaginta hebdomades*, inquit Angelus Danieli, *abbreuiatę ſunt ſuper populum tuum, & ſuper vrbem ſanctam tuam, vt conſummetur pręuaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur iuſtitia ſempiterna, & impleatur viſio, & prophetia, & vngatur ſanctus ſanctorum.* Quem locum omnes antiqui Rabbini exponunt de Meſſia; Et patet ex illis verbis: *Et vngatur Sanctus Sanctorum*, quod eſt proprium nomen Meſſiæ. Et ex iſtis: *Vt conſummetur pręuaricatio. & adducatur Iuſtitia ſempiterna*. quod eſt officium Meſſiæ. Et infra; *Poſt hebdomadas ſexaginta duas, occidetur* Chriſtus: *& non erit eius populus, qui enim negaturus eſt.* Apertè autẽ indicatur tempus aduentus eius per 72. hebdomadas. Pro quo notandum: hebdomadam in Scripturis tantùm dupliciter accipi: primò; pro ſpatio ſeptem dierum, vt Leuitic. 23. vbi dicitur: ſeptem hebdomadas à Paſchate eſſe enumerandas quæ efficiunt dies quadraginta nouem, & quinquageſimum eſſe Pentecoſtem. Secũdò; pro ſpatio ſeptem annorum; vt Leuit. 25. v. 8. *Numerabis ſeptem hebdomadas annorum*, & proximè ſequens, *qui erit quinquageſimus annus, erit Iubilęus, qui erat annus remiſſionis.* Certum eſt autem hebdomadas Danielis non eſſe hebdomadas dierum, quia ſic eius prophetia intra ſeſquiannum completa fuiſſet: ergo accipitur pro hebdomadibus ſeu ſeptenariis annorum. Figmentum autem eſt aliter hebdomadas velle accipere cùm nullum fundamentum habeat in Scripturis. Septuaginta hebdomades efficiunt quadringentos nonaginta annos, quoscõſtat eſſe completos circa tempora Chriſti.

Petes, Quando incipiunt hæ hebdomadæ, & quomodo ſunt computandæ?

Reſpondeo, illas incipere *Ab exitu ſermonis, vt iterum ædificetur Ieruſalem*, vt expreſſè dicit Angelus cap. 9. verſ. 25. Danielis; id eſt ab eo tempore quo data eſt poteſtas rurſus inſtaurandi Ieruſalem: quam poteſtatem nuſquam legimus datam niſi lib. 2. Eſdræ cap. 2. vbi habemus anno vigeſimo Artaxerxis datam eſſe facultatem Nehemiæ reædificandi Ieruſalem, quam etiam tunc ædificatam eſſe & quidem in anguſtia temporis, vt dicitur apud Danielem, id eſt, breui tempore, & oppugnantibus vicinis: patet lib. 2 Eſdræ c. 4. & 6.

Incipiunt à reædificatione Hieruſalem.

Itaque computandæ ſunt à vigeſimo anno Artaxerxis Longimani, qui fuit ſeptimus Rex Perſarum. Modus autem certiſſimus eas computandi, eſt per Olympiades, quæ certiſſimæ ſunt apud omnes Scriptores, & plurimum conducunt ad quæſtiones ſacras, teſte Aug. lib. 2. de doctrinâ Chriſtianâ c. 28. Eſt autem Olympias tempus quatuor annorum, poſt quod ludi olympici olim celeberrimi in Græciâ inſtaurabantur. Cæpit autem artaxerxes regnare olympiade ſeptuageſimâ nonâ, anno primo illius olympiadis, vt docet Euſebius in Chronico, & alij. Vnde vigeſimus annus regni eius, erat quartus annus olympiadis octogeſimæ tertiæ. Quod etiam expreſſè teſtatur Iulius Africanus ex actus chronographus apud Hieronim. in cap. 9. Danielis. Ab hoc ergo anno

Computandæ per Olympiades.

olympiadis 83. inchoandæ ſunt hebdomadæ Danielis. Porrò ſeptuaginta hebdomades conficiũt annos 490. qui anni ſunt lunares, nempe 354. dierum minores noſtris annis ſolaribus, vndecim diebus, & ſex horis: vt ex multis auctoribus oſtendit Pererius lib. 10. in Daniel. nempè ex Iulio Affricano, Theodoreto; Beda, Rupert. & alijs. Ideo enim ſcripturâ dicere *ſeptuaginta hebdomades abbreuiatæ ſunt*, id eſt, breues cõſtitutæ, & ad annos lunares contractæ: Vnde 490. anni lunares efficiunt ſolares annos 475. & medium, cum 23. diebus. Atqui 475. anni ſolares efficiunt 119. olympiades vno minus anno: ergo 70. hebdomades Danielis efficiunt 119. olympiades vno anno minus. Nunc adde 119. olympiades ad 83. olympiades præcedentes habebis 202. Olympiades. Ex quo perſpicuè ſequitur hebdomades ſeptuaginta Danielis fuiſſe completas olympiade 202. completâ: atqui Chriſtus paſſus eſt olympiadis 202. anno quarto, vt patet ex Chronico Euſebij, qui etiam id probat ex *Phlegõte* ethnico authore qui ſcribit illo anno quarto olympiadis 202. cõtigiſſe memorabilem illam Eclypſim ſolis & terræ motum qui multas vrbes in Bithynia ſubuertit. Hæc autem erat vltima hebdomada, in qua omnia compleri debebant, quæ apud Danielem de Meſſia dicuntur. Quare cùm hæc omnia videamus tunc in Chriſto impleta; & poſtea ſecutam eſſe perpetuã vrbis & templi deſolationem, & totius Reipublicæ Iudaicæ euerſionem, quæ ibi ſecutura prædicuntur, euidens eſt ipſum eſſe Meſſiam.

Phlegon.

Tertiò probari poteſt, ex c. 2. Iſaiæ, & Micheę 4. in principio: *Et erit in nouiſſimis diebus præparatus mons domus domini in vertice montium.*

17 Ex variis locis S. ſcripturę.

Quartò, ex cap. 2. Habacuc v. 3. *Quia adhuc visus procul, & apparebit in finem, & non mentietur: ſi moram fecerit, expecta illum; quia veniens veniet, & non tardabit.*

Quintò ex cap. 2. Aggæi v. 7. & 8. *Adhuc vnũ modicum eſt, & ego commouebo cælum, & terram, & mare, & aridam; & mouebo omnes gentes, & veniet deſideratus cunctis gentibus, & implebo domum iſtam gloriâ, dicit Dominus exercituum.*

Sextò, ex Malachiæ 3. in principio; *Ecce ego mitto Angelum meũ & præparabit viam ante faciẽm meã, & ſtatim veniet ad templum ſuum dominator quem vos quæritis, & Angelus teſtamenti, quem vos vultis.* Quæ loca diligentiſsimè expendit Franciſcus Ribera. Ex his & ſimilibus prophetijs factũ eſt, vt Iudæi tempore Chriſti Meſſiam expectarent, quia ſciebãt tempus iam appetere, quod diuinis oraculis indicabatur. Imò totus penè orbis plenus erat famâ venturi maximi Regis, qui omnia imperio ſuo ſubiugaret, & quem omnes Régẽ agnoſcere deberent, ſi ſalui eſſe vellent. Patet hoc ex Cicerone tum alibi, tum libro 2. de Diuinatione. Et ex Suetonio in Tito & Veſpaſiano.

Vltimò efficaciſſimè probari poteſt ex illuſtriſſimis notis Meſſiæ, prædictis vel abumbratis in veteri Teſtamento, & impletis in nouo. Quidquid enim apud Euangeliſtas legimus de Chriſto multis ſæculis antea prædictum oſtendere poſſumus à Prophetis; & pleraque ita clara, vt non prophetia, ſed hiſtorica narratio videatur; vt futurum Deum & hominem, & cum hominibus verſaturum. Baruch. 3. & Iſaiæ 35. Generatum iri ex Virgine incorruptâ. Iſaiæ 7. Naſciturum in Bethleem. Micheæ 5. Tempus natiuitatis. Geneſ. 49. & Daniel. 9. Habiturum Præcurſorem; Iſaiæ 40. Malachię 3. Quid & quibus prædicaturus, Iſaiæ 61. Quæ miracula editurus, Iſaiæ 35. Ingreſſurum Ieruſalem paupere habitu Aſinæ inſidentẽ, ſummâ populi gratulatione, Zachariæ 1. Quæ verò ad Paſſionem & mortem, omneſque circumſtantias pertinent, accuratè prædicta à Dauide & Iſaia alijſque: Deſcenſus ad inferos, & Patrum liberatio Eccl. 24. & Zachar. 9. Reſurrectio Pſal. 3. & 15. & alibi. Aſcenſio Pſalm. 67. & Micheæ 2. Denique miſſio Spiritus ſancti, miſſio Diſcipulorum in totum mundum, Gentium vocatio & conuerſio; Iudæorum reiectio & diſperſio: de quibus vide Pererium lib. 10. in Dan. quæſt. 14. & 23. Quæ ſi omnia ſimul conſiderentur, pluſquam moraliter euidens faciunt, non ſolùm Meſſiam veniſſe, ſed etiam Chriſtum eſſe Meſſiam, & nullum alium expectandum.

19 Duplex Iudæorũ Meſſias.

Vnde quidam Iudæi euidentiâ Scripturarum conuicti, admittunt Meſſiam veniſſe, ſed humilem & pauperem; expectant tamen alium illuſtrem: diſtinguunt enim duos Meſſias, vnum filium Ephraim ſeu Ioſeph, cui competant ea, quæ de Chriſti humilitate & cruce Scripturæ commemorant: alterum filium Dauid, cui ea quę de Chriſti maieſtate & gloria ſãt prædicta. Vide Genebrard. in Pſal. 79.

20 Meſſias eſt verus Deus.

Quod ad ſecundum attinet, breuiter oſtendemus Meſſiam eſſe verum Deum.

Probatur Primò, Ex cap. 35. v. 4. & 5. Iſaiæ: *Deus ipſe veniet & ſaluabit nos; tunc aperiẽtur oculi cæcorum, & aures ſurdorũ patebunt.* Quo loco eſſe ſermonem de Meſſia, patet; quia nemo Prophetarum illa miracula, quæ ibi recẽſentur perfecit, præter verum Meſſiam: neque Iudæi ab alio illa expectant. Vnde Dominus vt ſeipſum oſtenderet eſſe Meſſiam, interroganti Ioanni per diſcipulos ſuos, *Tu Quis es?* Reſpondit: *Ite & renuntiate Ioanni: Cæci vident, Claudi ambulant, Surdi audiunt &c.* inſinuans hunc locum Iſaiæ tamquam certiſsimam Meſſiæ notam. Vide plura apud Athanaſium libro de Incarnatione Verbi, vltra medium. Cyprian. lib. 2. teſtimoniorum contra Iudæos cap. 7. Euſeb. lib. 6. de Demonſtrat. cap. 21. & alios.

Ex Iſaia.

Matt. 11. v. 4.

Probatur Secundò, Iſaiæ cap. 9. v. 6. *Parvulus natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis. Et factus eſt principatus eius ſuper humerũ eius*, id eſt, erit Rex; *& vocabitur nomen eius Admirabilis, Cõſiliarius, Deus, Fortis.* Qui locus etiam efficax eſt. Nam etſi in Hebræo, pro *Deus* ſit, *El*, quod etiam interdum idem ſignificat quod *Fortis*; tamen hîc non poteſt ita accipi, quia ſequitur *Gibbor*, quod eſt Fortis; vnde hîc ſignificat verè Deum: ſicut Iſaiæ c. 10. v. 21. quando dicit reliquias Iſraël conuertendas ad Deum *Fortem*, ibi etiam eſt *El Gibbor*.

El. Gibbor.

Probatur Tertiò, Ex Iſaiæ cap. 52. verſ. 6. *Propter hoc ſciet populus meus nomen meũ in die illâ, quia ego ipſe qui loquebar: ecce adſum*; id eſt, adero præſens, more Prophetico. Vbi certum eſt loqui verum Deum; nam vocat Iſraël, populum ſuum. Hunc autem Deum eſſe Meſſiam; patet, quia toto illo capite narratur fructus aduentus eius. Neque poteſt exponi ipſum adfuturum metaphoricè, ſcilicet per efficaciam ſiue energiam; quia dicit *ſeipſũ* adfuturum, qui ante loquebatur per Prophetas; & per ſe redẽpturum populũ ſuum.

18 Ex notis Meſſiæ.

Probatur Quartò, Ex Micheæ cap. 5. verſ. 2. *Tu Bethleem Ephrata, parvulus es in millibus Iuda, ex te mihi egredietur qui ſit Dominator in Iſraël: & egreſſus eius à diebus æternitatis.* Vide plura apud Euſeb. lib 5. de Demonſtr. Euangelicâ. Et Baſil. lib. 4. contra Eunom. Chryſoſt. hom. Quòd Chriſtus ſit Deus. Auguſtinum lib. 18. de Ciuitate à cap. 29. vſque ad 35. & Lyranum contrà

Ex Micheæ.

Iudæos in fine Gloſſæ ordinariæ.

21 4 errores Iudæorũ circa Meſſiam.

Obiectiones Iudæorum facilè diſſoluuntur, ſi quatuor errores ipſorum in exponendis Scripturis, conſiderentur. Primùs eſt, quòd exiſtiment imperium Meſſiæ, de quo Iſaiæ 2. & Michææ 4. & alibi, temporale futurum. Secundus, quòd omnes promiſſiones, quas Meſſiæ aduentu nos conſecuturos eſſe Scriptura commemorat, vt Deuteron. 30. Ezechiel. 38. Ioël. 3. & alibi; exiſtiment eſſe terrenas. De quo vide Origenem lib. 4. περὶ ἀρχῶν cap. 2. Tertius, quòd multa metaphoricè dicta, volunt propriè accipi; vt *Habitabit lupus cum agno*, Iſaiæ c. 11. v. 6. Quartus, quòd non diſtinguant duplicem Meſſiæ aduentũ, alterum humilem, de quo plurima in Scripturis: alterum glorioſum, de quo Malachiæ vltimo, & Ezechiel. 38. Vide Irenæum lib. 4. c. 56. Quibus erroribus ita ſunt impliciti, vt nullam propè Scripturæ partem rectè intelligant quò fit, vt ab eorum expoſitionibus diligentiſſimè ſit cauendum.

ARTICVLVS II.

Vtrum neceſſarium fuerit ad reparationem generis humani Verbum Incarnari?

22 REſpondet D. Thomas non fuiſſe ita neceſſarium, vt ſine eo non poſſet genus humanum reparari; fuiſſe tamen neceſſarium, vt meliùs & conuenientiùs repararetur.

DVBIVM I.

Vtrùm Incarnatio Verbi abſolutè fuerit neceſſaria ad humani generis redemptionem?

23 REſpondeo, non fuiſſe abſolutè neceſſariam. Eſt certa. Ita Doctores in 3. d. 20. & expreſsè D. Auguſtinus de agone Chriſtiano c. 11. & lib. 13. de Trinit. c. 10.

Modi quibus Deus potuiſſet lapſum hominem reparare.

Probatur Primò, Quia potuit alijs multis modis hominem reparare, cùm eius ſapientia & potentia, non ſint contracta ad vnum modum. Nam primò, potuit gratis remittere omnem culpam & pœnam: cùm enim ſit ſupremus Iudex, poteſt in exequendâ iuſtitiâ, & vindicandis peccatis diſpenſare; & cùm ſit abſolutus omnium Dominus, nemini faciet iniuriam: neque idcircò lædet iuſtitiam; quia non obligatur vt iuſtitiam exerceat. Confirmatur. Sicut enim vnuſquiſque poteſt donare quod ſuum eſt; ita etiam condonare & remittere quod ſibi debitum, abſque iuſtitiæ noxâ; vt rectè Durand. diſt. 20. q. 2.

Secundò; Potuit conſtituere vnum caput humani generis, quod non ſit Deus; ſed purus homo, vel Angelus; & acceptare eius qualemcumque ſatisfactionem. Sicut enim poſitiua Dei ordinatione, omnium voluntates in Adamo conſtitutæ fuerunt ad demerendum (non tamen eo fine) ita etiam conſtitui poterant ad ſatisfaciendum, vt eius pœnitentia toti humano generi imputaretur, & ad omnium reconciliationem acceptaretur.

Tertiò, poſſet, non conſtituto aliquo capite, à ſingulis hominibus exigere eam ſatisfactionem, quam ipſi poſſent præſtare per gratiam præuenientem, ipſis ex miſericordia conceſſam: vt iam de facto à peccatoribus.

24 Sed contra, Obijcitur Primò, ex commentario Ambroſij in c. 9. ad Hebræos in illud verſ. 15. *Et ideo noui teſtamenti mediator eſt.* Vbi dicitur, tantum fuiſſe noſtrum peccatum, vt ſaluari non poſſemus, niſi Vnigenitus Dei Filius; moreretur. Similia habet D. Leo, Epiſt. 8. & Anſelm. lib. 1. Cur Deus homo cap. 24. & 25. & l. 2. c. 15. 16. & 18.

Reſpondeo: Iſti Patres dicunt fuiſſe neceſſarium non abſolutè, ſed ſuppoſitâ diuinâ ordinatione & ſcripturarum promiſſione: vel certè vt modo conuenientiſſimo fieret noſtra redemptio.

Obijcitur Secundò, Incarnatio Dei, erat modus conuenientiſſimus ad reparationem generis humani, vt dictum eſt ſupra: atqui Deus, cùm vult aliquid facere, neceſſariò vult id, quod eſt conuenientiſſimum: ergo ſi volebat nos reparare, debebat neceſſariò id facere per Incarnationem. 25

Deus non agit neceſſariò id omne, quod eſt conuenientiſſimũ.

Reſpondeo Negando Minorem. Deus enim non neceſſariò operatur id, quod in ſe; aut rebus creatis, aut etiam eius bonitati eſt conuenientiſſimum. Quod patet, quia conuenientiſſimum fuit facere mundum, & in eo homines & Angelos, & hos ad ſuæ gloriæ communionem deſtinare: nihilominùs poterat hæc non facere. Ratio eſt: tum, quia Deus extra ſe, nihil neceſſariò vult: tum, quia poteſt quibuſuis medijs idoneis ad finem ſibi propoſitum vti pro ſuâ libertate. Facit tamen ſemper id quòd eſt conuenientiſſimũ, non abſolutè, ſed ad finem propoſitum, & iuxta modum & menſuram præſtitutam. Nihil tamen neceſſariò facit, quia plura ſunt media ad eũdem finem: vel certè poteſt iuxta alium modum & finem operari. Nec obſtat quòd dicit Auguſt. lib. 3. de libero arbitrio cap. 5. *Quidquid tibi verâ ratione melius occurrit, ſcias feciſſe Deum, tanquam bonorum omnium conditorem*: Loquitur enim Auguſtinus de ſpeciebus rerum naturalium, pertinentibus ad huius vniuerſi complementum, earumque naturalibus conditionibus: nullam enim ſpeciem rerum prætermiſit, & ita vnamquamque in ſuo gradu fecit, vt melior perfectiorue fieri in conditionibus naturalibus nequeat. Agit enim contra eos, qui dicebant animas quæ peccant, non debuiſſe fieri; vel certè non ſic, vt poſſent peccare.

DVBIVM II.

Vtrùm ad redimendum hominem ſatisfactione perfectæ Iuſtitiæ, fuerit Incarnatio Dei neceſſaria?

26 REſpondeo: Ad hunc finem fuiſſe adeò neceſſarium Deum hypoſtaticè rationali creaturæ vniri, vt nullum aliud medium, per potentiam Dei abſolutam fuerit poſsibile. Dico, creaturæ rationali, quia ſimpliciter non erat neceſſarium vniri humanæ naturæ: potuiſſet enim aſſumere Angelicam, & per illam nos redimere. Conuenientiſsimum tamen fuit vt vniretur humanæ, ob rationes quas hic adfert S. Thomas. Et, vt idem qui offendit, etiam ſatisfaceret. Eſt certa & communis Doctorum, partim in 3. diſt. 20. partim in 4. diſt. 25. Alexander Halenſis 3. p. qu. 17. membro 3. & 5. Guil. Altiſiodorenſis 3. parte Summæ Tract. 1. cap. 8. Anſelmus locis ſupra citatis.

Nulla pura creatura poteſt perfectè ſatisfacere.

Probatur, Quia nulla creatura poterat Deo perfectè ſatisfacere pro peccatis hominum; Deus autem hypoſtaticè vnitus creaturæ rationali, poterat perfectè ſatisfacere: ergo ad perfectè ſatis-

facere Deo pro peccatis.

faciendum pro peccatis, neceſſarium erat vt Deus creaturam rationalem aſſumeret. Patet conſequentia; quia nullus alius modus reſtat: Satisfactio enim fieri debet vel à puro Deo; vel à purâ creaturâ; vel à Deo vnito hypoſtaticè creaturæ: atqui non poteſt fieri à puro Deo, vt per ſe patet. Sed neque à purâ creaturâ, quod.

Prob. ex Patribus.

Probatur Primò, Ex Patribus, breuiter tamen quia hâc de re copioſius qu. 19. vbi de meritis & ſatisfactionibus Chriſti agemus. Irenæus lib. 3. contra hæreſes cap. 20. *Niſi*, inquit *homo coniunctus fuiſſet Deo noſtro, non potuiſſet particeps fieri incorruptibilitatis.* Athanaſ. lib. de Incarn. verbi ante medium: *Cùm enim Patris ſit Verbum, & ſupra omnes; meritò etiam ſolus omnes recuperare potuit: & idoneus fuit, qui pro omnibus pateretur, ac apud Patrem intercederet.* Basilius in illud. Pſalm. 48. *Frater non redimit, redimet homo*: Non inquit, *homo nudus redimet, ſed homo* IESVS *Chriſtus, quia nullus alius condignum pretium adferre potens erat.* D. Leo ſerm. 1. de Natiuit. *Niſi enim eſſet Deus verus, non adferret remedium: & niſi eſſet homo verus, non præberet exemplum.* Et ſerm. 4. *Hoc autem* (ſcilicet deſcendere ad humana) *niſi facere dignaretur omnipotens, nulla quemquam ſpecies iuſtitiæ, nulla forma ſapientiæ, à captiuitate diaboli, & a profundo æternæ mortis eueret.* S. Agapetus epiſt. ad Anthimum de duabus naturis in Chriſto, habetur 2. tom. Concil. *Quæ reconciliatio eſſe poſſet, qua humano generi propitiaretur Deus, ſi hominis cauſam, mediator Dei & hominum, non ſuſciperet?*

Irenæus. Athanaſius. Basilius. Leo. Agapetus.

27 Quatuor conditiones ad ſatisfactionem perfectæ iuſtitiæ.

Probatur Secundò Ratione. Pro quo Notandum: Paſſim à Doctoribus requiri quatuor conditiones ad ſatisfactionem perfectæ iuſtitiæ. Prima eſt, vt in ea ſit æqualitas: nempe vt tantum reſtituatur ſiue honoris ſiue pecuniæ, quantum eſt ablatum. Secunda, vt fiat ex bonis proprijs ſatisfacientis: id eſt, quæ pleno iure ſunt ipſius ſatisfacientis, ita vt non pendeant aſſiduè ex gratiâ creditoris, cui ſatisfacit. Tertia, vt fiat ex indebitis: id eſt, quæ alio titulo, ſaltem iuſtitiæ, ei non debentur. Quarta, vt ſit quodammodo ad alterum: quia nemo ſibi ipſi propriè ſatisfacit, niſi diuerſas perſonas ſubeat. De his plura in Quæſtione de Merito.

Quarta conditio reperitur quidem ſatis manifeſtè in ſatisfactione creaturæ erga Deum, quia eſt ſufficiens inter eos diſtinctio. Tertia etiam vtcumque reperitur: quia etſi creatura opus ſatisfactorium, & alia omnia, poſſet Deo debere titulo gratitudinis vel obedientiæ: tamen hi tituli non repugnant ſatisfactioni iuſtitiæ: poſſum enim meo creditori ſoluere debitum iuſtitiæ, dando ei id quod debeo, etiam cauſâ gratitudinis, vel ex miſericordia, vel ex præcepto Principis, modò non debeam id alio titulo iuſtitiæ. V.g. Si debeo titulo *mutui*, non poſſum ſatisfacere pro eo quod debeo titulo *damni illati*: hi enim ſunt diſtincti tituli iuſtitiæ, qui neceſſariò diuerſas ſolutiones exigunt. Sed potiſsimùm deficit prima & ſecunda conditio in ſatisfactione creaturæ ad Deum.

28 Satisfactio creaturæ, non eſſet ab æquali.

Probatur de primâ conditione: Si pura creatura poſſet ſatisfacere Deo, ea eſſet vel ipſamet quæ cecidit, vel alia. Non ea quæ cecidit: nam hæc eſt inimica: ac proinde omnia illius opera coram Deo, nullius ſunt pretij donec in gratiam redeat: quod ſuis viribus non poteſt: ergo &c. Nec etiam illa, quæ non cecidit: v. g. homo, vel Angelus de nouo creatus: quia hic eſſet vel ſine gratiâ, vel cum gratiâ: ſi ſine gratia, nullo modo poſſet ſatisfacere Deo pro peccato, tum ob alias cauſas, tum quia peccatum auertit à Deo, non ſolùm vt eſt finis naturalis: ſed &, vt eſt finis ſupernaturalis: atqui pura creatura ſine gratiâ non poteſt ſeipſam ad Deum, vt finem ſupernaturalem conuertere, multoque minùs poterit aliam creaturam conuertere: ergo ſemper illa auerſio remaneret. Quòd ſi eſſet ornatus gratiâ, poſſet aliquo modo imperfectè ſatisfacere, vt docet D. Thomas ad 2. Operæ enim eius haberēt quandam infinitatem dignitatis, tum ratione obiecti, quod eſt Deus vt bonum ſupernaturale, tum ratione principij ad illa mouentis, quod eſt Spiritus ſanctus, vnde non eſſent omninò inepta, vt à Deo acceptarentur in ſatisfactionem pro genere humano: tamen eſſent omninò inſufficientia ad iuſtam & æqualem ſatisfactionem.

29 Grauitas offenſionis creſcit ex dignitate perſonæ offenſæ.

Ratio eſt, Quia malitia offenſionis diuinæ, incomparabiliter eſt maior, quàm bonitas ſatisfactionis creaturæ: nam grauitas offenſionis creſcit ex dignitate perſonæ offenſæ, quia offenſio eò eſt grauior, quò perſona offenſa eſt dignior: Sicut contumelia in Regem, grauior eſt quàm in Comitem: atqui Deus eſt infinitæ dignitatis: ergo eius iniuria cenſetur infinita. Satisfactionis autem vis & æſtimatio creſcit ex dignitate perſonæ ſatisfacientis, honor enim eſt in honorante: atqui perſona ſatisfaciens, etſi gratiam habeat, eſt finitæ dignitatis, diſtans infinitè à dignitate Dei: ergo eius ſatisfactio, non eſt commenſa & æqualis iniuriæ, ſed vt ſit æqualis, neceſſe eſt vt perſona ſatisfaciens ſit ſimpliciter infinitæ dignitatis, ſicut perſona offenſa, nempe vt æſtimatio ſatisfactionis, tantundem poſsit creſcere ex perſonâ ſatisfaciente, quantum creſcat grauitas offenſionis, ex perſonâ offenſâ. Confirmatur, Quia per offenſionem & contumeliam deſtruitur quodammodo dignitas perſonæ, & ſi non reipſa, tamen affectu peccantis: per honorem autem eiuſdem, non ſimiliter reparatur, honor enim debitus eſt excellentiæ diuinæ, vnde nihil illi noui præſtatur, ſed id, quod ipſius eſt, & ipſi debetur: contumelia autem penitus repugnat ipſius dignitati, nam ipſa iam exiſtentem lædit & quodammodo perimit. Quod patet hominum exemplo: Si enim Regem contumelia afficias, non ſatisfacies, cum ſimili modo honorando, principes enim parui faciunt quòd à ſubditis honorentur, ſed contumeliam ferunt indigniſsimè.

30 In peccato Adæ, eſt duplex infinitudo.

Hinc ſequitur, quòd duplex ſit infinitudo in peccato Adæ: ſcilicet, Intenſiua ſeu potius obiectiua, & extenſiua, quatenus nocet toti poſteritati humanæ. Hæc prior, eſt cauſa cur non poſsit à creaturâ compenſari per æqualem ſatisfactionem, extenſiua enim poteſt compenſari, vt ſi Deus purum hominem conſtitueret caput humani generis, & in eius arbitrio omnium hominum voluntates colligeret, ſicut fecit in Adamo, tunc illius ſatisfactio ad infinitos homines poſſet extendi.

31 Iſta ſatisfactio non eſſet ex propriis.

Probatur quo ad ſecundam conditionem. quòd ſatisfactio Creaturæ non poſſit eſſe omninò ex propriis: Nam pura creatura nihil poteſt habere ita proprium, quin illud aſsiduè pendeat ex gratuito dono Dei: vnde non poteſt ſoluere niſi interueniente aſsiduâ gratiâ. Nam opus quo ſatisfacit, pendet aſsiduè ex dono gratiæ, & cooperatione Dei gratuitâ, ipſi perſonæ creatæ indebitâ: ſecùs eſt in Chriſto Domino.

Dices, peccatum non habet malitiam verè infinitam: ergo poterit compenſari per aliquod opus finitæ dignitatis & æſtimationis. Patet conſequentia, quia omni finito poteſt dari æquale. Antecedens probatur: nam bonitas actus quâ pri-

uat peccatum, eſt omninò finita: ergo & ipſum peccatum; quod nihil eſt aliud, quàm priuatio illius bonitatis. Deinde, ſicuti peccatum dicitur habere malitiam infinitam, impropriè videlicet ratione obiecti infiniti, à quo auertit, ita actus charitatis habet bonitatem infinitam, quia conuertit ad bonum infinitum. Ob hoc argumentum Scotus in 3. diſt. 20. concedit puram creaturam Deo poſſe ſatisfacere ad æqualitatem pro aliquo alio, non tamen pro toto genere humano, nec omninò ex propriis. Cui videtur aſſentiri Caietanus hoc loco. Et Ferrarienſis lib. 4. contra Gentes in cap. 54. & inclinat Scotus in 4. diſt. 19. quæſt. 1. art. 2. ad 1. Sed hæc ſententia eſt omninò falſa, vt communior opinio Doctorum tenet in 3. diſt. 20. & in 4. diſt. 15. vt alibi oſtendemus. Vnde

Malitia peccati eſt comparatiuè infinita.

Reſpondeo ad argumentum; Etſi malitia peccati phyſicè non ſit infinita, tamquam immediata priuatio infiniti boni; tamen æſtimatione morali eſt infinita, non abſolutè, ſed comparatiuè; ita vt, nullo bono finito poſſit compenſari. Cuius ſignum eſt, tum pœna damni, quæ eſt priuatio boni ſimpliciter infiniti; tum pœna ſenſus, quæ eſt durationis infinitæ; ſicut & pœna damni; quas pœnas peccatum meretur ſecundùm rigorem iuſtitiæ: tum quòd Deus oderit plus vnum peccatum mortiferum, quàm amet omnia bona opera iuſtorum. Patet. Etſi enim quis omnia bona opera omnium electorum feciſſet, ſi tamen poſtea vel vnum peccatum mortiferum committeret; Deus omnia illa nihil penderet præ iſto malo: vnde magis illi diſpliceret, quàm omnia opera bona placuerint. Patet Ezech. 18. verſ. 24. *Si auerterit ſe iuſtus à iuſtitia ſua, & fecerit iniquitatẽ ſecũdùm omnes abominationes, quas operari ſolet impius, nũquid viuet? omnes iuſtitiæ eius, quas fecerat, non recordabuntur.*

De hac re vide lib. 13. de Perfect. Diuinis cap. 16. vbi explicatur in quo conſiſtat malitia peccati, & quomodo mereatur pœnam infinitam ipſaque peccati malitia ſit infinita comparatiuè.

33 Efficacia pœnitentiæ, eſt ex paſſione Chriſti.

Inſtabis; Homine faciente pœnitentiam, Deus non recordatur peccatorum, vt ibidem dicitur: ergo pœnitentiam pluris facit, quàm peccatum.

Reſpondeo Negando Conſequentiam: Quia hoc fit ratione meritorum Chriſti, quorum homo fit particeps per pœnitentiam: non quod pœnitentia per ſe pluris ſit. Ratio eſt quam ante diximus: Quia grauitas peccati, vt offenſio eſt, accipitur potiſſimùm ex dignitate offenſi: æſtimatio autem ſatisfactionis, vt talis, potiſſimùm ex eo, qui ſatisfacit: vnde ſi hic non ſit dignitatis infinitæ, ſatisfactio eius non poteſt offenſioni diuinæ exæquari.

34 Et ſi peccata ex ſe Dei bonitatem deſtruant, non tamẽ ſunt ſequè grauia.

Ad Probationem antecedentis num. 32. factã, Reſpondeo: Peccatum non tantùm priuat bonitate actui intrinſecã atque morali; ſed etiam quodammodo bonitate diuinã; quatenus eam, quantum in ſe eſt, perimit ac tollit; & ideo habet quandam infinitatem. Hinc tamen non efficitur, omnia peccata eſſe paria, vt volebat Iouinianus; quia in illa infinitate ſunt varij gradus: nam non eſt infinitas ſimpliciter, ſed comparatiuè; nempe reſpectu ſiue æſtimatione bonorum creatorum; quo modo homo infinitis brutis eſt præſtantior; peccatũ enim in ratione mali, eſt altioris ordinis, quàm opera bona in ratione boni & meriti: nam peccatum habet rationem ſummi mali. Ex his manet probata prior propoſitio noſtræ rationis num. 26. allatę, ſcilicet nullam puram creaturam poſſe ſatisfacere ſecundùm perfectam iuſtitiam pro peccatis generis humani.

Error Iouiniani.

Sequitur nunc altera propoſitio probanda, nempe Deum hypoſtaticè vnitum creaturæ rationali potuiſſe ſecundùm exactam iuſtitiam ſatisfacere.

Chriſtus perfectè ſatisfecit pro homine lapſo. 35

Probatur Primò ex Patribus, ad priorem propoſitionem num. 26. allatis; & ex Doctoribus, qui ferè omnes ita ſentiunt in 3. diſt. 20. & in 4. diſt. 15. docet hoc etiam Ioan. Driedo lib. de captiuitate & redẽptione generis humani, tract. 2. cap. 2. § 4 Andreas Vega. lib. 7. in Concil. Trident. c. 8. Dominicus Soto lib. 3. de natura & gratia cap. 6.

Probatur Secundò ratione: In Chriſto enim erat tanta dignitas, quanta in Deo offenſo: & res oblata in ſatisfactionem, erat infiniti pretij. Iqò, maior erat honor, qui exhibebatur Deo per Chriſtum: quàm inhonoratio & iniuria illata omnium hominum peccatis. Vnde etiam Deo erat gratior, quàm omniũ peccata ſint illi inuiſa. Satisfecit etiã ex propriis, & aliàs indebitis: ergo ſatisfactio erat ſecundùm leges exactæ iuſtitiæ.

1. Obiectio Scoti. Quòd Chriſti actiones eſſent finitæ perfectionis.

Dices Primò Chriſti actiones erant creatæ, & proinde finitæ perfectionis: ergo non erant infiniti pretij vt poſſent ad æqualitatem innumeris hominum peccatis rependi. Ob hoc argumẽtum Scotus in 3. diſt. 19. & 20. putat Chriſti actiones non fuiſſe ex ſe ſufficientes hominum peccatis exhauriendis: ſed ſolùm ex acceptatione diuinâ hanc vim habuiſſe. Verùm hoc omninò falſum eſſe oſtendemus infra quæſt. 19. tract. de merito Chriſti. Vnde Reſpondeo: Etſi erant finitæ perfectionis in ratione entis, & actionis perfectionisque realis: tamen erant infinitæ in ratione meriti & ſatisfactionis; idque ratione perſonæ operantis. Nam ratio meriti & ſatisfactionis, eſt moralе quiddam, non realis conditio operis. Diſtinguitur.

2. Obiectio Durãdi. Quòd eſſent debita titulo gratitudinis.

Dices Secundò: Chriſtus aliis titulis debebat omnia ſua opera, nempe titulo gratitudinis pro beneficijs à Deo acceptis: ergo tertia conditio deerat. Ob hoc argumentum Durand. in 3. diſt. 20. quæſt. 2. & in 4. diſt. 15. quæſt. 1. putat Chriſti opera, non fuiſſe ſufficientia ex ſe, ad redimenda omnia peccata; ſed ſolùm ex acceptatione diuinâ: in quo conſentit cum Scoto, quamuis alio fundamento nitatur. Ratio Durandi eſt. Quia, inquit, non poterat Chriſtus ſatisfacere pro beneficijs acceptis, maximè pro gratiâ vnionis: ac proinde non ſupererat illi quidquã, quod poſſet pro hominum peccatis expendere, niſi Deus ex miſericordiâ acceptaſſet. Sed hæc ſententia etiam omninò falſa eſt, vt infrà dicetur.

Refellitur & explicatur.

Vnde Reſpondeo, Chriſti opera fuiſſe ſufficientia vtrique debito, cum eſſent infiniti pretij. Deinde, debitum illud gratitudinis, non repugnat debito iuſtitiæ: vnde per idem opus, vtrique poteſt ſatisfieri. Adde, ipſi perſonæ nullum fuiſſe collatum beneficium, niſi ratione naturæ humanæ per communicationem idiomatum: vnde ipſa in ſe non habebat vllam obligationem etiam gratitudinis: ac proinde non impediebatur à ſatisfaciendo.

3. Obiectio ex abſurdo.

Dices Tertiò, Si Deus vnitus humanæ naturę potuit redimere genus humanum ſatisfactione perfectę iuſtitiæ: ergo etiam non vnitus. Patet conſequentia: quia nihil potentiæ, illi per vnionem acceſſit.

Reſpondeo Negando Conſequentiã: Etſi enim per vnionem nihil abſolutæ potentiæ acceſſit: tamen acceſſit vt poſſet tali modo, ſcilicet, merendo & ſatisfaciendo: quod in Deum purum cadere nequit: quia requirit naturam creatam, quæ non omne bonum naturaliter contineat.

36 Dico Secundò, Vt reparatio humani generis fieret, non ſolùm ſecundùm perfectam iuſtitiam, ſed omninò modo conuenientiſſimo, qui poſſet inueniri; neceſſarium erat vt Filius Dei fieret homò. Ita D. Thomas hoc loco. Ratio eſt: Si enim aſſumpſiſſet naturam Angelicam, potuiſſet quidem redimere ſatisfactione perfectæ iuſtitiæ, non tamen alias vtilitates, quæ hic commemorantur, nobis accerſiuiſſet. Quas vide apud D. Thomam.

ARTICVLVS III.

Vtrum ſi homo non peccaſſet, Deus incarnatus fuiſſet?

37 negat. D. Thomas. REſpondet Diuus Thomas negatiuè, Quia vbique ſacra Scriptura (intellige & Traditio) rationem huius myſterij ex peccato aſſignat; nec aliunde poteſt nobis innoteſcere: ergo ſi peccatum non fuiſſet, Deus incarnatus non fuiſſet. Circa Reſponſionem ad Secundùm Notanda hæc propoſitio: *Ad perfectionem vniuerſi ſufficit, quòd naturali modo creatura ordinetur in Deum, ſicut in finem*: vbi, per *naturalem modum*, intellige vires operatiuas, habitus & operationes, ſiue illæ naturales ſint, ſiue ſupernaturales. Etſi enim dona gratiæ quibus Angeli & homines in Deum ordinantur, ſint ſupernaturalia; tamen hæc naturali modo ordinantur in Deum: modus enim naturalis creaturæ tendendi in Deum, eſt per habitus & operationes, ipsâ potentiâ naturali, ſuo naturali influxu concurrente. Ordinatio autem in Deum per vnionem hypoſtaticam nullo modo eſt naturalis, quia naturalem modum non imitatur. In Reſponſione ad Quartùm, Nota: *Prædeſtinatio*, inquit, *præſupponit præſcientiam futurorum*. quod intelligi poteſt, vel de præſcientiâ conditionatâ, quæ toti prædeſtinationi ſupponitur: vel de præſcientiâ abſolutâ; quæ non toti, ſed parti ſupponitur: nam prædeſtinatio vt ſe extendit ad effectus poſteriores, ſiue gratias Dei ſupponit præſcientiam priorum; vt patet ex tractatu de prædeſtinatione.

38 Quidam affirmant. Verùm vt hic Articulus meliùs examinetur; Notandum eſt eſſe duas de hac re ſententias. Prior eſt, Deum futurum hominem, etſi homo non peccaſſet; idque ob cauſas, quæ per ſe huic myſterio inſunt: quia videlicet, Incarnatio Dei, per ſe conueniens erat bonitati diuinæ; perfectioni vniuerſæ creaturæ; & ſubiectioni, exaltationiq; generis humani, vt dictum eſt art. 1. dub. 1. Hanc tenet Rupertus lib. 13. in Matth. de gloria & honore filij hominis. Et lib. 3. de proceſſione Spiritus ſancti cap. 20. Alexander Alenſis 3. parte quæſt. 1. memb. 13. Albertus in 3. diſt. 20. a. 4 Scotus in 3. diſt. 7. quæſt. 3. & diſt. 19. qu. vnica. Dionyſius Carthuſ. in 3 diſt. 1. queſt. 2. Inclinat in eâdem Albertus Pigius lib. 8. de libero arbit. cap. 10. Ambroſ. Caterinus opuſculo de eximiâ Chriſti prędeſtinatione. Ioannes Viguerius in inſtitutionibus Theologicis cap. 20. in principio; & apertiùs §. 1. verſiculo 4. vbi ait, Chriſtum meruiſſe Angelis præmium eſſentiale: & aliquot alij recenſiores. Hi omnes tenent myſterium Incarnationis fuiſſe à Deo prædeſtinatum antè omnem præuiſionem peccati; ac proinde abſque vllâ dependentiâ à peccato: quare futurum fuiſſe, etiamſi nullum peccatum interceſsiſſet. Sed hanc prædeſtinationem variè explicant. Primò Scotus diſt. 9. vult Deum in primo inſtanti ſeu ſigno rationis, intelligere ſe ſub ratione ſummi boni. in ſecundo, omnes alias creaturas, nempè poſſibiles: in tertio, prædeſtinaſſe abſolutâ voluntate omnes ſaluandos ad gloriam & gratiam; & inter ceteros animam Chriſti prædeſtinaſſe ad excellentiſſimum gradum gloriæ & gratiæ, quem modò habet: in quarto, ordinaſſe animam illam ad vnionem hypoſtaticam. Ita apertè docet diſt. 7. quæſt. 3. & 4. quamuis diſt. 19. id prætermittat: in quinto, præuidiſſe lapſum generis humani in Adam: in ſexto, præordinaſſe Chriſtum in Redemptorem per carnem paſſibilem. Chriſti. 1. Iuxta Scotum.

Sed hæc non videntur ſolida: Primò, Quia electio efficax ad gloriam, non antecedit omnem præuiſionem meritorum; quod tamen ſupponit Scotus. Secundò, Quia vult prædeſtinationem hominum factam, antè præuiſum peccatum originale; quod eſt contra D. Auguſtinum & alios Patres. Tertiò, Quia Anima Chriſti conſiderata ante vnionem hypoſtaticam, vt eam conſiderat Scotus in tertio ſigno rationis, non eſt perſona, ſed natura apta perſonari: naturæ autem non conuenit propriè prædeſtinari ad gloriam, ſed perſonæ. Quartò, Quia anima Chriſti non fuit ordinata ad vnionem hypoſtaticam propter excellentiam gloriæ ſuæ; ſed potiùs contra fuit ordinata ad tantam gloriam, propter vnionem hypoſtaticam; vnde hæc prior fuit in intentione Dei. Impugnatur.

Secundò, Alij inter quos Caterinus, dicunt Deum ante omnem præuiſionem futurorum, poſt ſolam ſimplicem intelligentiam, cùm vellet ſuam bonitatem communicare creaturis, ordinaſſe primò, vt Filius aſſumeret naturam humanam hypoſtaticè, & in eâ tantâ gratiâ & gloriâ ornaretur. Secundò, Propter honorem illius hominis, prædeſtinaſſe homines & Angelos. Tertiò, Propter prædeſtinatos, præordinaſſe cætera omnia, cum voluntate permittendi peccatum. In quarto, Præuidiſſe peccatum. In quinto, Præordinaſſe Chriſtum in carne paſſibili, vt Redemptorem generis humani. 2. Iuxta Caterinũ.

Tertiò denique, Alij dicunt Deum primò omnium non voluiſſe aliquod opus particulare; ſed primaria intentione voluiſſe condere vniuerſum, in quo ſeipſum perfectè manifeſtaret & communicaret; & ideò voluiſſe illud conſtare ex omnibus rerum gradibus & ordinibus; nempè ex corporali & ſpiritali; item ex gradu naturæ, gratiæ, gloriæ, & vnionis hypoſtaticæ; ita tamen vt inferiores ordinarentur ad ſuperiores, & ſuperiores perficerent inferiores; ac proinde ſimul ordinauit, vt in toto vniuerſo, omnium caput & omnium finis, eſſet Chriſtus. 2. Voluiſſe permittere peccatum. 3. Præuidiſſe hominum peccatum. 4. Præordinaſſe Chriſtum in carne paſſibili in redemptorem. Hæc ſententia ſic explicata iuxta hunc tertium modum, eſt probabilis. 3. Iuxta quoſdam recentiores.

39 Sententia verior Chriſtum non venturum ſi Adã non peccaſſet. Altera tamen, Deum non futurum hominem ſi Adam non peccaſſet, videtur probabilior. Tenet eam D. Thomas hoc loco, & lib. 4. contra gentes cap 55. eiuſque ſectatores Ioan. Capreolus, Caietanus, Ferrarienſis &c. D. Bonauentura in 3. diſt. 1. art. 2. q. 2. vbi dicit hanc eſſe magis conſentaneam Scripturis, etiamſi altera ſit ſubtilior, & humanę rationi magis conformis. Marſilius in 3. quæſt. 1. art. 3. Richardus in 3. diſt. 1. q. 4. Thomas Argentinenſ. ibidem art. 4. & alij plerique.

Series prædeſtinationis

Vide hanc quæſtionem ex profeſſo tractatam in lib. de Gratia & prædeſtinatione in diſputatione vltimâ.

probatur ex Scripturis.

Probatur Primò ex Scripturis: quia Scripturæ vbique Incarnationis cauſam indicant fuiſſe hominum redemptionem, nec alterius meminerũt: adeò vt lectorem alia opinione non imbutum, directè in hanc ſententiam impellant. Patet Luc. 19 v. 10. *Venit Filius hominis quærere & ſalvum facere quod perierat.* Idem habemus Matth. 18. Ioan. 3. verſ. 16. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret; vt omnis qui credit in illum non pereat*: vbi dilectionem qua deus mundum dilexit, non conſtituit in eo, quod voluerit mundum conitare omnibus gradibus, & ideò filium dare; ſed in eo, quod voluerit filium dare, ne pereamus. Ioan. 10. vers. 10. *Ego veni vt vitam habeant, & abundantiùs habeant.* Ad Gallat. 4. verſ. 4. *Miſit Deus filium ſuum factum ex muliere, factum ſub lege, vt eos qui ſub lege erant, redimeret*, 1. ad Timoth. 1. verſ. 15. *Chriſtus* IESVS *venit in hunc mũdum peccatores ſalvos facere.* Ex quibus locis deſũpta ſunt verba Symboli: *Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem, deſcendit de cælis.* &c. Ex quibus ſequitur, noſtrâ ſaluté non ſolùm fuiſſe cauſam cur acceperit carnem paſſibilem; ſed abſolutè cur deſcenderit, & incarnatus ſit. Confirmatur ex Parabolis, quibus id ipſum inſinuatur. Marci 12. ex Parabolâ vineæ, vbi dicitur quòd Paterfamilias poſtquam Agricolæ occiderant ſeruos, quos ad ipſos miſerat; etiam miſerit ad ipſos filium, dicens: *Fortè verebuntur Filium meum.* Vbi indicat ſe miſſurum non fuiſſe, ſi peccatum non fuiſſet. Luc. 15. ex Parabolâ centum ouium: ſicut Paſtor ille non reliquiſſet vmquam illas nonaginta nouem in deſerto, niſi vna ouis aberraſſet; ita filius numquam de cælis ad nos deſcendiſſet, niſi tãquam oues aberraſſemus per peccatum.

Ex parabolis.

40 Ex Patribus Græcis.

Probatur Secundò: Ex Patribus, quorum modus loquendi talis eſt, vt vix relinquant liberum, vel ſemel ſuſpicari cõtrarium. Ex Græcis Dionyſius Areop. cap. 4. cæleſtis hierarchiæ, dicit Chriſtum veniſſe in ordine nuntiantis ſiue Angeli, hoc eſt, veniſſe ad nos, tanquam nuntium cæleſtium mandatorum, ob nimiam charitatem ſuam, ſummè neceſſariam noſtræ ſaluti; & ad implendũ ſuæ pietatis opus: ſcilicet ad nos redimendum: Alterius autem cauſæ non meminit.

Athanaſius ſerm. 3. contra Arianos: *Neceſſitas indigentiaque hominis, prior eſt quàm eius natiuitas; qua ſublata, carnem non induiſſet.* Et infrà: *Cæterum vt fieret homo, numquã deſtinatum fuiſſet, niſi hominum neceſſitas id poſtulaſſet.* Et lib. de Incarnat. Verbi. Inter cetera ait: *Vt ſcias ex cauſſã noſtrâ, adductus ad nos occaſionem rationemque fuiſſe; noſtramque prævaricationẽ accerſiuiſſe Verbi clemẽtiam, vt ad nos deſcenderet, & appareret inter homines Deus.*

Gregorius Nazianzenus oratione 4. de Theologiâ: *Quæ cauſa fuit*, inquit, *naturæ humanæ, quã noſtri gratiâ ſubijt: nónne noſtra ſalus? Quid enim aliud dicemus?*

Cyrillius Alexand. lib. 5. Theſauri cap. 8. ſeu vltimo: *Sciebat Deus mortales nos futuros per peccatum, atque ideò ex miſericordiâ ſuâ antè ſæcula conſtituit, vt verbum ſuum fieret homo, renouaretque hominem in ſeipſo.* Vbi docet, Incarnationem eſſe præordinatã antè ſæcula, poſt præuiſionem peccatorum: vide totum illud caput.

ex Patrib. Latinis.

Idem probatur ex Patribus Latinis. Irenæus lib. 5. contrahæret paulò antè medium: *Si non haberet caro ſalvari, nequaquã Verbum Dei, caro factũ eſſet: & ſi non haberet ſanguis inſtorũ inquiri, nequaquam ſanguinẽ habuiſſet Dominus.* Et infrà: *Si antẽ ob aliam quandam diſpoſitionem Incarnatus eſt Deus*, &c. *non ergo in ſemetipſo recapitulatus eſt hominem.*

Ambroſius lib. de Dominicæ Incarnationis Sacramento c. 6. *Quæ erat cauſa Incarnationis, niſi vt caro, quæ per ſe peccauerat, per ſe redimeretur?*

Auguſt. ſerm. 8. de verbis Apoſt. ex illo Lucæ 19: *Venit Filius hominis quærere* &c. infert: *Ergo ſi homo non peccaſſet, Filius hominis non veniſſet.* Et ſerm. 9. *Nulla cauſa veniendi fuit Chriſto Domino, niſi vt peccatores ſalvos faceret.* Et in illud Pſal. 68. *Infixus ſum in limo profundi: Deus quoniam naturã humanam ſuſcepit, in limo infixus eſt: ſi homo maneret in eo quod fecit Deus, non in limo infixus eſſet, quem genuit deus.*

D. Leo ſerm. 3. de Pentecoſte circa initium: *Si homo ad imaginem & ſimilitudinem dei factus, in ſuę honore naturæ manſiſſet; nec diabolicâ fraude deceptus, à lege ſibi propoſitâ per concupiſcentiã deuiaſſet; Creator mundi, creatura non fieret.*

Greg. l. 4. Commen. in 1. Reg. c. 1. *Niſi*, inquit, *Adam peccaſſet, Redemptorem noſtrum carnem ſuſcipere noſtrã non oporteret: non enim venit vocare iuſtos, ſed peccatores ad pœnitẽtiam: ſi ergo pro peccatoribꝰ venit; ſi peccata deeſſent, eũ venire non oporteret.*

Denique alij Patres qui ex profeſſo hac de re tractant, nullam aliam cauſam reddunt, niſi hominum redemptionem & ſalutem. Vide Baſilium & Gregorium Nicænum oratione de Natiuitate. Cyrillum Hieroſolymit. catecheſi 6. Theodoretum in epitome diuinorum decretorum cap. de Incarnat. Damaſcenum lib. 4. de fide c. 4. Anſelmum libris duobus, *Cur deus homo.* Vnde illa ſententia D. Auguſtini: *Cur deus homo, ſi non corrigitur homo?* Et ſanè, mirum eſſet, ſi alius finis proximus principalior & primariò intentus fuiſſet, Deũ illum hactenus hominibus non patefeciſſe: & Sãctos patres vel ignoraſſe, vel ſaltem ſilentio inuoluiſſe; præſertim cum ille finis videatur magnoperè ad Chriſti dignitatem pertinere. His adde, primum inuentorem huius ſententiæ (quod ſciam) fuiſſe Rupertum, qui etiam alia quædam parum ſolida primus excogitauit.

41 Probatur Rationibꝰ

Argumẽtum caietani de triplici ordine.

Probatur Tertiò Rationibus. Primò, Ratione Caietani: *Tres*, inquit, *ſunt ordines rerũ, ſcilicet ordo naturę, gratiæ & vnionis hypoſtaticæ: primus eſt fũdamentum ſecundi, nam natura ſupponitur gratię: & ſecundus tertij; nam gratia ſupponitur hypoſtaticæ vnioni. Quò fit, vt omnia quæ pertinẽt ad ordinẽ naturę per vniuerſum tẽpus, priùs cadãt ſub ſcientiam diuinã, quàm ea quæ ad alios ordines pertinẽt: atqui peccatum pertinet ad ordinem naturæ: ergo neceſſe fuit illud præſciri antepræcognitã vel præfinitã vnionẽ hypoſtaticã: & conſequẽter vnio hypoſtatica non erat futura, niſi præceſſiſſet peccatum.* Sed hæc videntur parũ ſolida: Primò, Quia ſi agat Caietanus de ſcientiâ viſionis, ſic videntur priùs ea, quæ priùs in re fiunt; ſiue ad ordinẽ naturæ, ſiue ad ordinem gratiæ pertineãt; v. g. priùs præuidetur baptiſmꝰ Petri, quàm peccatum commiſſum poſt baptiſmũ; quamuis hoc ad ordinem naturæ, illud ad ordinẽ gratiæ pertineat. Si autem loquitur de ſimplici ſcientiâ, ſic priùs præuidentur ea, quę non ſupponunt aliud; v. g. priùs præuidetur vnio hypoſtatica in Chriſto, quæ ad tertium ordinem pertinet, quàm peccata crucifigentium, quæ ad primũ ordinem ſecundùm Caietanũ: Et priùs præuidetur dignitas Chriſti, pertinens ad tertium ordinem; quàm dignitas Matris, quæ ad ſecundum. Ratio deceptionis Caietani fuit. Primò, quia permiſcet ordinem intentionis cum ordine executionis; qui tamen ſunt maximè diſtincti, licet enim natura ſit fundamentũ gratiæ in ordine executionis, gratia

Improbatur.

tamen eſt fundamentũ naturæ in ordine intentionis, quia eſt finis: vnde non neceſſariò præuidetur poſteriùs. Secundò, quia confundit ſcientiã viſionis, & ſimplicis intelligentię: hęc enim nõ ſupponit decretum liberum diuinæ volũtatis, ſicut illa: licet enim ſimplici intelligẽtiâ nõ poſſit intelligi gratia antè naturam; tamen quia voluntas liberè incipit; vel ab vnione hypoſtaticâ, vel à gratiâ; ideò ſcientiâ viſionis hęc poſſũt ſimul præuideri. Tertiò, quia putat hos ordines eſſe omninò diſtinctos, vt cadunt in diuinam ſcientiam & voluntatem; cùm tamen ſint permixti: ea enim quę pertinent ad ordinem naturæ, diſponuntur a Deo vt expedit ad ordinẽ gratiæ. Quartò & vltimò, quia etſi in vno indiuiduo natura ſupponitur gratiæ, non tamẽ omnia pertinentia ad ordinem naturæ, ſunt priùs in ſcientiâ Dei, quàm omnia quæ pertinent ad ordinem gratiæ, vel vnionis hypoſtaticæ: vnde quòd Deus prædeſtinauerit vnionem hypoſtaticam poſt præuiſionem peccati, non eſt factum ex neceſſario ordine, vt vult argumentum Caietani; ſed ex merâ Dei libertate.

42 1. Ex ſignis.

Vnde aliter probatur Primò, Ex ſignis: omnia enim quæ in hoc myſterio ſeruata ſunt, inſinuant illud primariò fuiſſe inſtitutum propter hominum ſalutẽ: ideò enim potiùs humana natura videtur aſſumpta, quàm Angelica; ideò tali tempore, & loco potiùs, quam aliâs, vel alio; ideò corpus paſſibile; ideò omnia in vitâ egit & pertulit. Nullum autem ſignum cernitur in ijs, quæ circa illum geſta ſunt, quo indicetur illum ob alium finem magis principalem veniſſe.

2. Commendatur Dei charitas erga hominem lapſum.

Secundò, Quia hoc pacto magis oſtenditur eius erga nos charitas, quod non tantùm conditionem corporis noſtrâ cauſâ mutarit, vt vult altera ſententia; ſed abſolutè corporis ſubſtantiam aſſũpſerit. Si enim naturam humanã aſſumpturus fuiſſet, etiam homine non peccãte; certè non propter nos illam aſſumpſit; ſed ſolùm conditionem & qualitatem eius, ad tempus mutauit: atqui plus eſt Deũ abſolutè fieri hominem; quam Deum factum hominem, fieri paſſibilem & pati.

3. Abincõuenientia corporis aſſumendi.

Tertiò. Quia vix cõuenienter explicari poteſt, qualis veniſſet; corpore glorioſo, an ſine gloriâ: ſi glorioſo; quomodo fuiſſet conceptus in vtero. & ſenſim creuiſſet; cùm hoc repugnet corpori glorioſo, quod eſt impaſſibile. Item, quomodo meruiſſet, cùm non fuiſſet viator; quod ſi non glorioſus veniſſet, ſed ſicut Adam in ſtatu innocẽtię; ergo ſimilibus neceſſitatibus fuiſſet ſubiectus: vt cibi, potûs, quietis, excretionis, &c. quę non videntur debuiſſe aſſumi ob perfectionem vniuerſi, ſed ſolùm ad exemplum & ſatisfactionem. Item, an corpus eius ex ijſdem materię particulis, à Spiritu S. conflandũ fuiſſet, quibus modò conflatum eſt? videtur enim quod non ijſdem, quia in ſtatu innocentiæ longè alia fuiſſet ratio victus, vnde rõ eundem ſanguinem B. Virgo habere potuiſſet, nec Chriſtus idem corpus: niſi quis dicat Deum infinitas materiæ particulas, ex quibus modò conſtitutum eſt Chriſti corpus, tunc etiam ſelecturum fuiſſe ex vniuerſis mundi elementis, & congregaturum in B. Virginis ſanguinem: quod naturis rerum non eſt conſentaneum, & ſine ingenti miraculo fieri nequiuiſſet. Sed contrà.

43 Obiectiones ex Scriptura.

Obijcitur Primò, Ex Scripturis. Primus locus ex Prouerb. 8. v. 22. *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum, antequã quidquam faceret à principio. Ab æterno ordinata ſum, & ex antiquis antequã terra fieret.* Vbi Septuaginta vertũt: *Dominus creauit me,* ἔκτισε; & ita legunt paſſim Græci Patres; quãuis fortaſſe Septuaginta ſcripſerint ἔκτισε, id eſt, *poſſedit* à κτάομαι. Ex hoc loco ſic argumentantur: hîc loquitur de ſeipsâ Sapiẽtia incarnata, id eſt Chriſtus Dominus, vt docet Clemẽs Romanus l. 5. conſt. Apoſt. c. 19. Cypr. l. 2. teſtimon. contra Iudæos c. 1. Athanaſius ſerm. 3. contra Arianos. Auguſt. l. 1. de Trinit. c. 12. atqui nõ eſt hîc ſermo de creatione externâ cæli & terræ; quia Chriſtus non eſt creatus, id eſt, incarnatus antequã terra fieret; ſed de præordinatione creationis in mente diuinâ: ergo ſenſus eſt, Sapientiã incarnatam ſeu chriſtũ, fuiſſe creatã in præordinatione diuinâ; id eſt, præordinatã à Deo, ante præordinationẽ cæli & terræ; ac proinde ante præuiſionem peccati: nam præuiſio peccati fuit poſterior præordinatione mundi: ergo etiãſi peccatũ poſtea nõ fuiſſet factum, tamen Sapientia diuina ex vi huius decreti fuiſſet incarnata. Cõfirmatur; quia dicit *ſe ordinatam ab æterno antequam terra fieret*; ſed hoc non poteſt intelligi tantummodò antequã terra fieret reipſa exteriùs: nã ſic omnia fuerunt præordinata antequam terra fieret; ac proinde nihil ſingulare diceretur de Sapientiâ incarnatâ: ergo intelligitur antequã terra fieret in diuinâ ordinatione.

Reſpondeo, Senſum litteralẽ eſſe, *Dominus poſſedit me*, id eſt, genuit me; ſeu quod idẽ eſt, *acquiſiuit me ab æterno.* Nam Hebraicè eſt verbũ *Cana* non *bara*, id eſt, poſſedit, acquiſiuit; ſicut Geneſ. 4. v. 1. Eua cum genuiſſet Cain, dicebat: *Poſſedi hominem per Deũ*, id eſt, acquiſiui, genui diuino munere. Loquitur enim Sapientia æterna ſecundùm diuinitatẽ. Ita Hieronymus epiſt. ad Cyprian. tom. 3. & Baſilius l. 2. contra Eunomiũ. Alij dicunt ſenſum litteralem eſſe, de Sapientiâ in genere; quatenus abſtrahit à creatâ & increatâ: qui per proſopopœiâ tribuitur ſermo. Ita Iãſenius intelligit. Et iuxta hos ſenſus nihil ſequitur contra nos.

Explicatur locus Prouerb. 8.

Quòd ſi velimus intelligere de Sapientia incarnata, ſicut multi Patres propter verſionẽ Septuaginta. & argumenta Arianorum ex illâ verſione petita, intelligunt; ſenſus eſt, Chriſtum eſſe prædeſtinatum ſeu præordinatum ante externam mũdi conſtitutionem, ab æterno; non ante conſtitutionem mundi in mente diuina: quod patet ex ſequentibus: *Nondum erant abyſſi, & egoiam concepta eram: Necdũ fontes aquarũ eruperant, necdum montes graui mole conſtiterant; quando præparabat cælos aderam; quando certâ lege & gyro vallabat abyſſos.* Quibus verbis, vt ait, Cyrillus l. 5. Theſauri c. 8. ſignificatur creaturarũ ex nihilo ad eſſe productio. Et confirmatur, quia ſi Chriſtus fuiſſet præordinatus, ante præordinationem mundi; debuiſſet venire etiamſi mundus numquam fuiſſet. Confirmatur Secundò ex ſimilibus Scripturæ locis; Apoſtolus enim paſſim docet Chriſtum & nos prædeſtinatos, electos &c. *Ante tempora ſæcularia, antè mundi conſtitutionem*: vt ad Epheſ. 1. v. 4. *Sicut elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus Sancti & immaculati in conſpectu eius in charitate.* 1. Corinth. 2. v. 7. *Loquimur Dei ſapientiam in myſterio quæ abſcondita eſt, quã prædeſtinauit Deus antè ſæcula.* Vbi non tantũ myſterium Incarnationis, ſed etiam Paſſionis, Crucis, Mortis totamque œconomiam ſalutis noſtræ, dicit ante ſæcula præordinatam. Denique 2. ad Timoth. 1. v. 9. dicit *Nos liberatos ſecundùm gratiã, quæ data eſt nobis in Chriſto Ieſu antè tẽpora ſæcularia*: at liberatio præſupponit peccatum: ergo peccatũ fuit præuiſum.

Dices: Ergo nihil ibi ſingulare dicitur de myſterio Incarnationis, quia omnia ſic ſunt præordinata. Reſpondeo, non omnia ſic eſſe præordinata in particulari, vt patet de ijs quæ ex cauſis natu-

1. Ex prouerb. 8.

ralibus proueniunt, Significat autem Scriptura tali modo loquendi, illud non pendere ex cauſis creatis; ſed ex ſingulari Dei ſapientiâ, bonitate, & prouidentiâ, Deoque id præcipuo quodam modo curæ fuiſſe.

44 2. Ex Ioã. 17. Secundus locus ex Ioannis 17. v. 5. *Clarifica me Pater claritate quã habui apud te, priuſquã mundus fieret.* Hîc petit Chriſtus gloriã & claritatẽ: atqui non petit gloriam diuinitatis, quia hac numquam caruit: ergo humanitatis, quam in diuinâ præordinatione habebat antè mundum conditum.

Explicatur. Reſpondeo, Chriſtum ibi petere manifeſtare hominibus gloriam diuinitatis, quam habuerat, Etiam antè mundi conſtitutionem, id eſt ab æterno: vt videlicet homines cognoſcerent, eum eſſe verum & naturalem Filum Dei. Vnde ſubdit: *Vt Filius tuus clarificet te*, ſcilicet apud homines. Ita exponit Chryſoſtomus, Cyrillus, Theophilactus, & alij paſſim.

45 3. ex epiſt. ad Coloſſ. c. 1. Tertius locus, ad Coloſſ. 1. v. 15. vbi Chriſtus dicitur *Primogenitus omnis creaturæ*. Et cõfirmatur ex Conſilio Sardicenſi epiſtola ad omnes epiſcopos, vbi Chriſtus vt *Verbum, dicitur vnigenitus, vt homo primogenitus*. Citant aduerſarij etiã Gloſſam, Anſelmum, Hieronymum, Cyrillum. Et confirmant ex eo quod Apoſtolus dicat, *In ipſo eſſe condita vniuerſa, & eſſe caput corporis Eccleſiæ*: tandẽ concludens: *Vt ſit ipſe in omnibus primatum tenens*: ergo Chriſtus vt homo eſt primogenitus omnis creaturæ id eſt, prædeſtinatus eſt antè prædeſtinationem creaturarum.

Quomodo Chriſtꝰ ſit primogenitꝰ omnis creaturæ, ſecundùm diuinitatem. Reſpondeo, Chriſtũ non dici primogenitum omnis creaturæ, quaſi ſecũdùm humanam naturã præordinatus ſit antè omnis creaturæ præordinationem: hoc enim impropriſſimè diceretur: & nemini veterum, (quod ſciam) in mentẽ venit. Probat enim Apoſtolus eum primogenitũ omnis creaturæ, *Quia omnia per ipſũ, & in ipſo creata ſũt; & omnia in ipſo conſtant*, id eſt, conſeruantur. Non potuerunt autem omnia creari, aut cõſeruari per Chriſtum hominem, exiſtentem ſolùm in diuina præordinatione. Vnde ſatis patet Apoſtolũ loqui de Chriſto ſecundùm diuinitatem: volens enim explicare excellẽtiam eius, per quem recõciliati ſumꝰ, dicit eum eſſe *Imaginẽ Dei inuiſibilis, primogenitũ omnis creaturæ*, id eſt, genitũ à patre reipſa ſecundùm diuinitatem, ante omnem creaturam: quod probat, *Quia per ipſum, & in ipſo, omnia sũt creata*. Deinde, addit excellẽtiam quę ei conuenit ratione humanitatis, nẽpe, quòd *ſit Caput Eccleſiæ, primogenitꝰ ex mortuis*. &c. *vt ſit ipſe in omnibꝰ principatum tenens*, id eſt, vt ſit ipſe ante omnes, tam in geneſi, id eſt, ortu rerũ, quã in παλιγγενεσία, id eſt, regeneratione. Nam ſecũdùm Deitatem, eſt ante omnem ortum rerum, & eſt principiũ ortus humanitate verò eſt ante regenerationem, quia primò regeneratus eſt, & eſt auctor regenerationis in ceteris. Quòd ſi quis velit hunc locum intelligere ſecundùm naturam humanam, cum Anſelmo, & quibuſdã aliis, ſic dicitur *Primogenitus omnis creaturæ*, quia eſt dilectus & honoratus ſupra omnem creaturam, ſicut primogenitus ſupra reliquos diligitur. Anſel. ait: *Sicut primogenitus omniũ fratrũ, dignitatis obtinet primatũ, ita Chriſti humanitas primatũ obtinet inter omnes creaturas*. Cyril. lib. 10. Theſauri. c. 3. dicit vocari *Primogenitũ omnis creaturæ ſecundùm naturam humanam, quia omnes homines per ipſum dignitatem filiorum adepti ſunt*. Commentarius qui tribuitur Hieronymo, *Dicitur*, inquit, *primogenitus omnis creaturæ ſecundũ aſſumpti hominis formam, non tẽpore, ſed honore, iuxta illud: filius meus primogenitus Iſraël*. Concil. Sardicenſe præter propoſitũ adducitur: quia ſolùm dicit eſſe primogenitũ ex mortuis. Aduerte, hoſce Patres videri impulſos ad interpretãdum hunc locũ, ſecundùm naturam humanã vi nominis *primogeniti*, quo ſignificari videtur adhuc alios ſequi filios: ſed ſciendum, phraſi Habreâ primogenitũ vocari, ante quem non eſt alius, ſiue poſt illum ſequantur alij filij, ſiue non: patet tum alijs locis, tum Lucę 2. v. 7. *Peperit filium ſuum primogenitum*.

Primogenitus quæ dicatur.

46 4. Ex epiſt. ad Hæbreos. explicatur

Quartus locus eſt ad Hæb. 2. v. 10 *Decebat enim eum propter quem omnia &c. per paſſionẽ conſũmari* Vbi omnia dicuntur eſſe propter filium hominis.

Reſpondeo, Is, propter quẽ omnia, eſt Pater; vt paſſim DD. interpretantur: nã non eſt *conſummari* paſsiuè, ſed *conſummare*: vt legunt omnia Græca exemplaria, & pleraque Latina emendatiora. Et quamuis Anſelmus explicet de Chriſto, tamen nõ ſecundùm humanitatem ſed diuinitatẽ intelligit: dicit enim, *Propter quem omnia, & per quem omnia*.

47 Obiectiones ex Patribus. 1. Ex Ireneo. Explicatur.

Secundò obijciunt ex Patribus. Primò, Ex Ireneo lib. 3. c. 33. vbi ait, *Deum prædeſtinaſſe primum hominem animalẽ, videlicet vt à ſpiritali ſaluaretur. Cùm enim præexiſteret ſaluans, oportebat & quod ſaluaretur fieri, vti non vacuum ſit ſaluans*. Reſpõdeo, non vult dicere Chriſtum priùs prædeſtinatũ eſſe ſaluatorem, quàm homines præordinarentur, qui poſſent ſaluari: quia certum eſt non eſſe prædeſtinatum vt eſſet ſaluator, niſi ſuppoſitis ſaluandis: ergo iam antè vel certè ſimul debent intelligi homines præordinati. Senſus ergo eſt: cũ præexiſteret ſaluans, Verbum ſcil. diuinum omnium fabricator, oportebat etiam fieri id quod ſaluaretur: id eſt, cõueniens erat, vt fieret homo animalis, qui ad ſalutẽ adduceretur: ne fruſtra videretur ratio & proprietas ſaluantis in Deum cõuenire: loquitur enim Ireneus de verâ præexiſtentiâ Chriſti, non de obiectiuâ in prædeſtinatione diuinâ. Vide cap. 20. & 22. eiuſdem Authoris.

48 Ex Aug. Explicatur. Matrimoniũ ſignificat duplicẽ coniunctionẽ Chriſti cum Eccleſia.

Secundò, Ex Aug. l. de nuptijs & concupiſcentia c. 21. vbi ait: *Coniugium etiam in ſtatu innocẽtiæ, ſi homo non peccaſſet, futurũ Sacramentũ coniunctionis Chriſti cum Eccleſia*. Reſpondeo, matrimoniũ nũc duplicis cõiunctionis eſt Sacramentũ, id eſt, ſacrũ ſignum: ſcil. coniunctionis Chriſti cũ Eccleſia per vnionem hypoſtaticã: & cõiunctionis Chriſti cum eccleſia per fidem & charitatem. In ſtatu innocentię, tantummodò fuiſſet Sacramentum coniunctionis Chriſti cum Eccleſia per fidem & charitatem. Neque mirũ, quia hęc ſigna non ſunt naturalia, ſed ex diuinâ inſtitutione: vnde pro varietate ſtatus, poſsũt plura aut pauciora ſignificare.

49 3. Ex Cyril. Explicatur.

Tertiò, Ex Cyrillo l. 3. Theſauri c. 8. vbi dicit, *Chriſtum ante nos præfundatũ* [id eſt, tamquã fundamentũ ſalutis humanæ ab æterno conſtitutum] vt in ipſo omnes ſaluemur. Reſpõdeo, Cyrillũ toto illo capitè apertè à nobis ſtare: explicat enim locum illum Prouerbiorum *Dominus poſſedit me* &c. & legit ex verſione LXX *Dominus fundauit me initiũ viarum ſuarum ad opera ſua*: & ſenſũ eſſe dicit, *dominus fecit me*, ſcil. Chriſtum Deum & hominem fundamentum ſalutis humanæ, cui per fidẽ homines debent ſuperædificari. Deinde quærit Cyrillus quomodo Deus fecerit Chriſtũ fundamentum ab æterno ſicut Scriptura indicat, cùm Incarnatio facta ſit in tempore? Reſpondet, quia Deus præuiſo peccato, illum ab æterno conſtituit facere fundamẽtum. Vbi apertè docet Chriſti Incarnationẽ non eſſe præordinatã ante præuiſum peccatum; ſed hoc eſſe cauſam, cur eam præordinarit. Dicit autẽ *Chriſtum ante nos præfundatum*, id eſt, ante nos cõditos præordinatum fundamentum ſalutis; non tamen ante præuiſum peccatum, vel

ante

ante prædordinatos homines in mẽte diuina. Quod etiam patet exemplo architecti qui firmum fundamentum ſui operis ſtatuit, vt poſſit inſtaurari cũ ceciderit. Omitto alia teſtimonia quòd ſint facilia

50 Obiectiones ex ratione.

Tertiò obijciunt rationes: 1. Adamo fuit reuelatum iſtud myſterium in ſtatu innocentiæ, vt docent multi Patres: ergo iſtud myſterium fuit prædordinatum ante peccatum præuiſum. Patet conſequentia, quia ante pręuiſum peccatum fuit prædordinata ecſtaſis Adæ & reuelatio quam habuit in ecſtaſi: quia id priùs eſt pręuiſum, quod prius eſt ordine temporis in rebus: ergo ante pręuiſum peccatum, fuit etiam prædordinata res renelata: ſcilicet ipſa Incarnatio. Deinde ſi Adamo fuit reuelatum iſtud myſterium ante peccatum: ergo Chriſtꝰ tunc fuit illi propoſitus vt fons gratiæ & principium ſalutis: alioqui cur fuiſſet illi reuelatus? Simile argumentum faciunt de Angelis. Reſpondeo,

1. Quod hoc myſterium fuit reuelatum Adamo.

Soluitur.

Etſi non ſit neceſſe, vt id quod tempore prius eſt, ſit prius in prædſione: cùm fieri poſſit vt nullam inter ſe dependentiam habeant: concedo tamen myſterium Incarnationis fuiſſe prædordinatum ante prædſionem abſolutam intuitiuam peccati, quâ Deus prædidet futura ſicuti fiunt reipſa cum omnibus circumſtantijs: non tamen fuit prædordinatum ante prædſionem conditionatam: nec etiam ante abſolutam, quaſi abſtractiuam, quam Deus habet, prędisè accedente voluntate permittendi ad ſcientiam conditionatam. Proquo.

Deus tripliciter præſcit futura.

Notandum, Deum tripliciter præſcire futura, 1. præſcientiâ conditionatâ. 2. abſolutâ quaſi abſtractiuâ: nempe quando ad præſcientiam conditionatam, accedit prædordinatio & permiſſio. tunc enim in ſua prædordinatione vel permiſſione prædidet rem futuram quaſi abſtractè à circumſtantijs Tertia eſt abſoluta intuitiua, quâ fertur in res ipſas, vti fiunt in tempore cum omnibus circumſtantijs. Chriſtus ergo fuit prædeſtinatus ante prędſcientiam peccati intuitiuam, non tamen ante prędſcientiam abſolutam abſtractiuam eiuſdem peccati, ſed ſimul. Nam hoc ipſo quo Deus voluit creare hos Angelos, & hos homines: & permittere Adamum ſic tentari: prædidit illum peccaturum: & ſimul prædordinauit Chriſtum in remedium.

Ad confirmationem: Chriſtus propoſitus fuit Adamo, tamquam caput in genere: non autem tamquam cauſa totius ſalutis: poterat enim eſſe caput omnium, etiamſi ab illo gratiam non haberent: ſicuti modo reipſa eſt caput Angelorum, etiam ſecundùm naturam humanam, quamuis ipſi ex eius meritis gratiam non habuerint. Modus autem particularis, quo futurus erat caput hominum, nõ fuit Adamo tunc reuelatus: ſicut neque vtrùm vẽturus in carne paſſibili, an impaſſibili.

51 2. Obiect.

Secunda ratio: Prædeſtinatio Chriſti eſt cauſa exemplaris, & quodammodo finalis, prędeſtinationis omnium hominum: vt colligitur ex c. 8. v. 29. ad Rom. *Qui prædeſtinauit nos conformes fieri imagines Filij ſui*: ſed prædeſtinatio hominum, ſaltem Adami, facta eſt ante præuiſionem peccati: ergo & prædeſtinatio Chriſti. Confirmatur, Quia Cõc. Trid. ſeſſ. 6. c. 7. dicit finem noſtrę iuſtificationis eſſe gloriam Dei, & Chriſti: ergo priùs eſt volita gloria Chriſti, quàm noſtra iuſtificatio.

Reſpondeo, Admitto Chriſti prædeſtinationem

Soluitur.

eſſe cauſam exemplarem noſtræ: negotamen Adamum eſſe prædeſtinatum ante pręuiſum peccatũ: omnium enim hominum prædeſtinatio facta eſt poſt præuiſum peccatum, ſaltem quoad poſteriora media, vt multis locis docet D. Auguſtinus.

Ad confirmationem: potuit Deus Chriſtum prædordinare ad noſtram ſalutem: & ſimul noſtram latem ad Chriſti ipſius honorem: ſicut rex poteſt inſtituere aliquem gubernatorem, vt benè adminiſtretur prouincia: & ſimul velle, vt ſalus prouinciæ cedat in ipſius honorem. Nam duplex eſt finis: nempe qui intenditur, & cui intenditur: & hi, viciſſim ſibi poſſunt eſſe cauſæ finales. V. g. potentiæ ſunt propter operationes, tamquam ob finem qui intenditur: ipſæ verò operationes, ſunt propter potentias: ſcilicet vt eas perficiant.

Chriſtus eſt propter homines, & homines propter Chriſtum.

Tertia ratio: Gloria animæ Chriſti, eſt maioris dignitatis, magiſque Deodilecta, quàm gloria omnium hominum & Angelorum ſimul: vt ſentit D. Thom. 1. parte quæſt. 20. art. 4. ad 1. ergo veriſimile eſt hanc gloriam eſſe magis perſe volitam à Deo, quàm gloriam Angelorum & hominum: Imò, ob Chriſti gloriam reliqua potiùs eſſe volita: quàm hanc propter homines.

52 3. Obiect.

Soluitur.

Reſpondeo: Admitto gloriam animæ Chriſti eſſe præſtantiorem cęteris omnibus: non tamen idcirco debebat illam Deus prædordinare ante prædſionem peccati propter ſeipſam: Primò, Quia Deus omninò liberè vult & amat omnem excellẽtiam creaturæ: vnde, nec ſemper maiorem excellentiam magis vult: nimirum vt hac ratione oſtendat ſe nullâ perfectione creatâ egere, ſeque ſibi infinitè ſufficientem eſſe. Vnde, non ſequitur ipſũ debuiſſe gloriam Chriſti propter ſeipſam velle, nullo ſuppoſito peccato: alioquin etiam, hoc vniuerſo debuiſſet aliud perfectius condere: idque ſine termino. Secundò, Etſi maximam adfert excellentiam creaturæ, & toti vniuerſo, quod Deus ſit homo: hoc tamen non erat Deo propter ſe appetendum, aut etiam propter vniuerſi perfectionem. Nam, fieri creaturam, maximè humanam, eſt humiliatio quædam, & veluti miſeria ipſius Dei: vnde ab Apoſtolo ad Philip. 2. v. 7. dicitur, *Deus ſe exinaniuiſſe & humiliaſſe, cum formam ſerui accepit*: quarè non videtur abſolutè conueniens, vt Deus fieret homo, niſi aliqua maior neceſſitas vrgeret: videlicet ad auferendam noſtram miſeriã & ad ſatisfaciendum diuinę iuſtitiæ: vt hac ratione oſtenderet infinitam miſericordiam ſuam, & iuſtitiam, quę nullo alio modo, tam eximiè poterat demonſtrari. Quòd ſi ob vniuerſi perfectionẽ factus eſſet homo, non ita eluceret iſta miſericordia & iuſtitia: imò neque ipſa Dei eminentia: nã quodammodo in creaturarum ordinem redactus videretur.

Incarnatio eſtquędam Dei humiliatio.

Dices: Art. 1. oſtenſum eſt hoc myſterium fuiſſe per ſe valdè conueniens diuinæ bonitati: ergo ſepoſitâ redemptione hominum debuiſſet etiam à Deo prædordinari.

Reſpondeo: poteſt eſſe vnâ ratione valdè conueniens, & ex aliâ parte habere incommoda maioris momenti. Sicut valdè conueniẽs eſt liberalitate regis omnes pauperes ali: ſed ex alterâ parte poſſunt ſequi incommoda, ob quæ abſolutè nõ expediat. Ita etiam conueniens eſt per ſe diuinę bonitati, vt ſe ſummo modo creaturæ communicet: ſed ex alterâ parte, erat quodammodo inconueniens: quia ſequebatur humiliatio ſummæ maieſtatis, quæ non debebat fieri, niſi ob neceſſitatem altioris ordinis, cui alio modo non tam conueniẽter poterat occurri. Qua neceſſitate poſitâ, reliquæ conuenientiæ & vtilitates locum habebant.

Incarnatio facta eſt, non quia diuinæ bonitati conueniens, ſed magis ob humanam neceſſitatem.

Quarta ratio ex Scoto: Ordinatè volens, primò vult id, quod eſt propinquius fini: atqui finis Dei in creaturis eſt oſtenſio & communicatio ſuæ bonitatis, cui finis propinquus medium eſt incarnatio, nam in hac, maximè communicat & oſtendit ſuam bonitatem: ergo hæc debebat eſſe primò volita. Confirmatur: quia ſi ex occaſione peccati

53 4. Obiect. Scoti.

ſe pugnare, multis oſtendi poteſt.

58 Prædeſtinatio Chriſti, prior eſt prædeſtinatione hominum.

Dico Tertiò, Prædeſtinatio tamen Chriſti, prior eſt prædeſtinatione Adami, & ceterorum hominum. Eſt ferè communis ſententia Doctorum, quamuis non eodem modo ab omnibus explicetur.

Probatur ad Epheſ. 1. verſ. 4. *Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus ſancti & immaculati &c.* Ad Rom. 8. v. 29. *Quos præſcivit & prædeſtinavit conformes fieri imaginis filii ſui; vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus.* Ratio eſt, quia Chriſti prædeſtinatio eſt cauſa prædeſtinationis omnium hominum; vt indicant iſtæ ſcripturæ: Nam omne donum ſalutare quo ducimur ad ſalutem, ex Chriſti merito prouenit; ac proinde ex eiuſdem merito eſt nobis prædeſtinatum: ergo omnis noſtra prædeſtinatio ſupponit prædeſtinationem Chriſti: ipſius verò prædeſtinatio, non ſupponit noſtram: ergo illa eſt prior noſtrâ.

Dices; Deus deſtinauit homines in ſtatu innocentiæ ad ſalutem, per dona ſufficientia ſupernaturalia, ſine reſpectu ad Incarnationem Chriſti: ergo &c.

59

Reſpondeo; Illa deſtinatio, non erat prædeſtinatio propriè dicta, de quâ loquimur; ſed ordinatio quædam prouidentiæ ſupernaturalis, quæ per peccatum fuit interciſa & abrupta, ita vt effectum non habuerit. Sicut ordinatio Luciferi, & illi adhærentium, non erat vera prædeſtinatio.

Quomodo dicentur homines prædeſtinati ad ſalutem in ſtatu innocentiæ.

Nam prædeſtinatio, eſt ordinatio ad ſalutem, per media quæ reipſa ſunt efficacia; id eſt, quæ effectum præſtant. Talis autem ordinatio in hominibus præſupponit Chriſti Incarnationem; nam media per quæ ſaluamur, à Chriſto pendent: & conſequenter voluntas conferendi hæc media ſupponit Chriſti Incarnationem.

60 Sed difficultas ſupereſt de prædeſtinatione Angelorum; ſitne prior, an poſterior Chriſti prædeſtinatione?

Reſpondeo & Dico Quartò, Si Angelis fuit reuelatum myſterium Incarnationis in ſtatu viæ, tamquam neceſſariò ab illis credendum; Chriſti prædeſtinatio fuit prior eorum prædeſtinatione. Si autem non fuit reuelatum, neque prior fuit neque poſterior.

Prior pars patet, quia ſi illis propoſitum fuit myſterium Incarnationis explicitè credendum (vt multi exiſtimant:) ergo media quibus reipſa ſunt conſecuti ſalutem, horumque mediorum præparatio in mente diuinâ ſupponebant præordinationem Incarnationis Chriſti: præordinatio autem Chriſti, non ſupponebat eorum prædeſtinationem ergo prædeſtinatio Chriſti eſt prior.

Angeli inde pendent à Chriſto ſunt prædeſtinati.

Poſterior pars probatur: Quia ſi illis non fuit hoc myſterium reuelatum, impertinens fuit ad illorum prædeſtinationem: ita vt illorum prædeſtinatio non ſupponat huius myſterij præordinationem, nec contrà; & hoc fortè eſt verius, magiſque videtur conſentaneum teſtimonijs Patrum ſuprà allatis num. 40. Et inſinuat Apoſtolus prioris ad Corinth. 2. v. 7. cùm ait; *Loquimur Dei ſapientiam in myſterio, quam nemo Principum huius ſæculi cognouit: ſi enim cognouiſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent.* Vbi per Principes huius ſæculi, intelligit non ſolum Pilatum & Herodem, & Principes Sacerdotum: (vt quidam volunt) ſed maximè & imprimis dæmones; vt exponunt Commentarij Ambroſij, Haymonis, Anſelmi, D. Thomæ, Caietani, & aliorum, idque optimè probant Ambroſius & Caietanus. Vnde ſequi videtur Angelis in viâ hoc myſterium non fuiſſe reuelatum; alioqui dæmones illud cognouiſſent. Neque vlla neceſſitas nos cogit Chriſti prædeſtinationem ponere primam, aut Chriſtum ponere primum prædeſtinatorum, niſi inter homines; quorum prædeſtinationis ipſe eſt cauſa.

Et

Dices; Adamo eſt reuelatum hoc myſterium: ergo & Angelis. Antecedens probari poteſt teſtimonijs multorum Patrum. Et Confirmatur, quia peccatum Angelorum fuit appetitio vnionis hypoſtaticæ.

Reſpondeo, Admiſſo antecedente, quamuis non ſit adeo certum, vt docet Molina 1. p. q. 57. a. 5. negatur conſequentia; quia eſt peculiaris ratio in Adamo, cùm ex eius ſemine Chriſtus eſſet naſciturus & ipſum cum totâ poſteritate redempturus. Ad confirmationem; fortè verius eſt peccatum diaboli non fuiſſe appetitionem vnionis hypoſtaticæ: tum, quia id Patres non latuiſſet, cùm non ſit ſubtilitas metaphyſica, ſed myſterium maximè notabile: tum, quia fortè tunc Angeli non poterãt concipere qualis eſſet homo, cùm peccauerint primò die; homo autem ſit conditus ſexto. Itaq; videtur verius, peccatum eius fuiſſe ſuperbiam conceptam ex conſideratione ſuæ pulchritudinis, & diuitiarum ſapientiæ & potentiæ: quæ ſuperbia conſiſtebat in eo, quòd iudicio practico & voluntate ita ſe æſtimabat & ab alijs æſtimari volebat, ac ſi ea omnia à ſeipſo, & non à Deo habuiſſet: quomodo ſuperbi Reges conſiderantes ſuæ potentiæ & diuitiarum, ſe efferebant. Quod poteſt confirmari ex c. 28. Ezechielis, vbi ſub typo Regis Tyri deſcribitur peccatum Luciferi. Et Iſaiæ 14. vbi ſub figurâ Nabuchodonoſoris.

Qualefuerit peccatũ Angeloru.

ARTICVLVS IV.

Vtrum principalius Christus Incarnatus fuerit propter peccatum originale, an actuale?

62 Christus venit vt tollat omnia peccata.

REſpondeo & Dico Primo, Chriſtus venit ad omnia peccata delenda: id eſt, ad exhibendum remedium ſufficiens omnibus peccatis delendis. Eſt de fide ad Rom. 5. v. 15. *Non ſicut delictum, ita & donum* &c. *nam iudicium ex vno, in condemnationem: gratia ex multis* (id eſt ex omnib⁹) *delictis in iuſtificationem*, ſc. proceſſit. Primæ Ioãnis 1. v. 7. *Sanguis Ieſu Chriſti emundat nos ab omni peccato*; Et c. 2. v. 2. *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris: non pro noſtris autem tantùm: ſed etiam pro totius mundi.*

Ratio eſt; Quia Chriſtus venit vt perfectus Redemptor & Saluator, qui nos in vitam æternam perduceret: ergo venit ad tollenda omnia impedimenta vitæ æternæ: atqui omnia peccata, non ſolum originale, ſed & actualia, etiam venialia, ſunt impedimenta ſalutis æternæ: ergo &c.

63 Principaliùs tamẽ vt tollato originale.

Dico Secundo, Si peccata actualia conferantur cum originali; principaliùs venit propter originale. Ita D. Thomas hoc loco, & clariùs in 3. diſt. 1. qu. 1.

Probatur; Quia Scripturæ cum agunt de Chriſti ſatisfactione, ſæpè loquuntur de peccato in ſingulari numero; quaſi velint inſinuare eſſe aliquod radicale peccatum, ob quod potiſſimum Dominus venerit. Patet hoc Ioan. 1. v. 29. *Ecce Agnus Dei, Ecce qui tollit peccatum mundi.* Ita enim habẽt Codices Græci. Et præter patres Græcos, ita legunt Irenæus lib. 3. contra hæreſes c. 21. Auguſt. l. 22. contra Fauſtum cap. 30. Cyprian. lib. de duplici

Google

Martyrio (quamuis certum ſit hoc opuſculum non eſſe Cypriani Martyris) & alij recentiores, vt Beda, Gloſſa &c. Ad Rom. 5. v. 15. *Non ſicut delictum, ita & donum.* Qui locus vſque ad finem capitis expendendus eſt. Et 1. ad Cor. 15. v. 22. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes viuificabuntur.* Quibus locis, inter ſe confert obedientiam meritumque Chriſti, & peccatum Adæ: inſinuans hæc potiſſimùm inter ſe opponi, & alterum per alterum tolli: Iſaiæ 53. verſ. 6. *Poſuit Dominus in eo iniquitatem omnium noſtrûm.*

Ratio eſt; Quia peccatum originale infecit totam naturam: adeò vt ex ſe in infinitos homines dimanare, & omnes à ſtatu gratiæ & ſpe beatitudinis deturbare poſſet: quod nulli peccato actuali conuenit. Accedit: quòd originale in ſingulis hominibus eſt minùs voluntarium, quàm actuale, præterquam in Adamo. Vnde potiùs quàm alia, miſericordiam merebatur.

Dices: Vniuerſa peccata actualia ſunt maius malum, quàm omnia peccata originalia omnium hominum. nam peccatum mortale actuale, longè grauius eſt intenſiuè, quam originale: quia eſt maior Dei iniuria, cui abolendæ Chriſtus venit: hinc peccatum mortiferum grauiſſimâ pœnâ punitur, originale mitiſſimâ. Accedit quòd longè plura ſint actualia peccata, quàm originalia: cum originale ſit vnicum in ſingulis, actualia interdum innumerabilia.

Reſpondeo: Eſſe quidem maiorem malitiam intenſiuè in peccatis actualibus, quàm originalibus: tamen quia illorum omnium radix eſt originale, & hoc actualibus extenſiuè eſt maius, eò quòd nõ coërceatur vnâ perſonâ, ſed inficiat totam naturam, eamque priuet vltimo fine: ideò magis pertinebat ad bonum humani generis hoc deleri, quã alia. Sicut maius beneficium præſtaret Reipublicæ, qui curaret leuem aliquem languorem, quo vniuerſus populus laborat, ex quo poſteà grauiſſimi morbi naſcuntur: quàm qui curaret illos morbos, relictâ radice.

DVBIVM I.

Vtrùm Chriſtus fuiſſet venturus, ſi tantùm fuiſſet peccatum actuale: Vt ſi Adam non peccaſſet, aliqui tamen ex eius poſteritate peccaſſent.

64 QVidam exiſtimant Chriſtum venturum, etiamſi vnus tantùm peccaſſet. Primò: Quia Apoſtolus ad Gal. 2. verſ. 20. ait: *Qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me.* Quod etiam inſinuat parabola de oue perditâ Luc. 15. Secundò: quia tale quid videtur reuelaſſe ſancto Carpo: vt refert Dionyſ. Areopag. epi. 8. ad Demophylum vbi Carpo indignanti, quòd quidam, qui à fide deſciuerat, & alius qui illum peruerterat, non demergerentur in hiatum inferorum: Chriſtus dixit ſe eſſe paratum iterum pro ſaluandis hominibus pati. Sed hæc ſententia eſt parum probabilis. Ad primum, reſpondeo: verba Apoſtoli tantùm ſignificare Chriſti redemptionem ita prodeſſe ſingulis: ac ſi pro ſingulis ſeorſim mortuus eſſet vt exponit Chryſoſt. lib. 2. de compunctione cordis vltra medium, & Auguſt. lib. 3. confeſſ. cap. 11. D. Thom. hîc. ad 3. Vnde ita Domino gratias agere debemus: ac ſi pro nobis ſolis mortuus eſſet. Quis autem perdita, eſt totum genus humanum, non autem vnus homo. Ad ſecundum: Non dicitur ibi quòd Dominus ſit paratus iterum pati pro vno, ſed in genere pro hominibus: nempe ſi opus foret. Deinde etſi Chriſtus ex parte ſuâ ſit paratus etiam pro vno pati, tamen non eſt veriſimile Patrem hoc velle.

Chriſtus non fuiſſet incarnatus propter vnum ſolũ

Alij dicunt Chriſtum venturum, ſi valde multi peccaſſent, præſertim ſi peccatum parentum trãſunderetur in poſteros; tunc enim poſteri alieno peccato perirent; ac proinde conueniens eſſet, vt alieno merito redimerentur: ideò enim genus humanum per alium redemptum fuit, quia per alios perierat. Vt D. Anſelm, lib. 2. *Cur Deus homo.* c. 21. & Bernardus ſerm. 1. de aduentu. 65 Neque propter plures.

Sed dicendum eſt nihil in hac re eſſe certi: eſſe tamen valdè veriſimile, Chriſtum non venturum ſi ipſe Adam non peccaſſet. Hoc enim inſinuant Scripturæ & Patres ſuprà num. 40. citati. Et imprimis illud Gregorij: *O verè neceſſarium Adæ peccatum! ô felix culpa, quæ talem meruit redemptorem!* Ratio eſt, quia ſi alij peccaſſent, peccata illorum non fuiſſent transfuſa in poſteros, vt alibi diximus; quia non conueniebat vt aliorum voluntates in alterius voluntate & arbitrio ponerentur quàm eius, qui erat caput humani generis; alioqui fuiſſet valdè miſera poſterorum conditio, ſi illorum ſalus a ſingulis parentibus tam periculosè dependiſſet, quare ſi Adam non peccaſſet, quicumque fuiſſent peccatores, propriâ voluntate peccaſſent, non alienâ, qui ſanè pauciſſimi fuiſſent: nam exemplum miſeriæ vnius aut alterius, reliquos reddidiſſet cautiores. Credibile tamen eſt eos qui ſic peccaſſent non caituros fuiſſe omni remedio; ſed Deum aliquo modo illis prouiſurum.

DVBIVM II.

Vtrùm Chriſtus fuiſſet venturus, ſi tantùm fuiſſet peccatum originale, & nulla inde actualia fuiſſent ſecuta?

REſpondeo: Quæſtio ſupponit id quod moraliter eſt impoſſibile: Nam fieri nequit ſine ſpeciali priuilegio, vt peccatum originale ita comprimatur, vt nulla inde emergant actualia. Conceſſâ tamen eiuſmodi hypotheſi, omnino veriſimile eſt Chriſtum fuiſſe venturum: quia totum genus humanum fuiſſet perditum & obnoxium æternæ damnationi, ſaltem pœnæ damni: vnde decuiſſet illud reparari. Hoc autem non poterat fieri ſecundùm exactam iuſtitiam, niſi meritis Filij Dei. Confirmatur primò: quia Patres paſſim docent myſterium hoc decretum ex præuiſione peccati Adami, quo introductum eſt originale; vnde non videntur agnoſcere neceſſariam dependentiam ex præuiſione peccatorum actualium. Confirmatur Secundò. Quia Apoſtolus ad Roman 9. & prioris ad Corinth. 15. indicat Chriſtum veniſſe ad tollendam condemnationem inductam vnius delicto, ſcilicet Adami: ergo &c. 66 Chriſtus venturus fuiſſet ob ſolum originale.

Digitized by Google

ARTICVLVS V.

Vtrum conueniens fuerit Christum incarnari ab initio mundi?

67 REspondeò & Dico Primò, Non fuisse conueniens vt assumeret carnem ante peccatũ. Ratio est, Quia *Non est opus valentibus Medicus, sed male habentibus*, Matth. 9. v. 12.

Dico Secundò, Neque etiam erat conueniens vt assumeret carnem statim post peccatum Adæ. Quod probat D. Thomas quatuor coniecturis, quæ sic possunt disponi & explicari. Primò, Id non erat conueniens propter dignitatem huius mysterij; quia oportebat vt tantum Regem plurimi præcones antecederent, qui cum varijs signis, oraculis, & cerimonijs, mẽtibus hominum repræsentarent: tum, vt ardentiùs ab illis desideraretur & susciperetur; tum, vt firmiùs posteà teneretur. Ita D. August. tract. 31. in Ioannem. Secundò, non erat conueniens ratione diuinæ iustitiæ, quæ postulabat vt Deus ostenderet, quantum sibi peccatum Adæ displiceret. Sicut enim vno homine peccante Deus interdum diu illi irascitur, vt illi grauitatem peccati ostendat; ita etiam peccante in Adamo toto humano genere, vt Deus ostenderet quantum displiceret peccatum, se diu toti humano generi iratum ostendit. Ita D. Bonauent. in 3 dist. 1. art. 2. q. vlt. Tertiò, Ratione ipsorum hominum, quos oportebat disponi ad tantum Regem suscipiendum. Dispositi autem sunt dupliciter: primò directè, nempe per legem naturalem, Deinde per legem scriptã, cerimonias & prophetias. Secundò indirectè, per considerationem suæ imbecillitatis, dum viderunt se adminiculis prioribus non potuisse saluari: hoc enim occasio illis fuit ardentiùs Christum desiderandi. Ita August. lib. 19. contra Faustum cap. 7. & D. Leo serm. 3. de Epiphania. Et credibile est nisi sic homo dispositus fuisset, quòd non diu fidem & religionem remisset, præsertim in superbâ illâ & robustâ naturâ, qualis erat ab initio: vnde pauciores longè fuissent saluati. Quartò, Ratione naturalis ordinis humanæ naturæ accommodati, quæ requirit, vt successiuis incrementis in bonam promoueatur, Iuxta illud Apostoli 1. ad Corinth. 15. vers. 46. *Non prius quod spirituale est, sed quod animale.* Vnde primò tantum data est lex naturę, deinde lex Moysi, posteà expressiores prophetię, tandem lex Euãgelica. Ita Gregorius Nazianz. in sermone de Paschate. Et Theodoretus de curandis Græcorum affectibus.

Incarnatio nõ debebat fieri statim à peccato Adæ.

ARTICVLVS VI.

Vtrum Incarnatio debuerit differri vsque ad finem mundi?

REspondetur negatiuè. Probatur tribus coniecturis: Prima, quia Incarnatio est causa salutis humanæ: causa autem non debet esse posterior, sed potiùs prior suis effectis; alioquin paucissimi fuissent saluati. Secunda, quia si tam diu fuisset dilata Incarnatio, Dei notitia & reuerentia, morumque honestas penitùs intercidissent, & ita vix vlli Christum suscepissent. Tertia, quia conueniebat vt homines pluribus modis ad salutem promouerentur; nempe non tantùm fide Christi futuri, sed etiam præsentis, & maximè præteriti: sic enim diuina virtus & sapientia magis declaratur. 68

Dices: Scripturæ docent Christum venturum in carne, nouissimis diebus. Isaiæ 2. vers. 2. *Erit in nouissimis diebus præparatus mons domus Domini*, id est, Christus: super quem domus Domini, id est, Ecclesia ædificatur. Idem habetur Michæ. 4. Respondeo totum tempus gratiæ in Scripturis dicitur nouissimum, & nouissima ætas: quia nulla alia lex, aut sacerdotium, aut Sacramenta, cultusue Religionis debet succedere: sed hæc omnia vsque ad finem sæculi durabunt. Vnde ad Galat. 4. vers. 4. dicitur *Pleniendo tempori*, quia omnes prophetiæ in hoc sunt impletæ. Priotis ad Corinth. 10. vers. 11. vocatur, *Fines sæculorum.* 1. Ioan. 2. vers. 18. *Nouissima hora.* Matth. 20. vers. 6. *Vndecima horâ*, iuxtà expositiones Patrum. In hymno Ecclesiæ, *Vespera mundi*, & D. August. lib. 1. de Genesi contra Manichæos cap. 23 vocat *Senectutem mundi.* Alibi tamen, scilicet lib. 83. qq. q. 44. vocat *Mundi iuuentutem* propter fidei feruorem & gratiæ vigorem, vt exponit ipsemet lib. 1. Retract. cap. 26. 69

Tempus gratiæ cur dicatur Nouissimum.

Ex dictis duobus articulis sequitur conueniẽti tempore Christum venisse, nempe in medio peregrinationis humanæ. Sicut enim cor est in medio hominis, vt omnibus membris vitam impertiat: ita Christus, qui est veluti cor generis humani, debuit quodammodo esse in medio: vt & superiora & inferiora ab ipso vitam accipiant. Vnde Habacuc 3. vers. 2. *Domine opus tuum in medio annorum, viuifica illud.* Id est, excita, perficè opus illud eximium nostræ redemptionis in medio annorum captiuitatis & peregrinationis nostræ.

Incarnatio facta est conueniẽti tẽpore.

Digitized by Google

QVÆSTIO SECVNDA.
De modo vnionis Verbi Incarnati.

In Duodecim Articulos diuiſa.

POſtquam oſtendit D. Thomas huius myſterij conuenientiam, neceſſitatem & finem præcipuum, incipit explicare eius naturam, maximè ex cauſis ſuis intrinſecis. In quauis autem re, quæ ex pluriùm vnione reſultat, quatuor potiſſimùm conſiderari poſſunt: Primò, quid ſit illud quod ex vnione reſultat. Secundò, qualis ſit ipſa vnio: quæ duo hac quæſtione ſecundâ explicantur, additis quibuſdam de cauſâ eius meritoriâ. Tertiò, conſiderantur res ipſę quæ vniuntur, & ordo illarum: quod explicatur quæſtione tertiâ, quartâ, quintâ, & ſextâ. Quartò: proprietates quæ ex vnione conſequuntur, à quæſtione ſeptimâ & deinceps.

ARTICVLVS I.

Vtrum vnio verbi Incarnati fuerit facta in natura? id eſt. *Vtrum ex vnione Verbi & humanæ naturæ, reſultauerit aut conſtituta fuerit vna natura?*

2 REſpondeo Negatiuè. Hoc loco tractanda eſt prima controuerſia contra Hæreticos de hoc myſterio.

DVBIVM I.

Vtrùm vnio Incarnationis facta fuerit per aliquam conuerſionem alterius naturæ in alteram?

Error Eutichetis.

NOtandum, De hac re fuiſſe duos errores. Prior fuit Eutychetis Monachi Conſtantinop. circa annum Domini 450. qui vt refelleret Neſtorium ponentem in Chriſto duas perſonas propter duas naturas: docuit Chriſtum quidem eſſe ex duabus naturis, non tamen ſubſiſtere in duabus. Nam per ipſam aſſumptionem, ex duabus factam eſſe conuerſionem diuinitatis in carnem; quia dicitur Ioan. 1. verſ. 14. *Verbum caro factum eſt*, quaſi in carnem ſpiſſatum. Vnde vlteriùs inferebat diuinitatem Chriſti eſſe natâ, paſſam, mortuam: & Chriſti carnẽ eſſe alterius rationis, quàm noſtra ſit. Patet hoc ex epiſtolâ Leonis 97. cap. 1. vbi manifeſtè dicit Eutychetem negaſſe veritatem carnis humanæ: & Dominum noſtrum eſſe vnius naturæ, tamquam Verbi deitas ipſa ſe in carnem animamque conuerterit, & concipi, naſci, creſcere, crucifigi, mori voluerit. Idem multi antea docuerunt, vt patet ex Ambroſ. lib. de Dominicæ Incarnat. Sacramento cap. 6. qui contra diſputat: & nominatim Apollinaris teſte Auguſtino hæreſi 55. qui dicebat aliquid diuinitatis in carnem conuerſum.

Apollinariſtæ.

Error Euſebij.

Secundus error eſt: Ex Verbo & carne factam vnam naturam, per conuerſionem carnis in diuinitatem: idque vel in principio incarnationis, vel in Reſurrectione. Refert Tertull. lib. de carne Chriſti. Theodoretus dialogo, *Inconfuſus*. Et in Synodo Nicæna 2. actione 6. tom. 5. eiuſdem Synodi. Tribuitur hic error Euſebio Cæſarienſi. Eundem tenuit Gaſpar Svvencfeldius, vt refert Staphylus lib. de concordia Lutheranor. Et videntur modo tenere omnes *Vbiquiſtæ* qui dicunt Chriſti carnem eſſe vbique.

Contra hos errores Dico Primò: Poſt Incarnationem permanſit in Chriſto integra natura diuina, & integra natura humana. Eſt de fide. 3 In Chriſto eſt integra natura diuina & humana.

Probatur ex Scripturis; Quia poſt Incarnationem Chriſtus erat verus Deus. Ioan. 5. verſ. 18. *Æqualem ſe, faciebat Deo.* Ioã. 8. v. 58. *Antequã Abrahã fieret, ego ſum.* Ioã. 10. v. 30. *Ego & Pater vnum ſumus* &c. Idem erat verus homo. Ioan. 8. v. 40. *Quæritis me interficere, hominem qui veritatẽ dixi vobis.* Et paſſim vocatur *Filius hominis*, id eſt, homo; tribuunturque ei proprietates veri hominis; vt naſci, mori, eſurire, ſitire, fatigari, triſtari, & ſimilia: quæ ſi tãtummodò in ſpeciem facta ſũt, tota Scriptura vel falſa eſt, vel incerta.

Probatur Secundò, Ioan. 3. verſ. 13. Chriſtus dicit: *Nemo aſcendit in Cælum, niſi qui deſcendit de Cælo, filius hominis, qui eſt in Cælo.* Is qui loquitur, erat in domo Nicodemi, & filius hominis; & tamen dicit ſe eſſe in Cælo: atqui non ſecundùm humanam naturã erat in cælo, nec deſcenderat à cælo; ſed ſecundùm diuinam. Nec ſecundùm diuinam erat filius hominis, ſed ſecundùm humanam: ergo erat in illo vtraque natura.

Probatur Tertiò, Ioan. 20. verſ. 27. Cùm Dominus dixiſſet Thomæ: *Mitte manum tuam in latus meum* &c. Et Thomas illum vidiſſet, & tetigiſſet, exclamauit: verſ. 28. *Dominus meus, & Deus meus*: ergo erat in illo diuina natura quam confitebatur, & humana quam videbat & tangebat.

Quartò, Actorum 2. verſ. 33. ait Petrus: *Dextera Dei exaltatus effudit donũ hoc quod vos videtis & auditis.* Vbi, *Exaltari*, eſt naturę humanæ; *Effundere Spiritum ſanctum*, eſt naturæ diuinæ.

Quintò, Actor. 20. verſ. 28. ait Paulus: *In quo poſuit vos Spiritus ſanctus regere Eccleſiã Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo*: ergo ille Deus qui ſanguinem fudit, habet duplicem naturam; diuinam a qua Deus, & humanam à quâ ſanguinem fudit.

Sextò, Ad Roman. 9. verſ. 5. *Ex quibus* (ſcilicet Patribus) *eſt Chriſtus ſecundùm carnem, qui eſt Deus ſuper omnia benedictus in ſæcula.*

Septimò, Ad Philip. 2. verſ. 6. *Qui cùm in formâ Dei eſſet, ſemetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens.* Vbi Apoſtolus in Chriſto ponit duas formas; ergo ſunt duæ naturæ.

Dico Secundò, hæc vnio naturæ diuinæ & humanæ, non fuit facta per conuerſionem diuinitatis in carnem; aut carnis in diuinitatem. Eſt fide tenendum. Prior pars eſt contra Eutychetem & Appollinarem. Patet primò, ex Symbolo Athanaſij recepto à totâ Eccleſiâ; *Non conuerſione diuinitatis in Carnem, ſed aſſumptione humanitatis in Deum.* Secundò, Quia diuinitas eſt immutabilis: ergo non potuit in carnem conuerti. Antecedens patet Malachiæ 3. verſ. 6. *Ego Dominus & non mutor.* Iacob 1. verſ. 17. *Apud quem non eſt tranſmutatio.* Et prioris ad Timoth. 1. verſ. 17. *Regi* 4 Refelluntur Eutyches.

ſæculorum, immortali, inuiſibili &c. Et ibid. cap. 6. verſ. 16. *Qui ſolus habet immortalitatem.*

Vbi aduerte, quidquid Deo in Scripturis tribuitur, intelligendum eſſe ſecundùm ſupremam excellentiam, vt docet Dionyſ. cap. 1. de diuinis Nominibus, & cap. 3. Myſticæ Theologiæ. Quare huiuſmodi locis ſignificatur Deum excellentiſſimè, & ſecundùm omnem penitùs modum eſſe immutabilem.

Altera pars Prob. Primò; Nam conuerſio carnis in diuinitatem, non poteſt fieri ſine ipſius diuinitatis mutatione; ſiue conuerſio fiat per tranſmutationem, quomodo alimentum conuertitur in corpus animantis, & elementa in corpus mixtum; quod concedit etiam Caietanus: ſiue fiat per modum tranſubſtantiationis, quamuis id neget Caietanus, exiſtimans terminum tranſubſtantiationis, non debere mutari. Sed

Probatur contra Caietanum: Nam id in quod aliud conuertitur, neceſſe eſt vt ſit terminus intrinſecus illius mutationis; ac proinde neceſſe eſt, vt requirat aliquam nouam dependẽtiam ſui eſſe, vel aliquem nouum eſſendi modum; vt patet in myſterio Euchariſtiæ, vbi corpus Chriſti, & nouam dependentiam, & nouum eſſendi modum acquirit. Et ratio eſt, quia alioqui nullus eſſet terminus *Ad quem* intrinſecus illius tranſmutationis, vt in Tract. de Euchariſtia oſtendetur.

Probatur Secundò, Quia ſi caro conuerteretur in diuinitatem, humana natura non remaneret in Chriſto, ſed diuina dumtaxat: quidquid enim conuertitur in aliud, ſiue per tranſmutationem, ſiue per tranſubſtantiationem, definit eſſe; vt patet in alimento, quod conuertitur in corpus animantis; & in pane, qui in corpus Chriſti: & ita Chriſtus iam non eſſet homo: quod etſi fateatur Svvencfeldius maximè poſt Adſcenſionẽ; tamen eſt manifeſtè contra Scripturam. Act. 7. *Stephanus vidit Filium hominis ſtantem* &c. & cap. 17. *Statuit diem in quo iudicabit orbem in Viro*, id eſt, Chriſto homine.

Eadem veritas probari poteſt ex multis Concilijs, quæ docent in Chriſto manſiſſe integrè & impermixtè duas naturas; & propter vnionem, numquam illarum diſtinctionem eſſe ſublatam. Concilium Chalcedonẽſe expreſsè congregatum eſt contra hanc hæreſin: Cùm in eo Actione 1. recitaretur confeſſio Eutychetis, & Dioſcori duas naturas ante Incarnationem, vnam tantùm poſt fuiſſe: omnes ſuccłamarunt vna voce, *Anathema qui ita ſentiunt.* Actione 5. in definitione fidei ſic dicunt: *Confitemur in nouiſſimis diebus filium Dei vnicum, in duabus naturis inconfuſè, incommutabiliter, indiuiſe, inſeparabiliter cognoſcẽdum, numquã ſublatâ differentiâ naturarum propter vnionem.* Idem poſteà in multis alijs definitum. Eſtque hoc ipſum, vnum ex illis, quæ interrogatur Epiſcopus conſecrandus: *Credis filium Dei Chriſtum ex duabus naturis & in duabus naturis?* vt patet ex Carthaginenſi IV. cap. 1. Vide Theodoretum in dialogo *Impatibilis*, vbi plurima teſtimonia Patrum colligit. Sed

6 Obijciunt Primò, Ioannis 1. dicitur: *Verbum caro factum eſt.* Qui modus loquendi ſignificat tranſmutationem, vel conuerſionem in carnem: vt patet ex ſimili Ioan. 2. *Aqua vinum factum eſt.*

Reſpondeo, Locutiones ſunt accommodandæ rebus: vnde non ſemper hæc locutio ſignificat conuerſionem: vt enim perſona exiſtens dicatur aliquid fieri, non eſt neceſſe ipſam à ſuâ naturâ deſciſcere, & in aliud mutari: ſed ſufficit vt aliquid ſibi acquirat nouo modo. Sic *Verbum* dicitur *factum caro*, quia illam aſſumpſit & ſibi aſtrinxit in vnionem hypoſtaſis ſicuti Chriſtus dicitur *factus Pontifex*, ad Hebr. 7. *Et factus pro nobis maledictum*, ad Gal. 3. *Accepiſſe formã ſerui*, ad Philip. 2. *Apprehendiſſe ſemen Abrahæ*, ad Hebr. 2. Ita reſpondet Theodoretus dialogo *Immutabilis*, & alij Patres.

Obijcitur Secundò, In Concilio Chalcedon. Actione 1. recitatâ epiſtolâ Cyrilli Alexandrini ad Ioannem Antiochenum, Euſtatius Epiſcopus Beritenſis dixit Cyrillum ſcripſiſſe non eſſe in Chriſto duas naturas intelligendas, ſed vnam incarnatam.

Reſpondeo. Illa verba non reperiuntur in Cirillo: & quidam patres in Concilio affirmabant eſſe Eutychetis. Dici tamen poteſt ea quæ in epiſtolâ iſtâ habẽtur, exponẽda eſſe in eo ſenſu, quo valent contra Neſtorium quo ſcripta ſunt: ſcilicet non eſſe duas naturas per ſe ſubſiſtentes, ſed ſubſtantialiter vnitas, vt ibidem dicitur. Aliæ locutiones, quæ in eadem Epiſtolâ habentur, difficultatem non habent: vt quòd natura verbi dicatur *Incarnata*, ſenſus enim eſt, carni vnita. Quomodo & caro à Patribus dicitur *deificata*; id eſt, diuinitati vnita.

DVBIVM. II.

Vtrùm ex carne humanâ & naturâ diuinâ, potuerit fieri vna natura integra per compoſitionem?

NOtandum eſt, quoſdam hæreticos ita ſenſiſſe, quaſi diuina natura ſupplerit locum animæ rationalis. Refert hoc Epiph. hæreſi 69. de Arianis, & Auguſt. hæreſi 55. de Apollinari. 7

Reſpondeo; Fieri nequit, vt ex vnione Verbi & carnis, conſtituta fuerit vna natura per modum compoſitionis. Probatur, quia oſtenſum eſt, in Chriſto eſſe completam hominis & Dei naturam: atqui ex duabus naturis perfectis, non poteſt fieri vna; alioqui omnes poſſent in vnam conflari, quod maximè locum habet in naturâ diuinâ, quæ omnibus modis eſt completa. Secundò, Si conflaretur ex carne & Verbo vna natura, hoc ideò fieret, quòd Verbum ſuppleret locum animæ rationalis, vt volebant Ariani & Apollinaris: atqui Verbum non poteſt eſſe forma corporis; aut edere functiones illas vitales, quas anima rationalis edit: ergo &c. Tertiò, Quia natura reſultans ex hac vnione, eſſet communicabilis pluribus, ac proinde poſſent eſſe plures Chriſti, vt colligit Damaſc. lib. 3. cap. 3. de fide orthodoxa. Antecẽdens patet; tum quia id in omni aliâ naturâ ex materiâ & formâ conflatâ videmus; tum quia ſi natura diuina poteſt tamquam forma communicari carni & materiæ corporali; multò magis poterit pluribus indiuiduis.

Verbũ eſt forma corporis.

Dices Athanaſ. in Symbolo ait: *Sicut anima rationalis & caro, vnus eſt homo: ita Deus & homo vnus eſt Chriſtus:* atqui ibi eſt vnum per compoſitionem: ergo & hîc. 8

Reſpondeo; Hanc ſimilitudinem non eſſe ſpectandam quoad omnia: Nam anima & corpus ſunt partes eſſentiales incompletæ, habẽtes partiales ſubſiſtentias. Diuina autem & humana natura ſunt completæ, habentes exiſtentias perfectas & totales: & natura diuina habet etiam cõpletam ſubſiſtentiam, humana autem in Chriſto nullam nec totalem nec partialem. Valet autem in eo, quod vtraque vnio ſit ſubſtantialis; & per vtramque fiat, vt duæ naturæ exiſtant in vnâ perſonâ: ſicut enim ex vnione animæ & corporis

Explicatur quo modo Deus & homo, ſit vnus Chriſtus: ſicut anima rationalis & caro, vnus eſt homo.

conſequitur, vt duæ naturæ exiſtant in vnâ perſonâ: ita ex vnione humanæ naturæ cum diuinâ fit, vt illæ duæ naturæ exiſtant in vnâ perſonâ Verbi. Denique Sicut corpus vnitur animæ, vt ſit eius organum coniũctum: ita humanitas Verbo. Vide D. Thom. l. 4. contra Gentes cap. 41. Et Caietan. tom. 3. Opuſculor. tract. 1. oratione. 2.

ARTICVLVS II.

Vtrum vnio Verbi Incarnati facta ſit in perſona?

9 REſpondetur: Vnio Incarnationis eſt facta in perſona Verbii, ipſo præbẽte ſuam ſubſiſtẽtiam naturæ humanæ. Senſus eſt, natura diuina & humana per incarnationem ſunt vnitæ in Verbi perſonâ præbente vtrique ſubſiſtentiam. Vbi

Notandum eſt, tripliciter aliqua poſſe vniri. Primò; eſſentialiter, cùm ex vnitis reſultat vna eſſentia; ſic vniuntur forma & materia, genus & differentia. Secundò; Accidentaliter, vt accidens cum ſubiecto. Tertiò; Hypoſtaticè, vt natura cum ſuo ſuppoſito; vel cum ratione hypoſtaticâ, quæ ſuppoſitum conſtituit: hæc vocatur vnio in perſona, ſeu in ſuppoſito; vel meliùs vnio hypoſtatica. Vnio partium integralium non eſt ad propoſitum.

DVBIVM.

Vtrùm in Chriſto ſit tantùm vna perſona, & qualis? Quæ eſt ſecunda controuerſia in hac materia.

10 Error Ebionis & Cherinthi. NOtandum eſt, temporibus Apoſtolorum, extitiſſe hac de re errorem Ebionis & Cherinthi, qui vt refert Irenæus lib. 1. contra hæreſes cap. 25. docebant IESVM & Chriſtum eſſe duas perſonas; & IESVM volebant eſſe purum hominem ex MARIA & IOSEPH procreatum: Chriſtum autem eſſe Filium Dei, qui in Baptiſmo primùm deſcenderit in IESVM ſpecie Columbæ, & ſe illi coniunxerit. Similem errorem poſtea Neſtorius Patriarcha Conſtantinopolitanus defendendum ſuſcepit, qui multos habuit ſectatores ab eo Neſtorianos appellatos.

Error Neſtorij.

Theodoretus reſipuit. Cum Neſtorio ſenſit aliquamdiu Theodoretus, & quidam alij; Theodoret⁹ enim poſtea reſipuit & Neſtorio anathema dixit in Concilio Chalcedon. Actione 8. & præclarè confutauit lib. 4. hæreticarum fabularum cap. de Neſtorio. Quãuis pro illo antea ſcripſiſſet libellum contra duodecim anathematiſmos Cyrilli, qui libellus condemnatur in v. Synodo can. 12. Docebat autem Neſtorius cum ſuis; Primò, aliam eſſe perſonam Filij Dei, aliam Filij Virginis. Filium Virginis, eſſe purum hominem, natum, paſſum, mortuum: vnde Virginem non eſſe dicendam Deiparam, ſed Chriſtiparam.

Secundò, Filium Dei progreſſu temporis eſſe vnitum Filio Virginis; non quidem hypoſtaticè, ſed accidentariè: idque quadrupliciter. Primò per inhabitationem, quia Verbum habitat in Chriſto tamquã in ſuo templo, à quo numquam receſſit. Secundò, per affectum & vnionem amoris; ratione cuius, etſi ſint duæ perſonæ, dicuntur tamen vnus Chriſtus. Sicut maritus & vxor, licet ſint duæ perſonæ, dicuntur tamen vna caro, vt explicat Theodorus Mopſueſten⁹, & habetur in v. Synodo cap. 12. Tertiò, per operationem; quia Verbum operabatur per Chriſtum, tamquam per ſuum inſtrumẽtum. Quartò, per communicationem excellentiæ; quia Verbum communicauit Chriſto ſuam dignitatem, voluitque illum dici Deum & adorari. Sicut imago colitur & appellatur nomine prototypi. Patent hæc ex dogmatibus Neſtorij apud Cyrillum tom. 4. in fine. Et ex libello Theodoreti contra 12. Anathemat. Cyrilli. Pro veritate

11 In Chriſto eſt vnica ſol[illegible] per[illegible]

Dico Primò, In Chriſto Dominò eſt tantùm vnica Perſona. Eſt de fide, definita in Concilio Epheſino contra hanc hæreſim congregato. Et patet ex omnibus teſtimonijs quibus ſupra nu. 3. oſtendimus eundem eſſe Deum & hominem contra Eutychetem. Et præterea Probatur aliter, Ex Scriptura. Primò, Quia in Scripturâ ſacrâ de vno & eodem indiuiduo dicuntur ea, quæ ſunt Dei & hominis; Nam quædam quæ in vno loco dicuntur de Deo, in alio dicuntur & explicantur de IESV homine. Exod. 20. dicitur Deus eduxiſſe Iſraël ex Ægypto, at D. Iudas in ſua Catholica v. 5. dicit fuiſſe hunc IESVM. Numeror. 21. Filij Iſraël murmurant contra Deum, Apoſtolus autem prioris ad Corinth. 10. reſpiciens ad hunc locum, dicit eos murmuraſſe contra Chriſtum. Pſal. 67. *Aſcendit Deus in altum, captiuam duxit captiuitatem* &c. Apoſtolus autem ad Epheſ. 4. dicit hũc eſſe Chriſtum. Iſaiæ 6. vidit Iſaias Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum & eleuatum &c. Ioannis autem 12. dicitur iſte fuiſſe IESVS cuius gloriam vidit Iſaias. Iſaiæ. 8 Deus dicitur futurus Iudæis in ſanctificationẽ, & in petram offenſionis: atqui hic lapis offenſionis & petra ſcãdali eſt Chriſtus, Luc 2. Ad Rom. 9. 1. Petri 2.

Ex pronominibus Deo & homini tribui ſoliti.

Probatur Secundò, Ex pronominibus, Ego, *Tu, Hic, Ille, Qui* &c. per quæ Scriptura apertè demonſtrat, eſſe eundẽ numero, cui tribuuntur ea quæ ſunt Dei & hominis: nam hæc pronomina ſupponunt pro ſuppoſito. Matt. 16. *Quem dicunt homines eſſe filium hominis?* id eſt, quem dicunt me eſſe? Reſpondet Petrus: *Tu es Chriſtus filius Dei vivi.* quaſi dicat: Tu qui es Filius hominis, es verè Filius Dei naturalis. Ioan. 3. verſ. 13. *Nemo aſcẽdit in cœlum niſi qui deſcẽdit de cœlo, Filius hominis qui eſt in cœlo.* Vbi idẽ dicitur eſſe *Filius hominis, & eſſe in cœlo.* Ac proinde Deus Ioã. 8. *Antequam Abraham fieret, ego ſum*, id eſt. Ego qui loquor, quem vos videtis. Et cap 9. *Tu credis in Filium Dei? Quis eſt Domine vt credã in eum?* Reſpondit IESVS: *Et viditi, & qui loquitur tecum, ipſe eſt.* Ad Rom. 1. *De filio ſuo, qui factus eſt ei ex ſemine Dauid.* Apoc. 1. verſ. 8. *Ego ſum α & ω, Principium & Finis.* & verſ. 18. *Ego ſum primus & nouiſſimus, & vivus & fui mortuus.*

Probatur Tertiò, Ex alijs locis Ioan. 1. *Verbum Caro factum eſt.* Quod non poteſt dici ratione inhabitationis, aut dilectionis, aut operationis: alioqui etiam Spiritus ſanct⁹ diceretur factus caro Ioan. 20. Thomas dixit Domino quem videbat & tangebat: *Dominus meus, & Deus meus.* Qui locus torſit Neſtorianos: vnde Theodorus Mopſueſtenus dicebat, hoc eſſe dictum per modum admirantis, vt refertur in Synodo v. c. 12. Sed eſt contra omnium Patrum interpretationem, qui volũt Thomam hoc dixiſſe Chriſto: in Græco enim habetur: *Reſpõdit ipſi*, neque eſt vlla nota admirationis. Ad Rom. 8. dicit Apoſtolus, quòd *Deus proprium Filium tradidit pro nobis*, non alium aliquem hominẽ. Ad Philip. 2. dicit quòd IESVS in formâ Dei exiſtens ſeipſum exinaniuerit formam ſerui accipiens, & mortem crucis ſubiẽs: ergo ipſemet, & non alius crucem ſubijt. Et

Reſponſio Neſtorianorum ad locum. Ioan. 20.

ex D. Paulo.

prioris ad cor. 2. dicitur *Dominus gloriæ crucifixus.*

Ex epiſtolâ primâ S. Ioannis.

Denique S. Ioannes Epiſt. 1. totâ refellit hunc errorem. cap. 1. dicit ſe *perſpexiſſe contrectaſſe Verbum vitæ, quod erat ab initio*: ergo ille homo erat Verbū vitæ. Cap. 2. verſ. 22. *Quis eſt mēdax, niſi qui negat* IESVM *eſſe Chriſtum*? id eſt, Deum. cap. 3. dicit *deum animam ſuam pro nobis poſuiſſe.* cap. 4. *Omnis Spiritus qui ſolvit* IESVM *à deo non eſt*, id eſt, qui diuidit IESVM à Chriſto, vel hominem à Deo.

Reſpondent Neſtoriani, IESVM, eſſe Chriſtū & Filium Dei; & vnum tantùm ſed per coniunctionem inhabitationis, amoris, operationis, & participatæ dignitatis.

Quo pacto Deus ſit vnus cū omnibus Sanctis.

Sed contrà. Primò, Nam eo modo Deus eſt vnitus alijs etiam ſanctis. Primò, per inhabitationem tamquam ſuis templis. 1. Corinth. 3. *Neſcitis quia templum Dei eſtis, & Spiritus dei habitat in vobis*? Secundò, Per affectionem & amorem. 1. ad Corinth. 6. *Qui adhæret domino, vnus Spiritus eſt: ſicut qui meretrici, vna caro.* Tertiò Per operationē; Ad Rom. 15. verſ. 18. *Non enim audeo aliquid loqui eorum, quæ per me non effecit Chriſtus,* & 1. ad Corinth. 12. *Hæc autē omnia operatur vnus & idem Spiritus, dividens ſingulis prout vult*: quartò, Per communicationem ſuæ dignitatis; Nam Sancti dicuntur *dij, & Filij dei* Pſalm. 81. & ad Galatas. 4. Certum eſt autem hominem illum qui dicitur Chriſtus, longè aliter fuiſſe Deum, & Filium Dei: vt patet Ioan. 1. Ad Hebr. 1. & 2.

Secundò, Quia Cherinthus hæc omnia concedebat de Chriſto; tamen Ioannes ait Illum *ſoluere* IESVM. Vide epiſtolam 10. Leonis ad Flauianū: & Irenæum lib. 3. contra hæreſes à cap. 18. vſque ad 22. vbi contra Cherinthum oſtendit vnum & eundem eſſe filium Mariæ, & Dei Patris. Teſtimonia Patrum vide apud Cyrillum in Apologetico pro duodecim anathematiſmis; apud Bellarm. lib. 1. de Chriſto c. 10. & Greg. à Valētia.

12 Probatur ex ratione

Probatur Secundò Ratione. Prima, Quandocunque ſunt duæ perſonæ vel ſubſtantiæ integræ per ſe ſubſiſtentes: altera non poteſt dici de alterâ ſubſtantialiter ſeu ſubſtantiuè, ſed ſolùm denominatiuè ſeu adiectiuè ſicut homo dicitur eſſe veſtitus, non veſtis aut veſtimentum: atqui in hoc myſterio ea quæ ſunt vnita, dicuntur ſubſtantialiter de ſe viciſſim: Nam homo, non tantùm dicitur deificatus, ſed etiam Deus: & contrà, Deus non tantùm dicitur humanatus, ſed etiam homo; ergo non ſunt duæ perſonæ ſeu hypoſtaſes.

Secunda ratio, Duæ formæ quę non dicuntur de ſe viciſſim in abſtracto, non poſſunt etiam dici in concreto, niſi conueniant in eandem hypoſtaſim, vt patet etiam in formis accidentarijs albedine & dulcedine: atqui humanitas dicitur de diuinitate in concreto, & contrà: Nam Deus eſt homo, & homo eſt Deus: ergo debent conuenire in idem ſuppoſitum.

Tertia Ratio, Si verbum non eſt ſubſtantialiter & hypoſtaticè vnitum humanæ naturæ, ſed tantùm per inhabitationem, affectū amoris, operationem, & communicationem dignitatis, vt ponunt Neſtoriani: ergo Verbum non eſt magis incarnatū quàm Pater vel Spiritus ſanctus. Nam pater & Spiritus ſanctus etiam illis quatuor modis ſunt vniti humanæ naturæ in Chriſto.

13 Quomodo Verbū dicatur incarnatū

Reſpondent Neſtoriani, ſoli Verbo tribui Incarnationem quia illa caro, ſingulariter repræſentabat Verbum Dei: Sicut Doctores Græci dicunt olim Prophetis & Patribus apparuiſſe Verbum Dei, quia Angelus qui apparebat & ſpecies per quam apparebat, repræſentabat Verbū Dei.

ſenſu Neſtorij.

Sed Contrà, Primò, Quia in iſtis antiquis apparitionibus Verbum ſpecialiter dicitur repræſentatum, propter incarnationē realiter futuram in ſolo Verbo diuino: nunc verò ceſſat talis cauſa, & proinde non poteſt dici proptia Verbo, ratione repręſentationis.

14 refellitur

Secundò, Quia incarnatio ſolùm tribueretur Verbo quadam accommodatione, Sicut aduentus Spiritus ſancti in ſpecie columbæ vel ignis, appropriatur Spiritui ſancto, cùm tamen tota Trinitas ibi aduenerit: ergo ſimiliter tota Trinitas eſſet Incarnata, quamuis ſoli Verbo appropriaretur.

Quarta Ratio, Quando hic homo dicitur Deus: vel intelligitur de deitate participatâ, & hoc eſt contra veram Chriſti diuinitatem: vel intelligitur de verâ deitate, & tunc vlteriùs, vel Verbum *eſt* ſumitur propriè, & ſic habemus intentum: ſcilicet hunc hominē propriè eſſe verum Deum: Vel ſumitur abuſiuè, vt ſit idem quod repręſentat Deum: Et ſic euertuntur omnia myſteria fidei & Scripturę, eâdē enim licentia, cùm ipſum Verbum & Spiritus ſanctus dicuntur Deus, poterit ſimiliter exponi quòd repræſentant Deum. Item, quilibet homo iuſtus, poterit dici verus deus.

Denique ſi in Chriſto ſint duæ perſonæ, nihil eſt ſingulare in hoc myſterio, quòd tamen inter omnia mirabilia, teſtimonio Patrum & Scripturarum, eſt maximè mirabile.

15 Perſona Chriſti eſt increata.

Dico Secundò, Hęc perſona quę eſt in Chriſto, eſt perſona increata. Patet ex teſtimonijs allatis pro prima propoſitione. Et probatur rationibus proprijs.

Prima, Si illa perſona eſt creata, non poſſet dici *Verbum dei, Filius dei*: nam vna perſona non poteſt dici de altera, etiamſi exiſtant in eadem natura: vt patet in Trinitate.

Secunda, Quia perſona creata non poteſt terminare exiſtentiam naturæ increatæ.

Dices, Perſona increata poteſt terminare & ſuſtentare exiſtentiam naturæ creatę: ergo etiam contrà.

Terminari dicit imperfectionem.

Reſpondeo Negando Conſequentiam: Quia terminare, eſt ex perfectione; & nullam includit imperfectionem in terminante: terminati verò per rem diſtinctam, ſupponit imperfectionem, & quandam incomplexionē in naturā quæ terminatur, dependentiamque à ſuo termino. Quæ omnia repugnant naturę increatæ: ergo non poteſt terminari ab alienâ perſonâ.

Tertia, Quia natura diuina non poteſt ſeparari à ſuâ propriâ perſonalitate, ſicut natura creata à ſua.

Quarta, Quia perſona creata fortaſſis non poteſt terminare aliam naturam, quàm propriam; de quo infrà.

16 1. Obiect. Neſtorij de Tẽplo & habitu.

Sed obijciunt Neſtoriani: humana natura eſt Templū Verbi. Ioan. 2. verſ. 19. *Soluite templum hoc.* Item, Habitus ſeu veſtimentum. Ad Philip. 2. verſ. 7. *Habitu inuentus vt homo.* Ergo hæc vnio fuit tantum accidentalis; ſcilicet per inhabitationem, & repręſentationem. Ita Theodoretus contra ſecundum anathematiſ. Cyrilli.

Confirmatur, Quia Patres explicant hoc myſterium per vniones accidētarias; vt ignis & ferri; agentis & inſtrumenti; rami inſitiij & trunci. Denique duorum accidentium in vno ſubiecto.

Quomodo Humanitas

Reſpondeo: Rectè humanitas dicitur Templum Verbi; licet illi ſit ſubſtātialiter vnita: nam etiam corpus noſtrum, quod eſſentialiter & ſub-

Google

Improbatur.

Sed pleriſque hac tempeſtate hæc ſententia videtur improbabilis. Primò, Quia ſi ratio perſonæ completur in negatione, non poterimus in Trinitate concipere tres poſitiuas perſonalitates. Secundò, Non poterit ſuppleri per poſitiuam perſonalitatem Verbi: quomodo enim negatio ſupplebitur per poſitiuum quid? Tertiò, Concilia ex eo quod humanitas ſit aſſumpta ad alienam perſonam, concludunt ipſam carere propriâ perſonalitate: ergo caret aliquo poſitiuo; alioqui nihil aliud dicerent, quàm naturam aſſumptam non manſiſſe inaſſumptam; quod eſt ridiculum. Quartò, Ratio perſonæ pertinet ad complementum ſubſtantiæ: ergo non poteſt conſiſtere in ſolis negationibus. Antecedens Probatur, Quia ſi non pertineret ad ſubſtantiæ complementum, humanitas Chriſti eſſet ſubſtantia omni ex parte completa; ac proinde non poſſet vniri Verbo, niſi accidentaliter, quod omnino dici non poteſt.

22 Hypoſtaſis ſuperaddit naturæ proprietatem quandam poſitiuam.

Altera ſententia eſt: Rationem hypoſtaticam addere naturæ proprietatem quandam poſitiuam & realem, diſtinctam ab illa, non tamen tamquam rem à re: ſed tamquam modum à re. Eſt communior ſententia Doctorum hoc tempore. Eandem in re tenet Caietan. quæſt. 4. art. 2. quamuis dicat diſtingui realiter à naturâ; ſed intelligit, non tantùm ratione: fallitur tamen, dum putat hunc modum eſſe priorem ipsâ exiſtentiâ, tamquam neceſſariam diſpoſitionem ipſius naturæ, vt ſit apta exiſtere.

23 Quatuor conſideranda in ſuppoſito creato.

Pro cuius intelligentiâ, Notandum eſt in omni ſuppoſito creato quatuor conſiderari poſſe: Primò, Natura ſpecifica, quæ ſecundùm ſe, eſt communis omnibus indiuiduis. Secundò, Differentia indiuidualis, quæ naturæ accedens conſtituit hoc indiuiduum; v. g. hanc naturam humanam. Tertiò, Exiſtentia, quę concipitur veluti modus naturæ indiuiduæ, per quem ipſa eſt extra cauſas ſuas, & entitas actualis; nulla enim natura eſt capax exiſtentiæ, niſi contracta ad eſſe ſingulare. Quartò, Conſiderari poteſt modus quidam illius exiſtentiæ, ratione cuius natura exiſtat per ſe, vel in alio. His poſitis.

24 Ratio hypoſtatica eſt modus exiſtendi per ſe.

Dico, Hunc *modum exiſtendi per ſe*, eſſe rationem hypoſtaticam. Primò. Quia vltimò complet exiſtentiam, facitque vt res per ſe exiſtat, nulli alteri adhæreſcens. Secundò, Quia exiſtentia huius humanæ naturæ præcisè conſideratę, nõ includit in ſuâ ratione formali eſſe actu per ſe, aut eſſe in alio; ſed ad vtrumque quodammodo eſt indifferens: Sicut exiſtentia accidentis præcisè conſiderata, non includit in ratione ſuâ formali eſſe actu in alio, vel eſſe per ſe; ſed ſolùm, eſſe extra ſuas cauſas: ergo hæc exiſtentia poteſt vtroque modo modificari. Atqui *eſſe in alio*, addit ipſi modum quemdam realem; cur non etiam *eſſe per ſe* addat illi modum realem? id eſt, ita eſſe, vt ei repugnet eſſe in alio: quod proprium eſt hypoſtaſis ſeu ſuppoſiti.

Exiſtentia præcisè conſiderata, eſt indifferens ad eſſe per ſe vel in alio.

Tertiò probatur & explicatur exemplis, quę rem hanc nonnihil elucidare poterunt.

Declaratur exemplis. 1. Accidentium Euchariſtiæ.

Primò, Exemplò accidentium in Sanctiſſimâ Euchariſtiâ: Sicut enim accidentia in Euchariſtiâ, cùm exiſtunt ſine ſubiecto, habent quidem eandem exiſtentiam quam habebant cùm eſſent in ſubiecto, non tamen habent eumdem exiſtendi modum: quia cùm ſunt in ſubiecto, exiſtunt in alio, in quo recumbunt, & à quo terminatur eorum exiſtentia: cùm autem exiſtunt ſine ſubiecto, habent alium exiſtendi modum. Pari ratione, humana natura in Chriſto, & in nobis, habet diuerſum exiſtendi modum, licet exiſtentiam omninò ſimilem; in Chriſto enim humana natura exiſtit in alio, nempe in perſona Verbi, à qua eius exiſtentia terminatur; ideoque non conſtituit propriam perſonam humanam, cùm ſuâ perſonalitate careat, nempe *illo modo ſubſiſtendi in ſe*: In nobis autem: non exiſtit in alio, ſed in ſeipſa, terminans ipſa ſuam exiſtentiam: vnde habet alium modum: qui eſt, *ſuam exiſtentiam terminare*; cum quo modo ipſa natura conſtituit perſonam humanam.

2. Guttæ aquę ſeparatæ, & dein coniunctæ.

Secundò, Exemplo aliarum ſubſtantiarum, Nam gutta aquæ, dum ſuo termino clauditur, ſuam habet hypoſtaſim; dum alteri adhæreſcit amiſſo ſuo termino, amittit hypoſtaſim: atqui, hîc terminus eſt quid reale; Nempe modus quidam materiæ & formæ, quo intra tales fines continetur, nec alteri poteſt adglutinari.

3. Quantitatis & qualitatis.

Tertio, ſimiles terminos inuenimus in quantitate & in qualitatibus, quatenus intenduntur & extenduntur.

25

Itaque perſonalitas, ſeu ratio hypoſtatica, nihil aliud addit naturæ actuali in creaturis, quàm *modum illum exiſtendi in ſe*, ſecundùm quem res dicitur *eſſe in ſe*, & non in alio.

Duplicitèr exiſtit in ſe.

Porrò hic modus eſt duplex; ſcilicet exterior quo ſubſtantia ita exteriùs terminatur, vt nulli alteri adhæreſcat tamquam pars integralis, & interior, quo ſubſtantia ita terminatur vt non adhæreſcat alteri ſicut forma, aut ſicut natura ſimul penetratiuè coëxiſtens cum altero.

26

Dices; Illud, *per ſe*, non videtur ipſi exiſtentiæ humanitatis aliquem modum ſuperaddere: nam illa exiſtentia, in ſuâ ratione formali includit *eſſe per ſe*, cùm ſit eſſe ſubſtantiæ, quæ eſt res per ſe exiſtens. Et confirmatur, quia accidentia in Euchariſtiâ exiſtunt per ſe, tamen verius eſt illis non accedere vllum nouum modum poſitiuum, quo per ſe exiſtant, ergo neque hîc talis modus fingi deber.

Quomodo eſſe per ſe ſit de ratione ſubſtantiæ.

Reſpondeo; *Eſſe per ſe*, quod eſt de ratione ſubſtantiæ, eſt idem, quod eſſe ita perfectum, vt non poſſit eſſe in alio, vt in ſubiecto: non tamen eſt de ratione eius, vt ita ſit completum, vt nulli alteri poſſit adhæreſcere: ſiue, vt omnibus modis eſſe ipſius *per ſe terminetur*: alioqui genera & ſpecies ſubſtantiarum, non eſſent ſubſtantiæ, cùm terminentur differentiâ indiuiduâ: Item partes non eſſent ſubſtantiæ, quia adhæreſcunt alteri. Dici etiam poteſt, ſicut exiſtentia accidentis, non includit in ſuâ ratione, vt actu inſit alteri; ſed vt naturaliter apta ſit, poſtuletque ineſſe; ita exiſtentia ſubſtãtię non includit vt actu *per ſe* ſit, ſed vt apta ſit, poſtuletque naturâ ſuâ *eſſe per ſe*.

Ad Confirmationem, multi non ſine ratione accidentibus extra ſubiectum poſitiuum alium exiſtendi medum tribuunt; vnde ex oppoſito non rectè arguitur. An verò accidentia hæc extra ſubiectum, poſitiuum alium exiſtendi modum habeant, nos alibi dicemus.

27

Dices Secundò, Si talis modus requiritur ad ſubſiſtẽtiam: ergo ſubſtantia non ſubſiſtit per ſe, ſed per modum illum neceſſarium.

In eſt modus illi naturaliter ſubſtantiæ

Reſpondeò; Ille modus naturaliter imbibitur in ipsâ ſubſtantia actuali, tamquam intrinſecus terminus: Sicut ſuperficies eſt in corpore; & omnes termini in rebus, quas intrinſecè terminant: & ideò ſubſtantia dicitur per ſe & non in alio terminari & ſubſiſtere. Poteſt etiam aliter reſponderi, vt num. præcedenti inſinuauimus.

28

Ex dictis patet Primò; Quàm ſit probabile

Vis & natura ipſius hipoſtaſis.

rationem hypoſtaticam eſſe modum poſitiuum eſſentiæ actualis; cùm variè modificetur per *eſſe in ſe*, & *eſſe in alio*. Secundò patet, perſonam ſeu hypoſtaſim nihil addere ſupra naturam indiuiduam, niſi illum modum *per ſe*. Tertiò patet, Quomodo perſonalitas ſit complementum ſubſtantiale ipſius naturæ; tunc enim in ratione ſubſtantiæ eſt completa, quando per ſe terminatur. Quartò, Hunc modum non eſſe accidens, nec partem ſubſtantiæ vel naturæ rei; ſed complementum ſeu terminum naturæ, qui ad genus ſubſtantiæ pertinet: ſicut terminus quantitatis ad quantitatem; modus inexiſtendi accidentis, ad genus illius accidentis. Vnde compoſitio iſtius modi cùm naturâ, non eſt compoſitio accidentaria, ſed ſubſtantialis; quis eſt compoſitio naturę cum ſuo intrinſeco modo ſubſtantiali.

DVBIVM II.

Vtrùm vnio Incarnationis facta fuerit per modum vnionis naturæ cum ratione hypoſtaticâ ſeu ſubſiſtentiâ?

29 Natura humana immediatè vnita eſt ſubſiſtentia Verbi.

REſpondeo & Dico Primò, Vnione Incarnationis per ſe primò & immediatè copulata eſt natura humana, cum ipſa ſubſiſtentiâ ſeu ratione hypoſtaticâ Verbi diuini: vnde ſemotis imperfectionibus, hæc vnio facta eſt in modũ vnionis naturæ cum ſuâ ratione hypoſtaticâ. Patet ex dictis. Ideò enim hęc vnio dicitur *perſonalis, hypoſtatica* &c. quia eſt tanquam naturæ & ſubſiſtentię, ſeu perſonæ. Item dicitur eſſe facta *in perſonâ, in ſubſiſtantiâ Verbi Dei*; quia natura humana eſt in eâdem perſonâ, in qua natura diuina: & eandem accepit ſubſiſtẽtiam quam habet natura diuina. Secundò, Quia humanitas Chriſti caruit propria perſona creata, & tamen non manſit imperſonata & *animata*, vt ait Damaſc. lib. 3. cap 9. ergo fuit perſonata à Verbo, illique tamquam rationi hypoſtaticæ vnita. Tertiò, Patet à ſufficienti enumeratione, nam omnes alij modi vnionis ſubſtantialis fuerunt excluſi: non enim fuit conuerſio vnius naturæ in alteram, nec vnio per modum partium eſſentialium, neque etiam per modum partium integralium, vt per ſe conſtat: ergo vt naturę & ſuppoſiti.

Dices, Cur non vt exiſtentiæ cum eſſentia?

Reſpondeo, Quia inter hæc non eſt propriè vnio; nam eſſentia conſiderata vt diſtinguitur cõtra exiſtentiam, non eſt quiddam in natura rerum exiſtens, ſed ſolùm quid potentiale exiſtens in potentiâ obiectiuâ, quiâ eſt intelligibile & operabile, vnde non poteſt vniri alteri tamquam rei diſtinctæ. Deinde, quia humana natura in Chriſto habet propriam ſuam exiſtentiam creatam, quâ eſt natura actualis extra ſuas cauſas, ſiue extra nihil, & terminus creationis: ergo implicat contradictionem, vt exiſtentia increata ei ſic vniatur, vt per illam formaliter exiſtat. Sed plura hac de re infrà queſt. 17.

30 Natura diuina & humana vnitæ sũt in vna ſubſiſtentiâ.

Dico Secundò, Ex hac immediatâ coniunctione ſubſiſtantiæ diuinæ cum naturâ humana, factum eſt vt etiam duæ naturæ ſubſtãtialiter manſerint vnitę in eadem ſubſtantia ſeu perſona Verbi. Patet ex dictis: nam humana natura fuit vnitâ ſubſiſtantię diuinæ, ita vt hæc fuerit facta eius ſubſiſtentia: natura autem diuina huic ſubſiſtentiæ anteà inſeparabiliter erat coniuncta: ergo duæ naturæ ſunt vnitæ in eadem ſubſtentia, & eadem ſubſiſtentia eſt ſubſiſtentia duarum naturarum. Ex quo vlteriùs ſequitur: etiamſi in Chriſto ſit tantùm vna perſona, tamen hæc eſt inſtar duarum, quatenus duarum naturarum exiſtentiam terminat.

Sed contrà hoc myſterium obiiciuntur tria genera Argumentorum. Primum ſumitur ex parte Verbi. Secundum ex parte naturę: Tertium ex parte compoſiti. Ex parte Verbi. 31

Obiectiones ex parte Verbi. 1. Quòd ſubſiſtẽtia Verbi, tollet forma humanitatis.

Obiicitur Primò, ſi Verbum tribuit humanæ naturæ ſuam ſubſiſtentiâ: ergo ſubſiſtentia Verbi eſt forma ſeu affectio humanitatis.

Patet Conſequentia, Quia ſubſiſtere dicitur à ſubſiſtentiâ, ſicuti ſcire à ſcientia; atqui homo dicitur ſcire à ſcientia tamquam à forma quadã: ergo ſimiliter à ſubſiſtãtia dicitur ſubſiſtere, tamquam à forma quadam humanæ naturæ. Confirmatur, quia ſubſiſtere humanæ naturæ pendet à ſubſiſtentia Verbi; ergo ſecundùm aliquod genus cauſæ: atqui non tamquam à cauſa efficiente: quia cauſalitas effectiua eſt communis toti Trinitati: nec tamquam à cauſa finali, vel materiali, vt patet per ſe; ergo tamquam à cauſa formali.

Refellitur

Reſpondeo Negando Conſequentiam: Subſiſtentia enim etiam naturalis non eſt propriè forma, vt ſuè oſtendit Scotus in 3. diſt. 1. quæſt. 1. ſed eſt vltimus terminus & naturæ modus. Patet, quia materia nuda habet ſuam partialem ſubſiſtentiam qua terminatur & in ſe exiſtit, tamen nõ habet aliquam formam. Similiter anima ſeparata & Angelus habent ſuam ſubſiſtentiam, non tamen habent aliquam formam ſubſtantialem qua informentur. Vnde compoſitio ex naturâ & ſubſiſtentiâ, eſt alterius rationis quam compoſitio materiæ & formæ.

Ad Probationem Conſeq. Reſp. Etſi in modo ſignificandi ſimiliter dicatur ſubſiſtere à ſubſiſtentia, atque ſcire à ſcientia; in re tamen non eſt idem genus cauſandi. Nam etiam homo ſimiliter dicitur à materiâ materialis, vti ab animâ dicitur rationalis; non tamen ſecundùm idem cauſæ genus. Pari modo accidentia dicantur ſubſiſtere per ſubſiſtentiam ſubiecti; tamen hęc non eſt illorum forma vel materia.

Dependẽtia humanitatis à Verbo impropriè reducitur ad cauſam formalẽ.

Vnde ad Confirmationem Argumenti, Dico non omnem dependentiam pertinere ad aliquod genus cauſę: Nam relatio pendet etiam à termino; non tamen ſecundùm aliquod genus cauſæ propriè loquendo: refertur tamen ad illud genus cauſæ, cum quo maiorem habet affinitatem: & ita hęc dependentia humanitatis à Verbo, reducitur ad cauſam formalem; dicitur enim humanitas ſubſiſtere ſubſiſtentia Verbi, tamquam à cauſa quaſi formali.

32. 2. Obiect quod humanitas afficeret Verbum. Refellitur.

Obiicitur Secundò: Si humanitas ſubſiſteret in Verbo, afficeret Verbum & quaſi informaret: Nam natura eſt forma ſuppoſiti: atqui hoc repugnat perfectioni Verbi diuini.

Reſpondeo; Humanitas nullo modo afficit ipſum Verbum, nec vllam in ipſum habet cauſalitatem; quia neque illi inhęret, nec vllo modo ipſum informat: quia neque Verbum capax eſt huiuſmodi affectionis, neque humana natura apta eſt informare: Solùm ergo humana natura dicitur eſſe, & reipſa eſt in Verbo, quia ineffabili modo terminatur & ſubſtẽtatur ab illo, ita vt inde reſultet hic homo ſubſiſtens, cuius quatenus eſt hic homo, natura integra eſt humanitas, quę non eſt propriè forma ſuppoſiti, ſed ſolùm ſecundùm noſtrum modum concipiendi: natura enim concipitur vt forma totalis reſpectu ſuppoſiti.

Quo ſenſu humana dicatur eſſe in Verbo.

Obiicitur Tertiò, Verbum eſt vſquequaque perfectum: ergo extrinſecùs illi vnitur humana 33 3. Obiect.

natura

quod eſſet compoſitio accidentalis.

natura tanquam quid accidentarium.

Reſpondeo, Negando conſequentiam : Etſi enim Verbum ſit res omninò cõpleta, humanitas tamen in ratione ſubſtantiæ eſt incompleta; ideoque poteſt a Verbo ſubſtantialiter compleri: quare illa vnio eſt ſubſtantialis, non accidentalis; non enim ita aggregatur Verbo, vt ipſi extrinſeca maneat, ſed Verbum vnitur illi immediatè & penitiſſimè per ſuam rationem hypoſtaticam: quâuis enim humanitas vniatur toti Verbo & diuinitati; ratio tamen vnionis immediata eſt ſola ſubſiſtentia perſonalis, quæ ita humanitati accommodatur, vt cum illa perfectam perſonam incomprehenſibili modo conſtituat.

Refellitur.

34 4. Obiect. quod Verbum eſſet ſubiectum mutationi

Obijcitur Quartò, Ipſum Verbum videbitur mutari; nunc enim eſſet vnitum, non antea : nunc eſſet homo, non antea; quæ denominationes non ſunt omninò extrinſecæ.

Reſpondeo, Nego idcircò Verbum mutari : ad hæc enim omnia ſufficit mutatio facta in humanitate. Cùm enim Verbum ſit infinitæ perfectionis in ratione hypoſtaticâ, habet omnem vim ſuſtentandi & terminandi ſine mutatione ſui, quæ poſſet fingi ei competere per mutationem.

Refellitur

Dices; Vnire eſt agere: ergo vniri eſt pati.

Reſpondeo; Vniri, eſt pati in eo, quod per ſui mutationem vnitur alteri; non tamen in eo quod ſolùm dicitur vniri, quatenus aliud ipſi vnitur; vt patet in vnione mentis cum Deo. Denominatio autem illa qua Verbum dicitur homo, non eſt cenſenda extrinſeca, Phyſicè loquendo : quia eſt à re intimè ipſi coniunctâ. Poteſt tamen Logicè loquendo dici extrinſeca, quia accipitur à re omninò diſtincta à Verbo.

Qua denominatione Verbum dicatur homo.

35 Obiectiones ex parte naturæ humanæ.

Alterum genus argumentorum ſumitur ex parte naturæ humanæ.

1. Quod modus nequeat ſuppleri.

Obijcitur Primò: Subſiſtentia eſt modus quidam humanæ naturæ; atqui modus rei, etſi poſſit interdum à re ſeparari, non tamé poteſt per aliud ſuppleri: ergo neque ſubſiſtentia poterit ita ſeparari à natura, vt per rem diſtinctam ſuppleatur, nempe per ſubſiſtentiam Verbi. Maior patet. Probatur minor, quia homo non poteſt eſſe figuratus, figurâ alterius; nec ſedens, ſeſſione alterius; nec exiſtens, exiſtentiâ alterius: ergo neque ſubſiſtens ſubſiſtentiâ alterius.

Negatur de modo qui dicit perfectionem.

Reſpondeo, Etſi fortè alij modi, vt exiſtentia, figura, ſeſſio, motus, non poſſint à Deo ſuppleri, maximè ij qui imperfectionem inuoluunt: ſubſiſtentia tamen poteſt; quia dicit perfectionem ſimpliciter; & in Deo formaliter & propriè reperitur. Nam ſubſiſtentia Verbi etiam præcisè conſiderata, eſt res perfectiſſima; atque ideò eſt ipſa Verbi perſona, & id quod ſubſiſtit : quò fit, vt poſſit etiam vniri per ſeipſam naturæ creatæ exiſtenti, illamque ſuſtentare.

Natura humana habet in Verbo ſublimiorem eſſendi modum quam haberet ſi ipſa exiſteret.

Dici etiam poteſt, modum rei non poſſe ſuppleri per rem diſtinctam, quando debet fieri idé modus eſſendi eiuſdem rationis, atque erat is, quem res habebat anteà : hic vero non ita fit. Nam humana natura in Verbo, non habet ſimilem eſſendi modum, qualem haberet, ſi in ſe ipſa exiſteret: Verbum enim dat illi longè aliume ſſendi modum, nimirum vt exiſtat in ſublimiori. Quare mirum non eſt, modum illum ſubſiſtendi *per ſe*, humanæ naturæ ſuppleri per rem diſtinctam. Quod explicatur exemplo: ſphæra, vel etiam gutta aquæ in ſphæram cõtracta, habet quẽdam modum exiſtendi in ſe, tantùm formaliter à ſe diſtinctum; quia ſuis clauditur terminis: quòd ſi vniatur alteri corpori, amittet priorem modũ, & acquiret nouum in re diſtincta; atque ita ſuppletur priot modus per rem diſtinctam. Simili modo fit in humanitate Chriſti.

36 2. Obiect. quod humanæ naturæ nihil deſit à verbo ſuppledum.

Obijcitur Secundò : Humanæ naturæ in Chriſto nihil deeſt, quod poſſit à Verbo ſuppleri; quia habet totum eſſe ſubſtantiale completum: atqui ſubſtantia completa per ſe exiſtit: ergo.

Confirmatur : Quia etiamſi dimitteretur à Verbo, nihilominùs maneret in rerum naturâ : ac proinde per ſe exiſteret.

Refellitur

Reſpondeo; Humanitati Chriſti deeſſe quendam terminum ſeu modum ſubſtantialem, qui tamen non eſt de eſſentia hominis aut ſubſtantiæ. Sicut enim actu inhærere, non eſt de eſſentiâ accidentis, ſed modus connaturalis ipſius; ita actuper ſe exiſtere, non eſt de eſſentiâ ſubſtantiæ, ſed modus ei connaturalis.

Quomodo natura humana haberet ſi à Verbo dimitteretur

Ad Confirmationem dico, Etſi humanitas Chriſti pendeat à Verbo in ratione ſubſiſtendi, non tamen pendet in ratione exiſtendi; quia non habet exiſtentiam a Verbo, ſed tantùm ſubſiſtentiam : ſicut pars dum eſt in toto, pendet à ſubſiſtentia totius. Vnde ſi humana natura dimitteretur à Verbo, nihilominùs exiſteret, imòetiam per ſe ſubſiſteret; nam naturalis modus ſubſiſtẽdi, per nouam actionem naturæ, reſultaret & emanaret ab ipſâ naturâ: ſicut proprietates emanant ab eſſentia, & informatio animæ reſultat ex ipsâ animæ naturâ, intimè corpori diſpoſito applicatâ: & inhærentia, ab ipſa natura accidentis ſubiectio ſuo intimè præſentis. Quòd ſi Deus hanc emanationem impediret (quod omninò puto cũ Caietano, fieri poſſe per potentiam Dei abſolutâ) tunc natura per ſe exiſteret negatiuè. Sicut iuxtà aliquos accidentia in Euchariſtia, quæ non habent aliqué modum poſitiuum, ratione cuius per ſe exiſtant.

37 3. Obiect. quòd humana natura eſſet violenter in Verbo.

Obijcitur Tertiò : ſi illa humanitas non ſubſiſteret per ſe, ſed tantùm in Verbo, eſſet violenter in Verbo. Probatur; Quia careret vltimo ſuo actu, ſeu perfectione connaturali : ac proinde appeteret & inclinaretur ad illum : ergo contra inclinationem in Verbo detinetur : ergo violenter.

Negatur.

Reſpondeo; Humanitas Chriſti non appetit propriam perſonalitatem appetitu elicito, ſed ad ſummum quàdam inclinatione & pondere naturali. Non tamen idcircò hæc vnio eſt violenta, & contra naturam, ſed potiùs ſupra naturam: quia fit per omnipotentiam auctoris naturæ, & potentiam obedientialem ipſius creaturæ; quæ non repugnat inclinationi naturali. Deinde hæc vnio continet eminenter omnem perfectionem ſubſiſtentiæ humanæ : vnde non tam eſt contraria appetitui naturali, quàm conſentanea : quia magis perficit naturam, quàm propria ſubſiſtentia: quare Chriſti humanitas non propriè inclinat ad ſubſiſtentiam creatam, cùm meliori modo ſit completa per increatam. Sicut appetitus rectè ordinatus non appetit bona inferiora ſibi commenſa, quando illa poſſidet in bonis melioribus; maximè ſi illa meliora non poſſint cum inferioribus conſiſtere.

38 4. Obiect. quòd Chriſtus non eſſet perfectus homo

Obijcitur Quartò, Illa ſubſiſtentia humanę naturæ vel eſt accidens: & ſic non poteſt ſuppleri per aliquid increatum: vel eſt ſubſtantia pertinens ad integritatem hominis; & ita Chriſtus nõ erit integer & perfectus homo.

Negatur.

Reſpondeo: Illam ſubſiſtentiam neque eſſe accidens propriè, neque ſubſtantiam: ſed terminum & complementum ſubſtantiæ, ad genus ſubſtãtiæ reductiuè pertinens. Chriſtus tamen propriè & completè eſt homo: quia hæc denominatio hominis, ſumitur à natura, quæ in Chriſto eſt integer-

rima, & completa in ratione naturæ, licet non in ratione ſubſiſtentis.

Tertium genus argumentorum ſumitur ex toto con polito.

39 Obiectiones ex parte compoſiti.

1. A diſtantia extremorum. Refellitur

Obijcitur Primò, Videtur impoſſibile vt res tam infinitè diſſitę, tam perfectè coaleſcant, vt reſultet quiddam per ſe vnum.

Reſpondeo; Si corpus & ſpiritus, qui tantum inter ſe diſtant, poſſint naturaliter vniri, ita vt etiam in vnam naturam coaleſcant; cur virtute infinitâ, ea quę etiam infinitè diſtant, non poterunt coniungi, non quidem in vnam naturam, ſed in vnam perſonam? præſertim cùm idonea proportio non deſit: omnis enim creatura eſt imago vel veſtigium diuinitatis, ab eâ promanans, & per eam aſſiduè conſiſtens, per intimam ſuppeditationem ipſius eſſe.

Obijcitur Secundò, Ea quę aliquod vnum per ſe conſtituunt, debent eſſe eiuſdem generis: alioquin daretur aliquid, quod neque eſſet creatum, neque increatum; atqui hęc extrema, ſcilicet Verbum & humana natura, non ſunt eiuſdem generis: ergo, &c.

40 2. Quòd extrema debeant eſſe eiuſdē generis. Refellitur

Reſpondeo; Non eſt neceſſe vt extrema quæ vniuntur ſint eiuſdem generis; vt patet in corpore & ſpiritu: niſi genus ſumamus latè, vt comprehendat etiam rationem analogam. Quomodo etiam homo & Deus ſunt eiuſdem generis; quia ſunt ſubſtantię. Vtrùm autem illud compoſitum ſit creatum, an increatum, dicetur Art. 7.

ARTICVLVS IV.

Vtrum perſona vel hypoſtaſis Chriſti, poſt Incarnationem ſit compoſita?

41 Reſpondet D. Thomas duabus Concluſionibus. Prior eſt: Perſona Chriſti ſecundùm id quod eſt in ſe, omninò eſt ſimplex. Altera: Perſona Chriſti conſiderata ſecundùm rationem perſonę ſeu hypoſtaſis, ad quam pertinet ſubſiſtere in aliquâ naturâ, eſt compoſita. Ratio eſt, quia licet ibi ſit vnum ſubſiſtens, tamen eſt alia & alia ſubſiſtendi ratio. Vbi.

Chriſti perſona ſecundùm ſe

Notandum eſt, Chriſti perſonam *ſecundùm ſe conſiderari*, quando ſpectatur tantùm, ſecundùm ea quę ſunt ipſi naturalia: & ſic conſiderata, eſt ſimplex; quia reperitur in illâ tantummodò natura diuina, & perſonalitas diuina, quę nullam faciunt compoſitionem. Conſideratur autem *vt*

Vt Hypoſtaſis.

hypoſtaſis ſiue perſona, quando ſpectatur vt ſubſiſtens in aliqua natura, ſiue propriâ, ſiue alienâ: & ſic eſt compoſita: nempe, ſi natura illa ſit diſtincta.

Dicit autem in Chriſto eſſe duas rationes ſubſiſtendi; vel quia ſubſiſtentia Verbi ſubit rationem & vicem duarum ſubſiſtentiarum, dum duas naturas terminat: vel quia in Chriſto ſunt duæ naturæ; quas ipſe vocat *duas rationes ſubſiſtendi*: quia altera natura, eſt ratio cur ſubſiſtat perfectus Deus; altera, cur ſubſiſtat perfectus homo. Quamquam ſatis impropriè dicatur in Chriſto eſſe duas rationes ſubſiſtendi: propriè enim tantùm eſt vnica ſubſiſtentia, & ſubſiſtendi ratio, quamuis ſint duę naturæ, in quibus ipſe ſubſiſtit. Sed eſt.

42 Quomodo in chriſto ſint duæ rationes ſubſiſtendi.

DVBIVM.

An hæc vnio fuerit vera compoſitio: & idcirco terminus reſultans per hanc vnionem, ſit perſona compoſita?

Multi DD. vtrumque ſimpliciter negant. Ita D. Bonauētura in 3. d. 6. a. 1. q. 2. Scotus ibidem q. 3. Durand. ibidem eadem quæſt. & alij quidam. Ratio eſt, quia compoſitio includit imperfectionem in vtroque componentium. 43 Quidam negant.

Contrarium docet hic D. Thom. Pro quo

Dico Primò, Vnio Incarnationis fuit vera & propriè dicta compoſitio ex ſubſiſtentia Verbi, & humanâ naturâ; ex quibus, hic homo Chriſtus, qui eſt terminus huius compoſitionis, extitit propriè compoſitus. 44 Chriſtus eſt verè compoſit⁹ Ex ſubſiſtentia Verbi & humana natura.

Probatur Primò, Ex Concilijs: Nam in V. Synodo c. 4. dicitur: *Sancta Eccleſia vnionem Verbi ad carnem ſecundùm compoſitionem fatetur*. Can. 7. *Chriſtus habet duas naturas, ex quibus eſt compoſitus.* In Synodo VI. Actione 4. ſub finem: *Confitemur & Chriſtum ex duabus naturis compoſitum.* Item Actione 11. in epiſtola Sophronij idem dicitur. Idem habetur in Concil. Rom. ſub Martino I. Can. 8. *Incarnationem ſecundùm compoſitionem ſanctam eſſe.* Quo modo libenter vtebantur Concilia propter hæreſim Eutychetis, vt ſignificaretur vtramque naturam ſaluam manſiſſe in illâ coalitione. 1. Ex concilijs.

Probatur Secundò, Ex Patribus: Dionyſius c. 1. de diuinis nominibus: *Supra modum*, inquit, *benignam* (ſcilicet celebramus) *diuinitatem: quia in vnâ perſonarum ſuarum, infima noſtra integrè veriſſimeque ſuſcepit, ad ſeipſam reuocans & adſtringens humilitatem noſtram; ex quâ ineffabiliter compoſitus eſt ſimplex Ieſus, æternuſque* &c. Damaſc. lib. 3. de fide c. 3. *Subſtantialem dicimus vnionem, quòd duæ naturæ ſint vnitæ in vnam compoſitam Filij Dei hypoſtaſim.* cap. 4. *Vnam hypoſtaſin agnoſcimus ex vtraque naturâ compoſitam.* Similia habet cap. 6. & 7. Addo Multos Patres vti nomine *Mixtionis*. Nazianzenus ſerm. de Paſchate. Incarnationem vocat *Mixturam*. Tertull. lib. de carne Chriſti, dicit in Chriſto eſſe *hominem mixtum. Deo.* Auguſtinus epiſt. 3. *In illâ perſonâ* nempe puri hominis, *Mixtura eſt corporis & animæ; ac perſonâ, mixtura eſt Dei & hominis. Ergo perſona hominis, mixtura eſt corporis & animæ; perſona autem Chriſti, mixtura eſt Dei & hominis. Cùm enim Verbum Dei permixtum eſt animæ habenti corpus, ſimul & animam ſuſcepit & corpus.* Quibus locis, nomine *mixtionis*, intelligunt compoſitionem; quamuis hic modus loquendi videatur duriuſculus. 45 2. Ex Patribus. Dicitur Mixtus.

Probatur Tertiò Ratione: Chriſtus homo eſt propriè vnum ſuppoſitum, & vna perſona humana: atqui non eſt ſimplex ſuppoſitum; nam conſtat ex rebus diſtinctiſſimis, ſubſiſtentiâ diuinâ & naturâ humanâ: ergo eſt compoſitum. 46 3. Ex ratione:

Patet Conſequentia; Tùm quia inter hęc, non eſt medium; tùm quia compoſitum nihil eſt aliud, quàm vnum quiddam ex multis inter ſe vnitis conſtans, & compoſitio, eſt diuerſorum vnio, ita vt ex illis vnum exiſtat, in quo alterum ſit inſtar actus, vt hoc loco Verbum; alterum veluti potentia, vt humana natura: hęc enim per ſe neceſſaria ſunt ad rationem compoſitionis. Alię autem imperfectiones, v. g. vt vtrumque ſit incompletum, vt alterum informet alterum, non ſunt de ratione compoſitionis.

Dico Secundò, Per hanc vnionem ſubſiſtentiæ

Verbi cum humana naturâ, etiam effectum, eſt vt Chriſtus ſit compoſitus ex duabus naturis; & vt duæ naturę componant vnum ſubſiſtentem in vtráque. Sequitur hoc manifeſtè ex priore: & de hac compoſitione magis expreſſe loquuntur Cœcilia & Patres, quàm de altera: quamuis compoſitio ex duabus naturis pendeat & ſequatur ex compoſitione ſubſiſtentiæ & humanitatis.

Eſt etiam cópoſitus ex duabus naturis.

Vbi aduerte, in Chriſto eſſe duplicem compoſitionem: Prima, immediata & principalis, eſt ſubſiſtentiæ Verbi cum naturâ humanâ, quæ eſt inſtar vnionis perſonalitatis cum natura: & hæc primò & immediatè facta eſt per Incarnationem. Secunda, quæ eſt naturæ humanæ cùm diuina, quę ſaltem ratione diſtincta eſt à priore, & ex eâ ſequitur.

Probatur propoſitio Chriſtus, vt ſubſiſtens in duplici naturâ, eſt quid compoſitum; & illius compoſitionis extrema ſunt illę naturę, quę inter ſe vniuntur: ergo componunt aliquid vnum.

48 Cur potiùs in Chriſto ſit compoſitio, quàm in Trinitate.

Dices, Diuinę perſonæ quamuis inter ſe diſtinguantur, & vniantur in naturâ diuinâ, non tamen componunt quid vnum: ergo etiamſi hę duę naturę diſtinguantur & vniãtur in ſubſiſtentia Verbi, non tamen ideò component quid vnum.

Reſpondeo Negando Conſequentiam; Quia perſonæ diuinæ vniuntur in naturâ, non per compoſitionem ipſarum cum naturâ, vel inter ſe; ſed per omnimodam identitatem & indiſtinctionem. Et quia inter ſe non aliter vniuntur, ſed potiùs opponuntur; ideò nulla eſt ibi compoſitio: hic verò etſi diuinitas non ſit coniuncta Verbo per compoſitionem, tamen humanitas vnitur Verbo per compoſitionem, & conſequenter diuinitati: ita vt ex vtraque naturâ ſic vnitâ, non reſultet niſi vna perſona; quę tamẽ virtute eſt inſtar duarum: quatenus enim ſubſiſtit in naturâ diuinâ, eſt perſona diuina: quatenus autem ſubſiſtit in natura humana eius exiſtentiam terminans, eſt perſona humana. Vnica tamen eſt perſona quæ terminatur ad vtramque vnionem; ſed immediatè terminatur ad vnionem humanę naturę, cùm perſonalitate Verbi; mediatè verò ad vnionem naturę humanę cum naturâ diuinâ.

Chriſti vnica Perſona eſt virtute duplex.

Sed contrà, obijcitur Primò, Omnis compoſitio eſt ex partibus: atqui Verbum non poteſt eſſe: pars ergo non poteſt venire in compoſitionẽ.

49 Compoſitio non debet eſſe ex partibus.

Reſpondeo Negando Antecedens: Componens enim latiùs patet, quàm pars. Vt patet etiam in rebus creatis: quia eſt compoſitio ex ſubſiſtentiâ creatâ, & naturâ; ex linea, & puncto; quorum tamen neutrum eſt pars. Ita Chriſtus componitur ex humanitate & Verbo, tamquam ex natura & ſubſiſtentiâ, non tamquam ex partibus. Neque enim Verbum poteſt dici pars, cùm pars dicat quid intrinſecè incompletum: neque etiam humanitas aut diuinitas, pars dici poſſunt, cùm ſint integræ naturæ. Vide D. Auguſtinum lib. 3. contra Maximinum cap. 10. vbi docet diuinitatem non eſſe partem Chriſti: & humanitatem non acceſſiſſe diuinitati, tamquam partem parti.

Obijcitur Secundò, In omni compoſitione componentia ſe viciſſim perficiunt; quia in compoſito habent ſuum complementum: atqui Verbum non perficitur: ergo eius vnio non eſt compoſitio.

50

Neque ad perfectionem vtriuſque compositus.

Reſpondeo; Quando componentia naturâ ſuâ ſunt deſtinata ad componendum quid tertium, tunc perficiuntur. At Verbum diuinum in hoc myſterio non naturaliter, nec vt ſe perficeret, vnitur humanitati; ſed vt perficeret naturam humanã. Vnde in hac compoſitione hoc etiã eſt ſingulare; vt compoſitum, ſcilicet Chriſtus, non ſit perfectius intenſiuè altero componentium, ſcilicet Verbo: quia Verbum *ſecundùm ſe*, continet excellentiſſimè totam naturę humanę perfectionem. Sicut Deus & mundus ſimul, non eſt quid perfectius quàm Deus ſeorſim; niſi extenſiuè tantùm.

Obijcitur. Tertiò, *eſſe* compoſiti, exurgit è componentibus; atqui *Eſſe* Chriſti, cùm ſit ęternum, non reſultat ex illis: ergo Chriſtus non eſt compoſitus.

51 Eſſe Chriſti, vt eſt perſona humana pendet à componente.

Reſpondeo; Etiamſi *eſſe* Chriſti, vt eſt Verbum Dei & perſona diuina, non pendeat à componentibus, tamen *eſſe* eius, vt eſt perſona humana, & homo, pendet ab humanâ naturâ.

Obijcitur Quartò, Omne compoſitum, eſt ſua componentia ſimul ſumpta: vt, homo eſt anima & corpus coniuncta: atqui Chriſtus non eſt diuinitas & humanitas coniuncta: ergo non componitur ex illis.

52

Reſpondeo. Quidam abſolutè concedunt Chriſtum eſſe humanam & diuinam naturam vnita. Ita Greg. Arim. in 1. diſtin. 28. quæſt. 2. ad 18. Probatur ex D. Auguſt. tract. 78. in Ioan. *Sicut vnus eſt*, inquit, *homo anima rationalis & caro, Sic vnus eſt Chriſtus, Deus & homo, ac per hoc, Chriſtus eſt Deus, anima rationalis, & caro.* Similiter in Enchiridio cap. 38. *Cur impoſſibile videatur vt Verbum, caro, & anima vnus Ieſus Chriſtus, vnus Dei hominiſque ſit filius?* Damaſc. l. 3. de fide cap. 19. *Duę naturæ, vnus Chriſtus; & vnus Chriſtus, duæ naturæ.* Idem expreſſè dicunt: D. Leo Epiſt. 11. quæ eſt ad Iulianum. Et D. Bernard. lib. 5. de conſiderat. ad Eugenium paulò pòſt medium. Ratio eſt, quia nihil eſt aliud perſona, quàm natura & ſubſiſtentia.

Chriſtus eſt diuinitas & humanitas coniuncta vt quidam volunt.

Thomiſtę tamen reijciunt hanc locutionem tamquam hæreticam. Primò, quia in Concil. Conſtantienſi Seſſ. 15. damnatur ille articulus Ioannis Hus, ordine quartus: *Duæ naturæ diuinitas & humanitas, ſunt vnus Chriſtus.* Secundò, quia inde ſequuntur propoſitiones hęreticę; nempe, diuinitatem, eſſe diuinitatem & humanitatem ſimul ſumpta, ſi ita colligas. Chriſtus eſt diuinitas & humanitas; atqui Chriſtus eſt diuinitas: ergo diuinitas eſt diuinitas & humanitas.

53 Negant id Thomiſtæ

Sed facilè reſponderi poteſt, Conſilium Conſtantienſe damnare illam propoſitionem inſenſu auctoris, qui erat ſenſus diuiſus, vt docet Thomas Vvaldenſis lib. 1. doctrinalis fidei antiquę cap. 42. Argumentum verò eſt Sophiſticum: patet in ſimili: Chriſtus eſt mortuus, Chriſtus eſt diuinitas: ergo diuinitas eſt mortua. Item Chriſtus eſt compoſitus ex diuinitate & humanitate, Chriſtus eſt diuinitas: ergo diuinitas eſt compoſita ex diuinitate & humanitate. Variatur enim appellatio.

Refellitur.

Reſpondeo ergo Primò, hanc propoſitionem eſſe hęreticam: *Chriſtus eſt humanitas*, quia confundit naturas; nec in ſenſu formali nec identico poteſt admitti. Secundò, hęc eſt vera, *Chriſtus eſt diuinitas*, quia eſt identica, vt patet ex tractatu de Trinitate. Tertiò *Chriſtus, eſt diuinitas & humanitas coniunctim*, eſt vera identicè; quatenus Chriſtus accipitur pro ſuppoſito, non ſimplici, ſed vt includit naturam humanam; non tamen omnino propriè ſeu formaliter. Sicut nec iſta: *Verbum, eſt diuinitas & humanitas ſimul*: hęc eſt enim multò minùs propria.

explicatur identicè, non formaliter.

Quare ad Argumentum Reſpondeo, compoſitum eſſe ſua componentia ſimul ſumpta, non in ſenſu omnino proprio & formali, ſed identico.

Google

Compoſitum enim nihil includit, niſi ipſa componentia coniuncta: & ipſa componentia coniũcta, nihil includunt niſi quòd includitur in compoſito.

ARTICVLVS V.

Vtrum in Chriſto fuerit facta aliqua vnio animæ & corporis?

54 REſpondetur affirmatiuè; ſcilicet Chriſtum aſſumpſiſſe humanam naturam, compoſitam ex anima & corpore coniunctis. Eſt fide tenendum, & expreſſè definitur in Concil. Epheſino primo, can. 13. *Non enim dicimus*, inquit, *quòd dei natura, conuerſa vel immutata, facta ſit caro: nec quòd in totum hominem, qui eſt ex anima & corpore, transformata ſit: ſed magis quòd carnem animatam animâ rationali ſibi copulavit; Verbumque ſubſtantialiter, ineffabiliter, & incomprehenſibiliter factum ſit homo.* Et in Synodo 4. act. 5. vbi definitur Chriſtũ eſſe perfectus in humanitate & diuinitate, verus Deus & homo, ex animâ rationali & corpore. Et in Synodo. Quintâ, actione quartâ cap. 4. *Qui non confitentur, ſicut Sancti Patres docuerunt, vnionem Dei Verbi ad carnem animatam animâ rationali & intellectuali, ſecundùm compoſitionem, id eſt, ſecundùm ſubſiſtentiam factam, & propterea vnam eius ſubſiſtentiam eſſe anathema ſint.* Et in Synodo Sexta; Actione 11. in Epiſt. Sophronij: *Simul*, inquit, *caro, ſimul Dei Verbi caro, animata rationalis.* Quæ Epiſtola approbatur à toto Concilio Actione 13.

55 Vnde errat Magiſter cùm in 37. diſt. 6. art. 6. refert contrariam ſententiam vt probabilem, tãquam probabile ſit Chriſtum aſſumpſiſſe carnem & animam, ſed non vnita inter ſe immediatè, ſicut in nobis, ſed tantùm vnita cùm Verbo. Neque rectè quidam illum excuſat, quòd eius tempore cõtrarium non fuerit adhuc manifeſtè definitum, & hoc damnatum; ſed primùm ab Alexandro III. Capitulo *Cum Chriſtus*, titulo *de hæreticis*. Conſtat enim in Conſilijs citatis expreſſè eſſe damnatum: imò ſemper fuit hæreticum. Nam inde clarè ſequitur Chriſtum non eſſe verum hominem: Nam de hominis ratione eſt, vt conſtet ex animâ & corpore vnitis, per modum materiæ & formæ. Deinde ſequitur illum non potuiſſe concipi, mori, reſurgere: Nam conceptio hominis fit per vnionem animæ cum corpore & mors per ſeparationẽ animæ à corpore, Reſurrectio per reunitionem animę cum corpore. Nam à Verbo, nec anima nec corpus vnquam relictum fuit: quare mors nõ poteſt intelligi per ſeparationem animæ à Verbo, nec reſurrectio per coniunctionem animæ cum Verbo; ſed cum carne dumtaxat.

Magiſter refellitur

Alioquin Chriſtus non fuiſſet verus homo.

56 Dices: ex animâ & carne inter ſe vnitis, conſtituitur perſona humana: ergo ſi in Chriſto fuit hæc vnio, etiam fuit in ipſo perſona humana, diſtincta à Verbo.

Reſpondeo: ex animâ & corpore vnitis, per ſe primò tantùm reſultat humana natura: perſona autem tantummodò ſecundariò, & conſequẽti; ſi nimirum illa natura ſibi relinquatur: atqui in Chriſto non relinquitur ſibi, ſed ita Verbo adſtringitur, vt eius propria perſonalitas præueniatur à perſonalitate Verbi: ita vt ex natura humana & perſonalitate Verbi, exiſtat humana perſona non diſtincta à Verbo.

Quomodo ex anima & corpore vnitis conſtituatur perſona humana.

ARTICVLVS VI.

Vtrum humana natura fuerit vnita Verbo accidentaliter?

57 REſpondetur; humana natura non accidentaliter, ſed ſubſtantialiter Verbo vnita eſt. Eſt fidei, definita in Synodo 111. Generali, can. 2. *Si quis non confitetur carni ſecundùm ſubſtantiam, vnitum Dei Patris Verbum, anathema ſit.* Can. 13. *Dicimus quòd Verbum carnem animatam animâ rationali, ſibi copulavit; & ſubſtantialiter, & ineffabiliter, & incomprehenſibiliter factus ſit homo.* Et in epiſtolâ Synodicâ Concilij Alexandrini ad Neſtorium, ſæpiſſimè dicitur. *Deum carni vnitum iuxta ſubſiſtentiam: & hypoſtaticõs.* Et luculentiſſimè in V. Synodo act. 4. can. 4. & 5. Vbi, non ſolùm definitur. Verbum vnitum carni ſubſtãtialiter & ſecundùm ſubſtantiam; ſed etiam excluduntur omnes modi vnionis accidentalis. Damaſcenus lib. 3. de fide cap. 3. *Eſſentialem dicimus vnionem, non quod ex duabus naturis vna compoſita perficiatur; ſed quia duæ vnitæ ſunt verè in vnam hypoſtaſim filij Dei.*

Vnio Verbi ad humanitatem eſt ſubſtantialis.

Sequitur etiam hæc veritas apertè ex dictis art. 2. & 3. Et ratio eſt. Primò, Quia Verbum ita vnitum eſt humanitati, vt ex his duobus exiterit ſubſtantia compoſita, verè & propriè vna: nam Verbum effectum eſt ſubſtantiale complementum eius. quare hæc vnio non eſt dicenda accidentalis, vt vult Durandus, ſed ſubſtantialis; quia ſubſtãtiale complementum, non eſt accidens. Secundò, quia Verbum vnitum eſt humanitati immediatè ſine vllo accidente medio: ergò non accidentaliter, ſed ſubſtantialiter.

Dices; humana natura eſt omninò extra rationẽ Verbi: ergo accidentaliter ei aduenit.

Reſpondeo Negando conſequentiam, præſertim ſi phyſicè loquamur: nam anima, & omnis forma ſubſtantialis, eſt extra rationem corporis ſeu materiæ: & tamen non aduenit ei accidentaliter, ſed ſubſtantiali vnione. Simili modo aduenit alimentum corpori; pars aquæ, alteri aquæ, & ſimilia. Reliqua vide apud D. Thomam.

ARTICVLVS VII.

Vtrum vnio Diuinæ & humanæ naturæ ſit aliquid creatum?

58 REſpondetur; vnio ipſa eſt aliquid creatum reipſa exiſtens in creatura; in Deo autem tantummodò ſecundùm conſiderationem rationis.

Probatur Primò, quia quidquid incipit eſſe in tempore, eſt aliquid creatum: atqui hæc vnio cœpit eſſe in tempore: ergo eſt aliquid creatum.

Secundò quia hæc vnio eſt relatio [id eſt modus relatiuus] inter naturam diuinam & humanam, vt conueniunt in vnâ perſonâ Verbi: atqui omnis relatio inter Deum & creaturam, in creaturâ quidem realis eſt, in Deo verò tantummodò fictione rationis.

Notandum Primò, In Reſponſione ad 3. *Quòd aliquid dicatur creatum, hoc magis reſpicit eſſe ipſius quàm rationem.* Senſus videtur eſſe; ſi alicuius rei *eſſe* cœperit in tempore in aliquâ naturâ creatâ: id cenſetur abſolutè creatum, quamuis in ſuâ ratione includat aliquid increatum: quare vnio humanitatis cùm perſona diuina, eſt quid crea-

Google

tum ; quia hæc vnio cæpit in tempore in naturâ creatâ , vt dicitur in reſponſione ad ſecundum, quamuis ratio huius vnionis includat perſonam Verbi.

Notandum Secundò, Vnionẽ tripliciteraccipi.

59 Vnio tripliciter accipitur.

Primò, Pro actione qua aliqua vniuntur, quæ potiùs dicitur vnitio. Sic generatio hominis, & reſuſcitatio, eſt vnitio animæ cum corpore. Et hæc vnitio, eſt communis toti Trinitati, vt docet D. Auguſtin. in Enchiridio cap. 38. & Fulgentius de fide ad Petrum cap. 9. Conc. Toletan. ſextum, & vndecimum, vtrobique c. 1. Ratio eſt, quia eſt operatio tendẽs in creaturã, ſiue eſt operatio ad extra : atqui omnis talis actio eſt communis toti Trinitati : ergo &c. Sola tamen perſona Filii terminat humanam naturam; quia eſſe terminum, nullam propriè cauſalitatem inſinuat.

Secundò, Sumitur , pro vnione paſſiuâ , quæ per illam actionem fit, à qua res dicuntur vnitæ.

Tertiò, Pro relatione reſultante inter res iam vnitas.

DVBIVM I.

Vtrùm præterquam , quod per hanc actionem vnitiuam tribuatur humanæ naturæ ſubſiſtentia Verbi, & præter relationem reſultantem inter illa; producatur etiam aliquid creatum in humanitate, quo ipſa formaliter ſit vnita Verbo?

60 Tres ſententiæ.

SVnt tres ſententiæ hac de re , quas recenſet Gabriel in 3. diſt. 1. quæſt. 1. art. 1.

1. Arimineſis.

Prima eſt , per actionem vnitiuam nihil produci creatum in humanâ naturâ, quo ipſa formaliter Verbo vniatur ; ſed ſolùm produci hoc ſuppoſitum humanum , conſtans ex creato & increato ; ſcilicet ex naturâ humanâ & Verbo. Ita Greg Arimin. in 1. diſt. 28. quæſt. 2. ad 17. & 18. hanc fusè refutat Gabriel ; & benè.

2. Gabrielis.

Secunda eſt , produci in humanitate quandam qualitatem ſupernaturalem, quâ formaliter Verbo vniatur. Sicut enim eſt quædam qualitas, ſcilicet gratia, vel caritas, qua tota Trinitas incipit animæ vniri ; ita etiam eſſe aliam quandam qualitatem , quâ humana natura immediatè vniatur perſonæ Verbi. Ita Gabriel loco citato, & fuſiùs in 1. diſt. 30. quæſt. 4.

3. Scoti.

Tertia eſt , ſolùm quandam relationem produci in humanitate; à qua dicitur vnita Verbo. Ita Scotus diſt. 1. quæſt. 1. & Durand. diſt. 5. quæſt. 2. in 3. ſent. & D. Thomas hoc loco , & infrà quæſt. 16. art. 1. ad 4. quæ ſententia , ſi intelligatur de relatione propriè dictâ & prædicamentali, omninò falſa eſt. ne dicam erronea. Si verò intelligatur de modo quodam relationis tranſcendentali, ſicut auctores illi indubiè intelligunt, vt patet ex Durando & Gabriele, & ex fundamentis Scoti ; ſic eſt vera , & pro eâ

61 Vnio eſt aliquid creatum ab humanitate diſtinctum.

Dico Primò, Per hanc actionem vnitiuam, productum eſt in humanitate Chriſti aliquid creatum, ab illâ aliquo modo diſtinctum; quo in illâ permanente, neceſſariò illa manet hypoſtaticè vnita Verbo, Eſt communior ſententia DD. Durandi, Scoti, Guilielmi Occami ; Bonaventuræ in 3. diſt. 1. vel 5. D. Thomæ hîc.

Probatur Primò, Quia impoſſibile eſt, vt duo quæ ſecundùm ſe non ſunt vnita, incipiant eſſe vnita, niſi fiat aliqua mutatio in alterum eorum, idque per aliquam actionem poſitiuam : atqui actio poſitiua neceſſariò facit aliquid poſitiuum in re.

Confirmatur, Quia etiamſi humanitas conſideretur abſtracta à propriâ perſonalitate, non ideò neceſſariò intelligitur vnita Verbo : ergo debet interuenire actio poſitiua, per ſe primò tẽdens ad hanc vnionem ; & conſequenter aliquid poſitiuum in humanitate relinquet.

Obiectio Arimineſis.

Reſpondet Gregorius Arimin. allatâ inſtantiâ. Primò, Quia albedo poteſt incipere inhærere, & deſinere inhærere ſubiecto, ſine vllâ mutatione factâ in altero eorum. Secundò, Lumen candelæ poteſt incipere dependere à ſolo Deo , ſine vllâ mutatione luminis. Denique, poteſt quis incipere eſſe gratus Deo, qui ante non erat, ſine vllâ ſui mutatione.

Refellitur

Reſpondeo ; Primum exemplum non eſſe verum : Nam quando albedo incipit inhærere , & ipſa, & ſubiectũ mutatur : ipſa enim ſuum modũ naturalẽ acquirit ; quem pari modo perdit quando deſinit inhærere, etiamſi ipſa ſalua maneat. Similiter ſecundùm falſum eſt, quia lumen in eo caſu accipiet nouam dependentiam, ac proinde nouum eſſendi modum. Tertium exemplum, non eſt ad rem : quia eſſe gratum , in eo caſu , ſolùm erit quid morale , nihil reale ponens in homine. Sicut eſſe gratum Principi.

Probatur Secundò , Illa actio vnitiua nihil facit circa Verbum, cùm ipſum non ſit capax vllius paſſionis illatæ: ergo facit aliquid circa naturam humanam. Atqui hoc non eſt increatum, quia increatum non fit ; nec poteſt eſſe terminus actionis creatę : ergo facit aliquid creatum , ratione cuius , humana natura manet copulata perſonæ Verbi.

62 Sententia Gabrielis quòd vnio hæc ſit habitus ſupernaturalis.

Dico Secundò, Id quod propriè producitur per hãc actionem vnitiuam in humanitate Chriſti, quo ipſa formaliter Verbo vniatur, nõ eſt aliqua ſupernaturalis qualitas , ſeu habitus ; neque aliqua relatio propriè dicta , & accidentalis.

Prior Pars eſt contra Gabrielem.

Refellitur

Probatur Primò , Synodus v. can. 4. damnat eos qui dicunt hanc vnionem eſſe factam per gratiam. Probatur Secundò , Quia hæc qualitas, vel erit ſolũ diſpoſitio requiſita in humanitate; Sicut in materiâ requiritur diſpoſitio ad formam : & hoc non facit ad rem; quia talis diſpoſitio non eſt formalis vnio. Vel hæc qualitas, eſt ipſa formalis vnio humanæ naturæ cũ verbo , vt expreſsè dicit Gabriel; ac proinde hæc vnio eſt omninò accidẽtaria. Tertiò, Vnio naturę cum ſubſiſtẽtiâ propriâ nõ fit per aliquod accidẽs; ſimiliter nec vnio animæ cum corpore ; nec vnio partium integralium inter ſe: ergo nec iſta. Quartò, Quia fieri nequit vt qualitas creata excludat formaliter propriam ſubſiſtentiam naturæ cui ineſt, cùm potiùs illam ſupponat, vt ſuſtentetur. Quintò, Quia impoſſibile eſt vt qualitas aliqua vniat humanam naturam hypoſtaticè verbo diuino ; tum, quia vnio hypoſtatica conſtituit ſubſtantiã per ſe ſubſiſtentem; hoc autem non poteſt facere accidens: tum, quia nulla eſt qualitas in naturâ vnitâ, quæ non poſſit in ea conſeruari poſt ſeparationem. Sextò & poſtremò, Quia nulla eſt ratio cur hæc qualitas magis vniret humanitatem Verbo, quam Patri & Spiritui ſancto , cùm ab omnibus æquè procedat. Nec obſtat quòd detur qualitas quæ vniat animã toti Trinitati , ſcilicet gratia vel charitas : tum, quia non vnit eam ſubſtantialiter: non enim anima per eam fit Deus : tum , quia Trinitas per gratiã non incipit eſſe nouo modo vnita animæ , niſi obiectiuè, ſicut amatum amãti & moraliter, ſicut res poſſeſſa poſſidenti intra ipſum exiſtens , qua poſſidens interiùs fruitur.

Altera pars probatur. Primò, Quia Synodus

63 Vnio hæc non eſt relatio accidentalis.

V. can. 4. damnat hanc vnionem eſſe factam per relationem. Secundò. Capitulo *Cùm Chriſtus.* tit. de hæreticis, definitur *terminum huius actionis eſſe quid ſubſtantiale; & ideò Chriſtũ eſſe aliquid, id eſt, ſubſtantiam; non autem ad aliquid*: ergo formalis terminus non eſt relatio accidentaria; alioquin Chriſtus potiùs eſſet ad aliquid, quam aliquid. Tertiò, Relatio ſequitur vnionem; nam ad relationem non eſt per ſe actio: ergo ſupponit vnionem; ac proinde ipſa non eſt primum vinculum humanæ naturæ cum Verbo: Imò nec vllo modo eſt vinculum; nam ſolùm quaſi per accidens reſultat ex vnione.

64 Eſt modus ſubſtantialis. Vide hanc quæſtionẽ fusè & locupletè deductam in lib. 2. de Perfect. Dininit. cap. 6.

Dico Tertiò, Id quod Primò fit per hanc actionem vnitiuam, non eſt aliud quã modus quidam ipſius humanæ naturæ, modaliter tantùm ab illà diſtinctus; qui dici poteſt inexiſtentia humanitatis in Verbo qui non eſt accidẽs, ſed ſubſtantialis modus. Hæc eſt verè ſententia Scoti, Durandi, Occami, D Thomę, & aliorum.

Et Probatur Primò. Quia anima cùm in reſurrectione vnietur corpori, neque mediante qualitate, aut relatione vnietur; ſed ſolùm mediante quodam modo ſubſtantiali, qui eſt inexiſtentia, informatio, viuificatio &c: ſecundùm quem dicitur informare & viuificare corpus: ergo ſimiliter dũ humanitas vnitur Verbo, nihil requiritur niſi modus quidam ſubſtantialis inexiſtentiæ, ſecundùm quem dicitur ineſſe, inſeri Verbo: ergo hic modus fit per actionem ipſam vnitiuam.

Secundò, Exiſtentia humanitatis Chriſti ſibi relicta, naturaliter terminanda & modificanda erat modo quodam ſubſtantiali, qui eſt ſubſiſtẽtia, quo ipſa priuata fuit per hanc vnionem: ergo conſecuta eſt alium modum repugnantem ſubſiſtentiæ creatæ: atqui nihil aliud repugnat illi ſubſiſtentiæ, quàm inexiſtentia: ergo conſecuta eſt hunc modum, qui eſt inexiſtentia in Verbo. Sicut accidentia dum ſeparantur à ſubiecto, priuantur modo exiſtendi quem habebant in ſubiecto: & acquirunt alium huic repugnantem, ſiue poſitiuum ſiue priuatiuum.

Tertiò. Verè, propriè, & realiter, humana natura eſt in Verbo: ergo hoc ipſum, *eſſe in Verbo*, eſt aliquid in humanitate ipſa: atqui non eſt ipſa ſola humana natura: quia quidquid illa ſola eſt, poteſt intelligi abſque illo, *eſſe in Verbo*: nõ enim ipſa ſecundùm ſe neceſſariò eſt in Verbo: neque etiam eſt ipſum Verbum, quia hoc non ineſt ipſi humanitati: nec ipſa humanitas per ipſum Verbũ poteſt dici formaliter eſſe in Verbo: ſicut eſſe in corpore, non eſt ipſum corpus, ſed affectio eius quod eſt in corpore: ergo eſſe in Verbo, eſt modus quidam ipſius humanitatis.

65 Obiectiones ſoluũtur.

Obiicitur Primò, Verbum terminare & ſuſtentare, non eſt aliquid in Verbo diuino: ergo neque humanitatem eſſe in Verbo, ponit aliquid in humanitate.

Reſpondeo Negando Conſequentiam: Ideò enim terminare & ſuſtentare non ponit aliquid in Verbo, quia vnio non eſt facta per actionem circa ipſum Verbum, ſed circa humanitatẽ. Vnde Verbum terminare nihil eſt aliud, niſi intimè & ſubſtantialiter eſſe humanitati coniunctum: quod ex eo habet, quòd humana natura tali modo illi ſit adiuncta, atque adeò illi inſita: inde enim oritur illa denominatio in Verbo.

66 Obiicitur Secundò: Hic modus eſt quid creatum & imperfectum: ergo gratia vnionis, quæ eſt ſumma perfectio, non poteſt in eo conſiſtere.

Reſpond. Etſi ille modus in ſe ſit aliquid creatum, tamen eſt ingens perfectio; quia eſt intima coniunctio humanitatis cum Verbo: imò ratione termini quem hic modus intrinſecè includit, eſt perfectio infinita: Nam in ſuâ ratione includit ſuppoſitum diuinum infinitæ perfectionis: eſt enim veluti inhæſio, inſitio, inexiſtentia in Verbo: ac proinde eiuidem quodammodo ordinis cuius ipſum Verbum, magiſque ſupernaturalis quàm vlla qualitas creata. Vnde inuoluit cõtradictionem, vt humanitas ſit affecta hoc modo, & tamen non intimè ſit vnita verbo: Sicut implicat accidens affectum eſſe modo inhærẽtię, non tamen inhærere ſubiecto. Quare ſicut vnio animæ cum corpore, facit corpus vnum cum anima, ita vt impoſſibile ſit ſimul eſſe non vnum; ita hæc vnio facit hominem Deum, ſic vt eâ permanente, impoſſibile ſit eſſe non Deum. Etſi enim hæc vnio non ſit cauſſa formalis per quam homo eſt Deus: tamen eſt intima cauſę formalis applicatio. Neque eſt ſimile de illâ qualitate Gabrielis, quia illa eſt accidens: hic verò modus eſt quid ſubſtantiale.

perfectio & dignitas huius vnionis.

DVBIVM II.

An, id quod conſtat hac Vnione, ſit creatum quid? an increatum?

67 Eſt partim creatum partim increatum.

REſpondeo, illud compoſitum propriè nec creatum eſſe, nec increatum: ſed partim creatum, partim increatum. Sicut compoſitum ex carne & Spiritu, nec eſt caro nec Spiritus abſolutè: ſed partim caro, partim Spiritus. Eſt *Creatum*, ratione naturæ humanæ, & ipſius vnionis: *Increatum*, ratione perſonæ diuinæ. Poteſt tamen dici creatum, quâ compoſitum: quia ipſa vnio creata eſt. Item poteſt dici *factum in tempore*: Nam hoc compoſitum non ſemper fuit. Quia tamen non eſt totum ex nihilo, ideò non propriè diceretur creatum: Nam creatum eſt, quod totum eſt ex nihilo.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum vnio Verbi Incarnati idem ſit quod Aſſumptio?

68 Vnio & aſſumptio differt tripliciter.

REſpondetur: *Vnio* differt ab *Aſſumptione* tripliciter. Primò, Quia vnio eſt relatio, id eſt, modus relatiuus: Aſſumptio autem, eſt actio. Secundò, Vnio ſignificatur vt in facto eſſe; Nam ab vnione, dicitur vnitum, non vniens. Quod intellige de vnione, vt eſt nomen; non de vnitione: Aſſumptio autem ſignificatur vt in fieri: nam ab ea dicitur quis aſſumens. Tertiò, Vnio non includit determinatè terminum ad quem, vel à quo eſt vnio: Aſſumptio verò vtrumque terminum includit.

Explicatur.

Notandum. Si vnio accipiatur pro relatione reſurgente inter vnita, manifeſtum eſt quomodo differat ab Aſſumptione: Nam Aſſumptio non eſt relatio, ſed actio per quam relatio vnionis conſurgit. Si tamen vnio accipiatur pro vnitione, ſic non differt re ab aſsũptione; ſed eadem actio eſt Vnio & Aſſumptio: Nam habent eundem terminum totalem, qui per illam actionem exiſtit, nempe Chriſtum hominem & Deum: & formalem, ſcilicet inexiſtentiam humanitatis in Verbo. Solùm differunt quod Vnio ſignificet illam actionem ſimpliciter, nihil connotando: Aſſumptio autem connotat eãdem perſonam eſſe principium illius actionis. Vnde duplicem inſinuat

habitudinem, principij & termini : Aſſumere enim eſt *aliud ad ſe ſumere.*

69 Hinc fit primò, Vt Pater & Spiritus ſanctus rectè dicantur vnientes humanam naturam, non tamen aſſumentes, quia etſi ſint principiũ aſſumptionis, non tamen ſunt terminus. Verbum verò rectè dicitur vniens & aſſumens. Secundò fit, vt Verbum dicatur vnitum & non aſſumptum. Vnitio enim non inuoluit vnum extremum potiùs quàm aliud, & ideò denominat vtrumque extremum : Verbum enim vnit ſeipſum humanæ naturæ, vnde ipſum dicitur vnitum: & humanam naturam vnit ſibi, vnde ipſa dicitur vnita verbo. Aſſumptio autem inuoluit alterum extremum, ſcilicet rem aſſumendam, tanquam diſtinctum: Nam denotat reſpectum agẽtis ad aliquid diſtinctum, cum reflexione ad ſeipſum, tanquam ad terminum. Vnde Verbum non aſſumit ſe, ſed naturam humanam aſſumit, id eſt, ad ſe ſumit. Accedit, quod vnio generatim denotet actionem, vel coniunctionẽ duorum, quomodocumque ea fiat: Aſſumptio verò, explicet etiam ipſum modum vnionis: nempe id quod aſſumitur, ita vniri alteri, vt ab eo ſuſtentetur.

Verbũ eſt vnitũ, non aſſumptũ.

70 Vt differãt vnio & Aſſumptio ab Incarnatione.

Petes, Quomodo vnio & Aſſumptio differunt ab Incarnatione?

Reſpondeo : Cùm Incarnatio ſignificet actionem, non differt ab vnitione, niſi quòd ſpecificet rem, ad quam facta eſt vnio; vt notat Damaſcenus lib. 3. de fide cap. 11. *Incarnatio* enim eſt vnio cum carne: vnde Verbum dicitur incarnatum, id eſt, carni vnitum, non autem humana natura: terminum verò naturæ aſſumptæ non denotat, ſicut aſſumptio. Vnde Pater etiam incarnauit Verbũ. Eadem eſt ratio *humanationis.* Vide D. Thomam ad. 3. & Damaſcenum ſuprà.

ARTICVLVS IX.

Vtrum vnio duarum naturarum in Chriſto ſit maxima vnionum?

71 REſpondetur duabus Concluſionibus. Prima, Vnio ex parte perſonæ, in qua duæ naturæ copulantur, eſt maxima vnionum. Secunda, Ex parte rerum quæ vniuntur, non eſt maxima.

DVBIVM III.

Vtrùm hæc vnio ſit maxima vinculo, ſine in ratione Vinculi?

72 NOtandum eſt, Duplicem hîc conſiderari vnionem: Prima eſt, duarum rerum immediatè inter ſe: vt Verbi cum natura humana. Secunda, duarum rerum in aliquo tertio: vt naturæ diuinæ & humanæ in eodem ſuppoſito.

Negat Durand.

Durandus in 3. diſput. 5. quæſt. 3. cenſet vnionem ſubſiſtentiæ verbi cum natura humana, non eſſe maximam vinculo inter vniones creatas. Sed contrarium tenendum eſt. Pro quo

Affirmatur de vnione Verbi cum humanitate.

Dico Primò, Vnio perſonæ verbi cum natura humana eſt maior vinculo, quã ſit vlla alia inter res creatas realiter diſtinctas. Ita D. Thomas hîc & in 3. diſt. 5. quæſt. 1. art. 3. Scotus & Bonauentura diſt. 6. & alij.

Probatur Primò, Teſtimonio D. Auguſtini quod hîc adfert D. Thom. & ex D. Bernardo lib. 5. de Conſider. ad Eugenium: *Arcent tenet vnitas Trinitatis, in qua tres Perſonæ ſunt vna ſubſtantia. Secunda loco illa præcellit, in qua è diuerſo tres ſubſtantiæ ſunt vna in Chriſto perſona.* Loquitur autẽ de ratione coniunctionis ſeu vinculi, qua hæc vnio ceteris antecellit; non autem de dignitate vnionis, vt vult Durandus. Patet ex Bernardi ratione : *tres ſubſtantiæ ſunt vna perſona.*

Probatur Secundò; Quia hæc vnio videtur maior quàm vnio cuiuſuis naturæ cum forma; quæ tamen videtur eſſe ſumma : tum quia hæc vnio eſt indiſſolubilior; nam eſt omnino ſupernaturalis, & infinitâ virtute effecta : vnde magis firma quàm vnio materiæ & formæ Cæli. Vnde etiam in triduo mortis hæc inuiolata perſtitit. Tum, quia hæc eſt magis intima cùm Verbi ſubſiſtentia intimè penetret non ſolum carnis, ſed etiam animæ ſubſtantiam, eius exiſtentiam immediatè terminans.

Probatur Tertiò, quia materia & forma adferunt ſuas partiales ſubſiſtentias, ex qua vna integra componitur : hîc autem vnica indiuiſibilis & ſimpliciſſima ſubſiſtentia naturę vnitur. Quò etiam fit, vt per hanc, Verbum fiat propriè homo; per illam autem, nec caro fiat anima, nec anima caro. Ita D. Auguſt. l. 1. de Trinit. c. 1.

Probatur Quartò, Quia hæc vnio eſt compoſitio naturæ cum ſubſiſtentia, quæ Angelicæ ſimplicitati non repugnat; cum qua tamen non conſtitit vnio formæ cum materia: ergo eſt maior.

Dices Primò, Maior eſt vnio inter naturam & perſonam creatam, quàm inter naturam humanam & perſonam Verbi; quia hęc realiter diſtinguuntur, non illa. Reſpondeo; Nos hîc loqui de vnione rerum realiter diſtinctarum. Addo tamẽ, hanc vnionem eſſe magis indiſſolubilem, quàm ſit vnio naturæ & perſonæ creatæ. 73

Dices Secundò : Vnio animæ cum corpore videtur maior, quam eſt vnio in natura & in perſona : hæc autem vnio humanitatis & Verbi eſt tantùm in perſona. Deinde inter illa eſt maior proportio vt in vnum conſpirent quàm inter Verbum & carnẽ. Reſpondeo; hinc ad ſummum ſequi inter animam & corpus eſſe plures modos vnionis, & maiorem vnionem extenſiuè; non tamen intenſiuè; id eſt, non arctiorem & magis intimam. Proportio quidẽ naturalis iuuat ad vnionem maiorem naturalem, non tamen eſt neceſſaria ad maiorem vnionem ſupernaturalem.

Dico Secundò : Etiam vnio humanitatis cum naturâ diuina in perſona Verbi, eſt maxima omnium vnionum, quæ poſſunt eſſe inter res creatas diſtinctas, vnitas in vno tertio. Ita D. Thomas hoc loco, quod ipſe probat; quia id in quo vniuntur iſtæ duæ naturæ, eſt maximè vnum & ſimplex : ergo hæc vnio eſt maxima.

74 Affirmatur ſimiliter de vnione naturę diuinæ & humanæ.

Dices; eodem modo probaretur vnionem duorum hominum iuſtorum in Deo eſſe maximam; quia id in quo vniuntur, eſt maximè vnum, ſcilicet Deus, cum quo fiunt vnus Spiritus. Reſpondeo; non eſt ſatis vt id, in quo aliqua vniuntur, ſit maximè vnum & ſimplex; ſed etiam vt ei maximè & perfectiſſimè vniantur. Iuſti autem non vniuntur Deo perfectiſſimè, ſed tantum interuentu alicuius accidentis, ſcilicet charitatis. At natura diuina & humana vniuntur Verbo ſubſtantialiter; & ſic ex eo quod perſona Verbi ſit maximè ſimplex, & huic duæ naturæ vniantur perfectiſſimè; ſequitur optimè illarum naturarum vnionem maximam eſſe.

DVBIVM II.

Vtrùm hæc Vnio etiam ſit maxima dignitate?

75 REſpondeo; Vnio Incarnationis non ſolùm vinculo, ſed etiam dignitate & excellentiâ eſt omnium maxima: id eſt, per eam confertur maximum donum & Dei beneficium creaturæ. Docet hoc D. Thomas infra q. 4. a. 1. ad 2. Albertus & Bonauent. in 3. d. 2.

Maxima dignitas vnionis hypoſtaticæ.

Probatur, Primò ex Auguſtino lib. de prædeſtinatione Sanctorum cap. 15. Vbi docet Chriſtũ Dominum eſſe præclariſſimum lumen prædeſtinationis & gratiæ; quatenus gratis, id eſt, nullis præcedentibus meritis, *prædeſtinata eſt naturę humanæ, tanta & tam celſa & ſumma ſubuectio, vtque attolleretur altiùs, nò haberet.* Et Tractatu 2. in Ioãnem explicans illud: *Verbum Caro factum* ait, *hoc eſſe maiorem gratiam, quàm homines fieri filios Dei.* Similia habet lib. 3. de Trinitate cap. 9.

Probatur quatuor Rationibus.

Probatur Secundò Ratione. 1. Quia per hanc vnionem communicatur humanæ naturæ ſummum bonum; & ſummo modo: id eſt, arctiſſimè, intimè, ſubſtantialiter: ergo eſt excellentiſſimum beneficium. Secũda Ratio, Quia hæc vnio eſt excellentior, quàm ea, quæ eſt per viſionem beatificam: ergo quàuis alia quæ ſit per gratiam. Antecedens patet, quia plus eſt eſſe filium Dei naturalem, quam adoptiuum: eſſe Deum, quàm videre Deum. Tertia. Quia omnes aliæ excellentię creatæ & ſupernaturales habent quandam naturalẽ coniunctionem cum vnione hypoſtaticâ, & in illâ veluti in radice continentur. Quarta. Quia maior honor debetur naturę humanæ ratione huius doni, quàm ratione cuiuſuis alterius doni; debetur enim illi cultus latriæ. Denique ob hanc vnionẽ Apoſtolus ad Hebræos 1. & 2. præfert Chriſtum hominem omnibus Angelis.

Aduerte tamen, ſi hæc vnio nudè & ſola ſpectetur abſque donis ſupernaturalibus creatis, poſitiuè ea ſecludendo, eam non eſſe optabiliorem, quàm ſit vnio meritis cum Deo per viſionem beatificam & charitatem: etſi enim illa in ſe ſit præſtantior, cùm hominem faciat Deum, & extollat ſuper omnem creaturam: tamẽ non ita eſt neceſſaria creaturę, vt quàm optimè ſit exempta omnibus miſerijs, & cumulata omni beatitudine.

ARTICVLVS X.

Vtrum vnio Incarnationis ſit facta per gratiam?

76 REſpondetur Tribus Concluſionibus.

Prima, ſi gratia accipiatur pro gratuitâ Dei voluntate, hæc vnio eſt facta per gratiam.

Secunda, Si gratia accipiatur pro gratuito Dei beneficio: hæc vnio eſt maxima gratia. Ratio, quia maximum donum collatum ſine meritis.

Tertia: Hęc vnio non eſt facta mediante gratiâ habituali; alioqui non eſſet ſubſtantialis, ſed accidentaria.

Gratiæ vnionis quadruplicitèr accipitur.

Notandum eſt, Quatuor eſſe quę poſſunt dici gratia vnionis. Primò, Ipſa benigna Dei voluntas qua gratis voluit iſtud myſterium fieri. Sic accipit Auguſt. lib. de prædeſtinat. Sanct. cap. 15. *Eâ gratiâ fit ab initio fidei ſuę homo quilibet Chriſtianus, quâ gratiâ homo ille ab initio ſuo factus eſt Chriſtus.* Secundò, Interdum dicitur gratia vnionis ipſa ſubſiſtentia increata, quatenus eſt donũ quodam ſummum humanæ naturæ collatum: vt inquit D. Thomas infrà quæſt. 6. art. 6. indicat idipſum in Reſpõſione hic ad 1. Simili modo perſona Spiritus ſancti vocatur donum increatum, vt patet ex 1. parte quæſtione 38. Tertiò, Modus ille ſeu inexiſtentia humanitatis in Verbo, dicitur gratia vnionis: & ſic gratia vnionis eſt quid creatum. Ita D. Thomas infra art. 12. ad 3. Quartò, Totus Chriſtus interdum dicitur gratia vnionis; quia eſt ſummum donum gratię nobis collatum, conſtans vnione Verbi & humanę naturę: iuxtà illud Ioan. 3. v. 16. *Sic Deus dilexit mundum vt filium ſuum vnigenitum daret.* & Iſaię 9. v. 6. *Paruulus natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis.* Et ſic gratia vnionis eſt quiddam conſtans ex creato & increato. Vide Caiet. infrà quęſt. 7. a. 3. & D. Bonauenturam in 3. diſt. 2. art. 3. qu. 2.

ARTICVLVS XI.

Vtrum Vnionem verbi incarnati aliqua merita præceſſerint?

REſpondetur Tribus Concluſionibus.

Prima eſt; Chriſtus non potuit ſuam Incarnationẽ mereri. Ratio eſt, quia ipſa erat principium omnium meritorum. Principium autem meriti, non cadit ſub meritum. 78 Nulla merita præceſſerunt de condigno.

Secunda: Nulla creatura potuit ex condigno mereri Chriſti incarnationem. Primò, quia merita ex condigno, ex natura ſua ordinantur ad beatitudinem, tamquam ad vltimum terminum: at qui vnio hypoſtatica eſt longè ſublimior, quàm vnio beatitudinis. Quare merita creaturę non habent proportionem condigni ad illam. Secundò, Quia hęc vnio eſt principium omnium meritorũ, ſaltem in humana natura ergo ſaltem nullus hominum poteſt illam mereri. Tertiò, Quia bonum vnius hominis puri, non poteſt eſſe cauſa vniuerſalis totius boni humani generis.

Præceſſerunt ſanctorum Patrum merita de congruo.

Tertia Concluſio: Ex congruo Sancti Patres, meruerunt Incarnationem: cùm enim Deus iſtud myſterium ex ſuâ gratuitâ voluntate prędeſtinaſſet, præuiſis Patrum meritis; etiam propter illa voluit illius executionem. Verùm de hoc plura Quęſtione de merito Chriſti.

ARTICVLVS XII.

Vtrum gratia vnionis fuerit Christo hominnaturalis?

REſpondetur duabus Concluſionibus.

Prima: Nec gratia Habitualis, nec gratia vnionis fuit Chriſto naturalis, tamquam ex principijs humanæ naturæ cauſata fuerit. 79 Diſtinguitur.

Secũda: Vtraque gratia quodammodo fuit Chriſto naturalis: tum, quia à natiuitate; tum, quia à naturâ diuinâ, quę in ipſo erat.

Notandum eſt, Gratiam vnionis (quę nihil eſt aliud quàm coniunctio humanę naturæ cum Verbo) Chriſto homini dupliciter dici naturalem. Primò, Quia eſt de ratione huius ſuppoſiti, & etiam ipſius naturæ humanæ, quatenus eſt natura huius hypoſtaſis: ita vt ſine illâ gratiâ hoc ſuppoſitum humanum, ſeu Chriſtus, eſſe vel concipi nequeat: Et ita quodammodo pertinet ad naturam huius ſuppoſiti. Sicut de ratione hominis eſt vnio animæ cum corpore: & de ratione animę: quatenus eſt vita huius corporis, eſt inexi- Gratia Vnionis dupliciter eſt Chriſto hominnaturalis.

ſtentia & informatio corporis; ita vt ſine eâ concipi nequeat vitam dare. Secundò; dicitur naturalis, quia eſt à principio intrinſeco; nã facta eſt à natura diuina, quamuis non naturaliter ab illâ manauerit, ſed liberè effecta ſit. Quò fit vt hac ratione valdè impropriè dicatur naturalis.

Similiter & gratia Habitualis

Gratia autem habitualis ſimiliter dicitur naturalis dupliciter. Primò, Quia tamquam naturalis quædam proprietas ſequitur ex vnione humanę naturę cum Verbo, non phyſicâ emanatione, ſed morali. Quomodo gloria corporis emanabit ex beatitudine animæ in beatis. Secundò, Quia à naturâ diuinâ emanauit in humanam; mediante tamen libera efficientia. Vnde hac ratione valdè impropriè dicitur naturalis.

QVÆSTIO TERTIA.

De modo Vnionis ex parte aſſumentis.

In Octo Articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Vtrum perſonæ diuinæ conueniat aſſumere naturam humanam?

REſponderur; Aſſumere naturam creatam proprijſſimè conuenit perſonæ diuinæ. Probatur; Quia perſona diuina eſt principiũ & terminus huius aſſumptionis; principiũ quidem, quia eſt cauſa efficiens: terminus verò, quia aſſumptio fit per vnionem ad perſonam: ergo perſona proprijſſimè dicitur aſſumere. Patet Conſequentia, quia aſſumere nihil aliud includit, niſi eſſe principium & terminum aſſumptionis: Nam nihil eſt aliud niſi *ſumere ad ſe*.

Notandum in Reſponſione ad 1. ſolùm agi de modo loquendi: etſi enim reuerà humana natura Verbo ſit adiuncta & adſtricta; tamé non ita propriè dicimus Verbo eſſe aliquid additum, aut aliquam acceſſionem factã ad Verbum: cùm enim omnia in ſe eminenter contineat & anticipet, nihil perfectionis ei accreuit; ſed potiùs humanæ naturæ omnis perfectio acceſſit.

2 quomodo natura indiuidua fit incommunicabilis. quomodo hypoſtaſis

Notandũ Secundò, in Reſp. ad 2. Omne indiuiduum eſſentialiter eſſe incommunicabile, ſed modò ſibi accommodato: natura enim indiuidua eſt incõmunicabilis pluribus naturis, quibus idẽtificetur: in hoc enim conſiſtit ratio eius indiuidua. Non tamen eſt incommunicabilis pluribus perſonis, quia poteſt à pluribus terminari. Cõtrà, hypoſtaſis eſt incõmunicabilis pluribus perſonis, nam de ratione eius eſt eſſe vltimò terminatum, ita vt nihil ei ſubſit: eſt tamen cõmunicabilis pluribus naturis; quia etiamſi terminus vltimus non poſſit ampliùs terminari: poſſunt tamen plura eodem termino terminari. Sed occurrunt hîc duo dubia.

DVBIVM I.

An perſona creata poſſit aſſumere immediatè aliam naturam creatam?

3 nequit id fieri virtute naturali.

REſpondeo & dico Primò; non poteſt virtute naturali alienam naturam hypoſtaticè aſſumere. Eſt certa & communis Doctorum in 3. diſt. 1. Probatur, Quia duas naturas eſſe in eodem ſuppoſito, eſt ſupra conditionem naturalem rerum quæ fert vt ſingulæ naturæ ſuum habeant ſuplitum, ac per ſe exiſtant: arqui conditio naturalis à rebus ſuperari non poteſt per vllas vires creaturæ. Vnde nec Angeli hoc modo aſſumere corpora poſſunt, ſed dumtaxat inſtar externi operimenti. Confirmatur, quia modi ſeu proprietates vniuerſales entis, quales ſunt, *eſſe per ſe*, & *eſſe in alio*, non poſſunt mutari, niſi ab authore totius vniuerſi.

4 Neque diuinâ.

Dico Secundò, Etiam per potentiam Dei abſolutam fieri nequit, vt perſona creata alienam naturam ſibi copulet; ita vt illi ſuam hypoſtaticam vnionem immediatè communicet. Eſt communis ſententia Doctorum in 3. d. 1. & 5. vbi Durandus diſt. 1. q. 5. Paludanus q. 1. Caietan. hoc loco, & D. Thomas in reſp. ad 1. qui tribuit hoc infinitati Verbi, quod alienam naturam terminare poſſit. Neque quemquam puto negaturum, qui cenſet perſonalitatẽ eſſe dumtaxat modum quẽdam exiſtentiæ.

Modus vnius rei nequit rem aliam modificare.

Ratio eſt, Quia ſuprà oſtenſum eſt perſonalitatem nõ eſſe rem aliquam à natura creata realiter diſtinctam, ſed ſolùm naturæ quemdam modum & terminum. Sicut figura eſt modus qualitatis. At qui id quod ſolũ eſt modus rei ab illa non realiter diſtinctus, non poteſt vlla ratione, niſi rem illam modificare: vt patet inductione: vna enim figura non poteſt afficere niſi vnum corpus, vna ſeſſio non poteſt eſſe niſi in vno homine, vna paternitas niſi in vno Patre. Cuius ratio vlterior eſt quia modus omnis in ſuo conceptu eſſentiali includit id, cuius eſt modus; ita vt ſine illo ne concipi quidem poſſit: nihil enim eſt aliud, quàm ipſa res, taliter vel taliter ſe habens: ſic vel ſic modificata: ergo non poteſt alienam naturam terminare vel modificare, niſi eius natura, quam naturaliter modificat, tranſeat in alteram, ita vt duę naturę fiant vna natura. Cõfirmatur à ſimili: impoſſibile eſt vt accidens communicet alteri accidenti ſuam inhærentiam, ita vt alterum per illã inhæreat: idque ideò dumtaxat, quia inhærentia eſt modus accidentis: ergo nec vna ſubſtantia poteſt alteri ſuam ſubſiſtentiam communicare, vt per illam ſubſiſtat: quia ſubſiſtẽtia eſt tantummodò ſubſtantiæ modus.

5 Subſiſtentia Verbi non eſt modus.

Dices: Ergo nec verbum diuinum poterit ſuam ſubſiſtentiam communicare alteri naturæ.

Reſpondeo Negando Conſequentiam, Quia ſubſiſtentia verbi non eſt dumtaxat modus quidam rei, ſicut ſubſiſtẽtia creata: ſed eſt per ſeipsã res perfectiſſima, & puriſſimus actus, vbique intimè præſens. Quare facilè poteſt alienas naturas terminare & ſuſtentare. Et quia hoc illi conuenit propter infinitatem, dicit D. Thomas, hanc vim terminandi alienam naturam requirere infinitatem in perſona.

gitized by Google

DVBIVM II.

Vtrùm ſuppoſitum creatum poſſit alienam naturam creatam diuinâ virtute, ſaltem mediatè aſſumere, ſuſtentando & terminando illam, mediante ſuâ naturâ?

6 Affirmatur.

REſpõdeo, Valdè probabile eſſe id fieri poſſe p. r omnipotentiam creatoris. Tenet hoc Guilielmus Occam in 3. qu. 1. Et Ioan. Maior in 3. diſt. 1. qu. 5. Inclinat valdè Scotus diſt. 1. qu. 4. & Gabriel eadem diſt. qu. 2. dub. 5.

Probatur primò, Quia nulla apparet implicantia. Imò videtur multò faciliùs, quam myſterium Incarnationis: nam maior eſt proportio inter naturas creatas, quam inter creatã & increatam: & vtraque alteri facillimè poteſt per diuinã potentiam ita applicari, vt altera alteri ſit intimè præſens per ſuam ſubſtantiam; idque variis modis: nempe vt vna coexiſtat tota ſingulis partibus alterius, vel vna alteri coëxtendatur. Item, facilè poteſt *eſſe vnius* trahi ad exiſtẽdum in altero, non tamquam in ſubiecto, ſed tamquam in terminãte exiſtentiam. Si enim natura humana potuit trahi & eleuari quaſi in immenſum ſupra ſe, ad inexiſtendum Verbo ſine informatione: cur non etiam poterit trahi ad inexiſtendum alteri ſuppoſito? præſertim cùm hîc non opus ſit tantã eleuatione; & poſſit illi ſuppoſito dari quędam capacitas, ſecundùm quam alteri naturæ aptetur, eamque accipiat & eius exiſtentiam terminet.

Poteſt vna res alteri intimè eſſe præſens idque variis modis.

Probatur Secundò, Si perſonalitas creata eſſet res diſtincta à naturâ, nulla eſſet ratio, cur talis perſonalitas non poſſet poni in diuerſis naturis, illaſque terminare & ſuſtentare; vt fatẽtur etiam authores alterius ſententiæ: Sicut idem accidens poteſt poni in diuerſis ſubiectis; & eadem anima in diuerſis corporibus; & idem corpus in diuerſis locis. Neq; ad hoc neceſſariũ eſſet, vt talis perſonalitas eminenter cõtineret perſonalitates aliarum naturarum; aut vt haberet vim infinitã terminandi: ſed ſatis eſſet habere vim terminandi & ſuſtentandi naturam, & modo ſibi accommodato per potentiam Dei ad hunc effectum eleuari. Ergo cùm ſuppoſitum creatũ mediante naturâ hęc omnia habeat, non videtur vlla ratio, cur negari debeat alienam naturam illi hypoſtaticè poſſe vniri.

Probatur Tertiò, Quia Deus poteſt res creatas eleuare ad eficiendum aliquid, quod illarum vim naturalem excedit: vt res naturales ad efficienda opera ſupernaturalia. Cur etiam non poſſit vnũ ſuppoſitum eleuare ad capiẽdam & terminandã, & ſuſtentandam aliquam naturam, ad quàm non habet naturalem proportionem? difficilior enim videtur dependẽtia effectus à causâ non habẽte naturalem virtutem efficiendi, quàm dependentia naturæ à termino ſeu ſuppoſito ſibi non naturali; quia hæc dependentia nullam cauſalitatem inuoluit.

7 Quidam cenſent Angelos aſſũpſiſſe vera corpora.

Probatur Quartò, Multi viri eruditiſſimi ſentiunt re ipſa quoſdam Angelos fuiſſe incarnatos: ergo ſignum eſt hoc non inuoluere contradictorium. Antecedens patet, Nam Tertull. lib. de carne Chriſti, & lib. 3. contra Marcionem & alibi, dicit Angelos veram carnem aſſumpſiſſe, cùm appatuerunt Abrahæ: & inde probat poſſibilem fuiſſe Incarnationem Verbi in verã carne. Origenes exiſtimauit Malachiam fuiſſe Angelum incarnatum, vt refert Hieron. præfatione in Malachiam: nec tamen id refutat tamquam impoſſibile. Idem D. Hieronymus in primum caput Aggæi ſub finẽ ait: *Quidam putant Ioannem Baptiſtam & Malachiam, (qui interpretatur Angelus Domini) & Aggæum fuiſſe Angelos; & diſpenſatione Dei aſſumpſiſſe humana corpora: nec mirum hoc de Angelis credi; cùm pro ſalute noſtrâ, etiam Filius Dei humanum corpus aſſumpſerit.* Idem in caput 7. Danielis in illud: *Conſiderabam cornua*, dicit quoſdam exiſtimaſſe Antichriſtum fore diabolum, ſcilicet incarnatum; quod videtur inſinuare Theodoretus in Epitome diuinorum decretorum cap. de Antichriſto, & indicat Commentarius D. Ambroſij 2. ad Theſſal. 2. quamquam reuerã nihil cogat hos duos Patres ſic intelligere: ſolùm enim dicunt Antichriſtum fore organũ diaboli, in quo re ipſa & corporaliter ſit diabolus habitaturus, & omnem vim ſuam exerturus.

ARTICVLVS II.

Vtrum naturæ diuinæ conueniat aſſumere naturam creatam?

8 Ad Aſſumptionem duo requiruntur.

REſpõdetur Primò, Natura diuina poteſt dici ſecundariò & mediatè aſſumpſiſſe naturam humanã. Secundò, Filius immediatè & proprijſſimè. Tertiò, Pater & Spiritus S. nullo modo.

Prima & ſecũda pars probatur; Quia ad aſſumptionem duo requiruntur, ſcilicet vt aſſumens ſit principiũ, & vt ſit termin⁹ aſſumptionis; aſſumere enim eſt *ad ſe ſumere*; atqui natura diuina eſt principiũ aſſumptionis, ſcil. *principium quo*, ſicut & omnis operationis in exteriora; quia eius virtute diuinæ perſonæ omnia operantur. Item, eſt quodammodo *principium quod*, ratione idẽtitatis cum perſona. Eſt etiam terminus aſſumptionis, non ratione ſui, ſed ratione idẽtitatis cum perſona Verbi: ergo natura diuina ſumpſit humanã mediatè (quomodo intelligendi Patres quando dicunt naturam diuinam eſſe incarnatam) Filius autem immediatè & proprijſſimè, tam ex parte principij, quam ex parte termini.

Tertia pars Probatur, Quia etſi Pater & Spiritus S. fuerunt principium aſſumptionis, non tamen vllo modo fuerũt terminus: quia nec per ſe, nec ratione identitatis cum Filio; quia reipſa à Filio diſtinguuntur. Sed eſt.

DVBIVM.

An Filius Dei terminet & ſuſtentet immediatè naturam humanam per aliquid abſolutum & eſſentiale, An per ſuam rationem relatiuam & perſonalem? Quod alij Doctores ſic proponunt: *Quæ ſit ratio formalis terminandi humanam naturam?*

9 Sententia Durandi.

SVnt duæ præcipuæ ſententiæ. Prior eſt Durandi, Filium terminare & ſuſtentare naturã humanam primò & immediatè ratione cuiuſdam perfectionis eſſentialis, nempe ratione ſubſiſtentiæ communis, qua primò & per ſe ſubſiſtit *hic Deus*: quare priùs & immediatiùs factam eſſe vnionem ad naturam, quam ad perſonam. Ne tamen Durandus cogeretur fateri Patrem & Spiritum S. eſſe incarnatos, addit hanc vnionem non ſufficere, vt aliqua perſona dicatur per eam incarnata, ſed tantummodò natura: quare præter hanc requiri aliam quandam cum ipſa Filij proprietate, ratione cuius ipſe duntaxat, non Pater, non Spiritus ſanctus dicitur factus homo.

Thomiſta parum ab ea differũt.

Ab hac ſententia parum differt illa Thomiſtarum, qui dicunt humanam naturã per ſubſiſtentiam relatiuam Verbi ſubſiſtere: carere tamẽ exiſtentiã creatã, ſed exiſtere per exiſtentiam abſolutam diuinitatis. Nam hæc exiſtentia, reuerà eſt ſubſiſtentia Durandi communis toti Trinitati: quam nos etiam cum communiori ſentẽtiã Doctorum in Deo ponimus.

10

Altera ſententia eſt communior & verior, Filium Dei humanam naturam terminare tantummodò per ſuam proprietatẽ relatiuam. Pro qua.

Solus filius terminat naturam humanã.

Dico Primò, Id quod immediatè aſſumit & ſimul terminat humanam naturam, eſt tãtùm Filius Dei: non Pater, nec Spiritus S. Eſt fide tenenda, vt patet ex Scripturis & Conſilijs ſuprà allatis qu. 2. art. 2.

11

Non tamẽ per aliquid abſolutum cõmune Trinitati.

Dico Secundò, Id per quod Verbum diuinum immediatè terminat & ſuſtentat naturam humanam, nõ poteſt eſſe aliqua perfectio abſoluta, ſeu eſſentialis, quod ſit commune toti Trinitati. Eſt communior ſententia Theologorum in 3. diſt. 1. vel 5. Scotus diſt. 1. q. 5. & diſt. 5. q. 1. & 2. Ibidẽ Bonauentura, Gabriel, Paludanus, & Richardus. Alexander Halenſis 3. p. q. 4. memb. 1.

Probatur Primò, Ex concilio Toletano VI. & XI. vtrobique cap. 1. il confeſſione fidei: *Solus Filius ſuſcepit humanitatem in ſingularitate perſonæ, non in vnitate naturæ, id eſt*, inquit, *in eo quod proprium eſt Filij, non quod commune eſt Trinitati.*

12

Alioquin Pater & Spiritus S. eſſent homo.

Probatur Secundò, Quia alioqui Pater & Spiritus ſanctus erunt homo per hanc vnionem.

Quod confirmatur Primò, Quia ſi Verbum diuinum terminet immediatè naturam humanã per quid abſolutum: ergo hæc vnio erit facta immediatè ad aliquid commune tribus perſonis (quod etiam fatetur Durandus:) ergo tres perſonæ æquè terminabunt naturam humanam per iſtam communem ſubſiſtentiam. Nam effectus tunc eſt communis, quando ratio cauſandi eſt communis: atqui ratio terminandi hic eſt communis, nempe communis ſubſiſtentia: ergo terminare & ſuſtentare eſt cõmune tribus perſonis.

à ſimili.

Sicut ſi tres lineæ concurrant in vnũ punctum, & vna ex illis rationẽ illius puncti tangat aliquam ſuperficiem; omnes illæ lineæ ratione illius puncti tangent eandem: pari modo, cùm omnes tres perſonæ concurrant in vnam ſubſiſtentiam communem, ſi Filius ratione illius, humanam naturã terminet; etiam Pater & Spiritus S. eandem terminabũt. Quod etiam alio ſimili poteſt probari: Pater, & Filius, & Spiritus S. ideò dicuntur vnus creator, quia ratio creandi eſt communis; ſcilicet potentia: ergo etiam quilibet ex illis verè ſuſtentabit, terminabit, & aſſumet naturam humanam: quia ratio ſuſtentandi, terminandi, aſſumendi, eſt communis.

Confirmatur Secundò, Iuxta hanc ſententiam, hic Deus communis tribus perſonis, per ſe primò fit homo: atqui, Pater eſt hic Deus: ergo fit homo: quidquid enim conuenit huic Deo, vt eſt communis tribus, conuenit etiã tribus perſonis.

13

Reſponſio Durandi. Refellitur

Reſpondet Durandus, Non ſufficere hanc vnionem cum ſubſiſtentiã communi vt perſona dicatur homo, ſed vlteriùs requiri aliam vnionem humanæ naturæ cũ perſonalitate illius perſonæ. Sed contrà, Primò, Nec Patres, nec Concilia mentionem faciunt duplicis illius vnionis; nec alterius meminerunt, quàm vnionis in ſubſiſtentia: ergo non ſine temeritate in tanto myſterio confingitur. Deinde, Ex hac reſponſione Durandi, tantùm ſequitur Filium pluribus modis naturæ humanæ vnitum, quàm Patrem; & idcò magis perfectè eſſe hominem: non tamen efficitur quin etiam Pater ſit verus homo, & in humanã naturã ſubſiſtat: quod tandem quæſt. 4. concedit, admittens quod *Pater in quantùm Deus, ſit homo.* Quę locutio eſt omnino inaudita Veteribus; & ex eã ſequitur, ſimpliciter & abſolutè Patrem dicendum eſſe hominem. Quia illud, *in quantùm Deus*, non diminuit; ſed tolùm deſignat rationem, ad quam immediatè eſt facta vnio; quæ nimirum eſt Deitas, ſeu ſubſiſtentia eſſentialis.

Probatur Tertiò, In Filio eſt aliquid proprium & perſonale, quod poteſt eſſe immediata ratio terminandi naturam humanã: nam præter ſubſiſtentiam abſolutam, eſt ſubſiſtentia relatiua, vt oſtenſum eſt *in Tractatu de Trinitate*: ergo hæc eſt proxima ratio terminandi; non autem quid abſolutum, & commune. Patet Conſequentia: Quia hæc vnio facta eſt in naturã humanã, ad ſupplendam ſubſiſtentiam perſonalem: ergo hęc ſola debebat illi communicari.

14

Sed terminat per proprietatem relatiuam.

Dico Tertiò, Verbum diuinum immediatè terminat & ſuſtentat naturam humanã per ſuam proprietatem relatiuam & perſonalem, quę eſt filiatio diuina, per quam præcisè conſtituitur perſona filij. Eſt certa, nec poteſt ſine temeritate negari: cùm enim hęc vnio non fiat immediatè in aliquo abſoluto, neceſſe eſt vt fiat in aliquo relatiuo: quidquid enim eſt in Deo, eſt abſolutum, vel relatiuum.

15

1. Obiect. ab indentitate perſonalitatis & eſſentiæ.

Dices Primò, Inter perſonalitatem Verbi & eſſentiam, nulla eſt diſtinctio in re: ergo, ſi perſonalitas Verbi eſt ratio terminandi humanam naturam, etiam eſſentia.

a eſſellitur

Reſpondeo Negando Conſequentiam: Etſi enim Verbũ ſit res ſimpliciſſimã: tamen ratione ſuæ eminentiæ continet virtute & formaliter rationem abſolutã & relatiuam: ita tamen vt virtute ſint diſtinctę. Quo fit, vt poſſit aliquid facere vel terminare per vnam rationem, quod nõ præſtat per alteram. Sicut ipſum Verbum cõſtituitur in eſſe perſonali, non per rationem abſolutam, ſed relatiuam. Et Pater cõmunicat Filio & Spiritui ſancto ſuam eſſentiam, omnemque perfectionem abſolutam: non tamen ſuam proprietatem relatiuam. Denique omnes tres perſonæ operantur ad extra per eſſentiam quæ ipſis eſt ratio agendi, non autem per relationes: ergo nihil mirum ſi Verbum poſſit terminare humanã naturam immediatè per ſuam proprietatem perſonalẽ, ita tamen vt non per eſſentiam. Sed

Inſtabis.

contrà obijcitur: Etſi in Trinitate poſſint abſoluta concipi ſine relatiuis, eò quòd non includãt hæc eſſentialiter: tamen relatiua non poſſunt cõcipi ſine perfectionibus abſolutis: quia in ſuo cõceptu includunt eſſentiã: ergo relatio non poteſt eſſe ratio terminandi, niſi etiam terminet eſſentia.

Soluitur.

Reſpondeo, Etſi relatio perſonalis non poſſit ita præcisè cõcipi, quin in ea intrinſecè includatur, & veluti imbibita ſit eſſentia diuina ob eius immenſitatem, quã quidquid eſt in ipſa, ſibi identificat: (ſicut nullus modus entis poteſt ita præcisè concipi, quin in eo ratio formalis entis includatur ob eius tranſcendentiam) tamen vnio non fit immediatè ad eſſentiam, ſed ad relationem; quia relatio aliquid addit nudæ eſſentiæ (ſicut modus entis aliquid addit rationi formali entis) habent enim ſe vt includens & incluſum: eſſentia enim in ipſa relatione quodammodo modificatur, ita vt inadæquatum conceptum habeat: ſicut ratio entis in inferioribus, quamuis non omninò ſimiliter.

16 2. Obiect. ab eſſentia communi ad ſubſiſtentiam communem.

Dices Secundò, Eſſentia cõmunis vt eſt in Patre, eſt ratio generandi, non autem vt eſt in Filio: ergo ſubſiſtentia communis vt eſt in Filio, poterit eſſe ratio terminandi & ſuſtentandi naturam humanam: quamuis non ſuſtentet eam, vt eſt in Patre.

Reſpondeo Primò, Hoc argumentum nullam vim habet pro ſententiâ Durandi, qui vult ſubſiſtentiam communem, ſecundùm ſe, & vt eſt cõmunis tribus, eſſe humanæ naturæ vnitam.

Refellitur à diſparitate rationis.

Reſpondeo Secundò, Eſſe diſparem rationem: quia generare eſt actus notionalis, quo producitur perſona diuina: vnde in ſuo concepto intrinſecè includit, vt ſit in perſona, quę origine eſt prior perſonâ producta. Et ob hanc causã poſtulat eſſe in Patre. Terminare autem non eſt actus notionalis, ſed veluti actus formalis reſpectu creaturæ: vnde vt ſubſiſtentia communis ſit ratio terminandi & ſuſtentandi naturam creatam, non magis poſtulat eſſe in Filio, quàm in patre. Nam cùm reſpiciat creaturã, ſupponit omnes diuinas perſonas: quare non magis poſtulat eſſe in vnã, quàm in alia, vt terminet aut ſuſtentet creaturã. Sed ſi ipſa ſit per ſe immediata ratio ſuſtentandi, vt vult Durandus, ſuſtentabit vt eſt in omnibus.

17 3. Obiect. Quòd vis terminãdi humanam naturam non contineatur eminẽter in perſonalitate Verbi.

Dices Tertiò, ratio terminandi debet eminenter continere propriam perſonalitatem humanę naturæ: atqui Verbum non continet hanc eminẽter per ſuam proprietatem perſonalẽ, ſed per eſſentiam: ergo eſſentia eſt ratio terminandi, nõ autem proprietas perſonalis.

Reſpondeo, Scotus diſt. 1. quæſt. 4. negat requiſiti hanc continentiam eminentem: quia cenſet relationem Filij non continere perfectionẽ infinitam, *Alioqui*, ait, *deeſſet Patri aliqua perfectio infinita*: imò exiſtimat eam ſecundùm ſe nullã dicere perfectionem, & ſic eſſe rationem terminandi. Caietanus verò reiectâ ſententiâ Scoti, vult hîc eſſe quandam eminentem continentiã: ſed ita ſe explicat, vt ferè incidat in ſententiam Durandi. Quare dicendum eſt, eſſentiam diuinã continere omnes perſonalitates creatas eminenter, idque & vi terminandi, & vi eaſdem producendi: perſonalitas autem diuina continet eas eminenter, non quidẽ vi cauſandi illas, ſed quia continet omnem vim terminandi: nam poteſt omnem naturã terminare & ſuſtentare, quæ perſonalitate creata terminatur: adeò vt quidquid perfectionis eſt in omni perſonalitate creatâ, ſit collectim in perſonalitate diuinâ.

Solutio Scoti. Caietani.

Verior ſolutio.

Aduerte tamen, ad terminandam exiſtentiam alterius naturæ, non eſſe per ſe neceſſarium, vt id quod terminat, contineat eminenter rationẽ hypoſtaticam illius naturæ propriam: vt patet ex dictis Art. 1. Dub. 2. huius Quæſt. & probat Scotus diſt. 1. quæſt. 4. Per accidens tamen id poteſt eſſe neceſſarium: quia videlicet nulla perſonalitas creata poteſt vniri alteri naturę, ſed increata & infinita.

18 Reſponſio ad argumenta Durandi.

Ad argumenta Durandi facilè eſt reſpondere: Nam ad primum, ſupponit eſſe vnam tantùm in Deo ſubſiſtentiam, eamque abſolutã & eſſentialem: hoc enim falſum eſt, nam præter illam sũt tres relatiuę realiter diſtinctę, quibus conſtituũtur perſonæ: vt oſtenſum eſt *in prima parte quæſt. 30. art. 1.* Ad ſecundum, Concedo perſonam Chriſti eſſe perſonã diuerſę ſpecici, atque adeò eſſe analogicè perſonã cum perſona creata: non tamen ideò Chriſtus eſt analogicè homo: quia perſonalitas non eſt de natura hominis.

Tria concluſaria.

Ex dictis intelligitur, Primò: Etſi quęuis perſona diuina potuerit humanam naturam terminare, ſolâ tamen Filij perſonâ reipſa terminare. Secundò intelligitur, Cur in hac vnione vna perſona vniatur ſine aliâ: in omni autem aliâ vnione Dei cũ creaturâ, vna perſona non poſsit ſine aliâ vniri: vt in vnione per gratiã, per viſionem beatificam, per modũ agentis cum inſtrumento &c. Cùm enim omnes aliæ vniones ſint accidẽtariæ, & fiant mediãtibus accidentibus, neceſſe eſt Deũ concurrere ad illas effectiuè, quod eſt commune tribus perſonis, & nullum accidens eſt, quod reſpiciat dum taxat vnam perſonã. In viſione etiã, eſt ſpecialis ratio: cùm enim perſonæ diuinæ ſint relatiuæ, vna ſine altera cognoſci nequit: nam ordo ad correlatiuum, eſt de intima ratione relatiui. Tertiò intelligitur, Patrem & ſpiritum ſanctũ nullo modo fuiſſe vnitos humanitati aſſumptæ, quia ratio terminandi eſt in ſolo Filio. Neque refert quod diuinitas aliquo modo carni ſit vnita, quæ Patri & Spiritui ſancto identificatur: quia mediatè tantùm vnita eſt, & veluti in quodam tertio, in quo tertio aliæ perſonæ non conueniunt. Sicut, etſi natura diuina identificetur Filio, non tamen ideò Pater & Spiritus ſanctus identificantur.

cur potiùs vna perſona vniatur ſine alia per vnionem hypoſtaticam, quã per gratiam.

19 Pater & Spiritus ſanctus ſingulariter ſunt in Chriſto homine.

Concedendum tamen eſt Patrem & Spiritum ſanctum ſingulari & proprio quodam modo eſſe in hoc homine, quo nõ ſunt in alijs rebus creatis: idque dupliciter. Primò, Quatenus Deus dicitur eſſe ſingulari modo, vbi ſingulari modo operatur: atqui tota Trinitas operata eſt & etiamnum operatur vnionem hypoſtaticam. Secundò. Quatenus diuinæ perſonæ ſunt in ſe inuicẽ per quãdam περιχώρησιν, vt ait Damaſc. lib. 1. cap. 11. id eſt, mutuam continẽtiam & comprehenſionem, idque ratione vnius eſſentię. Vnde cum Pater & Spiritus ſanctus ſint in Filio, & filius peculiari modo ſit in hac carne ex vi vnionis: etiam Pater & Spiritus ſanctus, ex vi eiuſdem vnionis, ſingulari quodammodo in hac carne erunt: adeò vt ſi non eſſent anteà in illâ per eſſentiam, ex vi vnionis inciperent in eâ exiſtere. Idem dicendum eſt de Euchariſtiâ: nam ex vi vnionis, Verbum comitatur carnem: pater autem & Spiritus ſanctus comitantur ipſum Verbum ratione mutuę inexiſtentiæ.

ARTICVLVS III.

Vtrum abſtracta per intellectum perſonalitate, natura diuina poſſit aſſumere?

REſpondetur affirmatiuè. Notandum eſt, hunc articulũ bifariam poſſe intelligi. Primò, De abſtractione reali: Vtrùm ſi reipſa in Deo non eſſent tres perſonæ, ſed vna dumtaxat, ſicut Iudęi & Turcæ exiſtimant, poſſet hęc naturam aſſumere. Et in hoc ſenſu videtur à D. Thoma tractari, nec habet difficultatem: certũ enim eſt eo caſu non minùs poſſe aſſumere, quã modò, quia illa perſona nõ minùs eſſet infinita, quàm modo ſit Verbũ, Secundò, De abſtractione rationis, qua aliquid dicitur abſtrahi, dum alterũ pręcisè conſideratur, ipſo non cõſiderato: hoc ſenſu: Vtrùm Deus, vt nunc eſt ſubſiſtens in tribus perſonis, poſſit ſibi immediatè copulare naturam humanã, ita vt illam non vniat immediatè proprietatibus perſonalibus: & hoc modo eſt difficultas in hoc Articulo, quę petit alias de ſubſiſtentia abſoluta. Vnde eſt.

20 Abſtractio Realis.

Abſtractio Rationis.

DVBIVM

DVBIVM. I.

Vtrùm sit in Deo vna subsistentia absoluta?

21 REspondeo, Præter tres subsistentias relatiuas realiter inter se distinctas, in Deo est quędã subsistentia absoluta & essentialis, ratione distincta à subsistẽtijs relatiuis; sicut essentia distinguitur à personis; qua subsistentiâ perfectè subsistit *hic Deus* communis tribus personis, cui per se primò & immediatè conuenit operari foris. Est latis communis sententia Doctorum, D. Thomæ, Scoti, Durãdi, Occami, Gabrielis, Caietani, Suarez &c. Ratio est; Primò, Quia subsistere est perfectio simpliciter, sicut sapientia: ergo sicut diuina essentia formaliter & essentialiter est sapientia; ita etiam formaliter & essentialiter est subsistens: relationes autem non sunt formaliter de essẽtiâ diuinâ: ergo præter subsistentiam relatiuam, quam tribuunt relationes, est in Deo subsistentia quędã absoluta, quam non habet à relationibus, sed ab essentia formaliter: sicut sapientiam non habet à relationibus, sed ab essentia. Secundò, Quia existentia diuinitatis, ex sua ratione formali & essentiali est omnino completa & perfecta; cùm sit omnino infinita, continens omnem perfectionem essendi: ergo ipsa præcisè tribuit diuinitati existere per se: seu subsistere; nam hoc est complementum existentiæ. Confirmatur, quia nisi illa existentia esset intrinsecè completa, deberet concipi vt incompleta, & in potentiâ respectu suicõplementi; quod repugnat puro actui, & perfectioni infinitę.

Essentia diuina per se formaliter subsistit.

22 Obiectio

Dices, Si diuinitas per se subsistit subsistentiâ communi & essentiali: ergo subsistentię relatiuæ non vniuntur ei substantialiter, sed modo accidẽtario, tamquam adiacentes rei per se subsistenti. Confirmatur, Quia subsistentia in sua ratione claudit suum terminum: ergo vlteriùs non potest substantialiter terminari.

Soluitur.

Respondeo Negando Primam consequentiam; quia subsistentiæ relatiuæ non vniuntur essentiæ & subsistentię communi, sicut personalitas in creaturis vnitur naturæ creatæ: hæc enim vnitur naturæ, tamquam ratio quædam formalis omnino diuersa à natura, nullo modo illam includens; vnde vnitur ad eam perficiendam & complendã, habetque se tamquam adiacens naturæ. At subsistentiæ relatiuę vniuntur diuinæ naturę, tamquam ea quę intrinsecè diuinitatem includunt, quæque per ipsam diuinitatem sic modificatam, constituuntur; Sicut rationi entis vniuntur modi ipsum contrahentes; cùm tamen hi modi intrinsecè includant entis rationem. Quare subsistentię relatiuę substantialiter vniuntur diuinitati, cùm in suo conceptu, diuinitatis rationem includant: quò fit, vt essentia diuina terminetur relationibus, non quia illis egeat ad subsistendũ per se, sed quia est adeò perfecta, & immensa, vt possit ex se proferre tres subsistentias incommunicabiles, quibus ipsa intrinsecè communicetur: tamquam *id quo, & id quod*, id est, ita vt quæque intrinsecè sit Deus, & Deitas.

Subsistentiæ relatiuæ substantialiter vniuntur diuinitati.

DVBIVM. II.

Vtrùm per hanc subsistentiam possit natura humana immediatè assumi & terminari, ita vt nulli personæ immediatè vniatur?

23 Subsistens.

REspondeo & Dico Primò: Hic Deus vt subsistens per subsistentiam essentialem & communem, potest immediatè assumere & terminare naturam humanam per eandem subsistentiam. Fatentur omnes Doctores qui ponunt hanc subsistentiam in Deo.

Essentia diuina per se absoluta potest immediatè terminare naturam humanam.

Probatur Primò, Quia subsistentia hęc est simpliciter infinita: ergo potest esse ratio subsistẽdi in aliena natura, non minùs quàm subsistentia relatiua. Secundò, Quia per hanc subsistentiam essentialem Deus subsistit immediatò in se; cur ergo ipse per eandem nõ possit subsistere in natura aliena? Tertiò, Hic Deus ita subsistẽs, est sufficiẽs principium creandi, propter infinitam potentiã: ergo & terminandi sustentandique naturam alienam, propter infinitam subsistentiam.

24 Dico Secundò, Si hic Deus immediatè humanam naturam assumeret, eam proximè per suam subsistentiam absolutam sustentando, singulę quidem personæ ita vnirentur humanitati, vt in hac vnaquęque esset homo: tamen non esset necessarium vt ipsę terminarent eandem humanitatem immediatè per suas subsistentias relatiuas.

Quælibet persona diuina esset homo.

Prior pars, scilicet quod quęlibet persona esset homo, est communis Doctorum, excepto Durando: Et Probatur Primò, Quia si ratio assumendi & sustentandi naturam humanam est communis tribus personis, etiam assumptio, & sustentatio, & natura assumpta, communis erit. Secundò, Quia hic Deus communis Patri, Filio, & Spiritui S. esset homo: ergo & Pater, & Filius, & Spiritus S. Tertiò, Quia quęlibet persona subsistit in diuinitate, non solùm subsistentia personali, sed etiam essentiâli: ergo si per eandem subsistentiam essentialem hic Deus subsisteret in humanitate, etiam quælibet persona per eandem in humanitate subsisteret; ac proinde quælibet esset homo.

25 Altera pars, scilicet, personas in eo casu non necessariò vniri immediatè humanitati per suas subsistentias relatiuas, tenetur à Caietano & Durando suprà. Scotus autem & Gabriel relinquũt tamquam problema. Sed Probatur Primò: Quia etsi subsistẽtia relatiua idem sit ex parte rei quòd absoluta, tamen ipsa potest esse immediata ratio terminandi humanam naturam, ita vt subsistẽtia absoluta non terminet immediatè: ergo vicissim, subsistẽtia absoluta poterit immediatè humanam naturam terminare, ita vt relatiua eandem non terminet. Secundò, Pater communicat Filio suam essentiam, non tamen Paternitatis relationem: ergo similiter essentia poterit esse ratio terminandi naturam humanam, ita vt relatio personalis eandem immediatè nõ terminet. Tertiò, subsistentia absoluta est in se perfectissima, & in ratione sustentandi simpliciter infinita: ergo nulla est causa cur egeat consortio relationis, vt alienã naturam sustentet.

Ad hoc tamen non esse necessariæ subsistentiæ relatiuæ.

26 Dico Tertiò, Etiamsi non daretur subsistentia absoluta, tamen adhuc probabile est ipsam diuinã essentiã posse per se & immediatè terminare & sustentare naturam humanã. Probatur, quia vt vna natura trahatur ad inexistendum alteri supposito, non est necesse vt immediatè vniatur personalitati aut subsistẽtiæ, sed sufficit vt immediatè recumbat in naturâ, & consequenter in supposito; sicut suprà dictum est art. 1 dub. 2. de supposito creato. Et confirmatur; quia natura non habet minorem vim ad accipiendam, terminandã & sustentandam naturam alienam, quàm personalitas. Denique nulla hic apparet contradictio. Sed

Essentia diuina potest immediatè sustentare naturam humanam.

27 1. Obiect.

Obijcitur Primò, Si persona diuina in illo euentu non coniungeretur immediatè naturæ humanæ, sequeretur posse dari aliquem, qui sit hic homo, & tamen non sit persona. Resp. Negãdo sequ-

Soluitur.

lam: Nam luc homo eſſet tres perſonę; Sicut, hic Deus, eſt tres perſonę. Concedo tamen quòd non eſſet perſona ex vi illius ſubſiſtentię abſolutę, qua immediatè ſubſiſtit; aut ex vi naturę, per quam in ſuppoſito exiſtit; nam per hanc ſubſiſtentiam & naturam eſt communis tribus perſonis: eſſet tamen perſona ex vi ſubſiſtentiæ relatiuæ, quæ illi mediatè coniungeretur. Sicut, hic Deus eſt perſona, non ex vi ſubſiſtentię abſolutę, ſed relatiuę.

aObiectio Obijcitur Secundò. Inde ſequeretur dari vnionem cum Deo ſubſtantialem; quę neque ſit in natura, neque in perſona; ac proinde neque ſit hypoſtatica. Reſpondeo, Fore vnionem in perſona, ac proinde fore hypoſtaticam: nõ immediatè, ſed mediatè, & ex conſequenti: quia per hanc vnionẽ omnes perſonę ſubſiſterent in natura humanâ, eamque terminarent, quamuis mediatè.

Soluitur.

3 Obiectio Obijcitur Tertiò, Si in Deo eſſet tantùm vna perſona, humanitas aſſumpta non poſſet terminari à ſubſiſtentiâ diuinâ, quin ſimul immediatè terminaretur à perſonalitate, idque propter identitatem: Sed tam idem èſt nunc quęlibet perſona diuina cum eſſentia, quam tunc eſſet: ergo neque modo &c. Reſp. Neg. Conſ. Quia illa ſubſiſtẽtia tunc eſſet abſoluta, & eſſet ipſa perſonalitas Dei: vnde licet relationes nũc ſint idem cum eſſentiâ, non tamen eodem modo quo illa perſonalitas abſoluta; quia non adęquate ſunt idem ſicut illa.

Soluitur.

28 Obijcitur Quartò, Illa humanitas careret tunc propria perſonalitate: ergo neceſſe eſt vt terminetur alia perſonalitate. Reſpondeo; Terminabitur alia perſonalitate, ſed mediatè: non enim requiritur vt alia perſonalitas illi immediatè vniatur. Nam ſubſiſtentia eſſentialis, ipſaque natura diuina eſt ſufficiens, ſi natura humana illi vniatur, vt impediat in ipſa propriam ſubſiſtentiam creatam, ſeu eius propriam perſonalitatem, vtque illam ſuppleat. Dices perſonalitas creata eſt incommunicabilis: atqui hęc incommunicabilitas non poteſt ſuppleri per ſubſiſtentiam illam communem, aut naturam diuinam: ergo hæ non poſſunt ſupplere perſonalitatẽ creatam. Reſpõdeo; Subſiſtentia illa communis & natura diuina poſſunt ſupplere quidquid eſt meræ perfectionis in perſonalitate creatâ, non autem ea quę ſunt imperfectionis: atqui incommunicabilitas in perſonalitate creata prouenit ex aliquâ eius imperfectione, ſcilicet ex limitatione eius: vnde non debet ſuppleri per ſubſiſtentiam communem, vel naturam diuinam, accipiendo ab illis ſimilem incommunicabilitatem, ſed potiùs accipiendo loco eius communicabilitatem: natura enim humana, quę ratione propriæ perſonalitatis fuiſſet incommunicabilis, & tantummodò in vna perſona; per ſubſiſtentiam communem vel naturam diuinam, fiet tribus perſonis communicabilis.

Incõmunicabilitas perſonæ creatę tollitur per aſſumptionem à natura diuina.

ARTICVLVS IV.

Vtrum vna perſona poſſit ſine alia naturam humanam aſſumere?

29 Reſpondetur duabus Concluſionibus. Prior eſt: Quidquid eſt actionis, in aſſumptione, eſt commune tribus perſonis; id eſt, tres perſonæ efficiunt communiter hanc vnionem. Eſt definitum in Conſilio Lateranenſi Capitulo Firmiter. *Vnigenitus*, inquit, *Dei filius à tota Trinitate communiter eſt incarnatus.* Et in Concilio Toletano Sexto, & Vndecimo, cap. 1. Et ratio additur, quia opera Trinitatis ſunt indiuiſa: ſcilicet propter vnitatem potentię.

Poſterior Concluſio: Id quod pertinet ad rationem termini in aſſumptione, eſt proprium Filio; quia ad ſolam Filij perſonam natura humana eſt aſſumpta. Vnde patet, quomodo directè ad Articulum ſit reſpondendum, ſcilicet, Vnam perſonã poſſe aſſumere naturam humanam ſine alia, quòd ad rationem termini aſſumptionis attinet: non autem quòd ad effectionem ipſius aſſumptionis.

Diſtinguitur.

ARTICVLVS V.

Vtrum quælibet perſona diuina potuerit naturam humanam aſſumere?

30 Reſpondetur affirmatiuè. Ratio eſt, Quia in ſingulis eſt eadem potentia ad efficiendam ipſam vnionem; & ęqualis vis ſubſiſtendi, & ſuſtẽtandi naturam vnitam: ergo. Vide D. Thomã.

ARTICVLVS VI.

Vtrum plures perſonæ diuinæ poſſint aſſumere eandem numero humanam naturam?

31 Reſpondetur affirmatiuè. Notandum eſt, de hoc Articulo eſſe duas ſententias. Prior eſt Scoti in 3. diſt. 1. qu. 2. Richardi & Alberti eadem diſtinctione, fieri nullo modo poſſe vt plures perſonæ eandem numero naturam aſſumant.

Negat Scotus

Verùm contraria eſt multò probabilior: nimirum tres perſonas diuinas poſſe eandem numero naturam hypoſtatice & immediatè ſibi vnire. Ita D. Thomas hoc loco, & paſſim Doctores in 3. diſt. 1. vbi vide Durandum qu. 3. Gabriel qu. 1. art. 3. Capreolum quæſt. vnica, & Alenſem in 3. parte, qu. 2. membro 4.

Vera affirmatur.

Probatur, Quia hoc nullam implicat contradictionem. In hoc autem myſterio, tota ratio facti, eſt omnipotentia facientis. Quòd non implicet? Probatur Primò, non enim repugnat ex parte diuinę perſonę: quęlibet enim poteſt naturam humanam aſſumere: & aſſumptio vnius non impedit aſſumptionem alterius. Sicut quòd Pater ſubſiſtit in natura diuina, non impedit quin Filius in eadem natura ſubſiſtat. Nec etiam repugnat ex parte naturę humanę: quia hęc eſt capax aſſumptionis ſecundùm capacitatem obedientialẽ, quæ ad omnia ſe extendit, quæ contradictionem non implicant. Secundò, Quia eadem forma, v.g. anima virtute diuina poteſt eſſe in diuerſis corporibus, etiam diſſitis: ergo multò magis eadem natura poterit vniri diuerſis perſonis diuinis: præſertim cùm hę intimè præſentes ſint, & ad hoc non requiratur informatio, ſed ſolùm terminatio & ſuſtentatio.

Non implicat.

A ſimili.

Sed contrà. Obijcitur Primò ex Anſelmo, qui lib. 2. *Cur Deus homo*, cap. 9 expreſſè dicit tres perſonas non poſſe vnum eundemque hominem aſſumere. Quod etiam ſæpiùs repetit lib. de incarnatione cap. 4. Reſpondeo, Anſelmus expreſſè dicit: *Plures perſonæ nequeunt vnum eundemque hominem aſſumere in Vnitatem perſonæ: quare in vna perſona hoc tantùm fieri neceſſe eſt*, ſcilicet vt vnus homo aſſumptus ſit in vnitatem perſonę, ita videlicet vt inde reſultet vna perſona hominis. Dices cur Anſelmus hoc dicit, cùm id ſit clariſſimum? Reſpondeo, Anſelmus aſſumit hoc tamquam per

32 1 Obiectio ex D. Anſelmo.

Soluitur.

ſe notum ſicut multa alia. Supponit autem deum ita incarnatum, vt inde extiterit vna perſona hominis, quod concedit Aduerſarius lib. de Incarnatione cap. 4. deinde, aſſumit tamquam notum non potuiſſe hoc fieri, ſi plures perſonæ fuiſſent incarnatæ: vnde tandem concludit ſuum propoſitum, ſcilicet filium ita eſſe incarnatum, vt idcircò nec Pater, nec Spiritus ſanctus debeant eſſe incarnati. D. Thomæ expoſitio ad hunc ſenſum eſt accommodanda.

33 2 Obiectio Quod eſſe in pluribus perſonis arguat in finitatem. Diſtinguitur.

Obijcitur Secundò, Natura humana non eſt infinita: ergo non poteſt eſſe in pluribus perſonis. Patet Conſequentia, quia ideò dumtaxat natura diuina poteſt eſſe in tribus perſonis eadem numero, quòd ſit infinita.

Reſpondeo, Eſſe naturaliter & ex intrinſeca ſua ratione in tribus, prouenit ex infinitate; non autem eſſe ſupernaturaliter: hoc enim ſolùm requirit potentiam infinitam in efficiente; atqui natura humana ſolùm ſupernaturaliter per omnipotentiam Dei eſſet in tribus. Addo ita eſſe in tribus, vt omninò illis identificetur, prouenit ex infinitate; non autem eſſe in tribus à quibus manet diſtinctum.

34 3 Obiectio Quòd vn⁹ effectus pẽderet a pluribus cauſis integris.

Obijcitur Tertiò, Vnus effectus non poteſt pendere à pluribus cauſis integris; vt vnum accidens à pluribus ſubiectis: ergo nec vna natura poteſt pendere à pluribus perſonis, quarum vnaquæque ſit terminus integer illam terminans & ſuſtentans.

Concediſur.

Reſpondeo Primò, Negando antecedens: quia vt aliquid ſit cauſa integra, non requiritur vt ſola efficiat, aut vt res ab ipſa ſola dependeat; ſed vt ipſa efficiat totum effectum virtute & actione ſufficienti, quamuis aliæ cauſæ non concurrerent; ita vt effectus ab ipſa ſola ſufficienter proueniat, etiamſi aliæ remoueantur. Et ita in propoſito, ſi tres perſonæ eamdem humanitatem aſſumerent, illa ſic penderet à ſingulis, vt quamuis ab alijs dimitteretur nihilominùs ſufficienter in qualibet ſubſiſteret.

35 Vna humanitas à pluribus perſonis aſſũpta haberet diuerſum eſſe perſonale a ſingulis.

Reſpondeo Secundò, Negando Conſequentiam, Eſt enim diſpar ratio inter dependentiam effectus à cauſa, & naturæ à ſuo termino. Nam ſi vn⁹ numero effectus penderet à pluribus cauſis integris, deberet habere idem numero eſſe à ſingulis in ſolidum: ſi autem vna humanitas aſſumeretur à tribus perſonis, non haberet idem eſſe perſonale à ſingulis; ſed aliud à Patre, aliud à Filio, aliud à Spiritu Sancto; & aliam cum ſingulis perſonam conſtitueret. Vnde illa humanitas nõ penderet ſecundùm idem à ſingulis perſonis: ſed ſecundùm diuerſas ſubſiſtentias, & per diuerſas vniones productas diuerſis actionibus vnitiuis. Sicut ſi vnum accidens eſſet in duobus ſubiectis, penderet à diuerſis ſubiectis; ſed non ſecundùm idem: aliam enim haberet inexiſtentiam ab hoc ſubiecto, aliam ab alio. Similiter ſi vnum corpus eſſet in diuerſis locis, id fieret per diuerſa vbi, & diuerſas præſentias.

36 4 Obiectio Quòd vna perſona aſſumeret vnionem alterius perſonæ. Soluitur.

Obijcitur Quartò, Si natura humana aſſumeretur à pluribus, vnio cum vna perſona, v. g. cum Filio, eſſet aſſumpta ab altera; ſcilicet à Patre: & contrà: quidquid enim eſſet in natura, deberet eſſe aſſumptum: & ſic vna perſona aſſumeret aliam: quod eſt impoſſibile.

Reſpondeo, vnionem naturæ humanæ cum Filio, diſtingui modaliter ab ipſa natura: itaque naturam poſſe in aliquo conſtitui, in quo non penatur illa vnio. Quod patet exemplo Euchariſtiæ nam corpus Chriſti ſub ſpecibus habet quendam modum intrinſecum, & etiam quandam vnionẽ ad extrinſecum, quam non habet in cœlo; & contrà. Sed eſt.

DVBIVM.

Vtrùm ſi tres perſonæ aſſumerent eandem numero naturam, eſſet Vnus homo, an plures?

37 Caietanus hoc loco, Et Gabriël ſuprà exiſtimant ſimpliciter fore plures homines, vnũ autem tantummodò ſecundùm quid. Ratio illorum eſt, quia non daretur aliquid vnum pro quo ſupponat hic homo, ſed darentur tria: quę ſententia ſatis probabilis eſt rectè expoſita.

Vtraque pars probabilis.

Sed dicendum eſt, Eſſe vnum hominem. Inſinuat D. Thomas hic ad 1. & in 3. Sententiar. diſt. 1. Durandus eâdem diſt. q. 3. & alij. Ratio eſt, Quia ad vnitatem ſubſtantiui, ſufficit vnitas formę, à qua ſit denominatio, quamuis illa forma ſit in pluribus ſuppoſitis. Nam ſicut ad vnitatem ſpecificam, ſufficit eadem ſpecie natura; ita ad vnitatem numeralem, ſufficit eadem numero natura, quamuis ſuppoſita ſint plura: vna enim numero natura conſtituit vnum individuum in illa ſpecie, quod ſecundùm ſe præſcindit ab hoc vel illo ſuppoſito, ſed ſolum confusè continet. Quod patet à ſimili: Tres perſonę ſunt propriè vnus numero Deus, quamuis ipſę inter ſe diſtinctę ſint. Item, Pater & Filius ſunt idem numero ſpirator. Quò etiam fit, non requiri vnam aliquã ſubſiſtentiam, ratione cuius dicantur eſſe vnus homo, vt vult Caietanus: quia Pater & Filius propriè ſunt vnum principium Spiritus Sancti, & vnus ſpirator, propter vnum actum ſpirandi; & tamen non eſt aliqua propria ſubſiſtentia ſpirationis: ergo tres perſonę erunt ſimiliter propriè vnus homo, quamuis humana natura non habeat aliquam propriam ſubſiſtentiam, ſicut natura diuina. Nec obſtat quod D. Thomas ait, *Tres perſonas non fore ſimpliciter vnum*, ideſt, ſine addito; quia vnus ſeorſim inſinuat vnitatem perſonę. Erunt itaq; vnus homo, non tamen erunt abſolutè vn⁹

A ſimili.

ARTICVLVS VII.

Vtrum vna perſona diuina poſſit aſſumere duas naturas humanas?

38 Reſpondetur affirmatiuè. Eſt communis ſententia Doctorum diſt. 1. Ratio eſt, Quia perſona diuina quatenus eſt principium aſſumptionis, eſt infinitę potentię: vt autem eſt termin⁹, habet infinitam vim terminandi & ſuſtentandi. Et duę naturę humanæ ſecundùm ſe poſſunt diuinę perſonę vniri, ſiue ſint in diuerſis locis, ſiue in eodem.

Obiectio Caietani. Soluitur.

Dices ex Caietano, Pater habet infinitam vim generandi, & tamen non poteſt niſi vnum Filium generare: ergo ſimiliter, etſi Filius habeat infinitam vim terminandi, non poteſt niſi vnam naturam aſſumere & terminare. Reſpõdeo, Eſt diſparatio; nam illa vis generãdi tota veluti expẽditur in vnum actum, & terminum actus; quia actus eſt infinitus, & toti vi generãdi adęquatus, & terminus eius ſimiliter eſt infinitus, & adæquatus tum generationi, tum gignenti. At vis terminãdi naturam creatam, non expletur per vnam naturam aſſumptam, ſed in infinitũ redundat & exuberat.

Dices; Hinc ſequi videtur perſonam diuinam non poſſe vllam naturam aſſumere. Patet, quia

perſonalitas diuina habet in propria natura infinitam terminationem vbique commenſam, quâ diuinam naturam terminat: in qua terminatione videtur tota eius vis exhauriri: ergo nihil prętetea poteſt terminare.

ſuſtentario neceſſaria in Deo ſe totam ex pendit ne eus eſt de libertate ergà creaturas.

Reſpondeo, hoc argumentum rectè probat diuinam perſonam non habere naturalem habitudinem ad vllam aliam naturam, prętęrquam ad diuinam. Non autem probat quòd non poſſit ſe libere & modo inferiore alicui naturæ extrinſecæ copulare. Et ſi enim reſpectu diuinæ naturæ habeat terminationem naturalem ſibi adęquatã, eiuſque vis naturali modo terminandi tota impendatur: tamen reſpectu alterius naturę poteſt habere terminationem liberam inferioris conditionis, quam ſit ea, quâ naturam diuinam terminat: hæc enim vis terminandi numquam poteſt exhauriri. Explicatur in ſimili: Sicut Voluntas diuina etſi quodammodò exhauriatur inamorem naturalem, quo ſe amat neceſſariò, tamquam obiectum adæquatum: poteſt tamen amare liberè creaturas: & numquam tot amat, quin poſſit amare plures. Item, potentia generandi in Patre, licet quodammodo exhauriatur reſpectu communicationis naturalis, quâ gignit Filium: poteſt tamen vlteriùs ſe extendere ad communicationes liberas inferioris ordinis, q: ibus cõdit creaturis.

A ſimilè.

Ratio diuerſitatis

Ratio eſt: Quia communicatio neceſſaria, & cõmunicatio libera, ſunt diuerſi ordinis, & ab codẽ proueniunt, ordine quodam, & quaſi ſecundùm diuerſas virtutes in eadem infinitate fundatas. Similiter terminatio neceſſaria qua perſonalitas diuina terminat naturam diuinam, & terminatio libera qua terminat naturam humanam, ſunt diuerſæ rationis, & altera quodammodo fundatur in alterâ: cùm enim perſonalitas diuina adeò ſit infinita, vt poſſit terminare naturam infinitam: habet etiam ſuapte natura vim, vt poſſit ſe extẽdere ad infinitas naturas creatas & limitatas terminandas.

DVBIVM

Vtrùm ſi vna perſona aſſumeret duas humanitates, eſſet vnus homo, an duo?

40 Durandus ait fore duos.

Reſpondeo: Quidam dicunt fore duos homines. Ita Durandus in 3. diſt. 1. quęſt. 3. Et Scotus ibidem quęſt. 3. Ratio eſt: quia vt aliquid dicatur vnum numero, ſufficit vnitas naturæ, quamuis plura ſint ſuppoſita: vt dictum eſt ad 6. ſuperioris: ergo vt ſint plura numero, ſufficit pluralitas naturę. Quæ ſententia eſt ſatis probabilis.

Vtrũs reiegatur.

Sed probabilius videtur quod abſolutè & ſimpliciter dicendus ſit vnus homo. Ita D. Thomas hoc loco ad 2. qui ſententiam ſuam retractauit, quam in Tertium Sententiarum docuerat. Idem docent Gabriel, Caietanus, & alij.

Probatur Primò, Quia Chriſtus nunc etſi habeat duas naturas, eſt abſolutè vnus, & vna ſubſtantia: ergo eſſet vnus homo etſi haberet duas humanitates. Secundò, Chriſtus tunc eſſet vna perſona: ergo etiam eſſet vnus homo. Tertiò, Homo habens plures artes, eſt tantum vnus artifex; non multi artifices: ergo etiamſi haberet plures humanitates, eſſet vnus homo, non duo. Nec refert quod illæ formæ ſint accidentales: nam in hoc eſt ſimilitudo, quòd ſint duę formę extra rationem ſuppoſiti, quę tamen non tribuunt denominationem multitudinis. Quartò, Si eſſent duo homines: ſequeretur, hunc non eſſe iſtum: & contra, quod falſum eſt. Nam ſicut nunc hic Deus, eſt iſte homo, & contra: Ita tunc hic homo, eſſet iſte homo. Item ſequeretur, eſſe alium & alium hominem: quod indicat diſtinctionem ſuppoſitorum: vt patet in Trinitate.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum fuerit magis conueniens vt perſona Filij aſſumeret naturam humanam, quam Pater vel Spiritus ſanctus?

Reſpondetur affirmatiuè. Notandum eſt D. Thomam ſupponere ſolùm Filium eſſe incarnatum. Quod patet infinitis prope Scripturæ locis. Idem patet ex omnibus Symbolis. Ratio à priori eſt diuina voluntas. 41

Octo congruentiæ cur Filius ſit potiùs incarnatus quam aliæ perſonæ.

Congruentię autem variæ adferri poſſunt D. Thomas ponit quatuor: Prima eſt, quia Verbum eſt exemplar creaturarum, ac proinde creatura cum ipſo quandam ſimilitudinem & conuenientiam habet, vt commode vniatur. Vltima quoque perfectio rei conſiſtit in coniunctione cum ſuo exemplari. Secunda, per Verbum omnia ſunt facta: ergo decuit vt omnia per ipſum reparentur. Sicut artifex eádem ſapientia & arte facit opus, & collapſum inſtaurat. Tertia, Quia perfectio hominis conſiſtit in ſapientia: ergo decuit vt per Dei ſapientiam, quæ eſt Filius Dei, perfectionem allequeretur. Quarta, Quia incarnatio facta eſt vt homines adoptionem Filiorum Dei acciperent: ergo decuit vt ille incarnaretur, qui erat Filius Dei naturalis, vt per illum Pater faceret Filios adoptiuos. 1 2 3 4

His Adde quatuor alias. Quinta ergo ſit: quia decuit vt is qui erat filius Dei naturalis, ſine matre in ęternitate: fieret Filius hominis ſine Patre in tempore: ne ſi alia persona fuiſſet incarnata, ſequeretur quædam confuſio inter personas diuinas, cùm eſſent duo Filij. Sexta, Quia persona diuina in natura aſſumpta, debebat pro nobis orare; atqui maximè conueniebat vt Filius oraret Patrem. Septima, decebat vt is eſſet mediator Dei & hominum, qui medius eſt inter Patrem & Spiritum Sanctum. Octaua, quia homo perierat appetendo diuinam ſimilitudinem & ſapientiam: ergo per illum debebat reparari, qui erat imago Dei & ſapientia. 5 6 7 8

Vide plura de his apud D. Auguſtinum de Eccleſiaſticis dogmatibus c. 21 & Tract. 17. in Ioannem B. Anſelmum lib. 2. *Cur Deus homo.* cap. 9. & lib. de Incarnatione Verbi cap. 4. Richardum de S. Victore lib. de Verbo Incarnato cap. 9. 10. & 11.

y Google

QVÆSTIO QVARTA.
De modo vnionis ex parte naturæ aſsũptæ.

In Sex Articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Vtrum natura humana fuerit magis aſſumptibilis à Filio Dei, quam quælibet alia?

RESpondetur: Magis conſentaneum fuit vt natura humana aſſumeretur à Filio, quàm aliqua alia, nempe quàm angelica, vel irrationalis. Patet, quia in natura humana inuenitur dignitas, cùm ſit imago Dei potens attingere immediatè ipſum Deum per cognitionem & amorem. Inuenitur etiam neceſſitas, cùm ſit infecta per peccatum, & quidem alienum. In naturâ verò irrationali, quæ humanâ eſt inferior, non inuenitur dignitas idonea aſſumptioni; cùm non ſit imago Dei, nec valeat vllo modo per ſuas operationes Deum attingere. In angelicâ autẽ quæ humana eſt ſuperior, inuenitur quidẽ dignitas, nulla tamẽ neceſſitas. Boni enim Angeli non egent; mali autem ſtatim poſt peccatum ſunt damnati, ac proinde remedij incapaces: ergo conueniens erat ſolam humanam aſſumi.

Ob maiorem humanæ naturæ dignitatem & neceſſitatem.

DVBIVM. I.

Vtrùm quamis natura poſſit diuinâ virtute hypoſtaticè aſſumi à perſonâ diuinâ?

SVnt tres ſententiæ: Prima eſt, omnem naturam corporalem poſſe aſſumi: purè autẽ ſpiritualem, qualis eſt angelica nõ poſſe. Refert hãc D. Thomas ad 3. & videtur eſſe Alberti in 3. diſt. 2. art. 2. Ratio eſt, Quia in natura ſpirituali nullo modo diſtinguuntur natura & ſuppoſitum: ergo natura non poteſt magis aſſumi, quam ſuppoſitum. Secunda eſt omnem naturam rationalem, etiam Angelicam aſſumi poſſe; nullam autem irrationalem. Ita Alexander Alenſis 3. parte q. 11. memb. 1. & q. 12. memb. 2. Cuius fundamentum eſt: quia exiſtimat naturam non poſſe aſſumi, niſi interuentu gratiæ habitualis, cuius non eſt capax natura irrationalis. Ita docet quæſt. 9. memb. 2. In eadem ſententia eſt Henricus Quodlib. 31. & Dionyſius Carthuſianus in 3. diſt. 2. q. 2. & 4. Et Picus Mirandula in apologia pro nongentis Concluſionibus, in defenſione quartæ concluſionis. Tertia eſt, omnem abſolutè naturam creatã poſſe hypoſtaticè aſſumi. Pro qua

2 Tres ſententiæ.

1. Alberti.

2. Alenſis.

3. Verior.

Dico Primò: Natura Angelica poteſt aſſumi à perſona diuina. Eſt D. Thomæ hîc ad 3. & communis Doctorum in 3. diſt. 2. Eſtque certa. Probatur Primò, Ad hæbr. 2. v. 16. *Nuſquam Angelos apprehendit* (Deus) *ſed ſemen Abrahæ apprehẽdit*: Vbi Apoſtolus ſupponit hoc fuiſſe poſſibile; quia commendat charitatem Dei erga nos, quòd naturam noſtram Angelicæ prætulerit. Secundò, Anima rationalis ſeparata, quę eſt ſimilis Angelis, manſit vnita verbo in triduo mortis: cur ergo non poſſit Angelis vniri? Denique, Probatur allatâ ratione ex fundamento contrario: In Angelis diſtinguitur natura à ſuppoſito ex parte rei, vel ſaltem ſuppoſitum includit negationem, quam non includit natura iuxta Scotum, Occamum, Gabriel. &c. ergo natura poteſt ſeparari à ſuâ ratione hypoſtaticâ, & alteri hypoſtaſi inſeri.

3 Poteſt aſſumi natura Angelica.

Dices, Ratio hypoſtatica neceſſariò ſequitur ex naturâ in ipſo momento creationis noſtræ: ergo ſi tollatur, peribit natura. Reſpondeo, ſi natura Angelica in ipſa creatione aſſumatur, facilè poterit eius perſonalitas impediri, ne ex natura actu dimanet (quod fiet, non prębendo naturæ concurſum primæ cauſæ neceſſariũ ad illius modi productionem; vel certè naturæ vim anticipãdo per vnionem alterius perſonæ) ſicuti impeditur in aſſumptione naturæ humanę; licet alioquî neceſſariò ſequeretur. Si autem aſſumeretur poſt creationem, tunc propria quidem illius perſonalitas deberet aboleri (quod fieret retrahendo influxum conſeruatiuum) non tamen idcircò ipſa natura periret; ſed tantummodò modum ſubſiſtendi mutaret: cùm enim antea exiſteret in ſeipſa, nunc exiſteret in perſona aliena: Sicut accidens non corrumpitur in Eucharĩſtiâ dum incipit per ſe exiſtere, quod antea exiſtebat in alio; ſed duntaxat modum exiſtendi mutat.

Obiectio. Soluitur.

Dico Secundò, Non eſt abſolutè impoſſibile vt Deus hypoſtaticè aſſumat quamuis naturam ſubſtantialem, etiam irrationalem & inanimam. Eſt communior Doctorum in 3. diſt. 2. Scoti, Occami, Durandi.

Etiam aſſumi poteſt natura irrationalis & inanima.

Probatur Primò, Cùm multi hæretici ſenſerint Chriſtum aſſumpſiſſe corpus æthereum, vt Valẽtiniani, Gnoſtici; tamen à Patribus non refutantur ob impoſſibilitatem. Imò Auguſt. lib. de vera religione cap. 16. expreſsè dicit, Dei verbum potuiſſe aſſumere corpus æthereum, ad noſtrorum aſpectuum tolerantiam temperatum.

Probatur Secundò, Quia corpus Chriſti exanime in triduo mortis fuit vnitum verbo diuino: ergo natura inanima poteſt aſſumi.

In anima corpus Chriſti fuit vnitũ verbo.

Reſpondet Alexander, Corpus illud habuiſſe quandã impreſſionem ab animâ relictam, ratione cuius erat vnitum animæ ſeparatæ, & per animam Verbo. Sed contrà. Primò, nulla talis impreſſio in corpore mortuo relinquitur, vt ſatis patet ex Philoſophia. Et quãuis maneant aliquæ diſpoſitiones, illæ tamen non faciunt naturã capacem aſſumptionis, etſi ad quandam decẽtiam conferãt. Nam hæ diſpoſitiones ſunt accidentia: aptitudo autem aſſumptionis, eſt intrinſeca & ſubſtantialis conditio immediatè fundata in ipſa eſſentia rei: nam vnio debet fieri immediatè ad eſſentiam naturæ aſſumptæ. Deinde, ſequeretur Verbum fuiſſe tantummodò extrinſecè vnitum carni in illo triduo; nempe quia erat vnitum animæ habẽti ordinem & affectum ad corpus: atqui certum eſt fuiſſe intrinſecè vnitum: *Quod enim ſemel eſt aſſumptum, numquam eſt dimiſſum*, vt ex Damaſceno docent omnes Doctores.

Reſponſio Alenſis.

aefellitus.

Henricus autem Quod l. 13. quæſt. 5. ſuprà reſpondet, Verbum non manſiſſe vnitum corpori, propter ipſum corpus, ſed propter animam. quæ corpori erat reunienda, & ideò corpus non fuiſſe per ſe aſſumptibile, ſed ſolùm propter animam.

Reſponſio Henrici.

Refellitur

Sed contrà. Parum refert quo fine Verbum aſſumpſerit corpus; hoc enim tantummodò poteſt iuuare ad maiorem decentiam & congruentiam aſſumptionis: non autem facit ipſam naturam capacem aſſumptionis: quia res priùs in ſe eſt apta aſſumi, quam poſſit ad talem vel talem finem aſſumi.

Probatur Tertiò, Quia Verbum fuit hypoſtaticè vnitum ſanguini, & aliis humoribus ſanguini mixtis, veſtatim dicemus: qui tamen nec animati ſunt, nec animæ capaces

Probatur Quartò, Omnis natura ſubſiſtentialis eſt capax ſubſiſtentiæ: & in Verbo eſt ſufficiens vis ad terminandam & ſuſtentandam quamuis naturam, & ad eius ſubſiſtentiam ſupplendam. Sed contra hanc noſtram ſententiã à quibuſdam

5 Obijcitur Primò, Illud compoſitum ex natura irrationali & Verbo, non eſſet perſona; quod repugnat dignitati Verbi. Reſpondeo, etſi non ſit perſona, eò quòd perſona determinet naturam rationalem; tamen erit hypoſtaſis; quod nullam includit imperfectionem; nam ſolùm eſt quid communius quàm perſona.

Soluuntur Obiectiones.

Hoc compoſitũ eſſet hypoſtaſis

6 Obijcitur Secundò, Natura irrationalis non poteſt eleuari ad operationes diuinas; id eſt, ad cognitionem & amorem Dei: ergo neque ad eſſe diuinum: quia *eſſe eſt propter operationem*. Et Confirmatur, quia vnio cum Deo per operationem, eſt inferior vnione hypoſtaticà: ergo cum creatura irrationalis non poſſit eleuari ad vnionem per operationem quæ eſt inferior, neque etiam poterit ad vnionẽ hypoſtaticã, quæ eſt ſuperior.

Reſpondeo, Natura irrationalis non poteſt eleuari ad eſſe diuinum, ita vt ipſa habeat eſſe diuinum, quo ipſa exiſtat, & ſit entitas actualis; poteſt tamẽ eleuari ad ſubſiſtẽtiam diuinam, vt per eam ſubſiſtat. Nec ideò debet habere operationes diuinas; quia operationes ſunt poſteriores vnione hypoſtaticà: poſſetque Deus aſſumere naturam humanam non eleuatam ad vllam operationem ſupernaturalem. Quod autem dicitur, *eſſe, eſt propter operari*, intelligẽdum eſt de *eſſe* naturæ: hoc enim datur ſuppoſito, vt habeat operationes illius naturæ. Sic ſuppoſito diuino datum eſt *eſſe naturæ humanæ*, vt habeat illius naturæ operationes: *eſſe* autem *ſubſiſtentiæ* non communicatur alteri naturæ, vt ipſa habeat operationes illius ſuppoſiti proprias; ſed vt ſubſiſtat in illo ſuppoſito, & vt illud ſuppoſitum habeat operationes illi naturæ proprias. Ad Confirmationem. Reſpondeo; Vnio cum Deo per operationem, & vnio hypoſtatica, ſunt diuerſi generis. Hinc fieri poteſt, vt id quod eſt præſtantius, conueniat alicui, cui non poteſt conuenire id, quod eſt minus præſtans, Sicut intelligere conuenit homini, non tamen volare: anima eſt capax gratiæ, non tamen coloris. Et ſic natura irrationalis poteſt eſſe capax vnionis hypoſtaticæ, quamuis non ſit capax vnionis cum Deo per operationem. Ratio eſt, quia vnio hypoſtatica fit per hoc, quod natura apta ſubſiſtere, recipiat ſubſiſtentiam diuinam, ipsâ nihil cooperante: vnde capacitas ad hanc vnionem, oritur ex communi ratione naturæ ſubſtantialis. Vnio autem per operationem fit per actus vitales, ſcilicet cognitionem & amorem, qui debent manare à vitali formâ. Vndè ad hanc vnionem natura non tantùm concurrit patiendo, ſed etiam agendo per formam & potentias vitales, ſcilicet intellectum & voluntatem; quod ſoli naturæ rationali conuenit.

Quomodo natura irrationalis poſſit eleuari ad eſſe diuinũ.

Id quod eſt præſtãtius cõuenire poteſt alicui, cui non poteſt conuenire quod eſt minus præſtans.

Obijcitur Tertiò, Id quod per ſe eſt indecorũ, & repugnans prudentiæ, nullo modo poteſt fieri

7 à Deo: atqui Deum aſſumere naturam rationis expertem, eſt per ſe indecorum, & prudentiæ repugnans: ergo &c.

Reſpondeo, Negando minorem; quia non eſt abſolutè contra decorum, vel prudentiam; ſed nobis ita videtur, qui idoneas cauſas non videmus; Deo tamen non deſunt rationes, ob quas decorè & prudenter id poſſit facere. Cùm enim nulla creatura, quantumuis videatur vilis, ſit mala; nihil abſolutè ſe indignum Deus patietur, ſi ob cauſas ſibi notas illam aſſumat. Confirmatur ex Tertull. lib. de carne Chriſti contra Marcionẽ: *Si verè de lupâ, aut ſue, aut vaccâ prodire voluiſſet, & ferę aut pecoris corpore induens, regnũ cælorũ vrę licaret; tua opinor cenſura illi præſcriberet. Sit ſtultũ, ſi de noſtro ſenſu iudicemus; at, quæ ſtulta ſunt mundi, elegit Deus.* Et infrà, ait: *Penes ſapientes ſeculi facilius creditur Iupiter taurus factus aut cygnus; quàm Chriſtus homo, penes Marcionem.*

Non eſt id per ſe indecorum.

DVBIVM II.

Verùm partes naturæ, ſcilicet materia & forma poſſint aſſumi?

8 REſpondeo, poſſe. De forma, patet in triduo mortis; iã anima ſeparata à corpore manſit vnita diuinitati. De materia nuda dubitatur. Quidam putant non poſſe eam aſſumi, quia non poteſt nuda conſeruari. Sed cùm hoc fundamentum falſum ſit, dicendum eſt eam poſſe aſſumi, cùm poſſit cõſeruari. Pari modo poteſt aſſumere materiam formæ vnitam, non aſſumptâ formâ; quo modo quidam licèt in triduo mortis vnitam fuiſſe diuinitati materiam, ſine caduceis formâ, quam materiæ tribuunt.

Affirmatur de nuda forma & materia

9 De forma autem materiali, qualis eſt forma ſolis, elementorum, atque adeò omnium rerum corporearum infra hominẽ, dubitari poteſt. Videtur enim non poſſe aſſumi; quia hæc forma eſt veluti inhærens, ac proinde ſubſiſtentię incapax. Sed longè probabilius eſt, quamuis formam ſubſtantialem aſſumi poſſe, ſiue in materiâ exiſtat, ſiue extra materiam diuinitus conſeruetur. Ratio eſt, quia talis forma eſt ſubſtantia quædam ſuam habens ſubſiſtentiam ad genus ſubſtantiæ pertinentem licet partialem: ergo Deus poſſet illum modum ſubſiſtendi ſupplere, ſibi vniendo & in ſe ſuſtentando illam formam. Simili modo poſſet vniri formæ exiſtenti in materia, non aſſumptâ tamen materiâ, quia diuerſas ſubſiſtentias partiales habet.

Item de forma materiali.

DVBIVM III.

Verùm qualitates accidentariæ poſſint hypoſtaticè aſſumi?

10 REſpondeo, Non poſſe aſſumi vt faciãt vnam hypoſtaſim cum Verbo. probabile tamen eſt poſſe a Verbo terminari & ſuſtẽtari, quomodo natura ſubſtantialis terminatur. Ita Gabriel & plerique nominales diſt. 1. Et ratio eſt, quia nulla hîc cernitur implicatio: eſt enim Verbum diuinum intimè præſens cuiuis naturæ accidentariæ, & poteſt eius exiſtentiam eleuare, & ſurſum ad ſe trahere, ita vt ipſi innitatur, & ab ipſo pendeat. Si enim ita ſubſtantias poteſt attrahere, quibus tamen naturale non eſt alteri vniri, cur non etiam accidentia, quæ ex natura poſtulant ab alio dependere?

Accidens ſeparatum poteſt à Deo terminari & ſuſtentari.

Neque ad hoc neceſſe eſt vt accidentia habeãt

Inde tamẽ Deus non diceretur Albus.

ſubſiſtentiam ſubſtantialem, quæ ſuppleatur: ſufficit enim ſuppleri eorum inexiſtentiã in ſubiecto, & dependẽtiam ab eodem tamquam à termino: quod fieri poterit per diuinam perſonam ſine vllâ tamen informatione. Nam aliud eſt informari aliqua forma, aliud eius dependentiam & exiſtentiam determinare, vt optimè nocauit Scotus. Quò fiet vt Deus idcircò nõ dicatur, v.g. albus: nam hæc denominatio ſumitur à formâ informante; ſed dicetur ſubſiſtens in albedine. Sicut in triduo mortis, Deꝰ nõ dicebatur animatus, nec anima; ſed ſubſiſtens in animâ rationali.

ARTICVLVS II.

Vtrum Filius Dei aſſumpſerit perſonam?

REſponderur Negatiuè. Filius Dei nullo modo aſſumpſit perſonam humanam. Eſt fide
12 tenendum, & habetur in Concilio Toletano VI. & XI. vtrobique cap. 1. in confeſſione fidi: *Verbum non perſonam hominis accepit, ſed naturam.* Et ſequitur manifeſtè ex dictis quæſt. 2. art. 2. contra Neſtorium. Si enim aſſumpſiſſet perſonam, eſſent duæ perſonæ in Chriſto; quod eſt Neſtorij error. Sed eſt

DVBIVM I.

Vtrùm per potentiam Dei abſolutam, perſona vel ſaltem natura perſonata poſſit aſſumi?

13 VBi nota, Aliud eſſe aſſumi perſonam, aliud aſſumi naturam perſonatam: ad illud enim requiritur vt ipſa perſonalitas aſſumatur; ad hoc autem ſatis eſt vt aſſumatur natura, conſeruatâ perſonalitate, licet non aſſumptâ. Vnde ſuprà quæſt. 3. art. 6. dictum eſt, Patrem poſſe aſſumere naturam humanam perſonatam à Filio, non aſſumptâ Filij perſonalitate.

Implicat perſonam aſſumi.

Reſpondeo & Dico Primò, Nullo modo fieri poteſt vt perſona aſſumatur hypoſtaticè. Eſt cõmunis Doctorum in 3. diſt. 1. Ratio eſt, quia involuit cõtradictionem. Perſona enim in ſuo formali conceptu includit eſſe non in alio; nam de ratione eius eſt incommunicabilitas, non tantùm ea quæ opponitur communicabilitati ſuperioris, reſpectu inferioris (nam hoc modo etiam natura individua eſt incommunicabilis) ſed etiã ea quæ opponitur communicationi ſ quæ fit ſuppoſito. Aſſumi autem, eſt eſſe in alio: ergo contradictio eſt perſonam aſſumi. Deinde, Omnis vnio perſonæ cum perſona, tãtùm poteſt eſſe accidentaria, non efficiens quid vnum; vt patet ex dictis quæſt. 2. art. 2.

14 Idem dic de natura perſonata.

Dico Secundò, Fieri etiam nequit vt natura retinens ſuam perſonalitatem, à diuinâ perſonâ aſſumatur, etiamſi fingamus ipſam perſonalitatẽ non aſſumi. Eſt etiam communis Doctorum in 3. diſt. 1. Scoti, Durandi, Paludani, &c. & Caietani ſuprà qu. 3. art. 6.

Probatur Primò, Quia hæc omnino videtur eſſe mens Conciliorum, dum definiunt in Chriſto non eſſe perſonam creatam, eò quòd natura humana ſubſiſteret ſubſiſtentia Verbi: ergo ſupponunt fieri nullo modo poſſe, vt illæ duæ perſonalitates ſint ſimul.

15. Obiectiones ſoluũtur.

Dices, Perſonalitas diuina excludit à naturâ humanâ propriam perſonalitatem creatam, ſi ſpectemus naturalem rerum conditionem; & idcircò Concilia & Patres dicunt id fieri non poſſe vt ſimul ſint; ſi tamen ſpectemus potentiam Dei abſolutam id fieri poſſe.

Reſpondeo, Si ſpectemus conditionem rerum, etiam eſt impoſſibile vt natura non perſonata aſſumatur; & tamen dicitur poſſibile, eò quòd per omnipotentiam Dei poſſit fieri: ergo ſi natura perſonata per eandem omnipotentiam poteſt aſſumi, hæc aſſumptio abſolutè dicetur poſſibilis; quod eſt contra Concilium. Quidquid enim in hoc myſterio dicitur poſſibile, vel impoſſibile, ſolùm cõparatione omnipotentiæ diuinæ ita dicitur: per illam enim omnia facta ſunt, quæ huiꝰ myſterij sũt propria. Ratio eſt, quia perſonalitas creata cõſiſtit in eo quod eſt naturam eſſe per ſe, id eſt, non in alio; ſiue ſit aliquis modus poſitiuus, ſiue non: hoc ipſo enim quo natura rationalis exiſtit per ſe nulli adhæreſcens, eſt perſona; atqui natura vnita alienæ perſonæ, habet eſſe in alio: implicat autem vt vna eademque natura exiſtat ſimul per ſe, & in alio: nam illud per ſe, includit intrinſecè non in alio; ergo natura creata retinẽs propriam perſonalitatem, nullo modo poteſt aſſumi; quia ſimul eſſet in alio, & non in alio. Natura verò aſſumpta ad extrinſecam perſonalitatem, poteſt vlteriùs ab alia perſona aſſumi; quia non repugnat, vt eadem natura habeat duos modos inexiſtendi; ſeu vt inexiſtat, & ſuſtentetur à duobus; ſicut repugnat eſſe per ſe, & eſſe in alio. Quod patet in ſimili; quia non repugnat accidẽs vnum eſſe in duobus ſubiectis; repugnat tamen, accidens eſſe per ſe, & eſſe in ſubiecto: nam *eſſe per ſe*, includit eſſe non in ſubiecto.

natura diuina perſonata poteſt præterea perſonari.

Dices, Natura diuina habet propriam & naturalem perſonalitatem in Patre, & tamen vlteriùs poteſt perſonari & terminari in Filio: ergo etiam naturæ creatæ habenti propriam ſuam perſonalitatem, poterit hoc communicari, vt ab aliâ perſonalitate poſſit vlteriùs terminari.

Secus eſt de natura creata perſonata.

Reſpondeo Negando Conſequentiã, Eſt enim diſpar ratio. Primò, Quia natura diuina eſt ſimpliciter infinita: vnde poteſt communicari pluribus perſonis per identitatem. Secundò, Quia natura diuina ita eſt in ſingulis perſonis, vt nihilominùs ſemper maneat, per ſe exiſtens, & non in alio; idque propter ſummam identitatem diuinitatis cum perſonalitatibus. Vnde vnus modus eſſendi ſeu exiſtendi per ſe, v. g. quem diuinitas habet in Patre, non excludit ab ea alium modum eſſẽdi per ſe, ſcilicet eum quem eadem diuinitas habet in filio; quia duo modi eſſendi per ſe, non repugnant; ſicut repugnat eſſe per ſe, & eſſe in alio.

DVBIVM II.

Vtrùm ſi vna humanitas eſſet in duobus locis, (ſicut modo eſt humanitas Chriſti) poſſit in vno loco habere propriam perſonalitatem, & in alio eſſe in perſonâ Verbi?

REſpondetur hoc fieri poſſe; & tunc vna nu- 16 Affirmatur.
mero natura creata exiſteret in duabus perſonis; ſcilicet in perſona propria, & aliena. Ratio eſt, quia tunc vna natura haberet quodammodo vim duarum, non habentium inter ſe neceſſariam dependẽtiam; vt dictum eſt in Tractatu de Euchariſtia. Quare vt eſt in vno loco, poſſet eſſe per ſe, & non habere vnionem cum Verbo: vt autem eſt in alio loco, habere vnionem cum Verbo. Sicut idem Chriſti corpus, vt eſt in cælo, eſt coëxtenſum ſpatio; vt autem eſt in Euchariſtia, non eſt coëxtenſum: Quod tamen po-

1. 2. De Perfect. diuinis. 2. 6. n. 119.

Digitized by Google

nit in ipso corpore duos modos intrinsecos omnino repugnãtes respectu eiusdem existentis in eodem loco. Simili modo fieri potest per diuinam potentiam, vt vna eademque anima in vno loco sit in corpore; in alio loco viuat extra corpus, per se existens.

Dices, Hoc repugnat Concilijs & Patribus suprà citatis quæst. 2. art. 2. qui dicunt duas personas, alienam & propriam, non posse in vnam naturam substantialiter vniri. Respondeo Negando Assumptum; nam ipsi loquuntur de natura humana existente tantummodò in vno loco; loquuntur enim de hoc mysterio prout reipsa factum est.

ARTICVLVS III.

Vtrum persona diuina assumpserit hominem?

19 Negatur. RESpondetur, Non propriè dicitur persona diuina assumpsisse hominem.

Probatur Primò Authoritate Felicis Papæ & Martyris; quamuis hæc parum vrgeat, vt patet intuenti. Probatur Secundò Ratione. Quia homo propriè significat humanam naturã in supposito; homo enim est idem quod habens humanitatem: sicut Deus est habẽs Deitatem. sed Verbum non assumpsit suppositum humanum: ergo non propriè dicitur quòd Verbum assumpsit hominem.

Verbum impropriè dicitur assumpsisse Hominẽ.

Notandum est, Patres & Concilia frequenter vti hac formulâ loquendi. *Verbum assumpsit hominem.* Cõc. Toletan. VI. in confessione fidei: *Tota Trinitas operata est suscepti hominis formationem.* Toletan. XI. *Sola Filij persona, verũ hominem sine peccato assumpsit.* D. Augustinus sæpissimè vt lib. 13. de Trinit. cap. 17. & 18. de Agone Christiano cap. 11. lib. 9. de ciuitate cap. 17 & alibi passim. Cyrillus in epistola ad Nestorium quæ habetur in tertia Synodo. Denique in hymno Ecclesiastico: *Tu ad liberandum suscepturus hominem* &c.

Ludouicus Viues.

Verùm, hæc & similia sic interpretamur, vt homo accipiatur pro naturâ humanâ: vel certè vt dicatur assumpsisse hominem, quia assumptione factum est, vt esset homo. Quare nõ rectè Ludouicus Viues in cap. 17. lib 9. de Ciuitate reprehendit Doctores Scholasticos, quòd nolint hanc propositionem in proprietate sermonis admittere; nam reuerà iuxtà proprietatem sermonis, est falsa.

ARTICVLVS IV.

Vtrum Filius Dei debuerit assumere naturam humanam abstractam ab omnibus individuis?

18 Negatur. RESpondetur Negatiuè. Probatur Primò, Ex Damasceno lib. 3. de fide cap. 11. Secundò, Quia natura abstracta ab omnibus individuis, vel est idea Platonica: id est, natura per seipsam separatim à singularibus existens: & hæc non potest assumi; quia est figmentum: nulla enim est talis natura. Quod si per impossibile poneretur talis esse, non tamen esset conueniẽs eam assumi: tum, quia cùm sit communis, existens subsistentiâ communi, non posset esse in personâ; nam cõtraheretur ad esse individuum: tum, quia solùm haberet operationes cõmunes, quibus nec posset mereri, nec quidquam nobis prodesse: tum denique, quia non esset sensibilis; vnde non daret nobis exemplum &c. Vel hæc natura abstracta, est natura humana existens in mẽte diuina: id est, idea naturæ humanæ: & hæc non potest assumi; quia est ipse Deus, seu intellectio diuina. Vel denique est natura existens obiectiuè in intellectu humano: & hæc etiam assumi non potest: quia eius esse, solùm est intelligi. Tertiò Probatur clariùs: Quia humanitas realis non existit nisi individuata, & contracta ad aliquam individuam humanitatem: ergo non potest assumi nisi vt singularis. Denique, si assumpsisset totam rationem communem humanitatis, debuisset illam assumere, vt est in omnibus hominibus; ac proinde assumpsisset omnes humanitates. Quare ridiculus est error cuiusdam Parisiensis, qui, vt fertur, docebat Christum assumpsisse humanitatem in cõmuni, vt fructus Incarnationis esset communis; nam hoc est impossibile. Fructus autem communis esse potest etiamsi ab vno promanet: hîc enim non requiritur communitas prædicationis, sed causalitatis.

Error cuiusdã Parisiensis.

ARTICVLVS V.

Vtrum Filius Dei debuerit assumere naturam humanam in omnibus individuis?

19 Negatur. RESpondetur, Hoc nullo modo fuisse conueniens. Probatur primò authoritate Damasceni suprà lib. 3 cap 11. Secundò, Quia tunc omnes homines essent tantũmodò vna persona atque adeò vnus homo; quod est contra naturalem conditionem speciei humanæ, quæ in singulis individuis postulat singula suppositа. Tertiò, Quia Christus non esset primogenitus, nec primatum tenens inter homines: nam omnes essent paris dignitatis. Quartò, Quia tolleretur mediatio Christi, redemptio, satisfactio, & reliqua eius beneficia.

ARTICVLVS VI.

An conueniens fuerit vt Filius Dei assumeret naturam humanam ex stirpe Adam?

20 Affirmatur. RESpondetur: Id omninò fuisse conueniens. Probatur primò, Ex generatione Christi, quæ producitur vsque ad Adam. Luc. 3. Probatur Secundò, ex D. August. lib. 13. de Trin. c. 18.

Tres coniecturæ huius conueniẽtiæ.

Sunt autem tres coniecturæ huius conueniẽtiæ. Prima, Quia iustitia postulat, vt ille satisfaciat, qui peccauit: atqui peccauit Adam, & in Adamo tota humana natura: ergo de illa natura ex Adamo deriuata, debebat ille assumi, in quo, & per quem, tota natura satisfaceret. Secunda, Quia hoc pertinet ad maiorem hominis dignitatem; Vt nimirum ille potiùs vincat, qui victus fuerat, quàm vt alius vincat pro ipso. Ita D. Leo serm. 2. de natiuit. Tertia, Quia magis ostenditur Dei potentia, dum de natura infirma & corrupta assumpsit id quod ad tantam virtutem & gloriam est prouectum. Pollunt & aliæ multæ ex Patribus colligi; sed hæ sunt præcipuæ.

Digitized by Google

QVÆSTIO QVINTA.
De modo Vnionis quoad partes Humanæ Naturæ.

In Quatuor Articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum Filius Dei debuerit assumere verum Corpus?

1 Affirmatur.

REspondetur; Filius Dei assumpsit verum corpus, non imaginarium. Est fide tenẽdum contra antiquos hæreticos, qui dicebant Christum habuisse corpus non verum, sed phantasma corporis. Ita docuit Saturninus, Marcus, Cerdon, & Marcion, teste Tertulliano lib. de præscriptione aduersus hæreticos, & libro de carne Christi. Ratio illorum erat, quia putabant indignum Deo, vt verum corpus humanum assumeret. Item Manichæus teste Augustino lib. contra epistolam fundamenti cap. 9. & hæresi 46. quia existimabat omnia vera corpora esse à malo principio. Idem secuti sunt Priscillianistæ, vt refert D. Leo epist. 93.

qui hæretici id negarint.

Tres rationes.

Sed probatur hæc veritas tribus rationibus, Prima. Quia Christus fuit verus homo: atqui veritas humanæ naturæ requirit verum corpus humanum. Secunda, Quia sequeretur eius passionẽ, & mortem, & resurrectionem, & reliqua, quæ circa ipsum gesta sunt, solum imaginariè & delusoriè contigisse. Tertia, Quia talis fictio, quæ tota est magica, non decet summam veritatem. Adde, hanc veritatem definitam esse in Concilio Chalcedonensi, & in Constantinopolitano 2. & 3. & in magno Lateranensi Cap. Firmiter & alibi. Vide Tertullianum lib. de carne Christi contra Marcionem.

ARTICVLVS II.

Vtrum Filius Dei debuerit assumere Corpus terrenum, scilicet Carnem & Sanguinem?

2 Affirmatur: Hæretici id negantes.

REspondetur affirmatiuè. Est fide tenendum contra Valentinum, qui dicebat Christũ assumpsisse corpus ex naturâ cœlesti; & per vterũ Virginis, tamquam per canalem à quo nihil traxerit, transisse. Quem errorem secutus est Apelles, vt refert Tertull. Supra lib. de carne Christi, & de præscriptione aduersus hæreticos. Item est contra quosdam Anabaptistas, qui hanc hæresim instaurarunt, vt refert Cochleus in refutatione Anabaptistarum Monasterienſium.

Probatur ijsdem argumentis, quibus superior articulus.

3 Obijciunt Apostolum prioris ad Corinth. 15. v. 47. vbi Christus comparatus Adamo, dicitur *Homo cœlestis, & esse de cœlo; Adam autẽ, terrenus, & de terrâ*: ergo Christus habebat corpus cœleste.

Replicatur loc. 1. Corinth. 15. v. 47.

Respondeo; Hunc locum optimè exponi à D. Augustino lib. 13 de ciuit. c. 23. Sensus igitur est, primus homo, cùm formatus sit de terra, fuit terrenus; scilicet quoad conditionẽ corporis, quod subiectum fuit necessitatibus huius vitæ, & per se passibile, & corruptibile. Secundus autem homo, quia de cœlo venit, scilicet ratione personæ, etiam cœlestis esse debuit; nempe quoad conditionem corporis cœlestem, & immortalem: & quamuis ab initio non statim actu corpus cœleste fuerit, hoc dispensatoriè factum est, vt pro nobis posset pati, & mori: quo peracto, statim christus vi suæ cœlestẽ conditionem suo corpori contulit: vnde semper cœleste fuit, vel actu, vel intrinsecâ potestate; eò quòd persona de cœlis esset. *Igitur sicut portauimus imaginem terreni*, scilicet tũ vitâ, tum corporis conditione; *Ita portemus imaginem cœlestis*; id est, demus operam vt Christo similes efficiamur cœlesti corporis conditione.

DVBIVM I.

Vtrùm Sanguis fuerit hypostaticè assumptus?

VBi notandum Primò, Dupliciter aliquid assumi ad hypostasim. Primò, Immediatè; Sicut anima & caro. Secundò, Mediatè; sicut accidentia, mediante naturâ. Quidquid enim est naturæ cohærens, fuit aliquo modo à Verbo assumptum, & sic dubitandum non est quin sanguinem assumpserit: nam corpus eius vero sanguine suffusum fuit.

Notandum Secundò, Certum esse Verbum assumpsisse, omnes eas humani corporis partes, quæ animâ rationali informantur; & consequẽter omnes eas, quæ sunt necessariæ vt corpus humanum sit integrum.

Ratio est, Primò, Quia Verbum factum est perfectus & integer homo: ad integritatem autem hominis pertinẽt vt minimũ omnes illę partes, quæ animâ informãtur: ergo has omnes alsũpsit. Secundò, Quia anima, quacumque in parte sit, subsistit subsistentiâ Verbi: ergo etiam quæuis pars corporis, quam ipsa viuificat, eàdem subsistit, Nulla enim est ratio talem partẽ negligendi. Tertiò, Quia in alijs hominibus omnes illę partes quæ animâ informantur, subsistunt subsistentiâ totius hominis: Atqui in Christo huius vitam subijt Verbum: ergo &c.

5 Tres sententiæ. 1. Negans, Durandi.

His positis, sunt tres sententiæ. Prima, Nec sanguinem, nec alios humores esse vnitos hypostaticè Verbo, sed habere propriam subsistẽtiam; sicut aqua in vase. Dici tamẽ assumptos mediatè eò quòd naturaliter cohæreãt corpori assumpto. Ita sensit Durandus in 4. dist. 1. q. 1. & Richardus in 3. dist. 2. art. 2. qu. 1. & 2. & Gabriel in Canonem lectione 55.

2. Distinguens Siluestri.

Secunda est, Duplicem esse sanguinem, naturalem, & alimentalem: naturalem seu vitalem esse assumptum, eò quòd pertineat ad integritatẽ humani corporis: alimentalem verò minimè; ob rationem contrariam. Ita docet Siluester in libro quem inscripsit *Rosa aurea* tract. 3. q. 31. & in eandem inclinat Caietanus infrà quæst. 54. art. 2.

Digitized by Google

16 2. Obiect. ab eſſentia communi ad ſubſiſtentiam communem.

Dices Secundò, Eſſentia cõmunis vt eſt in Patre, eſt ratio generandi, non autem vt eſt in Filio: ergo ſubſiſtentia communis vt eſt in Filio, poterit eſse ratio terminandi & ſuſtentandi naturam humanam: quamuis non ſuſtentet eam, vt eſt in Patre.

Reſpondeo Primò, Hoc argumentum nullam vim habet pro ſententiâ Durandi, qui vult ſubſiſtentiam communem, ſecundùm ſe, & vt eſt cõmunis tribus, eſse humanæ naturæ vnitam.

Refellitur à diſparitate rationis.

Reſpondeo Secundò, Eſse diſparem rationem: quia generare eſt actus notionalis, quo producitur perſona diuina: vnde in ſuo concepto intrinſecè includit, vt ſit in perſona, quę origine eſt prior perſonâ producta. Et ob hanc causâ poſtulat eſse in Patre. Terminare autem non eſt actus notionalis, ſed veluti actus formalis reſpectu creaturæ: vnde vt ſubſiſtentia communis ſit ratio terminandi & ſuſtentandi naturam creatam, non magis poſtulat eſse in Filio, quam in patre. Nam cùm reſpiciat creaturâ, ſupponit omnes diuinas perſonas: quare non magis poſtulat eſse in vnâ, quàm in alia, vt terminet aut ſuſtentet creaturâ. Sed ſi ipſa ſit per ſe immediata ratio ſuſtentandi, vt vult Durandus, ſuſtentabit vt eſt in omnibus.

17 3. Obiect. Quòd vis terminãdi humanam naturam non continea-tur eminẽter in perſonalitate Verbi.

Dices Tertiò, ratio terminandi debet eminenter continere propriam perſonalitatem humanę naturæ: atqui Verbum non continet hanc eminẽter per ſuam proprietatem perſonalẽ, ſed per eſſentiam: ergo eſſentia eſt ratio terminandi, nõ autem proprietas perſonalis.

Reſpondeo, Scotus diſt. 1. quæſt. 4. negat requiri hanc continentiam eminentem: quia cenſet relationem Filij non continere perfectionẽ infinitam, *Alioqui*, ait, *deeſſet Patri aliqua perfectio infinita*: imò exiſtimat eam ſecundùm ſe nullâ dicere perfectionem, & ſic eſse rationem terminandi. Caietanus verò reiectâ ſententiâ Scoti, vult hîc eſse quandam eminentem continentiâ: ſed ita ſe explicat, vt ferè incidat in ſententiam Durandi. Quare dicendum eſt, eſſentiam diuinã continere omnes perſonalitates creatas eminenter, idque & vi terminandi, & vi eaſdem producendi: perſonalitas autem diuina continet eas eminenter, non quidẽ vi cauſandi illas, ſed quia continet omnem vim terminandi: nam poteſt omnem naturã terminare & ſuſtentare, quæ perſonalitate creata terminatur: adeò vt quidquid perfectionis eſt in omni perſonalitate creatâ, ſit collectim in perſonalitate diuinâ.

Solutio Scoti. Caietani. Veſtra ſolutio.

Aduerte tamen, ad terminandam exiſtentiam alterius naturæ, non eſse per ſe neceſsarium, vt id quod terminat, contineat eminenter rationẽ hypoſtaticam illius naturæ propriam: vt patet ex dictis Art. 1. Dub. 2. huius Quæſt. & probat Scotus diſt. 1. quæſt. 4. Per accidens tamen id poteſt eſse neceſsarium: quia videlicet nulla perſonalitas creata poteſt vniri alteri naturę, ſed increata & infinita.

18 Reſponſio ad argumenta Durandi.

Ad argumenta Durandi facilè eſt reſpondere: Nam ad primum, ſupponit eſse vnam tantùm in Deo ſubſiſtentiam, eamque abſolutã & eſſentialem: hoc enim falſum eſt, nam præter illam sũt tres relatiuę realiter diſtinctę, quibus conſtituũtur perſonæ: vt oſtenſum eſt *in prima parte quæſt.* 30. *art.* 1. Ad ſecundum, Concedo perſonam Chriſti eſse perſonâ diuerſę ſpecici, atque adeò eſse analogicè perſonâ cum perſona creata: non tamen ideò Chriſtus eſt analogicè homo: quia perſonalitas non eſt de natura hominis.

Tota concluſio.

Ex dictis intelligitur, Primò: Etſi quęuis perſona diuina potuerit humanam naturam terminare, ſolâ tamen Filij perſonâ reipſa terminare. Secundò intelligitur, Cur in hac vnione vna perſona vniatur ſine aliâ: in omni autem aliâ vnione Dei cũ creaturâ, vna perſona non poſsit ſine aliâ vniri: vt in vnione per gratiã, per viſionem beatificam, per modũ agentis cum inſtrumento &c. Cùm enim omnes aliæ vniones ſint accidẽtariæ, & fiant mediãtibus accidentibus, neceſse eſt Deũ concurrere ad illas effectiuè, quod eſt commune tribus perſonis, & nullum accidens eſt, quod reſpiciat dum taxat vnam perſonã. In viſione etiã, eſt ſpecialis ratio: cùm enim perſonæ diuinę ſint relatiuæ, vna ſine altera cognoſci nequit: nam ordo ad correlatiuum, eſt de intima ratione relatiui. Tertiò intelligitur, Patrem & ſpiritum ſanctũ nullo modo fuiſſe vnitos humanitati aſſumptæ, quia ratio terminandi eſt in ſolo Filio. Neque refert quod diuinitas aliquo modo carni ſit vnita, quæ Patri & Spiritui ſancto identificatur: quia mediatè tantùm vnita eſt, & veluti in quodam tertio, in quo tertio aliæ perſonæ non conueniunt. Sicut, etſi natura diuina identificetur Filio, non tamen ideò Pater & Spiritus ſanctus identificantur.

cur potiùs vna perſona vniatur ſine alia per vnionem hypoſtaticam, quã per gratiam,

19 Pater & Spiritus ſanctus ſingulariter ſunt in Chriſto homine.

Concedendum tamen eſt Patrem & Spiritum ſanctum ſingulari & proprio quodam modo eſse in hoc homine, quo nõ ſunt in alijs rebus creatis: idque dupliciter. Primò, Quatenus Deus dicitur eſſe ſingulari modo, vbi ſingulari modo operatur: atqui tota Trinitas operata eſt & etiamnum operatur vnionem hypoſtaticam. Secundò. Quatenus diuinæ perſonæ ſunt in ſe inuicẽ per quãdam περιχώρεσιν, vt ait Damaſc. lib. 1. cap. 11. id eſt, mutuam continẽtiam & comprehenſionem, idque ratione vnius eſſentię. Vnde cum Pater & Spiritus ſanctus ſint in Filio, & filius peculiari modo ſit in hac carne ex vi vnionis: etiam Pater & Spiritus ſanctus, ex vi eiuſdem vnionis, ſingulari quodammodo in hac carne erunt: adeò vt ſi non eſſent anteà in illâ per eſſentiam, ex vi vnionis inciperent in eâ exiſtere. Idem dicendum eſt de Euchariſtiâ: nam ex vi vnionis, Verbum comitatur carnem: pater autem & Spiritus ſanctus comitantur ipſum Verbum ratione mutuę inexiſtentiæ.

ARTICVLVS III.

Vtrum abſtracta per intellectum perſonalitate, natura diuina poſſit aſſumere?

Reſpondetur affirmatiuè. Notandum eſt, hunc articulũ bifariam poſſe intelligi. Primò, De abſtractione reali: Vtrùm ſi reipſa in Deo non eſſent tres perſonæ, ſed vna dumtaxat, ſicut Iudęi & Turcæ exiſtimant, poſſet hęc naturam aſſumere. Et in hoc ſenſu videtur à D. Thoma tractari, nec habet difficultatem: certũ enim eſt eo caſu non minùs poſſe aſſumere, quã modò, quia illa perſona nõ minùs eſſet infinita, quàm modo ſit Verbũ. Secundò, De abſtractione rationis, qua aliquid dicitur abſtrahi, dum alterũ pręcisè conſideratur, ipſo non cõſiderato: hoc ſenſu: Vtrùm Deus, vt nunc eſt ſubſiſtens in tribus perſonis, poſſit ſibi immediatè copulare naturam humanã, ita vt illam non vniat immediatè proprietatibus perſonalibus: & hoc modo eſt difficultas in hoc Articulo, quę petit alias de ſubſiſtentia abſoluta. Vnde eſt.

20 Abſtractio Realis.

Abſtractio Rationis.

DVBIVM

DVBIVM I.

Vtrùm sit in Deo vna subsistentia absoluta;

21 REspondeo, Præter tres subsistentias relatiuas realiter inter se distinctas, in Deo est quędã subsistentia absoluta & essentialis, ratione distincta à subsistẽtijs relatiuis; sicut essentia distinguitur à personis; qua subsistentiâ perfectè subsistit *hic Deus* communis tribus personis, cui per se primò & immediatè conuenit operari foris. Est latis communis sententia Doctorum, D. Thomæ, Scoti, Durãdi, Occami, Gabrielis, Caietani, Suarez &c. Ratio est; Primò, Quia subsistere est perfectio simpliciter, sicut sapientia: ergo sicut diuina essentia formaliter & essentialiter est sapientia; ita etiam formaliter & essentialiter est subsistens: relationes autem non sunt formaliter de essẽtiâ diuinâ: ergo præter subsistentiam relatiuam, quam tribuunt relationes, est in Deo subsistentia quędã absoluta, quam non habet à relationibus, sed ab essentia formaliter: sicut sapientiam non habet à relationibus, sed ab essentia. Secundò, Quia existentia diuinitatis, ex sua ratione formali & essentiali est omnino completa & perfecta; cùm sit omnino infinita, continens omnem perfectionem essendi: ergo ipsa precisè tribuit diuinitati existere per se: seu subsistere; nam hoc est complementum existentiæ. Confirmatur, quia nisi illa existentia esset intrinsecè completa, deberet concipi vt incompleta, & in potentiâ respectu suicõplementi; quod repugnat puro actui, & perfectioni infinitę.

Essentia diuina per se formaliter subsistit.

22 Obiectio

Dices, Si diuinitas per se subsistit subsistentiâ communi & essentiali: ergo subsistentię relatiuæ non vniuntur ei substantialiter, sed modo accidẽtario, tamquam adiacentes rei per se subsistenti. Confirmatur, Quia subsistentia in sua ratione claudit suum terminum: ergo vlteriùs non potest substantialiter terminari.

Soluitur.

Respondeo Negando Primam consequentiam; quia subsistentiæ relatiuæ non vniuntur essentiæ & subsistentię communi, sicut personalitas in creaturis vnitur naturæ creatæ: hæc enim vnitur naturæ, tamquam ratio quædam formalis omnino diuersa à natura, nullo modo illam includens; vnde vnitur ad eam perficiendam & complendã, habetque se tamquam adiacens naturæ. At subsistentiæ relatiuę vniuntur diuinæ naturę, tamquam ea quę intrinsecè diuinitatem includunt, quæque per ipsam diuinitatem sic modificatam, constituuntur: Sicut rationi entis vniuntur modi ipsum contrahentes; cùm tamen hi modi intrinsecè includant entis rationem. Quare subsistentię relatiuę substantialiter vniuntur diuinitati, cùm in suo conceptu, diuinitatis rationem includant: quò fit, vt essentia diuina terminetur relationibus, non quia illis egeat ad subsistendũ per se, sed quia est adeò perfecta & immensa, vt possit ex se proferre tres subsistentias incommunicabiles, quibus ipsa intrinsecè communicetur: tamquam *id quo, & id quod*, id est, ita vt quæque intrinsecè sit Deus, & Deitas.

Subsistentiæ relatiuæ substantialiter vniuntur diuinitati.

DVBIVM II.

Vtrùm per hanc subsistentiam possit natura humana immediatè assumi & terminari, ita vt nulli persona immediatè vniatur?

23 Subsistere. REspondeo & Dico Primò: Hic Deus vt subsistens per subsistentiam essentialem & communem, potest immediatè assumere & terminare naturam humanam per eandem subsistentiam. Fatentur omnes Doctores qui ponunt hanc subsistentiam in Deo.

tia Dei absoluta potest immediatè terminare naturam humanam.

Probatur Primò, Quia subsistentia hęc est simpliciter infinita: ergo potest esse ratio subsistẽdi in aliena natura, non minùs quam subsistentia relatiua. Secundò, Quia per hanc subsistentiam essentialem Deus subsistit immediatè in se; cur ergo ipse per eandem nõ possit subsistere in natura aliena? Tertiò, Hic Deus ita subsistẽs, est sufficiẽs principium creandi, propter infinitam potentiã: ergo & terminandi sustentandique naturam alienam, propter infinitam subsistentiam.

Dico Secundò, Si hic Deus immediatè humanam naturam assumeret, eam proximè per suam subsistentiam absolutam sustentando, singulę quidem personæ ita vnirentur humanitati, vt in hac vnaquęque esset homo: tamen non esset necessarium vt ipsę terminarent eandem humanitatem immediatè per suas subsistentias relatiuas. 24

Prior pars, scilicet quod quęlibet persona esset homo, est communis Doctorum, excepto Durando: Et Probatur Primò, Quia si ratio assumendi & sustentandi naturam humanam est communis tribus personis, etiam assumptio, & sustentatio, & natura assumpta, communis erit. Secundò, Quia hic Deus communis Patri, Filio, & Spiritui S. esset homo: ergo & Pater, & Filius, & Spiritus S. Tertiò, Quia quęlibet persona subsistit in diuinitate, non solùm subsistentia personali, sed etiam essentiali: ergo si per eandem subsistentiam essentialem hic Deus subsisteret in humanitate, etiam quælibet persona per eandem in humanitate subsisteret; ac proinde quælibet esset homo. Altera pars, scilicet, personas in eo casu non necessariò vniri immediatè humanitati per suas subsistentias relatiuas, tenetur à Caietano & Durando suprà. Scotus autem & Gabriel relinquũt tamquam problema. Sed Probatur Primò: Quia etsi subsistẽtia relatiua idem sit ex parte rei quòd absoluta, tamen ipsa potest esse immediata ratio terminandi humanam naturam, ita vt subsistẽtia absoluta non terminet immediatè: ergo vicissim, subsistẽtia absoluta poterit immediatè humanam naturam terminare, ita vt relatiua eandem non terminet. Secundò, Pater communicat Filio suam essentiam, non tamen Paternitatis relationem: ergo similiter essentia poterit esse ratio terminandi naturam humanam, ita vt relatio personalis eandem immediatè nõ terminet. Tertiò, subsistentia absoluta est in se perfectissima, & in ratione sustentandi simpliciter infinita: ergo nulla est causa cur egeat consortio relationis, vt alienã naturam sustentet.

Quælibet persona diuina esset homo.

Ad hoc tamen non essent necessariæ subsistentiæ relatiuæ.

Dico Tertiò, Etiamsi non daretur subsistentia absoluta, tamen adhuc probabile est ipsam diuinã essentiã posse per se & immediatè terminare & sustentare naturam humanã. Probatur, quia vt vna natura trahatur ad inexistendum alteri supposito, non est necesse vt immediatè vniatur personalitati aut subsistẽtiæ, sed sufficit vt immediatè recumbat in natura, & consequenter in supposito; sicut suprà dictum est art. 1 dub. 2. de suppósito creato. Et confirmatur; quia natura non habet minorem vim ad accipiendam, terminandã & sustentandam naturam alienam, quàm personalitas. Denique nulla hic apparet contradictio. Sed Obijcitur Primò, Si persona diuina in illo euentu non coniungeretur immediatè naturæ humanæ, sequeretur posse dari aliquem, qui sit hic homo, & tamen non sit persona. Resp. Negãdo seque-

26 Essentia diuina potest immediatè sustentare naturam humanam.

27 1. Obiect. Soluitur.

lam: Nam hic homo eſſet tres perſonę; Sicut, hic Deus, eſt tres perſonę. Concedo tamen quòd non eſſet perſona ex vi illius ſubſiſtentię abſolutę, qua immediatè ſubſiſtit; aut ex vi naturę, per quam in ſuppoſito exiſtit; nam per hanc ſubſiſtentiam & naturam eſt communis tribus perſonis: eſſet tamen perſona ex vi ſubſiſtentiæ relatiuæ, quæ illi mediatè coniungeretur. Sicut, hic Deus eſt perſona, non ex vi ſubſiſtentię abſolutę, ſed relatiuę.

2 Obiectio. Obijcitur Secundò. Inde ſequeretur dari vnionem cum Deo ſubſtantialem; quę neque ſit in natura, neque in perſona; ac proinde neque ſit hypoſtatica.

Soluitur. Reſpondeo, Fore vnionem in perſona, ac proinde fore hypoſtaticam: nō immediatè, ſed mediatè, & ex conſequenti: quia per hanc vnionē omnes perſonę ſubſiſterent in natura humanā, eamque terminarent, quamuis mediatè.

3 Obiectio. Obijcitur Tertiò, Si in Deo eſſet tantùm vna perſona, humanitas aſſumpta non poſſet terminari à ſubſiſtentiâ diuinâ, quin ſimul immediatè terminaretur à perſonalitate, idque propter identitatem: Sed tam idem eſt nunc quęlibet perſona diuina cum eſſentia, quam tunc eſſet: ergo neque modo &c. Reſp. Neg. Conſ. Quia illa ſubſiſtētia tunc eſſet abſoluta, & eſſet ipſa perſonalitas Dei: vnde licet relationes nūc ſint idem cum eſſentiâ, non tamen eodem modo quo illa perſonalitas abſoluta; quia non adęquate ſunt idem ſicut illa.

Soluitur. 28 4 Obiectio. Obijcitur Quartò, Illa humanitas careret tunc propria perſonalitate: ergo neceſſe eſt vt terminetur aliâ perſonalitate.

Soluitur. Reſpondeo; Terminabitur alia perſonalitate, ſed mediatè non enim requiritur vt alia perſonalitas illi immediatè vniatur. Nam ſubſiſtentia eſſentialis, ipſaquo natura diuina eſt ſufficiens, ſi natura humana illi vniatur, vt impediat in ipſa propriam ſubſiſtentiam creatam, ſeu eius propriam perſonalitatem, vtque illam ſuppleat. Dices perſonalitas creata eſt incommunicabilis: atqui hęc incommunicabilitas non poteſt ſuppleri per ſubſiſtentiam illam communem, aut naturam diuinam: ergo hæ non poſſunt ſupplere perſonalitatē creatam. Reſpōdeo; Subſiſtentia illa communis & natura diuina poſſunt ſupplere quidquid eſt meræ perfectionis in perſonalitate creatâ, non autem ea quę ſunt imperfectionis: atqui incommunicabilitas in perſonalitate creata prouenit ex aliquâ eius imperfectione, ſcilicet ex limitatione eius: vnde non debet ſuppleri per ſubſiſtentiam communem, vel naturam diuinam, accipiendo ab illis ſimilem incommunicabilitatem, ſed potiùs accipiendo loco eius communicabilitatem: natura enim humana, quę ratione propriæ perſonalitatis fuiſſet incommunicabilis, & tantummodò in vna perſona; per ſubſiſtentiam communem vel naturam diuinam, fiet tribus perſonis communicabilis.

Incommunicabilitas perſonæ creatę tollitur per aſſumptionem naturam diuinam.

ARTICVLVS IV.

Vtrum vna perſona poſſit ſine alia naturam humanam aſſumere?

29 Reſpondetur duabus Concluſionibus. Prior eſt: Quidquid eſt actionis in aſſumptione, eſt commune tribus perſonis; id eſt, tres perſonæ efficiunt communiter hanc vnionem. Eſt definitum in Conſilio Lateranenſi Capitulo Firmiter. *Vnigenitus*, inquit, *Dei filius à toto Trinitate communiter eſt incarnatus.* Et in Concilio Toletano Sexto, & Vndecimo, cap. 1. Et ratio additur, quia opera Trinitatis ſunt indiuiſa: ſcilicet propter vnitatem potentię.

Poſterior Concluſio: Id quod pertinet ad rationem termini in aſſumptione, eſt proprium Filio; quia ad ſolam Filij perſonam natura humana eſt aſſumpta. Vnde patet, quomodo directè ad Articulum ſit reſpondendum, ſcilicet, Vnam perſonā poſſe aſſumere naturam humanam ſine alia, quòd ad rationem termini aſſumptionis attinet: non autem quòd ad effectionem ipſius aſſumptionis. Diſtinguitur.

ARTICVLVS V.

Vtrum quælibet perſona diuina potuerit naturam humanam aſſumere?

30 Reſpondetur affirmatiuè. Ratio eſt, Quia in ſingulis eſt eadem potentia ad efficiendam ipſam vnionem; & æqualis vis ſubſiſtendi, & ſuſtētandi naturam vnitam: ergo. Vide D. Thomā.

ARTICVLVS VI.

Vtrum plures perſonæ diuinæ poſſint aſſumere eandem numero humanam naturam?

Reſpondetur affirmatiuè. Notandum eſt, de hoc Articulo eſſe duas ſententias. Prior eſt Scoti in 3. diſt. 1. qu. 2. Richardi & Alberti eadem diſtinctione, fieri nullo modo poſſe vt plures perſonæ eandem numero naturam aſſumant. 31 Negat Scotus.

Verùm contraria eſt multò probabilior: nimirum tres perſonas diuinas poſſe eandem numero naturam hypoſtatice & immediatè ſibi vnire. Ita D. Thomas hoc loco, & paſſim Doctores in 3. diſt. 1. vbi vide Durandum qu. 3. Gabriel qu. 1. art. 3. Capreolum quæſt. vnica, & Alenſem in 3. parte, qu. 2. membro 4. Verùs affirmatur.

Probatur, Quia hoc nullam implicat contradictionem. In hoc autem myſterio, tota ratio facti, eſt omnipotentia facientis. Quòd non implicet? Probatur Primò, non enim repugnat ex parte diuinę perſonę: quęlibet enim poteſt naturam humanam aſſumere: & aſſumptio vnius non impedit aſſumptionem alterius. Sicut quòd Pater ſubſiſtit in natura diuina, non impedit quin Filius in eadem natura ſubſiſtat. Nec etiam repugnat ex parte naturę humanę: quia hęc eſt capax aſſumptionis ſecundùm capacitatem obedientialē, quæ ad omnia ſe extendit, quæ contradictionem non implicant. Secundò, Quia eadem forma, v. g. anima virtute diuina poteſt eſſe in diuerſis corporibus, etiam diſſitis: ergo multò magis eadem natura poterit vniri diuerſis perſonis diuinis: præſertim cùm hę intimè præſentes ſint, & ad hoc non requiratur informatio, ſed ſolùm terminatio & ſuſtentatio. Non implicat. A ſimili.

Sed contrà. Obijcitur Primò ex Anſelmo, qui lib. 2. *Cur Deus homo*, cap. 9 expreſſè dicit tres perſonas non poſſe vnum eundemque hominem aſſumere. Quod etiam ſæpiùs repetit lib. de incarnatione cap. 4. Reſpondeo; Anſelmus expreſſè dicit: *Plures perſonæ nequeunt vnum eundemque hominem aſſumere in Vnitatem perſonæ: quare in vna perſona hoc tantùm fieri neceſſe eſt*, ſcilicet vt vnus homo aſſumptus ſit in vnitatem perſonę, ita videlicet vt inde reſultet vna perſona hominis. Dices cur Anſelmus hoc dicit, cùm id ſit clariſſimum? Reſpondeo, Anſelmus aſſumit hoc tamquam per 32 1 Obiectio ex D. Anſelmo. Soluitur.

ſe notum ſicut multa alia. Supponit autem deum ita incarnatum, vt inde extiterit vna perſona hominis, quod concedit Aduerſarius lib. de Incarnatione cap. 4. deinde, aſſumit tamquam notum non potuiſſe hoc fieri, ſi plures perſonæ fuiſſent incarnatæ: vnde tandem concludit ſuum propoſitum, ſcilicet filium ita eſſe incarnatum, vt idcircò nec Pater, nec Spiritus ſanctus debeant eſſe incarnati. D. Thomæ expoſitio ad hunc ſenſum eſt accommodanda.

33 Obiectio. Quod eſſe in pluribus perſonis arguat infinitatem. Diſtinguitur.

Obijcitur Secundò, Natura humana non eſt infinita: ergo non poteſt eſſe in pluribus perſonis. Patet Conſequentia, quia ideò dumtaxat natura diuina poteſt eſſe in tribus perſonis eadem numero, quòd ſit infinita.

Reſpondeo, Eſſe naturaliter & ex intrinſeca ſua ratione in tribus, prouenit ex infinitate; non autem eſſe ſupernaturaliter: hoc enim ſolùm requirit potentiam infinitam in efficiente; atqui natura humana ſolùm ſupernaturaliter per omnipotentiam Dei eſſet in tribus. Addo ita eſſe in tribus, vt omninò illis identificetur, prouenit ex infinitate; non autem eſſe in tribus à quibus manet diſtinctum.

34 Obiectio. Quòd vnus effectus pendeat a pluribus cauſis integris.

Obijcitur Tertiò, Vnus effectus non poteſt pendere à pluribus cauſis integris; vt vnum accidens à pluribus ſubiectis: ergo nec vna natura poteſt pendere à pluribus perſonis, quarum vnaquæque ſit terminus integer illam terminans & ſuſtentans.

Conceditur.

Reſpondeo Primò, Negando antecedens: quia vt aliquid ſit cauſa integra, non requiritur vt ſola efficiat; aut vt res ab ipſa ſola dependeat; ſed vt ipſa efficiat totum effectum virtute & actione ſufficienti, quamuis aliæ cauſæ non concurrerent; ita vt effectus ab ipſa ſola ſufficienter proueniat, etiamſi aliæ remoueantur. Et ita in propoſito, ſi tres perſonæ eamdem humanitatem aſſumerent, illa ſic penderet à ſingulis, vt quamuis ab alijs dimitteretur nihilominùs ſufficienter in qualibet ſubſiſteret.

35 Vna humanitas à pluribus perſonis aſſumpta haberet diuerſum eſſe perſonale a ſingulis.

Reſpondeo Secundò, Negando Conſequentiam, Eſt enim diſpar ratio inter dependentiam effectus à cauſa, & naturæ à ſuo termino. Nam ſi vnus numero effectus penderet à pluribus cauſis integris, deberet habere idem numero eſſe à ſingulis in ſolidum: ſi autem vna humanitas aſſumeretur à tribus perſonis, non haberet idem eſſe perſonale à ſingulis; ſed aliud à Patre, aliud à Filio, aliud à Spiritu Sancto; & aliam cum ſingulis perſonam conſtitueret. Vnde iſta humanitas nõ penderet ſecundùm idem à ſingulis perſonis: ſed ſecundùm diuerſas ſubſiſtentias, & per diuerſas vniones productas diuerſis actionibus vnitiuis. Sicut ſi vnum accidens eſſet in duobus ſubiectis, penderet à diuerſis ſubiectis; ſed non ſecundùm idem: aliam enim haberet inexiſtentiam ab hoc ſubiecto, aliam ab alio. Similiter ſi vnum corpus eſſet in diuerſis locis, id fieret per diuerſa vbi, & diuerſas præſentias.

36 Obiectio. Quòd vna perſona aſſumeret vnionem alterius perſonæ. Soluitur.

Obijcitur Quartò, Si natura humana aſſumeretur à pluribus, vnio cum vna perſona, v. g. cum Filio, eſſet aſſumpta ab altera; ſcilicet à Patre: & contrà: quidquid enim eſſet in natura, deberet eſſe aſſumptum: & ſic vna perſona aſſumeret aliam: quod eſt impoſſibile.

Reſpondeo, vnionem naturæ humanæ cum Filio, diſtingui modaliter ab ipſa natura; itaque naturam poſſe in aliquo conſtitui, in quo non penatur illa vnio. Quod patet exemplo Euchariſtiæ nam corpus Chriſti ſub ſpeciebus habet quendam modum intrinſecum, & etiam quandam vnionẽ ad extrinſecum, quam non habet in cœlo; & contrà. Sed eſt.

DVBIVM.

Vtrùm ſi tres perſonæ aſſumerent eandem numero naturam, eſſet vnus homo, an plures?

37 CAietanus hoc loco, Et Gabriël ſuprà exiſtimant ſimpliciter fore plures homines, vnũ autem tantummodò ſecundùm quid. Ratio illorum eſt, quia non daretur aliquid vnum pro quo ſupponat hic homo, ſed darentur tria: quę ſententia ſatis probabilis eſt rectè expoſita.

Vtraque pars probabilis.

Sed dicendum eſt, Eſſe vnum hominem. Inſinuat D. Thomas hic ad 1. & in 3. Sententiar. diſt. 1. Durandus eâdem diſt. q. 3. & alij. Ratio eſt, Quia ad vnitatem ſubſtantiui, ſufficit vnitas formę, à qua ſit denominatio, quamuis illa forma ſit in pluribus ſuppoſitis. Nam ſicut ad vnitatem ſpecificam, ſufficit eadem ſpecie natura; ita ad vnitatem numeralem, ſufficit eadem numero natura, quamuis ſuppoſita ſint plura: vna enim numero natura conſtituit vnum indiuiduum in illa ſpecie, quod ſecundùm ſe prę ſcindit ab hoc vel illo ſuppoſito, ſed ſolum confusè continet. Quod patet à ſimili: Tres perſonę ſunt propriè vnus numero Deus, quamuis ipſę inter ſe diſtinctę ſint. Item, Pater & Filius ſunt idem numero ſpirator. Quò etiam fit, non requiri vnam aliquã ſubſiſtentiam, ratione cuius dicantur eſſe vnus homo, vt vult Caietanus: quia Pater & Filius propriè ſunt vnum principium Spiritus Sancti, & vnus ſpirator, propter vnum actum ſpirandi; & tamen non eſt aliqua propria ſubſiſtentia ſpirationis: ergo tres perſonę erunt ſimiliter propriè vnus homo, quamuis humana natura non habeat aliquam propriam ſubſiſtentiam, ſicut natura diuina. Nec obſtat quod D. Thomas ait, *Tres perſonas non fore ſimpliciter vnum*, ideſt, ſine addito; quia vnus ſeorſim inſinuat vnitatem perſonę. Erunt itaq; vnus homo, non tamen erunt abſolutè vnus

A ſimili.

ARTICVLVS VII.

Vtrum vna perſona diuina poſſit aſſumere duas naturas humanas?

38 REſpondetur affirmatiuè. Eſt communis ſententia Doctorum diſt. 1. Ratio eſt, Quia perſona diuina quatenus eſt principium aſſumptionis, eſt infinitę potentię: vt autem eſt terminus, habet infinitam vim terminandi & ſuſtentandi. Et duę naturę humanæ ſecundùm ſe poſſunt diuinę perſonę vniri, ſiue ſint in diuerſis locis, ſiue in eodem.

Obiectio Caietani.

Dices ex Caietano, Pater habet infinitam vim generandi, & tamen non poteſt niſi vnum Filium generare: ergo ſimiliter, etſi Filius habeat infinitam vim terminandi, non poteſt niſi vnam naturam aſſumeret & terminare. Reſpõdeo, Eſt diſparratio; nam illa vis generãdi tota veluti expẽditur in vnum actum, & terminum actus; quia actus eſt infinitus, & toti vi generãdi adęquatus, & terminus eius ſimiliter eſt infinitus, & adæquatus tum generationi, tum gignenti. At vis terminãdi naturam creatam, non expletur per vnam naturam aſſumptam, ſed in infinitũ redundat & exuberat.

Soluitur.

Dices; Hinc ſequi videtur perſonam diuinam non poſſe vllam naturam aſſumere. Patet, quia

personalitas diuina habet in propria natura infinitam terminationem vbique commensam, quâ diuinam naturam terminat: in qua terminatione videtur tota eius vis exhauriri: ergo nihil præterea potest terminare.

sustentatio necessaria in Deo se totam expendit tecus est de libera erga creaturas.

Respondeo, hoc argumentum rectè probat diuinam personam non habere naturalem habitudinem ad vllam aliam naturam, præterquam ad diuinam. Non autem probat quòd non possit se libere & modo inferiore alicui naturæ extrinsecæ copulare. Et si enim respectu diuinæ naturæ habeat terminationem naturalem sibi adæquatã, eiusque vis naturali modo terminandi tota impendatur: tamen respectu alterius naturę potest habere terminationem liberam inferioris conditionis, quam sit ea, quâ naturam diuinam terminat: hæc enim vis terminandi numquam potest exhauriri. Explicatur in simili: Sicut Voluntas diuina etsi quodammodò exhauriatur inamorem naturalem, quo se amat necessariò, tamquam obiectum adæquatum: potest tamen amare liberè creaturas: & numquam tot amat, quin possit amare plures. Item, potentia generandi in Patre, licet quodammodo exhauriatur respectu communicationis naturalis, quâ gignit Filium: potest tamen vlteriùs se extendere ad communicationes liberas inferioris ordinis, quibus cõdit creaturas.

A simili.

Ratio diuersitatis

Ratio est: Quia communicatio necessaria, & cõmunicatio libera, sunt diuersi ordinis, & ab eodẽ proueniunt, ordine quodam, & quasi secundùm diuersas virtutes in eadem infinitate fundatas. Similiter terminatio necessaria qua personalitas diuina terminat naturam diuinam, & terminatio libera qua terminat naturam humanam, sunt diuersæ rationis, & altera quodammodo fundatur in alterâ: cùm enim personalitas diuina adeò sit infinita, vt possit terminare naturam infinitam: habet etiam suapte natura vim, vt possit se extẽdere ad infinitas naturas creatas & limitatas terminandas.

DVBIVM

Vtrùm si vna persona assumeret duas humanitates, esset vnus homo, an duo?

40 Durandus ait fore duos.

REspondeo: Quidam dicunt fore duos homines. Ita Durandus in 3. dist. 1. quæst. 3. Et Scotus ibidem quæst. 3. Ratio est: quia vt aliquid dicatur vnum numero, sufficit vnitas naturæ, quamuis plura sint supposita: vt dictum est ad superiora: ergo vt sint plura numero, sufficit pluralitas naturę. Quæ sententia est satis probabilis.

Vtrius negatur.

Sed probabilius videtur quod absolutè & simpliciter dicendus sit vnus homo. Ita D. Thomas hoc loco ad 1. qui sententiam suam retractauit, quam in Tertium Sententiarum docuerat. Idem docent Gabriel, Cietanus, & alij.

Probatur Primò, Quia Christus nunc etsi habeat duas naturas, est absolutè vnus, & vna substantia: ergo esset vnus homo etsi haberet duas humanitates. Secundò, Christus tunc esset vna persona: ergo etiam esset vnus homo. Tertiò, Homo habens plures artes, est tantùm vnus artifex; non multi artifices: ergo etiamsi haberet plures humanitates, esset vnus homo, non duo. Nec refert quod illæ formæ sint accidentales: nam in hoc est similitudo, quòd sint duę formę extra rationem suppositi, quę tamen non tribuunt denominationem multitudinis. Quartò, Si essent duo homines: sequeretur, hunc non esse istum: & contra, quod falsum est. Nam sicut nunc hic Deus, est iste homo, & contra: Ita tunc hic homo, esset iste homo. Item sequeretur, esse alium & alium hominem: quod indicat distinctionem suppositorum: vt patet in Trinitate.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum fuerit magis conueniens vt persona Filij assumeret naturam humanam, quam Pater vel Spiritus sanctus?

REspondetur affirmatiuè. Notandum est D. Thomam supponere solùm Filium esse incarnatum. Quod patet infinitis prope Scripturæ locis. Idem patet ex omnibus Symbolis. Ratio à priori est diuina voluntas. 41

Octo congruentiæ cur Filius sit potiùs incarnatus quam aliæ personæ.

Congruentię autem variæ adferri possunt D. Thomas ponit quatuor: Prima est, quia Verbum est exemplar creaturarum, ac proinde creatura cum ipso quandam similitudinem & conuenientiam habet, vt commode vniatur. Vltima quoque perfectio rei consistit in coniunctione cum suo exemplari. Secunda, per Verbum omnia sunt facta: ergo decuit vt omnia per ipsum reparentur. Sicut artifex eadem sapientiâ & arte facit opus, & collapsum instaurat. Tertia, Quia perfectio hominis consistit in sapientia: ergo decuit vt per Dei sapientiam, quæ est Filius Dei, perfectionem adæquaretur. Quarta, Quia incarnatio facta est vt homines adoptionem Filiorum Dei acciperent: ergo decuit vt ille incarnaretur, qui erat Filius Dei naturalis, vt per illum Pater faceret Filios adoptiuos. 1 2 3 4

His Adde quatuor alias. Quinta ergo sit: quia decuit vt is qui erat filius Dei naturalis, sine matre in æternitate: fieret Filius hominis sine Patre in tempore: ne si alia persona fuisset incarnata, sequeretur quædam confusio inter personas diuinas, cùm essent duo Filij. Sexta, Quia persona diuina in natura assumpta, debebat pro nobis orare; atqui maximè conueniebat vt Filius oraret Patrem. Septima, decebat vt is esset mediator Dei & hominum, qui medius est inter Patrem & Spiritum Sanctum. Octaua, quia homo perierat appetendo diuinam similitudinem & sapientiam: ergo per illum debebat reparari, qui erat imago Dei & sapientia. 5 6 7 8

Vide plura de his apud D. Augustinum de Ecclesiasticis dogmatibus c. 2. & Tract. 17. in Ioannem B. Anselmum lib. 2. *Cur Deus homo.* cap. 9. & lib. de Incarnatione Verbi cap. 4. Richardum de S. Victore lib. de Verbo Incarnato cap. 9. 10. & 11.

Digitized by Google

QVÆSTIO QVARTA.
De modo vnionis ex parte naturæ aſsũptæ.

In Sex Articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Vtrum natura humana fuerit magis aſſumptibilis à Filio Dei, quam quælibet alia?

RESpondetur: Magis conſentaneum fuit vt natura humana aſſumeretur à Filio, quàm aliqua alia, nempe quàm angelica, vel irrationalis. Patet, quia in natura humana inuenitur dignitas, cùm ſit imago Dei potens attingere immediatè ipſum Deum per cognitionem & amorem. Inuenitur etiam neceſſitas, cùm ſit infecta per peccatum, & quidem alienum. In naturâ verò irrationali, quæ humanâ eſt inferior, non inuenitur dignitas idonea aſſumptioni; cùm non ſit imago Dei, nec valeat vllo modo per ſuas operationes Deum attingere. In angelicâ autẽ quæ humana eſt ſuperior, inuenitur quidẽ dignitas, nulla tamẽ neceſſitas. Boni enim Angeli non egent; mali autem ſtatim poſt peccatum ſunt damnati, ac proinde remedij incapaces: ergo conueniens erat ſolam humanam aſſumi.

1

Ob maiorem humanæ naturæ dignitatem & neceſſitatem.

DVBIVM. I.

Vtrùm quamuis natura poſſit diuinâ virtute hypoſtaticè aſſumi à perſonâ diuinâ?

SVnt tres ſententiæ: Prima eſt, omnem naturam corporalem poſſe aſſumi: purè autẽ ſpiritualem, qualis eſt angelica nõ poſſe. Refert hãc D. Thomas ad 3. & videtur eſſe Alberti in 3. diſt. 2. art. 2. Ratio eſt, Quia in natura ſpirituali nullo modo diſtinguuntur natura & ſuppoſitum: ergo natura non poteſt magis aſſumi, quam ſuppoſitum. Secunda eſt omnem naturam rationalem, etiam Angelicam aſſumi poſſe; nullam autem irrationalem. Ita Alexander Alenſis 3. parte q. 11. memb. 1. & q. 12. memb. 2. Cuius fundamentum eſt: quia exiſtimat naturam non poſſe aſſumi, niſi interuentu gratiæ habitualis, cuius non eſt capax natura irrationalis. Ita docet quæſt. 7. memb. 2. In eadem ſententia eſt Henricus Quodlib. 31. & Dionyſius Carthuſianus in 3. diſt. 2. q. 2. & 4. Et Picus Mirandula in apologia pro nongentis Concluſionibus, in defenſione quartæ concluſionis. Tertia eſt, omnem abſolutè naturam creatã poſſe hypoſtaticè aſſumi. Pro qua

2
Tres ſententiæ.

1. Alberti.

2. Alenſis.

3. Ventor.

Dico Primò: Natura Angelica poteſt aſſumi à perſona diuina. Eſt D. Thomæ hîc ad 3. & communis Doctorum in 3. diſt. 2. Eſtque certa. Probatur Primò, Ad hæbr. 2. v. 16. *Nuſquam Angelos apprehendit* (Deus) *ſed ſemen Abrahæ apprehẽdit*: Vbi Apoſtolus ſupponit hoc fuiſſe poſſibile; quia commendat charitatem Dei erga nos, quòd naturam noſtram Angelicæ prætulerit. Secundò, Anima rationalis ſeparata, quę eſt ſimilis Angelis, manſit vnita verbo in triduo mortis: cur ergo non poſſit Angelis vniri? Denique, Probatur allatâ ratione ex fundamento contrario: In Angelis diſtinguitur natura à ſuppoſito ex parte rei, vel ſaltem ſuppoſitum includit negationem, quam non includit natura iuxta Scotum, Occamum, Gabriel. &c. ergo natura poteſt ſeparari à ſuâ ratione hypoſtaticâ, & alteri hypoſtaſi inſeri.

3
Poteſt aſſumi natura Angelica.

Dices, Ratio hypoſtatica neceſſariò ſequitur ex naturâ in ipſo momento creationis noſtræ: ergo ſi tollatur, peribit natura. Reſpondeo, ſi natura Angelica in ipſa creatione aſſumatur, facilè poterit eius perſonalitas impediri, ne ex natura actu dimanet (quod fiet, non prębendo naturæ concurſum primæ cauſæ neceſſariũ ad illius modi productionem, vel certè naturæ vim anticipãdo per vnionem alterius perſonæ) ſicuti impeditur in aſſumptione naturæ humanę; licet alioquì neceſſariò ſequeretur. Si autem aſſumeretur poſt creationem, tunc proptia quidem illius perſonalitas deberet aboleri (quod fieret retrahendo influxum conſeruatiuum) non tamen idcircò ipſa natura periret; ſed tantummodò modum ſubſiſtendi mutaret: cùm enim antea exiſteret in ſeipſa, nunc exiſteret in perſona aliena: Sicut accidens non corrumpitur in Euchariſtiâ dum incipit per ſe exiſtere, quod antea exiſtebat in alio; ſed duntaxat modum exiſtendi mutat.

Obiectio.

Soluitur.

Dico Secundò, Non eſt abſoluè impoſſibile vt Deus hypoſtaticè aſſumat quamuis naturam ſubſtantialem, etiam irrationalem & inanimam. Eſt communior Doctorum in 3. diſt. 2. Scoti, Occami, Durandi.

Etiam aſſumi poteſt natura irrationalis & inanima.

Probatur Primò, Cùm multi hæretici ſenſerint Chriſtum aſſumpſiſſe corpus æthereum, vt Valẽtiniani, Gnoſtici; tamen à Patribus non refutantur ob impoſſibilitatem. Imò Auguſt. lib. de vera religione cap. 16. expreſsè dicit, Dei verbum potuiſſe aſſumere corpus æthereum, ad noſtrorum aſpectuum tolerantiam temperatum.

Probatur Secundò, Quia corpus Chriſti exanime in triduo mortis fuit vnitum verbo diuino: ergo natura inanima poteſt aſſumi.

In anima corpus Chriſti fuit vnitũ verbo.

Reſpondet Alexander, Corpus illud habuiſſe quandã impreſſionem ab animâ relictam, ratione cuius erat vnitum animæ ſeparatæ, & per animam Verbo. Sed contrà. Primò, nulla talis impreſſio in corpore mortuo relinquitur, vt ſatis patet ex Philoſophia. Et quãuis maneant aliquæ diſpoſitiones, illæ tamen non faciunt naturã capacem aſſumptionis, etſi ad quandam decẽtiam conferãt. Nam hæ diſpoſitiones ſunt accidentia: aptitudo autem aſſumptionis, eſt intrinſeca & ſubſtantialis conditio immediatè fundata in ipſa eſſentia rei: nam vnio debet fieri immediatè ad eſſentiam naturæ aſſumptæ. Deinde, ſequeretur Verbum fuiſſe tantummodò extrinſecè vnitum carni in illo triduo; nempe quia erat vnitum animæ habẽti ordinem & affectum ad corpus: atqui certum eſt fuiſſe intrinſecè vnitum: *Quod enim ſemel eſt aſſumptum, numquam eſt dimiſſum*, vt ex Damaſceno docent omnes Doctores.

Reſponſio Alenſis.

refellitur.

Henricus autem Quod l. 13. quæſt. 5. ſuprà reſpondet, Verbum non manſiſſe vnitum corpori, propter ipſum corpus, ſed propter animam. quæ corpori erat reunienda, & ideò corpus non fuiſſe per ſe aſſumptibile, ſed ſolùm propter animam.

Reſponſio Henrici.

y Google

Reſtituitur

Sed contrà. Parum refert quo fine Verbum aſſumpſerit corpus; hoc enim tantummodò poteſt iuuare ad maiorem decentiam & congruentiam aſſumptionis: non autem facit ipſam naturam capacem aſſumptionis: quia res priùs in ſe eſt apta aſſumi, quam poſſit ad talem vel talem finem aſſumi.

Probatur Tertiò, Quia Verbum fuit hypoſtaticè vnitum ſanguini, & alijs humoribus ſanguini mixtis, vt ſtatim dicemus: qui tamen nec animati ſunt, nec animæ capaces

Probatur Quartò, Omnis natura ſubſiſtentialis eſt capax ſubſiſtentiæ: & in Verbo eſt ſufficiens vis ad terminandam & ſuſtentandam quamuis naturam, & ad eius ſubſiſtentiam ſupplendam.

Sed contra hanc noſtram ſententiã à quibuſdam

5 Obijcitur Primò, Illud compoſitum ex natura irrationali & Verbo, non eſſet perſona; quod repugnat dignitati Verbi. Reſpondeo, etſi non ſit perſona, eò quòd perſona determinet naturam rationalem; tamen erit hypoſtaſis; quod nullam includit imperfectionem; nam ſolùm eſt quid communius quam perſona.

Soluuntur Obiectiones.

Hoc compoſitũ eſſet hypoſtaſis.

6 Obijcitur Secundò, Natura irrationalis non poteſt eleuari ad operationes diuinas; id eſt, ad cognitionem & amorem Dei: ergo neque ad eſſe diuinum: quia *eſſe eſt propter operationem*. Et Confirmatur, quia vnio cum Deo per operationem, eſt inferior vnione hypoſtaticà: ergo cum creatura irrationalis non poſſit eleuari ad vnionem per operationem quæ eſt inferior, neque etiam poterit ad vnionẽ hypoſtaticã, quæ eſt ſuperior.

Reſpondeo, Natura irrationalis non poteſt eleuari ad eſſe diuinum, ita vt ipſa habeat eſſe diuinum, quo ipſa exiſtat, & ſit entitas actualis; poteſt tamẽ eleuari ad ſubſiſtẽtiam diuinam, vt per eam ſubſiſtat. Nec ideò debet habere operationes diuinas; quia operationes ſunt poſteriores vnione hypoſtaticà: poſſetque Deus aſſumere naturam humanam non eleuatam ad vllam operationem ſupernaturalem. Quod autem dicitur, *eſſe, eſt propter operari*, intelligẽdum eſt de *eſſe* naturæ: hoc enim datur ſuppoſito, vt habeat operationes illius naturæ. Sic ſuppoſito diuino datum eſt *eſſe naturæ humanæ*, vt habeat illius naturæ operationes: *eſſe* autem *ſubſiſtentiæ* non communicatur alteri naturæ, vt ipſa habeat operationes illius ſuppoſiti proprias; ſed vt ſubſiſtat in illo ſuppoſito, & vt illud ſuppoſitum habeat operationes illi naturæ proprias. Ad Confirmationem. Reſpondeo; Vnio cum Deo per operationem, & vnio hypoſtatica, ſunt diuerſi generis. Hinc fieri poteſt, vt id quod eſt præſtantius, conueniat alicui, cui non poteſt conuenire id, quod eſt minus præſtans, Sicut intelligere conuenit homini, non tamen volare: anima eſt capax gratiæ, non tamen coloris. Et ſic natura irrationalis poteſt eſſe capax vnionis hypoſtaticę, quamuis non ſit capax vnionis cum Deo per operationem Ratio eſt, quia vnio hypoſtatica fit per hoc, quod natura apta ſubſiſtere, recipiat ſubſiſtentiam diuinam, ipsâ nihil cooperante: vnde capacitas ad hanc vnionem, oritur ex communi ratione naturæ ſubſtantialis. Vnio autem per operationem fit per actus vitales, ſcilicet cognitionem & amorem, qui debent manare à vitali formâ. Vnde ad hanc vnionem natura non tantùm concurrit patiendo, ſed etiam agendo per formam & potentias vitales, ſcilicet intellectum & voluntatem; quod ſoli naturæ rationali conuenit.

Quomodo natura irrationalis poſſit eleuari ad eſſe diuinũ.

Id quod eſt præſtantius cõuenire poteſt alicui, cui non poteſt conuenire quod eſt minus præſtans.

Obijcitur Tertiò, Id quod per ſe eſt indecorũ, & repugnans prudentiæ, nullo modo poteſt fieri 7 à Deo: atqui Deum aſſumere naturam rationis expertem, eſt per ſe indecorum, & prudentiæ repugnans: ergo &c.

Reſpondeo, Negando minorem; quia non eſt abſolutè contra decorum, vel prudentiam; ſed nobis ita videtur, qui idoneas cauſas non videmus; Deo tamen non deſunt rationes, ob quas decorè & prudenter id poſſit facere. Cùm enim nulla creatura, quantumuis videatur vilis, ſit mala; nihil abſolutè ſe indignum Deus patietur, ſi ob cauſas ſibi notas illam aſſumat. Confirmatur ex Tertull. lib. de carne Chriſti contra Marcionẽ: *Si remerè de lupâ, aut ſue, aut vaccâ prodire voluiſſet, & ferę aut pecoris corpore induens, regnũ cælorũ prædicaret; ea opinor cenſura illi præſcriberet. Sit ſtultũ, ſi de noſtro ſenſu iudicemus; at, quæ ſtulta ſunt mundi, elegit Deus.* Et infrà, ait: *Penes ſapientes ſæculi facilius creditur Iupiter taurus factus aut cygnus; quàm Chriſtus homo, penes Marcionem.*

Non eſt ſi per ſe indecorum.

DVBIVM II.

Verùm partes naturæ, ſcilicet materia & forma poſſint aſſumi?

8 Reſpondeo. poſſe. De forma, patet in triduo mortis; ſi anima ſeparata à corpore manſit vnita diuinitati. De materia nuda dubitatur. Quidam putant non poſſe eam aſſumi, quia non poteſt nuda conſeruari. Sed cùm hoc fundamentum falſum ſit, dicendum eſt eam poſſe aſſumi, cùm poſſit cõſeruari. Pari modo poteſt aſſumere materiam formæ vitam, non aſſumptâ formâ; quo modo quidam licèt in triduo mortis vitam fuiſſe diuinitati materiam, ſine cadaueris formâ, quam materiæ tribuunt.

Affirmatur de nuda forma & materia

9 De forma autem materiali, qualis eſt forma ſolis, elementorum, atque adeò omnium rerum corporearum infra hominẽ, dubitari poteſt. Videtur enim non poſſe aſſumi; quia hæc forma eſt veluti inhærens, ac proinde ſubſiſtentię incapax. Sed longè probabilius eſt, quamuis formam ſubſtantialem aſſumi poſſe, ſiue in materiâ exiſtat, ſiue extra materiam diuinitus conſeruetur. Ratio eſt, quia talis forma eſt ſubſtantia quædam ſuam habens ſubſiſtentiam ad genus ſubſtantiæ pertinentem, licet partialem: ergo Deus poſſet illum modum ſubſiſtendi ſupplere, ſibi vniendo & in ſe ſuſtentando illam formam. Simili modo poſſet vniri formæ exiſtenti in materia, non aſſumptâ tamen materiâ, quia diuerſas ſubſiſtentias partiales habet.

Item de forma materiali.

DVBIVM III.

Verùm qualitates accidentariæ poſſint hypoſtaticè aſſumi?

10 Reſpondeo, Non poſſe aſſumi vt faciãt vnam hypoſtaſim cum Verbo. probabile tamen eſt poſſe a Verbo terminari & ſuſtẽtari, quomodo natura ſubſtantialis terminatur. Ita Gabriel & plerique nominales diſtinct. Et ratio eſt, quia nulla hîc cernitur implicatio: eſt enim Verbum diuinum intimè præſens cuiuis naturæ accidentariæ, & poteſt eius exiſtentiam eleuare, & ſurſum ad ſe trahere, ita vt ipſi innitatur, & ab ipſo pendeat. Si enim ita ſubſtantias poteſt attrahere, quibus tamen naturale non eſt alteri vniri, cur non etiam accidentia, quæ ex natura poſtulant ab alio dependere?

Accidens ſeparatum poteſt à Deo terminari & ſuſtentari.

Neque ad hoc neceſſe eſt vt accidentia habeãt

Inde tamē Deus non diceretur Albus.

ſubſiſtentiam ſubſtantialem, quæ ſuppleatur: ſufficit enim ſuppleri eorum inexiſtentiā in ſubiecto, & dependētiam ab eodem tamquam à termino: quod fieri poterit per diuinam perſonam ſine vllâ tamen informatione. Nam aliud eſt informari aliqua forma, aliud eius dependentiam & exiſtentiam determinare; vt optimè notauit Scotus. Quò fiet vt Deus idcircò nō dicatur, v.g. albus: nam hæc denominatio ſumitur à formâ informante; ſed dicetur ſubſiſtens in albedine. Sicut in triduo mortis, Deꝰ nō dicebatur animatus, nec anima; ſed ſubſiſtens in animâ rationali.

ARTICVLVS II.

Vtrum Filius Dei aſſumpſerit perſonam?

REſpondetur Negatiuè. Filius Dei nullo modo aſſumpſit perſonam humanam. Eſt fide tenendum, & habetur in Concilio Toletano VI. & XI. vtrobique cap. 1. in confeſſione fidi: *Verbum non perſonam hominis accepit, ſed naturam.* Et ſequitur manifeſtè ex dictis quæſt. 2. art. 2. contra Neſtorium. Si enim aſſumpſiſſet perſonam, eſſent duæ perſonæ in Chriſto; quod eſt Neſtorij error. Sed eſt

12

DVBIVM I.

Vtrùm per potentiam Dei abſolutam, perſona vel ſaltem natura perſonata poſſit aſſumi?

13 VBi nota, Aliud eſſe aſſumi perſonam, aliud aſſumi naturam perſonatam: ad illud enim requiritur vt ipſa perſonalitas aſſumatur; ad hoc autem ſatis eſt vt aſſumatur natura, conſeruatâ perſonalitate, licet non aſſumptâ. Vnde ſuprà quæſt. 3. art. 6. dictum eſt, Patrem poſſe aſſumere naturam humanam perſonatam à Filio, non aſſumptâ Filij perſonalitate.

Implicat perſonam aſſumi.

Reſpondeo & Dico Primò, Nullo modo fieri poteſt vt perſona aſſumatur hypoſtaticè. Eſt cōmunis Doctorum in 3. diſt. 1. Ratio eſt, quia involuit cōtradictionem. Perſona enim in ſuo formali conceptu includit eſſe non in alio; nam de ratione eius eſt incommunicabilitas, non tantùm ea quæ opponitur communicabilitati ſuperioris, reſpectu inferioris (nam hoc modo etiam natura individua eſt incommunicabilis) ſed etiā ea quæ opponitur communicationi ſ quæ fit ſuppoſito. Aſſumi autem, eſt eſſe in alio: ergo contradictio eſt perſonam aſſumi. Deinde, Omnis vnio perſonæ cum perſona, tātùm poteſt eſſe accidentaria, non efficiens quid vnum; vt patet ex dictis quæſt. 2. art. 1.

14 Idem dic de natura perſonata.

Dico Secundò, Fieri etiam nequit vt natura retinens ſuam perſonalitatem, à diuinâ perſonâ aſſumatur, etiamſi fingamus ipſam perſonalitatē non aſſumi. Eſt etiam communis Doctorum in 3. diſt. 1. Scoti, Durandi, Paludani, &c. & Caietani ſuprà qu. 3. art. 6.

Probatur Primò, Quia hæc omnino videtur eſſe mens Conciliorum, dum definiunt in Chriſto non eſſe perſonam creatam, eò quòd natura humana ſubſiſteret ſubſiſtentia Verbi: ergo ſupponunt fieri nullo modo poſſe, vt illæ duæ perſonalitates ſint ſimul.

15. Obiectiones ſoluūtur.

Dices, Perſonalitas diuina excludit à naturâ humanâ propriam perſonalitatem creatam, ſi ſpectemus naturalem rerum conditionem; & idcirco Concilia & Patres dicunt id fieri non poſſe vt ſimul ſint; ſi tamen ſpectemus potentiam Dei abſolutam id fieri poſſe.

Reſpondeo, Si ſpectemus conditionem rerum, etiam eſt impoſſibile vt natura non perſonata aſſumatur; & tamen dicitur poſſibile, eò quòd per omnipotentiam Dei poſſit fieri: ergo ſi natura perſonata per eandem omnipotentiam poteſt aſſumi, hæc aſsumptio abſolutè dicetur poſsibilis; quod eſt contra Concilium. Quidquid enim in hoc myſterio dicitur poſsibile, vel impoſsibile, ſolùm cōparatione omnipotentiæ diuinæ ita dicitur: per illam enim omnia facta ſunt, quæ huiꝰ myſterij ſūt propria. Ratio eſt, quia perſonalitas creata cōſiſtit in eo quod eſt naturam eſse per ſe, id eſt, non in alio; ſiue ſit aliquis modus poſitiuus, ſiue non: hoc ipſo enim quo natura rationalis exiſtit per ſe nulli adhæreſcens, eſt perſona; atqui natura vnita alienæ perſonæ, habet eſse in alio: implicat autem vt vna eademque natura exiſtat ſimul per ſe, & in alio; nam illud per ſe, includit intrinſecè non in alio; ergo natura creata retinēs propriam perſonalitatem, nullo modo poteſt aſſumi; quia ſimul eſſet in alio, & non in alio. Natura verò aſsumpta ad extrinſecam perſonalitatem, poteſt vlteriùs ab alia perſona aſsumi; quia non repugnat, vt eadem natura habeat duos modos inexiſtendi; ſeu vt inexiſtat, & ſuſtentetur à duobus; ſicut repugnat eſse per ſe, & eſse in alio. Quod patet in ſimili; quia non repugnat accidēs vnum eſse in duobus ſubiectis; repugnat tamen, accidens eſse per ſe, & eſse in ſubiecto: nam *eſſe per ſe*, includit eſse non in ſubiecto.

natura diuina perſonata, poteſt præterea perſonari.

Dices, Natura diuina habet propriam & naturalem perſonalitatem in Patre, & tamen vlteriùs poteſt perſonari & terminari in Filio: ergo etiam naturæ creatæ habenti propriam ſuam perſonalitatem, poterit hoc communicari, vt ab aliâ perſonalitate poſsit vlteriùs terminari.

Reſpondeo Negando Conſequentiā, Eſt enim diſpar ratio. Primò, Quia natura diuina eſt ſimpliciter infinita: vndè poteſt communicari pluribus perſonis per identitatem. Secundò, Quia natura diuina ita eſt in ſingulis perſonis, vt nihilominùs ſemper maneat, per ſe exiſtens, & non in alio; idque propter ſummam identitatem diuinitatis cum perſonalitatibus. Vnde vnus modus eſsendi ſeu exiſtendi per ſe, v. g. quem diuinitas habet in Patre, non excludit ab eà alium modum eſsēdi per ſe, ſcilicet eum quem eadem diuinitas habet in filio; quia duo modi eſsendi per ſe, non repugnant; ſicut repugnat eſſe per ſe, & eſse in alio.

Secus eſt de natura creata perſonata.

DVBIVM II.

Vtrùm ſi vna humanitas eſſet in duobus locis, (ſicut modo eſt humanitas Chriſti) poſſit in vno loco habere propriam perſonalitatem, & in alio eſſe in perſonâ Verbi?

16 Affirmatur.

REſpondetur hoc fieri poſse; & tunc vna numero natura creata exiſteret in duabus perſonis; ſcilicet in perſona propria, & aliena. Ratio eſt, quia tunc vna natura haberet quodammodo vim duarum, non habentium inter ſe neceſſariam dependētiam; vt dictum eſt in Tractatu de Euchariſtia. Quare vt eſt in vno loco, poſſet eſse per ſe, & non habere vnionem cum Verbo: vt autem eſt in alio loco, habere vnionem cum Verbo. Sicut idem Chriſti corpus, vt eſt in cœlo, eſt coëxtenſum ſpatio; vt autem eſt in Euchariſtia, non eſt coëxtenſum: Quod tamen po-

l. 2. De Perfect. diuinis. a. 6. n. 119.

ed by Google

QVÆSTIO QVINTA.
De modo Vnionis quoad partes Humanæ Naturæ.

In Quatuor Articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum Filius Dei debuerit assumere verum Corpus?

1 Affirmatur.

RESpondetur; Filius Dei assumpsit verum corpus, non imaginarium. Est fide tenẽdum contra antiquos hæreticos, qui dicebant Christum habuisse corpus non verum, sed phantasma corporis. Ita docuit Saturninus, Marcus, Cerdon, & Marcion, teste Tertulliano lib. de præscriptione aduersus hæreticos, & libro de carne Christi. Ratio illorum erat, quia putabant indignum Deo, vt verum corpus humanum assumeret. Item Manichæus teste Augustino lib. contra epistolam fundamenti cap. 9. & hæresi 46. quia existimabat omnia vera corpora esse à malo principio. Idem secuti sunt Priscillianistæ, vt refert D. Leo epist. 93.

Qui hæretici id negarint.

Tres rationes.

Sed probatur hæc veritas tribus rationibus, Prima. Quia Christus fuit verus homo: atqui veritas humanæ naturæ requirit verum corpus humanum. Secunda, Quia sequeretur eius passionẽ, & mortem, & resurrectionem, & reliqua, quæ circa ipsum gesta sunt, solum imaginariè & deluforiè contigisse. Tertia, Quia talis fictio, quæ tota est magica, non decet summam veritatem. Adde, hanc veritatem definitam esse in Concilio Chalcedonensi, & in Constantinopolitano 2. & 3. & in magno Lateranensi Cap. Firmiter & alibi. Vide Tertullianum lib. de carne Christi contra Marcionem.

ARTICVLVS II.

Vtrum Filius Dei debuerit assumere Corpus terrenum, scilicet Carnem & Sanguinem?

2 Affirmatur: Hæretici id negantes.

RESpondetur affirmatiuè. Est fide tenendum contra Valentinum, qui dicebat Christũ assumpsisse corpus ex naturâ cœlesti; & per vterũ Virginis, tamquam per canalem à quo nihil traxerit, transisse. Quem errorem secutus est Apelles, vt refert Tertull. Supra lib. de carne Christi, & de præscriptione aduersus hæreticos. Item est contra quosdam Anabaptistas, qui hanc hæresim instaurarunt, vt refert Cochleus in refutatione Anabaptistarum Monasteriensium.

Probatur ijsdem argumentis, quibus superior articulus.

3 Obijciunt Apostolum prioris ad Corinth. 15. v. 47. vbi Christus comparatus Adamo, dicitur *Homo cœlestis, & esse de cœlo*; Adam autẽ, *terrenus, & de terrâ*: ergo Christus habebat corpus cœleste.

Explicatur loc. 1. Corinth. 15. v. 47.

Respondeo; Hunc locum optimè exponi à D. Augustino lib. 13 de ciuit. c. 23. Sensus igitur est; primus homo, cùm formatus sit de terra, fuit terrenus; scilicet quoad conditionẽ corporis, quod subiectum fuit necessitatibus huius vitæ, & per se passibile, & corruptibile. Secundus autem homo, quia de cœlo venit, scilicet ratione personæ, etiam cœlestis esse debuit; nempe quoad conditionem corporis cœlestem, & immortalem: & quamuis ab initio non statim actu corpus cœleste fuerit, hoc dispensatoriè factum est, vt pro nobis posset pati, & mori: quo peracto, statim christus vi suæ cœlestẽ conditionem suo corpori contulit: vnde semper cœleste fuit, vel actu, vel intrinsecâ potestate; eò quòd persona de cœlis esset. *Igitur sicut portauimus imaginem terreni*, scilicet tũ vitâ, tum corporis conditione; *Ita portemus imaginem cœlestis*; id est, demus operam vt Christo similes efficiamur cœlesti corporis conditione.

DVBIVM I.

Vtrùm Sanguis fuerit hypostaticè assumptus?

VBi notandum Primò, Dupliciter aliquid assumi ad hypostasim. Primò, Immediatè; Sicut anima & caro. Secundò, Mediatè; sicut accidentia, mediante naturâ. Quidquid enim est naturæ cohærens, fuit aliquo modo à Verbo assumptum, & sic dubitandum non est quin sanguinem assumpserit: nam corpus eius vero sanguine suffusum fuit.

Notandum Secundò, Certum esse Verbum assumpsisse, omnes eas humani corporis partes, quæ animâ rationali informantur; & consequẽter omnes eas, quæ sunt necessariæ vt corpus humanum sit integrum.

Ratio est, Primò, Quia Verbum factum est perfectus & integer homo: ad integritatem autem hominis pertinẽt vt minimũ omnes illę partes, quæ animâ informãtur: ergo has omnes assũpsit. Secundò, Quia anima, quacumque in parte sit, subsistit subsistentiâ Verbi: ergo etiam quæuis pars corporis, quam ipsa viuificat, eâdem subsistit, Nulla enim est ratio talem partẽ negligendi. Tertiò, Quia in alijs hominibus omnes illę partes quæ animâ informantur, subsistunt subsistentiâ totius hominis: Atqui in Christo huius vicem subijt Verbum: ergo &c.

His positis, sunt tres sententiæ. Prima, Nec sanguinem, nec alios humores esse vnitos hypostaticè Verbo; sed habere propriam subsistẽtiam, sicut aqua in vase. Dici tamẽ assumptos mediatè eò quòd naturaliter cohæreãt corpori assumpto. Ita sentit Durandus in 4. dist. 1. q. 1. & Richardus in 3. dist. 2. art. 2. qu. 1. & 2. & Gabriel in Canonem lectione 53.

5 Tres sententiæ. 1. Negans, Durandi.

Secunda est, Duplicem esse sanguinem, naturalem, & alimentalem: naturalem seu vitalem esse assumptum, eò quòd pertineat ad integritatẽ humani corporis: alimentalem verò minimè; ob rationem contrariam. Ità docet Siluester in libro quem inscripsit *Rosa aurea* tract. 3. q. 31. & in eãdem inclinat Caietanus infrà quæst. 54. art. 2.

1. Distinguens. Siluestri.

4

quamuis hic nobilem videatur ſentire.

6 3. Verior. affirmans.

Tertia ſententia eſt communis. Pro qua dicendum ſanguinẽ abſolutè, & ſine diſtinctione, fuiſſe immediatè à Verbo aſſumptum, & illi hypoſtatice vnitum. Quæ ſententia ita habetur certa hoc tempore, vt contraria cõdemnetur erroris. Inſinuat eam D. Thomas hîc; & Quod l. 5. art. 5. eam expreſſè tenet, eiuſque omnes ſectatores, Capreolus Caietanus, Sotus, Victoria, Medina & alij. Qua de re quidam recentiores tractatus ſcripſerunt.

Ex ſcripturis. Vbi sãguis oſtenditur eſſe infiniti pretij.

Probatur Primò, Ex Scripturis, quæ docent ſanguinem Chriſti, eſſe pretium noſtræ redemptionis, & quidem magnum. 1. Petri 1. v. 18. *Non corruptibilibus auro vel argento redẽpti eſtis; ſed pretioſo Sanguine, quaſi agni immaculati, Chriſti.* 1. ad Corinth. 6. v. 20. *Empti eſtis pretio magno.* Similia habemus Matth. 26. v. 28. Marc. 14. v. 24. Lucæ 22. v. 20. Secundò, Chriſtus per ſanguinẽ dicitur propitiator, pacificator, redemptor. Ad Rom. 3. v. 24. ad Epheſ. 1. v. 7. & c. 2. v. 13. ad Coloſ. 1. v. 20. Tertiò, In Scripturis dicitur quòd ſanguis Chriſti lauet & emundet conſcientias noſtras à peccatis ad Hebr. 9. v. 14. c. 10. v. 20. & v. 29. c. 12. v. 24. & c. 13. v. 12. & v. 20. & 1. Ioan. 1. v. 7. Quartò, Dicitur ſanguis noui & æterni Teſtamenti, quia per eum firmãtur diuinæ promiſſiones pertinentes ad remiſſionem peccatorum, iuſtificationem, & vitam æternam: atqui hæc efficacia non poteſt conuenire ſanguini, niſi ratione vnionis cum Verbo.

7 Reſpoſio cur sãguis dicatur infiniti pretij. Refellitur

Dices; Vt hæ dignitates & efficientię tribuantur ſanguini, ſufficit vt is qui eum effudit ſit infinitæ dignitatis: nam illa effuſio, quatenus erat voluntaria actio, vel paſſio perſonæ infinitæ, erat infinitæ efficacitatis, & æſtimationis. Sed hoc nõ ſatisfacit; quia ſic ſanguis non eſſet aliter pretium noſtræ redemptionis, quam lachrymæ & ſudor Domini noſtri; nam horum effuſio etiam eſt infiniti pretij ratione perſonę: atqui Scriptura tribuit aliquid maius & ſpecialius ſanguini, vocans illum *Lauacrum peccatorũ, Pretium redemptionis*, &c. quæ ſanè propriè intelligi poſsũt; eritque excellentior modus redemptionis, ſi ipſum pretium ſecundùm, ſe ſit infinitæ dignitatis.

8 Sanguis eſt pars ſacrificij

Probatur Secundò: Ratione fundatâ in Scripturis. Primò, Quia in ſacrificijs legis veteris oblatio ſanguinis erat præcipua pars ſacrificij: cuius ſignum eſt, quod in omni genere ſacrificiorum, Deus volebat ſibi totum ſanguinem offerri, vt patet Leuit. 17. vetãs ſub interminatione mortis etiam ſanguinis; cùm tamẽ in oblatione hoſtię pacificæ; & eius quæ fiebat pro peccato, permitteret bonã partem carniũ Sacerdoti, vel offerenti. Atqui Chriſtus in paſſione obtulit non ſolum corpus, ſed etiam ſanguinem: ergo ſanguis non minùs erat infiniti pretij, quàm corpus; ac proinde non minùs hypoſtatice vnitus Verbo. Patet prior Conſequentia, quia Chriſti ſacrificiũ erat infinitę dignitatis ratione rei oblatæ; res autẽ oblata erat corpus & ſanguis: & in oblatione ſacrificij, oblatio ſanguinis non minoris æſtimatur, quàm oblatio carnis: ergo non erat minoris dignitatis. Cõfirmatur, Quia Chriſtus Matth. 26. & Lucæ 22. ſicut de corpore dicit; *Quod pro vobis tradetur*, ita de ſanguine: *qui pro vobis effundetur*. Secundò, Ioan. 6. Dominus ſicut carnẽ vocat verum cibum animæ, ita & ſanguinem verum potum: atqui caro non viuificat, niſi ratione diuinitatis coniunctæ, vt ſatis inſinuant illa verba verſ. 63. *Spiritus eſt qui viuificat, caro non proeſt quidquã*. id eſt caro ſecundũ ſe, nõ prodeſt quidquã ad æternam vitam, quamuis manducetur; ſed prodeſt propter ſpiritum, id eſt, propter diuinitatem illi vnitam: ergo nec sãguis Chriſti ſumptus quidquam proderit, ſi diuinitas ei coniuncta non ſit.

Eũ potatio eſt neceſſaria ad vitam æternam.

9 Auctoritate Eccleſiæ.

Probatur Tertiò Authoritatè Eccleſiæ, Concilium Alexandrinum coactum à Cyrillo ex Epiſcopis Ægypti ante Concilium Epheſinum, in epiſtola Synodica expreſsè dicit: *Verbum homo factum eſt in aſſumptione carnis & ſanguinis*. Quod eſt conſentaneum ei quod habet Apoſtolus ad Heb. 2. vers. 14. *Quia pueri communicauerunt carni & ſanguini, & ipſe ſimiliter participauit iiſdem.* Clemens VI. in Extrauag. *Vnigenitus tit. de pœnitentia & remiſſione*, dicit guttam ſanguinis modicam fuiſſe ſufficientem, ad totius humani generis redemptionem propter vnionem ad Verbum. Siluester in *Roſa aurea* tract. 3. quæſt. 31. refert Clementem VI. hanc noſtram aſſertionem expreſſis verbis definiuiſſe. Refert etiam eundẽ Pontificem coëgiſſe quemdam Concionatorem, qui apud Barcinonam prædicauerat ſanguinem Chriſti in triduo mortis non fuiſſe hypoſtaticè vnitum, vt ſuam ſententiam reuocaret tamquam hæreticam. Et Piũ II. confirmaſſe eandẽ veritatem, cùm rurſus de eâ quæſtio eſſet exorta. Quę ſi vera ſunt, mirum eſt Abulenſem, qui contrarium tenuit Paradoxo 2. cap. 19. & 40. hæc ignoraſſe, cùm tamen poſt Clementem VI. in Hiſpania vixerit. Similiter ignoraſſe Gabrielem, qui vixit tempore Pij II.

Clemens VI. Pius II.

10 Ratione.

Probatur Quartò Ratione à priori; Quia ſanguis per ſe neceſſarius eſt, ad conſtitutionem integri corporis humani ergo debuit immediatè aſſumi. Antecedens docet D. Thomas infrà q. 54. art 2. & paſſim Doctores in 4. diſt. 44. hinc colligẽtes etiam in corporibus glorioſis ſanguinem futurum. Et confirmatur ex Concil. Trid. ſeſſ. 13. cap. 3. vbi *ſanguinem* vocat *partem Chriſti Domini*, cùm ait, *ſanguinem eſſe ſub ſpecie panis ex vi connexionis qua partes Chriſti Domini non amplius morituri, inter ſe copulantur.* Fauet etiam multis locis Ariſtoteles, ſanguinem inter partes animalis numerans. Et Ratio eſt, quia ſanguis requiritur in corpore humano, non ſolùm propter nutritionem, ſed etiam ob alias cauſas. Primò, Ob firmitatem & conſiſtentiam corporis humani. Secundò, Ad fouendum calorem naturalem, & piritus vitales & animales. Tertiò, Ad conſeruandum debitum corporis temperamentum. Quartò, Vt ſit veluti inſtrumentum multarũ animæ functionum, earum præcipuè quę pertinent ad appetitũ ſenſuum, ſcilicet amorem, lętitiam, triſtitiam, iram, audaciam &c: ergo per ſe neceſſarius eſt, vt homo ſit integer & perfectus.

Sanguis eſt pars corporis. Trident. Ariſtoteles.

11 Quatuor Obiectiones. Prima.

Contrà Obijcitur Primò, Sanguis non informatur animâ rationali, ſed eſt quiddam inanimũ: ergo non debuit hypoſtaticè aſſumi. Patet conſequentia, quia Verbum non aſſumpſit corpus niſi mediante animâ, vt docent communiter Theologi ex D. Auguſtino epiſtola 3. ad Volusianum ergo illud in quo non fuit anima, non fuit aſſumptum. Secũdò, Verbum non aſſumpſit niſi vnam naturam: atqui ſanguis habet ſuam naturam diſtinctam à naturâ carnis: ergò &c. Tertiò, In alijs hominibus ſubſiſtẽtia non terminat niſi eas corporis partes, quæ anima rationali informantur: aliæ autem habent ſuam propriam ſubſiſtẽtiam, vt ſanguis, dentes, & ſimiles: atqui Verbum ſucceſſit in locum ſubſiſtentiæ humanę: ergo non

Secunda. Tertia.

aſſumpſit niſi eas partes quę per animam viuificantur. Quartò, natura humana eſt proprie vna: ergo illa dumtaxat ſunt de eius integritate, quę animâ informantur, ac proinde hęc tantummodò aſſumpta fuere.

Quarta.

Ob hęc argumenta, quidam exiſtimant ſanguinem verè animâ informari, quę illi det eſſe vegetabile, ſicut oſſibus quæ animâ informantur etſi non ſentiant, quia anima non dat omnibus partibus eaſdem functiones. Ita videtur hoc loco ſentire Caietanus, & expreſsè Bartholomæus Medina. Verùm vt omittam hoc eſſe contra cõmunem Theologorũ ſententiam in 4. diſt. 44. eſt etiam contra communem ſententiam Medicorũ & Philoſophorum, qui volunt quatuor humores non eſſe animatos. Alij verò, vt Silueſter, diſtinguunt duplicẽ ſanguinem: alium nutrimentalẽ, quem natura pręparat in hepate, vt ex eo corpus alatur; & hunc non informari animâ, nec eſſe aſſumptum hypoſtaticè: aliũ vitalem, qui gignitur in corde; hunc animâ informari, ac proinde hypoſtaticè eſſe aſſumptum. Fauet Caietanus infrà quæſt. 54. art. 2.

12 Medina putat ſanguinem animâ informari

Silueſter duplicem ſtatuit ſãguinem.

Sed hęc ſententia nec Philoſophię, nec Theologię ſatis eſt conſentanea. Eſt contra Philoſophiam. Primò, Quia ſanguis nutrimentalis, & vitalis, non differunt ſpecie; ſed ſolùm puritate, & ſubtilitate. Vnde ſi alter aſſumptus eſt, etiã alter. Secundò, Quia ſanguis qui eſt in corde, quem Silueſter vitalem vocat, eſt etiam nutrimentum; alit enim cor, & ipſos pulmones per venam arterialem, vt docent medici. Item arterię eodem aluntur. Tertiò, quia nullus eſt ſanguis qui tantùm habeat alẽdi munus: nam alijs etiam vſibus ſeruit.

13 Vtrumque eſt contra Philoſophiam.

Nec etiam Theologię eſt ſatis conſentanea; Primò, quia ſi ſanguis nutrimentalis non eſt hypoſtaticè vnitus Verbo: ergo parum ſanguinis in paſſione effuſi, fuit Verbo vnitũ; nam ante aperitionem lateris, parum fuit effuſum ex arterijs & corde. Secundò, Sequeretur ex vi verborum conſecrationis calicis in cœna, parũ ſanguinis fuiſſe ſub ſpeciebus vini: vel certè ſi totus ſanguis Domini ibi erat, Verbum non fuiſſe per concomitãtiam ſub quãuis parte illius, quia non fuiſſet ſub ſanguine nutrimentali. Atqui vtrumque eſt abſurdum. Primum enim eſt contra virtutem verborũ Chriſti, qui abſolutè ait: *Hic eſt ſanguis meus*, ſcilicet totus. Secundum etiam abſurdum eſt, quia totus ſanguis eſt verè potus viuificans; & inauditum eſt Verbum fuiſſe ſub quibuſdam ſanguinis particulis, ſub alijs minimè.

It contra Theologiam.

Vnde Reſpondeo ad primum argumentum. Siue ſãguis animatus ſit, ſiue non; nihilominùs nego illum non eſſe hypoſtaticè aſſumptum. Satis enim eſt, vt aliquo modo ſit pars corporis humani, neceſſaria ad illius conſiſtẽtiam, integritatẽ, conſeruationem, & operationem. Ad confirmationem conſequentiæ, Reſpondeo; Corpus dicitur aſſumptum per animam, non quod Verbum ei tantummodò mediatè vniatur; ſed quia aſſumptum eſt, vt animæ ſeruiat: quomodo etiam ſanguis aſſumptus eſt per animam, id eſt, propter animã; quia anima ſanguine vtitur veluti inſtrumento. Ad ſecundum Reſpondeo: Sanguis non eſt inſtitutus, vt ſit aliqua natura ſeorſim, ſed vt ſit pars & inſtrumentũ alterius: vnde caro & ſanguis nõ ſunt propriè duæ naturæ, ſed partes vnius integri corporis humani: Sicut carnes, oſſa, nerui &c. ſunt partes vnius integri corporis humani; quamuis fortaſſis diuerſas formas ſubſtantiales habeant: nam illæ formæ imperfectæ ſunt & veluti partiales ad conſtituendum integrum corpus humanũ. Ad Tertium, Sicut natura ſanguinis pertinet ad integritatẽ naturæ humanę, ita etiã ſubſiſtẽtia ſanguinis includitur in ſubſiſtẽtiã naturæ humanę; ſic vt tota ſubſiſtentia naturã humanã terminans, etiam complectatur ſubſiſtentiam ſanguinis: Sicut complectitur ſubſiſtentiam oſſis, carnis, nerui, cerebri, cordis, pulmonis. Ad Quartum, Negatur conſequentia; quia vt aliquid ſit phyſicè vnũ, ſatis eſt vt omnes partes habeant inter ſe naturalem quandam connexionem, formaſque imperfectas, quę ſint diſpoſitiones ad formam perfectam; & conſtituant inſtrumenta formæ principalis.

14 Reſponſio ad quatuor Obiectiones. Ad primã.

Ad Secundam.

Ad Tertiam.

Ad Quartam.

DVBIVM II.

Vtrùm reliqui humores, ſcilicet Flana Bilis, Atra Bilis, & Phlegma ſint aſſumpti hypoſtaticè?

Reſpondeò; Id valdè eſſe probabile. Tenent hoc Caietanus, Silueſter Dominicus Soto, Franciſcus Victoria; Bartholomęus Medina, Suarez, & paſſim alij recentiores.

15 Affirmatur.

Probatur Primò, Quia pertinent ad integritatem humanæ naturę, ſicut ſanguis: ergo ſi ſanguis eſt aſſumptus, etiam reliqui humores. Antecedens patet ex Damaſceno lib. 2. de fide. c. 12. vbi dicit, *Corpora animalium quatuor humoribus cõſtare.* Idem docet Innocentius III. Cap. *In quadam.* de celebratione Miſſarum; vbi dicit, conſtare quatuor elementis, & habere quatuor humores, eſſe de ratione & compoſitione veri corporis humani; quale Verbum aſſumpſit.

Pertinent ad integritatem humanæ naturæ.

Probatur Secundò, Quia hi humores ſunt neceſſarij ad conſiſtentiam hominis, ad debitum corporis temperamentum, & ad operationes animales; vnde etiam erunt in corporibus reſurgẽtium. Secùs eſt de ſudore & ſimilibus, qui in corporibus reſurgentium non erunt. Tertiò denique, Hi humores maximè inter ſe ſunt permixti, adeò, vt ſi vnus aſſũptus ſit, alij etiam videantur debere eſſe aſſumpti.

Sunt neceſſarij ad debitum corporis temperamentum.

Sunt maximè inter ſe permixti.

Nec obſtat quòd hi humores videantur eſſe recrementa ex concoctione chyli & ſanguinis; quia etſi reſpectu nutritionis, magna ex parte ſint recrementa & ſuperflua; non tamen reſpectu totius corporis, & conſtitutionis naturalis, & debiti temperamenti.

Quomodo ſint recrementa.

Dico Secundò, Non eſt improbabile etiam ſpiritus vitales & animales fuiſſe hypoſtaticè aſſumptos. Ratio eſt, quia pertinent maximè ad integritatem & functiones humani corporis: ſũt enim proximum animæ inſtrumentum, per quod anima regit corpus, omneſque motus efficit: Tum etiam, quia in corporibus beatorum erunt prorſus immutabiles, & æterni.

16 Spiritus animales etiam ſunt aſſumpti.

DVBIVM III.

Vtrùm Dentes, Vngues, Capilli, & Barba fuerint hypoſtaticè vnita verbo?

Reſpondeo, Id eſſe ſatis probabile. De Dentibus & Vnguibus probatur; quia probabilius eſt hęc informari ab animâ rationali. Vt ſentit D. Thomas in 4. diſt. 44. 2. 2. quæſtiuncula 2. ad 3. Secundò. Quia non ſolùm pertinent ad ornatum, ſed etiam ad quandam corporis hu-

17 Dentes & vngues.

mani integritatem; & functionibus humanis deseruiunt.

Capilli

De Capillis etiam Probatur Primò, Quia D. Thomas supra vult eos animâ informari; quamuis contrarium existimem esse verius. Secundò, quia sunt futuri in resurrectione; vt indubitanter supponit Diuus Augustinus in Enchiridio cap. 89. & lib. 22. de Ciuitate cap. 19. Pertinent enim quodammodo ad completum ornamentum humani corporis. Hinc veteres ornamenti causâ comam alebant; & comedetensio symbolum est luctus, pœnitentię, renuntiationis mundi, rerum superfluarum; & apud Romanos, seruitutis: vt patet ex multis Scriptoribus. Vide Adrianum Iunium in Opusculo de Coma, è quibus quædam etiam attingit Baronius lib. 1. Annaliū pag. 630. & sequentibus. Denique Christus assumpsit humanam naturam omnino perfectam; hæc autem omnia pertinent ad eius perfectionē. Confirmatur, quia si aliquid horum non fuisset assumptum, & Christus dimitteret ea quę non sunt assumpta, esset imperfectus & quodammodo mutilus homo.

18 Dices, Vngues, Capilli, & similia, facilè resecantur & separantur: ergo non decuit hypostaticè assumi.

Quod semel assumptum nunquam dimissum explicatur

Respondeo Negando Consequentiam, Nam etiam multæ particulę carnis & sanguinis fuerūt hypostaticè vnitæ, quæ tamen assiduâ caloris passione fuerunt postea assumptæ & separatę. Omnes tamen particulę que nunc sunt in corpore Domini, nunquam fuerunt dimissę etiamsi per mortem ab anima fuerint separatæ. Quod autem Damascenus lib. 3. de fide cap. 27. ait, *Id quod semel assumpsit, nunquam dimisit*; intelligendum est, non dimisisse formaliter consideratum, vel ex integro: retinuit enim capillos, barbam, sanguinem &c. saltem ita, vt non omninò fuerint diuersa, sed eadem quodammodo permanserint; quamuis particulę materiæ defluxerint, & aliæ fuerint substitutæ.

ARTICVLVS III.

Vtrum Filius Dei assumpserit Animam?

19 Error Arij & Apollinaris.

Respondetur affirmatiuè. Notandum est, fuisse errorem Arij & Appolinaris, in Christo non esse animam, sed Verbum eius vicem illo non esse animam, sed Verbum eius vicem explere. Apollinaris tamen conuictus Scripturę testimonijs, tandem concessit ipsum habere animam sentientem, sed non rationalem; vt refert Augustinus hęresi 55. Hanc hęresim refutat D. Thomas tribus argumentis; Primò, quia Scripturę Christo tribuunt animam, & animę operationes & affectiones: aiunt enim Christum esse contristatum, admiratum, iratum, esurijsse, sitiuisse, dormiuisse, comedisse, defatigatum, & quieuisse &c. quæ omnia sunt functiones, vel affectiones animę. Secundò, Quia alioqui incarnatio fuisset inutilis: quod enim non est assumptum, non est curatum: anima tamen maximè egebat curatione; nam in ipsa propriè est peccatum: in carne autem, non nisi ratione animę, per denominationem quandam extrinsecam & imputatam. Deinde, anima est longè excellentior corpore: ergo non debuit negligi in assumptione carnis. Item, non potuisset mereri aut satisfacere: nam hęc fiunt per animam libero arbitrio prędita. Denique, si assumpserit carnem cū anima sentiente absque rationali, assumpsisset belluam quandam sub figurâ humanâ. Tertiò, Quia caro, & ceteræ partes hominis, sortiuntur speciem per animam. Intellige, speciem humanam: alioquin parū firmitatis habebit hæc ratio. Vnde apertiùs sic diceretur: Scripturæ asserunt Christum esse verum hominem: ergo assumpsit animam rationalem. Adde, hanc hæresim esse mox damnatam in II. Synodo generali, vt refert Theodoretus lib. 5. hist. c. 9. & à Damaso Papa in epist. Synodica, quam refert ibidem Theodoretus cap. 10. Item à Synodo IV. actione 5. & à Synodo V. cap. 4. & à Synodo VI. actione. 4. Denique omnes ferè antiqui Patres contra eam scripserunt. Vide Athanasium lib. de salutari aduentu Christi, contra Apollinarem. Epiphanium hæresi 69. & 77. Nazian. epist. 1. & 2. ad Chelidonium, & alios.

Damnata à Concilijs & Patribus.

Refutatur tribus rationibus D. Thomæ.

ARTICVLVS VII.

Vtrum Filius Dei assumpserit Intellectum?

20 Affirmatur.

Respondetur affirmatiuè. Et Probatur ijsdem rationibus, quibus Articulus superior. Ostensum enim est in Christo esse animam, quæ non potest esse sine potentiâ intellectiuâ.

Dices, Potentia intellectiua posset separari à substantiâ animæ: ergo etiamsi habuisset animā rationis capacem, potuisset nihilominùs carere intellectu, cuius vicem implesset intellectus diuinus. Sed contrà: Primò, Quia non potest separari sine maximo miraculo, quod non est ponendum sine euidenti causa. Secundò, Est contra finem Incarnationis, qui est curare peccatū, quod inhæret intellectui & voluntati. Tertiò, Est contra perfectionē illius animæ; careret enim vsu rationis, & libertate voluntatis; esset que instar animæ brutalis, quæ neque Deum, neque diuina beneficia potest cognoscere. Quartò, Scripturæ tribuunt Christo *Donum sapientiæ, intellectus, consilij, scientiæ* &c. Isaiæ 11. & alibi, *Orare, mereri, admirari, esse mitem & humilem corde*, quę omnia pertinent ad intellectum & voluntatem humanam. Quartò, Intellectus si abfuisset, non potuisset suppleri ab intellectu Verbi; quia natura creata non potest vti intellectu diuino ad intelligendum, cùm nullum possit habere influxum in illum intellectum. Addo, Apollinarem non tam ipsam potentiam intellectiuam negasse assumptam, quam substantiam animæ, quâ parte intelligentiæ est capax. Argumenta Apollinaristarum non habent difficultatem. Vide Nazian. epist. 1. ad Chelidoniū, qui ea refert & soluit. Et Ambros. lib. de Dominicæ Incarnationis Sacramento c. 7.

Intellectus neque potuit, neque debuit ab anima separari.

21 Assumptæ sunt omnes vires animę.

Aduerte tamen Primò, Sicut Dominus assumpsit intellectum, ita etiam omnes alias animæ vires optimè constitutas; vt voluntatem, appetitum sensitiuum, sensum interiorem sine quo non potuisset humano more operari, sensusque omnes exteriores, & omnes vires ad vim vegetantem pertinentes: nam hæc omnia pertinent ad hominis integritatem. Item assumpsit omnia accidentia naturalia corpori humano. Quos autem assumpserit defectus, dicetur infrà quæst. 14. & 15.

Accidentia soluùm mediatè.

Aduerte Secundò, Accidentia non esse immediatè assumpta, sicut anima, caro, ossa, sanguis & exteri humores: sed mediatè dūtaxat. Ratio est quia

Digitized by Google

eſt, quia accidentia naturâ ſuâ non habent vllam ſubſiſtentiam, cùm naturâ ſuâ reſpiciant alienum ſuppoſitum cui inhæreant & innitantur. Vnde non debebant immediatè à verbo terminari, ſed à naturâ humanâ, cui adhærebant. Omnis autem ſubſtantia, ſiue ſit perfecta ſiue imperfecta, habet aliquam ſubſiſtentiam, ſaltem partialem; quia non reſpicit alienum ſuppoſitum: vnde conueniebat eam à verbo ſuppleri, vt perfectiſſima eſſe hęc aſſumptio.

QVÆSTIO SEXTA.

De Ordine Aſſumptionis.

In Sex Articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Vtrum Filius Dei carnem aſſumpſerit mediante anima?

1

REſpondetur, Ordine dignitatis & cauſalitatis aſſumpſit carnem mediante animâ. PROBATUR prior pars, Quia anima inter carnem & Verbum eſt dignitate media: ergo ordine dignitatis, caro aſſumpta eſt mediante anima. Patet conſequentia, Quia Deus inferiora per media in ſeipſum reducit; vt homines per Angelos, & corporalia per ſpiritalia. Altera pars probatur, Quia anima eſt cauſa cur caro ſit aſſumpta, nam caro non eſt aſſumpta niſi propter animam.

Quid ſit Carnem aſſumi mediante Anima.

Notandum Primò, Hanc concluſionem, *Caro eſt aſſumpta à Verbo mediante anima*; non eſſe ſic intelligendam, quaſi caro non ſit etiam immediatè Verbo vnita, ita vt eius propria ſubſiſtentia à Verbo ſuppleatur (hoc enim eſt manifeſtus error: nam ſic Verbum non aſſumpſiſſet totam naturam humanam, nec eſſet homo;) ſed quòd ipſa non ſit aſſumpta, vel vnita Verbo propter ſeipſam, ſed propter animam dumtaxat, vt ſit eius inſtrumentum, in quo ipſa habeat ſuum naturalem ſtatũ & operationem; non enim caro congruens erat aſſumptioni, niſi ratione ordinis ad animam. Simili modo dici poſſet caro & anima aſſumpta mediãte naturâ humanâ; quia natura humana finis erat huius aſſumptionis partium. Hoc modo explicata Concluſio eſt fide tenenda; habetur enim in VI. Synodo act. vltima. Eandem docent Patres: Nazianz. Epiſt. priore ad Chelidoneum. Auguſt. Epiſt. 3. ad Voluſianum, & lib. de Agone Chriſtiano cap. 18. Damaſcenus lib. 3. de fide cap. 6.

2 Anima nõ eſt aſſumpta mediãte carne.

Notandum Secundò, Non ſimiliter dici animam aſſumptam mediante carne: quia caro non eſt finis animę, ſed compoſitum; non enim anima exiſtit vt carni benè ſit, ſed vt compoſitum exiſtat: caro tamen eſt propter animam.

Neque etiam creatam mediante carne.

Notandum Tertiò circa reſponſionem ad 1. Etſi in ordine proceſſionis creaturarum à Deo tamquam à principio efficiente, vna ſit ratio alterius; nam caro eſt propter animam, & corporalia propter ſpiritalia; tamen non rectè diceretur caro creari mediante animâ, aut corpora mediante ſpiritu: per hoc enim ſignificaretur ſpiritum & animam eſſe cauſam efficientem quaſi inſtrumẽtariam creationis, vt volebant Platonici. Dicitur tamen rectè corpus aſſumi mediante animâ; quia aſſumptio pertinet ad ordinem reductionis rerum in Deum vt in finem: in quo ordine vna creatura eſt finis alterius; & ita vna aſſumitur mediante alterâ, tamquam ratione finali. Sed, hoc totũ pertinet ad modum loquendi: vnde D. Thomas potuiſſet totũ argumentum admittere: ſicut enim Deus immediatè dat omnibus eſſe per creationem, & immediatè eſt in omnib⁹, non autem eſt in vna re, mediante alterâ; ita per aſſumptionem immediatè vnit ſibi tam carnem, quàm animam: & ſicut in creatione anima eſt ratio creandi corporis; ita in aſſumptione anima eſt ratio aſſumendi corporis. Solutio tamen D. Thomę etiam bona eſt.

ARTICVLVS II.

Vtrum Filius Dei aſſumpſerit animam mediante ſpiritu ſeu mente?

REſpondetur affirmatiuè. Notandum eſt, hũc Articulum poni à D. Thoma propter D Auguſtinum, qui libro de Agone Chriſtiano cap. 18. ſic ait: *Inviſibilis & incommutabilis veritas, per ſpiritum, animam; & per animam, corpus accepit.* Simili modo loquitur damaſc. lib. 3. de fide cap. 6. PROBATUR iiſdem rationibus, quibus Articulus ſuperior.

3 Affirmatur.

Aduerte, in homine eſſe tantùm vnam animam, quę quatenus eſt principium ſeu fons virium ſenſitiuarum, & vegetatiuarum, dicitur anima: quatenus autem eſt fons virium ſuperiorum, ſcilicet intellectus & voluntatis, dicitur ſpiritus & mẽs: qui duo gradus in ipsâ animâ vt ſummum diſtinguuntur formaliter. Sicut ergo caro dicitur aſſumpta mediante animâ, tum quia anima dignitate eſt media inter carnem & Verbum; tum, quia caro eſt propter animam aſſumpta: ita anima dicitur aſſumpta mediante ſpiritu; tum, quia ſpiritus dignitate eſt medius inter animâ & Verbum: tum, quia anima eſt aſſumpta propter ſpiritum: non enim erat congrua aſſumptioni niſi ratione ſpiritûs. Quod vt intelligatur: imaginandum eſt in animâ eſſe quaſi duos gradus eſſentiales inter ſe diſtinctos: & animam ſecundùm eum gradum quo eſt ſpiritus, eſſe pręſtantiorem ſeipsâ, vt eſt anima dumtaxat: ac proinde animam, vt eſt ſpiritus eſſe, mediam, inter Verbum & inter animam, vt anima eſt.

Quomodo Anima & Spiritus diſtinguantur.

ARTICVLVS III.

Vtrum anima prius aſſumpta fuerit à verbo, quam caro?

REſpondetur: Anima non fuit priùs tempore aſſumpta, quàm caro, ſed eodem momento. Eſt fide tenendum contra Origenem, qui lib. 1. περὶ ἀρχῶν cap. 7. & lib. 3. cap. 3. & alibi, do-

4 Error Origenis quòd

cet ab initio creaturę omnes animas fuiſſe ſimul conditas, eaſque variis deinde temporibus demitti in corpora, veluti in carceres, ob ſua demerita. Ex quo fundamento lib. 2. cap. 6. docet animam Chriſti ab initio creaturæ fuiſſe vnitam Verbo indiſſolubiliter, & tandem poſt aliquot annorum millia, tempore diuinitus diſpoſito, carni vnitam. Sed hoc fundamentum eſt omninò falſum; & refutatur in Sexta Synodo Generali actione 11. in oratione Sophronij ſub finem, quæ oratio approbatur à toto Concilio actione 13. Item in Concil. Braccarenſi I. can. 6. & in Leonis I. epiſt. 99. cap. 10. & à Cyrillo lib. 1. in Ioan. c. 9. qui. 23. argumentis illud oppugnat. A Hieronymo epiſt. ad Palmachium de erroribus Ioannis Hieroſolymitani. Ab Auguſtino lib. 11. de ciuit. cap. 23. denique à D. Thoma lib. 2. contra Gentes cap. 83. & 84. Pari modo falſum eſt, id quod Origenes ex hoc fundamento colligit de Chriſti animâ, eam ab initio fuiſſe conditam, & aſſumptam antè carnem: & refutatur ſpeciatim in dictâ oratione Sophronij; & à Leone I. epiſt. 11. ad Iulian. & Damaſceno lib. 4. de fide c. 6. & breuiter hîc à D. Thoma. Vbiaduerte, Origenem poſuiſſe animam illam cum ceteris ab initio fuiſſe creatam, & aliquamdiu poſtea merito ſingularis dilectionis à Verbo fuiſſe aſſumptam (vt refert D. Thomas Commentario in Epiſtolam ad Hebręos lect. 4. quamuis non ita expreſſè ex verbis Origenis hoc colligatur:) deinde, in plenitudine temporis poſt multa ſęcula carni vnitam. Vnde ſequeretur, vt benè colligit D. Thomas, illam animam primò habuiſſe ſuam ſubſiſtentiam: deinde, hâc peremptâ, accepiſſe ſubſiſtentiam Verbi; quòd ſanè abſurdum eſt.

omnes animæ ſimul ſunt ab initio creatæ.

Item quòd anima Chriſti ſit ante carnem creata & tunc vnioni non fuerit.

Sed obijci poteſt ex Origene lib. 2. περὶ ἀρχῶν, cap. 6. Chriſtus pſalm. 44. dicitur, *Vnctus oleo lætitiæ præ conſortibus ſuis; quia dilexit iuſtitiam & odiuit iniquitatem*: ergo anima chriſti merito dilectionis fuit vnita Verbo; quam dilectionem habuit ſtatim ab initio: fuit ergo vnita Verbo ab initio. Reſpondeo cum D. Hieronymo epiſt. ad principiam, *oleum lętitiæ*, non eſſe vnionem hypoſtaticam, ſed gloriam corporis, qua Chriſtus in Reſurrectione donatus fuit, eò quòd in paſſione dilexiſſet iuſtitiam & odiſſet iniquitatem: tunc enim verè dilexit iuſtitiam, & odiuit iniquitatę, quando, vt adduceret iuſtitiam ſempiternam, & finem acciperet peccatum (iuxtà vaticinium Danielis 9.) ſcin mortem obtulit. Similis locus eſt ad philip. 2. verſ. 8. *Humiliauit ſemetipſum vſque ad mortem: propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen.*

5 Explicatur locus pſal. 44.

DVBIVM.

Vtrùm Animæ ſaltem priùs naturâ non fuerit aſſumpta à Verbo, quàm caro?

6 Anima priùs intentione aſſumpta eſt quàm corpus. Corpus verò priùs executione.

Reſpondeo & Dico Primò, Ordine intentionis priùs naturâ aſſumpta eſt Anima, quàm caro. Patet ex Artic. 1. Nam aſſumptio animæ fuit ratio & finis aſſumptionis corporis: Sicut enim corpus eſt propter animam; ita vnio Verbi cum corpore, facta fuit propter vnionem Verbi cum animâ.

Dico Secundò, Ordine executionis & exiſtentiæ priùs naturâ aſſumptum eſt corpus, quam anima. Ratio eſt; quia corpus humanum priùs naturâ intelligitur perfectè diſpoſitum, quàm creetur anima: Supponitur enim creationi animę tamquam ſubiectum, in quo anima creanda ſit: atque adeò eſt ratio cur anima hic & nunc creetur: ergo priùs naturâ ſubſiſtit, quàm ſubſiſtat anima. Ergo vt non ſubſiſtat ſubſiſtentiâ propriâ, debet in illo ſigno naturę præueniri à Verbo, antequam anima intelligatur creata. Confirmatur, quia quod eſt vltimum in intentione, debet eſſe primum in executione; vt patet exemplo eius qui ædificat domum; vt rectè Caietan. art. 5. vbi fundamentum, quod eſt vltimum in intentione, eſt primum vnde incipit executio: atqui caro eſt veluti fundamentum humanę ſtructurę: ergo &c.

ARTICVLVS IV.

Vtrum Caro Chriſti fuerit priùs aſſumpta quam animata?

7 Caro ſimul aſſumpta & animata.

Reſpondetur, Non priùs, ſed omninò ſimul tempore caro Chriſti fuit à Verbo aſſumpta, & anima rationali viuificata. Eſt fide tenendum, & habetur in VI. Synodo action. 6. *Simul*, inquit, *caro, ſimul Dei Verbi caro; ſimul caro animata rationalis.* Et Fulgentius lib. de fide ad Petrum cap. 18. *Firmiſſimè tene, & nullatenus dubites, non carnem Chriſti ſine diuinitate conceptam in vtero Virginis priùs quam ſuſciperetur à Verbo; ſed ipſum Verbum Deum ſuæ carnis acceptione conceptum, ipſamq; carnem Verbi Incarnatione conceptam.* Idem docet Ambroſ. lib. de dominicę Incarn. Sacramento cap. 7. Et Damaſcenus lib. 3. de fide cap. 2. Et ratio eſt, quia caro non fuit aſſumpta niſi propter animam: ergo non debuit aſſumi priùs tempore quàm animaretur. Vtrùm autem priùs naturâ fuerit aſſumpta quàm animata, colligi poteſt ex dictis art. 3. & magis patebit ex dicendis art. 5.

ARTICVLVS V.

Vtrum tota humana natura ſit aſſumpta à mediantibus partibus?

8

Reſpondetur duabus Concluſionibus. Prior eſt: Ordine intentionis Verbum aſſumpſit partes mediante totâ humanitate. Ratio eſt, quia vnio Verbi cum humanitate, erat finis & ratio vnionis ipſius cum partibus. Altera Concluſio: Ordine executionis Verbum aſſumpſit naturam mediantibus partibus.

DVBIVM I.

Vtrùm priùs naturâ aſſumpta ſit Anima & Corpus, quàm ipſa humanitas?

9 Humanitas eſt prior intentione.

Omiſſis opinionibus, quę ferè tantùm in modo loquendi diſſident: Dico Primò, Ordine intentionis priùs naturâ aſſumpta eſt tota humanitas, quam anima vel corpus. Eſt communis Doctorum. diſt. 2. Et Damaſceni lib. 3. de fide cap. 16. Ratio eſt, quia Chriſtus non aſſumpſit animam & corpus, niſi vt eſſet perfectus & integer homo: ergo priùs intendit aſſumere humanitatem. Confirmatur, quia partes cùm ſint imperfectæ, non intenduntur, niſi propter totum. Vide Scotum diſt. 2. quęſt. 2.

Partes priores ſunt executione.

Dico Secundò, Ordine executionis & exiſtentię: priùs naturâ aſſumptæ ſunt partes, ſcilicet anima & corpus, quàm totum. Probatur Primò, Quia operatio agentis incipit à partibus, & terminatur in toto: ergo ordine executionis priùs

aſſumptæ ſunt partes. Quod poteſt confirmari exemplo domus ędificandę. Probatur Secundò, Quia anima priùs naturâ ſubſiſtit, quàm totum compoſitum: ergo priùs naturâ accepit ſubſiſtentiam à Verbo, quàm totum. Accedens Probatur, Quia anima priùs naturâ creatur, quàm vniatur corpori: ergo etiam priùs naturâ ſubſiſtit, quàm corpori vniatur. Patet Conſequentia, quia creari, eſt ſubſiſtentium, vt docet D. Thomas in 1. parte quęſt. 75. art. 2. & quęſt. 76. art. 1. Et Cõfirmatur, quia creatio ex natura ſua terminatur ad aliquid ſubſiſtens & independens ab alio, niſi aliunde impediatur: ergo priùs naturâ anima habet ſubſiſtentiam, quàm vnionẽ cum corpore: nã ſubſiſtentiam habet prędisè ex vi creationis; vnionem autem cum corpore, ex naturali quadam actione diſtincta à creatione. Simili modo poſſumus argumentari de corpore; quia corpus priùs naturâ ſubſiſtit quàm totum: ergo eius ſubſiſtẽtia priùs naturâ ſuppletur à Verbo, quàm ſubſiſtentia totius. Antecedens patet, tum quia materia habet ſuam ſubſiſtentiam, cum nulli rei innitatur, quin imò ſit omnium fundamentum.

Deinde, quia corpus humanum priùs naturâ eſt perfectè diſpoſitum, quàm animę vniatur: ergo etiam priùs naturâ ſubſiſtens, quàm totum. Probatur. Tertiò, Quia in triduo mortis Verbum manſit vnitum animę & corpori, ſolutâ vnione cum humana natura: ergo priùs naturâ illis vniebatur quàm toti. Nam quod eſt primum in executione, eſt vltimum in diſſolutione. Probatur Quartò, Illud eſt priùs naturâ ex quo pendet eſſe alterius, non contrà: atqui ex vnione Verbi cum animâ & corpore, pendet vnio eiuſdem Verbi cum humanitate, non contrà: nam hæc ex illâ reſultat: ergo eſt prior, ſi ordinem eſſendi ſpectem*.

DVBIVM II.

Vtrùm Anima & Corpus priùs ſint aſſumpta à Verbo, quàm vnita inter ſe?

REſpondeo & Dico Primò, Vnio animæ cum corpore, eſt prior mentione, quàm vnio eiuſdem animæ vel corporis cum Verbo. Sequitur ex dictis. Et ratio eſt, quia vnio animę cum corpore fuit quodammodò finis vnionis eiuſdem animę & corporis cum Verbo. Verbum enim vnitum eſt animæ & corpori, vt hęc inter ſe vnirentur; & mediante vnione ſui fieret vt Verbum vniretur humanitati ex eorum vnione reſultanti.

10 Vnio horũ extremorum ordine intentionis.

Ordine executionis

Dico Secundò, Ordine executionis & exiſtentię priùs naturâ anima & corpus ſunt vnita verbo, quàm inter ſe. Patet hoc ex rationibus allatis dub. 1. quę hoc ipſum probant. Confirmatur ex ſigno: nam vnio animę & corporis diſſoluta fuit ſaluâ permanente vnione illorum cum Verbo: ergo illorum vnio cum Verbo, non pendebat ab vnione illorum inter ſe.

1 Obiectio

Dices; Etiam illorum vnio inter ſe, non pendebat ab vnione illorum cum Verbo: ergo hæc non erat prior. Patet Conſequentia, quia prioritas naturę, eſt prioritas cauſę reſpectu effectus dependentis: ergo ſi vnio cum Verbo nõ eſt cauſa à qua dependeat vnio illorum inter ſe, non erit prior. Reſpondeo, vt vnio illorum inter ſe conuenienti modo fiat, ſic pendet ab illorum ſubſiſtentia; nam ita debent vniri, vt ſui vnione conſtituant compoſitum ſubſiſtens: vnde ipſa priùs naturâ debent habere ſubſiſtentiam ſuam vel alienam, alioqui non erunt conueni enter conſtituta ad vnionem inter ſe: tum, quia ſui vnione non conſtituent compoſitum ſubſiſtẽs; tum, quia non habebunt complementum intrinſecũ, quod illis eſt magis intimum, quâ vnio inter ſe. Quod confirmatur; quia ſicuti natura vt poſſit operari, debet intelligi eſſe non ſolum exiſtens, ſed etiam ſubſiſtens, ipſaq; ſubſiſtentia intelligitur vt prior operatione, tamquam intima & neceſſaria conditio cauſę efficientis; ita anima & corpus vt poſſint inter ſe congruè vniri ad conſtituendum hominem, debent intelligi habere ſuas partiales ſubſiſtentias, vel id quod illarum vicem ſupplet.

Dices Secundò, D. Thomas art. 4. ad 3. dicit, quòd caro priùs neceſſariò intelligatur vniri animæ quàm Verbo; quod eſt perfectè contra hanc ſententiã. Reſpondeo; D. Thomas agit de vnione perſonali, id eſt, qua intelligitur cõſtitui perſona in natura rationali: non tamen negat, quin vnione, quâ conſtituitur hypoſtaſis in genere, caro priùs vniatur Verbo, quàm animæ. Nam caro vnita Verbo, antequam animetur, non conſtituit perſonam; ſed hypoſtaſim imperfectam.

2. Obiectio.

Soluitur.

DVBIVM III.

Vtrùm Spiritus priùs naturâ vniatur verbo, quàm Animæ?

REſpondeo, Non priùs, ſed omninò ſimul naturâ. Ratio eſt, quia anima & ſpiritus non ſunt duę res, ſed vna ſimplex ſubſtantia; quę dicitur anima, quatenus eſt fons virium inferiorũ; ſpiritus autem, quatenus eſt fons intelligentię. 11

DVBIVM. IV.

Vtrùm prętter vnionem quâ partes ſunt coniunctę Verbo, ſit aliqua vnio per quam immediatè ipſa Natura humana Verbo copuletur?

REſpondeo breuiter: Qui imaginantur, *totum*, eſſe quiddam tertium reipſa diſtinctũ à partibus ſimul ſumptis; etiam ponunt diſtinctam quandam vnionem, quâ ipſum per ſe immediatè Verbo vniatur. Sed quia hoc fundamentum omnino à veritate alienum videtur, cenſemus etiam non eſſe diſtinctam realiter vnionem totius cum Verbo, ab vnionibus partium cum Verbo. Sed ſicut totum conſtat ex partibus, nihilque eſt aliud quàm partes vnitę ſubſtantialiter; ita vnio toti* conſtat ex vnionibus partium, tamquam partib* ſuis: nihilque eſt aliud, quam vniones partiales vnitę: dum enim anima & corpus Chriſti vniebantur in reſurrectione, etiam vniebantur iſtæ partiales vniones, & coibant in vnam integram & completam vnionem, qua humanitas per ſe primò & immediatè vniebatur Verbo. Similiter in cõceptione. Vnde patet vniones partiales aliter ſe habere, quando ſunt ſeparatę, aliter quando vnitę. Sicuti anima & corpus, aliter ſe habent ſeparata, aliter iuncta; dum enim iunguntur, accipiunt modum quendam vnionis, per quem coaleſcunt in vnam naturam: ſic dum hæ vniones iunguntur inter ſe tamquam extrema quædam, etiam accipiunt quandam vnionem & modificationem, per quam coaleſcunt in vnam perfectam & completam vnionem hypoſtaticam. Et iuxtà hunc modum intellige quod habet Durandus in 3. diſt. 2. quęſt. 2. num. 12. in aſſumptione non fuiſſe ordinem, ſed ſimul naturâ totum aſſumptũ & partes: *Quia*, inquit, *nec fuit ordo ex parte aſſumptionis, vt quia vnica fuerit; nec ex parte aſſumptorum* 12

Negatur.

Quomodo vniones partium fiant vnio totius.

Durandus explicatur

quia id quod per ſe primò aſſumptum eſt, eſt natura humana, quæ eſt vnica: & partes eius non ſunt aſſumptę, niſi quatenus inter ſe vnitæ, quomodo non diſtinguuntur à natura humana, Hęc enim intelligenda ſunt de vnione & aſſũptione cõpleta reſultante ex vnionibus partialibus; per hanc enim ſimul naturâ vnitum eſt totum, & partes exiſtentes in toto. Si autem loquamur de vnione generatim, vt comprehendit completam & incompletam, ſic datur ordo naturę inter illas.

DVBIVM V.

Vtrùm priùs naturâ aſſumpta ſit Subſtantia Animæ & Corporis à Verbo, quam intelligatur informari ſuis accidentibus?

15 affirmatur quoad accidentia quæ ſimul cum anima vel corpore oriuntur.

REſpondeo & Dico Primò, Verbum priùs naturâ cenſetur vniri animæ & corpori, & toti humanitati, quàm qualitates, quę eodem tẽporis momento oriuntur vel inſeruntur, informent. V. g. animâ priùs naturâ cenſetur vnita Verbo, quam habere potentias naturales intellectum & voluntatem: aut habitus naturales, vel ſupernaturales. Ratio eſt, quia priùs naturâ res quæque intelligitur ſubſiſtens, quàm affecta proprietatibus: tum, quia ſubſiſtẽtia eſt modus ſubſtantialis magis intrinſecus, quam proprietates & qualitates realiter diſtinctę à ſubſtantiâ: tum, quia ſubſiſtentia requiritur vt ipſa ſubſtantia conuenienter accipiat & ſuſtentet proprietates: quod enim aliud ſuſtentat & terminat, debet ſupponi iam terminatum, & ſubſiſtens. Hinc fit vt Verbum ſupplens hanc ſubſiſtentiam, intelligatur priùs naturâ vnitum.

14 Negatur quoad accidentia tempore præcedentia.

Dico Secundò, Verbum non vnitur priùs quã accidentia informent quæ tempore antecedunt; vt ſunt diſpoſitiones materię, ſi quæ tales ſunt. Hinc fit vt Verbum priùs vniatur materiæ, quàm ipſa accidentia intelligantur vltimò completa, atque adeò priùs quàm diſpoſitio ſit conſummata; non tamen priùs, quàm ipſa accidentia abſolutè inſint. Aduerte tamen, Verbum vniri magis intimè quàm vllum accidens, & ſi naturam vnionis ſpectes, magis inſolubiliter. Quòd enim vnio Verbi cum particulis materię diſſoluatur euaneſcentibus accidentibus, prouenit non ex naturâ vnionis, quaſi hæc pendeat ab accidentibus, ſed ex diuinâ ordinatione: nam accidentia illa tantũ faciunt ad congruentiam aſſumptionis, non autem ſunt neceſſaria ad naturam vnionis.

ARTICVLVS VI.

Vtrum Humana Natura fuerit aſſumpta mediante Gratia?

15 Gratia hic varie accipitur.

REſpondetur; non eſſe aſſumptam mediante gratiâ habituali: neque etiam mediante gratiâ vnionis; ſi hæc accipiatur pro ipſa perſona Verbi: ſed eſt aſſumpta mediante gratuitâ Dei voluntate, non tamquam per medium, ſed tamquam per cauſam efficientem.

Notandum eſt; non ſolùm gratiam habitualem, & ipſum eſſe perſonale Verbi, & gratuitam Dei voluntatem dici gratiam; ſed etiam modum illũ ſupernaturalem naturæ humanę, ſecundùm quẽ, ipſa dicitur inexiſtere Verbo; qui modus etiam vocatur gratia vnionis, vt ſuprà dictum eſt quæſt. 2. art. 10. Et ſi de hoc modo loquamur, humanitas eſt aſſumpta & vnita Verbo, mediante gratiâ; quia mediante illo modo vnionis, qui eſt ſumma quædam gratia collata iſti humanitati. Sicut ſi quis diceret ſcientiam copulari animæ, mediante inhærentiâ; & formam copulari materiæ, mediante informatione. Neque hoc D. Thomas negaſſet; ſed loquitur de medio extrinſeco. Sed de his plura infra.

QVÆSTIO SEPTIMA.
De Gratia Chriſti prout eſt ſingularis homo.

In Tredecim Articulos diuiſa.

1 HActenus diſputatum eſt de eſſentia vnionis hypoſtaticæ; nunc incipit tractare de iis quę hanc vnionem ſequuntur; tum ex parte Verbi, vt ſunt gratia, ſcientia & potẽtia: tum, ex parte humanæ naturę; vt ſunt defectus. Quæ omnia D. Thomas generatim vocat co-aſſumpta; quia ſecundariò & per ipſam naturam aſſumpta ſunt.

ARTICVLVS I.

Vtrum in anima Chriſti fuerit Gratia habitualis?

REſpondetur affirmatiuè. Notandum eſt, quoſdam Doctores olim ſenſiſſe in Chriſto non fuiſſe vllam gratiam creatam, eò quod per increatam eſſet infinitè gratus: vnde illam fore ſuperuacaneam, vt refert Paludanus in 3. diſt. 13. quæſt. 2.

2

Reſpondeo & Dico Primò, Præter vnionem hypoſtaticam, quę aliquid creatum erat, in anima Chriſti fuiſſe veram gratiam creatam ſanctificantem. Videtur fide tenendum; eſtque communis ſententia Doctorum in 3. diſt. 13.

Fuit in Chriſto gratia creata ſanctificans

Probatur Primò ex Scripturis. Ioan. 1. v. 14. *Vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre plenum gratię & veritatis.* Vbi notandum, Eraſmum & Caietanum hęc verba (*plenum gratiæ & veritatis*) coniungere cum ſequentibus, hoc sẽſu: Plenus gratiæ & veritatis Ioãnes teſtatur. Ratio eſt, quia Græcè eſt nominatiuus πλήρης non accuſatiuus πλήρη. Sed hæc expoſitio eſt contra omnes Patres, & perpetuum Eccleſiæ ſenſum; & contra diſtinctionem omnium Codicum Græcorum, in quibus poſt *Veritatis*, eſt punctum; & contra conſequentiam textus: Nam ſtatim verſ. 16. ſubditur: *De plenitudine eius, omnes accepimus.* Et infrà verſ. 17. *Veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt.* Nec refert quod in textu Græco ſit πλήρης id eſt, plenus; quia in multis Codicibus habetur in accuſatiuo, vel notatur in margine. Quòd ſi legamus in nominatiuo, illa verba, *Vidimus gloriam*

Ex Scripturis.

Eraſmus & Caiet. malè explicant locum Ioãn.

eius &c. erunt legenda per parenthesin, & *natus* construetur cum *ait ye.*

Dicitur Sanctus. Lucæ 1. vers. 35. *Quod ex te nascetur Sanctum, vocabitur Filius Dei.* In quem locum Bernardus hom. 4. super Missus est: *Singulariter sanctum fuit, quod Virgo concepit, & per Spiritus sanctificationem, & per Verbi assumptionem.*

Vnctus Spiritu sancto. Item plurimis locis Christus dicitur vnctus Spiritu sancto. Isaiæ 61. v. 1. & Lucæ 4. vers. 18. *Spiritus Domini super me, propter quod vnxit me, evangelizare pauperibus misit me.* Actorum. c. 10. vers. 38. *Quomodo vnxit eum Deus Spiritu sancto & virtute.* Daniel 9. vers. 24. *Et vngatur Sanctus Sanctorum.* Atqui hæc vnctio, etsi principaliter facta sit per vnionem hypostaticã, etiam facta est per gratiam sanctificantẽ, vt docet Athanasius serm. 2. cõtra Arianos sub finem. Basilius in Psal. 44. in illud: *Propterea vnxit te Deus.* Cyrillus in epist. Ad vitam solitariam agẽtes. Et Hieron. in c. 61. Isaiæ. Item Isaiæ 11. vers. 2. *Requiescet super eum Spiritus domini* &c. vbi signatur Spiritus sanctus, cum omnibus suis charismatibus, Christi humanitati conferendus, vt docent Cyrillus in hunc locum, Gregorius lib. 29. Moralium cap. 3c. & Bernardus serm. 16. in Cantica.

Quatuor rationes. Probatur secundò Ratione. Prima, Quia anima illa fuit Verbo coniunctissima: ergo maximè ab illo omnis gratiæ influxum recepit. Secunda, Quia oportebat vt anima illa vnita Verbo hypostaticè, etiã perfectissimè eidem vniretur per cognitionem & amorem; ne tanti beneficij esset ignara, aut ingrata; atqui hæc vnio naturâ suâ postulat fieri per dona supernaturalia gratiæ. Tertia, Quia ab eius humanitate, tãquã à fonte omnis gratia in nos deriuari debebat, iuxtà illud Ioã. 1. *De plenitudine eius omnes accepimus.* Quarta, Gratia est summa quædam animæ perfectio, & principium naturale operum supernaturaliũ virtutum: ergo cùm anima Christi fuerit huius capax, non est cur ei negetur. Dices: sufficiebat gratia vnionis. Respõdeo, Minimè sufficere; quia gratia vnionis nõ perficiebat animæ vires ad suas operationes; nec reddebat illas fortiores aut vegetiores quàm si non adfuisset; sed solùm sustentabat illam naturam, nullum influxum realem aut cooperationem præbens ad eius functiones. Vnde oportebat illam naturã donis creatis perfici & corroborari ad functiones supernaturales.

Gratia est summa animæ perfectio.

3 Hæc gratia est quid permanens. Dico Secundò, Hæc gratia, fuit non tantùm quid transiens, sed donum quoddam permanens in animâ Christi, & habitus supernaturalis. Est ita certum, vt contrarium sit erroneum: & patet ex testimonijs & rationibus allatis. De quo plura Tract. de Gratia, t. 2. quæst. 113. art. 2. dub. 1. vbi ostensum est iustificationem fieri per infusionem donorum supernaturalium; scilicet gratiæ & charitatis, vt ait Concil. Tridentinum sess. 6. cap. 7. & can. 11. vbi necessariò intelliguntur dona habitualia; tum, quia operationem infundi; tum, quia operatio non competit paruulis, qui tamen iustificantur per infusionem gratiæ, & charitatis; quia loquitur Concilium generalim.

DVBIVM I.

Vtrum sine ista Gratia fuerit Anima Christi, esse Sancta, Deo grata, & meriti?

4 RESpondeo; Per potentiam Dei absolutam potuisset Anima Christi carere omni gratia habituali; & asserimus ob solam vnionem hypostaticam fuisse Deo gratissimam, sanctissimam, & idoneã ad omnem

Prior pars Probatur; Quia Deus omninò liberè infudit illi animæ dona creata, & non erant simpliciter necessaria ad vnionem hypostaticam; quia hæc vnio naturaliter erat prior; & ad illam, non datur vlla præuia dispositio.

Altera pars Probatur Primò, Quia hæc anima est maximè sancta, & Deo chara ob singularem vnionem: atqui primaria vnitio, à qua hîc homo dicitur Christus & Messias, & de qua Scriptura potissimùm loquitur, est per vnionem hypostaticam, qua diuinitas non per aliquod suum donum, sed per seipsam, vnxit & imbuit naturam humanam: ergo ob hanc erat maximè sancta.

Christus est Vnctus & Sanctus vnione hypostatica.

Maior patet; Quia nemo sanctus, nisi ratione vnctionis diuinæ. Minor patet; tũ, ex ipsa Scripturarum serie; tum, ex D. Augustino lib. 15. de Trin. cap. 26. & Cyrillo lib. de fide ad Theodosium sub finem, & alijs passim. Confirmatur Ioã. 10. v. 36. *Quem Pater sanctificauit, & misit in mũdũ, vos dicitis quia blasphemas: quia dixi Filius Dei sum.* Qui locus necessariò videtur intelligẽdus de sanctificatione per vnionem hypostaticam; nam alioqui parũ ad rem faceret. Et ita exponit Chrysostomus in hunc locum, & Hilarius lib. 7. de Trinitate.

Probatur Secundò, Quia diuina persona hypostaticè vnita illi humanitati, est maior ratio dilectionis & sanctificationis, quàm omne donum creatum: Nam eminenter & quasi intensiuè omnis gratia creata in illa vnione continetur. Probatur Tertiò, Quia vnio hypostatica excludit omne peccatum, adeò vt impossibile sit illam animam peccare: ergo eam maximè sanctificat. Probatur Quartò, Ratione vnionis hypostaticæ omnia dona supernaturalia isti humanitati fuerunt debita: ergo ea erat veluti fons & radix omnis sanctificationis. Hinc vlteriùs sequitur Christum sine vlla gratiâ habituali potuisse mereri; quia ipsum suppositũ, & natura vnita, eiusque actiones, fuissent Deo gratissimæ, propter dignitatem operantis. Vide Soum lib. 3. de natura & gratia cap. 6. Sed de hoc plura dicemus infrà.

Christus potuit mereri sine gratia habituali.

DVBIVM II.

Vtrum Gratia habitualis Christi fuerit eiusdem speciei atque nostra?

RESpondeo, Si de natura rei loquamur, certum est fuisse eiusdem speciei. Primò, Quia visio beatifica in Anima Christi, & in alijs Sanctis, est eiusdem rationis, licet illa sit perfectior intensiuè: ideò enim Sancti dicuntur coheredes Christi, & conformes imaginis Filij Dei: ergo eã charitas, lumen gloriæ, atque adeò gratia habitualis, quæ horum omnium prima est radix.

Affirmatur.

Secundò, Quia valdè probabile est intellectiuam animæ non posse esse perfectiorem & nobiliorem qualitatem quàm sit gratia; nam habet proportionem naturalem cum Altissimo fine, scilicet cum visione Dei: ergo erat eiusdem rationis.

Dices; D. Thomas Art. 11. vocat Christi gratiam Vniuersale principium omnis gratiæ, & alterius rationis quàm sit gratia aliorum hominũ: ergo non est eiusdem speciei.

Explicatur D. Thomas.

Respondeo; ita vocari, non quòd sit alterius naturæ & speciei, sed quia propter coniunctionem cum Verbo, habet quandam singularem dignitatem & efficaciam, quæ consistit in habitudine ad diuinam personam, & in quadam moralitate existimatione; non autem in naturali perfectione.

ARTICVLVS II.

Verum in Chriſto fuerint virtutes?

REſpondetur, In Chriſto fuiſſe omnes Virtutes. Probatur Primò; Quia in Chriſto fuit perfectiſſima gratia; ex gratia autem dimanant virtutes ad perficiendas animæ vires; ſicut ex animæ eſſentiâ dimanant ipſæ potentiæ.

Notandum eſt Primò, Diuum Thomam hîc tantùm agere de virtutibus ſupernaturalib', quæ non inuoluunt imperfectionem; ſicut fide. & ſpes, de quibus art. 3. & 4. & quæ non ſunt purè intellectuales; de quibus infra q. 9.

Notandum Secundò, Quoſdam exiſtimare virtutes effluere realiter & effectiuè à gratiâ; ſicut potentia animæ ab eius eſſentiâ. Quæ ſententia ſine dubio falſa eſt, multiſque modis refutari poteſt: ſed ſufficiat vna ratio. Si enim hoc eſſet verum, eo ipſo, quo quis accipit gratiam aut iuſtificatur, deberet eſſe beatus, niſi Deus miraculo impediret. Deinde, fieremus beati per ſolam remotionẽ impedimenti. Probatur hoc ſequi, Quia ſi virtutes ſupernaturales, quæ ſunt in potentia, manant naturaliter ex gratiâ: ergo etiam lumen gloriæ; hoc enim propriè reſpondet charitati tãquam eius menſura: ergo eſſemus beati, niſi Deus contra naturæ ordinem, hanc emanationem impediret; quo impedimento ceſſante, ſtatim naturaliter cum ſolo cõcurſu generali, gratia hoc lumen intellectui refundet. Si dicant, lumen gloriæ non manare ex gratia; ſed fidem. Contrà Primò, Quia lumen gloriæ propriè eſt menſura & regula Charitatis: ergo ſi charitas manat in gratia, etiam lumen gloriæ. Deinde, lumen gloriæ eſt ſuprema virtus ſupernaturalis perficiens animã: ergo ſi hæc non manat ex gratia, nec cæteræ. Tertiò, Si lumen gloriæ non manat ex gratia, ſed fides: ergo fides fuiſſet in Chriſto, & eſſet in beatis, niſi miraculo impediretur.

7 Virtutes non effluũt realiter à Gratia.

DVBIVM I.

Vtrùm in Chriſto fuerit virtus pœnitentiæ?

REſpondetur; Non fuiſſe, quatenus elicit actum pœnitendi, id eſt, dolendi & ſatisfaciendi pro ſuis culpis: quia in ipſo nulla poterat eſſe culpa. Erat tamen in Chriſto ille habitus virtutis, qui in nobis, vocatur Pœnitentia, eiuſdem ſpeciei. Ratio eſt; Quia hæc virtus per ſe primò non reſpicit culpam propriam, ſed culpam in genere, quatenus eſt iniuria Dei; ipſius enim officiũ eſt dolere de culpa, ſiue propria, ſiue aliena, quatenus eſt iniuria in Deum; & pro ea velle ſatisfacere: vel (vt in Beatis) deteſtari omnem iniuriam Deo illatam, & amare eius ſatisfactionem, vt dictum eſt in 3. parte quæſt. 85. Art. 3. Vbi etiam oſtendimus pœnitentiam non diſtingui à charitate, & iuſtitia quadam erga Deum; cuius iuſtitia videtur eſſe pars quædam Religionis. Nec obſtat quòd pœnitentia in Chriſto non poſſit habere actum pœnitendi; quia etiam in beatis non poteſt hunc actum habere, tamen verè eſt in ipſis, & alios actus habet.

8

Pœnitẽtia vt in genere dolet de iniuria Dei, eſt in Chriſto.

Pari modo non eſt in Chriſto potentia peccandi, quamuis in eo ſit omnis illa facultas poſitiua, quæ in nobis vocatur potentia peccandi, ob defectum negatiuum illi annexum, qui eſt, non eſſe ſuam regulam, nec eſſe immobiliter annexum ſuæ regulæ.

Non eſt in Chriſto Potentia Peccandi.

DVBIVM II.

Vtrùm hi Habitus ſupernaturales fuerint Chriſto neceſſarij ad eliciendos actus ſupernaturales?

REſpondeo, Quidam dicunt nec habitus, nec auxilia ſupernaturalia Chriſto fuiſſe neceſſaria: quia per ſolam vnionem cum Verbo, anima poterat omnes virtutu actus ſupernaturales efficere. Confirmatur; Quia *modus operandi, ſequitur modum eſſendi*: ſed anima ex vi vnionis cum Verbo, habebat modum eſſendi diuinum; atque ideò ipſum fontem omnium virtutũ: ergo ex vi vnionis habebat etiam operationes diuinas virtutũ. Sed hoc multis modis poteſt refutari.

9 Quidam negant.

Quare dicendum eſt, Chriſti humanitatem non minùs eguiſſe virtutibus & auxilijs ſupernaturalibus ad opera bona, quam nos egeamus; imò nõ minùs eguiſſe auxilio diuino ad ſeruandam totam legẽ naturæ, quam in Verbo vnita non fuiſſet. Ratio eſt, Quia vnio hypoſtatica non dabat vllas vires ad operandum, nec vllum auxilium aut concurſum (hæc enim omnia ſunt a totâ Trinitate) ſed ſolùm iuſtẽtabat naturam humanam.

Aſſumitur.

Gratia neceſſaria ad ſeruãdam totã legẽ naturæ, fuit humanitati Chriſti debita.

Aduerte tamen, Hoc auxilium, quod ad legem naturæ ſeruandã erat neceſſarium, fuiſſe omnino debitum humanæ naturæ ratione vnionis hypoſtaticę, ita vt nullo modo potuerit negari; vt infra patebit. Illud autem, *Modus operandi ſequitur modum eſſendi*, intelligẽdum eſt de modo operationis, qui ſequitur ex eo, quod forma ſit in materia, vel extra materiam: Item, qui ſequitur ex eo quòd natura exiſtat in ſuppoſito diuino: qui tamen modus nihil eſt aliud quàm moralis quædam dignitas, & æſtimatio operationis.

DVBIVM III.

Vtrùm in Chriſto fuerint omnes Virtutes Naturales; id eſt, quæ naturæ viribus comparari poſſunt?

REſpondeo; Fuiſſe, & quidem perfectiſſimè. Probatur Primò, Quia hæ virtutes ſunt quędam maximæ perfectiones animę neceſſariæ, vt ipſa intra limites naturæ ſit perfecta: nec vllæ includunt imperfectionem, quæ vel beatitudini, vel vnioni hypoſtaticę repugnet: vnde etiã communiter tribuuntur Beatis a Theologis in 3. diſt. 33. & inſinuat Auguſtinus lib. 13. de Trin. c. 9. Secundò, Quia oportebat vt anima Chriſti, non ſolùm eſſet perfectè diſpoſita ad opera bona conſentanea legi ſupernaturali & ordini gratiæ: ſed etiam ad opera bona cõſentanea legi naturali, & ordini naturę. Tertiò, Quia credibile eſt Dominum obiuiſſe illarum virtutum functiones; vt Temperantiæ, Fortitudinis, Iuſtitiæ: ergo ex habitu, nam hic modus operandi eſt perfectior. Nec obſtat, quòd erãt naturales, ac propterea nõ videantur meritoriæ. Quia erant meritoriæ; tum ratione dignitatis perſonæ, tum ex relatione ad finem ſupernaturalem. Nec impẽdiebatur ſimul operari per virtutem naturalem & ſupernaturalem circa eãdem materiam. Quartò, quia Chriſtus habuit humanam ſcientiam: ergo & humanas virtutes.

10 Aſſumitur.

Chriſtus obiuit actus virtutũ naturaliũ.

Dices, cõtinentia, quam ponit Ariſtoteles, non videtur fuiſſe in Chriſto: nam coniuncta eſt motibus intemperantiæ. Reſpondeo; Quoad ſubſtantiam ſuam, in chriſto fuiſſe; nam non diſtinguitur ſpecie à virtute Temperantię: eſt enim

Fuit in eo Continentia.

Google

Temperantia in ſtatu imperfecto : ſcilicet quæ nondum ſubegit omnes intemperantiæ motus. Sed hæc imperfectio in Chriſto non fuit : quia omnes virtutes in ſtatu perfectiſſimo & heroico habuit. Quo modo autem Magnificentia & Liberalitas in chriſto Domino fuerint : Vide D. Thomam ad 3.

DVBIVM IV.

Vtrùm à principio Conceptionis habuerit haſce Virtutes Naturales?

11 Affirmatur.

REſpondeo; Habuiſſe, idque per infuſionem. Probatur Primò, Quia Chriſtus à principio fuit omninò perfectus ſecùdùm animam, vt paſſim docent Patres: & habuit omnes animæ vires optimo modo conformatas, & vtrumque appetitum perfectè ſubiectũ rationi. Atqui hęc optima virium diſpoſitio, & appetituum cum ratione cõfirmatio, fit formaliter & intrinſecè per haſce virtutes, & habitus connexos. Probatur Secundò, Quia Adam à principio habuit haſce virtutes animæ infuſas; & pariter omnes beati in patria: ergo multò magis Chriſtus: tum, quia ſecundum animam beatus erat; tum, quia principium omnis perfectionis humano generi inſtitutus erat. Nec obſtat quòd Deus per ſolam externam prouidentiam & aſſiſtẽtiam potuerit efficere vt appetitus numquam contra rationem moueretur; quia perfectiori modo hoc fit per intrinſecã diſpoſitionem, & conformationem; ad quam neceſſarius eſt virtutis habitus, ſine quo, appetitus non fuiſſet intrinſecè conformatus rationi.

Adam & Beati habent ab initio has virtutes ſibi infuſas,

12 Chriſtus nõ elicuit omnes actus virtuum naturalium in primo inſtanti ſuæ conceptionis.

Dices, Præſtantius eſt habere virtutem à ſe, quàm ab alio : ergo Chriſtus comparauit haſce virtutes ſuis actibus; non autem accepit infuſas extrinſecùs. Reſpondeo; ob hoc argumentum quidam putant Chriſtum in momento ſuæ conceptionis, elicuiſſe omnes actus omnium virtutum; & per hos, eas comparaſſe. Sed quamuis hoc non implicet contradictionem; tamen non eſt naturę conſentaneum: debuiſſet enim illa anima ſimul habere omnes actus illarum virtutum in ſumma intenſione, & ſecundùm totam extenſionem & materiam cuiuſque virtutis, idque in omnibus ſimul potentijs: Intellectu quidem, cõſiderando & æſtimando omnes virtutũ materias: Voluntate, & Appetitu inferiore, diſtinctis actibus omnem honeſti materiam pro ſua cõditione amplectendo; quod ſine ingenti miraculo, minimè, neceſſario, fieri non potuiſſet. Adde; nobilius eſſe incipere à perfecto modo operandi, qui eſt ex habitu; quàm procedendo ab imperfecto, habitum comparare. Quare dicendum eſt, Chriſtum illas virtutes quodãmodo habuiſſe à ſeipſo, quia habuit eas ex efficacia ſuæ perſonæ, qua contulit eas animæ ſuæ tamquam debitas ob intrinſecam vnionem cum perſonâ. Contulit autem eas in ſummâ perfectione, quę erat poſſibilis ſecundùm potentiam ordinariam, & conſentanea dignitati illius diuinæ vnionis: ac proinde etiam quanta eſſe poterat iuxtà capacitatẽ naturalem humanę animæ. Potentiæ enim naturales in homine habent terminatam efficaciam agendi; vnde datur aliqua intenſio actuum naturalium, vltra quam, vis naturæ non poteſt. Vnde etiam fit vt hæ virtutes in chriſto ſucceſſu temporis non ſint auctę: tum, quia capacitas animæ fuit expleta; tum, quia actus non fuerunt habitibus intenſiores.

Quo modo habuit has virtutes à ſeipſo.

Non creuerunt in eo ſucceſſu temporis.

ARTICVLVS III.

Vtrum in chriſto fuerit Fides?

13 Negatur.

REſponſio eſt negatiua. Eſt certa & communis Theologorum in 3. d. 23. & ſequẽtibus. Probatur; quia fides non eſt in ijs qui habent claram viſionem, vt docet, D. Aug. lib. 14. de Trinit. cap. 2. Et conſtat ex Apoſtolo ad Hebręos 11. v. 1. vbi dicit : *Fides eſt argumentum non apparentium.* Atqui chriſtus ab initio habuit claram viſionem diuinitatis, & diuinorum myſteriorum; vt infrà dicemus. Vide 2. 2. q. 5. art. 2. Dices Iſaię 11. v. 5. dicitur de Chriſto: *Et erit fides cinctorium renum eius.* Reſpondetur; fides accipitur ibi pro fidelitate, id eſt, conſtãtia in ſeruandis promiſſis. Ita D. Hieronymus & alij communiter. Vnde Septuaginta vertunt ἀλήθεια veritas; & ſenſus eſt, perpetuò & inſeparabiliter erit iuſtus & fidelis in promiſſis.

Fides ſeu fidelitas.

Aduerte tamen; etſi in Chriſto non fuerit fides, fuit tamen fidei meritũ. Nam habuit promptitudinem ad credendum, ſi deeſſet euidentia; idque ex pia affectione voluntatis ad diuinam auctoritatem. Vnde in voluntate erat habitus ſupernaturalis, qui in nobis actum fidei imperat: quamuis in intellectu, nec actum, nec habitum fidei haberet : ille enim habitus, eiuſque actus, nullam includit imperfectionem, quę ſtatui beatitudinis repugnet. Vnde etiam in beatis manet; vt dictum eſt 2. 2. q. 5. a. 2.

14 Habuit tamen fidei meritum.

ARTICVLVS IV.

Vtrum in chriſto fuerit Spes?

REſpondetur negatiuè. Vide D. Thomam. Notandum tamen, etſi in Chriſto non fuerit ſpes, ſeu potiùs actus ſpei, vt extendit ſe ad gloriam animæ ſperandã; fuit tamen in illo ſpes, quatenus eſt expectatio glorię corporis. & excluſionis omnis mali; quia hãc gloriã in vitã iſtã mortali caruit, & multis malis animę & corporis afflictatus eſt. Ipſe etiam habitus, qui eſt virtus Spei, erat in eo eiuſdem rationis, cuius in nobis; quãuis non omnes actus habuerit quos in nobis. Nam hic habitus manet in beatis, & varios in illis actus habet; vt dictum eſt 2. 2. q. 18. a. 2. Vtrum autem ſit idem habitus, quo ſperatur beatitudo animæ & corporis, dictum eſt ibidem q. 17. a. 2. dub. 3. vbi oſtenſum eſt eſſe eundem, qui tamen conſtet partibus heterogeneis.

15 Qualis actꝰ & habitus ſpei in eo fuerit.

ARTICVLVS V. & VI.

Vtrum in chriſto fuerint dona Spiritus ſancti, præſertim Timoris?

16 Affirmatur.

REſpondetur : in Chriſto fuiſſe omnia dona Spiritus ſancti, etiam donum Timoris. Probatur Iſaiæ 11. v. 2. *Requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini, ſpiritus ſapientię & intellectus, ſpiritus conſilii & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ & pietatis: & replebit eum ſpiritus timoris Domini.* Ratio eſt, quia dona dantur vt intellectus & voluntas facilè moueantur, & obſequantur Spiritui ſancto; atqui hæ potentiæ in Chriſto erant optimè diſpoſitæ ad Spiritus ſancti motum ſuſcipiendum: ergo &c.

Notandum Primò, Magnam eſſe controuer-

tiam inter Doctores, vtrùm, & quomodo dona distinguantur a virtutibus infusis; scilicet à quatuor Cardinalibus, & tribus Intellectualibus.

Notandum Secundò, Siue dona distinguantur à virtutibus, siue non; certum est in Christo omnia fuisse; vt patet testimonio Isaiæ, quod dixerit de Christo: vnde in Christo fuit etiam donu Timoris Domini, quod olim perperam negauit Pet. Abaillardus, vt refert Bernardus epist. 190. ad Innocentium 11. & Castro Verbo *Christus* hæresi 6. qui etiam hanc hæresim refutat.

Hæresis Petri Abaillardi.

17 per Donū Timoris intelligi potest reuerentia.

Sed dic: cur tas est, in quo consistat hoc donum Timoris? Respondeo Primò, Posse consistere in quadam reuerétiâ, quæ nascitur ex consideratione eminentissimæ maiestatis diuinæ, & vilitatis propriæ naturæ; quâ fit, vt quis fugiat omnem sui cum comparationem cum Deo; & omnem illius excelsitudinis curiosam scrutationé; seque illi penitus submittat. Et hoc modo certum est in Anima Christi, & in omnibus beatis esse hunc Timorē: hunc enim Patres tribuunt Sanctis Angelis, vt Dionysius de cœlesti hierarchia cap. 13. & Chrysost. homilia 1. de Visione Isaiæ. Ita D. Thomas hoc loco accipit Donum Timoris: quanquam hic actus videatur pertinere ad virtutem Religionis; vt patet ex dictis de Religione l. 2. de Iustit. & Iure c. 36. Quòd tamen hæc reuerentia recte dicatur Timor, patet ex modo loquendi Scripturæ, Luc. 5. v. 26. *Repleti sunt omnes timore dicentes, quia vidimus mirabilia hodie*, id est, reuerentiâ ergà Christū, & Deum in Christo operantē. Matt. 9. v. 8. *Videntes autem turbæ, timuerunt, & glorificauerunt Deum.* Deinde, quia hic affectus Reuerentiæ, duo continet; scilicet affectum erga alterum, tamquam eminentiorem; & fugam quandam, quâ quis ex hoc affectu refugit se comparare cum Deo, vel certè eius profunda curiosè scrutari. Quò fit vt etiā dicatur Admiratio; quia admiratio, præter cognitionem diuinæ incomprehensibilitatis, quæ est actus intellectûs, nil il ponit in voluntate nisi illum affectum, & fugam curiositatis circa incomprehensibilia Dei. Vnde hæc etiam fuit in Christo, sicut & in Angelis beatis. Nam de Angelis testatur Dyonisius supra, & Greg. 17. Moralium c. 15. exponens illud Iob 26. vers. 11. *Columnæ Cœli contremiscunt, & pauent ad nutum eius*, id est, admirantur eius maiestatem, & iudicia.

Reuerétia hæc rectè dicitur Timor.

Vocatur etiam Admiratio.

2. Fuga mali.

Secundò, Potest per hoc donum intelligi Timor, quo quis refugit separari a Deo per culpā, qui est in Beatis, non quidem vt actus absolutus, sed vt conditionatus: considerātes enim suæ naturæ mobilitatem, in quam detractis Dei donis diuinoque influxu, recidérent; vident se ex hac parte posse a Deo deficere. Vnde nascitur quidā actus Timoris conditionati, qui nil il est aliud quàm simplex quædam fuga voluntatis, tamquam mali, quod naturæ nudæ est possibile. Vnde patet hunc quoque timorem in Christo esse.

3. Temperantiæ.

Tertiò, Per donum Timoris potest intelligi virtus Temperantiæ, qua fugimus voluptates carnis ex instinctu Spiritus sancti. Et hoc etiam fuit in Christo, cùm esset in vita mortali, & est modò in ipso, & beatis, secundùm simplicem affectum quo amant honestatem temperantiæ, & turpitudinem contrariam detestantur.

18 Qualis sit Timor in beatis iuxtà August.

Aduerte D. Augustinum lib. 14. de Ciuit. cap. 9. simpliciter Timorem ponere in Beatis: Primo ratione præmij. Quomodo dicitur Psal. 9 vers. 19. *Patientia pauperum non peribit in finem*; quia præmio & fructu patientiæ, non fraudabitur. Secundò, ratione effectûs. Qui est arctissima coniunctio cum Deo; qui enim in hoc mundo timet à Deo separari, arctiùs se illi astringit ne contingat excidere. Vnde arctissima illa Sanctorum cum Deo coniunctio, & quasi intima in ipsum fuga, vocatur Timor, iuxtà Augustinum.

ARTICVLVS VII. & VIII.

Vtrum in Christo fuerint omnes gratiæ gratis datæ, etiam Prophetia?

19 Affirmatur.

RESpondetur affirmatiuè. In Christo perfectissimè fuerunt omnes Gratiæ gratis datæ. Notandum ex D. Thoma 1. 2. quæst. 111. art. 4. Sicut *Gratia gratum faciens* datur homini vt mens eius iungatur Deo cognitione & affectu; ita *Gratia gratis data* confertur vt ipse alios ad Dei cognitionem & cultum adducat; suntque nouem, & enumerantur ab Apostolo 1. ad Corint. 12. vers. 8. e quibus tres, iuxta D. Thomam pertinent ad cognitionem cœlestis doctrinæ, scilicet *Sapientia, Scientia, Fides*: duæ pertinent ad elocutionem apud Auditores, vt *genera linguarum. & interpretatio sermonum*: quatuor ad confirmationem doctrinæ propositæ, scilicet *operatio virtutum, & gratia sanitatum, Prophetia & discretio spirituum.*

Probatur ergo has omnes gratias in Christo perfectissimè fuisse. Primò, Ex Patribus. D. Augustinus epistola 57. quæst. 2. *Sicut in capite sunt omnes sensus, ita in Christo omnes Gratiæ.* Idem tract. 14. in Ioannem explicans illud: *Non enim ad mensuram Deus dat Spiritum.* Chrysostomus homilia de Spiritu sancto paulò vltra medium in tom. 3. & hom. 29. in Ioan. Cyrillus lib. 2. in Ioan. cap. 72.

1. Ex Patribus.

Secundò, Probatur ratione. Prima, Quia à Christo tamquam à capite, omnes hæ gratiæ descendunt in alios, tamquam in membra: *Nam vnicuique data est gratia secundùm mensurā donationis Christi*, ad Ephes. 4. v. 7. Secunda, Christus fuit perfectissimus Doctor omnium hominum: ergo in ipso perfectissimè fuerunt omnia quæ ad istius doctrinæ apprehensionem, propositionem, & confirmationem pertinent; ergo omnes hæ gratiæ.

2. Ratione.

Tertiò Probatur inductione: Fuit enim in illo *Sermo Sapientiæ & Scientiæ*, id est, facultas explicandi omnia quæ ad fidē, & ad mores pertinent. Quod perspicuum est ex eius doctrina. Vnde Petrus Ioan 6. v. 68. *Domine ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes.* Luc 4. v. 22. *Mirabantur in Verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ipsius.*

3. Probatur Inductione. 1. Sermo Sapientiæ.

Fuit etiam in ipso *Fides*, vt est *Gratia gratis data*: nam hæc, supra firmitatem assensus fidei, vel cognitionis supernaturalis quę in Christo erat loco fidei, nihil videtur addere præter auxiliū speciale, quo quis iudicat sibi præstò fore diuinā opem ad miracula; ex quo fit ducium concipit miraculorum: & ita maximè fuit in Christo: vnde Ioan. 11. v. 42. *Ego sciebam quia semper me audis.*

3. Fides.

Fuit etiam in eo *Donum linguarum omnium*; quia qui nouerat cordium secreta, non poterat ignorare vocum significationes. Deinde, Qui contulit Apostolis vt omnium linguis loquerentur, non potuit eadem facultate carere; quin potiùs longè perfectiùs eam possedit. Publicè tamen & pro concione verisimile est non fuisse vsum diuersis linguis, præter Syram & Hebraeam; quia non erat *missus nisi ad oues quæ perierunt domus Israel.* Matt. 15. v. 24. nempe, vt per se, illis prædica-

1. Lingua.

ret. Et hoc forte vult D. Thomas art. 7. ad 3. Priuatim autē probabile eſt eum hoc dono vſum; vt, cùm loquebatur cum gentilibus, cum Samaritanā, & alijs.

20 4 Prophetia: quam malè negat Abulenſes.

Fuit etiam in illo *Prophetia*, quod eſt contra Abulenſem q. 64. in cap. 11. Numeror. vbi exiſtimat Chriſtum non fuiſſe verè Prophetam, ſed ſolùm opinione vulgi, qui nihil in eo maius agnoſcebat. Sed Probatur, quia Scriptura paſſim Chriſtum vocat *Prophetam*. Deut. 18. v. 18. *Prophetam ſuſcitabo eis de medio fratrum ſuorum.* Quē locum de Chriſto intelligi, patet ex interpretatione Petri Act. 3. & Stephani Act. 7. de quo vide D. Auguſt. lib. 16. contra Fauſtum Manichæū cap. 18. & ſequentibus. Matth. 13. v. 57. *Non eſt Propheta ſine honore niſi in patria ſua.* Et Luc 13. v. 33. *Non capit Prophetam perire extra Hieruſalem.* Quibus locis Chriſtus ſe Prophetam vocat, non vulgus. Omitto alia plurima loca. Deinde Probatur ratione; Quia Chriſtus per ſcientiam ſupernaturalem & beatificam, prænoſcebat ea quę procul ſunt, vel loco, vel tempore; & à quibus ipſe tamquam viator diſtabat: eaque annuntiabat hominibus: ergo verè erat Propheta.

Obiectiones Abulenſis.

Dices Primò, Chriſtus vt homo, erat Beatus: Ergo ei nihil erat procul, ſed omnia præſentia: ergo non erat Propheta: nam de ratione Prophetæ eſt, vt videat procul poſita. Secundò, Chriſtus non erat Dei nuntius, ſed Deus ipſe: ergo &c. Tertiò, Ioannes Baptiſta non erat Propheta, ſed *plus quàm Propheta.* Matth. 11. ergo multò magis Chriſtus. Quartò, *Prophetiæ euacuabuntur.* 1. Cor. 13. atqui in Chriſto nihil euacuandum; quoad animam.

Reſpon-ſio.

Reſpondeo ad primum: Negando Conſequētiam; Nam Chriſtus non tantùm erat beatus, ſed etiam viator. Et quatenus viator, erat procul ab ijs quæ nuntiabat; quod ſufficit ad rationem Prophetiæ. Ad ſecundum: Chriſtus non tantùm erat Deus, ſed ſeruus & nuntius Dei; vnde dicitur, *Seruus Dei* Iſaiæ 42. verſ. 1. *& nuntius teſtamenti*, Malachiæ 3. verſ. 1. Ad tertium: Ioannes erat pluſquam Propheta in annūtiando Chriſto; quia plùs fecit quàm alij; cum ipſe demonſtrauerit præſentem, quem alij dumtaxat prædixerunt venturum: verè tamen fuit Propheta. Ad quartum: *Prophetiæ ceſſabunt*, quoad actum prædicendi futura: vnde Græcè eſt, *Otioſæ reddentur.* Ibidem dicitur etiam *linguas ceſſaturas*: non quòd hæc cognitio ſit abolenda: ſed quòd vſus variarum linguarum non erit ampliùs neceſſarius. Similiter *Scientia deſtruetur*, quia tolletur omnis obſcuritas, ita vt omninò alia videatur ſcientia:

Prophetia in Chriſto non eſt diſtincta à ſcientia infuſa vel beatifica.

Petes, An hæc cognitio prophetica fuerit diſtincta in Chriſto à ſcientia infuſa, vel beatifica? Reſpondeo, Non fuiſſe; quia prophetica cognitio, non neceſſariò includit obſcuritatem; ſed abſtrahit à cognitione obſcura & clara: ſolumque poſtulat vt ſit cognitio eorum, quæ procul ſunt à mortalium cognitione; & exiſtat in homine viatore. Connotat enim Prophetia ſtatum viatoris in ſubiecto; qui videlicet ſaltem corporis conditione procul ſit à cœleſtibus, quæ videt. Vnde etiam lumen beatificum in Chriſto, quatenus corpore erat viator, habebat tationem prophetici luminis; vt etiam inſinuat D. Thomas in Corpore ad 1. & ad 3.

21 5. Diſcretio ſpirituum.

Quòd autem in chriſto fuerit etiam *diſcretio Spirituum*; patet, quia diſcretio ſpirituum, vel, nihil eſt aliud niſi cognitio cordium, quam certum eſt in Chriſto fuiſſe; vt infrà dicetur: vel eſt facultas quædam cognoſcendi, & diſcernendi inſtinctus Spiritus ſancti, à motionibus Dæmonis, vel propriis: & hæc etiam in Chriſto erat perfectiſſimè; nam illas motiones intuitiuè poterat cognoſcere.

6. Interpretatio ſermonū.

Fuit etiam *Interpretatio ſermonum* in Chriſto, nam hæc eſt donum quoddā Spiritus ſancti, quo penetramus & explicamus abditos Scripturæ ſenſus. Quod in chriſto perfectiſſimè fuit, qui eſt totius Scripturę obiectum, & hypoſtaſis. Vel certè eſt auxilium Spiritus ſancti ad oracula diuina ſine errore in aliam ex alia lingua transferendi. Et hæc facultas etiam chriſto inerat, vt patet.

7. Operatio virtutum.

Denique ſunt in illo *Operatio virtuum & gratia ſanitatum*; vt patet ex contextu Euangelico. Vbi aduerte, hæc duo vocari communiter gratiam miraculorū, & diſtingui dumtaxat materiā; nam gratia ſanitatis, ratione commodi quod mortalibus præſtat, habet peculiarem vim ad perſuadendam fidei doctrinam; ob quam, hæ gratię dantur. Quam vim Operatio Virtutum, id eſt, aliorum miraculorum quę fiunt in elementis vel rebus inanimis, non æquè habet. Ratio, cur hæc chriſto tribuamus, eſt: tùm, quia dignitas illius perſonæ, quæ erat *Virtus dei*, per quam facta sūt omnia, poſtulabat vt in natura aſſumpta quæuis miracula poſſet edere; tùm etiam id poſtulabat officium Doctoris, & inſtitutoris nouę legis, quę miraculis in principio confirmari debuit.

22 Hæ gratię fuerunt in Chriſto per modū habitus.

Petes, Vtrùm hæ gratiæ in chriſto fuerint per modum habitus? Reſpondeo, fuiſſe: in quo ipſe reliquos omnes ſuperauit homines, quibus non omnes hæ gratiæ communicantur permanenter, ſed quedam dumtaxat in tranſitu per modum paſſionis. Nam Prophetę neque ſemper, neque omnia poterant prædicere: nec ſemper, aut quæuis facere miracula: Chriſtus autem ſemper, & quomodo voluit, & quidquid voluit, potuit facere & prędicere. Colligitur Iſaię 11. *Requieſcet ſuper eum Spiritus domini.* Ioan. 1. *Super quem videritis Spiritum deſcendentem, & manentem, ipſe eſt* &c. Aduerte: cùm dico, *Gratiam miraculorū in Chriſto fuiſſe per modum habitus*, non ſignificari hanc gratiam eſſe aliquam vim creatam, quę humanitati chriſti inhęreat: nam valdè credibile eſt nullam talem qualitatem dari: ſed tantùm ſignificatur auxilium diuinum chriſto homini, ad quæuis miracula ſemper præſtò fuiſſe: atque adeò in ipſius poteſtate. Quo modo concurſus generalis ſiue auxilium generale eſt in noſtra poteſtate.

ARTICVLVS IX.

Vtrum in Chriſto fuerit Gratiæ plenitudo?

23 Fuit in Chriſto plenitudo gratiæ intenſiuè & extenſiuè.

REſpondetur, In chriſto fuiſſe gratiæ plenitudinem: tùm ratione perfectionis intenſiuæ, tùm ratione extenſiuę, ſeu virtutis operandi ipſius gratiæ. Probatur prior pars; Quia gratia Chriſti fuit ſummè intenſa, nempe quantum eſſe poterat intra menſuram à diuina ſapiētia prędeſtitutam circa gratię collationem. Idque ob duas cauſas; tùm quia Chriſti Anima erat coniunctiſſima diuinitati, quæ eſt fons omnis gratię; vnde oportebat eam ſummè cœleſtibus donis impleri: tùm, quia ex ipſa: omnis gratia ad alios tranſfundenda erat. Altera pars Probatur; quia Chriſti gratia debebat ſe extendere ad omnes gratię effectus & operationes, cū fuerit tāquam vniuerſale principiū omnis gratię in genere humano.

24 Aliter Chriſtus ſanctificatus per gratiam, aliter per vnionem.

Notandum Primò, D. Thomam hîc loqui non de abſoluta plenitudine gratiæ, & donorum diuinorum ſecùdùm intenſionem & extenſionem, ſed comparata ad potentiam ordinariam, quę operatur iuxtà menſuram à diuina Sapientia præſtitutam.

Notandùm Secundò circa Reſponſionem ad ſecundum, Animam Chriſti priùs naturâ fuiſſe ſanctificatâ per vnionem Verbi, quàm per Gratiam ſeu dona habitualia. Aliter tamen per gratiam ſanctificata eſt, aliter per ipſam vnionem: nam gratia eſt donum intrinſecè ornâs eſſentiâ, eamque ad diuinam ſimilitudinem eleuans, & potentias legi ſupernaturali conformans: vnio autem hypoſtatica erat veluti radix huius doni, nec intrinſecè animam aut potentias Deiformes efficiebat.

ARTICVLVS X.

Vtrum Gratiæ plenitudo ſit Chriſto propria?

25 Affirm.

REſpondetur, Etſi multi in Scripturis modo quodam dicantur pleni gratia; tamen ſolus Chriſtus habet abſolutam gratiæ plenitudinem, attingens ſummũ gratiæ, quoad eſſentiam gratiæ, & quoad virtutem; id eſt, ſummam intenſionem & extenſionem. Vbi.

Plenitudo gratiæ variè variis tribuitur in Scripturis.

Notandum eſt in Scripturis tribui plenitudinẽ gratiæ varijs perſonis, ſed non eodẽ modo: quibuſdam enim tribuitur plenitudo, quia eſt in illis quædam abundantia gratiæ, ſupra eam, quæ ad ſalutem eſt neceſſaria. Sic ad Epheſ. 3. v. 19. *Vt impleamini in omnẽ plenitudinem Dei.* Et ad Philip. 1. v. 11. *Repleti fructu iuſtitiæ.* Secundò, Tribuitur quibuſdã plenitudo reſpectu ſubiecti ſeu officij, ad quod diuinitus electi. Sic dicũtur pleni gratia, vel Spiritu ſancto Ioannes Baptiſta, Stephanus, Apoſtoli, &c. Tertiò, eſt plenitudo perfecta ipſi⁹ gratiæ abſolutè conſideratæ; & hæc eſt in ſolo Chriſto. In ipſo enim eſt gratia ſecundùm omnẽ intenſionẽ & extenſionem effectuum, quã Deus in vniuerſo cõſtituit conferre. Et Probatur, quia ea plenitudo gratiæ tribuenda eſt Chriſto, quæ maximè decebat Filium Dei naturalem, & omnis gratiæ fontem. Et inſinuatur Ioan. 1. v. 14. *Vidimus quaſi vnigenitum à Patre, plenũ gratia & veritatis.* Et v. 16. *De plenitudine eius nos omnes accepimus.* Atqui dignitas Filij Dei, excedit omnem dignitatem creaturarũ etiam poſſibilem; & plenitudo fontis, excedit omnem copiam riuulorum: ergo debebat in illo eſſe gratia, qua nulla poſſet eſſe major, aut intenſiuè aut extenſiuè; ſaltem ſecundùm potentiam ordinariam. Vnde ad Coloſſ. 1. v. 19. dicitur: *In ipſo complacuit omnem plenitudinem inhabitare.*

26 Quadruplici conſideratione Chriſtus eſt plenus gratia.

Vnde colligo Chriſtum dici plenũ gratia quadruplici cõſideratione: Primò, Quia habuit ſummam & intenſiuè & extenſiuè quę ſecundùm diuinam prędeſtinationem erat conferenda in vniuerſum. Secũdo, Quia habuit omnem, quam decuit habere naturam creatã ſummè Deo vnitã; ſcilicet vnitam in vnitate Perſonæ. Tertiò, Quia habuit omnem, quam oportebat habere fontem, & vniuerſale principium glorificationis in toto genere humano. Quartò, Quia extendebat ſe ad omnes effectũ gratię: quidquid enim per aliquod donum gratiæ hęſiporat, per eius gratiam eſt præſitum. Vide Cyrillum lib. 1. in Ioan. c. 17. Sanctus inquit, *Filius accipit à Patre totam hæreditatem, ſeruus autem munera quædam; ita Chriſtus totã gratiæ ſubſtantiam, reliqui particulas.* Vide eundẽ lib. 2. in Ioan. c. 72. & 73. S. Chryſoſt. hom. de Spiritu S. tom. 3. D. Hieron. in c. 11. Iſaię. D. Auguſt. tract. 14. in Ioan. & D. Greg. lib. 29. Moral. c. 30.

ARTICVLVS XI.

Vtrum Chriſti Gratia ſit infinita?

27 Diſtinguitur.

REſpondetur Primò, Gratia vnionis eſt infinita; quatenus videlicet vnit perſonam infinitæ perfectionis. Secundò, Gratia habitualis, in ratione entis, eſt finita. Quod intellige, non ſolùm, quia limitata eſt ad certam ſpeciem; ſed etiã quia limitata eſt ad certos gradus perfectionis intenſiuę intra ſuam ſpeciem. Tertiò, Gratia habitualis, in ratione gratiæ, poteſt dici infinita: quia habet quidquid pertinet ad rationem gratiæ, & poteſt ſe extendere ad infinitos effectus. Quo pacto lux ſolis poteſt dici infinita. Vbi aduerte, ex his ſolùm colligi Chriſti gratiam & dona habitualia eſſe infinita comparatiuè, nempe reſpectu effectuum infinitorum.

DVBIVM.

Vtrùm Chriſti Gratia non ſit abſolutè infinita?

28 Ioannes Maior affirmat.

QVidam cenſent abſolutè infinitam in perfectione intenſiuâ. Inter quos Ioannes Maior in 3. diſt. 13. q. 3. Ratio ipſius eſt, quia id non inuoluit contradictionem. Quo poſito, nulla gratia eſſet magis commenſa & accommodata dignitati illius animæ ad diuinam perſonam aſſumptæ.

Verùm ne; garat.

Sed longè probabilius & verius eſt Chriſti gratiam non eſſe infinitæ perfectionis intenſiuæ. Eſt communis Theologorum in 1. diſt. 17. vbi vide Gregorium Ariminenſem qu. 6. & in 3. diſt. 13. Ratio eſt, quia impoſſibile eſt vt aliqua forma creata ſeu qualitas ita ſit infinita. Cuius vlteriot ratio eſt, quia anima Chriſti cognoſceret & diligeret Deum infinitè; ac proinde ipſum comprehenderet. Idem etiam alijs rationibus efficaciter probari poteſt ex Philoſophia.

29

Dices, D. Thomas hoc Articulo dicit Chriſti gratiam eſſe infinitam ſecundùm rationem gratiæ. Secundò, Magiſter diſt. 13. dicit Chriſti animã tantam habuiſſe gratiæ plenitudinẽ, vt ampliorem Deus conferre non potuerit: ergo erat infinitè intenſa. Confirmatur Ioannis 3. v. 34. *Non enim ad menſuram dat Deus Spiritum*, ſcilicet, Filio, vt explicat S. Thomas.

Gratia Chriſti tripliciter dici poteſt infinita.

Reſpondeo ad Primum; illam qualitatem, quę eſt gratia, ceteraſque Chriſti virtutes, non eſſe realiter & phyſicè infinitæ perfectionis: poterant tamen dici infinitæ in ratione gratiæ, idque ob tres rationes. Primò, Quia habebant quandam dignitatem & æſtimationem infinitam in ratione gratiæ; quatenus erant in perſona infinitæ dignitatis: Sicut opera Chriſti erant infinita, non quidem in ratione entis, ſed in ratione meriti, ob dignitatem perſonæ. Non tamen ideò omne accidens quod erat in Chriſto Domino, dicendum erit infinitũ; quia etſi illud acciperet ſingularem quandam dignitatem ex coniunctione cum Perſona diuina, non tamen ideò creſcebat in ſuo genere. V.g. color Chriſti habet eximiam dignitatem, ex eo quod ſit cõiunctus Perſonæ Filij Dei; ratione cuius, cum ſumma reuerentia eſt intuen-

Primò, quia eſt in perſona infinitæ dignitatis

dus: hæc tamen dignitas non auget colorem in ſuo genere; nec etiam confert ad moralem bonitatem ſeu meritum. Gratia tamẽ per coniunctionem cum diuina Perſona creſcit in ſuo genere: Cùm enim gratiæ ſit reddere ſubiectum gratum, & opus meritorium; accedente hac dignitate, ipſa gratia ita creſcit in ſuo genere, vt infinite ſit grata & amabilis: adeò vt opus ex ipſa procedens, ſit infiniti meriti. Et ſic gratia habitualis Chriſti, ratione coniunctionis cum diuina Perſona, eſt infinita in genere gratiæ.

Secundò, quia ordinatur ad vnionem infinitæ dignitatis.

Secundò, Gratia Chriſti poteſt dici infinita, quia ordinatur ad vnionem infinitę dignitatis, ſcilicet hypoſtaticam, quæ eſt altiſſimus finis, ad quem gratia poteſt ordinari. Porrò huic fini gratia chriſti eſt commenſurata iuxtà diuinę Sapientię menſuram; & ideò D. Thomas dicit gratiam chriſti attingere ſummum gratię ſecũdùm eſſentiam, quia eſſentia gratię ordinatur ad vnionem cum deo: atqui hęc gratia attingit eam menſuram, quę reſpondet ſummę vnioni: ergo hæc gratia attingit ſummum gratiæ.

Tertiò ratione effectus.

Tertiò, Poteſt dici infinita in ordine ad ſuos effectus: tùm, quia eſt principium infiniti meriti; tùm, quia eſt principium omnis gratiæ in omnibus hominibus, etiamſi eſſent infiniti. Vnde in chriſto eſt tamquã in fonte, & cauſa vniuerſali; ſicut aqua in mari, & lux in ſole: in alijs autẽ ſolùm participatione ab illâ. Item in Chriſto habet omnem effectum gratiæ; ſcilicet meritum gratię prævenientis, iuſtificationis impij, remiſſionis culpæ mortalis, & pœnæ æternæ, augmenti gratię, cuiuſuis auxilij ſpecialis, perſeuerantiæ, & glorię: item omnium gratiarum gratis datarum. In alijs autem habet effectum limitatum. Et ita Chriſti gratia attingit ſummũ gratię ſecundùm virtutem.

Ad Secundum; Teſtimonium Magiſtri intelligendum eſt de potentia ordinaria. Ad Confirmationem; Locus iſte Ioannis, videtur intelligendus de donatione, qua Pater dedit Filium mundo: vel certè quâ diuinitatem donauit humanę naturę.

ARTICVLVS XII.

Vtrum gratia Chriſti potuerit augeri?

30 REſpondetur, Non potuiſſe augeri; tùm, quia Chriſtus erat beatus ſecundùm animam; ac proinde in termino: tùm, quia gratia ipſius ſecundùm ordinationem diuinę Sapientię erat cõmenſa ſummæ vnioni cum Deo.

DVBIVM I.

Vtrùm per potentiam Dei abſolutam dona habitualia Chriſti potuerint augeri?

31 Scotus negat de gratia vt eſt in ſubiecto.

QVidam exiſtimãt ea nullo modo augeri potuiſſe, quamuis in ſe finita ſint: quia exiſtimant dari certum terminum perfectionis intẽſiue omnium habituum & qualitatum, vltra quem non poſſint per vllam potentiã creſcere. Chriſti autem gratiam & virtutes habere hunc terminum. Ita Scotus docet in 3. diſt. 13. quęſt. 1. & 2. cui aſſentitur Caietanus hoc loco, & 2. 2. quæ. 24. art. 7. Idem tenet Durandus diſt. 13. quęſt 1.

Richardus negat de

Alij putant hæc dona ſecundùm ſe quidem augeri poſſe; tamen vt ſunt in tali ſubiecto, non poſſe. Ratio eſt, quia capacitas animę Chriſti limitata eſt; & penitùs per illa dona expleta. Similiter capacitas Angeli limitata eſt, quauis hęc ſit maior quam Animæ. Ita Richardus in 1. diſt. 17. artic. 2. quæſt. 4. Eandem expreſsè tenet Driedo De captiuitate & redemptione generis humani, tract. 2. cap. 2. pag. 59. non tamen negat quin diuina virtute poſſit eſſe maior. Pro eadem citatur Bonauentura; ſed obſcurè loquitur.

gratia vt eſt in tali ſubiecto.

Reſpondeo & Dico Primò, Gratia & virtutes in chriſto non habent ſummam perfectionem intenſiuam, quam per potentiam Dei abſolutam habere poſſunt; ac proinde per eandem poſſunt augeri, idque ſine termino. Eſt communis ſententia Theologorum in 3. diſt. 13. & in 1. diſt. 17. & expreſsè D. Thomę 2. 2. quęſt. 24. art. 7. vbi docet charitatem tam ex parte ſubiecti, quàm ex parte formę, poſſe in infinitum augeri; & in hoc augmento nullum eſſe ſtatum. Et Probatur; Si enim lux ſolis erit maior ſeptuplo Iſaię. 30. verſ. 26. quàm ſit modo, vt fatetur D. Hieronymus, & Liranus ibi: & communiter Doctores in 4. diſt. 48. multò magis gratia quę eſt participatio diuinę naturæ, augeri ſine termino poteſt.

32 Augeri poteſt ſine termino per potentiam Dei abſolutã.

Dices; Gratiam ſecundùm ſe quidem augeri poſſe, tamen capacitatem animę eſſe limitatam. Reſpondeo; Hęc duo non conſiſtere; quia cùm omne accidens ex eſſentia ſua reſpiciat ſubiectũ capax, non poteſt ſecundùm ſe, & extra ſubiectum, magis intendi, quàm in ſubiecto. Addo; capacitatem animæ non eſſe limitatam; quia non eſt naturalis, nec terminis naturæ concluſa: ſed eſt capacitas obedientialis, commenſa diuinę potentię. Vnde etiam non eſt maior in Angelo, quàm in animâ.

33 Non tamẽ per potentiam ordinariam.

Dico Secundò: Gratia habitualis, & ceteræ virtutes ſupernaturales Animæ chriſti, fuerunt ſummę, quę eſſe poterant per potentiam Dei ordinariam: id eſt, per eam potentiam quę operatur ſecundùm menſuram à diuina Sapientia præſtitutam. Eſt communis doctorum, diſt. 13. & hoc eſt quod paſſim vult D. Thomas cùm dicit, Gratiam chriſti fuiſſe ſummam ſecundùm eſſentiam. Hinc Ioan. 1. verſ. 14. dicitur *Plenus gratiæ*. Ratio eſt; Quia gratia chriſti iuxtà diuinam diſpoſitionem eſt commenſa ſummę vnioni, quæ eſſe poteſt inter creaturam & Deum: ergo ſecundùm diuinam diſpoſitionem non poteſt eſſe maior. Confirmatur, ſi hęc menſura poſſit excedi; illa gratia ab initio non habuiſſet conuenientiſſimam proportionem cum vnione hypoſtatica.

Dices: Ergo nec per potentiam abſolutam augeri potuiſſet. Reſpondeo Negando conſequentiam, Quia alia menſura à diuinâ Sapientiâ potuiſſet conſtitui; numquam enim defuiſſent rationes deo, ad maiorem & maiorem in infinitum conſtituendam: quamquam ſecundùm eas rationes quas nunc reipſa ſpectauit, conueniens non eſſet eam augeri. Ex his patet, nullius creaturę gratiam poſſe ad tantam perfectionem excreſcere. Nam gradus ipſis præfixus ordinatione diuinâ, incomparabiliter eſt minor. Tempus etiam vitæ, & auxilia longè inferiora. Deinde nullius creaturæ gratia, quantumcũque creſcat, poterit vnquam pertingere ad eam perfectionẽ, quam habet gratia chriſti ex coniunctione cum perſona diuina. Et hoc eſt quod vult D. Thomas art. 11. ad 3.

Nullius creaturæ gratia poteſt excreſcere ad perfectionem gratiæ Chriſti.

zed by Google

DVBIVM II.

Quanta ſit Gratia Animæ Chriſti perfectione intenſiua?

34 In Chriſto maior eſt gratia quàm in omnibus hominib⁹ & Angelis ſimul.

REſpondeo; Etſi præcisè ignotum ſit; tamen probabiliſſimũ eſt eam excedere non ſolùm gratiam cuiuſuis hominis, vel Angeli; ſed etiam omnem gratiam omnium hominum, & Angelorum ſimul ſumptam, quamuis tota illa in vnum coaleſceret.

Probatur Primò, Quia ſi eſſet poſſibilis gratia actu infinita, omnium conſenſu hæc eſſet chriſto tribuenda; ná hæc ſola cenſetur dignitati perſonæ diuinæ commenſa: ergo cùm hæc ideò dumtaxat negetur, quòd ſit impoſſibilis; concedi ſaltem debet ſummus gradus, qui à nobis concipi poteſt, vt rationi conſentaneus: atqui talis eſt iſte, qui in ſe colligit omnia dona aliorũ: ergo &c.

Probatur Secundò, Quia dignitas animæ chriſti ſuperat dignitatem omnium Beatorum ſimul ſumptam, eò quòd aſſumpta ſit ad dignitatem diuinæ perſonæ: ergo oportebat vt eius dona ſuper naturalia excederent omnium dona ſimul ſumpta. Confirmatur; Quia hæc anima eſt magis dilecta, quàm tota rerum vniuerſitas; & merita illius ſunt digniora omnibus meritis omniũ dilectorum: ergo maiora dona gratiæ ſunt illi collata; nam dilectio diuina eſt efficax.

Probatur tertiò, Quia chriſtus eſt caput omnium hominum & Angelorum: ergo oportet vt in ipſo ſit omnis gratia collecta, quæ in membris eſt diſperſa: ſicut in capite omnes ſẽſus ſunt collecti. Et quidem quòd ſuperet gratiam omnium hominum, dubitari nequit; cùm ea, ab ipſo, vt à fonte, deriuetur. De gratia Angelorum eſt etiam valdè probabile: tum, quia eſt illorum caput; tum, quia decet vt omnia quę in electis ſunt diſperſa, in ipſo vno ſint collecta. Quod confirmatur; quia ipſe eſt inter Beatos, ſicut ſol inter aſtra. Nã differentia claritatis electorum, erit ſicut differentia aſtrorum. 1. ad Cor 15. v. 41. atqui ſol maius habet lumen, quàm omnia aſtra ſimul: ergo &c.

Chriſtus fuit abſolutè plen⁹ gratiâ.

Ex his optimè intelligitur quomodo Chriſtus abſolutè fuerit plenus gratiâ; quia non ſolùm habuit ſummam, quæ iuxtà diuinam prædeſtinationem eſſe poterat; ſed etiam, quia habuit tantam, vt in ſua perfectione intenſiua vnitè omnẽ gratiam omnium Sanctorum contineret. Quod inſinuant Patres ſuprà citati art. 10. num. 26. præſertim Cyrillus & Hieronymus.

DVBIVM III.

Ex quo tempore Chriſtus omnem hanc Gratiæ perfectionem habuerit?

35 Ab initio conceptionis.

REſpondeo; Ab initio ſuæ conceptionis; adeò vt temporis ſucceſſu non fuerit aucta. Eſt ita certa, vt cõtrarium ſit cenſendum erroneum. Et docet D. Thomas hîc, & omnes doctores in 3. diſt. 13. & paſſim Patres qui hæc de re agunt.

Probatur Primò, Ex Scripturis; Ioan. 1. Iſaiæ 11. Ieremiæ 31.

Probatur ex Patribus. Hieron.

Probatur Secundò, Ex Patribus. Hieronymus in illud Ieremiæ 31. v. 22. *Femina circumdabit Virum: qui*, inquit, *iuxta incrementa quidẽ ætatis proficere videbitur Sapientia & ætate; ſed perfectus Vir in ventre feminæ ſolitis menſibus continebitur.* Vbi ſatis inſinuat ab initio perfectum fuiſſe, ita vt remerà non profecerit. Nec obſtàt quod idẽ D. Hieronymus in cap. 61. Iſaiæ ait, *Vnctionem gratiæ in Chriſto fuiſſe expletã in Baptiſmo*; quia loquitur de viſibili vnctione, quam tunc accepit; quæ erat ſymbolum inuiſibilis vnctionis acceptæ in conceptione. D. Auguſtinus lib. 15. de Trinit. c. 26. aperte docet Chriſtũ in Incarnatione fuiſſe omninò gratiâ plenum: & in baptiſmo quando columba deſcendit, nullum augmentum accepiſſe; ſed præfiguraſſe ſanctificationem corporis ſui, quod eſt Eccleſia. Idem docet lib. 2. de Peccatorum meritis & remiſſ. cap. 29. Cyrillus lib. 10. Theſauri cap. 7. ait, *Chriſtum accepiſſe omnem gratiam ab initio; nec per incrementa temporum, aliquid ei additum.* Damaſcenus lib. 3. de Fide orthodoxa cap. 22. dicit eſſe errorem Neſtorianum aſſerere illum Sapientiâ profeciſſe. Anſelmus lib. 1. *Cur Deus homo.* cap. 9. Bernardus ſerm. 2. ſuper *Miſſus eſt: ſine latens in vtero, ſine vagines in præſepio, ſine grandiuſculus doctores interrogãs in templo, ſine iam perfectæ ætatis docens in populo; æquè profectò ſuis plenus Spiritu ſancto.* &c.

Auguſtinus. Cyrillus. Damaſcenus. Anſelmus. Bernard⁹.

36 Prob. Ratione.

Probatur Tertiò, Quia ab initio Conceptionis habuit dignitatem Filij Dei: ergo plenitudinem gratiæ tamquam Vnigenitus à Patre. Nam hæc erat cauſa plenitudinis gratiæ; vt indicatur Ioan: 1. Secundò. Quia perfectius & optabilius eſt ab initio eſſe omninò perfectum, quam ſenſim in perfectione creſcere. Ergo hoc chriſto tribuendum. Confirmatur; quia nulla eſt ratio cur hæc plenitudo debuerit differri; cùm ea dilatio nihil conferat ad noſtram redemptionem, ſed potiùs obſit. Tertiò, Quia chriſtus ab initio ſecundùm animam fuit beatus: ergo gratia ipſius ab initio fuit conſummata; ſicut gratia Beatorum.

37 Quomodo Chriſtus profeceſſit.

Sed contrà. Obijcitur, Lucæ 2. verſ. 52. *Proficiebat Puer ſapientia, & ætate, & gratiâ, apud deũ & homines*: ergo &c. Reſpondeo, Proficiebat in oſtentione ſapientiæ & gratiæ: ſeu, quod idem eſt, in operatione & exercitio. Ita explicant Patres allati; & præter hos, Athanaſius ſerm. 4 contra Arianos, qui id valdè fusè proſequitur, fol. 3. à fine. Ambroſius in hunc locum, & lib. de Dominicę Incarnationis Sacramento cap. 7. vbi etiam ait, *Chriſtum ſecundùm ſenſum humanum verè profeciſſe*; ſcilicet in exercitio Sapientiæ & gratiæ per ſenſum humanum. D. Hieronymus in cap. 11. Iſaiæ. Beda Homilia Dominicæ 1. poſt Epiphaniam. Theophilactus & alij in hunc locum lucæ. Sed aduerte, non tantùm profeciſſe gratiâ & ſapientiâ in Opinione hominũ; ſed etiam in ſeipſo: quia ſicut addebat annos annis, ita initio faciebat minora opera Sapientię & gratię: deinde ſenſim addebat maiora, vt explicat Athanaſius; Ratione quorum dicebatur proficere apud Deum: quia alia alijs maioris erant Sapientiæ, & perfectionis, magiſque ex genere ſuo meritoria; quamuis ratione Perſonæ æquè meritoria fuerint. Apud homines autem proficere dicebatur, vel quia per hæc faciebat homines proficere, vt quidam exponunt: vel quia creſcebat hominum de ipſo opinio.

Reſpectu ſui. Dei. Et hominum.

ARTICVLVS XIII.

Quomodo gratia Chriſti Habitualis ſe habeat ad vnionem?

38

REſpondetur; Vnio hypoſtatica fuit naturâ prior, quàm gratia habitualis, tamquam eius quodammodo cauſa. Probatur tribus rationibus, quas vide apud D. Thomam.

Nota,

Halenſis putat gratiam habitualem fuiſſe inſtar neceſſariæ diſpoſitionis ad vnionẽ

Nota, Alexandrum Halenſem exiſtimare gratiam habitualem, ſe habuiſſe ad vnionem hypoſtaticam per modum medij, ſeu neceſſariæ diſpoſitionis: ſicut diſpoſitiones materiæ neceſſariæ ſũt ad eius vnionem cum forma. Ita docet 3. parte ſuæ ſummæ quæſt. 7. memb. 2. art. 1. & quæſt. 11. memb. 1. art. 1. Alij dicunt non fuiſſe quidem hanc gratiam abſolutè neceſſariam, vt anima illa hypoſtaticè vniretur; fuiſſe tamen conuenientem diſpoſitionem: & ideò reipſa priùs naturâ animã illam fuiſſe diſpoſitam per gratiam, quàm hypoſtaticè vnitam. Ita tenuit D. Thomas in 3. Sent. diſt. 2. quæſt. 2. art. 2. & Bonauentura ibidem art. 3. qũ. 2.

D. Thomas inſtat diſpoſitionis conueniẽtis.

39 Refellitur Halenſ.

Sed dico Primò, Gratiam non habere ſe vt neceſſariam diſpoſitionem ad vnionem hypoſtaticam. Eſt communis ſententia doctorum contra Alexandrum. Probatur Primò, Quia Verbum vnitur carni, & tamen caro non eſt capax diſpoſitionis per gratiam. Secundò, Quia ſubſiſtentia Verbi debet immediatè vniri eſſentiæ animæ: ergo ipſa eſſentia eſt capax vnionis ſecundùm ſeante omne accidens. Confirmatur; quia naturalis ſubſiſtentia non requirit illas diſpoſitiones, cùm omni diſpoſitione ſit penitior: ergo neque ſubſiſtentia diuina, quæ æquè intimè debet vniri.

Tertiò, Quia nulla qualitas creata poteſt excludere propriam ſubſiſtentiam à ſuo ſubiecto: ergo neque illud reddere capax ſubſiſtentiæ alienæ, maximè Verbi diuini; cuius ſubſiſtentia in infinitum excedit omnem talem diſpoſitionem.

40

Dico Secundò, Gratia etiam non ſe habet ad vnionem vt diſpoſitio conueniens naturâ prior; ſed potiùs vt poſterior, tamquam conſequens ipſam vnionem. Ita D. Thomas hoc loco, & ſuprà q. 6. art. 6. & Scotus diſt. 2. qu. 2. in 3. durandus ibidem quæſt. 3.

Explicatur D. Thomas de diſpoſitione conſequente, dona autem Antecedẽte.

Probatur Primò, Quia priùs naturâ quæque res ſubſiſtit, quàm ornetur accidentibus: nam ſubſiſtentia eſt intimum complementum ſubſtantiale rei: ergo illa anima priùs naturâ erat vnita ſubſiſtentiæ diuinæ, quàm ornaretur gratiâ. Patet Conſequentia, Quia in eodem ſigno naturæ vnita eſt ſubſiſtentiæ diuinæ, quo ſuam accepiſſet, niſi fuiſſet impedita. Secundò, Vnio hypoſtatica eſt ad ſubſiſtendum; gratia autem datur ad operandum: atqui priùs eſt ſubſiſtere, quàm operari: ergo. Tertiò, Miſſio Filij eſt prior origine, quàm miſſio Spiritus ſancti: atqui miſſio Filij fit per vnionem hypoſtaticam; miſſio Spiritus ſancti per infuſionem gratiæ: ergo vnio hypoſtatica eſt prior infuſione gratiæ. Quartò, Præſentia Solis antecedit naturâ illuminationem aëris. Ergo ſimiliter ſubſtantialis præſentia Verbi, debuit ante cedere diffuſionem gratiæ in naturam humanam.

A ſimili

Quintò, Scripturæ plenitudinem gratiæ referunt in illam vnionem, tamquam in cauſam. Iſaiæ 11. verſ. 1. & 2. *Flos de radice eius aſcendet, & requieſcet ſuper eum Spiritus Domini.* Vbi priùs eſt floré aſcendere, id eſt, incarnari Chriſtum ex Virgine, teſte D. Hieronymo, quàm Spiritu ſancto repleri. Ioan. 1. *Verbum caro factum eſt, & vidimus gloriam eius, quaſi Vnigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis.* Vbi indicatur illum fuiſſe plenum gratiâ, quia erat vnigenitus.

Vnio eſt cauſa plenitudinis gratiæ.

Aduertetamen, Gratiam poſſe dici diſpoſitionẽ ad vnionem hypoſtaticam, non quidem antecedentem, & præparantem vt ſit; ſed conſequentem & ornantem vt optimè ſe habeat. Sicut ſanitas & pulchritudo eſt diſpoſitio corporis humani ad cõiunctionem cum animâ, non quidem præparans vt ſit illa coniunctio; ſed ornans vt benè ſe habeat, & permaneat. Et ita intellige, quod dicit D. Thomas ſuprà art. 10. in Corpore, & ad 2. *Gratiã habitualem ordinari ad vnionem hypoſtaticam tamquam ad finem.* Argumenta quæ contra poſſunt obijci; facilè ex ſuprà dictis diſſoluentur.

Gratia eſt diſpoſitio conſequẽs & ornans vt vnio hypoſtatica optimè ſe habeat.

QVÆSTIO OCTAVA.

De Gratia Chriſti, vt eſt Caput Eccleſiæ.

In Octo Articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Vtrum christus ſit caput Eccleſiæ?

REſpondetur affirmatiuè. Vide D. Thomam. Notandum eſt; Chriſtum ſecundùm ſtrictam Metaphoram, dici *Caput Eccleſiæ* ex hominibus conflatæ: quia ſicuti à capite in membra per ſpiritum animalem omnis ſenſus & motus infunditur: ita à Chriſto omnis cognitio ſupernaturalis, omniſque motus vitæ ſupernaturalis, in omnes omnium temporum homines poſt peccatum originale immittitur.

1 Rectè dicitur caput Eccleſiæ.

Omnis enim vita & motus ſupernaturalis eſt ex Chriſti meritis. Vnde totum genus humanum concipiendum eſt inſtar vnius hominis; cuius caput eſt Chriſtus ſecundùm naturam humanam; ſinguli autem veluti membra vel actu vel poteſtate ſub hoc capite; quæ per ſpiritum, ab hoc capite diffuſum, vitam, ſenſum, & motum vitalem gratiæ accipiunt. Hinc fit vt dicantur membra Chriſti, & tota Eccleſia corpus Chriſti. Ad Epheſ. 1. v. 22. *Ipſum dedit caput ſuper omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus ipſius.* Ad Coloſſ. 1. v. 18. *Ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ.* & alibi. Vbi Aduerte, Chriſtum eſſe inſtar capitis, quod ita eſt efficax, vt aliena membra poſſit ſibi vnire, ſuamque vitam & ſpiritum impertiri, & ſuum corpus efficere: quâ ſimilitudine libentiſſimè vtitur apoſtolus.

nomines ſunt membra chriſti.

Dices; Si Chriſtus eſt caput: ergo etiam eſt membrum Eccleſiæ. Reſpondeo: Quidam admittũt: & ſic intelligit D. Thomas illud 1. ad corinth. 12. v. 27. *Vos eſtis Corpus Chriſti, & membra de membro.* Sed meliùs negatur ſequela: quia membrum ex ſua ratione poſtulat, vt aliquit accipiat ab alijs membris: quod eſt cuiuſdam imperfectionis, quæ non conuenit chriſto, qui nihil à ſuis membris accipit. Hęc autem imperfectio non includitur in ratione capitis. Nec eſt abſurdum, nomen ſpeciei dici de aliquo metaphoricè, cui non conuenit nomen generis, quia fieri poteſt, vt nomen generis imperfectionem inſinuet, quę non ita deſignatur nomine ſpecici. Quò fit vt chriſtus dicatur *Leo*, non ta-

2 chriſtus non eſt membrum Eccleſiæ.

Google

men beſtia, vel brutum. Locus autem ille 1. ad Corinth. 12. *Vos eſtis membra de membro*, ſic intelligi debet: Vos eſtis membra ab alijs membris dependentia: Nam populus ab Epiſcopis, Epiſcopi ab Apoſtolis, apoſtoli à Chriſto pendent: iuxtà illud ad Epheſ. 4. v. 16. *Ex quo totum corpus, compactum & connexum, per omnem iuncturam ſubminiſtrationis &c.*

3 Spiritus ſanctus eſt cor Eccleſiæ.

Obijcitur Secundò: Cor etiam habet vniuerſalem influxum in omnia membra, etiam in ipſum caput: ergo Chriſtus debet dici Cor Eccleſiæ potiùs quàm caput. Reſpondeo, Etſi etiam cor dici poſſit, non tamen potiùs quàm caput: tùm, quia caput ex vſu linguarum, ſignificat principem cuiuſuis congregationis: tùm, quia influxus capitis in membra, eſt nobilior, quàm influxus cordis: tùm denique, quia caput habet manifeſtam eminentiam, influxum, & directionem reliquorum membrorum, cor autem occultam. Quam obcauſam metaphora cordis, potiùs applicatur Spiritui ſancto, qui Eccleſiam inuiſibiliter viuificat, & regit.

ARTICVLVS II.

Vtrum christus ſit caput hominum tantummodo quoad animas, an etiam ſecundum corpora?

4 Chriſti corpus eſt etiam Caput hominum.

Reſpondetur, Etiam ſecundum corpora eſt caput illorum. Ratio eſt, quia vita ſpiritalis, quę à Chriſto tamquàm à capite in homines diffunditur, non ſiſtit in anima; ſed etiam in corpora dimanat: partim, quatenùs bona opera, quæ ex gratia procedunt, per corpus adminiſtrantur: partim, quatenùs animę beatitudo in corpus redundabit. Vide D. Thomam. His adde, Chriſtum etiam ſecundùm corpus eſſe caput noſtrum, & influere tùm in animas, tùm in corpora noſtra: tùm, quia Sacrificio corporis & ſanguinis ſui nos redemit, & vitam ſpiritalem promeruit; tùm, quia in futura vita corpora noſtra reſuſcitabit, eiſque immortalitatem & claritatem impertiet; vt patet Ioan. 6. v. 54. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam: & ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die*; nempe propter vnitatem corporis eius, quam habemus per ſacram communionem.

ARTICVLVS III.

Vtrum christus ſit caput omnium hominum?

5 Diuerſi modè eſt caput omnium hominum.

Reſpondetur eſſe caput omnium hominum, exceptis damnatis; ſed diuerſo modo. Nam perfectiſſimè eſt caput hominum beatorum: his enim perfectiſſimam vitam ſpiritalem, idque inſeparabiliter infundit. Deinde viatorum, qui fidem & charitatem, id eſt, ſenſum & motum ab ipſo accipiunt; quamuis non perfectiſſimè, nec inſeparabiliter. Tertiò, eorum qui dumtaxat fidem habent. Quartò, qui nihil horum; ſed capaces tamen ſunt, & interdum quidpiam ad hęc accipiunt. Damnati autem nihil tale ab ipſo poſſunt accipere; & ideo nec actu, nec poteſtate ſunt eius membra.

Excipe damnatos

DVBIVM.

Quomodo Chriſtus vt Caput, vitam ſpiritalem in ſua membra diffundat?

Reſpondeo, Primò, per modum merentis; quia omnibus ſecundum exactam iuſtitiam, hanc vitam ſpiritalem promeruit; etiam ijs, qui ante Incarnationem extitere: vnde etiam illorum caput eſt. De quo vide auguſtinum in Pſal. 36. v. 25. in illud: *Iuuenis fui, etenim ſenui.* Secundò, per modum cauſæ efficientis, & quodammodò principalis, ſed reſpectu illorum qui poſt Incarnationem exiterunt: Nam ſuâ authoritate, quibus, quando, & quantum vult, de ſuis donis largitur; ſiue humanitas phyſicè concurrat ad gratiæ productionem, ſiue non. Et hoc vult D. Thomas art. 1. ad 1. Et colligitur aperte ad Epheſ. 4. v. 7. *Vnicuique data eſt gratia ſecundum menſuram donationis Chriſti.* Ioan. 5. v. 21. *Sicut Pater ſuſcitat mortuos & viuificat; ita Filius quos vult viuificat.* Sicutenim à diuinitate pendet totus ordo rerũ naturalium; ita à chriſti humanitate, pendet totus ordo donorum ſupernaturalium in genere humano.

6 1. vt cauſa meritoria.

2. vt efficiens.

9

ARTICVLVS IV.

Vtrum Christus ſit caput angelorum?

7 Chriſtus eſt caput angelorũ, quia illorum Princeps.

Reſpondetur affirmatiuè. Notandum eſt, Chriſtum ſecundùm humanam naturam etiam eſſe Caput Angelorum, non tamen ita ſtrictè & propriè vt hominum: quia non infundit illis vitam ſpiritalem. Vnde angelica multitudo non propriè dicitur corpus Chriſti, aut Eccleſia Chriſti: nec Angeli propriè ſunt Chriſti membra, aut Chriſti ſponſa, vt rectè docet Scotus in 4. diſt. 49. q. 4. art. 2. Sed laxiore metaphorâ dicitur illorum Caput, quatenus paſſim in Scripturis caput vocatur, is qui eſt princeps. vt 2. Regum 15. v. 17. vbi Samuel ait Sauli: *Caput in tribubus Iſraël factus es.* 1. Corinth. 12. & ad Epheſ. 5. v. 23. *Vir eſt Caput mulieris.* Chriſtus enim ſecundùm naturam humanam eſt Princeps omnium Angelorum; & hac ratione dicitur illorum caput.

Probatur Primò, ex Scripturis. Ad Epheſ. 1. v. 20. *Suſcitans eum à mortuis & conſtituens ad dexteram ſuam in cœleſtibus, ſupra omnem principatum & poteſtatem, & virtutem, & Dominationem, & omne nomen, quod nominatur, non ſolùm in hoc ſæculo, ſed etiam in futuro; & omnia ſubiecit ſub pedibus eius.* Ad coloſſ. 2. v 10. *Eſtis in illo repleti, qui eſt caput omnis principatus & poteſtatis, in quo & circumciſi eſtis.* ad Epheſ. 1.

Probatur Secundò, Ex Patribus: Hilarius in Pſal. 139. ſub finem: *Vt enim*, ait, *omnibus ſanctis caput eſt Chriſtus; ita omnibus iniquis caput eſt diabolus.* D. Hieronymus in cap. 1. ad Epheſ. in fine dicit illa verba: *Ipſum dedit caput ſuper omnia membra Eccleſiæ*; (ita enim legit) poſſe intelligi de Eccleſia, non ſolùm hominum, ſed etiam Angelorum. Quamuis reuerà ibi Eccleſia proprie ſumatur pro Eccleſia hominum; vt patet ex ſequentibus. D. Auguſtinus in Pſalm. 36. *Vt eſſet ipſe caput totius Ciuitatis Hieruſalem, omnibus connumeratis fidelibus ab initio vſque ad finem: adiunctis etiam legionibus Angelorum, vt fiat vna Ciuitas ſub vno Rege.* Hilarius. Hieron. Auguſt.

8 Probatur Tertiò, Ratione. Prima ratio eſt, Quia tota congregatio ex Angelis & hominibus conſtans, eſt vna ciuitas: vt patet ad Hebr. 12. v. 22. *Accesſiſtis ad Sion montem Sanctum, & Ciuitatem Dei viuentis Hieruſalem cęleſtem, & multorum millium Angelorum frequentiam, & Eccleſiam primitiuorum.* Idem patet Apoc. 21. Vnde Angeli dicuntur *noſtri conſerui* Apoc. 19. v. 10. & 22. v. 9. ergo oportet vt habeant vnum caput, & vnum principem: caput, inquam, non ſolùm extrinſecum & diuerſi generis, Sicut Deus; ſed etiam quantum fieri poteſt ſimile, & eiuſdem generis.

Quomodo Vim Capitis in eos exerceat. Secunda ratio eſt, Ex proprietatibus capitis. Caput enim in homine dicitur quod eſt perfectiue ceteris membris, vt pote continens omnes ſenſus; idcircò etiam in eminentiori loco conſtitutũ eſt. Deinde vim illis infundit, eaque regit: atqui hæc conueniunt Chriſto homini, etiam quodam modo ad Angelos: Nam continet omnem perfectionem ſupernaturalem omnium Angelorum. Deinde influit etiam in illos: Primò, eos illuminando, vt docet Dionyſ. cap. 7. cœleſtis hierachiæ. Secundò, conferendo illis quemdam honorem, dum illorum ruinas inſtaurat: quod indicat Apoſtolus ad Epheſ. 1. v. 10. dum ait in *Chriſto inſtaurari omnia, quæ in cœlo, & quæ in terra ſunt*, iuxtà interpretationem Latinorum. Vide Auguſtinum in Enchiridio cap. 62. & Anſelmum in hunc locum. Tertiò, conferendo illis magnum incrementum glorię accidentalis ſiue ſecundariæ. Nam Chriſtus totius gloriæ accidentarię illis eſt cauſa: quæ conſiſtit, partim in contemplatione humanitatis eius, vt docet Chryſoſtomus hom. de Aſcẽſione Domini tom. 3. vbi ait, Angelos ex Chriſti contemplatione maximam capere lętitiam; partim in gaudio quod naſcitur ex peccatorum conuerſione, ſuarumque ſedium inſtauratione, vt docet Bernardus ſerm. 68. in Cantica. Et Theodoret. in 1. cap ad Epheſ. Quartò; Angelos gubernando; *Omnes enim ſunt adminiſtratorij Spiritus, miſſi in miniſterium propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis.* ad Hebræos 1. v. 14. Atqui ad Chriſtum pertinet diſpenſare omnia quę ad hominum ſalutem pertinent: quare & prępcipere Angelis, eoſque ad hominum cuſtodiam dirigere.

Chriſtus eſt homogeneus cũ Angelis ſecundùm Animam. Dices, de ratione capitis eſt, vt ſit homogeneum cum ijs, quorum eſt caput: atqui Chriſtus non eſt ſimilis naturæ cum Angelis: ergo &c. Reſpondeo; Chriſtum habere ſufficientem ſimilitudinem cum Angelis, vt ſit illorum caput: quia potiſſimùm eſt caput ſecundùm animam, & ſic conuenit cum ipſis in eodem gradu naturæ, ſcilicet intellectualis; Sicut Lucifer eſt caput omnium malorum etiam hominum: Et homo eſt Rex Beſtiarum. Non enim hîc agimus de ſtrictâ capitis ratione, ſed de laxiore acceptione, vt dictum eſt.

DVBIVM.

Vtrum Chriſtus ſit Caput Vniuerſi?

9 Reſpondeo: Eſſe caput vniuerſi, & omnium creaturarum. Probatur Primò, Matth. 11. *Data eſt mihi omnis poteſtas in Cælo & in Terra:* atqui hoc nihil eſt aliud, quàm eſſe Caput & Principem omnium, qui ſunt in cœlo, & in terra. Ad Philip. 2. v. 9. *Donauit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen, vt in nomine Ieſu omne genu flectatur; cœleſtium, terreſtrium, & infernorum.* Pſal. 8. v. 8. *Omnia ſubiecisti ſub pedibus eius.* Quod de omni creatura interpretatur Apoſtolus ad Hebr. 2. loquens de Chriſto. Idem probari poteſt Apoc. 5. vbi ſolus *Agnus dignus inuentus eſt, aperire librum, & ſoluere ſeptem ſignacula eius*, id eſt, habere poteſtatem exequendi omnia, quæ ad mundi gubernationem, vſque in finem pertinent.

Quomodo vim capitis exerceat in totum Vniuerſum. Probatur Secundò, Quia conditiones capitis Chriſto conueniunt reſpectu totius creaturæ: Nã eſt omni creaturâ, ratione donorum gratię, excellentior; & habet quemdam influxum in omnem creaturam, licet non eundem in homines & Angelos; patet ex dictis. in damnatos, non habet amplius vllum influxum gratię: addicit tamen pœnis, & immittit illis terrorem, & cogit *vt credant & contremiſcant*: denique poteſt illis imperare. in creaturas autem irrationales habet influxũ tùm, quia habet poteſtatem gubernandi, illiſque vtendi prout expedit ad ſalutem electorum: tùm, quia in fine mundi illas perficiet, prout conueniens erit ſtatui glorioſo. Indicat hoc Apoſtolus ad Roman. 8. v. 22. *Omnis Creatura ingemiſcit, & parturit vſque adhuc* &c. Quòd autem quidam aiunt Deum influere eſſe naturale in omnes creaturas per Chriſti humanitatem; prorſus à ratione eſt alienum. Iacobi 1. 19.

ARTICVLVS V.

Vtrum Gratia Chriſti, quæ eſt Caput Eccleſiæ, ſit eadem cum habituali?

Reſpondetur eſſe eadem. Et probatur Ioan. 1. verſ. 16. *De plenitudine eius nos omnes accepimus.* 10

Notandum eſt, dignitatem capitis non addere Chriſto aliquam perfectionem realem, diſtinctã à gratia vnionis doniſque habitualibus, ſed tãtùm quid morale. Sicut eſſe Doctorem, ſupra ſcientiam nihil addit, niſi poteſtatem moralem docendi, & quandam dignitatem. Et hoc eſt quod hîc intendit D. Thomas, & docent paſſim Doctores diſt. 13. Probatur, quia cùm Chriſtus dicitur Caput, nihil ſignificatur aliud, quam ipſum habere poteſtatem influendi vitam ſpiritalem: vel certè regendi & illuminandi: atqui hæc poteſtas, prętер gratiam vnionis, & dona habitualia, nihil reale intrinſecum addit: ſed ſolùm ius quoddam, & moralem poteſtatem ex diuina ordinatione prouenientem: Sicut eſſe Regem, ſuper opes & prudentiam, nihil addit niſi ius quoddam regendi, prouenions ex conceſſione Reipublicę.

Gratia Capitis potiſſimũ fundatur in vnione hypoſt. Petes, Vtrùm hęc gratia Capitis, principaliter fundetur in vnione hypoſtatica, An in gratia habituali? Reſpondeo: potiſſimùm fundari in vnione: Nã hæc dignitas capitis & poteſtas gubernandi omnia, potiſſimum erat debita naturę humanę ob vnionem cum Verbo. Secundariò tamen fundatur in gratia habituali: nam hæc in Chriſto fuit ſumma, & incomparabiliter maior quam in alijs. Vnde etiam ratione huius, conueniebat vt illi hęc poteſtas & authoritas regia daretur.

Circa Reſponſionem ad Primum, Notandum eſt: Sicut peccatum Adami, ſe habet ad peccatum originale omnium hominum, inſtar cauſæ ad effectum; ita chriſti iuſtitia, ad iuſtitiam baptiſmalẽ omnium baptizatorum, tamquam cauſæ ad effectum. Et ſicut idem peccatum adami, erat peccatum perſonale inficiens ipſius perſonam, & etiam erat peccatum capitis, habens vim inficiendi & influendi in omnes tãquã in mẽbra, qui ex ipſo gignuntur: Ita eadem Chriſti gratia, ſeu iuſtitia, erat perſonalis, ſanctificans ipſius perſonam: &

erat gratia capitis, habens vim influendi in alios. Cetera consistunt potiùs in verbis, quàm in re.

ARTICVLVS. VI.

Vtrum esse caput Ecclesiæ sit christo proprium?

12 REspondeo; Esse Caput Ecclesiæ secundùm internum influxum, per modum cuiusdam causæ principalis, est proprium Christo. Nam eius solius humanitas propter coniunctionem cum diuinitate, habet vim iustificandi, tamquam causa suo modo principalis. At esse caput secundùm externam gubernationem, potest etiam aliis communicari. Ratio est, quia hęc fit per quandã potestatem Iurisdictionis, quę communicari potest.

13 Quomodo Pontifex sit caput Ecclesiæ diuersimodè à christo.

Notandum est, summum Pontificem dici, & esse Caput vniuersalis Ecclesiæ: longè tamen inferiore modo, quam Christum. Primò, Quia non potest toti Ecclesiæ gratiam promereri, neque ex condigno, neque ex iustitia. Secundò, Quia non potest sua authoritate, aut immediatè, internum gratiæ influxum præbere: sed tantummodò exteriùs gubernare, & Sacramenta tamquam Christi minister applicare. Tertiò, Quia etiam hanc potestatem externę gubernationis, & applicationis Sacramentorum, accipit à Christo, tamquam eius Vicarius; eaque potestas solùm pertinet ad exequendum illa, quę à Christo sunt instituta; & ordinandi quæ ad hoc opportuna. Quartò, Quia tantùm gubernat homines viatores, idque breui tempore.

14 Dignitas capitis vt in christo est puræ creaturę incommunicabilis.

Petes, An nullo modo possit hęc dignitas Capitis perfectè communicari nudæ creaturę? Respondeo; non posse cum ea perfectione, quæ est in Christo: tùm, quia nulli potest esse ita debita: sicut christo; tum, quia in nemine potest esse tam efficax ad meritum & satisfactionem, quàm est in Christo, ob coniunctionem cum persona diuina. Potuit tamen communicari imperfectiori modo, vt dicemus infrà de Sacramentis.

ARTICVLVS VII.

Vtrum Diabolus sit caput omnium malorum?

REspondetur; Diabolus, id est, Lucifer, est caput omnium malorum: non quidem secundùm internum influxum; quia non potest in mentes eorum immediatè malitiam inferere; sed secundùm externam gubernationem. Sicut quilibet Princeps est caput multitudinis, quam gubernat.

15 Quo sensu Lucifer sit caput omnium malorum.

Notandum Primò, Cùm Diabolus dicitur caput omnium malorum, intelligendum de Lucifero, non autem de toto ordine diabolico, vt vult caietanus art. sequenti sub finem. Quod patet, Quia Lucifer omnes alios, & dæmones & homines, vel mediatè, vel immediatè ad peccatum induxit: vt docet D. Tho. ad 2. Vnde dicitur *Rex super omnes filios superbiæ* Iob 41. v. 25. Omnis enim superbia ab ipso est deriuata, & ipse omnes in superbia excedit. Cum autem christus, vel Deus dicitur princeps vel caput super omnes dæmones: intelligendum est ratione perfectę potestatis in illos, & pœnę quam infligit. Eadem enim multitudo secundùm diuersos fines, & diuersos regendi modos, potest diuersa habere capita. Sicut eiusdem populi caput, est Pontifex in spiritualib⁹; & Rex in temporalibus.

16 Quo sensu christus.

Notandum Secundò, Diabolum non habere perfectam potestatem in peccatores, quàm diu sunt in via: quia non potest eos ampliùs tentare, quàm Deus permittat. Et quamuis etiam possit tentare iustos, non est tamen caput illorum; tùm, quia illa tentatio est solùm hostilis oppugnatio, non gubernatio: tùm, quia iusti non sunt ei subiecti, sed ipso potiùs sunt fortiores.

17 Tentatio dæmonis in peccatores & in iustos, est diuersa.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum Antichristus sit caput omnium malorum:

18 Quomodo Antichristus sit caput omnium malorum hominum, & ab illis præfiguratur.

REspondetur; Antichristum esse caput omnium malorum; intellige, hominum. Non quòd in omnes malitiam infundat, vel ad eam pertrahat; sed quia in ipso malitia erit perfectior quàm in quouis aliorum, qui ab initio mundi extiterunt. Vnde omnes mali, qui ab initio fuerũt, sunt figura Antichristi; quod insinuat Apostolus 2. ad Thessal. 2. v. 7. *Nam mysterium iam operatur iniquitatis.* Qui locus intelligitur de Antichristo, vt docet D. Augustinus lib. 20. de ciuit. cap. 14. Et Irenæus lib. 3. contra Hæreses cap. 7. Et satis patet ex contextu Apostoli. Inter varias expositiones huius loci, videtur hęc commodissima: Impij, vt Nero, & hæretici, qui sunt figura illius plenę malitiæ, quæ erit in Antichristo; iam vim suam exerunt. Vel: in Nerone, & hæreticis christi persecutoribus, Diabolus operatur figuram illius malitię, quæ erit in Antichristo.

Obiectio

Dices; Diabolus est caput Antichristi, & omnium malorum: ergo Antichristus non est caput illorum; imò nec absolutè caput.

Soluitur.

Respondeo, Negando consequentiam: Sicut enim christus est caput Ecclesiæ, & tamen Deus est caput christi, & totius Ecclesię; vt patet ex Apostolo: ita Antichristus est caput omnium impiorum hominum, & tamen Diabolus est caput Antichristi, & omnium impiorum. Nam caput politicum, potest habere aliud caput cui subsit; eademque multitudo potest subesse pluribus capitibus subordinatis.

19 Nonest caput dæmonum Lucifero inferiorum.

Aduerte, quosdam putare Antichristum esse caput omnium dæmonum, excepto Lucifero. Sed non videtur hoc commodè dici: Nam dæmones, maioris sunt ingenij & potentię, & regent ipsum Antichristum, non ab eo regentur. Vnde etiamsi fortasse malitia Antichristi eos dæmones excederet, non tamen commodè illorum caput diceretur.

Digitized by Google

QVÆSTIO NONA.

De Scientia Christi in communi.

In Quatuor Articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum Christus habuerit aliquam Scientiam creatam?

1 Assumatur. REspondetur, In christo, non solùm scientiam diuinam, sed etiam creatam fuisse. Est fide tenenda.

Ex Scriptura. Probatur Primò, Isaiæ 11. v. 2. *Requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilij & scientiæ &c.* Quod de creatis donis Spiritus sancti intelligitur ab omnibus Patribus.

Ex concil. Probatur Secundò, Ex Synodo VI. act. 8. *Duas in Christo naturas prædicamus, & vnamquamque proprietates naturales habere confitemur; diuinam, omnia quæ diuina; Humanam, omnia quæ humana sunt absque peccato.* Idem definitur in Concil. Lateranensi sub Martino I. consult. 5. can. 9. Idem docent Patres omnes, & Scolastici Doctores in 3. dist. 14.

Ratione. Probatur Tertiò Ratione. Primò, Quia Christus assumpsit animam rationalem & intellectum creatum; vt suprà ostensum est: ergo etiam habuit scientiam creatam, quæ est propria perfectio illius intellectus. Secundò, fide certum est, in Christo esse voluntatem creatam & humanam: hoc enim definitur contra Monothelitas in VI. Synodo act. 6. 7. & 8. & in Concil. Lateran. sub Mart. I. can. 10. 11. 12. & 13. & docent omnes Patres; ergo fuit etiam creata cognitio; cùm eadem sit ratio vtriusque. Nam regula voluntatis, est cognitio: si ergo velle, creatum est; etiam cognoscere, creatum est. Tertiò, Quia alioqui frustrà intellectum creatum assumpsisset; quia nullum eius habuisset vsum.

2 Dices; Scientia diuina increata potuit communicari illi animæ, vt per illam cognosceret: sicut subsistentia increata fuit illi cõmunicata, vt per illam subsisteret: ergo nihil opus erat scientia creata, sicut opus non erat subsistentia creata.

Anima christi nihil cognoscit per scientiam increatam. Respondeo Primò, Etsi quidam olim ita censerint; est tamen omninò impossibile. Ratio est, Quia cognitio est actus vitalis, de cuius ratione est vt procedat vitaliter à cognoscẽte, ipsumque vitaliter informet; vt sit in omnibus creaturis rationalibus: vel certè, vt sit ipse cognoscens per identitatem, sicut in Deo. Nihil enim dicitur viuere, nisi vel vita ab ipso procedat, vel ipsummet sit vita: atqui cognoscere est viuere: ergo cognitio debet procedere à cognoscẽte, vel debet esse ipsemet cognoscens. Quare cùm cognitio increata nec possit ab anima procedere, nec ipsi identificari, omninò impossibile est, vt anima per illam formaliter cognoscat.

Respondeo Secundò, Etiamsi possibile esset Christi animam increatâ Sapientiâ cognoscere: nihilominùs non esset neganda scientia creata, quia non se impediũt, sicut subsistẽtia creata & increata. Possunt enim in eodem esse plures sciẽtiæ, non tamen plures subsistẽtiæ. Vtrùm autem hæc scientia fuerit habitualis, an tantummodò actualis, patebit ex sequentibus. Suppono tamẽ illam fuisse perfectissimam, ac proinde omninò certam & euidentem, adeò vt nullus vnquam actus cognitionis obscurè aut incertè in christo fuerit. Sicut enim omnis actus volũtatis fuit ex virtute perficiẽte potentiã voluntatis, ita omnis actus intellectus, fuit ex virtute intellectiua: hoc enim postulabat dignitas vnionis hypostaticæ.

3 Scientia christi fuit planè certa & euidens.

ARTICVLVS II.

Vtrum Christus habuerit Scientiam Beatificam?

4 Scientia beatifica in christo ab initio Conceptionis. REspondetur, Christum habuisse scientiam beatificã, quę animam beatam reddit, idque ab initio Cõceptionis. Probat D. Thomas ex illo Ioan. 8. v. 55. *Scio eum, & sermonem eius seruo.* Sed hęc probatio non est firma; quia loquitur generaliter de cognitione practica Dei, quæ facit benè viuere: reprehẽdit enim Iudęos, quòd Deum non sic cognoscant: *Qui enim facit peccatum, non nouit Deum* 1. Ioan. 2.

Ex Scripturis. Probatur ergo firmiùs: Primò, Ex Scripturis. Ioan. 1. *Vidimus gloriã eius, quasi Vnigeniti à Patre, plenum Gratiæ & Veritatis*: atqui non erat plenus veritate, absque visione beatifica: Nam omnis alia cognitia, est tãtùm *cognitio ex parte*; vt patet 1. ad Corinth. 13. Christus autem non cognoscebat ex parte, sed sicut cognitus erat; id est, simili claritate, & erga Deum vicissitudine. item habebat cognitionẽ veritatis, sicut decebat vnigenitum à Patre: atqui decet, vt hic habeat maximè perfectã cognitionem omnis veritatis, & in primis ipsius Patris. item, *Deum nemo vidit vnquã; Vnigenitus qui est in sinu Patris, enarrauit nobis.* Vbi docet per Christum potiùs omnem veritatem nobis esse patefactam, quàm per Moysem; Quia nemo hominum vidit Deum, prẽter vnigenitũ: ac proinde nemo potuit nos illa diuina mysteria apertè docere, præter ipsum. Docuit autem nos per suam humanitatem: ergo & Deum vidit per suam humanitatem. Ioan. 3. v. 11. *Quod scimus, loquimur; & quod vidimus, testamur.* Et Paulò post v. 13. *Nemo adscendit in Cælũ, nisi qui descẽdit de Cælo, Filius hominis qui est in cælo.* id est, Nemo hominum aliquãdo mente cœlum adscendit, quę ibi sunt lustraturus præter me, qui secũdùm diuinitatem descendi de cœlo, semper tamen in cœlo permanens. Ioan. 12. v. 26. *Vbi ego sum, illic & minister meus erit*: vbi promittit ministris suis tãquam præmium, vt sint, vbi ipse tunc erat: atqui præmium ministrorum Christi, est esse apud Deum per visionem beatificam: vt ipse indicat Ioan. 17. v. 24. *Volo, vt vbi ego sum, & illi sint: & videant claritatem meam, quam dedisti mihi ab initio*: hoc est, meam diuinitatem.

5 Ex Patrib. Probatur Secundò, Ex Patribus. Eusebius lib. 10. de demonstratione Euangelica cap. vlt. Euseb. Dicit christum in vtero Matris habuisse omnem

Digitized by Google

cognitionem, atque adeò vidiſſe Deum in quam ſententiam exponit illud Pſalmi 21. *In te proiectus ſum ex vtero.* Athanaſ. ſerm. 4. contra Arianos vltra medium, dicit eſſe opinionem Pauli Samoſateni, exiſtimare illum hominem gratiâ, vel ſapientiâ, vt nos, profeciſſe. Nazianzenus Oratione in S. Baſilium: *Proficiebat*, inquit, *ſapientia & gratia, non quòd incrementum acciperet, ab initio enim ſapientia & gratia abſolutus erat.* Idem docet Cyrillus lib. 1. in Ioan. cap. 17. & lib. 10. Theſauri cap. 7. Damaſcenus lib. 3. De fide cap. 14. & 22. idem docent Patres Latini. Vide D. Ambroſium lib. 5. De fide ad Gratianum cap. 8. Vide & alios citatos ſuprà q. 7. art. 12.

Athanaſ. Nazianz. Cyrillus. Damaſ. Ambroſ.

6 Probatur Tertiò ratione: Primò, Quia Chriſtus à principio conceptionis fuit filius Dei naturalis: ergo & hæres paternorum bonorum: ergo etiam poſſeſſior: quæ poſſeſſio eſt per viſionem beatificam. Cur enim poſſeſſio differretur? Non enim hoc erat neceſſarium noſtræ redemptioni; vt infrà dicetur. Neque expectabatur mors paterna, vt ait Cyrillus: nec vlla alia cauſa adferri poteſt. Secundò, Angeli, paulò pòſt ſuam creationem, aſſecuti ſunt viſionem Dei: ergo chriſtus, qui erat longè excellentior, debuit hanc ſtatim à principio accipere. Confirmatur, quia chriſtus à principio fuit caput omnium hominum, & angelorum; ergo non poterat carere vnione Dei, quâ iam fruebantur Angeli: alioqui ſubditi fuiſſent ſapientiores ſuo capite & Principe. Tertiò, chriſtus venit vt eſſet Doctor & inſtitutor nouæ legis, & altiſſimorum myſteriorum: ergo oportebat, vt hæc priùs clarè vidiſſet, vt tamquam teſtis oculatus poſſet illa myſteria docere, & confirmare. Quod inſinuatur Ioan. 1. v. 18. *Deum nemo vidit vnquam; Vnigenitus filius qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarrauit.* Ioan. 3. v. 11. *Quod ſcimus loquimur, & quod vidimus teſtamur.* Quartò, Quia alioqui Chriſtus vt homo, ignoraſſet ſeipſum; quia non cognouiſſet perfectè ſuam perſonã, nec modum vnionis naturæ humanæ cum perſona diuina; & contrà: quia hic modus perfectè nequit cognoſci ſine clara notitia vtriuſque extremi. Quintò, Adam, qui erat principium generis humani quoad naturam, fuit ab initio perfectus in naturalibus: ergo chriſtus, qui erat principium gratiæ & gloriæ in genere humano, debuit eſſe perfectus ab initio in vtroque. Cõfirmatur; Quia is qui alios erat perducturus ad perfectionem, tamquam primum principium poſt Deum omninò debebat eſſe perfectus: ergo &c. Sextò, *Videre Deum per ſpeculum in ænigmate*, eſt cognoſcere imperfectè, & ex parte; & eſt *ſapere vt parvulus*; vt docet Apoſt. 1. Corinth. 13. ſed Chriſtus numquam ſapuit vt parvulus; nec vnquam debuit euacuare ea, quę ſunt parvuli. Nam ab initio fuit vir perfectus ſecundùm animam, vt indicatur Ierem. 31. v. 22. *Fœmina circumdabit virum.* In quem locum vide D. Hieronymum ibidem.

Sex rationibus. Prima. Secunda. Tertia. Quarta. Quinta. Sexta.

7 Ex his patet, quamuis forte non ſit fidei abſolutè, chriſti Animam ab initio conceptionis habuiſſe viſionem claram Dei; tamen eſt fidei proximum; ita vt contrarium ſit erroneum cenſerdum, ob Scripturas, Patres, & rationes euidentes in ſcriptura fundatas.

Eſt proximum fidei

Argumenta in contrarium, non ſunt difficilia, præter pauca, quæ ſuis locis diſſoluentur; ſcilicet quomodo potuerit mereri & triſtari. De quibus vide plura apud Melchiorem Canum lib. 12. De locis theologicis cap. 14. vbi agit contra hæreticos noſtri temporis hanc veritatem negantes.

ARTICVLVS III.

Vtrum chriſtus habuerit Scientiam infuſam?

8 Reſpondetur affirmatiuè. Notandum, Duplicem eſſe ſcientiam infuſam: Alia enim eſt *per ſe infuſa*, quæ vires naturæ ſuperat, & non niſi infuſione haberi poteſt: ſicut fides eſt cognitio infuſa. Alia eſt *infuſa per accidens*, quę etſi viribus naturę parare poſſit, tamen reipſa à Deo confertur: talis erat ſcientia rerum naturalium in Adamo, & Salomone.

Scientia infuſa duplex.

Reſpondeo nunc: In chriſto præter ſcientiam beatificam, fuiſſe aliam ſcientiam ſupernaturalem, ab initio conceptionis, Animæ infuſam.

Fuit ea in Chriſto.

Probatur Iſaiæ 11. *Flos de radice eius aſcendet &c.* Vbi ſignificatur, hoc ipſo, quo flos ille aſcendet de radice: id eſt, de Virgine, quieturum ſuper eum ſpiritum ſapientię, & intellectus. Ioã. 1. *Plenum gratiæ & veritatis.* Atque non fuiſſet omninò plenus veritate, niſi habuiſſet cognitionem omnium rerum, non ſolùm in Verbo, ſed etiam in proprio genere. Nam erat capax huius cognitionis: & ipſa pertinet ad ſtatus ſupernaturalis perfectionem. Luc. 2. *Stupebãt omnes in prudentia & reſponſis eius*, cùm tantùm eſſet annorũ duodecim. Ioan. 7. *Quomodò ſcit hic litteras, cùm non didicerit*, id eſt, quomodò intelligit ſcripturas. Ille autem locus ad Coloſſ. 2. *In quo ſunt omnes theſauri ſapientię & ſcientię reconditi*, videtur intelligendus de chriſto ſecundùm diuinitatem, iuxta Ambroſ. Chryſoſt. Theophilactum, & multos alios.

Ex Scriptura.

9 Probatur Secundò ratione. Primò, chriſtus obibat munus ſacerdotij & Doctoris, proprie non vt beatus, ſed vt viator: ergo vt viator debebat eſſe inſtructus omni ſapiẽtia ſuis muneribus accommodatâ; ac proinde habere cognitionem infuſam omnium fidei myſteriorũ. Secundò, Quia Chriſtus ab initio fuit caput omnium beatorum, etiam Angelorum: atqui beati habent hãc cognitionem infuſam: ergo multò magis chriſtus. Tertiò, Decuit vt chriſtus eſſet perfectus omni modo ſapientiæ, cuius erat capax: atqui erat capax non ſolùm cognitionis rerum in verbo, ſed etiã in proprio genere; quæ cognitio eſt magna perfectio ſupernaturalis, nullo modo repugnans cognitioni beatificę, ſed illi potiùs cõnaturalis. Quartò, In Angelis pręter cognitionẽ matutinam, quę eſt cognitio rerum in verbo, eſt etiam veſpertina, quę eſt cognitio rerum in proprio genere: & omnes beati habent hanc cognitionem: ergo multò magis Chriſtus, qui ſupremum gradũ beatitudinis obtinet. Quintò, chriſtus habuit actus liberos quoad exercitium amotis Dei, reuerentiæ, humilitatis &c. ergo proponebat & apprehendebat Deum per aliquam aliã cognitionem diſtinctam à beata: nam quatenus apprehenditur per ſcientiam beatificam, neceſſariò amatur, colitur, & mens ſe illi ſubmittit. Sextò, chriſtus in voluntate habuit omnes virtutes ſupernaturales ad perfectionem voluntatis pertinentes; vt oſtenſum eſt ſuprà q. 7. art. 2. ergo in intellectu habuit omnem cognitionem ſupernaturalem, id eſt, virtutem ſupernaturalem, quâ perficitur intellectus.

Probatur ſex Rationibus. Prima. Secunda. Tertia. Quarta. Quinta. Sexta.

10 Aduerte tamen, etſi hæc ſententia ſit probabiliſſima, contraria tamen non eſt erronea, aut etiam temeraria: Nam quidam Doctores in 3.

Non eſt de fide.

dist. 14. videntur hanc scientiam infusam supernaturalem negare, existimantes sufficere beatificam, & naturalem per accidens infusam. Ita D. Bonauentura, Scotus, Richardus. Et ex parte Gabriel cum Occamo, sed valde parum est probabilis.

ARTICVLVS IV.

Vtrum in christo fuerit scientia acquisita?

11 In christo fuit scientia acquisita.

REspondetur affirmatiuè. Probatur; quia alioqui intellectus agens, cuius munus est abstrahere species intelligibiles à phantasmatibus, fuisset in christo otiosus. Notàdum, certum esse in christo fuisse scientiam aliquam acquisibilem humanâ industriâ, eiusdem ordinis cum scientia nostra. ita enim tenent omnes Doctores in 3. dist. 14. Sed est

DVBIVM.

Vtrùm Christus hanc Scientiam suâ industriâ acquisierit: An verò à Deo acceperit ab initio Conceptionis infusam?

Quidam existimant Christum per proprios actus in ipso momẽto cõceptionis totâ hanc scientiam comparasse: tunc enim diuinâ virtute habuisse ipsum omnium rerum naturalium phantasmata, & ex illis elicuisse omnes species intelligibiles, quibus in eodem momento elicuerit perfectos actus omnium scientiarum. Sed hæc sententia non est probabilis, vt suprà q. 7. a. 2. dub. 4. diximus de virtutibus moralibus acquisitis; quia non sunt ponenda huiusmodi miracula sine necessitate.

Quidam ponunt Christum primo instanti suæ conceptionis eam scientiam comparasse.

Alij censent Christum in principio caruisse scientiâ humanâ, eò quòd illi ætati non sit debita. Vnde illam cateruatim non censeri ignorantiam, sed puram negationem: progressuerò ætatis, sensim eam comparasse; ita vt in singulis ætatibus, eam habuerit perfectionem, quam tunc conueniebat habere. Ratio illorũ est; tum, quia alioqui intellectus agens, frustrà fuisset in christo: tum, quia perfectius est habere hanc scientiam à se, quàm ab alio; & habere eam modo naturæ accommodato, quàm peregrino. Ita D. Thomas hîc, cum Caietano, & Themistis, & quibusdam alijs.

Alij successu temporis.

13 Verius est esse infusam.

Sed dicendum est, longè verius & probabilius esse, Christum ab initio conceptionis habuisse omnem hanc scientiam naturalem à Deo infusam; Sicut habuit Adam omnium iudicio. Ita communiter Doctores. Alexander Alens. 3. p. q. 13. Bonauentura, Scotus, Durandus, Richardus, Gabriel, Paludanus in 3. dist. 14. & D. Thomas ibidem q. 3. §. Ad quintam quæstionem, idem tenuit; Et in quæstionib. de veritate q. 20. a. 2. quamuis hîc sententiam mutarit.

Probatur Primò, Ex Patribus suprà citatis q. 7. a. 12. d. 3. & hâc q. a. 1. qui communi consensu dicunt christum non profecisse Sapientiâ, nisi secundùm demonstrationem, & actum exteriorẽ. Quòd si verè acquisiuit aliquam sapiẽtiam, sicut nos; non erat necessarium confugere ad incrementum secundùm operationem: Nam proprijssimè in ipso habitu scientiæ profecisset.

Probatur Secundò, Ratione; Primò, Quia hæc scientia est summa perfectio naturalis animæ, nullo modo repugnans vnioni hypostaticæ, aut visioni beatificæ, aut statui viatoris, aut officio Redemptoris: ergo nullo modo decuit eam prætermitti. Confirmatur; Quia Patres communiter docent Verbum assumpsisse Animam in naturalibus perfectissimam. Probatur ex Ratione. Prima.

Secundò, Quia Adam ab initio habuit omnem hanc scientiam: similiter Angeli, & beati. Ergo multò magis Anima Christi. Nec satisfacit quod ait Caietanus, Adamũ fuisse principium generis humani quoad naturam, & ideò in naturalibus debuisse esse perfectum: christum autem non fuisse principium naturæ, sed gratiæ & bonorum supernaturalium; & ideò debuisse tantùm in supernaturalibus esse perfectum. Namchristus erat etiam fons completionis bonorum naturalium: si quidem euerso statu innocentiæ, nemo sine auxilio gratiæ, totam legem naturæ seruare, aut omnem veritatem naturalem intelligere potest. Vnde etiam ipse harũ naturalem perfectionem omninò completam habere debebat, sicut & virtutes supernaturales: Nam ipse horum omnium per suam gratiam nobis est auctor. 14 Secunda. Responsio Caietani refellitur.

Tertiò; longè perfectius & optabilius est habere omnem cognitionem à principio infusam, quàm sensim suo labore comparare; præsertim cùm accipiendo illam à Deo, non ab alio acceperit quã a seipso. Vnde sicuti gratia habuit ab initio, ita & hanc scientiam; quia non minùs hæc scientia est ipsa naturalis, quam gratia. Sicut enim gratia dicitur Christo naturalis, quia debita naturæ humanæ sic Verbo vnitæ, & Verbum vi suâ contulit illam naturæ assumptæ, ita & hæc scientia naturalis dicetur, imò ampliùs, cùm sit perfectio naturalis humanæ naturæ. 15 Tertia.

Quartò, Si christus illam studio comparare debuisset; sequeretur Primò, Multùm laboris & temporis in eo ponendum fuisse. Nam hæc scientia, ex rerum quę sub sensum cadunt, consideratione & collatione, mediante ratiocinatione ducitur: atqui non decet christum cœlestium Doctorem, infimarum rerum considerationc & inuestigatione occupari. Secundò, Sequeretur ipsum per totam vitam non peruenisse ad culmen huius scientiæ. Nam opus est longissimo tempore, vt quis omnia experiatur: christus autem non diu vixit, & interim pauca est expertus circa res naturales, v. g. genera animantium, plantarum, & eorum quæ in visceribus terræ latent; quæ tamen experientia, id est, per sensus cognitio, necessaria est vt humano more scientia comparetur. Quòd autem Caietanus infrà quæst. 12. artic. 1. vult persuadere ministerio Angelorum res omnes ipsius sensibus obiectas, vt ex illis philosopharetur; parum est probabile. Præterea, multa sunt quæ egent obseruatione longissimi temporis; vt ea quæ pertinent ad Astrologiam. Denique discursus humanus maximè in Mathesi procedit in infinitum, ita vt solâ industriâ humanâ non possit peruenirì ad terminum. 16 Quarta. Ab inconuenienti.

Quintò, Quia Christus habuit virtutes morales ordinis naturalis infusas ab initio, vt suprà dictum est, & D. Thomas fatetur: ergo etiam scientias naturales. Patet consequentia, quia non est ratio, cur voluntas debuerit potiùs in ordine naturę esse perfecta, quàm intellectus. Confirmatur, Quia cum virtutibus moralibus necessariò debuit infundi prudentia, quæ ad intellectum pertinet: atqui prudentia omnino perfecta, supponit perfectam cognitionem principiorum moralium, & eorundem conclusio- 17 Quinta.

num; item perfectam cognitionem animæ humanæ, & omnium eius motuum: ergo omnem hanc cognitionem naturalem habuit Chriſtus à principio: ergo etiam cęteras ſcientias: præſertim cùm vna ſcientia non ſit omnino perfecta ſine alia.

18 Secta. Chriſtus à primo inſtanti conceptionis habuit vſum rationis.

Denique, Quia chriſtus à principio conceptionis vtebatur ratione: ergo fuit optimè diſpoſitus intellectu ad illum vſum: ac proinde per habitus ſcientiarum. Antecedens docet D. Auguſtinus lib. 1. De peccatorum meritis & remiſſionibus cap. 29. vbi ait in Chriſto infante non fuiſſe impedimentum vſus rationis, quod in alijs parvulis cernitur. Cuius ratio eſt, quia tum ratione vnionis, tum ratione beatitudinis, debebatur illi Animæ corpus ex omni parte perfectum: vnde non oportebat, vt admitterentur in eo aliqui defectus, niſi quatenùs id neceſſarium erat ad noſtram redemptionem: atqui hic defectus corporis, quo impeditur vſus rationis, nullo modo erat neceſſarius ad noſtram redemptionem, quin potiùs erat contrarius: ergo corpus infantile non impediebat vſum rationis, aut ſenſuum interiorum. Vnde ſequitur, Chriſtum infantem potuiſſe vti ratione, cum conuerſione ad phantaſmata, id eſt, phantaſiâ ſimul cooperante, & efformante id, quod ratio intelligebat. Nam facilè poterant ſenſuum organa, diuinâ virtute corroborari ad hanc functionem: ita vt vis illa quæ deerat organis ob defectum ſiccitatis, diuino auxilio ſuppleretur. Sicut ad breue tempus accidit in Ioanne Baptiſta.

19 Reſponſio ad contrarias ſententias.

Nunc reſpondendum ad rationes contrariæ ſententiæ. Ad Primam, Eodem argumento probaretur, intellectum agentem fuiſſe ſuperuacuũ in Adamo; nam accepit à Deo omnes ſcientias, non autem operâ intellectûs agẽtis; ſimiliter & in omnibus parvulis qui moriuntur ante vſum rationis; nam nullam ſcientiam induſtriâ humanâ acquirent. Quare dicendum eſt, potentiam non eſſe ſuperfluam, quæ ad naturæ integritatẽ pertinet, etſi diuinitùs præueniatur, vt numquam operetur. Addo: Intellectum agentem, non eſſe reipſâ diſtinctum ab intellectu poſſibili, quo intelligimus: vnde licet non habeat illam functionem, quæ eſt ſpecies intelligibiles comparare, (quam operationem ſolùm habet ob defectum naturæ) habet tamen functionem præcipuam, quæ eſt, ſcientiâ vti. Ad Secundam, Patet ex dictis in argumento tertio: perfectiùs enim eſt habere ab initio, quàm ſenſim ſuo labore comparare.

QVÆSTIO X.

De Scientia Beata Animæ Chriſti.

In *quatuor Articulos diuiſa.*

1 NOta, Ex dictis conſtare in Chriſto eſſe quadruplicem ſcientiam; ſcilicet Diuinam, Beatificam, Infuſam, & Naturalem. Itaque agit de cuiuſque perfectione; omnes enim in Chriſto fuerunt ſummæ, & ſecundùm intenſionem, & ſecundùm extenſionem.
Verùm de ſcientia diuina, dictum eſt in 1. parte quæſt. 14. vnde ſolùm agit de reliquis tribus.

ARTICVLVS I.

An Anima chriſti comprehenderit Verbum?

2 Negatur. REſpondetur; Anima chriſti non comprehendit Verbum, ſiue diuinam eſſentiam. Eſt certa, & communis omnium Doctorum. Videtur de fide: quia Scripturæ & omnes Patres docent Deum eſſe incõprehenſibilem omni creaturæ. Ad Romanos 11. *O altitudo diuitiarum Sapientię & ſcientiæ Dei! quàm incõprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles vię eius!* & infrà. *Quis cognouit ſenſum Domini, aut quis cõſiliarius eius fuit?* Quod ſi iudicia eius incomprehenſibilia, multò magis eius eſſentia. Idem ſignificatur Ieremiæ 32. *Magnus cõſilio, & incõprehenſibilis cogitatu*, id eſt, ſecundùm ſuas cognitiones & conſilia. Pſal. 138. *Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me: confortata eſt, & non potero ad eam.* Vbi chriſtus loquitur vt homo, ſecundùm Haymonem & Caſſiodorum: & dicit ſe non poſſe ad diuinam ſcientiam, quia eſt incomprehenſibilis; vt exponit D. Auguſt. in illum locum. Vide Dionyſ. lib. 1. De diuin. nominibus cap. 1. & 7. & cap. 1. Myſticæ Theologiæ. Et ratio eſt, Quia ad comprehenſionem cognitionis, requiritur vt tam perfectè cognoſcatur, quàm eſt cognoſcibilis: id eſt, quàm poſtulat ipſius perfectio; *Ita vt nihil eius lateat videntem*, vt inquit Auguſtinus epiſt. 112. atqui eſt cognoſcibilis infinitè, ſicut & infinitè eſt amabilis. Vnde nullum lumen exæquatur eius cognoſcibilitati niſi infinitum, quod creaturæ communicari non poteſt.

3 Obiectio è D. Fulgẽtio.

Dices; D. Fulgentius in reſponſione quæſt. 3. ad Ferrandum Diaconum, dicit eſſe ſanitati fidei penitùs alienum affirmare Animam chriſti non plenam ſuæ Deitatis habere notitiam. Quod autem intelligat notitiam comprehenſiuam, Patet: quia paulò antè ait, *Magnitudinem creatoris omnibus quidem Angelis eſſe incomprehenſibilem: nõ antè eandem eſſe rationem illius animę, quæ aſſumpta eſt in vnitatem perſonæ*: Nam, ait, *habuit ſpiritum ſine menſura.* Vnde infert: ergo non habuit minùs ſapientiæ, quàm ipſe ſpiritus. Denique in hoc tantùm diſtinguit notitiam Dei, à notitia animæ chriſti: quòd anima illa nouit quantum Deus, non autem ſicut Deus. Nam Deus ita nouit vt ſit ſua notitia: anima autem non eſt ſua notitia, ſed illam accepit à Deo per gratiam.

Explicatur. Reſpondeo; Hoc teſtimonium Fulgentij, ſicut & multa alia ibidem, eſt valdè difficile; niſi dicamus ipſum loqui de notitia increata, quæ huic animæ per vnionem hypoſtaticam eſt communicata; per quam hæc anima, vt vna perſona cum Verbo, vel potiùs ille homo comprehendebat diuinitatem ſuam. Quod autem de hac loquatur, colligi poteſt, tùm, ex teſtimonijs Scripturę, quæ adducit; quæ nihil aliud conuincunt; tùm, quia dicit illam animam eſſe vnam

perſonam cum Verbo, ac proinde ipſam ſapientiam diuinam; quare non poſſe illam hoc modo ignorare ſuam diuinitatem.

ARTICVLVS II.

Vtrum Anima Chriſti in Verbo cognouerit omnia?

4 Nõ nouit omnia quæ ſunt in potentia Dei.

REſpondetur tribus Concluſionibus. Prima eſt: Anima Chriſti non cognoſcit omnia quæ ſunt in potentia Dei. Eſt communior ſententia Doctorum in 3. diſt. 14.

Probatur; quia ſi cognoſceret in Verbo omnia, quæ Deus poteſt, facere, comprehenderet diuinam virtutem: Nam quò plures effectus cognoſcuntur in cauſa, eò magis penetratur cauſa. Ergo ſi omnes effectus Deo poſſibiles, in ipſo, tanquam in cauſa cognoſcantur, ipſe omninò comprehendetur. Sicut ſi quis ita perfectè cognoſcat naturam Solis, vt ex vi illius cognitionis cernat omnes effectus, quos ſol poteſt producere; ſine dubio ſolis virtutem comprehendit. Atqui impoſſibile eſt diuinam virtutem à creatura comprehendi: ergo &c. Vide plura in 1. p. quæſt. 12. art. 8.

5 Nouit omnia futura libera vſque ad diẽ iudicij.

Secunda Concluſio: *Anima Chriſti videt in Verbo omnia, quę Deus cognoſcit Scientiâ viſionis, ſaltem vſque ad diem iudicij.* Eſt D. Thomæ hoc loco: & cum hac limitatione (*ſaltem vſque ad diem iudicij*) omnium Theologorum.

Probatur; Quia omnes Beati vident in Verbo omnia quæ ad ſuum ſtatum pertinent; vt communior opinio tenet: ſed hæc omnia pertinent ad Chriſtum; quia ipſe eſt omnium Dominus. Deinde, Ipſe eſt ſupremus omnium Iudex: ergo debet exactè & ſimul noſſe omnium facta, dicta, & cogitata, vt iuſtam menſuram præmij vel ſupplicij cuique decernat. Quo argumento ſatis firmiter probatur Filium hominis, cui omne iudicium Pater dedit, cognoſcere omnia, quæ ab initio mundi, vſque ad finem fiunt à creatura rationali.

6 Etiam futura creaturæ irrationalis.

Hinc ſatis probabiliter colligitur eum cognoſcere etiam alia; nempe quæ à creatura irrationali fiunt; præſertim cùm longè difficilius & ſublimius ſit, intueri omnes cordium cogitationes, quàm creaturas irrationales, eorumque motus. Deinde habent hæc ſæpe connexionem cum factis hominum.

Ex eodem fundamento multi colligunt Chriſtum cognoſcere etiam in Verbo omnia, quę poſt iudicium, in omnem æternitatem futura ſunt; id eſt, omnes blaſphemias internas & externas damnatorum; & omnes cogitationes & laudes Sanctorum. Aduerte tamen, hanc rationem non videri valdè firmam, quoad ea quæ poſt iudicium in omnem æternitatem fient. Etſi enim Anima Chriſti ſcire debeat omnes omnium hominum cogitationes, & actiones, quæ vſque ad diem iudicij fient; tamen nulla eſt neceſſitas vt cognoſcat diſtinctè in Verbo omnia, quæ fient poſteà in omne æuum. Primò, Quia hoc non videtur ad eius ſtatum pertinere, cùm non ſit credibile ſingulos, ſuas omnes cogitationes futuras, viſuros. Deinde, Quia parui videtur referre, quam quis cogitationem aut volitionem, hoc aut illo momento habeat. Cur ergo debeat hoc oſtendi in Verbo? Tertiò, Quia valdè probabile eſt creaturam non poſſe videre infinita, actu diſtincto & perfecto; vt docent Scotus, Bonauentura, Gabriel, Richardus in 3. diſtinct. 14. & Henricus Quodlib. 5. q. 14. vnde negant Animam Chriſti videre actu infinita. Et ratio eſt; tum quia ad hoc videtur requiri lumen infinitũ; tùm quia attentio infinita; tùm, quia eſſent infiniti reſpectus, ſaltem formaliter diſtincti; & fortaſſis infiniti actus. Neque tamen hinc ſequetur Animã chriſti quidquam horum ignorare; quia ſicut aſſiſtit ei omnipotentia Dei ad opera miraculoſa, quæ voluerit; ita dici poteſt aſſiſtere Sapientia, ad reuelanda ea, quæ ſcire de his voluerit; ita vt rectè dici poſſit ſcire omnia illa in habitu.

7 Obiectio ẽ D. Thoma.

Dices, D. Thom. ad 2. ait, Animam Chriſti cognoſcere omnia, quæ deus ſcit ſcientiâ viſionis. Et ad 3. ait, Scientiam Animæ Chriſti parificari ſcientiæ viſionis, quæ eſt in Deo: atqui Deus ſcientiâ viſionis cognoſcit infinita; ſcilicet omnes cordiũ cogitationes, quæ erunt in omne æuum; vt ipſe docet 1. p. q. 14. art. 12.

Explicatur.

Reſpondeo poteſt, Per ſcientiam viſionis D. Thomam hic intelligere eam qua Deus videt omnes ſubſtantias, quæ aliquando extabunt. Quod patet, Quia lib. 1. contra Gentes cap. 69. quod Opus cõſcriptum eſt poſt primam partem, expreſsè ait, Deum non cognoſcere infinita per ſcientiam viſionis; *Nam*, inquit, *generatio, materia ex parte eſt infinita.* Idem confirmatur ex ijs quæ habet Articulo ſequenti vbi ait Chriſti Animam ſcientia viſionis non cognoſcere infinita. Nec obſtat quòd hic in Corp. dicat, Chriſti animam cognoſcere omnia dicta, facta, cogitata, à quocumque, ſecundùm quodcumque tempus: quia tempus, ſolùm extenditur vſque ad finem ſęculi, quando cœlum ceſſabit; iuxtà modum loquendi D. Thomæ. Nec ratio D. Thomæ aliud conuincit; ſcilicet, quia Chriſtus eſt omnium Iudex.

8 Videtur hæc in verbo tripliciter.

Petes, Quomodò hæc videantur in Verbo? Reſpondeo; Tripliciter id fieri poſſe. Primò, videndo eſſentiam diuinam, quatenus eſt viſio & conceptus futurorum: poteſt enim diuina eſſentia ita cooperari cum intellectu beati, vt oſtendat ei determinationes ſuæ voluntatis, vel ſcientia; id eſt, ſuas cogitationes, & conſilia. Secundò, Per reuelationem ſeu locutionem Dei, quam mens in ſeipſa per lumen gloriæ poteſt intueri; Sed hæ duæ cognitiones non ſunt intuitiuæ futurorum. Tertiò, Probabile eſt poſſe etiam videri intuitiuè. Sed videtur id fieri non poſſe ex nuda viſione eſſentię tamquam cauſæ: quia diuina eſſentia non eſt cauſa multorum futurorum, vt peccatorum: quorumdam etiam ſolùm eſt cauſa vniuerſalis & adiaphora, id eſt, indifferens, in qua effectus diſtinctè cerni non poteſt. Quare eſſentia diuina in hac viſione ſe habebit non vt cauſa, ſed vt ſpecies intelligibilis: cùm enim ipſa ſit infinita, etiam in ratione præſentandi poteſt repræſentare omne verum; & concurrere cum intellectu creato, vt ſpecies illorum vel horum obiectorum. Tamen ex hoc ſolo concurſu diuinæ eſſentiæ, non poſſunt videri futura intuitiuè: quia intuitio potiſſimùm ex vi luminis pendet: ſpecies magis deſeruiunt apprehenſioni & cognitioni abſtractiuæ. At non videtur poſſe dari lumen creatum; quod vi ſuâ, in futura, tamquam in præſentia feratur: ad hoc enim infinita quædam efficacia requiri videtur: Adeò enim ſublimis eſt hæc cognitio futurorum, vt paſſim in Scripturis ſoli Deo tribuatur: & vix intelligi queat quomodo in ipſum conuenire poſſit, niſi fides nos confirmaret. Deinde nulla eſt luminis menſura, quà neceſſariò futura cernantur: cùm omnis illa menſura dari poſſit, etiamſi non eſſet

Non tamẽ intuitiuè ex nuda viſione eſſentiæ.

Nec per eſſentiam quaſi ſpeciẽ intelligibilem.

Neq; etiã intuitiuè per lumen creatum.

Sed per ſpecialem Dei concurſum.

aliquid futurum. Quæ vt hæc videantur, opus erit ſpecialiſſimo influxu Dei, quo intellectum lumine gloriæ collustratum, altiſſimo modo tanquam in exiſtentia dirigat, ſupra omnem vim creatam. Quo modo, quorundam ſententia, per res creatas ob, erat miraculoſa, & effectus Sacramentorum perficit.

9 Dices, Marci 13. verſ. 32. dicitur: *De die autem illo vel hora, nemo ſcit, neque Angeli in cœlo, neque Filius: niſi Pater.* Et Matthæi 24. ſolus Pater dicitur ſcire diem Iudicij.

Explicatur quoſ. ſu Chriſtus ignoret diem Iudicij.

Reſpondeo, Omiſſis varijs expoſitionibus: certum eſt, Chriſtum cui omne iudicium dedit Pater: diem iudicij non ignorare. Dicitur itaque neſcire tamquam legatus Dei, nempe vt alijs manifeſtet. Ita Hieronymus, Chryſoſtomus, Theophylactus in cap. 24. Matthæi. D. Ambroſius lib. 5. De fide ad Grat. cap. 8. D. Baſilius lib. 4. contra Eunomium. D. Auguſtinus lib. 1. De Gen. contra Manichæos cap. 22. & lib. 1. De Trinit. cap. 12. & alij. D. Gregorius lib. 8. epiſt. 42. hoc enim modo ſæpe locquitur Scriptura, vt Ioannis 15. verſ. 15. *Quæcumque audiui à Patre meo, nota feci vobis*, id eſt, quæcumque audiui vt legatus & nuntius, pro hoc tempore vobis manifeſtanda. Conſentit etiam communis modus loquendi, quo dicimur neſcire ea, quę ſub ſecreto accepimus: & Legatus dicitur neſcire ea, quę ſunt extra, vel contra munus legationis.

Dices Primò, Etiam Pater poteſt hoc modo dici neſcire diem iudicij; ſcilicet vt alijs reuelet.

Reſpondeo Negando aſſumptum: Quia Pater non obit legationem ad homines docendos, vt Filius. Vnde Rex etſi nolit alijs ſua ſecreta patefacere, tamen non dicitur ea neſcire: Sicut legatus dicit ea ſe neſcire, quamuis priuatim ſciat. Deinde Pater eſt primus fons huius reuelationi, à quo innotęſcit Filio, & Spiritui ſancto.

Dices Secundò, Scriptura dicit ibidem etiam Angelos ignorare diem iudicij: at hi ſimpliciter ignorant: ergo & Filius.

Reſpondeo: Ex hoc loco non omninò conſtat, vtrùm Angeli etiam dicantur neſcire ſibi, an ſolùm ad alijs reuelandi nr. Probabilius tamen videtur eos abſolutè neſcire: vt docet Scotus in 4. diſt. 43. quæſt. 2. art. 2. quia non erat occaſio ita loquendi ſeu intelligendi de Angelis. Hinc tamen non ſequitur Chriſtũ abſolutè neſcire: nam longè eſt alia ratio de Chriſto, cui Pater omne iudicium dedit.

10 Tertia Concluſio: *Præterhæc, anima Chriſti cognoſcit omnia poſſibilia quæ in potentia creaturæ continentur.* Eſt communis ſententia Doctorum. Ratio eſt; Quia cognoſcit omnes creaturas, earumque ſe mutationes & combinationes comprehenſiuè ac proinde totam illarum virturem, faltem quoad effectus in ſpecie ſuprapos. His addo; Chriſtum præter hæc intelligere multa ſoli Deo poſſibilia: nam cæteri Beati pro menſura diuini luminis plura vel pauciora ex his cognoſcunt, licèt numquam ſint futura: ergo plurima ex his cognoſcit Anima Chriſti; quamquam adhuc infinita reſtent illi incognita.

Cognoſcent poſſibilia creatura.

Et multa ſoli Deo poſſibilia.

ARTICVLVS III.

Vtrum Anima Chriſti in Verbo cognoſcat infinita?

11 Reſpondetur; Cognoſcit infinita in potentia, non tamen infinita actu. Vbi Notandum eſt vtramque partem intelligi de infinitis ſubſtantijs, vt docet Caietanus hoc loco, & ratio D. Thomæ poſtulat.

Prior pars probatur, Quia in verbo cognoſcit omnia quæ ſunt in potentia creaturæ: atqui hæc ſunt infinita: ergo cognoſcit infinita in potentia. Sed aduerte, hanc rationem non videri omninò firmam. Primò, Quia credibile eſt virtute cauſarum naturalium, non poſſe fieri infinitas ſpecies ſubſtantiarum: feminum enim diuerſitas finita eſt. Quæ verò ex putri materia gignuntur, etiam finita eſſe videntur. Neque videntur hæc infinitis modis poſſe miſceri; quia ferè omnibus ſæculis eadem proueniunt, & pauca noua emergunt. Deinde; Quia alioquin Angeli naturaliter infinita actu cognoſcerent; nam comprehendunt virtutem cœlorum & elementorum. Indiuidua quidem quæ in potentia creaturæ continentur, infinita ſunt; ſed non ex eo, quod vis creaturæ comprehenditur, etiam omnia, quæ ab illâ produci poſſunt, diſtinctè cognoſcuntur; alioquin Angeli etiam naturaliter cognoſcerent infinitũ. Ratio eſt; Quia indiuiduatio pendet etiam ab influxu diuino; & fortè a determinatione diuinæ voluntatis. Ideò enim agente igne, hic potiùs ignis, quam ille emicat; quia præter cauſas & circumſtantias creatas, quæ ad indiuiduationem, vel directe vel occaſionaliter concurrunt, etiam Deus tali influxu concurrit; & fortaſſis decernit ſua voluntate, vt hoc potiùs, quam illud indiuiduum fiat.

In cauſis naturalibus non latent infinitæ ſpecies ſubſtantiarũ.

Latent in eis infinita indiuidua, quæ tamẽ nequeunt diſtinctè in iis cognoſci.

12 Secunda pars Probatur: Numerus omnium ſubſtantiarum, quę vnquam futuræ ſunt, eſt finitus; nam certus & interitus finem capient: ergo Chriſti Anima non cognoſcit in Verbo infinitas ſubſtantias actu exiſtentes. Hinc ſequitur iuxtà D. Thomam Chriſti Animam ſimplici intelligentiâ, quæ eſt poſſibilium, cognoſcere infinitas ſubſtantias, non tamen ſcientiâ viſionis. Fortè tamen non vult illas infinitas ſubſtantias omninò diſtinctè cognoſci, ſed confuſè; prout fas eſt creaturæ. Sicut quando cognoſcitur vniuerſale, cognoſcuntur quodammodo infinita: vt inſinuat ad 2.

Explicatur D. Thomas de cognitione confuſa infinitorum.

ARTICVLVS IV.

Vtrum Animæ Chriſti clarius videat diuinam eſſentiam, quam alia quæuis creatura?

13 Reſpondetur affirmatiuè. Ratio eſt, Quia eſt coniuncta Verbo hypoſtaticè; ergo oportet vt clariùs cernat ipſum Verbum, quam quæuis alia creatura, non tam arctè coniuncta. Notandum eſt, ſicut gratia habitualis Animę Chriſti, eſt ſummam ſecundùm potentiam ordinariam, vt ſuprà dictum eſt; ita & lumen beatificum, & viſio beatifica eſt ſumma ſecundùm eandem potentiam. At iuxtà potentiam abſolutam poteſt dari, perfectius lumen, & perfectior viſio: nam hęc, ſine termino poſſunt augeri. Vnde fallitur Caietanus, dum exiſtimat viſionem beatificam Animæ Chriſti eſſe ſummam, iuxtà potentiam abſolutam. Vtrùm autem Angelus cum eodem lumine perfectiùs eſſet viſurus Deum, quàm Anima Chriſti, non eſt huius loci.

QVÆSTIO XI.

De Scientia per ſe infuſa Animæ Chriſti.

In Sex Articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Vtrum per Scientiam infuſam Chriſtus omnia nouerit?

REſpondetur affirmatiuè: Chriſtus omnia naturalia & ſupernaturalia cognouit per ſcientiam infuſam; exceptâ tamen eſſentiâ diuinâ.

DVBIVM. I.

Vtrùm Anima Chriſti per hanc Scientiam infuſam cognouerit res omnes naturales; corporales ſcilicet & ſpirituales, quas Angeli per ſuam ſcientiam naturalem cognoſcunt?

2 Affirmatur de rebus omnibus naturalibus.

REſpondeo; Illam has omnes cognouiſſe, & quidem perfectiùs quàm Angeli cognoſcunt. Ita D. Thomas hoc loco, & paſſim Doctores huius ætatis: & Marſilius in 3. Sentent. queſt. 30. art. 2.

Probatur Primò, Quia ſi per ſolam naturalem ſcientiam Anima Chriſti illa cognouiſſet, longè fuiſſet ſuperata ab Angelis in cognitione rerum in proprio genere, ſiue extra Verbum: nam Angelorũ cognitio naturalis erat longè perfectior, quã cognitio naturalis Animæ Chriſti; vt ſuppono tanquam certum: atqui id minimè erat cõueniens: quin potiùs ſicuti cognoſcebat eas in Verbo per cognitionem matutinam perfectiùs quàm Angeli; ſic omnino erat conſentaneum, vt etiam cognoſceret eas in proprio genere per cognitionem veſpertinam perfectiùs quàm Angeli.

Probatur Secundò, Hęc cognitio infuſa rerum naturalium facilè dari poterat illi animæ, & quidem in ea perfectione, vt ſuperaret cognitionem Angelicam, idque illi quodammodo erat debitũ: ergo re ipſa erat collatum. Confirmatur; Sicut enim voluntati dãtur virtutes ſupernatutales reſpectu eorundem obiectorum, ad quę diſponitur virtutibus naturalibus; ita intellectui poteſt conferri lumen ſupernaturale euidens, ad eadem obiecta cognoſcenda, quæ naturali lumine cognoſcuntur. Nam idem obiectum materiale, reſpectu diuerſi luminis, ſubit diuerſam rationẽ formalẽ: vt patet in obiecto ſenſus & intellectus; in obiecto intellectus humani & Angelici. Pari modo in obiecto luminis naturalis & ſupernaturalis.

3 Singularia exiſtẽtia cognouit intuitiuè.

Ex his ſequitur, Chriſti animam per hanc ſcientiam intuitiuè poſſe cognoſcere quęuis ſingularia actu exiſtẽtia: omneſque eorum actiones internas & externas naturales, ſiue ad hoc neceſſariæ ſint ſpecies, ſiue non; vt rectè hîc docet D. Thomas. Ratio eſt; Tùm, quia angeli poſſunt hæc intuitiuè cognoſcere, exceptis cordium cogitationibus: tùm, quia hæc cognitio eſt neceſſaria ad perfectam prudentiam & prouidentiam, quæ verſatur circa ſingulari. Atqui in Chriſto eſt prudentia & prouidentia vniuerſalis circa res omnes quæ ſunt in mundo; omnia enim ſunt ipſi ſubiecta. Pſal. 8. & Matth. vltimo. *Et ipſe eſt omnium Iudex.*

DVBIVM. II.

Vtrùm Chriſti Animæ per hanc Scientiam cognoſcat res ſupernaturales?

REſpondeo; Cognoſcere clarè & intuitiuè omnes res ſupernaturales; ſiue ſubſtantiã, ſiue modo ſolùm tales ſint: Excipio tamen diuinã eſſentiam. Itaque videt omnia dona ſupernaturalia infuſa, eorumque actus &c. Colligitur hoc ex D. Thom. & eſt communis DD. Huius ætatis. 4 Cognoscit supernaturalia.

Probatur; Nam hæc cognitio eſt poſſibilis extra Verbum; eſtque valde conſentanea, & quodãmodo neceſſaria Chriſto: ergo hanc habet. Quòd ſit poſſibilis patet; quia hæ res omnes ſunt creatæ & finitæ: ergo poſſunt per proprias ſpecies repræſentari, vel per ſe ipſas immediatè (cùm ſint ſpirituales, inſtar ſpecierum intelligibilium) cum intellectu concurrere. Vnde ex parte obiecti non eſt difficultas. Sed neque ex parte potentiæ: quia facilè eſt Deo dare lumen creatum eiuſdem ordinis, quo res iſtæ videantur. Quod autem ſit Chriſto debita, patet; quia ipſe nobis omnium bonorum ſupernaturalium eſt auctor: Eſt enim *Auctor fidei & conſummator*, ad Hebr. 12. v. 2. ergo non poteſt hæc dona ignorare.

Sed contrà Obijcitur Primò, gratia eſt participatio diuinæ naturæ: ergo non poteſt ſecundùm eſſentiam cognoſci, niſi cognitâ diuinâ naturâ, quæ ſolâ viſione beatificâ cognoſcitur: ergo nec gratia ſine hac cognoſci poteſt. 5 1. obiectio ſoluitur.

Reſpondeo; Sufficit diuinam naturam cognoſci confuſo quodammodo, & cognitione abſtractiua, vt clarè cognoſcatur gratia. Ratio eſt, Quia gratia non habet ordinem ad diuinam naturam, vt ad cauſam intrinſecam; ſed ſolùm tamquam ad cauſam efficientem & exemplarem, quæ ſic quodammodo eiuſdem ordinis; cum qua, ipſa gratia magnã conuenientiam habeat. Talis autem participationis cognitio non pendet à cognitione formæ ſeu exemplaris, cuius eſt participatio: vt patet in lumine aëris, quod hoc modo eſt participatio lucis ſolaris; poteſt tamen ſecundùm eſſentiam cognoſci, etſi non cognoſcatur clarè eſſentia lucis ſolaris. Idem dicendum de participatione reliquarum perfectionum diuinarum, Intellectus, Voluntatis, Sapientiæ, Charitatis, Iuſtitiæ &c. Et Confirmatur; Quia ad cognitionem imaginis, non eſt neceſſaria clara cognitio exemplaris; imago enim ducit in cognitionem exemplaris, non autem pendet ex illo eius cognitio. Cognita clarè gratia nõ neceſſariò clarè cognoſcitur diuina eſſentia.

Obijcitur Secundò, ſaltem viſio beatifica cognoſci non poterit, niſi ſimul cognitâ diuinâ eſſentiâ; quia immediatè ad eam tamquam præſentem terminatur. Reſpondeo, Illam viſionem, etſi habeat eſſentialem reſpectum ad diuinam eſſentiam, tãquam ad obiectum præſens; tamen quia eſt res omninò diſtincta ab illa, & in ſua ſpecie ſi- 6 2. obiectio ſoluitur. Idem die de viſione Beatifica.

Google

nita, poteſt in ſe videri, non visâ eſſentiâ. Nec eius habitudo ad obiectum, ita pendet in cognitione ab obiecto, vt non poſſit ſine obiecto viſo videri; ſufficit enim obiectum, in ea tamquam in quadam vt imagine abſtractiuè cognoſci. Quod confirmatur; Quia Angelus poteſt videre viſionem oculi mei, non viſo eius obiecto. Similiter actus fidei & charitatis videri poſſunt non viſis obiectis, ſed ſolùm abſtractiuè cognitis.

7 Triplicitèr beatus videt ſuã beatificam viſionem.

Vnde aduertendum eſt, Quemuis Beatum triplicitèr videre ſuam viſionem beatificam. Primò, Ipſâ viſione beatifica, in Verbo, vt in cauſa. Secundò, Viſione eâdem, quatenus ipſa concomitanter eſt viſio ſui, ſeipſam in ſe manifeſtans: nam omnis actus intellectus perfectus, ſeipſum manifeſtat; eò quòd implicitè ſuper ſe reflectatur. Sicut enim amans, eodem amore amat Deũ, & vult amare; ita videns, eodem actu videt Deũ, & videt ſe videre. Tertiò, poteſt eandem viſionem videre actu diſtincto, per lumen ſcientiæ infuſæ. Nec opus eſt ſpecie intelligibili: nam viſio ipſa beatifica eſt obiectum intelligibile intimè præſens; ac proinde per ſe cum intellectu valens cooperari. At viſionem beatificam quæ eſt in altero, poteſt videre dupliciter: Primò, In Verbo. Secundò, In ſua natura per ſcientiam infuſam.

8 Nec viſio beatifica nequeunt hypoſtatica comprehendi poſſunt non vitâ eſſentiâ.

Addo tamen hanc viſionem non poſſe comprehenſiuè cognoſci, niſi viſa eſſentia. Quia habet perfectiſſimam & immediatam habitudinem ad diuinam eſſentiam, tam quam ad ſuum terminũ; quę habitudo, eò perfectiùs cognoſcitur, quò perfectiùs cognoſcitur eius eſſentia, vt eſt eius terminus. Idem ferè dicendum videtur de vnione hypoſtatica, qua parte eſt quiddam creatum in naturâ humanâ; non enim ſine Verbi viſione poteſt comprehendi: eius tamen natura & ratio vtcumque videtur cognoſci poſſe per ſcientiam infuſam; quia eſt quid creatum, & in ſe finitum; Sicut color, & eius inexiſtentia in lapide pretioſo, clarè cognoſci poteſt, non cognitâ clarè naturâ ſubiecti. Nec obſtat quòd hæc vnio non poſſit comprehendi etiam viſione beatificâ: quia hoc intelligendum, quatenus includit vnionem, quæ eſt ex parte Verbi, quæ comprehenſiuè cognoſci non poteſt; cùm à Verbo reipsâ non diſtinguatur.

DVBIVM III.

Virùm Anima Chriſti per Scientiam infuſam cognouerit cordium cogitationes?

9 Cognouit cordium cogitationes.

REſpondeo; Cognouiſſe clarè & intuitiuè omnes cordium cogitationes, & omnes actus liberos internos & externos creaturarum, dum actu fierent. Eſt communis ſententia Doctorum diſt. 14. & D. Thomæ hîc.

Probatur; Quia hæc cognitio non eſt valdè difficilis: nam ad cognoſcendos actus liberos, & mentis arcana, non requiritur maius lumen aut perfectio ex parte potentiæ, quàm ad cognoſcẽdum comprehenſiuè ſubſtantiam, potentias, & habitus Angelorum & Animarum: Patet ex dictis in prima parte; ſed ſolùm ex parte obiecti requiritur repræſentatio illorum per ſpecies intelligibiles, quas Anima Chriſti facilè poterat diuino munere accipere. Deinde, Hæc cognitio valdè erat conſentanea & quodammodo debita Chriſto. Primò, Ob dignitatem Perſonæ. Secundò, Propter fidei prædicationem, quàm ſæpè confirmabat oſtendendo ſe cognoſcere alio-

tum cogitationes. Tertiò, Quia erat Caput & Iudex omnium, quius intererat noſſe omnium cogitationes. Vnde etiam nõ debebat in hoc dependere ab aliorum locutione, ſicut Angelic.

Dices; Chriſtus cognouit has cogitationes per ſcientiam beatificam; quid ergo opus eſt illas rurſus per aliam ſcientiã cognoſcere extra Verbum? Reſpondeo, Quia non ſolùm debebat illas cognoſcere vt Beatus, ſed etiam vt degens cum hominibus, hominesque docens; vt ſuprà dictum eſt.

DVBIVM IV.

Virùm per hanc Scientiam cognouerit myſteria diuinitatis?

10 Myſteria Diuinitatis.

REſpondeo; Eum per hanc ſcientiam cognouiſſe euidenter ea quę ad diuinam naturam, & perſonarum diſtinctionem pertinent; non tamen intuitiuè.

Vbi notandum eſt, quædam myſteria pertinere ad deum, vt Vnus eſt; quædam, vt Trinus. Rurſus, Quæ ad eum pertinent, vt vnus eſt, unt duplicia: quædam enim pertinent ad eum, vt eſt Auctor naturæ; vt eſſe Vnum, Creatorem, omnipotentem; & ſimilia. Et hæc poſſunt cognoſci ex rebus naturalibus, vt patet ad Romanos 1. vers. 20. Alia autem pertinent ad eum, vt eſt auctor gratiæ, & finis ſupernaturalis; vt, quòd ſit obiectum beatitudinis clarè viſibile, quòd ſit auctor gratiæ & gloriæ. Et hæc cognoſcuntur à Chriſto per effectus ſupernaturales, quos ipſe per ſcientiam infuſam perfectè & clarè intuebatur. Hoc tamen modo Angeli non cognoſcunt Deũ ſcientiâ naturali; quia non cognoſcũt effectus ſupernaturales. Hęc cognitio eſt longè præſtantior hac; quia eſt ſupernaturalis, & euidens.

11 An cognouerit Myſterium Trinitatis.

Sed difficultas eſt: Quo modo per hanc ſcientiam cognouerit myſterium Trinitatis: non enim ſatis eſt vt cognouerit illud viſione beatifica; quia oportebat vt etiam cognoſceret illud, vt viator conſors viatorum. Et Confirmatur, Quia alioqui, vt viator non potuiſſet amare & venerari ſingulas Perſonas diſtinctè, iiſque gratias agere: neque orare Patrem; nec inſtruere hominem de hoc myſterio. Latiùs quoque fides noſtra ſe extendiſſet, quàm cognitio ſupernaturalis, quæ ei, loco fidei data erat.

Negatur de intuitiua & abſtractiua quidditatis cognitione.

Dicendum igitur eſt Primò, Eum non cognouiſſe Trinitatem intuitiuè per hanc ſcientiam; quia intuitiua eſt beatifica. Secundò, Nec etiam abſtractiuè, cognoſcendo quidditatem ſingularum Perſonarum: nam ad hanc videtur requiri lumen gloriæ; ſicut & ad cognitionem diuinæ eſſentiæ abſtractiuam. Nam eiuſdem rationis eſt lumen, quo eſſentia aliqua perfectè cognoſcitur cognitione abſtractiuâ, & quo intuitiuâ; vt patet in Angelis. Quòd ſi lumen ſcientiæ infuſæ, non diſtinguatur à lumine glorię realiter, exiſtimo non implicare, vt eſſentia diuina & perſonę clarè & diſtinctè cognoſcantur abſtractiuè, ita tamen vt per eandem cognitionem non cognoſcantur intuitiuè: quamuis exiſtimem nemini talem cognitionẽ dari; quia eſt imperfecta in ſuo genere, quando lumen eſt præſens; & etiam ſuperflua, cùm viſio abundè ſufficiat.

12 Affirmatur de variis aliis modis. 1. Modus

Tertiò, Cognouit tamen hoc myſterium multis alijs modis per hanc ſcientiam infuſam. Primò, Quia perfectiſſimè intelligebat Scripturas, & ſenſũ à Spiritu ſancto intentũ; eratque ei euidens eam eſſe diuinitus reuelatam: atqui in Scripturis

pturis continetur myſterium Trinitatis. Secundò, Euidenter cognoſcebat naturam fidei & actuum eius: vnde etiam illi euidens erat illam
2. Modus. fundari in teſtimonio diuino, nec poſſe eſſe falſam: proinde euidenter cognoſcebat quidquid per illam erat creditum eſſe verum. Sed hi duo modi continent euidentiam tantummodò in teſtimonio diuino. Tertiò, Chriſtus per ſcientiam
3. Modus. beatam euidenter cognoſcebat Trinitatem, ac proinde per lumen naturale & infuſum, non poterat hoc myſterium ignorare: quia quod intellectus altiori cognitione apprehendit, poteſt etiam inferiore ſibi formare. Hinc ita erat illi euidens myſterium Trinitatis, vt non poſſet ambigere, etiamſi per impoſſibile viſio beatifica ceſſaret.

Sicut alibi diximus de Paulo, qui ſi vidit diuinam eſſentiam in raptu, dum tranſijt illa viſio retinuit nihilominùs euidentem cognitionem huius myſterij ex vi prioris cognitionis, tamquam ex clara quadam experientia. Quartò, Probabile eſt chriſtum Dominum per ſcientiam infuſam, potuiſſe
4. Modus euidenter cognoſcere actum viſionis beatificæ, ac proinde obiectum huius actus, ſcilicet myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis. Sicut Angelus, quia cognoſcit actum internum alterius; etiã cognoſcit illud eſſe verum, quod per illum actum iudi-
5. Modus. catur, ſi in illo non poſſit eſſe error. Quintò, potuit Deus hoc myſterium immediatè reuelare chriſti per quandam ſpiritualem locutionem, efficiendo, vt perfectiſſimo modo per ſpecies infuſas ex analogia creaturarum illud apprehenderet; quam locutionem ſeu reuelationem chriſtus euidenter intuebatur, & cognoſcebat eſſe diuinam, quamuis hic modus fortè neceſſarius non fuerit.

tura videantur, non tam ex vi repreſentationis ſpecierum, quàm ex efficacia luminis dependet: vel potiùs ex peculiari influxu diuino, qui nullâ vi creatâ poteſt ſuppleri.

Dico Secundò: futura per hanc ſcientiam cognoſci abſtractiuè; non tamen ex vi repræſentationis ſpecierum. Quiã etſi poſſint per ſpecies apprehendi ſicut ſunt futura, non tamen iudicari vtrùm ita futura ſint. Cùm enim id quod apprehenditur, non eſt notum ex terminis, debet ex aliquo medio diiudicari, an ita ſit, an non. Quod medium vel eſt cauſa illius, vel effectus, vel ſignũ aliquod habens neceſſariam connexionem cum futuris: atqui nulla eſt talis cauſa futurorum, nec effectus, nec ſignum, præter teſtimonium eius, qui ea videt. 15 Sed abſtractiuè. In teſtimonio diuino.

Vnde Dico Tertiò, Per hanc ſcientiam cognoſci futura in teſtimonio diuino, quod illi erat euidens. Poterat enim Deus facere, vt apprehenderet futura cum ſuis circumſtantijs: & quia illi euidens erat hanc apprehenſionem, per diuinam locutionem fieri; etiam euidens erat, id quod apprehendebatur, verum eſſe; & tali modo, loco, tempore futurum. Addo; forte etiam per hanc ſcientiam futura cognoſci in ipſa viſione beatifica, qua cognoſcebat res futuras in Verbo; nam videbat ſuam viſionem: vnde probabile eſt, etiam ſciuiſſe quid, & cum quibus circumſtantijs. Videret futuram. Sicut ſi quis in Deo vidiſſet futura, ceſſante illâ viſione poſſet cognoſcere nihilominùs illa eſſe futura; & illa viſio haberet ſe per modum experientiæ, quâ futura tamquam præterità iam eſſet expertus.

ARTICVLVS II.

DVBIVM V.

Vtrùm per hanc Scientiam cognoſcat etiam futura contingentia?

Vtrum Chriſtus hac ſcientia vti potuerit; non conuertendo ſe ad phantaſmata?

13 Cognoſcit futura libera. REſpondeo, cognoſcere non ſolùm quę ex cauſis naturalibus, ſed etiam quę ex liberis pendent. Eſt communior ſententia Doctorum. D. Thomæ hic, quamuis in 3. diſt. 14. quæſt. vnicâ art. 3. tenuerit contrarium. Durandi diſt. 14. q. 13. Scoti ibidem. Marſilij quæſt. 10. art. 2. & paſſim omnium hoc tempore.

Probatur; quia iſta cognitio poteſt haberi à viatore: vt patet in multis Prophetis: qui futura clariùs aut obſcurius præuiderunt. Ergo conſentaneum eſt, vt Chriſtus tamquam viator, omnium futurorum euidentem prænotionem habuerit: præſertim cùm hæc cognitio ſit neceſſaria ad perfectiſſimam prudentiam, & ad perfectum donum prophetię.

14 Non tamen intuitiuè. Sed difficultas eſt de modo quo ea cognouit: Reſpondeo & Dico Primò; Non intuitiuè. Neque enim propter realem præſentiam futurorum in æternitate; vt quidam volunt: nam implicat vt ſint realiter præſentia æternitati per coëxiſtentiam, niſi exiſtant in preprijs menſuris. Neque etiam propter præſentiam obiectiuam in æternitate: nam eſſe obiectiuè præſens, nihil eſt aliud, niſi cognoſci. Vnde dicere illa cognoſci quia obiectiuè præſentia, nihil eſt aliud, quàm dicere, ea cognoſci, quia cognoſcuntur, ſeu ſcientię obijciuntur: quod eſt petere principium. Neque etiam propter repreſentationem ſpecierum: nam ſpecies ex ſe non magis repreſentat rem eſſe futurã, quàm non eſſe futuram: ſed abſtrahit ab vtroque: vt patet in ſpecibus Angelicis. Vnde quòd futura videantur, non tam ex vi repreſentationis ſpecierum, quàm ex efficacia luminis dependet: vel potiùs ex peculiari influxu diuino, qui nullâ vi creatâ poteſt ſuppleri.

16 Non debuit vti phantaſmate ad hanc ſcientiam. REſpondetur affirmatiuè. Primò, Quia per hanc ſcientiam cognoſcebat ſubſtantias ſpirituales clare, & intuitiuè: atqui perfecta cognitio ſpiritûs, nullam habet dependentiam aut conſęxionem cum ſenſuum internorum vel externorũ operatione: ergo &c. Secundò, Quia per hanc ſcientiam cognoſcebat ſubſtantias corporales, non vt manifeſtantur ex ſenſibilibus, ſeu conceptu ſenſibilium; ſed purè & nudè, vt ſunt in ſeipſis: ergo non pendebat ab vſu ſenſuum.

Tertiò, Quia ſpecies huius ſcientię, non erant hauſtæ ex viſis phantaſię; neque ſimiles illis, quæ inde formantur; ſed altioris ordinis, & naturâ ſuâ infuſæ: ergo &c.

17 Obiectio. Durandi. Dices, Anima quamdiu eſt in corpore, poſtulat vt ad cognitionem intellectiuam concurrat imaginatiua; nec poteſt ſine miraculo aliquid intelligere, niſi id ipſum per imaginationem formet: ergo Chriſtus quàm diu erat in corpore mortali, pendebat in vſu huius ſcientiæ à cooperatione phantaſię. Ob hoc argumentum Durandus in 3. diſt. 14. quæſt. 3. num. 7. tenet Chriſti Animam non potuiſſe vti ſcientiâ infuſâ ſine conuerſione ad phantaſmata; ac proinde non anteà quàm comparaſſet ea ſibi naturaliter ex rebus ſenſibilibus.

Sed hęc ſententia non eſt probabilis. Patet, tùm ex argumentis allatis: tùm, quia Chriſtus ab initio conceptionis hâc ſcientiâ vſus fuit: nam per eam omne meritum ipſius regulari debebat; meruit enim ab initio. Atqui tunc non poterat Reſellitur

naturaliter ſpecies phantaſiæ comparare: tùm, quia non dependere a phantaſia, eſt longè perfectius; nam hęc dependentia ab imbecillitate luminis prouenit. Atqui hæc ſententia in Chriſto erat perfectiſſima, nec vllam talem dependentiã poſtulat: ergo non debebat hanc imperfectionem à ſubiecto trahere.

Ad Argumentum, Reſpondeo Primò: Etſi cognitio naturalis in hac vita dependeat à phantaſiæ cooperatione, non tamen cognitio ſupernaturalis perfecta & clara: nam procedit ex lumine quod perfectum eſt in vi intelligendi; nec habet illam imbecillitatem quæ eſt in lumine naturali noſtri intellectus. Deinde, quia poſtulat ſpecies ſublimiores, quæ res ipſas nudè & diſtinctè repræſentent. Reſp. Secundò, Animam beatam habere hanc vim vt poſſit ſine dependentiã à ſẽſibus intelligere; vnde cùm Anima Chriſti fuerit ab initio beata; etiam hanc vim habuit.

18 Potuit tamen phantaſmata ad eam applicare.

4

Aduerte tamen, Chriſtum per hanc ſcientiam potuiſſe applicare vim imaginatiuam ad perfectiorem apprehenſionem & cognitionem rerum ſenſibilium, quàm ipſa per ſe præſtare poſſit. Sed hoc proueniebat ex perfectione huius ſcientię; non autem quod tali applicatione ad intelligendum egeret. Et ſic intellige quod ait D. Th. ad 3.

ARTICVLVS III.

Vtrum hæc ſcientia fuerit collatiua?

19 Hæc Scientia non fuit diſcurſiua

REſpondet D. Thomas: hęc ſcientia in vſu poterat eſſe collatiua ſeu diſcurſiua; non tamen fuit acquiſita per diſcurſum, ſed infuſa.

Vbi Notandum eſt, hanc ſcientiam ex naturâ ſuâ non fuiſſe diſcurſiuam, nec eguiſſe compoſitione vel diuiſione; ſed ſimplici intelligentiâ penetraſſe omnia, multò perfectiùs cognoſcendo concluſiones in principijs, & effectus in cauſis, quàm per lumen Angelicum cognoſcãtur. Ratio eſt, quia lumen huius ſcientiæ erat efficacius, quã angelicum, & vtebatur ſpeciebus vniuerſalioribus: atqui hæc eſt cauſa cur Angeli non egeant diſcurſu, compoſitione, aut diuiſione: ergo &c. Confirmatur, Quia comprehendebat naturas omnium rerum creatarum per hanc ſcientiam: ergo etiam videbat in illis omnes effectus. Vnde etiam ſequitur proprie loquendo nõ potuiſſe vti diſcurſu per hanc ſcientiam, ſcilicet eo modo quo nos: Quia eodem conatu ferebatur in cauſas & effectus, & eorum connexionem. Etſi enim erant forte plures actus, quibus cognoſcebat cauſſam, & effectus, & horum connexionem; tamen cenſebantur vnus: nam alter ex altero neceſſariò reſultabat. Vnde quod hîc dicit D. Thomas hanc ſcientiam potuiſſe eſſe collatiuam, intellige de diſcurſu improprie dicto.

ARTICVLVS IV.

Vtrum hæc ſcientia in Chriſto fuerit maior, quam ſit ſcientia Angelorum?

20 Fuit perfectior angelica ſcientia.

REſpondetur; Hanc ſcientiam fuiſſe perfectiorem ſcientiâ Angelicâ; tùm, ratione claritatis, & certitudinis (eſt enim in ſuo ordine, ſcilicet ſupernaturali clara & perfecta:) tum, ratione multitudinis obiectorum; quia extẽdit ſe etiam ad obiecta ſupernaturalia. Hinc ſequitur hanc ſcientiam fuiſſe eſſentialiter perfectiorem omni ſcientiâ, quæ intellectui humano vel Angelico poſſit eſſe naturalis: quia nullâ ſcientiâ naturali creaturæ, poſſunt euidenter cognoſci ſecreta cordium, myſteria gratiæ, & futura contingẽtia; quæ tamen per ſcientiam infuſam cognoſcuntur.

Dices; Hinc quidem ſequi illam eſſe perfectiorem Angelicâ, qua parte verſatur circa non naturalia, non tamẽ qua parte verſatur circa res naturales. Vnde quidam exiſtimant hanc ſcientiã ex hac parte, non fuiſſe perfectiorem ſcientia Adæ. Sed hoc omninò falſum eſt: Adam enim nõ cognoſcebat perfectè naturam Angelicam; ſed ea dumtaxat quæ naturalem captum intellectus humani non excedunt; vt ſunt corporalia: ſpiritalia autem valdè imperfectè. Chriſtus autem perfectè cognoſcebat omnes ſubſtantias ſpiritales. Deinde Chriſtus per hanc ſcientiam cognoſcebat ſupernaturalia: ergo per idem lumen ſuperioris ordinis penetrabat etiam veritates naturales altiori modo quàm homo vel Angelus. Patet conſequentia, Quia ſicut eandem veritatem altiori modo cognoſcit Angelus, quàm homo, eo quòd habeat altius lumen; ita chriſtus cùm haberet ſublimius lumen quàm Angelus, nempe ſupernaturale; cognoſcebat etiam veritates naturales altiori modo, quàm Angelus vel homo. Quòd autem D. Thomas hîc addit hanc ſcientiam fuiſſe imperfectiorem Angelicâ, quantum admodum cognoſcendi naturalem animæ humanæ, qui eſt per conuerſionem ad phantaſmata, & per diſcurſum; difficilè eſt ad intelligendum.

21 Etiam ea naturalia.

ARTICVLVS V.

Vtrum hæc ſcientia fuerit Habitualis?

REſpondetur; Non ſolùm actus, ſed etiam habitus ſcientiæ infuſæ Chriſto inerat. Ita D. Thomas hîc, & communior ſententia Theologorum diſt. 14. in 3. Ratio eſt; Quia alioquin ipſius intellectus non fuiſſet intrinſecè potens, nec habuiſſet debitam proportionem ad actus huius ſcientiæ; nam hæc potentia & proportio eſt per habitum. Confirmatur, Quia hęc ſcientia erat ſupernaturalis: atqui ad act⁹ ſupernaturales non habemus perfectum potentiam, nec debitam proportionem, niſi per habitus, quibus illi actus ſunt connaturales.

22 Fuit habitualis.

ARTICVLVS. VI.

Vtrum hæc Scientia fuerit diſtincta per diuerſos Habitus?

NOtandum eſt; In hac ſcientiâ tria poſſe cõſiderari. Primum eſt, Lumen intellectuale, ſeu habitus, ſe tenens ex parte potentię, quo potentia completur & redditur efficax. Secundũ eſt, Species intelligibilis repræſentans obiectum, eiuſq; re locum ſeu præſentiam ſupplens. Tertium eſt, Actus ſeu operatio. Quæ tria etiam ſuo modo in ſcientia beatifica reperiuntur.

23 Diſtincta ſecundùm multas ſpecies.

Dico primò; Hæc ſcientia infuſa, erat diſtincta ſecundùm multas ſpecies intelligibiles. Eſt communis ſententia Doctorum, præter Marſiliũ q. 10. art. 2. qui putat in hac ſcientia tantummo-

dò vnicam ſpeciem intelligibilem fuiſſe, quę poſſet omnia repræſentare. Sed contrarium eſt longe probabilius Primò, Quia per hanc ſcientiam Chriſtus intuetur res diuerſiſſimas; naturales, ſupernaturales, ſpiritales, corporeas, idque in omnibus rerum generibus : Atqui videtur excedere conditionem ſpeciei creatę, vt vna exiſtens, hæc omnia, diſtincte vt in ſe ſunt, ſecundùm omnes ſuas differentias repræſentet; hoc enim videtur proprium diuinæ eſſentiæ. Secundò, Quia hæc ſcientia debebat eſſe minùs ſimplex quàm beatifico, cùm ſit inferior : erga per plures ſpecies diſtincta. Tertiò, Quia vna ſcientia per vnam ſpeciem poteſt habere actum adæquatum illi ſpeciei, vt communior ſententia Doctorum tenet : At Chriſtus per hanc ſcientiam non cognoſcebat omnia vnico actu, vt ſuppono: ergo non conueniebat vt haberet vnicam ſpeciem.

24 Ipecies hæ erant perfectiores & vniuerſaliores quam ſupremi angelis. Scotus.

Dico Secundò, Hæ ſpecies erant perfectiores & vniuerſaliores, quam ſpecies intelligibiles Angelorum, etiam ſupremorum; ac proinde pauciores. Eſt communior ſententia Doctorum D. Tho. in 3. d. 14. a. 3. quæſtiun. 4. etſi hîc contrariùm teneat. Richardi eâdem diſt. & paſſim recentiorũ. Scotus vult eas fuiſſe perfectiſſimas, quæ per diuinam potentiam fieri poſſunt (quamuis hoc non ſit neceſſarium (cenſet tamen non fuiſſe vniuerſaliores.

9 Sed Probatur; Conſentaneum erat vt Anima Chriſti haberet altiorem & vniuerſaliorem modũ intelligendi omnia in proprio genere, ſeu per cognitionem veſpertinam; quàm Angeli illiſque antecelleret, non modo in claritate, ſed etiam in generalitate intelligendi. Ergo &c.

1. Obiect. Dices, Conſentaneum erat vt Anima Chriſti ſuperaret Angelos in perfectionibus ſupernaturalibus, non tamen in iis quæ Angelis erant naturales: atqui hæc ſcientia infuſa eſt Angelis naturalis: ergo in eâ chriſtus non debebat excellere.

Soluitur. Hæc chriſti ſcientia non erat Angelis connaturalis. Sed contrà; hæc ſcientia fuit perfectior & altioris ordinis, quàm ſcientia Angelica (vt oſtenſum eſt art. 4:) ergo non eſt Angelis connaturalis: imò nec poteſt eſſe connaturalis alicui creaturæ; quia per hanc cognoſcũtur myſteria ſupernaturalia, & futura contingentia, quę à nulla creatura naturaliter cognoſci poſſunt. Ergo ſicuti reliqua dona ſupernaturalia in Chriſto ſunt multò excellentiora, quàm in Angelis; ita etiam tota hæc ſcientia, & ratione luminis, & ratione ſpecierum intelligibilium. Confirmatur, quia lumen huius ſcientiæ eſt efficacius, & altioris ordinis; quàm lumen naturale Angelicum: ergo & ſpecies intelligibiles illi proportionatæ, ſunt perfectiores & vniuerſaliores. Nam ſpecies intelligibiles accommodantur, & veluti adæquantur lumini, cui deſeruiunt; non autem perfectioni naturali intellectus.

1. Obiect. Ipecies illę erant ſupernaturales. Soluitur. Dices Secundò, hęc ſcientia eſt tantùm ſupernaturalis ratione luminis, non autem ratione ſpecierum intelligibilium; ſicut patet in fide & in prophetia. Sed contrà; hinc ſequeretur hanc ſciẽtiam eſſe valdè imperfectam, & quaſi dimidiatam cùm enim duo requirantur ad perfectam cognitionem, ſcilicet lumen, & ſpecies lumini proportionatæ, hęc ſcientia conſtaret dumtaxat lumine, & careret propriis ſpeciebus ſui ordinis. Vnde Chriſtus per hanc ſcientiam nihil ſupernaturale perfectè & diſtinctè cognoſceret. Nec valet ſimilitudo de fide & prophetia; quia ſunt cognitiones imperfectæ, & aſſenſus ſeu iudicium in his tantũ eſt ſupernaturale: apprehenſio autem eſt naturalis & imperfecta per conceptus extrinſecos & cõnotatiuos, id eſt, hauſtos ex rebus ſenſibilibus.

Nec obſtat Ratio D. Thomę: quia etiamſi perfectiones naturales accommodentur naturę ſupernaturales tamen non ſemper naturę anguſtijs & humilitati accommodantur; ſed ſubleuant interdum naturam ab imperfectione naturali, ad ſuam perfectionem & ſublimitatem; vt patet in lumine gloriæ. Quòd ſi iſtæ ſpecies deberent accommodari naturali capacitati mentis humanæ, non poſſent repræſentare omnia indiuidua, proprietates, & accidentia vnius naturę ſpecificæ; quod tamen vult D. Thomas. iuxtà expoſitionem caietani.

DVBIVM I.

Vtrùm Lumen huius Scientiæ ſit etiam multiplex inſtar Ipecierum?

REſpondeo; hoc lumen eſſe tantùm vnicum, & vnum numero habitum. Ita D. Thomas hîc ad 3. Et clariùs in 3. diſt. 14. a. 3. quæſtiunc. 4. & alij paſſim. 25 Lumen erat ſimplex.

Ratio Eſt; Quiaquò lumẽ eſt altius, eòplura poteſt attingere: Sicut patet in lumine naturali Angelico, quod etſi vnum ſit, tamen per varias ſpecies plurima poteſt cognoſcere, non ſolùm ſpiritalia, ſed etiam corporalia: ergo multò magis lumen ſupernaturale, quod non ſolùm eſt habitus quidam, ſed etiam potentia quædam ſupernaturalis tribuens poſſe, poterit ſe ad omnia ſpiritalia & corporalia, naturalia & ſupernaturalia extendere. Quod etiam poteſt confirmari exemplo fidei & charitatis, quæ ad plurima ſe extendunt, etſi in ſe ſint ſimplices habitus.

DVBIVM II.

Vtrùm hęc Scientia infuſa habeat vnum actum ſibi adęquatum?

REſpondeo: Non habere vnum: ſed ſucceſſiuè plures diſtinctos numero vel ſpecie: ſimul autem habet vnum actum perfectum, vni ſpeciei intelligibili adæquatum. 26

Prior Pars probatur, Quia omnia corporalia & ſpiritalia, omnia naturalia & ſupernaturalia, omnes ſubſtantiæ & accidentia, non poſſunt vnico actu clarè & diſtinctè cognoſci: præſertim cum non cognoſcuntur in aliquo ſuperiore obiecto: ſicut in eſſentia diuina: atqui ad hęc omnia hæc ſcientia ſe extendebat. Adde hoc eſſe proprium lumini gloriæ, vt habeat vnum actum ſibi adæquatum, quo ad omnia ſua obiecta ſe extendat. Non erat vnus actus

Secunda pars patet, Quia actus huius ſcientię ſunt varij: alij enim ſunt intuitiui, alij abſtractiui: alij à priori, alij à poſteriori: alij in teſtificante, alij in reipſâ. Valdè autem probabile eſt numquã hanc ſcientiam eſſe otioſam, ſed ſemper in aliquo actu: ſicut ſcientia Angelica. Sed varij

Tertia pars patet, quia ſpecies infunduntur in ea vniuerſalitate, vt commenſurentur luminis efficacitati: & tantum repręſentant, quantum lumen ſe poteſt ſimul vnico actu extendere (nec enim alia conueniens ratio dari poteſt limitationis ſpecierum:) ergo actus adæquatus vni ſpecici, eſt adęquatus lumini, quatenus in vnum actum poteſt ſe ciere; ſeu excitare, ac proinde lumen habens illum actum, non poteſt habere aliũ perfectum. Quę omnia confirmari poſſunt exẽplo cognitionis Angelicę. Actus perfectus erat vni ſuæ ſpeciei adæquatus.

DVBIVM III.

Quale ſit hoc Lumen ſcientiæ infuſæ.

27 Non differt à lumine gloriæ.

RESpondeo, Probabile eſt, non eſſe reipſâ diſtinctum à lumine gloriæ; ſed eſſe ipſummet lumen beatificum, quatenus vtitur ſpeciebus intelligibilibus ad cognoſcendas res in propriogenere, per cognitionem veſpertinam. Sicut enim lumen naturale Angelicum primò & neceſſariò fertur in ipſam eſſentiam Angelicam, cui ipſum eſt naturale, & in ea quæ in eſſentia continentur; ſecundariò autem per ſpecies intelligibiles fertur in alia obiecta ſpiritalia & corporalia: ita lumen beatificum quod eſt participatio ſuprema luminis diuini, primò & neceſſariò fertur in eſſẽtiam diuinam, tamquam primarium obiectum ſibi connaturale, ſimul attingens ea quæ in ipſa, vt in cauſa continentur; ſecundariò autem per ſpecies intelligibiles ferri poteſt in alia obiecta tum ſupernaturalia, tum naturalia.

Ratio eſt; Quia quò lumen eſt ſublimius, eò ad plura ſe extendit; vt patet inductione. Et cõfirmari poteſt exemplo luminis Angelici, quod non ſolùm ad ſpiritalia; ſed etiam ad corporalia ſe extendit. Item exemplo charitatis, quæ etſi primariò diligat Deum, & bonitatem increatam; tamẽ ſecundariò fertur etiam in bonitatem creatam, tum ſupernaturalem, tum etiam naturalem. Cõtrarium tamen etiam probabiliter defẽdi poteſt; ſcilicet, lumen huius ſcientiæ à lumine beatifico diſtinctum eſſe.

Quò lumen eſt ſublimius eò ad plura ſe extendit.

Negari tamen non poteſt, quin lumen beatificum etiam ſe ad res creatas extendat.

Videſ. 1. de Summo bono c. 10 n. 7.

QVÆSTIO XII.

De Scientia Acquiſita Animæ Chriſti.

In Quatuor Articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Vtrum per hanc ſcientiam Chriſtus cognouerit omnia?

1 Omnia quæ viribus naturæ poſſunt cognoſci.

RESpondetur; per hanc cognouiſſe omnia quæ vmquam naturæ viribus poſſunt cognoſci, Patet ex ſupra dicti. q. 9. a. 4. Aduerte; Chriſtũ per hanc ſcientiam naturalem non ſolùm cognouiſſe omnia, quæ vi intellectûs agentis poſſunt cognoſci; id eſt, quorum ſpecies intelligibiles intellectus agens ex ſenſibilibus poteſt effingere: ſed etiam ſubſtantias ſpirituales, eo modo quo animæ ſeparatæ poſſunt illas naturali lumine cognoſcere. Ratio eſt; Quia cùm anima Chriſti eſſet beata, non habebat illam dependentiam à corpore in intelligendo, quam nos experimur; ſed non minùs in corpore, quam extra corpus poterat naturas ſpirituales intueri: vnde etiam ſeipſam naturaliter intuebatur: Sicut & anima ſeparata.

Subſiſtentiæ ſpirituales

Præterea, poterat cognoſcere naturas rerum corporearum, non ſolùm ſub conceptu ſenſibilium, ſicut nos (qui modus eſt valdè imperfectus) ſed etiam conceptu proprio nudæ eſſentiæ: quo modo nos in hac vita non poſſumus. Notandum tamen, ad hæc opus fuiſſe ſpeciebus infuſis, quales imprimuntur animæ ſeparatæ ſimul atque eſt à corpore ſeparata: nam omnis ſpecies a ſenſibilibus hauſta, ſenſibili modo ſubſtantiam rei proponit; non autem vt ipſa eſt in ſe nuda. Videtur etiam omnino opus fuiſſe ex parte potentiæ intellectiuę peculiari ſquidam Dei influxus, vel immediatè in ipſum actum intelligendi, vel certè in ipſam potentiam intellectiuam, ad lumen naturale corroborãdum, vt hæc obiecta, & hoc modo, poſſet intelligere. Hoc tamen auxilium videtur pertinere ad naturę ordinem: cùm enim intellectus humanus ſit infimus, non poteſt pertingere ad ſummam perfectionem naturalem ſine diuino auxilio. Vnde etiam in ſtatu nudæ naturæ, hoc auxilium datum fuiſſet. Hinc ſequitur hanc perfectionem naturalem, perfectiorem fuiſſe in Chriſto, quàm in Adamo; imperfectiorem tamen quàm in angelis.

2 Eſſentiæ nudæ.

Ad hanc cognitionem neceſſaria erat ſpecies infuſa.

Item peculiaris Dei influxus.

Hæc perfectio fuit in chriſto maior quã in Adamo ſed minor quàm in Angelis.

ARTICVLVS II.

Vtrum Chriſtus in hac ſcientia profecerit?

3 profecit non in habitu.

RESpondet D. Tho. Chriſtum in hac ſcientiâ profeciſſe ſecundùm habitum, & incrementum ſuæ ſcientiæ habitualis. Sed nos ſuprà q. 7. a. 12. dub. 3. oſtendimus ex Patribus, Chriſtum non profeciſſe in Sapientia, niſi ſecundùm exercitium, & oſtenſionem, prodendo ſenſim exteris maiorem ſapientiam in dictis & factis ſuis, ſicut & gratiam.

Sed experientiâ.

Dicitur tamen profeciſſe in ſcientiâ experimentali: quia in dies plura experiebatur perſenſus; & horum in intellectu remanebat memoria, quę dicitur ſcientia experimẽtalis. In nobis oritur quidem per experientiam abſoluta ſcientia, & non ſolùm memoria: ſecùs tamen fiebat in Chriſto, qui ab initio omnem ſcientiam abſolutam habuit infuſam; vt ſuprà oſtenſum eſt q. 9. art. 4. dub. vnico.

In quo ſita ſit ſcientia experimẽtalis.

Petes; In quo conſiſtat hęc ſcientia experimentalis? Reſpondeo; non ſolùm in ſpeciebus ſingularium, ſed etiam in habituali cognitione eorum; quatenus aliquando actu, per ſenſum cognita fuere.

ARTICVLVS III.

Vtrum Chriſtus aliquid ab homine didicerit?

4 Negatur.

RESpondetur, Nihil vmquam ab aliquo homine didiciſſe. Ratio eſt, Quia ipſe erat conſtitutus Magiſter & Doctor vniuerſalis omnium: ergo non erat conueniens, vt ab aliquo aliquid

Digitized by Google

diſceret. Dices; chriſtus per ſcientiam humanam non cognoſcebat ſecreta cordium, neque abſentia: ergo hæc poterat diſcere ab hominibus ſuas cogitationes explicantibus, vel abſentia nuntiantibus. Reſpondeo; Negando conſequentiam: quia chriſtus numquam aſſentiebatur his per ſcientiam humanam, ſed per infuſam; per quam, & abſentia, & cogitationes cordium intuebatur: alioquin expoſuiſſet ſe periculo deceptionis.

ARTICVLVS IV.

Vtrum Chriſtus aliquid acceperit ab Angelis?

5 Negatur. REſpondetur; Nihil didicit ab Angelis. Probatur ex Dionyſio cap. 7. cęleſt. Hierarchię, vbi docet chriſtum docuiſſe etiam ſupremos Angelos. Confirmatur; Quia non conueniebat, vt is, qui ſupra omnem creaturam ſubſtantialiter eleuatus erat, ab aliquâ creaturâ aliquid diſceret; præſertim cùm à ſeipſo omnem perfectionem habere poſſet.

Circa ſolutionem primi argumenti: Nota Angelum potuiſſe confortare chriſtum, non quidem docendo, vel proponendo aliqua, quæ ipſe vel ignorabat, vel ipſe per ſe cõſiderare non poterat; ſed proponendo ea, quæ etſi ab ipſo per rationem ſupernaturalem, & ſciẽtiam infuſam conſiderarentur, non tamen ita conſiderabat, vt ex illis conſolationẽ acciperet, & triſtitiam leniret. Vt, hanc eſſe Patris voluntatem, Angelorum deſiderium, hominum extremam neceſſitatẽ; denique glotiam & celebritatem quam ipſe ſua paſſione eſſet conſeauturus. Credibile tamen eſt Dominũ hanc conſolationem non admiſiſſe: nam factus in agoniâ, prolixiùs orabat. Hanc expoſitionem inſinuat D. Hieronymus Dial. 2. contra Pelagiũ. Et Hilarius lib. 10. de Trinit. Quomodo chriſtus ab Angelo in horto confortatus.

QVÆSTIO XIII.
De Potentia Animæ Chriſti.

In Quatuor Articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Vtrum Anima chriſti habuerit Omnipotentiam ſimpliciter?

1 Negatur. REſpondetur Negatiuè; Anima chriſti non fuit abſolutè omnipotens. Ratio eſt, Quia omnipotẽtia ſequitur quoddam eſſe, quod abſolutè eſt infinitum: atqui eſſe abſolutè infinitum, nulli creaturæ poteſt communicari: ergo nec omnipotentia. Confirmatur, Quia potentia actiua ſequitur formam: ergo potentia actiua infinita ſequitur formam infinitam. Adde; Animam chriſti in omnibus actionibus ſuis pendere à concurſu diuino; dependere autem à cooperatione alterius, repugnat omnipotentiæ: nam hęc per ſe omnia poteſt.

Aduerte; Has rationes dumtaxat probare illam animam non fuiſſe naturâ ſuâ, aut dono aliquo creato omnipotentem; non autem per vnionem hypoſtaticam diuinæ potentiæ.

ARTICVLVS II.

Vtrum anima Chriſti habuerit Omnipotentiam reſpectu mutationis Creaturarum?

2 Tres concluſiones. Habuit potentiam ad effectus omnes animæ conuenientes. REſpondetur Tribus concluſionibus. Prima, Anima Chriſti ſecundùm propriam virtutem naturalem, vel gratuitam, habuit potentiam ad omnes illos effectus, qui animę ſunt cõuenientes: vt ad corporis perfectam gubernationẽ, ad omnes actus humanos naturales & ſupernaturales; denique ad illuminãdum omnes creaturas rationales. Quod intellige, eo modo, quo ſuperiores Angeli illuminant inferiores; ſcilicet per locutionem ſpiritalẽ ſeu obiecti propoſitionem; non autem per luminis infuſionem. Nam lumen infundere, non eſt actio conueniens conditioni creaturæ rationalis. Poteſt tamen anima chriſti lumen infundere diuinâ virtute. Idem dicendum eſt de ſpeciebus intelligibilibus ordinis ſupernaturalis.

Secunda concluſio; Anima, vt eſt inſtrumentum Verbi, habuit virtutem inſtrumentariam ad omnes mutationes miraculas, ordinabiles in finem Incarnationis; qui eſt, inſtaurare omnia quæ in cœlo, & quæ in terra ſunt. Ie ad omnes mutationes miraculoſas.

Tertia; Non habuit tamen potentiam inſtrumentalem annihilandi; nam annihilatio reſpondet creationi: at ſolius Dei eſt creare: ergo & annihilare. Hinc D. Thomas infert chriſtum non habuiſſe Omnipotentiam reſpectu immutationis creaturarum. Excipe annihilationem;

DVBIVM. I.

Quidnam ſit vis illa quâ Chriſtus operatus eſt Miracula?

REſpondeo & Dico Primò, Vis illa non erat aliqua qualitas creata inhærens humanitati chriſti, quæ miracula tamquam cauſa principalis ſeu commenſurata effecerit. Eſt communior ſententia Doctorum in 3. diſt. 13. Et in 4. diſt. 1. 3 Non eſt qualitas creata.

Probatur, Quia vel illa virtus eſſet vna quædam qualitas & forma, ad omnium miraculorum patrationem ſe extendens; Sicut Solis virtus ſe extendit ad omnium generationẽ: vel eſſet multiplex, pro diuerſitate operum mirandorum. Si vna, illa deberet abſolutè eſſe infinita, non ſolùm intenſione, ſed etiam eſſentialiter, & in ratione entis; nam haberet vim connaturalem ad infinitam operum diuerſitatẽ, quorum pleraque ſeorſim vim infinitam requirunt: atqui talis eſſe nequit; vt per ſe patet: æquaretur enim diuinæ omnipotẽtiæ. Sed neque hęc qualitas poteſt eſſe pro diuerſitate operum multiplex; quia etſi forte ad quædam opera, quæ nunc cenſentur miracula, eò quòd viribus naturæ, quæ nunc exiſtit, fieri nequeant; vt ad curationem morborum lethalium, ad productionem vitę in mille annos, ad illuminationem cęci, & ſimilia; etſi, inquam, poſſit pet Si eſſet hęc qualitas vna, eſſet infinita. Si multiplex, eſſet parum ſpatu.

d by Google

abſolutam Dei potentiam virtus creata effectrix horum inſtitui ; ſicut lignum vitæ habebat vim naturalem ad vitam multis milliibus annorum propagandam; tamen hæc non poterit ita operari,ſicuti Chriſtus fecit miracula:v. g. in momento,non obſtante quâuis reſiſtentiâ creaturæ , ad quoduis interuallum,ad nutum voluntatis &c. Deinde multa ſunt quæ vi creatâ nullo modo perfici queunt. Quæ enim vis efficiat vt vnum corpus ſit in duobus locis,vel duo corpora in eodem loco ; vel vt vna res tota conuertatur in aliam ; vel vt ſubſtantia habeat modum exiſtendi ſpirituum ; & ſimilia?Et ratio eſt; Quia hæc opera non ſunt res aliquæ ſupernaturales producẽtę, ſed conſiſtunt in quodam ſupernaturali modo ; cuius cauſa non poteſt eſſe aliqua virtus creata ; actiones enim quibus illa opera fiunt,non tendũt ad communicandam certam formam, ſicut actio qualitatis creatæ : ſed ſolùm modum quendam in rebus conſtituunt , qui omnem conditionem naturę creatæ excedit. Vnde non poteſt concipi aliqua vis creata , quę ad hæc efficienda inclinet.

4 Dices ; Saltem reſpectu gratiæ , & aliquorum habituum ſupernaturalium,poterit dari vis productiua creata.

Nullę vis creata poteſt eſſe productiua gratiæ. Reſpondeo ; Satis certum eſt,de facto in Chriſti humanitate talem vim non eſſe : nam Concil. Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 7. ſoli Deo hoc tribuit , cùm ait, *Cauſam efficiẽtem noſtræ iuſtificationis eſſe Deum,qui gratuitò abluit & ſanctificat nos ſignãs & vngens ſpiritu promiſſionis ſancto.* Quod intellige , de cauſa efficiẽte,quę vi intrinſeca,& effectui proportionatâ,operatur. Idem docet D. Thomas quæſt 112. art. 1. ad 1. & 2. Et Theologi paſſim in 4. diſt. 1. Et Andreas Vega lib 7. in Tridentinum cap. 4. 10. 11. 12. 13. Sed neque talis vis videtur poſſibilis. Quia neque eſt ipſa gratia ; cùm hæc non ſit productiua ſui ſimilis,ſicut calor caloris , & lumen luminis : habitus enim tantùm ſunt productiui actuum per actionem immanentem , nec habent actionem tranſeuntem in aliud ſubiectum. Neque eſt alia vis perfectior quę hoc poſſit: nam ſumma participatio diuinæ perfectionis, eſt gratia,& dona illi connexa.

Dices ; Chriſtus homo eſt cauſa gratiæ, vt primum principium per ſe gratum ; & vt exemplar omnis noſtræ iuſtitię : ergo vt cauſa principalis habens in ſe vim proportionatam.

Reſpondeo ; Ad productionem gratię,& donorum ſpiritualiũm in nobis, Chriſtum concurrere ſuâ humanitate varijs modis. Primò , In genere cauſæ finalis ; nam ipſe eſt finis noſtræ iuſtificationis , vt docet Concil. Trident. ſeſſ. 6. cap. 7. cùm ait , *Finem noſtræ iuſtificationis eſſe gloriam Dei & Chriſti.* Sed hac ratione non eſt cauſa efficiens,ſed finis ſecundarius. Secundò,Per modum cauſę exemplaris,quatenùs habet in ſe excellentiſſima gratiæ dona;ad quorum imitationem,nobis quoque gratia conferetur : quia Deus per gratiam,quam nobis confert , intendit nos Chriſto aſſimilare,iuxta illud ad Rom. 8. v. 29. *Quos præſcivit,& prædeſtinauit conformes fieri imaginis Filij ſui.* Et hic modus,cauſæ,poteſt vel ad efficientem vel ad formalem cauſam deduci. Tertiò,Per modum merentis:vt infrà oſtenderur : & ſic eſt cauſa principalis in hoc genere,imò & prima in illo ordine cauſarum ; tum,quia eius meritum non pendet ab alio merente, & omnia aliorum hominum merita pendent à merito ipſius : tum , quia meritum ipſius tantùm valet, quantùm omnia dona gratiæ quæ nobis conferuntur, & multò ampliùs.

Varijs modis concurrit Chriſtus ad productionẽ gratiæ.

Primò

Secundò.

Tertiò.

Quartò , Poteſt intelligi concurrere per modum applicantis;ſicut voluntas applicat vim motiuam & executiuam ad opus:de quo modo ſtatim dicemus. Quintò,Poteſt concipi concurrere per modum cauſę phyſicæ directè influentis. Et ſic negamus ipſius humanitatẽ poſſe eſſe cauſam principalem gratię. Quartò

Dico Secundò, Hęc virtus miraculorum nihil eſt aliud in Chriſto , quam poteſtas diuina hypoſtaticè vnita naturæ humanæ,eique tamquam intrinſeca quædam facultas aſſiſtens ad omnia opera miraculoſa fini Incarnationis conſentanea. Eſt communis Doctorum , maximè ſi loquamur de virtute principali ſeu proportionatâ. Quintò

Probatur ; Quia cùm nulla poſſit dari vis creata,quę ſit cauſa proportionata efficiendis miraculis ; neceſſe eſt confugere ad virtutem Dei increatam, aſſiſtentem & humanitati inſidentem. Quod confirmatur , & ſimul explicatur : Nam ſicut Deus , cùm rei dat naturam,ei ſe applicat, & quodam modo vnit,vt poſſit operari opera naturalia;& cùm dat gratiam,aſſiſtit per auxilium ſupernaturale,vt homo poſſit operari opera meritoria:ita vniendo ſe hypoſtaticè humanitati chriſti,ei ſe applicuit,& continenter aſtitit , vt poſſit operari omnia opera miraculoſa omnem naturæ poteſtatem ſuperantia,quę quidem ad finem Incarnationis ſint oportuna. 5 Diuinitas humanitati aſſiſtit ad miracula.

Imò ſequad vſum quodammodò ſubiecta eſt. Vbi Notandum eſt, Sicut vis motiua naturalis in homine , ita ſubeſt voluntati quo ad vſum & executionem,vt voluntas poſſit eam ad opus applicare quoties lubet ; adeò vt hoc ipſo, quo voluntas vult , illa vis operetur : ita in Chriſto,potentia diuina ſic ſe applicat , & accommodat voluntati humanæ,vt quodammodò ei,quo adverſum ſit ſubiecta (ſicut quodammodò ſubeſt voluntati noſtrę quo ad concurſum generalem) adeò,vt voluntas Chriſti poſſit illam applicare ad opera ſupernaturalia,perinde ac ſi eſſet facultas quædam naturalis.

Quod confirmatur Matth. vlt. v. 18. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra.* Vbi non tantum ſignificatur omnipotentiam diuinam eſſe ipſi hypoſtaticè vnitam ; ſed eſſe ita vnitam,vt poſſet eâ vti,& eam applicare ad omne opus in cœlo vel in terra patrandum,ad hominum ſalutem,& cæleſtium conſummationem. Ad Philip. 2. v. 10. *Dedit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen,vt in nomine Ieſu,omne genu flectatur* :&c. id eſt,vt eius poteſtati omnia ſint perfectè ſubiecta. Apocalip: 5. v. 12. *Dignus eſt Agnus accipere virtutem,& diuinitatem & fortitudinem.*

Idem poteſt confirmari ex Patribus,qui docent Chriſtum feciſſe miracula ex poteſtate. Vide Chryſoſtomum hom, 26. in Matth. Et Auguſt. li. 22. de ciuitate c. 9. & 10. Nec quiſquam poteſt hoc negare, qui fatetur illum hominem , omni momento , in poteſtate ſuæ voluntatis habuiſſe operari miracula. Hoc enim non poteſt intelligi , niſi penamus vſum potentię diuinę fuiſſe in poteſtate voluntatis humanę. Et ratio eſt,Quia hoc debitum erat illi humanitati : tum, quia potentia diuina illi naturę erat ſubſtantialiter vnita , ac proinde applicatio illius potentię & vſus debebat eſſe in poteſtate voluntatis humanæ , ſaltem ad opera illa,quæ fini Incarnationis congruebant;id eſt , quæ erant oportuna ad inſtaurationem omnium,quę in Cęlo & quę in terra ſunt : tum,quia illa natura conſtituta erat *Caput* totius vniuerſi ; ac proinde debebat habere poteſtatem influendi in omnes creaturas ; vt dictum eſt q. 8. Hæc aſſiſtentia eſt humanitati debita.

6

DVBIVM. II.

Quomodo natura humana ad Miracula ſit cooperata?

Humanitas cooperata eſt ad miracula vt cauſa effectiuè applicans vim diuinam:

REſpondeo & Dico Primò, Humana natura cooperata eſt ad miracula, per modum cauſæ effectiuè applicantis & determinantis vim efficiendi ad opus.

Sequitur Ex dictis; Nam in poteſtate voluntatis humanę erat applicare, & quodammodò determinare diuinam virtutem ad opus; eò quòd hęc voluntas, eſſet voluntas diuinę perſonę, & Capitis omnium: quidquid enim Perſonâ diuina vult, etiá per voluntatem humanam; ſtatim debet fieri per potentiam accommodatam eiuſdem perſonę. Quod confirmatur ex modo, quo Chriſtus miracula fecit; ſcilicet imperando. Matt. 8. v. 26. *Imperauit ventis & mari; & facta eſt tranquillitas magna.* In quem locum vide Hieron. Item ibidem v. 2. & Lucę 5. v. 12. *Domine, ſi vis, potes me mundare.* At ille ait: *Volo mundare.* In quem locum vide Chryſoſtomum. Luc. 7. v. 15. *Adoleſcens, tibi dico, ſurge.* Ioh. 11. v. 43. *Lazare veni foras.* Ex quibus modis loquendi patet eum potuiſſe applicare & vti poteſtate diuinâ, quatenus erat homo, perinde ac ſi creata & inhęrens fuiſſet. Vnde Cyrillus epiſt. ad Monachos Ægypti: *Apparuit*, inquit, *Chriſtus cœleſti poteſtate & auctoritate inſtructus; & ideò ſic loquitur.*

7 Sanctorũ miracula nonfuerũt auctoritatiuè perpetrata.

Nulli autem Sanctorum id conceſſum, ita vt immediatè & ex auctoritate, quoties liberet, diuinâ virtute vti poſſet; ſed plerumque oratio, ſaltem interior debebat interuenire. Vide Auguſt. l. 22. de Ciuit. c. 9. & 10. Quod ſi aliquando ex poteſtate viſi ſunt facere miracula, credibile eſt ſemper antecеſſiſſe ſingularem inſpirationem vt facerẽt: & ita non propriè ex auctoritate faciebant, Chriſtus autem ita hac poteſtate vtebatur, ac ſi naturalis humanę naturę fuiſſet.

Vis diuina erat ex ſuppoſitione determinata ad opus.

Aduerte tamen, Voluntatem humanam, non ſic applicuiſſe diuinam virtutem ad opus, quaſi aliquem in illam influxum habuerit; cùm nec in naturalem potentiam aliquid influat: neque quod naturali neceſſitate illa tunc determinata fuerit; ſicut fit in nobis: quia potentia diuina non eſt naturaliter ſubiecta humanę voluntati, ſicut potentię animę voluntati ſubijciuntur: ſed quia neceſſitate ſuppoſitionis determinata fuit ad opus, humanâ voluntate volente. Quę ſuppoſitio erat duplex, vnio videlicet hypoſtatica, & ordinatio diuina circa chriſtum, vt erat *Caput* vniuerſi. Ex vtroque enim proueniebat, vt humanâ voluntate abſolutè aliquid volente, neceſſe eſſet diuinam potentiam applicari ad opus.

8 Item cooperata eſt Vt Inſtrumentum Verbi.

Dico Secundò, Humana natura in chriſto, præſertim ratione actionum externarum, etiá cooperata fuit ad miracula per modum inſtrumenti perſonæ Verbi ſeu diuinitatis. Ita D. Tho. hoc loco & multi Patres, qui humanitatem vocant *inſtrumentum Diuinitatis.* Dico, *Præſertim ratione externarum actionum*, quiá quando nihil externũ interuenit; ſed ſolâ voluntate perficitur miraculum, non ſolet humanitas à Patribus dici inſtrumentum: quamuis D. Thomas hoc non refugiat.

Inſtrumentum quid.

Probatur ſimul & explicatur: Quia id rectè vocatur inſtrumentum, quod ex ſe vim nullâ habet, niſi quod deferat & quodammodo formaliter applicet vim principalis agentis. Sicut emplaſtrũ defert & explicat vim medicamenti; penicilli artem pictoris, ſeu artificioſum eius motum: atqui hoc modo humanitas, eiuſque actiones, præſertim externę, deferunt & applicant vim diuinã intimè ipſis inſidentem & vnitam: ergo operatur tãquã inſtrumentum diuinitatis. Minor probatur; Quia cùm Dominus ſanabat contactu, virtus diuina inſidens manui, applicabatur corpori alterius ad ſanandum: quando ſanabat imperio, vox eius, quæ erat vox Verbi diuini; applicabat diuinam virtutẽ ad opus: & ita hęc erãt inſtrumenta, per quę ipſũ Verbũ operabatur: nam per hæc, eius diuina virtus quodammodo deferebatur & applicabatur.

Dices; Virtus diuina eſt vbique: ergo non poterat deferri & applicari. Reſpondeo, Non erat vbique, ſeu in omni re ſubſtantialiter vnita; nec determinata ad opus tale: ſed ſolum in chriſto, eiuſque ſacris actionibus. Sicut ſi diuina virtus ita aſſiſteret alicui cruci, vt quemcumque illa crux cõtingeret, ille mox diuinâ virtute intrinſecùs latente ſanaretur; rectè diceretur ea deferri & applicari per crucem, & crux eſſet inſtrumentum conferendę ſanitatis. Ita multò magis caro chriſti, cui ſubſtantialiter eſt vnita diuinitas, erit inſtrumentum ſanitatis; deferens & applicans virtutem diuinam. Adde, Si virtus diuina non eſſet vbique, tamen hęc applicatio eſt eius conditionis, vt eam reipſâ deferret & applicaret. Vnde quod nõ fiat localis delatio, nõ eſt ex conditione actionis inſtrumenti, ſed ex immenſitate diuinę ſubſtantiæ. Hîc tamen aduerte; Quando dicimus naturam humanam eſſe inſtrumentum diuinitatis, tunc Perſona Verbi conſiderata vt ſubſiſtit in natura diuina, habet ſe vt operans; virtus diuina, vt id, quo operatur, natura autem humana, vt inſtrumentum Verbi, mediante quo, ipſius virtus applicatur. Quando autem dicimus naturam humanam eſſe cauſam effectiuè applicantem; tunc chriſtus vt ſubſiſtens in naturâ humanâ, conſideratur vt operans, ſeu applicans per voluntatem humanam: virtus autem diuina, ſeu virtus Verbi; conſideratur vt id, quo operatur. Etſi enim in chriſto ſit vnica perſona, tamen hęc virtute eſt duplex propter duas naturas: & ita vtrâque ratione poteſt ei attribui operatio, tamquam principio, quod operatur.

Quoparto Virtus diuina dicatur ab humanitate chriſti deferri & applicari.

DVBIVM III.

Vtrum humanitas Chriſti præter hos modos operandi, habuerit aliquem immediatum influxum ſuper naturalem in opus miraculoſum?

QVidã Recentiores affirmãt: & idcircò volunt humanitatem vocari *inſtrumentum diuinitatis.* Sed variè explicant. Plerique enim ex illis putant humanitati, eiuſque actionibus, tunc imprimi motum quendam ſupernaturalem, & quaſi artificioſum: quem vocant *vſum inſtrumenti*, & *vim inſtrumentariam*: & vi huius motionis ipſam agere. Sicut penicillo imprimitur motus artificioſus à pictore, quo penicillus pingit. Ita Dominicus Soto, & multi Thomiſtæ adducti quibuſdã teſtimonijs D. Thomæ.

9 Dominicus Soto vult humanitatem effectiuè influere in miracula per modũ inſtrumenti.

Sed hoc ab alijs reijcitur: Non enim explicant quid ſit hic motus, aut quam vim habeat. Exemplum etiá illud de penicillo, & alijs inſtrumentis artis, parum ad rem facit. Omnia enim inſtrumenta artis, ſolum efficiunt immediatè motum localem, per eum aliquid addendo, vel detrahẽdo, vel colliſione ſonum excitando. Penicillus enim defert & imprimit colores, motus à Pictore. Serra ſecat ligna detractis minutis ramentis. Cithara ſonitum excitat colliſione neruorum cũ aëre. Ad hæc autem nullâ opus eſt elevatione ſupra

Reijcitur.

naturalem modum operandi, ſed tantummodo motione locali; nam ſeipſa mouere nequeunt: quâ motione in illis recepta, ſunt iam cauſę principales habentes vim proportionatam effectui. Deinde, fingi non poteſt, quæ ſit in illa motio impreſſa voci, aut rei corporeæ, quæ vim habeat producendi gratiam, aut ponendi vnum corpus in duobus locis, & ſimilia. Si enim nulla datur qualitas, aut vis permanens creata, quæ id præſtare poſſit, multò minùs motio tranſiens id poteſt; præſertim cùm motio nihil ſit aliud quàm terminus ipſe vt eſt in fieri. Itaque eſt vel ſubſtantia, vel quantitas, vel qualitas: nam ſuppono non eſſe motum localem.

10 Alij volũt Humanitatem ſe habere per modum Potentiæ obediẽtialis actiuę.

Vnde alij dicũt nihil imprimi humanę naturę, aut ipſis actionibus, vt ſunt inſtrumẽta; ſed Deũ concurrere ſingulari modo cũ *potentia obediẽtiali* ipſorum: omne enim ens habere potẽtiam obedientialem actiuam, ad efficiendũ quidquid Deꝰ per eam fieri voluerit: ſicut habet potentiã paſſiuam ad recipiẽdum quidquid non implicat contradictionem: & hãc *potentiam obedientialem*, vocant *virtutem miraculorum*; eique accommodant aliqua teſtimonia Patrum & Scripturarum.

Reiicitur ſex rationibus.

1. Auctoritate Antiquorum DD.

Hæc ſententia eſt probabilis: tamen valdè dubito an ſit vera. Primò, Quia Doctores antiqui contrarium tenent, & cenſent hunc modum eſſe impoſſibilem. Ita Bonauentura, Richardus, Gabriel in 3. d. 13. & Duran. d. 14. & optimè Scotus in 4. d. 1. vbi etiam Duran. Bonau. & alij. Idẽ tenent Alexan. Alenſ. 3. p. q. 13. mem. 3. & Guilielmus Altiſiod. in 3. p. ſummæ tract. 1. c. 4. Idem tenent omnes Nominales, & ferè oẽs Thomiſtæ.

2. Non datur potentia obedientialis actiua.

Secundò, Quia hæc ſententia præſupponit rem omnem, per ſuam nudam entitatẽ, habere potẽtiam obedientialem actiuam ad efficiendũ quidquis. Hoc autem non videtur verũ: Tum, quia non eſt in re quauis potentia obedientialis paſſiua ad recipiendum quidquis, vt ipſi fatentur; non enim poteſt ſonꝰ dealbari, aut calefieri; &c. ergo multò minùs eſt potentia actiua ad efficiẽdum quidquis, quę maiorem requirit perfectionem, cùm intimè in effectum influat ac penetret: Tum, quia debet eſſe aliqua proportio inter potentiã actiuã & effectum, vt poſſit eleuari ad illius productionem; ſicut inter intellectum creatum & viſionẽ Dei: hinc enim fit, vt intellectus poſſit eleuari ad viſionem Dei, non autem oculus corporeus, qui caret hac proportione: at nulla eſt proportio vocis humanę ad excitandum mortuum, ad infundendam gratiam, ad chriſti corpus collocandum diuerſis locis ſub diuerſis ſpeciebus paꝛ is; &c. Tum, quia potentia obedientialis, nihil videtur eſſe aliud, quam vis quædam agẽdi, ſed inchoata & imperfecta, quæ nullius virtutis naturalis acceſſione poſſit complerꝛi: at talis vis inchoata non videtur eſſe in omni re ad quidquis. Vnde vt hæc opinio poſſit ſuſtineri, concedenda videtur vis quædam inchoata in multis iſtrumẽtis, quę ipſis diuinitus imprimatur priùs naturâ quàm Deus cum ipſis concurrat ad effectum: quia implicat inſtrumentum effectiuè concurrere ed effectum, & tamen nullam vim intrinſecam habere, ſaltem inchoatam; omnis enim efficientia eſt ab aliqua vi agendi, ſaltem imperfecta.

3. Non eſt neceſſaria talis operandi modus.

Tertiò, Deus non operatur modo miraculoſo ſine neceſſitate, vel euidenti vtilitate. At hîc modus operandi eſt ſummè mirabilis, nullam habẽs neceſſitatem, aut euidẽtem vtilitatem: tum, quia ſine illo modo optimè fit opus; tum, quia ille modus operandi ita eſt occultus, vt nemo hominum poſſit illum deprehendere; imò nec quiſquã Angelorum. Nulla enim in inſtrumento fit mutatio iuxtà illos, ſed eodem modo ſe habet ante & poſt operationem. Quæ ergo vtilitas tanti miraculi?

4. Quia operatio deberetfieri per ſolã vltimam ſyllabam.

Quartò, Iuxtà hanc ſententiã, quando chriſtus per vocẽ operabatur, debebat tota actio fieri per vltimam ſyllabam, imò per terminum vltimæ ſyllabæ; quod videtur fictitium: ſic enim ſola vltima ſyllaba fuiſſet inſtrumentum. Idem argumentum locum habet in noſtris Sacramentis.

5. Quia plures cõcauſæ non haberent proprium influxum.

Quintò, Aliquãdo tres vel quatuor tales cauſę inſtrumentales concurrunt ad eundem effectum; v.g. humanitas chriſti, Sacerdos, materia & forma Sacramenti: ergo non habebũt proprium influxum. Patet conſequentia; Quia vel habent eundem; & ſic cæterę ſunt ſuperfluæ pręter vnam: vel habent diuerſos quaſi partiales; & ſic eò minor deberet eſſe influxus ſingulorum, quò plures tales cauſę concurrunt; vt patet dum multi trahunt vnam nauim.

6. Ipſa humanitas poſſet elevare quidquis ad quidlibet.

Sextò, Ipſa humanitas chriſti vtebatur voce, tactu, & ipſis Sacramẽtis: ergo ſi influxum dabat realem & immediatum in opus, poterat ipſa eleuare inſtrumentum, & vti potentiã obedientiali: quod tamen ſoli Deo proprium eſſe dicunt; ſicut & præbere concurſum naturalem, qui per nullam cauſam creatam poſſit ſuppleri.

11 1. Obiectio ex Scripe. Soluitur.

Sed cõtra obijcitur Primò, Ex Scripturis. Luc. 6. v. 19. *Virtꝰ de illo exibat, & ſanabat omnes.* & c. 8. v. 46. *Ego noui virtutem de me exiſſe.* Ioan. 1. v. 16. *De plenitudine eius omnes accepimus.* Reſpondeo, Concedo in humanitate chriſti fuiſſe virtutem ſanandi: ſed hęc erat virtus increata, illi ſubſtãtialiter vnita, quę exibat per energiam & operationem. Ad illud Ioan. 1. Etiam Patriarchæ & Prophetæ *de plenitudine eius* acceperunt; quia gratiam ex eius meritis acceperunt: quæ merita vim habebant ex eius plenitudine.

12 2. Obiectio ex conc. Soluitur.

Obijcitur Secundò, Ex Concilijs: Concilium Epheſinum can. 11. dicit *Carnem Chriſti eſſe viuificatricem.* & in VI. Synodo act. 11. dicitur *Verbum per carnẽ effeciſſe opera, quę erãt diuinitatis indicia.* Reſpondeo; Cõcilium Epheſinum non loquitur de Potentiã obedientiali actiuã, quę non eſt res certa; ſed de eo quod fide notum eſt. Dicit enim anathema ijs, qui negãt chriſti carnem eſſe viuificatricem, & apertè inſinuat vim illam *vivificã*, eſſe vim verbi hypoſtaticè vniti carni: vt patet ex toto canone. Huc pertinet illud Ioan. 6. v. 63. *Spiritus eſt qui vivificat, caro nõ prodeſt quidquã.* Vbi inſinuatur totam vim ſeu potentiam viuificandi conuenire carni, ratione diuinitatis; nullam autem partem iſtius potentię ipſi ineſſe ſecundũ ſe. Alter locus ex VI. Synodo non habet difficultãtem; caro enim erat inſtrumẽtum quod latens diuinitas applicabatur. Vnde miraculum erat ſignum occultę diuinitatis. Sicut curatio vulneris, eſt ſignum latentis virtutis in Cataplaſmate.

13 3. Obiectio ex Patrib. Dionyſ.

Obijcitur Tertiò, Ex Patribus. Primò, Dionyſ. Areopagita epiſt. 4. ſub finem, Actiones miraculoſas Chriſti vocat θεανδρικὰς: quaſi dicat, *Dei-viras*, vel *Dei-viriles*: quia Verbum per humanitatẽ, tamquam per inſtrumentum, illas efficiebat.

Applicatur cur chriſti actiones dicantur θεανδρικαὶ.

Reſpondeo Primò, Fatemur humanitatem eſſe inſtrumentum Verbi, ſed modo ſuprà n. 8. explicato. Secundò, Nõ ſolũ miraculoſa chriſti operatio, ſed omnis etiam alia, quam per humanitatem obibat, vocatur θεανδρικὴ à Dionyſio, quia erat operatio *Dei & hominis*: vt exponit Damaſ. lib. 3. c. 19. Quòd ſi ideò diceretur θεανδρικὴ, quia diuinitas miraculosè cooperatur: etiam Sanctorum operationes miraculoſæ, eſſent θεανδρικαὶ: quod abhorret à mente Dionyſij. Addit Damaſcenus

etiam aliâ cauſam, cur actiones Chriſti vocentur *theandricæ*; nempe quia actiones naturę humanę in Chriſto, fiunt cum communicatione actionis diuinæ: & contrà. Nã operatio humanitatis fiebat ex voluntate diuina, & habebat vim ſalutiferã à diuinitate: ſimiliter operationes diuinitatis quibus faciebat miracula, fiebant miniſterio corporis: ita tamen vt actio vtriuſque naturæ eſſet diſtincta, nec in vnam confunderetur, vt Damaſcenus notat. Illi autem volũt actiones diuinitatis & humanitatis coaleſcere in vnam actionem ſimplicem, quæ terminetur ad opus miraculosũ: quod eſt contra Dionyſium & Damaſcenum.

Cyrillus. Deinde obijciunt, Cyrillũ lib. 4. in Ioan. c. 14. vbi dicit; *Non Verbo ſolo ſemper, ſed etiã tactu mortuos excitabat; vt oſtenderet corpus quoque ſuum vimificare poſſe.*

Explicatur. Reſpõdeo, Cyrillus ibi ſolùm vult dicere quod fide tenemus, Carnem Chriſti propter vnionem cum Verbo, *eſſe vimificam*, id eſt, poſſe dare vitã æternam animæ & corpori immortalitatem. Vide c. 24. & 25. vbi id apertiſſimum erit. Planè autem alienum eſt Cyrillum explicare de obedientiali potentiâ, quæ etiam ſit in Sanctis, imò in quauis creatura, iuxtà ipſos.

Humanitas dicitur inſtrumẽtũ Verbi. Præterea obijciunt quoſdã Patres, qui Humanitatem Chriſti vocant *Inſtrumentum ſeu organũ diuinitatis*. Reſpõdeo, dici *Inſtrumentũ*, quia vérbum vtitur naturâ humanâ ad aliquid præuium actioni diuinitatis; ſcilicet ad applicandam diuinam virtutem illi inſidentem: quod ideò facit, vt oſtendat ſe eſſe Deum verum pariter & verum hominem; vt apertè docent Patres. Vide Athanaſium ſerm. 4. contra Arianos, vbi fusè hanc cauſam proſequitur, & clarè docet actionem humanitatis nullam vim immediatè in miraculum habuiſſe, ſed ſolam diuinitatem. Idem docet Damaſcenus lib. 3. De fide cap. 19.

14 **4. obiectio ex D. Th.** Obijcitur Quartò, Ex D. Thoma, qui ſæpè docet humanitatem Chriſti fuiſſe inſtrumentũ diuinitatis per modum efficientiæ. Reſpondeo, D. Thomam poſſe intelligi modo ſupra dicto. Nam

Actio inſtrumenti eſt prævia & diſtincta ab actione Principalis agẽtis. 1. p. q. 45. a. 5. apertè docet actionem inſtrumenti eſſe præuiam actioni principalis agentis, & diſtinctam ab illa; quod illi negant; vnde etiam fatentur ſe recedere à D. Thoma. Adde, D. Thomã infrà docere *Paſſionem, Mortem, & Reſurrectionẽ*, operari ſalutem noſtram per modum efficiẽtię: quod certè non poteſt intelligi de efficiẽtia reali & phyſica; niſi velimus cum quibuſdam Thomiſtis dicere, poſſe rem præteritam, quæ nunc non eſt, aſſumi vt inſtrumẽtum phyſicum. Nec ſatisfacit, quod quidam ait, D. Thomam, per *Paſſionem, & Mortem*, intelligere humanitatẽ paſſam & mortuam, quæ ſemper manet: quia D. Thomas apertè contrarium inſinuat, agens de morte; cùm ait: *Mortem, etiamſi priuatio ſit, tamen ratione diuinitatis, hanc vim habere.*

15 **5. obiectio. ab actione ignis infernalis.** Obijcitur Quintò, Ignis inferni realiter agit in Dæmones, producendo per potentiam obedientialem aliquid in illos: ergo &c.

Quomodo ignis corporeus agat in ſpiritus. Reſpõdeo Primò, Credibile eſt ignem inferni habere naturâ ſuâ vim inchoatam, ratione cuius poſſit diuinitus eleuari ad efficiendum aliquid in ſpiritibus, vnde cauſetur dolor: nam naturaliter agit in animas corpori vnitas: quare dubitandum nõ videtur, quin poſſit diuinitus agere in ſeparatas. Vel certè, Deus imprimit illi vim aliquã inchoatam, quæ vlteriùs eleuari poteſt. Vel tertiò ignis non agit, niſi ratione virtutis diuinę in ipſo exiſtentis; quæ ſe exerit ad præſentiam ignis; vel hoc ipſo, quo aliquis ad eum eſt dãnatus. Certè D. Thomas 1. p. q. 64. a. 4. & plerique Doctores abrogant igni actionem propriam.

16 **Obiectio. Quòd faciat ad dignitatẽ Humanitatis.** Obijcitur Sextò, Altera ſententia magis pertinet ad dignitatem humanitatis Chriſti, & Sacramentorum: ergo, cùm non videatur implicare contradictionem, eſt tenenda.

Reſponſio triplex. Reſpondeo Primò, Plerique Doctores cenſent implicare contradictionem, Secundò. Non ſemper id eſt ponendum, quod ad maiorem dignitatẽ quouis modo pertinet; ſed quod naturis rerũ, & doctrinæ Patrum, magis eſt conſentaneum. Ob quã cauſam, etiam centemus Angelos nõ habuiſſe gratiã & gloriã ex Chriſti merito. Tertiò. Tota illa ratio cauſandi, quam ponit altera ſententia, nihil reale conſtituit in inſtrumẽto: vnde ſolùm moralem quandam dignitatem illi cõfert. At nos, non minorem tribuimus, dùm ponimus voluntatem Chriſti *cauſam effectiuè, & ex auctoritate applicantem* diuinã virtutem: carnem autem, cauſam inſtrumentalem, quæ vim diuinã ſubſtãtialiter vnitam, applicet formaliter. Vnde etiam patet, humanitatẽ, non dici propriè cauſam moralem dumtaxat; nam cauſa moralis nullam in ſe vim habet, nec agit ex auctoritate: ſed prece, vel pacto aliquo, ex alterius arbitrio, pendente.

Humanitas eſt plusquam cauſa moralis miraculorũ.

ARTICVLVS III.

Vtrum Anima Chriſti habuerit Omnipotentiam reſpectu proprij corporis?

17 Reſpõdetur; Per propriam virtutem non habuit omnipotentiam in proprium corpus; ſed vt inſtrumentum Verbi, ſeu per virtutem diuinam ipſi vnitam.

Vis animę in propriũ corpus. Notandum eſt Primò, animam, ſuâ virtute creatâ naturali vel ſupernaturali, non potuiſſe corpus ſuum ponere in duobus locis: vel ſimul penetratiuè cum alio corpore: nec mutare figuram, aut proprij corporis naturalem conſtitutionem: quia nec Beati hæc poſſunt virtute creatâ.

Notandum Secundò, ipſam potuiſſe mouere corpus ſuum, eo modo, quo Beati poterũt mouere corpora grauia. Vnde poterat ambulare ſuper aquas: quia non erat imbecillior Beatis. Vtrùm autem potuerit vi ſuâ intrinſecâ reddere ſe inuiſibilẽ, aut impedire ne vllâ re læderetur nec dolores ſentiret: dubiũ eſt. Puto tamẽ non potuiſſe ſenſum doloris impedire vi intrinſecâ: nã corpus erat paſſibile. Certum tamen eſt, ipſam, hæc & alia potuiſſe circa corpus ſuum virtute Diuinitatis: cuius vſus erat in ipſius poteſtate.

ARTICVLVS IV.

Vtrum Anima Chriſti habuerit Omnipotentiam reſpectu executionis ſuæ voluntatis?

18 Reſpondetur: Primò, Quidquid voluit tamquam per ſe adimplendum, potuit propriâ virtute vel naturali vel ſupernaturali. Secundò, Quidquid voluit, tamquam diuinâ virtute adimplendum, potuit vt inſtrumentum Verbi, ſiue potuit per eandem virtutem ſibi vnitam, & per ſe applicatam. Ratio eſt; Quia non decet ipſius Sapientiam, vt aliquid velit, quod non poſſit. Sed eſt.

DVBIVM.

An voluntate abſolutâ, anima Chriſti aliquid voluerit vt implendum per alios, quod tamen non ſit executioni mandatum?

19 Ratio dubitandi.

RAtio dubitandi eſt; Quia Marci 7. v. 24. dicitur quod *ingreſſus domũ, nemine voluit ſcire*: & tamen non potuit latere. Ex quo loco probat Agatho Papa in epiſt. ad VI. Synodũ in Chriſto fuiſſe humanam voluntatem: quia quod voluit, non implebatur: cùm tamen diuina volũtas ſemper impleatur. Et confirmatur: Quia Chriſtus volebat homines conuerti, ſaluari, non peccare &c: quod tamen in multis non fiebat. Obiectas rationes Caietanus admittit Animam Chriſti aliquid abſolutâ voluntate voluiſſe per alios implendum, quod tamen non eſt effectum.

Caietan. negat.

Abſoluta Chriſti voluntas ſemper fuit efficax

Sed longè verius eſt contrarium. Quod probatur Primò, Nam voluntas humana Chriſti, erat voluntas Perſonæ diuinæ: ergo omnino decebat vt ſemper fieret, quod abſolutè vellet. Abſurdũ enim eſt, vt id quod Deus abſolutè vult, non fiat. Secundò, Chriſtus euidenter videbat, an eſſet futurum: ergo ſi certò videbat opus non futurum, valdè imprudenter illud abſolutè voluiſſet: imò impoſſibile erat abſolutè velle, niſi reſpectu quorumdam mediorum adhibendorum. Quod enim certò ſcitur non futurum, cenſetur tãquam impoſſibile. Vnde etiam nemo prudens ad hoc conatur. Tertiò, Si Chriſtus aliud vellet abſolutè vt homo, aliud vt Deus, eſſet in ipſo contrarietas voluntatum, multò magis quam ſit in nobis. Quartò, voluntas abſoluta impletur in omnibus Beatis, nihil enim abſolutè volunt quod non fiat; vt communiter Doctores: alioqui poſſent contriſtari. Ergo multò magis in Chriſto. Quintò, Chriſti Anima nihil poterat abſolutè velle, niſi quod ei aliquo modo erat poſſibile, vel virtute propriâ vel diuinâ: ergo id ſemper fiebat.

Reſponſio ad rationẽ dubitãdi.

Ad Argumentum in contrarium; dicendum eſt, Chriſtum non voluiſſe omnino abſolutè latere, id eſt, per omnem potentiam, quam adhibere poterat; ſed abſolutè quodá modo; id eſt, ſecundùm omnem potentiã quã induſtria humana poterat adhibere. His enim omnibus adhibitis, quæ humana induſtria præſtare poterat ad latendum, nõ potuit occultari. Colligitur autẽ inde in Chriſto fuiſſe voluntatem humanam: quia tribuitur ei quod aliquid voluerit aliquâ volũtate, adhibendo omnem potentiam propriam illius volũtatis, & non potuerit. Quod de voluntate diuinâ nullo modo poteſt dici: quia quidquid hæc vult adhibendo omnem potentiam ſibi propriam, id fit. Ad Confirmationem: Chriſtus non volebat abſolutâ voluntate, vt homines conuerterentur, non peccarent: &c. ſed cõditionatâ, & per modum operantis.

QVÆSTIO XIV.

De defectibus Corporis a Chriſto aſſumptis.

In Quatuor Articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Vtrum Filius Dei in natura humana aſſumpſerit defectus Corporis?

1 Fuit conueniens.

REſpondetur: Conueniens Fuit vt Filius Dei aſſumeret defectus Corporis. Primò, Propter finem Incarnationis; venit enim in mundum vt pro nobis ſatisfaceret: ſatisfactio autem fit per opera pœnalia. Ergo Corpus ipſius debebat eſſe capax pœnarum. Rurſus; Satisfactio pro altero, requirit vt pœnas peccato alterius debitas, in te ſuſcipias: atqui defectus corporis, vt fames, ſitis, fatigatio, mors, ſunt pœnæ peccati originalis: ergo Chriſtus debebat hos defectus in ſe ſuſcipere. Secundò. Ad oſtendendum ſe eſſe verum hominem. Tertiò, Ad præbendũ exemplum Patientiæ. Vide D. Thomam.

Notandum eſt in Reſponſione *Ad primum*, vbi dicitur *Satisfactionem non eſſe efficacem, niſi ex charitate procedat*: id intelligendum eſſe ſecundùm legem ordinariam; vt patet ex ſuprà dictis.

ARTICVLVS II.

Vtrum Chriſtus aſſumpſerit neceſſitatem ſubiacendi his defectibus?

2 Neceſſitas ratione materiæ.

REſpondetur; Chriſtus non coactionis neceſſitate his defectibus ſubiacuit; atque adeò nec abſolutâ neceſſitate: ſed tantùm eâ neceſſitate, quæ prouenit ratione materiæ ſeu corporis. Ratio eſt; Quia Chriſtus voluntariè hos defectus aſſumpſit: ſi enim voluiſſet, facilè potuiſſet eos impedire virtute ſuâ diuinâ, quâ pro arbitrio vtebatur. Corpus tamen Chriſti tale erat, vt ipſũ per ſe & ſolitariè conſideratum, neceſſariò his defectibus ſubiaceret, qui nullis naturæ viribus poterant impediri.

ARTICVLVS III.

Vtrum Chriſtus contraxerit hos defectus?

3 Hos defectus non contraxit, voluntariè aſſumpſit.

REſpondetur; Non contraxit; ſed voluntariè hos defectũ corporis ſuſcepit. Ratio eſt; quia huiuſmodi defectus non cõtrahuntur niſi ex peccato. Ad Rom. 5. v. 12. *Per vnum hominem introiuit peccatum in mundum, & per peccatum mors.*

Aduerte; Hos defectus etiam futuros fuiſſe in

ſtatu nudæ naturæ; nam ſequuntur naturalem corporis compoſitionem. Non tamen dicerentur tunc contrahi; quia non ex aliquâ cauſa acceſſoriâ & extrinſecâ traherentur: ſicut modo dicuntur contrahi, quia ex peccato conſequuntur.

Deipara contraxit.

Petes; An Beata Virgo dicenda ſit contraxiſſe hos defectus? Reſpondeo; contraxiſſe: Quia etſi non ſint ſecuti ex peccato, quod habuit; ſecuti tamen ſunt ex peccato, quod habuiſſet, niſi præuenta fuiſſet: peccauit enim & ipſa in Adamo. Vnde & neceſſariò peccatum originale incurriſſet, niſi præuenta fuiſſet.

ARTICVLVS IV.

Vtrum Chriſtus omnes defectus corporales hominum aſſumere debuerit?

4 REſpõdetur; Chriſtus non aſſumpſit omnes defectus ſeu infirmitates humanas; ſed eos tantùm qui ſequebantur naturam, & ex peccato communi totius naturæ; nec tamen perfectioni, ſcientiæ, vel gratiæ repugnabant.

Vnde Primò, non aſſumpſit ignorantiam, nec procliuitatem ad malum, vel difficultatem ad bonum. Nam etſi hæc ſequantur peccatum originale; tamen impediunt opus Redemptionis, & dedecent Chriſtum, & repugnant perfectioni, ſcientiæ, & gratiæ.

Non aſſumpſit Ignorantiam.

Secundò, Non aſſumpſit vllum morbum; vt febrim, apoplexiam, lepram, paraliſin &c. quia hi morbi nõ ſequũtur immediatè ex peccato originali, aut ex conditione naturæ nudę ſed ex particularib⁹ cauſis, ſcilicet ex prauâ humorũ tẽperie, vel ex aliquâ imprudentiâ aut ignorantia in regimine corporis. Vnde ſequitur Chriſtum naturæ relictum, fuiſſe moriturum ſine vllo morbo, naturali extinctione caloris natiui, & conſumptione humidi primogenij.

Nec Morbos.

Tertiò, Similiter nec aſſumpſit cæcitatem, ſurditatem, aut vllam deformitatem. Nam hæc ex particularibus cauſis ſequuntur: nõ autẽ immediatè ex naturâ nudâ, vel peccato originali. Adde; Hęc minimè decuiſſe Chriſtum, nec quidquã conferre potuiſſe ad noſtram redemptionem.

Nec Cæcitatẽ, &c.

QVÆSTIO XV.

De defectibus Animæ a Chriſto aſſumptis.

In Decem Articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Vtrum in Chriſto fuerit Peccatum?

1 Nullum in eo fuit peccatum.

REſpondetur; nullum in Chriſto fuiſſe peccatum, nec paruum, nec magnum. Eſt certum & fide tenendum.

Probatur Primò, Ex varijs Scripturæ locis Ioã. 8. v. 46. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Ioan. 14. v. 30. *Venit princeps mundi huius, & in me non habet quidquam.* 2. ad Cor. 5. v. 21. *Eum, qui non nouit peccatum, fecit pro nobis peccatum*; id eſt, hoſtiam peccati: quomodo Oſeæ 4. Sacerdotes dicuntur *Manducare peccata populi*, id eſt hoſtias pro peccatis oblatas. Iſaiæ 53. *Qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius.* Ad Hebr. 4. *Tentatus per omnia pro ſimilitudine abſque peccato.* Et c. 7. *Talis enim decebat vt nobis eſſet Pontifex ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus.* 1. Petri 2. v. 22. *Qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius.* Idem patet ex Conſilijs, & omnibus Patribus.

Probatur Secundò Ratione: Primò, Chriſtus aſſumpſit noſtros defectus ob tres cauſas. Prima, Vt pro peccatis ſatisfaceret. Secunda, Vt veritatẽ naturæ humanæ demonſtraret. Tertia, Vt præberet perfectum exemplũ omnis virtutis. Atqui peccatum ad nihil horum pręſtandũ iuuabat, ſed potiùs impediebat ſatisfactionem pro nobis, & exemplum virtutis. Dices; Debebat dare exemplum pœnitentiæ, ſicut Dauid: ergo &c. Reſpõdeo; Dediſſe perfectiſſimum exemplum pœnitentiæ, dolendo non de ſuis, ſed de alienis peccatis; & pro illis ſatisfaciendo.

Tribus de cauſis aſſumpſit noſtros defectus.

Secundò, Chriſtus venit vt omnino tolleret peccatũ: ergo non oportebat vt illud admitteret. Vnde ad Hebr. 7. v. 26. *Talis enim decebat vt nobis eſſet Pontifex, ſanctus, innocẽs, impollutus, ſegregatus à peccatoribus, & excelſior cœlis factus: qui non habet neceſſitatem quotidie (quemadmodum Sacerdotes) priùs pro ſuis delictis hoſtias offerre, deinde pro populo. Hoc enim fecit ſemel, ſe offerendo. Lex enim homines conſtituit Sacerdotes infirmitatem habentes: ſermo autem iuriſiurandi qui poteſt* (Græcè κατὰ ſuprà) *legem eſt, Filium in æternum perfectum.*

Peccata ſuſtulit.

Tertiò, Chriſtus venit vt daret nobis legem, & oſtenderet viam perfectionis. Vnde Ioan. 8. *Quis ex vobis arguet me de peccato? ſi veritatem dico vobis, cur non creditis mihi?* Prorſus autẽ indecẽs fuiſſet, ſi vel contra ſuam legem, vel perfectionem vitæ, aliquid admiſiſſet.

Oſtendit viam perfectionis.

Quartò, Quia à principio fuit perfectus gratiâ, & viſione beatificâ: ergo omnino impeccabilis. Ex his patet, Chriſtum non tãtum non peccaſſe, ſed iuxta legem ordinariam ne potuiſſe quidem peccare. Sed eſt.

Fuit ab initio perfectus.

DVBIVM.

An nullo modo fieri potuerit vt Chriſtus in naturâ aſſumptâ peccaret?

DVrandus in 3. d. 12. q. 2. exiſtimat humanitem Verbo vnitam potuiſſe per abſolutã Dei potentiam permitti peccare; & hoc peccatũ, per communicationem idiomatũ potuiſſe tribui Deo: ita vt Deus diceretur peccare, ſicuti dicitur pati, mori, reſurgere. Eandem ſententiam inſinuat Scotus eãdem diſt. q. 1. vbi docet ratione beatitudinis Chriſtũ non potuiſſe peccare; nõ tamen ratione ſolius vnionis. Quãquam Scotus rectè poſſet intelligi, vt nimirum loquatur de nudâ vnione, ita, vt illius ratione, nullũ auxiliũ proueniat humanitati. Gabriel autẽ eãdem diſt. admittit quidem, naturam aſſumptã peccare potuiſſe, ſed hoc peccatum Deo non tribuendum.

2. Durandus.

Scotus.

Gabriel.

Sed Reſpondendum eſt; Humanitatem Chriſti ratione vnionis ita eſſe cõfirmatam in bono, vt

Fuit Impeccabilis

omnino impoſſibile eſſet ipsa peccare. Eſt certa & communis Doctorum D. Thomæ, hoc loco, & in 3. diſt. 12. vbi idem docet Magiſter, Bonauentura Richardus, paludanus, & alij.

Ex Scripturis. Probatur Primò, Ex Scripturis ſuprà num. 1. allatis, quæ intelligendæ ſunt ſecundùm perfectiſſimum ſenſum: id eſt, quòd non ſolùm non habuerit actu aliquod peccatum; ſed etiá quòd non potuerit habere. Quidquid enim de Deo dicitur, κατ' ἐξοχὴν exponendum eſt; vt multis locis docet Dionyſ. lib. De diuinis nominibus c. 1. & de myſtica Theolog. c. 1. &c.

Ex Patribus. Probatur Secundò, Ex patribus. Dionyſius lib. De Eccleſiaſtica Hierarchia cap. 3. parte 3.

Dionyſius *Si ad ipſius ſocietatem, inquit, aſpiramus, oportet nos aſſiduè in ſanctam eius vitam, quam in carne egit, intueri; & imitatione ipſius ſacræ impeccabilitatis, ad Deiformem & irreprehenſibilem habitum recurrere.*

Irenæus. Irenæus lib. 3. c. 5. dicit Chriſtum non potuiſſe métiri, quia erat veritas: ergo ſimiliter quia bonitas, non poterat peccare.

Ambroſ. Ambroſius lib. De Dominicæ Incarnationis Sacramento cap 7. docet non eſſe timéndum ne anima Chriſti peccaret: per vnionem enim cum Verbo, factam eſſe impeccabilem, & peccata noſtra tuſtuliſſe.

Auguſt. D. Auguſtinus lib. De correptione & gratiâ: *ipſa ſuſceptio talis erat, vt natura hominis à Deo ſuſcepta, nullum motum malæ voluntatis admitteret.* Et lib. 1. contra duas epiſt. Pelagianorum cap. 8. *Non ob aliud factus eſt mediator, niſi quia ſolus ex hominibus non potuit eſſe peccator.*

Hilarius. Idem colligitur ex lib. De prædeſt. Sanctorum c. 15. Hilarius lib. De Trinit. paulò poſt principium, multa habet in hanc ſententiam, quibus oſtendit peccatum Chriſto omnino repugnare.

Anſelmus. Anſelmus lib. 2. *Cur Deus homo*, cap. 9. 10. & 16. apertè docet fuiſſe impeccabilem propter vnionem.

Græci Patres. Idem docent Patres Græci. Origenes apertiſſimè lib. 2. περὶ ἀρχῶν, cap. 6. Athanaſius lib. De incarn. Verbi poſt medium. Cyrillus lib. de fide ad Theodoſium non procul à principio, & dialogo 6. de Trinitate. Damaſcenus lib. 3. de fide cap. 19. Hi omnes docent cauſam, cur humanitas Chriſti nõ poſſet peccare, fuiſſe vnionem Hypoſtaticam. Vnde patet etiamſi non habuiſſet viſionem beatificam, tamen impeccabilem futuram fuiſſe.

3 Probatur Tertiò, Ratione; Quia ſi humanitas Chriſti vnita Verbo, poſſet peccare, Deus poſſet peccare: atqui hoc eſt falſum: ergo. Dices; Peccatum omnino repugnat Deo, & ideò non poteſt ei vllo modo tribui. Contrà; Si intelligas *repugnare Deo*, id eſt, diuinæ naturæ; Sic etiam mori *repugnat Deo*; & tamen rectè dicitur *Deus mori crucifigi*. Si autem, ipſi hypoſtaſi per communicationem idiomatum; petitur principium. Cur enim repugnat hypoſtaſi, ſi naturæ in illa hypoſtaſi exiſtenti conueniat; præſertim cùm actiones tribuantur ſuppoſito, tanquam *principio quod*; naturæ, vt *principio quo*. Vnde Durandus concedit Deum poſſe peccare per cõmunicationem idiomatum, ſicuti poteſt mori.

Sed hoc nullomodo poſſe admitti, probatur Primò, Quia eſt contra modum loquendi Conciliorum & Patrum.

Ne quidẽ per communicationẽ Idiomatũ Deo tribui poteſt peccatum. Secundò, Quia ſequuntur hinc magnæ blaſphemiæ; Deus peccat. Deus ſeipſum odio habet. Deus eſt odio & damnatione dignus. Deus ſeipſum negat, &c.

Tertiò, Si Deus peccaret per naturam aſſumptam, non ſolùm per cõmunicationẽ idiomatum tribueretur ipſi peccatũ, ſed etiam in ipſam diuinam voluntatem culpa redundaret; quod eſt hæreticum. Quod probatur; Quia quando plures naturæ conueniunt ſubſtantialiter in vnum ſuppoſitum, officium & munus ſupremæ voluntatis illius ſuppoſiti eſt, continere in officio & honeſtate omnes appetitus, & vires inferiores illius ſuppoſiti; adò vt contra honeſtatem faciat, ſi hoc negligat; aut permittat inferiores appetitus in malum ferri, quando poteſt impedire. Atqui per vnionem Hypoſtaticam humanitas ſit propria natura Verbi; & in illo ſuppoſito ſuprema voluntas eſt diuina, quæ poteſt regere inferiorem, ſcilicet humanam, eamque intra limites virtutis continere: ergo ad officium diuinæ voluntatis pertinebat hoc facere, ita vt ſi omitteret, culpa illi imputaretur.

redũdaret hoc peccatum in ipſam diuinitatem.

Maior probatur Primò, Exemplo hominis, in quo eſt natura ſenſitiua & rationalis, & idcirco tenetur per voluntatem rationalem regere appetitum inferiorem reliquaſque vires inferiores. Secundò. Quia ex vnâ vel multis naturis & ſuppoſito, fit ſimpliciter & abſolutè vnum ens; in quo, id quod operatur, eſt ſuppoſitum; id quo operatur, eſt natura, eiuſque potentia. Ergo cura & obligatio bene regendi omnes vires, pertinet ad ſuppoſitum quod poteſt, & ad eas vires per quas id poteſt: ergo ſi exorbitent vires inferiores à recto, imputatur ſuppoſito, & illi potentiæ per quam poteſt. Tertiò, Rectus ordo poſtulat vt in vnâ perſonâ ſit vnum ſupremũ principium, cuius ſit regere vires inferiores illius perſonæ; alioqui eſſet magna confuſio in vnâ perſonâ. Quartò. Suppoſitu diuinu ſupplet vicem ſuppoſiti humani. Atqui ſuppoſitum humanum ad hoc tenebatur, quantum poterat per omnes vires illius ſuppoſiti: ergo etiam ſuo modo ſuppoſitum diuinum, & voluntas diuina, ad hoc obligatur. Dico, *ſuo modo*, Quia non obligatur ad hoc aliquâ lege; ſicut perſona humana, quæ lege naturali tenetur: ſed naturâ ſuâ ad hoc eſt Volũtas diuina determinata; ſicut ad dicendum verum, & omne id, quod ratio veritatis poſtulat. Poteſt tamen dici Verbum obligari, quatenus eſt ſuppoſitum humanum, & ratione humanæ naturæ.

Quartò denique, Deus non poteſt operari ea, quæ ipſum dedecent; ita vt nullam rationem habeant honeſti, nec ad vllum bonum finem fieri poſſint: atqui peccare in propriâ naturâ, aſsũptâ, eſt tale: ergo &c.

Sed cõtrà. Obijcitur Primò, permiſſio talis peccati poterat eſſe bona; ſicut in alijs hominibus permittere peccatum, eſt bonum: Confert enim ad oſtenſionem libertatis, ad commendationem gratiæ poſteà erigentis; & ad maiorem laudem bonorum operum: præſertim ſi is *qui potuit tranſgredi, non eſt tranſgreſſus*. Eccleſ. 31. v. 10.

4 Soluuntur obiectiones.

Reſpondeo; Permiſſio peccati in alijs hominibus eſt bona, ob multas cauſas; non tamen in naturâ aſſumptâ: quia voluntas naturæ aſſumptæ, eſt voluntas Dei; & ita voluntas Dei peccaret, quod peccatũ redundaret in volũtatem increatam, & in perſonam diuinam: vt oſtenſum eſt. Ex permiſſione autem peccati in alijs voluntatibus, nihil ſequitur quod minùs deceat Deum: habet enim ſe ad illos non vt ſuppoſitum, ſed vt rector & cauſa vniuerſalis, cuius eſt permittere res agi ſuis motibus.

Permiſſio peccati bona eſt in alienâ, nõ autem in Aſſumptâ natura.

Obijcitur Secundò, Si Angelus aſſumeret naturam humanam, & per illam peccaret; tale peccatum non redundaret in Angelicam voluntatẽ: ergo neque hîc in diuinam.

Si Angelus in aſſũm-

Reſpondeo; Conceſſo antecedente nego conſequentiam; non enim eſt par ratio; Nam voluntas.

pta natura non reſiſtaret peccato naturæ quantum poſſet, peccatum illi imputaretur.

luntas Angelica non poſſet moderari ſuo arbitratu humanam, ſicut poteſt voluntas diuina. Nam voluntas humana non regitur efficaciter à causâ externâ, niſi à voluntate diuinâ. Si tamen illeangelus non faceret quantum poſſet ad ſuam voluntatem humanam à peccato cuſtodiendam, malè faceret, & angelicæ voluntati imputaretur.

5 An chriſto potuerit eſſe inconſideratio.

Obijcitur Tertiò, Verbum poterat aſſumere naturam humanam nudam, eamque ſolis naturæ viribus permittere: atqui tunc poterat eſſe in illa natura aliqua inconſideratio, quæ eſt fere tota radix peccatorum: ergo etiam inconſiderata voluntas & operatio. Confirmatur, potuiſſet eſſe error ſeu falſitas in intellectu: ergo etiam prauitas in voluntate.

Reſpondeo; Etſi Deus potuiſſet aſſumere naturâ humanam ſine vllis donis ſupernaturalibus, non tamen ſine illa prouidentia & cuſtodia, quæ neceſſaria erat ad illam infallibiliter ab omni peccato præſeruandam. Hęc enim prouidentia & cuſtodia neceſſariò debita eſt illi naturæ ratione vnionis; vel potius, hoc Deus debet infinitæ ſuæ puritati & ſanctitati, ob rationes dictas.

An error.

Ad confirmationem dici poſſet, errorem non eſſe tantum malum, quantum peccatum; cùm non auertat à Deo, quando non eſt voluntarius. Verè tamen eſt non potuiſſe vllo modo errorem aliquem eſſe in intellectu naturæ aſſumptæ: quia error eſt talis imperfectio, quam quilibet prudẽs vitare debet in proprio intellectu, quantum poteſt: neque eſt vlla honeſta ratio ob quam poſſit admitti.

6 An potuerit aſſumere naturâ peccatoinfectam.

Obijcitur Quartò, Deus potuiſſet aſſumere naturam ex Adamo per ſeminalem propagationem; ac proinde contrahere peccatum originale. Item potuiſſet aſſumere naturam alicuius hominis in peccato originali, vel mortali exiſtentis; ac proinde illud peccatum retinere. Quo caſu diceretur peccator.

Reſpondeo Negando ſequelam; ſi enim naturam ex Adamo naturaliter propagatam aſſumpſiſſet, prius naturâ illam ſanctificaſſet, quàm infecta fuiſſet. Nam anima priùs naturâ vnitur Verbo, quàm corpori; vt ſuprà q. 6. a 3. At non cõtrahit peccatum originale, niſi ex contagione corporis; quia non antè contrahit peccatum, quàm exiſtat integer homo, & Adæ Filius: ergo non potuiſſet vllo modo peccatum illud contrahere.

Confirmatur; Quia priùs vnitur Verbum toti humanitati, quàm ipſa poſſit ſuſcipere peccatum; vt patet ex dictis ſuprà quæſt. 7. Quòd ſi aſſumpſiſſet eam naturam, quæ iam erat in peccato originali, vel mortali; neceſſariò hoc ipſo illud peccatum deleuiſſet. Ratio eſt, Primò, Quia per gratiam vnionis, illa natura fuiſſet ſummè dilecta: atqui omnino impoſſibile eſt, vt cum ſummâ dilectione conſiſtat ſummum odium, vel ſaltem abſoluta inimicitia. Secùs eſt de gratia creata, quę non facit ſummè dilectum: vnde neque omnino neceſſariò delet peccatum. Potentius enim eſt peccatum ex natura ſua vt reddat exoſum, quàm omne donum creatum ex præciſa naturæ conditione, vt reddat dilectum. Verũ gratia Vnionis potentior eſt ad dilectionem, quàm omne peccatum ad odium. Deinde; quia natura per vnionem accipit ſummam excellentiam, imò deificatur, & conſequenter quidquid in ipſa eſt: atqui hęc excellentia repugnat peccato. Denique; peccatum tale eſt, vt nullo modo honeſtè amari poſſit, aut prudenter à quopiam qui illud poteſt à ſe auertere) permitti. Ergo fieri nequit vt permittatur in naturâ humanâ.

Priùs erat delendum peccatum quàm naturam eo infectam aſſumeret.

Hinc ſequitur, neque vitiorum habitus, qui tamen in iuſtificatis poſſunt remanere, aſſumi potuiſſe; quia nihil habent, cur aliquis prudenter in ſe illos poſſit permittere, quando facilè poteſt abolere. Quare ſi Deus naturam humanam alicui peccato, vel habitui vitioſo ſubiectam aſſumpſiſſet (quod ſane contradictionem non implicat) neceſſariò in ipſa aſſumptione penitùs purgata & ſanctificata fuiſſet. Vnde Tertullianus lib. de carne Chriſti ait: *Etſi carnem peccatricem aſſumpſit, faciendo tamen illam carnem ſuam, fecit non peccatricem.*

7 Nec habitus vitiorum potuit aſſumere.

De reatu peccati, Vtrùm aſſumi potuerit, dubitatur à Doctoribus recentioribus. Sed non eſt improbabile potuiſſe aſſumi. Nam hic reatus nihil aliud fuiſſet, quàm obligatio ſatisfaciendi pro peccato in natura ante aſſumptionem admiſſo: vt ſi Verbum aſſumpſiſſet naturam, quæ ante extiterat in Petro, in eoque peccauerat; deleta quidem fuiſſet in aſſumptione culpa omnis, reatus tamen potuiſſet retineri. Nam hæc obligatio intrinſecè nihil indecens habet: cùm ſit ad actum virtutis: ſicut patet ex obligatione ſatisfaciendi, quam noſtrâ causâ ſuſcepit. Etſi enim Verbum non poſſit contrahere reatum per actionem, quæ ipſi vt ſuppoſito tribuatur, poſſet tamen per actionem naturæ aſſumptæ, quam ipſa habuit in ſua perſona ante aſſumptionem. Aduerte tamen hunc reatum, quantuſcumque eſſet, poſſe vnico actu ſatisfactorio tolli; quia infinitam vim ſatisfaciendi habet.

potuit reatum peccati.

8

Obijcitur Quintò, Natura vnita Deo per gratiam habitualem, poteſt peccare: Nam hoc ipſo quo peccat, gratia perit, & vnio diſſoluitur. Ergo ſimiliter, ſi ponamus vnionem hypoſtaticam eo ipſo momento diſſolui, non erit impoſſibile naturam aſſumptam peccare.

Reſpondeo; Poſitâ illa hypotheſi, Nego Conſequentiam: Quia vnio hypoſtatica conſtituit ipſam perſonam, cui tribuitur omnis operatio illius gratiæ, & quæ neceſſariò tamquam ſuppoſitum influit in opus. Vnde neceſſe eſt, eo ipſo momento, quo actio peccati elicitur, ipſam vnionem adhuc exiſtere; quia actio elici non poteſt niſi a ſuppoſito: ergo fieri nequit, vt eo ipſo inſtanti, vnio ſit diſſoluta. Secùs eſt in gratia habituali; quia hæc non conſtituit perſonam operantem, nec influit in opus peccati. Vnde primum momentum quo peccatum exiſtit, eſt primum momentum, quo gratia non exiſtit, ſuppoſito perſeuerante eodem.

Cur poti⁹ peccari poſſit cum gratia habituali, quam cum vnione hypoſtatica.

ARTICVLVS II.

Vtrum in chriſto fuerit Fomes peccati?

REſpondetur Negatiuè. Notandum eſt; *Fomitem* nihil aliud eſſe niſi *inordinatã inclinationem, non tantùm appetitûs ſenſitiui* (vt quidam volunt) *ſed omnium virium animæ, quę de libertate participant; vt intellectûs, voluntatis, imaginatiuæ, & appetitûs ſenſitiui ad motus præter vel contra legẽ rationis; quæ inordinata inclinatio prouenit immediatè ex priuatione iuſtitię originalis, mediatè verò ex peccato*: vt patet ex Concil. Trid. ſeſſ. 5. Vnde, ſuprà vires animæ nihil addit, niſi hanc imperfectionem; ſcilicet, *poſſe potentiâ propinquâ præuenire rationem, & moueri contra vel præter eius dictamen.* Quæ imperfectio, quatenus prouenit ex ipſa nuda natura, non conſtituit fomitem, ſed eſt natu-

9 Fomes quid.

ralis conditio; vt ostensum est in 1. 2. tract. de. Peccato originali. Verum habet rationem fomitis quatenus expriuatione iustitiæ originalis, quę hanc imperfectionem quodammodo sustulerat, est restituta. Simili enim modo aliæ quoque imperfectiones naturales, vt *Mortalitas & ignorantię*, factæ sunt pęnę peccati originalis.

His positis; Respondeo; in Christo neque fomitem, neque vllos motus fomitis fuisse. Est fide tenendum.

Non fuit in christo

Probatur Primò, Ex Scripturis citatis articulo superiore: ex quibus constat illum non potuisse peccare. At si habuisset fomitem, potuisset peccare secundùm legem ordinariam; imò reipsâ peccasset, permittendo in se prauos motus. Item, Christus est conceptus ex Spiritu sancto, & natus est ex Virgine: ergo non habuit fomitem.

Probatur Secundò, Quia Patres docent in christo nullos fuisse motus inordinatos, quos vocam⁹ *Primò-primos*. Ita D. August. de corrept. & gratia cap. 11. vbi docet in Christo non fuisse vllam pugnam carnis & Spiritus: & lib. 2. de Peccatorum meritis & remiss. cap. 29. *In illo erat similitudo carnis peccati, non autem caro peccati.* D. Leo Epist. 11. quæ est ad Iulian. *Nihil carnis suæ habebat aduersum; sensus corporei vigebant sine lege peccati.* Idē docet Damascenus lib. 3. de fide cap. 15. 20. & 23. Et omnes Theolog. in 3. passim dist. 15.

Nec Motus primò primi.

Probatur Tertiò, In Adamo non fuissent tales motus, nec fomes peccati; & in beatis non erunt: ergo nec in Christo fuerunt. Patet consequentia; tùm, quia ab initio fuit beatus; tùm, quia omnem perfectionem statûs innocentiæ, quæ quidem ad virtutem pertinet, habuit.

Probatur Quartò, Fomes eiusque motus proueniunt ex peccato & inclinant ad peccatum; vt docet Concilium Trident. sess. 5. Christus autem non est conceptus in peccato, nec vllam inclinationem ad peccatum habuit. Vnde ad Hebr. 7. v. 26. dicitur *Segregatus à peccatoribus.*

Probatur Quintò, Christus venit ad destruendam legem fomitis & peccati. Vt patet ad Roman. 8. ad Galat. 3. & 4. ergo non debebat assumere.

Ratio est; Quia Christus considerabat omnia, & præuidebat a quibus eius vires moueri possēt; & habebat supremam circa illas potestatem: ergo non poterat in illo vllus excitari motus, qui aut contra rationalem volūtatem esset, aut rationem præueniret.

Dices: *Christus est tentatus per omnia pro similitudine absque peccato*: ad Hebr. 4, v. 15. ergo etiam per motus concupiscentiæ seu fomitis.

10

Respondet D. Thomas infrà quæst. 41. art. 1. ad 3. Negando Consequent. Quia talis tentatio non est sine peccato, saltem veniali. Sed hoc non est vniuersè verum: motus enim concupiscentiæ, si voluntas nullo modo consentiat, non sunt vllū peccatum; vt docet expressè Concil. Trid. sess. 5. In nobis tamen sæpè tales motus non sunt absque aliquo peccato: quia sæpè interuenit aliqua negligentia voluntatis in cauendis vel repellendis. Si tamen hosce motus possemus perfectè cohibere, vt non insurgerent, semper essent peccata. Vnde cùm christus possit illos perfectè impedire, absolutè verum est tales motus in ipso non potuisse esse sine peccato. Et sic intellige D. Thomam. Addo: non solùm propter peccatum, sed etiam ob indecentiam oportuisse vt Christus nullam tentationem internam, non solùm inappetitu, sed ne in imaginatione quidem admitteret.

Motus inordinati fuissent in christo peccata.

DVBIVM I.

Per quid sublata est inordinata inclinatio virium, & omnis inordinatus motus in christo, cùm hæc in nuda natura absque peccato futura sint?

Respondeo: Primò, Per habitus virtutum, tum naturales, tum supernaturales, quibus pars superior erat conformis diuinæ legi, eique perfectè subiecta in actu primò & per habit⁹ virtuti superuenientes, quibus appetitus inferior planè conformabatur superiori. Sed hi habitus, etsi perfectissimi in christo fuerint, non sufficiūt vt nullus motus rationem præueniat. Ideò, Secundò loco addenda est continua superioris rationis vigilantia, per quam omnes tales motus poterat præcauere. Tertiò, per facultatem quandam animę, quam habebat: tum quia Beata, tum quia verbo vnita: quâ perfectissimè omnes vires Animæ, quoad vsum earum, habebat in potestate suę voluntatis.

11 Per quid fomes sublatus.

DVBIVM II.

An penitus fuerit impossibile, vt Verbum assumeret naturam cum fomite peccati?

Respondeo: Omnino fuisse impossibile: tum, quia fomes est inordinata inclinatio ortaex peccato, & inclinans ad peccatum: tum, quia in illa natura non poterant esse aliqui motus praui; tales enim motus in suppositо, quod illos per voluntatem superiorem potest impedire, non sunt sine peccato.

12 Affirmatur.

Dices: Poterat assumere naturam nudam: ergo vires æquè inordinatas in actu primo, ac in nobis sunt, exceptâ culpâ. Respondeo: Negando Consequentiam. Quia in nobis, ob priuationem iustitiæ originalis, & ob naturalem imperfectionem, quæ nullo alio dono compensatur, sunt veluti proximè dispositæ ad motus prauos: at in Christo hæc naturalis imperfectio vitium necessariò fuisset suppleta per assistentiam diuini auxilij, quæ illam non permisisset in malum ferri: & ita in actu primo non fuisset inordinata.

Etiamsi assumpsisset naturā nudam.

ARTICVLVS III.

Vtrum in christo fuerit ignorantia?

Respondetur Negatiuè: in christo nulla fuit Ignorantia. Notandum est: Etsi humanitas Christi non sciat omnia quæ scit Deus, non tamē ideò est in illâ aliqua ignorantia. Nam *Ignorantia propriè est carentia cognitionis, quam aliquis secundū suum statum & conditionē deberet habere.* Et hanc omnem habuit Christus, vt suprà q. 9. dictum est. Nam habuit omnem cognitionem naturalem, ad quam lumen naturę se potest extendere. Habuit etiam cognitionem supernaturalem omnium diuinorum mysteriorum, futurorum contingentiū, & secretorum cordis, tam in proprio genere, quàm in Verbo: & quidem ab initio conceptionis. Et hoc communiter sentiunt Patres: vt suprà ostensum est.

13 Ig norantia, quid

Digitized by Google

ARTICVLVS. IV.

Vtrum anima chriſti fuerit paſſibilis?

14 Anima chriſti dupliciter erat paſſibilis.

REſpondetur Tribus Concluſionibus. Prima: Anima Chriſti fuit paſſibilis paſſione corporali; id eſt, poterat affici voluptate & dolore corporis; nempe per tactum & guſtum.

Secunda: Erat etiam paſſibilis paſſione animali. Nam in chriſto erat appetitus ſenſitiuus, & vis imaginatrix, quâ triſtia vel lęta poſſet apprehendere.

Tertia: Iſtæ affectiones aliter erant in chriſto, aliter in nobis: idque quoad tria. Primò, Quia in chriſto non ferebatur ad aliquid illicitum. Secundò, Non præueniebant iudicium rationis. Tertiò, Non trahebant vnquam voluntatem.

ARTICVLVS V.

Vtrum in chriſto fuerit dolor ſenſibilis?

15 Fuit in eo dolor ſenſibilis.

REſpondetur affirmatiuè. Ratio eſt; Quia in ipſo erat læſio corporalis, quæ eſt obiectum doloris. Item fuit ſenſus læſionis, qui eſt veluti applicatio obiecti. Atqui his poſitis neceſsariò in appetitu reſultat dolor.

In Reſponſione *Ad Primum*, Notandum eſt; Etſi Caro Chriſti ſecundùm ſe paſſibilis fuerit, & ſubiecta neceſſitati patiendi; tamen hoc nullo modo redundabat in ipſum Verbum, niſi per cõmunicationem idiomatum. Verbum enim manebat in ſe omnino impatibile, imò ipſa quoque caro, quatenus vnita Verbo, intrinſecâ vi ſuâ quodammodo impatibilis erat: ita vt flagella, ceteræque externæ impreſſiones non poſsent dolorem excitare, niſi chriſtus illum ſponte admitteret. Et hoc vult Hilarius lib. 10. de Trinitate, vt rectè D. Thomas exponit. Vide eundem Hilarium in Pſalm. 68. in principio, vbi ſic ait: *Vniuerſarum igitur paſſionum humanarum forte perſunctus, ſecundùm ſuſceptas infirmitates noſtras loquitur: & dolet ipſe quidem extra neceſſitatem timoris poſitus & doloris; ſed his tamen ſe quę ſuſcepit accommodans*, &c.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm in Chriſto fuerit Triſtitia?

16 Triſtitia in appetitu ſenſitiuo.

REſpondetur Affirmatiuè, fuiſſe triſtitiam in appetitu ſenſitiuo. Ratio eſt, Quia triſtitiæ obiectum, eſt malum aliquod, ſenſu interiori apprehenſum, vt noxium. Atqui Chriſtus ſic poterat apprehendere quędam mala, tum ſua; vt paſſionem & mortem: tum aliorum; vt peccatum ruinæ, afflictionem diſcipulorum &c. Neque huic triſtitię obſtabat gaudium viſionis beatificæ; quia hoc non finebatur in appetitum inferiorem exuberare; vt ait Diuus Thomas in Corpore. Sed eſt.

DVBIVM.

Vtrùm in eius voluntate fuerit Triſtitia?

17 Habuit triſtitiam in voluntate rationali.

REſpondeo; Omnino certum eſt, etiam in voluntate ſeu appetitu rationali triſtitiam fuiſſe, & non ſolùm in ſenſitiuo. Eſt communis Doctorum diſt. 15. vbi Scotus, Duran. Gabriel: vel. diſt. 16. vbi Gabriel. Idem tenet D. Thomas hic, & infrà quæſt. 18. art. 6.

Probatur, Matth. 26. v. 38. *Triſtis eſt Anima mea vſque ad mortem.* Quod potiſſimùm intelligendũ eſt de triſtitiâ voluntatis; vt patet ex Synodo VI. act. 4. & 11. Vbi ex hiſce verbis probatur in chriſto fuiſſe humanam voluntatem. Idem docent Patres: Hilarius canone 31. in Matth. & Hieronymus in caput 26. Matthęi, vbi explicant cauſas ob quas Chriſtus doluit; ſcilicet damnationem Iudę, Petri negationem, ſcandalum Apoſtolorum, & ſimilia. Quæ omnes ad voluntatem pertinent, imò aperte dicunt illum non eſſe triſtatum ob mortem; quod intellige principaliter: fuit tamẽ ſecundaria cauſſa. Et ratio eſt; Quia in Chriſto fuerunt omnes defectus naturales innoxij, ſeu inculpati; vt ait Damaſcenus l. 3. c. 20. Atqui naturalis triſtitia, etiam voluntatis, eſt defectus quidam non repugnans perfectioni gratiæ & ſcientiæ; & magis conferens ad redemptionem noſtrã quàm triſtitia partis ſenſitiuę: ergo non minùs eſt hęc ponenda, quàm illa. Deinde; Quia Chriſtus per voluntatem ipſam, quatenus natura eſt, horrebat & fugiebat mortem; vt infrà dicetur. Atqui ex hoc naturaliter ſequitur triſtitia in eâdem voluntate.

Vide l. 8. de ſummo bono c. 18.

18 Quomodo Triſtitia cum ſummo gaudio poſſit cõſiſtere.

Sed contrà Obijcitur: Voluntas fruebatur ſummo gaudio beatitudinis: atqui cum ſummo gaudio non poteſt conſiſtere triſtitia in eâdem animę parte: ergo &c.

Reſpondet Melchior Canus lib. 12. de locis Theolog. cap. 14. Chriſtum tempore paſſionis miraculo ſuſpendiſſe gaudium beatificum, vt perfectè poſſet triſtari. Sed hæc ſententia non eſt probabilis, vnde paſſim ab omnib' reijcitur: Primò, Quia eſt contra communem ſentẽtiam theologorum etiam ipſius D. Thomæ quæſt. 46. art. 8. Secundò, Quia certum eſt Chriſtum à principio conceptionis, ſecundùm animam fuiſſe beatum; vt ſupra q. 9. a. 2. oſtenſum eſt. At beatitudo includit fruitionem. Reſpondet Canus includere fruitionem, ſed non gaudium: quare gaudium potuiſſe abeſſe à beatitudine. Sed hoc non rectè dicitur; tum, quia fruitio & gaudium in voluntate idem ſunt; vt alibi oſtenſũ eſt: tũ, quia quidquid hac de re ſit, gaudium ſaltem eſt proprietas quædam beatitudinis, ex ea neceſſariò manans; ſine qua, beatitudo eſt omninò mutila: perinde ac ſi anima rationalis careret mẽte. Tertiò, Quia oporteret vt Chriſtus totâ ferè vitâ ſuâ caruiſſet gaudio beatifico. Nam ſummo gaudio, non ſolum ſumma triſtitia, ſed etiam quælibet minima repugnat. Chriſtus autem ferè ſemper aliquâ triſtitiâ, & quidem ſatis magnâ, affectus erat. Nam ſemper hominum peccata, & damnandorum multitudo, & ſuppliciorum immanitas, illi ob oculos verſabantur. Ob quæ multum credibile eſt fuiſſe contriſtatum.

Cani ſententia reiicitur.

lib. 2. de ſummo bono c. 15

Vnde Alij reſpondent aliter; fuiſſe gaudium in portione ſuperiore voluntatis, triſtitiam verò in portione inferiore eiuſdem potentiæ. Inſinuat D. Thomas infrà quæſt. 46. art. 7. & 8. & apertè Caietanus ibidem: & Henricus à Gandauo Quod libeto 8. q. 7.

19 Caiet. refellitur.

Sed hæc Reſponſio non ſatisfacit: Primò, Quia portio ſuperior & inferior in vnâ voluntate, ſolùm ratione differre videntur. Et quamuis fortè eſſet aliqua differentia formalis, parum adrem faceret; nam difficultas ſupereſt, quomodo fieri potuerit, vt vna eademque potentia, plena fuerit gaudij & mœroris.

Secundò; Etiam in portione ſuperiore voluntatis triſtitiam patiebatur; vt rectè Scotus, Ba-

nauentura & Gabriel docent. Quod patet; Quia non ſolùm de malis temporalibus, vel corporis paſſione, quæ ad rationem inferiorem pertinent; ſed potiſſimùm de peccatis hominum, de lapſu Iudæ, negatione Petri, duritiâ Iudæorum eorumque reiectione, triſtatus eſt; vt docent Patres, Hilarius & Hieronymus ſuprà, Ambroſius in c. 12. Lucæ, & Auguſtinus ſerm. 117. de tempore. Vide Ianſſenium in cap. 137. Concordię. Atqui hæc ad rationem ſuperiorem pertinent.

Ratio dolendi alia eſt in Parte ſuperioti, alia in inferiori.

Confirmatur; Quia dolebat de peccatis, vt ſúit offenſio diuina: atqui hoc maxime eſt portionis ſuperioris. Quando enim ratio dolendi vel amandi eſt portionis ſuperioris ęterna conſiderantis, etiam dolor & amor ad rationem ſuperiorem pertinent, quamuis obiectum materiale ſit quid temporaneum: vt patet ex dictis 1. 2. q. 74. Vnde etiam actus contritionis ad rationem ſuperiorem pertinet.

D. Thomas explicatur.

Neque obſtat D. Thomas locis citatis. Quia non negat Chriſtum eſſe paſſum triſtitiam in ratione ſuperiore: ſed ſolùm negat rationem ſuperiorem paſſam eſſe triſtitiâ ab obiecto, ſuo, quod eſt Deus: quod veriſſimè negatur.

Triſtitia hæc non fuit chriſto inuoluntaria.

Aduerte tamen, in ratione ſuperiore nullam fuiſſe triſtitiam, quæ illi parti fuerit inuoluntaria. Omnis enim illa triſtitia fuit ob alias rationes ſuperiores volita eâdem voluntate creatâ: imò etiam obiectum eius, ſpectatis omnibus circumſtantijs, vel volitum fuit, vt paſſio & mors: vel ſaltem voluntarię permiſſum, vt hominum peccata. Vnde numquam ita fuit triſtatus vt nos triſtamur, quibus triſtitia & obiectum eius eſt omnino inuoluntarium.

10 Verior ſententia, quod ſimul in chriſto fuerit Gaudium & Triſtitia.

Dicendum ergo eſt: Etſi gaudium & triſtitia generatim ſint affectiones aliquo modo repugnātes; tamen niſi verſentur circa idem obiectum, & ſint propter idem motiuum: non ſunt propriè contraria. Vnde ſimul eſſe poſſunt: vt patet in triſtitiâ conceptâ ex offenſione Dei, & gaudio de honore diuino. Itaque cùm Chriſti triſtitia, eiuſque gaudium non verſarētur circa idem, vel ſaltem non ob idem motiuum, non erant contraria; gaudebat enim de bonis Dei, & ſuis, & ſuorum electorum: triſtabatur autem de malis contrarijs: vt de morte ſuâ, de peccatis hominum, eorumque damnatione. Nec obſtat, quòd etiam de eâdem morte gaudebat: nam ob aliam rationem gaudebat, ob aliam triſtabatur: triſtabatur enim de illâ, quatenus erat malum naturæ valdè acerbum: gaudebat verò, quatenus illa erat futura cauſa tantorum bonorum. His adde: Etſi gaudium & triſtitia imperfectè ſimul eſſe poſſint, vt experimur: tamen ob illam repugnantiam, quam habent in genere, etſi non verſentur circa idem, nec ob eandem rationem: non poteſt cum ſummo gaudio eſſe aliqua triſtitia. Quare diuinâ virtute factum eſt, vt in voluntate Chriſti, ſimul fuerit ſummum gaudium cum ſummâ triſtitiâ, ita vt alterum non impediret alterum.

ARTICVLVS VII.

Vtrum in chriſto fuerit Timor?

21 Fuit in eo Timor.

REſpondetur, in Chriſto fuiſſe Timorem. Vt patet Marci 14. v. 33. *Cœpit pauere, & tædere.* Vbi Græcè eſt, ἐκθαμβεῖσθαι καὶ ἀδημονεῖν; id eſt, quaſi obſtupeſcere præ magnitudine mali impendentis, & tamquam inops conſilij, extremè angi. Quę verba ſatis etiam indicant ingentem timorem. Ratio eſt, Quia in ipſo erat apprehenſio ingentis mali iam imminentis: atqui hæc apprehenſio naturaliter parit timorem.

Tres obiectiones.

Dices Primò, Timor videtur pugnare cum excellentiſſimâ chriſti fortitudine, quæ reddit hominem impauidum. Secundò; Quia D. Auguſtinus expoſitione ſecundâ. Pſal. 21. dicit chriſtum non verè timuiſſe pati, cùm ſciret ſe die tertia reſurrecturum, ſed propter membra ſua, verba illa protuliſſe quæ timoris ſpeciem præ ſe ferrent. Similia habent D. Hilarius can. 31. in Matth. & lib. 10. de Trinitate in principio, & D. Hieronymus in caput 26. Matth. Tertiò; Timor eſt de malo quod vitari poteſt & aliquo modo eſt incertum. Atqui ſciebat omnia mala futura, eaque iam eſſe ineuitabilia ex diuinâ ordinatione.

Reſpondeo; ad Primum, Timor inuoluntarius & neceſſarius repugnat tantæ fortitudini, non autem timor voluntarius; quem facillimè potuiſſet excutere, ſi voluiſſet. Hinc patet reſponſio ad Secundum, Loquuntur enim Patres de timore inuoluntario ſeu neceſſario: non enim timuit mortem vili illo timore, qui inuoluntarius eſt; & cum imbecillitate coniunctus: nam ipſe extra neceſſitatem timoris poſitus erat, vt ait D. Hilarius. Potuiſſet enim ſe ſine timore, morti offerre. Sed noſtrâ cauſâ hunc affectum aſſumere voluit; quia ad noſtram ædificationem & ſatisfactionem pertinebat. Ad Tertium, Non eſt de ratione timoris, vt ſit incerti mali, ſicut nec de ratione ſpei, vt ſit incerti boni: vt patet in animabus purgatorij: ſatis eſt vt malum apprehēdatur tamquā futurū & imminens. Si tamen apprehendatur certò futurum, non naſceretur timor efficax, qui molitur euaſionem, ſed inefficax per modum velle ictus, & ſimplicis fugæ, ſeu abhorritionis. Quomodo is qui iam eſt moriturus, deſiderat vitam & timet mortem. Eſt enim contractio quædam ſeu fuga appetitûs à malo abhorrentis. Hinc etiam naſcitur quędam triſtitia: malum enim certò imminens, reputatur quodammodo præſens. Vnde hic timor eſt fundamentum cuiuſdam triſtitiæ; non enim eſt idem quod triſtitia. Vnde quod D. Thomas ex Ariſtotele ait, Apprehenſionem mali certò futuri, non inducere timorem; intellige de timore efficaci, qui molitur euaſionem.

Soluuntur

Timor voluntarius non repugnat fortitudini.

In quo conſiſtat ratio timoris.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum in chriſto fuerit admiratio?

22 Admiratio.

REſpondetur Affirmatiuè. Et Patet Matthęi 8. v. 10. *Audiens Ieſus fidem Centurionis, miratus eſt.* Quæ verba propriè intelligi poſſunt. Ratio eſt, Quia eius cognitioni poterat aliquid offerri, quod eſſet ei magnum & inſolens: atqui hoc eſt obiectum admirationis.

Vnde naſcatur.

Notandum eſt; *Admirationem* propriè videri eſſe actum intellectus, quo quis iudicat rem aliquā ſuperare ſuam opinionem, vel apprehenſionem, vel eſſe inſolitam reſpectu ſuę experientiæ. Idem enim videtur eſſe, dicere: admiror hanc rem. Et dicere: hæc res eſt mihi valde inſolens; ſcilicet reſpectu meæ experientię & ſcientiæ. Hinc naſcitur amor inhærendi rei per cognitionem, vel etiam vlteriùs perſcrutandi; niſi ſit incomprehenſibilis: tunc enim naſcitur fuga curioſæ ſcrutationis. Signum huius eſt, quia poſſumus admirari ſi-

ne vllo timore aut fugâ appetitûs: ergo admiratio non eſt timor. Sed nec poteſt alius actus appetitûs aſſignari, qui neceſſariò ſit in admirante, prętęr amorem contemplationis illius rei: qui tamen Amor non eſt ipſa admiratio: Nam admiratio peperit amorem Sapientiæ: vt ait Ariſtot. in Metaphyſicis. Deinde: hic amor non eſt ſemper neceſſarius: vt cum admiramur perfidiâ aut malitiâ alicuius hominis. Eſt igitur *Admiratio* actus intellectûs. Nec obſtat quòd D. Thomas 1. 2. q. 41. art. 4. admirationem faciat ſpeciem timoris: quia admiratio interdum accipitur pro ſuo effectu, qui aliquando eſt quidam timor: nempe fuga ſcrutâdi id, quod eſt inſcrutabile. Miratus itaque eſt Chriſtus fidem Centurionis, quia etſi ipſius cognitioni infuſę non eſſet noua, tamen ipſius experientię inſolens & noua erat tanta fides, cùm tantam in Iſraël non eſſet expertus. Sicut Aſtrologus videns Eclipſim, quam anteà numquam expertus erat, miratur, quamuis ratione eam anteà nouerit.

Quomodo christus fit admiratus fidem centurionis.

ARTICVLVS. IX.

Vtrum in christo fuerit Ira?

REſpondetur affirmatiuè. Marci 3. v. 5. *Circumſpiciens eos cum ira.* Ratio eſt; Quia fuit Ira. in ipſo appetitus repellendæ iniuriæ, ſibi & Patri illatæ. Vnde etiam poterat ſanguis & ſpiritus concitari circa cor. Atqui hoc eſt ira. Vide D. Tho. 23

ARTICVLVS X.

Vtrum chriſtus ſimul fuerit viator & comprehenſor?

REſpondetur affirmatiuè. Notandum eſt 24 chriſtum ab initio conceptionis fuiſſe comprehenſorem, ſeu vidiſſe diuinam eſſentiam; vt oſtenſum eſt ſuprà q. 9. a. 2. & q. 10. Quòd autem ſimul fuerit Viator; Patet Primò, Quia ſecundùm corpus non erat beatus, nec etiam ſecundùm omnes animę potentias: ſed adhuc tendebat ad beatitudinem, quod eſt viatorum. Secundò; Quia & corpore & animo erat paſſibilis. Tertiò; Quia ſibi & alijs poterat mereri. Sibi, gloriam corporis, & nominis exaltationem: alijs, gloriam animi & corporis. Atqui mereri eſt proprium munus viatoris. Viator.

QVÆSTIO XVI.

De conſequentibus vnionem quantum ad ea quæ conueniunt Chriſto ſecundùm eſſe & fieri.

In Duodecim Articulos diuiſa.

AGitur hâc quæſtione de cõmunicatione Idiomatum, quâ proprietates Dei, tribuuntur homini; & proprietates hominis, tribuuntur Deo. Cuius communicationis tota ratio eſt, quòd vna eademque perſona verè & propriè ſit Deus & homo. 1 Communicatio idiomatũ.

ARTICVLVS I. & II.

Vtrum hæc ſit vera: Deus eſt Homo? *&,* Homo eſt Deus?

REſpondetur; vtraque eſt vera. Patet ex omnibus ijs, quibus ſuprà q. 2. a. 2. & alibi, probatum eſt eundem eſſe Deum & hominem. Cùm enim Chriſtus ſit verus Deus, & verus homo; etiam oportet, vt Deus ſit verus homo; & homo ſit verus Deus.

Ratio prioris eſt; Quia perſona Filij Dei, eſt ſuppoſitum ſeu hypoſtaſis humanæ naturæ. Ergo perſona Filij Dei verè & propriè dicitur homo. (Nam de quolibet ſuppoſito naturæ, propriè prędicatur nomen ſignificans illam naturam in concreto; vt homo, de Petro & Paulo.) Ergo Deus verè & propriè dicitur homo. Patet hęc ſecunda conſequentia; Quia nomen *Deus*, propriè poteſt ſupponere pro quauis perſonâ diuinâ.

Ratio poſterioris eſt; Quia homo poteſt ſupponere pro quâuis hypoſtaſi naturę humanę; ergo pro perſonâ Filij Dei: ergo ſicut Filius Dei propriè dicitur Deus; ita hic homo, propriè dicitur Deus.

DVBIVM. I.

Vtrùm Deus, in hac propoſitione: Deus eſt homo, *ſumatur definitè pro perſonâ Verbi, an indeterminatè pro quâuis perſonâ diuinâ?*

REſpondeo, Si ſpectes vim & propriam ſignificationem, accipitur indeterminatè; Nam eſſet vera etiamſi Pater vel Spiritus ſanctus eſſet homo. Si tamen communem vſum ſpectemus, ſic accipitur determinatè pro *Verbo*: vt docet hic D. Tho. Nam chriſtiani ſolent intelligere *Verbum*. 3

Dices; hæc, *Deus non eſt homo*, eſt falſa. Et tamen vera, ſi *Deus*, acciperetur indeterminatè; quia Pater non eſt homo. Reſpondeo; *Deus*, in propoſitione negatiuâ, accipitur pro omnibus perſonis; nam ſignificat rem indiuiduam, de quâ negatio abſolutè tollit attributum.

DVBIVM II.

Vtrùm homo dicatur vniuocè de Deo & de Paulo?

OMiſſis ſententijs, quæ verbis potiùs quàm re diſcrepant. Reſpondeo, dici vniuocè. Ratio eſt; quia ſecundùm eandem rationẽ Chriſtus dicitur homo, quâ Paulus: eiuſdem enim rationis & ſpeciei eſt natura humana in nobis, & in chriſto; vt fides docet. Neque verum eſt, quod homo ſignificet etiam ſubſiſtentiam: quia tantùm ſignificat naturam humanam cum aptitudine ad ſubſiſtendum, idque indeterminatè ſiue hâc ſiue illâ ſubſiſtentiâ.

Dices; Homo dicitur de Paulo per ſe, & formaliter conſiderato, non itẽ de Deo: Deus enim *vt Deus*, non includit eſſe hominem: ergo non

Digitized by Google

vniuocè. Reſpondeo; Inde tantùm ſequi modum attributionis diuerſum eſſe, & non vniuocum: ipſum tamen attributum eſt vniuocum, & vniuocè prædicatur; quia ſecundum eandem rationem prædicatur, licet illa eadem ratio diuerſo modo conueniat: ſicut album dicitur vniuocè de hoc albo, & de Petro.

DVBIVM. III.

Vtrùm hæc locutio ſit propria: Deus eſt homo?

5 REſpondeo; Eſſe propriam: & patet ex ratione allata. Et Confirmatur; Quia ſi improprie Deus eſſet homo, potiùs dicendus eſſet non homo, quam homo. Et beata Virgo propriè non eſſet Deipara: quod eſt contra Concilia & Patres citatos q. 2. a. 2. dub. vnico.

Aduerte tamen, Durandum in 3. diſt. 4. q. 2. admittere quidem hanc eſſe veram & propriam locutionem; non tamen eſſe tam propriam, quam hæc: *Paulus eſt homo*. De quo non exiſtimo magnopere contendendum; modo fateamur nullam eſſe improprietatem in hac; *Deus eſt homo*. Nam ad proprietatem orationis ſufficit, vt ſeruatâ propriâ ſignificatione terminorum, ſecundùm vſitatum loquendi modum, attributum verè conueniat ſubiecto: quod fit in propoſito.

Proprietas orationis.

Dices; Deus propriè eſt humanatus: ergo non dicitur propriè homo: nam eadem natura non poteſt propriè de eodem dici denominatiuè & ſubſtantialiter. Reſpondeo Negando conſequétiam: dicitur enim *humanatus*, non ab humanitate nudè; ſed ab vnione ſeu aſſumptione humanitatis, quaſi humanitate indutus. Dicitur autem *homo* immediatè ab humanitate; vnde non eſt omninò idem abſtractum. Addo; Eſſe ſingulare in hoc myſterio, vt idem poſſit dici denominatiuè & ſubſtantialiter: quia hypoſtaſis diuina alienam naturam ſibi ſubſtantialiter aſtrinxit.

DVBIVM. IV.

Vtrùm hæc propoſitio (Deus eſt homo) *ſit in materia contingenti, an neceſſaria?*

6 BOnauentura, Scotus, Durádus & Gabriel in 3. d. 7. dicunt eſſe contingentem. D. Tho. autem a. 2. dicit eſſe in materia neceſſaria & naturali. Vtrumque verum eſt. Si enim Deus ſecundùm ſua intrinſeca conſideretur, ſic hæc propoſitio *Deus eſt homo*, eſt contingens: Nam Verbum liberè aſſumpſit humanam naturam, & nullâ naturali neceſſitate in ea ſubſiſtit. Item, ſubiectum non eſt de ratione attributi, nec contrà; quod tamen ad propoſitionem neceſſariam vel naturalem requiritur.

Contingés.

Si autem Deus conſideretur vt ſubſiſtit in naturâ humanâ, tamquam quiddam compoſitum ex naturâ humanâ & perſonâ diuinâ, quod ſignificatur nomine *Chriſti*; ſic eſt neceſſaria, & in materia naturali: Nam eſt prædicatio ſpeciei de ſuo indiuiduo.

Neceſſaria.

Prior ſenſus eſt magis proprius, ſi vocis *Deus*, ſignificationem & naturalem ſuppoſitionẽ ſpectes. Si autem vſum huius propoſitionis, ſic aliter ſenſus eſt magis vſitatus: cùm enim dicimus Deum eſſe hominem, per *Deum*, intelligimus Chriſtum, qui compoſitus eſt ex natura humana & perſona diuina: & ſic intelligendus eſt D. Th.

Hinc etiam patet, An hęc ſit propoſitio *per ſe*, an *per accidens*. Eſt enim propoſitio *per ſe vera*; Si *Deus* accipiatur pro Chriſto. Si autem *Deus*, accipiatur ſecundùm ſe; ſic loquendo *per accidens eſt vera*. Phyſicè tamen eſt *per ſe*: Nam eſt vnio non accidentaria, ſed ſubſtantialis, ex qua reſultat ens per ſe vnum. Quare non eſt abſolutè dicendum, quòd homo dicatur accidentaliter de Deo; aut quòd Deus accidentaliter ſit homo.

Logicè per accidens. Phyſicè per ſe.

ARTICVLVS III.

Vtrum Chriſtus poſſit dici, Homo Dominicus?

7 REſpondetur negatiuè: Et probatur ex D. Auguſtino qui lib. 1. Retract. cap. 19. hunc modum loquendi retractat, quem vſurpauerat lib. 83. quæſt. quæſt. 36. Ratio eſt; Quia Chriſtus eſt Dominus per eſſentiam: *Dominicus* autem potiùs ſignificat aliquid pertinens ad Dominum; ac proinde quid à Domino diſtinctum: vt corpus dominicum, paſſio dominicà, voluntas dominica &c. Simili modo non rectè diceretur *Homo deificatus*, cùm ſit *homo Deus*.

Dominicus.

Aduerte tamen; Si homo accipiatur pro natura humana, rectè dici in chriſto eſſe *hominem dominicum*, *hominem Deificatum*. Sic enim loquũtur Patres: Sophronius in VI. Synodo act. 11. expreſsè dicit *hominem in Chriſto Deificatum*; id eſt, humanam naturam prę ſcindendo à perſona. Athanaſius in expoſitione fidei: *Dominicus*, inquit, *homo, quem ad ſalutem noſtram exhibuit, conditus eſt vt eſſet initium viæ D mini*. Et infrà: *Via eſt ipſe Dominus homo*; vbi vtroque modo loquendi vtitur.

Deificatus.

ARTICVLVS. IV.

Vtrum ea quæ conueniunt Filio hominis, poſſint prædicari de Filio Dei: & contrà?

8 REſpondetur affirmatiuè: eſtque fide tenendum contra Neſtorium, qui ea quę conueniebant *Filio hominis*, non volebat tribui *filio dei*, niſi metaphoricè: & ea quæ conueniebant *filio dei*, non volebat tribui *filio hominis*; quia exiſtimabat eſſe duas perſonas diſtinctas. Vtraque tamen tribuebat Chriſto; quia nomen Chriſti ipſi ſignificabat duas perſonas; ſcilicet *filium dei*, & *filium hominis*. Verùm hic error ſatis refutatus eſt ſuprà quæſt. 2. art. 2.

Error Neſtorij.

Notandum eſt; Ex hoc Articulo colligi duas Regulas, quibus tota hæc res explicatur.

Prior Regula: *Quidquid dicitur de filio dei perſonaliter vel eſſentialiter, dicitur etiam de homine, & de Chriſto*: vt, eſſe Filiũ Patris æterni, eſſe vnigenitum ex Patris ſubſtantia, Verbum Patris, characterem hypoſtaſeos paternę, principium Spiritus ſancti. Item eſſe immẽſum, immortalẽ, creatorem, rectorem & ſuſtentatorem omnium, &c. Hęc regula eſt fide tenenda. Patet ex locutionibus ſcripturæ. D. Iudas in epiſtola. v. 5. *Ieſus populum de terra Ægypti ſaluans*. Ioan. 8. v. 58. *Antequam Abraham fieret, ego ſum*. Item ex Cõcilijs, & omnibus ijs quibus ſuprà qu. 2. art. 1. & alibi oſtenſum eſt hunc hominem eſſe verè & propriè Deum. Ratio eſt; Quia in propoſitione ſimpliciter & propriè vera: quidquid dicitur propriè de attributo, dicitur etiam de ſubiecto. Sed hæc propoſitio eſt propriè vera: *Iſte homo eſt filius Dei*

1. Regula.

Digitized by Google

& Deus : ergo quidquid dicitur de filio Dei, dicitur de hoc homine.

Dices: Ergo hæc propoſitio eſt vera : *Iſte homo eſt immortalis & incorporeus*, ac proinde contraria dicẽtur de eodem, vel etiam contradictoria: nam idem homo eſt mortalis & corporeus. Reſpondeo, Tales locutiones ſæpè in Patribus & Concilijs reperiuntur: vt Chalcedonenſi act. 1. & in VI. Synodo act. 11. Vnde concedo eſſe propriè veras. Sed aduerte, illa attributa, non negatiuè aut priuatiuè accipienda eſſe; v. g. vt immortalis, ſit idem, quod non mortalis; ſed vt ſignificent poſitiuam proprietatem Dei, à qua ipſe dicetur immortalis &c. hoc modo, eſſe corporeũ & incorporeum, mortalem & immortalem, non ſunt contradictoria; ſed ſignificant diuerſas proprietates poſitiuas, conuenientes eidem perſonę per diuerſas naturas: vnde nihil obſtat quod videantur eſſe contrariæ. Si autem accipiantur vt ſignificent negationes, tunc illæ propoſitiones ſunt falſæ; quia negatio totum deſtruit: vnde ſignificaretur Chriſtum nullo modo eſſe corporeum. Quare D. Thomas a. 8. ad. 2. dicit nõ eſſe ita loquendum ſine expoſitione vel limitatione: v. g. Chriſtus eſt immortalis, incorporeus, ſecundùm naturam diuinam. Quamuis hoc non ita ſcrupulosè à Patribus obſeruetur.

Mortalis & immortalis an contradictoria.

2. Regula. Secunda Regula: *Quidquid dicitur de homine eſſentialiter vel neceſſariò, & quidquid dicitur de hoc homine, etiam accidentariè; dicitur quoque de filio Dei & Deo.* Vt, conſtare anima & carne; habere intellectum, voluntatem, appetitum ſenſitiuum. Item naſci, flere, creſcere, ſubditum eſſe, eſurire, ſitire, fatigari, turbari, triſtari, admirari, timere, pati, crucifigi, mori, reſurgere &c. Eſt etiam fide tenenda. Vt patet ex dictis ſuprà qu. 2. art. 2. Sic Actorũ 20. v. 28. dicitur Deus *acquiſiuiſſe Eccleſiam ſãguine ſuo*, & prioris ad Cor. 2. v. 8. *Dominus gloriæ dicitur crucifixus.* Ratio eſt, Quia Deus eſt propriè homo: ergo quidquid dicitur de homine neceſſariò, vel etiam de hoc homine quamuis accidentariè, dicitur abſolutè de Deo.

ARTICVLVS V.

Vtrum ea quæ conueniunt Filio hominis, *poſſint prædicari de natura diuina: & quæ conueniunt* Filio Dei, *de natura humana?*

9 REſpondetur negatiuè: Quia id quod eſt proprium alicui rei, non poteſt dici de alio, niſi hoc, illi rei identificetur. Atqui natura diuina non identificatur Filio hominis, qua homo eſt: nec natura humana Filio Dei. Ergo quæ de Filio hominis dicuntur (vt eſſe paſſum, mortuum, ſepultum) non poſſunt dici de natura diuina. Et quæ dicuntur de natura humana (vt eſſe puram creaturam, eſſe aſſumptam ad vnionem hypoſtaticam) non dicuntur de Filio Dei. Vide D. Tho.

Dices, D. Auguſtinus Tract. 47. in Ioan. dicit: *Verbum eſt Chriſtus, Anima eſt Chriſtus, Caro eſt Chriſtus*: ergo &c. Reſpõdeo, Eſt figurata locutio. Nihil enim vult aliud dicere, quàm Carnem & Animam exiſtere in eodem ſuppoſito, ſiue ſint coniuncta ſiue ſeparata. Simili modo impropria eſt locutio, cùm *Vitæ* dicitur eſſe *mortua* in Hymno Eccleſiaſtico. Eſt enim dumtaxat vera, ratione identitatis vitæ cum Verbo; non autem formaliter: vnde non eſt paſſim vſurpanda.

In Feſto Inuentionis S. Crucis.

10 Notandum eſt; Hæreticos huius temporis, maximè Lutheranos docere proprietates diuinæ naturæ communicari humanitati Chriſti, etiam in abſtracto ſumptæ; ita vt humanitas Chriſti verè ſit omnipotẽs, omni-ſciens, vbique preſens &c. idem volunt eadem attributa diuinitatis prædicari de homine in concreto, cum reduplicatione humanæ naturæ; ita vt hęc ſit vera: Chriſtus, vt homo, eſt omnipotens, creator, immenſus, vbique preſens &c. Sed dupliciter diuiſi, ſunt: quidam enim ex illis, inter quos Brentius in Apologia pro confeſſione Vvittemberg. in Tract. de Cœna domini, & Iacobus Smidelinus in Theſibus impreſſis, Theſi 20. Tubingenſi, volunt in tali communicatione idiomatum cõſiſtere vnionem hypoſtaticã; adeoque ipſam vnionem nihil aliud eſſe, quàm talem proprietatum diuinarum communicationem naturę humanæ factam. Alij verò dicunt vnionem hypoſtaticã non conſiſtere in communicatione, ſed eſſe eius veluti cauſam; & hanc communicationem, veluti quamdã proprietatem, excommunicatione hypoſtaticã ſequi. Ita docet Kemnitius lib. De duabus naturis chriſti. Vtrùm autem viciſſim proprietates naturę humanæ tribuantur diuinitati, non apertè explicant: videntur tamen negare.

Lutherani volũt proprietates diuinæ naturæ communicari humanitati in abſtracto.

Brentius. Smidelius in feſto

Kemnitius cap. 21 & 23.

Impugnãtur.

Contra hunc monſtroſum errorem, Dico Primò, Hęc communicatio idiomatũ, quâ proprietates diuinę naturæ communicantur humanitati, eſt impoſſibilis; & apertè contra fidem: ac proinde vnio hypoſtatica non poteſt in eâ conſiſtere.

Probatur Primò, Nam, vel illa communicatio eſt omnium proprietatum diuinarum, quod ipſi ſatis inſinuant: ſed hoc eſt prorſus impoſſibile, nam ſequeretur humanam naturam Chriſti, eſſe æternam, increatam, immenſam, purum ſpiritum &c. hæ enim ſunt proprietates diuinæ naturę. Vel eſt tantùm quarumdam proprietatum communicatio: & tunc non erit vnio ſubſtantialis, ſed accidentaria. Cùm enim quæuis proprietas diuina, Intrinſecè & eſſentialiter includat ceteras omnes; fieri nequit, vt vna ſubſtantialiter communicetur ſine alterâ; quamuis accidentaliter, ſcilicet per participationem poſſit hoc fieri: nam in ſuis participationibus diuiduntur.

Probatur Secundò, Quando humanitas chriſti dicitur, v. g. omnipotens; vel intelligitur omnipotens per modum inſtrumenti, ex quadam participatione omnipotentiæ; vel per modum cauſæ principalis, ratione omnipotentiæ eſſentialis. Si priori modo intelligatur, incurritur error Neſtorij, qui dicebat hanc vnionẽ conſiſtere in energia & dignitate, id eſt, in eo quòd humanitas eſſet inſtrumentum diuinitatis, & inde appellaretur diuino nomine. Si ſecundo modo intelligatur, confunduntur naturæ cum Eutychete: nam oportet vt humanitas ſit cõuerſa in naturam omnipotentem; vel vt ipſa omnipotentia informet intrinſecè naturam humanam; alioquin erit denominatio extrinſeca.

Probatur Tertiò, Si vnio hypoſtatica conſiſteret in tali cõmunicatione idiomatum, non magis eſſet facta ad perſonam Filij, quàm ad perſonam Patris & Spiritus ſancti: nam proprietates ſeu attributa ſunt communia.

Probatur Quartò, Etiamſi omnia attributa eſſentialia eſſent cõmunicata humanę naturę, non tamen ideò eſſet vna perſona Filij Dei & hominis: ergo &c. Antecedens patet, quia Pater communicauit omnia attributa eſſentialia Filio, non tamen eadẽ eſt perſona Patris & Filij. Quare talis communicatio idiomatum nihil iuuat vnionem hypoſtaticam. His adde; Concilia & Patres

definiuiſſe vtramque naturam ſuas proprietates infuſas reſeruaſſe; nec alteram alteri ſuas communicaſſe. Ita Synodus IV. act. 5. & Synod. VI. act. 4. in epiſt. Agathonis Papæ. Et act. 17. in decreto fidei, & alibi.

11 Dico Secundò, Ex vnione hypoſtaticâ non eſt conſecuta talis idiomatum communicatio, vt per eam caro Chriſti dicatur eſſe vbique.

Vbiquiſtę. Notandum eſt, Quoſdam hæreticos, etſi dicant vnionem hypoſtaticam non conſiſtere in illa proprietatum ſeu idiomatum cõmunicatione, tamen velle eam conſequi ex vnione hypoſtatica tamquam eius effectum: idque maximè affirmant de vbiquitate, & etiam de omnipotentia; de ceteris non item. Hanc autem vbiquitatem & omnipotentiá quidam ex illis dicunt ſtatim conſecutam; quidam in Reſurrectione: quidam in Aſcenſione.

Refellun-tur. Sed noſtra propoſitio patet partim ex dictis, quibus generatim oſtenſum eſt talem communicationem eſſe impoſſibilem: partim ex his. Primò, Ex omnibus myſterijs humanitatis Chriſti, quæ per hanc vbiquitatem euertuntur. Fides enim noſtra docet Chriſtum conceptum in vtero Virginis, & non extra: natum in Bethleem, & non alibi: fugiſſe in Ægyptum, & aliquot annis abfuiſſe à Iudęa. Item in morte animam fuiſſe à corpore ſeparatam, & ad inferos deſcẽdiſſe, non autem corpus: poſtea corpus animæ reunitum, egreſſum è ſepulchro, tranſlatum in cœlum, &c. Atqui hęc omnia falſa ſunt, ſi caro Chriſti eſt vbique: Sicut enim diuinitas in his omnibus mota non eſt, nec loco concluſa, ita nec caro fuiſſet.

Secundò Probatur, Ex Scripturis: Matthæi, Marci, Lucæ vltimo: *Surrexit, non eſt hîc.* Ioan. 6. verſ. 24. *Cum videret turba, quod* Ieſus *non erat ibi.* Ioan. 11. verſ. 15. *Gaudeo*, inquit Dominus, *quòd non eram ibi.* Act. 2. verſ. 27. *Non derelicta eſt anima eius in inferno.*

Reſponſio vbiquiſtarum de præſentia inuiſibili. Ad hæc Reſpondent Hæretici, Hæc omnia intelligẽda eſſe de præſentia vel abſentia carnis viſibili: nam ſecundùm hanc præſentiam erat in vno loco, non in alio: mouebatur ex vno loco in alium: tamen iuxtà præſentiam carnis inuiſibilem, erat vbique, ſicut diuinitas: vt Ioan. 16. v. 28. *Relinquo mundum*, intelligendum eſt, ſecundùm abſentiam carnis viſibilem: nam ſecundùm inuiſibilem, manebat in Euchariſtia.

Sed hæc Reſponſio nihil valet. Primò, Quia Refellitur. ſequitur, vel quòd hęc omnia tantummodò ſecundùm externá ſpeciem ſint facta: quia caro eius non verè transferebatur de loco in locum, ſed ita videbatur exteriùs: vel certè quòd Chriſti caro & anima habuerit duplex eſſe ab initio, vnũ inuiſibile, ſecundùm quod ſit vbique, ac proinde immobilis: alterũ viſibile, ſecundũ quod ſit certo loco circũſcripta, poſſitque de loco in locũ moueri. Et quamuis per abſolutam Dei potentiam non ſit impoſſibile, vt Chriſti humanitas habeat tale eſſe inuiſibile, per quod ſit in toto mundo: tamen omnino impoſſibile eſt, vt ſit vbique ſicut Deus: id eſt, ſit ita immenſa, vt poſſit replere infinitos mundos: vt Lutherani volunt: talis enim immenſitas nulli creaturæ eſt communicabilis: imò re ipsâ nulla creatura poteſt ſe per totũ mũdum diffundere: vt colligitur ex Patribus, Ambr. lib. de Spiritu S. cap. 7. Baſil. lib. de Spiritu S. ad Amphiloc. cap. 22. Cyrill. lib. 7. de Trinitate. Auguſt. lib. 3. contra Maxim. cap. 21. Fulgent. lib. ad Donatum cap. 8. Vbi docent hi Patres Spiritum ſanctum eſſe Deum, eò quòd ſit vbique. Quod argumentum nullam vim haberet, ſi eſſe vbique, foret alicui creaturæ communicatum.

Esſe vbique eſt creaturæ incommunicabile.

Secundò, Quia hæc expoſitio eſt contra vim verborum ſcripturæ: alioquin enim poſſemus dicere chriſtum non eſſe in Euchariſtia, quia non eſt ibi viſibiliter. Neque eſt ſimile quod ipſi adferunt ex cap. 16. Ioan. v. 28. *Iterum relinquo mundum* &c. quia ſignificat ſe ita relicturum mundum, ſicut venerat in mundum, & hactenus in eo fuerat: ait enim, *Exiui à Patre, & veni in mundum; iterum relinquo mũdum, & vado ad Patrem*: vbi ſignificat ſe non ita futurum in mundo ſicut hactenus fuerat: quod falſum eſſet, ſi fuiſſet vbique: nam manſiſſet ſicut ante fuerat. Adde, illum ita reliquiſſe mundum inferiorem, vt reuera non manſerit ibi ſecundùm corpus. Quòd autem per nouum myſterium ibidem conſtituatur, ſcilicet quando Sacerdos aliquis conſecrat; hoc nihil officit proprietati illorum verborum.

Euertit myſteriũ Euchariſtiæ.

Probatur Tertiò, Quia omnes Patres docent Chriſti humanitatem non eſſe vbique: quorum teſtimonia videre eſt apud Gregorium à Valentia, & Bellarminum de Chriſto lib. 3. cap. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 12

Probatur Quartò, Quia hæc ſententia euertit myſteriũ Euchariſtię. Si enim chriſti humanitas vbique eſt ſubſtantialiter prętens; non magis erit præſens in Euchariſtia, quam in pane & vino menſæ vulgaris: nec aliter poſt conſecrationem, quam ante: nec magis incipiet eſſe intra hominem poſt ſumptionem, quàm ante.

Probatur Quintò & poſtremò, Ex vi vnionis hypoſtaticæ nullo modo ſequitur hæc omni-prętentia: quòd patet à ſimili, etſi enim oculus ſit vnitus ſubſtantialiter toti animæ, non tamẽ ideò debet eſſe vbicumque eſt tota anima; alioquin oculus deberet eſſe etiam in pede; quia ibi eſt tota anima. Similiter multò minùs ſequitur hæc vbiquitas ex Reſurrectione: nam gloria Animæ vel corporis non euertit naturam, nec eam extra naturalem ſuam menſuram extendit.

13 Obiectiones ſoluũtur.

Sed contra. Obijcitur Primò, ad Epheſios 4. v. 9. vbi dicitur de chriſto. *Qui aſcẽdit ſuper omnes Cœlos, vt adimpleret omnia*: in quẽ locum etiam Oecumenius ait, *Quia repleuerat omnia ſuâ diuinitate, aſcendit vt omnia etiam repleret ſuâ carne.* Reſpondeo, Non agitur ibi de repletione corporali, quaſi aſcenderit vt inde corporaliter per totum vniuerſum ſe diffunderet, alioqui non poſſet poſteà deſcendere. Senſus igitur eſt; *Aſcendit, vt impleret omnia*, nempe vaticinia quę de ipſo erãt, iuxtà phraſim Scripturę. Sic Luc. 24. verſ. 44. *Neceſſe eſt impleri omnia.* Ita Hieron. & Chryſoſt. in hunc locum Pauli. Vel, *Vt impleret omnia*, ſcilicet, Eccleſiam Spiritu ſancto & donis cœleſtibus: ita Ambroſius epiſtola 16. & Hilarius in Pſalm. 56. quod eſt valdè conſentaneum verbis Apoſtoli pręcedentibus. Vel denique *vt adimpleret omnia* loca operibus admirandis, terram, mare, aërem, cœlum.

Chriſtus implet omnia.

Obijcitur Secundò, Chriſtus eſt vbique: ſed vbicumque eſt, ibi eſt homo: ergo vbique habet humanitatẽ. Reſpondeo, Chriſtus eſt vbique per communicationem idiomatũ ratione diuinitatis, ſicut etiam eſt æternus: ad quod ſufficit perſonam eſſe vbique ſecundùm naturam diuinam. Quod autem ſubſumitur, falſum eſt, niſi intelligatur de chriſto formaliter; id eſt: vbicumque Chriſtus eſt, Chriſtus ibi eſt homo. Etſi enim is qui eſt Chriſtus, ſit vbique; tamen non vbique habet rationem Chriſti; ac proinde non eſt neceſſe vt vbique habeat naturam humanam. Similiter falſum eſt, Chriſtus ſeu Filius Dei vbique eſt

quomodo ſit vbique.

homo: nam eſſe hominem, non conuenit ei vbique; ſed ſolùm certo loco. Sicut falſum eſt. Anima vbique eſt vita oculi.

ARTICVLVS VI.

Vtrum hæc ſit vera: Deus factus eſt homo?

14 Reſpondetur; Hæc eſt vera, *Deus factus eſt homo*. Imò eſt fide tenenda: vt patet Ioan. 1. & ex omnibus Symbolis. Ratio eſt; Quia Deus anteà extitit nõ homo, deinde extitit homo, idque per aliquam operationem effectum eſt: ergo Deus factus eſt homo. Neque hinc ſequitur Deũ mutari, vel eſſe mutatum, quia licet Deus ſit ſubiectum iſtius propoſitionis, non tamen fuit ſubiectum illius mutationis, per quam factus eſt homo; ſed ipſa humanitas ſubiectum fuit; vt patet ex dictis q. 2. a. 7. Adde; Hanc mutationem humanitatis, quâ Deus factus eſt homo ne per communicationem quidem idiomatum Deo tribui poſſe. Ratio eſt; Quia hæc communicatio ſupponit vnionem naturæ humanæ cum perſona diuina: at iſta mutatio non ſupponit vnionem, ſed eſt via ad illam: itaque per illam mutationem Deus non poteſt dici mutatus.

Deũs dicitur prò-priè factus homo.

Petes, An propriè Deus dicatur factus homo? Reſpondeo, omnino propriè dici; ſicut propriè dicitur eſſe homo. Quia hac oratione nihil aliud ſignificatur, quàm Deum acquiſiuiſſe eſſe humanum, quod anteà non habebat, idque per veram aliquam effectionem, ſiue per hanc inducta ſit aliqua mutatio in Deo, ſiue non: hoc enim ex vi orationis non determinatur.

Deus factꝰ eſt ſuppoſitũ naturæ humanæ.

Dices; Si Deus factus eſt homo: ergo factus eſt hic homo; atqui hic homo eſt ſuppoſitum. Reſpondeo breuiter, Concedo factus eſt hic homo, ac proinde factus eſt ſuppoſitum naturę humanę, non tamen ſuppoſitum abſolutè: quia anteà erat.

ARTICVLVS VII.

Vtrum hæc ſit vera: Homo factus eſt Deus?

15 Homo impropriè dicitur factus Deus

Reſpondetur; Hæc propoſitio, *Homo factus eſt Deus*, propriè non eſt vera. Ratio eſt: Quia ex vi propoſitionis, ſubiectum accipitur pro ſubſiſtente in natura humana: atqui hoc non eſt factum Deus; ſed ſemper fuit Deus. Quare hæc; *Chriſtꝰ factus eſt deus*, eſt omnino hæretica. Deinde; quia participium *Factus*, cadit in attributum; cui nullo modo conuenit fieri.

Si tamen hæc propoſitio non ita propriè accipiatur, vt ſenſus ſit: *Factum eſt, vt homo ſit deus*, poteſt admitti. Et hoc ſenſu, ſæpè ſic loquuntur Patres; vt Damaſcenus lib. 3. c. 11. & Auguſtinus lib. 1. de Trinitate cap. 13. & Nazian. epi. 4. ad Cledonium.

Poſſet etiam dici, *Hominem* interdum accipi formaliter, non pro ſuppoſito, ſed pro indiuiduo humano præſcindente ab omni actuali ſubſiſtẽtiâ; & ita accipi à Patribus: magis tamẽ propriè accipi materialiter; ſcilicet pro ſubſiſtente in natura humana.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum hæc ſit vera: Chriſtus eſt Creatura?

Reſpondet D. Thomas, Non eſſe ita loquendum abſque aliquâ determinatione, ne occaſio detur errorum. 16

SS. Patres vocant Chriſtum creaturã.

Notandum tamẽ eſt, multos Patres vti hac locutione D. Leo ſerm. 3. in Pentecoſt. Sophroni⁹ in epiſtola quæ habetur in VI. Synodo act. 11. hieron. in c. 2. ad Epheſ. explicans illud: *Ipſius enim factura ſumus, creati in operibus bonis*: vbi ait, hanc locutionem minimè eſſe reformidandam, *Chriſtus eſt Creatura*, idque probat duobus Scripturæ locis. Omitto alios Patres. Vnde Caietanus putat hanc propoſitionem *Chriſtus eſt Creatura*, in rigore & proprietate eſſe veram: ſicut & hanc, *Chriſtus eſt paſſus & mortuus*.

Non poteſt tamen dici Creatura ſtrictè.

Sed vtendum eſt diſtinctione, Si nomen Creaturæ accipiatur omnino ſtrictè, vt ſolet à Scholaſticis; ſic abſolutè eſt falſa. Vnde negatur à Magiſtro in 3. diſt. 11. & ibid. à D. Thoma, Durãdo, Richardo, Paludano, Capreolo. Et ratio eſt, Quia *Creatura* cõmuniter dicitur quod ex nihilo productum eſt: atqui Chriſtus non eſt productus ex nihilo; cùm eius perſona non ſit ex nihilo: ergo non eſt propriè creatura: productio enim Chriſti, non eſt productio ex nihilo; ſed compoſitio ex perſona in creata & natura creata. Et confirmatur ex contrario; Quia Chriſtus non poteſt annihilari: ergo nec creari.

Sed lutè.

Si verò nomen creaturæ accipiatur paulò generaliùs, vt ſæpè ſolet in ſcripturis & Patribus; nempe pro omni eo, quod incipit eſſe, ſiue abſolutè, ſiue ſecundùm aliquam naturam creatam: ſic Chriſtus abſolutè poteſt dici creatura. Nam ſicut ab humanitate, dicitur homo; ſic à natura creata, dicitur creatura. Et ita intelligendi ſunt Patres. Neque ſolùm Chriſtus, qui includit naturam humanam; ſed etiam filius Dei dici poteſt factus creatura.

ARTICVLVS. IX.

Vtrũ hæc ſit vera: Iſte homo incepit eſſe?

Reſpondet D. Thomas negatiuè. Quia iſte homo ſeu Chriſtus deſignat ſuppoſitũ propriè, quod eſt æternum: nam ſubiecta accipiũtur materialiter. Atqui *Verbum incipit*, includit anteà non extitiſſe. 17

Scotus affirmat.

Notandum eſt, Scotum in 3. d. 11. q. 3. docere hanc propoſitionem *Chriſtus incipit eſſe, Chriſtus eſt factus*, eſſe veram improprietate ſermonis. Primò, quia fieri hominem, eſt fieri ſimpliciter; nam eſt fieri ſubſtantialiter. Deinde, Quia illud attributũ cadit ſuper formale ſubiecti, quod eſt humanitas. Tertiò, Quia hæc, *Chriſtus eſt*, non fuit vera ab æterno: ergo Chriſtus incipit eſſe.

Refelluntur

Sed contraria eſt communior Theologorum in 3. d. 11. vel 12. & D. Thomæ hîc. Quamuis Durandus velit illam eſſe diſtinguendam. Ratio eſt, Quia illud dicitur ſimpliciter fieri, vel incipere eſſe, quod ita accipit eſſe, vt ante hoc momentũ abſolutè non fuerit: nã, *fieri* vel *incipere*, includit hanc negationem, hoc anteà abſolutè non erat. Itaque cùm Chriſtus anteà abſolutè fuerit; eſt enim *Chriſtus æternus*, ad Hebr. vlt. & Apoc. 1. nõ

rectè dicitur quod incipiat eſſe, vel quod fiat, aut ſit factus. Confirmatur, Quia alioquin hæc eſſet vera: *Filius dei eſt factus, vel incepit eſſe:* quidquid enim dicitur de Chriſto, vel hoc homine, dicitur etiam de Filio Dei.

Diluuntur argumẽta 8 cod.

Ad primum Argumentum Scoti, Reſpondetur; Etſi eſſe hominem, ſit eſſe ſimpliciter, ſi per ſe conſideretur; tamen reſpectu Chriſti, eſt eſſe tantùm ſecundùm quid: nam ipſe antea ſimpliciter erat. Ad ſecundum; Potiùs in talibus propoſitionibus ſubiectum ſupponit pro materiali, ita vt formale prædicati cadat in materiale ſubiecti: vt patet in hac: *Chriſtus eſt æternus*. Poſſet tamen illa locutio admitti ſi Chriſtꝰ formaliter accipiatur: verùm hæc acceptio eſt impropria. Ad Tertium, Hæc eſt vera: *Chriſtus fuit ab æterno*, nõ tamẽ ideò verum ab æterno debet eſſe, *Chriſtus eſt*. Sicut patet in ſimili: *Quidam homo fuit ab æterno*, non tamen ideò verũ eſt primo die creationis mundi, *quidam homo eſt*. Satis enim eſt, vt hoc ſuppoſitũ quod eſt Chriſtus, ſit ab æterno. Ratio eſt, Quia cùm dico, *Chriſtus eſt*; Chriſtus accipitur formaliter pro compoſito: nam verbũ, *eſt*, ſecundùm adiacens, facit ſubiectum accipi formaliter. Cùm autem additur, *ab æterno*, accipitur materialiter pro ſuppoſito: quaſi dicatur: is qui eſt Chriſtus, eſt ab æterno.

ARTICVLVS X.

Vtrum hæc ſit vera: Chriſtus vt homo, eſt Creatura?

18 Reduplicatio quid reduplicet

REſpondetur, Propriè eſſe veram. Nam reduplicatio propriè reduplicat formam potiùs, quàm ſuppoſitum. Vnde ſenſus eſt: Chriſtus ſecundùm naturã humanam eſt creatura; non autẽ, Chriſtus vt ſuppoſitũ naturæ humanæ, eſt creatura: hoc enim falſum eſt. Reduplicatio enim deſignat & ſpecificat id, ſecundùm quod, & in quo attributum conuenit ſubiecto.

ARTICVLVS XI.

Vtrum hæc ſit vera: Chriſtus vt homo eſt Deus?

19

REſpondet D. Thomas cũ diſtinctione. Aduerte tamen, hanc propoſitionem: *Chriſtus ſecundùm quòd homo eſt Deus*: eſſe propriè falſam. Nam homo, in reduplicationẽ propriè accipitur pro natura, nõ pro ſuppoſito: & ſignificat Chriſtum ratione naturæ humanæ eſſe Deum: quod omnino falſum eſt.

Regula.

Pro huiuſmodi locutionibus ſeu propoſitionibus. Notanda eſt hæc regula: *Ea quæ ſunt propria Dei, non poſſunt tribui homini, vel Chriſto cum reduplicatione humanitatis. Similiter ea quæ ſunt propria hominis, non poſſunt dici de chriſto, vel Deo, vel de hoc homine, cum reduplicatione diuinitatis.* Vnde hæ propoſitiones propriè ſunt falſæ: *Chriſtus vt homo, eſt Deus; eſt Omnipotens, eſt Filius Dei.* Item: *Chriſtus vt Deus, eſt homo; eſt mortuus, eſt crucifixus.* Ratio eſt; Quia talis reduplicatio, *vt homo*, *vt Deus*, vel reddit cauſam, vel deſignat naturam, per quam, aut in qua conueniat Chriſto tale attributum: vnde reddit ſenſum propriè falſum. In ſenſu tamen improprio poſſunt admitti: nempe ſi reduplicatio ſolùm deſignet ſuppoſitum; vt ſenſus ſit; Chriſtus, qui eſt homo, eſt Deus; eſt Omnipotens. Sed aduerte, tunc reduplicationẽ eſſe ſuperfluam, & locutionem impropriam & exoticam.

Chriſtus vt hic homo.

Quod autem D. Thomas in Reſponſ. ad 3. ait: hanc propoſitionem: *Chriſtus vt hic homo, eſt Deus*, magis eſſe veram, quàm iſtam; *Chriſtus vt homo eſt Deus*; eò quod illud *hic*, deſignet ſuppoſitum; verum quidem eſt; tamen abſolutè eſt etiam impropria locutio; vt docet Durandus, & rectè, diſt. 10. quæſt. 1. Nam illud *hic*, ſignificat potiùs indiuiduationem naturæ, quàm ſuppoſitum. Vnde ſenſus eſt propriè: Chriſtus ab hac humanitate habet quòd ſit Deus. Quare non eſt ita loquendum.

ARTICVLVS XII.

Vtrum hæc ſit vera: Chriſtus ſecundùm quod homo, eſt hypoſtaſis?

20

REſpondet D. Thomas cum diſtinctione. Notandum breuiter; hanc: *Chriſtus vt homo, eſt hypoſtaſis vel perſona*; ambiguam eſſe. Si enim, *vt*, accipiatur reduplicatiuè, eſt falſa: ſignificat Enim Chriſtum habere perſonalitatem à naturâ humanâ. Si autem ſpecificatiuè; id eſt, ſi ſolùm deſignet naturam, in qua habet nouam rationem perſonæ, eſt vera. Nam ſenſus eſt; Chriſtum vt hominem, eſſe quid ſubſiſtens. Magis tamen propria eſt hæc; *Chriſtus vt homo, eſt perſona humana*: nam etſi humana natura non ſit ratio cur Chriſtus ſit perſona abſolutè; eſt tamen ratio cur ſit talis perſona; nempe humana.

Chriſtus vt homo eſt perſona humana.

QVÆSTIO XVII.

De pertinentibus ad Vnitatem Chriſti, quantum ad eſſe.

In Duos Articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Vtrum Chriſtus ſit Vnus, an Duo?

1 Vnus.

REſpondetur; *Chriſtus eſt Vnus & Vnum.* Et quidem quòd Chriſtus ſit Vnus, eſt fide tenendum. Patet ex Symbolo Niceno & Athanaſij; & ex dictis ſuprà quæſt. 2. art. 2. Ratio eſt; Quia *Vnus*, quando ſolitariè ponitur, indicat vnitatem perſonæ; vt patet ex communi modo loquendi. Hinc Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, etſi ſint Vnũ, non tamen Vnus; quia non ſunt vna perſona.

Vnum.

Quòd autem Chriſtus etiam ſit *Vnum neutrè*, non duo: Probatur, Quia eſt vnum ens ſine imperfectione compoſitum. Item, eſt vnum ſuppoſitum in duabus naturis ſubſiſtens: atqui *Vnum* ſolitariè ſumptum, nihil aliud ſignificat quàm

Digitized by Google

vnum ens, & vnum ſuppoſitum. Secundò, Quia Chriſtus non eſt plura: ergo abſolutè eſt vnum. Antecedens patet; Quia nec eſt plures naturæ, nec plura ſuppoſita. Non plures naturæ; nam etſi diuinitas dicatur de illo; non tamen humanitas. Et ratio eſt; Quia vt aliquid dicatur ſimpliciter vnum, ſatis eſt vt ſit vnum ſuppoſitum. Patet ex ſuprà dictis. Dices: Chriſtus eſt aliud per diuinitatem, aliud per humanitatem: ergo eſt duo. Antecedens patet ex multis Patribus, qui ita loquuntur. Vide D. Auguſtinum in Enchiridio cap. 36. & lib. contra Felicianum cap. 11. Reſpondeo: D. Thomas hîc negat Antecedens, *Quia*, Inquit: *Aliud ſignificat diuerſitatem naturæ & ſuppoſiti.* Quod verum eſt, ſi nomen *Aliud* ſumatur ſtrictè. At ſi largiùs ſumatur, poteſt admitti, nec omninò impropriè. Et ſic intellige quod docuit D. Thomas ſuprà quæſt. 2. art. 3. ad 1. cùm ait: *Quod Chriſtus dicatur aliud & aliud, non importat diuerſitatem ſuppoſiti, ſed diuerſitatem naturarum.* Et ita ſæpè loquuntur Patres. Et ſimili modo cõcedi poſſet Chriſtum eſſe duo: nam ſenſus eſt, ſubſiſtere in duabus naturis: magis tamen propriè hæ locutiones negantur. Quòd autem D. Thomas ait, *diuerſitatem accidentalem facere Alterum*, ſumptũ eſt ex Porphyrio & Ariſtotele malè verſo; nam pro διαφῶν, id eſt, diuerſum ſeu varium verſum eſt *Alterum*. Abſolutè enim eſt falſum: non enim lac eſt alterum per dulcedinem, alterum per albedinem.

Duo impropriè.

cilijs & Patribus; vt patet ex Concilio Chalcedonenſi act. 5. & ex V. Synodo can. 2. & ex VI. Synodo act. 4. & 17. & ex Damaſceno, tum alibi, tum lib. 3. De fide cap. 3. vbi ait: *Humanitas, neque in diuinitatis naturam verſa eſt, neque exiſtẽtia primæua.* Cõfirmatur; quia non poteſt aſſignari natura humana integra & actualis, quæ tota ſit diſtincta a natura diuina: nã in illâ intrinſecè includetur eſſe diuinum, per quod ipſa eſt ens actuale, & humanitas actualis: ergo erunt permixtæ & confuſæ. Eſſentia quoque & exiſtentia vnam naturam actualem conſtituunt; quare ex duabus naturis conſtituetur vna.

Octo alia incõmoda.

Probatur Secundò. Si humanitas exiſteret formaliter per eſſe increatum, ſequerentur multa alia incommoda. Primò, Ipſam ſecundùm ſe & & præcisè conſideratam, non eſſe quid creatum, quia non haberet aliquod eſſe, quod ſit terminus creationis. Nam eſſe quod ipſa habet præcisâ exiſtentiâ, eſt ſolùm quid potentiale: quale eſſe habuit ab æterno, quod ſecundùm ſe non eſt creabile. Si dicas: ipſam creari, quatenus accipit eſſe diuinum. Contrà: ergo ratione eſſe diuini creatur: ac proinde eſſe diuinum eſt terminus formalis creationis: quod videtur eſſe erroneum. Secundò, ſequitur Chriſtum non habere humanitatem, & vires animæ eiuſdem rationis ac nos habemus. Nam in ipſo, ſecundùm ſe & præcisè conſideratæ, vt diſtinguuntur à diuinitate, non erunt quid actuale & in rerum naturâ exiſtens: cùm in nobis ſint quid actuale diſtinctum à naturâ diuinâ. Item, in ipſo habebunt eſſe extra nihil, per diuinitatem: in nobis, per eſſe creatum. In ipſo, potentiæ nullam habebũt propriam exiſtentiam accidentalem manãtem ab eſſentia ſicut in nobis; nam exiſtent per exiſtentiam diuinam formaliter. Tertiò, ſequitur, animam Chriſti nõ eſſe creatam actione eiuſdem rationis atque noſtras animas: ac proinde nec eſſe eiuſdem naturę: creatio enim illius animæ nihil erit aliud, quàm coniunctio eſſentiæ potẽtialis cum eſſe increato: quæ actio eſt merè ordinis ſupernaturalis, nullam habens ſimilitudinẽ cum creatione rerum. Quartò, Sequitur humanitatem chriſti non poſſe conſeruari in rerum naturâ ſi dimitteretur à Verbo: ſed neceſſariò abituram in nihilum. Quintò, Humanitatem non poſſe videri intuitiuè vt rem actu exiſtentem, niſi visâ diuinâ exiſtentiâ. Vnde Damon non poterit illam videre: quia non poteſt videri effectus formalis, niſi visâ formâ: v. g. non poteſt videri album, niſi videatur albedo: ſic non poteſt videri exiſtens, niſi visâ exiſtentia. Sextò, ſequeretur in Chriſto non fuiſſe eandem naturam numero, quæ ante fuerat ſub forma ſanguinis B. Virginis. Patet, quia ſub forma ſanguinis in Virgine habuiſſet eſſe creatum: ſub forma carnis in Chriſto, habuiſſet eſſe increatum: ac proinde fuiſſet diuersũ ens actuale. Septimò, Sequeretur illam naturam fuiſſe annihilatam, & in eodem inſtanti reproductam. Quia quando deſijt eſſe ſub formâ ſanguinis B. Virginis, amiſiſſet ſuam exiſtentiam: quod eſt annihilari. Et in eodem momento accepiſſet exiſtentiam diuinam: atqui implicat vt res tota ſimul deſinat, & eodem momento tota ſimul incipiat eſſe. Octauò, Sequeretur Trinitatem eſſe incarnatam. Nam vnio facta erit in aliquo cõmuni & eſſentiali: nempe in exiſtentiâ. De quo vide ſuprà contra Durandum quæſt. 3. art. 2.

Primum.

Secũdum.

Tertium.

Quartũ.

Quintũ.

Sextum.

Septimũ.

Octauũ.

Probatur Tertiò, id quod aſſumitur, præſupponitur aſsumptioni, tãquam priùs naturâ exiſtens: vt docet D. Thomas quæſt. 4. a. 2. & 3.

exiſtentia humanitatis præſup-

ARTICVLVS II.

Vtrum in Chriſto ſit tantùm vnum eſſe?

2 REſpondet D. Thomas, in Chriſto eſt tantùm vnum eſſe; nempe completum. Ratio eſt; quia natura humana non vnitur ei accidentariè, ſed ſubſtantialiter & hypoſtaticè; ac proinde nõ facit in ipſo diuerſum eſſe perſonale, ſeu completum: ſed ſolùm facit vt adueniat noua habitudo eſſe perſonalis præexiſtentis ad naturam humanam. Cætera vide apud D. Thomam.

DVBIVM.

Vtrùm in Chriſto ſit tantùm vna exiſtentia? ſiue, vtrũ In Chriſto natura humana habeat ſuam exiſtentiam creatam: An verò exiſtat formaliter in rerũ naturâ per exiſtentiam increatam Verbi?

3 Sententia Thomiſtarum.

PLerique Thomiſtæ occaſione verborum D. Thomæ in hoc articulo, cenſent Chriſti humanitatem non habere exiſtentiam creatam, ſed dumtaxat increatam; per quam exiſtat, ſicut ſubſiſtit per increatam ſubſiſtentiam.

Improbatur.

Sed dicendum eſt breuiter; humanam naturam in Chriſto habere ſuam creatam exiſtentiam quâ formaliter exiſtat, ſicut & in nobis: nec vllo modo exiſtere per exiſtentiam increatam. Eſt communis ſententia Theologorum, præter Thomiſtas. Bonauenturæ in 3. diſt. 5. Scoti, Durandi, Gabrielis, Almaini in 3. diſt. 6. Et ibidem Paludani, quãquam ipſe ſit Thomiſta. Idem expreſsè docet D. Thomas in quæſt. de Verbo Incarnato art. 4. neque hîc ſentit contrarium.

Naturæ eſſent permixtæ & confuſæ.

Probatur Primò, Quia ſi humanitas chriſti non habeat exiſtentiam creatam, ſed exiſtit per increatam; vix intelligi poteſt; quomodo in Chriſto ſint duæ naturæ integræ impermixtæ & inconfuſæ: & quomodo ex duabus non ſit vna conflata. Quæ duo tantopere damnantur à Con-

ponitur Vnioni. Sicut id quod vnitur, præſupponitur vnioni (nimirum fit vt creatio animæ, ſupponatur vnioni ad corpus, iuxta ſententiam omnium Theologorum & Philoſophorum:) ergo Anima priùs naturâ exiſtit, & eſt ens actuale, quam aſſumatur: ergo tunc habet eſſe creatum. Confirmatur; Quia id quod non habet eſſe actuale extra nihil; non poteſt intelligi vniri alteri rei; aut eſſe ſubiectũ alicui⁹ mutationis, & realis actionis, quâ fit vnio. Quò fit, vt cum eſſentijs rerum non poſſint vlla accidentia realiter vniri, niſi illæ iam ſint extra nihil per exiſtentiam actualem: nam exiſtentia eſt initium rei: & fundamentum omnium aliorum circa illam.

Exiſtentia eſt ratio formalis per quam res eſt. Probatur quartò, Exiſtentia eſt id, quo formaliter res eſt extra nihil, & entitas creata: nam præcisâ exiſtẽtiâ per intellectũm, nihil remanet niſi quid potentiale; quòd reuera nihil eſt, ſicut ante mundum nihil erat. Atqui implicat vt aliquid ſit extra nihil, & res creata, per rem omnino diſtinctam, maxime increatam.

Poſtremò, Exiſtentia non tantùm pertinet ad ſuppoſitum, ſed etiam ad naturam; natura enim vere exiſtit: atqui ea quæ naturam ſequuntur, in Chriſto ſunt duplicia; vt paſſim docent Concilia & Patres. Confirmatur; Quia licet in Trinitate ſint tres perſonæ, tamen quia eſt tantùm vna natura, eſt etiam tantummodo vnicum eſſe, & vnica exiſtẽtia abſoluta; nam exiſtentia ſequitur naturam: ergo cum hic ſint duæ naturę, erunt etiam duæ exiſtentiæ. His adde, Patribus hanc vnionem penitùs eſſe ignotam.

4 1. obiectio Contra Obijcitur Primò, Humana natura potuit ſubſiſtere ſubſiſtentiâ diuinâ; cur non etiam potuit exiſtere in rerum naturâ per diuinam exiſtentiam?

Soluitur. Reſpondeo, Quia exiſtentia non ſupponit rem conſtitutam in rerum natura, & in ratione entis actualis; ſed ipſamet conſtituit illam in eo ſtatu: vnde eſt inſeparabilis ab illa, quãdiu illa manet res creata in rerum natura exiſtens. Sicut omnis forma eſt inſeparabilis à re, quamdiu manet eius eſſe. & as formalis. Subſiſtentia autem eſt modus eſſentiæ, ſupponens illam conſtitutam in rerum natura, ſolumque illam modificat: talis autem modus ſeparari poteſt, & niſi quid aliud obſtet, alivnde ſuppleri.

Dices Secundò, In Chriſto eſt tantùm vnicum eſſe; vt docet D. Thomas: ergo tantùm vnica exiſtentia: ergo &c. 1. obiectio

Reſpondeo, In Chriſto eſt tantùm vnum eſſe, ſcilicet completum, ſeu vnum eſſe perſonale; vt ſæpè D. Thomas expreſsè addit tum hic, tum q. 19. a. 1. ad 4. hoc autem eſt eſſe increatum. Accedente autem naturâ humanâ, ſolùm huic eſſe accedit quædam relatio; vt inquit D. Thomas. Soluitur.

Dices Tertiò, quia alioquin Chriſtus haberet duo eſſe ſubſtantialia; ac proinde eſſet ſimpliciter duo: quod eſt falſum. 3. obiectio.

Reſpondeo, Concedo Chriſtum habere duo eſſe ſubſtantialia: ſed alterum completum, nempe eſſe diuinum: alterum ſecundùm ſe incompletum, nempe eſſe humanum, quod tamen per diuinam hypoſtaſim completur. Non tamen ideò Chriſtus eſt duo: nam eſt vna hypoſtaſis, imò & vnum ens ſine imperfectione compoſitum. Non poſſunt autem dici duo, niſi ſint duo ſuppoſita: vt ſupradictum eſt. Soluitur.

Dices Quartò. Si humana natura in chriſto haberet ſuam exiſtentiam creatam, vnio diuinæ naturæ cum humanâ eſſet accidentaria, non ſubſtantialis: quidquid enim aduenit enti in actu, facit vnum per accidens. 4. obiectio

Reſpondeo; Solùm ſequitur non eſſe vnionem eſſentialem quâ fit vnica natura: non autẽ ſubſtantialem quâ fit vna perſona. Nam ad vnionẽ ſubſtantialem ſatis eſt, vt ad aliquod ſubſtantiale complementum duo vniantur: quomodo etiã membra corporis inter ſe vniuntur. Atqui Verbum diuinum ita ſe coniunxit humanæ naturę, vt daret illi formaliter complementum ſubſtantiale, efficeretque vnum ſubſiſtens perfectè, ſupplendo quod deerat ad perfectam ſubſiſtentiam hominis. Soluitur.

QVÆSTIO XVIII.
De Voluntate Chriſti.
In Sex Articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Vtrum in Chriſto ſint duæ voluntates?

1 Variæ hæreſes circa chriſtum. REſpondetur Affirmatiuè, in Chriſto eſſe duas Voluntates.

Notandum eſt, Præter eos qui in Chriſto tantùm vnam naturam eſſe dicebant, qui etiam neceſſariò vnam dumtaxat ponebant voluntatem, vt ſunt Cerinthus, Ebion, Carpocrates, Photinus, Paulus Samoſatenus; qui tantùm humanam naturam Chriſto tribuebant: Item Valentinus, Cerdon, Marcion, Manichæus, Apollinaris, Eutyches, qui veram humanam naturâ in Chriſto negabant: fuiſſe alios hæreticos, qui duas quidem naturas, humanam & diuinam fatebantur in chriſto; tamen negabant duas voluntates, maximè quoad actus, ſed ſolam ponebant diuinam: vnde dicti ſunt Monothelitę. Incepit autem horum error circa annum 630. à Cyro Alexandrino Epiſcopo, vt inquit Damaſcenus lib. de hæreſibus ſub finem, quem ſecutus eſt Sergius Epiſcopus Conſtantinopolitanus, & aliquot eius ſucceſſores per annos 50. & Macharius Antiochenus. Quidam putant Honorium I. qui illis tẽporibus erat Pontifex Romanus, in eodem errore fuiſſe. Ita Canus. lib. 6. de locis cap. 8. & alij plurimi recentiores & Doctores Scholaſtici. Sed multò verius eſt Honorium numquam in hoc errore fuiſſe: imò valdè probabile eſt nullum vnquam Romanum Pontificem fuiſſe hæreticum; quod benè defendit Albertus Pighius lib. 4. Eccleſ. Hierarch. cap. 8. & lib. 6. cap. 11. & Bellarminus controuerſiâ de Pontifice.

Monothelitæ vnam ſolùm in Chriſto ponebant volũtatẽ

Honorius Papa vindicatur.

Quia verò hi hæretici ponebant in chriſto voluntatem diuinam; nobis tantummodo probandum eſt in ipſo etiam fuiſſe voluntatem humanam, tam quoad actum, quàm quoad potentiam. Sic enim conſtabit in ipſo fuiſſe duas voluntates; quod quærebatur. 2 Sunt duæ in chriſto volũtates.

Probatur ergo primò, Ex Scripturis: Matthęi 26. v. 39. *Non ſicut ego volo: ſed ſicut tu.* Lucæ 22. v. 42. *Non mea voluntas, ſed tua fiat.* Ioan. 6. v. 38. *Nõ veni facere volũtatẽ meam, ſed eius qui miſit me.* Ex Script

Quibus

Quibus locis diſtinguit Dominus ſuam voluntatem à voluntate Patris: loquitur enim de actu voluntatis humanæ, non abſoluto, ſed conditionato & inefficaci: atqui voluntas diuina Chriſti non erat diſtincta à voluntate Patris: ergo præter diuinam habebat aliam. Deinde ad Philip. 2. v. 8. & ad Rom. 5. v. 19. & ad Hebr. 5. v. 8. tribuitur Chriſto obedientia: atqui obedientia eſt actus voluntatis creatæ.

2 Cœcil. Probatur Secundò hęc veritas ex Concilijs: quia definita eſt in VI. Synodo Generali quæ expreſsè contra hunc errorem eſt congregata; vbi actione 4. eadem veritas copiosè probatur ex Scripturis & Patribus in epiſtola Agathonis Papæ. Definita etiam eſt in Concilio Lateran. ſub Martino I. à can. 10. vſque ad 17.

Triplici ratione. Probatur Tertiò Ratione. Primò, Quia Chriſtus perfectam naturam humanam aſſumpſit; vt ſuprà q. 2. & 6. oſtenſum eſt: ergo non caruit voluntate. Nam hæc vis naturaliter comitatur animam rationalem, ſicut & intellectus. Quod ſi potentiam, etiam actum habuit; cùm nulla ſit ratio, cur eo debuerit carere. Secunda, Si in chriſto propter vnicam perſonam, eſſet vnica voluntas; in Trinitate, propter tres perſonas, eſſent tres voluntates; ergo quòd voluntas ſit vna vel plures, ex naturâ non ex perſonâ æſtimatur. Ita Agatho Papa in Epiſt. ſua. Tertia, quia ſine voluntate creata non poteſt eſſe meritum, nec ſatisfactio, nec oratio, nec obedientia: hæc enim omnia ſunt actus voluntatis creatæ.

ARTICVLVS II.

Vtrum in chriſto fuerit Voluntas Senſualitatis: id eſt, Appetitus ſenſitivus?

REſpondetur affirmativè. Ratio eſt; Quia Chriſtus habuit perfectam Animam: ergo omnes animæ potentias. Atqui inter cæteras animæ potentias eſt appetitus ſenſitivus, qui nobis cum brutis eſt communis ad bona ſenſibilia appetenda, & mala his contraria fugienda.

ARTICVLVS III.

Vtrum in chriſto fuerint duæ Voluntates Rationales?

REſpondeo; Si voluntas accipiatur pro potentia, tantùm vnica voluntas rationalis creata fuit in chriſto: ſicut & in nobis. Si accipiatur pro actu, ſic duę fuerunt in Chriſto voluntates; id eſt, duo genera actionum voluntaris, nimirum intentio & Electio: ſeu, Voluntas vt Natura; &, Voluntas vt Ratio.

4 Voluntas vt eſt Natura & vt eſt Ratio.

Pro quo nota; Duplicia eſſe bona & mala.

Duplicia genera bona & mala. Quædam enim ſunt bona, quia conſentanea naturæ; vt Vita, Benè eſſe, Sapientia, & ſimilia. Quędam mala, quia naturæ diſſentanea; vt mors, cruciatus, &c. Reſpectu horum bonorum & malorũ, eſt voluntas naturalis; dicituruque natura.

Fuit in Chriſto voluntas naturalis. Nam naturaliter afficitur huiuſmodi bonis, & abhorret à talibus malis. Sic chriſtus voluntate naturali fugiebat mortem, & appetebat viuere; non quod iſte motus in Chriſto præueniret iudicium rationis, aut erumperet neceſſariò, ſed quia volũtas ſibi relicta, naturaliter & neceſſariò abhorret à morte, & afficitur vitæ. Alia ſunt bona vel mala, quia conſentanea vel diſſentanea rectęrationi: & reſpectu horum dicitur voluntas rationalis. Hac voluntate volebat chriſtus mori, quamuis naturali fugeret mortem. Vide quæ diximus 1. 2. q. 6. a. 1. de Duplici acceptione Voluntatis, & ibid. q. 10. a. 1. Quomodo moueatur Voluntas quà natura, & Voluntas quà Voluntas.

Item voluntas rationalis.

ARTICVLVS IV.

Vtrum in chriſto fuerit Liberum Arbitrium?

REſpondetur Affirmativè. Ratio eſt; Quia in ipſo fuit electio, quę eſt actus liberi arbitrij.

In quo conſiſtat libertas arbitrij. Pro Maiori explicatione, ſuppono Primò, Libertatem arbitrij conſiſtere in quadam indifferẽti poteſtate voluntatis, ſecundùm quam, ipſa in omni inſtanti, tum temporis, tum naturæ, quo conſideratur vt prior ſuo actu, eſt indifferens ad illum, ita vt poſſit illum elicere & non elicere. Vnde quidquid voluntatem præueniendo determinat ad actũ, repugnat libertati, ſi illam determinationem voluntas non habeat in ſuâ poteſtate. De quo plura 1. 2. quæſt. 6. art. 2. Dub. 1. in Diſput. Apologetica de gratia efficaci & libero Arbitrio c. 5.

Libertas ad peccatum, eſt imperfectio. Suppono Secundò, In Chriſto non fuiſſe liberum Arbitrium ad peccandum: quod patet ex dictis ſuprà q. 15. a. 1. dub. vnico, vbi oſtendimus Chriſtum nullo modo potuiſſe peccare in natura aſſumpta. Ratio eſt; Quia libertas quatenus ſe extendit ad peccatum, non eſt perfectio, ſed imperfectio; vt docet Auguſtinus lib. de Corrept. & gratia cap. 11. & de Prædeſtinat. Sanctorum c. 15. Nam præcisè conſiſtit in negatione; ſcilicet in eo quòd eſt non eſſe ſuam regulam, nec ſuæ regulæ neceſſariò coniunctum. Atqui hæc imperfectio non erat in Chriſti voluntate: hęc enim erat firmiſſimè coniuncta ſuæ regulę, ſcilicet voluntati diuinę; partim per viſionem & amorem beatificum; partim per diuinam cuſtodiam debitam illi ob vnionem hypoſtaticam. His poſitis.

Fuit liber in actionibus noſtræ ſalutis. Reſpondeo; chriſtum habuiſſe verè & propriè libertatem in ſuis actionibus, quas ſalutis noſtræ cauſa obiuit: v. g. in orando, docendo, miraculis faciendis, imò & in ipſa morte amplectenda. Eſt fide tenendum: & conſentiunt omnes Doctores. Probatur ex Scripturis. Iſaiæ 7. v. 15. *Butyrum & mel comedet, vt ſciat reprobare malum, & eligere bonum*: vbi Cyrillus notat, *reprobare malum* fuiſſe chriſto naturale, non ex electione; ſed voluntatem bonorum, ex electione liberâ: electio enim eſt actus liberi arbitrij. Iſaiæ c. 53. verſ. 7. *Oblatus eſt, quia ipſe voluit*: qui modus loquendi in ſcriptura libertatem ſignificat; vt ibidem notat D. Hieronymus. Ioan. 10. v. 18. *Nemo tollit animam meam à me, ſed ego pono eam à meipſo, & poteſtatem habeo ponendi eam*: vbi apertè indicat eſſe in ſua poteſtate animam ponere eo momento quo ipſi videretur: nec vllâ vi eam poſſe ſibi extorqueri: vt docet chryſoſtomus hom. 59. in Ioan. Vide etiam Gregor. lib. 24. moral. c. 2. Et Anſelm. l. 1. *Cur Deus homo*. cap. 9. & 10. vbi id fusè & elegantèr probat: & lib. 2. cap. 15. 16. 17.

Probatur Secundò, Ratione. Primò, Quia alioqui Chriſtus non poſſet mereri, nec pro nobis ſatisfacere: nam de intrinſecâ ratione meriti, eſt libertas; vt oſtenſum eſt 1. 2. q. 114. Secundò, Quia libertas circa honeſta, eſt magna perfectio

naturæ rationalis: vnde etiam in Angelis & Deo reperitur. Atqui in Chriſto fuit omnis perfectio humanæ naturæ: ergo &c.

Sed contra hanc veritatem, ſunt quatuor difficiles Obiectiones. Prima eſt ex prædefinitione diuinâ: Omnes enim actiones chriſti videntur à Deo fuiſſe prædefinitæ cum ſuis omnibus circumſtantijs: Nam hic modus prouidentiæ eſt altior. Quòd confirmatur ex D. Thomâ lib. 4. contra Gentes cap. 36. vbi ait: *Chriſtus humana voluntate nihil voluit, niſi ſecundùm quod eum velle diuina voluntas diſpoſuit, iuxtà illud*: Ioan. 8. v 29. *Quæ placita ſunt ei, facio ſemper.*

7 1. obiectio à Prædeſtinatione.

Reſpondeo, Quidam nobis tales prædefinitiones ob has & ſimiles rationes inuexerunt, quæ dupliciter intelligi poſſunt. Primò, vt Deus ſic omnes bonas actiones prædefinierit omnino abſolutè, non habitâ ratione præſcientiæ conditionatè. Et ſic intelligi non poteſt quomodo non tollant omnem libertatem, & inducant abſolutâ neceſſitatem, iuxta ſententiam Caluini: vt oſtenſum eſt 1. p. q. 19. a. 3. &c. in diſp. de Prædeſtin. ſect. 2. Ratione 8. Secundò; vt prædefinierit bona opera ſuppoſitâ præſcientiâ conditionatâ, quâ Deus præſcit quid liberum arbitrium ſit facturũ, ſi tali tempore, loco, & modo moueatur. Quæ ſententia etſi non tollat libertatem, tamen eam multum conſtringit: nam circa ſingula opera omneſque circumſtantias ponit ſingulariſſimam Dei prouidentiam & curam, vt hoc potiùs fiat, quàm illud, quod eſt ei æquale vel melius.

Duplicitèr explicantur.

Chriſti actiones non ſunt prædefinitæ.

Quod autem ad Domini actiones attinet, videtur ſatis incredibilis hæc ſententia.

Primò, Quia non decebat tantam Sapientiam, quæ ſine tali præſcriptione poterat cognoſcere quid & quomodo in ſingulis euentis eſſet operãdum, ad iſtas minutias arctari: ſcilicet vt tali tempore & loco coram talibus deberet facere hoc miraculum non illud; circa hanc perſonam, non illam: hîc & nunc docere, non ibi: hîc & nunc dormire, comedere, loqui &c. Vide hæc latiùs deducta in Diſput. de prædeſt. Chriſti ſect. 3. n. 38. & 39. Dices, melius eſt dirigi à regulâ increatâ quàm à creatâ. Reſpondeo; verùm eſt cæteris paribus; ſi videlicet vtraque regula ſit extrinſeca: Sed ſi regula creata ſit intrinſeca & infallibilis, latiſſimeque patens, & omnem rectitudinem penetrans; melius eſt & nobilius ab hac dirigi, quã ab extrinſecâ præſcriptione voluntatis diuinæ gubernari. Illud enim eſt & à ſeipſo regi, & etiam à Deo: Nam regula illa creata eſt perfecta participatio regulæ increatæ.

Melius eſt dirigi à regula intrinſeca creata, quàm ab extrinſeca increata.

Secundò, Quia chriſtus totâ vitâ ſuâ in omnibus operibus quãdam neceſſitate conſtrictus fuiſſet, vt abſolutè nec aliud, nec aliter, nec alio tempore, loco, occaſione facere poſſet, quàm fecit; quia ſpectato diuino auxilio & ordinatione circa ipſum, non poterat aliter facere, quàm eſſet præſcriptum; maximè cùm hanc Dei ordinationem & præſcriptionem clarè videret: contra quam velle niti, fatuum fuiſſet.

Tertiò, Quia hæc ſententia parum videtur conſentanea Scripturis. Quomodo enim verum eſt, quod ipſe poterat *rogare Patrem pro duodecim legionibus Angelorum*, ſi videbat prædefinitum à Patre, vt non rogaret? Item quomodo verum: *Filius, quos vult, vinificat*: ſi omnes præſcripſiſſet illi Pater? Item quomodo habebat *poteſtatem ponendi animam*, ſi momentum iam erat illi præſcriptum, quo debebat ponere? In his & ſimilibus potentia illa fuiſſet valde remota, & inutilis ad vſum.

Diſſonat Scripturæ. Matth. 26 v. 53. Ioan. 5. v. 21. Ioan. 10. v. 18.

Neque verum eſt, Hunc eſſe altiorem prouidentiæ modum: nam præſtantior eſt ille modus, quo rei quæ ſubeſt prouidentiæ, datur ea ſapientia quâ tibi poſſit de omnibus ſuis actionibus prouidere.

Non importat altiorem Prouidentiæ modũ.

Ad teſtimonium D. Thomæ: vult is dicere Chriſtum nihil voluiſſe niſi conſentaneè diſpoſitioni diuinæ, quâ Deus diſpoſuit vt redimeret, & doceret homines.

Explicatur D. Thomas

Obijcitur Secundò, Ex vnione hypoſtatica. Nam Chriſtus ratione vnionis hypoſtaticæ, ſeu ratione auxilij debiti ob vnionem, ita erat determinatus ad bonum, vt non poſſet peccare; vt ſuprà q. 15. a. 1. oſtenſum eſt. Ergo eo inſtanti quo præceptum affirmatiuum vrgebat, non poterat omittere opus præceptum; omittendo enim peccaſſet: ergo tunc non liberè operabatur.

8 2. Obiect. ab vnione hypoſtatica.

Reſpondeo, illum libere impleſſe præceptum, quia poterat præuenire illud momentum, in quo præceptum affirmatiuum vrgebat; non enim id obligat pro omni momento, ſed pro certo: poteſt enim quis habere voluntatem liberam ſeruandi præceptum ieiunij, vel Sacri, vel confeſſionis, vel Euchariſtiæ antequam executio vrgeat; & ex vi huius voluntatis exequi; ſicque tota actio libera erit.

Dices; Quid ſi ponamus aliquod præceptum ei datum, quod acceptandum fuerit eodem momẽto quo dabatur: Sicut valdè probabile eſt de præcepto redimendi Generis humani per mortem ſuam, quod videtur omninò ei propoſitum fuiſſe in ipſo momento Conceptionis, & eodem momento acceptandi illum: Si enim tunc non acceptaſſet, peccaſſet: ergo acceptatio illa erat neceſſaria. Reſpondent quidam, illum neceſſariò acceptaſſe; ſed hanc neceſſitatem non tollere libertatem, eò quòd ſit neceſſitas ex ſuppoſitione, ſcilicet diuini præcepti. Sed contrà; quia ſæpè neceſſitas ex ſuppoſitione tollit libertatem, nempe quotieſcunq; ſuppoſitio non eſt in poteſtate voluntatis, & eâ poſitâ neceſſariò ſequitur opus: vt dictum eſt in Diſputatione Apologet. De gratia efficaci c. 3. num. 15. Atqui hæc ſuppoſitio præcepti diuini, nõ erat in poteſtate voluntatis humanæ ipſius chriſti; & eâ poſitâ, neceſſariò acceptabat; vt illi volunt: ergo non liberè.

Acceptatio præcepti defuerit Chriſto neceſſaria

1. Reſponſio.

Refellitur

Secundò, Alij reſpondent, illum neceſſariò acceptaſſe in genere, non tamen hoc vel illo actu conſensûs: & ita etſi conſenſus erat neceſſarius ſecundùm ſpeciem & confusè, tamẽ in indiuiduo erat liber: quia poterat hunc vel illum indiuiduũ conſenſum præſtare. Sed contrà; Nam illa libertas quæ tantùm eſt ad indiuiduos actus conſenſûs, nihil ad mores facit: parum enim refert an hoc vel illo indiuiduo actu conſentias, quando in confuſo non eſt in poteſtate omittere conſenſum. Ideò enim laudem mereris, quia facis opus tantæ bonitatis, cùm abſolutè poſſis non facere: non autem quia hoc indiuiduum potiùs quàm illud. Deinde, quando voluntas per ſuppoſitionem aliquam perfectè determinatur, non relinquitur libertas vel ad indiuiduos actus: quia quod hoc indiuiduum potiùs eliciatur quàm illud, prouenit ex circumſtantijs, cum quibus ipſa voluntas determinatur.

2. Reſponſio.

Refellitur

Tertiò, Alij reſpondent, illud acceptaſſe neceſſariò quoad ſubſtantiam actus, non autem quoad intenſionem vel finem extrinſecum: & ita actum quoad hæc fuiſſe liberum. Sed contrà: Quia ſubſtantia actus non poteſt fieri ſine aliquâ intenſione: ergo alicuius ſaltem gradus intenſionis erat neceſſarius. Deinde: actus non fuiſſet meritorius ſecundùm ſubſtantiam, ſed ſolùm ſe-

3. Reſponſio.

Refellitur

cundùm aliquos gradus liberos : quod non videtur dicendum; nam tota illa acceptatio meritoria erat.

Vera reſpoſio.

Reſpondendum eſt igitur : Chriſtum omnino libere in illo primo inſtanti, quo præceptum proponebatur illud acceptaſſe. Ratio eſt, quia præcisâ viſione beatificâ, neque præceptum illud, neque vllum auxilium ipſi ratione vnionis collatum, determinabat ipſius voluntatem ad acceptationem rei præceptæ. Non præceptum ipſum; quia ſolùm proponebat voluntatem diuinam circa mortem ab ipſo acceptandam pro redemptione hominum : quæ propoſitio, ſe poſitâ viſione beatificâ, non neceſſitat, nec determinat voluntatem; quia non eſt propoſitio clara ſummi boni, vel eius quod neceſſariò cum poſſeſſione ſummi boni coniunctum eſt. Neque etiam vllum auxilium neceſſitabat: quia Deus proponens animę chriſti hoc præceptum, ita excitabat eius intellectum, & afficiebat voluntatem per gratiam pręuenientem, ſicut nouerat eam liberè conſéſuram: nouit enim ipſe per ſcientiam conditionatam, quid vnaquæque voluntas, quouis tempore vel momento eſſet operatura, ſi cum tali obiecto & circumſtantijs inuitaretur ad conſenſum. Vnde facilè ei eſt, cùm vult, efficere vt voluntas hîc & nunc conſentiat, & tamen liberè conſentiat : nempe dando ei talem excitationem & affectionem prævenientem, cum qua pręſciebat voluntatem liberè conſenſuram.

Præceptũ non neceſſitabat.

Neq; etiã vllum Auxilium.

Dices ; Si in acceptatione talis pręcepti chriſtus manebat liber : ergo poterat non acceptare, ac proinde peccare. Confirmatur ; quia is dicitur liberè aliquid facere, qui ita facit, vt poſſit omittere: ergo ſi liberè acceptauit pręceptum, poterat non acceptare.

Chriſtus potuit non acceptare præceptum quantum erat ex diſpoſitione ſuæ voluntatis non autẽ abſolutè.

Reſpondeo ; Vt dicatur liberè conſenſiſſe ſeu acceptaſſe pręceptum, ſufficit vt quantumerat ex diſpoſitione voluntatis, potuerit non acceptare: non autem requiritur vt abſolutè potuerit non acceptare. Etita non ſequitur, quod potuerit peccare. Pro quo Aduerte ; voluntatem chriſti dupliciter poſſe ſpectari. Primò: ſecundùm ſe, & intrinſecam ſuam diſpoſitionem. Secundò: vt ſuberat cuſtodiæ ſuæ perſonæ. Priori modo poterat conſentire & non conſentire. Poſteriore, ſic verò poterat abſolutè, vt non conſentiret. Actus autem dicitur liber reſpectu voluntatis ſecundùm ſe & intrinſecam diſpoſitionem conſideratę : & ideò ſimpliciter verum eſt, quòd Chriſtus liberè conſenſerit; quia poterat non conſentire, ſi intrinſecam voluntatis diſpoſitionem ſpectes. Similiter verum eſt, quòd non poterat peccare; quia extrinſeca cuſtodia illi debita, hoc impediebat.

9 ſ. Obiect. Ex amore beatifico.

Obijcitur Tertiò, Ex parte amoris beatifici. Chriſtus enim neceſſariò amabat Deum, neceſſariò etiam amabat ſuam beatitudinem : ergo etiã neceſſariò volebat omne id, quod ad diuinum amorem, & ad conſeruandam beatitudinem eſt neceſſarium : quicumque enim neceſſariò vult aliquem finem, eâdem neceſſitate vult media ad illum finẽ neceſſaria. Atqui omnes chriſti actiones erant neceſſariæ ad amicitiam diuinam, & ad conſeruandam beatitudinem. Nam vel erãt præceptæ; & ſic patet fuiſſe neceſſarias ad conſeruãdam diuinam amicitiam : præceptum enim facit, vt actio ſit medium neceſſarium. Vel non erant præceptæ, & ex his illæ quæ maximè pertinebãt ad Dei gloriam, erant neceſſariæ addiuinam amicitiam ; quia chriſtus neceſſariò amabat Deum ſummo & perfectiſſimo modo : ergo etiam neceſſariò volebat quidquid magis ad ipſius gloriam pertinebat: hoc enim in omni negotio probè nouerat.

Reſpondeo, Non omnes functiones Chriſti taleſ erant, vt neceſſariam haberent connexionem cum diuino amore; ita vt, niſi hoc momento, & his circumſtantijs fierent, lęderetur ſumma illa cum Deo amicitia: quia, vt num. pręcedenti dictum eſt, pręceptum non vrgebat pro omni momento; & ant equam vrgebat, poterat liberè implere. Et quamuis faceret ſemper id quod ſciret Deo gratiſſimum pro illo tempore ; non tamen ideò determinabatur neceſſariò ad vnumaliquod opus; quia fieri poteſt vt multa ſint ęqualia & deo a què grata. V. g. cùm orabat, orabat quidẽ perfectiſſimè; ſed varijs modis, id fieri poterat: ſcilicet gratiarum actione, laude, poſtulatione : idque rurſus variâ ratione.

Refellitur.

Non omnes chriſti actiones erant eiuſmodi, vt niſi fierent lederetur dei amicitia.

Addo ; Si concedamus aliquam functionem fuiſſe hic & nunc neceſſariam ad diuinum amorem ; dicendum eſt talem functionem dupliciter poſſe ſpectari. Primò, Quatenus habebat neceſſariam connexionem cum diuinâ amicitiâ. Secũdò, quatenus in ſua ſpecie habebat rationem talis vel talis virtutis.

Eadem actio chriſti dupliciter poteſt conſiderari.

Priore modo, acceptabat illam neceſſariò: cùm enim neceſſariò amaret Deum, & clarè videret hunc amorem non poſſe cõſiſtere ſine acceptatione rei præceptæ, eâdem neceſſitate determinabatur ad illius acceptationem. Nec enim credibile eſt, quod quidam dicunt, amorem beatificum fuiſſe cohibitum, vt non determinaret ſeu inclinaret voluntatem, niſi ad ea, quę Deo ſunt intrinſeca, non autem ad aliquod obiectum extrinſecũ: tùm, quia iſte amor fuiſſet redditus inefficax & imperfectus : tùm, quia contra naturam amoris finis eſt, vt non determinet voluntatem ad electionem medij neceſſarij: tùm deniqꝫe, quia nihilominùs voluntas per illum amorem ſic cohibitum, manſiſſet determinata in actu primo ad rem præceptam: ita vt, ex intrinſecâ diſpoſitione non poſſet contrarium: ſcilicet nolle acceptare, aut ſuſpendere acceptationem. Neq; dici poteſt, quod per miraculum hoc potuiſſet : quia Deus non præbet vim ſupernaturalem contra pręceptorum obſeruationem. Neq; eſt Simile, quod adferunt de gaudio beatifico, quod cohibitum eſt ne redundaret in Appetitum inferiorem. Quia electio medij neceſſarij, ita manat ex amore finis, vt efficiat cum eo vnum actum, habeatque vnam rationem formalem, & ſit in eadem potentia. Gaudium autem beatificum, & illud quod ponitur in appetitu inferiore, non cenſentur vnum, nec ſunt in eâdem potentiâ, & ratio formalis eſt diuerſa. Neque carentia gaudij in illa parte, ſcilicet appetitu inferiore, erat contra diuinum præceptum: ſicuti contra illud erat non acceptare quod Deus mandat. Quare fatendum eſt, Animam Chriſti hac ratione neceſſariò acceptaſſe rem pręcepti, ſcilicet mortem.

Primò, vt neceſſaria

Amor beatificus animã chriſti cohibuit.

refellitur. ſimile de Gaudio beatifico prohibito ne redundaret in appetitu inferiori.

Verùm, Poſteriore modo, poterat rem illam acceptare liberè alio actu : nempe propter intrinſecam bonitatem operis pręcepti : verbi gratia, quia actus obedientiæ : vel quia ſalutare hominibus : vel etiam propter finem extrinſecum : vt propter honorem Patris &c. Quod Confirmatur: Primò : Quia etſi Anima Chriſti amabat Deum amore neceſſario, nempe beatifico, qui ſequebatur viſionem : poterat tamen etiam actus liberos diuini amoris elicere, qui dirigebantur ſcientiâ infuſâ : ergo ſimiliter etſi neceſſariò acceptaret pręceptum ex vi amoris beatifici, tamen poterat etiam acceptare liberè ſub aliâ ratione, & ex vi

Secundò, vt libera

amoris liceri. Neque hæ acceptationes erant eiuſdem ſpeciei: quia acceptatio neceſſariæ tendebat in rem præceptam ſub ratione boni neceſſarij ad diuinam amicitiam: acceptatio autem libera dirigebatur per ſcientiam infuſam, & non tendebat in opus, tanquam in bonum neceſſarium; ſed in tale, cuius electionem poſſet omittere: ſatis enim erat ad præcepti expletionem altera acceptatio. Confirmatur Secundò, Quia in alijs rebus, ad quas neceſſariò determinati ſumus, experimur nos actu libero eas poſſe acceptare: vt mortẽ captiuitatem, & ſimilia: cur non etiam eas, ad quas voluntas determinata eſt? Nec obſtat, quod ille actus non videatur efficax, eò quòd ſine eo res fieret: quia ex parte ſua efficax eſt, & ſufficiens quî opus faciat, etiamſi aliunde nulla eſſet eius neceſſitas. Itaque Dominus etiam actu libero mortem acceptauit, quamuis aliunde eam neceſſariò acceptaret. Neque hic actus eſt reflexus, ſed directus in ipſum obiectum: non enim ſolùm vult libere illum neceſſarium conſenſum in mortem, ſed etiam ipſam mortem.

10 4. Obiect. Ex præuiſione futurorum.

Obijcitur Quartò, Ex præuiſione futurorum. Nam Chriſti Anima à primo inſtanti ſuæ conceptionis, videbat omnes functiones, quas erat obiturus in vitâ, omneſque modos, & circumſtantias illarum: ergo voluntas eius neque aliud, neque aliter poterat velle facere, quàm intellectus videbat illam facturam: ergo voluntas erat omnino determinata ab intellectu.

Reſpondeo, Viſionem illam Chriſti, quatenus terminabatur ad futuras ipſius actiones, dependiſſe ab vſu libero voluntatis humanæ. Non enim ideò Chriſtus illas actiones erat obiturus, quia illas præuidebat: ſed contrà, ideò illas præuidebat, quia aliquando erat illas facturus. Talis itaque ſuppoſitio, cùm omnino ab ipſa libertate pendeat, libertatem non tollit; alioquin euerteret ſuum obiectum: atque ideò ſeipſam. Confirmatur; Nã ſi ideò Anima Chriſti videt ſuas actiones, quia illæ futuræ ſunt: ergo ſecundùm rationem priùs eſt illas eſſe futuras, quàm illas eſſe viſas: atqui ſecundum hanc rationem futuræ erant liberæ: ergo à viſione, quæ ratione eſt poſterior, non accipiunt neceſſitatem: Nam ipſius libertas per viſionem illam videtur: ergo nõ deſtruitur. Ratio eſt, Quia viſio illa, vt verſatur circa actus futuros, nullam habet vim in voluntatem: vnde non magis tollit libertatem, quàm viſio futurorũ in Deo, tollit libertatem actionum noſtrarum: Eſt enim intuitio purè ſpeculatiua, ſupponens ſecundùm rationem ipſas actiones futuras cum omnibus ſuis modis & circumſtantijs.

Refellitur

Chriſtus præuidit ſuas actiones, quia eras factu-rus, non contrà.

Nec obſtat, Quòd illâ viſione poſitâ, infallibile ſit actus illos eſſe futuros: quia hoc non prouenit ex eo, quòd voluntas à viſione determinetur; ſed potiùs ex eo, quòd voluntas per ſuas actiones futuras viſionem determinat. Secùs eſt de viſione, quâ quis videt decretum diuinum, quo Deus decreuit vt ſic opereris: quia decretum illud, eſt cauſa, cur ſic ſis operaturus; & viſio illius decreti ad hoc voluntatem determinat; ita vt ſine peccato non poſſit velle niti in contrarium.

Vnde infallibilitas actionum chriſti.

ARTICVLVS V.

Vtrum voluntas humana chriſti fuerit omnino conformis Voluntati diuinæ?

11 Diſtinguitur.

REſpondetur, Chriſtus ſecundùm Appetitum ſenſitiuum & voluntatem naturalem, poterat aliud velle quàm Deus (intellige, affectu ſimplici & inefficaci) v. g. non pati, non mori: Secundùm voluntatem autem rationalem, quæ omnes circumſtantias conſiderat, non poterat aliud velle, quàm Deus: intellige, voluntate efficaci & abſolutâ.

Triplex conformitas voluntatum, diuinæ & humanæ.

Vt hæc res clariùs explicetur: Nota, ex 1. 2. q. 19. a. 10. & in dub. 1. humanam voluntatem poſſe eſſe tripliciter conformem diuinę. Primò; Secundùm ſe: quando Deus vult me hoc velle, quamuis ipſe hoc non velit; vt patet in voluntate Abrahę, quâ voluit immolare Filium. Secundò; Quando eſt conformis in volito materiali: vt quando eandem rem volunt. Tertiò, In volito formali; id eſt, quando volunt aliqua etiam diuerſa, propter eandem rationem. Vt Daniel. 10. patet in voluntate Principis Perſarum, & Principis Synagogæ.

12 Abſoluta Voluntas Chriſti fuit conformis diuinæ in volito formali.

Nunc Dico Primò, Voluntas humana Chriſti abſoluta & efficax, quæ explicatur per *Velo*, *nolo*, ſemper fuit conformis diuinæ voluntati in volito formali; id eſt, in ratione volendi. Probatur Ioan. 4. v. 34. *Meus cibus eſt, vt faciam voluntatem eius qui miſit me* & cap. 6. v. 38. *Veni vt faciam voluntatem eius, qui miſit me.* & c. 8. v. 29. *Quæ placita ſunt ei, facio ſemper.* Et alibi. Definita eſt hæc veritas in VI. Synodo act. 4. in epiſtola Agathonis, & 17. in definitione fidei. Vide Ianſenium Epiſcopum Gandenſem in illud Matth. 26. *Verùm tamen non mea voluntas, ſed tua fiat.* Ratio eſt; Quia hæc conformitas eſt neceſſaria, vt voluntas humana ſit honeſta: atqui voluntas chriſti maximè fuit honeſta; vt qui ſemper in omnibus Dei gloriam ſpectauerit: quòd etiam ſpectat Deus.

Item in volito materiali.

Dico Secundò, Voluntas humana Chriſti abſoluta & efficax, ſemper fuit conformis diuinæ, etiam in obiecto materiali. Eſt communis Doctorum in 3. diſt. 15. vel 17. D. Thomę hîc & infrà q. 21. a. 4. Ratio eſt, Quia Chriſtus non poterat abſolutè velle, quod Deus abſolutè nolebat fieri. Cùm enim clarè videret in Deo, quidquid ipſe abſolutè in quâque re volebat; videbat contrarium eſſe impoſſibile, ſaltem ex ſuppoſitione: vnde ſuppoſitâ eâ viſione non poterat abſolutâ voluntate conari in contrarium, quia voluntas abſoluta non eſt impoſſibilium, quamuis impoſſibilitas ſit ex ſuppoſitione.

Dices, Chriſtus poterat conſiderare in ſuis cruciatibus, ſolùm naturæ incommodum, non conſiderando actu diuinam ordinationem, aut hominum vtilitatem: ergo poterat illud obiectum ita conſideratum, abſolutè nolle.

Reſpondeo, Saltem per ſcientiam beatam non poterat vt illa præciſione: vnde non poterat iudicare contrarium abſolutè eligendum. Per ſcientiam autem infuſam, poterat quidem ſpeculatiuè conſiderare cruciatus ſine ordinatione diuinâ; tamen practicè, ſeu in ordine ad electionem voluntatis, non poterat: quia tunc neceſſarium erat omnia conſiderare, quæ prudens electio poſtulabat.

13 Voluntas inefficax non fuit ſemper conformis diuinæ in volito materiali.

Dico Tertiò, Voluntas chriſti interdum habuit motus ſimplices & inefficaces, qui non erant cõformes diuinæ voluntati in re volitâ; tamen ſecundùm ſe ſemper erant conformes, vel etiã ſecundùm rationem volendi.

Vbi aduerte; In Chriſti voluntate fuiſſe interdum motus inefficaces, qui explicantur per *Vellem*, *nollem*, qui nihil aliud ſunt, quàm ſimplex complacentia aut diſplicentia: habuitque voluntas hoſce motus non ſolùm vt Natura, id eſt, vt

fertur in naturæ commodum, vel fugit eius incommoda; sed etiam vt Ratio tùm superior, tùm inferior: Vt, cùm volebat latere, & non poterat; cùm volebat omnes conuerti, & neminem perire.

Prob. de motu naturali.

Prior Pars de motu naturali, quem habuit voluntas vt natura: Probatur Matthæi 26. v. 39. *Non sicut ego volo, sed sicut tu.* Hic motu naturali refugit mortem; cùm tamen diuina volũtas vellet ipsum suscipere mortem, cui se hîc subijcit. Dices; quomodò hic motus erat cõsentaneus rationi, cum discreparet à voluntate diuinâ? Respondeo; Etiamsi discreparet in obiecto materiali, tamen ipse motus secundùm se erat conformis rationi, ac proinde voluntati diuinæ: quia ratio excitabat & imperabat hunc motum secundùm Dei voluntatem; idque partim ad demonstrandam veritatẽ naturæ humanæ, & passionis acerbitatem; partim ad excitandam in se maiorem tristitiam. Adde; Probabile esse etiam in beatis tales motus voluntatis naturales esse posse; vt, ad Resurrectionem corporum: quod insinuatur Apoc. 6. quamquam etiam ij in illis sint libeti quoad exercitium.

Tales motus sunt etiam in Beatis.

Prob. de motu Rationali.

Quòd autem non solùm motus voluntatis naturalis, sed etiam rationalis, posset dissentire à voluntate diuinâ in volito materiali, siue esset in ratione superiore siue inferiore: Probatur; Quia id docet D. Tho. in 3. dist. 17. q. 1. art. 2. quæstiũc. 3. & Gabriel eâdem distinctione. Et Scotus dist. 15. Et patet Marci 7. & Matt. 9. vbi Christus volebat latere, & non poterat: quæ voluntas non erat ex inclinatione ad commodum aliquod naturæ, sed ex aliquâ honestâ ratione: vnde pertinebat ad voluntatem, vt Ratio est. Similiter volebat omnes saluari, neminem perire, quod tamen Deus absolutè non volebat. Ratio est; Quia in his actibus exercẽdis poterat esse aliqua honesta causa pertinens ad rationem superiorem, vt honor Dei, salus proximi: Vnde illi motus erant ex inclinatione Rationis superioris, & non Naturę. Nec mirum hoc videri debet, quia etiam in beatis, & in ipso Deo, suo modo tales velleitates & nolleitates esse possunt.

Sunt etiã tales velleitates in Beatis.

Ex quibus patet altera Pars; scilicet, hos motus conformes fuisse diuinæ voluntati, siue secundùm se, siue in obiecto formali.

ARTICVLVS VI.

Vtrum in Christo fuerit contrarietas Voluntatum?

14 Voluntas humana Christi nunquam reluctata fuit Diuinæ.

REspondetur; In Christo absolutè non fuit Appetituum contrarietas. Est fide tenendum: vt patet ex Epistolâ Agathonis in VI. Synodo. act. 4. & act. 17. vbi absolutè definitur, quòd voluntas humana non reluctabatur diuinę. Idem definitur in Concilio Lateranensi sub Martino I. can. 15.

Patet ex dictis; Quia voluntas humana Christi absolutâ, erat conformis diuinæ in volito materiali, & formali: inefficax autem erat conformis eidem diuinæ voluntati, vel in volito formali, vel saltem tamquam operatio suæ regulæ; nam Deus volebat Christum pati tales motus: ergo etiam erat conformis voluntati humanæ absolutæ & efficaci: ergo nulla erat contrarietas. *Volo* enim & *nolo* sunt contraria: sed hęc in Christo circa idem simul non fuerunt; sed tantùm *Volo* & *nollem*; quæ nihil repugnant. Denique omnes Christi voluntates erant secundùm virtutem; vt patet ex suprà dictis: ergo nulla inter eas erat contrarietas.

QVÆSTIO XIX.
De Operatione Christi & Merito.
In Quatuor Articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum in Christo sit tantum vna Operatio?

1

REspondetur; In Christo sunt duæ operationes; altera diuinitatis, altera humanitatis. Est de fide definita in VI. Synodo, act. 2. 4. 8. 13. 17. contra Cyrum, & Theodorum, & alios Monothelitas, qui asserebant tantùm vnicam voluntatem & operationem esse in Christo. Item in Concilio Lateranensi sub Martino I. cap. 10. & sequentibus.

Monothelita.

Nota; Hæreticos qui ponebãt tantùm vnicam voluntatẽ in Christo, posuisse etiam tantùm vnicam operationem, scilicet ex parte vnius principij operantis; vt sicut omnes nostræ actiones sũt humanæ voluntatis, vt pote ab ea elicitæ vel imperatæ; ita omnes actiones Christi, essent actiones diuinæ voluntatis tantùm ab eâ elicitæ vel imperatæ; quæ diuina voluntas id faceret in Christo, quod voluntas humana facit in nobis. Hæc videtur illorum hæreticorum sententia: sed refutatio patet ex dictis præced. quæstione vbi ostensum est in Christo esse duas voluntates, & vtramque habuisse suas operationes.

Dices, Omnis operatio Christi erat actio voluntatis increatæ; nam erat volita ab illâ, & habebat ab illâ esse voluntarium & liberum.

Respondeo, Propriè loquendo falsum est omnem Christi actionem, fuisse actionem voluntatis increatæ; aut habuisse esse voluntarium & liberum ab illâ: nam actiones Christi quæ fiebant per humanitatem, tanquam *principium quo*, non erant proximè voluntariæ à voluntate increatâ (alioqui non fuissent liberæ respectu voluntatis humanæ, vnde nec meritoriæ) sed ex ordine ad voluntatem humanam, à qua habebant quòd essent humanæ, voluntariæ, liberæ. A voluntate autem diuinâ erant, non vt actus ab illâ elicitus, vel immediatè imperatus, sed vt effectus à causâ vniuersali. Eliciebantur autem vel à voluntate humanâ, vel ab alijs potentijs per humanam voluntatem ad operandum applicatis. Neque in contrarium est Argumentum alicuius momenti.

Digitized by Google

ARTICVLVS II.

Vtrum in Chriſto ſint plures Operationes Humanæ?

2 Operatio humana, Quid.

RESpondetur; In Chriſto eſt vna dumtaxat Operatio humana; ſcilicet ex parte principij. Ratio eſt; Quia illa operatio dicitur humana, quæ à ratione & voluntate procedit: Atqui omnis Chriſti operatio procedebat quodammodo à iudicio rationis & voluntate: ergo omnis operatio erat humana.

Fuit hæc ſolùm vna in Chriſto non metaphyſicè, ſed moraliter.

Notandum eſt, Dubium non eſſe quin in intellectu & voluntate Chriſti fuerint variæ operationes, numero, & ſpecie differentes; & pariter in alijs quoque potentijs. Sed D. Thomas tantùm vult dicere omnes Chriſti operationes fuiſſe vnam genere, nõ metaphyſico, ſed morali: quia omnis eius operatio quodammodò pendebat ab vnico principio, nempe à ratione & volũtate: & ratione huius vnius principij, dicitur vna. Hoc autẽ ſingulare fuit in Chriſto, eò quòd voluntas humana Chriſti, habuerit perfectum imperium ſuper omnes animi motus, & etiam ſuper functiones corporales, ita vt eas pollet ſuſtinere ſaltem diuinâ virtute; & ita omnes quodãmodò erant liberę & humanæ, ſupraque conditionem actionum naturalium. In nobis autem non omnes actiones ſunt liberæ aut humanæ: vt primi motus, & actus potentiæ vegetatiuæ, motus cordis, pulſus arteriarum; & ſimilia.

Cur poti' omnes Chriſti actiones ſint humanæ & liberæ, quàm noſtræ.

Viſio & Amor beatificus quomodo ſint operationes humanæ.

De viſione & amore beatifico quæri poteſt. Sed dicendum eſt, non fuiſſe actiones liberas, nec potuiſſe ſuſtineri; fuiſſe tamen quodam ſenſu humanas: quia ex pleno iudicio rationis, & perfecta poteſtate voluntatis.

ARTICVLVS III. & IV.

Vtrum Actio humana Chriſti potuerit ſibi & alijs eſſe meritoria?

3 RESpondetur affirmatiuè. Notandum eſt; Cùm hac quæſtione agatur de Actionibus Chriſti humanis, commodiſſimè hîc tractari de Merito Chriſti & Satisfactione, quæ ſunt conditiones quædam morales operum. Nam ipſam ſubſtantiam, & realem perfectionem operum Chriſti, ſuprà ſatis explicauimus. Supereſt igitur, vt nunc de perfectione morali, & earum fructu dicamus, qui potiſſimùm conſiſtit in Merito & Satisfactione. Et quamuis ſit aliqua diuerſitas inter Meritum & Satisfactionem (Meritum enim dicit ordinem ad præmium, Satisfactio autem ad iniuriæ compenſationem) tamen in propoſito, vtriuſque eadem eſt conſideratio; quia eaſdem ferè conditiones requirunt, & in ſingulis Chriſti operibus coniuncta ſunt.

Dicemus autem Primò; De quibuſdam conditionibus ipſius merentis. Secundò, De quibuſdam conditionibus ipſius meriti. Tertiò, Quid, & quibus meruerit.

DVBIVM. I.

Vtrùm in Chriſto fuerint omnes conditiones neceſſariæ ad meritum?

4 RESpondeo, Fuiſſe omnes haſce conditiones neceſſarias ad Meritũ in Chriſto; vnde verè potuit mereri, & reipſa meruit. Eſt fide tenẽda.

Probatur Primò, Quia id expreſsè colligitur ad Philip. 2. verſ. 8. *Humiliauit ſemetipſum, factus obediens vſque ad mortem*, &c. *Propter quod & Deus exaltauit illum*, &c. illud, *Propter*, deſignat meritum. Et Iſaiæ 53. verſ. 10. *Si poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longæuum.* Et Pſal. 44. verſ. 8. *Dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem: Propterea vnxit te Deus tuus oleo lætitiæ.*

Tres conditiones ad meritũ requiſitę.

Probatur Secundò, Enumeratis conditionibus ad meritum neceſſarijs; quę ſunt triplices. Aliæ enim sũt neceſſarię ex parte operis. Alię ex parte operãtis. Alię ex parte eius cui fit opus; id eſt, Dei.

Prima, ex parte Operis.

Ex parte operis, requiritur vt ſit opus liberum, honeſtum, & proportionatum præmio, vel debito pro quo ſatisfit. Quę omnia reperiuntur in operibus Chriſti: erant enim libera, vt oſtenſum quæſt. 18. artic. 4. erant honeſta, erant ſupernaturalia, ac proinde præmio commenſa: denique laborioſa & pœnalia.

Secũda ex parte Operantis.

Ex parte operantis, requiritur Primò, vt operans ſit Deo gratus & amicus. Secundò, Vt ſit viator; id eſt, tendat ad beatitudinem. Quæ conditio, etſi non ſit neceſſaria ad meritum ſecundùm potentiam abſolutam, (poſſet enim Deus ſtatuere vt beati ſuis bonis operibus mererẽtur) eſt tamen neceſſaria ſecundùm legem ordinatã; ſtatuit enim Deus vt meritum ſolùm duret vſque ad terminum vitæ; vt patet ex multis Scripturis. Quod etiam eſt valdè cõſentaneũ naturę meriti: nam meritum eſt veluti quædã via ad præmium; ac proinde non aptè conuenit in eum, qui iam eſt in termino. Hæc conditio etiam fuit in Chriſto: erat enim Deo gratiſſimus; & ſecundùm corpus paſſibile erat vere viator tendens ad patriam; & quodammodò etiam ſecundùm Animam, quatenus tendebat ad excluſionem omnis triſtitię & incommodi ipſius Animæ. Quæ conditio indicatur, iuxtà D. Thomam ſupra quæſt. 15. art. 10. apud Ieremiam cap. 14. v. 8. *Quare quaſi colonus futurus es in terra, & quaſi viator declinans ad manendum!* Sẽſus tamen litteralis fortaſſis eſt alius. Meliùs Lucæ 24. v. 26. *Nonne hęc oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam?*

5 Tertia, ex parte acceptantis.

Ex parte autem Dei, requiritur pactum ſeu promiſſio mercedis ſub conditione operum; alioqui non erit verum meritum, cui ex aliqua iuſtitia debeatur merces, quamuis ceterę omnes conditiones adſint. Ratio eſt; Quia nullum poteſt eſſe meritum ſecundùm aliquam iuſtitiam, niſi quodammodò obliget alterum ex iuſtitia ad reddendam mercedem: atqui in Deo nulla poteſt intelligi obligatio iuſtitiæ, niſi ſuppoſito pacto & promiſſione ipſius: ergo ſine promiſſione & pacto Dei, nullum poteſt eſſe propriè dictum meritum apud Deum. Maior patet: quia ſi in reddendà mercede non cernitur debitum iuſtitiæ, neque in merito erit ius iuſtitiæ; quia ſunt relata. Minor patet; quia nulla voluntas creata poteſt Deo imponere hanc obligationem iuſtitiæ, niſi ipſe ſponte ſuâ ſe prius obliget ſub conditione operis per modum pacti: quia eſt ſupremus omnium Dominus. Vnde etſi opus ſecundùm ſe dignum ſit mercede, tamen hoc non ſufficit vt ipſe obligetur: ſicut patet in opere ſerui erga Dominum.

Probatur ex Scriptura.

Quòd autem Chriſtus habuerit talem promiſſionem, patet iſaiæ 53. v. 10. *Si poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longæuum.* Pſal. 2. verſ. 8. *Poſtula à me, & dabo tibi Gentes hereditatẽ tuam.* Lucę 24. verſ. 26. *Nonne oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam?* Ratio eſt; Quia ad benignitatem Dei pertinet, vt nullum præceptum præſertim poſitiuum & durum imponat, ſine promiſſione mercedis. Ex his patet in Chriſto fuiſſe omnes conditiones meriti.

ogle

Dices, Hoc ipſo quo Pater Filium voluit aſſumere naturam humanam, obligauit ſe ad conſentiendum voluntati naturæ aſſumptæ ob dignitatem perſonæ; & ad reddendum præmium quod ſuis operibus poſtulauerit: ergo non requiritur alia promiſſio.

Incarnatio ſine pacto, non faceret Chriſti opera eſſe meritoria.

Respondeo; Sola voluntas aſſumendi humanitatem, ſeiuncta ab omni alia promiſſione, non inducit vllam obligationem in Deo reſpectu operum humanitatis. Nam ex vi incarnationis ſolùm ſequitur opera illius hominis non poſſe Deo diſplicere, & eſſe ex ſe apta ad meritum & ſatisfactionem; non autem re ipſa eſſe meritoria. Cuius ſignum eſt, quia alioqui etiam modo eſſét meritoria: quod omnino falſum eſt. Quare cùm nunc non ſint meritoria, patet ad hoc requiri liberam quandam Dei promiſſionem. Quę etiam cauſa eſt cur opera animarum in purgatorio, item Eliæ & Enoch non ſint meritoria; quia videlicet non habent promiſſionem diuinam, niſi ſecundùm certum terminum vel vitæ huius, vel conuerſationis humanæ. Potuit tamen voluntas diuina eſſe determinata ad conſentiẽdum omni voluntati efficaci & abſolutę ipſius naturę aſſumptę abſque obligatione iuſtitię: nempe hoc ipſo, quo voluntarie fecit eam voluntatem diuini ſuppoſiti, quam oportebat ſemper impleri. inſinuat hoc Sotus diſt. 19. quæſt. 1. art. 2. Verius tamen videtur diuinam volũtatem per hoc præciſe non determinari ad conſentiendum in omnibus voluntati creaturę; vt Andreas Vega lib. 7. in Tridentinum cap. 9. item Scotus, Durandus, & Gabriel diſt. 19. Ratio eſt; Quia voluntas humana potiùs ſe debet conformare diuinæ tamquam ſuperiori in eodem ſuppoſito, quàm diuina humanę. Vnde non conueniebat humanam aliquid velle, niſi ſciret id diuinę eſſe acceptum & gratum. Quare ſi fingamus Animam Chriſti ignoraſſe an hoc vel illud placeret diuinę voluntati; non potuiſſet id abſolutè velle, ſed ſolùm ſub conditione, cum ſubmiſſione ſui ſub diuinà; ſicut Sancti modò volunt.

DVBIVM II.

Vtrùm neceſſarium ſit ad meritum, vt Chriſti Humanitas fuerit ornata Gratiâ Habituali?

6 Poterat mereri ſine gratia habituali.

Respondeo & Dico Primò: Gratiam habitualem non fuiſſe Chriſto abſolutè neceſſariã ad meritum. Docet hoc Sotus ſuprà, & lib. 3. de Natura & gratia cap. 6. Vega loco citato.

Probatur Primò, Quia ſine tali gratia illa perſona erat ſummè grata, & dilecta, & poterat ſupernaturaliter operari ex motione & auxilio Spiritus ſancti; & aliæ conditiones poterant adeſſe; nempe Promiſſio, Opus liberum: ergo ſine gratiâ poterat mereri.

Probatur ſecundò, Quia Chriſti merita habent ſuam dignitatem infinitam ex ſola gratia vnionis: ergo ſine gratia habituali eſſent meritoria. Confirmatur; Quia ipſa gratia habitualis in Chriſto habet ſuam præcipuam dignitatem ex vnione hypoſtaticâ: ergo gratia vnionis eſt ſufficiens. Dices; ergo neque ſecundùm legem ordinariam erat Chriſto neceſſaria gratia habitualis.

Erat tamẽ neceſſaria ad maiorẽ perfectionem.

Respondeo; Ob ſolam & præciſam rationem meriti, non erat neceſſaria gratia habitualis; ſed ad maiorem perfectionem: nempe vt opera eius pluribus modis & rationibus eſſent meritoria; & vt ipſa, ſecundùm ſuam ſubſtantiam manarét à principio intrinſeco connaturali ſibi: ſine enim donis habitualibus anima non habet principium intrinſecum commenſum functionibus ſupernaturalibus. Et ſic intelligendi ſunt quidam Doctores, qui videtur ſentire gratiam creatam ad meritum fuiſſe neceſſariam; vt Bonauentura, Durandus, Paludanus in 3. diſt. 13.

Dico Secundò, Chriſto non erant abſolutè neceſſaria opera gratiæ ſeu ſupernaturalia ad meritum; ſed potuiſſet mereri ex iuſtitia gratiam & gloriam, per ſola opera moraliter bona, viribus naturæ facta, ſi promiſſio diuina interueniſſet.

7 Abſolutè mereri poterat per opera naturalia.

Probatur; Si Deus aſſumeret humanam naturam nudam ſine vllo dono ſupernaturali creato, & promitteret huic homini gratiam & gloriam, & noſtram redemptionem, ſub conditione bonorum operum prout fieri poſſunt naturæ viribus, & hic homo expleret conditionem operando illo modo; ex iuſtitia deberetur illi præmium promiſſum. Patet, Nam concurrerent omnes iuſti meriti conditiones.

Dices; Illa opera non eſſent ex motione & gratia pręueniente Spiritus ſancti; & ſecundùm ſe non eſſent proportionata bonis ſupernaturalibus: ergo non eſſent meritoria.

Etſi non Phyſicè, moraliter tamen hæc eſſent proportionata mercedi.

Respondeo; Etſi ſecundùm eſſe phyſicum & reale, non eſſent proportionata tantæ mercedi; tamen ſecundùm eſſe morale maximè eſſent proportionata. Nam ex dignitate Perſonę operantis eſſent opera infinitè grata: ergo moraliter eſſent magis proportionata mercedi ſupernaturali, quã opera quæ in ſubſtantia ſunt ſupernaturalia. Nã dignitas perſonæ plus cõfert ad meritum, quàm qualitas & conditio naturalis ipſius operis: vnde facile compenſat omnem imperfectionem, quæ eſt ex parte operis. Quod confirmatur, Quia humanitas, hoc ipſo quo aſſumpta eſt, & effecta natura perſonæ diuinæ, habet talem reſpectum ad gratiam & gloriam, vt ei quodammodo tamquam proprietates naturales debeãtur: ergo pari ratione ipſa bona opera, hoc ipſo quo a tali perſonâ procedunt, habent ſufficientem proportionẽ meriti ad dona gratiæ & glorię. Quare accedente promiſſione, perficietur in eis ratio meriti.

DVBIVM. III.

Quibus operibus Chriſtus meruerit?

Respondeo & Dico Primò, Certum eſt non meruiſſe per actus proprios diuinę voluntatis: voluntas enim diuina cùm ſit ſuprema, non poteſt eſſe capax meriti, ſicut nec præmij. 8

Non meruit per voluntatẽ diuinam.

Dico Secundò; Actus humanitatis chriſti non habẽt formaliter vt eſſent meritorij à voluntate diuinâ. Patet; Quia quando vnus actus fit formaliter meritorius per alterum; totum meritum propriè eſt in illo à quo alter tamquam à cauſâ proceſſit, & extrinſecè denominatur: vt videre eſt in actu externo & interno: externus enim actus dicitur meritorius ab interno, in quo eſt tota ratio meriti. Atqui in actu diuinæ voluntatis non eſt meritum: ergo &c.

Confirmatur, Quia, vt ſuprà dictum eſt, Actus humanitatis chriſti non ſunt liberi per voluntatem diuinam: ergo nec meritorij. Patet conſequentia; Quia ab eodem actu eſt libertas & meritum.

Sed per actus liberos humanitatis.

Dico Tertiò, Chriſtus meruit per omnes actus liberos, ſiue à voluntate humanâ, ſiue ab alijs potentijs elicitos. Eſt communis, & certa.

Probatur; Quia omnes hi actus erant liberi &

honeſti, & in perſona infinite grata, perfectoque modo operante, aderatque promiſſio: ergo &c. Secundò, Quia, Vel erant eliciti a virtutibus ſupernaturalibus; & ita erant per ſe meritorij: vel erant eliciti a virtutibus ordinis naturalis; & ſic ex dignitate perſonę efficiebatur meritorij; præſertim cùm chriſtus ſemper per charitatem omnia opera ſua in Deum referret, omnia faciens ad maiorem Patris gloriam, quia perfecto modo operabatur: Vel denique erant actus imperati à voluntate, ſicut omnes actus externi, labores, ieiunia, lachrymæ, & ſimilia: & hi actus etiam erant meritorij, eo videlicet modo quo erant liberi: Erant autem liberi per denominationem extrinſecam, quatenus liberâ voluntate imperati, vel permiſſi: quare etiam eodem modo erant meritorij.

9 Non per beatificos.

Dico Quartò, Chriſtus non meruit per actus humanitatis, qui nullo modo ſunt liberi; vt per viſionem beatificam, & amorem beatificum. Ratio eſt; Quia libertas eſt conditio omnino neceſſaria ad meritum. Contrarium tenent quidam Nominales. Petrus de Alliaco & Iacobus Almainus, qui exiſtimãt libertatem requiri ad meritum, non ex naturâ meriti, ſed ex lege Dei poſitiuâ, qua Chriſtus non adſtringebatur; vel quia erat Filius naturalis, vel ex diſpenſatione. Sed contrarium oſtenſum eſt 1. 2. quæſt. 114. artic. 3. Ratio enim meriti poſtulat vt ſit liberum: quia meritum eſt veluti pretium quoddam, quod quis de ſuo confert vt obtineat præmium: ergo requirit vt is, qui meretur, ſit eius Dominus. Nam quod quis neceſſariò facit, non confert de ſuo. Vnde non pendet hoc ex aliquà lege poſitiua. Idem docent Doctores in 3. diſt. 18. Adde: Chriſti meritum non fuiſſe fundatum in aliquà exemptione ſeu diſpenſatione, in ijs quæ ad rationem meriti ſunt neceſſaria.

Petrus de Alliaco & Almainus refutãtur.

An meruerit per Amorẽ Dei.

Dices; Si Chriſtus non meruit per actus non liberos: ergo non meruit per amorem Dei: nam neceſſariò Deum amabat.

Negat Alenſis. Inſinuat Scotus.

Reſpondeo; Quidam admittunt Chriſtum non meruiſſe per amorem Dei, ſed ſolùm per amorem proximorum, & alia virtutum opera. Ita Alexander Alenſis 3. p. quæſt. 17. memb. 2. Et Scotus diſt. 18. quæſt. vnica ad 2. inſinuat eſſe probabile quòd Chriſtus non meruit per portionem ſuperiorem; id eſt, vt verſabatur immediatè circa Deum.

Affirmatur.

Sed contrà; Quia Patres referunt Chriſti meritum potiſſimùm in eximiam eius charitatẽ erga Patrẽ: quòd etiam ipſe indicat Ioan. 14. verſ. 31. *Vt cognoſcat mundus, quia diligo Patrem; & ſicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio; ſurgite eamus*: ſcilicet obuiam hoſtibus. Dico ergo, chriſtum meruiſſe per actum amoris qui ſequitur viſionem beatificam; non vt hic amor neceſſariò terminatur ad Deum perficiens beatitudinem; ſed quatenus extendebat ſe ad alia quæ in Verbo videntur; vt benè docet Scotus ſuprà: nam ad hæc libere ſe poterat iſte amor extendere per quoddam additamentum. Secundò, Quatẽnus ſimplici complacentiâ poterat in Deum ferri, vt ſuprà quæſt. 18. artic. 5. dictum eſt: quæ cõplacentia ſic explicatur: Etiamſi non neceſſitaret, tamẽ vellem Deum ſummè amare. Tertiò, Prętter amorem qui ſequitur viſionẽ beatificam, erat in Chriſto alius quidam amor Dei omnino liber, ſequens ſcientiam infuſam; & hic erat maximè meritorius. Quod inſinuat D. Thom. art. 3. ad 1. Dicens Chriſtum meruiſſe per charitatem Dei, non vt ea erat cõprehenſoris, ſed vt viatoris.

DVBIVM IV.

Quanto tempore Chriſtus meruerit?

10 Meruit primo inſtanti ſuæ Conceptionis.

Reſpondeo & dico Primò, Meruit in primo inſtanti ſuæ Conceptionis. Docet id D. Thom. infrà quæſt. 34. art. 3. & in 3. diſt. 18. Vbi etiam Scotus, Bonauẽtura, Richardus, Gabriel, & alij cum Magiſtro: & immeritò Durand. quæſt. 2. dubitat. Colligitur ex Patribus, qui docent illum ab initio fuiſſe omnino plenum gratiâ, ita vt creſcere non potuerit.

Probatur Primò, Ex ſcripturis: ad Hebręos 10. verſ. 6. *Ingrediens mundum dicit: Sacrificium & oblationem noluiſti, corpus autem aptaſti mihi; holocaustomata, & pro peccato non tibi placuerunt; tunc dixi. Ecce venio, In capite libri ſcriptum eſt de me vt faciam Deus voluntatem tuam.* Et ſubdit: *In qua voluntate ſanctificati ſumus.* Atqui in ipſo inſtanti Conceptionis ingrediebatur mũdum: ergo tunc dixit ſe velle facere voluntatem Patris.

Probatur Secundò, Ratione; Nam à principio habuit perfectum vſum rationis & libertatis; vt ſuprà q. 7. art. 2. dub. 4. & ibid. art. 12. dub. 3. oſtenſum eſt: quia non tantùm habuit viſionem beatificam, ſed etiam ſcientiam infuſam, in cuius vſu non dependebat à phãtaſmatibus: ergo tunc habuit omnes conditiones neceſſarias ad merendũ; ac proinde reipſa meruit. Confirmatur, quia tunc cognouit voluntatem Dei mittentis illum in mundum; & omnia beneficia humanitati ſuæ collata; & non habebat impedimentũ quò minùs ſtatim diuinæ voluntati pollet conſentire; & erat prędituſ ſummâ gratiâ Spiritũ ſancti, quæ neſcit tarda molimina: ergo reipſa tunc conſenſit, & meruit. Confirmatur Secundò, Quia ex ſentẽtia communi Doctorum & D. Auguſtini, Angeli in primo inſtanti ſuæ creationis meruerunt: ergo multò magis Chriſtus, qui in ſupernaturalibus donis, & eorum vſu longè Angelos antecellit.

Toto tempore vitæ.

Dico Secundò, A primo inſtanti Conceptionis vſque ad inſtans mortis continuò meruit Dominus, ſaltem per actus internos ſibi immediatè ſuccedentes. Eſt communis Doctorum, præſertim hoc tempore: & ex Veteribus nemo negat. Probatur, Quia Chriſtus ſemper fuit in actuali vſu ſcientiæ infuſæ, vt ſuprà dictum eſt: nam ita fit in Angelis. Ergo pari ratione ſemper fuit in vſu alicuius virtutis infuſæ. Secundò, Quia hoc eſt longè perfectius; & ab hac perfectione non impediebatur vel ſomno, vel alijs occupationibus; ſicut nec à viſione & amore Dei: nam vſus ſcientiæ infuſę non pendebat à phantaſmatibus. Tertiò, Quia non decebat vt Chriſti virtutes, vel vno momento eſſent otioſæ: ſemper ergo erat in ipſo bonorum operum ſucceſſio.

In vltimo inſtanti vitę.

Dico Tertiò, Sicut Chriſtus in primo inſtanti meruit, ita valdè probabile eſt meruiſſe etiam in vltimo. Probatur, Quia valde probabile eſt dari vltimum inſtans vitæ: quod tenere debent omnes, qui ponunt animam non excludi per inceptionem alterius formæ; ſed per ſolam deſitionem neceſſariarum diſpoſitionum: nulla enim eſt ratio cur negent dari vltimum inſtans formæ prioris, niſi quia oportet dari primum inſtãs formę ſuccedentis. Atqui homine moriente nulla forma ſuccedit; vt docent omnes Medici, cum pleriſque Philoſophis: ergo datur vltimum inſtans vitę. Atqui Chriſtus adhuc tũc erat viator, habebatque vſum rationis, qui tormentis non poterat abſorberi: ergo poterat mereri. Si quis

tamen neget dari vltimum instans vitæ, is fateri debet etiam non dari vltimum instans in quo christus meruit, sed tempus indeterminatum.

11 Non tamen in ipsa morte.

Dico Quartò, in ipsa morte, seu animæ separatione, siue hęc facta sit in instanti, siue in tempore indeterminato, quod erat post vltimum instans vitæ, non meruit quidquam; similiter nec post mortẽ deinceps. Prior pars probatur; Quia si datur vltimum instans vitæ, certè post illud non potest esse meritum; quia anima tunc est separata. Terminus autem merendi idem est qui viuendi hac vita mortali, vt passim docent Doctores & Patres. Et apertè conuincitur ex Scripturis post hanc vitam nullum esse meritum: vt 2. ad Corinth. 5. Eccles. 11. & 14. & alibi. Si autem non datur vltimum instans vitæ, necesse est dari primum instans mortis, seu quo homo non viuit: ac proinde cùm hoc quoque instans sit post hanc vitam, & anima tunc sit separata, tunc nõ potest esse vllum meritum. Confirmatur; Quia oblatione crucis, Christus totum Redemptionis negotium compleuit; vt patet ad Hebr. 9. v. 12. *Per proprium sanguinem semel introiuit in sancta, æterna redemptione inuenta.*

12 Sed contrà. Obijcitur primò, christus nos redemit per suam mortem: ergo per ipsam meruit & satisfecit: ergo meruit in instanti mortis.

Redemit nos per mortem suam vt erat in fieri, non in facto esse.

Respondeo ex D. Thoma infrà quæst. 50. art. 6. Christum redemisse nos per mortem suam, vt erat in fieri, non vt erat in facto esse; id est, redemit nos per passionem tẽdentem vsque ad separationem animæ & corporis, non tamen per ipsam separationem, quæ erat terminus extrinsecus passionis, in quo extrinsecè terminatum fuit Christi meritum, sicut & vita ipsius.

Caietan.

Addit Caietanus: Et si mors ipsa, vt est separatio animæ à corpore, non sit secundùm se meritoria, tamen considerata vt coniuncta toti Passioni præcedenti, & vt cadit sub eundem actum voluntatis, quo Passio fuit volita; hoc modo etiã ipsa mors est meritoria: Similiter & mors Martyris. Sed propriè loquendo totum meritum solùm durat, quàm diu durat vita. Quæ post vitam fiunt, non censentur meritoria, ne extrinsecà quidem denominatione: alioqui etiam Resurrectio, Adscensio, Sessio ad dextram Patris, essent meritoria: hæc enim omnia actu meritorio priùs fuêre volita.

Sacramẽta fluxerunt à latere Christi.

Obijcitur Secundò, Ex vulnere lanceę fluxêre Sacramenta; vt passim docent Patres, Cyrillus, Chrysostomus, Theophilactus, & alij in illum locum Ioan. 19. Augustin. tract. 120. in Ioannem. Et Leo Epist. 4. cap. 6. *De latere ipsius fluxerunt sanguis redemptionis, & aqua baptismatis.* Atqui Sacramenta nituntur meritis Christi; ergo christus tunc meruit.

Respondeo, Ob hoc argumentum quidam putarunt illud vulnus inflictum christo adhuc viventi. Sed hoc est apertè contra Euangelium Ioan. 19. estque damnatum in concilio Viennẽsi; vt patet ex *Clementina vnica, de Summa Trinitate & Fide Catholica.* Dico ergo; Christum non meruisse illo tempore quo vulnus infligebatur; quia tunc erat extra statum merendi: sed meruit in vita, quando illud prævidens acceptauit pro hominum salute.

Ecclesia ibidẽ formata.

Dicuntur autem à Patribus Sacramenta fluxisse ex latere, secundùm quandam analogiam: nam illo sanguis, & illa aqua, erant simbola Sacramentorum, quæ in christi passione fundantur: in aqua enim consistit baptismus, in sanguine Eucharistia. Pari modo in eadem *Clementina* ex latere christi dicitur formata Ecclesia; quod etiam apud plerosque Patres inuenitur. Quia Ecclesia formatur his duobus Sacramentis: Baptismo nascitur, accipitque vitam: Eucharistiâ alitur & conseruatur.

DVBIVM V.

Vtrùm Meritum & Satisfactio Christi, fuerint infiniti valoris?

13 Negat Durãdus.

QVidam censent non fuisse infiniti valoris. quod insinuat Durandus in 3. dist. 20. q. 2. dum ait, *Christum non potuisse reddere Deo æquivalens pro beneficijs acceptis.* Idem repetit in 4. dist. 15. q. 1. Supponit igitur opera eius non esse infiniti pretij. Idem expresse docet Scotus & Gabriel in 3. d. 19. & 20. & in 4. d. 15. Ait enim Scotus, *Velle christi, in quo omne meritum cum omnibus suis respectibus, est finitæ perfectionis.* Addit tamen Scotus, tantum valuisse ipsius meritum, quantũ Deus illud acceptauit. Et quamuis ex parte operis non habuerit congruitatem vt acceptaretur pro infinitis, tamen ex parte personæ habuisse. Sed contraria sententia est communis, præsertim hoc tempore. Pro qua.

Scotus & Gabriel.

Veritas affirmatur.

Dico Primò, Singula Christi opera, vt ab ipso procedebant, erant infiniti pretij & æstimationis in ratione Meriti & Satisfactionis corã Deo. Ita passim Theologi d. 19. & 20. vbi Bonauentura, Richardus, Paludanus, Capreolus, & alij: & in 4. dist. 15. D. Thomas suprà q. 1. a. 2. & infrà q. 46. a. 5. ad 3. vbi ait: *Minima passio christi sufficiebat ad redimendum totum genus humanum.* Alexander Halensis 3. parte suæ Summæ q. 17. memb. 3. & 5. Guilelmus Altisiodorensis. lib. 3. Summæ Tract. 1. cap. 8.

Clemens VI.

Probatur Primò, Per Extrauagantem Clementis VI. quæ incipit, *Vnigenitus.* Vbi ait; *Quod gutta sanguinis modica, propter vnionẽ ad Verbum, pro redemptione totius generis humani sufficisset*: ergo ex se erat infiniti pretij. Vnde ibidem ait, *Thesaurũ Ecclesiæ esse infinitum, quem Christus suis meritis, & satisfactionibus acquisiuit.* Idem insinuant Patres infrà citandi. Neque hic recurri potest ad acceptationem; quia acceptatio non tribuit rei valorem & dignitatem; sed res ob suam dignitatẽ & valorẽ acceptatur: vnde supponitur acceptationi alioquin dicere possemus, quoduis bonum opus hominis iusti, esse sufficiens pro redẽptione saltem duorum vel trium hominũ; quia potest à Deo ad hoc acceptari. Quod est contra modum loquendi Scripturæ & Patrum.

Merita Christi ex se sufficiũt pro quantũuis multis & grauibus peccatis.

Probatur secundò. Ratione: Prima, quia merita & satisfactiones Christi, ex parte suâ sufficiunt pro peccatis quantumuis multis & grauibus, hominum quantumuis multorum: ergo sunt infiniti pretij. Antecedens est omnino certum; tùm, quia scriptura passim dicit Christum satisfecisse pro peccatis totius mundi; quibus verbis insinuatur infinita efficacia pro quãtumuis multis: tùm, quia possemus metuere ne tãdem ita excresceret peccatorum mensura, vt meritum Christi non sufficiat. Consequentia patet: & Confirmatur à simili. Quia si aliqua pecunia esset tanti valoris, vt per eam possent cõemi res quæcumque quantumuis multæ, ea esset actu infiniti pretij: ergo similiter Christi merita.

Dignitas operantis est veluti forma dãs esse merito.

Secunda Ratio: Persona operans erat infinitę dignitatis: ergo quodlibet eius opus erat infinitæ æstimationis. Patet Consequentia; Quia persona secundùm totã suam dignitatem influit in

opus: eſt enim veluti intrinſeca forma ipſorum operum, quatenus ſunt meritoria vel ſatisfactoria. Cuius ſignum eſt, quod nullum opus, quantumuis perfectum aut ſupernaturale, ſit meritorium aut ſatisfactorium, niſi perſona operans ſit grata; vt oſtenſum eſt 1. 2. quæſt. 114. vnde dignitas operatis videtur eſſe quaſi vltima forma, quæ dat *eſſe* merito & ſatisfactioni: vti ſtatim infra num. 15. in reſponſione ad obiectionem, latiùs patebit.

Tertia Ratio: Si illa perſona non tribueret ſuis operibus infinitum pretium, fieri poſſet vt opus factum à perſona creata, eſſet paris æſtimationis, imò & maioris coram Deo, quam opus Filij Dei. Patet ſequela; quia omni finito, ſeu habenti certam menſuram, poteſt dari æquale & maius: atqui hoc eſt abſurdum, & contra Patres citatos quæſt. 1. artic. 2. qui dicunt Incarnationem fuiſſe neceſſariam ad noſtram Redemptionem.

14 Merita Chriſti nõ ſunt deſtinata ad effectũ ſimpliciter infinitum.

Dico Secundò, Etſi Chriſti merita ſint abſolutè infinita, tamen reipſa non deſtinauit illa ad effectum aliquem ſimpliciter infinitum obtinendum, ſed tantùm ſecundùm quid infinitum. Explicatur; Eſt certa aliqua menſura peccatorum, quam omnes homines erant facturi, & poterant facere. Item, eſt certa menſura gratiæ, quam Deus in ſua diſpoſitione præparauit, paratus eã conferre. Ad hæc, peculiariter retulit Chriſtus ſuum meritum & ſatisfactionem.

Probatur Primò, quia omnis prudens ordinat opera & merita ad effectum poſſibilem, & rationi conſentaneum: ſed effectus poſſibilis, non eſt abſolute infinitus: quidquid enim in particulari poſſibile eſt, certâ menſurâ definitur. Secundò, Chriſtus non obtulit ſuam ſatisfactionẽ pro peccatis dæmonum; quamuis ſi eius dignitas ſpectetur, pro illis ſufficiat: vnde etiam potuiſſet ad illa delenda ordinari, ſi Deo placuiſſet. Similiter, non obtulit ſua merita, vt daretur hominibus tanta gratia & gloria, quantam ipſe habebat: quamuis ad hoc, ratione ſui pretij, non eſſẽt inualida.

Remiſſio culpę mortalis, & pœnæ æternæ requirunt meritum abſolutè infinitum.

Aduerte tamen, Illum ordinaſſe ſua opera ad quoſdam effectus, qui requirebant meritum abſolutè infinitum, licet illi merito non adęquarentur: vt, ad remiſſionem culpæ mortalis, quæ comparatiuè eſt infinita; & ad remiſſionem pœnæ æternę.

15

1. Obiectio.

Contrà. Obijcitur Primò, Quantitas meriti conſurgit non ſolùm ex dignitate merentis, ſed etiam ex alijs circumſtantijs quæ concurrunt: atqui quando plura huiuſmodi concurrunt, quamuis vnum ſit infinitum, ſi reliqua ſint finita, effectus eſt finitus: nam tunc quod eſt infinitum, limitatur ab alijs, vt non infinito, ſed finito modo concurrat. Quod patet exemplis: Nam viſio beatifica, eſt finita, licet obiectum eius & ſpecies intelligibilis, ſint infinita; quia intellectus & lumen gloriæ ſunt finitæ efficaciæ, ac proinde limitant concurſum obiecti & eſſentiæ diuinæ. Pari modo, Actus charitatis eſt finitæ bonitatis & meriti, etſi obiectum eius ſit infinitum; quia eius influxus ab alijs concurrentibus limitatur: & tamen obiectum magis videtur conferre ad augmentum bonitatis actûs, quàm perſona operans: quia obiectum tribuit actui ſpeciem; ipſa autem perſona præcisè nihil actui confert.

Dignitas perſonæ non poteſt aliũde limitari quominùs totam ſuã dignitatẽ operi impendat.

Reſpondeo; Negando Antecedens: Etſi enim multa ſint quæ concurrunt ad augmentum meriti, tamẽ hoc non impedit quò minùs perſona tribuat merito infinitum valorem: nam perſona operans ſecundùm totam dignitatem ſuam, quãtum poteſt influit in actum. Nam ipſa, per ſeipſam, eſt veluti vltimà forma & complementũ, conferens dignitatem & valorẽ actui meritorio & ſatisfactorio, vt talis eſt: vnde ab alijs circumſtantijs non limitatur. Et ratio eſt; Quia in merito & ſatisfactione, non ſolùm ipſa operatio veluti in abſtracto conſiderata exhibetur; ſed etiam perſona operans ſubmittit ſeſe in obſequium alterius, apud quẽ meretur, vel cui ſatisfacit. Vnde ſi perſona operans ſit infinitæ dignitatis, confert operi infinitum valorem in ratione meriti, & ſatisfactionis: pluris enim tale obſequiũ ęſtimatur apud Deum, quàm ſi infiniti homines iuſti obſequium Deo præſtarent. Quod etiam patet exemplis humanis: humile enim obſequium factum alicui à Principe, ſine comparatione pluris æſtimatur, quàm factum à multis plebeis. Secùs autem eſt in obiecto, & alijs circumſtantijs extrinſecis: obiectum enim non tribuit actui tantam dignitatem quantam poteſt, nec influit in illum quantum poteſt; ſed maiorem vel minorem pro variâ habitudine actûs ad obiectum; vt videre eſt in amore Dei: quò enim amor perfectiùs vnit Deo, eò maiorem ab obiecto ſuo trahit dignitatem. Similiter aliæ circumſtantiæ extrinſecę, non tribuunt totam ſuam dignitatem actui. Intenſio autem actûs, quia eſt circumſtantia intrinſeca augens meritum quantum poteſt; ſi eſſet infinita, augeret etiam meritũ infinitè, ſicut perſona: ſed hæc infinitudo eſt impoſſibilis. Quare cùm dignitas perſonæ, ſecundùm æſtimationem moralem tantum faciat, quantum intenſio: augebit ſine dubio infinitè.

Obiectum nõ tribuit Actui tantã dignitatẽ, quãtã poteſt.

Dices; Si dignitas perſonæ eſt veluti intrinſeca forma meriti & ſatisfactionis: ergo quiſque meretur quolibet actu tantam gratiam, quantã habet. V. g. qui habet gratiam vt centum, & facit actum remiſſum vt vnum, merebitur centum: nam dignitas operantis tantum auget meritum, quanta ipſa eſt.

Reſpondeo, Dignitas perſonæ non cenſetur intrinſeca forma meriti, quando non concurrit tota ſuo modo ad opus: vt, ſicut cùm habens gratiam vt centum, facit actum charitatis vt vnum, hîc non totâ gratiâ concurrit ad actum quantum poteſt; quare non meretur centum: auget tamen ceteris paribus meritum; quia actus, quò à digniore procedit, hoc cæteris paribus eſt maioris meriti; licet illa dignitas ſit ſolùm extrinſecum ornamentum perſonæ operantis. Perſona autem Filij Dei, tota, & ſecundùm totam dignitatem ſuam, concurrit ad ſingula opera: vnde auget meritum quantum poteſt, & quaſi ſecundùm totam latitudinem & perfectionem ſuã; quia eſt ipſum ſuppoſitum operans. Simile eſſet, ſi illa gratia vt centum, conſtitueret ipſum ſuppoſitum operans ſeu perſonam operantem. Aduerte tamen; Meritum non eſſe tantæ dignitatis aut bonitatis, quantæ eſt ipſa perſona: quia dignitas meriti, eſt moralis; & ſolùm in ratione meriti & ſatisfactionis infinita: Perſonę autem dignitas, eſt naturalis, & ſimpliciter infinita in ratione entis. Meritum tamen eſt tantæ dignitatis & bonitatis in ratione meriti, quantæ perſona in ratione entis.

Dignitas Perſonę in tantũ auget meritũ, in quãtũ ipſa in opus influit.

Aliter tamen meritum, aliter perſona eſt infinita.

16 1. obiectio à tribus incõmodis.

Obijcitur Secundò: Si quodlibet opus Chriſti eſt infinitum in vi merendi; ſequerentur tria incommoda. Primum; Chriſtum non plus meruiſſe tota vita, quàm primo momento; nec opere perfectiſſimo, plus quàm minùs perfecto; nec magis nos rẽdemiſſe ſuâ paſſione, quàm quáuis aliâ actione. Quod videtur contra Scripturam, quæ

noſtram redemptionem vbique ſoli paſſioni tribuit: vt ad Rom. 3. v. 25. *Quem proposuit Deus propitiationem, per fidem in sanguine ipsius.* Item c. 4. & 5. ad Gal. 3. ad Hebr. 2. 9. 11. Alterum incommodum, Chriſtum plus meruiſſe quàm Deus poſſit rependere; quia Deus non poteſt repẽdere mercedem infinitam: cùm tamẽ hæc ſola ſit merito infinito commenſa. Tertium, Hominũ merita & ſatisfactiones non eſſe neceſſarias; in ò omnes homines eſſe ſaluandos, ſine vllo ſuo merito aut ſatisfactione: hoc enim, & multo amplius, debitum eſt merito infinito.

17 Reſponſio ad primũ incõmodũ de operũ inæqualitate.

Ad primum incommodum, Reſpondeo; Etſi Chriſti opera ſecũdùm intrinſecam ſuam & realem bonitatem ſint inæqualia; tamen ratione dignitatis perſonæ, omnia erant æqualis valoris & meriti. Nam tota perſonæ dignitas afficiebat ſingula opera quatenus meritoria, tamquam vltima ipſorum forma; ita vt bonitas intrinſeca eſſet inſtar materiæ. Quod explicatur Exemplo: Si Rex conſtitueret vt omnis pecunia regio ſigno impreſſa, valeret aureum, cuiuſcumque demũ eſſet metalli; tunc quæuis pecunia eſſet alteri æqualis ratione ſigni; quamuis ex parte materiæ eſſet inæqualitas. Ita Chriſti merita, etſi ratione materiæ ſeu operis, ſint inæqualia; tamen trahunt æqualem dignitatem à diuinâ perſonâ, quâ veluti charactere inſigniuntur.

Intrinſeca bonitas operũ chriſti ſe habet inſtar materiæ, & dignitas perſonæ inſtar formæ.

Dices; Hinc tantùm ſequi fuiſſe æqualia in valore ex parte perſonæ; non autem ſimpliciter: ſicut patet in moneta aurea & ærea eiuſdem ſigni; aurea enim ſimpliciter melior eſt.

Reſpondeo Negando id ſequi. Ratio eſt; Quia perſona cõfert illis meritis infinitam dignitatẽ; Infinitudo autem iſta tollit inæqualitatem, quæ anteà illis ratione materiæ inerat; quia infinitudo iſta continet eminẽter omnem illum materiæ valorem. Sicut enim Deus & creatura ſimul, non eſt intenſiuè quid melius aut præſtantius, quàm Deus ſolus; ita meritum operis, quod eſt ex bonitate intrinſecâ, & quod eſt ex dignitate perſonæ, non eſt maius intenſiuè, quàm quod eſt ex ſolius perſonæ dignitate. Vnde etiam, licet in omnibus Chriſti operibus eſſet plus meriti extenſiuè, quã in vno; ſeu potiùs, licet eſſent plura merita; tamẽ non erat plus meriti intenſiuè. Neque verum eſt, quod dici ſolet, multitudinem meritorum æquiualere intẽſioni; niſi in meritis finitis. Hinc quoque fiebat, vt multis meritis non mereretur amplius quàm vno: nec ſequentibus mereretur aliquid noui, quod non meruerat opere præcedente; ſed ſemper idem mereretur: nouis tamen & pluribus titulis: vt rectè docet D. Thomas infrà q. 34. a. 3. ad 3. Et communiter Doctores cum Magiſtro in 3. diſt. 18.

Omnia operã chriſti non habent plus meriti intenſiuè quã vnũ.

Omnia Chriſti merita habent rationẽ vnius integri meriti reſpectu noſtræ redẽptionis.

Aduerte tamen; Chriſtum non obtuliſſe ſingula opera ſua, tamquam meritum totale & cõſummatũ totius præmij; id eſt, pro noſtrâ redemptione; ſed tamquam partiale. Obtulit enim omnes vitæ ſuę actiones & perpeſſiones per modũ vnius continuati meriti in paſſione & morte cõplendi, pro redemptione noſtrâ tamquam adæquato præmio. Sic enim diuinitus conſtitutum erat, vt non ſingulis operibus nos perfectè redimeret, (quamuis ſingula ex ſe ſufficerent) ſed dũtaxat paſſione: ita vt in termino paſſionis, id eſt, in morte, illud meritum compleretur, & noſtra redemptio eſſet peracta. Vnde omnes Chriſti actiones & perpeſſiones ab initio Conceptionis vſque ad inſtans mortis, ex ordinatione diuinâ, & Chriſti relatione, habent rationem vnius integri meriti, reſpectu noſtræ redemptionis; vt rectè docet Scotus in 4. diſt. 1. q. 3. a. 5.

Paſſioni tribuitur noſtra redemptio.

Hinc patet, cur potiſſimùm Paſſioni noſtra tribuatur Redemptio in Scripturis. Nempe tùm, quia in ea conſummata eſt; tùm, quia ſingulari modo à Deo ad hoc ordinata, & à Chriſto acceptata & relata: idque vt oſtenderetur nobis & peccati grauitas, & Dei in nos charitas, & daretur exemplum omnis patientiæ & obedientiæ.

18 Reſponſio ad ſecundum incõmodum.

Ad Secundum incommodum, Reſpõdeo breuiter: Si Chriſti meritum conſideretur ſecundùm pretium omne quod habet; ſic nullis bonis creatis ad æquilibrium poteſt rependi: poſſet tamen bono increato, v. g. vnione hypoſtaticâ alterius perſonæ diuinæ compenſari, ſi ad hoc promerendum Chriſtus meritum ſuum, diſpenſatione diuinâ deſtinaſſet. Si autem conſideretur, quatenus ſuberat eius intẽtioni, quâ illud referebat ad noſtram redemptionem; ſic ex æquo cõpenſari poteſt. Quando autem meritũ dicitur infinitũ, cõſideratur ſecundùm ſuam dignitatem & valorẽ, quem per ſe habet, non autem ſecundùm actualem relationem merentis.

Meritis Chriſti quatenus ſuberant eius intẽtioni, reddi potuit æquale.

19 Reſponſio ad Tertiũ incõmodum.

Ad tertium; Hæretici admittunt totum: ſcilicet non requiri noſtra merita vel ſatisfactiones ad ſalutem: eò quòd Chriſti merita & ſatisfactiones ſint ſufficientiſſimæ: vtpote infinitæ. Sed ſi hæc Ratio valeret: ſequeretur nec fide, nec Sacramẽtis opus eſſe ad ſalutem. Item, creaturis ad ſuam perfectionẽ non eſſe opus vllâ operatione aut functione eò quòd virtus diuina ſit infinita.

Chriſti merita nõ excludunt bona noſtra opera.

Quare dicendum eſt Chriſtum non voluiſſe ſua merita & ſatisfactiones, ſalutem hominibus adferre, ſine vllâ applicatione per ſacramenta, aut abſque illorum cooperatione: nec eâ mente illa Patri obtuliſſe. Sed in paruulis requiri applicationem per Sacramenta: in adultis etiam cooperationem. Ratio eſt: Primò, Quia alioqui daretur hominibus ſumma occaſio negligentiæ, & ſupinę ſecuritatis: imò præberetur licentia ad omnia peccata. Secundò, Quia maior Chriſti virtus oſtenditur, dum non tantùm ipſe meretur, ſatisfacit, & ſaluat nos; ſed etiam dat nobis virtutem merendi, ſatisfaciendi, & operandi noſtram ſalutem. Sicut maior oſtenditur Dei potentia, dum non tantùm ipſe agit, & mouet nos: ſed etiam dat creaturis virtutem agendi. Tertiò, Quia hominibus glorioſius eſt vt non tantùm per aliena merita ſaluentur; ſed vt ipſi quoque ſibi ſint cauſa ſalutis, licet ſecundaria.

Sunt cauſa vniuerſalis noſtræ ſalutis.

Sed vt hæc meliùs intelligantur; Notandum eſt; Chriſtum obtuliſſe ſua merita, vt eſſent veluti cauſſa vniuerſalis humanæ ſalutis in genere moris: ſicut omnipotẽtia Dei, eſt cauſſa vniuerſalis perfectionis rerum, in genere entis. Vnde ſicut ab omnipotentia Dei, producta eſt, & aſſiduè pendet omnis vis creaturæ; ita à Chriſti meritis pendet omnis virtus merendi in nobis. Et ſicut vis creaturæ, eſt ab omnipotentia Dei, vel immediatè, vt per creationẽ; vel mediante cauſſa ſecunda, ſcilicet cælo, elementis, ſeminibus &c. ita vis merendi in nobis, eſt à meritis Chriſti, vel immediatè, vt per gratiam præuenientem cui conſentimus: vel mediatè, vt per Sacramenta. Rurſus, ſicut in omni operatione creaturæ, cooperatur omnipotentia Dei; ita in omnibus operibus noſtris, cooperatur meritum Chriſti. Vnde ſicut omnipotentia diuina, non ducit res ad perfectionem, ſine illarum cooperatione; ita nec meritum Chriſti, adultos adducit ad ſalutem, ſine illorum cooperatione.

ed by Google

DVBIVM VI.

Vtrùm in Chriſti Meritis & Satisfactione fuerit perfecta iuſtitia?

10 Sententia negans.

DOctores qui exiſtimant Chriſti merita non fuiſſe infiniti valoris, etiam negant in illis cerni rationem perfectæ iuſtitiæ. Ita Durandus in 3. diſt. 20. q. 2. & in 4. d. 15. q. 1. Gabriel & Scotus in 3. diſt. 19. Ratio eſt; Quia Meritum & Satisfactio Chriſti tota pẽdebat ex acceptatione gratuitâ Dei, qui dignatus eſt Chriſti opera, ad nouum meritum acceptare; cùm alioquin eſſent debita ratione beneficiorum, quæ chriſtus in humana natura acceperat. Deinde; Quia ſecundùm ſe, non erant æqualia præmio, ad quod referebãtur; ſed ſolùm ex acceptatione diuinâ.

Affirmans verior.

Altera ſententia eſt communior Theologorũ, Chriſtũ meruiſſe & ſatisfeciſſe ſecundùm exactã iuſtitiam. Cuius ſententiæ veritas patebit, cùm oſtenſum fuerit in illis omnes conditiones perfectæ iuſtitiæ fuiſſe. Hæ autẽ ſunt quatuor. Prima, vt ſit æqualitas. Secunda, vt ex propriis. Tertia, vt ex indebitis alio titulo. Quarta, vt ſit ad alterum.

quatuor conditiones perfectæ iuſtitia.

Prima cõditio, æqualitas, imò exceſſus meritorũ Chriſti adoffensã.

Nunc, Dico Primò, In Chriſti Meritis & Satisfactione fuit æqualitas; imò magnus exceſſus ad offenſam, & bona ſupernaturalia gratiæ & gloriæ. Ita paſſim Doctores in 3. diſt. 20. Bonauent. Richardus, Paludanus, & alij ſuprà dub. 5. num. 13. citati: & videtur omnino certum.

Scripturæ

Probatur; Ad Romanos 5. Apoſtolus fusè docet obedientiam & meritum Chriſti, longè potentius eſſe ad ſaluandum, quàm Adæ inobediẽtia ad damnandum. Cuiùs ſignum eſt, quòd Chriſti meritum deleat non ſolùm Adæ peccatum; ſed etiam omnia poſteà ſuperinducta: Adæ autem inobedientia, tantummodò vnum adferat nobis peccatum. Vide D. Chryſoſtomum in hunc locum, qui hoc optimè explicat. 1. ad Cor. 6. v. 20 *Empti eſtis pretio magno*: & cap. 7. v. 23. *Pretio empti eſtis*: & 1. Petr. 1. v. 18. *Non corruptibilibus auro & argento redempti eſtis, ſed pretioſo ſanguine, quaſi agni immaculati, Chriſti.* At *pretium*, non diceretur *magnum*, niſi vt minimum eſſet æquale. Nam ſi quis pro regno Hiſpaniæ daret centũ millia aureorum, pretium non diceretur magnum, quia non eſſet æquale: ſed tũc ſolùm dicitur pretium magnum, quando excedit rem emptam. Similiter non diceretur *empti*, niſi eſſet ſaltem æqualitas in pretio: nam alioqui eſſet donatio, ſaltem ex parte. Idem patet ex epiſt. ad Hebr. potiſſimum cap. 9. & 10. vbi probat Apoſtolus ſolum Chriſti ſacrificium fuiſſe ſufficiens peccatis delẽdis. Huc etiam facit illud Pſal. 129. *Copioſa apud eum redemptio*: quod expendit ibidem Auguſtinus, & Agapitus Papa in epiſt. ad Eutlymium.

Patres. Athanaſ.

Secundò Probatur Ex patribus. Athanaſ. lib. de Incarn. Verbi, pag. 4. à principio: *Ideò corpus quod mori poſſet, ſibi aſſũpſit, vt illud Verbi particeps effectũ, pro omnibus ad plenã ſatisfactionẽ, morti ſufficeret*: quod deinde elegãtiſſimè explicat.

Baſilius.

Baſilius in illud Pſalmi 48. *Frater non redimit, redimet homo*: *Quid*, inquit, *homo tantum inuenire poteſt, vt det pro redemptione animæ ſuæ? ſed inuentum eſt vnum omnibus ſimul comparandũ, quod datum eſt impretium redemptionis animarum noſtrarũ: nimirũ pretioſus ille Sanguis Domini noſtri Ieſu Chriſti, quem pro nobis omnibus effudit.* Deinde cauſſam huius valoris addit, quia non tantùm erat homo, ſed etiam Deus.

Chryſoſtomus hom. 10. in epiſt. ad Romanos: Chryſoſt. *Quemadmodum*, inquit, *Si quis in carcerem, quẽpiã qui decem nummos debet, conijciat; Et ſimul cum illo, & propter illum, Vxorem, liberos, famulos: veniat verò alius quiſpiam, qui non ſolùm ſoluat decem illos nummos, ſed etiam innumera auri talenta largiatur: iam non poterit amplius fenerator decem nũmorum debitum vrgere. Ita & nobiſcum factum eſt: multò ſiquidẽ plura, quàm debeamus, Chriſtus pro nobis ſoluit, tantoque plura, quanto guttulã exiguam Pelagius immẽſum excellit. Noli itaque diffidere, ô homo, cùm tãtas bonorum diuitias videas; neque ſollicitè inquiras, quomodo ſcintillula illa mortis atque peccati, tanto bonorum ſuperinducto mari, ſit ſoluta & extincta.* Leõ.

D. Leo epiſt. 97. c. 2. *Effuſio ſanguinis Chriſti pro iniuſtis, tam potens fuit ad meritum, tam dines ad pretium, vt ſi vniuerſitas captiuorum in Redemptorẽ ſuum credere, nullum Diaboli vincula tenerent.*

His adde teſtimonium Clementis VI. ſuprà dub. 5. num. 13. citati. Quibus teſtimonijs, Chriſti meritis tanta vis tribuitur, non ex acceptatione diuinâ, quæ propriè nullum valorem tribuit; ſed quia ex ſe tanta dignitatis erant, propter dignitatem perſonæ. Vide dicta quæſt. 2. art. 2. dubio 2.

11 Tres obiectiones.

Dices primò; Etiam peccata habebant infinitam malitiam propter dignitatem perſonæ offenſæ. Nam ſicut meritum creſcit ex dignitate perſonæ merentis; ita iniuria & offenſio creſcit ex dignitate perſonæ offenſę.

Aliter meritũ creſcit ex dignitate perſonæ merentis; aliter iniuria ex dignitate perſonæ offenſæ. Vide Inæqualitas offenſionũ

Reſpondeo; iniuria ſeu offenſio ita quidem creſcit ex dignitate infinita perſonę offenſę, vt nullis bonis creatis compenſari poſſit; quia pluris æſtimanda eſt quęuis iniuria Dei, quam omne bonum quod omnes creaturę poſſunt facere: non tamen eodem prorſus modo creſcit. Nam perſona offenſa habet ſe per modum obiecti; obiectum autem non influit in actum quantum poteſt, ſed pro habitudine actus ad ipſum. Vnde inter iniurias Dei, vna eſt alterâ maior, quia magis vel minùs cenſetur Deus per illã contemni. Perſona autem Chriſti operans influit in meritum & ſatisfactionem quantum poteſt: nam habet ſe inſtar formę. Quò fit, vt vnũ meritum ipſius, nõ ſit maius altero. Itaque etſi peccatum habeat quandam infinitatem in ſuo genere; meritum tamen Chriſti habet multò maiorẽ; ità vt infinitis peccatis ex aduerſo poſſit opponi.

Dices Secundò; Vt ſatisfactio ſit æqualis offenſioni, requiritur vt ſatisfaciens ſit æqualis offenſo: atqui hîc non eſt iſta æqualitas. Nam Chriſtus ſatisfecit quatenus homo: Deus autem offenſus eſt ſecundùm diuinitatem.

Chriſtus ſatisfecit vt *Deus-homo*.

Reſpondeo: propriè loquendo Chriſtus non ſatisfecit vt homo tantùm, nec vt Deus: ſed vt *Deus-homo*: ſeu, quatenus eſt quoddam ſuppoſitũ humanum, includens humanam naturam & perſonam diuinam: & ſic non eſt minor Deo.

Dices Tertiò; Tantum diſplicet Deo peccatũ, quantum ei placet ſua bonitas: atqui opera Chriſti, non tantum illi placent, quantum ſua bonitas: ergo opera Chriſti non tantum illi placent, quantum diſplicet illi peccatum. Maior probatur: Quia peccatum ex natura ſua eſt deſtructiuũ Dei: Atqui vnum contrariorum tantum odio habetur, quantum amatur alterum.

Chriſti merita magis deo placent quã creaturæ peccata diſplicent.

Reſpondeo, Negando Maiorem: Quia peccatum non eſt tantum malum, quantum bonum eſt diuinitas. Ad probationem: Peccatum dicitur eſſe deſtructiuum Dei, ſecundùm affectum, ſed inefficacem. Vnde non eſt tantum malum, quantum ſi re ipſa ad hoc eſſet efficax. Quare Chriſti merita

merita plus poſſunt Deo placere, quàm peccata diſpliceant: quia maiorem honorem Deo conciliant, quam peccata ſubtrahant.

Dico Secundò, Chriſti ſatis factio fuit etiam ex bonis proprijs. Hæc eſt altera conditio ſolutionis perfectæ iuſtitiæ. Si enim quis ſatisfaciat ex bonis ſui creditoris, non ſatisfaciet ſecundùm exactam iuſtitiam: quia interueniet tacita remiſſio. Probatur; Quia chriſtus erat abſolutus Dominus ſuarum functionum.

22 Secunda conditio Satisfecit ex proprijs

Tripler obiectio.

Dices Primò; Omnia bona opera Chriſti, magis erant Dei, quàm Chriſti hominis: Nam titulo creationis, vel ſupremæ cooperationis, erant ipſius Dei: nec poterat ea Deus extra ſuum dominium ponere.

Dominiũ Dei in actiones Chriſti, non impedit ſatisfactionem

Reſpondeo; Etſi ad reſtitutionem damni illati neceſſarium ſit, vt reſtitutio fiat ex illis bonis, quę ita ſunt debitoris, vt etiam non ſint creditoris, (quæ cauſa eſt, cur Deo proprie nihil poſſimus reſtituere:) tamen ad ſatisfactionem & meritum, quæ cõſiſtunt in actionibus quibus honor defertur, vel voluntas alterius impletur, hoc non requiritur. Hinc ſeruus ſatisfacit Domino, & Filius Patri, & homo Deo: ſufficit enim ad hoc, vt is, qui ſatisfacit, habeat dominium ſuarum actionum, ita vt omnino liberè ſe humiliet, veniam petat, aliaſque actiones honorarias obeat; ſiue alter ſit etiam Dominus illarum actionum, ſiue non. Vnde dominium Dei, quod habet ratione creationis & cooperationis, in opera noſtra & chriſti, non impedit vllo modo rationem meriti aut ſatisfactionis; ſed tantùm reſtitutionis proprie dictæ. Sicut dominium Dei, quod habet in actionem peccati, non impedit, quin per eandem actionem fiat ei iniuria; quatenus eſt libera actio, & ſub dominio hominis.

Dices Secundò, Ea, per quæ fit ſatisfactio, debent ita eſſe propria, vt non pendeant aſſiduè ex gratia eius, cui ſatisfit: alioqui non erit ſecundùm exactam iuſtitiam: nam gratia interueniet. Atqui ea, per quæ chriſtus ſatisfecit, pendét aſſiduè ex gratia: ergo &c.

Reſpondeo, Eſſe id quidem neceſſarium ad reſtitutionem; non autem pari modo ad ſatisfactionem: in hac enim ſolùm requiritur, vt quis ſe voluntariè humiliet, quantum poſtulat offenſio. Pertinet tamen ad quendam ſatisfactionis exactiorem modum, qui in chriſto fuit. Vnde dico, etſi opera chriſti pendebant ex gratia; id eſt, ex gratuito & indebito dono reſpectu humanitatis; non tamen reſpectu Perſonæ Verbi. Vnio enim hypoſtatica, vnde potiſſimùm habebant æſtimationem chriſti opera, erat quidem gratia reſpectu humanę naturę, non tamen reſpectu Verbi, aut huius hominis, ne quidem per communicationem idiomatum: quia vniri Verbo conuenit naturæ ſecundùm ſe, & vt prior eſt quàm exiſtat in Verbo: vnde non poteſt communicari Verbo, vel huic homini: dona verò habitualia, ex quibus illa opera ſecundùm ſubſtantiam pendebant, non erant humanitati indebita, ſuppoſitâ iam vnione cum Verbo: ſed erant debita, & quaſi naturalia.

Satisfecit ex ſibi debitis & naturalibus.

Dices Tertiò; Totus valor Satisfactionis, eſt à Deo, vt Deus eſt: ergo à creditore eſt, cui ſatisfit: ergo hæc ſatisfactio non eſt ex proprijs.

Chriſtus diuerſi modè eſt debitor & ſatisfactor.

Reſpondeo, diſtinguendo Antecedens: ſi enim intelligatur quod valor meritorum ſit à Deo vt Deus eſt; id eſt, vt ſubſiſtit in diuinitate; ſic falſum eſt; nam hoc modo non communicat meritis ſuis valorem. Si autem intelligatur quòd valor meritorum ſit à tota diuina perfectione, quatenus in Filio vnita eſt humanæ naturę: ſic admitto Antecedens: ſed Nego vtramque conſequentiam. Nam hinc tantùm ſequitur, valorem operum eſſe ab illa perſona, quæ eſt etiam creditor, ſed vt ſubſiſtit in natura humana tamquam ſatisfactor. Eadem enim perſona eſt debitor, & creditor, quatenus ſubſiſtit in diuerſis naturis. Addo; parum referre ad iuſtitiæ rationem, vnde valor operis pendeat, quando ipſum totum opus cum toto ſuo pretio aut valore eſt in dominio & poteſtate voluntatis humanæ: ſicut in Chriſto videmus fuiſſe: hoc enim ſufficit ad rationem ſatisfactionis & meriti.

23 Tertia conditio: Ex indebitis alio titulo

Dico Tertio: chriſti Meritum & Satisfactio fuit etiam ex indebitis; id eſt, non erant alio titulo, præſertim iuſtitię, aut æquiualenti debita. Nam alij tituli debitorum, non repugnant iuſtæ ſolutioni: vt ſi debeas alicui alimenta ex iuſtitiâ, potes ei perfectè ſatisfacere, quamuis eadem debeas ex præcepto Magiſtratûs vel miſericordiæ.

Durandus refellitur

Quare fallitur Durandus diſt. 20. q. 2. dum exiſtimat Chriſtum non potuiſſe exactè ſatisfacere pro peccatis ad æqualitatẽ, eò quòd omnia ipſius opera eſſent debita titulo gratitudinis pro beneficijs acceptis; Nam Primò; falſum eſt, omnia hoc titulo fuiſſe debita: nec id vllum fundamentum habet; præſertim cùm vnicâ gratiarum actione poſſet pro omnibus beneficijs ſatisfacere. Deinde; Etiamſi fuiſſent ſic debita, hoc tamen non impediuiſſet ſolutionem debiti iuſtitiæ: vt patet exemplis humanis. Tertiò, Cùm opera Chriſti habeant valorem abſolutè infinitum; ſingula erant ſufficientia quibuſuis debitis exſoluendis, exquocumque ea titulo orta eſſent. Vnde etiamſi fingeremus ea alio titulo iuſtitiæ fuiſſe debita; tamen erant ſufficientiſſima, & illi titulo, & redemptioni humanæ. Ratio eſt; Quia vnum opus propter illam infinitatem, erat tanti pretij intenſiuè, quãti plura: ſed plura potuiſſent diuerſis debitis ad æqualitatem reſpondere: ergo & vnum. Plura enim infinita non ſunt quidmaius intenſiuè, quàm vnum. Vnde hæc conditio, ſcilicet vt ſolutio fiat ex indebitis, non eſt neceſſaria ad exactam iuſtitię rationem; niſi quando id quod exhibetur, eſt finitę æſtimationis, & idcircò non poteſt ex æquo pluribus debitis exæquari. Quare hæc conditio non eſt neceſſaria ad ſatisfactionem chriſti, quãuis reipſa adſit: quod facit ad cumulum perfectionis illius.

24 Quarta conditio Fuit ad alterum. Actiones Chriſti compa poſſunt, ad patrem & Spiritũ Sanctum.

Dico Quarto, Meritum & Satisfactio chriſti fuit etiam ad alterum, quantum iuſtitiæ ratio poſtulat. Patet hęc propoſitio imprimis, ſi comparemus chriſti actiones ad Patrem & Spiritum ſanctum, qui ſuppoſito, naturâ, & voluntate à Chriſto homine diſtinguũtur: Et quia hic modus clarior eſt, ideò paſſim Patres dicunt Chriſtum ſatisfeciſſe Patri. Idem ſæpiùs inſinuat Scriptura.

Dices; inter Patrem & Filium non eſt perfecta iuſtitia; vt Ariſtoteles docet in 5. Ethicorum. Reſpondeo; Id verum eſſe apud homines, vbi filius eſt inferior Patre, & quaſi pars. At Filius Dei, eſt æqualis Patri. Et quamuis inter chriſtum, quatenus eſt Deus, & inter Patrem, non poſſit intercedere iuſtitia: tamen quatenus ipſe ſubſiſtit in aliâ naturâ, ſic poteſt. Sicut etiam apud homines, inter Patrem & Filium poteſt intercedere iuſtitię ratio, non vt ſunt Pater & Filius: ſed vt habent alios ſtatus, dominia, & iura diſtincta.

a. Ad verbum.

Si autem comparemus Chriſti ſatisfactiones ad perſonam Verbi, & hunc Deum: maior eſt difficultas: Certum enim eſt Chriſtum ſatisfeciſſe etiam huic Deo, & ſibi ipſi: Imò, Primò & per ſe huic Deo: & conſequenter perſonis: quod in-

ſumatur 2. ad corinth. 5. v. 19. *Erat Deus in chriſto mundum reconcilians ſibi*: Deus, id eſt, *ſempiterna diuinitas*, inquit Ambroſ. lib. 3. de fide ad gratianum cap. 5. Multi tamen accipiunt ibi *Deus* perſonaliter pro Patre. Clariùs 1. ad Timoth. 2. v. 5. *Vnus Deus, & vnus mediator Dei & hominum homo Chriſtus* Ieſus. Vbi Deus accipitur vt eſt communis toti Trinitati: vt docet D. Auguſtinus Præfatione in ſecundam enarrationem. Pſalm. 29. *Quid eſt mediatorem eſſe inter Deum & homines? Non inter Patrem & homines, ſed inter Deum & homines. Quid eſt Deus! Pater, Filius, & Spiritus ſanctus. Inter illam Trinitatem, & hominum infirmitatem & iniquitatem mediator factus eſt.* Confirmatur: Quia etiam ſibi ipſi obtulit Sacrificium Corporis ſui: vt diſertè docet Auguſtinus lib. 10. de Ciuitate, cap. 20. *Verus ille mediator, cùm in forma Dei Sacrificiũ cum Patre ſumat, cum quo vnus Deus eſt; tamen in forma ſerui Sacrificium maluit eſſe, quàm ſumere.* Idẽ docet Cyrillus in defenſione decimi Anathematiſmi: *Non ſecundùm Sacerdotum morem, alteri fecit Sacrificij modum; ſed ſibi ipſi potiùs, & Patri.* Quod deinde explicat. Vide etiam Ambroſium lib. 3. de fide cap. 5.

Ratio eſt: Quia illi fit ſatisfactio, qui eſt offenſus, & ſecundùm eam rationem conſiderato quà eſt offenſus: vt ſi Papa vel Rex ſit offenſus, & iniuriâ affectus vt Papa, vel vt Rex, non vt priuatus: Atqui tres perſonæ fuerunt iniuriâ affectæ primò & per ſe, quatenus ſunt vnus Deus: ergo illis fit ſatisfactio quatenus ſunt vnus Deus: ergo primò & principaliter huic Deo. Minor probatur: Quia vt ſunt vnus Deus, gubernãt mundum, imponunt leges & præcepta quę peccatis violantur: & ſunt vltimus finis, ſummumque bonum, à quo peccatum auertit: ergo iniuria peccati primò & per ſe tangit ipſam diuinitatem. Hinc ſequitur, vt ſatisfactio ſit ſecundùm exactam iuſtitiam, oportere vt etiam comparata ad hunc Deum communem tribus perſonis quem primariò reſpicit, & proinde ad ipſum verbum diuinum, habeat omnes conditiones perfectę iuſtitię, ac proinde etiã hanc, quę eſt, eſſe ad alterum. Eiuſdem enim ad ſeipſum non eſt vera iuſtitia nec iniuria.

Vt ſit ad Alterum, ſufficit actualis diſtinctio naturarum, & virtualis perſonarum.

Quod igitur etiam hęc conditio adſit: Probatur: Nam ad rationem iuſtitię non eſt abſolutè neceſſaria diſtinctio perſonarum: ſed ſufficit diſtinctio naturarum, voluntatum, dominiorum: ideò enim in iuſtitia requiritur diſtinctio perſonarum, quia requiritur diſtinctio iurium eius qui ſatisfacit, & eius cui ſatisfit: atqui ad hoc ſufficit diſtinctio naturarum liberarum, ad quas conſequitur diuerſum dominium ſeu ius. Natura enim humana habet proprium quoddam ius ſeu dominium ſuorũ actuum, diſtinctum ab eo quod habet Deus in illos. Diſtinctio autem perſonarum, non requiritur niſi conſequenter, & per accidens: eò quòd diuerſæ naturę nõ ſoleant eſſe niſi in diuerſis perſonis. Vnde cùm per myſterium Incarnationis factum ſit, vt duæ naturæ liberæ, ſint in vna perſona: idcircò hîc, eiuſdem perſonę, quatenus ſubſiſtit in vna natura, poteſt eſſe functio iuſtitię ad ſeipſam, quatenus ſubſiſtit in alia natura.

Quod Confirmatur Primò, quia hoc modo ſunt hîc virtute & æquipollenter duæ integræ Perſonæ nam chriſti perſonalitas ſupplet vicem duarum, terminans duas naturas actu diſtinctas.

Confirmatur Secundò, Quia hæc diſtinctio actualis naturarum, & virtualis perſonalitatum, ſufficit vt chriſtus quatenus homo, ſit ſubditus Deo & ſibi; ſit mediator, ſit obediens, cultum latriæ & ſacrificium exhibeat Deo, & ſibi vt Deo: atqui hæc non requirunt minorem diſtinctionem quam ratio iuſtitię, ſed potiùs maiorem, præſertim actus latriæ.

Dices; Sunt multa peccata contra chriſtum, quatenus homo eſt; vt omnia peccata Iudęorum in ipſum commiſſa: ergo ſaltem ſecundùm hæc, ſatisfecit ſibi ſecundùm idem; id eſt, homo homini.

Pro iniuria in proximum ſemper eſt Deo ſatisfaciẽdum.

Reſpondeo Negando Conſequentiam: Quia Chriſtus pro peccatis obtulit Deo ſatisfactionẽ, & quatenus erant iniuria Dei, & iniuria Chriſti hominis. Quia ad Deum pertinet vindicare, non ſolùm ſuas, ſed & aliorum iniurias; cùm ſit vniuerſalis omnium iudex. Vnde pro peccato, & quatenus eſt contra Deum, & quatenus eſt contra proximum, debet fieri ſatisfactio ipſi Deo. Proximo autem non ſemper eſt neceſſarium ſatisfacere; quia poteſt condonare ſine ſatisfactione: & ſi non condonet, poteſt tamen remitti, ſi ſatisfaciamus Deo. Accedit; quod iniuria Dei, ſit præcipua, quæ intrinſecè in omni iniuria continetur. Vnde omnis iniuria, præcipuè eſt iniuria ipſius; eiuſque remiſſio, ad Deum præcipuè pertinet, qui in ceteros omnes, quibus fit iniuria, ius habet; ita vt, etiam ipſis inuitis, poſſit eam cõdonare. Vnde pro omni iniuria ipſi dumtaxat neceſſariò fit ſatisfactio.

25 Merita chriſti sũt ex perfecta iuſtitia.

Dico Quintò; Merita & Satisfactiones chriſti fuerunt omni ex parte ſecundùm perfectam iuſtitiam. Sequitur ex dictis; quia habuerunt omnes conditiones perfectę iuſtitiæ. Vide Driedonem de Captiuitate & redemptione generis humani part. 4. cap. 2. pag. 60. Dominicum Soto lib. 5. De natura & gratia cap. 6. Et in 4. diſt. 19. q. 1. a. 2. Andream Vegam lib. 7 in Conc. Trident. cap. 8. & alios recentiores. Plerique veterum Scholaſticorum idem ſentiunt, quod ad rem attinet; etſi in modo loquendi diſcrepent. Sed colligitur ſatis ex ſupra dictis; & ex modis loquendi Scripturæ, vbi Chriſti ſatisfactio vocatur *Empтio, Redemptio, Pretium magnum*, &c. eiuſque meritum comparatum reum demerito Adami.

1. Obiect.

Dices Primò, Chriſtus non ex iuſtitię obligatione, ſed ex Charitate & obedientia pro nobis ſatisfecit: ergo eius ſatisfactio non eſt ex iuſtitia.

Satisfactio chriſti fuit ex charitate & obediẽtia.

Reſpondeo Primò; Non eſt neceſſe vt Chriſtus fuerit obligatus ex iuſtitia ad ſatisfaciendum: nã & nos meremur ex iuſtitia vitam æternam; tamẽ non ſumus ad hoc ex iuſtitia obligati. Et qui in ludis olympicis vario certamine vincebant, merebantur ex iuſtitia palmam; tamen non tenebãtur certare. Ratio eſt; Quia non dicitur meritum vel ſatisfactio ex iuſtitia, quaſi ex obligatione iuſtitiæ exhibeatur; ſed quia tale eſt, vt ex iuſtitia ei debeatur præmium, vel remiſſio. Secundò, Quia etſi chriſti ſatisfactio non fuerit ex obligatione iuſtitiæ; tamen fuit ex virtute iuſtitię: nam in ſatisfaciendo ſpectauit ius diuinum, quod Deus habebat vt ſibi integrè pro peccatis hominum ſatisfieret; & ideò ſatisfactionem exhibuit, vt illi iuri ad æqualitatem ſatisfieret: qui amor & affectus æqualitatis, eſt actus iuſtitię. Tertiò, Valdè probabile eſt interceſſiſſe pactum inter chriſtum hominem & diuinitatem, vt ipſe tamquam fide iuſſor, onus ſatisfaciendi pro hominibus in ſe ſuſciperet; & Pater genus humanum in gratiam admitteret: Et ſic ratione huius pacti fuit obligatus ex iuſtitia. Colligitur Iſaiæ 53. v. 6. *Poſuit Dominus in eo iniquitatem omnium noſtrum.* Pſal. 39. v. 8. *In capite libri ſcriptum eſt de me, vt facerem voluntatem tuam, Deus meus volui.* Nec obſtat, quòd

Etiam ex virtute iuſtitiæ

Interceſſus pactum.

hominis ad Deum non ſit iniuria, ſed religio, vel pro delictis pœnitentia: quia religioni & pœnitentiæ nihil deeſt ad perfectam iuſtitiæ rationem, quam quòd non poſſimus ſatisfacere iuri diuino ad æqualitatem; quod prouenit partim ex eminentia illius iuris, partim ex conditione perſonæ creatæ. Vnde ſi hæc imperfectio ſuppleatur per hypoſtaſim ita perfectam, vt iuri diuino poſſit ad æqualitatem ſatisfacere; nihil ei deerit ad perfectam iuſtitiæ rationem.

1. Obiect. Dices Secundò; Nemo tenetur acceptare ſatisfactionem oblatam à tertio pro reo; ſed ſolùm à reo: vt patet exemplis humanis. Ergo talis ſatisfactio eſt ex acceptatione gratuita Iudicis, ac proinde non ex perfecta iuſtitia.

Vt ſatisfactio ſit ex toto, requiritur pactũ Reſpondeo; hoc argumentum ſolùm probat, non poſſe eſſe perfectam iuſtitiam in hac ſatisfactione; niſi ſuppoſito pacto & promiſſione diuina: ſed hoc non minuit rationem iuſtitiæ; vt patet in alijs contractibus, emptione, redemptione, mutuo &c. Venditor enim etſi non teneatur acceptare pretium oblatum pro equo; tamen ſi contrahat cum emptore, & pretium ſit æquale, eſt perfecta iuſtitia inter illos. Nec Iudex redemptionem pro captiuo tenetur acceptare; tamen contractu inito, redimitur captiuus ſecundùm perfectam iuſtitiam. Non enim requiritur ad debitum iuſtitiæ, vt alter poſſit alterum obligare nullà ſuppoſità ipſius voluntate.

3. Obiect. Dices Tertiò; Obligatio perfectæ iuſtitiæ repugnat Deo: ergo nemo poteſt apud Deum ſecundùm perfectam iuſtitiam mereri. Conſequentia patet. Antecedens probatur; Quia Deus eſt abſolutus omnium dominus, nec poteſt aliquid extra ſuum dominium collocare: ergo non poteſt quidquam ex iuſtitia debere alicui. Nam hoc debitum non videtur poſſe intelligi niſi reſpectu eius, qui eſt ſui iuris; non autem reſpectu eius, qui totus eſt ipſius debitoris.

obligatio perfectæ iuſtitiæ ad puram creaturam, repugnat Deo. Reſpondeo; Hoc argumentum benè probat Deo repugnare obligationem perfectæ iuſtitiæ reſpectu puræ creaturæ: nam hæc neceſſariò manet ſub eius dominio, & aſſiduè ex eius gratia pendet. Nõ tamen probat, quin poſſit ſe, vt ſubſiſtit in vna natura, obligare ſibi vt ſubſiſtit in altera, idque ex iuſtitia: quia ipſe non cadit ſub dominium ſui, ſed ſemper eſt ſui iuris. Non quòd tunc obligetur aliqua lege, ſed quòd tunc inito contractu, ex virtute iuſtitiæ neceſſariò determinetur ad præſtandũ id, quod pactus eſt. Poſito ergo pacto inter Deum & Chriſtum hominem, poterat Chriſtus homo, obligare Deum ex perfecta iuſtitia. Illa autem obligatio, qua nos meritis noſtris Deum obligamus ad reddendum præmium, eſt longè inferior: & talis, qualis illa qua ſeruus obligat dominum, ſi dominus illi aliquid pro debito ſeruitio promittat.

Vide lib. 13. de perfect. Diuin. c. 2.

DVBIVM VII.

Vtrùm Chriſtus potuerit ſibi mereri ipſam Incarnationem, ſeu Vnionem Hypoſtaticam, eiuſque prædeſtinationem?

26 OStenſum eſt chriſtum habuiſſe merita, & cuius conditionis illa fuerint. Nunc dicendũ, quid meruerit tum ſibi, tum alijs.

Non meruit vnionem hypoſtaticam. Reſpondeo igitur, & Dico Primò: chriſtus ipſa non meruit vnionem hypoſtaticam, ſed hæc ex ſolo diuino beneplacito proceſſit. Eſt omnino certa, & communis Doctorum in 3. diſt. 4. & D. Thomę ſuprà q. 2. art. 11.

Probatur Primò, Quia Scripturæ Incarnationem Filij Dei, ſolùm tribuunt amori, miſericordiæ, & gratię diuinę; nuſquam autem meritis. Ioan. 3. verſ. 16. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum Vnigenitum daret.* Luc. 1. verſ. 78. *Per viſcera miſericordię Dei noſtri, in quibus viſitauit nos oriens ex alto.* Ad Titum 2. verſu 11. *Apparuit enim gratia Dei Saluatoris noſtri omnibus hominibus* &c. Et cap. 3. verſ. 4. *Apparuit humanitas & benignitas Saluatoris noſtri Dei.* Ioan. 1. verſ 16. *Gratiam*, inquit, *pro gratia*: id eſt; dedit nobis gratiam iuſtificationis, propter gratiam vnionis.

Secundò Probatur ex Patribus D. Auguſt. lib. De prædeſtinatione Sanctorum cap. 15. *Eſt præclariſſimum lumen prædeſtinationis & gratiæ ipſe Saluator, ipſe mediator Dei & hominum, homo chriſtus* IESVS: *qui vt hoc eſſet, quibus tandem ſuis vel operum vel fidei præcedentibus meritis, natura humana quę in illo eſt, comparauit?* Et infrà *Apparet itaque nobis in noſtro capite ipſe fons gratiæ, vnde ſecundùm vnuſcuiuſque menſuram, ſe per cuncta eius membra diffundit. Eâ gratiâ ab initio fidei ſuę fit homo quicumque Chriſtianus, quâ gratiâ homo ille ab initio ſuo factus eſt chriſtus.* Idem alijs locis ſæpè repetit: vt De Bono perſeuerantię cap. vlt. De corrept. & gratia c. 11. In Enchiridio cap. 40. Idem docet caſſianus lib. 1. & 7. de Incarnatione contra Pelagianos. Tertiò Probatur Ratione. Primò; Quia certum eſt ex fide, quòd non meruerit illam per opera tempore antecedentia vnionem: ſicut ſenſerunt Cerinthus, Plotinus Origenes, Neſtorius; & vt multi volunt, etiam Pelagius. Nam ſimul humanitas fuit creata & aſſumpta. Certum etiam eſt, etſi non de fide, quòd neque per opera quę naturâ ſolùm vnione eſſent priora: nam nulla opera ita poſſunt vnionem præuenire. Ratio eſt; Quia omnis operatio, præſertim libera ſeu meritoria, quę in illo primo inſtanti vnionis fit, debet tribui hypoſtaſi tamquam principio quod operatur; nam ratio hypoſtatica eſt magis intima pertinens ad complementum ſubſtantiæ rei. Atqui res priùs eſt completa ad exiſtendum, quàm intelligatur completa ad operandum. Confirmatur, Quia ratio hypoſtatica facit rem eſſe ſui iuris, & nulli alteri obnoxiam ſeu incumbentem: id enim quod concipitur vt alteri inexiſtens, potiùs eſt id quo res operatur, non id quod operatur. Itaque omnis operatio, quę fit in illo inſtanti, eſt ſuppoſiti, non naturę: ac proinde ſupponit vnionem factam. Vnde non poteſt illam mereri. Denique: certum eſt quod nec per opera quę tempore aut naturâ vnionem ſequuntur, poſſit illam mereri: nam merita debent ſaltem tempore vel naturâ præcedere præmium; nam comparantur ad illud, vt via ad terminum, vt diſpoſitio ad formam, & vt cauſſa moralis efficiens ad effectum. Confirmatur: Quia ob hanc cauſſam, principium meriti, non cadit ſub meritum: ſimiliter nec prima gratia. At vnio hypoſtatica in chriſto erat principium omnis meriti, & prima gratia.

Auguſtin.

Non enim meruit per opera tempore præcedentia.

Neque per opera præcedentia naturâ.

Neque per ſubſequentia.

Secundò: Quia mereri aliquid per opera ſubſequentia, ſupponit magnam imperfectionem: nempe rem illam quam ſic meremur, non fuiſſe in principio collatam abſolutè, ſed conditionatè, & dependenter à futuris operibus. Sed hęc imperfectio non eſt ponenda in chriſto: nam à principio habuit gratiam vnionis tamquam abſolutè donatam. Adde; tale opus ſubſequens non eſſe proprie meritum, ſed potiùs debiti ſolutionem: vt ſtatim patebit. Denique, decuit vt ſummum opus Dei, quod eſt principium omnium meritorum in humano genere, non fieret ex vllis meri-

tis, ſed ex ſola Dei liberalitate.

Dico Secundò; Chriſtus etiam nullo modo potuit mereri prędeſtinationem vnionis ſuæ hypoſtaticæ. Ratio eſt; Quia meritum neceſſariò eſt prius ipſo præmio, vel in re, vel in pręſcientiâ pręmiantis: quia eſt cauſa quodammodò efficiens ipſius præmij, ſcil. mediante ſcientiâ & voluntate pręmiantis. Sed meritum chriſti neque re ipſa neque in præſcientiâ Dei potuit antecedere prędeſtinationem vnionis hypoſtaticæ: ergo non potuit chriſtus illam prædeſtinationem mereri. Maior patet. Probatur Minor; Quia meritum chriſti, non poterat eſſe prius reipſâ, quàm chriſti prędeſtinatio, cùm hęc ſit ęterna, illud temporale.

27 Non meruit prædeſtinationem vnionis hypoſtaticæ.

Nec etiam in diuinâ præſcientiâ poterat eſſe prius: quia licet præuiſio meritorum chriſti, & prędeſtinatio Incarnationis ſit æterna; tamen illa præuiſio pręſupponit prædeſtinationem; non autem prędeſtinatio ſupponit illam pręuiſionem. Ideò enim chriſtus erat habiturus merita, & illa merita erant pręuiſa, quia prędeſtinatum fuit vt Deus eſſet homo. Neq; alius ordo erat poſſibilis, etiam per potentiam abſolutam.

Dices: Saltem præſcientia conditionata meritorum chriſti, eſt prior prędeſtinatione chriſti: nempe hęc præſcientia: Si prædeſtinetur, vt hic homo, ſit Filius Dei, habebit infinita merita. Sicut etiam pręſcientia conditionata meritorum noſtrorum eſt prior noſtrâ prædeſtinatione: ergo &c.

Reſpondeo: Hæc præſcientia, etſi ſufficiat vt chriſtus ſit prędeſtinatus propter merita, tamquam cauſſam finalem; non tamen ſufficit, vt ſit prædeſtinatus propter merita, tamquam merita: ſicut nec in nobis ſufficit. Ratio eſt; Quia hæc præſcientia non ſupponit aliquid abſolutè futurum, ſed ſolùm ex hypotheſi: meritum autem debet ſupponi in eo qui meretur, tamquam iam exiſtens, vel tamquam, abſolutè futurum; nam eſt cauſſa efficiens moralis. Addes, Quod hæc pręſcientia conditionata etiam habebatur de omni homine & humanitate: pręſcit enim Deus de omni homine, quòd eſſet habiturus infinita merita, ſi ad vnionem hypoſtaticam eueheretur; non tamen ideò omnis homo meruit vnionem hypoſtaticam.

28 Neque primam eius collationē

Dico Tertiò; Neque etiam potuit vllo modo propriè ipſam primam hypoſtaticæ vnionis collationem mereri, ſed dumtaxat eius cōtinuationē.

Probatur; Quia non operibus tempore vel naturâ præcedentibus: talia enim nulla poterant eſſe; vt oſtenſum eſt num. 26: ſupponimus enim Animam eodem temporis momento: creatam & aſſumptam, vt fides catholica docet; Neque etiam operibus ipſa vnione naturâ vel tempore poſterioribus: quia de ratione meriti eſt, vt ſupponatur præmio tamquam cauſſa efficiens moralis: atqui meritum quod poſterius eſt Incarnatione, nullo modo ſupponitur, incarnationi: ſed neceſſariò ipſam ſupponit tamquam ſuum principium vnde eſſentialiter pendet: ergo implicat vt opus Incarnationem ſequens, ſit meritorium ipſius incarnationis. Ratio eſt; Quia mereri, eſt fieri dignum per aliquod opus pręmio: atqui nemo dicitur dignus reſpectu præteriti, vel prioris boni quatenus prius eſt; ſed reſpectu conferendi: eſt enim veluti capacitas quædam boni, & diſpoſitio & ius ad illud. Idem docet D. Thomas ſuprà q. 2. a. 11. hàc eâdem ratione: quia repugnat vt principium meriti cadat ſub meritum. Quod intellige de principio, *quatenus eſt principium*: nam res illa, quę eſt principium meriti, poteſt ſub meritum cadere, non quoad primam eius collationem, ſed quoad continuationem poſt meritum. Et hoc modo potuiſſet Incarnatio ſeu vnio hypoſtatica, & gratia iuſtificationis, ſub meritum cadere.

Imò non eſt improbabile chriſtum de facto meruiſſe continuationem ſeu conſeruationem huius vnionis in omne æuum poſt primum inſtãs: Ratio eſt; Quia meritum quod in primo inſtanti conceptionis habuit, fuit ad hoc ſufficiens, & conuenienti ratione potuit ad hoc referri. Sed eius continuationem.

Nempe, vt hæc continuatio non eſſet perpetuò ex nudâ gratiâ Dei, ſicut prima collatio: ſed etiam ex debito iuſtitiæ: ita vt ratione illius meriti, eſſet contra iuſtitiam, hanc vnionem non conſeruare: cùm ſine merito, liberè potuiſſet eam Deus non conſeruare, ſicut initio poterat non conferre. Idem rectè dici poteſt de reſtitutione ſeu inſtauratione huius vnionis. Verbi diuini cum naturâ humanâ, quæ per mortem erat diſſoluta, & per reſurrectionem eſt inſtaurata. Ex Reſtitutionem

Nec obſtat, quod hęc vnionis reſtauratio fuerit debita Chriſto, ratio primę vnionis factæ in conceptione: quia potuit etiam cadere ſub meritum, ſicut reſurrectio, & gloria corporis, & diuini nominis æterna celebritas: quæ tamen aliàs erant debita. Denique certum eſt, Chriſtũ meruiſſe huius vnionis innumerabiles quaſi replicationes & repetitiones, quæ in Sacramento Euchariſtiæ fiunt: nam hoc totum Sacramentum ex ipſius meritis profluxit. Et Replicationem

Dices: Si chriſtus meruit conſeruationem, & continuationem vnionis hypoſtaticæ: ergo & nos meremur gratia continuationem, imò etiam naturæ: nam illa vnio erat chriſto naturalis, vt pote ipſum conſtituens. Quomodo nos mereamur gratiæ & naturæ conſeruationem.

Reſpondeo: Quod ad conſeruationem gratiæ attinet, concedo: qui enim meretur gratiam, meretur quoque illius æternam continuationem, niſi ipſe interponat impedimentum. De naturali cõſeruatione: non meremur eam directè: quia merita noſtra non videntur ad hoc habere proportionem: indirectè tamen hanc meremur, quatenus meremur gratiam, & gloriam æternam, quæ ſine naturæ conſeruatione dari nequeunt.

Dices Primò, chriſtus meruit Patribus Veteris teſtamenti gratiam & remiſſionem peccatorum: quod præmium longò prius fuit merito: ergo ſimili modo per ordinationem diuinam poterit mereri vnionem hypoſtaticam, præſertim cùm executio Incarnationis poſterior fuerit meritis præuiſis, ſeu præuiſione meritorum. 29 1. Obiect.

Reſpondeo: Chriſtus non propriè & ſtrictè meruit illis Patribus gratiæ collationem, & remiſſionem peccatorum: ſed ſoluit pretium pro illis debitum. Deus enim contulit illis gratiam & remiſſionem peccatorum propter chriſti ſolutionem præuiſam: vnde Chriſtus manebat pro eis debitor, donec ſatisfaceret. Sicuti ſi Rex cõferret parenti alicuius multa beneficia, propter obſequia filij eius præuiſa vel ſperata, vellet que filium manere obligatum donec obſequijs ſatisfaceret; illa obſequia haberent rationem pretij, & ſolutionis debitæ potiùs, quam meriti: niſi nomen meriti laxiùs ſumamus, ſcilicet pro omni opere habente condignitatem ad bonum datum vel dandum. Quomodo intelligendi ſunt Auctores, dum dicunt Chriſtum meruiſſe Patribus antiquis. Simili modo potuiſſet Chriſtus mereri ſuam Incarnationem, ſi Deus ita ſtatuiſſet: nempe ſoluendo id quod propter illam debebat: & tunc Meritа chriſti reſpectu gratiæ datæ Patrib⁹ non habẽt rationem meritorũ, ſed futuræ ſolutionis

vnio hypoſtatica non fuiſſet in principio data abſolutè, ſed ſub conditione futuri operis. Sicut ſi Militi dentur arma, ea lege, vt teneatur pugnare, nec aliter abſolutè ſint eius; obſequium militiæ reſpectu primæ collationis armorū, erit ſolutio debiti: rei pecu verò futurę poſſeſſionis, erit meritum. Ita in propoſito. Itaque Patribus data eſt gratia propter Chriſti merita, non vt habent rationem meritorū, ſed ratione futuræ ſolutionis.

30 1. Obiect.

Dices Secundò; Patres & Prophetæ qui fuerūt ante Chriſtum, meruerunt Chriſti Incarnationem ſuis precibus & pijs deſideri;s; & eorum merita fundabātur in meritis Chriſti: quia habebant gratiam propter illa, ſiue conſiderentur vt merita, ſiue vt ſolutio: ergo Chriſtus meruit ſibi Incarnationem, accipiendo nomen meriti, vt extendit ſe ad ſolutionē debiti: *Nam quod eſt cauſſa alicuius cauſſæ, eſt etiam cauſſa effectus ipſius.*

Patres non meruerūt Chriſti incarnationem decō digno.

Reſpondeo & Dico Primò; Sancti illi non meruerunt nec potuerunt mereri Chriſti Incarnationem de condigno ſecundùm legem ordinatam. Eſt communis Theologorum in 3. diſt. 4. Primò; Quia nemo poteſt alteri mereri gratiam iuſtificationis ex condigno: ergo multò minùs gratiam vnionis hypoſtaticæ. Secundò; Quia illi Sancti merebātur gratiam & gloriam ſuis meritis; & hoc erat præmium adę quatum: ergo nullo modo gratiam vnionis, quę eſt bonum ſublimius. Tertiò, Quia Scriptura iſtud beneficium tribuit gratuitę Dei dilectioni, & miſericordię, & excludit omnia humana merita: quod argumentum omnino conuincit hanc veritatem. Secūdùm tamen potentiam abſolutā potuiſſent illud mereri, non quidem omnino ex condigno; quia non poterant facere vllum opus dignum tanto præmio; ſed tamen ex quadam imperfecta iuſtitia: quia potuiſſet hæc gratia vnionis promitti ſub conditione operum bonorum, qualia puri homines cum gratia poterant præſtare. Qua conditione impleta, fuiſſet debitum ſecundùm quandam imperfectam rationem iuſtitiæ.

Sed de cōgruo eius impletionem.

Dico Secundò; Patres meruerunt Chriſti incarnationem ex cōgruo, non quidem propriè ſecundùm ſuam ſubſtantiam; ſed ſecundùm quaſdam ſuas circumſtantias. Ita communior ſententia Doctorum, Alexandri 3. p. quæſt. 8. memb. 3. art. 2. D. Thomæ, Bonauenturæ, Richardi, Gabrielis in 3. diſt. 4. & multorum recentiorum.

Ratio eſt; Quia hoc meritum nihil aliud fuit, quàm quædam diſpoſitio, qua reddiderunt ſe pro humanā conditione quodāmodò dignos vt Deus impleret quod iam ante gratis promiſerat. Atqui hoc nihil eſt aliud, quàm mereri, vt non diu extrahatur promiſſio: implere enim promiſſum, nihil eſt aliud, quàm non differre. Confirmatur; Quia nihil aliud ſignificāt voces prophetarū. Iſaię. 45. v. 8. *Rorate cæli deſuper, & nubes pluant iuſtū; aperiatur terra & germinet Saluatorem*: Quaſi dicat; non ampliùs differatur *iuſtus* qui promiſſus eſt. Iſaiæ 16. v. 1. *Emitte Agnum, Dñe, Dominator terræ*, Pſal. 78. v. 8. *Citò anticipent nos miſericordię tuę*. Habacuc 2. v. 3. *Veniens veniet, & nò tardabit*. Neque enim mēs Sanctorū erat impetrare à Deo tanti myſterij ſubſtantiā ordinari, ſed cùm ſcirēt illud prędordinatum gratis petebant non differri, ſed quàm primùm impleri. Confirmatur ſecūdò; Quia ſi propriè meruiſſēt ſubſtantiā incarnationis, etiam prædeſtinationē eius meruiſſent: quod tamē dici non poteſt. Patet; Quia meritum, cùm ſit cauſſa moralis, primò & immediatè mouet intellectum & voluntatē eius apud quem mereris, vt ipſe velit & ordinet fieri quod mereris.

Dices; Si impetrabant impletionem: ergo etiā ſubſtantiā: quia non poteſt impleri ſine ſubſtātiā myſterij. Reſp. Negādo conſequentiam propriè loquendo. Quod patet exemplis humanis. Quia ſi Rex promiſit alicui regnū gratis, poteſt ille ſuis obſequijs mereri, vt Rex non differat diu impletionem promiſſi, etiamſi non mereatur abſolutè ipſum regnum. Sic poteſt quis mereri ſolutionem antè terminū, non merēdo ipſam rem quę ſoluitur, vt pote quæ iam ſit debita. Meritū enim hoc; non reſpicit ipſam ſubſtantiam rei ſecundùm ſe, ſed ſolùm coniunctionem eius cum hoc tempore: ipſa autem rei ſubſtantia fit ex vi prioris decreti vel promiſſionis. Sic Abraham meruit vt chriſtus ex ipſius ſemine naſceretur, vt apertè inſinuatur Gen. 22. v. 18. *Quia feciſti hanc rem, benedicētur in ſemine tuo omnes Gētes*: & B. Virgo meruit vt eſſet Mater Dei: non quòd Virgo aut Abraham hæc intenderint, aut habuerint promiſſionem ſub conditione operis; ſed quia ſanctiſſimis operibus ſuis, ſe quodammodò dignos præ ceteris reddiderūt: vt Deus hoc myſterium per illos potiùs, quàm per alios impleret.

Abraham meruit vt ex ſuo ſemine Chriſtus naſceretur: & Deipara vt eſſet mater dei.

Iuxtà hanc ſentētiam, facilè eſt explicare, quomodo Patres & Prophetę potuerūt mereri chriſti Incarnationem, cùm illorum meritum ex Chriſti Incarnatione penderet: nam non ſubſtātiam, ſed ſolùm impletionem Incarnationis meruerunt; id eſt, vt non differretur. Habuerunt autem gratiā ex Chriſti merito & Incarnatione; quatenus hæc erant in præuiſione diuinā, tāquam abſolutè futura ſecundùm ſuam ſubſtantiam ex vi decreti gratuiti. Nec obſtat, quòd Deus etiam prędordinauerat hanc impletionem tali tempore futurā: quia id ita prędordinauerat, vt vellet dependere à Sanctorum precibus, tamquam conditione, ſine qua, non eſſet tali tempore impleturus. Subſtantiam autem huius myſterij non ſic prędordinauit: non enim dici poteſt Chriſtum non incarnandū fuiſſe, ſi Prophetæ & Patres non oraſſent.

DVBIVM VIII.

Vtrùm Chriſtus ſibi meruerit donagratię habitualia, & gloriam Animæ?

31 Si hisc. ruiſſet, meruiſſet.

REſpōdeo breuiter, & Dico primò, Si anima Chriſti in principio cōceptionis caruiſſet illa gratia vel gloria; certū eſt quòd eam meruiſſet. Probatur; Quia ideò nunc reipſa meruit gloriam corporis, quia eā carebat: ergo ſi vel ad momentū caruiſſet gratiā habituali & gloriā, etiā meruiſſet. Confirmatur; Quia opera ipſius, vel ratione ſolius dignitatis perſonæ, erant ſufficientia ad omnem illam gratiam & gloriam promerendā: ergo ſi pręceſſiſſent, ſine dubio eam meruiſſent.

Verùm, quia ſuprà q. 7. a. 12. dub. 3. oſtenſum eſt, Chriſtum à primo inſtanti ſuæ conceptionis, habuiſſe plenitudinem gratię, & gloriam animæ: Dico Secundò; Chriſtus in primo inſtanti potuit accipere diuinitus gratiam & gloriam ex ſuo merito; quod meritum in eodem inſtanti temporis, priùs tamen naturā, poterat elicere. Eſt cōmunis ferè Doctorum, excepto Caietano, & quibuſdam Thomiſtis. Ratio eſt; Quia nulla hīc eſt repugnantia.

Potuit mereri Gratiam & Gloriam in primo inſtanti conceptionis.

Ac Primum, quòd Gratiam tunc potuerit accipere ex merito: Probatur; Quia gratia habitualis in chriſto, non erat abſolutè prima gratia efficiēs illum Deo gratum; ſed prior erat gratia vnionis, quæ per ſe ſola erat ſufficientiſſima ad merendum: ſed in eodem inſtanti, quo quis habet gra-

Prob. de Gratia.

etiam primam, poteſt per illam mereri ſecundam, eamque ſimul accipere; vt patet, cùm quis meretur augmentum gratię, quod in eodem momẽto datur: ergo per meritum ex gratiâ vnionis profectũ, poterat mereri gratiam habitualẽ. Secundò; In eodem inſtanti, quo ſe diſponit perſona creata ad gratiam iuſtificationis, per illam vltimam diſpoſitionem meretur ex congruo illâ gratiâ quæ in eodem inſtanti datur: & quòd meritum non ſit ex condigno, eſt, quia non ſupponitur perſona grata. Atqui chriſtus potuit etiam accipere gratiam habitualem per propriam diſpoſitionem (ſicut D. Thomas & multi Doctores ſentiũt de Angelis & Adamo:) ergo illa diſpoſitio fuiſſet meritoria illius gratiæ; & quia ſupponebat perſonam iam gratam, fuiſſet meritoria ex condigno.

A ſimili.

Quòd autem tunc etiam potuerit mereri Gloriam quæ in eodem inſtanti dabatur: Probatur Primò; Quia qui meretur gratiâ, meretur etiam gloriam: ergo qui meretur primam gratiam habitualem, meretur etiam primam gloriam. Atqui hæc poterant ſimul dari; quia in chriſto opus meritorium & gloria, non pugnãt, ſicut in nobis: nam ipſius meritum non erat ex fide, ſed ex ſcientia infuſa, quæ ſimul eſſe poteſt cum viſione beatificâ.

Prop. de gloria.

Secundò Probatur potuiſſe mereri gloriâ, etiã non merendo gratiam: quia alij homines etiamſi non mereãtur primam gratiam iuſtificationis ex condigno, merentur tamen primam gloriam ex condigno: ergo idem potuit chriſtus, ſi intelligamus gratiam habitualem anteceſſiſſe ordine naturæ meritum, & per illam Chriſtum liberè operatum priùs naturâ quàm acciperet gloriam; quod ſine dubio fieri potuit.

Potuiſſet gloriam mereri, nõ merendo gratiam.

Tertiò; Nulla poteſt aſſignari ratio, cur non poſſit quis beatitudinem mereri, & illam in eodem inſtanti accipere, ſi meritum non ſit ex fide, ſed ex ſciẽtia infuſa. Nõ enim repugnat ex parte dei, qui eodem momento quo fit meritum, acceptat illud, & ſimul poteſt præmium reddere. Nec ex parte meriti aut præmij, quia in momento fiunt. Nec ex parte ordinis quia eſt ordo cauſſæ & effectus: vel diſpoſitionis & formæ, quæ ſimul eſſe poſſunt.

In eodem inſtanti beatitudo & el⁹ meritum ex ſciẽtia infuſa, ſimul eſſe poſſunt.

Dices Primò; Meritum ſe habet vt via, præmium vt terminus: at fieri nequit vt aliquid ſit ſimul in viâ, & in termino, &c.

Reſpondeo; Non repugnat viam ſimul eſſe cum termino, quando via eſt momentanea. Patet; Quia contritio eſt via ad gratiam ſanctificãtem, & tamen eſt ſimul tempore cum illâ. Idem patet in merito augmenti gratiæ.

Soluuntur obiectiones.

Dices Secundò, Ex D. Thoma 1. p. qu. 62. a. 4. Meritum gloriæ eſt ex gratiâ imperfectâ; gloria autem ex gratiâ conſummatâ: ergo meritum gloriæ & gloria non poſſunt eſſe ſimul.

Reſpondeo; D. Thomas per gratiam imperfectam intelligit eam, quæ ex fide operatur: & hęc non poteſt ſimul eſſe cum gloria ſeu beatitudine. Verùm in Chriſto non erat talis gratia imperfecta; non enim operabatur ex fide, ſed ex clarâ cognitione, quæ ſimul eſſe poteſt cum beatitudine.

32 Probabile eſt meruiſſe vtramque.

Dico Tertiò; Probabile eſt Chriſtum re ipsâ meruiſſe Gratiam & Gloriam animæ. Neque hæc ſententia vllam cẽſuram meretur. Probatur Primò; Quia multi & graues Theologi id tenent. Guilielmus Altiſſiodorẽſis 3. parte ſummę tract. 1. c. 7. Albertus Magnus in 3. diſt. 18. & ibidem aliquot alij, præſertim Scotiſtæ. Et Probatur; Quia in omnibus alijs Sãctis magna eſt perfectio habere beatitudinẽ, non ſolùm vt hæreditatem ratione filiationis adoptiuæ; ſed etiam vt præmium & coronam bonorum operum: ergo etiam in Chriſto erit perfectio. Confirmatur; Quia ad Chriſti dignitatem pertinet, vt nulla ſit beatitudo nec in ipſo, nec in alijs hominibus, quæ non ſit collata ex ipſius meritis. Secundò; Idem probatur de Gratia: nam probabile eſt Chriſti Animam fuiſſe ſanctificatam per propriam diſpoſitionem, motumque liberi arbitrij: ſicut multi ſentiunt de Angelis & Adamo; & expreſsè docet D. Thomas infrà quæſt. 34. art. 3. ergo illa diſpoſitio ordine naturę antecedebat & gratiam habitualem & gloriam: ergo erat meritoria omnium poſteriorum donorum: ſicut in nobis vltima diſpoſitio eſt meritoria de condigno primæ gloriæ; cur ſimiliter in Chriſto illa diſpoſitio non erit meritoria etiam gratiæ, cùm ſupponat ſubiectum gratum?

33 probabiliꝰ tamen negatur de Gratia.

Dico Quartò: Probabiliùs tamen & verius eſt, Chriſtum non meruiſſe reipſa gratiam habitualem, aut alios habitus infuſos.

Probatur; Quia hæc eſt communior ſententia Doctorum cum Magiſtro diſt. 18. Bonauenturæ, Scoti, Durandi, Richardi, Paludani, Gabrielis. Item docet Canus lib. 12. de locis cap. 14.

Secundò Probatur; Quia nullus actus ſupernaturalis in Chriſto prior fuit ne quidem naturæ ordine, gratiâ habituali: ergo illam non meruit. Nam meritum, ſaltem naturæ ordine, debuit antecedere præmium. Antecedens Probatur, Quia Anima Chriſti omnes actus ſuos ſemper perfectiſſimo modo fecit: ergo ſemper operata eſt ex habitu: nam perfectus modus operandi eſt, quãdo quis operatur ex principio intrinſeco actui proportionato: hoc autem principium reſpectu actuum ſupernaturalium, eſt potentia animæ completa per habitum diuinum. Nam potentia nuda, ſolùm habet vires inchoatas & dimidiatas ad huiuſmodi actus; nec poteſt perfectè compleri niſi per dona habitualia. Confirmatur; Nam primus actus ſcientiæ infuſæ, ſeu prima agnitio Dei ſupernaturalis ad meritum requiſita, non poteſt perfecto modo haberi, niſi procedat ex lumine ſupernaturali infuſo: ergo illa cognitio ſupponebat habitum vnde procederet. Similiter prima dilectio Dei, in qua primum meritum debebat procedere ex dono charitatis. Atqui habitus potentiarum ſupponunt habitum gratiæ in eſſentiâ animæ: ſicut potentiæ ſupponunt exiſtentiam; idque maximè in Chriſto, cui omnes habitus perfectiſſimo & maximè naturali ordine fuerunt infuſi. Ergo gratiam & dona habitualia non meruit, ſed priùs naturâ accepit, quam meritum eliceret.

Probatur Tertiò; Quia tota gratia habitualis Animæ Chriſti, erat veluti proprietas connaturalis proueniens ex vnione cum Verbo: ergo ſicut Anima ſecundùm eſſentiam ſuam per ſe primò vniebatur Verbo, & potentiæ tantùm vniebantur ſecundariò ipſi Verbo; ita etiam Anima priùs naturâ accipiebat gratiam à Verbo, quàm potentiæ: ac proinde non poterat illa gratia cadere ſub meritum, cùm omne meritum fiat per potentias animæ.

Gratia habet ſe inſtar proprietatis proueniẽtis ex vnione cum Verbo.

Denique, Quia habitualis gratia, vna cùm gratiâ vnionis, erat principium omnis meriti: ergo non debebat cadere ſub meritum. Confirmatur; Quia par erat, vt principiũ meriti, & omnis boni ſupernaturalis in genere humano, eſſet omnino perfectum, non ſolùm quoad perſonam, ſed etiam quoad Animam, quæ eſt *principium quo* ipſius meriti. Sicut Adam erat omnino perfectus

in bonis naturalibus.

Dices: Ergo Anima chriſti non fuit ſanctificata per proprium actum; quod tamen aſſerit D. Thomas infrà q. 34. a. 3.

Anima chriſti non fuit primo ſanctificata per proprium actum.

Reſpondeo; Verè non fuiſſe ſanctificatam per proprium actum, tamquam diſpoſitionem quę naturâ prior ſit infuſione donorum habitualium: talis enim diſpoſitio in voluntate non requiritur, niſi ad remouẽdum impedimentum, ſcilicet affectum peccati; vel certè ad eleuandam naturam ad ſtatum ſupernaturalem; quarum neutrum locum habet in chriſto. Deinde; talis diſpoſitio non poſſet elici ab habitu gratię, & ſic imperfecto modo fieret, qui non eſt tribuendus Chriſto: Actus enim qui prior eſt habitu, vt diſpoſitio, non poteſt elici ab habitu ad quem diſponit: hoc enim contradictionem implicat, quidquid Thomiſtæ dicant. D. Thomas autem tantum vult dicere chriſtum ſanctificatum per motum liberi arbitrij, qui erat tamquam diſpoſitio manans ab illâ gratiâ, non tamen præparans ad illam gratiam; ſed efficiens vt gratia illa connaturali modo conſeruetur: itaque erat diſpoſitio non præparans, ſed ornans.

34 Verius etiam negatur de gloria.

Dico Quintò; Verius etiam eſt Chriſtum habuiſſe gloriam Animæ ſine proprijs meritis. Primò, Quia hæc eſt communior ſententia Doctorũ. Secundò, Quia primus actus ſupernaturalis, qui fuit in intellectu Animæ Chriſti, erat ipſa viſio beata: ergo omne meritum ſupponebat viſionem beatificam. Patet conſequentia; Quia omne meritum fundatur in cognitione ſupernaturali, eamque ſupponit; ergo ſi viſio eſt prima cognitio ſupernaturalis in Anima chriſti, meritum ſupponit illam, non autem meretur illam.

Primus actus Animæ chriſti fuit viſio beatifica.

Antecedens Probatur Primò, Quia gratia habitualis cum ſuis virtutibus annexis fuit prior ordine naturę actu & merito: ergo etiam lumen gloriæ fuit prius actu ſupernaturali & merito: nam vna ex virtutibus quæ maximè comitatur gratiam conſummatam, eſt lumen gloriæ: imò videtur eſſe abſolutè prima virtus. Nã ſicut intellectus eſt prima potẽtia animæ, ita virtus illa quâ intellectus eleuatur ſupernaturaliter, eſt prima veluti potentia gratiæ in eſſentiâ animę exiſtentis. Et quamuis in ſtatu imperfecto virtus qua eleuatur intellectus, ſit fides; tamen in ſtatu gratiæ perfectæ prima virtus eſt lumen gloriæ.

Nunc vlteriùs: Si lumen gloriæ eſt prima virtus annexa gratię conſummatę: ergo viſio beata eſt primus actus, qui ordine naturę fuit in intellectu Animę chriſti. Patet conſequentia; Quia primus actus maximè connaturalis lumini gloriæ, eſt viſio Dei, qui eſt ipſius primarium obiectum intimè præſens: ſicut primus actus, & maximè connaturalis lumini Angelico, eſt viſio eſſentiæ Angelicę.

Secundò Probatur Antecedens, Quia ad perfectionem chriſti ſpectat, vt primus eius intuitus fuerit in diuinam eſſentiam, vt ab illâ hauriat quodammodò omnem aliam ſcientiam. Sic enim intellectus Animæ Chriſti erit ſimilior intellectui diuino, qui primò fertur in diuinam eſſentiam, & ab hac ad reliqua. Confirmatur; Quia cùm tota illa ſcientia ſupernaturalis fuerit chriſto debita, & quaſi connaturalis; non erat conueniens vt ipſe procederet in illâ ab imperfecto ad perfectum, ſed debuit à perfectiori initium aſſumere.

Ex his ſolui poſſunt Argumenta facta pro tertiâ propoſitione: nam cetera non ſunt paria, vt ibi ſupponitur. Patet etiam, Quomodo intelligenda ſit Ratio D. Thomæ; nempe: *Meritum beatitudinis & beatitudo non poſſunt eſſe ſimul*; Meritum enim ex naturâ ſuâ eſt ex gratiâ imperfectâ, id eſt, operante per fidem: quòd ſi detur aliquod meritum non fundatum in fide, iam illud ſupponet viſionem beatificam; quia ſupponit aliquam ſcientiam ſupernaturalem claram, quę non datur niſi ratione ſtatus beatifici. Vnde tale meritum non poteſt eſſe meritum reſpectu viſionis beatæ; cùm illam ſupponat.

DVBIVM IX.

Verùm chriſtus ſibi meruerit Corporis gloriam, & Nominis exaltationem?

CAluinus lib. 2. Inſtit. c. 16. §. vlt. reprehenſis primò Theologis tamquam curioſis & temerarijs, quòd hęc inquirant; tenet partem negantem. Primò, Quia ſi aliquid ſibi meruiſſet propter ſe potiùs quàm propter nos venillet, cùm tamen Scriptura vbique doceat illum *nobis datũ, nobis veniſſe, nobis meruiſſe*. Secundò, Frigeret illa demonſtratio charitatis, de quâ Apoſtolus ad Romanos 5. vbi *pro inimicis mortuus dicitur*. Tertio, Quia non poteſt eſſe tantum meritum vt homo fiat Iudex mundi, caput hominum & Angelorum.

35 Caluinus negat.

Reſpondeo & Dico Primò, Chriſtus Paſſione ſuâ meruit gloriam ſui corporis. Eſt fide certa.

Meruit gloriam corporis.

Probatur; Ad Philip. 2. v. 8. *Humiliauit ſemetipſum factus obediens vſque ad mortem: propter quod & Deus exaltauit illum* &c.

Reſpondet Caluinus *Propter*; non ſignificare cauſſam, ſed conſequentiam; hoc ſenſu: Chriſtus primò paſſus eſt, deinde exaltatus. Sic etiam exponit illud Lucę 24. v. 26. *Oportebat pati Chriſtum, & ſic*, id eſt, *hoc ordine*, inquit, *intrare in gloriam ſuam*.

Reſponſio caluini.

Sed contrà; Quia etiam in illo Lucę ſignificatur cauſſa: ſicut cùm dicimus, Oportet currere, & ſic accipere brachium. Quòd autem illud *Propter*, ſignificet cauſſam; Patet, Tùm ex communi modo loquendi, & vocis proprietate: tùm ex illo ad Hebr. 2. *x*. 9. *Videmus Ieſum propter paſſionem mortis gloriâ & honore coronatum*. Vbi etiam nomine, *Coronę*, inſinuatur præmium & merces; ac proinde meritum in paſſione. Denique omnes interpretes volunt ſignificari meritum & cauſſam: Chryſoſtomus, Theophilactus, Oecumenius, Ambroſius, Beda, Auſelmus, &c. Vnde patet hanc eſſe communem ſententiam Patrum. Quibus accedunt omnes Doctores cum Magiſtro in 3. d. 18. Nec Scotus diſſentit ab alijs, niſi modo loquendi. Ratio eſt. Quia in chriſto concurrebant omnia neceſſaria ad meritum huius gloriæ corporis; eratque perfectius eam mereri, quàm non mereri; nec vllam aliam perfectionem excludit. Hinc ſequitur, chriſtum meruiſſe ſuam Reſurrectionem & omnes dotes corporis glorioſi. Item ablationem omnis triſtitiæ & capacitatis triſtitię in Animâ: iuxtà illud Pſal. 44. v. 8. *Dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem, propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lętitiæ*. Dico Secundò, Chriſtus etiam meruit ſublimitatem & celebritatem ſui nominis, & omnẽ externam gloriam apud vniuerſam creaturam rationalem. Patet ad Philip. 2. v. 9. *Propter quod & Deus exaltauit illũ, & donauit illi nomẽ quod eſt ſuper omne nomen vt in nomine Ieſu omne genu flectatur cœleſtium, terreſtrium, & infernorum*. Apoc. 5. v. 12 *Dignus eſt Agnus qui occiſus eſt, accipere virtutẽ, & diuinitatẽ* (id eſt vt ab omnibus agnoſcatur & co-

ſe fellitur.

Item meruit Reſurrectionem, Dotes corporis, & ablationem triſtitiæ.

36 Nominis celebritatem.

la.ur tamquam Deus) *& ſapientiam, & fortitudinē & honorē, & gloria.* Ioan. 17. v. 1. *Pater venit hora, clarifica filium tuum.* Et infrà v. 5. *Et nunc clarifica me tu Pater apud temetipsū, claritate quā habui priùs quàm mundus eſſet apud te,* id eſt, vt etiam in humanitate agnoſcar & colar Deus. Ratio eſt; Quia Chriſti meritum digniſſimum eſt tali præmio; & reliqua meriti conditiones adſunt. Optima quoque eſt proportio inter tantam eius humilitatem, & tantam exaltationem.

Teſtimonia & ſigna quib⁹ ſua dignitas eſt patefacta.

Hinc probabiliter colligunt quidam Doctores, Chriſtum meruiſſe etiam omnia ea, quibus eius dignitas hominibus eſt patefacta, dum adhuc eſſet in vita mortali: vt teſtimonium Angelorum in nocte Natiuitatis, & in die Reſurrectionis: Teſtimonium Stellæ & Magorum: Teſtimoniū Patris in Iordane, & in monte: Prodigia in morte, & ſimilia. Etſi enim hęc fierent ad hominum fidem confirmandam, tamen etiam pertinebant ad gloriam chriſti; & ſub vtráque ratione, poterant ſub eius meritum cadere.

Dignitatē Regis & capitis.

Secundò colligitur, Chriſtum meruiſſe regiam dignitatē in vniuerſum orbem. patet Pſal. 2. v. 8. *Poſtula à me & dabo tibi Gētes hæreditatem tuam.* Et v. 6. *Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum eius.* Iſaiæ 53. v. 12. *Peccata eorum ipſe portauit; ideò diſpertiam ei plurimos, & fortium diuidet ſpolia.* Matth. 28. v. 18. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra.* Similiter meruit dignitatē capitis, nam eadē eſt ratio. Aduerte tamen, illum non meruiſſe, primum illum titulum Regis aut capitis; nā hunc habuit ante omne meritum ex ſola Dei ordinatione. Sicut etiam non meruit vt eſſet mediator teſte D. Auguſtino de prędeſtinatione Sanctorum c. 15. Vnde cùm Pilatus dixiſſet: *Ergo Rex es tu?* Reſpondit: *Ego in hoc natus ſum, & in hoc veni in mundum, vt teſtimoniū perhibeam veritati:* ſcilicet regni mei. Meruit tamen dominij exercitium, & externam declarationem huius dignitatis: quod ſatis indicant ſcripturæ citatæ. Prętercà meruit poteſtatem iudiciariam, vt docet D. Thomas infrà qu. 59. art. 3.

37 Soluuntur argumēta Caluini.

Ad argumenta Caluini. Ad primum, neganda eſt ſequela. Chriſt⁹ enim ſolùm propter noſtram inopiam venit, non propter ſuam: tamen poſtquā venit acceptâ ſerui formâ, potuit etiā ſibi mereri. Ad ſecundum, Negatur illam demonſtrationem charitatis frigere: quia propter nos carnem paſſibilem accepit, & mortem paſſus eſt; quod alioqui non feciſſet: non enim propter gloriam corporis ſui neceſſe erat pati, cùm hęc illi ante omne meritum deberetur. Poſito tamen quòd propter nos carnem paſſibilē acceperit, nihil vetat, quin etiam ſibi gloriam carnis ſuę meruerit; quia meritum eius ad hoc digniſſimum eſt, & nobis ideò nihil detrahitur. Ad Tertium, Si Chriſtus meruit totius mundi expiationem, quod ſine dubio maius eſt; quomodo non potuit mereri vt eſſet totius mundi Iudex?

DVBIVM. X.

Vtrùm Chriſtus meruerit Angelis Gratiam & Gloriam?

38 Origenes putat Chriſtum redemiſſe Angelos.

ORigenes hom. 1. in Leuit. & hom. 24. in Numeros, cenſet chriſtum redemiſſe Angelos, & eſſe mortuum pro illis. Quam ſententiam videtur approbare D. Hieronymus in cap. 1. & 4. ad Epheſios: ſed more ſuo ſolùm refert ſententias aliorum, nec probando, nec improbando. Hæc ſententia ſi intelligatur de Angelis malis, eſt hæretica: ſupponit enim pœnam dæmonum non eſſe æternam. Si de bonis; eſt omnino falſa & temeraria, vt ſtatim dicam.

Alij dicunt chriſtum quidem non redemiſſe Angelos, cùm numquam captiui fuerint; tamen propter eius merita prævia, datam illis eſſe gratiam, & conſequenter gloriam. Ita plerique Doctores ſuprà citati q. 1. a. 3. n. 38. qui docent chriſtum incarnandum etiamſi Adam non peccaſſet; quamquam non omnes.

Reſp. & Dico primò: chriſtus non redemit Angelos, nec mortuus eſt pro illis. Eſt omnino certa. Probatur ex illis ſcripturæ locis, vbi dicitur chriſtus propter peccatores veniſſe; vt Actor. 4. 1. Tim. 4. ad Gal. 3. 1. Pet. 1. Deinde Apoſtolus 2. ad Cor. 5. v. 14. ait: *Si Chriſtus pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt:* atqui Angeli nō poſſunt dici mortui, nec eo ſenſu quo ibi Apoſtolus, ſcilicet ſecūdùm vitam peccati, nec alio. Ad Heb. 2. v. 16. *Nuſquā Angelos apprehendit Deus, ſed ſemen Abrahæ:* id eſt, Scriptura nuſquam dicit chriſtum Angelos labantes reduxiſſe; vt exponit Chryſoſt. Vide D. Aug. c. 61. 62. 63. Enchiridij. Et Greg. lib. 28. moral. c. 14. in illud. Iob. 38. v. 7. *Cùm me laudarent aſtra matutina.* Et ratio eſt, Quia boni non egebāt redemptione, nec ſatisfactione, cùm non peccarint: malis autem non profuiſſet; quia ſtatim æternis pœnis ſunt deputati. Angeli nō ſunt redempti.

Dico Secundò, Etſi non ſit improbabile Angelis gratiam & gloriam eſſe datam ex chriſti meritis: probabilius tamē & verius videtur cōtrariū. 39 Negratiā nec gloriā habent Chriſti exmeritis.

Probatur Primò, Nam plures hoc tenent; & quidem grauiores Doctores D. Thomas in 3. d. 13. q. 2. a. 2. quæſtiunc. 1. D. Bonauen. eādem diſt. 2 2. q. 3. Durandus, Paludanus, Maior, Gabriel, & alij eādem diſt. Driedo De captiuitate & redempt. tract. 4. c. 2. pag. 8. Scolaſtici.

Secundò, Probatur omnibus illis locis in quibus ſcripturæ & patres docent chriſtum tantùm propter nos veniſſe. Vide dicta ſupra qu. 1. art. 3. Patres. Mirum ſanè eſſet, rem tantam, quę tantoperè ad chriſti dignitatem pertinet, à ſcripturis & Patribus eſſe tacitam. Quod argumentū, etſi ſit ab auctoritate negatiue, eſt valdè efficax; Idem confirmatur ex illo ad Heb. 2. v. 11. *Qui ſāctificat, & qui ſanctificāntur, ex vno omnes; propter quā cauſſam non cōfunditur fratres eos vocare.* Hîc Apoſtol⁹ fusè docet Chriſtum debuiſſe eſſe naturæ & conditionis paſſibilis, eò quòd ſanctificandi per illum, eſſent talis naturę: Sacerdos enim debet eis ſimilis eſſe, pro quibus Sacerdotio fungitur. Vbi ſatis indicat Angelos per chriſtum non eſſe ſanctificatos, quia non deſcendunt, ex eodem parente. Vnde infrà v. 16. ſic argumentatur: *Nuſquā Angelos apprehēdit,* ſcil. ne perirent, *ſed ſemen Abrahæ apprehendit:* ergo debuit per omnia fratribus aſſimilari. Scriptura.

Tertiò Probatur; Ratione. Primò, Quia etiamſi chriſtus non veniſſet, Angelis tamen fuiſſet data gratia: ergo non habuerunt eam ex chriſti meritis. Antecedens patet; Quia ſicut natura illorum fuit prærordinata ſine dependentiâ à chriſti merito; ita in eodem ſigno fuit prærordinata illorum gratia: quia Deus non prærordinauit Angelicam naturam niſi perfecto modo, ſcilicet vt eſſet particeps diuinæ naturæ per dona ſupernaturalia & beatitudinem. Prima ratio.

Secundò, Si Angeli habuiſſent gratiam ex chriſti meritis, non debuiſſent accipere gloriam ante chriſtū; vt patet in Patribus veteris Teſtamenti. Confirmatur; Tùm, quia non decebat, vt illi, qui per filium erant adoptati, hæreditatem cœleſtē adirent ante Filium: tùm, quia illis data fuiſſet gratia modo imperfecto, ſcilicet dependenter à Secunda ratio.

ed by ogle

meritis futuris. Ergo non debebát accipere consummationem ante solutionem pœnitam.

Tertia Ratio. Tertiò, Adam non habuit gratiam, qua primò sanctificatus est, ex Christi merito: ergo nec Angeli. Antecedens Probatur, Quia alioqui Christus debuisset illi reuelari à principio cùm primum fuit formatus: nõ enim credibile est sine explicita fide Incarnationis esse iustificatum, si ex Christi merito gratiam accipere debuit. Atqui Patres tantũmodò insinuant hoc mysteriũ illi in ecstasi reuelatum, quando de latere eius formata est Eua: nec vlla ex ipsis capi potest coniectura hanc reuelationem anteà factam; quin potiùs non obscurè insinuant tunc primùm factam. Vide D. Augustinum lib. 9. de Genesi cap. vlt. Et Leonem epist. 23[illegible]

Quarta Ratio. Eccl. 7 v. 3. Genes. 1. v. 27. Quartò, Rectitudo status innocentiæ pertinet ad opus creationis, vt insinuat Scriptura, cùm ait; *Hominem creauit esse rectum, & Creauit ad imaginem & similitudinem Dei.* Vnde & Patres vocant illam, *naturalem rectitudinem, naturalem dignitatem, naturale bonum*: Leo serm. 1. de Ieiunio, & serm. 13. de Passione. Augustin. de Spiritu & littera cap. 27. Atqui totum opus creationis primæ, est ex solâ Dei bonitate, non ex merito alicuius. Confirmatur; Quia D. Aug. lib. de corrept. & gratia, c. 10. 11. & 12. apertè insinuat gratiam Angelis & homini in statu innocentiæ datã non fuisse ex christi merito: nam distinguit hanc ab illa, dicitque acceptam esse ex bonitate conditoris: eam autem quæ data est ex Christi merito, longè esse alterius conditionis.

Quinta Ratio. Quintò, Si Angeli habent gratiam ex meritis Christi: ergo saltem empti fuit pretio meritorũ eius, quamuis non redempti; redemptio enim captiuitatem supponit. Item ergo pro Angelis sacrificium suum obtulit; in hoc enim eius meritum maximè consistit: alioqui quod opus pro illis fecit? Itaque & ipsi *dealbati sunt in sanguine Agni.* Quæ omnia parum sunt consentanea modo loquendi Scripturæ & Patrum.

Apocal. 7. v. 4.

40 Soluuntur Argumenta. Contrà. Obijcitur Primò: Ioan. 14. vers. 6. *Ego sum via, veritas, & vita: Nemo venit ad Patrẽ nisi per me*: illud, *Nemo*, est generale ad homines & Angelos.

Respondeo; Nihil cogit extendere ad Angelos: accipi enim debet secundùm subiectam materiam de hominibus, qui procul sunt à Patre: sicut illud Ioan. 6. v. 44. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eũ*: vbi de solis hominibus est sermo; sequitur enim: *Et ego resuscitabo eum in nouissimo die.* Similiter Ioan. 17. v. 3. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum*: apertè de hominibus loquitur, vt patet ex præcedentibus: & sensus est; Ratio, Qua homines debẽt peruenire ad vitam æternam, est per fidem Dei & Messiæ.

Gregorij explicatur. Obijcitur Secundò, Ex Gregorio in cap. 2. lib. 1. Regum; *Nullus hominum neque Angelorum sanctus est nisi per Christum.* Respondeo; Gregorius non habet hæc verba: sed solùm dicit, *Neminem esse sanctum nec hominem nec Angelum absque dono Vnigeniti.* Probat autem Angelos esse sanctificatos ab vnigenito, non quòd meritis eius, sed quia virtute & omnipotentiâ eius sanctificati sunt; iuxtà illud Psalmi; *Verbo Domini cœli firmati sunt.*

Obijcitur Tertiò ex eodem Gregorio ibidem: *Quia*, inquit, *Vnigenitus Dei, Deus est, extra eum nõ est aliquis*: (id est, nemo habet statum iustitiæ) *quia nemo Electorum nisi in ipso est. Quod sic refertur ad diuinitatem eius, vt nequaquam intellectum humanitatis eius euacuet; quia iustus esse non potest, qui fidem non habet Incarnationis.* Respondeo, Loquitur solùm de hominibus, quorum propriè est iustificari & accipere statum iustitiæ per Christi fidem: nemo enim habet statum iustitiæ nisi in ipso per fidem maneat: vbi illa dictio, *Nisi*, non excludit, inquit, humanitatem assumptam: Nam, vt Scriptura docet, *Nemo potest esse iustus nisi per fidem diuinæ Incarnationis*: scilicet post hoc mysterium exhibitum. Suprà ostẽderat Gregorius quomodo Angeli fuerint iustificati per Vnigenitum.

Obijcitur Quartò, ex eodem Gregorio hom. 14. in Ezechiel. *Vnigenitus Patris, qui sursum est firmitas Angelorum, inferiùs factus est hominum redemptio.* Respondeo: Apertè indicat Filium per diuinam naturam esse firmitatem Angelorum. Patet ex verbo, *Sursum*: & *quia*, vt statim subdit, *est illis fortitudo ne cadant.* Quid autem Gregorius sentiat, patet ex lib. 4. in lib. primum Reg. c. 1. *Nisi*, inquit, *Adam peccasset, Redemptorem nostrum carnem nostram suscipere non oporteret. Non enim venit vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam. Si ergo peccata deessent, eum venire non oporteret.*

D. Thomas. Obijcitur Quintò & vltimò, Ex D. Thomæ Commentario in Ioannem, in illud: *De plenitudine eius omnes accepimus*: scilicet *omnes Apostoli, & Patriarchæ, & Prophetæ, & iusti qui fuerunt, sunt & erunt, & etiam omnes Angeli.* Respondeo; Solutio sequitur in D. Thoma: Loquitur enim de Christo secundùm diuinitatem: nam præpositio *de*, isto loco significat *causam originalem & effectiuam per auctoritatem* vt ipse ait: & probat ex Ecclesiastici cap. 24. vers. 26. *Transite ad me omnes qui concupiscitis me, & à generationibus meis* (quæ scilicet de me procedunt) *adimplemini.* Vbi manifestè agitur de Sapientia diuina.

DVBIVM. XI.

Vtrùm Christus nobis meruerit Fidem, & reliquas dispositiones ad gratiam?

41 Quidam negans. SVnt duæ sententiæ. Prior est, Fidem & alias dispositiones remotas, Timorem, Attritionem, Spem, non dari nobis ex Christi meritis, sed dumtaxat ex diuina misericordia. Ita Driedo lib. de Captiuit. tract. 2. cap. 2. art. 4. pag. 46. & sequentibus, & Ruardus art. 6. Insinuat etiam Salbout in 1. c. ad Ephes. Idem docent Siluester Ferrariensis in lib. 4. contra Gentes cap. 55. & Capreolus in 3. dist. 18. qui etiam motum fidei, Spei, & Charitatis, quatenus sunt informes, & dispositio remota ad gratiam, dicit non esse ex Christi meritis: vt autem procedunt ab habitibus Theologicis, & vt sunt dispositio concomitans, esse ex Christi meritis. Quæ distinctio iure refutatur à Siluestro. Motus enim Charitatis numquam potest esse informis, aut dispositio remota; sed semper est cum gratiâ, & dispositio propinqua in conuersione. Capreolus

Altera sententia est huic contraria, scilicet omnem dispositionem ad iustificationem, siue propinquam siue remotam, nobis ex Christi meritis conferri. Colligitur ex D. Thoma suprà quæst. 8. art. 3. ad 2. & qu. 7. art. 9. Et fusè docet Andreas Vega lib. 4. in Tridentinum per multa capita, & Casalius lib. 1. De quadripartita iustitia c. 4. & alij. Verius affirmator de omni dispositione propinqua & remota ad Iustificationem.

Ex Scriptura. Probatur, Ioan. 15. v. 5. *Sine me*, inquit Christus, *nihil potestis facere*: ergo nec præparare nos ad iustitiam; vt colligit ex illo loco Concilij Arausicanum cap. 7. ad Ephesios 1. v. 3. *Qui benedixit*

nos omni benedictione spiritali in cœlestibus in Christo, vbi illud, *in Christo*, nihil potest commodè significare, nisi per christi meritum: ergo omne donũ spirituale pertinens ad cœlestia, datur ex Christi merito. 2. ad Timoth. 1. v. 9. *Qui vocauit nos vocatione sua sancta, non secundùm opera nostra, sed secundùm propositum suum & gratiam, quæ data est nobis in Christo Iesu antè tempora secularia*: vbi significat gratiam vocationis nobis ab æterno esse preparatam in diuino proposito, ob Christi merita. Ad Philip. 1. v. 29. *Vobis donatum est pro Christo* (id est Christi merito, vt exponit Anselmus, & insinuat Concil. Arausicanum cap. 25.) *non solùm vt in eum credatis, sed vt etiam pro ipso patiamini*: ergo fides est ex Christi meritis. Ioan. 1. v. 17. *Veritas per Iesum Christum facta est*, id est, vera fides, vt exponit D. Aug. in istum locum: non tantùm vt per Doctorem, sed etiam vt per auxiliatorem: vt Augustinus probat ibidem Tract. in Ioannem. Hinc Christus Ioan. 10. v. 9. dicitur *Ostium*, quia per ipsum datur fides, quæ est ianua salutis. Et sanè mirùm esset ipsum tantùm operę in docendâ fide posuisse, si eius donum nobis non meruisset.

Probatur de Fide.

Cur christus dicatur ostiũ.

ex Conciliis.

Probatur Secundò, Ex Conciliis, Concilium Mileuit. cap. 4 dicit, Scire quid facere debeamus, esse donum Dei per Christum. Idem docet Arausicanum locis citatis nempe cap. 7. & 25. Concilium Tridentinum sess. 6. cap 5. expressè docet exordium iustificationis, quod est à gratia præueniente, & à prima vocatione, esse ex Christi meritis. Omitto alia: nam videtur communis Ecclesiæ sensus, quæ cùm petit aliquod auxilium gratiæ siue præueniens siue subsequens, semper per christum petit.

42 Probatur hac dispositione vltima.

Probatur Tertiò, Ratione: Ac primò, de vltimâ dispositione est communis omnium sententia: quia cùm hac infallibiliter coniuncta est iustificatio: ergo si vltima dispositio non esset ex christi meritis, neque iustificatio esset ex ipsius meritis: quod est apertè contra Scripturas. Confir. Primò: quia si homo suis viribus posset habere vltimam dispositionem, posset etiam suis viribꝰ parare iustitiam: ergo si posset illam habere sine christi meritis, etiam iustitiam posset sine eius meritis habere. Cõfirmatur Secundò: Quia eiusdem est introducere formam, & ad illam vltimò disponere, quando agens est perfectum. Ergo si vltima dispositio datur, nõ est ex Christi merito, sed ex purâ Dei misericordiâ, etiam iustificatio ita dabitur.

Probatur de dispositionibus remotis.

Secundò: Idem probatur de dispositionibus remotis. Primò, Quia tota iustificatio, prout accipitur in Scriptura, est ex Christi merito; vt statim ostendemus: sed hæc includit omnes dispositiones, sicut generatio includit omnes præparationes: ergo omnes dispositiones sunt ex Christi meritis. Secundò, Qui meretur alteri finem, meretur omnia necessaria ad illum: sed Christus meruit nobis, iustitiam: ergo omnes præparationes ad illam necessarias. Tertiò, Cur Deus non conferat has dispositiones ob Christi merita? cùm eius meritis sint debitæ, & hic modus sit perfectior: nam sic ex misericordia & iustitia conferentur, & magis demonstrabitur efficacia Christi meritorum. Nam non solùm poterit influere in ea quæ actu sunt membra, vt sunt omnes qui habent fidem; sed etiam in ea quæ adhuc remota sunt à suo corpore, quę poterit efficere sua membra; vt rectè docuit D. Thom. suprà quæst. 8. art. 3.

Differimẽ inter ge-

In quo notandum est discrimen Christi & Adami: licet enim in eo conueniant quòd si cut Adam non potest infundere mortem peccati, nisi homini ex ipso genito: ita similiter Christus non infundat vitam iustitiæ, nisi in regeneratum ex ipso: tamen in hoc differunt, quod generatio ex adamo sit naturalis, & ideò neque ipsa, neque id quod ad eam disponit, est ex demerito Adæ, sed solùm peccatũ. Regeneratio autem ex Christo, est spiritalis, & ideò tam ipsa, quàm dispositio ad ipsam, est ex Christi merito.

neratiõẽ ex Adamo & regeneratiõem exchristo.

Dices, Istæ dispositiones sunt actus liberi: quomodo ergo dãtur nobis ex Christi meritis? Respondeo, Quatenus pendent ex gratiâ excitante & adiuuante, quæ dantur ex Christi meritis. Quo modo etiam bona opera dicuntur dona Dei.

DVBIVM. XII.

Vtrùm Christus meruerit nobis Remissionem Culpæ, & pœnæ æternæ; & Gratiam Iustificationis?

45 1. Meruit remissionẽ culpatũ.

REspondeo & Dico Primò, Christus satisfecit pro culpis omnium hominum, & meruit illarum remissionem. Est fide tenenda. Isaiæ 53. v. 6. *Posuit in eo iniquitatem omnium nostrum.* Ad Titum 2. v. 14. *Dedit semetipsum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate.* 1. Ioan. 2. v. 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris; non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mũdi.* Vnde patet cũ quoque satisfeciſſe pro peccatis eorum qui præcesserant, qui etiam ad mundũ pertinent. Et confirmatur, ad Rom. 3. v. 25. vbi ex professo probat neminem vnquam potuisse iustificari ex operibus legis, *Quem*, inquit, *proposuit deus propitiationẽ per fidem in sanguine ipsius in remissionem præcedentium delictorum* Ad Heb. 9. v. 15 *In redemptionem earum præuaricationum, quæ erant sub priori Testamento.* Vide D. Augustinum lib. de Perfectione iustitiæ, circa medium, & sub finem: & toto libro primo de Peccatorum meritis & remissionibus, præsertim cap. 27. & lib. 2. de Gratia Christi cap. 25. vbi id probat de ijs qui ante Christum fuerunt. Ratio est, quia, Christus est redemptor generis humani: redemptio autem potiss mùm consistit in liberatione à captiuitate peccati. Confirmatur; christi meritum & satisfactio, ad hoc fuit sufficientissima; & Deus ex parte sua vult omnes homines saluos fieri: ergo oportebat vt ad omnium delictorum abolitionẽ, tamquam causa vniuersalis & ex se sufficientissima, referretur. Sicut sol institutus est ad omnes illuminandos. Contra hanc veritatem errauerũt Pelagiani qui docebant christum exemplo & doctrina dumtaxat profuisse hominibus. In quo errore fuit etiam Petrus Abalhardus, vt refert D. Bern. epist. 190.

Error Pelagianorũ

2. Pœnæ æternæ.

Dico Secundò; christus etiam satisfecit pro pœna æterna, eiusque meruit remissionem. Patet ex dictis, nam remissâ culpâ simul remittitur hæc pœna.

44 3. Culpæ venialium

Dico Tertiò; Etiam meruit nobis remissionem peccatorum venialium, & pœnę respondentis, & pro his satisfecit. Insinuat Concil. Trident. sess. 14. cap. 9. vbi dicit nos flagellis temporalibus patienter toleratis, per christum posse satisfacere. & can. 14. *Si quis dixerit satisfactiones, quibus pœnitentes per Iesum Christum peccata redimunt; non esse cultus dei; Anathema sit.* Et probatur ex 1. Ioã. 1. v. 7. *Sanguis eius emundat nos ab omni peccato.* Ratio est; Quia meruit nobis omnia ad vitã æternam necessaria. Dices; Animæ in purgatorio satisfaciunt pro pœnâ temporali, & tamen non ex christi meritis. Respondeo; non propriè satisfa-

Animæ in purgatorio pro venialibus satisfaciũt.

ciunt, ſed ſatiſpatiuntur quantum debent: non enim ibi eſt remiſſio, ſed iuſta totius debiti ſolutio ſeu potiùs elutio. Quando tamen iuuantur ſuffragijs Eccleſiæ, tunc ex chriſti meritis & ſatisfactionibus fit eis remiſſio.

45 4. Meruit Primam Gratiam iuſtificationis hominibus poſt lapſũ Adæ.

Dico Quartò, chriſtus etiam meruit omnibus hominibus Primam Gratiam Iuſtificationis, quę poſt lapſum Adæ alicui conceſſa fuit. Eſt fide tenenda. Ad Rom. 5. v. 18. *Sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem: Ita per vnius iuſtitiam in omnes homines in iuſtificationem vitæ.* Idem docet totâ epiſt. ad Galatas, & ad Roman. 3. 4. 5. Sequitur ex dictis; Quia remiſſio culpæ mortalis & originalis non fit niſi per gratiam iuſtificationis; huius enim eſt effectus formalis. Si ergo meruit nobis remiſſionẽ culpæ, ſcilicet effectum formalem; etiam meruit nobis ipſam formam per quã fit hæc remiſſio. Sicut qui eſt cauſſa expulſionis tenebrarum, eſt cauſa luminis, quo formaliter tenebræ pelluntur.

Hæc omnia immediatè Chriſtus nobis meruit.

Circa prædicta aduertendum; Chriſtum meruiſſe nobis remiſſionem peccatorũ & iuſtificationem, non ſolùm mediatè & remotè, quatenus meruit nobis auxilium præueniens, & concomitans, quo auxilio excitemus in nobis amorẽ Dei & contritionem, per quæ peccatũ expellatur & iuſtitia conferatur: ſed etiã immediatè, vt Scripturæ citatæ ſatis indicant. Ratio eſt, Quia remiſſio peccati non fit formaliter per ipſam contritionem, ſed eſt nouum Dei beneficium, quod Deus ob chriſti merita promittit ijs qui pœnitentiam agunt; vt patet Ezechiel. 18. & 33. Vnde cõtritio eſt tantùm diſpoſitio ad peccati remiſſionem. Verùm de hoc plura in Tractatu de Gratia q. 114. & infrà de Sacramento Pœnitentię.

46 Refelluntur argumenta.

Dices Primò; Ad Rom. 3. & 4. dicimur *Gratis iuſtificari*: ergo non ex meritis Chriſti. Reſpondeo; *Gratis*, reſpectu noſtri; Quia non ex noſtris meritis: non tamen gratis reſpectu chriſti: ſed ex iuſtitiâ. Quod enim nobis eſt gratia, ipſi eſt merces.

Dices Secundò: Ergo chriſto fit iniuria, quòd non omnibus detur remiſſio, & donum iuſtificationis. Reſpondeo Negando conſequentiam: Quia non meruit, ſiue non intẽdit mereri vt abſolutè & immediatè hæc conferantur; ſed ijs quibus merita ipſius debitè applicarentur; iuxtà ipſius ordinationem, & diuinę prouidentiæ diſpoſitionem. Sicut enim concilium Trident. ſeſſ. 6. cap. 7. ait, *Nemo poteſt eſſe iuſtus, niſi cui merita paſſionis domini noſtri Ieſu Chriſti communicantur*: communicantur autem ſecundùm ſe, & quaſi priùs naturâ, quàm operentur; partim per Sacramenta, ſi ritè ſimus diſpoſiti; partim per contritionem.

Dices Tertiò; Ad Rom. 4. v. 25. Iuſtificatio tribuitur reſurrectioni, in qua nullum fuit meritũ: *Mortuus eſt propter peccata noſtra; reſurrexit propter iuſtificationem noſtram.*

Reſpondeo; Non vt ſuâ reſurrectione mereretur noſtram iuſtificationem; ſed vt fidem ſuæ diuinitatis in nobis confirmaret, ſine quâ non poteramus iuſtificari. Vide D. Auguſtinum lib. 16. contra Fauſtum cap. 29.

DVBIVM. XIII.

Vtrùm Chriſtus meruerit nobis ſuorum meritorum Applicationem?

47 Duplex Applicatio.

NOtandum eſt, Chriſti merita dupliciter nobis applicari. Primò, Immediatè per diuinam miſericordiam: quando datur nobis gratia præueniens, ſine vllo Sacramento, aut diſpoſitione noſtrâ ad eam neceſſariâ. Secũdò, Mediatè: Interuentu Sacramenti, vel contritionis, vel actũ meritorij, aut ſatisfactorij. Nunc dubium eſt: Vtrùm ſit ex Chriſti meritis, quod huic detur talis vel talis gratia præueniens, quod applicetur ei Sacramentum, &c. Quidam putant hoc non eſſe ex Chriſti meritis, ſed ex ſolâ electione diuinâ.

Chriſtus eam meruit.

Sed dicendum eſt, Longè probabilius eſſe etiã hanc applicationem eſſe ex Chriſti meritis. Probatur Ioan. 17. vbi Chriſtus ſingulari modo erat pro prædeſtinatis: ergo ſingulari modo ſua merita pro ijs obtulit. Et confirmatur; Quia in primo inſtanti ſuæ conceptionis, ante omnem actũ liberum humanæ voluntatis, præuidebat quibus ſecundùm diuinæ prouidentiæ ordinationem, ſua que voluntatis diſpoſitionem, ſua merita forent applicanda; nam præuidebat omnia futura: ergo etiam in primo actu libero poterat merita ſua pro his ſingulari modo offerre, petendo à Patre, vt ita fieret. Vnde priùs erat ſecundùm rationem & intelligentiam merita applicari, quã ipſum hanc applicationem mereri, licet applicatio in executione eſſet poſterior. Non enim eſt imaginandum, Chriſtum ita meruiſſe applicationem, quaſi per meritum ſuum meruerit ordinẽ rerum & communis prouidentiæ diſpoſitionem, vt his vel illis fieret applicatio: hoc enim verum non eſt, ſaltem generatim. Voluit enim illa appliquari ordinariè ſecundùm communem cauſſarum creatarum ordinem, ſinens eas agi ſuis motibus: quamuis interdum ob certas cauſſas contrarium modum adhibeat.

DVBIVM XIV.

Quænam dona gratiæ poſt Iuſtificationem dantur ex Chriſti meritis?

48 Meruit nobis Auxilium Præueniẽs & Concomitans.

REſpondetur; ſimpliciter omnia. Eſt certa, & communis Doctorum. Ac primum, de Auxilio Præueniente & concomitante, patet tùm ex dictis; tùm quia meruit nobis iuſtitiã, ac proinde omnia neceſſaria ad perſeuerãdum in iuſtitia, inter quæ maximè Auxilium Præueniens, Concomitans, & Protegens. Dices; Auxilium Concomitans eſt debitum ipſi gratiæ, eo modo quo auxilium generale debetur naturæ: ergo hoc non meruit. Reſpondeo; ſaltem meruit nobis hoc auxilium, quatenus meruit nobis ipſam iuſtitiam & gratiam, cui hoc auxilium debetur. Deinde; etiam meruit hoc auxilium in ſe; quia licet ſit gratiæ connaturale, tamen non debebatur ex vlla iuſtitia: potuit ergo ſub meritum conuenienter cadere.

Augmentũ gratiæ & gloriæ.

Secundò: meruit etiam augmentum gratiæ & gloriæ, vt colligitur ex Apoſtolo ad Epheſ. 1. vbi ſignificatur omne donum ſpiritale dari propter Chriſtum. Ad Hebr. 5. v. 9. *Factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi cauſſa ſalutis æternæ.* Ad Rom. 5. v. 9. *Multò magis nunc iuſtificati in ſanguine ipſius, ſalui erimus ab ira per ipſum*, &c. Idem clarè inſinuat Conſilium Trident. ſeſſ. 6. c. 16. cùm ait, vitam æternam proponendam benè operantibus, non ſolùm tamquam mercedem: ſed tamquam gratiam, Filijs Dei, per Ieſum Chriſtum miſericorditer promiſſam. Vnde patet, ipſam vitam æternam ſecundùm ſe, etiam reſpectu Filiorum & operantium, eſſe gratiam ex Chriſti meritis promiſſam: nec dici ſolum gratiam ratione radi-

cis, scilicet gratiæ iustificationis, vel gratiæ prę-
uenientis. Ratio est; Quia meritum Christi, non
solùm debet esse causa remota augmenti gratię,
& vitæ æternæ, sed etiá propinqua & immedia-
ta: hoc enim est longè perfectius. Confirmatur;
Est causa vniuersalis omniũ bonorum operum. Quia est causa vniuersalis omnium bonorũ no-
strorum: ergo quidquid nos meremur, ipse etiam
nobis promeritus est; ita vt meritum ipsius cum
omni merito nostro, sicut causa vniuersalis cum
particularibus, operetur. Quare sicut meruit vt
dignè suscipientibus Sacramenta, daretur gra-
tia, & consequenter gloria, vt patet in paruulis:
vel gratiæ & gloriæ augmentum, vt in adultis: Itẽ
vt habentibus contritionẽ daretur remissio, gra-
tia iustificationis & gloria: ita etiam meruit vt
iustis benè operantibus daretur gratiæ & gloriæ
augmentum; vt patet ex Concil. Trident. sess.
14. cap. 8. Vnde fit vt omne bonum nostrum sit
merces meritorum Christi.

49 Meritum nostrum meruit tripliciter

Tertiò; Christus meruit nobis quodammodò
ipsum nostrum meritum, idque triplici modo.
Primò, quia meruit nobis ipsam meritorum ra-
dicem, scilicet gratiam iustificationis, & omnia
auxilia ad bonum opus necessaria; & sic conse-
quenter ipsa bona opera; vt suprà dictum est.
Quod optimè explicat Conc. Trid. sess. 6. cap. 16.
cùm ait, Christum tamquam caput in membra,
& vitem in palmites, iugiter influere iustificatis
virtutem, quæ virtus, bona illorũ opera semper
antecedit, comitatur, & subsequitur: sine qua nõ
possunt esse meritoria, & per quam sunt merito-
ria. Secundò, quia meruit vt opera nostra essent
meritoria coram Deo, ita vt augmentum gratiæ
& gloriæ illis esset debitum: etsi enim opera no-
stra sint accepta Deo propter suam intrinsecam
bonitatem supernaturalem, quam trahũt ex vir-
tutibus insitis, etiam præcisõ Christi merito; ta-
men non habent vim merendi, nisi accedat diui-
na promissio, vt patet ex supra dictis, dub. 1. num.
5. hæc autem promissio illis facta est ob Christi
merita: quod insinuat Concil. Trident. sess. 14.
cap 8. *Non habet homo vnde glorietur, sed omnis no-
stra gloriatio in Christo est, in quo viuimus, in quo me-
remur; in quo satisfacimus facientes fructus dignos
pœnitentiæ qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur
Patri, & per illum acceptantur à Patre.* Vbi dicun-
tur acceptari per Christum nostra opera; quia
ob eius merita Pater acceptat opera nostra ad
meritũ & satisfactionem: scilicet promittendo
veniam, & præmium. Neq; enim aliter cõmodè
intelligi potest, quomodo propter Christum ac-
ceptétur, cùm per se grata sint. Cõfirmatur, Quia
sicut in Angelis hæc promissio fuit ex solà Dei
benignitate; ita in hominibus debuit esse ex
Christi meritis, vti & cetera bona supernaturalia:
id enim Apostolus insinuat 2. ad Timoth. 1. v. 1.
Secundùm promissionem vitæ, quæ est in Christo Iesu.
Tertiò præter hos modos, probabile est nostris
meritis & satisfactionibus, maius præmium, &
vberiorem veniam respondere propter Christũ,
quàm ipsis secundùm se responderet: idque, par-
tim quia sunt opera membrorum Christi; ac pro-
inde ipsius Christi in membris suis operantis: vt
colligitur ex Concilio Trident. sess. 6. cap. 16.
quod cedit in dignitatem & æstimationem ipso-
rum operũ: partim quia Deus maius præmiũ vi-
detur promisisse; quod insinuatur Ioan. 10. v. 10.
Ego veni, vt vitam habeant, & abundantiùs habeant.

50 Meruit nobis Perseuerantiam.

Quartò; Etiam donum perseuerantiæ datur ex
Christi meritis. Patet hoc ex suprà dictis testi-
monijs. Ad Ephes. 1. v. 3. & c. 4. v. 15, *Crescamus
in eo per omnia qui est Caput nostrum Christus.* Ratio
est; Qui hoc donum consistit in illa gratiarum
serie, & diuinæ prouidentiæ dispositione, qua fit,
vt quis in iustitia ex hac vita decedat. Atqui Chri-
stus ab initio præuidit quibus hoc esset obuentu-
rum, vel diuinæ prouidentię ordinatione, vel suę
etiam voluntatis interuentu: ergo potuit pro his
merita sua præcipuo quodam modo offerre; ac
proinde reipsa obtulit, vt nihil non ex Christi
merito detur.

DVBIVM. XV.

Vtrùm Christus meruerit nobis Prædestinationem?

51 Prima gratia nõ est collata Adamo ex meritis Christi

Dico Primò; Prima illa generalis dilectio,
qua Deus Adamum, & in illo totum genus
humanum destinauit ad dona supernaturalia, vt
cæleste m gloriam consequeretur, non fuit con-
cepta ex christi meritis, sed ex solo diuino bene-
placito. Est communis sententia. Probatur; quia
sicut Deus non ex christi meritis, sed ex solo be-
neplacito suo motus fuit ad creandum mundum,
ita etiam ad ornandum illum, qua parte capax
erat, donis supernaturalibus: voluit enim fa-
cere opus perfectum. Secundò, quia generales
gradus rerũ fuerunt prœordinati ex solo diuino
beneplacito: atqui gradus gratiæ & gloriæ, sunt
generales gradus primariò pertinentes ad vni-
uersi perfectionem: ergo &c.

52 Neque etiá voluntas Dei quæ tamãt reparare genus humanum.

Dico Secundò; Illa quoque generalis dilectio,
qua post præuisum peccatum originale, Deus hu-
manum genus voluit erigere, & sibi reconciliare
per christum; non est concepta ex christi meri-
tis, sed ex solo Dei beneplacito. Est etiam ferè
communis. Probatur; quia Scriptura semper tri-
buit voluntatem redimendi, & dandi christum
in Redemptorem, charitati & misericordię diui-
nę, hanc faciens causam & radicem meritorum
christi. Ioan. 3. v. 16. *Sic Deus dilexit mundum, vt
Filium suum vnigenitum daret:* Sic dilectio Dei er-
ga nos, est causa quæ Deum impulit vt christum
daret nobis in Redemptorem. Ad Rom. 5. v. 8.
*Commendat charitatem suam Deus in nobis, quoniam
cùm adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mor-
tuus est.* Ad Rom. 8. v. 32. *Qui proprio Filio suo non
pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Ratio
est, Quia prior est volitio finis, quàm mediorum.
Atqui reconciliatio generis humani, est finis ob
quem datus est nobis Christus in redemptorem.
Et confirmatur: Quia sicut diuina electio erat
prima ratio primæ ordinationis humani generis
ad salutem; ita etiam debebat esse prima ratio re-
stitutionis, neq; debebat hoc in voluntatem ali-
quam creatam referri. Sicut quòd christus obtu-
lerit opera sua in redemptionem hominum non
Angelorum; non fuit ex consilio voluntatis ip-
sius; sed ex consilio voluntatis diuinæ, cuius se
humana conformabat.

53 Prædestinatio hominum est ex meritis Christi

Dico Tertiò; Christus est causa meritoria il-
lius particularis dilectionis, quá Deus voluit qui-
busdam hominibus conferre certa auxilia gratię
in particulari, cum quibus præsciebat ipsos sal-
uandos: & sic est causa prædestinationis eorum
qui saluantur. Ita D. Thomas infrà q. 24. a. 4. &
clariùs in 3. dist. 10. q. 3. & ibidem Durandus q.
3. & multi recentiores. Vide Vegam lib. 4. in
Trident. cap. 5. & deinceps.

Prob. ex Scriptura.

Probatur primò ex Scriptura. Ad Ephes. 1. v.
5. *Prædestinauit nos in adoptionẽ Filiorum per Iesum
Christum*: vbi illud Per non potest commodè nisi
causam meritoriam significare, præsertim cùm
loquatur

loquatur de Christo homine. Et ibidem v. 4. *Elegit nos in ipso antè mundi constitutionem*: quem locum non rectè interpretatur Sasbout, dicens: *In ipso*, id est, ad habendam fidem in ipso. Rectiùs D. Thomas in commentario, vbi, electionem & prædestinationem dicit esse beneficia, christi merito collata Ibidé. v 3. *Qui benedixit nos omni benedictione spirituali in cælestibus in Christo.* At, præcipua benedictio est prædestinatio. 2. ad Timoth. 1. v. 9. *Qui vocauit nos vocatione sanctâ, secundùm propositum suum, & gratiam, quæ data est nobis in Christo* Iesv *ante tempora secularia:* vbi dicit ab æterno gratiam nobis esse præparatam propter christum. Atqui prædestinatio nihil est aliud quã præparatio gratiæ & beneficiorum, quibus certissimè liberantur, quicumque liberantur.

Secundò Probatur, Ratione: Quia Christus est caussa meritoria omnium effectuum prædestinationis; ergo & ipsius prędestinationis. Antecedens patet ex illo: *Qui benedixit nos omni benedictione spirituali in christo*, atqui omnis benedictio spiritalis est effectus prędestinationis in saluandis, & contrà, omnis effectus prędestinationis est benedictio spiritalis. Consequentia probatur: tùm, quia idcircò nos non possumus esse caussa nostræ prædestinationis, quia non possumus esse causa primi effectus: ergo è contrario, cùm christus sit caussa primi effectus, est etiam caussa ipsius prædestinationis. Tùm, quia is qui est caussa meritoria omnium donorum, est etiam caussa meritoria voluntatis illius, seu dilectionis, quâ Deus vult dare ista dona: nam meritum non est caussa doni seu mercedis, nisi mediante voluntate alterius: atquî hæc voluntas est prædestinatio.

Ex Ratione.

Dices Primò; christus non est caussa meritoria suæ Incarnationis: sed hæc est præcipuum mediũ nostræ prędestinationis: ergo non est causa omnium mediorum; quare nec prędestinationis.

54 Soluũtur argumenta. Incarnatio est vniuersalis causa nostræ prædestinationis.

Respondeo; Incarnatio non est propriè medium nostrę prędestinationis; quia non est volita ex vi nostræ prędestinationis tamquam efficacis intentionis: sed potiùs est vniuersalis caussa illius. Nã est generale remedium omnibus hominibus præparatum, non procedens ex speciali dilectione huius vel illius, sed ex generali amore omnium: qui generalis amor non erat prædestinatio; quia non determinabat media in particulari quibus reipsâ saluamur: sed præsupponebatur & prædestinationi & incarnationi. Si quis tamen velit vocare incarnationem medium prædestinationis (vt quidam Doctores faciunt) non re, sed verbis à nostra sententia discrepabit.

Dices Secundò; Propositum diuinæ voluntatis est caussa nostræ prædestinationis & electionis; vt Apostolus ad Ephesios primo capite: ergo non christi meritum.

Respondeo Negando Consequentiam: Apostolus enim 2. ad Timoth. 1. v. 9. vtrumque coniungit, *Secundùm propositum, & gratiam quæ data est nobis in Christo.* Illud enim *propositum*, solùm excludit nostra merita, non Christi. Adde; ipsum quoque meritum esse ex proposito diuino; & ideò prima origo prędestinationis: est diuina voluntas, antequam tamen intelligatur in diuina mente inchoata nostra prædestinatio, interuenit ibi meritum christi tamquam prius.

Prędestinatio nostra est secundum propositum Dei, & gratiam christi.

Dices Tertiò; Si prędestinatiò facta est ex christi merito: ergo priùs ratione quàm Deus nos prędestinaret, pręuidit christi meritum peculiari modo pro nobis offerendum, quo modo non pro alijs: quod videtur absurdum, quia sic omnium prædestinatio penderet ex electione humanæ voluntatis christi.

Respondeo Primo, Negandò consequentiam: Sufficit enim vt Deus in illo signo æternitatis, in quo nos prædestinauit, pręuiderit christi merita, tamquam sufficientem rationem prędestinandi aliquos: licet ex parte christi nulla esset ratio, cur hos potiùs quàm illos prædestinaret; sed id ex diuina voluntate penderet. Sicut si prętium offeras pro redemptione captiuorum, quos iudex voluerit, vere es caussa liberationis eorum, etiamsi ex solius iudicis voluntate pendeat, quod his potiùs quàm illis applicetur.

Non est necesse vt prædestinemur ex peculiari oblatione meritoriã christi pro nobis.

Respondeo Secundò; Etsi illi qui christi incarnationem præcessêre, non possint commodè intelligi prædestinati ex peculiari oblatione meritorum christi pro ipsis, tamen multi qui secuti sunt incarnationem, possunt sic intelligi à Deo esse prædestinati; quod insinuant multę Scripturę Ioan. 13. v. 18. *Ego scio quos elegerim.* Et 15. v. 16. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.* Psalm. 2. v. 8. *Postula à me & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam.* Matth. 28. v. 18. *Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra.* Quæ loca insinuant non fuisse Domino omnes saluandos ita pręscriptos ex nudo beneplacito Dei, vt ipsius humana voluntas nihil circa illos posset, nisi exequi Dei efficacem ordinationem: sic enim ipsius potestas magis esset limitata, quam cuiusuis Proregis vel Gubernatoris in administratione prouinciæ. Valdè ergo probabile est, plurimorum salutem vel fortè omniũ, qui post christi incarnationem vixere, non fuisse completè prædestinatam sine interuentu peculiaris voluntatis ipsius christi. Si quis tamen totam prædestinationem velit in diuinam voluntatem referre, dicere potest hanc peculiarem christi voluntatem, ad effectus prædestinationis pertinuisse. Verùm prior sententia magis placet. De hac re, vide Disputationem de Prædestinatione christi, vbi sect. 3. fusè tractatur quomodo christus sit caussa nostræ prędestinationis.

Multi incarnationem secuti, prædestinati sũt ex peculiari oblatione meritorum christi pro ipsis.

Digitized by Google

QVÆSTIO XX.

De Subiectione Christi ad Patrem.

In Duos Articulos diuisa.

ARTICVLVS. I.

Vtrum christus sit subiectus Patri?

1 Subiectio bonitatis

REspondeo; Christus vt homo, est Patri subiectus secundùm bonitatem, seruitutem & obedientiam.

Quòd subiectione Bonitatis; patet: quia christus homo habet omne suum bonum à Patre tamquam riuulus à fonte: ergo &c. Et quamuis secùndùm diuinam naturam, etiam omnia habeat à patre, tamen non est illi secundùm hanc subiectus: quia bonum huius naturæ in christo, non est min⁹ bonum Patris, sed vnum idemque.

2 Subiectio seruitutis.

Quòd sit subiectus subiectione seruitutis: patet; quia humanitas christi erat subiecta dispositioni paternę; & omnia quæ circa illam gesta sunt, ex Patris dispensatione gesta sunt. Deinde; christus in Scripturis sępè vocatur Seruus Dei. Isaiæ 42. v. 1. *Ecce seruus meus*: quod de christo exponitur Matth. 12. v. 18. licet hîc dicatur; *Ecce puer meus*. Sed est idem; vt notat Hier ony mus in Isaiam. Item isaiæ 43. v. 10. *Et seruus meus quem elegi*; vt exponit Irenęus lib. 3. contra hæreses cap. 6. Isaiæ 35. v. 11. *Iustificabit seruus meus multos*: Et alibi. Idem docent multi Patres.

Dices; Synodus Francfurdiensis circa annum Domini 791. & Hadrianus I. in epistola quæ ibi habetur, negant Christum esse Seruum Dei, nisi figuratè intelligatur; quomodo dicunt intelligi in veteri testamento: in nouo autem non vocari Seruum, sed Filium. Quod confirmatur; Matth. 21. Pater-familias misit seruos suos; posteà mittit non seruum, sed Filium. Confirmatur Secundò, Quia Damascenus lib. 3. de Fide Orthodoxa cap. 21. negat humanam naturam in Christo esse seruam.

Respondeo; nomen *Serui*, tripliciter accipi. Primò; vt significet vilem quandam conditionem ex peccato contractam, quę consistit in quadam indignitate contracta ex culpa & carentia iuris ad cęlestem hęreditatem: Sicut patet ex similitudine seruitutis legalis. Et hoc modo certum est Christum hominem non esse seruum. Et quidam existimant nihil aliud Adrianum Papam, & Synodum Francfurdiensem velle. Verùm si quis totum illorum discursum perpendat, dubitare non poterit quin longè aliud velint, Neque vllo modo Elipandus Archiepiscopus Toletanus hoc sensu christum dixit seruum. Secundò; Accipitur *Seruus* propriè pro eo, qui ita est sub dominio alterius, vt non sit particeps eiusdem dignitatis, honoris, & sedis. Et hoc modo negat Adrianus & Synodus, christum esse Seruum; vt patet ex testimonijs & rationibus illorum. Ratio est; Quia humanitas christi communicat cum Deo triplici communicatione. Primò, in eo quòd *omnis plenitudo diuinitatis in ipsa sit corporaliter*; id est, substantialiter, & non solo affectu & participatione: nam ipsa diuinitas est vnctio quâ humanitas sanctificatur.

Seruus dicitur Tripliciter.

Coloss. 2. v. 9.

Secundò, Quòd ratione huius substantialis vnionis, ipsa humanitas digna sit sede maiestatis & diuino cultu. Sicut enim coniux, quæ priùs erat serua, postquam assumitur à Rege ad connubium, efficitur libera, & Regina, & pari cultu honoratur: ita etiam etsi humanitas christi, secundùm se serua sit, tamen postquam assumpta est in vnitatem personæ à Filio Dei, facta est libera, & ita deificata, vt eodem cultu adoretur. Tertiò, In eo quòd dignitas nominis communicetur. Omnia enim dignitatis nomina quæ cõueniunt in Filium Dei, conueniunt etiam in hunc hominem. Sicut in matrimonio, tituli dignitatum mariti, communicantur vxori. Tertio modo accipitur nomen *Serui* generalissimè; pro omni eo, qui obligatus est ad alterius obsequium, siue sit particeps eiusdem dignitatis, siue nõ. Et hoc modo christus in scripturis dicitur Seruus; quasi dicas, obligatus ad diuinum obsequium. Verùm hæc acceptio non est ita propria, sicut illa secunda. Vide fusè de hac materia Gabrielem Vasquez.

Quòd christus sit subiectus Patri per obediẽtiam Patet ad Philip. 2. v. 8. *Factus est obediens vsque ad mortem.* Ioan. 8. v. 29. *Quę placita sunt ei facio semper:* & 14. v. 31. *Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.* Patet; Quia esse subiectum per obedientiam nullam imperfectionem requirit in supposito secundùm se considerato: Neque dominium in altero; vt patet in ciuibus, qui subiecti sunt Magistratui, non tamen Magistratus vllum habet in eos dominium, nec ipsi ad obsequium & famulatum obligati sunt, sicut serui, etiam generalissimè accepti. Sed solùm requirit in supposito quandam voluntatem, quæ à superiori voluntate gubernetur. Talis autem voluntas erat in christo. Vnde sicut humano modo operabatur, ita absolutè dici potest, quòd obediebat Deo, & illi subditus erat. Nec necesse est addere illam determinationem, *vt homo*: quamuis ad vitandam omnem Ariani erroris speciem, hoc sit consultum; vt D. Thomas ad 1. notauit.

3 Subiectio obedientiæ.

Circa prædicta: Notandum est hanc propositionem, *Christus est minor Patre*, esse simpliciter negandam iuxtà proprietatem sermonis, nisi aliquid apponatur, quo significetur restringi ad naturam humanam. Ratio est; Quia alioqui insinuatur, hoc totum, quod est christus, esse minus patre, quod falsum est. Cùm autem ioã. 14. v. 28. christus ait: *Pater maior me est*; satis indicat se loqui de natura humana: sic enim ait: *Vado ad Patrem, quia Pater maior me est.* &c. Ibat autem vt homo ad Patrem. Vnde significatur patrem esse maiorem, quàm ipse erat per naturam humanam.

4 Quomodo christus sit minor Patre.

Circa Responsionem ad 3. Notandum, illud p rioris ad Corinth. 15. v. 28. *Cùm autem subiecta illi fuerint omnia* &c. variè exponi. Prima expositio est, quam hîc habet D. Thomas ex D. Augustino, quòd Christus tunc plenè erit subiectus Patri, quia etiam secundùm membra sua illi subiectus erit: quę etiam est multorum aliorum Patrum; vt Gregorij Nysseni in tractatu proprio super hanc sententiam Apostoli; & Cyrilli lib. 10. Thesauri cap. 8. Hæc expositio bona est: sed ma-

5 Quomodo omnia christo fiet subiecta.

ed by Google

gis conformis Apoſtolo videtur, quam habet Theodoretus & Scholia Græcorum, ſenſum eſſe, etiam tunc in Gloria Chriſtus erit ſubiectus Patri: Loquitur enim de Chriſto in propriâ perſonâ, cui Pater omnia ſubiecit: ne forte quis poſſet existimare chriſtum aliquod proprium regnum colligere contra regimen Patris: aut ne putarent Chriſtum, etiam Patrem ſibi ſubiecturum: ſicut Iupiter ſuum Patrem Saturnum, iuxtà fabulas ſubiecit.

DVBIVM.

Vtrùm chriſtus ita Patri fuerit ſubiectus, vt etiam præcepto & legibus illius obligatus fuerit?

6 Obligatus fuit lege naturæ.

REſpondeo & Dico Primò: chriſtus fuit obligatus lege naturæ. Probatur: Quia hac lege prohibentur intrinſecè mala: & præcipiuntur intrinſecè bona, quorum omiſſio etiam per ſe mala eſt. Atqui chriſtus in humana natura verè obligabatur illa mala vitare: v. g. non mentiri, non decipere, & ſimilia: & hęc, bona facere: vt amare & honorare Deum, diligere proximum. &c.

Dices primò, Chriſtus erat determinatus ad bonum faciendum, & malum vitandum, per vnionẽ hypoſtaticam & viſionem diuinam: Sicut Deus neceſſariò determinatus eſt, ad mali fugam bonique amorem. Atqui Deus non obligatur aliqua lege, ſed hoc eſt connaturale eius bonitati; ergo neque chriſtus obligabatur.

Reſpondeo Negando Conſequentiam; Deus enim non habet ſuperiorem à quo illi proueniat obligatio; vnde ſolùm ex natura ſua eſt determinatus. Chriſti autem voluntas humana, habet ſuperiorem, à quo prouenit ei obligatio: Vnde dupliciter chriſtus determinatus eſt ad amorem boni, & fugam mali. Primò, ratione vnionis hypoſtaticæ, & viſionis beatificæ: quæ determinatio, ſimilis eſt determinationi diuinę voluntatis.

duplicitèr fuit determinatus ad amorẽ boni & fugam mali.

Secundò, Ratione obligationis prouenientis à voluntate ſuperioris; quę obligatio, eſt veluti proprietas quædam conſequens naturam rationalem, quatenus ſubiecta eſt naturaliter poteſtati & diſpoſitioni ſuperioris. Et quidem obligatio legis naturalis, ſequitur naturam ſecundùm ſe conſideratam: legis autem ſupernaturalis obligatio, ſequitur naturam eleuatam ad gratiam. Loquor autem de lege ſupernaturali, non poſitiuâ, ſed eâ, quæ gratiæ eſt connaturalis.

Dices Secundò, Omne præceptum, & omnis lex implicitè continet hanc obligationem: Niſi feceris, eris mihi inimicus. Atqui hæc comminatio non poterat habere locum in chriſto: quia implicat contradictionem chriſtum eſſe inimicum.

chriſti natura ſecundùm ſe erat capax inimicitię diuinæ.

Reſpondeo; ſufficit illam comminationem poſſe dirigi in ipſam naturam ſecundùm ſe conſideratam: hæc enim ſecũdùm ſe erat capax inimicitię; ſicut ſuprà q. 7. a. 5. & 6. dictum eſt de timore. Eadem ratio eſt in Angelis, dum illis aliquid præcipitur.

7 Habuit particularia præcepta.

Dico Secundò: habuit etiam chriſtus particulare præceptum docendi, & redimendi genus humanum, & pro eo vitam ſuam profundendi. Ita D. Thomas infrà q. 47. art. 2. Et D. Auguſt. tract. 82. in Ioãnem. Ambroſ. lib. 5. de Fide cap. 5 in fine, & c. 6. in initio. Cyrillus lib. 1. in Ioannem cap. 2.

Probatur Primò, Ioan. 14. v. 31. *vt cognoſcat mundus, quia diligo Patrem; & ſicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio: ſurgite eamus*: ſcilicet obuiã Iudæis, vt me illis tradam in mortem. Vbi ſatis inſinuat ſe accepiſſe mãdatum à Patre, vt ſe morti offerret. Item Ioan. 10. v. 18. *Hoc mandatum accepi à Patre meo*; ſcilicet *ponendi Animam meam pro ouibus meis*, vt patet ex præcedentibus. Et cap. 15. v. 10. *Si præcepta mea ſeruaueritis, manebitis in dilectione mea: Sicut & ego Patris mei præcepta ſeruaui, & maneo in eius dilectione.* Vbi comparat præceptum datum diſcipulis, cum præcepto quod ipſe accepit à Patre. Atqui illud erat verum præceptum: ergo & hoc. Confirmatur; Quia quando aliquia Scriptura propriè poteſt accipi, non eſt detorquenda ad improprios ſenſus: vnde non eſt dicendum, nomẽ *Mandati* ſeu *Præcepti* impropriè accipi: ſcilicet pro ſimplici voluntate.

Probatur Secundò, quia Dominus ex obedientia ſe in mortem obtulit. Ad Philip. 2. v. 8. *Factus obediens vſque ad mortem.* & ad Rom. 5. v. 19. *Sicut per vnius inobedientiam, peccatores conſtituti ſunt multi; ita per vnius obeditionem, iuſti conſtituẽtur multi.* Sed obedientia propriè non eſt, niſi vbi eſt verum præceptum: vt patet, tum ex communi vſu, tum ex doctrinâ quam tradit D. Thomas 2. 2. q. 104. a. 2.

8 1. Obiect: ex D. Baſilio.

Sed contrà. Obijcitur Primò, Ex D. Baſilio lib. de Spiritu ſancto cap. 8. vbi dicit ſeruile eſſe, & à diuinâ dignitate immenſo ſemotum interuallo, cogitare quòd Chriſto particularibus mandatis vniuſcuiuſq; operis miniſterium commiſſum ſit. Reſpondeo, manifeſtè loquitur de chriſto ſecundùm diuinitatem contra Arianos: & ſic *mandatũ* vult nihil aliud ſignificare, quàm quod Filius omnia facit virtute acceptâ à Patre, & conſentaneè Patris voluntati. Fateor tamen non habuiſſe particulare mandatum cuiuſque operis, & circumſtantiæ particularis.

2. Obiect ex D. chryſoſtomo.

Obiicitur Secundò; chryſoſtomus hom. 59. 68. & 75. in Ioan. quibus locis fusè docet & probat Chriſtum nullum habuiſſe præceptum Patris; ſed omnia ſponte, liberè, ſolà charitate feciſſe.

Reſpondeo; Chryſoſtomus interdum loquitur vt Baſilius contra Arianos, negans omne verum mandatum reſpectu diuinitatis chriſti. Interdum loquitur de præcepto, more populari; nam iuxtà ſenſum popularem non imponũtur præcepta, niſi ob imperfectionem, vt voluntas timore pœnæ vel culpę quodammodo cogatur, vel ſaltem vt per illud dirigatur: ſic enim chriſto nullum impoſitum præceptum; tum, quia nullâ directione egebat, cùm omnia per ſe noſſet; tum etiam, quia ſatis ex ſe promptus erat etiam ad paterna conſilia. Si tamen more eruditorum loquamur, ſic Chriſto fuit impoſitum præceptum; non tamen ob directionem vel coactionem, ſed ob alias cauſſas.

Varia cauſæ cur chriſto impoſita ſint præcepta.

Primò, vt magis declararetur diuina dilectio erga nos, quorum cauſſa tam graue iugum Filio imponeret. Secundò, vt oſtenderetur quantum Deo ſubiecti ſumus, cùm humanitas aſſumpta tantum ſubdita fuerit. Tertiò, vt ſicut Adam per inobedientiam, Dei præceptum violando, totum genus humanum perdidit; ita chriſtus per obedientiam, Patris præceptum ſeruando, illud reſtitueret: ad Rom. 5. idque etſi Adæ præceptum eſſet facillimum, Chriſti difficillimum. Deinque, vt Iudæorum retunderetur calumnia, qui dicebant Chriſtum diuina mandata ſoluere. Vide toletum in cap. 10. Ioan.

9 3. Obiect. ex Ioan. 10. Poterat non mori.

Obiicitur Tertiò: Ioan. 10. v. 18. Dominus ait, ſe habere poteſtatem ponendi animam ſuam: ergo poterat etiam non ponere. Reſpondeo; Abſolutè, ſeu in ſenſu diuiſo habebat in ſua poteſtate non mori: Vnde Matth. 26. v. 53. *An putas, quia non poſſum rogare Patrem meũ, & exhibebit mi-*

bi plus, quàm duodecim legiones Angelorum? Poterat enim ſuâ virtute diuinâ, omnia tormenta excludere; poterat admiſſis tormentis, animam contra illorum vim retinere; tamen ex ſuppoſitione fieri non poterat, quin moreretur; nempe ſuppoſito quòd hoc erat prędictum à Prophetis, aut præceptum à Patre. Hoc tamen non impedit quin abſolute habuerit poteſtatem moriendi: vt patet in ipsâ diuinitate, quæ interdum ex ſuppoſitione aliquid neceſſariò facit, tamen abſolutè poteſt nõ facere.

4. Obiect. Obijcitur Quartò; Non erat in chriſti poteſtate vt tali morte defungeretur; nempe interuenientibus ſputis, alapis, blaſphemijs, flagellis, cruce &c. Nam hoc pendebat à malitiâ Iudæorum & Gentilium. Ergo non poterat hoc chriſto præcipi.

Singulæ actiones non fuerunt chriſti õpiaceptæ. Reſpondeo ex anſelmo lib. 1. *Cur Deus homo*, cap. 9. & 10. chriſto tantùm fuiſſe præceptum, vt veritatem in tali gente prædicaret, legem euangelicã inſtitueret; & mortem, quam illi illaturi erãt, pro redemptione generis humani perferret. Non eſt autem neceſſarium, vt omnes chriſti actiones, & omnes circumſtantiæ paſſionis eius, fuerint præceptæ; nã hoc nullũ habet fundamentum inſcripturis vel Patribus. Nec Martyribus iſta præcepta fuêre. Petes; An præceptum moriendi pro hominibus, fuerit mere poſitiuum, An potiùs naturale? Quidam exiſtimant fuiſſe naturale, ſuppoſitâ diuinâ ordinatione, qua ſtatutum erat hominem non aliter poſſe ſaluari. Ratio eſt; Quia obligatio ſubueniendi proximo extrema neceſſitate preſſo, eſt naturalis; ſcilicet ex vi charitatis. Et cõfirmatur; Quia ſi qui vis priuatus naturali præcepto charitatis tenetur vitam corporalem profundere pro ſalute ſpirituali proximorum in extremâ neceſſitate conſtitutâ, vt omnes Doctores docent, & præſertim pro ſalute totius Reipublicę: ergo multò magis Paſtor; qui etiam ex officio tenetur *Animã ponere pro ouibus ſuis*. In hanc ſententiam videtur inclinare Anſelmus. Sed verius videtur præceptũ moriendi non fuiſſe naturale chriſto, ſed poſitiuum. Ratio eſt; Quia ex hoc præcisè, quòd genus humanum non poterat eſſe ſaluum niſi per mortẽ illius, non tenebatur ſe in mortem dare: nam vita ipſius, erat vita Dei; & malum quod ipſi inferebatur, Deo inferebatur. Atqui bonum Dei præſtat omni bono creaturæ; & malum Dei, quatenus tale eſt, magis eſt execrandum, quàm omne malum creaturæ. Vnde cùm eſſet Deus, non tenebatur aliquid mali ſubire cauſâ creaturæ; niſi diuinitas, quæ ſuâ bonitate omnia ſupplet, id vellet.

10 Præceptũ moriendi fuit naturale, vt quidam cenſent.

Ioan. 10. v. 15.

Verius eſt fuiſſe poſitiuum.

11 Nulli ſuberat legi humanæ. Dico Tertiò; Præter legem naturalem, & mandatum Redemptionis humanæ, Chriſtus non videtur alteri vlli legi obnoxius fuiſſe. Ac primum; nulli legi humanæ ſuberat; quia erat omnium Dominus, habens ſupremam in omnes poteſtatẽ. Quòd confirmatur Matth. 17. vbi probat ſe non eſſe ſubiectum tributis, quia *Filij Regis ſunt liberi*: ipſe autem erat Filius Regis Regum.

Neque Euangelicæ Secundò, Nec etiam legi diuinæ poſitiuæ alijs hominibus conſtitutæ. Nam lex diuina poſitiua, vel eſt Noua, vt ea quæ pertinent ad Sacramenta: vel eſt Vetus, ſcilicet Moſaica. Chriſtus autem neutrâ tenebatur. Non Nouâ, quia ipſe erat eius auctor. Nec obſtat quòd leges à Principibus latæ, etiam ipſos latores obligẽt; vt docet D. Thomas 1. 2. quæſt. 96. art. 5; quia id ſolùm fit, quando ratio legis, ęquè in Principe, atque in ſubditis locum habet; vt leges circa pretia rerum: nam Princeps quaſi ſub hac conditione poteſtatem à Reipublica accipit. At leges quas tulit Chriſtus, non pertinebant ad ſtatum eius, ſed ad ſtatum hominum purè viatorum. Sicut ſi Princeps ferat legem, quę proprie ad ſtatum inferiorum pertineat, ipſe eâ non obligatur. Adde; Quod chriſtus erat ſummus Legiſlator qui non acceperat poteſtatem ab hominibus vel à Republica.

Neque Moſaicæ. Quòd autem nec Veteri lege obligatus fuerit; Probatur Primò: Quia lex vetus dumtaxat populo Iudaico, eiuſque poſteritati, (vt omittam Proſelytos) data eſt. Atqui talis lex non comprehendit niſi eos, qui naturali modo ex tali populo procreantur. Sicut Lex data Adamo & eius poſteritati in ipſo, non comprehendit chriſtum, qui ſecundùm virtutem ſeminariam in Adamo non continebatur. Ergo pari modo chriſtus non obligabatur lege Veteri. Secundò: Quia chriſtus erat Dominus legis Veteris. Matth. 12. v. 8. *Dominus eſt Filius hominis etiam ſabbati*: ergo nullo modo illi erat ſubiectus. Tertiò, Quia lex vetus erat imperfecta, & ea quę in ipſa præcipiuntur *erant infirma & egena elementa*, iuxtà Apoſtolum ad Galat. 4. v. 9. ergo non decebat auctorem perfectionis illis ſubijci. Quartò, Quia *Lex vetus poſita erat propter tranſgreſſionem, donec veniret ſemen cui promiſit*: id eſt, *Chriſtus*: ad Gal. 3. v. 19. Item erat pædagogus noſter in chriſto, id eſt, præparans, & adducens nos tamquam pueros ad Chriſtum, vt ibidem dicitur: ergo eius obligatio ad Chriſtum non pertinebat. Denique *Lex ſolùm erat vmbra futurorum bonorum* ſub chriſto, ad Heb. 10. v. 1. deſinenda & abolenda per chriſtum: ſicut vmbra deletur præſente luce. Atqui non decebat vt veritas ſubijceretur vmbræ. Hinc patet contrariam ſententiam quam tenuit Ioannes Medina, non eſſe probabilem.

Medina.

Dices Matth. 5. v. 17. Dominus ait: *Non veni ſoluere legem, ſed adimplere*. Atqui nemo propriè legem implet niſi qui ea tenetur. Et cõfirmatur: ad Gal. 4. v. 4. *Miſit Deus Filium ſuum factum ex muliere, factum ſub lege*. Reſpondeo, Chriſtus impleuit legem, ſicut donatio implet promiſſionem, & veritas figuram: non autem, ſicut debitor obligationem: vt docet D. Tho. infrà q. 47. a. 2. Ad Confirmationem: Eſt factus ſub lege, nõ quòd ipſe quidquam legi deberet, qui vnus eſt legislator & Iudex; ſed vt eos qui ſub lege poſiti erant, de ſeruili conditione quæ ſub lege erat, eriperet: vt rectè Anſelmus in hunc locum. Itaq; non obligatione (hoc enim ſeruilis eſt conditionis:) ſed voluntariâ obſeruatione legi ſuberat.

Quomodo chriſtus legem impleuit.

ARTICVLVS II.

Vtrum Chriſtus ſibi ipſi ſubiectus ſit?

12 REſpondetur: Non eſt ſibi ſubiectus ratione ſuppoſiti: quia in chriſto non ſunt duo ſuppoſita, vt volebant Neſtoriani: ſed ratione naturę, quatenus vna natura eſt ſubiecta alteri. Notandum eſt: Non eſſe abſolutè dicendum, chriſtum eſſe ſibi ipſi ſubiectum, ſibi ipſi obedientem, ſeipſo maiorem vel minorem: quia ſignificatur diſtinctio ſuppoſiti: quare aliquid addendum, quo determinetur natura, ſecundùm quam, comparatio ſit accipienda. Itaque chriſtus vt homo, eſt ſubiectus ſibi ſecundùm diuinitatem: & Chriſtus vt Deus, eſt Deus ſui ſecundùm humanitatem: & ſic de ceteris. Et Ratio eſt: Nam ex diuerſis naturis cum diuina perſona conſtituuntur virtute duę perſonę: & ita ſecundùm diuerſas naturas poteſt habere has comparationes & relationes ad ſeipſũ,

QVÆSTIO XXI.

De Oratione Christi.

In Quatuor Articulos diuisa.

ARTICVLVS I. II. III. IV.

PRima Conclusio: Christo, vt homo est, conuenit orare pro nobis. Patet Lucæ 6. v. 12. *Exiit in montem orare.*

Secunda Conclusio: Christus non orabat per partem sensitiuam: desiderium tamen partis sēsitiuæ oratione expressit: idque ad nostram instructionem & consolationem. Patet cùm ait: *Transeat à me calix ista*, Matth. 26. v. 39.

Tertia Conclusio: Christus orauit tùm pro se; vt patet Ioan. 17. tùm pro alijs; vt patet ibidem.

Quarta Conclusio: Christi oratio absoluta, semper fuit exaudita; conditionata, minimè.

Circa hos quatuor Articulos: Notandum est, Fide certum esse, christū in hac vitā, & pro se, & pro nobis orasse Patrē, atque adeò totam Trinitatem. Patet ex multis Scripturę locis. Luc. 22. v. 31. *Simon rogaui pro te, vt non deficiat fides tua*, Ioan. 17. Orabat pro se, pro Discipulis, & pro toto mundo. Luc. 23. Pro Crucifixoribus.

Orauit pro nobis in hac vita.

Dices, Christus vt homo omnia poterat quæ ad finem incarnationis pertinent: ergo non egebat oratione. Respōdeo; Omnia poterat, sed per media à Deo ordinata; inter quę, vnum erat oratio. Etsi enim diuina virtus ita illi assisteret, vt mox fieret quidquid absolutè vellet; tamen diuinitus ordinatum erat, vt non semper vellet quidquis nisi interuentu orationis. Propriè tamen non egebat oratione, vt passim docent Patres: nam & ea quæ pro se petebat, & quæ pro alijs, erant alijs titulis debita.

2 Variæ cōuenientiæ eius orationis.

Constitutum autem diuinitus fuit vt oraret: Primò, Vt omnibus modis nostram salutē operaretur; nempe merendo, satisfaciendo, & impetrādo. Vnde sicut meritum & satisfactio; ita & oratio erat medium ad nostram salutem constitutum. Secúdò, quia oratio est eximius Religionis actus. Vnde Christus crebrò orauit; non solùm externâ oratione, sed etiam internâ. Luc. 6. v. 12. *Erat pernoctans in oratione Dei.* Itē in deserto per quadraginta dies orabat; vt docet Abulensis in cap. 4. Matth. q. 15. Tertiò, Propter exemplum; vt docet D. Ambrosius in c. 6. Lucæ. §. de oratione Iesu in mōte: vbi etiam fusè ostendit Christum non eguisse oratione, eò quòd omnia posset tamquam Iudex, sed exempli caussa orasse. Quartò, Vt ostenderet se esse missum à Patre cœlesti, & ab ipso omnia habere. Ioan. 11. v. 42. *Propter populum qui circumstat, dixi, vt credant quia tu me misisti.* Vide Iustinum Martyrem q. 105. ad Orthodoxos.

DVBIVM.

Vtrùm Christus etiam nunc in cœlo propriè pro nobis oret?

3 Interpellat pro nobis in cœlis.

REspondeo & Dico primò; Certum est christū in cœlo interpellare pro nobis. Ad Rom. 8. v. 34. *Iesus Christus qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.* Ad Heb. 7. v. 25. *Semper viuens ad interpellandum pro nobis.* 1. Ioan. 2. v. 1. *Aduocatum habemus apud Patrem, Iesum Christum iustum*, &c.

Dices; Vt christus dicatur pro nobis interpellare, & esse noster Aduocatus apud Patrē, non est necesse vt actu elicito aliquid petat, vel offerat Patri pro nobis; sed satis est vt Sanguis ipsius pro nobis effus⁹, semper Patri sit præsens, qui est veluti clamor quidam, non vindictam, sed veniam & vitam postulās; vt ait Greg. lib. 13. moralium c. 12. quo modo Gen. 4. *Sanguis Abel* dicitur *clamare de terra.* Vnde ad Heb. 12. v. 24. *Accessistis ad sanguinis aspersionem melius loquentem quàm Abel.* Et cap. 9. v. 24. *Apparet*, inquit, *vt appareat vultui Dei pro nobis.* Et sic videtur hanc interpellationem exponere Chrysost. hom. 15. in epist. ad Rom. & hom. 13. in epist. ad Hebr. & Theophilactus in cap. 8. ad Rom. & Nazianz. oratione 2. de Filio ad nonam obiectionem Eunomij. Et D. Thomas infrà qu. 57. art. 6.

quomodo clamet ei⁹ sanguis.

Respondeo & Dico Secundò: Non solùm hoc modo interpellat christus pro nobis apud Patrē, quòd sāguis & meritum ipsius semper sint Patri obiectiuè præsentia, eúque sic ad misericordiam flectant: sed etiam per proprium actum desiderādo & petendo à Patre ipsaque diuinitate, sua merita nobis applicari. Ita expressè Patres: Iustinus q. 105. ad Orthodoxos; vbi probat oportuisse vt Christus in vitâ mortali pro nobis oraret, cùm etiam nunc post resurrectionem in cœlo sit Pōtifex confessionis nostræ, interpellet pro nobis: quæ ratio nulla esset, nisi propriè interpellaret. Idem docet Greg. hom. 7. in Leuitic. vbi tamen addit quædam falsa, vt Christum adhuc deflere peccata nostra. D. Aug. lib. 1. de Trin. c. 10. aliquoties repetit, quòd christus nunc vt Sacerdos, & vt mediator interpellet pro nobis, *Quę interpellatio*, inquit, *cessabit quàdo tradiderit regnū Deo & Patri.* At illa prior interpellatio per solam præsentiam obiectiuam meritorum ipsius, est æterna. Idem docet prefatione in Psal. 85. & in præfat. expositionis secundæ in Psalm. 29. Ambrosius & Theodoretus in c. 8. ad Rom. Abulēsis in c. 14. Matth. q. 142. & D. Thomas in 4. dist. 15. qu. 4. art. 6. quæstiunc. 2.

4 Orat prōpriō actu orationis.

Iustinus. Gregor. Augustī. Alij.

Probatur Ratione. Primò; Ioan. 14. v. 16. christus ait: *Ego rogabo Patrem meū, & alium Paraclitū dabit vobis.* Videtur autem loqui de tempore post ascensionem, non autem de tēpore mortis; vt vult Rupert⁹. Quasi dicat: Nolite turbari meo discessu, sed seruate mea mādata, & ego, vbi discessero, & venero ad Patrem; *Rogabo Patrem* &c. Secūdò, Quia quòd Christus modo sit noster Aduocatus & pro nobis interpellet, Scriptura hoc adducit tamquā distinctū beneficium à passione & morte: quod peculiari modo spem nostrā debeat erigere & nos solari; vt patet ex tribus locis allatis. Ad iuxtà alteram sententiam, nō esset nouum beneficiū: nam solùm significaretur Christi beneficium semper esse præsens diuinæ memoriæ: quod est quiddam necessariò cōsequens ex ipso merito, ac proinde nō est quid distinctū. Confirmatur: Quia illud est valdè impropriè & metaphoricè esse Aduocatum & interpellatorē: ergo cùm nihil cogat,

Probatur quinquē rationib⁹. Prima ratio. Secunda ratio.

Tertia ratio. verba propriè accipienda ſunt. Tertiò, Quia oratio nec dedecet Chriſtũ ob dignitatem perſonæ, cùm in hac vita orauerit: nec ob perfectionẽ glorię, quia alij Beati orant pro nobis. Confirmatur; Quia chriſtus vbique facit ad hominum ſalutem, quod conuenit fieri iuxtà ſtatum in quo eſt. Sed orare & impetrare pro viatoribus, actus ſunt qui habent locum in ſtatu patriæ, in quo differunt à merito & ſatisfactione: ergo quãuis non ampliùs mereatur aut ſatisfaciat, orat tamẽ. Quartò, Quia

Quarta ratio. chriſtus vt homo, in cœlo colit Deum actibus religionis, adoratione, & gratiarum actione pro beneficijs, tùm in ſua humanitate, tùm in alijs hominibus acceptis. Ergo etiam poſtulat ea quæ ad noſtram ſalutem ſuperſunt, ſcil. ſuorum meritorum realem applicationem; nam hæc oratio

quinta ratio. etiam eſt actus religionis. Quintò, Quia nos per chriſtum oramus, & acceſſum habemus ad Deũ, non ſolùm quia per eius merita cupimus exaudiri; ſed etiam quia per ipſum offerimus orationes noſtras: nam ab ipſo merita noſtra & ſatisfactiones offeruntur Patri, vt docet Concilium Trid. ſeſſ. 14. cap. 8. ergo etiam orationes. Quare chri-

Os noſtrũ & vox noſtra. ſtus rectè dicitur *Os noſtrum* & *Vox noſtra* per quam Patri loquimur; vt rectè dixit D. Ambroſius Tract. de iſaac cap. 8.

5 Dices Primò; D. Chriſoſt. hom. 15. ad Rom. & Rupertus lib. 9. De officijs c. 3. videntur omnino negare chriſtum pro nobis orare. Nam Chryſoſtomus vult etiam Patrem & Spiritũ ſanctum eo modo obſecrare. Rupertus autem ſolùm priore modo, ſcilicet per præſentiam meritorum. Reſ-

Chryſoſt. pondeo; Chryſoſtomus non negat Chriſtum interpellare pro nobis, imò id apertè docet; ſed ait, illum non opus habere interpellatione, cùm omnia poſſit: interpellare autem, vt magnitudinem ſuæ dilectionis oſtẽdat. Quam ob cauſſam etiam Pat[illegible]ibui obſecrationem 2. ad Cor. 5. v. 20. *Pro Chriſto*, inquit Apoſtolus, *Legatione fungimur, tamquam Deo obſecrãte per nos.* Rupertus autem videtur eſſe in illa ſentẽtia; ait enim: *Illa interpellatio, Doctorum omniũ verâ aſſertione, non ſubmiſſa eſt poſtulatio; ſed eius paſſionis, quę ſemel pro nobis in ſacrificiũ oblata eſt, ęterna cõmemoratio, ſemel in conſpectu S. Trinitatis admiſſa* &c. Quamquam fortaſſis Rupertus non velit abſolutè negare chriſtũ pro nobis orare, ſed non orare eo modo quo in hac vita ſcilicet cum magna ſubmiſſione externa: idque vt ius gratiæ & gloriæ nobis compararet. Sic enim ręgia non orat, ſed quaſi debitũ poſtulans, idque modo illi ſtatui conuenienti. Simili modo intelligendus Nazianzenus; ſolum enim negat precationem ſeruilem, & indecoram illi ſtatui. Nazianz.

Dices Secundò, Ioan 16. v. 26. Chriſtus ait: *In illo die in nomine meo petetis; & non dico vobis, quia ego rogabo Patrem de vobis: ipſe enim Pater amat vos.* Reſpondeo cum Cyrillo li. 11. in Ioan. c. 9. Solùm velle dicere, non eſſe neceſſe, vt ipſis commendet ſuum officium precandi Patrem pro illis, quaſi pater ſit tam durus, vt opus ſit precatione: Patrem enim ſpõte eſſe paratiſſimum. Hinc tamen non ſequitur chriſtum non oraturum: alioqui nec Apoſtoli pro ſe debuiſſent orare; quia amabantur a Patre. Ex ſcript. Ioan. 16. v. 26.

Dices, Tertiò, Ioan. 14. v. 14. *Si quid petieritis me, in nomine meo, hoc faciã*, non dicit, petam vt fiat; ſed faciam. Confirmatur; Quia ratio exempli ceſſat. Reſpondeo; Chriſtus vtrumque poteſt, & facere & petere: non enim petit, quòd indigeat; ſed vt Patrem ſimul honoret & colat. Exẽplum autem non eſt primaria ratio orandi. Ioan 14. v. 14.

6 Dices Quartò: Ergo poſſumus à Chriſto petere vt oret pro nobis; quod Rupertus deteſtatur. Reſpondet D. Thomas in 4. diſt. 15. qu. 4. art. 6. quæſtiun. 2. Etſi Chriſtus oret pro nobis, nos tamen non debere ita rogare: *Chriſte ora pro nobis*; ſed, *miſerere, exaudi* &c. partim propter periculũ Arij & Neſtorij: partim quia oratio dirigitur ad perſonam; chriſti autem perſona eſt verbũ diuinum, cuius non eſt orare; ſed miſereri, adiuuare. An liceat dicere chriſte ora pro nobis,

His adde; Sicut Principes compellamus titulo honorificentiore; ita id quod perfectius eſt, chriſto tribuendum eſt. Qui tamen nouit Chriſtum apprehendere vt hominem, & vt Deum, rectè poteſt ab eo petere vt orationes ipſius Patri offerat, eaſque cum ſuis coniungat: vt apertè colligitur ex Concilio Tridentino ſeſſ. 14. cap. 8. imò rogare vt nobis meritorum ſuorum efficacem applicationem impetret: vt colligitur ex ſuprà dictis.

QVÆSTIO XXII.
De Sacerdotio Chriſti.

In Sex Articulos diuiſa.

ARTICVLVS. I.

Vtrum chriſtus ſit Sacerdos?

1 REſpondetur; Chriſtus verè & propriè eſt Sacerdos. Eſt fidei. Et probat hoc Apoſtolus totâ penè epiſtolâ ad Hebręos, potiſſimùm cap. 5. 8. 9. 10.

Munus Sacerdotij. Pro quo Notandum; Sacerdotem cõſtitui mediatorem inter Deum & homines; vt colligitur ex Apoſtolo ad Heb. 5. v. 1. *Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in ijs quæ ſunt ad Deũ, vt offerat dona & ſacrificia pro peccatis.* Nam populus per illum colit Deũ; & Deus viciſſim per illum ſanctificat & docet populum. Vnde Sacerdotis eſt duplex munus, ſcil. ad Deũ,

Ad deum. & ad populum. Ad Deum munus eius eſt, orare pro populo, populique vota repreſentare, & ſacrificium pro populo offerre. Idque triplici fine: vel ad peccatorum expiationem, vel ad beneficiorum impetrationem; vel ad gratiarum actionem pro beneficijs acceptis. Cultus autẽ Dei, eſt intrinſecus & immediatus finis omnis ſacrificij.

Ad populum. Ad populum autem munus eius eſt: Primò, Populum inſtruere in rebus ad cultum diuinum & ſalutem pertinentibus. Secundò, Eundem legibus gubernare, & dirigere ad finem ſpiritalem; id eſt, vt Deo ſit acceptus, cæloque idoneus. Tertiò, Eundem ſanctificare, iuxtà facultatẽ & modum ſacerdotij. Quartò, Iudicare de controuerſijs ad religionem & cultum pertinentibus.

2 Sed quamuis hæc omnia ad munus Sacerdotis, eius ſcilicet in quo totius Sacerdotij eſt poteſtas, pertineant; tamen ſpecialiter ſacrificium eſt ipſi proprium, tamquam primarius & ſpecialis actus, Sacrificiũ eſt illi proprium.

nulli alij cõueniens. Accipitur autem nomen Sacrificij dupliciter. Primò, Generatim & impropriè, vt ſacrificium dicatur omne id, quod ad honoré dei refertur, ſiue ſit actus virtutis internus, ſicut contritio, humilitas; Pſal. 50. v. 19. *Sacrificiũ Deo ſpiritus contribulatus, cor contritum & humiliatũ*: Siue externus, vt mors Martyrum, Sap. 3. Laudes diuinę, Ad Heb. 13. Quo modo definitur ab Auguſtino lib. 10. de Ciuit. c. 6. *Sacrificiũ eſt omne opus bonum, quod fit, vt ſanctâ ſocietate Deo inhæreamus.* Huic Sacrificio generali, reſpondet etiã Sacerdotium generale commune omnibus Chriſtianis. Apoc. 1. v. 6. *Fecit nos regnum & Sacerdotes Deo & Patri ſuo.* 1. Petri 2. v. 5. omnes fideles vocantur *Sacerdotium ſanctum*, qui offerant hoſtias ſpirituales Deo. Item *Sacerdotium regale.* v. 9. Secundò, Accipitur Sacrificium ſpeciatim & propriè pro externa oblatione Deo facta per myſticam trãſmutationem, in proteſtationem ſummi dominij; à quo omne bonum noſtrum pendeat: & diſtinguitur à ſimplici oblatione: ſicut dictum eſt lib. 2. de Iuſtit. & Iure cap. 38. dub. 2.

No meñ ſacrificij accipitur hic.

Iuſtè.

Eſt autem hoc Sacrificium, vel Priuatum; quod aliquis ſua voluntate offert Deo pro ſe; quale fortè Agnus Paſchalis. Vel publicum; quod ex diuinâ ordinatione mediatâ (per lumen rationis naturalis) vel immediatâ offertur nomine totius populi: & hoc proprijſſimè dicitur ſacrificium, cui reſpondet proprijſſimè dictum Sacerdotium, vt patet ad Heb. 5.

3 Sacrificiũ publicum propriè chriſto cõuenit.

Hoc Sacrificium proprijſſimè conuenit chriſto; idque intendit D. Thomas hoc Articulo. Probatur Primò, *Quia Chriſtus conſtitutus eſt à Deo, vt ſeipſum offerret Deo oblationem & hoſtiam in odorem ſuauitatis*, ad Epheſ. 5. v. 2. Secundò, Quia in vltima Cœnâ obtulit verùm & propriè dictum ſacrificium; quod etiam Eccleſiæ ſuæ faciendum tradidit, vt eruditè Concilium Tridentinum ſeſſ. 22. cap. 1. Et docet communis Patrum conſenſus. Tertiò, Quia in ara Crucis verum ac proprium ſacrificium obtulit. Patet ex Apoſtolo c. 9. & 10. ad Hebræos. Et docet D. Auguſtinus lib. 10. de Ciuit. cap. 6. & 20. & lib. 4. de Trinit. cap. 14. vbi inter cetera ait, *Eum qui offert, quod offertur, & pro quibus offertur; eſſe vnum.* Idem docet D. Thomas infrà q. 48. a. 3. Quartò, Quia quotidie offert verum Sacrificium per manus miniſtrorum ſuorum: vt docet Concil. Trident. ſeſſ. 22. cap. 2. nam ipſe eſt primarius offerens in omni legis nouæ ſacrificio.

4 Dices; Chriſtus non interfecit ſeipſum, nec aliquo modo myſticè immutauit in Paſſione: ergo nec ſacrificauit propriè.

Qualis occiſio hoſtiæ fieri debeat per ſacerdotẽ.

Reſpondeo; Non requiritur vt occiſio hoſtiæ fiat ab ipſo Sacerdote phyſicè & poſitiuè: ſed ſatis eſt vt moraliter; nempe imperio, vel liberâ permiſſione. Et ita Chriſtus ſeipſum ſacrificauit: Primò, Quia cùm haberet vitam in ſua poteſtate, eam tormentis mortiferis expoſuit. Secundò, Quia ſuos interfectores, cùm facillimè poſſet, nõ impediuit, ſed permiſſiuè eorum malitiæ vſus eſt. Tertiò, Quia cùm poſt omnia tormenta haberet in poteſtate vitam ſuam, permiſit eam tormẽtis vinci & interimi, eam mente Patri offerens in cultum, & ſatisfactionem peccatorum. Vnde Ioã. 10. v. 17. dicit ſe *ponere animam ſuam.* Et c. 17. v. 19. *Se ſanctificare ſeipſum* pro Apoſtolis; id eſt, ſacrificare. Secùs eſt de Martyribus, qui non habebant vitam ſuam in poteſtate; nec ipſi erant à Deo inſtituti Sacerdotes ad talem hoſtiam offerendam.

Martyres ſeipſos nõ ſacrificãt.

DVBIVM I.

Vtrùm Chriſtus, vt homo, An vt Deus, ſit Sacerdos?

REſpondeo; Hæretici huius temporis, præſertim Caluiniſtæ, dicunt Chriſtum, quatenus Deus eſt, eſſe Sacerdotem: humanitatem autem eſſe hoſtiam. Vtrumque falſum eſt: nam non erat Sacerdos, niſi ſecundùm naturam, qua meruit & ſatisfecit: ſatisfecit enim & meruit actu ſacrificandi. Atqui non meruit nec ſatisfecit per diuinam naturam, vt ſuprà q. 19. dictum eſt: quamquam æſtimatio meriti & ſatisfactionis, à diuinitate perſonæ dependerit, tamquam à principio quod operatur. Deinde; Sacerdos neceſſariò includit naturam Deo inferiorem; nam ſacrificare, eſt Deum colere: Chriſtus autem vt Deus, non erat naturæ inferioris, vt poſſet Deum colere. Ipſum tamen Verbum poteſt dici Sacerdos per communicationem idiomatum. Vt verò omnis ſuſpicio erroris vitetur, meliùs eſt addere determinationem, *Secundùm naturam humanam.*

5 Caluiniſtæ.

Eſt ſacerdos vt homo.

Humanitas etiam propriè non erat victima, ſed totus chriſtus. Patet ad Epheſ. 5. ad Heb. 9. & 10. & ex D. Auguſt. lib. 4. de Trin. c. 14. Nam chriſtus ſeipſum obtulit, non ſolam carnem. Et ſicut Deus rectè dicitur mortuus, ita poteſt dici victima & ſacrificium.

Vt totus chriſtus eſt victima.

DVBIVM II.

Quãdo Chriſtus acceperit Sacerdotij dignitatem?

REſpondeo, In primo momento Conceptionis: natus enim eſt Sacerdos, & mediator, & Saluator generis humani. Vt patet ex nominis ipſius impoſitione. Vnde hoc non meruit, ſed merito ſupponebatur; ſicut & eſſe Caput. Confirmatur; Sacerdotium in chriſto, præter vnionem hypoſtaticam, & dona habitualia, quæ ipſe non meruit, nihil ponit in ipſo, quàm moralem quandam poteſtatem ex deputatione diuinâ prouenientem. Atqui ab initio ad hoc deputatus fuit ex diuinâ benignitate, vt ſeipſum pro nobis offerret: ergo &c. Vnde ſtatim hoc munere fungi cœpit, mente ſeipſum offerens, variamque ſanctificationem operans; tùm circa Matrẽ, tùm circa Ioannem Baptiſtam, tùm circa Elizabetam, & alios: & progreſſu temporis illuſtriores Sacerdotij functiones pro rerum opportunitate edidit.

6 Sacerdos ab initio conceptionis.

ARTICVLVS II.

Vtrum Chriſtus ſimul fuerit Sacerdos & Hoſtia?

RÉſpondetur Affirmatiuè. Et Patet ex Apoſtolo ad Epheſ. 5. v. 2. *dilexit nos*, inquit, *& tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuauitatis.*

7 Fuit noſtra Triplicis.

Notandum eſt; Eſſe triplicem hoſtiam, ſcilicet pro peccato, pacificam, & Holocauſtum. Et hoc triplici modo chriſtus fuit hoſtia. Nam obtulit ſe & in remiſſionem peccatorum noſtrorum; & vt pacem haberemus cum Deo; & vt tandem integrè ſpiritus noſter cum Deo coniungeretur. Vide D. Tho.

ARTICVLVS III.

Vtrum effectus Sacerdotij chriſti, ſit expiatio peccatorum.

8 REſpondetur; Expiatio peccatorum & ſecundùm culpam, & ſecundùm pœnam, eſt effect⁹ Sacerdotij Chriſti. Patet hoc ex dictis de chriſti merito. Vide D. Thomam.

ARTICVLVS IV.

Vtrum effectus Sacerdotij chriſti, etiam ad Chriſtum pertineat?

9 Effectus quidam Sacerdotij ad chriſtũ pertinent.

REſpondetur; Præcipuus effectus Sacerdotij, quâ Sacerdotium, non peruenit ad chriſtum: quia hic effectus eſt expiatio peccatorum. Quod intellige in ſtatu naturæ lapſæ. Alij autem effect⁹ potuerunt ad ipſum peruenire: vt gloria corporis, conſummatio beatitudinis, & omnis externa gloria. Circa ſolutionem ſecundi Argumenti: Notãdum eſt; Sacrificium ex opere operato non ſolũ eſſe Satisfactorium, ſeu Propitiatorium, licet hic ſit eius principalis effectus qua Sacerdotium eſt: (quo modo intellige quòd hic ait D. Thomas:) ſed etiam Impetratiuum gratiæ, & gloriæ. Et hoc modo poterat effectus Sacerdotij chriſti peruenire ad ipſum chriſtum: non ſolùm ex opere operãtis; id eſt, ratione deuotionis ipſius offerentis; ſed etiam ex opere operato; id eſt, ratione excellentiæ operis externi.

ARTICVLVS V.

Vtrum Sacerdotium chriſti permaneat in æternum?

10 Sacerdotium chriſti æternũ quadruplici ratione.

REſpondetur; Sacerdotium chriſti eſſe æternum. Primò. Quatenus virtus & effect⁹ ſacerdotij chriſti manet in æternum, quia importat nobis bona æterna. Secundò, Quia nullum aliud ſacerdotium ſuccedet ſacerdotio chriſti, ſed hoc ſemper durabit vſque ad conſummationẽ ſæculi. Tertiò, Quia etiam munus huius ſacerdotij, ſcil. oblatio Euchariſtiæ, & peccatorum expiatio vſq; ad finem ſæculi perſeuerabunt. Hoc autem tempus, iuxtà ſcripturæ phraſim, dicitur æternum. Quartò, Quia etiam poſteà in omnem æternitatẽ perſeuerabit munus huius ſacerdotij in gratiarum actione & laude; & etiam in quadam repetitione oblationis præteritæ per affectum & approbationem.

ARTICVLVS VI.

Vtrum Sacerdotium chriſti fuerit ſecundum ordinem Melchiſedech?

11 REſpondetur affirmatiuè. Eſt fidei: Pſal. 109. v. 4. *Tu es Sacerdos in æternum, ſecundùm ordinem Melchiſedech.* Quem locum Apoſtolus ad Heb. 7. 8. & 9. exponit de ſacerdotio chriſti. Vt autem intelligatur, quomodo id fuerit:

Hæreſes de Melchiſedech.

Notandum Primò, Contra antiquos hæreticos (quorum aliqui dixerunt Melchiſedech fuiſſe ſpiritum S. alij virtutem quandam chriſto maiorẽ, alij angelum ſpecie humanâ) hunc fuiſſe verum hominem; vt patet Gẽ. 14. & ad Heb. 5. & 7. vbi Scriptura apertè loquitur de illo tãquam de homine. Eſt communis Patrum ſententia. Vide caſtro. Verbo, Melchiſedech. Quis autem fuerit, incertum. Satis probabile eſt, fuiſſe ſem primogenitum Noë: vt docet D. Hieronymus expẽſis aliorum ſententijs, in epiſt. ad Euagrium tom. 3. ep. 126. & in quæſtionibus Hebraicis: quem ſequitur Rupertus, Abulenſis, Lippomanus, & quidam alij recentiores. Hic enim etſi decem generationibus anteceſſerit Abrahamum, tamen ſuperuixit illi ſaltem annis triginta quinque; vel vt vult Hieronymus annis quadraginta: vixit enim annis ſexcentis, vt patet ex c. 11. Geneſ. Alij ſentiunt fuiſſe quemdam chananẽũ, qui etſi ex idololatris natus eſſet, tamẽ verũ Deũ colebat, ſicut Iob. Ita ſẽſerunt Irenæus, Hyppolitus, Euſebius Ceſarienſis, & quidam alij, vt refert Hieronymus epiſt. ad Euagrium. Idem ſentit Theodoretus quæſt. 63. in Geneſim, & aliquot Græci poſteriores, Theophilactus & alij.

Fuit ſemi

Vel Regulus Chananæus.

Notandum Secundò, Hunc Melchiſedech fuiſſe verè Sacerdotem; vt patet Gen. 14. v. 18. *At Melchiſedech Rex Salem, panem & vinum protulit, erat enim Sacerdos Dei altiſſimi.* Nomẽ autem *Sacerdotis*, propriè hic accipitur, non autem pro Principe. Patet, Tùm ex Pſal. 109. tùm ex illo loco Geneſis, vbi primum vocatur Rex, deinde Sacerdos. Tũ, quia Paulus ad Hebr. 7. vtrumque tribuit Melchiſedech, explicans vtrumque locum. Porrò, ad iſtud ſacerdotium non fuit Melchiſedech externis ceremonijs conſecratus, vt Aaron: nec aliqua ſupernaturali aut peculiari poteſtate & authoritate donatus: ſed erat tale, quale in lege naturæ inter fideles vſurpabatur, apud quos, omnes primogeniti & Patres-familias à Noë vſque ad Aaron, erant Sacerdotes, teſte Hieronymo in quæſtionib⁹ Hebraicis. Vnde videtur fuiſſe modus quidam Hierarchiæ, ita vt alij eſſent ſuperiores, alij inferiores Sacerdotes. Et ſic videtur Melchiſedech fuiſſe veluti ſummus aliquis ſacerdos, tanquam primus Pater-familias inter omnes fideles. His poſitis: Dicendum eſt, Chriſtum vocari Sacerdotẽ ſecundùm ordinem Melchiſedech: non quòd eius ſacerdotium eſſet eiuſdem rationis (nam ſacerdotium nouæ legis, quod chriſtus ſuis miniſtris cõmunicauit, eſt longè excellentius ſacerdotio Melchiſedech, prout veritas præſtat figuræ) ſed ideò dicitur ſecundùm ordinem Melchiſedech, quia excellentia ſacerdotij chriſti perfectiùs fuit repræſentata in Melchiſedech, prout in ſcriptura introducitur; quàm in vllo alio: ita vt illud, *ſecundùm ordinem Melchiſedech*, nihil ſit aliud, quàm ſecũdũ repræſentationem, ſeu præfigurationem ordinis & ritus ſacerdotij Melchiſedech. Conſiſtit autem hæc repræſentatio in quinque cõditionibus, quas Apoſtolus explicat ad Hebr. 7. Primò, In conditione Perſonæ. Nam ſicut ille fuit Rex & Sacerdos, ita & chriſtus. Secundò, in interpretatione nominis. Nam Melchiſedech interpretatur *Rex iuſtitiæ*: idem quoque erat Rex Salem, quaſi dicas *Pacis*; quæ vrbs poſteà Hieruſalem eſt dicta. Vtrũque autem perfectiſſimè conuenit chriſto, qui eſt *Rex iuſtitiæ & Pacis*; quia nobis omnem iuſtitiam & pacem adduxit. Eſt etiam *Rex Hieruſalem* quod eſt *Viſio pacis*. Tertiò, in origine; quia ille non habuit Sacerdotium per originem carnis, ſicut Aaronici Sacerdotes: ad quod inſinuandum introducitur à ſcriptura ad Heb. 7. v. 3. *Sine Patre, ſine Matre, ſine Genealogia*. in quo etiam fuit ſingulariter figura chriſti, qui fuit ſine *Patre* vt *homo*, & ſine *Matre* vt *Deus*; vt notauit Chryſoſt. hom. 12. in ep. ad heb. Quartò, in perpetuitate,

Fuit verus Sacerdos.

Iure Patrũ familias.

12 Sacerdotiũ Melchiſedech repræſentat Sacerdotium chriſti quintupliciter

petuitate; quia adducitur à Scriptura ſine principio & fine dierum: ſic & Chriſtus æternus eſt. Quintò, In nobilitate; quam Apoſtolus oſtendit dupliciter indicari in Scriptura. Primò, Quia ipſe benedixit Abrahæ, ac proinde erat maior illo. Secundò, Quia Abraham dedit ei decimas, & cõſequenter tribus Leuitica & totus ordo Sacerdotij Aaronici, qui erat in lumbis Abrahæ, ei decimas; tamquam ſuperiori, ſoluit.

13 Chriſtus non eſt decimatus in lumbis Abrahæ.

Dices: Ergo etiam Chriſtus ei decimas ſoluit; quia in lumbis Abrahæ continebatur. Reſp. Neg. Conſeq. Quia non cõtinebatur in illis ſecundùm ſeminalẽ rationem, ſeu vim actiuam; ſed ſolùm ſecundùm corpulẽtam ſubſtantiam, vt inquit D. Aug. lib. 10. de Gen. ad litteram c. 20. & D. Tho. infrà q. 31. a. 8. vnde non fuit decimatus in lumbis Abrahæ. Vbi aduerte; Etſi ex contextu Geneſis non ſit ita clarum vter alteri decimas obtulerit; Apoſtolus tamen ſuſtulit ambiguitatẽ. Quod etiam confirmatur ex textu Græco vt nunc habemus, & ex Ioſepho l. 1. Antiquitatum c. 18. & inſinuatur Geneſ. 14. v. 20. cùm dicitur: *Dedit ei decimas ex omnibus*, ſcilicet ſpolijs hoſtium, vt Ioſephus explicat; de ijs enim dumtaxat ibi fit mentio.

14 Cur Apoſtolus non comparat oblationẽ panis cum Euchariſtia.

Petes, Cur Apoſtolus præcipuam ſimilitudinem inter Sacerdotiũ Chriſti & Melchiſedech omiſit, quę in hoc conſiſtit; quòd ſicut Melchiſedech obtulit ſacrificium panis & vini, quo refecti ſunt Abrahę milites poſt victoriã de regibus, ita Chriſtus obtulit corpus & ſanguinem ſub ſpeciebus panis & vini, quo reficiuntur fideles poſt victoriã de tentationibus. Reſpondent hæretici, Quia ex Scriptura non conſtat Melchiſedech tale ſacrificium obtuliſſe: nam Gen. 14. non dicitur obtuliſſe in ſacrificium, ſed protuliſſe panem & vinũ, nempe officio hoſpitalitatis in refectionẽ feſſis: ita enim habebat conſuetudo illius temporis; vt patet Iudic. 8. Hanc ſententiã refert etiam Hieronymus ex Hebræis in epiſt. ad Enagriũ quę tota eſt de Melchiſedech. Verùm fide certum eſt, oblationem illam panis & vini quam Melchiſedech fecit, fuiſſe ſymbolum & figuram Sacrificij Miſſæ; ac proinde illam factam fuiſſe Deo in Sacrificiũ: licet poſteà Abraham cum comitibus ex eâ ſint refecti. Ita docet Concil. Trid. ſeſſ. 22. c. 1. *Chriſtus*, inquit, *ſe Sacerdotem ſecundùm ordinem Melchiſedech in æternum conſtitutum declarans, corpus & ſanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis & vini, Deo Patri obtulit.* Eadem eſt ſententia omnium Patrum; vt patebit Tract. de Euchariſtia.

Reſpondeo ſecundò, Habebat ſupremam poteſtatem in ſpiritualibus infrà Deum nulli creaturæ communicatam, quæ communiter vocatur *Poteſtas excellentiæ*. Ita Doctores in 4. diſt. 1. & D. Thomas infrà quæſt. 64. art. 3. ad 4. Patet Matthæi 28. Conſiſtit autem hæc excellentia in tribus. Primò, In ſupremâ iuriſdictione ſpirituali in omnes homines, qua poteſt illis leges imponere, obligare, diſpenſare: atque adeò nouam Rempublicam ſpiritalem, extra quam non ſit ſalus, inſtituere: vt Matthæi 16. v. 18. *Tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam* &c. Secundò, In poteſtate condẽdi Sacramenta, ex ſe vim ſanctificandi habentia, nouumque inſtituendi ſacrificium, cuius etiam vis in totum orbem pertingat. Deinde, in poteſtate ſanctificandi, & remittendi peccata, ſine vllo ſymbolo externo, & etiam per alia quæuis per quæ placuerit; vt patet Matth. 9. & Luc. 5. Tertiò, In eo quòd

Vera reſponſio.

15 An Chriſtus debeat dici ſacerdos ſecundùm Ordinem Aaron, quia expreſſiùs præfigurabatur eius Sacrificium per Sacrificium Aaronicum.

Reſpondeo; ſuidas verbo Ieſus in Lexico refert quandam fabulam à quodam Hebræo Neophyto acceptam, qui narrabat tamquam ingens arcanum Iudæorum, Chriſtum fuiſſe electum à Phariſæis Sacerdotem templi, ibique obiuiſſe munus illius Sacerdotij. Et Thomas Vvaldenſis tom. 2. cap. 116. indicat Chriſtum fuiſſe Sacerdotem Leuiticum in ordine Lectorum: citat Auguſtinum & Iſidorum, qui tamen nil il tale dicut: & probat, quia Chriſtus in Synagoga docuit, & eiecit ementes & vendentes de templo: quæ ſunt munia Sacerdotum. Sed omnino certũ eſt, Chriſtum non fuiſſe Sacerdotem ſecundùm ordinem Leuiticum. Patet ex contextu ad Heb. 7. Nam is, *de quo hæc dicuntur, de aliâ tribu fuit, de qua nullus altario præſto fuit. Manifeſtũ eſt enim quòd ex Iuda ortus ſit Dominus noſter, in qua tribu nihil de Sacerdotibus Moyſes locutus eſt.* Idem cõſtat ex c. 9. v. 11. *Non in manufacta ſancta introiuit Ieſus.* Adde, Quòd Sacerdotes non fiebant electione, ſed origine ex Aaron & filijs eius. Exod. 29. Leuit. 8. 2. Paralip. 26.

Dimordinem Aarũ.

Fabula Iudaica.

Thomas Vvaldenſis.

Chriſtus non fuit Leuita.

Vnde ad Argumentum; Reſpondeo Neg. Cõſequentiam: Sacerdotium enim Leuiticum, etſi repræſentaret Sacrificium chriſti cruentum; tamen erat imperfectum, & temporale, & per ipsũ Chriſtum auferendum, ſignificabat enim ſtatum Chriſti paſſibilem. Sacerdotium verò Melchiſedech potiùs erat perficiendum: ſicut lex Euangelica ſuſtulit legem Moyſis, naturæ verò legem non ſuſtulit, ſed perfecit. Vnde Sacerdotium Melchiſedech aptiſſimè repræſentat perpetuitatem Sacerdotij Chriſti. Porrò, Fabulam illam benè refutat Heutenius poſt Euthymium in Epiſtolas Pauli.

Ad rationem Vvaldenſis, Nego illa fuiſſe propria Sacerdotum: nam etiam Sapiẽtes nõ Sacerdotes poterant docere & diſputare in templo & Synagoga; vt patet de Paulo Actorũ 13. 14. 17. & maximè Prophetæ. Eiecit autem vendentes & ementes non vt Sacerdos Leuiticus: nam Lucę 20. v. 2. interrogabant eum. *In qua poteſtate hæc facis?* ſed vt Propheta, habens diuinitus authoritatem. Occurrunt hic duo dubia.

Soluitur argumentum.

DVBIVM I.

Quam poteſtatem habuerit Dominus ratione huius ſupremi Sacerdotij?

16

Reſpondeo Primo, Habebat poteſtatem exactè ſatisfaciendi pro toto genere humano ſeipſum offerendo: id enim erat proprium munus huius Sacerdotij ad Deum.

Poteſtas in ſpiritualia.

Conſiſtit in tribus.

omnis alia poteſtas ſpiritalis in Eccleſia, deriuata ſit per Chriſtũ ab hac poteſtate Sacerdotij ipſius, cùm ipſe eam immediatè à ſua diuinitate habeat. vt patet prioris ad Corinth. 4. v. 1. *Sic nos exiſtimet homo vt miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei.* Et ad Eph. 4. v. 11. *Ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios Euangeliſtas, alios autem Paſtores & Doctores.*

17 Poteſtas in tempo ralibus.

Reſpondeo Tertiò, Ratione huius ſupremi Sacerdotij habuit etiam poteſtatem in res omnes temporales totius mundi, quatenus id neceſſariũ erat ad finem ſpiritalem: idque longè perfectiori modo, quàm Pontifex. Et ratio eſt, quia perfecta poteſtas gubernandi ad aliquem finem ſuperiorem, neceſſariò includit poteſtatem in omnia inferiora, quæ finem illum poſſunt impedire, vel plurimum promouere: nam omnia inferiora debent diſponi, prout expedit ad finem ſupremum; alioquin illa poteſtas eſſet imperfecta.

DVBIVM II.

Vtrùm Chriſtus, vt homo, ſolùm habuerit hanc indirectam poteſtatem in regna, & res temporales mundi; An etiam directam, tamquam verus Rex & Dominus?

18 Tres ſententiæ

SVnt tres ſententiæ. Prima, Negat Chriſtum talem poteſtatem habuiſſe. Ita Dominicus Soto in 4. diſt. 25. quæſt. 2. art. 1. & lib. 4. de Iuſtitia quæſt. 4. art. 1. Eiuſdem ſententiæ videtur Franciſcus Victoria relectione 1. De poteſtate Eccleſię. quæſt. 5. num. 15. Secunda ſententia eſt, Chriſtum hæreditario iure fuiſſe Regem Iudæorum, tamquam hæredem Dauidis. Ita Richardus Armacanus lib. 4. Queſtionum Armeniacarum, cap. 16. Tertia, Chriſtũ abſolutè fuiſſe Dominum totius orbis. Ita D. Thomas lib. 3. de Regim. Princip. cap. 12. ſub finem, & 13. & 14. & inſinuat infrà quæſt. 59. art. 4. & 6. Iacobus Almainus opuſculo de poteſtate Eccleſiæ, cap. 8. Ioannes à Turrecremata lib. 2. de Eccleſia c. 116. Nauarrus in Cap. *Nouit* de iudicijs. num. 130. reſpondens ad octauum Argumentum.

19

Dico Primò, Chriſtus, quà Deus, eſt Dominus vniuerſorum tam temporalium, quàm ſpiritalium. Patet; Quia ipſius ſunt omnia titulo creationis, & conſeruationis; & ſingula ad ſuos fines gubernando perducit.

Chriſtus, quâ homo non fuit Rex hæreditarius Iudææ.

Dico Secundò; Chriſtus, vt homo, non fuit Rex regni Iudaici titulo hæreditario. Eſt certa, & communis Doctorum. Vide Victoriam ſuprà num. 16. Probatur Primò, Quia Regnum Meſſiæ, de quo Scripturæ, eſt ſpiritale, extendens ſe non ſolùm ad Iudææ terminos; ſed ad terminos terræ, & dirigens ad finem ſpiritalem. Pſal. 2. v. 6. *Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum eius, prædicans præceptum eius.* Ioan. 18. v. 36. *Regnum meum non eſt de hoc mundo.* Idem colligitur Iſaiæ. 9. Hieremiæ 23. Ezechiel. 34. & 37. & alibi. Secundò; Si iure hæreditario: ergo per B. Virginem, vel per Ioſeph? Non per Ioſeph; quia verè non erat Filius, ſed putabatur, Luc. 3. v. 23. Deinde, quis vnquam dixit Ioſephum fuiſſe Regem, aut vnde colligi poteſt illum deſcendiſſe à Dauide per Salomonem, & omnes poſteros primogenitos per quos ius regni deſcendebat? Tertiò, cõſtat ſucceſſionem hæreditariam regni Dauidici fuiſſe abolitam in Iechonia, iuxtà vaticinium Hieremiæ 22. v. 30. *Scribe virum iſtum ſterilem; neque erit de ſemine eius vir, qui ſedeat ſuper ſolium Dauid*; nempe temporale: Nam Chriſtus deſcendẽs ex huius ſemine, *ſedit ſuper ſolium Dauid ſpirituale*: vt notat Hieronymus in illum locũ; & optimè Ambroſius lib. 3. in Lucam ſub finem: vbi fusè oſtendit Chriſtum, *non ſediſſe, niſi in ſolio Dauid ſpirituali.* Eodẽ modo probari poteſt, quod neque per Matrem regni ius habuerit. Non enim Virgo Regina, aut Pater eius Rex fuit Iſraëlis.

Neque Rex Mũdi, titulo humano.

Dico Tertiò: Chriſtus, vt homo, non fuit Rex temporalis mundi, aut alicuius regni, eo modo quo alij homines, ſcilicet titulo humano, qui excludat aliorum dominia. Probatur Primò; Ioan. 6. *Cùm vellent ipſum facere Regem, fugit.* Luc 12. v. 14. cùm ab ipſo peteretur iudicium in cauſſa tẽporali, reſpõdit: *Quis me conſtituit iudicem aut diuiſorem ſuper vos?* vbi Ambroſius notat, Dominũ non aſſumpſiſſe hanc temporalem dignitatem. Secundò; Quia Chriſtus paucarum rerum humano more dominium habuit; vt inter cetera fusè docet Ioannes XXII. in Extrauag. *Cùm inter nonnullos. tit.* de Verborum ſignificatione. Tertiò; quia non erat conſentaneum muneri & dignitati ipſius Chriſti, vt rectè notauit Ambroſius. Veniebat enim, vt doceret contemptum diuitiarum, honorum, & omnium rerum caducarum, tamquã parui momenti reſpectu cæleſtiũ. Vnde in hymno de Epiphania dicitur: *Nè eripit mortalia, qui regna dat cæleſtia.*

Tria conſectaria.

Hinc ſequitur primò; Errare illos, qui affirmãt, in ipſo conceptionis momento omnes Reges amiſiſſe iura & dominia ſuorum regnorũ, ſolumque vſum permiſſu Chriſti retinuiſſe. Secundò; Item eos, qui omnes Reges dicunt eſſe Chriſti vicarios in tẽporalibus & ſpiritualibus: quod docuit Ioãnes Vvicleff teſte Vvaldenſi lib. 2. Doctrinalis fidei antiquæ c. 76. Tertiò; Parum eſſe probabilem eorum ſententiam, qui dicunt Pontificem directè eſſe dominũ totius orbis in temporalibus; eò quòd ſit Vicarius Chriſti. Vide Victoriam loco citato à num. 13. vſque ad finem, Nauarrum in Capit. *Nouit* n. 88. & ſequentibus.

20 Chriſtus vt homo habuit poteſtatem indirectã ſuper omnia Regna. Imò & poteſtatem excellẽtiæ in omnia Regna habuit directã.

Dico Quarto; Chriſtus, vt homo, ſaltem habuit poteſtatẽ indirectam ſuper omnia regna totius mundi, quatenus erat neceſſarium ad finem ſpiritalem. Vide Victoriam ſuprà. Patet ex dub. ſuperiore.

Dico Quintò; Chriſtus etiam directè habuit poteſtatẽ excellentiæ ſuper omnes res humanas, & regna totius mundi, ita vt pro ſuo arbitratu poſſet de illis diſponere: & hoc videntur velle Authores tertiæ ſententiæ.

Probatur Primò: Apocal. 19. v. 16. *Erat in femore eius ſcriptum: Rex Regum, & Dominus dominantium*; id eſt, *in humanitate*, vt exponit Gloſſa. Ad Hebr. 1. v. 2. *Quem conſtituit hæredem vniuerſorum*; ſcilicet ſecundùm humanam naturam. Pſalm. 8. v. 8. *Omnia ſubieciſti ſub pedibus eius, oues & boues & vniuerſa pecora cãpi*: quod Apoſtolus ad Hebr. 2. de Chriſto exponit, 1. ad Corinth. 15. v. 2. *Omnia ſubiecit ei, præter eum, qui ſubiecit ei omnia.* At qui valdè impropriè diceretur omniũ *Rex & Dominus & hæres*, ſi ſolùm haberet poteſtatem indirectam; nec poſſet aliter rebus vti, quàm ſit neceſſe ad finem ſpiritalem.

Probatur Secundò; Ratione. Primò, Sicut Deus eſt Dominus vniuerſorum, & tamen non impedit propria dominia humana, ſed hęc ab illo pendent, ſicut cauſſæ particulares ab vniuerſali; ita potuit ſuæ humanitati communicare ſupremam quandam illius dominij participationem, quæ priuata dominia ſingulorum non tolleret. Sicut patet in ſimili, ſcilicet in poteſtate ſpiritali: Etſi enim Chriſtus habeat ſupremã poteſta-

tem excellentiæ in ſpiritualibus, tamen Pōtifex & Epiſcopi habent etiam veram poteſtatem & iuriſdictionem. Secundò; Quia ſcripturæ tribuunt Chriſto duplicem poteſtatē, ſcilicet ſacerdotalem, & regiam: ergo hæ poteſtates ſunt aliquo modo diſtinctæ; ſicut fuerunt in Melchiſedech qui erat typus Chriſti. At poteſtas illa indirecta non eſt diſtincta à poteſtate ſpiritali, ſed intrinſecè in illa includitur, tamquam ad eius rationem pertinens: ergo ponenda eſt in Chriſto aliqua poteſtas directa in regna tēporalia. Hinc ſequitur, Chriſtum potuiſſe priuare omnes Reges ſuis regnis, eaque alijs donare: & omnium regum iura ab ipſo pendere, ſaltem permiſſiuè, idque ab initio concepticnis: nam ab initio fuit *hæres vniuerſorum*; & ab initio *dedit ei Pater omnia in manus*; quamuis vſum & externam demonſtrationem huius poteſtatis, non habuerit ante reſurrectionem.

Explicatur, quid potuerit per hanc poteſtatē excellentiæ.

Nec obſtat; quòd Chriſtus in hac vita pauper fuerit; quia ſufficit, quòd vſu & affectu pauper fuerit; in his enim conſiſtit virtus & functio paupertatis. Carentia dominij & incapacitas non eſt neceſſaria niſi in hominibus peccatoribus, quorū affectus facilè alioqui mutaretur. Simile eſt in caſtitate, ad quam ſufficit affectus & vſus; incapacitas autem Matrimonij non eſt per ſe neceſſaria. Adde etiam Chriſtum caruiſſe iure humano, & ſic quoque pauperem fuiſſe, licet iure illo ſuperiore eſſet ditiſſimus.

Non repugnat paupertati Chriſti.

QVÆSTIO XXIII.

De Adoptione Chriſti.

In Quatuor Articulos diuiſa.

ARTICVLVS I. II. & III.

Vtrum Trinitati conueniat adoptare rationalem Creaturam?

1 Quid Adoptio.

REſpondetur affirmatiuè. Notandum eſt, *Adoptare aliquem in Filiū* iure humano (per quod *adoptio* eſt introducta) nihil eſſe aliud, quàm liberaliter perſonam extraneam accepta re in Filium, & dare ius ad hæreditatem. Vnde requirit tres conditiones. Prima eſt, *Vt perſona, quę adoptatur, ſit extranea*; id eſt, non ſit ita coniuncta naturaliter ipſi *adoptanti*, vt per ſe ius habeat ad hęreditatem: talis eſt omnis, qui non eſt naturaliter Filius. Secunda, vt *gratis, & liberaliter illi conferatur, hoc ius*: ſi enim detur titulo oneroſo: non erit *adoptio*, ſed venditio, permutatio, vel ſimilis contractus. Tertia, Requiritur *conſenſus perſonæ, quæ adoptatur*: quia nemo ſubditur alteri niſi volens, præterquam in pœnam; quæ locum non habet in adoptione, vt quæ magnum ſit beneficium. Et quidem, ſi is, qui *adoptatur*, ſit ſui iuris; ſolùm per ſe debet conſentire; diciturque tunc *Arrogatio*: ſi autem non ſit ſui iuris, requiritur etiam *conſenſus Principis, vel Parentis, vel Tutoris*, &c. & hæc dicitur ſpecialiter *Adoptio*. Colliguntur hæc ex l. 1. & 2. ff. *de Adoptionibus, & inſtitutis*, eodem titulo.

Et quæ ad eam neceſſaria.

Arrogatio

Ad huius ſimilitudinem, iuſtificatio cuiuſcūque nudæ creaturæ ſiue Angeli, ſiue hominis; dicta eſt *Adoptio*. Ad Rom. 8. v. 15. *Accepiſtis ſpiritum adoptionis Filiorum*. Ad Eph. 1. v. 5. *Quos prædeſtinauit in adoptionem filiorum*. Ad Gal. 4. v. 5. *Vt adoptionem filiorum acciperemus*. Ioan. 1. v. 13. vocatur *Natiuitas ex Deo*. Ob hanc cauſſam in Scripturis Angeli ſæpè dicuntur *Filij Dei*. Iob. 2. & 38. Nec obſtat: quòd Chryſoſtomus hom. 22. in Geneſin dicat in Scripturis *nuſquam vocari Angelos Filios Dei*; quia intelligi debet de editione Septuaginta: vbi enim Hebræus & Vulgata editio habent *Filij Dei*; Septuaginta verterunt *Angeli Dei*: idque propter Ethnicos, ne exiſtimarent Deū habere filios, ſicut ipſi putabant de Ioue, & de ſuis Dijs. Ratio autem, cur *Iuſtificatio* dicatur *Adoptio*; eſt, quia per iuſtificationē gratis tribuitur creaturæ ius ad beatitudinem; quæ beatitudo eſt hæreditas Dei; nam per illam & ipſe dicus eſt, & alios etiam diuites facit. Vnde hæc *Adoptio* perfectiùs & magis propriè eſt *Adoptio* quàm humana: Nam humana *Adoptio* nullam intrinſecā perfectionem communicat *Filio adoptiuo*, ſed ſōlùm ius quoddam morale & veluti extrinſecam denominationem. *Adoptio* verò quā Deus adoptat aliquos ſibi in Filios, tribuit intrinſecā perfectionem, quā ſpiritualiter regenerentur, fiantque *conſortes diuinæ naturæ*, 2. Pet. v. 4. atq; adeò efficiuntur *Filij Dei*. 1. Ioa. 3. v. 1. Dices; ratione *Adoptionis* pertinet, vt Filius non habeat hęreditatem, niſi Patre illam deferente per mortem: ergo &c. Reſpondeo, hoc ſolùm pertinet ad *humanam adoptionem*; idque non excommuni ratione *adoptionis*, ſed ex imperfectione bonorum tēporalium, quę à duobus poſſideri ſimul nequēunt; vt rectè D. Thomas a. 1. ad 3.

2 Iuſtificatio creaturæ exſimilitudine. dicitur Adoptio.

Adoptio ſpiritualis perfectior quàm humana.

Ex his patet Primò *adoptare* eſſe opus totius Trinitatis, quatenus eſt hic Deus: Sicut enim omne opus ad extra commune eſt toti Trinitati, ab eaque proficiſcitur vt eſt vnus Deus; ita & *Iuſtificatio*, quæ reipſa non differt ab *adoptione*. Nec obſtat, quòd Filius & Spiritus ſanctus nō poſsint *generare*: ac proinde non videātur, poſſe *adoptare*; quia etiam iure ciuili poſſunt *adoptare*, qui tamen non poſſunt *generare*: vt patet ex locis citatis. Deinde, quia Filius & Spiritus ſanctus habent eandem numero naturam, quæ in Patre eſt fœcunda, licet non quatenus in ipſis.

3 Adoptare eſt totius SS Trinitatis.

Patet Secundò; Solius creaturæ rationalis eſſe *adoptari in Filium Dei*: quia hęc ſola eſt capax illius hæreditatis. Nec obſtat: quòd Deus dicatur interdum *Pater peccatorum*, vt Iſaiæ 63. v. 16. *Tu Domine Pater noſter*: & alibi. Item reliquarum creaturarum: Iob. 38. v. 28. *Quis eſt pluuiæ Pater?* quia hoc tantùm metaphoricè intelligēdum. Dicitur enim *Pater irrationaliū*, quatenus eſt auctor earum: *Peccatorum* autem *pater* dicitur, quia eſt benefactor illorum, manſuetè & paternè cum illis agens. Pari modo metaphoricè *peccatores & creaturæ irrationales*, dicuntur *Filij Dei*.

4 Adoptari ſpiritaliter eſt ſolius creaturæ rationalis.

Patet Tertiò, Omnem purā creaturam rationalem, ſiue Angelicam, ſiue humanam; ſiue veteris teſtamenti, ſiue noui: ſiue prędeſtinata ſit, ſiue reproba, modò ſit iuſta, pro illo tempore eſſe *filium dei adoptiuum*. Vnde vitanda eſt quorundā ſententia, dicens *præſcitum, etiam dum eſt in*

5 Omnis iuſtus, pro tempore quo iuſtus, eſt Filius

QVÆSTIO XX.

De Subiectione Christi ad Patrem.

In Duos Articulos diuisa.

ARTICVLVS. I.

Vtrum christus sit subiectus Patri?

1

Subiectio bonitatis

REspondeo; Christus vt homo, est Patri subiectus secundùm bonitatem, seruitutem & obedientiam.

Quòd subiectione Bonitatis; patet: Quia christus homo habet omne suum bonum à Patre tamquam riuulus à fonte: ergo &c. Et quamuis secùndùm diuinam naturam, etiam omnia habeat à patre, tamen non est illi secundùm hanc subiectus: quia bonum huius naturæ in christo, non est min⁹ bonum Patris, sed vnum idemque.

2

Subiectio seruitutis.

Quòd sit subiectus subiectione seruitutis: patet; quia humanitas christi erat subiecta dispositioni paternę; & omnia quæ circa illam gesta sunt, ex Patris dispensatione gesta sunt. Deinde; christus in Scripturis sępè vocatur Seruus Dei. Isaiæ 42. v. 1. *Ecce seruus meus*: quod de christo exponitur Matth. 12. v. 18. licet hîc dicatur; *Ecce puer meus*. Sed est idem; vt notat Hier onymus in Isaiam. Item Isaiæ 43. v. 10. *Et seruus meus quem elegi*; vt exponit Irenęus lib. 3. contra hæreses cap. 6. Isaiæ 35. v. 11. *Iustificabit seruus meus multos*: Et alibi. Idem docent multi Patres.

Dices; Synodus Francfurdiensis circa annum Domini 791. & Hadrianus I. in epistola quæ ibi habetur, negant Christum esse Seruum Dei, nisi figuratè intelligatur; quomodo dicunt intelligi in veteri testamento: in nouo autem non vocari Seruum, sed Filium. Quod confirmatur; Matth. 21. Pater-familias misit seruos suos; posteà mittit non seruum, sed Filium. Confirmatur Secundò, Quia Damascenus lib. 3. de Fide Orthodoxa cap. 21. negat humanam naturam in Christo esse seruam.

Respondeo; nomen *Serui*, tripliciter accipi.

Seruus dicitur Tripliciter.

Primò; vt significet vilem quandam conditionem ex peccato contractam, quę consistit in quadam indignitate contracta ex culpa & carentia iuris ad cęlestem hęreditatem: Sicut patet ex similitudine seruitutis legalis. Et hoc modo certum est Christum hominem non esse seruum. Et quidam existimant nihil aliud Adrianum Papam, & Synodum Francfurdiensem velle. Verùm si quis totum illorum discursum perpendat, dubitare non poterit quin longè aliud velint, Neque vllo modo Elipandus Archiepiscopus Toletanus hoc sensu christum dixit seruum. Secundò; Accipitur *Seruus* propriè pro eo, qui ita est sub dominio alterius, vt non sit particeps eiusdem dignitatis, honoris, & sedis. Et hoc modo negat Adrianus & Synodus, christum esse Seruum; vt patet ex testimonijs & rationibus illorum. Ratio est; Quia humanitas christi communicat cum Deo triplici communicatione. Primò, in eo quòd *omnis plenitudo diuinitatis in ipsa sit corporaliter*; id est, substantialiter, & non solo affectu & participatione: nam ipsa diuinitas est vnctio qua humanitas sanctificatur.

Coloss. 2. v. 9.

Secundò, Quòd ratione huius substantialis vnionis, ipsa humanitas digna sit sede maiestatis & diuino cultu. Sicut enim coniux, quæ priùs erat serua, postquam assumitur à Rege ad connubium, efficitur libera, & Regina, & pari cultu honoratur: ita etiam etsi humanitas christi, secundùm se serua sit, tamen postquam assumpta est in vnitatem personæ à Filio Dei, facta est libera, & ita deificata, vt eodem cultu adoretur. Tertiò, In eo quòd dignitas nominis communicetur. Omnia enim dignitatis nomina quæ cõueniunt in Filium Dei, conueniunt etiam in hunc hominem. Sicut in matrimonio, tituli dignitatum mariti, communicantur vxori. Tertio modo accipitur nomen *Serui* generalissimè; pro omni eo, qui obligatus est ad alterius obsequium, siue sit particeps eiusdem dignitatis, siue nõ. Et hoc modo christus in scripturis dicitur Seruus; quasi dicat, obligatus ad diuinum obsequium. Verùm hæc acceptio non est ita propria, sicut illa secunda. Vide fusè de hac materia Gabrielem Vasquez.

Quòd christus sit subiectus Patri per obediẽtiam

3

Subiectio obedientiæ

Patet ad Philip. 2. v. 8. *Factus est obediens vsque ad mortem.* Ioan. 8. v. 29. *Quę placita sunt ei facio semper:* & 14. v. 31. *Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.* Patet; Quia esse subiectum per obedientiam nullam imperfectionem requirit in supposito secundùm se considerato: Neque dominium in altero; vt patet in ciuibus, qui subiecti sunt Magistratui, non tamen Magistratus vllum habet in eos dominium, nec ipsi ad obsequium & famulatum obligati sunt, sicut serui, etiam generalissimè accepti. Sed solùm requirit in supposito quandam voluntatem, quæ à superiori voluntate gubernetur. Talis autem voluntas erat in christo. Vnde sicut humano modo operabatur, ita absolutè dici potest, quòd obediebat Deo, & illi subditus erat. Nec necesse est addere illam determinationem, *vt homo*: quamuis ad vitandam omnem Ariani erroris speciem, hoc sit consultum; vt D. Thomas ad 1. notauit.

Circa prædicta: Notandum est hanc propositionem, *Christus est minor Patre*, esse simpliciter negandam iuxtà proprietatem sermonis, nisi aliquid apponatur, quo significetur restringi ad naturam humanam. Ratio est; Quia alioqui insinuatur, hoc totum, quod est christus, esse minus patre, quod falsum est. Cùm autem Ioã. 14. v. 28. christus ait: *Pater maior me est*; satis indicat se loqui de natura humana: sic enim ait: *Vado ad Patrem, quia Pater maior me est.* &c. Ibat autem vt homo ad Patrem. Vnde significatur patrem esse maiorem, quàm ipse erat per naturam humanam.

4

Quomodo christ⁹ sit minor Patre.

Circa Responsionem ad 3. Notandum, illud p tioris ad Corinth. 15. v. 28. *Cùm autem subiecta illi fuerint omnia* &c. variè exponi. Prima expositio est, quam hîc habet D. Thomas ex D. Augustino, quòd Christus tunc plenè erit subiectus Patri, quia etiam secundùm membra sua illi subiectus erit: quę etiam est multorum aliorum Patrum; vt Gregorij Nysseni in tractatu proprio super hanc sententiam Apostoli; & Cyrilli lib. 10. Thesauri cap. 8. Hæc expositio bona est: sed ma-

5

Quomodo omnia christo sint subiecta.

d by

gis conformis Apoſtolo videtur, quam habet Theodoretus & Scholia Græcorum, ſenſum eſſe, etiam tunc in Gloria Chriſtus erit ſubiectus Patri: Loquitur enim de Chriſto in propriâ perſonâ, cui Pater omnia ſubiecit: ne forte quis poſſet existimare chriſtum aliquod proprium regnum colligere contra regimen Patris: aut ne putarent Chriſtum, etiam Patrem ſibi ſubiecturum: ſicut Iupiter ſuum Patrem Saturnum, iuxtà fabulas ſubiecit.

DVBIVM.

Vtrùm chriſtus ita Patri fuerit ſubiectus, vt etiam præcepto & legibus illius obligatus fuerit?

6 Obligatus fuit lege naturæ.

REſpondeo & Dico Primò: chriſtus fuit obligatus lege naturæ. Probatur: Quia hac lege prohibentur intrinſecè mala: & præcipiuntur intrinſecè bona, quorum omiſſio etiam per ſe mala eſt. Atqui chriſtus in humana natura verè obligabatur illa mala vitare: v. g. non mentiri, non decipere, & ſimilia: & hęc, bona facere: vt amare & honorare Deum, diligere proximum. &c.

Dices Primò, Chriſtus erat determinatus ad bonum faciendum, & malum vitandum, per vnionẽ hypoſtaticam & viſionem diuinam: Sicut Deus neceſſariò determinatus eſt, ad mali fugam bonique amorem. Atqui Deus non obligatur aliqua lege, ſed hoc eſt connaturale eius bonitati; ergo neque chriſtus obligabatur.

Reſpondeo Negando Conſequentiam; Deus enim non habet ſuperiorem à quo illi proueniat obligatio; vnde ſolùm ex natura ſua eſt determinatus. Chriſti autem voluntas humana, habet ſuperiorem, à quo prouenit ei obligatio: Vnde dupliciter chriſtus determinatus eſt ad amorem boni, & fugam mali. Primò, ratione vnionis hypoſtaticæ, & viſionis beatificæ: quæ determinatio, ſimilis eſt determinationi diuinę voluntatis.

dupliciter fuit determinatus ad amorẽ boni & fugam mali.

Secundò, Ratione obligationis prouenientis à voluntate ſuperioris; quę obligatio, eſt veluti proprietas quædam conſequens naturam rationalem, quatenus ſubiecta eſt naturaliter poteſtati & diſpoſitioni ſuperioris. Et quidem obligatio legis naturalis, ſequitur naturam ſecundùm ſe conſideratam: legis autem ſupernaturalis obligatio, ſequitur naturam eleuatam ad gratiam. Loquor autem de lege ſupernaturali, non poſitiuâ, ſed eâ, quæ gratiæ eſt connaturalis.

Dices Secundò, Omne præceptum, & omnis lex implicitè continet hanc obligationem: Niſi feceris, eris mihi inimicus. Atqui hæc comminatio non poterat habere locum in chriſto: quia implicat contradictionem chriſtum eſſe inimicum.

chriſti natura ſecundùm ſe erat capax inimicitię diuinæ.

Reſpondeo; ſufficit illam comminationem poſſe dirigi in ipſam naturam ſecundùm ſe conſideratam: hæc enim ſecúdùm ſe erat capax inimicitię; ſicut ſupra q. 7. a. 5. & 6. dictum eſt de timore. Eadem ratio eſt in Angelis, dum illis aliquid præcipitur.

7 Habuit particularia præcepta.

Dico Secundò: habuit etiam chriſtus particulare præceptum docendi, & redimendi genus humanum, & pro eo vitam ſuam profundendi. Ita D. Thomas infrà q. 47. art. 2. Et D. Auguſt. tract. 82. in Ioãnem. Ambroſ. lib. 5. de Fide cap. 5 in fine, & c. 6. in initio. Cyrillus lib. 1. in Ioannem cap. 2.

Probatur Primò, Ioan. 14. v. 31. *vt cognoſcat mundus, quia diligo Patrem; & ſicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio: ſurgite eamus:* ſcilicet obuiã Iudæis, vt me illis tradam in mortem. Vbi ſatis inſinuat ſe accepiſſe mãdatum a Patre, vt ſe morti offerret. Item Ioan. 10. v. 18. *Hoc mandatum accepi à Patre meo*; ſcilicet *ponendi Animam meam pro ouibus meis*, vt patet ex præcedentibus. Et cap. 15. v. 10. *Si præcepta mea ſeruaueritis, manebitis in dilectione mea: Sicut & ego Patris mei præcepta ſeruaui, & maneo in eius dilectione.* Vbi comparat præceptum datum diſcipulis, cum præcepto quod ipſe accepit a Patre. Atqui illud erat verum præceptum: ergo & hoc. Confirmatur; Quia quando aliquia Scriptura propriè poteſt accipi, non eſt detorquenda ad improprios ſenſus: vnde non eſt dicendum, nomẽ *Mandati* ſeu *Præcepti* impropriè accipi: ſcilicet pro ſimplici voluntate.

Probatur Secundò, quia Dominus ex obedientia ſe in mortem obtulit. Ad Philip. 2. v. 8. *Factus obediens vſque ad mortem.* & ad Rom. 5. v. 19. *Sicut per vnius inobedientiam, peccatores conſtituti ſunt multi; ita per vnius obeditionem, iuſti conſtituẽtur multi.* Sed obedientia propriè non eſt, niſi vbi eſt verum præceptum: vt patet, tum ex communi vſu, tum ex doctrinâ quam tradit D. Thomas 2. 2. q. 104. a. 2.

8 1. Obiect: ex D. Baſilio.

Sed contrà. Obijcitur Primò, Ex D. Baſilio lib. de Spiritu ſancto cap. 8. vbi dicit ſeruile eſſe, & à diuinâ dignitate immenſo ſemotum interuallo, cogitare quòd Chriſto particularibus mandatis vniuſcuiuſq; operis miniſterium commiſſum ſit. Reſpondeo, manifeſtè loquitur de chriſto ſecundùm diuinitatem contra Arianos: & ſic *mandatũ* vult nihil aliud ſignificare, quàm quod Filius omnia facit virtute acceptà à Patre, & conſentaneè Patris voluntati. Fateor tamen non habuiſſe particulare mandatum cuiuſque operis, & circumſtantiæ particularis.

2. Obiect ex D. Chryſoſtomo.

Obijcitur Secundò; chryſoſtomus hom. 59. 68. & 75. in Ioan. quibus locis fusè docet & probat Chriſtum nullum habuiſſe præceptum Patris: ſed omnia ſponte, liberè, ſolâ charitate feciſſe.

Reſpondeo; Chryſoſtomus interdum loquitur vt Baſilius contra Arianos, negans omne verum mandatum reſpectu diuinitatis chriſti. Interdum loquitur de præcepto, more populari; nam iuxtà ſenſum popularem non imponũtur præcepta, niſi ob imperfectionem, vt voluntas timore pœnæ vel culpę quodammodo cogatur, vel ſaltem vt per illud dirigatur: ſic enim chriſto nullum impoſitum præceptum; tum, quia nullâ directione egebat, cùm omnia per ſe noſſet; tum etiam, quia ſatis ex ſe promptus erat etiam ad paterna conſilia. Si tamen more eruditorum loquamur, ſic Chriſto fuit impoſitum pręceptum; non tamen ob directionem vel coactionem, ſed ob alias cauſſas.

Variæ cauſæ cur chriſto impoſita ſint præcepta.

Primò, vt magis declararetur diuina dilectio erga nos, quorum cauſſa tam graue iugum Filio imponeret. Secundò, vt oſtenderetur quantum Deo ſubiecti ſumus, cùm humanitas aſſumpta tantum ſubdita fuerit. Tertiò, vt ſicut Adam per inobedientiam, Dei præceptum violando, totum genus humanum perdidit; ita chriſtus per obedientiam, Patris præceptum ſeruando, illud reſtitueret: ad Rom. 5. idque etſi Adæ præceptum eſſet facillimum, Chriſti difficillimum. Deinque, vt Iudæorum retunderetur calumnia, qui dicebant Chriſtum diuina mandata ſoluere. Vide toletum in cap. 10. Ioan.

9 3. Obiect. ex Ioan. 10. Poterat non mori.

Obiicitur Tertiò: Ioan. 10. v. 18. Dominus ait, ſe habere poteſtatem ponendi animam ſuam: ergo poterat etiam non ponere. Reſpondeo; Abſolutè, ſeu in ſenſu diuiſo habebat in ſua poteſtate non mori: Vnde Matth. 26. v. 53. *An putas, quia non poſſum rogare Patrem meũ, & exhibebit mi-*

bi plus, quàm duodecim legiones Angelorum? Poterat enim ſuâ virtute diuinâ, omnia tormenta excludere; poterat admiſſis tormentis, animam contra illorum vim retinere; tamen ex ſuppoſitione fieri non poterat, quin moreretur; nempe ſuppoſito quòd hoc erat prædictum à Prophetis, aut præceptum à Patre. Hoc tamen non impedit quin abſolutè habuerit poteſtatem moriendi: vt patet in ipsâ diuinitate, quæ interdum ex ſuppoſitione aliquid neceſſariò facit, tamen abſolutè poteſt nõ facere.

4. Obiect. Obijcitur Quartò; Non erat in chriſti poteſtate vt tali morte defungeretur; nempe interuenientibus ſputis, alapis, blaſphemijs, flagellis, cruce &c. Nam hoc pendebat à malitiâ Iudæorum & Gentilium. Ergo non poterat hoc chriſto præcipi.

Singulæ actiones non fuerunt chriſti ópraceptæ. Reſpondeo ex anſelmo lib. 1. *Cur Deus homo*, cap. 9. & 10. chriſto tantùm fuiſſe præceptum, vt veritatem in tali gente prædicaret, legem euangelicã inſtitueret; & mortem, quam illi illaturi erãt, pro redemptione generis humani perferret. Non eſt autem neceſſarium, vt omnes chriſti actiones, & omnes circumſtantiæ paſſionis eius, fuerint præceptæ: nã hoc nullũ habet fundamentum inſcripturis vel Patribus. Nec Martyribus iſta præcepta fuêre. Petes; An præceptum moriendi pro hominibus, fuerit mere poſitiuum, An potiùs naturale? Quidam exiſtimant fuiſſe naturale, ſuppoſitâ diuinâ ordinatione, qua ſtatutum erat hominem non aliter poſſe ſaluari. Ratio eſt; Quia obligatio ſubueniendi proximo extrema neceſſitate preſſo, eſt naturalis; ſcilicet ex vi charitatis. Et cõfirmatur; Quia ſi qui vis priuatus naturali præcepto charitatis tenetur vitam corporalem profundere pro ſalute ſpirituali proximorum in extremâ neceſſitate conſtitutâ, vt omnes Doctores docent, & præſertim pro ſalute totius Reipublicæ: ergo multò magis Paſtor; qui etiam ex officio tenetur *Animã ponere pro ouibus ſuis*. In hanc ſententiam videtur inclinare Anſelmus. Sed verius videtur præceptũ moriendi non fuiſſe naturale chriſto, ſed poſitiuum. Ratio eſt; Quia ex hoc præcisè, quòd genus humanum non poterat eſſe ſaluum niſi per mortẽ illius, non tenebatur ſe in mortem dare: nam vita ipſius, erat vita Dei; & malum quod ipſi inferebatur, Deo inferebatur. Atqui bonum Dei præſtat omni bono creaturæ; & malum Dei, quatenus tale eſt, magis eſt execrandum, quàm omne malum creaturæ. Vnde cùm eſſet Deus, non tenebatur aliquid mali ſubire cauſâ creaturæ; niſi diuinitas, quæ ſuâ bonitate omnia ſupplet, id vellet.

Ioan. 10. v. 15.

Verius eſt fuiſſe poſitiuum.

11 Nulli ſubeirat legi humanæ. Dico Tertiò; Præter legem naturalem, & mandatum Redemptionis humanæ, Chriſtus non videtur alteri vlli legi obnoxius fuiſſe. Ac primum; nulli legi humanæ ſuberat; quia erat omnium Dominus, habens ſupremam in omnes poteſtatẽ. Quòd confirmatur Matth. 17. vbi probat ſe non eſſe ſubiectum tributis, quia *Filij Regis ſunt liberi*: ipſe autem erat Filius Regis Regum.

Neque Euangelicæ Secundò, Nec etiam legi diuinæ poſitiuæ alijs hominibus conſtitutæ. Nam lex diuina poſitiua, vel eſt Noua, vt ea quæ pertinent ad Sacramenta: vel eſt Vetus, ſcilicet Moſaica. Chriſtus autem neutrâ tenebatur. Non Nouâ, quia ipſe erat eius auctor. Nec obſtat quòd leges à Principibus latæ, etiam ipſos latores obligẽt; vt docet D. Thomas 1. 2. quæſt. 96. art. 5; quia id ſolùm fit, quando ratio legis, eque in Principe, atque in ſubditis locum habet; vt leges circa pretia rerum: nam Princeps quaſi ſub hac conditione poteſtatem à Reipublica accipit. At leges quas tulit Chriſtus, non pertinebant ad ſtatum eius, ſed ad ſtatum hominum purè viatorum. Sicut ſi Princeps ferat legem, quę proprie ad ſtatum inferiorum pertineat, ipſe eâ non obligatur. Adde; Quod chriſtus erat ſummus Legiſlator qui non acceperat poteſtatem ab hominibus vel à Republica.

Neque Moſaicæ. Quòd autem nec Veteri lege obligatus fuerit; Probatur Primò: Quia lex vetus dumtaxat populo Iudaico, eiuſque poſteritati, (vt omittam Proſelytos) data eſt. Atqui talis lex non comprehendit niſi eos, qui naturali modo ex tali populo procreantur. Sicut Lex data Adamo & eius poſteritati in ipſo, non comprehendit chriſtum, qui ſecundùm virtutem ſeminariam in Adamo non continebatur. Ergo pari modo chriſtus non obligabatur lege Veteri. Secundò: Quia chriſtus erat Dominus legis Veteris. Matth. 12. v. 8. *Dominus eſt Filius hominis etiam ſabbati*: ergo nullo modo illi erat ſubiectus. Tertiò, Quia lex vetus erat imperfecta, & ea quę in ipſa præcipiuntur *erant infirma & egena elementa*, iuxtà Apoſtolum ad Galat. 4. v. 9. ergo non decebat auctorem perfectionis illis ſubijci. Quartò, Quia *Lex vetus poſita erat propter tranſgreſſionem, donec veniret ſemen cui promiſit*: id eſt, *Chriſtus*: ad Gal. 3. v. 19. Item erat pædagogus noſter in chriſto, id eſt, præparans, & adducens nos tamquam pueros ad Chriſtum, vt ibidem dicitur: ergo eius obligatio ad Chriſtum non pertinebat. Denique *Lex ſolùm erat vmbra futurorum bonorum* ſub chriſto, ad Heb. 10. v. 1. deſinenda & abolenda per chriſtum: ſicut vmbra deletur præſente luce. Atqui non decebat vt veritas ſubijceretur vmbræ. Hinc patet contrariam ſententiam quam tenuit Ioannes Medina, non eſſe probabilem.

Medina.

Dices Matth. 5. v. 17. Dominus ait: *Non veni ſoluere legem, ſed adimplere*. Atqui nemo propriè legem implet niſi qui ea tenetur. Et cõfirmatur: ad Gal. 4. v. 4. *Miſit Deus Filium ſuum factum ex muliere, factum ſub lege*. Reſpondeo, Chriſtus impleuit legem, ſicut donatio implet promiſſionem, & veritas figuram: non autem, ſicut debitor obligationem: vt docet D. Tho. infrà q. 47. a. 2. Ad Confirmationem: Eſt factus ſub lege, nõ quòd ipſe quidquam legi deberet, qui vnus eſt legislator & Iudex; ſed vt eos qui ſub lege poſiti erant, de ſeruili conditione quæ ſub lege erat, eriperet: vt rectè Anſelmus in hunc locum. Itaq; non obligatione (hoc enim ſeruilis eſt conditionis:) ſed voluntariâ obſeruatione legi ſuberat.

Quomodo chriſtus legem impleuerit.

ARTICVLVS II.

Vtrum Chriſtus ſibi ipſi ſubiectus ſit?

12 Reſpondetur: Non eſt ſibi ſubiectus ratione ſuppoſiti: quia in chriſto non ſunt duo ſuppoſita, vt volebant Neſtoriani; ſed ratione naturę, quatenus vna natura eſt ſubiecta alteri.

Notandum eſt: Non eſſe abſolutè dicendum, chriſtum eſſe ſibi ipſi ſubiectum, ſibi ipſi obedientem, ſeipſo maiorem vel minorem: quia ſignificatur diſtinctio ſuppoſiti: quare aliquid addendum, quo determinetur natura, ſecundùm quam, comparatio ſit accipienda. Itaque chriſtus vt homo, eſt ſubiectus ſibi ſecundùm diuinitatem: & Chriſtus vt Deus, eſt Deus ſui ſecundùm humanitatem: & ſic de ceteris. Et Ratio eſt: Nam ex diuerſis naturis cum diuina perſona conſtituuntur virtute duę perſonę: & ita ſecundùm diuerſas naturas poteſt habere has comparationes & relationes ad ſeipſũ.

QVÆSTIO XXI.

De Oratione Christi.

In Quatuor Articulos diuisa.

ARTICVLVS I. II. III. IV.

PRima Conclusio: Christo, vt homo est, conuenit orare pro nobis. Patet Lucæ 6. vt 12. *Exiit in montem orare.*

Secunda Conclusio: Christus non orabat per partem sensitiuam: desiderium tamen partis sensitiuæ oratione expressit: idque ad nostram instructionem & consolationem. Patet cùm ait: *Transeat à me calix iste*, Matth. 26. v. 39.

Tertia Conclusio: Christus orauit tùm pro se; vt patet Ioan. 17. tùm pro alijs; vt patet ibidem.

Quarta Conclusio: Christi oratio absoluta, semper fuit exaudita; conditionata, minimè.

Circa hos quatuor Articulos: Notandum est, Fide certum esse, christū in hac vitâ, & pro se, & pro nobis orasse Patrē, atque adeò totam Trinitatem. Patet ex multis Scripturę locis. Luc. 22. v. 31. *Simon rogaui pro te, vt non deficiat fides tua*, Ioan. 17. Orabat pro se, pro Discipulis, & pro toto mundo. Luc. 23. Pro Crucifixoribus.

Orauit pro nobis in hac vita.

Dices, Christus vt homo omnia poterat quæ ad finem incarnationis pertinent: ergo non egebat oratione. Respōdeo; Omnia poterat, sed per media à Deo ordinata; inter quę, vnum erat oratio. Etsi enim diuina virtus ita illi assisteret, vt mox fieret quidquid absolutè vellet; tamen diuinitus ordinatum e[rat] vt non semper vellet quidquis nisi interuentu orationis. Propriè tamen non egebat oratione, vt passim docent Patres: nam & ea quæ pro se petebat, & quæ pro alijs, erant alijs titulis debita.

Constitutum autem diuinitus fuit vt oraret; Primò, Vt omnibus modis nostram salutē operaretur; nempe merendo, satisfaciendo, & impetrādo. Vnde sicut meritum & satisfactio; ita & oratio erat medium ad nostram salutem constitutum. Secūdò, quia oratio est eximius Religionis actus. Vnde Christus crebrò orauit; non solùm externâ oratione, sed etiam interna. Luc. 6. v. 12. *Erat pernoctans in oratione Dei.* Itē in deserto per quadraginta dies orabat; vt docet Abulensis in cap. 4. Matth. q. 15. Tertiò, Propter exemplum; vt docet D. Ambrosius in c. 6. Lucæ. §. de oratione Iesu in mōte: vbi etiam fusè ostendit Christum non eguisse oratione, eò quòd omnia posset tamquam Iudex, sed exempli causa orasse. Quartò, Vt ostenderet se esse missum à Patre cœlesti, & ab ipso omnia habere. Ioan. 11. v. 42. *Propter populum qui circumstat, dixi, vt credant quia tu me misisti.* Vide Iustinum Martyrem q. 105. ad Orthodoxos.

2 Variæ cōuenientiæ eius orationis.

DVBIVM.

Vtrùm Christus etiam nunc in cœlo propriè pro nobis oret?

REspondeo & Dico Primò; Certum est christū in cœlo interpellare pro nobis. Ad Rom. 8. v. 34. *Iesus Christus qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.* Ad Heb. 7. v. 25. *Semper viuens ad interpellandum pro nobis.* 1. Ioan. 2. v. 1. *Aduocatum habemus apud Patrem; Iesum Christum iustum*, &c.

3 Interpellat pro nobis in cœlis.

Dices; Vt christus dicatur pro nobis interpellare, & esse noster Aduocatus apud Patrē, non est necesse vt actu elicito aliquid petat, vel offerat sanguis Patri pro nobis; sed satis est vt Sanguis ipsius pro nobis effus[us], semper Patri sit præsens, qui est veluti clamor quidam, non vindictam, sed veniam & vitam postulās; vt ait Greg. lib. 13. moralium c. 12. quo modo Gen. 4. *Sanguis Abel* dicitur *clamare de terra.* Vnde ad Heb. 12. v. 24. *Accessistis ad sanguinis aspersionem melius loquentem quàm Abel.* Et cap. 9. v. 24. *Ascēdit*, inquit, *vt appareat vultui Dei pro nobis.* Et sic videtur hanc interpellationem exponere Chrysost. hom. 15. in epist. ad Rom. & hom. 13. in epist. ad Hebr. & Theophilactus in cap. 8. ad Rom. & Nazianz. oratione 2. de Filio ad nonam obiectionem Eunomij. Et D. Thomas infrà qu. 57. art. 6.

quomodo clamet ei[us] sanguis.

Respondeo & Dico Secundò: Non solùm hoc modo interpellat christus pro nobis apud Patrē, quòd sāguis & meritum ipsius semper sint Patri obiectiuè præsentia, eūque sic ad misericordiam flectant: sed etiam per propriū actum desiderādo & petendo à Patre ipsaque diuinitate, sua merita nobis applicari. Ita expressè Patres: Iustinus q. 105. ad Orthodoxos; vbi probat opportuisse vt Christus in vitâ mortali pro nobis oraret, cùm etiam nunc post resurrectionem in cœlo [sit] Pōtifex confessionis nostræ, interpellet pro nobis: quæ ratio nulla esset, nisi propriè interpellaret. Idem docet Greg. hom. 7. in Leuitic. vbi tamen addit quædam falsa, vt Christum adhuc deflere peccata nostra. D. Aug. lib. 1. de Trin. c. 10. aliquoties repetit, quòd christus nunc vt Sacerdos, & vt mediator interpellet pro nobis, *Quę interpellatio*, inquit, *cessabit quādo tradiderit regnū Deo & Patri.* At illa prior interpellatio per solam præsentiam obiectiuam meritorum ipsius, est æterna. Idem docet prefatione in Psal. 85. & in præfat. expositionis secundæ in Psalm. 29. Ambrosius & Theodoretus in c. 8. ad Rom. Abulēsis in c. 14. Matth. q. 142. & D. Thomas in 4. dist. 15. qu. 4. art. 6. quæstiunc. 2.

4 Orat propriō actu orationis.

Iustinus. Greg. Aug. Alij.

Probatur Ratione. Primò; Ioan. 14. v. 16. christus ait: *Ego rogabo Patrem meū, & alium Paraclitū dabit vobis.* Videtur autem loqui de tempore post ascensionem, non autem de tēpore mortis; vt vult Rupert[us]. Quasi dicat: Nolite turbari meo discessu, sed seruate mea mādata, & ego, vbi discessero, & venero ad Patrem; *Rogabo Patrem* &c. Secūdò, Quia quòd Christus modo sit noster Aduocatus & pro nobis interpellet, Scriptura hoc adducit tamquā distinctū beneficium à passione & morte: quod peculiari modo spem nostrā debeat erigere & nos solari; vt patet ex tribus locis allatis. Ad iuxtà alteram sententiam, nō esset nouum beneficiū: nam solùm significaretur Christi beneficium semper esse præsens diuinæ memoriæ: quod est quiddam necessariò cōsequens ex ipso merito, ac proinde nō est quid distinctū. Confirmatur: Quia illud est valdè impropriè & metaphoricè esse Aduocatum & interpellatorē: ergo cùm nihil cogat,

Probatur quinque rationib[us]. Prima ratio. Secunda ratio.

Digitized by Google

Tertia ratio.

verba propriè accipienda ſunt. Tertiò, Quia oratio nec dedecet Chriſtũ ob dignitatem perſonæ, cùm in hac vita orauerit: nec ob perfectionẽ glorię, quia alij Beati orant pro nobis. Confirmatur; Quia chriſtus vbique facit ad hominum ſalutem, quod conuenit fieri iuxtà ſtatum in quo eſt. Sed orare & impetrare pro viatoribus, actus ſunt qui habent locum in ſtatu patriæ, in quo differunt à merito & ſatisfactione: ergo quãuis non ampliùs mereatur aut ſatisfaciat, orat tamẽ. Quartò, Quia

Quarta ratio.

chriſtus vt homo, in cœlo colit Deum actibus religionis, adoratione, & gratiarum actione pro beneficijs, tùm in ſua humanitate, tùm in alijs hominibus acceptis. Ergo etiam poſtulat ea quæ ad noſtram ſalutem ſuperſunt, ſcil. ſuorum meritorum realem applicationem; nam hæc oratio

quinta ratio.

etiam eſt actus religionis. Quintò, Quia nos per chriſtum oramus, & acceſſum habemus ad Deũ, non ſolùm quia per eius merita cupimus exaudiri; ſed etiam quia per ipſum offerimus orationes noſtras: nam ab ipſo merita noſtra & ſatisfactiones offeruntur Patri, vt docet Concilium Trid. ſeſſ. 14. cap. 8. ergo etiam orationes. Quare chriſtus

Os noſtrũ & vox noſtra.

rectè dicitur *Os noſtrum & Vox noſtra* per quam Patri loquimur; vt rectè dixit D. Ambroſius Tract. de iſaac cap. 8.

5 Soluuntur obiectiones è Patribus.

Dices Primò; D. Chriſoſt. hom. 15. ad Rom. & Rupertus lib. 9. De officijs c. 3. videntur omnino negare chriſtum pro nobis orare. Nam Chryſoſtomus vult etiam Patrem & Spiritũ ſanctum eo modo obſecrare. Rupertus autem ſolùm priore modo, ſcilicet per præſentiam meritorum. Reſ-

Chryſoſt.

pondeo; Chryſoſtomus non negat Chriſtum interpellare pro nobis, imò id apertè docet; ſed ait, illum non opus habere interpellatione, cùm omnia poſſit: interpellare autem, vt magnitudinem ſuæ dilectionis oſtẽdat. Quam ob cauſam etiam Patri tribui obſecrationem 2. ad Cor. 5. v. 20. *Pro Chriſto*, inquit Apoſtolus, *Legatione fungimur, tamquam Deo obſecrãte per nos.* Rupertus autem videtur eſſe in illa ſentẽtia; ait enim: *Illa interpellatio, Doctorum omniũ verâ aſſertione, non ſubmiſſa eſt poſtulatio; ſed eius paſſionis, quę ſemel pro nobis in ſacrificiũ oblata eſt, ęterna cõmemoratio, ſemel in conſpectu S. Trinitatis admiſſa* &c. Quamquam fortaſſis

Rupertus non velit abſolutè negare chriſtũ pro nobis orare, ſed non orare eo modo quo in hac vita ſcilicet cum magna ſubmiſſione externa: idque vt ius gratiæ & gloriæ nobis compararet. Sic enim ręuerà non orat, ſed quaſi debitũ poſtulans, idque modo illi ſtatui conuenienti. Simili modo intelligendus Nazianzenus; ſolum enim negat precationem ſeruilem, & indecoram illi ſtatui.

Nazianz.

Dices Secundò, Ioan 16. v. 26. Chriſtus ait: *In illo die in nomine meo petetis; & non dico vobis, quia ego rogabo Patrem de vobis: ipſe enim Pater amat vos.* Reſpondeo cum Cyrillo li. 11. in Ioan. c. 9. Solùm velle dicere, non eſſe neceſſe, vt ipſis commendet ſuum officium precandi Patrem pro illis, quaſi rater ſit tam durus, vt opus ſit precatione: Patrem enim ſpõte eſſe paratiſſimum. Hinc tamen non ſequitur chriſtum non oraturum: alioqui nec Apoſtoli pro ſe debuiſſent orare; quia amabantur a Patre.

Ex ſcript. Ioan. 16. v. 26.

Dices; Tertiò, Ioan. 14. v. 14. *Si quid petieritis me, in nomine meo, hoc faciã*, non dixit, petam vt fiat; ſed faciam. Confirmatur; Quia ratio exempli ceſſat. Reſpondeo; Chriſtus vtrumque poteſt, & facere & petere: non enim petit, quòd indigeat; ſed vt Patrem ſimul honoret & colat. Exẽplum autem non eſt primaria ratio orandi.

Ioan 14. v. 14.

6 An liceat dicere chriſte ora pro nobis.

Dices Quartò: Ergo poſſumus à Chriſto petere vt oret pro nobis; quod Rupertus deteſtatur. Reſpondet D. Thomas in 4. diſt. 15. qu. 4. art. 6. quæſtiun. 2. Etſi Chriſtus oret pro nobis, nos tamen non debere ita rogare: *Chriſte ora pro nobis*; ſed, *miſerere, exaudi* &c. partim propter periculũ Arij & Neſtorij: partim quia oratio dirigitur ad perſonam; chriſti autem perſona eſt verbũ diuinum, cuius non eſt orare; ſed miſereri, adiuuare.

His adde; Sicut Principes compellamus titulo honorificentiore; ita id quod perfectius eſt, chriſto tribuendum eſt. Qui tamen nouit Chriſtum apprehendere vt hominem, & vt Deum, rectè poteſt ab eo petere vt orationes ipſius Patri offerat, eaſque cum ſuis coniungat: vt apertè colligitur ex Concilio Tridentino ſeſſ. 14. cap. 8. imò rogare vt nobis meritorum ſuorum efficacem applicationem impetret: vt colligitur ex ſuprà dictis.

QVÆSTIO XXII.
De Sacerdotio Chriſti.

In Sex Articulos diuiſa.

ARTICVLVS. I.

Vtrum chriſtus ſit Sacerdos?

1

REſpondetur; Chriſtus verè & propriè eſt Sacerdos. Eſt fidei. Et probat hoc Apoſtolus totà penè epiſtolâ ad Hebręos, potiſſimùm cap. 5. 8. 9. 10.

Munus Sacerdotij.

Pro quo Notandum; Sacerdotem cõſtitui mediatorem inter Deum & homines; vt colligitur ex Apoſtolo ad Heb. 5. v. 1. *Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in ijs quæ ſunt ad Deũ, vt offerat dona & ſacrificia pro peccatis.* Nam populus per illum colit Deũ; & Deus vicißim per illum ſanctificat & docet populum. Vnde Sacerdotis eſt duplex munus, ſcil. ad Deũ,

Ad Deum.

& ad populum. Ad Deum munus eius eſt, orare pro populo, populique vota repreſentare, & ſacrificium pro populo offerre. Idque triplici fine: vel ad peccatorum expiationem; vel ad beneficiorum impetrationem; vel ad gratiarum actionem pro beneficijs acceptis. Cultus autẽ Dei, eſt intrinſecus & immediatus finis omnis ſacrificij. Ad populum autem munus eius eſt: Primò, Populum inſtruere in rebus ad cultum diuinum & ſalutem pertinentibus. Secundò, Eundem legibus gubernare, & dirigere ad finem ſpiritalem; id eſt, vt Deo ſit acceptus, cœloque idoneus. Tertiò, Eundem ſanctificare, iuxtà facultatẽ & modum ſacerdotij. Quartò, Iudicare de controuerſijs ad religionem & cultum pertinentibus.

Ad populum.

2 Sacrificiũ eſt illi proprium.

Sed quamuis hæc omnia ad munus Sacerdotis, eius ſcilicet in quo totius Sacerdotij eſt poteſtas, pertineant; tamen ſpecialiter ſacrificium eſt ipſi proprium, tamquam primarius & ſpecialis actus,

Digitized by Google

nulli alij cõueniens. Accipitur autem nomen Sacrificij dupliciter. Primò, Generatim & impropriè, vt ſacrificium dicatur omne id, quod ad honorẽ dei refertur, ſiue ſit actus virtutis internus, ſicut contritio, humilitas; Pſal. 50. v. 19. *Sacrificiũ Deo ſpiritus contribulatus, cor contritum & humiliatũ*: Siue externus, vt mors Martyrum, Sap. 3. Laudes diuinę, Ad Heb. 13. Quo modo definitur ab Auguſtino lib. 10. de Ciuit. c. 6. *Sacrificiũ eſt omne opus bonum, quod fit, vt ſanctâ ſocietate Deo inhæreamus.* Huic Sacrificio generali, reſpondet etiã Sacerdotium generale commune omnibus Chriſtianis. Apoc. 1. v. 6. *Fecit nos regnum & Sacerdotes Deo & Patri ſuo.* 1. Petri 2. v. 5. omnes fideles vocantur *Sacerdotium ſanctum*, qui offerant hoſtias ſpirituales Deo. Item *Sacerdotium regale.* v. 9. Secundò, Accipitur Sacrificium ſpeciatim & propriè pro externa oblatione Deo facta per myſticam trãſmutationem, in proteſtationem ſummi dominij, à quo omne bonum noſtrum pendeat: & diſtinguitur à ſimplici oblatione: ſicut dictum eſt lib. 2. de Iuſtit. & Iure cap. 38. dub. 2.

Nomen ſacrificij accipitur bifariã.

Eſt autem hoc Sacrificium, vel Priuatum; quod aliquis ſua voluntate offert Deo pro ſe; quale fortè Agnus Paſchalis. Vel publicum; quod ex diuinâ ordinatione mediatâ (per lumen rationis naturalis) vel immediatâ offertur nomine totius populi: & hoc proprijſſimè dicitur ſacrificium, cui reſpondet proprijſſimè dictum Sacerdotium, vt patet ad Heb. 5.

1

2 Sacrificiũ publicum propriè chriſto cõuenit.

Hoc Sacrificium proprijſſimè conuenit chriſto; idque intendit D. Thomas hoc Articulo. Probatur Primò, *Quia Chriſtus conſtitutus eſt à Deo, vt ſeipſum offerret Deo oblationem & hoſtiam in odorem ſuauitatis*, ad Epheſ. 5. v. 2. Secundò, Quia in victima Cœnâ obtulit verùm & propriè dictum ſacrificium; quod etiam Eccleſiæ ſuæ faciendum tradidit, vt eruditè Concilium Tridentinum ſeſſ. 22. cap. 1. Et docet communis Patrum conſenſus. Tertiò, Quia in ara Crucis verum ac proprium ſacrificium obtulit. Patet ex Apoſtolo c. 9. & 10. ad Hebræos. Et docet D. Auguſtinus lib. 10. de Ciuit. cap. 6. & 20. & lib. 4. de Trinit. cap. 14. vbi inter cetera ait, *Eum qui offert, quod offertur, & pro quibus offertur; eſſe vnum.* Idem docet D. Thomas infrà q. 48. a. 3. Quartò, Quia quotidie offert verum Sacrificium per manus miniſtrorum ſuorum: vt docet Concil. Trident. ſeſſ. 22. cap. 2. nam ipſe eſt primarius offerens in omni legis nouæ ſacrificio.

3

4 Dices; Chriſtus non interfecit ſeipſum, nec aliquo modo myſticè immutauit in Paſſione: ergo nec ſacrificauit propriè.

Qualis occiſio hoſtiæ fieri debeat per ſacerdotẽ.

Reſpondeo; Non requiritur vt occiſio hoſtiæ fiat ab ipſo Sacerdote phyſicè & poſitiuè: ſed ſatis eſt vt moraliter; nempe imperio, vel liberâ permiſſione. Et ita Chriſtus ſeipſum ſacrificauit: Primò, Quia cùm haberet vitam in ſua poteſtate, eam tormentis mortiferis expoſuit. Secundò, Quia ſuos interfectores, cùm facillimè poſſet, nõ impediuit, ſed permiſſiuè eorum malitiã vſus eſt. Tertiò, Quia cùm poſt omnia tormenta haberet in poteſtate vitam ſuam, permiſit eam tormẽtis vinci & interimi, eam mente Patri offerens in cultum, & ſatisfactionem peccatorum. Vnde Ioã. 10. v. 17. dicit ſe *ponere animam ſuam.* Et c. 17. v. 19. *Se ſanctificare ſeipſum* pro Apoſtolis; id eſt, ſacrificare. Secùs eſt de Martyribus, qui non habebant vitam ſuam in poteſtate; nec ipſi erant à Deo inſtituti Sacerdotes ad talem hoſtiam offerendam.

Martyres ſeipſos nõ ſacrificãt.

DVBIVM I.

Vtrùm Chriſtus, vt homo, An vt Deus, ſit Sacerdos?

5 Eſt ſacerdos vt homo.

Reſpondeo; Hæretici huius temporis, præſertim Caluiniſtæ, dicunt Chriſtum, quatenus Deus eſt, eſſe Sacerdotem: humanitatem autem eſſe hoſtiam. Vtrumque falſum eſt: nam non erat Sacerdos, niſi ſecundùm naturam, qua meruit & ſatisfecit: ſatisfecit enim & meruit actu ſacrificandi. Atqui non meruit nec ſatisfecit per diuinam naturam, vt ſuprà q. 19. dictum eſt: quamquam æſtimatio meriti & ſatisfactionis, à diuinitate perſonæ dependerit, tamquam à principio quod operatur. Deinde; Sacerdos neceſſariò includit naturam Deo inferiorem; nam ſacrificare, eſt Deum colere: Chriſtus autem vt Deus, non erat naturæ inferioris, vt poſſet Deum colere. Ipſum tamen Verbum poteſt dici Sacerdos per communicationem idiomatum. Vt verò omnis ſuſpicio erroris vitetur, meliùs eſt addere determinationem, *Secundùm naturam humanam.*

Vt totus chriſtus eſt victima.

Humanitas etiam propriè non erat victima, ſed totus chriſtus. Patet ad Epheſ. 5. ad Heb. 9. & 10. & ex D. Auguſt. lib. 4. de Trin. c. 14. Nam chriſtus ſeipſum obtulit, non ſolam carnem. Et ſicut Deus rectè dicitur mortuus, ita poteſt dici victima & ſacrificium.

DVBIVM II.

Quãndo Chriſtus acceperit Sacerdotij dignitatem?

6 Sacerdos ab initio conceptionis.

Reſpondeo, In primo momento Conceptionis: natus enim eſt Sacerdos, & mediator, & Saluator generis humani. Vt patet ex nominis ipſius impoſitione. Vnde hoc non meruit, ſed merito ſupponebatur; ſicut & eſſe Caput. Confirmatur; Sacerdotium in chriſto, præter vnionem hypoſtaticam, & dona habitualia, quæ ipſe non meruit, nihil ponit in ipſo, quàm moralem quandam poteſtatem ex deputatione diuinâ prouenientem. Atqui ab initio ad hoc deputatus fuit ex diuinâ benignitate, vt ſeipſum pro nobis offerret: ergo &c. Vnde ſtatim hoc munere fungi cœpit, mente ſeipſum offerens, variamque ſanctificationem operans; tùm circa Matrẽ, tùm circa Ioannem Baptiſtam, tùm circa Elizabetam, & alios: & progreſſu temporis illuſtriores Sacerdotij functiones pro rerum opportunitate edidit.

ARTICVLVS II.

Vtrum Chriſtus ſimul fuerit Sacerdos & Hoſtia?

7 Fuit noſtra Tuplicier.

Reſpondetur Affirmatiuè. Et Patet ex Apoſtolo ad Epheſ. 5. v. 2. *dilexit nos*, inquit, *& tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuauitatis.*

Notandum eſt; Eſſe triplicem hoſtiam, ſcilicet pro peccato, pacificam, & Holocauſtum. Et hoc triplici modo chriſtus fuit hoſtia. Nam obtulit ſe & in remiſſionem peccatorum noſtrorum; & vt pacem haberemus cum Deo; & vt tandem integrè ſpiritus noſter cum Deo coniungeretur. Vide D. Tho.

ARTICVLVS III.

Vtrum effectus Sacerdotij chriſti, ſit expiatio peccatorum.

8 REſpondetur; Expiatio peccatorum & ſecundùm culpam, & ſecundùm pœnam, eſt effectus Sacerdotij Chriſti. Patet hoc ex dictis de chriſti merito. Vide D. Thomam.

ARTICVLVS IV.

Vtrum effectus Sacerdotij chriſti, etiam ad Chriſtum pertinuerit?

REſpondetur; Præcipuus effectus Sacerdotij, quâ Sacerdotium, non peruenit ad chriſtum: quia hic effectus eſt expiatio peccatorum. Quod intellige in ſtatu naturæ lapſæ. Alij autem effectus potuerunt ad ipſum peruenire: vt gloria corporis, conſummatio beatitudinis, & omnis externa gloria. Circa ſolutionem ſecundi Argumenti: Notandum eſt; Sacrificium ex opere operato non ſolũ eſſe Satisfactorium, ſeu Propitiatorium, licet hic ſit eius principalis effectus qua Sacerdotium eſt; (quo modo intellige quòd hîc ait D. Thomas:) ſed etiam Impetratiuum gratiæ, & gloriæ. Et hoc modo poterat effectus Sacerdotij chriſti peruenire ad ipſum chriſtum, non ſolùm ex opere operãtis; id eſt, ratione deuotionis ipſius offerentis; ſed etiam ex opere operato; id eſt, ratione excellentiæ operis externi.

9 Effectus quidam Sacerdotij ad chriſtũ peruenerunt.

ARTICVLVS V.

Vtrum Sacerdotium chriſti permaneat in æternum?

REſpondetur; Sacerdotium chriſti eſſe æternum. Primò. Quatenus virtus & effectus ſacerdotij chriſti manet in æternum, quia importat nobis bona æterna. Secundò, Quia nullum aliud ſacerdotium ſuccedet ſacerdotio chriſti, ſed hoc ſemper durabit vſque ad conſummationẽ ſæculi. Tertiò, Quia etiam munus huius ſacerdotij, ſcil. oblatio Euchariſtiæ, & peccatorum expiatio vſq; ad finem ſæculi perſeuerabunt. Hoc autem tempus, iuxtà ſcripturæ phraſim, dicitur æternum. Quartò, Quia etiam poſteà in omnem æternitatẽ perſeuerabit munus huius ſacerdotij in gratiarum actione & laude; & etiam in quadam repetitione oblationis præteritæ per affectum & approbationem.

10 Sacerdotium chriſti æternũ quadrupliciter.

ARTICVLVS VI.

Vtrum Sacerdotium chriſti fuerit ſecundum ordinem Melchiſedech?

11 REſpondetur affirmatiuè. Eſt fidei: Pſal. 109. v. 4. *Tu es Sacerdos in æternum, ſecundùm ordinem Melchiſedech.* Quem locum Apoſtolus ad Heb. 7. 8. & 9. exponit de ſacerdotio chriſti. Vt autem intelligatur, quomodo id fuerit:

Hæreſes de Melchiſedech.

Notandum Primò, Contra antiquos hæreticos (quorum aliqui dixerunt Melchiſedech fuiſſe ſpiritum S. alij virtutem quandam chriſto maiorẽ, alij angelum ſpecie humanâ) hunc fuiſſe verum hominem; vt patet Gẽ. 14. & ad Heb. 5. & 7. vbi Scriptura apertè loquitur de illo tãquam de homine. Eſt communis Patrum ſententia. Vide caſtro. Verbo, Melchiſedech. Quis autem fuerit, incertum. Satis probabile eſt, fuiſſe ſem primogenitum Noë: vt docet D. Hieronymus expẽſis aliorum ſententijs, in epiſt. ad Euagrium tom. 3. ep. 126. & in quæſtionibus Hebraicis: quem ſequitur Rupertus, Abulenſis, Lipponanus, & quidam alij recentiores. Hic enim etſi decem generationibus anteceſſerit Abrahamum, tamen ſuperuixit illi ſaltem annis triginta quinque; vel vt vult Hieronymus annis quadraginta: vixit enim annis ſexcentis, vt patet ex c. 11. Geneſ. Alij ſentiunt fuiſſe quendam chananæũ, qui etſi ex idololatris natus eſſet, tamẽ verũ Deũ colebat, ſicut Iob. Ita ſẽſerunt Irenæus, Hyppolitus, Euſebius Cæſarienſis, & quidam alij, vt refert Hieronymus epiſt. ad Euagrium. Idem ſentit Theodoretus quæſt. 63. in Geneſim, & aliquot Græci poſteriores, Theophilactus & alij.

Fuit Sem. Vel Regulus Chananæus.

Notandum Secundò, Hunc Melchiſedech fuiſſe verè Sacerdotem; vt patet Gen. 14. v. 18. *At Melchiſedech Rex Salem, panem & vinum protulit, erat enim Sacerdos Dei altiſſimi.* Nomẽ autem *Sacerdotis*, propriè hic accipitur, non autem pro Principe. Patet, Tùm ex Pſal. 109. tùm ex illo loco Geneſis, vbi primum vocatur Rex, deinde Sacerdos. Tũ, quia Paulus ad Hebr. 7. vtrumque tribuit Melchiſedech, explicans vtrumque locum. Porrò, ad iſtud ſacerdotium non fuit Melchiſedech externis ceremonijs conſecratus, vt Aaron: nec aliqua ſupernaturali aut peculiari poteſtate & authoritate donatus: ſed erat tale, quale in lege naturæ inter fideles vſurpabatur, apud quos, omnes primogeniti & Patres-familias à Noë vſque ad Aaron, erant Sacerdotes, teſte Hieronymo in quæſtionib⁹ Hebraicis. Vnde videtur fuiſſe modus quidam Hierarchiæ, ita vt alij eſſent ſuperiores, alij inferiores Sacerdotes. Et ſic videtur Melchiſedech fuiſſe veluti ſummus aliquis ſacerdos, tamquam primus Pater-familias inter omnes fideles. Hiis poſitis: Dicendum eſt, Chriſtum vocari Sacerdotẽ ſecundùm ordinem Melchiſedech: non quòd eius ſacerdotium eſſet eiuſdem rationis (nam ſacerdotium nouæ legis, quod chriſtus ſuis miniſtris cõmunicauit, eſt longè excellentius ſacerdotio Melchiſedech, prout veritas præſtat figuræ) ſed ideò dicitur ſecundùm ordinem Melchiſedech, quia excellentia ſacerdotij chriſti perfectiùs fuit repræſentata in Melchiſedech, prout in ſcriptura introducitur; quàm in vllo alio: ita vt illud, *ſecundùm ordinem Melchiſedech*, nihil ſit aliud, quàm ſecũdũ repræſentationem, ſeu præfigurationem ordinis & ritus ſacerdotij Melchiſedech. Conſiſtit autem hæc repræſentatio in quinque cõditionibus, quas Apoſtolus explicat ad Hebr. 7. Primò, In conditione Perſonæ. Nam ſicut ille fuit Rex & Sacerdos, ita & chriſtus. Secundò, in interpretatione nominis. Nam Melchiſedech interpretatur *Rex iuſtitiæ*: idem quoque erat Rex Salem, quaſi dicas *Pacis*; quæ vrbs poſteà Hieruſalem eſt dicta. Vtrũque autem perfectiſſimè conuenit chriſto, qui eſt *Rex iuſtitiæ & Pacis*; quia nobis omnem iuſtitiam & pacem adduxit. Eſt etiam *Rex Hieruſalem* quod eſt *Viſio pacis*. Tertiò, in origine; quia ille non habuit Sacerdotium per originem carnis, ſicut Aaronici Sacerdotes: ad quod inſinuandum introducitur à ſcriptura ad Heb. 7. v. 3. *Sine Patre, ſine Matre, ſine Genealogia.* in quo etiam fuit ſingulariter figura chriſti, qui fuit ſine *Patre* vt *homo*, & ſine *Matre* vt *Deus*; vt notauit Chryſoſt. hom. 12. in ep. ad heb. Quartò, in perpetuitate,

Iure Patrũ familias.

11 Sacerdotiũ Melchiſedech repræſentat Sacerdotium chriſti quintupliciter

petuitate; quia adducitur à Scriptura ſine principio & fine dierum: ſic & Chriſtus æternus eſt. Quintò, In nobilitate; quam Apoſtolus oſtendit dupliciter indicari in Scriptura. Primò, Quia ipſe benedixit Abrahæ, ac proinde erat maior illo. Secundò, Quia Abraham dedit ei decimas, & cõſequenter tribus Leuitica & totus ordo Sacerdotij Aaronici, qui erat in lumbis Abrahæ, ei decimas; tamquam ſuperiori, ſoluit.

13 Chriſtus non eſt decimatus in lumbis Abrahæ.

Dices: Ergo etiam Chriſtus ei decimas ſoluit; quia in lumbis Abrahæ continebatur. Reſp. Neg. Conſeq. Quia non cõtinebatur in illis ſecundùm ſeminalẽ rationem, ſeu vim actiuam; ſed ſolùm ſecundùm corpulẽtam ſubſtantiam, vt inquit D. Aug. lib. 10. de Gen. ad litteram c. 20. & D. Tho. infrà q. 31. a. 8. vnde non fuit decimatus in lumbis Abrahæ. Vbi aduerte; Etſi ex contextu Geneſis non ſit ita clarum vter alteri decimas obtulerit; Apoſtolus tamen ſuſtulit ambiguitatẽ. Quod etiam confirmatur ex textu Græco vt nunc habemus, & ex Ioſepho l. 1. Antiquitatum c. 18. & inſinuatur Geneſ. 14. v. 20. cùm dicitur: *Dedit ei decimas ex omnibus*, ſcilicet ſpolijs hoſtium, vt Ioſephus explicat; de ijs enim dumtaxat ibi fit mentio.

14 Cur Apoſtolus non comparat oblationẽ panis cum Euchariſtia.

Petes, Cur Apoſtolus præcipuam ſimilitudinem inter Sacerdotiũ Chriſti & Melchiſedech omiſit, quę in hoc conſiſtit; quòd ſicut Melchiſedech obtulit ſacrificium panis & vini, quo refecti ſunt Abrahę milites poſt victoriã de regibus, ita Chriſtus obtulit corpus & ſanguinem ſub ſpeciebus panis & vini, quo reficiuntur fideles poſt victoriã de tentationibus. Reſpondent hæretici, Quia ex Scriptura non conſtat Melchiſedech tale ſacrificium obtuliſſe: nam Gen. 14. non dicitur obtuliſſe in ſacrificium, ſed protuliſſe panem & vinũ, nempe officio hoſpitalitatis in refectionẽ feſſis: ita enim habebat conſuetudo illius temporis; vt patet Iudic. 8. Hanc ſententiã refert etiam Hieronymus ex Hebræis in epiſt. ad Enagriũ quę tota eſt de Melchiſedech. Verùm fide certum eſt, oblationem illam panis & vini quam Melchiſedech fecit, fuiſſe ſymbolum & figuram Sacrificij Miſſæ; ac proinde illam factam fuiſſe Deo in Sacrificiũ: licet poſteà Abraham cum comitibus ex eâ ſint refecti. Ita docet Concil. Trid. ſeſſ. 22. c. 1. *Chriſtus*, inquit, *ſe Sacerdotem ſecundùm ordinem Melchiſedech in æternum conſtitutum declarans, corpus & ſanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis & vini, Deo Patri obtulit.* Eadem eſt ſententia omnium Patrum; vt patebit Tract. de Euchariſtia.

Reſpondeo Hæreticorum.

Vera reſponſio.

Quare dicendum eſt, Apoſtolum idcircò comparationẽ oblationis vtriuſque Sacerdotij omiſiſſe; quòd ipſi propoſitum eſſet oſtendere excellentiam Sacerdotij Chriſti præ Aaronico. Vnde ſolùm debebat eas ſimilitudines cõmemorare, quæ ad æternitatem & dignitatem Sacerdotij Chriſti demonſtrandam pertinerent: ad quod parum facit oblatio panis & vini. Non enim, quia panem & vinum obtulit, ideò Sacerdotiũ Melchiſedech erat præſtantius legali ſeu Aaronico; ſed ob alias cauſſas, quas Apoſtolus adduxit. Accedit, quod totâ illâ epiſtolâ Apoſtolus potiſſimùm agat de ſacrificio Chriſti cruento; cum quo maiorem affinitatem habebãt ſacrificia ſacerdotij legalis, quàm ſacrificium Melchiſedech.

15 An Chriſtus debeat dici ſacerdos ſecundùm Ordinem Aaron.

Dices, Ergo potiùs Chriſtus debet dici Sacerdos ſecundùm Ordinem Aaron, quia expreſſiùs præfigurabatur eius Sacrificium per Sacrificium Aaronicum.

Reſpondeo; ſuidas verbo Ieſus in Lexico refert quandam fabulam à quodam Hebræo Neophyto acceptam, qui narrabat tamquam ingens arcanum Iudæorum, Chriſtum fuiſſe electum à Phariſęis Sacerdotem templi, ibique obiuiſſe munus illius Sacerdotij. Et Thomas Vvaldenſis tom. 2. cap. 116. indicat Chriſtum fuiſſe Sacerdotem Leuiticum in ordine Lectorum: citat Auguſtinum & Iſidorum, qui tamen nihil tale dicut: & probat, quia Chriſtus in Synagoga docuit, & eiecit ementes & vendentes de templo: quæ ſunt munia Sacerdotum. Sed omnino certũ eſt, Chriſtum non fuiſſe Sacerdotem ſecundùm ordinem Leuiticum. Patet ex contextu ad Heb. 7. Nam is, *de quo hæc dicuntur, de aliâ tribu fuit, de qua nullus altario præſto fuit. Manifeſtũ eſt enim quòd ex Iuda ortus ſit Dominus noſter, in qua tribu nihil de Sacerdotibus Moyſes locutus eſt.* Idem cõſtat ex c. 9. v. 11. *Non in manufacta ſancta introiuit Ieſus.* Adde, Quòd Sacerdotes non fiebant electione, ſed origine ex Aaron & filijs eius. Exod. 29. Leuit. 8. 2. Paralip. 26.

Fabula Iudaica.

Thomas Vvaldenſis.

Chriſtus non fuit Leuita.

Vnde ad Argumentum; Reſpondeo Neg. Cõſequentiam: Sacerdotium enim Leuiticum, etſi repræſentaret Sacrificium chriſti cruentum; tamen erat imperfectum, & temporale, & per ipsũ Chriſtum auferendum, ſignificabat enim ſtatum Chriſti paſſibilem. Sacerdotium verò Melchiſedech potiùs erat perficiendum: ſicut lex Euangelica ſuſtulit legem Moyſis, naturæ verò legem non ſuſtulit, ſed perfecit. Vnde Sacerdotium Melchiſedech aptiſſimè repræſentat perpetuitatem Sacerdotij Chriſti. Porrò, Fabulam illam benè refutat Heutenius poſt Euthymium in Epiſtolas Pauli.

Soluitur argumentum.

Ad rationem Vvaldenſis, Nego illa fuiſſe propria Sacerdotum: nam etiam Sapiẽtes nõ Sacerdotes poterant docere & diſputare in templo & Synagoga; vt patet de Paulo Actorũ 13. 14. 17. & maximè Prophetæ. Eiecit autem vendentes & ementes non vt Sacerdos Leuiticus: nam Lucę 20. v. 2. interrogabant eum. *In qua poteſtate hæc facis?* ſed vt Propheta, habens diuinitus authoritatem. Occurrunt hic duo dubia.

DVBIVM I.

Quam poteſtatem habuerit homines ratione huius ſupremi Sacerdotij?

16

Reſpondeo Primo, Habebat poteſtatem exactè ſatisfaciendi pro toto genere humano ſeipſum offerendo: id enim erat proprium muneris huius Sacerdotij ad Deum.

Poteſtas in ſpiritualia.

Reſpondeo Secundò, Habebat ſupremam poteſtatem in ſpiritualibus infrà Deum nulli creaturæ communicatam, quæ communiter vocatur *Poteſtas excellentiæ*. Ita Doctores in 4. diſt. 1. & D. Thomas infrà quæſt. 64. art. 3. ad 4. Patet Matthæi 28. Conſiſtit autem hæc excellentia in tribus. Primò, In ſupremâ iuriſdictione ſpirituali in omnes homines, qua poteſt illis leges imponere, obligare, diſpenſare: atque adeò nouam Rempublicam ſpiritalem, extra quàm non ſit ſalus, inſtituere: vt Matthæi 16. v. 18. *Tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam* &c. Secundò, In poteſtate condẽdi Sacramenta, ex ſe vim ſanctificandi habentia, nouumque inſtituendi ſacrificium, cuius etiam vis in totum orbem pertingat. Deinde, in poteſtate ſanctificandi, & remittendi peccata, ſine vllo ſymbolo externo, & etiam per alia quæuis per quæ placuerit, vt patet Matth. 9. & Luc. 5. Tertiò, In eo quòd

Conſiſtit in tribus.

tem excellentiæ in spiritualibus, tamen Pōtifex & Episcopi habent etiam veram potestatem & iurisdictionem. Secundò; Quia scripturæ tribuunt Christo duplicem potestatē, scilicet sacerdotalem, & regiam: ergo hæ potestates sunt aliquo modo distinctæ; sicut fuerunt in Melchisedech qui erat typus Christi. At potestas illa indirecta non est distincta à potestate spirituali, sed intrinsecè in illa includitur, tamquam ad eius rationem pertinens: ergo ponenda est in Christo aliqua potestas directa in regna tēporalia. Hinc sequitur, Christum potuisse priuare omnes Reges suis regnis, eaque alijs donare: & omnium regum iura ab ipso pendere, saltem permissiuè, idque ab initio conceptionis: nam ab initio fuit *hæres vniuersorum*; & ab initio *dedit ei Pater omnia in manus*; quamuis vsum & externam demonstrationem huius potestatis, non habuerit ante resurrectionem.

Implicatur, quid potuerit per hanc potestatē excellentiæ.

Nec obstat, quòd Christus in hac vita pauper fuerit; quia sufficit, quòd vsu & affectu pauper fuerit; in his enim consistit virtus & functio paupertatis. Carentia dominij & incapacitas non est necessaria nisi in hominibus peccatoribus, quorū affectus facilè alioqui mutaretur. Simile est in castitate, ad quam sufficit affectus & vsus; incapacitas autem Matrimonij non est per se necessaria. Adde etiam Christum cariuisse iure humano, & sic quoque pauperem fuisse, licet iure illo superiore esset ditissimus.

Non repugnat paupertati Christi.

QVÆSTIO XXIII.

De Adoptione Christi.

In Quatuor Articulos diuisa.

ARTICVLVS I. II. & III.

Vtrum Trinitati conueniat adoptare rationalem Creaturam?

1 Quid Adoptio.

REspondetur affirmatiuè. Notandum est, *Adoptare aliquem in Filiū* iure humano (per quod *adoptio* est introducta) nihil esse aliud, quàm liberaliter personam extraneam accepta re in Filium, & dare ius ad hæreditatem. Vnde requirit tres conditiones. Prima est, *Vt persona, quæ adoptatur, sit extranea*; id est, non sit ita coniuncta naturaliter ipsi *adoptanti*, vt per se ius habeat ad hæreditatem: talis est omnis, qui non est naturaliter Filius. Secunda, vt *gratis, & liberaliter illi conferatur, hoc ius*: si enim detur titulo oneroso: non erit *adoptio*, sed venditio, permutatio, vel similis contractus. Tertia, Requiritur *consensus personæ, quæ adoptatur*: quia nemo subditur alteri nisi volens, præterquam in pœnam; quæ locum non habet in adoptione, vt quæ magnum sit beneficium. Et quidem, si is, qui *adoptatur*, sit sui iuris; solùm per se debet consentire; diciturque tunc *Arrogatio*: si autem non sit sui iuris, requiritur etiam *consensus Principis, vel Parentis, vel Tutoris*, &c. & hæc dicitur specialiter *Adoptio*. Colliguntur hæc ex l. 1. & 2. ff. *de Adoptionibus, & institutis*, eodem titulo.

Et quæ ad eam necessaria.

Arrogatio

Ad huius similitudinem, iustificatio cuiuscūque nudæ creaturæ siue Angeli, siue hominis; dicta est *Adoptio*. Ad Rom. 8. v. 15. *Accepistis spiritum adoptionis Filiorum*. Ad Eph. 1. v. 5. *Quos prædestinauit in adoptionem filiorum*. Ad Gal. 4. v. 5. *Vt adoptionem filiorum acciperemus*. Ioan. 1. v. 13. vocatur *Natiuitas ex Deo*. Ob hanc causſam in Scripturis Angeli sæpè dicuntur *Filij Dei*. Iob. 2. & 38. Nec obstat: quòd Chrysostomus hom. 22. in Genesin dicat in Scripturis *nusquam vocari Angelos Filios Dei*; quia intelligi debet de editione Septuaginta: vbi enim Hebræus & Vulgata editio habent *Filij Dei*; Septuaginta verterunt *Angeli Dei*: idque propter Ethnicos, ne existimarent Deū habere filios, sicut ipsi putabant de Ioue, & de suis Dijs. Ratio autem, cur *Iustificatio* dicatur *Adoptio*; est, quia per iustificationē gratis tribuitur creaturæ ius ad beatitudinem; quæ beatitudo est hæreditas Dei; nam per illam & ipse diues est,

2 Iustificatio creaturæ ex similitudine dicitur Adoptio.

Adoptio spiritualis perfectior

& alios etiam diuites facit. Vnde hæc *Adoptio* perfectiùs & magis propriè est *Adoptio* quàm humana: Nam humana *Adoptio* nullam intrinsecā perfectionem communicat *Filio adoptiuo*, sed solùm ius quoddam morale & veluti extrinsecam denominationem. *Adoptio* verò quā Deus adoptat aliquos sibi in Filios, tribuit intrinsecā perfectionem, quâ spiritualiter regenerentur, fiantque *consortes diuinæ naturæ*, 2. Pet. v. 4. atq; adeò efficiuntur *Filij Dei*. 1. Ioa. 3. v. 1. Dices; ratione *Adoptionis* pertinet, vt Filius non habeat hæreditatem, nisi Patre illam deferente per mortem: ergo &c. Respondeo, hoc solùm pertinet ad *humanam adoptionem*; idque non excommuni ratione *adoptionis*, sed ex imperfectione bonorum tēporalium, quę à duobus possideri simul nequeūt; vt rectè D. Thomas a. 1. ad 3.

quàm humana.

Ex his patet Primò *adoptare* esse opus totius Trinitatis, quatenus est hic Deus: Sicut enim omne opus ad extra commune est toti Trinitati, ab eaque proficiscitur vt est vnus Deus; ita & *Iustificatio*, quæ reipsa non differt ab *adoptione*. Nec obstat, quòd Filius & Spiritus sanctus nō possint *generare*: ac proinde non videātur, posse *adoptare*; quia etiam iure ciuili possunt *adoptare*, qui tamen non possunt *generare*: vt patet ex locis citatis. Deinde, quia Filius & Spiritus sanctus habent eandem numero naturam, quæ in Patre est fecunda, licet non quatenus in ipsis.

3 Adoptare est totius SS Trinitatis.

Patet Secundò; Solius creaturæ rationalis esse *adoptari in Filium Dei*: quia hęc sola est capax illius hæreditatis. Nec obstat: quòd Deus dicatur interdum *Pater peccatorum*, vt Isaiæ 63. v. 16. *Tu Domine Pater noster*: & alibi. Item reliquarum creaturarum: Iob. 38. v. 28. *Quis est pluuiæ Pater?* quia hoc tantùm metaphoricè intelligēdum. Dicitur enim *Pater irrationaliū*, quatenus est auctor earum: *Peccatorum* autem *pater* dicitur, quia est benefactor illorum, mansuetè & paternè cum illis agens. Pari modo metaphoricè *peccatores & creaturæ irrationales*, dicuntur *Filij Dei*.

4 Adoptari spiritaliter est solius creaturæ rationalis.

Patet Tertiò, Omnem purā creaturam rationalem, siue Angelicam, siue humanam; siue veteris testamenti, siue noui: siue prędestinata sit, siue reproba, modò sit iusta, pro illo tempore esse *filium dei adoptiuum*. Vnde vitanda est quorundā sententia, dicens *præscitum, etiam dum est in*

5 Omnis iustus, pro tempore quo iust⁹, est Filius

Dei Adoptiuus.

gratia, non eſſe Filium adoptiuum: Omnis enim iuſtus in Scripturis dicitur *Filius Dei*. Fundamentũ enim filiationis nõ eſt prædeſtinatio, vtpote quæ ſit in Deo, non in ipſo homine: ſed eſt *participatio diuinæ naturæ* per iuſtitiam. Aduertetamen, *Adoptionem* in Veteri teſtamento non fuiſſe tam perfectam, quàm in nouo: tum quia non eximebat è ſtatu ſeruili, in quo ſancti illius temporis erant ratione legis: vt patet ad Gal. 4. tum quia non dabat ius adeundæ hæreditatis, niſi ſoluto pretio noſtrę redẽptionis. Noſtra quoq; *Adoptio* imperfecta eſt reſpectu eius, quæ in gloria eſt; vt patet ad Roman. c. 8. v. 23. *adoptionem Filiorum expectantes reſurrectionem corporis noſtri.*

ARTICVLVS IV.

Vtrum Chriſtus, vt homo, ſit Filius Dei Adoptiuus?

6 REſpondetur: Chriſtus abſolutè eſt *filius Dei naturalis, & non adoptiuus.*

Chriſtus ſecundùm propriam naturam non eſt Adoptiuus ſed naturalis Filius Dei.

Notandum eſt Primò; Certum eſt, Chriſtum ſecundùm propriam naturam nõ eſſe *Filium Dei adoptiuum*; vt quidam Ariani docuerunt, ſed *naturalem*. Quomodo videntur intelligenda quædam teſtimonia Patrum: Ambroſij lib. 1. de fide cap. 9. *Per adoptionem nos Filij dicimur, ille per naturæ veritatem eſt; quemodo ergo eſt ex nihilo, qui ex nihilo fecit omnia?* & lib. de Dominicæ Incarnationis Sacramento cap. 8. *In vſu noſtro eſt adoptiuus filius, & verus filius. Adoptiuum filiũ non dicimus, filium eſſe naturâ; ſed eum dicimus naturâ eſſe, qui verus eſt filius*, Simili modo intelligendũ teſtimoniũ Hieronymi in 1. caput ad Epheſ. & Hilarij lib. 3. de Trinit. apud Magiſtrum diſt. 10. & Bedæ in cap. 7. Ioan. in illa verba: *Nemo tamen palam loquebatur de eo.*

Imò & ſecundùm humanam naturam verò eſt & dicitur filius Dei.

Notandum ſecundò; Chriſtum ſecundùm humanam naturam *verè dici & eſſe filium dei.* Ad Hebr. 1. v. 2. *Nouiſſimè diebus iſtis locutus eſt nobis in filio, quem conſtituit hæredem vniuerſorum.* Atqui ſecundùm naturã diuinam non eſt *conſtitutus hæres*: ergo ſecundùm naturam humanam: ergo ſecundùm hanc eſt *filius dei*. Ad Rom. 8. v. 29. dicitur *primogenitus in multis fratribus*; quod tantùm ſecundùm humanam naturam verum eſt.

7 Sed tota difficultas eſt: *Vtrùm quatenus homo, ſit filius adoptiuus, an naturalis?* Durandus in 3. diſt. 4. q. 1. ſentit Chriſtum, vt hominem, dicendum eſſe Filium adoptiuum. Idem probabile putat Scotus diſt. 10. Alij hoc negant; admittunt tamen, ipſam naturam humanam poſſe dici adoptatam.

Chriſtus vt homo, nec eſt, nec poteſt dici Filius Dei adoptiuus. Probatur ex definitione Cõc. Francfur. & Adriani Papæ.

Reſpondendũ eſt, Chriſtus, qua homo, nec eſt, nec poteſt dici Filius Dei Adoptiuus. Ita D. Tho. hîc, & infrà q. 32. a 3. Magiſter in 3. diſt. 10. vbi Albertus, Bonauentura, Thomas Argent. Paludanus, & eſt communis hoc tempore. Et videtur omnino definita in Conc. Francfurdinenſi tempore Caroli Magni, cui interfuerunt trecenti Epiſcopi, & Legati Adriani Papæ: quod fuit congregatum opera Caroli Magni contra Felicem Epiſcopum Vrgelitanum, & Elipandum Toletanum Archiepiſcopũ. Item videtur definita in epiſtola Adriani Papæ ad Epiſcopos Hiſpaniæ. Habentur hæc in tertio tomo Conciliorum. Nam in hoc Concilio, & Epiſtola Adriani definitur, *Chriſtum non eſſe vllo modo filium adoptiuum*; & ex multis locis conſtat illos loqui de Chriſto ſecundùm humanam naturam: vt benè probat Gabiel vaſquez tract. de adoptione Chriſti.

Probatur Primò; Quia etiamſi Chriſtus loquatur de ſeipſo ſecundùm humanitatem, & de alijs ſimul; numquam tamen Deum vocat *Patrem noſtrum*, ſed propriè *ſuum*. Ioan. 20. v. 17. *Aſcendo ad patrem meum, & patrem veſtrum; Deum meum & deum veſtrum.* Apertè inſinuans; aliter eſſe *Patrem ſuum*, aliter *noſtrum*. Quòd autem de ſe ſecũdùm humanitatem loquatur; patet ex illo, *deum meum, & deum veſtrum*. Ita Adrianus. Secundò, Ad Rom. 8. v. 32. *Qui proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum. Si proprius*, ergo non *adoptiuus*. Eſſe autem ſermonem de Chriſto ſecundùm naturam humanam, colligitur ex illis verbis, *pro nobis omnibus tradidit illũ*: tradit⁹ enim eſt non ſecundùm diuinitatem, ſed humanitatẽ. Tertiò; Matth. 16. v. 17. *Tu es Chriſtus filius dei viui.* At ſi quis benè expendat hæc, & alia teſtimonia, nihil conuincunt aliud, quàm *hunc hominem*, ſed *Chriſtum abſolutè eſſe filium dei naturalem per communicationem idiomatum, & non eſſe adoptiuum diſtinctum à naturali.*

Quoſq; euincant quædam Scripturæ Chriſtum non eſſe filiũ adoptiuum, ſed naturalẽ.

Verùm nullo modo poſſe dici *Adoptiuum ſecũdùm humanam naturam*:

8 Ratio quædam D. Th. minùs efficax.

Probatur Primò. Ratione D. Thomę; filiatio eſt proprietas perſonæ: ergo nihil dicitur *filius adoptiuus*, niſi perſona. At perſona Chriſti eſt *filius naturalis*: ergo non per adoptionem. Prob. cõſequentia: Quia idem non poteſt dici per ſe tale: & per participationem. Verùm hæc ratio non eſt omninò firma; quia ſecundùm diuerſas naturas id nihil vetat: ſic enim Chriſtus eſt beatus per eſſentiam, & per participationem eſt Filius Dei, & Filius Virginis. Vnde.

Alia Ratio, cur Chriſtus non ſit Filius Dei adoptiuus, quia non eſt perſona extranea Deo.

Probatur Secundò; De ratione *adoptionis* eſt, vt *perſona extranea liberaliter accipiatur in filium, eique detur ius ad hæreditatẽ*. Atqui Chriſtus nõ eſt *perſona extranea*: nam naturaliter eſt coniunctus Deo, & habet ius ad cœleſtem hæreditatem: ergo nullo modo conuenit ei *adoptio*. Confirmatur, Quia huic perſonę nulla facta eſt liberalitas: quod tamen includitur in ratione *adoptionis*, &c.

Dices: Natura humana, in qua chriſtus ſubſiſtit, ſecundùm ſe eſt extranea deo: ergo Chriſtus, vt homo, eſt perſona extranea: ergo poteſt adoptari.

Reſpondeo, Negando conſequentiam: Etſi enim natura ſecũdùm ſe ſit extranea: tamen, hoc ſubſiſtẽs in hac natura non eſt extraneum: neque ſecundùm ſe, cùm ſit Filius dei per eſſentiã: neque ratione naturæ vnitæ, quia hæc vnio facit vt natura humana ſit natura Filij Dei.

An ſaltem poſſit dici natura humana adoptata.

Dices, Saltem natura humana erit adoptata, nam ſecundùm ſe eſt extranea.

Reſpondeo: Gabriel admittit, ſed abſolutè negandum eſt: nam expreſsè in eodem concilio reijcitur. Ratio eſt, Quia naturæ non eſt adoptari, ſed perſonæ. Ita D. Thomas. Verùm hæc ratio non videtur omnino ſufficiẽs; quia anima noſtra non impropriè dicitur *adoptari*, & eſſe *filia Dei*: quamuis enim proprijſſimè conueniat perſonæ, tamen etiam non impropriè conuenit naturæ: nam natura etiam ius habet ad cœleſtem hæreditatem. Vnde nec Concilium, nec Adrianus hanc cauſſam adferunt.

Vera ratio, cur natura humana in Chriſto non poſſit dici adoptata.

Vera igitur Ratio eſt; Quia id quod *adoptatur*, ita eſt *extraneum*; vt etiam poſt *adoptionem* reipſa maneat *extraneum*. At humanitas Chriſti poſt aſſumptionem, non manet reipſa *extranea Deo*, ſed ſubſtantialiter vnita: ergo ipſa non poteſt *adoptari in Chriſto*.

Maior probatur; Quia de ratione *adoptionis* eſt, vt *adopta-*

Adoptio.

Digitized by

vnde dicta

vt *adoptatum* iungat & copulet *adoptanti* ſolo affectu, ita vt non iungat & copulet per naturam; vt etiam ipſa vox inſinuat. *Adoptio* enim dicitur à deſiderio: quo quis alterum, quem ſibi naturaliter coniunctum habere nequit, per affectum loco Filij habet. Vnde ſi affectus eſſet ita potens, vt reipſa communicaret naturam *adoptantis* alteri non eſſet *adoptio*, ſed quaſi generatio Filij. Hanc rationem apertè inſinuat libellus, qui inſcribitur *Sacro-ſyllabus* columna ſeptima editus à patribus Concilij Francfurdienſis, & coniunctus eidem Concilio. Dices Primò, Chriſtus, quà homo, non

Obiectio. 2

eſt Filius Dei naturalis: ergo *adoptivus*. Antecedens Probatur; Quia chriſtus, quà homo, non eſt Deus: ergo non eſt Filius Dei naturalis: nam hic intrinſecè eſt Deus.

Soluio.

Reſpondeo; Diſtinguendo Antecedens: Si enim *Filius naturalis* dicatur, cui eſſe paternum communicatur per naturalem generationem; ſic Chriſtus, vt homo, non eſt Filius Dei naturalis, ſed vt Deus: Si autem dicatur *Filius naturalis*, cui quouis modo eſſe paternum communicatum eſt *ſubſtantialiter*, ita vt ſubſtantialiter maneat vnitum, ſic chriſtus, vt homo, eſt *Filius Dei naturalis*, quia eſſe diuinum *communicatum eſt humanitati ſubſtantialiter*, ratione cuius communicationis hic homo habet ius ad omnia bona paterna: *Adoptio* autem excludit communicationem realem naturæ *Adoptantis*. Ad probationem Antecedentis, Reſpondeo; Etſi Chriſtus, vt Homo, non ſit Deus: tamen, vt Homo, eſt Filius Dei naturalis, non Filiatione æternâ, ſed temporali, reſultante in humana natura ex vnione Hypoſtatica, ſeu ex communicatione illa diuinitatis, quæ fit per hypoſtaticam vnionem. Eſt autem hæc filiatio naturalis, quia prouenit ex naturali, ſeu ſubſtantiali vnione diuinitatis cum natura humana: non tamen eſt relatio realis; ſed moralis quædam dignitas, fundata in natura diuina ſic communicata, & reſultans in natura humana, & per eam denominans ipſum Verbum, quatenus eſt Homo.

Quomodo chriſtus vt homo, ſit, vel nõ ſit Filius Dei naturalis.

explicatur filiatio naturalis, qua chriſtus, vt homo, eſt Filius Dei, & Deus.

Hinc patet diſcrimen inter hanc filiationem, & adoptiuam: Nam hæc immediatè fundatur in diuina natura ſic communicata humanitati, illa in participatione creata, quæ eſt radius quidam diuinitatis, non ipſa diuinitas: quò fit, vt infinita ſit inter has diſtantia.

2. Obiect.

Dices Secundò, Gratia habitualis erat in Chriſto, & dabat illi ius ad cæleſtem hæreditatem: ergo facieb at ipſum Filium Dei adoptiuum. Conſequentia Probatur, Quia hac ratione conſtituit nos Filios Dei adoptiuos.

ſolutio.

Reſpondeo; Gratia habitualis non faciebat ipſum Filium Dei naturalem, cùm non communicaret illi paternam naturam ſubſtantialiter: nec etiam adoptiuum faciebat; quia ratio *Filij adoptiui* poſtulat vt ſit *extraneus*, & talis maneat, ſoloq; affectu ſit Filius: vnde includit negationem realis vnionis cum parente.

Cur Gratia habitualis non fe-cit chriſtũ filium adoptiuum Dei, vifacit in notamquam proprietas debita ſequebatur. At illa bis. communicatio, quę facit *Filium*, prima eſt & principalis, vnde cetera manant. Confirmatur: Quia id circò, qui eſt filius tuus per naturam, non poteſt fieri filius per adoptionem: quia per illum actum adoptionis non daretur illi prima communicatio; iam enim præceſſit naturalis. Vnde etiamſi donum gratiæ in nobis, faciat nos filios adoptionis, non tamen in chriſto.

Deinde hęc gratia habitualis ſupponebat in ipſo filiationem naturalem priorem; ex hac enim

Dices Tertiò; chriſtus, vt homo, eſt Filius totius Trinitatis; non naturalis: ergo adoptiuus. Quòd non naturalis; Probatur quia alioquin eſſet filius naturalis ſuipſius, & Spiritus ſancti: quod eſt contra concilium Toletanum XI. in cõfeſſione fidei. 10 3. Obiect.

Reſpondeo; concedo chriſtum, quâ homo, eſſe filium naturalem totius Trinitatis, ſcilicet filiatione temporali; quam habet ratione communicationis diuinæ naturæ factæ in incarnatione: vt expreſſè docet Adrianus in dicta Epiſtola, dum vult illud Matth. 3. & 17. *Hic eſt Filius meus dilectus*, non ad Patrem ſed ad totam Trinitatem referri; & ſimiliter illud Ioan. 20. v 17. *Aſcendo ad Patrem meum & Patrem veſtrum*. Quamuis poſſint hęc valdè benè de prima perſona diuinitatis & de filiatione æterna intelligi; vt plerique patres intelligunt. Verùm Adriani quoque interpretatio bona eſt. Hinc tamen non ſequitur, ipſũ eſſe dicendum filium ſui; quia ſic abſolutè ſignificatur diſtinctio ſuppoſiti: ſed addenda eſt determinatio, quæ illum ſenſum corrigat: v. g. *Chriſtus, vt homo, eſt filius Verbi, vel ſui, quà Deus eſt*: ſic, Verbum eſt Deus, & eſt pater chriſti, vt hominis. Similiter non eſt dicendum ſine explicatione, quòd *Chriſtus, quà homo, ſit filius Spiritus ſancti*: idque ab aliam cauſſam, ſcilicet ne videatur ſignificari Spiritum ſanctum, officium paternum in formanda humanitate, præſtitiſſe; non enim formauit vt pater, ſed vt creator. Et ideò Conc. Toletanum vndecimum loco cit. & Auguſtinus cap. 38. Enchiridij negant Ieſum dici poſſe Filium Spiritus ſancti, quamuis alio ſenſu, iuxtà ſuprà dicta poſſit admitti. Solutio. An, & quomodo chriſtus, vt homo, ſit dicendus filius ſui vel ſpiritus ſancti.

Dices Quartò; chriſtus, vt homo, eſt creatura: ergo Filius adoptiuus. Reſpondeo Negando Conſequentiam: quia Filius adoptiuus excludit vnionem naturalem cum diuinitate, non autem ratio creaturæ eam excludit. 4. Obiect ſolutio. Cur chriſtus, vt homo, potiùs dicatur creatura, quam adoptiuus.

Dices Quintò; Si Spiritus ſanctus fieret homo, eſſet Filius Dei; non naturalis: ergo adoptiuus. Reſpondeo; eſſet Filius naturalis, non ęternâ generatione, ſed communicatione diuinitatis per vnionem hypoſtaticam cum humana natura. 5. Obiect. ſolutio.

Digitized by Google

QVÆSTIO XXIV.
De Prædestinatione Christi.

In Quatuor Articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum Christo conueniat esse prædestinatum?

2 conclusio est affirmans.

REspondetur; Christus verè & propriè est prædestinatus. Ratio est; Quia vnio naturarum in christo cadit sub æternam Dei prædestinationem. Atqui christus significat hoc cõpositum constans vnione naturę humanę cum diuina persona: ergo est prędestinatus: eãdem enim prędestinatione prędestinatur causſa formalis vel quasi formalis, & effectus eius: atqui christus est veluti effectus formalis vnionis: ergo &c.

Dices primò, id quod est æternum, non prædestinatur: christus est æternus; ergo &c.

Respondeo; id, quod est æternum, quâ parte æternum, non prædestinatur; vt rectè Augustin⁹ tract. 104. in Ioannem, quia non potest præueniri actu prædestinantis. Christus autem est æternus; non quatenus Christus; (hoc enim formaliter includit naturam humanam) sed quatenus Verbum Dei. Vnde is, qui ab æterno est Verbum Dei, & in tempore cæpit esse christus, potuit prędestinari, vt esset christus. Et sic absolutè verum est, Christum esse prædestinatum.

christus vt christus, non est æternus cũ formaliter includat naturã humanam

2 Obiectio.

Dices Secundò; in omni destinatione & prædestinatione, debet esse obiectum, scilicet id quod destinatur & prędestinatur, & terminus, scilicet id ad quod destinatur: hic autem non videtur esse terminus.

Solutio.

Respondeo; Cùm aliquid simplex absolutè dicitur prædestinatum, ipsum esse, seu existere actu, est terminus. Itaque Christus, quatenus erat in potentia diuina, prædestinatus est ad esse actu in tempore secundùm naturãm humanam: hoc enim est maximum donum supernaturale. Dixi, *Quando aliquid simplex prædestinatur, debere esse terminũ prędestinationis*; Quia, quandoid, quod prædestinatur, est complexum, includitur terminus: vt cùm dicimus, *Christum esse hominem est prædestinatum.*

cur Verbũ Dei non possit dici absolutè prædestinatum.

Hinc patet Primò, cur Filius Dei, seu Verbum diuinum non possit dici absolutè prædestinatum, sicut christus. Ratio est; Quia non solùm ipsius *esse* est æternum; sed etiam quia eius *esse* includitur in intrinseca ratione eius; ita vt nullo modo *esse actu* possit separari à Verbo; ac proinde non potest esse terminus ad quem destinetur. Confirmatur; Quia obiectum prædestinationis solùm est in potentia ad suum terminum; & per ipsam prędestinationem, quę est actio libera mentis diuinæ, ordinatur ad esse actuale sui termini, & intempore recipit illud: Verbum autem diuinum non potest esse in potentia, nec accipere esse actu per operationem liberam; sed solùm per generationem æternam, que est operatio naturalis & necessaria.

Patet secundò, Verbum rectè dici prædestinatùm, vt sit homo, & christus. Quia sicut intempore Verbum cæpit esse homo, & christus, per mutationem sibi extrinsecam; ita ab æterno potuit adhoc prædestinari per prædestinationem solius humanitatis Verbo vniendæ; sic vt hæc prædestinatio secundùm totum effectum suum sit extrinseca Verbo, & intrinseca soli humanitati. Vnde obiectum prędestinationis propriè hîc non est Verbum secundùm se, sed secundùm naturam humanam, seu Verbum, vt homo: termin⁹ autem, ipsum existere actu humanæ naturæ in Verbo.

Quod proprie sit obiectum & quis terminus prædestinationis christi

ARTICVLVS II.

Vtrum christus, vt homo, sit prædestinatus, vt sit Filius Dei?

1

HIc Articulus proponitur propter locum Apostoli ad Rom. 1. v. 4. *Qui prædestinatus est Filius Dei in virtute.* Vbi

Aduerte Primò; Græca non habere, *Qui prædestinatus*; sed, *qui destinatus*, id est, non ὁρισθεὶς, quo verbo passim vtitur Apostolus, quãdo de prędestinatis loquitur, vt ad Roman. 8. ad Ephes. 1. v. 5. Actor. 4. & alibi: (quod verbum est proprium Theologiæ, vt inquit Dionysius c. 5. De diuinis nominibus (sed habent hoc loco ὁρίζειν: quod dupliciter exponitur: Primò, *qui est definitus Filius Dei*; ita Origenes & Tertullian⁹ contra Praxeam: Secundò, *qui est declaratus filius Dei*; vt chrysostomus, Theophilactus, & multi recentiores; & passim Græci. Et iuxtà hanc expositionem cessat omnis quæstio; nam contextus Apostoli est clarissimus. Verùm, quia verbum ὁρίζειν non significat in Scripturis *declarare*, sed *definire, mente destinare* &c. vt patet Act. 2. v. 23. *definito Concilio*, &c. Græcè, ὡρισμένῃ βουλῇ, &c. 17. v. 26. *definiens statuta tempora*, ὁρίσας προστεταγμένους καιρούς. & ibidem. v. 31. *in Viro in quo statuit*: ἐν ἀνδρὶ ᾧ ὥρισεν: ideò melius nostra Vulgata editio exponit ὁρισθέντος, quasi esset προορισθέντος, id est, *qui prædestinatus est*: Nam omnis *Destinatio* in Deo; est *prædestinatio*, cùm ab æterno antecedat omnes res. Ita legunt omnes Latini.

diuisentur textus Apõstoli Rom. 1 Qui prædestinatus est; &c.

Aduerte Secundò; iuxtà hanc lectionem, esse varias expositiones. Sed præcipuę duæ sunt: prior est; *Qui prædestinatus est, vt sit Filius Dei*, scil. quoad manifestationem & externam ostensionẽ; quia secundùm phrasim scripturę res dicitur *fieri*, quando manifestatur, & apertè suas functiones obit. Patet ad Philippenses 2. v. 9. *Donauit illi nomen, quod est super omne nomen*: hoc est, *Dedit, vt diuinitas illius esset manifesta, & ab omnibus haberetur Deus.* Matth. 28. v. 18. *Data est mihi omnis potestas.* Apoc. 5. v. 12. *Dignus est Agnus accipere dignitatem &c.* Ita Commentarius, qui adscribitur Ambrosio; & Glossa; & Durandus dist. 7. q. 3. estque valdè probabilis; nec in re differt ab expositione Græcorum. Accedit Anselmus & D. Augustinus in expositione inchoata in Epistolam ad Romanos, & iuxtà hanc cessat etiam omnis quæstio. Secunda expositio est; quâ christus, vt homo, dicitur prędestinatus adfiliationem diuinam: quo modo explicat multis locis D. Augustinus & multi Doctores in 3. dist. 7. & iuxtà hunc sensum est quęstio articuli.

Prædestinari idem quod Manifestari, & sic non est quæstio de sententia Apostoli.

Alia acceptio vocis Prædestinatus qua christus, vt homo, dicitur prædestinatus vt sit Filius Dei.

Respondeo, & Dico Primo; Humana natura

Humana natura rectè dicitur Prædeſtinata ad vnionem hypoſtaticam.

rectè dicitur prædeſtinata ad vnionem hypoſtaticam cum Filio Dei. Ita Scotus diſt. 7. q. 3. & Durandus ibidem. Colligitur ex D. Auguſtino de Prędeſtinatione Sanctorum cap. 15. *Prædeſtinata eſt iſta humana natura tanta & tam ſublimis ſubuectio, vt quo altiùs attolleretur, non haberet.* Ratio eſt: quia humanitati hęc gratia vnionis collata eſt in tempore: ergo ab æterno ad illam eſt prędeſtinata.

Dices; Naturæ non eſt prædeſtinari ad gloriam: ergo neque ad gratiam vnionis.

Reſpondeo Negando Conſequentiam: Quia gratia vnionis primo conuenit naturę (hæc enim vnitur Verbo) non Perſonę. Vnde ſolius naturæ eſt ad hanc gratiam prædeſtinari. Sed contemplari Deum, quod eſt gloria cęleſtis, non eſt naturæ propriè, ſed Perſonę: vnde Perſona ad hanc prædeſtinatur.

Chriſtus propriè eſt prædeſtinatus ad gratiam, gloriam, &c.

Dico Secundo; chriſtus verè & propriè eſt prædeſtinatus ad gratiam ſanctificantem, ad gloriam, ad dignitatem capitis, ad Sacerdotium, & ſimiles dignitates: quamuis hæc non ſint primarius terminus prędeſtinationis.

Probatur Primò, Actorum. 10. v. 42. vbi Chriſtus dicitur *conſtitutus Iudex viuorum & mortuorum* Græcè ὡρισμένος, id eſt, *deſtinatus*: ergo *prædeſtinatus*; nam *deſtinatio Dei* eſt *prædeſtinatio*. 1. ad Corinth. 2. v. 7. *Loquimur Sapientiam, quam prædeſtinauit Deus ante ſęcula in gloriam noſtram. Sapientiam*, id eſt, *Chriſtum*, eiuſque myſteria.

Probatur Secundò, Ex D. Auguſtino tract. 105. in Ioan. in illa verba: *Clarifica me Pater. Intelligamus*, inquit, *prædeſtinationem claritatis humanæ, quæ in illo eſt naturæ, ex mortali immortalis apud patrem futurę: & hoc, iam prædeſtinando factum fuiſſe antequam mundus eſſet, quod in mundo etiam ſuo tẽpore fieret.* Vide ſequentia; vbi probat cõtra quoſdam rectè dici *ita prædeſtinatum*. Et cap. 15. lib. de prędeſtinatione Sanctorum dicit fuiſſe *prædeſtinatum*, vt eſſet caput noſtrum. Et ratio euidẽs eſt: nam chriſtus ab æterno ad hæc omnia eſt ordinatus, & hęc per abſolutam Dei voluntatem ſunt ei prępparata: ergo cùm ad ordinem gratię pertineãt, ſunt prędeſtinata.

Obiectio

Dices; Hæc omnia ſequebantur ex vnione hypoſtatica: ergo non fuerunt prędeſtinata.

Solutio.

Reſpondeo; non ſequebantur emanatione naturali & phyſica, ſed morali tantùm. Vnde non tantùm fuerunt prædeſtinata in radice, ſed etiam ſecundùm ſe: nam propria & peculiaris operatio Dei neceſſaria erat, vt hæc conferrentur. Vndè etiam oportet intelligere ſpeciale decretum ab æterno.

6 Chriſtus formaliter vt homo, poteſt dici prædeſtinatus vt ſit Filius Dei naturalis.

Dico Tertiò; chriſtus præcisè, & formaliter conſideratus vt homo, poteſt dici prædeſtinatus, vt ſit Filius Dei naturalis. Ita D. Thomas hoc loco, ex D. Auguſtino de Prędeſt. ſanctorũ c. 15. & tract. 105. in Ioannem. Idem ſentiunt multi Doctores diſt. 7. D. Bonauentura, Richardus, Scotus. Ratio eſt: Quia, vt dictum eſt 1. parte. q. 36. a. 4. in ſimili, *hic homo*, præcisè & formaliter conſideratus, non includit determinatè *hanc* vel *illam ſubſiſtentiam*; ſed ſolùm *generatim ſubſiſtens in hac humanitate, qualiſcumque demum ſit illa ſubſiſtentia.* Vnde tale ducitur argumentum: *Chriſtus*, quatenus formaliter eſt *hic homo*, non includit eſſe *Filiũ Dei naturalem* quia poſſet eſſe Pater vel Spiritus ſanctus, vel perſona creata, & tamen eſſet *idem homo*: ergo eſt *prędeſtinatus, vt ſit Filius Dei naturalis*. Patet conſequentia; Quia in tempore factum eſt, vt *hic homo* eſſet *Filius Dei*: ergo ab ęterno *prædeſtinatus eſt, vt ſit filius Dei*. Et hęc eſt ſumma & primaria prędeſtinatio chriſti, ſecundùm D. Thomam: nam terminus eius eſt ſummæ excellentiæ, vnde ceteræ omnes perfectiones eius dependent.

Dices Primò; Si chriſtus, vt homo, eſt prædeſtinatus vt ſit Filius Dei: ergo Verbum eſt prædeſtinatum, vt ſit Filius Dei. Similiter ergo Chriſtus eſt prędeſtinatus vt ſit Filius Dei. 1. Obiect.

Reſpondeo, Negando Conſequentiam: Quia *eſſe Filium Dei*, intrinſecè includitur in conceptu *Verbi*, & *Chriſti*; non tamen in conceptu *huius hominis* formaliter conſiderati. Vnde *hic homo*, ſeu, *Verbum*, & *Chriſtus*, quatenus *hic homo*, potuit *prædeſtinari; vt ſit Filius Dei.* Non ſic Verbum, vel chriſtus poteſt dici prædeſtinatus vt ſit Filius Dei, ſicut poteſt hic homo.

Dices Secundò: ergo *hic homo* eſt Filius Dei ex prædeſtinatione: ergo voluntatè liberâ, & non naturâ.

Reſpondeo: *Hic homo* formaliter conſideratus, habet ex prædeſtinatione & voluntate libera, quòd ſit Filius Dei naturalis; quia per prædeſtinationem definitum eſt, vt *ſubſiſtens in hac humanitate*, eſſet ipſe Filius Dei. 2. Obiect.

Dices Tertiò; *Hic homo* non eſt factus Filius Dei: ergo non eſt prædeſtinatus Filius Dei. Antecedẽs patet ex dictis ſuprà. Patet conſequentia; Quia quod in æternitate eſt prædeſtinatum, debet in tempore eſſe factum. 7 3. Obiect

Reſpondeo, Negando conſequentiam. Quia *eſſe factum* ſignificat actionem realem externam, & ideò ſupponit ſuppoſitum, quod ſit tale vel tale; ſupponit inquam, vt eſt à parte rei, non vt concipitur. Suppoſitum autem quod eſt in Chriſto, ex parte rei *non eſt factum Filius Dei*, ſed ab æterno fuit. Sed cùm dico: *Hic homo* eſt prędeſtinatus Filius Dei, prędeſtinatio ſignificat actum mentis, quę concipit tamquam diſtincta, ea quæ in re non diſtinguuntur. Vnde poteſt concipere *ſubſiſtens in hac humanitate* indeterminatè, illudque ordinare vt ſit *tale ſubſiſtens* nempe *Filius Dei.*

Ad probationem; prædeſtinatum eſt, vt hic homo eſſet Filius Dei; non autem vt fieret Filius Dei: vnde etiam in tempore non debebat fieri Filius Dei: ſed contrà, Filius Dei debebat fieri hic homo; vt enim hoc fieret, erat prædeſtinatum: ex quo conſecutum eſt, vt hic homo eſſet Filius Dei, quod etiam erat prędeſtinatum.

Dices Quartò; chriſtus, quà homo, non eſt Filius Dei naturalis ſeu conſubſtantialis: ergo chriſtus, vt homo, non eſt prædeſtinatus, vt ſit Filius Dei naturalis. 4. Obiect

Reſpondeo, Negando conſequentiam: Aliud enim eſt ratione naturæ humanę eſſe prædeſtinatum ad aliquid, & aliud ratione naturæ humanæ eſſe Filium Dei. Prędeſtinatio enim conuenit chriſto ratione naturæ humanę; non tamen æterna filiatio: nam hęc conuenit ratione diuinitatis. Vnde chriſtus, vt homo, eſt prędeſtinatus vt ſit Filius Dei naturalis; non tamen vt homo, eſt Filius naturalis. Vide D. Thom. ad 1.

8 Notabile circa modos loquẽdi de hac materia.

Circa prędicta; Aduertendum eſt, non ita propriè dici, quòd *Hic homo ſit prædeſtinatus Filius Dei æternus*: quia *hic homo* propriè ſumitur pro ſuppoſito: quãdo eſt ſubiectum propoſitionis. Deinde, quia hęc propoſitio eſt omnino indirecta; & ideò ſolùm vera, quia prędeſtinatum eſt, vt Filius Dei eſſet homo. Et minùs propriè dicitur, quòd *Chriſtus, vel Filius Dei, quatenus eſt homo, ſit prędeſtinatus, vt ſit Filius Dei*; Quia chriſtus includit determinatum ſuppoſitum, quod naturaliter eſt Filius Dei: ergo non poteſt ad hoc propriè prędeſtinari, etiamſi conſideretur vt ſubſiſtens in natura humana. Vide durandum diſt 7. queſt. 3.

by Google

ARTICVLVS III.

Vtrum Prædestinatio christi ſit nostræ Prædeſtinationis exemplar?

9 REſpondetur, chriſti prædeſtinationem eſſe exemplar noſtræ prædeſtinationis. Eſt communis ſententia DD. in 3. Alberti, Durandi, Paludani diſt. 10. Bonauenturę diſt. 11. Hallenſis 3. p. q. 3. memb. 5. & eſt ſententia D. Auguſtini de Prædeſtinatione Sanctorum c. 15. De Bono Perſeuerantię c. vltimo.

Probatur, ad Romanos 8. v 29. *Quos præſciuit & prędeſtinauit conformes fieri imaginis Filij ſui*: quem locum, etſi quidam intelligant de conformitate cum Filio Dei, quatenus filij adoptiui debent cōformari filio naturali, vt D. Thomas, Sasbout, & quidam alij in illum locum: tamen rectiùs exponitur de conformitate cum Filio hominis in gloria. Ita Origenes, qui per *Imaginem Filij* intelligit animam chriſti: Chryſoſtomus, Theodoretus & paſſim Græci. Anſelmus & Glolla ordinaria. Quod patet etiam ex verbis ſequentibus, *vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus*: eſt autem primogenitus in multis fratribus, vt *homo*: nam vt *Deus*, eſt primogenitus ante omnem creaturam.

In quo conſiſtat conformitas prædeſtinatorum cum imagine Filij Dei.

Aduertę, chriſti prædeſtinationem tribus modis eſſe exemplar noſtrę prędeſtinationis. Primò, Ratione termini principalis: quia chriſtus vt homo, prædeſtinatus eſt vt ſit Filius Dei naturalis; vt dictum eſt Articulo ſuperiore: Nos autem prædeſtinamur vt ſimus Filij Dei adoptiui; vt patet ad Epheſ. 1. verſ. 5. *Qui prędeſtinauit nos in adoptionē filiorum per Ieſum Chriſtum, in ipſum.* Filius autem naturalis eſt exemplar filiorum adoptionis. Secundò, Ratione modi: Quia ſicut humanitas chriſti prædeſtinata eſt ad hanc dignitatem omnimodò gratis, nullis ſuis meritis præcedentibus: ita & nos omnino gratis prædeſtinamur ad dignitatem filiorum. Et hos duos modos habet D. Thomas. Tertius addi poteſt ratione termini ſecundarij, quòd chriſtus eſt prędeſtinatus ad gloriam, quæ eſt exemplar gloriæ omnium hominum ſanctorū. Et hoc videtur Apoſtolus ſignificare voluiſſe ad Rom. 8. nam videtur loqui de conformitate glorię, vt dictum eſt. Eſt autem gloria Chriſti exemplar gloriæ noſtræ, non ſolùm quia per gloriam & vitam beatam chriſto conformamur tamquam perfectiori: nam ſic etiam gloria B. Virginis eſſet exemplar glorię noſtræ: Sed quia Deus in prædeſtinatione hominum, reſpicit ad gloriam chriſti tamquam ad perfectiſſimum opus gratiæ ſuæ: intendens illos efficere chriſto ſimiles, & eius cohęredes, ſicuti pictor qui in depingendis imaginib⁹ intendit eas aſſimilare perfectiſſimo exemplari, quod ſibi propoſuit. Simili modo Reſurrectio & gloria corporis chriſti, eſt exemplar noſtræ reſurrectionis: ad Philip. 3. verſ. 21. *Qui reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ.* Et ratio eſt: Primò, Quia in quocumque genere id quod eſt primum, conuenienter eſt exemplar reliquorum: chriſti autem prędeſtinatio eſt prima, ſaltem inter prędeſtinationes hominum, & omnium excellentiſſima: ergo. Secundò, Quia hic ordo rerum eſt conuenientior, & magis declarat Dei ſapientiam; & hic honor quodammodò debetur chriſto Domino: vt ſicut exemplar vitæ ipſius eſt exemplar vitæ noſtræ: ita gloria ipſius, ſit exemplar gloriæ noſtrę.

10 Triplicitèr eſt exemplar noſtrę prædeſtinationis.

Quomodo gloria Chriſti, ſit exemplar gloriæ noſtræ.

Dices, Gloria Chriſti eſt quid creatum extra Deum: ergo non poteſt dici exemplar prædeſtinationis noſtræ: quia Deus non vtitur exemplari externo, ſicut pictor, ſed ideâ.

11 An res creata poſſit eſſe exemplar diuinum Dei.

Reſpondeo, ipſa gloria chriſti etiam repræſentatur in idea diuina, ſicuti imago externa, quam intuetur pictor, repræſentatur in exemplari intrinſeco, quod eſt in mente pictoris: & ſic vtrumque eſt ſuo modo exemplar.

Addo: Si comparentur effectus Dei inter ſe, vnus dicitur eſſe exemplar alterius: quia voluit Deus vnum eſſe ad imitationem alterius; non quòd ipſe indigeat tali exemplari, ſed vt res inter ſe eſſent optime ordinatæ; & aliæ ad alias haberent quandam excellentiam, ſicut exemplar ad exemplatum.

ARTICVLVS IV.

Vtrum prædestinatio christi ſit cauſſa noſtræ prædestinationis?

12 REſpondetur Affirmatiuè. Notandum Primò, Ex dictis in 1. parte: cùm quæritur de cauſſa prędeſtinationis; non quæritur, An actus ille mētis diuinæ ſecundùm ſuam ſubſtantiam habeat aliquam cauſſam: manifeſtum enim eſt non habere, quia eſt ipſa diuina eſſentia. Sed quæritur, An ſit aliqua ratio terminationis illius actus; id eſt, cur ad hunc vel ad illum actum terminetur; vt ibi dictum eſt.

Notandum Secundò, chriſti prædeſtinationem tribus modis eſſe cauſſam noſtrę prædeſtinationis. Primò, Meritoriam: chriſtus enim prædeſtinatus meruit nobis prædeſtinationem, & fauorem peculiarem Dei ęternum quo ſaluamur. Secundò, Exemplarem. Et hi duo modi iam ſunt expoſiti. Prior quidem quæſt. 19. art. 4. dub. 15. num. 53. Poſterior verò articulo ſuperiore. Tertiò, Finalem, de quo iam breuiter dicendum.

Chriſtus eſt cauſſa Meritoria exemplaris & finalis noſtræ prædeſtinationis.

Itaque quòd chriſtus ſit cauſſa finalis noſtræ prædeſtinationis: Probatur Primò. Ad Epheſ. 1. verſ. 5. *Qui prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum, per Ieſum chriſtum in ipſum*: id eſt, per meritum ipſius, ad gloriam eius; Græcè, εἰς αὐτὸν, *in ſeipſum*, Ad Coloſſ. 1. verſ. 18. *Vt ſit ipſe in omnibus primatum tenens.* Probatur Secundò, & redditur ratio: Quia quidquid gratiæ Deus operatur in hominibus, ordinatur etiam in gloriam chriſti: ergo hæc gratia eſt prędeſtinata nobis in gloriam Chriſti Antecedens patet ex Tridentino ſeſſ. 6. cap. 7. vbi dicitur: Gloria chriſti & Dei eſſe cauſſa finalis noſtrę iuſtificationis. Conſequentia Probatur, Id quod in tempore datur, ab æterno fuit præparatum: præparatio autem gratię ęterna, eſt prædeſtinatio. Item, Quia Deus propter dignitatem perſonę chriſti & meritorum eius, ordinauit vt hominum redemptio, ſanctitas, & gloria cederēt in gloriam & honorem chriſti. Patet pſalm. 2. verſ. 8. *Poſtula à me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam*: & ad Philip. 2. verſ. 9. *Propter quod & Deus exaltauit illum &c. vt in nomine Ieſu omne genu flectatur &c.* Hinc chriſtus hominum conuerſionem, ſuam vocat clarificationem. Ioannis 12. ℣. 23 *Venit hora vt clarificetur Filius hominis*, quia videlicet tunc gentiles credere incipiebant: & Ioan. 17. verſ. 1. *Clarifica Filium tuum, vt Filius tuus clarificet te*; ſcilicet, te patefaciendo hominibus. Vide D. Auguſtinum Tract. 16. 52. 104. in Ioannem. Cyrillum l. 11. cap. 15. D. Thomam his locis.

Probatur hicſpecialiter quòd ſit cauſſa finalis.

QVÆSTIO XXV.
De Adoratione Christi.

In Sex Articulos diuisa.

1 Adorare in genere, quid sit.

NOtandum est Primò; Nomen Latinum *Adorationis* esse generale ad cultum Dei, Angelorum, & hominum: Sicut & nomina Hebræa HISTACHAVA, *Adoranit*; AVAD, *Seruiuit*: & Græca προσκυνέω, *Adoro*; λατρεύω, *Seruio*: quibus cultus aliquis significatur. *Adorare* enim generatim nihil est aliud, quàm notâ aliquâ submissionis, alium tamquam superiorem honorare; seu testari excellentiam alterius supra se. Sic Abraham *adorauit* Angelos, Gen. 18. & filios Heth, Gen. 23. Sic Iosue Angelos *adorat* Iosue cap. 5. Miphiboseth & Nathan *adorauerunt* Dauid 2. Regum 9. 3. Reg. 1. & alibi frequenter. Vnde *Adorare* generatim non solum pertinet ad virtutem Religionis, quę Deo cultum adfert; sed etiam ad obseruantiam quæ ciuilem cultum & alium quemdam, ciuili maiorem & diuino minorem, creaturis exhibet.

2 Triplex species Adorationis iuxta triplicem excellentiam.

Notandum Secundò, Ex D. Thoma 2. 2. q. 103. art. 3. Sicut est triplex excellentia, ita etiam esse triplicem adorationem. Prima est excellentia diuina & increata: Huic debetur summa adoratio, quæ à Theologis vocatur λατρεία. Et quia est vna excellẽtia in tribus personis, etiam vna adoratio illis debetur. Secunda excellentia est humana: vt, virtus humana, sapientia humana, potentia, dignitas. Huic debetur adoratio quædã politica pertinens ad virtutem Obseruantiæ. Tertia excellentia est media inter diuinam & humanã, consistens in bonis supernaturalibus, sanctitatẽ, beatitudine, & alijs dignitatibus eiusdẽ ordinis. Huic debetur medius quidam cultus, qui à Theologis vocatur δουλία, quæ est species quędam obseruantiæ. Et quãuis nomen *latria* & *dulia* ex sua significatione sit generale significãs omnem seruitutem; tamen ex vsu Scripturæ & Patrum, nomen *latria* accommodatum est ad significandum propriè seruitutem & cultum debitum Deo: nam à magno timore hoc nomen deductum est, quo Deum reuereri debemus ex λατ & Τῶν. Similiter nomen *dulia* ad significandum cultum & seruitutem hominibus Sanctis & Angelis debitam: nam communem seruitutem significat; qualis est etiam inter æquales; vnde Apostolus ad Gal. 5. vers. 13. ait; *Per charitatem seruite inuicem*; διὰ τῆς ἀγάπης δουλεύετε ἀλλήλοις. Vide septimam Synodũ, vbi sæpissimè hæc distinctio inuenitur; quam etiam habet Augustinus lib. 10. de Ciuit. cap. 1. & lib. 1. de Trinit. c. 6. & Damascenus oratione primâ de Imaginibus paulò post initium, & oratione tertiâ paulò ante medium.

Latria & dulia quid propriè vel vsitatè significet.

3 Obiectum Adorationis aliud formale, aliud materiale.

Notandum Tertiò: In obiecto Adorationis distinguendum esse formale & materiale. Obiectum formale adorationis est excellentia aliqua ob quam quis adoratur. Materiale est id, quod adoratur & quod ei est coniunctum. Quò fit, vt aliquid variis modis adorari possit. Primò, Per se & propter propriam excellentiam: vt Deus, Sãcti, & viri eminentes. Hæc dicitur *adoratio absoluta*. Secundò, Propter excellentiam extrinsecã; vt imagines & reliquiæ Sanctorum. Et hæc dicitur *Adoratio respectiua*, propter respectum ad extrinsecam excellentiam. Tertiò, Aliquid adoratur, quia per se coniunctũ personæ quę adoratur; quod potiùs est *Coadorari*; sicut partes in toto: vt caput, latus, manus, pedes Christi. Quartò, Vt coniunctum accidentarie, & separabiliter: sic adoratur purpura & thronus Regius.

ARTICVLVS I.

Vtrum vna eademque adoratione adorandus sit Humanitas & Diuinitas Christi?

RESpõdet D. Thomas: *Adoratio Christi vna est ex parte Personæ: ex parte autẽ naturę, adorationes possunt esse plures.* Sensus est: Etsi plures sint causæ adorãdi in christo, & proinde plures species adorationis; tamẽ est tãtùm vna persona quę adoratur, seu vnum obiectũ materiale, vnusque terminus. Verùm vt hæc magis explicentur. 4

Christus homo absolutè adorandus latria.

Dico Primò, Christus homo est absolutè adorandus eãdem numero latriâ, quâ Christus deus. Est fide tenẽda cõtra Nestorium, qui ponebat in christo duas personas; & personã hominis assumpti dicebat tantummodò coadorari Verbo, ob inhabitationem & alias quasdã accidentarias cõiunctiones: vt definitur in Synodo III. can. 8. *Si quis audet dicere, assumptum hominem coadorandum vnà cum Verbo, & conglorificãdum, & Deum appellandum, tanquam alterum cum altero; & non potiùs vnâ adoratione colit Emannelem, & vnam ei glorificationem adaptat, secundùm quod Verbum caro factum est; anathema sit.* Similis definitio habetur in Synodo V. can. 9. quam hîc refert D. Thomas in argumento: *Sed contra.* Est de fide contra Nestorium.

Vbi aduerte; *Assumptum hominem coadorari vnà cum Verbo*, apud hanc Tertiam Synodum quę est Ephesina 1. & Cyrillum, nihil esse aliud, quàm *personam humanam simul adorari, quando adoratur filius Dei in ipsa existens; ita vt distincta adoratio vtrique aptetur, licet simul, ob inhabitationẽ Filij Dei in homine*: Sic enim accipiebant Nestoriani; vt patet ex verbis ipsius Nestorij apud Cyrillum in Apologetico, defensione octaui Anathematismi: *Confiteor*, inquit Nestorius, *in homine Deum; colo autem cum diuina connexione Deo Verbo coadorãdũ hominem.* Vbi illa præpositio *cum*, Græcè σύν, in verbo συμπροσκυνῶν, seu in verbo *coadorandi*, insinuat diuersitatem suppositorum aliquo modo coniunctorum; vt ibidem docet Cyrillus. Quòd si verbum (*coadorari*) accipiatur, vt idem sit, quod *vnicâ adoratione adorari*; sic natura humana *coadoratur Filio Dei*, & partes toti, & purpura *coadoratur* Regi, id est, vnà cum Rege: nam vnica adoratio vtrumque attingit, vt statim dicemus. An homo coadoretur Deo Verbo.

Ratio huius propositionis est; Quia hic homo Christus, est verus Deus: ergo eâdem adoratione colendus, quâ Deus. Patet consequentia, excõmunicatione idiomatum. Sicut enim eâdem diuinitate, quâ Verbum est Deus, etiam hic homo est Deus; ita eâdem adoratione, quâ Verbũ adoratur, etiam hic homo adoratur. Confirmatur; Quia si hæc persona esset tantũmodò Deus, haud dubiè esset colenda cultu latriæ: atqui assumptione naturæ humanæ non minuit diuinam

dignitatem: ergo etiam ſub humanâ naturâ eſt latriâ coléda: Sicuti perſona Regis, etſi vili habitu ſit induta, nihilominùs eodem honore digna eſt, quo anteà quando erat in purpurâ.

5 Humanitas adoratur eâdem latriâ qua filius Dei etſi ſecundario.

Dico Secundò; Eâdem numero adoratione latriæ, quâ adoratur Chriſtus ſeu Filius Dei, ſimul adoratur humana natura aſſumpta; non quidem per ſe primò, ſed ſecundariò. Eſt certa hæc propoſitio, & contraria eſt erronea. Docent illam communiter Doctores in 3. diſt. 9. & D. Thom. hîc ad 2. & art. 2.

Probatur, ex Concilijs.

Probatur Primò, Ex Synodo III. cap. 8. vbi Synodus etiam hanc veritatem intendit; vt docet Cyrillus in Apologetico, qui Author eſt horum duodecim Capitulorum; idque confirmatur ex Athanaſio, qui anathema imprecatur ei, qui negat chriſti carnem adorandam vt Dei & Domini carnem. Idem patet ex Conc. Trid. ſeſſ. 13. c. 5. vbi dicitur, *Latrię cultum qui vero Deo debetur, huic Sanctiſſimo Sacramento exhiberi ab omnibus fidelibus ob præſentiam diuinitatis*: vbi apertè inſinuat carnem chriſti adorandam cultu latriæ.

Probat. ex patribus.

Ambroſ.

Secundò Probatur ex Patribus. D. Ambroſius lib. de Dominicæ Incarnationis Sacramento c. 7. *Numquid*, inquit, *cùm in Chriſto imaginem Dei*, (id eſt, Verbum) *& crucem* (id eſt, Humanitatem crucifixam) *veneramur; diuidimus eam?* Quaſi dicat; eâdem adoratione veneramur Verbum diuinum & humanitatem crucifixam. Idem lib. 3. de Spiritu ſancto c. 12. dicit, *Angelos non ſolùm diuinitatẽ, ſed etiam ſcabellum pedũ eius adorare*; & per *ſcabellũ* intelligit *carnem aſſumptam*. Quomodo eundẽ locum intelligunt Auguſtinus & Caſſiodor⁹ in illũ locum Pſal. 98. *Adorate ſcabellum*.

Epiphan.

Auguſtin.

Epiphanius in Ancorato dicit carnem ſimul cum Verbo adorari, ſicut purpura coadoratur Regi. D. Auguſtinus ſerm. 58. de verbis Domini: *Sed illi* (ſcilicet gentes) *adhuc replicabunt, & dicent: quid, quod carnem eius, quam creaturã eſſe nõ negas, ſimul cũ diuinitate adoras; & ei, nè minùs, quàm diuinitati deſeruis?* Reſpõdet Auguſt. *Ego dominicã carnem, imò perfectã in Chriſto humanitatẽ, propterea adoro, quòd à diuinitate ſuſcepta eſt, & Deitati vnita*. Adfert exemplum purpuræ, quæ ſimul cum Rege adoratur, dum Rex illa indutus eſt, quando autem exuta eſt, non adoratur.

Caro chriſti verbo coadoratur, vt purpura cum Rege.

Theodor.

Theodoretus, qui anteà cum Neſtorio contrarium ſenſerat, in 2. c. ad Epheſios, explicans illud v. 19. *Secundùm operationem potentiæ virtutis eius*, &c. *Quod ſumpta ex nobis natura, eiuſdem honoris cum eo, qui ſumpſit, ſit particeps, vt nulla videatur eſſe adorationis differẽtia; hoc omne miraculum ſuperat*.

Damaſce.

Denique Damaſcenus lib. 3. de Fide c. 8. *Non inadorabilẽ eius carnem dicimus; adoratur enim in hypoſtaſi Verbi, quæ eius facta eſt*. Vide eundẽ lib. 4. c. 2. & alibi. Cõfirmatur eadẽ veritas ex vſu Eccleſiæ, quę adorat chriſti corpus in Euchariſtia, & non ſolam diuinitatem. Hinc etiam natura humana dicitur *ſedere ad dexteram Patris*, id eſt, habere gloriam diuinitatis; vt rectè Damaſcenus lib. 4. de Fide cap. 2. Idem quoque thronus, eademque adoratio tribuitur Deo & Agno. Apoc. 5. & 22.

6 Probat. ex Ratione.

Tertiò Probatur Ratione: Quia totus chriſtus eſt ſimpliciter vnus, & vna perſona conſtans duabus naturis: ergo eâdẽ adoratione totus adoratur propter excellentiã diuinitatis, quæ in ipſo eſt: ergo ſimul cenſentur adorari illa, ex quibus Chriſtus conſtat. Et confirmatur, quia cùm adoramus hominem Sanctum, non ſolùm adoramus eius animam, ſed etiam corpus, vt rectè docet Cyrillus in Apologetico ad octauum capitulum; quamuis ratio adorandi, nempe ſanctitas, ſit tantùm in anima: ergo ſimiliter, dum adoramus chriſtum, etiam adoramus ipſius humanitatem, quamuis excellentia diuina primò & per ſe, ſit in perſonâ, non in humanitate.

Cur natura humana ſimul coadoretur Verbo.

Similitudo globi ferrei candenti.

Idem confirmatur ſimilitudine Nicetæ in orationem quinquageſimam primam Nazianzeni: *Natura humana*, inquit, *vnita Verbo, eſt inſtar globuli ferrei in immenſo igne conſtituti, qui ita ignitur, vt totus in ignem verſus videatur. Atqui ſi ignem*, inquit, *illum fugeremus, ſimul ipſum ferrũ fugeremus. Pari modo, dum reueremur Chriſti diuinitatem, ſimul humanitatem reueremur*. Quam ſimilitudinem habet etiam Damaſcenus lib. 4. de Fide c. 3.

Cur tamẽ humanitas chriſti non primò, ſed ſecũdariò adoretur.

Dixi, *Non primò adorari humanitatem*; quia quod primò & principaliter adoratur, eſt perſona: vel certè, natura ea cui excellentia primò competit: reliqua autem ſolùm concomitanter vel ſecundariò; vt corpus & partes corporis: nam honor in hæc redundat.

An adoratur per accidens.

Dices; Si humanitas non adoratur per ſe: ergo per accidens. Reſpondeo, Poſſe id admitti cum Durãdo d. 9. q. 2. Illud enim generatim per accidens dicitur adorari, cui ipſa excellẽtia non conuenit; ſed ipſum tantummodò adiunctum eſt habenti excellẽtiam. Meliùs tamen dicetur *adorari per aliud & concomitãter*, ne videamur ſignificare vnionem diuinitatis cum humanitate eſſe accidentariam. Per accidens autem propriè adoratur thronus & veſtis vnà cum Rege.

ARTICVLVS II.

Vtrum Humanitas Chriſti adoranda ſit adoratione Latriæ?

7

Reſpondetur Primò, Humanitas Chriſti, ſi conſideretur, vt res adorata in Verbo, ſiue vt obiectum & terminus adorationis cum verbo, ſic adoratur cultu latriæ, quo ipſum Verbum Incarnatum. Ratio eſt, Quia adoratio propriè tendit primariò in hypoſtaſim, ſecundariò autem terminatur ad ea quæ hypoſtaſi coniuncta.

Reſp. Secundò, Si humanitas conſideretur, vt ratio adorãdi, ſeu vt ornata omni munere gratiarum, ſic adoratur in perſona Verbi hyperduliâ.

Exponit mens Diui Thomæ.

Notandum eſt, D. Thomam hîc loqui de humanitate, quatenus eſt aliquid ipſius chriſti, ſcil. natura vel pars. Et ſic intelligenda vtraque concluſio. Nam obiectum completũ adorationis, cui primò & per ſe conuenit adorari, eſt hypoſtaſis; partes autem ſolùm comitanter, & ratione totius adorantur. Verùm quia etiam ipſa natura poteſt adorari, vt patet tum in natura diuina, dum Deus tribus Perſonis communis adoratur; tùm in Spiritibus Sanctorum; nam & illis nos poſſumus ſubmittere, & ſubmiſſionis notam exhibere, etſi non tam propriè quàm perſonæ; eò quòd non concipiatur natura creata, vt quid completum; hinc oritur.

DVBIVM I.

Quomodo ipſa natura humana Chriſti per ſe ſpectata, vt terminus integræ adorationis, ſit adorãda propter dignitatem perſonæ cui cõiuncta eſt, ita vt perſona ſit pura ratio adorandi, non id quod adoratur?

8 Humanitas ob dignitatem.

Reſpõdeo & Dico Primò, Natura humana in chriſto, ob hanc dignitatem, quam ex vnione Verbi contrahit, eſt digna aliqua adoratione. Ita Scotus in 3. diſt. 9. §. *Tertiò vna*. & ſequenti.

Verbi vniti digna eſt aliqua adoratione.

Durandus ibid. q. 5. Gabriel q. 1. a. 2. & in Canonem Miſſæ lect. 50. Caietanus hoc loco. Ratio eſt, Quia humana natura eſt capax venerationis; & ex hac vnione cum Verbo habet ſummam excellentiam; fit enim ſupremo modo particeps diuinitatis, ſicut ferrũ ignitum fit particeps ignis. Atqui ratione huius digna eſt, vt omnis creatura ſe illi ſubmittat, & huius ſubmiſſionis ſymbolum edat: quod nihil eſt aliud quàm adorare, ſiue adoratio.

9 Hæc adoratio eſt ab habitu latriæ minor tamen quã adoratio verbi.

Dico Secundò, Hæc adoratio videtur procedere ab habitu latriæ, quia eſt propter excellentiã increatam; non tamẽ eſt eiuſdem rationis & perfectionis, ac adoratio Verbi; ſed eſt adoratio minor. Docent ijdẽ auctores, qui ſuprà. Ratio eſt, Quia excellẽtia illa increata, ob quam honor defertur, aliter refertur ad humanitatem, aliter ad verbum diuinum: nam verbo ineſt eſſentialiter, humanitati autem ſolùm cõmunicatur tãquam illam ſuſtentans & terminans: ergo non tribuit parem rationẽ adorandi. Ad hoc enim non ſolùm requiritur par excellentia in ſe; ſed etiam æquè perfecta cõmunicatio. Confirmatur Primò, Quia excellentia diuinitatis, humanæ naturæ eſt quaſi extrinſeca; nõ enim ipſa eſt intrinſecè Deus, ſicut verbũ; ſed ſolùm Deificatur: ergo tota dignitas, quam ipſa præcisè habet à diuinitate, eſt vnio & reſpectus ad illam. Atqui in infinitum minus eſt vniri diuinitati, etiam ſubſtãtialiter, quàm eſſentialiter includere diuinitatem. Confirmatur Secũdò, à ſimili. Nam humanitas chriſti, etſi poſſit amari ex charitate, ſicut Deus (vt cùm ob illam ſingularem vnionem cum Deo, volo illi omnia bona, quibus digna eſt) hic tamen amor non erit amor ſuper omnia; ac proinde non tam perfectꝰ, quàm is, qui Deo debetur: ergo ſimile eſt in adoratione. Hinc patet, hãc adorationem non eſſe latriã. Latria enim eſt ſummus cultus, & reſpõdet amori ſuper omnia. Fortaſſe tamẽ vocari poterit *latria inferior*, vt quidam volũt; vel *reſpectiua*, vt Gabriel: Nam procedit ab habitu latriæ, qui inclinat in excellentiam increatam, & in omne id, quod illi quoquo modo coniunctum eſt, ſicut charitas inclinat in bonitatem increatam, & in omne id, quod ad illam ordinem habet.

An hæc adoratio ſit, vel dicenda ſit latria.

10 1. Obiectio.

Dices Primò, Quãdo honoratur vir iuſtus propter iuſtitiam; etiã ipſa iuſtitia intrinſecè cõtinetur in obiecto adorationis; &, ſi ipſa eſſet rationis capax, primariò cẽſeretur adorari: ergo ſimiliter, dum humanitas adoratur propter diuinitatẽ coniunctam, ipſa diuinitas primariò adoratur verâ latriâ, cùm ipſa ſit rationis capax: humanitas autem eâdem latriâ colitur concomitanter.

1. Solutio.

Ob hanc rationem, & quaſdam Conciliorũ aè Patrum locutiones (de quibus infrà) quidam reijciunt hunc modum adorationis. Sed dicendũ eſt, Humanitatem hîc conſiderari, non vt includit diuinitatem, ſicut homo iuſtus iuſtitiam includit; ſic enim argumentũ procederet. Nã hæc eſt adoratio totius cõpoſiti ex humanitate & diuinitate; quod compoſitum ſi adoretur ob excellẽtiam diuinitatis, erit latria, iuxtà id quod art. 1. dictum eſt: ſic enim adorãmus chriſtum. Sed humanitas hîc conſideratur ſecundùm ſe, vt ordinem habẽs ad diuinitatem, tamquam ad quid extrinſecum eius rationi, à quo tamen infinitam dignitatem trahit: & ſic non primariò adoratur diuinitas, ſed humanitas. Redundat tamen hic honor in diuinitatem, tamquam in cauſſam quaſi formalem totius dignitatis obiecti, & adorationis.

11 2. Obiectio.

Dices ſecundò, Si humanitati debetur aliquis diſtinctus honor à latriâ verbo exhibendâ: ergo chriſto debentur duæ adorationes, quòd eſt contra Cõcilia ſuprà citata, quæ tantùm vnam chriſto deberi dicunt, per quam etiam humanitas adoretur. Et Concilium Alexandrinum à Cyrillo celebratum, damnat eos qui dicunt; *Adoro viſibilem, propter inuiſibilem*, vt patet ex epiſtola 10. inter epiſtolas Cyrilli.

Quòd Patres negent duas deberi chriſto adorationes.

Reſpondeo; Cõcilia, & Patres ſolùm intendũt damnare eos, qui docent totum chriſtum non debere vna adoratione latriæ coli, quaſi in chriſto ſint duæ perſonæ, quarũ altera ſimul cum altera, vtraque pro ſuo modo colatur. Similiter negant duas naturas adorari in chriſto, tamquam ſubſiſtẽtes in propriis perſonis; vt patet ex teſtimonio Athanaſij apud Cyrillũ in Apologetico ad octauum capitulum. & ex can. 9. Synodi V. Non tamen negant hanc vnam perſonam ſecundùm diuerſas naturas, & diuerſas in illis naturis excellentias, poſſe diuerſis modis coli. Pari modo non intendunt negare naturam humanam poſſe ſeorſim ſpectari, tamquam naturam, & ſic venerationis eſſe obiectum, quamuis non completum obiectum vt perſona.

Solutio.

Dices; Si Patres hęc non intendũt negare, cur ergo ſic abſolutè negant duas adorationes, & vnã præſcribunt, quaſi nullo ſenſu poſſint eſſe duæ?

Reſpondeo; Abſolutè negant duas: Primò, Quia loquuntur in ſenſu Neſtorij, cum quo ipſis eſt negotium. Vnde & præſcribunt vnam, excludendo duas Neſtorianas, quæ ſcilicet terminentur ad duas perſonas; non duas, quę terminentur ad vnam perſonam: vt patet ex artic. 1. Secundò, Quia conſuetudo populi chriſtiani tantùm vnam adorationem nouit chriſto exhibere, ſcilicet latriæ; idque meritò: tùm, quia hæc abſolutè chriſto debetur, altera ſolùm ſecundùm quid, ſcilicet humanitatem: tùm, quia cultus latriæ eſt perfectiſſimus: cuique autem tribuendus eſt titulus & honor reſpondens eius ſupremæ dignitati; vt conſtat exemplis humanis. Nam ei, qui ſimul eſt ſummus Rex, & alio titulo dominus paruuli oppidi, non honorabitur ſolùm vt dominus illius oppidi; ſed in praxi ſemper dabitur ei honor regius: ita etiam in propoſito. Vnde fateor hanc adorationem non eſſe vſitatem; poſſe tamen adhiberi ab eo, qui excellentias diuerſas in chriſto poteſt diſtinguere.

Vſus tantùm vnam adorationem in chriſto nouit etſi ſanè ſentiẽdo poſſint eſſe duæ.

DVBIVM II.

Vtrùm Humanitas Chriſti ratione donorum ſupernaturalium gratiæ & gloriæ, poſſit adorari?

12 Poteſt ſic adorari.

REſpondeo, & dico primò, Poſſe. Ita docent Scotus, Durandus, Gabriel ſuprà, & Caietanus hîc, & expreſsè D. Thomas in corpore. Probatur, Quia humana natura per ſe eſt capax honoris, cùm ſit natura rationalis, & ratione horum donorum eſt honore & adoratione dignißima.

Non latria ſed hyperdulia.

Dico Secundo, Hæc tamen adoratio non erit latria, ſed hyperdulia. Non *latria*; quia nititur excellentiâ creatâ; latria autem nititur excellentiâ increatâ. Vnde D. Auguſtinus ſerm. 58. de verbis domini: *Si hominem ſeparaueris à Deo; illi numquam credo*, ſcilicet fide catholicâ, *nec ſeruio. Velut ſi quis purpurã aut diadema Regis iacens inueneret, numquam ea adorabit.* Et Damaſcen. lib. 4. de fide cap. 3. ait, *Per ſe carnem Chriſti eſſe inadorabilem*, ſcilicet latriâ. Quòd verò hic cultus erit

hyperdulia; Probatur, quia dona creata quæ ſunt in Anima chriſti, inter omnes creatas excellentias plurimùm eminent: ergo ratione huius eminentiæ debetur illi excellens dulia, quæ ſignificatur nomine *hyperdulia*; quæ non eſt ſpecie diſtincta à dulia alijs Sanctis debitâ, ſed eſt eiuſdē rationis; excellentior tamen in eadem ſpecie: ſicut gratia & beatitudo, quæ ſunt ratio formalis huius cultus de quo nos hic agimus, & in Chriſto, & in alijs Sanctis, eſt eiuſdem ſpeciei, tantummodò ſecundùm maius & minus diſtincta.

Hæc hyperdulia non diſtinguitur ſpecie à Dulia alijs Sanctis debita.

13 Qualis Adoratio debita humanitati ob dignitatem capitis, &c.

Petes; In Chriſto eſt dignitas capitis, Sacerdotis, mediatoris: quis cultus debetur ob hæc? Reſpondeo: Si in hiſce titulis ſolùm formaliter ſpectetur illa dignitas moralis, quæ conuenit Chriſto in humana natura ex vnione huius naturæ cum Verbo diuino, & deputatione Dei: ſic debetur ei talis adoratio, qualis ob dignitatem, quam habet natura humana ex vnione: quia hi tituli includunt dignitatem vnionis: vt patet ex ſuprà dictis. Si autem ſpectetur etiam fundamentum illius dignitatis, & totum id, quod ad conſtitutionem talis Sacerdotis, Capitis, & Mediatoris requiritur, ſic debetur latria: nam fundamentum huius dignitatis, intrinſecè includit ſuppoſitum diuinum. Sicut enim ratio chriſti includit ſuppoſitum diuinum, & naturam humanam: ita etiam ratio Mediatoris, ratio talis capitis, & talis Sacerdotis. Vbi etiam, aduertendum eſt, Chriſto non deberi latriam ob beneficium redemptionis, nec Deo ob beneficium creationis, vt quidam dixerunt: niſi de cauſa motiua & inductiua loquaris: ſed ob excellentiam illam, à qua chriſtus habet, vt ſit prima cauſa redemptionis & creationis.

An chriſto debeatur Latria ob beneficiū Redemptionis?

Dices: Honor eſt teſtimonium excellentiæ: ergo qui chriſtum honorat ob excellentiam creatam, inſinuat hanc eſſe præcipuam cauſſam excellentiæ cur ſit honore dignus: ergo potiùs afficit illum contumeliâ, quàm honore. Sicuti ſi quis maximum Monarcham honoret titulo parui oppidi.

Reſpondeo: Si in Chriſto ſolùm eſſet excellentia vnius generis, poſſet argumẽtum aliquam vim habere: ſed quia eſt diuerſi generis, nempe creata & increata, realis & moralis, & vtraque ſumma in ſuo ordine, ideò non cenſetur excludi maior cùm honoratur propter minorem. Confirmatur; Quia poſſum dicere Chriſto: *Veneror te, Domine, ob diuinitatem tuam, quę eſt ſupremum principium meum; & propter eximia dona humanitatis tuæ, quibus omnem creaturam ſuperas, meamque ſalutem es operatus. Veneror etiam ſanctiſſimam Animam & Carnem tuam, ob ſummam dignitatem, quam ex vnione diuinitatis contraxit.*

Minor latria chriſti poteſt tribui ſine detrimento honoris ſummi.

DVBIVM. III.

Vtrùm Sancti ſint adorandi & quomodo?

14 VT hæc Tractatio ſit perfecta; Diuendum eſt etiam de cultu Sanctorum. Nam hæc quæſtio huic materiæ de adoratione chriſti ſummè eſt connexa, vnde ab omnibus Doctoribus ſimul tradi ſolet.

Hæretici noſtri temporis omnes in eo conueniunt, Sanctos cum Chriſto regnantes nullo modo eſſe adorandos. Ratio præcipua eſt; quia cùm adoratio ſit duplex, Religioſa ſcilicet, & ciuilis; neutrâ ſunt colendi. Non Religioſâ; quia eſſet idololatria: religioſâ enim adoratio ſoli Deo debetur; quia religio nos ſolùm erga Deum diſponit. Non ciuili; quia hæc tantummodò ad vitam politicam pertinet; eſt enim officium obſeruantiæ, quo inter homines alius alium colit, ac proinde non pertinet ad Sanctos, qui non verſantur nobiſcum politicè aut ciuiliter. Quod confirmatur, quia non cognoſcunt, quæ apud nos geruntur. Eundem errorem habuerunt Vvicleffiſtæ, teſte Thoma Vvaldenſi tom. 3. de Sacramentis cap. 108.

Hæretici noſtri temporis.

Vvicleffiſtæ.

Inter antiquos hæreticos non deprehenduntur aliqui expreſsè hunc errorem tenuiſſe præter Leonem Iſauricum, & Conſtantinum Copronymum, qui publico edicto cultum Sanctorum & inuocationem interdixerunt, teſte Cedreno in vita ipſorum.

Leo Iſaur. copronim.

Alij verò, vt Vigilantius, Euſtachius Sebaſtiẽſis, & Claudius Taurinenſis, quibus hic error tribui ſolet, expreſsè id non docuerunt: ſed ſolùm, cultum imaginum & reliquiarum oppugnarunt; quod longè aliud eſt. Nunc

Iconomachi.

Dico Primò, Sancti, ſiue Angeli, ſiue homines, aliquâ adoratione ſunt proſequendi, quæ ſit excellentior honore ciuili. Definita eſt hæc veritas in Septima Synodo act. 2. 3. 4. & 7. & in Concilio Tridentino ſeſſ. 25. capite de inuocatione, veneratione & reliquijs ſanctorum, & ſacris Imaginibus.

15 Sancti adoratione pluſquam ciuili venerandi ſunt.

Probatur Primò. Exemplis ſcripturæ; Abraham enim adorauit Angelos, Gen. 18. Similiter & Loth Geneſ. 19. Balaam adorauit Angelum pronus in terram. Numeror. 22. Similiter Ioſue, cap. 5. Ioſue. Atqui hic cultus non erat ciuilis, qualem homines inuicem deferunt; quia non adorabant, niſi cùm ſcirent eſſe Angelos, anteà minimè.

In ſcriptura adorati Angeli.

Item 1. Reg. 28. Saul adorauit animam Samuelis. 3. Reg. 18. Abdias Princeps adorauit Eliam. 4. Reg. 2. Filij Prophetarum adorauerunt Elizæum, cùm intellexiſſent requieuiſſe Spiritum Dei ſuper illum. Dan. 2. Nabuchodonoſor adorauit Danielem ſeruum ſuum minimè reluctantem. Nec obſtat, quòd iuſſerit adferri ſacrificia, quaſi exiſtimarit Danielem eſſe Deum; quia non voluit ea Danieli offerre, ſed Deo Danielis, vt Hieronymus & Theodoretus in hunc locum notârunt.

Et Hominē.

Secundò idem probari poteſt teſtimonio Patrum. Sed hæretici non negant ita Patres ſenſiſſe; verùm eos humano more in hoc lapſos fuiſſe, vel conſuetudini populari ſe accommodaſſe.

Tertiò Probatur Ratione: Sanctorum excellentia incõparabiliter ſuperat omnem perfectionem & excellentiam humanam, ſeu politicam; eſt enim diuina, ſupernaturalis, & cœleſtis: ergo debetur eis maior cultus, quàm ciuilis. Probatur conſequentia: nam adoratio debetur ob excellentiam; ſcilicet ob virtutem, ſapiẽtiam, nobilitatem, potentiam: & adoratio ciuilis debetur ob ſapientiam, virtutem, nobilitatem, & potentiam humanam: ergo vbi hæc ſunt penitùs cœleſtia & diuina, longè ſublimior adoratio debetur. Quòd autem talia ſint in Sanctis, liquet. Nam virtus illorum, eſt ſupernaturalis, & in ea ſunt penitùs perfecti & confirmati. Sapientia, eſt ſumma participatio diuinæ lucis, qua fontem omnis veritatis contuentur, & in ipſo omnium rerum cauſſas. Nobilitas, eſt ex adoptione in Filios Dei, completa & confirmata per aditionem hæreditatis. Potentia, eſt regnum cœli, iuxtà illud Luc. 22. v. 29. *Ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus, regnum.* Et Apoc. 3. v. 21. *Qui vicerit, dabo ei ſedere mecum in throno meo.* Denique ſunt in lō-

ratio catholicæ aſſertionis.

Excellentiæ ob quas Sancti honorādi & adorandi.

gè celſiore ſtatu, quam mortales: ſunt enim in termino, in ſtatu patriæ, & in ſtatu æternitatis. Hinc manifeſtè ſequitur, longe altiorem cultum illis deberi, quàm mortalibus. Confirmatur; Nã honor promittitur Sanctis, tamquam præmium accidentarium. 1. Reg. 2. *Qui me honorificauerit, glorificabo eum; qui autem contemnũt me, erunt ignobiles.* Ioan 12. v. 26. *Si quis mihi miniſtrauerit honorificabit eum Pater meus.* Dicitur autem Deꝰ *honorare*, quia efficit excellentes & honore dignos, & vult eos ab alijs honorari.

An ſanctis noſtras nec ſciant nec curẽt, vt fingunt hæretici.

Reſpondent hæretici. Etſi ſint mortalibus excellentiores: tamen quia nobiſcum vitam non agunt, nec cõmercium vllum nobiſcum habent, non ſunt à nobis colendi.

Reſpondeo, Etſi loco nobiſcum non agant, tamen ſemper adſunt nobis ſpiritu: nam res noſtras cognoſcunt, earum curam gerũt, & crebrò nobis opem ferunt: vt dictum eſt lib. 2. de Iuſtitia & Iure, cap. 37. dub. 6.

16 Cultus ſanctorũ Religioſus. qui Dulia dicitur.

Dico Secundò, Hic cultus Sanctis debitus rectè dici poteſt religioſus, & ad religionem pertinens; non tamen eſt latria; ſed cultus medius inter latriam, & ciuilem honorem, qui *Dulia* à Doctoribus vocatur.

Triplex Excellẽtia

Vbi notandum eſt; Cùm ſit triplex genus excellentiæ, ſcilicet Increata, Humana, & Cœleſtis: Increatæ, debetur honor latriæ; Humanæ, honor politicus. Cœleſti ſeu ſupernaturali, debetur cultus quidam medius, qui latriâ ſit minor, ſed politico ſit maior.

Quòd ſit Religioſꝰ Probatur ex eorum Feſtis.

Nunc Probatur prior pars propoſitionis. Hunc cultum rectè dici religioſum. Primò, Quia hic cultus varijs rebus ſacris, quæ etiam ad religionem cultumque Dei pertinent, perficitur. Nam Sancti iam inde ab initio Eccleſiæ honorati fuêre: Tùm diebus feſtis & anniuerſariâ memoriâ; etſi enim hi dies potiſſimùm ad cultum Dei dedicentur; tamen ſecundariò inſtituuntur etiam in memoriam & honorem Sanctorum. Et hunc ritum eſſe ex traditione Apoſtolicâ, patet ex Tertulliano *De corona militis*; vbi ait eſſe traditionem Apoſtolicam in natalitijs Martyrum offerre oblationem. Tùm Memorijs templorum; etſi enim templa primariò conſecrentur Deo ad ſacrificium; tamen ſecundariò inſtituuntur ad honorem Sanctorum, vt fideles ibi peculiarem honorem illis tribuant, & eorum Reliquiæ tamquam in honorifico mauſolæo aſſeruentur. Hinc totus mundus plenus eſt antiquiſſimis Martyrũ memorijs, id eſt, templis, vbi maxima diuinitùs edita ſunt miracula. Tùm denique honorantur Sancti religioſis peregrinationibus, vòtis, ieiunijs, vigilijs, luminibus, ſuffitibus, & ſimilibus; vt docet Hyeronymus aduerſus Vigilãtium: quę omnia ſuperant conſuetudinem cultus ciuilis. Nec tamen hæc ad idololatriam vllo modo pertinent; quia neq; ex natura ſua, neque ex intentione exhibentium fidelium, ſunt proteſtationes diuinitatis.

Ex Templis.

Et vòtis, peregrinationibꝰ &c.

Hæc non ſpectant ad Idololatriam.

Secunda Ratio. Quia omnis illorum honor ad cultum Dei refertur, & in Deum redundat: vt docet Ambroſius ſerm. 6. in fine: *Quiſquis honorat Martyres, honorat Chriſtũ; qui ſpernit Martyres, ſpernit Chriſtum.* Et Hieronymus epiſtola ad Riparium, *Honoramus ſeruos, vt honor ſeruorum redũdet ad Dominum.* Ergo hac ratione poteſt hic cultus dici Religioſus.

Honor ſanctorum in Deum redundat.

Tertia, Quia confert ad bonum ſpiritale animæ, fouetque noſtram deuotionem circa res ſacras.

Quarta, Quia hic cultus defertur ob ſanctitatem & religionem ipſorum, qui inhærent Deo.

Et proficit etiam ad bonum noſtrum ſpirituale.

Quinta, Excellentię, ob quas hic cultus datur, ſunt participationes quædam excellentię diuinæ; ob quas ipſi eximio modo dicuntur *filij Dei*; imò *Dij*, vt patet ex Scripturis: ergo & hic cultus eſt participatio quædam cultus diuini; ac proinde per participationem religioſus.

Ex his patet altera pars propoſitionis, ſcilicet hunc cultum non eſſe latriam. Nam latria defertur Deo propter excellentiam, quam habet, quatenus eſt primum omniũ rerum principium, quæ nulli creaturę eſt communicabilis; vnde nec honor eius.

17 Cultus hîc non eſt latria.

Tertia pars; Scilicet hunc cultum eſſe medium inter latriam & ciuilem, ſimiliter ex dictis colligitur: nam excellentia Sanctorum media eſt inter diuinam & humanam.

Sed mẽdius.

Hinc etiam Patet ſolutio argumenti hæreticorum initio propoſiti. Non enim duplex, ſed triplex eſt genus cultûs. Quare, etſi cultus ſanctorum non ſit *latria*, aut *Ciuilis*, eſt tamen medius quidam cultus, qui rectè dicitur *dulia*, que iuxtà D. Thomam 2. 2. q. 103. eſt ſpecies Obſeruantiæ: *Obſeruantia* enim omnibus maioribus in dignitate conſtitutis honorem exhibet. Huius duę ſũt ſpecies; ſcilicet *Obſeruantia ciuilis*, quæ ob humanam dignitatem ordinis naturalis honorẽ defert: & *Obſeruantia ſacra*, quę ob dignitatem ſupernaturalem; & *dulia* dici poteſt, eò quòd alio nomine careamus: quamuis hoc nomẽ proprie ſignificet honorem quem ſerui Dominis exhibent. Vetùm omnes mortales erga Sanctos, tãquam erga ſuos Dominos meritò ſe gerere debent.

18 Solvitur obiectio hæreticorum.

Dulia & Obſeruantia.

Sed Obijciunt præterea hęretici; Matt. 4. diabolus tantummodò petit quandam, προσκύνησιν, id eſt, quandam genũflexionem & inclinationem ſibi à chriſto deferri, & tamen refellitur verbis Scripturæ: *Dominum Deum tuum adorabis, & ei ſoli ſeruies.* Ergo ſoli Deo omnis inclinatio religionis cauſsâ eſt exhibenda.

Obiectio altera hæreticorum ex Matth. 4.

Reſpondeo; Diabolus petebat προσκύνησιν, id eſt inclinationem adorationis in ſignum latriæ, vt omnes Patres teſtantur. Vnde rectè repellebatur verbis iſtis Deuteron. 6. v. 13. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies*; ſcilicet ſeruitute latriæ: Græcè enim eſt λατρεύσεις, vt notat Diuus Auguſtinus q. 61. in Geneſim. Hæbraicè quidem eſt THAGBAVOD quod nomen commune eſt ad omnem ſeruitutem; ſed hîc accipitur pro certo genere ſeruitutis, quod ſoli Deò conuenit.

Solutio.

Obijciunt Secundò: Eſther 13. Mardochæus noluit adorare Aman: Rationem addit: v. 14. *Timui enim, ne tranſferrem honorem Dei mei ad hominem, & ne quemquam adorarem excepto Deo meo.* Act. 10. Petrus noluit adorari à Cornelio: vnde ait v. 26. *Surge; & ego ipſe homo ſum.* Apocal. 19. v. 10. Angelus recuſauit adorari à Ioanne, *Quia*, inquit, *Conſeruus tuus ſum.*

19 Obijciunt varia Scripturæ exempla.

Reſpondeo, Quidam dicunt Aman voluiſſe adorari tamquam quendã Deum, ſicut interdum moris erat apud barbaras Gentes. Ita D. Thom. 2. 2. q. 84. a. 1. ad 1. & Lyranus in hunc locum Eſther. Verùm hoc parum eſt credibile: Primò, Quia Aman erat famulus Aſſueri Regis, & in eius palatio verſabatur: cuius ergo inſolentiæ & temeritatis fuiſſet exigere honores diuinos, quos nec ipſe Rex poſtulabat? & quomodo alij aulici id toleraſſent? Item, quomodo hac ratione iram Regis non concitaſſet? Secundò, Quia credibile eſt Aman eum honorem exegiſſe, qui illi mãdato Regis erat conſtitutus; vt patet ex cap. 3. Eſther: atqui nullo modo credibile eſt Regem voluiſſe,

Solutio.

Qualem cultum Aman à Mardochæo petierit.

vt inſtar Dei cuiuſdam coleretur. Vnde Reſpondeo cum Caietano in locum D. Thomę iam citatum, illum honorem quem exigebat Aman, nõ fuiſſe niſi ciuilẽ apud alias Gentes, ſcilicet genuflexionem, vt ex cap. 3. colligitur. Sed apud Iudęos ex conſuetudine fuiſſe Deo reſeruatum, nec niſi rarò & ob grauem cauſam, hominibus exhiberi ſolitum, nempe in ſignum magni vel doloris, vel timoris, vel inſignis gratitudinis; vt videre eſt Ruth. 2. Iudith. 10. 1. Reg. 25. vbi Abigail Dauidem. 2. Reg. 9. vbi Miphibozet Dauidẽ adorat. Deo autem ordinariè hic honor genuflexionis tribuebatur; vt patet 3. Regum 8. & 1. Eſdræ 9. Hinc metuebat Mardochæus, ne ſi ordinariè & ſolùm reuentiæ cauſsâ Amano hunc honorem haberet, id cederet in iniuriam Dei & ſcandalum Iudæorum.

Cur, & qualẽ honorẽ à Cornelio ſibi fieri noluit D. Petrus.

Ad alterum locum: Petrus ex modeſtia illum honorem recuſauit, licet Cornelius rectè exhiberet. Ita Chryſoſtomus in hunc locum Actorũ. Viri enim ſancti ob humilitatem non ferunt ſibi in hac vita, tantum honorem, quantus eſt proſtratio in terram, deferri niſi ob raram aliquam cauſam. Hieronymus tamen contra Vigilantium ſcribẽs, exiſtimat Cornelium putaſſe Petrum eſſe quid maius homine, ſicut Gẽtiles putant de ſuis ſemi-deis: & ideò meritò reprehenſum. Verùm D. Chryſoſtemi ſententia videtur probabilior.

Cur, & qualem ab Angelo recuſarit S. Ioannes.

Ad Tertium locum: reſpondet D. Auguſtinus q. 61. in Geneſ. Angelum apparuiſſe talem, vt potuerit exiſtimari Chriſtus, & pro Chriſto adorari; *Vnde*, inquit, *corrigendus fuit adorator*. Verùm communis ſententia eſt Ioannem voluiſſe exhibere cultum conuenientem Angelicæ dignitati, ſicut fecerant Sancti veteris Teſtamenti, Angelũ tamen prohibuiſſe, vt oſtenderet, quanti fierent homines ab Angelis poſt naturã hominis à Deo aſſumptam, quam ipſi in Chriſto adorant. Et præſertim, quanti fierent Apoſtoli Principes Eccleſiæ, Chriſto cõiunctiſſimi, eiuſque ſpiritu ſingulariter prædi ti; quod ſatis verba Angeli inſinuãt, cùm ait; *Conſeruus tuus ſum*. Ante Chriſti aduentum facilè patiebantur ſe ab hominibus adorari. Ita D. Greg. lib. 27. Moral. c. 11. Beda, Anſelm°, Richard°, Rupertus, & alij in c. 19. Apocal. & Caietanus ſuprà. Vnde etſi cap. 22. rurſus Ioãnes idem facere tentaret; Angelus tamen recuſauit: quod euidens ſignum eſt, Ioannem non voluiſſe adorare inſtar Dei.

Quo ſenſu Patres doceant nec Angelos, homines adorãdos.

Tertiò Obijciunt quædam teſtimonia Patrum, in quibus dicitur nec angelos nec homines adorandos, ſed ſolum Deum. Sed facilè reſpondetur, Patres agere contra Ethnicos, & loqui de adoratione latriæ. Quod verum eſſe, patebit inſpicienti ipſorum verba.

20 Sancti viuentes, coli poſſunt cultu Religioſo.

Obijciunt quartò, Adoratio Sanctorum adhuc viuentium, non pertinet ad cultum religioſum: ergo nec eorum, qui ex hac vita migrarunt.

Reſpondeo; Si homines Sancti nobiſcum agẽtes adorentur propter ſanctitatem ſupernaturalem, & reliqua cœleſtia dona; vel propter dignitatem quam habent, quatenus ſunt templa Spiritus ſancti; ſine dubio erit cultus religioſus, non ciuilis: quomodo Abdias vnus ex primatibus regis, adorauit Eliam pronus in terram; & Nabuchodonoſor Danielem; & filij Prophetarum Eliſęum. Vnde D. Auguſt. lib. 20. contra Fauſtum cap. 21. *Colimus*, inquit, *Martyres eo cultu dilectionis, & ſocietatis, quo & in hac vita coluntur Sancti Dei homines; ſed illos tantò deuotiùs, quantò ſecuriùs poſt incerta omnia ſuperata*. Ex quo patet, Etſi li cultus ſint eiuſdem ſpeciei; is tamen, quo coluntur Sancti cum Chriſto regnantes, eſt perfectior, & quoad affectum ſeruitutis, qui feruentior & ſubmiſſior eſt; & quoad notam externã, quæ etiam demiſſior eſſe ſolet. Nam procumbimus in genua, complicamus manus, accendimus luminaria, & excitamus ſuffitus in honorem Sanctorum; quæ tamen non præſtamus viuentibus.

ARTICVLVS III.

Vtrum Imago Chriſti ſit adoranda adoratione latriæ?

21

REſpondetur; Si imago Chriſti conſideretur, vt res quædam eſt, ſcilicet vt res diſtincta ab exemplari; ſic, non poteſt latriâ coli, imò nulla reuerentia ei debetur: quia hæc reuerentia ſoli rationali naturæ defertur. Si autem conſideretur, vt imago; id eſt, vt ſubſtituitur loco exemplaris, & quodammodò includit ipſum exemplar per noſtram apprehenſionem, ſic eodem cultu colitur, quo exemplar: vnde cùm exemplar colatur latriâ, imago quoq; Chriſti latriâ colitur Quod intellige per accidens. Hîc nobis agendum breuiter de imaginibus Chriſti, Sanctorum, & Dei.

DVBIVM I.

Vtrùm licitus ſit vſus Imaginum Chriſti, Sanctorum, & ipſius Dei; præſertim in templis?

22 Sententiæ hæreticorum, ac quorundã Catholicorum.

SVnt tres ſententiæ. Prima nullo modo eſſe licitum; quia omnes imagines ſunt idola. Ita Iudęi, Mahometani, Marcioniſtę, Manichæi, Eutychiani, & reliqui Iconomachi: vt docet Tharaſius in Septima Synodo actione 5. & 1. Idẽ ſentiunt Vvicleffiſtæ, & omnes hæretici noſtri temporis. Vide Sanderum lib. 1. de Imaginibus cap. 10. vbi accuratè hac de re, & meliùs quàm alij, tractat.

Secunda ſententia eſt, quorumdam Catholicorum, licitum eſſe vſum imaginum Chriſti & Sãctorum; non tamen Patris, aut Spiritus ſancti, aut Diuinitatis. Ita Henricus à Gandauo Quod 10. q. 6. Durandus in 3. diſt. 9. q. 2. Abulenſis in cap. 4. Deuteron. q. 5. Martinus Ayala de Traditionibus. Parte 3. tract de Imaginibus.

Probatur vſus Imaginum Chriſti & Sanctorũ.

Tertia eſt omnium aliorum Catholicorum. Pro qua; Dico Primò: Licitum eſſe vſum imaginum Chriſti, & ſanctorum hominum & Angelorum; & etiam Dei, ac ſanctiſſimæ Trinitatis.

23

Probatur de vſu imaginum Chriſti & Sanctorum, Nam de his definitum eſt in Synodo ſeptima act. 7. Actione autem 4. adferuntur plurima Patrum teſtimonia.

Exemplis. Scripturæ.

Probatur Primò ex Scripturis. Exodi. 25. Iuſſu Dei fiunt imagines Cherubim ſuper Arcã. Num. 21. Deus iubet fieri imaginem ſerpentis æneam. 3. Reg. c. 6. Salomon iubet fieri duas alias imagines Cherubim in propitiatorio aut ſanctuario, & præterea in parietibus tẽpli iubet alias imagines Cherubim poni, & varias picturas & celaturas. Cap. 7. in vaſis templi boues & Leones: ergo multò magis poſſunt fieri imagines Sanctorum.

Ex primitiuę Eccleſiæ.

Secundò probatur; Ex vſu Eccleſiæ vniuerſalis; qui vſus à Chriſto incepit. Nam primò, ipſe Dominus Linteo faciei admoto, imaginẽ ſui expreſſit, & ad Regem Abagarum miſit; vt teſtatur Damaſcenus oratione 1. de Imaginibus, & Euagrius lib. 4 hiſtoriæ Eccleſiaſticę cap. 26. qui ex-

iam refert ad imaginis illius preſentiam, ciuitatẽ Edeſſenam ab incendio fuiſſe liberatam. Et in Septima Synodo act. 5. Leo Lector teſtatur ſe eã vidiſſe. Secundò, Mulier, quæ fluxu ſanguinis fuit liberata, ipſi imaginem erexit apud Paneadẽ, quam Chriſtus & Apoſtoli ſæpè videre potuerũt; ad cuius baſim creſcebat herba, quæ cùm fimbriam ſtatuę attigiſſet, omnes morbos curabat. Teſtatur id Euſebius lib. 7. hiſtor. c. 14. qui eam ſe vidiſſe ait: & Sozomenus lib. 5. hiſt. c. 20. & Damaſcenus ſuprà oratione prima. Tertiò, Aliã imaginem Chriſti dicitur feciſſe Nicodemus, in qua Iudæi per ludibrium paſſionem Domini renouarũt; vbi multa acciderunt prodigia; qua de re ſcripſit librum Athanaſius, qui recipitur à Synodo Septima act. 4. Vide plura huiuſmodi apud Sanderum & Bellarminum.

24 Idem probatur Ration.

Tertiò Probatur Ratione. Prima eſt, Vſus imaginum non eſt intrinſecè malus: nec, malus, quia prohibitus: ergo non eſt malus. Quòd non intrinſecè malus; Probatur, Quia alioqui ars pictoria & ſtatuaria eſſet mala, ſicut Necromantia & Chyromantia &c. quod eſt abſurdum: tùm quia hęc ars interdum diuinitus eſt infuſa: vt patet Exodi 31. & 35. ſcilicet ipſi Beſeleel & Ooliab: tùm quia operari ad imitationem Dei, qui formauit hominem ad imaginem ſuam; & ad imitationem totius naturæ, quæ tota incumbit in hoc, vt ſibi ſimile procreet, non eſt malum. Quòd etiam non ſit malus, quia prohibitus; Probatur: Nec enim Iure Eccleſiæ, vt conſtat; nec iurè diuino poſitiuo: cùm quia neque traditione, neq; Scriptura, præſertim noui teſtamenti, id conſtat: tùm quia lex noua nullum continet præceptum poſitiuum, pręter præcepta fidei & Sacramentorum.

Vtilitates ſacrarum Imaginũ.

Secunda Ratio, Vſus imaginum adfert plurimas vtilitates: ergo non eſt reijciendus.

Antecedens patet Primò; Quia imagines ſunt libri idiotarum ſeu rudium; vt dixit D. Greg. lib. 9. epiſt. 9. ſæpè enim meliùs docet pictura, quam ſcriptura. Et ex his poſſunt ferè omnia myſteria humanitatis Chriſti, & geſta ſanctorum, & paſſiones Martyrum intelligi.

Secundò, reuocant, nobis in memoriam diuina beneficia Sanctis collata, quæ per ipſos etiam in nos redundarunt; vt per Apoſtolos, Pontifes, & Doctores: vnde excitamur ad amorem Dei & ſanctorum, gratiarumque actionem.

Tertiò; reuocant in memoriam exempla virtutum, & facta heroica: hinc prouocamur ad imitationem. De quo fusè in Septima Synodo varijs actionibus 2. 4. 6. 7.

Quartò; ſunt quædam noſtræ fidei profeſſio; dum enim erigimus Sanctis imagines, teſtamur eorum fidem, doctrinam, & mores nobis probari, & nos deteſtari omnem idololatriam & impietatem, contra quam ipſi vſque ad mortem pugnarunt.

Imago Simeonis Stylitæ.

Quintò, fouent in nobis fiduciam in aduerſis: Nam inſinuant nos habere ipſos apud Deum patronos. Sic Romæ paſſim omnes habebant imaginem Simeonis ſtylitæ pendentem ante officinas, etiam dum adhuc viueret; vt teſtatur Theodoretus in vita ipſius.

Sextò, Sunt teſtimonia honoris & reuerentiæ noſtræ, & amoris erga illos: nam omnium Gentium conſenſu, erectio ſtatuæ eſt ſymbolum honoris & amoris. Vnde in Cod. Iuſtiniani eſt titulus *De ſtatuis & Imaginibus inſignium perſonarũ*. Et hęc fuit prima cauſſa, cur Chriſtiani cæperint imagines deſiderare, teſte Euſebio lib. 7. cap. 14. Vnde hæc res non pendet ex reuelatione; ſed, ſuppoſita ſanctorum dignitate, ratio naturalis hanc imaginum erectionem dictat. Has ferè vtilitates inſinuat Conc. Trident. ſeſſ. 25. in Decreto de Imaginibus.

An imagines ſint cauſa erroris.

Nec obſtat; Quòd imagines poſſent alicui eſſe occaſio erroris, quia nulla creatura Dei eſt adeò bona, quin humana prauitas ex eâ poſſit capere anſam peccandi. Deinde Paſtorum induſtriâ huic errori facilè occurritur.

25 Probatur vſus Imaginum Dei & SS. Trinitatis.

Altera Pars propoſitionis, Scilicet Imagines Dei & Trinitatis licitas eſſe; eſt communior doctorum. Docet eam expreſsè Thom. Vvaldenſis tom. 3. de Sacramentis, tit. 19. cap. 155. & Sanderus libro primo de Imaginibus c. 4. & Caietanus hîc.

Probatur Primò, Exodi 25. Deus iuſſit fieri duo Cherubim ex auro. Salomon fecit duo alia ex oleâ; & alia in parietibus ſculpſit. Iem VII. Synodus act. 5. recipit imagines Angelorum: cur ergo non poſſit fieri imago Dei? cùm in vtriſque eadem ſit ratio, ſcilicet natura incorporea. Nec obſtat, quòd Angeli in Septima Synodo dicantur corporei, & ideò pingi poſſe. Nam illa ratio non eſt Concilij; ſed cuiuſdam Epiſcopi Theſſalonicenſis; ex cuius Dialogo citatur illa ratio; & quamuis Concilium approbet concluſionem, nõ tamen ipſam rationem. Nam & ratio falſa eſt, & ad rem non facit: ſi enim corpora haberent, ea eſſent tenuia; vnde non magis quàm Spiritus exprimi picturis poſſent.

An Angeli pingi poſſint, quia Corporei.

Deus ſæpè corporea ſpecie apparuit.

Probatur ſecundò, Deus ſæpè viſus eſt ſpecie corporea. Nam Adamo apparuit inſtar hominis *deambulantis in paradiſo ad auram poſt meridiẽ*; vt multi recentiores docent. Iacob vidit innixum ſummitati ſcalæ. Gen. 28. Iſaias cap. 6. & Michæas 3. Reg. vlt. *Viderunt Dominum ſedentem in ſolio* inſtar Regis. Amos cap. 6. Vidit illum ſtantem ſuper altare. Daniel. cap. 7. Vidit ſedentem in throno inſtar ſenis, cano capite, albis veſtimẽtis, Matth. 3. Spiritus ſanctus apparuit in ſpecie columbæ. Cur ergo non poſſint hæc ita pingi ad eadem repręſentanda?

Reſponſio Caluini refellitur.

Nec valet quod reſpondet Caluinus, Deum ſic apparuiſſe, vt daret aliquod ſpecimen futuræ Incarnationis. Quia non quæritur quo fine tales figuræ ſint licitæ; ſed an abſolutè & per ſe ſint licitæ. Deinde interdum Deus Pater apparuit, vt patet Dan. 7. qui Filio hominis tradidit regnũ; & tamen Pater non erat incarnandus. Denique Spiritus ſanctus apparuit poſt Incarnationem.

Ex vſu Eccleſiæ.

Probatur Tertio, Ex vſu Eccleſiæ, quæ vbique recipit imaginem Patris ſub ſpecie hominis Senis, & imperatoria ſpecie prædiți. Et imaginem Spiritus S. ſub forma columbæ; quam etiam approbat Synodus VII. act. 5. De qua forma vide Molanum cap. 6. de Imaginibus.

26 Imagines non debẽt formali ſimilitudine exprimere rem, vt eſt Chriſtus pingi poteſt in forma Agni.

Probatur Quartò, Ratione. Prima eſt, Quiã vt harum imaginum vſus ſit licitus, non requiritur vt repræſentent rem formali ſimilitudine, qualis in ſe eſt: alioqui imagines Angelorum & virtutum eſſent illicitæ; ſimiliter imago Chriſti Domini in forma Agni eſſet illicita, quæ tamen recepta eſt in VI. Synodo can. 82. quamuis ibidẽ prohibeatur in poſterum Chriſtus in forma Agni pingi, eò quòd Agnus ſit figura Veteris Teſtamenti; vt rectè Bartholomæus Caranza ad illum Canonem annotauit: (quamquam ipſe fallatur circa imaginem Columbæ & Stellæ, hæc enim non prohibetur.) Conſuetudo tamen imaginem Agni ſemper ſeruauit. Omnes hæ imagines carent formali ſimilitudine ad rem, cuius ſunt ima-

gines: ergo sufficit repræsentatio analogica, secundùm quam res corporales possint repræsentare spiritalia; iuxta quem modum hæ imagines repræsentant Patrem, & Spiritum sanctum, & spiritus Angelicos. De quo vide Dionysium c. vlt. Cælestis Hierarchiæ, & de Diuin. nomin. c. 10.

Secunda; Possumus interiùs formare imagines rerum corporalium, per quas Deum apprehendamus; cui non etiam fotis?

Non mile licet picturis Deo tribuere membra. quâ Scripturâ.

Tertia, Scriptura tribuit Deo membra humana: cur non etiam picturæ tribuat? Et quod Scriptura facit verbis, cur artifex non faciat figuris? An Magis incurrit peccati pœnitudinem, quam pennatmago quam litteræ? Vt recèt Thomas Valdensis raciocinatur Hinc pictura dicitur Græcè ζωγραφία, quasi dicas *Viua Scriptura*.

Responsio Caioni sefellitur.

Respondet Caluinus, quia Scriptura tollit periculũ erroris, dum alibi docet Deum elle incorporeum: pictura non item.

Sed hoc non refert: Nam Pastores Ecclesiæ, populum fatis docent Deum esse incorporeum; quod vt faciant, subet Conſilium Tridentinum sess. 25. Imò plures longè acceptunt ex Scripturis occasionem opinandi Deum esse corporeum, quàm ex picturis: nam Anthropomorphitæ ex scripturis sui errorem hauſ rũt: ex picturis autẽ paucissimi, vel forte nulli Christiani deceptisũt.

Sed contrà. Obijcitur Primò: Exodi 20. v. 4. 27 *Non facies tibi Sculptile, neque omnem similitudinẽ, quæ est in cælo desuper, & quæ in terra deorsum, & quæ in aquis sub terra: non adorabis, ea neque coles.*

Respondent, quòd, Iudæi vetitum fuit omnem imaginem, præsertim Dei, eò quod essent valdè rudes & proclives ad Idololatriam, ad quã etiam confluetudine Ethnicorum quodammodò abripiebantur, cùm mundus Idololatriã plenus eſſet: Verùm hoc præceptum fuiſſe politiuum & temporale, ſcilicet vſque ad tempus Noui Teſtamenti, quando per Euangelij lucem populo Dei non erat amplius Idololatriæ periculum. Ita Catarinus opuſc. de imaginibus in qua ſententia eſt etiam Alexander Alenſis 3 parte q. 30. Albertus, Bonauent. Richardus, Thadæus in 3. diſt. 9. & alij; quidam recentiores Eſt probabile.

Sed contraria ſententia videtur multò verior. Primò; Quia ipſe deus præcepit fieri in Veteri Teſtamento varias imagines; nec tamen veritus fuit, ne incideret in idololatriam. Secundò; Quia communis ſententia Patrum eſt, totam Decalogum eſſe legem naturalẽ ſeruandã à Chriſtianis, exceptâ determinatione de Sabbato in cultu diuino. Ita Irenæus lib. 4. contra hæreles cap. 31. *Et ideò*, inquit, *ſimiliter permanent* (ſcilicet præcepta Decalogi) *apud nos, extenſionem & augmentum, & non diſſolutionem accipientia per carnalem eius aduentum.* Et infrà dicit eſſe naturalia, liberalia, & omnium cõmunia. D. Auguſt. lib. 19. contra Fauſtum c. 18. dicit ſeruari à Chriſtianis primum Præceptum totum: *Non facies tibi Idolum, & cuiuſcumque limilitudinis*, id eſt, quæ in hoc præcepto ſequuntur. Epiſtola 119. ad Ianuarium inquit, *inter omnia illa decem Præcepta, ſolum ibi quod de Sabbato poſitum eſt, figuraliter obſeruandum præcipitur.* Idem docet D. Thomas 2. 2. q. 122. art. 1. & 2. Vnde patet hoc præceptum non eſſe poſitiuum. Non *facies tibi Sculptile.*

Tot⁹ Decalogus eſt lex naturalis ſeruanda à Chriſtianis, excepto Sabbato.

Vnde aliter Reſpondetur: Prohiberi illis vetere lege naturæ erat illicitum; ſcilicet, ne ritu gentilitio, & mente infideli facerent aliquam ſimilitudinem, vt eam diuino cultu colerent: ſicut tunc apud omnes gentes Nationes conſuetum erat. Ita Beda lib. de Templo Salomonis c. 19. Thom. Valdenſ. tom. 1. cap. 13. Caietan. in hunc locum Exodi. Sanctus lib. 1. de Imaginibus c. 7. Caſtro V. Imago, hereſi 1. ſub finem. Et colligitur apertè ex Patribus citatis. Quibus adde Cyprianum lib. 3. Teſtimoniorum ad Quirinum cap. 59. & lib. de exhortatione ad Martyres cap. 1. quibus locis citatus illud Exodi 20. Non *facies tibi Sculptile*, pro, *Sculptile*, ſemper ponit, *Idolum*. Idem facit Tertullianus lib. de Idololatria cap. 4. & Auguſt. lib. 19. contra Fauſtum cap. 18. Idem Auguſt. q. 71. in Exodum dicit illa verba: Non *facies tibi Idolum, nec vllam Similitudinem*, elle ſolum explicationem eius, quòd dictũ erat, *Non erunt tibi Dij alij præter me.* Eadem ſententiam tenet D. Thom. hîc ad 1. Et patet ex eo, quod antecedit; quod eſt ratio totius Præcepti: *Ego ſum Dominus Deus tuus*: Deinde ſubiungit, *Nõ habebis Deos alienos coram me*, ſcilicet fide & æſtimatione interiorẽ. *Non facies tibi Sculptile &c. Nõ adorabis ea, neque coles*: quaſi dicat: Nec interiorẽ æſtimationem nec externo opere habebis Deum alium præter me, *Quia ego Dominus.* Quod clariùs patet Leuitici 26. v. 1. vbi idem repetens ait: *Ego Dominus Deus veſter: non facietis vobis Idolum & Sculptile; nec titulos erigetis, nec inſignem lapidem ponetis in terra veſtra, vt adoretis eum: ego enim ſum Dominus Deus veſter.* Quaſi dicat, ne honorẽ meũ ad alios transferatis. Qua ratio nihil valeret, niſi ageretur de honore diuino. Similis locus eſt Deuteron. 4. v. 15.

Obijcitur Secundò, Iſaiæ 40. *Cui ſimile feciſti deum aut quem imaginem ponetis ei?* Idẽ ſignificatur Sap. 15. & Actorum 17. 28

Quomodo nefas ſit Deo imaginem ponere.

Reſpondeo; Ibi eſſe ſermonem de imagine, quæ Deum exactè & ad viuum repræſentet. Vide Caietanum hoc loco. Quomodo intellige Patres, dum dicunt, nefas eſſe Deo imaginem ponere. Nos autem loquimur de imagine, quæ analogicè Deum repræſentat, quatenus res ſpirituales vtcũque formis corporalibus poſſunt adumbrari; vt tradit Dionyſius lib. de Cæleſti hierarchia cap. vlt. Verùm talem imaginem Iudæi & Ethnici nõ intendebant facere.

Diſtinguo Obiectũ. Durandi. Prior eſt, formæ illę, ſub quibus deus nos Duapparuit, non fuerunt à Deo hypoſtaticè aſſumptę: ergo imago illarum ſolùm repræſentat illas, non Deum.

Ex His etiam facilè ſoluuntur duę rationes

Reſpondeo, Negando Conſequẽtiam; verum-que enim repræſentat imago, & illam formam, & ipſum Deum per formam illam repræſentatũ. Sicut qui ſtatuam Cæſaris depingit, pictura illã vtrumque repræſentat. Addo, talem imaginem etiam immediatè poſſe Deum repræſentare; ſicut & forma illa ſub qua Deus apparuit. Ratio eſt, quia hoc pendet ab intentione pingentis; ſicut & aliarum rerum ſignificationes ex hominum placito pendent, modò in re ſit fundamentum.

Altera Duran. Ratio; Ita formę non ſignificant diuinas perſonas, ſed ſolùm effectus earum: vt columba ſignificatem ſpiritalem baptiſmi, quam habebat à Spiritu ſancto. Reſpondeo, Id verũ non eſſe; nam ipſe quoque Spiritus ſanctus in Scriptura dicitur dari ſub his ſignis, ac proindè repræſentari. Deinde, etiamſi immediatè ſolùm effectus repræſentaretur; tamen mediatè etiam illius auctor exhibetur; nam effectus repræſentat ſuam cauſſam.

Imagines Chriſti, & ſanctorum, 29 decretè in Eccleſia collocatæ

Dico Secundò, Imagines Chriſti, & ſanctorum, & etiam ipſius diuinitatis, rectè & pie in templis collocari. Prior pars de imagine Chriſti, & ſanctorum, eſt ſide tenenda, definita in vii. Synodo act. 7.

Aſſoluitur Exod. 20. Non facies tibi ſculptile.

act. 7. & in Conc. Romano ſub Gregorio III. & in Concil. Trident. ſeſſ. 25.

Probatur Primò; Quia populus iudaicus, etſi in idololatriam eſſet propenſiſſimus, tamen habebat imagines in templo, non ſolùm rerum corporalium, ſed etiam ſpiritalium: vt patet Exodi 25. & 3. Regum 6. & 7.

Antiquiſſimus vſus imaginum in templis.

Probatur Secundò, Ex vſu Eccleſiæ; nam tempore Iuliani Apoſtatæ, Chriſtiani imaginem Chriſti, quam illi erexerat Hæmorrhoiſſa, in templum intulerunt, teſte Sozomeno lib. 5. hiſt. cap. 20. Et in templis à Conſtantino ſtructis fuit maxima multitudo imaginum aurearum & argenteārum, teſte Euſebio lib. 3. & 4. de vita conſtantini; & tamen tunc maximè cæpit aboleri idololatria. Adrianus I. lib. pro Imaginibus ſub finem, qui habetur poſt VII. Synodum tom. 3. Concil. refert Silueſtrum, Damaſum, Cæleſtinum, Sixtum & Pelagium Pontifices templa varijs imaginibus exornaſſe.

Arguitur caluinus mendacij.

Hinc Patet apertum caluini mendacium, qui ait primis quingentis annis imagines in templis non fuiſſe; nam hæc omnia ante annum quingentiſſimum facta ſunt.

Imagiō in templis expoſitarū vtilitas.

Probatur Tertiò, Ratione: Primò, Nam vtilitates ſuas commodiſſimè præſtant in templis; eo enim conueniunt homines, vt in ſe excitēt, fidem, ſpem, charitatem, religionem, imitationem Sanctorum, & ſimilia: Secundò, Quia ſigna excellentium perſonarum debent poni in loco excellenti, ſacra in ſacro, prophana in prophano. Tertiò, Decet, vt imagines incolarum Cæli, ſint incolæ templi; nam templum eſt imago cæli.

30 Cur conc. Ilibertanū vetuerit pingi imagines in pariete.

Obijciunt Hæretici concilium Elibertinum cap. 36. *Placuit in Eccleſia picturas eſſe non debere, ne id quod colitur, vel adoratur, in parietibus depingatur.*

Reſpondeo; Non vetari ſtatuas Sanctorum, vel Dei, aut picturas illorum in tabellis: ſed ſolùm in parietibus. Ratio eſt; Quia facilè corrumpuntur vel mutilantur in parietibus, fædamque ſpeciem contrahunt. Et hoc eſt quod ait, *ne quod adoratur, in parietibus depingatur*, ſcilicet in loco parum decoro, vbi procliuis eſt fædatio.

An illicitum dicat Epiphanius vt pendeat imago ſancti in Eccleſia.

Obijcitur Secundò, Epiphanius epiſt. ad Ioannem Hieroſolymitanum ſub finem epiſtolæ, dicit contra Scripturæ auctoritatem eſſe, quòd in Eccleſia pendeat imago hominis. Vnde, vt ibidem ait, velum quoddam, in quo talis imago continebatur, appenſum foribus templi, diſcidit.

Reſpondeo Epiphanium apertè loqui de imagine hominis ignoti & prophani: *Inueni velum*, inquit, *pendens in foribus Eccleſiæ, & habens imaginem quaſi chriſti vel ſancti alicuius*, volebat ergo nō fuiſſe *Chriſti vel Sancti alicuius*, ſed hominis prophani, eo honore & modo, quo ſolet chriſti vel Sancti imago depingi. Ita Marius Victorinus in ſcholijs ad illā epiſtolā, quæ inter Epiſtolas Hieronymi eſt ſexageſima. Quod confirmatur: Quia alioqui homines illius loci contra Epiphanium tamquam contra iconomachum murmuraſſent: & Ioannes Hieroſolymitanus eius aduerſarius, id ei obiecíſſet; quod tamen non fecit.

DVBIVM. II.

Vtrùm Imagines chriſti, Sanctorum, & Dei aliquo cultu & adoratione ſint venerandæ?

31 opiniones hæreticorum.

OMnes hæretici ſuprà memorati negant vllā adorationem aut reuerentiam imaginibus deferendam. Caluinus tamen admittit imagines ad repræſentationem hiſtoricam, id eſt, cum illis circumſtantijs, quibus hiſtoria aliqua exhibetur; nudas autem nullo modo. Quidam Lutherani etiam ad ornatum templorum permittunt. Deniq; Quidam tempore VII. Synodi etiam ad memoriā prototypi imagines recipiebant, ſic tamen vt nullum eis reuerentiæ ſignum dicerent exhibendum, ſed ſoli prototypo; quos Epiphanius vocat *Semiprobos, & ſalſi-veros*. Idem videntur ſenſiſſe qui Pariſijs ſub Ludouico & Lōthario congregati fuēre.

circa cultum imaginum.

Imagines ſacras venerandas, eſt de fide.

Sed Communis Catholicorum ſententia eſt, imagines Chriſti & Sanctorum aliquo honore extetno, ſeu externā adoratione eſſe afficiendas, id eſt, deferenda ijs eſſe ſigna ſeruitutis & ſubmiſſionis, genuflexione, nudatione capitis, amplexu, oſculis, luminaribus, ſuffitibus, & ſimilibus. Eſt fide tenenda, definita in VII. Synodo act. 7. Eſtque traditio Apoſtolica, vt docet Damaſcenus libro 4. de Fide cap. 17. Item in Synodo Romanā ſub Gregorio III. pro imaginibus celebrata Epiſcoporum pænè mille. Et in alia Romana ſub Stephano III. Denique in Synodo Florent. ſeſſ. 5. & in Trident. ſeſſ. 25.

Exempla Scripturæ.

Probatur Primò, Ex Scripturis: Pſalm. 98. v. 5. *Adorate ſcabellum pedum eius, quoniam ſanctum eſt.* Reſpondent hæretici per *ſcabellum* intelligi *templum*: & ſenſum eſſe *adorate in templo*, ſcil. Dominū, quia ſanctus eſt. Sed contrà, quia tēplum nuſquā appellatur *ſcabellum Dei*, ſed Arca fœderis, vt patet 1. Paralip. 28. v. 2. *Parani locum, vbi requieſceret Arca Dñi, & ſcabellum pedum Dei noſtri.* Et Pſ. 131. v. 7. *Introibimus in tabernaculum eius, adorabimus ad ſcabellum pedum eius*, vt habent Hebræa: id eſt, *adorabimus ad Arcam.* Dicebatur autē Arca *ſcabellum Dei*, quia ſupra arcā erat propitiatoriū, veluti quædam Dei ſedes, quod tenebatur à duobus cherubim: vnde etiam Dominus dicitur *ſedere ſuper Cherubim.* Nunc, ſi Arca eſt adoranda, quia ſancta, id eſt, Deo dicata; etiam imagines adorandæ ſunt, quia ſanctæ: referunt enim res ſacras, & diuino cultui ſunt dicatæ. Hac ratione vtitur ſynodus VII. act. 3. addens etiam Propitiatorium, & totum Tabernaculum adoratum à Filiis Iſraël.

Arca fœderis.

Imagines cherubim

Serpens æneus.

Probatur Secundò; In veteri teſtamento adorabantur imagines Cherubim, teſte Hieronymo epiſt. ad Marcellam: *Venerabantur*, inquit, *olim Iudæi ſancta ſanctorū, quia ibi erant Cherubim, & Propitiatorium, & Arca teſtamenti.* Præterea, Serpens æneus Numeror. 21. multorum ſententiā, adorabatur quadam corporis inclinatione: quod inſinuat D. Auguſt. lib. 3. de Trinit. cap. 10. vbi ſerpentem æneum numerat inter ſigna Deum repræſentātia; *Quæ ſigna*, inquit, *poterāt habere religioſam venerationem.* Et ratio eſt, tùm quia erat figura chriſti; tùm quia in ſublimi poſitus ſalutem aſpicientibus conferebat: quod non videtur factum ſine religioſā veneratione: ſigna enim vtilia diuinitus inſtituta, veneranda ſunt; quia honor eorum ad prototypum tranſit. Ergo etiā imagines chriſti & Sanctorum ſunt venerandę.

Patres.

Probatur Tertiò, Ex Patribus. Eſt enim hęc communis omnium ſententia. Plurimi citantur in VII. Synodo ſex prioribus Actionibus: & à Damaſceno tribus orationibus de Imaginibus.

32 Miracula per imagines facta.

Probatur Quartò, Ratione prima eſt, Quia adoratio ſæpè eſt miraculis comprobata; quorum quædā referuntur in Septima Synodo Act. 4. & 5. & à Damaſceno tribus orationibus de imaginibus. Vide præterea Euſebium lib. 7. hiſtor. cap. 14. de herba ignota ad ſtatuam Saluatoris, quæ curabat omnes morbos. Et Sozomenum lib. 5. hiſt. cap. 20. de imagine Iuliani, quæ cæleſti

igne conſumpta eſt, cùm in locum imaginis chriſti eſſet poſita. Euagrium lib. 4. hiſtor. cap. 26. de incendio Edeſſenæ vrbis per imaginem chriſti extincto. Et Athanaſium de paſſione imaginis chriſti, vnde ſanguis effluxit, qui curabat quoſuis infirmos. Et confirmatur ex odio Dæmonis, quo hanc venerationem proſequitur. Cuius Exemplum extat in Prato ſpirituali Sophronij c. 45. de quodam ſene, qui vehementer ſpiritu fornicationis ſollicitabatur; cui apparens Diabolus promiſit ſe diſceſſurum, ſi imaginem B. Virginis, quam in cubiculo habebat, non ampliùs venerari vellet: quod refertur in VII. Synodo, action. 5. Vide Molanum cap. 6. de Imaginibus.

Hoſtes Imaginum fuére impij: Defenſores, ſancti.

Secunda Ratio, Quia Imaginum oppugnatores fuerunt homines impij; vt Iudæi, Samaritani, Mahometani, hæretici: vt patet exhiſtorijs, potiſſimũ Paulo diacono, Sonara, & Nicephoro. Defenſores autem fuerunt viri ſanctiſſimi & Doctiſſimi: vt Gregorius I. & Adrianus I. pontifices; Germanus, & Tharaſius Patriarchæ conſtantinopolitani, Damaſcenus, Methodius, & alij.

Honor Imaginis tranſit in prototypũ

Tertia denique Ratio, Quia perſonis excellentibus debetur honos, non ſolùm in ſeipſis, ſed etiam in ſuis imaginibus, quæ vicem illarum inabſentiâ ſupplent. Sicut amico debetur beneficium, non ſolùm in ſe, ſed etiam in rebus ſuis; v. g. iumento. Vnde honor qui exhibetur imagini, tranſit in exemplar: ſicut contumelia facta imagini, cenſetur contumelia exemplaris, vt communis hominum ſenſus docet. Qua ratione vſus eſt Simeon Stylites in Epiſt. ad Iuſtinum Iuniorem, vt refertur in Synodo VII. Act. 5. Vide etiam Euſebium lib. 9. cap. 10. hiſtor. de ſtatuis Maximini deiectis: Et Chryſoſt. orat. 2. & 3. ad populum de ſtatua vxoris Theodoſij.

33
1. Obijciunt hæretici Scripturam.

Sed contrà Obijciunt hæretici multa loca ſcripturæ, quibus prohibetur cultus ſimulacrorum. Sed hæc nihil ad rem: Imagines enim noſtræ non ſunt ſimulacra. Simulacra enim ſunt idola, id eſt, falſæ ſimilitudines, ſcilicet falſorum Deorum: noſtræ autem imagines ſunt ſimilitudines rerũ verarum. Deinde Ethnici colebant, vel ipſa ſimulacra tamquam Deos, vt patet Iſaiæ 46. Pſalm. 134. Abacuc. 2. Baruch. 6. Actor. 9. vel falſos Deos, qui per ſimulacra repræſentabantur: ſicut in forma vituli Deum Ægyptiorum Apim, Exod. 32. Et Philoſophi in Simulacris colebant elementa mundi, vel Dæmones ipſos, teſte D. Aug. lib. 8. de ciuit. c. 23. & 24. Nos autem nec imagines ipſas, nec Sanctos repræſentatos, tamquam Deos colimus.

Secundò, Obijciunt duo Concilia Conſtantinopolitana: alterum ſub Leone Iſaurico, ſiue Iconomacho, alterum ſub filio eius Conſtantino copronymo: quibus definitur *Imagines eſſe abolendas*, vt colligitur ex Paulo Diacono lib. 21. & 22. rerum Romanarum.

34
2. Obijciunt duo Concilia Conſtantinopolit.

Reſpondeo, ſub Leone nullum fuiſſe tale concilium more Eccleſiaſtico congregatum: ſed ſolũ videtur fuiſſe congregatio hominum laicorum, ad quam ipſum Patriarcham pertrahere voluerunt: vnde nullus auctor talis Concilij meminit. Sub Conſtantino autem, fuit quidem congregatum Concilium 138. Epiſcoporũ: ſed ferè omnes erãt hæretici: neque more vſitato congregatum fuit: neque Romanus Pontifex per ſe aut per Legatos adfuit, nec vllus Patriarcha: vt patet ex Paulo diacono, cedreno, & Sonara. Vnde Septima Synodus vocat hanc Synodum profanam, adulterinam, & execrabilem.

Tertiò, Obijciunt Synodum Francofurdienſem celebratam circa annum Domini 790. quę fuit authoritate Adriani Papę congregata. In hac dicitur eſſe damnata Synodus VII. quæ imagines colendas definierat. Quod confirmant ex fragmẽto quodam Hincmari, deſumpto ex libro quem ſcripſit contra Epiſcopum Laudunenſem cap. 20 vbi dicitur in concilio francofurdienſi ſeptimam ſynodum: (quam ipſe vocat *Pſeudo-ſynodum & ſine authoritate ſedis Apoſtolicæ factam*) eſſe deſtructã & abdicatam: *De cuius*, inquit, *deſtructione, non modicum volumen, quod in palatio adoleſcentulus legi, ab Imperatore Romam miſſum eſt.* Item ex libro, quem vocant *Carolinum*, & dicunt conſcriptum à carolo Magno contra VII. ſynodum: vbi ſic dicitur in Præfatione: *Allata eſt in medium* (ſcilicet cõcili) Francofurdienſis) *quæſtiuncula de Græcorum Synodo, quam de adorandis imaginibus Conſtantinopoli fecerunt, in qua ſcriptum habebatur, vt qui imaginibus ſanctorum, ita vt deificæ Trinitati ſeruitium aut adorationem non impenderent, anathema iudicarentur.* Et paulò pòſt; *quod Sanctiſſimi Patres noſtri* (ſcilicet concilij Francofurdienſis) *conſentientes damnarunt.* Reſpondent quidam, concilium francofurdienſe damnaſſe quandam ſynodum conſtantinopolitanam hæreticam, quam hæretici vocãt *Septimam Synodum*: non autem dãnaſſe verã *Synodum Septimam*, quæ eſt *Nicæna Secunda*. Ita Alanus Copus valdè fusè, dialog. 4. cap. 18. 19. & Sanderius lib. 2. de Adoratione imaginum cap. 5. & Surius in præfat. ad Synodum Francofurt. tom. 3.

35
3. Obijciunt Synodum Francofurdienſ

confirmãt ex Hincmaro.

Et Libro qui dicitur Carolinus.

Quorundam ſolutio.

Verùm hanc ſententiam benè refutat Bellarminus. Illa enim Synodus Conſtantinopolitana, non erat pro adorandis imaginibus facta, ſed pro vaſtandis. Adde, Præfatio libri carolini citati loquitur de Synodo quæ facta eſt pro adorandis imaginibus, idque in Bithynia, vbi eſt Nicæa, non Conſtantinopolis: vnde etiam Auctor ille totus eſt in Synodo Nicæna oppugnanda. Nec obſtat, quòd dicat *Conſtantinopoli factam*; in hoc enim lapſus eſt auctor: facilius enim erat labi in nomine vrbis, quam Regionis, & totius quæſtionis ſcopo quæ in concilio tractata eſt. Idem patet ex fragmento Hincmari, qui expreſsè loquitur de Nicæna Synodo, quæ decernit imagines eſſe adorandas.

Non placet.

Vnde alij reſpondent in Synodo Francofurdienſi verè quidem damnatam eſſe Synodum Nicænam, ſed ex ignorantia facti, eò quòd illi Patres decepti ab auctore libri carolini putarent in Septima Synodo eſſe definitum, vt imagines colerentur cultu latriæ, & ipſam fuiſſe celebratam ſine auctoritate Papæ: vnde contra vtrumque decretum fecerunt.

Altera aliorum ſolutio.

Verùm non eſt ſatis credibile Synodum Francofurdienſem potuiſſe id de Nicæna II. exiſtimare. Primò, Quia conſtabat plus quàm Trecentis Epiſcopis, ex tota Gallia, Germania & Italia; & acta Synodi Septimę miſſa erãnt ab Adriano ad Epiſcopos Galliæ, vt teſtatur Hincmarus loco citato. Vnde non poterant ignorare, quid ibi eſſet definitum. Secundò. Quia legati Adriani intererant, qui facilè potuiſſent Patres Concilij de ſententia VII. Synodi inſtruere: nam idem Papa Legatos ſuos in Septimâ habuerat. Tertiò, Quia nulla eſt ratio, cur Patres concilij Francofurdienſis pollent in animum inducere, VII. Synodum voluiſſe inſtaurare apertam idololatriam.

Refutatur

Dicendum ergo eſt; Concilium Francofurdienſe nihil contra cultum imaginum vel VII. Synodum definiuiſſe. Primò, Quia ſummum honorem deferunt Pontifici, cui etiam ſuas definitiones

36
Verior ſolutio de Synodo.

Franco furdienſi. ſubijciunt. Vnde non eſt credibile illos quidquã contra illius mentem tentaſſe. Secundò, Quia Adrianus in refutatione libri Carolini, huius definitionis aliquam mentionem feciſſet; quia liber ille tunc temporis conſcriptus eſt. Tertiò, Quia non eſt credibile coram Carolo Magno, qui intererat, errorem Iconomachiæ eſſe inſtauratum, cùm ad ipſum fuerit imperium Occidentis à Leone III. annis ferè ſeptem poſt Synodum Francofurdienſem delatum, eò quòd imperatores Orientales eſſent Iconomachi: vt notauit Sanderus lib. 2. cap. 5.

Quid ſentiendum de carolino. Ad Teſtimonium Præfationis Carolini, Reſpondeo Primò: incertum eſſe, de quibus iſte Auctor loquatur, vtrùm de Patribus Concilij Francofurdienſis, an de quibuſdam alijs circa id tempus alibi congregatis: quod longè eſt veriſimilius. Nam illa parentheſis omninoaddititiavidetur, vt rectè notauit Surius in præfatione ad Synodum francofurdienſem. Secundò; Conſtat Auctorem illum fuiſſe, non Carolum Magnum, vt optimè oſtendit Bellarminus, ſed fortaſſis hæreticum & metum impoſtorem. Nam imponit Synodo II. Nicænę, quòd iuſſerit *adorari imagines latriâ*, cùm tamen expreſſè plus quàm decies id non eſſe faciendum doceat. Nec id potuit ille Auctor ignorare, cùm plurima ex illius actis adducat: ſed facit more hæreticorum, qui omnem venerationem, quam catholici imaginibus exhibent, idololatriã vocant.

Hincmarus deceptus fuit. Hincmarus autem deceptus eſt ex libro carolino, cùm adhuc adoleſcentulus eſſet: & alij ex Hincmaro, vt fusè oſtendit Gabriel Vaſquez lib. 2. de Adoratione diſp. 7.

Synodus Francofurdinon eſt vniuerſalis, nec approbata. His Adde, quidquid ſit de concilio francofurdienſi: Synodus Nicęna eſt vniuerſalis, prior, & ſine controuerſia approbata à Pontifice Adriano & Leone III. At Synodus francofurd. non eſt vniuerſalis: & ſi quid tale definiuit, non eſt approbata. Nam centuriatores Magdeburgenſes centuria 8. c. 9. dicunt Adrianum & Legatos eius repugnaſſe huic definitioni. Quod ſi verum eſt, eſt nullius auctoritatis, vel ipſa Synodo francofurdienſi teſte, quæ expreſsè docet *vltimum iudicium controuerſiarum ad Romanum Pontificem pertinere*.

DVBIVM III.

Vtrùm Imaginibus ſecundùm ſe conſideratis debeatur aliqua adoratio? & quo modo ſint adorandæ?

QVidam Doctores docent, imagines poſſe dupliciter conſiderari. Primò, ſecundũ ſe ſecluſo exemplari, ita vt ipſæ ſint integer terminus adorationis: exemplar autem ſola ſit ratio cur ipſæ adorentur, & non id quod ſimul adoratur: & ſic deberi eis minorem adorationem, quàm exemplaribus. Secundò, quatenus quodammodò includunt ipſum exemplar, veluti vitam quandã: & ſic eodem cultu adorari, quo exemplar.

37 Ita Sãderus lib. 2. de Imaginibus cap. vlt. & plerique recentiores.

38 Imagines ſecluſo exemplari, non ſunt capaces adorationis. Dico Primò: Imago, ſi conſideretur per ſe, excluſo exemplari, non eſt capax adorationis propter exemplar, ſed ſolùm quatenus cum eâ conſideratur exemplar, quod ſemper eſt proximus terminus, & proximum obiectum formalis adorationis. Colligitur id ex D. Thoma hîc art. 3. 4. 5. & Caiet. ibidem. Alexandro Halenſi 3. p. q. 30. memb. 3. a. 3. Bonauẽt. Richard. Palud. Capreol. Almaino & Maiore diſt. 9. Eandem tenet Vvaldenſis tom. 3. cap. 116. & multi alij recentiores, quos citat Gabriel Vaſquez lib. 2. de Adoratione. Diſput. 8.

Probatur, ſimul & explicatur. Primò; Imago ſecundùm ſe eſt res inanima: ergo non eſt capax honoris. Patet conſequentia: quia non eſt capax contumeliæ, ſicut nec iuris aut iniurię, beneficij aut maleficij: ſola enim natura rationalis horum eſt capax, quæ poteſt honorem & contumeliam, tamquam bonum quoddam & malum apprehendere, appetere, fugere.

Adoratio, vt pertinet ad iuſtitiã non eſt niſi ad alterum capacem rationis. Probatur Secundò: Quia Adoratio eſt actus Religionis, vel Obſeruantiæ, vel Pietatis: hę autem virtutes ſunt partes potentiales Iuſtitiæ: vt docet D. Thomas 2. 2. qu. 80. art. 1. Iuſtitia autem non eſt, niſi ad alterum rationis & libertatis participem: in libertate enim ius fundatur: ergo reſpectu imaginum ſecundùm ſe conſideratarum non eſt vllus actus adorationis.

Illuſtratur exempli. 1. Beneficentia. Confirmatur quibuſdam exemplis. Primò, charitatis ſeu Beneficentię: qui enim diligit amicum, non ſolùm ipſi in ſe immediatè bene vult, & benè facit, ſed & cani & equo rebuſque aliis ipſius: hęc tamen voluntas & externa tractatio equi & canis, non eſt formaliter actus amicitię reſpectu ipſorum, ſeu vt ad ipſos terminatur; ſed reſpectu Domini, quatenus hęc voluntas & externum beneficium tranſit in Dominum. Nam benè tractare equum amici, quia eius equus eſt, eſt benefacere amico: non autem ipſi equo, niſi materialiter: eſt enim actus materialis beneficentię, qui vt fiat completus & formalis actus, debet referri in ipſum Dominum. Eodem modo, qui veneratur Deum & Sanctos, non ſolùm ipſis in ſe honorem exhibet, ſed etiam in ſuis imaginibus, & per illas. Verùm hic actus, quatenus terminatur ad ipſas, non habet rationem adorationis formalis, ſed quatenus tranſit in exemplar. Exhibere enim imagini B. Virginis notam externam adorationis, eſt formaliter adoratio ipſius B. Virginis, ita vt ipſa ſit immediatus terminus & obiectum illius cultus: imago autem ſolùm eſt terminus illi⁹ actus externi materialis.

2. Iuſtitia particularis. Secundò, Exemplo iuſtitię particularis. Si enim habeas equum Petri commodatò, ex iuſtitia teneris illum benè tractare: hæc tamen bona tractatio equi, non eſt actus iuſtitiæ reſpectu equi, ſed reſpectu ipſius Petri: reſpectu autem equi eſt ſolùm materia actus iuſtitiæ. Pari modo, honorifica tractatio imaginis, non eſt formalis adoratio imaginis, ſed exemplaris: idque ex natura rei, ſiue actionis: neque opus eſt noua mentis reflectione.

39 Adoratio conſtat formali & materiali. Probatur Tertiò, quòd Imago per ſe non ſit capax adorationis. Nam adoratio, quatenus eſt actus virtutis, conſtat duabus partibus, ſicut & quiuis alius actus virtutis exterior: nempe interno affectu ſeruitutis ſeu ſubmiſſionis, qui eſt formale adorationis: & externâ notâ ſubmiſſionis, quæ eſt materiale: & ex his duobus conflatur integer actus adorationis, quatenus adoratio eſt actus virtutis latriæ vel dulię. Idem cernitur in actu Iuſtitiæ & beneficentiæ. Nam actus iuſtitiæ, vt ſit virtutis, requirit affectum internum ad ſatisfaciendum iuri alterius, tamquam formale: & externam redditionem, tamquam materiale.

Formale Adorationis non tẽdit in Imaginem ſecundùm ſe. Actus beneficentiæ requirit internum affectum erga alterum vt amicum, & externum beneficiũ. Nunc ſic licet argumentari. Id quod eſt formale in adoratione, ſcilicet affectus ſubmiſſionis, ipſaque interior ſubmiſſio, nullo modo tendit in ipſam imaginem ſecundùm ſe, ſed tantùm in exẽplar. Neque enim interiùs agnoſcimus imagi-

Digitized by Google

nes nobis ſuperiores;nec interno affectu nos illis tanquam minores & ſeruos, ſubijcimus tamquã maioribus & Dominis noſtris: ergo ipſę ſecundùm ſe nullo modo ſunt adorandę. *Secundùm ſe*, inquam id eſt,ſeiunctę ab exemplari,ita vt adoratio non ſit ipſius exemplaris.

40 Probatur concluſio, ex Synodo VII.

Probatur Quartò, Teſtimonijs conciliorum & patrum. Synodus VII. act. 7. definit imaginibus exhibendam ſalutationem & honorariam adorationem, non autem veram latriam. Rationẽ ſubdit: *Imaginis enim honor in prototypon reſultat: & qui adorat imaginem, in eâ adorat quoq; deſcriptam hypoſtaſim*, id eſt, exemplar. Hic concilium docet imagines non adorari latriâ, quia non ita adorantur, vt in ipſis ſiſtatur, ſiue vt affectus ſeruitutis in illas dirigatur; ſed ita, vt omnis honor externus illis exhibitus tranſeat in exemplar, quod in ipſis adoratur. Sicut ſi quis diceret, canem Petri à te non diligi dilectione amicitiæ, eòquòd beneficium ipſi impenſum non ſit ipſius, ſed Petri amici tui.

Dices; Etſi honor imaginis tranſeat in exemplar, non tamen ſequitur, eam per ſe non honorari. Nam ſimili modo in Syn. VII. act. 4. dicitur, *eũ qui Martyrem colit, Deum ipſum colere*, & tamen Martyr ſecundùm ſe colitur. Et Damaſc. lib. 4. de fide c. 17. *Sanctorum honorẽ*, dicit, *in ipſum Deum tranſire*. Reſpondeo; Patres interdum vti eiuſmodi ſimilitudine, vt in genere oſtendant imagines coli poſſe: tamen non volunt eſſe omnino eandem rationem imaginis ad exemplar, & ſanctorum ad Deum. Nam Sancti ſunt capaces honoris ſecundum ſe, & habent intrinſecam dignitatem honorabilem, qualis eſt virtus, ſapientia, poteſtas: vnde ſine vllo reſpectu, aut cogitatione de Deo, poſſũt honorari. Imagines autem nec honorem poſſunt capere, nec habent excellentiam vllam venerabilem: vnde per ſe, aut ſine notione exemplaris, adorari nequeunt. Dicitur autem honor Sanctorũ in Deum redundare; ſicut opus miſericordiæ impenſum proximo, dicitur impenſum Deo: iuxta illud Matth. 25. v. 40. *Quod vni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis*, nempe, quia Deo gratum eſt & acceptum, ſicut ſi ſibi factum eſſet.

martyr per ſe, ſine reſpectu ad Deum coli poteſt Non ſic Imago.

Ex concilio Tridẽtino.

Concilium Trident. ſeſſ. 25. In decreto *de ſacris imaginibus*, definit imaginibus debitum honorem & venerationem impertiendam, quia honor qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illę repræſentant: *Vt per imagines, quas oſculamur, & coram quibus caput aperimus, & procumbimus: chriſtum adoremus & Sanctos, quorum illæ ſimilitudinẽ gerũt.* Hîc concilium explicat modum, & rationem, cur ſint adorandę; inſinuans non eſſe alium modum; nam loquitur dogmaticè contra hęreticos. Sicut, ſi quis diceret, equum acceptum commodatò à Petro, benè tractandum; quia illa tractatio refertur ad Petrum, cuius eſt equus; vt per hanc equi curam, Petro debitum officium iuſtitię præſtes.

Idem motus in imaginem & exemplar.

Ex quo patet concilium velle, adorationem imaginis, eſſe adorationem exemplaris. Vnde dici ſolet *eſſe eundem motum in imaginem & in exemplar*: quod proprie verum eſt de *motu adorationis*. Nam eàdem numero adoratione adoratur imago & exemplar, cùm imaginis adoratio, ſit adoratio exemplaris. Noneſt tamen idem motus cognitionis aut amoris in imaginem, & exemplar, quidquid dicat caietanus hoc loco: nam alio actu amatur & cognoſcitur imago, alio exemplar. Quodam tamen ſenſu poteſt dici idem motus cognitionis in imaginem & exemplar; nempe ſi imago accipiatur pro ſpecie intelligibili, velphãtaſmate, & exemplar pro obiecto: quo modo Ariſtoteles loquitur in libro de Memoriâ & recordatione cap. 2. citatus à D. Thoma: ſed tunc motus cognitionis potiùs eſt per imaginem, quam in imaginem; phantaſma enim, non eſt id quod cognoſcitur, ſed quo vis cognoſcendi cognoſcit obiectum. Omitto alia teſtimonia; quorum plurima ſunt in Septima Synodo; in quibus dicitur, *Vnam eſſe adorationẽ ipſius imaginis & prototipi, eò quod imaginis honor ad exemplar trãſeat.* Item, *Imagines adorari, quia per eas adoratur prototypon.*

41 1. Obiect. ex VII. Synodo.

Sed contrà. Primò, Obijciũtur varia teſtimonia Patrum Septimæ Synodi, in quibus dicitur *Imagines non eſſe adorandas cultu latriæ, ſed oſculo, honorariâ ſalutatione ſuffitu, luminaribus.* Et actione 6. inter cetera ſic dicitur: *Quapropter non indignas habemus eas honore, ſalutatione, & veneratione; debitũ tamque adorationem illis dare debemus: ſine ergo placebit ſalutationem, ſine adorationem appellare, idem profectò erit, modò ſciam* [illa] *excludit latriam; hæc enim alia eſt à ſimplici adoratione.* Ergo illi Patres volũt imagines ſecũdùm ſe coli aliquo cultu, ſed minore quàm latriâ. Nam ſi conſiderentur cum exemplari; ſic imago chriſti & Trinitatis colitur latriâ.

Solutio. VII. Synodus dicit imagines non latria ſed ſimplici honore coleñdas.

Reſpondeo Negando Conſequentiam. Cùm enim dicant illas *latriâ colendas non eſſe, ſed ſimplici honore & ſalutatione*, non loquuntur de illis ſecundùm ſe cõſideratis, quaſi ſic poſſint aliquo honore affici, qui non ſit honor exemplaris; ſed loquũtur de illis, vt exemplari coniunctis: nam ibidem docent *vnam eſſe adorationem imaginis, & exẽplaris, & honorem imaginis tranſire ad exemplar.* Volũt ergo dicere *ipſas imagines latriâ non coli*, quia *latriâ* ſignificat affectum internum ſeruitutis, internãque ſubiectionem ad alterum, tamquam ad primum omnium rerum principium; qui affectus & interna ſubmiſſio, non defertur imaginibus chriſti & Trinitatis, ſed ſolùm exemplari: externa tamen nota ſubmiſſionis, v. g. genu flexio, inexecutione proximè defertur imagini, & per imaginem tranſit in exemplar, quamuis intentione primò dirigatur in exemplar. Et quia hæc nota non habet rationem latriæ, vt tendit in imaginem, ſed ſimplicis adorationis, ſeu ſalutationis: ideò dicuntur imagines *coli cultu minore, quàm latriâ*: non quòd hic actus externus ſit cultus completus, vt terminatur ad imaginem; ſed quia non habet rationem latriæ reſpectu imaginis, verùm ſimplicis adorationis: idem tamen actus externus eſt latria reſpectu exemplaris, quatenus per imaginem in exemplar tranſit. Sicut ſi benè tractes equum Petri, ille actus reſpectu equi, non eſt actus charitatis vel iuſtitię, ſed bona cuſtodia: reſpectu tamen patri, eſt actus charitatis vel iuſtitię.

Differentia inter adorare, ſalutare, &c. & interlatriam & dulian.

Sed vt hæc melius intelligantur: Notandum eſt, hæc nomina, *Adorare, ſalutare, oſculari*, plerumque accipi pro externâ adoratione, id eſt, pro externâ notâ ſubmiſſionis; quamuis interdum etiam comprehendant internam ſubmiſſionem & affectum ſeruitutis erga eandem rem, cui externa nota immediatè in executione defertur; vt patet ex VII. Synodo act. 7. in epiſt. Tharaſij ad Conſtantinum & Irenem. Vnde infert idem Tharaſius *Crucem & lanceam Dñi rectè dici adorari*, quia hęc externa nota, ſcilicet *oſculum, genuflexio, apertio capitis* illi defertur. *Latriam* autem & *duliã* tãtùm accipi pro interno affectu ſeruitutis, id eſt, quo quis ſe interiùs tamquam ſeruum agnoſcit & ſubmittit alteri vt ſuperiori; & pro actu externo, quatenus ex affectu interno erga eundem procedit: vnde vtraque vocatur paſſim *Adoratio in ſpiritu*. Hinc idem Tharaſius docet *Crucem & lanceã Domini non adorari latriâ*. Ex his liquet imagines *latriâ aut duliâ nõ coli, ſed ſimplici notâ adora-*

nionis; quia interna ſubmiſſio non dirigitur ad illas, ſed ad exemplar tantùm; externa tamen nota in executione immediatè illis adhibetur.

42 2. Obiectio. Obijcitur Secundò; Legatus Regis non ſolùm adoratur, quatenus ſubſtituitur loco regis, & in ipſo conſideratur rex, vt quando in comitijs locum Regis obtinet; ſed etiam per ſe: ergo ſimiliter imago.

Soluțio. Reſpondeo Negando Conſequentiam: Legatus enim poteſt dupliciter honorari. Primò; Ob ipſam dignitatem regiam, quæ in ipſo conſideratur: & hæc adoratio eſt ſimilis adorationi imaginis. Secundò; Perſe, ob dignitatem & officium acceptum à Rege, quia ipſe per ſe eſt capax adorationis, & habet dignitatem adorabilem à Principe donatam; vnde ratione huius poteſt ſe quis illi tanquam maiori ſubijcere, quamuis non conſideret in ipſo regem. Imago autem nec ſecundùm ſe honorabilis eſt, nec vllam dignitatem ab exemplari deriuatam accipit.

Legatus poteſt duplici adoratione potiùs coli, quam imago.

43 3. obiectio. Obijcitur Tertiò; Imago adoratur propter exemplar, ſicut proximus diligitur propter Deum: & ſicut medium eligitur propter finem. Sed dilexio proximi diſtinguitur à dilectione Dei, & nõ terminatur in Deum niſi remotè, & interpretatiuè: Smiliter electio medij non terminatur ad finem. Ergo ſimiliter adoratio imaginis ſiſtere poteſt in ipſa imagine, ita vt non terminetur in exemplar.

Soluțio. Reſpondeo; Quod ad dilectionem proximi attinet; ſi proximus dirigitur propter Deum, id eſt, quia eſt aliquid Dei tamquam amici, ſicut omnia amicorũ diligimus; ſic dilectio proximi ſe habet, ſicut honor imaginis ad exẽplar. Sicut enim hęc dilectio, vt eſt dilectio amicitiæ, non terminatur ad proximum, ſed ad ipſum Deum, cui per hoc, quòd proximo vis benè & benefacis, vis bonum tãquam amico, ita adoratio, vt terminatur ad imaginẽ, non eſt cultus latrię vel dulię, ſed vt per imaginem ad Deum. Itẽ ſicut illa dilectio, non ſiſtit in proximo, ſed per proximum tranſit in Deũ vt ſit dilectio amicitiæ: ita adoratio imaginis non ſiſtit in ea, ſed tranſit in exemplar, vt ſit actus ſeruitutis, id eſt, latriæ vel dulię. Denique ſicut proximo vis bonum, non quia ipſe in ſe habet aliquid dignum tuâ amicitiâ, ſed quia ipſe eſt res & poſſeſſio amici tui, & bonum ipſius eſt bonum amici: ita imagini defers honorem, non quòd ipſa in ſe habeat aliquid honore dignum, ſed quia eſt aliquid exemplaris, per quod exemplar honoratur. Quòd ſi proximus diligatur vt amicus, iam non diligitur propriè propter Deũ; ſed ſolùm generali ratione; ſcilicet, quia hoc Deo placet, ſicut & alia bona opera. Vnde hæc dilectio proximi non eſt ſimilis adorationi imaginis; ſed adorationi legati, ob dignitatem à Rege participatam.

Imago adoratur propter exemplar, ſicut proximus diligitur propter Deum.

Electio autem medij longè aliter ſe habet ad intentionem finis, quàm adoratio imaginis ad honorem exemplaris. Eligimus enim mediâ, vt per illa cõparemus finem, alio actu diſtincto ab ipſa electione, & vſu mediorum: non adoramus tamen imagines, vt per illas alio actu adoremus exemplar, ſed vt eodem actu. Vnde adoratio imaginis ſe habet ad exemplar, ſicut intentio finis *qui* appetitur, ad finem *cui*. Duplex enim eſt finis, ſcilicet *qui appetitur*, & *cui appetitur*: vt cùm volo Deo gloriam & honorem in creaturis; gloria eſt *finis qui*, Deꝰ eſt *finis cui*. Sic adoratio imaginis, & ipſa imago eſt finis qui, exemplar eſt finis cui. Atqui eodẽ actu appetitur *finis qui*, & *finis cui*: ergo pari modo, eodẽ actu adoratur imago & exemplar. Et ſicut *finis cui* non poteſt appeti, niſi etiam aliqui appetatur: ita nec imago ſine exemplari poteſt coli.

Duplex finis.

Dico Secundò; Numquam adoratur imago, quin eadem adoratione adoretur prototypon: quę adoratio, etſi reſpectu prototypi, ſit latria vel dulia; tamen reſpectu imaginis nõ eſt, ſed ſolùm humana ſalutatio & ſimplex nota ſubmiſſionis. Prior pars ſequitur manifeſtè ex dictis.

44 Cùm adoratur imago, ſemper adoratur prototypon.

Dices; prototypon ibi verè non eſt: ergo non adoratur. Reſpondeo; Eſt ibi per noſtram adorationem: ita enim imagine conſpectâ apprehẽdimus prototypon, atque ſi reipſa præſens eſſet in imagine incluſum, eamque animaret. Vnde tota mentis intẽtio, totuſque affectus ſeruitutis fertur in illud; & inde ſequitur externa nota ſubmiſſionis in idem. Intentio enim dirigit immediatè hanc notam in prototypum, licet in executione tendat immediatè in imaginẽ, & per imaginem in prototypum. Neque in hac apprehenſione eſt error, aut deceptio; quia non eſt iudicatiua, ſed nuda apprehenſio: ſicut nec in abſtractione formarum per intellectum.

In ea includitur prototypon.

Honor reſpectu imaginis, non eſt Latria, ſed tantùm externa ſalutatio.

Altera pars ſimiliter ex dictis colligitur. Quia honor non exhibetur imagini ex affectu ſeruitutis ad imaginem, ſed ad exemplar: ergo non eſt ſeruitus imaginis, ſed exemplaris. Hinc facilè intelligitur, quomodo eãdem adoratione adoretur imago, & prototypon; & tamen imago non adoretur latriâ vel duliâ: nam hoc intelligendum eſt dè externâ adoratione, quæ eadem eſt materialiter, etſi non eandem rationem formalem habeat.

Dico Tertiò; Etſi dicendum ſit abſolutè Imagines non adorari latriâ vel duliâ: tamen generatim non dicuntur impropriè adorari; id eſt, honorari, ſalutari. Itẽ; dicũtur per accidens adorari latriâ, vel duliâ. Prior pars colligitur ex dictis.

45 Imagines non dicũtur impropriè adorari.

Secunda Pars patet, Quia Concilia & patres dicunt eas eſſe adorandas, id eſt, honorandas. Nam nomen *Adorationis* multa ſignificat, vt rectè docet Tharaſius ſuprà citatus, & vſurpatur paſſim pro nota externa ſeruitutis, præſertim in Græco.

An ſit temerarium dicere imagines adorari impropriè,

Aduerte tamen, Si quis diceret eas impropriè adorari, ſicut Durãdus & alij quidam; aut analogicè, vt Gabriel; aut tamquam cõditionem adorationis, vt Caietanus; non affirmaret quid erroneum aut temerarium, vt quidam volunt. Nam Synodus VII. parum curat, quo nomine hęc honoris exhibitio appelletur, an Adoratio, an Salutatio: modò fateamur eſſe exoſculandas, aliaque ſubmiſſionis ſigna exhibenda. Quod patet ex teſtimonio ſuprà allato. Quod etiam Durandus, & omnes Catholici libenter fatentur. Nec obſtat, Quod Durandus dicat imagines poni ad recordationẽ exẽplaris, vt illud veneremur, non vt ipſas propriè adoremus; quia ſic loquuntur multi Sancti Patres, & imprimis D. Gregorius libro 9. epiſtolar. epiſt. 9. Non enim negãt imaginibus externam illam notam honoris deferẽdam; ſed volunt affectum ſeruitutis non debere intẽdi in ipſas, ſed in exemplaria.

Adorãtur latriâ vel duliâ per accidens.

Tertia pars eſt ferè communis Doctorum: & poteſt dupliciter intelligi. Primò, quod *ex parte ſua adorentur per accidens*; id eſt, quòd latria vel dulia dicatur illis conuenire, quia conuenit exẽplari, cui imagines accidentaliter coniunctę ſũt per apprehẽſionem: Quomodo purpura & thronus regius dicitur adorari vnà cum Rege: quia enim hæc Regi coniuncta ſunt, honor externus quodammodò ad ea pertinet. Secundò, *ex parte adorationis*; id eſt, quod latria & dulia ſecundùm

externã notã tendant in imagines; quæ nota eſt extrinſeca interno affectui, & quaſi accidẽtaria. Hinc rectè dicimus *imagines, adorari ex virtute latriæ vel dulię*; quia illarum honor procedit ex affectu exemplaris, qui affectus eſt latriæ vel dulię, non tamen proprie adorantur cultu latrię vel duliæ, id eſt cultu, qui eſt latria vel dulia: quia reſpectu illarum nõ eſt talis, ſed ſolùm reſpectu exemplarium.

Dices; Si Imagines non poſſint dici *latriâ adorari, niſi per accidens*, eò quòd affectus ſeruitutis non tẽdat in illas: ergo nec Euchariſtia, nec Chriſti corp⁹ dicetur adorari abſolutè latriâ: quod eſt contra Concilium Tridentinum ſuprà.

Reſpondeo, Negando Conſequẽtiam. Euchariſtia enim intrinſecè continet Chriſtum & diuinitatem: ſignificat enim compoſitum ex ſpeciebus & corpore Chriſti, qui vnita eſt diuinitas: & hoc totum adoratur ob diuinitatem intimè coniunctam: vnde etiam affectus ſeruitutis in illam tendit: Euchariſtia enim eſt Chriſtus velatus. Secùs eſt de ipſis ſpeciebus; hę enim adorantur inſtar imaginum.

Euchariſtia adoratur latriâ ſpecie non niſi vt imagines.

Corpus Chriſti Adoratur Latriâ.

Corpus autem Chriſti dicitur adorari latriâ; quia inſeparabiliter vnitum eſt diuinitati, Verbi, a quo ſuſtentatur tãquam natura à ſuppoſito; & penetratur, ſicut ferrum igne; ita vt hat vnum ſuppoſitum & compoſitum, quòd abſolutè eſt latria colendum. Quamuis quod ad rem ipſam attinet, cultus latriæ ſolùm per accidens ipſum corpus attingat.

46 Imagines non ſunt capaces orationis.

Dico Quartò, Imagines non ſunt capaces orationis, ſacrificij, oblationis, vel laudis, eo modo, quo adorationis. Ratio eſt, Quia hi actus externi non diriguntur ad imagines, vt per ipſas oremus, aut ſacrificemus, aut exemplar laudemus. Nemo enim petit aliquid per imaginem, vt quæ nihil intelligat; nec illi ſacrificat, quia ſacrificium eſt teſtificatio diuinitatis & principatûs rerum omnium. Oblatio etiam propriè non fit imagini; ſed miniſtris eccleſiæ in honorem Dei, vel ipſi Deo, aut Sanctis. Nec obſtat, quòd Synodus Septima act. 7. ait. *Meritò nos ad imagines reuerenter accedere oblationibus ſuffituum & luminarium*; quia, etſi oblatio reſpectu imaginis non habeat rationem oblationis, habet tamen rationem ſimplicis adorationis. Cõmunioni tamẽ ſignificatione oblatio rectè dicitur fieri imaginibus. De Laude, Satis per ſe conſtat, ſolum exemplar laudari.

Nec ſacrificij.

Nec oblationis.

Nec laudis.

Dices, Eccleſia in feſto inuentionis S. Crucis canit: O *Crux aue ſpes vnica. Auge pijs iuſtitiam, reiſque dona veniam.* Item: *Sola digna tu fuiſti, ferre ſæcli pretium*: hîc ad Crucem oratio & laus dirigitur.

Reſpondeo; *Crux* in priore loco accipitur per Metonymiam, pro Crucifixo quem continuit. In altero tribuitur ei perſona per Proſopopœiam figuram Rethoricam. Et ſic omnis iſta laus redũdat in Crucifixum; eiuſque propriè eſt laus tota.

ARTICVLVS. IV.

Vtrum Crux Chriſti ſit adoranda?

ARTICVLVS VI.

Vtrum Reliquiæ ſint adorandæ?

47 Crux, dupliciter

NOtandum, Crucem Domini dupliciter cõſiderari. Primò: Vt eſt ſignum Chriſti crucifixi. Et ſic eſt eadem ratio Crucis, & aliarum Chriſti Imaginum. Secundò, Vt tetigit Chriſti corpus, & fuit inſtrumentum noſtræ ſalutis; qualis eſt ea, in qua pependit. Similiter claui, lancea, corona &c. Et ſic eſt eadem ratio Crucis, & Reliquiarum. Reſtat ergo, vt videamus: confideratur.

Vtrùm Reliquiæ Chriſti & Sanctorũ ſint venerãdæ & honorandæ. Nomine *Reliquiarum* intelliguntur non ſolùm corpus & oſſa; ſed etiá crines, veſtes, inſtrumenta ſuppliciorum, & alia quę Chriſtus & ſancti ſuo vſu veluti conſecrarunt. Reliquiæ, quid.

Hoſtes Reliquiarum primi fuerunt Iudæi, & Samaritani, qui omnia corpora cenſebant immunda. Deinde Gnoſtici, qui dicebant Martyres non rectè facere, quòd ſe propter Chriſti cõfeſſionem morti exponerent. Contra quos Tertullianus ſcripſit ſuum Scorpiacum. Hinc enim ſequebatur, eorum Reliquias non eſſe honorãdas. Expreſſiùs autem cultum Reliquiarũ oppugnarũt: Primò, Eunomius. Deinde, Vigilantius, teſte Hieronymo libro contra Vigilantiã. Poſteà Leo Iſauricus Anno 730. & Claudius Taurinenſis Anno 825. teſte Iona in ſuo libello. Deinde, Anno 1370. Vviclef apud Vvaldenſem tom. 3. cap. 135. & 164. Poſtremò, omnes hæretici noſtri temporis: qui etiam dicunt Vigilãtium benè ſcripſiſſe contra Reliquias; & D. Hieronymum ab ipſo ſuperatum, tantùm conuitijs agere potuiſſe. Hoſtes.

48 Eas colẽdas, eſt de fide.

Dico Primò; Reliquiæ Chriſti & Sanctorũ ſunt retinendæ, & debito honore colendæ. Eſt euidẽs ratione naturali, ſuppoſitâ cognitione excellentiæ illorum. Et eſt definita in VII. Synodo act. 7. vbi Concilium iubet deponi Clericum, & excõmunicari laicum, qui Reliquias contemnit. Et action. 3. *Vocat Reliquias fontes ſalutares, quibus Deus multa beneficia hominibus præſtat.* Similia habemus in antiquiſſimo Cõſilio Gãgrẽſi anno 324. in Paphlagonia, can. vltimo. Et Carthaginẽſi V. can. 14. Denique in tridentino ſeſſ. 25.

Exempla Scripturæ.

Probatur Primò, ex Scripturis. Exodi 13. Moyſes honorat oſſa S. Ioſeph, transferens ea ex Ægypto, iuxtà ipſius prophetiam. Vnde Eccl. 49. v. 18. *Oſſa ipſius poſt mortem prophetaſſe* dicuntur. Deuter. vltimo corpus Moyſis ſepelitur à Deo, vt vult Hieronymus cõtra Vigilãtium. Vel, quod in idem redit, ab Angelis; vt vult Epiphan. hæreſ. 9. nã omnes Dei apparitiones in veteri teſtamẽto factæ ſunt Angelorum miniſterio.

Oſſa Ioſeph.

Sepulchrũ Moyſis.

Iſaiæ 11. v. 11. *In eum gentes ſperabunt, & erit ſepulchrum eius glorioſum*: vbi Propheta prędicit ſepulchrum Domini fore apud Gentes ſummæ veneration; vt exponit D. Hieronymus, epiſt. 17. ad Marcellam.

Sepulchrũ Meſſiæ.

4. Reg. 13. Deus corpus Elizæi miraculo honorauit excitato mortuo qui illud contigerat.

Corpus Eliſei.

Eccleſiaſtici 49. v. 12. *Duodecim Prophetarum oſſa pullulent de loco ſuo. Nam corroborauerunt Iacob, & redemerunt ſe in fide virtutis*; id eſt, reuiuiſcant in hominum memoria & veneratione. Matthæi 9. Mulier hæmorrhoiſſa cum ſumma veneratione tangit fimbriam Domini, & curatur.

Oſſa 12. Prophetarum.

Hæmorrhoiſſa.

Act. 19. Fideles venerabundi tangunt ſudaria & ſemicinctia Pauli, & curantur.

Act. 19.

Vſus omnium Eccleſiarum.

Secundò, ex vſu omnium Eccleſiarum. Nulla enim ſunt Chriſtianorum templa, vel altaria, in quibus ab initio non fuerunt Reliquiæ Sanctorũ. Imò in Concilio Carthaginenſi V. cap. 14. præcipitur, vt nulla altaria, vel memoriæ Martyrum dedicentur, niſi vbi aliquæ ſunt Martyrum reliquię, ne populus aliqua ſuperſtitione teneatur; nẽpe ſi colat tãquam Martyris ſepulchrũ, vbi nõ eſt Martyris corpus. Vnde reliquię ſub altari ponũtur, ſicut animę Martyrũ ſunt ſub altari, Apoc.

Cur Reliquiæ Martyrum ponantur ſub altari.

ed by Google

6. vt inſinuat Auguſtinus ſermone 11. de Sanctis.

Tertiò Probatur teſtimonio omnium Patrum.

Teſtimonia Patrũ.

Fatentur quidem id hæretici, ſed dicunt eos contra mentem ita ſcripſiſſe, eò quòd non poſſent huic morbo mederi; vel certè vi cõſuetudinis popularis, tãquam æſtu in hunc errorem abreptos.

Athanaſi.

Sed hoc nimis apertè eſt falſum & impiũ. Athanaſius in vita S. Antonij, maximi facit veſtem Antonij ſibi legatam, per eam recordans imaginem ſanctitatis eius.

S. Anto.

Antonius sũmè venerabatur veſtem S. Pauli Eremitæ ex foliis palmarũ.

Baſil.

Baſilius in Pſalmum 115. ait: *Corpora apud Iudæos tactu contaminabant; ſed oſſa Martyrum tactu ſanctificãt per gratiam quæ illis inſidet.*

Cyril.

Cyrillus Hieroſol. Catechеſi 18. corporibus Sanctorum dicit ineſſe virtutẽ quandam & potentiam, & ideò etiam honoranda; non tantùm animas: idque probat ex corpore

Ambroſ.

Eliſei. Ambroſius ſerm. 93. de Sanctis Nazario & Celſo, cauſas adfert ſex vel ſeptem cur honorentur.

Hieron.

Hieronymus ex profeſſo agit contra Vigilantium, qui id negabat.

Chryſoſt.

Chryſoſtomus hom. vlt. in epiſt. ad Romanos, laudat Romam, potiſſimùm ex reliquijs SS. Apoſtolorũ Petri & Pauli. Hom. 66. ad populum, item libro *quod Chriſtus ſit Deus*, dicit; *Conſtantinopoli Reges magnam gratiam putant ſi ſint piſcatorum oſtiarij*: quia ſcilicet particula quædam corporis S. Petri ibi eſt. Et ibidem ait; *Roma, quæ vrbs eſt regaliſſima, relictis omnibus, ad ſepulchra piſcatoris ac pellionis currũt Reges, præſides, Milites.*

Damaſc. Gregor. Turon.

Vide Damaſcenum lib. 4. c. 16. fusè de veneratione Reliquiarum. Gregorium Turonenſem de gloria Martyrum. Vide quoque Alanũ Copum Dialogo 3. cap. 12. & ſeqq. vbi etiam fraudes Centuriatorum detegit. Et Bellarminũ in controverſijs.

Miracula.

Quartò, Probari poteſt ex miraculis ad Sanctorũ Reliquias factis, quibus plenæ ſunt eccleſiaſticæ hiſtoriæ. Vide D. Aug. l. 22. De ciuit. c. 8. vbi dicit tot miracula breui tempore facta ad reliquias ſancti Stephani, vt multi libri ſcribendi ſint, ſi omnia referri debeant. Præterea ex

Reuelat.

reuelationibus, per quas Deus latentes reliquias, ad Sanctorum honorem, & vtilitatẽ hominum detexit: vti, SS. Geruaſij & Protaſij corpora detexit S. Ambroſio; S. Stephani, Gamalielis, Nicodemi & Abibonis, Luciano Preſbitero; vt refert Breuiarium Romanum.

Quintò Ratione. Primò, Quia Reliquiæ Sanctorum magis imprimũt nobis eorum memoriã,

Earum vtilitas & præſtãtia.

quàm imagines; vnde nos excitant ad eorũ amorem, imitationẽ, ſocietatis deſiderium, &c: ergo vel ob hãc cauſſam veneratione ſunt digniſſimę. Secundò, Quia fuerunt domicilia & inſtrumenta animarum ſanctarum, & futura ſunt templa ſpirituum Beatorum, ſole ſplendiora: vnde ab ipſo Deo, & Ab Angelis perpetuò in honore habẽtur. Tertiò, Quia ſunt inſtrumenta, per quæ Deus mira operatur, & in nobis multiplicia beneficia præſtat: *Deus enim*, vt Chryſoſt. ait hom. de S. Babyla, *nihil ferè vtilius nobis reliquit ad ſalutem Sanctorum Reliquijs*, nempe poſt Sacramenta. Et hæc eſt cauſſa, cur à Diabolo & eis miniſtris tantoperè oppugnentur. Has tationes D. Ambroſius ſerm. 93. de Sanctis Nazario & Celſo in fine ſic complexus eſt: *Quòd ſi dicas mihi, quid honoras in carne iam reſoluta atque conſumpta? Honoro in carne Martyris exceptas pro Chriſti nomine cicatrices. Honoro viuentis memoriam perennitate virtutis. Honoro per confeſſionem Domini ſacratos cineres. Honoro in cineribus ſemina æternitatis. Honoro corpus quod mihi Dominum oſtendit diligere, quod me propter Dominũ docuit mortem non timere; quod reuerentur dæmones, quod regnabit Cum Chriſto &c.*

Dico Secundò, Reliquiæ non ſunt per ſe venerandæ, ſeiunctæ ab ijs, quorum ſunt, ſed quatenus apprehenduntur quodammodò cõiunctæ; eo prorſus modo, quo dictum eſt de imaginibus. Ita D. Thom. cum Caietano hoc loco. Capreolus, Maior, & Almainus in 3. diſt. 9. Thom. Vvaldenſis tom. 3. cap. 120. Ratio eſt; Quia Reliquiæ ſunt res inanimæ, quæ non ſunt capaces honoris aut contumeliæ ſecundùm ſe; ſed quatenus excitant memoriam eorum, quorum ſunt, qui apprehenduntur tamquã preſentes & coniuncti: vnde naſcitur erga ipſos affectꝰ ſeruitutis & ſubmiſſionis, qui exprimitur oſculo vel aliã ſimili notã externã reliquijs delatã. Hinc Damaſcenus lib. 4. de Fide cap. 12. *Omnia, quæ Deo dicata ſunt, atque conſecrata, ita adoramus, vt cultum & veneration[em] ad deum referamus.* Et in VII. Synodo act. 4. inquit Leontius: *Magno & inexplicabili Chriſti amore, quò aſcendit, vbi reſedit, vbi apparuit, quod tetigit, aut omnino obũbrauit; tamquam dei locum colimus, & adoramus; non ipſam regionem aut lapides venerantes, ſed eum qui in illis conuerſatus eſt.* Quod ſic intellige, Non dirigi affectũ ſeruitutis ad lapides, vel locum, ſed notam externam adorationis.

49 Sunt colẽda Latriã vel Duliã, non per ſe, ſed per accidens.

Hinc ſequitur Chriſti Præputium in terra relictum, & guttulas ſanguinis, non eſſe aliter latriã colendas, quàm Crucem Chriſti, aut imagines; ſcilicet, non per ſe, ſed per accidens; non latriã in ſpiritu, ſed in notã externã. Et ſic intellige D. Thomam hoc art. 4. & 6.

Præputiũ & ſanguis Chriſti hic ſeliꝰ.

Aduertendũ tamen, Quod ſicut Chriſtus præſens maiorem excitat in nobis venerationem & affectũ ſeruitutis, quàm ſolùm præſens per imaginem, aut reliquias: ita, quo aliquid pluribus modis ipſi coniunctum eſt, eò maiorem quoq; venerationem excitat: qualia ſunt, Vera Crux eius, quæ repreſentat illum tamquam imago, & realiter attigit, & ſanguine eius fuit aſperſa; & Præputium eius, quod fuit pars ipſius. Ratio eſt, Quia, quòd quid maiorem coniunctionem habuit cum illo; eò efficaciùs & vehementiùs facit nos illum apprehendere; vnde naſcitur affectus interior, & & nota externa demiſſior: adoratio tamen ſemper eſt eiuſdem ſpeciei.

Quòd quid Deo & Sanctis cõiunctꝰ, eò eſt venerabilius.

Sed Obijciunt Hæretici Primò. Lucæ 11. v. 47. *Væ vobis, qui ædificatis monumẽta prophetarũ: Patres autẽ veſtri occiderũt illos, Profectò teſtificamini, quòd cõſentitis operibus Patrũ veſtrorum; quia ipſi quidem occiderunt; vos autem ædificatis eorum ſepulchra.*

50 1. obiectio hæreticorum. Ex Luc. 11. de ædificatione Monumentorũ.

Reſpondeo; euidens, eſt non conſentire Tyranno, ſi quis ad honorem Martyris à Tyranno occiſi, ſepulchrum excitet: vt patet ex ijs, qui curãrunt ſepulturã Domini, & S. Stephani. Et confirmatur; Quia ſi hoc eſſet ſignum conſenſus cum Tyranno, vel vllo modo ſuperſtitioſum, vt volunt hæretici; non reprehenderentur Scribæ & Phariſæi à Domino de hypocriſi, quòd ſub tali opere peſſimum animũ ſuum tegerent. Nam hypocriſis non eſt, niſi quando mens mala tegitur ſub opere externo, quod per ſe pium eſt. Erat ergo hoc opus pium, ac proinde non erat per ſe ſignũ conſenſus homicidij; poterat tamen eſſe per accidens. Nam cùm ipſi perſequerentur eos, qui Prophetis erant maiores, vt Ioannem Baptiſtam, Apoſtolos, & Dominum Prophetarũ, conuincebantur exſtruere monumenta Prophetarum, non vt illos honorarent, ſed potiùs vt homicidalem animum ſuum tali obtentu contegerent. Vide Ambroſ. & Hieronym. in hunc locum.

Soluitio.

Obijcitur Secũdò. Ad Coloſſ. c. 2. v. 23. Apoſt. damnat ἐθελοθρησκείαν, id eſt, cultum arbitrarium.

51 2. obiectio

exc. 2. ad Coloſſ. de cultu arbitrario.

Atqui cultus Reliquiarum eſt arbitrarius, quia non habetur in Scripturis. Reſpondeo Primò, Etſi in Scripturis nõ habeatur præceptum de hoc cultu; extant tamen eius exempla ſuprà dicta.

Solutio.

Reſpondeo ſecundò, Apoſtolus per θρησκείαν, intelligit cultum ſuperſtitioſũ; quaſi dicas, cultũ ſolà voluntate & humano ſpiritu inductũ. Atqui cultus reliquiarum non eſt ſuperſtitioſus, nec humano ſpiritu inuentus; ſed diuinitùs Eccleſiæ inſpiratus; nam eſt cultus exemplarium.

52 3. obiectio ex Concil. Eliberitino, de ſpirituum inquietatione.

Obijcitur Tertiò, Concilium Eliberitinum ſiue Eliberitanum can. 34. Vetat ne cerei per diem accendantur in cœmeterijs. Ratio additur: *Inquietandi enim ſpiritus Sanctorum non ſunt.*

explicatur

Reſpondeo; Concilium vetat illam ceremoniam; quia fiebat tunc ex quodam errore gẽtilitio: putabant enim Gentiles corpora illa adhuc aliquid ſentire, & tali luce recreari. Quod autem addit, *Inquietandi ſpiritus Sanctorum non ſunt*: Sic intellige, non quòd verè inquietentur; ſed quòd diſpliceat ſpiritibus Sanctorũ talis error. Quomodo ad Epheſ. 4. *Spiritus ſanctus* dicitur noſtris malis operibus *contriſtari*. Alij per Spiritus Sanctorum intelligunt mentes fidelium viuentium, qui offenduntur tali ceremoniâ, vel etiam ſcandalizantur.

53 4 obiectio quòd ſic vermes colantur.

Obijcitur Quartò, In Reliquijs Sanctorum nihil manet præter materiam, & fortè aliquot accidentia, vt quãtitas, color &c. ſed hæc non ſufficiũt vt Reliquiæ poſſint honorari, alioquin etiã vermes ex Reliquijs ortos venerari deberemus.

Negatur.

Reſpondeo, Reliquiæ debent manere ſub ea forma & accidentibus vt ſecundùm communem hominum æſtimationem cenſeantur manere eadem, & pertinere ad illum Sanctum, v. g. vt cenſeantur eſſe corpus, vel os, vel caro, vel pars corporis, vel veſtis &c. illius Sancti. Quod non fit quando multæ intercеſſerũt mutationes. Deinde in omni cultu cauendum ne vlla indecentia miſceatur: vt, ſi reliquiæ conuerſæ ſint in vermes; tunc enim vermes videremur venerari. Vide Henricum Quodlib. 10. quæſt. 7. de hac re valdè ſubtiliter differentem.

54 5 obiectio quòd inſtrumenta paſſionis ſint Chriſto ignominioſa.

Obijcitur Quintò, Crux, Claui, Spinæ &c. Chriſto dolorem attulerũt & ignominiam: ergo ſunt potiùs execranda, quàm honoranda. Filius enim non honorat patibulum, in quo ſuſpenſus fuit parens.

Refellitur

Reſpondeo, non ſolùm hæc dolorem & ignominiam, ſed etiam gloriam, victoriam & triumphum Chriſto attulerunt; redemptionem autem & ſalutem nobis: & hac ratione à nobis honorantur: quomodo etiam de paſſione Chriſti, & morte gaudemus. Vnde & ipſe Deus Crucem infinitis miraculis honorauit; & tempore Iudicij in cœlo Crucis imago ſole ſplendidior apparebit, vt colligunt Patres ex illo Matth. 24. v. 30. *Tunc parebit ſignum Filij hominis in cœlo.* Filius etiam patibulũ honoraret; ſi pater pro ſalute publicâ illud liberè ſubijſſet, & ſummum ſplendorem familiæ per hoc conciliaſſet.

55 6 Obiectio de labijs Iudæ.

Obijcitur Sextò, ſi Crux, Claui, Spinæ ſunt adoranda, quia Chriſti corpus attigerunt: ergo etiam labia Iudæ.

Soluitur.

Reſpondeo, Negando Conſequentiam; Quia ſunt pars hominis impij: vnde non poſſunt honorari, quin cenſeatur etiam impius honorari; nã honor propriè eſt perſonæ. Secùs eſt de Cruce. Adde, quod labia participent de culpâ, ſicut inſtrumentum coniunctum & animatum: contactus enim, ſeu oſculum illud, fuit peccatum etiã labiorum; ſicut ſunt peccata linguæ & gulæ. Cõtactus autem Crucis nullo modo peccatum fuit in Cruce.

56 7 obiectio quòd omnes claui, lanceæ, aſini, &c. debebũt adorari. Soluitur.

Obijcitur Septimò, Si omnes Cruces ſunt honorandæ, quia Chriſtus Crucem ſuo cõtactu ſanctificauit: ergo etiam omnes claui, omnes lanceæ: omnia ſpineta, omnia præſepia, omnes aſini erũt adorandi; quia hæc ſimilia ſunt eis, quæ Dominus tetigit.

Reſpondeo Negando Conſequentiam: Omnes enim cruces venerandæ ſunt, quia ſunt imagines Chriſti crucifixi, & ad eum repreſentandum ſunt expreſſæ, ita vt alium vſum non habeant, ſaltem poſt edictum Conſtantini, qui in honorem chriſti crucifixi, vetuit imposterum fontes crucifigi, teſte Sozomeno lib. 1. hiſt. c. 8. At non omnia præſepia, nec omnes claui, aut lanceæ, facta ſunt ad Chriſti paſſionem repreſentandam, ſed ad alios vſus profanos: vnde iuxtà communem ſenſum hominum non ingerunt Chriſti memoriam, niſi ſimul cum cruce pingantur.

57 Quo ſenſu claui, lanceæ &c. omneſque res mundi adorari poſſint.

Addo tamen, Si hæc à viro ſpiritali conſiderentur, quatenus hæc nobis Chriſti myſteria ingerũt; ſic optimè poſſe adorari, modò abſit ſcandalum. Imò omnis res mundi poteſt ſic adorari, vt ad eam dirigatur nota ſubmiſſionis, v. g. oſculum, inclinatio corporis, amplexus, & ſimilia, & in ea adoretur creator, modò abſit ſcandalum, & aliunde non ſit aliquid indecori in notâ externâ. Ita docet expreſsè Leontius in VII. Syn. act. 4. Cum enim Deus ſit in omnibus, per eſſentiã & operationẽ realiter præſens, multò magis eſt cõiunctus cuiuis creaturæ, quam exẽplar imaginis ergo optimè ibi tamquam ſub tegumento latens, poteſt adorari, etiam per externam notam ſubmiſſionis; quæ cùm ad ipſam creaturam in executione dirigatur, etiam ipſa adorabitur latriâ per accidens, & in notâ externâ.

ARTICVLVS V.

Vtrum Mater Chriſti ſit adoranda adoratione latriæ?

58

REſpondetur, Non latriâ, ſed hyperduliâ chriſti Matrem adorandã. Ratio eſt; Quia eſt creatura capax ſecundùm ſe venerationis, habens excellentiam minorẽ diuinâ, ſed maiorem quã quæuis alia creatura, ſcil. quòd ſit Dei Mater.

B. Virgo adoratur latriâ per accidens.

Notandum eſt, B. Virginem dupliciter poſſe conſiderari. Primò, Quatenus ipſa in ſe non habet excellentiam adorabilem, ſed vt coniuncta fuit chriſto, ſicut res aliæ quæ chriſto cõiunctæ fuerunt: & ſic adoratur latriâ per accidens; ſicut dictum eſt de cruce: nam in ipſa & per ipſam adoratur chriſtus, & effectus ſeruitutis immediatè in ipſum chriſtũ dirigitur. Verùm hic modus nõ eſt vſitatus, ne ipſa per ſe latria coli videatur, cum per ſe ſit capax veneratiõnis. Vnde ſecundo modo conſideratur, vt habens excellentiam matris Dei, quæ moraliter ſpectata ſuperat omnem excellentiam Sanctorum. Nam ratione huius, eſt Domina totius creaturæ, habẽs ſingularẽ quoddam imperium in illam, debeturque illi maior gloria: & ſic colitur *hyperduliâ*, vt rectè docet hîc D. Thomas. Videtur autem hic actus ſpecie diſtingui à duliâ Sanctorum, & ab hyperdulia ipſi Virgini debitâ propter eximiam eius præ ceteris ſanctitatem & gloriã. Nam dignitas matris Dei videtur eſſe altioris ordinis, vtpote proximè attingens dignitatem vnionis hypoſtaticæ.

Per ſe hyperduliâ.

Duplex hyperdulia B. Virgini debita.

QVÆSTIO

QVÆSTIO XXVI.

DE Officio Mediatoris.

In Duos Articulos diuiſa.

ARTICVLVS I. & II.

Vtrum Christo proprium ſit eſſe Mediatorem Dei & hominum? Et ſecundum vtram naturam?

1 Mediator dicitur dupliciter

NOtandum eſt, Dupliciter aliquem dici *Mediatorem*.

Primò, Secundum ſubſtantiam; nempe quando in aliquo, duo ſubſtantialiter coniunguntur. Sic Chriſtus dicitur *Mediator*, quia eius perſonalitas coniunxit ſubſtantialiter diuinam & humanam naturam; & ipſe eſt inſtar medij particeps vtriuſque extremi per ſubſtantiam, ſcilicet diuinæ & humanę naturæ.

1. Secundū ſubſtantia

2. Secundū modū idque tripliciter.

Secundò, Quia eſt *Mediator* ſecundū operationem. Nempe qui ſe medium ponit inter duos, vt eos diſſidentes conciliet. Quod tripliciter poteſt fieri in propoſito. Primò, per modum internuntij vltrò citroque pacta & conditiones partium referendo. Secundò, Supplicando alteri parti pro alterâ. Tertio, Satisfaciendo alteri pro altero.

Omnes hæ rationes conueniāt Chriſto.

Omnes hi modi conueniunt Chriſto. Ipſe enim conditiones pacis inter Deū & homines propoſuit, vnde dicitur *Angelus Teſtamenti*, Malach. 3. & *Mediator Noui Teſtamenti* ad Hebr. 12. 9. ipſe eſt *Aduocatus noſter* 1. Ioan. 2. *Inter pellās pro nobis*. ad Roman. 8. Denique ipſe pro nobis perfectè ſatisfecit.

Duo priores modi etiam conueniunt alijs. Nā Moyſes erat *Mediator* inter Deū & homines, orando pro hominibus, & Leges diuinas ad ipſos deferendo. Vnde Deuteron. 5. ait: *Ego medius & ſequeſter fui inter Deū & vos illo tēpore*. Et ad Galat. 3. *Lex* dicitur *data per Angelos in manu Mediatoris*, id eſt, interueniente Moyſe. Tertius modus ſoli Chriſto conuenit.

Errores duo de mediatore Chriſto.

Notandum Secundò; Eſſe duos errores de hac Quæſtione. Prior, Humanitatem Chriſti in abſtracto eſſe mediatricem, non autem perſonam Filij Dei. Ita quidam Hæretici in Polonia. Alter eſt, Chriſtum eſſe Mediatorem ſecūdùm vtramque naturam; i. a vt per vtramque munus Mediatoris exerceat. Ita Caluinus & Lutherus. Nam duplicia faciunt opera Mediatoris; quędam quæ per ſolam humanitatem exercentur, etſi à diuinitate habeant efficaciam; vt orare, pati, mori: quędam quę per ſolam diuinitatē, vt remittere peccata, illuminare mentes, operari mitacula offerre ſacrificium.

1. Ratio perfecti Mediatoris eſt propria Perſonæ diuinæ, quę eſt Chriſtus homo.

Dico Primò; Officium & munus perfecti Mediatoris, eſt proprium, non humanitati ſeorſim, ſed perſonæ diuinæ, quæ eſt Chriſtus homo. Eſt fide tenenda.

Probatur; Quia actiones ſunt ſuppoſitorum: in Chriſto autem ſolùm erat ſuppoſitum diuinū.

Secundò, Quia præcipuum Mediatoris officiū erat perfectè ſatisfacere diuinæ iuſtitiæ pro nobis: atqui non poterat eſſe ſatisfactio perfecta niſi eſſet perſonę diuinæ, vt ſupra oſtendimus.

Tertiò; Quia hæc eſt communis ſententia Patrum, qui docent Chriſtum ideò vocari ab Apoſtolo *Vnicum Mediatorem*, quia ſolus diuinæ & humanæ naturæ eſt particeps; volētes oſtendere hominem non poſſe eſſe perfectum Mediatorem niſi ſit perſona diuina, quę per humanam naturam operetur. Ita Ambroſ. & Patres Græci in illum locum Apoſtoli 1. ad Timoth. 2. v. 5. *Vnus Deus & vnus Mediator Dei & hominum, homo Chriſtus* IESVS. Cyrillus lib. 12. Theſauri cap. 16. & Fulgentius de Fide ad Petrum cap. 2.

3 Non tamē fuit Mediator, niſi ſecundū Naturam humanam.

Dico Secundò; Chriſtus tamen non fuit Mediator ſecundùm diuinam naturā, ſed ſecundùm humanam id eſt, per ſolam naturam humanam functiones Mediatoris obiuit & recepit.

Probatur ex Scripturis 1. Timoth. 2. v. 5. *Vnus Deus, vnus & Mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Ieſus*. Vbi Apoſtolus ait: *Homo Chriſtus Ieſus*, non *Deus Chriſtus Ieſus*, vt deſinet naturam, ſecundùm quam eſt Mediator; vt notauit D. Aug. lib 2. De peccato originali cap. 28. Item diſtinguit Mediatorem à Deo. Neque dici poteſt Deū accipi pro ſolo Patre; vt volunt Hæretici: quia Filius nos toti Trinitati reconciliauit; vt docet Auguſtinus Concione prima in Pſal. 29. oſtendens illud *Vnus Deus* ſignificare Trinitatem, & Chriſtum eſſe Mediatorem inter Trinitatem & peccatores. Similiter Chryſoſt, Oecumenius, & Theophilactus dicunt per *Vnus* non excludi Filium, ſed Deos gentium. Vlpian. 20. v. 28. *In quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos, regere Eccleſiam Dei, quā acquiſiuit ſanguine ſuo*. Atqui in effuſione ſanguinis erat præcipuū munus Mediatoris; per hanc enim nos reconciliauit: ergo obibat munus Mediatoris per naturam humanam.

Secundò Probatur ex Patribus. Vide D. Auguſtinum tract. 84. in Ioan. & lib. 10. de Ciuitate c. 20. Cyrillum lib. 11. in Ioan. c. 7. & in Apologetico ad 10. Capitulum. Et alios ſuprà indicatos in illum locum Apoſtoli.

Officium Mediatoris includit ordinem ad alterum natura vel ſuppoſito diſtinctum.

Tertiò, ratione. Primo; quia officium Mediatoris includit ordinem ad alterum; naturā vel ſuppoſito diſtinctū; ſicut orare, ſatisfacere, agere aduocatum: nemo enim ſeipſum orat; vel ſibi ſatisfacit. Sed Chriſtus, vt Deus, nullo modo diſtinguitur, ab eo, qui oratur, cui ſatisfit, & ſacrificatur: ergo ſecundùm illam naturam non eſt Mediator. Confirmatur, Quia nemo eſt Mediator reſpectu ſui ipſius; ſed quia aliquem reconciliat alteri: ergo Chriſtus ſolū eſt Mediator per humanam naturam, nam per hanc ſolùm diſtinguitur à ſeipſo quà Deus.

Secundò; Si Chriſtus eſt Mediator ſecundùm naturam diuinam: ergo tota Trinitas eſt mediator; nam natura diuina eſt communis tribus.

Digitized by Google

Tertiò, Chriſtus tantùm per illas actiones eſt Mediator, per quas meruit & ſatisfecit: ſed meruit & ſatisfecit ſolùm per actiones naturæ humanæ: ergo &c.

4 Actiones Mediatoris.

Dices 1. Docere, facere miracula, ſacrificare, pacificare, reconciliare, remittere peccata, dare Spiritum ſanctum, ſunt functiones Mediatoris; ſed Chriſtus has obiuit per naturam diuinam: ergo &c.

Reſpondeo, Sacrificare nullo modo eſſe functionem diuinitatis. Nam Sacrificium offertur ſuperiori in teſtimonium ſummi principatus. Vide omnis Sacerdos minor eſt eo, cui Sacrificium offert. At diuinitas non poteſt habere ſuperiorem. Reliquæ autem functiones dupliciter poſſunt fieri: Primò, ex principali auctoritate: & ſic docere, facere miracula, reconciliare, remittere peccata, dare Spiritum ſanctum, non ſunt functiones Mediatoris: alioqui Pater & Spiritus ſanctus eſſent Mediatores: nam Pater docet, Ioannis 6. v. 45. *Omnis qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me.* Facit miracula Ioannis 14. v. 11. *Pater in me manens ipſe facit opera.* Reconciliat, 2. Corin. 5. v. 19. *Erat Deus in Chriſto mundum reconcilians ſibi.* Remittit peccata, Lucæ 23. verſ. 34. *Pater, dimitte illis.* Denique dat Spiritum ſanctum, Ioannis 14. verſ. 16. *Ego rogabo Patrem, & alium paracletum dabit vobis.* Secundò, poſſunt fieri hæ functiones ex commiſſione, & miniſterio: & ſic conueniunt Chriſto per humanam naturam, ſunt que functiones Mediatoris.

duplicitèr aliquiſſi. 1. Ex principali auctoritate.

2. Ex commiſſione.

Aduertendum eſt 3. Etſi ſolus Chriſtus ſit principalis & perfectus Mediator, & hoc modo unicus; tum quia ipſe ſolus perfectè pro nobis ſatisfecit; tùm, quia omnes per illum ſunt reconciliati, ipſe autem per neminem; tùm denique, quia ipſe non ſolùm munere, ſed etiam ſubſtantiâ eſt mediator; poteſt tamen hoc nomen alijs conuenire inferiore modo, & per quandam participationem muneris Chriſti: ſicut etiam Apoſtoli dicuntur Lux mundi, Magiſtri Eccleſiarum, ſacramentum Eccleſiæ, quæ tamen Chriſto ſunt propria. Sic Moyſes Deut. 5. & ad Gal. 3. vocatur *Sequeſter & medius inter Deum & populum. & Mediator*, quia intercedebat orando, & ſacrificando pro populo, & leges diuinas illis annunciando. Simili modo, ſancti dicuntur noſtri *Aduocati & Mediatores*. Cyrillus li. 12. Theſauri c. 10. dicit Moyſem, Prophetas, & Apoſtolos omnes fuiſſe *Mediatores*. Nazianzenus oratione, quam habuit coram Gregorio Nyſſeno, *Martyres vocat noſtros apud diuinitatem Mediatores.*

5 Mediatores. inferiori modo.

Moyſes.

Sanctos.

Sic Beata Virgo dicitur *Aduocata & mediatrix noſtra*. S. Ephræm oratione ad B. Virginem: *Ave Mediatrix gloriosissima, Ave vniuerſi terrarum orbis reconciliatrix.* Anſelm. lib. de Excellentia virginis cap. 9. *quis ipſa perpendens, æſtimare queat quàm laude digna ſit, quæ tantorum beneficiorum ſola per cunctis efficimur Mediatrix.* Cap. 12. vocat illam *Reconciliatricem*; quod idem, vel ampliùs valet, quàm *Mediatrix*. D. Bernard. ſerm. in illud Apocal. *Signum magnum apparuit in Cælo &c. Opus eſt Mediatore ad Mediatorem illum, nec alter nobis vtilior, quàm Maria.* Et infrà. *Age gratias ei, qui talem tibi Mediatricē benignissimā miſeratione præuidit: omnibus miſericordiæ ſinum aperuit, vt de eius plenitudine omnes accipiant.* Et infrà: *Tam te Mediatricem ſibi apud Solem iuſtitiæ conſtituam interpellat.* Ratio eſt; quia hæc nomina non ſolùm vſurpatur in ſua perfectiſſimâ ſignificatione; ſed etiam inferiore & imperfectiore modo: quomodo etiam dicitur *Vita Spes, & Salus noſtra.*

6 B. Virgo Aduocata & Mediatrix noſtra.

INDEX QVÆSTIONVM
ARTICVLORVM ET DVBIORVM.

INductio de obiecto huius Tertiæ Partis. pag. 331
Dub. 1. *Quod sit obiectum seu materia huius Tertiæ Partis.* ibid.
Dub. 2. *Quomodo diuidatur hic primus tractatus qui est de Christo.* ibid.
Dub. 3. *Vtrùm hoc mysteriũ conuenienter dicatur Incarnatio.* ibid.
Dub. 4. *Vtrùm hæc tractatio præstantior sit ceteris Theologiæ partibus.* 332

QVÆSTIO PRIMA.
De Conuenientia Incarnationis.
In sex Articulos diuisa.

Art. 1. *Vtrùm conueniens fuerit Deum incarnari.* ib.
Dub. 1. *Vtrùm sepositâ redemptione generis humani, sit per se conueniens Deum incarnari.* Id est, *Vtrùm præter Redemptionem generis humani, sint aliquæ rationes, ob quas potuerit hoc esse conueniens.* ibid.
Dub. 2. *Vtrùm Deum incarnari fuerit conueniens ad reparationẽ generis humani.* 334.
Dub. 3. *Vtrùm ratione naturali probari possit mysterium Incarnationis esse possibile.* ibid.
Dub. 4. *Vtrùm Incarnatio reipsa sit facta, & quomodo id probari queat.* 335
Art. 2. *Vtrùm necessarium fuerit ad reparationem generis humani Verbum incarnari.* 338
Dub. 1. *Vtrùm Incarnatio Verbi absolutè fuerit necessaria ad humani generis redemptionem.* ibid.
Dub. 2. *Vtrùm ad redimendum hominem satisfactione perfectæ iustitiæ, fuerint Incarnatio Dei necessaria.* ibid.
Art. 3. *Vtrùm si homo non peccasset, Deus Incarnatus fuisset.* 341
Dub. *Quomodo se habeat Prædestinatio Christi respectu prædestinationis hominum & Angelorum.* 346
Art. 4. *Vtrùm principaliùs Christus incarnatus fuerit propter peccatum originale, an actuale.* 347
Dub. 1. *Vtrùm Christus, fuisset venturus si tantùm fuisset peccatum actuale, vt si Adam non peccasset, aliqui tamen ex eius posteritate peccassent.* 348
Dub. 2. *Vtrum Christus fuisset venturus, si tantùm fuisset peccatum originale, & nulla inde actualia fuissent secuta.* ibid.
Art. 5. *Vtrum conueniens fuerit Christum incarnari ab initio mundi.* 349
Art. 6. *Vtrum Incarnatio debuerit differri vsque ad finem mundi.* ibid.

QVÆSTIO II.
De modo Vnionis Verbi Incarnati.
In duodecim Articulos diuisa.

Art. 1. *Vtrum vnio Verbi Incarnati fuerit facta in natura*, id est, *Vtrum ex vnione Verbi, & humanæ naturæ resultauerit aut constituta fuerit vna natura.* 350
Dub. 1. *Vtrum vnio Incarnationis facta fuerit per aliquam conuersionem alterius naturæ in alteram.* ibid.
Dub. 2. *Verum ex carne humanâ & naturâ diuinâ potuerit fieri vna natura integra per compositionem.* 351
Art. 2. *Vtrum vnio verbi incarnati facta sit in persona.* 352
Dub. *Vtrum in Christo sit tantum vna persona, & qualis quæ est secunda controuersia in hac materia.* ibid.
Art. 3. *Vtrum vnio verbi facta sit in hypostasi.* 354
Dub. 1. *Quidnam hypostasis, seu persona superaddat naturæ.* ibid.
Dub. 2. *Vtrum vnio Incarnationis facta fuerit per modum vnionis naturæ cum ratione hypostaticâ, seu subsistentiâ.* 356
Art. 4. *Vtrum persona, vel hypostasis Christi post incarnationem sit composita.* 358
Dub. *An hæc vnio fuerit vera compositio: & idcirco terminus resultans per hanc vnionem, sit persona composita.* ibid.
Art. 5. *Vtrum in Christo facta fuerit aliqua vnio animæ & corporis.* 360
Art. 6. *Vtrum humana natura fuerit vnita verbo accidentaliter.* ibid.
Art. 7. *Vtrum vnio diuinæ, & humanæ naturæ sit aliquid creatum.* ibid.
Dub. 1. *Vtrum præterquam quod per hanc actionem vnitiuam tribuatur humanæ naturæ substantia verbi & præter relationem reales tantum inter illa, producatur etiam aliquid creatum in humanitate, quo ipsa formaliter sit vnita verbo.* 361
Dub. 2. *An id quod constat hâc vnione sit creatum quid, an increatum.* 362
Art. 8. *Vtrum Vnio verbi incarnati idem sit, quod assumptio.* ibid.
Art. 9. *Vtrum vnio duarum naturarum in Christo sit maxima vnionum.* 363
Dub. 1. *Vtrum hæc vnio sit maxima vinculo, siue in ratione vinculi.* ibid.
Dub. 2. *Vtrum hæc vnio etiam sit maxima dignitate.* 364
Art. 10. *Vtrum vnio Incarnationis sit facta per gratiam.* ibid.
Art. 11. *Vtrum vnionem verbi incarnati aliqua merita præcesserint.* ibid.
Art. 12. *Vtrum gratia vnionis fuerit Christo hominis naturalis.* ibid.

QVÆSTIO III.
De Modo vnionis ex parte assumentis.
In octo Articulos diuisa.

Art. 1. *Vtrum personæ diuinæ conueniat assumere naturam humanam.* 365
Dub. 1. *Vtrum persona creata possit assumere immediatè aliam naturam creatam.* ibid.
Dub. 2. *Vtrum suppositum creatum possit alienam naturam creatam diuinâ virtute saltem mediatè assumere, sustentando & terminando illam mediantè suâ naturâ.* 366
Art. 2. *Vtrum naturæ diuinæ conueniat assumere naturam creatam.* ibid.
Dub. *An Filius Dei terminet & sustentet immediatè naturam humanam per aliquid absolutum & essentiale. An per suam rationem relatiuam & personalem?* Quod alij DD. sic proponunt: *Quæ sit ratio formalis terminãdi humanam naturam.* ibid.
Art. 3. *Vtrum abstractâ per intellectum personalitate, natura diuina possit assumere.* 368
Dub. 1. *Vtrum sit in Deo vna subsistentia absoluta.* 369
Dub. 2. *Vtrum per hanc subsistentiam possit*

Digitized by Google

natura humana immediatè assumi, & terminari, ita vt nulli personæ immediatè vniatur. ibid.
Art. 4. *Vtrum vna persona possit sine aliâ naturam humanam assumere.* 370
Art. 5. *Vtrum quælibet persona diuina potuerit naturam humanam assumere.* ibid.
Art. 6. *Vtrum plures personæ diuinæ possint assumere eandem numero humanam naturam.* ibid.
Dub. *Vtrum si tres personæ assumerent eandem numero naturam, esset vnus homo, aut plures.* 371
Art. 7 *Vtrum vna persona diuina possit assumere duas naturas humanas.* ibid.
Dub. *Vtrum si vna persona assumeret duas humanitates, esset vnus homo, an duo.* 372
Art. 8. *Vtrum fuerit magis conueniens vt persona Filij assumeret naturam humanam, quàm Pater, vel Spiritus sanctus.* ibid.

QVÆSTIO IV.

De modo Vnionis ex parte naturæ assumptæ.

In sex Articulos diuisa.

Art. 1. *Vtrum natura humana fuerit magis assumptibilis à Filio Dei, quam quælibet alia.* 373
Dub. 1. *Vtrum quæuis natura possit diuina virtute hypostaticè assumi à persona diuina.* ib.
Dub. 2. *Vtrum partes naturæ, scilicet materia, & forma possint assumi.* 374
Dub. 3. *Vtrum qualitates accidentariæ possint hypostaticè assumi.* ibid.
Art. 2. *Vtrum Filius Dei assumpserit personã.* 375
Dub. 1. *Vtrum per potentiam Dei absolutam, persona, vel saltem natura personata possit assumi.* ibid.
Dub. 2. *Vtrum si vna humanitas esset in duobus locis (sicut modo est humanitas Christi) possit in vno loco habere propriam personalitatem, & in alio esse in persona verbi.* ibid.
Art. 3. *Vtrum persona diuina assumpserit hominem.* 378
Art. 4. *Vtrum Filius Dei debuerit assumere naturam humanam abstractam ab omnibus individuis.* ibid.
Art. 5. *Vtrum filius Dei debuerit assumere naturam humanam in omnibus individuis.* ibid.
Art. 6. *An conueniens fuerit, vt filius Dei assumeret naturam humanam ex stirpe Adam.* ibid.

QVÆSTIO V.

De modo Vnionis, quoad partes humanæ naturæ.

In quatuor Articulos diuisa.

Art. 1. *Vtrum filius Dei debuerit assumere verum corpus.* 379
Art. 2. *Vtrum Filius Dei debuerit assumere corpus terreum, scilicet carnem, & sanguinem.* ibid.
Dub. 1. *Vtrum sanguis fuerit hypostaticè assumptus.* ibid.
Dub. 2. *Vtrum reliqui humores, scilicet flauabilis, atrabilis, & phegma sint assumpti hypostaticè.* 381
Dub. 3. *Vtrum dentes, vngues, capilli & barba fuerint hypostaticè vnita verbo.* ibid.
Art. 3. *Vtrum filius Dei assumpserit animam.* 382
Art. 4. *Vtrum filius Dei assumpserit intellectum.* ib.

QVÆSTIO VI.

De Ordine Assumptionis.

In sex Articulos diuisa.

Art. 1. *Vtrum filius Dei carnem assumpserit mediante animâ.* 383
Art. 2. *Vtrum filius Dei assumpserit animam mediante spiritu seu mente.* ibid
Art. 3. *Vtrum Anima prius assumpta fuerit à Verbo, quàm caro.* ibid.
Dub. *Vtrum Anima saltem prius naturâ non fuerit assumpta à Verbo, quàm caro* 384
Art. 4. *Vtrum caro Christi fuerit prius assumpta, quàm animata.* ibid.
Art. 5. *Vtrum tota humana natura sit assumpta mediantibus partibus.* ibid.
Dub. 1. *Vtrum prius naturâ assumpta sit anima, & corpus, quam ipsa humanitas.* ibid.
Dub. 2. *Vtrum anima, & corpus prius sint assumpta à verbo, quàm vnita inter se.* 385
Dub. 3. *Vtrum spiritus prius naturâ vniatur verbo quam anima.* ibid.
Dub. 4. *Vtrum præter vnionem, qua partes sunt coniunctæ Verbo, sit aliqua vnio per quam immediatè ipsa natura humana verbo copuletur.* ibid.
Dub. 5. *Vtrum prius naturâ assumpta sit substantia animæ, & corporis à verbo, quàm intelligatur informari suis accidentibus.* 386
Art. 6. *Vtrum humana natura fuerit assumpta mediante gratia.* ibid.

QVÆSTIO VII.

De Gratia Christi, prout est singularis homo.

In tredecim Articulos diuisa.

Art. 1. *Vtrum in Anima Christi fuerit oratio habitualis.* 386
Dub. 1. *Vtrum sine ista gratia potuerit Anima Christi esse sancta, Deo grata, & meritoria.* 387
Dub. 2. *Vtrum gratia habitualis Christi fuerit eiusdem speciei, atque nostra.* ibid.
Art. 2. *Vtrum in Christo fuerint virtutes.* 388
Dub. 1. *Vtrum in Christo fuerit virtus pœnitentiæ.* ibid.
Dub. 2. *Vtrum hi habitus supernaturales fuerint Christo necessarij ad eliciendos actus supernaturales.* ibid.
Dub. 3. *Vtrum in Christo fuerint omnes virtutes naturales, id est, quæ naturæ viribus comparari possunt.* ibid.
Dub. 4. *Vtrùm à principio conceptionis habuerit hasce virtutes naturales* 389
Art. 3. *Vtrum in Christo fuerit Fides.* ibid.
Art. 4. *Vtrum in Christo fuerit Spes* ibid.
Art. 5. & 6. *Vtrum in Christo fuerint dona Spiritus sancti, præsertim Timoris.* ibid.
Art. 7. & 8. *Vtrum in Christo fuerint omnes gratiæ gratis datæ, etiam prophetia.* 390
Art. 9. *Vtrum in Christo fuerit gratiæ plenitudo.* 392
Art. 10. *Vtrum gratiæ plenitudo sit Christo propria.* ibid.
Art. 11. *Vtrum Christi gratia sit infinita.* ibid.
Dub. *Vtrum Christi gratia non sit absolutè infinita.* ibid.
Art. 12. *Vtrum gratia Christi potuerit augeri.* 393
Dub. 1. *Vtrum per potentiam Dei absolutam dona habitualia Christi potuerint augeri.* ibid.
Dub. 2. *Quanta sit gratia Animæ Christi perfectione intensiuâ.* 394
Dub. 3. *Ex quo tempore Christus omnem hanc gratiæ perfectionem habuerit.* ibid.
Art. 13. *Quomodo gratia Christi habitualis se habeat ad vnionem.* ibid.

Digitized by Google

QVÆSTIO VIII.

De Gratia Christi, vt est Caput Ecclesiæ.

In octo Articulos diuisa.

Art. 1. *Vtrum Christus sit Caput Ecclesiæ.* 395
Art. 2. *Vtrum Christus sit Caput hominum tantummodò quoad animas, an etiam secundùm corpora.* 396
Art. 3. *Vtrum Christus sit Caput omnium hominum.* ibid.
Dub. *Quomodo Christus vt Caput virtum spiritalem in sua membra diffundat.* ibid.
Art. 4. *Vtrùm Christus sit Caput Angelorum,* ibid.
Dub. *Vtrum Christus sit Caput vniuersi.* 397
Art. 5. *Vtrum gratia Christi, quà est Caput Ecclesiæ, sit eadem cum habituali.* ibid.
Art. 6. *Vtrum esse Caput Ecclesiæ sit Christo proprium.* 398
Art. 7. *Vtrum diabolus sit Caput omnium malorum.* ibid.
Art. 8. *Vtrum Anti Christus sit Caput omnium malorum.* ibid.

QVÆSTIO IX.

De Scientiâ Christi in communi.

In quatuor Articulos diuisa.

Art. 1. *Vtrum Christus habuerit aliquam Scientiam creatam.* 399
Art. 2. *Vtrum Christus habuerit Scientiam beatificam.* ibid.
Art. 3. *Vtrum Christus habuerit Scientiam infusam.* 400
Art. 4. *Vtrum in Christo fuerit Scientia acquisita.* 401
Dub. *Vtrùm Christus hanc scientiam suâ industria acquisuerit? An verò a Deo acceperit ab initio conceptionis infusam.* ibid.

QVÆSTIO X.

De Scientiâ Beatâ Animæ Christi.

In quatuor Articulos diuisa.

Art. 1. *An Anima christi comprehenderit Verbũ.* 402
Art. 2. *Vtrùm Anima christi in verbo cognouerit omnia.* 403
Art. 3. *Vtrum Anima Christi in Verbo cognoscat infinita.* 404
Art. 4. *Vtrum Anima Christi clarius videat diuinam essentiam, quàm alia quæuis creatura.* ibid.

QVÆSTIO XI.

De Scientia per se infusâ Animæ Christi.

In sex Articulos diuisa.

Art. 1. *Vtrum per scientiam infusam Christus omnia nouerit.* 405
Dub. 1. *Vtrum Anima Christi per hanc scientiam infusam cognouerit res omnes naturales, corporales scilicet, & spirituales, quas Angeli per suam scientiam naturalem cognoscunt.* ibid.
Dub. 2. *Vtrum Christi Anima per hanc scientiam cognoscat res supernaturales.* ibid.
Dub. 3. *Vtrum Anima Christi per scientiam infusam cognouerit cordium cogitationes.* 406
Dub. 4. *Vtrum per hanc scientiam cognouerit mysteria diuinitatis.* ibid.
Dub. 5. *Vtrum per hanc scientiam cognoscat etiam futura contingentia.* 407
Art. 2. *Vtrum Christus hâc scientiâ vti potuerit, non conuertendo se ad phantasmata.* ibid.
Art. 3. *Vtrum hæc scientia fuerit collatiua.* 408
Art. 4. *Vtrum hæc scientia in Christo fuerit maior, quàm sit scientia Angelorum.* ibid.
Art 5. *Vtrum hæc scientia fuerit habitualis.* ibi.
Art. 6. *Vtrum scientia hæc fuerit distincta per diuersos habitus.* ibid.
Dub. 1. *Vtrum lumen huius scientiæ sit etiam multiplex instar specierum.* 409
Dub. 2. *Vtrum hæc scientia infusa habeat vnum actum sibi adæquatum.* ibid.
Dub. 3. *Quale sit hoc lumen scientiæ infusæ,* 410

QVÆSTIO XII.

De Scientia Acquisitâ Animæ Christi.

In quatuor Articulos diuisa.

Art. 1. *Vtrum per hanc scientiam Christus cognouerit omnia.* 410
Art. 2. *Vtrum Christus in hâc scientiâ profecerit.* ibid.
Art. 3. *Vtrum Christus aliquid ab homine didicerit.* ibid.
Art. 4. *Vtrum Christus aliquid acceperit ab Angelis.* 411

QVÆSTIO XIII.

De Potentia Animæ Christi.

In quatuor Articulos diuisa.

Art. 1. *Vtrum Anima Christi habuerit omnipotentiam simpliciter.* 411
Art. 2. *Vtrum Anima Christi habuerit omnipotentiam respectu mutationis creaturarum.* ibid.
Dub. 1. *Quidnam sit vis illa, quâ Christus operatus est miracula.* ibid.
Dub. 2. *Quomodo natura humana ad miracula sit cooperata.* 413
Dub. 3. *Vtrum humanitas Christi præter hos modos operandi, habuerit aliquem immediatum influxum supernaturalem in opus miraculosum.* ibid.
Art. 3. *Vtrum Anima Christi habuerit omnipotentiam respectu proprij corporis.* 415
Art. 4. *Vtrum Anima Christi habuerit omnipotentiam respectu executionis suæ voluntatis.* ibid.
Dub. *An voluntate absoluta Anima Christi aliquid voluerit vt implendum per alios, quod tamen non sit executioni mandatum.* 416

QVÆSTIO XIV.

De defectibus Corporis à Christo assumptis.

In quatuor Articulos diuisa.

Art. 1. *Vtrum Filius Dei in naturâ humanâ assumpserit defectus corporis.* 416
Art. 2. *Vtrum Christus assumpserit necessitatem subiacendi his defectibus.* ibid.
Art. 3. *Vtrum Christus contraxerit defectus.* ibid.
Art. 4. *Vtrum Christus omnes defectus corporales hominum assumere debuerit.* 417

QVÆSTIO XV.

De Defectibus Animæ à Christo assumptis.

In decem Articulos diuisa.

Art. 1. *Vtrum in Christo fuerit peccatum.* 417
Dub. *An nullo modo fieri potuerit vt Christus in natura assumpta peccaret.* ibid.
Art. 2. *Vtrum in Christo fuerit fomes peccati.* 419
Dub. 1. *Per quid sublata est inordinata inclinatio virium, & omnis inordinatus motus in Christo, cùm hæc in nudâ natura absque peccato futura sint.* 420
Dub. 2. *An penitus fuerit impossibile, vt Verbum assumeret naturam cum fomite peccati.* ibid.
Art. 3. *Vtrum in Christo fuerit ignorantia.* ibid.
Art. 4. *Vtrum Anima Christi fuerit passibilis.* 421.
Art. 5. *Vtrum in Christo fuerit dolor sensibilis.* ibid.
Art. 6. *Vtrum in Christo fuerit Tristitia.* ibid.
Dub. *Vtrum in eius voluntate fuerit Tristitia.* ibid.
Art. 7. *Vtrum in Christo fuerit Timor.* 422.
Art. 8. *Vtrum in Christo fuerit Admiratio.* ibid.

Digitized by Google

Art. 5. *Vtrum Sacerdotium Christi permaneat in aeternum.* ibid.
Art. 6. *Vtrum Sacerdotium Christi fuerit secundùm ordinem Melchisedech.* ibid.
Dub. 1. *Quam potestatem habuerit Dominus ratione huius supremi Sacerdotij.* 463
Dub. 2. *Vtrum Christus, vt homo solùm habuerit hanc indirectam potestatem in regna, & res temporales mundi, An etiam directam tamquam verus Rex, & Dominus.* 464.

QVÆSTIO XXIII.
De Adoptione Christi.
In quatuor Articulos diuisa.

Art. 1. 2. & 3. *Vtrum Trinitati conueniat adoptare rationalem creaturam* 465
Art. 4. *Vtrum Christus vt homo, sit Filius Dei adoptiuus.* 496

QVÆSTIO XXIV.
De Prædestinatione Christi.
In quatuor Articulos diuisa.

Art. 1. *Vtrum Christo conueniat esse prædestinatum.* 497
Art. 2. *Vtrum Christus vt homo, sit prædestinatus vt sit Filius Dei.* 498
Art. 3. *Vtrum prædestinatio Christi sit nostræ prædestinationis exemplar.* 500
Art. 4. *Vtrum prædestinatio Christi sit causa nostræ prædestinationis.* ibid.

QVÆSTIO XXV.
De Adoratione Christi.
In sex Articulos diuisa.

Art. 1. *Vtrum vnâ, eâdemque adoratione adoranda sit humanitas, & diuinitas Christi.* 501
Art. 2. *Vtrum humanitas Christi adoranda sit adoratione Latriæ.* 502
Dub. 1. *Quomodo ipsa natura humana Christi per se spectata, vt terminus integræ adorationis sit adoranda propter dignitatem personæ cui coniuncta est, ita vt persona sit pura ratio adorandi, non id quod adoratur.* ibid.
Dub. 2. *Vtrum humanitas Christi ratione donorum supernaturalium gratiæ, & gloriæ possit adorari.* 503
Dub. 3. *Vtrum Sancti sint adorandi, & quomodo.* 504
Art. 3. *Vtrum imago Christi sit adoranda adoratione Latriæ.* 506
Dub. 1. *Vtrum licitus sit vsus imaginum Christi, & Sanctorum, & ipsius Dei, præsertim in templis.* ibid.
Dub. 2. *Vtrum imagines Christi, Sanctorum, & Dei aliquo cultu & adoratione sint venerandæ.* 509
Dub. 3. *Vtrum Imaginibus secundùm se consideratis debeatur aliqua adoratio, & quomodo sint adorandæ.* 511
Art. 4. *Vtrum Crux Christi sit adoranda.* 514
Art. 5. *Vtrum Reliquiæ sint adorandæ.* 515
Art. 6. *Vtrum Mater Christi sit adoranda adoratione latriæ.* 516

QVÆSTIO XXVI.
De Officio Mediatoris.
In duos Articulos diuisa.

Art. 1. & 2. *Vtrum Christo proprium sit esse Mediatorem Dei & hominum & secundum vtram naturam.* 507

INDEX

RERVM PRÆCIPVARVM

quæ in hac materia de Incarnatione tractantur.

Prior numerus paginam; posterior, marginalem paginæ numerum denotat. Vbi numerus marginalis solùm apponitur, ad proximè designatam paginam refertur.

Accidentia.

Accidentia tantùm sunt mediatè assumpta. pag. 302. num. 22.

Actus, Actiones.

Actiones Christi quomodo fuerint perfectionis finitæ. 340. 35
In Christo fuerunt habitus ad eliciendos actus supernaturales. 388. 9
Christus exercuit actus virtutum naturalium. n. 10
Non tamen omnes actus illarum virtutum primo instanti conceptionis. 389. 11
Qualis actus fidei in eo fuerit. 389. 15
Actiones Christi cur dicantur operatio Dei & hominis. 414. 13.
Actiones Christi non sunt definitæ. 432. 6
Actiones omnes Christi non erant tales, vt nisi fierent, læderetur Dei amicitia. 433. 9
Eadem actio dupliciter potest considerari. ibid.
Cur potiùs omnes actiones Christi sint liberæ, quàm naturæ. 436. 2
Actiones Christi fuerunt meritoriæ sibi & aliis. n. 3
Actiones Christi dupliciter comparari possunt ad Patrem & Spiritum sanctum. 443. 24
Actiones omnes non fuerunt Christo præceptæ. 458. 3

Adam.

Si Adam non peccasset, christus nõ erat incarnãdus 342. 30
Adamo Christus fuit revelatus. 345. 50
Adam non habuit primam gratiam à Christo. 454. 51
Cuniebat vt ex stirpe Adæ Verbũ incarnaretur. 378. 20

Admiratio.

In Christo fuit admiratio. 422. 22
Vnde ea nascatur. ibid.
quomodo Christus sit admiratus fidem Centurionis. ib.

Adoptio, adoptare.

Adoptio quid sit. 495. 1
Tres requiriti conditiones. ibid.
Adoptio spiritualis perfectior est quàm humana. n. 1
Adoptare est totius Trinitatis. n. 3
Adoptari spiritualiter est totius creaturæ rationalis. n. 4
Omnis iustus est filius adoptiuus Dei. 5
Iustificatio creaturæ quomodo sit adoptatio. n. 2
Christus nõ est filius adoptiuus Dei, sed naturalis. 496. 7
Natura humana in Christo nõ potest dici adoptata. n. 8
Adoptio vnde dicta. 497
Cur gratia habitualis non fecit Christum filium adoptiuum. ibid. 9

Adoratio.

Adorare in genere, quid sit. 501. 5

Digitized by Google

Adorationis triplex species. n. 2.
Adorationis obiectum. n. 3.
Christus absolutè adorandus latria. n. 4.
Humanitas adoratur eâdem latriâ quâ Filius Dei, etsi secundariò. 502. 5.
Quomodo humanitas christi adoranda sit adoratione latriæ. n. 7. & 8.
Hæc adoratio est ab habitu latriæ, minor tamen quàm adoratio Verbi. 503. 9.
Talis adoratio non est dicenda latria. ibid.
Humanitas Christi ratione donorum supernaturalium potest adorari non latriâ, sed hyperduliâ. ibid. 12
Qualis adoratio debita humanitati ob dignitatem capitis. 504. 13
Adoratio non est nisi ad alterũ capacẽ rationis. 511. 38
adoratio constat materiali & formali: formale autem non tendit in imaginem secundum se. n. 39.
Differentia quæ est inter adorare salutare, *&* latriam, & duliam. 512. 41
Vide Dulia, Latria, Imago, Crux, Reliquiæ, Sancti.

Angelus.

Angelis naturaliter euidens non est naturam ab hypostasi posse separari. 335. 12
Eisdem non est euidens accidentia à subiectis esse separabilia. ibid.
Angeli secundum naturam & dona gratiæ prius ratione præordinati sunt, quàm mysterium Incarnationis. 346. 56
Quale fuerit Angelorum peccatum. 547. 61
Quidam Viri docti putant de facto aliquos Angelos assumpsisse vera corpora. 366. 7
Angelicà natura potuit assumi a persona diuina. 373. 3
Angelus Christum in horto confortauit. 411. 5
Angeli non sunt redempti à christo. 450. 38
Imo nec gratiam nec gloriam habent ex ipsius meritis. n. 39.
Cur Angelus recusarit adorari à S. Ioanne Apocal. 19. 505. 19.

Anima Christi.

Assumptæ sunt omnes vires animæ 382. 21
Anima à verbo Assumpta fuit. ibid. 19
Anima non est assumpta mediante carne. 383. 2
Nec creata mediante carne. ibid.
Anima assumpta est mediante spiritu. ibid. 3
Differentia inter animam & spiritum. ibid.
Anima non priùs tẽpore fuit assumpta, quàm caro. n. 4
Anima priùs intẽtione assumpta est, quã corpus. 384. 6
Anima & spiritus simul naturæ vniũtur Verbo. 835. 11
Anima Christi potuit diuinitus esse sancta sine gratia. 387. 4
Anima Christi priùs natura fuit sanctificatâ per vniõnẽ Verbi, quàm per gratiam. 392. 24
Anima christi nihil cognoscit per scientiam increatam. 399. 2.
Anima christi non fuit absolutè omnipotens. 411. 1
Anima christi habuit potentiam ad effectus omnes animæ conuenientes. n. 2. *Etiam habuit ad mutationes miraculosas.* ibid. *Non tamen potentiam annihilandi.* ibid.
Anima christi non habuit omnipotentiam in proprium corpus per virtutem propriam. 415. 17
Anima christi quomodo quidquid voluit per se adimplendum potuerit implere. 416. 19
Anima christi non fuit 1. sanctificata per proprium actum. 449. 35
Vide Scientia Christi.

Antichristus.

Quomodo Antichristus sit caput omnium malorum hominum, & ab illi præfiguretur. 398. 18
Is non est caput dæmonum Lucifero inferiorum. ib. 19

Appetitus sensitiuus.

In christo fuit appetitus sensitiuus. 431. 3

Assumere Assumptio.

Assumptio tripliciter differt ab vnione verbi incarnati. 362. 68
Verbum non potest dici assumptum 365. 69
Quomodo differat assumptio & vnio, ab incarnatione. n. 70.
Assumere personam creatam proprissimè conuenit personæ diuinæ. 365. 1
Ad assumptionem duo sunt requisita. 366. 8
Plures personæ possunt eandem naturam assumere 470. 31.
Quænis natura potest à diuina persona assumi 373. 3
Ac variorum circa hoc sententiæ. n. 2
Assumi etiam potest nuda forma & materia. 374. 8
Filius Dei non assumpsit personam humanam. 375. 12
Persona hypostaticè assumi non potest. n. 13
Nec natura personata assumi potest. n. 14
Assumptæ sunt omnes vires animæ. 382. 21
Conueniens fuit vt Filius Dei assumeret defectus corporis. 416. 1
Sed non absolutè necessarium. n. 2
An omnes, & quos defectus christus assumpserit 417. 4
Tribus de causis assumpsit nostros defectus. n. 1
Christus non potest assumere naturam peccato infectam. 419. 6
Nec habitus vitiosos. n. 7. *Non fomitem, vel motus inordinatos.* 419. 9
Potuit assumere peccati reatum. ibid.
Vide Terminus, Verbum, Filius Dei, Caro, Corpus, Anima Christi.

Beati, Beatitudo.

IN *Beatis duplex est timor iuxta D. Augustin.* 389. 15
Christus simul fuit viator & cõprehensor. 423. 24
Beati tripliciter vident suam beatificam visionem. 406. 7
Beati aliquando habent voluntates inefficaces non cõformes diuinæ voluntati in re volita. 435. 14
In eodem instanti beatitudo & eius meritum ex scientia infusa simul esse possunt. 448. 38
Vide Visio beatifica.

Bilis.

Flaua & atra bilis assumptæ sunt à Verbo hypostaticè. 381. 15.
Pertinent ad integritatem humanæ naturæ. ibid. 15
Sunt necessariæ ad debitum temperamentum. ibid.
Quo modo sint recrementa. ibid.

Capilli

CApilli *hypostaticè Verbo vniti sunt.* 381. 17

Caput.

Dignitas capitis vt in Christo, est puræ creaturæ incõmunicabilis. 398. 14
Christus est caput Ecclesiæ. 395. 1
Vide Christus, Antichristus.

Caro, Corpus.

Ordine dignitatis & causalitatis Verbum assumpsit carnem mediante anima. 382. 1
Quid sit assumere carnem mediante anima. ibid.
Caro simul assumpta & animata. 384. 7
Corpus priùs executione assumptum est, quam anima. 384. 6
Ordine executionis priùs assumptum est corpus & anima, quàm humanitas. ibid. 9
Ordine executionis prius corpus & anima sunt vnita Verbo, quam inter se. n. 10

Christus eiusque aduentus.

Christus est obiectum Incarnationis 331. 1
De Christo potest esse scientia. n. 2
Nata Christo propriè. 337. 18
Christus non erat nasciturus si Adam non peccasset 341. 39.
Examinatur contraria sententia. ibid. 38

Digitized by Google

Et refutatur. 343. 43
Series prædeſtinationis Chriſti & variæ circa hanc ſententiæ. 341. 38
Chriſtus eſt primogenitus omnis creaturæ. 344. 45
Chriſtus eſt propter homines, & homines propter Chriſtum. 345. 51
Chriſtus venit vt tollat omne peccatum. 347. 62
Principaliùs tamen venit vt tollat originale. n. 63
Chriſtus non veniſſet ſi vnus actualiter tantùm peccaſſet. 448. 64
Sanctit argumentis contrariæ ſententiæ. ibid.
Nec Chriſtus veniſſet etſi multi peccaſſent actualiter. n. 65.
Veniſſe tamen ob ſolum originale. n. 66.
Chriſtus eſt, O, noſtrum, & vox noſtra. 460. 4
Dicitur etiam Oſtium. 454. 41
Vide Meſſias.

Chriſti vnitas.

Chriſtus eſt vnus & vnum tantùm. 428. 429. 1. & 2
Quomodo Deus & homo eſt vnus Chriſtus, *ſicut anima rationalis & caro vnus eſt homo.* 451. 8
Chriſtus eſt verè compoſitus ex ſubſiſtentia Verbi & natura humana. 458. 44
Chriſtus eſt compoſitus ex duabus naturis. 359. 47
Compoſitio in Chriſto ſit compoſitio, quàm in Trinitate. ibid. 48
An omne compoſitum ſit ſua componentia ſimul iuncta. n. 52.
Chriſtus aſſumpſit naturam humanam compoſitam ex anima & corpore coniunctis. 360. 54
Circa hæc eiicitur ſententia Magiſtri. n. 55

Chriſtus vt eſt caput hominum & Angelorum.

Chriſtus eſt Caput *Eccleſiæ.* 395. 1
Chriſtus non eſt membrum Eccleſiæ. ibid. 2
Chriſtus eſt caput hominum non tantùm ſecundùm animas, ſed etiam ſecundùm corpora. 396. 4. *Idem etiam dic de corpore Chriſti.* ibid.
Quomodo Chriſtus vt caput vitam ſpiritualem in ſua membra diffundat n. 6
Chriſtus eſt caput Angelorum. n. 7
Quomodo vim capitis in eos exerceat. 397. 8
Chriſtus eſt caput vniuerſi. n. 9
Quomodo vim capitis exerceat in vniuerſum. ibid.
Quomodo Chriſto ſit proprium eſſe caput Eccleſiæ. 398. 12.
Vide Mediator, Sacerdos.

Prædicationes de Chriſto.

An, & quo ſenſu Chriſtus dici poſſit homo dominicus, homo deificus. 424. 7
Omnia quæ conueniunt Filio hominis, poſſunt prædicari de Filio Dei, & contrà. ib. 8. *Duæ regulæ obſeruandæ in his prædicationibus.* ibid.
Impropriè ſunt locutiones, Verbum eſt Chriſtus, Anima eſt Chriſtus, Caro eſt Chriſtus. Vita eſt mortua. 425. 9
Vera eſt, Deus factus eſt homo. 427. 14
Propriè non eſt vera. Homo factus eſt Deus. n. 15
An & quo ſenſu Chriſtus dici poſſit creatura. 427. 16
Vera non eſt, Iſte homo incepit eſſe. n. 17
Vera eſt, Chriſtus vt homo eſt creatura. 428. 18
Propriè falſa eſt, Chriſtus vt homo eſt Deus. 425. 10 & 100. 19
Item falſa eſt, Chriſtus vt Deus, eſt homo, & mortuus &c. 428. 19
Impropria eſt, Chriſtus vt hic homo eſt Deus. ibid.
Ambigua eſt, Chriſtus vt homo, eſt hypoſtaſis vel perſona. n. 20
Quomodo Chriſtus ſit minor Patre. 456. 4

Communicatio.

Communicatio per Incarnationem, ſumma eſt triplicitèr. 332. 3
Deus ſe communicat liberè creaturis quadrupliciter. ib. 4
Incarnatio ſuperat communicationem Beatorum. n. 5

Communicatio idiomatum.

Vtùm ea quæ conueniunt Filio hominis poſſint prædicari de Filio Dei, & contra. 424. 8
Ea quæ conueniunt Filio hominis non prædicantur de natura diuina, nec contrà. 425. 9
Chriſtus non poteſt dici homo dominicus. ibid. 7
Hæc eſt vera & propria propoſitio, Deus factus eſt homo. 427. 14
Etiam hæc vera eſt, homo factus eſt Deus. n. 15
Hæc falſa eſt, Chriſtus incepit eſſe. 427. 17
Ex vnione hypoſtatica non eſt conſecuta talis idiomatum excommunicatio, vt caro Chriſti dicatur eſſe vbique. 426. 11
Vide Chriſtus, Prædicationes de Chriſto.

Crux Chriſti.

Crux chriſti dupliciter conſideratur. 514. 47
Vide Reliquiæ.

Deus.

Deus potuit multis modis ſine Incarnatione nos ſaluare. 358. 23
Deus non agit neceſſariò id omne quod eſt conuenientiſſimum. ibid. 25
Deus neceſſariò incarnatus eſt, poſito quòd vellet ſatisfactionem. n. 26
Deus tripliciter futura præſcit. 345. 50
Quomodo Deus & homo eſt vnus Chriſtus, ſicut anima rationalis & caro vnus eſt homo. 351. 8
Quomodo Deus ſit vnus cum omnibus Sanctis. 353. 11
Hæc propoſitio eſt vera, Deus eſt homo, & homo eſt Deus. 423. 2
An Deus *ſumatur in hac propoſitione*, Deus eſt homo, *definitè, an indeterminatè.* ibid. 3
Hæc locutio, Deus eſt homo, eſt propria. 424. 5
An hæc propoſitio, Deus eſt homo, ſit in materia contingenti, an neceſſaria. n. 6. *Item an hæc propoſitio ſit per ſe, an per accidens.* ibid.

Deipara.

Vnde Deipara contraxerit defectus corporales. 417. 3
Quomodo meruerit vt eſſet Dei mater. 447. 30
Deipara adoratur latriâ per accidens, per ſe hyperdulîâ, eaque duplex ei debita. 516. 58

Dentes.

Dentes hypoſtaticè Verbo fuerunt vniti. 351. 17

Dependentia.

Dependentia humanitatis à Verbo impropriè reducitur ad cauſam formalem. 356. 31

Determinatus.

Chriſtus fuit dupliciter determinatus ad amorem boni & fugam mali. 457. 6
Vide Subiectus.

Dolor.

In Chriſto fuit dolor ſenſibilis. 421. 15

Dominium Dei.

Dominium Dei in actiones Chriſti non impedit perfectam ſatisfactionem 443. 22

Donum.

In Chriſto fuerunt omnia dona Spiritus ſancti. 389. 16.

Dulia.

Quid ſit dulia. 501. 2
Vide Adoratio.

Electio.

Non ſemper eligitur quid fini eſt propinquius. 346. 53.

Error.

Varij errores circa Incarnationem. 435. 14
Errores Iudæorum circa Meſſiam. 338. 21
Errores Vbiquiſtarum. 350. 23 *Lutheri.* 351. 5 & 426. 11.
Vide Hæreſes circa Chriſtum.

Eſſentia Diuina.

Eſſentia diuina per ſe formaliter exiſtit. 369. 21
Eſſentia diuina poteſt immediatè ſuſtentare naturam humanam. ibid. 26
Satisfit argumentis contrarijs. n. 27

Euchariſtia.

Euchariſtia adoratur latriâ, ſpecies non niſi vt imagines. 514. 45

Exiſtentia.

Humanitas Chriſti habet exiſtentiã creatam. 429. 3
Exiſtentia eſt ratio formalis per quam res eſt. 430

Fides.

IN *Chriſto non fuit fides.* 389. 13
Habuit tamen fidei meritum. n. 14
In Chriſto fuit fides, vt eſt gratia gratis data. [illegible]. 19

Filius Dei.

Fuit magis conueniens vt Filius aſſumeret naturã humanam, quàm Pater vel Spiritus S. 372. 41
Filius Dei non aſſumpſit perſonam creatam. 375. 12
Filius Dei debuit aſſumere verum corpus, ſcilicet carnem & ſanguinem. 378. 1. & 2
Conueniens fuit vt Filius Dei in natura humana aſſumeret defectus corporis. 416. 1. *Sed non abſolutè neceſſario.* n. 2
Quomodo Chriſtus vt homo, ſit vel non ſit Filius Dei naturalis. 497. 9
Chriſtus eſt Filius Dei naturalis. 496. 6
Explicatur filiatio naturalis, quâ Chriſtus vt homo, eſt Filius Dei, & Deus. ibid. 9
Chriſtus, qua homo, poteſt dici Filius naturalis totius Trinitatis. n. 10
Vide Verbum.

Fomes.

Quid ſit fomes. 419. 9
Non fuit in Chriſto. 420
Per quid fomes ſublatus in Chriſto. n. 11
Impoſſibile eſt vt Verbũ naturã aſſumat cũ fomite. n. 12

Futura.

Tripliciter præſcit Deus futura. 345. 50

Gratia.

GRatia vnionis quadrupliciter accipitur. 364. 76
Gratia vnionis dupliciter eſt Chriſto naturalis. ibid. 79.
Idem dicitur de gratia habituali. 365
In anima Chriſti fuit vera gratia ſanctificans. 386. 2
Gratia eſt animæ perfectio. 387
Gratia Chriſti fuit quid permanens, & habitus ſupernaturalis. n. 3
Gratia habitualis Chriſti eſt eiuſdem ſpeciei atque noſtra. 387. 5
Nulla vis creata poteſt producere gratiam. 412. 4
Variis modis concurrit Chriſtus ad productionem gratiæ. ibid.
Gratia Chriſti habet ſe inſtar proprietatis prouenientis ex vnione cum Verbo. 448. 33
In Chriſto fuere omnes gratiæ gratis datæ. 390. 19
Hæ gratiæ fuerunt in Chriſto per modum habitus. 391. 22.
In Chriſto fuit gratiæ plenitudo. n. 23
Aliter Chriſtus ſanctificatur per gratiam, aliter per vnionem. 392. 24
Gratiæ plenitudo Chriſto eſt propria. ibid. 25
Gratiæ plenitudo variè variis tribuitur in Scripturis. ibid.
Quadrupliciter Chriſtus eſt plenus gratiâ. n. 26
Gratia Chriſti abſolutè eſt finita. 392. 28. *Aliquo tamen ſenſu dici poteſt infinita.* n. 29
Gratia Chriſti augeri non poterat. 393. 30. & 33
Gratia & virtutes in Chriſto per Dei potentiam augeri poſſunt. ibid. 32
In Chriſto maior eſt gratia, quàm in omnibus hominibus & Angelis ſimul. 394. 36
Gratia non habet ſe vt neceſſaria diſpoſitio ad vnionem hypoſtaticam. 395. 39
Imò nec vt diſpoſitio omnino conueniens naturâ prior, ſed potiùs vt poſterior, tanquam ipſam vnionem conſequens. n. 40
Gratia Chriſti quâ eſt caput Eccleſiæ, eſt eadem cum habituali. 397. 10
Gratia capitis potiſſimùm fundatur in vnione hypoſtatica. ibid. 11
Vide Chriſti Virtutes.

Generare.

Potentia generandi in Patre licet quodammodò exhauriatur reſpectu communicationis naturalis, poteſt tamen ſe extendere ad communicationes inferiores. 372. 39.

Habitus.

CHriſtus habuit habitus ſupernaturales ad eliciendos actus ſupernaturales. 388. 9
Qualis habitus ſpei in eo fuerit. ibid. 15
Chriſtus non potuit aſſumere habitus vitioſos. 419. 7

Hæreſes & errores circa Chriſtum.

Varij errores circa Incarnationem Chriſti 335. 14
Arius & Apollinaris negant in Chriſto eſſe Animam, ſed Verbũ eius locum explere. 382. 19. *Refutatur.* ib.
Caluinus negat Chriſtum meruiſſe gloriam corporis, & nominis exaltationem. 449. 35
Caluiniſtæ dicunt Chriſtum quatenus Deus eſt, eſſe Sacerdotem, humanitatem autem eſſe hoſtiam. 461. 5
Ebionis errores. 352. 10. *qui & refelluntur.* n. 11
Eutychetis errores 350. 2. *refelluntur.* n. 4
Lutherani volunt proprietates diuinæ naturæ communicari humanitati in abſtracto. 425. 10
Monothelitæ dicunt in Chriſto tantùm eſſe vnam operationem & voluntatem. 430. 1. & 434. 10
Neſtorius voluit in Chriſto duas eſſe perſonas. 352. 10 *Item* 424. 8. *Item* 501. 4.
Origenis error circa animam Chriſti. 384. 4
Idem putat Chriſtum redemiſſe Angelos. 450. 38
Petrus Abaillardus negauit in Chriſto fuiſſe donum Timoris. 390. 16
Hæretici affirmantes Chriſtum non habuiſſe verum corpus, ſed phantaſmata corporis. 379. 1
Valentinus aliique negant Filium Dei debuiſſe aſſumere corpus terrenum. ibid. 2
Vbiquiſtarum errores circa præſentiam Chriſti. 351. 1 *Refelluntur.* ibid. *Quo ſenſu Chriſtus poſſit dici eſſe vbique.* 426. 13
Duo errores hæreticorum de Mediatore Chriſto. 517. 1

Hebdomas.

Quid in ſacra Scriptura ſignificetur per hebdomades. 336. 16.

Homo.

Cur homo ſit redemptus, & non Angelus. 334. 8
Homo dicitur vniuocè de Deo & de Paulo. 423. 4
Quidquid dicitur de homine eſſentialiter vel neceſſariò, & quidquid dicitur de hoc homine, etiã accidentariè, dicitur quoque de Filio Dei, & Deo. 424. 8
Non omnia quæ conueniunt filio hominis, poſſunt dici de natura diuina, vel contrà. 425. 9

Humanitas Chriſti.

Quomodo humanitas ſit templum Verbi. 352. 16
Quomodo ſit habitus Verbi ibid.
Vna humanitas à pluribus perſonis aſſumpta haberet diuerſum eſſe perſonale à ſingulis. 371. 35
Humanitas vna ſi exiſteret in duobus locis, poſſit in vno loco habere propriam perſonalitatem, & in altero eſſe in perſona Verbi. 377. 16
Ordine intentionis priùs naturâ aſſumpta eſt tota humanitas, quàm anima vel corpus. 484. 9
Humanitas cooperata eſt ad miracula vt cauſa effectiuè applicans vim diuinam. 413. n. 6

Digitized by Google

Humanitas Christi adoratur eâdem latriâ quâ filius Dei, etsi secundariò. 502. 5
Plura de adoranda humanitate, *vide* verbum Adoratio.

Hypostasis.

Ratio hypostatica non necessariò sequitur ex natura in ipso momento creationis nostræ. 373. 3
Si Deus assumeret naturam irrationalem, hoc compositum esset hypostasis. 374. 5
Vide Persona Diuina.

Ignis.

Ignis corporeus quomodo agat in Spiritus. 415. 15
Vide quæ dicta sunt in tractatu de Purgatorio. cap. 2. dub. 1. *Item* quæ diximus lib. 13. de Perfectionibus diuinis. cap. 24. n. 134.

Ignorantia.

Quid sit ignorantia. 420. 13
In Christo ea non fuit. 421

Imago.

An imago Christi adoranda sit adoratione latriæ. 506. 21
Licitus est vsus imaginum Christi & Sanctorum & Sanctissimæ Trinitatis. 506. 23
Vtilitates sacrarum imaginum. n. 24
Imago non debet rem formaliter repræsentare vt est in se. 507. 26
Expenitur præceptum. Non facies tibi sculptile. n. 27
Quomodo nefas est imaginem Deo ponere. 508. 28
Imagines sacræ rectè ponuntur in Ecclesiis. n. 29
Antiquissimus vsus imaginum in templis. 509
Earumque expositarum vtilitates. ibid.
Cur Concilium Eliberitanum vetuit pingi imagines in pariete. ibid. 30
Imagines sacræ veneranda sunt. 509. 31
Sententiæ variæ hæreticorum. ibid.
Honor imaginis transit in prototypon. 510. 32
Hostes imaginum fuere impij, defensores Sancti. ibid.
Imagines secluso exemplari non sunt capaces adorationis. 511. 38
Imago adoratur propter exemplar, sicut proximus diligitur propter Deum. 513. 43
Cùm adoratur imago, semper adoratur prototypon. n. 44
Imagines per accidens adorantur latriâ vel duliâ, non tamen dicuntur impropriè adorari. n. 45
Imagines non sunt capaces orationis, sacrificij, laudis, nec oblationis. 514. 46

Incarnatio.

Incarnationis diuersa nomina. 331. 4
Hoc mysterium conueniêtissimè dicitur Incarnatio. 332. 5
Incarnatio præstat cæteris Theologiæ partibus, & Christianis solis nota. ibid. 7. & 8
Incarnatio superat communicationem Dei cum Beatis 332. 5.
In incarnatione maximè relucet iustitia diuina & cetera virtutes. 334. 9
Incarnatio non potest demonstrari ab vllo intellectu esse possibilis. ibid. 11
Incarnatio, suppositâ fide, ratione naturali possibilis ostendi potest. 335. 13
Incarnationẽ factam esse probatur cõtra Iudæos. 336. 15
Incarnatio ad nostram salutem absolutè non fuit necessaria. 338. 23
Incarnatio non erat futura, si Adã non peccasset. 341. 39
Incarnatio est quædam Dei humiliatio. 345. 52
Incarnatio præcipuè facta est ob humanam necessitatem. ibid.
An Incarnatio sit bonum occasionatum. n. 53
Incarnatio sine pacto non faceret opera Christi esse meritoria. 437. 4
Incarnatio est vniuersalis causa nostræ prædestinationis 455. 54

Incarnationis conuenientia.

Supposita redemptione generis humani, Deum incarnari conuenientes fuit diuinæ bonitati, perfectioni vniuersi, & humanæ naturæ. 331. 2. & seq.
Post peccatum non fuit modus conuenientior redimendi genus humanum ipsâ Dei incarnatione. 334. 9
Deus non necessariò agit quod est conuenientissimum. 338. 25.
Incarnatio non est facta quia est conueniens diuinæ bonitati, sed magis ob necessitatem humanam 345. 52
Non erat conueniens vt Christus assumeret carnem ante peccatum. 349. 67
Nec etiam vt assumeret carnem statim post peccatum Adæ. ibid.
Non debuit differri vsque ad finem mundi. ibid. 68
Conueniens fuit vt Filius Dei assumeret naturam humanam ex stirpe Adam. 378. 20
Vide Christus.

Incommunicabilitas.

Vnde oriatur incommunicabilitas in persona creata 370. 28.
Incommunicabilitas personæ creatæ tollitur per assumptionem ad naturam diuinam. ibid.

Inimicitia.

Christi natura secundùm se erat capax inimicitiæ diuinæ. 457. 6.

Instrumentum.

Quid sit instrumentum. 413. 8
Quomodo humanitas Christi fuit instrumentum diuinæ virtutis ad miracula perpetranda. ibid.
Actio instrumenti est præuia & distincta ab actione principalis agentis. 415. 14

Ira.

In Christo fuit Ira. 423. 23

Iustificatio, Iustus.

Iustificatio creaturæ ex similitudine dicitur adoptatio. 495. 2
Omnis iustus dicitur filius adoptiuus Dei. ibid. n. 5

Iustitia.

Interdum Deum, & puram creaturam non potest dari obligatio perfectæ iustitiæ 445. 25

Latriâ.

Quid sit latriæ 501. 2
Minor latria potest Christo tribui sine detrimẽto honoris summi. 504. 15.
An Christo debeatur latria ob beneficium adorationis. ibid.
Vide Adoratio.

Liberum arbitrium.

In quo consistat libertas arbitrij. 431. 5
Libertas ad peccatum est imperfectio. ibid.
Christus fuit liber in actionibus quas obiuit pro nostra salute. ibid n. 6
Christus liberè præceptum in primo instanti quo proponebatur, acceptauit. 432. 8
Quo sensu potuit non acceptare. ibid. 8
Cur potiùs omnes Christi actiones sint liberè, quàm nostræ. 436. 2
Vide Præceptum.

Lucifer.

Lucifer est caput omnium malorum, & quo sensu. 398. 15.
Non habet in eos perfectam potestatem quamdiu sunt in viâ. ibid. n. 17.

Matrimonium.

Matrimonium significat duplicem coniunctionem Christi cum Ecclesia. 344. 48

Mediator.

Dupliciter aliquis dicitur mediator. 517. 1
Duo errores hæreticorum de mediatore Christo. ibid.
Ratio perfecti mediatoris est propria persona diuina, est Christus homo. ibid. n. 2

Digitized by Google

Non tamen fuit mediator niſi ſecundùm naturam humanam. ibid. n. 3
Officium mediatoris includit ordinem ad alterum naturâ vel ſuppoſito diſtinctum. ibid. n. 3
Actiones mediatorii. 518. 4
Alij ſunt mediatores, ſed inferiori modo. ibid. n. 5
Vide Sacerdos.

Melchiſedech.

Hæreſes de Melchiſedech. 462. 11
Quis fuerit Melchiſedech. ibid. 11
Fuit verus ſacerdos. ibid.
Sacerdotium ipſius repræſentat Sacerdotium Chriſti. ibid. n. 12

Meſſias.

Meſſiam veniſſe probatur contra Iudæos. 336. 15
Iudæi duplicem fingunt Meſſiam. 337. 19
Meſſias eſt verus Deus. ibid. n. 20
Errores Iudæorum circa Meſſiam. 338. 21

Merita.

Nulla creatura potuit de condigno mereri Chriſti incarnationem. 368. 78
Sancti Patres non meruerunt de condigno Chriſti incarnationem, ſed tantùm de congruo eius impletionem. 447. 30
Quomodo meruerit Abraham vt ex ſemine ſuo Chriſtus naſceretur, & Deipara vt eſſet mater Dei. ibid.
Quomodo nos mereamur gratiæ & naturæ conſervationem. 446. 28

Merita Chriſti.

Chriſtus verè & propriè meruit. 436. 4
Conditiones ad meritum requiſitæ. ibid.
Incarnatio ſine pacto non faceret Chriſti opera eſſe meritoria. 437. 5
Chriſtus poterat mereri ſine gratia habituali. 367. 4. & 437. 6. *Gratia tamen habitualis erat neceſſaria ad maiorem perfectionem,* ibid.
Poterat abſolutè mereri per opera naturalia. ibid. n. 7
Non meruit per voluntatem diuinam. 437. 8. *Sed per actus liberos humanitatis.* ibid. *Non verò per beatificos.* 438. n. 9. *An & quomodo Chriſtus meruerit per amorem Dei.* ibid.
Meruit primo inſtanti ſuæ conceptionis. ib. n. 10. *Toto etiam tempore vitæ: imò in vltimo vitæ inſtanti. Nō tamen in ipſa morte.* 439. 10. & 11

Valor meritorum Chriſti.

Opera Chriſti ſunt infiniti pretij in ratione meriti. ibid. 13
Merita Chriſti ſufficiunt pro quantumuis multis & grauibus peccatis. ibid.
Merita Chriſti non ſunt deſtinata ad effectum ſimpliciter infinitum. 440. n. 14
Omnia Chriſti merita habent rationem vnius integri meriti reſpectu noſtræ redemptionis. 441. 17
Omnia Chriſti opera non habent plus meriti intenſiuè, quàm vnum. ibid.
An Chriſti meritis reddi poſſit æquale meritum. ib. 18
In Chriſti meritis fuit perfecta iuſtitia. 444. 25. *Conditiones perfectæ iuſtitiæ.* 442. 20. *Eæ oſtenduntur in eſſe Chriſti operibus.* 443. 22. & ſeq.
Aliter meritum creſcit ex dignitate perſonæ merentis, aliter iniuria ex dignitate perſonæ offenſæ. 442. 21.

Quid ſibi chriſtus meruerit.

Chriſtus nō potuit mereri ſuā Incarnationē ſeu vnionē hypoſtaticā. 364. 78. & 445. 26. *Nec prædeſtinationem vnionis hypoſtaticæ.* 446. 27. *Nec primam vnionis hypoſtaticæ, collationem.* ibid. 28. *Seamet vnit eius continuationem.* ibid. *Et reſtaurationem huius vnionis poſt mortem.* ibid. *Et eiuſdem innumerabiles quaſi replicationes in Euchariſtia.* ibid.
An Chriſtus potuerit ſibi mereri dona gratiæ habitualia. 447. 31.
An gloriam animæ ibid.
Probabile eſt Chriſtum de facto meruiſſe gratiam & gloriam animæ. Probabilius tamen id negatur. 448 & 449. n. 32. & 33. & 34
Chriſtus meruit gloriam ſui corporis. 449. 35
Item meruit ſuam reſurrectionem, & ablationem omnis triſtitiæ. ibid.
Meruit nominis ſui ſublimitatem & celebritatem. ibid. 36.
Item teſtimonia & ſigna quibus Pater illum illuſtravit. 450
Item dignitatem Regis & Capitis. 450

Quid nobis Chriſtus meruerit.

Merita Chriſti ſunt velut cauſa vniuerſalis noſtræ ſalutis. 441. 18
Merita Chriſti non applicantur nobis niſi per Sacramenta, vel ratione noſtræ cooperationis. ibid. n. 19
Merita Chriſti magis Deo placent, quàm creaturæ peccata diſplicent. 442. 21
Chriſtus meruit nobis omnem diſpoſitionem remotam & propinquam ad iuſtificationem 453. 41
Hinc dicitur oſtium. ibid.
Satisfecit pro culpis omnium hominum, & meruit illarum remiſſionem. 452. 43
Meruit remiſſionem pœnæ æternæ. ibid. 43
Meruit remiſſionem venialium, & pœnæ reſpondentis. 453. 45
Meruit primam gratiam hominibus poſt lapſum Adæ. ibid.
Meruit nobis meritorū ſuorum applicationem. ib. n. 47
Meruit nobis auxilium præueniens & concomitans. 453. 48.
Item augmentum gratiæ & gloriæ. ibid.
Meruit nobis noſtra merita [illegible] *tripliciter, velut cauſa vniuerſalis omnium bonorum noſtrorum operum.* n. 48. & 49
Meruit nobis perſeuerantiam. 454. 50
Non meruit Adamo primam gratiam. ibid. 51
Neque meruit voluntatem illam, qua Deus ſtatuit reparare hominem lapſum. ibid. 52
Meruit tamen nobis noſtram prædeſtinationem, ibid. n. 53. & 54.
Merita Chriſti reſpectu gratiæ datæ Patribus, non habent rationem meritorum, ſed futuræ ſolutionis. 446. 29

Miracula.

Vis perpetrandi miracula non eſt qualitas inhærens humanitati Chriſti. 411. 3
Diuinitas humanitati aſſiſtit ad miracula. 412. 5
Hæc aſſiſtentia humanitati debita eſt. ibid.
Humanitas cooperata eſt ad miracula vt cauſa efficiuè applicans vim diuinam. 413. 6
Sanctorum miracula non fuerunt auctoritatiuè perpetrata. ibid. 7
Humana natura in Chriſto operata eſt vt inſtrumentum Verbi. ibid. n. 8.

Modus.

Modi an & qui ſuppleri poſſint. 357. 35.
Modus vnius rei non poteſt rem aliam modificare. 365. 4.

Motus.

Chriſtus non potuit aſſumere motus primò primos. 420. 9
Motus inordinati in Chriſto fuiſſent peccata. ib. n. 10

Mortalis.

Mortalis & immortalis an & quo ſenſu ſint contradictoria. 425. 8.

Natura diuina & humana.

IN *Chriſto eſt integra natura diuina & humana.* 350. 3
Humana natura in Chriſto ſemper manſit integra. 351. 5
Natura humana immediatè vnita eſt ſubſiſtentiæ Verbi. 356. 29

Digitized by Google

Natura diuina & humana vnitæ sunt in eadem subsistentia. ibid. n.30
Natura humana quo sensu dicatur esse in Verbo. ibid. 32.
Natura humana habet in Verbo sublimiorem essendi modum quàm haberet si in seipsa existeret. 357. 33
Natura humana quomodo se haberet si à verbo dimitteretur. ibid. n. 36
Natura humana non est violenter in tali statu. ib. n. 37
Natura humana non accidentaliter, sed substantialiter Verbo vnita est. 360. 37
Quomodo natura indiuidua sit incommunicabilis. 365. 2.
Quo sensu dici possit, quod natura diuina assumpsit humanam. 366. 8
Natura humana magis est assumptibilis à Filio Dei, quàm quauis alia. 373. 1
Quauis natura potest à diuina persona assumi. ibid. n. 3.
Variorum circa hoc sententiæ. ibid. n. 2
Natura personata assumi non potest. 375. 14
Natura humana non est assumpta mediante gratia, sed tantum gratuita Dei voluntate. 386. 15
Natura humana in Christo ad miracula cooperata est vt Verbi instrumentum. 413. 8
Et quomodo dici possit instrumentum diuinæ virtutis. ibid.
Non tamen effectiuè influxit in miracula per modum instrumenti. ibid. n. 9
Nec se habuit per modũ potentiæ obedientialis 414. 10
Natura humana Christi est plusquam causa moralis miraculorum. ibid. 16
Natura humana rectè dicitur prædestinata ad vnionẽ ypostaticam. 499. 4

Natura irrationalis.

Quomodo natura irrationalis possit hypostaticè assumi, & elevari ad esse diuinum. 373. 3. & 374. 6.
Natura irrationalis potest esse capax vnionis hypostaticæ, quamuis non sit capax vnionis cum Deo per operationem. ibid.

Obiectum.

OBiectum Incarnationis est Christus Deus & homo. 331. 1

Operatio opera.

In Christo sunt duæ operationes. 435. 1
Monothelitæ contrarium opinantur. ibid.
Quid operatio humana. 436. 2
In Christo tantùm est vna operatio humana. ibid.
Cur omnes Christi operationes sint liberæ, non verò nostræ. ibid.
Quomodo visio & amor beatificus sint actiones humanæ. ibid.
Operatio christi fuit sibi & aliis meritoria. ibid. n.3
Opera christi naturalia quomodo ad gratiam essent meritoria. 437. 7
Omnia opera christi non habent plus meriti intensiuè quam vnum. 441. 17
Bonitas operum christi habet se instar materiæ. ibid.
Vide Actus actiones.

Oratio.

Christus in hac vita & pro se & pro nobis patrem, adeoque totam Trinitatem orauit. 459. 1
Non orauit per partem sensitiuam. ibid.
Varię conuenientię eius orationis. ibid. n. 2
Eius sanguis clamat pro nobis. ibid. 3
Etiam nunc pro nobis erat in cœlo n. 3
Et quidem proprio actu orationis. n. 4
An liceat dicere, Christe ora pro nobis. 460. 8

Pœnitentia.

EFficacia pœnitentię oritur ex passione Christi. 10. 33.
An & quę pœnitentia fuerit in Christo. 388. 8
Qualis virtus est pœnitentia. ibid.

Passibilis.

Anima Christi dupliciter fuit passibilis. 421. 14

Pater & Spiritus sanctus.

Pater & Spiritus sanctus singulari modo sunt in Christo homine. 368. 19
Cur Pater tantùm possit vnum filiũ generare. 372. 39

Peccatum.

Non decebat peccatum à Deo liberaliter remitti 334. 10
peccati grauitas crescit ex dignitate offensi. 3:9. 29
In peccato Adæ duplex est infinitudo. n. 30.
Malitia peccati est comparatiuè infinita. n. 32
Peccata omnia non sunt æquè grauia. 340. 34
Remissio peccati mortalis requirit meritum absolutè infinitum. 440. 14
In Christo nullum fuit peccatum. 417. 1
Christi humanitas nullo modo potest peccare. 418. 2
Deo nequidem per cõmunicationem idiomatum tribui potest peccatum. n. 3
Permissio peccati non est bona in natura assumpta n. 4.
Non potuit Deus assumere naturam peccato infectam. 319. 6.
Cur potius peccari possit cum gratia habituali, quàm cum vnione hypostatica. n. 8

Persona, Persona diuina, Hypostasis.

In christo tantum est vna persona. 352. 11
Persona christi est increata. 353. 15
Vnio Verbi facta est in hypostasi. 354. 20
An sit differentia inter hypostasim & personam. ibid.
ratio personæ non consistit in negationibus, & ea sententia explicatur. 354. & 355. 21
Explicatur sententia constituens rationem personæ in positivo naturæ superaddito, & ea sementia est verior. 355. 22
Proponitur opinio caietani. ibid.
Ratio hypostatica est modus existendi per se. n. 24
Personalitas est complementum substantiale ipsius naturæ. 356. 28
Persona verbi non est forma humanitatis. ibid. 31
Persona christi est virtute duplex. 359. 48
Persona est incommunicabilis pluribus personis, non tamen pluribus naturis. 365. 2
Persona creata non potest alienam naturam naturaliter assumere. n. 3
Nec etiam supernaturaliter, ita vt suam hypostaticam vnionem immediatè communicet. n. 4
Persona Verbi non est modus, n. 5
Persona creata alienam naturam potest diuinitas assumere terminando illã mediante sua natura. 366. 6
Cur potius vna persona diuina vniatur sine alia per vnionem hypostaticam, quam per gratiam. 368. 18
Vna persona potest assumere naturam humanam sine alia quod ad terminum vnionis attinet, non autem quod ad effectionem ipsius assumptionis. 370. 29
Quælibet persona potuit naturam humanam assumere. n. 30
Plures personę possunt eandem naturam humanam assumere. n. 31
Satisfit argumentis contrarijs. 371. 32. & 33 &c.
An in casu erunt plures vel vnus tantùm homo. ib. 37
Vna persona potest assumere duas naturas. n. 38
An tunc sint futuri plures homines. 372. 40
Persona creata assumi non potest. 375. 13
Si vna humanitas esset in duobus locis, posset in vno habere propriam personam, in alio esse in Verbo. 377. 16
Persona diuina improprièt antum assumpsit hominem. 378. 17

Personæ operantis dignitas.

Dignitas operantis est veluti forma dans esse merito. 439. 13

Digitized by Google

Persona operans secundum tetam suam dignitatem influit in actum. 440. 15
Dignitas personæ in tantum auget meritum, in quantum ipsa in opus influit. ibid.
Aliter persona est infinita, aliter meritum. ibid.
Aliter meritum crescit ex dignitate personæ merentis, aliter iniuria ex dignitate personæ offensæ. 442. 21

Pontifex.

Pontifex est caput Ecclesiæ diuersimodè à Christo. 398. 15

Potentia Obedientialis.

Non datur potentia obedientialis actiua ad quidlibet. 414. 10

Præceptum.

Christus liberè acceptauit præceptum in primo instanti quo proponebatur. 432. 8
Christus habuit particularia præcepta; vt, docendi & redimendi homines. 457. 7
Variæ causæ cur Christo imposita sunt præcepta. ib. 8
Singulæ actiones Christo non fuerunt præcepta. 458. 9
Præceptum moriendi fuit positiuũ, nõ naturale, vt quidam censent. n. 10
Nulli legi humanæ suberat, neque Euangelicæ, neque Moysaicæ. n. 11
Quomodo christus legem implerit. ibid.
Vide Liberum arbitrium.

Prædestinatio.

Angeli & primi homines fuerunt prædestinati secundum naturam & dona supernaturalia prius ratione quàm incarnatio 346. 56
Voluntas permittendi peccatum & prædestinati christi sunt simul. n. 57
Prædestinatio christi prior est prædestinatione hominum. 347. 58
Quomodo homines dicantur prædestinati ad salutem in statu innocentiæ. n. 59
Angeli independenter à christo sunt prædestinati. n. 6
Prædestinatio quorundam certorum hominum est ex meritis christi. 455. 53
Prædestinatio nostra est secundum propositum Dei & gratiam christi. n. 54
Non est necesse vt prædestinemur ex peculiari oblatione meritorum christi pro nobis. ibid. *Aliqui tamen sic sunt prædestinati.* ibid. 54
Christus verè & propriè est prædestinatus. 497. 1
Verbum Dei non potest dici absolutè prædestinatum. 493. 2.
Quid obiectum prædestinationis christi. ibid.
Acceptio vocis Prædestinatus, Prædestinatio. n. 3
Humana natura rectè dicitur prædestinata ad vnionẽ hypostaticam. 499. 4
Christus propriè est prædestinatus ad gratiam, gloriam &c. ibid.
Christus formaliter vt homo, potest dici prædestinatus vt sit filius Dei naturalis. ibid. 6.
Christi prædestinatio est exemplar nostræ prædestinationis. 500. 9
In quo consistat conformitas prædestinatorũ cum imagine filij Dei. ibid.
Christus est causa meritoria, exemplaris & finalis nostræ prædestinationis. ibid. 12

Præsentia.

potest vna res alteri intimè esse præsens, idque variis modis. 366. 6

Prophetia.

Christus verè fuit propheta. 391. 20
Satisfit sententiæ contrariæ argumentis. ibid. 20
Prophetia in christo non est distincta à scientia infusa vel beatifica. ibid.

Redemptor

Christus non redemit Angelos, neque prouis mortuus est. 459. 38
Neque gratiam vllam ipsis contulit. n. 39
Quomodo sit verè & propriè redemptor hominum.
Vide Christus. Incarnatio. Meritum Christi. Satisfactio.

Reliquiæ.

Quid nomine Reliquiarum *intelligatur.* 514. 47
Hostes Reliquiarum. ibid.
Eas colendas esse, de fide est. n. 48
Nullæ sunt altaria in quibus ab initio non fuerunt Reliquiæ. ibid.
Vtilitas & præstantia reliquiarum. 515. 48
Sunt colendæ latriâ vel dulià non per se, sed per accidens. n. 49
Reliquiæ quò magis sunt coniunctæ Deo vel sanctis, eò sunt excellentiores. ibid.
Quo sensu clami, lanceæ & omnes res mundi adorari possunt. 516. 52
Vide Adoratio. Crux. Imago.

Rex Regum.

Christus quâ Deus, est rex vniuersorum. 464. 19
Christus quâ homo, non fuit rex Iudææ titulo hereditario. ibid.
Nec vt homo fuit rex alicuius ditionis. ibid. 19
Tamen vt homo habuit potestatem indirectam super omnia regna. n. 20
Imò & potestatem excellentia in omnia regna habuit directè. ibid.

Sacerdos.

Christus verè & propriè Sacerdos. 460. 1
Munus Sacerdotis. ibid. *Præcipuum eius munus est sacrificium.* n. 2
Per Sacerdotẽ qualis occiso hostiæ fieri debeat. 461. 4
Christus est Sacerdos vt homo. 461. 5. *Et totus christus est victima.* ibid.
Fuit Sacerdos ab initio conceptionis. n. 6.
Effectus Sacerdotij christi est expiatio peccatorum. 462. 8
Aliqui alij effectus etiam ad christum pertinuerunt. n. 9
Sacerdotium christi eternum quadrupliciter. n. 10
Christus est Sacerdos secundũ ordinẽ Melchisedech. n. 11
Non autem secundum ordinem Aaron. 463. 5
Quam potestatem habuit christus ratione supremi sacerdotij. n. 16
Thomas Vualdensis ait christum esse Sacerdotem Leuiticum. 463. 15
Vide Mediator.

Sacramenta.

Quo sensu Sacramenta dicantur à Patribus fluxisse à latere christi. 439. 12

Sacrificium.

Sacrificium est proprium Sacerdoti. 460. 2
Nomen Sacrificij latè & strictè accipitur. 461.
Sacrificium publicum propriè christo conuenit. n. 3

Sancti.

Sancti colendi sunt aliqua adoratione, quæ sit excellentior honore ciuili. 504. 15
Excellentiæ ob quas Sancti adorandi sunt. ibid. 15
Cultus Sanctis debitus est religiosus, & dicitur Dulia. 505. 16
Sancti viuentes coli possunt cultus religioso. 506. 20
Vide Adoratio

Sanguis.

Sanguis immediatè à Verbo *fuit assumptus.* 380. 6
Referuntur aliorum sententiæ. 379. 5
Sanguis christi infiniti fuit pretij. 380. 6
Sanguis est pars sacrificij. n. 8
Eius potatio est necessaria ad vitam æternam. ibid.
Sanguis est pars corporis. n. 10
Quomodo clamet christi sanguis. 459. 3

Digitized by Google

Satisfactio

Satisfactio pro homine non fuit christo iniuriosa. 334. 10.
Nec in ea fuit prodigalitas. ibid.
Nulla pura creatura potest satisfacere pro peccatis. 338. 26. & 339. 31.
Conditiones requisitæ ad satisfactionem. n. 27
Creatura ornata gratia potest imperfectè, sed non ad æqualitatem satisfacere. n. 28
Christus perfectè satisfecit pro homine lapso. 340. 35
Satisfactio christi est infinita. 439. 13
Christus satisfecit vt Deus-homo. 442. 21
Christus satisfecit ex sibi debitis & naturalibus. 443. 22
Diuersimodè est debitor & satisfactor. ibid.
pro iniuria in proximum semper Deo est satisfaciendum. 444. 24
Christi satisfactio est secundum perfectam iustitiam. n. 25.
Satisfactio christi fuit ex charitate & obedientia & ex virtute iustitiæ. ibid.
Christus satisfecit pro culpis omnium hominum. 454. 43. &c. *Vide* Redemptor.

Scientia Christi, in communi.

Christus habuit scientiam creatam. 399. 1
Anima Christi nihil cognoscit per scientiam increatam. ibid. 2
Scientia Christi fuit planè certa & euidens. ibid. 3
Scientiam beatificam Christus habuit ab initio conceptionis. n. 4
Duplex datur scientia infusa, quam vtramque Christus habuit. 400. 8

Scientia beata animę Christi.

Anima christi non comprehendit essentiam diuinam. 402. 2
Anima Christi non nouit omnia, quæ sunt in potentia Dei. 403. 4
Scientiâ visionis nouit omnia futura libera, saltem vsque ad diem iudicij. n. 5
Cognoscit etiam futura creaturę irrationalis. n. 6
Non tamen futura post diem iudicij. ibid.
Tripliciter anima christi hæc cognoscit in verbo. 403. 8
Explicatur quo sensu christus ignoret diem iudicij. 404. 9
Cognoscit etiam omnia possibilia quæ sunt in potentia creaturæ: imò multa soli Deo tantũ possibilia. ib. 10
Non cognoscit christus actu infinita, sed tantum in potentia. n. 11
Anima christi clariùs videt diuinam essentiam, quam vlla alia creatura. 404. 13

Scientia per se infusa Animæ Christi.

Christus habuit scientiam per se infusam ab initio conceptionis. 400. 8
per hanc scientiam cognouit omnia naturalia & supernaturalia quę Angeli norunt per scientiam naturalem. 405. 2
Per eandem clarè & intuitivè cognouit omnia spiritualia. ibid. 4
per hanc cognouit cordium cogitationes. 406. 9
Per hanc cognouit euidenter ea quæ ad diuinam naturam & personarum distinctionem spectant; non tamen intuitivè. ibid. 10
Item mysterium Sanctissimæ Trinitatis, idque etiam multis aliis modis cognouit. n. 11. & 12
Cognouit etiam per hanc futura contingentia. 407. 13
Non tamen intuitivè. ibid. 14. *sed abstractivè, eaque in testimonio diuino, vel fortè in visione beatifica.* n. 15.
Christus hac scientia vti potuit, non convertendo se ad phantasmata ibid. 16
Potuit tamen phantasmata ad eam applicare. 407. 18
Hæc scientia non fuit discursiua. n. 19
Hæc scientia fuit perfectior in Christo scientiâ Angelicâ. 408. 20
Hæc scientia in christo fuit habitualis. n. 22
Hæc scientia infusa fuit distincta secundum multas species intelligibiles. n. 23
Species hę fuerunt perfectiores & vniuersaliores quam supremi Angeli. 409. 24
Lumen scientię infusæ est vnicus & vnus numero habitus. ibid. 25
Scientia infusa non habet vnum, sed successiuè plures distinctos numero vel specie actus: simul tamen habet vnum actum perfectum vni speciei intelligibili adęquatum. n. 26
Lumen scientiæ infusę non differt à lumine gloriæ 410. 27

Scientia per accidens infusa Animæ Christi.

Christus habuit scientiã infusam per accidens. 400. 8 401. & 11.
Fuit hac illi à Deo infusa ab initio conceptionis. n. 12
Per hanc cognouit omnia quæ naturaliter possunt cognosci. 418. 1
Imò substantias supernaturales. ibid.
Cognouit naturas rerum sub conceptu proprio nudæ essentiæ. n. 2
Christus non profecit in hac scientia secundum habitum n. 3. *Sed solùm secundum exercitium, ostensionem & experientaliter.* ibid.
Christus ab homine nihil didicit. 411. 4 *nec ab Angelis.* n. 5
Quomodo tamẽ ab Angelo fit in horto confortatus. ibid.

Seruus.

Seruus dicitur tripliciter. 456. 2
Quo sensu christus possit dici seruus. ibid.
Qui sensu possit christus dici Minor Patre. ibid. 4

Spes.

An & qualis in christo fuerit spes, 389. 15
qualis spei habitus. ibid.

Subsistentia, *Vide* Persona.

In Deo præter tres subsistentias relatiuas realiter inter se distinctas, est alia absoluta & essentialis à relatiuis ratione distincta. 369. 21
Subsistentię relatiuę substantialiter vniuntur diuinitati. ibid. 22
Subsistentia Dei absoluta potest immediatè terminare naturam humanam. ibid. 23

Subiectus.

Christus Patri fuit subiectus secundùm benitatem, seruitutem & obedientiam. 456. 1
Christus subiectus erat legi naturali. 457. 6
Non subierat legi humanæ, nec Euangelicæ, nec Mosaicę. 458. 11
Christus sibi ipsi non fuit subiectus, nec id potest dici. ibid. 12

Terminare, Terminus.

VIs terminandi creaturam, non expletur per vnã naturam assumptam. 371. 38
Terminatio necessaria in Deo se totam expendit, secùs est de libera erga creaturas 372. 39
Terminatio necessaria in Deo, & terminatio libera sunt diuersi ordinis. ibid. 39
Accidens separatum potest à Deo terminari. 474. 10
Vide Verbum diuinum, Persona, Assumptio.

Timor.

In christo fuit donum Timoris. 389. 16
Quid per hunc timorem intelligatur. 390. 17
In christo fuit Timor. 422. 21
Timor voluntarius non repugnat fortitudinis. ibid.
In quo consistat ratio timoris. ibid. 21

Tristitia.

Christus habuit tristitiam in appetitu sensitiuo. 421. 16
Habuit etiam in Voluntate rationali. n. 17

Digitized by Google

Quomodo Tristitia cum summo gaudio consistat. n. 18 & 93. 20.
Tristitia in parte superiori non fuit Christo involuntaria. 422. 19

Vbiquitas.

VBiquistarum errores. 351. 5. *Refelluntur.* ib.
Esse vbiq; creaturæ est incōmunicabile. 426. 11
Quo sensu possit Christus dici esse vbique. ibid. 13

Virtus.

Virtutes non effluunt realiter à gratia. 388. 7
Christus indigebat habitibus supernaturalibus ad eliciendos actus supernaturales. ibid. 9
In Christo fuerunt omnes virtutes naturales. n. 10
Christus exercuit actus virtutum naturalium. ibid.
Christus in primo instanti suæ conceptionis habuit vsum rationis. 402. 18
Christus virtutes naturales à principio conceptionis habuit infusas. 421. 11
In primo instanti conceptionis non elicuit omnes actus virtutum naturalium. ibid. 12
Quomodo eas habuit à seipso. 389. 12
Hæ non creverunt in eo successu temporis. ibid.
In christo fuerunt omnes gratiæ gratis datæ. 390. 19
Fuit in eo omnis gratiæ plenitudo. 391. 23
Christus quomodo profecerit. 394. 36
Christus ab initio suæ conceptionis habuit omnes gratiæ perfectionem. ibid. 35

Verbum diuinum.

Quid sit verbum diuinum carnem fieri. 351. 6
Verbum non est forma corporis christi. n. 7
Quomodo Verbum dicitur incarnatum à Nestorio. 353. 13
Eiusdem opinio refutatur. ibid.
Persona Verbi non est forma humanitatis. 356. 31
Verbum qua denominatione dicatur homo. 357. 34
Verbum est vnitum, non assumptum. 363. 69
Verbum proprissimè & immediatè assumpsit naturam humanam. 366. 8
Solum verbum terminat naturam humanam, non tamen per aliquid commune toti Trinitati. 367. 10. & 11.
Proponitur sententia Durandi & Thomistarū. 367. 9
Verbum terminat naturam creatam per proprietatem relativam. ibid. 14
Satisfit argumentis aliorum. 367. 15. & seq.
Verbum non assumpsit naturam humanam abstractam ab omnibus individuis. 378. 18
Nec etiam debuit assumere eam in omnibus individuis. ibid. 19
Conveniens fuit vt Verbum assumeret humanam naturam ex stirpe Adam. 378. 20
Verbum assumpsit animam. 382. 19 *& intellectum.* ibid. 20

Visio beatifica.

Visio beatifica comprehendi non potest, non visâ essentiâ. 406. 8
Beati tripliciter vident suam visionem beatificā. n. 7
Visio beatifica & amor, quomodo sint actiones humanæ. 436. 2

Voluntas diuina.

Voluntas divina exhauritur in amorem quo se amat.
Potest tamen semper plures & plures amare creaturas. 372. 39
Absoluta Christi voluntas semper fuit efficax. 416. 19
In Christo fuerunt duæ voluntates. 430. 2
Circa eas hæreticorum errores. ibid. 3
In christo fuit voluntas naturalis, & rationalis. 431. 4
Triplex conformitas voluntatis divinæ & humanæ. 434. 11
Voluntas christi absoluta semper fuit conformis divinæ in formali & materiali. 434. 12
Non autem voluntas ineffica. ibid. 13
Voluntas humana in Christo nunquam fuit reluctata divinæ. 435. 14

Vnio verbi.

Vnio Verbi facta est in hypostasi. 354. 20
Natura humana immediatè vnita est subsistentiæ verbi. 354. 29
Vnio incarnationis est propriè dicta cōpositio. 458. 44
Vnio verbi ad humanitatem est substantialis. 360. 57
Vnio divinæ & humanæ naturæ est quid creatū. ib. 58
Vnio tripliciter accipitur. 361. 59
Per vnionem producitur in humanitate christi aliquid creatum ab illa distinctum. ibid. 61
Id quod producitur per hanc actionem vnitiuam in humanitate, non est supernaturalis qualitas, vel habitus vel aliqua propriè dicta relatio. ibid. 62
Sed est modus distinctus à natura. 362. 64
Huius vnionis dignitas & perfectio. n. 66
Vnio Verbi incarnati tripliciter differt ab assumptione. ibid. 68
Vt differt hæc vnio & assumptio ab incarnatione. 363. 70
An hæc vnio omnium vnionum sit maxima. 363. 71. 72. 364. 74. & 75.
An sit optabilior vniane mentis, quę sit cum Deo per visionem beatificam & charitatem. ibid. 75
Quo sensu hæc vnio facta sit per gratiam. ibid. 76
Gratia vnionis quadrupliciter accipitur. ibid
Vide Gratiam.
Vnio animæ cum corpore est prior intentione, quàm vnio Eiusdem animæ & corporis cum Verbo. 385. 10
Spiritus & anima simul naturâ vniuntur Verbo. n. 11
Vnio totius cum Verbo, non est realiter distincta ab vnionibus partium cum Verbo. n. 12
Verbum priùs natura censetur vniri animæ & corpori, & toti humanitati; quam qualitates quæ eodem temporis momento oriuntur, informent. 386. 13
Verbum non vnitur priùs, quàm accidentia informēt quæ tempore antecedunt. n. 14
Vnio hypostatica fuit naturâ prior quàm gratia habitualis. 394. 38
Vnio hypostatica est causa plenitudinis gratiæ Christi. 395. 40
Vnio hypostatica comprehendi non potest, non visâ essentiâ. 406. 8
Vide Natura humana.

FINIS.

BENEDICTVM
SIT
VERBVM INCARNATVM.

Digitized by Google

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

QVÆSTIO LX.

De Essentia Sacramenti.

In Octo Articulos diuisa.

NOtandum Primò, Sicut D. Thomas in 1. Par. post explicationem diuinæ naturę, tractat opus creationis mundi, Angelorum & hominum, quod est proprium opus diuinitatis: ita in hac 3. Parte post explicationem mysterij Incarnationis agit de Sacramentis, quæ sunt propriũ opus Verbi incarnati. Quæ tractatio etsi non videatur tam sublimis, quam ea, quę de diuina natura est, & de mysterio Incarnationis; non tamen est minùs vtilis; quin potiùs est magis necessaria ijs præsertim, qui aliquando Pastores, aut directores conscientiarum futuri sunt. Nam per Sacramentorum legitimum vsum & applicationem, Ecclesia formatur, crescit, alitur, sanatur, propagatur & perficitur. Sacramenta enim sunt fontes illi, quos fons vitę, verbum Dei saluator noster, in Ecclesia sua perenniter scaturire fecit, vt omnes ex ijs aquam vitę salientem in vitam æternam haurire possint; iuxtà illud Isaiæ 12. v. 3. & 4. *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris; & dicetis in die illa, confitemini domino & inuocate nomen eius, notas facite in populis adinuentiones eius.* Sunt item septem columnæ *quas sapientia excidit*, vt super eas sibi *Domum*, id est, Ecclesiam suam *ædificaret*. Prou. 9. Per hæc, vt concilium Tridentinum sess. 7. in proœmio, ait; *Omnis vera iustitia vel incipit, vel cœpta augetur, vel amissa reparatur.* Per hęc lex noua præstat veteri: nam ratione Sacramentorum, est lex Gratiæ.

Necessitas Doctrinæ de sacramentis.

Trident.

Sine his, non magis confert gratiam lex noua, quàm vetus. Denique, per hæc potissimùm nobis christi merita applicantur. Quæ etiam caussa est cur nulla ferè Theologię pars studio diaboli magis per hæreticos sit oppugnata. Sacramentis enim abolitis, status noster, parum vel nihil differt à statu legis veteris. Quare tria nobis præstanda sunt. Primò, vt cuiusque Sacramenti naturam & vim explicemus. Secundò, vt ea quæ ad legitimum vsum & administrationem eorum pertinent, aperiamus: quæ pars tota moralis est. Tertiò; vt hęreticorum errores & nouitates refutemus.

2 Sacramentum accipitur Tripliciter. Primò.

Notandum Secundò, Nomen *Sacramenti* accipi à *Sacre*; & variè accipi, sed potissimùm tripliciter Primò, pro *Iuramento solenni*. Nam iuramentum fit per contestationem rei sactę. Sic iusiurandum quo milites se obligant suo duci, vocatur *Sacramentum militare* apud Auctores latinos. Et iuramenta quibus se obstringunt pubores, *Sacramenta puberum*. Quomodo etiam in Iure Canonico vsurpatur, vt patet canone. Paruuli. 22. q. 5. vbi prohibetur ne periuri ad Sacramentum amplius accedant, id est, ad dicendum iusiurandum. Simili quodam modo D. Hieronymus epist. ad Heliodorum sub finem, promissionem illam, quã christo in Baptismo damus, qua veluti ad christianam militiam nos adstringimus, vocat Sacramentum.

Secundò.

Secundò, Accipitur pro *Arcano*: quasi dicas, Sacrum arcanum, aut Sacrum secretum. Quomodo Sacramentum Incarnationis & Sacramentum Trinitatis dicitur. Et hoc modo, Sacramentum ferè idem est quod *mysterium* apud Græcos. Quo nomine passim vtitur Scriptura: 1. Corint. 13. v. 2. *Si nouerim mysteria omnia*, id est, omnes arcanas veritates, Scripturarum inuolucris comprehẽsas. 1. ad Timoth. 3. v. 16. *Manifestè magnum est pietatis Sacramentum quod manifestatum est in carne.* Ad Ephes. 1. v. 9. *Vt notum faceret nobis Sacramentum voluntatis sue.* & Sapient. 2. v. 22. *Nescierunt Sacramenta dei.* Extenditur etiam interdum ad ea, quæ non sunt Sacra; sunt tamen occulta: vt Sacramentum bestię & mulieris Apocalypsis 17. id est, res illa occulta significata per bestiam & mulierem. Sacramentum somnij: Danielis 4. v. 6. *Omne Sacramẽtum non est impossibile tibi.* Hęc omnia dicuntur Sacramenta, vel quia in se sacra sũt & arcana; vel quia instar rerum Sacrarum, inuolucris quibusdam diuinitus obtecta. Verùm hoc modo non vsurpatur ab Auctoribus prophanis.

Tertiò.

Tertiò, Accipitur pro signo aliquo, præsertim ex diuina institutione vel ordinatione, rem arcanam designãte, etiam si ea res sacra non sit. Quomodo hęretici & persecutores Ecclesiæ, sunt Sacramentum seu mysteriũ Antichristi. 2. ad Thes. 2. Et arbor quam vidit Nabuchodonosor Daniel. 4. & alię omnes symbolicæ visiones, sunt sacramenta rerum significatarum. Mulier & bestia apocal. 17. Sacramentum sunt vrbis Romanæ, & imperij eius. Sic Augustinus lignum vitæ vocat Sacramentum christi lib. 8. d. Genes. c. 4. & 5. & panem benedictum catechumenorum, non esse quidem corpus christi, esse tamen sacramentum, nempe corporis christi, id est, sacrum signum. Ita lib. 2. de Peccatorum meritis & remiss. c. 26. His & alijs similibus locis Sacramentum nihil est aliud, quàm signum quoddam rem arcanam significans. Sicut enim res ipsa arcana significata vocatur Sacramentum, vt patet ex secũdà acceptione, ita etiam ipsum signum rem illam significans, Sacramentum dicitur.

Strictiùs accipitur pro cæremonia.

Verùm hæc acceptio est valdè generalis. Strictior magisque propria erit, si illud signum sit cęremonia quędã solennis, religiosa, aliquid occulti mysterij significans. Quomodo Augustinus lib 4. De symbolo ad catechumenos cap. 1. omnia Sacramentalia vocat Sacramenta; vt exorcismos,

Digitized by Google

inſufflationes,& alia huiuſmodi,quæ Sacramentorum adminiſtrationi ſunt annexa. Et ſimili modo accipitur in illa ſententia D. Auguſtini lib. 19. contra Fauſtum c. 11. *In nulla religione ſine vera ſine falſa,homines inter ſe poſſe colligari abſq; aliquo ſignaculorum ſeu ſacramentorum conſortio*:id eſt,abſque externis cæremonijs. Nos tamen hocloco nõ tam generatim de ſacramentis diſputamus; ſed de ijs ſolis quæ ſunt cæremoniæ ad homines ſanctificandos,& ad res ſacras deſignandas , ſiue in lege noua, ſiue in lege veteri ſint inſtitutæ. Hæ namq; cæremoniæ in religione principatũ tenẽt: vnde nomen ſacramenti præ ceteris ſibi vindicãt.

ARTICVLVS I.

Vtrum ſacramentum ſit in genere ſigni?

4 REſpondetur, ſacramentum pro vt hîc accipitur,eſſe in genere ſigni: id eſt,eſſe ſpeciem ſigni. Poteſt enim aliquid dici Sacramentum ,vel quia in ſe habet ſanctitatem occultam,vel quia eſt ſignum occultæ ſanctitatis,& ita hîc accipitur. Petes,cur potiùs ſacramentum eſtin genere ſigni quàm cauſſæ,cùm etiam ſit cauſſa ?

Reſpondeo , De ratione ſacramenti in genere non eſt eſſe cauſſam ſanctitatis perfectę,quâ anima ſanctificatur ; tamen de ratione eius eſt,eſſe ſaltem ſignum huius ſanctitatis.

In Reſponſione Ad 1. Aduerte aliter Sacramentum dici à ſacro,aliter medicamentum à medicina.

5 Sacramentum aliter dicitur à facio,aliter medicamentum à medicina.

Medicamentum enim dicitur à medicina , tanquam medicinæ inſtrumentum; vnde ex vi ſuæ originis deſignat habitudinem cauſſæ efficiẽtis ad ſanitatem,ſicut medicina. Sacramentum autem dicitur à ſanctitate tanquam àtermino extrinſeco quem reſpicit: quæ habitudo poteſt eſſe varia ; ſcilicet vel ſigni ,vel cauſſæ, vel effectus : vnde ex vi ſuæ originis non ſignificat habitudinem cauſſæ efficientis veram ſanctitatem animę; abſolutè tamen ſignificat aliquam habitudinem cauſſæ efficientis , vel formalis , reſpectu ſanctitatis in genere. Sicut enim veſtimentum dicitur quo veſtimur , & ornametum quo ornamur : ita Sacramentum , quo aliquo modo ſacramur.

ARTICVLVS II.

Vtrum omne ſignum rei ſacræ ſit ſacramentum ?

6 REſpondetur , Non omne ſignum rei ſacræ eſſe Sacramentum;ſed ſignum rei ſacræ ſanctificantis hominem:id eſt,ſignumquòdſignificat rem ſacram, quatenus illa actu ſanctificat hominem ſecundùm animam , vel aliquando ſanctificatura eſt.

ARTICVLVS III.

Vtrum Sacramentum ſit ſignum vnius rei tantum?

7 REſpondetur , Non vnius rei tantùm , ſed multorum eſt ſignum. Eſt enim ſignum commemoratiuum Paſſionis chriſti prętęritę;demõſtratiuum ſanctificationis præſentis : & prognoſticon gloriæ futuræ.

Notandum eſt , Hoc ſolùm eſſe verum in Sacramentis nouæ legis. Nam ſacramenta vetera non ſignificabãt præſentem animę ſanctificationem,neque etiam gloriam futuram,niſi valdè remotè. Vnde non eſt hoc de ratione præciſa Sacramenti in genere ; ſufficit enim ſignificatio sãctitatis iuxtà 2. Articulum:quamuis cauſſas huius ſanctitatis,ſcilicet efficientem & finalem non expreſſè deſignet.

ARTICVLVS IV.

Vtrum omne Sacramentum ſit res ſenſibilis.

8 REſpondetur, omne Sacramentum eſt res aliqua ſenſibilis. Vbi nomine rei ſenſibilis non ſolùm intelligitur res permanens,vt aqua,oleum, panis:ſed etiam vſus eius ; vt ablutio,vnctio &c.

Circa hos Articulos explicanda eſt breuiter Sacramenti definitio.

DVBIVM.

Qua ſit integra Sacramenti ratio & definitio?

9 CAluinus lib. 4. Inſtitut. c. 14. in principio ſic definit *Sacramentum eſt externum ſymbolũ, quo Deus benevolentiæ erga nos ſuæ promiſſiones conſcientijs noſtris obſignat,ad fidei noſtræ imbecillitatẽ ſuſtinendam*. Vbi Caluinus , vt patet ex illo cap. quatuor requirit ad Sacramentum. Primò,Diuinam benevolentiã qua nos diligit ab ęterno propter chriſtum. Secundò,Promiſſionem qua Deus in ſcripturis promiſit nobis huius benevolentiæ effectum (ſcilicet iuſtitiamimputatiuam)exhibitũ iri per fidem,vel parẽtum(vt fit in parvulis chriſtianorum , qui iudicio Caluini naſcuntur ſancti propter fidem parentum :) vel propriam cuiuſq; vt in ijs qui non ſunt nati ex chriſtianis. Tertiò, Requirit externum ſymbolum quo Deus nobis teſtetur hanc ſuam benevolẽtiam & promiſſionis exhibitionẽ. Quartò requirit vt credamus ſi antè non credebamus , vel certè vt firmiùs credamus nos eſſe prędeſtinatos,& ex vi diuinę promiſſionis iuſtificatos , quæ nobis applicata eſt per fidem noſtram præcedentem,vel parentum noſtrorum. Hinc apud caluiniſtas,ei qui ſacramentum ſuſcepturus eſt , primùm leguntur aliquæ diuinæ promiſſiones,qualis eſt illa Geneſ. 17. v. 7. *Ero Deus tuus,& ſeminis tui poſt te*. Et Marci 16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit ſalvus erit*:quas promiſſiones ſuſcepturus ſacramentum debet credere ſibi applicatas;deinde vt hoc firmiùs credat,applicatur illi ſymbolum externum,quod eſt velut ſigillum diuinum confirmans promiſſiones apud cõſcientiam hominis. Nihil ergo aliud eſt Sacramẽtum apud ipſos;quàm ſignum quoddam externũ nobis applicatum,vt firmiùs credamus nos anteà à Deo propter chriſtum eſſe electos,prędeſtinatos & iuſtificatos. Sicut enim litteris Regijs appenditur regium ſigillum vt maior ipſis fideshabeatur; ita diuinæ promiſſioni anteà à Miniſtro recitatæ adiungitur Sacramentum,vt maior fides ipſi habeatur. In hac definitione plurimi ſunt errores.

Caluiniana ſacramenti definitio.

Compara ſigillo.

10 1. Error in definitione caluiniana

Primò, Quia vult ſacramẽtum eſſe nudum & aridum ſymbolum,nihil homini conferens, ſed ſolùm teſtificans fauorem diuinum ante prędſtitum.

Secundò, Quia vult Sacramentum eſſe ſignum diuinæ erga nos benevolentiæ , quam Deus tan-

2. Error.

Digitized by

tummodò habet erga Prædeſtinatos iuxtà caluinum. Vnde ſequitur primò, Solos prædeſtinatos ſuſcipere Sacramenta: ſi enim reprobans ſuſcipiat externum ſymbolum, hoc non erit Sacramẽtum, quia non erit ſignum diuinæ beneuolentię erga illum. Sequitur ſecundò, peccare Miniſtros, qui applicant Sacramenta ijs, de quibus ignorant an Deus illà beneuolentià prædeſtinationis eos proſequatur: ſi enim applicent reprobis, facient Deum teſtem mendacij. Et cùm de nemine certi ſint, ſemper exponent ſe periculo ſacrilegij, quando illud ſigillum applicabunt.

1. Error. Tertiò, Quia vult Sacramentum eſſe ſignum diuinę promiſſionis nobis applicate. Vnde ſequitur primò hominem eſſe iuſtum, antequam veniat ad baptiſmum: imò Deum vnicuique baptizando promiſiſſe per verbum ſuum iuſtitiam antè baptiſmum, alioqui baptiſmus eſſet falſarum litterarum oſignatio. Sequitur ſecundò, Nullam requiri diſpoſitionem in ſuſcipiente, quia Sacramentum ſolùm ſignificat nos iam eſſe conſecutos diuinam promiſſionem. Sequitur tertiò, Illam promiſſionem, vt in nobis effectum habeat, nihil aliud requirere, quàm vt ipſi credamus, vel ex

4. Error. chriſtianis parentibus nati ſimus.

Quartò, Vult iſtud ſymbolum externum noſtris conſcientijs obſignare diuinas promiſſiones; id eſt, facere vt firmiùs credamus illas nobis eſſe applicatas. Vnde ſequitur Primò, Baptiſmum parvulorum & amentium non eſſe ſacramentum quia non habent conſcientiam propriè, cùm non habeant vſum rationis: quod tamen eſt contra caluiniſtas, qui parvulos baptizant. Secundò, Eos, qui non credunt talibus promiſſionibus, non ſuſcipere vllum Sacramentum; ac proinde eſſe poſteà rebaptizandos. Tertiò ſequitur, Verbum Dei nos reddere minùs certos, quàm ipſum Sacramentum: nam ſi Sacramentum ſuſtentat imbecillitatem fidei noſtræ, efficiens vt firmiùs credamus id quod anteà per verbum Dei credebamus: ergo Sacramentum dat firmitatem verbo Dei: quod eſt abſurdum: nam omnis auctoritas Sacramenti eſt ex verbo Dei. Quod confirmatur, Quia verbum Dei debet credi fide diuina & certiſſima, nam eſſem infidelis, ſi vllo modo de eo dubitarem: ergo Sacramentum non poteſt me reddere certiorem, quàm verbum Dei. Confirmatur Secundò, Quia cùm Miniſter ignoret diuinum conſilium circa me, non poteſt Sacramentum, quod mihi ab ipſo præbetur, me reddere certiorem de diuina erga me beneuolentia, quàm ipſum verbum Dei, quod ſcio eſſe profectum ab ipſo Deo.

Comparatio caluini reijcitur. Vnde patet, Caluinum perperam comparare diuinam promiſſionem diplomati, Sacramẽtum Sigillo: Quia diploma ſine Sigillo nullam habet auctoritatem; verbum autem diuinæ promiſſionis eſt ſummæ auctoritatis, etiam ſine omni Sacramento. Deinde, Sigillum ſecundùm ſe eſt ſummæ auctoritatis, nam habet auctoritatem immediatè à Rege, non à diplomate: Sacramentum autem ſine promiſſione eſt nullius auctoritatis, vt ipſi Caluiniſtę docent.

11. Luterana Sacramenti definitio. Ex his facilè poteſt refutari definitio Lutheranorum: *Sacramentum eſt ritus habens Dei mandatũ, & annexã promiſſionem gratiæ & remiſſionis peccatorum apprehenſam per fidem in chriſtum.* Quę definitio non multùm differt à definitione caluiniſtarum: vult enim Sacramentum nihil nobis conferre, ſed ſolùm in nobis excitare fidem ſpecialem, qua credamus nos propter chriſtum iuſtificari.

Reijcitur. Imprimis contra hanc definitionem facit, quod ad rationem Sacramenti non requiratur, vt in Scripturis exſtet mandatum de eius vſu; poſſunt enim eſſe quędam Sacramenta libera. Similiter, Neque vt exiſtet promiſſio gratiæ & remiſſionis peccatorum: nam conditio & natura Sacramenti non pendet a verbo Dei, quatenus Scriptum eſt; ſed ab ordinatione diuina etiam non ſcriptâ. Denique, Non requiritur vt hæc promiſſio fide apprehendatur, alioqui baptiſmus parvulorum & amentium non eſſet Sacramentum; nec haberet vllum effectum. Nam quod Lutherani dicunt vſũ rationis in infantibus, dũ baptizantur, diuinitus dari, ridiculum eſt. Item, Qui non apprehenderet, aut non crederet illam promiſſionem dum baptizatur, non reciperet verum Sacramentum; ac proinde eſſet rebaptizandus, quod eſt hæreticum. Adde; Lutheranos in hac definitione ſupponere Sacramenta nihil operari, niſi excitando noſtram fidem, vt apprehendamus diuinam promiſſionem Sacramento annexam, id eſt, vt credamus nobis per Chriſtum peccata remitti.

Vide concilium Tridentinum ſeſſ. 7. can. 5. 6. & 8. vbi damnatur definitio Lutheranorum & caluiniſtarum.

Sed Obijcitur à caluino: Apoſtolus ad Romanos 4. v. 11. Circumciſionem, quæ erat figura Baptiſmi, appellat σφραγίδα, id eſt, ſigillum ſeu Signaculum: ergo noſtra Sacramenta nihil ſunt aliud, quàm ſigilla pacti & promiſſionis diuinæ. 12 Obiectio caluini.

Reſpondeo, Apoſtolus non vocat circumciſionẽ ſigillum pacti, ſeu promiſſionis, ſed iuſtitię fidei. Data enim eſt Abrahamo circumciſio, vt ipſe per eam tamquam per diuinum ſigillum conſignaretur; & declararetur, quod propter fidem ſuam, qua credidit, & obediuit Deo, ſit iuſtificatus, & meruit fieri Pater multarum Gentium, & Pater populi Iſraëlitici; vt rectè exponit chryſoſtomus in hunc locum. In alijs enim Circumciſio nõ fuit huius rei ſignaculum: ſicut Baptiſmus nõ eſt eiuſdem rei ſignum in nobis & in chriſto. Vide Auguſtinum lib. 4. contra Donatiſtas cap. 24. Circumciſio quare data Abrahamo.

His reiectis, vt Sacramentum in genere deſcribatur.

Nota, Ad Sacramenti rationem duo requiri. Primò, Vt ſit cæremonia aliqua ſacra, vi ſua ſanctimoniam aliquam conferens; non enim ſolùm ad ſignificandum, ſed etiam ad ſanctificandum inſtituta ſunt. Sed differẽtia eſt inter noua & vetera. Quòd ſacramenta legis Veteris conferrent vi ſua ſanctitatem quandam legalem & corporalem, quæ non pertingebat ad animam: vt patet ex Apoſtolo ad hebręos 9 vbi vocat ea *iuſtitias carnis quę conſcientiam non poſſunt purgare*; ſacramenta autem nouę legis vi ſua ſanctificent animam. Vtraque tamen in hoc conueniunt, quòd ex vi diuinę inſtitutionis, & ex opere operato ſanctitatem aliquam conferant vel corporalem vel ſpiritalem. ſicut ergo ſanctitas eſt analogum ad ſanctitatem animæ & corporis, ita ſacramentum hac ex parte eſt analogum ad vetus & nouum ſacramentum; vt inſinuat Magiſter art. 4. diſt. 1. & D. Thomas ibidem q. 1. art. 1. ad 3: ſecundò, Requiritur vt ſignificet veram animæ ſanctitatem; vt colligitur ex D. Thoma art. 2. ad 3. 13 Diſcrimẽ Sacramentorum veteris & nouæ legis.

Poterit ergo in genere ſic deſcribi ſacramentum *Eſt cæremonia externa, ſeu ſignum ſenſibile, ad homines quodammodò ſui vſu ſanctificandos, & veram animi ſanctitatem ſignificandam inſtitutum.* Sacramenti in genere. 14.

Primò, ſacramentum eſt *Signum ſenſibile, ſeu cæremonia externa*: quia licet potuiſſent ſigna ſpiritualia ad homines ſanctificandos inſtitui, v. g. actus fidei, attritionis, orationis: tamen non fuiſ-

ſent humanæ naturæ accommodata, ſed potiùs Angelicæ: nam ſignum humanum debet eſſe ſenſibile. Nam *Signum eſt, quod præter ſpeciem, quam ſenſibus ingerit, aliquid aliud facit in cognitionem venire*; Vt inquit Diuus auguſtinus lib 3 de Doctrina Chriſtiana c. 1. Vnde conſentaneum erat, vt ea, quibus Sanctificamur, in rebus ſenſibilibus inſtituerentur. Cuius plures ſunt rationes; quarum prima eſt: quia homo compoſitus eſt ex anima & corpore, natura ſenſibili & intelligibili: vnde ſicuti ſpiritualibus & Angelicis naturis diuina Myſteria & munera traduntur nude & ſpiritualiter, ita hominibus tradi debebant ſenſibilibus ſignis obtecta; vt per ſenſibilia, ea poſſent cognoſcere, æſtimare & amplecti; vt docet Dionyſ. c. 1. cæl. Hierarchiæ. Vnde Chryſoſt. homilia 83. in Matthæū. *Si eſſes incorporeus, nudè ipſa dona incorporea tibi tradidiſſet; ſed quia Corpori inuicta eſt anima tua, ideò in rebus ſenſibilibus tibi intelligenda traduntur.* Secunda ratio eſt, Quia non tantùm anima, ſed etiã corpus animæ inſtrumentum peccato inficitur. Vnde vt vtrumque expiaretur, debebat in re corporali virtus ſpiritualis conſtitui. Ita Cyrillus Alexandrinus lib. 2. in Ioannem cap. 42. Tertia eſt, Vt homo non ſolùm animo, ſed etiam corpore Deum coleret: nam adminiſtratio & ſuſceptio Sacramentorum, ſunt actus Religionis. Quarta, Vt homo, qui per peccatum à ſpiritualibus deſciſcens, ſe rebus ſenſibilibus ſubiecerat, iiſdem ſeruire cogeretur, & ſubeſſe; tum ad humilitatis exercitium, tum ad ſpiritualium bonorum recuperationem. Ita D. Thomas quæſt. 61 art 1. Quinta, Vt populus Dei per hæc ſigna ab alijs populis diſtinqueretur, & firmiùs in vnam Religionem coaleſceret.

Debet eſſe ſenſibile.

Nam ſine talibus ſignis externis non poſſunt homines in vnum nomen ſiue veræ, ſiue falſæ religionis conſpirare; vt docet Diuus Auguſtinus lib. 19. contra Fauſtum cap. 11. Vnde etiam falſæ ſectæ ſuas cæremonias habent. Sic circumciſio data fuit Iudæis, vt in vnam religionem conuenirent, & ab aliis diſtinguerentur, vt paſſim docét Patres. Idem facit baptiſmus, cum reliquis Sacramentis in noua lege; vnde Gregorius Nazianzenus, oratione in ſanctum Baptiſma, dicit Baptiſma vocari *Sigillum*, quia eſt *ſignificatio Domini*, id eſt, quia ſignificat cuius Domini ſcimus famuli & cultores. Vide D. Thomam lib 4. Contra gentes cap. 56. Ex his ſequitur, neque Contritionem, ſi nullo ſigno externo prodatur; neque corpus chriſti in Euchariſtia, niſi accipiatur ſimul cum ipſis ſpecibus, eſſe propriè Sacramentum.

Cur Baptiſma dicitur Sigillum.

Secundò, Dicitur in definitione: *Ad homines quodammodò ſui vſu ſanctificandos*; nam ſacramenta inſtituta ſunt, vt conferant aliquam ſanctitatem dum applicantur, vel corporis vel animæ: hinc excluduntur primò, omnia illa ſigna, quæ non ſunt inſtituta ad vſum, vt illis tanquam cæremoniis vtamur; vt Mare rubrum, columna nubis, lignum vitæ. Secundò, Ea quę non ſunt inſtituta ad ſanctificandum: vt ſerpens æneus, manna aqua de petra, & ſimilia. Item omnia ſacrificia, quà talia ſunt; quia non ordinantur ad ſanctificandũ, ſed ad colendum Deum: in hac enim ordinatione ratio ſacrificij conſiſtit. Poſſunt tamen hæc ſacrificia ſub alia ratione eſſe ſacramenta, quatenus iam oblata myſtico modo conſumuntur ad ſanctificationem vtentium; vt patet in Euchariſtia: in qua conſumptione, eſt ratio ſacrificij quatenus fit in honorem Dei; & eſt etiam ratio ſacramenti, quatenus fit ad ſanctificationem hominis. Idem videre eſt in multis ſacrificijs veteris legis.

14 Debet ſui vſu ſanctificare.

Item excluditur Ablutio pedum: etſi enim ea ablutio, qua Chriſtus pedes Apoſtolorum abluit, aliquam illis ſanctitatem contulerit; vt indicatur Ioan. 13: *Niſi lauero te, non habebis partem mecũ*, tamen chriſtus non inſtituit hanc cęremoniam, vt ex ea homines ſanctificarentur; ſed potiùs per eam dedit exemplum charitatis, & humilitatis; voluitque nobis inſinuare puritatem animę ad ſacramentum Euchariſtię requiſitam; vt D. Ambroſ. lib 6. *De his qui myſticè initiantur*; & Bernard⁹ ſermone de cæna Domini. Et ratione huiꝰ ſanctificationis idem Ambroſius lib. 3. de ſacramentis c. 1. vocat hanc ablutionem *Myſterium*. Et quia deuotus vſus huius cæremoniæ etiam valebat ad remiſſionem peccatorum venialium, vt docet Cyprian. ſermone de Ablutione pedum, ideò vocatur ab eodem Ambroſio *Sanctificatio*, & à Cypriano *ſacramentum*: nam ſignificabat ſanctitatem animę neceſſariam ad ſumptionem Euchariſtiæ; & eam ex deuotione ſumentis quodam modò conferebat. Verùm quia non habebat hanc vim ex opere operato, ideò verè non erat ſacramentum: vnde numquam in Eccleſia Romana fuit vſitata.

Ablutio pedum eſt Euchariſtiæ præmiſſa.

Denique excluduntur ea, quę chriſtus tantùm vſurpauit ad hominum ſanctificationem. Vt Luc. 7. hæc verba, *Remittuntur tibi peccata tua*, etſi enim haberent hęc vim ſanctificandi, vt à chriſto prolata; tamen non ſunt inſtituta, vel lege aliqua ſancita, vt nos illis vtamur. Similiter inſufflatio Domini, & linguæ igneæ, quibus ſanctificati Apoſtoli, & alia huiuſmodi, non ſunt ſacramenta; quia nulla lege ſtabili ſunt ordinata, vt homines illis vterentur; ſed Deus tantummodò his vſus eſt.

15 Debet ſanctitatem ſignificare.

Tertiò dicitur in definitione, *Ad veram animæ ſanctitatem deſignandam*. Nam ſacramentum debet rem arcanam & ſacram deſignare; externa autem ſanctitas non eſt arcana, nec multum ſacra; vnde D. Thomas a. 2. ad 3. dicit, ea vocari ſacramenta, quę ſignificant humanæ ſanctitatis perfectionem, & Concil. Florentinum dicit ſacramenta veteris legis ſignificaſſe gratiam per Chriſtum dandam. Hinc excluditur aqua benedicta: quia etſi ſit cæremonia ſacra, & ad aliquam ſanctificationem inſtituta (præſertim ſi vi ſua delet peccata venialia, vt multis cenſent) tamen non deſignat gratiam ſanctificantem vel actu dari, vel dandam per chriſtum. Similiter prima tonſura non eſt ſacramentum, licet aliquam ſanctificationem conferat. Idem dico de Manus impoſitione facta catechumenis, ſignatione crucis eorundem, Vnctione in vertice, Profeſſione religionis Monachorum, Abſolutione ab excommunicatione, Diſpenſatione irregularitatis, &c. Hæc enim & huiuſmodi, ſacramenta non ſunt; quia non ſignificant veram ſanctitatem conferri aut conferendã per chriſtum. Quam ob cauſſam Eccleſiã non poteſt inſtituere ſacramenta: quia cùm non poſſit gratiam per ſe cõferre, non poteſt etiam cęremonias inſtituere, quę ſignificent illam, vel actu conferri, vel aliquando conferendam.

Eccleſia non poteſt inſtituere Sacramenta.

Dices: ſacramentum eſt ſignum practicum: ergo ſi ſignificat veram ſanctitatem, etiam eam operatur.

Reſpondeo, Sacramentum in genere noſt dicitur ſignum practicum, quaſi operetur omne id quod ſignificat; ſed quia ſaltem aliquid operatur per quod ſignificet alterum. Sacramenta enim vetera operantur ſanctitatem corporalem, per

Cur dicatur Practicum.

quam ſignificant ſpiritalem. Itaque, omne Sacramentum operatur ſanctitatem animæ; vel figuram eius, per quam, ipſam veram ſanctitatem deſignet.

16 Sacramẽti ratio nouis & veteribus vniuoca, & analoga.

Ex his patet Primò, Rationem Sacramenti non eodem modo conuenire nouis & veteribus Sacramentis. Nam in veteribus Sacramẽtis principale eſt ſignificare, ſecundarium eſt ſanctificare: ideò enim ſanctificant, vt per hanc ſanctitatem ſignificent veram animæ puritatem dandam per Chriſtum. In nouis autem Sacramentis principale eſt ſanctificare, ſecundarium ſignificare. Itaque, etſi vniuocè videantur conuenire in ratione ſignificandi, eò quòd vtraque ſignificent ſanctitatem ſpiritualem, vel præſentem, vel futuram; non tamen in ratione ſanctificandi. Vnde ſi Sacramentum dicatur à ſignificando rem ſacram, ſunt vniuocè Sacramenta; ſi autem à conferendo ſanctitatem, analogicè ſunt Sacramenta. Nam ſacramenta vetera conferunt ſanctitatem corporalem, noua verò ſpiritualem; quæ analogicè conueniunt in ratione ſanctitatis; ſicut vmbra & veritas, imago & exemplar.

Soluitur Obiectio.

Dices, Sacrificia veteris Legis non dicuntur analogicè ſacrificia reſpectu ſacrificij noui; vtraque enim ſunt perfecta ſacrificia: ergo nec Sacramenta vetera dicuntur analogicè Sacramenta reſpectu nouorum.

Reſpondeo Negando conſequentiam; Quia ratio ſacrificij conſiſtit in eo, quòd diuinæ maieſtati ſummus cultus exter⁹ offeratur in agnitionem ſummi dominij, quod vnicum eſt; vnde omnia ſacrificia ſunt eiuſdem rationis: At ratio Sacramenti cõſiſtit in cæremonia qua ſanctificãtur homines. Sanctificatio autem duplex eſt, ſcilicet corporalis & ſpiritualis; quæ analogicè cõueniũt in ratione ſãctitatis; ſicut vmbra & veritas in ratione exemplaris. Confirmatur; quia Concilium Florentinum & Tridentinum diſtinguunt Sacramenta vetera à nouis, quòd vetera ſolùm ſignificent veram ſanctitatem; noua non tãtùm ſignificent, ſed etiam conferant: atqui id quod dicitur tale, ſolùm quia eſt ſignum, eſt analogicè tale cum eo comparatum quod eſt tale, quia cauſa: ſicuti vrina & medicina dicuntur ſana analogicè. Hinc tamen non ſequitur Sacramenta vetera abuſiuè dici Sacramenta; quia nomen Sacramenti multa ſignificat & vſitatè dicitur de eo quod ſolùm eſt ſignum ſanctitatis: vt patet ex D. Auguſtino ſuprà.

Definitio Sacramẽti veteris & noui.

Patet Secundò, Quomodo Sacramenta legis veteris & legis nouæ poſſint definiri. Sacramentum legis veteris, eſt *Cæremonia ſacra, per corporalem ſanctificationem quã confert, verã animæ ſanctitatem per Chriſtum conferendã, ſignificans.* Sacramentũ nouę legis, eſt *Cæremonia ſacra verã animæ ſanctitatem non ſolùm ſignificans, ſed etiam conferẽs.* Hinc etiam intelligitur definitio Magiſtri diſt. 1. vbi definit Sacramentũ nouæ legis: *Sacramentum eſt inuiſibilis gratiæ viſibilis formæ, eiuſdem gratiæ ſimilitudinem gerens & cauſa exiſtens*: vbi per ſimilitudinem, intelligit proportionem illam naturalem, quæ eſt in materia & forma Sacramenti, ad ſignificandum effectum Sacramenti: Exempli gratia, Ablutio corporalis habet proportionem quamdam ad ſpiritalem, vt eam poſſit ſignificare accedẽte inſtitutione diuina. Similiter verba accepta cum ſignificatione, quam habent ex hominum inſtituto, ſunt idonea ad ſignificãdam animæ ablutionem, accedente eadem diuina inſtitutione. Simili ferè modo definit Catechiſmus Cõcilij Tridentini: *Sacramentum eſt inuiſibilis gratiæ ſignum viſibile, ad noſtram ſanctificationẽ inſtitutum.*

Sacramentum an & quomodo ſit aliquid reale.

Patet Tertiò, Sacramentum formaliter non eſſe entitatem aliquam realem ſeu phyſicam, ſed inuoluere aliquid morale; ſicut pecunia inuoluit æſtimationem hominũ ex impoſitione Principis. Materiale in Sacramento eſt aliquid reale, ſicut in pecunia aurum & argentum; ſcilicet cæremonia ſacra exterior: Formale autem eſt duplex; Primò, Ratio ſigni, fundata partim in ipſa rerum & verborum analogia cum rebus ſacris; partim in diuina inſtitutione, qua ratio ſigni completur.

Non eſt ens rationis.

Dices: Ergo Sacramentum eſt ens rationis. Reſpondeo Negando conſequentiam; Sicut nec pecunia eſt ens rationis: quia ens rationis ſolùm eſt dum intelligitur, Sacramentum autem eſt etiamſi nemo de illo cogitet. Et ratio eſt, quia eſſe ſignum ex inſtitutione ſignificãs, non eſt eſſe ens rationis, ſed includere denominationem extrinſecam à reali inſtitutione ſeu impoſitione; dicit enim rem ſenſibilem quatenus ſubeſt deputationi ad aliquid ſignificandum, ex qua deputatione accipit moralem quamdam aptitudinem, ad excitãdam cognitionem rei ſignificatę in ijs, qui inſtitutionem norunt: & in hoc conſiſtit ratio ſigni. Simili modo eſſe Regem, Dominum, Doctorem, non ſunt entia rationis, ſed dignitates morales pendẽtes intrinſecè ab aliquo actu reali, à quo ſubiecta extrinſecè denominantur. Et hæc ratio ſigni complet rationem veteris Sacramẽti, quatenus excludit vlteriorem perfectionem, ſcilicet cauſalitatem gratiæ: Reſpectu autem Sacramentorum nouæ legis, eſt ratio generica. Vnde alterum formale, quo completur ratio Sacramenti noui, eſt eſſe cauſam ſanctitatis animæ: & per hanc rationem cauſæ, veluti propriam differentiam, conſtituitur vltima ratio Sacramenti nouæ legis.

ARTICVLVS V.

Vtrum requirantur determinatæ res ad Sacramenta?

HIc Articulus dupliciter poteſt intelligi. Vnde

17 Cur tam in veteri quàm in noua lege decuerit in Sacramentis res determinatas eſſe.

Reſpondetur Primò, Suppoſita diuina inſtitutione, qua Sacramenta ſunt nunc inſtituta, non poſſumus vti quibuſuis rebus in Sacramentis, ſed ijs dumtaxat quas Deus ſtata lege ad hoc determinauit. Ratio eſt, Quia ordinatio diuina non poteſt immutari per homines.

Reſpondetur ſecundò, Conueniens fuit, vt Deus nõ relinqueret liberum mortalibus vti quibuſuis rebus, ſed vt ipſe eas pro ſua ſapientia determinaret. Primò, quia oportuit, vt præcipuæ religionis cæremoniæ, quibus religio Chriſtiana conſtat, populus Dei ſanctificatur & ab alijs diſtinguitur, à nullo alio, quàm ab ipſo Deo inſtituerentur: nam ipſe ſolus optimè nouit quibus rebus coli, quâ notâ populus eius inſigniri, quibuſue cæremonijs ſanctificari debeat. Secundò, Quia cõſentaneum etiam eſt, vt primaria rerum ſacrarum ſigna ab ipſo inſtituãtur, qui eſt primarius hominum doctor. Quæ duæ rationes etiam locum habent in Sacramentis Legis veteris, quæ certis quoque rebus conſtabant; nec erat in hominum poteſtate his vel illis ſanctificari ſecundùm carnem, aut ab immunditia legali purgari: ſicut nec ab humana lege pẽdebat illa immunditia. Similiter non erat in hominum poteſtate inſtituere ſigna rerum futurarũ, vt paſſionis chri-

ſti, & ſanctificationis per ipſum conferendæ, quę veteribus Sacramentis ſignificabatur.

ARTICVLVS. VI.

Vtrum in ſignificatione Sacramentorum requirantur Verba?

18 REſpondetur, Conſentaneum fuiſſe, vt rebus ſenſibilibus iungerentur verba, tamquam formæ Sacramentorum, quibus rerum ſignificatio determinaretur. Notandum eſt; Hunc Articulum, & duos ſequentes pertinere tantummodò ad Sacramenta nouæ Legis; quia, etſi aliquando in quibuſdam Sacramentis veteribus adhibita fuerint verba, ea tamen non erant de ſubſtantia Sacramenti.

Quinquè rationes. Probatur Concluſio, Primò, Quia conſentaneum erat, vt Sacramenta nouæ Legis referrent ſuum Auctorem, qui eſt Verbum Dei vnitum carni ſenſibili.

Secundò, Quia decebat, vt Sacramẽtum etiam homini aſſimilaretur, cui exhibetur, qui conſtat corpore ſenſibili & anima, qua Verbum intelligat. Dices, Ergo etiam vetera Sacramenta debebant conſtare verbis, quia ſunt data hominibus. Reſpondeo Negando conſequentiam; quia ſicut ſtatus illius legis imperfectus erat, ita & Sacramenta. Vnde non debebant habere tam expreſſam ſignificationem quàm noſtra Sacramenta, ſed in rebus mutis debebant inſtitui.

Tertiò, Quia Sacramenta noſtra debent expreſsè diuina myſteria ſignificare, vtpote iam exhibita, & ſua virtute preſentia: atqui hoc maximè fit acceſſione verborum, quæ inter ſigna principatum tenent, teſte D. Auguſt. lib. 2. doctrinæ Chriſtianæ cap. 3. vnde Apoſtolus ad Hebræos 10. ait, legem Veterem habuiſſe vmbram rerum futurarum, Nouam autem habere ipſam rerum exhibitarum imaginem.

Quartò, Quia in noſtris Sacramentis præcipuè conſiſtit externus cultus Dei: atqui hic potiſſimum verbis fit & lingua, in qua benedicimus Deum: Iacobi 3. vnde Deus non ſolùm omnia noſtra Sacramenta verbis perfici voluit, ſed etiam ipſum noſtrum ſacrificium.

Quintò, Quia Sacramenta noſtra conferunt gratiam internam; quod eſt opus valdè ſupernaturale: ergo verbis perfici debebant: tùm, quia chriſtus omnia pęnè opera ſua miraculoſa verbis perfecit; vt excitare mortuos, ſanare infirmos, eijcere dęmonia, remittere peccata, dare Spiritum ſanctum, compeſcere ventos & maria: tùm, quia verba maximè accommodata ſunt, vt in animam penetrent: vnde homines animos inuicem mouent mediantibus verbis. Sed eſt

DVBIVM

Vtrùm omnia Sacramenta conficiantur rebus & verbis?

19 Tria ex concil. Florent. requiſita ad ſubſtãtiam Sacramenti. REſpondeo, Certum eſt omnia rebus & verbis confici. Ita expreſsè Concil. Florentinum, quod ſic habet: *Hæc omnia* (ſcilicet ſeptem Sacramenta) *tribus perficiuntur, ſcilicet rebus tamquam materiâ; verbis, tamquam formâ; & perſonâ Miniſtri conferentis Sacramentum, cum intentione faciendi quod facit* Eccleſia; *quorum ſi aliquid deſit, non perficitur ſacramentum.* Hæc ibi. Et quidem de quinque Sacramentis ſatis conſtat; nam in illis præter verba, eſt etiam ſenſibile aliquod elemẽtum; vt in Baptiſmo, Confirmatione, Euchariſtia, Ordine, extrema Vnctione.

Sed difficultas eſt, de Pœnitentia; Nam in hoc Sacramento interdum non videntur eſſe niſi verba: nam confeſſio fit verbis: ſimiliter contritio verbis manifeſtatur: ſatisfactio etiam ſæpè verbis fit: denique abſolutio ſemper fit verbis. Similiter in Matrimonio tantùm videntur eſſe verba; imò interdum ne verba quidem; nam per nutus contrahi poteſt.

Etiam in Pœnitentia & Matrimonio ſunt res & verba. Reſpondeo, Cùm dicimus omne Sacramentum rebus & verbis confici, non ita ſtrictè res & verba accipimus; ſed nomine *rei* intelligitur omnis actio ſenſibilis quæ verbis ſupponitur. Vnde in Sacramento Pœnitentiæ, res, ſunt actus pœnitẽtis, ſcilicet contritio, confeſſio, ſatisfactio; ſunt enim hæc quaſi materia, vt inquit Concil. Florentinum: per accidens autem illis eſt, quòd verbis fiant. In Matrimonio autem, res, ſunt corpora contrahentium; hæc enim ſunt materia contractus; ſicuti res quæ permutantur, ſunt materia contractûs permutationis. Pari modò, nomine *verbi*, intelligitur non ſolùm verbum vocale, ſed etiam æquivalẽs, quod eius loco ſupponitur; vt ſcriptura & nutus, quæ in ſacramento Matrimonij ſunt inſtar verborum: cùm tamen in cæteris omnibus ſacramentis requirantur verba propriè dicta.

ARTICVLVS VII.

Vtrum requirantur determinata verba?

20 REſpondetur, In ſacramentis nouæ legis requiruntur determinata verba. Primò, Quia res ſenſibiles in ſacramẽtis ſunt diuinitus determinatæ: ergo multò magis ipſa verba, quæ habent rationem formæ. Secundò, Quia cæremoniæ antiquæ erant diuinitus determinatæ, quæ tamen erant valdè imperfectæ: ergo multò magis noſtra ſacramenta, quę ſunt primariæ cæremonię, quibus lex noua conſtat. Tertiò, Quia alioquin verba non eſſent de ſubſtantia ſacramẽti; nam cùm Deus ſit Auctor ſacramentorum, ſi nullam formulam verborum inſtituit, non poterit ad rationem ſacramenti eſſe neceſſaria.

DVBIVM I.

Qualia verba in ſacramentis requirantur?

21 Caluinus. CAluinus lib. 4. Inſtitut. cap. 16. in ſacramẽtorũ adminiſtratione requirit quidem verbum, ſed vult illud non eſſe rituale, ſed concionatorium; neque eſſe partem ſacramenti, ſed præuium ſacramẽto; nempe concionem illam quam Miniſter ante ſuſceptionem Sacramenti præmittit, vt alter qui ſuſcepturus eſt ſacramentum, credat diuinas promiſſiones ſibi applicari, aut eſſe applicatas. Vnde reprehendit eccleſiam, quòd in ſacramentis vtatur concepta quadam & ſolemni formula verborum: *Quia* inquit, *hoc magicum eſt.*

Verbum aliud concionatoriũ aliud cæremoniale Catholici autem docent eſſe duplex Verbum, ſcilicet cõcionatorium ſeu doctrinale, de quo loquitur Caluinus, quo inſtruantur ſuſcepturi ſacramentum; ſicut catechiſmus, & alia quæuis pia inſtructio ante Baptiſmum; & hoc verbum non habet certam formam: Et cæremoniale ſeu rituale, quod certâ formulâ cõſtat, & non profer-

Digitized by Google

externi ſoni, *ſed quia creditur*, id eſt, ratione internæ virtutis ſignificatæ, quæ ſola fide percipitur. Vnde ſubdit, *nã in ipſo verbo aliud eſt ſonus tranſiẽs, aliud eſt virtus manens*; quę virtus nihil eſt aliud quàm potẽtia Trinitatis ſeu virtus Spiritus ſancti, ratione cuius, homo dicitur renaſci ex aqua & Spiritu ſancto.

Obiectio ſecunda reijcitur.

Obijcitur Secundò, Nulla eſt conuentio Chriſti ad Belial; ſed dæmon & incantatores in omnibus magicis ſolẽt vti certo carmine & determinatis verbis: ergo in chriſti inſtitutis non oportet talibus vti.

Reſpondeo Primò, Cur ergo ipſi caluiniſtę vtimini? nam in formula veſtra ſic habetur: Infundat Miniſter aquam proferendo hæc verba, *Ego te Baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.*

Reſpondeo Secundò, Dæmonem imitari Chriſtiana ſacra in ſuis ritibus; quia & ipſe Deus haberi vult. Docet hoc Tertullianus de Præſcriptione hæreticorũ; *Diabolus*, inquit, *ipſas res Sacramentorum diuinorum in idolorum Myſterijs imitatur; tingit & ipſe quoſdam, expiationem peccatorum de lauacro repromittens*, &c.

Reſpondeo Tertiò, Horribilem id eſſe blaſphemiam. Aliud enim eſt virtutem habere ex pacto diuino, aliud ex diabolico. Quòd autem Chriſtus talia verba potuerit inſtituere, patet numerorum 5. Vbi Deus inſtituit aquam & verba, quibus dictis, adulteri morerentur, ſi aquam illam execratam biberent,

DVBIVM II.

Vtrùm Res & verba in Sacramentis ſe habeant inſtar Materię & formæ?

23 Reſpondeo habere aliquam Analogiam cum materia & forma. Vnde Concil. Florentinũ in decreto Eugenij IV. & omnes Doctores ſcholaſtici rem ſenſibilem ſeu actionem vocant materiam, verba autem formam. Ratio eſt; Quia ſicuti materiâ ſecundùm ſe eſt indeterminata ad quamuis ſpeciem rerum, ſed per formam determinatur ad hanc vel ad illam; ita aqua ſeu ablutio ſecundum ſeeſt indeterminata ad hoc vel illud ſignificandum, ad hunc vel illum vſum; accedente autem hac formula verborum, *In nomine Patris*, determinatur ad ſignificandam animæ ablutionẽ. Item ſicut materia ſine forma nullam vim habet, ſed eam concipit per formam; ita aqua ſine verbo nullam vim habet, ſed accedente verbo conſecratur, & virtutẽ mundandi concipit. Vnde D. Aug. tractatu 80. in Ioannem *Detrahe*, inquit, *verbum, quid eſt aqua niſi aqua?*

Forma Sacramenti alia externa, alia interna.

Sed aduerte; Hanc formam eſſe externam & partialem; & præter hanc eſſe aliam internam totalem & vltimam, reſpectu cuius quidquid eſt ſẽſibile in Sacramento, ſiue res, ſiue verba, ſunt materia. Hæc forma interna eſt ſignificatio ipſius ſacramenti & virtus operatiua: ſignificatio enim eſt in rebus & verbis, ſed potiſſimùm in verbis, & eſt quid ſpirituale; tum quia ex diuina inſtitutione, tum quia res ſignificata eſt ſpiritualis. Similiter virtus operatiua conſtituitur in rebus & in verbis, licet principaliùs in verbis; & eſt quid ſpirituale, ex deputatione diuina proueniens. Itaque omne Sacramentum conſtituitur non ſolùm ex materia & forma ſenſibili, ſed etiam ex materia ſenſibili & forma intelligibili. Sicut homo non ſolùm cõſtat ex materia prima, & forma carnis, oſſis, aliarum partium, ſed etiam ex carne & oſſe tamquam materiâ, & anima rationali veluti ex forma. Externam illam formam, vocat Auguſtinus ſonum tranſeuntem; internam & ſpiritalem, vocat virtutem permanentem. Idem inſinuat Dominus Ioannis 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto*, indicans compoſitionem ex ſenſibili & intelligibili in Sacramento.

Ex dictis etiam conſtat; Etſi Sacramentum interdum habeat nomen ab altera ſui parte, vt baptiſmus ab ablutione; ſola tamen vna pars non eſt Sacramentum, vt quidam volunt: ſed Sacramentum intrinſecè includit vtrumque tanquam partem componentem (excepta Euchariſtia, vbi verba ſunt cauſa efficiens Sacramenti.) Quod patet. Primò, Quia id poſtulat appellatio materiæ & formæ, qua dicuntur conſtare. Secũdò, Quia vtraque concurrit ad ſignificandum & ſanctificandum; ac proinde ad componendum vnum perfectum Sacramentum perfectè ſignificans & ſanctificans. Denique altera alteram determinat, ſicut forma materiam: non tamen ideircò neceſſarium eſt vt hæc materia & forma aliqua ſui parte ſimul exiſtant, ſed ſufficit vt habeant eam coniunctionem, quæ ſatis ſit tum ad formæ veritatem, tum vt forma cenſeatur talem materiam determinare ſecundùm moralem æſtimationem. Vnde in Baptiſmo, ſi ablutionem ſtatim ſequatur forma, vel formam ablutio, erit verus Baptiſmus, modò ita coniuncta ſint, vt humano more verum ſit, *Ego te Baptizo* &c. Idem in cæteris. In matrimonio tamẽ & Pœnitentia longè plus temporis poteſt intercedere; quia Matrimonium ſequitur rationem contractuum, Pœnitentia iudiciorum.

24 Sacramentum omne excepta Euchariſtia, intrinſecè includit rem & verba.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum liceat aliquid addere verbis Sacramentalibus?

Reſpondetur, Non licet aliquid addere vel adimere verbis Sacramentalibus: Sacramentum tamen non deſtruitur, niſi illa additio vel detractio peruertat ſenſum formę. Hæc eſt communis doctrina Patrum: & docet aperte Baſilius lib. de Spiritu ſancto ad Amphilochium cap. 12. vbi dicit eum à vita excidere qui aliquid præſcriptæ formæ Baptiſmatis addit. Dydimus lib. 2. de Spiritu ſancto, paulò poſt initium, *Qui vnum de præceptis nemini prætermittit, nec Sacramentum perficit, nec hominem à peccatis liberat.* D. Auguſt. lib. 6. de Baptiſmo cõtra Donatiſtas cap. 25. *Certa ſunt verba Euangelica, ſine quibus non poteſt conſecrari Baptiſmus.* Idem patet ex dictis circa articulum 7. Sed eſt.

25

DVBIVM I.

Quot modis fiat mutatio in forma?

Reſpondeo, Generatim ſex modis. primus, Quando verba formæ transferuntur in aliã: idq; dupliciter. Primò, In aliam linguã; vt ſi quis gallicè, vel partim gallicè, partim latinè Baptizet: quę mutatio nihil officit, vt notat Caietan. art. 7. Secundò, In ſynonymum eiuſdem linguæ; vt pro, *Baptizo, tingo, abluo*; pro *In nomine Patris, & Filij, &c. In nomine genitoris, geniti, & procedentis ab vtroq;* Vtrùm verò etiam poſſit dici pro *Baptizo, mergo*, dubium eſt, & magis an *purgo, mundo* &c. non enim idem valent, quod *Baptizo*, nec ſignificant conferri gratiam per modum ablutionis. Aduertendũ autem hic eſt, ſynonymũ

26 1. Tranſlatione. Verborum.

Digitized by Google

diſtinctè debere idem ſignificare; non enim ſufficit *Ego te Baptizo in nomine Trinitatis.* Quòd ſi nomen ſit æquiuocum, modò intendas eo vti in ſignificatione qua æquiualet nomini formæ, non vitiatur Sacramentum; nam omne ferè nomen habet aliquam æquiuocationem.

2. Corruptione. Secundus modus eſt, Cùm verba corrumpuntur: quod fieri poteſt tripliciter. Primò, Ex impedimento linguæ, vel mala conſuetudine: Secundò, Ex ignorãtia; ſicut is, qui ex ignorantia linguæ latinæ baptizauit. *In nomine Patria & Filia & Spiritua ſancta*; qui modi corruptionis non efficiunt Sacramento; nam qui ſic baptiſauerat, validè baptizauit, vt reſcripſit Zacharias Papa ſancto Bonifacio Apoſtolo Germanię: habetur de conſecratione diſt. 4. capitulo *Retulerunt.* Ratio eſt; Quia qui ità pronuntiant, intendunt facere quod facit Eccleſia; & verba illa cum talibus circumſtantijs prolata, ſatis clarè ex cõmuni hominum intelligẽtia ſignificant diuinas perſonas, & habent ſenſum quẽ habet forma incorrupta. Tertiò, ex affectata malitia; vt ſi quis ſciens & prudens ſic baptizaret; tunc diſtinguendum: Si id faceret animo aliud ſignificandi, quàm ordinaria forma, verbi gratia, *Deum habere Filiam* (quod D. Thomas ait, *Animo inducendi errorem*) certum eſt non fore validum Sacramentum; quia non intendit facere, quod facit Chriſti Eccleſia; & ipsã formam reddit falſam; nam ex ipſius intentione determinatur ad falſam ſignificationem. Quòd ſi intendat ſignificare id quod Eccleſia ſignificat, tamen ita pronuntiet ex motiuo aliquo ſuperſtitioſo vel vano, erit validum Sacramentum; quia omnia neceſſaria adſunt.

3 Additione. Tertiò, Mutatur forma additione; idque tripliciter: Primò, ſi addas vera, vt *Ego te Baptizo in nomine Patris omnipotentis, & Filij redemptoris, & Spiritus Sancti Paracliti*; validũ erit Sacramẽtum: Secundò, Si addas falſa; vt *In nomine Patris creatoris, & Filij à patre creati, & ſpiritus ſancti à filio creati*; qua forma vtebãtur Eunomiani teſte Epiphanio Hæreſi 76. Talis etiam eſt illa Colarbaſiorum apud Irenæum lib. 1. contra Hæreſes cap. 18. *In nomine ignoti Patris omnium* &c. & tunc irritum eſt Sacramentũ. Tertiò, Si addas dubia: vt *Ego te Baptizo in nomine Patris, & filij, & Spiritus ſancti, & beatæ Virginis*: tunc ſi intendas ſignificare beatam Virginem eſſe etiam cauſam principalem conſecrationis Baptiſmi cum diuinis perſonis, nihil efficietur, quia forma erit falſa: Si autem velis ſignificare Baptiſmum conferri in honorem beatæ Virginis, aut per eius interceſſionem, ratum erit.

4. Detractione. Quartò, Mutatur forma detractione verborũ; quæ detractio, ſi non peruertat aut mutilet ſenſum, non efficit Sacramento: vt ſi omittas particulam (*Ego*) in forma Baptiſmi; vel particulam (*en ego*) in forma Conſecrationis Euchariſtię. Si autem mutiles ſententiam, nihil efficietur, vt ſi detrahas nomen *Patris* aut *Filij* &c.

5. Tranſpoſitione. Quintò, per tranſpoſitionem verborum; hæc ſola non viciat Sacramentum, modò debita intentio idem ſignificandi adſit, & illa tranſpoſitio non ſit talis quæ ſententię repugnet. Vt, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti ego te Baptizo: valet. Si verò ſic, Baptizo Patris, & Filij & Spiritus ſancti nomine, ego in: nihil valet.

6. Diſiunctione. Sextò per diſiunctionem partium formæ; quæ diſiunctio, ſi tanta ſit vt ex modo proferendi non cenſeatur vna oratio, vna integra ſententia, non efficitur Sacramentum; vt ſi quis dicat *Ego te Baptizo*, & poſt horam addat, *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Secùs eſt, ſi parua ſit interniſſio.

Regulæ duæ valdè notandæ. Pro omnibus his, & ſimilibus formę mutationibus notandę ſunt hæ duæ regulę. Prior eſt: nulla mutatio verborum retinens eandem ſententiam, ſiue ex vi verborum ſiue ex vſu hominum, vitiat Sacramentum. Altera eſt; omnis mutatio verborum, non retinens aliquo modo eandem ſententiam, irritat Sacramentum.

DVBIVM II.

Quando Intentio Miniſtri vitiet Sacramentum? 27

D. Thomas videtur velle intentionem Miniſtri tunc irritare ſacramentum, quando in ipſa mutatione formę intendit introducere nouum ritum in Eccleſiam, & quandoque induſtria corruptè profert verba, quæ tamen non videntur vera. Intentio bona.

Reſpondeo & Dico Primò, Intentio Miniſtri neceſſaria ad Sacramentum eſt ea, quę intendit facere id quod facit vera chriſtianorum Eccleſia quęcumque demum illa ſit, ſiue id quod Chriſtus inſtituit. Patet ex Concilio Florentino. Intentio mala.

Dico ſecundò, ſi Miniſter aliud intendat ſignificare verbis formę, quàm Eccleſia ſignificet, nihil efficitur, etiamſi formam integrè proferat; vt ſi per *Filium* in forma baptiſmi diſtinctè intẽdat ſignificare aliquam excellentem creaturam, iuxtà ſententiam Arianorum. Ratio eſt, tum quia deeſt legitima intentio; non enim intẽdit facere, quod facit Eccleſia, hoc eſt, idem ſacramentum. eodem ſenſu & intelligentia: tum quia forma mutatur, non quidem materialiter, cùm eadem verba pronuntiet, ſed formaliter, quatenus eſt ſignificatiua: vnde non exhibet ſignum, quod Chriſtus inſtituit, ſed aliud quod ipſe excogitat. Nomen enim *Filij* eſt æquiuocum ad *verum Filiũ & adoptiuum*, & per intentionem proferentis determinatur ad ſignificandum *Filium adoptiuum.* Secùs eſſet ſi per *filium* diſtinctè non intenderet *filium adoptiuum*, ſed generatim *filium Dei*, de quo ſcripturę & Chriſtus loquuntur; licet ipſe apud ſe exiſtimaret hunc eſſe creaturã; tunc enim eſſet verus Baptiſmus, vt colligitur ex Concilio Arelatenſi primo. Canone 8. Sic enim quidam Ariani baptizabant. Ratio eſt, Quia hîc eſt legitima forma, & legitima intentio; nam verè intendit baptizare in eodem *filio*, in quo Eccleſia. Nec obſtat quòd putat hunc eſſe *Adoptiuum*, vel creaturam; quia hic eſt error priuatus, qui per accidens formali intentioni coniunctus eſt.

28 Si addat aliquid falſi.

Dico Tertiò, Si quis ad integram formam addat aliquid falſi tanquam partem formæ, non efficiet ſacramentum: vt ſi in conſecratione Euchariſtię dicat, *Hoc eſt Corpus meum, quod à cęlo ſumptum eſt*, nihil efficit; quia facit formam falſam. Si tamen non addit illam falſam particulam tãquam partem, ſed ſolùm vt explicet ſuam ſententiam de Chriſti corpore, verè conſecrat, etiãſi errorem nitatur inducere. Et ratio eſt, Quia illa intentio eſt diſtincta ab intẽtione conſecrandi & faciendi quod chriſtus inſtituit, nec in eam influit; & actio illa diſtincta eſt ab actione conſecrandi, ſolumque per accidens iunguntur.

Si addat aliquid non neceſſarium.

Dico Quartò, ſi quis addit aliquid ad formam tãquam neceſſarium ad illam, putans ſinẽ eo non conſici Sacramentum, ſi tamen hoc verum ſit, & intendat facere id quod facit vera Chriſti Eccleſia, efficitur Sacramentũ: vt ſi quis putet formã Græcorum, *Baptizetur ſeruus Chriſti*, eſſe neceſſa-

riam; & nitatur hunc ritum tãquam neceſſarium inducere in Eccleſiam latinam. Similiter ſi putet eſſe dicendum *In nomine Patris omnipotentis &c.* aut illa verba, *Noui & æterni Teſtamẽti &c.* eſſe neceſſaria &c. Ratio eſt, Quia verè intendit facere, quod facit chriſti Eccleſia; & vtitur forma quæ in ſubſtantia idem valet; & quãuis putet hęc vel illa verba eſſe neceſſaria, quę tamẽ non ſunt, hoc non obſtat; quia non excludit legitimam intẽtionẽ faciendi Sacramentũ per ea quę reipſa neceſſaria ſunt. Non enim miniſter tenetur ſemper ſcire, quę verba ſint de ſubſtãtia formæ, vel nõ.

Dices, Quid ſi ſciret veram chriſti Eccleſiam ſentire illa verba non eſſe neceſſaria ad ſubſtantiã ſacramenti, imò prohibuiſſe ne addantur, & ipſe nihilominùs vellet addere tãquã neceſſaria.

Mens D. Thomæ.

Reſpondeo, Tunc præſumitur non habere legitimam intentionem. Et ſic intellige D. Thomam in *Corpore*, cùm ait; *Si per illam additionem vel diminutionem intendat inducere ritum qui non ſit ab Eccleſia receptus, aut de induſtria corrumpat verba, non videtur perfici Sacramentum*; nempe quia præſumitur non habere legitimam intentionem faciendi quod facit Eccleſia. Si tamẽ talis intenderet generatim facere, quod chriſtus inſtituit, & eatenus adhibere omnia, quatenus chriſtus requirit (quamuis id ratò fiat) verum conficeret ſacramentum, etſi putaret illam additionem eſſe de ſubſtantia, & vellet hunc ritum inducere in eccleſiam. Idem dico, ſi detrahat aliquid non neceſſarium, putans eſſe neceſſarium, modò prędictam intentionem habeat ſaltem conditionatè, nempe faciendi quod chriſtus inſtituit ſi quid ſit eri poſſit. Vnde patet non eſſe verum, quod ait Dominicus ſoto ſcribens in hunc Articulum: ſi eccleſia damnaret ritum Græcorum, Græcos nihil effecturos; nam poſſunt Græci habere intentionem requiſitam, & Eccleſia non poteſt facere, vt id quod erat legitima forma, deſignat eſſe forma Sacramenti.

Petes, Quale peccatum eſt, aliquid mutare in formis Sacramentorum? 29

Reſpondeo Primò, Si de induſtria, aut ex craſſa negligentia fiat tanta mutatio, vt Sacramentum reddatur irritum vel ãmbiguum, erit mortiferũ ſacrilegium. Idem dicendum de Materiæ mutatione. Ratio eſt, Quia eſt grauis irreuerentia irritum reddere Sacramẽtum; vel etiam exponere ſe huic periculo, quando id poteſt vitari. Quòd ſi id vitari nequeat, & alioqui ſalus proximi poſtulet, potes vti dubio Sacramento: Siue dubiũ ſit ratione Materiæ; vt cùm quis abſoluitur in extremis cũ ſolis ſignis cõtritionis; Item, Si Cõfirmatio detur in ſolo oleo benedictò, eò quòd nuſquã poſſit reperiri balſamũ: Siue ratione ſubiecti; vt cùm infans baptiſatur in ſolo digito, eò quòd reliquę partes attingi nequeant: ſiue ratione formę; vt ſi egeas extremę baptiſmo, vel pœnitentię Sacramento, & miniſter ex ignorantia vtatur forma ambigua. In his caſibus neceſſitas excuſat, ne cenſeatur irreuerentia.

Quando poſſimus vti dubio Sacramento.

Dico Secundò, ſi tamen ex parua negligentia hæc mutatio fieret, eſſet ſolum veniale, quamuis Sacramentum eſſet irritum.

Dico Tertiò, Si ex diſtractione, poteſt eſſe nullum peccatum; nempe quando diſtractio eſt omnino inuoluntaria, & naturaliter accidit.

Dico Quartò, Si autem mutatio non irritet Sacramentum, nec etiam reddat ambiguum, non videtur eſſe peccatum mortiferum, etiamſi fieret ex craſſa aliqua negligentia, modò abſit contẽptus, ſcandalum, intentio introducendi nouum ritum in Eccleſiã, vel damnãdi ritum receptum. Vide Sotũm diſt. 1. quæſt. 1. art. 8. Idem docent alij recentiores. Ratio eſt, Quia omnis talis mutatio cenſetur leuis.

QVÆSTIO LXI.

De Neceſsitate Sacramentorum.

In Quatuor Articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Vtrum Sacramenta ſint neceſſaria ad humanam ſalutem?

1 Explicatur mens D. Thomæ.

Reſpondetur, Sacraméta eſſe neceſſaria; id eſt, valdè vtilia & congrua ad hominum ſalutem: Loquitur autem D. Thomas potiſſimùm de natura humana ſecundùm ſe ſpectata, id eſt, ſecundùm naturalem ſuam conditionem, qua præſcindit à ſtatu peccati, & à ſtatu ſupernaturali innocentiæ. Probat tribus rationibus. Prima, Quia humana conditio poſtulat ex ſenſibilibus ad ſpiritalia perduci. Secunda, Quia decuit, vt homo qui per peccatum ſe ſenſibilibus rebus ſubiecit, eiſdẽ in pœnam & humilitatis exercitium ſubiacere coieretur. Tertia, Quia præcipuum ſtudium & affectio hominũ eſt in rebus externis: vnde vt ſalubriter in illis occuparentur, decebat ſub illis res ſpirituales tegi. Vnde Magiſter has tres cauſas complectens, ait Sacramenta inſtituta *Propter inſtructionem, humiliationem & exercitationem hominis in diuino cultu.*

ARTICVLVS II.

Vtrum ante peccatum fuerint homini Sacramenta neceſſaria?

2

Reſpondetur, ante peccatum, nempe in ſtatu innocentiæ, Sacraméta non fuere homini neceſſaria, id eſt, multùm conuenientia.

Quidam exiſtimãt.

Notandum eſt; Quoſdam recentiores exiſtimare in ſtatu innocentiæ futurum Sacramentũ Euchariſtiæ, & conſequenter etiam Sacramentum Ordinis. Addunt aliqui etiam Sacramẽtum Matrimonij. Ratio eſt, Quia exiſtimant Chriſtum venturum in carne, etiamſi Adam non peccaſſet; cuius Incarnatio fuiſſet ſignificata per Sacramentum Matrimonij; & vnio nobiſcum tanquam capitis cum membris per Euchariſtiam; quæ etiam tunc fuiſſet ſacrificium, tale enim ſacrificium decebat talem ſtatùm.

3 Verius negatur

Sed longè probabilius & verius eſt, in ſtatu innocentiæ nulla futura Sacramenta gratiam conferentia. Primò, Quia hæc, eſt communior ſententia Doctorum D. Thomæ hîc, & in 4. diſt. 1.

vbi Bonauentura, Richardus, Gabriel, Paludanus, maior, & alij. Secundò, Quia probabilius eſt Chriſtum non ventuſum in carne, ſi ſtatus ille perſeueraſſet, vti dictum eſt in Tractatu *De incarnatione*, qu. 1. art. 3. vnde illa Sacramenta non habuiſſent fundamentum meritorũ quibus niterentur. Quod patet; Idcircò enim noſtra Sacramenta ſunt inſtituta, vt ſint veluti inſtrumenta quibus applicẽtur nobis merita Chriſti: at in illo ſtatu non fuiſſent vlla merita nobis applicanda, ratione quorum daretur gratia; ac proinde nec fuiſſent inſtrumenta applicatoria. Tertiò, Quia generatim ideò Sacramenta ſunt inſtituta, quòd homini difficile ſit rebus ſpiritualibus intẽdere, perfectè ad iuſtitiã ſe diſponere, & opera ſupernaturalia meritoriaque facere; vnde neceſſarium erat inſtitui Sacramenta, quibus facilè poſſet iuſtificari, & in iuſtitia creſcere; alioqui pauciſſimi fuiſſent ſaluati, & hi valdè imperfecti. In ſtatu autem innocentiæ omnes fuiſſent nati iniuſtitia originali & ita non eguiſſent diſponi ad iuſtitiã; facillimum quoque illis fuiſſet rebus ſpiritualibus inſiſtere, & functiones omnium virtutum ſupernaturalium, quibus gratia aſſiduè creuiſſet, obire; quare non opus erat Sacramentis, quibus in iuſtitia creſcerent. Sic explicari poteſt ratio D. Thomæ: Non enim decebat hominem in illo ſtatu rebus inferioribus ſubijci, quibus ipſe debebat dominari, aut per eas in gratia vel cognitione diuinorum myſteriorum perfici: nam in gratia per dignitatem operum facillimè creuiſſet, & cognitionem myſteriorum fidei traditione parentum facile accepiſſet: Hæc enim pauca fuiſſent, vtpote cõnaturalia gratię; nec vllum fuiſſet obliuionis periculum. Denique non fuiſſent neceſſaria ad hoc, vt homines cognoſcerent quando diuinitus ſanctificarentur; nam hoc ſinguli ſciuiſſent ex operum ſuorum cognitione. Quartò, Quia omnia noſtra Sacramenta inſtituta ſunt: vel in remedium peccati, vt Baptiſmus, Pœnitentia, & Vnctio; & matrimonium quatenus eſt in remedium concupiſcentiæ: vel ad augmentum gratiæ & robur contra tentationes, vt Confirmatio, Euchariſtia: vel ad alia Sacramenta conficienda, vt Ordo. Sed in ſtatu innocentiæ non fuiſſet opus Sacramentis ad remedium; quia abfuiſſet morbus peccati & concupiſcentiæ: nec etiam ad augmentum gratiæ; quia gratia facillimè creuiſſet per opera: nec ad tentationum victoriam; quia tentationes internę nullę fuiſſent; externæ autem facillimè potuiſſent repelli.

Ratio cur generatim omnia Sacramenta inſtituta.

Dices, Sacramenta in eo ſtatu fuiſſent neceſſaria ad alios fines; nempe ad cultum Deo corpore & animo exhibendum; ad fidei proteſtationem, & ad conſpirandum in vnam religionẽ: ob quas cauſas credibile eſt futura ſacrificia publica, & fortè etiam imagines maximè hominum & Angelorum.

In ſtatu innocentiæ fuiſſẽt certę cæremoniæ.

Reſpondeo, Ad hos fines valdè probabile eſt in illo ſtatu futuras certas cæremonias diuinitus inſpiratas, & in toto humano genere ſeruandas; vt rectè docet Durandus diſt. 1. quęſt. 2. & inſinuat D. Auguſt. lib. 8. de Geneſi ad Literam c. 4. cùm ait, *Nec ſine Myſterijs rerum ſpiritualium corporaliter præſentatis voluit Deus hominem in Paradiſo viuere*: hæ tamen cæremoniæ non debebant ideircò eſſe Sacramenta, quia non contuliſſent gratiam internam aut externam ex opere operato; quod neceſſarium eſt ad rationem Sacramenti. Quòd ſi in eo ſtatu aliqui peccaſſent, ſatis fuiſſet remedium contritionis; nam pauci lapſi fuiſſent, & hi facilè reſipuiſſent per gratiam præuenientem, ſuâ miſeriâ & aliorũ felicitate edocti.

ARTICVLVS III.

Vtrum poſt peccatum ante Chriſtum debuerint eſſe Sacramenta?

RESpõdetur Affirmatiuè. Ratio eſt, Quia homo poſt peccatum non potuit ſaluari, niſi per fidem Chriſti: ergo debebat hanc fidem quibuſdam cæremonijs externis proteſtari; quæ cęremonię dicuntur Sacramenta. Patet conſequẽtia: Quia debebant colere Meſſiam futurum, & excitare eius deſiderium & ſanctificationis per ipſum conferendæ; denique eius fidem & cognitionem fouere: hoc enim totum auctori ſalutis eſt debitum. 4

ARTICVLVS IV.

Vtrum poſt Chriſtum debuerint eſſe aliqua Sacramenta?

RESpondetur, In lege noua debebant eſſe aliqua Sacramenta diſtincta à Sacramentis legis Veteris. Probatur Primò, Quia aliter debẽt pręfigurari futura, aliter repræſentari iam præſentia vel exhibita. Atqui Sacramenta legis Veteris pręfigurabãt myſteria Chriſti futura, noſtra autem debent repręſentare iam exhibita: ergo debent eſſe diſtincta. Vide D. Auguſtinum lib. 19. contra Fauſtum c. 13. & 16. Secundò, Quia ſtatus nouę legis eſt perfectior tùm cognitione, tùm gratia: ergo & eius Sacramenta debent eſſe perfectiora tùm in ſignificando, tùm in efficiendo. Tertiò, Sacramenta vetera tantummodò erant idonea ad pædagogiam infantium in fide: ergo inepta ſtatui nouæ legis, qui eſt virilis. Quartò, Quia illa Sacramenta erant vmbrę, figurę, parabolæ inſtantis temporis, exemplaria cœleſtium, ad Hebręos 9. ergo debebãt euaneſcere, veritate ſuccedente, & alia inſtitui quæ verè eſſent cœleſtia. Quintò, Quia homini difficillimũ eſt diſponere ſe ad gratiam, inſiſtere rebus ſpiritualibus, & operibus ſupernaturalibus vitæ æternæ meritorijs: ergo neceſſarium fuit illi ſubuenire quibuſdam cæremonijs externis, quibus ſine magno labore gratiam conſequeretur; alioqui pauciſſimi ſaluati fuiſſent; quod non eſt conſentaneum ſtatui nouę Legis, qui eſt ſtatus gratiæ & miſericordiæ. 5 Affirmatur.

Digitized by Google

QVÆSTIO LXII.

De principali effectu Sacramentorum, qui est Gratia.

In Sex Articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum Sacramenta sint causa Gratiæ?

1 Error cõmunis hæreticorum nostri tẽporis.

REspondetur Affirmatiuè. Notandum est, Omnes Hæreticos huius temporis consentire, quòd Sacramenta non conferant gratiam, sed sola fides: Sacramenta autem esse dũtaxat cæremonias quasdam, quibus fidem nostrã coram Ecclesia profitemur: ita Svvinglius & Bucerus. Vel symbola quędam bonorum operum; Exempli gratia, Baptismum esse signum afflictionum, quas Christiani debent perferre; & ob hunc finem dumtaxat Baptismum sumi; ita Anabaptistę. Vel esse signa quæ significent nos iustificari per fidem, qua diuinas promissiones apprehendimus, dum applicantur Sacramenta: ita Lutherani. Vel denique esse signa & sigilla, quibus Deus testetur conscientijs nostris nos anteà esse iustificatos per fidem vel nostram vel parentum: ita Caluinistæ. Vnde omnium Hæreticorum sententiâ, Sacramenta per se nihil cõferunt, sed sola fides: ipsa autem sunt nudę cęremonię, & arida signa, non minùs quàm ceremonię veteris Legis; quod olim tenuere Caiani apud Tertullianum, contra quos scripsit librum de Baptismo; & Armeni, teste Guidone, verbo *Armeni*.

2 Dico Primò, Sacramenta nouę Legis non sunt causa primaria gratiæ nec efficiens, nec meritoria: primaria enim efficiens est solus Deus per diuinitatem; meritoria est Christus Dominus per humanitatem.

Dico Secundò, Certum tamen est de fide, omnia Sacramenta nouę Legis per se & ex opere operato conferre gratiam sanctificantem non ponentibus obicem.

Conferũt gratiam ex opere operato.

Vbi nota; Sacramenta dici conferre gratiam ex opere operato, ob duas causas: Prima, Quia eam conferunt non quà opus hominis, sed quà opus Dei; id est, quatenus sunt opus à Deo institutum: vnde *ex opere operato* idem est, ac si dicas, *Ex diuina institutione*: quemodo etiam actus internus, vt nuda fides, vel attritio conferret gratiam ex opere operato, si Deus decreuisset hominem per tales actus sanctificare. Secunda, Quia Sacramenta gratiam conferunt, non ratione operis interni, vt fidei, vel deuotionis ministri, aut suscipientis, sed ratione operis externi: actus enim internus respectu operis externi est veluti opus operans, actus externus est opus operatum, quia procedit ab interno. Significantur itaque, hoc modo loquendi, Sacramẽta conferre gratiã, non ex deuotione, fide, aut merito aliquo suscipientis vel ministri, sicut oratio, eleëmosyna, ieiunium, quæ solùm ex deuotione suscipientium sanctificant: sed ex ipso opere externo diuinitus instituto ad sanctificandum: quod D. Augustinus significat, cùm ait; *Parvulum vi Sacramenti sanctificari*; lib. 1. de Peccatorum meritis & remiss. cap. 18 Item cùm ait; *Sacramentum ipsum per seipsum in parvulis valere plurimũ*: lib. 4. de Baptismo cap. 24. Vnde etiamsi hæc locutio *Ex opere operato* dũtaxat à quadringentis annis vsurpata fuerit, tamen Patres idem alijs verbis significarunt.

Non excluditur fides &c. in suscipiente Sacramenta.

Aduerte tamen, non excludi fidem, deuotionem, pœnitẽtiam, similesque bonos motus in adultis: quia sunt dispositiones subiecti necessarię vt Sacramentum vim suam exerceat. Sicut enim in rebus naturalibus, vt forma introducatur à gene rante, requirũtur certę dispositiones in subiecto; ita quoque vt sacramenta producant in nobis illam diuinam formam, qua efficimur iusti & similes Deo, requiritur in adultis quædam dispositio.

3 1. Probatur ex Cõcilijs.

His positis. Probatur Propositio Primò, Quia hæc veritas definita est in Concilio Tridentino sess. 7. can. 6. *Si quis dixerit Sacramenta nouæ Legis non continere gratiam, quam significant; aut gratiam ipsam, non ponenti bus obicem, non conferre, quasi signa tantùm sint externa accepta per fidem gratię aut iustitiæ, Anathema sit.* Et Can. 8. *Si quis dixerit ipsa nouæ Legis Sacramenta ex opere operato non conferre gratiam, sed solam fidem diuinæ promissionis ad gratiam consequendam sufficere, Anathema sit.* Idem tanquã dogma Ecclesiæ traditur à Concilio Florentino: *Nouæ legis*, inquit, *sunt septem Sacramenta, quæ multùm differunt à Sacramentis antiquæ legis: Hæc enim non causabant gratiam, sed eam solùm per passionẽ Christi dandam esse figurabant; nostra, & continent gratiã, & eam dignè suscipientibus conferunt.* Eadem veritas constat ex Concil. Cõstantinopolitano primo, in cuius Symbolo habetur *Credimus vnum Baptisma in remissionem peccatorũ.*

2. Ex Scripturis, de singulis Sacramentis.

Probatur Secundò ex Scripturis de singulis Sacramentis. D. Baptismo, Ioannis 3. vers. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest videre regnum Dei*: vbi regeneratio tribuitur Baptismo & Spiritui sancto, quia Spiritus sanctus in Baptismo regenerat. Respondet Caluinus aquam accipi pro Spiritu sancto, hoc sensu, *Ex aqua*, id est, *Ex spiritu sancto*, qui *spiritus sanctus* dicitur *Aqua*; quia irrigando fideles animas, vice aquæ fungitur; sicut, inquit, Matth. 3. v. 11. dicitur de Christo, *Ille est qui baptizat in Spiritu S. & igne*, vbi *Ignis* est ipsemet *spiritus sanctus*. Sed fallitur Caluinus, nam omnium consensu *Ignis* hîc propriè accipitur: loquitur enim Ioannes de aduentu Spiritus sancti; qui in igne descendit super Apostolos. Deinde est contra omnes Patres, qui ex illo loco Ioannis 3. necessitatem baptismi colligunt. Tertiò, Quia ineptissima esset ista locutio: quis enim sapiens ita loqueretur, *Baptizabit vos aqua & spiritu sancto*, id est, *aqua, quæ est spiritus sanctus*. Item *Baptizabit spiritu sancto & igne*, id est, *spiritu sancto, qui est ignis*. Vnde manifestũ est Dominum loqui de vera aqua, eamque facere causam regenerationis. Quod confirmatur ad Titum 3. vers. 5. *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis & renouationis spiritus sancti*: vbi Apostolus videtur alludere ad illa Christi verba, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto*. Similiter ad Ephesios 5. vers. 26. *Mundans eam*, nempe Ecclesiam, *lauacro aquæ in verbo vitę*: vbi per lauacrum nos mundari à Deo apertè dicitur. Actorum 2. vers. 38. *Baptizetur vnusquisque vestrum*

Soluitur obiectio Caluini de Baptismo

ſtrum in remiſſionem peccatorum. 1. Petri 3. verſ. 21. *Quod & vos nunc ſimilis formæ ſaluos facit baptiſma non carnis depoſitio ſordium*, id eſt, non quia ſordes carnis abluit, *Sed bonæ conſcientiæ interrogatio in Deum*, id eſt, quia bonam Conſcientiam erga Deũ gignit, per quam cum fiducia tractam⁹ cum Deo.

Secundò, De Confirmatione. Actorum 8. & 19. Per manuũ impoſitionem datur Spiritus ſanct⁹.

Tertiò, De Euchariſtia. Ioannis 6. verſ. 54. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam*, id eſt, Ius ad vitam æternam.

Quartò, De Pœnitentia. Ioannis 20. verſ. 23. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.*

Quintò, De extrema Vnctione. Iacobi 5. v. 16. *Si in peccatis fuerit, remittentur ei.*

Sextò, De Ordine. 2. ad Timot. 1. verſ. 6. *Admoneo te, vt reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te, per impoſitionem manuum mearum.*

De Matrimonio ſuo loco probabimus. Omitto Patrum ſententias quas Hęretici non negant, ſed dicunt eos hyperbolicè loqui.

4
3. Ratio. Probatur Tertiò Ratione: Sacramenta veterа præter ſignificationem operabantur iuſtificationem carnis; vt patet ad Heb. 9. ergo noſtra operãtur iuſtificationẽ animę; quia ita ſe habẽt noſtra ad conſcientiam, ſicut illa ad carnem. Vide chryſoſt. homil. ad baptizandos tomo 5. Secundò, Quia per noſtra Sacraméta dicimur. *Induere chriſtum, commori Chriſto, accipere remiſſionem peccatorũ regenerari, renaſci, ſaluari, accipere vitam æternam*, vt patet ex varijs Scripturę locis; quæ tamen numquam tribuuntur Sacramentis veteribus: ergo non ſunt nuda ſigna, ſed efficiunt quod ſignificant; alioqui dici poſſet etiam Iudæos per ſuas cæremonias fuiſſe iuſtificatos; quod eſt apertè contra Apoſtolum ad Hebræos 9. Tertiò, Quia parvuli per totam Eccleſiam baptizantur, & in illis baptiſmus ipſe *Per ſe valet plurimum*, vt inquit Auguſt. lib. 4. de Baptiſmo cap. 24. & tamen nõ habent fidem parvuli: ergo Baptiſmus non habet ſuam efficaciam per fidem. Quòd autem Lutherani dicunt in parvulis accelerari vſum rationis, nimis ridiculum eſt.

DVBIVM I.

Vtrùm Sacramenta aliquando conferant primam gratiam iuſtificationis?

5
Sententia negans. QVidam Doctores negant in adultis Sacramenta poſſe conferre primam gratiam; quia exiſtimant in eis ſemper requiri veram contritionem, nempe quę procedit ex dilectione Dei ſuper omnia, qua poſita ſtatim datur gratia iuſtificationis, etiamſi reipſa abſit Sacramentum.

Reiicitur. Sed Dico Primò, Hæc ſententia non eſt probabilis. Probatur; Quia Baptiſmus, & Pœnitentia ſunt inſtituta ad tollendum peccatum mortiferũ, & quaſi ad viuificandum mortuum: ergo aliquãdo debent tollere peccatum mortiferum, & conſequenter conferre primam iuſtificationem; alioquin numquam haberent effectum primarium, ad quem ſunt inſtituta. Dices, conferunt remiſſionem peccati in voto, cùm quis iuſtificatur per cõtritionem antecedentem. Contrà; hoc nõ ſufficit quia dum quis iuſtificatur per contritionem cum voto Sacramenti, ipſum Sacramentum nihil confert ex opere operato, ſed ſola contritio iuxtà ſuã menſuram; ac proinde Sacramentum ex opere operato numquam conferet primarium ſuum effectum, ſed ſemper eum ſupponet. Hinc etiam fiet, vt remiſſio peccatorum non ſit facta facilior per Sacramenta, quam erat olim in lege veteri: quod eſt aperte contra ſcripturas.

Dico Secundò, Etſi non omnia Sacramenta ſint inſtituta, vt conferant primam iuſtificationem; tamen omnia in euentu poſſunt eam conferre. 6
Omnia ſacramenta poſſunt conferre primam gratiam iuſtificationis. Prior pars patet de Confirmatione, Euchariſtia, Ordine, Matrimonio: hæc enim poſtulant, vt ſuſcipiens non ſit in peccato mortifero, vel ſaltem vt bona fide ſe putet non eſſe; vnde dicuntur Sacramenta viuentium. Altera pars eſt. D. Thomæ paſſim, & communior ſententia Doctorum. Ratio eſt, Quia omnia Sacramenta vi ſua conferunt aliquem gradum gratię: ergo ſi ſubiectum habeat eam diſpoſitionem, per quam infuſionis gratiæ eſt capax, & aliunde non obijciat actuale impedimentum, ſemper illum conferent. Atqui homo per attritionem eſt capax infuſionis gratię, vt patet in Baptiſmo; & cùm bona fide putet ſe habere veram contritionem, non ponit actuale impedimentum: ergo omne Sacramentum tunc confert primam gratiam iuſtificationis. Confirmatur, primò. Quia non requiritur maior efficacia ad infuſionem primæ gratiæ iuſtificantis, quã ad augmentum: ergo quod per ſe confert augmentum, etiam poterit conferre primam gratiã, ſi ex parte ſubiecti non ſit repugnantia.

Confirmatur Secundò, Quia ſicut Sacramenta inſtituta ad primam gratiam conferendam, tribuũt augmentum, ſi primam inueniant collatam; vt patet cùm quis accedit ad Sacramentum Pœnitentię cum vera contritione: ita Sacramenta, inſtituta primariò ad augmentum, conferent primam gratiam, ſi eam non inueniant. Dicuntur autem tunc *Per accidens conferre primam gratiam*, quia primariò inſtituta ſunt ad augmentum, ita vt ad hoc ſolùm ex intentione poſſint adhiberi. Voluit tamen Dominus, vt ſi adhiberentur bona fide ad augmentum in ſubiecto vacuo, habente tamen diſpoſitionem non repugnantem, tunc etiã primam conferrẽt pręter primariam & directam intentionem ſuſcipientis.

Cur dicuntur per accidens eam conferre.

DVBIVM II.

Quando Sacramenta conferant gratiam?

SVppono; Sacramenta non conferre gratiam ex opere operato ante realem ſuſceptionem; alioqui conferrent etiam characterem, & cum attritione ſola iuſtificarẽt. Ratio eſt, Quia inſtituta ſunt, vt ſuo vſu externo ſanctificent: hoc enim eſt *Ex opere operato ſanctificare*. Et colligitur Ioãnis 6. v. 54. *Qui manducat meam carnem, habet vitam æternam*. Et Marc. 16. v. 16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit*. Nec obſtat, quòd Sacramenta Baptiſmi & Pœnitentię dicuntur in voto conferre gratiam: ſenſus enim eſt, contritionem non conferre gratiam ſine voto expreſſo vel implicito Baptiſmi vel Pœnitentiæ: tota tamen gratia datur ratione dignitatis & perfectionis illius contritionis, non ſecùs ac in lege veteri. Neq; tũc Sacramentum aliquid confert, niſi quatenus obiectiuè poteſt facere actum internum nobiliorem. Dicitur tamen in voto conferre gratiã, quia votum Sacramenti ex præcepto diuino poſitiuo annexum eſt contritioni. Similiter non obſtat, quòd Doctores dicunt effectum Sacramenti interdum recipi per Sacraméti votum; quod etiam inſinuat Concil. Trident. ſeſſ. 13. c. 8. ſolùm enim volunt talem gratiã conferri, qualis Sacramento confertur; quæ gratia dicitur effectus Sacramenti, non

7
Quid ſit, baptiſmũ vel Pœnitentiam in voto dare gratiam.

ctus, dum applicantur; ſed iſta auxilia ſpecialia non dantur tunc, ſed poſteà quando opus eſt, & Deo videtur; ergo non ſunt effectus Sacramenti.

Reſpondeo; Quando Sacramentum ſuſcipitur dantur iſta auxilia in actu primo; in actu verò ſecundo, dantur ſuo tempore. Dicuntur autem in actu primo dari, quia incipiunt adeſſe homini quaſi per modum habitus: Deus enim ſingulari modo aſſiſtit paratus dare auxilium ad conſequẽdum & retinendum Sacramenti finem pro loco & tempore; ita vt quodammodò in hominis poteſtate ſit habere illud in actu ſecundò: ſicut virtus miraculorum, & donum Prophetiæ adeſt Sãctis in actu primo, etiam dum non prophetant, aut miracula faciunt.

Quando & quomodo dentur ſpecialia auxilia per Sacramẽta.

Dices Secundò, Ipſis habitibus debitum eſt per ſe auxilium ſpeciale neceſſarium ad operandum; ſicut omni rei & virtuti creatæ debitum eſt lege ordinaria auxilium neceſſarium ad eius functionem: ergo hoc auxilium ſpeciale non datur ratione Sacramentorum, ſed ratione habituum quę per Sacramenta dantur.

Reſpondeo; Auxilium ſpeciale debitum ipſis habitibus per ſe conſideratis, eſt valdè exiguum; & fortè non eſt aliud quàm auxilium concomitans, ſeu diuina cooperatio. Vnde eſt omnino inſufficiens & ad illos habitus in tam fragili ſubiecto conſeruandos, & ad functiones illorum ſaltem per longum tempus obeundas; vt docet D. Auguſt. de Corrept. & gratia c. 12. vnde oportebat, vt daretur maius auxilium, quàm ipſis habitibus per ſe ſit debitum, ſcilicet auxilium præueniens, quod hominem excitet & corroboret; & hoc auxilium datur propter ſacramenta, per quæ chriſti merita ad varios effectus nobis applicantur, quæ ſunt cauſa meritoria omnium illorum auxiliorum.

Solutio notanda.

ARTICVLVS III.

Vtrum ſacramenta noua Legis contineant gratiam?

REſpondetur, Continent gratiam tamquam ſigna, & cauſę gratiæ.

12

Notandum eſt, hanc propoſitionem, *Sacramenta continent gratiam*, eſſe de fide. Eſt definita in concilio Florentino, & expreſſè in Tridentino ſeſſ. 7. can. 6. Significat autem Sacramenta non eſſe nuda, & arida ſigna, ſed fæcunda, vt quæ in ſeipſis gratiam tamquam cauſæ inſtrumentales contineant. Cùm enim contineant Chriſti merita, neceſſariò etiam continent gratiam illis meritis debitam. Ratione huius continentiæ dicuntur *Vaſa gratiæ* phraſi Scripturæ, quæ inſtrumenta vocat *Vaſa*; vt *Vaſa mortis* Pſalmo 7. id eſt, inſtrumenta, quibus Deus mortem infert: Pſalmo 70. *Vaſa Pſalmi*, id eſt, Pſalteria: Iudith 16. *Vaſa bellica*, id eſt, gladij & quæuis alia inſtrumenta.

Sacramenta dicuntur vaſa Gratiæ.

Vel dicuntur *Vaſa gratiæ*: quia ſicut pixis vnguẽtaria non habet à ſe medicamentum quo ſanet, ſed à medico; ita Sacramenta non ſua virtute ſanant, ſed virtute medicamenti impoſiti, id eſt, sãguinis & meritorum chriſti, quod medicamentũ chriſtus medicus in eis poſuit.

Hinc patet Calumnia hæreticorum, qui hunc modum loquendi traducunt, tamquam velimus ipſam gratiam reipſa eſſe in Sacramentis, ſicut liquor eſt in vaſe. Ita Caluinus lib. 4. Inſtit. diſt. 14. §. 17.

ARTICVLVS IV.

Vtrum in Sacramentis ſit aliqua virtus Gratiæ cauſatiua?

QVidam exiſtimant in Sacramentis eſſe aliquam vim ſupernaturalem creatam, quæ gratiæ, vel certè diſpoſitionis ad gratiam, ſit effectrix. Sed hęc ſententia paſſim ab omnibus reiicitur: tùm quia non videtur talis vis creata poſſibilis, præſertim quę poſſit inhærere ſono verborum; tùm quia nulla eſt diſpoſitio, ad quam neceſſariò ſequatur gratia, præter contritionem vel dilectionem Dei ſuper omnia, quæ ſunt actus vitales; vnde non poſſunt à cauſa externa immitti. Omitto alia. Vide quæ dicta ſunt ſuprà in materia de Incarnat. quæſt. 13. art. 2 dub. 1. 2. & 3. & Durandum diſt. 1. quęſt. 4. qui optimè hanc ſententiam refutat.

13 Visatur infra effectrix Gratiæ. Reijcitur

Alij cenſent non dari ſacramentis vim aliquam extrinſecùs; ſed ipſam materiam & formam, v. g. ablutionem externam, & ſonum verborum habere imò eſſe potentiam obedientialem actiuam ad producendam gratiam, & quidquis aliud, Deo ſingulari modo concurrente & cooperante.

14 Potentia obedientialis.

Sed hæc ſententia eſt noua, & ex parte refutata ſuprà qu. 13 eſtque contra communem Doctorum veterum, & etiam recentiorum ſententiam.

Præter rationes ſuprà allatas, probatur alijs & proprijs. Primò, Actio Sacramentorum eſt actio ſignorum; id enim efficiunt Sacramenta, quod ſignificant: vnde etiam fit, vt non efficiant, niſi completa ſignificatione. Atqui actio ſignorum non eſt per modum potentiæ actiuę realiter influentis, ſed per modum cauſæ moralis, ſcilicet mediante intellectu & voluntate eius, qui illa ſigna inſtituit: vt patet in illis ſignis, quibus conferuntur dignitates, dominia, poſſeſſiones; item in ſignis magicis. Ergo impertinens, & aliena à ratione Sacramenti eſt illa actio per ſonum materialem verborum; nam hęc actio non conuenit ſono, quatenus eſt ſignificatiuus, ſed ſono quatenus eſt ſonus quidam moralis. Confirmatur ex D. Auguſt. tractatu 80. in Ioannem, vbi ait, verbum Sacramentale operari, *non quia dicitur*, ideſt, non ſono externo, *ſed quia creditur*, id eſt, per rem ſignificatam.

Refutatur Rationib. 1. Ratio.

Secundò, Actio Sacramenti debet fieri per totum Sacramentum, ſcilicet per formam verborum, & materiam; atqui illorum ſententia ſolùm fit per ſonum vltimæ ſyllabę, vel per indiuiſibilem terminum illius ſoni, qui non eſt de ſubſtantia ſacramenti: ablutio autem & vnctio nunquam concurrit iuxtà illos, niſi ſimul in eodem inſtanti compleatur cum forma verborum; quod nunquam vel rariſſimè contingit: ergo ille modus operandi nõ eſt Sacramentalis. Reſpondent, Actionẽ per totũ Sacramentum cenſeri fieri, quia fit per vltimum terminum, vt habet ordinem ad omnia antecedẽtia. Sed contrà; Hoc nihil eſt aliud, quàm totum ſacramentum facere cauſam moralem, præter vltimum terminum, qui non eſt Sacramentum nec pars ſacramenti, iuxtà illorum ſententiam: ſicut terminus motus non eſt pars motus: vnde fruſtrà attribuitur illi actio propria & influxus realis.

2. ratio.

Tertiò, Id quod agit per influxum phyſicum, debet formaliter eſſe quid phyſicum & reale, totũ ſimul exiſtens, & præſens ſubiecto in quod agit. At Sacramentum formaliter eſt quid morale pen-

3 Ratio.

Digitized by Google

dēs ex lege diuina & inſtitutione extrinſeca, cuius materia & forma tum in ſeipſis fluxa ſunt, tum inter ſe poſſunt etiam tempore diſtare: vt patet tum in cæteris, tum in Pœnitentia & Matrimonio: & habent effectum in rem diſtantiſſimam; vt patet in contractu Matrimonij, & fortè etiam in Sacramento Pœnitentię; quæ omnia ſunt ſigna non habere influxum phyſicum.

4 Ratio. Quartò, Sacramenta ſunt inſtituta, vt per ea applicentur nobis chriſti merita; quæ, niſi ſic applicentur, effectum in nobis non habent, ſcilicet remiſſionem peccatorum & iuſtificationem: vnde chriſti merita dicuntur operari in Sacramentis & per Sacramenta, quia ex diuina ordinatione merita ijs annexa nobis applicantur; ſicut calor impreſſus aquę applicatur nobis per aquam, & eſt id quod in aqua & per aquam operatur in nobis. Atqui merita chriſti non ſunt cauſa gratiæ influxu phyſico, ſed morali; ſicut merita noſtra non ſunt cauſa augmenti gratiæ vel gloriæ influxu phyſico: ergo neq; Sacramenta, quę ſolùm operantur quatenus hæc merita applicant. Confirmatur: Quia alioqui Sacramenta perfectiori modo nos ſanctificarent, quam chriſti merita & ſacratiſſima Paſſio. quòd autem quidam dicunt, quòd Chriſti merita, etiam ſi præterita ſint, diuinitus poſſunt aſſumi vt inſtrumenta phyſica, quia aliquando realem exiſtentiam habuerunt, paſſim reijcitur tanquam contradictionem implicans. Nam vt aliquid realiter habeat influxum, debet habere eſſe reale; hoc enim omnibus ſupponitur; alioqui aliquid poſſet ſeipſum in eſſe primo producere.

5. Ratio. Quintò, Sacramenta ſæpè conferunt ſuos effectus, poſtquā deſierint eſſe: vt patet cùm quis baptizatus eſt in propoſito peccati mortalis, qui gratiam baptiſmi poſteà accipiet, quando de hoc peccato dolebit: quod eſt ſignum cauſalitatem Sacramentorum nō eſſe per realem influxum ipſorum. Similiter auxilium ſpeciale eſt etiam effectus Sacramentorum, quod tamen non confertur totum dum Sacramētum ſuſcipitur, ſed poſteà ſuis temporibus.

6. Ratio Sextò, Sacramenta dicuntur eſſe inſtrumenta humanitatis chriſti: atqui nō poſſunt eſſe inſtrumēta phyſica, quia potentia obedientialis nulli creaturę eſt ſubiecta; non enim poteſt vna res creata alteram effectiuè eleuare ad productionem effectus ſupernaturalis, quia non poteſt ei concurſum ſupernaturalem ſuppleres; hic enim concurſus eſt cauſa principalis ſupplens id quod inſtrumento deeſt. Reſpondeo igitur, Probabilius videri Sacramenta non habere virtutem aliquam creatā, qua gratiam conferant, nec ipſam actionem materialem, aut ſonum verborum habere influxum realem in effectum Sacramenti: ſed duplicem in ſacramentis eſſe virtutem gratię productiuam.

15

Sacramenta cauſant gratiam, moraliter per merita chriſti, phyſicè per virtutem diuinam aſſiſtentem.

Prior eſt moralis, ſcilicet Chriſti meritum, quod ipſe ſingulis ſacramentis attribuit, vt per ea nobis applicetur. Sunt enim ſacramenta veluti vaſa quædam plena Chriſti ſanguine & merito, cuius virtute nos ſanctificant; vnde non ſunt nuda ſigna, ad quorum præſentiam Deus ſanctificet, ſed ſimul repręſentant, & reipſa exhibent ipſum pretium: vnde ab huiuſmodi ſignis differunt, ſicut burſa auro plena à chyrographo; & ſicut chyrographum cum Hypotheca à chyrographo nudo. Altera eſt virtus Dei increata intimè præſens Sacramentis, quæ in ipſis, & per ipſa operatur. Nec obſtat quod hæc virtus ſit in omnibus rebus: quia non eſt in omnibus determinata ad conferendam gratiam, ſed in ſolis ſacramentis: vnde in cæteris ſe habet, ac ſi in eis non eſſet: in ſacramentis autem ſe habet tanquam in illis verè & propriè exiſtens, ſicut propria illorum virtus. Hoc videtur ſignificare D. Auguſt. cùm ait Tract 80. in Ioan. *Vnde tanta virtus aquæ, vt corpus tāgat, & cor abluat, niſi faciente verbo, nō quia dicitur, ſed quia creditur? nam & in ipſo verbo aliud eſt ſonus tranſiens, aliud eſt virtus manens.* Hæc *virtus manens* non videtur alia, niſi *virtus diuina*, vel certè *virtus meritorum chriſti*. Nec obſtat, quòd hanc potiùs aſſignet *verbo*, quàm *elemento*; quia non operatur hæc virtus, niſi *verbo accedente ad elementum, fiat ſacramentū*, vt ipſe ait. Idem confirmatur ex alijs Patribus: cyrillo Ieroſolymitano catheceſi 3. Illuminatorum, *Aqua*, inquit, *ſimplex, per inuocationem Trinitatis virtute accepta ſanctitatem conſequitur*; quod non poteſt intelligi de virtute creata, nec de potentia obedientiali, quę ſemper adeſt; ſed de virtute diuina, vel meritis chriſti. Chryſoſtomus homilia 25. in Ioannem ait, Baptiſmum eſſe plenum poteſtatis & gratiæ, & purgare peccata. Hieronimus Dialogo contra Luciferianos, *Neq; eſt aqua*, inquit, *quæ lauat animam, ſed priùs ipſa lauatur à Spiritu S. vt alios lauare ſpiritaliter poſſit*, ſcilicet dū virtutem ex chriſti meritis concipit D. Auguſt. tū alibi, tum lib. 19. contra Fauſtum c. 17. *Aqua & omnis illa actio corporalis quæ agitur, tum cùm baptizamus, fit & tranſit; virtus tamen, quæ per ipſa ea opera operatur, ingiter manet, & donum ſpirituale æternum eſt*: vbi videtur loqui de virtute meritorū chriſti. Cyrillus Alexandrinus lib. 2. in Ioan. cap. 42. *Quemadmodum viribus ignis aqua intenſiùs calefacta, non aliter vrit, quàm ipſe ignis; ſic Spiritus ſāctificationis, aqua, qua baptizati corpus aſpergitur, reformatur ad diuinam virtutem & potentiam.* D. Leo ſermone 4. de Natiuitate, *Eodem Spiritu ſācto repleri fontem baptiſmatis, vt ex eo homo regeneretur, qui replenit vterum Virginis, vt chriſtus conciperetur.* Beda in 3. c. Lucæ; *Aquā ex contactu carnis Chriſti vim regenerationem accepiſſe.*

Auguſt. Confirmatur ex Patribus. Cyrill. Chryſoſt. Hieron. Auguſt. Cyrille Alex. Leo. Beda.

Sed contrà. Obijcitur Primò, Si Sacramenta non conferunt per ſe influxum aliquem realem in gratiam, ſed ſolus Deus: ergo non propriè dicentur *ſanctificare, mundare, viuificare*, ſicut Patres loquuntur; neq; *cauſare, conferre gratiam*, vt Concil. Tridentinum & Florentinum loquuntur: erunt enim dumtaxat *conditiones ſine quibus non* iuſtificamur, vt vult Durandus. 16

Reſpondeo Negando Conſequentiam; Quia etiam Chriſti meritum, eiuſque ſanctiſſima Paſſio *nos ſanctificat, mundat, lauat, gratiam conferit*; & tamen non habet influxum phyſicum. Similiter Chyrographum eſt cauſa ſolutionis; pacta ſunt cauſę multarum actionum; & tamen ſine influxu phyſico: nam cauſa moralis, & cauſa ſuo modo applicans principale agens, verè & propriè dicuntur cauſæ. Sacramenta igitur rectè dicuntur *Cauſare gratiam, & ſanctificare*, quia tanquam cauſæ morales efficaciter nobis applicant Chriſti merita; ac proinde mouent Deum, vt gratiam conferat, idq; infallibili lege, & abſq; vlla mora. Item applicant diuinam virtutem intimè præſentē ad cauſandum, perinde ac ſi in eis eſſet virtus creata per ſe ſubſiſtens quam applicarent. Hoc tamen totum pendet ex pacto & immutabili ordinatione Dei vbique præſentis; qui, vt eſt in vna re, poteſt ſe determinare ad aliquid operandum in homine, quod non facit vt eſt in altera.

Verè & propriè gratiam cauſant.

Obijcitur Secundò, Patres dicunt eſſe valdè mirabile, quod Deus per infimas creaturas noſtram ſalutem operetur. Inſinuant igitur res illas infimas realem influxum habere, alioqui non eſſet mirabile.

Saluantur locutiones SS. PP.

Reſpondeo, Patres totùm intendunt id quod fides docet; ſcilicet nos per Sacramenta ſaluari, abſtrahendo à modo quo hoc fit. Vere enim mirabile eſt Deum noſtram ſalutem ita rebus infimis alligaſſe, vt ſine illis ſalui eſſe nequeamus, per illas ſtatim ſaluemur: cuius exemplum manifeſtiſſimum eſt in paruulis moribundis. Dicimur autem per illa ſaluari, non quòd virtus diuina per illa diffundi debeat; aut quòd proprium influxum habeant ſub Deo; ſed quia neceſſariò debent interuenire, vt Deus gratiam conferat. Ratio eſt, Quia Deus non ſtatuit nos iuſtificare, niſi propter Chriſti merita nobis applicata: quæ applicatio fit per Sacramenta, & ita per Sacramenta nos ſaluat.

Excellẽtia Sacramẽtorum in quo conſiſtat.

Obijcitur Tertiò, Pertinet ad maiorem excellentiam noſtrorum Sacramentorum, & maiorem commendationem diuinæ potentiæ, ſi dicantur phyſicè influere: ergo hoc eſt dicendum.

Reſpondeo, Excellentia Sacramentorum non eſt æſtimanda ex phyſica aliqua ſeu reali perfectione, ſed morali: ſumma autem excellentia moralis eſt, quòd contineant pretium noſtrę ſalutis, id eſt, Chriſti ſanctiſſima merita, eiuſque veluti ſanguinem pro nobis effuſum; & hæc nobis efficaciter applicent noſtraque efficiant; & ſic infallibili lege ſanctificent. Adde, eos, qui ponunt hãc cauſalitatem phyſicam, nihil addere ipſis Sacramentis; nec vllam dare tenuem formalitatem, niſi forte relationem quamdam reſultantem ex actione; quæ relatio, ſi eſt, parui eſt momenti: nam eſt poſterior ratione Sacramenti, cùm per accidens reſultet ex actione.

ARTICVLVS V.

Vtrum Sacramenta nouæ legis habeant virtutem ex chriſti Paſſione?

REſpondetur Affirmatiuè. Eſt fide tenenda. Patet ex dictis ſuprà de Chriſti merito: vbi oſtenſum eſt remiſſionem peccatorum & iuſtificationem eſſe ex Chriſti meritis: atqui hæc conferuntur per Sacramenta: ergo. Vide Concil. Trident. ſeſſ. 6. cap. 3. & 7. In huius ſignum ex latere Domini fluxit aqua & ſanguis, quæ ſunt ſymbola Baptiſmi & Euchariſtiæ, nempe præcipuorum Sacramentorum. Vnde Patres paſſim docent ex Chriſti latere fluxiſſe Sacramenta. Ita D. Auguſtinus lib. 15. de ciuitate cap. 26 Chryſoſtomus homilia 84. in Ioannem, & alij. 17

D. Thom. explicatur

Notandum eſt circa rationem, qua D. Thomas probat hanc veritatem: *Sacramentum* (inquit) *eſt inſtrumentum diuinitatis ſeparatum, humanitas autẽ cõiunctum: atqui virtus ab inſtrumento coniuncto deſcendit ad inſtrumentum ſeparatum: Sicuti ab anima per manũ deſcendit vis in baculum, gladium &c. ergo omnis virtus ſalutifera Sacramentorum deſcẽdit à diuinitate per humanitatem Chriſti in ipſa Sacramenta.* Quæ ratio eſt valdè bona, ſi intelligatur de virtute & cauſalitate morali, vt explicuimus: nã humanitas Chriſti eſt cauſa meritoria noſtræ iuſtificationis, quæ merita nobis applicantur per Sacramenta: vnde Sacramenta ſunt inſtrumenta humanitatis chriſti, quatenus humanitas per ipſa nobis applicat ſua merita: ſicut humanitas eſt inſtrumẽtum diuinitatis, quatenus diuinitas nos per carnem aſſumptam ſibi reconciliauit.

ARTICVLVS VI.

Vtrum ſacramenta veteris Legis gratiam cauſarint?

De quo vide D. Thomam, & infrà q. 70.

QVÆSTIO LXIII.

De effectu Sacramentorum, qui eſt Character.

In Sex Articulos diuiſa.

ARTICVLVS I. & VI.

Vtrum ſacramenta imprimant Characterem; & quænam ex illis?

HÆretici noſtri temporis negant, & ridẽt Characterem; ſicuti Ioannes Vvicleff l. 4. ſui Trialogi, contra quem agit Thomas Vvaldenſis tomo 2. c. 109. & 110.

1 Per quæ ſacramẽta imprimi characterem, eſt de Fide.

Reſpondeo & Dico Primò, Fide tenendum eſt, quibuſdam Sacramentis imprimi quoddam ſignum ſpirituale & indelebile animis noſtris, diſtinctum à gratia gratum faciente, & ab externo Sacramento, quod recte dicitur Character.

Probatur Primò, Nam hæc veritas definita eſt ab Innocentio III. capitulo *Maiores*, de Baptiſmo & eius effectu: & traditur à Concilio Florentino in inſtructione Armenorum, tamquam doctrina Eccleſiæ: *Inter Sacramenta tria ſunt, Baptiſmus, Confirmatio, & Ordo, quę Characterem, id eſt, ſpirituale quoddam ſignum à cæteris diſtinctiuum imprimunt in anima indelebiliter.* Et Cõcilio Tridentino ſeſſ. 7. can. 9. *Si quis dixerit in tribus Sacramentis, ſcilicet Baptiſmo, Confirmatione, & Ordine, non imprimi characterem in anima, id eſt, ſignum ſpirituale & indelebile, vnde ea reiterari non poſſint, Anathema ſit.*

Probatur Secundò ex Scripturis; 2. ad Corinthios 1. verſ. 22. *Qui vnxit nos Deus, qui & ſignauit nos, & dedit pignus ſpiritus in cordibus noſtris*: hîc cùm vnctio ad gratiam pertineat, neceſſe eſt ſignationem ſeu ſigillationem ad Characterem pertinere. Et confirmatur ad Epheſios 4. v. 30: *Nolite cõtriſtare Spiritum ſanctum Dei, in quo ſignati eſtis in die redemptionis*; Græcè eſt, *ſigillati*.

Probatur Tertiò ex Patribus, & potiſſimùm ex S. Auguſtino, qui clariùs cæteris hanc veritatem docet lib. 6. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 1. *Quem, quę foris erabat, & foris recipiebat Dominicum characterem, redeuntem corrigimus; ſed characterem nõ improbamus Dominicum in ea, quem characterem multi lupi multis lupis inſigunt*: vbi *character* diſtinguitur à gratia, quæ non infigitur lupis; & ab ipſo Sacramẽto externo, quia hoc in ſe non infigitur, ſed ſtatim tranſit. Et lib. 2. contra Epiſtolã Parmeniani cap. 13. ait, *Sanctitatem Sacramentorum eſſe in perueſis hominibus, ſiue intus,* Auguſtin.

Digitized by Google

ſine foris, impoluta & inuiolabilè permanere: Quod non poteſt intelligi de gratia; neque etiam de externo sacraméto, quia hoc non permanet; ſed neceſsariò intelligitur de *charactere*, quem *characterem* vocat sacramenti ſanctitatem, quia per illũ diuino cultui dedicamur, & à Sacramento efficitur. Ibidem. *An* (inquit) *minùs inhærit chriſtiana ſacramenta, quàm corporalis hæc nota?* (ſcilicet nota militaris.) Et lib. 1. de Baptiſmo cap. 1. ait, Baptiſmum & Ordinem numquam amitti, ſed vtrumque in malis permanere, ſcilicet ſecundùm ſuum effectum, qui eſt *character*. Ibidem ait malos ſemper gerere ſacramẽtum ſuę ordinationis. Lib. 2. contra epiſt. Parmeniani cap. 13. dicit Ordinem & Baptiſmum non poſſe iterari, quia vtrũque *quadam conſecratione homini datur*, id eſt, quadam interna ſanctificatione, qua homo conſecratur diuino cultui. Ex his patet hoc ſignum rectè vocari *characterem*, quia eſt inſtar notæ cuiuſdam diſtinctiuę, per quam ad certum aliquod munus deputamur, qualis eſt nota militaris.

2 Per tria tantùm ſacramenta character imprimitur.

Dico Secundò, Tria tantummodò Sacramenta characterem imprimunt, Baptiſmus, Confirmatio, & Ordo. Patet ex concilijs citatis. Ratio eſt, quia per hæc Sacramenta homo deputatur ad actus quoſdam religionis extra ipſum sacramentum obeundos: ſed hæc deputatio fieri debet non ſolùm per externam denominationem, ſed per alicuius qualitatis conuenientis impreſſionem, alioquin non eſſet perfectior, quàm deputatio militis ad bellum, & ducis ad ſuum officium; quod non eſt conſentaneum potentiæ Chriſti, & perfectioni legis nouę. Et confirmatur, quia ſicut Deus, cùm diligit, facit hominem interiùs bonum, & cùm vult ab illo diligi, tribuit interius poteſtatem diligendi: ita cùm aliquem deputat ad aliquid, tribuit etiam illi aliquid quo deputetur; præſertim quando hoc paſſim ad omnes pertinet: hęc enim eſt differentia inter Deum & homines, quòd hominum dilectio & deputatio ſit inefficax; Dei verò ſit efficax.

ARTICVLVS II.

Virum Character ſit ſpiritalis poteſtas?

3 Affirmatur.

OMiſſis opinionibus, Reſpondeo, characterem eſse quamdam potentiam ſpiritalem actiuam vel paſſiuam, non phyſicè, ſed moraliter. Quòd ſit potentia quędam, docet D. Thomas hoc loco, & plerique Doctores, Albertus, Bonauentura, Gabriel diſt. 6. Quòd autem non ſit actiua phyſicè, patet ex dictis de cauſalitate Sacramentorum. Et confirmatur, quia miniſter non producit immediatè gratiam, ſed ſolùm mediante Sacramento. Denique quod moraliter ſit actiua vel paſſiua, probatur: Quia eſt qualitas, ſeu ſignum ſpiritale, cum quo Deus conſtituit concurrere ad alia Sacramenta ſuſcipienda vel conferenda. Quod ſic patet; nam per Baptiſmum homo aggregatur familiæ Chriſti, vnde Deꝰ imprimit animæ quandã ſpiritalem notã, quæ primò, eſt magnum animę ornamentum & veluti inſignę familiæ Chriſti. Secundò, per ipſum diſtinguitur ab alijs, qui non ſunt de Chriſti familia. Tertiò, tribuit hęc nota ius percipiendi reliqua Chriſti munera, quæ propria ſunt domeſticorum. Quartò, Deus quodammodò ſe obligat per illam ad hominem ſingulari modo iuuãdum, & ad reliqua ipſius dona ritè ſuſcipiendà: & hoc modo poteſt dici potentia paſſiua, quia per eam redditur idoneus ad reliqua Sacramenta.

character Baptiſmi.

Per Confirmationem homo efficitur veluti Chriſti miles, ad intrepidè eius fidem coram aduerſarijs profitendã: vnde imprimitur illi veluti nota quædam militaris, quæ primò, eſt magnum animæ ornamentum, & veluti inſigne militum Chriſti. Secundò, diſtinguitur per eam ab alijs nondum ad Chriſti militiam adſcriptis. Tertiò, quia per illam Deus quodammodò ſe obligat ad prębẽdum auxilium, & robur neceſsarium ad fidei profeſſionem; & hoc modo poteſt dici potentia actiua. character confirmationis.

Denique per Ordinem homo efficitur veluti dux militię chriſtianæ, vel potiùs efficitur particeps ſacerdotij Chriſti, ad conficienda conferendaque Sacramenta; quæ ſunt primariæ functiones ſacerdotij Chriſti: vnde infigitur animæ nota quædam ſpiritalis, per quam ad hoc munus deputetur; quæ ſimiliter animam exornat, ab alijs diſtinguit; & Deum obligat quodammodò, vt in functionibus Sacramentalibus ſua omnipotentia concurrat; & hoc ſenſu dicitur potentia actiua: habenti enim hoc ſignum ſpiritale, ex diuina ordinatione debetur concurſus ſupernaturalis ad Sacramentorum functiones. character Ordinis.

Huic explicationi fauent Concilia, quæ hunc characterem vocant *Signum ſpirituale*; quo verbo ſatis indicant non habere vim agendi vel patiendi, niſi per modum ſigni aut pacti. D. Auguſtinꝰ comparat illum vbique characteri militari, qui non eſt actiuus phyſicè, ſed ſolùm ornat, diſtinguit, & ius tribuit ad functiones militares. Hinc patet, in qua ſpecie qualitatis ſit *character*: non enim eſt in ſecunda ſpecie, vt quidam ex D. Thoma tenent; quia non eſt vis agendi vel patiendi more naturali: ſed in prima, eſt enim habitus quidam animi, non operans, ſed exornans, & benè afficiens, & quodammodò ad gratiam diſponens; ſicut gratia, multorum ſententia, eſt in animæ eſſentia, ipſam exornans & Dei-formem efficiens. In quaſpecie qualitatis, ſit character.

ARTICVLVS III.

Virum Character Sacramentalis ſit character Chriſti?

4

REſpondeo, Dicitur character Chriſti, ſicut nota militaris dicitur character ducis, & nota famulorum eſt character Domini: per characterem enim Baptiſmi adſcribimur Chriſti familiæ; & accipimus ius ad fruendum bonis, quæ in domo eius ſunt; id eſt, ad alia Sacramenta percipienda. Per characterem Confirmationis efficimur Chriſti milites. Per characterem Ordinis efficimur participes eius ſacerdotij. Simili ferè modo Antichriſtus ſeruos ſuos certo quodam charactere ſignabit, Apocal. 13. & 16.

Sed aduerte, quòd character Ordinis nos aſſimilet Chriſto in poteſtate muneris ſacerdotalis, quã poteſtatẽ Chriſtus non habet per characterem, ſed per vnionem hypoſtaticam. Sicut Præfectus prætorii per inſigne acceptum ab Imperatore, aſſimilatur Imperatori in poteſtate regendi, qui hanc poteſtatem habet non per aliqua inſignia, ſed primario iure. Character autem Baptiſmi & Cõfirmationis non propriè nos aſſimilat Chriſto; ſicut nec miles per ſuum inſigne aſſimilatur Imperatori, nec ſeruus Domino; ſed alio ſenſu dicuntur Chriſti character, quia nos de fa- Aſſimilat nos chriſto.

milia & militia Chriſti efficiunt, redduntque idoneos ad functiones ſacerdotij eius excipiendas.

ARTICVLVS IV.

Virum Character ſit in Potentijs Animæ ſicut in ſubiecto?

5 Scotus. SCotus diſt. 6. qu. 11. putat Characterem eſſe in voluntate. Ratio eſt, quia gratia eſt in voluntate; Character autem eſt diſpoſitio ad gratiam. D. Thomas autem hic ad 3. cum ſuis, putat eſſe in intellectu. Ratio ipſius eſt, quia character eſt poteſtas recipiendi vel conferendi ſacramenta: ſed recipere vel conferre Sacramenta eſt proteſtatio fidei, fides autem in intellectu: ergo character eſt in intellectu.

D. Thomas.

Eſt in eſſentia Animæ. Sed verius eſt eſſe in ipſa Animæ eſſentia. Ita Gabriel diſt. 6. qu. 2. art. 3. Marſilius qu. 4. artic. 1. & alij plerique. Probatur Primò, Quia non poteſt eſſe in intellectu vel voluntate: ergo debet eſſe in eſſentia. Antecedens probatur, quia nihil eſt in intellectu, quod non iuuet ad intelligendũ; alioquin ibi eſſet fruſtrà: atqui character non iuuat ad intelligendum: ergo non eſt in intellectu, Maior probatur, Quia, quidquid eſt in intellectu, eſt ibi vt perficiat intellectum, vel ex parte potẽtiæ, vt lumen & habitus ſciẽtiarum; vel ex parte obiecti, vt ſpecies intelligibiles. Imò valdè probabile eſt, intellectum non eſſe alterius qualitatis capacem, cùm tota eius eſſentia conſiſtat in inclinatione ad actum intelligendi. Atqui character nec eſt habitus intellectiuus, nec ſpecies intelligibilis. Similiter in voluntate nihil ponitur, niſi quod inclinet ad functiones voluntatis, & perficiat eius pondus in obiectum: atqui character non inclinat voluntatem in aliquod obiectũ. Probatur ſecundò: quia concilia dicunt characterem imprimi animæ, non autem intellectui & voluntati. Quod confirmatur; quia ipſa animæ eſſentia eſt, cui primò conuenit *deputari, ornari, diſtingui*, quod fit per *Characterem*. Probatur tertiò, quia oſtenſum eſt, characterem non eſſe vim aliquam operatiuam phyſicè, ſed ſolum moraliter inſtar ſigni, ac proindè non debet poni in potentia.

6 Reſponſio ad rationes Scoti & D. Thomæ. Ad rationem Scoti; Reſpondeo, Donum illud, quod peculiariter vocatur gratia, non eſſe in voluntate, ſed in eſſentia animæ; vt multis probari poteſt: vnde commodiùs character ponitur in animę eſſentia, tamquam pręparatio ad gratiam. Deinde, eſto ſit gratia in voluntate, non tamen ideò character ibidem eſſe debet; quia character non eſt phyſica diſpoſitio, ſed ſolùm moralis, ſicut fides eſt diſpoſitio ad gratiam: talis autem diſpoſitio non debet eſſe in eadem potentia, in qua forma, ad quam diſponit.

Ad rationem D. Thomæ facilis eſt reſponſio; Multis enim actibus profitemur fidem, qui non eliciuntur ab intellectu; vt ieiunio, martyrio, & multis alijs actibus religionis, qui actus non ſunt ab intellectu, niſi vt à dirigente. Simili modo functiones Sacramentales non ſunt ab intellectu, niſi eo modo, quo omnes aliæ actiones ſacræ & profanæ. Accedit, quòd character non concurrat phyſicè ad receptionem vel collationem Sacramentorum, vt dictum eſt, ac proinde non debeat poni in aliqua potentia.

ARTICVLVS. V.

Virum character inſit Animæ indelebiliter?

7 REſpondetur; Fide tenendum eſt, eſſe indelebiliter in Anima.

Affirmatur. Probatur Primò, Ex definitione concilij Tridentini & Florentini ſuprà. Idem docet D. Auguſt. l. 3. contra epiſt. Parmeniani cap. 13. *An fortè minùs hærent chriſtiana Sacramenta, quàm corporalis nota?* Ratio eſt, quia eſt in eſſentia animæ, quę eſt incorruptibilis, & caret contrario tam moraliter quam phyſicè: Phyſicè quidem, quia inter participationes diuinarum perfectionum nulla poteſt eſſe repugnantia: Moraliter etiam non habet contrarium, ſicut gratia habet; quia character poteſt conſiſtere cum quouis peccato.

quomodo ſit diſpoſitio ad gratiam. Dices, Eſt diſpoſitio ad gratiam: ergo tolletur per ea peccata, quibus homo ſe reddit prorſus indiſpoſitum. Reſpondeo non eſt diſpoſitio proprièdicta: ſed dicitur diſpoſitio, quia eſt magnũ animæ ornamentum, ratione cuius homo aptior & propinquior eſt gratiæ, quàm nudè conſideratus.

Probatur Secundò, quia character eſt conſecratio quædam ad diuinum cultum; omnis autem conſecratio durat, quamdiu res manet integra: patet in calicibus, altaribus, templis.

Probatur Tertiò, quia eſt quædam participatio ſacerdotij Chriſti, vel capacitas ad eius functiones recipiendas: atqui Chriſtus eſt ſacerdos in æternum.

8 Manet poſt hanc vitam. Petes, An maneat poſt hanc vitam. Reſpondeo, Non eſſe omnino certum. Facilè enim Deus poteſt ſubtrahere influxũ ſuum characteri in dãnatis, ſicut fidei; nam concilia poſſunt exponi de indelebilitate in hac vita. Tamen longè probabilius eſt & verius, manere; quia Deus rei ex ſe incorruptibili non ſubtrahit influxũ, niſi id aliqua cauſa vel diſpoſitio contraria poſtulet: ſed nulla eſt talis diſpoſitio in damnatis; ſecùs eſt de fide; nam damnati eliciunt actus contrarios, ob quos etiam in hac vita perit fides. Manet igitur character poſt hanc vitam, in bonis ad gloriam, in impijs ad dedecus & ſignum ingratitudinis; ſicut in militibus poſt pugnam manet character, ita vt victoribus ſit honori, victis ignominiæ. Inſinuat D. Auguſt. lib. 2. contra epiſt. Parmen. cap. 13.

Digitized by Google

QVÆSTIO LXIV.
De Miniſtro Sacramenti.

In Decem Articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Vtrum ſolus Deus operetur interius ad effectum Sacramenti?

1 RESpondetur; Solus Deus operatur interiorem effectum Sacramenti, vt agens principale: Miniſter autem, per modum inſtrumenti. Vbi

Miniſter nos verè Deo reconciliat.

Notandum Primò, Contra Hæreticos huius temporis, Miniſtrũ Sacramenti reconciliare nos Deo, & remittere peccatum, non ſolùm tanquã concionatorem, ſed per veram poteſtatem miniſterialem. Patet hoc Matth. 16. v. 10. *Tibi dabo claues regni cælorum, quęcumque ligaueris ſuper terrã, erũt ligata & in cælis.* & Matth. 18. v. 18. *Quæcumque ligaueritis ſuper terrã, &c.* Quæ verba non poſſunt intelligi de concione; quia quiuis valens concionari, poteſt ſic remittere peccata. Ioannis 20. v. 22. *Inſufflauit* in diſcipulos ſuos, *& dicit eis; Accipite Spiritum ſanctum, quorũ remiſeritis peccata, remittuntur eis; & quorũcumque retinueritis, retenta ſunt. Quo tam inſigni facto* (inquit Concil. Tridẽt. ſeſſ. 14. cap. 1.) *& verbis tam perſpicuis, poteſtatẽ remittendi & retinendi peccata, ad reconciliãdos fideles poſt Baptiſmum lapſos, Apoſtolis & eorũ legitimis ſucceſſoribus fuiſſe communicatã, vniuerſorum Patrum conſenſus ſemper intellexit.* Ratio eſt; Quia Sacramenta conferunt gratiam ex opere operato, vt ſuprà oſtenſum eſt. Atqui miniſter eſt cauſa Sacramẽti, ſcilicet ſecundariâ & miniſterialis: ergo ſimili modo eſt cauſa gratiæ. Vnde

Non autem eius character.

Notandum Secundò, Miniſtrum non eſſe cauſam gratiæ aut remiſſionis peccatorum, niſi mediante Sacramento, quatenus nimirum illud cõficit & applicat; contra quoſdam, qui imaginantur characterem habere immediatum influxum in animam eius, cui confertur Sacramentum. Patet ex D. Auguſtino lib. 4. de Baptiſmo cap. 22. Sacramentum (inquit) *miniſtrorum operâ corporaliter adhibetur; ſed Deus per illud, hominis conſecrationem ſpiritaliter operatur.* Et lib. 3. contra literas Petiliani Donatiſtæ cap. 54. *Ad diſpenſandum & miniſtrandum verbum ac Sacramentum, aliquid eſt,* (miniſter ſcilicet): *ad mundandum verò ac inſtificandum, non eſt aliquid, quia hoc non operatur in interiore homine, niſi per quem creatus eſt ipſe homo:* Intellige, non operatur immediatè, ac proprio influxu, ſed benè mediate.

ARTICVLVS II.

Vtrum ſacramenta ſolum ſint ex inſtitutione diuina?

2 NOtandum eſt; Quoſdam exiſtimaſſe, non omnia Sacramenta eſſe immediatè à chriſto inſtituta; ſed Confirmationem ſub hac Materia & forma inſtitutam à Concilio Meldenſi circa annum Domini 845. Ita Halenſis 4. parte qu. 24. membro 1. quem ſequitur Bonauentura in 4. diſt. 7. q. 1. Et Magiſter diſt. 23. videtur ſentire extremam Vnctionem inſtitutam a b. Iacobo; quamuis poſſit hoc benignè explicari, *inſtitutam* pro *promulgatam.*

Omnia Sacramenta nouæ legis ſũt à chriſto immediatè inſtituta.

Dico Primò, Fide tenendum eſt, omnia Sacramenta nouæ legis immediatè à Chriſto domino eſſe inſtituta. Eſt definita in Concil. Tridentino ſeſſ. 7. can. 1. *Si quis dixerit ſacramenta nouæ legis non fuiſſe omnia à Chriſto inſtituta, Anathema ſit.*

Dices; Hoc intelligendum generatim de inſtitutione mediata vel immediata: quod enim Apoſtoli, vel Concilia inſtituerunt, a Chriſto cenſetur inſtitutum. Sed contra: Primò, Quia nemo de tali inſtitutione potuit dubitare. Secundò, Quia Concil. Trident. ſeſſ. 14. can. 1. de extrema Vnctione hanc reſponſionem excludit, definiens extremam Vnctionem a Chriſto domino eſſe inſtitutam & ab Apoſtolo Iacobo promulgatam: vbi Apoſtolo relinquit ſolùm nudã promulgationem, Chriſto tribuens immediatam inſtitutionem. Idem potiori iure ſentiendum de Confirmatione, quia eſt Sacramentum perfectionis imprimens characterem. Tertiò, Quia eodem modo Chriſtus diceretur inſtituiſſe omnes cæremonias Eccleſiæ; quia ſaltem mediatè inſtituit per Eccleſiam, cui hanc auctoritatem dedit: quod tamen negat Concil. Tridentinum ſeſſ. 21. c. 2.

Rationes congruentiæ.

Nunc Probatur aliquod Rationibus. Prima, cùm Sacramenta ex vi ſuę inſtitutionis conferant gratiam, oportebat vt immediatè ab ipſo auctore gratiæ inſtituerentur. Secunda, Sacramenta veteris legis omnia fuerunt immediatè à Deo inſtituta; multò ergo magis ſacramẽta nouæ legis, quæ infinitis partibus ſuperant vetera. Tertia, Quia chriſtus eſt auctor nouæ legis: ergo & Sacramentorum eius, quæ ſunt veluti præcipuę baſes, quibus lex noua, & forma reipublicæ chriſtianæ conſtat. Quarta, Ceremoniæ & ritus ab Apoſtolis inſtituti, poſſunt ab Eccleſia mutari: vt expreſsè docet Concil. Tridentinum ſeſſ. 21. cap. 2. de communione ſub vtraque ſpecie: atqui nullius Sacramẽti materia, forma, aut virtus poteſt ab hominibus mutari; vt ibidem inſinuat Concilium: ergo nullum Sacramentum inſtitutum eſt ab hominibus. Quinta, Fauet ſcriptura 1. ad Corinth. 4. verſ. 1. *Sic nos exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei.* Vnde Ambroſius lib. de 4. Sacramẽtis cap. 4. *Auctor ſacramentorum quis eſt, niſi Dominus Iesvs?*

Inſtituit ea qua homo poteſtate excellentiæ.

Dico Secundò, Chriſtus eſt auctor Sacramentorum per naturam humanã, ſeu per poteſtatem excellentiæ, quam habebat in natura humana ex vnione ad perſonã Verbi. Probatur primò, quia per naturam humanã ſatisfecit pro peccatis noſtris, & omne bonum ſpiritale nobis promeruit; vt patet ex ſuprà dictis de merito Chriſti. Atqui per ſacramenta applicantur nobis Chriſti merita: ergo conueniens erat per eamdem naturam Sacramenta inſtituere. Secundò, quia ſacramentorum inſtitutio pertinet ad munus Sacerdotij chriſti; nam per Sacramenta nos ſanctificat: atqui chriſti eſt Sacerdos per naturam humanam: ergo &c. Tertiò, Quia chriſtus per naturam hu-

Digitized by Goo

manam habebat auctoritatem remittendi peccata, & ſanctificandi homines, etiam abſque Sacramento: vt patet Matthęi 9. v. 6. & Marci 2. v. 10. *Vt ſcitis, quia filius hominis habet poteſtatem in terra remittendi peccata, &c.* ergo etiam poterat externa ſigna inſtituere, quorum applicatione homines ſanctificarentur.

ARTICVLVS III.

Vtrum Chriſtus vt homo habuerit poteſtatem operandi interiorem effectum Sacramentorum?

4 REſpondetur, Chriſtus quà Deus habet poteſtatem auctoritatis: quà homo habet poteſtatem excellentis miniſterij, reſpectu interioris effectus Sacramenti.

Poteſtas Auctoritatis, & excellentis miniſterij

Vbi nota, Poteſtatem Auctoritatis, eſſe poteſtatem cauſæ principalis, non dependẽtis ab vlla ſuperiore, quę poteſtas eſt ſolius diuinitatis. Poteſtas autẽ excellentis miniſterij conſiſtit in quatuor, iuxtà D. Thomam. Primò, Quòd ab eius meritis Sacramenta omnem vim acceperint. Secundò, Quòd in eius nomine conſecrentur. Tertiò, Quod ipſe ſolus ea potuerit inſtituere. Quartò, Quòd abſque Sacramentis poſſit cõferre gratiam, etiam vt homo. Vide dicta ſuprà de Incarnatione qu. 22. ar. 6. dubio 1. vbi paulò plenius hanc poteſtatem explicuimus; cõprehendentes hæc quatuor ſub ſecunda parte huius poteſtatis.

ARTICVLVS IV.

Vtrum potuerit Chriſtus ſuam poteſtatem miniſtris communicare?

5 REſpondetur; Poteſtatem Auctoritatis non potuiſſe alicui communicare; quia eſt ipſi propria ſecundùm diuinitatem. Poteſtatem autẽ excellentis miniſterij potuiſſe communicare.

Aduerte tamen, non decuiſſe vt reipsâ hęc Poteſtas excellentis miniſterij alicui cõmunicaretur; tùm, ne eſſent duo ſumma Capita in Eccleſia eiuſdem generis, habentia parem poteſtatem: tum, ne in alio quàm in ipſo ſpem noſtram collocaremus.

Sancti potuerunt Indulgentias mereri non Sacramenta.

Dices, Merita Sanctorum operantur in Indulgentijs vnà cum meritis Chriſti: cur non ſimiliter in Sacramentis? Reſpondeo, eſt diſpar ratio. Primò, Quia Sacramenta ſunt fundamenta religionis, & radices meritorũ quæ ſunt in Sanctis; vnde oportebat vt ex ſolo fonte gratiæ Chriſto vim haberent. Secundò, Quia Sancti non potuerunt alijs mereri ex condigno gratiam & remiſſionem culpæ, qui eſt effectus Sacramentorum: potuerunt tamen remiſſionem pœnæ tẽporalis, qui eſt effectus Indulgentiarum.

ARTICVLVS V.

Vtrum per malos Miniſtros poſſint Sacramenta conferri?

6 Donatiſtę & alij negant. NOtandum eſt, Hîc agi de malis miniſtris Catholicis; nã de hæreticis agitur articulo 9. Donatiſtæ ſenſerunt ſacerdotes, qui eſſent manifeſtè peccatores, carere omni poteſtate adminiſtrandi Sacramenta; & ideò, ſi attentent, eſſe irrita. Refert hoc D. Auguſt. lib. 2. contra Creſconium cap. 17. & 18. Hunc errorem poſtèà ſecuti ſunt Vvaldenſes, idem quoque ſentiẽtes de occulto peccatore: vt refert D. Anthonin. 4. parte Summę. tit. 11. cap. 7. §. 2. Denique Vviclef & Hus, addentes etiam præſcitos, id eſt, reprobos, quantumuis videantur iuſti, omni poteſtate carere.

Sed fide tenendum eſt; Per malos miniſtros & perditæ vitæ, ſi nihil aliud ex requiſitis deeſt, Sacramẽta legitima conferri, & ſuſcipiẽtes per illa ſanctificari. Eſt definitum in Concilio Conſtantienſi ſeſſ. 8. vbi damnantur Articuli Vviclef; inter quos quartus eſt, *Si Epiſcopus vel Sacerdos eſt in peccato mortali, non ordinat, non conſicit, non conſecrat, non Baptizat.* Et ſeſſ. 15. vbi damnantur Articuli Ioannis Hus, inter quos octauus eſt, *Mali miniſtri carent omni poteſtate.* Idẽ definitur in Cõcilio Trident. ſeſſ. 7. can. 12. *Si quis dixerit miniſtrum in peccato mortali exiſtentem (modò omnia eſſentialia, quæ ad ſacramentum conficiendum & conferendum pertinent, ſeruauerit) non conficere, aut non conferre ſacramentum, Anathema ſit.* Affirmatur.

Probatur Primò, Ex Scripturis. 1. ad Corinth. 4. v. 2. *Hic iam quæritur inter diſpenſatores, vt fidelis quis inueniatur*: ergo poteſt eſſe diſpenſator, qui non ſit fidelis. Ex Scripturis.

Probatur Secundò, Teſtimonijs Patrum. D. Auguſtinus probat id ſeptem libris contra Donatiſtas. Tract. 5. in Ioannem ex eo quòd Scriptura dicit, *Hîc eſt qui Baptizat*; ſic ait. *Si Chriſtus Baptizat principaliter in omni baptiſmo, cũ ipſe ſit eximiè ſanctus, poterit per quemuis etiam ſceleratũ, aliũ ſanctificare*: & adfert exemplum: *ſicut aqua non manet, ſed tranſit per canalem lapideum ad irrigãdum areolas; ita gratia per miniſtrum.* Nazianzenus oratione in ſanctũ Baptiſma, probat hac ſimilitudine; Quia tam benè per annullum ferreũ imprimitur figura Regis in cera, quàm per annulũ aureum. Chryſoſtomus homil. 8. in epiſt. 1. ad Corinthios. Vide apud Gratianum 1. qu. 1. Canone. *Multi ſeculariũ*, qui deſumptus eſt ex Gregorio Papa: & 15. qu. 8. Canone *ſciſcitantibus*, ex Nicolao primo ad conſulta Bulgarorum. Ex patribus. Auguſt. Nazianz. Chryſoſt.

Probatur Tertiò, Ratione: Quia Sacramenta non cõferunt gratiam ex meritis miniſtri, ſed ex meritis Chriſti: ergo demerita miniſtri non poſſunt Sacramenti virtutem impedire. Confirmatur, Quia ſicuti miniſtris ſua merita non conferunt poteſtatem, ita nec demerita poteſtatẽ auferre debẽt, cùm hæc poteſtas non detur propter ipſos, ſed propter Eccleſiæ vtilitatem. Hoc argumento crebrò vtitur D. Auguſt. vt tractatu 5. in Ioannem, & lib. 3. contra. Creſconium cap. 6. Ex Ratione.

Secundò, Quia Deus alia multa dona confert peccatoribus, præter eorum meritum in aliorum vtilitatem: Prophetiam contulit Balaam & Sibillis: Gratiam miraculorum ijs, quibus in die iudicij dicet, *Non noui vos*; qui tamen in nomine Chriſti multa ſigna fecerunt: Iuriſdictionem in populũ ſuum Scribis; & Phariſæis peccatoribus, de quibus ait, *Super Cathedram Moyſi ſederũt* &c. Denique dona naturalia ſunt iuſtis & impijs cõmunia. Ergo nihil mirum, ſi poteſtatem Sacramentorum conceſſit etiam peccatoribus.

Tertiò, Quia alioqui parum conſuluiſſet ſuæ Eccleſiæ: cùm enim ſint multi miniſtri mali, infiniti homines ſine ſua culpa in negotio ſalutis deciperentur, & ſemper eſſemus anxij, an forte miniſter non fuerit in peccato mortali.

Dices, Etiam incerti ſumus de eius intentione, quę tamen eſt neceſſaria. Reſpondeo, Non ſu-

mus; hæc enim ſatis per actionem externã proditur, vt poſſit nos moraliter certos reddere, præſertim cũ nulla ſit ratio cur nõ intẽdat facere, quòd facit Eccleſia, & quod Chriſtus inſtituit.

Quartò, Miniſter in Sacramentis ſolùm eſt inſtrumentũ applicans illud quod ſanctificat: ergo non requiritur, vt in ſe ſanctificatẽ habeat. Sicut patet inſimili de Medico infirmo, qui tamen ſuis medicamentis optimè curat ægrũ, cùm nec ipſe ſanus ſit, nec vim ſanandi in ſe habeat, ſed ſolùm artem conficiendi & applicandi medicamenta, quæ à Deo vim habent.

7 Obiectiones ſoluũtur.

Sed contrà. Obijcitur Primò, qu. 1. Canone *Non ſanat*, dicitur *Baptiſmus perditorum, non mundat, ſed polluit.* Reſpondeo, Iſte Canon ſumptus eſt ex Ambroſio lib. de ijs, *qui miſterijs initiantur*, vbi loquitur de Baptiſmo Arianorum, qui non vtebantur forma legitima.

Obijcitur Secundò, Ibidem. Can. *Qui perfectionem*; vbi innocentius primus ait, *Qui perfectionẽ Spiritus ſancti, quẽ per aliquẽ, non acceperunt, dare alijs plenitudinem non poſſunt.* Reſpõdeo, loquitur de hæreticis, qui cùm ſint excõmunicati & ſuſpenſi, non poſſunt licitè Ordinum poteſtatem exequi; & ordinati ab eis, ſunt irregulares.

Obijcitur Tertiò, *Non poteſt arbor mala bonos fructus facere.* Matth. 7. v. 18. nec malus Miniſter bonum fructum Sacramenti. Reſpondet D. Auguſtinus, fructum Sacramenti non eſſe miniſtri, ſed Chriſti: ſimiliter ſoluit illud, *Ab immũdo quis mundabitur?*

Obijcitur Quartò, Malac. 2. v. 2. vbi de malis Sacerdotibus dicitur, *Maledicam benedictionibus veſtris.* Et cõfirmatur, Quia oratio peccatoris volentis manere in peccato, Deo non placet. Reſpondeo; Propheta loquitur de benedictionibus, quæ vim habent ex affectu & ſanctitate benedicentis. Ad confirmationem. Oratio peccatoris non placet Deo, quia oratio vim habet ex affectu orantis; Sacramentum autem non tam eſt oratio ſeu actio peccatoris, quàm ipſius Chriſti.

Obijcitur Quintò, Eccleſiaſtici 34. v. 30. *Qui Baptizatur à mortuo, & rurſum tangit eum, quid proficit lauatio illius?* Reſpõdeo: Iſte locus non facit ad propoſitum; ſignificatur enim nihil prodeſſe homini lotionem à peccato, ſi rurſus ſe inquinet.

8 Decet vt Miniſter ſacramẽti ſit ſanctus.

Dico Secundò, Vt tamen conuenienter & pro dignitate conferantur Sacramenta, neceſſaria eſt vitæ ſanctitas miniſtri. Ita Auguſtin. l. 3. contra Creſconium c. 6. & Dionyſius c. 1. Eccleſiaſticę Hierarchiæ dicẽs; *Improbis fas non eſt Symbola Sacra contingere.* Ratio eſt, Primò; Propter ipſum Deum, cuius eſt miniſter; decet enim vt miniſter ſit conformis & ſimilis ſuo domino; iuxtà illud Eccleſiaſtici 10. v. 2. *Secundum iudicem populi, ſic & miniſter eius.* Secundò, Propter effectum Sacramenti: decet enim vt qui alios mundat, ipſe mũdus ſit: vt Num. 19. v. 19. dicitur; *Mundus luſtrabit immundum.* Et Chriſtus Apoſtolis dedit ſanctum Spiritum, antequã mitteret eos Baptizare gentes. Tertiò, Propter ipſum populum: nam, vt rectè ait Vvaldenſis Tom. 2. de Sacramentis, *Quamuis miniſter ſacramenta adminiſtrans, non paſcat Eccleſiam moribus, ſed ritibus; tamen commodiùs illam paſcit ſacramentis, ſi etiam paſcat moribus.*

ARTICVLVS VI.

Vtrum mali adminiſtrantes Sacramenta peccent?

9 Adminiſtrans in mortali, peccat mortaliter.

Reſpondetur, Adminiſtrare Sacramenta in peccato mortifero, eſt nouum peccatũ mortiferum contra virtutem Religionis. Probat hoc D. Thomas duobus teſtimonijs Dionyſij; ſed pri⁹ teſtimonium non conuincit: loquitur enim Dionyſius de Infidelibus, quibus fas non eſt Sacramentalia ſymbola contingere. Secundum teſtimonium ex Epiſtola ad Demophilum, ad rem facit. Idem probatur ex D. Auguſt. lib. 2. contra epiſt. Parmeniani cap. 10. *Omnia ſacramenta obſint indignè tractantibus, proſunt tamen per eos dignè ſumentibus.* Vide plura alia teſtimonia apud Gratianum 1. q. 1. Canone *Omnia ſacramenta.* D. Hieronymus in illud Sophoniæ 3. v. 4. *Sacerdotes eius polluerunt ſanctum*, dicit neceſſaria eſſe bona merita Sacerdotis; & impiũ eſſe aliter ſentire. Ratio eſt; Quia miniſter ſpeciali modo eſt conſecratus ad Sacramentorum adminiſtrationem, tamquam ad primarias functiones ſacerdotij Chriſti, eximiam ſanctitatem Chriſti in ſe continentis; & vt hoc conuenienter faciat, datur ei gratia ſanctificans: ergo ex hac cõſecratione trahit obligationem adminiſtrandi in gratia. Confirmatur: Quia alioqui, quantum in ſe eſt, cõtaminat ſanctitatem Sacramentorum, & ſanguinis Chriſti, qui in illis eſt; quod ſæpè Patres inculcant.

Epiſcopus conficiens Chriſma: &c. Et Diaconus, cãtans Euãgelium in mortali, non peccat mortiferè

Dices: Ergo etiam erit peccatum mortiferum, ſi Epiſcopus in ſtatu peccati mortalis conſecret Chriſma, calices, altaria; quia fũgitur Sacerdotio Chriſti. Item ſi Diaconus cantet Euangelium, & Subdiaconus Epiſtolam ſolemni ritu.

Reſpondeo, Omiſſis variis opinionibus, probabilius eſt nõ peccare mortiferè. Ratio eſt, Quia hæ functiones non ſunt primariæ illius Ordinis, neque continẽt eximiam illam ſanctitatem, quę eſt in Sacramentis. Ita ſentit Caietanus de Epiſcopo tom. 2. opuſculo 1. & Dominicus Soto ſcribens in hunc articulũ, & colligitur ex D. Thoma hoc loco. Idem, & potiori ratione, dicendum de Diacono & Subdiacono canentibus ſolemni ritu Epiſtolam & Euangelium: tùm, quia hæ functiones ſunt ſecundariæ illorũ Ordinum; tum, quia nullam in ſe continent ſanctificationem; vnde cenſetur materia leuis. Ita Dominicus Soto, Victoria, & alij multi recentiores, contra Nauarrum, ſilueſtrũ, Angelum, qui etiam in Minoribus miniſtrantem dicunt peccare mortiferè, ſi ſit in ſtatu peccati mortalis.

Nec Concionator.

Simili ratione, non eſt peccatum mortiferum, ſi concionator in peccato mortali concionetur, modò abſit ſcandalum; quidquid dicat hîc Caietanus, quem ſequitur Nauarrus in Enchiridio. Ratio eſt; Quia concionari non eſt per ſe actus Ordinis; nec conſtat aliqua conſecratione: vnde etiam Laicis aliquando conceſſum. Patet ex Concil. Carthaginenſi 4. cap. 98. quare Caietanus in Summa ſententiam mutauit verbo *Prædicator.*

Quomodo tamẽ ſupradicti peccent mortaliter.

Aduerte tamen; Si Epiſcopus, Diaconus, vel Subdiaconus ſtatuat expreſsè, vel interpretatiuè, frequenter aut longo tempore has functiones in peccato obire, omnino videri peccare mortiferè: quia hoc obiectum ita ſumptum, eſt res grauis; & tale propoſitum videtur aliquem contemptum ipſius ſacri muneris continere Ita Suarez. Capitulum tamen quod citat, non vrget.

10 Sacerdotes veteris Teſtamẽti ſacrificãdo in mortali, non peccabant mortaliter.

Vtrùm autem Sacerdotes Veteris legis peccauerint mortaliter, ſacrificãdo in peccato mortali; non eſt ita certum. Quòd peccauerint mortaliter, videtur indicare D. Auguſtinus l. 2. contra Epiſtolam Parmeniani c. 5. ex teſtimonio Iſaiæ 66. Alij tamen putant non peccaſſe, & alium eſſe ſenſũ illius capitis. Primò, Quia potiſſimùm exigebatur mundities corporalis ab illis; vt patet Leuit. 19. & 21. ergo quando hanc præſtabant, videntur ſatisfeciſſe. Secũdò, Quia ſacrificare eſt opus bonum, ſicut alia bona opera externa; vnde niſi aliunde habeat quandam eximiam conſecrationem, ſicut noſtra ſacrificia, non videtur eſſe mortalis irreuerentia. Tertiò, Quia orare, pſallere Deo in peccato mortali, nõ eſt mortiferum: ergo neque ſacrificare, &c.

DVBIVM I.

Vtrùm peccator adminiſtrans Sacramentum in extrema neceſſitate peccet Mortaliter?

11 Reſpondio eſt negans de baptizante non ſolẽniter.

REſpondeo, & Dico Primò, Peccator, adminiſtrans Baptiſmũ in extrema neceſſitate ſine ſolemnitate; non peccat mortiferè etiãſi ſit in ſtatu peccati mortalis. Ita D. Thomas hic ad 3. Caietanus, & Sotus in hunc artic. Nauarrus cap. 25. num. 72. & plerique recẽtiores: etſi Durandus diſt. 5. cum Paludano & Capreolo contrarium ſentiant. Ratio eſt; Quia non gerit ſe tanquam miniſtrum Eccleſiæ in illo actu; ille enim actus Baptizandi, non eſt actus Ordinis, aut ſpecialis poteſtatis; ſed eſt communis omnibus hominibus in proximi neceſſitate, diuina diſpenſatione ob neceſſitatem proximi, conceſſus. Vnde non eſt credibile hominem ſub tam graui obligatione teneri eſſe in ſtatu gratiæ, dum id officij proximo præſtat, cùm nullam conſecrationem aut gratiam ad illud accepit. Dices; Cenſetur polluere ipſum Sacramentum, quod in ſe eximiam ſanctitatem habet. Reſpondeo; Non cenſetur: quia ad hoc miniſterium non eſt inſtitutus, nec gratiam ad hoc accepit, nec voluntariè illud capeſſit, ſed ſolùm quaſi cõpulſus neceſſitate proximi. Vnde, cùm contritio illa ſubita ſit valdè difficilis, non cenſetur grauem irreuerentiam cõmittere, aut ſanctitatem Sacramenti cõtemnere, ſi eam non concipiat. Et hæc vera ſunt, ſiue Miniſter ille ſit laicus, ſiue ſacerdos; quia ſacerdos ſine ſolemnitate Baptizans, non vtitur poteſtate peculiari ſui miniſterij, quam accepit in ordinatione: quamuis ſacerdos ob decentiam in caſu neceſſitatis ſit laico præferendus, ſicut & vir mulieri.

An ſaltem peccet venialiter ſic baptizans.

Petes; An ſaltem venialiter peccet talis Miniſter? Reſpondet Franciſcus Victoria qu. 29. de Baptiſmo affirmatiuè; quod eſt ſatis probabile, præſertim ſi ei ſit facile contritionem concipere. Alij tamen abſolutè ſentiunt, non peccare; quod etiam eſt probabile; quia ordinariè contritio eſt difficilis. Facilè tamen committitur veniale ex defectu reuerentiæ: vnde ſaltem deberet dolere de ſua indignitate.

Leuari à peccatore hoſtiam S. è terra non eſt peccatum.

Ex his etiam patet; pirũ eſſe probabilem ſententiam Adriani, dum ait eſſe peccatum mortiferum, ſi peccator hoſtiam conſecratã è terra leuet. Non enim ad hoc datur vlla conſecratio, nec eſt Sacramenti adminiſtratio, nec confectio. Vnde omnes hoc tenentur facere, quando non eſt alius, qui digniùs id præſtet. Imò ſi cum reuerentia fiat, videtur eſſe actus Religionis potiùs quàm irreligioſitatis: ſicuti ſi peccator cum reuerentia Chriſtum dominum adhuc viuentem tetigiſſet honoris cauſa, certè laudabiliter feciſſet. Nec contra facit exemplum Ozæ; quia ille ob aliam cauſſam percuſſus eſt. 2. Regum. 6.

12 Adminiſtrans Sacramenta in mortali, peccat mortaliter.

Dico Secundò, In Baptiſmo ſolemni, & in cęteris Sacramentis, ſi adminiſtrentur in ſtatu peccati mortalis, etiã in extrema neceſſitate, eſt peccatum mortale. Niſi fortè in quibuſdam perturbatio aut inconſideratio ſui ſtatus excuſet. Eſt communis Doctorum. Ratio eſt, Quia ad hæc primariò collata eſt ſingularis quędam & ſacratiſſima poteſtas, quæ eſt participatio ſacerdotij Chriſti, & gratia ſanctificans, vt ſuprà dictum: ſunt enim primariæ functiones ſacerdotij Chriſti: Ergo ex dignitate talis muneris tenentur miniſtri in ſtatu gratiæ ea adminiſtrare. Neque articulus neceſſitatis excuſat, modò non impediãtur perturbatione aut temporis anguſtiã. Hoc ipſo enim quo quis miniſterium iſtud ſponte ſuſcipit, ſuſcipit etiam obligationem cum debita ſanctitate, quantum in ſe eſt, illud obeundi, ſiue in caſu neceſſitatis proximi Sacramenta adminiſtret, ſiue extra. Neceſſitas nõ excuſat

Dices, Ad Sacramentum Matrimonij miniſter non accepit aliquam conſecrationem: ergo huius adminiſtratio non erit peccatum mortale, ſi fiat in ſtatu peccati mortalis. Suſceptio matrimonij requirit ſanctitatem.

Reſpondeo, Huius Sacraméti miniſtri ſunt cõtrahentes, qui etſi non peccent mortiferè vt miniſtri; tamẽ peccant vt ſunt ſuſcipientes, ſi in ſtatu peccati mortalis contrahant: nam ſaltem ratione ſuſceptionis requiritur in ipſis ſanctitas.

DVBIVM II.

An liceat interdum à Miniſtris peccatoribus Sacramentum ſuſcipere, ſi noueris ſtatum illorum?

13 Si alterius miniſtri non ſit copia.

REſpondeo & Dico Primò, Si alterius miniſtri non ſit copia, in multis caſibus licet à peccatore Miniſtro Sacramenta ſuſcipere; & etiã petere, inducendo non paratũ. Primò In extrema vel graui neceſſitate Baptiſmi, Euchariſtię, Pœnitentię, extremę Vnctionis. Secũdò, Quando vrget præceptum Eccleſiaſticum ad audiendũ Miſſam, potes illum inducere ad celebrandum, modò ſine ſcandalo poſſit celebrare. Tertiò, Si vrget præceptum Eccleſiaſticum communionis. Quartò, Si magna aliqua vtilitas confeſſionis, aut communionis inuitet, quæ alioquin multũ eſſet differenda. Colligitur ex D. Aug. epiſt. 154. ad Publicolam, vbi ait, Licitum eſſe exigere iuramẽtum ab eo, quem ſcio iuraturum per falſos Deos, ad confirmandos contractus, quando aliter horũ fides haberi nequit: Talis enim non ſe ſociat peccato mali illius iuraméti, ſed bono pacto ſeruandi fidem. Ratio eſt, Quia ego peto id quod valdè bonũ eſt, quodque ipſe mihi licitè poteſt præſtare (poteſt enim contritionem concipere:) ergo non teneor cum tanto meo incõmodo abſtinere à fructu ſpiritali, ne ipſe peccet. Confirmatur; Quia ſi ob commodum temporale poſſum exigere iuramentum ab infideli per falſos Deos iuraturo; & petere mutuũ ab vſurario, quem ſcio vſuras exacturum; multò magis ob tantum cõmodum ſpiritale, poſſum petere Sacramentũ à Miniſtro peccatore. Dices; Tu iſtum Miniſtrum ſcandalizas; nam das occaſionem ruinę. Reſpondeo; Eſt ſcandalum paſſiuum, quod non teneor cum tãto meo incõmodo vitare. Accedit: Quod rarò poſſit conſtare, an Sacerdos nunc ſit in peccato; & ſi ſit, nũ

ed by Google

ante adminiſtrationem ſit pœnitentiam animo concepturus. Vnde in praxi non eſt hîc magnus ſcrupulus faciendus.

14 Si alterius ſit copia.

Dico Secundò, Si alterius miniſtri ſit copia, qui ſine peccato ſit adminiſtraturus, non potes inducere peccatorẽ non paratũ, ſiue ſit tuus Parochus ſiue non. Ratio eſt, Quia eſt contra charitatẽ nõ impedire proximi peccatum, quando commodè potes; & multo magis, contra charitatem eſt inducere illum ad aliquid, quod ſine peccato nõ faciet, quãdo nulla ratio te ad id premit. Et aduerte hoc peccatum inductionis poſſe eſſe mortiferũ, ſi ille nullo modo eſſet paratus, & tu ſine incommodo poſſes vti altero. Nec obſtat, Quod ille ſit tuus Parochus, & ius habeas ab eo petendi; quia non ſemper licet vti ſuo iure, nempe quando inde ſequeretur grauis proximi læſio, & tua non magnopere intereſſet. Sotus tamẽ nõ putat eſſe mortale, ſi petatur à parocho; quod ordinariè verũ eſt. Quòd ſi non poſſes ſine notabili incõmodo vti altero Miniſtro, non eſſet mortale: imò poſſet incõmodum eſſe tantũ, vt nullum ſit futurum peccatum: vt ſi alter procul abſit; ſi ſit aſperior, ſi ignarus caſuum, & difficultatum, quas habes.

Si ſit tuus Parochus.

Si eſt tuo incommodo.

DVBIVM. III.

An liceat aliquando accipere Sacramenta à Miniſtro præciſo ab Eccleſia per excommunicationem aut ſuſpenſionem?

15 In extrema neceſſitate pete Baptiſmũ & Pœnitentiam à quocumcumque.

REſpondeo & Dico Primò, In caſu extremæ neceſſitatis poteſt ab excõmunicato etiam non tolerato per Eccleſiã (id eſt, qui nominatim eſt denũtiatus, vel manifeſtus percurſor Clerici, ita vt nulla tergiuerſatione poſſit negari) petere Sacramentũ Baptiſmi & Pœnitentiæ. De Baptiſmo docet D. Aug. lib. 2. cõtra epiſt. Parmeniani c. 13. & lib. 1. cõtra Donatiſtas c. 2. de Pœnitẽtia. Indicat Concil. Trident. ſeſſ. 14. c. 7. quia ait, *in articulo mortis omnes Sacerdotes quoſlibet pœnitentes poſſe abſoluere*: & tenent plerique Doctores poſt Concilium, inter quos Nauarrus in Enchiridio c. 27. n. 271. & ante Concilium Sylueſter verbo *Confeſſor*. primo, q. 20. qui citat Paludanũ, Autcolum, & Archidiaconũ. Ratio eſt, Quia periculoſiſſimũ eſt ſine his Sacramentis ex hac vita diſcedere: vnde non debuit vllus Miniſter aliquo modo idoneus, in hoc articulo excludi. Vnde etiam ſit, vt talis Miniſter neque peccet, (ſi ſaltem vt abſoluat, contritionem concipiat) neque irregularitatem incurrat.

Non tamẽ Viaticum aut extremam Vnctionem.

Dico Secundò, A tali Miniſtro non poteſt peti viaticum communionis, aut extrema Vnctio. Ita cõmuniter DD. Nam, vt ait Nauarrus ſuprà, ante Conc. Trident. cõmunis ſententia erat, ſolum baptiſmum in extrema neceſſitate à talibus peti poſſe: & poſt Concil. idem plerique tenent de confeſſione; non tamen de alijs Sacramentis. Ratio eſt; Quia hæc Sacramenta non ſunt tantæ neceſſitatis.

16 Si ſit tolerat⁹ & tuus Parochus, pete omnia Sacramenta.

Dico Tertiò Si miniſter ille excõmunicat⁹, ſit ab Eccleſia tolerat⁹ (id eſt, ſi non eſt denũtiatus nominatim, aut manifeſtus Clerici percuſſor) & ſit tuus Parochus, potes ab eo liberè Sacramenta petere, non ſolùm tempore neceſſitatis, aut præcepti; ſed etiam ob magnam vtilitatem ſpiritalẽ; modò alterius Miniſtri nõ ſit tibi facilis copia, ita Dom. Soto, & alij paſſim. Ratio eſt; Quia iſte miniſter, quamdiu ab Eccleſia toleratur, non eſt tibi magis vitandus, quàm ſi non eſſet excõmunicatus. Vnde, ſi ſit tuus Parochus, potes ab illo petere Sacramenta, & etiá eũ cogere adminiſtrare, nam habes ius petendi: ergo ipſe poteſt tibi ſine omni peccato adminiſtrare, ſi velit: nemo enim obligatur ad aliquam actionem, quá ſine peccato nequit obire. Sufficit autẽ, vt in eo caſu cõcipiat contritionẽ, & procuret abſolutionem à cenſura ſi poteſt: quòd ſi nõ poteſt, permittitur Sacramẽta adminiſtrare, nec cõtrahet irregularitatẽ. Secùs, Si facilè poterat interim abſolui. Aduerte tamen talem Parochũ nõ ſe poſſe offerre aut ingerere; tunc enim grauiter peccaret, & irregularis fieret. Ratio eſt, Quia nõ poteſt adminiſtrare, niſi ſubdito petente & vrgente, vt oſtendemus in tra ctatu de Excommunicatione.

Si non ſit Parochus.

Petes, An poſſim ob huiuſmodi cauſas etiam petere Sacramenta ab eo, qui non eſt Parochus, tamen excommunicatus eſt & toleratus? Reſpõdeo, Nõ poſſe me petere, niſi ipſe interim poſſit obtinere abſolutionẽ cẽſurę, vel niſi ſit extrema neceſſitas. Ratio eſt, Quia non poſſum petere aliquid ab alio, quod ille ſine peccato non poteſt mihi præſtare. At ille Sacerdos nõ poteſt ſine peccato Sacraméta adminiſtrare, niſi excuſet extrema neceſſitas, vel in poteſtate eius ſit interim obtinere abſolutionem.

Si expoſitus.

Quidam tamen exiſtimant, Si iſte Sacerdos ſit expoſitus, actu confeſſiones aliorum audiens, vel Euchariſtiã adminiſtrãs, poſſe me accedere; quia in hoc caſu non cenſeor petere. Quæ ſententia, etſi ſit probabilis, videtur tamen falſa, præſertim de Confeſſione. Qui enim accedit confeſſurus, manifeſtè petit & exigit ſibi impendi abſolutionem: vnde intercedit hîc ſaltem aliqualis inductio & petitio ad hunc actum indiuiduum, qui eſt neceſſariò peccatum. Idem videtur de Communione, etſi minor ſit ratio.

ARTICVLVS VII.

Virum Angeli poſſint Sacramenta miniſtrare?

17 Angeli nõ poſſũt ordinariè.

REſpondeo & Dico Primò, Secundũ legem ordinariã non poſſe. Colligitur ex Scripturis, in quibus hæc poteſtas ſolis hominibus committitur. Ioan. 20. v. 23. ſolis hominibus dicitur, *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.* Lucę 22. v. 19. ſolis hominibus dicitur, *Hoc facite in meam commemorationem.* Matth. vlt. v. 19. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos.* ſoli homines mittuntur ad baptiſmũ. Deinde ad Heb. 5. *Omnis Pontifex ex hominibus aſſumitur*: atqui Sacraméторum adminiſtratio eſt opus Pontificum. Vnde Chryſoſt. hom. 83. in Ioan. *In his quæ à Deo donata ſunt nobis, neque Angelus, neq; Archãgelus, quidquã poteſt.* Ratio eſt, Quia Sacraméta ſunt ſenſibilia: oportuit ergo, vt Miniſter quoque ſẽſibilis eſſet. Hoc enim differt hierarchia Eccleſiaſtica à cæleſti, quòd Eccleſiaſtica per ſenſibilia ſymbola, purget, illuminet, perficiat; cœleſtis per ſpiritualia. Confirmatur; Quia Sacramenta immediatè vim habent à Chriſti humanitate: Ergo per homines applicanda fuere.

Nec anima Sacerdotis ſeparata.

Hinc ſequitur animam Sacerdotis ſeparatam à corpore, non poſſe Sacramenta adminiſtrare; quia non eſt homo, nec ſenſibilis. Probabile tamẽ eſt, reſũpto corpore, etſi glorioſo, poſſe miniſtrare, Deo permittẽte. Ratio eſt, Quia Characterẽ habet, eſto; homo; & inſinuat D. Th. in reſp. ad 2.

Poteſt id Angelus.

Dico Secũdò, Per diuinã tamẽ diſpenſationem Angelus poteſt eſſe Sacraméti Miniſter, nõ enim Deus

per Dei diſpenſationem.

Deus huic vel illi Miniſtro eſt adſtrictus. Sic S. Amphilochius Iconij Epiſcopus, in locis ſolis degens, ab Angelis admirabili modo conſecratus & ordinatus dicitur Epiſcopus: vt refert Nicephorus lib. 11. hiſtor. cap. 10. Sic etiam in hiſtoria S. Remigij legimus Chriſma per columbam allatũ fuiſſe ad Clodouæi baptiſmum, quam credibile eſt fuiſſe Angelum. Diabolo tamen in tali miniſterio non eſt credendum, quia Deus hoc nunquã ei committet. Vnde errat Lutherus lib. de Miſſa priuata, vbi docet diabolum etiam conſecraturum, ſi verba Chriſti proferat.

Non Diabolus.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum Intentio Miniſtri ſit neceſſaria ad perfectionem Sacramenti?

18 Triplex Intentio.

RESpondetur Affirmatiuè. Notandũ eſt: Tria poſſe a Miniſtro intendi. Primò, Hanc actionem externam, & verborum prolationem. Secũdò, Conficere Sacramentum, ſeu cæremoniã quã Chriſtus inſtituit, ſeu, quod Eccleſia Chriſtianorum facit. Tertiò, Sanctificare ſuſcipientem per hanc cæremoniam. Hæretici exiſtimant primam ſufficere intentionem; docent enim, ſat, eſſe, vt ſuſcipiens vera fide & intentione ſuſcipiat, etiãſi Miniſter ioco det. Quę ſententia optimè ſequitur ex eorum fundamento; nam quacumque intentione fiat actio externa, ſemper valet ad excitandam fidem; quod apud illos ſufficit. Ab hac ſententia non multum abeſt Catherinus Opuſculo de Intentione Miniſtri, qui putat ſufficere intentionem effundendi aquam ſuper homines, & proferendi illa verba, etiamſi hoc non intendas, quatenus eſt actus Sacramentalis, ſed animo ludendi, aut refrigerandi faciem. In eadem ſententia videtur eſſe Sylueſter verbo *Baptiſmo* 3. n. 12. & inclinat Palud. diſt. 6. Ratio horum eſt, Quia niſi hæc intentio ſufficiat, ſemper erimus anxij de valore Sacramenti. Verùm fide tenendum eſt, Non ſufficere primam intentionem; ſed prętereà requiri intentionem faciendi, quod facit Eccleſia, vel quod Chriſtus inſtituit. Patet ex Concilio Florentino in decreto vnionis Armenorum; & Tridentino ſeſſ. 7. Can. 11. *Si quis dixerit in Miniſtris, dum Sacramenta conficiunt, non requiri intentionem, ſaltem faciendi quod facit Eccleſia, Anathema ſit.* Vbi Concilium contra hęreticos definit requiri certam intentionem, quam ipſi negabant requiri; qui tamen non negabant illam Catherini eſſe neceſſariam: quia hæc non poteſt abeſſe; ſi homo voluntariè operetur. Probatur Primò ex Scripturis Matth. vlt. v. 18. *Ite & baptizate omnes gẽtes in nomine Patris, & Filij* &c: hîc non vulgarẽ ablutionem iniungit, ſed myſticam, quam ipſe inſtituerat. Ioan. 20. v. 23. cùm ait, *Quorum remiſeritis peccata* &c. dat illis poteſtatem, & ponit in eorum arbitrio. Iacobi 5. dicitur, vt *Oret ſuper infirmum*: debet igitur intendere orare. Matth. 26. *Hæc quotieſcumq; feceritis, in mei memoriam facietis*: hîc Dominus inſtituit Miniſtros Euchariſtię, & certam intentionem requirit. Vnde Cyprianus ſerm. de cœna Domini: *Ex quo à Domino dictum eſt, Hæc eſt caro mea, Hic eſt ſanguis meus; quotieſcumq; his verbis & hac fide, id eſt, intẽtione actum eſt, ſimul & medicamentum & holocauſtum ſit.* Probatur Secundò, Ratione: Quia homo in adminiſtratione Sacramentorum eſt chriſti Miniſter: ergo debet intendere facere id quod Chriſtus inſtituit; alioquin enim non operatur vt Miniſter eius, cùm nõ vtatur poteſtate ab ipſo accepta. Quod maximè patet in ijs Sacramentis, ad quæ data eſt peculiaris poteſtas. Qui enim non intendit vti poteſtate conſecrandi vel abſoluendi, ſed ſolum illa verba materialiter vel hiſtoricè pronuntiare, non exhibet ſe Miniſtrum Chriſti; quia nullo modo intendit vti poteſtate, per quam Miniſter eius dicitur; ſed ſola facultate, quam naturaliter habet ad effectum merè naturalem, qui eſt pronuntiatio illorũ verborum. Idem patet in baptiſmo: vt enim aliquo modo cenſearis agere tanquã Miniſter chriſti, debes vt minimum intendere facere id quod Chriſtus ordinauit; alioqui nullo modo te illi tãquam Miniſter ſubijcis. Et Confirmatur Primò, Quia Miniſtri Sacramenti non ſunt veluti nudi executores, ſicuti nuntius deferens literas; ſed ſũt diſpenſatores, habentes poteſtatem ſub Chriſto; vt patet ex Apoſt. 1. ad Corinth. 4. & veluti iudices delegati; vt patet Ioãnis 20. *Quorum remiſeritis peccata.* Atqui Iudex debet intendere ferre ſẽtentiam, tanquam Iudex, & vti ſua poteſtate: Similiter diſpenſator voluntariè diſpenſare res ſui domini: nam vſus poteſtatis moralis pendet eſſẽtialiter ab intẽtione. Confirmatur Secundò, Quia non decebat, vt Chriſti merita applicarentur per illas actiones quomodo libet obitas; v. g. ad ſolũ iocum, irriſionem, imitationem, ad docendum vel dicẽdum &c. aut, vt Deus illis aſſiſteret, quomodo libet contingeret illas exiſtere in rerum natura: ſed ſi fierent vt inſtitutæ à chriſto: ſic enim ad Chriſtum pertinent, vt eius inſtituta. Atqui hoc pendet ab intentione Miniſtri; intentio enim eſt quæ hanc rationem & reſpectum confert actui externo: non enim illa actio habet rationem cęremonię Chriſti, niſi quatenus manat à tali intentione, & ab ea quodammodò informatur.

Hæretici.

Catherinus.

Syluester Paludanus

19 Sententia Catholica

Diſpenſator & Iudex delegatus.

Sed contrà. Obijcitur primò, Ado Viennenſis, & alij in Martyrologio die 25. Auguſti referunt Geneſium Martyrem mimicè in ſcena baptizatum, interiùs fuiſſe cõuerſum & mutatum; quod ſignũ eſt fuiſſe verum baptiſmum; & tamen non videtur ille Mimus habuiſſe intentionem faciendi, quod facit Eccleſia.

20 baptiſmus mimicus Geneſij fuit validus.

Reſpondeo, Hic fuiſſe legitimam intentionem, etiamſi totum referretur ad ludum. Dupliciter enim poteſt aliquid fieri intẽtione ludendi ſeu mimicè. Primò, Siquis ſimulet ſe aliquid facere, quod reuerà non facit: vt ſi ſimulet ſe iraſci, gaudere, interficere ſeipſum vel alium: & talis non habet intentionem faciendi iſta reipſâ. Secundò, Si verè aliquid faciat, & hoc totum referat ad ludum & riſum: ſicut ſi quis in ſcena comedat, percutiat alterum: item ſi verus Sacerdos habens in theatro perſonam Sacerdotis, iocandi cauſa verè intendat celebrare aut conſecrare, aut baptizare, conficiet vera Sacramenta, etſi hoc totum vlteriùs ad ludum referat: quamuis enim vltima intentio ſit luſus, proxima tamen eſt intentio faciendi quod Chriſtus inſtituit, ſeu, quod Chriſtiani faciunt. Hinc etiam patet, Quomodo baptiſmus ille verus fuit, quo Athanaſius adhuc puer quoſdam Catechumenos in ludo puerili baptizauit, adhibita legitima forma & materia: intendebat enim facere, quod viderat Epiſcopum Alexandrinum facientem, vt refert Sozomenus lib. 2. hiſtoriæ c. 16. & Nicephorus lib. 8. c. 44. Simile quid accidiſſe in Eccleſia Conſtantinopolitana ſuo tempore refert idem Nicephorus lib. 3. cap. 37.

Item puerij Athanaſij.

Obijcitur Secundò, D. Aug. lib. 7. de Baptiſmo c. 53. dubitat de baptiſmo mimicè & ioculariter collato, & cenſet diuinum iudicium per reuelationis oraculum tunc implorandum, vel ſen-

Auguſtinus.

Adminiſtrans Sacramentũ, eſt miniſter chriſti.

rum non meminerit, nihilominùs verè fore conſecratas; nam in actu conſecrationis habet intentionem virtualem; virt' enim & efficacia prioris intentionis manet ſecundùm æſtimationem moralem in operatione externa: nam ex vi illius, ſe ad externam actionem liturgicam applicuit, & hæc ex illa procedit. Sicut quando quis intendit ire Bruxellam, & ex vi huius intentionis ſe applicat itineri, in tota illa profectione manet vis intentionis, donec peruentum ſit ad terminum, vel donec actio impediatur, vel intentio mutetur, etiaſi nihil amplius de profectione cogitet.

conſecratas ex virtuali intentione.

Quæri tamen hic poſſet (de quo nuper conſultus) Si Sacriſtanus Sacerdote celebrante apponat hoſtias inter puluillum & Corporale, & Sacerdos id aduertat & conſecrare intendat: mox tamen omnino obliuiſcatur, ita vt pyxidem non attingat, nec ſuper Corporale transferat: Quæri inquam poſſet; Verùm tales hoſtiæ verè contendæ ſint conſecratę, ob illam intentionem præcedentem?

Recipe caſum quo nullo modo poſteà ſacerdos ad eas reflectat.

Reſpondeo, Mihi videri eas non eſſe conſecratas: quia illa intentio non videtur influere, cùm nec actu, nec virtute videatur manere. Quòd actu non maneat, per ſe manifeſtum eſt: quia actualis intentio non poteſt ſtare cum obliuione & defectu cognitionis. Non manere etiam virtute, inde videtur apertè colligi, quia nullus ex ea effectus ſequitur, qui tendat determinatè ad illas paruas hoſtias. Semper enim cùm eſt intentio virtualis, debet ex actuali intentione præuia, ſequi aliqua ſeries actionum tendentium ad illum effectum, qui virtualiter dicitur intentus. Cùm enim intentio in ſe non maneat, debet manere in effectu ſuo vlter iùs tendente vſque ad ipſum opus: vt multis exemplis oſtendi poteſt. Alioqui nulla eſt ratio cur dicatur virtualiter manere. At in propoſito nulla talis ſeries actionum oſtendi poteſt. Nam continuatio Miſſæ vſque ad Conſecrationem, non ſequitur ex vi intentionis conſecrandi paruas hoſtias, ſed ex conſueta intentione celebrandi & conſecrandi magnam, quam habet in patena, & ſumit in manus, &c. Neque dici poteſt, illas actiones omnes ideò hîc & nunc fieri ab iſto Sacerdote, quia conſtituit conſecrare paruas hoſtias; ſed ſolùm, quia intendit more conſueto offerre ſacrificium. Itaque intentio conſecrandi paruas hoſtias, nullam omnino variationem fecit circa conſuetas actiones. Secùs eſſet ſi propter paruas hoſtias citiùs ſe applicaſſet ad faciendum Sacrum: tunc enim illa actio tota quatenus hîc & nunc fit, ſequeretur ex vi intentionis circa paruas hoſtias. Item ſecùs eſſet, ſi quando erat conſecraturus paruas hoſtias, ſolebat adhibere certã ſeriem actionum, quam aliàs non adhibebat, v. g. extendendo cruces, quas facit ſuper oblata, ad pyxidem; vel applicando pyxidem calici circa tempus conſecrationis, vel illam tunc aperiendo, etiamſi id fiat cum magna diſtractione, nihil diſtinctè cogitando de paruis hoſtijs.

Confirmantur hæc omnia, Quia qui aliquid intendit virtualiter, ita eſt diſpoſitus & affectu & imaginatione quadam confuſa circa id quod facit, vt ſi reflectat mentem ſuper ſuam actionem, ſtatim ſit animaduerſurus diſtinctè quid agat, & cuius rei cauſa agat, adeò vt ſi rogetur quid hac actione intendat, ſtatim abſque alio diſcurſu reſponſurus ſit, ſe, hoc intendere, hoc moliri, v. g. Proficiſci Romam, ædificare domum, offerre ſacrificium, &c. Itaque ſi quis duos fines interdat, alterum primariò, alterum ſecundariò, & ita oblitus eſt finis ſecundarij, vt ſi rogaretur quid ſua actione intenderet, ſolùm reſponderet de primario, non video quomodo ille dici poſſit habere intentionem virtualem circa ſecundarium.

Idem varijs exemplis declarari poſſet. Vadit quis Romam eo fine, vt à Summo Pontifice obtineat beneficium: in itinere poſitus cogitat ſe ibi habere amicum, quem proponit: cùm Romæ fuerit, ſalutaret ſed paulò poſt ſtatim ita obliuiſcitur, vt toto itinere ei in mentem non veniat. Quis dicat hunc hominem toto itinere intendere virtualiter ſalutationem amici, & totam hanc profectionem ab illo fieri, vt amici illius colloquio fruatur? Ob hęc & alia multa, puto hanc ſententiam eſſe veram. Non tamen damno contrariam.

ARTICVLVS IX.

Vtrum fides Miniſtri ſit de neceſſitate Sacramenti?

PRimus qui docuit fidem neceſſariam ad Sacramenti perfectionem, videtur fuiſſe Agrippinus Carthaginenſis Epiſcopus ante tempora Cypriani; quem ſecutus eſt poſteà Cyprianus, & plurimi Africę Epiſcopi. Pro qua ſententia ſtabilienda Cyprianus coëgit tres Synodos in Africa, quarum meminit D. Aug. ſt. lib. 2. de Baptiſmo. cap. 9. & lib. 3. cap. 1. Idem poſteà cum pertinacia tenuêre Donatiſtæ, & alij artic. 5. citati. 24 *Sententia Hæretica affirmat.*

Verùm fide tenendum eſt, baptiſmum ab hæreticis collatum, & alia Sacramenta, ſi nihil ex neceſſarijs deſit, legitima eſſe. Hanc veritatem admittunt hęretici noſtri temporis. *Catholica negat.*

Probatur Primò, Ex vniuerſalis Eccleſiæ traditione, & conſuetudine, quæ vbique vſque adtempora Agrippini perſeuerauit, qui primus cępit illam mutare, baptizatos, ab hæreticis rebaptizans: vt docet Stephanus Papa epiſt. ad Cyprianum; & D. Auguſtinus lib. 2. de baptiſmo contra Donatiſtas cap. 8. & Vicentius Lirinenſis in ſuo Opuſculo, vbi ait, *Primus omnium mortalium* (ſcilicet Agrippinus) *contra diuinum Canonem, contra vniuerſalis Eccleſiæ regulam, contra conſum omnium cõſacerdotum, contra morem & inſtituta maiorum rebaptizandum eſſe cenſebat*, ſcilicet baptizatum ab hæretico.

Probatur Secundò, Ex Concilijs. Nam ſtatim poſt mortem Cypriani hæc veritas definita eſt in Concilio plenario, vt teſtatur D. Auguſt. multis locis, ſcilicet lib. 2. de Baptiſmo. cap. 3. 4. 5. 7. 9. quod Concilium videtur fuiſſe Nicænum, nam etiam Hieronymus in Dialogo contra Lucifer anos ſub finem, dicit Concilium Nicęnum recepiſſe eos, qui ab hæreſi redirent, ſingulos in ſuo gradu, pręter Paulianiſtas, de quibus habemus in Canone 19. vbi Paulianiſtæ & Catapłryges iubentur rebaptizari, eò quòd non vterentur legitimâ formâ. Canone tamen 8. recipiuntur Nouatiani abſq; iteratione baptiſmi, quia ſcilicet legitimâ formâ vtebantur, etſi eſſent hæretici. Idem probatur ex Cõcilio Arelatenſi I. can. 8. & Carthaginenſi I. can. 1. Denique ex Conſtantienſi ſeſſ. 8. quatenus damnat Articulum 4. Wicleſi. Et ex Tridentino ſeſſ. 7. can. 4. *Concil.*

Probatur Tertiò Rationibus artic. 5. allatis. Præcipua ratio eſt, Quia Sacramenta habent efficaciam ex inſtitutione & meritis Chriſti; vnde parum refert, qualis ſit miniſter, ſiue fidem habeat ſiue non. Sicut enim Miniſtri merita non tribuũt Sacramento virtutem, ita nec de merita adimũt. Vide D. Auguſt. tractatu 5. & 6. in Ioannem. *& alia.*

25 Extra Eccleſiam nō eſt ſalus, & quomodo.

Sed contrà. Obijciuntur varia teſtimonia ex Scripturis, quæ refert & ſoluit D. Auguſtinus ſeptem libris contra Donatiſtas, potiſſimùm duobus poſterioribus. Præcipua ſunt ea, quæ probāt, extra Eccleſiam non eſſe ſalutem: ſicut nec extra Arcam Noë, quæ Eccleſiæ erat figura.

Reſpondeo, Qui eſt extra Eccleſiam, non poteſt ſaluari, ſicut neque extra Arcam: tamen qui eſt in Eccleſia, fidem Eccleſiæ tenens, poteſt accipere ea per quæ ſaluatur, ab eo qui eſt extra Eccleſiam. Sicut ſi hæreticus alicui traderet Eccleſię doctrinam, illum faceret fidelem: ergo pari ratione, ſi traderet ei Eccleſiæ Sacramenta, faceret Chriſtianum: non enim hæreſis in illas functiones influit; ſicut nec morbus Medici incurationes ęgroti, quare necvitiat eas.

Nec obſtat; Quòd ſit vnum Baptiſma; quia hæreticorum Baptiſma, eſt Baptiſma Chriſti. Vnum enim dicitur Baptiſma, quia ab vno inſtitutum & ab vno vim habet, cuius nomine in vna forma & materia celebratur, nec variatur pro meritis Miniſtrorum. Reliqua teſtimonia, ſi quid efficerent, non minùs probarent de Sacramentis, quæ conferuntur à malis Catholicis, quā quæ ab hæreticis: vnde non minùs contra Cyprianum faciunt, quàm pro illo, qui per malos, ſi fideles ſint, ſentit conferri vera Sacramenta. Vnum Baptiſma, & quomodo.

ARTICVLVS X.

Vtrum intentio recta Miniſtri requiratur ad perfectionem Sacramenti?

Hic Articulus intelligitur ex dictis Articulo 8.

QVÆSTIO LXV.

De Numero Sacramentorum.

In Quatuor Articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Vtrum debeant eſſe ſeptem ſacramenta Eccleſiæ?

1 Diſcrepantia Hæreticorum.

HÆretici huius temporis in eo conueniūt quòd nolint eſſe ſeptem Sacramenta; ſed diſcrepant & à ſeipſis interdum, & alijs ab alijs in ſtatuendo numero Sacramentorum. Lutherus de Captiuitate Babyl. fol. 65. *Negandа mihi ſunt ſeptem Sacramenta, & pro tempore ponenda tria; Baptiſmus, Panitentia, Panis.* Paulò pòſt fol. 88. rigidè loquendo dicit tantùm eſſe duo, Baptiſmum & Panem: quia hæc ſola conſtant ſignis viſibilibus, & habēt diuinam promiſſionem. Pœnitentia autem caret ſigno viſibili diuinitus inſtituto. Alibi, ſcilicet lib. ad Vvaldenſes, dicit propriè & more Scripturæ loquendo eſſe tantùm vnum, ſcilicet Baptiſmum. Philippus Melanthon in locis communibus anni 1522. ponit duo tantùm, nec plura inueniri dicit apud Auguſtinum, ſcilicet Baptiſmum & Panem. Anno 1530. in Apologia confeſſionis Auguſtanę, tria; Baptiſmum, Panem, Abſolutionem. Anno 1552. & 1558. in locis, quatuor; Baptiſmum, Panem, Abſolutionem, Ordinem. Bucerus lib. 1. de Regno Chriſti c. 7. tria; Baptiſmum, Cęnam, & Ordinem. Caluinus lib. 4. Inſtit. cap. 18. §. 19. & 20. tenet Baptiſmum & Cęnam tantùm. C. 19. §. 31. Ordinem preſbyterij recipit pro Sacramento. Et in c. 19. Actorum admittit confirmationem tempore Apoſtolorum fuiſſe Sacramentum. Zuinglius lib. De vera & falſa religione cap. de Matrimonio, admittit Matrimonium eſſe Sacramentum, & illud cæteris pręponit. Ibidem c. de Sacramentis ponit tantùm duo; Baptiſmum & Cęnā.

2 De fide eſt eſſe ſeptem Sacramenta.

Reſpondeo & Dico; Certum eſt de fide, Septem eſſe verè & propriè dicta Sacramenta nouæ legis, nec plura nec pauciora. Eſt definitum in Concil. Trident. ſeſſ. 7. can. 1. & Florentino in decreto vnionis Armenorum.

Ex ſcript. Probatur Primò, Ex Scripturis. De Baptiſmo quidem & Euchariſtia Hæretici nobiſcū ſentiūt. De Confirmatione dicitur Actorum 8. & 19. quòd Apoſtoli *impanebant manus ſuper eos* (ſcilicet baptizatos) *& accipiebant Spiritum ſanctum*: vbi videmus ſignum externum, & gratiam Spiritus ſancti; quæ duo requiruntur ad Sacramentum. De Abſolutione & Pœnitentia, Ioannis 20. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.* De Ordine, 1. ad Timoth. 4. *Noli negligere gratiam, quæ data eſt tibi per prophetiam, cum impoſitione manuum preſbyterij.* De extrema vnctione, Iacobi 5. *Infirmatur quis in vobis*, &c. De Matrimonio ad Epheſ. 5. *Sacramētum hoc magnum eſt* &c.

Obijciunt Hęretici: Nullibi in Scriptura dicuntur eſſe ſeptem Sacramenta.

Reſpondeo Primò, Nullibi etiam dicuntur eſſe duo, vel tria, vel quatuor, vt Hæretici volunt. Secundò, Satis eſt, vt poſſint colligi ex varijs locis, in quibus fit horum mentio. Tertiò, Etſi non poſſit omninò apertè conuinci ex Scripturis eſſe ſeptem Sacramenta, non tamen ideò iſte numerus eſt, negandus. Nam neque ex Scripturis vllo modo colligi poteſt numerus librorum Canonicorum, & tamen Hæretici etiam confidenter ponunt numerum certum eorum, vt patet manifeſtè in quatuor Euangelijs: nam de fide eſt eſſe quatuor Euangelia: & tamen hoc nullibi aſſeritur in Scriptura, neque ex ea colligi poteſt. Reſponſio Hæreticorum refellitur.

Quartò denique, Dico ex Scriptura ſumi multas coniecturas, ex quibus probabiliter colligi poteſt ſeptenarius numerus Sacramentorum. Nā ſignificatur hic numerus Prou. 9. per *Septem columnas*, quas Sapientia, ſcilicet Chriſtus, excidit in domo Eccleſiæ, ideque etiam ſecundùm Caluinū, qui lib. 4. Inſtit. cap. 14. dicit, *Sacramenta eſſe Fidei & Eccleſiaſtici ædificij columnas.* Similiter per *Septem ſigilla* quæ vidit Ioannes Apoc. 5. nā vt etiam omnes hæretici fatentur, Sacramenta ſūt quędam ſigilla. Item per *Septem ſtellas*, quas Filius hominis in dextera tenebat, Apoc. 2. nam per Sacramenta Chriſtus Eccleſiam illuminat. Per *Septem tubas*, quas Angeli habent Apoc. 8. Angeli enim ſunt Chriſti Apoſtoli, iuxtà vaticinium Iſaiæ 52. v. 7. *Quam pulchri ſuper montes pedes annuntiantis & prædicantis pacem*, qui ſeptē iſtis Sacramētis fidem propagarunt. Per *Septem oculos*, quos vidit: 3 Septenarius ſacramentorum numerus prefiguratus.

Digitized by Google

Zacharias c. 4. ſuper lapidem, id eſt, Chriſtum: quia Sacramenta meritis Chriſti nituntur. Per *Septem lucernas*, quibus conſtructum erat candelabrũ templi: quia domus Dei, ſcilicet Eccleſia, ſeptem Sacramentis illuſtratur. Per *Septem lotiones*, quibus Naamam leproſus, id eſt, peccator, in Iordane, nempe in ſanguine Chriſti, mundatus eſt a lepra. Per *Septem buccinas*, quibus euerſa eſt Iericho, id eſt, ciuitas peccatorum. Per *Septem ſpicas plenas*, quas vidit Pharao. Denique *ſeptem diebus*, fiebat peccatorum expiatio & ſanctificatio. Deut. 15. & 16. & Exodi 29. Hæ figuræ valdè probabilem & rationi conſentaneum faciunt hunc numerum Sacramentorum.

Probatur Secundò, Ex Concilijs Florentino & Tridentino ſuprà allatis. Antiquiora non habemus, quæ definiant hunc numerum; quia nondum fuerat hæreſis quę hoc directè negaret. Nam etiam Ioannes Hus, quem noſtri Hæretici ferè in omnibus ſequũtur, apertè ſenſit eſſe ſeptem Sacramenta, vt patet in Concilio Conſtantienſi ſeſſ. 16. art. 8. Accedit quòd in tota Eccleſia Catholica hic numerus ſemper fuerit ſeruatus, nec poteſt oſtendi à quo Concilio, vel Pontifice ſit introductus: quod eſt certiſſimum ſignum eſſe ex traditione Apoſtolica, iuxtà regulam D. Auguſtini epiſt. 118. & lib. 4. de Bapt. c. 24. Idem docent omnes Doctores Scolaſtici.

4 Ex Concil.

Probatur Tertiò, Ratione. Ratio à priori eſt, ſola Chriſti volũtas. Poſſunt tamen adferri optimæ congruentiæ & coniecturæ, quibus oſtendatur hunc numerum eſſe valde rationi conſentaneum. Prior eſt, Quia Sacramentis formatur & perficitur Eccleſia, & vita ſpiritualis. Baptiſmo enim regeneramur in vitam ſpiritalem. Confirmatione, corroboramur & inſtruimur ad pugnã. Euchariſtiâ, alimur in vita ſpiritali. Pœnitẽtiâ, curamur à morbis ſpiritualibus. Extrema Vnctione, tolluntur reliquiæ morborũ ſpiritualium. Ordine, conſtituuntur Duces militiæ ſpiritualis. Matrimonio, propagatur Eccleſia ſecundùm carnem. Secunda eſt, Quia Sacramenta reſpondent ſeptem virtutibus: Baptiſmus, Fidei; extrema Vnctio, Spei; Euchariſtia, Charitati; Ordo, Prudentiæ; Pœnitentia, Iuſtitiæ; Confirmatio, Fortitudini, & Matrimonium, Temperantiæ.

5 Duplex ratio conueniẽtiæ.

6 Obiectio hæreticorum ex Auguſt.

Obiiciunt Hæretici quædam teſtimonia Patrum. Primò, Caluinus lib 4. Inſt. c. 19. §. 12. dicit Auguſtinum tantùm agnoſcere duo Sacramenta, epiſtola 118. ad Ianuarium, vbi ſic ait; *Sacramentis numero pauciſſimis, obſeruatione facillimis, ſignificatione præſtantiſſimis, ſocietatem noui populi colligari; ſicut eſt Baptiſmus & Communicatio corporis & ſanguinis Domini, & ſi quid aliud in Scriptura Canonica commendatur.*

Soluitur

Reſpondeo; D. Auguſtinus ſi non exiſtimaſſet eſſe alia præter hæc duo, non diciſſet, *Et ſi quid aliud &c.* Deinde, non diciſſet, *Sicut eſt Baptiſmus & Communicatio*, quaſi exempli loco illa adferẽs: ſed diciſſet, Quæ ſunt, Baptiſmus & Communicatio; nimirum enumerando omnia Sacramenta, quibus populi Chriſtiani Societas colligatur. Deinde, ex alijs locis conſtat D. Auguſtinum ſenſiſſe eſſe plura Sacramẽta, quàm duo vel tria. Nam concione 1. in pſal 103. ſic ait: *Munus Sacramentorum, in Baptiſmo, in Euchariſtia, in cæteris ſanctis Sacramentis, quale munus eſt?* Vnde patet Auguſtinum præter hæc duo, ponere aliquot alia. Deinde l. 5. de Baptiſmo c. 20. expreſsè numerat quatuor, dicens; *Quomodo exaudit homicidã deprecantẽ vel ſuper Aquã Baptiſmi, vel ſuper Oleũ, vel ſuper Euchariſtiã, vel ſuper capita eorũ quibus manus imponitur?* id eſt, qui abſoluuntur à peccatis. De extrema Vnctione vide eundem lib. 2. de Viſitatione infirmorum c. 4. qui liber, etſi non conſtet omnino an ſit Auguſtini, tamen non poteſt probari contrarium. De Matrimonio clarè lib. de Bono coniugali c. 7. 15. 18. & 24. vbi docet Matrimonium eſſe indiſſolubile, & non amitti per diuortium, quia eſt Sacramentum: ſicut Ordo non amittitur, quia eſt Sacramentum. De Ordine c. 24. eiuſdem libri & 1. de Bapt. cap. 1. vbi dicit Ordinem eſſe Sacramentum, ſicut eſt Baptiſmus.

7 2. Obiectio, quòd Patres nũquam numerãt ſeptem Sacramenta.

Soluitur.

Secundò, Obijcit Kemnitius & alij Hæretici, Quòd Patres cùm ſermonem de Sacramentis ex profeſſo inſtituunt, numquam numerãt ſeptem Sacramenta, neque tractant de ſeptem, ſed tantùm de tribus vel duobus: vt Dionyſius, Iuſtinus, Cyrillus Hieroſolimitanus & Ambroſius.

Reſpondeo Primò, Iſtud argumentum eſt ab authoritate negatiuę, quo quiduis probari poteſt. Secundò, Illis Patribus non erat propoſitum tractare de omnibus Sacramentis, ſed tantùm de quibuſdam quæ ad illorum propoſitum pertinebant. Dionyſius Areop. lib. de Eccleſiaſtica Hierarchia tractat tantùm de quatuor; nempe de Baptiſmo, Confirmatione, Euchariſtia, Ordine: tamen epiſtola ad Demophilum meminit expreſsè Pœnitentiæ. Ratio eſt, Quia ipſius mens non erat agere de omnibus vel de ſolis Sacramentis: nam agit etiam de vnctione mortuorum, & conſecratione monachorum, quæ non ſunt Sacramẽta: ſed tantùm agit de illis in quibus maximè cernitur officium Pontificis, & functio hierarchica: vt patet ex initio libri. Cyrillus autem & Ambroſius & etiam Iuſtinus tantùm agunt de illis Sacramentis quæ in initio recipi ſolent, quando aliquis cooptabatur in Eccleſiam: quæ ſunt, Baptiſmus, Confirmatio & Euchariſtia. Patet hoc ex præfationibus & initiis ipſorum librorum. Cyrillus enim Neophytos alloquens, dicit ſe velle tractare de iis quę iam experientia edocti fuerãt. Et Ambroſius, *De Sacramentis*, inquit, *quæ accepiſtis, ſermonem adorior.* Vnde patet ex Patribus nullum eſſe teſtimonium quo vel in ſpeciem hic numerus rejicitur. Quamuis enim non numerent ex ordine ſeptem Sacramenta tamen apud illos omnia variis locis reperiuntur, vt fuſiùs oſtendetur cùm agemus de ſingulis.

ARTICVLVS II.

Vtrum Sacramenta conuenienter ordinentur ſecundum modum prædictum?

8

DOcet hoc articulo hunc eſſe ordinem Sacramentorum: Baptiſmus, Confirmatio, Euchariſtia, Pœnitentia, extrema Vnctio, Ordo, Matrimonium. Quo ordine etiam à Concil. Trident. ſeſſ. 7. can. 1. & à Florentino in inſtructione Armenorum enumerantur. Vide D. Thomam. Hîc ſolùm notandum, hunc ordinem eſſe aſſignatum iuxtà ordinem procedendi, quo Eccleſiæ membra perficiuntur, primò in ſeipſis, deinde reſpectu aliorum.

ARTICVLVS III.

Vtrum Sacramentum Euchariſtiæ ſit potiſſimum?

9 REſpondeo: Sacramentum Euchariſtiæ eſſe præſtantiſſimum. Eſt definitum à Concil. Trident. ſeſſ. 13. c. 3. Et ſeſs. 7. can. 3. definit Sacramenta non ita eſſe inter ſe paria, vt nulla ratione aliud alio ſit dignius. Quod eſt contra Caluiniſtas, qui volunt omnia Sacramenta eſse paria, quia vbique par eſt verbi Dei dignitas, quo Sacramenta conſtant.

Quadruplex ratio. Ratio Concluſionis eſt, Quia Euchariſtia continet ipſum fontem omnis gratiæ, cum tota plenitudine ſuorum meritorum: reliqua Sacramenta tantùm continent portionem quandã meritorum Chriſti, & certam gratię mẽſuram. Deinde, reliqua Sacramenta conſiſtunt in vſu & motione quadam trãſeunte; non enim ſunt, niſi dum ſuſcipiuntur: Euchariſtia autem eſt Sacramentum permanens. Vnde à Dionyſio c. 3. parte 1. de Eccleſiaſtica Hierarch. rectè vocatur Τελετῶν τελετή, id eſt, *Initiatio initiationum*, ſeu Sacramentum Sacramẽtorum. Adde duas alias rationes, quas habet D. Thomas. Itaque Tertia Ratio eſt, Quia reliqua Sacramenta ordinãtur ad Euchariſtiam, tamquam ad finem. Quarta eſt, Quia omnia Sacramenta in Euchariſtia conſummantur.

10 Singula Sacramẽta propriã excellentiã habent excellentiã. Quòd ad reliqua Sacramenta attinet: Notandum Primò, Singula habere quandam propriam excellentiã, quã cæteris præſtent: nam Baptiſmus excedit effectu: dimittit enim peccatum originale & omnem pœnam. Confirmatio excellit gratiæ plenitudine, quæ datur ad fidei profeſſionẽ. Pœnitentia excellit quatenus excitat mortuos, & quia lapſis eſt vnicum remedium. Extrema Vnctio excellit quatenus tollit reliquias peccatorum; & etiam interdum præſtat effectu corporalem ſanitatem vi Sacramenti. Ordo excellit dignitate Miniſtri, & quia hominem in ſublimi gradu collocat. Matrimonium excellit ob ſignificationem: ſignificat enim duplicem Chriſti vnionem, hypoſtaticam nempe & charitatis. 11

Notandum Secundò, Cùm D. Thomas ait, *Extremam Vnctionem eſſe diſpoſitionem ad Euchariſtiam*, non velle ipſum dicere extremã Vnctionem neceſsariò præcedere, antequã Euchariſtiæ ſumamus viaticũ: nam extremo loco ſolet Sacramentum extremę Vnctionis infirmis cõferri. Sed hoc dicit propter effectũ Sacramẽti extremæ Vnctionis, qui eſt, tollere reliquias peccatorũ: quibus ſublatis, homo reparatur ad actionẽ Chriſto coniunctiorem, qui proprius eſt Euchariſtiæ effectus.

ARTICVLVS IV.

Vtrum omnia Sacramenta ſint ad ſalutem neceſſaria?

REſpõdet D. Tho. Baptiſmum eſse omnibus abſolutè neceſsarium: Pœnitentiam omnibus lapſis in peccatum mortiferum poſt Baptiſmum: Ordinem non ſingulis, ſed Eccleſiæ. Reliqua autem Sacramenta non abſolutè eſse neceſsaria, ſed vt cõmodiùs ad ſaluté perueniatur. De hoc plura cùm de ſingulis deinceps tractabimus. 12

DE SACRAMENTIS IN SPECIE.

DE BAPTISMO.

QVÆSTIO LXVI.

Quantum ad ea, quæ ad ipſum Baptiſma pertinent.

In Duodecim Articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Vtrum Baptiſmus ſit ablutio?

1 Varia Baptiſmi nomina, & vnde. REſpondetur; Baptiſmum eſse externam ablutionem ſub præſcripta verborum forma.

Notandum eſt; Sicut Chriſtus Baptiſmi auctor, ob ſuam perfectionem multis nominibus appellatur; ita etiam Baptiſmus. Et primò dicitur *Baptiſmus* quia animam abluit à peccatis. Dicitur *Lauacrum aquę in verbo vitæ* ad Epheſ. 5. v. 26. quia confertur cum verbo ſpiritualiter viuificante. Dicitur *Lauacrum regenerationis* ad Tit. 3. quia per illud, nouum eſse & nouam vitam accipimus: Dicitur *Indumentum*, quia per illud Chriſtum induimus, & velamus noſtram ignominiam, ad Gal. 3. Dicitur *Illuminatio*, quia animam fide illuſtrat, ad Hebr. 1. Dicitur *Circumciſio non manu facta*, quia cor circumcidit, reſecans omnia peccata, ad Coloſs. 2. Denique dicitur *Crucifixio & ſepultura cũ Chriſto.* ad Rom. 6. quia homo moritur peccatis, & quodammodò cenſetur cum Chriſto crucifigi, mori, ſepeliri, ſecundùm vitam peccatorum.

DVBIVM I.

Quid ſit Baptiſmus?

REſpondeo; Variis modis poſse deſcribi, vt patet ex D. Thoma. Vt, *Baptiſmus eſt Sacramentum regenerationis.* Eſt, *Lauacrum aquæ in ver-* 2 Baptiſmi definitio.

bo vita &c. Breuiſſimè tamen, & pleniſſimè ſic: *Baptiſmus eſt Sacramentum ablutionis ſub innocatione Trinitatis.* Dico *Sacramēntum*, quia eſt genus Baptiſmi. Dico *Ablutionis*, loco differentiæ.

Vbi aduerte, Dupliciter Sacramentum Baptiſmi poſſe dici Sacramentum Ablutionis: Primò, Vt ſenſus ſit, *Baptiſmus eſt Sacramentum, quod eſt ablutio:* Secūdò, Vt ſenſus ſit, *Baptiſmus eſt Sacramēntum conſtans ablutione & innocatione Trinitatis, ſub qua fit ipſa ablutio:* Priorem ſenſū amplectitur Sotus diſt. 3. artic. 1. Cenſet enim Sacramentum Baptiſmi eſſe ſolam ablutionem: quatenus tamen ordinem habet ad illam verborum formā, ita vt forma illa non ſit pars Sacramenti, ex qua ipſum intrinſecè conſtet, ſed ſolùm circumſtantia quędam externa ſignificationem ablutionis determinans ad aliquid ſpiritale deſignādum, & efficiens vt ſit cæremonia religioſa. Vnde etiam vult totam ſignificationem Sacramentalem eſſe in ſola ablutione; quamuis ratio, cur conueniat ei talis ſignificatio, ſit ordo ad formulam verborū. Sed hęc ſententia ſuprà refutata eſt qu. 60. vbi oſtenſum eſt, Sacramenta conſtare materia & forma tamquam partibus intrinſecis. Et confirmatur in propoſito; Quia ablutio non ſolùm habet neceſſarium ordinem ad verba, ſed etiam ad Miniſtrū, & eius intentionem, & ad ſuſcipientem: ergo ſi verba dicuntur forma, vel pars Sacramenti, eò quòd Sacramentum habeat neceſſarium ordinem ſeu habitudinem ad illa; etiam Miniſter, eiuſque intentio, & ſuſcipiens poterunt dici pars & forma Sacramenti; quod tamen nemo dixerit.

Sotus.

Soti opinio refutatur.

Sacramentum ergo Baptiſmi non eſt ſola ablutio; vt rectè Scotus diſt. 3. qu. 1. ſed ablutio cum innocatione Trinitatis, ſub qua ipſa ablutio peragitur. Vnde cùm dicitur, *Baptiſmus eſt Sacramēntum ablutionis ſub innocatione Trinitatis*, non ſignificatur ipſam innocationem non eſſe partem Sacramenti, aut ſolùm in obliquo reſpicere Sacramēntum: ſed ſignificatur ordo, quem vna pars Sacramenti habet ad alteram; Ablutio ſcilicet ad Innocationem. Sacramentum enim conſtat ex ablutione, & innocatione, talem inter ſe ordinem habentibus, vt ipſa ablutio fiat ſub innocatione Trinitatis. Nec obſtat, quòd Sacramentum Baptiſmi rectè dicatur *Ablutio*, quia per Synechdochen pars rectè dicitur de toto, & contrà: quomodo etiam Sacramentum Pœnitentiæ vocatur Pœnitentia, licet maxima ex parte conſiſtat in Abſolutione.

Explicatur definitio Baptiſmi.

DVBIVM. II.

Vtrùm iſta Ablutio conſiſtat in actione, an in paſſione?

3 REſpondeò, In Ablutione quatuor poſſe conſiderari: Aquam, Corpus, Contactum aquæ quo aqua dicitur contingere corpus, & Contactum corporis quo corpus aquam tangit.

Ablutio igitur conſiſtit, non in contactu, quo corpus tangit aquam, (quia hic contactus identificatur corpori, & ſic corpus eſſet materia proxima Baptiſmi:) ſed in contactu aquę, quo aqua contingit corpus, qui nihil eſt aliud quam contiguitas ipſius aquæ ad corpus. Sic D. Auguſtinus Tractatu 80. in Ioannem. *Vnde tāta virtus aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat?* Hinc patet Ablutionem non eſſe aliquam Phyſicā actionem aut paſſionem, (cùm non terminetur ad aliquam qualitatem) ſed modum quemdam ipſius aquæ, qui modus non diſtinguitur realiter ab aqua, ſed eſt ipſa aqua, ſic ſe habens; id eſt, corpori applicata, & quodammodò a corpore excepta, per quam formaliter corpus dicitur *tangi, ablui*, denominatione extrinſeca: & ſic habet modum quemdam paſſionis, licet non ſit paſſio. Vnde Ablutio eſt pars Sacramenti, quatenus habet modum cuiuſdam paſſionis; debet enim conſiderari quatenus ab ea *corpus* dicitur *ablui*: ſic enim & non aliter mundat aqua: cuius ſignum eſt, quod Sacramentum Baptiſmi multiplicetur pro diuerſitate corporum ſuſcipientium; non autem pro diuerſitate actuum Miniſtri, cùm vna actione multi poſſint Baptizari.

Ablutio Baptiſmi conſiſtit in contactu aquæ ad corpus inſtar paſſionis.

Aduerte tamen; Ablutionem ordinariè fieri cū quodam motu, vel aquę per corpus, vt in perfuſione: vel corporis per aquam, vt in immerſione: vnde eſt contactus aquæ ſucceſſiuus. Fieri tamen poteſt, vt aqua ſimul partem aliquam ſufficientem tangat, & tunc fit in momento; vnde abſolutè non eſt de ratione ablutionis, vt ſucceſſiuè fiat.

Non eſt neceſſe vt fiat ſucceſſiuè.

ARTICVLVS. II.

Vtrum Baptiſmus ſit inſtitutus poſt Chriſti paſſionem?

REſpondet D. Thomas, Baptiſmum eſſe inſtitutum, quando Chriſtus in Iordane baptizabatur: Cæpiſſe autem obligare poſt paſſionem & reſurrectionem, ceſſantibus legalibus. 4

DVBIVM. I.

Quando Baptiſmus ſit inſtitutus?

MVlti Patres ſentire videntur inſtitutū poſt reſurrectionem Matth. 28. v. 28. cùm dictum eſt Apoſtolis, *Euntes docete omnes gētes, Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sāncti.* Eum verò Baptiſmum, quo diſcipuli Chriſti ante paſſionem baptizabant, fuiſſe Ioannis. Ita ſentire videtur Tertull. lib. de Baptiſmo c. 11. Chryſoſt. hom. 28. in Ioan. explicās illud Ioan. 7. v. 39. *Nondum erat ſpiritus datus, quia* IESVS *nondum erat glorificatus.* & Theophilactus in caput 3. Ioannis. Hieronymus Dialogo contra Luciferianos explicans eundem locum: & D. Leo epiſt. 4. ad Epiſcopos Siciliæ cap. 3. Rationes ſunt. Prima, locus iſte Ioannis 7. *Nodum erat ſpiritus datus* &c. Ergo nec Baptiſmus inſtitutus, quo datur Spiritus S. Ita Chryſoſt. Secunda, Quia Baptiſmus vim habet à paſſione & morte Domini: ergo antèa erat inefficax; ac proinde non erat Chriſti Baptiſmus ſanctificans; ſed Ioānis. Tertia, Quia Apoſtoli nondum erant inſtituti ſacerdotes, vt poſſent baptizare: hoc enim factum, vel poſt reſurrectionem, Ioānis 20. vel certè in vltima Cœna. Quarta, Quia forma baptiſmi nuſquam inuenitur expreſſa, niſi poſt reſurrectioné: ergo &c. Quinta, Quia per baptiſmum conformamur morti & reſurrectioni Chriſti. Arqui ante Chriſti mortem & reſurrectionem non poteramus illi conformari: exemplar enim prius eſt, quàm eius imitatio. Verùm his nil obſtantibus, altera ſententia eſt longè verior. Pro qua

Multorū Patrum ſententia poſt reſurrectionem eſſe inſtitutum.

Dico Primò, Probabiliſſimum eſt Chriſti Baptiſmum eſſe inſtitutum antè Paſſionem. Eſt communior ſententia cum Magiſtro diſt. 3. & expreſsè D. Auguſtini epiſt. 108. ad Seleucianum, vbi ait, Chriſtum Baptizaſſe non ſuis manibus, ſed per Apoſtolos; vt intelligamus ipſum Baptizaſſe præſentiâ maieſtatis, ipſiuſque fuiſſe baptiſmi Sa-

5 Baptiſmus inſtitutus eſt ante Chriſti Paſſionē.

cramentum, Apoſtolorum autem duntaxat Miniſterium. Et infra docet Apoſtolos à Chriſto Baptizatos. Idem tractatu 15. in Ioannem ait, Chriſto adhuc in carne agente ita Baptizaſſe Apoſtolos, ſicut modo Baptizant Apoſtolici Sacerdotes; & ita per eos tunc mundaſſe peccata, ſicut modò facit. Idem inſi uat Cyrillus lib. 2. in Ioannem cap. 76. & Alcuinus in cap. 4. Ioannis, apud D. Thomam in Catena.

Probatur primò, Ioan. 3. dicitur quod Chriſtus Baptizauit, nempe per diſcipulos ſuos, vt explicatur cap. 4. quo ſignificatur ipſum fuiſſe auctorem illius Baptiſmi (vt inquit D. Auguſtinus) eiuſque vicem Apoſtolos in Baptizando geſſiſſe. 2. Ibidem Ioannis 3. dicitur diſcipulos Ioannis Baptiſtæ conqueſtos, quòd Chriſtus Baptizaret, quaſi per hoc Ioannis gloria videretur obſcurari. Quod euidens ſignum eſt Chriſtum ſuo Baptiſmo fuiſſe vſum, qui pluris æſtimaretur quàm Ioannis Baptiſmus. Si enim fuiſſet vſus Baptiſmo Ioānis, non fuiſſet occaſio quærimoniæ, ſed potiùs gratulationis: nam hoc in Ioannis cōmendationem ceſſiſſet. Tertiò, quia indignum erat Chriſti maieſtate, vt Ioannis Baptiſmo vteretur, qui ſolùm præparatorius erat ad Chriſti Baptiſmum, totus ſterilis, nihilque gratiæ conferens; ergo vtebatur ſuo, de quo Ioannis 1. v. 33. *Hic eſt qui Baptizat in Spiritu ſancto*. Quartò, Apoſtoli facti ſunt ſacerdotes ante Chriſti mortē, & perceperunt Euchariſtiam: ergo iuxtà legem Chriſti oportebat iam eſſe Baptizatos. Cur enim in hac lege Chriſtus diſpenſauerit ſine neceſſitate? Et confirmatur; Quia Baptiſmus eſt fundamentum nouæ legis, initium Sacramentorum, & ianua in Eccleſiam. Atqui Chriſtus ante mortem inchoauit nouam legem, & Eccleſiam ſuam, & alia quædam Sacramenta inſtituit: ergo opportuit etiam anteceſſere Baptiſmum.

Hinc patet, Baptiſmum Chriſti ante mortem fuiſſe cōpletè inſtitutum quoad vim ſuam intrinſecam, & quoad ſignificationem. Erat enim Baptiſmus in ſpiritu idem omnino atque noſter; nec erat vlla ratio, cur tunc incompletè inſtitueretur. Nec obſtat, quòd tunc non poſſet cælum aperire: hoc enim non erat ex defectu virtutis Baptiſmi; ſed quia lege diuina ſancitū erat, vt Chriſtus primus *per proprium ſanguinem introiret in ſāctā*, ad Hebræos 9. v. 12. & vt pretium noſtræ redemptionis integrè perſolueretur; quò fiebat, vt quamuis daretur eadem gratia, quæ nunc datur, non tamen poſt mortem ſtatim daretur vita æterna. Similiter non obſtat, quòd res ſignificata per Baptiſmum nondum eſſet completa, ſcilicet mors & reſurrectio Chriſti; quia non minùs perfecta eſt ſignificatio futuri, quàm præteriti.

Reſpondetur obiectionibus. Ad Argumenta in contrarium: Reſpondetur ad primum, Spiritus ſanctus ante Chriſti mortem non fuerat datus, nempe in ea plenitudine, & cum ſigno viſibili, ſicut poſt Aſcenſionem. Ita D. Auguſt. tractatu 3. in Ioannem; & Cyrillus lib. 12. in Ioannem cap. 56. & Alcuinus loco citato: alioqui certum eſt multis ante Chriſti mortem inuiſibiliter datum Spiritū ſanctum, ſcilicet omnibus iuſtis. Adde, ſi hoc argumentum valeret, Baptiſmum non fuiſſe inſtituendum ante aduentum Spiritus ſancti: quod nemo dixerit. Ad ſecundum, Baptiſmus non ſolùm ex Chriſti morte, ſed etiam ex aliis eius meritis vim habere poteſt, cùm ſingulæ eius actiones ſint infiniti pretij, quamuis vim habere potuerint à morte futura, etiā à Chriſto acceptata à primo inſtanti conceptionis. Ad Tertium, Nō requiritur vt fuerint ſacerdotes, quando Baptiſmum adminiſtrabant: nam quiuis eſt miniſter baptiſmi. Ad quartum, Statim dicam. Ad quintum, Qui baptizabantur ante Chriſti mortem, configurabantur morti & reſurrectioni futuræ, quæ in diuina prędordinatione & Chriſti acceptatione iam anteceſſerat.

Dico ſecundò, Probabile eſt, Baptiſmum inſtitutum, dum Chriſtus in Iordane baptizaretur. Ita D. Thomas, & eius ſectatores: & Hugo Victorinus lib. 2. de Sacramentis. Parte 6. cap. 4. Probatur: Quia tunc deſignata eſt materia. Nam vt Patres docent, Chriſtus tunc ſuo baptiſmo aquas ſanctificauit, vt idoneæ baptiſmo eſſent: vt Docet D. Auguſtinus ſerm. 29. 36. & 37. de Tempore. Ambroſius lib 2. in Lucam cap. vlt. Hieronymus dialogo cōtra Luciferianos. Chryſoſtomus homil. 12. in Matth. & paſſim Interpretes in 3. cap. Matth. Vnde paſſim docēt Chriſtum contactu carnis ſuæ aquis vim regenerati-uam contuliſſe. Quod in terminis docet D. Auguſtinus ſermone 36. & Beda lib. 1. in Lucam cap. 10. Similiter deſignata eſt tunc forma, per hoc, quod tota Trinitas tunc apparuit: & effectus, per deſcenſum Spiritus ſancti in ſpecie colūbæ: ergo totum Sacramentum baptiſmi tunc eſt inſtitutū. Aduerte tamen, hanc rationem non conuincere aliud, quàm tunc Myſtico modo materiam & formam baptiſmi Chriſti deſignatam. Vnde

6 **Inſtitutus eſt in chriſti baptiſmo probabiliter.**

Dico Tertiò, Probabilius videri non tunc præciſè eſſe inſtitutum, ſed aliquamdiu poſt, quando poſt ieiunium ſuum Dominus diſcipulos habere cœpit. Inſinuat aperte Scotus diſt. 3. qu. 4. Ratio eſt, nam ad inſtitutionem requiritur efficax voluntas & ordinatio, vt ex certo momēto incipiat eſſe Sacramentum, id eſt, conſtare tali materiā & formā, cum tali virtute, & ſignificatione: ſicut fit in impoſitione aliorum ſignorum. Deinde requiritur, vt hęc voluntas etiam exteriùs aperiatur, & forma materiaque exprimatur: conſentaneum enim eſt, vt ſignorū ſenſibilium inſtitutio fiat per actum externum & ſenſibilem. At credibile eſt, hęc Dominum non feciſſe cùm ipſe baptizaretur, & nullos adhuc diſcipulos haberet, ſed poſteà collectis diſcipulis qui hanc inſtitutionem perciperent. Confirmatur; Quia ſic videmus inſtituta reliqua Sacramenta, Euchariſtiam, Pœnitentiam, Ordinem. Ad Patres autem facilè reſponderi poteſt; illorum mentem non eſſe, tunc propriè Baptiſmum Chriſti eſſe inſtitutum, quādo ipſe baptizabatur; ſed deſignationē & deputationem materiæ & formæ baptiſmi, propediem inſtituendi, myſticè factam. Nihilominùs non repugnat Baptiſmum inſtitui per actum merè internum: vnde etiam tunc fieri potuit hęc inſtitutio.

7 **Verōſimilius. poſt.**

Reſpōdētur obiectioni è Patribus.

DVBIVM II.

Quando Lex Baptiſmi cœperit obligare?

8

OMiſſis variis ſententiis (hęc enim quæſtio ad tractationem de Legibus ſpectat, ſicut & illa de ceſſatione legaliū.) Reſpondeo; Quemque in particulari cœpit obligare, quando Euangelica prędicatio ei plenè innotuit, vel certè potuit humano more innotuiſſe, ſpectato temporis ſpatio, & prędicationis vicinitate aut celebritate. Colligitur ex D. Bernardo epiſt. 77. quæ eſt ad Hugonem de Sancto Victore.

Quæ legis promulgatio inducat obligationem.

Ratio eſt, Quia promulgatio legis inducens obligationem, debet eſſe talis, vt innoteſcat; vel ſaltem ex ſe ſit ſufficiens; & neceſſarium habeat

Copyright 1923 by the Board of Tax Appeals

Appeal of Commissioner of Internal Revenue, 1st Dist., Mass.

Docket No. 1923

Promulgated 1923

Appeal of Commissioner of Internal Revenue, 1st Dist., Mass.

Docket No. 1923

Promulgated 1923

Appeal of Commissioner of Internal Revenue, 1st Dist., Mass.

Docket No. 1923

Promulgated 1923

primum Miraculum fecit in aquis, cõuertens eas in vinum in nuptijs. Ioannis 2. Et ſimiliter vltimum, quando ex latere *fluxit ſanguis & aqua*. Ioannis 19.

Cõgruentiæ inter effectus aquæ & Baptiſmi.

Tertiò Probatur, ex proprietatibus aquæ, quę aptiſſima ſunt effectis baptiſmi ſignificandis. vt oſtendit Iuſtinus Apolog. 2. & Leo ſerm. 4 & 5. de Natiuitate Domini. Primò, Aqua igné extinguit; vnde baptiſmus rectè ſignificat cupiditatũ exſtinctionem. Secundò, Maculas corporis eluit. Tertiò, Animantia ſuffocat: vnde rectè deſignat & peccatorum abſterſionem, & irrationalium concupiſcẽtiarum interitum. Quartò, Perſpicua eſt ad illuminationem: vnde ſignificat illuminationem animæ. Quintò, Emollit induratam: ita baptiſmus cor durum emollit. Sextò, Eſt facunda: nam omnia ſemina habẽt vim aquæ. Vnde ad generandum nouum hominẽ aptiſſima. Hinc Tertullianus lib. de Baptiſmo, *Primus liquor, quod viueret, edidit; ne minus ſit in baptiſmo, ſi aquæ animæ noverunt.* Septimò, Mergendo hominem in aqua, optimè Chriſti ſepulturam exhibemus. Vide D. Thomam. His adde; Aquam vbique præſto eſſe, & facillimè ab omnibus haberi; vnde etiam hac ratione erat aptiſſima Baptiſmi Sacramento, quod cùm inter omnia ſit maximè neceſſarium, debet eſſe maximè promptum, & expeditum.

12 Sed Contrà Primò, Scriptura comparans Baptiſmum Ioannis cum baptiſmo Chriſti, ſemper dicit *Ioannem Baptizare aquâ, Chriſtum Spiritu ſancto & igne.* Patet Matth. 3. Lucæ 3. Ioannis 1. Ergo Chriſti Baptiſmus nõ fuit in *aqua*.

Quomodo Baptiſmus Chriſti ſit in ſpiritu ſãcto & igne.

Reſpondeo; Cenſus eſt; Baptiſmum Ioannis *eſſe in aqua tantùm*, nec dare Spiritum ſanctum. Quòd autem locis illis dicitur, *Ille baptizabit Spiritu ſancto & igne*, ſignificatur Spiritum ſanctum effundendum in Apoſtolos ſub ſpecie Ignis ſeu linguarum ignearum; ita Hieronymus in cap. 3. Matth. vel, Chriſtum baptizaturum ſuos *Spiritu ſancto*, id eſt, purgaturum copioſa Spiritus ſancti effuſione, idque, tum in Baptiſmo, tum in reliquis Sacramentis, tum etiam igne Purgatorij, ſi quid ſuperſit purgãdum, vt ibidem Hieronymus & Origenes hom. 24. in Lucam. *Baptizare* enim idem eſt aliquando quod *Purgare*. Poteſt etiã per *Ignem* intelligi generatim omnis afflictio, qua purgamur ſiue in hac vita, ſiue futura: & hic videtur verus ſenſus huius loci.

An in arena quandoque queat Baptizari.

Dices Secundò, Nicephorus lib. 3. hiſtor. cap. 37. refert, quemdam Iudæum in magno morbo cùm deſiderio Baptiſmi flagraret, & aqua deeſſet, fuiſſe arenâ perfuſum, & ſubitò conualuiſſe: ergo in neceſſitate non ſola aqua eſt materia.

Reſpondeo, Quòd conualuerit, accidit ex magno deſiderio Baptiſmi, Deo operante miraculũ, non quòd Baptiſmus ille ratus eſſet; nam poſteà fuit aquâ baptizatus; vt ibidem Nicephorus.

ARTICVLVS IV.

An debeat eſſe Aqua ſimplex?

REſpondetur, debere eſſe veram aquam, ita vt ſpeciem ſeu naturã aquæ vſualis habeat.

13 Eſt de fide.

Eſt fide tenendum. Definitur in Concilio Tridentino ſeſſ. 7. can. 2. de Baptiſmo. Quæ autem ſit vera aqua, & quæ non, eſt Philoſophorum & Medicorum diſceptatio.

Regulæ duæ circa dubiam aquam in Baptiſmo.

Duæ tamen regulæ, hac in re, ſunt conſiderandæ; Prior eſt, quando dubiũ eſt ſit ne vera aqua, an non nullo modo eſſe adhibendam baptiſmo, niſi in extrema neceſſitate, quãdo alioquin homo ſine baptiſmo eſſet moriturus: tunc enim etiam dubia materia adhiberi debet, v.g. aqua roſacea, vel cereuiſia. Quia non omnino conſtat, an ſpecie differat ab aqua: vnde non cõſtat talem Baptiſmum eſſe inualidum; ac proinde in extrema neceſſitate eſſet adhibendus: hæc enim neceſſitas poſtulat, vt omni ratione licita ſuccurramus. Atqui hic nullum peccatum eſt; nam extrema neceſſitas excuſat a ſacrilegio, quod hîc alioquin eſſe poſſit. Sacrilegus enim eſt, qui adhibet incertam materiam, dum certæ copia eſt; non autem, qui adhibet incertam, quãdo alia haberi nequit, & res ſine periculo ſalutis æternæ nequit differri. Altera regula eſt: qui baptizatus eſt materiã ambiguã, debet poſteà, ſi ſuperuiuat, rebaptizari ſub conditione.

Petes; Vtrum *Nix* poſſit conferri Baptiſmus? 14

Reſpondeo, Etſi *Nix* videatur eiuſdem naturę cũ *Aqua*, tamẽ nõ poteſt fieri Baptiſmus in *Nive* niſi liquefacta, quia non poteſt per eam fieri ablutio; *Aqua* enim d[e]terminat rationem ablutionis eſt materia baptiſmi. Vnde res omnis, quæ non habet naturam *Aquæ*; vel ſi habet, non tamen eſt in ſtatu idoneo ad abluẽdum, non poteſt eſſe baptiſmi materia. In extrema tamen neceſſitate, quando alia ratio non ſuppeteret, poſſet & deberet infãs *Nive* perfundi cum ſolita verborum formula. Nã quidam exiſtimant, inter quos *Ioannes Maior*, ſufficere ad eſſentiam Baptiſmi aquę contactum, etiamſi nulla ſequatur ablutio.

An Nive poſſit Baptizari.

ARTICVLVS V.

Vtrum hæc ſit forma: Ego te Baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.

REſpondetur Affirmatiuè.

15 Errores circa formam Baptiſmi.

Notandum eſt, fuiſſe varios errores circa formam baptiſmi. Primus eſt eorum, qui tempore Apoſtolorum baptizabant *In tribus ſine initio Principij*, vel *In tribus Iehũ*, vel *In tribus Paracletis*: vt patet ex can. 48. Apoſtolorũ. Secundus eſt Gnoſticorum; qui baptizabant *In nomine ignoti Patris omnium, & veritatis omniũ Matris, & in nomine deſcendentis Ieſu ad vnẽlionem & redemptionẽ, & cõmunionem virtutum*; teſte Ireneo lib. 1. contra hæreſes cap. 18. vbi vide & alias formas. Tertius error eſt Paulianiſtarum & Cataphrygum, qui non baptizabant *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*, vt refertur 1. qu. 1. Can. *Cataphryges*. Quartus fuit multorum Arianorum, qui etiam non ſeruabant veram formam; inter quos quidã Deuterius ita baptizabat, *Baptizetur Barrabas in nomine Patris per Filiũ in Spiritu ſancto*; ſed aqua, quæ erat in lauacro, repentè euanuit: vt refert Nicephorus lib. 16. cap. 35. Quintus fuit Eunomianorum, qui baptizabãt *In Chriſti mortem*, teſte Socrate lib. 5. cap. 23. Sextus eſt hæreticorum noſtri temporis, qui etſi vera forma vtantur; tamen dicunt illã non eſſe neceſſariam; concionẽ enim ſufficere. Contra quos actum ſuprà.

Contra hos errores, fide tenendum eſt, legitimam & neceſſariam formam eſſe, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*. Colligitur Matthæi 28. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*; iuncta Eccleſiæ traditione, & patrum interpretatione. Definitur etiam in Concilio Florentino, & colligitur ex tridentino ſeſſ. 7. can. 4. de baptiſmo: eſtque ſententia omnium Patrum & doctorum.

16 Catholica aſſertio.

Digitized by Google

Quale peccatum omittere Ego in forma Baptiſmi.

Aduerte tamen, non omnia verba huius formę eſſe neceſſaria ad Sacramenti ſubſtantiam; licet ſint neceſſaria, vt ſeruetur Eccleſiæ præceptum: Si tamen prætermitteretur *Ego*, vel nullum eſſet peccatum, vt vult Albertus; vel ſolùm veniale, vt vult Sotus: expreſſio enim miniſtri nec implicita nec explicita eſt neceſſaria; vt patet ex forma Græcorum. Ratio eſt: quia nihil facit ad ſignificandum Sacramenti effectum. Sed occurrunt aliquot dubia.

DVBIVM I.

Vtrùm Actio Baptizandi ſit neceſſariò exprimenda?

17 Affe de fide

HÆretici & Catholici omnes admittunt actum baptizantis exprimendum; quod definitũ eſt ab Alexandro III. Cap. *Si quis puerum.* de Baptiſmo & eius effectu. *Si quis*, inquit, *puerũ in aquam immerſerit in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, & non dixerit, Ego te baptizo, puer nõ eſt baptizatus.* Idem patet ex Florentino, vbi hęc forma præſcribitur. Ratio eſt; Quia ſi non exprimeretur actus baptizãdi, forma non ſignificaret effectum Sacramenti: & proinde ſignificatio Sacramenti eſſet indeterminata. Ablutio enim ipſa per ſe non ſatis ſignificat ſpiritalem animæ ablutionem, niſi per verba ad id determinetur, ſicut materia per formam determinari debet.

Actus baptizandi quomodo poſſit exprimi.

Aduerte tamen; actum baptizandi variè poſſe exprimi: ſufficit enim, vt exprimatur; quatenus actu exercetur: vt, *Baptizo te, Baptizaris, Baptizatur*; vel (vt dicunt Græci) *Baptizetur ſeruus Chriſti, in nomine Patris, & Filij &c.* Qui tamen verum baptiſma conferunt, vt definitur in Cõcilio Florentino: ab antequiſſimis enim temporibus hac forma vſi ſunt.

Id abeſtij IV. opinio refutatur.

Quòd autem Innocentius IV. in cap. 1. *de Baptiſmo & eius effectu*, putat, ſi Latinus diceret, *Baptizet te Chriſtus in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*; eum nihil effecturũ, eò quod apud Latinos talis forma non ſit recepta; apud Græcos tamen, vbi hęc forma toleratur, fore ratum baptiſma; fundamẽto caret, & bene refutatur ab Adriano qu. de Baptiſmo art. 3. dub. 2. Ratio eſt, Quia vbicumque locorũ & à quocumque adhibeantur omnia, quæ ſunt de eſſentia Sacramenti, cõficietur Sacramẽtum; neque conſuetudo, vel prohibitio Eccleſiæ eſſentialia poteſt mutare. Et confirmatur in propoſito: quia ſi expreſſio ſolius Miniſtri exercentis actum ſufficit ad eſſentiam Sacramenti, vt patet apud Latinos; cur non expreſſio ſolius Chriſti ſufficiet ſine Miniſtro inferiore, cùm ipſe ſit Miniſter principalis, qui in omnibus Sacramentis ſemper operatur? Vnde etiam in Sacramento Cõfirmationis ad eſſentiam Sacramẽti ſufficit, *Confignet te Chriſtus*: in Pœnitentia, *abſolnat te Chriſtus*: ſicut in extrema vnctione. *Indulgeat tibi Deus.* Quòd autem idem Innocentius ait, non fore baptiſmum; ſi quis dicat *Ego Paulus baptizo te*, vel *baptizetur ſeruus Chriſti à me*, minus habet apparentiæ.

DVBIVM II.

Vtrùm neceſſe ſit exprimere perſonam quæ baptizatur?

18

REſpondeo, Omnium conſenſu id eſſe neceſſarium. Videtur definitũ ab Alexandro III. loco citato. Colligitur Matth. 28. *Baptizantes eos.*

Affirmatur.

Ratio eſt, Primò, Quia alioqui actus baptizandi non ſignificabitur, quatenus hîc & nunc ſit in particulari; quod tamen eſt neceſſarium: nam Sacramentum conſiſtit in actu particulari, qui hîc & nunc ſit circa certum ſubiectum, vt homo intelligat ſe hîc & nunc ſanctificari. Secundò, Quia effectus baptiſmi non eſt remiſſio peccatorum in communi, ſed huic collata: ergo vt Sacramẽtum ſignificet huic conferri gratiam & remiſſionem, debet exprimi perſona cui confertur. Quam ob cauſam etiam in ſacramento Confirmationis, Pœnitentiæ, Ordinis, & extremæ Vnctionis exprimẽda eſt perſona ſuſcipiẽs. Tertiò, Quia baptiſmus eſt ſpiritalis quædam regeneratio: generatio autem requirit diſtinctionem inter generans & genitum; quam diſtinctionem oportebat exprimi. Hinc fit, vt nemo ſeipſum baptizare queat: vt definitum eſt ab Innocentio. III. Cap. *Debitum.* de Baptiſmo & eius effectu. Poteſt autem hęc perſona exprimi, vel dicendo *Baptizo te*; vel vt Græci, *Baptizetur ſeruus Chriſti.* Rectiùs tamen Latini: quia meliùs ſic explicãtur cauſæ baptiſmi, effectus eius, & ipſe actus, vt hîc & nunc obitus. Accedit; Quòd is, qui baptizatur, nondum ſit ſeruus Chriſti, ſed per baptiſmum fiat.

Quomodo exprimenda ſit Perſona quæ baptizatur.

DVBIVM III.

Si quis ſic diceret, Ego te Paulum baptizo &c. *& hic non eſſet Paulus, ſed Petrus: vtrùm eſſet validus Baptiſmus?*

19 Affirmatur.

REſpondeo, Sine dubio eſſe ratum, modò baptizans nõ ita determinet ſuam intentionem ad Paulum, vt intendat excludere Petrum. Ratio eſt; Quia primò & directè intendit baptizare hunc hominem præſentem, quem priuato errore exiſtimat eſſe Paulum: ſed hic priuatus error non poteſt elidere intentionem per ſe ſufficientem, cui intentioni per accidens coniũgitur; nam intẽtio eius nullo modo ab illo errore pẽdet. Nec refert, Quòd falſum ſit, *Ego baptizo te Paulũ*; quia ex intentione ipſius verum eſt: ſenſus enim verborum eſt, *Ego baptizo te, quem puto eſſe Paulum*: qui ſenſus eſt verus; & ſic oratio iſta ab omnibus in hoc caſu acciperetur. Secùs res habet in Sacramento Matrimonij; quia intentio contrahentis ita figitur ad hanc perſonam, vt excludat aliam. Ratio eſt, Quia Matrimonium non ſolùm eſt Sacramentum, ſed etiam quidam contractus ciuilis, in quo eſt quædam permutatio rerum & corporum: vnde poſtulat vt fiat cum perſona determinata, & inter res determinatas.

DVBIVM IV.

Vtrùm neceſſe ſit dicere In nomine, *non* In nominibus?

20

REſpondeò, Id eſſe neceſſarium, adeò vt ſi dicatur *In nominibus*, nihil efficiatur. Eſt cõmunis ſententia Doctorum. Ratio eſt, quia non ſolùm Trinitas perſonarũ, ſed etiam vnitas naturæ hoc Sacramẽto profitenda eſt, cùm ſit Chriſtianæ fidei profeſſio; ad quam non minùs vnitas naturę, quàm Trinitas perſonarum pertinet. Si autem dicatur *In nominibus*, ſignificabitur diuerſitas naturæ, ſaltem numeralis.

In nomine, quid ſignificet.

Notandum autem illud *In nomine*, potiſſimùm tria inſinuare. Primò, *Virtutem & auctoritatem.* Ita D. Thomas, & Cathechiſmus Pij V. quæ vir-

Digitized by Google

rum non meminerit, nihilominùs verè fore conſecratas; nam in actu conſecrationis habet intentionem virtualem; virtus enim & efficacia prioris intentionis manet ſecundùm æſtimationem moralem in operatione externa: nam ex vi illius, ſe ad externam actionem liturgicam applicuit, & hæc ex illa procedit. Sicut quando quis intendit ire Bruxellam, & ex vi huius intentionis ſe applicat itineri, in tota illa profectione manet vis intentionis, donec peruentum ſit ad terminum, vel donec actio impediatur, vel intentio mutetur, etiaſi nihil amplius de profectione cogitet.

conſecratas ex virtuali intentione.

Quæri tamen hic poſſet (de quo nuper conſultus) Si Sacriſtanus Sacerdote celebrante apponat hoſtias inter puluillum & Corporale, & Sacerdos id aduertat & conſecrare intendat: mox tamen omnino obliuiſcatur, ita vt pyxidem non attingat, nec ſuper Corporale transferat: Quæri inquam poſſet; Verùm tales hoſtiæ verè cenſendæ ſint conſecratæ, ob illam intentionem præcedentem?

Præcipe caſum quo nullo modo poſtea ſacerdos ad eas reflectat.

Reſpondeo, Mihi videri eas non eſſe conſecratas: quia illa intentio non videtur influere, cùm nec actu, nec virtute videatur manere. Quòd actu non maneat, per ſe manifeſtum eſt: quia actualis intentio non poteſt ſtare cum obliuione & defectu cognitionis. Non manere etiam virtute, indè videtur apertè colligi, quia nullus ex ea effectus ſequitur, qui tendat determinatè ad illas paruas hoſtias. Semper enim cùm eſt intentio virtualis, debet ex actuali intentione præuia, ſequi aliqua ſeries actionum tendentium ad illum effectum, qui virtualiter dicitur intentus. Cùm enim intentio in ſe non maneat, debet manere in effectu ſuo vlter iùs tendente vſque ad ipſum opus: vt multis exemplis oſtendi poteſt. Alioqui nulla eſt ratio cur dicatur virtualiter manere. At in propoſito nulla talis ſeries actionum oſtendi poteſt. Nam continuatio Miſſæ vſque ad Conſecrationem, non ſequitur ex vi intentionis conſecrandi paruas hoſtias, ſed ex conſueta intentione celebrandi & conſecrandi magnam, quam habet in patena, & ſumit in manus, &c. Neque dici poteſt, illas actiones omnes ideò hîc & nunc fieri ab iſto Sacerdote, quia conſtituit conſecrare paruas hoſtias; ſed ſolùm, quia intendit more conſueto offerre ſacrificium. Itaque intentio conſecrandi paruas hoſtias, nullam omnino variationem facit circa conſuetas actiones. Secùs eſſet ſi propter paruas hoſtias citiùs ſe applicaſſet ad faciendum Sacrum: tunc enim illa actio tota quatenus hîc & nunc fit, ſequeretur ex vi intentionis circa paruas hoſtias. Item ſecùs eſſet, ſi quando erat conſecraturus paruas hoſtias, ſolebat adhibere certã ſeriem actionum, quam aliàs non adhibebat, v. g. extendendo cruces, quas facit ſuper oblata, ad pyxidem; vel applicando pyxidem calici circa tempus conſecrationis, vel illam tunc aperiendo, etiamſi id fiat cum magna diſtractione, nihil diſtinctè cogitando de paruis hoſtijs.

Confirmantur hæc omnia, Quia qui aliquid intendit virtualiter, ita eſt diſpoſitus & affectu & imaginatione quadam confuſa circa id quod facit, vt ſi reflectat mentem ſuper ſuam actionem, ſtatim ſit animaduerſurus diſtinctè quid agat, & cuius rei cauſa agat, adeò vt ſi rogetur quid hac actione intendat, ſtatim abſque alio diſcurſu reſponſurus ſit, ſe, hoc intendere, hoc moliri, v. g. Proficiſci Romam, ædificare domum, offerre ſacrificium, &c. Itaque ſi quis duos fines intendat, alterum primariò, alterum ſecundariò, & ita oblitus eſt finis ſecundarij, vt ſi rogaretur quid ſua actione intenderet, ſolùm reſponderet de primario, non video quomodo ille dici poſſit habere intentionem virtualem circa ſecundarium.

Idem varijs exemplis declarari poſſet. Vadit quis Romam eo fine, vt à Summo Pontifice obtineat beneficium: in itinere poſitus cogitat ſe ibi habere amicum, quem proponit: cùm Romæ fuerit, ſalutare: ſed paulò poſt ſtatim ita obliuiſcitur, vt toto itinere ei in mentem non veniat. Quis dicat hunc hominem toto itinere intendere virtualiter ſalutationem amici, & totam hanc profectionem ab illo fieri, vt amici illius colloquio fruatur? Ob hæc & alia multa, puto hanc ſententiam eſſe veram. Non tamen damno contrariam.

ARTICVLVS IX.

Vtrum fides Miniſtri ſit de neceſſitate Sacramenti?

PRimus qui docuit fidem neceſſariam ad Sacramenti perfectionem, videtur fuiſſe Agrippinus Carthaginenſis Epiſcopus ante tempora Cypriani; quem ſecutus eſt poſteà Cyprianus, & plurimi Africæ Epiſcopi. Pro qua ſententia ſtabilienda Cyprianus coëgit tres Synodos in Africa, quarum meminit D. Auguſt. lib. 2. de Baptiſmo. cap. 9. & lib. 3. cap. 1. Idem poſteà cum pertinacia tenuêre Donatiſtæ, & alij artic. 5. citati. 24 *Sententia Hæretica affirmat.*

Verùm fide tenendum eſt, baptiſmum ab hæreticis collatum, & alia Sacramenta, ſi nihil ex neceſſarijs deſit, legitima eſſe. Hanc veritatem admittunt hæretici noſtri temporis. *Catholica negat.*

Probatur Primò, Ex vniuerſalis Eccleſiæ traditione, & conſuetudine, quæ vbique vſque adtempora Agrippini perſeuerauit, qui primus cœpit illam mutare, baptizatos, ab hæreticis rebaptizans: vt docet Stephanus Papa epiſt. ad Cyprianum; & D. Auguſtinus lib. 2. de baptiſmo contra Donatiſtas cap. 8. & Vicentius Lirinenſis in ſuo Opuſculo, vbi ait, *Primus omnium mortalium* (ſcilicet Agrippinus) *contra diuinum Canonem, contra vniuerſalis Eccleſiæ regulam, contra ſenſum omnium cæſaedorum, contra morem & inſtituta maiorum rebaptizandum eſſe cenſebat*, ſcilicet baptizatum ab hæretico.

Probatur Secundò, Ex Concilijs. Nam ſtatim poſt mortem Cypriani hæc veritas definita eſt in Concilio plenario, vt teſtatur D. Auguſt. multis locis, ſcilicet lib. 2. de Baptiſmo. cap. 3. 4. 5. 7. 9. quod Concilium videtur fuiſſe Nicænum, nam etiam Hieronymus in Dialogo contra Luciferianos ſub finem, dicit Concilium Nicænum recepiſſe eos, qui ab hæreſi redirent, ſingulos in ſuo gradu, præter Paulianiſtas, de quibus habemus in Canone 19. vbi Paulianiſtæ & Cataphryges iubentur rebaptizari, eò quòd non vterentur legitimâ formâ. Canone tamen 8. recipiuntur Nouatiani abſq; iteratione baptiſmi, quia ſcilicet legitimâ formâ vtebantur, etſi eſſent hæretici. Idem probatur ex Cõcilio Arelatenſi I. can. 8. & Carthaginenſi I. can. 1. Denique ex Conſtantienſi ſeſſ. 8. quatenus damnat Articulum 4. Vicleſi. Et ex Tridentino ſeſſ. 7. can. 4. *Concil.*

Probatur Tertiò Rationibus artic. 5. allatis. Præcipua ratio eſt, quia Sacramenta habent efficaciam ex inſtitutione & meritis Chriſti; vtde parum refert, qualis ſit miniſter, ſiue fidem habeat ſiue non. Sicut enim Miniſtri merita non tribuũt Sacramento virtutem, ita nec de merita adimũt. Vide D. Auguſt. tractatu 5. & 6. in Ioannem. *Ratio.*

25 Extra Eccleſiam nō eſt ſalus, & quomodo.

Sed contrà. Obijciuntur varia teſtimonia ex Scripturis, quæ refert & ſoluit D. Auguſtinus ſeptem libris contra Donatiſtas, potiſſimùm duobus poſterioribus. Præcipua ſunt ea, quæ probãt, extra Eccleſiam non eſſe ſalutem: ſicut nec extra Arcam Noë, quæ Eccleſiæ erat figura.

Reſpondeo, Qui eſt extra Eccleſiam, non poteſt ſaluari, ſicut neque extra Arcam: tamen qui eſt in Eccleſia, fidem Eccleſiæ tenens, poteſt accipere ea per quæ ſaluatur, ab eo qui eſt extra Eccleſiam. Sicut ſi hæreticus alicui traderet Eccleſię doctrinam, illum faceret fidelem: ergo pari ratione, ſi traderet ei Eccleſiæ Sacramenta, faceret Chriſtianum: non enim hæreſis in illas functiones influit; ſicut nec morbus Medici incurationes ęgroti, quare necvitiat eas.

Nec obſtat; Quòd ſit vnum Baptiſma; quia hæreticorum Baptiſma, eſt Baptiſma Chriſti.

Vnum Baptiſma, & quomodo.

Vnum enim dicitur Baptiſma, quia ab vno inſtitutum & ab vno vim habet, cuius nomine in vna forma & materia celebratur, nec variatur pro meritis Miniſtrorum. Reliqua teſtimonia, ſi quid efficerent, non minùs probarent de Sacramentis, quæ conferuntur à malis Catholicis, quã quæ ab hæreticis: vnde non minùs contra Cyprianum faciunt, quàm pro illo, qui per malos, ſi fideles ſint, ſentit conferri, vera Sacramenta.

ARTICVLVS X.

Vtrum intentio recta Miniſtri requiratur ad perfectionem Sacramenti?

Hic Articulus intelligitur ex dictis Articulo 8.

QVÆSTIO LXV.

De Numero Sacramentorum.

In Quatuor Articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Vtrum debeant eſſe ſeptem ſacramenta Eccleſiæ?

1 Diſcrepantia Hæreticorum.

HÆretici huius temporis in eo conueniũt quòd nolint eſſe ſeptem Sacramenta; ſed diſcrepant & à ſeiptis interdum, & aliĳs ab aliĳs in ſtatuendo numero Sacramentorum. Lutherus de Captiuitate Babyl. fol. 65. *Negandа mihi ſunt ſeptem Sacramenta, & pro tempore ponenda tria; Baptiſmus, Panitentia, Panis.* Paulò pòſt fol. 88. rigidè loquendo dicit tantùm eſſe duo, Baptiſmum & Panem: quia hæc ſola conſtant ſignis viſibilibus, & habẽt diuinam promiſſionem. Pœnitentia autem caret ſigno viſibili diuinitus inſtituto. Alibi, ſcilicet lib. ad Vvaldenſes, dicit proprie & more Scripturæ loquendo eſſe tantùm vnum, ſcilicet Baptiſmum. Philippus Melanthon in locis communibus anni 1522. ponit duo tantùm, nec plura inueniri dicit apud Auguſtinum, ſcilicet Baptiſmum & Panem. Anno 1530. in Apologia confeſſionis Auguſtanę, tria; Baptiſmum, Panem, Abſolutionem. Anno 1552. & 1558. in locis, quatuor; Baptiſmum Panem, Abſolutionem, Ordinem. Bucerus lib. 1. de Regno Chriſti c. 7. tria; Baptiſmum, Cęnam, & Ordinem. Caluinus lib. 4. Inſtit. cap. 18. §. 19. & 20. tenet Baptiſmum & Cęnam tantùm. C. 19. §. 31. Ordinem preſbyterij recipit pro Sacramento. Et in c. 19. Actorum admittit confirmationem tempore Apoſtolorum fuiſſe Sacramentum. Zuinglius lib. De vera & falſa religione cap. de Matrimonio, admittit Matrimonium eſſe Sacramentum, & illud cæteris præponit. Ibidem c. de Sacramentis ponit tantùm duo; Baptiſmum & Cęnã.

2 De fide eſt eſſe ſeptem Sacramenta.

Reſpondeo & Dico; Certum eſt de fide, Septem eſſe verè & propriè dicta Sacramenta nouæ legis, nec plura nec pauciora. Eſt definitum in Concil. Trident. ſeſſ. 7. can. 1. & Florentino in decreto vnionis Armenorum.

Ex ſcript.

Probatur Primò, Ex Scripturis. De Baptiſmo quidem & Euchariſtia Hæretici nobiſcũ ſentiũt. De Confirmatione dicitur Actorum 8. & 19. quòd Apoſtoli *imponebant manus ſuper eos* (ſcilicet baptizatos) *& accipiebant Spiritum ſanctum*: vbi videmus ſignum externum, & gratiam Spiritus ſancti; quæ duo requiruntur ad Sacramentum. De Abſolutione & Pœnitentia, Ioannis 20. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.* De Ordine, 1. ad Timoth. 4. *Noli negligere gratiam, quæ data eſt tibi per prophetiam, cum impoſitione manuum preſbiterij.* De extrema vnctione, Iacobi 5. *Infirmatur quis in vobis*, &c. De Matrimonio ad Epheſ. 5. *Sacramẽtum hoc magnum eſt* &c.

Obijciunt Hęretici: Nullibi in Scriptura dicuntur eſſe ſeptem Sacramenta.

Reſpondeo Primò, Nullibi etiam dicuntur eſſe duo, vel tria, vel quatuor, vt Hæretici volunt. Secundò, Satis eſt, vt poſſint colligi ex varijs locis, in quibus fit horum mentio. Tertiò, Etſi non poſſit omnino apertè conuinci ex Scripturis eſſe ſeptem Sacramenta, non tamen ideò iſte numerus eſt, negandus. Nam neque ex Scripturis vllo modo colligi poteſt numerus librorum Canonicorum, & tamen Hæretici etiam confidenter ponunt numerum certum eorum, vt patet manifeſtè in quatuor Euangelijs: nam de fide eſt eſſe quatuor Euangelia: & tamen hoc nullibi aſſeritur in Scriptura, neque ex ea colligi poteſt.

Reſpondetur hæreticorum refellitur.

Quartò denique, Dico ex Scriptura ſumi multas coniecturas, ex quibus probabiliter colligi poteſt ſeptenarius numerus Sacramentorum. Nã ſignificatur hic numerus Prou. 9. per *Septem columnas*, quas Sapientia, ſcilicet Chriſtus, excidit in domo Eccleſiæ, idque etiam ſecundùm Caluinũ, qui lib. 4. Inſtit. cap. 14. dicit, *Sacramenta eſſe Fidei & Eccleſiaſtici ædificij columnas.* Similiter per *Septem ſigilla* quæ vidit Ioannes Apoc. 5. nã vt etiam omnes hæretici fatentur, Sacramenta ſũt quędam ſigilla. Item per *Septem ſtellas*, quas Filius hominis in dextera tenebat, Apoc. 2. nam per Sacramenta Chriſtus Eccleſiam illuminat. Per *Septem tubas*, quas Angeli habent Apoc. 8. Angeli enim ſunt Chriſti Apoſtoli, iuxtà vaticinium Iſaiæ 52. v. 7. *Quam pulchri ſuper montes pedes annuntiãtis & prædicantis pacem*, qui ſeptẽ iſtis Sacramẽtis fidem propagarunt. Per *Septem oculos*, quos vidit:

3 Septenarius ſacramentorum numerus præfiguratus.

Zacharias c. 4. ſuper lapidem, id eſt, Chriſtum: quia Sacramenta meritis Chriſti nituntur. Per *Septem lucernas*, quibus conſtructum erat candelabrũ templi: quia domus Dei, ſcilicet Eccleſia, ſeptem Sacramentis illuſtratur. Per *Septem lotiones*, quibus Naamam leproſus, id eſt, peccator, in Iordane, nempe in ſanguine Chriſti, mundatus eſt a lepra. Per *Septem buccinas*, quibus euerſa eſt Iericho, id eſt, ciuitas peccatorum. Per *Septem ſpicas plenas*, quas vidit Pharao. Denique *ſeptem diebus*, fiebat peccatorum expiatio & ſanctificatio. Deut. 15. & 16. & Exodi 29. Hæ figuræ valdè probabilem & rationi conſentaneum faciunt hunc numerum Sacramentorum.

Probatur Secundò, Ex Concilijs Florentino & Tridentino ſuprà allatis. Antiquiora non habemus, quæ definiant hunc numerum; quia nondum fuerat hæreſis quę hoc directè negaret. Nam etiam Ioannes Hus, quem noſtri Hæretici ferè in omnibus ſequũtur, apertè ſenſit eſſe ſeptem Sacramenta, vt patet in Concilio Conſtantienſi ſeſſ. 16. art. 8. Accedit quòd in tota Eccleſia Catholica hic numerus ſemper fuerit ſeruatus, nec poteſt oſtendi à quo Concilio, vel Pontifice ſit introductus: quod eſt certiſſimum ſignum eſſe ex traditione Apoſtolica, iuxtà regulam D. Auguſtini epiſt. 118. & lib. 4. de Bapt. c. 24. Idem docent omnes Doctores Scolaſtici.

4 Ex Concil.

Probatur Tertiò, Ratione. Ratio à priori eſt, ſola Chriſti volũtas. Poſſunt tamen adferri optimæ congruentiæ & coniecturæ, quibus oſtendatur hunc numerum eſſe valdè rationi conſentaneum. Prior eſt, Quia Sacramentis formatur & perficitur Eccleſia, & vita ſpiritualis. Baptiſmo enim regeneramur in vitam ſpiritalem. Confirmatione, corroboramur & inſtruimur ad pugnã. Euchariſtiã, alimur in vita ſpiritali. Pœnitẽtiã, curamur à morbis ſpiritualibus. Extrema Vnctione, tolluntur reliquiæ morborũ ſpiritualium. Ordine, conſtituuntur Duces militiæ ſpiritualis. Matrimonio, propagatur Eccleſia ſecundùm carnem. Secunda eſt, Quia Sacramenta reſpondent ſeptem virtutibus: Baptiſmus, Fidei; extrema Vnctio, Spei; Euchariſtia, Charitati; Ordo, Prudentiæ; Pœnitentia, Iuſtitiæ; Confirmatio, Fortitudini, & Matrimonium, Temperantiæ.

5 Duplex ratio conueniẽtiæ.

6 Obiectio hæreticorum ex Auguſt.

Obiiciunt Hæretici quædam teſtimonia Patrum. Primò, Caluinus lib 4. Inſt. c. 19. §. 12. dicit Auguſtinum tantùm agnoſcere duo Sacramenta, epiſtola 118. ad Ianuarium, vbi ſic ait; *Sacramentis numero paucisſimis, obſeruatione facillimis, ſignificatione præſtantiſſimis, ſocietatem noui populi colligari; ſicut eſt Baptiſmus & Communicatio corporis & ſanguinis Domini, & ſi quid aliud in Scriptura Canonica commendatur.*

Soluitur.

Reſpondeo; D. Auguſtinus ſi non exiſtimaſſet eſſe alia præter hæc duo, non dixiſſet, *Et ſi quid aliud &c.* Deinde, non dixiſſet, *Sicut eſt Baptiſmus & Communicatio*, quaſi exempli loco illa adferẽs: ſed dixiſſet, Quæ ſunt; Baptiſmus & Communicatio; nimirum enumerando omnia Sacramenta, quibus populi Chriſtiani Societas colligatur. Deinde, ex alijs locis conſtat D. Auguſtinum ſenſiſſe eſſe plura Sacramẽta, quàm duo vel tria. Nam concione 1. in pſal 103. ſic ait: *Munus Sacramentorum, in Baptiſmo, in Euchariſtia, in cæteris ſanctis Sacramentis, quale munus eſt?* Vnde patet Auguſtinum præter hæc duo, ponere aliquot alia. Deinde l. 5. de Baptiſmo c. 20. expreſsè numerat quatuor, dicens; *Quomodo exaudit homicidã deprecantẽ vel ſuper Aquã Baptiſmi, vel ſuper Oleũ, vel ſuper Euchariſtiã, vel ſuper capita eorũ quibus manus imponitur?* id eſt, qui abſoluuntur à peccatis. De extrema Vnctione vide eundem lib. 2. de Viſitatione infirmorum c. 4. qui liber, etſi non conſtet omnino an ſit Auguſtini, tamen non poteſt probari contrarium. De Matrimonio clarè lib. de Bono coniugali c. 7. 15. 18. & 24. vbi docet Matrimonium eſſe indiſſolubile, & non amitti per diuortium, quia eſt Sacramentum: ſicut Ordo non amittitur, quia eſt Sacramentum. De Ordine c. 24. eiuſdem libri & 1. de Bapt. cap. 1. vbi dicit Ordinem eſſe Sacramentum, ſicut eſt Baptiſmus.

7 2. Obiectio, quòd Patres nũquam numerẽt ſeptem Sacramenta. Soluitur.

Secundò, Obijcit Kemnitius & alij Hæretici, Quòd Patres cùm ſermonem de Sacramentis ex profeſſo inſtituunt, numquam numerãt ſeptem Sacramenta, neque tractant de ſeptem, ſed tantùm de tribus vel duobus: vt Dionyſius, Iuſtinus, Cyrillus Hieroſolimitanus & Ambroſius.

Reſpondeo Primò, Iſtud argumentum eſt ab authoritate negatiuè, quo quiduis probari poteſt. Secundò, Illis Patribus non erat propoſitum tractare de omnibus Sacramentis, ſed tantùm de quibuſdam quæ ad illorum propoſitum pertinebant. Dionyſius Areop. lib. de Eccleſiaſtica Hierarchia tractat tantùm de quatuor; nempe de Baptiſmo, Confirmatione, Euchariſtia, Ordine: tamen epiſtola ad Demophilum meminit expreſsè Pœnitentiæ. Ratio eſt, Quia ipſius mens non erat agere de omnibus vel de ſolis Sacramentis: nam agit etiam de vnctione mortuorum, & conſecratione monachorum, quæ non ſunt Sacramẽta: ſed tantùm agit de illis in quibus maximè cernitur officium Pontificis, & functio hierarchica: vt patet ex initio libri. Cyrillus autem & Ambroſius & etiam Iuſtinus tantùm agunt de illis Sacramentis quæ in initio recipi ſolent, quando aliquis cooptabatur in Eccleſiam: quæ ſunt, Baptiſmus, Confirmatio & Euchariſtia. Patet hoc ex præfationibus & initiis ipſorum librorum. Cyrillus enim Neophytos alloquens, dicit ſe velle tractare de iis quę iam experientia edocti fuerãt. Et Ambroſius, *De Sacramentis*, inquit, *quæ accepiſtis, ſermonem adorior.* Vnde patet ex Patribus nullum eſſe teſtimonium quo vel in ſpeciem hic numerus refellatur. Quamuis enim non numerent ex ordine ſeptem Sacramenta tamen apud illos omnia variis locis reperiuntur, vt fuſiùs oſtendetur cùm agemus de ſingulis.

ARTICVLVS II.

Vtrum Sacramenta conuenienter ordinentur ſecundum modum prædictum?

8 DOcet hoc articulo hunc eſſe ordinem Sacramentorum: Baptiſmus, Confirmatio, Euchariſtia, Pœnitentia, extrema Vnctio, Ordo, Matrimonium. Quo ordine etiam à Concil. Trident. ſeſſ. 7. can. 1. & à Florentino in inſtructione Armenorum enumerantur. Vide D. Thomam. Hîc ſolùm notandum, hunc ordinem eſſe aſſignatum iuxtà ordinem procedendi, quo Eccleſiæ membra perficiuntur, primò in ſeipſis, deinde reſpectu aliorum.

ARTICVLVS III.

Vtrum Sacramentum Euchariſtiæ ſit potiſſimum?

9 REſpondeo: Sacramentum Euchariſtiæ eſſe præſtantiſſimum. Eſt definitum à Concil. Trident. ſeſſ. 13. c. 3. Et ſeſs. 7. can. 3. definit Sacramenta non ita eſſe inter ſe paria, vt nulla ratione aliud alio ſit dignius. Quod eſt contra Caluiniſtas, qui volunt omnia Sacramenta eſse paria, quia vbique par eſt verbi Dei dignitas, quo Sacramenta conſtant.

Quadruplex ratio. Ratio Concluſionis eſt, Quia Euchariſtia continet ipſum fontem omnis gratiæ, cum tota plenitudine ſuorum meritorum: reliqua Sacramenta tantùm continent portionem quandá meritorum Chriſti, & certam gratię mẽſuram. Deinde, reliqua Sacramenta conſiſtunt in vſu & motione quadam trãſeunte; non enim ſunt, niſi dum ſuſcipiuntur: Euchariſtia autem eſt Sacramentum permanens. Vnde à Dionyſio c. 3. parte 1. de Eccleſiaſtica Hierarch. rectè vocatur Τελετῶν τελετή, id eſt, *Initiatio initiationum*, ſeu Sacramentum Sacramẽtorum. Adde duas alias rationes, quas habet D. Thomas. Itaque Tertia Ratio eſt, Quia reliqua Sacramenta ordinãtur ad Euchariſtiam, tamquam ad finem. Quarta eſt, Quia omnia Sacramenta in Euchariſtia conſummantur.

10 Singula Sacramẽta propriã habent excellentiã. Quòd ad reliqua Sacramenta attinet: Notandum Primò, Singula habere quandam propriam excellentiã, quâ cæteris præſtent: nam Baptiſmus excedit effectu; dimittit enim peccatum originale & omnem pœnam. Confirmatio excellit gratiæ plenitudine, quæ datur ad fidei profeſſionẽ. Pœnitentia excellit quatenus excitat mortuos, & quia lapſis eſt vnicum remedium. Extrema Vnctio excellit quatenus tollit reliquias peccatorum; & etiam interdum præſtat effectu corporalem ſanitatem vi Sacramenti. Ordo excellit dignitate Miniſtri, & quia hominem in ſublimi gradu collocat. Matrimonium excellit ob ſignificationem: ſignificat enim duplicem Chriſti vnionem, hypoſtaticam nempe & charitatis. 11

Notandum Secundò, Cùm D. Thomas ait, *Extremam Vnctionem eſſe diſpoſitionem ad Euchariſtiam*, non velle ipſum dicere extremã Vnctionem neceſsariò præcedere, antequã Euchariſtiæ ſumamus viaticũ: nam extremo loco ſolet Sacramentum extremę Vnctionis infirmis cõferri. Sed hoc dicit propter effectũ Sacraméti extremæ Vnctionis, qui eſt, tollere reliquias peccatorũ: quibus ſublatis, homo reparatur ad actionẽ Chriſto coniunctiorem, qui proprius eſt Euchariſtiæ effectus.

ARTICVLVS IV.

Vtrum omnia Sacramenta ſint ad ſalutem neceſſaria?

REſpõdet D. Tho. Baptiſmum eſse omnibus abſolutè neceſsarium: Pœnitentiam omnibus lapſis in peccatum mortiferum poſt Baptiſmum: Ordinem non ſingulis, ſed Eccleſiæ. Reliqua autem Sacramenta non abſolutè eſse neceſſaria, ſed vt cõmodiùs ad ſalutẽ perueniatur. De hoc plura cùm de ſingulis deinceps tractabimus. 12

DE SACRAMENTIS IN SPECIE.

DE BAPTISMO.

QVÆSTIO LXVI.

Quantum ad ea, quæ ad ipſum Baptiſma pertinent.

In Duodecim Articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Vtrum Baptiſmus ſit ablutio?

1 Varia baptiſmi nomina, & vnde. REſpondetur; Baptiſmum eſse externam ablutionem ſub præſcripta verborum forma.

Notandum eſt; Sicut Chriſtus Baptiſmi auctor, ob ſuam perfectionem multis nominibus appellatur; ita etiam Baptiſmus. Et primò dicitur *Baptiſmus* quia animam abluit à peccatis. Dicitur *Lauacrum aquę in verbo vitæ* ad Epheſ. 5. v. 26. quia confertur cum verbo ſpiritualiter viuificante. Dicitur *Lauacrum regenerationis* ad Tit. 3. quia per illud, nouum eſse & nouam vitam accipimus: Dicitur *Indumentum*, quia per illud Chriſtum induimus, & velamus noſtram ignominiam, ad Gal. 3. Dicitur *Illuminatio*, quia animam fide illuſtrat, ad Hebr. 1. Dicitur *Circumciſio non manu facta*, quia cor circumcidit, reſecans omnia peccata, ad Coloſs. 2. Denique dicitur *Crucifixio & ſepultura cũ Chriſto*. ad Rom. 6. quia homo moritur peccatis, & quodammodò cenſetur cum Chriſto crucifigi, mori, ſepeliri, ſecundùm vitam peccatorum.

DVBIVM. I.

Quid ſit Baptiſmus?

REſpondeo; Varijs modis poſse deſcribi, vt patet ex D. Thoma. Vt, *Baptiſmus eſt Sacramentum regenerationis*. Eſt, *Lauacrum aquæ in ver-* 2 Baptiſmi definitio.

Digitized

bo vitæ &c. Breuiſſimè tamen, & pleniſſimè ſic: *Baptiſmus eſt Sacramentum ablutionis ſub innocatione Trinitatis.* Dico *Sacramẽtum*, quia eſt genus Baptiſmi. Dico *Ablutionis*, loco differentiæ.

Vbi aduerte, Dupliciter Sacramentum Baptiſmi poſſe dici Sacramentum Ablutionis: Primò, Vt ſenſus ſit, *Baptiſmus eſt Sacramentum, quod eſt ablutio:* Secùdò, Vt ſenſus ſit, *Baptiſmus eſt Sacramẽtum conſtans ablutione & innocatione Trinitatis, ſub qua fit ipſa ablutio:* Priorem ſenſũ amplectitur Sotus diſt. 3. artic. 1. Cenſet enim Sacramentum Baptiſmi eſſe ſolam ablutionem: quatenus tamen ordinem habet ad illam verborum formã, ita vt forma illa non ſit pars Sacramenti, ex qua ipſum intrinſecè conſtet, ſed ſolùm circumſtantia quędam externa ſignificationem ablutionis determinans ad aliquid ſpiritale deſignãdum, & efficiens vt ſit cæremonia religioſa. Vnde etiam vult totam ſignificationem Sacramentalem eſſe in ſola ablutione; quamuis ratio, cur conueniat ei talis ſignificatio, ſit ordo ad formulam verborũ. Sed hęc ſententia ſuprà refutata eſt qu. 60. vbi oſtenſum eſt, Sacramenta conſtare materia & forma tamquam partibus intrinſecis. Et confirmatur in propoſito; Quia ablutio non ſolùm habet neceſſarium ordinem ad verba, ſed etiam ad Miniſtrũ, & eius intentionem, & ad ſuſcipientem: ergo ſi verba dicuntur forma, vel pars Sacramenti, cò quòd Sacramentum habeat neceſſarium ordinem ſeu habitudinem ad illa; etiam Miniſter, eiuſque intentio, & ſuſcipiens poterunt dici pars & forma Sacramenti; quod tamen nemo dixerit.

Sotus.

Soti opinio refutatur.

Sacramentum ergo Baptiſmi non eſt ſola ablutio; vt rectè Scotus diſt. 3. qu. 1. ſed ablutio cum inuocatione Trinitatis, ſub qua ipſa ablutio peragitur. Vnde cùm dicitur, *Baptiſmus eſt Sacramẽtum ablutionis ſub innocatione Trinitatis*, non ſignificatur ipſam innocationem non eſſe partem Sacramenti, aut ſolùm in obliquo reſpicere Sacramẽtum: ſed ſignificatur ordo, quem vna pars Sacramenti habet ad alteram; Ablutio ſcilicet ad Inuocationem. Sacramentum enim conſtat ex ablutione, & inuocatione, talem inter ſe ordinem habentibus, vt ipſa ablutio fiat ſub inuocatione Trinitatis. Nec obſtat, quòd Sacramentum Baptiſmi rectè dicatur *Ablutio*, quia per Synechdochen pars rectè dicitur de toto, & contrà: quomodo etiam Sacramentum Pœnitentiæ vocatur Pœnitentia, licet maxima ex parte conſiſtat in Abſolutione.

Explicatur definitio Baptiſmi.

DVBIVM. II.

Vtrùm iſta Ablutio conſiſtat in actione, an in paſſione?

3 REſpondeò, In Ablutione quatuor poſſe conſiderari: Aquam, Corpus, Contactum aquæ quo aqua dicitur contingere corpus, & Contactum corporis quo corpus aquam tangit.

Ablutio igitur conſiſtit, non in contactu, quo corpus tangit aquam, (quia hic contactus identificatur corpori, & ſic corpus eſſet materia proxima Baptiſmi:) ſed in contactu aquę, quo aqua contingit corpus, qui nihil eſt aliud quam contiguitas ipſius aquæ ad corpus. Sic D. Auguſtinus Tractatu 80. in Ioannem. *Vnde tãta virtus aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat?* Hinc patet Ablutionem non eſſe aliquam Phyſicã actionem aut paſſionem, (cùm non terminetur ad aliquam qualitatem) ſed modum quemdam ipſius aquæ, qui modus non diſtinguitur realiter ab aqua, ſed eſt ipſa aqua, ſic ſe habens; id eſt, corpori applicata, & quodammodò à corpore excepta, per quam formaliter corpus dicitur *tangi, abluí*, denominatione extrinſeca: & ſic habet modum quemdam paſſionis, licet non ſit paſſio. Vnde Ablutio eſt pars Sacramenti, quatenus habet modum cuiuſdam paſſionis; debet enim conſiderari quatenus ab ea *corpus* dicitur *ablui*: ſic enim & non aliter mundat aqua: cuius ſignum eſt, quod Sacramentum Baptiſmi multiplicetur pro diuerſitate corporum ſuſcipientium; non autem pro diuerſitate actuum Miniſtri, cùm vna actione multi poſſint Baptizari.

Ablutio Baptiſmi conſiſtit in contactu aquæ ad corpus inſtar paſſionis.

Aduerte tamen; Ablutionem ordinariè fieri cũ quodam motu, vel aquę per corpus, vt in perfuſione: vel corporis per aquam, vt in immerſione: vnde eſt contactus aquæ ſucceſſiuus. Fieri tamen poteſt, vt aqua ſimul partem aliquam ſufficientem tangat, & tunc fit in momento; vnde abſolutè non eſt de ratione ablutionis, vt ſucceſſiuè fiat.

Non eſt neceſſe vt fiat ſucceſſiuè.

ARTICVLVS. II.

Vtrum Baptiſmus ſit inſtitutus poſt Chriſti paſſionem?

REſpondet D. Thomas, Baptiſmum eſſe inſtitutum, quando Chriſtus in Iordane baptizabatur: Cæpiſſe autem obligare poſt paſſionem & reſurrectionem, ceſſantibus legalibus. 4

DVBIVM. I.

Quando Baptiſmus fit inſtitutus?

MVlti Patres ſentire videntur inſtitutũ poſt reſurrectionem Matth. 28. v. 28. cùm dictum eſt Apoſtolis, *Euntes docete omnes gẽtes, Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Eum verò Baptiſmum, quo diſcipuli Chriſti ante paſſionem baptizabant, fuiſſe Ioannis. Ita ſentire videtur Tertull. lib. de Baptiſmo c. 11. Chryſoſt. hom. 28. in Ioan. explicãs illud Ioan. 7. v. 39. *Nondum erat ſpiritus datus, quia* IESVS *nondum erat glorificatus.* & Theophilactus in caput 3. Ioannis. Hieronymus Dialogo contra Luciferianos explicans eundem locum: & D. Leo epiſt. 4. ad Epiſcopos Sicilię cap. 3. Rationes ſunt. Prima, locus iſte Ioannis 7. *Nodum erat ſpiritus datus* &c. Ergo nec Baptiſmus inſtitutus, quo datur Spiritus S. Ita Chryſoſt. Secunda, Quia Baptiſmus vim habet à paſſione & morte Domini: ergo antèà erat ineffícax; ac proinde non erat Chriſti Baptiſmus ſanctificans; ſed Ioãnis. Tertia, Quia Apoſtoli nondum erant inſtituti ſacerdotes, vt poſſent baptizare: hoc enim factum, vel poſt reſurrectionem, Ioãnis 20. vel certè in vltima Cœna. Quarta, Quia forma baptiſmi nuſquam inuenitur expreſſa, niſi poſt reſurrectioné: ergo &c. Quinta, Quia per baptiſmum conformamur morti & reſurrectioni Chriſti. Arqui ante Chriſti mortem & reſurrectionem non poteramus illi conformari: exemplar enim prius eſt, quàm eius imitatio. Verùm his nil obſtantibus, altera ſententia eſt longè verior. Pro qua

Multorũ Patrum ſententia poſt reſurrectionem eſſe inſtitutum.

5 Baptiſmus inſtitutus eſt ante Chriſti Paſſionẽ.

Dico Primò, Probabiliſſimum eſt Chriſti Baptiſmum eſſe inſtitutum antè Paſſionem. Eſt communior ſententia cum Magiſtro diſt. 3. & expreſsè D. Auguſtini epiſt. 108. ad Seleucianum, vbi ait, Chriſtum Baptizaſſe non ſuis manibus, ſed per Apoſtolos; vt intelligamus ipſum Baptizaſſe præſentiâ maieſtatis, ipſiuſque fuiſſe baptiſmi Sa-

Google

cramentum, Apoſtolorum autem duntaxat Miniſterium. Et infra docet Apoſtolos à Chriſto Baptizatos. Idem tractatu 15. in Ioannem ait, Chriſto adhuc in carne agente ita Baptizaſſe Apoſtolos, ſicut modo Baptizant Apoſtolici Sacerdotes; & ita per eos tunc mundaſſe peccata, ſicut modò facit. Idem inſi uat Cyrillus lib. 2. in Ioannem cap. 76. & Alcuinus in cap. 4. Ioannis, apud D. Thomam in Catena.

Probatur primò, Ioan. 3. dicitur quod Chriſtus Baptizauit, nempe per diſcipulos ſuos, vt explicatur cap. 4. quo ſignificatur ipſum fuiſſe auctorem illius Baptiſmi (vt inquit D. Auguſtinus) eiuſque vicem Apoſtolos in Baptizando geſſiſſe. 2. Ibidem Ioannis 3. dicitur diſcipulos Ioannis Baptiſtæ conqueſtos, quòd Chriſtus Baptizaret, quaſi per hoc Ioannis gloria videretur obſcurari. Quod euidens ſignum eſt Chriſtum ſuo Baptiſmo fuiſſe vſum, qui pluris æſtimaretur quàm Ioannis Baptiſmus. Si enim fuiſſet vſus Baptiſmo Ioānis, non fuiſſet occaſio querimoniæ, ſed potiùs gratulationis: nam hoc in Ioannis cōmendationem ceſſiſſet. Tertiò, quia indignum erat Chriſti maieſtate, vt Ioannis Baptiſmo vteretur, qui ſolùm præparatorius erat ad Chriſti Baptiſmum, totus ſterilis, nihilque gratiæ conferens: ergo vtebatur ſuo, de quo Ioannis 1. v. 33. *Hic eſt qui Baptizat in Spiritu ſancto.* Quartò. Apoſtoli facti ſunt ſacerdotes ante Chriſti mortē, & perceperunt Euchariſtiam: ergo iuxtà legem Chriſti oportebat iam eſſe Baptizatos. Cur enim in hac lege Chriſtus diſpenſauerit ſine neceſſitate? Et confirmatur; Quia Baptiſmus eſt fundamentum nouæ legis, initium Sacramentorum, & ianua in Eccleſiam. Atqui Chriſtus ante mortem inchoauit nouam legem, & Eccleſiam ſuam, & alia quædam Sacramenta inſtituit: ergo opportuit etiam antecedere Baptiſmum.

Hinc patet, Baptiſmum Chriſti ante mortem fuiſſe cōpletè inſtitutum quoad vim ſuam intrinſecam, & quoad ſignificationem. Erat enim Baptiſmus in ſpiritu idem omnino atque noſter; nec erat vlla ratio, cur tunc incompletè inſtitueretur. Nec obſtat, quòd tunc non poſſet cælum aperire: hoc enim non erat ex defectu virtutis Baptiſmi; ſed quia lege diuina ſancitū erat, vt Chriſtus primus *per proprium ſanguinem introiret in sancta*, ad Hebræos 9. v. 12. & vt pretium noſtræ redemptionis integrè perſolueretur; quò fiebat, vt quamuis daretur eadem gratia, quæ nunc datur, non tamen poſt mortem ſtatim daretur vita æterna. Similiter non obſtat, quòd res ſignificata per Baptiſmum nondum eſſet completa, ſcilicet mors & reſurrectio Chriſti; quia non minùs perfecta eſt ſignificatio futuri, quàm præteriti.

Reſpondetur obiectionibus.

Ad Argumenta in contrarium: Reſpondetur ad primum, Spiritus ſanctus ante Chriſti mortem non fuerat datus, nempe in ea plenitudine, & cum ſigno viſibili, ſicut poſt Aſcenſionem. Ita D. Auguſt. tractatu 3. in Ioannem; & Cyrillus lib. 12. in Ioannem cap. 56. & Alcuinus loco citato: alioqui certum eſt multis ante Chriſti mortem inuiſibiliter datum Spiritū ſanctum, ſcilicet omnibus iuſtis. Adde, ſi hoc argumentum valeret, Baptiſmum non fuiſſe inſtituendum ante aduentum Spiritus ſancti: quod nemo dixerit. Ad ſecundum, Baptiſmus non ſolùm ex Chriſti morte, ſed etiam ex aliis eius meritis vim habere poteſt, cùm ſingulæ eius actiones ſint infiniti pretij, quamuis vim habere potuerint à morte futura, etiā à Chriſto acceptata à primo inſtanti conceptionis. Ad Tertium, Nō requiritur vt fuerint ſacerdotes, quando Baptiſmum adminiſtrabant: nam quiuis eſt miniſter baptiſmi. Ad quartum, Statim dicam. Ad quintum, Qui baptizabantur ante Chriſti mortem, configurabantur morti & reſurrectioni futuræ, quæ in diuina prædordinatione & Chriſti acceptatione iam anteceſſerat.

Dico ſecundò, Probabile eſt, Baptiſmum inſtitutum, dum Chriſtus in Iordane baptizaretur. Ita D. Thomas, & eius ſectatores: & Hugo Victorinus lib. 2. de Sacramentis. Parte 6. cap. 4. Probatur: Quia tunc deſignata eſt materia. Nam vt Patres docent, Chriſtus tunc ſuo baptiſmo aquas ſanctificauit, vt idoneæ baptiſmo eſſent: vt Docet D. Auguſtinus ſerm. 29. 36. & 37. de Tempore. Ambroſius lib 2. in Lucam cap. vlt. Hieronymus dialogo cōtra Luciferianos. Chryſoſtomus homil. 12. in Matth. & paſſim Interpretes in 3. cap. Matth. Vnde paſſim docēt Chriſtum contactu carnis ſuæ aquis vim regeneratiuam contuliſſe. Quod in terminis docet D. Auguſtinus ſermone 36. & Beda lib. 1. in Lucam cap. 10. Similiter deſignata eſt tunc forma, per hoc, quod tota Trinitas tunc apparuit: & effectus, per deſcenſum Spiritus ſancti in ſpecie colūbæ: ergo totum Sacramentum baptiſmi tunc eſt inſtitutū. Aduerte tamen, hanc rationem non conuincere aliud, quàm tunc Myſtico modo materiam & formam baptiſmi Chriſti deſignatam. Vnde

3 Inſtitutus eſt in chriſti baptiſmo probabiliter.

Dico Tertiò, Probabilius videri non tunc præciſè eſſe inſtitutum, ſed aliquamdiu poſt, quando poſt ieiunium ſuum Dominus diſcipulos habere cœpit. Inſinuat apertè Scotus diſt. 3. qu. 4. Ratio eſt, nam ad inſtitutionem requiritur efficax voluntas & ordinatio, vt ex certo momēto incipiat eſſe Sacramentum, id eſt, conſtare tali materiā & formā, cum tali virtute, & ſignificatione: ſicut fit in impoſitione aliorum ſignorum. Deinde requiritur, vt hæc voluntas etiam exteriùs aperiatur, & forma materiaque exprimatur: conſentaneum enim eſt, vt ſignorū ſenſibilium inſtitutio fiat per actum externum & ſenſibilem. At credibile eſt, hæc Dominum non feciſſe cùm ipſe baptizaretur, & nullos adhuc diſcipulos haberet, ſed poſteà collectis diſcipulis qui hanc inſtitutionem perciperent. Confirmatur; Quia ſic videmus inſtituta reliqua Sacramenta, Euchariſtiam, Pœnitentiam, Ordinem. Ad Patres autem facilè reſponderi poteſt; illorum mentem non eſſe, tunc propriè Baptiſmum Chriſti eſſe inſtitutum, quādo ipſe baptizabatur; ſed deſignationē & deputationem materiæ & formæ baptiſmi, propediem inſtituendi, myſticè factam. Nihilominùs non repugnat Baptiſmum inſtitui per actum metè internum: vnde etiam tunc fieri potuit hæc inſtitutio.

4 Veroſimilius, poſt.

Reſpōdetur obiectioni è Patribus.

DVBIVM II.

Quando Lex Baptiſmi cœperit obligare?

OMiſſis variis ſententiis (hæc enim quæſtio ad tractationem de Legibus ſpectat, ſicut & illa de ceſſatione legaliū.) Reſpondeo; Quemque in particulari cœpit obligare, quando Euangelica prædicatio ei plenè innotuit, vel certè potuit humano more innotuiſſe, ſpectato temporis ſpatio, & prædicationis vicinitate aut celebritate. Colligitur ex D. Bernardo epiſt. 77. quæ eſt ad Hugonem de Sancto Victore.

8

Quæ legis promulgatio inducat obligationem.

Ratio eſt, Quia promulgatio legis inducens obligationem, debet eſſe talis, vt innoteſcat; vel ſaltem ex ſe ſit ſufficiens; & neceſſarium habeat

Mark Rothstein
Professor of Law and Director, Institute for Bioethics, Health Policy and Law, University of Louisville School of Medicine, Louisville, KY, USA

DOI 10.1258/jrsm.100.7.323

© The Royal Society of Medicine

Quale peccatum omittere Ego in forma Baptiſmi.

Aduerte tamen, non omnia verba huius formę eſſe neceſſaria ad Sacramenti ſubſtantiam; licet ſint neceſſaria, vt ſeruetur Eccleſiæ præceptum. Si tamen prætermitteretur Ego, vel nullum eſſet peccatum, vt vult Albertus; vel ſolùm veniale, vt vult Sotus: expreſſio enim miniſtri nec implicita nec explicita eſt neceſſaria; vt patet ex forma Græcorum. Ratio eſt: quia nihil facit ad ſignificandum Sacramenti effectum. Sed occurrunt aliquot dubia.

DVBIVM I.

Vtrùm Actio Baptizandi ſit neceſſariò exprimenda?

17 Affirmatur.

Ratio eſt, Primò, Quia alioqui actus baptizandi non ſignificabitur, quatenus hîc & nunc ſit in particulari; quod tamen eſt neceſſarium: nam Sacramentum conſiſtit in actu particulari, qui hîc & nunc ſit circa certum ſubiectum, vt homo intelligat ſe hîc & nunc ſanctificari. Secundò, Quia effectus baptiſmi non eſt remiſſio peccatorum in communi, ſed huic collata: ergo vt Sacramẽtum ſignificet huic conferri gratiam & remiſſionem, debet exprimi perſona cui confertur. Quam ob cauſam etiam in ſacramento Confirmationis, Pœnitentiæ, Ordinis, & extremæ Vnctionis exprimẽda eſt perſona ſuſcipiẽs. Tertiò, Quia baptiſmus eſt ſpiritalis quædam regeneratio: generatio autem requirit diſtinctionem inter generans & genitum; quam diſtinctionem oportebat exprimi. Hinc fit, vt nemo ſeipſum baptizare queat: vt definitum eſt ab Innocentio. III. Cap. *Debitum.* de Baptiſmo & eius effectu. Poteſt autem hęc perſona exprimi, vel dicendo *Baptizo te*; vel vt Græci, *Baptizetur ſeruus Chriſti.* Rectiùs tamen Latini: quia meliùs ſic explicãtur cauſæ baptiſmi, effectus eius, & ipſe actus, vt hîc & nunc obitus. Accedit; Quòd is, qui baptizatur, nondum ſit ſeruus Chriſti, ſed per baptiſmum fiat.

Quomodo exprimenda ſit Perſona quæ baptizatur.

17 Hæretici & Catholici omnes admittunt actum baptizantis exprimendum; quod definitũ eſt ab Alexandro III. Cap. *Si quis puerum.* de Baptiſmo & eius effectu. *Si quis*, inquit, *puerũ in aquam immerſerit in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, & non dixerit, Ego te baptizo, puer nõ eſt baptizatus.* Idem patet ex Florentino, vbi hęc forma præſcribitur. Ratio eſt; Quia ſi non exprimeretur actus baptizãdi, forma non ſignificaret effectum Sacramenti: & proinde ſignificatio Sacramenti eſſet indeterminata. Ablutio enim ipſa per ſe non ſatis ſignificat ſpiritalem animæ ablutionem, niſi per verba ad id determinetur, ſicut materia per formam determinari debet.

Actus baptizandi quomodo poſſit exprimi.

Aduerte tamen; actum baptizandi variè poſſe exprimi: ſufficit enim, vt exprimatur; quatenus actu exercetur: vt, *Baptizo te; Baptizaris; Baptizatur*; vel (vt dicunt Græci) *Baptizetur ſeruus Chriſti; in nomine Patris, & Filij* &c. Qui tamen verum baptiſma conferunt, vt definitur in Cõcilio Florentino: ab antequiſſimis enim temporibus hac forma vſi ſunt.

Id nobiſtij IV. opinio refutatur.

Quòd autem Innocentius IV. in cap. 1. *de Baptiſmo & eius effectu*, putat, ſi Latinus diceret, *Baptizet te Chriſtus in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*; eum nihil effecturũ, eò quod apud Latinos talis forma non ſit recepta; apud Græcos tamen, vbi hęc forma toleratur, fore rãtum baptiſma; fundaméto caret; & bene refutatur ab Adriano qu. de Baptiſmo art. 5. dub. 2. Ratio eſt, Quia vbicumque locorũ & à quocumque adhibeantur omnia, quæ ſunt de eſſentia Sacramenti, cõficietur Sacramẽtum; neque conſuetudo, vel prohibitio Eccleſiæ eſſentialia poteſt mutare. Et confirmatur in propoſito: quia ſi expreſſio ſolius Miniſtri exercentis actum ſufficit ad eſſentiam Sacramenti, vt patet apud Latinos; cur non expreſſio ſolius Chriſti ſufficiet ſine Miniſtro inferiore, cùm ipſe ſit Miniſter principalis, qui in omnibus Sacramentis ſemper operatur? Vnde etiam in Sacramento Cõfirmationis ad eſſentiam Sacraméti ſufficit, *Confignet te Chriſtus*: in Pœnitentia, *abſolvat te Chriſtus*: ſicut in extrema vnctione. *Indulgeat tibi Deus.* Quòd autem idem Innocentius ait, non fore baptiſmum; ſi quis dicat *Ego Paulus baptizo te*, vel *baptizetur ſeruus Chriſti à me*, minus habet apparentiæ.

DVBIVM II.

Vtrùm neceſſe ſit exprimere perſonam quæ baptizatur?

18 Reſpondeo, Omnium conſenſu id eſſe neceſſarium. Videtur definitũ ab Alexandro III. loco citato. Colligitur Matth. 28. *Baptizantes eos.*

DVBIVM III.

Si quis ſic diceret, Ego te Paulum baptizo &c. *& hic non eſſet Paulus, ſed Petrus: vtrùm eſſet validus Baptiſmus?*

19 Affirmatur.

Reſpondeo, Sine dubio eſſe ratum, modò baptizans nõ ita determinet ſuam intentionem ad Paulum, vt intendat excludere Petrum. Ratio eſt; Quia primò & directè intendit baptizare hunc hominem præſentem, quem priuato errore exiſtimat eſſe Paulum: ſed hic priuatus error non poteſt elidere intentionem per ſe ſufficientem, cui intentioni per accidens coniũgitur; nam intẽtio eius nullo modo ab illo errore pẽdet. Nec refert, Quòd falſum ſit, *Ego baptizo te Paulũ*; quia ex intentione ipſius verum eſt: ſenſus enim verborum eſt, *Ego baptizo te, quem puto eſſe Paulum*: qui ſenſus eſt verus; & ſic oratio iſta ab omnibus in hoc caſu acciperetur. Secùs res habet in Sacramento Matrimonij; quia intentio contrahentis ita figitur ad hanc perſonam, vt excludat aliam. Ratio eſt, Quia Matrimonium non ſolùm eſt Sacramentum, ſed etiam quidam contractus ciuilis, in quo eſt quædam permutatio rerum & corporum: vnde poſtulat vt fiat cum perſona determinata, & inter res determinatas.

DVBIVM IV.

Vtrùm neceſſe ſit dicere In nomine, *non* In nominibus?

20 Reſpondeò, Id eſſe neceſſarium, adeò vt ſi dicatur *In nominibus*, nihil efficiatur. Eſt cõmunis ſententia Doctorum. Ratio eſt, quia non ſolùm Trinitas perſonarũ, ſed etiam vnitas naturæ hoc Sacraméto profitenda eſt, cùm ſit Chriſtianæ fidei profeſſio; ad quam non minùs vnitas naturę, quàm Trinitas perſonarum pertinet. Si autem dicatur *In nominibus*, ſignificabitur diuerſitas naturæ, ſaltem numeralis.

In nomine, quid ſignificet.

Notandum autem illud *In nomine*, potiſſimùm tria inſinuare. Primò, *Virtutem & auctoritatem.* Ita D. Thomas, & Cathechiſmus Pij V. quæ vir-

tus & auctoritas, vna eſt in tribus perſonis.

Secundò, Inſinuat *Inuocationem*. Ita Magiſter diſt. 3. quomodo etiam inter pretari videtur Clemens lib 3. Recognitionum; & Auctor de Eccleſiaſticis dogmatibus cap. 34. vnde Patres Sacramentorum formas vocant *Inuocationes*; vt patet ex Dionyſio cap 2. parte 2. & cap. 7. par. 3. de Eccleſiaſtica Hierarch. Et Cyrillo Hieroſolimitano Catecheſi 3. Illuminatorum. Dices, Tres ſunt inuocationes diuinarum perſonarum: vnde Eccleſia aliquando Patrem, aliquando Filium, aliquando Spiritum ſanctum inuocat: ergo *In nomine*, nó poteſt eſſe *In inuocatione*. Reſpõdeo; Dupliciter poteſt Trinitas inuocari. primò, Secundũ propria perſonarũ: & ſic ſunt *Tres inuocationes*. Secundò, luxtà communia: & ſic eſt *Vna tantùm inuocatio*; quomodo inuocatur in Baptiſmo. Ratio eſt, Quia inuocatur Trinitas ad ſanctificandum; ſanctificare autem conuenit Trinitati ſecundùm perfectionem eſſentialem & communem, quæ vna eademque eſt in tribus. Vnde Hieronymus in cap. 4. ad Epheſ. *Non in nominibus, ſed in nomine, quia vnus eſt Deus*: Idem docet Ambroſius lib. 2. de ſacram. cap. 7.

In Baptiſmo eſt ſolum vna inuocatio Trinitatis

Tertiò, inſinuat *Profeſſionem Trinitatis*. Aduerte tamen ſi diceretur, *In nomine Patris, & in nomine Filii, & in nomine Spiritus ſancti*, nihilominùs conſtare baptiſmum. Ratio eſt, Quia hæc repetitio non inſinuat diſtinctionem virtutis; ſicut neque cùm dicimus *Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus ſanctus*.

DVBIVM V.

Vtrùm præpoſitio (In) *& coniunctio* (Et) *ſint de eſſentia formæ?*

REſpondeo, Non eſſe: quia illis omiſſis ſenſus conſtat, iuxtà cõmunem intelligentiã. Imò omiſſio earum non videtur, niſi venialis; cẽſetur enim materia leuis, vt rectè Sotus d. 3. a. 5. 21

Si tamen prętermitteretur coniunctio, ad inſinuandum illa tria eſſe vnam perſonam tribus facultatibus inſtructam, vt volebãt Sabelliani: vel ſi omitteretur coniunctio inter Filium, & Spiritũ ſanctum, vt ſignificetur Filium, & Spiritum ſanctum eſſe vnam perſonam (ſicut quidam hæretici faciebant in illo verſiculo, *Gloria Patri* &c. dicẽtes, *Gloria Patri, & Filio, Spiritui ſancto*; cõtra quos agit Vigilius Papa circa annum 525. epiſtola ad Eutherum c. 2.) nihil efficeretur; quia corrumperetur formę veritas: ſignificaret enim Filium eſſe Spiritum ſanctum. Sabelliani

DVBIVM VI.

Vtrùm valeat Baptiſmus In nomine Genitoris, Geniti, & procedentis ab vtroque?

D. Thomas hîc putat non valere; qui plerique Doctores conſentiunt. Ratio eius eſt, Quia in forma Baptiſmi debent poni ea nomina, quibus vſitatiùs ſolent perſonæ diuinæ exprimi: nam ſicuti materia eius eſt vſitatiſſima, ſic etiam forma eſſe debet. Negat D. Thomas.

Scotus aliam rationem addit; Quia etſi *Pater* & *Genitor* in diuinis pro eodem accipiantur; tamen non habent eandem ſignificationem formalem: *Pater* enim formaliter ſignificat rationem perſonæ, ſcilicet paternitatem, qua perſona Patris in diuinis conſtituitur; *Genitor* autem formaliter ſignificat actum notionalem, ſcilicet generationem. Atqui Chriſtus ea nomina præſcripſit, quę ſignificent ipſas proprietates conſtitutiuas perſonarum, vt colligitur Matth. 28. Scotus.

Verùm Caietanus hîc & Victoria qu. 14. de Baptiſmo, putant omnino hâc formâ Baptiſmum perfici. Quæ ſententia ſpeculatiuè omnino videtur vera. Primò, Quia ex accommodatione vſus idem valent iſtę formę. Tam verè enim confitemur, laudamus & inuocamus Trinitatem *Nomine genitoris, geniti, & procedentis ab vtroque*, quã *Nomine Patris, & Filii*, &c. vt patet ex Hymnis Eccleſiaſticis. Secũdò, Quia ſi quis ita baptizaret *In nomine Patris, & Ieſu Chriſti, & Paracleti*, verè baptizaret: nam Clemens Romanus lib. 7. Conſtitutionum cap. 42. loco *ſpiritus ſancti* ſubſtituit nomẽ *Paracleti*; quo nomine etiam Chriſtus paſſim apud Ioannem ſignificat Spiritum ſanctum: hoc tamen nomen non ſignificat proprietatem, qua cõſtituitur Spiritus ſanctus, ſed ſolùm quemdam eius effectum. Imò ipſum nomẽ *ſpiritus ſancti* non ſignificat tertiam perſonam, niſi ex vtentium accõmodatione. Nec refert, quòd iſta nomina ſignificent aliud formaliter. Quia in formis Sacramentorum non tam ſpectatur ſignificatio formalis, quàm vſitata vſurpatio. Sicut *Chriſtus* formaliter ſignificat *Vnctum*; tamẽ ex vſu ſolùm ſignificat Dominum noſtrum, Deũ & hominem: *Paracletus* autẽ ſignificat *Conſolatorem*, ſed ex vſu tertiam Perſonam. Secùs eſt de *In nomine ingeniti, Imaginis & Doni*: talis enim baptiſmus non cẽſetur ratus; quia hęc nomina ita ſimpliciter poſita, parum vſitatè ſignificant diuinas perſonas. Affirmans opinio eſt verior. In nomine ingeniti, imaginis & doni.

Aduerte tamen; Si quis ſub illa forma *In nomine Genitoris* &c. eſſet baptizatus, deberet rebaptizari ſub conditione ſecundùm formam Eccleſię: quia hæc ſententia non eſt omnino certa.

ARTICVLVS VI.

Vtrum In nomine Chriſti *poſſit dari Baptiſmus?*

SVnt tres ſententię de hac re. Prima eſt, Etiam nunc huiuſmodi baptiſmum eſſe ratum. Ita Hugo de S. Victore lib. 2. de Sacramẽtis p. 6. c. 2. Magiſter diſt. 3. Caietanus hîc. Adrianus q. 1. a. 2. quam ſententiam ſequũtur multi Canoniſtę propter Capitulũ *A quodam iudæo*. de Conſecratione diſt. 4. vbi Nicolaus Papa reſpondens ad cõſulta Bulgarorum ait, *Hi profectò ſi in nomine Trinitatis, vel tantùm in nomine Chriſti, ſicut in actis Apoſtolorum legitur, baptizati ſunt, vnum quippe idemque eſt (vt exponit S. Ambroſius) rebaptizari non debent.* Idẽ docet Ambroſius lib. 1. de Spiritu ſancto cap. 3. vbi etiam amplius inſinuat, ſcilicet baptiſmum valere nõ ſolùm *In nomine Chriſti*, ſed etiam *In nomine ſolius Patris, vel ſpiritus ſancti*. Ratio ipſius eſt, Quia qui benedicitur in Chriſto, in Patre & ſpiritu ſancto benedicitur; nam vnum eſt nomẽ, vna poteſtas, quam ſententiam etiam, admittit Hugo loco citato, & Beda in c. 10. Actorũ. Diuus autem Bernardus, epiſt. 304. putat validum baptiſmum, quem quidam ex ignorantia contulit *In nomine Dei, & vera ſanctaque Crucis*. Secũda ſententia eſt: Apoſtolos quidem baptizaſſe *in nomine Chriſti* ex diuina diſpenſatione, vt nomen Chriſti redderetur illuſtrius: fortaſſe tamen nunc non valere. Tertia eſt aliorum. Pro qua: Tres ſententiæ 22

Dico Primò, Baptiſmum, *in nomine Chriſti* collatum, non eſſe validum. Eſt ferè communis Doctorum. D. Thomæ hîc. Bonauenturæ, Scoti, Richardi, 23 Probatur opinio

negatiua ex canonibus.

Richardi, Paludani, & aliorum diſt. 3. & tenet Pelagius Papa Canone *Si re vera.* diſt. 4. de Conſecratione; vbi loquens de eo, qui baptizatus eſt *In nomine Domini*, id eſt, *In nomine Chriſti*, vt Act. 18. dicit eſſe rebaptizandum *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Et Canone *Multi ſunt*, affirmat eſſe contra præceptum Euangelicum baptizare *In nomine Chriſti.* Eadem diſt. Zacharias Papa Canone *In Synodo Anglorum*, dicit non poſſe eſſe verum baptiſma, ſi vel vna perſona non nominetur. Hi tamen Pontifices non videntur ex auctoritate definiuiſſe, ſed ſolùm priuatam ſuam ſententiam explicuiſſe: quia Nicolaus I. Vir doctiſſimus id non ignoraſſet. Eadem ſententia colligitur ex cap. 18. Matthæi, vbi Dominus diſertè exprimit tres perſonas, præſcribens formã baptiſmi, vt Tertullianus contra Praxeam oſtendit.

Probatur Secundò ex Patribus. Orig. in cap. 6. ad Rom. in illud *Quicumque in Chriſto baptizati ſumus*, dicit baptiſmum *in nomine Chriſti* non eſſe ratum, niſi & aliæ perſonæ addantur. Athanaſius ſerm. 3. contra Arianos dicit, Cùm Pater in baptiſmo nominetur, etiam Filium & Spiritum ſanctum neceſſariò debere nominari, vt perfecta ſit *initiatio.* Dydimus lib. 2. de Spiritu ſancto in principio pag. 1. *Qui*, inquit, *vnum de præceptis nominibus prætermittit, neque perfectionem Sacramenti attingit, neque à peccatis hominem liberat. Non arbitror quemquam fore tam inſanum, vt putet baptiſmũ perfici, ſi vel vnum nomen prætermittatur.* Baſilius cap. 12. de Spiritu ſancto dicit eum à vita excidere, qui aliquid addit vel detrahit præſcriptæ formæ baptiſmatis. Damaſcenus lib. 4. cap. 10. de Fide, *Qui*, inquit, *in ſanctam Trinitatem baptizati non fuerint, rebaptizari oportet.* Idem docent Patres Latini. Cyprianus epiſt. 73. *ex eo baptiſmo remiſſionem peccatorum non prouenire, qui non ſit datus in certa Trinitatis inuocatione.* Auguſtinus lib. 6. contra Donatiſtas cap. 25. *Certa ſunt verba Euangelica, ſine quibus non conſecratur baptiſmus.* Beda lib. Variarum quæſtionum quæſt. 14. *Notandum*, inquit, *Si quis baptizans, dicat, Baptizote in Chriſto Ieſu, & non dicat, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, ſicut Dominus inſtituit, non eſt verus baptiſmus.*

Ex Patribus.

Athanaſ.

Didymus.

Baſilius.

Damaſcẽ.

Cyprian.

Auguſt.

Beda.

Non ſufficit implicita Trinitatis inuocatio.

Hinc patet non eſſe verum, quod ait Caietanus, ſufficere implicitam Trinitatis inuocationem: tùm, quia Patres expreſſam requirunt: tùm, quia alioquin ſolius Patris inuocatio ſufficeret: qui enim Patrem inuocat, implicitè etiam Filium & Spiritum ſanctum inuocat: magis enim in Patre continetur Filius & Spiritus ſanctus, quam in nomine Chriſti contineatur vngens Pater, & Spiritus ſanctus quo vngitur. Nam ſi tantum eſſet vna perſona in diuinitate, poſſet eſſe *Chriſtus*, non tamen poſſet eſſe *Pater.* Ratio propoſitionis eſt, quia baptiſmus eſt profeſſio fidei Chriſtianæ, cuius primarium fundamentum & obiectum eſt Trinitas perſonarum vnius eſſentiæ; quæ etiam cæterorum myſteriorum fidei eſt cauſa: vnde conſentaneum erat vt in forma baptiſmi exprimeretur.

24 Baptizarunt ſemper Apoſtoli in nomine Patris &c. non chriſti.

Dico Secundò, Probabiliſſimum eſt Apoſtolos nunquam in nomine ſolius *Chriſti* baptizaſſe; ſed ſemper expreſſè *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Eſt communis ſententia Doctorum recentiorum: Dom. Soto diſt. 3. art. 6. Melchioris Cani lib. 6. de locis c. 8. Armacani lib. 8. quæſtionum Armeniacarum cap. 3. Ianſenij Epiſcopi Gandenſis in c. 149. Concordiæ. Et videtur ſententia Patrum citatorum. Vide etiam Canonem Apoſtolicum 49. vbi dicitur anathema ijs, qui aliter baptizant, quàm *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.* Et Dionyſium Areopagitam c. 2. partis 2. Eccleſiaſticæ Hierarchiæ ſub finem. Credendum enim eſt, Apoſtolorum ſucceſſores, in forma baptizandi imitatos ipſos Apoſtolos: atqui illi in nomine Trinitatis baptizarunt: ergo &c.

Ne quidẽ ex peculiari diſpenſatione.

Quòd autem quidam Doctores dicunt Apoſtolos baptizaſſe *In nomine Chriſti* ex peculiari quadam diſpenſatione, vt nomen Chriſti redderetur illuſtrius; parum habet probabilitatis: tùm, quia illuſtrius erat ad nomen, ſi cum Patre & Spiritu ſancto iungeretur, tanquam auctor ſanctificationis, quàm ſi ſolitariè poneretur: tùm, quia nuſquam vmbra huius diſpenſationis apparet: imò ex Scripturis colligitur, Apoſtolos conſueuiſſe baptizare *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.* Actorum enim 19. cùm Paulus quoſdam rogaſſet, an accepiſſent Spiritum S. & illi reſpondiſſent, *Neque ſi Spiritus ſanctus eſt audiuimus*, ſubiũxit Paulus, *In quo ergo baptizati eſtis?* apertè inſinuãs in forma baptiſmi ſolitum nominari *Spiritum ſanctum.* Notauit hoc Cyrillus Alexandrinus Dialogo 7. de Trinitate.

Ad argumenta contrariæ ſententiæ: Reſpondeo Nicolaum fortè fuiſſe in illa opinione propter Ambroſij auctoritatem. Certum tamen eſt eum nihil definiuiſſe; fuerat enim tantummodò conſultus à Bulgaris, *An baptizatus à Iudæo, vel Pagano verum Chriſti baptiſmum ſuſcepiſſet?* vt patet ex cap. 104. epiſtolæ ad Bulgaros. Ad quam quæſtionem dum reſpondet obiter, de ſuo, non interrogatus, adiecit *Etiam baptiſmum in nomine Chriſti eſſe validum*: citans in ſuam ſententiam Ambroſiũ. Quòd autem in Actis Apoſtoli dicuntur baptizaſſe *In nomine* Ieſu, variè exponi poteſt: Primò, *In auctoritate, virtute & meritis Chriſti.* Secundò, *Baptiſmo à chriſto inſtituto.* Tertiò, *In nomine* Ieſu, ſed non ſolo. Ita enim his tribus modis, hæc & ſimilia loca explicat Baſilius c. 12. de Spiritu ſancto. Adde probabile eſſe Apoſtolos addidiſſe hęc verba Ieſu *Chriſti*, dicendo, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii eius Ieſu Chriſti, & Spiritus ſancti*: hoc enim plurimum conducebat ad nomen Chriſti illuſtrandum, præſertim cùm poneretur cum Patre & Spiritu ſancto auctor ſanctificationis, tãquam ipſis æqualis & conſubſtantialis.

25 Quomodo dicantur Apoſtoli baptizaſſe *In nomine* Ieſu.

ARTICVLVS VII.

Verum Immerſio in aqua ſit de neceſſitate Baptiſmi?

REſpondeo, Baptiſmum poſſe fieri tripliciter. Primò, Immerſione. Secundò, Perfuſione. Tertiò, Aſperſione. Probatur Primò, Quia hiſce tribus modis poteſt fieri ablutio exterior: ergo & baptiſmus. Secundò, Quia Apoſtoli Actorum 2. videntur baptizaſſe aſperſione, vel effuſione aquę ſuper multos ſimul: tria enim hominum millia nõ videntur commodè vno die merſione potuiſſe baptizari. Tertiò Probatur ex Cypriano epiſt. 74. ad Magnum, vbi id confirmatur ex illo Ezechielis 36. *Aſpergam ſuper vos aquam mundam* (ſic enim legit) Vbi etiam quoſdam reprehendit, qui homines aſperſione baptizatos in lecto, dũ ægrotarẽt, vocabãt *Clinicos*; quaſi dicas *Lecticarios Chriſtianos*, tanquam qui non eſſent verè baptizati. Idem cõfirmatur Eſaiæ 52. vbi de Chriſto dicitur, *Iſte aſperget gentes multas.* Denique aſperſiones Leui-

26 Tribus modis fieri poteſt baptiſma.

Clinici ſeu Lecticarij chriſtiani.

tarum, erant baptiſmi noſtri figura.

DVBIVM. I.

Vtrùm neceſſarium ſit, vt aqua immediatè tangat corpus?

27 REſpondeo, Omnino eſſe neceſſarium. Tenét pleriq; Doctores. Inſinuat D. Auguſt. tractatu 8. in Ioannem: *Quænam tanta virtus aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat?*

Incluſus culeo. Ratio eſt, Quia alioqui homo non propriè dicitur *Baptizari* vel *ablui*. Vt ſi quis culeo incluſus mergeretur, non abluereturIdem dico, ſi veſtes tantummodò aſpergerentur; quamuis aliqui cõtrarium ſentiant. Et confirmatur, Quia alioqui poſſet infans baptizari in vtero matris, perfuſa, vel immerſa matre; quod eſt contra communem ſententiam, & praxim totius Eccleſiæ.

Veſtes ſoluma ſperſæ.

Infans in vtero.

Aſperſio aquæ. Neque veriſimile eſt Apoſtolos Actor. 2. baptizaſſe tali aſperſione, quali aqua benedicta aſpergitur; quia poterant capita illorum facile perfundi: erant enim plures Miniſtri, qui breui tempore plurimos baptizarent. Aqua luſtralis non eſt Sacramentum, ſed quiddam ſacramentale, vim habens ex intentione & precibus Eccleſiæ. Vnde non eſt neceſſe, vt corpus tangat: ſufficit, vt veſtẽ tangat: id enim Eccleſia non requirit, ſed tantùm vt cum pio animi motu excipiatur.

DVBIVM. II.

Quanta corporis pars abluenda eſt?

28 REſpondeo, Ex more Eccleſiæ tenétur Sacerdotes, ſi fieri poteſt, vt minimum caput aqua perfundere; vt colligitur Canone *Poſtquam.* de cõſecratione diſt. 4. Ratio eſt, Quia caput eſt primaria pars hominis, in qua vigent omnes ſenſus: & ſic in capite omnes ſenſus ſanctificantur.

Caput. Ad rationem tamen Sacramenti, perfuſio capitis non eſt neceſſaria. Nã ſi pectus, vel alia pars præcipua perfundatur, certum eſt conſtare Sacramẽtum, Quod ſi vel pes, vel manus dumtaxat, res nõ eſt ita certa: quamuis ſit valdè probabile: vnde poſteà ſub conditione eſſet rebaptizandus: multoque magis, ſi ſolum digitus tinctus fuerit: hæc enim ablutio non videtur ſufficiens, vt inde homo dicatur ſimpliciter *Abluus, tinctus*: tanta tamen ablutio eſt neceſſaria, vt patet ex forma baptiſmi.

Pectus.

res, vel Manus.

Digitus. Aduerte tamen, Non eſſe omnino improbabile, ablutionem digiti, vel alterius minimę partis, ſufficere ad ſubſtantiam Sacramenti. Ita Victoria qu. 32. de Baptiſmo, & plurimi recentiores, qui etiam vnius guttæ contactũ ſufficere putant. Et ratio eſt, Quia in quauis parte eſt tota anima, ac proinde tota ſanctificari poteſt. Aſperſio tamen capillorum nullo modo videtur ſufficiens, quidquid dicat Sotus.

Capilli.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum Trina immerſio ſit neceſſaria ad ſubſtantiam Baptiſmi?

29 REſpondetur, Neceſſariam non eſſe: qui tamẽ eam contra Eccleſiæ ſuæ conſuetudi nem omitteret, peccaret.

Trina immerſio olim in præcepto & cur. Notandum tamen, In principio Eccleſię morem fuiſſe ter mergendi. Ita præceptum fuit ab Apoſtolis Can. 49. ob quoſdãhæreticos, qui prauè de myſterio Trinitatis ſentiebant; vt Cerinthus, Ebion, & ſimiles; qui docebant Chriſtum eſſe nudũ hominem: nominari autem Filium Dei ratione meriti ſuę mortis; quare, vt hoc repræſentarent, vnica merſione vtebantur, baptizantes *In mortem Chriſti*. Trinæ merſionis meminerunt Dionyſius lib. de Eccleſ. Hierarchia c. 2. par. 2. Tertullian* contra Praxeam, & lib. de Baptiſmo. Baſilius lib. de Spiritu S. ad Amphiloc. c. 27. vbi eam recenſet inter Apoſtolicas traditiones. Ambroſius lib. 2. de Sacramentis cap. 7. Repræſentatur per eã Trinitas perſonarum: vnde optimè reſpõdet formæ; & triduanæ Chriſti ſepulturæ: per baptiſmũ enim Chriſto conſepelimur.

Eius ſignificatio.

Primus autem, Qui poſt Apoſtolorum tempora auſus fuit vnica merſione vti, fuit Eunomius, teſte Sozomeno lib. 6. hiſtor. cap. 26. & Nicephoro lib. 11. c. 11 Poſteà tamen Gregorius Magnus præcepit baptiſmum fieri vnica merſione, ob quoſdã Arianos, qui per trinam merſionem tres eſſentias inducebant, vnitatem diuinitatis diuidentes. Patet hoc lib. 1. Regiſtri c. 41. ad Leandrum. Idem paulò pòſt conſtitutum in Concilio Toletano 4. cap. 5. Congruentiæ huius ſunt: tùm, quia vnica eſſentia eſt trium perſonarum: tùm, quia Chriſtus ſemel tantùm mortuus, ſemel ſepultus: tùm denique, quia populus Iſraëliticus ſemel mare Rubrum, ſemel Iordanum tranſiuit.

30 Vnica immerſio per quem in Eccleſiam inducta, eiuſque congruentiæ.

Dices, Pelagius Papa affirmat Euangelicum eſſe præceptum *In nomine Trinitatis trina merſione vnũquemq; baptizari*: vt patet Can. *Multi ſunt.* de Cõſecratione diſt. 4. Reſpondeo præceptum hoc referendum tantummodò ad nomenclaturam Trinitatis, non ad Trinam merſionem. Vide D. Th. ad 2.

Pelagius Papa.

DVBIVM I.

Si infans moreretur ante tertiam merſionem, vtrùm cenſeretur baptizatus?

REſpondetur, Si forma fuit terminata ante tertiam merſionem, v. g. ſimul cum 1. vel 2. merſione, & ſtatim poſt hoc momentum infans obijt, eſt verè baptizatus; vt rectè docet hîc Caietanus contra Paludanum. Ratio eſt, Quia trina merſio non eſt de ſubſtantia Sacramenti, ſed ſufficit ablutio. Vnde ſi forma compleatur ſimul cum prima merſione, iam conſtat baptiſmus; & duæ ſequentes merſiones nihil operabuntur, etiamſi Miniſter intenderet per eas baptizare. Cuius ratio eſt, Quia completo Sacramento quoad partes eſſentiales, non poteſt Miniſter eius effectum ſuſpendere, modò intendat facere quod facit Eccleſia: operatur enim Sacramẽtum per modum cauſæ naturalis. Quòd ſi Miniſter ita ſuam intentionem determinaret ad trinam merſionem, vt expreſſè excluderet vnicam, nolens per eam baptizare, nihil efficeret: vnde, ſi velit vt omnes merſiones concurrant, ita debet terminare verborum formulam, vt non compleat ante tertiam merſionem.

31 Affirmatur.

Reſtringitur.

DVBIVM. II.

Vtrùm tota ablutio, ſeu immerſio, præſertim quando fit per motum localem aquæ per corpus, vel corporis per aquam, ſit de ſubſtantia Sacramenti?

REſpondeo, Eam totam eſſe de ſubſtantia ſacramenti, quæ peragitur ante complementum verborum: id autem totũ, quod ſequitur poſt terminum verborum, non eſt vllo modo de ſub-

32 Reſponſio eſt cum diſtinctione.

ſtantia, ſi ea pars quæ anteceſſit, erat ſufficiens, vt ab illa præcisè homo diceretur *Abluitus*, etiamſi hæc pars eſſet minima inter eas, quæ ſufficiunt. Ratio eſt; Quia poſito ſufficientis partis contactu, vnde homo poteſt dici *Abluitus*, & accedente complemento verborum, conſtat integrum Sacramẽtum: ac proinde quidquid ſequitur, quaſi per accidens ſe habet ad Sacramenti rationem. Vnde in quodcumque momentum ſucceſſiuę ablutionis inciderit terminus formę, in eo perficitur Sacramentum: & reliqua pars ablutionis non eſt de ſubſtantia Sacramenti.

Sacramentum ſemper in momento cõpletur.

Quòd ſi completa ſit forma ante ablutionem, tunc ſolùm ablutio minima ſufficiens ad rationẽ ablutionis, eſt pars Sacramenti: quando enim ad hanc peruentum eſt, conſtat integrum Sacramentum; quod ſemper compleri debet in momento, ſicut & gratia in momento infunditur.

DVBIVM. III.

Vtrùm ad rationem baptiſmi, quando ſit per immerſionem, neceſſaria ſit ſuccedens emerſio?

REſpondeo, Si dum Miniſter immergit, infans elabatur, & prolatâ formâ ſuffocetur aquis, erit verè baptizatus: quod communiter Doctores fatentur, vt teſtatur Gabriel diſt. 4. q. 2. art. 3. dub. 4. Ratio eſt, Nam merſio per ſe ſola ſufficit ad ablutionem. Ablutio enim baptiſmo neceſſaria, vt rectè Gabriel, nihil eſt aliud, quàm contactus aquæ, quę humectare poteſt: atqui hic eſt talis contactus: ergo &c.

33 Infans è manibus elapſus in aquas.

Hinc omnino conſequi videtur, verè fuiſſe baptizatum infantem illum, de quo narrat Panormitanus, in Cap. *Non vt apponeres* de Baptiſmo & eius effectu, qui inſtante morte cum portaretur ad baptiſmum, & aqua haberi non poſſet in via, proiectus eſt in puteum adhibitâ legitimâ verborum formâ. Ita enim ſentit Panormitanus ibidem, & Gabriel ſuprà, & Summa Roſella verbo *Baptiſmus* 4. num. 1. quamuis plerique alij in cõtraria ſint ſententia. Probatur, In priori caſu infans eſt verè baptizatus: cur non etiam in hoc? Vtrobique enim aquis mergitur, ſed non emergitur; vtrobique mors ſequitur: vtrobique adeſt legitima neceſſaria forma, & intentio Miniſtri. Nec refert, quòd Miniſter non immergat illum immediatè, ſed ex loco remoto proijciat: quia ſi fune eum demitteret in calatho, eſſet verè baptizatus, etiam illorum iudicio: item, ſi eminùs eũ aquâ perfunderet. Neque etiam requiritur intentio eleuandi ex aqua; nam in ſola merſione, ſeu contactu aquæ perficitur ablutio.

In puteum proiectus.

34 An ſit homicida qui baptizãdo infantem occidit?

Denique non refert, quòd ex tali proiectione mors ſequatur, & baptiſmus ordinetur ad ſalutẽ infantis. Nam etiamſi fontem baptiſmalem veneno inficeres, vel aqua feruente ad occidendum infantem vtereris; nihilominùs, ſi verè intendas baptizare, erit ratus baptiſmus: nam ablutio antecedit mortem. Aduerte tamen contrahi peccatum homicidij, ſi infans futurus erat ſuperſtes. Quòd ſi mors omnino inſtabat, & aliter baptizari non poterat, non videtur homicidij crimen.

ARTICVLVS IX.

Vtrum Baptiſmus poſſit iterari?

35 Eſt de fide non poſſe iterari.

REſpondetur, Non poſſe. Eſt fide tenendum. Definitur Can. 46. aliàs 47. Apoſtolico; vbi iubetur deponi Epiſcopus rebaptizãs. Et in Symbolo Niceno, *Confiteor vnum Baptiſma in remiſſionem peccatorum.* Et in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. cap. 1. Denique in Florentino, & Tridentino ſeſſ. 7. can. 11.

Probatur ex Scripturis. Ad Epheſios 4. *Vna Fides, vnum Baptiſma*: vbi etſi *Vnum* poſſit optimè accipi, vt ſit idem quod *Commune*, quia eſt vnum commune omnibus baptiſma: tamen Patres hinc colligunt baptiſmum repeti non poſſe. Cyprian. epiſtola 73. Ambroſius lib. 2. de Pœnitentia cap. 2. Hieronymus in hunc locum. Auguſtinus lib. 1. contra Creſconium c. 28. Ad Hebræos 6. verſ. 4: *Impoſſibile eſt eos, qui ſemel ſunt illuminati, rurſus renouari ad pœnitentiam, rurſus crucifigentes ſibimetipſis Filium Dei*: quem locũ Patres paſſim exponunt de renouatione per baptiſmum, qui *Illuminatio* dicitur. Ita Chryſoſtomus, Theodoretus. Theophilactus in hunc locum. Ambroſius loco citato. Epiphanius hæreſi 59. In eandem ſententiam ait Apoſtolus ibid. cap. 10. v. 26. *Voluntariè peccantibus nobis poſt acceptam notitiam veritatis; iam non relinquitur hoſtia pro peccatis*, id eſt, aliud ſacrificium quod nobis per ſecundum baptiſmum applicetur. Ephes. 4. Hebr. 6.

Rationes congruentiæ.

Secundò, Probatur Ratione. Primò, Baptiſm⁹ eſt quędam regeneratio & natiuitas: Ioannis 3. natiuitas autem geminari non poteſt. Ita Auguſtinus tractatu 11. in Ioannem. Secundò, Quia baptiſmus primariò inſtitutus eſt ad peccati originalis deletionem: atqui peccatum originale nõ repetitur. Tertiò, Quia per baptiſmum adſcribimur familiæ Chriſti; quod tantùm ſemel fieri ſolet. Quartò, Si baptiſmus poſſet repeti, daretur ſumma peccandi licentia: quia per ipſum non ſolùm culpa, ſed etiam omnis pœna condonatur ſine ſatisfactione. Quintò. Quia baptiſm⁹ eſt quędam mortis & reſurrectionis Chriſti cõfiguratio: atqui hæc ſemel tantùm facta. Sextò, Quia baptiſmus imprimit characterem indelebilem. Septimò, Quia Circumciſio, quę erat figura baptiſmi, non poterat iterari. Hæ rationes oſtendunt, quam fuerit conſentaneum, vt baptiſmus non repeteretur. Primaria tamẽ cauſa eſt Chriſti inſtitutio & voluntas diuina: vt docet Scotus diſt. 6. quæſt. 7.

DVBIVM I.

Quas pœnas incurrant, qui rebaptizant vel rebaptizantur?

36

REſpondeo, Vtrique, Iure Ciuili plectuntur morte: vt habemus Lege 1. & 2. Codice, *Ne ſanctum baptiſma iteretur.* Iure Eccleſiaſtico efficiuntur irregulares. De rebaptizato, patet ex Canone *Qui in qualibet.* 1. quæſtione 7. vbi etiam declaratur hanc irregularitatem talem eſſe, vt nõ ſolùm impediat aſcenſum ad Ordines ſuperiores, ſed etiam miniſterium in ſuſceptis.

Rebaptizatus eſt irregularis.

De rebaptizante eſt maior difficultas. Nam nullus eſt textus vbi exprimatur illum fieri irregularem, cùm tamen irregularitas non incurratur niſi in caſibus iure expreſſis, vt habetur Capitulo, *Li qui.* de ſententia excommũnicationis in 6. Iura, quæ maximè ſolent adferri, ſunt hæc.

Rebaptizantem eſſe irregularem, ex quo Texta probetur.

Primò, Canon *Eos quos.* de Conſecratione. diſt. 4. Sed hic non vrget, quia non loquitur de rebaptizantibus, ſed de ijs qui ſe permittunt rebaptizari.

Secundò, Canon 47. Apoſtolorum. Sed hic Canon ſolùm præſcribit pœnam irrogandam, non autem ipſo facto irrogat.

Cap. Ex litterarũ.

Tertiò, Capitulum quod incipit, *Ex litterarum.* tit. de Apoſtolis, quomaxime Doctores nituntur. Verùm hoc Capitulum ſolùm pœnam irrogat Acolytho, qui miniſterium exhibuerat: de Sacerdotis autem rebaptizantis pœna nihil dicitur. Nihilominùs tamen, quia omnes DD. ex hoc Capitulo colligunt, etiam rebaptizantem irregularem effici, in praxi ita iudicandum eſt: præſertim cùm illa videatur eſſe mens Pontificis. Vult enim puerum miniſtrantem eſſe irregularem, nõ propter accidentale miniſterium cęremoniarum (ſola enim cęremoniarum repetitio non inducit irregularitatem) ſed quia cooperator extitit rei nefandæ, id eſt, rebaptizationis: cenſetur enim cooperator repetitionis Sacramenti; ſicuti miniſtrans Sacerdoti Idolis ſacrificanti, cooperatur Idololatriæ. Vnde multò magis Pontifex cenſetur velle ipſum Sacerdotem rebaptizantem eſſe irregulare. Etſi enim in iure, quando de pœnis agitur, non valeat argumentum à ſimili, quando actiones ſeu peccata ſunt diſtincta; ſæpè tamen valet, quando actio eſt eadem, & acceſſorium comparatur ad principale; ſicut in propoſito.

Quando argumentum à ſimili quoad pœnas valeat in iure, quando non.

Hic tamen Notandum eſt Primò: Hoc crimen debere eſſe publicum, vt irregularitatem inferat. Ita Panormitanus in hunc locum. Colligitur apertè ex textu: addit enim Pontifex, *Si crimen ſit occultum, poſſe promoueri ad Ordines ſuperiores.* Communis tamen ferè ſententia Doctorum eſt, hanc irregularitatem etiam ex crimine occulto contrahi. Quod ſi verum eſt, ſaltem Epiſcopus poteſt in ea diſpenſare, iuxta cap. 6. ſeſſ. 24 Concilij Tridentini.

37 Notanda quædam circa rebaptizantis irregularitatem,

Notandum Secundò, Hanc irregularitatem non impedire vſum ſeu miniſterium in Ordinibus ſuſceptis, ſed ſolùm aſcenſum ad ſuperiores: vt patet in textu.

Notandum Tertiò, Hanc pœnam non incurri, quando deeſt verâ intentio baptizandi. Ratio eſt, Quia qui non intendit baptizare, quantum in ſe eſt reuerà non rebaptizat, nec eſt rebaptizator, ſed ſolùm ſimulat ſe rebaptizare: vnde illa exterior actio non eſt baptizatio aut rebaptizatio, quia ſub hac ratione non eſt intenta. Sicut, qui retinẽs animo veram fidem, exteriùs profert hæreſim, non eſt hæreticus, nec pœnas incurrit. Hinc etiã patet, pœnam hanc non incurri quando ſub conditione rebaptizat; vt rectè Nauarrus c. 27. n. 246: Siue diligentiam ante abhibuerit, vt cognoſceret an eſſet baptizatus: Siue non; quidquid dicat Sotus diſt. 3. art. 9. Ratio eſt, Quia talis verè non rebaptizat, expreſſè enim intendit non baptizare, ſi fortè anteà ſit baptizatus: fateor tamen talem peccare, ſi anteà debitam diligentiam veritati cognoſcendæ non præſtiterit.

Sub conditione rebaptizans non ſit irregularis,

DVBIVM II.

Vtrùm hæc pœna incurratur quando intercedit ignorantia?

38 Ignorãtia facti, ſi leuis.

REſpondeò & Dico Primò, Ignorantia facti, ſcilicet an ſit adhibitus baptiſmus, excuſat ab hac irregularitate, quando excuſat à peccato. Ita Scotus diſt. 6. quæſt. 8. Dominicus Soto hoc loco. Turrecremata in Capitulum, *Qui bis.* de Conſecratione diſt. 4. Nauarrus cap. 27. nu. 246. Couarruuias in Clementinam *Si furioſus* in principio nu. 8. Probatur, Quia hæc irregularitas infligitur propter peccatum, & quidem mortale. Quia quando alicui peccato abſolutè nominato ſtatuitur pœna grauis, intelligitur peccatum perfectum in ſua ſpecie, ac proinde ex ſufficienti cõſideratione & ſcientia perfectum: ergo hæc irregularitas, cum ignorantia facti quę non eſt craſſa, non poteſt contrahi. Ignorantia tamen craſſa non excuſat; nam peccatum ex illa procedens, eſt eiuſdem rationis, cum eo, quod ſcienter fit. Et confirmatur 1. Quia ſi infans ante rationis vſum bis baptizetur, non fit irregularis: vt colligitur cauſa 1. quæſt. 4. Canone *Plunes*; vbi dicitur infantes ab hęreticis baptizatos poſſe promoueri ad ordines, & tamen hi ob ſolam ignorantiam excuſantur.

Si craſſa.

Sed contrà. Obijcitur Canon *Qui bis.* de Conſecratione diſt. 4. vbi ſtatuitur, *Vt qui ignoranter rebaptizatur, non ſubiaceat pœnitentię, ſit tamen irregularis.* Reſpondeo cum Scoto diſt. 6. qu. 8. non debere nos huius Canonis auctoritate moueri, quia non eſt ſummi Pontificis, ſed cuiuſdam Theodori Epiſcopi Cantuarienſis; vt patet ex lib. 4. decreti Burchardi cap. 51.

Can. Qui bis.

Dico Secundò, Ignorantia iuris humani non excuſat ab hac irregularitate. Ratio eſt; quia, vt quis incurrat pœnam, non eſt neceſſe, vt ſciat illã eſſe ſtatutam (excepta excommunicatione) ſed ſatis eſt, vt ſciat ſe facere rem illicitam.

Ignorãtia iuris humani.

Dico Tertiò, Inuincibilis ignorantia legis diuinę excuſat ab hac irregularitate: vt ſi inculpatè ignores vetitam eſſe baptiſmi repetitionem. Ratio eſt; Quia in eo caſu non peccabis Baptiſmũ repetens.

Ignorãtia legis diuinæ.

Quæ diximus de rebaptizato in hoc dubio, omnia fere locum habent in rebaptizante: ſimiliter enim excuſatur. Debet enim interuenire peccatum mortiferum in actu rebaptizationis. Vnde probabilis ignorantia iuris diuini, vel facti, excuſat. Solùm adde, quando ita dubitat de alterius Baptiſmo, vt licitè poſſit ei ſub conditione conferre, non effici irregularem, etſi tunc conferat abſolutè; vt rectè Nauarrus ſuprà. Ratio eſt; *Quia non monſtrauerunt eſſe iteratum, quod neſcitur eſſe facilũ*; vt Innocentius III. ait Capitulo Vnico, de Clerico per ſaltum promoto.

39 Rebaptizati ĩc rebaptizantis eſt ſimilis ratio quoad irregularitatem.

DVBIVM III.

Vtrùm qui coactè rebaptizat, vel rebaptizatur, ſit irregularis?

40 Si verè intendat.

REſpondeo; Si is, qui cogitur, intendat verè baptizari, vel baptizare ſecundò: Videtur omninò fieri irregularis. Ratio eſt; Quia reſpectu huius intentionis non poteſt eſſe vlla coactio, vnde nec excuſatio: quare ſicuti coactio tunc nullo modo excuſat à culpa rebaptizationis, ita nec à pœna. Quòd ſi deſit intentio Sacramenti in conferente, non fiet irregularis, etiamſi actum externum obeat. Similiter ſi deſit intentio recipiendi Sacramentum, is qui circa ſe patitur illam cæremoniam externam, non fiet irregularis.

Si non intendat.

Dices; Is qui ordinatur ab hęretico coactus vi vel metu, non fit irregularis, etiamſi tunc intentionem recipiendi Ordinis habeat: vt patet Can. *Conſtat* 1. qu. 1. Ergo ſimiliter is, qui ſecundò baptizatur coactus, non fiet irregularis, quamuis habeat intentionem recipiendi ſecundò Baptiſmum.

Reſpondeo Negando Conſequentiam; Quia hic, cùm ſit ſemel baptizatus, nõ eſt ampliùs capax Sacramenti Baptiſmi; ille verò, cùm non ſit ante ordinatus, eſt capax Ordinis.

Digitized by Google

DVBIVM IV.

Quando licitum ſit baptizare ſub conditione?

41

Baptizati ab obſtetricibus, non debẽt ſub conditione rebaptizari.

REſpondeo, & dico Primò, Quando moraliter conſtat de externo Sacramento; & nulla eſt probabilis ratio dubitandi de intentione miniſtri, non licet ſub conditione iterare. Eſt communis Doctorum recentiorum. Vide Sotum diſt. 3. ar. 9. vbi etiam reprehendit conſuetudinem Parochorum, qui baptizatos domi ab obſtetricibus, poſtea rebaptizant ſub conditione: deberent enim inquirere modum facti; & ſi ritè factum conſtaret, ſupplere cæremonias. Idem tenet Nauarrus ſuprà. Ratio eſt; Quia, quando moraliter conſtat de re ipſa, conditio tanquam impertinens, cenſetur non appoſita, quod ad culpam attinet; vnde cenſetur quaſi abſolutè rebaptizare; quod non eſt paruum ſacrilegium. Quò fit, vt adulti inter Chriſtianos educati, ob nullum

Si ſcrupulus.

ſcrupulum debeant rebaptizari, etiam ſub conditione: vt patet ex capite *Veniens*. de Presbytero non baptizato; talis enim credendus eſt bap-

Si vnus teſtis.

tizatus. Similiter, ſi vnus teſtis oculatus, de quo non eſt ratio dubitandi, affirmet; vt Sotus ait. Vide Concil. Africanum cap. 39. & Can. *Placuit*. de Conſecratione diſt. 4.

Dico Secundo, Quando eſt probabilis ratio dubitandi de Sacramento, ſiue dubium ſit facti, ſiue iuris; & per inquiſitionem non poteſt aliquid certi haberi, debet ſub conditione repeti. Patet hoc totum ex Capitulo *De baptiſmo & eius effectu*. Ratio eſt; Quia periculum ſalutis id poſtulat; & aliàs nulla ſit iniuria Sacramento. Nam periculum ſalutis, & conditio appoſita cenſentur omnem irreuerentiam excludere.

ARTICVLVS X.

Vtrum Ritus, quo Eccleſia in baptizando vtitur, ſit conueniens.

De hoc infrà quæſt. 71.

ARTICVLVS XI.

Vtrum conuenienter deſcribantur tria Baptiſmata?

42 Propriè tantum vnicum baptiſma, aquæ ſcilicet.

REſpondetur; Tria eſſe baptiſmata, *Aquæ*, *Flaminis*, *& Sanguinis*. Eſt communis Doctorum in 4. diſt. 4.

Notandum, Propriè vnicum eſſe baptiſmum, ſcilicet *Aquę*. Ad Epheſios 4. v. 5. *Vna fides, vnũ Baptiſma*. Reliqua duo per Metaphorã ſic appellari ratione effectus, quia vicem baptiſmi aquæ interdum ſupplẽt, & peccatum originale abluũt. Baptiſmum *Flaminis* aliquando ſupplere vicem Baptiſmi aquę, oſtendetur infrà. Nunc pauca de Baptiſmo *ſanguinis* dicenda. De quo

Cur Martyrium dicatur baptiſmus ſãguinis.

Notandum Primò, Martyrium vocari Baptiſmum Sanguinis: non quòd vnà cum ſanguine effluat aqua, qua Martyres baptizentur; aut quòd oporteat reipsà ſanguinem effundere, vt quidam voluerunt (contra quos Hugo lib. 2. de Sacramentis parte 6. cap. 7.) ſed quòd plerumque ſanguis effundi ſoleat. Qui tamen laqueo vel igne perimitur, vel aquis mergitur propter Chriſtum, verè accipit baptiſmum Sanguinis, ſi antea baptizatus non erat. Quòd addo, Quia martyrium non habet rationem baptiſmi, niſi quando eius vicem ſupplet.

Notandum Secundò, Martyrium non eſſe Sacramentum, contra Ioannem Maiorem. Quia non eſt remedium ordinarium ad noſtram ſanctificationem inſtitutum, neque cæremonia ad Deum colendum: quorum vtrumque ad rationem Sacramenti requiritur.

Cur Martyrium nõ ſit Sacramentum.

DVBIVM I.

Vtrùm Infantes ſanctificentur Baptiſmo Sanguinis, ſeu Martyrio?

43 Opinio negans eſt temeraria

ALexander Alenſis 4. par. qu. 22. membro 5. docet Baptiſmum Sanguinis ſolis adultis prodeſſe. Idem ſentire videtur Richardus Armacanus lib. 8. qq. Armeniacarum cap. 37. & Adrianus quæſt. de baptiſmo art. 5. vbi dicit, non eſſe certum, infantes illos, qui ab Herode occiſi ſunt, eſſe ſaluatos, ſi qui anteà circumciſi non fuerant; piè tamen id credi. Verùm certò tenendum infantes hoc Baptiſmo ſanctificari, & ſalutem æternam conſequi. Contrarium temeritatis notam meretur.

Sententia affirmans ex conſenſu Eccleſiæ.

Probatur Primò, Ex conſenſu totius Eccleſiæ, quæ iam inde à temporibus Apoſtolorum celebrat feſtum Innocentium; non quia circumciſi (ſic enim potiori iure deberet celebrari feſtum infantium qui nunc moriuntur poſt Baptiſmum) ſed quia Martyres. Confirmatur; Quia vocat eos Martyres Eccleſia, & officio Martyrum honorat; quod non faceret, niſi ex Apoſtolica traditione conſtaret verè tales eſſe.

Probatur Secundò, Ex patribus. Origenes homilia 3. in varios locos Euangelij. *Horum memoria ſemper, vt dignum eſt, in Eccleſia celebratur, vt primorum Martyrum pro Dño occiſorum*. D. Auguſtinus lib. 3. de libero Arbitrio cap. 23. dicit Eccleſiam eos in honorem Martyrum receptos venerari. Idẽ expreſsè Leo ſermone 1. de Epiphania: *Quibus Chriſtus nondũ ſanguinis ſui impendit redẽptionem, iã Martyrij tribuit dignitatem*. Et ſerm. 2. ait, *Ætatem illam aptam fuiſſe Martyrio*. Omitto alios Patres in homilijs de Innocentibus. Vide Bernardum ſermone de Innocentibus & Epiſtola 77. ad Hugonem. Ratio præcipua eſt diuina voluntas. Congruentia eſt; Quia decebat, vt illi, qui propter Chriſtum occiduntur, mortis eius maximè eſſent participes: nam maximè Chriſto pro nobis morienti aſſimilantur, à quo omnis noſtra ſãctificatio manat. Videtur tamen martyrium habuiſſe hoc priuilegium etiam ante incarnationem: Nam Patres ſimili modo extollunt Martyrium Machabæorum; vt patet ex Nazianzeno. Dices; Concilium Tridentinum ſeſſione 7. can. 4. affirmat Baptiſmum omnibus ad ſalutem eſſe neceſſariam, vel re ipſa, vel in voto: Atqui infantes illi neutrum habent: ergo non poſſunt ſaluari. Reſpondeo; Concilium loquitur extra caſum Martirij: agit enim de remedijs ad primã iuſtificationem inſtitutis, quale non eſt Martyrium.

Congruentia.

DVBIVM II.

Vtrùm Baptiſmus Sanguinis iuſtificet adultos, & quomodo?

QVidã Doctores negant Martyriũ conferre poſſe primam gratiam iuſtificationis. Ita Alexander Alenſis ſuprà D. Bonauentura diſt. 4. & Canus Relectione de Pœnitentia. parte 3. Fũ-

44 Quidam negant.

ed by Google

damentum illorum eſt, quia exiſtimant Martyrium debere procedere ex dilectione Dei ſuper omnia, propter illum locum Apoſtoli 1. ad Corinth. 13. verſ. 3. *Si tradidero corpus meum, ita vt ardeam; charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.*

quomodo martyriũ fit actus imperatus charitatis.

Veriùs affirmatur.

Verùm Dico Primò, Verius eſt, Baptiſmum Sánguinis poſſe interdum adulto primam gratiam iuſtificationis & remiſſionem peccatorum conferre: nempe, quando Baptiſmi Aquæ copia non datur. Colligitur ex D. Thomæ, & Caietano hoc loco; & docent plerique recentiores. Vide Vegam lib. 6. in Concilium Trident. cap. 36. & 37.

Explicatur Apoſtolus 1. Cor. 13.

Clemens Roman.

Probatur ex Patribus. Clemens Romanus lib. 5. Conſtitutionum Apoſtolicarum cap. 7. *Paſſio, quàm pro Chriſto Catechumenus ſuſtinet, cedet ei in veriorem Baptiſmum; quoniam ipſe se ipsâ cõmoritur Chriſto, aliquis figura.* Tertullianus in Scorpiaco,

Tertul.

Martyribus nulla delicta poſſe imputari, quippe in lauacro vita ipſa deponitur. & in Apologetico ſub finẽ: *Quis non pati exoptet, vt totã Dei gratiã redimat, vt omnem veniã ab eo cõpenſatione ſui ſanguinis expediat? Omnia enim huic operi delicta donãtur.* Cyprianus epiſtola 73. ad Iubaianum, *Numquid poteſt vis Baptiſmi eſſe maior aut potior, quàm cõfeſſio quã paſſio? vt quis coram hominibus Chriſtum confiteatur, & ſuo ſanguine baptizetur?* D. Auguſtinus lib. 13.

Cyprian.

Auguſt.

de Ciuitate cap 7. *Quicumque etiã non percepto regenerationis lauacro pro Chriſti confeſſione moriũtur, tantum eis valet ad dimittenda peccata, quantum ſi abluerentur fonte baptiſmatis.* Quod probat ex Scripturis; *Quia, qui dixit, Niſi quis renatus fuerit &c. etiam dixit, qui me confeſſus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo: &, Qui perdiderit animam ſuam propter me, inueniet eam.* Idem docet Proſper ſententia 149. iiſdem verbis. Omitto alios Patres.

45 Vis martyrij ex diuina inſtitutione.

Ex quibus Patet, Primò, Baptiſmum Sanguinis ex diuina promiſſione ſeu inſtitutione hanc vim habere, vt baptiſmo Aquæ æquetur, quando articulus neceſſitatis hunc excludit; & conſequenter conferre primam gratiam iuſtificationis, & remiſſionem omnis culpæ & pœnæ.

Patet Secundò, Non requiri abſolutè, vt procedat ex dilectione Dei ſuper omnia: nam ſic Martyrium non deleret omnia peccata, nec gratiam conferret, ſed actus dilectionis antecedens. Vnde falſum eſſet, quod Patres docent *Martyrium tantum valere ad abluenda peccata, quantum Baptiſmum: Martyrium totam Dei gratiam redimere: omnia ei delicta donari.*

Alioquin eſſemus incerti de ſalute Martyris.

Confirmatur; Si enim requiritur, vt procedat ex dilectione Dei ſuper omnia, plerumque incerti erimus an fuerit verum Martyrium, & an iſte ſit verè beatus: quod eſt tamen contra communem ſententiam Patrum, & Eccleſiæ ſenſum. Vnde Innocentius III. Capite quod incipit *Cùm Martha*, titulo de celebratione Miſſarum ex D. Auguſtino ait, *Iniuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre.* Quòd autem incerti erimus, patet: Quia non ſolùm ex dilectione Dei ſuper omnia, ſed etiam ex alijs virtutibus poteſt quis acceptare mortem pro Chriſto, nempe ex virtute Religionis, ex virtute Fidei, Obedientiæ, Caſtitatis: & ex aliâ quauis virtute. Quæuis enim virtus poteſt velle permanere in ſui actione ſui muneris, ſeu in honeſtate ſui obiecti, & ex vi huius propoſiti velle perpeti mortem. Ergo non eſt certum perpeſſionem Martyrij ſemper ex dilectione Dei ſuper omnia procedere; quare neque ad hanc dilectionem eſt reſtringendum.

Nec obſtat, Quòd D. Thomas dicat Martyrium eſſe actum imperatum Charitatis: non enim ait id eſſe de ratione Martyrij, ſed ſolum vult dicere, eſſe opus maximè aptum, quod à Charitate imperetur, eſtque ſignum Charitatis. Similiter nec obſtat locus Apoſtoli: ſolùm enim vult dicere, ſi Charitas omnino deſit, ita vt ne in termino quidem Martyrij habeatur, Martyrium non prodeſſe. Pari modo Baptiſmus ſine Charitate nihil prodeſt. Sed quia Martyrium adducit Charitatem, ſicut & Baptiſmus, ideò plurimum prodeſt ad vitam æternam. Sic intellige Diuum Thomam art. 12. ad. 2.

46 Quomodo martyrium ſupleat vicem baptiſmi.

Dico Secundò, Peccator qui ad Martyrium rapitur, ſi nondum eſt baptizatus, debet omnem operam adhibere, vt baptizetur aquâ: alioqui ſi negligat, mortiferè peccat, & Martyrium nihil ei prodeſt. Eſt communis ſententia Doctorum. Ratio eſt; Quia præceptum Baptiſmi maximè vrget in periculo mortis. Patet hoc ex vſu Eccleſiæ; vnde conandum, vt hoc impleatur. Nec refert quod Martyrium dicatur ſupplere Baptiſmi vicem; nam hoc ſolùm habet locum, quando baptiſmi Aquæ non datur poteſtas; alias autem minimè: quia Martyrium non eſt inſtitutum, vt ſit loco Baptiſmi.

Peccator qui ad martyrij rapitur, tenetur conteri, & confiteri.

Dico Tertiò, Peccator in tali caſu tenetur ſe conuertere ad Deum dilectione ſuper omnia: & ſi meminit ſe eſſe in peccato mortifero, tenetur elicere contritionem. Eſt contra Vegam lib. 6. in Concil. Trident. cap. 36. qui putat ipſam acceptationem voluntariam Martyrij per ſe ſufficere. Sed probatur; Quia præceptum Dilectionis Dei maximè obligat in periculo mortis, quando non ampliùs in hac vita poterit præſtari. Similiter præceptum Contritionis tum maximè vrget: idque partim ob periculum ſalutis propriæ, partim ob periculum perpetuæ inimicitiæ cum Deo. Vnde etiamſi probabile ſpeculatiuè eſſet, voluntariam acceptationem Martyrij per ſe ſufficere; nihilominus practicè non eſſet ſecurum: quia quiſque tenetur tum ex charitate ſui, tum ex charitate Dei, in illo diſcrimine ſequi viam certam, quantum poteſt; alioqui ſponte exponit ſe periculo æternæ damnationis: nempe ſi fortaſſis opinio illa probabilis, re ipſâ non ſit vera: opinio enim probabilis non ſupplet defectum medij neceſſarij. Quam ob cauſam non ſufficit per ſe in eo caſu concipere dolorem peccatorum, quem putas eſſe attritionem: nam certum non eſt, vtrum attritio cum Martyrio ſufficiat ad ſalutem in peccatore; quare tenetur concipere contritionem, & confugere ad id quod certum eſt.

Non eſt certum, an attritio cũ martyrio ſufficiat ad ſalutẽ in peccatore.

Dices Primò, Voluntas ſubeundi Martyrium pro Chriſto, eſt virtualis dilectio Dei ſuper omnia: nam homo per illam præponit Deum vitæ ſuæ, quæ præ cæteris rebus cuique eſt chara. Eſt etiam virtualis contritio: nam deteſtatur peccatum pluſquam mortem: ergo hæc voluntas ſufficit.

Reſpondeo; Hoc argumentum probaret voluntatem hãc ſufficere ad ſalutem, etſi non ſequeretur re ipſâ vlla perpeſſio: imò hominem iuſtificari, quotieſcumque paratus eſt potiùs mori, quàm negare Chriſtum; quod ſanè abſurdum eſt. Vnde negandum eſt antecedens: non enim voluntas Martirij eſt dilectio virtualis Dei ſuper omnia, aut virtualis contritio. Ratio eſt; Quia, qui Deum vitæ corporali præponit, non neceſſariò præponit illum omnibus alijs; cùm multi famam, honores, amicos, patriam pluris faciant, quàm vitam. Similiter qui præponit Deum in vno opere, non neceſſariò præponit illum in aliis. Pari mo-

Martyriũ non eſt virtualis dilectio Dei ſuper omnia, nec virtualis contritio.

do, qui vnum genus peccati magis deteſtatur, quam mortem, non neceſſariò quiduis aliud magis deteſtatur: ſunt enim multi, qui mallent mori, quàm Deum negare; non tamen quam illum offendere minori peccato.

Dices Secundò; Non expedit tunc multum occupari actu contritionis; ſed ſatius eſt, vt tota mens in morte pro Chriſto amplectenda feratur: virtus enim diſperſa eſt minor. Reſpõdeo, Amor Dei & cõtritio maximè iuuant animum ad Martyrium: vnde vel hac ratione ſunt excitanda.

47 Attritio parata cõtritio ſufficit cum Martyrio ad iuſtificationem.

Dico Quartò, Si bona fide exiſtimet ſe habere veram contritionem, valdè probabile eſt ſufficere ad remiſſionem peccatorum, & gratiam iuſtificationis, quamuis tantúmodò ſit attritio. Colligitur hoc ex D. Thoma infrà qu. 87. ar. vbi ait, *Martyriũ purgare ab omni culpa & veniali & mortali; niſi actualiter inuenerit voluntatẽ peccato inhærentem.* Item ex Patribus ſuprà citatis. Probatur, Quia baptiſmus Sanguinis non minùs efficax eſt ad delenda peccata, quàm Baptiſmus Aquæ: vt docent Proſper, Auguſtinus & Cyprianus ſuprà: ſed Baptiſmus Aquæ ſanctificat, & delet omnia peccata etiam cum ſola attritione: ego etiam baptiſmus Sanguinis.

Dices, Hinc ſequi Baptiſmum Sanguinis cum ſola attritione ſufficere, etiam quando ſcitur eſſe attritio: nam Baptiſmus Aquæ tunc ſufficit.

Reſpondeo negando ſequelam. Ratio eſt, Quia Baptiſmus Sanguinis conſtituit hominem in certiſſimo periculo mortis; & ideò requirit per ſe omnes diſpoſitiones ad quas obligamur ratione mortis; vt dilectionem Dei ſuper omnia, & contritionem, niſi per bonam fidem quis excuſetur. Secùs eſt de Baptiſmo, niſi fortè in articulo mortis dandus ſit; tunc enim videtur homo obligari ad cõtritionem, quia tenetur ſequi viam certam quãtum poteſt. Si tamen interueniat bona fides, qua putet ſe habere veram contritionem, iuſtificabitur per Martyrium. Huius ratio eſt; Quia omne opus, quod habet tale priuilegium, vt vi ſua conferat augmentum gratiæ homini cõtrito, confert etiam primam gratiam iuſtificationis homini attrito, qui bona fide ſe putat cõtritum; vt infrà patebit in variis Sacramentis. Nam cum vi ſua, & quaſi ex opere operato conferat, neceſſariò confert omni ſubiecto non ponenti obicem, & aliàs ſufficienter diſpoſito ad gratiæ receptionem. At is, qui bona fide ſe putat contritum, non ponit impedimentum gratiæ; & aliàs attritio eſt ſufficiens diſpoſitio ad gratiæ infuſionem, vt patet in Baptiſmo & Pœnitentia: alioqui nihil priuilegij haberent Sacramenta nouæ legis in iuſtificatione impii; ergo &c.

Magis ſufficit attritio cum Baptiſmo, quàm cum martyrio ad iuſtificationem.

48 Voluntas Martyrii cum externa perpeſſione non ſufficit in immemore peccati, ſine virtuali pœnitentia.

Dico Quintò, Sola voluntas ſubeundi mortem pro Chriſto, in eo, qui peccatorum ſuorum non recordatur, ſiue ob perturbationem, ſiue ob naturalem obliuionem, aut inaduertentiam, non ſufficit cum externa perpeſſione ad remiſſionem peccatorum, & ad gratiam iuſtificationis, niſi includat ſaltem virtualem pœnitentiam. Probatur; Quia Baptiſmus, qui tamen inſtitutus eſt ad remiſſionem peccatorum, & minimam poſtulat diſpoſitionem, requirit formalem vel virtualem pœnitentiam: ergo multò magis Martyrium, quod non eſt inſtitutum ad peccatorum remiſſionem. Ratio eſt; Quia animus, qui per peccatum actuale auerſus eſt à Deo, debet per aliquem motum contrarium rurſus in Deum conuerti, vt in gratiam recipiatur: hoc enim maximè conſentaneum eſt tum diuinæ iuſtitiæ, tum naturæ reconciliationis. Vnde pœnitentia omni tempore neceſſaria fuit ad remiſſionem peccati mortalis, & gratiam iuſtificationis; vt docet Concilium Triden. ſeſſ. 14. cap. 1.

Voluntati martyrii ferè ſemper coniũgitur virtualis Pœnitentia.

Aduerte tamen; Hanc voluntatem Martyrii ferè ſemper includere implicitam & virtualem pœnitentiam, ſaltem attritionem: ita vt ſi recordaretur peccatorum, ea actu deteſtaretur, & proponeret euitare. Nam qui vult ſubire mortẽ pro Chriſto, vel hoc vult, ne Deum offendat; & ſic eſt actus dilectionis Dei (quamuis non neceſſariò dilectionis ſuper omnia) includens implicitè deteſtationem omnis offenſionis: vel vult, ne damnetur: vt Eleazarus 2. Machab. cap. 6. & ſic prouenit à virtute ſpei, & includit deteſtationẽ omnis peccati inducentis damnationem. Et quamuis poſſint interdum aliarum virtutum rationes vel motiua interuenire, tamen ferè ſemper illę ſunt præcipuæ, tamquam maximè generales & notiſſimę. Vnde moraliter certũ eſt, Martyrem ex tali motiuo mortem acceptaſſe. Deinde, cùm quis cogitat ſubeundum eſſe Martyrium, ipſa mortis & ſuppliciorum apprehenſione ſatis excitatur vt ad Deum confugiat, & veniam peccatorũ etiam occultorum flagitet. Vnde vix fieri poteſt, vt omnis pœnitentia etiam virtualis abſit, niſi quis ex inopinato præueniatur, aut occidatur in ſomnis: Vt ſi ſtatuiſſet quis potiùs mori, quàm Chriſtum negare, eò quòd hoc ſit nimis enorme peccatum; multis tamen aliis minoribus mortiferis, vel vno ſit infectus, ſicque ſine omni pœnitentia ſe ſomno tradens in odium Chriſti interficiatur, hic non erit verè Martyr, nec fructum Martyrii habebit, eò quòd omnis pœnitentia defuerit.

Reſpondetur obiectioni ex D. Thoma.

Dices D. Thomas infrà quæſt. 87. art. 1. ad. 2 ſic ait, *Paſſio pro Chriſto ſuſcepta, obtinet vim baptiſmi, & ideò purgat ab omni culpa & veniali: & mortali, niſi actualiter voluntatem peccato inuenerit inhærentẽ.* Ergo D. Thomas non requirit vllã pœnitentiam.

Reſpondeo, Non requirit quidem pœnitentiam expreſſam vel actualem, præſertim in particulari quando peccata non occurrunt: non tamen excludit pœnitentiam virtualem, vel in genere: nam etiam Baptiſmus hanc requirit, cui Martyrium comparat.

49 Sola voluntas notitiæ pro chriſto, in iuſto ſufficit ad martyrium.

Dico Sextò, Sola voluntas ſubeundi mortem pro Chriſto videtur ſufficere in iuſto, vt ſit verus Martyr, etiamſi nullũ alium actum habuerit. Eſt communior ſententia Doctorum. Ratio eſt; Quia cùm ipſum opus Martyrij, id eſt, ipſa perpeſſio, habeat hoc priuilegium, vt quaſi ex opere operato gratiam conferat, vt colligunt Doctores ex illis verbis Domini Matthæi 10. v. 32. *Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo qui in cælis eſt.* & Luc 9. v. 24. *Qui perdiderit animam ſuam propter me, ſaluã faciet illã*: in iuſto autem ſit ſufficiens diſpoſitio ad gratiæ infuſionem, & nullum impedimẽtum, neceſſariò effectum ſuum in illo habebit. Vnde etiamſi dormiens occidatur, erit Martyr. Quæ ratio etiam probat ſatis eſſe credibile, iuſtum fore Martyrẽ, ſi in odium fidei dormiens occidatur, quamuis nihil anteà de Martyrio cogitarit: quod inſinuat Caietanus infrà qu. 87. art. 1. & docent multi recentiores. Nec obſtat, quòd Martyrium in adultis debeat eſſe aliquo modo voluntarium: videtur enim ſufficere poſſe voluntas habitualis, quãdo aliunde actualis impeditur; ſicut ſufficit ad Sacramenti Euchariſtiæ, & extremæ Vnctionis perceptionem. Iuſtus autem cenſetur in habitu paratus mori pro Chriſto, quando neceſſe fuerit; ſicuti habitu cẽſetur remedia velle facere ſalutis, quando fuerit opus. Aduerte tamen, tale Marty-

Etiam in dormiẽte.

Sufficit voluntas habitualis.

Non erit actus fortitudinis.

rium non cenſeri actum Fortitudinis: ſed ſolùm eſt externa profeſſio habens priuilegium, ſicut in infantibus.

DVBIVM. III.

Quando Martyrium conferat gratiam?

Caietanus 2. 2. qu. 124 art. 4. inſinuat dari in primo non eſſe, id eſt, in primo inſtanti quo homo non eſt, & anima non informat corpus: putat enim tunc Martyrem mereri. Sed hoc non videtur probabile. Nam hoc momentum non pertinet ad ſtatum vitæ: homo enim tunc non eſt: vnde non habet ampliùs ſtatum merendi. Et confirmatur; Quia alioqui fieri poſſet, vt qui tota vita nec fidem, nec gratiam, nec meritum habuit, incipiat hæc habere poſt hanc vitam: quod non eſt conſentaneum ſcripturis, quibus dicitur *Recepturum quemque prout geſſit in corpore.* 2. Corinth. 5. v. 10. Et, *Vbi lignum ceciderit, ibi fore, ſiue ad Auſtrum, ſiue ad Aquilonem?* Eccleſiaſtæ c. 11. v. 3.

Caietani opinio refutatur.

Dicendum ergo eſt, Si datur vltimum inſtans vitæ, valdè credibile eſt tunc dari gratiam Martyrij: nam tunc eſt terminus Martyrij. Conſentaneum autem eſt, vt conferat gratiam in termino quo completur; ſicut Sacramenta eam conferunt in termino quo complentur. Quòd ſi non detur vltimum inſtans vitæ, probab ilius eſt dari paulò antè ſeparationem animæ, quando ex vulneribus neceſſe eſt mortem ſequi. Ita Vega lib. 6. cap. 37. Credibile autem eſt eum diuinitus poſteà cuſtodiri vſque ad inſtans mortis, vt non peccet, ſi adhuc ratione vtitur. Quòd ſi contingeret talem poſteà diuinitus ſanari, valdè probabile eſt fore confirmandum in gratia; ſicut credendum eſt de iuſtis, qui excitantur à mortuis; ne illis hoc beneficium ſit damno.

Vel datur in vltimo inſtanti vitæ.

Vel paulò antè ſeparationem animæ.

ARTICVLVS XII.

Vtrum Baptiſmus Sanguinis ſit potiſſimus inter alia Baptiſmata?

51 Præſtantia Baptiſmi ſanguinis.

Reſpondetur Affirmatiuè. Patet hoc ex Cypriano, Auguſtino, & aliis ſuprà citatis.

Probatur Primò, Quia Baptiſmus *Sanguinis*, nos reddit ſimiles imitatione Paſſioni Chriſti, à qua omnia baptiſmata vim habent: reliqua verò minimè nos ſimiles reddunt.

Secundò, Quia Eccleſia feſta Martyrum celebrat: ergo per Martyrium confertur maior gratiæ menſura, quam per Baptiſmum Aquę. De quo quidam non rectè dubitauit. Quod etiam ex eo patet, quòd de Martyribus *Aureola*; id eſt, ſingularis quædam gloria, diſtincta ab illa communi & eſſentiali: *Aureola* autem non datur ſine maiori gratia.

Aquæ. Flaminis.

Baptiſmus tamen *Aquæ* in eo excellit, quòd Characterem imprimat, & ſit Sacramentum.

Baptiſmus *Flaminis* multorum iudicio ſuperat Baptiſmum *Aquæ* in hoc, quòd maiorem gratiæ menſuram conferat; quia in illo iuſtificatur homo per propriam diſpoſitionẽ. Et hoc eſt admodum probabile, præſertim quando diſpoſitio ſeu actus charitatis eſt multum intenſus. Valdè enim veroſimile eſt paruulos poſt Baptiſmum morientes, fore infimos in gloria: quia nihil ad ſuam ſalutem proprio conatu contulerunt.

QVÆSTIO LXVII.

De Miniſtro Baptiſmi.

In Octo Articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Vtrum ad officium Diaconi pertineat Baptizare?

1 Non pertinet id ad eum ex officio.

Reſpondetur, Non eſſe Diaconi ex officio; ſed ſolùm ex commiſſione Sacerdotis vel Epiſcopi.

Prior pars patet. Quia Diaconi tantum eſt miniſtrare Sacerdoti in Sacramentorum diſpenſatione & ſacrificio; vt patet ex nomine, quod *Miniſtrum* ſignificat: ergo ex officio non poteſt baptizare. Idem expreſsè docet Clemens lib. 3. Conſtitut. Apoſt. cap. 11. & Gelaſius canone *Diaconos.* diſtinctione 93.

Sed ex cõmiſſione.

Quòd autem poſſit ex commiſſione, etiam ſolemniter; Probatur, Quia in ordinatione eius dicitur, quòd debeat baptizare & predicare: quod tamen non ſic intelligendum eſt, quaſi per ordinationem efficiatur ordinarius miniſter baptiſmi; ſed quia redditur idoneus, cui id poſſit committi tamquam extraordinario.

Quòd ſi abſque commiſſione baptizet ſolemniter, fiet irregularis, tanquam exercens actum Ordinis alieni; vt docent communiter Doctores ex cap. 1. *de Clerico non ordinato*, quod eſt Hormiſdæ Papæ. Gloſſa in Canonem *Diaconos.* diſt. 93. excipit caſum neceſſitatis; tũc enim poſſe Diaconum ſuo iure baptizare, & corpus Chriſti erogare. Sed cùm nulla ſit neceſſitas ſolemniter conferẽdi Baptiſmum, verius eſt etiam tunc fieri irregularem. Adde tamen, neminem, ſiue Clericum, ſiue Laicum, fieri irregularem, ſi baptizet abſque ſolemnitate, quamuis id extra caſum neceſſitatis, aut præſente Sacerdote, ius alterius illicitè vſurpans, faciat. Docet Panormitanus in cap. illud primum. Et Nauarrus cap. 22. Enchiridij nu. 7. & cap. 27. num. 242. Ratio eſt; Quia, vt ſic datur, non eſt actus Ordinis.

Sine eam ſi ſolemniter baptizet, fit irregularis.

Petes, An Subdiacono poſſit committi ſolemnis Baptiſmus? Reſpondeo, Non poſſe à Preſbytero vel Epiſcopo committi; quia eſt contra iura. Poteſt tamen à Pontifice; quia hæc ſolẽnitas conſiſtit in cæremonijs, quæ ſunt ex inſtitutione Eccleſiæ. Vnde per eum, in quo eſt plenitudo Eccleſiaſticæ poteſtatis, poteſt etiam Subdiacono concedi, ſicut & Diacono.

2 Solemnis baptiſmus non poteſt ſubdiacono committi, niſi à ſolo Papa.

Digitized by Google

ARTICVLVS II.

Vtrum ad officium Sacerdotis pertineat baptizare?

3 Conuenit id ſacerdoti ex officio.

REſpondetur, Sacerdotibus id conuenire ex proprio officio, & ordinaria poteſtate. Patet ex Concilio Florentino: *Miniſter* (inquit Cõcilium) *huius Sacramenti eſt ſacerdos, cui ex officio competit baptizare.*

Dices Primò, ergo infans poterit cuiuis Sacerdoti offerri, ſimiliter Paganus.

Reſpondeo Negando Conſequentiam; Quia ideò tantùm dicitur Socerdoti ex officio hoc cõuenire, quod non requirat alium Ordinem, vt ſit proprius miniſter Baptiſmi; ſed per Sacerdotium habeat omnem poteſtatẽ Ordinis ad hoc Sacramentum requiſitam. Requiritur tamen prętereà iuriſdictio; quia ſoli Paſtores Eccleſiæ poſſunt admittere ad Eccleſiam, & populum Sacramentis & verbo Dei paſcere; vel illi, quibus id ipſi commiſerint.

Eget tamẽ ad hoc Iuriſdictione.

Infans ergo offerri debet Paſtori parentum; hic enim ratione parentum, habet ius in illum. Paganus autem alicui ex Eccleſię Paſtoribus maioribus vel minoribus. Vnde Sacerdos non Parochus, non poteſt baptizare ſine neceſſitate, vel ſine commiſſione propriį Paſtoris; vt fatentur omnes: & colligitur 16. qu. 1. Can. *Interdicimus.* Si tamen faceret ſine commiſſione, non fieret irregularis; quia etſi ſit vſurpatio iuris alieni, non tamen alieni Ordinis.

Abſque ea ſi baptizet, non fiet irregularis.

Dices Secundò, Patres docent Sacerdotem non poſſe ſolemniter baptizare ſine Epiſcopi auctoritate. Tertulianus lib. de Baptiſmo; *Dandi quidem Baptiſmum* (inquit) *ius habet ſummus ſacerdos: de hinc presbyter, & Diaconi; non tamen ſine Epiſcopi auctoritate, propter Eccleſiæ honorem.* Et Hieronymus Dialogo contra Luciferianos: *Inde venit, vt ſine Chriſmate & Epiſcopi iuſſione, neque Presbyter neque Diaconus ius habeat baptizandi.*

Reſpondeo, Hoc videri intelligendum de Sacerdote conſecrato præciſè ſecũdùm ſuã ordinationẽ. Etſi enim ex ſua ordinatione habeat plenam poteſtatem Ordinis ad Baptiſmum (in quo differt à Diacono:) tamen non habet iuriſdictionem in populum, quam debet accipere ab Epiſcopo; & in hoc eſt ſimilis Diacono.

ARTICVLVS III.

Vtrum Laicus poſſit baptizare?

4 Laicus in neceſſitate poteſt baptizare.

REſpondetur; In neceſſitate poſſe Laicũ baptizare. Eſt definitum in Concilio Eliberritano can. 38. & Florẽtino in decreto vnionis, vbi ſic dicitur: *In caſu neceſſitatis, non ſolùm ſacerdos vel Diaconus, ſed etiam Laicus, & mulier, imò etiã Paganus & hæreticus baptizare poteſt; dũmodò formam ſeruet Eccleſiæ, & facere intendat quod eccleſia facit.* Idem docẽt Tertulianus & Hieronymus ſuprà, qui etiam rationẽ adferunt; quia quod ex æquo accipitur, hoc ex æquo dari poteſt. Vide Capitulum *Conſtat.* de Conſecratione. diſtinct. 4. ex Iſidoro, & Capitulum *in neceſſitate.* ibidem.

Exemplo Apoſtolorum & Ananiæ.

Confirmatur ex Scriptura: Quia Apoſtoli baptizarunt, cùm adhuc eſſent Laici: vt patet Ioãnis 4. Et Ananias qui Paulum baptizabat, Laicus fuiſſe videtur; vt alicubi teſtatur Clemens Romanus. Ratio eſt, quia decuit vt Sacramentum tantę neceſſitatis non adſtringeretur certo miniſtro: quã ob cauſam etiam in materia communiſſima inſtitutum eſt. Contrarium ſentit Caluinus lib. 4. Inſtitut. cap. 14. §. 20. Sed ſine ratione; cùm omnes miniſtri Caluiniſtę ſint Laici: & ipſe doceat Sacramentũ ſolùm excitare fidẽ, quę etiam à muliere per verbum Dei poteſt excitari.

Caluinus negat.

ARTICVLVS IV.

Vtrum Mulier poſſit baptizare?

5 Mulier in neceſſitate poteſt.

REſpondetur poſſe in neceſſitate. Definitum eſt ab Vrbano Papa III. qu. 3. Can. *Super quibus.* Et in Concilio Florentino. Sic in veteri teſtamento mulieres in neceſſitate circumſidebant: vt patet Exodi 4. vbi Sephora, cùm Angelus vellet eam, vel Filiũ eius, vel vt alij volũt, Moyſen occidere, circumcidit Filium ſuum.

Ordo inter eos, qui baptizare poſſunt.

Aduertendum tamen, mulierem non poſſe baptizare in neceſſitate, ſi præſens ſit vir, niſi fortè ipſa ſit obſtetrix & peritior: nec Laicum, ſi adſit Clericus: nec minorem Clericum, ſi adſit maior; iuxta cõmunem ſententiam Doctorum. Huius tamen Ordinis inuerſio non cenſetur peccatum mortale (niſi fortè Sacerdos negligatur:) quia non eſt officij alieni vſurpatio, cùm nemo ex inferioribus abſolutũ ius aut officium habeat; ſed ſolùm eſt quędam indecentia. Secùs eſt ſi Sacerdos omittatur, quia ei ex officio competit: qui etiam ſine cauſa nõ poteſt Diacono facere poteſtatem baptizandi, licet ſine ſolemnitate, propter honorem Sacramenti; multoquè minus laico.

ARTICVLVS V.

Vtrum non baptizatus poſſit baptizare?

6 Infidelis poteſt in neceſſitate

REſpondetur Primò, In extrema neceſſitate etiam infidelem poſſe baptizare. Definitum eſt à Nicolao Primo in Epiſtola ad conſulta Bulgarorum cap. 104. & in Concil. Lateranenſi magno, Capitulo *Firmiter.* & in Florentino. Secundò, Si abſque neceſſitate hoc fieret, vterque, tam baptizans, quam baptizatus grauiter peccaret.

Laicus vel Femina baptizans extra neceſſitatẽ, peccat mortaliter.

Petes; Quale peccatum eſt, ſi femina, vel laicus extra caſum neceſſitatis baptizet?

Reſpondeo, Communis ſententia eſt eſſe peccatum mortiferum. Primò; Quia eſt contra præceptum Eccleſiæ in re graui. Secundò, quia eſt alieni muneris vſurpatio: baptizare enim eſt proprium munus Sacerdotum. Tertiò, Quia ſi Sacerdos ſine neceſſitate prætermitteret Baptiſmi ſolemnitatem, mortiferè peccaret. Similiter ſi alienum ſubditũ ſine debita licentia, vt patet 16. q. 1. Canone *Interdicimus.* iuncta glolla. Pari modo ſi in domo priuata abſque neceſſitate baptizet Sacerdos, mortiferè peccat; niſi ſit Filius Regis vel Principis, vt colligitur ex Clementina Vnica. de Baptiſmo: ergo potiori iure dicendum eſt grauiter peccare laicum, qui ſibi non ſubditũ in domo priuata, & ſine neceſſitate baptizat: nam eſt contra ius diuinum. Vnde monendæ ſunt obſtetrices, ne ſine magna neceſſitate infantes baptizent. Ignorantia tamen inculpata poteſt eas excuſare à peccato, vt hic Caietanus docet: ſicut & Iudęum, qui ſeipſum baptizauit; de quo habetur in Capitulo *Debitum.* de Baptiſmo, & eius effectu.

In priuata domo quãdo liceat baptizare.

ARTICVLVS VII.

Vtrum requiratur aliquis, qui Baptizatum de fonte leuet?

ARTICVLVS VIII.

Vtrum teneatur is ad eius inſtructionem?

11 REſpondetur Affirmatiuè. Notandũ eſt Primò, hanc ceremoniam adhibendi Suſceptores, eſſe ſanctam iam inde ab Apoſtolis; vt teſtatur Dionyſius de Eccleſ. Hierar. c. 2. par. 2. qui Suſceptor per hoc, quod infantem re ipsà contingit, & excipit, ſignificat ſe illum in ſuam curam ſuſcipere. Ratio huius eſt. Primò, Nam ſicut is, qui corporaliter in lucem editus eſt, eget nutrice & pædagogo, vt foueatur & inſtruatur: ita qui per baptiſmum ſpiritaliter regeneratus eſt, eget aliquo ſpirituali nutritio & pedagogo, cuius ope in vita ſpiritali foueatur & creſcat. Secundò, Vt apud Eccleſiam ſit teſtis ſuſcepti baptiſmatis. Tertiò, Vt loco paruuli reſpondeat, & ſpondeat eum præſtiturum, quæ ipſemet ſponſurus eſſet, ſi per ætatem poſſet; vnde *Sponſor & Fideiuſſor* vocatur à Tertuliano lib. de Baptiſmo.

Cur Suſceptor adhibetur.

Quod eius munus.

Hinc patet, quod ſit munus Suſceptoris: tenetur enim non ſolùm ex charitate, ſed etiá ex officio, baptizatum inſtruere in ijs quę ad fidem & mores pertinent, ſi opus habeat. Quod etiam patet ex Cap. *Vos autem.* de Conſecrat. diſt. 4. Vnde ſi aduerteret illum à parentibus vel tutoribus nõ inſtrui, teneretur ipſe hoc ſupplere. Poſtquã verò baptizatus ſemel inſtructus fuerit, ceſſat obligatio Suſceptoris; quia non ampliùs cẽſetur eſſe in ſtatu pueritiæ ſpiritalis, in quo opus habeat pædagogo. Et iuxtà hanc moderationem intellige quæ dicuntur in Capitulo *Vos autem.*

12 Notandum Secundò, quibuſdam eſſe interdictum ab eccleſia munere Suſceptoris.

Arcentur munere ſuſceptoris.

Primò, Infidelibus: patet Can. *In Baptiſmate.* de Conſecrat. d. 4. Si tamen attentarent, nõ cõtraherent cognationem ſpiritualem. Sicut enim, qui non eſt natus carne, non poteſt eſſe cognatus carnalis; ita neque is, qui non eſt renatus ſpiritu, poteſt eſſe cognatus ſpiritualis.

Infideles.

Secundò, Monachis & Abbatibus eſt prohibitum. Patet hoc Can. *Non licet.* 1. de Conſecrat. diſt. 4. & Can. *Placuit* 2. qu. 1. & alibi. Ratio eſt, Quia debent vacare ſilentio & orationi. Si tamẽ ſuſciperent, cognationem contraherent. Illis tamen Religioſis, qui Monachi non cenſẽtur, non eſt prohibitum; vt mendicantibus: nam nomen *Monachi* in materia odioſa ſtrictè accipitur.

Monachi.

Non tamẽ Religioſi.

Tertiò, Parentibus prohibetur, ne ſuam prolẽ ſuſcipiant: Can. *Dictum eſt* 30. q. 1. Aduerte tamen Si legitimo Matrimonio iuncti ſint, non naſci impedimentũ redditionis debiti: imò valde probabile eſt, nec etiam petitionis, quamuis ex malitia id feciſſent, vt colligitur ex Cap. *Si vir vel mulier.* de Cognatione ſpirituali, & Cap. *De Deo* 3. qu. 1. Etſi plerique Doctores contrarium ſentiãt. Exempli gratia, Si pater ſuſcepiſſet, vel baptizaſſet ſuum filium, etiam extra caſum neceſſitatis, non ſolùm vxori petẽti debitum poteſt reddere, ſed etiam petere. Ita Cardinalis *in* dictum Cap. *Si vir vel mulier*; & multi alij Doctores antiquiores. Vnde per hæc Capitula derogatum eſt iuri antiquo, ſcilicet Canoni *Peruenit*, & Can. *Prædictum* 30. qu. 1. vbi iubẽtur ſeparari, etiamſi per ignorantiam factum eſſet. Aduerte tamen, inter non coniunctos Matrimonio legitimo naſci impedimentum dirimens vſque ad ſecundum gradum incluſiuè; vt patet ex Concilio Trident. addita explicatione Pij V. de qua ſuo loco.

Patentes.

Poſſunt reddere & petere debitum.

Quarto prohibetur, ne plures ſiue vir ſiue mulier, aut ad ſummũ vnus & vna baptizatum ſuſcipiant. Ita Concilium Trident. ſeſſ. 24. cap. 2. Ratio eſt, Quia diſciplinæ & inſtitutionis ordo multitudine præceptorum perturbari ſolet; & quia non expedit cognationem ſpiritalem inter tam multos cõtrahi. Hinc fit, vt duo viri non poſſint ſimul ſuſcipere eundẽ, nec duę fœminæ. Quòd ſi plures ſuſcipiant, vel tangant, quàm duo, id eſt, vnus & vna, & ſimul concurrant, nec Parochus aliquos peculiariter deſignauerit, probabile eſt quod nullus ex illis contrahet cognationem ſpiritalem: id enim videtur poſſe colligi ex verbis Concilij. De quo plura infrà.

Quotpoſſint admitti Suſceptores.

QVÆSTIO LXVIII.
De Suſcipientibus Baptiſmum.

In Duodecim Articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Vtrum omnes teneantur ad ſuſceptionem Baptiſmi?

1 Eſt de Fide. REſpondetur Affirmatiuè, Omnes diuino præcepto teneri ad baptiſmi ſuſceptionẽ. Admittunt hæretici. Probatur: Matth. 28. Dominus iubet omnes baptizari: ergo omnes obligat ad baptiſmum. Patet Conſequentia, Quia illis verbis datur Apoſtolis poteſtas & iuriſdictio adducẽdi omnes gentes ad baptiſmũ. Atqui hęc iuriſdictio inutilis fuiſſet, niſi habuiſſet annexum præceptum, quo gentes tenentur obedire, & baptiſmum ſuſcipere: Geneſis 17. verſ. 14. *Maſculus cuius præputij caro circumciſa non fuerit, delebitur anima illa de populo ſuo.* Ex quo loco omnes colligunt Iudæos habuiſſe diuinum mandatum, vt circumciderentur. Atqui ſimili prorſus modo dictum eſt Ioan 3. *Niſi quis renatus fuerit* &c. omitto alia loca. Ratio eſt, Quia omnes arctiſſimo præcepto tenentur recipere legem Chriſti, cuius profeſſio, initiatio, & veluti ianua, eſt baptiſmus. Præterea omnes tenentur eniti, vt mortem æternam euadant, & ſalutem conſequantur. Atqui baptiſmus ad hoc eſt neceſſarius; nam per hunc incorporamur Chriſto, à quo omnis ſalus.

ed by Google

ARTICVLVS II.

Vtrum ſine Baptiſmo poſſit aliquis ſaluari?

2 Baptiſmus in re, vel in voto eſt neceſſitate necessitate medij.

REſpondeo & Dico Primò, Sine Baptiſmo in re vel in voto ſuſcepto, non poteſt quiſquã ſalutem aſſequi. Eſt fide tenendum. Probatur, Concil. Trident. ſeſſ. 6. can. 4. *Si quis*, inquit, *dixerit Sacramenta nouæ legis non eſſe ad ſalutem neceſſaria, ſed ſuperflua, & ſine eis, aut eorum voto homines iuſtificari, anathema ſit.* Et ſeſſ. 6. c. 4. agẽs de tranſlatione à ſtatu peccati ad ſtatum gratiæ, addit, *Quæ quidem tranſlatio poſt Euangelium promulgatũ ſine lauacro regenerationis aut eius voto fieri nequit.* Idem definitum ab Innocentio III. Cap. *Apoſtolicã*. De Presbytero non baptizato. Et Cap. *Debitum*. de Baptiſmo & eius effectu. Hinc ſequitur, baptiſmum hoc modo eſſe omnino neceſſarium neceſſitate medij. Per *Votum baptiſmi*, intelligimus deſiderium efficax, quo quis proponit illum ſuſcipere conuenienti tempore.

Adultus poteſt ſaluari per contritionem, vel amorem Dei includentẽ votum baptiſmi.

Dico Secundò, Adultus tamen, ſine baptiſmo reipſa ſuſcepto, iuſtificari & ſaluari poteſt per veram contritionẽ, vel amorem Dei ſuper omnia, includentẽ votum baptiſmi. Colligitur apertè ex Conc. Trid. ſuprà, ita vt de eo nõ poſſit dubitari.

Probatur Primò, Ex Scripturis. Actorum 10. Cornelius iuſtus traditur ante Baptiſmũ. Et Petrus ibi complures baptizat, qui iam Spiritũ S. acceperant. Ex quo loco manifeſtũ eſt, ante realem ſuſceptionem Sacramenti, etiam extra casũ neceſſitatis, poſſe hominem iuſtificari. Ezech. 18. v. 21. Si *impius egerit pœnitentiam, omnium iniquitatum eius nõ recordabor amplius*. Similia multa habet cap. 3.

Probatur Secundò, Ex Patribus. Ambroſius Oratione funebri in obitu Valentiniani Iunioris: *Audio*, inquit, *vos dolere, quòd non acceperit Sacramentum baptiſmatis: atqui hoc etiam in voti habet; non ergo habuit gratiã quam deſiderauit, non habuit, quam poposcit? Imò quia poposcit, accepit*. D. Auguſt. lib. 4. de Baptiſmo cap. 22. ex profeſſo docet fidẽ & conuerſionẽ cordis ſufficere, quando temporis anguſtia baptiſmum excludit. Idẽ etiam ex profeſſo docet epiſt. 77. ad Hugonem. Ratio eſt, Quia

Contritio, vel amor Dei, eſt vltima diſpoſitio ad iuſtificationem.

vera contritio eſt vltima diſpoſitio ad iuſtificationem, connaturalis iuſtificationi in eo, qui peccati mortiferi ſibi eſt conſcius: & amor Dei ſuper omnia eſt vltima diſpoſitio in eo, qui peccati mortiferi non eſt conſcius: Nam eſt perfecta voluntatis ad Deum conuerſio: ergo in quocumque ea fuerit, hoc ipſo momento infallibiliter ſequitur iuſtificatio. Patet Conſequentia, Quia lex cõnaturalis gratiæ nõ eſt minùs firma quàm lex naturæ: atqui in rebus naturalibus poſitâ vltimâ diſpoſitione ſtatim ſequitur forma ergo &c.

Votum baptiſmi debet eſſe, vel expreſſum.

Dices: Ergo non requiritur votum baptiſmi.

Reſpondeo Negando Conſequentiam: Quia ex quo Dominus baptiſmum præcepit tanquam medium neceſſarium, neceſſe eſt vt aliquo modo percipiatur, vel reipſa; vel ſi id fieri nequeat, ſaltem voto, alioquin non eſt vera & ſincera cõuerſio: verùm hoc votum vel virtute in ipſa contritione & amore continetur, vel inde manat. Vnde

Vel implicitum.

etiam patet non ſemper requiri votũ expreſſum; ſed interdum poſſe ſufficere implicitum votum: vt ſi Catechumenus, iam Chriſti fidem edoctus, cum vera animi cõuerſione moriatur antequam inſtruit poſſit de baptiſmo, ſine dubio ſaluus erit, & tamen nullum habuit deſiderium baptiſmi explicitum, quem ignorauit, ſed ſolùm implicitum, quatenus generatim deſiderauit adhibere omnia ſalutis remedia à Chriſto præſcripta, vel eius mãdata ſeruare. Sic cap. 10. Actorum Familia Cornelij videtur iuſtificata ante expreſſum votũ baptiſmi; nã Petrus adhuc nihil dixerat de baptiſmo, quando Spiritus ſanctus tecidit ſuper eos. Denique, Si quis iam inſtructus, ſtatim eſſet moriturus, nec vllam opportunitatẽ baptiſmi eſſet habiturus, is non teneretur habere votum explicitum baptiſmi; quia non poſſet habere deſideriũ abſolutũ, ſed ſolùm conditionatũ & inefficax; ad quod nemo obligatur: quia quando conſtat rem eſſe impoſſibilem, eſt inutile ad ſuum finem. Sed plura de hoc in Tractatu de Pœnitentia.

ARTICVLVS III.

Vtrum Baptiſmus ſit differendus?

3 Exempla adultorũ qui baptiſmum diſtulerũt

CIrca hunc Articulũ maximè dubitari poteſt de adultis, an poſſint differre baptiſmũ, vbi ſatis inſtructi fuerint. Videtur enim poſſe: primò Quia D. Martinus octo annos legitur fuiſſe catechumenus. S. Ambroſius valdè diu fuit catechumenus vſque ad Epiſcopatum, etſi rei Chriſtianæ eſſet peritiſſimus: nam ex catechumeno electus eſt ad Epiſcopatum. Conſtantinus Imperator in fine vitæ Nicomedię baptizatus eſt, teſte Euſebio lib. 4. Vitæ eius ſub finem, & Theodoreto lib. 1. c. 32. Theodoſius Imperator Theſſalonicæ vbi in morbum inciderat, baptizatus eſt, cũ multò anteà fidem eſſet amplexus. Idẽ de Choſroe Perſarum Rege narrat Euagrius lib. 4. hiſtor. c. 27. Valentinianus Iunior diu anteà Chriſto nomen dederat, & tamen Baptiſmũ vſque ad mortẽ diſtulit, qua prẽuentus, non poterat baptizari: vt patet ex Oratione funebri D. Ambroſij.

4 Quando teneatur adultus baptizari.

Reſpondeo, Adultus, cùm in fide ſatis inſtructus fuerit, tenetur baptiſmum ab Eccleſia poſtulare, & prima opportunitate, cùm Prælato viſum fuerit, accipere. Probatur Primò, Quia quando præceptum eſt affirmatiuum, tempus obligationis colligendũ eſt ex cõditione & natura operis præcepti: atqui baptiſmus natura ſua eſt religionis exordium: ergo natura ſua poſtulat, vt ab initio, quam primum homini licuerit, ſuſcipiatur. Patet conſequẽtia, Quia homo non poteſt manere ſine religione: neque ſufficit interna religio; quia etiã corpore cõſtat, & per corpus Deũ vera religione colere debet. Probatur Secundò, Quia ſicut propoſitã ſufficiẽter fide tenetur homo ſtatim interiùs credere, & religionem Chriſtianã amplecti; alioqui cenſetur contemnere diuinam veritatẽ: ita etiã tenetur eandẽ exteriùs amplecti & profiteri, quam primùm cõmodè fieri poteſt; alioqui cenſetur religionis contemptor. Confirmatur, Quia Chriſtus voluit ſuos fideles non ſolùm in vna fide, ſed etiã in vnius externę religionis profeſſione, & eorundem externorum Sacramentorum cõmunione conuenire (per hæc enim conſtituitur Eccleſia;) quorum omnium introitus & ianua eſt baptiſmus: Ergo &c. Probatur Tertiò, Quia baptiſmus non ſolùm peccata præterita delet, ſed etiam opem præbet contra futura, & alicnum Sacramẽtorum & auxiliorum facit capaces; quibus ſine grauiſſima cauſa ſe ad lõgum tempus fraudare, eſt contra charitatem ſui, & obligationem qua homo tenetur ſuam ſalutem quærere.

Dilatio baptiſmi

Hinc colligitur, Prauam fuiſſe conſuetudinem eorum, qui olim baptiſmum deferebant donec

mors

fuit ſemper illicita.

mors inſtaret, vt interea licétiùs poſſent viuere, & tandem omnibus culpis & pœnis ſimul expedirentur: contra quos agit Nazianzenus Oratione in ſancta Luminaria. Baſilius exhortatione ad baptiſmum. Chryſoſtomus hom. 4. ad Baptizandos, & hom. 1. in Act.

5 falſum eſt Conſtantinum in fine vitæ baptizatum eſſe.

Ad Argumentum; Reſpondeo, Viros illos ſanctos vel ſine graui cauſa non diſtulille, vel certè in ea dilatione peccaſſe, quamuis fortè non ita grauiter ob ignorantiam tantę obligationis: hoc tamen peccatum etiam per baptiſmum deleri poterat, quantumcumque eſſet. De Conſtantino, Falſum eſt ipſum ſub finem vitæ Nicomediæ baptizatum: conſtat enim illum initio conuerſionis baptizatum Romæ à Silueſtro. patet hoc ex concil. Romano quod habitũ fuit ſub ipſo Silueſtro cap. 1. & ex Damaſo in vita Silueſtri: ex Adriano I. in epiſt. ad Conſtantinum & Irenem, quæ approbatur in VII. Synodo Act. 2. ex Nicolao Papa in epiſt. ad Michaëlem Imperatorem paulò antè medium, vbi Silueſtr ũ Conſtantini Magni Baptizatorem appellat. Deniq; ex Nicephoro lib. 7. hiſtor. c. 35. vbi refutat ſententiam contrariam, eamq; conſictam ait à Græcis Arianis, ſcilicet Euſebio Cęſarienſi, vt ſic obliquè perſuaderent Cõſtantinum Arianum fuiſſe: nam Euſebius iſte Nicomedienſis, à quo tunc baptizatum dicunt, tunc Princeps Arianorum erat. Et probat Nicephorus, quia multò antè Conſtantinus Concilio Nicæno interfuerat, & cum reliquis Patribus myſteriorũ noſtrę religionis particeps fuerat, quæ catechumeni non poſſunt percipere. Hinc patet Caietanum qu. 69. art. 8. immeritò hanc hiſtoriam in dubium reuocare. Sed eſt

DVBIVM.

Vtrùm Eccleſia poſſit conſtituere tempus, vltra quod Baptiſmus non poſſit differri ſicut poteſt determinare tempus Communioni?

6 Reſpondeo & Dico Primò, Non poteſt Eccleſia ſuo pręcepto directè obligare adultos catechumenos, vt hoc vel illo tempore baptiſmum ſuſcipiant; ſicut directè obligat fideles ad certo tempore percipiendam Euchariſtiam. Probatur, Antebaptiſmum non ſunt ſubditi Eccleſię ergo Eccleſia non habet in illos ius præcipiendi. Confirmatur, Quia alioqui poſſet eos punire ſi non parerent, cùm poteſtas præceptiua nunquam ſit ſine poteſtate coërcitiua. Atqui hoc eſt contra illud 1. Cor. 5. v. 12. *Quid enim mihi de iis, qui foris ſunt iudicare?* Et contra Concil. Trid ſeſſ. 14. c. 2. *Eccleſia*, inquit, *in neminem iudicium exercet, qui non priùs in ipſam per baptiſmi ianuam fuerit ingreſſus.*

Eccleſia non directè, ſed indirectè poteſt Catechumenos obligare ad ſuſceptionem baptiſmi.

Dico Secundò, Poteſt tamen Eccleſia eos indirectè obligare, quatenus poteſt conſtituere certa tempora ſolemnis baptiſmi, quibus temporibus hi qui ſatis inſtructi ſunt, iure diuino tenentur baptizari. Ratio eſt, Quia iure diuino tenentur eũ: primo quoq; tępore quando commodè poſſunt impetrare. Atqui hoc eſt illud tempus, quod Eccleſia conſtituit: ergo indirectè Eccleſia illos obligat. Aduerte tamen, iudicio Prælati poſſe differri baptiſmum; vt rectè notauit D. Thom. non quòd tunc Prælatus diſpenſet in hac obligatione; ſed quia interpretatur ſubeſſe iuſtam rationem differendi.

ARTICVLVS IV.

Vtrum peccatores ſint baptizandi?

Reſpondetur, peccatores, qui nolunt pœnitere de peccatis ſuis, non ſunt baptizandi: nam 7
fruſtra baptizarentur, & prętetea nouâ culpâ tũ baptizans, tũ baptizatus contraheret hoc ſacrilegium. Notandum eſt; Hoc eſſe contra quoſdam hęreticos, qui tempore Auguſtini docebant omnes ad baptiſmum admittendos, etſi finem peccandi nollẽt facere: ſat enim eſſe, ſi fidei doctrina precederet; poſteà tamen eſſe inſtruendos quàm pernitioſum ſit in peccatis perſiſtere. Ratio illorum erat; Quia populus Iſraël priùs mare rubrum tranſijt & poſteà legem accepit, quæ præcepta morum continet. Contra quos ſcripſit D. Auguſtin. lib. de Fide & operibus: vbi huic argumento reſpondet, quod populus Iſraël priùs ab Ægyptijs receſſerit, quàm in mari Rubro ſit baptizatus; quo ſignificaretur, priùs recedendum à peccato, quam baptiſmum ſuſcipiendum.

Argũta S. Auguſtini reſponſio ad hæreticos volentes baptizari peccatores, etſi impœnitentes.

ARTICVLVS V.

Vtrum peccatoribus baptizatis ſint imponenda opera ſatisfactoria?

Reſpondetur, nullam pœnitentiam baptizatis 8
imponendam, quantumuis multa peccata fecerint; cùm per baptiſmum non ſolùm omnis culpa, ſed etiam omnis reatus & pœna remittatur. Ratio eſt, Quia per baptiſmum datur nobis perfecta paſſionis & mortis chriſti communicatio, perinde ac ſi ipſi pro peccatis noſtris mortem ſuſtinuiſſemus (vnde per baptiſmum dicimur commori chriſto & ſepeliri.) Sicut per cõceptionem naturalẽ ex Adamo cõmunicatur nobis tranſgreſſio Adami, perinde ac ſi noſtra voluntate facta eſſet, licet non in æquali gradu. Quare oportebat, non ſolùm omnem culpam, ſed etiam omnem pœnæ reatum per hanc mortis chriſti communicationẽ deleri. patet cõſequentia: Quia alioqui nõ fuiſſet perfecta hæc communicatio, nam non fuiſſemus perfectè mortui morte peccati. Idem quoq; conſentaneum erat Chriſti benignitati; vt videlicet, qui ipſi primò inſererẽtur, iugum eius ſuaue perciperent dum etiam ab omnibus pœnis liberãtur.

Baptiſmus eſt perfecta communicatio mortis chriſti.

ARTICVLVS VI.

Vtrum peccatores ad baptiſmum accedentes teneantur peccata ſua confiteri?

Reſpondetur, Non teneri confiteri externa 9
confeſſione apud Sacerdotẽ; ſed ſufficere interiorem confeſſionem, qua generatim recogitatis ſuis peccatis, dolorem concipiant. Ratio eſt, quia Baptiſmus eſt ianua Sacramentorum. Vnde nec Confeſſio, nec aliud Sacramentum vim habet in non baptizato. Dices, Tertullianus lib. de Baptiſmo ſub finem, tequirit confeſſionem peccatorum ante baptiſmum. Similiter Nazianzenus Oratione in S. Baptiſma. Reſpondeo, Non loquuntur de Confeſſione ſacramentali, quæ fit vt pœnitẽs à peccato abſoluatur; ſed de manifeſtatione peccatorum, vt commoda illis remedia adhibeantur: hæc tamen conſuetudo nõ erat vniuerſalis, neque neceſſaria.

Quomodo quidam Patres voluerint baptizandos debere confiteri.

ARTICVLVS VII.

Vtrum ex parte baptizati requiratur intentio ſuſcipiendi baptiſmi?

GLoſſa in Can. *Soler.* de conſecrat. diſt. 4. inſinuat nihil intereſſe, quam intentionẽ habeat ſuſcipiens, modò miniſter intendat conferre Sacramentũ. Et in cap. *Maiores.* de Baptiſmo & eius effectu, putat baptiſmum perfici, etiamſi animo diſſentiat, modò exteriùs fateatur ſe conſentire. Verùm hæc ſententia ab omnibus vt erronea reijcitur: certiſſimum enim eſt, non perfici Sacramentum in eo, qui habet poſitiuum diſſenſum. Et patet ex illo Capitulo *Maiores*, vbi Innocentius III. id probat; quia alioqui homo inuitus cogeretur ad religionem Chriſtianã. Quare Gloſſæ illæ vel intelligendæ ſunt de foro externo; nẽpe quod in foro externo cenſerentur baptizati, & cogerentur ſeruare religionem chriſtianam, ſi exteriùs conſenſiſſent; vel ſunt omnino reijciendæ, Vnde his omiſſis: Sententia Caietani eſt, Non requiri poſitiuam voluntatem; ſed ſufficere, vt non habeat voluntatem baptiſmo renitentem: vt ſi merè negatiuè ſe habeat, neq; poſitiuè velit, neq; nolit. Probatur Primò, Quia in infantibus non requiritur poſitiua voluntas. Secundò, Quia Innocentius III. cap. *Maiores.* ſic ait, *Tunc Characterem ſacramentalem imprimit operatio, cùm obicem voluntatis contrariæ non inuenit obſiſtentem*: atqui is, qui nullum prorſus habet actum, non habet volũtatem obſiſtentem: ergo. Tertiò, Baptizari eſt quędam paſſio; id autem quod patitur non neceſſariò exercet aliquem actum vt patiatur: ergo. Verùm contraria ſententia eſt communis, & tenenda: pro qua, Dico Primò, In ſuſcipiente neceſſarius eſt aliquis poſitiuus conſenſus ſeu intentio ſiue ea ſit actualis, ſiue virtualis, ſiue habitualis. Vbi nota, in miniſtro requiri intentionem actualem, vel virtualem; vt ſuprà dictum eſt: habitualis autem in ipſo non ſufficit, quia non influit in op°. Sufficit tamen habitualis intentio in ſuſcipiente: vt ſi quis aliquando actu voluerit baptizari, & nunquam propoſitum ſuum reuocauit, ſi poſteà dormiens vel amens baptizetur, erit verus baptiſmus. Probatur Primò, Ex Cap. *Maiores*, vbi definit Innocentius III. dormiẽtes & amentes baptiſmum poſſe ſuſcipere, ſi anteà propoſitum ſuſcipiendi habuerint. Vbi aduerte Innocentium de his ſolùm dicere id, quod Caietanus pro ſe citat, nempe *Baptiſmum imprimere Characterem quando non inuenit voluntatem reſiſtentem*: loquitur enim de illis, qui anteà propoſitũ ſuſcipiendi habuerãt. Probatur Secundò, Ex Conc. Carthaginenſi III. c. 34. vbi dicitur, *Ægros eſſe baptizandos, ſi tamen ſuæ voluntatis præcedentis habuerint teſtimonium.* Idem docet D. Auguſt. lib. 4. de Baptiſmo c. 22. Probatur Tertiò, Ratione. Prima eſt, Quia ſicuti nemo adultus poteſt iuſtificari, niſi poſitiuè conſentiat; ita par eſt, vt nemo poſſit Sacramentorum eſſe particeps, per quæ Chriſti merita ad iuſtificationem applicãtur, niſi velens. Et cõfirmatur; Quia ſi donationes humanæ & rerum humanarũ ſunt irritæ, niſi acceptẽtur; multò magis donatio & applicatio diuinorum Sacramentorum & chriſti meritorum irrita erit, niſi accepterur. Quæ ratio probat de omni Sacramento: vt ſi quis Euchariſtiam percipiat, neſciens eſſe Euchariſtiam, nihil fructus percipiet, nec erit ſacramentalis perceptio. Secunda eſt, Quia alioqui ſequeretur cogendum eſſe ad fidem & religionem Chriſtianam eum, qui nunquam ad eam præſtitit conſenſum: quod eſt contrà Eccleſiæ praxim, & communem Doctorum ſententiam. Id enim eſt contra dignitatem Fidei & religionis, quæ ſuo ſplẽdore ſuiſq; præmijs voluntates hominum debet allicere. Id autem ad quod quis compellitur, vile & abiectũ cenſetur, & magis exoſum redditur.

Ex his patet reſponſio ad primum argumentum Caietani: In infantibus enim non requiritur conſenſus; quia nondum ſunt capaces: ſecùs eſt de adultis; in quibus tamen ſufficit conſenſus præteritus, quia non eſt diſpoſitio phyſica, ſed moralis. Conſenſus autem præteritus cenſetur moraliter remanere, ſi non eſt reuocatus; ſicut peccatũ præteritum remanet, donec per pœnitentiam ſit retractatum. Dices, Peccatum originis contrahitur ſine conſenſu: ergo etiam ſine conſenſu poteſt remitti. Reſpondeo, remittitur ſine conſenſu, ſi homo nondum ſit capax conſenſus, quando baptiſmus adhibetur, ſicut contrahitur, quando non eſt capax conſenſus; aliàs requiritur conſenſus. Ratio eſt, Tum quia adulti baptizantur non ſolũ propter peccatum originis, ſed etiam propter actualia, quæ per conſenſum contrahuntur: Tum quia per baptiſmum transferimur ad ſtatum ſupernaturalem, cuius dignitas poſtulat, vt voluntariè ſuſcipiatur. Ad ſecundum ex Innocentio, iam ante reſponſum eſt. Ad tertium: Sæpè fit, vt id quod patitur, debeat tunc vel anteà aliquam actionem habuiſſe, per quam ſe diſponat ad illam paſſionem excipiendam: vt patet in iuſtificatione & glorificatione. Dico Secundò, Intentio, ſeu voluntas merè conditionata, etiamſi ſit poſitiua, nõ ſufficit, Ratio eſt, Quia cum hoc conſiſtit abſoluta voluntas renitens baptiſmo.

Dico Tertiò, Sufficit tamen voluntas abſoluta ſuſcipiendi, quamuis illi ſimul coniungatur conditionata non ſuſcipiendi. Probatur ex cap. *Maiores* iam dicto, vbi Innocentius id docet; & ad hoc citat. conc. Toletanũ, quod refertur diſt. 45. cap. *De Iudæis*: qui Iudæi conſenſerant baptizari propter timorem Zizebuti Regis, & tamen cogũtur religionem chriſtianam ſeruare. Ratio eſt, Quia voluntas metu exorta eſt abſoluta & efficax voluntas; nã poſitis hiſce circũſtãtijs abſolutè vult. Dices Primò, Metus cãdens in conſtantem virum irritat matrimonium: ergo etiam baptiſmum: ergo ſi quis metu compulſus hunc ſuſcipiat, nõobligatur ad Chriſtianam religionem. Reſpondeo Negando vtramque conſequentiam; Quia Matrimonium non tantum eſt Sacramentum, ſed etiam cõtractus ciuilis diſpoſitioni iuris humani ſubiectus; vnde potuit irritari, vel etiam iure naturę eſſe irritus, quia contrà naturam contractus eſt, cùm per iniuriam ſit extortus: baptiſmus autem, ſolùm eſt Sacramẽtum, nullo modo humanę poteſtati ſubiectum: vnde non potuit ob metum irritum reddi, ſi aliàs abſoluta voluntas illius ſuſcipiendi adfuit: vnde qui ſic baptizatus eſt, poterit poſteà ad religionem chriſtianam colendam cogi, eò quòd verum Chriſti & Eccleſiæ Sacramentum voluntariè ſuſcepit; ratione cuius Eccleſia, & maximè Chriſtus in illum ius acquiſiuit.

Dices Secundò, Nemo acquirit ius per iniuriam, ergo ſi Prælatus cogat Ethnicum ad baptiſmum, non acquiret ius in illum. Reſpondeo; Nõ acquiret ius per actum iniurioſum, ſed per voluntariam ſuſceptionem baptiſmi, qua ille Ethnicus hîc & nunc voluntariè baptizatur; & cõſequẽter ſe obligat ad cultum chriſtianę religionis, & ſubijcit Eccleſię, & cùm baptiſmus non poſſit irritari, nõ

10 Gloſſa.

Reſpondetur argumento Caietani.

Inpoſitiuè diſſentiente baptiſmus perfici validè non poteſt

Cur in infantibus minùs quàm in adultis neceſſarius conſenſus ad baptiſmum.

Neque in habente ſe merè negatiuè, vt tamen vult Caietanus.

12 Intentio merè conditionata non ſufficit ad baptiſmum

11 Sed requiritur conſenſus poſitiuus.

Sufficit habitualis.

Innoc. III

Cur Baptiſmus metu ſuſceptus valeat, non autem Matrimoniũ.

Concil carthagin

Duplex Ratio.

poteſt etiã obligatio inde ſecuta tolli; præſertim cùm baptiſmus, & tota hæc obligatio ab ipſo ſuſcipi debuerit etiam ſponte; & per eam obligetur potiùs erga Chriſtum, cuius Sacramentum ſuſcepit, quã erga hominem qui coëgit. Atqui Chriſtus nullam iniuriam intulit, ac proinde non eſt ratio cur non debeat cogi vt Chriſti religionem ſeruet.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum requiratur Fides ex parte baptizati?

13 RÉſpondetur, Fidem requiri, vt Sacramentũ conferat gratiam adulto, non tamen vt ſubſtantia Sacramenti conſtet, aut vt Character imprimatur.

ARTICVLVS IX.

Vtrum Infantes ſint baptizandi?

14 Anabaptiſtæ. ANabaptiſtæ, quorũ Dux Balthazar Pacimõtanus Viennę igni exuſtus, ex principijs Lutheri docent infantes non eſſe capaces baptiſmi; quia nimirum nõ poſſunt credere. Et idcirco omnes ad ſuam ſectam venientes rebaptizant, tanquam adhuc infideles: & ob eandem cauſam Catholicos vocant infideles. Eundem errorem tempore D. Bernardi tenuit quidam Petrus de Bruys Narbonenſis, à quo dicti *Petro-Bruſiani*, contra quem ſcripſit Petrus Abbas Cluniacẽſis. Et quidam Henricus, à quo *Henriciani*, contra quem ſcripſit D. Bernardus epiſt. 240. Pro veritate.

Petro bruſiani. Henriciani.

Infantes ſunt de fide & licitè & ſalubriter baptizandi.

Dico Primò, Fidę tenendum eſt infantes licitè & ſalubriter baptizari. Probatur Primò ex Scripturis, quamuis non omnino poſſit ex illis ſolis conuinci: eſt enim vnum eorum, quę per traditionem habentur. In veteri teſtamento Circumciſio, quę erat figura Baptiſmi, dabatur infantibus, Geneſ. 17. Cur in nouo non detur illis Baptiſmꝰ, quę eſt *Circumciſio cordis*? Ad Colloſ. 2. v. 11. quo argumento vtitur Innocẽtius III. Cap. *Maiores*. In nouo Teſtamento, Ioan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua* &c. quibus verbis inſinuatur infantes nõ poſſe ingredi in regnum cælorũ, ſi ſine Baptiſmo decedant. Matt. 19. Marci 10. & Lucę 18. adferebant ad Dominum paruulos, vt eis benediceret, & cùm Diſcipuli vellent eos prohibere, reſpondit Dominus, *Talium eſſe regnum cælorum*: vbi non tãtùm loquitur Dominus de ijs, qui ratione vtebãtur & poterant credere, ſed etiam de infantibus: id enim nomen Græcum βρέφος, *infantes*, apud Lucã v. 15. ſignicat, vbi dicitur προσέφερον αὐτῷ καὶ βρέφη *Afferebant ad illum infantes*: ergo paruuli ſunt capaces chriſti benedictionis & vitę ęternę.

Scriptura.

Concilia. Probatur Secundò, Ex Concilijs. Conc. Mileuitanum can. 2. *Placuit, vt quicumq; paruulos recẽtes ab veteris matrum baptizandos neget, anathema ſit.* Concilium Gerundenſe can. 5. docet poſſe eodẽ die quo naſcuntur baptizari. Idem habet Conc. Viennenſe, vt patet Clementina vnicade Summa Trinitate & fide Catholica. Et Concilium Trident. ſeſſ. 7. de Baptiſmo can. 12. 13. 14.

Patres. Probatur Tertiò, Ex conſenſu omnium Patrum, qui etiam docent eſſe traditionem Apoſtolicam. Dionyſ. Areopagita c. 7 Eccleſ. Hierar. par 3. ſub finem, dicit ita Apoſtolos tradidiſſe. Origenes in illa verba c. 6. epiſt. ad Romanos, *Qui mortuus eſt, iuſtificatus eſt à peccato*; Eccleſia, inquit, *ab Apoſtolis traditionem accepit, paruulos eſſe baptizandos*. Idem expreſſe habet Aug. lib. 4. contra Donatiſtas de Baptiſmo c. 24. & ex hoc fundamento probat infantes habere peccatum originale. Similiter D. Hieronymus Dialogo 3. contra Pelagianos. Et D. Proſper lib. 2. De vocatione gentium c. 23.

15 Ratio. Probatur Quartò, Ratione. Prima eſt, Infantes tenentur obſtricti peccato Adami: ergo oportebat, vt eſſent etiam capaces remedij: quod remedium baptiſmus. Patet Conſequentia, Quia alioqui potentius videretur peccatum Adæ, quàm gratia Chriſti. Vbi aduerte, Sicut Patres ex eo, quòd Eccleſia iudicat infantes baptizandos, colligunt habere peccatum originale; ita vicißim ex eo, quòd habent peccatum originis, certò probamus eſſe baptizandos; hęc enim duo connexa sũt, & ſe vicißim illuſtrant. Secunda eſt, Chriſtus nõ ſolùm eſt Saluator adultorum, ſed etiam infantum. 1. Timoth. 2. ergo conſentaneum erat, vt illis commune remedium præſcriberet. Tertia eſt, Sacramenta vim habent ex inſtitutione diuina, non autem ex actu ſuſcipientis: ergo ſuſcipiens, etiamſi nondum ſit capax rationis, poteſt vi ſacramenti iuſtificari; neque enim ratio illa, cur in adultis requiratur conſenſus, in infantibus locum habet, vt patet ex ſuprà dictis. num. 11.

connexa ſunt, habere peccatũ originale & baptizari debere, & contra.

16 fundamẽtum Anabaptiſtarum. Sed Obijciunt Anabaptiſtæ Primò, Matth. 28. v. 19. *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos* &c. Marci 16. v. 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit*: Hîc Dominus requirit antè baptiſmum doctrinam & fidem, cuius non ſunt infantes capaces: ergo nec baptiſmi. Hoc argumento coacti ſunt Lutherani admittere infantes actu credere: ad quod confirmandum adferunt exemplum Ioãnis Baptiſtæ, qui *Exultauit in vtero* & credidit. Sed, vt rectè D. Auguſt. Epiſtola 57. ad Dardanũ ait, *Iniuriam facit humanis ſenſibus, qui putat infantes ſcire quid circa ipſos agatur in baptiſmo, aut præbere aſſenſum ſanctificationi, cùm experientia conſtet ipſos reluctari, flere* &c.

Reſellitur. Reſpondendum ergo, Illum ordinem proprièpertinere ad adultos, vt docet Innocentius III. Capitulo *Maiores*. de Baptiſmo: hi enim, vt inquit Hieronymus, Primò docendi ſunt ea, quæ ad fidem pertinent: Secundò baptizandi ſunt? Tertiò monendi, & inſtruendi non ſufficere fidẽ & baptiſmum; ſed vlteriùs requiri præceptorum obſeruationem. Hic tamen ordo non eſt ſemper ſeruandus, ſed quando fieri poteſt. Vnde cùm infantes non ſint capaces inſtructionis, nõ ſeruatur in illis; ſed primò baptizantur; deinde cùm adoleuerint, inſtruuntur in fide. Simili modo fiebat in Circumciſione.

Obijcit Secundò, Gregorius Nazianzenus, Oratione in ſanctum Lauacrum, optat differri baptiſmum, donec infantes poſſint aliquid de fide ſua reſpondere. Similiter Tertullianus lib. 1. de Baptiſmo ſub finem, in quam ſententiam propẽdet Eraſmus Præfatione in Matthę. & Ludouicꝰ Viues in c. 27. lib. 1. de Ciuit. Dei.

Nazianzeni opinio non fauet Anabaptiſtis. Reſpondeo, Nazianzenus optat tantum differri ad triennium, vt pueri poſſint aliquo modo reſpondere; excipit tamen periculum mortis. Sentit ergo illos ſemper poſſe baptizari; &, ſi differatur, ſolùm differendum eſſe ad triennium; qua tamen ætate nec poſſunt credere, nec pœnitere. Vnde hęc ſententia non iuuat Anabaptiſtas: Nazianzeno enim videbatur eſſe conueniens, vt ipſimet poſſent reſpondere, quamuis nondum intelligerent res fidei. Verùm hoc Nazianzeni concilium parum habet vtilitatis, & plenum eſt periculi: nam variis caſibus poſſunt infantes mori: vnde nunquam placuit Eccleſiæ, & reijcitur à

Tertulliani error.

Concilio Tridentino ſeſſ. 7. can. 13. Tertullianus verò vult expectari ætatem idoneam fidei: Sed errat in hoc, ſicut & in eo, quod ſubiungit, *Innuptos non minùs de cauſa præcauſtinãdos, donec aut nubant, aut continentiæ roborentur*; quod nec Anabaptiſtæ ſeruant. Argumenta eius ſunt nullius momenti.

17 Infantes baptizati, in adulta ætate cogendi ad fidem ſeruandam.

Dico ſecundò, Quicunque in infantia ſunt baptizati, poſtea ætate adultâ cogendi ſunt, vt Chriſtianam religionem ſeruãt: Eſt contra Erasmum, quicunque eos eſſe interrogãdos cùm adoleuerint, an velint fidem ſuſceptã retinere; quod ſi nolint, relinquendos ſuo arbitrio. Quod expreſsè damnat Concilium Tridentinum ſeſſ. 7. can. 14. de Baptiſmo.

Et Confirmatur Primò, Ex conſuetudine totius Eccleſiæ, quæ numquam talem libertatem reliquit. Vide Canonem qui incipit, *De Iudæis*. diſt. 45. & Capitulum *Maiores*. de Baptiſmo & eius effectu. Confirmatur Secundò, Quia in lege Moyſis Circumciſi tenebantur ſeruare totam legem. Ethnici etiam in falſis religionibus, veluti ratione dictante, id ſeruarunt, vt conſtat ex Platone lib. 10. De legibus. Lege quoque ciuili pueri tenentur ſtare contractibus factis per tutores, quando ſunt illis vtiles. Denique vt rectè notauit Albertus diſt. 6. per baptiſmum nõ obligatur infans, niſi ad legem, quam ſuſcipere tenebatur: vnde debet cenſeri ratus baptiſmus, & obligatio firma: præſertim cùm contrarium cederet in magnam iniuriam Sacramenti, & religionis Chriſtianæ, & in perniciem animarum.

DVBIVM I.

Vtrùm baptiſmus reipſa ſuſceptus ſit Infantibus omnino neceſſarius ad ſalutem?

18 Tres ſententiæ.

OMiſſis Pelagianis, qui exiſtimabant paruulos abſque Baptiſmo morientes non peruenire ad regnum cælorum, licet aliam quandam vitam æternam extra cælum ijs largirentur: Sũt tres ſententiæ. Prima eſt Caluini, infantes fideliũ ſine Baptiſmo ſaluari, eò quòd peccatũ originale ipſis non imputetur. Secunda eſt Caietani art. 2. & 11. huius quæſtionis, qui exiſtimat infantes, ſi aliquo caſu baptizari nequeant, & mors immineat poſſe ſaluari per fidem parentum aliquo externo ſigno religioſo applicatam, v. g. benedictione, aut infantis oblatione cum inuocatione Trinitatis; & hoc remedium in eo caſu vult eſſe ordinarium, id eſt, Deum ordinariè aſſiſtere. Quidam alij admittunt hoc remedium, tanquam pium; ſed non eſſe ordinarium; piè tamen ſperari Deum extraordinario modo ſuppleturum effectum Sacramẽti. Ità Ioannes Gerſon in tom. 4. Concione de Natiuit. beatæ Virginis. Ad quam ſententiam accedunt illi Doctores, qui dicunt Deum ſupplere defectum Sacramenti, quando citra culpam ſuſcipientis, aliquid eſſentiale deeſt. Vide Silueſtrum Verbo *Baptiſmus*. 1. num. 5. Tertia eſt Catholica, Baptiſmum reipſâ ſuſceptum eſſe mediũ abſolutè infantibus neceſſarium ad ſalutem: Ita vt etiam in extrema neceſſitate non habeant vllum aliud remedium ordinarium: Nec etiam credibile ſit, Deum extraordinario modo Sacramẽti effectum ſuppleturum, ſi fortè aliquid eius ſubſtantiæ deſit. Prior pars eſt fide certa. Secunda pars eſt fidei proxima. Tertia pars ita certa, vt contrarium ſit improbabile. Probatur Prima pars & obiter reliquæ. Primò, ex Scripturis Ioannis 3. v. 5. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei*. Hîc ſignificatur, Baptiſmum eſſe medium neceſſarium ad ſalutem: ſicut, ſi quis diceret, Niſi pharmacum ſumpſeris, non potes conualeſcere. Non enim hîc tam ſignificatur præceptum, quàm medium neceſſarium. Quod patet, Tum ex ratione quam Dominus ſubijcit v. 6. *Quod natum eſt ex carne, caro eſt; & quod natum eſt ex Spiritu, ſpiritus eſt. Ideò dixi, oportet vos naſci denuò*: quaſi dicat, per natiuitatem carnis ſolùm habetis, quòd ſitis caro; vnde neceſſariò debetis renaſci ex aqua, & Spiritu, vt ſatis ſpiritus, id eſt, ſpirituales. Tum ex figura æneæ Serpentis, & Arcæ Noë: quorum ille, vnicum erat remedium contra morſum ſerpentum; hæc, contra interitum per aquas diluuij; Ioannis 3. & 1. Petri 3. Sic enim Baptiſmus eſt vnicum remedium contra mortem æternam. Vide D. Auguſtinum lib. 1. de Peccatorum meritis & remiſſ. cap. 30. vbi hunc locum excutit.

Reſpondet Caietanus, verba illa *Niſi quis renatus* &c. intelligenda eſſe conditionatè: *Si fuerit poſſibile*. Sed contrà: Hæc conditio additur ſine vllo fundamento & auctoritate: ac ex dictis ſuprà art. 2. dõ neceſſitate medij manet refutata. Caietani & aliorum ſolutio reijcitur.

Alij dicunt, infantem renaſci ex aqua & Spiritu ſancto per votum parentum; ſicut adultus renaſcitur voto proprio, quamuis exteriùs non percipiat Baptiſmum. Et confirmatur; Quia infantes dicuntur credere fide parentum. Sed contrà: Votum alterius nihil poteſt infanti prodeſſe, cùm nec proprium quidem votum alicui profit, niſi ſit cõiunctum cum vera conuerſione mentis, quæ conuerſio non poteſt eſſe in paruulo. Ideò enim votum in adultis ſupplet vicem Baptiſmi; quia coniunctum eſt cum propria diſpoſitione ad iuſtificationẽ. Diſpoſitio autem quæ in altero eſt, infanti nihil prodeſt. Ad Confirmationem: dicuntur credere fide parentum, quia per illam offeruntur ad Baptiſmum, & re ipſa conſequuntur, & conſequenter fidem; ſicque fiunt fideles. Infantes voto parentum non poſſunt ſaluari.

In quibus voluntas parentum cenſeatur voluntas filij.

Nec obſtat, quòd dici ſolet, voluntatem parentis reputari voluntatem paruuli: hoc enim ſolùm verum eſt in ijs, quæ parẽs iure ſuo facit, quæ poſtea filius non poteſt reſcindere: quod, ſi crudè accipiatur, eſt falſum: ſic enim prauà voluntas patris noceret infanti; vt ſi offerret infantem Idolo: & Baptiſmus, contra voluntatem parentis datus, eſſet irritus: deniq, infans etiam extra neceſſitatis articulum poſſet ſolo deſiderio parentis ſaluari.

Ex conciliis & Traditione.

Probatur Secundò hæc veritas ex Concilijs & Traditione Eccleſiaſtica. Eccleſia enim ſemper exiſtimauit infantes ſine Baptiſmo decedentes perire: vnde nec preces pro illis offert, nec ſepulturam concedit. Patet, tùm ex vſu Eccleſiæ, tùm ex Concilio Carthaginenſi & Mileuitano apud D. Auguſtinum epiſt. 90. & 92. vbi ex profeſſo damnatur ſententia eorum, qui putant paruulos ſine Baptiſmo ſaluari poſſe. Concilium Trident. ſeſſ. 5. can. 4. docet tranſlationem ex ſtatu, in quo naſcimur filij Adami, in ſtatum gratiæ, non poſſe fieri poſt Euangelium promulgatum, niſi lauacro regenerationis aut eius voto: vnde cùm votum non habeat locum in paruulis, apertè ſequitur nõ poſſe ſaluari ſine reali Baptiſmo.

Ex reſponſis Pontificum.

Probatur Tertiò, Ex teſtimonijs Pontificum. Siricius Papa epiſt. 1. cap. 2. & Innocentius I. epiſt. 26. ad concilium Mileuitanum expreſſè docent *Parvulos certò perire, ſi ſine baptiſmo moriãtur*. Idem docet Gregorius Papa lib. 7. epiſt. 53. & Innocentius III. Capitulo *Non vt ac poteres*. de Baptiſmo & eius effectu: vbi reſpondet, pueru m qui propter aquæ penuriam ſaliua fuerat aſper-

Gerſon.

19 3. Vera & Catholica.

Ex Scripturis.

non eſſe Chriſtianũ, *Quia*, inquit, *requiritur aqua, iuxtà illud: Niſi quis renatus fuerit ex aqua & S.S.*

Probatur Quartò, Ex Patribus. D. Auguſtinus epiſt. 28. ad Hieronymum, *Quisquis dixerit, quòd in Chriſto vinificabuntur etiam parvuli, qui ſine Sacramento & eius participatione de vita exeunt, hic totam condemnat Eccleſiam; vbi propterea cum baptizandis parvulis feſtinatur & curritur, quia ſine dubio creditur aliter eos in Chriſto omnino vinificari nõ poſſe.* Et lib. 3. de Anima & eius origine cap. 9. dicit, Non eſſe Catholicum, qui putat infantes ſine baptiſmo poſſe originalis culpæ indulgentiam conſequi. Omitto reliquos Patres.

20 Ex ratione contra Caluinum.

Probatur Quintò, Ratione. Prima eſt contra Caluinum: Paruuli naſcuntur in peccato originali, vt nũc ſupponor: ergo nõ poſſunt ſaluari ſine remedio peccati originalis; quod eſt baptiſmus.

Reſpondet Caluinus, contrahere quidem peccatum originale, ſed non imputari, eò quòd ſint filij fidelium, quibus facta eſt promiſſio, Geneſis 17. *Ero Deus tuus & ſeminis tui.*

Sed contrà, Quia hoc implicat cõtradictionem, *Contrahere peccatum, & illud non imputari.* Nam in quo eſt peccatum, is neceſſariò à Deo reputatur peccator. Sicut enim Deus neceſſario odit peccatum, ita & peccatorem: *Odio enim ſunt Deo, impius & impietas eius.* Sapient. 14. verſ. 9. Si dicas; Per hanc non imputationem peccatum tolli: Infero: Ergo nunquam habuerunt peccatum originale, cõtra Scripturam, & ipſum Caluinum. Patet conſequentia; nam in primo inſtanti cõceptionis ſunt filij fidelium, ac proinde in primo inſtanti remittitur; quare non contrahunt illud.

catholica ſententia vrgetur contra Caietanum ex auctoritate Eccleſiæ.

Secunda Ratio eſt contra Caietanum. Si in extrema neceſſitate paruulorum, quando baptiſmꝰ adhiberi nequit, eſſet aliquod remedium ordinarium, id Eccleſiam hactenus non latuiſſet: nam quæ ſunt neceſſaria ad ſalutem, non ignorat. At conſtat Eccleſiam nũquam tale remedium agnouiſſe: nam expreſsè docent Cõcilia & Patres ſine Baptiſmo infantes non poſſe ſaluari. Eadem ratione probatur non eſſe credibile, Deũ interdum extraordinario modo ſupplere effectum Sacramenti: quomodo enim id Patres latuiſſet? Item cur Eccleſia non orat, aut docet fideles orare Deum, vt ſaluet infantes ſine baptiſmo morientes, niſi quia nulla ſpes eſt ſalutis? Sicut enim non orat, vt ſaluet illum, qui moritur ſine pœnitentia; ita nec orat, vt ſaluet infantem ſine baptiſmo; quia nulla ſalutis eſt ſpes vel probabilitas: vnde talis actio non pia, ſed potiùs ſuperſtitioſa cenſenda eſt. Et confirmatur; quia ſi rogandus ſit Deus, vt aliquid faciat contra legem ordinariam, potiùs rogãdus eſt vt extraordinario modo curet adhiberi baptiſmum, quàm vt effectum baptiſmi inuiſibiliter ſuppleat, baptiſmo non exiſtente. Accedit, quòd Deus nunquam facit miracula, niſi aliquo ſaltem externo ſigno poſſit hominibus innoteſcere; ac proinde non ſanctificat interiùs contra legem ordinariam, niſi eo modo qui poſſit exteriùs innoteſcere

Tertia Ratio eſt; Si infans poſſet ſaluari illa Caietani benedictione, ſequeretur eſſe plura Sacramenta quàm ſeptem; nam illa externa benedictio eſſet verè Sacramentum.

21 Obiectio caluini diluitur.

Sed Obijcitur ex Caluino. 1. ad Corint. 7. Apoſtolus ait, *Filios*, qui naſcuntur ex coniugio infidelis & fidelis, *eſſe ſanctos*: ergo poſſunt ſaluari ſine baptiſmo.

quomodo filij infidelis cũ fideli ſint ſancti apud Apoſtolum.

Reſpondeo, Horum coniugum filios dicit *ſanctos*, quia quando conſentit infidelis habitare cũ fideli, ſine iniuria Chriſti permittit etiã ſuas proles Deo cõſecrari, per baptiſmum ſanctificari, & Chriſtianè educari. Hortatur enim ibi Apoſtolus coniuges fideles, vt ne diſcedant à coniugibus infidelibus, ſi ipſi ſine iniuria Chriſti velint cum fidelibus permanere. Rationẽ adfert, *Quia* inquit *ſanctificatur coniux infidelis per fidelẽ*, id eſt, cõuertitur ad fidẽ, vel certè ſenſim diſponitur ad eam: vnde ſequitur, vt filij quoque *ſancti* ſint; id eſt, vt fiant Chriſtiani per baptiſmum, & Chriſtianè inſtituantur. Quòd ſi fidelis diſcederet ab infideli, *nec infidelis ſanctificaretur per fidelẽ*, nec filij *ſancti* eſſent, ſed immundi; nam ſequerentur patrem infidelem. Ita exponit Tertullianus lib. 2. ad Vxorem; cuius expoſitionem approbat Hieronymus epiſt. 153. ad Paulinum. Auguſtinꝰ lib. 2. de Peccatorum meritis cap. 26. & lib. 3. cap. 12.

22 Obiectio caietani ſoluitur.

Secundò Obijcitur ex Caietano: Alienum videtur à diuina pietate, vt tot infantes ſine remedio relinquantur, cùm infiniti tum in vtero, tum in laboribus partus, antequam baptiſmus adhiberi poſſit, moriantur.

An Deus reliquerit infantes ſine ſufficienti remedio.

Reſpõdeo ex D. Auguſtino lib. de Bono perſeuerantiæ cap. 12. & Proſpero lib. 2. de vocatione gentium cap 23. Dei iudicia eſſe occulta, cur tot paruulos ſinat perire: nihilominùs tamen eſſe iuſtiſſima, cùm poſſet omnes propter peccatũ originale relinquere ſine remedio. Adde: Deum nõ reliquiſſe infãtes ſine ſufficienti remedio ex parte ſua; ſic vt etiam in ipſis loçum habeat illud Apoſtoli 1. ad Timoth. 2. v. 4. *Qui vult omnes homines ſaluos fieri*; vt docet Proſper loco citato. Inſtituit enim Baptiſmum pro omnibus, nemine excepto. Quòd autem his vel illis ob aliquas cauſas extrinſecas, non poſſit humano more baptiſmus applicari, non eſt Deo imputandum; non enim ipſe ſic ordinat, & diſponit illas cauſas vt baptiſmus non applicetur, ſed permittit eas agi ſuis motibus: in qua permiſſione & ſuauis prouidentiæ moderatio, quæ vim rebus non infert, & iudicium in pœnã peccati originalis cernitur: de quo plura in 1. parte. Cur autem hunc infantem ita faciat concipi & naſci, ſicuti videt iuxta communem prouidentiæ curſum fore, vt ei applicetur baptiſmus; alium non ita; inſcrutabile eſt Dei iudicium. Similiter cur aliorum natiuitatem communis prouidentiæ ordini relinquat, aliorum verò ſingulari quadam prouidentia dirigat, inſcrutabile eſt.

Iudicia Dei, quibus multos infantes ſinit perire, iuſta ſed inſcrutabilia.

DVBIVM II.

Quando parentes teneantur ſuos liberos Baptizare?

REſpondeo & dico Primò, Tenentur in periculo mortis illorum. Idque partim lege Charitatis, ſeu Miſericordiæ. Partim ex officio paterno quo tenentur rectè inſtituere, & ſaluti neceſſaria curare. Partim lege baptiſmi; quia non ſolùm ſibi baptiſmum, ſed etiam filijs curare debent: Sicut olim lege circumciſionis tenebantur paruulos circumcidere. Et ratio eſt, quia iure naturæ infans non cenſetur habere aliam voluntatem quàm paternam, ac proinde per illam obligatur ad baptiſmum, maximè quando illi ad ſalutem eſt neceſſarius.

25 Quod etiam parentes teneantur liberos ſuos baptizare in periculo mortis.

Dicò Secundò, Extra periculum iure diuino pater non videtur teneri baptizare paruulum in infãtia; ſed poſſet differre vſque ad ætatem adultam. Ratio eſt, Quia ius diuinum non determinauit vllum tempus pro infantibus: & ex natura rei non eſt obligatio ad tẽpus infantiæ extra periculum mortis; quia in infantia non poteſt Chri-

Extra periculum, non iure diuino, ſed apoſtolica traditione infantes baptizandi.

ſtianas actiones obire. Vnde etiam Eccleſia non videtur iure diuino obligari, vt infantes baptizet extra periculum. Eſt tamen traditio Apoſtolica admodum ſalutaris omnes parentes obligans.

ARTICVLVS X.

Verum infantes Iudæorum, vel aliorum infidelium, inuitis parentibus ſint baptizandi?

24 Putat Scotus id fieri poſſe.

QVidam exiſtimant id poſſe fieri auctoritate Principum, modò ſuppetat aliqua ratio illos poſtea religiosè educandi: & illi infideles ſaltem iure politico ſint Chriſtiano Principi ſubiecti. Ita Scotus diſt. 4. qu. 9. vbi etiam dicit bonum fore, ſi omnes Infideles cogantur ad fidem. Idem ſentit Gabriel eadem diſt. nu. 2. ar. 3. dubio 5. & Eckius homil. 2. de Baptiſmo. Sed contrarium eſt tenendum: pro quo,

Verſus negatur.

Dico Primò, Non licet baptizare infantes Infidelium inuitis eorum parentibus, quorum poteſtati ſubſunt, ſi illi non ſint mancipia Chriſtianorum. Niſi forte infantes ſint in extrema neceſſitate, & ſine vi & ſcandalo id fieri poſſet. Eſt ferè communis D. Thomę hoc loco, & Caiet. Durádi diſt. 4. qu. 6. & hoc tempore eſt communis.

Prior pars Probatur Primò: Quia ſi inuitis parentibus baptizentur, vel reddendi ſunt parentibus, & ſic eſt apertum periculum profanationis baptiſmi, nam inſtituentur in infidelitate, & ſacrilegis ritibus polluentur: vel non ſunt reddendi; & ſic fiet apertè iniuria parentibus, ad quos iure naturæ pertinet eorum educatio. Quod patet, Quia hoc eſt ſpoliare eos patria poteſtate, & re ſuâ nam infantes, quamdiu ſunt ſub cura parentum, ſunt veluti res & bona ipſorum; ac proinde non magis poſſunt auferri, quàm aliæ res, quæ ipſorum dominio ſubſunt. Hoc eſt præcipuũ fundamentum huius ſententiæ. Nam cui baptiſmus poteſt dari, in eo etiam poteſt & debet defendi à praua inſtitutione & violatione per impios ritus: ſed hoc fieri nequit, niſi infans patri eripiatur, & non reſtituatur; quod eſt contra iuſtitiam. Confirmatur, Quia non poteſt eripi in pœnam, vel ad innocentis defenſionem, vel ob alium titulum qui hîc interueniat, vt patebit ex ſolutione argumentorum.

Probatur Secundò, Quia idcircò Chriſtianorum filii poſſunt inuitis parẽtibus baptizari, quia Eccleſia ius habet in parentes: ergò cùm non habeat ius in Infideles, non poteſt illis inuitis eorũ infantes baptizare. Confirmatur, quia quod Eccleſia hactenus nunquã tentauit, imò vetuit fieri, credile eſt eam ad id ius non habere: atqui hactenus non tentauit, & vetuit fieri: ergo.

25 Niſi infans ſit in periculo mortis.

Altera pars Probatur: Quia quando infanti imminet periculum mortis, non eſt metuendum, ne baptiſmus per prauam inſtitutionem temeretur; neque eſt neceſſe parẽti prolem adimere, ſed ſatis eſt baptiſmum conferre: quod leui negotio fieri poteſt abſque parentis iniuria. Nec refert, quòd parens id fortè iniquè ferat: quia nihil cõtra ius eius agitur. Cauendum tamen, vt abſque ſcandalo id fiat, & etiam ne vis inferatur parẽti.

Caue ſcãdalum.

Dices, Iſte infans eſt in extrema neceſſitate ſpirituali: ergo poſſum illi ſuccurrere etiam vi illata parenti.

Reſpondeo Negando Conſequentiam: Quia parens poſſet ſe tueri, non enim ratione oſtendi poteſt infantem eſſe in periculo damnationis: & ſic daretur bellum vtrimque iuſtum, quod ſepoſita ignorantia iuris cuiuſque fieri nequit.

Si tutores ſint inuti.

Aduerte, quod de parentibus dictum eſt, idem ſentiendum de tutoribus, qui ſuccedũt in locum parentum, & eamdem poteſtatem habent circa prolis gubernationem; niſi fortaſſis Princeps ob aliquas cauſas politicas poſſet eos mutare.

26

Sed contrà. Obiicitur Primò, Si parens nolit ſuam prolem baptizari, abutitur patria poteſtate & iure naturali: ergo poteſt ea priuari: hæc enim eſt iuſta pœna, vt quo quis abutitur, eo priuetur: vel certe poterit cogi, vt rectè vtatur.

Soluuntur obiectiones.

Reſpõdeo Negando conſequentiam, Quia non abutitur contra debitum iuſtitiæ politicæ ordinem, ſed contra legem Fidei, Religionis & Pietatis ſupernaturalis: vnde ob talem abuſum non poteſt priuari iure naturali, quod habet. Sicut nec cogi poteſt, vt ipſe credat, aut baptizetur, aut aliquid aliud propriũ religionis Chriſtianæ admittat. Confirmatur; Quia nec per poteſtatẽ Eccleſiaſticam, cui non ſubeſt; nec per politicam cogi poteſt, cùm poteſtas politica non ſe extendat, niſi ad ea, quę ratio nobis dictat ad finẽ politicũ conuenire; hęc enim poteſtas immediatè eſt ab hominib' per dictamen rationis naturalis: Infantẽ autem eſſe baptizandũ, eſt ſupra rationem: ergo &c.

Obiicitur Secundò, Parens facit paruulo grauem iniuriam, præſertim ſi in periculo mortis nolit permittere eius baptiſmum: ergo tunc poterit vi compelli, vt permittat.

Reſpondeo Negando conſequentiam; Quia illa iniuria non eſt contra legem naturę; nec contra finem politicum; ac proinde non poteſt prohiberi aut vindicari per Principem: nam intra limites legum politicarum non cenſetur iniuria.

Obiicitur Tertiò, Si pater vellet prolem ſuam corporaliter occidere, poſſet vi eripi: ergo multò magis ſi ſpiritaliter, nolens illam baptizari.

Deus fecit hominem dominum vitæ ſuæ ſpiritualis non item corporalis.

Reſpondeo non ſequi. Patet in ſimili: Si enim te velles occidere, poſſes vi impediri: non tamen ſi velles peccare, v. g. inebriari; quod tamẽ eſt occidere ſe ſpiritaliter. Ratio eſt; Quia Deus fecit nos dominos vitæ ſpiritalis, ita vt ſola voluntate poſſit conſeruari vel profundi; non autem vitę corporalis. Vnde cùm infantes ſecundùm vitam ſpiritualem ſint ſub parentum dominio, quorum voluntate placuit Deo illis proſpicere, non poſſunt parentibus eripi vt donentur vita ſpirituali. Aliam ſolutionem vide apud D. Thomam ad 1.

Obiicitur Quartò, Si parens inſtitueret ſuos pueros latrocinio, veneficio, vel ſimilibus malis artibus, poſſet vi cogi vt abſtineat, & filij eripi: ergo ſimiliter, ſi nolit baptizari.

Reſpondeo Negando Conſequentiam: Quia poſſunt cogi infideles ad ius naturæ, Vt v. g. ne immolent idolis, ſi Chriſtiano Principi ſubſint; non tamen ad ius ſupernaturale.

Obiicitur Quintò Magis oportet Deo obedire, quàm hominibus: atqui Deus iubet omnes baptizari: ergo etiamſi homo repugnet, non eſt curandum. Confirmatur primò, Quando enim ſunt duo ſubordinati domini, & contraria præcipiunt, tenemur potiùs obedire ſuperiori, quàm inferiori. Confirmatur Secundò, Quia infantes magis ſunt Dei, quàm parentum: ergo potiùs Deo ſunt reſtituendi per baptiſmum, quàm parentum arbitrio relinquendi.

Præcepta ſupernatu

Reſpondeo; Non ſolùm Deus iubet omnes baptizari, ſed etiam vt nemini iniuria inferatur: quando autem parentes repugnant, iniuriam eis facimus, ſi infantes ab illis vi abſtrahimus. Ad primam confirmationem: Non ſunt hîc duo ſub-

ſalia, ſolũ ſeruanda ſaltua natura lege.

ordinati domini contraria iubentes; ſed vnus dominus, qui, mandat omnes baptizari, ſaluo tamen iure naturali, nempe vt nullum cogamus, nulli vim infetamus. Omnia enim præcepta ſupernaturalia ſic à Deo ſunt lata, vt non niſi ſalua naturæ lege velit ea ſeruari. Gratia enim naturam ſupponit & perficit, non deſtruit.

27 Si alter parentum conſentiat baptizari infantem.

Dico Secundò, Si alter parentum conſentiat, poteſt infans etiam altero inuito baptizari. Probatur, quia Capitulo *Ex literis.* de Conuerſione coniugatorum, ſtatuitur, vt ſi pater fidem amplectatur vxore manente infideli, filij baptizentur: & 28. qu. 1. Can. *Iudæi.* ex Concilio Toletano IV. ſtatuitur, vt etiam inuito patre Iudæo filij baptizentur, ſi mater Chriſtiana fuerit. Ratio eſt; Quia cùm vterque parens ferè equale ius habeat in filium, & non poſſit vtriquè concedi, donandus eſt in fauorem fidei & prolis, parenti fideli.

Item ſi auus conſentiat inuita matre

His adde: Si patre mortuo in infidelitate, auus conuerteretur, vel anteà eſſet conuerſus, poſſet voluntate aui proles baptizari, quamuis mater in infidelitate perſiſteret. Ratio eſt: Quia mortuo patre, auus tanquam pater curam nepotum habet, & iure ciuili patriam accipit poteſtatem. Ita ante annos viginti iuſſu Gregorij XIII. Romæ fuit iudicatum & factum.

28 Item ſi parentes ſint mancipia Chriſtianorum.

Dico Tertiò, Si iſti infideles ſint mancipia Chriſtianorum, poſſunt eorum infantes ipſis inuitis baptizari. Ita Durandus diſt. 4. qu. 6. Sotus in hunc locum, & multi alij. Et colligitur ex 1. Machabæorum cap. 2. vbi Mathathias, cùm occidiſſet miſſos ab Antiocho, curauit circumcidi omnes pueros, quos inuenerunt in finibus Iſraël, inter quos haud dubiè erant multi filij infideliũ, quos iure belli ſibi ſubiecerat. Et quamuis horum parentes fortè non eſſent mancipia Iudæorum, ipſi tamen paruuli erant mancipia, vnde poterãt baptizari. Ratio eſt, quia dominus habet ius circũcidẽdi ſua mancipia, & ſeparandi à ſuis proli-bus, etiam hac intentione vt proles baptizet, quamuis Caietanus & Sotus id negent. Nam mãcipia ſunt res & bona domini, ſicut iumenta; ac proinde quouis honeſto fine poſſunt diſtrahi: ergo poterit tunc ſtatuere de prolibus prout ei placuerit. Confirmatur, Quia patria poteſtas non minùs eſt in domino, quàm in parente: nam dominium includit abſolutum ius gubernandi ſeruum, non minus quàm includat poteſtas patria, ſed potiùs maius, cùm pro arbitrio poſſit eum vendere, quod non poteſt parens: ergo poteſt circa illum, quidquid poteſt parens & amplius.

Dominal poteſtas maior, quam paterna.

Si infantẽ nequeas ab inuito parente ſeparare, ne baptizes.

Hîc tamen Aduerte Primò, Si nolis, aut nequeas paruulum à parente ſeparare, ob quod pænè certum ſit ipſum in infidelitate educandum, aut cæremonijs impijs contaminandum, non potes ipſum baptizare, excepto neceſſitatis caſu. Ratio eſt, Quia id eſſet contra ſanctitatem Sacramenti, & dignitatem religionis Chriſtianæ; & eſſet periculum apoſtaſiæ. Vnde Doctores iubent priùs ſeparari, quàm baptizetur. Idem dicendum videtur de filijs hæreticorum: nempe non eſſe baptizandos, ſi non ſuppetat ratio cauendi, ne à parente peruertantur. Quamuis hoc in praxi non ſeruetur, fortaſſe quia ſpes eſt illos à Catholicis rectè eſſe inſtituendos, & quia maiora incommoda timentur.

Quid faciendum de Plagio ſublatis.

Aduerte Secundò, Eos qui furtim aut plagio ablati ſunt ex terris infidelium, ſi poſſint reſtitui ſuis parentibus, ſunt illis omnino reſtituẽdi abſque baptiſmo. Quòd ſi nõ poſſint reſtitui, debent baptizari, & Chriſtianè educari: nam tunc Princeps ſeu Reſpublica ſuccedit in ius paternum.

29 Puer attingens vſum rationis, poteſt baptizari inuitis parentibus.

Dico Quartò, Cum puer attingit vſum rationis, ſic vt videatur poſſe peccare, poteſt baptizari, ſi velit, etiam inuitis parentibus. Ratio eſt, quia in ijs, quæ pertinent ad ius naturale & diuinum, non eſt ſubiectus parẽtibus: & ſimulatque vtitur ratione, incumbit ei cura ſuæ ſalutis.

DVBIVM.

Vtrùm cenſendus ſit verus baptiſmus, qui infantibus infidelium conferitur inuitis eorum parentibus?

30 Durandus aliique negant.

DVrandus diſt. 4. qu. 7. Paludanus eadem diſt. & Catherinus Opuſculo de paruulis Iudæorum recipiendis, exiſtimant huiuſmodi baptiſmum eſſe irritum. Ratio eſt, Quia baptiſmus requirit voluntatem baptizati: at paruulorum nulla eſt voluntas, niſi parentum, qui renituntur: ergo &c.

Sed contraria ſententia eſt ferè communis doctorum, ſcilicet eſſe verum baptiſmum.

Probatur Primò, Quia ſicut nec requiritur fides parentum ad veritatem baptiſmi, ita nec voluntas.

Verius affirmatur.

Probatur Secundò, Quia vt Durandus, & alij fatentur, in filiis apoſtatarum eſt ratum Baptiſma, etiam inuitis parentibus: ſimiliter in filiis mancipiorum. At ſi voluntas parentum requireretur ad ſubſtantiam baptiſmi, in omni euentu eſſet neceſſaria.

Probatur Tertiò, Si infans inuito parente afficeretur morte propter Chriſtum, eſſet verus martyr, quamuis in adulto voluntas requiratur: ergo. Vide D. Auguſt. epiſt. 23. & Bernardum epiſt. 77.

Probatur Quartò, Peccatum Originale ſine omni conſenſu contrahitur: ergo & ſine conſenſu expiari poteſt. Ratio eſt, Quia tales infantes, etſi, vt iure cenſeantur baptizati, non habeant aliam voluntatem quàm parentum; tamen vt abſolutè ſint baptizati, non requiritur vlla externa voluntas: quia baptiſmus agit per modum cauſæ naturalis, cui ſufficit non inuenire obicem in ſubiecto cui applicatur, licet in applicatione interueniat iniuria.

ARTICVLVS XI.

Vtrum in Matericis vteris poſſint baptizari?

31 Negatur: niſi poſſint aſpergi inſtrumento in vtero.

REſpondetur, Non poſſe; quia non poſſunt aqua attingi.

Addo tamen, ſi infans in vtero poſitus poſſit aliquo inſtrumento per obſtetricem aſpergi, cenſeretur verè baptizatus, vt notat Frãciſcus Victoria qu. 32. Dices; *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto*, hîc Domin⁹ inſinuat puerum debere primò naſci: quia, vt D. Auguſtinus ait epiſt. 57. *Nemo renaſcitur, niſi iam natus.* Reſpondeo; Non requiritur abſolutè, vt anteà ſit natus per egreſſionem ex vtero, ſed ſufficit vt ſit natus per egreſſionem ex nihilo in rerum naturam. Et confirmatur, quia ſi puer exſcinderetur, non diceretur naſci; tamen deberet omnino baptizari.

quomodo debeat eſſe natus, qui per baptiſmum renaſcitur.

32 An infans vtero exſcindẽdus.

Notandum hîc Primò, Matrem non eſſe ſcindendam, vt infans poſſit baptizari, niſi ſit mortua, vel ob ſua crimina à iudice ad hoc condemnetur: quia non ſunt facienda mala, vt eueniant

bona. Vnde leges ciuiles iubent ſupplicium matris differri vſque ad partum; vt patet Lege *Prægnantem.* Digeſtis de pœnis.

Duobus modis poteſt infans in vtero ſaluari.

Notandum Secundò, Remedium, quod hîc ponit Caietanus, eſſe vanum; de quo ſuprà diximus art. 9. dub. 1. Duo dumtaxat ſunt modi, quibus infans in vtero poſſit ſaluari. Primus, Si afficiatur martyrio; ad quod non ſufficit matrem occidi propter Chriſtum, ſed requiritur, vt etiam infantem in odium Chriſti occidere velint, quod fiet, ſi animaduertant illam eſſe prægnantem. Secundus. Si diuino miraculo in vtero ſanctificetur, vt Ioannes Baptiſta. Nunquam tamen exiſtimandum eſt, id fieri ſine notis externis, quibus id poſſit deprehendi.

ARTICVLVS XII.

Vtrum furioſi & amentes debeant baptizari?

VIde D. Thomam. Solùm notandum eſt in ijs, qui à natiuitate amentes fuerunt, non eſſe ſanam mentem expectandam, ſed ſtatim poſſunt baptizari. Ratio eſt; Quia ſunt inſtar infantum. Secùs eſt, ſi vſûs rationis interuallum habuerint: tunc enim non poſſunt baptizari in amentia, niſi anteà eius voluntatem oſtenderint. 33

QVÆSTIO LXIX.
De Effectibus Baptiſmi.

In Decem Articulos diuiſa.

ARTICVLVS I. II. & III.

Vtrum per Baptiſmum tollatur omnis culpa & pœna?

1 Hæretici.

QVidam hæretici ſenſerunt per baptiſmum peccata non tolli, ſed ſolùm *radi, tegi, ſeu non imputari*, ſic tamen vt reipſa maneant. Ita quidam Proclus Origeniſta apud Epiphanium hæreſi 64. & poſteà Meſſaliani teſte Theodoreto lib. 4. fabularum hæreticarum ſub finem. Idem docent Lutherani & Caluiniſtæ.

ART. I. Dico Primò, Per baptiſmum omnia peccata ita tolluntur, vt nullum omnino remaneat, quod verè & propriè ſit peccatum.

Baptiſmus tollit omnia peccata.

1. Ex ſcripturis.

Probatur Primò, Ex Scripturis ad Rom. 6. v. 3. *Quicumque baptizati ſumus in Chriſto* IESV, *in morte ipſius baptizati ſumus*, id eſt, in ſimilitudinem mortis Chriſti: quæ ſimilitudo in hoc conſiſtit, quia ſicut in Chriſto per mortem extincta eſt vita corporalis, ita in nobis per baptiſmum, qui eſt imitamen paſſionis & mortis Chriſti, extincta eſt vita peccati; id eſt, ipſum peccatum, & vis nocendi.

Eſt imitatio mortis & reſurrectionis chriſti.

Vbi aduerte, Baptiſmum eſſe imitationem mortis, & reſurrectionis Chriſti. Mortis quidé; quia ſicut in Chriſti morte, duo ſunt, alterum externum, ſcilicet profuſio ſanguinis ex tormentis: alterum internum, ſcilicet extinctio vitæ corporalis: ita in baptiſmo, externum eſt perfuſio aquæ, vel immerſio in illam; internum eſt extinctio vitæ peccati. Similiter Reſurrectionis eſt imitatio, in qua externum eſt emerſio è ſepulchro, internum vita immortalis. Ita in baptiſmo eſt emerſio ex aqua, & vita ſpiritalis. Sicuti ergo in Chriſto vita corporalis penitus extincta eſt, & omnino noua & immortalis collata; ita per baptiſmum penitus extinguitur peccatum, & confertur vita noua & ſpiritalis.

2 Verè delet & extinguit omne peccatum.

Hinc patet Primò, Baptiſmum non ſolùm directè inſtitutum, vt deleat peccatum originale, ſed omne id quod peccati rationem habet ſiue magni ſiue parui, & vt conferat vitam cæleſtem.

Patet Secundò, Peccatum reuerà *deleri & extingui*, non autem tantummodò *radi*, aut *non imputari*, ſic vt reipsà maneat: quod commentum non ſolùm apertiſſimis Scripturis repugnat, quę paſſim docent *peccata, iniquitates, maculas & inquinamenta peccatorum deleri, tolli, ablui, mundari*; ſed etiam contradictionem inuoluit. Non enim poteſt peccatum eſſe, & non imputari: nam Deus neceſſariò omnem peccatorem reputat inimicum. Pſalmo 5. *Odiſti omnes, qui operantur iniquitatem*: & Sapientiæ 14. *Odio eſt Deo impius, & impietas eius.* Idem probari poteſt ex cap. 2. Epiſtolæ ad Coloſſenſes verſu 11. 12. 13.

Confirmatur ex figuris baptiſmi.

Idem confirmatur ex Figuris Baptiſtui. In Diluuio omnes peccatores ſunt deleti: ſic in baptiſmo omnia peccata. 1. Petri 3. In mari Rubro omnes Ægyptij, qui Iudæis à tergo erant, ſunt ſubmerſi: ſic in baptiſmo omnia peccata, quæ ſunt præterita à tergo: 1. ad Corinth. 10. de quo typo vide D. Auguſtinũ concione 1. in Pſalmum 113. & Gregorium lib. 9. Epiſt. 39. vnde Michææ 7. *Proiiciam in profundum maris omnia peccata veſtra.* In Iordane lepra Naamã penitus curatur, 4. Reg. 5. Probatica piſcina omnes curabat morbos. Ioannis 5. in quem locum vide Chryſoſtomum.

1. Ex Cõciliis.

Probatur Secundò, Ex Concilijs. Concil. Carthaginenſe IV. cap. 1. *Quærendum*, inquit, *ab eo* (ſcilicet ab Epiſcopo conſecrando) *ſi in baptiſmo omnia peccata, id eſt, tam illud originale contractum, quàm illa quę voluntariè admiſſa ſunt, dimittantur.* Concilium Florent. *Huius Sacramenti effectus eſt remiſſio omnis culpæ originalis & actualis, omnis quoque pœnæ quę pro culpa debetur.* Concilium Tridentinũ ſeſſ. 5. can. 5. ſub anathemate definit *Per baptiſmũ tolli reipſa omne id, quod in homine rationẽ peccati habet, & non tantùm radi, aut non imputari.* Vide ſequentia verba.

3. Ex Patribus.

Probatur Tertiò, Ex Patribus; qui omnes idem docent D. Auguſt. in Enchirid. cap. 52. *Sicut in Chriſto vera mors facta eſt, ita in nobis vera remiſſio peccatorum: ſicut in ipſo vera reſurrectio, ita in nobis vera iuſtificatio.* Chryſoſtomus homil. ad baptizandos. *Etſi mollis, etſi fornicator, etſi totius malitiæ nodis adſtrictus, cùm ad natatoria venerit, purior ſolis radijs elenatur.* Ratio eſt, quam hîc attulit D. Thomas; ſcilicet, quia baptiſmus eſt imitatio mortis & reſurrectionis Domini: ergo ſicut per mortem extinguitur tota vita corporalis, ita per baptiſmum totum peccatum.

Concupiſcentia im-

Argumenta hæreticorum ſolùm probare nituntur, *Concupiſcentiam* eſſe propriè peccatum,

Digitized by Google

propriè dicitur peccatum.

quæ cùm maneat in baptizatis, cenſent nõ omne peccatum tolli. Sed in hoc perperam laborant, vt alibi oſtendendum. Nam *Concupiſcentia* dicitur interdum *peccatum* in Scripturis, vt ad Rom. 6. 7. 8. non propriè, ſed per Metonymiam; idque triplici de cauſa. Primò, Quia ex peccato eſt orta. Secundò quia inclinat ad peccatum. Tertiò, Quia eſt obiectum peccati, ſeu obiectiuè malum; ſi enim conſentias, peccatum committitur. Vide Concilium Trident. Seſſ. 5. can. 5. vbi duas priores cauſas adfert. Et D. Auguſtinum de Nupt. & Concupiſ. lib. 1. cap. 23. & 26.

3

ART. II.

Tollit etiã omnẽ reatum pœnæ.

Dico Secundò, Per baptiſmum tollitur non ſolùm omnis culpa, ſeu macula peccati, ſed etiã omnis reatus, id eſt, obligatio pœnę. Definitur in capitulo *Maiores.* de Baptiſmo & eius effectu, Et in Concilio Florent. ſuprà. Et in Tridentino ſuprà. ait enim Concilium baptizatos eſſe *Innocẽtes, immaculatos, puros, innoxios, Deoque dilectos, ita vt nihil prorſus eos abingreſſu calorum remoretur, ſi moriantur.* Idem conſtat ex antiquiſſima Eccleſiæ conſuetudine, quæ baptizatis pœnitentiam iniungere non ſolet. Vnde Ambroſius in illud cap. 11. ad Roman. v. 29. *Sine pœnitentia enim ſunt dona & vocatio Dei*, ait; *Gratia Dei in baptiſmate non quærit gemitum aut planctum, aut opus aliquod, niſi ſolam ex corde profeſſionem.*

Differẽtia inter Baptiſmum & reliqua Sacramẽta quod ad remiſſionẽ omnis pœnæ.

Vbi Aduerte, non aliam diſpoſitionẽ requiri ad totius pœnæ remiſſionem, quàm quæ pręcisè neceſſaria eſt ad remiſſionem culpæ: quod ſecùs ſe habet in alijs omnibus Sacramentis, vbi maior diſpoſitio neceſſaria eſt ad remiſſionẽ totius pœnę, quàm totius culpæ. Idem docet D. Auguſtinus lib. 2. de Peccatorum meritis & remiſſion. cap. 28. qui ob hanc cauſam air, *ſtatim ad cælum migrare eum, qui accepto baptiſmo moritur.* Ratio eſt eadem quę ſuprà num. 1. Per baptiſmum enim perfectè incorporamur. Chriſto paſſo & morienti; & ita nobis communicatur ad remedium eius paſſio, ac ſi ipſimet paſſi & mortui eſſemus; atqui Chriſti paſſio eſt ſufficientiſſima ſatisfactio pro peccatis noſtris: ergo nõ eſt opus alia ſatisfactione. Conſentaneum enim erat, vt efficacia paſſionis Chriſti in aliquo Sacramento plenè cõmunicaretur ad hoc autem aptiſſimus erat baptiſmus: Tùm quia eſt primum, quo Chriſto inſerimur, eiuſque benignitatẽ & ſuaue iugum experiri incipimus: Tum quia eſt mortis Chriſti imitatio. Aduerte tamen; hæc intelligenda de pœna, quæ peccato debetur apud Deũ, non apud homines; vt notat D. Tho. ar. 2. ad 3. quando enim peccatum eſt cõtra leges Principum, duplex reatus incurritur; apud Deum ſcilicet & apud Rempublicam; ille tollitur baptiſmo; hic non, idque ob multa incommoda, quæ inde poſſent ſequi.

Non tollit pœnam homini debitam.

4

ART. III.

Non tollit pœnalitates vitæ præſentis.

Dico Tertiò, Per baptiſmum non tolluntur ſtatim pœnalitates vitæ præſẽtis, ſed id fiet in vita futura. Vbi nota ex peccato poſſe duplicem naſci pœnam. Primò, Directè, qualis eſt pœna damni & ſenſus, quę per iuſtitiam diuinam forinſecùs infligitur; & hæc tota cõdonatur. Secundò, Indirectè, quatenus per peccatum tollitur donũ quod impediebat defectus, qui alioquin ex nuda natura orirentur, quo dono ſublato, reipsà oriuntur & vocantur pœnalitates: hæ non tolluntur baptiſmo in hac vita, ſed in futura. Quod ſic intellige: quia baptiſmus confert gratiam, quæ eſt ſemen gloriæ, per quam in reſurrectione tolletur omnis defectus à nobis.

Adde; Quòd gratiæ iuxta primam inſtitutionẽ debearur immunitas ab omnibus iſtis pœnalitatibus. Vnde niſi ob iuſtas cauſas cenſuiſſet Deus eas in hac vita relinquendas, baptiſmus ſtatim ſuſtuliſſet illas. Sunt autem iſtę, *Concupiſcentia, ignorantia, & corporis patibilitas.* Vnde D. Auguſtinus lib. 4. contra Iulianum cap. 2. *Inĩcarne*, inquit, *ſanctorum, non extinguitur iſta concupiſcentia, vt peior hoſtis ſuperbia caueatur.* Et Concilium Trident. ſeſſ. 5. can. 5. dicit *Relictam eſſe ad agonem.*

ARTICVLVS IV. & VI.

Virum per Baptiſmum conferantur tam adultis, quàm infantibus Gratia & Virtutes?

5

Confert gratiã & virtutes.

REſpondetur; per baptiſmum conferri tam infantibus, quàm adultis gratiam internam & virtutes: nempe Fidem, Spem, Charitatem, & quæ has neceſſariò comitantur.

Notandum eſt, Eccleſiam ſemper tenuiſſe, tam paruulos quàm adultos per baptiſmum ſanctificari, iuſtificari, & Deo gratos fieri. An autem hoc fiat per aliquas qualitates ſeu habitus virtutum infuſos, non ſemper ita certũ fuit in Eccleſia; vt patet ex Cap. *Maiores.* & ex Concilio Viennenſi, vbi definitur hæc ſententia D. Thomæ, tanquam probabilior. *Nos*, inquit, *generalem attendẽtes efficaciam mortis chriſti, quæ per baptiſma applicatur pariter omnibus baptizatis, opinionem ſecundam, quę dicit tã parvulis, quã adultis conferri in baptiſmo informantem gratiam & virtutes, tanquam probabiliorem, & dictis ſanctorum, & Doctorum Modernorũ magis conſonã, ſacro approbãte Concilio duximus eſſe eligendam.* quam ſententiam tenent pœnè omnes Doctores Scholaſtici. Nunc autẽ videtur eſſe de fide, vel certè fidei proxima: Nam Concilium Trident. ſeſſ. 6. cap. 7. & can. 11. eam apertè docet: ait enim, *Iuſtificationem non eſſe ſolam peccatorum remiſſionem, ſed & renouationem interioris hominis per voluntariam ſuſceptionẽ gratiæ & donorũ.* Et infrà, affirmat *iuſtitiam nos verè in nobis recipere, eãq; vnà cum Fide, Spe, & Charitate infundi.* Et can. 11. *Gratiam & charitatem in cordibus noſtris diffundi. & inhærere.* Quæ loca non poſſunt intelligi, niſi de donis habitualibus. Actus enim nõ infunduntur, neque permanent in nobis, neque dantur ſecundùm cuiuſque diſpoſitionem: cùm tamen Cõcilium dicat *Iuſtitiam infundi ſecundùm cuiuſque diſpoſitionem*: hæc enim omnia ſunt habituum.

Concilium Viennenſe cenſet id probabilius.

Tridentinum definit.

Idem apertè colligitur ex Scripturis, in quibus *Peccata, labes, macula, inquinamenta peccatorũ, & pravitas mentis* dicuntur *tolli, deleri, ablui.* At hoc non poteſt fieri, niſi per veras virtutes, & cæleſtia dona; ſine quibus etiã non poteſt intelligi *Renouatio mentis, regeneratio, hominis, reformatio ſecundùm ſimilitudinem Dei*, &c.

Colligitur ex Scripturis.

Idem inſinuant Patres, cùm dicunt, *Baptiſmum eſſe vitam virtutum*; vt Cyprianus epiſt. 1. ad Donatum. *Tribuere ſtatum diuinum, ex quo frequentur diuinæ operationes*, Dionyſius cap. 2. Eccleſiaſticę Hierar. *Illuminare*, Clemens Alexandrinus lib. 1. Pędagogi cap. 6. & Chryſoſtomus homil. 1. ad Neophytos. *Exornare animã pretioſis monilibus & ſpiritalibus ornamentis*, Baſilius exhortatione ad baptiſmum, & ſæpè Chryſoſtomus. Quæ omnia ſatis inſinuant *veras virtutes infundi.*

Inſinuãt Patres.

Ratio eſt: Quia baptiſmus verè iuſtificat; iuſtificatio autẽ non fit ſine gratia & virtutibus. Hinc patet, non minùs certum eſſe, infantibus infũdi hos habitus virtutũ, quàm adultis; quia teſtimonia citata generatim loquuntur de iuſtificatione, & effectu baptiſmi.

Ratio.

ARTICVLVS V. *Vtrum conuenienter attribuantur Baptiſmo quidam actus virtutum?*

ARTICVLVS VII. *Vtrum effectus Baptiſmi ſit apertio ianuæ regni cæleſtis?*

Hi duo Articuli per ſe ſunt ſatis clari. Vide D. Thomam.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum Baptiſmus in omnibus æqualem effectum habeat?

6 Paludanus cenſet Baptiſmum in paruulis morituris inæqualem gratiam conferre.

PAludanus diſt. 4. q. 1. exiſtimat paruulos, qui cùm ſolo baptiſmo morituri ſunt, inæqualem gratiâ accipere in baptiſmo. Ratio ipſius eſt; Quia ſunt ad inæqualem gloriam prædeſtinati. Cuius ratio vlterior eſt; quia homines beati, adæquare debent Angelos beatos, *Vt*, inquit, *latera Ciuitatis ſint æqualia*, iuxtà Apocal. cap. 21. Alij aliam rationem adferunt, nempe homines eſſe creatos ad inſtaurandas ſedes Angelorum; & idcircò omnes ferè impares in gloria: ſicut omnes Angeli, iuxtà D. Thomam ſunt impares in gloria. Sed hæc ſententia parum eſt probabilis: nam fundamenta vel falſa ſunt, vel incerta.

Scotus incertum putat.

Ad hanc ſententiam prope accedit Scotus diſt. 4. quæſt. 7. & Gabriel ibidem quæſt. 2. qui docet incertum eſſe an Sacramentum vni maiorem, alteri minorem conferat gratiam, vel propter prædeſtinationem ad maiorem gradum gloriæ, vel propter impetrationem per miniſtros Eccleſiæ, vel parentes. Verùm abſolutè contrarium eſt tenendum. Pro quo.

7 In paruulis, & æquè diſpoſitis adultis æqualem habet effectum Cyprian.

Dico Primò, Baptiſmus in omnibus paruulis, & etiam in omnibus adultis æquè diſpoſitis, æqualem effectum habet, qui neque ratione prædeſtinationis, neque ratione impetrationis miniſtrorum eſt auctior. Eſt communis ſententia Doctorum exceptis paucis.

Probatur ex Patribus: Cyprianus epiſt. 76. ad Magnum, expreſsè docet baptiſmi effectum, quantum ex ipſo eſt, æqualem eſſe in omnibus. Idque probat Primò, Ex definitione Concilij Carthaginenſis. Secundò, Quia ſicut ſol æqualiter radios ſuos effundit, ita baptiſmus, Tertiò, Probat ex c. 16. Exodi vbi ſine diſcrimine ſexus aut ætatis ſinguli de Manna accipiebant eandem menſuram, ſcilicet Gomor. Quartò, Ex parabola ſeminis à Domino, ſuper omnem terram ſeminati, quamuis ex terræ varia fœcunditate inæquales fructus protearit. Idem docet epiſt. 59. quia Deus, non eſt perſonarum acceptor. Confirmat exemplo Elizæi, qui, excitans paruulum, ſe illi æqualem reddidit.

Nazianz. Auguſtin. Chryſoſt.

Gregorius Nazianzenus Oratione in S. Baptiſma, *Quamuis Miniſter*, inquit, *alius alium probitate vincat, eadem tamen virtus que baptiſmi vis eſt.* Idem ſæpè docet Auguſtinus vt lib. 4. de Baptiſmo cap. 20. & Tractatu 5. in Ioannem: Chryſoſtomus homil. de ſuo reditu; *Multi me al ſente baptizati ſunt; quid tum? Nihil minus habet gratiæ, non claudicat Dei donum.*

Ratio eſt, Quia baptiſmus operatur ex inſtitutione Chriſti; quæ fixa, certaque eſt, neque ex parte ipſius variatur: vt apertè colligitur ex Cõcilio Tridentino ſeſſ. 7. can. 7. de Sacramentis in genere. Item operatur ad modum agentis naturalis; ergo vbi eſt æqualis diſpoſitio, ſicut eſt in infantibus, æqualem effectum producit.

Ad fundamentum Paludani aliorumque, Reſpondeo: Prædeſtinatio non poſtulat, vt quis extraordinario modo gratiam maiorem accipiat, ſed, vt non ſinatur quis mori, donec per ordinaria media ad gradum gratiæ & gloriæ deſtinatum pertingat; alioqui dicere poterimus, infantibus etiam interdum dari gratiam ſine baptiſmo: vt ſi ſint prædeſtinati, & mors immineat ante baptiſmũ. Item bonis operibus prædeſtinatorũ plus præmij reſpondere, quàm non prædeſtinatorum, vt attingant menſuram decretã. Adde prædeſtinationem non eſſe factam ad certum gradum gloriæ ante præuiſionem meritorum, vel applicationis remedij; vt alibi ſatis probatum eſt. Ac proinde totum hoc fundamentum corruit.

Euertitur fundamẽtum oppoſitæ ſententiæ sũptũ ex Prædeſtinatione

Ex his ſatis patet, vi Sacramenti, & ex parte Dei, æqualem gratiam dari per baptiſmum. Quòd autem huic effectui non addatur aliquis gradus gratiæ ex deuotione Miniſtri, vel offerentis, colligitur ex iiſdem teſtimonijs. Et probatur; Quia, ſi deuotio Miniſtri poteſt infanti aliquem gratiæ gradum impetrare, cur non etiam poterit adulto? Item, ſi hoc poteſt, dum coniungitur Sacramento, cur non etiam poteſt ſine Sacramento? Nam per accidens Sacramento coniungitur, nec vim ex eo habet. Denique hæc deuotio poterit infanti impetrare illum gradum gratiæ ſine baptiſmo, & ſic non erit ei neceſſarius baptiſmus ad ſalutem.

Euertitur & alterum fundamẽtũ sũptum ex deuotione miniſtri vel offerentis.

Ratio eſt, Quia operi bono cuiuſque hominis iuſti ſolùm reſpondet augmentum gratiæ habitualis & gloriæ in operante, eò quòd hoc opus ſit limitatũ, ac proinde ex natura ſua non promoueat in Deum, niſi ipſum operantem; præſertim cùm operans nõ ſit caput aliorũ in ſpiritalibus: ergo non poteſt alijs immediatò gratiã conferre. Et confirmatur, Quia hoc proprium eſt meritis Chriſti nobis per Sacraméta applicatis: hæc enim, quia ſunt infinitæ efficaciæ, poſſunt ad alios extendi; præſertim cùm Chriſtus ſit Caput in ſpiritualibus. Item, gloria eſt eſſentiale meritorum præmium: oportebat enim, vt vltimus finis, cùm poſſet cadere ſub meritũ, non daretur niſi ob meritum: ergo nõ datur, niſi ob merita, vel propria, vel certè propter merita Chriſti nobis applicata. Patet Conſequentia; Quia meritis aliorũ hominum reſpondet gloria ipſorum tanquã eſſentiale & adæquatum præmium, eò quòd ſint limitata.

Nemo poteſt alteri mereri immediate iuſtitiam & gloriã.

Potes tamen alteri impetrare auxiliũ præueniẽs, quo ſe diſponat ad gratiã ſuo actu promerendã: hoc enim auxilium non eſt eſſentiale præmium tui operis quo impetras, ſed ſecũdariũ; eſſentiale enim tibi manet. Sic omnis, qui pro altero orat, ſacrificat, &c. ſibi meretur gratiam & gloriam primariò; alteri impetrat auxilium præueniens, vt ſummum, quo ille operetur; quod auxilium non habet locum in paruulis.

Sed ſolum auxilium præueniẽs.

8 Sacramẽta melius diſpoſito dant maiorẽ gratiam.

Dico Secundò, Valdè probabile eſt, baptiſmũ eo maiorem conferre gratiam ex opere operato, quo melior fuerit diſpoſitio ſuſcipientis. Idẽ cenſendum eſt de cæteris Sacramentis. Eſt communior ſententia Doctorum, tenenda in praxi; etſi fortè contrarium ſpeculatiuè nõ ſit improbabile. Probatur ex Concilio Trident. ſeſſ. 6. c. 7. vbi loquens de iuſtificatione per baptiſmũ, dicit ſingulos *recipere iuſtitiam ſecundùm menſurã quam Spiritus S. partitur ſingulis, & ſecundùm propriam cuiuſque diſpoſitionem & cooperationem.* Idem docet Damaſcenus lib. 4. c. 10. de Fide Orthodoxa: *Peccatorum remiſſio*, inquit, *omnibus æquè per bapriſ-*

mum donatur, gratia verò Spiritus ſancti ſecundùm proportionem fidei & puritatis.

Ratio eſt, Inſtitutio chriſti; qui ſic ſtatuit, quia iuſtiſſimæ diſtributioni diuinę ſapientiæ conſentaneũ erat, vt meliùs diſpoſito amplius daretur: conſentaneum id quoque, vt homines excitentur ad feruentiorem præparationem. Simile quid videmus in cauſis naturalibus, quæ meliorem effectum in ſubiectum aptius inducunt.

Nota inter Sacramenta & cauſas naturales differentiã

Aduerte tamen, Si Sacramẽta haberẽt vim determinatam ſibi annexam, ſicut habent res naturales, non poſſet hęc ſententia defendi. Nam calidus vt quatuor nunquã poterit amplius efficere, quàm quatuor gradus, quantumuis ſubiectũ patiens fuerit aptum: pari modo ſi Sacramẽtis certa menſura gratiæ appenſa eſt, nunquam poterit illa excedi. Quare exiſtimandũ eſt, Dominũ ſingulis Sacramentis vim illimitatam dediſſe omniũ meritorum ſuorum, ſic tamen vt vnumquodque non exerceret illam infinitè cum quauis diſpoſitione, ſed ſecundùm certam menſuram, prout maior vel minor eſſet diſpoſitio: v. g. vt Baptiſmus habenti diſpoſitionem vt duo, conferat quatuor: Euchariſtia, octo. Confirmatio, ſex. Habẽti autem diſpoſitionem vt ducenta, Baptiſmus conferat 400. Euchariſtia, 800. Confirmatio, 600. Non enim omnia Sacramenta ęqualem gratiam conferunt eidem diſpoſitioni; quãquam incertum ſit quantam vnumquodque conferat. Cenſetur autem diſpoſitio melior, quæ omnibus conſideratis melior eſt, magiſque proportionata ad Sacramenti effectum. Multitudo peccatorũ, quæ eſt in ſubiecto, non minuit æſtimationem diſpoſitionis: hęc enim ęſtimatio pẽdet ex poſitiuis cõditionibus diſpoſitionis. Vnde habens mille peccata mortifera, & alter habẽs ſolũ originale peccatum, ſi eodem actu diſpoſiti accedãt ad baptiſmum, æqualem gratiam poſitiuam accipient.

Quæ cenſeatur melior diſpoſitio.

ARTICVLVS IX.

Vtrum Fictio animi, baptiſmi effectum impediat?

9 Fictus. quis, & quotupliciter.

NOtandum eſt, *Fictum* dici multis modis: vt patet apud D. Thomam ex Auguſtino, qui poſſunt reduci ad duos modos. Primò, vt *Fictus* dicatur, qui exteriùs ſimulat ſe velle baptizari, & tamen interiùs non vult; & hęc fictio non ſolùm ipſum effectum Sacramenti impedit, ſed etiã ipſũ Sacramentũ inualidum & irritũ reddit. Secũdò, *Fictus* dicitur, qui accedit indiſpoſitus, perinde ac ſi legitimè diſpoſitus eſſet: quod fit dupliciter. Primò, Si ſolùm negatiuè ſit indiſpoſitus: id eſt, ſi ſolùm careat diſpoſitione neceſſaria ad gratiã ex ignorantia inculpata iuris vel facti. Secundò, Cõtrariè, vt ſi ei placeat adhuc aliquod peccatũ mortiferum. Hi recipiunt quidem Characterem, ſed non gratiam. Dices, D. Auguſt. lib. 1. de Baptiſmo c. 12. inſinuat etiam ficto remitti peccata eo memẽto, quo baptizatur, licet ſtatim, baptiſmo finito, propter fictionẽ redeant: *His*, inquit, *qui ficto corde baptizantur, aut peccata nullatenus dimittũtur, quia Spiritus S. diſcipling effugiet fictũ; aut ipſo temporis puncto per vim Sacramenti dimiſſa iterum per fictionem replicantur.* Reſpõdeo, D. Auguſt. loquitur diſiunctiuè, & alterum neceſſariò credendum proponit hęretitis, vt ſuum inde propoſitum conſequatur; ſuam verò ſententiam alibi ſatis explicat, vt lib. 6. de Baptiſmo cap. 1. & lib. de Pœnitentiæ medicina cap. 2.

Obiectio ex 3. Aug. ſoluitur.

Notandum Secundò, Gabrielem in 2. diſt. 32. qu. 1. exiſtimare Fictè accedentem accipere quidem remiſſionẽ peccati originalis, eò quòd hoc non requirat pœnitentiam; non tamen remiſſionem actualiũ, quia pœnitentiã poſtulãt. Sed omnino fallitur; quia originale non dimittitur ſine infuſione gratiæ; vt apertè colligitur ex Conc. Trid. ſeſſ. 5. can. 5. & ſeſſ. 6. c. 4. Gratia autem etiam reliqua delet, quia omnibus peccatis mortiferis repugnat; quæ etiam cauſa eſt cur vnum actuale, mortiferum non poſſit dimitti ſine alio. De quo plura infrà.

DVBIVM. I.

Vtrùm effectus peccati venialis impediat gratiam Baptiſmi?

QVidam Affirmant. Inſinuat Paludanus diſt. 4. q. 5. & latis apertè Pet. Soto de Sacramẽtis in genere lectione 9. Reſpondeo, Certũ eſt nõ impedire infuſionem gratiæ, & remiſſionem peccati originalis & mortalis: vt rectè docet Scotus diſt. 4. q. 7. & cõmuniter DD. Imò idem expreſsè tenet D. Thomas de Euchariſtia, quæ ſummã puritatem requirit. Vide a. 8. q. 79. Ratio eſt, Quia peccatũ veniale non repugnat iuſuſione gratiæ, vel augmento eius, vt patet in hominibus iuſtis: ergo ſi alioqui ſufficiẽs adſit diſpoſitio, Sacramẽtũ conferet etiã primã gratiã: operatur enim inſtar cauſę naturalis in ſubiecto diſpoſito. Cõfirmatur. Quia effectus peccati venialis poteſt cõſiſtere cum opere meritorio: vt ibidẽ docet Scotus: fieri enim poteſt, vt cùm quis facit opus meritorium, eõcomitanter faciat peccatum veniale: ergo &c. Dices, Repugnat effectui baptiſmi peccatũ veniale, qui eſt remiſſio omnis culpę & omnis pœnę; ac proinde videtur eſſe violatio Sacramenti. Reſp. Eſſe quidem aliquam irreuerentiã, ſed ob materię exilitatem, non eſſe mortiferam: primario enim effectui, qui eſt gratia & regeneratio, non repugnat peccatum veniale, ſed ſolùm ſecundario effectui.

10 Paludanus Soto.

Peccatum veniale cõ repugnat primario effectui Baptiſmi.

Sed debitę reuerentiæ.

Dices, Quid ſi id, in quo eſt peccatũ veniale, ſit finis ſuſceptionis baptiſmi; vt, vana gloria, fauor Imperatoris. Reſpõdeo, Si eſt finis cur abſolutè velis baptiſmum, alioqui recuſaturus, non accipis gratiã: nam finis, cur immediatè efficeris baptiſmo & Chriſtianæ religioni, non eſt honeſtus; & habet coniunctum affectũ ad id, quod religioni eſt cõtrariũ. Si autẽ fauor iſte ſit cauſa mouẽs, cur te applices ad baptiſmum ob debitum finem expetendum, nec habeas affectum actualem ad id quod religioni repugnat, non impeditur fructus, modò alioqui præceſſerit ſufficiens diſpoſitio: quo modo olim complures baptizati fuere in gratiam Imperatoris.

Nec poteſt etiã finis ſuſcipiendi Baptiſmi.

DVBIVM II.

Quæ diſpoſitio requiratur ad effectum Baptiſmi?

NOtandũ; eſſe varios baptiſmi effectus: nẽpe Characterem, gratiã iuſtificationis, Remiſſionem culparũ, & Remiſſionẽ pœnarum.

11 Eadem requiritur diſpoſitio ad characterem, quæ ad Sacramentũ.

Dico Primò, Ad Characterem ſuſcipiendum nõ requiritur alia diſpoſitio, quàm quę neceſſaria eſt ad ſubſtantiam Sacramẽti. Patet hoc ex dictis ſuprà. Ratio eſt, Quia cùm ſubſtãtia Sacramenti nõ ſit iterabilis, ſignũ eſt ſemper imprimi Characterẽ: nã huius initerabilitatis non poteſt eſſe ratio alia, quàm ſignũ aliquod indelebile impreſſum.

12 Ad gratiã ſanctificãtẽ in adultis requiritur.

Dico Secundò, ad effectum baptiſmi, qui eſt gratia ſanctificans, requiritur in adultis motus Fidei, ſpei, & Pœnitentiæ, ſi adſit conſcientia peccati mortalis. Colligitur ex Conc. Trid. ſeſſ. 6. c. 6. 7.

1. Fidei.

Ac primùm, Motum Fidei requiri, patet: *Quia fides eſt humanæ ſalutis initiũ, fundamentũ & radix omnis iuſtificationis, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo*; vt docet Concilium ſeſſ. 6. c. 8. ex Apoſtolo. Vnde ſequitur, eum qui ſine fide ſupernaturali, cũ humana dũtaxat credulitate, ſeu perſuaſione, baptizatur, non conſequi gratiam: quia deeſt fũdamentũ iuſtificationis. Quam ob causã eccleſia prouidè conſtituit tempus benè longũ Catechumenis, vt plenè inſtruantur in articulis neceſſarijs, & credant ex toto corde ſicut oportet: ſicut Philippus poſtulabat ab Eunucho Act. 8. v. 37.

Dices, Ergo nunquam Fides infunditur per hoc Sacramentum, cùm ſemper ei debeat ſupponi tanquam neceſſaria diſpoſitio.

Baptiſmꝰ vel patrẽ vel augmentũ habitus fidei cõfert.

Reſpondeo, Actus Fidei neceſſariò ſupponitur baptiſmo, ſaltẽ ordine naturæ, vt gratiam ſanctificationis conferat; non tamen habitus fidei neceſſariò ſupponitur. Fieri enim poteſt, vt actꝰ ille primò eliciatur in inſtanti terminatiuo baptiſmi; & tunc baptiſmus in eodem momento conferat habitum, ſaltem ex parte: altera enim pars dabitur vi diſpoſitionis. Quòd ſi actus ille Fidei, tẽpore antecedat illud inſtans, tunc baptiſmus non conferet primũ habitũ Fidei, ſed augmentum.

2. Spei.

De Motu Spei, patet ex eodem Concilio: Vt enim iuſtificeris per baptiſmũ, debes ſperare gratiam & remiſſionem per ipſum ex Chriſti meritis: ob hanc enim cauſam baptiſmum petis.

3. Pœnitentiæ.

De Motu Pœnitẽtiæ, colligitur ex eodẽ Conc. ſeſſ. 6. c. 6. & ſeſſ. 14. c. 4. vbi dicit, *Hunc motum contritionis quouis tempore ad impetrandam veniam peccatorum, neceſſarium fuiſſe*: vbi nomen *Contritionis* Concilium accipit latè pro *pœnitentia*, vt comprehendat etiam *attritionem*: quod patet ex eius deſcriptione. Idem colligitur ex Scripturis Actor. 2. *Pœnitemini, & baptizetur vnuſquiſque veſtrum*: vbi Petrus requirit pœnitentiam à baptizandis. Et lucę 13. *Niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimiliter peribitis.*

In eo, qui non peccauit mortaliter, non eſt neceſſaria pœnitentia, ſed propoſitum ſeruãdi legẽ Chriſti.

Aduerte tamen, Eum qui non peccauit mortifere, non opus habere pœnitẽtia, vt ſanctificetur per baptiſmum: Sed ſufficere ei propoſitum ſeruandi legem Chriſti. Ratio eſt, Quia pœnitentia, ſolùm eſt neceſſaria, vbi ſunt peccata propriâ voluntate cõmiſſa: pœnitentia enim eſt retractatio & diſplicentia prioris voluntatis, ſeu voluntarię actionis. Vnde, vt ille etiã ſine Sacramento poſſit ſanctificari, non opus eſt pœnitentiâ; ſed ſolùm opus eſt actu dilectionis Dei ſuper omnia, quo ad ſtatum ſupernaturalem eleuetur. Quòd tamẽ neceſſarium illi ſit propoſitum ſeruandi legẽ Chriſti, patet, quia Deus non iuſtificat adultum niſi voluntariè conſentientem, & amicitiam diuinam amplectentẽ, vt rectè ait D. Thomas: id enim poſtulat dignitas diuinæ amicitiæ & cæleſtium bonorum. Vt autem cẽſeatur conſentire, requiritur propoſitum ſeruandi mandata Chriſti, in quibus iuſtitia conſiſtit. Non tamen opus eſt, vt hoc propoſitum procedat ex dilectione Dei ſuper omnia, ſi Sacraméto ſit ſanctificãdus, quia neque in peccatore id neceſſarium eſt ſi Sacramẽto ſit ſanctificãdus; ſed ſufficit, vt procedat ex aliquali amore, vel ex timore gehẽnæ, vel ex cõſideratione pulchritudinis virtutis, aut turpitudinis peccati: hęc enim motiua ſufficiunt, etiam in peccatore, vt poſſit iuſtificari per Sacramenta.

13 Attritio ſufficit cũ Sacramẽto ad iuſtificationem.

Dico Tertiò, Non requiritur, vt hæc pœnitentia ſit vera Contritio procedẽs ex amore Dei ſuper omnia. Sed ſufficit Attritio aliqua propter metum gehennæ, vel turpitudinem peccati, vel ſimile motiuum honeſtum. Quæ tamen Attritio non ſit merè naturalis. Neque eſt neceſſarium, vt putetur eſſe Contritio.

Explicatur Tridentinũ Concilium.

Prior pars eſt contra Petrum Soto, & paucos alios. Sed eſt pęnè certa; & docet eam D. Th. in 4. diſt. 6. q. 1. a. 3. quæſtiunc. 1. & omnes eius ſectatores. Scotus diſt. 4. qu. 5. Durandus valdè clarè & benè eadem diſt. q. 2. n. 2. Paludanus eádem diſt. q. 1. in principio. Colligitur ex Concil. Trident. ſeſſ. 14. c. 4. vbi apertè inſinuat Attritionẽ ſufficere cum Sacramento Pœnitentiæ: ergo multò magis ſufficiet cùm baptiſmo, per quem faciliùs venia conceditur. Nec obſtat, quòd idem Concilium ſeſſ. 6. c. 6. videatur requirere aliquam cõtritionem; quia non loquitur de diſpoſitionibus præcisè neceſſarijs cum baptiſmo ſed abſolutè intendit explicare modum præparationis, qui ab omnibus conceditur, & etiã ſine Sacramento ſufficit. Ratio eſt, Quia ſacramentum baptiſmi primariò ad hoc inſtitutum eſt, vt peccatum deleat, & primam vitam ſpiritalem conferat: eſt enim Sacramentum regenerationis, & Sacramentum mortuorum: ergo non eſt neceſſe, vt is, qui baptizatur, antea viuat per gratiam. Cõfirmatur, Quia ſicut generatio naturalis per ſe fit ex priuatione formæ introducendæ, ita etiam ſpiritalis. Vide D. Tho. q. 79. a. 3. ad 2. & q. 80. a. 4. ad 2. Et Confirmatur Secundò, Alioquin per baptiſmũ iuſtificatio nõ eſſet facta facilior, quàm erat in lege veteri, ſed difficilior; quod eſt cõtra perfectionem legis Euãgelicæ. Ex his patet ſecũda pars propoſitionis, ſcil. Attritionem cum Sacramento ſufficere. Tertia pars, hanc Attritionem debere eſſe aliquo modo ſupernaturalem, colligitur ex eodẽ Concilio ſeſſ. 14. c. 4. vbi dicit hanc *Attritionẽ eſſe Dei donum, & Spiritus S. impulſum.* Et probatur, Quia homo nõ poteſt naturæ viribus ſe ad gratiã vllo modo diſponere; vt paſſim docent Concilia Arauſicanum, Mileuitanum, & patres: ergo hęc Attritio, quæ eſt proxima diſpoſitio ad gratiam in ſacramento obtinendam, non poteſt eſſe omnino naturalis. Confirmatur; Quia alioqui ſolis naturæ viribus *poſſet homo pœnitere ſicut oportet, vt ei iuſtificationis gratia conferatur*: quod apertè dãnatur à Concilio Trident. ſeſſ. 6. can. 3. & loquitur ibi Concilium generatim, ita vt cõprehendat etiam iuſtificationem per ſacramentum, vt patet ex ſerie illius ſeſſionis.

Hęc Attritio debet aliquo modo eſſe ſupernaturalis.

Dolor merè humanus non ſufficit, etſi quis bonæ fide id putet.

Hinc ſequitur, Dolorem merè humanum, vt propter infamiam, mortem, vel damna tẽporalia, non ſufficere, etiamſi iũgatur cum propoſito emẽdationis. Quod eſt contra Dom. Soto in hũc art. & Melchiorem Canum Relectione de Pœnitentia par. 3. Etſi enim is, qui habet talem doloré non ponat obicẽ peccando, tamen caret ſufficiẽti diſpoſitione. Nec ſatis eſt, quòd bona fide putet hanc diſpoſitionẽ ſufficere, vt vult Mel. Canus; quia bona fides nunquam ſupplet defectum medij neceſſarij, qualecumque illud medium ſit, ſiue ſit diſpoſitio, ſiue materia, ſiue forma Sacramẽti, ſiue intentio Miniſtri.

Nõ requiritur vt putes te eſſe cõtritum.

Quarta pars, Quod Attritio non debeat exiſtimari Contritio, eſt contra Nauarrum cap. 1. Enchiridij num. 37. Sed probatur: Quia hoc ſolùm habet locum, quando Contritio eſt neceſſaria ex aliquo diuino præcepto poſitiuo vel naturali: tũc enim illa exiſtimatio facit, vt homo non peccet in vſu Sacramenti: alioqui per ſe illa exiſtimatio nihil

nihil iuuat,cùm ſit falſa. Atqui nullum eſt præceptum diuinum,quo Contritio ſit neceſſaria ad baptiſmum. Non poſitiuum; quia id nec Scripturis,nec Traditione continetur. Nec etiam naturale præceptum,quatenus videlicet ratio fide illuſtrata dictat Sacramenta reuerenter eſſe tractanda:nam vnumquodque Sacramentum pro modo ſuæ inſtitutionis tractãdum eſt. Atqui ex fine inſtitutionis huius Sacramenti ſatis conſtat,hoc reuerenter tractari, ſi vitam veterem deteſteris, & nouam proponas:vnde nihil opus eſt,vt exiſtimes te eſſe verè contritum.

14 Attritio etiam ſuf. ſicit ad remiſſionem omnium venialium quo ad culpam & pœnam.

Dico Quartò, Attritio, quę eſt ſufficiens ad infuſionem gratiæ per baptiſmum, etiam ſufficit ad remiſſionem omnium venialium peccatorum quoad culpam & pœnam, modò nullius peccati venialis affectus actualis interueniat. Eſt certa hæc propoſitio;quia ad totum effectum baptiſmi Doctores non requirunt, niſi Attritionem. Et Patres ſuprà citati generatim docent omnem culpam & pœnam remitti, quando non ponitur aliunde impedimentum. Et Confirmatur; Quia ſi baptiſmus tunc efficax eſt ad delenda omnia mortifera, quamuis infinita,quo ad culpam & pœnam vniuerſam;cur non etiam omnia venialia?

ARTICVLVS X.

Vtrum ficione recedente Baptiſmus conſequatur ſuum effectum?

15 Similitudo D. Thomæ.

REſpondet D. Thomas Affirmatiuè. Et probat pulcherrima hac ſimilitudine: *Sicut ſimul cùm corpus graue generatur, mouetur deorſum, niſi ſit aliquid prohibens: quo remoto ſtatim incipit moueri deorſum; ita quando quis baptizatur, accipit Characterem quaſi formam, & conſequitur proprium effectum, qui eſt gratia remittens omnia peccata: impeditur autem quandoque per fictionem. Vnde oportet, quòd remotâ eâ per pœnitentiam, baptiſmus ſtatim conſequatur ſuum effectum.*

Gloſſa. Notandum eſt, Gloſſam in Capit. *Tunc valere.* de Conſecrat. diſt. 4. exiſtimare virtute ſolius Pœnitentiæ, gratiam & remiſſionem dari fictione recedente, & iuxtà hanc ſententiam dicendum eſſet, peccatum originale, & reliqua quæ baptiſmum antecedunt, remitti per pœnitentiam, non quidem directè, ſed concomitanter, quatenus per Sacramentum Pœnitentiæ datur gratia, cum qua nullum peccatum mortiferum poteſt conſiſtere.

Concluſio affirmans. Verùm tenendum eſt, Recedente fictione, ſiue id fiat per contritionem; ſiue per attritionem vnà cũ Sacramento Pœnitentiæ, redire omnem effectum baptiſmi, quem initio contuliſſet. Ita D. Thom. loco citato, & communis ſententia Doctorum diſt. 4.

Scriptur. Probatur Primò, Ex Scripturis: Ioan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei.* Atqui ſi baptiſmi gratia non redit ablata fictione, iſte non renaſcitur ex aqua & Spiritu ſancto: ergo non poſſet ſaluari. Dices, Sufficit votum baptiſmi, vt renaſcatur. Cõtrà: Quia votum non habet locum, poſtquam reipſa baptiſmus datus eſt; votum enim reſpicit baptiſmum futurum. At baptiſmus ſemel receptus non poteſt repeti.

Auguſtin. Probatur Secundò, Ex Patribus: D. Auguſt. lib. 1 de Baptiſmo c. 2. *Tunc valere incipit ad ſalutem baptiſmus, cùm illa fictio veraci confeſſione receſſerit, qua corde in malitia, vel ſacrilegio perſeuerante, peccatorum ablutionem non ſinebat fieri.* Quòd ſi gratia & remiſſio non cõferretur vi baptiſmi, falſum eſſet *tunc baptiſmum incipere valere ad ſalutem*: ſola enim pœnitentia valeret. Neq, rectè oſtenderet Auguſt. baptiſmum à ficto ſuſceptum non eſſe irritum; quod tamen ibi intendit. Cyprianus ſerm. de Paſſione Chriſti, *Licet indigni ſint qui accipiũt, Sacramentorum tamen reuerentia, & propinquiorem ad deum parat acceſſum, & vbi redierint ad cor, cõſtat ablutionis donum, & redit effectus munerum; nec aliàs quæri aut repeti neceſſe eſt ſaluti ſeruum Sacramentum.* Cyprian.

Idé Cyprianus ſerm. de Ablutione pedũ, enumeratis tribus Sacramentis quæ repeti non poſſunt, ait; *Reuerſis dat, vt eis iterum poſſint Sacramenta iniuriata prodeſſe; quorum ſi pœnitentia non ſubeſſet, nullo modo deinceps experiri poſſent effectũ.* Hic apertè docet trium Sacramentorum amiſſam gratiam redire. Probatur Tertio, Ratione. Prima eſt, Quia proprium remedium peccati originalis eſt baptiſmus: ergo recedente fictione baptiſmus vim ſuam exerit, vel certè peccatum originis non remittitur. Conſequentia patet. Antecedẽs probatur, tùm ex illo Ioan 3. *Niſi quis renatus* &c. Tũ ex Concilio Tridentino ſeſſ. 6. c. 4. vbi Conciliũ ait, *Tranſlationem ex ſtatu peccati originis ad ſtatum gratiæ, non poſſe fieri ſine lauacro generationis, aut eius voto*: ſed votum hìc locum non habet, quia reſpicit futurum: ergo remiſſio peccati originalis fit per Baptiſmum reipſa ante ſuſceptum. Secunda ratio eſt, Peccata ante Baptiſmum commiſſa non poſſunt remitti per claues Eccleſiæ, quia non ſunt commiſſa à ſubdito Eccleſiæ: ergo ſolùm per baptiſmum. Confirmatur, Quia alioquin eſſent aliqua peccata in homine viatore nullo remedio à Chriſto inſtituto expiabilia: quod eſt contra efficaciam Paſſionis Chriſti. 16 Ratio concluſionis.

DVBIVM. 1.

Vtrùm recedente fictione Baptiſmus totum effectum conferat, quem contuliſſet, ſi fictio non interceſſiſſet?

17 Baptiſmus recedente ficto totum effectum extenſiuè.

REſpondeo & Dico Primò, Confert totum effectum extenſiuè, ſcilicet gratiam ſanctificantem remiſſionem peccati originalis, & omnium peccatorum mortalium, & venialium ante baptiſmum commiſſorum, & omnem pœnam his reſpondentem. Ratio eſt, Quia gratia confertur in baptiſmo per modum regenerationis ſpiritalis, ac proinde perfecto modo, ita vt peccatum, & quidquid directè ex peccato ſequitur, penitus excludatur: ſicut forma, quę per generationem confertur, excludit totam priuationem oppoſitam, & omnia illi annexa & conſequentia.

Venialia cui actu adhæret, non remittitur.

Dices, Quid ſi eo momento, quo tollitur fictio, ſeu impedimentum baptiſmi, adſit affectus peccati venialis. Reſpondeo: Hoc peccatum veniale tunc non remittetur; tùm quia repugnat, vt aliquod peccatum actu ſit, & tamen ſimul condonetur, præſertim quoad culpam: tum quia affectus iſte ſequitur baptiſmum realem, vnde per baptiſmum remitti nequit, ſicut nec vllum aliud peccatum quod baptiſmum ſequitur. Alia tamen peccata venialia ante baptiſmum commiſſa remittentur, etiamſi tunc eiuſdem ſpeciei affectus venialis inſit. Ratio eſt, Quia peccata venialia poſſunt ſeparatim remitti ſecundùm pœnam & culpam.

18 Interuiuiſcentia ſolum confertur

Dico Secundò, Probabilius eſt, non conferri recedente fictione totam perfectionem gratiæ intenſiuam, quæ anteà fuiſſet collata cum debita diſpoſitione; ſed ſolùm minimam gratiam, quæ

minima gratia, quæ datur infantibus

datur infantibus. Quod vt intelligatur.

Suppono Primò, eſſe aliquam minimam gratiam baptiſmalem, quæ ſit v. g. vt duo, quæ ipſi Sacramento præcisè cõſiderato, reſpectu ſubiecti nullam diſpoſitionem habentis, appenſa eſt. Ratio ſuppoſiti eſt, quia vbi nulla eſt diſpoſitio, non poteſt aliquid relinqui, quo detracto effectus poſſit fieri minor.

Suppono Secundò, Hanc gratiam minimam baptiſmalem dari infantibus; quia nullam diſpoſitionem bonam adferunt, ſed ſolùm carent impedimento: quò fit, vt omnes adulti, qui aliquam bonam diſpoſitionem quantumuis paruam adferunt, plus accipiant, quàm infantes: vt communiter Doctores docent, & colligitur ex dictis ſuprà artic. 8. & ex Tridentino Concilio ſeſſ. 6. cap. 7.

Nunc probatur Concluſio: Quia contritio illa, qua tollitur fictio, non habet ſe tanquam diſpoſitio ad baptiſmum, ſed ſolùm tanquam remouẽs impedimentum operationis illius: ergo illa anima ſe habet ad baptiſmum, veluti carens impedimento, ſine omni diſpoſitione poſitiua.

Dices, Illa contritio poteſt eſſe *diſpoſitio* ad effectum baptiſmi nunc conferendum, licet non ſit diſpoſitio ad ipſum Sacramentum; & ſic effectus baptiſmi creſcet pro ratione *diſpoſitionis* contritionis. Sed hoc non rectè dicitur: Quia baptiſmus iam antè collatus eſt, & effectus ſimiliter quantum eſt ex vi baptiſmi. Verùm quia ſubiectum capax tunc non erat, manſit in acceptatione diuina, donec tolleretur impedimentum. Ergo effectus baptiſmi non eſt metiendus ex contritione, quæ poſteà ſuperuenit, ſed ex conditione baptiſmi, quàm ſecundùm ſe habuit dum daretur: Deus enim acceptat baptiſmum ſecundùm conditionem quàm habet dum reipsà datur, non autem ſecundùm conditionem quam ſubiectum aliquando habebit: ſic enim in confuſo acceptaret ad incertum effectum. Confirmatur à ſimili: Quia opera bona iuſtorum ſolùm acceptantur à Deo ſecundùm cõditionem, quam habent, dum fiunt: vnde ſi contingat ea per peccatum mortificari, & poſteà per pœnitentiam reuiuiſcere, non reuiuiſcunt ſecundùm conditionem pœnitentiæ, qua tollitur eorum impedimentum, ſed ſecundùm conditionem in qua ſunt acceptata: vt ampliùs dicetur ſuo loco.

contritio per quam baptiſmus reuiuiſcit non auget eius effectum.

Dices Primò, Cur baptiſmus non poteſt indirectè, vel concomitanter delere peccata poſt ipsũ commiſſa, ſicut Sacramentum Pœnitentiæ delet peccata oblita cõcomitanter; & ſimiliter Euchariſtia, quę tamen non poterat delere directè?

Reſpondeo, Quia nullum Sacramentum poteſt delere peccata futura, ſed ſolùm ea, quæ ante eius ſuſceptionem commiſſa ſunt: vnde pro illis, quæ poſteà ſunt cõmiſſa, opus eſt remedio nouo, quod per ſe ſit ſufficiens. Quare hîc opus eſt contritione, vel ſaltem attritione cum Sacramento Pœnitentiæ; nam ſolùm hiſce duobus modis, peccatum mortale cognitum commiſſum poſt baptiſmum, poteſt deleri. Dico, *Cognitum*: quia ſi exciderit memoriâ, & bona fide cum attritione aliud Sacramentum ſuſcipiatur, delebitur illud peccatum, & baptiſmus effectum ſuum conferet.

Dices Secundò, Saltem illud peccatum, quod in ipſa ſuſceptione committitur, poterit, recedente fictione, baptiſmo deleri; quia non eſt poſterius baptiſmo.

Reſpondeo, Etſi tempore non ſit baptiſmo poſterius hoc peccatum, eſt poſterius ordine naturę: Tùm, quia reſultat ex ipſa ſuſceptione baptiſmi in ſubiecto indiſpoſito: ſubiectum autem indiſpoſitum ſuſcipere baptiſmi ſubſtantiam eſt poſterius naturâ, quam ipſa baptiſmi ſubſtantia: Tùm, quia intelligitur reſultare in homine habente Characterem baptiſmalem: nam baptiſmus priùs naturâ reſpicit ſubiectum vt diſpoſitum ad Characterem, quam diſpoſitum ad gratiam: præſertim cũ & ipſe Character ſit veluti potentia paſſiua ad gratiam baptiſmalem, & cęterorum Sacramentorum: ergo baptiſmus priùs naturâ confert Characterem, quàm gratiam; & proinde priùs naturâ in ſubiecto intelligitur eſſe Character, quàm gratiæ infuſio impediri. Adde: Etiamſi hoc peccatum ſacrilegæ ſuſceptionis ſolùm concipiatur vt concomitans baptiſmum, tamen non poteſt per baptiſmum remitti; quia ex natura ſua directè repugnat effectui baptiſmi. Vnde hoc peccatum non poteſt remitti, niſi per Sacramentum Pœnitentię in re vel in voto.

cur peccatum ſacrilegæ ſuſceptionis non poſſit per baptiſmum deleri.

Petes, Cùm tollitur fictio per Sacramentum Pœnitentiæ, vtrum Sacramentum priùs confert gratiam, Pœnitentia an Baptiſmus? 10

Reſpondeò, Vtrumque ſimul naturâ, tanquam duę partiales cauſæ conſtituentes vnam integrâ, conferunt totam gratiam, & delent omnia peccata. Ratio eſt, Quia operantur cum mutua dependentia & auxilio. Sicut ſi tu poſſis pondus ducentarum librarum mouere, ego verò pondus cẽtum, & hęc duo pondera ſint connexa, neuter ſine altero poterit: vtroque tamen connitente, totum pondus, veluti ab vna integra & adæquata cauſa mouebitur. Sic Baptiſmus per ſe non poteſt, niſi tantam gratiam dare, & delere peccata ante ipſum commiſſa: Pœnitentia verò tantam, & delere peccata poſt baptiſmum commiſſa. Hęc autem peccata in illo homine ſunt connexa, ita vt vnum ſine altero tolli nequeat. Quare oportet vtrumque Sacramentum concurrere, & viciſſim ſe iuuare, ac proinde ſimul naturâ operari. Nam vbi eſt mutua dependentia, ibi non eſt naturæ prioritas, ſed ſimultas.

baptiſmus & Pœnitentia ſimul naturâ gratiam conferunt.

Dices, Priùs eſt impedimentum tolli, quàm baptiſmum operari: ſed impedimentum baptiſmi eſt peccatum commiſſum in ſuſceptione, vel poſt: ergo hoc peccatum debet tolli priùs, quàm baptiſmus operetur: ac proinde operatio Pœnitentiæ qua tollitur hoc peccatum erit prior.

Reſpondeo, Remotio impedimenti non eſt

DVBIVM. II.

Quis actus neceſſarius eſt ad tollendam fictionem (id eſt, in diſpoſitionem negatiuam vel contrariam) vt baptiſmus effectum ſuum habeat?

19

Si mortale commiſſum in ipſa ſuſceptione baptiſmi, vel poſt eam, eſt opus contritione vel attritione cum Sacram.

REſpondeo & Dico Primò, Si in ipſa ſuſceptione Baptiſmi commiſſum ſit peccatum mortale, vel poſt eam, neceſſaria eſt contritio, vel attritio cum Sacramento Pœnitentię, vt baptiſmi impedimentum ſeù fictio tollatur. Patet hoc ex D. Thoma hoc loco ad 2. & ex D. Auguſtino lib. 1. de Baptiſmo cap. 12. Ratio eſt, Quia baptiſmus non poteſt conferre ſuum effectum, quãdiu ineſt aliqua culpa mortifera, quæ per ipſum baptiſmum non poteſt tolli: ſed peccatum mortale commiſſum in ſuſceptione baptiſmi, vel poſteà, non poteſt tolli per baptiſmum: ergo non poteſt baptiſmus conferre ſuum effectum, niſi aliud remedium adhibeatur, quo hoc peccatum tollatur; quod remedium non eſt aliud, quàm contritio, vel attritio cum Sacramento; vti nunc ſuppono.

prior,quàm operatio rei impeditę,quando impedimentum remouetur per cooperationem circa rem connexam ; vt patet in duobus mouentibus illud pondus ; nam viciſſim ſibi cooperando tollunt impedimentum mutuæ operationis. Secùs eſt, quando remotio impedimenti fit per actionẽ prę̃uiam,& circa rem omnino diſtinctam: tunc enim remotio impedimenti eſt prior naturâ,quàm operatio rei impeditæ.

21 Si nec in ſuſceptione, nec poſtea commiſſũ eſt peccatũ ſufficit attritio.

DicoSecundò,Si nec in ipſa ſuſceptione baptiſmi, nec poſteà commiſſum ſit peccatum mortale ; tamen baptiſmus irrito effectu ſuſcept⁹ ſit,eò quòd neceſſaria diſpoſitio deeſſet , ſufficiet attritio vt baptiſmus gratiam & reliquos omnes effectus ſuos conferat. Docet Paludanus diſt. 4. q. 5. & Scotus ibidem. Durandus qu. 4.

Probatur Primò,Quia attritio iſta ſatis fuiſſet ad effectum baptiſmi,ſi ſimul cum baptiſmo extitiſſet:ergo etiam ſufficiet quamuis poſteà ſuperueniat;quia nullum nouum impedimentum acceſſit. Probatur Secundò,Quia omnia peccata huius hominis directè per baptiſmum poſſunt remitti, cum omnia ſint facta ante baptiſmum: ergo non neceſſariò requirunt aliquid aliud quàm diſpoſitionem,quæ ſufficit baptiſmo,quæ eſt attritio. Et Confirmatur , Quia hæc peccata non requirunt Sacramentum Pœnitentiæ: materia enim Sacramenti Pœnitentiæ ſolùm ſunt peccata commiſſa poſt baptiſmum,vt docet Cõcil. Trident. ſeſſ. 14. cap. 1.2 & 5. Neq; etiam requirunt contritionem, quæ contritio in noua lege non delet peccatum mortiferum,niſi quatenus continet votum alicuius Sacramenti;quod votum non poteſt hîc habere locum, quia deberet reſpicere Sacramentum Pœnitentię,quod non ſe extendit ad peccata ante baptiſmum commiſſa. Probatur Tertiò,allata ratione:Quia in hoc caſu totum impedimentum operationis baptiſmi eſt carentia diſpoſitionis neceſſariæ:ergo ſimulatque hęc carentia fuerit ſublata,operabitur baptiſmus;tollitur autem attritione:ergo attritio ſufficit.

DVBIVM. III.

Vtrùm ſolius baptiſmi ſit proprium,vt eius effectus redeat ?

REſpondeo, probabiliſſimum eſt , id etiam commune eſſe alijs Sacramentis Characterẽ imprimentibus:quod eſt contra Dominicum Soto diſt. 6. qu. 1.art. 8. qui id putat eſſe ſolius baptiſmi. Sed noſtram ſententiam docet D. Thomas in 4. diſt. 4. qu. 3. art. 2. quæſtiuncula 3. & Alexander,Bonauentura,Maior,Paludanus , & ferè recentiores. Probatur duplici ratione:Prima eſt D. Thomę ſupra num. 15. relata,quę ſi aliquid valet in Baptiſmo , etiam valet in Confirmatione ; & Ordine. Secunda Ratio eſt:Niſi poſſet illa gratia recuperari,non benè proſpectum eſſet hominibus in hac imbecillitate vitæ,quà gratia facilè amittitur. Quod patet,quia per hæc Sacramenta Confirmationis & Ordinis conſtituuntur homines in quodam ſtatu immobili , ad quem opus habent gratia ſacramentali:ergo niſi gratia,quę datur ad huius ſtatus functiones,poſſit recuperari, manebit homo obligatus ad functiones ſine gratia illis functionibus propria;quod non eſt cõſentaneum ſuaui prouidentiæ Dei.

22 Reuiuiſcentia conuenit Sacramentis characterem imprimentibus.

Item Matrimonio & extremæ Vnctioni.

Eodem argumento probari poteſt reuiuiſcere etiam gratiam Sacramenti Matrimonij,quia hoc Sacramentum tribuit ſtatum immobilem. Item extremæ Vnctionis,quia hoc Sacramentum non poteſt repeti manente ſtatu eiuſdem morbi; cùm tamen hæc gratia in illa extrema luctа ſit tantopere neceſſaria.

Pœnitentia.

Idem facilè probari poteſt de Pœnitentia, ſi hoc Sacramentum poteſt eſſe informe;id eſt,ſine effectu, ſaluâ ſubſtantiâ. Probatur, quia non teneor peccatum mortiferum ſecundò confiteri ; quod anteà in confeſſione,etſi informi,explicui vt omnes fatentur:ergo hoc peccatum non remittitur per ſequentem abſolutionem;alioquin in ſequẽti confeſſione fuiſſet explicandum: ergo remittitur per præcedentem,cuius effectus fuerat impedit⁹.

Euchariſtiæ.

De Euchariſtia res eſt magis incerta : eſt tamen ſatis probabile in quodam caſu:ſcilicet, Si quis in peccato communicauerit, & ante corruptionem ſpecierum, pœnitentiam concipiat.

Ratio generalis.

Ratio generalis eſt : Quia Sacramentum eſt opus Chriſti,ac proinde ex ſe eſt opus viuum & efficax gratiæ : ergo quamuis per fictionem poſſit quodammodò mortificari,ſic vt eius effectus impediatur,tamen fictione recedente ſtatim viuificatur, & ſuam efficaciam exerit , ſecundùm quam in acceptatione diuina manſit. Sicut opera iuſtorum facta in ſtatu gratię,etſi per peccatum ſuperueniens poſſint quodammodò mortificari,ita vt eorum effectus impediatur , tamen peccato recedente,ſtatim reuiuiſcunt, habentque efficaciam reſpectu gratiæ & gloriæ.

QVÆSTIO LXX.
De Circumciſione.

In Quatuor Articulos diuiſa.

ART. I. *Vtrum Circumciſio fuerit præparatoria & figuratiua Baptiſmi ?*

ART. II. *Vtrum Circumciſio fuerit ſufficienter inſtituta.*

ART. III. *Vtrum Ritus Circumciſionis fuerit conueniens ?*

DE tribus his Articulis , vide D. Thomam hîc;& Damaſcenum lib. 4. de Fide. c. 26.& Catenam Lipomani in c. 17. Geneſ.

ARTICVLVS IV.

Vtrum Circumciſio Gratiam iuſtificantem contulerit ?

OMiſſis ſententijs Scholaſticorum , quas hîc recenſet D. Thomas , ſunt duæ præcipuę ſententiæ. Prior eſt , Circumciſionem contuliſſe gratiam iuſtificantem , & conſequenter deleuiſſe peccatum originale. Huius ſententiæ primus auctor putatur D. Auguſtinus , qui id varijs locis docet,vt ſtatim dicetur. Hùc ſecutus eſt D. Gre-

1 Sententia Auguſtini per circumciſionem gratiam collatam, & originale deleri.

gorius lib. 4. moral. cap. 2. & auctor ſermonis de ratione Circumciſionis, qui ſolet tribui Cypriano, cùm tamen ſatis conſtet non eſſe: & Beda lib. variarum quęſtionum qu. 15. & in cap. 2. Lucæ. Bernardus epiſt. 77. Innocentius III. Capitulo *Maiores*, de Baptiſmo; vbi tamen hoc non definit, ſed obiter inducit ad aliud oſtendendum. Hoſ ecuti ferè ſunt Doctores Scholaſtici.

Fundamentum huius ſententiæ eſt illud Geneſ. 17. *Maſculus, cuius pręputij caro circumciſa non fuerit die octauo, delebitur anima illa de populo ſuo; quia pactum meum irritum fecit*: vbi Deus videtur minari damnationem ęternam etiam Iudæorum infantibus, niſi fuerint circumciſi: ergo per Circumciſionem liberabantur à morte æterna. Ita D. Auguſtinus lib. 17. de Ciuit. cap. 27. & lib. 2. de Peccato Originali cap. 20. & 31. Lib. 2. de Nuptijs & Concupiſcent. cap. 11.

Fundamentum huius ſententiæ.

Sed hoc fundamentum videtur parum ſolidum: quia illud (*die octauo*) quo totum argumentum nititur, non eſt in textu Hebræo vel Chaldęo; aut Vulgata editione, ſed ſolùm reperitur in Græco. Ob quæ tamen verba D. Auguſtinus exponit hunc locum de paruulis. Et conſequenter illud (*quia pactum meum irritum fecit*) exponit de pacto, quod Deus fecit cum Adamo, de non comedendo ex ligno ſcientiæ boni & mali; quod pactum paruuli in Adamo præuaricati ſunt. Illa autem verba (*peribit anima eius de populo*) exponit de morte æterna. Quare detractis illis verbis, *Die octauo*, hęc expoſitio non conuincit; nam commodiſſimè intelligetur de adultis, hoc ſenſus: Maſculus Hebræus, qui noluerit circumcidi, vel paruulum ſuũ circumcidere, peribit de populo propter inobedientiam, qua præuaricatus eſt præceptum meũ de circumciſione: *Pactum* enim eo loco idem eſt, quod præceptum; nam oftìes ibi ponitur, & ſemper ita accipitur.

Parum eſt ſolidum.

Vnde aliter probatur hęc ſententia. Primò, Quia non videtur credibile diuinam bonitatem, *quæ vult omnes homines ſaluos fieri*, per tot annorum millia vniuerſum mundum reliquiſſe ſine vllo remedio paruulorum. Secundò, Nec videtur credibile Deum tam aſperum Sacramentum ſine vllo fructu paruulis dari iuſſiſſe. Tertiò, Quia conueniens erat, vt ſicuti Chriſti merita applicabantur adultis per fidem, ita paruulis applicarentur per aliquod Sacramentum.

Aliæ rationes dictæ ſententiæ.

2 2. Sententia negans

Altera ſententia eſt, Circumciſionem vi ſua, & ex opere operato, neque paruulis, neque adultis gratiam ſanctificantem, aut remiſſionem peccatorum contuliſſe; ſed ſolùm ex fide & deuotione ſuſcipientis: ſicut nec reliqua Sacramenta veteris legis. Probant hanc ſententiam 1. ex Scripturis, Nam Apoſtolus multis locis de induſtria Circumciſionem eleuat, tanquam nihil ad iuſtitiam valentem: 1. ad Corinth. 7. verſ. 19. *Circumciſio nihil eſt, prępatium nihil eſt, ſed obſeruatio Mandatorum Dei*: hìc inſinuat Circumciſionem non plus prodeſſe ad ſalutem, quàm prępatium, id eſt, quàm non circumciſionem. Ad Gal. 6. v. 19. *Neque circumciſio aliquid valet, neque prępatium, ſed noua creatura*. At quo modo nihil valet circumciſio, ſi ipſa nouam creaturam facit? Ad Gal. 4. v. 9. vocat omnia legalia *Infirma & egena elementa*: Quod autem de legalibus loquatur, non de Idolis, patet quia Galatæ non volebant redire ad Idololatriã, ſed ad obſeruationes Iudaicas, inter quas potiſſima circumciſio. Ad Rom. 3. verſ. 2. docet prącipuam vtilitatem circumciſionis eſſe, quod illi *populo credita ſint eloquia Dei*, id eſt, data ſit lex & prophetiæ. Imò ex profeſſo oſtendit illo capite Iudæos non prætare Gentilibus iuſtitiã, *quia ex operibus legis nemo iuſtificatur*. quod falſum eſſet, ſi Circumciſio iuſtificaret.

3. Probatur Scripturis, quæ dicunt circumciſionem nil profuiſſe.

Ad hæc quidam Reſpondent Primò, Apoſtolum dicere *Circumciſionem nihil eſſe, nihil valere*, videlicet, ipſã ſecundũ ſe, & ſeiunctam à fide Chriſti: nam Apoſtolus eam conſiderat, vt nudam cæremoniam externam, quomodo Iudęi de ipſa gloriabantur.

Reſponſio quorundam qui circumciſionem ſeiunctam à chriſti fide, ait profuit.

Sed hæc reſponſio non ſatisfacit: tum, quia ſimiliter dici poſſet de Sacramentis nouæ legis: *Baptiſmus nihil eſt, Confirmatio nihil eſt*, quia ſine fide ſuſcipientis nihil proſunt ad ſalutem, quod tamen nemo dixerit: Apoſtolus quoque non rectè oſtenderet hoc pacto Sacramentorum veterum ineffi-

Refellitur

ciam; quod tamen ibi maximè intendit: tum, quia vbique comparat Circumciſionem prætutio: atqui prætutium abſolutè nihil prodeſt.

Reſpondent Secundò, Apoſtolum loqui de circumciſione pro eo tempore, quo erat abrogata per Chriſtum; tunc enim nihil valebat.

Item ea quæ dicit illam nil profuiſſe pro eo tempore quo fuit abrogata.

Sed hæc reſponſio non eſt probabilis: loquitur enim Apoſtolus de Circumciſione ſecundùm ſe, qualis fuit inſtituta à Deo, & ſemper obſeruata. Quod patet Primò, quia alioqui eſſet petitio principij in argumento Apoſtoli: vult enim docere eſſe abrogatam, quia nihil valebat; ergo non rectè dicitur, nihil valere, quia abrogata. Secundò, Apoſtolus 1. ad Corinth. 7. apertè docet nihil referre ſiue quis vocatus ſit ex circumciſione, ſiue ex prępatio: *Quia*, inquit, *Circumciſio nihil eſt, prępatium nihil eſt*. Vnde patet illum loqui de ijs etiã qui circumciſi erant ante Chriſti mortem, quando adhuc lex vigebat. Tertiò, Apoſtolus ad Rom. 3. dicit Circumciſionem eſſe vtilem, quia circumciſi erant de populo, cui credita ſunt eloquia Dei. At hoc falſum eſt poſt eius abrogationem: ergo loquitur de circumciſione qualis erat ante abrogationem: ergo de hac loquitur cùm ibidem ait, *eam nihil valere ad iuſtitiam*. Quartò, Ad Philippenſes 3. v. 7. nihili facit quòd fuerit circumciſus octauo die: *Quæ mihi*, inquit, *fuerunt lucra, arbitratus ſum propter Chriſtum detrimenta*: Sed Apoſtolus circumciſus eſt ante mortem Chriſti, cùm adhuc lex vigeret: ergo &c. Quintò, ad Gal. 4. vbi omnes cæremonias veteris legis vocat *egena & infirma elementa*, dicit Iudæos ante Chriſtum *ſub elementis mundi tanquam paruulos ſeruiſſe*: loquitur ergo de illis, vt erant ante abrogationem. Deniq; ad Heræos 9. & 10. ex profeſſo docet legem veterem ſolùm habuiſſe *vmbram futurorum bonorum ſub Chriſto*, non ipſam rerum imaginem, quæ eſt gratia; nec potuiſſe *ſanctificare ſecundùm conſcientiam*, ſed ſolùm *ſecundùm carnem*. &c. 8. *Reprobatio*, inquit, *fit prioris mandati propter infirmitatem & inutilitatem*.

1. Cor. 7.

Rom. 3.

Philip. 3.

Gal. 4.

Hebræ 9. & 10.

3 3. Probatur ex patribus.

Probant Secundò, Ex Patribus, qui docent Circumciſionem non fuiſſe datam vt iuſtificaret, ſed vt ſemen Abrahę ab alijs diſtingueret. Iuſtinus Dialogo cum Triphone ante medium: Ex eo, inquit, *quod fęminæ circumcidi non poſſint, intelligitur ſigni cauſa datam eſſe circumciſionem, non pro opere iuſtitiæ: fecit enim Deus, vt ea, quæ iuſta ſunt, virtutique conſentanea, omnia ęquè mulieres ſeruare poſſent*.

Iuſtinus.

Iræneus lib. 4. contra Valentinum cap. 30. *Quoniam quidem circumciſionem non quaſi iuſtitiæ cõſummatricem, ſed in ſignũ dedit Deus vt cognoſcibile poſteueret genus Abrahę, ex Scriptura diſcimus*. Et infrà: *Et quia non per hanc iuſtificabatur homo, ſed in ſignum data ſunt populo, oſtendit quòd ipſe Abraham ſine circumciſione credidit, & reputatum eſt ei ad iuſtitiam*. Tertullianus lib. cõtra Iudęos in principio,

Iræneus.

Tertulliã. multis probat Circumciſionem non purgaſſe à peccatis: *Si purgat*, inquit, *Circumciſio hominem, Deus Adam incircumciſum non faceret: cur eum non circũcidit, vel poſteaquam deliquit, ſi purgat Circũciſio?* Et infrà: *Acceperat Abraham circumciſionem, ſed quę eſſet in ſignũ tẽporis illius, non in ſalutis prærogatiuã.* Et paulò pòſt: *Si ſalutem circumciſio adfert, etiã Moyſes in filio ſuo non intermiſiſſet, quò minùs octauo die eã cũcideret ipſum.* Et infrà: Dicit *eam datam in ſignum, & non in ſalutem.* Hunc omnino ſequitur Cyprianus lib. 1. cõtra Iudæos cap.

Cyprian. 8. vbi docet Circumciſionem primã fuiſſe euacuãdam, quia carnalis & manu facta; quià Adam, Abel, Enoch, Noë, Melchiſedech incircumciſi placuere Deo, & quia feminis non proficit.

Athanaſ. Athanaſius in illud; *Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo* circa medium orationis: *Sicut ſacrificia vmbrę erant rerum futurarum, ita circumciſio particularis totius hominis circumcidendi adumbratio delineatioque fuit*, Et infrà dicit, Circumciſionem non reuerà abſtuliſſe vituperium terreni ſtemmatis, vel opprobrium delicti, ſicut facit baptiſmus, ſed ſolùm ad vmbram & ſpeciem.

Chryſoſt. Chryſoſtomus homilia 27. in Geneſ. *Deus circumciſionem lege ſanciuit non quod ad animæ ſalutem aliquid conferre poſſit, ſed vt Iudæorum pueri hoc gratitudinis ſignum circumferrent, & ne liceret eis Gentium conſuetudini miſceri. Hinc beatus Paulus ſignum eam vocat; nam ad iuſtitiam ipſa circumciſio nihil conducit.* Idem docet multis alijs locis.

Cyrillus Alexandr. Cyrillus Alexandrinus lib. 10. contra Iulianum ſub finem: *Quid ſibi vult*, inquit, *circumciſio? bona ſanè eſt & vtilis, ſi typus eſſe credatur rei ſpiritalis.* Et infrà dicit, Chriſtianos reliquiſſe circũciſionem carnalem & vetera ſacrificia, quia ſolùm erant vmbræ, quarum nunc aſſecuti ſumus veritatem. Lib. 4. in Ioannem cap. 51. docet circumciſionem ſolùm fuiſſe ſignum ſpiritalis circumciſionis per Chriſtum faciendæ.

Theodoretus. Theodoretus qu. 67. in Geneſ. ex profeſſo probat circumciſionem non fuiſſe datam ad iuſtificandum, ſed ſolùm ad diſtinguendum populum Dei ab alienigenis: *Quia*, inquit, *populus in deſerto per quadraginta annos nõ fuit circumciſus*, nẽpe quia ipſa habitatione deſerti ſatis ab alijs gentibus diſtinguebãtur; *verùm poſtquã tranſierunt Iordanem & alijs miſceri cæperunt, tunc iuſſi ſunt circumcidi.*

Hieronim. Damaſcen. Idem eadem ratione probat Hieronymus in cap. 3. ad Galatas; & Damaſcenus lib. 4. de Fide cap. 26. Ambroſius in cap. 4. ad Rom. *Non ergo circumciſio aliquid habet dignitatis, ſed ſignũ eſt tãtùm; quod ſignum ideò accipiebant filij Abrahæ, vt ſcirentur eius filij eſſe.* Idem indicat epiſt. 72. & 77.

Theophilact. Theophilact. in c. 2. ad Rom. *Circumciſio, ne iuſtificatio quidem legis dici poteſt; nam eſt data in ſignum, vt ne cum Gentibus Iudæi miſcerentur.*

His addere licet Philonem Iudæum, qui lib. *de Circumciſione* explicans omnes eius cauſas, quas

Philo. Ioſephus. à maioribus ſe dicit accepiſſe, nuſquam inſinuat eam valuiſſe ad delẽdum peccata. Et Ioſephum, qui lib. 1. Antiquit. cap. 18. agens de Circumciſione, nullam aliam eius cauſam agnoſcit, quàm vt eſſet ſignum diſtinctiuum. Et ſanè tirum eſſet, ſi vim purgandi à peccato haberet, rem tantam nec Scripturis eſſe expreſſam, nec doctiſſimis Hebræorum cognitam.

4 3. Probatur ex concil. Florentin. Probant Tertiò, Quia Florentinum Concilium apertè diſtinguit Sacramenta nouæ legis à veteribus, quòd *Sacramenta nouæ legis contineant gratiam, & eam dignè ſuſcipientibus conferant: Vetera autem non conferant, ſed eam ſolùm per Chriſti paſſionem dandam præfigurent.*

Probant Quartò, Ex diſtinctione legis Nouæ à veteri, quę paſſim in Scripturis & Patribus inſinuatur: nempe quòd noua lex iuſtificet, Vetus autem non iuſtificet: quę diſtinctio vera non eſſet, ſi vllum opus legis veteris conferret iuſtitiam. Dicitur enim lex iuſtificare, quæ præſcribit aliquod opus, quod ſecundùm ſe vim habet iuſtificandi. Quòd autem illa diſtinctio vera ſit, probatur Ioannis primo, *Lex per Moyſen data eſt, gratia & veritas per Iesvm Christvm facta eſt.* Hîc *gratiã & veritatem* opponit *legi* tanquam eã carenti. Secundò, quia lex vetus dicitur *litera occidens*, Noua *ſpiritus viuificãs*, 2. ad Corinth. 3. At ſi circũciſio viuificat, etiã lex vetus eſt *ſpiritus viuificãs*: Tertiò, quia lex vetus *generat in ſeruitutem*, id eſt, facit ſeruum; Noua autem *facit liberos*, ad Gal. 4. At ſi circumciſio conferret gratiã, etiam lex vetus *liberos faceret.* Ad rationes alterius ſententiæ facilè reſpõdent. Hæc ſententia omnino videretur tenenda, niſi altera eſſet tam recepta. Quare

4. probatur ex diſtinctione Legis nouæ à veteri.

5 Sententia Auctoris circũciſio non iuſtificauit. Dico Primò, Propriè loquendo Circumciſio non conferebat gratiam iuſtificationis, ſicut nec vllũ aliud Sacramentũ veteris legis. Hoc cõuincunt rationes ſecundę ſententiæ: & benè probat ratio, quam habet D. Tho. ſuprà qu. 62. artic. 6.

Sed paruulos fides parentum externo ſigno applicita. Dico Secundò, Piè tamen credi poteſt paruulos fuiſſe iuſtificatos, non quidem propriè per Circumciſionem, ſed per fidem parentum, vel aliorum circumcidentium. Ita D. Thomas hoc loco: & ſic eũ explicat Canus Relectione de Sacram. parte 5. qui eſt in eadem ſententia. In eandem ſententiam inclinat D. Bonauentura, & Richardus diſt. 1. Vbi notandum eſt, iuxta hanc ſententiam exiſtimandum paruulum fuiſſe iuſtificatum per fidem interiorem parentum vel miniſtri, per quam offerebatur Deo, vt Meſſię benedictionem aſſequeretur; Deo ſic ſtatuente propter paruulorum neceſſitatem. Hæc tamen fides videtur aliquo externo ſigno debuiſſe applicari, vt etiam inſinuat D. Thomas, quamuis ad hoc Circumciſio non videtur fuiſſe neceſſaria: nam potuiſſet fortaſſe aliud ſignum abhiberi, ſicut Auctores alterius ſententiæ dicunt, quando paruuli non erat legitima intentione circumciſi; vt qui ab Ægyptiis aut aliis circumcidebantur.

6 Adultos ſola fides & deuotio propria. Dico Tertiò, Adultis in Circumciſione non conferebatur gratia vltra meritum propriæ fidei & deuotionis. Ita Melchior Canus ſuprà. Colligitur hoc ex teſtimoniis Scripturæ & Patrum ſuprà citatis. Nam Patres expreſsè docẽt, ne Abrahamum quidem accepiſſe gratiam in circumciſione ſupra meritum ſuæ fidei & obedientiæ. Ita Tertull. Iræneus, Chryſoſt. Theodoretus. Quod confirmatur ad Rom. 4. vbi Apoſtolus ex profeſſo docet Abrahamum *Ex fide, non ex Circumciſione iuſtificatum*: quod non poteſt dici de Sacramẽto conferente gratiam ex opere operato. Rãtio eſt; quia Circũciſio per ſe non applicabat Chriſti meritum, cùm id non poſſet externo inſtrumento applicari, niſi eſſet; vt Docet D. Thomas q. 62. ar. 6. ſed fides & deuotio applicabat: Atqui non erat conueniens, vt aliena fides applicaret hoc meritum adultis, cùm propriam habere poſſent, & deberent: ergo propria fides applicabat. Secùs eſt in paruulis, qui proprię fidei capaces non erant; vnde illis conceſsum videtur, vt aliena poſſet prodeſſe, ne in illa ætate ſine remedio relinquerentur. Hinc ſequitur, Circumciſionem non feciſſe ex attrito, contritum (quod facit baptiſmus:) nec præter gratiam operi operantis reſpõdentem, alium gradum contuliſſe.

Non fecit ex attrito cõtritum.

Dico Quartò, Nullum quoque aliud Sacra-

7 Nulla vetera Sacramenta aut Sacrificia gratiã contulerũt

mentum aut ſacrificium Veteris legis alicui gratiam contulit, niſi ex deuotione ſuſcipientis. Eſt certa, & ferè communis Doctorũ. Vide D. Thomam ſuprà qu. 62. ar. 6. & 1. 2. qu. 103. ar. 2. & Theologos in 4. diſt. 2. Patet hoc ex teſtimonijs allatis pro 2. ſententia, quę id omnino cõuincunt. Confirmatur ex D. Auguſtino qui multum videtur tribuere Circumciſioni, reliquis tamen nihil tribuit. Epiſt. 19. quæ eſt ad Hieronymum: *Cur*, inquit, *non dicam præcepta illa veterum Sacramẽtorum nec bona fuiſſe, quia eis non iuſtificabãtur homines; vmbræ enim ſunt prænuntiãtes gratiam, qua iuſtificamur?* Et in Pſal. 73. *Alia*, inquit, *ſunt Sacramẽta data in ſalutem, alia promittentia Saluatorem: Sacramenta noui teſtamenti dãt ſalutem; Sacramẽta veteris teſtamẽti promiſerũt Saluatorem.* Tractatu 41. in Ioãnem; *In ſacrificijs*, inquit, *veteris teſtamẽti nõ erat expiatio peccatorũ, ſed vmbra futurorũ.* Hoc euidentiſſimè docet Apoſt. ad Heb. 9. & 10. & Scriptura plurimis locis: Pſ. 50. *Si voluiſſes ſacrificiũ, dediſſem vtique: holocauſtis non delectaberis.* Ierem. 11. v. 15. *Nũquid carnes ſãctæ auferent à te malitias?*

Sed contra. Obijcitur Primò: Leuitici 4. 5. & 6. pro varijs peccatis, vt pro furto, calumnia, fraude, periurio Deus iubet offerri ſacrificiũ, adiungens promiſſionẽ remiſſionis, *& dimittetur ei*, inquit pro ſingulis, quę faciendo peccauit: ergo.

Obiectiones ſoluũtur.

Reſpondeo; Non ſignificari hæc ſacrificia per ſe habere vim remittendi peccati ſeu culpæ, & pœnæ æternæ; quia nec ſacrificiũ nouę legis hanc vim habet ſine contritione peccatoris, neque ex attrito poteſt facere contritum. Solùm itaque valebant illa ſacrificia ex ordinatione diuina ad remiſſionem peccati quoad pœnam temporalem, & immunditiam quandam legalem, vt docet D. Thom. 1. 2. qu. 103. art. 2. Et Alphonſus Toſtatus in primum caput Leuit. q. 17. Huius ſignum eſt, quòd Deus ſolùm inſtituerit ſacrificia pro certis quibuſdam peccatis; vt pro peccatis ignorantiæ circa cæremonias legis, vt patet Leuitici 4. & 5. & pro peccatis furti, damnique proximi in rebus externis, & pro periurio ob hęc cõmiſſo; vt patet ex cap. 6. Leuit. vbi per omne *peccatũ, quo peccare ſolet homines*, intelligitur de omni peccato pertinente ad furtum & damnum proximi. Pro grauioribus autem, vt pro adulterio, homicidio, blaſphemia, idololatria nullum erat ſacrificium conſtitutum: quod eſt euidens ſignum hæc ſacrificia nõ deleuiſſe culpã, niſi ex deuotione offerentiũ: alioquin maximè pro grauioribus peccatis inſtitui debuiſſent: Veriſſimũ ergo eſt, omnes promiſſiones annexas operib⁹ cæremonialibus Veteris legis fuiſſe tẽporales & terrenas; nec contuliſſe ad vitam ęternã, niſi ſignificationem; vt patet ad Hebręos 8. *Melioris teſtamẽti*, inquit, *Mediator eſt, quod in melioribus promiſſionibus ſanctum eſt*: & ſtatim oſtendit illas meliores promiſſiones eſſe, remiſſionem peccatorum.

Obijcitur Secundò, D. Leo ſermone 2. de Pentecoſte dicit, *Sine hac gratia*, ſcilicet Spiritus ſancti, *nulla vnquã inſtituta Sacramenta, nulla ſunt celebrata myſteria, vt eadẽ ſemper fuerit virtus chariſmatum, quãuis non fuerit eadem menſura donorum.* Hîc Leo videtur velle omnia Sacramenta antiquæ legis habuiſſe virtutem Spiritus ſancti.

Soluitur obiectio ex dicto Leonis.

Reſpõdeo; D. Leo ſolùm vult dicere, gratiam Spiritus ſancti, quæ in Pentecoſte in diſcipulos fuit effuſa, etiam ſuperioribus temporibus non defuiſſe: omnes enim ſãctos ſuperiorum temporum eâdem gratiâ fuiſſe vegetatos: Sacramenta etiã & myſteria antiqua ſine hac gratia non fuiſſe celebrata, nempe quia in omnibus Sacramẽtis veteribus prępparata fuit ijs, qui debita fide & deuotione ea ſuſciperent. Non tamen Sacramentis veteribus ita hæc gratia fuit appenſa, vt eam ex vi ſua, ſeu ex opere operato conferrent.

Solùm cõtulerunt benedictiones tẽporales & terrenas

QVÆSTIO LXXI.
De Cæremonijs Baptiſmi.

Vtrum Cæremoniæ Baptiſmi ſint recipiendæ, & quam vim habeant?

1 Cæremonia, quid.

NOtandum Primò, *Cæremoniam* in genere eſſe opus externum Religionis, quod certo ritu peragitur ad cultum & honorem Dei. Hebraicè dicitur Chukim, quaſi dicas *Conſtitutiones* ſeu *Leges*, Græcè, *Δικαιώματα*, id eſt, *Iuſtificationes*: quia inſtitutæ ad hominem quodam modo ſanctificandum. Ita generatim ſumptum hoc nomen comprehendit *Sacramenta*, *Sacrificia*, *Sacra & Obſeruantias*, vt patet ex D. Thoma 1. 2. q. 101. art. 4. vbi ad hæc quatuor omnes cęremonias reuocat.

Diuiditur quinque modis.

Sunt autem variæ cęremoniæ: nam quinque modis diuidi poſſunt.

1. Ex cauſa formali

Primò, Ex cauſa Formali: Quędam enim ſunt immediatè cultus Dei; vt ſacrificium, adoratio, oratio, votum. Quędam diſponunt ad colendum Deum; vt ieiunium, & variæ abſtinentię, cælibatus &c. Quædam ſunt Inſtrumenta cultus diuini; vt templa, altaria, calices, &c.

2. Ex cauſa materiali.

Secundò, Ex cauſa Materiali ſeu obiecto: Quędam enim verſãtur circa Perſonas; vt exorciſmi, inſufflationes, & Sacramenta. Quædam circa res inanimas; vt benedictiones aquæ, olei, veſtium, &c. Quædam circa Locum; vt conſecratio templi, altaris, &c. Quędam circa Tempus, vt dies feſti, vigiliæ, Quadrageſima. Quædam circa modum; vt quòd latinè Sacramenta miniſtrentur, &c.

3. Ex cauſa finali.

Tertiò, Ex cauſa Finali: Aliæ enim inſtituuntur ad iuſtificandum; vt Sacramenta. Aliæ ad coërcendos Dæmones, & alios ſimiles effectus; vt exorciſmi, aqua benedicta &c. Aliæ ad ornatum & ſignificationem; vt veſtes ſacræ, luminaria, imagines &c.

4. Ex cauſa efficiẽti

Quartò, Ex cauſa Efficienti: Aliæ enim ſunt diuinæ; vt eæ, quas Deus in veteri vel nouo teſtamento inſtituit. Aliæ naturales; vt tundere pectus, gemere, ſuſpicere cælum, flectere genua: hæ enim ſunt apud omnes gentes. Aliæ ſunt Eccleſiaſticæ; quæ ſcilicet ab Apoſtolis vel eorum ſucceſſoribus ſunt inſtitutę.

5. Ex Aduentitijs.

Quintò, Sumuntur ex Aduentitijs. Aliæ enim ſunt Vniuerſales, aliæ Particulares: aliæ Temporales vt fuit abſtinentia à ſuffocato & ſanguine; aliæ Perpetuæ: aliæ Præceptæ, aliæ liberæ. De quibus vide D. Auguſtinum epiſt. 118.

2 Hæretici negant cęremonias ab eccleſia

Notandum Secundò, Apoſtolos & eorum ſucceſſores potuiſſe inſtituere cæremonias, circa adminiſtrationem Sacramentorum: quę valerent non quidem ad iuſtificationem, ſed ad alios effe-

ctus ſpiritales. In hoc eſt tota controuerſia cum hæreticis, qui id negant, & aſſerunt non licere alijs cæremonijs vti, quàm quæ in Scripturis mãdatum vel exemplũ habent: cùm tamen ipſi multis vtantur, quarum nullum extat exemplum in Scripturis, vt patet ex libello Caluini de formula adminiſtrandorũ Sacramentorum. Præcipit enim Primò, vt baptiſmus fiat die Dominico, vel alio, quo populus conuenit ad concionem, vt fiat coram populo. Secundò, vt offerentes ſpondeant pro infante. Tertiò, vt nomen ei imponatur. Quartò, vt forma Sacramenti linguâ patriâ pronuntietur. Quintò, vt recitentur Symbolum, oratio Dominica, & ſimilia. Quorum nullum habetur ex Scripturis.

posse instituí.

Ipſe tamẽ Caluinus cæremonias ſuis præcipit.

3 Probatur ab eccleſia poſſe cæremonias inſtitui. 1. Ex ſcripturis.

Sed probatur Eccleſiam hoc potuiſſe. Primò, quia Synagoga Iudæorum poterat inſtitui cæremonias nouas; vt patet de feſto Phurim, id eſt, ſortium, Eſther cap. 9. Et de alio ſimili feſto ob victoriam contra Holofernem, Iudith vltimo. Et de feſto dedicationis Altaris 1. Machab. 4. Et Act. 15. vbi Apoſtoli, tanquam gubernatores Eccleſiæ, inſtituerunt vt gentes abſtinerent a ſuffocato & ſanguine. Apoſtolus etiam 1. ad Corinth. 11. indicat ſe multa alia ordinaturum circa ritum celebrandæ Euchariſtiæ: *Cætera, cùm venero, diſponam.* Vide D. Auguſt. epiſt. 118. ad Ianuarium. Baſilium de Spiritu ſancto cap. 27.

quia vtiles ad finem ſpiritualẽ

Secundò, Quia maxima eſt vtilitas cæremoniarum. Primò, excitãt ad deuotionem, vt docet D. Auguſt. epiſt. 119. & lib. de Curâ pro mortuis cap. 5. Secundò, inſtruunt intellectum, & præſertim rudes, quibus ſunt loco Scripturæ. Tertiò, iuuãt memoriam; niſi enim frequenter diuina myſteria & beneficia varijs cæremonijs repræſententur, facilè excident memoriâ. Quartò, ſũt proteſtatio fidei & Religionis. Quintò, conſeruant & ornant Religionem: ſine cæremoniarum enim dignitate Religio ſtatim vileſcit. Sextò, diſtingunt Catholicos ab hæreticis; vt patet hoc tempore. Non ergo dubitari poteſt quin ab Eccleſiæ gubernatoribus poſſint inſtitui: poſſunt enim inſtituere ea quæ pertinent ad Religionis ornatũ, & ad fidelium fidẽ ac deuotionem conſeruandam & augendam. His præmiſſis.

4 cæremoniæ ab eccleſia receptæ, sũt retinendæ.

Dico Primò, Cæremoniæ Baptiſmi & aliorum Sacramentorũ, quas vniuerſa Eccleſia recepit, ſunt retinendæ, nec pro libi poſſunt omitti, aut in alias mutari. Eſt Conc rid. ſeſſ. 7. can. 13.

1. Ob Antiquitatẽ.

Probatur Primò, quia iſt as antiquiſſimi ſunt: & vel ex Apoſtolorum traditione manarunt, vel à ſanctiſſimis Pontificibus inſtituti ſunt, & multorum ſæculorum vſu comprobati; ergo ſine ſcelere non poſſunt contemni. Secundò, quia Eccleſia habet poteſtatem inſtituendi cæremonias vtiles ad decentem Sacramentorum adminiſtrationem, & obligandi ad earum obſeruationem.

2. Ob præceptum Eccleſiæ.

Probatur, quia poteſt condere leges Eccleſiaſticas obligantes in conſcientia: vt patet ad Romanos 13. v. 1. *Non eſt poteſtas niſi à Deo; quæ autem ſunt, à Deo ordinata ſunt: itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit. Qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt.* Idem colligitur 2. ad Corinth. 13. v. 10. *Hæc abſens ſcribo, vt non præſens duriùs agam ſecundum poteſtatem quam Dominus dedit mihi.* Et ad Hebr. 13. v. 17. *Obedite Præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis.*

3. Ob illarum vtilitatem.

Tertiò, quia maxima vtilitas illarum cæremoniarum, vt dictum eſt: potuit ergo eas Eccleſia inſtituere, & etiam ad eas obligare: nam hoc expedit Eccleſiæ: ſi enim eſſent liberę obſeruationis, ſtatim naſceretur ſumma confuſio: alius enim omitteret, alius alias introduceret; alius omnes contemneret, & periret omnis fructus earum. Quartò, quia vt D. Auguſt. ait *Diſputare contra id quod facit vniuerſalis Eccleſia, inſolentiſſimæ inſaniæ eſt.*

4. Ob Eccleſiæ praxim.

5 cæremoniarum baptiſmi ſcriptores.

Quæ autem ſint cæremoniæ Baptiſmi in particulari, & quænam earum explicatio, vide in Ordinario Romano: & apud Alcuinum lib. de Diuinis officijs cap. de Sabbatho ſancto, Amalarium lib. 1. de officijs Eccleſiaſticis, & Rabanum lib. 1. de Inſtitutione clericorum, Thomam Vvaldenſem tom. 3. de Sacramentalibus tit. 5. cap. 45. & aliquot ſequentibus. Denique apud Ambroſium lib. de Sacramentis, & Cyrillum in Catecheſibus.

6 contra hæreticos defenduntur hic cæremoniæ baptiſmi.

Hæretici autem præter cæteras cæremonias maximè irrident Exorciſmum, Exſufflationem, Contactum narium & aurium ſaliuâ, & Conſecrationem aquę. Quare reſpondeo & Dico Secundò, has cæremonias eſſe pias & retinendas.

1. Exorciſmus.

Probatur de ſingulis. Primò, *De exorciſmo*, qui nihil eſt aliud, quàm adiuratio dæmonum precibus Eccleſiæ facta, vt ab homine recedant. Nam Eccleſia habet poteſtatem cœrcendi dæmones per exorciſmos; vt docent Patres: Iuſtinus dialog. cum Thryphone, *Illi per nomen* IESV *Chriſti adiurati à nobis, parent.* Cyprianus lib. ad Demetrianum: *O! ſi audire eos & videre velles, quando à nobis adiurantur, & torquentur ſpiritualibus flagris, & orationis, flagellis exire cogũtur.* Similia habet Tertullianus libro de Cœrona militis, & in Apologetico cap. 32. D. Auguſtinus lib. 10. de Ciuitate cap. 22. & alij. Imò in Eccleſia eſt officium ordinarium cœrcendi dæmones, vt infrà patebit de Ordine. Vide Concil. Carthaginenſe IV. can. 7. Item antiquiſſimi Patres docent ante Baptiſmum præmittendum Exorciſmum: Dionyſius de Eccleſ. Hierarchia cap. 2. de myſterio Illuminationis p. 2. Cyrillus Catecheſi 1. Nazianzenus oratione in S. Lauacrum. D. Auguſt. lib. 2. de Nuptijs & concupiſcentia cap. 18. dicit hanc conſuetudinem ſeruari in tota Eccleſia. Leo epiſtola 4. cap. 7. dicit eſſe Apoſtolicam regulam.

2 Exſufflatus.

Probatur Secundò, de Cæremonia *Exſufflationis*, quâ ſignificatur expulſio dæmonis, & affla- tus Spiritus ſancti: quia hanc cæremoniam commendat Dominus Ioan. 20. v. 22. cùm Apoſtolis daret Spiritum ſanctum; & ponit eam Dionyſius loco citato; & coniungitur exorciſmo. Ambroſius de ijs qui Myſterijs initiantur cap. 1. D. Auguſt. multis locis. Libro 2. de Nuptiis & Concupiſ. c. 17. & 18. l. 6. contra Iulianum cap. 2.

3. Saliua.

Probatur Tertiò, de cæremonia, quâ, tanguuntur ſaliuâ nares & aures infantium, & dicitur eis *Ephpheta*, id eſt, Adaperiẽ. Quia hanc commendat Dominus Marci 7. v. 33. & 34. vbi ſputo tangit linguam muti & ſurdi, dicens, *Ephpheta*. Et Ambroſius lib. 1. de Sacramentis c. 1. & De ijs qui Myſteriis initiantur c. 1.

4. Conſecratio aquæ.

Probatur Quartò, de conſecratione aquę. Dionyſius loco citato: *Regenerationis*, inquit, *aqua priùs ſacris inuocationibus conſecratur.* Baſilius lib. de Spiritu ſancto cap. 27. dicit eſſe traditionem Apoſtolicam: vti & alii Patres.

7 Cæremoniæ etſi non ſanctificẽt valent tamen ad ſpiritualẽ effectũ.

Dico Tertiò, Cæremonia Baptiſmi, & aliorum Sacramentorũ, non valent quidem ad hominem iuſtificandum, valent tamen ad alios ſpirituales effectus. Eſt certa. Et quidem præter ſex effectus ante commemoratos, quædam valent ad pellendos dæmones, eorumque fraudes arcendas, ne

Baptiſmi effectum impediant; vt exorciſmi & exſufflationes: quędam ad diſponendum hominem vt dignè Sactamentum percipiat; vt Catechiſmus in adultis; Abrenunciatio ſatanę; Fidei profeſſio; Signum crucis; Guſtus ſalis, Tactus narium & aurium ſaliuâ, dicendo *Ephpheta*; Impoſitio manuum, & Benedictio ſacerdotis; & Vnctio in capite, pectore, ſcapulis.

8 Diſponit ad dignè ſuſcipiendum Sacramẽtũ.

Petes quomodo hęc diſponunt hominem ad dignè ſuſcipiendum Sacramentum?

Reſpondeò Primò, Excitando in eo deuotionem & reuerentiam.

Secundò, Per modum impetrationis: ſunt enim hęc omnia velut præcationes quędam Eccleſiæ nutibus & ſignis factæ.

9 Sacramẽtalia non improbabiliter vim habent ex opere operato.

Tertiò, Addunt quidam hęc etiam valere veluti ex opere operato: Chriſtum enim non ſolùm promeruiſſe nobis gratiam & gloriam, ſed etiam omnia alia beneficia ad ſalutem conducibilia: & quidem ad gratiam & iuſtitiam conſequendam, ipſum per ſe inſtituiſſe Sacramenta, quibus merita eius ad hos effectus applicarentur: ad alios autem effectus & beneficia minora conſequenda, ipſum dediſſe poteſtatem Eccleſiæ, ſigna inſtituendi, quibus merita eius nobis applicarentur; ac proinde per hęc Sacramẽtalia nobis applicari merita Chriſti ad conſequenda minora eius beneficia; v. g. Ad conſequendam remiſſionem peccatorum venialium, applicari nobis eius merita per aquam benedictam: Ad conſequendũ autem auxilium quo diſponamur ad iuſtificationem, & dignam Sacramentorum perceptionem, applicari nobis eius merita per alia Sacramentalia: Ad expulſionem verò dęmonum, per exorciſmos &c. Quę ſententia non eſt improbabilis.

10 Ideò tamẽ non ſunt Sacramenta.

Adde tamen, hęc Sacramentalia non eſſe cauſas phyſicas ſuorum effectuum, contra Dominicum Soto, ſed tantùm morales. Nam non eſt tale miraculum ponendum ſine neceſſitate: ſatis eſt enim ſi Deus ex pacto infallibiliter illis aſſiſtat, & effectum, ad quem inſtituta ſunt, conferat. Dices: ergo ſunt Sacramenta. Reſpondeo, Negando ſequelam. Nam vt aliquid ſit Sacramentum, debet à Deo immediatè eſſe inſtitutum ad hominum ſanctificationem: hæc autem Sacramentalia non ſunt à Deo immediatè inſtituta. Si quis tamen latè nomen Sacramenti velit accipere, poſſet ea ſic vocare; ſicuti ſæpe facit Auguſtinus.

DE CONFIRMATIONE.

QVÆSTIO LXXII.

In Duodecim Articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Vtrum Confirmatio ſit Sacramentum?

1 Hæretici negantes. Omnes huius tẽporis.

OMnes hæretici huius ætatis abſolutè negant *Confirmationem* eſſe Sacramentum: docentque *Impoſitionem manuum*, cuius ſapè meminerunt Patres, nihil fuiſſe aliud, quam catechiſmum & orationem. Moris enim fuiſſe apud veteres, vt pueri, cùm adoleuiſſent, de præcipuis fidei Chriſtianæ capitibus examinarentur, & deinde publica precatio pro illis funderetur, vt Deus illos in fidei profeſſione confirmaret, & hoc vocari *Confirmationem*. Contempſerunt etiam hoc Sacramentum Nouatiani, ſicut & Pœnitentiam, vt teſtatur Theodoretus lib. 3. Hæreticarum fabularum cap. penultimo; quia Nouatianus auctor illius hęreſios & ſchiſmatis, in lecto decumbens baptizatus fuerat, nec poſtea curauerat reliqua ſuppleri, nec ſignaculo Spiritus ſancti confirmari: vt teſtatur Euſebius lib. 6. hiſt. c. 33. Similiter illud contempſerunt Donatiſtæ, vt teſtatur Optat. Milcuitanus lib. 2. contra Parmenianum.

Nouatiani.

Donatiſtæ

2 Catholica ſententia.

Sed veritas Catholica eſt *Confirmationem* eſſe verum & propriè dictum nouæ legis Sacramentum. Quod Probatur Primò, Ex Scriptura. Nam illud eſt verum Sacramentum, per quod ordinariè datur Spiritus ſanctus: atqui per manus impoſitionem datur baptizatis Spiritus ſanctus: ergo &c. Maior patet ex definitione Sacramenti. Minor probatur Scripturis: Actorum cap. 8. v. 17. *Tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum ſanctum.* Et cap. 19. v. 5. *His auditis, baptizati ſunt in nomine* IESV; *& cùm impoſuiſſet illis manus Paulus, venit Spiritus ſanctus ſuper eos.* His locis manifeſtum eſt *Per manus impoſitionem* dari Spiritum ſanctum, ac proinde eam eſſe Sacramentum. Hinc

Probatur ex ſcript.

Patet Primò: Hanc impoſitionem manuum non fuiſſe ſolùm quandam oblationem, qua baptizatus offerebatur Deo; vt vult Caluinus lib. 4. Inſtit. cap. 19. tum, quia per eam dabatur Spiritus ſanctus; tum, quia non fiebat, niſi ab Apoſtolis, vt patet locis citatis, quamuis ab alijs collatus eſſet baptiſmus, quod eſt manifeſtum ſignum, hãc impoſitionem manuum non ſolùm fuiſſe Sacramẽtum, ſed etiam quid maius quàm ſit baptiſmus.

3 Impoſitio manuum non fuit oblatio baptizati.

Patet Secundò; Non fuiſſe tantùm inſtitutũ, vt per eam quędã dona Spiritus S. viſibilia darẽtur; vt donum linguarum, miraculorũ, & ſimilia; ſed vt daretur gratia iuſtificationis. Ratio eſt, quia dona iſta viſibilia non dicuntur Spiritus ſanctus; neque is, qui hęc accipit, dicitur *accipere Spiritum ſanctum*; ſed ſolùm is, qui iuſtificatur. Deinde, quia non omnes accipiebant illa dona viſibilia, vt expreſsè docet Apoſtolus 1. ad Corinth. 12. Omnes tamen accipiebant impoſitionem manuum, vt patet Actorum 8. vbi per totam Samariam Apoſtoli manus imponunt; & Actorum 19. vbi duodecim viris, qui ad baptiſmum venerant, manus imponuntur.

Nec ſolũ adhibita ad confetenda dona viſibilia Spiritus ſancti.

Patet Tertiò, Hoc beneficium impoſitionis non fuiſſe inſtitutum ad breue tempus, ſed quãdiu ſtaret Eccleſia. Petrus enim in ſua concione Actorum 2. v. 17. docet hanc effuſionem Spiritus

Neque inſtituta pro breui ſolũ tempore.

Google

ſancti promiſſam omnibus, ex Ioëlis prophetia c. 2. v. 28. *Et erit, in nouiſſimis diebus (dicit Dominus) effundam de ſpiritu meo ſuper omnem carnem.* Idem patet Ioannis 14. v. 16. *Ego rogabo Patrem, & aliũ Paracletum dabit vobis, vt maneat vobiſcum in æternum*: Quæ promiſſio ad totã Eccleſiam pertinet; & impletur per Sacramentũ *Confirmationis*, quod vocatur *Impoſitio manuum*. Ratio eſt, quia nunc & omni tempore egent fideles corroborari Spiritu ſancto, vt poſſint omnibus tentationibus internis & externis contra fidem reſiſtere.

cur nunc non habeãtur ex confirmatione iidem effectus viſibiles, qui olim.

Quòd autem nunc per hoc Sacramentum non dentur illi viſibiles effectus, qui olim, cauſa eſt: quia olim huiuſmodi neceſſaria erant ad fidem plantandam, quæ ratio nunc ceſſat. Vide D. Auguſtinum lib. 3. de Baptiſ. cap. 16. vbi ait eundem ſpiritum ſanctũ nunc dari per manus impoſitionem, qui olim dabatur, licet non cum eiſdem ſignis externis, quibus olim.

4 2. Ex concilijs.

Probatur Secundò, Ex Concilijs. Concilium Elibertinũ cap. 38. *Si ſupervixerit* (ſcilicet baptizatus) *ad Epiſcopũ eum perducat, vt per manus impoſitionem perfici poſſit.* Concilium Florentinum in inſtructione Armenorum, & Concilium Trident. ſeſſ. 7. can. 1. de Confirmatione: *Si quis dixerit Confirmationem baptizatorum otioſam eſſe cæremoniam, & non potiùs verum & proprium Sacramentum; aut olim nihil aliud fuiſſe quã catecheſim, anathema ſit.*

5 3. Ex Pontificibus.

Probatur Tertiò, Ex Pontificibus. Clemens Romanus Epiſtola 4. *Omnibus feſtinandum eſt renaſci Deo, & demum cõſignari ab Epiſcopo, & ſeptiformem Spiritus ſancti gratiam recipere.* Et infrà. *Niſi regeneratus, fuerit ab Epiſcopo confirmatus, perfectus eſſe Chriſtianus nequaquam poteſt: nec ſedem habere inter perfectos, ſi non neceſſitate, ſed incuria, aut voluntate remanſit; vt à beato Petro accepimus, & cæteri ſancti Apoſtoli præcipiente Domino docuerũt.*

clemens Rom. negat perfectè chriſtianũ, qui non eſt cõfirmatus.

Vrbanus plene chriſtianum.

Vrbanus Papa in ſua Decretali cap. 7. *Omnes fideles per manuum impoſitionem Epiſcoporum Spiritũ ſanctum poſt baptiſmum accipere debent, vt pleni Chriſtiani inueniantur.*

cornelius.

Cornelius Papa apud Euſebium lib. 6. hiſt. cap. 33. agens de Nouatiano (quem Euſebius per errorem vocat Nonatum) *Non fuit ſignaculo Chriſmatis confirmatus, vnde nec Spiritum ſanctum potuit promereri.*

Melchiades.

Melchiades Papa, cuius teſtimoniũ vide apud de Thomam.

Euſebius.

Euſebius Papa epiſt. 3. vocat *Manuum impoſitionem Sacramentum*, & à ſolis Epiſcopis ait poſſe conferri.

Innoc. I.

Innocentius I. epiſt. 1. cap. 3. ad Decentium. *Presbyteris chriſmate baptizatos vngere licet, ſed quod ab Epiſcopo fuerit conſecratum; non tamen frõtem ex eodem oleo ſignare, quod ſolis debetur Epiſcopis cùm tradunt Spiritum S. paracletum.* Idem docet Leo I. epiſt. 88. vbi docet Chorepiſcopos nõ poſſe baptizatorum frontes ſignare. Omitto poſteriores.

6 4. Ex Patribus.

Probatur Quartò, Ex Patribus, qui ſummo cõſenſu docent *Per manus impoſitionem, ſeu chriſmatis vnctionem* hominem poſt baptiſmum perfici, & accipere Spiritum ſanctum Dionyſius Areopagita de Eccleſiaſtia Hierarchia cap 2. par. 3. vocat hanc vnctionem *diuinæ generationis ſacroſanctam perfectionem.* Clemens Alexandrinus apud Euſebium lib. 3. hiſtoriæ cap. 17. loquens de adoleſcente, quem Ioannes Apoſtolus cõcredidit Epiſcopo Epheſino, ſic ait; *Baptiſmi Sacramẽto illuminatum, ſigillo Domini tamquam perfectã & tutã animi cuſtodiã obſignauit.* Tertullianus lib. de Reſurrectione carnis: *Caro vngitur, vt anima conſecretur: caro ſignatur, vt anima muniatur: caro manus impoſitione adumbratur, vt anima Spiritu ſancto illuminetur.* Cyrillus Catecheſi 3. myſtagogica dicit: *Hoc ſanctum vnguentum, poſtquam conſecratum eſt, non eſſe amplius nudum vnguentũ, ſed chriſma Chriſti, quo cùm corpus vngitur, anima Spiritu ſanctõ ſanctificatur.* Cyprianus epiſt. 72. ad Stephanum Papam: *Tunc demum plenè ſanctificari, & eſſe filij Dei poſſunt, ſi vtroque Sacramento naſcantur* (ſcilicet Baptiſmo, & Cõfirmatione) Et epiſt. 73. *Quod nunc quoque apud nos geritur, vt qui in Eccleſia baptizati, præpoſitis Eccleſiæ offerantur, & per noſtrã orationem, & manus impoſitionem Spiritum ſanctũ conſequantur, & ſignaculo dominico conſummentur.* D. Ambroſius lib. 3. de Sacramentis c. 2. *Poſt fontem ſequitur ſpirituale ſignaculũ, quo fiat perfectior, & infundatur Spiritus.* S. D. Auguſtinus lib. 2. contra litteras Petiliani cap. 104. *In hoc Vnguento Sacramentum chriſmatis vult Petilianus interpretari, quod quidem in genere viſibilium ſignaculorum ſacroſanctum eſt, ſicut ipſe baptiſmus.* Et infrà vocat illud *ſanctum Sacramentum.*

cyrillus.

cyprian.

Ambroſius.

aug.

Probatur Quintò, Congruentiâ D. Thomæ. Quia ſicut per baptiſmum regeneramur, & accipimus vitam ſpiritualem; ita conueniens erat, vt eſſet aliquod Sacramentum, quo acciperemus Statum perfectum & virilem in vita ſpirituali; hoc autem eſt Confirmatio. Sed eſt.

Transit in ſtatum virilem.

DVBIVM

Quando hoc Sacramentum ſit inſtitutum.

7 chriſtus docuit Apoſtolos conficere chriſma in vltimâ cœna.

SVppono eſſe inſtitutum immediatè à Chriſto; vt ſuprà q. 64. a. 2. oſtenſum eſt; hic enim ſolus poteſt gratiam certò promittere, & ſtatuere vt per ſenſibile ſignum infallibiliter detur.

Quo autem tempore ſit inſtitutum, non eſt ita clarum. Valdè tamen probabile eſt inſtitutum in vltima cœna. Hoc enim inſinuat Fabianus Papa epiſt. 2. cap. 1. ad Orientales: *In illa die Dominus Ieſus poſtquam cœnauit cum Diſcipulis ſuis, & lauit eorum pedes, ſicut à ſanctis Apoſtolis prædeceſſores noſtri acceperunt, nobiſque reliquerunt, chriſma cõficere docuit.* Hinc patet inſtitutam tunc materiam; vnde etiam veriſimile eſt & formam: cur enim hæc ſeparaſſet? imò videtur Fabianus per chriſma totum Sacramentum intelligere; hoc enim à Patribus ſæpè vocatur Chriſma; ſcil. à parte ſui magis notabili.

ſed poteſtatẽ cõferendi dedit poſt Reſurrectionem.

Aduerte tamen Primò, Tunc non eſſe datam poteſtatem conficiendi, ſed poſt reſurrectionem, quando creati ſunt Epiſcopi, vt tenet probabilior Sententia; ſcilicet, quando Ioannis 20. v. 22. eis dictum eſt, *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata*, &c.

Chriſtus nulli contulit Confirmationem.

Aduerte Secundò, Chriſtum nunquam hoc Sacramento eſſe vſum ad aliquem ſanctificandum; vt notat D. Thomas ad 1. Et ratio eſt, Quia Spiritus ſancti plenitudo, quæ eſt effectus huius Sacramenti, non erat dãda ante ipſius glorificationem. Neque id mirum eſt, cùm neque Sacramẽtum Ordinis, neque Pœnitentiæ, neque extremæ Vnctionis contulerit: ſed effectus horum Sacramentorum, ſublimiori modo, tamquam Sacramentorum Auctor qui nullis externis cæremonijs eſt alligatus, contulit.

Google

ARTICVLVS II.

Virum Chriſma ſit conueniens materia huius Sacramenti?

8 Materia remota Cõfirmationis eſt chriſma.

REſpondeo, & Dico Primò. Materia remota huius Sacramenti eſt chriſma. Patet hoc ex teſtimonijs allatis; & maximè ex Concilio Florentino, & Tridentino; & ex perpetua Eccleſię traditione.

Sed contrà obijcitur. Spiritus S. datus eſt Apoſtolis Actorum 2. & familiæ Cornelij prædicante Petro in domo ipſius, Actorum 10. ſine vllo chriſmate, vel vnguento: & Actorum 8. & 19. nõ fit vlla mentio chriſmatis, ſed tantummodò impoſitionis manuum: ergo chriſma non eſt materia huius Sacramenti.

Reſpondeo, Actorum 2. & 10. ſingulari priuilegio datur Spiritus ſanctus; ſeu res huius Sacramenti, ſine Sacramento. Ad reliqua duo loca quidam reſpondent, Apoſtolos vſos initio Eccleſiæ *Sola manus impoſitione*, Chriſto ſic diſpenſante. Et ratio eſt, quia tunc dabatur Spiritus ſanctus cum externa ſpecie viſibili, ſcilicet ignis, vel vẽti; vnde non erat opus alio peculiari ſigno externo ad ſignificandam eius gratiam, præter nudã manuũ impoſitionem; verùm poſtea, quando illa viſibilis ſpecies deſijt, tunc demũ cœpiſſe adhiberi vnctionẽ, vt per eam ſignificaretur, quod antea per ignem, vel ventũ ſignificabatur. Ita D. Thomas hîc ad 1. & 2. 4. ad 1. & paſſim Thomiſtæ. Idem tenet Scotus diſt. 7. qu. 1. & Durandus qu. 2. quæ ſententia videtur probabilis.

Quidam exiſtimãt Apoſtolos cõfirmaſſe abſque chriſmate

9 Sed verius eſt Apoſtolos ſẽper adhibuiſſe chriſma.

Sed probabilius & verius eſt, Apoſtolos nunquã hoc Sacramentum ſine chriſmate exhibuiſſe, vt docet Thomas Vvaldenſis tom. 2. de Sacramẽtis c. 113. & Bellarminus agens de hoc Sacramento.

Probatur Primò, Quia nullus veterum docet Apoſtolos aliquando *per ſolam manus impoſitionẽ* dediſſe Spiritum S. cùm tamen multi ex illis dicant ipſos vſos chriſmate. Dionyſius Areopagita cap. 4. Eccleſ. Hierarch. in principio: *Eſt alia quædam vnguenti perficiens operatio, quam duces noſtri, Μύρου ποίησιν* id eſt, *vnguenti Sacramentũ vocarunt.* Fabianus Papa loco citato dicit Apoſtolos ſingulis annis conficere nouum chriſma conſueuiſſe: ergo ordinariè vtebantur. Clemens Romanus lib. 7. Conſtitutionũ Apoſtolicarum cap. 44. & 45. docet modũ cõſecrationis vnguenti temporibus Apoſtolorum vſitatum. Parum autem videtur credibile, quod hoc Sacramentum variè adminiſtrauerint, cùm in cæteris eam libertatem non habuerint. Et confirmatur; Quia ſola manus impoſitio fuiſſet omnino diſtinctum Sacramentum conſtans aliâ materiâ, & aliâ formâ; ac proinde fuiſſent octo Sacramenta; quod eſt contra ſententiam Eccleſiæ.

Dionyſ. Areop. Fabianus. clemens. Rom.

Probatur Secundò, Quia per *Impoſitionem manuum* cõmodiſſimè poſſumus intelligere vnctionem; vt docet Vvaldenſis ſuprà: qui enim inungit, manũ imponit: manus enim imponere phraſi Hebræa, nihil eſt aliud, quàm tangere: ſic Marci 7. cùm quidam petijſſent à Domino, vt lunatico manus imponeret, digito tetigit linguam eius & aures.

Impoſitio manuum & vnctio, pro eodem ſumũtur.

Probatur Tertiò, Quia Patres Vnctionem Chriſmatis vocant *Manus impoſitionem*, tãquam hæc eadem ſint, vel alterum in altero debeat intelligi, vt D. Auguſtinus l. 15. de Trinitate c. 26. *Orabant*, inquit, *vt Spiritus ſanctus veniret in eos, quibus manus imponebant; nã ipſi cum dabant, quẽ morem in ſuis Præpoſitis etiam nunc ſeruat Eccleſia.* Auguſt. Hîc Auguſtinus vnctionem chriſmatis dicit eſſe eundem morem, quem ſeruabãt Apoſtoli imponendo manus. Cyprianus epiſt. 72. quæ eſt ad Stephanum, loquens de ſuo tempore, ait; *Manũ imponi vt detur Spiritus ſanctus*, & epiſt. 73. dicit id quod Petrus & Ioannes Act. 8. ſeruarũt *imponẽdo manus vt acciperent ſpiritum ſanctum, adhuc ſeruari in Eccleſia; quod*, inquit, *nunc quoque apud nos geritur, vt qui baptizantur &c.* Euſebius Papa epiſtola 3. *Manus quoque impoſitionis ſacramentĩ, magna veneratione tenendum eſt, quod ab aliis perfici non poteſt, niſi à ſũmis ſacerdotibus; nec tẽpore Apoſtolorum legitur ab aliis peractum eſſe.* cyprianus Euſebius Papa.

Probatur Quartò, Quia Patres quando dicunt ſolos Epiſcopos dare Spiritum ſanctũ per vnctionem chriſmatis, id probant quia Act. 8. & 19. ſoli Apoſtoli manus imponebant: ergo voluit has cẽremonias eaſdem eſſe; vel alterã in altera includi. Vide Euſebium Papam epiſt. 3. Cyprianum epiſt. 73. Damaſum epiſt. 4. Innocentium III. Capitulo vnico, de Sacra Vnctione. §. penultimo. Et Concilium Florentinum.

Obiectio ex cõcil. Florent. & Innoc. 3.

Sed contra. Obijcitur Cõcilium Florentinum in inſtructione Armenorum; vbi dicitur loco *impoſitionis manus Apoſtolorũ, dari nunc in Eccleſia Confirmationem.* Et Innocentius III. Cap. vnico, de Sacra Vnctione. §. penult. vbi ſic ait; *Per frontis chriſmationem, manus impoſitio deſignatur, quæ alio nomine dicitur Confirmatio*: vbi videntur hæ cæremoniæ diſtingui.

Reſpondeo, Concilium Florentinũ ſolùm vult dicere, idipſum quod Apoſtoli faciebant, dum dicebantur manus imponere, nunc facere Epiſcopos cùm dicuntur confirmare: quod enim tunc *Manus impoſitio* vocabatur, nũc dicitur *Cõfirmatio*, quamquam eſſet idem Sacramentum. Hanc eſſe Concilij mentem, confirmatur; quia Concilium inde probat Confirmationem non poſſe dari niſi ab epiſcopo, eò quòd *manus impoſitio* ſolùm ab Apoſtolis daretur: quæ conſequentia nihil valeret, ſi eſſet diuerſa cæremonia. Innocentij autem III. teſtimonium eſt apertè pro nobis: dicit enim *manus impoſitionem* alio nomine vocari *Confirmationem*: ergo ſecundùm ipſum, eſt vna eademque res.

Soluitur.

10 Chriſma cõſtat oleo & balſamo.

Dico Secundò, Iſtud chriſma quod eſt materia Confirmationis, non eſt oleum ſimplex, ſed mixtum balſamo. Eſt fide certum.

Probatur Primò, Ex Concilio Florentino. *ſecũdum Sacramentum*, inquit, *eſt Confirmatio, cuius materia eſt chriſma confectum ex oleo (quod nitorẽ ſignificat conſcientiæ) & balſamo (quod odorem ſcilicet bonæ famæ ſignificat) per Epiſcopum benedictum.* Florentinum.

Probatur Secundò, Ex traditione Patrum. Dionyſius de Eccleſ. Hierarc. c. 4. p. 3. dicit chriſma componi ex materijs ſuauiter ſpirantibus, & ſuauitate odorjs fragrantem facere initiatum. Clemens Romanus lib. 7. Conſtitutionum c. 45. idẽ docet. Fabianus ep. 2. ad Orientales, dicit Chriſtum inſtituiſſe vt chriſma cõficeretur ex oleo & balſamo. Cyprianus ſermone de Vnctione chriſmatis. ait; *Hodie ſacrum chriſma conficitur, in quo mixtum oleo balſamum.* Gregorius I. Papa in 1. c. Canticorũ, in illud; *Botrus Cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi*, dicit; *In vineis Engaddi balſamũ naſcitur, quod cũ oleo, Põtificali benedictione, chriſma conficitur, quo dona Spiritus ſancti exprimuntur.* Innocentius III. Capit. vnico ſuprà cit. Denique omnes Doctores Scholaſtici diſt. 7. Dionyſius. Clemens. Rom. Fabianus. Gregor. 1. Innocen. 3

Probatur Tertiò, Ex figura huius Sacramenti:

Digitized by Google

Vnguentũ compoſitũ veteris teſtamenti, fuit figura noſtri chriſmatis.

quia vnguentum quo Sacerdotes & Tabernaculũ veteris Teſtaméti vngebãtur, erat figura noſtri chriſmatis, quo vngitur Eccleſia, quę eſt *vinũ Dei Tabernaculum*; vt docet Cyprianus ſuprà de Vnctione chriſmatis: & Petrus Damian⁹ ſerm. 1. de Dedicatione. Atqui illud conſtabat diuerſis liquoribus odoriferis; vt patet Exod. 30. inter quos erat *Beſem*, id eſt, balſamum; quod Noſter vertit *Stacte*, id eſt, guttula. Congruentia autem eſt, quia materiã debet ſignificare effectũ Sacraméti: effectus autem huius Sacramenti potiſſimũ eſt Confirmatio in fide, & fidei confeſſione; quæ requirit puritatem, & feruorem fidei in corde, quod ſignificatur oleo, liquore puro, lucido & calido; & requirit cõſtantem confeſſionẽ in ore, quod ſignificatur balſamo, cuius bonus odor effunditur ad alios: vt colligitur ex Innocẽtio III. ſuprà. D. Thoma, & Concilio Florentino.

Significatio olei & balſami in chriſmate.

Dico Tertio, Mixtio balſami videtur omnino eſſe de eſſentia huius Sacramenti. Inſinuat D. Thomas hîc & lib. 4. cõtra Gentes cap. 6. & plerique Doctores, dum abſolutè docent materiam huius Sacramenti eſſe oleum balſamo mixtum. Et probatur Primò; Quia id apertè inſinuat Concilium Florentinum. Secundò, Quia mixtio balſami eſt ex inſtitutione Chriſti, eiuſque præcepto: vt patet ex epiſtola Fabiani iam citata: quod eſt ſignum, eſſe de eſſentia Sacramenti: neque enim aliunde poteſt aliquid probari eſſe de eſſentia Sacramenti, niſi quia Chriſtus ſic inſtituit & præcepit.

11 Mixtio balſami eſt de eſſentia Sacramenti.

Dices Primò, Mixtio aquæ cum vino eſt ex Chriſti inſtitutione, & tamen non eſt de eſſentia ſacrificij.

Reſpondeo, Non eſſe propriè ex chriſti inſtitutione, ſed Eccleſiæ, quę id inſtituit, & præcepit exẽplo Chriſti, vt infra dicetur: quod ſuo modo loquendi inſinuat Concilium Florentinum: aſſignans enim materiam Euchariſtię, non dicit eius materiam eſſe mixtum ex aqua, & vino, ſicut cõfirmationis materiam dicit *eſſe Chriſma confectum ex oleo & balſamo*; ſed abſolutè *materiam eſſe vinum de vite, cui ante conſecrationẽ aqua modiciſſima adhiberi debet*; ſatis inſinuans aquã nõ eſſe de ſubſtantia, ſed ſolùm præcepto Eccleſiæ adhiberi.

Mixtio tamen aquæ cum vino non eſt de eſſentia ſacrificij.

Dices Secundò, Satisfactio eſt ex inſtitutione Chriſti; & tamẽ non eſt pars eſſentialis Sacraméti pœnitentiæ, ſed ſolũ integralis: ergo ſimiliter balſamum poterit eſſe pars integralis. Ita Canus.

Satisfactio nõ eſt pars eſſentialis Pœnitentiæ, ſicut mixtio olei & balſami huius Sacraméti.

Reſpondeo, Negando Conſequentiã. Eſt enim diſpar ratio: ſatisfactio enim eſt pars Pœnitentię talis, quæ nõ ſupponitur formæ illius Sacraméti, ſed ordinãriè eã ſequitur; neque actu concurrit ad actu conſtituendum Sacramentũ Pœnitentiæ, quando ſubſtantialiter perficitur; ſed ſolùm eſt complementum quoddam, quod abſolutè poſſit abeſſe; imò fieri poteſt, vt nulla ſatisfactio ſit imponenda: balſamum verò eſt pars, quæ neceſſariò ſupponitur formę, & actu debet concurrere dum Sacramentum perficitur: vnde eſt pars eſſentialis.

12 An Innocẽtius III. senserit in ſimplici oleo conferri hoc Sacramẽtum.

Dices Tertiò, Innocentius III. Capitulo *Paſtoralis*, de Sacramentis non iterandis, conſultus, An is qui per erroré nõ chriſmate, ſed oleo tantũ fuerat delibutus, Sacramentum Confirmationis iteratò debeat ſuſcipere? Reſpondet *Nihil in talibus iterandum, ſed cautè ſupplendum, quod incautè fuerat prætermiſſum*: ergo balſamum non eſt materia neceſſaria huic Sacramento. Ob hoc argumẽtum multi recentiores putant balſamum non eſſe neceſſarium neceſſitate Sacraméti ſed ſolùm neceſſitate præcepti: vnde, ſi in ſolo oleo olivarũ benedicto conferatur, eſſe verum Sacramẽtum. Ita Caietanus hîc. Victoria quæſt. 41. de Confirmatione. Sotus diſt. 7. art. 2. Nauarrus cap. 22. Enchiridij n. 8. Couarruuias lib. 1. Variarum reſolutionum c. 10. num 4.

Quod confirmatur Primò, Quia difficulter verum balſamum haberi poteſt; & olim in ſola Iudæa reperiebatur, teſte Plinio lib. 12. cap. 25. Cõfirmatur Secundò, Quia Paulus III. Pius IV. & Gregorius XIII. dicuntur permiſiſſe, vt ex Indico balſamo Chriſma conficiatur; quod tamen videtur alterius ſpecici, quàm iudaicum; quod eſt ſignum, hanc materiam non eſſe omnino neceſſariam, alioqui Pontifices non tam facilè conceſſiſſent.

In ſola Iudæa olim balſamũ reperiebatur.

Iudaicum balſamum & Indicũ an differãt eſſentialiter.

Verùm etſi hæc ſententia non ſit improbabilis: tamen quod diximus, eſt probabilius. Vnde aliter Reſpondeo. Verba innocentij & generatim & & formaliter occipienda ſunt *In talibus*, nempe, in Sacraméto Ordinis, & Cõfirmationis, quæ characterem imprimunt, *nihil eſſe iterandum*, ſcilicet nec ſubſtãtiã, nec cęremonias. Cęremoniæ enim iterandæ non ſunt, quia ſufficit eſſe ſemel adminiſtratas: ſubſtantia quoque Sacramenti non eſt iteranda, quia hæc Sacramenta ſunt initerabilia. *Cautè itaque ſupplendum, quod prætermiſſum eſt*, ſiue illud ſubſtantiale ſit, ſiue cęremoniale. Ex quibus verbis colligitur, Innocentium velle vt ſubſtãtia Sacraméti conferatur, quia anteà collata nõ fuerat; alioqui fatendum erit ipſum velle, vt ſolo balſamo, quod prætermiſſum fuerat, vngatur; quod ridiculum eſt, & nunquam factum. Addo ſaltem non eſſe certum, illam Confirmationem in oleo valuiſſe: vnde omnino oportebat eam ſub conditione in materia certa conferre: nec Innocentius aliud poterat reſpondere.

Explicatur Innocentius.

Ad primam confirmationem: Reſpondeo facile tantillum balſami potuiſſe haberi: nam in Iudæa erat magna copia; vt patet ex Ioſepho lib. 8. cap. 2.

Ad ſecundam confirmationem: Sicut quoduis vinum ſufficit ad Euchariſtiam, ita quoduis balſamum ad hoc Sacramentum.

ARTICVLVS III.

Vtrum ſit de neceſſitate huius Sacramenti, vt chriſma fuerit ab Epiſcopo conſecratum?

13 Neceſſariũ eſt vt chriſma ſit ab Epiſcopo benedictum. Concil. Romanũ, carthaginenſe. Florentinum. clemens Rom. Dionyſi⁹.

Reſpondeo. Neceſſarium eſſe, vt hoc chriſma ſit ab Epiſcopo cõſecratum, ſeu benedictũ. Eſt certum. Quia multa concilia prohibent, ne Sacerdos chriſma cõficiat, eò quòd hoc ſit munus Epiſcopi. Concilium Romanũ ſub Silueſtro can. 1. *Conſtituit ſilueſter clara voce, vt nemo preſbyterorũ chriſma conficeret*. Carthaginenſe II. can. 3. *Vt chriſma, & conſecratio puellarum, & reconciliatio ad pœnitentiam à Presbiteris non fiant*. Et apertè concilium Florentinum in inſtructione Armenorum: *ſoli Epiſcopo licere chriſma conſecrare*. Idé colligitur ex Clemente romano, lib. 7. Cõſtitutionũ Apoſtolicarum, cap. 45. & Dionyſio Areopagita cap. 4. Eccleſiaſticæ Hierarchię, vbi agit de conſecratione chriſmatis, eamque dicit perfici per Hierarcham. Denique Innocentius III. Capitulo *Cùm veniſſet*, de Sacra vnctione. Eadem eſt ſententia communis Theologorum. Ratio præcipua eſt Chriſti inſtitutio: qui ſic inſtituit, quia decebat materiam Sacramentorum iſta benedictione veluti diſponi, & eleuari ad formã ſacramenta-

Innoc. III.

Materia ſacramentorum per

benedictionem diſponitur & elenatus.

lem. Baptiſmi quidē & Euchariſtiæ materiæ per ipſum vſum Chriſti Domini ſanctificatæ ſunt; vnde non egent receſſariò noua benedictione. Sed vnctione viſibili Chriſtus non eſt vſus, ne iniuria fieret vnctioni inuiſibili: vnde oportuit illam materiam noua benedictione ſanctificari.

DVBIVM. I.

Vtrum hæc benedictio ſeu conſecratio chriſmatis ſit de neceſſitate Sacramenti?

14 CAietanus inſinuat non eſſe. Sed communis ſententia eſt, chriſmate non benedicto non perfici Sacramentum: quod omnino eſt tenendum.

Probatur, Quia hęc benedictio eſt ex inſtitutione Domini; vt cōſtat ex Epiſtola Fabiani Papę, vbi ait *Dominum in nocte cœnæ docuiſſe Apoſtolos cōficere chriſma*, id eſt, benedicere per inuocationē Spiritus ſancti. Et ex Cyrillo Hieroſolymitano Catecheſi 3. myſtagogica, vbi dicit, *Hoc vnguentum poſt ſpiritus ſancti inuocationem non eſſe cōmune vnguentum, ſed chriſma Chriſti, quod aduentu ſpiritus ſancti vim habet.* vbi ſatis inſinuat nullā vim habiturum ſine hac inuocatione Spiritus ſancti. Cyprianus ſermone de vnctione chriſmatis: *ſanctificatis elementis iam non propriè natura prior eſt effectū, ſed virtus diuina potentius operatur: adeſt veritas ſigno, & ſpiritus ſacramento.* Denique idem colligitur ex Concilio Florentino, quod abſolutè hanc benedictionem requirit.

Conſecratio chriſmatis eſt de eſſentia huius ſacramenti.

Vnde ſequitur Primò, Hanc benedictionem non eſſe cæremoniam aliquam accidētariam Sacramento, qualis eſt benedictio fontis, ſed eſſentialem. Secundò, Non poſſe ab Eccleſia tolli; quia Eccleſia non pōteſt eſſentialia mutare.

Hæc conſecratio, nō eſt certis verbis aut formis alligata.

Aduerte tamen formam benedictionis, quā Eccleſia vtitur, non eſſe neceſſariā; ſed ſufficere quamuis inuocationem Spiritus ſancti, vt benedicat & ſanctificet hoc vnguentum, quamuis alijs verbis fiat, quàm Eccleſia præſcripſit. Ratio eſt, Quia Dominus non præſcripſit determinata verba, ſed ſolùm Spiritus ſancti vel diuinitatis inuocationem, ad ſanctificationem vnguenti. Vnde nec ſemper, nec vbique eadem forma inuocationis ſeruatur. Pari ratione non eſt neceſſaria probitas, aut fides miniſtri; ſed ſufficit legitima intentio benedicendi Chriſmatis vt Chriſtus inſtituit, vel vt Eccleſia ſeruat.

DVBIVM II.

An hæc benedictio neceſſariò fieri debeat ab Epiſcopo?

Si Sacerdos ſimplex nō poteſt hoc chriſma conſecrare poteſtate ordinariā.

REſpondeo Primò, Certùm eſt Sacerdotem ſimplicem ſuā ordinariā poteſtate non poſſe hanc benedictionem præſtare, quidquid dicat Caietanus: eſt enim communis ſententia Theologorum. Patres etiam & Concilia requirūt benedictionē Epiſcopi, & negant à Presbytero eam poſſe fieri. Quòd ſi Presbyter haberet poteſtatē ordinariam, non ita abſolutè requirerent Epiſcopi benedictionem; nec ipſi eam negarent ita abſolutè.

Caietanus conſet id eum poſſe ex cōmiſſione Papę

Probabile tamen eſt, ex cōmiſſione Pontificis Presbyterum poſſe. Ita Caietanus l. 3. & Victoria quæſt. 43. & aliqui alij recentiores. Probatur, Quia poteſt eſſe miniſter ipſius Sacramenti Confirmationis, quod maius eſt, vt infrà dicemus: cur ergo ex eadem commiſſione non poſſet conficere Chriſma, quod minus eſt?

Contrarium tamen eſt probabilius, ſcilicet Papam non poſſe hanc benedictionem Presbytero committere: cuius ſignum eſt, quòd nunquam legatur id feciſſe. Confirmatur ex Concilio Florentino, quod abſolutè requirit, *vt ſit benedictum ab Epiſcopo*: cùm tamen ibidem dicat *ex cōmiſſione Pontificis aliquando conceſſum Presbyteris, vt hoc ſacramētum conferrent.* Et ratio eſt, Quia cùm iure diuino hoc ſit cōceſſum Epiſcopis, vt chriſma cōficiant, vt patet ex ſuprà dictis, non facilè aſſerendum eſt Pontificem id poſſe extēdere ad alios, niſi maior ratio vel auctoritas id conuincat. 15 Sed probabilius eſt, non poſſe.

Poteſt tamē ex hac cōmiſſione confirmare.

Nec obſtat quòd conferre Sacramentum amplius videatur, quam diſponere materiam: quia potuit eſſe legitima cauſa, cur Dominus ita voluerit eſſe Epiſcopum miniſtrum Sacramenti, vt hoc miniſterium etiā ſimplici Presbytero poſſet committi: nempe, quia Epiſcopi non poſſunt ſe ad omnia loca, vbi hoc Sacramentum conferendum eſt, transferre. Quæ ratio locum non habet in benedictione materiæ.

Concil. Toletan.

Dices, Concilium Toletanum Primū Canone 20. apertè dicit, *In quibuſdam locis, vel prouincijs ædicūtur Presbyteri chriſma conficere*: nec tamen id damnat tamquam irritum. Reſpondeo, Non eſt credibile in Eccleſijs Catholicis fuiſſe vnquā permiſſum Presbyteris vt conficerent chriſma confirmationis; fuiſſet enim intollerabilis abuſus cōtra tot canones, cum periculo ſummi ſacrilegij. Vnde concilium videtur loqui de chriſmate, quo baptizati vnguntur in vertice; quæ vnctio, cùm ſit cæremonialis, poſſet ab Eccleſia eius benedictio Sacerdoti committi. Vſus tamen Eccleſiæ habet, vt hæc quoque vnctio fiat chriſmate per Epiſcopum benedicto.

Et chriſma baptiſmi conſecrare.

ARTICVLVS IV.

Vtrum hæc ſit conueniens forma Confirmationis: Conſigno te ſigno Crucis, &c.

17 Forma hæc eſt conueniens.

REſpondeo, Hanc eſſe conuenientem formā: *Conſigno te ſigno Crucis, & confirmo te chriſmate ſalutis, in nomine Patris, & Filij, & ſpiritus ſancti.* Ratio eſt, Quia in ea exprimitur cauſa principalis huius Sacramēti, ſcilicet ſanctiſſima Trinitas: & miniſterialis, ſcilicet miniſter: & effectus Sacramenti, qui duplex eſt; Primò, Facere militē chriſti, inſigniendo illum exteriùs cruce, interiùs charactere; Secūdò, corroborare ad pugnam ſpiritualem, confirmando chriſmate.

Conſtat id magis ex Traditione quàm ſcripto.

Notandum Primò, hanc formam, ſicut & reliquas Sacramentorum, magis traditione, quàm ſcripto haberi. Nam vt Dionyſius ait c. 7. par. 3. Eccleſiaſticæ Hierarchiæ: *Conſecratorias inuocationes has non eſt ſcripto euulgare.* Et Innocentius I. epiſt. 1. c. 3. de Confirmatione; *Verba dicere non poſſum, ne magis prodere videar, quàm ad conſultationem reſpondere.* Inſinuat tamē eam Apoſtolus 2. ad cor. 1. v. 21. *Qui confirmat*, inquit, *nos vobiſcum in Chriſto, & qui vnxit nos Deus, qui & ſignauit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus noſtris*? Ambroſius c. 7. de ijs, qui myſterijs initiantur; *ſerua quod accepiſti; ſignauit te Deus Pater, confirmauit te Chriſtus Dominus.*

Eſt eſſentialis.

Notandum Secundò, Hanc formam videri eſſentialem; vt colligitur ex Concilio Florentino. Vnde ſi ſic mutetur, vt non ſeruetur eadē ſententia, nihil fiet. Debent autē exprimi tres Perſonę diuinæ,

ed by Google

Explicantur singulæ eius partes.

diuinę, ſicut in Baptiſmo : tum ,quia hoc Sacramentum eſt conſummatio quædam baptiſmi; tũ, quia homo per hoc armatur propriè ad fidei profeſſionem,quę potiſſimùm verſatur circa myſteriũ Trinitatis. Actio quoque Miniſtri neceſſariò exprimenda,ſicut in Baptiſmo ; quod fit ,cũ dicitur:*configno te ſigno crucis, & confirmo te chriſmate ſalutis.* Fortaſſe tamen dictio illa(*ſalutis*)nõeſt de ſubſtantia,cùm videatur contineri in verbo *confirmãdi.* Idẽ fortè dici poſſet de hocverbo(*Chriſmate*)&(*ſigno Crucis*:)nam *ſignatio* apud Chriſtianos intelligitur fieri ſigno Crucis , & *confirmatio* chriſmate. Quia tamẽ res eſt dubia,ſi quis ſic cõfirmatus eſſet,deberet ſub conditione iterari.

ARTICVLVS. V.

Vtram ſacramentum Confirmationis imprimat characterem?

18 Character Baptiſmi & Confirmationis diſtinguũtur realiter.

REſpondeo,Imprimere Characterem: Vide ſuprà qu. 63. art. 1. n. 2. Notandum eſt hunc Characterem diſtingui realiter à Charactere Baptiſmi. Ratio eſt,Quia confirmatio eſt Sacramẽtum omnino diſtinctum à Sacramento Baptiſmi : nam ad diuerſa munera per hęc deputamur : per Characterem enim Baptiſmi efficimur membra Chriſti , & capaces ſacramentorum : per Characterem Confirmationis conſignamur in milites Chriſti ad eius fidem publicè profitendam.

Dices,D. Auguſtinus lib. 3. de Baptiſmo cap. 16. dicit manus impoſitionem poſſe repeti : *Manus*, inquit, *impoſitio, non ſicut baptiſmus , repeti non poteſt: quid enim eſt aliud,quàm oratio ſuper hominem?* ergo non imprimit Characterem.

quænam manûs impoſitio iuxtà Auguſtinum non imprimat Characterem.

Reſpondeo , Illa verba intelligenda de manûs impoſitione reconciliatoria , per quam hæretici recipiebantur in Eccleſiam:vt patet expendenti totum Auguſtini diſcurſum,præſertim capitis 17. & 18 Nam ſecundùm D. Auguſtinum Sacramentum Confirmationis etiam in peſſimis hominibus manet,ſicut & Baptiſmus:& ideò repeti non poteſt. Vide illum lib. 2. contra litteras Petiliani cap. 104. De varia manûs impoſitione, vide franciſcum Turrianum in cap. 19. libri octaui Conſtitutionum Clementis.

ARTICVLVS VI.

Vtrum Character Confirmationis præſupponat characterem Baptiſmi?

19 Character Baptiſmi ſupponitur neceſſariò cęteris omnibus Sacramentis.

REſpondeo,Characterem Baptiſmi neceſſariò ſupponi Characteri Confirmationis, ſicut& reliquis omnibus Sacramentis : adeò vt , ſi quis non ſit baptizatus, nullum Sacramentum in ipſo ſit validum. Eſt communis ſententia Doctorum. Contrarium eſt errori proximum.

Probatur ex Canone *Prater hoc*, diſtinct. 32. vbi Alexander II. dicit Baptiſmum eſſe prius & magis neceſſarium Sacramentum , quàm vllum aliud. Et ex Concilio Florentino; *Primum omnium Sacramentorum tenet Baptiſmus,quod vita ſpiritualis ianua eſt,per ipſum enim membra Chriſti , & de corpore efficimur Eccleſiæ.*

Idem Probatur ex Capitulo *De Presbytero non baptizato*,vbi Concilium apud Compendium vrbem Galliæ,iubet eum reordinari. Et Capitulo 3. eiuſdem tituli idem approbat Innocentius III. neque facit vllam differentiam inter ea,quæ imprimunt Characterem , & non imprimunt. Vide etiam Concilium Tridentinum ſeſſ. 14. c. 1. vbi dicit *Pœnitentiam ante baptiſmum non eſſe Sacramentum.* Ratio eſt , Inſtitutio Chriſti , qui voluit Characterem baptiſmi eſſe veluti potentiam receptiuam ad reliqua Sacramenta.

Dices , Quòd ſi quis non baptizatus bona fidè putet ſe eſſe baptizatũ, & in gratia ſuſcipiat Euchariſtiam;nullumne percipiet fructum ? 26

Abſque baptiſmo inutilia ſunt alia Sacramenta.

Reſpondeo,Nullum percipiet ex vi Sacramenti , non magis quàm ex hoſtia non conſecrata Contrarium accidit in infantibus baptizatis , qui olim percipientes Euchariſtiam;accipiebant fructum Sacramentalem ſine vllo proprio motu.

Cornelius accepit Spiritum ſanctum ante baptiſmum.

Nec obſtat quòd familia Cornelij acceperit Spiritum ſanctum ante baptiſmum : quia non accepit Spiritum ſanctum per aliquod Sacramentum, ſed extraordinario miraculo: Deus enim,qui non eſt alligatus Sacramentis,poteſt Sacramenti effectum ſine Sacramento dare. Vſus eſt autem tunc hoc extraordinario modo,vt præcipuè oſtenderet Gentes non eſſe excludendas à gratia baptiſmi , quamuis priùs non fierent Iudęi.Credibile autem eſt eos,qui ſic Spiritum ſanctum acceperunt,non fuiſſe ampliùs confirmatos;ac proinde tunc impreſſum fuiſſe Characterem.

Et Characterem Cõfirmationis.

ARTICVLVS VII.

Vtrum per ſacramentum Confirmationis conferatur gratia gratum faciens?

21 Affirmatur

REſpondetur, Hoc Sacramentum conferre gratiam gratum facientem ad robur pugnæ ſpiritualis fidei. Probatur ex capite 8. & 19. Actorum,vbi ad impoſitionem manuum datur Spiritus ſanctus. Atqui miſſio Spiritus ſancti nunquam eſt,niſi cum gratia iuſtificante. Vide ſuprà quæſt. 62. art. 1.

Dices,in Baptiſmo datur Spiritus ſanctus : ergo non datur in Confirmatione.

Reſpondeo Negando Conſequentiam. Nam in omnibus Sacramentis datur Spiritus ſanctus, ſed ad diuerſos effectus , vt ſuprà dictum eſt qu. 62. num. 3. art. 2. num. 10. & 11.

DVBIVM. I.

Vtrùm confirmatio det maiorem gratiam quàm Baptiſmus?

22 Affirmatur

OMiſſis ſententijs:Reſpondeo,valdè probabile eſſe,copioſiorem gratiam dari Confirmatione,quàm Baptiſmo. Probatur , Quia Scriptura Baptiſmo ſolùm tribuit *renaſci*,ſed Confirmationi propriè *dare Spiritum ſanctum.* Secundò, Quia Dionyſius de Eccleſiaſtica Hierarchia c. 4. Confirmationem dicit eſſe Τελεσιν , id eſt , *perfectionem* , & Τελειωσιν , id eſt , *perfectionem.* Alij Patres dicunt in ea dari plenitudinem Spiritus S. & nos per eam fieri plenè Chriſtianos.

Dionyſius

Ratio cõgruentiæ.

Quod confirmatur à ſimili : Nam homo ſecundùm corpus maiorem accipit corpoream molem per vim augmentatiuam,quàm per generationẽ: nihil ergo miri, ſi per Confirmationem , quę eſt veluti vis augmentatiua, maiorem gratiam conſequamur,quàm per Baptiſmum,qui eſt ſpiritualis regeneratio. Quod ſatis patuit in Apoſtolis, qui in Pentecoſte:maiorem gratiam ſunt conſecuti,quàm antèa per Baptiſmum.

DVBIVM. II.

Quæ dispositio requiratur ad gratiam huius sacramenti?

23 In iusto nulla requiritur dispositio præter gratiam habitualem.

REspondeo, & Dico Primò, In iusto, præter gratiam habitualem, nihil absolutè necessarium est, præter intentionem huius Sacramenti suscipiendi. Ratio est, Quia gratia habitualis est sufficiens dispositio ad aliquod augmentum ex opere operato suscipiendum; intentio autem illa non tam requiritur ad effectum Sacramenti, quâ ad eius substantiam; quâ substantiâ positâ necessariò sequitur effectus in homine iusto: quia non ponentibus obicem Sacramenta necessariò dant gratiam.

Commendantur reuerentia.

Curandum tamen est, Vt cum magna reuerentia, & præparatione ad tam eximium Sacramentum accedatur.

24 In peccatore memore necessariaest contritio vel attritio.

Dico Secundò, In eo, qui peccauit mortiferè, necessariò requiritur contritio, vel saltem attritio, quæ bona fide putetur contritio. Ratio est, Quia hoc Sacramentum non est institutum ad conferendam primam gratiam, sed ad augmentum, & perfectionem: vnde dicitur sacramentum viuentium: ergo supponit statum gratiæ, qui sit vel re verâ, vel bona fide putetur esse. Vide D. Thomam ad 2.

In immemore sufficit virtualis attritio

Vbi tamen aduerte, Si quis esset in peccato mortifero per ignorantiam, non iustificaretur per hoc Sacramentum, nisi haberet veram contritionem, vel saltem attritionem virtualem: quia peccatum mortiferum non potest sine pœnitentia remitti, etiamsi ignoretur, vt probandum est de Sacramento Pœnitentiæ. Cum hac moderatione intellige D. Thomam.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum hoc Sacramentum sit omnibus exhibendum?

25 REspondetur exhibendum omnibus. Ratio est, Quia sicut natura intendit, vt omnis qui corporaliter nascitur, ad perfectam ætatem perueniat; ita multò magis intendit Deus, vt omnis qui spiritualiter renascitur, perueniat ad statum perfectum vitæ spiritualis.

DVBIVM I.

Vtrùm hoc Sacramentum sit conferendum infantibus ante vsum rationis?

26 Varia fuit Ecclesiæ consuetudo in confirmatione conferenda.

REspondeo, Seruandam esse Ecclesiæ consuetudinem. Olim cum baptismus solùm bis in anno conferretur, scilicet in profesto Paschæ, & pentecostes, simul dabatur Sacramentum Cõfirmationis. Nam Episcopus facilè bis poterat adesse, & minor erat fidelium multitudo. Vnde etiam tunc dabatur infantibus: vt patet ex Dionysio, Melchiade, & aliis. Vide Thomam Vvaldensem tomo 2. cap. 140.

Cur nunc differatur vsque ad initium vsus rationis.

Posteà quando ob multitudinem, & alias causas, id non potuit seruari; separatim conferri cœpit hoc Sacramentum: & ex illo tempore expectatum ferè vsque ad initium vsus rationis: Quod & nunc passim seruatur; & probat Catechismus ad Parochos Pii V. Ratio est, Quia decet, vt si necessitas non premat, suscipiatur cum propria fide & deuotione; cùm sit Sacramentum tantæ dignitatis. Decet quoque, vt hoc Sacraméto professionem fidei quisque per se faciat, cùm in baptismo fecerit per alium. Denique vt periculum repetitionis vitetur.

27

Dices: Canone *Vt ieiuni.* de Consecratione dist. 5. dicitur, *Vt ieiuni veniant ad Confirmationem perfectæ ætatis, & vt moneantur antè confessionem facere*: ergo &c.

An ieiuniũ vel confessio præ requiratur ante hoc sacramentum.

Respondeo, Canonem loqui de adultis, non de pueris: vnde non sequitur pueros non posse confirmari. Vbi aduerte, non esse præceptum sub peccato mortali, vt ieiuni accedant: nec consuetudo sub tam stricta obligatione hoc obseruat. Nam sæpè hoc Sacramentum confertur post prãdium. Valdè tamen est consulendum. Similiter consulenda confessio, quamuis non sit præcepta, cùm contritio, vel etiam attritio existimata contritio, etiam in peccatore sufficiat.

An, & quãdo experiat hoc sacramentum non differri in infantibus & moribundis.

Aduertendum est, Etsi infantibus non detur ordinariè hoc sacramentum, eò quòd expectetur vsus rationis: tamen si iste vsus non putetur futurus, hoc sacramẽtum non est differendum. Ratio est, Quia non solùm datur ad pugnam spiritualem, sed etiam ad sanctitatem & gloriam maiorem, vt patet ex D. Th. ad 4. Quod satis est, vt meritò alicui possit & debeat, etiamsi nunquam sit pugnaturus, conferri. Vnde vtilissimè daretur etiam moribundis, siue infantes sint, siue adulti. Quod autem hoc non sit vsitatum, fortassis causa est, quia non potest commodè fieri Episcopis occupatis: & quia non est absolutè necessarium, vt Melchiades ait.

28 Dandum etiam hoc Sacramentum amentibus.

Deinde, etiam dari debet perpetuò amentibus, quidquid dicat Sotus. Non enim est ratio, cur tanto bono sint priuandi, cùm per gratiam baptismalem sint satis dispositi; & nulla in sacramentum irreuerentia committatur: præsertim cùm Patres dicant, sine hoc sacramento non esse perfectum Christianum.

Etsi aliquando vsũ fuerint rationis.

Tertiò, dari debet etiam amentibus, qui aliquando vsum rationis habuerunt, si non putentur ad mentem redituri. Nec opus est vt hoc sacramentũ expressè petierint, sufficit enim generalis voluntas, quia quisque fidelis, dum ratione vtitur, censetur velle omnia ordinaria salutis suę adminicula: nec sciatur esse in malo statu.

DVBIVM. II.

Vtrùm Confirmatio sit præcepti, an consilij tantùm?

29 Omissio huius sacramenti per se non est peccatum saltẽ mortiferũ.

OMnibus consideratis, probabilius est, non esse vllum præceptum, quod per se obliget fideles ad Sacramentum Confirmationis. Vnde secluso contemptu, prætermissio eius non est per se peccatum, saltem mortiferum. Colligitur ex D. Thoma hoc articulo: & Docet Caietanus in Summa, verbo *Confirmatio*. Adrianus tractatu de Confirmatione art. 1. Franciscus Victoria de Cõfirmatione, quæst. 48. Couarruuias lib. 1. Variarũ resolutionum cap. 1. num. 9. Nauarrus in Enchiridio cap. 22. num. 9. Sotus distinctione 7. art. 3. & plerique alii recentiores. Probatur; quia tale præceptum vel esset directè à Christo Domino impositum, sicut præceptum Baptismi, & Eucharistiæ: vel oriretur ex natura rei, suppositâ dumtaxat institutione huius Sacramenti: vel esset impositum ab Ecclesia. Atqui nullo horum modorum de tali præcepto constare potest: ergo non est introducendum. Patet Consequentia: Quia

Probatur non esse aliquod Præceptũ ad hoc sacramentũ suscipiendum.

nullum præceptum obligans ſub mortali introducendum, niſi ſatis conſtet extare; vt patet ex tractatu de Legibus.

Minor patet: Quòd enim Dominus tale præceptum dederit, nec ex Scripturis, nec ex traditione habetur.

Quòd etiam ex natura Sacramenti non oriatur, patet; quia hoc Sacramentum neque eſt neceſſarium ad ſalutem, vt patet in Infantibus: neque ad fidem conſtanter profitendam; nam alijs medijs, vt oratione, & bonis operibus auxilium neceſſarium poteſt obtineri. Nam, licet hoc Sacramentum non eſſet inſtitutum, obtineri poſſet quod neceſſarium eſt ad profitendam fidem. Denique neque præceptum Eccleſiæ extat; nam vſus Eccleſiæ non habet, vt quis cogatur ad hoc Sacramentum: alioqui maior cura abhiberetur, vt omnibus adminiſtraretur, etiam morituris. Accedit, quòd Eccleſia non ſoleat de Sacramentis præcepta cõdere, præcipiendo abſolutè ipſum vſũ, ſed ſolùm determinando tempus.

Dices: Apoſtoli Actorum 1. v. 4. habuerunt præceptum exſpectandi Spiritum ſanctum, cuius infuſio, eſt effectus Confirmationis: *Et conueſcens præcepit eis ab Hieroſolymis ne diſcederent, ſed exſpectarent promiſſionem Patris &c.* Atqui hæc promiſſio infuſionis Spiritus ſancti pertinet ad omnes, vt patet ex concione Petri Actorum 2. & ex teſtimonio Ioëlis; quod Petrus adducit: ergo omnes habent præceptum hanc gratiam quærendi.

30 Soluuntur Obiectiones.

Reſpondeo; Apoſtolis id præceptum, non tam ob gratiam gratum faciẽtem, quàm ob dona gratis data, quibus debebant inſtrui ad munus Apoſtolicum, ſine quibus erant omnino inepti ad illud munus.

Dices Secundò; Patres dicunt, omnes debere hoc Sacramentum ſuſpicere, vt ſint perfecti chriſtiani. Et Melchiades Papa dicit Confirmationis auxilia victuris eſſe neceſſaria; & hoc Sacramentum ita eſſe coniunctum baptiſmo, vt niſi interueniente morte non poſſet ſeparari, aut vnum ſine altero ritè perfici.

An, & quæ ſit neceſſitas ſuſcipiendi Sacramentũ Confirmationis.

Reſpondeo; Iſtis verbis non ſignificatur vlla obligatio, niſi fortè ea, quę oritur ex natura rei ſuppoſitâ inſtitutione. At ſatis conſtat ex natura rei non eſſe neceſſarium. Neque enim obligamur eſſe ita pleni chriſtiani; ſed ſufficit plenitudo, quę eſt per baptiſmum; & poſteà alijs Sacramentis, ac bonis operibus perficitur. Et confirmatur, quia alioqui morituris eſſet neceſſariò conferendum. Neq; etiam obligamur ratione profeſſionis fidei; quia alijs modis ſufficiens ad hãc auxilium poteſt impetrari. Significatur ergo tantummodò magna vtilitas, quę interdum vocatur neceſſitas.

Quòd autem Melchiades ait, *vnum ſine altero ritè non perfici*, intellige ſecundùm ritum & conſuetudinem veteris Eccleſiæ, quæ ſolet hoc Sacramentum ſtatim poſt baptiſmum conferre.

31 Omiſſio huius Sacramenti vnde, & quibus titulis poſſit eſſe peccatum.

Aduerte tamen; etſi omiſſio huius Sacramenti per ſe non ſit peccatum, præſertim mortale, tamẽ poteſt eſſe ratione adiuncti. Primò, ratione contemptûs, vt ſi quis nollet confirmari, exiſtimans eſſe rẽ puerilem, & ſe indignam. Secundò, ratione ſcandali; vt ſi putaretur contemnere, aut non eſſe Catholicus. Tertiò; ratione propriæ conſcientiæ, vt ſi putaret ſe aliter nõ fore ſatis firmum in fide, aut fidei cõfeſſione. Denique vix vnquam poteſt hoc Sacramentum omitti ſine aliquo peccato: quia vix poteſt adeſſe iuſta cauſa tanti boni negligendi, quod tam facile poteſt haberi.

32 An hoc Sacramentum debeat præmitti Sacramento Euchariſtiæ, vel alij.

Quòd autem quidam dicunt Confirmationem debere præmitti ante Euchariſtiam, id intellige ex decentia, non ex obligatione. Nuſquam enim extat præceptum ad hoc obligans; neque conſuetudo Eccleſiæ id ſemper ſeruat. Similiter non eſt obligatio, vt antecedat extremam Vnctionem, vel Matrimonium. Addo, Non videri obligationem ſub peccato mortifero, vt is qui ordinatur, aut etiam qui confert hoc Sacramentum, ſit confirmatus. Vt colligitur ex Soto hoc loco, Nauarro cap. 22. nu. 9. Victoria quæſt. 46. de Confirmatione.

Ratio eſt, Quia nuſquam tale præceptum habetur. Nec obſtat Concilium Tridentinum ſeſſ. 24. cap. 4. vbi dicit, *Ne quis confirmá initietur, qui non ſit confirmatus.* Quia nullum eſt verbum quod indicet propriè dictum præceptum. Valdè tamen eſſet reprehenſibile, ſi fieret contrarium.

ARTICVLVS IX.

Vtrum hoc Sacramentum ſit conferendum in fronte?

RESpondetur, Vnctionem Chryſmatis eſſe in fronte perficiendam, idque in formam Crucis. Ita Concilium Florentinum, quod vtrumque definit. 33

Notandum eſt Primò, Remotam quidem materiam huius Sacramenti eſſe *Chriſma ab Epiſcopo benedictum*: ſed proximam eſſe, *Vnctionem frontis in modum Crucis*; ſicut in Baptiſmo, proxima materia eſt ablutio; in extrema vnctione olei illitio.

Vnctio frontis in modum crucis, eſt materia proxima huius Sacramenti.

Notandum Secundò, Hanc ſignationem in fronte eſſe de ſubſtantia huius Sacramenti, adeò vt ſi in alia parte fiat, v. g. in vertice, non conſtet Sacramentum: vt communiter Doctores, Durandus, Scotus, Paludanus, & alij diſtinctione 7. Nam in hoc diſtinguitur hæc vnctio Confirmationis, ab vnctione Baptiſmi quæ fit in vertice, vt patet ex teſtimonijs ſuprà citatis. Vnde Pontifices docent ſolis Epiſcopis licere ſignare baptizatos in fronte. Vide Innocentium I. epiſt. 1. cap. 3. Damaſum epiſt. 4. Leonem I. epiſt. 85. & alios. Idem apertè docent Patres. D. Auguſtinus in illud Pſalmi 141. verſ. 4. *In via hac qua ambulabam, &c.* dicit quædam Sacramenta accipi in toto corpore, vt Baptiſmum; quædam in ore, vt Euchariſtiam; quędam in fronte, vt ſignaculum crucis in Confirmatione: *Quia*, inquit, *frons eſt locus pudoris, vt non erubeſcamus Dominum confiteri.* Idem expreſſè habet Concilium Florentinum. Vnde deceptus eſt Franciſcus Victoria, quæſt. 51. exiſtimans hoc eſſe ſolùm neceſſarium neceſſitate præcepti, non Sacramenti.

Si fiat extra frontem, non valet.

Innocent. I. Damaſus. Leo. I. Auguſt.

Victoria fallitur.

Notandum Tertiò, Signum crucis eſſe de ſubſtantia, quia exprimitur in forma. Idem inſinuãt Patres, dum dicunt *frontem ſignari*: hoc enim ſignum apud Chriſtianos non eſt aliud, quàm ſignũ crucis. Ratio eſt; quia efficimur milites Chriſti; vnde eius Characterem, quod eſt ſignum crucis, oportebat accipere. 34

Item non valet, ſi fiat abſque ſigno crucis.

Notandum Quartò; Valdè probabile eſſe hanc vnctionem debere fieri immediatè per manus Epiſcopi; nec ſatis eſſe, vt fiat medio inſtrumento; quia requiritur manus impoſitio: vt patet ex ſuprà dictis. Debet ergo manu tangere. Sufficit tamen pollex, vel digitus; quia ſic dicimur manu tangere.

Debet fieri per manum Epiſcopi ſine medio inſtrumento

Digitized by Google

ARTICVLVS X.

Vtrum is qui Confirmatur, debeat teneri ab aliquo?

35 Affirmatur.

REſpondetur; Eum, qui confirmatur, debere habere ſuſceptorem, à quo in militia Chriſtiana inſtruatur: ſicut qui baptizatur habet ſuſceptorem, à quo inſtruatur in ijs, quæ ad communem fidem & mores pertinent.

Notandum eſt Primò, Hanc cęremoniam eſſe valdè antiquam, vt patet ex Canone *in Catechiſmo* de Conſecratione, diſtinctione 4. qui eſt Higini, papę.

Suſceptoris in Confirmatione ſimilis ferè obligatio & cognatio, qualis in Baptiſmo.

Notandùm Secundò; Quòd talis ferè hîc naſcitur obligatio, & cognatio ſpiritualis, qualis in Baptiſmo: quamuis obligatio inſtruendi, vſu penè videatur abolita, eò quòd illi qui confirmantur, ordinariè ſint ſatis inſtructi, vel ab alijs ſatis inſtruantur. Si tamen hoc non eſſet, teneretur ſuſceptor. Cognatio autem ſpiritualis reuocãda eſt ad terminos præſcriptos à Concilio Tridentino, ſeſſ. 24. cap 2. Vbi etiam inſinuatur ſolum vnum vel vnam debere ſuſcipere in Confirmatione.

Suſceptor debet eſſe Confirmatus.

Notandum Tertiò, Hunc Suſceptorem debere eſſe confirmatum; alioquin peccat, & non contrahit cognationem: vt rectè docet Angelus, verbo Confirmatio. num. 11. Tabiena ibidem §. 7. Victoria quæſt. 51. Et colligitur ex Canone *In baptiſmate* diſtinct. 4. de Conſecratione. Vbi ſicut dicitur, *nò baptizatum non poſſe tenere in Baptiſmo*, ita dicitur *non confirmatum non poſſe tenere in Confirmatione.*

piſcopatus non diſtingui à Presbyteratu.

Obiectio ex D. Hieronymo Soluitur.

Dices; Hieronymus contra Luciferianos inſinuat impoſitionis manum Sacramentum ad honorem potiùs ſacerdotij, quàm ad legis neceſſitatem à ſolis Epiſcopis conferri.

Reſpondeo Primò, Hieronymum non videri ſatis intellexiſſe Epiſcopum iure diuino eſſe maiorem Presbytero, de quo plura ſuo loco. Secundò, fortè ſic loquitur, quia poteſt committi Presbytero.

DVBIVM.

Vtrùm ſummus Pontifex collationem Confirmationis poſſit Presbyteris delegare?

37 quidamne gant.

QVidam Doctores Negant: Durandus diſt. 7. quæſt. 3. & 4. Adrianus de Confirmatione art. 3. Alphonſus à Caſtro lib. 2. de iuſta hæreticorum punitione cap. 21. & 22.

Verisimilior eſt opinio affirmans.

Reſpondeo & Dico Primò, Summus Pontifex poteſt dare Presbyteris poteſtatem, vt validè hoc Sacramentum conferant. Eſt communior ſententia Doctorum, & pænè certa. D. Thomas hoc loco. Alexander Alenſis 4. parte, quæſt. 28. num. 1. art. 3. Richardus, Paludanus, Capreolus, Dominicus Soto diſt. 7. Ruardus art. 12. Franciſcus Turrianus in cap. 17. libri tertij Clementis de Conſtitutionibus Apoſtolorum. Denique plurimi Iuriſperiti apud Couarruuiam lib. 1. variarum Conſtitutionum cap. 10.

Gregorius I. commiſit Presbyteris Sardinæ.

Probatur Primò, Teſtimonio D. Gregorii, quod D. Thomas hîc habet in Primo argumento: vbi id concedit Presbyteris Sardinæ ad tollendum ſcandalum, quod ex prohibitione ortum erat.

Reſponſiones duæ refelluntur.

Reſpondet Adrianus, Pontificem non conceſſiſſe vnctionem Confirmationis, ſed baptiſmi. Sed contrà: Quia concedit Gregorius vnctionem Chriſmatis in fronte, quę eſt Sacramentum Cõfirmationis, & ſolis Epiſcopis reſeruatur: vt patet ex dictis. Deinde, concedit eam, quam anteà capite 9. ad eundem ſcribens, prohibuerat; vt patet ex epiſtola. Tertiò, quia res erat vſitata, vt ſacerdos ſignaret in vertice.

Alij reſpondent Pontificem non conceſſiſſe, ſed ſolùm permiſiſſe propter ſcãdalum; ſicut alia mala interdum permittuntur. Sed contrà: Expreſsè dicit *Concedimus.*

Confirmatur, Quia alioqui dediſſet occaſionem maximam errandi in re ſummi momenti.

Concil. Florent. & Trident.

Probatur Secundò, Quia Concilium Florentinũ & Tridentinum definiunt *Miniſtrum ordinarium huius Sacramenti eſſe Epiſcopum*: inſinuant ergo eſſe aliũ miniſtrũ, qui ſit extra *ordinarius.* Imò Cõcilium Florentinum expreſsè dicit, *Aliquando per Apoſtolicæ ſedis diſpenſationem ex rationabili & vrgente admodum cauſſa ſimplicem Sacerdotem Chriſmate per Epiſcopum confectc, Confirmationis Sacramentum adminiſtraſſe*: vbi videtur reſpicere ad hunc locum Gregorij.

ARTICVLVS XI.

Vtrum ſolus Epiſcopus, hoc Sacramentum conferre poſſit?

36 Error Armacani & V Vicleff.

RIchardus Armacanus lib. 11. cap. 4. vult etiam Presbyterum, & Diaconum eſſe ordinarios huius Sacraméti miniſtros. Idem docuit Ioannes Vvicleff. Contra quos agit Thomas Vvaldenſis tomo 2. cap. 114. & ſequentibus.

Solus Epiſcopus eſt ordinarius miniſter Confirmationis.

Sed fide tenendum eſt, ſolum Epiſcopum eſſe miniſtrum ordinarium huius Sacramenti.

Concilia.

Probatur Primò, Ex Concilio Florentino: *Ordinarius miniſter*, inquit, *Sacramenti Confirmationis, eſt Epiſcopus; & cùm ceteras vnctiones ſimplex ſacerdos valeat exhibere, hanc non niſi Epiſcopus debet conferre.* Concilium Tridentinum ſeſſ. 7 can. 3. *Si quis dixerit Confirmationis ordinariàm miniſtrum non eſſe ſolum Epiſcopum, ſed quemuis ſimplicem ſacerdotem, anathema ſit.* Vide plura de Conſecratione diſtinctione 5. Probatur Secundò, Exemplis Scripturę. Nam Actorum 8. cùm Philippus Diaconus baptizaſſet plurimos in Samaria, non tamé eis manus impoſuit; ſed ad hoc Hieroſolymis miſſi ſunt Apoſtoli, Petrus, & Ioannes. Actorum 19. Pręſente Paulo baptizantur duodecim viri, ſed Paulus imponit illis manus. Hinc infert Concilium Florentinum, & Euſebius Papa, iſtud Sacramentum non conferri poſſe niſi ab Epiſcopis, qui in locum Apoſtolorum ſucceſſerunt.

Exempla Scripturę.

Ratio D. Thomæ.

Ratio D. Thomæ eſt valde bona: Cùm enim hoc Sacramentum ſit Sacramentum perfectionis, oportuit ab eo conferri, qui inter miniſtros ſtatũ perfectionis obtinet, qui eſt Epiſcopus. In quo etiam errauit Armacanus, exiſtimans, ordinem Epiſcopatus non diſtingui à Presbyteratu.

38 Presbyter ſine hac commiſſione confirmans, nihil efficit.

Dico Secundò, Si ſacerdos confirmet ſine Pontificis commiſſione, nihil efficiet. Sequitur ex ſuprà dictis. Hæc enim auctoritas committendi, tãtùm eſt in ſummo Eccleſię Paſtore. Vnde Euſebius Papa epiſt. 3. *Si aliter*, nempe quàm à ſummis Sacerdotibus præſumptum fuerit, *irritum habeatur.* Et ratio eſt, Quia ſacerdos id non poteſt ex vi ſuæ ordinationis; alioquin eſſet ordinarius miniſter: ergo ſine commiſſione nihil poteſt. Vide Cõcilium Tridentinum ſeſſ. 23. cap. 4.

Dices; Quid addit illa commiſſio Papæ? Reſ-

commiſſio hæc proximè actuat Characterem Præsbiterii vt exeat in actum confirmationis.

pondeo,non addit proprie poteſtatem iuriſdictionis: hęc enim non eſt neceſſaria ad ſubſtantiam huius Sacramenti in miniſtro:ſed facit,vt Character Ordinis ſacerdotalis,qui antèà erat poteſtas remota reſpectu confirmationis,incipiat eſſe poteſtas propinqua,& idonea exire in actum, Domino ita conſtituente; vt colligitur ex interpretatione Eccleſiæ. Simile videmus in collatione Ordinum minorum;hîc tamen aduertendum eſt, conſuetudinem non obtinere vim commiſſionis, ſeu diſpẽſationis;vt notant Doctores in Capitulo *Quanto* de Conſuetudine. vbi idipſum ſatis apertè definitur ab Innocentio III. Ratio eſt, quia hoc miniſterium requirit veram poteſtatem; vnde non ſubijcitur præſcriptioni, ſeu vſucapioni.

39 Diaconi non ſunt capaces huius cõmiſſionis.

Dico Tertiò,Hoc munus non poteſt vllo modo Diaconis,aut inferioribus miniſtris committi. Eſt certa,& communis Doctorum,exceptis paucis Iuriſperitis, ſcilicet. Innocentio IV. Panormitano & Ioanne Andręa in Capitulum *Quanto*.

Probatur;Quia nunquam hactenus alicui,præterquam Presbytero, hæc poteſtas conceſſa fuit. Quod eſt ſignum alijs concedi non poſſe. Ratio eſt; Quia poteſtas in corpus Chriſti myſticum oritur ex poteſtate in corpus Chriſti verum, vt paſſim Theologi & Iuriſperiti docent. Atqui ſolus ſacerdos habet poteſtatem in corpus Chriſti verum:ergo ſolus poteſt perficere corpus Chriſti myſticum.

Sed Contrà: Obijcitur ex Durando contra primam propoſitionem:Miniſter non minùs requiritur ad eſſentiam Sacramenti,quàm materia & forma:ergo ſicut Eccleſia nihil poteſt mutare circa materiam & formam, ita nihil poteſt mutare circa miniſtrum.

40 Soluuntur obiectiones.

Reſpondeo,Nihil poſſe ſuâ auctoritate: ſed quia Chriſtus inſtituit, vt Epiſcopus eſſet *Ordinarius Miniſter Confirmationis*,Presbyter autem *non-ordinarius*,id eſt, qui ex vi ordinis ſui ſufficientem habeat poteſtatem ad ſubſtantiam Sacramenti, ſed qui tãtùm habeat aptitudinem cui hęc poteſtas poſſit committi, ideò Eccleſia hoc poteſt committere. Quod colligitur ex facto Eccleſiæ, quę à Spiritu ſancto gubernatur.

Vnde Pontifex non mutat Chriſti inſtitutionem, ſed eam ſequitur. Simile eſt in Ordinibus minoribus,quorum *ordinarius Miniſter* eſt Epiſcopus, *extraordinarius* commiſſione ſummi Pontificis Presbyter. Simile quiddam cernitur in Baptiſmo.

Obijcitur Secundò; Confirmare eſt actus Ordinis Epiſcopalis:ſed actus Ordinis non poteſt ſine ipſo Ordine transferri:ergo nõ poteſt concedi ſimplici presbitero. 41

Reſpondeo,Actum alicuius Ordinis poſſe interdum committi ſine ipſo ordine, ſic tamen vt hac commiſſione non efficiatur ordinarius miniſter, ſed extraordinarius, vti videmus in Ordinibus minoribus, quorum collatio committitur Presbytero. Hæc commiſſio non facit miniſtrum ordinatum.

Obijcitur Tertiò,Ad actus Ordinis Pontifex nõ habet maiorem poteſtatem,quàm alij Epiſcopi; ſolùm enim eos ſuperat poteſtate Iuriſdictionis: ergo ſi Pontifex poteſt Presbyteris hunc actum Ordinis delegare, poterunt etiam alij Epiſcopi. Quod eſt contra vſum Eccleſiæ.

Reſpondeo Negando Conſequentiam: Nam hæc delegatio pertinet ad iuriſdictionem. Vnde etiamſi Papa nondum eſſet conſecratus Epiſcopus,poſſet tamen hunc actum alijs delegare; & ipſemet eundem obire,modò ſit ſacerdos,& iuſta cauſſa interueniat. Ratio eſt, Quia hęc poteſtas conuenit Pontifici, non quatenus eſt Epiſcopus particularis,etiam Romanus,ſed quatenus eſt vicarius Chriſti,Princeps ſacrorum, & Caput vniuerſalis Eccleſiæ. Vnde conuenit ei iure diuino,vt rectè docet Sotus,& alij. Eſt actus Iuriſdictionis.

Si Papa non ſit Epiſcopus, poteſt tamen confirmare,& alteri committere.

Petes,An hæc poteſtas conceſſa à Pontifice,expiret ipſius morte?

Reſpondeo,Non exſpirare,niſi reuocetur. Ratio eſt: Quia eſt gratia Principis, quæ morte concedentis non expirat,vt dicunt Iuriſperiti. ſimiliter neque cauſſa ceſſante expirat,niſi conceſſio ſic ſit limitata: nam gratia abſolutè data non pendet à cauſſa in ſui conſeruatione. 42 Non expirat cum morte Papæ.

ARTICVLVS XII.

Vtrum ritus huius Sacramenti ſit conueniens?

VIde D. Thomam,Iſidorum,Alcuinum, Rabanum,Rupertum,ordinarium Romanum, & alios. Et quę ſuprà diximus q. 71. tam de Cęremonijs in genere,quã de Cęremonijs Baptiſmi.

DE SS. SACRAMENTO EVCHARISTIÆ

QVÆSTIO LXXIII.

In Sex Articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Vtrum Eucharistia ſit Sacramentum?

REſpõdetur affirmatiuè. Probat D. Thomas ex proportione vitæ ſpiritalis ad corporalem fuiſſe conueniens inſtitui aliquod Sacramẽtum, quod ſit alimentum animæ: id autem eſt *Euchariſtia*.

Idem Probari poteſt ex definitione Sacramenti ſuperiùs q. 60. art. 4. explicata;modò conſtet, quid nomine *Euchariſtiæ* ſignificetur.

by Google

DVBIVM.

Cùm quatuor concurrant ad Euchariſtiam, *ſcilicet*, *Verba conſecrationis*, *Species panis & vini*, *Corpus Chriſti*, *& eius ſumptio*: *quidnam ex his propriè ſit Sacramentum Euchariſtiæ?*

2 Lutherani & Caluiniſtæ.

HÆretici huius temporis volunt Sacramentum Euchariſtiæ proprie conſiſtere in actione, ſicut Sacramentum Baptiſmi; & nihil eſſe aliud, quàm ipſam ſumptionem panis & vini: tùc enim ſolùm ibi eſſe corpus Domini, ſiue realiter, vt volunt Lutherani; ſiue tanquam in ſigno, vt Caluiniſtæ. Ratio illorum eſt: tum quia reliqua Sacramenta in vſu conſiſtunt; tùm quia Chriſtus inſtituit hoc Sacramentum, tanquam cibum ſpiritalem, dicens: *Accipite, & comedite*: ergo non eſt Sacramentum, niſi comedatur.

3 De fide Euchariſtiam non conſiſtere in ſumptione, ſed in re permanente.

Reſpondeo & Dico Primò, Fide tenendum eſt Sacramentum Euchariſtiæ non conſiſtere in ipſa ſumptione, ſed eſſe rem permanentem, quæ exiſtat etiam ante ſumptionem. Definitur in Concilio Trident. ſeſſ. 13. can. 4. *Si quis dixerit, peracta conſecratione in admirabili Euchariſtiæ ſacramento non eſſe corpus, & ſanguinem Domini, ſed tantùm in vſu dum ſumitur, non antè vel pòſt, anathema ſit.* Similia habet can. 7. Idem docet eadem ſeſſ. cap. 3. & 6.

Trident.

1. Ratio.

Probatur Primò, Quia Sacramentum Euchariſtiæ conficitur conſecratione per verba Chriſti: ſed conſecratio iſta præcedit ſumptionem: verba enim conſecrationis ſunt, *Hoc eſt corpus meum*, *Hic eſt ſanguis meus*; quæ verba ſine dubio Dominus protulit antequam Diſcipuli Euchariſtiam ſumerent: non enim omnes ſimul ſumpſerunt, ſed alij poſt alios: ergo ante ſumptionem eſt ibi corpus Domini. Confirmatur: quia alioqui verba Chriſti falſa eſſent.

Reſpondent hæretici illa verba *Hoc eſt corpus meum*, ſignificare, non quòd tunc ibi ſit corpus Chriſti Sacramentaliter; ſed quòd ibi erit, nempe cùm manducabitur; eſſe enim verba promiſſoria, quibus promittit Chriſtus ſe ibi futurum, cùm mandatum manducationis impleuerimus.

Reſpoſio hæreticorũ Quod cõſecratio ſignificet promiſſionẽ futuri corporis dum ſumetur. Reſellitur

Sed contrà. Primò, Quia hæc verba, *Hoc eſt corpus meum*, nullam ſignificat promiſſionem, ſed rem præſentem; promiſſio enim eſt rei futuræ, non præſentis: vnde debuiſſet dicere *Hoc erit corpus meum*, non autem *hoc eſt*. Secũdò, Quia Chriſtus præcepit mãducari panem benedictum, quia eſt corpus ipſius; vt apertè Euangeliſtæ teſtantur, cùm dicunt Dominum dixiſſe, *Accipite & manducate*, *Hoc eſt enim corpus meum*: ergo priùs eſt corpus Chriſti, quàm manducetur; vt patet ex ſimili locutione, Accipe & manduca, Hoc eſt enim ſaccharum: ergo vt ſit corpus Chriſti non ſupponit manducationem, (vt volunt hæretici; ſicut impletio promiſſionis ſupponit impletionem præcepti:) ſed ipſum corpus Chriſti & Euchariſtia ſupponitur manducationi.

4 2. Ratio.

Probatur Secundò, Si conſiſteret Euchariſtia in manducantione, eſſet opus ipſius ſuſcipientis, non autem Dei, vel miniſtri: nam manducatio eſt ſolùm opus manducantis; & ita ſuſcipiens conficeret Euchariſtiam, non autem miniſter. Item Diaconi poſſent illam conficere, quia in abſentia Presbyterorum poſſunt eam porrigere, vt patet ex Can. 14. Synodi Nicænæ.

5. Ratio.

Probatur Tertiò, Verba Sacramentalia, quibus conficitur Euchariſtia, non dicuntur à manducante, neque ad manducantem, ſed tantùm à miniſtro ſuper panem, & vinũ: ergo nullomodo conſiſtit hoc Sacramentum in actione manducatis. Confirmatur, Quia verba Sacramentalia reliquorum Sacramentorum, quę conſiſtũt in vſu, non referuntur ad materiam, ſed ad ipſum ſuſcipientem; vt *Ego te baptizo*, *confirmo*, *abſoluo*, &c. ergo e contrario, cùm verba huius Sacramenti non referantur ad ſuſcipientem, ſed ad nudam materiam conſecrandam, manifeſtum eſt hoc Sacramentum non conſiſtere in vſu, ſed eſſe rem permanentem; ſcilicet materiam conſecratam.

Hinc patet reſpõſio ad prius argumentum hęreticorum: hoc enim peculiare eſt huic Sacramento, vt ſit res permanens; quia conſiſtit in conſecratione materiæ.

Ad alterum, Reſpondeo: Aliud eſt ſubſtantia, aliud eſt finis Sacramenti: etſi ergo hoc Sacramentum inſtitutum ſit ad vſum, & manducationem tanquam ad finem, non tamen in ea conſiſtit eius ſubſtantia. Quod patet à ſimili in cibis corporalibus, & in omnibus rebus artificialibus; quibus Sacramenta ſunt ſimilia: Nam Panis eſt panis, & veſtis eſt veſtis, etſi eis non vtamur: non enim hęc per vſum noſtrum talia fiunt, ſed talia eſſe ſupponuntur.

Solutio argumẽta poſita num. 3.

5 Sumptio Euchariſtiæ nõ eſt ſacramentum.

Ex his vlteriùs patet, ipſam ſumptionem Euchariſtiæ, non ſolùm non eſſe Sacramentum Euchariſtiæ, ſed ne Sacramentum quidem: quod eſt contra Gabriëlem. Et ratio eſt, quia ſumptio nihil eſt aliud, quam applicatio ſeu vſus Sacramenti, iam antè exiſtentis: & quamuis manducatio Euchariſtię ſignificet efficaciter refectionem ſpiritalem, non tamen ſignificat hanc per ſe, ſed quatenus eſt applicatio Euchariſtiæ; ac proindè ratione ipſius Euchariſtiæ, non autem quatenus eſt actio noſtra. Vnde etiam non eſt aliter cauſa gratię, quàm vt conditio ſine qua non: quia non per ſe eſt cauſa gratię, ſed ratione eius, quod applicatur. Secùs eſt in alijs Sacramentis, quorum eſſentia conſiſtit, non in re, quę applicatur; ſed in applicatione & contactu eius, ſub certa verborum forma perfectè: vnde in his applicatio Sacramenti non diſtinguitur ab eius eſſentia; quia contactus, ſeu applicatio rei, non applicatur per aliam applicationem; nec vſus rei, per alium vſum, ne in infinitum fiat progreſſio.

Quomodo tamen ſignificet & cauſet gratiam.

Dico ſecundò, Verba quoque conſecrationis, & materia conſecranda, non ſunt Sacramentum Euchariſtiæ; imò ne Sacramentum quidem. Probatur prior pars: Quia verba conſecrationis, & materia conſecranda tranſeunt, Sacramentum autem Euchariſtiæ manet. Altera pars, quòd ne Sacramentum quidem ſint: Probatur; Quia verba conſecrationis non ſanctificant hominem, ſed ſolùm conficiunt Sacramentum, quod ſanctificat: Non ergo ipſa ſunt Sacramentum, ſed cauſa efficiens Sacramenti. Conſecratio quoque non eſt Sacramentum, ſed via ad Sacramentum; vt rectè Scotus: eſt enim illa actio, qua producitur Sacramentum: ſicut creatio eſt actio, qua producitur creatura.

6 Nec verba conſecrationis, nec materia conſecranda eſt Sacramẽtum Euchariſtiæ.

Obiectio.

Dices; Concilium Florentinum dicit Panem & vinum eſſe materiam huius Sacramenti: verba conſecrationis, eſſe formam: ergo Sacramentum hiſce duobus conſtat.

Panis & vinum ſũt materia remota.

Reſpondeo, Panis & vinum ſunt materia remota & tranſiens reſpectu huius Sacramẽti: verba autem conſecrationis ſunt forma, non quà intrinſecè hoc Sacramentum conſtet, ſed quà conficiatur; id eſt, forma efficiens, non informans ſeu formaliter componens. Vnde Concilium ſignanter ait, *Sacramẽta perfici rebus, & verbis*; non

autem dicit *conſtare*; nam etiam *Perficitur miniſtro*, qui tamen eſt extrinſecus.

Verba obliquè pertinent ad eſſentiam Euchariſtiæ.

Aduertendum tamen eſt, verba conſecrationis, etſi intrinſecè non ſint pars componens hoc Sacramentum, tamen in obliquo ad eius eſſentiam pertinere. Nam determinat ſignificationem ſpecierum ad ſignificandam præſentiam corporis Chriſti ibidem latentis: ſi enim hæc verba non eſſent prolata ſuper has ſpecies, ſed diuino miraculo ſine ſigno ſenſibili fieret tranſubſtantiatio, non eſſet Sacramentum, ſaltem perfectum: quia nullum eſſet ſignum externũ determinatè ſignificans præſentiã corporis Chriſti. Itaque hac ratione pertinent verba conſecrationis ad eſſentiã huius Sacramenti, dum determinãt ſignificationem ſpecierum per ſe adiaphoram. Neque ad hoc neceſſe eſt, vt verba maneãt; quia ſufficit ille ordo rationis, ſeu denominatio extrinſeca, permanens in ſpeciebus. Sicut in alijs ſignis videmus.

7 Euchariſtia propriè eſt compoſitũ ex corpore Chriſti & ſpeciebus.

Dicò Tertiò, Sacramentum Euchariſtiæ proprie eſſe illud compoſitum ex ſpeciebus ſenſibilibus verborum Sacramentalium formulâ conſecratis, & corpore ſanguineque Domini inuiſibiliter exiſtentibus ſub illis.

Sententia Soti.

Notandum eſt; Eſſe tres modos concipiendi hoc Sacramentum. Quidam enim putant, hoc Sacramentum propriè eſſe ipſas ſpecies, quatenus continent corpus Chriſti; ita vt ſpecies in recto, corpus Chriſti in obliquo ſit de ratione huius Sacramenti. Ita Dominicus Soto diſt. 8. q. 1. art. 1.

Sententia Thomæ Vvald.

Alij dicunt, Sacramentum hoc propriè eſſe corpus Chriſti in recto, & ſpecies ſolùm contineri in obliquo; id eſt, eſſe corpus Chriſti veſtitum ſpeciebus. Ita ſentire videtur Thomas Vvaldenſis tomo 2. de Sacramentis cap. 21.

8 Sententia D. Thomæ placet & probatur.

Alij verò dicunt Sacramentum hoc propriè eſſe compoſitum ex ſpeciebus & corpore Chriſti: ſicut homo eſt ipſum compoſitum ex anima & corpore, & Chriſtus ex Deo & homine. Ita D. Tho. in 4. d. 8. q. 1. art. 1. Victoria q. 152. Alanus lib. 1. de Euchariſtia cap. 3. 4. 5. qui modus ſine dubio eſt verior.

1. Ratio. Ab auctoritate.

Probatur Primò, Quia Irenæus lib. 4. cõtra hæreſes c. 34. expreſsè docet, Euchariſtiam conſtare duabus rebus, terrena, & cæleſti: per terrenam, intelligit ſpecies panis & vini; per cæleſtẽ, corpus Chriſti. Et Canon, *Hoc eſt*, de Conſecratione. diſt. 2. dicit Sacrificium Eccleſiæ conſtare duobus, viſibili ſcilicet elementorum ſpecie, & inuiſibili corpore & ſanguine Domini: ſicut Chriſti perſona conſtat Deo & homine.

Alij quoque Patres, vt Iuſtinus, Ambroſius, Theodoretus comparant Euchariſtiam cum Verbo incarnato: quòd, ſicut in Chriſto ſunt duæ naturę, ex quibus vnus eſt Chriſtus; ita in hoc Sacramento ſint duę naturę, ſcilicet corpus Chriſti, & ſpecies externæ; ex quibus, vnum conſtet Sacramentum.

2. Ratio. Ab vnione Specierum cum corpore chriſti.

Probatur Secundò, Quia inter corpus Chriſti & ſpecies interuenit aliqua vnio: nam ex illis fit quid vnum: ſicut ex ſpeciebus, & ſubſtantia panis, in cuius locum corpus Chriſti ſucceſſit, quid vnum fiebat; quamuis illa vnio ſit ſublimior. Atqui hoc vnum non eſt aliud, quàm hoc Sacramentum: neque enim aliud fingi poteſt. Et Confirmatur: Quia hoc compoſitum ex ſpeciebus & corpore Domini eſt vnum ſignum efficax gratię: ergo eſt vnum Sacramentum.

3. Ratio. A cultu latriæ, quo Euchariſtia adoratur.

Probatur Tertiò, Quia Sacramentum Euchariſtiæ abſolutè eſt adorandum adoratione latriæ, vt docet Concilium Tridentinum ſeſſ. 13. c. 5. & nos infrà dicemus: ergo non ſolę ſpecies ſunt Sacramentum Euchariſtiæ, ſed neceſſe eſt vt Euchariſtia includat corpus Domini. Patet conſequentia: Quia alioqui nõ aliter adoraretur, quàm ſicut ſedes, aut veſtis Chriſti, quę ſolùm per accidens & ſecundùm quid latria adorãtur. Neque etiam ſolum corpus Chriſti eſt Euchariſtia; quia Sacramentum directè debet eſſe res ſenſibilis. Conuenientiſſimè ergo ponitur compoſitum ex ſpeciebus & corpore Domini Sacramentum Euchariſtiæ: ratione enim ſpecierum habet, quod ſit Sacramentum, & ſignum ſenſibile; ratione corporis habet, quod ſit adorabile, & adeò excellẽs.

9 Obiectiones ſoluũtur.

Sed contrà: Obijcitur Primò, Innocentius III. Capitulo *Cum Marthæ*, de Celebratione Miſſarum; dicit ſpecies eſſe Sacramentum tantùm; corpus autem contentum, eſſe rem & Sacramẽtum: ergo corpus non includitur intrinſecè in ratione huius Sacramenti.

Explicatur dictum Innocẽtij. Species eſſe Sacramentum tantum.

Reſpondeo; Species dicuntur Sacramentum tantùm, non quod ipſæ per ſe, & ſolæ ſint totum Sacramentum Euchariſtiæ, ſed quia ratio ſenſibilis ſigni ab ipſis accipitur, & corpori Chriſti quodammodò communicatur; vnde per Synechdochen dicuntur Sacramentum tantùm. Simili modo dici ſolet confeſſionem eſſe ſacramentum tãtùm; non tamen idcircò contritio excluditur ab intrinſeca conſtitutione huius ſacramenti. Itaque, etſi corpus Chriſti latens ſub ſpeciebus ſecundùm ſe ſpectatum, ſit res & ſacramentum: tamen vt coniunctum illis, & quodammodò informans, & ſanctificans illas, conſtituit cum illis vnum completum ſacramentum.

Dices ſecundò, corpus Chriſti dicitur eſſe in ſacramento Euchariſtię: ergo eſt quid diſtinctum.

Reſpondeo: Eſt diſtinctum, vt pars à toto: dicitur enim eſſe in Euchariſtia vt pars in toto, vt anima in homine. Dici etiam poteſt Sacramentum tunc accipi pro ſigno externo tantùm, vti dictum eſt.

Obijcitur Tertiò, Si corpus Chriſti intrinſecè conſtituit hoc ſacramentum: vel conſtituit vt materia, vel vt forma, vel vt pars integralis. Atqui nihil horum videtur poſſe dici.

Corpus Chriſti in Euchariſtia ſe habet ad ſpecies, vt forma ad materiam.

Reſpondeo; Habere ſe quodammodò ad ſpecies, vt forma ad materiam: ſicut Verbum ſe habet ad naturam humanam, tãquam forma. Ratio eſt; quia eſt nobilius ſpeciebus; & eſt id, vnde hoc ſacramentum habet ſuam dignitatem, & vim efficiẽdi: ſicut à ſpecièbus ſenſibilibus habet ſignificationem, & rationem ſigni ſenſibilis. Vnde D. Thomas ad 2. ait, corpus Chriſti in hoc ſacramento eſſe loco virtutis operatiuæ: quia ratione corporis, Sacramentum & ipſæ ſpecies habent vim ſanctificandi; ſicut & corpus ratione diuinitatis; quæ eſt primaria virtus operatiua in omni ſacramento. Quare ſicut anima & caro vnus eſt homo, & ſicut Deus & homo vnus eſt Chriſtus; ita ſpecies & corpus Chriſti ſunt vnum ſacramentum Euchariſtiæ.

ARTICVLVS. II.

Vtrum hoc Sacramentum ſit vnum Sacramentum, an plura?

10 Eſt vnum ſpecie Sacramentũ.

REſpondetur: Euchariſtia, etſi conſtet duabus ſpeciebus, eſt tamen vnum integrum ſacramentum, id eſt, vnum ſpecie. Eſt communis ſententia Theologorum. Ratio eſt: quia vtraque ſpecies ordinatur ad vnam perfectã refectionem

ſpiritalem: vnde, ſicut cibus & potus ſunt vnum conuiuium, vna refectio corporis, ſic Euchariſtia ſub vtrâque ſpecie eſt vna refectio ſpiritûs. Simili modo vtraque ſpecies requiritur ad rationem vnius perfecti ſacrincij, vt infrà dicetur.

Dices, Si vtraque ſpecies iuncta conſtituit vnum perfectum Sacramentum, & vnam refectionem: ergo is, qui ſolùm alteram ſpeciem ſumit, non accipit perfectum Sacramentum, nec perfectam refectionem ſpiritalem.

Reſpondeo, Negando Conſequentiam, ſi abſolutè loquamur: Quia, etſi illæ duæ ſpecies iunctæ conſtituant vnum perfectum conuiuium, & Sacramentum; tamen etiam quæuis ſpecies per ſe & ſeorſim quodammodò totam perfectionem Sacramenti continet, ſcilicet per concomitantiam.

Vnde licet quæuis ſpecies non ſit formaliter integra refectio ſpiritalis, eſt tamẽ integra per cõcomitantiam eius, quod ſub altera continetur: nam ſpecies panis non tantùm continet corpus Chriſti, quod eſt cibus ſpiritalis, ſed etiam ſanguinem, qui eſt potus ſpiritalis, quamuis non ex vi conſecrationis, ſed per concomitantiam.

11 Quomodo ſub vna ſpecie habeamus integram Refectionem ſpiritualem.

Vnde licet corpus Chriſti cum ſpecie panis non ſit, niſi partiale Sacramentum formaliter, eſt tamen integrum per concomitantiam.

ARTICVLVS III.

Vtrum Euchariſtia ſit de neceſſitate ſalutis?

12 REſpondet D. Thomas Primò; Rem Sacramenti huius eſſe de neceſſitate ſalutis: quia res huius Sacramenti eſt vnio cum Chriſto & corpore eius Eccleſia per Charitatem; quę vnio eſt ad ſalutem neceſſaria. Intellige in genere, licet non vt effectus huius ſacramenti. Secundò, Ipſum Sacramentum Euchariſtiæ non eſſe neceſſarium in re: eſſe tamen neceſſarium in voto, quod includitur in baptiſmo.

DVBIVM.

Vtrùm verè Euchariſtia ſit medium ad ſalutem neceſſarium in re vel in voto, ſicut baptiſmus omnibus eſt neceſſarius, & pœnitentia relapſis?

13 Opinio affertens, eiq; fundamentum. QVidam ita cenſent, ob locum Ioan. 6. v. 53. *Niſi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* & ob quædam loca D. Auguſtini; vt lib. 1. cõtra duas Epiſtolas Pelagianorum, cap. 22. *Nec illud cogitatis, eos habere vitam non poſſe quiſquerint expertes corporis & ſanguinis Chriſti; dicente ipſo, niſi mãducaueritis carnẽ Filij hominis, & biberitis eius sãguinẽ, non habebitis vitam in vobis*, qui locus mendosè citatur apud D. Thomam ex Gratiano. Simili modo loquitur Innocentius I. epiſt. ad Concilium Mileuitanum, quę eſt 93. inter epiſtolas Auguſtini. Imò quidam exiſtimant Euchariſtiam eſſe cauſam vniuerſalem, quæ operetur in omnibus, & per omnia Sacramenta. Verùm.

14 Euchariſtia in re, non eſt neceſſarium medium ad ſalutem. Dico Primò, Euchariſtia in re, non eſt neceſſarium medium ad ſalutem, neque paruulis, neque adultis.

De Paruulis eſt fide tenendum; vt patet ex concilio Trident. ſeſſ. 21. can 4. *Si quis dixerit, parvulis antequam ad annos diſcretionis peruenerint, neceſſariam eſſe euchariſtiæ cõmunionem, anathema ſit.* Ratio eſt: quia baptiſmus tollit omne peccatum, confert gratiam, & facit Filium Dei, & conſequenter hæredem regni.

De Adultis Probatur: Quia Euchariſtia eſt alimentum animæ: atqui alimentum ſupponit vitã in eo, qui alitur: atqui, qui habet vitam gratiæ, hoc ipſo eſt dignus vitã æternã: ergo Euchariſtia non eſt neceſſaria neceſſitate medij; cùm ſine illa ſalus haberi poſſit.

Dices, Euchariſtia ordinatur ad vnionem myſticam membrorum in vno corpore, quod eſt Eccleſia: atqui ſine hac vnione non poteſt eſſe ſalus: ergo Euchariſtia eſt medium ſaluti neceſſarium.

Reſpondeo, Vnio corporis myſtici non eſt effectus ſolius Euchariſtiæ, ſed omnium Sacramentorum. Nam hęc vnio interius quidem fit per fidem & charitatem, quæ ab omnibus Sacramẽtis conferuntur, vel augentur: exteriùs autem fit per Sacramentorum vſum, & aliam externam fidei profeſſionem: hinc D. Auguſt. lib. 19. cõtra Fauſtum cap. 11. ait, *Sacramentorum conſortio Eccleſiam in vnum corpus colligauit.* Vnde hæc vnio, per baptiſmum inchoatur, quantum ſatis eſt, vt homo ſalus eſſe poſſit. Tribuitur tamẽ peculiariter Euchariſtiæ: Primò, quia per Euchariſtiã perficitur; hęc enim maximè charitatem auget. Secundò, quia per Euchariſtiam Eccleſiæ membra non tãtùm vniuntur in charitate & externo ſymbolo, ſed etiam in vno corpore, & in vno ſanguine Domini, qui ſingulis realiter coniungitur, & miſcetur. Vnde Apoſt. 1. ad Corinth. 10. v. 17. *Vnus panis & vnum corpus multi ſumus, qui de vno pane, & de vno calice participamus.*

Cur vnio myſtica per charitatem ſpeciatim tribuatur S. Euchariſtiæ.

Dico Secundò, Euchariſtia in voto non eſt medium abſolutè neceſſarium ad ſalutem, ſiue paruulis, ſiue adultis.

15 Neque etiam in voto eſt ad ſalutem abſolutè neceſſaria

Eſt certa. De Paruulis probatur, quia non ſunt capaces voti Euchariſtiæ, ſi propriè velimus loqui, & non ludere metaphoris: votum enim eſt deſiderium; quod non eſt niſi vtentium ratione. Si dicas, hoc votum includi in baptiſmo: hoc nihil eſt aliud, quàm dicere baptiſmum eis eſſe neceſſarium: quod libenter fatemur.

De adultis probatur: Quia nullus eſt effectus Euchariſtiæ neceſſarius ad ſalutem, qui non poſſit etiam alijs medijs ab adultis obtineri: ergo non eſt medium neceſſarium. Medium enim neceſſarium dicitur, quod confert aliquem effectum neceſſarium qui aliter haberi nequit. Antecedens patet: quia vnio cum Chriſto per charitatem & auxilia ſpecialia quæ Euchariſtia confert, partim per alia Sacramenta, partim per bona opera & orationem, poſſunt obtineri. Si dicas, iſta auxilia conferri ratione voti Euchariſtiæ. Contrà: quia Confirmatio, Pœnitentia, & reliqua Sacramenta vim habent abſolutè, & per ſe, nõ autem ratione voti alterius Sacramenti: ſimiliter oratio, & opera meritoria. Quod confirmatur, quia alioqui oporteret poſteà intuitu cuiuſq; Sacramenti percepti, vel orationis, vel operis meritorij facti ſuſcipere Euchariſtiam. Si enim nihil horum effectũ ſuum confert, niſi cum propoſito & ordine ad Euchariſtiam: ergo poſt ſingula manet peculiaris ordo, & obligatio ad Euchariſtiam, & neceſſariò oportebit eam ſumere propter illa. Sicut, quia contritio non iuſtificat ſine voto baptiſmi, vel pœnitentię; manet ratione huius effectus peculiaris ordo & obligatio ad ipſum Sacramentum.

16 Eſt tamen ad ſalutem valdè vtilis & quaſi neceſſaria.

Dico Tertiò, Euchariſtia, etſi non ſit medium abſolutè neceſſarium ad ſalutem; eſt tamen valdè vtile, & quodammodò neceſſarium moraliter, vt homo multo tempore in gratia perſeueret.

Ratio eſt, Quia per Euchariſtiam conferuntur ſine magno noſtro labore maiora quædam & efficaciora auxilia contra peccata; quæ, ſpectatâ humanâ imbecillitate, & negligentiâ circa alia media, ſunt quodammodò neceſſaria. Vnde Cyprianus in expoſitione orationis Dominicę, circa illud *Panem noſtrum quotidianum: Vt manifeſtum eſt*, inquit, *eos viuere, qui corpus eius attingunt, & Euchariſtiam iure communionis accipiunt, ita timendum & orãdum, ne dum quis abſtentus ſeparatur à Chriſti corpore, procul remaneat à ſalute, comminante ipſo, Niſi manducaueritis* &c. *non habebitis vitam in vobis*. Et Cyrillus lib. 10. in Ioannem cap. 13. *Non poterat aliter corruptibilis hęc natura corporis ad incorruptibilitatem, & vitam traduci, niſi naturalis vitæ corpus ei coniungeretur.*

17 Reſponſio ad locum Ioannis 6. *Niſi manducaueritis* &c.

Ad argumenta contrariæ ſententię, num. 13. poſita: Reſpondeo, illud Ioannis 6. v. 53 *Niſi manducaueritis* &c. non ſignificare abſolutam neceſſitatem medii, ſed præcepti; & quandam neceſſitatem medii cõditionatam; nec pertinere ad paruulos, qui non poſſunt per ſe præceptis obligari, ſed ad ſolos adultos, tales enim erãt, quibus Dominus ibi loquitur: ſicut & illud, *Niſi efficiamini, ſicuti paruuli, non intrabitis in regnum cælorum*. Ratio eſt, Quia hęc omnia ſignificant actionem quãdam liberam à ſingulis præſtandam, quę non poteſt, niſi ab adultis fieri. Secùs eſt cùm dicitur, *Niſi quis renatus fuerit*: hoc enim non ſignificat actionem liberam renaſcentis.

Aduertendum tamen eſt D. Auguſtinum etiam ad paruulos interdum ſententiam illam Domini, *Niſi manducaueritis* &c. accommodare: ſed tunc non exponit eam ad litteram, ſed ſpiritualiter & myſtice, vt idem ſit *mãducare carnem Filij hominis, & bibere eius ſanguinem*, quod *incorporari Chriſto, & fieri membrum myſtici corporis eius*. Vide illum Tractatu 26. in Ioannem: & ita paruulis neceſſarium eſt vt *manducent carnem & ſanguinem Domini*, id eſt, vt Chriſto incorporentur: Item vt fiant participes eius corporis & ſanguinis, id eſt, paſſionis & meritorum. Sed hoc totum fit per baptiſmum.

Manducare corpus Chriſti. apud Auguſtinum ſæpè idem eſt quod myſticè incorporari.

18 quando, & quomodo paruuli manducẽt. corpus Domini, habeantque eius vorum

Vnde patet paruulos ſecundùm Auguſtinum *manducare carnem Chriſti*, quando baptizantur; tunc enim Chriſto incorporantur, fiuntque participes pretij & meriti eius. Nunquam verò D. Auguſtinus, vel alij Patres dixerunt, paruulis Sacramentũ Euchariſtiæ eſſe neceſſarium. Vnde ceſſat quæſtio, *quomodo paruuli habeant votum Sacramenti Euchariſtiæ*. Quidam tamen Doctores, inter quos D. Thomas, occaſione verborum Diui Auguſtini excogitarunt illum modum loquendi, nempe *quod paruulis Euchariſtia in voto ſit neceſſaria*: ſed hoc valdè improprie dicitur; & in re nihil aliud ſignificatur quàm baptiſmum eis eſſe neceſſarium; per quem implicitè ordinantur ad Euchariſtiam, & cenſentur eam quodammodò appetere: Sicut enim omnis qui naſcitur, appetit naturaliter cibum corporalem; ita omnis qui renaſcitur, cenſetur habere deſiderium implicitum huius cibi ſpiritalis.

ARTICVLVS IV.

Vtrum conuenienter hoc ſacramentum pluribus nominibus nominetur?

19 Euchariſtia.

DOcet hoc Sacramentum rectè appellari pluribus nominibus. Primò appellatur *Euchariſtia*, id eſt, gratiarum actio; quia celebratio huius myſterii tam ſub ratione ſacrificij, tum etiam ſub ratione Sacramẽti, eſt ſumma quędam actio gratiarum, pro gratia noui Teſtamenti; nec poſſumus Deum magis laudare, vel ei gratias agere quàm oblatione vel ſumptione huius myſterii. Vnde Propheta pſalm. 115. *Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi? calicem ſalutaris accipiam* &c. Vnde etiam Dominus in inſtitutione gratias egit Patri, idque bis.

Communio ſeu Synaxis.

Secundò, Dicitur *Communio & Synaxis*, quia nos Chriſti carni & ſanguini coniungit, & in vnum colligit Deoque vnit, vt ait Dionyſius cap. 3 parte 1. Eccleſ. Hierarch. & Damaſc. lib. 4. de Fide cap. 14.

Conſummatio Sacramentorum

Tertiò, Dicitur ibidem apud Dionyſium Τελετῶν τελετή, id eſt, *Conſummatio Sacramentorum*; quia eſt præſtantiſſimum, & finis cæterorum.

Sacrificiũ

Quarto vocatur *Sacrificium*, quia eſt vnicum nouæ legis ſacrificium.

Fractio panis.

Quintò vocatur *Fractio panis* Act. 2. & 20. & 1. ad corinth. 10.

ARTICVLVS V.

Vtrum inſtitutio huius Sacramenti fuerit conueniens?

20 Tres rationes cur Euchariſtia inſtituta in vltima Cœna.

DOcet D. Thomas hoc Sacramentum conuenienter fuiſſe inſtitutum in vltima cœna. Primò. Vt Eccleſiæ ſuæ, iam abiturus, ſe tamen perpetuò præſentem exhiberet. Secundò, Vt ei relinqueret ſuæ paſſionis perpetuum memoriale & ſacrificij à ſe per paſſionem ſemel oblati perpetuam oblationem & repetitionem. Tertiò, Vt firmiùs tantùm beneficium hominum mentibus inhæreret; & pluris æſtimaretur: ea enim quæ in abitu dicuntur vel traduntur, pluris æſtimantur, & firmiùs memoriæ inhærent, vide Diuum Thomam.

Tres aliæ rationes cur Euchariſtia inſtituta.

His adde tres alias cauſas inſtitutionis huius Sacramenti. Quartò ergo Chriſtus inſtituit hoc Sacramentũ vt immenſam ſuam charitatem in nos declararet: ſic enim Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret, non ſolùm in mortem, ſed etiam in cibum & viaticum, vt ipſius eſu inſtauraretur quod eſu ligni ſcientiæ amiſeramus; & vt ſe realiter noſtræ carni & ſanguini comminiſcens, ſua innocentia & ſanctitate noſtra detrimenta reſarciret. Vide Chryſoſt. hom. 24. in priorem ad Corinth. vbi adfert pulcherrimam comparationem ex illo capitis 31. Iob. verſ. 31. *Dixerunt, viri tabernaculi mei, Quis det de carnibus eius vt ſaturemur?* ſuper quæ verba ſic ait; *Iob vt ſeruorum in ſe amorem oſtenderet, dicebat eos nimia in ſe dilexione dixiſſe*, QVIS DET DE CARNIBVS EIVS, VT SATVREMVR? *Hoc Chriſtus fecit non ſe tantùm videri permittens, ſed & tangi, ſed & dentes carni ſuæ infigi, & deſiderio ſui omnes impleri.* Et hom. 55. & 60. ad pop. Antioch. agit de hac incomparabili dilectione. Vide etiam Cyrillum lib. 10. in Ioan. & Hilar. lib. 8. de Trinitate.

In ſignis comparatio.

Quintò, vt Eccleſię ſuę relinqueret continuum & maximum miraculum, quo & ſuam ſapientiam & potentiam ei patefaceret, & eius fidem deuotione mq; probaret ac exerceret. Nã poſt myſterium Trinitatis & Incarnationis nullum eſt miraculum hoc admirabilius: vide Algerum lib. 1. contra Berengarium cap. 3. Sextò, vt homo in hoc exilio haberet eximium ſolatium & munimentum contra omnes hoſtes ſuos, & quodam-

d by Google

modò vitæ beatæ fruitionem inchoatam: de quo vide Dionyſium cap. 1. Cœleſtis Hierarchiæ.

ARTICVLVS VI.

Vtrum Agnus paſchalis fuerit præcipua figura huius Sacramenti?

21 RESpondetur Affirmatiuè. Vide D. Thomam. Notandum eſt plurimas huius Sacramenti fuiſſe figuras, quæ illud præſignarunt, vel ſecundùm id quod eſt Sacramentum tantùm; id eſt, ratione ſpecierum: vel ſecundùm id, quod eſt res, & Sacramentum, id eſt, ratione corporis contenti, & concluſi intra ſpecies: vel ſecundùm id, quod eſt res tantùm; id eſt, ratione effectus.

Figuræ Sacramenti huius ratione ſpecierum.

Ratione ſpecierum, præcipuæ figuræ ſunt iſtæ: Prima eſt, Panis & vinum, quæ obtulit Melchiſedech Gen. 14. Ita docent omnes Patres: Hieronymus epiſtola ad Euagrium, *Melchiſedech in pane & vino Chriſto dedicauit Sacramentum.* Chryſoſtomus homilia 35. in Geneſ. *Vides, quomodo ſacramentum noſtrum inſinuatum? vidiſti typum, cogita obſecro veritatem.* Omitto alios. Secunda, Panes propoſitionis, Exodi 40. Cenſebantur enim Sancti, nec poterant niſi à mundis comedi; vt patet 1. Reg. 21. Ita Cyrillus Catechesi 4. myſtago & Damaſcenus lib. 4. de Fide cap. 14. Tertia, Panis Eliæ, 3. Reg. 19. in cuius fortitudine ambulauit quadraginta dies vſque ad montem Dei. Horeb. Quarta, Panis ſubcinericius, quem videt quidam magno impetu euertentem caſtra Madian, Iudicum 7. verſ. 13. Quinta, Farina indeficiens 3. Regum 17. verſ. 13. Sexta, Panes, quos Chriſtus multiplicauit, quibus aliquot hominum millia pauit, Ioãnis cap. 6 In quem locum vide D. Auguſtinũ.

22 Figuræ huius Sacramenti ratione rei contentæ.

Ratione rei contentę ſub ſpeciebus, clariſſima figura fuit Agnus ille maſculus, anniculus, immaculatus, qui quatenus comedebatur cũ panibus azymis, ſignificabat Chriſtum ſumendum ſub ſpecie panis: quatenus autem eius ſanguine protecti ſunt filij Iſraël à deuaſtante Angelo, & educti ex ſeruitute Ægyptiaca, ſignificabat effectum huius Sacramenti: quatenus autem non ſolùm immolabatur, ſed etiam comedebatur, ſignificabat rem, quę hoc Sacramento continetur, non ſolùm vt ſacrificium immolandam, ſed etiam inſtar Sacramenti ſumendam. Itaque Agnus paſchalis non ſolùm erat figura Chriſti, vt in Cruce immolati, ſed etiam vt in Sacramento oblati & ſumpti: quod docent Patres, dum aiunt, Chriſtum in cœna coniunxiſſe typum & veritatem. Chryſoſtomus homilia De proditione Iudæ. Leo ſerm. 7. de Paſſione Domini. Vnde, ſicut Agnus ille vocabatur Paſcha, ita & hoc Sacramentum Paſcha vocatur, iuxtà illùd Pauli 1. ad Cor. 5. v. 7. *Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus.*

Egregia conuenientia Agni paſchalis cum Euchariſtia.

Secunda figura ratione rei contentæ, erant omnia ſacrificia veteris Teſtamenti, & præſertim ſacrificium expiationis. Ita D. Leo ſermone 8. de Paſſione Domini.

Ratione effectus, ſeu rei ſignificatæ: Prima figura erat Manna, propter dulcedinem ſuam, Exodi 16. Habuit tamen multas alias conditiones, quibus hoc Sacramentum præfiguratur. Primò, Quòd diceretur panis Angelorũ. Secundò, Quòd veniret de cœlo. Pſalm. 77. verſ. 24. *Panem cœli dedit eis, panem Angelorum manducauit homo.* Tertiò, Quòd qui plus collegiſſet, non haberet amplius; & qui minus, non reperiret minus, Exod. 16 Quartò, Paſti ſunt omnes filii Iſraël in deſerto per quadraginta annos: quo ſignificatur Chriſtianos in hoc mundo tempore peregrinationis ſuę paſci corpore Domini. De quo typo vide Ambroſium lib. de his qui miſterijs initiantur cap. 8. & 9. Quintò, Circa Manna contigerunt variæ murmurationes, irriſiones, dubitationes, & abuſus; quibus præſignantur hæreſes, & aliæ indignitates quæ contingunt circa hoc Sacramẽtũ, vt notauit Rupertus lib. 9. de Gloria Filij hominis.

23 Figuræ S. Euchariſtiæ ratione rei ſignificatæ

Inſignis compariſatio Manæ cum Euchariſtia.

Secunda figura fuit aqua, quę fluxit ex petra: de qua Apoſt. 1. ad Corinth. 10. vbi ſicut Manna vocat *eſcam ſpiritalem*, ita hanc aquam *potum ſpiritalem*, id eſt, myſticum, ſeu figuratiuum: & comparat ea cum corpore & ſanguine Domini. Vide Ambroſium ſuprà cap. 9.

Tertia Lignum vitę, quod præbebat immortalitatem.

Quarta Sanguis, qui fluxit ex Chriſti latere: qui etiam fuit ſymbolum Euchariſtię; ſicut aqua, baptiſmi; vt paſſim Patres.

QVÆSTIO LXXIV.

De Materia Euchariſtiæ quantum ad ſpeciem.

In Octo Articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Vtrum materia huius Sacramenti ſit Panis & Vinum?

NOtandum eſt, Varias fuiſſe hæreſes circa materiam huius Sacramenti, quarum præcipuas recenſet D. Thomas. Sed Veritas Catholica eſt, materiam huius Sacramenti eſſe Panem & Vinũ. Colligitur Matth. 26. Marci 14. Lucæ 22. & 1. ad Cor. 11. vbi Dominus in inſtitutione huius Sacramenti tantùm panem & vinum adhibuit: ſemperq; hæretici ſunt habiti ab Eccleſia, qui aliam materiam adhiberent. Primaria ratio eſt voluntas Chriſti. Congruentiæ ſunt: Primò, Quia pane & vino homines reficiuntur corpore: panis enim corroborat, & vinum lętificat: ergo conueniens erat, vt in His inſtitueretur hoc Sacramentum, quod eſt refectio, & recreatio animæ; præſertim cùm hæc apud omnes gentes facilè habeantur. Secundò, Quia hæc, dum ſeorſim nobis exhibent corpus, & ſeorſim ſanguinem, optimè repręſentant Chriſti paſſionem, per quam ſanguis à corpore fuit ſeparatus. Hoc autem Sacramentum, eſt commemoratio paſſionis Chriſti. Tertiò, Quia hęc materia optimè repræſentat nobis effectum huius Sacramenti; quæ reſpectu ſingulorum eſt robur & recreatio ſpiritus: reſpectu Eccleſiæ eſt vnio ſpiritalis membrorum in vno corpore & capite: panis enim ex multis granis in vnum coëuntibus conflatur, vinum ex multis acinis conflatur.

Huius Sacramenti materia eſt panis & vinum.

Tres Congruentiæ.

Digitized by Google

ARTICVLVS II.

Vtrum requiratur determinata quantitas, panis & vini?

2 quantauis magna quantitas conſecrari poteſt.

REſpondetur, Quantumuis magnam quantitatem panis & vini poſſe conſecrari. Intellige, modò ſufficienter ſit præſens: v. g. monticulus panis, & lacus vini. Probat D. Thomas. Quia tantum poteſt conſecrari, quantum ſufficit, pro quantouis numero fidelium, v g. pro decem millionibus hominum: ſed numerus fidelium ſemper poteſt eſſe maior, & maior: ergo & quantitas materiæ huius Sacramenti.

Ratio. Ratio eſt, Quia panis & vinum, quantumuis magna quantitate, eſt verus panis, & verum vinum: ergo poteſt cõſecrari, modò alioqui ſit præſens. Patet conſequentia, Quia Chriſtus abſolutè dedit poteſtatem conſecrandi panem, & vinum: Nec poteſt aſſignari aliquis terminus, quo hæc materia limitetur. Quod confirmatur; Quia hæc limitatio non poteſt deſumi, niſi ex fine, vt in omnibus arte-factis: finis autem eſt vſus huius Sacramenti: atqui non limitatur ex vſu, vt rectè oſtendit D. Thomas.

Vnde quãtitas determinetur. Notandum in reſponſione ad 1. vbi D. Thom. ait, in rebus naturalibus materiam accipere determinatam quantitatem per comparationem ad formam determinatam; hoc proprie ſolùm eſſe verũ in viuentibus; hęc enim ab intrinſeco, ſcilicet ex vi formæ, habent determinatam quantitatem. Res in animę determinantur ab extrinſeco, v. g. vel ab agente, vel ab inopia materiæ, vel à loco.

DVBIVM. I.

Vtrùm quantumuis parua quantitas poſſit conſecrari?

3 quantumuis paruæ materia in toto exiſtens eſt conſecrabilis.

REſpondeo, Nullam eſſe ita paruam particulam, quin, ſi ſub illa ſit ſubſtantia panis & vini, poſſit conſecrari. Et quidem, ſi loquamur de particula exiſtente in toto, res eſt indubitata: dũ enim totum conſecratur, omnes particulæ eius, quantumuis minutę, conſecrantur. Dices, In toto homogeneo non datur pars minima; ſed in infinitum poteſt dari minor, ſub quâ forma exiſtat; ac proinde poterit deueniri ad tam minutam, vt ſit inſenſibilis: ergo non poterit conſecrari: Sacramenti enim materiã debet eſſe ſenſibilis. Reſpõdeo, Etſi per ſe ſeorſim non ſit ſenſibilis, tamen eſt ſenſibilis confuſè in toto, in quo exiſtit; ac proinde in ipſo ſimul cum alijs poterit conſecrari.

4 Si à toto ſit ſeparata. Si autem loquamur de particula ſeparata, dicendum eſt, omnem quantumuis paruam poſſe conſecrari, modò ſub ea poſſit conſeruari ſubſtantia panis & vini, & ſit ſenſibilis; vt fatentur omnes Doctores.

Si minimũ naturale. Quòd ſi aliqua tam ſit exigua, vt ſub ea ſeorſim ſubſtãtia propria exiſtere nequeat, ea ſeorſim cõſecrari non poterit: quia reuerà non eſt materia; vt pote non habens ſubſtantiã panis, & vini. Talem tamen particulam dari poſſe, ſequitur ex illorum ſententia, qui ſtatuunt in homogeneis dari minimum naturale ſeparatum, ideſt, minimam particulam, quæ ſeparatim à toto poſſit naturam retinere: ſi enim hęc particula diuidatur, ſtatim deſinet ibi rei ſubſtantia, ſaltem per actionem corporis circumſtantis, cui ob exilitatem non poteſt reſiſtere. Similiter, Si ita ſit parua, vt naturaliter non ſit ſenſibilis, conſecrari ſeorſim nõ poteſt, etſi fortè ſubſtantia panis ibi ſubſit; quia materia Sacramenti debet eſſe ſenſibilis. Dices, Ergo ſi ab hoſtia cõſecrata ſeparetur talis particula, deſinet ibi eſſe corpus Domini, quamuis ſub ea poſſit cõſeruari ſubſtantia panis: quod eſt contra concilium Trid. ſeſſ. 13. can. 4. Reſpondeo, Negando conſequentiam: etſi enim talis pars ſeorſim nõ poſſit conſecrari; conſecrata tamen in toto poteſt poſt ſeparationem retinere conſecrationem; ſicut vinum gelatum non poteſt confecrari; tamen ſi cõſecratum ſit ante congelationem, non deſinet ibi eſſe corpus Domini; & fortaſſis aqua vino mixta conſecrari poteſt; &, ſi ſeparetur, manebit conſecrata; ſeorſim tamẽ nõ poteſt conſecrari. Deniq; anima in corpore conſecrari poteſt Sacramentis, non tamen ſic cõſecrari poteſt extra corpus; quãuis extra corpus hanc conſecrationem retineat.

Si inſenſile.

Si particula conſecrata fia inſenſibilis, non deſinet corpus Domini.

DVBIVM. II.

Quæ præſentia materiæ requiratur, vt poſſit conſecrari?

REſpondeo, Requiri, vt aliquo modo moraliter ſit præſens; non enim panis, qui per totum orbem ſparſim exiſtit, vnico actu conſecrari poteſt. Quanta autem debeat eſſe hęc præſentia, difficile eſt explicare.

5 Materia ſit ſenſus perceptibilis. Primò, Satis conſtat debere eſſe talem, vt ſenſu percipi poſſit, & manibus deſignari. Patet ex illo pro nomine demonſtratiuo, *Hoc*. Ratio eſt, Quia cùm Sacramentum ſit res ſenſibilis, debet habere præſentiam ſenſibilem.

Si ſit poſt murum. Vnde panis, qui poſt murum exiſtit, non poſſet hinc conſecrari, vt communiter DD. docent; quia moraliter, non poteſt eſſe ſenſibus præſens.

Si quãtũ tota terra vel totum mare. * Similiter, ſi fingamus totam terram eſſe panem & totum mare eſſe vinum, non poterunt vnico actu conſecrari; quia hęc propriè non ſunt ſecundùm ſe tota ſenſibus præſentia; ita vt ſenſus ad omnes partes externas poſſit aliquo modo pertingere. Nec refert, quòd partes ſint continuæ; quia hoc nihil facit ad humanam præſentiam: vnde remotiores partes, quæ ſub ſenſum non cadunt, perinde ſe habent, ac ſi non eſſent alijs continuæ. Probabile tamen eſt, poſſe hæc conſecrari, ſi virtute diuina ſenſibus fierent præſentia, ſicuti legitur de S. Anſelmo, quod aſpectu etiam parietes penetrabat.

Excipe caſum.

Certum tamen eſt, vinum in calice operto, & panem in pixide clauſa, poſſe conſecrari: quia hęc per ipſa vaſa deſignantur, & ſenſibus percipiuntur. Sic enim deſignantes dolium, dicimus *Hoc eſt vinum*. Id autem quod à tergo eſt, non videtur poſſe confecrari, quia non poteſt percipi ſenſu, ſic vt poſſit deſignari per pronomen *Hoc* ſine addito.

6 Si pixis ſit clauſa. Si à tergo.

Nõ requiritur vt circà eam poſſis operari. Secundò, Quidam requirunt, vt ita propè ſit materia, vt poſſis circa illam operari manibus, vel inſtrumento. Sed hoc non videtur verum, quia vis verborum hoc non poſtulat: In praxi tamen ſeruanda eſt Eccleſiæ conſuetudo.

DVBIVM. III.

Vtrùm Miniſter mente debeat determinare, id quod conſecrandum eſt?

REſpondeo, Debere: id enim poſtulat pronomen demonſtratiuum *Hoc*. Idem ſuo modo cernitur in reliquis Sacramentis, vbi ſubiectum,

7 Affirmatur

Digitized by Google

circa quod vt actio, determinari debet. Ratio eſt, Quia omnis actio ſit circa aliquid determinatum, non circa aliquid confuſum.

Hinc patet, Quòd ſi Sacerdos velit tantum conſecrare dimidiam partem hoſtiæ, eamque mente determinet, illam ſolam conſecrabit, non alteram; quamuis id graue eſſet peccatum. Si neutrá deſignet; neutram conſecrabit, etiamſi alteram confuſè voluerit conſecrare.

Si ſolùm deſignet dimidium hoſtiæ.

Similiter, Si ex decem hoſtijs velit conſecrare quinque, non determinans eas, nihil efficiet.

Siquinque ex decem.

Item, Si omnes partes proportionales intendat conſecrare, nihil faciet: quod eſt contra Ioannem Maiorem; quia ſunt indeterminatæ, ita vt à nulla mente determinari queant: v. g. omnes partes tertiæ, vel quartæ latentes in aliquo toto, & in infinitum procurrentes.

Si ſolas partes proportionales.

Denique non poteſt etiam hęc determinatio alterius arbitrio permitti, v. g. ſi intendas conſecrare omnes formulas, quas ego deſignauero: quia de eo quod alter deſignat, non potes rectè dicere, *Hoc*, niſi tu ipſe idem deſignes.

Si determinationẽ alteri permittat.

Aduertendum tamen, quando multæ ſunt formæ, non eſſe neceſſe, vt earum numerum determines; ſed ſatis eſt, vt velis omnes conſecrare quę ante te ſunt, etiamſi aliæ ſuper alias ſint accumulatę, ita vt cerni nequeant.

Nota in Praxi.

ARTICVLVS III.

Vtrum requiratur vt ſit panis triticeus?

9 Affirmatur

REſpondeo, Propriam materiam eſſe panem triticeum: quod ſic intellige, vt niſi triticeus ſit, non conſtet Sacramentum.

Ex florentino.

Patet Primò ex Concilio Florentino, quod præciſè aſſignans ſingulorum Sacramentorum materiã, abſolutè ſtatuit *materiam huius Sacramenti eſſe panem triticeũ, & vinum de vite*: quo modo loquẽdi ſatis inſinuat, hanc materiam eſſe neceſſariam ad Sacramenti ſubſtantiam. Nam ita vult panem eſſe ex tritico, ſicut vinum ex vite. Atqui vinum vitis eſt abſolutè neceſſarium: ergo. Confirmatur: quia ſi dicamus Concilium loqui tantummodò de neceſſitate præcepti; nihil habebimus certi etiam in cęteris Sacramentis, de materia præciſè neceſſaria: ergo ſemper intelligendum eſt de materia abſolutè neceſſaria, niſi modus loquendi aliud inſinuet: vt quando loquitur de aqua admiſcenda in calice.

Ex Traditione.

Secundò patet ex perpetuo Eccleſię vſu, & traditione: nuſquam enim legimus in Eccleſia aliud genus panis ad hoc Sacrificium adhibitum.

Ex Rationis congruentia.

Tertiò patet ratione D. Thomę: Quia hic panis eſt maximè conueniens naturæ humanæ, & maximè vſitatus: nam certa panum genera ſolùm vſurpantur inopiâ panis tritici. Deinde, hic optimè ſignificat effectum huius Sacramenti, qui eſt corroborare.

Excludit panem hordeaceũ

Hinc patet panem hordeaceum non eſſe idoneũ: quia conſtat non eſſe triticeum. Plinius enim lib. 18. c. 7. frumenti ſpecies facit triticum, & hordeum.

Vnde certum eſt, Primò, Maſſam crudam, aut elixam non eſſe conſecrabilem; quia non eſt panis vſitatus, ſiue differat ſpecie ſiue non à vero pane: hoc enim nihil refert, vt benè Scotus diſt. 11. quæſt. 6.

Maſſa cruda & elixa

Secundò, Certum eſt, panem ex caſtaneis, fabis, piſis, milio, cęteriſque huiuſmodi leguminibus, vel ſeminibus, non eſſe conſecrabilem: quia conſtat hæc nullo modo eſſe triticum.

Panis de leguminibus & ſeminibus.

Tertiò, De *Secali*; quam D. Thomas videtur vocare *Siliginem* eſt dubium: Probabile tamen eſt eſſe conſecrabilem. Ratio eſt, Quia non videtur ſubſtantia differre à tritico, ſed tantùm accidente: nam ſoli ſterilitate & ſiccitate ex tritico fit ſecale, & iuxtà Plinium eſt ſpecies tritici, vocatq; ipſe *ſarraginem*, teſte Matthiolo medico.

Ex Secali.

Idem ſentiendum videtur de Spelta; nam videtur ſpecies tritici, etſi leuior ſit.

Ex ſpelta.

Ex Amylo non ſolet fieri panis; & ſi fieret, non videtur conſecrabilis, vt probat Scotus. Idem tenet D. Thom. quia eſt tritici liquamentum varie tranſmutatum.

Ex Amylo

Quartò, Si panis ex lacte, vel aqua roſacea coquatur, non videtur idoneus: ita D. Thomas infrà art. 7. ad 3. quem ſequuntur plerique Doctores. Ratio eſt, Quia non eſt panis vſitatus, ſed videtur genus libi vel placentę. Contrarium tenet Caietanus infrà art. 7. *Quia*, inquit, *humor exhalatur*; ſed reuerà non tota, ſed maxima pars aquæ aut humoris manet.

Si coctus lacte vel aqua roſacea.

Caietanus

Porrò in praxi cauendum, ne vnquam materia dubia adhibeatur: nam eſſet per ſe magnum ſacrilegium; nec poteſt eſſe neceſſitas quæ excuſet.

Cauc materiam dubiam.

ARTICVLVS IV.

Vtrum debeat eſſe panis Azymus?

11

REſpondeo, Certum eſt, tam panem fermentatum, quàm azymum, eſſe idoneam materiã huius Sacramenti, vt hîc docet D. Thom. Græci enim conſecrant in fermentato, & Latini in azymo. Neq; de hoc fuit controuerſia per millè annos, ſcilicet vſque ad annum milleſimum vigeſimum, vel circiter; tunc enim primum Græci cœperũt damnare Latinos, eoſque vocare *Azymitas*, quod azymo pane in Sacrificio vterentur; vt teſtatur Leo IX. in epiſtola ad Michaëlem Conſtantinopolitanum c. 5. in quo errore adhuc perſiſtunt, exiſtimantes nihil confici in azymo. Et quia præcipua eorum ratio eſt, quòd putent Dominum hoc Sacramentum in fermentato inſtituiſſe: videndum eſt, quando Dñs inſtituerit. Si enim inſtituit primo die Azymorũ euidens eſt inſtituiſſe in azymo; quia lege diuina tunc omne fermentatũ ſub pœna mortis debebat abeſſe. Si autem anticipauit dies Azymorum, non eſt quidem certum, quod in azymo inſtituerit, ſed neq; etiá, quod in fermentato; imò adhuc probabilius erit inſtituiſſe in azymo. Ratio eſt, Quia Agnus paſchalis non poterat comedi ſine azymis: ergo tunc vtebatur azymis: ergo omnino credibile eſt, quod ex ijſdem azymis immediatè poſt conſecrari Euchariſtiam: quis enim dicat Dominum duopanum genera in menſa habuiſſe?

Error Græcorum, in azymo nõ conſecrari

fundamentum Græcorum non facit contra Azymum Latinorum.

12 quando iuſſum olim celebrari Paſcha, & quo modo.

Suppono Primò, Exodi 12. v. 8. præceptum eſſe, vt Paſcha celebretur decima quarta luna menſis primi ad veſperam, *cum azymo pane, & lactucis agreſtibus*; & vt ab eo tempore per ſeptem dies, ſcilicet, vſque ad vigeſimum primum inclusiuè, non vtantur alio pane, quàm azymo, ſub pœna mortis: vnde hi ſeptem dies dicebãtur dies Azymorum,

DVBIVM

Vtrùm panis ex Secali, Spelta, Amylo ſit conſecrabilis?

10

REſpondeo; Nullum panem eſſe conſecrabilem, niſi vere & propriè ſit panis, & conſtet tritico.

Azymorum, & Paſchales.

Méſes Iudæorum à Nouilunio.

Suppono Secundò, Menſes apud Iudæos fuiſſe lunares, & à nouilunio cœpiſſe: primum autem mẽſem anni fuiſſe eum, cuius nouilunium proximũ erat æquinoctio verno vel certè, cuius plenilunium ſeu dies decima quarta incidebat in æquinoctium vernum: quod ſi dies decima quarta ſeu plenilunium erat ante æquinoctium, tunc proximum nouilunium quod incidebat poſt æquinoctium, inchoabat primum menſem; & decimo quarto die ad veſperum erat Paſcha. Patet hoc ex Philone de vita Moyſis, & Ioſepho lib. 3. Antiquitatum.

13 Sententia Græcorũ de tempore inſtituti huius Sacramenti.

His poſitis; Græci affirmant Dominum manducaſſe agnum paſchalẽ, & inſtituiſſe hoc Sacramentum, non primo die Azymorum, ſed die decimo tertio menſis primi ad veſperã: anteuertiſſe enim tempus ordinarium, vt poſſet à Iudæis occidi lunâ decimâ quartâ, eo nimirum tempore, quo ipſi ſecundùm legem Paſcha immolabant, vt ſic figura veritati reſponderet. Hũc autem diem decimum tertium incidiſſe in diem Iouis, decimũ quartum autem in diem Veneris: ad cuius veſperam Iudæos immolaſſe Paſcha, & tunc cœpiſſe dies Azymorum: decimum quintum autem, qui erat primus Paſchæ, incidiſſe in Sabbatum; & ideò *hoc ſabbatum* vocari *magnum* ab Euangeliſta. Hinc inferunt Dominum potuiſſe veſci pane fermentato, quando comẽdit paſcha; quia dies Azymorum anticipauit. Colligitur hęc ſententia ex Euthymio in cap. 16. Matthæi, & Niceph. lib. 1. hiſt. c. 28. & magis diſertè illam explicant Græci poſteriores. Verùm pro veritate

14 quando Chriſtus ſeruarit Paſcha, & S. Euchariſtiam inſtituerit, verior ſententia.

Dico Primò, Chriſtum celebraſſe Paſcha, & inſtituiſſe hoc Sacramentum primo die Azymorũ, nempe luna decima quarta menſis primi ad veſperam. Eſt certa & communis DD. diſt. 11.

1. Probatur ex Matthæo Marco, & Luca.

Probatur Primò, Matt. 26. v. 17. *Prima die Azymorum acceſſerunt ad* IESVM *dicentes; vbi vis paremus tibi comedere paſcha?* Marci 14. v. 12. *Primo autem die Azymorum quãdo paſcha immolabãt*, ſcilicet gens Iudęorum. Lucæ 22. v. 7. *Venit dies Azymorum, in quo neceſsè erat occidi paſcha: neceſsè*, quia videlicet lege pręceptũ. Atqui hic dies erat decimus quartus, non decimus tertius, vt patet Exodi 12. & 13. vbi præcipitur, vt luna decima quarta ad veſperam omnes immolent paſcha, & omne fermentum ſub pœna mortis abijciant.

Prima græcorũ euaſio blaſphema.

Reſpondent quidem Græci huic argumento, vt teſtatur D. Th. in 4. d. 2. q. 2. a. 2. hos tres Euãgeliſtas eſſe lapſos in hoc, & à Ioanne eſſe correctos, qui ait *ante diem feſtum* Dominum celebraſſe paſcha. Sed hoc blaſphemum eſt. Vnde

15 2. Prob. ex Ioannis 13.

Probatur Secundò, Ex Ioanne, quem Græci ſe dicunt ſequi: Ioan. 13. v. 1. *Ante diem feſtum Paſcha, ſciens* IESVS, *quia venit hora eius* &c. Hoc dominus dixit pridie paſſionis, vt patet ex ſerie Euangelij: ergo dies paſſionis erat feſtus: ſed feſtus non erat die decima quarta, ſed decima quinta: nam decimus quartus ad veſperam erat prophanus, vt ipſi fatentur: ergo non inſtituit hoc Sacramentum die decimo tertio ad veſperam, ſed decimo quarto, quando incipiebant azyma.

Sed inſtant Græci: Si inſtituit ante diem feſtum Paſchæ: ergo inſtituit ante decimum quartum diem ad veſperam: nam decimus quartus dies ad veſperam erat dies paſchæ.

Præcluditur effugiũ Græcorũ.

Reſpondeo Negando Conſequentiam; aliud enim eſt *dies feſtus Paſcha*, aliud *Paſcha*, ſeu *dies Paſcha*: nam *dies feſtus Paſchę* erat decimus quintus dies, vt patet clarè. Exodi 12. & Leuit. 23. *Paſcha* verò, ſeu *dies Paſcha* erat extrema pars diei decimæ quartæ conſtans aliquot horis, quãdo nimirum vbique immolabatur Agnus paſchalis: & hic dies non erat feſtus, quia opera ſeruilia non erant tunc interdicta.

16 3. Prob. ex Ioan. 13.

Probatur Tertiò, Ibidem Ioannis 13. v. 27. cùm Dominus diceret Iudæ, *Quod facis, fac citiùs*; & ille mox egrederetur cùm iam eſſet nox, Apoſtoli ſuſpicabantur hoc illi eſſe dictum, *vt emeret neceſſaria ad diem feſtum*: quod nullo modo potuiſſent ſuſpicari, ſi fuiſſet tunc decimus tertius dies ad veſperam; quia inter illud tempus & feſtum dies integer interceſſiſſet, vnde non fuiſſet opus vlla feſtinatione.

4. Prob. ex Ioan. 18.

Probatur Quartò, Ioannis 18. v. 31. Iudæi dicunt, *Nobis non licet interficere quemquam*, ſcilicet ob feſtum, quod tunc erat; vt exponunt multi Patres in hunc locum: Chryſoſtomus, Cyrillus, Auguſtinus, Beda, & alij. Nam aliàs poterant interficere blaſphemos, vt patet Act. 7. Ergo pridie erat decimus quartus.

5. Prob. ibid. v. 39.

Probatur Quintò, Ibidem v. 39. Pilatus dicit; *Eſt autem conſuetudo vobis, vt vnum dimittã vobis in Paſcha: vultis ergo dimittã vobis Regem Iudæorum?* Ergo tunc erat feſtum Paſchatis, ſcilicet dies decimus quintus. Cõfirmatur, Quia dies hic Matt. 27. v. 15. vocatur ſolẽnis: *Per diem ſolemnem conſueuerat præſes populo dimittere vnũ.* Marci 15. v. 6. *Per diem feſtum ſolebat dimittere.* Luc 23. v. 17. *Neceſſe habebat per diẽ feſtum dimittere eis vnũ.* Vnde manifeſtè ſequitur fuiſſe decimum quintũ, quando Barrabas dimiſſus eſt, & Dominus occiſus: ergo decimo quarto ad veſperam comedit agnum.

17 6. Probatur ex Patribus.

Sextò Probari poteſt ex Patribus: & quidem de Latinis non eſt dubium. Ex Græcis idem colligitur. Nam aperte dicunt, Chriſtum die feſto ac ſolemni Paſchatis fuiſſe occiſum, ac proinde die decimo quinto, non decimo quarto. Vide Origenem Tract. 33. in Matt. Gregorium Nazianz. oratione 2. de Paſchate, Theophilum Alexand. apud Bedam lib. De ratione temporum cap. 57. Theodoretum quæſt 24. in Exodum. Chryſoſtomũ hom. 85. in Matt. vbi inter cætera ait, Chriſtum eo die manducaſſe paſcha, quo lege præſcriptum erat; & hom. 82. in Ioannem, eo die celebraſſe paſcha, quo antiquitus celebratum erat.

18 7. Probatur ratione.

Poſtremò patet Ratione: Quia decuit Chriſtum in omnibus ſeruare legem, ne Iudęis daret aliquã occaſionem calũniandi, aut ſe reijciendi tãquam legis tranſgreſſorem. Et ſanè, ſi tempus à lege præſcriptum anticipaſſet, Iudæi id ei obiecíſſent, quando tanto ſtudio eum coram Summo Sacerdote accuſabant. Quod autem Euthymius ait, licuiſſe anticipare tempus, ſed non poſtponere, caret omni ratione & auctoritate; præſertim cùm Scriptura abſolutè præſcribat diem decimum quartum ad veſperam; vt patet exodi 12. Leuit. 23. Num. 9. & 28. Quòd ſi tunc incidebat impedimentum, non permittebat lex anticipari, ſed iubebat differri in lunam decimam quartam mẽſis proximi; vt patet Num. 9. inſinũans omnino debere fieri luna decima quarta.

An licuerit olim anticipare Paſchæ tẽpus.

19 Altera pars verioris sẽtentiæ cõtra Græcos

Dico Secundò, Luna decima quarta eo anno incidit in feriam quintam, & luna decima quinta in feriam ſextam: vnde feria ſexta erat feſtum Azymorum, & dies ſolemnis Paſchatis. Patet, quia Dominus Sabbato quieuit in ſepulchro, & feria ſexta occiſus eſt. Ergo quando comedit Paſcha, erat feria quinta ad veſperam. Atqui tunc erat luna decima quarta, vt oſtenſum eſt: ergo luna decima quarta incidit in feriam quintam, & luna decima quinta in feriam ſextam. Ergo feria ſexta erat dies Feſtus & ſolemnis. Nam Leuit. 23.

Google

v. 5. & 6. & Num. 28. v. 16. dies decimus quintus menſis primi vocatur *Solemnitas Dñi, & dies celeberrimus; Menſe*, inquit, *primò, quarta decima die menſis ad veſperum Phaſe Domini eſt, & quinta decima die menſis huius ſolemnitas Azymorum Domini eſt:* nempe quam Ioannes vocat *diem feſtum Paſchę*. Dices quomodo ergo Euangeliſtæ decimum quartum diem vocant primum diem Azymorum? Reſpondeo cum Caietano in c. 13. Ioannis: Vocant illum *primum Azymorum* ratione noctis ſequentis, quando Azyma incipiebant: prior enim pars noctis, vſque ad noctis dimidium, iuxta vulgarem computationem, pertinebat ad diem precedẽtem, ſcilicet ad decimum quartum diem: vnde iuxta vulgarem computum dies decimus quartus, dicebatur dies primus Azymorum; nempe ratione partis illius noctis. Sed iuxta legalem computum pertinebat illa pars ad diem ſequentem: nam iuxta legalem vſum, dies à veſpera ad veſperam cenſebantur. Etſi enim ad veſperam non ſic inciperet feſtum, vt obligaret ad abſtinẽtiam operum ſeruilium; tamen incipiebat ſecundùm aliquam cæremoniam legalem: vt, quia incipiebant abſtinere à fermentato. Sicut modò apud Chriſtianos feſta, quoad officium Eccleſiaſticum incipiunt à veſpera; quoad obligationem abſtinendi ab opere ſeruili, à media nocte.

Soluitur difficultas ex Euangeliſtis petita.

Sed contrà. Obijciunt Græci Primò, Dies ille, quo Dominus eſt occiſus, non fuit feſtus: ergo non eſt occiſus luna decima quinta, ſed decima quarta: ergo decima tertia ad veſperam comedit Paſcha. Antecedens patet, quia diebus feſtis prohibita erant opera ſeruilia, & iudicia; ſed eo die, quo Dominus fuit occiſus, non erant hæc prohibita: nam Ioſeph emit ſindẽ nem, Marci 15. Mulieres parauerunt aromata Luc 23. Iudæi accuſarunt & condemnarunt Chriſtum: ergo &c. Confirmatur Matth. 26. v. 5. *Non in die feſto, ne forte tumultus fieret in populo.*

20 1. Obiect. Hinc ſequi Chriſtum fuiſſe occiſum die feſto.

Ob hoc argumentum Rupertus lib. 10. in Matthæum in illud, *ſcitis quia poſt biduum*, etſi concedat Iudæos, & Chriſtum comediſſe agnum die decimo quarto ad veſperam, tamen vult diem decimum quintum non fuiſſe feſtum; ſed hoc feſtum tranſlatum in diem decimum ſextum, ſcilicet in Sabbatum, ne duo feſta eſſent continua.

Ruperti ſolutio, quòd feſtũ id fuerit trãſlatum.

Sed hęc ſententia eſt omnino improbabilis: Primò, Quia apertè Scriptura multis locis docet diem decimum quintum, qui immediatè ſequitur veſperam immolationis paſchæ, eſſe ſolemnem, & feſtiuum, & primum Azymorum; vt patet Exod. 12. Leuit. 23. Num. 28. Debebant enim Azymorum dies continenter celebrari. Secundò, Quia Patres paſſim docent Dominum die feſto, & ſolemni occiſum.

Improbatur.

Vnde Reſpondeo, in feſtis prohiberi opera ſeruilia, ſed non opera pietatis; nec ea, quæ erãt neceſſaria ad cibos parandos, vel ad ignem accendendum: hæc enim tantùm in ſabbato, & alijs fortaſſe pauciſſimis prohibita erant. Quòd ad Iudicia attinet, Iudęi non erant admodùm ſcrupuloſi in cauſis criminalibus, modò ipſi manibus nõ occiderent. Ad Confirmationem, ſeu ad illud Ioannis 26. *non in die feſto*; erat quorundam conſilium, ſed non optimum: nam Iudas vltrò ſe offerebat, vt eum traderet ſine tumultu.

Vera ſolutio.

21 2. Obiectio: quòd tunc erat Paraſceue Paſchæ.

Obijciunt Græci Secundò, Ioannis 18. v. 28. *Nõ introierunt in Prætorium, vt non contaminarentur, ſed vt mãducarent Paſcha:* ergo tunc nondum comederant paſcha, ſed veſperi erant comeſturi: ergo iſte erat dies decimus quartus mẽſis primi.

Confirmatur ex cap. 19. Ioannis v. 31. vbi dicitur, quòd erat *Parajceue paſchæ*, hoc eſt, præparatio ad paſcha.

Reſpondeo; Ob hoc argumentum quidam Patres putauerunt Principes Sacerdotum ita fuiſſe occupatos in Chriſti nece procuranda, vt contra legem diuinam tempore legitimo cum reliquo populo Paſcha non celebrauerint, ſed diſtulerint in decimum quintum diem ad veſperam, id eſt, in feriam ſextam. Ita Chryſoſtomus homilia. 85. in Matt. & 82. in Ioannem: Theophilactus in c. 26. Matt. Idem inſinuat Cyril. lib. 12. in Ioan c. 1.

quidã reſpondent ſacerdotes ſuum Paſcha tranſtuliſſe.

Verùm id parum eſt probabile, cùm ſuarum cæremoniarum eſſent obſeruãtiſſimi, vt populo valdè religioſi viderentur. Neque tempus illis defuit celebrandi paſcha, cùm nec Iudæ defuerit, qui tamen magis erat impeditus. Denique, ſi erant impediti, debebãt differre vſque in diem decimum quartum menſis proximi, vt expreſsè præcipitur Num. 9.

Non probatur.

Alij reſpõdent omnes Iudęos diſtuliſſe illo anno in decimum quintum ad veſperam immolationẽ agni, & feſtum Paſchę in decimum ſextum, ſcilicet in ſabbatum. Et ratio erat, quia habebant quaſdam traditiones iam inde à temporibus Eſdræ, quibus cauebatur ne vnquam feria ſecũda, vel quarta, vel ſexta feſtum Paſchę celebraretur; & iuxta hoc ſua Calendaria diſponebant. Hanc ſententiam excogitauit Paulus Burgenſis, eamque fusè explicat & ſequitur Iãſenius c. 128. Cõcord. & Ioan. Heutenius in præfatione ad Euthymiũ, & aliquot alij recentiores. Sed hæc ſentẽtia Primò facilè refutatur ex dictis. Nam Marcus ait, *Primo die Azymorum, quando paſcha immolabant*, Qui immolabant, niſi Iudæi? & Lucas, *Primo die Azymorum, in quo neceſſe erat occidi paſcha*; cur neceſſe? Niſi quia lex & conſuetudo ita præcipiebant. Secũdò, Quia conſtat Iudæos illo tempore ſemper celebraſſe Paſcha die decima quarta, nec curaſſe in quam feriã ille dies incideret: ergo non habebant talem traditionem circa certas ferias. Antecedens patet, Tùm ex teſtimonio Epiphanij hæreſi 30. & 51. vbi ait feſtum Azymorum apud Iudæos incidere in quemuis diem hebdomadæ, etiam in ſecundum, tertium, quartum &c. Tùm ex cõſuetudine Eccleſię Aſiaticæ, quę initio naſcentis fidei celebrabat Paſcha decima quarta luna menſis primi, in quemcumque diem hebdomadis luna illa incidiſſet, & in hoc imitabatur Iudæos: ergo Iudęi illo tempore celebrabant Paſcha die decimo quarto, non curantes in quam feriam ille dies incideret. Antecedens patet apud Theodoretum lib. 1. hiſt. cap. 9. Euſeb. lib. 5. hiſt. cap. 22. & 23. Epiphan. hæreſi 50. quæ eſt *Quartadecimanorum*.

22 Alii negãt in certis feriis Paſcha potuiſſe celebrari.

Improbatur.

quouis die hebdomadæ Iudæi Paſcha celebrabant.

Vnde dicendum eſt, omiſſis alijs expoſitionibus, *paſcha* eo loco apud Ioannem non ſignificare agnum paſchalem, ſed alias victimas paſchales, quę per omnes paſchę dies immolabãtur: vt expreſsè colligitur Deuter. 16. v. 2. *Immolabis phaſe Dño Deo tuo de ouibus, & de bob⁹*. Et 2. Paralip. 35. v. 8. *Dederũt Sacerdotibus ad faciendum phaſe pecora cõmixtim duo millia ſexcenta, & boues trecentos, Leuitis quinque millia pecorũ & boues quingentos.*

23 Verior auctoris ſolutio.

Ad Confirmationem: Dicitur autem *Paraſceue Paſcha*, non quaſi ad paſcha, ſed quia occurrebat in feſto Paſchatis: nam Marci 15. v. 24. vocatur *Paraſceue ante ſabbatum*; ſimiliter Lucæ 23. v. 54. Dicitur autem dies ille *Paraſceue*, quia tunc cibi pro ſabbato præparari debebant: & nullus dies habebat paraſceuen, præter ſabbatum.

quid Paraſceue Paſchæ.

Obijciunt Græci Tertiò, Azyma ſunt propria Iudęorum: ergo conſecrare in azymo eſt iudai-

zare. Confirmatur, Azymum non eſt panis; nam panis Græcè dicitur ἄρτος ab αἴρω, id eſt, attollo, quia fermentum attollit farinam ſubactam.

Reſpondeo, Vti azymis non magis eſt iudaizare, quàm vti fermentatis; quia Iudæi non ſolùm azymis vtebantur in cæremonijs, ſed etiam panibus fermentatis, vt patet Leuit. 7. & 23. Deinde, non vtimur azymis eodem modo quo Iudæi: illi enim vtebantur cum agno paſchali, & lactucis agreſtibus, &c. nos autem ad conſecrandam Euchariſtiam. Ad confirmationem: azymus panis non minùs eſt panis quàm fermentatus; vt per ſe patet: & Lucæ vltimo, vbi panis azymus vocatur panis, illis verbis; *Cognouerunt illum in fractione panis*: Nam hoc contigit tertio die azymorum. Erymologia autem ſæpè eſt anguſtior, quàm nominis ſignificatio.

ARTICVLVS V.

Vtrum Vinum vitis ſit propria materia huius Sacramenti?

24 Affirmatur Matt. 28. Lucæ 22.

REſpondetur, Neceſſariò debere eſſe vinum ex vite. Matt. 28. vocatur *genimen vitis*, id eſt, fructus. Similiter Luc 22. dicitur *generatio vitis*. Definitur etiam à Concilio Florentino in inſtructione Armenorum: & ſupponitur à Concilio Trident. ſeſſ. 13. can. 2. Ratio eſt, Quia liquores alij, qui ex leguminibus, frumento, vel pomis fiunt, non ſunt verè vinum, ſed is ſolus, qui ex vuis exprimitur. Vnde ſequitur. Primò; Liquores ex leguminibus &c.

Acetum.

Acetum non eſſe vllo modo idoneam materiam: quia eſt corruptio vini; ſicut cadauer eſt corruptio animantis. Si adhuc retinet vini naturam (quod ex ſapore, & odore colligitur) quamuis non-nihil aceſcat, eſt conſecrabile. Peccat tamen, qui ſine neceſſitate tali vino vtitur.

Vinum acidum.

Sequitur Secundò, Omphacium non valere, quia non eſt vinum, ſed liquor incoctus, vnde tandem concoctione vinum fieret.

Vinum intra vuas.

Sequitur Tertiò, Vinum intra vuas concluſum non eſſe conſecrabile; vt tactè Caietanus hîc, & alij paſſim: ita enim permixtum eſt carni vuæ, vt non tam ſit potus, quàm cibus.

Muſtum.

Muſtum tamen conſecrabile eſt. Verùm eo non eſt vtendum, niſi in neceſſitate: nam plurimas fæces commixtas habet, quæ non ſunt conſecrabiles.

Vinum gelatum.

Sequitur Quartò, De vino ſolidè gelato dubium eſt: quidam enim putant eſſe idoneum: ita Angelus verbo Miſſa, num. 23. Silueſt. verbo Euchariſt. 2. q. 10. quæ ſententia non eſt improbabilis. Verius tamen videtur, non eſſe idoneum, ſiue ibi ſit ſpecies vini, ſiue non. Ratio eſt, Quia non eſt potabile, ſicut nec in vuis. Ita Fumus verbo Euchariſtia, num. 9. & Alanus lib. 1. de Euchariſt. cap. 11. Cùm autem ſolutum fuerit, ſi adhuc retinet naturam vini, conſecrabile eſt. Secùs, ſi non retinet.

degelatſi.

ARTICVLVS VI.

An aqua ſit vino miſcenda?

25 Variæ hæreſes.

REſpondetur, Aquam vino permiſcendam. Eſt contra Ebionitas, Tatianos, & Aquarios, qui prætextu ſobrietatis, ſolam aquam offerebãt. Vide Epiph. hæreſi 30. & 46. & Auguſt. hæreſ. 64. Eſt etiam contra Armenos, qui ſolum vinum offerebãt, vt ſignificarent in Chriſto eſſe tantùm vnam naturam; vt refert Nicephorus lib. 18. hiſt. c. 53. Denique eſt contra noſtros hæreticos, qui id putant eſſe adiaphorum.

Probatur Primò, Ex Concilijs. Concilium Trullanum Can. 32. dicit *Hãc mixtionem eſſe traditionem Apoſtolicam à Chriſto profectã*. Conc. Carthaginenſe III. can. 24. *Vt in ſacramentis Corporis & ſanguinis Dñi nihil offeratur amplius, quàm ipſe Dominus tradidit, hoc eſt panis, & vinũ aquâ mixtũ*. Concilium Florent. in inſtructione Armenorum adfert varias cauſas huiꝰ mixtionis, quas hîc habet D. Thomas. Similiter Concil. Tridentinum ſeſſ. 22. cap. 7. Probatur Secundò, Ex Liturgia D. Iacobi, *Accipiens*, inquit, *calicem, & permiſcens ex vino & aqua*. Et ex Liturgia D. Baſilij *Calicem de genimine vitis accipiẽs, miſcẽs, gratias agẽs benedixit* &c. Probatur Tertiò, ex Decretis Pontificum: quæ vide apud Gratianum de Conſecratione, diſtinct. 2. Probatur Quartò, Ex Patribus. Iuſtinus Apologia 2. in fine dicit Chriſtianos *offerre panem & calicem aquâ dilutum*. Irenæus lib. 4. contra hæreſes cap. 57. *Dominus temperamentũ calicis ſui, ſanguinem confirmauit*. Cyprianus tota epiſt. 63. ex profeſſo probat eſſe contra Chriſti inſtitutionem ſolam aquam offerre: ſed eam cum vino miſcendam. Rationes vide apud D. Thomam hîc. Et apud Amalariũ lib. 3. de Officijs c. 19. & Rabanum lib. 1. De inſtitutione Clericorum c. 31.

Sententia Catholica probatur.

1. Ex conciliis.

2. Ex Liturgiis.

3. Decretis Pontificũ.

4. Ex Patribus.

ARTICVLVS VII.

Vinum permixtio aquæ ſit de neceſſitate huius Sacramenti?

REſpondetur Negatiuè. Eſt communis ſententia Theologorum. d. 11. præter Richardum Armacanum lib. 9. qq. Armeniacarum cap. 9. vbi docet hanc mixtionem eſſe neceſſariam ad ſubſtantiam Sacramenti.

26 Negatur contra Richardum.

Probatur Primò, Ex concil. Floren. *Materia huius ſacramenti eſt panis triticeus, & vinũ de vite, cui ante conſecrationem aqua modicisſima admiſceri debet*. qua forma loquẽdi inſinuat non eſſe, niſi ex præcepto debitũ: alioqui dixiſſet, *Materia eſt vinũ de vite aquâ mixtum*. Concil. Trid. ſeſſ. 22. cap. 7. *Monet ſancta ſynodus, præceptum eſſe ab Eccleſia ſacerdotibus, vt aquam vino in calice offerendo miſcerent*. vbi ſatis indicatur, eſſe ſolũ ex præcepto Eccleſiæ: ac proinde non pertinere ad ſubſtãtiã: Eccleſia enim non poteſt ſuo præcepto facere, vt id, quod non eſt neceſſaria materia, fiat neceſſaria.

Florent.

Trident.

Probatur Secundò: Ratione, Quia aqua admiſcetur non ad ſignificandam præſentiam Sanguinis Chriſti in hoc Sacramento, quæ eſt primaria res ſignificata per ſpecies: ſed ad ſignificandum effectum, ſeu fructum huius Sacramenti, quem habet in ſumentibus: quod eſt incorporari chriſto. Atqui ſubſtantia huius Sacramenti non conſiſtit in ſumptione ſeu vſu, ſed in re permanente, vt ſuprà dictum eſt: ergo etiamſi hæc ſignificatio abſit, non perit eius ſubſtãtia: præſertim cùm hæc ſignificatio ſatis conſeruetur in ſpeciebus vini & panis: vinum enim ex multis acinis conflatur, & panis ex multis granis conficitur.

Ratio.

Aduerte tamen, non ſine graui peccato aquæ admixtionem intermitti. Nam eſt traditio apoſtolica, ſemper in Eccleſia inſtar præcepti obſeruata. Imò à Cypriano dicitur *mandatum Domini*; non quòd Dominus propriè mandauerit, ſed quia ab exemplo Domini manauit: ſicut ſolutio decimarum dicitur eſſe iuris diuini. Simili ſenſu dicitur eſſe *Traditio diuina* à Concilio Carthaginenſi

Cur aquæ omiſſio ſit graue peccatum.

III. cap. 24.

Ex his sequitur Papam posse dispensare, ne mixtio fiat; quamuis existimem non posse occurrere casum, in quo sit iusta causa dispensandi. Si tamen de facto dispenset, non erit peccatum mortiferum omittere.

Papa dispensare potest.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum aqua debeat in magna quantitate apponi?

27 Aqua modica admiscenda, & cur.

REspondetur; Modicam aquam admiscendam, sic vt ante consecrationem in vinum possit conuerti. Patet ex Concilio Florentino quod dicit modicissimam aquam ad misceri debere. Sed est

DVBIVM

Vtrùm si ante consecrationem aqua nondum sit mutata in vinum, conuertatur in Sanguinem, sicut vinum?

quidam id negant.

DOctores Scolastici putant non posse conuerti in Sanguinem, nisi antè sit conuersa in vinum. Ita D. Thomas hîc, Bonauentura, Scotus, Richardus, Paludanus, Maior, & Gabriel, d. 11. Imò Gabriel lectione 35. in Canonem, dicit esse *Indubitatam sententiam*; & Catheciſmus Pij V. dicit *esse sententiam omnium Ecclesiasticorum Scriptorum*. Ratio est; quia propriè solum vinum est materia; aqua autem miscetur, non vt necessaria, sed cæremoniæ causâ, propter significationem, vt insinuat Concilium Florentinum. Et Confirmatur; quia admixtio solùm videtur esse ex præcepto Ecclesiæ: at si esset materia consecrabilis, omnino esset præcepta à Christo illam materiam instituente; non enim materias sacramentorum reliquit liberas. Hæc sententia est valdè probabilis.

28 Opposita sententia exponitur, & probatur.

Nihilominùs contrarium quoque probabile est: Aquam nimirum vino mixtam in sanguinem conuerti, siue anteà sit conuersa in vinum, siue non. Hanc sententiam tenet Alanus cap. 13. lib. 1. Vbi dicit certa fide tenendum esse totum conuerti in Sanguinem, siue aqua sit in vinum mutata, siue non. Et infrà dicit contrarium esse grauem errorem: quibus tamen verbis nonnihil excedit. Idem tenet Petrus Soto lectione 14. quæst. 5. de Eucharistia.

1. Ex Patribus.

Probatur Primò, Quia sancti Patres absolutè dicunt *Vinum & aquam*, item *Vinum aquâ mixtum offerri, consecrari, & in Sanguinem Christi verti*: Irenæus & Iustinus suprà citati art. 6. Cyprianus Epist. 63. dicit *calicem Domini non esse solum vinũ, aut solam aquam, sed vtrumque mixtum, & hoc sanctificari*. Ambrosius lib. 4. de sacramento cap. 5. *Ante verba Christi, calix est vino & aqua plenus; vbi verba Christi operata fuerint, Sanguis efficitur*. Theodoretus Dialogo 1. circa medium; *Sanguinẽ appellauit id, quod in calice confusum & commixtum erat*. Paschasius de Eucharistia c. 11. Dicit *non manere aquam, sed verti in Sanguinem*. Algerius l. 1. c. 16. de Eucharistia, *Vtrumque*, inquit, *vinum & aqua vnus Sanguis fit*.

2. Ex Innocentio III.

Probatur Secundò, Ex Innocentio III. Cap. *Cùm Marthæ*, quem videtur D. Thomas non bene citasse: dicit enim Innocentius illam opinionem esse probabiliorem, quæ asserit aquam cum vino in sanguinem transmutari; *Vt expressiùs*, inquit, *eluceat proprietas Sacramenti, quæ est, populum Christianum designatum per aquam, incorporari Christo*. Atqui, si aqua mixta vino non posset immediatè conuerti in sanguinem, non aptè significaretur populum Christo incorporari, & veluti in ipsum transmutari. Deinde, Innocẽtius ibidem non videtur probare opinionem eorum, qui dicunt aquã vino admixtam mutari in vinum: *Nam Phisici*, inquit, *contrariũ asserunt, qui affirmant aquã à vino per artificium separari*. Et infrà absolutè decernit esse probabilius, *aquã & vinũ conuerti in sanguinẽ*.

3. Ex ratione.

Probatur Tertiò, Quia tam exiguo tempore, quàm est illud, quod intercedit inter mixtionem & consecrationem, sæpè non potest aqua in vinũ cõuerti; præsertim, si vinũ sit debile; vel si multum aquæ ponatur, sicut in Concil. Triburiensi ante annos 800. can. 19. vbi statuitur, *vt duæ partes sint vini, & tertia pars possit esse aquæ*: Vel si aqua, etiam modica, ponatur immediatè ante consecrationem; quod fieri debet, si anteà per oblivionem erat omissum. Imò ex Christi institutione non requiritur vlla mora inter mixtionem, & consecrationem; sed posset fieri immediatè ante consecrationem.

4. Ex Liturgia S. Iacobi.

Probatur Quartò, Quia in Liturgia S. Iacobi dicitur, *quod Christus accipiens calicem, & permiscẽs ex aqua & vino, benedixit*; vbi significatur immediatè post admixtionẽ aquæ, factam esse cõsecrationem. & credibile est, non paucas guttas dominũ apposuisse iuxtà morem regionum calidarũ.

5. Ex natura aquæ, quæ per se in vinum conuerti nequit.

Probatur Quintò, Aqua non videtur posse conuerti in vinum, si sola sit; quia est corpus simplex, quod per se solum non potest verti in corpꝰ mixtum; sicut nullum mixtum potest ali per corpus simplex, aut gigni ex simplici elemento. Accedit, quòd aqua naturæ sit pertinacissimę; cuius signũ est, quòd etiamsi in vapores per ignem euanescat, nihilominùs naturam suam non amittat; sed sola refrigeratione sibi restituatur. Præterea veteres numquam videntur fuisse solliciti, vt aqua in vinum verteretur; supponentes totum, quod est in calice, in sanguinem conuerti.

Sextò denique si maneret aqua, Sacerdos sumpto calice frangeret ieiunium: quo argumento D. Thomas q. 75. a. 2. probat non manere substantiam panis.

Aduerte tamen; rectè monere Concilium Florẽt. vt *Modicissima aqua admisceatur*: id enim est securius; tum vt aqua in vinum conuertatur, si necesse est: tum ne aqua destruat vini naturam.

29 Aqua modicissima.

Dices, Si aqua immediatè potest conuerti in sanguinem: ergo sãguis Christi etiam existit sub speciebus aquæ. Respondeo ita est, quando illa est vino permixta. Quòd si artificio separetur, probabile est manere ibi adhuc sanguinem Domini, quamuis sic per se non potuerit consecrari,

Sanguis domini est sub specie Aquæ.

Digitized by Google

QVÆSTIO LXXV.

De Conuerſione panis & vini in Corpus & Sanguinem Chriſti.

In Octo Articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Vtrum in Euchariſtia ſit verè corpus Chriſti, an ſolum ſicut in ſigno?

NOtandum eſt, quoſdam apud Græcos hanc veritatem de reali præſentia corporis Domini in Euchariſtia negaſſe tẽpore S. Ignatij Martyris. Colligitur ex Theodoreto dial. 3. vbi de quibuſdam ait Ignatius; *Euchariſtiam & oblationes non admittunt, quòd non confiteantur Euchariſtiam eſſe carnem ſaluatoris noſtri* IESV *chriſti*: quæ verba adducit Theodoretus ex epiſt. Ignatij ad Smyrnenſes, ſed modò non inueniuntur. Verùm hæc hæreſis fuit valdè obſcura, & paucorum; nam alij Scriptores non meminerunt.

1 Hæreſes quorundã Græcorum circa realẽ præſentiã Chriſti in Euchariſtia.

Poſt annum 700. quidam Iconomachi dicere cœperunt, Chriſtũ eſſe in Euchariſtia, vt in ſigno & imagine: & hanc eſſe vnicam Chriſti imaginẽ; vt refertur in Synodo VII. act. 7. tom. 3. in fine.

Hæreſes quorundã Latinorũ.

Apud Latinos primus Berengarius apertè hanc hæreſim defendit, & propagauit circa annũ Domini milleſimum quinquageſimum: qui poſtquã ter errorem ſuum abiuraſſet, & bis violato iureiurando in eundem eſſet relapſus, tãdem Catholicè mortuus putatur. Hunc ſecuti ſunt hæretici dicti *Henriciani & Petro-Bruſiani*, & Albigenſes, & Vvicleff: & noſtro tẽpore Carolſtadius, Zvvinglius, & Caluinus cum ſuis, vt docet Bellarminus, & Sanderus fusè de viſibili Monarchia. Hi omnes volunt Chriſti corpus nõ eſſe verè, & realiter in Euchariſtia; ſed tantùm velut in ſigno. Caluinus tamen, vt aliquid huic myſterio videatur tribuere, docet; quòd etſi corpus Chriſti maneat in cælo, nec vmquam realiter ſymbolis Sacramentalibus coniungatur; tamen illud corpus, eiuſq; ſubſtantia à fidelibus ineffabili modo mãducetur. Verùm hunc modum poſteà explicat ſolùm per fidem, & apprehenſionem. Vnde hæc ſententia nihil differt à ſententia Berengarij, & prædictorum hæreticorum, niſi præſtigijs verborum, quibus ſimplicitati hominum imponit. Nemo enim hæreticorum negat Chriſtum à pijs percipi fide, dum ſumuntur Symbola.

Mens & ſenſus aliorum hæreticorum an, & quomodo cum ſenſu Caluini conueniat.

2 De fide eſt Chriſtum verè, realiter, & ſubſtantialiter eſſe in Euchariſtia.

Pro veritate Catholica ſit hęc propoſitio: Certa fide tenendum eſt, in Euchariſtiæ Sacramento, poſt cõſecrationem, verè, realiter, & ſubſtantialiter eſſe Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum verum Deum & hominem. Ita Concilium Trid. ſeſſ. 13. cap. 1. & can. 1. Vbi nota: Concilium dicere Chriſti corpus, & ipſum Chriſtum in Sacramento eſſe *verè*, quia non ſolùm eſt ibi vt in figura, vel in ſigno; *realiter*; quia non ſolùm per apprehenſionem fidei; *ſubſtantialiter*, quia non ſolùm per energiam, ſed etiam eius ſubſtantia realiter coniungitur Symbolis Sacramentalibus. Vt autem hæc Catholica veritas contra noſtri temporis hęreticos clarè liqueat, eam ex Nouo Teſtamento, Concilijs, Patribus Græcis & Latinis, Miraculis ac Congruentijs breuiter confirmabimus: eorumque argumenta diſſoluemus.

Primò. Ex Nouo Teſtamento.

PRobatur itaque Primò hæc veritas ex cap. 6. Ioannis v. 51. *Panis quem ego dabo, caro mea eſt pro ſæculi vita.* Hunc locum etſi quidam Catholici expoſuerint de Chriſto manducando per fidem, quatenus credimus eius incarnationem; vt Gabriel, Caietanus, Ruardus, Heſſelius, & Ianſenius: tamen omnes Patres, & cæteri Catholici ſcriptores exponunt de carne Chriſti realiter ſumenda in Euchariſtia; vt Chriſtus hîc intelligatur promittere, quod in cœna præſtitit; vt eruditè oſtendit Sanderus in libello, quem ſcripſit in hoc caput Ioannis.

1. Probãtur Ioãnis. c. 6.

Probatur Primò, Quia Dominus ibi hortatur ad fidem, & promittit credentibus in ſe hunc panem: *Operamini*, inquit, *cibum qui non perit, quem filius hominis dabit vobis*; apertè diſtinguens inter hæc: nam priùs eſt credere, poſteriùs eſt manducare panem, quem Chriſtus dat: ergo manducare hunc panem, non eſt credere in Chriſtum, ſed ſupponit Chriſti fidem. Confirmatur: quia alioqui non diceret, *panis quem ego dabo*, in futuro; ſed *quem ego do, & dedi*; nam omnibus temporibus ſeipſum dedit fide manducandum.

Malè explicatur hic locꝰ de manducatione per fidem. Primo.

Secundò: Quia hunc panem præfert Mannæ, quòd Manna non præſtet manducantibus vitam æternam, hic autem panis eam præſtet: ergo debent conuenire in manducatione, alioqui inepta eſſet comparatio.

Secundò.

Tertiò: Quia hęc verba optimè reſpondent verbis inſtitutionis Euchariſtiæ. Hic enim dicitur, *Panis, quem ego dabo, caro mea eſt, quam ego dabo pro ſæculi vita*, vt habent Græca: ibi dicitur, *Accipite, & manducate, Hoc eſt enim corpus meum, quod pro vobis datur in remiſſionem peccatorum*; manifeſtè hîc exhibens, quod ibi promiſerat.

Tertiò.

Quartò: Ex murmure Iudæorum, & Diſcipulorum, qui tamquam re inſolentiſſima offendebantur: *Litigabãt Iudæi ad innicem; Quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad mãducãdum?* & Diſcipuli; *Durus eſt hic ſermo.* Vnde perſpicuum eſt eos intellexiſſe Chriſtũ loqui de ſua carne manducanda. Tamen Chriſtus non correxit illorum ſentẽtiam, ſed iterũ repetjit, *Niſi manducaueritis carnem Filij hominis* &c. Quod ſi nihil aliud voluiſſet dicere, quàm, *Niſi credideritis in filium hominis*, quis dubitet, quin id explicuiſſet, & ſcandalo Diſcipulorum & Iudęorum occurriſſet?

quárto.

Quintò: Ex illis verbis, *Niſi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, nõ habebitis vitam in vobis.* Item, *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam.* Item, *Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus.* Hæc repetitio varijs modis facta indicat apertè ipſum loqui de Euchariſtia. Quorſum enim totiẽs cum diſtinctione repetere *Carnem, & Sanguinem; cibum, & potum; manducare, & bibere*; ſi nihil aliud vellet ſignificare, quàm nos in ipſum credere debere?

quintò.

Manifeſtum ergo eſt Dominum ibi promiſiſſe nobis ſuam carnem manducandam in modum cibi, & ſanguinem bibendum in modum potus: quod promiſſum non aliter præſtitit, quam per Euchariſtiam: ergo in Euchariſtia eſt verè caro & ſanguis Chriſti.

Neque huic expoſitioni repugnat D. Auguſtinus Tractatu 25. & 26. in Ioannem: ſolùm enim interdit Chriſti corpus nõ manducari ſalubriter, niſi etiam fide manducetur, & in ipſo permaneatur; quamuis ipſum Sacramentum dentibus prematur, & ſenſibiliter ſumatur. Interdum autem deflectit ad expoſitionem ſpiritalem: vt cùm ait, *Hunc cibum & hunc potum intelligi vult ſocietatem corporis, & membrorũ ſuorũ, quod eſt ſancta Eccleſia* &c. Alibi clariſſimè explicat ſuam ſententiam de hoc loco Ioannis: nam lib. 3. de conſenſu Euang. cap. 1. *Ioannes*, inquit, *de corpore, & ſanguine Domini hoc loco*, ſcilicet (in cœna) *nihil dixit, ſed planè alibi multò vberiùs hinc Dominũ locutũ eſſe teſtatur*: vbi Auguſtinus reſpicit ad hoc cap. 6. Ioannis: nam nullus eſt alius locus, qui huc poſſit pertinere. Lib. 2. contra Aduerſarium legis & prophetarum cap. 9. *Mediatorem Dei, & hominum, hominem Chriſtum* IESVM *carnem ſuam manducandam, bibendumque ſanguinem dantem, fideli corde & ore ſuſcipimus: licet horribiliùs videatur humanam carnem manducare, quàm perimere; & humanum ſanguinem potare, quàm fundere*: & alibi ſæpè.

3 S. Auguſtinus cenſet locum Ioannis 6. agere de Carne Chriſti in Euchariſtia.

Probatur Secundò, Ex illis verbis: *Hoc eſt enim corpus meum. Hic eſt enim ſanguis meus. Calix ſanguinis mei.* Quibus verbis Dominus affirmat, hoc, quod Apoſtolis tradebat, eſſe ſuum corpus, & eſſe ſuum ſanguinẽ; vt patet Matt. 26. Marci 14. Luc. 22. & 1. ad Corint. 11. Vt autem non dubitaremus de quo corpore vel ſanguine loqueretur, addit, *Quod pro vobis tradetur. Qui pro vobis effundetur.*

4 2. Prob. ex ipſis Chriſti Verbis in inſtitutione S. Euchariſtiæ.

Hîc hæretici tam varie reſpondent, vt pluſquam ducentæ expoſitiones eorum in hæc verba, *Hoc eſt corpus meum*, à Catholicis notatæ ſint. Præcipua, in qua Caluiniſtæ conquieſcunt, eſt; *Corpus* accipi pro *figura corporis*, quæ olim etiam fuit Berengarij.

Variæ hæreticorum expoſitiones ſup. Verba, *hoc eſt Corpus meum.*

Sed contrà: Primò, Quia corpus Chriſti in Scriptura numquam accipitur, niſi pro corpore eius naturali, vel myſtico: nuſquam autem pro figura corporis.

Caluini & hæreticorũ expoſitio refellitur. Primò.

Secundò, Quia additur, *Quod pro vobis datur. Qui pro vobis effunditur.* Atqui figura corporis, & ſanguinis non fuit pro nobis data, vel effuſa, ſed verum corpus, & verus ſanguis: alioqui potuiſſet dicere de *agno*, Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis dãtur.

Secundò.

Tertiò, Quia Luc. cap. 22. v. 20. dicit *calicem ſanguinis effundi pro nobis*, vt patet ex verbis Græcis. Sed non eſt pro nobis effuſum vinum, vel figura ſanguinis, ſed verus ſanguis. Ergo *calix* ſignificat calicem veri ſanguinis. Hũc locum Caluiniſtæ, ne quidem in ſpecie ſoluere poſſunt. Vnde dicunt textum eſſe corruptum; cùm tamen omnia exemplaria ſic habeant.

5 Tertiò.

Ineptè dicunt lucæ textum eſſe corruptum.

Quartò, Quia imago numquam ſolet appellari nomine rei ſignificatæ; niſi quando ſupponitur notum, quòd ſit imago, aut quòd aliquid ſignificet. Atqui non erat notum Apoſtolis panem eſſe imaginem corporis Chriſti, nam tũc primùm hæc ſignificatio inſtituebatur; vnde ineptiſſimè *panis* tũc fuiſſet appellatus *corpus Chriſti*: multoque cõuenientiùs dixiſſet de agno Paſchali, *Hoc eſt corpus meũ*. & de baptiſmo; *Hic eſt ſanguis meus*: nam hæc iam anteà corpus & ſanguinem ſignificabãt.

6 quartò.

quando rei nomine Imago ſoleat appellari, quãdo nõ.

7 Quintò, Nulla erat ratio vtendi tunc tam obſcura & inſolenti locutione, *Hoc eſt corpus meũ*, id eſt, *Hoc eſt ſigura corporis mei.* Primò, quia inſtituebat nouum ſacrificium, & primarium Sacramentum nouæ legis; quæ ſunt fundamenta nouæ Religionis: ac proinde claris, & proprijs verbis vti debebat, vt nulla eſſet ambiguitas: nam fundamenta debent eſſe certiſſima. Confirmatur, Quia etiam veteris legis Sacrificia & Sacramenta proprijs verbis inſtituta ſunt; vt videre eſt Gen. 17. vbi inſtituitur Circumciſio. Exod. 12. vbi Agnus paſchalis. Et in toto Leuitico, vbi tot ſacrificia & expiationes; quibus tamen locis vix vmquam occurrit vox figurata; vel certè eſt ita clara, vt propriæ ſignificationi æquiualeat. Idem cernimus in inſtitutione Baptiſmi, Matthæi vltimo, vbi omnia proprijs verbis explicantur. Secundò, Quia inſtituebat nouum teſtamentum. In teſtamentis autem nõ licet à verborum proprietate diſcedere. Non enim ſi teſtator leget tibi agrũ, imagine agri contentus eris. Tertiò, Quia agebat cum ſolis Apoſtolis hominibus rudibus, quibus omnia clarè ſolebat exponere, vel obſcuriùs dicta ſtatim interpretari. Quartò, Quia illis & eorũ ſucceſſoribus præceptum dat, vt idem faciant in ſuam cõmemorationem: præcepta autẽ clara eſſe debent.

Chriſtus inſtituens hoc Sacramentum, debuit vti claris verbis, & cur.

Sextò, Omnes, qui huius Sacramenti inſtitutionem expoſuerunt, ſcilicet Matth. Marcus, Lucas, Paulus, ijſdem verbis vtuntur, *Hoc eſt corpus meum*; nec quidquam in illis mutarunt, cùm tamen in alijs rebus plerumque ſoleant verbis diſcrepare, dum alij obſcuriùs, alij clariùs idem dicunt: quod ſignum eſt, non eſſe alium verborum ſenſum, quam eum, quem præ ſe ferunt: ſi enim alius eſſet, incredibile eſt neminem illum explicuiſſe, cùm diuerſis locis, temporibus, & occaſionibus ſcripſerint.

8 Sextò.

Vrgetur argumentum ex conſenſu Euangeliſtarum & Apoſtoli in ijſdẽ verbis.

Septimò, Quia nemo, præter Berengarium, & eius ſectatores, locum iſtum tropicè intellexit: plurimi verò expreſſè docent non eſſe tropicè ſed propriè accipiendum. Vide Synodum VII. actione 6. tom. 3. in fine. Et Damaſc. lib. 4. de Fide cap. 14. Paſchaſium lib. de Corpore Domini c. 1. Theophilactum in cap. 26. Matthæi, & in cap. 6. Ioannis, & alios. Simili modo, & clariùs, poſſunt refutari aliæ hæreticorum expoſitiones; quas vide apud Sanderum lib. 7. De viſibili Monarchia, circa annum Domini milleſimũ quingenteſimũ quadrageſimum nonum. Hæc enim verba ſunt adeò clara, vt ſua luce omnes alias interpretationes facilè diſcutiant; vt etiam fatetur Melanchton. Peto enim ab hæreticis: Si Dominus voluiſſet dicere, id, quod tradebat; eſſe corpus ſuum, quibus verbis id clariùs, ſimpliciùs, & certiùs dicere potuerit, quam quibus dixit? certè ne fingi quidem poteſt. Vnde etiam nuſquam tam clarè & ſimpliciter, vel myſterium Trinitatis, vel Incarnationis explicuit.

9 Septimò.

Berengarius primus verba Chriſti tropicè explicare auſus.

Chriſti verba adeò clara, vt clariùs loqui non potuerit.

Probatur Tertiò, Prioris ad Corinth. 10. v. 16. *Calix benedictionis, cui benedicimus, nónne cõmunicatio ſanguinis Chriſti eſt? Et panis quem frangimus, nónne communicatio corporis Chriſti eſt?* Primò, Hîc Apoſtolus dicit *calicem benedici*; atqui benedictio eſt efficax, & res immutat; vt fuse docet D. Ambroſius. Secundò, dicit hunc *calicem benedictum*, eſſe κοινωνίαν, id eſt, *communicationem ſanguinis Chriſti*: id eſt, in hoc calice eſſe id, quod fluxit è latere Chriſti; & nos huius fieri participes, intimeque cum eo coniungi; ſicut per incarnationem realiter coniuncta ſunt caro & Verbũ. Sic Chryſoſt. hom. 24. in hunc locum. Tertiò, Ait *Panem frangi*, id eſt, offerri, immolari; nam in myſterio Euchariſtiæ idem eſt *fractio*, quod im-

10 3. Prob. ex Apoſtolo 1. Corinth. 10.

Digitized by Google

molatio ; vt patet ex cap. 11. *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis frangitur.* Atqui non immolamus panem triticeum, ſed cæleſtem, ſcilicet Chriſtũ ſub ſpecie panis. Quartò, Dicit *hunc panem* eſſe *communicationem corporis Chriſti* ; quia dum illum ſumimus, realiter vnimur corporis Chriſti, & non ſolùm per fidem & charitatem : vt eruditè oſtendit Cyrill. Alexandrinus lib. 10. in Ioãnem, cap. 13. ex hoc loco ; & Irenæus lib. 5. contra hæreſes cap. 2.

11 Probatur Quartò, Ex cap. 11. v. 28. eiuſdem epiſt. 1. ad Corinth. vbi Paulus monet, vt *ſeipſos probent*, id eſt, examinent, an non ſint in aliquo peccato mortifero, & *ſic de pane illo edant*; rationem ſubdit : *Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium*, id eſt condemnationem *ſibi manducat, & bibit*: quia non *diiudicat*, id eſt, diſcernit *corpus Domini*: & v. 27. *Reus erit corporis, & ſanguinis Domini.* At ſi ſolùm eſſet figura, ſine dubio non eſſet opus puritate conſcientiæ ; ſed ſufficeret accedere cum aliqua reuerentia, qualis debetur figuræ ; neque eſſet reus corporis, & ſanguinis Domini. Confirmatur Primò, Quia, qui Agnum Paſchalem comedebant in peccato, non cràntreicorporis Domini, nec iudicium ſibi mãducabant: ſufficiebat enim puritas corporis, cùm tamen eſſet expreſſisſima figura corporis Domini. Confirmatur Secundò, Quia ideò *Reus eſt corporis & ſanguinis Domini*, quia *non diiudicat corpus Domini*; id eſt, non diſcernit à reliquis cibis ; ſed ita ſumit, ac ſi non eſſet corpus Domini : ergo eſt verè corpus Domini. Confirmatur Tertiò, Quia, qui indignè ſumebant, ſæpè puniebantur morte vel morbo, vt Apoſtolus indicat, cùm ait ; *Ideò inter vos infirmi, & dormiunt multi*: ergo non erat ibi ſola figura. Accedit quòd omnes veteres hũc locum ſic intellexerunt.

4. Prob. ex eodẽ ibid. 6. 11.

Secundò. Ex Concilijs.

12 PRimò, Ex Concilio Nicæno I. quod fuit 318. Epiſcoporum, Anno Domini 325. vbi dicitur, in ſacra menſa ſitum eſſe illum agnum, qui tollit peccata mundi, illumque incruentè à Sacerdotibus immolari, & nos ipſius pretioſum corpus & ſanguinem verè ſumere.

Secundò, Synodus VII. Oecumenica quæ eſt Nicęna II. 350. Epiſcoporum actione 6. tom. 3. docet Sacrificium noſtrum non eſſe imaginem, aut ſimilitudinem corporis Chriſti, ſed ipſum corpus & ſanguinem ; contrariam ſententiam vocat *abominandam, & extremam dementiam, traditioni Apoſtolorum, & omnium Patrum, & proprietati veritatique verborum Chriſti, contrariam.* Celebrata eſt hæc Synodus Anno Domini 787.

Tertiò, Idem definitum eſt ex profeſſo in Synodo Vercellenſi ſub Leone IX. anno Chriſti 1050. vbi Berengarij, & Ioannis Scoti ſententia damnata, cum ſcriptis.

Quartò, Idem definitur in Concil. Turonenſi ſub Victore II. Præſide eius legato Hildebrando, qui poſteà Gregorius VII. fuit. Anno Chriſti 1055.

Quintò, In Concil. Romano 113. Epiſcoporum ſub Nicolao II. anno Chriſti 1059. vbi Berengarius hæreſim ſuam abiurauit, & profeſſionem fidei edidit; quæ habetur de conſecratione. diſt. 2. Can. *Ego Berengarius.*

Sextò, Cùm Berengarius rediiſſet ad perfidiam, coacta eſt Synodus Romana ſub Gregorio VII. anno Chriſti 1079. cui etiam Berengarius interfuit : & poſt acres diſputationes, rurſum conuictus hæreſim abiurauit.

Septimò, Idem definitum in magno Concilio Lateranenſi Oecumenico, anno 1215. quadringentorum Epiſcoporum, & octingentorum aliorum Patrum ſub Innocentio III. cap. 1. vbi dicitur *Chriſti corpus, & Sanguis in ſacramento altaris ſub ſpeciebus panis, & vini veraciter contineri.*

Octauò, In Concilio Oecumenico Viennenſi 300. & amplius Epiſcoporum ſub Clemente V. anno Chriſti 1311. vbi extat decretum de Feſto corporis Domini ; & multa teſtimonia Patrum de reali corporis Chriſti præſentia in Euchariſtia. Vide Clementinam Vnicam de Reliquijs & veneratione Sanctorum.

Nonò, In concilio Oecumenico Conſtantienſi 14c. Epiſcoporum contra Huſſitas, anno Chriſti 1418. ſeſſ. 13. vbi agitur de communione ſub vna ſpecie.

Decimò, In Concilio Florentino, cui multi Græci cum ſuo Imperatore Ioanne Palæologo ſubſcripſerunt anno 1439.

Vndecimo, & copioſiſſimè in concilio Tridentino ſeſſ. 13. contra hæreſes noſtri temporis expreſsè congregato, Anno 1545. & abſoluto, Anno 1563. Habemus igitur ſeptem concilia generalia, in quibus hæc veritas ex profeſſo eſt definita, vt omittam Prouincialia plurima.

Tertiò. Ex Patribus.

13 PRobatur Tertiò, Ex teſtimonijs Patrum, qui ſingulis annorum centurijs extiterunt, quæ ſunt innumerabilia. Nemo enim ferè Patrũ eſt, qui non apertè aſſerat Chriſtum in Euchariſtiâ contineri. Vide illa apud Garetium. Nos breuiter ad aliquot capita, ea reuocabimus.

1. Ex modo loquendi. Primum ergo caput ſumitur ex modo loquendi Patrum. Nam multi expreſsè dicunt Euchariſtiã non eſſe figuram corporis Chriſti, ſed ipſum corpus Chriſti Ita Synodus Nicæna II. act. 6. Damaſcenus lib. 4. de Fide c. 14. Theophilactus & Euthymius in cap. 26. Matthæi, & in cap. 6. Ioãnis, & alibi. Paſchaſius lib. de corpore Domini cap. 1. & lib. de Inſtitutione ſacrificij. Item Patres vocant Euchariſtiã *Pretioſum corpus, Tremẽda Myſteria, Pretium noſtrum, Pignus ſalutis, ſacrificium ſalutis æternæ, ſacramentorum conſummationem.* Ita Optatus Mileuitanus lib. 6. contra Parmenianum. Ephrem lib. de Natura Dei minimè ſcrutanda Chryſoſtomus hom. 51. in Matthæũ. & 60. ad populum. D. Auguſtinus lib. 1. contra Creſconium cap. 25. Dionyſius Areopagita lib. de Eccl. Hier. cap. 3. p. 1.

2. ex comparatione euchariſtiæ cum alijs rebus. Secundum caput ſumitur ex comparatione huius Sacramẽti cum alijs rebus. Primò enim comparant Patres Euchariſtiam cum Sacramentis veteribus, & dicunt illam differre à Manna, à Panibus propoſitionis, Agno paſchali, & ſimilibus, tamquã veritatem à figura, corp. ab vmbra, rem cęleſtem & diuinam à terrena, incorruptibilem à corruptibili. Ita Origenes hom. 7. in Numeros, & homil. 5. in diuerſa loca Euãgelij. Cyprianus ſermone de cæna Domini. Ambroſius lib. de ijs qui myſteriis initiantur cap. 9. & lib. 4. de Sacramẽtis c. 3. 4. & 5. Chryſoſtom. hom. ad Neophytos. Secundò comparant illam cum vnione hypoſtatica & myſterio Incarnationis. Sicut enim chriſtus cõſtat ex natura diuina & humana, ita & hoc Sacramẽtum ex corpore Chriſti inuiſibili: vt pulchrè Iuſtinus martyr in Apologia ſecunda pro Chriſtianis ſub finem, his verbis: *Sicut* IESVS *per Verbum Dei incarnatus Carnem & ſanguinem*

nẽ habuit, ſic cibus Euchariſtia factus per verbũ Dei, eſt Caro & Sanguis incarnati IESV. Ambroſius de ijs qui myſterijs initiantur cap. 9 Chryſoſtomus hom. 24. in priorem ad Corinthios. Damaſcenus lib. 4. de Fide c. 14. Remigius in cap. 10. prioris ad Corinth. Theodoretus dial. 2. Tertiò, Auguſtinus lib. 3. de Trinitate cap. 10. comparat Chryſtum in Euchariſtia cum Angelis in ſpecie corporali apparentibus. Et Chryſoſt. hom. 24. in priorem ad Corinthios, Chriſtum vt eſt in altari per Euchariſtiam, comparat cum eodem Chriſto vt erat in præſepi, & vt eſt in cælo. Quartò, Patres comparant eos qui indignè accipiunt Euchariſtiam cum ijs qui occiderunt Chriſtum. Tertullianus lib. de Idololatria c. 7. *Prob ſcelus!* inquit, *ſemel Iudæi Chriſto manus intulerunt; iſti quotidie Corpus eius laceſſunt. O manus præcidẽdæ!* Agit contra eos qui artifices idolorum ad Sacerdotium vel Diaconatum promouebant. Cyprianus ſerm. 5. de Lapſis. Baſilius lib. de Baptiſmo c. 2.

3. Ex Mutatione panis in corpus Chriſti.

Tertium caput ſumitur ex mutatione panis. Nam Patres varijs modis indicant fieri realem mutationem. Primò, quia dicunt non remanere panem poſt conſecrationẽ; vt Cyrillus Hieroſolimytanus Catecheſi 4. myſtago. Ambroſius lib. 4. de Sacramentis cap. 3. 4. & 5. Gaudẽtius tract. 2. de Exodo. Chryſoſtomus hom. de Euchariſtia in Encæniis. Gregor. Nyſſen⁹ in orat. Catechc. cap. 37. Emiſſenus in ſerm. de Corpore Domini. Et Tertul. lib. 2. c. 5. ad vxorem, vbi ait; *Non ſciret mãritus quid ferret ante omnem cibum guſtes? Et ſi ſciueret, panem, non illum credit eſſe qui dicitur*; id eſt, Chriſtum. Irenæus etiam lib. 4. cap. 34. dicit Euchariſtiam poſt conſecrationem non eſſe panẽ communem; conſtare ex duabus rebus terrena & cæleſti: adferre corporibus noſtris immortalitatem; virtute eius cineres excitari, ſicut granum virtute genitali. Secundò, Dicunt ſenſus falli in hoc myſterio. Cyrillus Catecheſi 4. iam citatâ. Chryſoſtomus ſuprà de Euchariſtia, & hom. 83. in Matthęum. Tertiò, Dicunt panem ita mutari in carnem Chriſti verbis conſecrationis, ſicut olim Chriſto comedẽte panis mutabatur in eius carnem per nutritionẽ. Ita Gregorius Nyſſenus oratione Cateche. c. 37. Damaſcenus lib. 4. c. 14. Theophilactus in cap. 6. Ioannis. Quartò, Cõparant Patres cum mutationibus realibus, aquæ in vinum, virgarum in ſerpẽtes, & ſimilibus. Ita Ambroſius de ijs qui myſterijs initiantur cap. 9. Cyrillus Hieroſolymitanus Catech. 4. Cyrillus Alexandrinus lib. 4. in Ioãnem cap. 13. Auguſtinus lib. 3. de Trinit. cap. 4. Damaſcenus lib. 4. cap. 14. Quintò, Dicũt ad iſtam mutationem requiri omnipotentiam Dei. Ita Iuſtinus probat Chriſtum eſſe filiũ Creatoris, & Creatorem per quem omnia naſcũtur, quia eius verbo panis Euchariſtizatus eſt corpus eius. Irenæus lib. 4. c. 34. Cyprianus de cœna Domini. Hilarius lib. 8. de Trinit. Ambroſ. de ijs qui myſt. initiantur. c. 9. Nyſſenus oratione Catech. &c. Gaudentius ſuprà tract. 2. Proclus lib. de Tradit. diuinæ Liturgię.

4. Ex altiſſimo myſterio.

Quartum caput ſumitur ex eo quòd Patres in hoc Sacramento agnoſcãt altiſſimum myſteriũ. Primò, Nam dicunt non poſſe intelligi ſine fide. S. Andreas Apoſtolus, vt habetur in vita eius. Ephrem lib. de natura Dei non ſcrutanda cap. 5. Gaudẽtius ſuprà, Auguſtinus Pſ. 33. & tract. 26. in Ioan. Damaſcenus lib. 4. c. 14. Secundò, Sæpè hortantur vt certò credamus, & nullo modo dubitemus de veritate hui⁹ myſterij. Cyrillus Hier. Catech. 4. myſtag. Hilarius lib. 8. de trinit. Ambroſius lib. 4. de Sacramentis cap. 5. Naziãzenus oratione 2. de Paſcha. Epiphanius in Ancorato circa medium. Ephrem ſuprà. Chryſoſt. hom. 60. ad populum & 83. in Matth. Tertiò, Dicunt eſſe magnum miraculum ſuperans captum humanũ. Ita Ephrem loco citato. Chryſoſtomus lib. 3. de Sacerdotio. Auguſtinus Pſal. 33. in titulum Pſal. *Ferebatur in manibus ſuis*. Gaudẽtius ſuprà. Heſichius lib. 2. in c. 8. Leuitici. Quartò, Interrogãtes quomodo poſſit fieri, remittebant ad omnipotẽtiam Dei: vt Cyrillus Alex. lib. 4. in Ioan. c. 15. Theophil. in c. 26. Matthæi. Quintò, Non loquebantur de eo corã Ethnicis & Catechumenis niſi tectè, & illis verbis *Norũ fideles*, vt patet ex Tertul. lib. 2. ad vxorem. Origenes hom. 13. in Exodum, & 9. in Leuiticũ. Auguſtinus Pſ. 39. Theodoret. Dialogo *Inconfuſus*, qui eſt Secundus.

5. Ex veneratione.

Quintum caput ſumitur ex veneratione. Nam Primò, Adorabant Euchariſtiam. Vide Cyrillum Hieroſ. Catech. 5. myſtag. Ambroſium lib. 3. de Spiritu ſancto cap. 12. Nazianzenum de obitu S. Gorgoniæ ſororis. Chryſoſtomum hom. 41. in 1. ad Corint. Auguſtinum epiſt. 118. c. 3. & Pſal. 98. Secundò, Eam inuocabant, & dicebant eſſe inuocandam. Ita Areopagita de Eccleſ. Hierarc. c. 3. p. 3. Origenes hom. 5. in varia Euangelij loca. Nazianzenus oratione in obitum Gorgoniæ ſororis. Chryſoſtomus oratione de S. Philogonio. Tertiò, Dicunt Angelos aſſiſtere propè altare dũ peragitur Sacrificium. Ita Ambroſius lib. 1. in Lucam c. 1. Gregorius Papa lib. 4. Dial. c. 58. Chryſoſtomus hom. 61. ad Populum, qui etiam addit Angelos inclinato capite aſſiſtere corã Euchariſtia; & lib. 6. de Sacerdotio fusè. Quartò, Diligentiſſimè cauebant ne aliquid ex ea in terrã excideret. Ita Pius papa apud Gratianum de conſecrat. diſt. 2. can. *Qui per negligentiã*, qui etiam pœnam conſtituit. Tertullianus lib. de corona. Origenes hom. 13. in Exodũ. Cyrillus Hieroſol. catech. 5. myſtag. Quintò, Non permittebant videri ab infidelibus vel catechumenis. Dionyſius de Eccleſ. Hierarch. c. 3. parte 2. & 3. Baſilius lib. de Bapt. c. 2. Auguſtinus tract. 11. in Ioannem.

6. Ex effectu Euchariſtiæ.

Sextum caput ſumitur ex effectu quem tribuũt Euchariſtiæ. Primò, Dicunt nobis per eam vniri Chriſtum corporaliter. Hilarius lib. 8. de Trinitate. Nyſſenus oratione catechetica. Chryſoſtomus hom. 83. in Matth. & 60. ad populum. Cyryllus Hieroſol. catech. 4. myſtag. Cyrillus Alexandrinus lib. 4. in Ioannem cap. 14. & 15. & lib. 10. in Ioannem c. 13. Secundò, Dicunt corpora noſtra reſurrectura, quia vniuntur cum Chriſti corpore, ac ab eo vim quandam accipiunt qua reformentur ad immortalitatem. Irenæus lib. 4. cap. 34. Hilarius lib. 8. de trinit. Optatus lib. 6. contra Parmenianum. Nyſſenus oratione catechetica c. 37. Chryſoſtomus hom. 51. in Matth. Cyrillus lib. 4. in Ioannem c. 14. & 15. Tertiò, Chryſoſtomus dicit Chriſtũ donare ſe nobis per Euchariſtiam, vt eum verè intra nos habeamus; quo modo nõ poſſunt ſe donare homines ijs quos amant. Quartò, Dicunt Chriſtum nobis coniungi non ſolùm per Fidem & Charitatem, ſed etiã reipsà cum illum in Euchariſtia percipimus. Ita Chryſoſtomus hom. 83. in Matthæum.

Quartò, Ex *Miraculis & Congruentijs.*

PLurima & præclariſſima ſunt miracula, quæ in variis mundi partibus facta ſunt circa eos, qui reuerenter vel irreuerẽter Euchariſtiam tractarunt, vel circa obſeſſos: quę videre eſt apud Garetium, & apud Bredenbachium. Impoſſibile

14

autem eſt myſterium aliquod fidei noſtræ miraculis à Deo confirmari, & illud verum non eſſe. *Vide Conſultationem de fide & religione capeſſenda in Conſideratione 4. vbi ex miraculis contra Nouatores oſtenditur Eccleſia Catholica eſſe ſolà veràDei Eccleſia.*

Denique, probatur hęc veritas tribus Congruentijs, quas habet D. Thomas, quarũ prima valdè vrgens eſt, quòd nẽpe lex noua careret ſacrificio. His adde duas Cõſiderationes. Prior eſt: Si hoc myſterium negetur, multò magis negandum eſſe myſteriũ Trinitatis, & Incarnationis. Primò, Quia hęc sũt multò difficiliora, & humanæ rationi magis incredibilia, quã præſentia corporis Chriſti in Euchariſtia. Secundò, Quia nuſquã in ſcripturis tàm apertè & diſtinctè expreſsũ eſt myſterium Trinitatis, & Incarnationis, quàm præſentia Corporis Chriſti in Euchariſtia. Tertiò Quia plurima lóca, eaque difficillima ex ſcripturis adferri poſſunt, quibus iſta myſteria impugnentur: vt patet ex diſputationibus Patrũ antiquorum, præſertim Athanaſij, & Cyrilli Alexandrini: pauca verò inueniuntur contra hoc myſterium, eaque ſolutu facilia. Vnde priora illa myſteria multis ſeculis oppugnata ſunt, quando de Euchariſtia nulla adhuc erat dubitatio. Quare quòd Caluiniſtæ hoc negent, & non illa; non eſt, quòd ex ſcripturis magis probari poſſint: ſed quia ipſi non audent illa totius religionis Chriſtianæ prima fundamenta ſtatim initio mouere: poſtea tamen quando iam exercitati ſunt in minoribus, idonei ſunt ad audenda maiora. Vnde videmus eos ex caluiniſtis paſſim fieri Arianos, & ex Arianis Atheos. Et ſanè conſequẽter procedunt: Si enim hoc non eſt credendum, neque myſterium Trinitatis & Incarnationis eſt credendum: Si hæc non ſunt credenda, nihil eſt credendum.

Æquè negamyſterium Trinitatis & Incarnationis, quam Euchariſtiæ.

Ex abſurdo.

Secunda Conſideratio eſt: Incredibile eſt Deũ, in re tanti momenti, vnde totus cultus Religionis Chriſtianę dependet (ſi enim Chriſtus non eſt in Euchariſtia, omnes ſumus idololatræ (Eccleſiã ſuam, & omnes, qui ſanctitate & doctrina illuſtres fuerunt, tot ſæculis, poſt tot, tantaſque diſcuſſiones permiſiſſe decipi: & veritatem patefeciſſe hominibº ſuperbis, periuris, hęreticis, impuris, quales fuêre Berengarius, Vvicleff, Svuinglius, Caluinus &c. *Hanc conſiderationem vide latiùs deductam in conſultatione de fide capeſſenda, in conſideratione 3. vbi ex ſanctitate auctorum Religionis Catholicæ oſtenditur eorum fides neceſſariò vera eſſe. Et ibidem in conſideratione 9. in 5. ratione conuincitur ex vita & moribus hæreſiarcharum falſitas doctrinæ eorum.*

Soluuntur obiectiones hæreticorum ex Scripturis.

1ſ 1. obiectio

SEd obijciunt hęretici ex ſcripturis. Primò: Dominus accipiens panem dixit, *Hoc eſt Corpus meum*: ergo alleruit *panem eſſe ſuũ corpus*: Sed hoc non poteſt eſſe verum, niſi per *corpus* intelligamus *figuram corporis*: ergo eſt figura. Confirmatur, Quia quod Dominus accepit, benedixit, & fregit, hoc dedit Diſcipulus: ſed accepit, benedixit & fregit panem: ergo & dedit panem. Simile argumentum poteſt fieri de vino.

Soluio.

Reſpondeo Primò; Illud (*Hoc*) non deſignat panem: primò, Quia alioqui deberet dicere, Hic panis eſt corpus meum: orationis enim continuatio id poſtulabat; *Accipiens panem, & benedicens fregit, dicens*; Hic panis eſt corpus meum. Cur ergo mutauit formam orationis, dicens, *Hoc eſt corpus meum*, niſi quia reuerà non deſignabat panem materialem? Deinde, Si pro nomen (*Hoc*) deſignat panem, cur nemo Euangeliſtarũ id explicuit, ſicut in alijs etiam minutioribus facere ſolent, ſed omnes ijſdem verbis vſi ſunt, *Hoc eſt corpus meum*? Tertiò, Etiamſi expreſsè dixiſſet Dominus, *Hic panis eſt corpus meum*, oratio tamen non patitur, vt intelligamus panem terrenum, ſed cœleſtem; Sicut Ioannis 6. cùm ait, *Panis, quem ego dabo, Caro mea eſt*, non poſſumus intelligere de pane terreno, ſed de cibo cœleſti, qui eſt eius Caro: nam tropus eſt in nomine *panis*, non in nomine *carnis*. Quare euidens eſt non deſignari panem terrenum. Vnde

An *Hoc* in forma Euchariſtiæ ſignifices panem.

Reſpondeo Secundò, deſignari id, quod Chriſtus Dominus tradebat: *Hoc*, id eſt, *id quod vobis trado, ſeu ſubſtantia ſub his ſpeciebus in termino hũc actionis contenta*: nam ad illum terminum reſpicitur. Et Ratio eſt, Quia illa oratio eſt practica ſeu operatoria eius, quod ſignificat: vnde non ſupponit ſuum ſignificatum, ſed facit illud. Quare non deſignatur aliqua ſubſtantia, quæ ſit quando pronuntiatur, ſed quæ ſit in inſtanti terminatiuo totius orationis conſecratoriæ.

quid deſignet *Hoc*, cùm dicit Dominus, *Hoc eſt Corpus meũ.*

Dices Primò, pronomen *Hoc* deſignat aliquid, dum pronuntiatur: ſed tunc non eſt niſi panis: ergo deſignat panem.

Reſpondeo, deſignat aliquid dum pronuntiatur; ſed hoc non eſt, dum pronuntiatur; ſed mox erit ſub ſpeciebus ſenſibilibus. Ad hoc enim ſatis eſt, vt nunc aliquid ſenſibile ſit, quod vertetur in illud, & cuius loco illud ſubſtituetur: ratione enim huius; poteſt deſignate id, quod nondum eſt. Neque id mirum eſt, ſed neceſſarium in oratione practiqua, quæ facit ſuum ſignificatum. Quod explicatur à ſimili. Si Dominus in nuptijs, acceptis hydrijs, aquæ, dixiſſet, *Hoc eſt vinum*, eamente, vt iſtis verbis conuerteret aquam in vinum; pronomen *Hoc* non deſignaſſet aquam; ſed illud, in quod aqua vertitur, quod continetur in hydrijs in termino orationis: nam ad illud inſtãs, & pronomen *hoc*, & verbum *eſt*, referuntur. Simili modo, ſi accepto limò cùm faceret hominẽ, pari intentione dixiſſet, *Hic eſt homo*: &, accepta coſta, dixiſſet, *Hæc eſt mulier*, non deſignaretur niſi id, in quod fit conuerſio; nempe ſubſtantia, quæ eſt in termino orationis.

Oratio practica facit ſuum ſignificatum.

Dices Secundò, In vltimo inſtanti verborum, nihil eſt ſub ſpeciebus, niſi Corpus Chriſti ex ſententia Catholicorum: ergo ſi pronomen *Hoc* demonſtrat id, quod continetur ſub ſpeciebus in fine verborũ, deſignat Corpus Chriſti; & ſic ſenſus erit, *Corpus meum eſt corpus meum.*

Reſpondeo, Negando Sequelam: Quia deſignat contentum ſub ſpeciebus, vt abſtrahit à Corpore Chriſti, & ab alia quauis ſubſtantia particulari ſeu determinata. Nam verba ſunt notæ rerum, vt animo concipiuntur. Poteſt autem contentum ſub ſpecibus ita concipi: tamen ſic conceptum eſt deſignabile ratione ſpecierum deſignabilium. Poteſt etiam dici deſignari corpus, quatenus abſtrahit à Corpore Chriſti, & quouis alio determinato.

Dices Tertiò, Priùs res debet eſſe, quàm pronuntietur eſſe: ſed Corpus Chriſti non eſt in Euchariſtia priùs tempore vel naturâ, quàm dicatur eſſe: ergo falſum eſt *Hoc eſt Corpus meum*, niſi *corpus* accipiatur pro corporis figura.

quomodò, & an priùs ſit rem eſſe quàm dici eſſe.

Reſpondeo, Dupliciter res poteſt pronuntiari eſſe. Primò, Speculativè: & ſic priùs naturâ debet eſſe, quàm dicatur eſſe; quia oratio ſpeculatiua præſupponit ſuum ſignificatum. Secundò Practicè, Ita vt illa oratio ſit cauſa rei per ipſam ſignificatæ: & ſic res eſt poſterior natura, quàm oratio pronuntiata; vt patet in oratione impera-

tius, *Fiat lux*; *Surge, & ambula*; & in alia quauis practica oratione; vt *Hic ager eſt tuus*, ſi tibi hac oratione agrum donem.

Dices Quartò, Si eſt oratio practiqua, debebat potiùs dici, *Hoc fiat corpus meum*; ſicuti, *Fiat lux*.

An Dominus debuerit dicere ſmperatiuè Hoc fiat Corp⁹ meum.

Reſpondeo Negando Conſequentiam: Nam etiam aliàs Dominus vſus eſt modo indicatiuo in oratione imperatoria; vt Ioannis 4. *Vade, filius tuus viuit*, & alibi, *Dimittuntur tibi peccata tua*. Ratio eſt, Quia hæc oratio, *Hoc eſt enim Corpus meum*; ſimul explicabat cauſam, cur deberent illud comedere. At non rectè dixiſſet, Accipite & comedite; hoc enim fiat corpus meum. Secundò, Quia hæc oratio non ſolùm debebat eſſe efficax; ſed etiam ſignificatiua eius, quod efficit: efficit autem, vt Corpus Chriſti ſit ibi permanenter: vnde hoc aliquo modo debebat ſignificare: quod optimè fit per verbum *eſt*.

16 Obiciunt Secundò, Hæc oratio, *Hoc eſt Corpus meum*, eſt Sacramentalis: ergo ſignificat Corpus Chriſti ibi eſſe Sacramentaliter, ſeu ſignificatiuè tantùm.

2.obiectio

Soluti0. Reſpondeo, Si per *orationem Sacramentalem* intelligas eam, quæ ſolùm habeat ſenſũ metaphoricum & figuratiuum, vt hæc oratio *Septem boues, ſunt ſeptem anni*, Geneſ. 41. v. 26. *Septem capita, ſũt ſeptem montes*, Apoc. 17. v. 9. *Semen eſt Verbum* D. *i*, Lucæ 13. v. 12; ſic nego hanc orationem eſſe *Sacramentalem*: de hoc enim eſt controuerſia. Si autẽ intelligas eam; qua inſtituitur & perficitur *Sacramentum*, id eſt, ſignum ſenſibile efficax gratiæ; ſic admitto eſſe *Sacramentalem*. Sed non ideò neceſſe eſt, vt habeat ſenſum figuratiũ: vt patet in iſta, *Ego te Baptizo* &c. Imò requiritur, vt ſit propria, & clara; vt patet ex ſuprà dictis: ſicut etiã verba ſacramentalia, quibus vetera Sacraméta ſunt inſtituta, clara ſunt.

quomodo hæc oratio *Hoc eſt Corpus meum*, ſit ſacramentalis.

17 Obiciunt Tertiò, In aliis multis Scripturę locis, *Eſt*, accipitur pro *ſignificat*; vel ſaltem attributum accipitur *figuratè*: ergo &c.

3.obiectio

Antecedens patet Exod. 12. *Agnus eſt Phaſe*; id eſt, *tranſitus*, quia ſignificat tranſitum. Prioris ad Cor. 10. v. 4. *Petra erat Chriſtus*, & v. 16. *Panis eſt communicatio corporis Chriſti*. 1. Cor. 11. v. 25. *Hic calix nouum Teſtamentũ eſt in meo ſanguine*; vbi duplex eſt tropus: nam *calix* accipitur pro re contenta, & *teſtamentum* pro ſigno teſtamenti.

Soluti0. Reſpondeo Primò, Etſi in quibuſdam locis inueniatur tropus, non tamen inde ſequitur etiam hîc, *Hoc eſt Corpus meum*. eſſe tropum, ob rationes ſuprà dictas: ſeruanda enim ſemper eſt proprietas verborũ, niſi quando rei abſurditas aliud cogit.

Reſpondeo Secundò, Numquam verbum, *eſt*, accipitur pro *ſignificat*: quia eſt ſimpliciſſima nota connexionis attributi & ſubiecti, & ideò nullum admittit tropum.

Verbũ *Eſt* numquam accipi pro *ſignificat*, exemplis oſtenditur

Quòd ad exempla illa attinet: Agnus, eſt Phaſe, ſeu Paſcha propriè; ſicut & dies Feſtus dicitur Paſcha; nomine deriuato à tranſitu Domini. Dies enim dicitur Paſcha, quia in eo celebratur memoria tranſitũs Domini. Agnus autem dicitur Paſcha, quia eſt hoſtia paſchalis; vt patet Lucæ 22. *Neceſſe erat occidi Paſcha*. Vnde verbum *eſt*, accipitur propriè. Sic *Petra erat Chriſtus*, id eſt, ſpiritalis petra, quæ Iudæis neceſſaria præbebat, verè & propriè erat Chriſtus: hæc enim Iudæos comitabatur; non autem rupes illa immobilis: vnde *eſt*, accipitur propriè.

Agnus.

Petra.

Panis. Similiter, *Panis eſt communicatio corporis Chriſti*, non eſt ſenſus, Panis ſignificat communicationem corporis Chriſti; ſed ſenſus eſt, Panis, quem frangimus, id eſt, immolamus, & diſtribuimus fidelibus, eſt communicatio corporis Chriſti: nempe, quia ille panis propriè eſt corpus Chriſti, & per illum realiter corpori Chriſti vnimur. Quare, *eſt*, accipitur propriè; ſed *panis*, accipitur pro pane cœleſti: quod ſatis indicatur, cùm dicitur, *Quem frangimus*, id eſt, immolamus; hoc enim ibi ſignificat *frangere*, vt patet cùm ait, *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis frangitur*, 1. ad Corinth. 11. id eſt, offertur Deo Myſtica fractione. Confirmatur; Quia Corpus Chriſti in cruce fractum non fuit; vt patet ex illa prophetia Exod. 12. *Os non comminuetis ex eo*: ergo fractum fuit in cœna, vbi Chriſti corpus pro Diſcipulis immolatum fuit interueniente myſtica fractione, non qua in ſe, ſed ratione ſpecierum frangeretur.

In cœna quomodo Chriſti Corpus fractum.

In illo autem teſtimonio, *Hic eſt calix nõui Teſtamenti*, concedi poteſt in voce *Calicis* eſſe tropum, etſi quidam negent: non enim vult Dominus dicere, hoc vaſculum ſeu poculum eſſe nouum teſtamẽtum; ſed rem in poculo contẽtam. Verùm hic tropus eſt æquè clarus, atque propria locutio. Deinde, ſatis ibidem explicatur, dum Dominus ait, *Accipite & bibite; hic calix eſt nouum Teſtamentum*; non enim bibitur calix; ſed quod calice continetur. Item, cùm ait, *qui pro vobis effunditur*: atqui non effunditur ipſum vaſculum, ſed liquor qui in eo eſt. Denique, Lucas & Paulus dicunt, *Hic eſt calix nouum Teſtamentum in meo Sanguine*: Matthæus verò & Marcus dicunt, *Hic eſt Sanguis meus noui Teſtamenti*, ſatis explicantes quid nomine *Calicis* debeat intelligi. Credibile tamen eſt Dominum dixiſſe ea verba, quę Matthęus habet, qui inſtitutioni Euchariſtię interfuit, & à quo Marcus accepit, qui ferè contraxit Matthæum; Lucas verò & Paulus, quia non interfuerunt, verbis equiualentibus vſi ſunt.

Calix.

Tropus autem, quem in voce *Corporis* hæretici fingunt, eſt inſolentiſſimus & obſcuriſſimus. Nuſquã enim in vniuerſa Scriptura talis tropus inuenitur: nec in vulgari modo loquendi, nec vſquam inſinuatur ea voce aliquem tropum contineri, ſicut inſinuatur de *Calice*.

Corpus.

18 In voce autem *Teſtamentum*, nullus eſt tropus. Vox enim *Teſtamentum* ſiue διαθήκη, accipitur dupliciter in Scripturis, ſicut & in rebus humanis.

Teſtamẽti duplex acceptio.

Primò, Pro voluntate teſtatoris, qua de hereditate diſponit; ſiue ea voluntas ſit abſoluta, ſiue conditionata. Iuxta hunc modũ in Scripturis vocatur *Pactum, Fœdus*, & *Promiſſio*; Exod. 24. *Hic eſt ſanguis fœderis*, id eſt, teſtamentum, vt citat Apoſtolus ad Hebræos 9. Et ſenſus eſt, Hîc eſt ſanguis, quo ſanctificatur pactum, & promiſſio diuina de terra promiſſionis, ſi mandata eius cuſtodieritis. Sic Geneſis 17. Circumciſio dicitur *ſignum fœderis ſeu teſtamenti*. Ieremiæ cap. 31. diſtinguuntur duo teſtamenta, Nouum & Vetus.

Secundò, Accipitur pro inſtrumento authentico, quo voluntas teſtatoris continetur, & ius ad hereditatem acquiritur: iuxta quem modum *Circumciſio* dicitur *teſtamentum*. Eccleſiaſt. 44. *In carne eius ſtare fecit teſtamentum*: & Geneſ. 17. *Erit pactum meum in carne veſtra*. Quia videlicet per circumciſionem dabatur illi populo ius ad terram promiſſionis. Vnde etiam Sacramenta legis nouæ rectè dicuntur *teſtamenta Chriſti*, quia ſunt veluti inſtrumenta authentica continentia diuinam promiſſionem, nobiſque ius ad cœle-

ſtem hereditatem tribuentia: ſed potiſſimùm Euchariſtia, quia continet Sanguinem Domini pro nobis effuſum; & clarè huius Sanguinis effuſionem repræſentat, vnde nouum teſtamentum ſuam vim habet. Itaque *Calix conſecratus* rectiſſimè & propriè dicitur *teſtamentum*, accipiendo *teſtamentum* ſecundo modo; quia continet diuinã promiſſionem, eamque nobis applicat, ius tribuens ad cęleſtem hereditatem, veluti inſtrumentum quoddam authenticum.

quomodo Calis propriè ſit & dicatur Teſtamẽtum.

Dices, Si Sanguis Chriſti in Euchariſtia eſt *nouum Teſtamẽtum*, quomodo ergo Matthęus dicit *Hic eſt ſanguis meus noui teſtamenti*?

Conciliatur Matthæus cum Luca & Paulo.

Reſpõdeo, Matthęus accipit *Teſtamentũ* primo modo, ſcilicet pro diuina promiſſione cęleſtis hęreditatis; nam ſanguine Chriſti sãcitur, & firmatur diuina promiſſio. Cùm autẽ Lucas & Paulus dicunt, *Hic eſt calix nouũ Teſtamentum*, accipiũt *Teſtamentum* ſecundo modo, pro inſtrumento authentico, quo applicatur diuina promiſſio. Eodẽ modo Geneſ. 17. *Circumciſio* vocatur *fœdus* ſeu *teſtamentum*, accipiẽdo *Teſtamentum* ſecũdo modo: nam eſt veluti inſtrumentum cõtinens, & applicans diuinam promiſſionẽ. Vocatur etiam *ſignũ teſtamenti*, accipiendo *teſtamentum* primo modo. Hinc patet idem valere; *Hic eſt ſanguis meus noui Teſtamenti*, &, *Hic eſt calix nouum Teſtamentum in meo ſanguine.*

19 4. obiectio ex Ioan. 6.

Obiiciunt Quartò, Ioannis 6. v. 63. *ſpiritus eſt, qui viuificat, caro non prodeſt quidquam*: ergo Dominus ibi non loquitur de manducanda ſua carne. Imò Caro Chriſti non erit in Euchariſtia; nam Euchariſtia prodeſt.

Solutio.

Reſpondeo, Certum eſt Carnem Chriſti, quatenus eſt vnita Diuinitati, plurimùm prodeſſe: nã pretium redemptionis noſtræ in ea conſiſtit: adeò vt Apoſtolus ad Coloſſenſes 1. dicat *Nos reconciliatos Deo per Carnem Chriſti.* Itaque cum *Caro Chriſti*, etiam in Euchariſtia ſit vnita diuinitati, non poteſt non plurimùm prodeſſe. Verus ergo ſenſus illorum verborum eſt, Carnem nihil prodeſſe per ſe, & ſine diuinitate: quomodo ab ipſis concipiebatur, cùm putarent nudam, & crudam carnem deuoranda m: tamen cum diuinitate plurimùm prodeſſe, quia ſic eſt ſpiritus & vita: *Verba*, inquit, *quę locutus ſum vobis*, id eſt, res, de qua ſum locutus, *eſt ſpiritus*; id eſt, non eſt nuda caro humana; ſed eſt plena ſpiritu ſeu diuinitate, quæ illi eſt ſubſtantialiter vnita: more enim Hæbreo, id quod aliquo plenum eſt, eius nomen accipi: Et *vita*, id eſt, habens vim viuificandi. Ita exponunt hunc locum Tertullianus, Athanaſius, Auguſtinus, Cyrillus Alexand. & Damaſcenus: vt videre eſt apud Toletum in Ioannem hoc loco.

Senſus eſt *Caro non prodeſt quidquam.*

20 5. obiectio ex 1. Cor. 10.

Obiiciunt Quintò, 1. ad Corint. 10. v. 1. *Patres noſtri eandem eſcam ſpiritalem manducauerunt, & eundem potum ſpiritalem biberunt*: ſed illi non ſumpſerunt corpus, & ſanguinem, niſi fide: ergo nec nos.

Solutio.

Reſpondeo, Non eſt ſenſus, illos eandem eſcã ſpiritalem nobiſcum comediſſe, ſed eandẽ inter ſe: ſicut omnes Interpretes Græci, & plerique Latini explicant: omnes enim comederunt Manna, & bibẽrũt aquam de petra. Dicitur autẽ Mãna, *eſca ſpiritalis*; quia erat eſca ſignificatiua ſeu myſtica; ſignificabat enim Euchariſtiam: reipſa tamen non erat eſca cæleſtis, ſicut Euchariſtia, ſed terrenus cibus corpori dumtaxat vtilis, vt patet Ioannis 6. Dices; Auguſtinus Tract. 26. in ioan. & alibi, dicit nos, & Iudęos eandem eſcam manducaſſe. Reſpondeo, ſolùm vult dicere, illam eſcam fuiſſe eandem cum noſtra ſignificatione, non re, & virtute: nam idem ſignificabant illa vetera Sacramenta, quod noſtra; verùm non idem continebant. Aduerte tamen, hanc expoſitionem Auguſtini non eſſe conuenientem textui; vnde aliorum eſſe præferendam.

Mens S. Auguſtini.

Soluuntur obiectiones ex Patribus.

21 Primus locus ex Tertull.

ALterum genus argumentorum eſt ex Patribus, qui ante exortas hæreſes de hoc myſterio ſecuriùs loquebantur. Vnde hæretici adferũt quędam obſcuriora, vel alio tendentia, cùm tamen iidem Patres habeant alia loca clariſſima, quibus veritatem præſentiæ corporis Chriſti explicent. Primò, Tertull. lib. 3. contra Marcionem c. 19. *Sic Deus in Euangelio quoque veſtro reuelauit, panem Corpus ſuum appellans, vt & hinc iam eum intelligas corporis ſui figuram pani dediſſe, cuius retro*, id eſt, olim, *corpus in panem Prophęta figuranit, ipſo Domino hoc Sacramentum poſtea interpretaturo.*

Pro nobis facit.

Reſpondeo, Iſte locus probat Chriſti Corpus eſſe verè præſens in Euchariſtia, vt etiam fatentur Magdeburgenſes teſte Pamelio. Docet enim Tertullianus *illum panem*, de quo dicitur apud Ieremiam cap. 11. v. 19. *Mittamus lignum in panem eius*, eſſe corpus Chriſti; & Chriſtum, vt hanc figuram & hoc vaticinium impleret, vocaſſe in Euangelio corpus ſuum, panem: Ioannis 6. Vnde manifeſtè ſequitur, illum panem, quem Chriſtus vocauit corpus ſuum, fuiſſe verè corpus eius; non autem fuiſſe ampliùs panem terrenum, quia Iudæi non miſerunt *lignum*, id eſt, crucem, in panem terrenum, ſed in corpus Chriſti, quod eſt panis vitæ in Euchariſtia. Quod autem ſequitur in tertulliano *Vt & hinc iam eum intelligas* &c. Senſus eſt, *Vt hinc intelligas* Chriſtum in veteri Teſtamento voluiſſe, vt panis eſſet figura corporis poſteà aſſumendi, cùm Propheta ipſius corpus per panem figuratè expreſſerit, ipſo Domino hoc Sacramentum, id eſt, occultam hanc ſignificationem poſteà interpretaturo, nempe cùm Ioannis 6. vocauit *Corpus ſuum, panem*: & cùm in cœna *panem* tenens manibus, dixit; *Hoc eſt corpus meum.*

Secundus locus ex tertull. etiam cõbis fauet.

Alter locus eſt lib. 4. contra Marcionem c. 40. *Acceptum panem, & diſtributum Diſcipulis, corpus ſuum illum fecit, hoc eſt corpus meum dicendo, id eſt, figura corporis mei; figura autem non fuiſſet, niſi veritatis eſſet corpus.* Reſpondeo, hic locus etiam eſt pro nobis, vt optimè oſtendit Pamelius; & patet ex verbis prioribus, quę manifeſtè pro nobis sũt. Illud autem, *id eſt figura corporis mei*, non eſt explicatio nominis *Corpus*, ſed pronominis *Hoc*: Senſus enim eſt; acceptum panem, corpus ſuum fecit, dicendo *Hoc*; id eſt. panis, qui olim erat figura corporis mei, nunc eſt *Corpus meum*: vbi pronomen *Hoc* demonſtrat *panem*, non qui manet, ſed qui mutatur, ſeu *contentum ſub ſpecieibus panis*; quod ſub principio verborũ eſt *panis*, in fine verborũ eſt *Corpus Chriſti.* Vide ſequentia verba, quibus hic ſenſus planè conuincitur. Sic paulò infrà ait, *Nunc ſanguinem ſuum in vino conſecrauit, qui tunc*, ſcilicet in lege veteri, *eum in vino figurauit.*

Ambroſius explicatur.

Simili modo loquitur Ambroſius lib. 4. de Sacrament. cap. 5. *Dicit*, inquit, *ſacerdos*; *fac nobis hanc oblationem adſcriptam, rationabilem, acceptabilem, quod eſt figura corporis, & ſanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti*: loquitur namque de pane & vino: ſic enim ſe ſatis explicat.

22

Obiiciunt Secundò, ex Auguſtino; Primò, epiſt. 23. ad Bonifacium: *ſi ſacramenta quandam*

Tertius locus ex Auguſtino

ſimilitudinem earum rerũ, quarum ſunt Sacramenta, non haberent, Sacramenta non eſſent. Ex hac autem ſimilitudine plerumque etiam ipſarum rerum nomina accipiunt. Sicut ergo ſecundùm quendam modum Sacramentum Corporis Chriſti, Corpus eſt Chriſti, ſacramentum ſanguinis Chriſti, ſanguis Chriſti: ita ſacramentum fidei, fides eſt.

Soluitur.

Reſpondeo; D. Auguſtinum loqui de ſpeciebus Sacramentalibus, quæ dicuntur Sacramentum corporis & Sanguinis Chriſti; quia ſunt ſigna ſenſibilia repreſentantia Corpus & Sanguinem eius. Dicuntur *quodammodò corpus Chriſti*; quia ſignum poteſt appellari nomine rei ſignatę, hoc modo, inquit Auguſtinus, *ſacramentum fidei, eſt quodammodò fides, quia fidem præſentem ſignificat*: quibus verbis hæc veritas potiùs confirmatur, quàm opugnetur, vt rectè oſtendit Paſchaſius in epiſt. de Corpore & Sanguine Domini; nã ſicut Baptiſmus in paruulis dicitur *Fides*, quia ſignificat fidem in illis præſentem, licet aliter, quàm in adultis, credunt enim ſolùm habitualiter; ita ſpecies Sacramentales ſignificant Corpus Chriſti præſens, licet alium modum hîc habeat, quàm in cælo.

quartus locus ex eodẽ Auguſtino.

Alter locus eſt ex lib. contra Adimantium c. 12. vbi tractans illud Deuteronomij 12. verſ. 23. *ſanguis enim eorum pro anima eſt*, dicit ſignum ibi nomine ſignati appellari; & addit, *Non dubitauit Dominus dicere, hoc eſt corpus meum; cùm ſignum daret corporis ſui.*

quomodo Sacramentum ſit ſignum Chriſti.

Reſpondeo, Certum eſt, illud viſibile, quod Dominus dabat diſcipulis, fuiſſe ſignum Corporis Chriſti, non abſentis (vt hæretici volunt) ſed præſentis; quod fatentur omnes Catholici; ſicut ſanguis eſt ſignum animæ intra latentis, vt ibidem ait Auguſtinus, & ideò ſanguis dicitur anima, quia eſt ſignum animæ prętentis. Pari modo Sacramẽtum Corporis Chriſti, id eſt, ſpecies viſibiles, vocantur Corpus Chriſti quia continent illud. Sic Columba, quę Matthæi 3. apparuit in baptiſmo Chriſti, eſt ſignum Spiritus S. nõ abſentis, ſed prætentis; & Linguæ igneæ, quæ deſcenderunt ſuper Apoſtolos Actor. 2.

23 quintus locus ex eodem Auguſtino.

Tertiò, Ex Commentario in Pſal. 3. *Chriſtus*, inquit *adhibuit Iudam ad conuiuium, in quo corporis ſui figuram diſcipulis commendauit.*

Chriſtus in Euchariſtia eſt ſignum ſui ipſius, & quomodo.

Reſpondeo, Loquitur de figura corporis, vt in cruce ſuſpenſi: Chriſtus enim in Euchariſtia eſt figura ſui ipſius, vt in cruce ſuſpenſi: nam ſeipſũ offerendo in cœna ſub ſpecie panis & vini, voluit repręſentare oblationem ſui ipſius, quam facturus erat in cruce; quæ repręſentatio quotidie repetitur. Quàm autem apertè Auguſtinus hanc veritatem doceat, patet ex Concione in Pſal. 33. & lib 12. contra Fauſtum cap. 10. & 20. & lib. 2. de Peccatorum meritis c. 26. Idem de Tertulliano oſtendit Pamelius allatis ſeptem alijs locis eiuſdem Auctoris.

Soluuntur obiectiones ex Ratione.

24 An implicet, idem corpus eſſe in diuerſis locis.

TErtium genus argumentorũ eſt ex Ratione: Prętipua ratio eſt, quia videtur implicare contradictionem, vt idem corpus ſit in diuerſis locis ſimul.

Probatur primò, Quia ſi ſit vnum, eſt in ſe indiuiſum: ſi eſt in diuerſis locis, eſt à ſe diuiſum & diſtractum; quod implicat.

Secundò, Quia idem poſſet ſibi ipſi eſſe dextrũ, & ſiniſtrum; antè, & retrò; ſurſum, & deorſum. Item ſimul moueri & quieſcere, accedere & recedere.

Tertiò, Idem poſſet ſimul frigefieri ſimul, & caleſcere; famere & ſaturari; ſanũ eſſe & ægrotare; viuere & mori; quæ omnia videntur apertam inuoluere repugnantiam.

Quartò, Idem homo poſſet efficere integrum exercitum. Ponatur enim in decem millibus locorum, & coëat in vnum campum, erit exercitus. Vna lux poterit totum mundum illuſtrare. Vnus mulus poterit omnia onera ferre.

Curioſa inquiſitio explodit̃ a Diuo Auguſtino

Reſpondeo cum D. Auguſtino lib. 22. de Ciuit. c. 11. agente contra Platonicos: *Ecce qualibus argumentis omnipotentiæ Dei humana contradicit infirmitas, quam poſſidet vanitas!* quaſi verò mens humana, quæ infimam in intelligendo vim obtinet, omnia comprehendere poſſit, quę diuina potentia moliri. Et quaſi non ſint alia multa certiſſimâ fide credenda, quæ tamen non minùs videantur impoſſibilia.

25 Non implicat idẽ corpus eſſe in diuerſis locis.

Dicendum igitur, Nullam inuoluere contradictionem vt vnum corpus ſit in duobus locis; ac proinde id Deo eſſe perfacile. *Hæc de re vide lib. 12 de Perfectionibus diuinis c. 16. num. 119. vbi ex profeſſo materia hæc tractatur.*

Probatur Primò, Quia rem ſpiritalẽ eſſe totam in duobus locis, non repugnat. Anima enim rationalis eſt tota in oculo, & tota in pede; & prętentia vnioque, quam habet in pede, differt ab vnione, & prętentia, quã habet in oculo; etſi ipſa à ſeipſa non differat, nec diſtet. Angelus etiam eſt totus in ſingulis partibus ſpatij, quod occupat: ergo hoc non repugnat rei corporali. Antecedẽs conceditur ab omnibus.

Conſequentia probatur, Quia ratio, cur potiſſimùm res aliqua non videatur poſſe eſſe in duobus locis eſt; quia non poteſt à ſeipſa diuelli; alioquin eſſent duo. Sed hoc non obſtat; nam ea quæ ſunt maximè vnum, & ſimpliciſſima, poſſunt eſſe in diuerſis locis: imò eorum natura hoc poſtulat; vt patet in rebus ſpiritalibus: ergo eſſe in duobus locis non repugnat rebus corporalibus.

Replica ex natura Angelica.

Dices, Angelus non poteſt eſſe in duobus locis diſcontinuis, ſed ſolùm in continuis efficientibus vnum integrum locum. Anima etiam non poteſt eſſe in partibus à toto ſeparatis, ſed ſolùm cõiunctis efficientibus vnũ corpus; ac proinde hęc non cenſetur eſſe in duobus locis, ſed ſolùm in vno.

Soluitur.

Reſpondeo, Etſi fortè naturę viribus fieri nequeat, vt Angelus exiſtat in duobus locis non-continuis: tamẽ certũ eſt, Deum id poſſe efficere. Cur enim non poſſit ſubtrahere præſentiam Angeli, quam habet ad locum medium, conſeruatâ eiuſdem prętentiâ in locis extremis? nam quidã exiſtimant ipſum Angelum hoc poſſe. Sic quoque dubium non eſt, quin Deus poſſit conſeruare animam in membro abſciſſo; & tunc anima erit tota in diuerſis & ſeparatis locis; & nõ in medio: quomodo quidam in S. Dionyſio accidiſſe putant. Adde parum referre ad prętentem quæſtionem, ſint ne loca illa continua, an non: quãdo conſtat eãdem rem omnino totã poſſe eſſe in hoc ſpatio, & ſimul in alio ab hoc diſtincto; & tamen non differre, nec diſtare à ſeipſa.

quomodo per Deum vna res ſit in diuerſis locis diſcõtinuis.

Probatur idem corpus poſſe eſſe in diuerſis locis ex myſterio SS. Trinitatis

Probatur Secundò, Nullam implicat contradictionem, vt vna natura ſit in tribus perſonis re diſtinctis; vt patet in myſterio Trinitatis. Cur ergo implicet, vt vnum corpus ſit in diſtinctis locis: prętertim cùm illud ſit lõgè admirabilius? nã vna natura ſic eſt in tribus perſonis re diſtinctis, vt ipſa ſingulis perfectè identificetur, corpus autem, quod eſt in duobus locis, ſemper manet ab ipſis locis diſtinctum. Quòd ſi vna natura non diſtrahitur à ſeipſa, neque vllo modo diuiditur, dum

dum diſtinctis perſonis identificatur ; multò minùs vnum corpus à ſe diuidetur, dum diuerſis locis ſolùm extrinſecùs iungitur. Dices, Hoc conuenit diuinæ naturæ ratione ſuæ infinitatis. Reſpondeo, Quòd identificetur diuerſis perſonis, habet quidem ex ſua infinitate: Sed corpus etiam ſuam quandam infinitatem habet, vt Dei omnipotentię ſubiacet, ratione cuius poteſt in diuerſis locis collocari.

Replica ſoluitur.

Idem probatur ex vnione vniushypoſtaſis ad duas naturas.

Probatur Tertiò, Non repugnat eandem hypoſtaſim terminare ſubſtantialiter diuerſiſſimas naturas, ita vt diuerſæ naturæ ſubſtantialiter de ipſa prędicentur: ergo neque repugnat, vt idem corpus extrinſecè iungatur diuerſis locis : quia vnio hypoſtaſis cum natura eſt ſubſtantialis, & intima : vnio autem corporis cum locis eſt accidentalis, & externa. Adde, quòd illa hypoſtaſis ſic terminet, & ſuſtentet naturam humanam, vt tamen diuinitas per ſe nullo modo humanam naturam terminet : cùm tamen diuinitas omnino identificetur: quod myſterium ſine dubio eſt difficiliùs.

Item ex ratione, quod duo corpora poſſint eſſe in eodem loco.

Probatur Quartò, Duo corpora poſſunt eſſe in eodem loco tele viciſſim penetrando: vt communiter docent Patres, & Doctores. Et patet in natiuitate, & reſurrectione Domini, in ingreſſu eius ad Diſcipulos ianuis clauſis, in adſcenſu adcœlos: eritque hoc familiare poſt reſurrectionem omnibus Sanctis. Cur è contrario vnum corpus non poſſit eſſe in duobus locis ? Sicut enim hic vnum corpus videtur diſtrahi in duo, ita ibi duo corpora videntur coaleſcere in vnum : certum tamen eſt non fieri vnum : quidquid aliqui Thomiſtæ dixerint. Non enim hoc fit illud, etiamſi ſimul ſint; nec differentias ſuas indiuiduas amittunt : imò præſentiæ illorum intimæ diſtinctæ manent, & proprium cuiuſque vbi. Sic etiam certum eſse debet vnum non fieri duo, etiamſi ſit in duobus locis.

Denique exemplis.

Probatur Quintò Exemplis. Certùm enim eſt, Chriſtum, poſtquam adſcendit in cœlum, non deſcenſurum vſque in diem Iudicij. Patet ex illo Actorum 3. v. 21. *Quem oportet quidem cœlum ſuſcipere, vſq; in tempora reſtitutionis omnium.* Et ex D. Auguſtino in Pſal. 54. vbi ait, *Donec ſęculũ finiatur, ſui ſum eſt Dominus*; & tamen apparuit Paulo in terris. Actor 9. vbi Paulus loquitur cum illo, tamquam cum præſente, illumque videt coram, & audit vocem eius, vt patet ex cap. 22. Actor. ergo Chriſtus tunc ſimul erat in cœlo, & propè terras. Apparuit etiam B. Petro Romę, teſte Hegeſippo lib. 3. de Excidio vrbis hieroſolymitanę: & Athanaſio in Apologia pro ſua fuga : & Ambroſio Oratione contra Auxentium. Apparuit etiam S. Antonio teſte Athanaſio in vita eius : ita vt ad præſentiam Chriſti dæmones diffugerint, & plagæ Antonij curatæ ſint. Denique & alijs in numeris apparuit, vt facilè ex probatiſſimis Auctoribus doceri poteſt. Et confirmatur ex D. Auguſtino lib. de Cura pro mortuis agenda cap. 17. vbi refert quandam hiſtoriam de quodam Ioanne Monacho, cui apparuit alteri longè poſito in ſomnis ; cùm tamen ipſe ex ſuo Monaſterio non diſceſſiſſet. Hîc dubitat Auguſtinus, an ſpiritus eius reuerà ibi apparuerit, an non. Quare cenſebat id fieri poſſe: ait enim; *Si ipſe interfuit ſummiarti, mirabili gratia id potuit, non natura; Dei munere, non propria facultate.*

26 Non tantũ indiuiſibiliter, ſed & extenſiuè, ſeu circumſcriptiuè ; quam videtur tenere D. Thomas hîc ad 3. & 4. & Henricus a Gandauo Quotl. 9. q. 32. Durandus & Capreolus d. 10. & alij quidam Thomiſtæ. Iiſdem enim argumentis vtrumque probari poteſt: imò magis mirabile eſt, vnum corpus eſſe in vno loco diuiſibiliter, & in altero indiuiſibiliter, quàm in duobus diuiſibiliter, vt recte docet Gabriel in Canonem, lectione 46. & Scotus diſt. 10. quęſt. 2. ibi enim ſunt duo miracula, hic vnum ſolum. Et ſanè vbicumque poteſt Deus ponere aliquam ſubſtantiã, ſub modo non naturali, poteſt etiam ſub modo naturali.

extenſiuè poteſt eſſe idem corpus in diuerſis locis

Probatur Sextò adferendo cauſam. Quia Deus poteſt eandem rem bis producere, & idem numero *eſſe* bis conferre, dando rei duplicem dependẽtiam ſubſtantialem: ergo poteſt illam collocare in diuerſis locis. Conſequentia patet; ſtam hoc ipſo, quo aliquid accipit eſſe, accipit neceſſariò præſẽtiam in aliquo loco.

27 quomodo poſſit deus vnam rem ponere in diuerſis locis.

Antecedens probatur; Quia id, quod corruptum vel annihilatum eſt: poteſt idem numero inſtaurari ; vt docet communis ſententia Doctorum. Cuius etiam ſignum eſt, quod Sancti miraculis bruta reuocaſſe ad vitam legantur ; vbi non alia anima, ſed eadem, quę antè fuerat, excitata fuit : & quòd eadem accidentia in reſurrectione ſint reſtituenda, iuxta communiorem Doctorum ſententiam: ergo etiamſi maneat res integra, poterit iteratò veluti produci, & accipere nouam dependentiam eſſentialem, ſiue in hoc, ſiue in alio loco. Nam ex hoc quòd res ſemel producta ſit, vel ſemel exiſtat, non adimitur Deo poteſtas, quin idẽ numero *eſſe* poſſit conferre, ſiue in hoc loco, ſiue in alio loco. Pro quo :

Differẽtia inter Res ſpirituales & Corporales.

Notandum eſt Primò, Res ſpiritales propter eminentem perfectionẽ ſuam infinities poſſe veluti replicari, & conduplicari totas, ita vt quęlibet infinities ſit ipſa tota ; quo fit vt in ſingulis partibus, atq; adeò punctis ſpatij ſui tota exiſtat. Res autem corporales ob imperfectionem nonreplicari totas, ſed ſecundùm partes: quælibet enim habet infinitas partes, in quibus tota ſpecies replicatur, non autem totum indiuiduum: vnde ſecundùm partes quidem res corporalis eſt in diuerſis locis, non tamen ſecundùm ſe totam.

Notandum Secundò, Quaſdam proprietates, quæ rebus ſpiritalibus conueniunt naturaliter, poſſe competere in rem corporalem ſupernaturaliter, per omnipotentiam Dei; vt, exiſtere indiuiſibiliter, penetrare molem corpoream, eſſe impaſſibilem, exiſtere in diuerſis locis. Et ratio eſt; quia contraria horum, ſcilicet eſſe *Cõextenſum loco, excluſiuum alterius, paſſibile, & in vno loco*, ſunt extra ſubſtantiam rei corporalis, veluti modi quidam ſubſtantiam corpoream ſequentes iuxtà naturæ ordinem. Vnde cùm ſubſtantiâ ſint poſteriores, poſſunt per diuinam potentiam tolli; & loco illorum alij modi, qui ſpiritibus proprii ſunt, cõmunicari. Notandum Tertiò, In omnipotentia Creatoris non ſolùm latere infinitas ſingulorum generum ſpecies, & ſingularum ſpecierum infinita indiuidua ſuis rationibus indiuiduantibus diſtincta: ſed etiam quodque indiuiduum, & quæuis ratio ſeu differẽtia indiuidualis latet in ipſo infinities ; ita vt infinities ob eo tes eadem numero produci, & per diuerſas dependentias ſubſtantiales & integras depẽdere; & in ſeipſa replicari, idẽ eſſe indiuiduum accipiendo, poſſit, manente perfecta identitate & vnitate numerali. Cauſę autẽ creatę tantùm ſemel poſſunt vnam rem producere, quâ productâ non ampliùs habent potentiam ad illam, ſed earũ vis eſt exhaulta. Ratio eſt; quia

Differẽtia inter cauſam increatam & creatam.

cauſſæ creatæ habent potentiam variis modis limitatam;& à circumſtantijs extrinſecis determinatam ad hanc vel illam rem producendam: quæ circumſtantiæ numquam omnes redeunt. At potentia diuina intrinſecè eſt illimitata, nec determinatur ad operandum ab vllo extrinſeco, ſed à ſola voluntate; quæ pro ſua libertate poteſt velle hoc vel illud indiuiduum producere, prout illi placet,& hac vel illa productione vel creatione: non enim, cùm ſit infinita, poteſt exhauriri, aut impediri per hoc quòd res ſemel eſſe inceperit. Ex his patet; non eſſe Deo difficile eandem rem ponere tot locis, quot voluerit, manente illa re omnino eâdem in ſeipſa. Quibus præmiſſis:

28 ſoluuntur obiectiones hæretiorum ex ratione petitæ.

Ad Primam Confirmationem ſuprà num. 24. poſitam: Reſpondeo, Id, quod eſt in duobus locis, eſt vnum numero,& indiuiſum in ſe; quo ad ſuam entitatem;& ſic etiam indiſtans eſt à ſeipſo: modi tamen præſentiarum, quos habet, ſunt diſtincti, & inter ſe diſtantes: alia enim eſt præſentia, quâ hoc corpus dicitur eſſe hîc; alia, quâ dicitur eſſe in cælo. Idem enim corpus habet diſtinctas præſentias, ſeu diſtincta vbi, quamuis eius entitas diſtincta non ſit. Quod confirmatur exemplo animæ rationalis; quæ tota eſt in pede, & tota in capite; tamen in ſua entitate eſt indiuiſa: modus tamen vnionis, & præſentiæ, quem habet in capite, diuerſus eſt & diſtans à modo, quem habet in pede. Quod patet: Nam vnio pendet à re, cui vnitur: at hæc res eſt diuerſa, ſcilicet pes & caput: ergo & vnio. Similiter præſentia, ſiue ipſum vbi vnde res dicitur eſſe hîc vel ibi, pendet à ſpatio.
Hinc ſatis cõſtat diuiſionem locorum,& præſentiarum: non obſtare vnitati numerali ipſius rei.

Idem poteſt ſibi eſſe Dextrũ & Siniſtrũ moueri, & quieſcere.

Ad Secundam Confirmationem; Concedo idem ſibi poſſe eſſe dextrum,& ſiniſtrum; ſurſum,& deorſum; quia manifeſtum eſt animam in capite eſſe totam ſurſum reſpectu ſui ipſius, vt eſt in pedib⁹. Sic Chriſtus ſeipſum in manibus ſuis portauit, teſte Auguſtino in pſal. 33. Pari modo, idem poterit moueri,& quieſcere; accedere,& recedere, pro vt eſt in diuerſis locis; quod rurſus exemplo animæ poteſt confirmari.

29

Petes: Si idem corpus poſitum duobus locis, conueniret in vnum locum, coaleſcerétne in vnã præſentiam? Exempli gratia: Chriſtus in aëre locutus Paulo, ſi per motum adſcendiſſet ad locum vbi remanſerat in cælo, deſinerétne diſtinctio præſentiarum?

Replicatus non poteſt naturaliter ſeipſum penetrare.

Reſpondeo breuiter: Non poſſe naturaliter in vnum locum conuenire per modum penetrationis, ſed neceſſariò ſe excludet. Ratio eſt: quia nõ poteſt fieri coniunctio ſecundùm eaſdem materię & quantitatis partes ſed ſecundùm diuerſas; vt patebit, ſi fingas alterum veluti peruadere alterum. Si tamen per miraculum ponatur in vno loco, non idcircò peribit virtualis diſtinctio: quia illud vnum retinebit vim duorum, & ſemper poterit per motum localẽ in diuerſis locis poni. Simile eſt videre in Angelis, cùm ſuas replicationes ſeu totalitates diffuſas per magnum ſpatium, cõtrahunt in angulum, vel etiam in punctum.

Vnus poteſt hic viuere, & alibi mori.

Ad Tertiam Confirmat. Concedo hominem eundem, duobus locis poſitum, poſſe in altero viuere, in altero mori: de quo vide Hugonem lib. 2. de Sacramentis parte 9. Ratio eſt: Quia non eſt neceſſe, vt corpus, quod vno loco vnitum eſt animæ rationali, etiam alio loco vnitum ponatur. Similiter etiã nõ eſt neceſſe, vt ſi anima rationalis vno loco informet corpus, etiam alibi poſita informet. Sicuti enim tota eſt in capite,& tota extera caput: ita etiam à Deo conſeruari poſſet in capite,& ſimul extra caput ſine vlla informatione, quatenus extra caput eſt.

An accidẽtia in corpore replicato etiam neceſſariò eadem replicentur.

Similiter tale corpus poterit ſimul ſummè caleſcere vno loco,& ſummè frigefieri in altero, applicatis agentibus; non enim eſt neceſſe, vt ſi quid patiatur in vno loco, etiam illud patiatur in altero: quia accidentia, quę ſuſcipit, non neceſſariò replicantur, aut traijciuntur: imò nec poſſunt ſine nouo miraculo. Non enim ignis hîc applicatus alicui corpori, poteſt calorem, quem hîc imprimit, traijcere Romam, vbi idem corpus replicatum exiſtit: vt docet Gabriel ſuprà: quod eſt contra Scotum d. 10. q. 2. & Dominicum Sotum: qui putant accidentia abſoluta, quæ recipiuntur in vno loco, etiam neceſſariò alibi accipi, ſed non reſpectiua. Verùm de hoc infrà. Ad Quartam, Admitto totum. Alia argumenta hæreticorum, commodiùs infrà proponentur.

ARTICVLVS II.

Vtrum post conſecrationem remaneat ſubſtantia panis & vini in Sacramento?

REſpondetur: Non remanere, ſed conuerti in Corpus Chriſti.

30

1. error hæreticorum manere panem in euchariſtia.

Notandi ſunt hic aliquot errores. Primus eſt, Omnium noſtrorum hæreticorum, qui ſentiunt panem remanere,& nullo modo conuerti in Corpus Chriſti: quod olim etiam tenuit Berengarius poſt primam ſuam palinodiam teſte Guitmondo, lib. 1. de Euchariſtia in principio. Et Ioãnes Hus; à quibus noſtri hauſerunt. Cùm enim videret Berengarius, ſe non poſſe ampliùs tueri Euchariſtiam eſſe ſolùm figuram Corporis Chriſti, docuit Chriſtũ eſſe quidem præſentem in Euchariſtia, ſed ſimul cum pane: ſic vt ſubſtantia panis, & corpus Chriſti ſimul ſint.

2. error. Ruperti. ſubſtantiã panis aſſumi hypoſtatice à Verbo.

Secundus error. Subſtantiam quidem panis manere, non tamen eius ſuppoſitum: per conſecrationem enim ſubſtantiam panis aſſumi hypoſtaticè à Verbo, ſicut natura humana hypoſtaticè aſſumpta eſt: ita vt verè & propriè panis ſit Deus, & Deus ſit panis: item panis ſit corpus Dei: non quidem ex Virgine, ſed iam recens aſſumptum: & Deus habeat duo corpora ſibi hypoſtaticè vnita: alterum carneum, quod eſt in cœlo, & alterum panaceum, quod eſt in altari: poſſe tamẽ hęc duo corpora dici vnum: quia ſunt vnius ſuppoſiti. Hæc ſententia tribuitur Ruperto: nam lib. 5. in Ioannem exponens illa verba cap. 6. *Panis, quem ego dabo, caro mea eſt*; ſic ait: *Verbum caro factum eſt, non mutatum in carnem; ita Verbum caro factum, panis viſibilis ſit, non mutatum in panem, ſed aſſumendo, & in vnitatem perſonæ ſuæ transferendo panẽ*: & fusè lib. 2. de Officijs ca p. 2. & 9. Aduerte tamen, non omnino eſſe certum an Rupertus ita ſẽtiat: nam in cap. 6. Ioannis habet alia verba, quibus videtur rectè ſentire, vt *Panem tranſmutari in carnem, in cibum Angelorum*, & ſimilia. Difficile tamen eſt, eius verba in ſanum ſenſum interpretari. Similem errorem refert Tho. Valdenſis tõ. 2. cap. 65. Tertius error eſt Durandi in 4. d. 11. q. 3. Non manere quidem totam pânis ſubſtantiam, ſed tamen materiam: alioqui non poſſe fieri conuerſionem, cùm conuerſio poſtulet idem ſubiectum in termino à quo, & in termino ad quem. Itaq; hîc virtute diuina corruptâ formâ panis, materiã panis ſubitò informari formâ corporis chriſti: ſeu animâ: eo ferè modo, quo alimentum conuertitur in ſubſtantiã noſtrã per nutritionem: niſi

3. error. Durandi manere materiam panis.

Digitized by Google

quod illud ſubitò fiat, hoc verò ſenſim. Pro veritate.

31 De fide eſt totam ſubſtantiam panis verti in Corpus Chriſti.

Dico Primò, Tota ſubſtantia panis conuertitur in Corpus Chriſti, & tota ſubſtantia vini in Sanguinem; ita vt nihil eius remaneat. Eſt fide tenéda.

1. Prob. ex ſcrip.

Probatur Primò, ex Scriptura. *Hoc eſt Corpus meum*; vbi Dominus, id, quod exhibet ſub ſpecie panis, dicit eſſe ſuum Corpus. Ob quæ verba ſemper perſuaſum fuit in Eccleſia Dei; per conſecrationem panis & vini, conuerſionem fieri totius ſubſtantiæ panis in ſubſtantiam corporis Chriſti; & totius ſubſtantię vini in ſubſtantiam Sanguinis eius: vt Concilium Trident. ait; & rurſus de nouo declarat ſeſſ. 13. cap. 4. Vnde nullo modo audiendi ſunt Scotus, Durandus, & Paludanus diſt. 11. dum dicunt, etſi verum ſit, ſubſtantiam panis non manere, tamen id ex verbis Domini nō colligi.

Falſa eſt propoſitio *Hic panis eſt Corpus meum.*

Confirmatur; Si ſubſtantia panis manet, per nomē *Hoc* deſignat panem, & ſenſus erit; Hic panis eſt corpus meum: quod etſi concedant Eutherani, tamen implicat contradictionem: nam diſparatum prædicatur de diſparato; ſicuti ſi dicam, Hic panis eſt equus: ergo panis non poteſt remanere.

1. Obiect.

Dices Primò, Rectè dicimus, Hic homo eſt Deus: cur non ſimiliter, Hic panis eſt corpus Chriſti?

Soluitur.

Reſpondeo, Eſt diſpar ratio: nam ibi ſubiectum & attributum accipiuntur pro eodem, nempe pro ſuppoſito ſubſiſtente in natura humana, & diuina; idque ob vnionem hypoſtaticam: vnde ſenſus eſt; Hic ſubſiſtens in natura humana, eſt Deus: ſecùs, ſi diceretur, Hæc humanitas eſt Deus. Inter panē autem & corpus chriſti non eſt vnio hypoſtatica.

2. Obiect.

Dices Secundò, Pronomen *Hoc* non neceſſariò deſignat panem, ſed poteſt ſignificare id quod ſub pane continetur: vt ſenſus ſit, Hoc contentū ſub pane, eſt corpus Chriſti: ſicut dicimus, demonſtrato dolio, Hoc eſt vinum.

Soluitur. An, & quādo pronomen *Hoc* poſſit tam rem contentam, quàm continens ſignificare.

Reſpondeo, Hoc fieri non poſſe: Primò, quia, etſi pronomen *Hoc* poſſit deſignare tam rem cōtentam, quàm continentem, quando res continēs naturā ſuā vel vſu hominum eſt inſtituta ad continendum, veluti loculus rei (dicimus enim demonſtrato dolio vini, Hoc eſt dolium, hoc eſt vinum:) tamen id non habet locum, quando res continens non eſt per ſe idonea ad continendum: vt ſi quis ſub pane conderet aurum, non rectè dixerit, Hoc eſt aurum. Secundò, Quia quando duæ res diuerſę ſub vna continentur, nō rectè per pronomen *Hoc* deſignamus alteram, alterà omiſſa: vt de burſa, in qua tantundem eſt argenti, quantum auri, non rectè dixeris, *Hoc eſt aurum*. Quare, ſi ſubſtantia panis, vel aliquid eius remanet cum Corpore Chriſti ſub ſpeciebus, non rectè dixit Chriſtus, *Hoc eſt Corpus meum*: nam ſecundùm vſitatum, ſincerum, & à fraude alienum loquendi modum (quidquid tandem ſit de ſubtilitatibus metaphyſicis) pronomen *Hoc* deſignat totam rē contentam; vel certè eam, quę maiorem cum ſpeciebus coniunctionem habet.

32 2. Probatur ex Cōcil. Romanum

Probatur Secundò, Ex Conciliis. Primò, Ex Concilio Romano ſub Gregorio VII. vbi Berengarius abiurans ſuam hæreſim, dicit: *Ego Berengarius corde credo, & ore confiteor panem, & vinum per myſterium ſacræ orationis, & verba Redemptoris noſtri ſubſtantialiter conuerti in veram & propriam Carnem, & Sanguinem Domini.*

Lateranenſe.

Idem Probatur ex Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. cap. 1. *Verum Chriſti Corpus & Sāguis in Sacramēto altaris ſub ſpeciebus panis & vini, veraciter continetur; tranſubſtantiatis panein Corpus, & vino in Sanguinem poteſtate diuina.*

Conſtantienſe.

Concilium Conſtantienſe ſeſſ. 8. damnat articulos Vvicleff. quorum primus eſt; *Subſtantia panis materialis, & vini materialis manent in Sacramento.* Secundus eſt; *Accidentia panis non manent ſine ſubiecto in eodem Sacramento.*

Florentinum.

Concilium Florentinum, cui etiam Græci ſubſcripſerunt: *Ipſorum verborum virtute, ſubſtātia panis in Corpus Chriſti conuertitur.*

Tridentinum.

Denique Concilium Trident. ſeſſ. 13. can. 2. *Si quis dixerit, in ſacro ſancto Euchariſtiæ Sacramento remanere ſubſtantiam panis & vini, vnà cum corpore & Sanguine Domini noſtri; neganerit q; mirabilem illam, & ſingularem conuerſionem totius ſubſtantiæ panis in corpus, & totius ſubſtantiæ vini in Sanguinem, manentibus dumtaxat ſpeciebus panis & vini; quam conuerſionem Eccleſia Catholica apteſſimè Tranſubſtantionem appellat; anathema ſit.*

33 § Probatur ex Patribus. Cyprianus Cyrillus Hieroſol.

Probatur Tertiò, Ex Patrib. Cyprianus ſerm. de cœna Domini: *Panis iſte, quem Dominus Diſcipulis porrigebat non effigie, ſed natura mutatus, omnipotentiâ Verbi factus eſt caro.*

Cyrillus Hieroſolymitanus Catecheſi 4. Myſtago: *Aquam aliquando Chriſtus mutauit in vinum; & non erit dignus, cui credamus, quod vinum in Sanguinem tranſmutarit?* Et infrà: *Sub ſpecie panis, datur tibi Corpus, ſub ſpecie vini, datur tibi Sanguis.* Et paulò pòſt: *Hoc pro certiſſimo habe; panē hūc, qui videtur à nobis, non eſſe panem, etiamſi guſtus panē eſſe ſentias.* Gregorius Nyſſenus in oratione Catechetica, *Rectè Dei verbo ſanctificatum panem, in corpus Dei Verbi credimus commutari.* Nyſſenus.

Ambroſius cap. 9. de iis qui Myſterijs initiantur: *Quantis, inquit, vtimur exemplis, non hoc eſſe, quod natura formauit, ſed quod benedictio conſecrauit: maioremq; vim eſſe benedictionis, quam naturæ; quia benedictione etiā natura ipſa mutatur.* Et alia plurima. Ambroſius

Chryſoſtomus homilia de Euchariſtia habita in Encæniis: *Num panem vides? num vinum? num ſicut reliqui cibi in ſeceſſum vadunt? Abſit, ne ſic cogites. Sicut enim, ſi cera igni adhibita, illi aſſimilatur, nihil ſubſtantiæ remanet, nihil ſuperfluit: ſic & hîc, poſtā myſteria* (id eſt, panem & vinum) *conſumi corporis ſubſtantia.* Chryſoſtomus.

Auguſtinus ſerm. 28. de verbis Domini, dicit *Id, quod antè erat panis vulgaris, per verba Chriſti fieri Corpus eius, & panem illum ſaginare*; id eſt, *ſuper ſubſtantialem, qui animæ noſtræ ſubſtantiam fulciat.* Auguſt.

Cyrillus Alexandrinus epiſt. ad Caloſyrium; *Ne beri eremus carnem & ſanguinem ſacris altaribus appoſita, condeſcendens Deus fragilitati noſtræ, inſtillit oblatis vim vitæ; conuertens eā in veritatem propriæ carnis, &c.* Cyrillus. Alexand.

Bernardus ſerm. de cœna Domini: *Hoſtia, quam vides, iam non eſt panis, ſed Caro mea: & liquor iſte, quem vides, iam non eſt vinum, ſed Sanguis meus: quēadmodum enim illic ſpecies cernuntur, quarum res, vel ſubſtantię ibi non eſſe creduntur; ſic res veraciter, & ſubſtantialiter creditur, cuius ſpecies non cernitur.* Vide plura apud Garetium. Idem tenent omnes Doctores Scholaſtici. Bernardus

34 An dogma Tranſubſtantiationis à Concilio, lateran. primo ſit inuentum.

Ex his patet primò, Falſum eſſe, dogma tranſubſtantiationis eſſe inuentum Concilij Lateranenſis ſub Innocentio III. circa annum Domini 1215. vt hæretici calumniantur. Etſi enim in hoc Concilio nomen *Trans-ſubſtantiationis* primò receptum fuerit à tota Eccleſia, tamquam commodiſſimum ad hanc ſingularem conuerſionem explicandam; ſicut in Concilio Nicæno I. nomen ὁμοούσιος primò receptum fuit, & in Symbolo poſitum; tamen dogma ipſum ſemper in Eccleſia

fuit. Patres enim antiqui expressè docent *Substãtiam panis conuerti, & mutari in Corpus, in Carnem Christi.* Græci etiam dicunt *Panem μεταστοιχειῶσθαι*, id est, *transelementari*, vt Theophylactus Marci 14. & alij; quod nomen est significantissimum: significat enim *panem mutari secundùm prima sua principia*, nempe materiam & formam. Alij dicũt *μεταρρυθμίζεσθαι*, id est, *transformari*: quæ omnia idem significant, quod transubstantiari, id est, substantiam, in substantiam conuerti.

Error Scoti. Patet Secundò, Deceptum fuisse Scotum in 4. dist. 11. q. 3. art. 1. dum existimauit ante Concilium Lateranense sub Innocentio III. dogma transubstantiationis, seu conuersionis panis in Corpus Christi, non fuisse de fide. Nam in Concilio Romano sub Gregorio VII. hoc definitum fuit: & consensus omnium Patrum satis indicat, hoc semper fuisse de fide. Quod etiam aperte insinuat Concil. Tridentinum sessione 13. cap. 4.

35 4. Probatur Ratione. Probatur Quartò: Ratione. Primò, Si maneret panis substantia, panis principaliter, & primariò designaretur per accidentia; quia haberent primatum ordinem ad panem, tamquam ad propriũ subiectum: vnde designato eo, quod sub speciebus continetur, magis propriè diceretur: Hoc est panis triticeus, quam, Hoc est corpus Christi: imò hæc esset fallax locutio. Nam accidentia solùm designant suum subiectum; non autem quod extrinsecè subiecto coniungitur: vt si Angelus occultaret se sub pane, non rectè diceretur, *Hoc est Angelus*, sed, *Hic* est Angelus. Quando autem substantia panis conuertitur in Corpus Christi, accidentia panis eum habent ordinem ad Corpus Christi, quem antè habebant ad substantiam panis, excepta informatione. Nam Corpus Christi est ibi per modum substantiæ sub accidentibus; & mouetur ad motum accidentium; & definit ibi ad desitionem accidentium. Secundò, Si maneret panis, periculum esset, ne rudiores adorarent panem; quia non norunt distinguere, sed simpliciter adorarent quod continetur sub speciebus panis.

1. Ratio.

quomodo Corpus Christi se habeat ad accidẽtia Panis, & contrà.

2. Ratio.

3. Ratio. Tertiò, Quia magna esset indecentia, quòd simul sint panis terrenus & cœlestis; cibus ventris, & cibus mentis. Quartò, Quia non posset sumi Eucharistia, nisi solueretur ieiunium; & sic calix numquam sumeretur à ieiunis; quod est contra traditionem Apostolicam, teste August. epist. 118. cap. 6. quæ iubet, vt non nisi à ieiunis Corpus & Sanguis Domini sumatur.

4. Ratio.

His addc rationem D. Thomę: *Quia*, inquit *Corpus Christi non potest incipere esse in Eucharistia, nisi vel conuersione substantiæ panis in ipsum, vel accessione ipsius ad panem.* Vnde, si panis non conuerteretur in Corpus Christi, deberet Corpus venire ex cælo ad panem per motum localem, quod falsum est. Sed hæc ratio non videtur valdè solida, vt infrà dicetur.

Ratio Diu Thomæ parum firma.

36 Obiectiones hæreticorum. soluuntur. Obijciunt Hæretici Primò: Scriptura Eucharistiam vocat *Panem*, 1. ad Corinth. 11. Confirmatur, Matth. 26. *Accepit panem, benedixit panem, & fregit panem*: & hoc ipsum, quod *accepit, & fregit dedit Discipulis*: ergo dedit *panem*.

An, & quomodo S. Eucharistia possit dici panis. Respondeo; Eucharistia vocatur *Panis*: Primò, nõ quòd sit panis terrenus, qualis noster; sed quia est verè panis cælestis, & supersubstãtialis animę: ad quod significandum, non simpliciter vocatur *Panis*, sed *Panis vitæ, Panis qui de cælo descendit, Panis quem frangimus.* Simili modo *Manna* vocatur *Panis*, quamuis reuera non esset panis, qualis noster: Exod. 16. Psal. 77. & alibi. secundò; Dicitur *Panis*; quia ex pane confecta, & retinet panis indolem: & proprietates, & etiam vsum: dũ enim sumitur per modum panis, sic corroborat anima, sicut panis communis corroborat corpus. Ad Confirmationem; Respondeo, Id, quod Dominus accepit & benedixit, erat panis communis; sed quod dedit Discipulis, non erat amplius panis cõmunis, sed cælestis: interceßit enim benedictio, quæ illum panem ex terreno in cœlestem mutauit. Similem locutionem habemus Gen. 18. *Tulit Abraham vitulum, deditq; puero, & coxit illum, & posuit coram eis.* Hic non erat idem vitulus, quem accepit, quem coxit, & posuit coram eius, sed mutatus substantialiter.

Obijciunt Secundò, Ex Patribus: Primò, Chrysostomus epistola ad Cęsarium Monachum dicit post consecrationem liberari *panem à panis appellatione, & dignum fieri appellatione Dominici Corporis, etiamsi materia panis in ipso permaneat.*

37 2. Obiectio. soluitur.

Respondeo, Auctor ille non est Chrysostomus; sed alius quidam Ioannes Constantinopolitanus, vt ostendit Turrianus lib. 1. de Eucharistia cap. 18. Dicit autem hic Auctor *materiam panis remanere*; quia manet secundùm indolem, proprietates, & effectus panis. Simili modo intelligendus Theodoretus Dialogo 1. non procul à principio; vbi ait, *Symbola & signa, quæ videntur, nomine Corporis, & Sanguinis honorauit, non naturam mutans, sed naturæ gratiam adijciens.* Nempe non mutatur natura, quoad externas proprietates sensibiles, licet mutetur inuisibiliter, vt ibidem Theodoretus insinuat.

quomodo in Eucharistia materia panis dici possit remanere.

38 Subsistentia Panis non est vnita Verbo hypostatice. Dico Secundò, Substantia panis non vnitur in Eucharistia hypostaticè verbo diuino, aut Corpori Christi. Est etiam fide tenendum.

Probatur Primò; Quia fide tenendum est panem non manere, vt patet ex dictis: ergo non potest hypostaticè vniri: vnio enim supponit existentiã in propria substantia. Secundò, etiamsi substantia panis maneret, & Verbo vniretur, non tamen idcò Caro Christi esset præsens in Eucharistia. Non Verbum diuinum potest assumere aliam naturam in terris, quamuis corpus, quod ex Virgine assumpsit, non sit in terris: cùm enim sit vbique, potest assumere naturas maximè loco inter se distantes; nec idcircò altera ad alteram trahetur: ergo hæc fictio est prorsus inutilis ad explicandũ hoc mysterium: solùm enim ex ea sequitur, Corpus Christi paneum esse in Eucharistia, non carneum quod ex Virgine sumpsit: quod etsi Rupertus videatur concedere lib. 2. de officijs cap. 2. est tamen apertè contra Scripturas; *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro sæculi vita.* & 1. ad Corinth. 11. *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur.*

Item contra omnes Patres, qui semper loquuntur de *corpore carneo*, quod ex Virgine assumpsit, & in mortem pro nobis est traditum.

Tertiò, Ex hac sententia sequeretur, Deum tam propriè esse impanatum, quàm incarnatum, & panem triticeum, quàm hominem. Item quotidie nouam fieri vnionem hypostaticam, quę ab initio non fuit; scilicet cum alio, & alio pane; & eandem quotidie desinere.

39 Non remanere materiam panis contra Durandum probatur. Dico Tertiò, Materia panis non manet in Eucharistia. Est etiam fide tenendum contra Durandum.

Probatur Primò, Quia tota substantia panis conuertitur & transubstantiatur in Corpus Christi; vt docet Concilium Lateranense, & Tridentinum suprà.

Probatur Secundò, Quia, iuxtà sententiam Durandi, accidentia nõ remanerent sine subiecto: quod damnatum est in Concilio Constantiensi sess. 8. Patet hoc, Quia si materia manet, acci-

ſentia retinent ſuum ſubiectum; nam materia eſt ſubiectum accidentium.

Probatur Tertiò, Etiamſi Anima Chriſti informaret materiam panis, nō tamen idcircò eſſet ibi caro Chriſti, quæ de Virgine ſumpta eſt, & pro vita ſęculi tradita; quod eſt contra Scripturas, & Patres; ſed eſſet ibi noua caro, iam ex tempore per nouam conuerſionem genita. Dices, Caro Chriſti ſumpta ex Virgine erit ibi per concomitantiam. Reſpondeo Primò, Hoc non ſufficere; debet enim ibi eſſe directè ex vi conſecrationis, & Sacramēti; vt patet ex illis verbis, *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur*. Secundò; Nulla eſt connexio inter hanc carnem, & illam antiquam: quomodo ergo eſt ibi per concomitantiam? Denique, Si caro antiqua eſt ibi, quid opus eſt fingere ibi nouam carnem, quæ nihil ad vim verborum, & Chriſti intentionem faciat?

Refellitur ſententia Durandi ex abſurdis.

Probatur Quartò; Ex ſententia Durandi ſequetur eſſe tria Chriſti corpora viua re diſtincta in eodem altari: nempe quod ex Virgine ſumptum; quod ex materia panis & Anima conflatur; & quod ex Anima & materia vini: quorum, duo poſteriora quotidie fient, & diſſoluentur; ac proinde Chriſtus quotidie naſcetur, ac morietur: ſicut, ſi vna anima eſſet in tribus corporibus, & ab vno ſepararetur, ille homo verè moreretur; & ſi alteri corpori iūgeretur, aliquis verè naſceretur. Si dicas, Materiam panis & vini non conſtituere cum Anima diſtinctum corpus, ſed agglutinari corpori antiquo, ſicut alimentum: Saltem hinc ſequetur corpus Chriſti quotidie ſecundùm partes gigni & augeri, & rurſus deſtrui & diffluere, vt ſolent mortalium corpora. Vel ſi tota illa materia manet informata, Chriſti corpus immenſam molem nunc contraxit. Omitto alia, quæ contra hanc ſententiam poſſent excogitari. Ad rationes Durandi, reſponſio patebit ex infrà dicendis.

tas, quatenus habet eſſe extra ſuas cauſas, ſine quâ ſubſtātia nihil eſt, niſi in potentia obiectiua.

Ex his facilè refutatur alia quædam ſententia, quam inſinuat Caietanus hîc in Reſponſione ad 3. & art. 4. vbi docet, etſi non maneat materia ſpecifica panis, manere tamen quandam entitatem, quæ antè erat panis; & hanc per conuerſionem fieri & eſſe corpus Chriſti. Vnde art. 4. ait terminum transſubſtantiationis eſſe, vt id, quod erat panis, fit corpus Chriſti.

41 Sententia Caietani quòd remaneat quædā entitas panis.

Hinc enim ſequitur: Primò, Non totam ſubſtantiam panis conuerti: quod eſt contra fidem. Antecedens patet: nam id, quod manet, non conuertitur in aliud. Secundò, Non manere ſola accidentia panis, ſed aliquid ſubſtātiæ: quod etiam fidei repugnat. Tertiò, Implicat, vt eadem numero entitas, quę anteà erat panis, nunc ſit corpus Chriſti. Probatur, quia res finita, quæ identificatur rebus diſtinctis, in ſe quoque diſtincta eſſe debet, ac proinde diuerſa numero. Confirmatur; ſola eſſentia diuina, ob ſuam immenſitatem, poteſt rebus diſtinctis identificari; ſcilicet diuinis perſonis, quæ realiter diſtinguūtur: ergo id nulli rei creatæ concedendum. Quartò, In diuerſis panibus ſint diuerſæ numero entitates: ergo, ſi per conſecrationem hæ entitates fiunt & ſunt Corpus Chriſti, ipſum identificabitur rebus pluribus numero diſtinctis. Denique non poteſt fieri ſucceſſio differentiarum ſpecificarum in indiuiduo generis prędisè conſiderato: quia gradus ſpecifici non poſſunt à genericis ſeparari, cùm in vnam ſimplicem entitatem coaleſcant. Cōfirmatur, quia per eandem formam, panis eſt panis, & ſubſtantia, & entitas. Quomodo autem dicatur, *Id quod fuit panis, nunc eſt corpus Chriſti*, qui modus loquendi videtur Caietanum mouiſſe, infrà dicetur.

Refutatur

DVBIVM. II.

Vtrùm, ſi ſubſtantia panis non conuerteretur in corpus Chriſti, ſed maneret, poſſit ibidem poni corpus Chriſti per diuinam potentiam?

REſpondeo; Omnino tenendum eſt, potuiſſe ibi poni corpus Chriſti cum pane, & ſub pane, ſicut modo eſt ſub accidentibus per intimam prędentiam, quamuis accidentia tunc non haberent illum ordinem ad corpus Chriſti, quem modò habent. Ratio eſt, quia ſicuti quantitas panis, & alia accidentia, non excludunt corpus Chriſti, ſic neque ſubſtantia panis illud excludere poteſt, quin ſub illa poſſit collocari & intimè præſens eſſe. Confirmatur; quia ſi Deus poteſt duo corpora retinentia ſuam extenſionem ſimul ponere, multò magis poterit corpus Chriſti habens modum exiſtendi ſpiritualem & indiuiſibilem ponere ſub panis ſubſtātia; cùm corpus habens talem modum, nullo modo excludat aliud corpus habens extenſionem. Vnde non ſolùm poteſt per actionem ſubſtātialem & productiuam poni ſub pane; ſed etiam alibi poſitum per motum localem, ſeu actionem adductiuam ſub pane collocari. Sicut enim actio productiua corporis Chriſti ſub accidentibus panis, non neceſſariò requirit deſitionem panis; ita neque actio adductiua.

43 Reſponſio eſt affirmans.

qua actione poſſet ſub pane poni corpus Chriſti.

Nec obſtat, quod D. Thomas hîc in corpore dicit, rem non poſſe alicubi, vbi anteà non erat, incipere eſſe, niſi vel per motum adducatur, vel per conuerſionem alterius rei in ipſam ponatur. Quia D. Thomas loquitur de ordinarijs, & conſuetis modis, quibus res aliqua incipit eſſe, vbi anteà non erat; qui modi ſunt motus localis, &

Explicatur D. Tho.

DVBIVM. I.

Vtrùm maneat exiſtentia panis, vel etiam gradus aliquis ſubſtantialis?

40 Thomiſtæ

QVidam Thomiſtæ putant exiſtētiam panis manere, & per hanc exiſtere accidentia. Hanc ſententiam cùm Bannes in 1. editione primæ Partis fuiſſet ſecutus, in ſecunda ſic mutauit, vt tantùm dicat probabilem. Vide q. 4. art. 2.

Exiſtentiā panis remanere in Euchariſtia, repugnat dogmatibus fidei.

Verùm hęc ſententia nullo modo eſt probabilis. Primò, Quia videtur contra dogmata fidei; quorum vnum eſt, *Tota ſubſtantia panis conuertitur in ſubſtantiam corporis Chriſti*: Atqui ſubſtantia panis includit etiàm exiſtentiam panis, ſicut ſubſtantia corporis Chriſti includit eius exiſtētiam: ergo hæc etiam conuertitur. Confirmatur; Quia ſubſtantia, prędisâ exiſtentiâ, conuerti non poteſt, cùm non ſit ens actu, ac proinde nec conuertibile. Alterum dogma eſt, *Solùm accidentia panis remanere*, vt expreſsè habet Concil. Tridētinum ſeſſ. 13. can. 2. Vnde infero: ergo nullo modo exiſtentia panis remanet. Patet conſequentia; nam hęc exiſtentia non eſt accidens, ſed eſt id, quod primas partes obtinet in ſubſtantia actuali panis.

Repugnat etiā Philoſophiæ.

Secundò, Videtur etiam eſſe contra Philoſophiam: quis enim animo concipiat exiſtentiam rei, veluti veſtem quamdam aut ornamentum, realiter ab illa ſeparari, & alteri rei conferri; aut accidentia poſſe formaliter exiſtere per exiſtentiā ſubſtantię, ipsâ ſubſtantiâ peremptâ; cùm rem perimi, ſit eius exiſtentiam perimi? Eſt enim exiſtentia intima cuiuſque rei actualitas, ſeu enti-

fuit. Patres enim antiqui expreſſè docent *Subſtãtiam panis conuerti, & mutari in Corpus, in Carnem Chriſti.* Græci etiam dicunt *Panem μεταστοιχειοῦσθαι*, id eſt, *transelementari*, vt Theophylactus Marci 14. & alij; quod nomen eſt ſignificantiſſimum: ſignificat enim *panem mutari ſecundùm prima ſua principia*, nempe materiam & formam. Alij dicũt *μεταρρυθμίζεσθαι*, id eſt, *transformari*: quæ omnia idem ſignificant, quod tranſubſtantiari, id eſt, ſubſtantiam, in ſubſtantiam conuerti.

Error Scoti. Patet Secundò, Deceptum fuiſſe Scotum in 4. diſt. 11. q. 3. art. 1. dum exiſtimauit ante Concilium Lateranenſe ſub Innocentio III. dogma tranſubſtantiationis, ſeu conuerſionis panis in Corpus Chriſti, non fuiſſe de fide. Nam in Concilio Romano ſub Gregorio VII. hoc definitum fuit: & conſenſus omnium Patrum ſatis indicat, hoc ſemper fuiſſe de fide. Quod etiam apertè inſinuat Concil. Tridentinum ſeſſione 13. cap. 4.

35 4. Probatur Ratione. Probatur Quartò: Ratione. Primò, Si maneret panis ſubſtantia, panis principaliter, & primariò deſignaretur per accidentia; quia haberent primatum ordinem ad panem, tamquam ad propriũ ſubiectum: vnde deſignato eo, quod ſub ſpecie-

1. Ratio bus continetur, magis propriè diceretur: Hoc eſt panis triticeus; quam, Hoc eſt corpus Chriſti: imò hæc eſſet fallax locutio. Nam accidentia ſolùm deſignant ſuum ſubiectum; non autem quod extrinſecè ſubiecto coniungitur: vt ſi Angelus occultaret ſe ſub pane, non rectè diceretur, *Hoc eſt Angelus*, ſed, *Hic* eſt Angelus. Quando autem ſubſtantia panis conuertitur in Corpus Chriſti, accidentia panis eum habent ordinem ad Corpus Chriſti, quem antè habebant ad ſubſtantiam panis, excepta informatione. Nam Corpus Chriſti eſt ibi per modum ſubſtantię ſub accidentibus; & mouetur ad motum accidentium; & definit ibi ad deſitionem accidentium. Secundò, Si maneret panis, periculum eſſet, ne rudiores adorarent panem; quia non norunt diſtinguere, ſed ſimpliciter adorarent quod continetur ſub ſpeciebus panis.

quomodo Corpus Chriſti ſe habeat ad accidẽtia Panis, & contrà.

2. Ratio.

3. Ratio. Tertiò, Quia magna eſſet indecentia, quòd ſimul ſint panis terrenus & cęleſtis; cibus ventris, & cibus mentis. Quartò, Quia non poſſet ſumi Euchariſtia, niſi ſolueretur ieiunium; & ſic calix numquam ſumeretur à ieiunis; quod eſt contra traditionem Apoſtolicam, teſte Auguſt. epiſt. 118. cap. 6. quæ iubet, vt non niſi à ieiunis Corpus & Sanguis Domini ſumatur.

4. Ratio.

His adde rationem D. Thomę: *Quia*, inquit *Corpus Chriſti non poteſt incipere eſſe in Euchariſtia, niſi vel conuerſione ſubſtantię panis in ipſum, vel acceſſione ipſius ad panem.* Vnde, ſi panis non conuerteretur in Corpus Chriſti, deberet Corpus venire ex cælo ad panem per motum localem, quod falſum eſt. Sed hæc ratio non videtur valdè ſolida, vt infrà dicetur.

Ratio Diu Thomæ parum firma.

36 Obiectiones hæreticorum. ſoluuntur. Obijciunt Hæretici Primò: Scriptura Euchariſtiam vocat *Panem*, 1. ad Corinth. 11. Confirmatur, Matth. 26. *Accepit panem, benedixit panem, & fregit panem*: & hoc ipſum, quod *accepit, & fregit dedit Diſcipulis*: ergo dedit *panem*.

An, & quomodo S. Euchariſtia poſſit dici panis. Reſpondeo; Euchariſtia vocatur *Panis*: Primò, nõ quòd ſit panis terrenus, qualis noſter; ſed quia eſt verè panis cæleſtis, & ſuperſubſtãtialis animę: ad quod ſignificandum, non ſimpliciter vocatur *Panis*, ſed *Panis vitæ*, *Panis qui de cælo deſcendit*, *Panis quem frangimus*. Simili modo *Manna* vocatur *Panis*, quamuis reuera non eſſet panis, qualis noſter: Exod. 16. Pſal. 77. & alibi. ſecundò; Dicitur *Panis*; quia ex pane confecta, & retinet panis indolem: & proprietates, & etiam vſum: dũ enim ſumitur per modum panis, ſic corroborat anima, ſicut panis communis corroborat corpus. Ad Confirmationem; Reſpondeo, Id, quod Dominus accepit & benedixit, erat panis communis; ſed quod dedit Diſcipulis, non erat ampliùs panis cõmunis, ſed cæleſtis: interceſſit enim benedictio, quæ illum panem ex terreno in cęleſtem mutauit. Similem locutionem habemus Gen. 18. *Tulit Abraham vitulum, deditq; puero, & coxit illum, & poſuit coram eis.* Hic non erat idem vitulus, quem accepit, quem coxit, & poſuit coram eius, ſed mutatus ſubſtantialiter.

Obijciunt Secundò, Ex Patribus: Primò, Chryſoſtomus epiſtola ad Cęſarium Monachum dicit poſt conſecrationem liberari *panem à panis appellatione, & dignum fieri appellatione Dominici Corporis, etiamſi materia panis in ipſo permaneat.*

37 2. Obiectio. ſoluitur. Reſpondeo, Auctor ille non eſt Chryſoſtomus; ſed alius quidam Ioannes Conſtantinopolitanus, vt oſtendit Turrianus lib. 1. de Euchariſtia cap. 18. Dicit autem hic Auctor *materiam panis remanere*; quia manet ſecundùm indolem, proprietates, & effectus panis. Simili modo intelligendus Theodoretus Dialogo 2. non procul à principio; vbi ait, *Symbola & ſigna, quæ videntur, nomine Corporis, & Sanguinis honorauit, non naturam mutans, ſed naturæ gratiam adijciens.* Nempe non mutatur natura, quoad externas proprietates ſenſibiles, licet mutetur inuiſibiliter, vt ibidem Theodoretus inſinuat.

quomodo in Euchariſtia materia panis dici poſſit remanere.

38 Dico Secundò, Subſtantia panis non vnitur in Euchariſtia hypoſtaticè verbo diuino, aut Corpori Chriſti. Eſt etiam fide tenendum.

Subſtantia Panis non eſt vnita Verbo hypoſtatice. Probatur Primò; Quia fide tenendum eſt panem non manere, vt patet ex dictis: ergo non poteſt hypoſtaticè vniri: vnio enim ſupponit exiſtentiã in propria ſubſtantia. Secundò, etiamſi ſubſtantia panis maneret, & Verbo vniretur, non tamen id eò Caro Chriſti eſſet præſens in Euchariſtia. Non Verbum diuinum poteſt aſſumere aliam naturam in terris, quamuis corpus, quod ex Virgine aſſumpſit, non ſit in terris: cùm enim ſit vbique, poteſt aſſumere naturas maximè loco inter ſe diſtantes; nec idcircò altera ad alteram trahetur: ergo hæc fictio eſt prorſus inutilis ad explicandũ hoc myſterium: ſolùm enim ex ea ſequitur, Corpus Chriſti paneum eſſe in Euchariſtia, non carneum quod ex Virgine ſumpſit: quod etſi Rupertus videatur concedere lib. 2. de officijs cap. 2. eſt tamen apertè contra Scripturas; *Panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro ſæculi vita.* & 1. ad Corinth. 11. *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur.*

Item contra omnes Patres, qui ſemper loquuntur de *corpore carneo*, quod ex Virgine aſſumpſit, & in mortem pro nobis eſt traditum.

Tertiò, Ex hac ſententia ſequeretur, Deum tam propriè eſſe impanatum, quàm incarnatum, & panem triticeum, quàm hominem. Item quotidie nouam fieri vnionem hypoſtaticam, quę ab initio non fuit; ſcilicet cum alio, & alio pane; & eandem quotidie deſinere.

Dico Tertiò, Materia panis non manet in Euchariſtia. Eſt etiam fide tenendum contra Durandum.

39 Non remanere materiam panis contra Durandum probatur.

Probatur Primò, Quia tota ſubſtantia panis conuertitur & tranſubſtantiatur in Corpus Chriſti; vt docet Concilium Lateranenſe, & tridentinum ſuprà.

Probatur Secundò, Quia, iuxtà ſententiam Durandi, accidentia nõ remanerent ſine ſubiecto: quod damnatum eſt in Concilio Conſtantienſi ſeſſ. 8. Patet hoc, Quia ſi materia manet, acci-

by Google

tientia retinent ſuum ſubiectum ; nam materia eſt ſubiectum accidentium.

Probatur Tertiò, Etiamſi Anima Chriſti informaret materiam panis, nō tamen idcircò eſſet ibi caro Chriſti, quæ de Virgine ſumpta eſt, & pro vita ſęculi tradita ; quod eſt contra Scripturas, & Patres; ſed eſſet ibi noua caro, iam ex tempore per nouam conuerſionem genita. Dices, Caro Chriſti ſumpta ex Virgine erit ibi per concomitantiam. Reſpondeo Primò, Hoc non ſufficere ; debet enim ibi eſſe directè ex vi conſecrationis, & Sacramēti; vt patet ex illis verbis, *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur*. Secundò ; Nulla eſt connexio inter hanc carnem, & illam antiquam : quomodo ergo eſt ibi per concomitantiam? Denique, Si caro antiqua eſt ibi, quid opus eſt fingere ibi nouam carnem, quæ nihil ad vim verborum, & Chriſti intentionem faciat?

Refellitur ſententia Durandi ex abſurdis.

Probatur Quartò; Ex ſententia Durandi ſequetur eſſe tria Chriſti corpora viua re diſtincta in eodem altari: nempe quod ex Virgine ſumptum; quod ex materia panis & Anima conflatur ; & quod ex Anima & materia vini: quorum, duo poſteriora quotidie fient, & diſſoluentur ; ac proinde Chriſtus quotidie naſcetur, ac morietur: ſicut, ſi vna anima eſſet in tribus corporibus, & ab vno ſepararetur, ille homo verè moreretur; & ſi alteri corpori iūgeretur, aliquis verè naſceretur. Si dicas, Materiam panis & vini non conſtituere cum Anima diſtinctum corpus, ſed agglutinari corpori antiquo, ſicut alimentum: Saltem hinc ſequetur corpus Chriſti quotidie ſecundùm partes gigni & augeri, & rurſus deſtrui & diffluere, vt ſolent mortalium corpora. Vel ſi tota illa materia manet informata, Chriſti corpus immenſam molem nunc contraxit. Omitto alia, quæ contra hanc ſententiam poſſent excogitari. Ad rationes Durandi, reſponſio patebit ex infrà dicendis.

tas, quatenus habet eſſe extra ſuas cauſas, ſine quâ ſubſtātia nihil eſt, niſi in potentia obiectiua.

Ex his facilè refutatur alia quædam ſententia, quam inſinuat Caietanus hîc in Reſponſione ad 3. & art. 4. vbi docet, etſi non maneat materia ſpecifica panis, manere tāmen quandam entitatem, quæ antè erat panis ; & hanc per conuerſionem fieri & eſſe corpus Chriſti. Vnde art. 4. ait terminum tranſubſtantiationis eſſe, vt id, quod erat panis, ſit corpus Chriſti.

41 Sententia Caietani quòd remaneat quædā entitas panis.

Hinc enim ſequitur: Primò, Non totam ſubſtantiam panis conuerti : quod eſt contra fidem. Antecedens patet: nam id, quod manet, non conuertitur in aliud. Secundò, Non manere ſola accidentia panis, ſed aliquid ſubſtātiæ: quod etiam fidei repugnat. Tertiò, Implicat, vt eadem numero entitas, quę anteà erat panis, nunc ſit corpus Chriſti. Probatur, quia res finita, quæ identificatur rebus diſtinctis, in ſe quoque diſtincta eſſe debet, ac proinde diuerſa numero. Confirmatur; ſola eſſentia diuina, ob ſuam immenſitatem, poteſt rebus diſtinctis identificari ; ſcilicet diuinis perſonis, quæ realiter diſtinguūtur : ergo id nulli rei creatæ concedendum. Quartò, In diuerſis panibus ſint diuerſæ numero entitates: ergo, ſi per conſecrationem hæ entitates fiunt & ſunt Corpus Chriſti, ipſum identificabitur rebus pluribus numero diſtinctis. Denique non poteſt fieri ſucceſſio differentiarum ſpecificarum in indiuiduo generis prę̄cisè conſiderato: quia gradus ſpecifici non poſſunt à genericis ſeparari, cùm in vnam ſimplicem entitatem coaleſcant. Cōfirmatur, quia per eandem formam, panis eſt panis, & ſubſtantia, & entitas. Quomodo autem dicatur, *Id quod fuit panis, nunc eſt corpus Chriſti*, qui modus loquendi videtur Caietanum mouiſſe, infrà dicetur.

Refutatur

DVBIVM. II.

Vtrùm maneat exiſtentia panis, vel etiam gradus aliquis ſubſtantialis ?

40 Thomiſtæ

QVidam Thomiſtæ putant exiſtētiam panis manere, & per hanc exiſtere accidentia. Hanc ſententiam cùm Bannes in 1. editione primæ Partis fuiſſet ſecutus, in ſecunda ſic mutauit, vt tantùm dicat probabilem. Vide q. 4. art. 2.

Exiſtentiā panis remanere in Euchariſtia, repugnat dogmatibus fidei.

Verùm hęc ſententia nullo modo eſt probabilis. Primò, Quia videtur contra dogmata fidei; quorum vnum eſt, *Tota ſubſtantia panis conuertitur in ſubſtantiam corporis Chriſti* : Atqui ſubſtantia panis includit etiam exiſtentiam panis, ſicut ſubſtantia corporis Chriſti includit eius exiſtētiam : ergo hæc etiam conuertitur. Confirmatur; Quia ſubſtantia, prę̄cisā exiſtentiā, conuerti non poteſt, cùm non ſit ens actu, ac proinde nec conuertibile. Alterum dogma eſt, *Solùm accidentia panis remanere*, vt expreſsè habet Concil. Tridētinum ſeſſ. 13. can. 2. Vnde infero: ergo nullo modo exiſtentia panis remanet. Patet conſequentia; nam hęc exiſtentia non eſt accidens, ſed eſt id, quod primas partes obtinet in ſubſtantia actuali panis.

Repugnat etiā Philoſophiæ.

Secundò, Videtur etiam eſſe contra Philoſophiam : quis enim animo concipiat exiſtentiam rei, veluti veſtem quamdam aut ornamentum, realiter ab illa ſeparari, & alteri rei conferri; aut accidentia poſſe formaliter exiſtere per exiſtentiā ſubſtantię, ipsā ſubſtantiā peremptā ; cùm rem perimi, ſit eius exiſtentiam perimi? Eſt enim exiſtentia intima cuiuſque rei actualitas, ſeu entitas, quatenus habet eſſe extra ſuas cauſas, ſine quâ ſubſtātia nihil eſt, niſi in potentia obiectiua.

Vtrùm, ſi ſubſtantia panis non conuerteretur in corpus Chriſti, ſed maneret, poſſit ibidem poni corpus Chriſti per diuinam potentiam ?

42 Reſponſio eſt affirmans.

REſpondeo; Omnino tenendum eſt, potuiſſe ibi poni corpus Chriſti cum pane, & ſub pane, ſicut modo eſt ſub accidentibus per intimam prę̄ſentiam, quamuis accidentia tunc non haberent illum ordinem ad corpus Chriſti, quem modò habent. Ratio eſt, quia ſicuti quantitas panis, & alia accidentia, non excludunt corpus Chriſti, ſic neque ſubſtantia panis illud excludere poteſt, quin ſub illa poſſit collocari & intimè præſens eſſe. Confirmatur ; quia ſi Deus poteſt duo corpora retinentia ſuam extenſionem ſimul ponere, multò magis poterit corpus Chriſti habens modum exiſtendi ſpiritualem & indiuiſibilem ponere ſub panis ſubſtātia ; cùm corpus habens talem modum, nullo modo excludat aliud corpus habens extenſionem. Vnde non ſolùm poteſt per actionem ſubſtātialem & productiuam poni ſub pane ; ſed etiam alibi poſitum per motum localem, ſeu actionem adductiuam ſub pane collocari. Sicut enim actio productiua corporis Chriſti ſub accidentibus panis, non neceſſariò requirit deſitionem panis; ita neque actio adductiua

quia actio nec poſſet ſub pane poni corpus Chriſti.

Nec obſtat, quod D. Thomas hîc in corpore dicit, rem non poſſe alicubi, vbi anteà non erat, incipere eſſe, niſi vel per motum adducatur, vel per conuerſionem alterius rei in ipſam ponatur. Quia D. Thomas loquitur de ordinatis, & conſuetis modis, quibus res aliqua incipit eſſe, vbi anteà non erat ; qui modi ſunt motus localis, &

Explicatur D. Thom.

conuersio. Non tamen intendit negare modum tertium, & extraordinarium, qui est instar purę creationis: sed existimauit illum modum hîc locum non habere, Deumque etiam in miraculis, vti modis quàm maximè fieri potest consentaneis naturis rerum.

ARTICVLVS III.

Vtrum substantia panis & vini per consecrationem annihiletur?

43 REspondetur non annihilari. Ratio est, Quia non desinit in non esse absolutè, sed in Corpus, & Sanguinem Domini. Verùm, quia hoc obscurum est:

Conuersio quid sit, & quid includat.

Notandum est, Conuersionem esse transitum quemdá ex vna natura, vel forma, vel qualitate in aliam: vt cùm vinum vertitur in acetum; cùm aër in aquam; frigidum in calidum. Vnde necesse est cõuersionem intrinsecè includere duas mutationes; quarum altera est in termino à quo, altera est in termino ad quem. Terminus enim à quo, desinit esse; vnde mutatur ab esse, ad non esse. Terminus autem ad quem, incipit esse, vel absolutè, vt si anteà non erat; vel secundùm nouam quandam dependentiam, si erat.

quidam putant panem annihilari.

Hoc ergo articulo quæstio est de mutatione quæ est in termino à quo, sitne annihilatio? Quidam Doctores existimant hanc mutationem, quę est in termino à quò, scilicet in pane, esse annihilationem. Ratio est; quia panis absolutè desinit esse, sic vt nihil ipsius substantiæ remaneat, perinde ac si nihil aliud succederet: ergo annihilatur. Probatur consequentia; Quia annihilatio est totius desitio in nihil. Et confirmatur, quia panis iste potest reproduci à Deo per creationẽ: quod signum est fuisse annihilatum. Ita Gabriel Lectione 40. in Canonem, & Occam in 4. q. 6. & Albertus Magn. in 4. dist. 10. quæ sententia non est improbabilis.

44 Melius negatur.

Melius tamen dicitur, panem non annihilari. Ita passim alij Doctores dist. 11. & D. Tho. hîc.

Ratio quorundam.

Rationem quidam reddũt: Quia panis, inquiant, non desinit per meram suspensionem concursus diuini, sed ex vi actionis positiuæ qua species separantur à subiecto. Detractis enim omnibus accidentibus substantia naturaliter desinit esse: nam forma non potest manere in materia sine dispositionibus; vnde necessariò euanescit. Materia quoque non potest priuari omni forma; vnde etiam necessariò desinit esse, cum prior forma euanescat, & alia non succedat.

Refellitur.

Sed contrà: Primò, Quia hęc sententia supponit accidẽtia separari à substãtia panis per actionem positiuam, per quã accipiant modum quendam positiuũ existendi per se, qui modus sit terminus huius actionis: quod non videtur verum. Nam frustrà ponitur talis modus existendi positiuus in speciebus Sacramentalibus; vt infrà ostẽdemus: vnde etiam frustrà ponitur illa actio separans accidentia, & modum illum conferens. Secundò; Esto, sit talis actio, & talis modus in accidentibus separatis; non tamen videtur facere ad propositum. Nam conuersio panis in corpus Christi, est integra quædam mutatio substantialis: ergo non debet constare nisi mutationibus substantialibus. Sicut enim substantia composita non constat, nisi substantijs; ita mutatio substantialis composita debet tantummodò cõstare mutationibus substantialibus; qualis est desitio panis & incæptio corporis Christi. Atqui hæc mutatio circa accidentia, non est mutatio substantialis; quia solùm terminatur ad illum modum accidentis: ergo est extra rationem transubstantiationis, quę est mutatio substantialis: ergo ex ea non potest ratio desitionis illius sumi. Confirmatur, quia modus iste desinendi non repugnat annihilationi: quod patet in simili. Si enim Deus separaret ab Angelo intellectum, & volũtatem, & sic Angeli substantia desineret esse, verè annihilaretur. Sic si à toto mundo detraheret omnia accidentia, & ita mundus desineret esse, verè annihilaretur. Tertiò, Ex detractione formæ, vel accidentium, nõ necessariò sequitur desitio materiæ, vt quæ sit omnium formarum, & accidentium corporalium fundamentum: sed solùm ex ordinatione diuina merè libera, qua statuit illi rei subtrahere cõcursum conseruatiuum, quę modo naturę suę tam dilentaneo existeret. Vnde hæc desitio magis æstimanda est libera subtractione concursus diuini, quàm ex positiua illa actione separandi accidentia: ac proinde censebitur annihilatio; nisi quid aliud obstet.

45 Vera ratio cur panis hic non dicatur annihilari.

Vera igitur ratio, cur hęc desitio panis non sit annihilatio, dicenda est; quia de ratione annihilationis, vt communiter concipitur, est, vt res ita desinat esse, vt illa desitio ex vi actionis per quã, vel propter quam fit, non ordinetur ad vlterius esse; sed sistat in non esse: atqui panis ita desinit, vt illa desitio ordinetur ad vlterius esse, idque ex vi actionis, qua christi Corpus ponitur sub speciebꝰ. Etsi enim hæc desitio panis immediatè fiat per subtractionem influxus conseruatiui (nihil enim est aliud, quàm priuatio essendi, quatenus in primo instanti est pendens à causa ptiuatiua, scilicet à suspensione actionis conseruatiuæ) tamen censetur fieri ex vi actionis positiuę, qua ponitur ibi corpus Christi: nam propter illam actionem fit, & ex intentione agentis ordinatur ad esse corporis Christi sub speciebus. Quia enim intendebat Christus ponere suum corpus sub speciebus tanquam principaliter designabile, sensibile, tractabile per species, necessariò debebat excludere panem. Itaque substantia panis necessariò desinit ex vi actionis, qua ponitur ibi corpus Christi; non quidem ex vi, quam habet, actio præcisè ex natura sua: sed quam habet, vt subest intentioni Dei ordinantis illam ad sic ponendum corpus Christi sub speciebus.

46 Obiectio quòd debeat esse formalis repugnantia terminorum.

Dices, Inter terminos conuersionis debet esse formalis repugnantia; ita vt necessariò positio vnius, sit exclusio alterius; vt patet in omnibus conuersionibus formalibus, id est, quæ per successionem formarũ in eãdem materia vel subiecto fiunt. Si enim possent simul stare, iã non esset conuersio; nam vtrumque conseruaretur. Hinc album non vertitur in dulce, sed in nigrum vel rubrum &c. Sed corpus Christi non ita excludit substantiam panis à speciebus: nam possunt simul consistere, etiam naturaliter, posito illo modo existendi indiuisibiliter in corpore Christi: ergo non est conuersio inter illa.

Negatur id de conuersione supernaturali.

Respondeo, in omni conuersione naturali termini ita debẽt repugnare, vt naturaliter non possint simul consistere. Nam hæc conuersio fit per successionem formarum repugnãtium. Secùs tamen res habet in conuersionibus supernaturalibus, quibus totum conuertitur in totum supernaturaliter: nam hîc non succedit vna forma alteri in eadem materia, vel subiecto, sicut in naturali conuersione: sed tota substantia toti substantiæ, sub ijsdem accidentibus, sub quibus non ha-

bent illæ duæ ſubſtantiæ repugnantiam, niſi illa accidentia debeant informare ſubſtantiam, quæ ſuccedit; quod hîc non habet locum: vel illam debeant principaliter deſignare; quod pendet ex intentione agentis. Sufficit igitur; vt termini repugnent quatenus ſubſunt intétioni agentis; qui ſic intendit ponere corpus Chriſti ſub ſpeciebus, vt ſit principaliter deſignabile, & ſenſibile per illas: cum quo ſtare nequit; vt maneat ſubſtantia panis: quod etiam eſt conſentaneum naturis rerum, & dignitati corporis Chriſti, quod poſtulabat, vt eſſet ibi tamquam primaria ſubſtantia, non vt quid acceſſorium ſubſtantiæ panis.

qualis hic terminorũ repugnantia ſufficiat.

Repugnãtia terminorum in conuerſione.

Confirmantur hæc omnia: Quia vbi eſt peculiaris modus conuerſionis, ibi quoque poteſt eſſe peculiaris repugnantia inter id, quod conuertitur, & id, in quod conuertitur: ergo in conuerſione ſupernaturali, quæ tota pendet ex ordinatione diuina, ſufficit ea repugnantia, quæ naſcitur ex modo exiſtendi, quem Deus intendit. Præſertim cùm in conuerſione non videatur requiri repugnantia terminorum ob aliam cauſam, quàm vt deſitio vnius non iungatur per accidens cum inceptione alterius. Atqui ad hoc cauendum ſufficit intentio diuina, conſentanea naturis rerum, ordinans deſitionem vnius ad inceptionem alterius.

ARTICVLVS IV.

Vtrum panis poſſit conuerti in corpus Chriſti?

REſpondetur Affirmat. Sed DVBIVM eſt, *Qua actione fiat hæc conuerſio, & quis ſit formalis terminus huius actionis?*

47 Prima ſententia Scoti, id fieri duplici actione.

Sunt tres ſententiæ. Prima eſt, Diuerſis actionibus panem conuerti in corpus Chriſti, & corpus Chriſti poni ſub ſpeciebus panis. Priotem, eſſe actionem conuerſiuam, & terminari ad ſubſtantiam corporis Chriſti ſecundùm ſe, vt eſt in cælo; vnde ex vi huius actionis illud non poni ſub ſpeciebus: quare eſſe opus alia actione, quam vocãt *Adductiuam*, qua corpus Chriſti, in quod conuerſus eſt panis, ſub ſpecies adducatur. Inſinuat Scotus diſt. 10. q. 1. & diſt. 11. q. 3. & clarè docent eius diſcipuli.

Secunda ſententia id fieri per *Adductionem.*

Secunda ſententia: Eſſe quidem eandem actionem, qua fit conuerſio panis in corpus Chriſti, & qua corpus Chriſti ponitur ſub ſpeciebus panis: ſed hanc eſſe actionem adductiuam, quæ ſic adducat corpus Chriſti ſub ſpecies, vt tamen locum non deſerat, quem habet in cælo, ſed ſolùm acquirat nouam præſentiam ſub ſpeciebus. Vnde terminum formalem, ad quem terminatur hæc actio, eſſe præſentiam nouam, ſeu nouum *vbi*. Ita multi recentiores qui ſcribunt contra hæreticos, & etiam quidam Scotiſtæ.

48 Tertia ſententia id fieri per ſolam actionem ſubſtãtialem conuerſiuam.

Tertia ſententia: Solam actionem ſubſtantialem conuerſiuam requiri. Pro qua:

Dico Primò: Eadem actione, qua panis conuertitur in corpus Chriſti, cõſtituitur idẽ corpus ſub ſpeciebus panis. Eſt quaſi certa, & ferè communis Doctorum. Probatur Primò, quia, ſi non poneretur ibi per actionem conuerſiuam, ſed per aliam, non poneretur ibi per transſubſtantiationem, ſed per aliquam aliam actionem extraneam transſubſtantiationi, ſcilicet per actionem adductiuam, ac proinde impertinens eſſet transſubſtantiatio ad hanc præſentiam: quod tamen eſt contra ſenſum Patrum, qui cenſent corpus Chriſti ibi eſſe propter transſubſtantiationem; vt ſtatim oſtendemus. Probatur Secundò, Quia terminus *ad quem* neceſſariò ponitur ex vi conuerſionis, vbi erat terminus *à quo*: ergo actio conuerſiua ſufficit ad præſentiam corporis Chriſti ponendam in Euchariſtia. Antecedẽs patet; nam cõuerſio fit per ſucceſſionem diuerſarum formarum in eadem materia vel ſubiecto, aut per ſucceſſionem diuerſarum ſubſtantiarum ſub ijſdem accidentibus: ſemper enim termini conuerſionis debent comparari ad aliquid idem, in quo, vel ſub quo, fiat ſucceſſio. Cõfirmatur; quia niſi maneat aliquid idem, ſub quo fiat ſucceſſio ſubſtantiarũ, nulla erit ratio, cur potiùs panis dicatur conuerſus in corpus Chriſti, quàm lapis, ſi eodem momento etiam lapis deſineret eſſe manentibus accidentibus ſeu ſpeciebus. Pari modo nulla erit ratio, cur panis dicatur potiùs conuerſus in corpus Chriſti, quam in corpus B. Virginis. Si enim corpus Chriſti ex vi conuerſionis non magis eſt ſub ſpeciebus panis, quàm corpus B. Virginis, ſed per nouam actionem debeat adduci; cur potiùs conuerſus eſt panis in corpus Chriſti, quàm in corpus Virginis? Vnde patet, hanc ſententiam falſam eſſe, ſcilicet panem hîc poſitum poſſe conuerti in corpus Chriſti exiſtens & permanens dumtaxat in cælo, & præter actionem conuerſiuam opus eſſe adductiuâ.

49 Actio, quæ ponitur corpus Chriſti in Sacramẽto non eſt adductiua, ſed productiua.

Dico Secundò, Hæc actio, qua panis conuertitur in corpus Chriſti, & conſequenter, qua corpus Chriſti ponitur ſub ſpeciebus præſens, nõ eſt actio adductiua, ſed veluti ſubſtãtialiter productiua corporis Chriſti, ſic vt terminus eius formalis ſit ſubſtantia corporis Chriſti. Ita ſentit D. Thomas: nam paſſim negat Chriſtum eſſe in Euchariſtia per motum localem, vt patet hoc art. 4. & ſuprà artic. 2. Atqui actio adductiua nihil eſt, niſi motu localis: terminatur enim tantummodò ad nouum vbi, ſeu nouam preſentiam. Et art. 2. ex eo, quòd chriſti Corpus non incipiat eſſe in Euchariſtia per motum localem, concludit debere ibi poni per quandam actionem veluti generatiuam, ſeu ſubſtantialiter productiuam. Et in Reſponſione ad 1. ibidem dicit, quòd virtus Dei ex pane & vino facit Corpus, & Sanguinem ſuum. Et infrà art. 7. dicit terminum huius conuerſionis eſſe corpus Chriſti; quod cùm non ſuſcipiat magis, & minus, cauſa eſt, cur hæc conuerſio fiat in inſtanti. Idem ſentire videntur omnes Doctores, qui docent hanc actionem, qua Chriſti corpus ponitur in Euchariſtia, non fieri in aliquo ſubiecto præſuppoſito; & idcircò eſſe ſimilem creationi: hinc enim ſequitur, non eſſe actionem adductiuam: nam hæc fit in ſubiecto, quod ei ſupponitur, ſcilicet in corpore, quod adducitur, ſicut aliæ mutationes accidentales. Ita Halenſis 4. parte queſt. 34. membro 3. art. 1 & Henricus Quodlibeto 9. queſt. 9. Bonauentura diſt. 10. art. 2. queſt. 1. Sed omnium optimè & clariſſimè Gabriel diſt. 11. quæſt. 1. & in Canonem miſſæ lectione 40. & 46. *Hanc ſententiam copioſe deductam vide lib. 12. de Perfect. diuinis cap. 16. num. 114. & deinceps.*

50 1. Probatur ex SS. Patribus.

Probatur hęc ſententia: Primò, Ex Patribus, qui docent *panem mutari, conuerti, trãsfundi; tranſelementari in corpus Chriſti, & ſubſtantiam conuerti in ſubſtantiam.* Atqui nulla eſt conuerſio vnius in aliud, ſine actione productiua eius, in quod fit conuerſio; vt patet in omnibus conuerſionibus ſubſtantialibus, & accidentalibus: exempli cauſa, quando aqua conuerſa eſt in vinum, non ſolùm deſijt ſubſtantia aquæ, ſed producta eſt ibi

ſubſtantia vini: quando vxor Loth conuerſa eſt in ſtatuam ſalis, non ſolùm ipſa deſijt eſſe, ſed producta eſt ſtatua ſalis: quando virgæ conuerſæ ſunt Exodi cap. 7. in ſerpentes, ita deſierunt virgæ, vt producti ſint ſerpentes: ſic quando in nutritione ſanguis vertitur in carnem, vel chylus in ſanguinem, non ſolùm eſt deſitio, ſed etiá ſubſtantialis productio. Ergo ſimiliter quando ſubſtantia panis vertitur in ſubſtantiam corporis Chriſti, neceſſe eſt corpus Chriſti quodammodò produci, id eſt, accipere eſſe ſubſtantiale, per quandam ſubſtantialem dependentiam & influxum: quamuis non propriè dicatur *produci*: nomen enim hoc connotat rem illam anteà non extare.

Vrgetur auctoritas Patrum ex verbis *Fieri, Confici, Creari*, &c.

Secundò, Quia Patres docent corpus Chriſti *fieri, confici, creari*; quæ verba productionem nobis inſinuant. Tertullianus lib. 4. contrà Marcionem: *Acceptum panè corpus ſuum facit, dicendo, Hoc eſt corpus meum.* Cyprianus ſermone de cœna Domini, *Panis iſte non effigie, ſed naturâ mutatus, omnipotentiâ Verbi factus eſt caro.* Et infrà: *Qui vſque hodie veracisſimum corpus ſuum creat, & ſanctificat, & benedicit.* Ambroſius lib. de ijs qui Myſterijs initiantur; *Hoc quod conficimus, corpus ex Virgine eſt.* Et lib. 4. de Sacramentis cap. 4. *Vbi accedit conſecratio, de pane fit corpus Chriſti.* Idem Ambroſius ſæpè comparat hanc conſecrationem cum creatione, & cum formatione Chriſti in vtero Virginis; quæ ſunt actiones ſubſtantiales. Similiter Damaſcenus lib. 4. de Fide cap. 14. Denique ſanctus Gaudentius Tractatu 2. de Exodo. *Ipſe naturarum creator & Dominus, qui producit de terra panem; de pane rurſus, quia poteſt & promiſit, efficit proprium corpus; & qui de aqua vinum fecit, de vino ſanguinem ſuum facit.*

Probatur Secundò, Ratione. Prima eſt, Quia implicat contradictionem corpus Chriſti poni in Euchariſtia per ſolam actionem adductiuam; niſi deſerat locum, qui eſt in cælo.

2. Probatur ratione.

1. quia implicat Chriſtum per ſolam actionem adductiuā poni in Euchariſtia.

Quod Probatur; Quia actio adductiua ſolùm facit nouam præſentiam, ſeu nouum *vbi* in corpore Chriſti, quod eſt modus quidam eius accidentalis; ſicut *eſſe hîc* vel *ibi*: Atqui nullus modus accidētalis nullumáe accidēs poteſt intelligi fieri in aliquo ſubiecto, niſi hoc ſubiectum priùs naturâ intelligatur præſens negatiuè, id eſt, indiſtans à loco, vel à ſpatio, vbi ille modus vel illud accidens datur; vt per ſe patet: ergo priùs naturâ corpus Chriſti debet intelligi indiſtans à ſpeciebus, vt poſſit ſub ipſis poſitiuam quandam præſentiam, ſeu *vbi poſitiuum* accipere: ergo per aliquam actionem priorem debet ibi eſſe poſitum; ac proinde per actionem quandam productiuam; nulla enim alia fingi poteſt, ſi manet in cælo.

Confirmatur, Quia impoſſibile eſt intelligi aliquam vnionem inter aliqua duo, niſi priùs naturâ hęc intelligantur eſſe, & non diſtare: atqui præſentia poſitiua eſt veluti quædam vnio cum ſpatio, vel cùm ſpeciebus: ergo erit neceſſe vt priùs ſint indiſtantia &c.

Secunda Ratio eſt: Etſi poneremus hanc rationem ponendi corpus Chriſti Domini in Euchariſtia per actionem adductiuam eſſe poſſibilem, nullo tamen modo ſufficeret præſenti myſterio. Quia per hanc actionem adductiuam non ſaluatur vera, & propriè dicta *Tranſubſtantiatio*; quam tamen fateri oportet iuxtà doctrinam Eccleſiæ Catholicæ; vt docet Concilium Tridentinum ſeſſ. 13. cap. 4. Quod

51 2. quia per adductionem non ſaluatur Tranſubſtantiatio.

Probatur Primò, Quia propriè dicta *Tranſubſtantiatio* eſt conuerſio ſubſtantialis; atqui conuerſio ſubſtantialis debet conſtare duabus mutationibus ſubſtantialibus; alterâ, quâ ſubſtantia deſinat: alterâ, quâ aliâ ſubſtantia incipiat eſſe vel ſimpliciter, vel ſecundùm nouam dependentiam; vt videre eſt in omnibus alijs conuerſionibus ſubſtantialibus. Sicut enim ſubſtantia compoſita non conſtat, niſi ex ſubſtantijs, ita mutatio ſubſtantialis compoſita, qualis eſt *Tranſubſtantiatio*, conſtare debet mutationibus ſubſtantialibus. Quòd ſi terminus conuerſionis ſolùm eſt nouum *vbi*, ſeu noua *præſentia*, illa mutatio eſt merè accidentalis ex parte termini ad quem; & nihil eſt aliud quàm motus localis acquiſitus ſine amiſſione: ſicut cùm Angelus ſe extendit ad ampliorem locum, non amiſſo loco priore. Sed hoc eſt contra Concilium Tridentinum, quod affirmat *hanc conuerſionem propriè, conuenienter, & aptiſſimè dici tranſubſtantiationem.* Rurſus conuerſio ſubſtantialis debet terminari ad ſubſtantiam, tamquam ad terminum ſuum formalem. Nec valet, ſi dicas, Ideò dici ſubſtantialem, quia ſubſtantia panis deſinit. Nam omnis alia mutatio accipit nomen à termino *ad quem*, à quo etiam habet ſpeciem; non à termino *à quo*, qui mutationi poſitiuæ merè eſt extrinſecus. Vnde non eſt ratio vlla, cur hæc conuerſio dicatur *Tranſubſtantiatio* à termino à quo. Et confirmatur, Quia alioquin erit propriè *Tranſubſtantiatio*, ſi ſubſtantia panis verteretur in colorem, vel in aliam qualitatem corporis Chriſti: quod per ſe abſurdum eſt.

Vrgetur ex verbis Cōcil. Tridentini.

Probatur Secundò, Quia *Tranſubſtantiatio eſt conuerſio totius ſubſtantiæ in ſubſtantiā*: vt expreſsè docet Concilium Tridentinum ſeſſ. 13. cap. 4. At non rectè dicitur *conuerti ſubſtantia in ſubſtātiam*, ſi corpus Chriſti ſolùm per actionem adductiuam ibi ponatur ſub ſpeciebus. Actio enim adductiua ſolùm mutat loca, non ſubſtantias rerum. Quod confirmatur; Quia alioqui, ſi corpus Chriſti deſcenderet de cælo, & ſubiret ſpecies ſacramentales, deſinente ibi ſubſtantiâ panis, diceretur panis conuerti in ſubſtātiam corporis Chriſti: quod per ſe abſurdum eſt. Sic enim poſſemus dicere, cùm Dominus aquam conuertit in vinum, iſtud vinum non fuiſſe ibi productum, ſed aliunde allatum, & loco aquæ ſubſtitutum. Similiter de virga Moyſis, quando conuerſa eſt in ſerpētem, non eſſe productum ſerpentem, ſed aliunde allatum, & in locum virgæ ſubſtitutum: quod eſt cōtra ſententiam Patrum. Vide D. Auguſtinum lib. 18. de Ciuitate cap. 18. vbi diſtinguit veras conuerſiones, quę virtute diuina fiunt, à falſis, quę arte dæmonum.

Vrgetur iterum ex Tridentino.

52 3. Ratio contra adductionē.

Tertia Ratio eſt: corpus Chriſti per actionem *Tranſubſtātiationis* non ſolùm accipit nouā præſentiam, ſeu nouum *vbi* ſub ſpeciebus; ſed etiam modū quendā intrinſecum exiſtendi, per quem poſtulat eſſe totum in ſingulis partibus ſpatij ipſarum ſpecierum, ſicut ſpiritus. Hic enim modus exiſtēdi diſtinctus eſt à præſentia, & eſt prior illā, tamquam eius fundamentum. Sicut modus exiſtendi extensè diſtinctus eſt à præſentia corporū. Ergo actio adductiua non ſufficit; ſed opus eſt alia priore, & ſublimiore. Atqui hæc non poteſt eſſe, niſi productiua ſubſtantiæ corporis Chriſti, & quaſi replicatiua eiuſdem eſſe. Confirmatur; Quia modus exiſtendi diuiſibiliter, & indiuiſibiliter, ſunt modi oppoſiti; ſicut modus exiſtendi per ſe, & in alio: ergo nō poſſunt eidē ſubſtantiæ cōuenire, niſi illa quodámodò virtute ſit duplex, duplicem habens dependentiam ſubſtantialem.

53 4. Ratio.

Quarta Ratio eſt: Si ſolùm per actionẽ adductiuam eſſet ſub ſpecibus, per nullã potentiam poſſet cõſeruari in Euchariſtia, ſi poneretur deſinere, vt eſt in cælo. Atqui hoc omnino falſum eſt: quia tam *verè, realiter, & ſubſtantialiter eſt in Euchariſtia*, quàm eſt in cælo: ergo ſicuti poteſt deſinere eſſe in Euchariſtia, ita vt nõ deſinat eſſe in cælo; ita viciſſim diuina virtute fieri poteſt, vt deſinat ſecundùm dependentiam primam, quam habet in cælo, ſic, vt non deſinat in Euchariſtia. Sicut enim, vt eſt in cælo, non habet intrinſecã dependentiam à ſe, vt eſt in Euchariſtia; ita viciſſim, vt eſt in Euchariſtia, non habet intrinſecam dependentiam à ſe, vt eſt in cælo. Ratio eſt, Quia eſt omnino idem corpus, habens vtrobique integrum influxum, & totalem dependentiam à Diuina virtute conſeruante.

Inſtatur iterum ex verbis Concil. Trid.

Confirmatur; Quia vt rectè docet Scotus diſt. 10. q. 4. quem plerique alij ſequuntur; Deus poterat Chriſti Corpus ponere in Euchariſtia ante Incarnationem; idque per eandem actionem, per quam modò ponitur: Sed tunc illa actio fuiſſet vera productio, terminata ad ipſam ſubſtantiam corporis Chriſti: ergo & modò eſt vera actio productiua eandem vim habens. Quamuis non dicatur abſolutè nunc *productio*; eò quòd Corpus Chriſti anteà exiſtat: quod enim antea erat, non propriè dicitur *produci*. Sed hoc ad modum loquendi pertinet.

Scotus.

Obiectio.

Dices, Corpus Chriſti habet veram præſentiã, ſeu verum *vbi* accidẽtale: ergo præter actionem, quæ terminatur ad eius ſubſtantiam, opus eſt actione adductiua, quę terminatur ad illam præſentiam.

Solutio.

Reſpondeo Negando Conſequentiam: Nam hæc præſentia cõſequitur neceſſariò ex eo, quòd actio ſubſtantialis productiua Corporis Chriſti determinetur per diuinam voluntatem ad certũ locum, ſeu ſpatium. Sicut, quãdo condidit Deus terram, non opus erat aliã actione, qua poneretur in hoc ſpatio, quàm actione creatiua, quæ ad ſubſtantiam eius terminabatur. Sicut enim operatio diuina, quæ foras prodit, neceſſario determinatur ad certum genus rerum, ita etiam ad certum ſpatium, in quo rem illam facit.

DVBIVM II.

Quomodo differat hæc actio à creatione, ſeu actione creatiua?

54 Prima differentia.

REſpondeo, Differt Primò, Quòd Creatio ſit prima collatio ipſius eſſe, per quam res, ex non ente, fit ens; qua ceſſante, res relabitur in nihil. At hæc actio nõ eſt prima collatio eius eſſe, quod non erat; ſed eſt iterata collatio eius, quod iam erat, & eiuſdem eſſe noua dependẽtia. Vnde ſe habet potiùs per modum conſeruationis, quàm creationis. Differt enim Conſeruatio à Creatione, quòd Creatio ſit prima poſitio ipſius eſſe connotans antè hoc inſtans rem non fuiſſe. Conſeruatio autem eſt continuatio eiuſdem eſſe poſt primum inſtans, & etiam eiuſdem actionis. Nam Creatio, & Conſeruatio propriè eſt eadem actio poſitiua: ſed dicitur Creatio in primo inſtanti in quo eſt. Conſeruatio toto reliquo tempore poſt illud inſtans. Itaque, cùm hęc actio non ſit prima collatio ipſius eſſe, ſed eiuſdem eſſe cõtinuatio, habet ſe per modum conſeruationis: quamuis non ſit propriè illa prima conſeruatio, cùm non ſit omnino eadem actio.

Creatio & conſeruatio, quid.

Differt Secundò, Quòd creatio non habet terminum *à quo* poſitiuum, ſed ſolùm negatiuum: eſt enim productio rei ex nihilo. Hęc autem actio habet terminum *à quo* poſitiuum, ſcilicet ſubſtãtiam panis; nam ex pane fit Corpus Chriſti. Secunda differentia

Aduerte tamen has differentias non ponere aliquem modum intrinſecum in hac actione, ſed ſolùm extrinſecas denominationes, quæ tamen modum loquendi, plurimùm immutant. Nam quod Corpus Chriſti alibi exiſtat, eſt extrinſecum huic actioni productiuæ: vt enim eſt alibi, non eſt terminus huius actionis, ſed præexiſtit illi; ac proinde nullam intrinſecam connexionem cum eâ habet. Vnde hæc actio ita terminatur ad Corpus Chriſti, ac ſi alibi non eſſet. Similiter extrinſecum eſt huic actioni, quòd habeat terminum *à quo* poſitiuum: nam iſte terminus nihil poſitiui confert huic actioni, cùm eo momento, quo actio eſt, terminus ille non ſit: dum autem non eſt, non poteſt aliquid poſitini conferre.

55 Soluuntur obiectiones.

Dices Primò, Si hęc actio, qua Chriſti Corpus ponitur in Euchariſtia, non differt vi intrinſeca a creatione: ergo quotidie Chriſti Corpus creatur, vel producitur.

Creatio & conſeruatio, etſi quoad intrinſeca cõueniãt, differunt tamen cõnotato.

Reſpondeo Negando Conſequentiam; Quia nomẽ creationis, & productionis, non ſolùm ſignificat id, quod eſt intrinſecum actioni; ſed connotat etiam aliquid extrinſecũ; ſcilicet quod res illa antè non extet, quodque hæc ſit prima collatio ipſius eſſe. Vnde cùm Corpus Chriſti ante extet, quando ponitur in Euchariſtia non dicitur *creari*, ſed accipere idem eſſe in altari, quod habet in cælo, licèt alio modo habeat. Sicut poſt primum inſtans, quo mundus cœpit eſſe, non ampliùs dicitur *creari* vel *produci*, ſed *conſeruari*; quamuis actio conſeruatiua, quoad omnia intrinſeca, ſit eadem, ac creatiua.

Similiter, Si Corpus Chriſti fuiſſet in Euchariſtia ante Incarnationem (quod fieri potuiſſe ſuprà num. 53. diximus ex Scoto & Gabriele:) quando poſteà fuiſſet formatum in vtero Virginis, non diceretur abſolutè *produci*, vt rectè ijdẽ Auctores docent, ſed ſolùm ſecundùm quid, ſcilicet ſecundùm modum eſſendi naturalem.

quomodo dici poſſit *Chriſti Corpus creari* per conſecrationem

Si tamen Chriſti Corpus non eſſet alibi, per hanc actionem conſecratoriã poſſet aliquo modo dici *creari*; quia inciperet eſſe, ex nulla præſuppoſitã materia: tam enim efficax eſt hęc actio, vt productura ſit ex nihilo Corpus Chriſti, ſi antea non exiſtat.

56

Dices Secundò, Si hęc actio eſſet productiua, ſequeretur idem poſſe producere ſeipſum: nam Chriſtus corpus ſuum in Euchariſtia ponit. Item ſequeretur, verba conſecrationis poſſe ponere Chriſti corpus in Euchariſtia, etiamſi non exiſteret in forma naturali: quod eſt contra veritatẽ verborum, *Hoc eſt corpus meum*: nam pronomen, *meum*, ſignificat *corpus exiſtens*.

Si chriſtus non exiſteret in forma ſua naturali, verba conſecrationis nihil operarẽtur

Reſpondeo ad primam ſequelam; Implicat contradictionẽ, vt aliquid propriè ſe producat; non tamen implicat, vt aliquid iam exiſtẽs, ſuum eſſe quodammodò replicet & multiplicet.

Ad ſecundam, Nego ſequelam: Aliud enim eſt loqui de ipſa actione productiua, aliud de virtute verborum, quę ſe habet inſtar actus primi, & potentię productiuæ. Nam actio illa ex eſſentia ſua terminatur ad ſubſtãtiam corporis Chriſti; vnde poſita illa actione neceſſariò Chriſti Corpus ponitur, tamquam eius formalis terminus: verba verò non habent ex eſſentia ſua illam virtutem operandi, ſed ſolùm ex ordinatione & concurſu Dei: Deus autem non ſtatuit

ed by Google

Tertius locus ex Auguſtino

ſimilitudinem earum rerū, quarum ſunt Sacramenta, non haberent, Sacramenta non eſſent. Ex hac autem ſimilitudine plerumque etiam ipſarum rerum nomina accipiunt. Sicut ergo ſecundùm quemdam modum Sacramentum Corporis Chriſti, Corpus eſt Chriſti, ſacramentum ſanguinis Chriſti, ſanguis Chriſti; ita ſacramentum fidei, fides eſt.

Soluitur.

Reſpondeo; D. Auguſtinum loqui de ſpeciebus Sacramentalibus, quæ dicuntur Sacramentum corporis & Sanguinis Chriſti; quia ſunt ſigna ſenſibilia repreſentantia Corpus & Sanguinem eius. Dicuntur *quodammodò corpus Chriſti*; quia ſignum poteſt appellari nomine rei ſignatę, hoc modo, inquit Auguſtinus, *ſacramentum fidei, eſt quodammodò fides, quia fidem præſentem ſignificat*: quibus verbis hæc veritas potiùs confirmatur, quàm opugnetur, vt rectè oſtendit Paſchaſius in epiſt. de Corpore & Sanguine Domini; nā ſicut Baptiſmus in paruulis dicitur *Fides*, quia ſignificat fidem in illis præſentem, licet aliter, quàm in adultis, credunt enim ſolùm habitualiter; ita ſpecies Sacramentales ſignificant Corpus Chriſti præſens, licet alium modum hūc habeat, quàm in cælo.

quartus locus ex eodē Auguſtino.

Alter locus eſt ex lib. contra Adimantium c. 12. vbi tractans illud Deuteronomij 12. verſ. 23. *ſanguis enim eorum pro anima eſt*, dicit ſignum ibi nomine ſignati appellari; & addit, *Non dubitauit Dominus dicere, hoc eſt corpus meum; cùm ſignum daret corporis ſui.*

quomodo Sacramentum ſit ſignum Chriſti.

Reſpondeo, Certum eſt, illud viſibile, quod Dominus dabat diſcipulis, fuiſſe ſignum Corporis Chriſti, non abſentis (vt hæretici volunt) ſed præſentis; quod fatentur omnes Catholici; ſicut ſanguis eſt ſignum animæ intra latentis, vt ibidem ait Auguſtinus, & ideò ſanguis dicitur anima, quia eſt ſignum animæ prę ſentis. Pari modo Sacramētum Corporis Chriſti, id eſt, ſpecies viſibiles, vocantur Corpus Chriſti quia continent illud. Sic Columba, quę Matthæi 3. apparuit in baptiſmo Chriſti, eſt ſignum Spiritus S. nō abſentis, ſed præſentis; & Linguæ igneæ, quæ deſcenderunt ſuper Apoſtolos Actor. 2.

23 quintus locus ex eodem Auguſtino.

Tertiò, Ex Commentario in Pſal. 3. *Chriſtus*, inquit *adhibuit ludam ad conuiuium, in quo corporis ſui figuram diſcipulis commendauit.*

Reſpondeo, Loquitur de figura corporis, vt in cruce ſuſpenſi: Chriſtus enim in Euchariſtia eſt figura ſui ipſius, vt in cruce ſuſpenſi: nam ſeipsū offerendo in cœna ſub ſpecie panis & vini, voluit repreſentare oblationem ſui ipſius, quam facturus erat in cruce; quæ repreſentatio quotidie repetitur. Quàm autem apertè Auguſtinus hanc veritatem doceat, patet ex Concione in Pſal. 33. & lib 12. contra Fauſtum cap. 10. & 20. & lib. 2. de Peccatorum meritis c. 26. Idem de Tertulliano oſtendit Pamelius allatis ſeptem alijs locis eiuſdem Auctoris.

Chriſtus in Euchariſtia eſt ſignum ſui ipſius, & quomodo.

Soluuntur obiectiones ex Ratione.

24 An implicet, idem corpus eſſe in diuerſis locis.

TErtium genus argumentorū eſt ex Ratione. Præcipua ratio eſt, quia videtur implicare contradictionem, vt idem corpus ſit in diuerſis locis ſimul.

Probatur primò, Quia ſi ſit vnum, eſt in ſe indiuiſum: ſi eſt in diuerſis locis, eſt à ſe diuiſum & diſtractum; quod implicat.

Secundò, Quia idem poſſet ſibi ipſi eſſe dextrū, & ſiniſtrum; antè, & retrò; ſurſum, & deorſum. Item ſimul moueri & quieſcere, accedere & recedere.

Tertiò, Idem poſſet ſummè frigefieri ſimul, & caleſcere; famere & ſaturari; ſanū eſſe & ægrotare; viuere & mori; quæ omnia videntur apertam inuoluere repugnantiam.

Quartò, Idem homo poſſet efficere integrum exercitum. Ponatur enim in decem millibus locorum, & coëat in vnum campum, erit exercitus. Vna lux poterit totum mundum illuſtrare. Vnus mulus poterit omnia onera ferre.

Curioſa inquiſitio explodi-tur à Diuo Auguſtino

Reſpondeo cum D. Auguſtino lib. 22. de Ciuit. c. 11. agente contra Platonicos: *Ecce qualibus argumentis omnipotentiæ Dei humana contradicit infirmitas, quam poſſidet vanitas!* quaſi verò mens humana, quæ infimam in intelligendo vim obtinet, omnia comprehendere poſſit, quę diuina potentia moliri. Et quaſi non ſint alia multa certiſſimâ fide credenda, quæ tamen non minùs videantur impoſſibilia.

Dicendum igitur, Nullam inuoluere contradictionem vt vnum corpus ſit in duobus locis; ac proinde id Deo eſſe perfacile. *Hæc de re vide lib. 12 de Perfectione diuinæ c. 16. num. 119. vbi ex profeſſo materia hæc tractatur.*

25 Non implicat idē corpus eſſe in diuerſis locis.

Probatur Primò, Quia rem ſpiritalē eſſe totam in duobus locis, non repugnat. Anima enim rationalis eſt tota in oculo, & tota in pede; & præſentia vnioque, quam habet in pede, differt ab vnione, & preſentia, quā habet in oculo; etſi ipſa à ſeipſa non differat, nec diſtet. Angelus etiam eſt totus in ſingulis partibus ſpatij, quod occupat: ergo hoc non repugnat rei corporali. Antecedēs conceditur ab omnibus.

Conſequentia probatur, Quia ratio, cur potiſſimùm res aliqua non videatur poſſe eſſe in duobus locis eſt; quia non poteſt à ſeipſa diuelli; alioquin eſſent duo. Sed hoc non obſtat; nam ea quæ ſunt maximè vnum, & ſimpliciſſima, poſſunt eſſe in diuerſis locis: imò eorum natura hoc poſtulat; vt patet in rebus ſpiritalibus: ergo eſſe in duobus locis non repugnat rebus corporalibus.

Replica ex natura Angelica.

Dices, Angelus non poteſt eſſe in duobus locis diſcontinuis, ſed ſolùm in continuis efficientibus vnum integrum locum. Anima etiam non poteſt eſſe in partibus à toto ſeparatis, ſed ſolùm cōiunctis efficientibus vnū corpus; ac proinde hęc non cenſetur eſſe in duobus locis, ſed ſolùm in vno.

Soluitur.

Reſpondeo, Etſi fortè naturę viribus fieri nequeat, vt Angelus exiſtat in duobus locis non-continuis: tamē certū eſt, Deum id poſſe efficere. Cur enim non poſſit ſubtrahere præſentiam Angeli, quam habet ad locum medium, conſeruatâ eiuſdem præſentiâ in locis extremis? nam quidā exiſtimant ipſum Angelum hoc poſſe. Sic quoque dubium non eſt, quin Deus poſſit conſeruare animam in membro abſciſſo; & tunc anima erit tota in diuerſis & ſeparatis locis; & nō in medio: quomodo quidam in S. Dionyſio accidiſſe putant. Adde parum referre ad præſentem quæſtionem, ſint ne loca illa continua, an non: quādo conſtat eādem rem omnino totā poſſe eſſe in hoc ſpatio, & ſimul in alio ab hoc diſtincto; & tamen non differre, nec diſtare à ſeipſa.

quomodo per Deum vnaties erit in diuerſis locis diſcōtinuis.

Probatur Secundò, Nullam implicat contradictionem, vt vna natura ſit in tribus perſonis re diſtinctis; vt patet in myſterio Trinitatis. Cur ergo implicet, vt vnum corpus ſit in diſtinctis locis: præſertim cùm illud ſit lōgè admirabilius; nā vna natura ſic eſt in tribus perſonis re diſtinctis, vt ipſa ſingulis perfectè identificetur, corpus autem, quod eſt in duobus locis, ſemper manet ab ipſis locis diſtinctum. Quòd ſi vna natura non diſtrahitur à ſeipſa, neque vllo modo diuiditur, dum

Probatur idem corpus poſſe eſſe in diuerſis locis ex myſterio SS. Trinitatis

dum diſtinctis perſonis identificatur ; multò minùs vnum corpus à ſe diuidetur, dum diuerſis locis ſolùm extrinſecùs iungitur. Dices, Hoc conuenit diuinæ naturæ ratione ſuæ infinitatis. Reſpondeo, Quòd identificetur diuerſis perſonis, habet quidem ex ſua infinitate: Sed corpus etiam ſuam quandam infinitatem habet, vt Dei omnipotentię ſubiacet, ratione cuius poteſt in diuerſis locis collocari.

Replica ſoluitur.

Idem probatur ex vnione vniushypoſtaſis ad duas naturas.

Probatur Tertiò, Non repugnat eandem hypoſtaſim terminare ſubſtantialiter diuerſiſſimas naturas, ita vt diuerſæ naturæ ſubſtantialiter de ipſa prędicentur: ergo neque repugnat, vt idem corpus extrinſecè iungatur diuerſis locis : quia vnio hypoſtaſis cum natura eſt ſubſtantialis, & intima : vnio autem corporis cum locis eſt accidentalis, & externa. Adde, quòd illa hypoſtaſis ſic terminet, & ſuſtentet naturam humanam, vt tamen diuinitas per ſe nullo modo humanam naturam terminet : cùm tamen diuinitas omnino identificetur: quod myſterium ſine dubio eſt difficilius.

Item ex ratione, quod duo corpora poſſint eſſe in eodem loco.

Probatur Quartò, Duo corpora poſſunt eſſe in eodem loco ſeſe viciſſim penetrando: vt communiter docent Patres, & Doctores. Et patet in natiuitate, & reſurrectione Domini, in ingreſſu eius ad Diſcipulos ianuis clauſis, in adſcenſu adcœlos: eritque hoc familiare poſt reſurrectionem omnibus Sanctis. Cur è contrario vnum corpus non poſſit eſſe in duobus locis ? Sicut enim hic vnum corpus videtur diſtrahi in duo, ita ibi duo corpora videntur coaleſcere in vnum : certum tamen eſt non fieri vnum : quidquid aliqui Thomiſtæ dixerint. Non enim hoc fit illud, etiamſi ſimul ſint; nec differentias ſuas indiuiduas amittunt : imò præſentiæ illorum intimæ diſtinctæ manent, & proprium cuiuſque vbi. Sic etiam certum eſse debet vnum non fieri duo, etiamſi ſit in duobus locis.

Denique exemplis.

Probatur Quintò Exemplis. Certùm enim eſt, Chriſtum, poſtquam adſcendit in cœlum, non deſcenſurum vſque in diem Iudicij. Patet ex illo Actorum 3. v. 21. *Quem oportet quidem cœlum ſuſcipere, vſq; in tempora reſtitutionis omnium.* Et ex D. Auguſtino in Pſal. 54. vbi ait, *Donec ſęculũ finiatur, ſurſum eſt Dominus*; & tamen apparuit Paulo in terris. Actor 9. vbi Paulus loquitur cum illo, tamquam cum præſente, illumque videt coram, & audit vocem eius, vt patet ex cap. 22. Actor. ergo Chriſtus tunc ſimul erat in cœlo, & propè terras. Apparuit etiam B. Petro Romę, teſte Hegeſippo lib. 3. de Excidio vrbis hieroſolymitanę: & Athanaſio in Apologia pro ſua fuga : & Ambroſio Oratione contra Auxentium. Apparuit etiam S. Antonio teſte Athanaſio in vita eius : ita vt ad præſentiam Chriſti, dæmones diffugerint, & plagæ Antonij curatæ ſint. Denique & alijs in numeris apparuit, vt facilè ex probatiſſimis Auctoribus doceri poteſt. Et confirmatur ex D. Auguſtino lib. de Cura pro mortuis agenda cap. 17. vbi refert quandam hiſtoriam de quodam Ioanne Monacho, qui apparuit alteri longè poſito in ſomnis ; cùm tamen ipſe ex ſuo Monaſterio non diſceſſiſſet. Hîc dubitat Auguſtinus, an ſpiritus eius reuerà ibi apparuerit, an non. Quare conſebat id fieri poſſe: ait enim; *Si ipſe interfuit ſomniarenti, mirabili gratia id potuit, non natura; Dei munere, non propria facultate.*

26 Non tantũ indiuiſibiliter, ſed& extenſiuè

Ex his etiam patet, Falſam eſſe ſententiam quorundam, qui exiſtimant poſſe quidem vnum corpus eſſe in duobus locis indiuiſibiliter, ſed non extenſiuè, ſeu circumſcriptiuè ; quam videtur tenere D. Thomas hîc ad 3. & 4. & Henricus à Gãdauo Quotl. 9. q. 32. Durandus & Capreolus d. 10. & alij quidam Thomiſtæ. Iiſdem enim argumentis vtrumque probari poteſt: imò magis mirabile eſt, vnum corpus eſſe in vno loco diuiſibiliter, & in altero indiuiſibiliter, quàm in duobus diuiſibiliter, vt recte docet Gabriel in Canonem, lectione 46. & Scotus diſt. 10. quęſt. 2. ibi enim ſunt duo miracula, hîc vnum ſolum. Et ſanè vbicumque poteſt Deus ponere aliquam ſubſtantiã ſub modo non naturali, poteſt etiam ſub modo naturali.

extenſiuè poteſt eſſe idem corpus in diuerſis locis

Probatur Sextò adferendo cauſam. Quia Deus poteſt eandem rem bis producere, & idem numero *eſſe* bis conferre, dando rei duplicem dependẽtiam ſubſtantialem: ergo poteſt illam collocare in diuerſis locis. Conſequentia patet; nam hoc ipſo, quo aliquid accipit eſſe, accipit neceſſariò præſẽtiam in aliquo loco.

27 quomodo poſſit deus vnam rem ponere in diuerſis locis.

Antecedens probatur; Quia id, quod corruptum vel annihilatum eſt: poteſt idem numero inſtaurari ; vt docet communis ſententia Doctorum. Cuius etiam ſignum eſt, quod Sancti miraculis bruta reuocaſſe ad vitam legantur ; vbi non alia anima, ſed eadem, quę antè fuerat, excitata fuit : & quòd eadem accidentia in reſurrectione ſint reſtituenda, iuxta communiorem Doctorum ſententiam: ergo etiamſi maneat res integra, poterit iteratò veluti produci, & accipere nouam dependentiam eſſentialem, ſiue in hoc, ſiue in alio loco. Nam ex hoc quòd res ſemel producta ſit, vel ſemel exiſtat, non adimitur Deo poteſtas, quin idẽ numero *eſſe* poſſit conferre, ſiue in hoc loco, ſiue in alio loco. Pro quo :

Differẽtia inter Rex ſpirituales & Corporales.

Notandum eſt Primò, Res ſpiritales propter eminentem perfectionẽ ſuam infinities poſſe veluti replicari, & conduplicari totas, ita vt quælibet infinities ſit ipſa tota ; quo fit vt in ſingulis partibus, atq; adeò punctis ſpatij ſui tota exiſtat. Res autem corporales ob imperfectionem non replicari totas, ſed ſecundùm partes: qua libet enim habet infinitas partes, in quibus tota ſpecies replicatur, non autem totum indiuiduum: vnde ſecundùm partes quidem res corporalis eſt in diuerſis locis, non tamen ſecundùm ſe totam.

Notandum Secundò, Quaſdam proprietates, quæ rebus ſpiritalibus conueniunt naturaliter, poſſe competere in rem corporalem ſupernaturaliter, per omnipotentiam Dei; vt, exiſtere indiuiſibiliter, penetrare molem corpoream, eſſe impaſſibilem, exiſtere in diuerſis locis. Et ratio eſt; quia contraria horum, ſcilicet eſſe *Coëxtenſum loco, excluſiuum alterius, paſſibile, & in vno loco*, ſunt extra ſubſtantiam rei corporalis, veluti modi quidam ſubſtantiam corpoream ſequentes iuxtà naturæ ordinem. Vnde cùm ſubſtantiâ ſint poſteriores, poſſunt per diuinam potentiam tolli; & locò illorum alij modi, qui ſpiritibus proprii ſunt, cõmunicari. Notandum Tertiò, In omnipotentia Creatoris non ſolùm latere infinitas ſingulorum generum ſpecies, & ſingularum ſpecierum infinita indiuidua ſuis rationibus indiuiduantibus diſtincta: ſed etiam quodque indiuiduum, & quæuis ratio ſeu differẽtia indiuidualis latet in ipſo infinities ; ita vt infinities ob eo res eadem numero produci, & per diuerſas dependentias ſubſtantiales & integras depẽdere; & in ſeipſa replicari, idẽ eſſe indiuiduum accipiendo, poſſit, manente perfecta identitate & vnitate numerali. Cauſę autẽ creatę tantùm ſemel poſſunt vnam rem producere, quã productã non ampliùs habent potentiam ad illam, ſed earũ vis eſt exhauſta. Ratio eſt; quia

Differẽtia inter cauſam increatam & creatam.

cauſæ creatæ habent potentiam variis modis limitatam; & à circumſtantijs extrinſecis determinatam ad hanc vel illam rem producendam: quæ circumſtantiæ numquam omnes redeunt. At potentia diuina intrinſece eſt illimitata, nec determinatur ad operandum ab vllo extrinſeco, ſed à ſola voluntate; quæ pro ſua libertate poteſt velle hoc vel illud individuum producere, prout illi placet, & hac vel illa productione vel creatione: non enim, cùm ſit infinita, poteſt exhauriri, aut impediri per hoc quòd res ſemel eſſe inceperit. Ex his patet; non eſſe Deo difficile eandem rem ponere tot locis, quot voluerit, manente illa re omnino eâdem in ſeipſa. Quibus præmiſſis:

28 ſoluuntur obiectiones hæreticorum ex rationepetitæ.

Ad Primam Confirmationem ſuprà num. 24. poſitam: Reſpondeo, Id, quod eſt in duobus locis, eſt vnum numero, & indiuiſum in ſe, quo ad ſuam entitatem; & ſic etiam indiſtans eſt à ſeipſo: modi tamen præſentiarum, quos habet, ſunt diſtincti, & inter ſe diſtantes: alia enim eſt præſentia, quâ hoc corpus dicitur eſſe hîc; alia, quâ dicitur eſſe in cælo. Idem enim corpus habet diſtinctas præſentias, ſeu diſtincta vbi, quamuis eius entitas diſtincta non ſit. Quod confirmatur exemplo animæ rationalis; quæ tota eſt in pede, & tota in capite; tamen in ſua entitate eſt indiuiſa: modus tamen vnionis, & præſentiæ, quem habet in capite, diuerſus eſt & diſtans à modo, quem habet in pede. Quod patet: Nam vnio pendet à re, cui vnitur: at hæc res eſt diuerſa, ſcilicet pes & caput: ergo & vnio. Similiter præſentia, ſiue ipſum vbi vnde res dicitur eſſe hîc vel ibi, pendet à ſpatio. Hinc ſatis cõſtat diuiſionem locorum, & præſentiarum: non obſtare vnitati numerali ipſius rei.

Idem poteſt ſibi eſſe Dextrũ & Siniſtrũ moueri, & quieſcere.

Ad Secundam Confirmationem; Concedo idem ſibi poſſe eſſe dextrum, & ſiniſtrum; ſurſum, & deorſum; quia manifeſtum eſt animam in capite eſſe totam ſurſum reſpectu ſui ipſius, vt eſt in pedib⁹. Sic Chriſtus ſeipſum in manibus ſuis portauit, teſte Auguſtino in pſal. 33. Pari modo, idem poterit moueri, & quieſcere; accedere, & recedere, pro vt eſt in diuerſis locis; quod rurſus exemplo animæ poteſt confirmari.

29

Petes: Si idem corpus poſitum duobus locis, conueniret in vnum locum, coaleſcerétne in vnã præſentiam? Exempli gratia: Chriſtus in aëre locutus Paulo, ſi per motum adſcendiſſet ad locum vbi remanſerat in cælo, deſinerétne diſtinctio præſentiarum?

Replicatus non poteſt naturaliter ſeipſum penetrare.

Reſpondeo breuiter: Non poſſe naturaliter in vnum locum conuenire per modum penetrationis, ſed neceſſariò ſe excludet. Ratio eſt: quia nõ poteſt fieri coniunctio ſecundùm eaſdem materię & quantitatis partes ſed ſecundùm diuerſas; vt patebit, ſi fingas alterum veluti peruadere alterum. Si tamen per miraculum ponatur in vno loco, non idcircò peribit virtualis diſtinctio: quia illud vnum retinebit vim duorum, & ſemper poterit per motum localẽ in diuerſis locis poni. Simile eſt videre in Angelis, cùm ſuas replicationes ſeu totalitates diffuſas per magnum ſpatium, cõtrahunt in anguſtum, vel etiam in punctum.

Vnus poteſt hieri uere, & alibi mori.

Ad Tertiam Confirmat. Concedo hominem eundem, duobus locis poſitum, poſſe in altero viuere, in altero mori: de quo vide Hugonem lib. 2. de Sacramentis parte 9. Ratio eſt: Quia non eſt neceſſe, vt corpus, quod vno loco vnitum eſt animæ rationali, etiam alio loco vnitum ponatur. Similiter etiã nõ eſt neceſſe, vt ſi anima rationalis vno loco informet corpus, etiam alibi poſita informet. Sicuti enim tota eſt in capite, & tota extra caput: ita etiam à Deo conſeruari poſſet in capite, & ſimul extra caput ſine vlla informatione, quatenus extra caput eſt.

Anaccidẽtia in corpore replicato etiam neceſſariò eadem replicentur.

Similiter tale corpus poterit ſimul ſummè caleſcere vno loco, & ſummè frigefieri in altero, applicatis agentibus; non enim eſt neceſſe, vt ſi quid patiatur in vno loco, etiam illud patiatur in altero: quia accidentia, quę ſuſcipit, non neceſſariò replicantur, aut traijciuntur: imò nec poſſunt ſine nouo miraculo. Non enim ignis hîc applicatus alicui corpori, poteſt calorem, quem hîc imprimit, traijcere Romam, vbi idem corpus replicatum exiſtit: vt docet Gabriel ſuprà: quod eſt contra Scotum d. 10. q. 2. & Dominicum Sotum: qui putant accidentia abſoluta, quæ recipiuntur in vno loco, etiam neceſſariò alibi accipi, ſed non reſpectiua. Verùm de hoc infrà. Ad Quartam, Admitto totum. Alia argumenta hæreticorum, commodiùs infrà proponentur.

ARTICVLVS II.

Vtrum post conſecrationem remaneat ſubſtantia panis & vini in Sacramento?

REſpondetur: Non remanere, ſed conuerti in Corpus Chriſti.

30

Notandi ſunt hic aliquot errores. Primus eſt, Omnium noſtrorum hæreticorum, qui ſentiunt panem remanere, & nullo modo conuerti in Corpus Chriſti: quod olim etiam tenuit Berengarius poſt primam ſuam palinodiam teſte Guitmondo, lib. 1. de Euchariſtia in principio. Et Ioãnes Hus; à quibus noſtri hauſerunt. Cùm enim videret Berengarius, ſe non poſſe ampliùs tueri Euchariſtiam eſſe ſolùm figuram Corporis Chriſti, docuit Chriſtũ eſſe quidem præſentem in Euchariſtia, ſed ſimul cum pane: ſic vt ſubſtantia panis, & corpus Chriſti ſimul ſint.

1. error hæreticorum manere panem in euchariſtia.

Secundus error. Subſtantiam quidem panis manere, non tamen eius ſuppoſitum: per conſecrationem enim ſubſtantiam panis aſſumi hypoſtaticè à Verbo, ſicut natura humana hypoſtaticè aſſumpta eſt: ita vt verè & propriè panis ſit Deus, & Deus ſit panis: item panis ſit corpus Dei: non quidem ex Virgine, ſed iam recens aſſumptum: & Deus habeat duo corpora ſibi hypoſtaticè vnita: alterum carneum, quod eſt in cœlo, & alterum panaceum, quod eſt in altari: poſſe tamẽ hęc duo corpora dici vnum: quia ſunt vnius ſuppoſiti. Hæc ſententia tribuitur Ruperto: nam lib. 5. in Ioannem exponens illa verba cap. 6. *Panis, quem ego dabo, caro mea eſt*; ſic ait: *Verbum caro factum eſt, non mutatum in carnem; ita Verbum caro factum, panis viſibilis ſit, non mutatum in panem, ſed aſſumendo, & in vnitatem perſonæ ſuæ transferendo panẽ*: & fusè lib. 2. de Officijs cap. 2. & 9. Aduerte tamen, non omnino eſſe certum an Rupertus ita ſẽtiat: nam in cap. 6. Ioannis habet alia verba, quibus videtur rectè ſentire, vt *Panem tranſmutari in carnem, in cibum Angelorum*. & ſimilia. Difficile tamen eſt, eius verba in ſanum ſenſum interpretari. Similem errorem refert Tho. Vvaldenſis tõ. 2. cap. 65. Tertius error eſt Durandi in 4. d. 11. q. 3. Non manere quidem totam pânis ſubſtantiam, ſed tamen materiam: alioqui non poſſe fieri conuerſionem, cùm conuerſio poſtulet idem ſubiectum in termino à quo, & in termino ad quem. Itaq; hîc virtute diuina corruptâ formâ panis, materiã panis ſubitò in formari formâ corporis chriſti: ſeu animâ: eo ferè modo, quo alimentum conuertitur in ſubſtantiã noſtrã per nutritionem: niſi

2. error. Ruperti. ſubſtantiã panis aſſumi hypoſtatice à Verbo.

3. error. Durandi, manere materiam panis.

quod illud ſubitò fiat, hoc verò ſenſim. Pro veritate.

31 De fide eſt totam ſubſtantiam panis verti in Corpus Chriſti.

Dico Primò, Tota ſubſtantia panis conuertitur in Corpus Chriſti, & tota ſubſtantia vini in Sanguinem; ita vt nihil eius remaneat: Eſt fide tenẽda.

1. Prob. ex ſcrip.

Probatur Primò, ex Scriptura. *Hoc eſt Corpus meum*; vbi Dominus, id, quod exhibet ſub ſpecie panis, dicit eſſe ſuum Corpus. Ob quæ verba ſemper perſuaſum fuit in Eccleſia Dei; per conſecrationem panis & vini, conuerſionem fieri totius ſubſtantiæ panis in ſubſtantiam corporis Chriſti; & totius ſubſtantię vini in ſubſtantiam Sanguinis eius: vt Concilium Trident. ait; & rurſus de nouo declarat ſeſſ. 13. cap. 4. Vnde nullo modo audiendi ſunt Scotus, Durandus, & Paludanus diſt. 11. dum dicunt, etſi verum ſit, ſubſtantiam panis non manere, tamen id ex verbis Domini nõ colligi.

Falſa eſt propoſitio *Hic panis eſt Corpus meum.*

Confirmatur; Si ſubſtantia panis manet, per nomẽ *Hoc* deſignat panem, & ſenſus erit; Hic panis eſt corpus meum: quod etſi concedant Eutherani, tamen implicat contradictionem: nam diſparatum prædicatur de diſparato; ſicuti ſi dicam, Hic panis eſt equus: ergo panis non poteſt remanere.

Dices Primò, Rectè dicimus, Hic homo eſt Deus: cur non ſimiliter, Hic panis eſt corpus Chriſti?

1. Obiect.

Reſpondeo, Eſt diſpar ratio: nam ibi ſubiectum & attributum accipiuntur pro eodem, nempe pro ſuppoſito ſubſiſtente in natura humana, & diuina; idque ob vnionem hypoſtaticam: vnde ſenſus eſt; Hic ſubſiſtens in natura humana, eſt Deus: ſecùs, ſi diceretur, Hæc humanitas eſt Deus. Inter panẽ autem & corpus chriſti non eſt vnio hypoſtatica.

Soluitur.

2. Obiect.

Dices Secundò, Pronomen *Hoc* non neceſſariò deſignat panem, ſed poteſt ſignificare id quod ſub pane continetur: vt ſenſus ſit, Hoc contentũ ſub pane, eſt corpus Chriſti: ſicut dicimus, demonſtrato dolio, Hoc eſt vinum.

Soluitur. An, & quãdo pronomen *Hoc* poſſit tam rem contentam, quàm continens ſignificare.

Reſpondeo, Hoc fieri non poſſe: Primò, quia, etſi pronomen *Hoc* poſſit deſignare tam rem cõtentam, quàm continentem, quando res continẽs naturâ ſuâ vel vſu hominum eſt inſtituta ad continendum, veluti loculus rei (dicimus enim demonſtrato dolio vini, Hoc eſt dolium, hoc eſt vinum:) tamen id non habet locum, quando res continens non eſt per ſe idonea ad continendum: vt ſi quis ſub pane conderet aurum, non rectè dixerit, Hoc eſt aurum. Secundò, Quia quando duæ res diuerſę ſub vna continentur, nõ rectè per pronomen *Hoc* deſignamus alteram, alterà omiſſa: vt de burſa, in qua tantundem eſt argenti, quantum auri, non rectè dixeris, *Hoc eſt aurum.* Quare, ſi ſubſtantia panis, vel aliquid eius remanet cum Corpore Chriſti ſub ſpeciebus, non rectè dixit Chriſtus, *Hoc eſt Corpus meum*: nam ſecundùm vſitatum, ſincerum, & à fraude alienum loquendi modum (quidquid tandem ſit de ſubtilitatibus metaphyſicis) pronomen *Hoc* deſignat totam rẽ contentam; vel certè eam, quę maiorem cum ſpeciebus coniunctionem habet.

32 2. Probatur ex Cõcil. Romanum

Probatur Secundò, Ex Concilijs. Primò, Ex Concilio Romano ſub Gregorio VII. vbi Berengarius abiutans ſuam hæreſim, dicit: *Ego Berengarius corde credo, & ore confiteor panem, & vinum per myſterium ſacræ orationis, & verba Redemptoris noſtri ſubſtantialiter conuerti in veram & propriam Carnem, & Sanguinem Domini.*

Lateranenſe.

Idem Probatur ex Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. cap. 1. *Verum Chriſti Corpus & Sanguis in Sacramẽto altaris ſub ſpeciebus panis & vini, veraciter continetur, tranſubſtantiatis paneis Corpus, & vino in Sanguinem poteſtate diuina.*

Conſtantienſe.

Concilium Conſtantienſe ſeſſ. 8. damnat articulos Vvicleff. quorum primus eſt; *Subſtantia panis materialis, & vini materialis mãnent in Sacramento.* Secundus eſt; *Accidentia panis non manent ſine ſubiecto in eodem Sacramento.*

Florentinum.

Concilium Florentinum, cui etiam Græci ſubſcripſerunt: *Ipſorum verborum virtute, ſubſtãtia panis in Corpus Chriſti conuertitur.*

Tridentinum.

Denique Concilium Trident. ſeſſ. 13. can. 2. *Si quis dixerit, in ſacro ſancto Euchariſtiæ Sacramento remanere ſubſtantiam panis & vini, vnà cum corpore & Sanguine Domini noſtri; negaueritq; mirabilem illam, & ſingularem conuerſionem totius ſubſtantiæ panis in corpus, & totius ſubſtantiæ vini in Sanguinem, manentibus dumtaxat ſpeciebus panis & vini; quam conuerſionem Eccleſia Catholica aptiſſimè Tranſubſtantionem appellat; anathema ſit.*

35 3 Probatur ex Patribus.

Probatur Tertiò, Ex Patrib. Cyprianus ſerm. de cœna Domini: *Panis iſte, quem Dominus Diſcipulis porrigebat non effigie, ſed natura mutatus, omnipotentiâ Verbi factus eſt caro.*

Cyprianus

Cyrillus Hieroſolymitanus Catecheſi 4. Myſtago: *Aquam aliquando Chriſtus mutauit in vinum; & non erit dignus, cui credamus, quod vinum in Sanguinem tranſmutarit?* Et infrà: *Sub ſpecie panis, datur tibi Corpus, ſub ſpecie vini, datur tibi Sanguis.* Et paulò pòſt: *Hoc pro certiſſimo habe, panẽ hũc, qui videtur à nobis, non eſſe panem, etiamſi guſtus panẽ eſſe ſentias.*

Cyrillus Hieroſol.

Gregorius Nyſſenus in oratione Catechetica; *Rectè Dei verbo ſanctificatum panem, in corpus Dei Verbi credimus commutari.*

Nyſſenus.

Ambroſius cap. 9. de iis qui Myſterijs initiantur: *Quantis, inquit, vtimur exemplis, non hoc eſſe, quod natura formauit, ſed quod benedictio conſecrauit: maiorem q; vim eſſe benedictionis, quam naturę; quia benedictione etiã natura ipſa mutatur.* Et aliaplurima.

Ambroſius.

Chryſoſtomus homilia de Euchariſtia habita in Encæniis: *Num panem videtis? num vinum? num ſicut reliqui cibi in ſeceſſum vadunt? Abſit, ne ſic cogites. Sicut enim, ſi cera igni adhibita, illi aſſimilatur, nihil ſubſtantiæ remanet, nihil ſuperfluit: ſic & hîc, puta myſteria* (id eſt, panem & vinum) *conſumi corporis ſubſtantia.*

Chryſoſtomus.

Auguſtinus ſerm. 18. de verbis Domini, dicit *Id, quod antè erat panis vulgaris, per verba Chriſti fieri Corpus eius, & panem illum ſacramẽtum*, id eſt, *ſuper ſubſtantialem, qui animæ noſtræ ſubſtantiam fulciat.*

Auguſt.

Cyrillus Alexandrinus epiſt. ad Caloſyrium; *Ne horreremus carnem & ſanguinem ſacris altaribus appoſita, condeſcendens Deus fragilitati noſtræ, inſtillit oblatis vim vitæ, conuertens eã in veritatem propriæ carnis, &c.*

Cyrillus Alexand.

Bernardus

Bernardus ſerm. de cœna Domini: *Hoſtia, quam vides, iam non eſt panis, ſed Caro mea: & liquor iſte, quem vides, iam non eſt vinum, ſed Sanguis meus: quẽadmodum enim illic ſpecies cernuntur, quarum res, vel ſubſtantię ibi non eſſe creduntur, ſic res veraciter, & ſubſtantialiter creditur, cuius ſpecies noncernitur.* Vide plura apud Garetium. Idem tenent omnes Doctores Scholaſtici.

34 An dogma Tranſubſtantiationis à Concilio, lateran. primo fit inuentum.

Ex his patet primò, Falſum eſſe, dogma tranſubſtantiationis eſſe inuentum Concilij Lateranenſis ſub Innocentio III. circa annum Domini 1215. vt hæretici calumniantur. Etſi enimin hoc Concilio nomen *Trans-ſubſtantiationis* primò receptum fuerit à tota Eccleſia, tamquam commodiſſimum ad hanc ſingularem conuerſionem explicandam; ſicut in Concilio Nicæno I. nomen ὁμοούσιος primò receptum fuit, & in Symbolo poſitum; tamen dogma ipſum ſemper in Eccleſia

fuit. Patres enim antiqui expresè docent *Substãtiam panis conuerti, & mutari in Corpus, in Carnem Christi.* Græci etiam dicunt *Panem μεταστοιχειῶσθαι*, id est, *transelementari*, vt Theophylactus Marci 14. & alij; quod nomen est significantissimum: significat enim *panem mutari secundùm prima sua principia*, nempe materiam & formam. Alij dicũt *μεταρρυθμίζεσθαι*, id est, *transformari*: quæ omnia idem significant, quod transubstantiari, id est, substantiam, in substantiam conuerti.

Error Scoti. Patet Secundò, Deceptum fuisse Scotum in 4. dist. 11. q. 3. art. 1. dum existimauit ante Concilium Lateranense sub Innocentio III. dogma transsubstantiationis, seu conuersionis panis in Corpus Christi, non fuisse de fide. Nam in Concilio Romano sub Gregorio VII. hoc definitum fuit: & consensus omnium Patrum satis indicat, hoc semper fuisse de fide. Quod etiam aperte insinuat Concil. Tridentinum sessione 13. cap. 4.

35 4. Probatur Ratione. Probatur Quartò: Ratione. Primò, Si maneret panis substantia, panis principaliter, & primariò designaretur per accidentia; quia haberent primatum ordinem ad panem, tamquam ad propriũ

1. Ratio subiectum: vnde designato eo, quod sub speciebus continetur, magis propriè diceretur: Hoc est panis triticeus; quam, Hoc est corpus Christi: imò hæc esset fallax locutio. Nam accidentia solùm designant suum subiectum; non autem quod extrinsecè subiecto coniungitur: vt si Angelus occultaret se sub pane, non rectè diceretur, *Hoc est Angelus*, sed, *Hic* est Angelus. Quando autem substantia panis conuertitur in Corpus Christi, acci-

quomodo Corpus Christi se habeat ad accidẽtia Panis, & contrà. dentia panis eum habent ordinem ad Corpus Christi, quem antè habebant ad substantiam panis, excepta informatione. Nam Corpus Christi est ibi per modum substantię sub accidentibus; & mouetur ad motum accidentium; & definit ibi ad

2. Ratio. desitionem accidentium. Secundò, Si maneret panis, periculum esset, ne rudiores adorarent panem; quia non norunt distinguere, sed simpliciter adorarent quod continetur sub speciebus panis.

3. Ratio. Tertiò, Quia magna esset indecentia, quòd simul sint panis terrenus & cęlestis; cibus ventris, & cibus mentis. Quartò, Quia non posset sumi Eu-

4. Ratio. charistia, nisi solueretur ieiunium; & sic calix numquam sumeretur à ieiunis; quod est contra traditionem Apostolicam, teste August. epist. 118. cap. 6. quæ iubet, vt non nisi à ieiunis Corpus & Sanguis Domini sumatur.

His adde rationem D. Thomę: *Quia*, inquit *Corpus Christi non potest incipere esse in Eucharistia, nisi vel conuersione substantię panis in ipsum, vel accessione ipsius ad panem.* Vnde, si panis non conuerteretur in Corpus Christi, deberet Corpus venire ex cælo ad panem per motum localem, quod falsum est. Sed hæc ratio non videtur valdè solida, vt infrà dicetur.

Ratio Diu Thomæ parum firma.

36 Obiectiones hæreticorum. solumntur. Obijciunt Hæretici Primò: Scriptura Eucharistiam vocat *Panem*, 1. ad Corinth. 11. Confirmatur, Matth. 26. *Accepit panem, benedixit panem, & fregit panem*: & hoc ipsum, quod *accepit, & fregit dedit Discipulis*: ergo dedit *panem*.

An. & quomodo S. Eucharistia possit dici panis. Respondeo; Eucharistia vocatur *Panis*: Primò, nõ quòd sit panis terrenus, qualis noster; sed quia est verè panis cælestis, & supersubstãtialis animę: ad quod significandum, non simpliciter vocatur *Panis*, sed *Panis vitæ*, *Panis qui de cælo descendit*, *Panis quem frangimus*. Simili modo *Manna* vocatur *Panis*, quamuis reuera non esset panis, qualis noster: Exod. 16. Psal. 77. & alibi. secundò; Dicitur *Panis*; quia ex pane confecta, & retinet panis indolem: & proprietates, & etiam vsum: dũ enim sumitur per modum panis, sic corroborat anima, sicut panis communis corroborat corpus. Ad Confirmationem; Respondeo, Id, quod Dominus accepit & benedixit, erat panis communis; sed quod dedit Discipulis, non erat ampliùs panis cõmunis, sed cæleitis: intercessit enim benedictio, quæ illum panem ex terreno in cęlestem mutauit. Similem locutionem habemus Gen. 18. *Tulit Abraham vitulum, dedit q; puero, & coxit illum, & posuit coram eis.* Hic non erat idem vitulus, quem accepit, quem coxit, & posuit coram eius, sed mutatus substantialiter.

Obijciunt Secundò, Ex Patribus: Primò, Chrysostomus epistola ad Cęsarium Monachum dicit post consecrationem liberari *panem à panis appellatione, & dignum fieri appellatione Dominici Corporis, etiamsi materia panis in ipso permaneat.*

37 2. Obiectio. soluitur. Respondeo, Auctor ille non est Chrysostomus; sed alius quidam Ioannes Constantinopolitanus, vt ostendit Turrianus lib. 1. de Eucharistia cap. 18. Dicit autem hic Auctor *materiam panis remanere*; quia manet secundùm indolem, proprietates, & effectus panis. Simili modo intelligendus Theodoretus Dialogo 1. non procul à principio; vbi ait, *Symbola & signa, quæ videntur, nomine Corporis, & Sanguinis honorauit, non naturam mutans, sed naturæ gratiam adijciens.* Nempe non mutatur natura, quoad externas proprietates sensibiles, licet mutetur inuisibiliter, vt ibidem Theodoretus insinuat.

quomodo in Eucharistia materia panis dici possit remanere.

38 Dico Secundò, Substantia panis non vnitur in Eucharistia hypostaticè verbo diuino, aut Corpori Christi. Est etiam fide tenendum.

Substantia Panis non est vnita Verbo hypostatice. Probatur Primò; Quia fide tenendum est panem non manere, vt patet ex dictis: ergo non potest hypostaticè vniri: vnio enim supponit existentiã in propria substantia. Secundò, etiamsi substantia panis maneret, & Verbo vniretur, non tamen id eò Caro Christi esset præsens in Eucharistia. Non Verbum diuinum potest assumere aliam naturam in terris, quamuis corpus, quod ex Virgine assumpsit, non sit in terris: cùm enim sit vbique, potest assumere naturas maximè loco inter se distantes; nec idcircò altera ad alteram trahetur: ergo hæc fictio est prorsus inutilis ad explicandũ hoc mysterium: solùm enim ex ea sequitur, Corpus Christi paneum esse in Eucharistia, non carneum quod ex Virgine sumpsit: quod etsi Rupertus videatur concedere lib. 2. de officijs cap. 2. est tamen apertè contra Scripturas; *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro sæculi vita.* & 1. ad Corinth. 11. *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur.*

Item contra omnes Patres, qui semper loquuntur de *corpore carneo*, quod ex Virgine assumpsit, & in mortem pro nobis est traditum.

Tertiò, Ex hac sententia sequeretur, Deum tam propriè esse impanatum, quàm incarnatum, & panem triticeum, quàm hominem. Item quotidie nouam fieri vnionem hypostaticam, quę ab initio non fuit; scilicet cum alio, & alio pane; & eandem quotidie desinere.

39 Non remanere materiam panis contra Durandum probatur. Dico Tertiò, Materia panis non manet in Eucharistia. Est etiam fide tenendum contra Durandum.

Probatur Primò, Quia tota substantia panis conuertitur & transubstantiatur in Corpus Christi; vt docet Concilium Lateranense, & tridentinum suprà.

Probatur Secundò, Quia, iuxtà sententiam Durandi, accidentia nõ remanerent sine subiecto: quod damnatum est in Concilio Constantiensi sess. 8. Patet hoc, Quia si materia manet, acci-

by Google

ſentia retinent ſuum ſubiectum; nam materia eſt ſubiectum accidentium.

Probatur Tertiò, Etiamſi Anima Chriſti informaret materiam panis, nõ tamen idcircò eſſet ibi caro Chriſti, quæ de Virgine ſumpta eſt, & pro vita ſęculi tradita; quod eſt contra Scripturas, & Patres; ſed eſſet ibi noua caro, iam ex tempore per nouam conuerſionem genita. Dices, Caro Chriſti ſumpta ex Virgine erit ibi per concomitantiam. Reſpondeo Primò, Hoc non ſufficere; debet enim ibi eſſe directè ex vi conſecrationis, & Sacramẽti; vt patet ex illis verbis, *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur*. Secundò; Nulla eſt connexio inter hanc carnem, & illam antiquam: quomodo ergo eſt ibi per concomitantiam? Denique, Si caro antiqua eſt ibi, quid opus eſt fingere ibi nouam carnem, quæ nihil ad vim verborum, & Chriſti intentionem faciat?

Refellitur ſententia Durandi ex abſurdis.

Probatur Quartò; Ex ſententia Durandi ſequetur eſſe tria Chriſti corpora viua re diſtincta in eodem altari: nempe quod ex Virgine ſumptum; quod ex materia panis & Anima conflatur; & quod ex Anima & materia vini: quorum, duo poſteriora quotidie fient, & diſſoluentur; ac proinde Chriſtus quotidie naſcetur, ac morietur: ſicut, ſi vna anima eſſet in tribus corporibus, & ab vno ſepararetur, ille homo verè moreretur; & ſi alteri corpori iũgeretur, aliquis verè naſceretur. Si dicas, Materiam panis & vini non conſtituere cum Anima diſtinctum corpus, ſed agglutinari corpori antiquo, ſicut alimentum: Saltem hinc ſequetur corpus Chriſti quotidie ſecundùm partes gigni & augeri, & rurſus deſtrui & diffluere, vt ſolent mortalium corpora. Vel ſi tota illa materia manet informata, Chriſti corpus immenſam molem nunc contraxit. Omitto alia, quæ contra hanc ſententiam poſſent excogitari. Ad rationes Durandi, reſponſio patebit ex infrà dicendis.

tas, quatenus habet eſſe extra ſuas cauſas, ſine quâ ſubſtãtia nihil eſt, niſi in potentia obiectiua.

Ex his facilè refutatur alia quædam ſententia, quam inſinuat Caietanus hîc in Reſponſione ad 3. & art. 4. vbi docet, etſi non maneat materia ſpecifica panis, manere tamen quandam entitatem, quæ antè erat panis; & hanc per conuerſionem fieri & eſſe corpus Chriſti. Vnde art. 4. ait terminum transſubſtantiationis eſſe, vt id, quod erat panis, ſit corpus Chriſti.

4ª Sententia Caietani quòd remaneat quædã entitas panis.

Hinc enim ſequitur: Primò, Non totam ſubſtantiam panis conuerti: quod eſt contra fidem. Antecedens patet: nam id, quod manet, non conuertitur in aliud. Secundò, Non manere ſola accidentia panis, ſed aliquid ſubſtãtiæ: quod etiam fidei repugnat. Tertiò, Implicat, vt eadem numero entitas, quę anteà erat panis, nunc ſit corpus Chriſti. Probatur, quia res finita, quæ identificatur rebus diſtinctis, in ſe quoque diſtincta eſſe debet, ac proinde diuerſa numero. Confirmatur; ſola eſſentia diuina, ob ſuam immenſitatem, poteſt rebus diſtinctis identificari; ſcilicet diuinis perſonis, quæ realiter diſtinguũtur: ergo id nulli rei creatæ concedendum. Quartò, In diuerſis panibus ſint diuerſæ numero entitates: ergo, ſi per conſecrationem hæ entitates fiunt & ſunt Corpus Chriſti, ipſum identificabitur rebus pluribus numero diſtinctis. Denique non poteſt fieri ſucceſſio differentiarum ſpecificarum in indiuiduo generis prę cisè conſiderato: quia gradus ſpecifici non poſſunt à genericis ſeparari, cùm in vnam ſimplicem entitatem coaleſcant. Cõfirmatur, quia per eandem formam, panis eſt panis, & ſubſtantia, & entitas. Quomodo autem dicatur, *Id quod fuit panis, nunc eſt corpus Chriſti*, qui modus loquendi videtur Caietanum mouiſſe, infrà dicetur.

Refutatur.

DVBIVM. I.

Vtrùm maneat exiſtentia panis, vel etiam gradus aliquis ſubſtantialis?

40 Thomiſtæ

QVidam Thomiſtæ putant exiſtẽtiam panis manere, & per hanc exiſtere accidentia. Hanc ſententiam cùm Bannes in 1. editione primæ Partis fuiſſet ſecutus, in ſecunda ſic mutauit, vt tantùm dicat probabilem. Vide q. 4. art. 2.

Exiſtentiã panis remanere in Euchariſtia, repugnat dogmatibus fidei.

Verùm hęc ſententia nullo modo eſt probabilis. Primò, Quia videtur contra dogmata fidei; quorum vnum eſt, *Tota ſubſtantia panis conuertitur in ſubſtantiam corporis Chriſti*: Atqui ſubſtantia panis includit etiam exiſtentiam panis, ſicut ſubſtantia corporis Chriſti includit eius exiſtẽtiam: ergo hæc etiam conuertitur. Confirmatur; Quia ſubſtantia, prę cisâ exiſtentiâ, conuerti non poteſt, cùm non ſit ens actu, ac proinde nec conuertibile. Alterum dogma eſt, *Solùm accidentia panis remanere*, vt expreſsè habet Concil. Tridẽtinum ſeſſ. 13. can. 2. Vnde infero: ergo nullo modo exiſtentia panis remanet. Patet conſequentia; nam hęc exiſtentia non eſt accidens, ſed eſt id, quod primas partes obtinet in ſubſtantia actuali panis.

Repugnat etiã Philoſophiæ.

Secundò, Videtur etiam eſſe contra Philoſophiam: quis enim animo concipiat exiſtentiam rei, veluti veſtem quamdam aut ornamentum, realiter ab illa ſeparari, & alteri rei conferri; aut accidentia poſſe formaliter exiſtere per exiſtentiã ſubſtantię, ipsâ ſubſtantiâ peremptâ; cùm rem perimi, ſit eius exiſtentiam perimi? Eſt enim exiſtentia intima cuiuſque rei actualitas, ſeu entitas, quatenus habet eſſe extra ſuas cauſas, ſine quâ ſubſtãtia nihil eſt, niſi in potentia obiectiua.

Ex his facilè refutatur alia quædam ſententia, quam inſinuat Caietanus hîc in Reſponſione ad 3. & art. 4. vbi docet, etſi non maneat materia ſpecifica panis, manere tamen quandam entitatem, quæ antè erat panis; & hanc per conuerſionem fieri & eſſe corpus Chriſti. Vnde art. 4. ait terminum transſubſtantiationis eſſe, vt id, quod erat panis, ſit corpus Chriſti.

4ª Sententia Caietani quòd remaneat quædã entitas panis.

Hinc enim ſequitur: Primò, Non totam ſubſtantiam panis conuerti: quod eſt contra fidem. Antecedens patet: nam id, quod manet, non conuertitur in aliud. Secundò, Non manere ſola accidentia panis, ſed aliquid ſubſtãtiæ: quod etiam fidei repugnat. Tertiò, Implicat, vt eadem numero entitas, quę anteà erat panis, nunc ſit corpus Chriſti. Probatur, quia res finita, quæ identificatur rebus diſtinctis, in ſe quoque diſtincta eſſe debet, ac proinde diuerſa numero. Confirmatur; ſola eſſentia diuina, ob ſuam immenſitatem, poteſt rebus diſtinctis identificari; ſcilicet diuinis perſonis, quæ realiter diſtinguũtur: ergo id nulli rei creatæ concedendum. Quartò, In diuerſis panibus ſint diuerſæ numero entitates: ergo, ſi per conſecrationem hæ entitates fiunt & ſunt Corpus Chriſti, ipſum identificabitur rebus pluribus numero diſtinctis. Denique non poteſt fieri ſucceſſio differentiarum ſpecificarum in indiuiduo generis prę cisè conſiderato: quia gradus ſpecifici non poſſunt à genericis ſeparari, cùm in vnam ſimplicem entitatem coaleſcant. Cõfirmatur, quia per eandem formam, panis eſt panis, & ſubſtantia, & entitas. Quomodo autem dicatur, *Id quod fuit panis, nunc eſt corpus Chriſti*, qui modus loquendi videtur Caietanum mouiſſe, infrà dicetur.

Refutatur.

DVBIVM. II.

Vtrùm, ſi ſubſtantia panis non conuerteretur in corpus Chriſti, ſed maneret, poſſit ibidem poni corpus Chriſti per diuinam potentiam?

REſpondeo; Omnino tenendum eſt, potuiſſe ibi poni corpus Chriſti cum pane, & ſub pane, ſicut modo eſt ſub accidentibus per intimam prę ſentiam, quamuis accidentia tunc non haberent illum ordinem ad corpus Chriſti, quem modò habent. Ratio eſt, quia ſicuti quantitas panis, & alia accidentia, non excludunt corpus Chriſti, ſic neque ſubſtantia panis illud excludere poteſt, quin ſub illa poſſit collocari & intimè præſens eſſe. Confirmatur; quia ſi Deus poteſt duo corpora retinentia ſuam extenſionem ſimul ponere, multò magis poterit corpus Chriſti habens modum exiſtendi ſpiritualem & indiuiſibilem ponere ſub panis ſubſtãtia; cùm corpus habens talem modum, nullo modo excludat aliud corpus habens extenſionem. Vnde non ſolùm poteſt per actionem ſubſtãtialem & productiuam poni ſub pane; ſed etiam alibi poſitum per motum localem, ſeu actionem adductiuam ſub pane collocari. Sicut enim actio productiua corporis Chriſti ſub accidentibus panis, non neceſſariò requirit deſitionem panis; ita neque actio adductiua

45 Reſponſio eſt affirmans.

qua actione poſſet ſub pane poni corpus Chriſti.

Nec obſtat, quod D. Thomas hîc in corpore dicit, rem non poſſe alicubi, vbi anteà non erat, incipere eſſe, niſi vel per motum adducatur, vel per conuerſionem alterius rei in ipſam ponatur. Quia D. Thomas loquitur de ordinarijs, & conſuetis modis, quibus res aliqua incipit eſſe, vbi anteà non erat; qui modi ſunt motus localis, &

Explicatur. D. Thę.

conuerſio. Non tamen intendit negare modum tertium, & extraordinarium, qui eſt inſtar puræ creationis: ſed exiſtimauit illum modum hîc locum non habere, Deumque etiam in miraculis, vti modis quàm maximè fieri poteſt conſentaneis naturis rerum.

ARTICVLVS III.

Vtrum ſubſtantia panis & vini per conſecrationem annihiletur?

43 REſpondetur non annihilari. Ratio eſt, Quia non deſinit in non eſſe abſolutè, ſed in Corpus, & Sanguinem Domini. Verùm, quia hoc obſcurum eſt:

Conuerſio quid ſit, & quid includat.

Notandum eſt, Conuerſionem eſſe tranſitum quemdá ex vna natura, vel forma, vel qualitate in aliam: vt cùm vinum vertitur in acetum; cùm aër in aquam; frigidum in calidum. Vnde neceſſe eſt cõuerſionem intrinſecè includere duas mutationes; quarum altera eſt in termino à quo, altera eſt in termino ad quem. Terminus enim à quo, deſinit eſſe; vnde mutatur ab eſſe, ad non eſſe. Terminus autem ad quem, incipit eſſe, vel abſolutè, vt ſi anteà non erat; vel ſecundùm nouam quandam dependentiam, ſi erat.

quidam putant panem annihilari.

Hoc ergo articulo quæſtio eſt de mutatione quæ eſt in termino à quo, ſitne annihilatio? Quidam Doctores exiſtimant hanc mutationem, quę eſt in termino à quò, ſcilicet in pane, eſſe annihilationem. Ratio eſt; quia panis abſolutè deſinit eſſe, ſic vt nihil ipſius ſubſtantiæ remaneat, perinde ac ſi nihil aliud ſuccederet: ergo annihilatur. Probatur conſequentia; Quia annihilatio eſt totius deſitio in nihil. Et confirmatur, quia panis iſte poteſt reproduci à Deo per creationẽ: quod ſignum eſt fuiſſe annihilatum. Ita Gabriel Lectione 40. in Canonem, & Occam in 4. q. 6. & Albertus Magn. in 4. diſt. 10. quæ ſententia non eſt improbabilis.

44 Meliùs negatur.

Meliùs tamen dicitur, panem non annihilari. Ita paſſim alij Doctores diſt. 11. & D. Tho. hîc.

Ratio quorundam.

Rationem quidam reddũt: Quia panis, inquiunt, non deſinit per meram ſuſpenſionem concurſus diuini, ſed ex vi actionis poſitiuæ qua ſpecies ſeparantur à ſubiecto. Detractis enim omnibus accidentibus ſubſtantia naturaliter deſinit eſſe: nam forma non poteſt manere in materia ſine diſpoſitionibus; vnde neceſſariò euaneſcit. Materia quoque non poteſt priuari omni forma; vnde etiam neceſſariò deſinit eſſe, cum prior forma euaneſcat, & alia non ſuccedat.

Refellitur.

Sed contrà: Primò, Quia hęc ſententia ſupponit accidẽtia ſeparari à ſubſtãtia panis per actionem poſitiuam, per quã accipiant modum quendam poſitiuũ exiſtendi per ſe, qui modus ſit terminus huius actionis: quod non videtur verum. Nam fruſtrà ponitur talis modus exiſtendi poſitiuus in ſpeciebus Sacramentalibus; vt infrà oſtẽdemus: vnde etiam fruſtrà ponitur illa actio ſeparans accidentia, & modum illum conferens. Secundò; Eſto, ſit talis actio, & talis modus in accidentibus ſeparatis; non tamen videtur facere ad propoſitum. Nam conuerſio panis in corpus Chriſti, eſt integra quædam mutatio ſubſtantialis: ergo non debet conſtare niſi mutationibus ſubſtantialibus. Sicut enim ſubſtantia compoſita non conſtat, niſi ſubſtantijs; ita mutatio ſubſtantialis compoſita debet tantummodò cõſtare mutationibus ſubſtantialibus; qualis eſt deſitio panis & incæptio corporis Chriſti. Atqui hæc mutatio circa accidentia, non eſt mutatio ſubſtantialis, quia ſolùm terminatur ad illum modum accidentis: ergo eſt extra rationem tranſubſtantiationis, quę eſt mutatio ſubſtantialis: ergo ex ea non poteſt ratio deſitionis illius ſumi. Confirmatur, quia modus iſte deſinendi non repugnat annihilationi: quod patet in ſimili. Si enim Deus ſepararet ab Angelo intellectum, & volũtatem, & ſic Angeli ſubſtantia deſineret eſſe, verè annihilaretur. Sic ſi à toto mundo detraheret omnia accidentia, & ita mundus deſineret eſſe, verè annihilaretur. Tertiò, Ex detractione formæ, vel accidentium, nõ neceſſariò ſequitur deſitio materiæ, vt quæ ſit omnium formarum, & accidentium corporalium fundamentum: ſed ſolùm ex ordinatione diuina merè libera, qua ſtatuit illi rei ſubtrahere cõcurſum conſeruatiuum, quę modo naturę ſuę tam diligentaneo exiſteret. Vnde hæc deſitio magis æſtimanda eſt libera ſubtractione concurſus diuini, quàm ex poſitiua illa actione ſeparandi accidentia: ac proinde cenſebitur annihilatio; niſi quid aliud obſtet.

45 Vera ratio cur panis hic non dicatur annihilari.

Vera igitur ratio, cur hęc deſitio panis non ſit annihilatio, dicenda eſt; quia de ratione annihilationis, vt communiter concipitur, eſt, vt res ita deſinat eſſe, vt illa deſitio ex vi actionis per quã, vel propter quam fit, non ordinetur ad vlterius eſſe; ſed ſiſtat in non eſſe: atqui panis ita deſinit, vt illa deſitio ordinetur ad vlterius eſſe, idque ex vi actionis, qua chriſti Corpus ponitur ſub ſpecieb⁹. Etſi enim hæc deſitio panis immediatè fiat per ſubſtractionem influxus conſeruatiui (nihil enim eſt aliud, quàm priuatio eſſendi, quatenus in primo inſtanti eſt pendens à cauſa priuatiua, ſcilicet à ſuſpenſione actionis conſeruatiuæ) tamen cenſetur fieri ex vi actionis poſitiuę, qua ponitur ibi corpus Chriſti: nam propter illam actionem fit, & ex intentione agentis ordinatur ad eſſe corporis Chriſti ſub ſpeciebus. Quia enim intendebat Chriſtus ponere ſuum corpus ſub ſpeciebus tanquam principaliter deſignabile, ſenſibile, tractabile per ſpecies, neceſſariò debebat excludere panem. Itaque ſubſtantia panis neceſſariò deſinit ex vi actionis, qua ponitur ibi corpus Chriſti; non quidem ex vi, quam habet, actio præcisè ex natura ſua: ſed quam habet, vt ſubeſt intentioni Dei ordinantis illam ad ſic ponendum corpus Chriſti ſub ſpeciebus.

46 Obiectio quòd debeat eſſe formalis repugnantia terminorum.

Dices, Inter terminos conuerſionis debet eſſe formalis repugnantia; ita vt neceſſariò poſitio vnius, ſit excluſio alterius; vt patet in omnibus conuerſionibus formalibus, id eſt, quæ per ſucceſſionem formarũ in eãdem materia vel ſubiecto fiunt. Si enim poſſent ſimul ſtare, iã non eſſet conuerſio; nam vtrumque conſeruaretur. Hinc album non vertitur in dulce, ſed in nigrum vel rubrum &c. Sed corpus Chriſti non ita excludit ſubſtantiam panis à ſpeciebus: nam poſſunt ſimul conſiſtere, etiam naturaliter, poſito illo modo exiſtendi indiuiſibiliter in corpore Chriſti: ergo non eſt conuerſio inter illa.

Negatur id de conuerſione ſupernaturali.

Reſpondeo, in omni conuerſione naturali termini ita debẽt repugnare, vt naturaliter non poſſint ſimul conſiſtere. Nam hæc conuerſio fit per ſucceſſionem formarum repugnãtium. Secùs tamen res habet in conuerſionibus ſupernaturalibus, quibus totum conuertitur in totum ſupernaturaliter: nam hîc non ſuccedit vna forma alteri in eadem materia, vel ſubiecto, ſicut in naturali conuerſione: ſed tota ſubſtantia toti ſubſtantiæ, ſub ijſdem accidentibus, ſub quibus non ha-

bent illæ duæ ſubſtantiæ repugnantiam, niſi illa accidentia debeant informare ſubſtantiam, quæ ſuccedit; quod hîc non habet locum: vel illam debeant principaliter deſignare; quod pendet ex intentione agentis. Sufficit igitur, vt termini repugnent quatenus ſubſunt intétioni agentis; qui hîc intendit ponere corpus Chriſti ſub ſpeciebus, vt ſit principaliter deſignabile, & ſenſibile per illas: cum quo ſtare nequit, vt maneat ſubſtantia panis: quod etiam eſt conſentaneum naturis rerum, & dignitati corporis Chriſti, quod poſtulabat, vt eſſet ibi tamquam primaria ſubſtantia, non vt quid acceſſorium ſubſtantiæ panis.

qualis hic terminorũ repugnantia ſufficiat.

Repugnãtia terminorum in conuerſione.

Confirmantur hæc omnia: Quia vbi eſt peculiaris modus conuerſionis, ibi quoque poteſt eſſe peculiaris repugnantia inter id, quod conuertitur, & id, in quod conuertitur: ergo in conuerſione ſupernaturali, quæ tota pendet ex ordinatione diuina, ſufficit ea repugnantia, quæ naſcitur ex modo exiſtendi, quem Deus intendit. Præſertim cùm in conuerſione non videatur requiri repugnantia terminorum ob aliam cauſam, quàm vt deſitio vnius non iungatur per accidens cum inceptione alterius. Atqui ad hoc cauendum ſufficit intentio diuina, conſentanea naturis rerum, ordinans deſitionem vnius ad inceptionem alterius.

ARTICVLVS IV.

Vtrum panis poſſit conuerti in corpus Chriſti?

REſpondetur Affirmat. Sed DVBIVM eſt, *Qua actione fiat hæc conuerſio, & quis ſit formalis terminus huius actionis?*

47 Prima ſententia Scoti, id fieri duplici actione.

Sunt tres ſententiæ. Prima eſt, Diuerſis actionibus panem conuerti in corpus Chriſti, & corpus Chriſti poni ſub ſpeciebus panis. Priotem, eſſe actionem conuerſiuam, & terminari ad ſubſtantiam corporis Chriſti ſecundùm ſe, vt eſt in cælo; vnde ex vi huius actionis illud non poni ſub ſpeciebus: quare eſſe opus alia actione, quam vocãt *Adductiuam*, qua corpus Chriſti, in quod conuerſus eſt panis, ſub ſpecies adducatur. Inſinuat Scotus diſt. 10. q. 2. & diſt. 11. q. 3. & clarè docent eius diſcipuli.

Secunda ſententia id fieri per *Adductionem.*

Secunda ſententia: Eſſe quidem eandem actionem, qua fit conuerſio panis in corpus Chriſti, & qua corpus Chriſti ponitur ſub ſpeciebus panis: ſed hanc eſſe actionem adductiuam, quæ ſic adducat corpus Chriſti ſub ſpecies, vt tamen locum non deſerat, quem habet in cælo, ſed ſolùm acquirat nouam præſentiam ſub ſpeciebus. Vnde terminum formalem, ad quem terminatur hæc actio, eſſe præſentiam nouam, ſeu nouum *vbi*. Ita multi recentiores qui ſcribunt contra hæreticos, & etiam quidam Scotiſtæ.

48 Tertia ſententia id fieri per ſolam actionem ſubſtãtialem conuerſiuam.

Tertia ſententia: Solam actionem ſubſtantialem conuerſiuam requiri. Pro qua:

Dico Primò: Eadem actione, qua panis conuertitur in corpus Chriſti, cõſtituitur idẽ corpus ſub ſpeciebus panis. Eſt quaſi certa, & ferè communis Doctorum. Probatur Primò, quia, ſi non poneretur ibi per actionem conuerſiuam, ſed per aliam, non poneretur ibi per transſubſtantiationem, ſed per aliquam aliam actionem extraneam transſubſtantiationi, ſcilicet per actionem adductiuam, ac proinde impertinens eſſet transſubſtantiatio ad hanc præſentiam: quod tamen eſt contra ſenſum Patrum, qui cenſent corpus Chriſti ibi eſſe propter transſubſtantiationem; vt ſtatim oſtendemus. Probatur Secundò, Quia terminus *ad quem* neceſſariò ponitur ex vi conuerſionis, vbi erat terminus *à quo*: ergo actio conuerſiua ſufficit ad præſentiam corporis Chriſti ponendam in Euchariſtia. Antecedẽs patet; nam cõuerſio fit per ſucceſſionem diuerſarum formarum in eadem materia vel ſubiecto, aut per ſucceſſionem diuerſarum ſubſtantiarum ſub ijſdem accidentibus: ſemper enim termini conuerſionis debent comparari ad aliquid idem, in quo, vel ſub quo, fiat ſucceſſio. Cõfirmatur; quia niſi maneat aliquid idem, ſub quo fiat ſucceſſio ſubſtantiarũ, nulla erit ratio, cur potiùs panis dicatur conuerſus in corpus Chriſti, quàm lapis, ſi eodem momento etiam lapis deſineret eſſe manentibus accidentibus ſeu ſpeciebus. Pari modo nulla erit ratio, cur panis dicatur potiùs conuerſus in corpus Chriſti, quam in corpus B. Virginis. Si enim corpus Chriſti ex vi conuerſionis non magis eſt ſub ſpeciebus panis, quàm corpus B. Virginis, ſed per nouam actionem debeat adduci; cur potiùs conuerſus eſt panis in corpus Chriſti, quàm in corpus Virginis? Vnde patet, hanc ſententiam falſam eſſe, ſcilicet panem hîc poſitum poſſe conuerti in corpus Chriſti exiſtens & permanens dumtaxat in cælo, & præter actionem conuerſiuam opus eſſe adductiuâ.

49 Actio, quæ ponitur corpus Chriſti in Sacramẽto non eſt adductiua, ſed productiua.

Dico Secundò, Hæc actio, qua panis conuertitur in corpus Chriſti, & conſequenter, qua corpus Chriſti ponitur ſub ſpeciebus præſens, nõ eſt actio adductiua, ſed veluti ſubſtãtialiter productiua corporis Chriſti, ſic vt terminus eius formalis ſit ſubſtantia corporis Chriſti. Ita ſentit D. Thomas: nam paſſim negat Chriſtum eſſe in Euchariſtia per motum localem, vt patet hoc art. 4. & ſuprà artic. 2. Atqui actio adductiua nihil eſt, niſi motu localis: terminatur enim tantummodò ad nouum vbi, ſeu nouam preſentiam. Et art. 2. ex eo, quòd chriſti Corpus non incipiat eſſe in Euchariſtia per motum localem, concludit debere ibi poni per quandam actionem veluti generatiuam, ſeu ſubſtantialiter productiuam. Et in Reſponſione ad 1. ibidem dicit, quòd virtus Dei ex pane & vino facit Corpus, & Sanguinem ſuum. Et infrà art. 7. dicit terminum huius conuerſionis eſſe corpus Chriſti; quod cùm non ſuſcipiat magis, & minus, cauſa eſt, cur hæc conuerſio fiat in inſtanti. Idem ſentire videntur omnes Doctores, qui docent hanc actionem, qua Chriſti corpus ponitur in Euchariſtia, non fieri in aliquo ſubiecto præſuppoſito; & idcircò eſſe ſimilẽm creationi: hinc enim ſequitur, non eſſe actionem adductiuam: nam hæc fit in ſubiecto, quod ei ſupponitur, ſcilicet in corpore, quod adducitur, ſicut aliæ mutationes accidentales. Ita Halenſis 4. parte quæſt. 34. membro 3. art. 1 & Henricus Quodlibeto 9. quæſt. 9. Bonauentura diſt. 10. art. 2. quæſt. 1. Sed omnium optimè & clariſſimè Gabriel diſt. 11. quæſt. 1. & in Canonem miſſæ lectione 40. & 46. *Hanc ſententiam copioſe deductam vide lib. 12. de Perfect. diuinis cap. 16. num. 114. & deinceps.*

Fauet D. Thomas.

50 1. Probatur ex SS. Patribus.

Probatur hęc ſententia: Primò, Ex Patribus, qui docent *panem mutari, conuerti, trãsfundi; tranſelementari in corpus Chriſti, & ſubſtantiam conuerti in ſubſtantiam.* Atqui nulla eſt conuerſio vnius in aliud, ſine actione productiua eius, in quod fit conuerſio; vt patet in omnibus conuerſionibus ſubſtantialibus, & accidentalibus: exempli cauſa, quando aqua conuerſa eſt in vinum, non ſolùm deſijt ſubſtantia aquæ, ſed producta eſt ibi

53 4. Ratio.

Quarta Ratio eſt: Si ſolùm per actionẽ adductiuam eſſet ſub ſpeciebus, per nullã potentiam poſſet cõſeruari in Euchariſtia, ſi poneretur deſinere, vt eſt in cælo. Atqui hoc omnino falſum eſt: quia tam *verè, realiter, & ſubſtantialiter eſt in Euchariſtia*, quàm eſt in cælo: ergo ſicuti poteſt deſinere eſſe in Euchariſtia, ita vt nõ deſinat eſſe in cælo; ita viciſſim diuina virtute fieri poteſt, vt deſinat ſecundùm dependentiam primam, quam habet in cælo, ſic, vt non deſinat in Euchariſtia. Sicut enim, vt eſt in cælo, non habet intrinſecã dependentiam à ſe, vt eſt in Euchariſtia; ita viciſſim, vt eſt in Euchariſtia, non habet intrinſecam dependentiam à ſe, vt eſt in cælo. Ratio eſt, Quia eſt omnino idem corpus, habens vtrobique integrum influxum, & totalem dependentiam à Diuina virtute conſeruante.

Inſtatur iterum ex verbis Concil. Trid.

Confirmatur; Quia vt rectè docet Scotus diſt. 10. q. 4. quem plerique alij ſequuntur; Deus poterat Chriſti Corpus ponere in Euchariſtia ante Incarnationem; idque per eandem actionem, per quam modò ponitur: Sed tunc illa actio fuiſſet vera productio, terminata ad ipſam ſubſtantiam corporis Chriſti: ergo & modò eſt vera actio productiua eandem vim habens. Quamuis non dicatur abſolutè nunc *productio*; eò quòd Corpus Chriſti anteà exiſtat: quod enim antea erat, non propriè dicitur *produci*. Sed hoc ad modum loquendi pertinet.

Scotus.

Obiectio.

Dices, Corpus Chriſti habet veram præſentiã, ſeu verum *vbi* accidẽtale: ergo præter actionem, quæ terminatur ad eius ſubſtantiam, opus eſt actione adductiua, quę terminatur ad illam præſentiam.

Solutio.

Reſpondeo Negando Conſequentiam: Nam hæc præſentia cõſequitur neceſſariò ex eo, quòd actio ſubſtantialis productiua Corporis Chriſti determinetur per diuinam voluntatem ad certũ locum, ſeu ſpatium. Sicut, quãdo condidit Deus terram, non opus erat alià actione, qua poneretur in hoc ſpatio, quàm actione creatiua, quæ ad ſubſtantiam eius terminabatur. Sicut enim operatio diuina, quæ foras prodit, neceſſario determinatur ad certum genus rerum, ita etiam ad certum ſpatium, in quo rem illam facit.

DVBIVM II.

Quomodo differat hæc actio à creatione, ſeu actione creatiua?

54 Prima differentia.

REſpondeo, Differt Primò, Quòd Creatio ſit prima collatio ipſius eſſe, per quam res, ex non ente, fit ens; qua ceſſante, res relabitur in nihil. At hæc actio nõ eſt prima collatio eius eſſe, quod non erat; ſed eſt iterata collatio eius, quod iam erat, & eiuſdem eſſe noua dependẽtia. Vnde ſe habet potiùs per modum conſeruationis, quàm creationis. Differt enim Conſeruatio à Creatione, quòd Creatio ſit prima poſitio ipſius eſſe connotans antè hoc inſtans rem non fuiſſe. Conſeruatio autem eſt continuatio eiuſdem eſſe poſt primum inſtans, & etiam eiuſdem actionis. Nam Creatio, & Conſeruatio propriè eſt eadem actio poſitiua: ſed dicitur Creatio in primo inſtanti in quo eſt. Conſeruatio toto reliquo tempore poſt illud inſtans. Itaque, cùm hęc actio non ſit prima collatio ipſius eſſe, ſed eiuſdem eſſe cõtinuatio, habet ſe per modum conſeruationis: quamuis non ſit propriè illa prima conſeruatio, cùm non ſit omnino eadem actio.

Creatio & conſeruatio, quid.

Differt Secundò, Quòd creatio non habet terminum *à quo* poſitiuum, ſed ſolùm negatiuum: eſt enim productio rei ex nihilo. Hęc autem actio habet terminum *à quo* poſitiuum, ſcilicet ſubſtãtiam panis; nam ex pane fit Corpus Chriſti.

Secunda differentia

Aduerte tamen has differentias non ponere aliquem modum intrinſecum in hac actione, ſed ſolùm extrinſecas denominationes, quæ tamen modum loquendi, plurimùm immutant. Nam quod Corpus Chriſti alibi exiſtat, eſt extrinſecum huic actioni productiuæ: vt enim eſt alibi, non eſt terminus huius actionis, ſed præexiſtit illi; ac proinde nullam intrinſecam connexionem cum eâ habet. Vnde hæc actio ita terminatur ad Corpus Chriſti, ac ſi alibi non eſſet. Similiter extrinſecum eſt huic actioni, quòd habeat terminum *à quo* poſitiuum: nam iſte terminus nihil poſitiui confert huic actioni, cùm eo momento, quo actio eſt, terminus ille non ſit: dum autem non eſt, non poteſt aliquid poſitiui conferre.

55 Soluuntur obiectiones.

Dices Primò, Si hęc actio, qua Chriſti Corpus producitur in Euchariſtia, non differt vi intrinſeca à creatione: ergo quotidie Chriſti Corpus creatur, vel producitur.

Creatio & conſeruatio, etſi quoad intrinſeca cõueniãt, differunt tamen cõnotato.

Reſpondeo Negando Conſequentiam; Quia nomẽ creationis, & productionis, non ſolùm ſignificat id, quod eſt intrinſecum actioni; ſed connotat etiam aliquid extrinſecũ; ſcilicet quod res illa antè non extet, quodque hæc ſit prima collatio ipſius eſſe. Vnde cùm Corpus Chriſti ante extet, quando ponitur in Euchariſtia non dicitur *creari*, ſed accipere idem eſſe in altari, quod habet in cælo, licet alio modo habeat. Sicut poſt primum inſtans, quo mundus cœpit eſſe, non ampliùs dicitur *creari* vel *produci*, ſed *conſeruari*; quamuis actio conſeruatiua, quoad omnia intrinſeca, ſit eadem, ac creatiua.

quomodo dici poſſit *Chriſti Corpus creari* per conſecrationem

Similiter, Si Corpus Chriſti fuiſſet in Euchariſtia ante Incarnationem (quod fieri potuiſſe ſuprà num. 53. diximus ex Scoto & Gabriele:) quando poſteà fuiſſet formatum in vtero Virginis, non diceretur abſolutè *produci*, vt rectè ijdẽ Auctores docent, ſed ſolùm ſecundùm quid, ſcilicet ſecundùm modum eſſendi naturalem.

Si tamen Chriſti Corpus non eſſet alibi, per hanc actionem conſecratoriã poſſet aliquo modo dici *creari*; quia inciperet eſſe, ex nulla præſuppoſitâ materia: tam enim efficax eſt hęc actio, vt productura ſit ex nihilo Corpus Chriſti, ſi antea non exiſtat.

56

Dices Secundò, Si hęc actio eſſet productiua, ſequeretur idem poſſe producere ſeipſum: nam Chriſtus corpus ſuum in Euchariſtia ponit. Item ſequeretur, verba conſecrationis poſſe ponere Chriſti corpus in Euchariſtia, etiamſi non exiſteret in forma naturali; quod eſt contra veritatẽ verborum, *Hoc eſt corpus meum*: nam pronomen, *meum*, ſignificat *corpus exiſtens*.

Si chriſtus non exiſteret in forma ſua naturali, verba conſecrationis nihil operarẽtur

Reſpondeo ad primam ſequelam; Implicat contradictionẽ, vt aliquid propriè ſe producat; non tamen implicat, vt aliquid iam exiſtẽs, ſuum eſſe quodammodò replicet & multiplicet.

Ad ſecundam, Nego ſequelam: Aliud enim eſt loqui de ipſa actione productiua, aliud de virtute verborum, quę ſe habet inſtar actus primi, & potentię productiuæ. Nam actio illa ex eſſentia ſua terminatur ad ſubſtãtiam corporis Chriſti; vnde poſita illa actione neceſſariò Chriſti Corpus ponitur, tamquam eius formalis terminus: verba verò non habent ex eſſentia ſua illam virtutem operandi, ſed ſolùm ex ordinatione & concurſu Dei: Deus autem non ſtatuit

concurrere cum verbis, niſi corpus Chriſti exiſtat naturaliter; vt colligitur ex ipſa verborum forma, & ex eo, quòd hoc myſterium mediante humanitate Chriſti ſit inſtitutum. Vnde ſi ponatur humanitas chriſti non exiſtere, Deus non concurret; & ſic verba nullam habebunt vim productiuam. Itaque exiſtentia corporis Chriſti in Euchariſtia, pendet ab exiſtentia in forma naturali, non dependentiâ intrinſecâ quę ex natura rei proueniat, ſed extrinſecâ, quæ ex ordinatione diuina, eâque liberâ.

DVBIVM III.

Vtrùm Deus rem quamuis poſſit conuertere in aliam?

57 Creatura non poteſt conuerti in diuinâ ſubſtantiâ: & cur.

REſpondeo, & Dico Primò, Nulla creatura poteſt conuerti in ſubſtantiam diuinam. Eſt communis Doctorum, prętèr Caietanum initio 3. partis q. 2. a. 1. & Ioannem Maiorem diſt. 11. Probatur, Quia eſſentia diuina eſt prorſus immutabilis: atqui nihil poteſt eſſe terminus conuerſionis ſine aliqua ſui intrinſeca mutatione, quâ accipiat nouam aliquam dependentiam ſubſtantialem, vel ſaltem nouam præſentiâ: nam actio conuerſiua, cùm ſit actio poſitiua, debet ponere aliquid poſitiuum & reale, non in termino *à quo*, quia hic omnino deſinit eſſe; ſed in termino *ad quem*, ac proinde in illo eſt aliqua mutatio. Confirmatur, Quia ſi nulla eſt in illo mutatio: ergo eodem prorſus modo nũc ſe habet, quo antèà; ac proinde non eſt ratio, cur in ipſum aliquid dicatur conuerſum nunc potiùs, quàm antèà.

Obiectio. Dices, Sufficit vt illa actio ponat aliquid poſitiuum circa creaturam. Sicuti in aſſumptione humanæ naturę à Verbo, Verbum eſt terminus aſſumptionis ſine ſui mutatione, per mutationem humanę naturæ. Confirmatur, Quia ſi Verbum diuinum aſſumeret naturam humanã antèà exiſtentẽ in propria hypoſtaſi, humana perſona cõuerteretur in perſonam diuinã, ſine mutatione diuinitatis. Reſpondeo, Hoc quidem aliquo modo ſufficere ad vnionem hypoſtaticam; nullo tamen modo ad conuerſionem: nam id in quod fit conuerſio, debet eſſe terminus formalis actionis cõuerſiuæ; ac proinde in ipſo debet eſſe ipſa mutatio. Ibi autẽ tota mutatio eſt in creatura: nam naturã humanã exiſtere in ſe, & exiſtere in alio, ſunt termini oppoſiti, afficiẽres naturam humanam, & in ea inuicem ſuccedentes. Verbum autẽ diuinum non eſt terminus cõuerſionis, niſi valdè extrinſecè, quatenus eſt terminus vnionis, ad quam per ſe primò tendit illa conuerſio.

Solutio.

Verbum diuinum minus poteſt eſſe terminus conuerſionis quam vnionis hypoſtaticæ.

58 quæuis res creata videtur in aliam poſſe conuerti.

Dico Secundò, Quæuis res creata, quę per ſe aliquam entitatem habet, poteſt in aliam aliquo modo conuerti virtute diuina. Eſt ferè cõmunis Doctorum, prętèr Durandum. Vide D. Thomã, hoc loco ad 3. & Scotum diſt. 11. qu. 1. & 2. Vbi tamẽ aduerte sẽper debere aliquid manere eius, quod dicitur in aliud conuerti (nempe materiam eius, vel formam, vel accidens) ſub quo hæc cõuerſio fiat. Si enim totum deſinat, & aliud ſubſtituatur, non eſt ratio, cur hoc dicatur conuerſum in illud.

quibus modis res corporales poſſint cõuerti in res corporales

Nunc explicatur & probatur Propoſitio. Res enim corporales poſſunt conuerti in alias corporales, vel ſecundùm totam ſuam ſubſtantiã; ſicut panis in corpus chriſti. Vel ſecundùm formas, ſicut fit in conuerſionibus naturalibus, quando vna forma ſubſtantialis per actionẽ productiuam ſuccedit alteri in eadem materia. Tunc tamẽ neceſſe eſt, vt materia rei, quę conuertitur ſit capax formæ rei, in quam res conuertitur, vel naturaliter, vel diuina virtute. Si enim nullo modo ſit capax, non poterit fieri talis cõuerſio: vnde lapis non poſſet ſic conuerti in cęlum; poſſet tamen cęleſtis forma poni loco formæ lapidis abſque informatione: ſed tunc hæc mutatio non eſſet conuerſio lapidis in cælum, ſed veluti tranſubſtantiatio formę lapidis in formam cæli. Vel denique ratione materiæ, manente eãdem formã, ſub quã fiat cõuerſio: vt ſi lapis vnus ratione materię verteretur in alium, poſita alia materia ſub forma huius per actionẽ productiuam. Hîc tamen materia illa debet eſſe capax illius formæ, ſub qua ſuccedit; alioquin non erit conuerſio compoſiti in compoſitum; ſed ſolùm materię in materiam, veluti per tranſubſtantiationem.

Spiritus in corpus cõuerti poteſt: vel contrà.

Pari modo corpus in ſpiritum conuerti poteſt conuerſione totali: vt ſi ſpiritus actione productiua ponatur ſub accidentibus panis, ſicut Corpus Chriſti ſub illis ponitur. Similiter Spiritus in corpus mutari poteſt: vt ſi corporalis ſubſtantia producatur ſub accidentibus ſpirituum ſiue cum aliqua vnione ad ipſa accidentia, ſiue ſine vnione: quod etſi difficile ſit intellectu, tamen non videtur implicare. Denique ſimilibus modis ſubſtantia in accidens, & accidens in ſubſtantiam verti poteſt.

ARTICVLVS V.

Vtrum remaneant accidentia panis & vini poſt conuerſionem?

59

REſpondetur affirmatiuè, vt patet experientia. Vide D. Thomam, qui habet tres cauſas huius rei.

Accidentia ſenſibilia manẽt in Euchariſtia.

Notandum eſt, Certum eſſe manere omnia accidentia panis & vini, quæ vllo modo ſenſibus deprehendi poſunt; id enim neceſſarium erat ad occultandum hoc myſterium; alioqui ratione naturali potuiſſet deprehendi; quod multũ merito fidei detraheret.

Item Accidentia non ſenſibilia.

Vtrùm autem remaneant alia quędam accidentia occulta, quæ nullo modo ſenſibus deprehẽdi poſſunt, non eſt ita certum. Valdè tamen probabile eſt remanere omnia, quę à ſubſtãtia panis & vini realiter ſunt diſtincta; id enim magis cõſentaneum tum rationi, tum modo loquendi Patrum & Conciliorum. Vide Ferrariẽſem lib. 4. contra gentes cap. 65.

Modi ſubſtantiam afficientes non manẽt

Modi tamen, qui immẽdiatè ſubſtantiam afficiunt, non manent; vt ſunt prętentia ſubſtantię, propinquitas ad locum, vnio cum ſpeciebus, relationes &c.

ARTICVLVS VI.

Vtrum facta conſecratione remaneat in hoc Sacramento forma ſubſtantialis panis?

REſpondetur negatiuè. Vide D. Thomam. Nota tantùm, quòd ſecunda eius ratio firma non ſit.

Digitized by Google

ARTICVLVS VII.

Vtrum illa conuerſio fiat in inſtanti?

60 REſpondetur affirmatiuè probatur tribus rationibus. Primò, Quia ſubſtantia panis deſinit in inſtanti; & ſimiliter Corpus Chriſti incipit ibi eſſe in inſtanti: ergo tota cõuerſio fit in inſtanti. Probatur Conſequentia; Quia hæc cõuerſio conſtat deſitione panis, & inceptione Corporis Chriſti. Secundò, Quia in hac conuerſione non eſt aliquod ſubiectum, quod ſucceſſiuè præparetur. Tertiò, Quia perficitur virtute infinita, quæ in inſtanti operatur. Vide D. Thomam.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum hæc ſit falſa, Ex pane fit Corpus Chriſti?

61 REſpondetur, hanc eſſe propriè veram. Vide D. Thomam. Quod ad modum loquendi attinet, notandum Primò, Eas propoſitiones, quæ ſolùm ſignificant tranſitum vnius in alterũ, ſeu ſucceſſionem terminorum, eſſe propriè veras: vt, *Ex pane, & vino fit Corpus, & Sanguis Chriſti.* præpoſitio enim Ex latiſſimè patet; & ſolùm indicat terminum *à quo*, ſiue intrinſecum: ſiue extrinſecum. *Mundus fit ex nihilo. Dies ex nocte.* Notabilia quædam circa modum loquendi in hoc Myſterio.

Notandum Secundò, eas propoſitiones, quæ denotant ſubiectũ, vel cauſam materialem, eſſe improprias: vt, *De pane fit Corpus Chriſti.* De enim ſignificat conſubſtantialitatem: vnde debet hîc accipi pro *Ex*. Similiter, *Panis fit Caro Chriſti*, eſt impropria; quomodo interdum loquuntur Patres: vbi *fit* accipitur vt idem ſit, quod *tranſit in Corpus Chriſti.*

Notandum Tertiò, Propoſitiones, quæ ſignificant aliquid commune vtrique termino permanere, ſumũtur impropriè; nempe non pro re indiuidua, ſed vagè pro re contenta ſub ſpeciebus; vel pro hoc ſenſibili: vt, *Panis & vinum poſt conſecrationem ſunt verum Corpus & Sanguis Chriſti*, vt dicitur in Canone, *Ego Berengarius*, de Conſecratione diſt. 2. vbi *panis & vinum* non accipitur pro hac indiuidua ſubſtantia, ſed pro contento ſub ſpeciebus vagè, vel pro hoc ſenſibili.

QVÆSTIO LXXVI.

De modo quo Chriſtus eſt in hoc Sacramento.

In Octo Articulos diuiſa.

ARTICVLVS I. & II.

Vtrum totus Chriſtus ſit in hoc Sacramento ſub vtrauis ſpecie?

1 Reſponſio eſt affirmans, & de fide. RESpondetur, Totus Chriſtus, ſcilicet Corpus, Sanguis, Anima, Vnio hypoſtatica, & Diuinitas, ſiue Verbum exiſtit ſub ſpecie panis, & ſub ſpecie vini. Eſt fide tenendum.

Ex Script. Probatur primò, Ex Scriptura Ioannis 6. vbi Dominus ait, *Ego ſum panis viuus. Qui manducat me, ipſe viuet propter me*: Ergo totus Chriſtus eſt panis in Euchariſtia.

Ex Cõcil. Probatur Secundò, Ex Concilijs. Primò, Ex Concilio Epheſino apud D. Thomam. Secundò, Ex Concilio Cõſtantienſi ſeſſ. 13. *Firmiſſimè credendum integrum Chriſti Corpus, & ſanguinem tam ſub ſpecie panis, quàm ſub ſpecie vini, veraciter cõtineri.* Tertiò, ex Concil. Florent. *Totus Chriſtus cõtinetur ſub ſpecie panis, & totus ſub ſpecie vini.* Quartò, Ex tridentino ſeſſ. 13. can. 3. *Si quis negauerit in venerabili Sacramento Euchariſtiæ, ſub vnaquaq; ſpecie, & ſub ſingulis cuiuſque ſpeciei partibus ſeparatione facta totũ Chriſtũ cõtineri, anathema ſit.*

Ex Patrib. Probatur Tertiò. Ex patribus, qui docent Chriſtum eſſe in hoc Sacramento, in eoque ſumi; & hoc Sacramentum eſſe adorandum: Carnem quoque & Sanguinem Chriſti in hoc Sacramento habere vim viuificatricem, propter vnitam diuinitatem. Vide Cyrillum Catecheſi 4. Ambroſiũ cap. 9. de ijs, qui Myſterijs initiantur.

Ratio aſſertionis. Ratio eſt, Quia diuinitas numquam fuit ſeparata à Carne vel Sanguine Chriſti, ex quo illa aſſumpſit. Anima quoque & Sanguis non ampliùs ſeparabuntur à Corpore poſt eius reſurrectionẽ. Vbicumque ergo corpus chriſti eſt, ibi etiam oportet Sanguinem, Animam, & diuinitatẽ eſſe vnitam: & ſimiliter vbi Sanguis, ibi etiam oportet corpus, Animam, & Diuinitatem vnitá eſſe: hæc enim numquã ampliùs debẽt ſeparari: *Chriſtus* enim *reſurgens ex mortuis, iam non* ampliùs *moritur*, ad Rom. 6. v. 9. Ita concilium Trident. ſeſſ. 13. c. 3. Quod vt melius intelligatur:

2 quid ſit, eſſe in hoc ſacramẽto *ex vi verborum*, vel *Concomitanter.* Notandum eſt ex communi ſentẽtia Doctorũ, & ipſius concilij loco citato, dupliciter aliquid eſſe in hoc Sacramento. Primò *Ex vi verborũ*, ſeu *ex vi Sacramenti*: nempe id, cuius præſentia neceſſaria eſt ad verborum veritatẽ. Sic ſub ſpecie panis eſt ſolùm corpus, non autẽ Sanguis, quidquid dicat Scotus. Corpus enim humanum præciſè conſideratũ, vt prẽſcindit à viuo & mortuo, non includit ſanguinem, etſi viuũ includat. Sub ſpecie autem vini eſt tantùm Sanguis. Secundò, *Concomitanter*, ſcilicet id, quod neceſſariam connexionẽ habet cum corpore vel ſanguine. Sic ſub ſpecie panis eſt Sanguis, Anima, & Diuinitas hypoſtaticè vnita: ſub ſpecie vini eſt Corpus, Anima, Diuinitas: & vtrobique corporis & animi accidentia inſeparabilia. Vnde ſequitur, ſi Apoſtoli in triduo mortis conſecraſſent, ſub ſpecie panis non fore niſi corpus, & diuinitatem; ſub ſpecie vini Sanguinem & Diuinitatem.

3 Poteſt Deus in Sacramento ponere ſeorſim Corpus ſine Sanguine, &c. Hîc tamen aduerte Primò, Hanc concomitantiam non eſſe talem, vt per diuinam potentiã hęc ſeorſim poni nequeãt: quamuis enim partes Domini nũquam ampliùs ſint ſeparandę in cęlo, & in formâ naturali; poſſet tamen Deus ſub ſpecie panis ſeorſim ponere corpus, ſine Sanguine, & Animá; & ſub ſpecie vini ſeorſim Sanguinẽ, ſine corpore, & Animâ; atque etiam ſine vnione hypoſtaticâ. Ratio eſt, Quia etſi vnum ex ijs replicetur; non eſt neceſſe replicari alterum, ſine quo

Digitized by Google

illud potest existere. Sicut, etsi christus in cælo habeat extentionem secundùm locum, tamen in Sacramento non habet.

Eaquæ directè, & quæ concomitanter ponuntur in Eucharistiâ, non eâdem simplici actione poni: cùm enim sint res distinctę, necesse etiam est distinctis actionibus, quę intrinsecè ad illas terminentur, replicari. Alia igitur est actio, quâ Corpus ibi ponitur; alia, quâ Sanguis; alia, quâ Anima; alia, quâ Vnio hypostatica: etsi hæ omnes quodammodò vnam actionem componant.

Eaquæ directè, & quæ concomitâter sunt in Eucharistia, ponuntur alia & alia actione.

Obiectio.

Dices, Quomodo ergo dicuntur Sanguis, & anima esse sub specie panis per concomitantiam, cùm ex naturâ actionis, quâ ibi ponitur corpus, non necessariò comitentur? Respondeo, Ex ordinatione diuinâ: quia statuit Deus, vt nullo vnquam in loco post resurrectionem corpus à Sanguine, vel Anima, vel Diuinitate separetur; sed hæc semper & vbique sint coniuncta: id enim tùm naturis rerũ, tùm dignitati corporis christi erat consentaneum, quod postulat, vt vbique sit *viuum, viuificum, & perfectum. Viuum*, per Animam: *Viuificum*, per Diuinitatem vnitam: *Perfectum*, omnibus suis partibus & ornamẽtis. Vnde vbicũque ponitur christi corpus, ibi etiam ponitur simul per admirabilem illam actionẽ Anima, Sanguis, & vnio hypostatica; imò etiam spiritus vitales, & animales, & alia intra christi corpus in cælo contenta, quæ ad eius perfectionem & operationes sunt necessaria.

Solutio.

DVBIVM 1.

Quid præcisè includit Corpus, quatenus est hîc ex vi verborum?

4 *Corpus hîc* nec est sola materia, nec sola materia cum forma Corporeitatis.

SVppono, non includere solam materiam, vt quidam dixerũt: quia materia non est corpus humanum, aut humana caro. Atqui corpus hîc accipitur pro corpore humano, & carneo. Neque etiam solam materiam cum forma corporeitatis: tùm quia talis forma, quâ præcisè dicitur esse corporeum, non est: tùm quia, Etsi esset, non sufficeret ad corpus humanum. Neque etiam includit animam, quatenus dat esse corporeum: quia concilium Trident. sess. 13. cap. 3. expressè docet, *Animam ibi esse, non ex vi verborum, sed solùm per concomitantiam.*

5 1. Opinio docet corpus hic includere formam substãtialem, quatenus dat esse humani corporis.

His positis: Sunt duæ præcipuæ sententiæ: Prior est, corpus ibi non includere animam, sed formam substãtialem, quatenus dat esse humani corporis: hanc autem formam præscindere secundùm se ab animâ humanâ, & formâ cadaueris: tamen in re esse alterutram. Ita plerique Thomistæ.

Refutatur

Sed contrà; forma substantialis sic abstractè cõsiderata, non est producibilis; nam omnis productio necessariò terminatur per se primò ad aliquod individuum certæ speciei: sed forma substantialis sic præcisè considerata, non est certæ speciei, nec individua: ergo non est producibilis: ergo non est hîc ita præcisè ex vi verborum.

Respondent; Aliud est esse in Eucharistia *ex vi verborum*; aliud esse ibi *ex efficaciâ verborum*: nam *esse ibi ex vi verborum*, nihil est aliud quàm *esse ibi quia veritas verborum id præcisè postulat: Esse autẽ ibi ex efficacia verborũ*, est, *esse per actionem realem verborum.* Vnde dicunt *ex vi verborum esse ibi Animam*, vel *formam cadaueris*, non secundùm rationem specificam; sed præcisè vt constituit *corpus humanum*: tamen *ex efficacia verborum, esse ibi tamẽ animam secundùm omnes suos gradus*; vel *totam formam cadaueris.*

Sed contrà Primò, Quia verba id solùm efficiunt, quod significant; nam tota ratio efficiendi est ipsa significatio: ergo, si anima vt anima, non est ibi *ex vi significationis verborum*, neque etiam erit *ex efficaciâ verborum*; quia *efficacia* nõ potest se extendere vltra *significationem*; alioquin etiam vnio hypostatica esset hîc *ex vi verborum.* Secũdò, Quia non est aliquis gradus genericus cõmunis animæ & formæ cadaueris, quo constituatur corpus humanum: nam corpus humanum viuum & mortuũ æquiuocè dicitur; nec in aliquo genere propinquo conueniunt. Tertiò, Quia hinc sequetur nomen corporis æquiuocè accipi in forma consecrationis: nam non accipitur pro corpore viuo vel mortuo determinatè; sed indifferenter, vt extendit se ad vtrumque. Vnde vlteriùs sequitur, non idem corpus per consecrationem esse modò in Eucharistia, quod olim fuisset in triduo mortis, si Apostoli tunc consecrassent. Et non esse idem, quod olim iacuit in sepulchro. Quod est contra Ambrosium lib. de his qui Mysterijs initiantur cap. 9. Denique sequitur, transubstantiationem, quę nunc fit, esse diuersæ speciei ab eâ, quæ facta fuisset in triduo mortis.

Verba Sacramentorũ id efficium solẽ, quod significant.

Altera igitur sententia, quæ verissima videtur, est: Corpus solùm includere formas partiales partium heterogenearũ; vt formam ossis, carnis, nerui, cartilaginis, cerebri iecoris, cordis; & reliquarum. Probatur, Nam certũ est corpus Christi, vt est in Sacramẽto ex vi verborũ, cõstare carne, esse, neruo, &c. Ioannis 6. præcisis hisce à ratione viui & mortui. Atqui caro, os cerebrum, &c. non videtur solis accidẽtibus differre, sed etiam formis quibusdam substantialibus, imperfectis tamen, & præparatorijs ad formam sublimiorem, scilicet animam; vt docent omnes Medici, quibus hac in re est maximè credendum. Nam corpus humanum non solùm animæ est receptaculum, sed etiam instrumentũ: ergo has formas includet. Quæ sententia longè dignior est corpore Christi, quàm altera quæ formam cadaueris introducit; quam etiam dicit hypostaticè vnitam in triduo mortis, & futuram fuisse in Sacraméto, siquis Apostolorum in triduo mortis celebrasset. Simili modo sanguis formâ suam habet, qui hîc est ex vi verborum.

6 Verior sẽtia est, corpus solùm includere formas partiales partium heterogenearum.

Caro, ossa, &c. differũt formis substãtialibus imperfectis.

Petes, Vtrùm Sanguis hîc sit per modum continui, an discreti? 7

Respondeo, Nunc Sanguinem, tam sub specie panis, quàm sub specie vini, esse diuisum secundùm distinctionem venarum & arteriarum, quibus in corpore Domini continetur. Ratio est, Quia non est extra naturalia sua vasa. Quòd si in triduo mortis facta fuisset consecratio, quando Sanguis varijs locis sparsus erat, credibile omnino est, illum Sanguinem futurum fuisse per modum continui; quia fuisset extra naturalia sua vasa, quibus separatur. Locorum autem externorum distinctio non necessariò debuisset seruari; quia loca ipsa non erant ponenda in Eucharistia. Simile fuisset in particulis corporis, si ante Incarnationem hoc mysterium fuisset institutum. Etsi enim particulę illæ infinitis locis extra Sacramentum dispersæ fuissent, tamen eædem particulæ in Sacramento fuissent continuæ & vnitæ.

An Sanguis in Sacramento sit per modum continui, an discreti.

DVBIVM

DVBIVM II.

Verùm Verbum diuinum ſit in Euchariſtiâ per concomitantiam, an ex vi verborum?

8 Affirmatur

REſpondeo; Per concomitantiam. Colligitur ex Concilio Trident. ſeſſ. 13. cap. 3. vbi inſinuatur ſolum Corpus eſſe ſub ſpecie panis: & ſolum Sanguinem eſſe ſub ſpecie vini ex vi verborum: cetera vi connexionis cum his. *Diuinitas*, inquit, *ibi eſt propter admirabilem eius cum corpore, & anima hypoſtaticam vnionem*: vbi per *diuinitatẽ* intelligit ipsũ *Verbũ diuinũ*, quod per ſe primò vnitur corpori & animæ. Quòd ſi diuinitas eſt ibi ſolùm ob vnionem cum corpore, & anima: ergo non ex vi verborum, ſed ob connexionem, quam habet cum eo, quod ibi eſt ex vi verborum: ergo concomitanter.

Vrgeturex verbis cõc Tridentini.

Obiectio

Dices, Verbum diuinum ait: *Hoc eſt corpus meum*: ergo ſignificat expreſſe hoc *Corpus* eſſe vnitũ hypoſtaticè Verbo: ergo Verbum eſt ibi ex vi verborum conſecrationis.

ſolutio.

Reſpondeo: Si ita expreſſè dixiſſet; *Hoc eſt corpus mihi hypoſtaticè vnitum*: vel *Hoc eſt corpus Filij Dei*: non eſſet dubitandum, quin *diuinitas* hîc eſſet ex vi verborum: nam proprietas verborum poſtularet, vt *Corpus*, quatenus eſt in Euchariſtia, ſit vnitum *diuinitati*. At non ita dixit, ſed ſolùm: *Hoc eſt Corpus meum*: per quod tantummodò ſignificatur idẽtitas *Corporis*, quod eſt in Euchariſtiâ, cum eo quod in formâ ſuâ naturali eſt vnitum *Verbo*: non autem quòd illam vnionem etiam habeat in Euchariſtiâ: nam etſi poneremus in Euchariſtiâ non eſſe vnitum *Verbo*; tamen verum erit dicere: *Hoc eſt Corpus meum*.

9 Pater & ſpiritus ſ. etiamconcomitãter in hoc ſacramento ſunt.

Hinc colligitur etiam Patrem & Spiritum ſanctum eſſe in hoc Sacramento concomitanter: ſed concomitantiâ mediatâ: quia ex vi connexionis cum diuinitate Verbi, & ipſo Verbo. Sicut enim Verbum diuinum eſt ibi peculiari modo ex vi cõnexionis cum Corpore Chriſti, quæ eſt concomitantia immediata: ita Pater & Spiritus ſanctus ſunt ibi peculiari modo ex connexione cum Verbo in diuinitate; quę eſt concomitantia mediata. Omnia tamen hæc ibi veriſſimè ſunt, & perfectiſſimè.

ARTICVLVS III.

Virum totus christus ſit ſub qualibet parte ſpecierum panis & vini?

10 Chriſtus eſt totus ſub qualibet particulâ poſt diuiſionẽ.

florentini

Trident.

Hilarius Papa.

REſpondeo breuiter, & Dico primò: Totus Chriſtus eſt ſub qualibet particulâ ſpecierũ panis, & vini, ſaltem poſt fractionem ſeu diuiſionem ipſarum. Eſt fide tenenda. Probatur ex concilio Florentino, *Sub quâlibet quoq; parte hoſtiæ cõſecratæ, & vini conſecrati, ſeparatione facta, totus eſt Chriſtus*. Concilium Trident. ſeſſ. 13. cap. 3. *Qua propter*, inquit, *veriſimum eſt, tantundem ſub alterutra ſpecie, atque ſub vtraq; contineri. Totus enim & integer chriſtus ſub panis ſpecie, & ſub quâuis ipſius ſpeciei parte: totus item ſub vini ſpecie, & ſub eius partibus exiſtit*. Can. 3. *Si quis negauerit, ſub ſingulis cuiuſque ſpeciei partibus, ſeparatione facta totum chriſtum contineri anathema ſit*. Idem docet Hilarius Papa apud Gratianũ de Conſecratione diſt. 2. Canone. *Vbi pars eſt corporis, ibi & totum. Eadem ratio eſt in Corpore Domini quæ in Manna, quod in eius figurâ præceſſit, de quo dicitur, qui plus collegerat, non habuit amplius: non enim eſt quantitas viſibilis in hoc æſtimanda myſterio, ſed virtus Sacramenti ſpiritalis*. Et ibidem Auguſtinus Canone *ſinguli autem totũ accipiunt chriſtum Dominum: & in ſingulis portionibus totus eſt; nec per ſingulos minuetur, ſed integrum ſe in ſingulis præbet*, Eucherius Lugdunenſis homil. 5. Paſchatis: *Corpus chriſti tantùm eſt in exiguo, quantũ eſſe conſtat in toto: quod cum Eccleſiâ fidelium ſumit; ſicut plenum eſt in vniuerſis, ita integrum in ſingulis*. Denique Auctor quidam Græcus apud D. Thomam in Catenâ Luc. 22. *Totum corpus & Sanguinẽ ſuſcipit, etiamſi myſteriorum partem accipiat. Nam ſicut vnum ſigillum diuerſis ſuam figuram impartitur, & integrum manet poſt diſtributionem: & ſicut vna vox penetrat ad multorum auditum: ſic nulli dubium ſit corpus & Sanguinem Domini in omnibus reperiri*. Vide Guitmondum lib. 1. de Euchariſtiâ, paginâ 2. & ſequentibus; vbi id docet ex ſimilitudine vocis, & animę rationalis.

Auguſtin.

Eucherius

Auctor Græcus.

guitmondus.

Ratio.

Ratio eſt, Quia Chriſtus eſt in hoc Sacramento per modum ſubſtantiæ ſpiritalis & inextenſę, ſicut anima in corpore: ac proinde neceſſario totus manet ſub ſingulis portiunculis, præſertim, cùm non deſinat ibi eſſe, quamdiu ſpecies ſaluæ conſiſtunt, ſeu quamdiu ſubſtantia panis non deſijſſet.

11 Chriſtus ante diuiſionem eſt ſub quâuis particula.

Negat Albertus.

Dico Secundò, Totus Chriſtus, etiam eſt ſub quauis particula ſpecierum, quantumuis exigua, antè diuiſionem. Eſt certa hæc propoſitio, licet nõ de fide, quia nõ eſt expreſſè definita. Contrarium tamen cenſendum eſt temerarium, & errori proximum. Colligitur ex Concilio Trident. ſeſſ. 13. cap. 3. vbi non meminit ſeparationis. Et tenent omnes Doctores, præter Albertum diſt. 13. art. 11. qui videtur ſentire Chriſtum eſſe ſub totâ hoſtiâ ante diuiſionem, non autem totum ſub ſingulis partibus: verùm diuiſâ hoſtiâ, ſubitò totum incipere eſſe ſub ſingulis particulis diuiſis.

A ſimili.

Sicut in ſpeculo integro vna tantum apparet imago; ſed eo facto tot apparent, quot ſunt fragmenta.

Probatur concluſio.

Sed Probatur Primò, Si non eſt totus ſub ſingulis partibus ante diuiſionem, ergo neque poſt Nam diuiſio ſola non poteſt eum conſtituere, vbi non erat; cùm ſit actio, quæ etiam à beſtia fieri poteſt. Neque valet illa ſimilitudo allata de ſpeculo: nam facto ſpeculo, etiam diuiditur reflexio radiorum; vnde pro vnâ magnâ imagine apparent multæ paruæ. At Chriſtus non diuiditur per diuiſionem hoſtiæ; nec eſt maior ſub magna hoſtia, quàm ſub parua.

Ab indecenti.

Probatur Secundò, Si non eſt totus in ſingulis particulis, ergo vnum membrum erit in hac parte, aliud in illa; v. g. Caput in ſuperiore, pedes in inferiore, ac proinde versâ hoſtiâ ſequetur indecens motus & ſitus Corporis Chriſti. Item diuisâ hoſtiâ pars à parte diſtrahetur: ſicut in omnibus fieri videmus, quæ partibus ſuis per aliud diffuſa ſunt.

Probatur Tertiò, Cùm partes hoſtiæ ſint homogeneæ, & eiuſdem rationis, nulla eſt ratio, cur potiùs caput ſit in hac parte, quàm in illa: ergo eſt in omnibus. Idem dicendum de pectore, pedib⁹, & ceteris. Ergo omnes partes Corporis Chriſti ſunt in ſingulis particulis hoſtiæ.

ex vi conuerſionis.

Probatur Quartò, allata ratione: Quia ex vi conuerſionis, Corpus Chriſti eſt vbicumque fuit aliquid ſubſtantiæ panis: nam tota ſubſtantia panis conuertitur in Corpus Chriſti: quare neceſſe eſt, vt corpus chriſti ſuccedat ſub omnibus particulis ſpecierum, ſub quibus antè erat ſubſtantia panis. Atqui ſubſtantia panis erat ſub minutiſſi-

ſeſſ. 13. cap. 3. Ocean. 2. docet ſub ſpecibus panis non ſolum eſſe Corpus Chriſti, ſed etiam Sanguinem, Animam, & Diuinitatem, idque, propter naturalem concomitantiam ſeu vnionem cum corpore: ergo cùm ſimiliter quantitas molis naturalem habeat vnionem cum Corpore Chriſti, (nam vel eſt ipſum corpus, vel accidens eius inſeparabile) neceſſariò debebit ibi eſſe. Secundò, Corpus Chriſti in Sacramento nunc eſt viuens & animatum: ergo ſuis organis, & neceſſarijs diſpoſitionibus diſtinctum; quæ diſtinctio, & diſpoſitio ſine quãtitate eſſe nequit. Sed maxima difficultas eſt, vt hoc mente concipiatur. Vnde

17 Eſt cum tota ſua mole in puncto.

Dico Tertiò, Molem Corporis Chriſti exiſtere in puncto, non per condenſationem, neque proprie per penetrationem partium mutuam; ſed per hoc, quòd omnes partes, diuinâ virtute, quaſi cõfluant in punctum, ſine penetratione, aut condẽſatione; ſed altiori modo.

Non tamẽ per Condenſationem.

Ac primum, quod condenſatio hîc locum non habet: Patet, quia poſtulat extenſionem. Condenſatio enim eſt, dum multum materiæ eſt ſub extenſione exigua. Deinde, condenſatio mutaret partes Corporis chriſti contra naturam. Nam cerebrum, v. g. fieret multò denſius, quàm patiatur naturalis diſpoſitio: ſimiliter ceterę partes, vt pulmo, &c.

Nec per Penetrationem.

Pari ratione nec penetratio hîc locum habet: Tum quia non poteſt eſſe ſine extenſione partiũ, quæ nullo modo hîc admitti poteſt, vt ſuprà oſtenſum eſt: Tùm quia vna replicatio penetraret alias infinitas in eãdem parte hoſtiæ: nam in ſingulis particulis hoſtiæ neceſſe eſt totum Corpus Chriſti reperiri. Tũ denique, quia concipi poteſt alius modus magis ſpiritalis, & dignus tanto myſterio: qui explicatur ac ſimilitudine. Sicut anima rationalis, etſi indiuiſibiliter exiſtat; tamen configurat ſe corpori humano per totum diffuſa, & etiam in extremitatibus exiſtens: tamen ſeparata confluit in punctum, retinens eandem configurationem veluti in radice. Ita diuinâ virtute corpus humanum poteſt, veluti confluere, & ſe contrahere in punctum, manente tota mole, ſeu quantitate, & partium diſtinctione. Simile eſſet, ſi lux penetrans corpus humanum, eiuſque figuram contrahens, per ſe exiſtens conſeruaretur: poſſet enim contrahi, & confluere in punctum, & rurſus in eandem figuram explicari. Et confirmatur; quia nihil eſt in corpore humano, quod diuinæ potentię ad hoc repugnet; vt patebit ex ſolutione argumentorum.

Sed modo quodam ſublimi, qui explicatur ſimilitudine.

18 Obiectiones hæreticorum ſolvuntur.

Contra Obijciunt hæretici. Primò, Ex Diuo Auguſtino epiſt. 57. ad Dardanum: *Spatia locorum tolle corporibus, & nuſquam erunt; & quia nuſquam erunt, non erunt.*

Reſpondeo; Loquitur Auguſtinus de corporibus, vt naturaliter exiſtunt; alioquin manifeſtè eſſet falſum: certum enim eſt, extra mundum non eſſe locorum ſpatia, & tamen Deus poſſet ibi corpora ponere, & conſeruare.

19 Obijciunt Secundò, De eſſentiâ quantitatis eſt eſſe extenſum, & habere partem extra partem, & partem diſtare à parte: ergo ſi in hoc puncto hoſtiæ eſt caput Chriſti v. g. non ſunt ibidem pedes; ac proinde non tota eius quantitas eſt ſub quantis particula.

De ratione quantitatis non eſt vt actu ſit extenſa.

Reſpondeo; Non eſſe de ratione quantitatis, vt actu extenſa ſit, aut actu partem extra partem habeat; ſicut nec de eſſentia accidentis eſt, vt actu ſit inhærens; vel ſubſtantiæ, vt actu per ſe ſit exiſtens; vt patet in humanitate Chriſti. Sed ſicut ſolùm aptitudo ad inhærendum, vel per ſe exiſtendum, eſt de eſſentia ipſorum; ita quoque de eſſentia quantitatis ſolùm eſt, vt habeat partes diſtinctas, & continuatas, quæ naturaliter aptę ſint & poſtulent eſſe extra ſe inuicem, & extenſæ.

Poteſt actualis extenſio à quantitate tolli.

Non igitur inactuali extenſione ratio quantitatis conſiſtit, ſed in potentiali. Poteſt itaque Deus actualem extenſionem tollere, tanquam accidentariam proprietatem quantitatis, ſeruatâ integrâ quantitatis eſſentiâ ſicut poteſt ab eâdem quantitate impenetrabilitatem tollere, & efficere vt inſtar ſpiritûs poſſit penetrari & penetrare: & ab accidente inhærentiam actualem; & à ſubſtantiâ, ſubſiſtentiam, ſeu modum ſubſiſtendi per ſe: quæ tamen non minùs ſunt ipſis intrinſeca, quàm extenſio actualis quantitati. Quod etiam confirmari poteſt ex Scriptura Matth. 19. vbi Dominus ait: *Deo poſſibile eſſe, vt camelus tranſeat per foramẽ acus*; vt paſſim docent Patres in hunc locum, ſcilicet Origenes, Hilarius, Hieronymus, & chryſoſtomus. Et D. Auguſtinus lib. 2. quæſtionum Euangelicarum q. 47. & lib. de Spiritu & littera cap. 1. hinc apertè dicit, id eſſe facilius, quàm vt dives retinens diuitias, intret in regnum cęlorum quod etſi naturæ viribus ſit impoſſibile, tamen quotidie per gratiam Dei fieri videmus.

Partes chriſti ſe inuicem non penetrant.

Poteſt igitur virtute diuinâ tota quantitas Corporis Chriſti in punctum colligi; ita vt pedes & caput in eodem puncto ſint. Rectè tamen dicuntur pedes eſſe extra caput; quia etſi ſimul ſint in puncto, non tamẽ proprie ſe inuicem penetrãt: nec ſunt ſibi immediata; nam medium corpus interuenit. Dices, ſaltem nulla eſt diſtantia inter partes, ſi ſimul ſint. Reſpondeo, Non eſt localis diſtantia; eſt tamen quædam diſtantia inter eas, quam vocant *quantitatiuam*; quæ conſiſtit in hoc, quòd partes inter ſe ordinem habeant, ita vt prima continuetur ſecundæ, & ſecunda tertiæ, & tertia quartæ; & ſic deinceps: caput enim continuatur collo, non pedibus; collum pectori, & ſic deinceps abſque vllâ confuſione. Vnde cùm inter caput & pedes tota moles media intercedat, dicuntur diſtare quantitatiuè, ſeu diſtantiâ intrinſecâ.

Et habent inter ſe diſtantiam.

Obijcitur Tertiò, Saltem Corpus Chriſti non habet in Euchariſtia ſuam naturalem figuram; 20 quia hęc intrinſecè requirit extenſionem partiũ. Figura enim naſcitur intrinſecè ex diuerſo partium ſitu.

Et figuram organicam

Reſpondeo, Non habet figuram illam ſitualem; ſed habet organicam, id eſt, eam, quæ naſcitur ex intrinſeca partium compoſitione: quæque enim pars organica habet ſuam intrinſecam molem, partium ex quibus componitur continuationem, dimenſionem, menſuram, & vnionem cum aliâ parte ſibi cõuenientem. Quod explicari poteſt, Primò; Exemplo cochleæ, quę aliam habet figuram ſitualem, dum expanſa progreditur: aliam dum ſe contrahit in globum, vel ſphæram: tamen retinet eandem organicam figuram: partes enim ſingulæ retinent ſuam intrinſecam ſtructuram. Secundò, Exemplo corporis humani: ſi fingamus illud habere diuinitus eam vim, vt inſtar ſpiritus poſſit ſe in punctum contrahere, manente intrinſecâ cuiuſque partis ſtructurâ, continuatione, & diſtinctione.

21

Obijcitur Quartò, Maius non poteſt contineri ſub minore: ergo &c. Reſpondeo: Id quod in ſe maius eſt, poteſt eſſe ſub minore, ſi accipiat aliũ modum exiſtendi: ſicut, ſi per penetrationem exteriora introrſum cedant. Aduerte tamen Corpus Chriſti, vt eſt in Euchariſtiâ, non eſſe propriè maius, vel minus quantitate hoſtię: quia eius quã-

Corpus Chriſti, vt hic eſt hoc

maius nec minus est quantitate hostiæ.

titas, vt est ibi, non est vllo modo quantitati hostiæ commensurabilis: nam est ibi per modum rei spiritalis.

Obijcitur Quintò, & vltimo; Res spiritalis non potest existere in corpore diuisibiliter: ergo res corporalis non potest existere indiuisibiliter.

Respondeo Negando Consequentiam: Spiritus enim non potest esse in corpore diuisibiliter, quia in se est indiuisibilis; ac proinde non potest per corpus diffundi secundùm partes, cùm nullas in se habeat. Corpus autem potest esse indiuisibiliter, quia etsi in se sit diuisibile, tamen partes eius possunt contrahi in punctum.

DVBIVM. I.

Vtrùm quantitas & cetera accidentia sint in Eucharistiâ concomitanter?

22 quantitas.

REspondeo & Dico Primò, Si quantitas est re distincta à re quantâ, est in Eucharistia cõcomitanter. Ita D. Thomas hîc, & passim Doctores dist. 10. Ratio est: quia transubstantiatio, quæ fit virtute verborum, non terminatur ad quantitatem; sed ad solam substantiam Corporis Christi: ergo quantitas, & alia accidentia, non sunt hîc ex vi verborum: ergo per concomitantiam. Confirmatur, Quia veritas verborum non postulat, nisi vt hîc sit substantia Corporis Christi, constans ossibus, neruis, carne, &c. Atqui substantia corporis humani non includit in suo conceptu accidentia; sed formas substantiales quibus vnumquodque organum constituitur: quamuis, vt conuenienter naturę suæ existat, accidentia requirantur.

Dixi, *Si quantitas est res distincta à substantiâ*: nam, si non distinguitur, est hîc ex vi verborum: sicut & ipsa corporis substantia.

23 accidentia corporea absoluta à loco.

Dico Secundò, Omnia etiam accidentia corporea, quæ Corpori Christi per se conueniunt sine ordine ad locum, sunt etiam in Eucharistiâ: & quidem concomitanter. Ita D. Thomas hîc & communis sententia Doctorum. Et colligitur ex Concilio Trident. sess. 13. cap. 3. Ratio est: quia hęc omnia sunt extra substãtiam Corporis Christi: ergo non sunt hîc ex vi verborum. Necessariã tamen connexionem habent cum illo corpore, ita vt corpus sine illis non sit perfectum, nec tamen à loco dependent: ergo debent ibi esse concomitanter. Itaq; hîc est claritas illius corporis, & impatibilitas, & subtilitas, & agilitas: & aliæ qualitates naturales & supernaturales. Figura tamen situalis, & extensio non est hîc, quia pendent ex commensuratione ad locum.

Dotes gloriosæ.

24 accidentia Animæ Christi perpetua.

Dico Tertiò, Omnes quoque animæ qualitates naturales & supernaturales, omnesque eius perpetuæ functiones sunt in Eucharistiâ, & quidem concomitanter: v. g. lumen gloriæ, visio beatifica, charitas, & cetera illius Animæ beatissimę dona. Ratio est: quia hęc omnia necessariam habent connexionem cum illa anima: & anima cum corpore: ergo & illa cum corpore habent necessariam connexionem.

25 Accidentia facilè mobilia,

De Accidentibus autem corporis, vel animæ quę facilè mutantur: vt sunt cogitationes volubiles, & volitiones, operationesque sensuum, probabile est, non esse in Eucharistia: quia nullam stabilem connexionem habent cum anima vel corpore, neque sunt necessaria ad eius perfectionem. Confirmatur: Quia alioqui fatendum erit assiduè in eucharistiâ fieri eas mutationes, quæ fiunt in corpore, vel anima Christi extra Sacramentum in cœlo: quod non est credibile. Probabile tamen valdè est, si quis Apostolorum in triduo mortis confecisset Eucharistiam, eamque seruasset vsque ad resurrectionem, Corpus Christi sub speciebus recepturum fuisse animam, & reliquas perfectiones naturales, & supernaturales, quas extra accipiebat. Ratio est: quia non conueniebat vt corpus illud in Eucharistiâ maneret mortuum, & imperfectum, quando in statu naturali viuens & perfectum erat. In triduo mortis.

DVBIVM. II.

Quomodo intelligendum sit, quod ait D. Thomas Quantitatem Corporis Christi existere sub singulis partibus hostiæ, eò quòd sit ibi concomitanter?

REspondeo, Omissa explicatione Caietani, quę benè refutatur à Scoto dist. 10. q. 1. Sensum D. Thomæ esse, quantitatem ibi esse, non propter seipsam, sed propter substantiam Corporis Christi, quam afficit: vnde oportere, vt accõmodetur ipsi corpori, & talem modum existendi habeat, qualem habet corpus: quare, cùm substantia corporis existat indiuisibiliter, oportere vt etiam quantitas similiter existat. 26 quantitas est in Eucha. propter substantiam corporis.

ARTICVLVS. V.

Vtrum Corpus Christi sit in hoc Sacramento, sicut in loco?

REspondetur Negatiuè. Ratio est; Quia Corpus Christi est sub speciebus, sicut substantia sub accidentibus, excepta informatione: atqui substantia non est sub accidentibus, tanquam in loco. Vide D. Thomam. 27

DVBIVM I.

An saltem respectu Spatij sit velut in loco? Spatium enim manet immobile dum transfertur Corpus Christi, sicut locus manet immobilis dum transfertur locatum.

REspondeo: Corpus Christi verè & propriè est in hoc spatio, in quo sunt species, eo modo, quo res spiritales sunt in loco: sicut Angelus est in spatio corporis assumpti, & anima rationalis in spatio corporis humani. Colligitur ex Concilio Trident. sess. 13. cap. 1. 28 Responsio est affirmans.

Probatur: Quia vt aliquid dicatur esse propriè hîc, vel ibi: non est necesse, vt loco coëxtendatur per partes, sicut corpora: sed potest esse totum in singulis loci partibus, & punctis: qui modus existendi hîc, vel ibi, est perfectior, quàm corporum: quia totam rem colligit in omnia puncta spatij. Et hoc modo Christi Corpus in Sacramento existens est in loco, adeò vt speciebus detractis possit diuinitùs conseruari in eâdem designatione vbi erat antè: non minùs, quàm Angelus, quando corpus assumptum euanuit, potest permanere in eodem loco.

DVBIVM. II.

Vtrùm sit hic Circumscriptiuè, an Definitiuè?

REspondeo, Propriè neutro modo: vt docet D. Thomas: sed nouo modo, qui est sine ex- 29 Christus hic est in

Digitized by Google

loco nouo modo, qui eſt ſine exemplo.

emplo. Non *Circumſcriptiuè* : quia per partes non coëxtenditur ſpatio, nec ſuperficies ambiens ei configuratur. Non etiam *Definitiuè* : quia non ita eſt hîc, quin ex vi huius modi exiſtendi poſſit ſimul eſſe alibi naturaliter ſine nouo miraculo : vt patet diuisá hoſtiâ, & in diuerſa tranſlatâ. Id autem, quod *Definitiuè* dicitur eſſe alicubi, ita debet ibi eſſe, vt naturaliter repugnet ei eſſe alibi, ex vi illius modi exiſtendi.

ARTICVLVS VI.

Vtrum chriſti corpus ſit mobiliter in hoc Sacramento?

30 Chriſtus ad motum ſpecierum mouetur.

REſpondeo, & Dico Primo, Corpus Chriſti in hoc Sacramento verè & propriè tranſfertur: ac proinde mouetur de loco in locum ad motum ſpecierum. Eſt certa. Nam Concilium Trident. ſeſſ. 17. cap. 6. definit: *Chriſtum vnigenitum Dei filium in proceſſionibus circumgeſtandum* : quæ circumgeſtatio non poteſt fieri ſine motu locali. Et ratio eſt, quia Corpus Chriſti eſt realiter connexum ſpeciebus: ergo dum ſpecies trãsferuntur de loco in locum, ſimul tranſit Corpus Chriſti de loco in locum. Vnde reijcienda eſt ſententia Durandi diſt. 10. q. 3. quam appro bat Caietanus hoc loco; ſcilicet Corpus Chriſti, nec per ſe, nec per accidens moueri ad motum hoſtiæ; ſed ſolùm dici moueri denominatione extrinſeca. Neque id sẽtit D. Thomas; nam vult Chriſtum moueri ſecũdùm eſſe, quod habet in Sacramento; quamuis ſecundùm eſſe, id eſt, ſecundùm modum eſſendi, quem habet in cælo, maneat immobilis: atqui eſſe, quod habet in Sacramento, eſt illi Corpori intrinſecum: ergo motus, quo mouetur ſecundùm illud eſſe, eſt illi intrinſecus. Deinde, ſi ſolùm diceretur moueri per denominationem extrinſecam, eò quòd ſpecies moueantur; etiam diceretur calefieri, frigefieri, quia ſpecies has mutationes ſubeunt : quod tamen D. Thomas non concedit. Nec obſtat, quòd dicat, *illud moueri per accidens* : quia id ſolùm eſt, non moueri per ſe primò; ſed ad motum ſpecierum; ſicut mouetur anima, dum quis transfert corpus: hinc tamen non ſequitur, animam non habere ibi motum intrinſecum.

Durandus & Caietanus negãt.

D. Thomas explicatur.

Dico Secundò, Corpus Chriſti in tali tranſlatione, ſeu motu, acquirit intrinſecum vbi nouum ſeu nouam præſentiam ad nouum ſpatium. Ita Scotus diſt. 6. q. 6. Gabriel lectione 47. & ſequitur ex priore propoſitione. Patet, Quando enim Euchariſtia defertur ad infirmum, incipit Corpus Chriſti realiter eſſe præſens infirmo, cùm anteà non eſſet præſens: ergo acquiſiuit nouam præſentiam. Neque verum eſt, illam præſentiam ſolùm eſſe in ſpeciebus: nam ipſummet Corpus Chriſti eſt realiter, & ſubſtantialiter præſens, non minùs quàm Angelus erat præſens, dum in corpore aſſumpto loquebatur Tobiæ.

31 Tranſlatione acquirit intrinſecum vbi nouũ.

Confirmatur; Quia Deus detractis ſpeciebus, poſſet conſeruare Corpus Chriſti in eodem loco; & tunc ipſum eſſet præſens, & non ſpecies. Similiter poſſet illud tunc mouere de loco in locum, tanquam rem ſpiritalem. Ergo ſecundùm ſe verè præſens eſt, & non tantùm ratione ſpecierum, per denominationem extrinſecam. Vt omittam, quòd hoc parum videatur differre à præſentia, quam ponunt hæretici. Eſſe enim præſens per ſymbolum ſeu figuram, eſt eſſe præſens extrinſecè.

DVBIVM I.

A quo moueatur Corpus Chriſti, dum mouentur ſpecies?

32 Corpus Chriſti mouetur ab eo qui mouet ſpecies.

QVidam volunt moueri à Deo: alij ab Anima Corporis Chriſti. Vide Scotum diſt. 10. quæſt. 6.

Reſpondeo; Corpus Chriſti moueri ad motum ſpecierum ab eo, qui mouet ſpecies. Ita D. Thomas, & communiter Doctores; eſtque certa. Probatur Primò, Nam de fide eſt, nos verè manducare Carnem, & bibere Sanguinem Domini: Matt. 26. Ioannis 6. 1. ad Corinth. 11. ergo nos mouemus Corpus, & Sanguinem Domini. Patet conſequentia: nam *manducare* & *bibere* duo requirũt: Primò, motum quendam localem rei quæ ſumitur: debet enim traijci ex ore in ſtomachum. Secundò, vt hic motus fiat à manducante vitaliter; id eſt, per potentias animæ: vnde ſi hæc traiectio fiat per alium, v. g. mediante fiſtulâ, non erit mãducatio. Vnde patet, Corpus Chriſti non moueri à ſolo Deo, aut à ſola Anima Domini: quia ſic traiectio non fieret à manducante. probatur Secundò Concilium Trident. definit. *Corpus Chriſti eſſe circumgeſtandum in ſupplicationibus*, à Sacerdote ſcilicet, non à Deo, vel Anima Chriſti. Probatur Tertio: Ratione, Quiá ſicut anteà ſubſtantia panis firmiter annexa erat ſpeciebus per naturalem vnionem cum ipſis, ſic vt nulla vis creata poſſet illas ſeparare manentes ſaluas: ita Corpus Chriſti, quod ſuccedit in locum panis firmiſſimè connectitur ſpeciebus, non mediante aliqua vnione formali, ſed mediante vnione effectiua; qualis eſt, qua magnes vnit ſibi ferrum: & ſimili modo ſpecies vniuntur Corpori Chriſti, ita vt ſit mutua vnio effectiua, ſicut inter panem & ſpecies erat mutua vnio formalis. Huius ſignum eſt, quòd Corpus Chriſti tam diu maneat, quamdiu ſaluæ ſunt ſpecies. Hęc igitur vnio & connexio mutua, cauſa eſt, cur motis ſpeciebus neceſſariò etiam moueatur Corpus Chriſti : ſicut, ſi moueas magnetem, neceſſariò etiam moues ferrum, quod magnes ſibi vniuit.

Concil. Trident.

Inter chriſtum & ſpecies eſt vnio effectiua hinc ipſe mouetur, ad motum earum

Notandum tamen eſt, Deum poſſe mouere Corpus Chriſti extra ſpecies; & illud rurſus ponere ſub ſpeciebus. Imò probabile eſt, Animam Chriſti per dotem agilitatis poſſe mouere Corpus ſuũ in Euchariſtia, etiam extra ſpecies; & rurſus ſpeciebus ſubintroducere, ceſſante illa vnione effectiua: & tunc Corpus Chriſti per ſe primò moueretur; quia motus ab ipſo inciperet, non à ſpeciebus. Idem credibile eſt poſſe Angelum. Vide Gabrielem lectione 45.

33 Poteſt moueri corpus chriſti extra ſpecies à Deo vel à ſua anima.

DVBIVM II.

Vtrùm mutatio facta in Corpore Chriſti, quatenus eſt in Euchariſtiâ, etiam fiat in illo, vt eſt in cælo; vel contra? Idem quæri poteſt de omni corpore exiſtente in duobus locis?

34 Negatur.

REſpondeo Negatiuè. Et quidem id manifeſtum eſt in motu locali : quia implicat, vt motus localis, quem Chriſti Corpus habet in Euchariſtia, ſit idem numero in cælo. Ratio eſt; quia præſentia, ſeu vbi, ad quod terminatur motus localis, eſt eſſentialiter immobilis : vnde eſſentialiter differt ab omni alia præſentia.

Sed maior difficultas eſt de motu alterationis :

Digitized by Google

vt de calefactione, frigefactione, &c.

35 Ex natura rei nec motus alterationis, nec termini earum transferri vel replicari poſſunt.

Verùm dicendum eſt, ex natura rei non transferri has mutationes, aut terminos earum, quidquid alij dixerint; ſed ſolùm ex diuino beneplacito.

Quòd non ex natura rei: Probatur, quià ſi corpus hic exiſtens & Romæ, calefiat hîc; non idcircò calefiet Romæ: ergo ex naturâ rei non transfertur hæc mutatio.

Primò. Antecedens patet: primò, Quia fieri poteſt, vt eo tempore, quo hîc calefit, Romæ applicetur cauſa refrigerans, quę ſine dubio inferet frigus.

Secundò. Secundò; Quia ignis hîc calefaciens, non poteſt calorem ſuum traijcere Romam: tùm quia locus ille eſt extra ambitũ virtutis eius; tùm quia nulla cauſa naturalis poteſt idem ponere duobus locis, etiam intra ſuum ambitum. Dices, ratione ſubiecti fieri vt ſit in duobus locis. Reſpondeo, Subiectum id non poſſe efficere: nam ſubiecti eſt ſolùm recipere calorem, non autem influere actiuè dando ei eſſe: ergo calor iſte non replicatur Romæ propter identitatem ſubiecti; ſed neceſſe eſt, vt à ſua causâ efficiente accipiat eſſe Romæ; quod tamen eius cauſa efficiens non poteſt dare.

Tertiò. Tertiò; Quia corpus, vt eſt hîc, nullam habet intrinſecam dependentiam à ſe, vt eſt Romæ: ergo non eſt neceſſe, vt qualitatem, quam hic accipit, etiam Romæ accipiat.

Quartò. Quartò, Quia præſentiam, ſitum, extenſionem ad locum, vel indiuiſibilitatem, quam habet in vno loco, non habet in altero; vt patet in myſterio Euchariſtiæ: ergo non eſt neceſſe, vt habeat illud accidens etiam in altero loco, quod habet in vno. Si dicas, Illa accidentia pendere à loco, & ideò non traijci in alium locum: Reſpondeo, ergo ex eo, quòd corpus hîc recipit accidentia, quæ vel non poſſunt traijci (vt eſt præſentia, & vbi;) vel non traijciuntur reipsà (vt extenſio, figura, ſitus;) colligimus etiam alia accidentia naturali virtute non traijci. Si enim, propter identitatẽ ſubiecti, accidens quod in eo hîc recipitur, neceſſariò deberet etiam alibi in eo recipi, omne accidẽs in eo receptũ deberet traijci; vel certè, ſi non poſſet traijci, etiam non poſſet in eo recipi.

36 Si tempore paſſionis fuiſſet ſeruata Euchariſtia, corpus Domini non fuiſſet alterandum in illa, aut lacerandum, ſed prorſus illæſum permanſurum etiamſi in forma naturali alteraretur & læderetur: & conſequenter nec animam ſeparandam ibidem fuiſſe.

Hinc ſequitur, Si tempore paſſionis fuiſſet ſeruata Euchariſtia, corpus Domini non fuiſſe alterandum in illa, aut lacerandum, ſed prorſus illæſum permanſurum etiamſi in forma naturali alteraretur & læderetur: & conſequenter nec animam ſeparandam ibidem fuiſſe.

37 Actus vitales non replicãtur neceſſariò ad replicationem ſubiecti.

Super eſt de actibus vitalibus: quos quidam exiſtimant neceſſariò traijci, propter ſympathiam, quam habet anima vt eſt in vno loco, ad ſeipſam, vt eſt in alio.

Sed contrarium eſt probabilius. Ratio eſt, Primò, Quia nulla eſt dependentia intrinſeca inter hominem, vt eſt hîc, & vt eſt alibi. Similiter nec inter animam vt hîc, & vt eſt alibi, quando vtrobique omnino perfectam & adæquatã præſentiã habet. Ergo nulla eſt ratio, cur ſit neceſſe actum vitalem, qui hîc fit, etiam ibi fieri: vt ſi hîc videas Petrum, etiam eundem videas Romæ.

Secundò, quia hic actus non traijcitur ratione receptionis; ſcilicet quòd recipiatur in ſubiecto duobus in locis conſtituto; vt patet ex dictis. Neque etiam ratione effectionis; eò quòd efficiatur à causâ in duobus locis conſtitutâ. Nam quod hîc operatur, non neceſſariò operatur alibi: Si enim Dominus loquatur in cælo, non opus eſt illum loqui in Euchariſtia; vt omnes fatentur. Neque etiam ratione ſympathię; quia inter animã, vt eſt hîc adæquatè & perfectè, & vt eſt alibi, nulla eſt ſympathia; cùm ſympathia requirat dependentiam. Adde, ſympathiam non efficere, vt eadem numero actio traijciatur, ſed vt noua reſultet: vt patet, dum quis læditur in pede. Idem enim dolor non eſt in capite, ſed alius reſultat.

Dices, Ergo fieri poteſt, vt quis in vno loco peccet, & in altero mereatur: ac proinde, vt hîc ſaluetur, ibi damnetur.

An quis poſſet hic damnari, & alibi ſaluari. Reſpondeo, Si loquamur de potentiâ Dei abſolutâ, concedo totum. Tamen, quia id non eſt conſentaneum rerum naturis, ideò, poſitâ tali replicatione in homine viatore, credibile eſt Deum tali prouidentiâ eum gubernaturum, vt eundem ſtatum conſequatur.

DVBIVM III.

Vtrùm corpus Chriſti, vt eſt in Euchariſtia, poſſit à cauſis naturalibus immutari alia mutatione, quàm motu locali?

38 Affirmant nominales

REſpondeo, Non poſſe: quidquid dicãt Nominales. Ita D. Thomas, & communior ſententia Doctorum. Vide Scotum diſt. 10. q. 9. Patet diſcurrendo per omnia genera mutationu. Non enim poteſt generari à cauſa naturali, cùm iam exiſtat; nec corrũpi, cùm ſit incorruptibile. Sed etſi in propria ſpecie mortale eſſet, vt erat in vltima cœna, tamen in Euchariſtia corrumpi naturaliter nequiret. Ratio eſt; quia cauſæ naturales non poſſent illud alterare qualitatibus corruptiuis, quibus naturale temperamentum euertitur: corruptio autem ex alteratione naſcitur. Probatur Prior pars; Quia vt qualitas aliqua recipiatur in corpore Chriſti ſub Euchariſtia, neceſſe eſt vt ipſa accipiat modum exiſtendi indiuiſibiliter, & in ſeipſa replicetur; qui modus eſt valdè ſupernaturalis, vnde à nulla cauſa naturali fieri poteſt. Quare nulla cauſa naturalis poteſt illi aliquam qualitatem imprimere; ac proinde nec poteſt illud corrumpere. Hinc etiam fit, vt partes Chriſti, etſi ſimul ſint, nec diſtent loco; tamen non poſſint in ſe viciſſim agere, ſicut fit in nobis. Ex quo ſequitur illud corpus non poſſe etiam decreſcere, vel accreſcere. Decretio enim ſeu imminutio corporis, fit ex eo, quòd aliquæ particulæ ab alijs vi caloris conſumantur in auras. Accretio verò ex applicatione alimenti & diſtributione per membra, eiuſque poſt multas alterationes aſſimilatione.

Veriùs negatur.

Nulla cauſa naturalis poteſt hic agere in corpus Chriſti.

Neque etiã partes corporis in ſe inuicem.

39 Nominales putant corpus Chriſti poſſe immutare corpora circũſtantia.

Vtrùm autem Chriſti corpus poſſit corpora circumſtantia immutare, non eſt ita certum. Nominales affirmant; ſed ob meritum fidei dicunt hanc actionem impediri.

Veriùs negatur.

Verùm contrarium eſt probabilius, & tenet D. Tho. cum alijs. Ratio eſt, Quia ſicut corpus & corporales qualitates non poſſunt exiſtere naturaliter, niſi extenſa; ita credibile eſt non poſſe agere naturaliter, niſi extenſa: modus enim agendi, ſequitur modum exiſtendi. Confirmatur; quia effectus harum qualitatum naturaliter poſtulat extenſionem: non enim poteſt calor produci, niſi in re diuiſibili: ergo & ipſa cauſa debet habere extenſionem, vt naturaliter poſſit agere. Patet conſequentia: Quia cùm ſit cauſa vniuoca, effectus non habet altiorem modum exiſtendi in ipſa, quàm in paſſo.

gitized by Google

DVBIVM IV.

Quomodo Corpus Chriſti deſinat eſſe in Euchariſtia?

40 Non aſcēdit localiter in cælum.

REſpondeo,& Dico Primò, non deſinere ibi eſſe per motum localem,quo,corruptis ſpeciebus adſcendat in cælum. Eſt contra quoſdam Theologos huius ætatis.

Probatur Primò, Quia ſic Corpus Chriſti haberet modum exiſtendi ſpiritalem & indiuiſibilem extra Sacramentum, ſcilicet in aëre, & in cælo: quod eſt prorſus inauditum,& implicitè eſt contra doctrinam Eccleſiæ; quę dum docet corpus Chriſti ſic eſſe in Euchariſtiâ,implicitè negat illud ſic eſſe alibi. Dogmata enim fidei, quæ aliquid peculiare affirmant,habēt vim excluſiuam. Vt cùm fides docet Filium aſſumpſiſſe naturam humanam, implicitè inſinuat Patrem, aut Spiritum ſanctum non aſſumpſiſſe. Sic cùm docet tres eſſe perſonas diuinas, inſinuat non eſſe plures. Ergo pari modo cùm docet Chriſtum in Euchariſtiâ eſſe ſpiritali, inuiſibili,& indiuiſibili modo; inſinuat eum ſic non eſſe alibi. Secundò, Quia in cęlo tot eſſent replicationes Corporis Chriſti, quot ab initio fuerunt conſecrationes, eæque in dies augerentur. Tertiò, Chriſtus quotidie adſcenderet in cęlum,ſicut olim ſemel adſcendit.

41 Nec deſinit hic eſſe per ſolam mutationē factam in ſpeciebus.

Denique,ille modus exiſtendi,non eſt conueniēs functionibus humanæ naturæ:ergo non debet extra Euchariſtiam, ob quam ſolam inſtitutus eſt conſeruari.

Dico Secundò, Corpus Chriſti non deſinit ibi eſſe per ſolam mutationem factā in ſpeciebus. Eſt contra Caietanum hoc loco. Probatur,Quia corpus habebat hîc veram præſentiam,& ſibi intrinſecam, quam corruptis ſpeciebus amittit: ergo non deſinit hîc eſſe per ſolam extrinſecam denominationem, ſed amittit intrinſecam præſentiā, ſeu intrinſecum vbi.

Obiectio.

Dices,Deus deſinit eſſe in creatura per mutationem ſolius creaturæ:ergo ſimiliter dici poterit de Corpore Chriſti.

Reſpondeo,Deſinente creatura,deſinit quidem Deus eſſe in illa,nō tamen deſinit eſſe in illo ſpatio,in quo erat creatura,ſed ſemper manet præſēs ibi,ſicut antè,ac proinde non immutatur. Quòd ſi deſineret eſſe in eodem ſpatio,verè immutaretur. Quare ne faciamus mutabilem, ponimus immenſum. Secùs eſt de Corpore Chriſti,quod non manet præſens eidem ſpatio corruptis ſpeciebus.

Solutio.

42 Amittit modum exiſtendi indiuiſibiliter.

Dico Tertiò,Corpus Chriſti non ſolùm amittit præſentiam ad hoc ſpatium,ſed etiam abſolutè modum exiſtendi indiuiſibiliter. Patet, Quia nuſquam retinet hunc modum, ſpeciebus ſacramentalibus deſitis.

43 Definithic eſſe per ſubtractionem influxus diuini.

Dico Quartò, Chriſtus videtur deſinere eſſe in Euchariſtia per ſubtractionem influxus,& dependentię,qua diuinitus ibi fuit poſitus. Probatur, Quia non retinet duas dependentias ſubſtātiales, duaſue replicationes, vt dictum eſt: ergo deſinit ſecundùm alteram:nōn ſecundùmeam,quam habet in cęlo,(nam illa non terminatur ad Corpus Chriſti,vt eſt in Euchariſtia:) ergo ſecundùm eā quâ ponitur in Euchariſtia.

Dices: Ergo ſi Chriſtus non haberet modum eſſendi naturalem,deſineret in nihilum.

Reſpondeo,Poſita tali hypotheſi, conueniret non deſinere in nihilum, ſed alibi conſeruari ſecundùm illum modum exiſtendi. Si quis tamen ſupponat ita deſinere,vt nunc deſinit,& non habere alibi eſſe,poteſtconcedere deſiturum in nihilum:ſicuti per actionem transſubſtantiationis, ſi alibi non eſſet,quodammodò ex nihilo crearetur. Neque mirum eſt, ex mira hypotheſi mira ſequi.

ARTICVLVS VII.

Virum corpus chriſti prout eſt in hoc Sacramento,poſſit videri ab aliquo oculo,ſaltem glorificato?

REſpondeo,Non poſſe videri oculo corporali vt eſt in hoc Sacramento.Eſt communis ſententia Doctorum diſt. 10. exceptis Nominalibus.

44 Nō poteſt hic videri oculo corporali.

Probatur Primò,Ratione D. Thomę:Quia corpus viſibile debet immutare medium per ſua accidentia aut qualitates diffundendo ſpecies viſibiles:ſed qualitates Corporis Chriſti non poſſunt immutare medium: ergo hoc Corpus non poteſt videri naturaliter. Maior patet. Probatur minor, Quia qualitates Corporis Chriſti ſunt hîc mediāte ſubſtantiâ,ſcilicet mediante Corpore Chriſti, ac proinde indiuiſibiliter: vnde non habent per ſe habitudinem ad ſpecies panis, vel ad corpus circumſtans;id eſt; non coëxtenduntur ſpeciebus panis vel ſpatij:ergo non poſſunt ſpecies viſibiles diffundere.

Secundò,Quia accidentia Corporis Chriſti ſunt hîc per modum ſubſtantiæ;id eſt,ſecundùm eum modum, qui conuenit ſubſtantiæ per ſe,vt præſcindit ab accidentibus ſenſibilibus: atqui ſubſtantia per ſe non eſt viſibilis, aut imaginabilis: ergo nec accidentia,vt ſunt in Euchariſtiâ.

45 Nc quidē ſupernaturaliter.

Quæ ratio etiam probare videtur,nec ſupernaturaliter quidem videri poſſe. Nam oculus corporeus nō poteſt eleuari in ſua operatione advidendam ſubſtantiam rei in ſe, vt præſcindit ab accidentibus ſenſibilibus. Quod confirmatur; quia corpus chriſti non poteſt videri ab oculo intuitiuè,ſine modo illo,ſub quo exiſtit:atqui hic modus penitus eſt inuiſibilis,vt pote extra rationem obiecti ſenſibilis;ſicuti ſonus videri non poteſt: ergo & corpus chriſti affectum hoc modo, eſt penit. inuiſibile. Maior probatur, quia ſicut non poteſt videri corpus,quod eſt extenſum,niſi videatur illa extenſio; ita etiam non poteſt videri in extenſum,ſeu collectum in ſtatum indiuiſibilē, niſi ille ſtatus & modus videatur,viſio enim fertur in rē, prout eſt in ſe: nec poteſt eam abſtrahere à ſuo modo abſoluto,qui illam immediatè afficit. Cōfirmatur,Nō poteſt videri niſi in certo ſpatio vel diuiſibili vel indiuiſibili:ergo non poteſt videri, niſi cum illo modo,quem habet in ſpatio. Quare ſicuti ſubſtantia ſpoliata colore & luce, non eſt viſibilis;ita etiam color & lux ſpoliata extenſione,non ſunt vllo modo viſibilia.

46 Nec ſeipſum hic videt corpore oculo.

Dices Primò,D. Them. ad 2. ait,Oculum chriſti videre ſeipſum ſubSacramento exiſtentem;tamē nō videre modum exiſtendi. Reſpōdeo, Ob hoc argumentum Thomiſtę paſſim exiſtimant oculū chriſti videre ſeipſum,quatenus eſt in hoc Sacramento. Sed contrà;Si oculus chriſti poteſt ſeipsū videre,vt eſt in Euchariſtia, cur non etiam oculi Beatorū?nec enim ſpecies impediunt:quia nō ſolùm interiùs latet,ſed etiā eſt in ſuperficie. Vnde fortaſſe D. Th. ſolùm vult dicere,oculumchriſti, vt eſt in hoc Sacramento,videre ſeipſum,nō vteſt in Sacramento:ſed vt eſt in cęlo:ita vt oculus videns, & viſio ſit in Sacramento, res viſa in cęlo. Quia probabile eſt, per concomitantiam viſionē

ſui, quam habet de ſe in cælo, eſſe in Sacramento.

Dices Secundò, Si lux vel color contraheretur in punctum, & tunc cõtinuè multiplicaretur per replicationem ſui in aliquo ſubiecto vel ſpatio, haberet rationem continui: ergo poſſet videri: atqui ſic ſit in hoc Sacramento: ergo &c. Reſpõdeo, Non haberet rationem continui materialis, & quantitatiui, quod per partes diffunditur; ſed ſpiritalis, quod per ſe totum diffunditur, ita vt totum ſit in ſingulis punctis: vnde nõ eſſet viſibilis.

DVBIVM I.

An ſaltem intellectu poſſit conſpici hoc Corpus & quomodo?

47 Chriſtus hic videtur à beatis ſupernaturaliter.

REſpondeo, & Dico Primò, Dubitandum non eſt, quin lumine ſupernaturali, tùm in diuinâ eſſentiâ per cognitionem matutinam; tùm extra per cognitionem veſpertinam, poſſit hoc Corpus cum ſuo modo exiſtendi intuitiue cerni.

48 Dico Secundò, Etſi lumine naturali non poſſit hic modus exiſtendi perfectè cognoſci ab Angelo; probabile tamen eſt, poſſe ipſum corpus Chriſti cerni ab illo in Euchariſtia.

Prior pars, Eſt D. Thomæ & communis ſententia Doctorum: quia hic modus exiſtendi Corporis Chriſti, in ſua ratione eſt omnino ſupernaturalis; ac proinde ſupra naturalem cognitionem Angelicam. Poteſt tamẽ hic modus imperfectè cognoſci ex analogia eius modi, quo exiſtunt res ſpirituales; qui modus Angelo ſatis perſpectus eſt.

49 Et naturaliter cognoſcitur ab Angelis.

Altera pars eſt Scoti d. 10. q. 8. Occami, & Gabrielis lect. 45. pro qua aliquot rationes adfert Scotus. Probatur Primò, Quia Angelus naturaliter faciſe videt ibi non eſſe ſubſtantiam panis; & accidentia ſine ſubiecto conſeruari; vnde facilè colligit ibi eſſe Corpus Chriſti. Sed hæc ratio ſolùm probat, illud coniecturâ cognoſci, ſuppoſita generali fide, vel cognitione huius myſterij; non autem cognoſci intuitiuè. Vnde Probatur Secundò: corpus chriſti eſt quiddam naturaliter ab Angelo intelligbiile: Neque hoc tollitur per illum modum indiuiſibilem exiſtendi; nam hic modus eſt illi corpori accidentarius, & quaſi ſuperueniẽs illius ſubſtantiæ; vnde non poteſt auferre id, quod priùs naturâ, & per ſe, corpori conuenit. Neque indiuiſibilitas impedit; quia hic modus exiſtendi non repugnat obiecto intellectûs Angelici, ſicut repugnat obiecto ſenſûs. Neque etiam neceſſe eſt illum modum intuitiuè cognoſci; ſatis eſt cognoſci per analogiam alterius modi naturalis.

Et dæmonibus.

Ex his ſequitur, etiam Dæmones Chriſti præſentiâ in Euchariſtia naturaliter poſſe cognoſcere. Sed ex hoc adſpectu nõ accipiunt aliquam voluptatem, ſed ſummum horrorem, ſicut reus ex præſentia Iudicis.

DVBIVM. II.

Vtrùm Chriſtus poſſit videre in Sacramento oculo corporali ea quæ circumſtant hoſtiam; vel alias operationes ſenſuum, aut intellectus habere?

50 Chriſtus hic naturaliter non poteſt vti ſenſibus.

REſpondeo, & Dico Primò, Naturaliter non poteſt vti ſenſibus exterioribus, vel interioribus in Euchariſtia. Ratio eſt, Quia ad hoc requiritur inſtrumentorum extenſio certaque conformatio, & ſpirituum animalium cooperatio.

Dico Secundò, Ob eandem cauſam non poteſt naturaliter intelligere cum conuerſione ad phantaſmata; id eſt, cooperante phantaſiâ.

Poteſt naturaliter intelligere abſque conuerſione ad phantaſmata.

Dico Tertiò, Videtur tamen naturaliter poſſe elicere actus intellectûs nõ dependentes vllo modo ab vſu phantaſiæ. Ratio eſt, Quia hi ſunt merè ſpiritales, nec dependent à corporali figurâ, vel conformatione inſtrumentorum; modus enim ille exiſtendi indiuiſibiliter, eſt illis actibus naturalis. Idem dicendum de actibus voluntatis. Dices, Vis creata non poteſt vllum actum vel effectum replicare infinities, ſic vt illæ replicationes ſint naturaliter ſeparabiles. Reſpondeo, verum eſt: Vndè hæc intellectio non poterit elici naturaliter ſub omnibus punctis hoſtiæ, ſicuti Corpus Chriſti & Anima ſub omnibus punctis ponitur; ſed ſub aliquo puncto vel particulâ, vbi Chriſto placuerit.

51 Et diuinitus videre & audire Sacerdotem, &c

Dico Quartò, Valdè probabile eſt, Chriſtum in Euchariſtia virtute diuina oculo corporali videre Sacerdotem, & alios præſẽtes; audire eius vocem; & reliqua. Probatur Primò, Quia cùm Dominus per hoc Sacramentum nobiſcum habitet corporaliter; omnino decebat, vt haberet aliquod nobiſcum corporale commercium per ſenſus corporales, neque ibi eſſet modo ſtupido, & mortuo. Secundò, Quia Deo id facillimum eſt, vel dando ſpecies indiuiſibiles Chriſti oculo; vel ſingulari modo concurrendo cum oculo, vt etiam ſine ſpeciebus, & ſpiritibus animalibus videat.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum, quando in hoc Sacramento miraculoſè apparet caro, vel puer, ſit ibi corpus chriſti?

52 Duplex modus quo chriſtus in S. euchariſtia apparet.

D. Thomas ponit hîc duos modos, quibus tale quid poteſt apparere. Circa quę:

Vt puer.

Notandum Primò, Interdum fieri poſſe, vt Dominus in propria, & ſibi intrinſeca figura appareat; vt docet Gabriel lectione 51. citans etiam Alexandrum Alenſem. Nam exhibuit ſe aliquãdo ob ſingularem deuotionem ſeruorum ſuorum in forma pulcherrimi pueri, & permiſit ſe amplecti, & exoſculari: vt refert Paſchaſius lib. de corpore Domini cap. 14. de quodam Sacerdote, qui id à Domino impetrauit; cuius precibus rurſus in priſtinam Sacramenti formam eſt immutatus. Credibile tamẽ eſt id eſſe perrarum: & frequẽtiùs fieri (vt Docet D. Thomas) vel ſolâ oculorum immutatione, vel circumpoſitione figuræ humanæ circa Euchariſtiam. Nõ tamen vrget quod hîc obijcit D. Thomas contra priorem modum, ſcilicet chriſtum nõ poſſe in propria ſpecie videri, niſi in vno loco: hoc enim ſuprà q. 75 a. 1. n. 25. refutatum eſt; & patet ex apparitione, quæ facta eſt Paulo in viâ, vbi Dominus Paulo in propria & intrinſeca ſpecie apparuit, etſi etiam ſecundùm eãdem ſpeciem eſſet in cælo.

53 Idem duplex modus quo hoſtia videtur verſa in carnem vel ſanguinẽ.

Notandum Secundò, Quando hoſtia videtur verſa in carnem, vel ſpecies vini in Sanguinem; dupliciter id fieri poteſt, iuxta D. Thomam. Primò, Sine vlla intrinſeca mutatione ſpecierũ, per ſolam immutationem oculorum, vel aëris; & tunc ſine dubio manet chriſti corp⁹ ſub ſpeciebus: quomodo credendum eſt fieri, quando hęc ſpecies parum durat. Secundò, Si Deus mutet ipſas ſpecies ſacramentales, inductis quibuſdam qualitatibus ſenſibilibus carnis vel ſanguinis; v. g. colore, vel ſpiſſitudine, conſeruatâ quantitate, & alijs accidentibus occultioribus, quę ſufficerent ad cõſeruandam panis, & vini ſubſtantiam; & tunc etiam ſub tali ſpecie carnis, & ſanguinis, manet chriſtus

ſacramentaliter.

54 quando mutantur ſpecies in Sacramẽtales, ordinariè non eſt ibi caro chriſti naturalis in ſpecie naturali.

Quòd ſi tamen eſſet ſpecierum mutatio, vt ſubſtantia panis, aut vini requiret cõſeruari (vt ſi totum temperamentum intrinſecũ mutaretur) tũc non maneret ibi corpus chriſti Sacramentaliter. Gabriel tamen & Alex. Alenſis exiſtimant, quãdo diuinitus mutantur ſpecies ſacramentales, verè poni ibi carnem Chriſti naturalẽ in ſpecie naturali. Verùm, etſi hic modus Deo ſit poſſibilis, credibile tamen non videtur, quòd eo vtatur, ſaltem ordinariè, vt illi putant. Primò. Quia interdum iſta ſpecies carnis & ſanguinis diu perſeuerat, & ſenſim nigreſſit, & corrumpitur; vt patet in multis locis: Corpus autẽ Domini & Sanguis eſt incorruptibilis. Secundò, Quia vbicumque eſt Corpus Domini, ibi etiam eſt Sanguis, & Anima, iuxta Concilium Trid. ſeſſ. 13. c. 3. nam partes Domini nunquã ampliùs ſeparabũtur. Atqui non eſt probabile in illa portiuncula carnis, tot annis manere Sanguinem eius & Animam. Tertiò, Quia non eſt credibile, quando Sanguis miraculoſe manat ex hoſtiâ, eſſe Sanguinẽ Domini in propria ſpecie. Nam ſanguis Domini non poteſt eſſe extra venas, & manere extra corpus; vt patet ex Concil. Trid. Eſt ergo quiddã miraculo efformatum; ad ſignificandum, ibi latere corpus viuum habens ſanguinem.

Concil. Trident.

Notandum Tertiò. Si Sacerdos non abhorreret, poſſet illam ſpeciem, quæ in carnem verſa videtur, ſumere in ſacrificio; quia nullum eſt præceptum, quod prohibeat; & pertinet illa ſumptio ad ſacrificij complementum. Melius tamen exiſtimatur, vt ad fidelium conſolationem, Chriſtique laudem conſeruetur. Quod cùm ſit, non eſt opus aliam hoſtiam, vel aliud vinum conſecrare: tùm quia id non eſſet complere ſacrificium inchoatum, ſed nouum inſtituere: tùm quia Summus Sacerdos Chriſtus cenſetur tunc diſpenſare, ne ſacrificium debeat conſumi.

55 An ſic mutata ſpecies poſſit ſumi.

An debeat fieri noua conſecratio.

QVÆSTIO LXXVII.

De Accidentibus remanentibus in Sacramento.

In Octo Articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Vtrum Accidentia remaneant ſine ſubiecto in hoc Sacramento?

1 De fide eſt accidẽtia remanere ſine ſubiecto.

REſpondetur: Accidentia panis & vini poſt conſecrationem remanent ſine ſubiecto. Intellige, de tota collectione. Et ſic eſt fide tenendũ. Probatur Primò, ex Cõcilio Conſtantienſi ſeſſ. 8. vbi damnatur iſte articulus Vvicleffi: *Accidentia panis non manẽt ſine ſubiecto.* Itẽ ex Concil. Lateranẽſi magno ſub Innocẽtio III. Florentino, & Tridentino ſuprà q. 75. a. 2. n. 32. citatis. Idem docet Cyprianus ſerm. de cœnâ domini: *Panis iſte non eſt ſpgic, ſed naturâ mutatus; omnipotentiâ Verbi factus eſt caro.* Cyrillus Hieroſolym. *ſub ſpecie panis datur tibi Corpus; ſub ſpecie vini datur tibi ſanguis.* Vide Ambroſiũ, Gregoriũ, Cyrillum Alexandrinũ, & alios ſuprà q. 75. a. 2. n. 33. citatos. Docent enim cõmuniter Patres, chriſti corpus, & Sanguinem nobis exhiberi ſub ſpecie panis & vini, ſubſtantiâ illorum mutatâ.

Cyprian.

Cyrillus Ieroſolym

Probatur Secundò, Fide tenendum eſt, ſubſtãtiam panis & vini deſinere, & accidẽtia remanere: ergo remanẽt ſine ſubiecto. Non enim inexiſtũt corpori Chriſti, vt etiam fides docet; alioqui corpus Chriſti eſſet album, rotundum, liquidum, fragile, atque adeò paſſibile: imò nec poſſunt illi inexiſtere, quia exiſtunt diuiſibiliter; Chriſti autem Corpus exiſtit indiuiſibiliter. Neque etiam inexiſtunt aëri, vt rectè probat D. Thomas.

Probatur idem ratione.

Neque verum eſt, accidentia indiuiduari à ſubiecto, niſi vt à cauſa extrinſeca, & potiùs *in fieri* quàm *in facto eſſe*: nam intrinſecè indiuidua ſunt per ſuam intrinſecam differentiã indiuidualem.

An accidẽtia indiuiduentur à ſubiecto.

DVBIVM. I.

Quomodo poſſit fieri, vt accidens ſit ſine ſubiecto, cùm accidentis eſſe ſit ineſſe: & accidens omne debeat indiuiduari à ſubiecto?

2 Accidentia poſſe eſſe ſine omni ſubiecto.

REſpondeo, Thomas Vvaldenſis tom. 2. c. 76. adfert multa teſtimonia veterum Philoſophorum, qui cenſebant accidens poſſe eſſe ſine omni ſubiecto. Inter SS. Patres Baſilius hom. 2. & 6. Hexameron docet lucem illam, quæ fuit creata primo die, fuiſſe abſque ſubiecto & vehiculo, vſque ad diem quartum, quando conditũ eſt corpus ſolare, in quo lucẽ illã putat fuiſſe repoſitam: triduo autem præcedente, effeciſſe diem radiorũ emiſſione, noctem verò eorũdem retractione. Baſilium ſequitur Procopius Gazæus in 1. c. Gen. & Damaſ. lib. 2. de Fide c. 7. Hęc opinio, etſi vera non ſit, non tamen eſt impoſſibilis, vt, quæ à clariſſimis ingenijs aſſerta ſit. *Sicut enim*, (vt rectè Baſilius hom. 6.) *aliud eſt albedo, aliud corpus, quod per illam fit album; ſic aliud eſt lux, aliud corpus lucidum: & quãuis nos*, inquit, *ea ſeparare non poſſimus, niſi cogitatione, Deus tamen reipſa illa ſeparare poteſt.* Ratio eſt, Quia actu inexiſtere non eſt de ratione formæ accidentariæ; ſed eſt tãtummodò modus quidã illius neceſſarius, vt cõuenienter naturæ ſuæ exiſtat, & ſubiectum perficiat. Quod confirmatur; quia hę formę à Deo inſtitutę ſunt, vt perficiant & exornent ſubſtantias creatas, quæ ſecundùm ſe alioqui imperfectæ ſunt & informes: ergo habent propriam & diſtinctam entitatem, & perfectionem: ergo vnio cum ſubſtantia non eſt de eſſentia illarum; ſed ſolũmodò quædam illarũ modificatio in modo exiſtendi. Nunquam enim de eſſentia rei abſolutè, poteſt eſſe vnio ad aliquid extrinſecum. De quo vide Scotum diſt. 12. quæſt. 1.

Ieſte, & Philoſophi & SS. Patres ſẽſerunt.

DVBIVM. II.

Vtrùm, vt accidens per ſe exiſtat, debeat illi addi aliquis modus poſitivus, qui ſit veluti ſubſiſtentia per ſe?

3 Caietanus hanc modã admittit.

CAietanus hoc loco affirmat, docetque hũc modum tribuere quantitati vim ſubſtãtię, & materiæ primę; ita vt per eum fiat vice-materia & vice-ſubſtãtia; poſſitque ſubire munus ma-

Digitized by Google

teriæ & ſubſtantiæ in excipiendis, & ſuſtentãdis alijs accidentibus. Alij admittunt quidem modũ poſitiuum, non tamen tribuunt ei omnia quæ Caietanus, ſed ſolùm, quòd faciat accidens per ſe exiſtere.

4 Probabili' negatur.

Reſpondeo, & Dico primò, Probabilius eſt nullum modum, vel entitatem poſitiuã requiri, vt accidens per ſe ſubſiſtat. Ita Scotus diſt. 12. q. 1. & Dominicus Soto diſt. 10. quæſt. 2. art. 2. & inſinuat D. Thomas hoc loco.

Probatur Primò, Quia hic modus, ſeu hæc entitas, vel eſt ſubſtãtia vel accidẽs. Non eſt ſubſtantia; tum quiã in Euchariſtiã nulla eſt ſubſtãtia prẽter corpus chriſti; tum quia, ſi eſſet ſubſtãtia deberet eſſe ſubiectũ accidentiũ; & ſic accidẽtia nõ eſsẽt ibi ſine ſubiecto; quod eſt cõtra fidẽ, vt patet ex dictis. Non etiam eſt accidens; quia nihil iuuaret alia accidentia ad exiſtẽdum per ſe: nam ipsũmet egeret alio modo ad ſic exiſtendũ; & iſte rurſus alio, ſicque in infinitum. Si dicas, Eſſe modum accidẽtalem oppoſitum inhęrentiæ actuali accidentis. Contrà: Quia hîc modus nihil iuuaret, cùm ſit res maximè imbecillis, tota pẽdens ab ipſa accidentis ſubſtantia.

Probatur Secundò, Quia anima rationalis, dum ſeparatur à corpore, non accipit talem modum poſitiuum exiſtendi per ſe; ſed manet in ſua exiſtentia priuata modo vnionis cum corpore; cùm tamen ipſa ſit ſubſtantia, quæ lõgiſſimo tẽpore manſura eſt ſeparata, & ſuas functiones obitura: ergo non eſt credibile accidens accipere talem modum à ſua natura tam alienũ; præſertim cùm breui tempore vel ſit periturum, vel materiæ vniendum. Antecedens patet, quia alioquin non

Obiectio. appeteret vnionem corporis.

Dicet primò, per hunc modũ accidentia perfectiùs exiſtent per ſe; eruntque aptiora ad reci-

Solutio. pienda & ſuſtentanda alia accidentia: ergo hic modus non eſt negandus. Reſpondeo Primò, Admiſſo Antecedente, nego Conſequentiam: Quia cùm hic modus non reſultet naturaliter ex ſeparatione accidentis, non eſt etiã credibile dari à Deo ſupernaturaliter; tum quia non datur animæ rationali ſeparatę; tum quia ſine hoc modo poſſunt accidentia ſeorſim à ſubiecto exiſtere, quantũ ſatis eſt ad occultãdum Corpus Domini, & ad ſuſtentanda alia accidentia. Vnde ſupernaturaneum eſt imaginari perfectiorem modum; præſertim cùm hîc non agatur de accidentibus illis perficiendis. Reſpondeo Secundò, Negari etiam poteſt antecedens, ſaltem ex parte: nam accidens, quod eſt ſubiectum alterius accidentis, vt quantitas coloris, per ſuam entitatem illud recipit & ſuſtentat: neque ad hoc officium ille modus quidquam iuuat.

Dices ſecundò, D. Thomas hîc ad 4. ait, *Accidens dum per ſe ſubſiſtit eſſe compoſitum ex eſſe, & quod eſt*: ergo vult accidenti tunc addi nouum

Illuſtratur mens Diui Thomæ. modum exiſtendi per ſe.

Reſpondeo, Solùm vult dicere, accidentia, dum inhærent ſubiecto, non conſiderari vt formas, quæ habeant eſſe; nam ſuum eſſe non ſibi, ſed ſubiecto habent cùm autem ſeparata ſunt, tunc conſiderari vt habentia eſſe; quia non applicãt alteri, ſed ſibi tantùm illud habent. Per *eſſe* autẽ intelligit exiſtentiam, ad quam tunc comparatur accidens, vt ſubiectum ad ſuam formam, iuxta D. Thomam. Et hoc ſenſu dicit tunc accidentia *compoſita ex eſſe, & quod eſt*.

5 Vt accidẽs per ſe ſubſiſtat, ſufficit cõtinuatio influxus diuini.

Dico Secundò, Vt accidentia per ſe ſubſiſtant, ſatis eſt, vt illorum exiſtentia vel entitas actualis, diuina virtute, ſubſtracto ſubiecto, conſeruetur ſeu continuetur. Inſinuat D. Thomas hîc in Corpore; & docet optimè Scotus. Ratio eſt, Quia illorum accidentium natura ſeu entitas actualis, prior eſt naturâ quàm vnio cũ ſubiecto: ergo poteſt conſeruari deſinẽte illa vnione; quia id quod prius eſt, poteſt conſeruari ſine poſteriore.

Aduertendum autem, hanc conſeruationem poſſe dupliciter fieri. Primò, Per ſolam actionẽ conſeruatiuam, quâ Deus illam formã anteà cõſeruabat in ſubiecto, nullâ creaturâ effectiuè intrinſecè cooperãte: hæc enim actio continuata ſufficit, vt accidens maneat exiſtens euaneſcente ſubiecto: Nam ſubiectum nullum influxum effectiuum habebat in illud accidens; ſed ſolùm materialiter illud excipiebat; id eſt, ei vniebatur: vnde fiebat vt conuenienter naturę ſuæ exiſteret. Quare non eſt imaginandũ, Deũ ſubtracto ſubiecto ſupplere vicem ſubiecti vel materię: cùm cauſalitas materiæ vel ſubiecti nõ poſſit ſuppleri per aliquem effectiuum influxum: conſiſtit enim in quadã intima vnione formæ, & ſubiecti; quę vnio neceſſariò perit deſinente ſubiecto, quãuis maneat idem prorſus influxus Dei in ipſam entitatem formę. Secundò, Fieri poteſt hæc conſeruatio extra ſubiectum, per nouum aliquem influxum Dei; quando videlicet ipſum accidens etiam à ſubiecto effectiuè conſeruabatur: tunc enim non ſufficit antiquus influxus Dei; ſed opus eſt nouo, quo ſuppleatur influxus ſubiecti, vel cauſę creatæ; vt per ſe conſtat. *Vide lib. 12. de Perfectionibus diuinis cap. 16. num. 111. vbi oſtenditur quo pacto ſpecies Euchariſtiæ per ſe, nullo ſubiecto innixæ conſiſtant. Vide etiam lib. 3. de Summo Bono. c. 9. num. 48. & ſequentibus, vbi late probatur eãdem actione ſecundum ſubſtantiam, accidens conſeruari in ſubiecto & extra.*

Duplicitèr poteſt accidens extra ſubiectũ conſeruari.

ARTICVLVS II.

Vtrum Quantitas panis & vini ſit aliorum accidentium ſubiectum?

6 Prior ſententia negans, & facile defendi poteſt.

QVidam exiſtimant omnia accidentia in Euchariſtia ſine ſubiecto exiſtere; neq; quãtitatem eſſe ſubiectũ reliquorum. Ratio illorũ eſt; Quia quantitas non eſt res aliqua diſtincta à ſubſtantia, & qualitatibus; ſed eſt dumtaxat modus quidam illorum, per quem intrinſecè extenduntur: dicunt enim materiam & formam ſubſtantialem, & qualitates corporales per ſe eſſe extenſas intrinſecè & proprio modo extenſionis; in qua extenſione poſſint diuinitus conſeruari, reliquis omnibus, quæ realiter ab ipſis diſtinguuntur, abolitis: vnde nihil opus eſſe aliâ quantitate diſtinctâ. Ita Occam in 4. q. 7. Gabriel lectione 44. in Canonem: & aliqui alij. Quæ ſententia facilè defendi poteſt, & mihi prę ceteris placet.

7 Altera ſẽtentia cõmunior aſſimans.

Verùm receptior ſententia eſt, Cetera accidentia eſſe in quantitate, tanquam in ſubiecto. Ita D. thomas hîc, & Scotus diſt. 12. qu. 2. & alij paſſim eãdem diſt. Quæ ad meliorem intelligentiam, ſic videtur explicanda, Vt quantitas ſtatuatur eſſe quoddam accidens à cęteris diſtinctũ realiter, magnam habens conformitatem cum materiâ primâ, quod partes materię & formæ extendat, efficiatque vt alia firmiter ſit extra aliam,

quid, quãtitas, & ad quem vſũ. neque poſſint eſſe naturaliter ſimul: Sine hac autem quantitate partes materiæ poſſe eſſe ſimul, & confluere in punctum: vnde eſſent ineptæ ad recipiendam actionem rerum naturalium. Itaque Deus ab initio creauit materiã primam ſub quãtitate, per quam expanderetur, & idonea fieret ad formas accidentarias, & ſubſtantiales reci-

Digitized by Google

piendas. Vnde quantitas eſt prima diſpoſitio materiæ, mediante quâ recipit alias diſpoſitiones; ſic vt hæ immediatè inſint quantitati; & per quãtitatem inſint materiæ. Quò fit, vt ſubtractâ materiâ, & conſeruatâ quantitate, reliqua accidentia naturaliter remaneant in quantitate, tanquâ in ſuo immediato ſubiecto; ita vt nulla in illis fiat mutatio quoad inhærentiam, ſeu vnionem cum ſubiecto; ſed ſolùm in quantitate.

Probatur Ratione. Probat hanc ſententiam D. Thomas tribus rationibus: quæ quia facilè ſolui poſſent, adde tres alias. Prima eſt; Quia, niſi illa accidentia eſſent in aliquo cõmuni ſubiecto, non haberent inter ſe aliquam connexionem: vnde facilè exciderent ex ſe inuicem; neque ſe mutuo neceſſariò comitarentur, dum aliquod ex illis moueretur loco. Secunda, Quia non poſſet dari commoda ratio, cur ſpecies vnius hoſtiæ nõ poſſent penetrare ſpecies alterius hoſtiæ; ſi nulla eſt ibi quantitas impediens penetrationem: nam quantitates propriæ ſingularum ſpecierum poſſunt ſe mutuo penetrare per intimam præſentiam; nam calor penetrat colorem, & contrà. Tertia, Quia agens naturale nõ poſſet hoſtiã naturaliter calefacere, ſi non ſubeſſet quantitas; quia non poteſt naturaliter calorem producere extra ſubiectum. Hoc enim eſſet creare. Sed, vt verum fatear, & hæ rationes non difficulter ſolui poſſunt. Quare prior ſententia mihi magis probatur. *Vide lib. 12. de Perfect. diuinis cap. 16. num 112. & 113.*

ARTICVLVS III.

Vtrum Species poſſint aliquid extrinſecum immutare?

8 Reſponſio eſt affirmans, & patet experientia. REſpondeo, Certum eſt ſpecies ſacramentales poſſe immutare res extrinſecas. Patet experientiâ: nam immutant oculos, ſenſum guſtandi, odorandi, & tangendi: item calefaciunt & frigefaciunt. Ratio eſt, Quia iſtæ ſpecies non à ſubiecto, ſed ex ſe habẽt vim agendi: vnde calor ſeparatus nõ minùs eſt actiuus, quàm immerſus materiæ. Confirmatur, Quia exiſtere per ſe, non impedit actionem, ſed potiùs iuuat, expediens ipſam vim ab impedimẽto materiæ: vnde, quidquid ſpecies poſſunt, dum exiſtunt in ſubſtantiâ, poſſunt etiam ſeparatim.

quomodo ſpecies vini, vinũ gignant. Dices, Species vini, dum exiſtunt in ſubſtantia vini, poſſunt producere vinum, ſi liquor idoneus admiſceatur. Atqui hoc non poſſunt ſeparatæ: quia non agunt in virtute ſubſtantiæ vini; vt quę tunc non exiſtat. Reſpondeo, Si accidentia vini, cùm inhærent ſubſtantiæ vini, poſſunt per ſe ex alio liquore vinum generare, non concurrente immediatè ipſa ſubſtantia vini (vt videntur ſentire Thomiſtæ:) etiam id poſſunt dum ſeparatæ ſunt. Nam tota actio eſt ab ipſis accidentibus; ipſa enim ſunt virtus ſubſtantiæ. Quòd ſi ſubſtantia vini immediatè debet cooperari (vt vult Scotus diſt. 12. q. 3.) accidentia per ſe non poſſunt vinum generare, ſed cauſa vniuerſalis ſupplet quod ipſis deeſt, ſcilicet influxum, quem haberet ſubſtantia, ſi adeſſet: & ſimili modo ſupplet influxum formæ, dum ſpecies vini calefactę, vel frigefactæ reducunt ſe ad ſuam naturalem temperiem.

ARTICVLVS IV.

Vtrum Species poſſint corrumpi?

9 Affirmatur REſpondeo, & Dico Primò, Certum eſt, ſpecies ſacramentales poſſe corrũpi, & deſinere eſſe; vt experientia docet. Ratio eſt, Nam cùm hæ ſint in quantitate, vt in ſubiecto, poſſunt actione agentium naturalium ſimiliter corrumpi introductis contrarijs qualitatibus, ſicuti ſi ſubſtantia panis & vini ſubeſſet.

An quantitas poſſit corrumpi in Euchariſtia. Vtrùm autem ipſa quoque quantitas, quæ eſt aliorum accidentium ſubiectum, corrũpi vel alterari poſſit, dubium eſt ad phyſicam pertinens. Si enim quantitas eſt coæua materiæ, & nihil quãtitatis in mundo oritur, vel perit, ſed eadem ſęmper manens expanditur per rarefactionem, & contrahitur per condenſationem, vt magni tenent Philoſophi; ſic nihil quantitatis peris deſinentibus ſpeciebus. Si autem tota quantitas in ſingulis rerum generationibus, & corruptionibus perit, ſicut vult D. Thomas cum ſuis, concedendum eſt etiam quantitatem ipſam deſinentibus ſpeciebus interire; non per corruptionẽ propriè, cùm nullum ſubiectum ſubſit; ſed per quandam veluti annihilationem, Deo deſinente illam conſeruare. Quando enim actio cauſę naturalis adeò inualeſcit in ſpecies, vt iuxta naturę ordinẽ ſubſtantia panis & vini deberet corrumpi, & cõſequenter eorum quantitas; tunc quoque Deus deſinet illam quantitatem in Euchariſtiâ conſeruare, ſinetque in nihilum recidere.

10 quando deſinat eſſe corpus chriſti ſub ſpeciebus. Dico Secundò, Quando ſpecies ſacramentales adeò immutantur per cauſas naturales, vt iuxta naturę ordinem non poſſet ampliùs natura panis vel vini ſub illis conſeruari, eodẽ momento quo deſineret panis vel vinũ, deſinet ibi eſſe Corpus Chriſti. Eſt certa. Et Ratio eſt, Quia Corpus & Sanguis Chriſti ſuccedunt in locũ ſubſtantię panis & vini; vnde reſpectu mutationum, quæ fiẽt circa ſpecies, ſic ſe habent, ſicut ſe haberent ſubſtantiæ panis & vini, exceptâ informatione: ergõ deſinunt, quando deſineret ſubſtãtia panis & vini. Vide Gabrielem lect. 84. in Canonem Miſſę.

ARTICVLVS V. & IV.

Vtrum in Speciebus ſacramentalibus poſſit aliquid generari vel nutriri?

11 Affirmatur REſpondetur Affirmatiuè. Eſt cõmunis ſententia, & cõſtat experientia. Si enim hoſtiæ multæ comburantur, generantur cineres. Si nimis diu aſſeruentur, generantur vermes. Et poſſet homo illis ſpeciebus in magnâ quantitate ſumptis per totam vitam ſuſtentari.

Tres ſententiæ quomodo aliquid generetur ex ſpeciebus. Sed difficile eſt explicare, quomodo id fiat. D. Thomas refutat hîc tres ſententias.

Prima eſt, Generationem, quæ videtur fieri ex ſpeciebus ſacramentalibus, fieri ex aëre circumſtante: quod benè refutat.

Secunda eſt, Redire ſubſtantiam panis & vini in termino corruptionis ſpecierum: quod refutat duabus rationibus; quarum ſecunda eſt bona, & ſufficiens; ſed prior eſt valdè difficilis. Nam certum eſt, diuinâ virtute fieri poſſe, vt tunc ſubſtantiâ panis, & vini redeat abſque vllâ conuerſione Corporis Chriſti in illam: quia nihil ſubſtantiæ panis permanſit in Corpore Chriſti; vnde etiamſi Corpus Chriſti nihil perdat, ſubſtan-

tia panis poteſt reſtitui. Neque exemplum, quod adfertur a D. Thoma de aëre verſo in aquam, qui redire non poteſt, niſi aqua reuertatur in aërem, ad rem facit: quia hîc in termino conuerſionis, ſcilicet in aqua in quam aër cõuerſus eſt, mãlit aëris materia: vnde aër non poteſt redire, niſi illi ſua materia reſtituatur, ac proinde niſi aqua reuertatur in aërem. In Corpore autem chriſti, in quod conuertitur panis, nihil manet panis: vnde, vt panis redeat, non eſt neceſſe Corpori Chriſti quidquam detrahi. Deinde certum eſt apud omnes Theologos, etiam Diuum Thomam Deum poſſe eandem numero materiam, vel ſubſtantiam reparare. Quare dum hic dicit, *hæc fieri non poſſe*, explicandus eſt D. Thomas, non poſſe fieri ex vi inſtitutionis huius Sacramenti: quia non habent neceſſariam connexionem cum eâ. Vide Caietanum.

Tertia Sententia, quam refutat D. Thomas, eſt, materiam panis redire; quam ideò reijcit, quia non eſt ponendum hîc aliquod miraculum, niſi quod ex ipſâ conſecratione neceſſariò ſequitur.

Sententia. D. Thomæ. Vnde tandem ipſe concludit, meliùs dici quòd ipſi quantitati miraculosè detur, vt ſit primum ſubiectum ſubſequentium formarum ſubſtantialium: quod etiam tenent quidam alij Thomiſte, vt ferrarienſis lib. 4. contra gentes cap. 66. Inſinuat Henricus Quodlibeto 8. qu. 36.

12 Non placet. Verùm hæc ſententia videtur omnino impoſſibilis, vt oſtendit Scotus diſt. 12. qu. 3. Primò, Quia inter quantitatem & formam ſubſtantialẽ non poteſt eſſe vnio ſubſtantialis cõſtituens ſubſtantiam; cùm quantitas ſit accidens. Secundò, Quia ſequeretur vermẽ genitum ex illis ſpeciebus, non conſtare vera & ſubſtantiali materia, quæ tamen non minùs eſt de ratione ſubſtantiæ corporeæ, quàm forma, ſed accidente, ſcilicet quantitate materiæ: & ſic eſſe vermem mathematicum, non naturalem, niſi ratione formæ: quod ſanè eſſet monſtrum inauditum. Idem ſequeretur de homine, ſi longo tempore iſtis ſpeciebus alatur. Imò ſequeretur plurimas res conſtare quantitate, tamquam parte eſſentiali, vel totas, vel ſecundùm partem; & talium rerum fieri generationes vſque ad finem mundi. Tertiò, ſequeretur mũdum ſenſim exhauriri ſuâ primæuâ materiâ, nec vnquam eam reſtitui.

1

13 Sententia verior. Quare dicendum eſt: Quando alteratio ſpecierum ſacramentalium eouſque proceſſit, vt neceſſariò ſubſtantia panis & vini, ſi ſubeſſet, deberet deſinere, & alia forma ſubſtantialis introduci; eo ipſo momento diuinâ virtute ſubſtitui materiam ex qua res gignatur. Ita Guil. Occam in 4. qu. 7. Gabriel lect. 45. in Canonem. Durandus diſt. 12. qu. 7. & Scotus diſt. 12. quæſt. 6.

Explicatur, quomodo ex ſpeciebus aliquid generetur. Quæ ſententia ſic explicatur. Primò, Fit introductio diſpoſitionum in quantitate hoſtiæ à cauſa naturali, v. g. ab igne. Secundò, Poſita vltima diſpoſitione, v. g. calore octo graduum in ſpeciebus, Deus per creationem ſubſtituit materiã. Tertio, Quantitatem illam affectam noua diſpoſitione immergit materiæ, vel certè ipſa quantitas naturaliter ſe illi vnit, cùm ſit illi intimè preſens. Quartò, cauſa naturalis per diſpoſitionem introductam cõcurrit naturaliter cum Deo, tanquam primâ cauſâ, ad producendam formam ignis ex eadẽ materiâ. Hæc ſententia euitat omnia incommoda aliarum ſententiarum; & iuxta illam, mundus non priuatur ſuâ primigeniâ materiâ: & obtimè ſaluat actionem rerum naturaliũ; neque multiplicat miracula ſine neceſſitate; nam inſtitutio huius Sacramenti neceſſariò hæc omnia poſtulabat; alioqui induſtria humana potuiſſet hoc myſterium comprehendere.

ARTICVLVS VII.

Vtrum Species Sacramentales frangantur?

REſpondẽtur, Species Sacramentales frangi, & diuidi: Corpus tamen Chriſti non frangi propriè, nec diuidi; ſed totum manere ſub ſingulis partibus. Dici tamen frangi, per denominationem extrinſecam; quia illud frangitur, ſub quo ipſum realiter eſt præſens per modum continui, & poſt fractionem per modum diſcreti.

14 Chriſtus hic propriè non frãgitur, niſi per & propter ſpecies.

Notandum eſt, patres interdum dicere ipſum Corpus Chriſti *viueri, tangi, dentibus atteri*. Chryſoſtomus hom. 83. in Ioannem, *Ipſum vides, ipſum tangis, ipſum comedis*. Homil. 45. in Ioannem. *Non tantùm ſe videri permittit, ſed & tãgi, & mãducari, & dentes carni ſuæ infigi*. Homil. 24. in priorẽ ad Corinth. *Quod in cruce paſſum non eſt, id in oblatione patitur, & propter te frangi ſuſtinet, vt omnes ſatiet*. Similia habet Cyrillus lib. 12. in Ioannem cap. 58. Senſus autem eſt Chriſtum in Sacramẽto non ſolùm videri, tangi, comedi, ſicuti in nudo ſigno; quomodo videntes, aut contrectãtes imaginem Chriſti, dicimur videre & contrectare Chriſtum; & quomodo Iudæi comedentes Agnũ paſchalem mandducabant Chriſtũ: ſed etiam realiter ſub illis ſignis eſſe præſentem, illiſque tegi, & velari, vt per illa, velut per quoddam velum, ipſum reuerâ videamus, tangamus, comedamus, ſicuti ſubſtantia per ſua accidentia videtur, & tãgitur. Iuxta quem modum Dominus Lucæ 8. v. 46. muliere fimbriam tangente dixit; *Tetigit me aliquis*. Et quomodo in Scripturis Angeli dicuntur videri in formâ aſſumptâ.

quo ſenſu dicatur hic Chriſtus *videri, tangi* &c.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum aliquis liquor vino conſecrato poſsit admiſceri?

REſpondeo, & Dico Primò, poſſe alios liquores ſpeciebus Sacramentalibus miſceri: id enim experientia conſtat.

15 Alij liquores non sãguini, ſed ſpeciebus miſcẽtur.

Dico Secundò Iſti tamen liquores nõ miſcentur propriè ipſi Sanguini. Ratio eſt; quia ad mixtionem requiritur interpoſitio, contactus, & vnio Sanguis autem Chriſti non poteſt per ſe tãgi, aut diuidi ab alio liquore externo, cum ſit intra ſua vaſa in Corpore Domini.

Dico Tertiò, Si liquor iſte vincatur à ſpeciebus Sacramentalibus, non vertetur in Corpus Domini: nam hæc conuerſio non fit, niſi per verba conſecrationis ſed vertetur in ſubſtantiam vini, quia ſpecies vini ita agunt, ac ſi vini ſubſtantia adeſſet: atqui, ſi vini ſubſtantiâ adeſſet, conuertiſſent liquorem affuſum in vinum ergo ſimiliter modò.

quod ſi liquor mixtus vincatur à ſpeciebus Sacram.

Dico Quartò, Si vino cõſecrato infundatur vinum non conſecratum eiuſdem ſpeciei, non deſinet ibi eſſe Sanguis Chriſti etiamſi fiat mixtio per totum. Eſt communior ſententia Doctorum.

16 Vini non conſecratâ mixtione non deſinet Sanguis Domini.

Probatur; Nam ex altera ſententia, quam videtur tenere D. Thomas, ſequuntur aliquod grauia incommoda. Primò, Si duo calices vini conſecrati inter ſe miſceantur, deſinere ibi corpus & Sanguinem

Digitized by Google

Sanguinem Domini; quod haud dubiè falſum eſt: nam olim in primitiua Eccleſia, quando communicabant fideles ſub vtràque ſpecie, dubitandum non eſt, quin ſæpè ex vno vaſe in aliud, ſcilicet ex maiore in minus, vinum conſecratum infundere oportuerit: quòd ſi tunc deſijſſet ibi eſſe ſanguis Domini, Eccleſia grauiter decepta fuiſſet. Secundò, Si vinum conſecratum vnius calicis vehemétiùs agitetur, deſinet ibi eſſe Sanguis Domini: nã partium diuiſio, & mutua interſectio corrumpet priores ſpecies. Omitto alia.

17 reſpondetur oppoſitę ſententiæ rationibus.

Quare ad rationem ſententiæ contrariæ: Reſpondeo, in continuo homogeneo non dari minimam partem inexiſtentem. Vnde quantumuis ſe mutuo partes vini interſecent, numquam ſe per hoc corrumpent: nam hoc ipſo, quo ſe vltiſſim interſecant, etiam inter ſe continuantur, ſic vt ſeſe mutuo conſeruent. Deinde, etiamſi daretur minima pars inexiſtens, non tamen eſt neceſſarium, vt infrà minimam ſe interſecent; poteſt enim interſectio ſiſtere, quando deuentum fuerit ad minimas.

Obiectio de gutta vini cõſecrati labẽtis in vas plenum nõ cõſecratũ.

Dices ex Paludano, Ergo ſi gutta vini conſecrati immitteretur in vas vini non conſecrati, non deſineret ibi eſſe Corpus Domini: quod videtur abſurdum. Reſpondeo; Id non eſſe abſurdum, ſed veriſſimum. Vnde hoc vinum ad vſus ſacros eſſet deputandum: Nam totum quodammodò eſt benedictum, ratione contactus; quamuis non ſit conſecratum. Neque videtur probandum, quod ait Sotus, tale vinum habendum, vt vinum commune.

QVÆSTIO LXXVIII.

De Forma Sacramenti Euchariſtiæ.

In Sex Articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Vtrum hæc ſit Forma huius Sacramenti, Hoc eſt Corpus meum. Hic eſt calix Sanguinis mei?

1 REſpondetur Affirmatiuè. Ratio eſt, Quia hæc forma ſignificat conſecrationem materię; & in perſonâ Chriſti profertur; ac proinde ſignificat id, quod eſt proprium huius Sacramenti: ergo eſt vera forma huius Sacramenti.

Duplex differentia inter Euchariſtiam & reliqua Sacramẽta

Vbi nota duplicem differentiam inter hoc Sacramentum & alia. Prior eſt, quòd hoc Sacramentum conſiſtat *in* conſecratione materiæ, id eſt, in eo, quod materia mutetur in rem ſacram; nempe in Corpus, & Sanguinem Domini: alia conſiſtant in vſu materiæ. Hinc fit, vt forma Sacramenti Euchariſtię debeat ſignificare materiæ conſecrationem, id eſt, conuerſionem in rem ſacram; aliorum formæ, vſum materiæ.

Altera differentia eſt, quòd reliqua Sacramenta perficiantur à Miniſtro, vt Miniſter eſt; non autem vt immediatè repręsẽtat perſonam Chriſti; ſed vt eſt diſtincta perſona, habens poteſtatẽ à Chriſto deriuatam. Vnde quando dicit, *Ego te baptizo*: (*Ego*) ſupponit pro Petro, Paulo, Chriſti miniſtro: & verbum *Baptizo* ſignificat proprium actum miniſtri: neque dicitur operari miniſter in perſona Chriſti, niſi quatenus poteſtate Chriſti operatur. Sed hoc Sacramentum perficitur à Miniſtro, vt immediatè repręſentat Chriſti perſonam; ſicut Lex vetus data ab Angelo, vt immediatè repręſentante perſonam Dei: vnde Angelus ſæpè dicebat, *Ego Dominus*. Patet id ex forma huius Sacramenti, *Hoc eſt corpus meum*; id eſt, non *Petri*, non *Pauli*, ſed *Chriſti*.

DVBIVM. I.

Vtrùm his verbis fiat conſecratio ab Eccleſia?

2 OMiſſo errore noſtrorum hæreticorum, qui non agnoſcunt vllam conuerſionem, & negant formas cõſecratorias Sacramentorum: quidam Græci recentiores docent, non ſolis illis verbis conſecrationem fieri; ſed quaſdam preces eſſe neceſſarias, quæ aliquamdiu poſt illa verba in illorum Liturgia proferuntur; nempe hęc, vel ſimilia: *Spiritum tuum ſanctiſſimum dimitte nunc quoque, Domine, in nos, & in hæc dona ſancta propoſita, vt ſuperueniens ſancta ſua præſentia ſanctifi cet & efficiat hunc panem corpus ſanctum Chriſti tui; & calicem hunc pretioſum Sãguinem Chriſti tui*: quibus verbis recitatis, dicunt fieri conuerſionem. Vnde mox Sacerdos gratias agit Deo, quòd hæc dona ſanctificare dignatus ſit; vt patet in Liturgià S. Iacobi. Ita docet Nicolaus Cabaſilas in expoſitione Liturgię cap. 29. & 30. & quidam alij; contra quos agit Beſſarion Cardinalis in proprio opuſculo.

græcorum opinio.

Nicolaus Cabaſilas.

Beſſarion.

3 Sententia catholica reijcit græcorũ preces vt neceſſarias in conſecratione.

Florẽtinũ.

Verùm dicendum eſt; Conſecrationem non fieri illis precibus, vt Græci volunt, ſed ſolis verbis Domini; *Hoc eſt corpus meum*: *Hic eſt ſanguis meus*: vel quod idem eſt, *Hic eſt calix Sanguinis mei*. Eſt ita certum, vt contrarium ſit erroneum. Nam Concilium Florentinum in inſtructione Armenorum hoc expreſsè docet, tanquam doctrinam Eccleſię, non repugnantibus Græcis. *Forma*, inquit, *huius ſacramenti, ſunt verba ſaluatoris, quibus hoc ſacramẽtum conficitur: Sacerdos enim in perſona Chriſti loquens conficit hoc ſacramentum.* Ita Concilium. Atqui illæ preces non ſunt *verba ſaluatoris*: neque Sacerdos illas pronuntians, dicit illas *in perſona Chriſti*, ſed in propria perſonâ miniſtri. Eadem veritas inſinuatur in Concilio Tridentino ſeſſ. 13. cap. 3.

Probatur primò, Quia Chriſtus nec dixit, nec iuſſit dici illas preces. Nam neque Scriptura illas habet, nec traditione conſtat eſſe neceſſariò dicendas: nam in Liturgia latina, quę putatur D. Petri, non habentur tales preces, niſi ante verba Domini; poſt autem, nequaquam: nec etiam in Liturgiâ Æthiopum.

liturgiæ

Probatur Secundò, Si illis verbis, *Hoc eſt corpus meum*, non fieret conſecratio, falſa eſſent illa verba: nam non poſſunt eſſe vera, niſi reipſa tunc hoc ſit *corpus Domini*.

Probatur Tertiò, Quia prolatis illis verbis, *Hoc eſt corpus meum*, cõſuetudo totius Eccleſiæ habet, vt Euchariſtia exhibeatur populo adoranda, etiam apud Græcos; imò apud illos hæc verba, *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis frangitur*, pro-

Conſuetudo eccleſię

Digitized by Google

feruntur clarâ voce,& populus reſpondet, *Amen*; quaſi confirmans hoc ita eſſe: ergo tunc ibi eſt *corpus Domini*.

SS. Patres. Probatur Quartò, Ex Patribus. Iuſtinus Apologia 2. ſub finem dicit Panem fieri Corpus Domini per preces Verbi Dei, quas preces dicit eſſe illa verba, *Hoc eſt corpus meum*. Vbi nota illa verba vocari *preces*, ſicut & alias Sacramentorum formas; quia implicitam quandam inuocationem diuinę virtutis continent: nam in actu exercito diuina virtus applicatur ad operandum ex intentione miniſtri, illa verba proferentis. Cyprianus ſerm. de cœna Domini. *Ex quo à Dño dictum eſt, Hoc facite in meam commemorationem: Hoc eſt caro mea, & Hic eſt Sanguis meus: quotieſcunque his verbis, & hac fide actum eſt, panis iſte ſubſtantialis, & calix benedictione ſolemni conſecratus, ad totius hominis ſalutem proficit.* Hîc oſtendit Dominum his verbis conſecraſſe, & nos ſimiliter conſecrare. Ambr. lib. 4. de Sacrament. c. 4. citatus à D. Thoma, &c. 5. explicat, quæ ſint illa verba Domini; & dicit eſſe hæc, *Hoc eſt corpus meum*. Cap. 9 lib. de ijs, qui myſterijs initiantur, *Ipſe clamat Dominus*, Ieſus, *Hoc eſt Corpus meum. Ante benedictionem verborum cæleſtium alia ſpecies nominatur: poſt conſecrationem Corpus Chriſti eſt.* Gregorius Nyſſenus apud Euthymium in Panoplia titulo 21. *Panis ſtatim in Corpus mutatur, vt dictum eſt à Verbo, Hoc eſt corpus meum.* Chryſoſtomus homil. 2. in epiſt. 2. ad Timoth. *Sicut verba, quę locutus eſt chriſtus eadem ſunt, atque ea, quę ſacerdotes nunc quoque pronuntiant; ita & oblatio eadem eſt*, Et ſermone de proditione Iudæ: *Hoc verbo, Hoc eſt corpus meum, propoſita conſecrantur*: & confert cum illis, *Creſcite & multiplicamini*: hoc tamẽ eſſe diſcriminis, quòd per hæc verba *creſcite* &c. vis generatiua cauſis ſecundis tribuatur, non autem immediatè fiat ipſa generatio: per verba autem conſecrationis, nõ detur aliqua virtus pani ad conuerſionem; ſed immediatè fiat ipſa conuerſio. Damaſcenus lib. 4. de Fide cap. 14. *Dixit Dominus, Hoc eſt corpus meum: hoc facite in meam commemorationem: & omnipotenti eius præcepto efficiuntur, donec veniat.* Omitto alios. Conſentiunt omnes Doctores cum Magiſtro diſt. 8.

Iuſtinus. Cyprian. Ambroſ. Gregor. chryſoſt. Damaſcen

4 Ratio & congruentia. Ratio primaria eſt, inſtitutio Chriſti, quæ nobis traditione innoteſcit. Congruentia eſt; quia cùm hoc Sacramentum ſit ſublimiſſimum, maximè attingens ipſum Deum, vt pote continens naturam ab ipſo aſſumptam; non decuit fieri, niſi verbis Chriſti Dei. Confirmatur; quia Baptiſmus nõ fit niſi verbis Chriſti, nec vllas preces adiunctas requirit. Similiter alia Sacramenta præter ſuam formam non requirunt vllas preces: ergo multò minùs Euchariſtia, quæ non in perſonâ miniſtri, ſed in perſonâ ipſius Chriſti perficitur, vt dictum ſuprà.

Reſpondetur obiectioni græcorum. Vnde ad rationem Græcorum: Reſpondeo, illis precibus ſolùm peti, non *vt ſpiritus ſanctus ſimpliciter efficiat panem corpus chriſti*: ſed, *vt efficiat illud nobis corpus chriſti*, ſicut vt in nobis habeat corporis Chriſti effectum. Namqui manducat indignè, illi non eſt corpus chriſti ſed venenum: ille enim condemnationem æternam manducat & bibit.

græcorum in Florentino confeſſio de hiſce precibus. Vnde Græci in concilio Florẽt. ſeſſ. vltima interrogati ab Eugenio Papa, cur dicerent illas preces, quibus videretur peti conſecratio, cùm iam conſecratio eſſet facta? reſponderunt, nihil ſe dubitare, quin cõſecratio tunc eſſet facta per verba chriſti: addit tamen illas preces, vt peteret Sacrificij fructus: Sicut Latini dicunt, *Iube hæc perferri per manus ſancti Angeli tui in ſublime altare tuum*,

DVBIVM. II.

Vtrùm Dominus eiſdem verbis conſecrauerit, quibus nos?

5 Sententia communis affirmat. D. Thomas adfert quatuor opiniones. Sed tres priores carent omni probabilitate, & fere ſunt erroneę. Sola quarta eſt vera, ſcilicet Dominum conſecraſſe eiſdem verbis, quibus nos. Eſt communis ſententia Patrum, & omnium Doctorum Scholaſticorum, exceptis paucis: qui etſi nobiſcum ſentiant, tamen probabile putant chriſtum nullis verbis conſecraſſe, ſed ſolo imperio voluntatis. Ita Innocentio III. lib. 4. de Myſterijs Miſſæ cap. 6. Gabriel lect. 56. & 48. Richardus, Armacanus lib. 6. qq. Armeniacarum cap. 5. Sed reuerà hęc ſententia non eſt vllo modo probabilis.

Non eſt probabile chriſtum ſine vllis verbis conſecraſſe.

Ex Scripe. Probatur Primò, Ex Scripturis: Quia Chriſtus poſt conſecrationem, ſtatim ſubdit; *Hoc facite in meam commemorationem*. Quibus verbis iuſſit nos imitari ſuam actionem in conſecrando, offerẽdo, ſi mendo, & diſpenſandò: pronomen enim (*hoc*) refertur ad totam Chriſti actionem; vt communiter docent Theologi, & expreſſè Concilium Tridentinum ſeſſ. 22. cap. 1. Ergo neceſſe eſt, nos eiſdem verbis conſecrare, quibus Dominus conſecrauit. Quod confirmatur Primò, Quia præcipua actio erat conſecratio, in qua etiam includitur oblatio: ergo ſi ille alijs verbis conſecraſſet, vel etiam ſolo voluntatis nutu, non imitaremur illum in primaria actione. Confirmatur Secundò, Quia quando Dominus conſecrauit, inſtituit hoc Sacramentum: ergo opportebat, vt tunc conſecraret ritu Sacramentali, per aliqua verba ſenſibilia; atque adeò eodem ritu, quo nos poſteà vti voluit: alioquin vel non fuiſſet idem Sacramentum, quod nos habemus; vel impertinens fuiſſet illa conſecratio ad inſtitutionem huius ſacramenti. Idem confirmari poteſt ex ſerie noſtri Canonis; *Qui pridie, quàm pateretur &c.*

Et Patribus. Secundò, Quia idem docent expreſſè Patres: Tertullianus, Cyprianus, Ambroſius, Gregorius Nyſſenus, Chryſoſtomus, Damaſcenus, & alij.

6 Obiectio quòd chriſtus benedixerit panem, id eſt in ſuum corpus cõuerterit ante conſecrationem quorundã ſolutio. Dices; Si Chriſtus conſecrauit illis verbis, *Hoc eſt corpus meum*; quomodo Euangeliſtæ ſignificant illum priùs *benedixiſſe*, deinde *fregiſſe*, tertiò *dediſſe Diſcipulis*, & tunc demum dixiſſe, *Accipite & comedite, Hoc eſt enim corpus meũ*? Nã illa benedictio Chriſti fuit efficax, ac proinde ſanctificauit panem ante illa verba.

Reſpondent multi cum D. Thoma non eſſe ſeruatum ordinem ab Euangeliſtis in narratione, qui ſeruatus eſt à Domino in re gerandâ: benedictionem enim illam fuiſſe factam verbis conſecrationis, *Hoc eſt corpus meum*: vt videre eſt apud D. Thomam. Sed hæc ſententia non ſatisfacit. 1. Refutatur ex græco textu. Primò, quia in Græco textu apertè ſignificatur Dominum benedixiſſe panem antequam diceret, *Hoc eſt corpus meum*. Matthęus enim, & Marcus dicunt, *Accepto* Iesus *pane, poſtquam benedixiſſet, fregit, & dedit ipſis, & dixit; Hoc eſt corpus meum*: id enim ſignificant hæc verba εὐλογήσας ἔκλασε. Lucas & Paulus habent εὐχαριστήσας ἔκλασε, id eſt, *Cùm gratias egiſſet, fregit*. Vnde apertè ſequitur præceſſiſſe benedictionem & gratiarũ actionem, antequam diceret *Hoc eſt corpus meum*. Secundò non ſatisfacit, Quia Concilium Trident. 2. ex Trid. ſeſſ. 13. cap. 1. id clarè docet; dum ait: *Dominum hoc Sacramentum in vltima cœna inſtituiſſe, cùm poſt panis viniq; benedictionem, ſuum illis corpus præbere*

3. ex noſtro canone.

ad ſuum ſanguinem diſertis verbis teſtatus eſt. Tertiò, Idem inſinuatur in noſtro Canone: dum enim dicimus *Benedixit*, crucem formamus ſuper panē; quâ ceremoniâ ſignificam⁹ benedictionem chriſti.

Vera ſolutio.

Dicendum ergo probabilius videri hanc benedictionem non fuiſſe factam illis verbis, *Hoc eſt Corpus meum*; ac proinde eſſe diſtinctam à conſecratione. Inſinuat Bonauētura diſt. 8. art. 2. q. 3.

quid ſit hæc *Benedictio*, quid que operata.

Dominicus Soto diſt. 11. q. 1. art. 2. Armacanus lib. 9. cap. 5. Beda in cap. 14. Marci. Ianſenius in cap. 131. Cōcordię.

Dices; Quid fuit hæc *benedictio*? Reſpondeo, Videtur fuiſſe inuocatio diuinę virtutis ſuper panem. Sicut quando panes multiplicauit, eos benedixit; tamen eo momento non fiebat multiplicatio; erat enim inuocatio diuinę virtutis ad panes multiplicandos debito modo & ordine. Sic in Liturgia D. Iacobi, Baſilij & etiam noſtrâ petimus, vt virtus diuina in panem deſcendat. Per hanc tamen benedictionem non fuit panis immediatè conuerſus, ſed diuinę virtutis aſſiſtentia fuit pro omnibus in futurum tempus cōſecrationibus præparata, & veluti applicata, vt formula verborum legitimè pronuntiata, per eam operaretur, & panem in Corpus Chriſti conuerteret.

8

Ordo Actuum chriſti cōſecrantis corpus ſuum.

Primus & Secundus.

Dices; Ergo Dominus bis benedixit materiam. Reſpondeo, Verum eſt: Sed hę duæ benedictiones erant inſtar vnius: nam altera referebatur ad alteram, habebatque ſuum completum effectum in fine ſecundæ benedictionis.

Tertius.

Itaque Chriſtus in inſtitutione videtur hoc ordine proceſſiſſe: Primò *Accepit panem*; Secundò, *Gratias egit Patri, oculis in cælum elevatis*, vt habet noſter Canon & Liturgia D. Iacobi, & Clemens lib. 8. conſtitutionum Apoſtolicarum c. 17. Ambroſius lib. 4. de Sacrament. cap. 5. Et confirmatur; quia ſemper, dum gratias ageret Patri, in cœlum ſuſpicere conſueuerat: Matth. 14. Marci. 6. Lucę 9. Ioan. 11. Tertiò, *Benedixit panem*, inuocando Patris omnipotentiam ſuper illum: etſi enim Matthæus & Marcus meminerint *benedictionis panis*, non autem *actionis gratiarum*; Lucas autem & Paulus ſolùm meminerint. *Actionis gratiarum*, non *benedictionis*: tamen certum eſt, eſſe actus diſtinctos, & Dominum vtrumque adhibuiſſe: tū quia *benedictio* reſpicit panē, *gratiarum actio* reſpicit Patrem; tum quia omnes Liturgiæ habent Dominum & in conſecratione panis, & in conſecratione vini gratias egiſſe Patri, & benedixiſſe materiam: Verùmquia hi actus iuncti m fiebant vnâ oratione continuâ, Euangeliſtæ ſub alterâ relinquunt alteram intelligendam; vt rectè Ianſenius in Concordia cap. 131. Quartò, *Fregit panem*: id enim Euangeliſtæ & Paulus expreſſè dicunt. Quintò, *Porrexit*, & inter porrigendum dixit: *Accipite & comedite*, *Hoc eſt corpus meum*; quæ verba poſteriora dicta ſunt duplici modo, nempe tanquam verba Porrigentis, & tanquam verba conſecrantis. Iuxta hanc explicationem omnia ſunt clara in narratione Euangeliſtarum, & Pauli.

quartus

quintus.

ARTICVLVS II.

9

Vtrum hæc ſit conueniens Forma conſecrationis panis, Hoc eſt Corpus meum.

Enim non eſt de eſſentia Formæ, nec omiſſio eius mortalis.

REſpondetur Affirmatiuè. Et Ratio eſt, Quia hæc forma optimè ſignificat id, quod Sacramento efficitur, quod eſt tranſubſtātiatio panis in Corpus Chriſti facta in inſtanti.

Vox, eſt nonneceſſariò addenda, non tamen omittitur ſine peccato.

Notandum primò, Particulam (*Enim*) non eſſe de eſſentiâ formæ vnde nec Euangeliſtę eam habent. Ratio eſt; quia non eſt neceſſaria ad ſignificandum formæ effectum; ſed tantùm additur, vt explicet rationem, cur debeamus manducare id, quod Dominus porrigit: vndè ſolùm recitatiuè dicitur à Sacerdote, non ſignificatiuè. Quare non videretur peccatum mortiferum, etiamſi ex aliquâ negligentiâ omitteretur, vt Soto notauit.

Si loco Hoc diceretur Hic nihil conficeretur.

Notandum Secundò, Verbum (*Eſt*) non videri neceſſariò exprimendum. Nam apud Lucā nō exprimitur in forma Sanguinis: & Hebręi nunquam ſolent exprimere; vnde nec Dominus expreſſiſſe credendus eſt. Neceſſariò tamen ſubintelligitur iuxta phraſim Hebræam. Neque ſine graui peccato poteſt omitti.

Accipite & manducate non ſpectāt ad formam.

Notandum Tertiò, Si loco (*Hoc*) diceretur *Hîc* aduerbialiter, nihil fieret: quia non ſignificaretur tranſubſtantiatio. Item ſi diceretur (*Illud*,) loco *Hoc*: quia *Illud* non deſignat rem præſentem; ſecùs fortè, ſi diceretur *Iſtud*. Item, ſi diceretur *Hæc res*, *hic cibus*, *hoc ſenſibile* fieret conſecratio; licet eſſet graue peccatū, contra traditionem Apoſtolicam, & vniuerſalem Eccleſię conſuetudinē.

Nec ad cōſecrationē faciunt: *qui pridie quàm paterentur*, vt vult Scotus.

Notandum Quartò, Verba illa, *Accipite*, *& manducate*, non pertinere ad formam; quia per ea ſolùm datur præceptum vtendi hoc Sacramento: circa ipſum autem Sacramentum nihil operātur: ſicut cùm Dominus Ioannis 8. dicebat, *Vade, filius tuus vivit*; illud *vade* nihil operabatur circa filium, ſed ſolùm hæc verba, *filius tuus vivit*. Multò minùs neceſſaria ſunt verba, quę in Canone præcedunt. *Qui pridie, quàm paterentur*: quōd eſt contra Scotum diſt. 8. q. 2. qui exiſtimat, niſi proferātur omnia verba ab eo loco Canonis, *Qui pridie*, vſq; ad, *Hoc eſt Corpus meum*, non fieri conſecrationem, *Quia licet* inquit, *non ſint eſſentialia, tamen ſunt neceſſaria vt determinent ſignificationē formę ad corpus Chriſti, alioqui Sacerdotē videri loqui de corpore ſuo.* Sed hæc ſententia non eſt probabilis; tùm quia verba illa præcedentia, non ſunt verba Chriſti, ſed Eccleſiæ, vel Euāgeliſtarum: tum quia Patres, & reliqui Doctores docent verba abſolutè neceſſaria eſſe tantummodò iſta, *Hoc eſt corpus meum*: quæ ſufficienter determinantur ad ſignificandum Corpus Chriſti, partim ex intentione miniſtri, vt in ceteris Sacramentis; partim ex eo, quòd ipſe loquatur in perſona Chriſti. Sicut cùm Angelus ait, *Ego ſum Dominus Deus tuus*, pronomē *ego* non accipitur pro Angelo, ſed prò eo, cuius perſonam Angelus gerit. Idem confirmari poteſt ex Concilio Florentino ſuprà citato.

Hæc verba *quod pro vobis frangitur*, non ſunt addē daneceſſariò.

Notandum Quintò, In Liturgijs Græcorum: Iacobi, Baſilij, Chryſoſtòmi addi hæc verba in conſecratione panis, *quod pro vobis frangitur vel traditur*; ſed non ſunt neceſſaria: nam nec apud Matthæum vel Marcum habentur, nec apud pleroſque Patres qui referunt formam conſecrationis, nec in noſtro Canone. Ratio eſt; quia tranſubſtantiatio panis in Corpus Chriſti plenè ſignificatur his verbis, *Hoc eſt corpus meum*; vnde illa determinatio, *quod pro vobis frangitur*, non eſt neceſſaria; ſed ſolùm additur maioris explicationis causâ.

ARTICVLVS III.

11

Sufficiens forma calicis, quæ.

Vtrum hæc ſit conueniens forma Calicis: Hic eſt Calix Sanguinis mei &c.

REſpondetur Affirmatiuè.

Notandum tamen contra D. Thomam &

quoſdam Thomiſtas, ad conſecrationem Calicis ſufficere hæc verba, *Hic eſt calix Sanguinis mei*; vel, *Hic eſt ſanguis meus*, & reliqua quæ adduntur nihil operari. Ita paſſim Doctores cum Magiſtro diſt. 8. & qui hoc tempore ſcribunt contra hæreticos.

Verba *noui & æterni* &c. ad formam non ſunt neceſſaria.

Probatur Primò, Quia in Liturgijs Græcorum S. Iacobi, Baſilij, Chryſoſtomi (quas D. Thomas non videtur vidiſſe (non habentur hęc verba, *æterni*, &, *myſterium fidei*: & in Liturgia Æthiopum omittitur hoc totum, *Noui & æterni teſtamenti, myſterium fidei*: quod certum ſignum eſt, nõ eſſe neceſſarium.

Reſponſio Paludani reijcitur.

Reſpondet Paludanus, illos omnes non conſecrare. Sed hoc eſt magnæ parti Eccleſiæ tribuere intolerabilem errorem in re ſummi momenti: quem errorem Eccleſia Romana tunquam reprehendit; quemque grauiſſimi, ſanctiſſimique Patres (quod abſit) eſſent ſecuti.

Probatur Secundò; Quia alia verba addita non ſignificant aliud, quàm effectum & vſum Sacramenti: ergo non pertinent ad ſubſtantiam huius Sacramenti, quod non conſiſtit in vſu.

Probatur Tertiò, Quia in forma conſecrationis panis, Dominus etiam addiderat, *Quod pro vobis frangitur*; ſeu *traditur*; & tamen hoc ibi non pertinet ad ſubſtantiam formæ: ergo neque illa verba in conſecratione calicis, *Qui pro vobis, & pro multis effundetur.*

Probatur Quartò, Etiam Corpus Chriſti ſub ſpecie panis eſt *myſterium fidei*, & tamen hoc non additur: ergo non eſt de ſubſtantia. Ratio eſt: quia formæ Sacramentorum illud efficiunt, quod ſignificãt: atqui hęc verba, *Hic eſt Sanguis meus*, plenè ſignificant conuerſionem vini in Sanguinem, ſicut iſta, *Hoc eſt Corpus meum*, plenè ſignificant conuerſionem panis in Corpus Chriſti: ergo ſufficiunt.

12 Soti ſententia improbabilis.

Neque eſt probabile, quod docet Dominicus Soto in hunc locum; Hæc verba, *Hic eſt calix Sanguinis mei*, ſi ſola proferantur, ſufficere quidem ad conſecrationem; tamen, ſi addantur reliqua, ſuſpendi conſecrationem vſque ad finem illorum, & idcircò etiam reliqua eſſe de ſubſtãtia. Si enim ſufficiunt illa: ergo omnino fit conſecratio illis debitâ intentione prolatis, ſiue alia addantur, ſiue non: vt patet in forma conſecrationis panis apud Græcos; alioquin oportebit dicere, etiam apud illos ſuſpendi cõſecrationem panis, donec finiantur illa verba, *Quod pro vobis frangitur*: quod nemo dixerit. Confirmatur, quia non eſt in poteſtate miniſtri ſuſpendere effectum Sacramenti; nam Sacramentum operatur inſtar naturæ, poſitis neceſſarijs.

ſine peccato non poſſunt omitti hæc verba: *qui pro vobis*, &c.

Aduerte tamen, hæc poſteriora verba non poſſe fieri graui peccato omitti, propter Apoſtolicam traditionem, & Eccleſiæ vniuerſalem conſuetudinem, quę vim legis obtinent.

13 Explicãtur verba formæ calicis. 1. Pars.

Quòd ad ſenſum formę attinet: Prior pars eſt, *Hic eſt calix Sanguinis mei.* Senſus eſt; Id quod cõtinetur hoc calice, eſt ſanguis meus: vel, vt alij volunt, Hic calix cõtinet Sanguinem meũ. Matthæus & Marcus habent, *Hic eſt Sanguis meus noui Teſtamenti*; quo modo quidam putant Dominum dixiſſe. Lucas verò & Paulus, *Hic eſt calix nouum Teſtamentum*, quod in noſtra Liturgia ſeruatum eſt; & meritò, vt ſignificetur Sanguis Chriſti hîc Sacramentaliter libari & offerri.

2. Pars.

Altera pars, *Noui & æterni Teſtamenti*; id eſt, quo confirmatur & applicatur noua diſpoſitio Dei de æternâ hæreditate hominibus cõferendâ. Dupliciter autem *Sanguis Chriſti* dicitur *Sanguis noui Teſtamenti*: Primò, Quia diſpoſitio, & promiſſio diuina de æterna hæreditate, confirmata eſt huius ſanguinis effuſione; quæ facta eſt partim in cœna, partim in cruce. Hæc autem diſpoſitio, ſeu promiſſio dicitur *Nouum Teſtamentum*; quia non pertinet ad legem veterem, ſed ad nouam; lex enim vetus non habebat expreſſe niſi terrenas promiſſiones. Dicitur: *Æternum*, vel quia ab æterno præparatur; vel quia de æternâ ſalute; vel quia nunquam antiquãdum, ſed duraturũ vſque ad finem ſęculi. Secundò; Dicitur: *Sanguis noui Teſtamenti*; quia Sanguis Chriſti in Euchariſtiâ, eſt veluti inſtrumentum quoddam authenticum, continens in ſe deſcriptam Chriſti teſtatoris voluntatem; eamque nobis applicans, & ius tribuens hæreditatis: ſicut teſtamentum in rebus humanis.

Cur ſanguis Chriſti dicatur ſanguis noui Teſtamenti.

3. Pars. Dicitur *Myſterium fidei*.

Tertia Pars, *Myſterium fidei*: quo ſignificatur Sanguinem Chriſti ſub ſpeciebus latentem, eſſe rem arcanam, ſola fide cognoſcibilem: vel, ipſum Sanguinem pro nobis effuſum eſſe *Myſterium* à ſæculis abſconditum, cuius fide eramus iuſtificandi: nam fide Sanguinis eius reconciliamur Deo: Ad Rom. 3. v. 25. *Quem propoſuit Deus propitiatorem per fidem in Sanguine ipſius.*

4. Pars. Explicantur verba *qui pro vobis*, &c.

Quarta pars, *Qui pro vobis, & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorũ*: Græca habent *effundi tur* Senſus eſt, qui pro vobis & pro multis libatur, offertur. Quę ſententia patet ex Luca, qui expreſsè dicit *calicem effundi*: ſicut enim *frangere* eſt *immolare*, quando dicitur de pane, ſeu corpore, prioris ad Corinth. 10. v. 16. *Panis, quem frangimus, nónne communicatio Corporis Domini eſt?* & corinth. 11. v. 24. *Hoc eſt Corpus meum, quod pro vobis frangitur*; quomodo etiam habent Liturgię Græcorum: ita hic *effundere*, eſt *libare*, *offerre Deo*: nam oblatio liquidorum fit cum effuſione. Illud autem *Pro vobis, & pro multis*, variè explicatur. Forta ſſis non diſtinguuntur: nam quod vnus Euangeliſta dicit *Pro vobis*, alius dicit *pro multis*, nemo autem vtrumque habet. Si quis tamen velit diſtinguere, commodè *Pro multis*, intelligitur de *fidelibus*: nam in Eccleſiâ pro ſolis fidelibus propriè hoc ſacrificium offertur. Vide plura apud Ianſeniũ cap. 131. Concordiæ.

ARTICVLVS IV.

Vtrum prædictis verbis inſit aliqua vis creata effectiua conſecrationis?

NOtandum, Videri à D. Thoma poni aliquã vim creatam, à Chriſto creatam, ac proinde aliquam qualitatem realem, & ſupernaturalem: quomodo illum etiam antiqui Thomiſtæ intelligunt. Tamen in ſolutione 3. argumenti videtur deflectere ad vim moralem; ait enim, Hanc vim ſequi ex ſignificatione: atqui ſignificatio non eſt quid reale in verbis: ergo nec vis, quæ in ea fundatur. Vide dicta ſuprà q. 62. art. 4.

14 Excutitur mens Diui Thomæ.

ARTICVLVS V.

Vtrum prædictæ locutiones ſint veræ?

REſpondetur, Eſſe veras. Ratio eſt; Quia non ſignificant ſuum ſignificatum, (ſeu connexionem extremorum) eſſe in principio orationis (id enim nullo modo poſtulat orationis veritas:) ſed in termino: atqui tunc verè illorum verborum ſignificatum eſt; nam ſubſtantia, ſub ſpeciebus panis & vini contenta, verè eſt Corpus & Sanguis Chriſti.

DVBIVM. I.

Vtrùm hæc verba, Hoc eſt Corpus meum *dicantur à Sacerdote tantummodò hiſtoricè, ſeu narrando; an etiam affirmando?*

15 Verba hæc proferuntur affirmatiuè.

VIdentur enim ſolùm hiſtoricè dici; nam ſolùm commemorat, quid Chriſtus dixerit & egerit.

Reſpondeo, Certum eſt, hæc verba non ſolùm hiſtoricè proferri, ſed etiam affirmatiuè, tanquã propria ipſius loquentis. Quod eſt contra Durandum diſt. 8. q. 2. & contra Innocentium III. lib. 4. de myſterijs Miſſæ cap. 17.

Contrarĩ tenet Durandus &c.

Sed tenet communior ſententia Doctorum diſt. 8. Bonauentura, Scotus, Richardus, Paludanus, Capreolus, & alij. Et D. Thomas hoc loco. Probatur Primò, Quia hoc apertè colligitur ex Concilio Florent. *Forma*, inquit, *huius Sacramenti ſunt verba Saluatoris, quibus conficitur hoc Sacramentum Sacerdos enim in perſona Chriſti loquens, hoc conficit Sacramentum*, &c. Atqui, ſi ſolùm *hiſtoricè* ſeu *recitatiuè* dicerentur, loqueretur Sacerdos ſolùm in perſona ſua, non *in perſona Chriſti*, ſicut cùm recitat paſſionem.

Probatur Secundò, Si ſolùm acciperentur *hiſtoricè*; non applicarentur ad materiam præſentem Sacerdoti, ſed ſolum ad materiam, quæ præſens erat Chriſto; ac proinde non fieret conſecratio: ſicut dum recitantur in paſſione, vel in epiſtola prima Apoſtoli ad Corinth. c. 11.

Probatur Tertiò, Quia formę cęterorum omnium Sacramentorũ proferuntur *ſignificatiuè*, ſeu *affirmatiuè*: ergo etiam forma huius Sacramenti.

16 Sacerdos celebrans quædam dicit tantũ in perſona ſua, quædã etiam in perſona Chriſti.

Aduerte, Sacerdotem in Actione Liturgiæ quędam loqui ſolùm in perſona ſua: veluti cùm confitetur ſua peccata, cùm orat ſuper populum, cùm recitat Epiſtolam, Euangelium, & etiam Canonem vſque ad verba conſecrationis: quædam nõ ſolùm in perſona ſua, ſed etiam in perſona Chriſti, perinde ac ſi ipſemet eſſet Chriſtus; & ſic profert hæc verba, *Hoc eſt Corpus meum*, *Hic eſt calix Sanguinis mei*: quomodo Angelus Exodi 3. dicit: *Ego ſum Deus Patris tui*. Ratio eſt: quia non ſolùm intendit proferre verba illa, vt narret quid chriſtus dixerit & fecerit: ſed etiam, vt ipſe pereadem verba in perſona Chriſti operetur, conuertendo hunc panem præſentem in Corpus Chriſti; & ſignificet id, quod operatur. Hæc enim duo in eãdem oratione ſimul poſſe intendi, & ſignificari: patet exemplis: Vt, ſi Legatus regis habens in mãdatis te præponere arci, dicat: *Rex mihi iniunxit, vt hanc arcem tibi traderem, dicens; Hoinc arcis tu eſto præfectus*; intendens ſimul narrare quid rex dixerit, & in perſona regis arcem illis ijſdem verbis tradere. Item, ſi quis dicat: Caluinus dicit, *Chriſti Corpus non eſt in Euchariſtia*, intendens referre quid Caluinus doceat, & ſimul ſignificare ſuam ſententiam.

Vtro Hæc vt *narratiue* vel *affirmatiue* dicitur, quid ſignificet.

Hîc tamen aduerte, quatenus illa verba, *Hoc eſt Corpus meum*, dicuntur *hiſtoricè*, ſeu *narratiuè*, pronomen *Hoc* deſignat contentum ſub ſpeciebus panis, qui erat in manibus Chriſti: quatenus autem dicuntur *affirmatiuè*, deſignat cõtentum ſub ſpeciebus panis, qui eſt in manibus Sacerdotis. Nequeid mirum; quia poteſt oratio ſub diuerſa intentione etiam diuerſa ſignificare, ſine vllo vitio æquiuocationis; præſertim quando intentiones ſeu ſignificationes ſunt ſubordinatæ, ſicut in propoſitio.

DVBIVM II.

Vtrùm hæc oratio, Hoc eſt Corpus meum *; operetur quatenus eſt vera? An alio modo, ſcilicet quatenus eſt neutra, id eſt, neque vera neque falſa?*

17 Hæc Oratio operatur, vt ſignificatiua.

REſpondeo, & Dico Primò, Hæc oratio operatur vt ſignificatiua. Probatur; Quia ratio operandi eſt ſignificatio; vt videre eſt in omnibus Sacramentis: omnia enim operantur vt ſigna. Vnde Concilium Trident. ſeſſ. 13. cap. 3. dicit *Chriſti Corpus eſſe ibi ex vi verborum*: id eſt, ex vi ſignificationis verborum.

Dico Secundò, Non tamen operatur, vt verè ſpeculatiuè, aut vt falſa: ſed vt prior naturâ quàm ſit vera vel falſa; id eſt, operatur, vt neutra, iuxta Scotũ diſt. 8. qu. 2. art. 3. Probatur, Quia veritas illius ſpeculatiua pendet à præſentia Corporis Chriſti; preſentia autem pendet ab operatione; ergo operatio orationis huius eſt prior naturâ, quam veritas eius: ergo operatio non pendet ab eius veritate: ſed contrà, veritas eius pendet ab eius operatione. Quod confirmatur; quia oratio illa operatur, non quia vera eſt, ſed vt vera ſit: priùs enim naturâ eſt ſignificatiua, quàm ſit vera, cùm per ſe ſit indeterminata ad veritatem, vel falſitatem. Vt autem ſit vera, operatur ſuum ſignificatum.

18 Et vt Vera Practicè.

Dico Tertiò; Hęc oratio vt vera practicè, rectè dicitur eſſe operatiua ſui ſignificati, & cauſa ſuæ veritatis ſpeculatiuæ ſeu enuntiatiuæ: vt rectè Caietanus hoc loco. Probatur, Quia practica veritas orationis conſiſtit in eo, quòd ſit cõformis intentioni & poteſtati loquentis: (Vt patet in hac oratione, *Hic ager tuus*, pronuntiata à domino agri cum intentione tibi donandi: erit enim practicè vera, etſi fortè contingat veritatem ſpeculatiuam, quę pendet ab executione, impediri.) Hinc enim habet, quòd ſit vera cauſa ſui ſignificati, ac proinde ſuæ veritatis ſpeculatiuæ.

19 Ordo eorum, quæ hic in hac Oratione conſideranda ſunt.

Itaque in hac oratione hæc ordinę ſunt conſiderãda. Primò; ſonus materialis verborum. Secundò, ſignificatio indeterminata ad verum & falſum. Tertiò, veritas practica. Quartò, operatio eius. Quintò, præſentia Corporis Chriſti. Sextò, veritas ſpeculatiua.

ARTICVLVS VI.

Vtrum forma cõſecrationis panis conſequatur ſuum effectum, antequam perficiatur forma conſecrationis vini?

Vide D. Thomam.

Digitized by Google

ſui, quam habet de ſe in cælo, eſſe in Sacramento.

Dices Secundò, Si lux vel color contraheretur in punctum, & tunc cõtinuè multiplicaretur per replicationem ſui in aliquo ſubiecto vel ſpatio, haberet rationem continui: ergo poſſet videri: atqui ſic fit in hoc Sacramento: ergo &c. Reſpõdeo, Non haberet rationem continui materialis, & quantitatiui, quod per partes diffunditur; ſed ſpiritalis, quod per ſe totum diffunditur, ita vt totum ſit in ſingulis punctis: vnde nõ eſſet viſibilis.

DVBIVM I.

An ſaltem intellectu poſſit conſpici hoc Corpus & quomodo?

47 Chriſtus hic videtur à beatis ſupernaturaliter.

REſpondeo, & Dico Primò, Dubitandum non eſt, quin lumine ſupernaturali, tùm in diuinâ eſſentiâ per cognitionem matutinam; tùm extra per cognitionem veſpertinam, poſſit hoc Corpus cum ſuo modo exiſtendi intuitiue cerni.

48 Dico Secundò, Etſi lumine naturali non poſſit hic modus exiſtendi perfectè cognoſci ab Angelo; probabile tamen eſt, poſſe ipſum corpus Chriſti cerni ab illo in Euchariſtia.

Prior pars, Eſt D. Thomæ & communis ſententia Doctorum: quia hic modus exiſtendi Corporis Chriſti, in ſua ratione eſt omnino ſupernaturalis; ac proinde ſupra naturalem cognitionem Angelicam. Poteſt tamẽ hic modus imperfectè cognoſci ex analogia eius modi, quo exiſtunt res ſpirituales; qui modus Angelo ſatis perſpectus eſt.

Altera pars eſt Scoti d. 10. q. 8. Occami, & Gabrielis lect. 45. pro qua aliquot rationes adfert Scotus. Probatur Primò, Quia Angelus naturaliter facilè videt ibi non eſſe ſubſtantiam panis; & accidentia ſine ſubiecto conſeruari; vnde facilè colligit ibi eſſe Corpus Chriſti. Sed hæc ratio ſolùm probat, illud coniecturâ cognoſci, ſuppoſita generali fide, vel cognitione huius myſterij; non autem cognoſci intuitiuè. Vnde Probatur Secundò: corpus chriſti eſt quiddam naturaliter ab Angelo intelligbiile: Neque hoc tollitur per illum modum indiuiſibilem exiſtendi; nam hic modus eſt illi corpori accidentarius, & quaſi ſuperueniẽs illius ſubſtantię; vnde non poteſt auferre id, quod priùs naturâ, & per ſe, corpori conuenit. Neque indiuiſibilitas impedit; quia hic modus exiſtendi non repugnat obiecto intellectûs Angelici, ſicut repugnat obiecto ſenſûs. Neque etiam neceſſe eſt illum modum intuitiuè cognoſci; ſatis eſt cognoſci per analogiam alterius modi naturalis.

49 Et naturaliter cognoſcitur ab Angelis.

Et dæmonibus.

Ex his ſequitur, etiam Dæmones Chriſti præſentiâ in Euchariſtia naturaliter poſſe cognoſcere. Sed ex hoc adſpectu nõ accipiunt aliquam voluptatem, ſed ſummum horrorem, ſicut reus ex preſentia Iudicis.

DVBIVM. II.

Vtrùm Chriſtus poſſit videre in Sacramento oculo corporali ea quæ circumſtant hoſtiam; vel alias operationes ſenſuum, aut intellectus habere?

50 Chriſtus hic naturaliter non poteſt vti ſenſibus.

REſpondeo, & Dico Primò, Naturaliter non poteſt vti ſenſibus exterioribus, vel interioribus in Euchariſtia. Ratio eſt, Quia ad hoc requiritur inſtrumentorum extenſio certaque conformatio, & ſpirituum animalium cooperatio.

Dico Secundò, Ob eandem cauſam non poteſt naturaliter intelligere cum conuerſione ad phantaſmata; id eſt, cooperante phantaſiâ.

Poteſt naturaliter intelligere abſque conuerſione ad phantaſmata.

Dico Tertiò, Videtur tamen naturaliter poſſe elicere actus intellectûs nõ dependentes vllo modo ab vſu phantaſiæ. Ratio eſt, Quia hi ſunt merè ſpiritales, nec dependent à corporali figurâ, vel conformatione inſtrumentorum; modus enim ille exiſtendi indiuiſibiliter, eſt illis actibus naturalis. Idem dicendum de actibus voluntatis. Dices, Vis creata non poteſt vllum actum vel effectum replicare infinities, ſic vt illæ replicationes ſint naturaliter ſeparabiles. Reſpondeo, verum eſt: Vnde hæc intellectio non poterit elici naturaliter ſub omnibus punctis hoſtiæ, ſicuti Corpus Chriſti & Anima ſub omnibus punctis ponitur; ſed ſub aliquo puncto vel particulâ, vbi Chriſto placuerit.

51 Et diuinitus videre & audire Sacerdotem, &c

Dico Quartò, Valdè probabile eſt, Chriſtum in Euchariſtia virtute diuina oculo corporali videre Sacerdotem, & alios præſẽtes; audire eius vocem; & reliqua. Probatur Primò, Quia cùm Dominus per hoc Sacramentum nobiſcum habitet corporaliter; omnino decebat, vt haberet aliquod nobiſcum corporale commercium per ſenſus corporales, neque ibi eſſet modo ſtupido, & mortuo. Secundò, Quia Deo id facillimum eſt, vel dando ſpecies indiuiſibiles Chriſti oculo; vel ſingulari modo concurrendo cum oculo, vt etiam ſine ſpeciebus, & ſpiritibus animalibus videat.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum, quando in hoc Sacramento miraculoſe apparet caro, vel puer, ſit ibi corpus chriſti?

52 Duplex modus quo chriſtus in Sacramento apparet. Vt puer.

D. Thomas ponit hîc duos modos, quibus tale quid poteſt apparere. Circa quę:

Notandum Primò, Interdum fieri poſſe, vt Dominus in propria, & ſibi intrinſeca figura appareat; vt docet Gabriel lectione 51. citans etiam Alexandrum Alenſem. Nam exhibuit ſe aliquãdo ob ſingularem deuotionem ſeruorum ſuorum in forma pulcherrimi pueri, & permiſit ſe ampiecti, & exoſculari: vt refert Paſchaſius lib. de corpore Domini cap. 14. de quodam Sacerdote, qui id à Domino impetrauit; cuius precibus rurſus in priſtinam Sacramenti formam eſt immutatus. Credibile tamẽeſt id eſſe perrarum: & frequẽtiùs fieri (vt Docet D. Thomas) vel ſolâ oculorum immutatione, vel circumpoſitione figuræ humanę circa Euchariſtiam. Nõ tamen vrget quod hic obijcit D. Thomas contra priorem modum, ſcilicet chriſtum nõ poſſe in propria ſpecie videri, niſi in vno loco: hoc enim ſupra q. 75 a. 1. n. 25. refutatum eſt; & patet ex apparitione, quæ facta eſt Paulo in viâ, vbi Dominus Paulo in propria & intrinſeca ſpecie apparuit, etſi etiam ſecundùm eãdem ſpeciem eſſet in cęlo.

Notandum Secundò, Quando hoſtia videtur verſa in carnem, vel ſpecies vini in Sanguinem; dupliciter id fieri poteſt, iuxta D. Thomam. Primò, Sine vlla intrinſeca mutatione ſpecierũ, per ſolam immutationem oculorum, vel aëris; & tunc ſine dubio manet chriſti corpus ſub ſpeciebus: quomodo credendum eſt fieri, quando hęc ſpecies parum durat. Secundò, Si Deus mutet ipſas ſpecies ſacramentales, inductis quibuſdam qualitatibus ſenſibilibus carnis vel ſanguinis; v. g. colore, vel ſpiſſitudine, conſeruatâ quantitate, & alijs accidentibus occultioribus, quę ſufficerent ad cõſeruandam panis, & vini ſubſtantiam; & tunc etiam ſub tali ſpecie carnis, & ſanguinis, manet chriſtus

53 Idem dupliciter modus quo hoſtia videtur verſa in carnem vel ſanguinẽ.

igitized by

sacramentaliter.

54 quando mutantur species in Sacramētales, ordinariè non est ibi caro christi naturalis in specie naturali.

Quòd si tamen esset specierum mutatio, vt substantia panis, aut vini requiret cōseruari (vt si totum temperamentum intrinsecū mutaretur) tūc non maneret ibi corpus christi Sacramentaliter. Gabriel tamen & Alex. Alensis existimant, quādo diuinitus mutantur species sacramentales, verè poni ibi carnem Christi naturalē in specie naturali. Verùm, etsi hic modus Deo sit possibilis, credibile tamen non videtur, quòd eo vtatur, saltem ordinariè, vt illi putant. Primò. Quia interdum ista species carnis & sanguinis diu perseuerat, & sensim nigrescit, & corrumpitur; vt patet in multis locis: Corpus autē Domini & Sanguis est incorruptibilis. Secundò, Quia vbicumque est Corpus Domini, ibi etiam est Sanguis, & Anima, iuxta Concilium Trid. sess. 13. c. 3. nam partes Domini nunquā ampliùs separabūtur. Atqui non est probabile in illa portiuncula carnis, tot annis manere Sanguinem eius & Animam. Tertiò, Quia non est credibile, quando Sanguis miraculose manat ex hostiâ, esse Sanguinē Domini in propria specie. Nam sanguis Domini non potest esse extra venas, & manere extra corpus; vt patet ex Concil. Trid. Est ergo quiddā miraculo effformatum; ad significandum, ibi latere corpus viuum habens sanguinem.

Concil. Tridēt.

Notandum Tertiò. Si Sacerdos non abhorreret, posset illam speciem, quæ in carnem versa videtur, sumere in sacrificio; quia nullum est præceptum, quod prohibeat; & pertinet illa sumptio ad sacrificij complementum. Melius tamen existimatur, vt ad fidelium consolationem, Christique laudem conseruetur. Quod cùm fit, non est opus aliam hostiam, vel aliud vinum consecrare: tùm quia id non esset complere sacrificium inchoatum, sed nouum instituere: tùm quia Summus Sacerdos Christus censetur tunc dispensare, ne sacrificium debeat consumi.

55 An sic mutata species possit sumi.

An debeat fieri noua consecratio.

QVÆSTIO LXXVII.

De Accidentibus remanentibus in Sacramento.

In Octo Articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum Accidentia remaneant sine subiecto in hoc Sacramento?

1 De fide est accidētia remanere sine subiecto.

REspondetur: Accidentia panis & vini post consecrationem remanent sine subiecto. Intellige, de tota collectione. Et sic est fide tenendū. Probatur Primò, ex Cōcilio Constantiensi sess. 8. vbi damnatur iste articulus Vvieleffi: *Accidentia panis non manēt sine subiecto.* Itē ex Concil. Lateranēsi magno sub Innocētio III. Florentino, & Tridentino suprà q. 75. a. 2. n. 32. citatis. Idem docet Cyprianus serm. de cœnâ domini: *Panis iste non est qui fuit, sed naturâ mutatus; omnipotentiâ Verbi factus est caro.* Cyrillus Hierosolym. *sub specie panis datur tibi Corpus; sub specie vini datur tibi sanguis.* Vide Ambrosiū, Gregoriū, Cyrillum Alexandrinū, & alios suprà q. 75. a. 2. n. 33. citatos. Docent enim cōmuniter Patres, christi corpus, & Sanguinem nobis exhiberi sub specie panis & vini, substantiâ illorum mutatâ.

Cyprian.

Cyrillus Ierosolym.

Probatur Secundò, Fide tenendum est, substātiam panis & vini desinere, & accidētia remanere: ergo remanēt sine subiecto. Non enim inexistūt corpori Christi, vt etiam fides docet; alioqui corpus Christi esset album, rotundum, liquidum, fragile, atque adeò passibile: imò nec possunt illi inexistere, quia existunt diuisibiliter; Christi autem Corpus existit indiuisibiliter. Neque etiam inexistunt aëri, vt rectè probat D. Thomas. & 6. Hexameron docet lucem illam, quæ fuit creata primo die, fuisse absque subiecto & vehiculo, vsque ad diem quartum, quando conditū est corpus solare, in quo lucē illā putat fuisse repositam: triduo autem præcedente, effeciſſe diem radiorū emissione, noctem verò eorūdem retractione. Basilium sequitur Procopius Gasæus in 1. c. Gen. & Damas. lib. 2. de Fide c. 7. Hęc opinio, etsi vera non sit, non tamen est impossibilis, vt, quæ à clarissimis ingenijs asserta sit. *Sicut enim,* (vt rectè Basilius hom. 6.) *aliud est albedo, aliud corpus, quod per illam sit album; sic aliud est lux, aliud corpus lucidum: & quāuis nos,* inquit, *ea separare non possimus, nisi cogitatione, Deus tamen ipsa illa separare potest.* Ratio est, Quia actu inexistere non est de ratione formæ accidentarię; sed est tā tummodò modus quidā illius necessarius, vt cōuenienter naturæ suæ existat, & subiectum perficiat. Quod confirmatur; quia hę formę à Deo institutę sunt, vt perficiant & exornent substantias creatas, quæ secundùm se alioqui imperfectæ sunt & informes: ergo habent proprium & distinctam entitatem, & perfectionem: ergo vnio cum substantia non est de essentia illarum; sed solūmodò quædam illarū modificatio in modo existendi. Nunquam enim de essentia rei absolutè, potest esse vnio ad aliquid extrinsecum. De quo vide Scotum dist. 12. quæst. 1.

Probatur idem ratione.

Neque verum est, accidentia indiuiduari à subiecto, nisi vt à causa extrinseca, & potiùs *in fieri* quàm *in facto esse*: nam intrinsecè indiuidua sunt per suam intrinsecam differentiā indiuidualem.

An accidētia indiuiduentur à subiecto.

DVBIVM. I.

Quomodo possit fieri, vt accidens sit sine subiecto, cùm accidentis esse sit inesse: & accidens omne debeat indiuiduari à subiecto?

2 Accidentia posse esse sine omni subiecto.

REspondeo, Thomas Vvaldensis tom. 2. c. 76. adfert multa testimonia veterum Philosophorum, qui censebant accidens posse esse sine omni subiecto. Inter SS. Patres Basilius hom. 2. ieēte, & Philosophi & SS. Patres sēserunt.

DVBIVM. II.

Vtrùm, vt accidens per se existat, debeat illi addi aliquis modus positiuus, qui sit veluti subsistentia per se?

3 Caietanus hunc modū admittit.

CAietanus hoc loco affirmat, docetque hūc modum tribuere quantitati vim substātię, & materiæ primę; ita vt per eum fiat vice-materia & vice-substātia; possitque subire munus ma-

Digitized by Google

teriæ & ſubſtantiæ in excipiendis, & ſuſtentãdis alijs accidentibus. Alij admittunt quidem modũ poſitiuum, non tamen tribuunt ei omnia quæ Caietanus, ſed ſolùm, quòd faciat accidens per ſe exiſtere.

4 Probabili' negatur.

Reſpondeo, & Dico primò, Probabilius eſt nullum modum, vel entitatem poſitiuã requiri, vt accidens per ſe ſubſiſtat. Ita Scotus diſt. 12. q. 1. & Dominicus Soto diſt. 10. quæſt. 2. art. 2. & inſinuat D. Thomas hoc loco.

Probatur Primò, Quia hic modus, ſeu hæc entitas, vel eſt ſubſtãtia vel accidẽs. Non eſt ſubſtantia; tum quia in Euchariſtiã nulla eſt ſubſtãtia præter corpus chriſti; tum quia, ſi eſſet ſubſtãtia deberet eſſe ſubiectũ accidentiũ; & ſic accidẽtia nõ eſsẽt ibi ſine ſubiecto; quod eſt cõtra fidẽ, vt patet ex dictis. Non etiam eſt accidens; quia nihil iuuaret alia accidentia ad exiſtẽdum per ſe: nam ipsũmet egeret alio modo ad ſic exiſtendũ; & iſte rurſus alio, ſicque in infinitum. Si dicas, Eſſe modum accidẽtalem oppoſitum inhęrentiæ actuali accidentis. Contrà: Quia hîc modus nihil iuuaret, cùm ſit res maximè imbecillis, tota pẽdens ab ipſa accidentis ſubſtantia.

Probatur Secundò, Quia anima rationalis, dum ſeparatur à corpore, non accipit talem modum poſitiuum exiſtendi per ſe; ſed manet in ſua exiſtentia priuata modo vnionis cum corpore; cùm tamen ipſa ſit ſubſtantia, quæ lõgiſſimo tẽpore manſura eſt ſeparata, & ſuas functiones obitura: ergo non eſt credibile accidens accipere talem modum à ſua natura tam alienũ; præſertim cùm breui tempore vel ſit periturum, vel materiæ vniendum. Antecedens patet, quia alioquin non appeteret vnionem corporis.

Obiectio.

Dices primò, per hunc modũ accidentia perfectiùs exiſtent per ſe; eruntque aptiora ad recipienda & ſuſtentanda alia accidentia: ergo hic modus non eſt negandus. Reſpondeo Primò, Admiſſo Antecedente, nego Conſequentiam: Quia cùm hic modus non reſultet naturaliter ex ſeparatione accidentis, non eſt etiã credibile dari à Deo ſupernaturaliter; tum quia non datur animæ rationali ſeparatę; tum quia ſine hoc modo poſſunt accidentia ſeorſim à ſubiecto exiſtere, quantũ ſatis eſt ad occultãdum Corpus Domini, & ad ſuſtentanda alia accidentia. Vnde ſuperuacaneum eſt imaginari perfectiorem modum; præſertim cùm hîc non agatur de accidentibus illis perficiendis. Reſpondeo Secundò, Negari etiam poteſt antecedens, ſaltem ex parte: nam accidens, quod eſt ſubiectum alterius accidentis, vt quantitas coloris, per ſuam entitatem illud recipit & ſuſtentat: neque ad hoc officium ille modus quidquam iuuat.

Dices ſecundò, D. Thomas hîc ad 4. ait. *Accidens dum per ſe ſubſiſtit eſſe compoſitum ex eſſe, & quod eſt*: ergo vult accidenti tunc addi nouum modum exiſtendi per ſe.

Illuſtratur mens Diui Thomæ.

Reſpondeo, Solùm vult dicere, accidentia, dum inhærent ſubiecto, non conſiderari vt formas, quæ habeant eſſe; nam ſuum eſſe non ſibi, ſed ſubiecto habent cùm autem ſeparata ſunt, tunc conſiderari vt habentia eſſe; quia non applicãt alteri, ſed ſibi tantùm illud habent. Per *eſſe* autẽ intelligit exiſtentiam, ad quam tunc comparatur accidens, vt ſubiectum ad ſuam formam, iuxta D. Thomam. Et hoc ſenſu dicit tunc accidentia *compoſita ex eſſe, & quod eſt*.

5 Vt accidẽs per ſe ſubſiſtat, ſufficit cõtinuatio influxus diuini.

Dico Secundò, Vt accidentia per ſe ſubſiſtant, ſatis eſt, vt illorum exiſtentia vel entitas actualis, diuina virtute, ſubſtracto ſubiecto, conſeruetur ſeu continuetur. Inſinuat D. Thomas hîc in Corpore; & docet optimè Scotus. Ratio eſt, Quia illorum accidentium natura ſeu entitas actualis, prior eſt naturâ quàm vnio cũ ſubiecto: ergo poteſt conſeruari deſinẽte illa vnione; quia id quod prius eſt, poteſt conſeruari ſine poſteriore.

Duplicitèr poteſt accidens extra ſubiectũ conſeruari.

Aduertendum autem, hanc conſeruationem poſſe dupliciter fieri. Primò, Per ſolam actionẽ conſeruatiuam, quâ Deus illam formâ anteà cõſeruabat in ſubiecto, nullâ creaturâ effectiuè intrinſecè cooperante: hæc enim actio continuata ſufficit, vt accidens maneat exiſtens euaneſcente ſubiecto: Nam ſubiectum nullum influxum effectiuum habebat in illud accidens; ſed ſolùm materialiter illud excipiebat; id eſt, ei vniebatur: vnde fiebat vt conuenienter naturę ſuæ exiſteret. Quare non eſt imaginandũ, Deũ ſubtracto ſubiecto ſupplere vicem ſubiecti vel materię: cùm cauſalitas materiæ vel ſubiecti nõ poſſit ſuppleri per aliquem effectiuum influxum: conſiſtit enim in quadã intima vnione formæ, & ſubiecti; quę vnio neceſſariò perit deſinente ſubiecto, quãuis maneat idem prorſus influxus Dei in ipſam entitatem formę. Secundò, Fieri poteſt hæc conſeruatio extra ſubiectum, per nouum aliquem influxum Dei; quando videlicet ipſum accidens etiam à ſubiecto effectiuè conſeruabatur: tunc enim non ſufficit antiquus influxus Dei; ſed opus eſt nouo, quo ſuppleatur influxus ſubiecti, vel cauſę creatæ; vt per ſe conſtat. *Vide lib. 12. de Perfectionibus diuinis cap. 16. num. 111. vbi oſtenditur quo pacto ſpecies Euchariſtiæ per ſe, nullo ſubiecto innixa conſiſtant. Vide etiam lib. 3. de Summo Bono. c. 9. p. 4. num. 48. & ſequentibus, vbi late probatur eâdem actione ſecundùm ſubſtantiam, accidens conſeruari in ſubiecto & extra.*

ARTICVLVS II.

Vtrum Quantitas panis & vini ſit aliorum accidentium ſubiectum?

6 Prior ſententia negans, & facile defendi potẽſt.

QVidam exiſtimant omnia accidentia in Euchariſtia ſine ſubiecto exiſtere; neq; quãtitatem eſſe ſubiectũ reliquorum. Ratio illorũ eſt; Quia quantitas non eſt res aliqua diſtincta à ſubſtantia, & qualitatibus; ſed eſt dumtaxat modus quidam illorum, per quem intrinſecè extenduntur: dicunt enim materiam & formam ſubſtantialem, & qualitates corporales per ſe eſſe extenſas intrinſecè & proprio modo extenſionis; in qua extenſione poſſint diuinitus conſeruari, reliquis omnibus, quæ realiter ab ipſis diſtinguuntur, abolitis: vnde nihil opus eſſe aliâ quantitate diſtinctâ. Ita Occam in 4. q. 7. Gabriel lectione 44. in Canonem: & aliqui alij. Quæ ſententia facilè defendi poteſt, & mihi præ ceteris placet.

7 Altera ſẽtentia cõmunior affirmans.

Verùm receptior ſententia eſt, Cetera accidentia eſſe in quantitate, tanquam in ſubiecto. Ita D. Thomas hîc, & Scotus diſt. 12. qu. 2. & alij paſſim eâdem diſt. Quæ ad meliorem intelligentiam, ſic videtur explicanda, Vt quantitas ſtatuatur eſſe quoddam accidens à cęteris diſtinctũ realiter, magnam habens conformitatem cum materiâ primâ, quod partes materię & formæ extendat, efficiatque vt alia firmiter ſit extra aliam, neque poſſint eſſe naturaliter ſimul. Sine hac autem quantitate partes materiæ poſſe eſſe ſimul, & confluere in punctum: vnde eſſent ineptæ ad recipiendam actionem rerum naturalium. Itaque Deus ab initio creauit materiâ primam ſub quãtitate, per quam expanderetur, & idonea fieret ad formas accidentarias, & ſubſtantiales reci-

quid, quãtitas, & ad quem vſũ.

piendas. Vnde quantitas eſt prima diſpoſitio materiæ, mediante quâ recipit alias diſpoſitiones, ſic vt hæ immediatè inſint quantitati; & per quãtitatem inſint materiæ. Quò fit, vt ſubtractâ materiâ, & conſeruatâ quantitate, reliqua accidentia naturaliter remaneant in quantitate, tanquã in ſuo immediato ſubiecto; ita vt nulla in illis fiat mutatio quoad inhærentiam, ſeu vnionem cum ſubiecto; ſed ſolùm in quantitate.

Probatur Ratione.

Probat hanc ſententiam D. Thomas tribus rationibus: quæ quia facilè ſolui poſſent, adde tres alias. Prima eſt; Quia, niſi illa accidentia eſſent in aliquo cõmuni ſubiecto, non haberent inter ſe aliquam connexionem: vnde facilè exciderent ex ſe inuicem; neque ſe mutuo neceſſariò comitarentur, dum aliquod ex illis moueretur loco. Secunda, Quia non poſſet dari commoda ratio, cur ſpecies vnius hoſtię nõ poſſent penetrare ſpecies alterius hoſtiæ; ſi nulla eſt ibi quantitas impediens penetrationem: nam quantitates proprię ſingularum ſpecierum poſſunt ſe mutuo penetrare per intimam præſentiam; nam calor penetrat colorem, & contrà. Tertia, Quia agens naturale nõ poſſet hoſtiã naturaliter calefacere, ſi non ſubeſſet quantitas; quia non poteſt naturaliter calorem producere extra ſubiectum. Hoc enim eſſet creare. Sed, vt verum fatear, & hæ rationes non difficulter ſolui poſſunt. Quare prior ſententia mihi magis probatur. *Vide lib. 12. de Perfect. diuinis cap. 16. num 112. & 113.*

ARTICVLVS III.

Vtrum Species poſſint aliquid extrinſecum immutare?

8 Reſponſio eſt affirmans, & patet experientia.

REſpondeo, Certum eſt ſpecies ſacramentales poſſe immutare res extrinſecas. Patet experientiâ: nam immutant oculos, ſenſum guſtandi, odorandi, & tangendi: item calefaciunt & frigefaciunt. Ratio eſt, Quia iſtæ ſpecies non à ſubiecto, ſed ex ſe habẽt vim agendi: vnde calor ſeparatus nõ minùs eſt actiuus, quàm immerſus materiæ. Confirmatur, Quia exiſtere per ſe, non impedit actionem, ſed potiùs iuuat, expediens ipſam vim ab impedimẽto materiæ: vnde, quidquid ſpecies poſſunt, dum exiſtunt in ſubſtantiâ, poſſunt etiam ſeparatim.

quomodo ſpecies vini, vinũ gignant.

Dices, Species vini, dum exiſtunt in ſubſtantia vini, poſſunt producere vinum, ſi liquor idoneus admiſceatur. Atqui hoc non poſſunt ſeparatæ: quia non agunt in virtute ſubſtantię vini; vt quę tunc non exiſtat. Reſpondeo, Si accidentia vini, cùm inhęrent ſubſtantiæ vini, poſſunt per ſe ex alio liquore vinum generare, non concurrente immediatè ipſa ſubſtantia vini (vt videntur ſentire Thomiſtæ:) etiam id poſſunt dum ſeparatæ ſunt. Nam tota actio eſt ab ipſis accidentibus; ipſa enim ſunt virtus ſubſtantiæ. Quòd ſi ſubſtantia vini immediatè debet cooperari (vt vult Scotus diſt. 12. q. 3.) accidentia per ſe non poſſunt vinum generare, ſed cauſa vniuerſalis ſupplet quod ipſis deeſt, ſcilicet influxum, quem haberet ſubſtantia, ſi adeſſet: & ſimili modo ſupplet influxum formæ, dum ſpecies vini calefactę, vel frigefactæ reducunt ſe ad ſuam naturalem temperiem.

ARTICVLVS IV.

Vtrum Species poſſint corrumpi?

9 Affirmatur

REſpondeo, & Dico Primò, Certum eſt, ſpecies ſacramentales poſſe corrũpi, & deſinere eſſe; vt experientia docet. Ratio eſt, Nam cùm hæ ſint in quantitate, vt in ſubiecto, poſſunt actione agentium naturalium ſimiliter corrumpi introductis contrarijs qualitatibus, ſicuti ſi ſubſtantia panis & vini ſubeſſet.

An quantitas poſſit corrumpi in Euchariſtia.

Vtrùm autem ipſa quoque quantitas, quæ eſt aliorum accidentium ſubiectum, corrũpi vel alterari poſſit, dubium eſt ad phyſicam pertinens. Si enim quantitas eſt coæua materiæ, & nihil quãtitatis in mundo oritur, vel perit, ſed eadem ſemper manens expanditur per rarefactionem, & contrahitur per condenſationem, vt magni tenent Philoſophi; ſic nihil quantitatis peris deſinentibus ſpeciebus. Si autem tota quantitas in ſingulis rerum generationibus, & corruptionibus perit, ſicut vult D. Thomas cum ſuis, concedendum eſt etiam quantitatem ipſam deſinentibus ſpeciebus interire; non per corruptionẽ propriè, cùm nullum ſubiectum ſubſit; ſed per quandam veluti annihilationem, Deo deſinente illam conſeruare. Quando enim actio cauſę naturalis adeò inualeſcit in ſpecies, vt iuxta naturę ordinẽ ſubſtantia panis & vini deberet corrumpi, & cõſequenter eorum quantitas; tunc quoque Deus deſinet illam quantitatem in Euchariſtiâ conſeruare, ſinetque in nihilum recidere.

10 quando deſinat eſſe corpus chriſti ſub ſpeciebus.

Dico Secundò, Quando ſpecies ſacramentales adeò immutantur per cauſas naturales, vt iuxta naturę ordinem non poſſet ampliùs natura panis vel vini ſub illis conſeruari, eodẽ momento quo deſineret panis vel vinũ, deſinet ibi eſſe Corpus Chriſti. Eſt certa. Et Ratio eſt, Quia Corpus & Sanguis Chriſti ſuccedunt in locũ ſubſtantię panis & vini; vnde reſpectu mutationum, quæ fiẽt circa ſpecies, ſic ſe habent, ſicut ſe haberent ſubſtantiæ panis & vini, exceptâ informatione: ergò deſinunt, quando deſineret ſubſtãtia panis & vini. Vide Gabrielem lect. 84. in Canonem Miſſę.

ARTICVLVS V. & IV.

Vtrum in Speciebus ſacramentalibus poſſit aliquid generari vel nutriri?

11 Affirmatur

REſpondetur Affirmatiuè. Eſt cõmunis ſententia, & cõſtat experientia. Si enim hoſtiæ multæ comburantur, generantur cineres. Si nimis diu aſſeruentur, generantur vermes. Et poſſet homo illis ſpeciebus in magnâ quantitate ſumptis per totam vitam ſuſtentari.

Tres ſententiæ quomodo aliquid generetur ex ſpeciebus.

Sed difficile eſt explicare, quomodo id fiat. D. Thomas refutat hîc tres ſententias.

Prima eſt, Generationem, quæ videtur fieri ex ſpeciebus ſacramentalibus, fieri ex aëre circumſtante: quod benè refutat.

Secunda eſt, Redire ſubſtantiam panis & vini in termino corruptionis ſpecierum: quod refutat duabus rationibus; quarum ſecunda eſt bona, & ſufficiens; ſed prior eſt valdè difficilis. Nam certum eſt, diuinâ virtute fieri poſſe, vt tunc ſubſtantiâ panis, & vini redeat abſque vllâ conuerſione Corporis Chriſti in illam: quia nihil ſubſtantiæ panis permanſit in Corpore Chriſti; vnde etiamſi Corpus Chriſti nihil perdat, ſubſtan-

tia panis poteſt reſtitui. Neque exemplum, quod adfertur a D. Thoma de aëre verſo in aquam, qui redire non poteſt, niſi aqua reuertatur in aërem, ad rem facit: quia hîc in termino conuerſionis, ſcilicet in aqua in quam aër cõuerſus eſt, mãlit aëris materia: vnde aër non poteſt redire, niſi illi ſua materia reſtituatur, ac proinde niſi aqua reuertatur in aërem. In Corpore autem chriſti, in quod conuertitur panis, nihil manet panis: vnde, vt panis redeat, non eſt neceſſe Corpori Chriſti quidquam detrahi. Deinde certum eſt apud omnes Theologos, etiam Diuum Thomam Deum poſſe eandem numero materiam, vel ſubſtantiam reparare. Quare dum hic dicit, *hæc fieri non poſſe*, explicandus eſt D. Thomas, non poſſe fieri ex vi inſtitutionis huius Sacramenti: quia non habent neceſſariam connexionem cum eâ. Vide Caietanum.

Tertia Sententia, quam refutat D. Thomas, eſt, materiam panis redire; quam ideò reijcit, quia non eſt ponendum hîc aliquod miraculum, niſi quod ex ipſâ conſecratione neceſſariò ſequitur.

Sententia. D. Thomæ. Vnde tandem ipſe concludit, meliùs dici quòd ipſi quantitati miraculosè detur, vt ſit primum ſubiectum ſubſequentium formarum ſubſtantialium: quod etiam tenent quidam alij Thomiſte, vt ferrarienſis lib. 4. contra gentes cap. 66. Inſinuat Henricus Quodlibeto 8. qu. 56.

12 Non placet. Verùm hæc ſententia videtur omnino impoſſibilis, vt oſtendit Scotus diſt. 12. qu. 3. Primò, Quia inter quantitatem & formam ſubſtantialẽ non poteſt eſſe vnio ſubſtantialis cõſtituens ſubſtantiam; cùm quantitas ſit accidens. Secundò, Quia ſequeretur vermẽ genitum ex illis ſpeciebus, non conſtare vera & ſubſtantiali materia, quæ tamen non minùs eſt de ratione ſubſtantiæ corporeæ, quàm forma, ſed accidente, ſcilicet quantitate materiæ: & ſic eſſe vermem mathematicum, non naturalem, niſi ratione formæ: quod ſanè eſſet monſtrum inauditum. Idem ſequeretur de homine, ſi longo tempore iſtis ſpeciebus alatur. Imò ſequeretur plurimas res conſtare quantitate, tamquam parte eſſentiali, vel totas, vel ſecundùm partem; & talium rerum fieri generationes vſque ad finem mundi. Tertiò, ſequeretur mũdum ſenſim exhauriri ſuâ primæuâ materiâ, nec vnquam eam reſtitui.

13 Sententia verior. Quare dicendum eſt: Quando alteratio ſpecierum ſacramentalium eouſque proceſſit, vt neceſſariò ſubſtantia panis & vini, ſi ſubeſſet, deberet deſinere, & alia forma ſubſtantialis introduci; eo ipſo momento diuinâ virtute ſubſtitui materiam ex qua res gignatur. Ita Guil. Occam in 4. qu. 7. Gabriel lect. 45. in Canonem. Durandus diſt. 12. qu. 7. & Scotus diſt. 12. quæſt. 6.

Explicatur, quomodo ex ſpeciebus aliquid generetur. Quæ ſententia ſic explicatur. Primò, Fit introductio diſpoſitionum in quantitate hoſtiæ à causa naturali, v. g. ab igne. Secundò, Poſita vltima diſpoſitione, v. g. calore octo graduum in ſpeciebus, Deus per creationem ſubſtituit materiã. Tertio, Quantitatem illam affectam noua diſpoſitione immergit materiæ, vel certè ipſa quantitas naturaliter ſe illi vnit, cùm ſit illi intimè preſens. Quartò, cauſa naturalis per diſpoſitionem introductam cõcurrit naturaliter cum Deo, tanquam primâ causâ, ad producendam formam ignis ex eadẽ materiâ. Hæc ſententia euitat omnia incommoda aliarum ſententiarum; & iuxta illam, mundus non priuatur ſuâ primigeniâ materiâ: & obtimè ſaluat actionem rerum naturaliũ; neque multiplicat miracula ſine neceſſitate; nam inſtitutio huius Sacramenti neceſſariò hæc omnia poſtulabat: alioqui induſtria humana potuiſſet hoc myſterium comprehendere.

ARTICVLVS VII.

Vtrum Species Sacramentales frangantur?

REſpondẽtur, Species Sacramentales frangi, & diuidi: Corpus tamen Chriſti non frangi propriè, nec diuidi, ſed totum manere ſub ſingulis partibus. Dici tamen frangi, per denominationem extrinſecam; quia illud frangitur, ſub quo ipſum realiter eſt præſens per modum continui, & poſt fractionem per modum diſcreti.

14 Chriſtus hic propriè non frãgitur, niſi per & propter ſpecies.

Notandum eſt, patres interdum dicere ipſum Corpus Chriſti *viueri, tangi, dentibus atteri*. Chryſoſtomus hom. 83. in Ioannem, *Ipſum vides, ipſum tangis, ipſum comedis*. Homil. 45. in Ioannem. *Non tantùm ſe videri permittit, ſed & tãgi, & mãducari, & dentes carni ſuæ infigi*. Homil. 24. in priorẽ ad Corinth. *Quod in cruce paſſum non eſt, id in oblatione patitur, & propter te frangi ſuſtinet, vt omnes ſatiet*. Similia habet Cyrillus lib. 12. in Ioannem cap. 58. Senſus autem eſt Chriſtum in Sacraméto non ſolùm videri, tangi, comedi, ſicuti in nudo ſigno; quomodo videntes, aut contrectãtes imaginem Chriſti, dicimur videre & contrectare Chriſtum; & quomodo Iudæi comedentes Agnũ paſchalem mandducabant Chriſtũ: ſed etiam realiter ſub illis ſignis eſſe præſentem, illiſque tegi, & velari, vt per illa, velut per quoddam velum, ipſum reuerà videamus, tangamus, comedamus, ſicuti ſubſtantia per ſua accidentia videtur, & tãgitur. Iuxta quem modum Dominus Lucæ 8. v. 46. muliere fimbriam tangente dixit; *Tetigit me aliquis*. Et quomodo in Scripturis Angeli dicuntur videri in formâ aſſumptâ.

quo ſenſu dicatur hic Chriſtus *videri, tangi* &c.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum aliquis liquor vino conſecrato poſsit admiſceri?

REſpondeo, & Dico Primò, poſſe alios liquores ſpeciebus Sacramentalibus miſceri: id enim experientia conſtat.

15 Alij liquores non sãguini, ſed ſpeciebus miſcẽtur.

Dico Secundò Iſti tamen liquores nõ miſcentur proprie ipſi Sanguini. Ratio eſt; quia ad mixtionem requiritur interpoſitio, contactus, & vnio Sanguis autem Chriſti non poteſt per ſe tãgi, aut diuidi ab alio liquore externo, cum ſit intra ſua vaſa in Corpore Domini.

Dico Tertiò, Si liquor iſte vincatur à ſpeciebus Sacramentalibus, non vertetur in Corpus Domini: nam hæc conuerſio non fit, niſi per verba conſecrationis ſed vertetur in ſubſtantiam vini, quin ſpecies vini ita agunt, ac ſi vini ſubſtantia adeſſet: vtqui, ſi vini ſubſtantiâ adfuiſſet, conuertiſſent liquorem affuſum in vinum ergo ſimiliter modò.

quod ſi liquor mixtus vincatur à ſpeciebus Sacram.

Dico Quartò, Si vino cõſecrato infundatur vinum non conſecratum eiuſdem ſpeciei, non deſinet ibi eſſe Sanguis Chriſti etiamſi fiat mixtio per totum. Eſt communior ſententia Doctorum.

16 Vini non conſecrati mixtione non deſinet Sanguis Domini.

Probatur; Nam ex altera ſententia, quam videtur tenere D. Thomas, ſequuntur aliquod grauia incommoda. Primò, Si duo calices vini conſecrati inter ſe miſceantur, deſinere ibi corpus & Sanguinem

Sanguinem Domini; quod haud dubiè falsum est: nam olim in primitiua Ecclesia, quando communicabant fideles sub vtràque specie, dubitandum non est, quin sæpè ex vno vase in aliud, scilicet ex maiore in minus, vinum consecratum infundere oportuerit: quòd si tunc desijsset ibi esse sanguis Domini, Ecclesia grauiter decepta fuisset. Secùdò, Si vinum consecratum vnius calicis vehemétiùs agitetur, desinet ibi ésse Sanguis Domini: ná partium diuisio, & mutua intersectio corrumpet priores species. Omitto alia.

17 respondetur oppositę sententiæ rationibus.

Quare ad rationem sententiæ contrariæ: Respondeo, in continuo homogeneo non dari minimam partem inexistentem. Vnde quantumuis se mutuo partes vini intersecent, numquam se per hoc corrumpent: nam hoc ipso, quo se visibis consecrationem fieri; sed quasdam preces esse necessarias, quæ aliquamdiu post illa verba in illorum Liturgia proferuntur; nempe hęc, vel similia: *Spiritum tuum sanctissimum dimitte nunc quoque, Domine, in nos, & in hæc dona sancta proposita, vt superueniens sancta sua præsentia sanctificet & efficiat hunc panem corpus sanctum Christi tui, & calicem hunc pretiosum Sanguinem Christi tui*: quibus verbis recitatis, dicunt fieri conuersionem. Vnde mox Sacerdos gratias agit Deo, quòd hæc dona sanctificare dignatus sit; vt patet in Liturgià S. Iacobi. Ita docet Nicolaus Cabasilas in expositione Liturgię cap. 29. & 30. & quidam alij: contra quos agit Bessarion Cardinalis in proprio opusculo.

sim intersecant, etiam inter se continuantur, sic vt sese mutuo conseruent. Deinde, etiamsi daretur minima pars inexistens, non tamen est necessarium, vt infrà minimam se intersecent; potest enim intersectio sistere, quando deuentum fuerit ad minimas.

Obiectio de gutta vini cõsecrati labẽte in vas plenum nõ cõsecratũ.

Dices ex Paludano, Ergo si gutta vini consecrati immitteretur in vas vini non consecrati, non desineret ibi esse Corpus Domini: quod videtur absurdum. Respondeo; Id non esse absurdum, sed verissimum. Vnde hoc vinum ad vsus sacros esset deputandum: Nam totum quodammodò est benedictum, ratione contactus; quamuis non sit consecratum. Neque videtur probandum, quod ait Sotus, tale vinum habendum, vt vinum commune.

QVÆSTIO LXXVIII.

De Forma Sacramenti Eucharistiæ.

In Sex Articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum hæc sit Forma huius Sacramenti, Hoc est Corpus meum. Hic est calix Sanguinis mei?

1 RESpondetur Affirmatiuè. Ratio est, Quia hæc forma significat consecrationem materię; & in personà Christi profertur; ac proinde significat id, quod est proprium huius Sacramenti: ergo est vera forma huius Sacramenti.

Dupler differentia inter Eucharistiam & reliqua Sacramẽta

Vbi nota duplicem differentiam inter hoc Sacramentum & alia. Prior est, quòd hoc Sacramentum consistat in consecratione materiæ, id est, in eo, quod materia mutetur in rem sacram; nempe in Corpus, & Sanguinem Domini: alia consistant in vsu materiæ. Hinc fit, vt forma Sacramenti Eucharistię debeat significare materiæ consecrationem, id est, conuersionem in rem sacram; aliorum formæ, vsum materiæ.

Altera differentia est, quòd reliqua Sacramenta perficiantur à Ministro, vt Minister est; non autem vt immediatè repręsẽtat personam Christi; sed vt est distincta persona, habens potestatẽ à Christo deriuatam. Vnde quando dicit, *Ego te baptizo*: (*Ego*) supponit pro Petro, Paulo, Christi ministro: & verbum *Baptizo* significat proprium actum ministri: neque dicitur operari minister in persona Christi, nisi quatenus potest ut Christi operatur. Sed hoc Sacramentum perficitur à Ministro, vt immediatè repręsentat Christi personam; sicut Lex vetus data ab Angelo, vt immediatè repręsentante personam Dei: vnde Angelus sæpè dicebat, *Ego Dominus*. Patet id ex forma huius Sacramenti, *Hoc est corpus meum*; id est, non *Petri*, non *Pauli*, sed *Christi*.

DVBIVM. I.

Vtrùm his verbis fiat consecratio ab Ecclesia?

2 OMisso errore nostrorum hæreticorum, qui non agnoscunt vllam conuersionem, & negant formas cõsecratorias Sacramentorum; quidam Græci recentiores docent, non solis illis verGræcorum opinio.

Nicolaus Cabasilas.

Bessarion.

3 Sententia catholica reijcit græcor. preces vt necessarias in consecratione.

Florẽtinũ.

Verùm dicendum est; Consecrationem non fieri illis precibus, vt Græci volunt, sed solis verbis Domini; *Hoc est corpus meum*: *Hic est sanguis meus*: vel quod idem est, *Hic est calix Sanguinis mei*. Est ita certum, vt contrarium sit erroneum. Nam Concilium Florentinum in instructione Armenorum hoc expresè docet, tanquam doctrinam Ecclesię, non repugnantibus Græcis. *Forma*, inquit, *huius sacramenti, sunt verba saluatoris, quibus hoc sacramẽtum conficitur: Sacerdos enim in persona Christi loquens conficit hoc sacramentum.* Ita Concilium. Atqui illæ preces non sunt *verba saluatoris*: neque Sacerdos illas pronuntians, dicit illas *in persona Christi*, sed in propria persona ministri. Eadem veritas insinuatur in Concilio Tridentino sess. 13. cap. 3.

Probatur primò, Quia Christus nec dixit, nec iussit dici illas preces. Nam neque Scriptura illas habet, nec traditione constat esse necessariò dicendas: nam in Liturgia latina, quę putatur D. Petri, non habentur tales preces, nisi ante verba Domini; post autem, nequaquam: nec etiam in Liturgià Æthiopum. liturgiæ:

Probatur Secundò, Si illis verbis, *Hoc est corpus meum*, non fieret consecratio, falsa essent illa verba: nam non possunt esse vera, nisi reipsa tunc hoc sit *corpus Domini*.

Probatur Tertiò, Quia prolatis illis verbis, *Hoc est corpus meum*, cõsuetudo totius Ecclesiæ habet, vt Eucharistia exhibeatur populo adoranda, etiam apud Græcos; imò apud illos hæc verba, *Hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur*, pro- Consuetudo ecclesię

Digitized by Google

ſeruntur clarâ voce,& populus reſpondet, *Amen*; quaſi confirmans hoc ita eſſe: ergo tunc ibi eſt *corpus Domini*.

SS. Patres

Probatur Quartò, Ex Patribus. Iuſtinus Apologia 2. ſub finem dicit Panem fieri Corpus Domini per preces Verbi Dei, quas preces dicit eſſe illa verba, *Hoc eſt corpus meum*. Vbi nota illa verba vocari *preces*, ſicut & alias Sacramentorum formas; quia implicitam quandam inuocationem diuinę virtutis continent: nam in actu exercito diuina virtus applicatur ad operandum ex intentione miniſtri, illa verba proferentis. Cyprianus

Iuſtinus.

Cyprian.

ſerm. de cœna Domini. *Ex quo à Dño dictum eſt, Hoc facite in meam commemorationem: Hoc eſt caro mea, & Hic eſt Sanguis meus: quotieſcunque his verbis, & hac fide actum eſt, panis iſte ſubſtantialis, & calix benedictione ſolemni conſecratus, ad totius hominis ſalutem proficit.* Hîc oſtendit Dominum his verbis conſecraſſe, & nos ſimiliter conſecrare. Ambr. lib. 4. de Sacrament. c. 4. citatus à D. Thoma, &c. 5. explicat, quæ ſint illa verba Domini; & dicit eſſe hæc, *Hoc eſt corpus meum*. Cap. 9 lib. de ijs, qui myſterijs initiantur, *Ipſe clamat Dominus*, Ieſus, *Hoc eſt Corpus meum. Ante benedictionem verborum cæleſtium alia ſpecies nominatur: poſt conſecrationem Corpus Chriſti eſt.* Gregorius Nyſſenus apud Euthymium in Panoplia titulo 21. *Panis ſtatim in Corpus mutatur, vt dictum eſt à Verbo, Hoc eſt corpus meum.* Chryſoſtomus homil. 2. in epiſt. 2. ad Timoth. *Sicut verba, quę locutus eſt chriſtus eadem ſunt, atque ea, quę ſacerdotes nunc quoque pronuntiant; ita & oblatio eadem eſt*, Et ſermone de proditione Iudæ: *Hoc verbo, Hoc eſt corpus meum, propoſita conſecrantur*: & confert cum illis, *Creſcite & multiplicamini*: hoc tamen eſſe diſcriminis, quòd per hæc verba *creſcite* &c. vis generatiua cauſis ſecundis tribuatur, non autem immediatè fiat ipſa generatio: per verba autem conſecrationis, nõ detur aliqua virtus pani ad conuerſionem; ſed immediatè fiat ipſa conuerſio. Damaſcenus lib. 4. de Fide cap. 14. *Dixit Dominus, Hoc eſt corpus meum: hoc facite in meam commemorationem: & omnipotenti eius præcepto efficitur, donec veniat.* Omitto alios. Conſentiunt omnes Doctores cum Magiſtro diſt. 8.

gregor.

chryſoſt.

Damaſcen

4 Ratio & congruentia.

Ratio primaria eſt, inſtitutio Chriſti, quæ nobis traditione innoteſcit. Congruentia eſt; quia cùm hoc Sacramentum ſit ſublimiſſimum, maximè attingens ipſum Deum, vt pote continens naturam ab ipſo aſſumptam; non decuit fieri, niſi verbis Chriſti Dei. Confirmatur; quia Baptiſmus nõ fit niſi verbis Chriſti, nec vllas preces adiunctas requirit. Similiter alia Sacramenta præter ſuam formam non requirunt vllas preces: ergo multò minùs Euchariſtia, quæ non in perſonâ miniſtri, ſed in perſona ipſius Chriſti perficitur, vt dictum ſuprà.

Reſpondetur obiectioni græcorum.

Vnde ad rationem Græcorum: Reſpondeo, illis precibus ſolùm peti, non *vt ſpiritus ſanctus ſimpliciter efficiat panem corpus chriſti*: ſed, *vt efficiat illud nobis corpus chriſti*, ſicut vt in nobis habeat corporis Chriſti effectum. Namqui manducat indignè, illi non eſt corpus chriſti ſed venenum: ille enim condemnationem æternam manducat & bibit.

græcorum in Florentino confeſſio de hiſce precibus.

Vnde Græci in concilio Florét. ſeſſ. vltima interrogati ab Eugenio Papa, cur dicerent illas preces, quibus videretur peti conſecratio, cùm iam conſecratio eſſet facta; reſponderunt, nihil ſe dubitare, quin cõſecratio tunc eſſet facta per verba chriſti: addit tamen illas preces, vt peterét Sacrificij fructus: Sicut Latini dicunt, *Iube hæc perferri per manus ſancti Angeli tui in ſublime altare tuum*,

DVBIVM. II.

Vtrùm Dominus eiſdem verbis conſecraverit, quibus nos?

5 Sententia communis affirmat.

D. Thomas adfert quatuor opiniones. Sed tres priores carent omni probabilitate, & fere ſunt erroneę. Sola quarta eſt vera, ſcilicet Dominum conſecraſſe ijſdem verbis, quibus nos. Eſt communis ſententia Patrum, & omnium Doctorum Scholaſticorum, exceptis paucis: qui etſi nobiſcum ſentiant, tamen probabile putant chriſtum nullis verbis conſecraſſe, ſed ſolo imperio voluntatis. Ita Innocentio III. lib. 4. de Myſterijs Miſſæ cap. 6. Gabriel lect. 36. & 48. Richardus, Armacanus lib. 6. qq. Armeniacarum cap. 5. Sed reuerà hęc ſententia non eſt vllo modo probabilis.

Non eſt probabile chriſtum ſine vllis verbis conſecraſſe.

Ex Script.

Probatur Primò, Ex Scripturis: Quia Chriſtus poſt conſecrationem, ſtatim ſubdit; *Hoc facite in meam commemorationem*. Quibus verbis iuſſit nos imitari ſuam actionem in conſecrando, offerẽdo, ſi mendo, & diſpenſando: pronomen enim (*hoc*) refertur ad totam Chriſti actionem; vt communiter docent Theologi, & expreſſè Concilium Tridentinum ſeſſ. 22. cap. 1. Ergo neceſſe eſt, nos eiſdem verbis conſecrare, quibus Dominus conſecrauit. Quod Confirmatur Primò, Quia præcipua actio erat conſecratio, in qua etiam includitur oblatio: ergo ſi ille alijs verbis conſecraſſet, vel etiam ſolo voluntatis nutu, non imitaremur illum in primaria actione. Confirmatur Secundò, Quia quando Dominus conſecrauit, inſtituit hoc Sacramentum: ergo opportebat, vt tunc conſecraret ritu Sacramentali, per aliqua verba ſenſibilia; atque adeò eodem ritu, quo nos poſteà vti voluit: alioquin vel non fuiſſet idem Sacramentum, quod nos habemus; vel impertinens fuiſſet illa conſecratio ad inſtitutionem huius ſacramenti. Idem confirmari poteſt ex ſerie noſtri Canonis; *Qui pridie, quàm pateretur &c.*

Et Patribus.

Secundò, Quia idem docent expreſſè Patres: Tertullianus, Cyprianus, Ambroſius, Gregorius Nyſſenus, Chryſoſtomus, Damaſcenus, & alij.

6 Obiectio quòd chriſtus benedixerit panem, id eſt in ſuum corpus cõuerterit ante conſecrationem quorundã ſolutio.

Dices; Si Chriſtus conſecrauit illis verbis, *Hoc eſt corpus meum*; quomodo Euangeliſtæ ſignificant illum priùs *benedixiſſe*, deinde *fregiſſe*, tertiò *dediſſe Diſcipulis*, & tunc demum dixiſſe, *Accipite & comedite, Hoc eſt enim corpus meũ*? Nã illa benedictio Chriſti fuit efficax, ac proinde ſanctificauit panem ante illa verba.

1. Refutatur ex græco textu.

Reſpondent multi cum D. Thoma non eſſe ſeruatum ordinem ab Euangeliſtis in narratione, qui ſeruatus eſt à Domino in re gerendâ: benedictionem enim illam fuiſſe factam verbis conſecrationis, *Hoc eſt corpus meum*: vt videre eſt apud D. Thomam. Sed hæc ſententia non ſatisfacit. Primò, quia in Græco textu apertè ſignificatur Dominum benedixiſſe panem antequam diceret, *Hoc eſt corpus meum*. Matthęus enim, & Marcus dicunt, *Accepto* Ieſus *pane, poſtquam benedixiſſet, fregit, & dedit ipſis, & dixit; Hoc eſt corpus meum*: id enim ſignificant hæc verba εὐλογήσας ἔκλασε. Lucas & Paulus habent εὐχαριστήσας ἔκλασε, id eſt, *Cùm gratias egiſſet, fregit*. Vnde apertè ſequitur præceſſiſſe benedictionem & gratiarũ actionem, antequam diceret *Hoc eſt corpus meum*. Secundò non ſatisfacit, Quia Concilium Trident. ſeſſ. 13. cap. 1. id clarè docet; dum ait: *Dominum hoc Sacramentum in vltima cœna inſtituiſſe, cùm poſt panis vinique benedictionem, ſuum illis corpus præbere*

2. ex Trid.

3. ex noſtro canone.

ae ſuum ſanguinem diſertis verbis teſtatus eſt. Tertiò, Idem inſinuatur in noſtro Canone: dum enim dicimus *Benedixit*, crucem formamus ſuper panē; quâ ceremoniâ ſignificam⁹ benedictionem chriſti.

Vera ſolutio.

Dicendum ergo probabilius videri hanc benedictionem non fuiſſe factam illis verbis, *Hoc eſt Corpus meum*; ac proinde eſſe diſtinctam à conſecratione. Inſinuat Bonauētura diſt. 8. art. 2. q. 3.

quid ſit hæc *Benedictio*, quid que operata.

Dominicus Soto diſt. 11. q. 1. art. 2. Armacanus lib. 9. cap. 5. Beda in cap. 14. Marci. Ianſenius in cap. 131. Cōcordię.

Dices; Quid fuit hæc *benedictio*? Reſpondeo, Videtur fuiſſe inuocatio diuinę virtutis ſuper panem. Sicut quando panes multiplicauit, eos benedixit; tamen eo momento non fiebat multiplicatio; erat enim inuocatio diuinę virtutis ad panes multiplicandos debito modo & ordine. Sic in Liturgiâ D. Iacobi, Baſilij & etiam noſtrâ petimus, vt virtus diuina in panem deſcendat. Per hanc tamen benedictionem non fuit panis immediatè conuerſus, ſed diuinę virtutis aſſiſtentia fuit pro omnibus in futurum tempus cōſecrationibus præparata, & veluti applicata, vt formula verborum legitimè pronuntiata, per eam operaretur, & panem in Corpus Chriſti conuerteret.

8

Ordo Actuum chriſti cōſecrantis corpus ſuum.

Primus & Secundus.

Dices; Ergo Dominus bis benedixit materiam. Reſpondeo, Verum eſt: Sed hę duæ benedictiones erant inſtar vnius: nam altera referebatur ad alteram, habebatque ſuum completum effectum in fine ſecundæ benedictionis.

Tertius.

Itaque Chriſtus in inſtitutiōne videtur hoc ordine proceſſiſſe: Primò *Accepit panem*; Secundò, *Gratias egit Patri, oculis in cælum eleuatis*, vt habet noſter Canon & Liturgia D. Iacobi, & Clemens lib. 8. conſtitutionum Apoſtolicarum c. 17. Ambroſius lib. 4. de Sacrament. cap. 5. Et confirmatur; quia ſemper, dum gratias ageret Patri, in cœlum ſuſpicere conſueuerat: Matth. 14. Marci. 6. Lucę 9. Ioan. 11. Tertiò, *Benedixit panem*, inuocando Patris omnipotentiam ſuper illum: etſi enim Matthæus & Marcus meminerint *benedictionis panis*, non autem *actionis gratiarum*; Lucas autem & Paulus ſolùm meminerint. *Actionis gratiarum*, non *benedictionis*: tamen certum eſt, eſſe actus diſtinctos, & Dominum vtrumque adhibuiſſe: tū quia *benedictio* reſpicit panē, *gratiarum actio* reſpicit Patrem; tum quia omnes Liturgiæ habent Dominum & in conſecratione panis, & in conſecratione vini gratias egiſſe Patri, & benedixiſſe materiam: Verùmquia hi actus iuncti ſiebant vnâ oratione continuâ, Euangeliſtæ ſub alterâ relinquunt alteram intelligendam; vt rectè Ianſenius in Concordia cap. 131. Quartò, *Fregit panem*: id enim Euangeliſtæ & Paulus expreſſè dicunt. Quintò, *Porrexit*, & inter porrigendum dixit: *Accipite & comedite, Hoc eſt corpus meum*; quæ verba poſteriora dicta ſunt duplici modo, nempe tanquam verba Porrigentis, & tanquam verba conſecrantis. Iuxta hanc explicationem omnia ſunt clara in narratione Euangeliſtarum, & Pauli.

quatuor

quintus.

ARTICVLVS II.

9

Vtrum hæc ſit conueniens Forma conſecrationis panis, Hoc eſt Corpus meum.

Enim non eſt de eſſentia formæ. nec omiſſio eius mortalis.

REſpondetur Affirmatiuè. Et Ratio eſt, Quia hæc forma optimè ſignificat id, quod Sacramento efficitur, quod eſt tranſubſtātiatio panis in Corpus Chriſti facta in inſtanti.

Vox, eſt nonneceſſariò addenda, non tamen omittitur ſine peccato.

Notandum primò, Particulam (*Enim*) non eſſe de eſſentiâ formæ vnde nec Euangeliſtę eam habent. Ratio eſt; quia non eſt neceſſaria ad ſignificandum formæ effectum; ſed tantùm additur, vt explicet rationem, cur debeamus manducare id, quod Dominus porrigit: vndè ſolùm recitatiuè dicitur à Sacerdote, non ſignificatiuè. Quare non videretur peccatum mortiferum, etiamſi ex aliquâ negligentiâ omitteretur, vt Soto notauit.

Si loco Hoc diceretur Hic nihil conficeretur.

Notandum Secundò, Verbum (*Eſt*) non videri neceſſariò exprimendum. Nam apud Lucā nō exprimitur in forma Sanguinis: & Hebręi nunquam ſolent exprimere; vnde nec Dominus expreſſiſſe credendus eſt. Neceſſariò tamen ſubintelligitur iuxta phraſim Hebræam. Neque ſine graui peccato poteſt omitti.

Accipite & manducate non ſpectāt ad formam.

Notandum Tertiò, Si loco (*Hoc*) diceretur *Hîc* aduerbialiter, nihil fieret: quia non ſignificaretur tranſubſtantiatio. Item ſi diceretur (*Illud*,) loco *Hoc*: quia *Illud* non deſignat rem præſentem; ſecùs fortè, ſi diceretur *Iſtud*. Item, ſi diceretur *Hæc res, hic cibus, hoc ſenſibile* fieret conſecratio; licet eſſet graue peccatū, contra traditionem Apoſtolicam, & vniuerſalem Eccleſię conſuetudinē.

Necad cōſecrationē faciunt: *qui pridie quàm pateretur*, vt vult Scotus.

Notandum Quartò, Verba illa, *Accipite, & manducate*, non pertinere ad formam; quia per ea ſolùm datur præceptum vtendi hoc Sacramento: circa ipſum autem Sacramentum nihil operātur: ſicut cùm Dominus Ioannis 8. dicebat, *Vade, filius tuus viuit*; illud *vade* nihil operabatur circa filium, ſed ſolùm hæc verba, *filius tuus viuit*. Multò minùs neceſſaria ſunt verba, quę in Canone præcedunt. *Qui pridie, quàm pateretur*: quōd eſt contra Scotum diſt. 8. q. 2. qui exiſtimat, niſi proferātur omnia verba ab eo loco Canonis, *Qui pridie*, vſq; ad, *Hoc eſt Corpus meum*, non fieri conſecrationem, *Quia licet* inquit, *non ſint eſſentialia, tamen ſunt neceſſaria vt determinent ſignificationē formę ad corpus Chriſti, alioqui Sacerdoti videri loqui de corpore ſuo.* Sed hæc ſententia non eſt probabilis; tùm quia verba illa præcedentia, non ſunt verba Chriſti, ſed Eccleſiæ, vel Euāgeliſtarum: tum quia Patres, & reliqui Doctores docent verba abſolutè neceſſaria eſſe tantummodò iſta, *Hoc eſt corpus meum*: quæ ſufficienter determinantur ad ſignificandum Corpus Chriſti, partim ex intentione miniſtri, vt in ceteris Sacramentis; partim ex eo, quòd ipſe loquatur in perſona Chriſti. Sicut cùm Angelus ait, *Ego ſum Dominus Deus tuus*, pronomē *ego* non accipitur pro Angelo, ſed prò eo, cuius perſonam Angelus gerit. Idem confirmari poteſt ex Concilio Florentino ſuprà citato.

Hæc verba *quod pro vobis frangitur*, non ſunt addē neceſſariò.

Notandum Quintò, In Liturgijs Græcorum: Iacobi, Baſilij, Chryſoſtòmi addi hæc verba in conſecratione panis, *quod pro vobis frangitur vel traditur*; ſed non ſunt neceſſaria: nam nec apud Matthæum vel Marcum habentur, nec apud pleroſque Patres qui referunt formam conſecrationis, nec in noſtro Canone. Ratio eſt; quia tranſubſtantiatio panis in Corpus Chriſti plenè ſignificatur his verbis, *Hoc eſt corpus meum*; vnde illa determinatio, *quod pro vobis frangitur*, non eſt neceſſaria; ſed ſolùm additur maioris explicationis causâ.

ARTICVLVS III.

11

Sufficiens forma calicis, quæ.

Vtrum hæc ſit conueniens forma Calicis: Hic eſt Calix Sanguinis mei &c.

REſpondetur Affirmatiuè.

Notandum tamen contra D. Thomam &

DVBIVM. I.

Vtrùm hæc verba, Hoc eſt Corpus meum *dicantur à Sacerdote tantummodò hiſtoricè, ſeu narrando; an etiam affirmando?*

15 Verba hæc proferuntur affirmatiuè.

VIdentur enim ſolùm hiſtoricè dici; nam ſolùm commemorat, quid Chriſtus dixerit & egerit.

Reſpondeo, Certum eſt, hæc verba non ſolùm hiſtoricè proferri, ſed etiam affirmatiuè, tanquã propria ipſius loquentis. Quod eſt contra Durandum diſt. 8. q. 2. & contra Innocentium III. lib. 4. de myſterijs Miſſæ cap. 17.

Contrarium tenet Durandus &c.

Sed tenet communior ſententia Doctorum diſt. 8. Bonauentura, Scotus, Richardus, Paludanus, Capreolus, & alij. Ex D. Thomas hoc loco. Probatur Primò, Quia hoc apertè colligitur ex Concilio Florent. *Forma*, inquit, *huius Sacramenti ſunt verba Saluatoris, quibus conficitur hoc Sacramentum Sacerdos enim in perſona Chriſti loquens, hoc conficit Sacramentum*, &c. Atqui, ſi ſolùm *hiſtoricè* ſeu *recitatiuè* dicerentur, loqueretur Sacerdos ſolùm in perſona ſua, non *in perſona Chriſti*, ſicut cùm recitat paſſionem.

Probatur Secundò, Si ſolùm acciperentur *hiſtoricè*; non applicarentur ad materiam præſentem Sacerdoti, ſed ſolum ad materiam, quæ præſens erat Chriſto; ac proinde non fieret conſecratio: ſicut dum recitantur in paſſione, vel in epiſtola prima Apoſtoli ad Corinth. c. 11.

Probatur Tertiò, Quia formę ceterorum omnium Sacramentorũ proferuntur *ſignificatiuè*, ſeu *affirmatiuè*: ergo etiam forma huius Sacramenti.

16 Sacerdos celebrans quædam dicit tantũ in perſona ſua, quædã etiam in perſona Chriſti.

Aduerte, Sacerdotem in Actione Liturgiæ quędam loqui ſolùm in perſona ſua: veluti cùm confitetur ſua peccata, cùm orat ſuper populum, cùm recitat Epiſtolam, Euangelium, & etiam Canonem vſque ad verba conſecrationis: quædam nõ ſolùm in perſona ſua, ſed etiam in perſona Chriſti, perinde ac ſi ipſemet eſſet Chriſtus; & ſic profert hæc verba, *Hoc eſt Corpus meum*, *Hic eſt calix Sanguinis mei*: quomodo Angelus Exodi 3. dicit: *Ego ſum Deus Patris tui.* Ratio eſt: quia non ſolùm intendit proferre verba illa, vt narret quid chriſtus dixerit & fecerit: ſed etiam, vt ipſe per eadem verba in perſona Chriſti operetur, conuertendo hunc panem præſentem in Corpus Chriſti; & ſignificet id, quod operatur. Hæc enim duo in eãdem oratione ſimul poſſe intendi, & ſignificari: patet exemplis: Vt, ſi Legatus regis habens in mãdatis te præponere arci, dicat: *Rex mihi iniunxit, vt hanc arcem tibi traderem, dicens; Huius arcis tu eſto præfectus*; intendens ſimul narrare quid rex dixerit, & in perſona regis arcem illis ijſdem verbis tradere. Item, ſi quis dicat: Caluinus dicit, *Chriſti Corpus non eſt in Euchariſtia*, intendens referre quid Caluinus doceat, & ſimul ſignificare ſuam ſententiam.

Vtrò Hoc vt narratiue vel affirmatiue dicitur, quid ſignificet.

Hîc tamen aduerte, quatenus illa verba, *Hoc eſt Corpus meum*, dicuntur *hiſtoricè*, ſeu *narratiuè*, pronomen *Hoc* deſignat contentum ſub ſpeciebus panis, qui erat in manibus Chriſti: quatenus autem dicuntur *affirmatiuè*, deſignat cõtentum ſub ſpecíebus panis, qui eſt in manibus Sacerdotis. Neque id mirum; quia poteſt oratio ſub diuerſa intentione etiam diuerſa ſignificare, ſine vllo vitio æquiuocationis; præſertim quando intentiones ſeu ſignificationes ſunt ſubordinatæ, ſicut in propoſitio.

DVBIVM II.

Vtrùm hæc oratio, Hoc eſt Corpus meum *; operetur quatenus eſt vera? An alio modo, ſcilicet quatenus eſt neutra, id eſt, neque vera neque falſa?*

17 Hæc Oratio operatur, vt ſignificatiua.

REſpondeo, & Dico Primò, Hæc oratio operatur vt ſignificatiua. Probatur; Quia ratio operandi eſt ſignificatio; vt videre eſt in omnibus Sacramentis: omnia enim operantur vt ſigna. Vnde Concilium Trident. ſeſſ. 13. cap. 3. dicit *Chriſti Corpus eſſe ibi ex vi verborum*: id eſt, ex vi ſignificationis verborum.

Dico Secundò, Non tamen operatur, vt verè ſpeculatiuè, aut vt falſa: ſed vt prior naturâ quàm ſit vera vel falſa, id eſt, operatur, vt neutra, iuxta Scotũ diſt. 8. qu. 2. art. 3. Probatur, Quia veritas illius ſpeculatiua pendet à præſentia Corporis Chriſti; preſentia autem pendet ab operatione; ergo operatio orationis huius eſt prior naturâ, quam veritas eius: ergo operatio non pendet ab eius veritate: ſed contrà, veritas eius pendet ab eius operatione. Quod confirmatur; quia oratio illa operatur, non quia vera eſt, ſed vt vera ſit: priùs enim naturâ eſt ſignificatiua, quàm ſit vera, cùm per ſe ſit indeterminata ad veritatem, vel falſitatem. Vt autem ſit vera, operatur ſuum ſignificatum.

18 Et vt Vera Practicè.

Dico Tertiò; Hęc oratio vt vera practicè, rectè dicitur eſſe operatiua ſui ſignificati, & cauſa ſuæ veritatis ſpeculatiuæ ſeu enuntiatiuæ: vt rectè Caietanus hoc loco. Probatur, Quia practica veritas orationis conſiſtit in eo, quòd ſit cõformis intentioni & poteſtati loquentis: (Vt patet in hac oratione, *Hic ager erit tuus*, pronuntiata à domino agri cum intentione tibi donandi: erit enim practicè vera, etſi fortè contingat veritatem ſpeculatiuam, quę pendet ab executione, impediri.) Hinc enim habet, quòd ſit vera cauſa ſui ſignificati, ac proinde ſuæ veritatis ſpeculatiuæ.

19 Ordo eorum, quæ hic in hac Oratione conſideranda ſunt.

Itaque in hac oratione hæc ordinę ſunt conſideranda. Primò; ſonus materialis verborum. Secundò, ſignificatio indeterminata ad verum & falſum. Tertiò, veritas practica. Quartò, operatio eius. Quintò, præſentia Corporis Chriſti. Sextò, veritas ſpeculatiua.

ARTICVLVS VI.

Vtrum forma cõſecrationis panis conſequatur ſuum effectum, antequam perficiatur forma conſecrationis vini?

Vide D. Thomam.

QVÆSTIO LXXIX.

De Effectibus Sacramenti Eucharistiæ.

1 Varij effectus Eucharistiæ.

NOtandum est, Dupliciter considerari Eucharistiam. Primò, Vt Sacramentum est. Secundò, vt Sacrificium. Vt Sacramentum est, habet varios effectus. Primus est, Collatio gratiæ habitualis, & virtutum annexarum: idque, eo fine, vt perfectiùs Christo vniamur. Secundus effectus est, Remissio peccati mortalis & venialis. Tertius est, Præseruatio à peccatis futuris. Quartus est, delectatio spiritalis. Quintus est, Glorioſa resurrectio corporum. De primo effectu agemus in quatuor proximè sequentibus Dubijs: de ceteris verò in Dubio 5.

Priùs tamen aduerte, etsi alia Sacramenta gratiã conferant, huic tamen proprium esse conferre gratiam ad eum finem, vt perfectiùs Christo vniamur: vnde potissimum auget charitatem. Aduerte Secundò, Hoc Sacramentum etiam conferre auxilia prævenientia ad excitandam charitatem idonea: vt rectè docet D. Tho. art. 1.

DVBIVM. I.

An hoc Sacramentum aliquando conferat primam gratiam? Et consequenter, an aliquando deleat culpam peccati mortalis?

2 Per se non dat primã gratiam.

REspondeo, & Dico Primò, Per se, & primariã sui institutione non confert primam gratiam, sed solùm gratiæ augmentum. Ratio est: quia datur per modum cibi, seu alimenti spiritalis ad augendam charitatem. Alimentum autẽ præsupponit vitam sui generis. Vnde Apostolus 1. ad Corinth. 11. v. 28. *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat.* Quare nunquam potest sumi Eucharistia directè hac intentione, vt culpa mortalis condonetur: sicut Sacramentum Baptismi & Pœnitentiæ.

Sed dat per accidens.

Dico Secundò, Per accidens tamen fieri posse, vt conferat primam gratiam. Ad hoc tamen non

quid si non fic conſci° peccati mortalis?

est satis, vt bona fide accedas sine cõscientiã peccati mortalis. Nam peccatum mortale nõ potest vnquam remitti sine aliquâ pœnitentiâ supernaturaliter inspiratâ, saltem attritione: vel certè sine actione virtualiter pœnitentiam cõtinẽte. Pœnitentia enim est necessarium medium ad remis-

quid si eius sit conscius?

sionem peccati mortalis: vt colligitur ex multis Scripturis, & Concilio Tridentino. Bona autem fides non potest supplere defectum medij necessarij. Itaque requiritur saltem vera attritio in genere de omnibus peccatis cõmissis. Quòd si quis conscientiam peccati mortiferi habeat, præter veram attritionem, etiam requiritur vt bonâ fide existimet se contritum, vel saltem satis pœnitentiam esse sufficientem: quamuis in illâ existimatione fallatur: nam alioqui non excusabitur à transgressione præcepti diuini: quo tenetur in statu gratiæ accedere. Vide D. Thomam art. 3.

DVBIVM II.

Vtrùm eo momento, quo confertur gratia habitualis in Eucharistia, necesse sit habere actualem deuotionem, & non peccare venialiter?

CAietanus hoc loco art. 1. affirmat actualem deuotionem esse necessariam: & etiam, vt tunc non committat peccatum veniale: quia deuotionem impedit. Vnde colligit, omnes illos qui cum distractione cõmunicant, vel celebrant, nõ accipere augmentum gratiæ: quod etiam sensit Durandus d. 12. q. 4. ad 3. & Bonauẽtura, Antoninus, Petrus Soto, & quidam alij. Addit tamẽ Caietanus, hoc augmentum posteà dari, quãdo se excitabit ad deuotionem. Sed contrarium est lõgè probabilius. Vnde.

4 Caietanus affirmat.

Dico Primò; In homine iusto, vt accipiat augmentum gratiæ per hoc Sacramentum, nullam actualem deuotionem esse absolutè necessariam: quamuis saluberrima sit, & procuranda. Ita ferè omnes Doctores cæteri: D. Thomas art. 8. & Sotus in eundem articulum. Victoria quæst. 76. de Eucharistia & alij.

5 Homini iusto, ad fructum Eucharistiæ, non est necessaria actualis deuotio.

Probatur Primò, Quia alioqui sæpè homine iusti fraudarẽtur fructu huius Sacramenti sine suâ culpâ: nam sæpè fit, vt patiantur tunc distractiones plane inuoluntarias: atqui non est credibile, Christum sic instituisse hoc Sacramentum, vt eius fructus penderet à dispositione, quæ non est in hominis potestate: qualis est deuotio actualis illo momento temporis.

Probatur Secundò, Quia ipsum Sacramentum per se est efficax gratiæ in homine non habente impedimentum: atqui in homine iusto nullum est impedimentum infusionis gratiæ, etiamsi careat actuali deuotione: ergo sufficit vt ex intentione illud suscipiat. Minor probatur, Tum quia paruulis & amentibus in gratia constitutis, carentia deuotionis non est impedimentum infusionis gratiæ: cur sit adultis impedimentum, præsertim si sine culpâ, hac deuotione careant? Tum quia ipsa iustitia habitualis est sufficiens dispositio ad augmentum gratiæ per Sacramentum: nam si attritio in eo, qui est in peccato mortali, potest esse sufficiens dispositio cum bonâ fide ad infusionem primæ gratiæ & iustificationis, vt dictum est: multò magis iustitia habitualis, quæ vi suâ omne peccatum mortiferum excludit, sufficiens dispositio erit ad gratiæ augmentum. Dico Secundò, Etiam peccatum veniale commissum in susceptione eucharistiæ, non impedit gratiæ infusionem. Ita D. Thomas art. 8. huius quæstionis, & plerique DD. Gabriel lectione 85. Item Adrianus, Sotus, Victoria. Probatur Primò, Quia peccatum veniale non repugnat gratiæ habituali, ac proinde nec eius infusioni, si aliunde adsit sufficiens causa infusionis: vt hîc. Quia peccatum veniale non impedit, quo minùs quis possit simul mereri alio opere, & ex illo merito accipere gratiam: ergo non impedit efficaciam meritorum Christi, quæ nobis per hoc Sacramentum applicantur.

6 Peccatum veniale cõmissum in susceptione Eucharistiæ, non impedit infusionẽ gratiæ.

Probatur Secundò, Quia non erat consentaneũ humanæ fragilitati, vt Deus vellet effectum huius Sacramenti tam efficacis impediri per tam leuem culpam. Vnde 1. ad Corint 11. non iubemur nos probare nisi de mortiferis, iuxta communẽ Patrum expositionem.

Aduerte tamen, deuotionis & attentionis absentiam esse peccatum veniale, si ex negligentia

7

Carentia attẽtionis ſi ex negligentiâ orta, eſt hic veniale.

proueniat : quia non minorem attentionem & reuerentiam requirit perceptio huius Sacramenti, quàm recitatio horarum Canonicarum, ſed multò maiorem. Non tamen idcircò impeditur effectus Sacramenti, quem vi ſua confert.

Soluuntur obiectiones.

Dices Primò, Deus non iuſtificat adultos conferendo primam gratiam, vel gratię augmẽtum, niſi interuentu motûs liberi arbitrij, quo liberũ arbitrium in Deum moueatur. Reſpondeo, Verũ

Soluitio.

eſt: Sed nõ eſt neceſſe, vt ille motus ſimul ſit cum perceptione Sacramenti; ſatis eſt vt ante præceſſerit : nam gratia non confertur tunc vi motûs liberi arbitrij, ſed vi Sacramenti.

8

Dices Secundò, Si homo acciperet gratiæ augmentum, quandocumque communicat in gratia, creſceret eius gratia ferè in immenſum; quod tamen non videtur : nam tales ſæpè manent æquè imperfecti, & tepidi atque erãt anteà. Reſpondeo, Non eſſe dubitandum, quin gratia in huiuſmodi mirificè quotidie creſcat. Quòd autem hoc incrementum foris non ita appareat, cauſa eſt, quòd externus feruor, & paſſionum moderatio, magis comparetur vſu, vel per aſſiduas excitationes diuinæ inſpirationis, quàm augmento gratiæ habitualis. Nam inclinatio donorum habitualium gratiæ non directè repugnat motibus paſſionum : vnde etiam fit, vt experimento deprehendi nequeat. Quare fieri poteſt, vt aliquis maxima charitate ſit prædítus, & tamen ſubiectus ſit vehementioribus paſſionum motibus, quàm alius, qui longè eſt charitate inferior. Adde, quòd talis faciat maiora opera interna, licet exteriùs non appareat.

Communicans in gratia, ſẽper in eâ creſcit.

DVBIVM. III.

Quando hoc Sacramentum conferat hanc gratiam?

9

Reſpondeo, Videri conferre vel in principio manducationis, quando videlicet ſpeciebus imprimitur impetus ab inſtrumentis vitalibus, quo impetu traijcitur in ſtomachum. Vel certè in fine ſeu termino manducationis, quando iam pertingit in ſtomachum ; tunc enim completur manducatio. Vel denique immediatè poſt primum inſtans manducationis; tunc enim primùm dicitur corpus Chriſti manducari, non autem in primo inſtanti, nec in vltimo. Nam manducari, eſt vitali actione traijci in ſtomachum, ac proinde includit motum. Nihil autem mouetur in primo & in vltimo inſtanti motûs; ſed ſolùm in medio: ergo in primo & in vltimo inſtanti non propriè dicitur manducari. Atqui Dominus Ioannis 6. ſoli *manducanti* promittit gratiam: ergo gratia datur, quando primùm dici poteſt Euchariſtia *manducari*, ac proinde poſt primum inſtans manducationis. Quare datur gratia, non in inſtanti temporis noſtri, cum poſt inſtans nullum aliud ſit inſtans immediatum ; ſed datur in tempore indeterminato, quòd proximè ſequitur primum inſtans. Nec obſtat, quòd infuſio illius gratię tota ſimul fiat : etſi enim in ſe tota ſimul ſit, tamen reſpectu temporis noſtri eius infuſio non coëxiſtit inſtanti temporis noſtri, ſed tempori indeterminato.

quando præcisè Euchariſtia det gratiam.

DVBIVM. IV.

Vtrùm Euchariſtia poſt manducationem nihil amplius conferat gratiæ habitualis?

Reſpondeo & Dico Primò, Si poſt manducationem creſcat deuotio ſumẽtis, valdè probabile eſt, etiam augeri gratiam virtute huius Sacraméti, modò adhuc ſaluæ ſint ſpecies. Ita Gabriel lect. 85. Ioan. Maior d. 9. q. 1. & Caiet. hoc loco. Ratio eſt; Quia promiſſio gratiæ per hoc Sacramentũ conſequẽdæ maxime facta eſt propter Chriſtum manducatum, iuxta illud Ioan. 6. v. 57. *Qui manducat me, vinet propter me.* Quod cõfirmatur; quia cibus corporalis non tantùm prodeſt in manducatione, ſed etiam poſt : ergo & hic cibus ſpiritalis nouum fructum conferet, ſi noua ſit diſpoſitio.

10 Creſcente deuotione videtur & gratia creſcere, ſi pereſſent ſpecies.

Dico Secundò, Si in ſumptione deſit legitima diſpoſitio, vt ſi ſit in peccato mortifero, & nõ habeat eius ſaltem attritionem cum bona fide, tunc non confert gratiam: tamen, ſi impedimentum auferatur, dum adhuc ſaluæ ſunt ſpecies, valdè probabile eſt gratiam conferre. Docent ijdem Doctores. Ratio eſt ; Quia ipſum Sacramentum tunc adhuc eſt in homine : ergo ſublato impedimento poterit ſuum effectum conferre. Sic cibi corporales, ſi aliquod ſit impedimentum in ſtomacho, non proſunt, quo ſublato incipiunt prodeſſe. Confirmatur, Quia cetera Sacramenta conferunt ſuum effectum fictione recedente, eò quòd ſint actiones Chriſti, quæ ſecundùm ſe ſunt viuæ: atqui in Euchariſtia eſt Chriſtus ipſe: ergo, etſi in ſumptione non habuit effectum propter impedimentum ; tamen ſublato impedimento proderit, cùm adhuc præſens ſit.

11 quid ſi ſumatur in peccato mortali ſine attritione.

Recedente impedimẽto videtur prodeſſe.

DVBIVM V.

De aliis effectibus Sacramenti Euchariſtiæ.

Dico Primò, Secundus effectus Sacramenti Euchariſtiæ, eſt remiſſio peccatorum ex opere operato quo ad culpam. 12

Culpa quidem mortifera per accidens remittitur in hoc Sacramento, idque in tribus caſibus. Primò, Si quis exiſtat in peccato mortifero, cuius non ſit ſibi conſcius propter oblitionem, vel ignorantiam craſſam; concipiat tamen attritionẽ in genere de peccatis ſuis, & ſic accedat. Secundò, Si quis ſibi conſcius ſit, & non habens copiã confeſſoris, concipiat attritionem, exiſtimans bona fide eſſe contritionem. Tertiò, Si ex inculpato errore exiſtimet etiam attritionem cognitam ſufficere. His tribus caſibus delebitur peccatum mortale vi huius Sacramenti, ſed per accidens; id eſt, non ex primaria Chriſti inſtitutione, & intentione ſuſcipientis.

Tribuscaſibus Euchariſtia remittit mortale, ſed tãtùm per accidens.

Culpa autem venialis remittitur directè vi huius Sacramenti, vt colligitur ex Concil. Trid. ſeſſ. 13. c. 2. cùm ait, *Hoc Sacramentum eſſe antidotum, quo liberamur à culpis venialibus, & præſeruamur à mortalibus* : apertè inſinuans hoc Sacramentum per ſe, & directè delere venialia, non autem ſic mortifera; ſed per ſe à mortiferis præſeruare. Porrò duobus modis culpa venialis per hoc Sacramentum remittitur : Primò, Ex opere operato. Quod probatur, Tum quia ſumitur per modum alimenti ſpiritalis, ac proinde inſtaurat ruinas quotidianarum imperfectionum ; ſicut corporis alimentum inſtaurat id, quod calore

13 Per ſe remittit venialia.

natiuo abſumitur. Tum quia hoc Sacramentum ordinatur ad perfectam vnionem noſtri cum Chriſto, cui vnioni culpa venialis aliquo modo repugnat; ac proinde vi huius Sacramenti deleri debet. Secundò, Ex opere operantis. Nam excitat ad actus charitatis, quibus peccata venialia remittuntur.

14 quæ ad hoc requiratur diſpoſitio.

Petes; Quæ diſpoſitio requiratur, vt hoc Sacramentum ex opere operato culpas veniales deleat? Reſpondeo, In homine iuſto non videri aliam diſpoſitionem requiri, quàm vt non habeat actualem affectum huius peccati. Si enim poteſt tollere peccatum mortiferum ſine diſpoſitione quæ per ſe ſufficiat; cur non etiam culpam venialem, cùm ad hanc tollendam ſit inſtitutum? Adde, Hoc ceteris Sacramentis eſſe commune.

Remittit pœnã temporalẽ ſolùm cõcomitanter.

Pœna verò temporalis peccatorum non remittitur ex opere operato per Euchariſtiam, vt eſt Sacramentum; vt rectè D. Thomas art. 5. Ratio eſt, Quia vt Sacramentum, non eſt inſtituta ad ſatisfactionem ſeu remiſſionem pœnæ, cùm pœna non habeat repugnantiam cum vnione charitatis; ſed vt alimentum ſpiritale charitatis. Confirmatur; Quia, quatenus eſt Sacrificium, inſtituta eſt ad remiſſionem pœnarum: ergo non erat neceſſe, vt remitteret pœnam quatenus Sacramentum. Concomitàter tamen, & interuentu operis operantis poteſt pœnam tollere: quatenus ad feruorem charitatis excitat, quo etiam pœna condonatur. Actus quoque ille, quo quis communicat, cùm ſit actus religionis, non ſolùm eſt meritorius ſed etiam ſatisfactorius; ac proinde poteſt referri ad remiſſionem pœnæ temporalis, ſiue pro nobis, ſiue pro alijs. V. D. Thomam art. 7.

15 Tertius effectus: præſeruat à futuris peccatis.

Idque tribus modis.

Dico Secundò, Tertius effectus eſt, Præſeruare à futuris tentationibus & peccatis. Ioan. 6. v. 53. *Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius Sanguinem, non habebitis vitam in vobis*; id eſt, non retinebitis vitam ſpiritalem gratiæ, ſed illam facilè amittetis, victi tentationibus; vt Cyrillus, & multi alij exponunt, & Cyprianus de oratione Dominica ſuper verſum, *Panem noſtrum* &c. Idem docet Concilium Trid. loco citato. Fit autem hęc præſeruatio tripliciter. Primò, Augendo habitum charitatis: vnde efficimur robuſtiores, & propenſiores ad diuina. Secundò, Protegendo nos ab inſidijs & tentationibus dæmonis & carnis; idque compeſcendo dæmonem, ne tantum noceat, quantum alioqui poſſet & vellet (de quo vide Chryſoſtomũ homil. 45. in Ioannem:) & minuendo fomitis vires, vel ſublatis occaſionibus quæ fomitem excitant, vel ardorem corporis minuendo, vel oblatis occaſionibus quæ moderentur fomitem; vel alio modo. De quo vide Bernardum ſerm. de cœna Domini; & Cyrillum lib. 4. in Ioan. c. 17. Si enim Dominus mulierem, quæ fimbriam veſtimenti dumtaxat cum fide tetigit, à fluxu ſanguinis liberauit, quanto magis ſuo contactu eam carnem à fluxu libidinis liberabit, cui intimè & ſubſtantialiter coniungitur? Tertiò, præueniẽdo per ſanctas inſpirationes, & pias affectiones, quibus ad bona opera excitamur, & corroboramur, & facilè tentationibus reſiſtimus: eorum enim auxiliorum Euchariſtia eſt cauſa, quæ opportuna ſunt ad vitam ſpiritalem, & vnionem cum Chriſto conſeruandam. Non tamen vna ſumptio id præſtat per totam vitam, ſed ad tempus; & tunc rurſus ſumere oportet, ſi diuinis præſidijs copiosè volumus fulciri. Vide D. Thomam art. 6.

16 quartus effectus: dat ſpiritualẽ delectationem.

Dico Tertiò, Quartus effectus eſt delectatio ſpiritalis; ſicut cibus corpori delectationem ſenſibilem adfert. Patet hoc ex officio de ſanctiſſimo Sacramento, & ex Concil. Viennenſi, titulo de Reliquijs, & veneratione Sanctorum: *In hoc*, inquit, *Sacramento habetur omne delectamentum, & omnis ſaporis ſuauitas, ipſaque dulcedo Domini deguſtatur.*

17 quintus effectus: glorificat corpora in reſurrectione.

Dico Quartò, Quintus effectus eſt glorioſa reſurrectio corporum. Corpus enim Chriſti glorioſum, noſtro corpori ſubſtantialiter coniunctum, relinquit in eo veluti ſemen glorioſæ reſurrectionis. Docet Irenæus lib. 4. contra hæreſes c. 44. *Quomodo dicunt carnem, inquit, in corruptionẽ deuenire, & non percipere vitam, quæ corpore Domini & Sanguine aluntur?* Et infrà, *Corpora noſtra, Euchariſtiam percipientia, iam non ſunt corruptibilia, ſpem reſurrectionis habentia.* Idem docet Hilarius lib. 8. de Trinitate, Greg. Niſſenus oratione Catechetica c. 37. Cyrill. lib. 4. in Ioan. c. 14. & 15. Colligitur apertè ex c. 6. Ioan. v. 54. vbi Dominus ait, *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum: & ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die.*

qualiter fiat.

Vbi nota, Hoc non ita intelligendum, quaſi Chriſti corpus aliquam qualitatem creatam corporibus noſtris imprimat, cuius virtute ipſa reſurgũt; ſed quòd ipſa diuinitas, quæ eſt virtus operatiua iſtius corporis, moraliter maneat applicata noſtris corporibus, ad ea excitanda in vitam immortalem, & glorioſam; idque propter illius viuifici corporis sũptionem: quod perinde eſt, ac ſi vis aliqua creata, cuius virtute reſurgeremus, nobis imprimeretur. Nam, quod illa vis creata corporibus noſtris impreſſa præſtaret, id præſtabit multò meliùs & efficaciùs ipſa virtus diuina vbique præſens, & ratione ſumptionis Euchariſtiæ moraliter ad hoc determinata. Vnde ſecundùm æſtimationem moralem, non minùs Euchariſtia præſtat ad reſurrectionem, quàm ſi qualitatem creatam imprimeret. Vnde patet duplici titulo nobis conferendam glorioſam reſurrectionem. Primò, Ratione animæ beatę, quæ tale domicilium poſtulat. Secundò, Ratione ſumptionis Euchariſtiæ per corpus.

Vide lib. 12. de Perfectionibus diuinis c. 15. vbi pulchrè docetur quomodo ſumptione Euchariſtię efficiamur immortales, & ſpiritum Chriſti per quandam quaſi vnionis hypoſtaticę extenſionem contrahimus, vt hoc modo Deus noſ ſanctificet, & ad ſuam vnitatem & vitam redigat.

Digitized by Google

QVÆSTIO LXXX.

De Sumptione huius Sacramenti.

In Duodecim Articulos diuisa.

1 varij modi manducãdi Christũ

NOrandum est circa art. 1. 2. & 3. quinque modis Christum posse manducari. Primò, *Spiritualiter secundùm Diuinitatem*: quomodo ab Angelis & Beatis manducatur per visionem & beatam fruitionem, sine integumento. De quo vide Bernar. serm. 33. in Cantica. Secundò, *Spiritualiter secundùm naturam assumptam*: quomodo manducatur ab ijs, qui Christo fide & dilectione adhærent. De quo videtur loqui Augustinus Tract. 25. in Ioannem; *Vt quid paras dentem, & ventrem? Crede, & manducasti. Credere enim in eum, hoc est panem viuum manducare.* Tertiò, *Spiritualiter vt est sub Sacramento*: quomodo manducant ij, qui spiritualiter, & desiderio cum Sacerdote communicant. Quartò, *Sacramentaliter tantùm*: sicut peccatores, qui cum peccati mortiferi conscientia accedunt. Vide D. Aug. Tract. 26. in Ioan. Quintò, *Sacramentaliter & spiritualiter simul*: sicut quando cum fide & deuotione suscipitur Sacramentum.

Reliqua vide apud D. Thoman.

ARTICVLVS. IV.

Vtrum Peccator sumens corpus Christi Sacramentaliter, peccet?

2 Hæretici negant.

HÆretici Caluinistæ & Lutherani docent peccatorem, quò pluribus peccatis est inquinatus, eò aptiorem esse Eucharistiæ percipiendæ. Ratio illorum est; Quia præcipuus Eucharistiæ fructus est remissio peccatorum. Quò ergo plura peccata fuerint, eò maior erit fructus.

3 Catholici affirmant.

Sed fide tenendum est; Peccatorem, qui sibi alicuius peccati mortiferi est conscius, si ante pœnitentiam, acceperit Eucharistiam, mortiferè peccare. Ita definit Concilium Tridentinum sess. 13. can. 5. & 11. & docet cap. 2. & 7.

1. Ptob. ex Scriptura.

Probatur Primò, Ex Scripturis 1. ad Cor. 11. v. 28. *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat; qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini.* Respondent hæretici, ibi agi de *probatione nostræ fidei*; & illum *sumere indignè*, qui sine fide sumit: dignè autem, qui *cum fide*: *cum fide* autem *sumere* eum, qui credit sibi per Christum condonari peccata. Sed Primò, Hæc expositio euertit illorum sententiam. Nam si requiritur fides tamquam præparatio necessaria: ergo effectus huius Sacramenti non est remissio peccatorum: nam remissio peccatorum, illorum sententiâ, fit per fidem, quæ iuxta illos sola iustificat, efficiens vt peccata non imputentur; ac proinde soli iustificati dignè accedunt. Deinde, hæc expositio est contra Apostolum. Nam Apostolus ibi non reprehendit Corinthios de incredulitate, sed de prauis moribus; vt patet ex sequentibus verbis. Denique est contra sententiam omnium Patrum, qui hunc locum tractant.

Refellitur hæreticorũ interpretatio de probatione requisita ab Apostolo.

1. Cor. 11.

4 2. Prob. à figuris.

Probatur Secundò, Quia figuræ huius Sacramenti non poterant sumi nisi à legaliter mundis; vt patet de Agno paschali, Num. 9. & 2. Paralipom. 30. vbi præcipitur, vt is, qui non fuerit purificatus eo tempore, differat Phase in proximũ mensem. Item patet de carnibus sacrificiorum; Leuit. 22. vbi dicitur, Si quis immundus de illis comederit, *Peribit coram Domino.* Denique patet de Panibus propositionis; 1. Regum 21. de quibus vide Hieronymum in 1. caput ad Titum. Ergo ipsa veritas non potest sumi, nisi à mundis spiritaliter. Ad quod significandum Dominus Ioãnis 13. priùs Discipulorum pedes lauit, quàm eis hoc Sacramentum præberet.

3. Prob. ratione.

Probatur Tertiò, Ratione: Qui sumit hoc Sacramentum in peccato mortifero, quantum in ipso est, falsam reddit huius Sacramenti significationem. Nam hoc Sacramẽtum significat corpus Christi mysticum Christo capiti per fidem & charitatem vnitum; & eum, qui sumit esse de illo corpore; vt patet ex Apostolo 1. ad Cor. 10. v. 17. *Vnus panis, & vnum corpus sumus, qui de vno pane participamus*: quibus verbis insinuat eos, qui hoc Sacramentum sumunt, debere esse membra vnius corporis, & hærere cum vno capite, & eodem spiritu viuere; vt ostendit D. Augustinus Tract. 26. in Ioannem. Et Confirmatur, Nam hoc Sacramentum datur tanquam alimentum vitæ spiritalis, Ioannis 6. *Caro mea verè est cibus*: ac proinde significat, eum, qui sumit, debere spiritualiter viuere.

Peccator quodámodò falsificat significationem huius Sacramenti.

4. Prob. ab irreuerentia.

Probatur Quartò, Ab irreuerentia: Quia cum hoc Sacramentum contineat realiter ipsum fontem sanctitatis, is qui accipit in peccato, grauem irreuerentiam in ipsum committit; præsertim, cùm intra se, suaque viscera ipsum sumat. Secùs esset, si quis simplici & externo contactu hoc Sacramentum, vel etiam Christi corpus in propria specie contingeret: etsi D. Thomas in resp. ad 1. contrarium insinuare videatur. Hic enim contactus non esset peccatum mortale, etiamsi fieret à peccatore; modò fiat cum aliqua reuerentia. Imò, si fiat, vt ab ipso sanctificeris, non est peccatum. Neque ideò vetuit Dominus Magdalenæ tangere, quod esset in peccato mortifero: nam omnino credibile est, fuisse tunc in statu gratiæ, quamuis fides eius non esset adhuc tam explicita & perfecta. Sumptio enim intra se, multò maiorem vnionem & familiaritatem designat: vnde meritò maiorem dispositionem requirit. Sicut gestatio Christi in vtero, maiorem sanctitatem postulabat, quàm contactus exterior.

Contactus exterior corporis Christi in peccato mortali, potest esse absque peccato.

DVBIVM. I.

Vtrùm peccator, qui sibi conscius est mortalis peccati, debeat illud confiteri ante communionem, præsertim si omnino existimet se contritum?

6

REspondeo, Panormitanus in capit. *Ne homine.* de celebratione Missarum, putat talem peccatorem non teneri ad confessionem; sed sufficere contritionem. Idem tenet Caietanus hoc loco, & in Summa verbo Communio, & in Commentario prioris ad Cor. 11. Bartholomæus Fu-

mus verbo Communio. §. vltimo. Idem inſinuãt Richardus, Paludanus & Adrianus.

Exiſtensin mortali debet & ſemper debuit Euchariſtiæ præmittere confeſſionem. Tridẽtin.

Dico Primò, Teneri talem abſolutè præmittere confeſſionem, ſaltem ex præcepto Concilij Tridentini.

Dico Secundò, Hanc obligationem non eſſe nouam, ſed ſemper in Eccleſia fuiſſe. Probatur ex Concil. Trident. ſeſſ. 13. c. 7. *Eccleſiaſtica conſuetudo declarat, eam probationem neceſſariam eſſe vt nullus ſit conſcius peccati mortiferi, quamuismuis ſibi contritus videatur, abſque præmiſſa ſacramentali confeſſione accedere debeat; quod à Chriſtianis omnibus, etiam ab iis Sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, hac ſancta Synodus perpetuò ſeruandum eſſe decreuit, modò non deſit illis copia Confeſſoris.* Idem docent reliqui Doctores. Probatur ex Patribus. Cyprianus epiſt. 10. quæ eſt ad Clerum, reprehendit quoſdam Sacerdotes, qui admittebant peccatores ad Euchariſtiam, ante confeſſionem. *Nundum*, inquit, *pœnitentiâ actâ, nundum exomologeſi factâ, nundum manu eis ab Epiſcopo & Clerico impoſitâ, Euchariſtia illis datur, cùm ſcriptum ſit, Qui comederit panem, aut biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & Sanguinis Domini.* Deinde excuſat plebeios, quòd ignorantiâ Scripturarum hoc faciũt; non autem Sacerdotes, qui debent nolle Scripturas. Similia habet epiſt. 11. & 12. Nam epiſt. 11. dicit, eſſe cõtra Euangelij legem dare Euchariſtiam lapſis ante exomologeſim: Idem ferè repetit epiſt. 12. Euſebius lib. 6. hiſtoriæ c. 17. refert Philippum Imperatorem, cùm vellet in vigilijs Paſchæ cum aliis Chriſtianis communicare, non priùs fuiſſe admiſſum à Pontifice, quàm confiteretur peccata ſua, & inter pœnitentes ſtetiſſet. Auctor de Eccleſiaſticis dogmatibus c. 53. *Quem mortalia crimina poſt baptiſmum premunt, hortor priùs publicâ pœnitentiâ ſatisfacere; & ita iudicio Sacerdotis reconciliatum communioni ſociari*: quod, vt declaret eſſe præceptum, ait, *ad iudicium & condemnationem Euchariſtiam percipere.*

Cyprian. Euſebius. Auctor eccleſiæ dogmatum.

7 Dico Tertiò, Hæc obligatio, etſi conſentanea ſit legi naturali, ſuppoſita inſtitutione huius Sacramenti, & Sacramenti pœnitẽtiæ; non tamen eſt legis naturalis, ſed poſitiuæ diuinæ.

An ſit iuris naturæ, & quomodo, vt præmittatur confeſſio euchariſtiæ.

Quòd ſit conſentanea legi naturali, Probatur: Quia Euchariſtia continet id, quod omnium eſt ſanctiſſimum, ſcilicet ipſum fontem ſanctitatis: ergo conſentaneum eſt, vt homo ſummam curam adhibeat, vt dignè ſe ad eam comparet; nam ſumma illa puritas requirit optimam præparationem: ergo non ſolùm contritione, ſed etiam confeſſione ſacramentali ſe diſponere debet.

Verùm, Etſi hęc ratio probet obligationem eſſe conſentaneam iuri naturali; non tamen probat eam præcisè ex iure naturali naſci. Nam ius naturale non obligat nos ad ſummam diligentiam, nec ad ſummam certitudinem bonæ diſpoſitionis; ſed ſolùm ne indignè accedamus. Atqui non cenſetur indignè accedere, qui optimè confidit ſe eſſe iuſtificatum à peccato; vt patet in reliquis Sacramentis viuorum, ad quæ non neceſſe eſt, vt homo ſe diſponat per confeſſionem.

Obiectio. Dices, Ius naturale obligat vt in extrema neceſſitate, vel periculo mortis, vtaris remedio confeſſionis, ſi aliquo modo poſſis, quamuis putes te omnino contritum: ergo ſimiliter, quando eſt communicandum.

Solutio. Reſpondeo, Eſt diſpar ratio. Nam ibi eſt periculum amittendę ſalutis irreparabiliter, ſi fortè, opinione circa tuam contritionem decipiaris; hîc autem non eſt vllum tale periculum: nam ratione bonæ exiſtimationis excuſaris à peccato indignæ communionis, nec vllum damnũ incurris.

Etiam certus de remiſſo peccato mortali, debet euchariſtiæ pręmittere cõfeſſionem. eſt iuris diuini poſitiui, vt pręmittatur confeſſio S. communioni, non eccleſiaſtici tãtùm.

Adde, Quamuis certus omnino eſſes remiſſionis tuorum peccatorum, tamen deberes confiteri ante communionem; vt docent omnes Doctores: quod eſt euidens ſignum, hanc obligationem eſſe iuris poſitiui, non autem iuris naturalis. Ius enim naturale vtendi aliquo remedio, deſinit obligare ceſſante illius remedij neceſſitate.

Tertia pars, Hanc obligationem eſſe iuris diuini poſitiui, eſt multorum Doctorum: Domin. Soti diſt. 12. q. 1. a. 4. Melchioris Cani Relectione 5. de Pœnitentia, Couarruuiæ in cap. *Alma* §. 1. n. 7. & aliorum quos citat. Couar. Et inſinuat Concil. Trid. cùm ait, *Eccleſiaſtica conſuetudo declarat, eam probationem eſſe neceſſariam* &c. vbi inſinuat, non eſſe per Eccleſiam ſtatutum, ſed ſolum eius conſuetudine declarari. Idẽ inſinuat Cyprianus locis citatis. Probatur, Quia, ſi ſolùm eſſet iuris humani, facilè potuiſſet alibi aboleri; ſicut alia præcepta Eccleſię. Sed vbique hoc præceptum ſemper videtur obſeruatum; & vbique eſſe obſeruandum patet ex Cõcilio Trident. ſeſſ. 13. can. 11. vbi excommunicat eum, qui docet vel defendit, vel aſſerit pertinaciter, non eſſe neceſſarium præmittere confeſſionem.

Aduerte tamen, non eſſe improbabile, hoc præceptum eſſe dumtaxat Apoſtolicum, ſicut præceptum de Euchariſtia à ieiunis ſumenda: quod tenet Nauarrus de Pœnitentia diſt. 5. in principio, Ioannes Medina Codice de Confeſſione, & multi alij.

DVBIVM. II.

Quando liceat communicare, vel celebrare, abſque præuia confeſſione ei, qui ſibi conſcius eſt peccati mortiferi?

8 Reſpondeo, Id licere, quando concurrunt hę duę conditiones, quas notat Conc. Tridẽt. Si neceſſitas vrgeat: Et deſit copia Confeſſoris.

Ac prior conditio, ſcilicet neceſſitas celebrandi, vel communicandi, cenſetur vrgere:

Primò, Si ſis in periculo vitæ proprię.

Secundò, Si proximus ſit in periculo vitę, & vt ei detur viaticum, neceſſe eſt te celebrare.

Tertiò, Si ex officio tenearis celebrare, & non poſſis per alium: vt Parochi diebus Feſtis & Dominicis, ne populus careat Sacro.

Caſus, quibus ſit neceſſitas cõmunicãdi, etiam ſine præuia cõfeſſione.

Quartò, Quando non teneris quidem celebrare vel communicare, tamen ſine ſcandalo vel nota infamię non potes omittere.

Quintò, Si ex præcepto Eccleſię tenearis audire Miſſam, vel communicare; vt impleas præceptum Eccleſię potes communicare vel celebrare, etiamſi non poſſis confiteri. Ita Dominicus Soto, in hunc art. 4. diſt. 12. q. 1. quæ ſententia eſt probabilis: nam probabile eſt præceptum de præmittenda confeſſione eſſe Eccleſiaſticum & Apoſtolicum. Tamen contrarium eſt probabilius & verius ex contrario fundamento. Probabilius enim eſt eſſe præceptum diuinum, vt confeſſio præmittatur: ac proinde non videtur debere infringi, vt ſeruetur præceptum humanum de communione in Paſchate, vel Miſſa audienda die Feſto.

Sextò, Si aliter non poſſit ſacrificium perfici: vt ſi Sacerdos poſt conſecrationem deficeret, & tu ſolus Sacerdos adeſſes, deberes perficere inchoatum ab altero ſacrificium, etiamſi non poſſis

præmittere confeſſionem. Ratio eſt, Nam perfectio ſacrificij eſt maioris momenti.

Septimò, Si poſt conſecrationem recorderis te eſſe in peccato mortifero; vel etiam committas peccatum mortiferum, per odium internum in proximum, vel infidelitatem, vel aliter; teneris quidem ſtatim conteri, ſed non teneris confiteri ante communionem, etiamſi commodè poſſes ſine nota Sacerdotem ad altare accerſere. Ratio eſt, Quia nó expedit partem illam ſacratiſſimam, & intrinſecam actioni Sacrificij interrumpere: niſi fortè putes te non concepturum veram contritionem; ſed ſolùm attritionem. Quòd ſi ante conſecrationem recorderis peccati mortiferi, teneris confiteri, ſi commodè, & ſine nota poſſis; quidquid dicat Franciſcus Victoria q. 79. Quia pars illa Miſſæ ſolùm eſt præparatoria, & extrinſeca actioni ſacrificandi. Quòd ſi non poſſis ſine nota Sacerdotem accerſere, potes progredi concepta contritione, vel etiam deſiſtere, ſi abſit ſcandalum.

An celebrans ſub Miſſa recordatur peccati mortalis, teneatur confiteri ante Communionẽ.

Idem dicendum de eo, qui iam accedit communicaturus, & recordatur peccati mortiferi nunquam confeſſi: nam ſi abſque nota non poteſt ſe ſubducere, poteſt communicare ſine præuia illius confeſſione. Quòd ſi poteſt ſe ſubtrahere commodè, tenetur omnino illud peccatum confiteri ante communionem, etiamſi paulò antè confeſſus eſſet alia cum debita diligentia; vt ſentiunt omnes ferè Doctores, etiam ante Concilium Trident. vide Nauarrum cap. 21. n. 49: Et poſt Concilium res eſt certa: nam can. 11. ſeſſ. 13. ſic ait, *Statuit atque declarat ipſa ſancta ſynodus, illis, quos conſcientia peccati mortalis grauat, quantumcumque etiam ſe contritos exiſtiment, habita copia Confeſſoris neceſſariò præmittendam eſſe confeſſionem ſacramentalem.* Et excommunicat eos qui præſumunt contrarium docere & defendere &c. Loquitur autem Concilium de confeſſione Sacramentali illius peccati mortalis, cuius conſcientia quempiam grauat: huius enim confeſſionem debere præmitti.

Item, An laïcus, qui ſub acceſſum ad cõmunionem recordatur peccati mortalis.

Obiectio. Dices, Qui confeſſus eſt cum debita præparatione, & oblitus alicuius peccati mortiferi, non grauatur ampliùs conſcientiâ illius peccati, cùm ab illo ſit abſolutus, licet indirectè: ergo non comprehenditur verbis Concilij.

Solutio. Sed contrà: Si ideircò conſcientia peccati mortiferi illum non grauat, nec tenetur confiteri ante communionem, quòd remiſſum ſit illi hoc peccatum: ergo numquam tenetur illud confiteri; quod ſine dubio eſt falſum, & contra omnes Doctores, & totius Eccleſiæ praxim: vt infrà dicemus. Deinde, Per cõtritionem veram etiam remittitur peccatum, non minùs quàm per illam abſolutionem indirectam; imò magis directè, & propriè: ergo is, qui concepit contritionem ſui peccati, idque probabiliter nouit, non ampliùs grauatur illius conſcientiâ, & ſic poterit communicare ſine confeſſione ſacramentali, quamuis copiam Confeſſoris habeat; quod eſt contra Concilium. Dicendum ergo, illum grauari conſcientiâ peccati mortiferi iuxta Concilium, qui ſcit ſe illud commiſiſſe, & mundum ſubiecisſe clauibus Eccleſiæ, vt ab illo directè abſoluatur. Hæc eſt mens Concilij, vt etiam colligitur ex cap. 7.

9

Caſus quibus cẽſearis non habere copiã cõfeſſoris, & hinc poſſis municare ſine præuia cõfeſſione.

Nunc ſequitur altera conditio, quæ eſt confeſſoris inopia. Cenſetur autem hæc conditio adeſſe: Primò, Si Confeſſor linguam tuam ignoret: non enim, vt communices, teneris confiteri per interpretem, quamuis fortè in periculo mortis tenearis.

Secundò, Si prudenter metuas tibi infamiam, vel aliud malum à Confeſſore: tunc enim illa peccata, de quibus eſt timor mali, non teneris confiteri. Si tamen alia habes mortifera, de quibus nihil times, debes ea confiteri ante communionem; vt rectè Nauarrus c. 7. n. 6. citans Maiorem. Quòd ſi præter illa, de quibus times, non habes niſi venialia, non teneris confiteri: quia venialia non ſunt materia neceſſaria, ſed voluntaria.

An deeſſe cenſeatur Confeſſor, quando ab aliquo peccato non poſſit directè te abſoluere.

Tertiò, Si Confeſſor non poſſit abſoluere directè, eò quòd habeas caſum Superiori reſeruatum; qui tunc non poteſt commodè adiri. Ita Fumus verbo Communio §. vltimo, citans Archidiaconum & Paludanum. Idem tenet Victoria qu. 79. Quę ſententia non eſt improbabilis: nam videtur graue onus idem peccatum bis confiteri, vt fit in hoc caſu. Tamen verius videtur, ſi habeat aliqua mortifera, à quibus inferior poteſt directè abſoluere, quòd ei teneatur confiteri ante communionem, & quidem integrè. Ratio eſt, Quia hoc onus non eſt tanti, vt poſſit excuſare ab obſeruatione illius præcepti de præmittenda confeſſione ante communionem; cùm preſtò ſit Confeſſor habens directam poteſtatem in aliqua peccata neceſſariò confitenda. Et Confirmatur; Quia propter hoc onus non excuſaretur homo à præcepto confeſſionis annuæ, quod conſtat eſſe merè humanum: ergo multò minùs ab hoc præcepto, quod probabile eſt eſſe diuinum.

Si deſit cõfeſſor ordinarius.

Quòd autem quidam dicunt cenſeri deeſſe copiam Confeſſoris ad communicandum, ſi deſit Confeſſor ordinarius, cui ſoles deuotiùs confiteri; verum non eſt, neque ſecurum. Vide Nauar. cap. 21. num. 49. Soto diſt. 12. quæſt. 1. art. 4. & Fumum loco citato.

10

His adde ex Concilio Trident. ſeſſ. 13. c. 7. Si neceſſitate vrgente Sacerdos abſque præuia confeſſione celebrauerit, quàm primùm confiteri debere. Circa quod:

Cur, & quo iure Sacerdos qui ex neceſſitate celebrarit abſque præuia cõfeſſione, debeatquã primum confiteri poſtea.

Notandum Primò, Quoſdam exiſtimare hoc præceptum eſſe iuris diuini, & oriri ex obligatione illa præmittendi confeſſionem ante communionem: hanc enim obligationem debere ſtatim poſt impleri, ſi ante communionem impleta non fuerit. Sed hęc ſententia vera non eſt. Nam præcepta affirmatiua non obligant niſi certis occaſionibus, quę vbi præterierint, ceſſat obligatio eorum, ſiue impleta fuerint, ſiue non. Exempli gratia, teneris dare eleemoſynam in graui vel extrema neceſſitate proximi, ceſſante illa neceſſitate non ampliùs teneris, ſiue impleueris præceptum, ſiue non impleueris. Eodem modo teneris confiteri peccatum mortiferum, quando eſt communicandum vel celebrandum; cùm autem illud tempus præterierit, ceſſat obligatio confitendi; quia tota ratio obligans ceſſat. Dicendum ergo eſt, hoc præceptum eſſe merè humanum introductum à Concilio Tridentino, vt rectè dixit Nauarrus cap. 2. num. 9.

11

Cur laicus non teneatur, vt Sacerdos, ſtatim poſt confiteri, ſi communicarit ſine præuia cõfeſſione.

Notandum Secundò, Laicos, qui communicarunt abſque confeſſione, non obligari ſtatim poſteà confiteri, ſed ſolùm Sacerdotes qui celebrant neceſſitate vrgente: quod eſt cõtra Nauarrum loco citato. Ratio eſt, Quia lex non eſt extendenda vltra ſignificationem verborum. Adde, Quòd in Sacerdotibus ſit peculiaris cauſa, quæ non in Laicis; quia multò crebriùs celebrant, quàm Laici communicent. Neque ratio Nauarri vrget: tùm, quia non eſt certum, quòd Concilium idem ſtatuiſſet de Laicis, ſi interrogatum fuiſſet:

Google

tùm, quia omnino credibile eſt Concilio benè in mentem veniſſe Laicorum, & tamen noluiſſe idem ſtatuere: tùm denique, quia quamuis fortè ſtatuiſſet, ſi veniſſet in mentem; tamen quia reipsà non ſtatuit, non obligauit Laicos. Bonum tamen eſt Laicos ad hoc hortari.

ARTICVLVS V.

Vtrum accedere ad hoc Sacramentum cum conſcientia peccati mortalis, ſit grauiſſimum omnium peccatorum?

VIde D. Thomam.

12 Quatuor gradus grauitatis peccatorum.

Notãdũ eſt gradus, Quatuor eſſe grad⁹ grauitatis peccatorum. Primus gradus eſt, Eorum quæ ſunt contra diuinitatem; vt odium Dei, infidelitas, deſperatio, blaſphemia. Secundus eſt, Eorum quæ ſunt contra Chriſti humanitatem in ſeipsâ conſideratam: vt verbera & conuitia in Chriſtum, præſertim eorum qui ipſum agnoſcebant, vel facilè poterant agnoſcere. Tertius, Eorum que ſunt contra Sacramenta. Quartus, Eorum quæ ſunt contra puras creaturas.

grauitas peccati cõtra euchariſtiam.

Notandum Secundò, peccata quæ fiunt contra Euchariſtiam, eſſe maiora in genere ſuo, quàm quæ contra alia Sacramenta, vel etiam contra alias puras creaturas. Dico, *Ex genere ſuo*; quia non omne peccatum contra Euchariſtiam, eſt abſolutè grauius quouis peccato contra alia Sacramenta, vel contra proximum. Nam indignè ſumere Euchariſtiam ex quodam timore, non ex malitia, ne videlicet deprehendatur in ſuo peccato, tamen cum aliqua reuerentia, non videtur eſſe maius peccatum, quàm homicidium ex odio profectum. Ceteris tamen paribus, peccata contra Euchariſtiam ſunt maiora: v. g. indignè ſumere Euchariſtiam, longè maius peccatum eſt, quàm indignè ſumere alia Sacramenta: proijcere in terram Euchariſtiam, longè grauius eſt, quàm homicidium. Vnde illud peccatum indignæ ſumptionis, ſolet Deus initio naſcentis Eccleſiæ, etiam corporaliter punire, immittendo morbos, vel etiam mortem; vt ait Apoſtolus 1. Corinth. 11. verſ. 30. *Ideò inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi.*

ARTICVLVS VI.

Vtrum Sacerdos debeat denegare Euchariſtiam peccatori petenti?

REſpondeo & Dico Primò, Peccatori publico publicè petenti, ſeu offerenti ſeſe, deneganda eſt Euchariſtia, niſi etiam publicè conſtet de eius pœnitentia. Eſt certa, & communis Doctorum. Vide Chryſoſtomum homil. 83. in Matthæum, & Cyprianum epiſt. 10. 11. 12. vbi reprehendit quoſdam Sacerdotes, quòd lapſos admiſſiſſent ad Euchariſtiam ante publicam pœnitentiam. Ratio eſt; Tum quia Sacerdos ex officio tenetur ſancta ſanctè tractare; ac proinde, quantum in ſe eſt, *Non dare ſanctum canibus*, id eſt, iis, quos conſtat eſſe immundos, Matthæi 7. v. 6. Tum, quia, ille peccator non habet ius petendi, & poteſt ſine incommodo ei denegari.

13 Peccatori publico publicè neganda eſt euchariſtia.

quis cenſeatur peccator publicus.

Dicitur autem *peccator publicus*, cuius crimen publicum eſt. Cenſetur autem crimen abſolutè publicum: *Vel euidentiâ facti*, quando ita notum eſt, vt nulla probabilitate poſſit negari: quale eſt peccatum publici vſurarij, concubinarij, homicidæ qui in loco publico occidit. Vel *euidentiâ iuris*; ſcilicet, quando eius confeſſione in iudicio, vel teſtium legitima depoſitione, vel ſententiâ Iudicis innotuit. Vide Nauarrum cap. 22. num. 55. Hîc tamen.

quid ſi crimen nõ ſit abſolutè publicum.

Aduerte Primò; Non ſolùm publico peccatori, ſed etiam publicâ infamiâ laboranti, ſeu publicâ & vehementi ſuſpicione criminis, Euchariſtiam in publico denegandam; ob rationem ſuprà dictam, quia non oportet ſanctum dare canibus.

Secundò, Si crimen quidem non ſit abſolutè publicum, ſed reſpectu eorum coram quibus petit, debere omnino negari coram illis; niſi fortaſſis alij aliqui adſint, qui illud ignorant.

Tertiò, Si alibi crimen ſit publicum euidentiâ Iuris, vbique Euchariſtiam debere negari, quãuis ibi crimen ignoretur. Et ratio eſt, quia abſolutè in foro Eccleſiæ amiſit ius publicè petendi, ac proinde ſine incomodo poteſt ei negari. Idem videtur dicendum, ſi euidentiâ facti crimen ſit alibi publicum, & facilè eius fama poſſit huc manare; vt alibi diximus. Contrarium tamen in hoc caſu non eſt improbabile; & tenet Victoria de Euchariſtia q. 80.

Peccatori publico occultè pœnitenti & petenti poteſt dari euchariſtia.

Quartò, Si peccator publicus occultè egerit pœnitentiam, poteſt ei occultè petenti Euchariſtia dari, modò non ſit periculum ſcandali. Ratio eſt; quia cauſa denegandi tùm ceſſat; ſcilicet indignitas ipſius, & ſcandalum aliorum.

14 Peccatori occulto publicè dãda Euchariſtia, non priuatim.

Dico Secundò, Si crimen non eſt publicum, ſed tamen Sacerdoti notum, non poteſt quidem Euchariſtiam ei in publico denegare; priuatim tamen debet, niſi fortè hoc crimen ei ex confeſſione Sacramentali conſtaret.

Prior pars patet: Quia Sacramenta ſunt communia Eccleſiæ bona: atqui bona cõmunia Reipublicæ non ſunt per publicum miniſtrum diſpenſanda, præſertim in publico, ex priuata ſciẽtia, ſed ex publica: ergo cum hîc publicè probus habeatur, non poſſunt ei publicè Sacramenta ab Eccleſiæ miniſtro denegari. Quod confirmatur Primò, Quia ex contrario ſequerentur grauia ſcandala & perturbationes in Eccleſia; ſcilicet alienationes populi à Sacramentis Eccleſiæ, & à Sacerdotibus, & iniuſtæ multorum infamationes, & alia huiuſmodi. Confirmatur Secundò, A ſimili, in iudice qui cùm ſit miniſter iuſtitiæ, quæ eſt bonum commune, non poteſt ex priuata ſcientia ius dicere, ſed tantùm ex publica: ergo &c. Confirmatur Tertiò, Exemplo Chriſti Domini, qui etiam Iudæ, occulto peccatori, vnà cum alijs ſedenti, & quaſi petenti, ſuum Corpus dedit.

Cur peccatori occulto occultè negãda ſit euchariſtiã.

Altera Pars, ſcilicet in occulto denegandam: Probatur, quia hic non timentur illa incommoda: quare ius diuinum, videlicet ne *ſanctum detur canibus*, vim ſuam obtinet: hoc enim cauendum, quãtum in nobis eſt. Vnde etiam Paſtor tunc debet denegare; quidquid dicat Sotus d. 12. art. 1. q. 6. qui exiſtimat Parochum non poſſe recuſare, cùm ex officio teneatur, & alter ius habeat ab eo petendi. Sed decipitur: nam peccator occultus nullum verum ius habet petendi Euchariſtiam in illo prauo ſtatu; ſicut neque indignè tractandi rẽ ſacram: ſed ſolùm habet ius putatiuum, ratione cuius non poteſt publicè repelli. Priuatim tamen repelli debet, vbi illa iuris præſũptio ceſſat: quod apertè habetur in Concilio Vaſenſi cap. 8. & citatur à Gratiano. 6. q. 2. Canone *Si tantum*.

Tertia Pars Probatur; quia quando crimen conſtat ex cõfeſſione, ſi ei recuſes Euchariſtiam,

videris

quid ſi Sacerdos nó ſciat crimen, niſi ex confeſſione.

videris tuo modo agendi confeſſi crimina ei exprobrare, vel aliquo modo extra confeſſionem obijcere; quod nullo modo licet, ne confeſſio odioſa reddatur. Vnde debes ei Euchariſtiam, etiam in occulto, porrigere; idque ordinarie in praxi ſeruandum. Si tamen commodè aliquo honeſto prętextu poſſes diſſimulare, quaſi oblitus, vel quaſi deſint hoſtię, vel aliud impedimentum ſit, id eſſet amplectendum. Vide Nauarrum c. 21. num. 55. Silueſtrum Euchariſtia 3. qu. 5. Paludanum diſt. 9. qu. 4. concluſion. 3.

ARTICVLVS VII.

Vtrum nocturna pollutio impediat a Communione?

15 Pollutus ex peccato quando & quantum peccet cõmunicando.

REſpondet D. Thomas varijs diſtinctionibus, quas vide apud ipſum. Notandum, Si quis poſt pollutionem ex peccato mortifero prouenientem communicet, vel celebret, modò antea de peccato illo ſit confeſſus & contritus, nec vllus ampliùs reſtet libidinis ſenſus, vel mentis diſtractio; ſeſeque ad deuotionem excitet: non peccat, quamuis nulla grauis cauſa illum ad communicandum, vel celebrandum vrgeat; ſed ſola deuotio, vel honor Dei ad hoc inclinet. Ita Paludanus ſuprà diſt. 9. & Nauar. cap. 21. num. 51. Ratio eſt, Quia nihil neceſſariò impedit communionem prętęr peccatum mortiferum prętens: Diſtractio autem & imaginatio, quę reſidua eſſe poteſt ex libidinis fluxu, ſolùm impedit ex decentia; ita vt ſit peccatum veniale cum ea communicare, niſi aliqua grauis cauſa vrgeat; & tunc homo faciat quod in ſe eſt, vt eam depellat. Tunc enim ne veniale quidem erit. Ipſa autem corporalis pollutio, cùm omnino prętercrit, & nihil eius extet, nullo modo per ſe impedire poteſt: prętertimcùm neque ipſa peccati mortiferi macula prætcrita impediat. Itaque, ſi peccatum deletum ſit, & omnis diſtractio inde orta ſit depulſa; nihil reſtat quod communionem impedire queat.

16 quid de eo qui ſine peccato, vel exactu coniugali, pollutus eſt.

Idem dicendum de pollutione nocturna, quę ſine peccato accidit, ſi nulla inde mentis ineptitudo reſtet. Item de actu coniugali, quo quis neceſſitate reddidit debitum; & etiam quo quis petijt, modò non libidine, ſed ſolius prolis amore. Quòd ſi affectu voluptatis, conſulendum vt eo die abſtineat; quia ordinariè eſt peccatum veniale, ob diſtractionem remanentem, & affectum mentis non ſatis purgatum.

quidnoctu polluto agendum, vt ſequẽti die communicet.

Curandum autem, vt ſi quis noctu, etiam ſine peccato, talem fluxum ſit paſſus, eò ferucntiùs ſe excitet ad deuotionem, vt nulla reſtet in mente diſtractio aut libidinis ſenſus, alioquin eſſet ſaltem veniale ſic communicare: nam quantum in nobis eſt, etiam omnes diſtractiones inperceptione huius Sacramenti ſunt euitandæ. Vide Nauarrum ſuprà.

17

Queri hîc non incommodè poſſet, Vtrùm qui ex praua conſuetudine remanente poſt pœnitentiam, ſe dormiens aut ſemidormiens turpiter tãgendo polluit, teneatur ſub peccato mortali quęrere remedium?

Nocturna pollutio quãdo ſub mortali euenat?

Reſpondeo, Qui ex praua conſuetudine poſt pœnitentiam remanente ſe dormiens aut ſemidormiens turpiter tangendo polluit, tenetur ſub peccato mortali quærere remedium, & impedire ne id faciat. Tenetur enim in ſe impedire illud materiale peccatum, quòd non naturaliter, ſed per prauam phãtaſiam ipſe in ſe operatur membris ſuis voluntarium motum habentibus. Sicut ſi dormiret cum alio, & in ſomnis cum fœdè vel prępoſterè contingeret &c. teneretur huic malo remedium adhibere: vel ſi id ipſi ab alio accideret, alioquin cenſeretur in illud conſentire. Secùs eſt de pollutioni naturali quę abſque turpi contactu in ſomnis accidit. Remedium aut em prætcr cætera, & ſpiritualia, eſſe poteſt, vt manus faſciâ ex collo demiſſa colligantur, vt ad illum locum non poſſint demitti. Itẽ abſtinentia cibi & potus &c.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum cibus vel potus præſumptus impediat Communionem?

18 Corpus Chriſti nõ niſi à ieiunis ſumendum.

REſpondetur; Corpus Domini à ieiunis ſumendum eſſe; quod eſt traditio Apoſtolica; vt docent multi Patres, & inter hos Auguſtinus epiſtola 118. c. 6. *Ex hoc placuit Spiritui ſancto, vt in honorem tanti Sacramenti in os Chriſtiani priùs Dominicum Corpus intret, quàm reliqui cibi: nam idcò per vniuerſum orbem mos iſte ſeruatur.*

Capite tamen 7. ait, quoſdam ſemel in anno ad imitationem Domini poſt cœnam hoc Sacramẽtum ſumere: quam conſuetudinem dicit ſe nec probare, nec improbare. Et Concilium Carthaginenſe III. cap. 29. *Vt*, inquit, *Sacramenta altaris non niſi à ieiunis hominibus celebrentur, excepto vno die anniuerſario, quo cœna Domini celebratur.* Hæc tamen exceptio nunquam fuit vniuerſalis, & iam penitus eſt abrogata; vt colligitur Cap. *Ex parte*, de Celebratione Miſſarum; vbi Innocentius III. ſtatuit, ne Sacerdos, quando ſecundum ſacrum poſtea facturus eſt, tũc in prieri ſumat ablutionẽ. Et ex Concilio Conſtantienſi ſeſſ. 13. vbi damnatur abuſus quorundam, qui poſt cibum celebrabant. Hîc tamen duo ſunt notanda. Prius eſt: Infirmis, qui ſunt in periculo vitæ, poſſe dari Euchariſtiam poſt cibum, etiam ſępiùs in eodem morbo; interpoſitis ſeptem vel octo diebus, ſi periculum perſeueret. Ita Bartholomæus Fumus verbo *Communio* §. 18. Pari ratione poſt cibum dari poteſt extremo ſupplicio afficiendis: ſi illud in alterum diem differri nequit: maioris enim momenti eſt, vt non diſcedant ex hac vitæ ſine viatico; quàm vt non violetur illa conſtitutio Eccleſiaſtica de ieiunio.

An in die Cœnæ liceat à non ieiunis ſumi?

19 Infirmi; vel ſupplicio extremo afficiẽdi, etiam non ieiuni communicare poſſunt

Vtrùm verò Sacerdos, qui ſoluit ieiunium, poſſit celebrare, vt infirmum, alioqui ſine viatico diſceſſurum, communione reficiat, dubium eſt.

An Sacerdos non ieiunus poſſit celebrare, vt infirmus non diſcedat ſine viatico?

Nam Ioannes Maior d. 9. q. 3. exiſtimat poſſe; addens etiam quædam alia, nempe Sacerdotem tũc debere clanculum, & ſine veſtibus, ſola verba cõſecrationis panis proferre, & non ſumere: quæ nullo modo in praxi ſunt admittenda; quia contra vniuerſalem Eccleſiæ conſuetudinem, & contra ius diuinum.

Paludanus d. 8. q. 2. negat: cui aſſentitur Dominicus Soto. d. 12. quæſt. 1. art. 8. quæ ſententia eſt tenenda. Ratio eſt, quia, cùm hoc Sacramentum non ſit abſolutè neceſſarium, & ex illa licentia celebrandi poſſent ſequi graues irreuerentię, meritò potuit Eccleſia hoc præcipere & ſeruare. Aduerte tamen; ſi alioqui naſceretur ſcandalum, v. g. deſperatio infirmi, perturbatio amicorum, & odium; poſſe tunc ſacerdotẽ non ieiunum celebrare. Ratio eſt, quia lex poſitiua ceſſat in caſu ſcandali: ſcandalum enim iure naturali vitandum eſt. Similiter, ſi alioquin ſequeretur notabilis infamia ſacerdotis. Rariſſimè tamen hi

implicitè eam de fide tarunt.

sunt omnes qui Christianè vixerunt, & modò rationis vsu sunt destituti, vt explicitè petere nequeant: quiuis enim Christianus, dum ratione vtitur, censetur implicitè velle suscipere omnia salutis suę remedia Christianę plebi communia. Requiritur tamen Primò, Vt præsumatur esse in bono statu; quod semper præsumi debet, quamdiu non constat de contrario. Vnde etsi male vixit, si tamen postea signa contritionis dedit, non est priuandus hoc remedio: vt colligitur ex decreto Concilij Carthaginensis citato hic à D. Thoma in Corpore. Secundò, Vt absit periculum eiectionis, vel alterius irreuerentiæ notabilis. Vide Siluestrum, Euchar. 3. q. 5. §. octauo.

ARTICVLVS X.

Vtrum liceat quotidie hoc Sacramentum suscipere?

26

quotidie communicâre fideles optat Tridentinum.

REspondetur licere, quotidie sumere, modò quotidie sis paratus vt dignè id præstes. Vide D. Thomam, qui id optimè explicat. Idem habet Concilium Tridentinum sessione 22. cap 6. *Optaret quidem S. Synodus, vt in singulis Missis fideles adstantes non solùm Spiritali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarentur, quo ad eos sanctissimi huius sacrificij fructus vberior perueniret. Nec tamen, si id non semper fiat, idcircò Missas illas, vt priuatas, & illicitas damnat*, &c.

sæculares octauo die communicent.

Aduerte tamen, Quia varia sunt hominum negotia, & animarum occupationes, satis esse, vt sæculares octauo quoque die accedant: id enim sufficit ad fructum animorum, & habetur ratio reuerentię huius Sacramenti: difficile enim est sęcularibus crebriùs conueniens tempus huic sacratissimæ actioni impendere, & sese debitè præparare. Qui autem plane à mundo sunt segregati, & toti rebus spiritalibus dediti, (quales debent esse religiosi, & hisce similes) ij sæpius possunt communicare; habita tamen ratione ædificationis proximorum, & consuetudinis locorum.

crebriùs Religiosi & Deuoti.

27 semel dumtaxat indie extra necessitatem.

Petes, An sępiùs in die liceat communicare? Respondeo; non licere, nisi fortassis in euentu: vt v. g. ad impediendam iniuriam huius Sacramenti ab incendio, ab hæreticis &c. Id tamen non est iure diuino prohibitum, sed Ecclesiastico: quod colligitur ex Cap. *Consuluisti*, de Celebratione missarum; & Cap. *Sufficit*, de Consecratione dist. 1. quibus locis Sacerdoti non permittitur secundò celebrare, nisi ob necessitatem. Vnde colligũt Doctores laico nõ licere secundò communicare; quod etiam Ecclesiæ consuetudo confirmat. Quauis tamẽ hora diei potest quis communicare, modò sit ieiunus, & absit scandalum; vt docet Angelus, Eucharistia 3. num. 36. & Siluester Eucharistia 3. q. 15. nulla enim lex obstat, aut consuetudo habens vim præcepti. Secùs de celebratione.

quauis hora.

ARTICVLVS XI.

Vtrum omnino liceat a Communione abstinere?

28

NOtandum est, quosdam Doctores sentire communionem laicam non esse iure diuino præceptam, sed solùm consultam; iure tamen Ecclesiastico esse præceptam. Ita D. Thomas in 4. d. 9. vt testatur Caietanus hîc, qui in eam propẽdet, & Alexand. Halens. 4. p. q. 51. Bonauentura d. 12. art. 4. q. 1. Gabriel in Canonem lectione 87. Ferrariensis 4. contra gentes cap. 61. Siluest. Eucharistia 3. §. 1.

Diuino præcepto obligamur adquandoque communicandum

Sed contrarium est longè probabilius & verius; nempe hominem teneri aliquando sumere hoc Sacramentum, non solùm Ecclesiæ præcepto, sed etiam diuino mandato. Ita ferè alij Doctores.

Probatur Primò, Ioannis 6. v. 53. *Nisi manducaueritis Carnem Filij hominis, & biberitis eius Sanguinem, non habebitis vitam in vobis*: quæ verba intelligenda sunt de Eucharistiæ sacramentali sumptione; vt suprà dictum est; & apertè insinuant huius sumptionis necessitatem ad vitam spiritalem: atqui hæc necessitas, non est necessitas medij: ergo est necessitas præcepti. Dices; ibi solùm significari magnam vtilitatem, quę sępè meretur nomen necessitatis. Sed contrà: Quia id est contra proprietatem verborum, à qua sine magna ratione non licet recedere. Quomodo enim apertiùs potuisset significare præceptum, seu necessitatem prouenientem ex præcepto, quàm tali modo loquendi? Sic enim alibi necessitatem significat; *Nisi pœnitentiam egeritis*. Deinde, Cur Dominus toties hoc inculcat, si solùm proponit rem consilij, & liberam?

Probatur Secundò. Ex eo Lucæ 22. *Hoc facite in meam commemorationem*, quibus verbis Dominus totam hanc actionem scilicet consecrationem, oblationem, dispensationem & sumptionem præcepit fieri in sua Ecclesia.

29 Christus præcepit communionem quoad substantiã non tantũ quoad modum.

Dices, Dominus non præcepit hîc ipsam substantiam sumptionis, sed modum nempe, vt quãdo volumus sumere, id faciamus in ipsius memoriam: sic enim Apostolus videtur interpretari 1. ad Corinth. 11. v. 26. *Quotiescunque*, inquiens, *manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat*: & noster Canõ, *Hæc quotiescunque feceritis, in mei memoriã facietis.*

Sed contrà: Primò, Quia hinc sequeretur non præcipi etiam ipsam consecrationem, & oblationem, sed solum modum necessariò seruandum, quando volumus consecrare vel offerre: quod falsum est. Secundò, Quia istis verbis non præcipitur aliquis modus extrinsecus, cum quo hoc sacramentum debet consecrari, & sumi: sed intrinsecus, & substantialis: nam ipsa consecratio, oblatio, & sumptio est quędam commemoratio mortis Dominicę: extrinseca autem memoria mortis Dominicæ non est absolutè necessaria aut præcepta, ergo istis verbis præcipitur ipsa consecratio, oblatio, & sumptio. Tertiò. Quia Concilium Trident. sess. 13. cap. 2. ait, *Dominum præcepisse nos colere sui memoriam in huius sacramenti sumptione*, insinuans in ipsa sumptione consistere hanc memoriam, & per ipsam coli memoriam mortis eius. Et Confirmatur ex eo, quod subiungitur; *Sumi autem voluit hoc Sacramentum, tanquam cibum spiritalem, & tanquam antidotum* &c. apertè indicans ipsam sumptionem esse præceptam.

DVBIVM I.

Quinam obligentur hoc præcepto?

30 Præcepto communionis non tenentur infantes.

REspondeo, & Dico Primò, Non obligari infantes. Probatur, non enim per se obligantur; Quia per se non possunt vllo modo obligationi satisfacere, cùm careant vsu rationis. Neq; etiam per parentes (sicut ad Baptismum) vt patet ex vsu Ecclesię, quę non dat infantibus Eucharistiam. Deinde, quia Dominus solis adultis lo-

Digitized by Google

quitur Ioānis 6. cùm ait, *Niſi manducaueritis &c.* Vnde illa verba ad infantes nihil pertinent.

31 Tenentur omnes adulti.

Dico Secundò, Obligantur omnes adulti ratione vtentes, etiam non baptizati; quamuis huic obligationi non poſſint ſatisfacere, niſi poſt baptiſmum. Probatur; quia Dominus Ioannis 6. omnibus adultis, etiam non baptizatis, dicebat; *Niſi manducaueritis &c.*

Catechumeni.

Hinc ſequitur Primò, Catechumenum, qui in periculo mortis per negligentiam omittit baptiſmum, duplex peccatum committere: alterum contra præceptum baptiſmi, alterum contra præceptum ſumptionis Euchariſtiæ: tenebatur enim tunc vtrumque implere, etſi ordine quodam.

Amentes.

Sequitur Secundò, Etiam obligari eos, qui aliquando vſum rationis habuerunt. Quare ſi incidant in amentiam, & non conſtet eos eſſe in malo ſtatu, neceſſariò debet illis porrigi à Parochis, niſi fortè aliqua notabilis irreuerentia timeretur.

Morte plectendi.

Sequitur Tertiò, Obligari etiam eos, qui morte plectendi ſunt: nam ad eos etiam ſententia Domini pertinet. Et quamuis Eccleſia ob grauiſſimam culpam poſſit eos communione priuare, etiam in extremis; vt patet ex multis canonibus Concilij Elibertini, & ex Concilio Sardicenſi cā. 2. & Innocentio 1. epiſt. 3. tamen non expedit ob ingens periculum ſalutis; vnde etiam illi canones ſunt reuocati; vt docet Innocentius epiſtola citata; & Can. *Quæſtum.* 13. q. 2. Concilium Moguntinum dicit ex præcepto canonum, ſacrorum talibus dandam eſſe communionem, ſi pœniteant & confiteantur. Et Capitulo, quod incipit *Super eo*, de hæreticis in 6. præcipitur dari viaticum ante ſuplicium, etiam hæreticis relapſis, ſi ſufficientia ſigna dederint pœnitentiæ, & fidei.

Idem præcepit Pius V. motu proprio anno 1569. qui receptus eſt in Hiſpania (vbi anteà erat contraria conſuetudo) & lege regia cõfirmatus. Quare monendi ſunt Magiſtratus, ne id impediant; nam poſſent eſſe cauſa damnationis.

Pueri necdum decẽnes in mortis articulo.

Sequitur Quartò, Obligari etiam pueros in articulo mortis, etiamſi nondum decem annos habeant: modò eo ſint iudicio, vt poſſint peccare mortiferè, & confiteri. Et ratio eſt, quia tunc ſunt capaces neceſſariæ reuerentiæ & deuotionis: & non expectatur commodius tempus, quo meliùs ſint diſpoſiti: ergo tunc tenentur accipere. Confirmatur, quia cùm ſint capaces obligationis, cenſentur ratione articuli mortis iure diuino obligari. Ita Suarez, & multi recentiores. Extra mortis periculum tamen non obligantur: quia expectatur commodiùs tempus, quo magis inſtruantur, vt deuotiùs percipiant.

DVBIVM II.

Quando obliget hoc præceptum Communionis?

32 Præceptum Communionis obligat in articulo mortis.

REſpondeo & Dico Primò, Obligare hoc præceptum in periculo mortis. Ita Durandus d. 9. q. 2. Item Gabriel, Richardus, Dominicus Soto, Petrus Soto, & multi recentiores. Probatur, Quia ſi homo vnquam in vita obligatur, certè tunc maximè, quando potiſſimùm ſe debet ad vnionem cum Chriſto diſponere, & præſidijs huius Sacramenti contra impugnationes dæmonis munire.

quodſi ante in Paſchate communicauerit.

Aduerte tamen, quoſdam Doctores exiſtimare, eum, qui in Paſchate communicauit, non teneri in mortis articulo, etiamſi ille poſt multos menſes inciderit. Ita Caietanus in Summa, V. Communio. Paludanus d. 9. q. 1. Silueſter V. Euchariſtia 3. §. 1. Victoria q. 86. Denique Fumus V. Communio. num. 4. Verùm. Contrarium eſt multò probabilius & omnino ſeruandum in praxit: tum ob rationem allatam: tum quia ſaltem iure eccleſiaſtico tenetur. Nam Canones paſſim præcipiunt dari hoc Sacramentum infirmis moribundis vt viaticum: vt patet ex paulò antè dictis, & ex Concilio Nicæno, c. 12. vbi excommunicatis è corpore diſceſſuris iubet dari Euchariſtiam, vt neceſſario vitæ ſuæ viatico non fraudentur: additque hanc eſſe antiquam legis regulam: inſinuans eſſe traditionem Apoſtolicam: nuſquam enim inuenitur hoc inſtitutum, ſemper tamen in Eccleſia diligẽtiſſime obſeruatum, ſic vt ſine graui fidelium offenſione non poſſit prætermitti: quod eſt ſignum ſtrictæ obligationis.

quid ſi ante paucas hebdomades.

Aduerte tamen, Si quis ante ſex vel octo dies, vel fortè etiam ante quindecim, communicaſſet, nihil cogitans de morte propinqua, & incidat tunc in mortis periculum, non teneri rurſus communicare: vt docet Sotus diſt. 12. q. 1. art. 11. Ratio eſt, quia reipſa communicauit inſtante mortis periculo, ac proinde huic obligationi quodammodò ſatisfecit, etſi ignorans. Sic qui die feſto audiuit ſacrum, ignorans eſſe feſtũ, ſatisfacit præcepto ſic vt non teneatur ſecundò audire: præſertim cùm quiſque cẽſeatur habere implicitam intentionem per ſuos actus ſatisfaciendi obligationi, ſi qua ſubſit: niſi contrarium explicet. Valdè tamen conſulendum, vt rurſus communicet, etiãſi pridie ignarus vicinitatis mortis communicaſſet: nam formaliter non accepit Euchariſtiam, vt viaticum, cùm nihil de periculo cogitauerit.

35 Iure diuino aliquoties tenemur communicare.

Dico Secundò, Tenetur præterea homo iure diuino aliquoties in vita Euchariſtiam percipere. Ita auctores citati. Ratio eſt, quia præcipitur à Domino per modum alimenti ſpiritalis: ſed alimentum non ſolùm in morte ſumi debet: quin potiùs conditio eius poſtulat, vt in vita ſumatur. Confirmatur, quia ſicut alimentum corporale ſæpiùs ſumi debet in vita, ad inſtaurandas vires corporis, quæ caloris actione debilitantur: ita alimẽtum ſpiritale ſæpiùs ſumi debet ad vires animæ reficiendas, quæ calore concupiſcentię & fomitis aſſiduè debilitantur. Non eſt tamen contra ius diuinum differre per annum: nam Eccleſia id permittit. Fortaſsè tamen ad tres, vel quatuor annos extrahere, contra ius diuinum fuerit. Nam modus loquendi ipſius Chriſti inſinuat ſæpiùs eſſe ſumendum. Nullum tamen tempus præcisè ab homine determinari poteſt: nam chriſtus idnõ explicuit, ſed Eccleſię ordinationi permiſit.

34 communio Paſchalis, eſt iuris eccleſiaſtici.

Dico Tertiò, Iure Eccleſiaſtico tenentur omnes adulti vſum rationis ſufficientem habentes, communicare quotannis: idque in Paſchate. Patet hoc ex cap. *Omnes vtriuſque ſexus*, de Pœnitentibus. Vbi.

Aduerte Primò, Tempus Paſchatis complecti quindecim dies, qui ſunt à Dominica Palmarum incluſiuè, vſque ad Dominicam in Albis incluſiuè; vt declarauit Eugenius IV. teſte Nauarro cap. 21. nu. 45. V. Euchariſtia. Vnde ſufficit, vt quis aliquo ex his diebus communicet in ſua parœcia. Ante autem, vel poſt communicare non ſufficit, niſi alicubi ex conſuetudine hoc tempus ſit magis extenſum: ſicut Conimbricæ, & Mediolani complectitur totam quadrageſimam.

ei ſatisfit ſacrilegã cõmunione.

Aduerte Secundò, Satisfieri huic præcepto etiam per communionem ſacrilegam in peccato mortifero, ſic vt ſecundò non tenearis illo anno communicare: vt docet couarruuias in caput *Alma* 1. p. §. 5. n. 1. & Sotus lib. 2. de Iuſtitia q. 3

art. 10. Ratio eſt: Quia implet ſubſtantiam operis, quam lex præcipit. Nec refert quòd debito modo id non faciat: quia modus ille non præcipitur illa lege, ſed lege diuina.

An tempus Paſchale præuertendum.

Aduerte Tertiò, Cõmuniter Doctores docere, Eum, qui præuidet ſe habiturum impedimentũ, non teneri anteuertere tempus Paſchale. Ratio eſt; quia nemo tenetur anticipare tempus, cui ipſum opus neceſſariò connexum eſt; vt patet de feſtis, & ieiunijs. Nam ſic non impletur præceptũ: cuius ſignum eſt, quia ſi ceſſaret impedimentum, teneretur nihilominùs tempore ſtatuto communicare, quamuis anteuertiſſet illud tempus. Secùs eſt in præcepto confeſſionis, quia non eſt connexum certo tempori, ſed ſufficit vt fiat intra annum. Vnde ſi videt fore impedimentum ſub finem anni, & illo anno non eſt confeſſus ſua peccata mortifera, tenetur anteuertere tempus Paſchale ſua confeſſione.

Qui in Paſchate omiſit, tenetur ſtatim poſt communicare.

Aduerte Quartò, Eum, qui tempore Paſchali non communicauit, teneri poſteà prima opportunitate. Probat hoc optimè Nauarrus loco citato cap. 21. num. 45. & colligitur ex Capitulo *Omnes vtriuſque ſexus*; vbi ſicut præcipitur vt quiuis confiteatur, ſaltem ſemel in anno; ita etiam præcipitur vt quiuis ſaltem ſemel in anno cõmunicet, idque ad minus in Paſchate; quod etiam definitur in Concilio Tridẽt. ſeſſ. 13. c. 9. ergo ſicut confeſſio, etſi differatur vltra annum, nihilominùs obligat prima opportunitate; ſic & communio. Et ratio eſt; quia lex non concedit terminum anni, vt tunc obligatio extinguatur; ſed vt ſolutio obligationis non poſſit vlteriùs differri. Sicut in contractibus ſtatuitur terminus ſolutionis, vltra quem non poteſt differri ſine peccato; vnde ſi tunc non ſatisfiat obligationi, non extinguitur, ſed aſſiduè vrget, donec ei ſatisfiat. Determinatur autem tempus Paſchale, tum vt hac ratione communio non differatur vltra annum; ſicut ſæpè in contractibus determinatur dies, ne vlteriùs differatur: tum quia hoc tempus ob myſterium inſtitutionis huius Sacramenti, & Dominicæ paſſionis, eſt conuenientiſſimum. Non tamen ita alligatur communio tempori Paſchali, ſicut ieiunium vigiliæ, & Miſſa diei feſto, quorum obligatio perit cum tempore.

Contrariũ eſt probabile.

Aduerte tamen contrarium non eſſe improbabile, ſcilicet quod obligatio extinguatur, ſi in Paſchate non ſatisfeceris. Ita Antoninus, Silueſter, Tabiena, Ioannes Medina, Dominicus Soto, & Franciſcus Victoria.

ARTICVLVS XII.

Vtrum liceat corpus Chriſti ſumere ſine Sanguine?

Reſpondetur Affirmatiuè. Vide D. Thomam.

DVBIVM I.

Vtrùm Communio ſub vtraque ſpecie iure diuino ſit laicis præcepta?

35 Error hæreticorum

NOtandum, Hanc controuerſiam ortam in Bohemia ab hinc annos circiter 184. auctore quodam Petro Dreſdenſi, & quodam Iacobello Vrſinenſi, vt refert Æneas Siluius hiſtoria Bohemica cap. 35. Nam cum Petrus ille incidiſſet in locum hunc Ioannis 6. *Niſi manducaueritis* &c. monuit Iacobellum, qui Pragæ concionabatur, vt populum inſtrueret, non poſſe eos ſine vſu calicis ſaluari. Hos ſecuti ſunt Lutherani, Caluiniſtæ, & alij huius temporis hæretici; quamuis Lutherus ſæpè dicat vſum calicis non eſſe neceſſarium: quin imò in libello qui inſcribitur *Formula Miſſæ*, ait, *Si aliquod Concilium ſtatueret, aut permitteret vtramque ſpeciem, non idcirco debere nos vtrãque vti; ſed in deſpectum Concilij, aut vnã tantùm, aut neutrã.*

36 Aſſertio negans eſt de fide.

Reſpondeo, & Dico; Fide tenendum eſt Cõmunionem ſub vtràque ſpecie laicis, & ijs qui nõ conſecrant, non eſſe iure diuino præceptam. Patet hoc ex Concilio Conſtantienſi ſeſſ. 13. vbi definitur, & ſimul ſub pœna excommunicationis præcipitur, vt nullus Sacerdos communicet populum ſub vtraque ſpecie. Et ex Concilio Tridentino ſeſſ. 21. cap. 1. & canone 1. *Si quis dixerit ex Dei præcepto, vel neceſſitate ſalutis, omnes & ſingulos Chriſti fideles vtrãque ſpeciem ſanctiſſimi Euchariſtiæ ſacramenti ſumere debere, anathema ſit.*

1. Probatur ex ſcript. Ioan. 6.

Probatur Primò, Ex ſcripturis: Ioannis 6. Dominus apertè indicat teſte Concilio Tridentino ſeſſ. 21. c. 1. vnã ſpeciem ſufficere: *Si quis*, inquit, *mãducauerit ex hoc pane, viuet in æternum.* Itẽ. *Hic eſt panis de cælo deſcẽdens, vt ſi quis ex ipſo mãducet, non moriatur*: quod etiam inſinuauit ibidem, quãdo fecit miraculum in panibus, eos multiplicando, non tamen in potu Lucæ 24. v. 35. agnitus eſt Dominus à diſcipulis in Emmaus *in fractione panis*, id eſt, *ex pane quẽ dedit illis*: quo loco vel dedit eis Corpus ſuum ſub vna ſpecie panis (vt multi putant:) vel (vt probabilius cenſemus cum Ianſenio & alijs) dedit eis panem benedictũ, qui erat figura Euchariſtiæ; vt demonſtraret fructum Euchariſtiæ in vna ſpecie: ſtatim enim percepto illo pane *aperti ſunt oculi eorum.* Actorum 2. v. 42. *Erant*, inquit, *perſeuerantes in Doctrina Apoſtolorũ, & communicatione fractionis panis, & orationibus*: quo loco etiam hæretici fatentur agi de Euchariſtia: nam *fractio panis* iũgitur cum *doctrina & orationibus.* Neque per *fractionem panis* debet intelligi *calix*, per Synechdochẽ; quia multi ex Chriſtianis erant tunc Nazarei, qui non poterant vſque ad terminum voti ſui bibere vinũ: ſeruabant enim omnes tunc adhuc legalia: quos dubium non eſt communicaſſe ſub ſpecie panis.

Lucæ 24.

Actor. 2.

37 2. Probatur ex conſuetudine eccleſiæ.

Probatur Secundò, Ex conſuetudine Eccleſiæ. Primò, Quia olim ſolet Euchariſtia domum à fidelibus deferri, vt tempore opportuno ſumeretur, dabatur autem illis ſub ſpecie tantùm panis in manibus: Sanguis autem ſolùm porrigebatur ex calice, idque à Diacono; vt docet Cyrillus Catecheſ. 5. myſtagogica, neque laici poterant illum domum ferre: ergo communicabant domi ſub vna ſpecie fideles. Antecedens patet ex Tertulliano lib. 2. ad Vxorem: *Non ſciet maritus, quid ſecretò ante omnem cibum guſtes? & ſi ſciuerit, panẽ, non illũ credet eſſe, qui dicitur.* Cyprianus ſerm. de lapſis, refert exemplum de femina, quæ Euchariſtiam in arca incluſam reſeruabat ſub ſpecie panis. Hieronymus Apologia pro libris contra Iouinianum, dicit quoſdam domi ſumere Corpus Chriſti illis diebus, quibus ob actum coniugalem, non audebant ingredi Eccleſiam.

Domi euchariſtia aſſeruata ſub vna ſpecie.

Delata ad infirmos.

Secundò, Quia ſolet deferri ad ægrotos, idque vt plurimùm ſub ſola ſpecie panis: vt patet ex Euſebio lib. 6. hiſtoriæ cap. 36. vbi refert ex epiſtola Dionyſij Alexandrini presbyterum dediſſe puero ad ſe miſſo particulã Euchariſtiæ deferendam Serapioni cuidam ad mortem ægrotãti, & iuſſiſſe vt priùs eam madefaceret, quàm ſenì daret, eò quòd aſſeruatione ſpecies panis eſſet

indurata. Amphilochius in vita beati Baſilij dicit eum in extremis accepiſſe Euchariſtiam ſub ſpecie panis, quam diu alleruau erat.

Sub vna ſpecie in pœnam clericis dabatur.

Tertiò, In pœnam aliquorum criminum ſolet Clericis aliquando auferri *Cõmunio clericalis*, & conſtituì *communio Laica*, quæ etiam vocabatur *Peregrina*. Sic Siricius Papa epiſt. 1. c. 11. laicam communionem ſtatuit Clerico ducenti viduam. Et Felix III. centum annis poſterior epiſt. 1. cap. 2. Epiſcopis, Presbyteris, & Diaconis, qui permittunt ſe rebaptizari, tantummodò in morte concedit communionem, & quidam laicam. Cõcilium Agathenſe, can. 2. ſtatuit Clericis contumacibus peregrinam communionem dandam: & can. 5. *Si quis Clericus furtum Eccleſiæ fecerit, peregrina ei communio detur.* Erat autem *cõmunio Laica* iuxta probabiliorem ſententiam, quæ ſub ſola ſpecie panis dabatur: ſic dicta, quòd Laici poſſent hanc ſpeciem domum deferre, & ſeipſos communicare. Quę etiam dicebatur *Peregrina*, eo quòd peregrinis in ſignum pacis mitteretur.

quæ communio *Laica* vel *Peregrina*.

Communio græcorum per quadrageſimam ex Præſanctificatis ſub vna ſpecie.

Quartò, Apud Græcos tota quadrageſima, excepto Sabbato & Dominico, iam olim à mille ducentis annis, fuit vſus communicandi ex præſanctificatis: nam illis diebus non fiebat cõſecratio: ſed ſũtùm ſub vna ſpecie, quæ aſſeruabatur à die Dominico vſque ad diem Sabbati ſequentem, cõmunicabat etiam ipſe Sacerdos in publica Liturgia, ſicut apud latinos feriâ ſextâ Hebdomadę ſanctæ. Vide Cõcilium Laodicenum can. 49. *Non oportet*, inquit, *in quadrageſima panem offerre, niſi ſabbato & Dominico.* Concilium Trullanum can. 52. *In omnibus ſacrosãctæ quadrageſimæ ieiunij diebus, præterquam ſabbato & Dominica, & Annũtiationis die, fiat ſacrum præſanctificatorũ ſacrificium.*

Manichæi ſemper à calice abſtinuerunt.

Quintò, Manichæi non ſolent vnquam cõmunicare ſub ſpecie vini, vt teſtatur D. Leo ſerm. 4. de Quadrageſima, eò quòd exiſtimarent vinũ eſſe fel draconum; ſed tantùm ſub ſpecie panis: nemo tamen vnquam notauit hunc illorum errorem, quaſi contra mandatum Dei ſub vna ſpecie communicarent. Imò ſi tunc non fuiſſet libera communio ſub vna ſpecie, non potuiſſent Manichæi ſe occultare; ſed hæreſim ſuam per communionem mox prodidiſſent; quod tamen falſum eſt. Nam ſignum Manichæiſmi erat, non ſemel aut bis abſtinere a calice, ſed ſemper, vt inſinuat Diuus Leo ſuprà.

38 1. Prob. Ratione.

Tertiò: (Omiſſis Doctoribus Scholaſticis, qui omnes hoc cenſent.) Probatur Ratione: Prima eſt, Quia totus Chriſtus eſt ſub vna ſpecie; vt ſuprà quæſt. 76. oſtẽſum eſt, & ratio manifeſtè conuincit: quid ergo opus eſt vtraque ſpecie? Si enim totum poſſum accipere ſub vna, nõ ſunt neceſſariæ duæ. Cõfirmatur; Quia tota vis huius Sacramenti pendet ex ipſo Chriſto, qui latet ſub ſpeciebus: atqui hic æquè perfectus eſt ſub vna, atque ſub duabus: ergo tantum accipio per vnam, quantum per duas. Dices, Cur ergo Chriſtus inſtituit hoc Sacramentum ſub duplici ſpecie? Reſpondeo; Quia hoc Sacramentum non ſolùm eſt Sacramentum, ſed etiam Sacrificium, & quidem repręſentatiuum. Itaque ob rationem repræſentationis, quæ in hoc ſacrificio cernitur, id fecit. Nam hoc Sacrificium debet repręſentare effuſionem ſanguinis, quæ facta eſt in ſacrificio crucis. Vnde Corpus debet ſeorſim ſub ſpecie panis, & Sanguis ſub ſpecie vini conſecrari, vt ſit perfectũ ſacrificium repręſentatiuum. Vt autem ſit perfectum Sacramentum, vna ſpecies ſufficit: nam vna ſpecies continet totum Chriſtum, & confert totum effectum, & ſignificat id ipſum, quod confert. Species enim panis, quatenus conficitur ex aqua & farina, ſignificat populum incorporari Chriſto per hoc Sacramentum: quatenus autem ex multis granis in vnum coëuntibus conflatur, ſignificat hoc Sacraméto vnionem membrorum corporis myſtici perfici. Pari modo ſpecies vini per ſe ſola continet totum Chriſtum, & confert totum effectum, & ſignificat id ipſum, quod cõfert; nempe vnionem populi cum Chriſto, propter aquam admixtam; & vnionem membrorum inter ſe, quia ex multis acinis confluit.

Euchariſtia, vt Sacrificium, requirit vtramque ſpeciem; vt Sacramentum, non niſi vnam.

Secunda Ratio eſt: Si communio ſub vtraque ſpecie eſſet iure diuino præcepta, ſequerentur grauiſſima incommoda. Primò: Indigna tractatio tãti Sacramenti. Nam ſæpiſſimè contingeret Sanguinem Domini effundi; vt in communione ruſticorum, ſenum, debilium, ęgrotorum, qui non facilè poſſunt ſe accommodare ad bibendum de manu alterius. Secundò: In plurimis locis rariſſima communio. Nam cùm apud plurimas nationes non reperiatur vinum, niſi aliunde importatum, quod eſt cariſſimum & rariſſimum, vt in Iaponia, vbi vix ſacrificantibus ſufficiens haberi poteſt: Vel cùm in quibuſdam regionibus propter frigus non poſſit diu conſeruari, ſed continuò aceſcat, vt in Norvvegia: ſequeretur hos homines rariſſimè poſſe communicare, vel fortaſſe nunquam, præſertim quando Eccleſię ſunt pauperes. Tertiò: Multa ſunt loca frequentiſſima populo, in quibus ſolùm vnus eſt Sacerdos; vbi fieri non poterit, vt omnibus detur communio ſub vtraque ſpecie: nam tantum vini ſimul conſecrari non poteſt. Quartò: Multi abhorrent à vino, nec poſſunt ſine nauſea guſtare; vt abſtemij naturâ vel educatione. Vnde tales, vel carerent fructu huius Sacramenti, vel cum periculo reiectionis illud acciperent.

39 Ab incommodis, Primum. Secundum Tertium. quartum.

Dico Secundò, Eccleſia potuit præcipere communionem ſub vna ſpecie, iuſtaſque ad hoc cauſas habuit. Eſt fide tenendum, vt ſuprà.

40 Eccleſia iuſtè præcepit communionem ſub vna tantũ ſpecie.

Prior pars probatur; Quia communio ſub vna, vel duabus ſpeciebus, non eſt iuris diuini: ergo Eccleſia poteſt de ea diſponere. Antecedens patet ex dictis. Conſequentia probatur; Quia vbi à Domino non eſt præſcripta certa regula, Eccleſia poteſt vitandę confuſionis causâ aliquid certi ſtatuere; quod inſinuat Apoſtolus 1. ad Corinth. 14. cùm ait, *Cetera, cùm venero, diſponam.* Sic Eccleſia ex cauſa iuſſit interdum baptiſmum cõferri trina immerſione, interdum vna dumtaxat.

Altera pars probatur Primò, Ex incommodis iam allatis. Deinde, Quia communio ſub vna ſpecie iam tum ferè per totam Eccleſiam erat recepta: Concilium enim Conſtantienſe, quod primum hac de re ſanxit, videns ab hæreticis hanc conſuetudinem oppugnari, tanquam mandato Chriſti eſſet repugnans, eam lege ſtabiliuit, noluitque hæreticorum perfidiâ abrogari. Tertiò, Quia conſentaneum eſt, vt ſit conformitas per Eccleſiam in hoc Sacramento ſumendo, quæ eſſe non poſſet, niſi communio ſub vtrâque ſpecie abrogaretur, & præciperetur tãtùm ſub ſpecie panis. Refert tamen Ruardus articulo 15. Paulum III. diſpenſaſſe cum Bohemis, ſi tamen vellent fateri *Calicem non eſſe ad ſalutem neceſſarium.*

41 1. obiectio *Bibite ex eo omnes.*

Obiiciunt hæretici: Primò, Dominus expreſsè præcepit de calice, *Bibite ex eo omnes*, Matth. 26. idque non ſine myſterio, cùm non præceperit id de pane: nempe quia ſciebat fore, qui calicem Laicis eſſent negaturi.

Solutio.

Reſpondeo, Loquitur Apoſtolis præſentibus,

non autem Laicis: vnde Marcus ait, *& biberunt ex eo omnes.* Quòd autem non dixerit de pane, *manducate ex hoc omnes*, Ratio eſt; Quia non porrexit vnum panem integrum diſtribuendum per ſingulos, ſed duodecim partes diuiſas; vnde facile aduertebant ſingulis ſuam partem ſumendam: calicem autem non dedit diuiſum, ſed vnitum: ne ergo vnus, vel duo totum ſumerent, dixit; *Bibite ex eo omnes.* Notandum tamen in Canone noſtro, & apud Ambroſium lib. 4. de Sacrament. cap. 5. haberi, Dominum ſimiliter dixiſſe, *Accipite, mãducate ex hoc omnes*: quod eſt omnino credibile.

Dices Primò, Si ſolis Apoſtolis calicem dedit: ergo non licet eum dare Laicis.

quomodo Dominus præceperit dari Calicem.

Reſpondeo Negando Conſequentiam: Non enim vetuit dari; ſed generatim iuſſit dari hoc Sacramentum, ſiue ſub ſpecie panis, ſiue ſub ſpecie vini, quando dixit; *Hoc facite in meam commemorationem*: præcepit enim his verbis etiam diſpenſationem huius Sacramenti, non tamen definitè per calicem; vt poteſt colligi ex Luca, qui ſolùm refert hoc præceptum poſt conſecrationẽ panis: & ſatis conſtat ex interpretatione, & vſu Eccleſiæ.

Niſi mãducaueritis & biberitis &c. explicatur.

Dices Secundò, Ioannis 6. v. 53. dicit Dominus *Niſi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis*: ergo vtraque ſpecies eſt neceſſaria ad ſalutem.

Reſpondeo; Græcè eſt ἐὰν μὴ φάγητε, id eſt, *Si non manducaueritis*: debet autẽ ea negatio repeti poſt coniunctionem ſequentem mere Hebræo, vt ſenſus ſit; *Si non manducaueritis carnem Filij hominis, & non biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis*; id eſt, *ſi neque carnem, neque ſanguinẽ ſumpſeritis*, negatio enim more Hebræo poſita in principio, negat vtramque partem. Sic Pſalmo 1. in Hebræo habetur. *Non reſurgent impij in iudicio, & peccatores in concilio iuſtorum.* Ioannis 15. verſ. 22. *Si non veniſſem, & locutus eis fuiſſem, peccatum non haberent*, id eſt, *& non locutus eis fuiſſem.*

42 1. obiectio ex Patrib. gelaſius. Cyprian.

Obijciunt Secundò, Ex Patribus: Primò, Ex Gelaſio, quod benè ſoluitur hîc à D. Thom. ad 1. Secundò, Ex Cypriano ſerm. de Cœna Domini: *Lex prohibet eſum ſanguinis, Euangelium præcipit vt bibatur.*

Auguſtin.

Reſpondeo, Cyprianus non facit vim in verbo *bibendi*; ſed ſolùm vult dicere, *ſanguinem præcepto Domini eſſe ſumendum*, ſiue per modum cibi, ſiue per modum potus: nam cibus, inquit, & potus ad eandem rationem pertinent, ſcilicet vt corpus nutriatur, viuat, & conſeruetur; non enim modus ſumendi, ſed res quæ ſumitur, conſeruat. Simili modo intellige illud D. Auguſtini q. 57. in Leuiticum, *Ad bibendum ſanguinem omnes exhortantur, qui volunt habere vitam.* Non enim vim facit in verbo *bibẽdi*, ſed in re quę ſumitur; vt patet ex adiunctis. Quòd verò hæretici obiciant aliquot teſtimonia Patrum, ex quibus probent vtramque ſpeciem in vſu fuiſſe: Reſpondeo, Nos id minimè negare. Solùm enim dicimus, meritò hanc conſuetudinem eſſe abrogatam.

43 Tres rationes, cur ſubduplici ſpecie inſtituta videatur euchariſtia.

Obijciunt Tertiò, Tres Rationes. Prima eſt: Dominus inſtituit hoc Sacramentum ſub duplici ſpecie: ergò ab omnibus ſic debet ſumi.

1. Ratio.

Reſpondeo, Inſtituit ſub duplici ſpecie, quia illæ duæ ſpecies neceſſariæ erãt ad perfectam rationem ſacrificij repręſentatiui; non autem ad rationem Sacramenti. Nec verò neceſſarium eſt, vt quæuis ſacrificij pars ab omnibus ſumatur; ſatis eſt pro omnibus offerri; vt patet ex ſacrificijs legis veteris. Dices, Omnes in ſumptione hui⁹ Sacramenti debent *commemorare mortem Dñi* 1. ad Cor. 11. ſed mors Domini nõ repręſentatur perfectè; niſi per duas ſpecies: ergo duæ debẽt ſumi. Reſpondeo, Dupliciter *commemorari mortem Dñi* in propoſito: Primò, Expreſſa repræſentatione: quæ commemoratio fit, dum conſecratur vtraque ſpecies, & ex vi verborum ſeorſim ponitur Sanguis à Corpore: ad hanc requiritur vtraque ſpecies, ſolique Sacerdotes ſic *mortem Domini commemorant.* Secundò, Per ſignum qualecunque ſeu mnemoſinon aut memoriale, præſertim in hunc finem relictum. Sicut ſi amicus moriens relinquat mihi veſtem vel annulum, vt in memoriã mortis eius quotannis ſemel vtar, dicar *hoc vſu mortem eius recolere*: & hoc modo omnes, qui ſumũt Euchariſtiam, *commemorant mortem Domini*, etiàm ſi ſub vna ſpecie ſumant.

Soluitur.

laici ſub vna ſpecie communicando *memorant mortem Domini.*

44 2. Ratio.

Secũda Ratio eſt: Iudæi omnes in deſerto non ſolùm comederunt Manna; ſed etiam *biberunt aquam de petra*, teſte Apoſtolo 1. ad Cor. 10. v. 4. Atqui hęc erant figuræ Euchariſtiæ ſub vtrãque ſpecie ſumendæ: ergo & nos in deſerto huius vitæ vtramque ſpeciem debemus accipere.

Soluitur.

Reſpondeo hoc argumentum à nobis facit; Quia illi non eodem tempore & loco acceperunt *Manna, & aquam de petra*; ſed aliquot diebus interiectis: Manna enim datum eſt in deſerto Sin, Exodi 16. *aqua* verò in Raphidim Exod. 17. Vnde hæc erant figuræ Euchariſtiæ ſub vna ſpecie ſumendę; ſicut & *panes propoſitionis*, quibus nullus myſticus potus erat adiunctus; & *participatio ſacrificiorum*, quorum ſola caro mãducabatur, ſanguis autem omniaque libamina effundebantur Deo, vt patet Exod. 25.

45 3. Ratio

Tertia Ratio eſt: Duæ ſpecies plus conferunt gratiæ ſpiritalis, quàm vna ſola: ergo non rectè altera Laicis ſubtrahitur. Antecedens probatur, Tum quia vtraque ſeorſim eſt efficax gratiæ, & diuerſum gratię conferendæ inſtrumentum: tum quia videntur habere diſtinctum effectum; alius enim eſt effectus cibi, alius potus.

Soluitur.

Reſpondeo Primò, Etiamſi duæ ſpecies plus conferrent gratiæ, quàm vna; non tamen idcircò deberet permitti communio ſub vtraque, ob periculum indignæ tractationis, aliaque incommoda ſuprà allata: melius enim eſt, vt homo aliquà gratiâ non neceſſariâ careat, quàm vt tãtum Sacramentum, tantis periculis exponatur: quæ etiam vna eſt ex cauſis, cur non detur paruulis. Deinde poteſt hæc iactura facilè compenſari frequentatione: qui enim ſemel communicabat per hebdomadam ſub duabus ſpeciebus, communicet bis ſub vna.

An plus gratię detur per duas, quàm per vnam ſpeciem.

Reſpondeo Secundò, Non plus gratiæ conferunt duæ ſpecies ſimul ſumptæ, quàm vna, vt communiter docent Doctores; D. Thomas hîc ad 3. & ibidem Caietanus fusè; & idem D. Thomas opuſ. 58. c. 29. in fine. D. Bonauẽtura diſt. 11. 2. parte diſtinctionis art. 1. quæſt. 2. Richardus eãdem diſt. art. 4. quęſt. 6. Gabriel lect. 84. in Canonem. Roſſenſis in art. 16. Ruardus art. 15. & alij paſſim: excepto Alexandro Halenſi 4. parte quæſt. 53. memb. 1. & Gaſpare Caſalio lib. 2. de Cœna & Calice Domini cap. 25. quamuis dubitanter. Et ratio eſt, Quia vna ſpecie tantum continetur, quantum duabus: nam totus Chriſtus continetur in vna: vnde etiam totum ſuum effectum confert per vnam. Nec refert, quòd bis applicetur manducanti; quia alioqui, qui eodem tempore plures ſumeret hoſtias, plus acciperet gratiæ, quàm qui vnam, & qui calicem acciperet

tribus hauſtibus, plus acciperet gratiæ, quàm qui vno; quod per ſe ſatis abſurdum eſt. Dices: Ergo, quando Sacerdos accipit Corpus Domini ſub ſpecie panis, recipit totum effectum ſacramentalem, neque Sanguis poſteà ſumptus quidquam gratiæ confert. Reſpondeo, Sanguis ſub ſpecie vini tunc non confert nouam gratiam, ſed confert modo quodam eandem, quam contulit vnà cum Corpore latens ſub ſpecie panis: eadem enim gratia datur tunc veluti duplici iure, ſeu titulo: ſunt enim veluti duo teſtamenta, ſeu inſtrumenta authentica, quibus pleniſſimè confertur eadem hæreditas.

An ſanguis ſub ſpecie Vini det aliumeffectũ ab eo, quẽ dedit ſub ſpecie Panis latens.

Ad Confirmationem Antecedentis: Reſpondeo, Alius eſt effectus cibi, qui ſolùm eſt cibus; & alius eſt effectus potûs, qui ſolùm eſt potus. Sed in rebus ſpiritalibus idem eſt cibus & potus animæ: ſic *inſtitia eſuritur & ſitit*, & quæque ſpecies continet cibum & potum animæ. Simile eſt in rebus corporalibus, quæ ſimul vim cibi & potûs obtinent.

DVBIVM II.

Verùm ſaltem Sacerdotes teneantur iure diuino ſub vtraque ſpecie hoc Sacramentum conſecrare, & ſumere?

46 Tenentur ad hoc ſacerdotes iure eccleſiaſtico.

REſpondeo & Dico Primò, Saltem ex præcepto Eccleſiæ debere ſubvtraque ſpecie cõſecrari & ſumi à Sacerdotibus. Eſt cõmunis ſentẽtia Doctorum. Patet ex Can. *Relatum*, & Can. *Comperimus*, de Conſecratione diſt. 2. vbi dicitur non ſine graui ſacrilegio poſſe hoc myſterium diuidi, ſcilicet in conſecratione, & ſumptione.

Et Diuino

Dico Secundò, Probabilius eſt iure diuinò Sacerdotes teneri ſub vtraque ſpecie conſecrare, & ſumere. Et quidem de *ſumptione*, vix poteſt eſſe dubiũ, ſi conſecratio vtriuſque ſpeciei eſt neceſſaria: nam ſumptio ad rationẽ ſacrificij pertinet, vt infrà dicemus. Vnde Concilium Tolet. Can. *Relatũ*, ait. *Quale erit ſacrificiũ, cuius nec ipſe ſacrificãs particeps eſſe dignoſcitur?* De *Conſecratione* tenẽt multi Doctores: Caietanus hoc loco, Hoſius in Confeſſione Polonica c. 40. Palud. diſt. 11. q. 1. art. 1. Silueſter verbo Euchariſt. 1. q. 5. & alij.

luc 22.

Probatur Primò, Ex illis verbis Domini Lucæ 22. v. 43. *Hoc facite in meam commemorationem. Quibus verbis*, vt ait Concil. Trid. ſeſſ. 22. c. 1. *præcepit Dñs Apoſtolis, & eorum in Sacerdotio ſucceſſoribus, vt offerrẽt & ſumerẽt Corpus, & ſanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis & vini, ſub quibus ipſe obtulerat.* Vbi Cõcilium inſinuat de vtraque ſpecie extare præceptum diuinũ. Nec refert, quòd illa verba, *Hoc facite*, apud Lucam referantur tantùm poſt conſecrationem panis, & non poſt conſecrationem vini; quia vel Lucas ea per anticipationem ibi refert, cùm poſt vtriuſque ſpeciei conſecrationẽ inſinuet Canon noſter dicta eſſe: vel certè bis dicta ſunt à Domino, ſcilicet, poſt ſingulas ſpecies; quod indicat Apoſtolus 1. ad Corinth. 11.

Probatur Secundò, Ex ingenti illa cura, qua Eccleſia ſemper cauit, ne ſacrificium relinqueretur imperfectum; vt patet 7. q. 1. Can. *Illud*, & Can. *Nihil*, ex duobus Concilijs Toletanis: idque Eccleſia pluris fecit, quàm vt ſumatur à ieiunis, aut confeſſione præmiſſa. Ratio.

Probatur Tertiò, allata ratione: Quia eſſentia huius ſacrificij, ſcilicet quatenus eſt repreſentatiuum ſeu commemoratiuum ſacrificij crucis, poſtulat vt Corpus & Sanguis ſeorſim ſub diuerſis ſpeciebus ponantur. Sicut enim ſacrificium crucis conſiſtit in reali effuſione Sanguinis, eiuſque à Corpore ſeparatione; ita ratio huius ſacrificij conſiſtit in ſacramentali effuſione ſanguinis & ſeparatione; quę fit dum conſecrantur corpus & Sanguis ſub diuerſis ſpeciebus.

47

Sed contra; Si hoc eſt iuris diuini: ergo Pontifex non poteſt in eo diſpenſare: quod videtur falſum. Nam Raphaël Volaterranus l. 7. Geographię cap. de Saxonibus, ſcribit ab Innocẽtio VIII. conceſſum Norvvegis, vt ſine vino ſacrificarẽt, eò quòd ibi vino careant, & aliunde importatum ob aſperitatem frigoris continuò aceſcat.

Reſpondeo, Admitto Pontificem non poſſe diſpenſare: cuius ſignum eſt, quòd vſque ad tẽpora Innocentij VIII. nullum extet veſtigium huiuſmodi diſpenſationis, vel vſus. Illud autem Volaterrani videtur valdè vacillare: ſi enim hoc verum eſt, mirum certè eſt alios Auctores illius ætatis rem tam nouam ſilentio prętergreſſos; neque extare aliqua ſigna huiuſmodi diſpenſationis apud illã gentem, cùm vix ſint cẽtum & quindecim anni. Et cur vſque ad illud tempus dilata diſpenſatio? Cur idem modò non ita fit, cùm eadem cauſa duret? Adde, Volaterranum habere, Innocentium conceſſiſſe ſine vino calicẽ cõſecrare; quod ſine dubio falſum eſt: non enim ignorare poterat Innocentius alios liquores conſecrari non poſſe.

Pontifex nõ poteſt diſpẽſare, vt ſub vna tantũ ſpecie conſecretur.

Aduerte tamen; non eſſe improbabile, Pontificem poſſe diſpenſare ob extremam aliquam neceſſitatem. Ita tenet Gabriël lect. 53. Adrianus qu. de ieiunio neceſſario ad ſumptionem Euchariſtiæ pagina 76. vbi citat pro hac ſententia Alexandrum Halenſem in Compendio Theolog. lib. 6. Idem tenet Claudius à Sanctis, Repetitione 10. cap. 3. & quidam alij.

Contrariũ eſt probabile.

QVÆSTIO LXXXI.

De modo, quo Chriſtus eſt vſus hoc Sacramento.

In Quatuor Articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Vtrum Chriſtus ſumpſerit corpus ſuum & Sanguinem?

REſpondetur Affirmatiuè. Eſt valdè probabile, etſi non certum. Colligitur probabiliter ex Hieronymo q. 2. ad Hedibiam; *Dominus* Iesvs *Chriſtus ipſe conuiua & conuiuium; ipſe comedẽs, & qui comeditur.* Chryſoſt. hom. 83. in Matt. *Vt non turbarentur Diſcipuli, priùs ſanguinem ſuum bibit.* Heſichius in c. 8. Leuit. *Chriſtus in cœna priùs ſanguinem accepit, deinde Diſcipulis dedit.* Idem docet Gloſſa in cap. 3. Ruth. apud D. Tho. & communiter Doctores, diſt. 11. Ratio præcipua eſt; Quia Chriſtus ibi ſacrificauit: atqui ſacrificans in primis debet participes eſſe ſacrificij: vt colligitur ex cap. 6. & 7. Leuitici: vbi Sacerdotes priùs iubentur ſumere de ſacrificijs, deinde

Cur Chriſtus ſumpſerit Corpus ſuũ & Sanguiné.

Digitized by Google

populus. Vnde etiam Sacerdotes noui Testamenti debent necessariò sumere Eucharistiam in sacrificio. Deinde quia Christus debebat Apostolis dare exemplum sumendi, sicut & consecrandi: ergo &c.

ARTICVLVS II.

Vtrum Christus dederit Iudæ Corpus suum?

2 REspondetur Affirmatiuè. Notandum, Quosdam tenuisse contrarium. Sic Hilarius c. 30. in Matth. & Rupertus lib. 10. in Matth. sub finè: quæ sententia etiam habetur apud Clementem lib. 5. Constitutionum Apostolicarum c. 16. & defenditur à Turriano in Commentario illius loci.

Verùs est Iudã etiã communicasse. Marci 14. Lucæ 22.

Sed quod docet D. Thomas, est quasi certum. Probatur; Marci 14. vbi dicitur, *Et biberunt ex eo omnes*: Iudam autè tunc interfuisse, patet ex c. 22. Lucæ v. 20. vbi cùm Dominus dixisset, *Hic est calix nouum Testamentum in meo Sanguine, qui pro vobis effunditur*: subditur, *Verumtamen ecce manus tradentis me, mecum est in mensa.* Idem docent Patres: Dionysius Areopagita de Eccles. hiast. Hierarchia c. 3. p. 3. sed non nihil obscurè. Et apertè August. Tract. 62. in Ioannem, & Cõmentario in Psal. 10. & epist. 162. Chrysostomus hom. 46. in Ioan. & homil. 2. de proditione Iudæ. Ambrosius lib. de Apologia Dauid sub finem. Cyprianus serm. de Cœna Domini: & alij. Denique Magister, & Doctores dist. 11.

ARTICVLVS III.

Vtrum Christus sumpserit, & dederit Discipulis corpus impassibile?

3 REspondeo & Dico Primò, Sumpsisse & dedisse Corpus suum passibile, sed modo impassibili: sicuti id, quod est visibile, dedit modo inuisibili.

Passibilitas vel Impassibilitas est in Eucharistia cõcomitanter.

Vbi aduerte, passibilitatem, & impassibilitatẽ esse in Eucharistia concomitanter, sicut & ceteras qualitates: vnde quando ipsum Corpus in forma naturali erat passibile, eadem passibilitas ponebatur in eucharistia, quamuis non posset ibi ab extrinseco pati, vel etiam ab intrinseco naturaliter; ac proinde ponebatur ibi modo impassibili: non enim magis poterat ibi naturaliter pati, quàm si in se impassibile fuisset. Nunc verò quia Corpus Christi in forma naturali est impassibile, eadem impassibilitas est in Eucharistia, sicut & ceteræ Corporis dotes. Nam ex vi institutionis tale ponitur Corpus Christi in Eucharistia, quale est in seipso, excepta actuali extentione ad locum.

ARTICVLVS IV.

Vtrum, si hoc Sacramentum fuisset seruatum, vel consecratum in triduo mortis, Christus sibi fuisset mortuus?

REspondetur Affirmatiuè. Notandum hoc valdè esse credibile: nam Christus absolutè volebat mori pro genere humano: atqui non fuisset absolutè mortuus, si in Sacramento mansisset viuus. Tamen id non erat necessarium ex natura rei, seu cõnexione, quam habebat Christus sub Eucharistia ad se ipsum sub forma naturali, vt suprà ostensum est; sed solùm ex ordinatione diuina naturis rerum consentanea.

Christus ibi fuisset meriturus, sed sine dolore vel læsione.

Probabilius tamen videtur, dolores in Eucharistia non futuros, sicut nec læsiones: quia cùm naturaliter non possint ibi resultare, ex dolore, quem habebat in forma naturali, debuissent diuinitus infligi magno miraculo: quod non videtur satis consentaneum diuinæ bonitati & sapientiæ.

QVÆSTIO LXXXII.

De Ministro huius Sacramenti.

Hìc tribus Articulis tractata.

ARTICVLVS I.

Vtrum consecrare hoc Sacramentum sit proprium Sacerdotis?

1 Hæresis Lutheri, & aliorũ.

NOtandum est, Lutherum lib. de Captiuitate Babylonica cap. de Ordine, docere omnem Christianum per baptismum habere potestatem consecrandi. Alibi adiungit etiam Diabolum posse consecrare, modò verba pronuntiet. Quod est satis consentaneũ ipsius principijs; quorum vnum est, Sacramenta non operari, nisi excitando fidem: signa enim & verba sacramentalia possunt excitare fidem, à quocumque adhibeantur. Quare Caluinistæ non satis consequenter loquũtur, dum hac in re à Lutheranis recedunt, affirmantes neminem habere potestatem baptizandi, aut Eucharistiam administrandi, nisi Ministrum publicum ad hoc deputatum, esseque irritum, si aliter fiat. Pro veritate:

2 Soli Sacerdotes habent potestatem cõsecrandi Eucharistiam.

Dico Primò, Fide tenendum est, Solos Sacerdotes ritè ordinatos, habere potestatem consecrãdi Eucharistiam. Patet hoc ex Concilio Nicæno I. can. 14. vbi inter cetera dicitur, *Sacerdotes habere potestatem offerendi Corpus Domini, non autem Diaconos.* Item ex Concil. Lateranensi sub Innocentio III. *Hoc Sacramentum nemo potest conficere, nisi fuerit Sacerdos ritè ordinatus.* Denique ex Concil. Trid. sess. 22. cap. 1. & can. 2. & sess. 23. cap. 1. & 4. & can. 6.

Probatur primò, Ex Scriptura: Luc. 22. v. 19. *Hoc facite in meam commemorationem*: quod nõ est dictum, nisi solis Apostolis, & eorũ in Sacerdotio successoribus, vt docet Concilium Trident. ergo non est omnium cõficere hoc Sacramentũ: Consequẽtia probatur, Quia illi soli possunt hoc

Probatur ex verbis. *Hoc facite* &c.

Digitized by Google

conficere, quibus id à Domino eſt commiſſum.

Antecedens probatur Primò, Quia his verbis non ſolùm data eſt poteſtas, ſed etiam præceptũ conſecrãdi Euchariſtiam: atqui præceptum conſecrandi non eſt omnibus datum, ſed ſolis Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus: ergo hęc verba non pertinent ad omnes homines. Dices, Illud, *Hoc facite*, refertur ſolùm ad actionẽ manducãdi, & ſic pertinet ad omnes. Sed contrà: Quia inter Euãgeliſtas ſolus Lucas habet hæc verba, qui nõ meminit manducationis; ſed ſolùm *Accepto pane gratias egit, & fregit, & dedit eis dicens, Hoc eſt Corpus meum, quod pro vobis datur. Hoc facite in meã cõmemorationẽ*, Vnde patet Lucã referre illa verba ad totam Chriſti actionem; vt ſenſus ſit; *Hoc quod me facere vidiſtis, facite in meam commemorationem*: id eſt, *Accipite panem, benedicite, conſecrate, offerte, ſumite, diſtribuite*: hæc enim Dominus fecerat, & vnúquodque horum faciendũ eſt in memoriã ipſius. Vnde Apoſtolus 1. ad Cor. 11. ex iſtis verbis colligit, etiam manducationem debere fieri in memoriam Dominicæ mortis, non tamen reſtringit ea ad ſolam manducationem. Confirmatur; Quia ſi non referrentur ad totam Chriſti actionem, nullum extaret præceptum de huius Sacramenti conſecratione.

Per quæ verba Apoſtoli facti ſint Sacerdotes.

Antecedens Probatur Secundò, quia his verbis Apoſtoli ordinati ſunt Sacerdotes, vt docet hîc D. Tho. & Concilium Trid. ſeſſ. 22. can. 2. ergo illis ſolis directè hæc verba ſunt dicta.

Dionyſius Ignatius Tertul. Auguſtin.

Probatur Secundò, hæc propoſitio: Ex patribus. Dionyſius Areopagita c. 5. par. 1. Eccleſiaſt. Hierarchiæ, *Nec ipſe Sacerdos erit, niſi Pontificalibus officijs ad hoc fuerit promotus.* Ignatius epiſt. ad Trallianos dicit *Infideli deteriorem eſſe, qui cùm non ſit Sacerdos, audet aliquid circa altaris miniſterium.* Tertull. lib. de Præſcriptione ridet Marcioniſtas, quòd Laicis ſacerdotalia Munia cõmitterent. D. Aug. l. 20. de Ciuit. Dei c. 10. diſtinguit Sacerdotes ſpiritales & impropriè dictos, ab Epiſcopis & Presbyteris, qui propriè & ex officio ſunt Sacerdotes.

Probatur Tertiò, Ratione: quam vide apud D. Thomam.

3 Ad conſecrandum non eſt in miniſtro neceſſaria fides, vel bonitas, vel iuriſdictio.

Dico Secundò, Præter legitimam ordinationẽ, & intentionem faciendi quod Chriſtus inſtituit, non eſt quidquam aliud in Miniſtro abſolutè neceſſarium. Sic non eſt neceſſaria fides, vt volebat Cyprianus, & poſteà Donatiſtæ. Nec bonitas ſeu iuſtitia, vt volebat Vviclef. Nec poteſtas iuriſdictionis. Ratio eſt, Quia Sacramenta non pendẽt ex fide, vel bonitate miniſtrorum, ſed ex meritis, & inſtitutione Chriſti. Iuriſdictio hîc non requiritur; quia conſecratio nõ eſt actus iuriſdictionis, cùm non reſpiciat ſubditum, ſed materiam. Vide quæ dicta ſunt ſuprà qu. 64. & D. Thomam infrà hàc quęſt. art. 5. 6. 7. 8.

Sed contrà obijcitur: 1. Petri 2. v. 9. *Vos autem genus electum, regale Sacerdotium*; & Apocal. 5. v. 10 *Fecit nos Deo noſtro regnum & Sacerdotes.*

quomodo omnes chriſtiani ſint Sacerdotes.

Reſpondeo; Omnes chriſtianos tales eſſe *Sacerdotes*, quales ſunt *Reges*; ſcilicet largo & metaphorico modo, quatenus ſe, & omnia ſua Deo offerũt, & ad ipſius gloriam referunt. Sicut enim ſacrificium generatim eſt omne opus bonũ, quo ſancta ſocietate Deo inhæremus; ita ſacerdotium generatim eſt conſecratio hominis per baptiſmũ. Sed pręter hoc ſacerdotium, eſt aliud proprìè dictum, quo quis conſtituitur miniſter publicus populi Chriſtiani, & mediator inter ipſum & Deum. vt nomine populi, Deo ſingulare quoddã ſacrificiũ offerat, & viciſſim diuina dona populo diſpenſet.

ARTICVLVS II.

Vtrum plures Sacerdotes poſſint eandem hoſtiam conſecrare?

REſpondetur affirmatiuè. Quod intellige, ſi omnino ſimul verba conſecrationis conſũmant: alioqui is, qui prior abſoluit, ſolus conſecrabit; reliqui nihil efficient. 4 An abrogãdasmos, quo recens ordonati cum epiſcopo conſecrant.

Notandum eſt conſuetudinem illam, qua noui Sacerdotes conſecrant in ordinatione, non eſſe vniuerſalis Eccleſiæ. Vnde durandus diſt. 13. qu. 3. audet eam improbare, dicitque eſſe abrogandam. Verùm quia etiam in Eccleſia Romana, & pleriſque alijs ſeruatur, non eſt priuatorum Epiſcoporum auctoritate facilè abroganda. Nã in vetuſto pontificali Romano, vt refert Caietanus, de recens ordinatis dicitur, *Dicant omnia, quæ ſunt in Miſſali, ſicut ſi celebrarent.*

5 Poteſt hęc conſecratio fieri quadruplicitèr.

Sunt autem tres vel quatuor modi, quod ad praxim attinet. Primus, Vt recẽs ordinati, etiãſi verba conſecrationis ante Epiſcopũ pronuntiẽt, omnes tamen referant ſuam intentionem ad inſtans, quo finiet Epiſcopus. Ita faciendum iudicat innocentius III. lib. 4. de myſterio Miſſę c. 25. & D. Thomas, quos ſequũtur plerique Thomiſtę & Sũmiſtę. Sed hic modus patitur nonnullam difficultatem: nam fruſtrà refertur intentio ad illud inſtans, ſi reuerà illo inſtanti non finiatur forma quod rariſſimè cõtingit. Nam virtus verborũ nõ poteſt ſuſpẽdi pro arbitrio noſtro; imò neque pro arbitrio totius Eccleſię; ſed in vltimò inſtãti prolationis operatur, modò legitima adſit intentio.

Secundus modus eſt, vt diligẽter attẽdant, ne ante Epiſcopũ verba conſecrationis pronuntiẽt. Si tamen contingat ante illum finire cũ intentione conſecrandi, verè conſecrarunt, & Epiſcopus nihil poſteà faciet. Sed hoc etiã videtur incõmodum nõ exiguũ: ſi enim cõtingat eos præuenire, principalis ſacrificãs reuerà non ſacrificabit; actº enim ſacrificãdi potiſſimùm in cõſecratione cõſiſtit. Deinde, ſuper materia cõſecrata rurſus verba cõſecrationis proferẽtur: quod videtur eſſe ſacrilegũ: nã materia nõ eſt ampliùs cõſecrabilis.

Tertius modus eſt, vt non intendant determinatè conſecrare, vel non cõſecrare; ſed ſolùm intendant facere id, quod Eccleſia per illã cęremoniam inſtituit. Ita conſulit hîc Caietanus, eſtque bonum conſilium, & tutus modus.

Quartus modus, vt abſolutè intendant ſolùm pronuntiare illa verba recitatiuè, in ſignum poteſtatis acceptæ, cum intentione cõditionata conſecrandi, ſi fortè contingat ſimul cum Epiſcopo abſoluere. Et hic quoque modus tutus eſt, maximeque rationi conſentaneus.

ARTICVLVS III.

Vtrum diſpenſatio huius Sacramenti pertineat ad ſolum Sacerdotem?

REſpõdetur Affirmatiuè. Probatur tribus Rationibus: de quibus prima & ſecunda benè conſiderant ſoli Sacerdoti, & nulli inferiori diſpenſationem huius ſacramenti iure diuino cõuenire ex auctoritate Ordinis, & officij. Solus enim Ordo Sacerdotalis, ſicut conſtituit propriũ miniſtrum qui hoc Sacramentum conſecret; ita etiam conſtituit, qui conſecratum populo diſpenſet. 6 Reſponſio eſt affirmãs.

7 Diſpenſatio euchariſtiæ cõmitti poteſt Diacono.

Notandum tamen Primò: Olim Diacono ex commiſſione licuiſſe hoc Sacramentum diſpenſare, præſertim calicẽ; vt colligitur ex ſermone Cypriani de lapſis; & ex verbis B. Laurentij ad Sixtũ Papam: & interdũ vtramq; ſpecie, vt colligitur ex Iuſtino Apologia 2. pro Chriſtianis: *Abſoluta*, inquit, *gratiarum actione Præſulis, Diaconi dant ſingulis preſentibus partem panis, & calicis diluti, ſuper quæ facta eſt gratiarum actio: quod alimentum apud nos dicitur Euchariſtia.* Verùm hoc non facit eo modo, quo Sacerdos, ſed tanquam qui miniſtrat Sacerdoti; vt ait Clemens Roman° lib. 8. Conſtitutionum Apoſtolicarum cap. 28. id eſt, non ex vi ſuæ ordinationis, quaſi ordinario iure, ſed vt Miniſter & inſtrumẽtum Sacerdotis.

Sed non abſque neceſſitate.

Notandum Secundò; Hanc diſpenſationem diacono non poſſe committi, niſi quando Sacerdos per ſe, aut per alium Sacerdotem cõmodè non poſſet: ſic enim habet Eccleſiæ praxis, & colligitur ex Canone *Peruenit*, de Conſecratione diſt. 2. vbi iubetur Presbyter per ſeipſum cõmunicare infirmum, ſub periculo amittẽdi ſui gradus; & ex Concilio Carthaginenſi 4. cap. 38. vbi requiritur neceſſitas, vt Diacono committatur. Vnde quando Sacerdos commodè per ſe poteſt, aut alij Sacerdotes non deſunt per quos poſſit, non poteſt Diaconus, etiamſi illi præciperetur: quia non poteſt contra iura obtemperare.

8 Aliquando id poteſt Diaconus abſque cõmiſſione.

Notandum Tertiò, Poſſe incerto euentu Diaconum ſine commiſſione, imò etiam nolente Sacerdote Euchariſtiam diſpenſare; vt rectè Dominicus Soto in hunc art. contra Silueſtrum verbo *Diaconus*: v. g. vt ſi aliquis infirmus ſine viatico eſſet deceſſurus, Sacerdote nolente, vel non valente ei ſuccurrere: in tãta enim neceſſitate cenſetur Ius Diacono poteſtatem tribuere: & colligitur ex Concilio Nicæno I. can. 14. vbi conceditur Diaconis, vt proferant Euchariſtiã abſente Epiſcopo, vel Presbytero: & ex Gelaſio epiſt. 1. cap. 9. & 10. vbi abſolutè id conceditur Diaconis in neceſſitate: præſentia enim Sacerdotis, poteſtate ſuâ abutentis, inſtar abſentis cenſenda eſt.

Inferior Diacono.

Notandum Quartò: Inferioribus Diacono cõmitti non poſſe; niſi fortè in illo caſu, quo infirmus ſine viatico eſſet moriturus: tunc enim videtur etiam Laico permitti poſſe, modo ſcandalũ abſit. Probatur; Quia non eſt cõtra Ius diuinum, aut contra vllum Canonem, aut contra aliquam Eccleſiæ conſuetudinem, quæ vim legis habeat, præſertim cùm exempla antiquitatis non deſint. Nam olim Euchariſtia ſolet dari in manus deferenda domum; & etiam aliquando per pueros mitti ad infirmos, vt ſuprà. qu. 80. art. 12. dub. 1. num. 37. attigimus ex Dionyſio Alexandrino.

Laicus.

DVBIVM

Vtrùm requiratur Iuriſdictio ad Euchariſtiæ diſpenſationem?

9 Ad hoc requiritur aliqua iuriſdictio.

REſpondeo, Requiri aliquam Iuriſdictionem vt legitimè & ſine peccato fiat, vel ordinariam, qualis eſt in Pontifice, Epiſcopo, Parocho, & religionum Prælatis: vel certè delegatam, qualem habent illi quibus id ab ordinario ſuperiore conceditur. Ratio eſt, Quia bona communia Eccleſiæ non ſunt diſtribuenda niſi per eos qui in Eccleſia habent auctoritatem: atqui Sacramenta ſunt bona communia Eccleſiæ. Item hæc adminiſtratio pertinet ad officium paſtorale & gubernationem Eccleſiæ, ſicut publica verbi Dei prædicatio. Colligitur ex Concilio Carthaginenſi I. cap. 7. & generatim ex Clementina *Dudum*. de Sepulturis.

Petes, Quale peccatum eſt ſine tali iuriſdictione Euchariſtiam adminiſtrare? Reſpondeo, Eſt peccatum mortale ſine facultate ordinarij Paſtoris Euchariſtiam adminiſtrare: quia eſt vſurpatio iuris alieni in re magni momenti, quæ ex ſe turbat pacem, & debitam gubernationem Eccleſiæ. Poteſt tamen quis excuſari per ignorantiam, vel quia bona fide exiſtimat non diſpliciturum Paſtori, vel eum ratum habiturum.

10 Subpeccato mortali.

Religioſi ipſo facto ſunt excommunicati ſi præſumpſerint Clericis vel Laicis Sacramẽtum Euchariſtiæ adminiſtrare ſine copia Paſtoris proprij: Clementina *Religioſi*. de Priuilegijs.

Et excommunicatione.

Conceſſa facultate adminiſtrandæ confeſſionis, aut eligendi confeſſarij, non intelligitur poteſtas conceſſa Euchariſtiæ adminiſtrandę, aut eligendi Miniſtri Euchariſtiæ. Ratio eſt, Quia multæ ſunt cauſæ cur concedatur electio Confeſſarij, quæ non habent locũ in adminiſtratione Euchariſtiæ; & in vno non cenſetur contineri alterum.

11 Poteſtas delegandi.

Poteſt ſimplex Parochus cuiuis ſimplici ſacerdoti delegare adminiſtrationẽ euchariſtiæ, etiaſi ab epiſcopo non ſit approbatus; quia nullus Canon hoc requirit, & Concilium Tridentinum ſolùm loquitur de Sacramento Confeſſionis.

12 Cõmunio Paſchalis apud Mẽdicantes.

Quando in priuilegijs Mendicantium dicitur, eos poſſe adminiſtrare Euchariſtiam quouis tempore præterquam die Paſchatis Reſurrectionis Domini, non eſt ſermo de ſolo feſto Reſurrectionis, vt vult Nauarrus; ſed de toto tempore Paſchali, quando implere volũt præceptum Eccleſiæ de annua communione in parœcia: vt ſenſus ſit, præterquam tempore Paſchatis, quo volunt implere præceptum Eccleſiæ. Vnde etiam ipſo die Reſurrectionis Religioſi poſſunt dare Euchariſtiam, modò illi quibus dant, iam cõmunicarint vel communicaturi ſint in parœcia intra quindecim dies Paſchales.

13 Si deſit. copia Parochi.

Si Parochi vel ſuperioris copia non detur, poſſunt fideles vrgẽte neceſſitate accipere Euchariſtiam per modum viatici a Religioſis, vel quibuſuis alijs ſacerdotibus. Eſt contra Nauarrũ cap. 21. num. 52. Hæc enim cenſetur eſſe rationabilis voluntas Parochi, vel certè ipſius Eccleſiæ, vt in re tanti momenti ad ſalutem ei ſuccurratur per quemuis ad hoc idoneum. Angelus V Excommunicatio c. 5. Caſu 12. n. 5. citans Directorium, Heſtienſem, & Archidiaconum.

14 quoties tẽ Parochus Euchariſtiam adminiſtrare

Parochus tenetur adminiſtrare Euchariſtiam fidelibus non ſolùm ſemel in anno, & in articulo mortis, contra Sylueſtrum 1. q. 18. V. Confeſſio; ſed quoties ille rationabiliter petit. Itaque, ſi non nimis frequenter aut ſæpiùs petat quàm eius ſtatum decet, aut reuerentiæ Sacramenti conuenit, tenetur. Ita Adrianus in 4. q. 5. de Confeſſ. dub. 8. Sotus diſt. 12. Nauarrus in Capit. *Placuit*. de Pœnitentia, diſt. 6. n. 152. Ratio eſt, quia Parochi accipiunt ſtipendia à fidelibus, non ſolùm vt neceſſaria præbeant, ſed etiam valdè vtilia ſaluti animarum: maximè enim ad munus Paſtoris pertinet, vtilia ouibus conciliare: vnde non ſolùm diebus feſtis, ſed etiam alias frequenter tenentur Parochi ſacrum facere vel procurare.

15 quando Sacerdos filij ipſi poſſit porrigere.

Poteſt ſacerdos extra ſacrificium ſibi ipſi communionem porrigere: v. g. dum ægrotat, ſi non adſit alius ſacerdos, qui id commodè poſſet: Durandus diſt. 13. q. 4. Idem poteſt laicus in periculo mortis, ſi ſacerdotis copiam non habeat: Caietanus in c. 26. Matth. Ita dicitur Regina Scotiæ quæ nuper indigniſſimo ſupplicio in Anglia affe-

quando laicus.

ta fuit, habuiſſe penes ſe Euchariſtiã, & ſumpſiſſe pridiè quàm moreretur : ſed hæc fortaſſis diſpenſationem habuit.

16 Adminiſtrans Euchariſtiam

Sacerdos diſpẽſans hoc Sacramentum in peccato mortali, peccat mortifero ſacrilegio. Ratio eſt, quia ad huius diſpenſationem eſt ordinatus, & gratiam accepit. Non tamen videtur peccatũ mortale, ſi contingat ; quod eſt contra Adrianũ: aut ſi etiam deferat in ſupplicatione; quia ad hoc non videtur propriè ordinatus. Similiter nec laicus peccat mortaliter etiamſi in peccato mortali exiſtens contingat & deferat ad infirmum ; quia ad hoc non eſt conſecratus. Ita Paludanus & Suarez.

in mortali peccato.

Fœtus ſanguis.

QVÆSTIO LXXXIII.

De Ritu huius Sacramenti.

In Sex Articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Vtrum Chriſtus in hoc Sacramento immoletur?

1 In celebratione Chriſtus immolatur duobus modis.

REſpondetur Affirmatiuè : Chriſtus in hoc Sacramento, id eſt, in Conſecratione ſeu celebratione huius Sacramenti immolatur, id eſt, ſacrificatur. Probatur duabus rationibus a D. Thoma, quæ ſic explicandæ ſunt. Prior eſt: Celebratio huius Sacramenti, eſt repræſentatio ſacrificij crucis : ergo dici poteſt Chriſtus immolari in huius Sacramenti celebratione, ſaltem repræſentatiuè ; nam ſigna aſſumũt nomina rerum ſignatarum. Verùm hoc modo etiam dici poteſt immolari in figuris veteris teſtamenti: vnde hic modus eſt imptoprius. Altera eſt : Per celebrationem huius Sacramenti, non ſolùm vt eſt ſuſceptio Sacramenti, ſed etiam vt eſt conſecratio Corporis & Sanguinis Chriſti, applicatur nobis fructus Sacrificij crucis, ex opere operato: ergo eſt immolatio ſacrificij : Antecedẽs ſupponitur tanquam fide certum. Conſequentia probatur: Nam fructus paſſionis non applicatur nobis ex opere operato, niſi vel per ſuſceptionem Sacramenti, vel per oblationem ſacrificij : ſed conſecratio Corporis & Sanguinis Chriſti non eſt ſuſceptio Sacramenti, & tamen per eam applicatur nobis fructus paſſionis ex opere operato : ergo eſt oblatio ſacrificij.

2 Expenditur ratio D. Thomæ

Nota D. Thomã in corpore, vt probet Chriſtũ fuiſſe oblatum in figuris veteris legis, adducere illud Apocalypſis 13. v. 8. *Quorum nomina non ſunt ſcripta in libro vitæ Agni, qui occiſus eſt, ab origine mundi.* Verùm locus iſte aliter diſpungendus eſt, vt colligitur ex Græco, & optimè oſtendit Ribera in illum locum : nam illud *ab origine mundi*, non eſt iungendum cum *occiſus*, ſed cum *ſcripta ſunt*.

Notandum eſt; Euchariſtiam non tantùm eſſe Sacramentum, ſicut ſunt cætera Sacramẽta; ſed etiam ſacrificium; atque adeò ſacrificium vnicũ nouæ legis, in cuius oblatione primarius cultus noſtræ religionis conſiſtit. Itaque tractandum breuiter de Sacrificio, tum generatim, tum ipſius Euchariſtiæ ; nam hanc partem hæretici vehementer oppugnant : de qua præter ceteros copiosè ſcripſerunt Claudius à Sanctis, Guilielmus Alanus, Bellarminus, Grægorius à Valentia, & poſtremò Zuarez. Nos ſolùm præcipua proſequemur.

DVBIVM I.

Virùm omne opus bonum, quo Deum honoramus, ſit propriè dictum Sacrificium?

HÆretici, vt excludant vnicum, & verum Eccleſiæ ſacrificium, ita Sacrificij notionẽ explicant, vt vel omne opus bonum, vel ſaltem omne id, quod Deo offertur, dicant eſſe propriè dictum Sacrificiũ. Vnde Philippus Melanchthon in locis cõmunibus, Titulo de Sacrificio Euchariſtiæ, *Sacrificium* dicit *eſſe omne opus, quod Deo reddimus, vt eum honore afficiamus.* Caluinus autẽ *omnem oblationem vult eſſe ſacrificium.* Idem ferè ſentiunt alij hæretici, vt refert Gregorius à Valentiã *Apologia* de Sacrificio Miſſæ, & Bellarmĩnus, lib. 1. de Miſſa cap. 2.

3 Affirmant hæretici.

Dico Primò; certum eſt, non omne opus bonũ eſſe propriè ſacrificium, etiamſi fiat expreſsè ad Deum honorandum. Eſt cõmunis ſententia Catholicorum fide tenenda.

4 Nonomne opus bonũ eſſe propriè ſacrificium, eſt de fide.

Probatur Primò, Quia Sacrificium eſt excellentiſſimus cultus exterior, quo Deum colimus, & expreſſiùs eius excellentiam, noſtramque ſubiectionem teſtamur. Quod ex eo confirmatur, quòd ſacrificium nemini poſſit offerri, niſi Deo; vt oſtendit D. Auguſt. lib. 10. de Ciuitate Dei, cap. 4. *Vnde nemo vnquam ſacrificandum cenſuit, niſi ei, quem aut Deum ſciuit, aut putauit, aut finxit,* vt ibidẽ Auguſtinus. Cætera autẽ honoris ſigna etiã aliis fieri poſſunt ; vt genuflexio, erectio ſtatuæ, & ſimilia. Atqui non omne opus bonum eſt excellens cultus diuinitatis : imò pleraque nullũ honorẽ præ ſe ferunt ; vt ieiunium, eleëmoſyna, & omnia, quæ in proximum fiunt : niſi quatenus obedire Deo, eſt quodammodò honorare : non enim, qui ieiunat, aut proximo benefacit, expreſſo ſigno teſtatur Dei excellentiam, & ſuam ſubiectionem. Quod cõfirmatur : nam hęc opera non ex eo præcipuam laudem habent, quòd Deũ honorent; ſed quia ob alias cauſas rectè rationi, & diuinę legi ſunt conſentanea; alioqui Religio non eſſet virtus à ceteris diſtincta.

Sacrificiũ eſt præſtãtiſſimus cultus externus Diuinitatis.

Probatur Secundò, Nam ad rationem ſacrificii requiritur Sacerdos, & altare. Offerre enim ſacrificium eſt proprium munus Sacerdotis. Patet ex apoſtolo ad Hebr. 5. *Omnis Pontifex ex hominibus aſſũptus, pro hominibus conſtituitur, vt offerat dona, & ſacrificia.* Idem patet exemplis Scripturæ: nam in veteri lege ſoli Sacerdotes offerebant ſacrificia; adeò, vt Rex Ozias cùm non eſſet Sacerdos, & tamen vellet ſacrificare, à Deo punitus fuerit lepra 2. Paralip. 26. Idem patet ex nominum affinitate; tum apud Græcos, tum apud Latinos. Nam ἱερεὺς eſt *Sacerdos ἱερὸν Sacrificio* : Sic

Ad ſacrificium propriè dictũ requiritur Sacerdos.

Sacerdos

Sacerdos & ſacrificus, idem valet: Sacrificare ergo eſt proprium munus Sacerdotis.

Et altare. Quod autem Altare requiratur: Patet tum ex vſu omnium gentium, tum exemplis Scripturæ, vbi altaria non niſi ad ſacrificia fuiſſe erecta legimus, excepto illo vno filiorum Ruben & Gad, de quo Ioſue 22. quo præter naturam altaris vſi ſunt nempe in ſignum, quod haberent ius offerendi cum reliquis tribubus quæ erant vltra Iordanem. Tum ex ipſis nominibus: nam *Altare*, nomen habet à Sacrificio; tum, apud Græcos, tum, apud Hebræos: nam θύω apud Græcos dicitur θυσιάζειν, & à ZABACH, id eſt, *ſacrificare*, dicitur MISBACH, id eſt, *Altare*. Ratio eſt, Quia cùm ſacrificium ſit præſtantiſſimus cultus externus Diuinitatis, requiritur ad illud determinata perſona ad hoc peculiariter deputata; ſimiliter determinatus locus, qui vſibus profanis non poſſit accommodari.

Probatur Tertiò, Si omne opus bonum eſſet ſacrificium, deberet eſſe ſacrificium legis naturalis; ac proinde ratio naturalis dictaret omne tale opus pro ſacrificio habendum: atqui hoc falſum eſt, nam vlla vnquam gens quoduis opus bonum cenſuit cultum latriæ; ſed omnes quædam peculiaria opera externa habuerunt, quæ ſola, ſacrificia conferentur. Dices; etiamſi non omne opus bonum ſecundùm ſe ſit ſacrificium, tamen quatenus ſit ad honorandum Deum, videtur eſſe ſacrificium, cùm ſit actus latriæ. Reſpondeo; hoc non eſt eſſe propriè ſacrificium; ſed eſt tantummodò eſſe actum religionis imperatum, & directum in finem in quem dirigitur ſacrificium, ſeu ob quē propriè ſit ſacrificium: ſed hoc nihil ponit in ipſo actu, niſi denominationem extrinſecam, vnde nō facit ipſum actum eſſe actum latriæ, niſi remotè, quatenus videlicet aliquo modo cauſatur ab affectu latriæ. Adde, Non omnem actum latriæ eſſe ſacrificium: vt patet in adoratione, laude, voto, iuramento, &c. Vnde etiamſi eſſet actus Religionis, non tamen idcircò eſſet ſacrificium.

Eſto opus bonum fiat in honorē Dei, non indetamen eſt ſacrificium.

Sed contrà; Obijcitur Primò, Opera bona in Scripturis vocantur ſacrificia. Pſal. 50. v. 19. *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus*: & alibi, *Sacrificate ſacrificium iuſtitiæ, & ſperate in Dño*. Ad Hebræos vltimo v. 16. *Beneficentiæ & communionis nolite obliuiſci: talibus enim hoſtijs promeretur Deus.*

5 Soluuntur obiectiones.

Reſpondeo: Hęc dicuntur *ſacrificia* largè; quia placant Deum inſtar Sacrificij. Vide Chryſoſtomum Comment. in Pſal. 95. vbi decem genera huiuſmodi ſacrificiorum enumerat ex ſcripturis. Alibi enim ſcriptura, vbi ſtrictè accipit nomen *Sacrificij*, diſtinguit illud ab operibus bonis: 1. Regum 15. v. 22. *Melior eſt obedientia, quàm victimæ*. Oſee 6. v. 6. *Miſericordiā volo, & non ſacrificium*. Pſal. 50. v. 18. *Si voluiſſes ſacrificium, dediſſem*. Quibus locis manifeſtè inſinuatur, obedientiam, miſericordiam, aliaque huiuſmodi bona opera, non eſſe propriè ſacrificia. Vide Melchiorem Canum lib. 12. de locis cap. 13.

Sacrificiū ſæpè latè ſumitur pro omni bono opere.

Obiicitur Secundò, Auguſtinus lib. 10. de Ciuitate Dei cap. 6. ſic ait; *Sacrificium verum eſt omne opus, quod agitur vt ſanctâ ſocietate inhæreatur Deo, relatum ad illum finem boni, quo veraciter beati eſſe poſſumus*: id eſt, Sacrificium eſt omne opus bonum, factum, vt Deo placeamus.

Obiicitur definitio Auguſtini.

Reſpondeo; D. Auguſtinus accipit nomen *ſacrificij* latè, pro eo, quo aſſequimur finem ſeu effectum Sacrificij, *qui eſt placere Deo*. Vocat autem tale opus, *verum ſacrificium*, ad diſtinctionem ſacrificij externi, quo offertur animal: non quòd perfectiùs & veriùs habeat rationem ſacrificij, quàm ſacrificium externum; ſed quia effectum ſacrificij perfectiùs præſtat. Nam opus bonum ex charitate profectu, perfectiùs Deum placat, noſque illi iungit, quam ſacrificium externum, ſecūdum ſe non proficiſcens ex charitate. Hanc eſſe mentem Auguſtini patet ex capite 5. Simili modo Chriſtus dixit, *Ego ſum vitis vera*: non quòd eſſet propriè vitis, ſed quia eſt vitis myſtica, multò excellentiùs præſtans ſpiritaliter ea, quæ vitis ſunt. Sic *abſtinere à peccatis*, dicitur *verum ieiunium*: *viſitare pupillos, vera religio*.

explicatur

Dico Secundò, Non omnis quoque externa oblatio Deo facta ſacrificium eſt, quamuis ex intentione honoris diuini procedat.

6 Non omnis externa oblatiō ad honorē Dei facta, eſt propriè ſacrificiū.

Probatur Primò, Quia ſcriptura paſſim diſtinguit *Oblationem à ſacrificio*: Pſ. 39. *ſacrificium & oblationem noluiſti*. Pſ. 50. *Oblationes & holocauſta*. Ad Hebræos 5. *Vt offerat dona & ſacrificia*: & alibi. Et cōfirmatur; quia multa in ſcripturis dicuntur *Offerri*, quę tamen non poſſunt dici *ſacrificari*: vt Filij primogeniti, primitiæ variarum rerū, aurum, argentum, lapides pretioſi, bylius, aliaque plurima. Vide Exodi 25. & 35.

Probatur Secundò; Quia ad rationem ſacrificij requiritur mutatio rei. Quod patet, tum ex ſcripturis, vbi omnia propriè dicta ſacrificia videmus interimi, vel ſaltem multum immutari, vel per occiſionem, vt viuentia: vel per combuſtionem, vt carnes animalium, & res inanimę ſolidę, vt ſimila, ſal, thus: vel per effuſionem, vt liquida, ſanguis, vinum, aqua; vel alio modo, vt ſacrificium Melchiſedech. Vide cap. 1. & 2. Leuitici. Tum ex ipſo nomine *ſacrificandi*, quod latinè, Græcè, & Hebraicè ſignificat *occidere, mactare*; Græce enim θύω eſt *occidere*, & Hebraicè ZABACH. Tum denique, quia ſacrificium eſt præſtantiſſimus cultus externus. Vnde res tota debet in honorem Dei interimi, vel certè mutari; ſic enim ei perfectiſſimè offertur, dum in nullos vſus humanos cedit; & optimè deſignat eius perfectum in omnia dominium; quod non tam benè ſit ſine mutatione.

Vox ſacrificandi in linguis 3. ſignificat *Occidere*.

Probatur Tertiò, Quia ad oblationes non requiritur Sacerdos; quiuis enim poteſt eas facere. Neque etiam altare; vt patet Exodi 35. & alibi.

DVBIVM II.

Quid ſit ſacrificium propriè dictum.

RESPŌDEO; *Sacrificium eſt oblatio externa per legitimū miniſtrum ſoli Deo exhibita, in qua ſubſtantia aliqua ſenſibilis immutatur, vel etiā perimitur in proteſtationem diuini principatūs, noſtræque ſeruitutis.* Primò, Dicitur *Oblatio*. Nam *Oblatio* eſt genus *ſacrificij*, vt docet D. Thomas q. 85. art. 3. ad 3. quamuis interdum ſtrictè accipiatur, pro *Oblatione*, quæ ſolùm eſt oblatio, & non Sacrificium; vt patet ex dictis.

7 Definitio ſacrificij propriè dicti. Oblatio.

Secundò, Dicitur *Externa*, vt diſtinguatur eōtra internā oblationem, qua mens ſe ſuaque Deo ſubiicit: quam internā oblationem D. Auguſtinus vocat *verum ſacrificium*; dicitque Deum hoc magis exigere, quàm externum viſibile; cùm viſibile ſacrificium ſit Sacramentum, id eſt, ſacrum ſignum huius inuiſibilis. Quæ quomodo intelligenda ſint, patet ex dictis: non enim ratio ſacrificij propriè conuenit internæ reuerentię & ſubmiſſioni; quamuis verum ſit, externum hunc cultum, ſine interna ſubmiſſione, & reuerentię affectu, cuius eſt ſignum, parui eſſe æſtimandum: ſicut omne opus externum parui eſt momenti, niſi procedat à debito affectu interiore. Et ſic patet,

externa.

Deum magis exigere hunc internum cultum, cuius ipſum ſacrificium eſt ſignum, quàm externum ſacrificium: nam magis placet illi interna æſtimatio, reuerentia, & ſubmiſſio quam mens habet erga ipſum, tanquam primum principium omnium bonorum, quàm externum ſignum huius ſubmiſſionis.

legitimus Miniſter.

Tertiò, Dicitur *Per legitimum miniſtrum*. Nam cùm ſacrificium ſit præſtantiſſimus cultus externus, debet fieri à perſona ad hoc dedicata; ſicut & aliæ functiones honoratiſſimæ in Republica. Quod patet tum in veteri, tum in noua lege, vbi videmus ſacrificia ſemper à Sacerdotibus eſſe oblata, qui ad id peculiariter erant deputati. Idem ſeruatũ eſt apud Ethnicos. Dices, Apud Ethnicos quiuis cogebatur ſacrificare, vt patet ex geſtis Martyrum. Similiter in lege naturæ quiuis videtur potuiſſe: nam Abel ſacrificium obtulit, cùm tamen non eſſet primogenitus. Reſpondeo, Illa, quæ à priuatis offerebantur apud Ethnicos, non erant proprie ſacrificia, ſed oblationes quædam idololatricæ, quæ dicebantur latè ſacrificia. Vnde ad ſacrificia propriè dicta erant apud illos cõſtituti ſacerdotes. In lege naturę communior ſẽtentia Doctorum eſt primogenitos fuiſſe Sacerdotes. Ita Eucherius, Gloſſa, & Lipomanus in illud Geneſ. 25. v. 31. *Vende mihi primogenita tua*. Idem docet Hieronymus in qq. Hebraicis agens de Melchiſedech, vbi dicit eſſe traditionem Hebræorum omnes primogenitos à Noë vſque ad Aaron fuiſſe Sacerdotes; quibus etiam debebatur auctoritas quaſi regalis, & multæ aliæ prærogatiuæ. De quibus Pererius tomo 2. in Gen. cap. vltimo. Præter hos fuerunt etiam alij, vt Abel, qui id diuina inſpiratione fecerunt.

An apud gẽtiles, & in lege naturæ cuilibet eſſet licitum ſacrificare.

Subſtantia ſenſibilis.

Quartò, Dicitur *Subſtãtia ſenſibilis*. Nam apud omnes gentes, id quod in ſacrificio offertur, eſt aliqua ſubſtantia animata, vel inanimata. Et ratio eſt; quia ſacrificium fit ad teſtandum Deum eſſe principium omnis eſſe. Dices; In ſacrificio Miſſæ offertur Corpus & Sãgnis Chriſti, vt infrà dicemus; quæ tamen non poſſunt ſenſibus percipi. Reſpondeo, etſi non poſſint ſenſibus percipi ſecũdùm proprias & intrinſecas ſuas qualitates, percipiũtur tamen ſecundùm eas, ſub quibus exiſtunt per modum ſubſtantiæ: hæ enim qualitates ita ſe habent ad Corpus, & Sanguinem Chriſti, ſicut qualitates aliarum ſubſtantiarum, ad ipſas ſubſtantias, excepta informatione: vnde efficiũt Corpus Chriſti ſenſibile, & tractabile, quantum ſatis eſt, vt ipſum dicatur ſenſibiliter offerri, tractari, manducari: vt pãtet ex ſuprà dictis.

Immutatur.

Quintò, Dicitur *Immutatur*. Nam de ratione ſacrificii eſt, vt per aliquam realem mutationem offeratur; vt patet ex omnibus ſacrificiis veteris legis.

Perimitur.

Sextò, Dicitur *Vel etiam perimitur*. Etſi enim fortè non ſit de ratione ſacrificii, vt res omnino perimatur; ſed ſufficere videatur aliqua mutatio, qua in honorem Dei mutetur, ad ſignificandum eius perfectum in omnia Dominium (vti cùm effunditur aqua in honorem Dei, & libatur Deo, ſicut fecit Dauid 2. Regum 23.) tamen dubium non eſt, quin hoc valdè ad perfectionem ſacrificii pertineat. Et ratio eſt: Primò, Quia ſic perfectiùs teſtamur Deum eſſe auctorem totius eſſe, & habere vitæ & mortis ſupremam poteſtatem. Secundò, Quia ſic res non ſolùm quo ad vſum, ſed etiam quo ad ſubſtantiam in honorem Dei cedit. Addi poteſt Tertiò, Deũ ſic inſpiraſſe primis parentibus, ad repreſentandã mortem Chriſti, quæ omnium ſacrificiorum erat finis, & per omnia debebat præſignari. Sed hęc repræſentatio, etſi inueniatur in omnibus ſacrificiis diuinitus inſpiratis, non tamen ad rationem ſacrificij pertinet. Nam quamuis Chriſtus non fuiſſet mortuus, nihilominùs fuiſſent ſacrificia: nam ſacrificiorum oblatio eſt legis naturæ.

Teſtimoniũ diuini principat⁹ & noſtræ ſeruitutis.

Septimo, Dicitur *In teſtimonium diuini principatus, & noſtræ ſeruitutis*. Nam ſacrificio hęc duo teſtamur, Deũ eſſe principium omnium bonorum, & nos eſſe naturaliter ipſius ſeruos, in quos plenißimam habeat poteſtatem. Vnde, ſi poſſet fingi aliquod numẽ, à quo nos non dependeremus, ſicut fingebant Manichæus, & Simon Magus, non deberemus ei ſacrificium. Dices, Ethnici offerebant etiam Diis inferioribus, à quibus dumtaxat particularia quædam beneficia expectabãt; vt Cereri, &c. Reſpondeo; In eo faciebant contra rationem naturalem, quæ dictat ſummum Numen ſingulari quodam honore colendum, qui alijs ſit incommunicabilis.

DVBIVM. III.

Quotuplex ſit Sacrificium?

8

Diuiſio ſacrificij ratione materiæ.

REſpondeo; Tripliciter diuidi poſſe. Primò, Ratione materię. Nam materia vel erat animal aliquod, vel erat res inanima, eaque vel ſolida, vel liquida. Oblatio animalis dicebatur *Victima*, vel etiam *Hoſtia*. Oblatio autem rei inanimę ſolidę dicebatur *Immolatio*, iuxta D. Thomã; quamuis hoc nomen etiam ad victimas extendatur. Oblatio rei liquidę dicebatur *Libamen*. In veteri lege *Victima* conſtabat ſolùm his animalibus mundis: oue, capra, hædo, boue, columba, paſſere, turture; neque aliud genus licebat ſacrificare. *Res inanimæ ſolidæ*, quæ offerebãtur in ſacrificiũ, erant panis, ſimila, ſal, thus, manipulus ſpicarũ virentium: patet Leuit. 2. & 6. Hæc eleuabat Sacerdos in altum, & inde conſumebat contuſione, crematione, aut etiam comeſtione. *Liquida* erãt, Sanguis, vinum, oleum, aqua: hæc libatione, vel effuſione ſacrificabantur. Aduertendum autem *libamina*, & *rerum inanimatarum oblationes*, eſſe ſacrificia imperfectiora, quàm victimas, in quib⁹ viuum ſacrificabatur: vnde & apud Gentiles etiã Diis minutis fiebant: Victimæ autem ſolùm duodecim Diis maioribus, ſaltem ordinariè.

Victima. *Oblatio.* *Libamen.*

9

Alia eiuſdem diuiſio ratione finis vel formæ.

Secundò, Diuiditur partim ex fine, partim ex forma, in *Holocauſtũ*, *Sacrificium pro peccato*, & in *Hoſtiã pacificam*. *Holocauſtum* erat perfectiſſimũ, in quo tota res in fumum reſoluta, ſurſum aſcendebat ad teſtandum omnia à Deo nos habere, & omnia ipſius eſſe. Vnde potiſſimùm fiebat in reuerẽtiam diuinę Maieſtatis, abſque alio fine. *Sacrificium pro peccato* partim cremabatur, partim à Sacerdotibus in atrio tẽpli comedebatur. Offerebatur autẽ non pro peccatis internis, ſed quibuſdam externis; vt pro peccatis ignorantię, maximè circa cęremonias, vt patet Leuit. 4. & 5. item furti, periurij, & calumniæ cap. 6. *Hoſtia pacifica* offerebatur pro beneficijs acceptis in gratiarum actionem, & tunc eodem die conſumebatur. Aliquando etiam pro impetrandis nouis beneficijs; & tunc poterat in poſterum diem differri conſumptio. Huius pars cremabatur, pars à Sacerdotibus comedebatur, & pars ab ijs qui donauerãt.

Holocauſtũ *Sacrificium pro peccato.* *Hoſtia pacifica.*

10

Tertia diuiſio ſacrificii ex effectu.

Tertiò, Diuiditur Sacrificiũ ex effectu, in *Propitiatoriũ*, *Euchariſticum*, & *Impetratorium*. *Propitiatoriũ*, quod & *Hilaſticon*, offertur pro peccatis, eorũque ſuppliciis auertendis. *Euchariſticum* offertur in gratiarũ actionẽ pro beneficio accepto.

Propitiatorium. *Euchariſticum.*

oogle

Hoc, ſi offerebatur pro beneficiis in cõmuni, dicebatur *Latreuticum*, id eſt, *Honorarium*; nam Deo debetur latria ratione beneficij, creationis, & gubernationis. Si autem pro ſpeciali beneficio, dicebatur *Hoſtia pacifica*. *Impetratorium* offertur pro beneficio futuro; quod etiam *Hoſtia pacifica* dicebatur.

Impetratorium.

DVBIVM. IV.

Vtrùm liceat hoc tempore offerre Agnum, vel quid ſimile in ſacrificium?

VIdetur id eſſe licitum: nam offerre ſacrificium eſt legis naturę, vt docet D. Thomas ar. 1. q. 85. Vnde etiam in ſtatu naturæ nudæ fuiſſent Sacerdotes, & Sacrificia; nam fuiſſet cultus externus, quo Deum tanquam totius naturæ conditorem, & Dominum fuiſſent venerati: quod perfectiſſimè fit ſacrificio.

1

Reſpondeo; Non licere, ſed fore ſuperſtitionẽ, ſi quis intendat hæc in modum ſacrificij offerre.

Superſtitioſum eſt nũc Agnũ vel quid ſimile in ſacrificium offere.

Probatur Primò; Quia vnicum eſt verum & proprium Eccleſiæ ſacrificium, quod omnibus veteribus ſacrificiis ſucceſſit; vt paſſim docent Patres. Vnde D. Auguſtinus lib. 8. de Ciuitate Dei cap. vltimo, probat *Epulas illas; quæ à quibuſdam, ſepulchris Martyrum ſolent imponi, non eſſe ſacrificia Martyrum, eò quòd ſit vnicum Eccleſiæ ſacrificium*: vbi ſatis inſinuat, non poſſe auctoritate humana addi aliud ſacrificiũ. Et lib. 10. de Ciuitate Dei cap. 20. *Huius*, inquit, *veri ſacrificij multiplicia, variaque ſigna erant ſacrificia priſca Sanctorum, cùm hoc vnum per multa figurarentur*. Idem docet Leo ſerm. 7. de Paſſione cap. 1. & 3. Et Eccleſia in collecta; *Deus* inquit, *qui legalium differentiam hoſtiarũ vnius ſacrificij perfectione ſanxiſti.*

vnicum eſt in eccleſia ſacrificiũ.

Probatur Secundò, Quia Sacrificium Eccleſiæ eſt infinitæ dignitatis, continẽs in ſe omnium ſacrificiorum virtutem: ergo ſupernaculeum, & ſuperſtitioſum eſſet aliud addere, tãquam hoc ſit minus perfectum. Ideò enim plura inſtituuntur, quia vnum non ſufficit ad omnia impetranda.

Probatur Tertiò, Sacerdotium, quod eſt in Eccleſia, eſt ſupernaturale, & inſtitutum à Chriſto: ergo non reſpicit ſacrificium iuris naturæ, ſed ſupernaturale, ab eodem Domino inſtitutum. Sunt enim *Sacerdotium & ſacerdos* relatiua, vt eiuſdem ordinis.

Probatur Quartò. Alia ſacrificia ex inſtitutione diuina habent adiunctam proteſtationem Chriſti venturi: ergo externo ritu, qui ea vſurparet, cenſeretur iudaizare.

Denique, Hoc ipſo, quo Chriſtus inſtituit noſtrum ſacerdotium & ſacrificium, cenſetur hominibus prohibuiſſe inſtitutionem alterius ſacerdotij, aut ſacrificij: nam hęc inſtitutio propriè pertinet ad ſupremam poteſtatem. Vnde etiam cenſetur illam poteſtatem, quæ iure naturæ ineſſet Reipublicæ, ſuſtuliſſe. Quod confirmatur à ſimili: nam in lege veteri, hoc ipſo, quo Deus inſtituit illis Sacerdotium, & ſacrificia determinauit, cenſetur ademiſſe poteſtatem illi Reipublicę alia ſacrificia adiungendi; ſicut etiam, ſi Reſpublica aliqua inſtitueret ſacrificia, & ſacerdotium, hoc ipſo adimeret cuiuis priuato hanc poteſtatem.

12 Chriſtus ſuſtulit poteſtatem alterius ſacrificij inſtituendi.

DVBIVM V.

Vtrùm Euchariſtia in Eccleſia verè & propriè offeratur vt ſacrificium?

13 HÆretici omnes huius temporis negant, & ideò execrantur Miſſam tanquam idololatriam. Sed dicendum.

Certa fide credendum, Euchariſtiam non tantùm eſſe Sacramentum; ſed etiam offerri, vt verè, & proprie dictum ſacrificium.

Euchariſtia offertur vt verũ & propriè dictum ſacrificium.

Probatur Primò, Ex figuris huius myſterij. Prima ſit, *ſacrificium Melchiſedech*; vt patet ex Pſal. 109. & ad Hebræos 7. Atqui ritus Sacerdotij Melchiſedech, quatenus à ſcriptura nobis proponitur, erat conſtitutus in oblatione panis, & vini; vt patet Gen. 14. ergo Chriſtus obtulit ſacrificium ſub ſpecie panis, & vini: & conſequenter miniſtri Eccleſiæ in nouo teſtamento ſimile Sacrificium offerunt.

1. Probatur ex figuris.

1. Figura ſacrificiũ Melchiſedech.

Maior patet Gen. 14. v. 18. *Melchiſedech Rex Salē protulit panem & vinum: erat enim ſacerdos Dei altiſſimi.* At, niſi obtuliſſet panem & vinum in ſacrificio, non adderetur, *erat enim ſacerdos Dei altiſſimi*, nam ad benedicendum Abrahæ non erat opus Sacerdotio: poterat enim vt Rex illi benedicere; ſicut Salomon benedixit populo. 3. Regũ 8. & Dauid 2. Regnum 6. & Ioſue cap. 1. & 22.

Prima Conſequentia Probatur: Quia dici nequit eum principaliter protuliſſe ad refectionem, non autem ad ſacrificium: nam ibidem dicitur ſeruos Abraham potitos opimis ſpoliis, in quibus erant eſculenta, & poculenta. Et Confirmatur; Cùm ſcriptura deſcribat nobis aliquoties Sacerdotium Melchiſedech, tanquam diſtinctum ab Aaronico, & vt ſimillimum Sacerdotio Chriſti; debuit alicubi explicare, quale fuerit eius ſacrificium: ignorato enim ſacrificio, neceſſe eſt Sacerdotij cõditionem ignorare; cùm ſint relata: nuſquam autem ſcriptura explicat eius ſacrificium; niſi hîc. Denique omnes Patres paſſim docent Melchiſedech obtuliſſe panem & vinum, & hanc oblationem fuiſſe Euchariſtiæ typum: Clemens Alexand. lib. 4. Stromatum ſub finem; *Melchiſedech*, inquit, *rex Salē ſacerdos Dei altiſſimi, qui panem & vinum ſanctificatũ*, id eſt, ſacrificatũ, *dedit nutrimẽtum, in typum Euchariſtiæ*. Euſebius lib. 5. Demonſtrationis euangelicæ cap. 3. fusè in hanc ſentẽtiam ſcribit Melchiſedech pane & vino ſacrificaſſe, *vt præfiguraret ſacrificium, quod Chriſtus & ſacerdotes ab eo deſcendẽtes in omnibus gentibus offerunt*. Cyprian. epiſt. 63. *Quis magis*, inquit, *ſacerdos Dei ſummi, quàm Dñs noſter* IESVS *Chriſtus, qui ſacrificium Deo Patri obtulit; & obtulit hoc idē, quod Melchiſedech obtulerat, id eſt, panem, & vinum; ſuũ ſcilicet corpus & ſanguinem?* Auguſtin. epiſt. 95. ad Innocentium, *Melchiſedech prolato ſacramento menſæ Dominicæ, nouit æternum eius ſacerdotium figurare*. Omitto alios. Vide Garetium.

Vltima Conſequentia Probatur: Quia Chriſtus eſt *ſacerdos in æternum*; Pſal. 109. v. 4. id eſt, vſque ad finem mundi: ergo vſque ad finem mũdi debet offerre ſacrificium ipſi⁹ Melchiſedech: quod, cùm per ſe non faciat, neceſſe eſt, vt faciat per ſuos miniſtros in Eccleſia. Nec valet, Si dicas, *Chriſtũ dici ſacerdotem in æternum*, eò quòd virtus oblationis crucis maneat in æternum; quia ſic etiam natiuitas, paſſio, & mors, æterna diceretur: & Noë eſſe Sacerdos in æternum, quia effectus ſacrificij eius æternus eſt; impetrauit enim, ne in æternum ampliùs eſſet vniuerſale diluuiũ; Gen. 8. Deinde, ſacrificium crucis non erat ſecundùm ordinem Melchiſedech; ſicut neque ſecundùm ordinem Aaron; cùm hæc ſacrificia eſſent typica: ergo ratione ſacrificij crucis nõ poteſt dici *ſacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech*. Eſt ergo ſacerdotium Chriſti *ſecundùm ordinem Melchiſedech æternum*, quatenus vſque ad finẽ ſæculi per ſuos miniſtros offert Corpus ſuum & sãguĩ-

quomodo Chriſtꝰ ſit Sacerdos in æternũ ſecundùm ordinem Melchiſedech.

nem ſub ſpecie panis & vini.

14 2. Figura Immolatio Agni Paſchalis. Secunda Figura celebrationis Euchariſtiæ, eſt *Immolatio Agni Paſchalis*: atqui hęc erat verum ſacrificium, vt patet Exodi 12. num. 9. Marci 14. ergo etiam celebratio Euchariſtiæ eſt verum ſacrificium. Probatur conſequentia: nam veritas debet reſpondere figurę. Maior, (ſcilicet, immolationem Agni paſchalis eſſe typum Euchariſtię.) Probatur: Tum ex conſenſu Patrũ, Leonis ſerm. 7. de Paſſione Domini, Gregorii homil. 22. in Euangel. Hieronymi in cap. 26. Matt. Chryſoſtomi hom. de prodítione Iudę, vbi docet Dominũ adimpleuiſſe Paſcha vetus, conando & offerendo Paſcha nouum. Tum ex circumſtantiis celebrationis vtriuſque. Primò, Quia immediatè poſt eſum Agni inſtituit Euchariſtiam, quaſi hoc ſacrificio abolens vmbram, & ſubſtituens veritatem. Secundò, Quia ſicut Agnus immolabatur in memoriam tranſitûs Domini, & liberationis populi de Ægypto: ita Euchariſtia celebratur in memoriam tranſitûs Domini per paſſionem ex hoc mũdo, & noſtræ liberationis de poteſtate ſatanę. Tertiò, Sicut Agnus immolabatur, & comedebatur veluti in viaticum peregrinorum; ita Euchariſtia nihil aliud eſt, niſi refectio quædam, & viaticum tendentium ad cæleſtem patriam. Quartò, Agnus non poterat comedi, niſi à circunciſis, mundis, & in Ieruſalem. Euchariſtia nõ niſi à baptizatis, mundis, & in Eccleſia. Quintò, Agnus immolabatur non à Sacerdotibus Leuiticis: (Nam ante deſignationem Sacerdotum Leuiticorum fuit inſtitutum hoc ſacrificium:) ſed à Capitibus familiarũ, quæ quoad hoc retinebant ex lege naturę ius ſacerdotii. Euchariſtia celebratur à Sacerdotibus noui teſtamenti, qui ſunt Capita familiæ Chriſti aſſumpta ex omni tribu.

qua ratione Agnus Paſchalis ſit figura euchariſtia. Nocandum tamen Agnum Paſchalem non fuiſſe figuram Euchariſtię, quatenus ipſa includit ſpecies panis & vini, hic enim ſacrificium Melchiſedech eius figura erat; ſed quatenus continet veram carnem, & ſanguinem veri agni Chriſti: Agnus enim Paſchalis, vt erat hoſtia cruenta, erat figura ſacrificii crucis, quatenus verò continebat carnem agni immaculati, quæ debebat comedi, erat figura Euchariſtiæ.

15 3. Figura: Sanguis teſtaméti. Tertia Figura erat, *Sanguis teſtamenti*: Exodi 24. & ad Hebręos 9. Atqui Sanguis teſtaméti veteris apud Moyſen erat ſanguis victimæ iam immolatę, & verè ſacrificatæ: ergo *& Sanguis teſtamenti noui* apud Chriſtum in Cœna eſt ſanguis victimæ propriè ſacrificatæ: ergo Chriſtus in Cœna fuit verè immolatus.

1. Obiectio. Dices Primò, Sanguis Chriſti in Cœna erat tantùm ſanguis victimæ immolandæ in cruce, non autem tunc immolatæ.

Solutio. Sed contrà: Quia victima priùs debet immolari, quàm ſanguis eius libetur: nam ex immolatione victimæ ſequitur ſanguis. Quod confirmatur exemplo Exodi 24. v. 8. vbi priùs immolata eſt victima per Moyſen; deinde aſperſus ſanguis in populum ſub illis verbis, *Hic eſt ſanguis teſtamenti, quod mandauit ad vos Deus.* Ergo etiam Chriſtus priùs debuit ſeipſum victimã facere, & deinde ſanguinem ex ſacrificatione proueniente in diſcipulorũ corda ſpargere ſub his verbis, *Hic eſt Sanguis meus noui teſtamẽti.* Deinde, cùm in celebratione teſtamenti veteris tria inueniantur: Primum, Promulgatio legis coram populo. Secundum, Immolatio victimæ fœderalis. Tertiũ, Aſperſio ſanguinis, & manducatio victimæ: Dominus inſtituens nouum teſtamentum, cuius figura erat vetus, impleuit primum, cùm dixit, *Hoc eſt præceptum meum, vt diligatis inuicẽ*; & tertium, cùm dixit, *Comedite, Hoc eſt corpus meum: Bibite, Hic eſt ſanguis meus noui teſtamenti*: ergo non eſt dubitandum, quin etiam impleuerit ſecundum, nempe victimæ immolationem.

2. obiectio Dices Secundò, Nouum teſtamentum confirmatum eſt Sanguine Chriſti, vt in cruce fuit effuſus, non autem vt in cœna. Nam Apoſtolus ad Hebræos 9. v. 17. ait, *Nouum teſtamentum Chriſti morte confirmatum*: ergo ſanguis ille teſtamenti veteris, quo vetus teſtamentum ſanciebatur, non erat figura Euchariſtiæ, ſed occiſionis, & effuſionis Sanguinis in cruce.

Solutio. Reſpondeo Negando Conſequentiam: Nam idem omnino erat Sanguis, qui in Cœna, & qui in cruce effuſus. Vnde illo Sanguine, qui dabatur in cœna, nouum teſtamentum ſancitum eſt, licet per effuſionẽ in cruce confirmatum ſit. Cœpit tamen eſt etiam cõfirmari per effuſionem in cœna: nam in cœna erat idem Sanguis, habebatque repręſentatio effuſionis, quæ mox in cruce erat perficiẽda. Quia enim Chriſtus iã realiter in cruce immolatus, non poterat realiter aſpergere ſanguine ſuo populum ad confirmandum nouum teſtamentum, ſicut Moyſes fecerat in figura vituli immolati, dum confirmaret vetus teſtamentum Exodi 24. ideò, pręueniens mortem ſuam, ſeipſum immolauit in Euchariſtia, & condito teſtamento, Sanguinem ſuum, quo illud confirmaretur, aſperſit ſuper Eccleſiam.

Quòd autẽ ſanguis ille veteris teſtamenti fuerit figura Euchariſtiæ: Patet Primò, Quia eodem modo loquẽdi vtitur Chriſtus, quo ibi Moyſes. Moyſes ait, *Hic eſt ſanguis teſtamenti, quod mandauit ad vos Dñs*: Dominus ait, *Hic eſt ſanguis meus noui teſtamenti, qui pro vobis effundetur.* Secundò, Moyſes proponit populo ſuam legem: Dominus hic etiam ſuam propoſuit, cùm dixit, *Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicẽ.* Tertiò, Moyſes aſperſit ſanguinem ſuper populum, Chriſtus ſuum ſanguinem ſupra corda diſcipulorum. Quartò, Dominus condidit teſtamentum in cœna, non in cruce; quod patet: nam teſtamentũ debet fieri ab homine viuente, libero & ſui iuris: Dominus autem cùm in cruce moriebatur, erat vinctus, & damnatus. Item debet fieri coram teſtibus, & amicis: in cruce aderant ſolùm hoſtes, præter Matrem & Ioannem. Præterea diſertis verbis teſtator debet explicare ſe facere teſtamẽtum, nominare hęredes, & id quod eis relinquit, ſeu promittit, & huius relinquere inſtrumentũ authenticum, quo hæreditas applicetur: denique mãdare hæredibus, ſi quid ab illis fieri velit: quę omnia reperiuntur in cœna, non in cruce; ac proinde in cœna condidit teſtamentum, non in cruce. Vnde vlteriùs ſequitur, Sanguinem, quem dedit in cœna, fuiſſe præfiguratum per ſanguinem teſtamenti veteris.

Chriſtus in Cœna non in cruce fecit teſtamẽtũ.

16 4. Figura. Iuge Sacrificium. Quarta Figura eſt, *Iuge ſacrificium*: quod erat ſacrificium Agni manè, & veſpere, idque quotidie. Vnde Danielis 8. & 12. vbi Antichriſtus dicitur *ablaturus iuge ſacrificium*, Patres intelligunt *ſacrificium Euchariſtię*, quod publicè in Eccleſia celebratur: loquitur enim Daniel de vero ſacrificio, quod vſque ad finem mundi durabit, cuius typus erat Iuge Sacrificium Iudaicum.

17 2. Prob. ex veteri Teſtamento. locus Malachiæ. Probatur Secundò, Teſtimonijs Scripturę veteris teſtamenti. Primum, Teſtimonium: Malachię 1. v. 6. *Ad vos, ô Sacerdotes, qui deſpicitis nomen meum, & offertis ſuper altare meum panem pollutum; cæcum, claudum & debile immolatis, non eſt mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum,*

by Google

plicatur pro Sacrificio eucharistiæ.

non ſuſcipiam de manu veſtra. Ab ortu enim ſolis vſque ad occaſum, magnum eſt nomen meum in Gentibus, & in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda.

Hîc Propheta prędicit ſacrificiorum legalium, & cæremoniarum ceſſationem; Gētium vocationem & mundiſſimi Euchariſtię ſacrificij in Eccleſia toto orbe ex gentibus colligenda oblationem. Loquitur autem de futuro, tāquam de preſenti, ob prophetiæ certitudinem. Sic exponunt hunc locum omnes Patres: Iuſtinus Dial. cum Triphone. Irenæus lib. 4. contra hęreſes cap. 32. 33. 34. Cyprianus lib. 1. contra Iudæos cap. 16. Euſebius lib. 1. demonſtrationis Euangelicæ cap. vltimo. Auguſtinus lib. 18. de ciuit. Dei cap. 35. & alij. Et patet ex ipſis verbis: oppenit enim Propheta ſacrificium ſacrificio, Sacerdotem Sacerdoti, locum loco; panem pollutum, animalia cæca & clauda, oblationi mundæ; contemptum nominis, gloriæ nominis.

Mincha. Confirmatur Primò, Ex nomine *oblationis*, quæ Hebraicè MINCHA dicitur: numquam enim in Scriptura oratio vel opus bonum vocatur abſolutè *Oblatio*, vel *Sacrificium*; ſed cum adiuncto, *Sacrificium laudis*, *Sacrificium iuſtitiæ*, *Hoſtia vociferationis*, *Vituli labiorum*, &c. Deinde MINCHA in Scripturis ſignificat certum ſacrificij genus ex ſimila, oleo, thure; Leuit. 2. & 6. vnde aptè repręſentat Euchariſtiam.

Confirmatur Secundò, Quia hæc *oblatio* dicitur *munda*; idque non ſolùm, quia incruenta, & mundo ritu offertur; ſed quia, vt ait Concilium Trident. ſeſſione 22. cap. 1. *Malitiâ miniſtrorum non poteſt pollui*, ſicut Sacrificia vetera. Talis autem *oblatio* eſt Euchariſtia, eò quòd primarius offerens ſit ipſe Chriſtus, qui etiam eſt ipſa hoſtia. Atqui opera bona, de quibus hunc locum exponunt hęretici, non ſunt *oblatio munda*: nam omnia, (ipſorum ſententiâ) ſunt polluta, & fœda, ſolumque ex Dei imputatione poſſunt dici *munda*: vnde non placent Deo, quia munda; ſed contrà, ideò cenſentur munda, quia Deus acceptat illa. At Propheta loquitur de *oblatione*, quæ ideò placeat, quòd ſit *munda*.

Confirmatur Tertiò, Quia prędicitur oblatio Synagogæ reijcienda, & in eius locum noua quædam in Gentibus ſucceſſura: atqui oblatio precum & bonorum operum non ſucceſſit ſacrificio Iudaico, ſed ſemper fuit.

Confirmatur Quartò, Quia dicitur per ſacrificium Gentium Deum fore glorificandum, ſicut per ſacerdotes & ſacrificia Synagogæ cōtemptus & inhonoratus: atqui fuit inhonoratus publicè, & in publicis ſacrificijs: ergo per publicum, & externum ſacrificium Gentium erat glorificād⁹ Denique, Quia ad ſolos Sacerdotes eſt ſermo. At ſacrificiū bonorum operū pertinet ad omnes.

Secundum Teſtimonium: Prouerbiorum 7. v.

Prouerb. 9 1. *Sapientia ædificauit ſibi domū, immolauit victimas ſuas, miſcuit vinum, & poſuit mēſam*: quem locum Patres de Euchariſtia intelligunt. Vide Cyprianum epiſt. 63. & Auguſtinum lib. 17. de Ciuitate Dei cap. 20. Omitto alias prophetias obſcuriores.

18 3. Probatur ex noua Teſtamēto. Probatur Tertiò, Ex Nouo Teſtamento: Dominus enim ſeipſum obtulit in cœna ſub ſpecie panis & vini; & idipſum pręcepit fieri ab Apoſtolis, eorumque in ſacerdotio ſucceſſoribus, cùm dixit, *Hoc facite* &c: ergo Euchariſtiæ celebratio eſt Sacrificium. Maior eſt cōmunis doctrina Patrum: Irenæi lib. 4. cap. 32. vbi ait, *Noui teſtamēti nouam docuit oblationem*. Cypriani epiſt. 63. Gregorij Nyſſeni oratione prima de Reſurrectione. Auguſtini in Pſal. 33. concione 2. *Ipſe*, inquit, *de Corpore, & Sanguine ſuo ſacrificium inſtituit ſecundùm ordinem Melchiſedech*. Et elegantiſſimè Concilium Trident. ſeſſ. 22. c. 1. Et cōfirmatur ex verbis inſtitutionis, Lucę 22. *Hoc eſt Corpus meum, quod pro vobis datur*; vel, vt Paulus habet, *quod pro vobis frāgitur*. &, *Hic eſt calix, qui pro vobis effunditur in remiſſionē peccatorum*. Atqui his verbis, *datur, frāgitur, effunditur*, non tātùm ſignificatur dari vel effundi Apoſtolis in cibum & potum, ſed maximè dari, & libari Deo in ſacrificiū: non enim dicit *vobis datur*, ſed *pro vobis*. Nec obſtat in Latina editione haberi, *effundetur*, quaſi de ſacrificio crucis ageretur; nam Græca conſtāter habet, *effunditur, datur, frāgitur*: ſimiliter Liturgię Patrum S. Iacobi, Baſilij, Chryſoſtomi. Et confirmatur; quia calix non fuit *effuſus* in cruce, ſed in Cœna. 1. Corint. 10. v. 21. *Non poteſtis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum: non poteſtis menſæ Domini participes eſſe, & menſæ dæmoniorū*. His, & præcedētibus verbis Apoſtolus clarè docet: Primò, Sicut apud Gentiles & Iudæos ſunt menſa ſacra ſeu altare, & ſacrificium, quod huic menſæ imponitur; ita apud Chriſtianos eſſe ſacrā menſam; & loco ſacrificij Corpus, & Sanguinem Domini, quæ huic imponuntur. Secundò, Sicut Iudęi ſumunt hoſtias; & Gentiles idolothyta ex ſuis altaribus: ita fideles ſumere de mēſa Domini, Corpus & Sanguinem Domini. Tertiò, Sicut illi, qui apud Iudęos comedunt hoſtias, participes ſunt altaris, id eſt ſacrificij; conſentiūt enim ſacrificio; & interpretatiuè ſacrificāt: ita qui comedunt idolothyta, præſertim in idoliis, ſunt participes menſæ dęmoniorum, id eſt, conſentiūt ſacrificio dæmonum, & cenſentur iis ſacrificare. Ex quo relinquit intelligendum, Chriſtianos, qui ſumunt Euchariſtiam, eſſe participes altaris Domini, ac proinde conſentire in oblationem Euchariſtiæ Deo factam, itaque Deo ſacrificare.

locus 1. Cor. 10. per compa rationem pulchrè explicatur

19 4. Probatur ex Cōcil. & PP. vt ipſi hæretici fatentur.

Probatur Quartò, Ex Conciliis, & Patribus Sed non eſt neceſſe hîc immorari, nam hæretici fatentur, hāc eſſe Eccleſiæ, & Patrū ſententiam. Lutherus enim in lib. cōtra Regem Angliæ, *Vltimò*, inquit, *dicta Patrum inducit Rex pro miſſario ſacrificio; & videt meam ſtultitiam, quòd ſolùs velim ſapere præ omnibus; hoc eſt, quod dixi Thomiſticos aſinos habere nihil, quod producāt, niſi multitudinē hominum, & vſum antiquū*. Et l. de Miſſa priuata: *Hîc non curamus, ſi clamitent Papiſtę, Eccleſia, Eccleſia: Patres, Patres: quia vt dixi, horū dicta, & facta in tā magnis cauſis nihil curamus: ſcimus enim ipſos Prophetas ipſos eſſe, adeoque Apoſtolos. Verbo Chriſti indicamus Eccleſiam, Apoſtolos, adeoque ipſos Angelos*. Caluinus l. 4. Inſtitut. c. 18. *Et certè*, inquit, *ſi cogitamus Domini, non hominum cœnam eſſe, non eſt cur vlla hominum auctoritate, vel annorum præſcriptione, patiamur nos ab illa vel latū vnguem dimoueri*.

20 5. Prob. Ratione. Probatur Quintò, Ratione: Si Euchariſtię celebratio non eſſet verum Chriſti ſacrificiū, Chriſtiana Religio careret propriè dicto ſacrificio, quo, publico ritu & nomine Deus colitur. Sed hoc eſt abſurdiſſimum. Quod probatur:

1. Ratio. Primò, Quia omnis religio, ſive vera, ſive falſa, ſemper ad cultum diuinum adhibuit ſacrificium: quod eſt ſignū, prouenire ex dictamine rationis naturalis; eſſeque ſaltem iuris Gentiū, vt Deus ſacrificio colatur. Atqui Chriſtiana religio eſt perfectiſſima religio: ergo nō debuit carere omni ſacrificio, ſed potiùs debuit habere perfectiſſimum.

2. Ratio. Secundò, Quia ſacrificium eſt cultus externus Deo proprius; reliqui autē cultus cōueniunt etiā creaturis: atqui omnis religio inſtituitur ad colē-

dũ Deum: ergo omnis Religio debet habere cultum ſacrificij: alioquin careret eo cultu, qui Deo eſt proprius, ſolumq; haberet cultus creaturis ſecundùm ſe communes. Reſpondent hæretici; cultum Chriſtianę Religionis eſſe internum, ſcilicet fidem, & orationem. Sed contrà: quia non ſolùm interno, ſed etiá externo cultu Deum colere debemus: conſtamus enim non ſolùm animo, ſed etiam corpore, & ſenſibili externoque cultu in vnam Religionem coaleſcere debemus, vt Auguſt. ait: & externus cultus eſt proteſtatio cultus interni; vnde coniunctus interno melior eſt, quàm internus ſolus; præſertim ad impetrandum, & ad ſatisfaciendum, non ad merendum, ceteris paribus: vt patet Danielis 3. vbi tres pueri rogãt Deũ, vt ita placeat internus eorum affectus, quem tunc ſacrificio proteſtari non poterant, quemadmodũ placeret, ſi ſacrificare poſſent.

Non tantũ interno. ſed & externo cultu Deus colendus.

3. Ratio. Tertiò, Omnes cauſæ, ob quas Iudęi habuerunt ſacrificia, etiam in populo Chriſtiano locum habent. 1. cauſa eſt, Quia Deum non ſolùm animo, ſed etiam corpore colere debebãt. 2. cauſa, Quia ſummo, & proprio cultu debebant Deum colere. 3. Quia mortem Chriſti, ex qua ſalus omnium ſæculorum pendet, ſępe commemorare, & veluti repræſentare debebant, vt pote qui eam præſentem non cernerent. 4. Vt Deum placarent, vel pro beneficis perceptis gratias agerent, vel vt noua impetrarent. Quæ omnes cauſæ etiam apud nos valent.

Vt Iudæi, ita & chriſtiani debent habere ſacrificium.

4. Ratio. Quartò, Habebant Iudæi Præcepta, Sacramenta, & Sacrificia. Atqui præcepta non ſuſtulit, ſed explicuit, Matth. 5. Sacramenta autem in alia veriora, & præſtantiora Sacramenta mutauit: ergo ſimiliter ſacrificium non omnino debuit tollere, ſed in melius mutare; præſertim, cùm ſacrificium non pertineat propriè ad legẽ Moſaicá, ſed ad legẽ naturę: quare nullo modo debuit tolli per legem nouam, ſed ad præſtantiſſimũ & efficaciſſimũ determinari.

5. Ratio. Quintò, Cùm in Euchariſtia ſit verè Corpus, & Sanguis Chriſti, tanquam res permanens; maximè idonea eſt, vt Deo offeratur. Cur ergo non offeratur? Eſt enim omnium donorum Dei præſtantiſſima. Quod autem pręſtantiſſimum eſt, aptiſſimum eſt, vt offeratur Deo. Item cur reliqua Sacramenta in vſu ſita ſunt, & non niſi ab alio ſumi poſſunt; illud autem eſt quid permanens, & ab ipſo miniſtro ſumitur, niſi vt poſſit offerri in ſacrificium, & ab offerente ſumi?

21 ſoluuntur obiectiones hæreticorum.

Sed obijciunt hæretici. *Chriſtus eſt vnicus ſacerdos*, & quidem *in æternum*: ergo non ſunt alij Sacerdotes in Eccleſia: ergo nec aliquod ſacrificium præter ſacrificium crucis. Probatur Conſequentia: Tum quia multiplicatio Sacerdotũ repugnat vnitati ſacerdotij Chriſti. tum quia in veteri lege ideò erant multi Sacerdotes, *Quòd morte prohiberentur permanere*: at Chriſtus: *manet in æternum*.

Chriſtus eſt vnicus *Sacerdos in æternum*.

Reſp. Quia chriſtus eſt Sacerdos in æternum, ideò non habet ſucceſſores, vt rectè docet Apoſt. ad Hebr. 7. Neceſſe tamen eſt, vt habeat vicarios, quia per ſe non ampliùs offert: debet ergo ſaltem per vicarios offerre, vt Sacerdos dici poſſit in æternum. Multitudo autem vicariorum non repugnat vnitati ſacerdotij Chriſti: ſicut multitudo vicariorum Regis in multis locis, non impedit, quò minùs ſit vnicus Rex, vnus ſummus Princeps. Simili modo Chriſtus eſt *vnicus Doctor*, *vnicus Magiſter*, *vnicus Paſtor noſter*: tamen poſſunt eſſe multi Doctores, multi Magiſtri, multi Paſtores vicarij ſub Chriſto: ſicut ſub Aarone erant multi Sacerdotes inferiores. Ratio à priori eſt: quia ſacerdotium Chriſti eſt ſublimius, & vniuerſalius; cuius participatio quædam duntaxat eſt ſacerdotium noſtrum: cuius ſignum eſt, quòd ſacerdotium Chriſti fundetur immediate in vnione hypoſtatica, noſtrum in charactere per Sacramentũ Ordinis impreſſo.

22 2. Obiect.

Obijciunt Secundò, Sacrificium crucis habet vim infinitam: ergo ſacrificium Miſſæ eſt ſuperuacaneum. Confirmatur; Quia Apoſtolus ad Heb. 10. docet Chriſtum vnica oblatione conſummaſſe in perpetuum ſanctificatos; & acquiſita ſemel remiſſione peccatorum, nullam ampliùs reſtare oblationem.

ſoluitio.

Reſp. Si hoc argumentum valeret, ſequeretur etiam ſuperuacanea fuiſſe legis naturę, & legis veteris ſacrificia omnia: nam etiam homines illi⁹ temporis vi ſacrificij crucis ſanctificati ſunt. Itẽ ſuperuacaneum eſſe baptiſmum, orationem; imò ipſam quoque fidem, cui hæretici omnia tribuũt: nam cùm virtus ſacrificij crucis ſit infinita, abũdè ſola ſufficiet. Quare dicendum eſt, etiamſi virtus ſacrificij crucis ſit infinita, tamen ſacrificium Euchariſtiæ non eſſe ſuperuacaneum, quia applicat nobis portionem aliquam fructũs ſacrificij crucis; vt docet Tridentinum ſeſſ. 22. c. 2. ſicut etiam Sacramenta non ſunt ſuperflua, quia eiuſdem ſacrificij fructum nobis applicant. Virtus enim ſacrificij crucis eſt veluti cauſa vniuerſalis, quę nobis ex diuina inſtitutione applicari debet per Sacramenta, per ſacrificium Euchariſtię, & per bona opera.

Chriſtus *vnica oblatione* Crucis *conſummauit in perpetuum ſanctificãtos.*

Ad confirmationem; Chriſtus vnica oblatione crucis conſummauit genus humanum, nempe ex parte ſua, & in præparatione diuinæ voluntatis: nam ex parte ſua ſatis pręſtitit ad omnium hominum ſalutem; quã etiam diuina voluntas parata eſt conferre omnibus, quibus oblatio crucis applicabitur: nam oblatio crucis ita Deo grata fuit, vt propter eam paratus ſit omnibus hominibus dare remiſſionem omnium peccatorum, ornamenta omnium virtutum, & vitam æternam ijs, quibus eius virtus, per media à Chriſto inſtituta, applicaretur. Pari modo per oblationem crucis facta eſt remiſſio omnium peccatorum totius mundi; nempe in pręparatione diuinę voluntatis: quia ſufficiens pretium oblatum eſt, ob quod Deus paratus eſt omnia mundi peccata condonare, ſi illud hominibus debitè applicetur; & ita non requiritur alia oblatio pro peccato, quã nimirum nouum pretium acquiratur. Requiritur tamen alia oblatio, qua pretium applicetur, ſicut requiritur Baptiſmus, & alia Sacramenta; nam ex parte hominum nondum eſt facta remiſſio omnium peccatorum.

23 3. Obiect

Obijciunt Tertiò, Euchariſtia eſt Sacramentum, & Teſtamentum Chriſti, *Hic eſt calix nouum Teſtamentum*: ergo non eſt ſacrificium. Prob. conſeq. Quia *Sacramentum* eſt actio Chriſti, *Sacrificium* autem eſt actio noſtra. Item, *Teſtamentum* eſt id, quod nobis dedit Chriſtus; *Sacrificium* autem eſt id, quod nos damus Chriſto.

ſoluitio.

Reſp. Etiam *ſacrificium Euchariſtię* eſt actio Chriſti: Chriſtus enim eſt Summus Sacerdos, qui principaliter offert per manus Miniſtrorum ſuorum; vt rectè Tridentinum ſeſſ. 22. c. 2. Neque etiam abſurdum eſt, idem eſſe nobis à Deo datum, & à nobis Deo oblatum: quia quidquid offerimus Deo, ab ipſo accepimus. Itaque nihil obſtat, quo minùs Euchariſtia ſit *Teſtamentum*, *Sacramentum*, & *Sacrificium*: eſt enim *Teſtamentum*, tum quatenus continet diuinam promiſſionem, eamque veluti inſtrumentum authenticum nobis appli-

Euchariſtia eſt Teſtamentũ, & ſacramẽtum, & ſacrificium.

cat : tum quatenus inter cetera bona eximia, quę Chriſtus moriens nobis reliquit, hoc eſt prętantiſſimum; quod enim teſtamento relinquitur, recte *Teſtamentum* vocatur. Eſt *Sacrificium*, quia relictum eſt, vt Deo offerremus. Eſt *Sacramentum*, quia etiam relictũ eſt ad ſanctificationem animarum noſtrarum.

24 4. Obiect. Obiiciunt Quartò, Quidam Patres docent Chriſtum in ſeipſo tantùm ſemel eſſe immolatum; & Euchariſtiam huius immolationis eſſe repræſentationem: ergo volunt ſolùm eſſe ſacrificium figuratum, quatenus eſt repræſentatio huius ſacrificii.

Reſp. Solùm volunt dicere Chriſtum in Euchariſtia non immolari reipſâ; id eſt, non cruentè offerri & occidi, ſicut in cruce immolatus fuit; ſed ſolum immolari repræſentatione. Propriè enim immolari dicitur res viua, quando occiditur; chriſtus autem in Euchariſtia verè non occiditur, ſed ſolùm myſticè, & repræſentatione. Hinc tamen non ſequitur, quin verè offeratur licet alia ratione, nempe ſub ſpecie rei inanimę: & hoc etiam vult D. Tho. a. 1. Quod autem Patres non velint; Euchariſtiam eſſe nudam repręſentationem ſacrificii, ſic vt non ſit verum ſacrificium; patet ex Cypriano epiſt. 63. vbi dicitur, *Hoc eſſe plenum & verum ſacrificium*: ex Chryſoſt. hom. 60. ad Populum; & aliis Græcis Patribus, qui hoc Sacrificium vocant *ſacrificium terribile, & plenum horroris*: & Auguſt. l. 10. de Ciuit. c. 20. vbi vocat *ſummum ac veriſſimum ſacrificium*. Simili modo dicunt Patres, *Corpus & ſanguinem Domini offeri in Euchariſtia*. At ſi ſolùm eſſet repræſentatio & figura Sacrificii, non diceretur offerri.

ſolutio.

quomodo chriſtus hic immoletur.

DVBIVM. VI.

In quibus actionibus conſiſtat hoc ſacrificium?

25 NOtandum eſt, In Miſſa eſſe ſex partes, de quibus poteſt eſſe dubitatio, an pertineant ad eſſentiam, ſeu rationem huius ſacrificii. Prima eſt Oblatio panis & vini per eleuationem cum verbali oratione. Secunda eſt, Conſecratio. Tertia eſt, Oblatio Corporis & ſanguinis Chriſti poſt conſecrationem facta certis verbis, nempe his: *Offerimus præclarę Maieſtati tuæ panem ſanctum vitę ęternę, & calicem ſalutis perpetuæ*. Quarta eſt, Fractio & commixtio. Quinta eſt, Conſumptio facta per Sacerdotem. Sexta eſt, Diſtributio facta populo. De Miſſa Catechumenorum, quę extenditur à principio vſque ad oblationem panis, nulla poteſt eſſe dubitatio.

26 Oblatio Panis & Vini circa Offertoriũ non eſt de ratione ſacrificij. Dico Primò, Oblatio vocalis panis & vini, neq; ad eſſentiam huius ſacrificii, neque ad eius integritatem pertinet. Ita fere DD. Vide Alanum l. de Sacrif. c. 18. & Bellarmi. Ratio eſt: Quia eſt nuda cęremonia introducta ab Eccleſia ad excitãdam deuotionem: imò ante quingentos annos non fuit in Eccleſia Romana; vt oſtendit Bellar. ex Micrologo.

Dices, Saltem realis oblatio ad rationem huius ſacrificii pertinet: non enim poteſt hoc Sacrificium offerri, niſi materia conſecranda in honorẽ Dei exhibeatur: atqui hoc ipſo, quo profertur materia ad honorem Dei immutanda, cenſetur Deo offerri.

Reſp. Nullam realem oblationem panis & vini eſſe neceſſariam, prętęr eam, qua conuertuntur in Corpus & Sanguinem Chriſti; vt ſtatim patebit: reliquæ omnes oblationes, quę excogitari poſſũt, ſunt nudæ cęremonię ad rationem huius Sacrificii non neceſſarię. Vnde non rectè dixit Caſalius l. 1. de Sacrif. c. 20. eſſe duo Euchariſtię ſacrificia; alterum panis & vini, alterum Corporis & Sanguinis Domini. Nam eãdem indiuiſibili actione hæc omnia offeruntur; panis quidem & vinum, vt terminus *a quo* conſecrationis; id eſt, non vt hoſtia, quę propriè offertur, ſed vt id, ex quo hoſtia conficitur. Non enim ipſa deſitione panis & vini potiſſimùm intendimus colere Deũ, ſed poſitione Corporis & Sanguinis Chriſti ſub illis ſpeciebus: vnde Corpus & Sanguis Chriſti offeruntur, vt terminus *ad quem* conſecrationis: quomodo offertur, id quod ipſo actu ſacrificandi, eſt productum.

Arguitur caſalius.

27 Nec oblatio verbalis poſt cõſecrationẽ Dico Secundò, Hoc ſacrificium etiam non conſiſtit in illa verbali oblatione, quæ fit poſt conſecrationem. Probatur, Quia verbalis oblatio non eſt neceſſaria ad ſacrificium, ſed ſufficit realis: nõ enim neceſſe eſt dicere *Offero*, ſed ſatis eſt in actu exercito offerre: vt patet in ſacrificiis veteribus. Secundò, Quia Dominus eam non adhibuit. Tertiò, Illa oblatio nihil facit circa rem oblatam: nõ enim eam vllo modo immutat, ſed ſolùm eſt extrinſeca locutio, ſignificãs id, quod fit: ac proinde per eam non fit oblatio, ſed ſupponit oblationem ſacrificii. Denique, ad eam oblationem verbalem non eſt opus conſecratione, aut poteſtate ſupernaturali: ergo nullo modo dici poteſt in ea conſiſtere eſſentiam ſacrificii.

28 Item nec fractiõ vel mixtio. Dico Tertiò, Neque etiam fractio aux mixtio ad huius ſacrificii rationem pertinet. Eſt cõtra Melchiorem Canum lib. 12. de locis c. 13. Probatur: Quia Dominus videtur *fregiſſe* ante conſecrationem: idque fecit, non in cęremoniam, ſed ad vſũ, ſcilicet ob diſtributionem: noſtra autem fractio fit poſt conſecrationem, & ſolùm ad cæremoniã, non ad diſtributionem. Deinde, non eſt abſolutè neceſſaria: quid enim, ſi hoſtia incideret in calicẽ ante fractionem? Denique, in Liturgia D. Baſilij nulla fit eius mentio. Vnde ſatis patet eſſe nudam cæremoniam ſignificatiuam.

29 Nec diſtributio facta Populo. Dico Quartò, Diſtributio facta populo, ſeu ſumptio populi, etiam non eſt neceſſaria ad perfectionem huius ſacrificii: patet ex Concil. Trid. ſeſſ. 22. c. 6. & can. 8. Probatur: Quia Chriſtus non pręcepit hanc diſtributionem fieri quotieſcunque hoc ſacrificium offertur: ergo non pertinet ad eius perfectionem: non enim poteſt ad perfectionem eius pertinere, quod Dominus non præcepit. Ratio eſt: Quia tota actio ſacrificandi fit à Sacerdote: ſumptio autem eſt actio populi.

30 Conſecratio vel ſola, vel maximè pertinet ad rationem huius ſacrificii. 3. Prob. ex ſcript. Dico Quintò, Conſecrationem Corporis & Sanguinis Domini, vel ſolam, vel potiſſimùm pertinere ad rationem huius ſacrificii. Eſt communior ſententia Doctorum D. Thomæ hac q. a. 4. & ſuprà q. 80. a. 12. ad 3. Gabrielis lect. 26. in Canonem. Bellarm. lib. 1. de Miſſa c. vlt. Ruardi a. 6. & aliorum.

Probatur Primò, Ex Scriptura: Lucę 22. v. 19. *Hoc facite in meam commemorationem*: quibus verbis conſtituit Dominus Apoſtolos Sacerdotes noui teſtamenti: iiſque, & eorum in ſacerdotio ſucceſſoribus pręcepit, vt offerrent Corpus ſuum & Sanguinem, ſub ſpecie panis & vini: vt inquit Concilium Trident. ſeſſ. 22. c. 1. Atqui his verbis potiſſimum præcepit conſecrationem: hanc enim potiſſimum commemorant Euangeliſtę ipſum feciſſe: & per hanc eius paſſio potiſſimùm repręſentatur: ergo oblatio potiſſimùm conſiſtit in conſecratione. Confirmatur, Quia poteſtas ſa-

cerdotalis,quam Dominus his verbis contulit,eſt merè ſupernaturalis & diuina,& conſiſtit in charactere ſacerdotali;hic enim formaliter conſtituit ſacerdotem nouę legis , cùm ſit participatio ſacerdotij Chriſti. Atqui character per ſe & directè eſt poteſtas conſecrandi Corpus & Sanguinem Chriſti : ergo poteſtas ſacerdotalis eſt poteſtas conſecrandi Corpus Chriſti : ergo conſecratio Corporis Chriſti eſt actus directus ſacerdotum,& conſequenter eſt oblatio ſacrificij:nam
2. ex Patribus. ſola oblatio ſacrificij eſt proprius & directus act⁹ ſacerdotij vt ſacerdotium eſt.

Probatur Secundò, Ex Patribus:Irenæus lib. 4. contra hæreſes c. 32. dicit *Chriſtum docuiſſe noui Teſtamenti nouam oblationem,quando dixit, Hoc eſt Corpus meum.* Cyprian. ſerm. de Cœna Domini, ait,*Cùm verbis conſecrationis panis benedicitur,Euchariſtiam fieri medicamentum,& holocauſtũ.*Chryſoſt. hom. de proditione Iudæ,*Verba Domini, Hoc eſt Corpus meum,vſque ad finem mundi præſtare ſacrificio firmitatem.*

3. ex Rationibus. Probatur Tertiò,Ratione. Primò, Quia principalis offerens in noſtro ſacrificio eſt ipſe Chriſtus; vt Concilium Trident. docet aliquoties:ergo illa
Prima. actio potiſſimùm eſt de eſſentia huius ſacrificij , quæ ſit in perſona Chriſti. Atqui nulla eſt, quæ magis,& veriùs fiat in perſona Chriſti,quam cõ-
secunda. ſecratio ; in ea enim loquitur Sacerdos tanquam ipſe ſit Chriſtus,ergo conſiſtit in conſecratione. Secundò , Hoc ſacrificium eſt repreſentatiuum ſacrificii crucis, ſeu effuſionis ſanguinis factæ in cruce. Atqui hęc repræſentatio potiſſimùm fit per conſecrationem,dum Corpus & Saguis ſeorſim ponuntur ex vi verborum ſub diuerſis ſpeciebus,tanquam partes victimę occiſę. Tertiò,ſi cõ-
Tertia. ſecratio non eſt de eſſentia huius ſacrificii , nulla actio eſſentialis huius ſacrificii expreſſa eſt ab Euangeliſtis,quod omnino eſt incredibile. Nam cũ Lucas referat Dominũ dixiſſe,*Hoc facite in meam commemorationem* (quibus verbis præcepit eis ſuam actionem imitari) debebat ſanè illa actio
quarta. exprimi,quæ maximè imitanda erat.
Quartò,Si conſecratio non ſit de eſſentia,poterit Sacerdos offerre ſacrificium ſine conſecratione , per ſolam communionem quotieſcunque volet : quod tamen eſt contra ſenſum communem Doctorum. Deinde ſumptio Sacramenti , & oblatio ſacrificii non differunt ritu externo, ſed ſola intentione miniſtri ſumentis , quod etiam abſurdũ
quinta. eſt. Nam ſacrificium externum debet ritu externo,non ſola intentione , diſtingui ab vſu Sacramenti: alioqui quomodo ſciretur à populo ſacrificium offerri?Quintò, Conſecratio eſt excellentiſſima functio Sacerdotis , qua maximè declaramus Dei poteſtatem , & eminentiam: ergo in ea maximè debet ratio ſacrificii conſtitui , quod eſt
quorundã ſententia reiicitur. diuinæ eminentię proteſtatio.
Hinc patet non eſſe probandam quorundam ſententiam,qui dixerunt conſecrationem eſſe ſolùm quid pręuium ſacrificio , non autem intrinſecè in ipſa ſacrificandi actione includit : quomodo operatio illa diuina,qua Verbum Diuinum eſt incarnatum,eſt quid pręuium ſacrificio crucis ; & generatio hoſtiæ eſt quid præuium eius oblationi : ipſam autem ſacrificii eſſentiam conſiſtere duntaxat vel in verbali oblatione Corporis & Sanguinis Chriſti poſiti in altari,vel in ſumptione.

SED DIFFICVLTAS EST

Qua ratione conſecratio ad eſſentiam huius ſacrificij pertineat ?

OMiſſis varijs ſententijs:Reſpondeo, Eatenus conſecratio pertinet ad eſſentiam huius Sacramenti , quatenus per realem mutationem conſtituit Corpus & Sanguinem Chriſti ſub ſpeciebus panis & vini , ad honorem Dei. Quod vt intelligatur. 31 qua ratione conſecratio pertineat ad eſſentiam huius ſacrificij.

Notandum eſt; Non ſolùm actione,qua res deſtruitur,nos poſſe proteſtari diuinum principatum & omnipotentiam,noſtramque ſubiectionem;ſed etiam actione , qua res conſtituitur , & quodammodò ad honorem Dei producitur. Nam actio libera productiua rei , non minùs eſt idonea ad ſignificandam diuinam potentiam , & dominationem ſuper omnia,quam actio deſtruens: ergo ad hoc ſignificandum poteſt inſtitui ; præſertim à Deo,cuius eſt determinare,quibus actionibus,& rebus eſſi debeat:ſicut ſi vellet eſſi mutatione aquæ in vinum,& idcircò inſtitueret vt certis verbis fieret in honorem ipſius à publico miniſtro , hæc mutatio eſſet ſacrificium. Quare, cùm Chriſtus vellet nos habere eandem hoſtiam, quam ipſe ſemel pro nobis obtulit in cruce , vt per eandẽ Deum coleremus & omnia beneficia impetraremus,per quam redemptio & ſalus nobis parta eſt & hanc non poſſemus habere , niſi ſupernaturali poteſtate rurſus quodammodò apud nos produceretur, nouum & admirabilem ſacrificij modum inſtituit,quo non rem aliquam iam antè apud nos exiſtentem, vt in omnibus alijs ſacrificijs fieri ſolet , Deo offerimus, ſed quo ipſam hoſtiam admirabili operatione ad honorem Dei,ſub ſpecie panis & vini myſticè mactatam poneremus. Qui ſanè modus maximè conſentaneus erat dignitati huius hoſtiæ; quæ talis eſt , vt Deus magis honoretur eius poſitione , quàm deſtructione ; præſertim cùm iam ſit immortalis. Secùs eſt de alijs rebus,quę naturaliter exiſtunt,& deinde in honorem Dei conſumuntur:nam per earum productionem,cùm à cauſis naturalibus pendeant , non ſic poſſumus teſtari diuinum principatum , ſicut per deſtructionem. Vnde.

Notanda eſt diuerſitas inter modum huius Sacrificij & aliorum:quòd in alijs ſacrificijs id,quod primariò offertur,ſit materia oblationis, vel potiùs terminus *à quo*,ac proinde ipſi oblationi ſupponatur;id autem quod ſecundariò, ſit terminus *ad quem* oblationis , ſeu actionis ſacrificalis : verbi gratia,quando ſacrificatur ouis,terminus *à quo*,eſt ouis viua , quę potiſſimùm dicitur ſacrificari,quatenus ad honorem Dei,eius vita perimitur ; vnde etiam ſupponitur oblationi : terminus autem *ad quem* , eſt caro eius mortua & ſanguis effuſus ; hæc enim efficiuntur per oblationem,& ſecundariò per illam offeruntur.Sed contrario modo fit hîc:nam id,quod primariò offertur,eſt terminus *ad quem* mutationis ſeu oblationis,ac proinde non ſupponitur oblationi , ſed fit per eam , nempe Corpus , & Sanguis Chriſti ſeparatim ſub ſpecie panis & vini poſita: Id autem, quod ſecundariò offertur,eſt materia oblationis , ſeu terminus *à quo* , nempe panis & vini ſubſtantię , quę perimuntur : nam etiam hęc ſuo modo ab ſubſtantiam huius ſacrificij pertinent , conſiderati vt à Chriſto eſt inſtitutum : ſicut ad rationem mutationis ſuo modo pertinent termini,qui per mutationem deſumunt. Differẽtia inter ſacrificium euchariſtiæ & reliqua ſacrificia

Digitized by Google

32 Ratio, ſub qua conſecratio pertinet ad eſſentiam huius ſacrificij

Hinc patet Primo; Qua ratione pertineat conſecratio ad eſſentiá huius ſacrificij, nẽpe quatenus per eam conſtituitur Corpus, & Sanguis Chriſti ſeorſim ex vi verborum ſub ſpecie panis & vini, tanquam partes hoſtiæ mactatæ: nam ſic per conſecrationem fit aliquid ſacrum circa rem oblatá, eiuſque materiam; id eſt, aliqua mutatio myſtica, ſeu ſignificatiua alicuius rei ſacræ, & quidem duplicis: nam quatenus per eam panis mutatur in Corpus: & vinum in Sanguinem, ſignificamus omnia diuinæ potentiæ eſſe ſubiecta, & omnia ab ipſo pendere: quatenus autem hæc ponuntur ſeorſim, ſignificamus effuſionem ſanguinis in cruce. Prior ſignificatio pertinet ad rationem huius ſacrificij, quà ſacrificium eſt: Poſterior autem pertinet, qua eſt ſacrificium repræſentatiuum ſacrificij crucis: vtraque tamen pertinet ad eſſẽtiam huius ſacrificij, vt à Chriſto eſt inſtitutum: ſicuti ad eſſentiam ſacrificij agni pertinebat non ſolùm occiſio, ſed etiam aſſatio, & oſſium integritas: ſine his enim non eſſet ſacrificium, quia ſacrilegium.

Ipſa conſecratio eſt ſimul obiatio in hoc ſacrificio.

Patet Secundò, Vnâ eàdemque poteſtate & actione conſecrari Corpus, & Sanguinem Domini, & offerri. Nam oblatio, ſeu conſecratio eius nihil eſt aliud, quàm conſecratio, qua ponitur ſub ſpecie panis & vini, ex ordinatione diuina ſignificans diuinum principatum & ſacrificium crucis. Itaque quicunque conſecrat, hoc ipſo neceſſariò ſacrificat; & contrà: neque poſſunt hęc vnquam ſeparari; modò vtriuſque ſpeciei fiat conſecratio. Nec refert, etiamſi quis expreſſè intẽdat non offerre: ſi enim intendit abſolutè conſecrare, hoc ipſo intendit implicitè, & in effectu offerre: nam ipſa conſecratio ex inſtitutione diuina, intrinſecè eſt ſacrificij oblatio, & eàdem poteſtate perficitur: ſicut qui intendit conferre Sacramentum, hoc ipſo implicitè intendit ſanctificare, etiamſi expreſsè id nolit.

quid offeratur in hoc ſacrificio.

Patet Tertiò, Non ſolùm id offerri, quod oblationi ſupponitur, eamque antecedit; ſed etiam id, quod per eam efficitur: poteſt enim actus ſacrificandi ita eſſe efficax, vt ipſam hoſtiam ad honorem Dei producat; ſiue illa hoſtia vlteriùs ſit mutanda, ſiue non: nam illa mutatio, quę ſit tum circa materiam hoſtię, tum circa ipſam hoſtiam, dum ſic producitur, ſufficere poteſt ad rationem ſacrificij.

Differt hic ratio ſacrificij & ſacramenti.

Patet Quartò, Quomodo in myſterio Euchariſtię differat ratio ſacrificij, & Sacramenti. Nam ratio Sacrificij potiſſimum conſiſtit in conſecratione vtriuſque ſpeciei: Sacramentum autem in termino conſecrationis, ſeu ſacrificij; ita tamen, vt vtraque ſpecies ſeorſim ſit perfectum Sacramentum.

33 ſumptio ſacerdotis etiam pertinet ad rationem huius ſacrificij.

Dico Sextò, Valdè probabile eſt etiam pertinere ſumptionem ad rationem huius noſtri ſacrificij, quatenus eſt myſtica hoſtiæ conſumptio facta à Sacerdote. Inſinuat D. Thomas infra art. 6. Tenet Melchior Canus lib. 12. de locis c. 13. Dom. Soto diſt. 13. q. 1. art. 6. & 8. Bellarminus lib. 1. de Miſſa cap. vltimo: & multi alij.

Notandum tamen, hoc non eſſe ſic intelligendũ, (vt quidam volunt) quaſi ſine ſumptione conſecratio nullo modo poſſit habere rationem ſacrificij, aut ſumptio ſit principalis actio huius ſacrificii: neutrum enim verũ eſt. Si enim conſecratio comparetur cum ſumptione, eſt multò principalior: eſt enim magis ſupernaturalis, directè requirens ſupernaturalem poteſtatem; magis etiam inſinuat diuinam potentiam & dominationem, & ſacrificium crucis: & in ipſa potuiſſet tota ratio huius ſacrificij conſtitui, ſi Chriſto ita fuiſſet viſum. Tamen quia voluit ſacrificium noſtrum eſſe holocauſtum, quod eſt perfectiſſima ſacrificij forma, voluit etiam illud conſumi: hoc enim ad rationem holocauſti requiritur. Et ideò ipſa ſumptio facta per ſacerdotem, quatenus eſt myſtica quędam hoſtię conſumptio, & peremptio, etiam pertinet ad rationem huius ſacrificij; ſicut ipſa ſumptio ad rationẽm ſacrificij Melchiſedech, iuxta communem ſententiam pertinebat. Neque mirum, videri debet, duas actiones conſtitui de ratione vnius ſacrificij; quia id etiam videmus in ſacrificijs veteris legis: primùm enim animal priuabatur vitâ, deinde carnes comburebantur. Nunc

6. Rationes.

Probatur Primò, Prioris ad Cor. 11. v. 24. *Hoc eſt Corpus meum, quod pro vobis frangitur: Hic calix Sãguinis mei, qui pro vobis effunditur*: hæc *fractio*, & *effuſio* haud dubiè pertinent ad rationẽ ſacrificij: dicitur enim *pro vobis frangitur, pro vobis effunditur*: Atqui *frangi*, eſt cum fractione & peremptione immolari: *effundi*, cum effuſione libari: ſignificatur enim his nominibus oblatio coniuncta cum *fractione & effuſione*. Sed hęc *fractio & effuſio* fit per ſumptionem: ergo ſumptio pertinet ad rationem huius oblationis. Prima.

Secundò, Quia noſtra Religio non ſolùm debet habere perfectiſſimam hoſtiam, ſed etiam perfectiſſimam ſacrificandi formam: ſed hæc forma cernitur in holocauſto, de cuius ratione eſt conſumptio: ergo actio, qua conſumitur, pertinet ad eius ſubſtantiam. ſecunda.

Tertiò, Quia ſi conſumptio non eſſet de ſubſtantia ſacrificij, non poſſet dari vlla ratio, cur iure diuino neceſſaria ſit hæc ſumptio Sacerdotibus: holocauſta enim veteris teſtamenti non edebantur. Tertia.

Quartò, Cur Eccleſia tantoperè ſemper curauit, vt Sacerdos ſumeret oblata, adeò vt non ſumentem ſuſpendat vno anno? vt patet Canone *Relatum*, de Conſecratione diſt. 2. Et ſi contigerit ſacerdotem mori poſt conſecrationem, cur iubet alium perficere; niſi quia exiſtimauit id neceſſarium ad perfectionem huius ſacrificij? quarta.

Quintò, Si ſumptio non eſſet de ratione huius ſacrificij, non magis eſſet neceſſaria, quam fractio aut oblatio verbalis: non enim eſt fundamentum, vnde colligatur maior neceſſitas. quinta.

Sextò denique, Si contingat araneum incidere in calicem conſecratum, debet alius calix conſecrari; idque ideò, quia prior non poterat ſumi. Quid opus erat alio calice, ſi in conſecratione prioris erat perfectum ſacrificium? Sexta.

Dices, Noſtrum ſacrificium offertur à Sacerdote in perſona Chriſti: atqui ſumptio non fit in perſona Chriſti: ergo &c.

Reſpondeo Primò, Non facilè probari poteſt totam actionem, qua offertur hoc ſacrificium, debere fieri in perſona Chriſti: ſufficit enim primatiam ſic fieri, præſertim cùm ſumptio ſit etiam vſus Sacramenti, qui ſit ad propriam ſanctificationem. Reſpondeo Secundò, Etiam ſumptio Sacerdotis ſit aliquo modo in perſona Chriſti, ſicut & aliorum Sacramentorum conſecratio: cuius ſignũ eſt: quòd ipſe ſumat, non ſicut Apoſtoli in cœna, qui vt Laici ſumebant porrectum ab alio; ſed ſicut Dominus, ſuà poteſtate proferens, & ſibi porrigens ſua dona. An tota Actio in hoc Sacrificio fiat in Perſona Chriſti.

Ex hactenus dictis ferè patet reſponſio ad quatuor ſubiectas propoſitiones, de quibus non ita pridem rogatus. Itaque.

QVÆRITVR QVID SENTIENDVM DE QVATVOR SVBIECTIS PROPOSITIONIBVS.

Prima, Ad eſſentialem rationem ſacrificij, prout eſt de iure naturæ, non requiritur mutatio; quatenus requiritur ad hoc vt oblatio Sacrificij rationem habeat, prout ſacrificij vox in Scriptura ſumitur, & ratio etymologiæ requirit.

Secunda, Formalis ratio cuiuſcũq; ſacrificij eſt oblatio ſeu relatio ad Deum: hoſtia autem & quæ circa eã accidunt materia.

Tertia, Formalis ratio ſacrificij Miſſæ, quatenus eſt ſacrificium propriè dictum, eſt præſentatio hoſtiæ Deo facta in recognitionem ſummi domini, cui ex inſtituto Chriſti, adiuncta eſt præſentatio eiuſdem hoſtiæ in memoriam dominicæ paſſionis ad propitiationem: & ſic, vt hæc omnia ſimul concurrant ad eſſentiam ſacrificij Miſſæ.

Quarta, inter prædictos modos quibus dicitur ſacrificium Miſſæ offerri, prioribus repudiatis, duo illi probabiles ſunt, quibus dicitur illud offerri, aut quia in altari ponitur, *aut* per verba offerimus, *& has ſententias poſſe retineri donec ab Eccleſia aliquid declaretur.*

Reſpondeo Primò: Prima propoſitio videtur à veritate aliena. Primò, quia ſi ratio ſacrificii prout eſt iuris naturæ, non requirit mutationem: ergo ſolùm ex lege poſitiua diuina vel humana; atqui hoc verum non eſt tum quia nec Scriptura nec Patres talis legis poſitiuæ meminerunt, qua ſtatutum ſit, vt ſacrificia Deo per mutationem rerum offerantur; tum quia gentiles ſacrificia ſua per mutationem offerebant, ſiue animalium, ſiue rerum inanimatarum, vt thuris, ſalis, vini: nec facilè quis inuenerit apud eos ſacrificia appellari, in quibus nulla fiebat mutatio. Secundò, Ratio naturalis dictat diuinum numen eſſe colendum interemptione rerum in ipſius honorem facta; vt ſic teſtemur omnia nos ab ipſo habere, & ipſum habere perfectum dominium in omnia, & vitæ neciſque poteſtatem: ergo ius naturæ dictat iam mutationem in ſacrificio adhiberi dari, nam ſacrificium eſt perfectiſſimus actus externus, quo Numen colitur; vnde etiam diuino Numini eſt proprium; vt docét omnes Doctores. Tertiò, quia Scriptura ad rationem ſacrificii requirit mutationem rerum ad honorem Dei factam: atqui Scriptura non requirit aliquid ad rationem ſacrificii in genere, niſi quod lege naturæ requiritur, nempe ſacerdotium, altare, hoſtiam, & hoſtiæ interemptionem in honorem Dei; vt patet ex iis locis quibus loquitur de ſacrificiis legis naturæ. Vnde hæc propoſitio non videtur ſibi ſatis conſtare. Addo, neminem Doctorum veterum aut recentiorum, quòd ſciam, tradidiſſe ſacrificii rationem prout eſt legis naturæ, non requirere mutationem. Vnde hæc propoſitio videtur etiam nonnihil nouitatis & temeritatis continere. Quod enim ſine authore aſſeritur & ſine ſufficiẽti ratione, in materia theologica non caret temeritate.

Prima propoſitio nõ videtur admittenda.

Sacrificia gentilium.

Scripturæ.

Eſt contra communẽ ſenſũ DD.

Reſpondeo Secundò: Secunda propoſitio duas habet partes, quarum neutra videtur vera, imò vtraque contra communem ſentẽtiam Doctorum. Nam ſi ratio formalis ſacrificii conſiſtit in oblatione ſeu relatione ad Deum præcisè; ſequitur manifeſtè ad rationem ſacrificii non requiri mutationem; quod eſt contra ſuprà dicta, & contra communem ſententiam Doctorum, qui diſtinguunt ſacrificium ab oblatione Deo facta, quòd ſacrificium fiat per interemptionem rei. Deinde, oblatio primitiarum & primogenitorum erit vera & propriè ſacrificium, contra communem ſententiam, & modum loquendi Scripturarum; quia eſt oblatio Deo facta in recognitionem ſupremæ poteſtatis & ſupremi dominij. Præterea, caſtigatio carnis facta ad honorandum Deum in corporibus noſtris, tanquam authorem & dominum eorum, erit ſacrificium; imò omne opus bonum præſertim externum ad hunc finem relatum: nam ratio formalis ei conueniet. Poſſunt enim hæc fieri non tolùm propter Deum, tanquam propter finem quem promereamur, ſed etiam ad ipſum honorandum tanquam ſupremum Monarcham & Dominum. Præterea, hæc ratio ſacrificii videtur omnino conuenire cum ea, quam aſſignat Caluinus lib. 4. Inſtit. cap. 18. §. 13. vbi dicit Sacrificium eſſe quidquid Deo offertur, & cum ea, quam Lutherani: *Sacrificium eſt ſacra actio ad hoc principaliter inſtituta, vt per eam teſtemur nos Deum; pro vero Deo agnoſcere, eique honore afficiamus.* Qui hæretici paſſim à Catholicis Doctoribus refutantur, vt à Bellarmino, Gregorio à Valentia &c. eò quòd mutationem à ratione formali excludant. Denique, non ſatis videtur conſtare cum prima propoſitione, in qua dicitur ſacrificii rationem prout in Scripturis ſumitur, includere mutationem: inde enim ſequitur, verum non eſſe ſacrificii cuiuſque rationem formalem conſiſtere in relatione ad Deum, nempe præſcindendo à mutatione.

Oblatio primitiarum &c.

caſtigatio carnis.

Caluinus Lutherani.

Materia.

Altera pars etiam vera non videtur: ſi enim omnia quæ circa hoſtiam accidunt ad materiam pertinent: ergo & ipſa mutatio: ergo hæc non pertinet ad rationem formalem, contra ſuprà dicta, & contra primam propoſitionem. Item, ergo ſacrificium non haberet rationem formalem externam & ſenſibilem, ſed relationem duntaxat internam inſenſibilem: ſi enim relatio in Deum eſt ratio formalis, & ea quæ fiunt circa hoſtiam ſint materia: ergo ratio formalis eſt interna, non externa; nam externæ actiones materiæ accidunt. Atqui oportet etiam dare rationem formalem externam (nam loquimur de externo ſacrificio quatenus externum eſt, & obiectum actus interni) ſicut in oratione & eleëmoſina externa datur ratio formalis externa, per quam opera externa ſunt idonea obiecta voluntatibus internis. Denique communis ſententia Doctorum mutationem materiæ ponit pro forma ſpecifica ſacrificii, per quã ab oblatione & primitiis diſtinguatur. Vnde & hæc pars contra communem ſententiam videtur.

2. Propoſitio Simpliciter repugnat communi.

Reſpondeo Tertiò: Tertia propoſitio quatenus ponit præſentationem hoſtiæ factam Deo in recognitionem ſummi dominii, eſſe formalem rationem ſacrificii Miſſæ, non videtur probabilis, ſi præcisè & tantùm in ea præſentatione rationem formalem ponat. Primò, quia omnes authores, quantum memini, in ratione ſacrificii Miſſæ tanquam partem principalem & eſſentialem includunt conſecrationem, quamuis diuerſitas ſit in modo explicandi. dicere ergo quod eius ratio cõſiſtat in præſentatione illa: eſt contra communem ſententiam Doctorum.

3. Propoſitio non videtur probabilis.

Secundò. Si conſiſtat in illa præſentatione: ergo ad offerendum ſacrificium non requiritur ordinatio per Sacramentum Ordinis, quo diuina illa poteſtas conferatur ſacerdotibus, ſed ſolùm ad aliquid prauium ſacrificio, nempe ad conſecrandũ; quod eſt contra formam ordinationis, *Accipe poteſtatem offerendi* eam in ea non fit expreſſè mentio niſi poteſtatis offerendi. Conſequentia patet,

quia ad præſentandam Deo hoſtiam conſecratã, dicendo, *Offero tibi Domine Corpus & Sanguinem Vnigeniti mi* &c. non requiritur vlla poteſtas ſupernaturalis; nam quiuis fidelis eam facere poteſt, ſaltem ſecundùm ſubſtantiam operis, vt author fatetur; ſicut poteſt adminiſtrare Euchariſtiam ſecundum ſubſtantiam operis. Dicere autem quemuis fidelem per ſe ſacrificium Miſſę offerre quoad ſubſtantiam operis, eſt omninò à veritate alienum; imò errori proximum; ſic enim modo quodam omnes erunt veri ſacerdotes, quia verũ ſacrificium nouæ legis ſecundùm ſubſtantiam operis offerre poſſunt: & idem ſacrificium erit Laici & Sacerdotis; nam ſubſtantiã & intrinſeco valore idem erit. Si dicas laicum non iure offerre, ſacerdotem iure: ſicut laicus non iure adminiſtrat Euchariſtiam, ſacerdos autem iure & legitimè, & ad hoc opus ei eſſe poteſtate ordinis: hoc non ſatisfacit: Primò, quia hoc non minuit dignitatem & valorem ſacrificii in ſe, cùm enim ſubſtantia ſacrificii ſit eadem, eadem quoque erit dignitas, idem valor ex opere operato, ſicut eadem eſt porrectio hoſtiæ per laicum & per ſacerdotem: imo in neceſſitate laicus poterat olim Euchariſtam porrigere & ſibi & alteri, ſaltem mediante vaſculo. Verum igitur erit laicos offerre ſacrificium Miſſæ non minùs quàm ſacerdotes: & eorum ſacrificium non eſſe minoris pretij quàm ſacerdotum, quod eſt omnes laicos facere ſacerdotes ſaltem reſpectu ſubſtantiæ ſacrificij, quod videtur hæreticum. Secundò, etiam iure laicus offeret: nulla enim lex diuina, aut Eccleſiaſtica vetat, quo minus quiſque & ore & corde offerat per ſe cæleſti Patri Filium vnigenitum, etiam accedendo propè altare & eleuando manus ad cęlum: ergo laici non minùs erunt ſacerdotes, quam ordinati. Denique ſi ratio formalis ſacrificii Miſſæ conſiſtit in illâ præſentatione, ſacerdos verò & propriè poterit offerre ſacrificium Miſſæ, etiamſi ipſe non conſecrarit, ſed alius: quod eſt contra communem ſententiam: ſic enim in Paraſceue fiet verum ſacrificium: & quotieſcunque ſacerdos in aliquod templum veniens præſentabit corde & voce hoſtias conſectatas Deo. Omitto alia: vt quòd Dominus non legatur tale quid dixiſſe, *Offero tibi pater*. Omitto verba illa, *Offerimus tibi*, non eſſe actionem quâ offerimus, ſed ſignificare illam duntaxat. Nec verum eſt ipſum gratiarum actione obtuliſſe: nam actio gratiarum præceſſit hoſtiam: oblatio autem vel ſimul eſt, vel poſterior. Deinde, nemo Doctorum eſt qui dicat ipſum obtuliſſe gratiarum actione; niſi fortè illa idem fuit quod Conſecratio. Omitto item: Quòd illa præſentatio, vel eſt actus internus tantùm, & ſic non erit externum ſacrificium: vel aliquis externus procedens ab interno, ſi eſt externus actus, erunt aliqua verba, vel aliqua actio: atqui nulla verba iure diuino requiruntur præter verba conſecrationis: nulla etiam actio requiritur præter actionem quæ fit conſecratione, quæ eſt conſtitutiua Corporis Chriſti ſub ſpeciebus, & præter manducationem: eſt non ergo quærenda vlla præſentatio aut oblatio ab his diſtincta. Omitto Sacrificium Miſſæ potiſſimùm repręſentare ſacrificium crucis, ratione conſecrationis & ſumptionis; vt docent Doctores: non autem ratione verbalis oblationis.

Conſequẽtia ſententiæ propoſitæ.

4. Propoſitio eſt etiam improbabilis

Reſpondeo Quartò: Non videtur probabilis illa ſententia quę per verba *Offerimus* putat eſſentialiter fieri ſacrificium Miſſæ, vt patet ex dictis. Ex illis verbis, nõ offerimus, ſed ſignificamus nos offerre. Nec etiam illa ſententia quæ dicit illud offerri, quia in altari hoſtia ponitur; niſi intelligatur de illâ poſitione, quâ ponitur verbis conſecrationis: hęc enim eſt probabilis & multorum Doctorum. Vnde puto has ſententias non poſſe uno teneri.

DVBIVM VII.

Quibus modis hoc ſacrificium ſuum fructum conferat?

SVppono, Hoc ſacrificium conferre ratium fructum: ſed de modo difficultas eſt. 34 Per modũ meriti.

Reſpondeo igitur quatuor modis conferre. Primò, *Per modum meriti*: ſi tamen perſona immediatè offerens ſit Deo grata. Ratio eſt; Quia eſt præſtantiſſimus actus Religionis ſupernaturalis, ac proinde ſecundùm ſe valdè meritorius, modo ex parte ſubiecti non ſit impedimentum. Et hic fructus ſacrificij eſt perſonalis, nec poteſt alteri communicari.

Secundò, *Per modum ſatisfactionis*: nam omne opus meritorium eſt etiam ſatisfactorium. Hic fructus poteſt alteri communicari. Verùm hi duo modi ſunt etiam communes alijs bonis operibus, & tantùm conueniunt ſacrificio, quatenus eſt actio miniſtri, vel aliorum, qui actui cum miniſtro concurrunt: non autem, quatenus eſt actio Chriſti, vel Eccleſiæ vniuerſalis; vt infrà patebit. 35 Per modũ ſatisfactionis.

Tertius igitur modus eſt, quo confert fructum *Per modum impetrationis*: idque immediatè ijs, pro quibus offertur. Ratio eſt, Quia *impetratio* fit per orationem, & per alia bona opera; quatenus orationi adiunguntur, vt diuinam voluntatem flectamus ad conceſſionem eius, quod petimus: ſed, hoc ſacrificium eſt opus præſtantiſſimum, maximè idoneum ad inclinandam diuinam voluntatem, & adiungitur orationi, vt patet ex vſu Eccleſiæ: ergo eſt impetratorium beneficiorum Dei. Quin imo, præter cæteras cauſas, ob hanc etiam directè videtur inſtitutum à Chriſto, vt per illud poſſemus omnia oportuna ad ſalutem impetrare. 36 Per modũ impetrationis.

Cuius ſignum eſt, quod in perſona ſua offerri voluit, idque cùm repræſentatione ſacrificij crucis, quò diuinam voluntatem magis moueremus. Hinc videmus Eccleſiam per miniſtrum ſuum in oblatione petere varia beneficia à Deo, pro viuis & defunctis, ſpiritalia, & temporalia. Nam hoc ſacrificium ratione ſuæ excellentię, & principalis offerentis, & myſticę ſignificationis, eſt maximè idoneum ad impetrandum, quod petitur. Hanc autem vim habet ſacrificium, non ſolùm quatenus eſt actio miniſtri, ſed etiam quatenus eſt actio Chriſti; cuius ſtatui non repugnat, vt nobis aliquid impetret, cùm etiam nunc pro nobis interpellet. Item quatenus eſt ſacrificium Eccleſiæ.

Quartus modus eſt, quo fructum confert *Ex opere operato*: Quem modum admittunt paſſim omnes Doctores, & recentiores, qui ſcribunt contra hæreticos. 37 Confert denique, ſuum effectum ex opere operato. Ex Scrip.

Probatur Primò, Ex Scriptura, Matth. 26. verſ. 28. *Hic eſt Sanguis meus noui teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum*: quod intelligendum eſſe de *effuſione myſtica*, colligitur ex Luca: ergo hoc ſacrificium habet annexam promiſſionem *remiſſionis peccatorum*: ergo confert ea ex vi promiſſionis diuinæ; & conſequenter *ex opere operato*. *Conferre* enim *ex opere operato*, nihil eſt aliud, quàm conferre, ex vi operis externi: quæ vis nihil eſt aliud, quàm inſtitutio, ſeu promiſſio diuina ipſi operi annexa.

ex Trid. Probatur Secundò, ex Concilio Trident. seſſ. 22. cap. 1. vbi ait, *Hoc ſacrificium Euchariſtiæ eſſe à Domino inſtitutum, vt per hoc ſacrificij cruenti virtus in remiſſionẽ eorum, quæ à nobis quotidie committuntur peccatorum, applicaretur*: Atqui hęc applicatio cùm fiat ex vi inſtitutionis Chriſti, neceſſe eſt, vt fiat ex opere operato. Confirmatur; quia ſi ſolùm fieret per modum impetrationis, aut ex opere operantis, id eſt, deuotione offerentis, non aliter fieret, quàm per ſacrificium veteris legis; ac proinde hoc ſacrificium in modo applicandi fructum crucis, nihil haberet peculiare.

ex Ratione. Probatur Tertio, Ratione. Primò, Quia hoc ſacrificium habet effectum aliquem infallibilem, qui nullo modo pendet à bonitate miniſtri, vt habet communis Eccleſiæ ſenſus; qui effectus non creſcit ex deuotione miniſtri, ſicut nec effectus Sacramentorum: ergo confert illum ex opere operato. Patet conſequentia; nam id, quod infallibiliter confertur per opus externum, & nullo modo pendet à bonitate miniſtri, neceſſariò pendet ex vi promiſſionis diuinę ipſi operi annexæ: quod eſt pendere ex opere operato. Secundò, Quia Sacramenta nouę legis conferunt aliquem effectum ex opere operato: ergo oportuit, vt ſacrificium nouæ legis ſimili modo aliquem effectum ſibi conuenientem conferret. Patet conſequentia, tum quia ratio ſacrificij eſt dignior: tum quia id poſtulabat excellentia nouę legis. Et cõfirmatur; quia ſi ſacrificia veteris legis vim habebant ad tollendas immunditias carnis legales, & quaſdam irregularitates, vt colligitur ad Hebræos 9. cur negabimus hoc ſacrificium ſimili modo habere vim ad tollendas immunditias conſcientiæ? Præſertim cùm ſit actio Chriſti, vt principalis offerentis; ac proinde ſit actio per ſe viua, maximè idonea ad talem modum operandi.

qui effectus cenſeatur haberi ex opere operato.

DVBIVM. VIII.

Quem fructum conferat?

58 REſpondeo & Dico Primò, *Per modum impetrationis* confert auxilium præueniens, tùm ſufficiens, tum efficax; ac proinde contritionem, remiſſionem peccati mortalis, & iuſtificationem; remiſſionem culparum venialium, & pœnarum temporalium; denique varia beneficia temporalia. Eſt certa.

quos fructus hoc ſacrificiũ conferat per modũ impetrationis.

Probatur Primò, Ex vſu Eccleſiæ: quia hæc omnia petuntur in oblatione huius ſacrificij: ſentit ergo Eccleſia hoc ſacrificium ad omnia iſta impetranda valere.

Probatur Secundò, Hoc ſacrificium valet ad omnia, ad quæ valet oratio; nam quatenus proficiſcitur ex intentione impetrandi, eſt realis quædam oratio, multò efficacior ad flectendum Deũ, quàm oratio verbalis.

Hic fructus etiam datur, eſto Miniſter non ſit in ſtatu gratiæ.

Aduertendum autem, Impetrari hæc bona, non ſolùm quando miniſter eſt in ſtatu gratiæ, ſed etiã quando eſt in peccato, & nihil ſua deuotione cõfert. Ratio eſt; Quia non offert hoc ſacrificium, vt perſona priuata, ſed vt repręſentat Eccleſiam tanquam Legatus Eccleſiæ, quę Deo eſt chariſſima: imò, vt repræſentat ipſum Chriſtum; nam in perſona Chriſti offert. Itaque Deus in ipſo non tam reſpicit qualis ipſe ſit fide & ſanctitate, ſed qualis ille, cuius ipſe munere fungitur, cuiuſque perſonam ipſe ſuſtinet & repręſentat. Sicut rex, ad quem mittitur Legatus à filio, vel à Republica, non reſpicit merita & conditiones Legati; ſed eius, cuius ille perſonam ſuſtinet, & muneris quod ei us nomine offertur. Idem dicendum de orationibus miniſtrorum Eccleſiæ, quas nomine Eccleſiæ faciunt: habent enim vim impetrandi, etiamſi miniſter malus ſit, cùm in perſona Eccleſiæ fiãt, quę Deo eſt chariſſima; alioqui Eccleſię non eſſet ſatis conſultum, cùm plurimi ex eius miniſtris ſint peccatores, Iuuant tamen multum ad impetrandum per hoc ſacrificium, Miniſtri ſanctitas, & Eccleſię orationes; ſicut Legatus, qui priuatim Regi chariſſimus eſt, facilius impetrat: nam priuata illa amicitia, cooperatur ad animum Regis inclinandum.

Vſi Orationum eccleſiæ.

Iuuat ſanctitas Miniſtri ad hunc effectum impetrandũ.

Hinc ſequitur Primò; Miſſam boni Sacerdotis, non ſolùm ratione orationum Eccleſię eſſe meliorem Miſſa peccatoris, ſed etiam ratione ipſius oblationis, ſeu ſacrificij, quatenus hæc eſt aliquo modo efficacior ad impetrandum, dum procedit ab offerente etiam priuatim amico.

39 Miſſa boni ſacerdotis.

Sequitur Secundò, Quòd plures in Eccleſia ſunt ſanctitate eminentes, eò maiorem vim impetrandi habere orationes & ſacrificia, quę nomine Eccleſię offeruntur; vt rectè docet Gabriel lectione 26. in Canonem, & Couarruuias in Cap. *Almæ*, 1. parte §. 5. nn. 6. qui citat alios.

Obiectio contra Miſſam malifacerdotis.

Dices; Si ſacrificium oblatum à miniſtro peccatore habet vim impetrandi: ergo non impetrat ex opere operantis: ergo ex opere operato: & conſequenter hic modus non diſtinguitur ab altero, qui eſt *Ex opere operato*.

quorundã ſolutio.

Ob hoc argumentum quidam Doctores, dum loquuntur de hac impetratione, dicunt fructum dari ex opere operato. Ita Gabriel ſuprà, & quidam alij.

Differentia inter modum quo Sacrificium cõfert fructum per modum Impetrationis, & eum quo ex Opere operato.

Sed, ſi propriè loquamur, eſt magna diſtinctio inter hoſce duos modos. Primò, Quia impetratio extendit ſe ad omne genus beneficiorum, & ad omne genus hominum. Certum tamen eſt, hoc ſacrificium ex opere operato non conferre omne genus beneficiorum: non enim ſalutem temporalem, pacem, ſerenitatem, pluuias, fructuum abundantiam, & ſimilia; neque Ethnicis, & non baptizatis ex opere operato fructum confert. Secundò, Quia effectus impetrationis ſacrificij, non eſt per ſe infallibilis; eò quòd non nitatur certa promiſſione, ac proinde nec lege iuſtitię, ſed ſolùm liberalitate, & miſericordia Dei. Nec refert; quòd res oblata ſit digniſſima: dignitas enim, etſi reddat illam idoneam ad mouendum Deum, non tamen infallibiliter mouet, niſi accedat promiſſio. Effectus autem, qui eſt ex opere operato, eſt omnino infallibilis; quia nititur non dignitate naturali operis, aut ſolâ miſericordiâ, ſed ſolâ promiſſione diuinâ operi annexa. Tertiò, Effectus impetrationis debet intendi, & peti ab eo, qui impetrat: vt patet in orationibus: effectus autem qui eſt ex opere operato, non debet intendi per voluntatem: vt patet in Sacramentis: hoc ipſo enim quo confertur Sacramentum homini diſpoſito, etiam cõfertur effectus, velit nolit miniſter.

Ob has rationes alij dicunt effectum impetrationis dari ex opere operantis, non proximi, ſed remoti: vt in propoſito, ob deuotionem, & ſanctitatem Eccleſiæ. Ita Couarruuias.

Non placet.

Sed hoc etiam non propriè dicitur: Quia, etſi neque miniſter, neque Eccleſia concurrat aliquo actu deuotionis ad hoc ſacrificium, tamen habebit vim impetrandi. Deinde, non tantùm habet vim impetrandi, quatenus offertur in perſona Eccleſię, ſed etiam quatenus offertur in perſona Chriſti, quamuis non requiratur vt Chriſtus aliquo actu voluntatis concurrat. Itaque propriè loquendo, modus iſte impetrationis neque eſt ex

Solutio ex mente Auctoris.

opere

opere operantis, neque ex opere operato; ſed præcisè nititur dignitate hoſtiæ, & principalis offerẽtis, qui eſt Chriſtus; & ſecundariò, ſanctitate Eccleſiæ.

40 qui ſint effectus ex opere operato.

Dico Secundò, Hoc ſacrificium ex opere operato, confert remiſſionem pœnæ temporalis, & auxilium gratiæ præuenientis.

1. Remiſſio pœnæ temporalis.

Prior pars eſt communis Doctorum. Probatur: Quia, ſi habet aliquã vim ex opere operato (quod ſuprà oſtẽſum eſt) maximè, habet ad remiſſionem pœnæ temporalis: ſicut enim ſacrificium offerri poteſt pro abſentibus, nihilque de eo cogitantibus; ita remiſſio pœnæ temporalis fieri poteſt, & per ſe apta eſt fieri, ſine vlla intrinſeca mutatione animæ, aut motu pio, per ſolam extrinſecam condonationem. Quare commodiſſimè meritum Chriſti per ſacrificium ad hunc effectum poteſt applicari. Secundò, Quia ad remiſſionem pœnę temporalis nullum erat propriè remedium inſtitutum: ergo conuenientiſſimè id tributum eſt ſacrificio. Quod inſinuat Concilium Trident. ſeſſ. 22. cap. 1. vt ſuprà dictum eſt.

2. Auxiliũ præueniẽs

Altera pars de auxilio præueniente, non eſt ita certa; eſt tamen ſatis probabilis. Probatur Primò, Quia ſicuti ſacrificia veteris legis valebãt ad emũdationem carnis ex opere operato; ita ſacrificium nouę legis debuit valere ſuo modo *ad emundationem conſcientiæ ab operibus mortuis*; quod fit conferendo auxilium præueniens. Probatur Secundò, Quia id inſinuat Concilium Trident. ſeſſ. 22. cap 2. *Huius ſacrificij oblatione placatus Dominus, gratiam & donum pœnitentiæ concedens, crimina & peccata etiam ingentia dimittit.* Idque probat, quia vna eademque eſt hoſtia; & idem nunc offerens Sacerdotum miniſterio, qui ſeipſum tunc in cruce obtulit. Vbi inſinuat ideò habere hanc vim, quia eſt actio Chriſti, ac proinde *ex opere operato*. Probatur Tertiò, Ex forma conſecrationis calicis, vbi promittitur *remiſſio peccatorum* per hoc ſacrificiũ; quod non eſt intelligendum de immediata remiſſione, ſed mediante dono contritionis.

41 Sacrificiũ non confert immediatè primam vel ſecundam gratiam.

Dico Tertiò, Hoc ſacrificium neque per modum impetrationis, neque ex opere operato confert immediatè primam gratiam iuſtificationis, aut gratiæ augmentum in iuſtis, ſed ſolùm mediatè; quatenus confert ad hæc auxilium pręueniens. Eſt certa hæc propoſitio. Prior pars eſt contra quoſdam, qui dixerunt, ſi hoc ſacrificium offeratur pro homine attrito, eum iuſtificari, perinde ac ſi ſuſciperet Sacramentum: inter quos Catarinus.

Probatur quòd non ex opere operato. Primò, Quia neque id habet ex dignitate ſuæ naturæ, cũ ne ſacrificium quidem crucis id habeat (non enim ſacrificium crucis immediatè, ſine applicatione Sacramenti vnquam iuſtificat attritum:) neque ex aliqua peculiari Chriſti promiſſione, cùm nuſquã huius promiſſionis deprehendãtur veſtigia; etſi enim ex Scriptura & Patribus confirmetur hoc ſacrificium valere ad remiſſionem peccatorum & iuſtificationem; non tamen id ita intelligendum, quaſi immediatè ad hoc valeat; ſed quod mediãte legitima diſpoſitione, ſcilicet contritione, ad quam confert auxilium: quod inſinuat Concilium Trident. ſeſſ. 22. cap. 2. in verbis citatis. Vbi ſatis indicat, non dimitti peccata mortifera per hoc Sacrificium, niſi quatenus confert, vel impetrat donum pœnitentię, id eſt, auxilium præuenies, quo concipimus contritionem.

Secundò, Concilium Trident. ſeſſ. 7. in proœmio dicit, *Per Sacramenta omnis vera iuſtitia vel incipit, vel cœpta augetur, vel amiſſa reparatur.* Vbi cõcilium non agnoſcit aliud remedium à Chriſto inſtitutum quo detur immediatè prima iuſtificatio, vel reparetur amiſſa, quàm remedium ſacramentorum. Falſum igitur eſt illam etiam reparari immediatè per hoc ſacrificium.

Tertiò, Si hoc ſacrificium ſic immediatè iuſtificat attritum, quid opus eſt Sacramento Pœnitentię? Non enim opus eſt ad eundem effectum duobus remedijs per ſe ſufficientibus. Neque Chriſt⁹ duo remedia ad vnum effectum directè inſtituit, ſed ſingula ad vnum tantùm. Vnde cùm inſtituerit Sacramentum Pœnitentiæ, tanquam neceſſarium ad remiſſionem peccati mortiferi poſt baptiſmum commiſſi, non eſt credibile quòd etiam hoc ſacrificium voluerit habere hanc vim immediatè remittendi peccata.

Quartò, Quia alioqui ſacerdos attritus offerens pro ſeipſo ſtatim iuſtificaretur, quamuis ſciret ſolùm ſe eſſe attritum. Nam ſi hoc Sacrificium eſt inſtitutum ad remiſſionem culpæ mortiferæ, non eſt neceſſe vt putet eam condonatam, ſed poterit illud offerre, vt condonetur. Similiter ſi offerat pro alio, qui ſolùm habet attritionem, ille iuſtificabitur etiamſi dormiat: quæ ſanè ſunt valdè abſurda.

Cur minus hoc ſacrificium immediatè iuſtificet, quam ſacramentã quædam.

Quintò, Sacrificium merè extrinſecè applicatur ei, pro quo offertur, nec vllam requirit illius cooperationem: ergo non poteſt conuenienter ſupplere defectum diſpoſitionis intrinſecæ, ſcilicet contritionis; ac proinde non poteſt iuſtificare attritum. Secùs eſt de Sacramentis, quę realiter applicantur, & aliquam recipientis cooperationem requirunt. Vnde, cùm in ſe contineant pretium Sanguinis Chriſti, poſſunt ſupplere defectum diſpoſitionis, quæ alias eſſet neceſſaria; & ideò poſſunt immediatè gratiam conferre.

Iiſdem rationibus facilè probari poteſt hoc ſacrificium neque per modum impetrationis hanc vim habere immediatè iuſtificandi. Quod etiam inde confirmatur, quia non operatur per modum impetrationis, niſi vt oratio quędam: ſed imprudens eſſet oratio, quę peteret hominem ſic iuſtificare; cùm iſte modus ſit omnino extra ordinarius, & alienus à conditione iuſtificationis, & nimium fouens negligẽtiam humanam; cùm ſuppetat alius modus conuenientiſſimus, videlicet vt inſpiret ei contritionis vel ſaltem attritionis ſpiritum, & vſum Sacramenti Pœnitentię.

Non confert immediatè augmentum gratiæ.

Iiſdem rationibus facilè etiam probari poteſt Altera Pars, nempe nõ conferre immediatè augmentum gratię. Quod cõfirmatur. Primò, Quia Euchariſtia, vt Sacramentum, eſt inſtituta ad hoc incrementum: ergo non erat opus, vt ad idem valeret, quatenus ſacrificium; ſed ad aliud: vt ad remiſſionem pœnarum, & ſimilia. Secundò, Quia alioquin paruulo baptizato hoc Sacrificium conferret augmentum gratię: quod eſt prętermentem Eccleſię, quæ nunquam in hunc finem offert. Antecedens patet; quia cùm ſacrificium non requirat actualem diſpoſitionem in eo, pro quo offertur, vt illi effectum ſuum conferat, ſed ſufficiat ſtatus gratię; nulla eſt ratio, cur etiam paruulis iã per baptiſmum iuſtificatis hoc augmentum non conferatur, ſi conferatur adultis.

42 Nec immediatè remittit culpam venialem, ſed reatum pœnę.

Dico Quartò, Probabilius etiam eſt, hoc ſacrificium non habere vim remittendæ culpę venialis immediatè abſque vlla hominis diſpoſitione, ſicut poteſt remittere reatum, ſeu debitum pœnæ huius peccati. Ita Dominicus Soto d. 11. q. 2. art. 5.

Probatur prior Pars: Primò, Quia peccatum veniale committitur noſtra libertate: ergo conueniens ratio prouidentię diuinę poſtulat, vt nõ

mera extrinseca condonatione, sed interueniente aliquo actu libero remittatur. Secundò, Quia culpa venialis maculam quandam infert animę, qua eius nitor nonnihil obscuratur: ergo sine aliqua intrinseca animi mutatione, quę huic maculę aliquo modo repugnat, non tollitur.

Reatus pœnæ ex opere operato, & per modum impetrationis tollitur hoc sacrificio.

Altera Pars patet ex dictis suprà num. 39. Vbi aduerte; non solùm ex opere operato, sed etiam per modum impetrationis, per hoc sacrificium pœnæ reatum tolli. Cùm enim hæc condonatio non postulet vllam mutationem animæ, sed per solam extrinsecam cõdonationem possit fieri, recte etiam possumus à Deo petere, vt immediatè condonet: vt patet, quando oramus pro fidelibus defunctis. Si Dicas; tunc non peti, vt Deus immediatè condonet pœnam; sed applicari ipsis hanc orationem, quatenus est opus satisfactorium, & sic interuenire solutionem; quia Deus non condonat pœnam, nisi interuentu alicui⁹ satisfactionis. Respondeo, id non rectè dici: nam Sancti in cælo orant pro defunctis, vt constat ex Collecta Ecclesiæ, *Deus venia largitor* &c. Et tamen oratio illorum non est satisfactoria, sed solùm impetratoria: ergo non applicatur illis tunc satisfactio illius orationis, & quasi solutio quædam, sed petitur immediata condonatio. Confirmatur: quia neque est illa mens orantis: neque conuenienter potest fieri applicatio satisfactionis, quę est in oratione per ipsammet orationem: nam opus applicandum supponi debet actui applicationis, & ab ea distingui. Vt interim omittam valde exiguã esse satisfactionem in breui oratiuncula. Fateor quidem, Deum non condonare pœnam, nisi alicuius satisfactionis, seu solutionis interuentu; hoc enim summa illa iustitia postulat: sufficit tamen satisfactio Christi in proposito, quæ immediatè potest applicari ad hunc effectum per orationem, ac proinde per sacrificium.

Defunctis pœna immediatè remittitur

Pro hoc & frequentibus Dubijs. Vide lib. 12. de Perfectionibus Diuinis c. 14. vbi restatur ad quid datum sit nobis hoc sacrificium, & quantum vim habeat.

DVBIVM. IX.

Quibus confert Sacrificium suos fructus?

43 qui censẽtur offerre hoc sacrificium.

NOtandum est, Eos, quibus prodest hoc sacrificium, esse vel offerentes, vel illos pro quibus offertur. Offerentes sunt: Primò, Sacerdos. Secũdò Qui aliquo actu cooperantur: vt ministri, assistentes, & conferentes eleëmosynam. Tertiò, Qui nullo modo cooperantur actu, sed solùm remotè dicuntur offerre: quatenus sunt membra Ecclesiæ. Nunc

44 quis fructꝰ detur Sacerdoti vt est persona publica.

Respondeo & Dico Primò, Ipsi Sacerdoti offerenti fructum confert ex opere operato, & per modum impetrationis: idque sub duplici ratione: Primò, quatenus est minister publicus offerens in persona Christi: & hunc fructum confert illi nõ pro se determinatè, sed pro ijs quibꝰ ipse vult applicare sacrificium. Colligitur hoc ex D. Tho. suprà q. 79. art. 5 & 7. estque ferè communis sẽtentia. Ratio est, quia effectus, qui huic sacrificio respondet, maximè sequitur ex eo, quatenus est actio ministri publici offerentis in persona Christi. Hic tamen fructus non ita datur Sacerdoti, vt

Potest hũc fructum alteri applicare.

ipsius maneat; sed vt sit in eiꝰ potestate applicare eum sibi, vel alteri: non enim est propter Sacerdotem, sed propter eum, pro quo offertur sacrificium. Offertur autem pro eo, pro quo Sacerdos voluerit. Itaque quòd hic fructus huic, vel illi conferatur, pendet ex intentione, & applicatione Sacerdotis. Confirmatur: nam sacrificium per se non determinat personam, cui fructus est conferendus. (Fit enim immediatè Deo, nec postulat vt pro aliquo offeratur, seu vt alicui applicetur. Secùs est de Sacramento quod ex natura sua postulat alicui certę personæ applicari, cùm consistat in receptione, ordineturque ad hominis sanctificationem.) Quare hęc determinatio relinquitur ipsi ministro.

quis fructus ei detur, vt est persona priuata.

Secundò, Quatenus minister est etiam persona quędam priuata suam habens deuotionem, qua ad hoc sacrificium concurrat: non enim est peioris conditionis, quam alij priuatim offerentes. Et hic fructus recipitur in ipso Sacerdote: nam datur ipsi pro se, tanquam personæ priuatę vnde etiam requirit statum gratiæ, estque maior vel minor pro maiore, vel minore dispositionè: secùs est de fructu priore, qui respondet sacrificio, vt est actio ministri publici. hic enim non requirit statum gratiæ in ministro, vt suprà dictum est, cùm non detur ipsi pro se, sed pro Ecclesia: neque est maior vel minor ob maiorem vel minorem ministri sanctitatem (loquimur enim de fructu, qui est ex opere operato:) sicut nec fructus Sacramentorum maior est vel minor ob ministri sanctitatem. Vide Diuum Thomam quęst. 82. art. 6.

Nõ potest hunc fructum alteri applicare.

Notandum autem: Valdè probabile esse, fructum eum quem sacerdos accipit, vt persona priuata, ex opere operato, non posse alijs applicari: sicut nec remissio pœnę temporalis, quæ confertur per Baptismum, aut per satisfactionem Sacramentalem, aut per indulgentias, alijs applicari potest: nisi id expressè concedatur quoad Indulgentias. Hæc enim non ita habemus in potestate, vt possimus nos illorum fructu priuare, vt illum in alium conferamus, sicut in potestate habemus opera nostra satisfactoria. Ratio est: quia id quod ex opere operato vim habet, non tam est opus nostrum, quàm Christi: vnde non est in nostra potestate impedire ne in nobis fructum habeat, quando nobis applicatur.

45 propinquè offerentibus suus fructus respondet.

Dico Secundò, Alijs offerentibus, qui peculiari aliquo modo concurrunt actu vel virtute ad hoc sacrificium, valdè probabile est dari aliquem fructum ex opere operato, pro modo concursûs, & deuotionis cuiusque: verbi gratia, ministrantibus, assistentibus, & procurantibus sacrificium. Ita Caietanus tom. 2. Opusculorum. Tractatu 3. qu. 2. & alij passim. Ratio est, quia cęteris paribꝰ maximè participes esse debent fructûs sacrificij, qui actu aliquo ad illud cooperantur. Non enim videtur consentaneum, vt is, qui actu Missæ sacrificio assistit, non plus accipiat, quàm is, qui cum pari deuotione procul abest: nam ad sacrificium externum actu externo cooperatur. Quod confirmatur ex verbis Canonis, *Memento Domine omnium circumstantium, quorum tibi fides cognita est, & nota deuotio: pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis.*

46 Remotè offerentibus non respondet fructus ex opere operato.

Dico Tertiò, Qui nullo actu concurrunt ad hoc sacrificium, sed solùm remotè dicuntur offerre, quatenus sunt membra Ecclesię, quę per ministros suos offert, ijs, ratione huius modi offerendi non prouenit aliquis fructus ex opere operato. Probatur. Quia non est credibile, omnibus membris Ecclesiæ, ratione cuiusque sacrificij quod offertur in Ecclesia, dari aliquod auxilium speciale, vel condonari aliquid pœnę temporalis: tum quia nulla ratio id suadet, nec auctoritas insinuat: tum quia vnicuique quotidie aliquot millia gratiarum præuenientium dari deberent, & infinitæ

propè partes debiti temporalis detrahi: quòd fieret vt vix iuſti haberent aliquid debiti temporalis pœnæ. Ratio eſt: quia effectus ex opere operato non datur, niſi ijs, quibus ipſum opus peculiariter applicatur; idque vel mediante actione propria, vel aliena; vt patet in Sacramentis, & in hoc ſacrificio, dum per miniſtrum alicui applicatur. Cur enim conferatur effectus illis, quibus cauſa nullo modo applicatur? Illa autem habitudo, qua omnia Eccleſiæ membra comparantur ad hoc ſacrificium, tanquam offerentes in habitu, eſt valdè extrinſeca, & remota; nec ſufficit ad actualem applicationem.

Dices: Saltem omnes iſti accipiunt aliquem fructum ex ſingulis ſacrificijs per modum impetrationis.

Imò nec per modū impetrationis.

Reſpondeo; Neque id eſſe neceſſarium; vt rectè Gabriel lectione 27. in Canonem. Etſi enim hoc ſacrificium nomine totius Eccleſiæ offeratur, non tamen neceſſe eſt, vt ſingulis Eccleſiæ membris aliquid in particulari detur. Imò etiamſi oretur *pro omnibus orthodoxis & Catholicæ fidei cultoribus*; non eſt neceſſe ſingulis aliquid dari: tum quia impetratio non eſt infallibilis; tum quia ſufficit aliquid commune dari, quod ad omnes aliquo modo pertingat: vt eſt tranquillitas Eccleſiæ, protectio fidei, auerſio hæreſeon, & etiam calamitatum temporalium. Nunc agendum

DE RIIS PRO QVIBVS HOC SACRIFICIVM OFFERTVR.

47 Notandum eſt, Eſſe ſex vel ſeptem hominum genera, de quibus poteſt dubitari: nempe Damnati, Beati, Fideles defuncti, qui in purgatorio ſunt, Fideles viui, qui ſunt Eccleſiæ membra: præciſi ab Eccleſia; & Infideles, qui numquam fuerūt in Eccleſia.

Non prodeſt Damnatis.

Dico Primò; Non prodeſt vllo modo damnatis. Eſt certa, & communis. Ratio eſt; quia non ſunt capaces fructus ſacrificij crucis, qui per hoc ſacrificium applicatur. Confirmatur; quia nec potentiâ, nec actu ſunt ampliùs membra Eccleſiæ: atqui hoc ſacrificium eſt ſacrificium Eccleſiæ, ſolumque valet pro ijs, qui aliquo modo ad Eccleſiam pertinēt. Nec obſtat, quod Diuus Auguſtinus c. 110. Enchiridij dicat, *Quibuſdam valere hoc ſacrificium, vt ipſis plena fiat remiſſio, alijs vt tolerabilior ſit damnatio*: loquitur enim de ijs, qui ſunt in purgatorio: *Damnationem* vocat ſupplicium, ad quod damnati ſunt. Nam Auguſtinus eodem cap. expreſſè docet, ijs qui in æternum damnati ſunt, nō prodeſſe. Idem lib. 1. de Anima, & eius origine cap. 9. & 11. docet *Sacrificium hoc non poſſe offerri pro parvulis defunctis ante baptiſmum, quia perierūt.* Idem docet Innocentius III. Capitulo *Cùm Marthæ* de Celebratione Miſſarum.

48 Prodeſt Beatis.

Dico Secundò, Beatis cum Chriſto regnantibus aliquo modo prodeſt hoc ſacrificium. Primò, Ad quoddam gaudium accidentarium. Secundò, Ad gloriam quandam extrinſecam in Eccleſia: gaudent enim Dei honore, noſtroque profectu: & illis honorificum eſt ab hominibus in tanto myſterio commemorari, tanquam noſtros Patronos, & hoc ſacrificium in eorum memoriam & honorem Deo offerri. Nam offertur ſacrificium Deo, tum in gratiarum actionem pro beneficijs in Sanctos collatis, quæ etiam in nos redundant, tum ad petendam gratiam, vt eos poſſimus imitari: tum vt velit eos eſſe noſtros Patronos, & apud ipſum interceſſores, vt optimè docet Concilium Trid. ſeſſ. 22. c. 2. Vide etiam Innocentium III. Cap. *Cùm Marthæ* de Celebratione Miſſarum.

49 Prodeſt plurimum in Purgatorio exiſtentibus.

Dico Tertiò, Fidelibus defunctis, qui in Purgatorio expiantur, etiam plurimum prodeſt ad pœnarum mitigationem, & ſolutionem. Eſt fide tenēdum, vt patet ex Conc. Trid. ſeſſ. 22. can. 3.

Probatur Primò: 2. Machabæorum 12. vbi Iudas Machabæus offerri iuſſit ſacrificia pro cæſis in bello; & Scriptura ptobat hoc factum: *Sancta & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, vt a peccatis ſoluantur.*

Probatur Secundò; Quia in omnibus Liturgijs oratur pro defunctis. Ex quo intelligimus Eccleſiam ſemper in ſacrificio Miſſæ pro defunctis oraſſe; eſſeque traditionem Apoſtolicam: vt rectè Chryſoſtomus Hom. 69. ad Populum. Idem docent plurima Concilia, & omnes Patres. Imo eſt antiqua hæreſis Aërei non eſſe pro defunctis offerendum ſacrificium, vt teſtatur Epiphanius in Anacephaleoſi. Et D. Auguſtinus hæreſi 53. Ratio eſt; quia ſacrificium eſt bonum commune totius Eccleſiæ; cùm nomine Eccleſiæ, & à miniſtro publico offeratur: atqui bonum commune debet eſſe tale, vt poſſit diſtribui & prodeſſe ſingulis membris, maximè ſi indigeant: ergo cùm fideles in purgatorio ſint vera & viua membra Eccleſiæ, vt pote ei copulata fide, ſpe, & charitate; & maximè opus habeant auxilio alieno, cùm ſeipſos iuuare nequeant, oportet vt fructus huius ſacrificij etiam ad illos pertineat.

Sed difficultas eſt, quomodo illis profit: Per modum impetrationis, an ex opere operato?

Reſpondeo vtroque modo. De impetratione nemo Catholicus poteſt dubitare. De modo ex opere operato, quidam videntur negare; vt Melchior Canus lib. 12. de locis cap. 13. ad 9. & Dominicus Soto d. 13. q. 2. art. 1. Dicunt enim hoc ſacrificiū non habere infallibilem effectum in illis; ſed, ſi Deo itaviſum fuerit. Vnde ſequitur non prodeſſe illis ex opere operato, cùm hic fructus omnino ſit infallibilis in eo, qui eſt capax, & non ponit obicem.

56 Ex opere operato & per modū impetrationis.

Sed contrarium eſt probabilius: quod tenet Ruardus art. 16. Petrus Soto lect. 7. de Euchariſtia, & ipſe D. Thomas in 4. d. 45. q. 2. a. 3. ad 3.

Probatur Primò; Quia in formâ ſacerdotij ſine diſtinctione dicitur, *Accipe poteſtatem offerendi ſacrificium pro vivis & defunctis in nomine Domini*: ergo eodem modo offertur, & prodeſt. Item Concilium Trid. ſeſſ. 22. cap. 1. eodem modo loquitur, cùm ait; *offerri pro vivis & defunctis.* Secūdò, Quia animæ illę adhuc ſunt partim in via, & poſſunt ab Eccleſia iuuari: & alias hoc ſacrificium ex ſe ſatis habet dignitatis; vt conueniens fuerit hāc vim ei à Chriſto tribui: & in modo applicādi nulla eſt repugnantia: (non enim applicari debet ipſi animæ per corpus, ſicut Sacramentum; neque ad infuſionem gratię, vel eius augmentum; ſed ſolùm per extrinſecam ordinationem, ſicut oratio; idque ad effectum *merè extrinſecum*, qui eſt extrinſeca condonatio:) ergo nulla eſt ratio, cur hęc virtus ei non ſit concedenda.

51 Prodeſt plurimùm viuis fidelibus, pro quibus offertur.

Dico Quartò, Prodeſt etiam plurimùm fidelibus viuis, pro quibus offertur: nam pro his maximè eſt inſtitutum. Et patet ex Canone *Pro omnibus orthodoxis, & Eccleſię Apoſtolicæ cultoribus.* Qui tamen ſunt in ſtatu peccati mortiferi, ijs non prodeſt ad ſatisfactionem, ſed ſolùm ad impetrationem auxilij prævenientis, & protectionis ne in peccatis moriantur. Catechumenis quoque, etiāſi in gratia ſint, non prodeſt ex opere operato. Ratio eſt; quia Baptiſmus eſt ianua ad cætera Sacramenta, & ad omnem fructum, qui modo Sa-

An Catechumenis.

cramentali conferatur. Prodeſt tamen per modum impetrationis: vnde etiam pro illis defunctis offerri poteſt, ſi non conſtat in peccato mortifero obijſſe.

52 An præciſis ab Eccleſia.

Dico Quintò, Prodeſt etiam præciſis: vt hæreticis, ſchiſmaticis, & excommunicatis, quando pro illis directè, vel indirectè offertur. Vbi.

Notandum eſt: Non licere quidem pro huiuſmodi ſacrificium offerre in perſona miniſtri publici: hoc enim prohibitum eſt ab Eccleſia: vt patet Cap. *A nobis*, 2. de Sententia Excommunicationis: Si tamen quis offerat, fructum percipient. Et ratio eſt, quia Eccleſia non poteſt tuo præcepto tollere vim ſacrificij, quam habet ex opere operato: ſicut nec vim Sacramentorum. Vnde, etiamſi contra præceptum Eccleſiæ alicui applicetur, vim habebit. Pari modo non poteſt tollere vim impetrandi, quam habet quatenus offertur in perſona Chriſti, ſeu quatenus offertur a miniſtro publico Chriſti repræſentante. Nam hæc vis nullo modo pendet ab Eccleſia, ſed ab ipſa præſtantia ſacrificij, & principali offerente. Grauiter tamen peccabit miniſter, ſciens & prudens contra mandatum Eccleſiæ faciens.

quomodo illicitum ſit pro illis ſacrificare.

Et quibus eſt modus licèat.

Aduerte tamen, Duobus modis licitè poſſe pro his ſacrificium offerri: Primò indirectè, agendo tamen perſonam publicam: vt quando ſacerdos offert ſacrificium, & orat pro Eccleſiæ propagatione, & vnione: pro hæreſeon extirpatione, fidei exaltatione: nam ſic indirectè orat pro hæreticorum & ſchiſmaticorum conuerſione. Secundò, Directè, ſed vt perſona priuata, orando, & repræſentando Deo hoc ſacrificium pro huius vel illius hæretici conuerſione, vel in genere pro cõuerſione hæreticorum. Ratio eſt: quia hoc nullo iure eſt prohibitum, & per ſe eſt valdè pium: vnde non eſt dubitandum, quin in *Memento* liceat pro illis orare.

53 An proſit infidelibus.

Dico Sextò, Pro infidelibus qui nunquam fuerunt in Eccleſia, vt ſunt Idololatræ, Turcæ, Iudæi, licet offerre ſacrificium: & illis prodeſt per modum impetrationis. Patet; quia Apoſtolus 1. ad Corint. 2. iubet orari pro Regibus & Principibus in ſacrificio, qui tamen erant ethnici. Et Tertull. lib. ad Scapulam, *Sacrificamus*, inquit, *pro ſalute Imperatoris*. Idem quoque fiebat in veteri teſtamento: offerebant enim Iudæi ſacrificium pro Dario, pro Spartiatis, & pro Heliodoro. Neq; Eccleſia hoc vnquam prohibuit.

54 Non prodeſt ex opere operato niſi illis, quibus Miniſter intendit applicare.

Dico Septimò, Hoc tamen ſacrificium non prodeſt ex opere operato, niſi illis, quibus miniſter intendit applicare: quamuis poſſit prodeſſe per modum impetrationis.

Prior pars probatur: Quia ſacrificium, ex ſe dum fit, non determinat perſonam, cui fructus eſt conferendus: quia tantùm tendit ad honorandum Deum, ſicut laus: ergo hæc determinatio iure diuino naturali relicta eſt arbitrio ſacerdotis offerentis: cui ſicut data eſt poteſtas offerendi ſacrificij, ita & applicandi: nemo enim commodiùs poteſt applicare aliquid, quàm is, qui illud habet in ſua poteſtate.

Dices, Eccleſia ſeu Prælati, qui ſunt Superiores, videntur valide poſſe applicare ſacrificia ſuorum ſubditorum. Quod confirmatur: Nam Eccleſia præſcribit orationes, quibus oretur pro Pontifice, Epiſcopo, Rege, pro Orthodoxis viuis & defunctis. Quòd ſi Sacerdos inferior contra voluntatẽ Superioris applicet ſacrificium, Deo non erit accepta talis applicatio.

Reſpondeo: Aliud eſt loqui de orationibus ſacrificio annexis, aliud de ipſius ſacrificii ſubſtantia: Orationes enim potuit Eccleſia præſcribere pro certis rebus, & perſonis: quas ſi Sacerdos vt Eccleſiæ miniſter recitet, modò non ſit præciſus, habebunt vim impetrandi, etiamſi ipſe id non intendat. Ratio eſt: quia Deus reſpicit in illis, non Sacerdotis deuotionem & intentionem, ſed Eccleſiæ, cuius perſonam gerit dum orat: ergo cùm tanquam miniſter Eccleſiæ orat pro certis perſonis, illis proderit per modum impetrationis. Sed ſacrificium immediatè pendet ex inſtitutione diuina, ſicut & Sacramenta. Vnde, ſicut Sacramenta vim habent in eo, cui per miniſtrum applicantur, quidquid Eccleſia prohibeat, eò quòd ipſe operetur poteſtate à Chriſto accepta: ita ſacrificiũ vim habet ex opere operato in illis duntaxat, quibus per proximum miniſtrum applicatur, qui perſonam Chriſti gerit.

An poſſit eccleſia facere, vt alteri pro ſit ex opere operato, quam cur ſacerdos inten dit applicare.

Nec refert, quòd hæc applicatio ſit contrà obedientiam, vel etiam contra iuſtitiam. Etſi enim Deus non acceptet illam in meritum, ſeu vt eſt actio priuatæ perſonæ: acceptat tamen quatenus eſt actio miniſtri perſonam ipſius gerentis: ſic enim eadem eſt applicatio, & intentio Chriſti & miniſtri. Confirmatur: Quia hæc poteſtas applicandi conuenit Sacerdoti ex vi characteris: vt patet ex verbis formæ, *Accipe poteſtatem offerendi ſacrificium pro viuis & defunctis in nomine Domini*: ergo non poteſt per Eccleſiam auferri, impediri, aut limitari: vt patet in ſimili de poteſtate applicandi alia Sacramenta.

Pro quibus teneatur ſacerdos orare, vel applicare hoc ſacrificium.

His adde, re ipſa nullum extare præceptum, quo ſacerdos obligetur huic vel illi, vel etiam toti Eccleſiæ applicare ſacrificium. Solùm obligatur orare pro vniuerſali Eccleſia, pro Papa, Antiſtite, Rege, aſſiſtantibus, orthodoxis omnibus in genere, denique pro defunctis: & vt ſummum, non obligatur pro his offerre ſacrificium, niſi vt habet vim per modum impetrationis. Vnde poteſt illud applicare alteri, quatenus habet vim ex opere operato.

ſi ſacerdos nulli applicet, cui proderit ex opere operato.

Dices, Ergo ſi ſacerdos obliuiſcatur applicare alicui ſacrificium, nullus inde proueniet fructus ex opere operato.

Reſpondeo, Quidam dicunt, poſſe poſteà applicari. Sed hoc parum eſt credibile: quia, ſicut Sacramentum conſiſtens in actione, ſolùm poteſt applicari, dum fit à miniſtro, tunc enim, non aliàs eſt in eius poteſtate: ita etiam ſacrificium tantùm poteſt applicari, dum fit: tunc enim tantummodò eſt in poteſtate miniſtri. Confirmatur: Quia effectus, qui datur ex opere operato, non poteſt ſuſpendi arbitrio miniſtri, ſed ſtatim datur cauſâ poſitâ. Vnde aliter dicendum: Quando alteri non applicat, cenſetur implicitè applicare ſibi: & ſic fructum ex opere operato habet ſacrificium in ſacerdote. Dices: Quid ſi non cupiat ſibi applicare, vel ſi non habeat debitum pœnæ temporalis? Reſpondeo, Tunc non habebit effectum ex opere operato, ſcilicet remiſſionis pœnarum; ſicuti effectum eum non habet cùm Sacerdos illum applicat ei qui non eſt capax. Manet autem tunc ſatisfactio illa, quam ſacrificium debebat conferre, in immenſo theſauro ſatisfactionum Chriſti, nec quidquam tunc inde depromitur ſatisfactionis. Non tamen illi theſauro tunc aliquid noui accedit, vt Soto inſinuat; ſed antiqua ſatisfactio non applicatur. Sicut etiam, cùm Sacramenti vis irrita redditur per indiſpoſitionem recipientis, nihil noui accedit theſauro, ſed vetus meritum chriſti non applicatur efficaciter, & cum effectu: quamuis nonnulla ſit differentia.

Altera Pars, ſcilicet poſſe ſacrificium prodeſſe

per modum impetrationis ſine applicatione Sacerdotis, patet ex dictis: nam iunguntur illi orationes Eccleſiæ pro variis rebus & perſonis, quæ per hoc ſacrificium fiũt exaudibiles apud Deum.

DVBIVM X.

Vtrùm hoc ſacrificium habeat effectum aliquo modo infinitum?

55 OMiſſis opinionibus Doctorum, quos recenſet Petrus Nauarra. lib. 2. de Reſtitutione circa num. 360.

Hoc ſacrificium ſecundùm ſe eſt infinitæ dignitatis.

Dico Primò, Hoc ſacrificium ſecundùm ſe eſt infinitæ dignitatis in genere ſacrificij, ſic vt præſtantius cogitari non poſſit: ac proinde per ſe eſt infiniti valoris ad impetrandum. Eſt communis Doctorum. Vide D. Thom. ſuprà q. 79. art. 5. & ibidem Caietanum.

Prior Pars Probatur; Quia res oblata eſt infinitæ dignitatis, cùm totus Chriſtus offeratur; & etiam primarius offerẽs, qui etiam eſt ipſe Chriſtus: ergo ipſe actus ſacrificandi cenſetur infinitę dignitatis. Probatur conſequentia; quia ex his duobus dignitas ſacrificij penſatur.

Dices, Proximus offerens eſt Sacerdos, qui eſt finitæ dignitatis.

Reſpondeo; Hoc non refert. Nam Sacerdos nõ offert hoc ſacrificium, vt homo priuatus, ſed vt gerens perſonam Chriſti; atque adeò quatenus ipſe miſticè ſeu repræſentatiuè eſt Chriſtus. Cuius ſignum eſt, tum quia loquitur vt Chriſtus, *Hoc eſt corpus meum*: tum quia, ſi Chriſtus eſſet in ſtatu merendi, & ſatisfaciendi, & ita offerret per miniſtrum, ſicut modò offert, infinitè mereretur, & ſatisfaceret perinde ac ſi per ſeipſum offerret: Sicut tantundem meretur Dominus & ſatisfacit per famulum conferens eleëmoſynam, & per legatum exhibens honorem & obedientiam, quantum ſi per ſeipſum. Itaque ſacrificiũ hoc à Chriſto ſuam habet æſtimationem, non minùs quàm illud, quod ipſe Chriſtus in cœna obtulit: hoc enim eſt illi par in ratione ſacrificij, & in dignitate impetrandi. Quod confirmatur; Quia ipſa tranſubſtantiatio fit virtute Chriſti, quatenus ex vi inſtitutionis, virtus diuina Chriſti ad hoc eſt applicata vſque ad finem ſæculi; & etiam quatenus actu voluntas Chriſti ad ſingula ſacrificia concurrit; vt qui omnia ſint præſentia, eaque Patri actu offert: ſicuti ſi Rex per legatum exhibens honorem Pontifici, poſſet ipſemet eſſe preſens, & Pontifici in legato honorem deferre.

56 Tribus ex titulis dicitur Chriſtus eſſe principalis offerẽs.

Vnde Patet; Triplici ratione Chriſtum dici *Principalem offerentem*: Primò, Quia Sacerdos offert hoc ſacrificium, vt repræſentat perſonam Chriſti, ſeu vt ipſe eſt myſticè Chriſtus: ſicuti legatus Regis defert honorem Pontifici, vt repręſentat ſuum Principem: & Angelus tradidit legem, vt repræſentans Deum; vt patet Actorũ. 7.

Secundò, Quatenus ipſe vim tribuit verbis ſacerdotis, & ſua virtute diuina concurrit, idque ex vi primæ inſtitutionis, ſeu illius voluntatis, quâ primò inſtituit hoc ſacrificium: vt colligitur ex Chryſoſtomo Hom. De proditione Iudæ circa medium. Et hi duo modi in rigore ſufficiunt, vt Chriſtus dicatur *principalis offerens*.

Tertiò, Quatenus actu concurrit per intellectum, & voluntatem humanam ad ſingula ſacrificia ſuorum miniſtrorum, ijs præſidens, & ſuperintendens, tãquam ſummus Sacerdos, & actu interno ea offerens Patri in memoriã ſuę Paſſionis. Probatur hic modus; Quia ſic magis propriè dicetur offerre; & aliàs hic modus eſt illi facillim⁹; cùm hoc ſacrificium non minùs ſit ipſi præſens quoad mẽtem ſeu intellectum, quàm ſi ipſe eſſet in Altari: ergo non videtur dubitandum, quin ſic offerat. Confirmatur Primò, A ſimili: Quia, ſi Rex, dum per Legatum defert honoré Pontifici, poſſet eſſe mente præſens Legato & Põtifici, per ſe etiam concurreret, ſaltem mente & voluntate illum honorem deferendo; hic enim modus honorandi eſt perfectior: ergo, cùm Chriſtus poſſit actu concurrere, reuerà facit. Confirmatur Secundò, Quia *Chriſtus eſt ſacerdos in æternum*, id eſt; vſque ad finem ſęculi: ergo decet, vt ipſe etiam actu cooperetur ad ſacrificium. Patet conſequentia; quia munus ſacerdotij eſſet in ipſo otioſum, ſolumque extrinſeca denominatione diceretur *offerens*. Dices, Non eſſe cõueniens, vt per ſe concurrat. Contrà: Quia Chriſtus ſecundùm naturam humanam manet diuinitate inferior; vnde oportet vt eam colat actu latriæ: cur non etiam actu ſacrificij, qui eſt perfectiſſimus actus latriæ? præſertim, cùm opus materiale ſacrificij non debeat ab ipſo fieri, ſed poſſit fieri per miniſtrum; ipſo duntaxat ſpiritualiter cooperante, Confirmatur Tertiò, Quia id quoque inſinuant Patres: Chryſoſtomus homil. 60. ad populum: *Non ſunt humanæ virtutis opera propoſita: qui tunc ipſa fecit in illa cœna, idem nunc quoque ea facit: nos miniſtrorũ tenemus locũ: qui verò ſanctificat ea, & immutat, ipſe eſt.* Et infrà: *Cùm videris ſacerdotem offerentem, ne ſacerdotem eſſe putes hoc facientem, ſed Chriſti manũ inuiſibiliter extenſam.* D. Auguſt. Tract. 5. In Ioannem fusè docet Chriſtum in omni baptiſmo baptizare: idem ergo, & potiori iure dicendum eſt de hoc ſacrificio. Vide etiam Cyprianum epiſt. 63. & Concilium Trident. ſeſſ. 22. cap. 1.

quomòdo Chriſtus actu concurrat in omni ſacrificio.

57 Hoc ſacrificium nullũ effectũ infinitum impetrat.

Dico Secundò; Reipsâ tamen non poteſt aliquem effectum infinitũ impetrare. Probatur Primò; quia talis effectus eſt impoſſibilis inter dona creata. Secundò; quia impetratio non ſolùm pendet ex dignitate oblationis, ſed etiam ex intentione oblationeque offerentis, & ordinatione Dei concedentis: atqui offerens non poteſt prudenter petere fructum infinitum: Deus quoque non ſtatuit concedere, niſi intra mẽſuram ab ipſo definitam. Vnde etiam Chriſti operationes, etſi eſſent infinitè meritoriæ, tamen reipsâ nullum effectum infinitum meruerunt. Tertiò; quia ſacrificium non eſt reipsâ impetratorium, niſi quatenus annexum eſt orationi, ſeu petitioni, ſaltem internæ; vt ſuprà dictum eſt: atqui non quæuis oratio valet ad quiduis impetrandum; ſed debet aliquo modo eſſe proportionata rei, quæ petitur: maiori enim conatu, feruore, & cõſtantia petenda eſt res magna, quàm parua, difficilis, quàm facilis: vt rectè Scotus Quodlib. 20. & Gabriel lectione 27. idque propterea: nam alioqui redderemus ſegnes, & tepidi, & parui diuina dona æſtimarem⁹, ſi tam facilis eſſet impetratio: ergo, cùm oratio nõ ſit ſemper cuiuis bono obtinendo proportionata, non poteſt ſemper reipsâ impetrare, etiamſi ſacrificio ſit comitata.

58 Oblatum pro multis non tantũ dat ſingulis, quantũ ſi pro vno tantùm oblatum.

Dico Tertiò, Sacrificium hoc oblatum pro multis à miniſtro, reipsâ non confert tantum ſingulis neque per modum impetrationis, neque ex opere operato, quantum ſi pro vno tantùm oblatum eſſet.

Prior Pars Probatur: Quia etſi in ſe ſit infinitæ dignitatis, tamen non applicatur niſi mediante oratione: atqui vna oratio, quæ applicatur multis, nõ eſt ita idonea, & proportionata multis beneficijs impetrandis, atqui vni vel paucis. Vnde,

ſicut pro vna re ardua, verbi gratia, pro impetrâda cõuerſione magni peccatoris, ordinariè oportet plures orationes fundere, & plura ſacrificia offerre, quàm pro conuerſione mediocris; iuxta illud 1. Ioannis 5. *Eſt peccatum ad mortem, non pro illo dico vt roget quis*, &c: ita pro beneficio aliquo multis impetrando, oportet ordinariè plures orationes & ſacrificia offerre, quàm ſi paucis, vel vni ſit impetrandum: nam longè maius eſt tale beneficium conferri multis, quàm paucis; vt rectè Gabriel lect. 37. Vnde quòd quidam dicunt, hoc ſacrificium oblatum pro multis ſpeciatim, tantùm valere ſingulis ad impetrandum, quantum ſi pro ſingulis duntaxat oblatum fuiſſet; non videtur verum, niſi pro multis multiplicentur etiam affectus orantis & orationes. Quòd ſi affectus quoque, & ſaltem internę petitiones multiplicẽtur, ſic omnino verum eſt. Et ita intelligi poſsũt iſti Doctores. Vnde multitudo eorum, pro quibus oratur in *Memento*, non diminuit quidquam in ſingulis effectum impetrationis; quia multiplicantur affectus, & petitiones offerentis.

Altera Pars, Quòd etiam ex opere operato non valeat tantum multis, quàm paucis: eſt ferè communis ſententia Doctorum, vt inquit Gabriel.

Probatur Primò, Quia alioqui Sacerdos inſipienter faceret, ſi aliquibus in particulari hoc ſacrificium applicaret: ſemper enim offerendum eſſet pro omnibus iuſtis, cùm non minùs profuturum ſit vnicuique, quàm ſi pro eo ſolo oblatum fuiſſet: atqui hoc eſt contra vſum in Eccleſia receptum.

Secundò, Quia alioqui Sacerdos pro vno ſacrificio poſſet centum ſtipendia (ſuſtentationis, non æſtimationis rei) accipere; & centum obligationibus contractis cum diuerſis, vno ſacrificio ſatisfacere.

59 Non licet niſi vnum ſtipẽdium propter vnum ſacrificium accipere.

Hinc ſequitur, Sacerdotem non poſſe propter vnum ſacrificium accipere, niſi vnum ſtipẽdium ſuſtentationis: nam alioqui iniuriam faciet ei, cum quò priùs conuenit: hic enim, ſaltem implicitè, cupit totum fructum ſacrificij, præſertim eum qui eſt ex opere operato, ſibi applicari.

Aduerte tamen, Si hoc ſtipendium ſit valdè paruum & inſufficiens ad victum diurnum, poſſe ſecundum, & fortè etiam tertium accipi. Ita Dominicus Soto diſt. 13. quæſt. 2. art. 1. & Melchior Canus lib. 12. De locis cap. 13. & quidam alij Doctores eiuſdem ordinis: quorum ſententia, ſaltem ſic limitata, ſatis eſt probabilis.

60 An, ſi pro pluribus applicetur etiã in eis ſit inæqualis fructus extra inæqualẽ eorũ diſpoſitionem.

Petes; Vtrùm, ſi illi, pro quibus offert, ſint inæquales in gratia, vel actuali deuotione, ſinguli recipiant effectum, præſertim remiſſionis pœnę, ſecundùm menſuram diſpoſitionis ſuæ, ſicut in Sacramentis contingit?

Reſpondeo: Ita videtur ſentire D. Thomas q. 79. art. 5. Petrus Nauarra, & quidam alij. Sed contrarium videtur verius: quod tenet Durãdus d. 45. q. 3. & colligitur ex D. Thoma eãdem diſt. q. 2. art. 4. vbi dicit, ſuffragium, quod prodeſt ex applicatione alterius, pendere ex intẽtione applicantis. Ratio eſt: Quia effectus ſacrificij, qui datur alteri, pro quo fit oblatio, totus pendet ex intentione Sacerdotis applicantis: gratia autem, quæ in ipſo requiritur cui applicatur ſacrificium, ſolùm requiritur vt diſpoſitio tollens impedimentum. Secùs eſt de effectibus Sacramentorũ: quia non pendent ex intentione miniſtri, ſed ex ipſa ſubſtantia Sacramenti, quæ veluti naturaliter operatur iuxta diſpoſitionem ſuſcipientis. Cõfirmatur; Quia ſatisfactio propria applicata alteri, non prodeſt ei plus vel minus iuxta eius diſpoſitionem, ſed iuxta voluntatem applicantis: ergo ſimiliter hîc. Ratio à priori eſt, Quia hic fructus ſacrificij non confertur per modum naturalis efficientiæ: ſicut ignis calefacit; neque mediante actione recipientis, ſicut Sacramenta effectum conferunt: ſed per modum donationis moralis, quæ tota pendet, & ſecundùm ſuam ſubſtantiam, & quantitatem, ab intentione donantis.

61 Oblatum pro multis ſimul offerentibus, tantũ prodeſt ſingulis, quantũ ſi pro vno ſolo.

Dico Quartò, Si multi offerentes cooperentur Sacerdoti ad hui⁹ ſacrificij oblationem, ſingulis, quatenus offerentes ſunt, tantum prodeſt ex opere operato, & per modum impetrationis, quantum ſi ſoli cum Sacerdote obtuliſſent. Hoc modo poteſt fructus huius ſacrificii dici infinitus extẽſiuè, non actu, ſed potentiâ; quatenus plures, & plures in infinitũ poſſunt ſuo modo actu concurrere, & fructum percipere. Eſt communis ſentẽtia Doctorũ. Et ita fortè intelligendus eſt Caietanus qu. 79. art. 5. & tom. 2. Opuſculo 3. qu. 2. & alii eiuſdem ordinis, qui docent hoc ſacrificium oblatum pro multis, prodeſſe ſingulis ſecundùm ipſorum deuotionem.

Probatur Primò, Quia alioqui lõgè ſatius eſſet audire Miſſam priuatã, id eſt, cui pauci intereſſunt, quàm publicã, cui multi. Secundò, Quando plures ſunt efficientes, plures quoque ſunt actiones, quibus cooperantur ad ſacrificandum; quę actiones ſunt veluti diuerſę applicationes, quibus ipſum ſacrificium ſingulis applicatur, & ſinguli ipſius ſunt participes: ergo ex parte applicationis huius non minuitur fructus: nam ſingulis tã perfectè applicatur, quàm ſi ſoli eſſent. Neque etiam minuitur ex parte ſacrificij; aut rei oblatæ; quia vtrumque infinitę dignitatis eſt: ergo cùm ſit eadem diſpoſitio in ſingulis, (vt ſupponimus) quãdo multi ſunt & quando pauci, eundem effectum ſingulis confert quando multi ſunt, quem contulißet ſi pauci fuiſſent. Cõfirmatur à ſimili: Si eadem hoſtia à pluribus ſumi poſſet, tantum cõferret ſingulis, quantum ſi ſinguli ſoli fuiſſent: nam integrè, & independenter à ceteris, ſingulis eſſet applicata: ergo idem ſacrificium, per diuerſos actus offerentium applicatum, ipſis offerentibus tantum conferet, quantum ſi ſoli eſſent.

62 Omniũ ſacrificiorũ perfectionem eminenter cõtinet.

Ex dictis conſtat, Hoc ſacrificium habere in ſe eminẽter omnem perfectionem ſacrificii, eſſeque non ſolùm *Honorarium*, ſeu *Latreuticum*, quod *Holocauſtum* dicitur, ſed etiam *Propitiatorium*, quod vocatur *Sacrificium pro peccato*, & *Euchariſticum*, & *Impetratorium*; quorum vtrumque dicitur *Hoſtia pacifica*. Et hoc ſenſu docent Patres, *Omnes differentias, ſeu ſpecies hoſtiarum veterum vnâ Euchariſtię oblatione contineri*. De quo vide Auguſtinum lib. 1. contra Aduerſarium legis & Prophetarum c. 20. & l. 17. de Ciuit. cap. 20. Chryſoſtomum in Pſalm. 95. & Leonem ſerm. 7. de Paſſione.

In ARTIC. II. & Reliquos.

De requiſitis ad ſacrificium Miſſæ.

63 Neceſſaria ad hoc ſacrificium celebrãdũ.

NOtandũ eſt, In hoc ſacrificio, vt ab Eccleſia celebratur, multa requiri: quę ad octo genera reuocari poſsũt. 1. Sacerdos. 2. Miniſtrãs. 3. Materia. 4. Tẽpus. 5. Locus. 6. Veſtes & Vaſa ſacra. 7. Verba præſcripta & leges. 8. Variæ ceremoniæ.

DE SACERDOTE.

Sacerdos ſit in gratia.

Dico Primò, Sacerdos debet eſſe ſine conſcientia peccati mortiferi, vel certè, ſi conſcientiam talis peccati habeat, debet præmittere cõfeſſionem, ſi commodè poteſt; iuxta ſuprà dicta q. 80. art. 4.

Dicò Secundò, Requiritur etiam, vt non ſit aliqua cenſura implicatus; ſcilicet Excommunicatione maiore vel minore, Suſpẽſione a diuinis, Irregularitate, vel Interdicto; quamuis hæc cenſura eſſet occulta.

Abſque cẽſura.

Notandum tamen: Ad vitandum ſcandalũ, vel infamiam, ſi prudenter ea timeretur ex omiſſione Sacri, poſſe talem celebrare, modò interim doleat de peccato, & proponat prima opportunitate petere abſolutionem. Ita multi recentiores; & inter ceteros Ludouicus Lopes 2. p. pag. 580. vbi citat Silueſtrum, Alphonſ. a Caſtro, Nauar. & Corduban. Ratio eſt; Quia ſicut iugum Domini ſuaue eſt, ita quoque mandata Eccleſiæ: vnde non cenſetur Eccleſia velle hominem obligare cum graui iactura famæ, vel rerum ſuarum ad cenſurarum obſeruationem: multoque minùs, quando inde ſequeretur ſcandalum, quod iure naturæ vitare tenemur. Sufficit ergo, vt tunc, faciat quod in ſe eſt ad digne celebrandum.

excipe caſum.

64 Dico Tertiò, Requiritur etiam, vt ſit ieiunus. Debet autem hoc ieiunium eſſe perfectiſſimum, ita vt homo nihil à media nocte, id eſt, poſt horam duodecimam, per modum cibi, potûs, aut medicinæ ſumpſerit; vt docent omnes Doctores cum D. Thoma ſuprà qu. 80. art. 8.

ſit ieiunus.

65 Dico Quartò, Si contingat Sacerdotem in altari deficere ante conſecrationem, nihil ampliùs neceſſe eſt ab alio ſuppleri. Si tamẽ adſit alius Sacerdos ieiunus, qui velit, proſequi, poteſt. Si poſt cõſecrationem; quãuis vnius tantùm ſpeciei, debeat ſacrificium ab aliquo alio compleri, quamuis hic ieiunus nõ ſit, ſi alius haberi nequit; idque incipiẽdo vbi prior deſierat. Ratio eſt; Quia maius eſt præceptũ integritatis ſacrificij, quã ne fiat à non ieiuno. Quã ab cauſſam etiã ſine confeſſione præmiſſa id fieri poteſt, ſi copia cõfeſſoris non datur.

Si in altari deficiat.

DE MINISTRANTE.

66 Dico Primò, In miſſis priuatis ſufficit habere vnicum miniſtrantem, qui vicem populi gerat. Eſt communis ſententia Doctorum: & patet ex conſuetudine Eccleſiæ. Illa autem verba Canonis: *Memento omnium circumſtantium*, intelligenda conditionatè, ſi qui adſint.

Vnus miniſtrans ſufficit.

Ne ſit fœmina.

Dico Secũdò, Miniſtrans non poteſt eſſe fœmina. Eſt communis ſententia Doctorum, ex cap. *Inhibendum*, de Cohabitatione Clericorũ. *Prohibẽdum quoque eſt, vt nulla fœmina ad Altare præſumat accedere, aut Preſbytero miniſtrare, aut intra cancellos ſtare, ſine ſedere.* Dom. Soto d. 13. q. 2. a. 5. dicit, ob nullam neceſſitatem id ſine dispenſatione eſſe permittendum, potiuſque Sacerdotem debere ſibi ipſi miniſtrare, quam id fœminæ permittere. Petes, An ergo aliquando liceat ſine omni miniſtrò celebrare?

67 quando liceat ſine miniſtro celebrare.

Reſpondeo; Licere cum diſpenſatione Papæ: ſine eâ ordinariè non licere. Dico *Ordinariè*: quia ob aliquam neceſſitatem incidẽtem interdum licet ſine diſpenſatione: exempli gratia, ſi aliquis ſine viatico eſſet moriturus; ſi Sacerdos, alioqui in magno aliquo feſto, ſacro eſſet carituras: ita Dominicus Soto ſuprà, & alij recentiores.

DE MATERIA.

68 Dico Primò, Materia adhibenda, eſt panis triticeus azymus, & vinum purum, cui modica aqua admixta.

quid fieri debeat, ſi aqua vino mixta non fuerit.

Dico Secundò, Si quis oblitus ſuo tempore admiſcere aquã, recordetur ante calicis cõſecrationem, ſtatim eam apponat, & proſequatur. Si poſt cõſecrationem calicis recordetur, non poteſt admiſcere; quia tunc non poteſt in Sanguinem Domini conuerti. Græci tamen olim ſolent admiſcere aquam, & quidem calidam poſt conſecrationem; vt patet ex Liturgia Chryſoſtomi, & ex Nicolao Cabaſila, cap. 37. Expoſitionis Liturgiæ.

Dico Tertiò, Si ſumpto calice deprehenderit non fuiſſe vinum, ſed aquam, accedat ad cornu Altaris, tanquam acceptaturus ablutionem, ne pateat error; & accepto vino cum pauxilla aqua, redeat ad medium Altaris, ſubmiſſeque pronuntiet verba cõſecrationis calicis, incipiens à *Simili modo, poſtquam* &c. vſque ad, *Vnde & nos memores*; neque calicem eleuet, ſed ſtatim ſumat. Ita Nauarr. c. 25. num. 91. ex Scoto. Sed

69 quid fiet, ſi calice sẽpo tẽtiat non fuiſſe vinum, ſed aquam.

Aduerte, Sufficere verba conſecrationis calicis, ſicut in Miſſali ponuntur, omiſſis antecedẽtibus: nam Scoti ſententia nititur falſo fundamento: quòd exiſtimet verba illa priora eſſe neceſſaria ad eſſentiam conſecrationis.

Quòd ſi nemo proſſus adſit, præter miniſtrum, qui nõ offendetur, cõſultiùs erit ſeruare id, quod D. Thomas præſcribit art. 6. ad 4. Nempe, vt apponatur alia hoſtia, ſi prior ſumpta ſit; & vinum cum aqua, & incipiatur ab illis verbis, *Qui pridie*: & ſic deinceps pergatur vſque ad finem: nam hoc etiam præſcribitur in regulis Miſſalis, quę tamen regulæ non ſemper obligant; multæ enim ex illis non ſunt ordinationes, ſed ſolùm inſtructiones iuxta probabilem ſententiam Doctorum datæ.

Concilium D. Thomæ.

Dices; Hoc modo non perficietur ſacrificium prius imperfectum, ſed nouum perfectum ſuccederet; & ſic prius relinquetur imperfectum, quia caruit conſecratione Sanguinis: quare hoc modo non euitabitur incommodum.

Reſpondeo; Etſi noua illa conſecratio vtriuſque ſpeciei, ſit per ſe integrum ſacrificium; tamen, quia actio prioris ſacrificij imperfecti adhuc durat; cõſecratio, quæ immediatè inſeritur, cenſetur ad idem officium pertinere, tanquam vna continua actio ordinata ad vnum perfectum ſacrificium: vnde in fine Sacri non liceret ita conſecrare, quia non cenſeretur vna actio.

Dico Quartò, Si araneus, vel quid aliud venenatum, inciderit in calicem conſecratum, non debet ſumi, ſed aliud vinum cum aqua imponi, ſtatimque conſecrari, & ſumi, vt dictum eſt. Neque verum eſt, quod quidam dicunt, tunc aliam etiam hoſtiam eſſe conſecrandam: nam prima conſecratio vtriuſque ſpeciei fuit legitima, ac proinde fuit perfectum ſacrificium ex parte conſecrationis; quare conſecratio vini non repetitur, niſi ob ſumptionem.

70 quid ſi aranea, vel quid venenatum in calicem inciderit.

Aduertendum autem in hoc caſu ſpecies vini infectas veneno, vel ſeruandas donec exhalentur, aut omnino corrumpantur; & tunc in piſcinam poſt Altare proiiciendas: vel (quod commodius eſt) ſtupa, vel panno lineo imbibendas; quo ſiccato, & combuſto, cineres in piſcinam proijciendos.

DE TEMPORE.

71 An ſacerdos teneatur aliquãdo celebrare ex præcepto.

Dico Primò, Etſi multi Doctores teneant, nullo præcepto ſub peccato mortifero teneri Sacerdotes aliquando offerre ſacrificium; ſed ſatis eſſe, vt in Paſchate ſimpliciter communicent: tamen cõtrarium eſt multò probabilius, & verius, & in praxi ſequendum; quod tenet D. Thom. ſuprà q. 82. art. 10. Durandus, Paludanus, & alij d. 13. Silueſter verbo *Miſſa* 1. §. 7. & alij Summiſtæ.

Probatur Primò, Lucæ 22. v. 19. *Hoc facite in meam commemorationem*: quibus verbis præcepit Dominus Apoſtolis, & eorum in ſacerdotio ſucceſſoribus, vt offerrent hoc ſacrificium, vt teſtatur Concilium Trident. ſeſſ. 22. c. 1.

Probatur Secundò, Quia cenſetur eſſe quidam contemptus muneris ſacerdotalis, eo nunquam vti; & ipſius ſacrificij, illud nunquam offerre, cùm ad hoc ſit conſecratus: niſi tamen iuſta aliqua interueniat cauſa.

Probatur Tertiò, Quia Sacerdos accipit onus intercedendi pro populo, & offerendi ſacrificia pro peccatis. Satis tamen eſt, ſi in magnis Eccleſiæ feſtis celebret, ad vitandum peccatum mortiferum. Adde, quod Concil. Trid. ſeſſ. 23. c. 14. præcipit Epiſcopis, *Vt curent, vt Sacerdotes ſaltem diebus Dominicis, & Feſtis ſolemnibus Miſſas celebrent: & ij, qui curam animarum habent, tam frequenter, vt muneri ſuo ſatisfaciant.*

Præceptū Concilij Trid.

71 licet quouis die celebrare: non tamen *Veneris ſancto.*

Dico Secundò, Quouis die per totum annum licitum eſt offerre hoc ſacrificium, præterquam die Veneris ſancto.

Conſentiunt Doctores; præterquam de feria quinta & Sabbato ſanctæ hebdomadæ. Sed communior ſententia eſt feria quinta licere; modò fiat abſque ſcandalo. Ratio eſt; Quia nullum eſt ius ſcriptum id prohibens, nec vlla conſuetudo in contrarium vim legis habens. Ita Sotus diſt. 13. q. 2. art. 2. Nauar. c. 21. n. 88. & alij.

Die Iouis ſancto.

Sabbato ſancto.

De Sabbato idem dicendum eſt cum Soto, & multis recentioribus: quidquid dicat Nauarrus. Ratio eſt; Quia etſi in Canone *Sabbato*, de Conſecratione d. 3. eodem modo de Sabbato, atque de Feria ſexta dicatur, *Sacramẽta non celebrari*; tamẽ generali cõſuetudine hoc de Sabbato eſt abrogatum. Nam in tota Eccleſia ſacrificiũ eo die offertur. Ideò enim olim non offerebatur ſacrificium Sabbato ſancto, quia ad repræſentãdam quietem Domini in ſepulchro, differebatur vſque ad mediam noctem ſequentem, & tũc primum offerebatur: quod Eccleſia contraria conſuetudine iam ſuſtulit anticipando tempus. Vnde ſaltem ab eo tempore, quo in Eccleſia publicè offertur, licet etiam priuatim celebrare, modò abſit offenſio.

73 Non licet, extra caſũ, in die niſi vnam Miſſam facere

Dico Tertiò, Vno die nemo poteſt facere, niſi vnum Sacrum; vt patet ex Canone *ſufficit*, de cõſecratione d. 1. & Cap. *Conſuluiſti*, de Celebratione Miſſarum. Excipiuntur tamen aliquot caſus: nam in nocte Natiuitatis ex decreto Theleſphori Papæ licitum eſt facere tria. Item quando aliqua rationabilis neceſſitas vrget. Vide Nauarrum c. 25. nu. 87. vbi enumerat ſex vel ſeptem caſus. Cauendum tamen tunc eſt, ne in priore ſacrificio Sacerdos ſumat ablutionem.

74 qua diei horalicet celebrare.

Dico Quartò, Quòd ad horam celebrandi attinet: Ea eſt ordinariè ab initio auroræ (id eſt crepuſculi, quo aliquid lucis apparet) vſque ad horam duodecimam. Eſt communis. Initium auroræ ſeu crepuſculi, ita Doctores interpretantur, vt liceat duabus horis ante ortum ſolis.

Quare, Si quis habeat priuilegium, vt poſſit duabus horis ante auroram, ille poterit quatuor horis ante ortum ſolis: nam alioqui priuilegium nihil operaretur; vt notauit Suares.

Poteſt tamen ob aliquam neceſſitatem tempus ordinarium anticipari: vt ſi infirmo danda eſſet communio: ſi opifices, & viatores alioqui carituri Sacro: maximè ſi id fiat permittente Epiſcopo, qui in hoc ob iuſtam cauſam poteſt diſpenſare; vt Doctores affirmant.

Ab hora duodecima vſque ad tertiam pomeridianam Nauarrus nu. 85. affirmat ob aliquam rationabilem cauſam licere celebrare, modò id fiat priuatim, & ſine ſcandalo: quia nullus Canon, aut ratio id vetat. Quare priuilegia hac de re nihil cõtinere, niſi Ius commune. Eandem ſententiam ſequitur Candelabrum, & inclinat Summa Angelica, & Roſella. Conſuetudo tamen Eccleſiæ eſt in contrarium. Vnde, niſi ſit cauſa magni momenti, probabilius videtur, cum Dom. Soto, non licere: quamuis Nauarri ſententia non ſit improbabilis. Poſſet tamen Epiſcopus diſpenſare pro aliquot vicibus; licet fortaſſis non poſſet generale dare priuilegium.

75 An liceat vſque ad tertiam pomeridiãã

Dico Quintò, Ante recitatum officium matutinum celebrare, non eſt peccatum mortiferum. Ita Sotus ſuprà, & alij paſſim: quamuis ferè omnes Canoniſtæ ſint in contraria ſententia; ſed ſine iuſta ratione. Addo, Si ſit cauſa aliqua rationabilis, nullum fore peccatum. Ratio eſt; Quia nullum eſt Ius illud præcipiens, nec conſuetudo vlla in contrarium tam ſtrictè obligans. Nam quod Matutinum conſueuit dici ante Sacrum, id inde prouenit; non quòd iſte ordo per ſe ſit neceſſarius, ſed quia tempus recitandi Matutini ordinariè præcedit: deberet enim Matutinum recitari nocte, vel ſaltem primo quoque tempore manè. Vnde non videtur eſſe vllum peccatum dicere Sacrum ante preces matutinas, niſi quatenus illæ preces nimium poſtponuntur, poſt debitum ſuum tempus, idque ſine iuſta cauſa.

76 An ſit peccatum celebrare ob lecto Matutino.

DE LOCO.

Dico Primò, Locus Iure communi debet eſſe ſacer: id eſt, benedictus, aut conſecratus. Eſt communis ſententia Doctorum. Conſecratio fit à ſolo Epiſcopo, & cum vnctione Chriſmatis, quo parietes vnguntur. Benedictio fit ſine Chriſmate; vnde facilè ea committitur ſimplici Sacerdoti. Extra talem locum non licet celebrare ſine diſpenſatione, vel neceſſitate; & videtur graue peccatum, ſi contrarium fiat: etſi Sotus dicat non eſſe mortiferum, d. 13. q. 2. a. 3. Præſertim ſi fiat ob aliquam cauſam cum bona fide.

77 locus ſit Sacer.

Diſpenſatio ante Concil. Trid. poterat dari ab Epiſcopo, vt quouis loco honeſto, ſine alia cauſa liceret celebrare; vt patet ex Canone *Miſſarũ*, de Conſecratione d. 1. Poſt Cõcilium putat Nauarrus c. 25. n. 61. Epiſcopum non poſſe diſpenſare. Sic enim ſeſſ. 22. ait Cõciliũ; *Neue patiantur Epiſcopi priuatis in domibus, atque omnino extra Eccleſiã, & ad diuinũ tãtùm cultum dedicata oratoria, hoc ſacrificium peragi.* Verùm probabilius eſt Epiſcopis non eſſe ademptam poteſtatẽ diſpenſandi, quãdo iuſta interuenit cauſa; nam verba Cõcilij id non ſignificãt. Intelligẽda ergo ſunt prohiberi Epiſcopo, ne id permittat pro ſuo arbitratu, & ſine iuſta cauſa; ſicut anteà poterãt permittere, vt Sacerdotes in priuatis domibus Sacrũ facerẽt, quãuis nullus eſſet ibi locus diuino cultui deputatus. Poteſt itaque Epiſcopus in domo priuata locum certũ aſſignare, qui maneat cultui diuino deputatus; & concedere, vt ibi quotidie Sacrũ dicatur ſuper Altare portatile, quamuis locus non ſit benedictus, vt apertè colligitur ex Concilio.

78 An Epiſcopus poſſit diſpenſare

Deinde ex cauſa iuſta poteſt cõcedere, vt etiam in loco communi domus priuatæ, modò ſit decens, Sacrum dicatur; etiamſi locus ille ante & poſt, functionibus ſecularibus occupetur.

quibus de cauſis liceat extra loca ſacra celebrare.

Ob neceſſitatem autem licet, non ſolùm in domo priuata, & loco profano; ſed etiam ſub dio: vt in Caſtris, in Supplicationibus ad exiguas Capellas. Item in itinere, vt inquit D. Thom. quod intellige, ſi multis diebus non occurrat locus decens. Epiſcopus autem pro ſuo arbitratu poteſt dicere Sacrum in domo, vel extra domum, quando eſt in itinere.

Poterant etiã olim Mendicantes celebrare quouis loco honeſto cũ Altari portatili; vt patet Cap. *In his*, de Priuilegijs. Sed hoc reuocatum eſt per

Concilium Trid. loco citato, nisi postea auctoritate Pontificis fit illis concilium.

79 Violatur locꝰ sacer. 1. Occisione hominis.

Dico Secundò, Locus ille debet esse non violatus. Violatur autem: Primò, Occisione voluntaria hominis ibidem factà. Si casu, aut per amentiam fiat, non violatur: quia non est voluntaria. Similiter si fiat ratione necessariæ defensionis; nam etiá non censetur voluntaria. Si iudex plectat reum in Ecclesia, violatur; quia fit iniuria loco sacro per talem occisionem.

80 2. effusione sanguinis.

Secundò, Per iniuriosam sanguinis effusionem. Debet autẽ esse copiosa, vt indicat nomen *Effusionis*; & ex graui percussione. Vnde emissio sanguinis ex pugna puerorum non violat locum, vt notat Victoria q. 99. Grauè vulnus inflictum in ecclesia, violat; etiamsi sanguis ibi non effuat. Similiter, si percussor est extra Ecclesiá, & percussus in Ecclesia, violatur. Secùs, si percussor sit in Ecclesia, & percussus extra: quia externum peccatũ non perficitur in Ecclesia.

81 3. effusione voluntaria seminis.

Tertiò, per voluntariam effusionem seminis humani. Intellige in aliqua notabili copia. Per actum coniugalem Dominicus Soto d. 13. q. 2. a. 3. putat nõ violari; similiter Glossa in can. *Ecclesias*, de Cõsecratione d. 1. Nauarrus verò & alij affirmant violari. Sed distinguendum est cum Couarruuia in 4. decretal. par. 2. cap. 7. §. 2. n. 3. & alijs, quos ipse citat: non violari, quando licitè fit: vt quando vterque coniux, vel alter, cogitur in Ecclesia ad aliquot dies remanere, nec possunt cõmodè differre, aut alibi facere. Quando autem fit illicitè, tunc violatur: verbi gratia, quando commodè possunt alibi.

82 4. Sepulturâ excõmunicati.

Quartò, Si excommunicatus ibi sepeliatur. Hoc intellige de excõmunicato nominatim, vel notorio percussore Clerici; vt notauit Victoria loco citato. Ratio est; Quia hi duntaxat vitandi sunt post Concilium Cõstantiense. Vnde probabile est post mortem non necessariò esse vitandos in sepultura.

83 5. Sepulturâ infidelis.

Quintò, Si infidelis ibi sepeliatur; vt Iudæus, Paganus, Turca; vel etiam infans nondum baptizatus, tamen editus in lucem. Alius casus ponitur à Nauarro, Siluestro, & alijs: Violari Ecclesiam, si ipsá ab Episcopo publicè excõmunicato consecretur, aut benedicatur. Sed id optimè refutatur à recentioribus; quia nullo iure probatur: idque meritò: nam pollutio Ecclesiæ supponit consecrationem, vel benedictionem eius: ergo per ipsam consecrationem, vel benedictionem non potest pollui.

An violetur si ab episcopo excõmunicato benedicatur.

84 6. Renouatione parietum; non tamen soli.

Sextò, Polluitur, si maior pars parietum renouetur. Sed aduerte, tunc pollui solùm negatiuè, quatenus deletur consecratio. Vnde iterum consecranda est. Et Ratio est; Quia consecratio censetur esse in parietibus Ecclesiæ. *Secùs est de benedictione*, quæ in ipso solo consistit.

85 Violatio debet esse publica.

Notandum autem Primò, Locum non censeri violatum, nisi res sit publica; idque vel iuridicâ confessione, vel euidentiâ facti, quæ talis sit, vt passim constet eo modo, quo talis res moraliter constare solet.

Celebrans in loco violato, qualiter peccet.

Notandum Secundò, Non incurri irregularitatem ex celebratione in loco violato: quidquid aliqui dixerint: vt colligitur ex Cap. *Is qui*, de Sententia excõmunicationis in 6. Sed incurri solũ peccatum mortiferum, si fiat sine necessitate, vel priuilegio. Necessitas excusat, si alioqui populus deberet carere Sacro die Festo: Si viaticum infirmo dandum, &c. Episcopus etiam potest dispensare, vt in loco polluto celebretur.

86 Dico Tertiò, Debet etiam offerri hoc sacrificium super Alt. t. lapideum consecratum. Vide D. Thomam art. 3. ad 5. Non est necesse lapidem esse ingentem; satis est, vt capiat hostiam, & calicem, saltem pro maiori parte.

Altare sit lapideum cõsecratũ.

Perit autem hæc consecratio: Primò, si lapis ita frangatur, vt in neutra parte possit commodè calix, & hostia collocari. Quòd si altera pars sit ad hoc sufficiens, illa manet consecrata; quia figura non est de essentia. Secundò, Si superior lapis separetur à sua structura, cui erat affixus. Quod solùm habet locum in altari immobili: Altare enim portatile non amittit consecrationem, quãuis separetur à ligno, cui erat inclusum. Nam lignum istud solùm est ad ornatum, vel custodiam: neque in eo, aut in coniunctione lapidis cum illo, est consecratio, sed in solo lapide.

quomodo pereat cõsecratio.

Reliquiæ non sunt necessariæ ad rationem cõsecrationis, quidquid alij dixerint. Nam nullus Canon id probat; vt rectè ostendit Suares.

Reliquiæ

DE VESTIBVS ET VASIS SACRIS.

87 Non licet celebrare sine his vestibus.

Dico Primò, Sacerdos non potest offerre sacrificiũ sine vestibus sacris ab Ecclesia præscriptis.

Et quidem nullo casu (loquendo de eo, qui humano more solet occurrere) licitum est offerre sine omnibus vestibus sacris; vt rectè Caietanus. Quia non est Sacramentum tantæ necessitatis, vt hoc vniuersale præceptum tãtoperè ad reuerentiam huius sacrificij pertinens, debeat infringi.

Excipe casum.

Fingi tamen posset casus, in quo liceret: vt, si constaret, vel valdè probabile esset, hominẽ moribundum rationis vsu destitutum, esse duntaxat attritum, nec aliud Sacramentum ei posset adhiberi.

Stola vel manipulus

Sine stola, vel manipulo, ob grauem causam; v. g. ad dandum viaticum, dicere Sacrum, non censetur peccatum, saltem graue.

Perit benedictio.

Dico Secundò, Hæ vestes omnes debent esse benedictæ. Quæ benedictio perit, quando ita mutantur, vt non sint idoneæ ad suũ vsum: verbi gratia, si cingulum rumpatur, si manica separetur ab Alba.

Paramẽta Altaris.

Dico Tertiò, Præter hæc, Altare debet sterni saltem duabus mappis, vel vna duplicata, licet non benedicta, & corporali lineo benedicto.

Calix & Patena ex qua materia.

Dico Quartò, Calix constare debet auro, argẽto, vel stanno, saltem interna superficie; & esse consecratus vnctione Chrismatis. Similiter Patena. Manet autem hæc cõsecratio, quamdiu hęc manent integra, & idonea ad suum vsum. Quòd si scyphus calicis separetur à pede: perit cõsecratio: quia sine pede non est idoneus ad vsum. Excipitur calix tornatilis, quia tali animo censetur benedictus. Si calix interiùs inauretur, rursus adhibenda est consecratio, quia inauratura est instar noui vasculi interiùs inserti.

DE PRECIBVS ET CÆREMONIIS.

89

Hæ preces, verba, & cæremoniæ necessariò in Missa adhibenda sunt, quę in Missali Romano præscribuntur. Patet ex diplomate Pij V. quod Missali præfigitur, vbi sic dicitur: *Mandantes, & districtè omnibus, & singulis Patriarchis &c. & reliquis personis Ecclesiasticis in virtute sanctæ obedientiæ præcipientes, vt ceteris omnibus orationibus, & ritibus ex aliis Missalibus, quantumuis vetustis hactenus obseruari cõsuetis in posterum penitus omissis, & planè reiectis, Missam iuxta ritum, modũ, ac normam, quæ per Missale hoc à nobis nunc traditur, de-*

tantent & legant. Neque in Missæ celebratione alias cæremonias, vel preces, quàm quæ in hoc Missali cõtinentur, addere, vel recitare præsumant.

90 Aduerte tamen Primò, Missalia, quæ ducentis annis continuò in aliqua Ecclesia sunt vsurpata, permitti Clericis illius Ecclesiæ: sicut dictum est de Breuiarijs, l. 2. de Iustit. & Iure c. 37. dub. 12.

Aduerte Secundò, Non esse statim peccatum mortiferum, si quis aliquidin cæremonijs mutet, vel aliquam priuatam orationẽ interserat, si materia sit exigua: non tamen à veniali posse excusari.

DE SACRAMENTO POENITENTIÆ.

QVÆSTIO LXXXIV.

In Decem Articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum Pœnitentia sit Sacramentum?

1 Duo errores hæreticorum.

NCtandum est: Esse hîc duos præcipuos errores. Prior est Nouatianorum, qui negant esse in Ecclesia aliquod Sacramentum, aut remedium, quo illi, qui post baptismum lapsi sunt, possint reconciliari; sed tantummodò à Deo veniâ, illis esse expectandam. Colligitur ex Ambrosio lib. 1. de Pœnitentia cap. 2. quamuis ibidem addat, posteriores Nouatianos hanc sententiam mitigasse, & dumtaxat negasse potestatem absoluendi à grauissimis criminibus. Colligitur etiam ex Socrate lib. 4. histor. c. 24. & ex multis opusculis Cypriani. Idem amèa tenuerũt Montanistæ, vt testatur Hieronymus epistola de erroribus Montani ad Marcellam.

Alter error est hæreticorum huius temporis, præsertim Caluinistarum; qui, etsi cum Nouatianis doceant non esse in Ministris Ecclesiæ vllam veram, & iudiciariam potestatem remittẽdi peccata; tamen admittunt aliquod remedium pro lapsis: verùm hoc remedium esse baptismõ memoriâ repetitum; per solam enim baptismi memoriam remitti omnia peccata quoad culpam & quoad pœnam, ideoque hoc rectè vocari Sacramentum Pœnitentiæ; non autem ritum illum, qui constat actibus Pœnitentis, & verbo absolutionis. Ita Caluinus in Antidoto apud Ruardum, art. 3. & Bellarminum de Sacramento Pœnitentiæ.

2 Pœnitẽtia est verum sacramentum.

Dico primò, Fide tenendum est, Pœnitentiã esse verum, & proprie dictum nouæ legis Sacramentum à Christo Domino institutum. Patet ex Concilio Tridẽtino sess. 14. can. 1. *Si quis dixerit in ecclesia Catholica Pœnitentiam non esse verè ac propriè sacramentum à Christo Domino institutum; anathema sit.*

1. prob. ex Scriptura.

Probatur primò, Ex Scriptura Ioan. 20. v. 23. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt.* Hîc duo insinuãtur, quæ requiruntur ad naturam Sacramenti, & sufficiunt; vt etiam fatentur hæretici; nempe ritus externus, & promissio gratiæ, seu remissionis peccatorum. Esse autem hęc duo hoc loco, Probatur: Quia Dominus concedit hîc Ecclesiæ ministris potestatem remittendi peccata, quæ inter homines exerceri non potest, nisi interuentu alicuius signi externi; tùm ex parte ministri, quo significet se absoluere, & nomine Dei remittere; tùm ex parte peccatoris, quo significet se peccata detestari, & ab illis velle recedere; nam solũ huiusmodi peccata sunt remittenda: ergo implicitè hîc significatur duplex ritus, seu cæremonia externa: verbum scilicet Absolutionis, & signa pœnitentis. Promissio verò gratiæ hîc expressissimè ponitur; nam promittitur *remissio peccatorũ* omnibus, quibus ministri se eam impẽdere significauerint.

Petes, An hic locus solùm intelligendus sit de remissione peccatorum post baptismũ, cùm Dominus videatur generatim loqui?

3 An locus Ioan. 20. intelligatur tãtùm de remissione peccatorum post Baptismum.

Respondeo, Cyrillus Alexandrinus lib. 12. in Ioannem cap. 16. existimat generatim esse intelligendum: ait enim, Ministros ecclesiæ, & Spiritum sanctum in ministris, duplicitèr remittere peccata. Primò, Per Baptismum. Secundò, Per Pœnitentiam, ijs scilicet, qui iam Ecclesiæ sunt incorporati. Sed alij ferè omnes intelligunt de remissione per Pœnitẽtiam post Baptismum. Ita Chrysostomus, Theophilactus, & alij in hunc locum. Ambrosius lib. 1. de Pœnitentia cap. 2. & Patianus epistola 3. ad Symphorianum, vbi refutat Nouatianos, qui dicebant, hoc loco tantũmodò dari potestatem remittẽdi peccata per Baptismum. Et ratio est; Quia hîc datur Ecclesiæ potestas clauium, quæ est potestas iudiciaria: atqui Ecclesia non exercet potestatem iudiciariã in non-baptizatos, vt constat 1. ad Corinth. 5. Secundò. Ad baptismum non est necessaria potestas clauium; nam etiam à femina dari potest. Tertiò, Quia baptizat, nõ propriè dicitur remittere peccata, aut habere ad hoc vllam auctoritatem; sed solus Deus est, qui ad baptismum peccata remittit. Denique Concilium Trident. sess. 14. cap. 1. apertè docet hoc loco institutum esse Sacramentum Pœnitentiæ.

Probatur Secundò, Ex Cõsilijs: Florentino in instructione Armenorum, & Tridentino locis citatis: & ex Capitulo *Ad abolendum*, Lucij III. *de Hæreticis*, vbi numeratur Confessio peccatorum inter ecclesiastica Sacramenta; & damnãtur omnes, qui aliter sentiunt de Sacramentis, quàm Ecclesia Romana sentit.

4 2. Prob. ex Concilijs.

Probatur Tertiò, Ex patribus: Tertullianus lib. de Pœnitentia docet esse duas ianuas ad remissionem peccatorum in Ecclesia, Baptismum & Pœnitentiam. Ambrosius lib. 1. de Pœnitentia

3. Prob. ex Patribus. Tertullianus. Ambros.

Digitized by Google

cap. 7. probat contra Nouatianos, Sacerdotes poſſe remittere peccata per pœnitentiã iam baptizatis; quia per baptiſmum poſſunt remittere, ſeu tollere etiam à non-baptizatis, eſſe enim parem vbique rationem: nam etiam in pœnitentia, nomen, id eſt, virtutem Dei, operari: & libr 2. cap. 2. *Similiter impoſſibile videbatur per pœnitentiam peccata remitti.* (ſicuti videlicet, videbatur impoſſibile, per aquã peccata ablui) *Conceſſit hoc Chriſtus Apoſtolis ſuis, quod nunc ab Apoſtolis ad Sacerdotum officia tranſmiſſum eſt.* Hieronymus Dialogo 2. contra Pelagianos. *Quod*, inquit, *ſcriptum eſt (ſanguis Chriſti emundat nos ab omni peccato) tam in Confeſſione baptiſmatis, quam in clementia pœnitudinis eſt accipiẽdũ.* Et Epiſtola 1. quæ eſt ad Heliodorum: *Abſit*, inquit, *vt de his aliquid ſiniſtrum loquar, qui Apoſtolico gradui ſuccedentes, Chriſti corpus ſacro ore conficiunt, per quos nos etiam Chriſtiani ſumus; qui claues regni cælorum habentes, quodammodò ante diem iudicij iudicant.* Nec obſtat quòd idem D. Hieronymus in cap. 16. Matthæi in illa verba, *Tibi dabo claues*, dicat, *Epiſcopos & Presbyteros ita ſoluere, & alligare peccatorem, ſicut Sacerdos in veteri Teſtamento leproſum faciebat mundum, vel immundum;* Tantum enim vult dicere, hominẽ non eſſe cauſam principalem, nec ſua auctoritate abſoluere; ſed Deum ad hominis abſolutionem liberare à peccato, & ſpiritualiter gratiam infundere: Vult enim deprimere quorundam ſupercilium, qui putabant ſe etiam ſontes qui vitam non emendabant, poſſe ſoluere, & inſontes ligare; vt patet ex eius verbis. D. Auguſtinus multis in locis cõparat re conciliationem cum baptiſmo; vt lib. 1. de Adulterinis coniugijs cap. vlt: & lib. 2. cap. 6. & alibi: & Epiſtola 180. confert reconciliationẽ cum baptiſmo & Euchariſtia. Lib. 50. homiliarum in quinquageſima cap. 10. & 11. *Implicatus tam mortiferis vinculis peccatorum detrectat aut differt confugere ad ipſas Eccleſiæ claues, quibus ſoluatur in terra, vt ſit ſolutus in cælo*: & infrà, *Cùm in ſe protulerit ſeueriſſimæ medicinæ ſententiam, veniat ad antiſtites, per quos in Eccleſia claues miniſtrantur.* Et Chryſoſtomus lib. 3. de Sacerdotio, Poteſtatem remittendi peccata confert cum baptiſmo, & cum poteſtate cõficiendæ Euchariſtiæ; & dicit noſtris Sacerdotibus conceſſum eſſe purgare animæ ſordes, & non tantùm purgatas probare, ſeu oſtendere; ſicut olim ſacerdotes legales ſolùm declarabant purgatos à lepra. Cyrillus lib. 12. in Ioannem cap. 56. apertè docet, miniſtros Eccleſiæ remittere peccata per pœnitentiam non minùs, quàm per baptiſmum. Leo Epiſtolâ 91. ferè totâ hoc ipſum docet perelegan ter. Denique Magiſter, & omnes doctores diſt. 14. quamuis quidam non ſatis benè explicent.

Hieronymus. Chryſoſt. Cyrillus. Leo. Magiſter

5 4. prob. ex Ratione.

Probatur Quartò, Ratione: Primò, quia Chriſtus non ſatis conſuluiſſet Eccleſiæ ſuæ, ſi nullũ reconciliationis remedium lapſis reliquiſſet; cùm ferè omnes contingat poſt baptiſmum labi: quò fieret, vt pauciſſimi omnino ſaluarentur; ſicut olim in lege veteri. Nam difficilè eſt, tam perfectam aſſequi contritionem, vt abſque Sacramento ad iuſtificationem ſufficiat. Secundò, Chriſtus remedium inſtituit pro ijs qui rondum ipſius familiæ erãt inſiti (ſcilicet baptiſmum:) ergo non eſt dubitandum, quin inſtituerit ſimile remediũ pro ſuis domeſticis, quorum ipſe fragilitatem probè nouerat. Et Confirmatur: quia, ſi inſtituit remedium pro peccato originali, cur non etiam pro actualibus, quæ non minùs, ſed multò magis homini nocent? Tertiò, Eccleſia noſtra eſt media inter Eccleſiam veterem ſeu ſynagogam, & cæleſtem; vt teſtatur Dionyſius cap. 1. de Eccleſiaſtica Hierarchia: ergo debet ſanctificari per aliquid, quod partim ſit ſpirituale, partim corporale: atqui hoc eſt Sacramẽtum: ergo eſt aliquod Sacramentum, quo Eccleſia purgetur.

6 Obiectio ſoluitur.

Dices: Si Pœnitentia eſt Sacramentum; ergo conſtat materia & forma; quæ tamen hîc non conſpiciuntur: Satisfactio enim interdum peragitur diu poſt abſolutionem: interdum non eſt neceſſaria, vt in morituris. Confeſſio autem fit ante abſolutionem. Contritio denique eſt actus interior.

Reſpondeo: Scotus diſt. 14. q. 4. & Nominales, volunt abſolutionẽ ſolam eſſe Sacramentũ Pœnitentiæ, ob rationem dictam: actus autem pœnitentis eſſe quidem neceſſarios, ſed non eſſe Sacramenti materiam aut partem. Verùm hæc ſententia, etſi non ſit erronea, cùm neceſſariò requirat actus pœnitentis, tamen in modo loquẽdi non eſt probabilis. Primò, quia Concilium Florẽtinum dicit *Actus pœnitentis eſſe quaſi materiã Sacramenti Pœnitentiæ: verba ſacerdotis, Ego te abſoluo, eſſe formam.* Idem expreſſè docet Concilium Tridentinũ ſeſſ. 14. cap. 3. & Catechiſmus Concilij. Inſinuant ergo apertè, hæc intrinſecè pertinere ad conſtitutionem huius Sacramenti, veluti materiam & formam. Secundò, Actio pœnitentis eſt ſignum ſenſibile gratiæ iuſtificantis diuinitùs inſtitutũ, quod eſt Sacramentum, vel pars Sacramenti. Tertiò, *Omne ſacramentũ tribus perficitur; materiâ, formâ, & miniſtro*; vt inquit Concilium Florentinum: habet ergo hoc Sacramentum ſuã quoque Materiam. Certum ergo ſit, Pœnitentiã non conſiſtere in ſola abſolutione, ſed intrinſecè includere actus pœnitentis: hi enim propriè dicuntur *Pœnitentia*, & nomen Sacramẽto tribuũt. Dices: Cur Concilia non vocant eos abſolutè *materiam*, ſed *quaſi materiam*? Reſpondeo: Quia proprie *materia* dicitur ſubſtantia aliqua ſenſibilis; vt aqua, chrisma, panis, oleum; qualis inuenitur in alijs Sacramentis: actus autem pœnitẽtis hanc materiam imitantur; vnde dicuntur *quaſi materia*. Verbũ Abſolutionis eſt *forma*, quia perficit actus pœnitentis in ratione Sacramenti, & expreſſiùs ſignificat, & principaliùs efficit huius Sacramenti effectum.

Pœnitentia non conſiſtit in ſola abſolutione, ſed includit actus pœnitentis quaſi materiam.

quaſi materia.

7 Pœnitentia eſt ſacramentũ per ſe diſtinctum à Baptiſmo.

Dico Secundò, Sacramentum Pœnitentiæ non eſt ipſum Sacramẽtum baptiſmi memoriã repetitum; ſed eſt Sacramentum omnino diſtinctum. eſt fidei: vt patet ex Concilio Tridentino ſeſſ. 14. c. 2. & can. 2. *Si quis Sacramenta confundens, ipſũ baptiſmũ, pœnitentiæ Sacramentũ eſſe dixerit; quaſi hæc duo Sacramẽta diſtincta non ſint, atque ideò Pœnitentiam non rectè ſecundam poſt naufragium tabulam appellari; anathema ſit.*

Hebræ. 6.

Probatur Primò, ad Hebræos 6. v. 4. *Impoſſibile eſt eos, qui ſemel ſunt illuminati* (id eſt baptizati) *rurſus renouari ad pœnitentiam.* Hîc Apoſtolus negat per baptiſmum iterum poſſe hominem renouari, vt explicant hunc locum Ambroſius, Chryſoſtomus, Theodoretus, œcumenius, Theophylactus, & alij. Et Auctor *De vera & falſa pœnitẽtia* cap. 3. oſtendit contra Nouatianos, hunc locum neceſſariò intelligendũ de renouatione per baptiſmum, quo rurſus renouari non poſſumus: non autem de ea, quæ fit per pœnitentiam; per hanc enim nos poſſe renouari.

Probatur Secundò, Scriptura nuſquam meminit huius remedij: quod ſanè mirum eſſet, ſi per illud iuſtificaremur; quin potiùs lapſos remittit ad pœnitentiam: vt patet 1. Ioannis 1. v. 9. Si

confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt Deus & iuſtus, vt remittat nobis peccata; & Actorum 8. Petrus Simonem Magnum baptizatum hortatur ad pœnitentiam, non ad memoriam baptiſmi. Cõfirmatur; quia in veteri lege memoria Circũciſionis, quæ erat typus Baptiſmi, non erat remedium peccatorum; ſed varia ſacrificia, & expiationes: ergo neque nunc memoria Baptiſmi, ſed alia quædam expiatio.

Probatur Tertiò, Quia patres paſſim docent, hominem poſt baptiſmum lapſum multò difficilius reconciliari, quàm ante baptiſmum: Quia ſcilicet Pœnitentia, quâ recõciliatur poſt baptiſmum, requirit magnum dolorem, luctum, lacrymas, ieiunia, orationes, & ſimiles acerbitates peccato reſpondentes, quibus ipſum veluti ex æquo vindicetur, vt inquit Theodoretus lib. ro 5. Decretorum Diuinorum cap. de Pœnitentia ſub finem. Vnde quidam Patres Pœnitentiam vocant *Baptiſmum lacrymarum*, quidam *Secundam poſt naufragium tabulam*: baptiſmus enim eſt veluti nauis, quâ facilè peruenimus ad ſalutis portum; ſed fracto hoc nauigio pec peccata relinquitur nobis *Pœnitentia* veluti *tabula* quędam, quâ apprehendamus, quâ non niſi magno cum labore euadamus interitum animæ. Hanc comparationem habet Tertullianus lib. de Pœnitentia, & Ambroſius lib. ad Virginem lapſam cap. 8. & Hieronymus epiſtola ad Demetriadem.

Baptiſmus lacrymarũ

Secunda poſt naufragium tabula.

Denique ratio eſt, Quia non erat conſentaneũ optimę gubernationi diuinæ prouidentiæ, vt illi, qui lumen fidei, & alia multa dona à Deo acceperant, & Dei voluntatem cognoſcebant, tam facilè reconciliarentur, quàm illi, qui nondũ talibus beneficijs affecti fuerant; neque diuinã voluntatem cognouerant: iuxta illud Lucæ 12. v. 47. *Seruus, qui cognouit voluntatem Domini ſui, & non fecit, plagis vapulabit multis.*

8 Obiectio Caluini ex S. Fulgentio.

Sed obiecit Caluinus: Baptiſmus à Fulgentio lib. de fide ad Petrum cap. 3. vocatur *Sacramentũ fidei & pœnitentiæ*. Et Marci 1. v. 4. dicitur Ioannes *Prædicaſſe baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionẽ peccatorum.*

Reſpondeo: *Baptiſmus* vocatur ibi *Sacramentum Pœnitentiæ* à Fulgentio, non cuiuſuis, ſed eius quæ precedit baptiſmum, quem Apoſtoli iubentur prędicare Lucæ vltimo; & de qua Actorum 2. v. 38. *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrum*: Baptiſmus enim eſt ſignum, illum pœnitere anteactæ vitæ. Nõ eſt autem *ſacramentum ex Pœnitentia*, quæ poſt baptiſmum agitur, de quo nobis eſt ſermo. Ioannes autem prædicabat, baptiſmum non Chriſti, ſed ſuum; qui dicebatur *Baptiſmus pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum*, quia ad pœnitentiam præparabat, & conſequenter ad remiſſionem peccatorũ per pœnitentiam obtinendam.

DVBIVM I.

CIRCA RESPONSIONEM AD TERTIVM.

Vtrùm in hoc Sacramento ſint diſtinguenda illatria, quæ in aliis pleriſque reperiuntur: ſcilicet, Sacramentum tantùm, res tantùm, & res & Sacramentum ſimul.

2 quæſtio hæc non adeò neceſſaria.

REſpondeo, Non magnoperè id fuiſſe neceſſarium, niſi Hugo de S. Victore & Magiſter id excogitaſſent, quos ſecuti ſunt Doctores Scholaſtici: quia nulla auctoritas Scripturæ, Conciliorum, aut Patrum ad hoc cogit. Dici tamen poteſt, Id quod eſt *Sacramentum tantùm*, eſſe actus externos pœnitentis cum verbo abſolutionis. Id, quod eſt. *Sacramentum & res ſimul*, eſſe pœnitentiam interiorem: hæc enim ſignificatur actibus externis, & etiam ipſa eſt ſignum remiſſionis peccatorũ. Ipſa autem remiſſio eſt *res tantùm*. Ita D. Thomas hoc loco, & alij plerique Doctores.

DVBIVM II.

Vtrùm verum ſit, quod habet D. Thomas, Primum eſſe cauſſam ſecundi, & ſecundum tertij?

10

RAtio dubitandi eſt: quia Pœnitẽtia interior non efficitur ab actibus externis, ſed potiùs eſt cauſſa eorum, ſcilicet confeſſionis, & externi doloris, & ſatisfactionis: neque ſequitur abſolutionem, ſed ei ſupponitur tanquam materia vel diſpoſitio.

Caietanus, vt hæc explicet, quædam dicit, quæ non ſunt vera. Primum eſt, attritionem interdũ eſſe ita perfectam vt cum ſolo voto Sacramenti fiat contritio, & iuſtificet. Verùm hoc videtur falſum; tum quia attritio nunquam poteſt fieri contritio, cùm obiecto & ſpecie diſtinguantur; tum quia attritio nunquam poteſt iuſtificare; hoc enim ſoli contritioni conuenit; vt apertè colligitur ex Concilio Tridentino ſeſſ. 14. cap. 4.

Caietani expoſitio refellitur.

Alterum eſt, Attritionem eſſe interdum imperfectam, ſic vt cum voto Sacramenti non iuſtificet; tamen Sacramentũ externũ accedens efficere vt fiat contritio; & ita contritionem vlteriùs eſſe cauſſam iuſtificationis: & in hoc caſu verum eſſe quod ait Diuus Thomas. Vbi Caietanus videtur ſentire Sacramentũ pœnitẽtiæ tunc non iuſtificare, niſi ex attrito faciendo contritum, ac proinde non niſi mediante motu contritionis: quod ſine dubio non eſt verum. Nam non requiritur motus cõtritionis dum abſoluimur; aut immediatè poſt, vt quiſque in ſe experitur, & patet in eo qui abſoluitur in amentia. Neque mediante motu contritionis iuſtificat hoc Sacramentũ, quaſi primò, & immediatè excitet cõtritionem, & per contritionem iuſtificet: nam per ſe & immediatè iuſtitiam confert homini diſpoſito.

11 Reſcitur ſimiliter expoſitio Dom. Soti

Dominicus Soto aliter hîc reſpondet, Interiorem Pœnitentiam dupliciter conſiderari: primò, quatenus eſt prior naturâ infuſione gratiæ; & ſic non eſſe contritionem, ſed naturalem diſpoſitionem, quæ non habet rationem meriti: ſecundò, vt eſt poſterior naturâ, quàm gratia quâ informatur; & tunc habere rationem contritionis, & eſſe effectum abſolutionis, & cauſſam remiſſionis peccati: *Vnde infero* (inquit) *eadem contritio, vt eſt effectus ſacramenti, eſt res; vt autem eſt cauſſa remiſſionis peccati, eſt ſacramentum.*

Sed hæc non videntur vera. Primò; quia de ratione contritionis non eſt, vt ſit meritoria remiſſionis peccati, ſed ſolùm, vt ſit dolor de peccato ſuper omnia, quatenus eſt offenſio Dei. Secundò, etiam priùs naturâ, quàm infunditur gratia, eſt vera contritio; alioqui dolor iſte ſolùm denominatione extrinſeca eſſet cõtritio. Tertiò; quia cõtritio, etiam vt eſt poſterior gratiâ, id eſt, vt conſideratur iã in ſubiecto grato, non eſt cauſa remiſſionis peccatorum, vt vult Sotus, ſed ſupponit eam; multoque minùs eam meretur.

12 vera dubij ſolutio.

Reſpondeo ergo ad dubium propoſitum dupliciter. Primò, non eſſe neceſſarium, vt id quod eſt *ſacramentum tantùm*, ſit cauſa eius, quod dicitur *res & ſacramentum*; ſicut etiam id, quod eſt *res & ſacramen-*

Sacramentum ſimul, non neceſſariò eſt cauſa eius, quod eſt *res tantùm*: nam contractus coniugij, eſt Sacramentum tantùm; coniunctio autem Chriſti & Eccleſiæ, eſt res & Sacramentum ſimul; vt docet Magiſter diſt. 26. & Bonauentura ibidem; & tamen contractus noſter non eſt cauſa cõiunctionis Chriſti & Eccleſiæ. Pari ratione character in tribus Sacramentis, eſt res & Sacramentum; tamen propriè non eſt cauſa eius, quod eſt res tantùm, ſcilicet gratiæ.

Secundò reſponderi poteſt, Pœnitentiam, præſertim attritionem, dupliciter conſiderari poſſe: Primò, quatenus antecedit abſolutionem Sacerdotis; & ſic pertinere ad id, quod eſt Sacramentum tantùm. Secundò, quatenus eſt abſolutione poſterior; & ſic eſt res & Sacramentum ſimul: nã eſt effectus Sacramenti, ſcilicet actionis externę, & eſt cauſa remiſſionis peccatorum, quæ eſt res tantùm. Eſt (inquam) effectus Sacramenti, non ſecundùm ſubſtantiam ſuam (nam ſic antecedit) ſed ſecundùm virtutem Sacramentalem; hanc enim virtutem accipit maxime à formula abſolutionis, in qua potiſſimùm eſt vis Sacramentalis.

ARTICVLVS II.

Vtrum peccata ſint propria materia huius Sacramenti?

13 Materia alia *ex qua* alia *circa quam*, alia *in qua*.

REſpondetur affirmatiuè, eſſe materiam, ſed remotam. Vbi nota, Triplicem eſſe pœnitentiæ materiam. Prima & eſſẽtialis, eſt materia ex qua ipſa conſtat; qui ſunt actus pœnitentis: Secunda, eſt materia circa quam, vt peccata poſt baptiſmum commiſſa: circa hęc enim verſatur, ſicut medicina circa morbos vt expellãtur. Tertia, eſt materia in quã, quę eſt ipſe pœnitẽs. Quod patet à ſimili. Pœnitentia eſt enim veluti quoddam animæ medicamẽtum: triplex autem eſt medicamenti materia. *Materia ex qua*, ſunt actus ægroti, & ipſum pharmacum; medicamentum enim duabus veluti partibus conſtat, nempe exercitatione corporis actioneque ipſius naturę, & pharmaco: in pharmaco tamen videtur eſſe præcipua vis curationis. *Materia circa quam*, ſũt morbi, vt expellendi: *in qua*, eſt ipſe ęger.

DVBIVM.

Cur in hoc Sacramento non ſit aliqua materia externa corporalis; vt aqua, oleum, panis; ſicut in alijs Sacramentis?

14 Ratio D. Thomæ.

REſpondet D. Thomas art. 1. ad 1. in illis eſſe externam materiam, in quibus eſt excellens effectus; vt in Baptiſmo, in quo tollitur omnis culpa & pœna: in Confirmatione, vbi datur plenitudo ſpiritus: in Ordine vbi datur poteſtas ſuper Chriſti corpus verum: in extrema vnctione, vbi præter gratiam quæ datur, etiam reliquiæ peccatorum abſterguntur. In effectu autem Matrimonij, & Penitentiæ non cernitur huiuſmodi aliqua excellentia.

15 Alia ratio

His adde aliam cauſam, quæ videtur eſſe præcipua & primaria: quòd Penitentia, & Matrimonium ſunt actus ſuſcipientiũ, quos Dominus ſuâ gratiâ dignatus eſt in Sacraméta formare, & perficere ſuperadditâ virtute efficaci gratiæ: namex ſe Penitentia & Matrimonium erant valdè imperfecta, & parùm adſalutem vtilia. Reliqua verò non ſunt actus ſuſcipientium, ſed extrinſecùs à miniſtro applicantur: vnde conuenientiſſimum erat, vt haberent loco materiæ ſubſtantiam aliquam ſenſibilem. Requirũtur quidem actus ſuſcipientium in his Sacramentis, non tamen vt partes Sacramentorum, ſed vt diſpoſitiones & præparationes ſuſcipientium, vt Sacramentum in illis vim habeat.

ARTICVLVS III.

Vtrum hæc ſit forma huius Sacramenti, Ego te abſoluo?

REſpondetur, Sufficientem formam huius ſacramenti eſſe, *Ego te abſoluo à peccatis tuis.* 16
Eſt communis ſententia Doctorum. Et patet ex Concilio Florentino, & ex Tridentino ſeſſ. 14. cap. 3. vbidicitur, *Formam huius Sacramenti, in qua præcipuè vis ſita eſt, eſſe, Ego te abſoluo*; & additur; *& cætera*, per illud, *& cętera*, intelligens *à peccatis tuis*. Vbi

quæ verba præcisè nẽ ceſſaria, & ſufficiant ad formam Pœnitentiæ.

Aduerte, Hæc omnia verba aliquo modo ad eſſentiam formę pertinere: ſcilicet, vel expreſſè, vel implicitè. Ratio eſt: quia neceſſe eſt, omnia illa concipi ad ſignificandum effectum huius Sacramenti, qui eſt liberatio à peccatis facta more iudiciali. Expreſſio tamen pronominis *Ego* non eſt abſolutè neceſſaria; quia implicite, quantum ſatis eſt, continetur in verbo *Abſoluo*. Pari ratione expreſſio illa, *à peccatis tuis*, non eſt neceſſaria; quia implicitè continetur in verbo *Abſoluo*: Non enim poteſt intelligi, fieri abſolutionem ab alijs, quàm à peccatis, quæ pœnitens iam enumerauit, & cẽſuris hiſce adiunctis. Vnde expreſsè ad ſubſtãtiã huius formæ ſufficiunt hęc duo, *Abſoluo te*; vt colligitur ex D. Thoma, & vt Caietanus in Summa V. *Abſolutio*, & alij paſſim.

Notandum tamen eſt; omnem aliam orationem huic æquiualentem ſufficere ad eſſentiam huius Sacramenti; vt, *Remitte, vel condono tibi peccata tua. Remittuntur tibi peccata tua. Si abſolutus. Abſoluaris.* Id enim commune eſt omnibus ſacramentis, vt orationes idem valentes, idem efficiãt. Imò probabile eſt ſufficere: *Abſoluat te Chriſtus*; vt patet ex forma Baptiſmi Græcorum: nam Chriſtus eſt principalis miniſter: & tunc ſub intelligeretur perſona miniſtri, ſcilicet *per me*; ſicut modò ſub intelligitur perſona Chriſti, cùm dicitur, *ego te abſoluo*: Abſoluimus enim Chriſti auctoritate. 17

18 An & quomodo, ſit bona forma, *Abſoluãt te Chriſtus.*

In hoc tamen caſu neceſſarium eſt, vt tali forma non vtatur merè deprecatoriè, quaſi rogans chriſtum, vt eum abſoluat; ſic enim non efficeretur Sacramentum: nam reuerà ipſe non abſolueret. Vnde D. Thomas ſcripſit quoddam Opuſculum contra quemdam, qui dicebat formam debere eſſe deprecatoriam. Sed debet illa vti, tamquam ex auctoritate, intendens abſoluere veluti miniſter ſub Chriſto. Eſſet enim graue peccatum tali forma vti, quâ Sacramentum redderetur ambiguum: tùm quia ſententia in iudicio ſolet nõ ita ab aliquo iudice pronuntiari: tùm quia Dominus Ioannis 20. v. 23. ait, *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*; quaſi dicat, ipſos habere poteſtatẽ remittendi; & non ſolùm deprecatoriè, ſed etiam ex authoritate remittere peccata: vnde debent dicere, *Remitto tibi peccata.*

19 Inuocatio S. Trinitatis, non eſt de eſſẽtia huius formæ.

Ex his infertur Primò, Illa verba *in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti*, non pertinere ad eſſentiam formę: quod eſt contra Durandum diſt. 22. q. 2. Nam nec Matthæi 16. nec 18. neq; Ioan. 20. quibus locis Dominus de hac poteſtate loqui-

ted by Google

cramentali conferatur. Prodeſt tamen per modum impetrationis: vnde etiam pro illis defunctis offerri poteſt, ſi non conſtat in peccato mortifero obijſſe.

52 An præciſis ab Eccleſia. Dico Quintò, Prodeſt etiam præciſis: vthereticis, ſchiſmaticis, & excommunicatis, quando pro illis directè, vel indirectè offertur. Vbi.

Notandum eſt: Non licere quidem pro huiuſmodi ſacrificium offerre in perſona miniſtri publici: hoc enim prohibitum eſt ab Eccleſia: vt patet Cap. *A nobis*, 2. de Sententia Excommunicationis: Si tamen quis offerat, fructum percipient. Et ratio eſt, quia Eccleſia non poteſt ſuo præcepto tollere vim ſacrificij, quam habet ex opere operato: ſicut nec vim Sacramentorum. Vnde, etiamſi contra præceptum Eccleſiæ alicui applicetur, vim habebit. Pari modo non poteſt tollere vim impetrandi; quam habet quatenus offertur in perſona Chriſti, ſeu quatenus offertur a miniſtro publico Chriſtũ repræſentante. Nam hæc vis nullo modo pendet ab Eccleſia, ſed ab ipſa præſtantia ſacrificij, & principali offerente. Grauiter tamen peccabit miniſter, ſciens & prudens contra mandatum Eccleſiæ faciens.

quomodo illicitum ſit pro illis ſacrificare.

Aduerte tamen, Duobus modis licitè poſſe pro his ſacrificium offerri: Primò indirectè, agendo tamen perſonam publicam: vt quando ſacerdos offert ſacrificium, & orat pro Eccleſiæ propagatione, & vnione: pro hæreſeon extirpatione, fidei exaltatione: nam ſic indirectè orat pro hæreticorum & ſchiſmaticorum conuerſione. Secundò, Directè, ſed vt perſona priuata, orando, & repræſentando Deo hoc ſacrificium pro huius vel illius hæretici conuerſione, vel in genere pro cõuerſione hæreticorum. Ratio eſt: quia hoc nullo iure eſt prohibitum, & per ſe eſt valdè pium: vnde non eſt dubitandum, quin in *Memento* liceat pro illis orare.

Et quibus eſt modus liceat.

53 An proſit infidelibus. Dico Sextò, pro infidelibus qui nunquam fuerunt in Eccleſia, vt ſunt Idololatræ, Turcæ, Iudæi, licet offerre ſacrificium: & illis prodeſt per modum impetrationis. Patet; quia Apoſtolus 1. ad Corint. 2. iubet orari pro Regibus & Principibus in ſacrificio, qui tamen erant ethnici. Et Tertull. lib. ad Scapulam, *Sacrificamus*, inquit, *pro ſalute Imperatoris*. Idem quoque fiebat in veteri teſtamento: offerebant enim Iudæi ſacrificium pro Dario, pro Spartiatis, & pro Heliodoro. Neq; Eccleſia hoc vnquam prohibuit.

54 Non prodeſt ex opere operato niſi illis, quibus Miniſter intendit applicare. Dico Septimò, Hoc tamen ſacrificium non prodeſt ex opere operato, niſi illis, quibus miniſter intendit applicare: quamuis poſſit prodeſſe per modum impetrationis.

Prior pars probatur: Quia ſacrificium, ex ſe dum fit, non determinat perſonam, cui fructus eſt conferendus: quia tantùm tendit ad honorandum Deum, ſicut laus: ergo hæc determinatio iure diuino naturali relicta eſt arbitrio ſacerdotis offerentis: cui ſicut data eſt poteſtas offerendi ſacrificij, ita & applicandi: nemo enim commodiùs poteſt applicare aliquid, quàm is, qui illud habet in ſua poteſtate.

Dices, Eccleſia ſeu Prælati, qui ſunt Superiores, videntur valide poſſe applicare ſacrificia ſuorum ſubditorum. Quod confirmatur: Nam Eccleſia præſcribit orationes, quibus oretur pro Pontifice, Epiſcopo, Rege, pro Orthodoxis viuis & defunctis. Quòd ſi Sacerdos inferior contra voluntatẽ Superioris applicet ſacrificium, Deo non erit accepta talis applicatio.

Reſpondeo: Aliud eſt loqui de orationibus ſacrificio annexis, aliud de ipſius ſacrificij ſubſtantia: Orationes enim potuit Eccleſia præſcribere pro certis rebus, & perſonis: quas ſi Sacerdos vt Eccleſiæ miniſter recitet, modò non ſit præciſus, habebunt vim impetrandi, etiamſi ipſe id non intendat. Ratio eſt: quia Deus reſpicit in illis, non Sacerdotis deuotionem & intentionem, ſed Eccleſiæ, cuius perſonam gerit dum orat: ergo cùm tanquam miniſter Eccleſiæ orat pro certis perſonis, illis proderit per modum impetrationis. Sed ſacrificium immediatè pendet ex inſtitutione diuina, ſicut & Sacramenta. Vnde, ſicut Sacramenta vim habent in eo, cui per miniſtrum applicantur, quidquid Eccleſia prohibeat, eò quòd ipſe operetur poteſtate à Chriſto accepta: ita ſacrificiũ vim habet ex opere operato in illis duntaxat, quibus per proximum miniſtrum applicatur, qui perſonam Chriſti gerit.

An poſſit eccleſia facere, vt alteri pro ſit ex opere operato, quàm cur ſacerdos intendit applicare.

Nec refert, quòd hęc applicatio ſit contrà obedientiam, vel etiam contra iuſtitiam. Etſi enim Deus non acceptet illam in meritum, ſeu vt eſt actio priuatę perſonę: acceptat tamen quatenus eſt actio miniſtri perſonam ipſius gerentis: ſic enim eadem eſt applicatio, & intentio Chriſti & miniſtri. Confirmatur: Quia hęc poteſtas applicandi conuenit Sacerdoti ex vi characteris: vt patet ex verbis formę, *Accipe poteſtatem offerendi ſacrificium pro vivis & defunctis in nomine Domini*: ergo non poteſt per Eccleſiam auferri, impediri, aut limitari: vt patet in ſimili de poteſtate applicandi alia Sacramenta.

His adde, re ipsà nullum extare præceptum, quo ſacerdos obligetur huic vel illi, vel etiam toti Eccleſiæ applicare ſacrificium. Solùm obligatur orare pro vniuerſali Eccleſia, pro Papa, Antiſtite, Rege, adſtantibus, orthodoxis omnibus in genere, deniq; pro defunctis: & vt ſummum, non obligatur pro his offerre ſacrificium, niſi vt habet vim per modum impetrationis. Vnde poteſt illud applicare alteri, quatenus habet vim ex opere operato.

Pro quibus teneatur ſacerdos orare, vel applicare hoc ſacrificium.

Dices, Ergo ſi ſacerdos obliuiſcatur applicare alicui ſacrificium, nullus inde proueniet fructus ex opere operato.

Reſpondeo, Quidam dicunt, poſſe poſteà applicari. Sed hoc parum eſt credibile: quia, ſicut Sacramentum conſiſtens in actione, ſolùm poteſt applicari, dum fit à miniſtro, tunc enim, non aliàs eſt in eius poteſtate: ita etiam ſacrificium tantùm poteſt applicari, dum fit: tunc enim tantummodò eſt in poteſtate miniſtri. Confirmatur: Quia effectus, qui datur ex opere operato, non poteſt ſuſpendi arbitrio miniſtri, ſed ſtatim datur cauſâ poſitâ. Vnde aliter dicendum: Quando alteri non applicat, cenſetur implicitè applicare ſibi: & ſic fructum ex opere operato habet ſacrificium in ſacerdote. Dices: Quid ſi non cupiat ſibi applicare, vel ſi non habeat debitum pœnæ temporalis? Reſpondeo, Tunc non habebit effectum ex opere operato, ſcilicet remiſſionis pœnarum; ſicuti effectum eum non habet cùm Sacerdos illum applicat ei qui non eſt capax. Manet autem tunc ſatisfactio illa, quam ſacrificium debebat conferre, in immenſo theſauro ſatisfactionum Chriſti, nec quidquam tunc inde depromitur ſatisfactionis. Non tamen illi theſauro tunc aliquid noui accedit, vt Soto inſinuat; ſed antiqua ſatisfactio non applicatur. Sicut etiam, cùm Sacramenti vis irrita reddatur per indiſpoſitionem recipientis, nihil noui accedit theſauro, ſed vetus meritum chriſti non applicatur efficaciter, & cum effectu: quamuis nonnulla ſit differentia.

ſi ſacerdos nulli applicet, cui proderit ex opere operato.

Altera Pars, ſcilicet poſſe ſacrificium prodeſſe

per modum impetrationis ſine applicatione Sacerdotis, patet ex dictis: nam iunguntur illi orationes Eccleſiæ pro variis rebus & perſonis, quæ per hoc ſacrificium fiũt exaudibiles apud Deum.

DVBIVM X.

Verùm hoc ſacrificium habeat effectum aliquo modo infinitum?

55 OMiſſis opinionibus Doctorum, quos recenſet Petrus Nauarra. lib. 2. de Reſtitutione circa num. 360.

Hoc ſacrificium ſecundùm ſe eſt infinitæ dignitatis.

Dico Primò, Hoc ſacrificium ſecundùm ſe eſt infinitæ dignitatis in genere ſacrificij, ſic vt præſtantius cogitari non poſſit: ac proinde per ſe eſt infiniti valoris ad impetrandum. Eſt communis Doctorum. Vide D. Thom. ſuprà q. 79. art. 5. & ibidem Caietanum.

Prior Pars Probatur; Quia res oblata eſt infinitæ dignitatis, cùm totus Chriſtus offeratur; & etiam primarius offerẽs, qui etiam eſt ipſe Chriſtus: ergo ipſe actus ſacrificandi cenſetur infinitę dignitatis. Probatur conſequentia; quia ex his duobus dignitas ſacrificij penſatur.

Dices, Proximus offerens eſt Sacerdos, qui eſt finitæ dignitatis.

Reſpondeo; Hoc non refert. Nam Sacerdos nõ offert hoc ſacrificium, vt homo priuatus, ſed vt gerens perſonam Chriſti; atque adeò quatenus ipſe miſticè ſeu repræſentatiuè eſt Chriſtus. Cuius ſignum eſt, tum quia loquitur vt Chriſtus, *Hoc eſt corpus meum*: tum quia, ſi Chriſtus eſſet in ſtatu merendi, & ſatisfaciendi, & ita offerret per miniſtrum, ſicut modò offert, infinitè mereretur, & ſatisfaceret perinde ac ſi per ſeipſum offerret: Sicut tantundem meretur Dominus & ſatisfacit per famulum conferens eleëmoſynam, & per legatum exhibens honorem & obedientiam, quantum ſi per ſeipſum. Itaque ſacrificiũ hoc à Chriſto ſuam habet æſtimationem, non minùs quàm illud, quod ipſe Chriſtus in cœna obtulit: hoc enim eſt illi par in ratione ſacrificij, & in dignitate impetrandi. Quod confirmatur; Quia ipſa tranſubſtantiatio fit virtute Chriſti, quatenus ex vi inſtitutionis, virtus diuina Chriſti ad hoc eſt applicata vſque ad finem ſæculi; & etiam quatenus actu voluntas Chriſti ad ſingula ſacrificia concurrit; vt qui omnia ſint præſentia, eaque Patri actu offert: ſicuti ſi Rex per legatum exhibens honorem Pontifici, poſſet ipſemet eſſe preſens, & Pontifici in legato honorem deferre.

56 Tribus ex titulis dicitur Chriſtus eſſe principalis offerẽs.

Vnde Patet; Triplici ratione Chriſtum dici *Principalem offerentem*: Primò, Quia Sacerdos offert hoc ſacrificium, vt repræſentat perſonam Chriſti, ſeu vt ipſe eſt myſticè Chriſtus: ſicuti legatus Regis defert honorem Pontifici, vt repręſentat ſuum Principem: & Angelus tradidit legem, vt repræſentans Deum; vt patet Actorũ. 7.

Secundò, Quatenus ipſe vim tribuit verbis ſacerdotis, & ſua virtute diuina concurrit, idque ex vi primæ inſtitutionis, ſeu illius voluntatis, quâ primò inſtituit hoc ſacrificium: vt colligitur ex Chryſoſtomo Hom. De proditione Iudæ circa medium. Et hi duo modi in rigore ſufficiunt, vt Chriſtus dicatur *principalis offerens*.

Tertiò, Quatenus actu concurrit per intellectum, & voluntatem humanam ad ſingula ſacrificia ſuorum miniſtrorum, ijs præſidens, & ſuperintendens, tãquam ſummus Sacerdos, & actu interno ea offerens Patri in memoriã ſuę Paſſionis. Probatur hic modus; Quia ſic magis propriè dicetur offerre; & aliàs hic modus eſt illi facillim⁹; cùm hoc ſacrificium non minùs ſit ipſi præſens quoad mẽtem ſeu intellectum, quàm ſi ipſe eſſet in Altari: ergo non videtur dubitandum, quin ſic offerat. Confirmatur Primò, A ſimili: Quia, ſi Rex, dum per Legatum defert honorẽ Pontifici, poſſet eſſe mente præſens Legato & Põtifici, per ſe etiam concurreret, ſaltem mente & voluntate illum honorem deferendo; hic enim modus honorandi eſt perfectior: ergo, cùm Chriſtus poſſit actu concurrere, reuerà facit. Confirmatur Secundò, Quia *Chriſtus eſt ſacerdos in æternum*, id eſt; vſque ad hunc ſęculi: ergo decet, vt ipſe etiam actu cooperetur ad ſacrificium. Patet conſequentia; quia munus ſacerdotij eſſet in ipſo otioſum, ſolumque extrinſeca denominatione diceretur *offerens*. Dices, Non eſſe cõueniens, vt per ſe concurrat. Contrà: Quia Chriſtus ſecundùm naturam humanam manet diuinitate inferior; vnde oportet vt eam colat actu latriæ: cur non etiam actu ſacrificij, qui eſt perfectiſſimus actus latriæ? præſertim, cùm opus materiale ſacrificij non debeat ab ipſo fieri, ſed poſſit fieri per miniſtrum; ipſo duntaxat ſpiritualiter cooperante, Confirmatur Tertiò, Quia id quoque inſinuant Patres: Chryſoſtomus homil. 60. ad populum: *Non ſunt humanæ virtutis opera propoſita: qui tunc ipſa fecit in illa cœna, idem nunc quoque ea facit: nos miniſtrorũ tenemus locũ: qui verò ſanctificat ea, & immutat, ipſe eſt.* Et infrà: *Cùm videris ſacerdotem offerentem, ne ſacerdotem eſſe putes hoc facientem, ſed Chriſti manũ inuiſibiliter extenſam.* D. Auguſt. Tract. 5. In Ioannem fusè docet Chriſtum in omni baptiſmo baptizare: idem ergo, & potiori iure dicendum eſt de hoc ſacrificio. Vide etiam Cyprianum epiſt. 63. & Concilium Trident. ſeſſ. 22. cap. 1.

quomodo Chriſtus actu concurrat in omni ſacrificio.

57 Hoc ſacrificium nullũ effectũ infinitum impetrat.

Dico Secundò; Reipſâ tamen non poteſt aliquem effectum infinitũ impetrare. Probatur Primò; quia talis effectus eſt impoſſibilis inter dona creata. Secundò; quia impetratio non ſolùm pendet ex dignitate oblationis, ſed etiam ex intentione oblationeque offerentis, & ordinatione Dei concedentis: atqui offerens non poteſt prudenter petere fructum infinitum: Deus quoque non ſtatuit concedere, niſi intra mẽſuram ab ipſo definitam. Vnde etiam Chriſti operationes, etſi eſſent infinitè meritoriæ, tamen reipſâ nullum effectum infinitum meruerunt. Tertiò; quia ſacrificium non eſt reipſâ impetratorium, niſi quatenus annexum eſt orationi, ſeu petitioni, ſaltem internæ; vt ſuprà dictum eſt: atqui non quæuis oratio valet ad quiduis impetrandum; ſed debet aliquo modo eſſe proportionata rei, quæ petitur: maiori enim conatu, feruore, & cõſtantia petenda eſt res magna, quàm parua, difficilis, quàm facilis: vt rectè Scotus Quodlib. 20. & Gabriel lectione 27. idque propterea: nam alioqui redderemus ſegnes, & tepidi, & parui diuina dona æſtimarem⁹, ſi tam facilis eſſet impetratio: ergo, cùm oratio nõ ſit ſemper cuiuis bono obtinendo proportionata, non poteſt ſemper reipſâ impetrare, etiamſi ſacrificio ſit comitata.

58 Oblatum pro multis non tantũ dat ſingulis, quantũ ſi pro vno tantũ oblatum.

Dico Tertiò, Sacrificium hoc oblatum pro multis à miniſtro, reipſâ non confert tantum ſingulis neque per modum impetrationis, neque ex opere operato, quantum ſi pro vno tantùm oblatum eſſet.

Prior Pars Probatur: Quia etſi in ſe ſit infinitæ dignitatis, tamen non applicatur niſi mediante oratione: atqui vna oratio, quæ applicatur multis, nõ eſt ita idonea, & proportionata multis beneficijs impetrandis, atqui vni vel paucis. Vnde,

ſicut pro vna re ardua, verbi gratia, pro impetrãda cõuerſione magni peccatoris, ordinariè oportet plures orationes fundere, & plura ſacrificia offerre, quàm pro conuerſione mediocris; iuxta illud 1. Ioannis 5. *Eſt peccatum ad mortem, non pro illo dico vt roget quis*, &c: ita pro beneficio aliquo multis impetrando, oportet ordinariè plures orationes & ſacrificia offerre, quàm ſi paucis, vel vni ſit impetrandum: nam longè maius eſt tale beneficium conferri multis, quàm paucis; vt rectè Gabriel lect. 37. Vnde quòd quidam dicunt, hoc ſacrificium oblatum pro multis ſpeciatim, tantùm valere ſingulis ad impetrandum, quantum ſi pro ſingulis duntaxat oblatum fuiſſet; non videtur verum, niſi pro multis multiplicentur etiam affectus orantis & orationes. Quòd ſi affectus quoque, & ſaltem internę petitiones multiplicẽtur, ſic omnino verum eſt. Et ita intelligi poſsũt iſti Doctores. Vnde multitudo eorum, pro quibus oratur in *Memento*, non diminuit quidquam in ſingulis effectum impetrationis; quia multiplicantur affectus, & petitiones offerentis.

Altera Pars, Quòd etiam ex opere operato non valeat tantum multis, quàm paucis: eſt ferè communis ſententia Doctorum, vt inquit Gabriel.

Probatur Primò, Quia alioqui Sacerdos inſipienter faceret, ſi aliquibus in particulari hoc ſacrificium applicaret: ſemper enim offerendum eſſet pro omnibus iuſtis, cùm non minùs profuturum ſit vnicuique, quàm ſi pro eo ſolo oblatum fuiſſet: atqui hoc eſt contra vſum in Eccleſia receptum.

Secundò, Quia alioqui Sacerdos pro vno ſacrificio poſſet centum ſtipendia (ſuſtentationis, non æſtimationis rei) accipere; & centum obligationibus contractis cum diuerſis, vno ſacrificio ſatisfacere.

59 Non licet niſi vnum ſtipẽdium propter vnum ſacrificium accipere.

Hinc ſequitur, Sacerdotem non poſſe propter vnum ſacrificium accipere, niſi vnum ſtipẽdium ſuſtentationis: nam alioqui iniuriam faciet ei, cum quò priùs conuenit: hic enim, ſaltem implicitè, cupit totum fructum ſacrificij, præſertim cum qui eſt ex opere operato, ſibi applicari.

60 An, ſi pro pluribus applicetur etiã in eis ſit inæqualis fructus extra inæqualẽ eorũ diſpoſitionem.

Aduerte tamen, Si hoc ſtipendium ſit valdè paruum & inſufficiens ad victum diurnum, poſſe ſecundum, & fortè etiam tertium accipi. Ita Dominicus Soto diſt. 13. quæſt. 2. art. 1. & Melchior Canus lib. 12. De locis cap. 13. & quidam alij Doctores eiuſdem ordinis: quorum ſententia, ſaltem ſic limitata, ſatis eſt probabilis.

Petes; Vtrùm, ſi illi, pro quibus offert, ſint inæquales in gratia, vel actuali deuotione, ſinguli recipiant effectum, præſertim remiſſionis pœnę, ſecundùm menſuram diſpoſitionis ſuæ, ſicut in Sacramentis contingit?

Reſpondeo: Ita videtur ſentire D. Thomas q. 79. art. 5. Petrus Nauarra, & quidam alij. Sed contrarium videtur verius: quod tenet Durãdus d. 45. q. 3. & colligitur ex D. Thoma eãdem diſt. q. 2. art. 4. vbi dicit, ſuffragium, quod prodeſt ex applicatione alterius, pendere ex intẽtione applicantis. Ratio eſt: Quia effectus ſacrificij, qui datur alteri, pro quo fit oblatio, totus pendet ex intentione Sacerdotis applicantis: gratia autem, quæ in ipſo requiritur cui applicatur ſacrificium, ſolùm requiritur vt diſpoſitio tollens impedimentum. Secùs eſt de effectibus Sacramentorũ: quia non pendent ex intentione miniſtri, ſed ex ipſa ſubſtantia Sacramenti, quæ veluti naturaliter operatur iuxta diſpoſitionem ſuſcipientis. Cõfirmatur; Quia ſatisfactio propria applicata alteri, non prodeſt ei plus vel minus iuxta eius diſpoſitionem, ſed iuxta voluntatem applicantis: ergo ſimiliter hîc. Ratio à priori eſt, Quia hic fructus ſacrificij non confertur per modum naturalis efficientiæ ſicut ignis calefacit; neque mediante actione recipientis, ſicut Sacramenta effectum conferunt: ſed per modum donationis moralis, quæ tota pendet, & ſecundùm ſuam ſubſtantiam, & quantitatem, ab intentione donantis.

61 Oblatum pro multis ſimul offerentibus, tantũ prodeſt ſingulis, quantũ ſi pro vno ſolo.

Dico Quartò, Si multi offerentes cooperentur Sacerdoti ad hui⁹ ſacrificij oblationem, ſingulis, quatenus offerentes ſunt, tantum prodeſt ex opere operato, & per modum impetrationis, quantum ſi ſoli cum Sacerdote obtuliſſent. Hoc modo poteſt fructus huius ſacrificii dici infinitus extẽſiuè, non actu, ſed potentiâ; quatenus plures, & plures in infinitũ poſſunt ſuo modo actu concurrere, & fructum percipere. Eſt communis ſententia Doctorũ. Et ita fortè intelligendus eſt Caietanus qu. 79. art. 5. & tom. 2. Opuſculo 3. qu. 2. & alii eiuſdem ordinis, qui docent hoc ſacrificium oblatum pro multis, prodeſſe ſingulis ſecundùm ipſorum deuotionem.

Probatur Primò, Quia alioqui lõgè ſatius eſſet audire Miſſam priuatã, id eſt, cui pauci intereſſunt, quàm publicã, cui multi. Secundò, Quando plures ſunt offerentes, plures quoque ſunt actiones, quibus cooperantur ad ſacrificandum; quę actiones ſunt veluti diuerſę applicationes, quibus ipſum ſacrificium ſingulis applicatur, & ſinguli ipſius ſunt participes: ergo ex parte applicationis huius non minuitur fructus: nam ſingulis tã perfectè applicatur, quàm ſi ſoli eſſent. Neque etiam minuitur ex parte ſacrificii; aut rei oblatæ; quia vtrumque infinitę dignitatis eſt: ergo cùm ſit eadem diſpoſitio in ſingulis, (vt ſupponimus) quãdo multi ſunt & quando pauci, eundem effectum ſingulis confert quando multi ſunt, quem contulißet ſi pauci fuiſſent. Cõfirmatur à ſimili: Si eadem hoſtia à pluribus ſumi poſſet, tantum cõferret ſingulis, quantum ſi ſinguli ſoli fuiſſent: nam integrè, & independenter à ceteris, ſingulis eſſet applicata: ergo idem ſacrificium, per diuerſos actus offerentium applicatum, ipſis offerentibus tantum conferet, quantum ſi ſoli eſſent.

62 Omniũ ſacrificiorũ perfectionem eminemer cõtinet.

Ex dictis conſtat, Hoc ſacrificium habere in ſe eminẽter omnem perfectionem ſacrificii, eſſeque non ſolùm *Honorarium*, ſeu *Latreuticum*, quod *Holocauſtum* dicitur, ſed etiam *Propitiatorium*, quod vocatur *Sacrificium pro peccato*, & *Euchariſticum*, & *Impetratorium*; quorum vtrumque dicitur *Hoſtia pacifica*. Et hoc ſenſu docent Patres, *Omnes differentias, ſeu ſpecies hoſtiarum veterum vnâ Euchariſtię oblatione contineri*. De quo vide Auguſtinum lib. 1. contra Aduerſarium legis & Prophetarum c. 20. & l. 17. de Ciuit. cap. 20. Chryſoſtomum in Pſalm. 95. & Leonem ſerm. 7. de Paſſione.

In ARTIC. II. & Reliquos.

De requiſitis ad ſacrificium Miſſæ.

63 Neceſſaria ad hoc ſacrificium celebrãdũ.

NOtandũ eſt, In hoc ſacrificio, vt ab Eccleſia celebratur, multa requiri: quę ad octo genera reuocari poſsũt. 1. Sacerdos. 2. Miniſtrãs. 3. Materia. 4 Tẽpus. 5. Locus. 6. Veſtes & Vaſa ſacra. 7. Verba præſcripta & leges. 8. Variæ ceremoniæ.

DE SACERDOTE.

Sacerdos ſit in gratia.

Dico Primò, Sacerdos debet eſſe ſine conſcientia peccati mortiferi, vel certè, ſi conſcientiam talis peccati habeat, debet præmittere cõfeſſionem, ſi commodè poteſt; iuxta ſuprà dicta q. 80. art. 4.

Dicò Secundò, Requiritur etiam, vt non ſit aliqua cenſura implicatus; ſcilicet Excommunicatione maiore vel minore, Suſpenſione à diuinis, Irregularitate, vel Interdicto; quamuis huiuſmodi cenſura eſſet occulta.

Abſque cẽ ſura.

Notandum tamen: Ad vitandum ſcandalũ, vel infamiam, ſi prudenter ea timeretur ex omiſſione Sacri, poſſe talem celebrare, modò interim doleat de peccato, & proponat prima opportunitate petere abſolutionem. Ita multi recentiores; & inter ceteros Ludouicus Lopes 2. p. pag. 580. vbi citat Silueſtrum, Alphon. à Caſtro, Nauar. & Corduban. Ratio eſt; Quia ſicut iugum Domini ſuaue eſt, ita quoque mandata Eccleſiæ: vnde non cenſetur Eccleſia velle hominem obligare cum graui iactura famæ, vel rerum ſuarum ad cenſurarum obſeruationem: multoque minùs, quando inde ſequeretur ſcandalum, quod iure naturæ vitare tenemur. Sufficit ergo, vt tunc, faciat quod in ſe eſt ad digne celebrandum.

excipe caſum.

64 Dico Tertiò, Requiritur etiam, vt ſit ieiunus. Debet autem hoc ieiunium eſſe perfectiſſimum, ita vt homo nihil à media nocte, id eſt, poſt horam duodecimam, per modum cibi, potûs, aut medicinæ ſumpſerit; vt docent omnes Doctores cum D. Thoma ſuprà qu. 80. art. 8.

ſit ieiunus.

65 Dico Quartò, Si contingat Sacerdotem in altari deficere ante conſecrationem, nihil ampliùs neceſſe eſt ab alio ſuppleri. Si tamẽ adſit alius Sacerdos ieiunus, qui velit, proſequi, poteſt. Si poſt cõſecrationem; quãuis vnius tantùm ſpeciei, debet ſacrificium ab aliquo alio compleri, quamuis hic ieiunus nõ ſit, ſi alius haberi nequit; idque incipiẽdo vbi prior deſierat. Ratio eſt; Quia maius eſt præceptũ integritatis ſacrificij, quã ne fiat à non ieiuno. Quã ab cauſſam etiã ſine cõfeſſione præmiſſa id fieri poteſt, ſi copia cõfeſſoris non datur.

Si in altari deficiat.

DE MINISTRANTE.

66 Dico Primò, In miſſis priuatis ſufficit habere vnicum miniſtrantem, qui vicem populi gerat. Eſt communis ſententia Doctorum: & patet ex conſuetudine Eccleſiæ. Illa autem verba Canonis: *Memento omnium circumſtantium*, intelligenda conditionatè, ſi qui adſint.

Vnus miniſtrans ſufficit.

Ne ſit fœmina.

Dico Secũdò, Miniſtrans non poteſt eſſe fœmina. Eſt communis ſententia Doctorum, ex cap. *Inhibendum*, de Cohabitatione Clericorũ. *Prohibẽdum quoque eſt, vt nulla fœmina ad Altare præſumat accedere, aut Presbytero miniſtrare, aut intra cancellos ſtare, ſiue ſedere.* Dom. Soto d. 13. q. 2. a. 5. dicit, ob nullam neceſſitatem id ſine diſpenſatione eſſe permittendum, potiuſque Sacerdotem debere ſibi ipſi miniſtrare, quàm id fœminæ permittere. Petes, An ergo aliquando liceat ſine omni miniſtrò celebrare?

67 quando liceat ſine miniſtro celebrare.

Reſpondeo; Licere cum diſpenſatione Papæ: ſine eâ ordinariè non licere. Dico *Ordinariè*: quia ob aliquam neceſſitatem incidẽtem interdum licet ſine diſpenſatione: exempli gratia, ſi alicui ſine viatico eſſet moriturus; ſi Sacerdos, alioqui in magno aliquo feſto, ſacro eſſet carituras: ita Dominicus Soto ſuprà, & alij recentiores.

DE MATERIA.

68 Dico Primò, Materia adhibenda, eſt panis triticeus azymus, & vinum purum, cui modica aqua admixta.

quid fieri debeat, ſi aqua vino mixta non fuerit.

Dico Secundò, Si quis oblitus ſuo tempore admiſcere aquã, recordetur ante calicis cõſecrationem, ſtatim eam apponat, & proſequatur. Si poſt cõſecrationem calicis recordetur, non poteſt admiſcere; quia tunc non poteſt in Sanguinem Domini conuerti. Græci tamen olim ſolent admiſcere aquam, & quidem calidam poſt conſecrationem; vt patet ex Liturgia Chryſoſtomi, & ex Nicolao Cabaſila, cap. 37. Expoſitionis Liturgiæ.

Dico Tertiò, Si ſumpto calice deprehenderit non fuiſſe vinum, ſed aquam, accedat ad cornu Altaris, tanquam acceptarus ablutionem, ne pareat error; & accepto vino cum pauxilla aqua, redeat ad medium Altaris, ſubmiſſeque pronuntiet verba cõſecrationis calicis, incipiens à *Simili modo, poſtquam* &c. vſque ad, *Vnde & nos memores*; neque calicem eleuet, ſed ſtatim ſumat. Ita Nauarr. c. 25. num. 91. ex Scoto. Sed

69 quid fiet, ſi calice ſũpto sẽ etiam non fuiſſe vinum, ſed aquam.

Aduerte, Sufficere verba conſecrationis calicis, ſicut in Miſſali ponuntur, omiſſis antecedẽtibus: nam Scoti ſententia nititur falſo fundamento: quòd exiſtimet verba illa priora eſſe neceſſaria ad eſſentiam conſecrationis.

Quòd ſi nemo proꝛſus adſit, præter miniſtrum, qui nõ offendetur, cõſultiùs erit ſeruare id, quod D. Thomas præſcribit art. 6. ad 4. Nempe, vt apponatur alia hoſtia, ſi prior ſumpta ſit; & vinum cum aqua, & incipiatur ab illis verbis, *Qui pridie*: & ſic deinceps pergatur vſque ad finem: nam hoc etiam præſcribitur in regulis Miſſalis, quę tamen regulæ non ſemper obligant; multæ enim ex illis non ſunt ordinationes, ſed ſolùm inſtructiones iuxta probabilem ſententiam Doctorum datæ.

Concilium D. Thomæ.

Dices; Hoc modo non perficietur ſacrificium prius imperfectum, ſed nouum perfectum ſuccedet; & ſic prius relinquetur imperfectum, quia caruit conſecratione Sanguinis: quare hoc modo non euitabitur incommodum.

Reſpondeo; Etſi noua illa conſecratio vtriuſque ſpeciei, ſit per ſe integrum ſacrificium; tamen, quia actio prioris ſacrificij imperfecti adhuc durat; cõſecratio, quæ immediatè inſeritur, cenſetur ad idem officium pertinere, tanquam vna continua actio ordinata ad vnum perfectum ſacrificium: vnde in fine Sacri non liceret ita conſecrare, quia non cenſeretur vna actio.

Dico Quartò, Si araneus, vel quid aliud venenatum, inciderit in calicem conſecratum, non debet ſumi, ſed aliud vinum cum aqua imponi, ſtatimque conſecrari, & ſumi, vt dictum eſt. Neque verum eſt, quod quidam dicunt, tunc aliam etiam hoſtiam eſſe conſecrandam: nam prima conſecratio vtriuſque ſpeciei fuit legitima, ac proinde fuit perfectum ſacrificium ex parte conſecrationis; quare conſecratio vini non repetitur, niſi ob ſumptionem.

70 quid ſi aranea, vel quid venenatum in calicem inciderit.

Aduertẽndum autem in hoc caſu ſpecies vini infectas veneno, vel ſeruandas donec exhalentur, aut omnino corrumpantur; & tunc in piſcinam poſt Altare proiiciendas: vel (quod commodius eſt) ſtupa, vel panno lineo imbibendas; quo ſiccato, & combuſto, cineres in piſcinam proijciendos.

DE TEMPORE.

71 An ſacerdos teneatur aliquãdo celebrare ex præcepto.

Dico Primò, Etſi multi Doctores teneant, nullo præcepto ſub peccato mortifero teneri Sacerdotes aliquando offerre ſacrificium; ſed ſatis eſſe, vt in Paſchate ſimpliciter communicent: tamen cõtrarium eſt multò probabilius, & verius, & in praxi ſequendum; quod tenet D. Thom. ſuprà q. 82. art. 10. Durandus, Paludanus, & alij d. 13. Silueſter verbo *Miſſa* 1. §. 7. & alij Summiſtæ.

Probatur Primò, Lucæ 22. v. 19. *Hoc facite in meam commemorationem*: quibus verbis præcepit Dominus Apoſtolis, & eorum in ſacerdotio ſucceſſoribus, vt offerrent hoc ſacrificium, vt teſtatur Concilium Trident. ſeſſ. 22. c. 1.

Probatur Secundò, Quia cenſetur eſſe quidam contemptus muneris ſacerdotalis, eo nunquam vti; & ipſius ſacrificij, illud nunquam offerre, cùm ad hoc ſit conſecratus: niſi tamen iuſta aliqua interueniat cauſa.

Probatur Tertiò, Quia Sacerdos accipit onus intercedendi pro populo, & offerendi ſacrificia pro peccatis. Satis tamen eſt, ſi in magnis Eccleſiæ feſtis celebret, ad vitandum peccatum mortiferum. Adde, quod Concil. Trid. ſeſſ. 23. c. 14. præcipit Epiſcopis, *Vt curent, vt Sacerdotes ſaltem diebus Dominicis, & Feſtis ſolemnibus Miſſas celebrent: & ij, qui curam animarum habent, tam frequenter, vt muneri ſuo ſatisfaciant.*

Præcepti Concilij Trid.

72 Dico Secundò, Quouis die per totum annum licitum eſt offerre hoc ſacrificium, præterquam die Veneris ſancto.

licet quouis die celebrare: non tamen *Veneris ſancto.*

Conſentiunt Doctores; præterquam de feria quinta & Sabbato ſanctæ hebdomadæ. Sed communior ſententia eſt feria quinta licere; modò fiat abſque ſcandalo. Ratio eſt; Quia nullum eſt ius ſcriptum id prohibens, nec vlla conſuetudo in contrarium vim legis habens. Ita Sotus diſt. 15. q. 2. art. 2. Nauar. c. 21. n. 88. & alij.

Die Iouis ſancto.

De Sabbato idem dicendum eſt cum Soto, & multis recentioribus: quidquid dicat Nauarrus. Ratio eſt; Quia etſi in Canone *Sabbato*, de Conſecratione d. 3. eodem modo de Sabbato, atque de Feria ſexta dicatur, *Sacramẽta non celebrari*; tamẽ generali cõſuetudine hoc de Sabbato eſt abrogatum. Nam in tota Eccleſia ſacrificiũ eo die offertur. Ideò enim olim non offerebatur ſacrificium Sabbato ſancto, quia ad repræſentãdam quietem Domini in ſepulchro, differebatur vſque ad mediam noctem ſequentem, & tũc primum offerebatur: quod Eccleſia contraria conſuetudine iam ſuſtulit anticipando tempus. Vnde ſaltem ab eo tempore, quo in Eccleſia publicè offertur, licet etiam priuatim celebrare, modò abſit offenſio.

Sabbato ſancto.

73 Dico Tertiò, Vno die nemo poteſt facere, niſi vnum Sacrum; vt patet ex Canone *ſufficit*, de cõſecratione d. 1. & Cap. *Conſuluiſti*, de Celebratione Miſſarum. Excipiuntur tamen aliquot caſus: nam in nocte Natiuitatis ex decreto Theleſphori Papæ licitum eſt facere tria. Item quando aliqua rationabilis neceſſitas vrget. Vide Nauarrum c. 25. nu. 87. vbi enumerat ſex vel ſeptem caſus. Cauendum tamen tunc eſt, ne in priore ſacrificio Sacerdos ſumat ablutionem.

Non licet, extra eas, in die niſi vnam Miſſam facere

74 Dico Quartò, Quòd ad horam celebrandi attinet: Ea eſt ordinariè ab initio auroræ (id eſt crepuſculi, quo aliquid lucis apparet) vſque ad horam duodecimam. Eſt communis. Initium auroræ ſeu crepuſculi, ita Doctores interpretantur, vt liceat duabus horis ante ortum ſolis.

qua die hora licet celebrare.

Quare, Si quis habeat priuilegium, vt poſſit duabus horis ante auroram, ille poterit quatuor horis ante ortum ſolis: nam alioqui priuilegium nihil operaretur; vt notauit Suares.

Poteſt tamen ob aliquam neceſſitatem tempus ordinarium anticipari: vt ſi infirmo danda eſſet communio: ſi opifices, & viatores alioqui carituri Sacro: maximè ſi id fiat permittente Epiſcopo, qui in hoc ob iuſtam cauſam poteſt diſpenſare; vt Doctores affirmant.

Ab hora duodecima vſque ad tertiam pomeridianam Nauarrus nu. 85. affirmat ob aliquam rationabilem cauſam licere celebrare, modò id fiat priuatim, & ſine ſcandalo: quia nullus Canon, aut ratio id vetat. Quæ priuilegia hac de re nihil cõtinere, niſi Ius commune. Eandem ſententiam ſequitur Candelabrum, & inclinat Summa Angelica, & Roſella. Conſuetudo tamen Eccleſiæ eſt in contrarium. Vnde, niſi ſit cauſa magni momenti, probabilius videtur, cum Dom. Soto, non licere: quamuis Nauarri ſententia non ſit improbabilis. Poſſet tamen Epiſcopus diſpenſare pro aliquot vicibus; licet fortaſſis non poſſet generale dare priuilegium.

An ſit peccatum celebrare nõ lecto Matutino.

76 Dico Quintò, Ante recitatum officium matutinum celebrare, non eſt peccatum mortiferum. Ita Sotus ſuprà, & alij paſſim: quamuis ferè omnes Canoniſtæ ſint in contraria ſententia; ſed ſine iuſta ratione. Addo, Si ſit cauſa aliqua rationabilis, nullum fore peccatum. Ratio eſt; Quia nullum eſt Ius illud præcipiens, nec conſuetudo vlla in contrarium tam ſtrictè obligans. Nam quod Matutinum conſueuit dici ante Sacrum, id inde prouenit; non quòd iſte ordo per ſe ſit neceſſarius, ſed quia tempus recitandi Matutini ordinariè præcedit: deberet enim Matutinum recitari nocte, vel ſaltem primo quoque tempore manè. Vnde non videtur eſſe vllum peccatum dicere Sacrum ante preces matutinas, niſi quatenus illæ preces nimium poſtponuntur, poſt debitum ſuum tempus, idque ſine iuſta cauſa.

DE LOCO.

77 Dico Primò, Locus Iure communi debet eſſe ſacer: id eſt, benedictus, aut conſecratus. Eſt communis ſententia Doctorum. Conſecratio fit à ſolo Epiſcopo, & cum vnctione Chriſmatis, quo parietes vnguntur. Benedictio fit ſine Chriſmate; vnde facilè ea committitur ſimplici Sacerdoti. Extra talem locum non licet celebrare ſine diſpenſatione, vel neceſſitate; & videtur graue peccatum, ſi contrarium fiat: etſi Sotus dicat non eſſe mortiferum, d. 13. q. 2. a. 3. Præſertim ſi fiat ob aliquam cauſam cum bona fide.

locus ſit Sacer.

78 Diſpenſatio ante Concil. Trid. poterat dari ab Epiſcopo, vt quouis loco honeſto, ſine alia cauſa liceret celebrare; vt patet ex Canone *Miſſarũ*, de Conſecratione d. 1. Poſt Cõcilium putat Nauarrus c. 25. n. 61. Epiſcopum non poſſe diſpenſare. Sic enim ſeſſ. 22. ait Cõciliũ; *Nemo patiantur Epiſcopi priuatis in domibus, atque omnino extra Eccleſiã, & ad diuinũ tãtùm cultum dedicata oratoria, hoc ſacrificium peragi.* Verùm probabilius eſt Epiſcopis non eſſe ademptam poteſtatẽ diſpenſandi, quãdo iuſta interuenit cauſa; nam verba Cõcilij id non ſignificãt. Intelligẽda ergo ſunt prohiberi Epiſcopo, ne id permittat pro ſuo arbitratu, & ſine iuſta cauſa; ſicut anteà poterãt permittere, vt Sacerdotes in priuatis domibus Sacrũ facerẽt, quãuis nullus eſſet ibi locus diuino cultui deputatus. Poteſt itaque Epiſcopus in domo priuata locum certũ aſſignare, qui maneat cultui diuino deputatus; & concedere, vt ibi quotidie Sacrũ dicatur ſuper Altare portatile, quamuis locus non ſit benedictus, vt apertè colligitur ex Concilio.

An Epiſcopus poſſit diſpenſare

Deinde ex cauſa iuſta poteſt cõcedere, vt etiam in loco communi domus priuatæ, modò ſit decens, Sacrum dicatur; etiamſi locus ille ante & poſt, functionibus ſecularibus occupetur.

quibus de cauſis liceat extra loca ſacra celebrare.

Ob neceſſitatem autem licet, non ſolùm in domo priuata, & loco profano; ſed etiam ſub dio: vt in Caſtris, in Supplicationibus ad exiguas Capellas. Item in itinere, vt inquit D. Thom. quod intellige, ſi multis diebus non occurrat locus decens. Epiſcopus autem pro ſuo arbitratu poteſt dicere Sacrum in domo, vel extra domum, quando eſt in itinere.

Poterant etiã olim Mendicantes celebrare quouis loco honeſto cũ Altari portatili; vt patet Cap. *In his*, de Priuilegijs. Sed hoc reuocatum eſt per

An liceat vſque ad tertiam pomeridianã

75

Concilium Trid. loco citato, nisi postea auctoritate Pontificis sit illis concessum.

79 Violatur loc' sacer. 1. Occisione hominis.

Dico Secundò, Locus ille debet esse non violatus. Violatur autem: Primò; Occisione voluntaria hominis ibidem factâ. Si casu, aut per amentiam fiat, non violatur: quia non est voluntaria. Similiter si fiat ratione necessariæ defensionis; nam etiã non censetur voluntaria. Si iudex plectat reum in Ecclesia, violatur; quia fit iniuria loco sacro per talem occisionem.

80 2. effusione sanguinis.

Secundò, Per iniuriosam sanguinis effusionem. Debet autẽ esse copiosa, vt indicat nomen *Effusionis*; & ex graui percussione. Vnde emissio sanguinis ex pugna puerorum non violat locum, vt notat Victoria q. 99. Graue vulnus inflictum in ecclesia, violat; etiamsi sanguis ibi non effluat. Similiter, si percussor est extra Ecclesiã, & percussus in Ecclesia, violatur. Secùs, si percussor sit in Ecclesia, & percussus extra: quia externum peccatũ non perficitur in Ecclesia.

81 3. effusione voluntaria seminis.

Tertiò; per voluntariam effusionem seminis humani. Intellige in aliqua notabili copia. Per actum coniugalem Dominicus Soto d. 13. q. 2. a. 3. putat nõ violari; similiter Glossa in can. *Ecclesijs*, de Cõsecratione d. 1. Nauarrus verò & alij affirmant violari. Sed distinguendum est cum Couarruuia in 4. decretal. par. 2. cap. 7. §. 2. n. 3. & alijs, quos ipse citat: non violari, quando licitè fit: vt quando vterque coniux, vel alter, cogitur in Ecclesia ad aliquot dies remanere, nec possunt cõmodè differre, aut alibi facere. Quando autem fit illicitè, tunc violatur: verbi gratia, quando commodè possunt alibi.

82 4. Sepultura excõmunicati.

Quartò, Si excommunicatus ibi sepeliatur. Hoc intellige de excõmunicato nominatim, vel notorio percussore Clerici; vt notauit Victoria loco citato. Ratio est; Quia hi duntaxat vitandi sunt post Concilium Cõstantiense. Vnde probabile est post mortem non necessariò esse vitandos in sepultura.

83 5. Sepulturâ infidelis.

Quintò, Si infidelis ibi sepeliatur; vt Iudæus, Paganus, Turca; vel etiam infans nondum baptizatus, tamen editus in lucem. Alius casus ponitur à Nauatro, Siluestro, & alijs: Violari Ecclesiam, si ipsa ab Episcopo publicè excõmunicato consecretur, aut benedicatur. Sed id optimè refutatur à recentioribus; quia nullo iure probatur: idque meritò: nam pollutio Ecclesiæ supponit consecrationem, vel benedictionem eius: ergo per ipsam consecrationem, vel benedictionem non potest pollui.

An violetur si ab episcopo excõmunicato benedicatur.

84 6. Renouatione parietum, non tamen soli.

Sextò, Polluitur, si maior pars parietum renouetur. Sed aduerte, tunc pollui solùm negatiuè, quatenus deletur consecratio. Vnde iterum consecranda est. Et Ratio est; Quia consecratio censetur esse in parietibus Ecclesiæ. *Secùs est de benedictione*, quæ in ipso solo consistit.

85 Violatio debet esse publica.

Notandum autem Primò, Locum non censeri violatum, nisi res sit publica; idque vel iuridicâ confessione, vel euidentiâ facti, quæ talis sit, vt passim constet eo modo, quo talis res moraliter constare solet.

Celebrans in loco violato, qualiter peccet.

Notandum Secundò, Non incurri irregularitatem ex celebratione in loco violato: quidquid aliqui dixerint: vt colligitur ex Cap. *Is qui*, de Sẽtentia excõmunicationis in 6. Sed incurri solũ peccatum mortiferum, si fiat sine necessitate, vel priuilegio. Necessitas excusat, si alioqui populus deberet carere Sacro die Festo: Si viaticum infirmo dandum, &c. Episcopus etiam potest dispensare, vt in loco polluto celebretur.

86 Dico Tertiò, Debet etiam offerri hoc sacrificium super Altare lapideum consecratum. Vide D. Thomam art. 3. ad 5. Non est necesse lapidem esse ingentem; satis est, vt capiat hostiam, & calicem, saltem pro maiori parte.

Altare sit lapideum cõsecratũ.

Perit autem hæc consecratio: Primò, si lapis ita frangatur, vt in neutra parte possit commodè calix, & hostia collocari. Quòd si altera pars sit ad hoc sufficiens, illa manet consecrata; quia figura non est de essentia. Secundò, Si superior lapis separetur à sua structura, cui erat affixus. Quod solùm habet locum in altari immobili: Altare enim portatile non amittit consecrationem, quãuis separetur à ligno, cui erat inclusum. Nam lignum istud solùm est ad ornatum, vel custodiam: neque in eo, aut in coniunctione lapidis cum illo, est consecratio, sed in solo lapide.

quomodo pereat cõsecratio.

Reliquiæ non sunt necessariò ad rationem cõsecrationis, quidquid alij dixerint. Nam nullus Canon id probat; vt rectè ostendit Suares.

Reliquiæ

DE VESTIBVS ET VASIS SACRIS.

87 Non licet celebrare sine his vestibus.

Dico Primò, Sacerdos non potest offerre sacrificiũ sine vestibus sacris ab Ecclesia præscriptis.

Et quidem nullo casu (loquendo de eo, qui humano more solet occurrere) licitum est offerre sine omnibus vestibus sacris; vt rectè Caietanus. Quia non est Sacramentum tantæ necessitatis, vt hoc vniuersale præceptum tãtoperè ad reuerentiam huius sacrificij pertinens, debeat infringi.

Excipe casum.

Fingi tamen posset casus, in quo liceret: vt, si constaret, vel valdè probabile esset, hominẽ moribundum rationis vsu destitutum, esse duntaxat attritum, nec aliud Sactamentum ei posset adhiberi.

Stola vel manipulus

Sine stola, vel manipulo, ob grauem causam; v. g. ad dandum viaticum, dicere Sacrum, non censetur peccatum, saltem graue.

Perit benedictio.

Dico Secundò, Hæ vestes omnes debent esse benedictæ. Quæ benedictio perit, quando ita mutantur, vt non sint idoneæ ad suũ vsum: verbi gratia, si cingulum rumpatur, si manica separetur ab Alba.

Paramẽta Altaris.

Dico Tertiò, Præter hæc, Altare debet sterni saltem duabus mappis, vel vna duplicata, licet non benedicta, & corporali lineo benedicto.

88 Calix & Patena ex qua materia.

Dico Quartò, Calix constare debet auro, argẽto, vel stanno, saltem interna superficie; & esse consecratus vnctione Chrismatis. Similiter Patena. Manet autem hæc cõsecratio, quamdiu hęc manent integra, & idonea ad suum vsum. Quòd si scyphus calicis separetur à pede: perit cõsecratio: quia sine pede non est idoneus ad vsum. Excipitur calix tornatilis, quia tali ánimo censetur benedictus. Si calix interiùs inauretur, rursus adhibenda est consecratio, quia inauratura est instar noui vasculi interiùs inserti.

DE PRECIBVS ET CÆREMONIIS.

89

Hæ pręces, verba, & cæremoniæ necessariò in Missa adhibenda sunt, quę in Missali Romano præscribuntur. Patet ex diplomate Pij V. quod Missali præfigitur, vbi sic dicitur: *Mandantes, & districtè omnibus, & singulis Patriarchis &c. & reliquis personis Ecclesiasticis in virtute sanctæ obedientiæ præcipientes, vt ceteris omnibus orationibus, & ritibus ex aliis Missalibus, quantumuis vetustis hactenus obseruari cõsuetis in posterum penitus omissis, & planè reiectis, Missam iuxta ritum, modũ, ac normam, quæ per Missale hoc à nobis nunc traditur, de-*

cantent & legant. Neque in Missæ celebratione alias cæremonias, vel preces, quàm quæ in hoc Missali cõtinentur, addere, vel recitare præsumant.

90 Aduerte tamen Primò, Missalia, quæ ducentis annis continuò in aliqua Ecclesia sunt vsurpata, permitti Clericis illius Ecclesiæ: sicut dictum est de Breuiarijs, l. 2. de Iustit. & Iure c. 37. dub. 12.

Aduerte Secundò, Non esse statim peccatum mortiferum, si quis aliquidin cæremonijs mutet, vel aliquam priuatam orationé interserat, si materia sit exigua: non tamen à veniali posse excusari.

DE SACRAMENTO POENITENTIÆ.

QVÆSTIO LXXXIV.

In Decem Articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum Pœnitentia sit Sacramentum?

1 Duo errores hæreticorum.

NOtandum est: Esse hîc duos præcipuos errores. Prior est Nouatianorum, qui negant esse in Ecclesia aliquod Sacramentum, aut remedium, quo illi, qui post baptismum lapsi sunt, possint reconciliari; sed tantummodò à Deo veniã, illis esse expectandam. Colligitur ex Ambrosio lib 1. de Pœnitentia cap. 2. quamuis ibidem addat, posteriores Nouatianos hanc sententiam mitigasse, & dumtaxat negasse potestatem absoluendi à grauissimis criminibus. Colligitur etiam ex Socrate lib. 4. histor. c. 24. & ex multis opusculis Cypriani. Idem ameà tenuerũt Montanistæ, vt testatur Hieronymus epistola de erroribus Montani ad Marcellam.

Alter error est hæreticorum huius temporis, præsertim Caluinistarum; qui, etsi cum Nouatianis doceant non esse in Ministris Ecclesiæ vllam veram, & iudiciariam potestatem remittẽdi peccata; tamen admittunt aliquod remedium pro lapsis: verùm hoc remedium esse baptismõ memoriâ repetitum; per solam enim baptismi memoriam remitti omnia peccata quoad culpam & quoad pœnam, ideoque hoc rectè vocari Sacramentum Pœnitentiæ; non autem ritum illum, qui constat actibus Pœnitentis, & verbo absolutionis. Ita Caluinus in Antidoto apud Ruardum, art. 3. & Bellarminum de Sacramento Pœnitentiæ.

2 Pœnitẽtia est verum sacramentum.

Dico primò, Fide tenendum est, Pœnitentiã esse verum, & propriè dictum nouæ legis Sacramentum à Christo Domino institutum. Patet ex Concilio Tridẽtino sess. 14. can. 1. *Si quis dixerit in ecclesia Catholica Pœnitentiam non esse verè ac propriè sacramentum à Christo Domino institutum; anathema sit.*

1. prob. ex Scriptura. Probatur primò, Ex Scriptura Ioan. 20. v. 23. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt.* Hîc duo insinuãtur, quæ requiruntur ad naturam Sacramenti, & sufficiunt; vt etiam fatentur hæretici; nempe ritus externus, & promissio gratiæ, seu remissionis peccatorum. Esse autem hęc duo hoc loco, Probatur: Quia Dominus concedit hîc Ecclesiæ ministris potestatem remittendi peccata, quæ inter homines exerceri non potest, nisi interuentu alicuius signi externi; tùm ex parte ministri, quo significet se absoluere, & nomine Dei remittere; tùm ex parte peccatoris, quo significet se peccata detestari, & ab illis velle recedere; nam solũ huiusmodi peccata sunt remittenda: ergo implicitè hîc significatur duplex ritus, seu cæremonia externa: verbum scilicet Absolutionis, & signa pœnitentis. Promissio verò gratiæ hîc expressissimè ponitur; nam promittitur *remissio peccatorũ* omnibus, quibus ministri se eam impẽdere significauerint.

Petes, An hic locus solùm intelligendus sit de remissione peccatorum post baptismũ, cùm Dominus videatur generatim loqui?

3 An locus Ioan. 20. intelligatur tãtùm de remissione peccatorum post Baptismum.

Respondeo, Cyrillus Alexandrinus lib. 12. in Ioannem cap. 16. existimat generatim esse intelligendum: ait enim, Ministros ecclesiæ, & Spiritum sanctum in ministris, dupliciter remittere peccata. Primò, Per Baptismum. Secundò, Per Pœnitentiam, ijs scilicet, qui iam Ecclesiæ sunt incorporati. Sed alij ferè omnes intelligunt de remissione per Pœnitẽtiam post Baptismum. Ita Chrysostomus, Theophilactus, & alij in hunc locum. Ambrosius lib. 1. de Pœnitentia cap. 2. & Patianus epistola 3. ad Symphorianum, vbi refutat Nouatianos, qui dicebant, hoc loco tantũmodò dari potestatem remittẽdi peccata per Baptismum. Et ratio est; Quia hîc datur Ecclesiæ potestas clauium, quæ est potestas iudiciaria: atqui Ecclesia non exercet potestatem iudiciariã in non-baptizatos, vt constat 1. ad Corinth. 5. Secundò. Ad baptismum non est necessaria potestas clauium; nam etiam à femina dari potest. Tertiò, Quia baptizat, nõ propriè dicitur remittere peccata, aut habere ad hoc vllam auctoritatem; sed solus Deus est, qui ad baptismum peccata remittit. Denique Concilium Trident. sess. 14. cap. 1. apertè docet hoc loco institutum esse Sacramentum Pœnitentiæ.

4 2. Prob. ex Conciliis.

Probatur Secundò, Ex Cõsilijs: Florentino in instructione Armenorum, & Tridentino locis citatis: & ex Capitulo *Ad abolendum*, Lucij III. *de Hæreticis*, vbi numeratur Confessio peccatorum inter ecclesiastica Sacramenta; & damnãtur omnes, qui aliter sentiunt de Sacramentis, quàm Ecclesia Romana sentit.

3. Prob. ex Patribus. Tertullianus. Ambros.

Probatur Tertiò, Ex patribus: Tertullianus lib. de Pœnitentia docet esse duas ianuas ad remissionem peccatorum in Ecclesia, Baptismum & Pœnitentiam. Ambrosius lib. 1. de Pœnitentia

Digitized by Google

cap. 7. probat contra Nouatianos, Sacerdotes poſſe remittere peccata per pœnitentiã iam baptizatis; quia per baptiſmum poſſunt remittere, ſeu tollere etiam à non-baptizatis, eſſe enim parem vbique rationem: nam etiam in pœnitentia, nomen, id eſt, virtutem Dei, operari: & libr 2. cap. 2. *Similiter impoßibile videbatur per pœnitentiam peccata remitti.* (ſicuti videlicet, videbatur impoſſibile, per aquã peccata ablui) *Conceſſit hoc Chriſtus Apoſtolis ſuis, quod nunc ab Apoſtolis ad Sacerdotum officia tranſmiſſum eſt.* Hieronymus Dialogo 2. contra Pelagianos. *Quod,* inquit, *ſcriptum eſt (ſanguis Chriſti emundat nos ab omni peccato) tam in Confeßione baptiſmatis, quam in clementia pœnitudinis eſt accipiẽdũ.* Et Epiſtola 1. quæ eſt ad Heliodorum: *Abſit,* inquit, *vt de his aliquid ſiniſtrum loquar, qui Apoſtolico gradui ſuccedentes, Chriſti corpus ſacro ore conficiunt, per quos nos etiam Chriſtiani ſumus; qui claues regni cælorum habentes, quodammodò ante diem iudicij iudicant.* Nec obſtat quòd idem D. Hieronymus in cap. 16. Matthæi in illa verba, *Tibi dabo claues,* dicat, *Epiſcopos & Presbyteros ita ſoluere, & alligare peccatorem, ſicut Sacerdos in veteri Teſtamento leproſum faciebat mundum, vel immundum;* Tantum enim vult dicere, hominẽ non eſſe cauſam principalem, nec ſua auctoritate abſoluere; ſed Deum ad hominis abſolutionem liberare à peccato, & ſpiritualiter gratiam infundere: Vult enim deprimere quorundam ſupercilium, qui putabant ſe etiam ſontes qui vitam non emendabant, poſſe ſoluere, & inſontes ligare; vt patet ex eius verbis. D. Auguſtinus multis in locis cõparat re conciliationem cum baptiſmo; vt lib. 1. de Adulterinis coniugijs cap. vlt: & lib. 2. cap. 6. & alibi: & Epiſtola 180. confert reconciliationẽ cum baptiſmo & Euchariſtia. Lib. 50. homiliarum in quinquageſima cap. 10. & 11. *Implicatus tam mortiferis vinculis peccatorum detrectat aut differt confugere ad ipſas Eccleſiæ claues, quibus ſoluatur in terra, vt ſit ſolutus in cælo*: & infrà, *Cùm in ſe protulerit ſenentiſſimæ medicinæ ſententiam, veniat ad antiſtites, per quos in Eccleſia claues miniſtrantur.* Et Chryſoſtomus lib. 3. de Sacerdotio, Poteſtatem remittendi peccata confert cum baptiſmo, & cum poteſtate cõficiendæ Euchariſtiæ; & dicit noſtris Sacerdotibus conceſſum eſſe purgare animæ ſordes, & non tantùm purgatas probare, ſeu oſtendere; ſicut olim ſacerdotes legales ſolùm declarabant purgatos à lepra. Cyrillus lib. 12. in Ioannem cap. 56. apertè docet, miniſtros Eccleſiæ remittere peccata per pœnitentiam non minùs, quàm per baptiſmum. Leo Epiſtolâ 91. ferè totâ hoc ipſum docet perelegan ter. Denique Magiſter, & omnes doctores diſt. 14. quamuis quidam non ſatis benè explicent.

Hieronymus. Auguſtin. Chryſoſt. Cyrillus. Leo. Magiſter

5 4. prob. ex Ratione.

Probatur Quartò, Ratione: Primò, quia Chriſtus non ſatis conſuluiſſet Eccleſiæ ſuæ, ſi nullũ reconciliationis remedium lapſis reliquiſſet; cùm ferè omnes contingat poſt baptiſmum labi: quò fieret, vt pauciſſimi omnino ſaluarentur; ſicut olim in lege veteri. Nam difficilè eſt, tam perfectam aſſequi contritionem, vt abſque Sacramento ad iuſtificationem ſufficiat. Secundò, Chriſtus remedium inſtituit pro ijs qui prondum ipſius familiæ erãt inſiti (ſcilicet baptiſmum:) ergo non eſt dubitandum, quin inſtituerit ſimile remediũ pro ſuis domeſticis, quorum ipſe fragilitatem probè nouerat. Et Confirmatur: quia, ſi inſtituit remedium pro peccato originali, cur non etiam pro actualibus, quæ non minùs, ſed multò magis homini nocent? Tertiò, Eccleſia noſtra eſt media inter Eccleſiam veterem ſeu ſynagogam, & cæleſtem; vt teſtatur Dionyſius cap. 1. de Eccleſiaſtica Hierarchia: ergo debet ſanctificari per aliquid, quod partim ſit ſpirituale, partim corporale: atqui hoc eſt Sacramẽtum: ergo eſt aliquod Sacramentum, quo Eccleſia purgetur.

6 Obiectio ſoluitur.

Dices: Si Pœnitentia eſt Sacramentum; ergo conſtat materia & forma; quæ tamen hîc non conſpiciuntur: Satisfactio enim interdum peragitur diu poſt abſolutionem: interdum non eſt neceſſaria, vt in morituris. Confeſſio autem fit ante abſolutionem. Contritio denique eſt actus interior.

Reſpondeo: Scotus diſt. 14. q. 4. & Nominales, volunt abſolutionẽ ſolam eſſe Sacramentũ Pœnitentiæ, ob rationem dictam: actus autem pœnitentis eſſe quidem neceſſarios, ſed non eſſe Sacramenti materiam aut partem. Verùm hæc ſententia, etſi non ſit erronea, cùm neceſſariò requirat actus pœnitentis, tamen in modo loquẽdi non eſt probabilis. Primò, quia Concilium Florẽtinum dicit *Actus pœnitentis eſſe quaſi materiã Sacramenti Pœnitentiæ: verba ſacerdotis, Ego te abſoluo, eſſe formam.* Idem expreſſè docet Concilium Tridentinũ ſeſſ. 14. cap. 3. & Catechiſmus Concilij. Inſinuant ergo apertè, hæc intrinſecè pertinere ad conſtitutionem huius Sacramenti, veluti materiam & formam. Secundò, Actio pœnitentis eſt ſignum ſenſibile gratiæ iuſtificantis diuinitùs inſtitutũ, quod eſt Sacramentum, vel pars Sacramenti. Tertiò, *Omne ſacramentũ tribus perficitur; materiâ, formâ, & miniſtro*; vt inquit Concilium Florentinum: habet ergo hoc Sacramentum ſuã quoque Materiam. Certum ergo ſit, Pœnitentiã non conſiſtere in ſola abſolutione, ſed intrinſecè includere actus pœnitentis: hi enim propriè dicuntur *Pœnitentia*, & nomen Sacramẽto tribuũt. Dices: Cur Concilia non vocant eos abſolutè *materiam*, ſed *quaſi materiam*? Reſpondeo: Quia propriè *materia* dicitur ſubſtantia aliqua ſenſibilis; vt aqua, chriſma, panis, oleum; qualis inuenitur in alijs Sacramentis: actus autem pœnitẽtis hanc materiam imitantur; vnde dicuntur *quaſi materia*. Verbũ Abſolutionis eſt *forma*, quia perficit actus pœnitentis in ratione Sacramenti, & expreſſiùs ſignificat, & principaliùs efficit huius Sacramenti effectum.

Pœnitentia non conſiſtit ſola abſolutione, ſed includit actus pœnitentis quaſi materiam.

quaſi materia.

7 Pœnitentia eſt ſacramentũ per ſe diſtinctum à Baptiſmo.

Dico Secundò, Sacramentum Pœnitentiæ non eſt ipſum Sacramẽtum baptiſmi memoriã repetitum; ſed eſt Sacramentum omnino diſtinctum. eſt fidei: vt patet ex Concilio Tridentino ſeſſ. 14. c. 2. & can. 2. *Si quis Sacramenta confundens, ipſũ baptiſmũ, pœnitentiæ Sacramentũ eſſe dixerit; quaſi hæc duo Sacramẽta diſtincta non ſint, atque ideò Pœnitentiam non rectè ſecundam poſt naufragium tabulam appellari; anathema ſit.*

Probatur Primò, ad Hebræos 6. v. 4. *Impoſſibile eſt eos, qui ſemel ſunt illuminati* (id eſt baptizati) *rurſus renouari ad pœnitentiam.* Hîc Apoſtolus negat per baptiſmum iterum poſſe hominem renouari, vt explicant hunc locum Ambroſius, Chryſoſtomus, Theodoretus, œcumenius, Theophylactus, & alij. Et Auctor *De vera & falſa pœnitẽtia* cap. 3. oſtendit contra Nouatianos, hunc locum neceſſariò intelligendũ de renouatione per baptiſmum, quo rurſus renouari non poſſumus: non autem de ea, quæ fit per pœnitentiam; per hanc enim nos poſſe renouari. Hebræ. 6.

Probatur Secundò, Scriptura nuſquam meminit huius remedij: quod ſanè mirum eſſet, ſi per illud iuſtificaremur; quin potiùs lapſos remittit ad pœnitentiam: vt patet 1. Ioannis 1. v. 9. Si

Digitized by Google

Sacramentum ſimul, non neceſſariò eſt cauſa eius, quod eſt *res tantùm*: nam contractus coniugij, eſt Sacramentum tantùm; coniunctio autem Chriſti & Eccleſiæ, eſt res & Sacramentum ſimul; vt docet Magiſter diſt. 26. & Bonauentura ibidem; & tamen contractus noſter non eſt cauſa cõiunctionis Chriſti & Eccleſiæ. Pari ratione character in tribus Sacramentis, eſt res & Sacramentum; tamen propriè non eſt cauſa eius, quod eſt res tantùm, ſcilicet gratiæ.

Secundò reſponderi poteſt, Pœnitentiam, præſertim attritionem, dupliciter conſiderari poſſe: Primò, quatenus antecedit abſolutionem Sacerdotis, & ſic pertinere ad id, quod eſt Sacramentum tantùm. Secundò, quatenus eſt abſolutione poſterior; & ſic eſt res & Sacramentum ſimul: nã eſt effectus Sacramenti, ſcilicet actionis externę, & eſt cauſa remiſſionis peccatorum, quæ eſt res tantùm. Eſt (inquam) effectus Sacramenti, non ſecundùm ſubſtantiam ſuam (nam ſic antecedit) ſed ſecundùm virtutem Sacramentalem; hanc enim virtutem accipit maxime à formula abſolutionis, in qua potiſſimùm eſt vis Sacramentalis.

ARTICVLVS II.

Vtrum peccata ſint propria materia huius Sacramenti?

13 Materia alia *ex qua* alia *circa quam*, alia *in qua*.

REſpondetur affirmatiuè, eſſe materiam, ſed remotam. Vbi nota, Triplicem eſſe pœnitentiæ materiam. Prima & eſſẽtialis, eſt materia ex qua ipſa conſtat; qui ſunt actus pœnitentis: Secunda, eſt materia circa quam, vt peccata poſt baptiſmum commiſſa: circa hęc enim verſatur, ſicut medicina circa morbos vt expellãtur. Tertia, eſt materia in quã, quę eſt ipſe pœnitẽs. Quod patet à ſimili. Pœnitentia eſt enim veluti quoddam animæ medicamẽtum: triplex autem eſt medicamenti materia. *Materia ex qua*, ſunt actus ægroti, & ipſum pharmacum; medicamentum enim duabus veluti partibus conſtat, nempe exercitatione corporis actioneque ipſius naturę, & pharmaco: in pharmaco tamen videtur eſſe præcipua vis curationis. *Materia circa quam*, ſũt morbi, vt expellendi: *in qua*, eſt ipſe æger.

DVBIVM.

Cur in hoc Sacramento non ſit aliqua materia externa corporalis; vt aqua, oleum, panis; ſicut in aliis Sacramentis?

14 Ratio D. Thomæ.

REſpondet D. Thomas art. 1. ad 1. in illis eſſe externam materiam, in quibus eſt excellens effectus; vt in Baptiſmo, in quo tollitur omnis culpa & pœna: in Confirmatione, vbi datur plenitudo ſpiritus: in Ordine vbi datur poteſtas ſuper Chriſti corpus verum: in extrema vnctione, vbi prętęr gratiam quæ datur, etiam reliquiæ peccatorum abſterguntur. In effectu autem Matrimonij, & Pœnitentiæ non cernitur huiuſmodi aliqua excellentia.

15 Alia ratio

His adde aliam cauſam, quæ videtur eſſe præcipua & primaria: quòd Pœnitentia, & Matrimonium ſunt actus ſuſcipientiũ, quos Dominus ſuâ gratiâ dignatus eſt in Sacraméta formare, & perficere ſuperadditâ virtute efficaci gratiæ: nam ex ſe Pœnitentia & Matrimonium erant valdè imperfecta, & parùm ad ſalutem vtilia. Reliqua verò non ſunt actus ſuſcipientium, ſed extrinſecùs à miniſtro applicantur: vnde conuenientiſſimum erat, vt haberent loco materiæ ſubſtantiam aliquam ſenſibilem. Requirũtur quidem actus ſuſcipientium in his Sacramentis, non tamen vt partes Sacramentorum, ſed vt diſpoſitiones & præparationes ſuſcipientium, vt Sacramentum in illis vim habeat.

ARTICVLVS III.

Vtrum hæc ſit forma huius Sacramenti, Ego te abſoluo?

REſpondetur, Sufficientem formam huius ſacramenti eſſe, *Ego te abſoluo à peccatis tuis.* 16
Eſt communis ſententia Doctorum. Et patet ex Concilio Florentino, & ex Tridentino ſeſſ. 14. cap. 3. vbidicitur, *Formam huius Sacramenti, in qua præcipuè vis ſita eſt, eſſe, Ego te abſoluo*; & additur, *& cætera*, per illud, *& cętera*, intelligens *à peccatis tuis*. Vbi

quæ verba præciſè nẽceſſaria, & ſufficiant ad formam Pœnitentiæ.

Aduerte, Hæc omnia verba aliquo modo ad eſſentiam formę pertinere: ſcilicet, vel expreſſè, vel implicitè. Ratio eſt: quia neceſſe eſt, omnia illa concipi ad ſignificandum effectum huius Sacramenti, qui eſt liberatio à peccatis facta more iudiciali. Expreſſio tamen pronominis *Ego* non eſt abſolutè neceſſaria; quia implicitè, quantum ſatis eſt, continetur in verbo *Abſoluo*. Pari ratione expreſſio illa, *à peccatis tuis*, non eſt neceſſaria; quia implicitè continetur in verbo *Abſoluo*: Non enim poteſt intelligi, fieri abſolutionem ab alijs, quàm à peccatis, quæ pœnitens iam enumerauit, & cẽſuris hiſce adiunctis. Vnde expreſsè ad ſubſtãtiã huius formæ ſufficiunt hęc duo, *Abſoluo te*; vt colligitur ex D. Thoma, & vt Caietanus in Summa V. *Abſolutio*, & alij paſſim.

17

Notandum tamen eſt; omnem aliam orationem huic æquiualentem ſufficere ad eſſentiam huius Sacramenti; vt, *Remitto, vel condono tibi peccata tua. Remittuntur tibi peccata tua. Sis abſolutus. Abſoluaris.* Id enim commune eſt omnibus ſacramentis, vt orationes idem valentes, idem efficiãt. Imò probabile eſt ſufficere: *Abſoluat te Chriſtus*; vt patet ex forma Baptiſmi Græcorum: nam Chriſtus eſt principalis miniſter: & tunc ſub intelligeretur perſona miniſtri, ſcilicet *per me*; ſicut modò ſub intelligitur perſona Chriſti, cùm dicitur, *ego te abſoluo*: Abſoluimus enim Chriſti auctoritate.

18 An & quomodo, ſit bona forma, *Abſolue te Chriſtus.*

In hoc tamen caſu neceſſarium eſt, vt tali forma non vtatur merè deprecatoriè, quaſi rogans chriſtum, vt eum abſoluat; ſic enim non efficeretur Sacramentum: nam reuerà ipſe non abſolueret. Vnde D. Thomas ſcripſit quoddam Opuſculum contra quemdam, qui dicebat formam debere eſſe deprecatoriam. Sed debet illa vti, tamquam ex auctoritate, intendens abſoluere veluti miniſter ſub Chriſto. Eſſet enim graue peccatum tali forma vti, quâ Sacramentum redderetur ambiguum: tùm quia ſententia in iudicio ſolet nõ ita ab aliquo iudice pronuntiari: tùm quia Dominus Ioannis 20. v. 27. ait, *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*; quaſi dicat, ipſos habere poteſtatẽ remittendi; & non ſolùm deprecatoriè, ſed etiam ex authoritate remittere peccata: vnde debent dicere, *Remitto tibi peccata.*

19 Inuocatio S. Trinitatis, non eſt de eſſẽtia huius formæ.

Ex his infertur Primò, Illa verba *in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti*, non pertinere ad eſſentiam formę: quod eſt contrà Durandum diſt. 22. q. 2. Nam nec Matthæi 16. nec 18. neq; Ioan. 20. quibus locis Dominus de hac poteſtate loqui-

ed by Google

tur, fit mentio inuocationis Trinitatis, ſicuti fit, quando agitur de baptiſmo, Matthæi vltimo. Et ratio eſt: quia in hoc Sacramento non fit illa profeſſio fidei Chriſtianę, quæ in Baptiſmo, & Confirmatione; vnde neque illa additio fuit neceſſaria. Non ſunt tamen illa verba omittenda: nam expreſſiùs ſignificatur cauſa principalis, cuius authoritate datur abſolutio. Fortaſſe tamẽ omiſſio hæc non eſt mortiferum peccatum, ſicut nec omiſſio pronominis *Ego*, vel *à peccatis tuis*, vt Dominicus Soto ait.

Neque Preces.

Infertur Secundò; Preces quę antecedunt formam, *Miſereatur*, & *Dominus noſter*; & quę ſequũtur, *paſſio Domini & cætera*, nullo modo pertinere ad eſſentiam formæ, ſed ſolùm ad maiorem quandam reuerentiam, & deuotionem impetrandam; vt docet Concilium Trident. ſeſſ. 14. cap. 3. vnde ob iuſtam cauſſam poſſunt omitti.

Neque ex preſſio auctoritatis.

Infertur Tertiò; Non eſſe dicendum *Abſolue te authoritate Papæ*: quia abſoluit Sacerdos auctoritate diuina. Papa tantummodò materiam ſubijcit, efficiendo vt hic ſit meus ſubditus. Dum tamen quis abſoluit ab excommunicatione, ſuſpẽſione interdictio, aut diſpenſat in voto, poteſt mentio fieri, cõceſſæ auctoritatis à Papa: quia hęc abſolutio eſt dumtaxat expoteſtate iuriſdictionis, quæ deſcendit à Papa.

Malè additur, *A confeſſis & contritis.*

Infertur Quartò, Ineptè addi *à confeſſis & contritis.* Nam etiam de oblitis datur abſolutio, etſi indirectè. Contritio verò non eſt abſolutè neceſſaria, quia claues etiam de attritis abſoluunt. Nihil tamen horum vitiat formam, quando legitima adeſt intentio. Sed eſt.

DVBIVM I.

Quem ſenſum habeat hęc forma?

20 Expoſitio Magiſtri ſed erronea.

RAtio dubitandi eſt: quia ſæpè non videtur eſſe vera: vt, quotieſcumque quis per contritionem eſt iuſtificatus ante confeſſionem: tunc enim nullum eſt peccatum, à quo fiat abſolutio; ſuppono enim etiam venialia eſſe condonata.

Sunt variæ ſententiæ. Prima eſt Magiſtri diſt. 18. qui dicit ſenſum eſſe, *Ego te oſtendo, vel declaro eſſe abſolutum*: exiſtimat enim Sacerdotem non tollere maculam, & reatum pœnæ æternę, ſed hæc à ſolo Deo tolli: Sacerdotem autem ſua abſolutione, tantum ſententiâ declaratoriâ, tantummodò declarare hęc à Deo eſſe ſublata; & prętereà habere poteſtatem imponendi pœnitentiam pro pœna temporali, & partem huius pœnæ condonandę. Idẽ ſentire videtur Bonauentura, Gabriel, & Maior eàdem diſt.

Sed hęc ſententia videtur erronea: nam euertit poteſtatem clauium Eccleſię; eſtque contra illud Matth. 18. v. 18. *Quidquid ſolueritis ſuper terram, erit ſolutum & in cœlo, & cæt.* & Ioan. 20 v. 27. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.* Vnde damnatur hęc expoſitio à Concilio Tridentino ſeſſ. 14. cap. 6. & canone 9. vbi ſic dicitur, *Si quis dixerit, abſolutionem Sacramentalem non eſſe actum iudicialem, ſed nudum miniſterium pronuntiandi & declarandi remiſſa eſſe peccata confitenti; anathema ſit.* Dices ex Magiſtro: Solus Deus dicitur in Scripturis abſoluere & delere peccata, & iniquitates: ergo id non facit ſacerdos.

An, & quomodo, Solus Deus remittat peccata.

Reſpondeo: Solus Deus id facit propria auctoritate. Qui autem propria auctoritate facit, abſolutè dicitur ſolus facere; quia etiam dum alius facit, ipſe potiſſimùm dicitur facere, cuius auctoritate fit: Sacerdos tamen etiam verè, & propriè remittit, & delet peccata auctoritate diuina; quod patet in cæteris Sacramentis. Nam ſi homo auctoritate diuina verè baptizat, & abluit animam à peccatis, cur non etiam per Sacramentum Pœnitentię vere abſoluat, & deleat peccata, cum Pœnitentia ſit nouæ legis Sacramentum gratię efficax?

21 Aliaexpoſitio Hugonis.

Secunda ſententia eſt: Sacerdotem à peccatis abſoluere, ſed tantummodò ſecundùm obligationem pœnæ æternę, quę commutetur in temporalem: culpam verò vi contritionis à ſolo Deo remitti. Ita Hugo de S. Victore lib. 2. de Sacramentis part. 14. c. 18. & Richardus de S. Victore opuſculo de poteſtate ligandi & ſoluendi cap. 10. Idem ſentire videtur Abulenſis 1. parte ſui defenſorij cap. 6. qui etiam addit *Impropriè & abuſiuè dici, Abſolue te à peccatis: Quia* (inquit) *peccatũ, ſeu culpa, priuatio eſt: priuatio autem non habet rationem vinculi. Sed ſolùm obligatio ad pœnam, quæ reatus pœnæ dicitur, eſt inſtar vinculi, ac proinde ab hac tantummodò fit abſolutio.*

Sed contra Primò: Hęc ſententia Hugonis & Richardi videtur damnata à Pio V. & Gregorio XIII. quaſi in terminis: ſic enim habet illa damnata propoſitio: *Peccator pœnitens non vinificatur miniſterio Sacerdotis abſoluentis, ſed à ſolo Deo, qui pœnitentiam ſuggerens & inſpirans vinificat eum, & reſuſcitat: miniſterio autem ſacerdotis reatus ſolus tollitur.*

Secundò; Quia Concilium Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 14. expreſsè docet *Pœnam æternam ſimul cũ culpa remitti per Sacramentum, vel Sacramenti votũ.*

Tertiò: Quia, ſi homo per contritionem liberatur à culpa, etiam neceſſario liberatur à reatu pœnę eternę: ergo ineptè hęc diuiduntur, & tribuuntur diuerſis cauſis. Antecedens probatur: nam, ſi per contritionem deletur culpa, ergo infunditur gratia, & iuſtificatio: ergo fit Filius Dei, & conſequenter hæres vitę æternæ, iuxta Apoſtolum: ergo non manet reus pœnę æternæ. Fieri enim nequit, vt ſimul quis ſit reus pœnę æternæ, & habeat ius ad vitam æternam.

quomodo labes peccati, habeat rationem vinculi.

Ad Abulenſem autem, Reſpondeo; Etſi priuatio, vel potiùs labes illa moralis, quę manet poſt actum peccati, phyſicè conſiderata non ſit vinculum; tamen æſtimatione morali vinculum eſſe poteſt: nam primum detinet hominem inter ea, quæ odio Dei digna ſunt, adeò vt neque homo, neque vlla creatura poſſit ſe ſuis viribus abeo expedire. Secundò obligat illum ad ſarciendam iniuriam Deo factam. Quare etiamſi nullam pœnã peccatis Deus ſtatuiſſet, tamen ipſa peccata ſecũdùm ſe eſſent vincula quędam, & funes inſolubiles, iuxta illud Prouerb. 5 v. 22. *Iniquitates ſuæ capiunt impium, & funibus peccatorum ſuorum conſtringitur.* Itaq; ab his vinculis propriè debemus ſolui & abſolui. Accedit, quòd tota Eccleſia hac forma vtatur, *Ego te abſolno, & cætera*: quæ forma maximè conſentanea eſt verbis Domini Matth. 16. & 18. *Quæcumque ſolueritis ſuper terram*: in quibus verbis nulla eſt Catachreſis.

22 Opinio D. Thomæ.

Tertia ſententia eſt D. Thomæ hoc loco, qui dicit ſenſum eſſe, *Impendo tibi Sacramentum abſolutionis*: quod Caietanus exponit, *Ego te ſacramentaliter abſolno.*

Nauárri ſententia & optima.

Quarta ſententia eſt: ſenſum eſſe, *Quantum eſt ex vi Sacramenti, abſolno te à peccatis tuis.* Ita Nauarrus de Pœnitentia d. 6. cap. 1. Dominicus Soto in hunc art. Petrus Soto lectione 4. de Confeſſione, & alij. Quę expoſitio ſine dubio eſt optima: nam ſic veritas huius formæ ſaluatur in proprio ſenſu, ſiue peccata ſint ante condonata, ſiue non: Simili modo intelligi poſſunt formę Baptiſ-

Digitized by Google

mi & Confirmationis.

Vtiliter ab eodem peccato ſepiùs abſoluimur.

Addendum tamen eſt; quamdiu manet aliqua obligatio pœnæ, cenſeri aliquid peccati remanere; quia manet in ſuo proximo effectu; quò fit: vt homo de eodem peccato poſſit ampliùs, & ampliùs abſolui. Nam primò abſolui poteſt à culpa, & pœna æterna. Secundò, à magna parte pœnę tẽporalis reſtantis. Tertiò, à reliqua parte. Vnde Propheta Pſalmo 50. v. 4. orat, *Ampliùs lauà me Domine* &c. cùm tamen culpa iam eſſet remiſſa. Quartò, etiamſi peccatum omnino ſit remiſſum ſecundùm culpam & pœnam, poteſt tamen iterũ remitti, & rurſum homo ab eo abſolui ex parte Dei, & virtute Sacramenti. Nam poteſt ſe homo propter peccata præterita iam condonata rurſus accuſare, & tanquam ex ſe reum coram Deo ſiſtere; ſicque rurſus donari gratiâ, quâ ab iiſdem peccatis mundetur & abſoluatur. Et hoc modo videtur rogare Propheta, *Ampliùs lauame Domine*; & *delicta iuuentutis meæ ne memineris*: non enim pœnam dumtaxat condonari cupit, ſed etiam culpam & maculam abſtergi.

Dices: Iſte verè non eſt ligatus peccatis, nec immundus: ergo non poteſt verè abſolui, nec mundari.

Soluitur obiectio.

Reſpondeo Negando Conſequentiam: ſufficit enim, aliquando fuiſſe ligatum, & immundum; & vt ſe rurſus propter illa peccata, tamquam ex ſe reum, & immundum, coram Deo conſtituat. Tũc enim poteſt rurſum ſolui illis vinculis, quæ antè fuerunt, quantum eſt ex parte Dei & virtute Sacramenti: nam vi Sacramenti datur noua gratia illorum peccatorum deletiua. Sicut enim donatio eiuſdem rei ſępiùs fieri poteſt, ſi per illam donationem ſemper aliquid noui obtineatur, quo res donata perfectiꝰ poſſideatur; vt patet in donatione, quâ datur Spiritus ſanctus: ita remiſſio eiuſdẽ criminis ſæpiùs efficaciter fieri poteſt, ſi per illam noua gratia obtineatur ad illius criminis perfectiorem abolitionem, præſertim quando homo rurſum de illo ſe accuſat, & ſe reum conſtituit.

DVBIVM. II.

Vtrùm verbis Abſolutionis poſſit addi aliqua conditio?

23 Nõ poteſt addi conditio de futuro.

Reſpondeo & Dico Primo; Nunquam licere addere conditionem de futuro, vel quæ tali conditioni equipolleat: vt *Abſoluo te ſi reſtitues, Si Deus videt te reſtituturum.* Ratio eſt: quia Sacramentorum effectus non poſſunt ſuſpendi poſito Sacramento, nam operantur tunc in modum cauſę naturalis. Cuius vlterior ratio eſt, quia Sacramenta nouę legis ſunt inſtituta, vt ſint ſigna efficacia gratiæ preſentis, dum applicãtur; ac proinde contra illorum naturam & inſtitutionem eſt, velle eorum effectum in futurum ſuſpendere.

Sedde preſenti vel præterito.

Dico Secundò; Interdum ex cauſa licet addere conditionem de præterito, vel præſenti: Ratio eſt, quia hæc conditio, ſi ſit in re, non ſuſpendit effectum; ſi non ſit in re, non eſt intentio Sacramenti, ac proinde vitatur ſacrilegium. Exempli gratia: Si aliquis ſubitò moribundus dederit ſolùm ſigna contritionis, poteſt abſolui ſub conditione tacita, *ſi eſt capax*. Sic ſi dubitas, an peccatorem abſolueris, nec poſſis dubium tollere, potes abſoluere ſub conditione tacita, *Abſoluo te, ſi non es abſolutus.*

ARTICVLVS IV.

Vtrum Impoſitio manuum Sacerdotis ſit neceſſaria?

Reſpondetur, Non eſſe neceſſariam: muſquam enim Dominus, vbi loquitur de poteſtate clauium, meminit impoſitionis manuum. Ratio eſt, quia ad proferendam ſententiam iudiciariam non eſt vlla manuum impoſitio neceſſaria: atqui hoc Sacramentum confertur per modum ſententiæ iudiciariæ: ergo. 24

Manusimpoſitio nec neceſſaria nec expediens.

Hæc ſententia eſt contra quemdam Doctorem antiquum, qui aſſerebat illam eſſe neceſſariam ad Sacramenti ſubſtantiam: contra quem diſputat D. Thomas Opuſculo 22. cap. 4. Argumenta eiꝰ refert hîc, & diſſoluit. Adde Non ſolùm non eſſe neceſſariam, ſed nec expedientem, præſertim circa feminas. Similiter, inquit Sotus, nec eleuatio manuum neceſſaria eſt, quamuis hæc magis ſit vſitata.

Dices; Cur ergo ab Auguſtino hoc Sacramentum vocatur *Impoſitio manus*? vt lib. 3. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 20. *Manus* (inquit) *impoſitio non ſicut Baptiſmus repeti non poteſt*: & lib. 5. de Baptiſmo cap. 20. *Quomodo* (inquit) *exaudit homicidam deprecantem vel ſuper aquam baptiſmi, vel ſuper oleum, vel ſuper Euchariſtiam, vel ſupra capita eorum, quibus manus imponitur.* Vbi per manus impoſitionem intelligere videtur Sacramentum Ordinis & Pœnitentiæ: & cap. 23. *Manus ab hæreſi redeunti propterea imponitur, ne extra omnem culpam fuiſſe videatur.* 25

Cur tamen ab ea hoc ſacramentũ dicatur Manusimpoſitio.

Reſpondeo; Rem interdum accipere nomen à circumſtantia extrinſeca, quæ nullo modo eſt neceſſaria: Sicut ſacrificium Euchariſtiæ vocatur *Miſſa* à dimiſſione populi: & ipſa Euchariſtia vocatur *Synaxis* à populi congregatione & conuentu.

ARTICVLVS V.

Vtrum hoc Sacramentum ſit neceſſarium ad ſalutem?

Reſpondetur. In noua lege neceſſarium ad ſalutem omnibus poſt Baptiſmum lapſis in peccatum mortiferum. Patet hoc ex Concilio Tridentino ſeſſ. 14. can. 1. 6. 7. Et colligitur Ioã. 20. vbi Dominus dedit Apoſtolis poteſtatem *remittendi peccata* per Sacramentum Pœnitentię, & *retinendi* negata abſolutione: ergo non poteſt quis à peccato poſt Baptiſmum commiſſo liberari, niſi per ſacerdotis abſolutionem. Ratio eſt: quia nemo poteſt iuſtificari ſine merito Paſſionis Chriſti: atqui hoc in noua lege non applicatur nobis, niſi per aliquod Sacramentum, ſeu ſymbolum externum, vel certè non ſine eius voto: idque partim, vt faciliùs iuſtificaremur, partim vt beneficium noſtrę redemptionis in peccatorum expiatione expreſſiùs agnoſceremus & teſtaremur. 26

lapſis non baptiſmũ in mortale eſt neceſſarium, ſaltẽ in voto.

Dixi, *vel non ſine eius voto*: Quia Sacramentum reipſâ adhibitum non ſemper eſt neceſſarium ad iuſtificationem: ſed tunc dumtaxat, quando adeſt copia confeſſoris, & præceptum vrget: alijs temporibus votum ſufficit, & quidem implicitum incluſum in contritione. Sicut enim contritio includit propoſitum ſeruandi omnia mandata, ita etiam includit propoſitum vtendi illis præſidijs,

quando, & quale votum ſufficiat.

quæ Dominus ad delendum peccata instituit. Explicitum autem votum non est absolutè necessarium. Et ratio est; quia vera contritio per se sufficiens est absque alio actu ad hominem iustificándum, sicut sufficiens erat in lege naturæ & veteri: nam per Sacramentorum institutionem nihil est eius virtuti detractum: quare non requirit aliquem actum sibi coniunctum, qui iure naturæ non est necessarius. Confirmatur: quia hoc expressum propositum confitendi non iustificat, solùm enim requiritur propter opus externum iustificans: ergo quando non est opportunitas operis externi, non est hoc expressum propositum necessarium, sed ipsa contritio iustificat. Supposita tamen huius Sacramenti institutione, & diuino mandato de eius vsu, in contritione includitur votum seu propositum huius Sacramenti, sicut & aliorum præceptorum seruandorum; quod propositum sic inclusum sufficit, sicut suprà de Baptismo dictum est.

ARTICVLVS VI. & VII.

Vtrum Pœnitentia sit secunda tabula post naufragium? & Vtrum hoc Sacramentum fuerit conuenienter in lege noua institutum?

27 AD vtrumque respondetur Affirmatiuè. D. Sexto art. Vide D. Thomam.

Quòd autem Sacramentum hoc sit conuenienter in lege noua institutum: Probatur Primò, Ex parte Christi, qui instituit, qui est sapientissimus vtpote Dei Sapientia. Secundò, Ex parte nouę legis, & temporis gratiæ; cuius remedia debebant esse & facilia, & certa, & copiosæ vtilitatis: tale autem remedium est hoc Sacramentum. Facile enim est confiteri sua peccata, nec possumus esse humano more certiores remissionis peccatorum, quàm per hoc Sacramentum, quod ex opere operato sanctificat. Denique non potest non esse vtilissimum, in quo tot virtutum, vt fidei, spei, humilitatis, & pœnitentię actus obeuntur, & dătur remedia contra futura peccata. Tertiò ex parte Ecclesiæ, in quâ oportebat esse potestatem remittendi peccata ad meliorem eius gubernationem, & ne plerique in desperationem inciderent.

DVBIVM. I.

Vbi, & quando hoc Sacramentum sit institutum?

28 Institutũ est Ioan. 20. post resurrectionem.

RESpondeo esse institutum Ioannis 20. v. 23. post resurrectionem; vbi Dominus insufflás ait, *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, quorum retinueritis, retenta sunt.* Ita docet Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 1. & can. 3. Ex alijs autẽ Scripturæ locis non ita euidenter conuincitur: nam Matth. 16. v. 13. quando dicitur Petro, *Et tibi dabo claues regni cælorum*: & Matth. 18. v. 18. vbi omnibus Apostolis dicitur, *Quæcumque ligaueritis super terram, erunt ligata & in cælis* &c. generatim quidem promittitur hoc Sacramentum, non tamen datur vel instituitur. Nec obstat illud Matth. 4. v. 17. *Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cælorum*: & Lucæ vltimo, *Oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis, prædicari in nomine eius pœnitentiam in omnes gentes*: non enim est ibi sermo de Sacramento pœnitentię, sed de actu virtutis Pœnitentię, qui omni tempore fuit necessarius ad remissionem peccati: nam est iuris naturalis, vt inquit D. Thomas; vel potiùs iuris supernaturalis, quod tamen ordini gratiæ est connaturale, sicut præceptum fidei, spei, & Charitatis.

Actus pœnitentiæ fuit semper necessarius ad salutem.

Verùm, Quia hic actus pœnitentiæ in nobis erat imperfectus, & rarò tantus, quantus esse debebat, vnde pauci à peccato liberati fuissent, christus qui in noua lege venerat omnia perficere, assumpsit illum in materiam Sacramenti, superaddens illi vim Sacramentalem, & verbum absolutionis, quo facilius certiùs & copiosiùs sanctificaremur.

Elevatus nunc est in Sacramentum.

DVBIVM II.

Vtrùm ratio naturalis dicat sine vlla reuelatione, dolorem peccati esse necessarium, & huius doloris esse aliqua edenda signa?

29 CAietanus æstimat, ratione naturali non cognosci, de peccato præterito esse dolendum, aut hunc dolorem esse peccati remedium, & valere ad reconciliationem. Similiter existimat, nõ cognosci, exterius aliquod signum doloris esse prodendum, nisi ob peccatum publicum.

Verior opinio affirmat Contra Caietanum.

Sed profectò contrarium est longè probabilius: Ac Primò, cognosci ratione naturali, dolendum esse de peccato, patet: Quia naturaliter cognoscimus peccatum esse malum contra dictamen rectę rationis, atque adeò contra proprium bonum hominis, quod est honestum: ergo esse de eo dolendum. Item naturaliter possumus cognoscere, Deũ offendi peccatis: tum quia sunt contra legem rationis, cuius ipsum cognoscimus esse auctorem: tum quia ethnici id cognouerunt, vt patet ex Gorgia Platonis lib. 4. de Republ. Vnde nulla gens est tam barbara, quæ iram Deorum placare non nitatur. Secundò, dolorem & vindictam esse remedium peccati. Nam naturaliter cognoscimus Deum esse benignum, ac proinde pœnitentiâ placari. Quod confirmat vsus omnium gentium, quę à Dijs suis veniam precantur, varijsque modis eos conantur placare.

30 An solis naturæ viribus possimus dolere de peccatis.

Dices: Ergo etiam voluntas potest solis naturę viribus dolere de peccato, vt est offensio Dei.

Respondeo Primò, Negando Consequentiam: Quia voluntati difficilius est efficaciter prestare pœnitentiam, quàm intellectui eam cognoscere. Respondeo Secundò, Admitti potest, voluntatem posse solis naturæ viribus aliquo modo dolere de peccato, sed imperfectè, & non quantum oportet ad remissionem peccati. Quia non eâ æstimatione intellectus & voluntas potest de eo dolere, quâ par est de tanto malo doleri: neque etiam ex eo amore, quo par est, tantum bonum amari. Hoc enim sine auxilio gratiæ prestare nequit: cùm in hoc supernaturalis ratio actus ipsius consistat.

ARTICVLVS VIII. & IX.

Vtrum homo debeat vsque ad finem vitæ pœnitere, idque continuo?

31 De pecca-

RESpondetur; Hominem non posse continuò actu pœnitere, sed benè potest habitu.

Digitized by Google

eo rite cõfeſſo, non teneris ampliùs dolere.

Notandum eſt breuiter: Si quis ſemel peccatum ſuum confeſſus fuit, & de eo doluit, ſicut oportet, pœnitentiamque impoſitam impleuit, non obligari, vt ampliùs de eo actu doleat; ſicut rectè hic docet Caietanus. Imò poſt habitam contritionem, vel attritionem cum Sacramento, non tenetur homo ſub nouo peccato ampliùs elicere in ſe actum diſplicentiæ peccati, aut doloris, vt idem docet: ſufficit enim, vt ſemper diſpliceat negatiuè, id eſt, vt numquam placeat.

32 An conſulatur, vt quis ſæpè de peccatis actu doleat.

Petes: An ſaltem ſit conſulendum, vt quis frequenter peccata ſua commemoret, & dolorem de illis in ſe excitet?

Reſpondeo, Si inde non perturbatur ſcrupulis, vel nouis tentationibus, vel non impeditur ab vtilioribus exercitijs, valdè bonum eſt ſubinde hoc facere. Secùs verò, ſi hoc modo foueretur ſcrupuli, vel alia huiuſmodi incommoda: tũc enim ſatius eſt, vt ſolùm in genere doleat ſe Deũ crebrò offendiſſe. Et hic generalis dolor v. que ad finem vitæ perdurare debet, non quidem ſub præcepto, ſed ſub concilio. Ita intellige Diuum Thomam articulo 8. Quare non rectè dixit Melchior Canus Relectione de Pœnitentia parte 4. teneri nos ſaltem ſub peccato veniali actu dolere de peccatis præteritis, quando occurrunt memoriæ: eò quòd tunc nolle dolere de peccato, ſit peccatum veniale, cùm ſit actus otioſus.

Canus refellitur.

Nam poteſt quis iuſta ratione nolle immorari huiuſmodi cogitationi, aut nolle dolorem elicere: vt ſi timet ſcrupulos, nouas tentationes, aut alia incommoda; tunc enim nullum erit peccatum nolle dolere.

ARTICVLVS X.

Vtrum Sacramentum Pœnitentiæ debeat iterari?

REſpondetur Affirmatiuè. Ratio eſt: Quia non imprimit characterem. V. D. Thomam: cuius argumenta, etſi primariò ſolùm probent penitentiam poſſe iterari, vt eſt actus virtutis; ſecundariò tamen etiam probant, penitentiæ Sacramentum iterari poſſe. Nam hoc Sacramentum nihil eſt aliud, quàm perfectio quædam & conſummatio actus penitendi. 33

Notandum hîc eſt; Nouatianum, & adiutorem eius Nouatum, non negaſſe, quin interior, & etiam exterior penitentia, quatenus virtus eſt, poſſit iterari, & quin homo poſſit ſæpiùs Deo reconciliari; nam hoc vbique Scriptura clarè docet: ſed non eſſe in Eccleſiâ aliquam poteſtatem, aut Sacramentum, per quod, homo poſt Baptiſmum lapſus, Deo reconcilietur.

Error Nouatianorũ quis.

QVÆSTIO LXXXV.
De Pœnitentia, vt eſt virtus.

In Sex Articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Vtrum Pœnitentia ſit virtus?

1 Vis vocis *Penitentia* exutitur contra hæreticos.

NOtandum eſt, Nomen Latinum *Penitentia*, & Græcum *μετάνοια* paſſim in Scripturis, & apud Auctores tum Eccleſiaſticos, tum profanos, vſurpari non pro *nuda reſipiſcentia* (vt volunt noſtri hæretici) ſed pro dolore, & deteſtatione peccatorum, & vindicta pro ijſdem ſponte ſuſcepta: Iob cap. vltimo, verſ. 6. Ago *penitentiam in fauilla & cinere*; id eſt, vindico peccata mea. Lucæ 10. verſ. 13. *Si in Tyro & Sidone factæ fuiſſent virtutes quæ factæ ſunt in vobis; olim in cilicio & cinere penitentiam egiſſent.* Matthæi 12. & Lucę 11. dicitur, *Niniuitas egiſſe penitentiam ad prędicationem Ionæ.* Quibus locis hæretici, vt tollant omnem afflictionem & pœnã pro peccatis ſuſceptam, pro *egerunt penitentiam*; vertunt, *reſipuerunt*: ſed abſurdè: nam Scriptura apertè loquitur de dolore & vindicta pro peccatis aſſumpta; ideò enim dicit *in cinere & cilicio penitentiam egiſſent*: abſurdè autem diceretur, *in cinere & cilicio reſipuiſſent.* Et Niniuitæ grauem afflictionem aſſumpſerunt, vt videre eſt Ionæ capite 3. ſcilicet ieiunium, cilicium, preces. *Nuda* autem *reſipiſcentia* non requirit vllam afflictionem ob peccata commiſſa, imò ne dolorem quidem. Vide Ruardum articulo 3. His adde, ſimili modo apud profanos has voces vſurpari, vt patet ex illo diſticho Auſonij:

Sum Deus, quæ facti, non-factique exigo pœnas:
Nempe vt pœniteat; ſic Metanœa vocor.

His poſitis:

Reſpondetur, Pœnitentiam eſſe virtutem. 2 Pœnitentia eſt virtus.

Probatur Primò: Quia deteſtari peccatum, & illud compenſare, & in ſe vindicare, eſt opus rectæ rationi conſentaneum, & arduum: ergo eſt actus virtutis: atqui hoc opus eſt actus pœnitentiæ: ergo pœnitentia eſt virtus. Confirmatur Primò: Quia nihil aliud ad rationem virtutis requiritur: virtutes enim dãtur ad actus, difficiles, ad quos ipſę pœnitentiæ naturales non ſufficiũt, & conformant illos rectę rationi, ſeu iudicio prudentiæ. Confirmatur Secũdò: Quia conſiſtit in medio duorum vitiorum: quidam enim lætantur de peccatis ſuis; quidam ita dolent vt deſperent: penitentia verò medium tenens, ita dolet, vt peccatum emendet, ſeu compenſet.

Probatur Secundò: Quia præcepta legis diuinæ non dantur, niſi de functionibus virtutum: de Pœnitentia autem datur præceptum diuinum, vt patet Ioëlis 2. verſ. 12. *Conuertimini ad me in fletu & planctu*: & Matthei 4. verſ. 17. *Penitentiam agite*: ergo.

Probatur Tertiò: Quia deteſtari & vindicare alterius peccata eſt virtus, nempe in Iudice, qui in alterum poteſtatem habet: ergo multò magis virtus eſt deteſtari, & vindicare ſua peccata; cùm quiſque in ſeipſum poteſtatem habeat, vt veluti Iudex nomine Dei ſe ipſum tanquam reum puniat.

Notandum autem eſt; Penitentiam variè à Patribus, & Doctoribus deſcribi. Primò, Quatenus eſt habitus quidam. Sic Magiſter diſt. 14. *Penitentia*, inquit, *eſt virtus, ſeu gratia, quâ commiſſa mala cum propoſito emendationis plangimus, & plãgenda iterum non committimus.* Cui ſimilis eſt illa Gregorij homiliâ 34. in Euangelia, *Penitẽ-* 3 Penitentia variè deſcribitur.

1. Vt eſt habitus.

Digitized by Google

iuriam compenſare.

qui actus præcipui Pœnitentiæ.

Notandum eſt Primò: Pœnitentiæ generatim acceptæ eſſe duos præcipuos actus, dolorem de peccato ſeu errore commiſſo, & voluntatem emendandi: quicumque enim facti alicuius pœnitentiâ ducitur, hos duos actus habet, etiamſi conſideret iſtud factum dumtaxat, vt eſt contra rectam rationem, aut contra bonum, vel propoſitum ipſius auctoris. Quòd ſi illud factum etiam conſideretur, vt alteri iniurioſum, ſic voluntas emendandi non ſolùm includit *reſipiſcentiam*, id eſt, propoſitum cauendi in poſterum, ſed etiam propoſitum compenſandi iniuriam. Iniuria enim cenſetur manere poſt factum, veluti læſio quædam alteri inflicta, donec vel condonetur, vel iuſta ſatisfactione compenſetur. Itaque ad emendationem criminis, ſeu vt crimen tollatur, neceſſe eſt, interuenire compenſationem, niſi fortè alterius condonatio præueniat: quod non fit in propoſito.

Notandum Secundò: Peccatum dupliciter ſpectari poſſe: Primò, vt eſt contra proprium honeſtatem virtutis oppoſitæ, ſeu vt eſt contra rectam rationem. Secundò, quatenus eſt offenſio Dei, id eſt, malum quoddam Dei, ipſum quodammodò lædens, & idcircò ipſum ad iracundiam, & inimicitiam prouocans. His poſitis:

10 Dolere de peccato, vt eſt contra proprium bonum oppoſitę virtutis, non eſt op⁹ ſpecialis virtutis.

Dico Primò: Dolere de peccato commiſſo, quatenus eſt contra proprium bonum virtutis oppoſitæ, non eſt opus ſpecialis virtutis, ſed illius contra quam eſt illud peccatum. Patet hæc Propoſitio: Quia ſicuti vnaquæque virtus amat actus ſibi conſentientes, iiſque delectatur, ita odit contrarios, iiſque dolet: eâdem enim inclinatione ferimur in aliquod bonum, & auerſamur malum illi contrarium. Sic temperans dolet de actibus intemperatis, iuſtus de iniuſtis, humilis de ſuperbis: & ſi ipſe eos admiſit, pœnitet eum admiſſorum. *Pœnitere* enim nihil addit ſupra rationem doloris, quàm reſpectum quemdam ad malum, vt à ſe commiſſum. Nam poſſumus dolere de omni malo, pœnitere autem tantummodò de malo à nobis admiſſo. Quare vnâ eâdemque virtute deteſtamur aliquod malum, de eo dolemus, & etiam pœnitemus, ſi illud à nobis commiſſum ſit. Tantùm enim differunt, vt genus & ſpecies: omne enim pœnitere eſt dolere, ſed non contrà. Aduertendum autem eſt, Etſi talis dolor de peccato non ſufficiat ad veram contritionem, ſufficere tamen ad veram attritionem, ſic, vt accedente Sacramento ſufficiat ad iuſtificationem, vt docet Concilium Tridentinum, ſeſſione 14. canone 4.

Pœnitere, & *dolere* quomodo differant.

11 Dolere de peccato, vt offenſa Dei, eſt actus charitatis.

Dico Secundò: Dolere de peccato, vt eſt offenſio Dei, eſt actus Charitatis. Ita Scotus diſtinctione 14. quæſtione 2.

Probatur Primò: Quia, ſicut Charitatis eſt, velle Deo bonum, & gaudere de omni opere bono, quo ipſi obeditur, & honoratur: ita etiam Charitatis eſt, dolere de omni eo, quod quodammodò eſt malum ipſius: quale eſt omne opus, quo ipſe quodammodò contemnitur, & inhonoratur: ergo, ſi tale aliquod opus ab homine committatur, Charitatis eſt pœnitere de illo. Secundò, Charitatis eſt dolere de peccato ad reconciliationem, id eſt, ad recuperandam amicitiam: atqui talis dolor pertinet ad perfectam Pœnitentiam: ergo pœnitentia reſpectu huius actus non diſtinguitur à Charitate. Tertiò probatur ex Cõcilio Tridentino ſeſſione 6. canone 6. vbi odium & deteſtationem peccati, quam vocat *Pœnitentiã*, docet prouenire ex dilectione Dei: cenſet ergo hunc actum Pœnitentiæ eſſe actum Charitatis.

Hic tamen Notandum eſt, vt quis de peccato ſuo doleat, ſeu pœniteat perfectè, expedire non tantùm in genere peccatum conſiderare, vt eſt offenſa Dei; ſed particulares rationes, & malitias, ob quas Deum offendit, eiuſque inimicitiam & iram contrahit. Eſt enim peccatum quidam contemptus Dei, & iniuria, & inhonoratio, & inobedientia, & ingratitudo: omnes enim iſtæ malitiæ ſunt in omni peccato mortifero quodammodò formaliter diſtinctæ, & omnibus illis offenditur Deus. Itaque ob ſingulas meritò pœnitere debemus, non ſolùm quatenus honeſtati, & bono virtutis contrariæ aduerſantur, ſed etiam quatenus ſunt quoddam malum Dei, ipſius offenſiuum.

quæ malitiæ ſint in quouis peccato mortali.

Dico Tertiò: Velle compenſare iniuriam Deo per peccatum irrogatam, & illam in ſe vindicare, videtur eſſe actus virtutis à Charitate, & à cæteris virtutibus particularibus diſtinctæ, excepta Religione, & Iuſtitiâ quadam erga Deum, de quâ art. 3. Eſt ferè communis ſententia Doctorum: D. Thomæ hoc loco, Bonauenturæ, Scoti, Richardi, diſt. 14. & aliorum. Pro quo:

12 velle compẽſare iniuriã Deo per peccatum factã, cuius virtutis actus ſit.

Notandum eſt, per peccatum fieri iniuriam Deo, quatenus ipſe contemnitur, & quodammodò ſpoliatur honore ſummi boni, & peccatori plus tribuitur, quam debeatur. Vtrâque autem ratione debet fieri compenſatio. Et quidem quatenus Deo fit iniuria, debet fieri compenſatio dolore animi ad ipſum directo, confeſſione culpæ, & petitione veniæ. Cùm enim non poſſimus illam iniuriam efficaciter reparare, tenemur illam reparare ſaltem affectu, ſcilicet dolore animi, & ſignis huius affectus; ſcilicet accuſatione noſtri, & petitione venię. Quatenus autem peccator ſibi nimium indulſit, ſic compenſatio fit per vindictam, & quamdam ſui punitionem; qua fit contra naturalem voluntatis inclinationem; quamuis hæc etiam fiat ad compenſationem iniuriæ in Deum commiſſæ. Nunc

Debet fieri compẽſatio iniuriæ per peccatum facta.

Probatur propoſitio: Charitas, aut alia virtus, non ſpectat in ſuo obiecto rationem honeſtatis, quæ eſt compenſare iniuriam illatam: ergo eſt aliqua virtus diſtincta à Charitate, & à cęteris, quę hanc honeſtatem ſpectet. Patet conſequentia: nam vbicumque in obiecto eſt aliqua diſtincta ratio honeſtatis, ibi quoque debet eſſe diſtincta virtus.

Probatur concluſio.

13 1. obiectio

Dices Primò, Hæc compenſatio iniuriæ potiſſimùm fit dolore peccatorum: atqui hic dolor eſt actus Charitatis: ergo velle compenſare iniuriam, eſt actus Charitatis.

Soluitur.

Reſpondeo Negando Conſequentiam: Quia actus, quo fit compenſatio iniuriæ, nõ neceſſariò elicitur ab eadem virtute, à quâ procedit voluntas compenſandi iniuriam; vt patet in Chriſto, qui omnium virtutum actionibus ſatisfecit pro nobis, cùm tamen voluntas ſatisfaciendi, ſeu compenſandi iniuriam Deo illatam, fuerit actus vnius virtutis. Pari ratione, actiones quibus nos ſatisfacimus hominibus, & compenſamus, vel vindicamus iniurias, non eliciuntur immediatè à virtute iuſtitiæ, ſed à potentijs motiuis, quæ in membris reſident. Et ratio eſt, quia id, quo fit compenſatio iniuriæ, eſt obiectum Iuſtitiæ, & actus eius imperatus, nõn elicitus: per hunc enim fit æqualitas, non per actum elicitum: vnde poteſt eſſe alterius virtutis, quàm Iuſtitiæ.

2. Obiectio.

Dices Secundò: Voluntas compenſandi iniuriam poteſt proficiſci à Charitate: nam Chari-

by Google

tatis eſt velle tollere peccatum, quatenus malum eſt, & iniuria: ergo hic actus non debet aſſignari alteri virtuti, quam Charitati.

Soluitur. Reſpondeo Negando conſequentiam: Nam hinc ſolùm ſequitur voluntatem compenſandi iniuriam, poſſe imperari à Charitate. Charitatis enim eſt immediate velle delere peccatum, quatenus eſt offenſio Dei: ſed quia hoc fieri non poteſt, niſi interuentu alicuius compenſationis, imperat Charitas iuſtitiæ, ſeu illi virtuti, cuius eſt inſtaurare æqualitatem, vt velit compenſare: & ipſa voluntas compenſandi imperat actum, quo fit compenſatio, ſcilicet dolorem de peccato directum ad perſonam offenſam. Poſſunt enim virtutes ſibi viciſſim imperare ad conſequendos ſuos proprios fines. Sic affectus Temperantiæ imperat orationem, vt impetret virtutem Temperantiæ, vel eius augmentum: & contrà, virtus Orationis, ſiue affectus Orationis imperat actus Temperantię, vt Deum meliùs oret. Simili modo voluntas delẽdi peccata, vt eſt malum Dei, eſt actus Charitatis, & imperat voluntatem compenſandi pro modulo hominis, quę voluntas eſt actus cuiuſdam Iuſtitiæ: & hæc rurſus imperat alium actum Charitatis, qui eſt dolor de illo peccato. Simili modo vindicare iniuriam Dei continet propriam honeſtatem, quam non reſpicit Charitas, ſed Iuſtitia quędam erga Deum.

14 Voluntas benè viuẽdi deincepsà qua virtute oriatur.

Dico Quartò: Voluntas benè viuendi in poſterum poteſt eſſe actus vel Charitatis, vel Obedientiæ, vel ex generali quodam affectu honeſti, pro diuerſa ratione, quâ voluntas mouetur ad hunc actum. Explicatur: Si quis enim proponat benè viuere, quia id placet Deo, ſic eſt actus Charitatis: vult enim illud, quatenus eſt quoddam bonum Dei, ad quod immediatè inclinat Charitas. Si autem id velit, vt ipſe placeat Deo, ſitque eius amicus, ſic eſt actus imperatus à charitate: Nam velle Deo placere, eique eſſe amicum, eſt actus Charitatis per modum intentionis, qui imperat alium actum, ſcilicet voluntatem benè viuendi; quæ voluntas poteſt eſſe elicita vel ab ipſa virtute Charitatis, vel ab alia, ſcilicet ab Obedientia, vel affectu honeſti. Si autem proponat benè viuere, vt ſatisfaciat præcepto diuino, ſic eſt actus Obedientiæ. Si autem, vt ſaluus ſit, eſt actus imperatus à virtute Spei, elicitus autem ab alia virtute. Si denique id proponat, quia id decet hominem Chriſtianum, eſt actus cuiuſdam affectus generalis ad honeſtum ſupernaturale.

15 quomodo penitentia ſit, vel non ſit diſtincta ab aliis virtutibus

Ex dictis patet, qua ratione virtus Penitentiæ ſit virtus ſpecialis diſtincta à cæteris, & quomodo non ſit diſtincta. Si enim accipiatur Penitentia, quatenus eius actus eſt dolere de peccato, vt eſt contra proprium bonum virtutis, ſic non diſtinguitur à ſingulis virtutibus? quò fit vt attritio poſſit eſſe actus cuiuſuis virtutis. Si autem accipiatur, quatenus eius actus eſt dolere de peccato, vt offendit Deum, ſic non diſtinguitur à Charitate. Si conſideretur, vt eius actus eſt velle compenſare iniuriam Deo illatam, ſiue perfectè ſiue imperfectè; ſic non diſtinguitur à quadam virtute Iuſtitiæ erga Deum. Si denique conſideretur, vt proponit emendationem, ſic quoque non diſtinguitur à Charitate, vel ab Obedientia, vel ab affectu generali honeſti, qui collectionẽ virtutum ſequitur.

ARTICVLVS III.

Vtrum virtus Pœnitentiæ ſit ſpecies Iuſtitiæ?

16 REſpondetur, eſſe ſpeciem Iuſtitiæ commutatiuæ.

Notandum eſt, Satis conſtare ex dictis, qualis virtus ſit Penitentia, quatenus eius actus eſt, dolere de peccato. Solùm difficultas ſuper eſt, quæ virtus ſit, quatenus eius actus eſt compenſare & vindicare iniuriam.

Pœnitẽtia vt cõpenſans iniuriam Deo illatam, ad Iuſtitiam pertinet.

Reſpondeo & Dico Primò: Pœnitentia hoc modo conſiderata, non eſt Iuſtitia propriè dicta: pertinet tamen ad virtutem Iuſtitiæ, ſicut pars potentialis.

Prior Pars eſt contra Durandum diſt. 14. qu. 2. Ratio eſt: Quia Iuſtitia propriè dicta reſpicit perfectam æqualitatem rei ad rem: atqui inter iniuriam Deo illatam, & noſtram ſatisfactionẽ, ſeu compenſationem, non poteſt eſſe perfecta æqualitas: loquimur enim de iniuria peccati mortiferi, quæ ſola eſt abſolutè iniuria in Deum. Confirmatur: Quia ſi qua eſſet æquiualens compenſatio pro iniuria peccati, ea eſſet contritio: atqui hæc nullo modo eſt æquiualens, vt dictum eſt quæſt. 1. de Incarnatione.

Altera Pars eſt communior ſententia Doctorum, & D. Thomæ hoc loco, qui Pœnitentiam vocat *ſpeciem Iuſtitiæ*: non quòd ſit ſpecies propriè dicta: ſed quia eſt pars potentialis iuſtitiæ ſicut Pietas, Obſeruantia, & Religio; quę deficiunt à ratione Iuſtitię, quòd reſpiciant maius debitum, quàm ſit Iuſtitiæ propriè dictæ: ſicut & Veritas & Affabilitas, quia reſpiciunt minus debitum quàm ſit Iuſtitię propriè dictæ.

17 Et ſic non videtur diſtingui à Religione

Dico Secundò: Probabile eſt virtutem Pœnitentiæ, quatenus eius actus eſt compenſare iniuriam Deo illatam, non diſtingui à virtute Religionis, ſed eſſe ipſam virtutem Religionis conſideratam, vt inclinat ad hoc debitum Deo ſoluendum. Ita Caietanus ſuprà art. 2.

Probatur Primò: Quia ſicut Iuſtitia particularis diſponit hominem ad reddendum debitum homini, ita Religio diſponit hominem ad reddendum debitum Deo: ſed iuſtitia particularis inclinat ad ſarciendam iniuriam, vel damnum homini illatum: ergo religio inclinat ad ſarciendam iniuriam, ſi Deo illata ſit. Confirmatur: Quia religio inclinat ad reddendum Deo, quidquid illi debitum eſt, vndecumque ſit debitum ortum; verbi gratia, ſiue ſit ortum ex creatione, & gubernatione, vt debitum ſacrificij; ſiue ex alijs beneficijs, vt debitum gratiarum actionis; ſiue ex illata per nos iniuria, vt debitum ſatisfactionis, ſeu compenſationis iniuriæ.

Probatur Secundò: Pietas inclinat ad compenſandam iniuriam factam parenti, & Obſeruantia ad eam compenſandam, quæ facta eſt Magiſtratui, vel viris honoratis: ergo Religio ad eam, quæ facta eſt Deo. Patet conſequentia à proportione: quia hæ virtutes ſimiliter ſe habent ad ſua obiecta.

Probatur Tertiò: Quia in compenſatione huius iniuriæ eſt tacita quędam proteſtatio excellentiæ diuinæ, non minùs quàm in oratione, voto, iuramento: ergo pertinet ad virtutem Religionis. Antecedẽs patet; Quia quiuis iniuriam Dei cõpenſare, ſicuti decet, inſinuat Deum eſſe ſummũ legiſlatorem, cuius ſanctitati, & legibus omne

peccatum repugnet ; quæ ſignificatio eſt actus Religionis. Similiter petitio veniæ à Deo, & cõfeſſio culpæ, Religionis actus eſt.

18 Soluuntur obiectiones.

Dices Primò: Qui vult compenſare iniuriam, non intendit honorare Deum; ſed delere peccatum, tollere inæqualitatem, & reconciliari: ergo non eſt actus Religionis.

Reſpondeo: Etſi expreſsè non intendit honorem, tamen ſimpliciter & ex natura operis id intendit: ſicut, qui orat, iurat, vouet, non intendit ſemper expreſsè Deum honorare: ſed quia actus iſte ex ſe ad Dei honorem pertinet, ideò cẽſetur Religionis. Adde: Quòd in virtute Religionis contineatur etiam ratio Iuſtitiæ: eſt enim Religio, iuſtitia quædam Deo ius ſuum reddẽs. Vnde etſi pœnitens non vtatur virtute Religionis, vt expreſsè intendit honorare; vtitur tamen illâ, vt inclinat ad reddendum debitum Deo: ſicut Pietas non ſolùm inclinat ad exhibẽdum honorem parenti, ſed etiam ad petendam ab eo veniam ſi offenſus ſit.

Dices Secundò: D. Thomas dicit, Pœnitentiã pertinere ad Iuſtitiam commutatiuam: ergo nõ ad Religionem.

Reſpondeo Primò: Si conſideremus actum Pœnitentiæ, qui eſt vindicare iniuriam, hic immediatè pertinet ad Iuſtitiam quandam vindicatiuam, quæ eſt ſpecies Iuſtitiæ cõmutatiuę. Et hoc modo verum eſt pœnitentiam pertinere ad Iuſtitiam commutatiuam: ſiue enim pœnitens cõſideretur vt iudex, ſe ipſum tanquam reum nomine Dei puniens; ſiue vt reus, tantùm cõpenſans iniuriam illa punitione, ſemper hæc punitio pertinet ad quandam Iuſtitiam cõmutatiuã. Reſpondeo Secundò, Si conſideremus eum actũ, qui eſt voluntas compenſandi iniuriam, hic videtur elici à virtute Religionis, quatenus Religio debitum reddit Deo; & habet quendam modum Iuſtitiæ cõmutatiuæ inter nos & Deum. Et hoc modo videtur D. Tho. hîc loqui de Iuſtitia commutatiua.

Dices Tertiò: Qui pœnitentiâ ducuntur, ſæpè non cogitant expreſsè de iniuria compenſanda, aut vindicanda; ſed ſimpliciter dolent de peccato, & proponunt abſtinere in poſterum: ergo non interuenit hîc aliquis actus Religionis.

Concilium vtile circa vindicandam peccatis iniuriam.

Reſpondeo: Non eſt neceſſe, vt expreſsè cogitent velle iniuriam compenſare, ſeu volo ſatisfacere; ſed ſufficit, vt reipſa id faciant, per quod fit cõpenſatio. Vnde abſolutè ſufficit actus charitatis, nẽpe dolor de peccato vt eſt offenſio Dei: ſic enim actus eſt compenſatio iniuriæ, etiamſi expreſsè non imperetur ab alia virtute. Valdè tamen vtile eſt etiam excitare expreſſam, & formalem voluntatem compenſandi, & vindicandi iniuriam.

ARTICVLVS. IV.

Vtrum Pœnitentia ſit in voluntate, an in appetitu ſenſitiuo?

19 Ad veram pœnitentiam non requiritur neceſſariò dolor patris ſenſitiuæ.

Reſpõdeo & dico Primò: Actus virtutis Pœnitentiæ non requirit neceſſariò vllũ dolorem in parte ſenſitiuâ. Probatur: quia tota ratio virtutis in deteſtatione, & dolore partis ſuperioris de peccato, & in voluntate compenſandi vindicandique, completur; etiãſi nulla ſequatur cõmotio partis ſenſitiuę. Deinde: Pars ſenſitiua non poteſt dolere propter Deum propriè. Nam neque illum attingit cognitione, neque eius iniuriam poteſt æſtimare ergo eius dolor non eſt actus elicitus Pœnitentiæ. Tertiò: Iſte dolor nõ eſt in noſtra poteſtate: atqui functiones virtutũ ſunt in noſtra poteſtate: ergo.

Dices: Pœnitentia requirit opus ſatisfactoriũ, quod eſt pœnale, & ſenſibile: ergo hâc ex parte erit in appetitu ſenſitiuo.

Reſpondeo primò, Ipſam deteſtationem peccati, & dolorem partis ſuperioris eſſe opus pœnale voluntati peccatrici, nec pœnitentia per ſe aliud requirit. Reſpondeo Secundò, Non eſt neceſſe, vt omne opus ſatisfactorium ſit elicitum à Pœnitentia: ſatis eſt ab eâ imperari: Pœnitentia enim, cùm ſit in voluntate, poteſt imperare appetitui ſenſitiuo, & membris corporis, licet non æquè prõptè ille obediat. Et ſic ieiunia, lachrymę, triſtitia ſenſibilis, & ſimilia, ſunt opera pœnitẽtiæ, non quidem elicita, ſed imperata. Hinc patet: Etſi lachrymæ, & dolor ſenſibilis ſint optima ſigna Pœnitentię tamẽ veram Pœnitentiam etiam ſine his eſſe poſſe.

19 Pœnitentia, vt virtus, eſt in voluntate.

Dico Secundò: Pœnitentia, vt eſt virtus, eſt in ſola voluntate, tanquam in proprio ſubiecto. Probatur: Quia deteſtatio peccati propter Deũ, & propoſitum compenſandi, & vindicandi illud, in ſola voluntate ſunt. Confirmatur: Quia hæc virtus non eſt in intellectu; vt per ſe patet: etſi enim preſupponat fidem, tamẽ fides non eſt pœnitentia; neque pars eius, vt volunt hæretici: neque etiam eſt in appetitu ſenſitiuo: ergo in voluntate.

Dices: Cùm in voluntate ſit quodammodò pars iraſcibilis, & concupiſcibilis, in vtrã eſt?

quid faciẽdum homini, vt perfectè pœniteat.

Reſpondeo, in vtrâque: Quatenus enim pœnitentiæ actus eſt dolere de peccato, eſt in volũtate vt concupiſcente: quatenus autem vult vindicare, eſt in voluntate, quatenus eſt iraſcibilis; nam ira nihil eſt aliud, quàm appetitio vindictę. Quare vt homo integrè pœniteat, non ſolùm debet dolere de peccato, ſed etiam iraſci, & expetere vindictam.

DVBIVM I.

Vtrùm in parte ſenſitiua non ſit etiam aliquis habitus Pœnitentiæ?

20 Affirmatur

Reſpondeo, Eſſe. Ita Dominicus Soto d. 14. quæſt. 2. art. 6. Ratio eſt: Quia ex forti ſeu intenſo dolore voluntatis, commouetur pars ſẽſitiua ſuo modo ad dolendum: & ex frequentatione doloris huius naſcitur quædam procliuitas in eadem parte; quæ procliuitas haud dubiè eſt habitus quidam. Pari modo ex appetitione vindictæ frequentata in voluntate, naſcitur in appetitu inferiore commotio iræ crebra & iterata; vnde remanet procliuitas & promptitudo ad ſimiles iras. Hoc enim experimur in omnibus paſſionibus, quòd quò magis illis indulgemus, hoc efficimur ad illas proniores. Vnde neceſſe eſt naturalem pronitatem per acceſſoriam iuuari; idque multò magis in paſſionibus rectę rationi conſentaneis, ad quas appetitus ſenſitiuus naturaliter non propendet, niſi quatenus à ſuperiore, id eſt, ratione mouetur, ac proinde magis eſt capax acceſſoriæ inclinationis, quæ prouenit ex crebro motu rationis, quàm alterius.

Dices: pars ſenſitiua non attingit Deum: ergo non poteſt dolere de peccato propter Deum, ſeu quia eſt iniuria Dei.

Reſpondeo: Non attingit Deum ſub ratione rei ſpiritalis, ſed benè ſub ratione rei corporeæ,

quomodo ornatur ſẽſibilis dolor de iniuria Dei.

quæ rei ſpiritali ſit analoga, ſicut experimur dũ de Deo cogitamus. Quidquid enim cogitat intellectus, etiam in ſe efformat, vel potiùs præformat phantaſia, ſed ſuo modo. Dum ergo pars ſuperior intẽsè dolet de peccato, quatenus eſt iniuria Dei, etiam pars inferior naturaliter mouetur ad dolendum ob eandem iniuriam, ſed corporali modo à phantaſia apprehenſam: quod prouenit ex naturali ſympathia potentiarum; quæ quia in vitali cãdem eſſentiâ fundatę ſunt, actus vnius in alteram redundat.

22 Aduerte tamen; Hunc habitum appetitus inferioris non eſſe infuſum, ſed acquiſitum; vt patet ex dictis. Neque eſſe virtutem, ſed virtutis miniſtrum, ſicut & membra, quamuis ſublimiore modo. Ratio eſt: Quia non mouetur immediatè à iudicio rectæ rationis, quæ eſt proxima virtutis regula; ſed à iudicio phantaſię. Valdè tamen imitatur virtutem Pœnitentiæ, ſicut appetitus inferior imitatur ſuperiorẽ, & phantaſia rationem.

DVBIVM. II.

An Pœnitentia ſit ſolùm in Peccatoribus?

23 REſpondeo: Virtus Pœnitentiæ ſecundùm illum actũ, qui eſt pœnitere, nõ eſt niſi in peccatoribus, ſiue illi ſint in hoc mũdo, ſiue in purgatorio: non tamen in damnatis. Ratio eſt: quia pœnitere eſt de ſuis peccatis dolere propter deũ, & ea vindicare in ordine ad reconciliationem. Quare hoc modo non erat pœnitentia in ſtatu innocentiæ, nec in Chriſto, nec in B. Virgine, nec in Angelis aut Beatis.

In Chriſto, B. virgine, Angelis, & Beatis eſt virtus Pœnitentiæ.

Alio tamen quodam modo, videlicet ſecundùm alios actus, erat in illis virtus Pœnitẽtię. Primò: quia deteſtabãtur peccata aliorũ, quatenus ſunt offenſio Dei, & cupiunt, vt illa in ſe ipſis vindicent. Imò Dominus noſter, aliorum peccatis in ſe acceptis, doluit de illis, vt de ſuis, ſeaque in ſe vindicauit, & iuſtitię diuinæ ſatisfecit; quod ſine virtute pœnitentiæ non eſt perfectũ. Ratio vlterior eſt: quia eiuſdem virtutis eſt affici ſuo obiecto vbicumque inueniatur, ſiue in ſe, ſiue in alio, & dolere de contrario. Temperantia enim afficitur, & delectatur actionibus temperatis; & Iuſtitia iuſtis, in quocumque eas viderit, & deteſtatur contrarios. Quare etiam Pœnitentia deteſtatur iniuriam Dei, cupitque eius vindictam, & ſatisfactionem, à quocumque ſit commiſſa.

Secundò, Erat in illis virtus Pœnitentiæ: Quia qui ſunt benè diſpoſiti, & prompti ad dolendum de peccatis alienis, etiam benè diſpoſiti ſunt ad dolorem ſuorum, ſi quæ haberent: maximè, cùm Angeli & Beati ſpectatâ nudâ naturâ Angelicâ & humanâ peccare poſſint. Quò fit, vt etiã habere poſſint actum quemdam conditionalem Pœnitentiæ, qui ſic exprimitur; *Si peccarem, dolerem*: qui actus eſt affectio quędam, & complacentia ad honeſtatem obiecti pœnitentiæ.

ARTICVLVS V.

Vtrum principium Pœnitentiæ ſit ex timore?

24 REſpondeo, & Dico Primò, Primum Pœnitentiæ principium, diſponens liberum arbitrium ad illam, eſt excitatio diuina gratis mẽti immiſſa. Eſt fide tenenda. Probatur Primò ex ſcripturis: Ieremiæ 31. v. 18. *Converte me Domine, & convertar*; & infrà v. 19. *Poſtquam convertiſti me, egi pœnitentiam.* In quem locum Hieronymus, *Hoc ipſum, quòd pœnitentiam agimus, niſi Dominus nos ante converterit, & niſi Dei nitamur auxilio, nequaquam implere valemus.* Ioan. 6. v. 44. *Nemo poteſt venire ad me niſi pater meus traxerit illum.*

Primum Pœnitentiæ principium eſt gratia dei. Scriptura.

Probatur Secundò ex Cõcilijs. Nam in Concilio Paleſtino definitum eſt contra Pelagium, *Pœnitentiam donum Dei eſſe*; vt teſtatur Auguſtinus epiſtola 106. & in Arauſicano Can. 4. dicitur *Per Spiritus ſancti infuſionem & operationem in nobis fieri, non tantùm vt à peccatis purgemur, ſed etiã vt pulgari velimus* Concilium Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 6. & 14. docet *Principium pœnitentię, & iuſtificationis eſſe diuinam excitationem.* Item can. 5. & can. 3. dicit *Principium pœnitentię eſſe gratiam præuenientem, ſeu præuenientem ſpiritus ſancti inſpirationem.* Vide plura 1. 2. quæſt. 109. art. 6.

Concilia.

25 Dico Secundò; timor ſeruilis eſt principium pœnitentiæ, tanquam primus motus voluntatis ad pœnitentiam ordinatus. Suppono autẽ timorem ſeruilem, & odium peccati ob hunc timorẽ immediatè conceptum, eſſe bonũ, contra hæreticos noſtri temporis: de quo infrà. Probatur: prima ratio quæ ordinariè homini offertur, cur velit ſeriò, & abſolutè relinquere peccatum, eſt timor pœnæ, videlicet gehennæ; iuxta illud Iſaiæ 26. verſ. 18. apud Septuaginta, *A timore tuo concepimus, & quaſi parturiuimus, & peperimus ſpiritũ ſaluti*, id eſt, veram pœnitentiam.

Timor ſeruilis quomodo ſit principium Pœnitentiæ.

Notandum autem ex D. Thoma hoc loco, & ex Concilio Trident. ſeſſ. 6. can. 6. quòd primus motus, quo diſponimur ad pœnitentiam, eſt *excitatio diuina*, vt dictum eſt. Secundus motus eſt *motus Fidei*, quâ inter cętera credit peccator Deũ pœnas æternas peccatis conſtituiſſe. Hinc oritur tertius motus, qui eſt *timor ſeruilis*, quo homo timet damnari propter peccata ſua; & idcircò incipit illa odiſſe, & proponit relinquere. Timor itaque ſeruilis, quo inſtar ſeruorum timemus pœnam, & deteſtamur peccatum propter pœnã, eſt primus motus affectus ſeu voluntatis ad penitentiam ordinatus. Nam ſola excitatio diuina prędcedit, quę non eſt motus liber, ſed impulſus quidam neceſſarius à Deo immiſſus; & fides, quę eſt motus intellectûs. Quartus motus eſt Spes veniæ: peccator enim conſiderans Dei miſericordiam, qui gratis impium iuſtificat per Chriſtum, concipit ſpem venię, per quam à timore illo terribili reſpirat. Quintò, incipit Deum diligere ob immenſam illius bonitatem; & miſericordiam, per quam peccata condonat, & iuſtitiam infundit. Sextò, odit peccatum, quatenus eſt offenſio Dei, tanquam benigniſſimi Patris, & proponit illud compenſare.

26 Ordo motuum, & actuum pœnitentiæ.

Dico Tertiò: Pœnitentia procedit à charitate, ſeu timore filiali, tanquam proximo principio imperante. Patet ex ſerie actuum iam deſcriptâ: & ratio eſt; quia non eſt perfecta pœnitẽtia per ſe idonea ad reconciliationẽ, niſi de peccatis doleamus, eaque vindicemus, quatenus Deum offendũt; ac proinde, niſi doleamus ex affectu beneuolentiæ, ſeu charitatis in Deum: vt patet exemplis humanis: qui enim offendit Principem, ſi non doleat quòd ipſum offendit, ſed tantùm, quòd ſibi nocuit, non meretur reconciliationẽ; quæ nihil eſt aliud, quàm beneuolentiæ recuperatio. Quòd autẽ D. Thomas ait, *Pœnitentiam debere procedere à timore filiali*, ſic accipiendum eſt, vt charitas, quatenus odit & timet peccatum, vt

27 quomodo pœnitentia procedat à charitate, vt proximo principio.

Digitized by Google

offenſam benigniſſimi Patris, vocetur *Timor filialis*: per illam enim bene diſponimur, & inclinamur ad timendam Dei offenſam, tanquã optimi Patris, quem ſummè amare, & cuius offenſionem filij diligentiſſimè cauere debent.

Petes: An omnes iſti actus ſint neceſſarij ad veram pœnitentiam?

28 qui motus ſint neceſſarij aduerſum pœnitentiam.

Reſpondeo: Excitatio diuina eſt omnino neceſſaria. Similiter actus fidei, ſeu prudentiæ ſupernaturalis, quæ fide nititur. Deinde actus ſpei; nam ſine ſpe veniæ non poſſumus pœnitere, præterea actus dilectionis. Timor autem ſeruilis nõ ſemper eſt neceſſarius; quia fieri interdũ poteſt, vt quis ſine metu vllo damnationis, ex cõſideratione, & amore diuinæ bonitatis conuertatur: vt videtur cõtigiſſe in Paulo, & Magdalena. Neque etiam expreſſa voluntas compenſandi, aut vindicandi peccatum eſt neceſſaria, vt ſuprà dictum eſt: ſufficit enim dolor de peccato ex amore Dei cum propoſito emendationis.

ARTICVLVS VI.

Vtrum Pœnitentia ſit prima virtutum?

29 quos habitus virtutũ præſupponat pœnitentia.

Reſpondeo & Dico Primò: habitus Pœnitentię non eſt prior habitibus aliarum virtutum. Probatur: quia non prior tempore, cùm omnes virtutum habitus ſimul infundãtur, iuxta communem ſententiã: nec etiam prior naturã; quia pœnitentia ſupponit fidem, tamquam propriam regulam, vel ſaltem prudentiam infuſam ſupponit, quę fide tãquam fundamento, & principio nititur. Deinde, etiam Spem ſupponit; quia nemo inclinatur ad pœnitentiam, niſi Spe veniæ. Tertiò, Charitatẽ ſupponit: nam Charitas reſpicit Deum ſub priori ratione, quàm pœnitentia: reſpicit enim Deũ abſolute, vt ipſe in ſe ſummum bonum eſt: Pœnitentia autẽ ſolùm ſuppoſito peccato reſpicit Deum, quatenus Deo debetur à creatura compenſatio propter iniuriam: quorum poſterius ortitur ex priore; idcircò enim Deo fit iniuria per peccatum; quia ipſe eſt ſummum bonum, quod peccato contemnitur.

Dices: Poteſt quis dolere de hoc ſolo, quod Deum iniuriã affecerit, non curando ipſius amicitiã aut honorẽ: ſed ſolùm, quòd omnis iniuria, & præſertim erga Principem, ſit deteſtanda.

Reſpondeo, Fortaſſe id fieri poſſe: ſicut fieri poteſt, vt quis doleat, quòd Principi fecerit iniuriam, etſi illum non amet. Verùm hic dolor non erit perfecta pœnitentia, nec ſufficiet per ſe ad reconciliationem, vt patet ex ſuprà dictis: nam perfecta pœnitentia manare debet ex beneuolentia eius, quem offenderis.

Dico Secundò: Actus pœnitentiæ perfectus nõ eſt primus actus virtutum. patet ex ſerie actuum ad pœnitentiam neceſſariorum.

Dico Tertiò, actus tamen Pœnitentiæ plerumque prior eſt actibus virtutum moralium; vt Tẽperantiæ, fortitudinis, iuſtitiæ particularis, & ſimiliõ. Probatur: quia recta ratio dictat, vt peccator priùs Deo per Pœnitẽtiam recõciliari ſtudeat, quàm aliįs virtutum operibus incumbat. Nam ſine hac reconciliatione virtutum opera, quantumuis magna, nihil proſunt. 30

QVÆSTIO LXXXVI.

De effectu Pœnitentiæ quoad peccatorum mortalium remiſſionem.

In Sex Articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Vtrum omnia peccata mortifera per Pœnitentiam remoueri poſſint?

1 Pœnitẽtia delet quæuis peccata.

Reſpõdeo: Fide tenendum eſt, nullum eſſe peccatum adeò graue, aut peccatorum mẽſuram adeò magnam, quæ per veram pœnitentiam deleri nequeat. Definitur in Conc. Lateranenſi ſub Innocentio III. Capitulo *Firmiter*. *Si poſt ſuſceptionem baptiſmi quiſquã prolapſus fuerit in peccatum, per veram poteſt ſemper pœnitentiam reparari.* Ex quo etiam ſequitur, peccata ante Baptiſmum commiſſa poſſe per pœnitentiam deleri, videlicet per eam, quæ coniuncta eſt baptiſmo, vel eius voto.

Scriptura. Probatur Primò, Et Scripturâ: quia frequenter Dominus veniam pollicetur peccatorũ omnium, ſi impium verè pœnituerit. Ezechiel 18. & 33. Iſaiæ 1. & 55. Ieremiæ 18. Matth. 11. & 18. Apoſtolis promittitur poteſtas ſoluẽdorum omnium peccatorum, *Quæcumque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælis*; idque non ſolùm *ſepties* faciendum docet, *ſed & ſeptuageſies ſepties*, id eſt, infinities, ſeu quotieſcũque opus erit. Ioannis 20. v. 23. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.* Idem docent omnes Patres.

Ratio quadruplex.

Probatur Secundò, Ratione. Primò: Quorſum Deus daret homini auxilium ad pœnitendum, ſi non eſſet paratus illi pœnitenti ignoſcere, cùm pœnitentiæ finis ſit remiſſio, & reconciliatio cũ Deo? Secundò: vera pœnitentia eſt ex amore Dei, quo Deus diligitur ſuper omnia, atqui hic amor facit Dei amicum, iuxta illud Ioan. 14. v. 21. *Qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ad eũ veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* Tertiò: Per pœnitentiam applicantur nobis Chriſti merita, quę ſunt infinitæ efficacitatis: ergo, quãtumuis multa peccata inuenerint, ea delebunt. Quartò: Quia alioqui eſſet maior hominis iniquitas, quàm Dei miſericordia: nam, etiamſi homo faceret omnia, quæ ex parte ſuâ ſunt neceſſaria ad remiſſionem peccatorum, Deus tamen non ignoſceret.

Sed contrà Obijcitur ex Scripturis: 1. Regum 2. v. 25. *Si peccauerit vir in virum, placari ei poteſt Deus; ſi autem in Deum peccauerit vir, quis orabit pro eo?* ergo peccatum in deum eſt irremiſſibile. 2 1. obiectio hæreticorum.

Reſpondeo: Senſus non eſt, neminem pro talì poſſe rogare (vt multis exemplis oſtendit Ambroſius lib. 1. de Pœnitentia cap. 8.) ſed non eſſe cuiuſuis, verùm amici; eò quòd peccata in Deũ difficiliùs remittantur, quàm in homines. Sicut, qui principẽ immediatè læſit, non tam facile inuenit, qui pro ſe velit rogare, quàm is qui læſit priuatum. Soluitur.

Digitized by Google

3 1. obiectio quod peccatum in Spiritū S. ſit irremiſſibile.

Obijcitur Secundò: Matthæi 12. Marci 3. & Lucę 12. Dominus affirmat *peccatum in ſpiritum ſanctum non remitti in hoc ſæculo, neque in futuro*: ergo &c.

Reſpondeo: D. Auguſtinus ſermone 11. de verbis Domini, putat hunc locum vnum eſſe ex difficillimis totius Scripturæ. Sentit autem *Peccatum in Spiritum ſanctum* eſſe *finalē impenitentiam*, id eſt, omne peccatum mortiferum, in quo quis finit hanc vitam; quod conſtat non eſſe remiſſibile. Idem multis alijs locis docet. Sed hæc expoſitio non ſatisfacit. Primò: quia Dominus loquitur de aliquo peccato, quod committitur in hac vitâ, non in morte; vt patet Marci 3. vbi inſinuat Phariſæos commiſiſſe *hoc peccatum*, quādo dixerunt *ipſum habere Spiritum immundum*. Secūdò: quia loquitur de certo genere peccati, nempe de *blaſphemiâ quâdam in ſpiritum ſanctum*: atqui finalis impenitentia non eſt certum genus peccati, ſed circumſtantia omnis peccati. Tertiò: quia ſi eſſet ſermo de finali impenitentia, non aptè diceretur, quòd *non remittatur in hâc vita*: quis enim hoc ignoret, cùm ex terminis conſtet?

Solutio D. Auguſtini: ſed non placet.

Vnde D. Thomas *per peccatū in Spiritum ſanctū* hoc loco intelligit *peccatum ex certâ malitia*; idque eſſe irremiſſibile, quòd difficulter remittatur.

Solutio D. Thomæ etiam refellitur

Sed nec hoc ſatisfacis: quia certum eſt Dominū loqui de quâdam ſpecie peccati; nempe de *blaſphemiâ in ſpiritum ſanctum*: atqui peccatum ex malitia poteſt eſſe quoduis genus peccati.

4 Vera ſolutio.

Dicendum ergo, per *Peccatum in Spiritum ſanctum*, intelligi *oppugnationem agnitæ veritatis fidei, quam ſpiritus ſanctus revelat, & miraculis teſtatur*: ſicut quod Iudæi, cùm ſcirent Chriſtum ex Deo loqui, eiuſque opera diuinâ virtute fieri, tamen eius doctrinam, & opera calumniabātur, tanquā à Diabolo profecta: vt conſtat ex 3. cap. Marci. vbi *peccatum in ſpiritum ſanctum* vocatur *peccatum Phariſæorum*, quod committebant, cùm dicerent, *In beelzebub ejcit dæmonia*. Operatio enim miraculorum, & illuſtratio mentium tribuitur Spiritui ſancto: ipſe enim eſt, qui docet omnem veritatem, ipſe eſt qui ſingulis diſtribuit gratias gratis datas, inter quas eſt *operatio virtutum, & gratia ſanitatū* 1. ad Corinthios 12. Hæc eſt cōmunis ſententia Patrum, Hilarij, Hieronymi, Chryſoſtomi, Anſelmi, Theophylacti in caput 12. Matth. Athanaſij in homilia de hâc re. Ambroſij libro 2. de Penitentiâ cap. 4. & libro 1. de Spiritu ſancto cap. 3. Hieronimi epiſtola ad Marcellam de Blaſphemiâ in Spiritum ſanctum. Vide Maldonatum in hunc locum Matthæi. Dicitur autē hoc peccatum *Irremiſſibile*, tum quia, qui ſic peccant, rarò aut nunquam perueniunt ad penitentiam; eò quòd repudient illud, per quòd poſſent curari: ſicut æger, qui repudiat pharmacum, quo ſolo curari poteſt, *incurabilis* dicitur.

5 3. obiectio

Obijcitur Tertiò: 1. Ioannis 5. v. 16. *Eſt peccatum ad mortem, non pro illo dico, vt roget quis.*

Solutio: quis ſenſus Ioan. *Eſt peccatū ad mortem*: &c.

Reſpondeo: ſenſus eſt, ſi proximus tuus grauiſſimum aliquod peccatum commiſit, ita vt omnino videatur incurabilis: nolo tibi certò promittere, quòd Deus te pro illo orātem exaudiet. Dixerat enim Ioannes anteà, Deum nos exauditurū, quidquid peteremus; proindeque monet, *Si cognouerimus fratrem noſtrum peccare peccatum non ad mortem*, id eſt, cui non omnino obſtinatè inhæreat, *vt oremus pro illo*, nempe cum certâ fiduciâ, *& dabitur ei vita*: non tamen, inquit, hoc etiā dico de peccatis grauiſſimis, quibus aliquis obſtinatè inhæret. Quare tantū vult dicere, nos non poſſe certò cōfidere, quòd propeccatis grauiſſimis proximorum exaudiemur, ſicut pro minoribus.

Obijcitur Quartò; De Elau, & Antiocho Vide D. Thomam ad 2.

DVBIVM.

Verum omnes homines poſſint agere pœnitentiam de ſuis peccatis?

6 Damnati non poſſūt debitè pœnitere.

REſpondeo & dico Primò: Damnati non poſſunt vllo modo pœnitere de peccatis ſuis, ſicut oportet ad veniam in pertrādam, ſeu quatenus ſunt offenſio, & iniuria Dei. Ratio eſt: tum quia hæc pœnitentia ſine auxilio gratiæ haberi non poteſt, quâ damnati omnino carēt: tum quia damnati ſunt omnino obſtinati in malo, & in odio Dei, idque ob grauiſſima ſupplicia, quæ Deus ipſis infert ſine vllâ ſpe relaxationis. Dolēt tamē ſe peccaſſe, & odio habent peccatū, quatenus eſt fons, & cauſa illorum ſuppliciorum: & ſic dicuntur pœnitentiam agere in inferno. Simili modo pœnituit Antiochus 2. Machab. cap. 9. Doluit enim de peccatis, quatenus erant cauſa ſupplicij diuini, quod illum iam apprehenderat.

7 Poſſūt autem omnes Viatores habentes vſum liberi arbitrij.

Dico Secundò: Omnis viator habens vſum liberi arbitrij poteſt pœnitere de peccatis ſuis. Ratio eſt: quia nemini habenti vſum rationis, & cōſequēter liberi arbitrij, pro tempore, & loco deeſt auxilium ſpeciale, quo ad veram pœnitētiam poſſit pertingere, vt alibi oſtenſum eſt. Imò hoc loco D. Thom. dicit *eſſe erroneū, aſſerere eſſe aliquod peccatū in hâc vitâ, de quo quis penitere non poſſit.* Nec ſatisfacit, quod quidam aiunt D. Thomā ſolùm velle dicere, hominē poſſe pœnitere, ſi Deus det illi auxilium efficax ad pœnitendum, non autē velle tale auxiliū omnibus dare. Nam hoc non tātùm eſt *erroneum*, ſed etiā manifeſtè *hereticum*. Neque vllus vnquam hæreticus hoc negauit; quorſum ergo opus erat hoc dicere? Vide Ioannē Medinam codice de Pœnitentia quæſt. 11. vbi contrariam ſentētiam dicit eſſe *impiam*. Omitto alios Doctores.

ARTICVLVS II.

Virum ſine Pœnitentia, peccatum mortiferum poſſit remitti?

8 Affirmant hæretici.

HÆretici nullam veram pœnitentiā neceſſariam eſſe volunt, ſed ſolam fidem ſufficere: nempe eam, quâ quis certò credat Chriſtum pro peccatis ipſius pleniſſimè ſatisfeciſſe, & ob hāc ſatisfactionē omnia peccata pleniſſimè apud Deum eſſe condonata; nec aliud requiri, quàm vt ipſe hoc fortiter credat.

Concedunt tamen huic fidei initio coniunctā eſſe contritionem, quam dicunt eſſe *terrorem, & concuſſionem conſcientiæ ex minis væ divinæ conceptam*; deinde *reſipiſcentiam*, quâ quis proponit meliorem vitam: ſolam tamen *fidem* faciunt cauſam remiſſionis peccatorū. Ita docet Caluinus libro 3. Inſtit. cap. 3. §. 1. & ſequēnibus. Et Lutherus art. 11. & 12. & in aſſertione eorundem apud Roſſenſem Verùm:

6 Negāt Catholici.

Dicendum eſt: Ad remiſſionem peccati mortiferi ſecundùm legem ordinatā non ſufficere ſolam fidem ſine verā pœnitentiā formali, vel virtuali. Dico, *ſecundùm legem ordinatam* diuinitùs: quia de potentiâ abſolutâ eſt alia quæſtio. Eſt fide tenendum. Patet ex Concilio Tridentino ſeſſ. 14. can. 4. & cap. 4. & ſeſſ. 6. c. 14.

Probatur

Scriptura. Probatur Primò, Ex Scripturis: nam in veteri teſtamento ferè nihil aliud prædicabant Prophetę populo, quàm vt pœnitentiam agerent, ſi ſalui eſſe vellent: Iſaię. 1. Ieremiæ 16. Ezechiel 18. & 33. Ioel. 2. & alibi. In nouo teſtamento idem ſæpiſſimè præcipitur: Matth. 3. v. 2. *Pœnitentiam agite; appropinquauit enim, &c.* Lucæ 13. v 5. *Niſi pœnitentiam habueritis, omnes ſimiliter peribitis.* Actorum 3. v. 19. *Pœnitemini, & conuertimini, vt deleantur peccata veſtra.* Apocal 2. v. 5. *Age pœnitentiam, & prima opera fac.* Idem docent Patres, quos citat Gratianus diſt. 1.

Ratio. Probatur Secundò: Ratione. Primò, Quia par non eſt, vt Deus alicui ignoſcat, eumque in amicitiam recipiat, niſi doleat ſe offendiſſe: alioqui videretur in hominum peccata conſentire. Confirmatur: quia etiam inter homines is, qui principem aliquem iniuriâ affecit, non conſequitur veniam, niſi oſtendat ſe dolere. Secundò, Peccator propriâ voluntate ſe à Deo auertit, Deumq; contempſit: ergo, vt reconcilietur, veniamque impetret, neceſſe eſt vt viciſſim propriæ voluntatis motu ſe ad Deum conuertat, & de illatâ iniuriâ doleat. Confirmatur: nam qui iniuriam intulit, & nullum ſignum doloris oſtendit, cenſetur adhuc in eâdem voluntate perſeuerare. Tertiò: Is, qui cupit ſeriò iniuriam condonari, & obtinere reconciliationem, conatur quantum in ſe eſt, eam compenſare: atqui hoc fit dolore, ſeu pœnitentiâ.

10 Ante Baptiſmum. Hinc fit, vt etiam in Baptiſmo adultis aliquo peccato mortifero infectis neceſſaria ſit pœnitẽtia, id eſt, diſplicentia, & dolor de peccato commiſſo: quidquid dicat hoc loco Caietanus. Nam vt rectè Concilium Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 1. & 4. docet, *Pœnitentia in omni ſtatu fuit lapſis neceſſaria, etiam iis qui baptizantur*, Vnde Actorum 2. v. 38. Petrus ait; *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnuſquiſq; veſtrum in remiſſionem peccatorum*: vbi *pœnitentiam* diſtinguit *à baptiſmo*, & inſinuat eſſe neceſſariam ad remiſſionem. Idem docet Fulgentius lib. De fide ad Petrum cap. 30. tanquam pertinens ad fidem Catholicam.

DVBIVM. I.

An ſaltem per potentiam Dei abſolutam, quæ præter legem ordinatam poteſt operari, poſſit peccatum mortiferum ſine pœnitentiâ remitti?

11 Si adſit actualis cõplacentia peccati. PLerique Thomiſtæ putant id nullo modo fieri poſſe: quia D. Thomas abſolutè loquitur, dicens, *id eſſe impoſſibile.*

Reſpondeo & Dico Primò: Per nullam potentiam fieri poteſt, vt alicui remittatur peccatum, qui adhuc actualem retinet complacẽtiam. Probatur: quia remittere peccatum non eſt tantummodò nolle punire, vt quidam putant; ſed condonare iniuriam, nec eam imputare ad culpam, ac proinde non cenſere hominem ampliùs iniurium, odio dignum, & indignum amicitiâ. Atqui, ſi Deus non cenſeret eum, qui actu peccat, ſibi iniurium, odio dignum, & indignum amicitiâ, interpretatiuè cenſeretur in peccatum conſentire, illudque approbare: eſſet enim Deus amicus maleficorum, & conſequenter approbator maleficiorum.

12 Si abſit actualis cõplacentia. Dico Secundò: Tranſacto opere peccati, ſi nulla reſtat complacentia actualis, poteſt Deus remittere peccatum ſine omni pœnitentiâ, aut bono animi motu. Ita Scotus, & Gabriel diſt. 14. Ioan. Medina codice de Penitentiâ quæſt. 7. & inſinuat Caietanus, cùm ait D. Thomam intelligendum de potentiâ ordinariâ.

Probatur: Quia poſt actum peccati nihil remanet in peccatore, præter inclinationem, ſeu pronitatem quandam habitualem ad ſimilem actum, obligationem ad pœnam, & indignitatem quandam ſeu inæqualitatem inter Deum & hominem: atqui inclinatio illa non eſt peccatum: nam etiam poteſt eſſe in homine iuſto, & poteſt tolli ſine vllo actu hominis per infuſionem inclinationis contrariæ, vel ſubſtractionem diuini influxus, ſine quo non poteſt ſubſiſtere. Obligatio quoque ad pœnam tolli poteſt per nudam condonationem, vt patet inter homines. Indignitas autem illa, ſeu dignitas odij, ſeu inæqualitas, quę eſt culpa habitualis; ſimiliter tolli poteſt: quia Deus ex metâ ſuâ miſericordiâ poteſt prius peccatum deſinere imputare ad dignitatem odij, & inæqualitatem ſua bonitate ſupplere, condonando quidquid homo ratione præcedẽtis peccati ipſi debet; nempe non ſolùm pœnam, ſed ipſum etiam dolorem de peccato. Confirmatur: Quia Deus, vt remittat peccatum, non neceſſitatur vt exigat ab homine Pœnitentiam, vel aliquem bonum animi motum. Poteſt ergo hęc omnia ipſi condonare, & ex ſola ſuâ miſericordia omnia ſupplere, ſicque peccata remittere. Verùm, quamuis hæc ita ſint; nullo tamen modo expedit; neque eſt diuinæ ſapientiæ, prouidentiæ, & iuſtitię ſatis conſentaneum, quamuis non ſit contrarium.

13 Soluuntur obiectiones. Dices Primò: Peccator manet habitualiter auerſus à Deo: atqui auerſio non poteſt tolli, niſi per contrariam conuerſionem: ergo neceſſe eſt: vt fiat aliqua mutatio in voluntate per aliquem actum.

qua ratio ne ceſſetur homo auerſus à Deo per peccatum. Reſpondeo: Illa auerſio, quæ manet ſemper poſt peccatum, non eſt auerſio aliqua realis, ſed ſolùm eſt morale quoddam in æſtimatione hominum poſitum: Cenſetur enim peccator auerſus à Deo, quia peccando illum contempſit, & pro hoc contemptu non ſatisfecit, nec ei eſt facta condonatio. Sicuti patet exemplo iniuriæ humanę, quæ cenſetur manere, donec ſit condonata, vel pro eâ ſit ſatisfactum. Itaque poteſt hæc auerſio condonatione tolli. Adde; etiamſi eſſet hęc auerſio quid reale & phyſicum, poſſet tamẽ tolli, Deo deſinente conſeruare id: quod in eâ eſt reale; vnde non eſt opus contrariâ conuerſione.

Dices Secundò: deus non poteſt alicui remittere peccatum, niſi faciendo iuſtum: atqui peccator non poteſt fieri iuſtus, niſi reali mutatione voluntatis.

Poteſt remitti peccatum ſine reali mutatione voluntatis, vel infuſione gratiæ. Reſpondeo: Non poteſt fieri ita perfectè iuſtus, ſicut modò, ſine reali mutatione volũtatis: poteſt tamen fieri imperfectè iuſtus, quantum ſatis eſt ad remiſſionem peccati. Ex dictis etiam patet, poſſe remitti peccatum ſine infuſione gratiæ, vel alterius doni realis in animâ; vt alibi oſtenſum eſt in tractatu de Gratiâ. Probatur: Remiſſio peccati per ſe primò conſiſtit in eo, quòd peccatum non ampliùs imputetur ad inimicitiam, ſeu ad dignitatem odij: quod fieri poteſt per ſolum fauorem diuinum, ſine vllo dono creato.

DVBIVM II.

Vtrum illa Pœnitentia, quæ eſt neceſſaria ad remiſſionem peccati mortiferi, requirat expreſſam, & formalem deteſtationem peccati; ita vt ſine hâc peccatum non condonetur?

14 Conſcio QVidâ, inter quos eſt Durandus, & Melchior Canus exiſtimant, hanc expreſſam deteſta-

peccati mortalis necessaria est formalis pœnitentia ad remissionem.

tionem esse necessariam.

Respondeo & Dico Primò: In eo qui habet cõscientiam peccati mortiferi, vel certè adhibitâ diligentiâ, facilè potest recordari, necessaria est ad remissionem peccati, formalis & expressa peccati detestatio. Ita Ioannes Medina codice de Pœnitentiâ quæst. 7. Petrus Soto lectione 4. de Pœnitentiâ, Dominicus Soto dist. 15. q. 1. art. 2. & alij recentiores.

Probatur Primò: Quia Scriptura ad remissionem peccati passim requirit pœnitentiam; vt suprà dictum est: ergo, si formalis pœnitentia aliquando est necessaria ad remissionem peccati, certè tunc maximè, quando peccator eius recordatur, vel potest recordari. Confirmatur: quia formalis pœnitentia tantùm propriè & vsitatè dicitur *Pœnitentia*: tantùm enim dicimus eum propriè *pœnitere*, qui dolet de peccato; non autem eum, qui amat Deum sine vllâ cogitatione peccati: ergo quando Scriptura loquitur de *pœnitentiâ*, maximè intelligit formalem pœnitentiam.

Probatur Secundò: Quia Concilium Tridentinum sessione 6. cap. 6. aperte indicat actum pœnitentiæ debere esse distinctum à dilectione: ergo non semper sufficit dilectio, quæ est virtualis pœnitentia. Et sessione 14. cap. 4. *Detestationem peccati omni tempore fuisse necessariam, nec sufficere vitæ nouæ propositum, sed etiam requiri odium veteris vitæ*; quod tamen propositum videretur sufficere, si non requireretur formalis pœnitentia: sicque verum esset, quod dicunt Lutherus, & Caluinus *Pœnitentiam nihil esse, nisi nouam vitam.*

15 Obiectio soluitur.

Dices: Dilectio Dei super omnia sufficit ad iustificationem: ergo non requiritur detestatio peccati, aut dolor.

Antecedens Probatur: *Vniuersa delicta operit charitas.* Prouerb. 10. v. 12. &. *Qui diligit me, diligetur à Patre meo.* Et, D. Augustinus tractatu 5. in epistolam Ioannis, *Dilectio sola discernitur filios Dei, & filios Diaboli.*

Dilectio vera Dei non est in eo, qui cõscius peccati mortalis, de eo non dolet.

Respondeo: Sufficere quidem dilectionem: Sed vera dilectio in eo, qui conscientiam peccati mortiferi habet, vel facile habere potest, non potest esse sine verâ pœnitentiâ, & dolore peccati; vt rectè Petrus Soto. Qui enim Deum offendit & non eminit, vel facilè potest meminisse, non verè illum diligit, si actu non doleat de offensione.

Ille enim actus non est secundùm iudicium prudentiæ, quo dirigitur charitas; hoc enim iudicium dictat, vt qui Deum offendit, primò doleat se offendisse, si reconciliari cupit. Similiter dictat, vt conscientiam ante omnia exèuiamus, ne fortè sit aliquid, quo amicitiam Dei violauerimus: nisi fortè id antè factum sit. Quare qui hæc negligit, non censetur verè Deum amare, quamuis habeat actum aliquem amori similem. Cõfirmatur: quia verus amor ante omnia nititur delere, & tollere malum Dei, quod est in suo subiecto: alioqui non est absolutus & efficax amor, qui non nititur tollere malum amati.

Instabis: Adhuc prior est dilectio Dei, quàm odium peccati; quia hoc odium ex illâ nascitur: sed peccatum remittitur, quando quis habet veram dilectionem: ergo ante pœnitentiam.

Respondeo: Perfecta dilectio Dei in peccatore nõ est prior detestatione peccati, sed eam quodammodò includit. Quia non censetur dilectio perfecta, nisi extendat se ad abolendam ipsius iniuriam dolendo de peccato commisso. Vnde Cõcilium Trident. sess. 6. cap. 6 ante detestationem peccati solùm vult antecedere inchoatam dilectionem: *Incipit*, inquit, *diligere Deum, tãquam omnis iustitiæ fontem*: nam non censetur perfectus actus dilectionis in peccatore, qui non conatur expellere malum dilecti.

Dico Secundò: Qui non est sibi conscius alicuius peccati mortiferi, & moralem adhibuit diligentiam, potest iustificari per actum charitatis sine formali pœnitentiâ. Probatur: quia talis dilectio reuerà est perfecta; & extenderet se ad odium peccati, si eius meminisset; & omnia facit, quæ iudicium prudentiæ dictat necessariò facienda ad diuinam amicitiam: ergo delet peccatum occultum. Confirmatur: quia sicut legimus Lucæ 13. *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis*: ita Ioannis 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*, & tamen quando non potest haberi Baptismus, sufficit votum, quia ex parte hominis nihil deest quo minùs actu baptizetur: ergo pari modo, quando pœnitentia formalis haberi non potest, sufficiet virtualis inclusa in actu dilectionis, modò ex parte hominis nihil desit, quò minùs habeat pœnitentiam formalem; id est, modò debitam diligentiam fecerit in excutiendâ conscientiâ.

16 In non cõscio peccati mortalis, sufficit virtualis pœnitentia, scilicet dilectio.

Dices: Talis tenetur conditionaliter pœnitere.

Respondeo; Etsi hoc bonum sit, non tamen tenetur; quia id nullo iure præscribitur. Alioqui posset quis dicere, eum, qui non est sibi conscius peccati mortiferi, teneri etiam ad conditionaliter confitendum: quod apertè falsum est.

ARTICVLVS III.

Vtrum per pœnitentiam possit vnum peccatum sine altero remitti?

17 Per potentiam ordinariam nõ potest remitti vnũ mortale sine aliõ.

RESpondeo & Dico Primò: Secundùm legem ordinatam non potest vnum peccatum mortiferum sine altero remitti. Est communis Doctorum sententia. Vide Ioan. Medinam codice de Pœnitentiâ, quæst. 12. Probatur Primò; Quia nullum peccatum mortiferum remittitur sine infusione gratiæ: atqui gratia omne peccatum mortiferum excludit, cùm omnibus aduersetur. Secundò: Alioqui posset vnus idemque simul esse filius gehennæ, & filius regni. Tertiò: Deus nunquam sanauit aliquem imperfectè, sed semper simul omnes morbos depulit: & ex eo, qui habebat legionem dæmonum, omnes expulit, nullum reliquit, vt significaret omnia peccata mortifera simul expelli.

18 Secùs, per potentiâ absolutâ.

Dico Secundò: Per potentiam tamen absolutam facilè potest vnum peccatum mortale sine altero condonari. Est contra Dominicum Soto, & quosdam alios Thomistas. Sed communiter tenetur ab alijs. Ita Medina citatus. Probatur Primò: quia Deus non necessitatur ab omnia peccata cõdonanda simul; sicut homo non cogitur ad omnes iniurias condonandas. Quòd si homo potest ei, qui multas intulit iniurias, alias condonare, alias reseruare, cur non idem possit Deus in suis iniurijs? Secundò: Deus potest condonare pœnam vnius peccati, reseruatâ pœna alterius: cur non similiter culpam, & iniuriam?

Dices: Non potest quis esse simul filius Dei, & diaboli: quod tamen sequetur.

Respondeo: Si loquamur de absolutâ Dei potentiâ, hoc non sequetur. Quia per hanc potentiam potest fieri remissio vnius peccati mortiferi, sic tamen vt ille non fiat filius Dei, sed maneat

d by Googl

filius diaboli: quia poteſt fieri remiſſio ſine infuſione gratię. Sed eſt

DVBIVM

Vtrùm homo poſſit pœnitere de vno peccato, ſic tamen vt non pœniteat de alijs à ſe commiſſis?

19 RESpondeo: Non poteſt legitimè pœnitere de vno peccato, vt eſt offenſio Dei, quin ſimul peniteat de alijs, quæ memoriæ occurrunt.
Ita D. Thomas hoc loco, & alijpaſſim. Solus Medina codice de Penitentiâ quęſt. 12. art. 2. videtur ſentire contrarium, quamuis fortaſſe ſolùm in modo loquendi diſcrepet.

quomodo poſſit quis dolere de vno peccato, & non de altero.

Probatur: Quia dupliciter fieri poteſt, vt quis doleat de vno peccato à ſe commiſſo, ſic vt non de altero: Primò, Si adhuc velit in altero permanere: & hic dolor parum prodeſt; nam non excludit propoſitum peccandi: neque ſeriò dolet quia Deum offendit, cùm etiam per alterum offenderit. Secundò, Si nolit quidem in vllo permanere; tamen hoc tempore velit ſolùm excitare dolorem de vno peccato grauiore, eumque nullo modo extendere ad alia peccata: qui dolor etiam non ſufficit ad reconciliationem, quia reconciliatio poſtulat, vt omnem iniuriam deteſteris, doleaſque de eâ ſaltem generatim.

Ratio eſt: Quia ad reconciliationem requiritur quædam compenſatio pro offenſione; & iniuriâ illatâ: hæc autem compenſatio fit dolore peccati exhibito & directo perſonę offenſæ: ſi ergo de aliquo peccato non vult nunc dolere, ſaltem generatim, non cenſetur velle nunc compenſare, ac proinde non eſt dignus veniâ, neque reconciliatione. Confirmatur: quia in omnibus peccatis eſt eadem ratio dolendi, ſcilicet offenſio Dei: ergo cùm dolet de vno, non eſt ratio cur non doleat de alijs, quę memoriæ occurrunt, vel facilè poſſunt occurrere, ſaltem generatim: ergo dolor de vno peccato non extendens ſe ad alia, non eſt legitima & ſeria penitentia.

Dices: non tenetur hoc tempore de omnibus dolere, cùm præceptum Penitętiæ ſit affirmatiuũ, quod non obligat pro omni tempore: ergo poterit de vno dolore, reiecto dolore alterius in aliud tempus.

Reſpondeo, Etſi non teneatur quouis tempore de omnibus dolere; tamen quando cupit reconciliari Deo, debet dolere de omnibus, alioqui dolor non erit legitimus, nec ſufficiens ad reconciliationem; quamuis etiam non ſit futurus culpabilis.

ARTICVLVS IV.

Vtrum remiſſa culpa per pœnitentiam, maneat reatus pœnæ?

20 Caluiniſtæ. RESpondet D. Thomas affirmatiuè.
Notandum eſt; Caluinum cum ſuis docere, Deum à iuſtis nullas expetere pœnas in vindictâ prętęritorum peccatorum, ſed eos tantùm paternè caſtigare ad profectum & emendationem in futurum. Vide Ruardum art. 6. vbi fusè eius verba refert, & refutat. Lutherani autem non ſatis ſibi in hac re conſtant, vt refert Bellarminus.

Sententia Catholica affirmat. Reſpondeo: Certâ fide tenendum eſt, condonatâ culpâ ſæpè remanere in iuſtificatis reatum ſeu obligationem pœnæ temporalis. Ita Concilium Tridentinum ſeſſ. 14. can. 12. *Si quis dixerit, totam pœnam ſimul cum culpâ remitti ſemper à Deo, ſatisfactionemque pœnitentium non eſſe aliam, quàm fidem, qua apprehendunt Chriſtum pro eis ſatisfeciſſe; anathema ſit.* Idem docet ſeſſ. 6. cap. 14. Dixi *ſæpè remanere*; quia poſſet eſſe tam perfecta pœnitentia, vt ſimul culpa, & omnis pœna debita condonaretur, qualis fuit in Magdalena, Paulo, Latrone & huiuſmodi.

Probatur Primo, Ex Scripturis: Geneſ. 2. v. 17. *Quacumque die comederis, morte morieris*: vbi Dominus minatur mortem in pœnam peccati, quam pœnam omnes luimꝰ etiam remiſſâ culpâ, vt patet ad Romanos 5. v. 12. *Per peccatum mors in omnes pertranſiit.* Numerorum 14. cùm populꝰ murmuraſſet, Dominus dimiſit illis hanc culpam propter preces Moyſis; tamẽ in vltionẽ peccati nemo ex illis ingreſſus eſt terram promiſſionis, prętęr Ioſue & Caleb, qui non murmurauerant, ſed omnes in deſerto mortui ſunt. Simili modo puniuntur Moyſes & Aarõ Num. 20. Et cùm 2. Regum 12. v. 13: Dauid dixiſſet *Peccaui*; reſpondit Nathan; *Tranſtulit*, id eſt, condonauit, *Dominus peccatum tuum*; ſcilicet quoad culpam & pœnam ętęrnam; tamen puniuit illum morte filij. Neque Dominus dixit, *Vt caueas in futurum, filius morte morietur*; ſed *quia Blaſphemare feciſti inimicos nomẽ Domini*: apertę inſinuans hoc fieri in vindictam peccati prætęriti. Sic 2. Regum 24. poſt pœnitentiam ob numeratum populum, & culpam cõdonatam, datur optio, vt eligat bellum, famem, aut peſtem, in pœnam peccati. Eadem eſt ſententia omnium Patrum. Vide Andream Vegam lib. 13. in Trident. cap. 37. & 38. & Ruardũ ar. 6. qui eſt de Satisfactione.

Scriptura.

Probatur Secundò: Ratione. Primò, Quia peccatum non ſolùm eſt contra amicitiam Dei, ſed etiam contra iuſtitiam: ergo quamuis Deus recipiat aliquem in ſuam amicitiam, ignoſcendo culpam; non tamen idcircò tollitur obligatio ſatisfaciendi iuſtitiæ. Vt etiam exemplis humanis cõfirmari poteſt: etſi enim quis alteri condonet inimicitiam, non tamen idcircò condonat ſatisfactionem. Secundò: Quia ſi nullum debitum penę remaneret, daretur maxima licentia peccandi: nã plerumque metus pœnę magis reuocat à peccato, quàm culpæ.

Sed contra: Obijcitur Primò. Sublatâ cauſâ tollitur effectus: pœna temporalis eſt effectus culpæ: ergo ſublatâ culpâ nulla ampliùs reſtat penæ obligatio. Reſpondetur: Multas eſſe cauſas, quæ etſi tranſeant, tamen relinquunt poſt ſe effectum: vt patet in cauſa generante, & in genito; in luce, & calore; in ſuſpendio & morte; in merito & prę-mio, alijſque infinitis. Illud autem Axioma, *Sublata cauſa tollitur effectus*: intelligitur de effectis, quæ in exortu & conſeruatione ſui dependent à ſuâ cauſâ. Obligatio autẽ penæ temporalis, etiãſi in exortu dependeat ex culpa (non enim niſi ex culpâ oritur) tamen in conſeruatione ſui non dependet: vnde remiſſa culpâ poteſt permanere.

21 1. Obiect.

Soluitur.

An, & quo modo verum, *Sublata cauſa tollitur effectus.*

Obijcitur Secundò: Penitens, remiſſo peccato fit amicus Dei: ergo Deus illum non puniet.

2. Obiect.

Reſpondeo, Negando Conſequentiam: Quia etiam amicus poteſt exigere ſatisfactionem iniuriæ, vt iuſtitię ſatisfaciat.

Obijcitur Tertiò: Deus dicitur obliuiſci peccatorum, quando reconciliatur: ergo non punit ea. Reſpondeo: Dicitur *obliuiſci peccatorum* quoad inimicitiam & poenam æternã, quatenus deſinit eſſe inimicus, & non ampliùs vult inferre pœnam æternam: non tamen obliuiſcitur quoad pœnam

22 3. Obiect. quomodo Deus dicatur obliuiſci peccatorum.

temporalem inferendam. Sic dicitur *nō noſſe peccatores*, quia non noui tanquam amicos, geritque ſe erga illos in benefaciendo, tanquam ſi non nouiſſet: non tamen in puniendo.

4. Obiect. Obijcitur Quartò: Quando Chriſtus remittebat peccata, non faciebat mentionem vllius pœnæ ſubeundę: ergo &c. Reſpondeo: Quando Chriſtus per ſe remittebat peccata, conſentaneum erat ipſius excellenti poteſtati & benignitati, vt etiam pœnas ſimul condonaret; nempe vt perfecta eſſet condonatio. Et fortaſſe interius illos ita mouebat, vt perfectione contritionis ſatisfacerent.

23 5. Obiect. Obijcitur Quintò: Contritio, ſeu pœnitentia tollit pœnam æternam: ergo multò magis poterit tollere pœnam temporalem. Et Confirmatur: quia contritio vt duo, poteſt tollere pœnam ęternam: ergo contritio vt quatuor, poterit tollere ęternam & temporalem, quantumuis magnam.

Cur contritio non tollat ſimul temporalem pœnam cū æterna. Reſpondeo, Contritio non tollit pœnam æternā per ſe primò, ſed ſolùm conſequenter, quatenus tollit culpam, ex qua debitum pœnæ ęternæ ſequebatur. Pœna autem temporalis non condonatur ex conſequenti, eò quòd aliqua culpa vel macula tollatur, ex quâ dependeat; ſed per ſe primò. Quare oportet aliquid aliud exhibere Deo, quod iſti pœnę quodammodò in ratione ſatisfactionis adæquetur.

ARTICVLVS V.

Vtrum remiſſa culpa mortali, tollantur omnes reliquiæ peccati?

24 quę dicuntur reliquiæ peccati. Reſpondetur: Non ſtatim omnes reliquias tolli. Pro quo notandum eſt; dum committitur peccatum, per illum actum naſci in anima quandam prauam diſpoſitionem, & veluti pondus ad ſimiles actus: & ſi peccatum frequentetur, naſcitur etiam habitus, id eſt, firma inclinatio.

Hæ inclinationes vocātur *reliquiæ peccati*. Conſtat autem has reliquias ordinariè non ſtatim tolli per pœnitentiam, ſed manere etiam iniuſtificatis; vt docet Concilium Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 8. qui ſæpè ſentiunt: præſertim in initio conuerſionis, magnas in abſtinendo ab illicitis difficultates. Vide Origenem homil. 8. in Leuit. vbi diſputat de cicatricibus, quæ curato peccato in anima permanēt. Quod autem D. Thomas ait. *Manere in iuſtificatis magis per modum diſpoſitionū, quàm habituum*, non ſic intelligendum eſt, quaſi ſemper ſecundùm ſubſtantiam ſuam imminuantur & debilitentur in iuſtificatione: hoc enim verum non eſt: (nam ſępè fit vt quis iuſtificetur ſine actibus, qui prauis illis habitibus ſint contrarij.) Sed quia poſt iuſtificationem non dominantur voluntati, ſicut anteà; cùm gratia ſupprimat earum vires, nec ſinat in actum exire. Quam ob cauſam dicuntur etiam *debilitatæ & diminutæ*, etiamſi fortaſſis ſecundùm ſubſtantiam ſuam ęquè intenſę ſint.

ARTICVLVS VI.

Vtrum remiſſio culpæ ſit effectus Pœnitentiæ?

Reſpondetur Affirmatiuè. Et patet ex dictis art. 1. Solùm:

25 Actus pœnitentiæ quomodo conſiderari poſſint, & quomodo ſint cauſſa remiſſionis peccati. Notandum eſt, Actus Pœnitentię, vt eſt Contritti, Confeſſio, Satisfactio, dupliciter poſſe ſpectari: Primò, Vt ſunt partes materiales Sacramēti: & hoc modo concurrunt effectiuè & inſtrumentaliter ad remiſſionem peccatorum: nempe vt inſtrumenta moralia. Nam ex Chriſti inſtitutione applicant nobis ipſius meritum: Contritio quidem & Confeſſio ad remiſſionem culpę: Satisfactio autem, vt eſt in propoſito, ad remiſſionem culpę; vt autem in executione, ad remiſſionem pœnæ tantùm. Hæc tamen applicatio non perficitur ante verbum abſolutionis, à quo actus pœnitentis vim Sacramentalem potiſſimùm accipiunt. Secundò ſpectari poſſunt, vt ſolùm ſunt actus virtutis Pœnitentiæ: & ſic Contritio ad remiſſionem peccati concurrit vt diſpoſitio, & etiam quodammodò vt compenſatio, ſeu ſolutio pro iniuria peccati, quamuis imperfecta. Diſponit enim ad gratiæ infuſionem, quâ peccatum quaſi formaliter deletur, ſicut tenebrę luce: & ſatisfacit quodammodò Deo pro iniuriâ illatâ, vt ſuprà dictum eſt.

26 Dominic⁹ Sotorefellitur. Quæ autem Dominicus Soto hoc loco diſp. 15. quęſt. 1. artic. 6. diſputat de actu pœnitentiæ, vt oſtendat eundem actum eſſe ab habitu gratiæ, & etiam diſpoſitionem ad eundem habitum, videntur aliena à veritate, vt oſtenſum eſt 1. 2. quęſt. 113. art. 8. Vnde & id, quod ex eo infert, à veritate alienum videtur: nempe actum Penitentiæ, vt eſt à gratia, eſſe cauſam remiſſionis peccatorum efficientem, ſeu meritoriam; vt autem eſt à libero arbitrio, eſſe cauſam eius diſpoſitiuam.

Nam Contritio in nullo momento eſt à libero arbitrio, quin etiam à gratia præueniente & comitante: & hoc duntaxat modo eſt diſpoſitio ad gratiam iuſtificationis. Deinde etiamſi concederemus, quod tamen non concedimus, eandem contritionem poſſe eſſe ab habitu gratiæ; tamen verum non eſſet illam contritionem eſſe cauſam efficientem & meritoriam de condigno remiſſionis culpæ mortalis, vt ipſe videtur velle: quem ſequitur Ruardus artic. 6. Nam ſi contritio conſideretur, vt procedit à gratiâ ante remiſſionem peccatorum, non erit operatio filij, ſeu perſonæ abſolutè gratæ. Nemo enim eſt abſolutè filius, aut gratus Deo, in quo eſt culpa mortifera. Quare illa contritio non erit meritoria de condigno remiſſionis peccati mortiferi. Vniuersè enim verum eſt, neminem per vllum actum à ſe procedētem poſſe ſibi mereri de condigno remiſſionem peccati mortiferi: vt oſtenſum eſt quæſtione 114. De gratia.

Digitized by Google

QVÆSTIO LXXXVII.

De remiſsione venialium peccatorum.

In Quatuor Articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Virum peccatum veniale ſine Pœnitentia remitti poſsit?

1 Variæ ſententiæ.

SVnt hîc quatuor ſententiæ. Prima Scoti diſt. 21. quæſt. 2. remitti peccata venialia per quoduis opus meritoriũ hominis iuſti, quod magis placeat Deo, quàm diſpliceant venialia, relatum ad hanc remiſſionem impetrandam. Secunda Durandi diſt. 16. quæſt. 2. vbi requirit formalem pœnitentiam: vult tamen ſufficere attritionem. Tertia eſt quorundam recẽtiorum, qui dicũt requiri perfectam contritionem, qualis requiritur ad remiſſionẽ peccati mortiferi: ſufficere tamen interdum, ſcilicet quãdo peccata venialia memoriæ non occurrũt, contritionem virtualem. Quarta eſt D. Thomæ, requiri penitentiam actualem, vel virtualem extra vſum Sacramenti, non tamen perfectam cõtritionem.

Pro ſolutione: Suppono, poſt actum peccati venialis permanere in homine non ſolum reatum, id eſt, obligationem, ſeu debitum pœnæ; ſed etiam culpam habitualem, id eſt, maculam quandam & labem animæ, quæ eius munditiem contaminet, quamuis hæc læuis ſit, & facilè delebilis; nec deſtruat eius ſupernaturalem pulchritudinem, ſed veluti iniecta macula contaminet. Vnde differt hęc macula à labe peccati mortiferi; quæ & fœdiſſima eſt, & ſuapte naturâ indelebilis, & totam pulchritudinem ſupernaturalem animæ deſtruens. Nunc

2 Non quouis opere meritorio remittũtur venialia.

Dico Primò, Etſi Scoti ſententia non ſit improbabilis, probabilius tamen eſt, non quouis opere meritorio remitti peccata venialia, quamuis ad horum remiſſionem dirigatur.

Probatur Primò, Quia multa opera bona poſſunt conſiſtere cum affectu peccati venialis: ergo per illa non remittitur. Probatur Conſequentia, Quia nihil expellitur, niſi per ſuum contrarium. Nec ſufficit, ſi dicas, opus meritorium cõtrariari illi, quatenus ad illud delendum refertur: nam hæc relatio non facit ipſum opus magis contrarium, quàm per ſe ſit, cùm illud non immutet.

Probatur Secundò, Si quouis opere meritorio ad id relato remittitur peccatum veniale: ergo numquam in homine iuſto remittitur culpa venialis per Sacramentum Pœnitentię. Patet Conſequentia, Quia voluntas confitendi in homine iuſto eſt meritoria, ac proinde ſemper remitteretur per hanc voluntatem ante Sacramentum: quod videtur eſſe contra communem ſenſum, ſeu æſtimationem fidelium.

Probatur Tertiò, Homo plerumque eſſet ſine omni peccato veniali; nam fæpè iuſti faciunt aliquid boni operis meritorij. Quod non videtur ſatis conſentaneum illi ſententiæ. 1. Ioãnis 1. verſ. 8. *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus.*

Obiectio ſoluitur.

Dices: Quoduis opus bonum in homine iuſto meretur gratiam, & vitam æternam: ergo multò magis remiſſionem peccati venialis, præſertim ſi ad eam ordinetur.

Reſpondeo Negando Conſequentiam: Ratiõ eſt, Tum quia omne opus bonum ſupernaturale ex naturâ ſuâ ordinatur ad præmium vitæ æternæ, non ad remiſſionem peccati venialis: tum quia peccato veniali, cùm ſit offenſio quædam Dei & iniuria, debetur ſatisfactio, ſeu compenſatio: atqui non quoduis meritum eſt ſatisfactio pro peccato; quia neque corrigit voluntatem circa peccatum, neque repugnantiam habet cum iniuriâ. Vnde patet hanc rationem non valere à maiori ad minus: quia vita æterna, etſi ſit maius quid, quàm remiſſio peccati venialis, tamen eſt diuerſæ rationis.

3 Ad remiſſionem venialis peccati sæpe requiritur aliqua pœnitentia.

Dico Secundò, Ad remiſſionem peccati venialis requiritur ſemper aliqua pœnitentia; non tamen expreſſa & formalis, quâ quis doleat de illo; ſed interdum ſufficit implicita ſeu virtualis.

Prior Pars Probatur Primò, Quia Scriptura ad remiſſionem peccatorum paſſim requirit pœnitentiam: loquitur autem in genere de omnibus peccatis, quamuis principaliter de mortiferis: ergo requirit aliquam pœnitentiam venialiũ. Confirmatur: Quia Apocal. 2. Spiritus ſanctus imperat pœnitentiam quibuſdam Epiſcopis ob quædam peccata venialia, & niſi faciant, minatur vindictam.

Probatur Secundò, Ex D. Auguſtino epiſt. 48. ſub finem; *Nec quemquam putes ab errore ad veritatem, vel à quoquã ſeu magno ſeu parvo peccato ad correctionem ſine pœnitentiâ poſſe tranſire.* Et lib. de vera & falſa Pœnitentia cap. 8. *Pœnitentia aſſiduè peccanti, aſſiduè neceſſaria eſt: in multis enim offendimus omnes, quæ quotidie remittuntur, ſi ſemper deplorentur.*

Altera Pars Probatur: Ad remiſſionem peccatorum mortalium aliquando ſufficit implicita pœnitentia, nempe quando memoriæ non occurrunt, vt ſuprà dictum eſt: ſufficit enim actus charitatis, qui eius ſit conditionis, vt ſi peccatum memoriæ occurreret, illud propter Deum deteſtaretur: ergo in ſimili caſu, & quidem multò magis, ſufficit implicita pœnitentia ad remiſſionem peccati venialis.

Dico Tertiò, Ad remiſſionem peccati venialis non videtur ſufficere quęuis attritio etiam in homine iuſto.

4 Non tamẽ ſufficit quæuis attritio, etiã in iuſto.

Probatur Primò, Quia alioqui nunquam remitteretur culpa venialis per Sacramentum Pœnitentiæ in homine iuſto, ſed ſemper per attritionem pręcedentem, quæ requiritur vt neceſſaria diſpoſitio ad hoc Sacramentum. Quod videtur contra communem ſenſum fidelium Doctorum & indoctorum, qui hęc peccata confitentur, vt abſoluantur à culpa.

Secundò, Qui dolet de peccato veniali ob turpitudinem peccati, vel ob pœnam quàm metuit, non dolet ſicut oportet ad reconciliationem; quę requirit, vt doleas de peccato, quatenus aliquo modo Deum offendit: ergo hęc attritio non ſufficit per ſe ad remiſſionem peccati venialis.

Tertiò, Peccatum veniale verè offendit Deum, iuxta illud, *In multis offendimus omnes*: quãuis non

ized by Google

ita grauiter, vt diſſoluat amicitiam: ergo peccator debet de eo dolere, quatenus ipſum offendit. Patet Conſequentia: Quia alioquin non doleret de eo, quod eſt præcipuum in peccato, ſcilicet de offenſione Dei: ac proinde non quantum ſatis eſt ad remiſſionem: ergo attritio, quæ eſt dolor de peccato ob turpitudinem, vel ob pœnam impendentem, non ſufficit ad remiſſionem. Confirmatur: Quia talis attritio non dolet de peccato, vt habet ordinem ad Deum: ergo non eſt iuſta compenſatio pro offenſione in Deum.

5 Nõ eſt neceſſaria perfecta contritio, ſed imperfecta.

Dico Quartò: Ad remiſſionem peccati venialis non requiritur perfecta contritio: ſed ſufficit, & neceſſaria eſt quædam contritio imperfecta. Prior Pars Probatur: Quia contritio perfecta ſufficit ad remiſſionem peccati mortiferi, vt omnes concedunt: atqui non eſt credibile Deum exigere tantam ſatisfactionem pro peccato veniali, quantam pro mortifero: ergo non exigit contritionem perfectam. Quod confirmatur exemplo humano: Princeps enim non tantam exigit ſatisfactionem & dolorem ab amico, qui leuiter illum offendit ſaluâ amicitiâ, quantam ab eo qui grauiter offendit, ita vt inimicitiam contraxerit, vt à proditore, vel inimico; id enim eſſet contra æquitatem: nam compenſatio iniuriæ debet ſuo modo iniuriæ commenſurari.

6 Conuenientia & diſconuenientia peccati mortalis & venialis.

Vt autem Secunda Pars intelligatur, & Probetur: Notandum eſt, vtrumque peccatum & mortale & veniale offendere Deum; ac proinde de vtroque dolendum, quatenus eſt offenſio Dei: alioquin non doletur de eo, vt oportet ad reconciliationem, vt dictum eſt. Verùm quia peccatum mortiferum ſic offendit Deum, vt amicitiam eius euertat, & bonum creatum illi quodammodò anteponat, ideò de eo dolendum tanquam de ſummo malo, & ex perfecto affectu amicitiæ, quo Deus diligatur ſuper omnia, vt hac ratione & amicitia inſtauretur, & Deus omnibus rebus anteponatur: ſic enim fit compenſatio, non quidem ex æquo, tamen ſecundùm conuenientem proportionem. Per peccatum autem veniale, etſi Deus offendatur, amicitia tamen non diſſoluitur, nec creatum bonum Deo anteponitur. Vnde non eſt neceſſe, vt de eo doleas ex amore Dei ſuper omnia, ſed ſufficit vt ex aliquo affectu beneuolentiæ ſeu charitatis erga Deum doleas.

Confirmatur: Quia non omnis affectus beneuolentiæ, ſeu charitatis erga Deũ eſt dilectio Dei ſuper omnia: (non enim neceſſe eſt omnem beneuolẽtiam erga Deum ad hanc perfectionem pertingere:) ſimiliter nec omne odium peccati, quatenus eſt iniuria Dei, eſt odium peccati ſuper omne malũ: ergo dantur quidam affectus erga Deũ, & odia ſeu dolores de peccatis, quatenus ſunt iniuria Dei, minoris perfectionis: atqui hæc ſufficiunt ad peccati venialis remiſſionem; nam debitam cum eâ proportionem habent. Peccatum enim veniale, etſi ſit quædam Dei offenſio, non tamen eſt ſummum malum, nec perimit diuinam amicitiam, nec præponit creaturam Deo, ſicut peccatum mortale: ergo ad eius compẽſationem non eſt neceſſe dolere de eo, tanquam de ſummo malo, aut ex perfectâ dilectione qua Deus omni bono anteponatur, & amicitia redintegretur. Eſt autem hic dolor imperfecta quædam contritio, inſufficiens quidem ad remiſſionem peccati mortiferi extra Sacramentum; tamen ad remiſſionem peccati venialis eſt ſpecies quædam attritionis, multum accedens ad naturam contritionis; cùm habeat quodammodò idem obiectum formale, quamuis non eodem modo in illud tendat: nam aliâ æſtimatione tum intellectûs tum voluntatis tendit perfecta contritio in peccatum, aliâ tendit hęc attritio: ſicut alio modo amatur aliquid vt finis, alio vt ſimplex bonum, quod non concipitur vt finis. Hoc modo intellige Doctores, qui dicunt requiri contritionem ad remiſſionem peccati venialis: vt Richardus diſt. 21. artic. 3. quæſt. 1. & quidam alij: loquuntur enim de contritione in genere. Eadem videtur mens D. Thomæ hoc art.

quę ſit imperfecta contritio.

DVBIVM.

Quomodo remittatur culpa venialis, in quâ quis ex hac vitâ diſcedit?

LOquor autem de remiſſione culpæ, non pœnæ. Conſtat enim pœnam non remitti, niſi eius perpeſſione, vel aliorum ſuffragijs. Omiſſis varijs ſententijs. 7

An, & quomodo poſt mortẽ poſſit anima aliquid mereri.

Reſpondeo, Remitti per formalem pœnitentiam ex perfectâ dilectione manantem. Nam anima iuſti ſtatim poſt mortem cognoſcit ſuum ſtatum, & omnes culpas quibus adhuc eſt contaminata: ergo ex dilectione Dei concipit de illis formalem pœnitentiam, eaſque quatenus Deum offendunt, deteſtatur. Patet Conſequentia: Quia ſtatim fertur dilectione in Deum, cùm nihil habeat impedimenti, & ſimul clarè cognoſcat has culpas Deo diſplicere. Colligitur hæc ſententia ex D. Thoma quæſt. 7. de Malo, art. 11. &, ſuppoſita fide, ratio naturalis id conuincit.

Dices; Anima poſt hanc vitam non poteſt ampliùs mereri: ergo nec impetrare remiſſionem culpæ.

Reſpondeo Primò, Non poſſe ampliùs mereri aliquid, quod pertineat ad præmium eſſentiale, ſcilicet gradum aliquem gratiæ vel glorię: nihil tamen vetat, quin poſſit mereri aliquid accidentarium, ſcilicet ſublationem alicuius impedimenti; qualis eſt culpa venialis. Ita D. Thomas in 4. diſt. 21. quęſt. 1. art. 3. ad. 4.

Reſpondeo Secundò, Illam pœnitentiam non habere rationem meriti, ſicut nec orationes Sanctorum, quia ſunt extra ſtatum merendi: habet tamen rationem diſpoſitionis contrariæ peccato, vel etiam iuſtæ compenſationis, quâ poſitâ, Deus culpam illam remittit. Nihil tamen per hoc condonatur de pœnâ; alioqui multiplicatis huiuſmodi actibus tota pœna tolleretur, quod falſum eſt: nam hæc non tollitur, niſi ipſa ſolutione per pœnas purgatorias. Ita D. Thomas loco citato de Malo, quæſt. 7. art. 11.

An ad remiſſionẽ, ſingula peccata mortalia rememoranda ſint. 8

Notandum eſt Primò; Id, quod D. Thomas in corpore ait, ad remiſſionem peccati mortiferi requiri, vt homo diligentiâ præſtet ad ſingula peccata mortifera rememoranda, vt ſingula deteſtetur, intelligendum eſſe, ſuppoſito præcepto confeſſionis. Nam alioqui non eſt neceſſaria ſingulorum cõmemoratio, cùm poſſit homo generatim vitam præteritam deteſtari, & proponere emendationem; vt patet in multis qui ſubitò iuſtificati fuerunt. Valdè tamen illa commemoratio eſt vtilis ad perfectiorem dolorem concipiendum.

Notandum Secundò, in reſponſione ad 2. Martyriũ purgare ab omni peccato mortali & veniali, niſi actualiter inuenerit voluntatẽ peccato inhęrentem: quod intellige, ſi tamen antè præceſſerit ſaltem attritio, vt ſuprà dictum eſt: alioqui non poterit vllo modo delere peccatum mortiferum; & credibile, nec veniale: quia ſine aliqua pœnitentia & voluntatis retractione non eſt remiſſio.

oogle

ARTICVLVS II.

Vtrum ad remiſſionem peccati venialis requiratur gratiæ infuſio?

REſpondetur, Non requiri. Fundamentûm D. Thomę eſt, quia non quouis actu charitatis, quo remittitur peccatum veniale, etiam augetur gratia. Itaque cùm ad remiſſionem peccati venialis ſolùm requiratur aliquis motus gratiæ vel charitatis ipſi repugnans, non requiritur gratiæ infuſio.

9 Ratio D. Thomæ.

Diſſoluitur.

Verùm hoc fundamentum D. Thomæ eſt parùm firmum. Imò contrarium eſt multò probabilius, vt oſtenſum eſt 1. 2. q. 114. art. 8. Ratio eſt, Quia omnis actus, quo remittitur peccatum veniale, eſt etiam meritorius augméti gratiæ, vt D. Thomas, & omnes ferè Doctores admittunt. Et colligitur apertè ex Tridétino ſeſſ. 6. cap. 10. Quòd ſi eſt meritorius augmenti gratiæ: ergo hoc augmentum ſtatim infunditur, dum fit opus; & conſequétur, dum fit remiſſio peccati venialis. Non enim eſt vlla ratio huius augmenti differendi. Quandocumque enim aliquid meremur, Deus illud non differt, niſi quia vel pertinet ad præmiũ alterius vitæ, ſicut eſt viſio Dei & immortalitas; vel quod nondum expedit nobis. Atqui augmentum gratiæ ſemper eſt valdè expediens, & pertinet ad ſtatum huius vitæ. Cur ergo Deus illud differat? Dices, Deus expectat, vt elicias actum intenſiorem, quàm ſit habitus, & tunc dabit augmentum.

Sed contrà: Quid ſi tota vitâ non faciam actum intenſiorem, ſed omnes ſint pares ipſi habitui gratiæ; non creſcam in virtutibus? Deinde, Non eſt veriſimile, Deum exigere actum habitu intenſiorem, vt conferat augmentum gratiæ, cùm ne in patria quidem actus ſint futuri ſuis habitibus intenſiores. Tertiò, Actus boni agunt meritoriè ad augmentum habituum: non eſt ergo opus illâ philoſophiâ, quâ ſtatuitur actus non augere habitum, niſi eo ſit intenſior: hoc enim ſolùm locum habet in actibus virtutum acquiſitarum, qui non meritoriè, ſed phyſicè & effectiuè augent ſuos habitus.

10 Remiſſio venialium per ſe primò non poſtulat gratiæ infuſionem.

Reſpondeo & Dico Primò: Remiſſionem peccati venialis per ſe primò nõ poſtulare gratiæ infuſionem, quia non extinguit charitatem, nec diluit amicitiam, ſed ſalua charitate committitur: vnde ſine nouâ charitatis infuſione, quantum eſt ex ſe, tolli poteſt. Nam gratia, quæ antè inerat, poſitâ diſpoſitione peccato veniali repugnante, diuinitus ordinari poteſt ad eius deletionem.

11 Poſtulat tamen eam vt perfecto modo fiat.

Dico Secundò, Vt remiſſio peccati venialis perfecto modo fiat, valdè probabile eſt requiri gratiæ infuſionem.

Probatur Primò, Quia alioqui, quando quis iuſtificatus eſt & mũdatus à peccato veniali, non erit mens eius aliter diſpoſita, quàm antea; ac proinde illa remiſſio fiet ſolùm per extrinſecam condonationem, & nudam non imputationem: qui modus condonationis eſt imperfectus: nam per eam mens non conformatur intrinſecè diuinæ legi.

Probatur Secundò, Quia peccatum veniale non remittitur, niſi infundatur gratia; vt patet ex iam dictis: ergo illa gratia delebit formaliter peccatum veniale. Patet Conſequentia: Quia illa gratia datur ad diſpoſitionem repugnantem peccato veniali, ac proinde ipſa quoque peccato veniali repugnat: nam reſpondet ſuæ diſpoſitioni.

Probatur Tertiò, Peccatum veniale relinquit in anima labem & maculam quandam: atqui hęc non tollitur formaliter per actum contritionis imperfectæ, ſed ſolùm tollitur diſpoſitiuè: ſicut macula peccati mortalis non tollitur formaliter per actum perfectæ contritionis, ſed ſolùm tollitur diſpoſitiue: ergo formaliter tollitur per gratiam reſpondentem illi diſpoſitioni. Confirmatur, Quia habitualis macula per habitualem quoque pulchritudinem tolli debet.

Obiectio.

Dices: Is, cui in Baptiſmo non eſt remiſſum peccatum veniale, eò quòd eius affectum adhuc retineret, accipit illius remiſſionem per attritionem quam habet poſt Baptiſmum, & tunc vi Baptiſmi deletur illa culpa ſine nouâ gratiæ infuſione ad huius deletionem ordinatâ: ergo hęc remiſſio non fit formaliter per gratiæ infuſionem.

Solutio.

Reſpondeo, In hoc caſu eſſe quiddam particulare, eò quòd iam antea gratia ſit collata ad huius peccati remiſſionem: ſed quia tunc deerat legitima diſpoſitio, nempe diſplicentia, quę neceſſaria erat, vt illa gratia hunc effectum formalem tribueret, & peccati venialis labem deleret; ideò poſteà diſpoſitione accedente poteſt illa prior gratia ad hoc ſe extẽdere. Effectus enim formalis ſecundarius poteſt interdum ſeparari à forma; vt viſibilitas à colore. Idque facilè intelligi poteſt, quando ille effectus per ſe non eſt quid reale, ſed ſolùm quid morale; vt remiſſio culpæ.

DVBIVM.

Vtrùm quoties gratia homini infunditur toties etiam peccata venialia remittantur?

12

REſpondeo & Dico Primò: Illa non remittuntur, quorum quis affectum retinet, dum gratia infunditur. Ratio eſt, Quia repugnat peccatum remitti, dum actu eſt.

Cui gratia infunditur per Sacramenta, ei remittũtur omnia venialia, poſitâ aliquâ de eis diſplicentiâ.

Dico Secundò: Cui infunditur prima gratia, vel gratiæ augmentum per aliquod Sacramentum, præſertim Baptiſmi, Penitentiæ, Euchariſtiæ, & extremæ Vnctionis, ei remittuntur omnia venialia, modò tamen aliquam illorum diſplicentiã, ſaltem anteà habuerit. Probatur: Quia baptiſmus, & Pœnitentia peculiariter ſunt inſtituta ad omnium peccatorum, tum venialium tum mortalium remiſſionem: ergo vim habent ad ea delenda, etiamſi non adſit diſpoſitio quę per ſe ſola ſufficeret. Patet conſequentia: Quia inde probamus habere hæc Sacramenta vim delendi peccata mortifera, quamuis non adſit niſi attritio, quę per ſe ſola non ſufficeret. Euchariſtia quoque vi ſuâ culpas quotidianas delet, vt docet Concilium Tridentinum ſeſſ. 13. cap. 2. Denique extrema Vnctio ad hoc quoque eſt inſtituta.

13 Omnia ſacramenta habere vim delendi peccata venialia, eſt probabile.

De alijs Sacramentis eſt magis dubium D. Thomas art. 3. putat omnia Sacramenta hanc vim habere: quod ſatis eſt probabile. Nam omnia inſtituta ſunt ad hominem abſolutè ſanctificandũ, & valent ad delendum peccatum mortiferum, ſi adſit neceſſaria diſpoſitio: cur non etiam ad veniale? Dixi, *Modo ſaltem aliqua diſplicentia anteceſſerit*, v. g. aliqua attritio, etſi ſola non ſufficiens: nam ſine pœnitentiâ non fit remiſſio.

14 quę venialia remittantur ei,

Dico Tertiò: Cui datur gratia, vel gratię augmentum ſine Sacramento per propriũ actum, ea dũtaxat peccata venialia remittũtur, quorũ habet vel virtualem vel formalem pœnitentiam, quæ

cui datur gratia ſine Sacramento.

per ſe ſufficiens ſit ad eorum remiſſionem, ſeu quæ ſit perfecta vel imperfecta contritio, iuxta ſuprà dicta. Ratio eſt: Quia neque illud opus bonum, neque gratiæ infuſio, quæ fit ratione huius operis, repugnat peccato veniali, niſi opus formaliter vel virtute penitẽtiam illius includat: nam gratia, quæ datur ratione illius operis, commenſuratur illi operi, nec magis ſe extẽdit quàm ipſum opus dignum ſit. Vnde ſi opus non repugnet perfectè peccato veniali, neque gratia, quæ per ipſum datur, illi repugnabit. Secùs eſt de gratiâ, quæ datur per Sacramentum: nam meritum Chriſti ſupplet defectum, quæ eſt ex parte diſpoſitionis: vnde, etſi diſpoſitio non ſit ſufficiens, vt ſine Sacramento deleat peccatum mortiferum, vel veniale, tamen cum Sacramento ſufficit. Nec obſtat, quod ait D. Thomas in corpore, peccata venialia remitti, quandocumque de nouo infunditur gratia adulto, quaſi ex vi infuſionis gratiæ fiat ſemper hæc remiſſio, neque requiratur penitentia: Nam ibidem ait id prouenire ex eo, quòd infuſioni gratiæ in adultis coniunctus ſit motus liberi arbitrij in peccatum, id eſt, dolor & penitentia de peccato. Quod etſi ſæpè verum eſt, non tamen ſemper, vt Sotus notauit. Nam interdum poteſt homo iuſtificari retento affectu peccati venialis.

ARTICVLVS III.

Vtrum peccata venialia remittantur per aſperſionem aquæ benedictæ, & ſimilia?

15 Peccati venialis octo remedia.

RESPONSIO D. Thomæ eſt affirmatiua.

Notandum eſt: Multa numerari à Theologis peccati venialis remedia. Primum eſt, Suſceptio alicuius Sacramenti, præſertim Baptiſmi, Euchariſtiæ, Penitentiæ, extremæ Vnctionis, & fortè etiam aliorum.

Secundum; Vſus aquæ benedictæ; vt colligitur ex Canone *Aquam*, de Conſecratione diſt. 3. qui canon eſt Alexandri I. qui fuit quintus à S. Petro: eſt enim hic vſus antiquiſſimus ex traditione Apoſtolicâ deſcendens, teſte Baſilio in lib. de Spiritu S. cap. 27.

Tertium, Benedictio Epiſcopalis. Quod colligunt Doctores ex Canone *Dictum eſt*, 1. quæſt. 1. qui canon acceptus eſt ex Auctore lib. quæſtionũ veteris ac noui Teſtamenti, quem Gratianus putabat eſſe Auguſtinum.

Quartum, Oratio in templo conſecrato. Colligunt hoc ex lib. 3. Reg. cap. 8. & 9. & 2. Paralipom. 6. & 7.

Quintum, Tonſio pectoris. Colligitur ex Canone *Tres ſunt*, de Penit. diſt. 1. qui ſumptus eſt ex epiſt. 108. Auguſtini.

Sextum, Oratio Dominica. Canone citato, *Tres ſunt*, &c. & Canone *De quotidianis*, diſt. 3. de Penitentiâ, qui ſumptus eſt ex Auguſtini Enchiridio cap. 71.

Septimum, Confeſſio generalis: de qua non extat quidam Canõ, ſed eſt communis ſententia: & colligitur ex duobus canonibus citatis.

Octauum, Eleëmoſyna: Canone *Medicinam*, de Conſecratione, diſt. 1. & ex Enchiridio Auguſtini cap. 27. Sed eſt:

DVBIVM.

Quâ vi hæc deleant culpas veniales?

16 Hæc non delere peccatum ex opere operato, veriſimilius eſt.

MVlti Doctores exiſtimant hęc, præſertim Sacramentalia, habere vim delendi peccatum, quaſi ex opere operato; ſolumque requiri, vt cum aliquâ reuerentiâ illis vtamur; neque requiri contritionem vel attritionem, ſed vt ſummum intentionem delendi peccata. Ita Dominicus Soto diſt. 15. quæſt. 2. art. 3. item Gabriel, & Ioannes Maior, & quidam alij.

Verùm hæc ſententia, etſi non ſit improbabilis: vt diximus qu. 71. de Cæremonijs Baptiſmi num. 9. Verius tamen videtur, hæc non delere peccatum veniale ex opere operato; ſed ſolùm per modum impetrationis, excitando in nobis motum contritionis perfectæ vel imperfectæ, quo illud nobis propter Deum diſpliceat. Ita D. Thomas hîc ad 1. & 3. cùm ait, Omnia iſta cauſare remiſſionem peccati venialis, quatenus inclinant animam ad motum pœnitentiæ. Idem expreſsè docet quæſt. 7. de Malo, art. 12. & Petrus Soto de Pœnitentiâ lectione 18. & inſinuat Richardus diſt. 21. art. 3. quæſt. 1.

Prior Pars Probatur, Primò: Quia peccatum veniale relinquit maculam quandam in animâ, ac proinde non poteſt conuenienter tolli per ſolam extrinſecam condonationem; ſed requiritur intrinſeca quędam animi immutatio, cui hæc condonatio, ſit annexa: atqui Sacramentalia non habent per ſe vim inducendi immediatè hanc mutationem in anima, ſicut Sacramenta per ſe vim habent: ergo per ſe non poſſunt hæc peccata delere.

Probatur Secundò: Sacramentalia vim ſuam habent ex inſtitutione Eccleſię: atqui Eccleſia non habet poteſtatem tollendi immediatè culpas veniales: ergo nec dandi Sacramentalibus hanc virtutem. Patet Conſequentia: quia ex eo, quòd Chriſtus habet poteſtatem conferendi Sacramẽtis vim delendi peccata, rectè colligimus ipſum per ſe immediatè poſſe peccatum remittere: ergo è contrario, qui per ſe non poteſt, etiam non poteſt alteri hanc poteſtatem dare. Imò plus videtur, poſſe inſtituere talia remedia efficacia ad peccatum delendum, quàm poſſe per ſe remittere.

Probatur Tertiò: Eccleſia non inſtituit Sacramentalia, niſi per ſuas preces; vt patet ex conſecratione aquę benedictę, & ſimilium: atqui per ſuas preces nõ poteſt ſic annectere, ſeu applicare Chriſti merita rebus externis, vt infallibilem effectum remiſſionis culpę, aut gratiæ prævenientis, in vtente habeant. Nam preces Eccleſiæ non habent vim ex opere operato, ſed ſolùm per modum impetrationis. Vnde per ſuas preces non annectit Chriſti merita auctoritatiuè, ſed deprecatiuè; ac proinde Sacramentalia non operãtur, niſi per deprecationem. Patet conſequentia: quia non operantur, niſi ratione deprecationis fuſæ per Eccleſiam ſuper ipſa, quę eſt veluti forma & vis illorum: Non autem operantur ratione meriti Chriſti immediatè annexi, ſicut Sacramenta, quorum forma & vis eſt ipſum Chriſti meritum immediatè per Chriſti auctoritatem ipſis annexum. Confirmatur: Quia Sacramentalia ad alia etiam valent: vt aqua benedicta ad abigendos dæmones, item ad ſalutem mentis & corporis, vt habetur in eius conſecratione: atqui non valet ad illa, niſi per modum impetrationis: ergo neque ad remiſſionem peccati venialis.

Probatur Quartò: Eleëmoſyna, oratio Dominica, Confeſſio generalis, & tonſio pectoris, non valent per ſe & ex opere operato ad remiſſionem peccati venialis; & tamen Patres & Canones ſimiliter de his loquuntur, atque de Sacramentalibus: ergo nec Sacramentalia valent ex opere operato. Antecedens patet: nam hęc non ſunt ab Eccleſiâ inſtituta; ſed ſunt opera legis naturæ. Nec vſquam legimus ab Eccleſiâ vel à Deo aliam vim eis tributam, quàm eam, quam naturâ ſuâ in ſtatu gratiæ habent.

Quintò Denique: per ſe incredibile videtur hominem ſtatim liberari omnibus culpis venialibus, hoc ipſo quòd aquam benedictam, vel benedictionem Epiſcopalem cum aliquâ reuerétiâ accipit, vel in Eccleſia conſecratâ orat, Etiamſi nullam earum diſplicentiam, vt Deum offendunt, habeat.

17 Solùm hęc dolent venialia mediante motu Pœnitentiæ.

Hinc facilè probatur Altera pars: nempe hæc delere peccatũ veniale dumtaxat mediante motu pœnitentiæ, quem in nobis excitant. Primò: Nam certum videtur Eleëmoſynam, Orationem Dominicam, & ſimilia non aliter delere culpas veniales, niſi impetrando motum pœnitentiæ: ergo idem dicendum de Sacramentalibus. Secũdò: Sacrificium Miſſæ non aliter delet mortiferã, aut venialia peccata, quàm per modum impetrationis: ergo potiori iure idem dicendum de Sacramentalibus. Tertiò: Sacramẽtalia non habent vim remittendi peccata, niſi per modum deprecationis, vt probatum eſt: ſed deprecatio non remittit culpas, niſi impetrando motum pœnitentiæ, quo animus retractet quod commiſit: ergo hæc non habent vim niſi impetrandi.

18 2. Obiect.

Sed Contra. Primò: Eccleſia habet poteſtatem applicandi Chriſti merita efficaciter ad condonationem pœnarum, vt patet in Indulgentijs: ergo etiam culparum venialium.

Soluitur.

Reſpondeo, negando Conſequentiam: Ratio eſt, quia condonatio pœnæ non requirit intrinſecam animi mutationem, ſed ſolùm condonationem extrinſecam. Nam voluntate correctâ, & labe peccati deletâ, manet reatus pœnæ, & conſequenter ſine aliâ renouatione mentis conuenienter tollitur.

2. Obiect. ex Auguſtino.

Obijcitur Secundò: D. Auguſti. in Enchiridio c. 71. ſic ait, loquens de Oratione Dominica, *Delet omnino hæc Oratio minima & quotidiana peccata: delet & illa, à quibus vita fidelium, ſceleratè etiam geſta, ſed penitendo in melius mutata, diſcedit:* vbi videtur inſinuare venialia deleri per Orationem Dominicam ſine pœnitentiâ; mortalia autem cum penitentiâ.

Soluitur,

Reſpondeo: tantùm vult dicere per Orationem Dominicam deleri ſæpè aliqua pecata venialia, etiamſi animus non recedat ab omnibus: nam poteſt vnum ſine altero remitti, peccatum autem mortiferũ nullum remitti poteſt ex omnibus, niſi animus penitendo recedat ab omnibus. Dicit autem Orationem Dominicam delere peccata, eo modo, quo paulò pòſt ait, Eleëmoſynam delere peccatum, non ſolùm veniale, ſed etiam mortale. Delet autem Eleëmoſyna impetrando penitentiam de culpâ, & poſteà ſatisfaciendo pro pœnâ.

3. obiectio

Obijcitur Tertiò: Videtur eſſe contra cõmunẽ ſenſum fidelium, non remitti peccatum veniale per aquę benedictæ aſperſionem, niſi quatenus impetratur motus penitentię; & contra experientiam, quia non experimur nos tunc ad penitentiam excitari imò magis excitamur lectione ſacrâ, vel aſpectu imaginis crucifixi.

Reſpondeo: Non eſt cõmunis fidelium ſenſus remitti culpas veniales aſperſione aquæ benedictæ ſine legitimo dolore; ſed ſolùm in genere remitti peccatum veniale, vel ſecundùm culpã, ſi homo cooperetur, vt oportet; vel ſecundùm aliquid penæ, ſi culpa ſit remiſſa. Et quamuis tũc non ſentiamus nos excitari, poſſumus tamen poſteà excitari tempore congruo. Imago Crucifixi, & lectio pia non ſunt inſtituta ad venialium remiſſionem, ſicut Sacramentalia: nec naturâ ſuâ ad deletionem peccati ordinantur, ſed ad charitatem, aliaſque virtutes excitandas. Soluitur.

ARTICVLVS. IV.

Vtrum peccatum veniale poſſit remitti ſine mortali?

19

REſpondetur Negatiuè. Durandus diſt. 16. queſt. 2. & Gabriel eâdem diſt. quæſt. 5. art. 3. putant veniale ſine mortali remitti poſſe. Idem ſentit Scotus diſt. 21. quæſt. 2. Sed Communis ſententia eſt id fieri non poſſe. Pro qua.

Cõmunis opinio negat ſecundùm poteſtiam Dei ordinatã.

Dico primò: Secundùm legem Dei ordinatam fieri nequit, vt habenti peccatum mortiferum & veniale, condonetur veniale ſine mortifero. Videtur certa.

Probatur Primò. Ex Scripturâ: Eccleſiaſtici 34. v. 23. *Dona iniquorum non probat Altiſſimus, nec in multitudine ſacrificiorũ eorum propitiabitur peccatis*; id eſt, *nullis peccatis eorum* Iſaiæ 1. v. 11. *Quò mihi multitudo victimarum veſtrarũ, dicit Dominus? Ne offeratis vltrà ſacrificiũ fruſtra*: Atqui non fruſtra obtuliſſent, ſi per ea fuiſſent peccata venialia condonata. Matt. 6. v. 15. *Si non dimiſeritis hominibus peccata eorum, nec Pater veſter cæleſtis dimittet vobis peccata veſtra*: Sed ſi peccatum veniale poſſet remitti ſine mortifero, daretur caſus in quo mihi fieret remiſſio, quamuis ego non remitterem fratri.

Probatur Secundò, Ratione: Primò, Peccator facit illud opus, vel vt Deo reconcilietur de peccatis venialibus, vel ob alium finem: ſi ob alium finem, non eſt cur exiſtimemus ei condonari peccatum veniale: Si autem, vt Deo reconcilietur, & obtineat veniam culpæ venialis, videtur Deũ irridere; vt qui neglectis maximis culpis, de minimis veniã petat. Secundò: Quia remiſſio peccati eſt ſignum amicitiæ & reconciliationis: atqui nullum opus hominis peccatoris, quãdiu cupit manere in peccato mortifero, ſeu quãdiu ab eo non recedit, eſt acceptum Deo ad vllam reconciliationem, cùm ſit opus inimici. Confirmatur: Quia Deus priùs reſpicit ad perſonam, quàm ad opus, iuxta illud Geneſ. 4. v. 4. *Reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera eius*: perſona enim eſt veluti forma ipſius operis: ergo ſi perſona ſit inimica, & conſequenter nullius pretij apud Deum, etiam opus nullius pretij erit.

20 1 obiectio.

Sed Contrà; Obijcitur Primò. Ex Durando: In peccato veniali non eſt priuatio gratiæ, nec pœna æterna, ſed ſolùm inordinatio voluntatis, & debitum pœnę temporalis: atqui voluntatis inordinatio poteſt tolli per diſplicentiam eius, quod inordinatè placuit; & pœnæ debitum tolli poteſt per ſolutionem ſupplicij temporalis: ergo ſine remiſſione peccati mortiferi.

Soluitur.

Reſpondeo: Etſi in peccato veniali non ſit tanta offenſio Dei, vt priuet hominem eius amicitiâ; eſt tamen aliqua offenſio prętęr inordinationem actûs, & debitum pœnæ temporalis; quæ offen-

ſio non poteſt tolli per quamlibet voluntatis reordinationem, ſed per eam duntaxat, quæ Deo ad hoc ſit accepta: talis autem non eſt ea, quæ conſiſtit cum peccato mortifero.

2. obiectio

Obijcitur Secundò: De eo, qui habet peccatum originale & veniale tantùm, & in his moritur; huic, inquit Durandus, remittitur peccatum veniale ſine originali. Quod confirmat, quia non punietur pro peccato illo veniali pœna infinita, cùm ei tantùm debeatur pœna finita.

Soluitur.

Reſpondeo: huic nunquam remitteretur culpa venialis, quia in inferno non concipiet dolorem de illo peccato ſicut oportet ad remiſſionem; ad hoc enim requiritur gratia: alioqui etiam dicere poſſemus culpam mortiferam ibidem remitti. Quò fit, vt talis ſemper ſit puniendus pro illo peccato; nam ſemper manebit culpa. Pœna tamen fortaſſis erit, mitiſſima; nam productio pœnæ eſt loco intẽſionis. Vnde etſi fidelis in gratia diſcedens, ob tale peccatũ in Purgatorio fortaſſis puniretur igne, credibile tamen eſt: illum non puniendum igne, ſed mitiùs: alioqui parum differret eius ſupplicium à pœnâ eorum, qui dãnantur ob peccatum mortale. Ad confirmationem: Peccato veniali dicitur deberi pœna finita, ſi ſit ſolitarium; vt in iuſtis, in quibus culpa poteſt deleri. Nam alioquin omni peccato tamdiu debetur pœna, quãdiu perſeuerat ipſa culpa. *An verò illi qui in ſolo originali peccato moriuntur, ſint puniendi pœnâ ignis, copiosè deductum vide lib. 13. de Perfect. diuinis c. 22. n. 143. & ſeq.*

Non remittitur veniale ſine originali peccato.

3. obiectio

Obiicitur Tertiò: Opera peccatoris, valent ad bona temporaria conſequenda: ergo etiam ad remiſſionem peccatorum venialium.

Soluitur.

Reſpondeo Negando Conſequentiam; Quia remiſſio peccati eſt bonum ſuperioris ordinis, pertinens ad reconciliationem cum Deo: vnde non habet proportionem cum operibus noſtris, niſi in gratiâ fiant.

21 Per abſolutam potentiam poteſt veniale remitti ſine mortali.

Dico Secundò: Per potentiam tamen abſolutam peccatum veniale remitti poteſt reſeruato mortali. Ratio eſt: Quia hæ culpæ non neceſſariò dependent à ſe mutuo.

QVÆSTIO LXXXVIII.

De reditu peccatorum per Pœnitentiam dimiſſorum.

In Quatuor Articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Vtrum peccata remiſſa redeant per ſequens peccatum?

1 Status quæſtionis.

REſpondetur negatiuè. Notandum eſt: hîc non quari, an actus peccatorũ remiſſorũ, vel prauæ inclinationes habituales redeãt: ſed, an culpa redeat & reatus: id eſt, vtrùm Deus, quando poſt veniam hic mo peccat, rurſus ei imputet peccatum antè commiſſum & condonatũ, ad culpam & reatum; habeatque illum inimicum ob illud peccatum, ſicut anteà cùm primũ illud commiſit?

quidam affirmant redire.

Quidam veteres Doctores, vt teſtatur Magiſter diſt. 22. & D. Thom. hoc loco, exiſtimarunt peccata remiſſa redire per ſequens peccatũ, inducti, in eam ſententiam quibuſdam rationibus SS. Patrum, quæ id videbantur ſonare: quas vide apud Magiſtrũ diſt. 22. & Gratianũ de Pœnitẽtia diſt. 4. Ita ſenſit Præpoſitiuus, vt refert Bonauentura diſt. 22. art. 2. quæſt. 1. & Hugo Victorinus lib. 2. de Sacramentis parte 1. cap. 4. Quæ ſententia non aliter poteſt intelligi, quàm ſi ponamus, Deum non abſolutè, ſed ſub cõditione remittere peccata; nempe, ſi homo non ampliùs peccet: alioqui implicat contradictionem, vt peccata abſolutè remiſſa, iterum incipiant imputari, ſicut antè.

2 Verior ſententia & communis negat.

Dico Primò: Certum eſt peccata ſemel remiſſa non redire ſecundùm ſe per ſequens peccatum, neque culpâ neque reatu. Eſt communis ſententia Doctorum diſt. 22.

Loca Scripturæ minus efficacia.

Sed difficultas eſt in probando. Primùm teſtimonium adfertur ex cap. 18. & 33. Ezechielis, *ſi impius egerit pœnitentiam*, &c. *omnium iniquitatũ eius non recordabor ampliùs.* Sed hoc teſtimonium parum eſt firmum: nam ſimiliter dicitur de iuſto peccante, *Omnes iuſtitiæ eius non recordabuntur*, & tamen ſi redeat ad iuſtitiam, rurſus recordantur. Alterum teſtimonium eſt Nahum. 1. v. 9. *Non conſurget duplex tribulatio*, vel vt LXX. habent, *Non punict Deus bis in idipſum.* Verùm nec hoc firmum eſt; quia longè alia eſt huius loci ſentẽtia: ſenſus enim eſt, Aſſyrij non capient Hieruſalem & Iudam, ſicut ceperunt Iſraël. Alius locus eſt ad Romanos 11. v. 29. *ſine pœnitentiâ enim ſunt dona Dei & vocatio.* Sed nec hoc Conuincit: nam Apoſtolus loquitur de ijs donis, quæ Deus abſolutè decreuit independenter ab hominum meritis.

1. probatur ex Scriptura.

Aliter ergo probatur Primò: Homo dicitur in Scripturâ *purgari & mundari à peccatis*, & *ſuper niuem dealbari*, Pſal. 50. v. 9. Iſaiæ 1. Ergo omnino & abſolutè tolluntur, & non ſolùm ſub cõditione. Quia his modis loquendi ſignificatur turpitudinem peccati perfectè toli, ſicut tollitur labes per nitorem, nigredo per albedinẽ, tenebræ per lucem. Cõfirmatur: quia ſi ita ſolùm tolleretur, vt poſteà rediret, non tam eſſet ſublata, quàm ſuppreſſa & contecta.

Matth. 18. *Quæcumque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælis*, id eſt, perfectè, & coram Deo: atqui, ſi redirent, non eſſent perfectè, ſoluta; ſicut qui ſub cõditione dimiſſus eſt, non eſt abſolutè liber.

3 2. probatur ex Patrib.

Probatur Secundò: Teſtimonio Patrum. D. Proſper in reſponſione ad ſecundam obiectionẽ Gallorum: vbi ſic legendum eſt, *Qui recedit à chriſto, & alienus à gratiâ finit hanc vitam, quid niſi in perditionem cadit? ſed non in id, quod remiſſum eſt recidit, nec in originali peccato damnabitur, qui tamen propter poſtrema crimina ea morte afficietur, quæ illi propter ea quæ remiſſa ſunt, debebatur.* Proſper. Gelaſius Papa apud Gratianum de Pœnit. diſt. 4. *Diuina clementia dimiſſa peccata in vltionẽ vlteriùs redire non patitur.* Gelaſius. Idem docet Benedictus XI. in Extrauaganti *Inter cunctas*, de Priuilegijs; vbi in hanc ſententiam ait. *Abſurdum eſſe, vt quis peccata per pœnitentiã dimiſſa rurſus debeat confiteri, & vt debitor liberatus adhuc maneat ad ſolvẽdum obligatus* Benedict. XI

4 1 probatur ex ratione

Probatur Tertiò: Ratione primò: Quia beneficium remiſſionis peccatorum non eſt conditionatum, pendens à futuro euentu, ſed abſolutum & perfectum, vt Scriptura multis locis inſinuat: ergo etiamſi poſteà cõtingat hominem peccare, non reuocatur in irritum: ſicut inter homines debitum ſemel condonatũ non reuocatur, etiãſi contingat alterum eſſe ingratum. Secundò: Pro peccatis remiſſis facta eſt per me compenſatio ex meritis, & ſatisfactione Chriſti, quę mihi Sacramento in re vel in voto ſuſcepto applicantur: ergo illa non poſſunt redire, aut rurſus imputari. Confirmatur: Quia efficacia meritorum Chriſti poſtulat, vt in æternum deleãtur: *Vna enim oblatione conſummauit Chriſtus in æternum ſanctificatos*, ad Hebræos. 10.

5 Peccata remiſſa quodãmodò redeũt ratione ingratitudinis.

Dico Secundò: Peccata remiſſa quodammodò per ſequens peccatum redeunt, non abſolutè & ſecundùm ſe, ſed ratione cuiuſdã ingratitudinis quæ eſt circumſtantia, peccatum ſequens aliquo modo aggrauans. Eſt cõmunis Doctorum: & ſic intelligenda ſunt Patrum & Scripturarum teſtimonia. Vide Gratiatũ de Pœnit. Diſt. 4. Pro quo,

Notandum eſt: Remiſſionem peccatorum eſſe ſummum beneficium; &, tot homini collata eſſe diuinitus beneficia, quot ei remiſſa ſunt peccata. Qui autẽ poſt acceptum magnum aliquod beneficium benefactorem ſuum iniuriâ afficit, ea iniuria cenſetur grauior, quàm ſi beneficium nõ præceſſiſſet. Vnde quãdo peccator poſt remiſſa peccata rurſus Deũ offẽdit, hæc offenſio cenſebitur maior ex ſingulorum peccatorũ remiſſione, quàm alioqui per ſe ſola eſſet; & tot habebit malitias formaliter vel ratione diſtinctas: quot erãt peccata anteà remiſſa. Itaque ſingula peccata cẽſentur ibi redire, & reuiuiſcere, ratione illius malitiæ, quam circa peccatum ſequens ponunt: quę tamen non pertinet ad ſingulas peccatorum ſpecies, ſed ad peccatum ingratitudinis: eſt tamen eò maior, quò maius erat beneficium remiſſionis; & conſequenter, quò plura & maiora erant peccata, quæ anteà ſunt remiſſa.

Remiſſio peccati eſt ſummum beneficiũ.

Ingratitudo eſt circumſtãtia omnis peccati.

Ex his patet confirmatio propoſitionis. Nam quòd hæc ingratitudo ſit circumſtantia peccatorum, non autem per ſe ipſa nouum peccatum, patet; quia annectitur cuiuis ſpeciei peccati: ſiue enim poſt remiſſa peccata pecces furto, ſiue periurio, ſiue alio modo, ſemper coniuncta eſt hæc ingratitudinis malitia. Confirmatur: quia ingratitudo erga Deum non eſt ſpeciale peccatum, niſi quando eſt omiſſio gratiarum actionis, vel commemorationis beneficij eo tempore quo tenebatur, vel quando ingratitudo eſt directè volita; vt ſi non velis Deo agere gratias, aut agnoſcere eius beneficia, aut ea parui pendas.

6 Obijcitur parabola Matt. 18.

Sed contrà. Obijcitur Primò: Matthæi 18. ex Parabola illius domini, qui ſeruo ſuo condonarat decem milla talentorum, quem tamen ſeruũ poſteà, quia conſerui ſui miſertus non fuerat, iuſſit conijci in carcerem, donec omne debitum antè remiſſum ſolueret.

Reſpondeo, dicendum; in Parabolis non eſſe ſingula ad ſignificationem applicanda, ſed ſcopũ eſſe ſpectandum. Scopus autem Chriſti eſt, hâc Parabolâ oſtendere, quantoperè diſpliceat Deo inclementia ad ignoſcendũ; & eum, qui talis eſt, ſic puniendum, ac ſi præterita peccata ei remiſſa non fuiſſent; id eſt, pœnâ æternâ mulctandum.

7 Obijcitur Secundò: *Charitas operit multitudinem peccatorum*: 1. Petri 4. v. 8. ergo detracta charitate per peccatum ſequens reteguntur priora peccata. Confirmatur Primò: quia bona opera per peccatum mortificata integrè reuiuiſcũt per pœnitentiam, vt infrà dicemus: ergo ſimiliter mala opera mortificata per pœnitentiam & charitatẽ, reuiuiſcent per ſequens peccatũ ſublatâ charitate. Confirmatur Secundò: quia pari modo Ezechielis 18. v. 24. dicitur de iuſto peccante, *Omnes iuſtitiæ eius non recordabuntur*, & de impio pœnitente v. 22. *Omnium iniquitatũ eius non recordaber amplius*; & tamen recordatur iuſtitiarum, ſi ille agat pœnitentiam: ergo ſimiliter recordabitur priorum iniquitatum, ſi rurſus labatur.

Reſpondeo: Charitas ita tegit peccatum, vt tollat: Tegit enim Deo, qui non poteſt quidquam tegi, niſi tollatur. Ad Primam Confirmationem: Eſt diſpar ratio. Primò, quia merita per ſequens peccatum non delentur: manẽt enim in acceptatione diuina, tanquam digna præmio; niſi obſtaret indignitas perſonæ: vnde nõ requiritur aliud, quam vt ea indignitas tollatur. Peccata autem per pœnitentiam omnino delẽtur, ſic vt non amplius apud Deum maneant. Secundò: Quia merita illa non fuerũt remunerata; vnde meritò reuiuiſcunt. Peccatum autem per pœnitentiam ex Chriſti meritis fuit compenſatum, vnde non poteſt redire. Tertiò: Quia *ſuperexaltat* ſeu ſuperat *miſericordia iudicium*: Iacobi 2. v. 13. *Miſerationes enim eius ſuper omnia opera eius*. Pſal. 144. v. 9. Ad ſecundã Confirmationẽ: Reſpondeo Prophetam loqui de impio, qui conuertitur, & manet iuſtus; huic enim nihil oberit impietas præterita ad vitam æternam: & de iuſto, qui peccat & manet in peccato, cui nihil proderit prior iuſtitia ad ſalutem. Vnde hæc ſententia nihil ad præſentem quæſtionem.

Cur magis merita reuiuiſcant quàm peccata.

8 quomodo beneficiũ ſit menſura ingratitudinis.

Obijcitur Tertiò: Ingratitudinis menſura eſt beneficiũ: atqui beneficium remiſſionis tantum eſt, quantum eſt peccatum remiſſum: ergo ingratitudo illa tanta eſt, quantum erat peccatum remiſſum: ergo peccatum remiſſum redit, ſaltem ſecundùm æqualem malitiam & reatum.

Reſpondeo: Etſi ingratitudinis menſura ſit beneficium, non tamen eſt tanta, quantum beneficium, ſed longè minor. Poteſt enim quis eidem beneficio eſſe multum, & parum ingratus: ratione peccati, quo plus vel minus peccat contra benefactorem; quò fit, vt hæc malitia rarò ſit mortalis.

DVBIVM.

An ſaltem per potentiam abſolutam Dei fieri poſſit, vt peccata remiſſa integrè redeant?

9 Si abſolutè remittãtur peccata.

REſpondeo & dico Primò: Si ita fiat remiſſio, ſicut modò reipſâ fit, nempe abſolutè & independenter à futuro euentu, non poſſunt vllo modo redire. Ratio eſt: Quia non poteſt Deus homini inſerere malitiam, v. g. furti, vel fornicationis, ſed hæc neceſſario oritur ab actu libero hominis: ergo ſi homo rurſus non committit hęc peccata, impoſſibile eſt eorum malitiam redire.

Si ſub cõditione.

Dico Secundò: Si tamen alio modo fiat remiſſio, poterunt redire; vt rectè Scotus diſt. 22. ar. 4. poſſet enim Deus remittere peccata ſub cõditione, niſi rurſus contingat illum peccare, & ſic applicare merita Chriſti: quo poſito, ſi rurſus homo peccauerit, irrita cenſebitur tota prior remiſſio, & vniuerſa peccata priora ita reddent eum obnoxium, ſicut antè. Quod patet à ſimili ex condonatione debiti, vel iniuriæ inter homines; quæ fieri poteſt, & ſæpè fit ſub conditione; quâ poſitâ, cenſetur irrita.

ARTICVLVS II.

Vtrum peccata dimiſſa redeant per ingratitudinem, quæ peculiari modo eſt in quatuor generibus peccatorum?

10 REſpondetur: Peccata remiſſa redire ſecundùm circumſtãtiam ingratitudinis per omne peccatum mortiferum: ſed præcipuoquodammodo per quatuor genera peccatorum, nempe per odium fraternum, quo fratri veniam petenti nolumus ignoſcere: per apoſtaſiam à fide: per contemptum confeſſionis: & per dolorem de pœnitentiâ habitâ. Ratio eſt: Quia hæc peccata peculiariter repugnant remiſſioni peccatorum. Vide D. Thomam.

DVBIVM.

Vtrùm maius peccatum ſit, quod committitur contra innocentiam, an quod contra beneficium remiſſionis peccatorum?

11 Scotus affirmat. SCotus diſt. 22. art. 3. & Caietanus hîc, putant maius eſſe peccatum, quod contra innocentiam fit, quia tunc innocentia eſt maius beneficium, quàm remiſſio peccatorum, Contrarium

D. Thomas negat. videtur ſentire D. Thomas hîc ad 3. & Dominicus Soto diſt. 16. quæſt. 1. art. 2.

Reſpondeo & Dico Primò: Si loquamur de innocentia, qualis erat in primo homine, peccatum contra talem innocẽtiam maius eſt, quàm contra beneficium remiſſionis peccatorum. Ratio eſt: tum quia facilius poterat illud peccatum vitari; tum quia hoc peccatum ſpoliauit hominem longè pluribus bonis, imò totum genus humanum perdidit.

Videtur maior ingratitudo peccare poſt remiſſionem peccatorũ, quàm poſt innocentiam. Dico ſecundò: Cæteris paribus maior eſt ingratitudo, & maius peccatum eſt peccare poſt remiſſionem peccatorum, quàm contra innocentiam. Dico *cæteris paribus*; vt ſi par ſit imbecillitas, & non ſequantur alia mala.

Probatur: Quia etſi innocentia in ſe ſit maius bonum, quàm remiſſio peccatorum, tamẽ remiſſio peccatorum abſolutè eſt maius beneficium. Nam beneficij magnitudo non tam ſpectatur ex rei magnitudine, quàm ex cõparatione eius ad dantem & accipientem: v. g. Maius beneficium eſt, ſi pauperi & inimico des panem & aquam, quàm ſi diuiti & amico des lautum prandium. Sic ſi rex ignoſcat facinoroſo pœnam capitis, maius beneficium eſt, quàm ſi obſequioſo det aliquod officium. Pari modo maius abſolutè beneficium eſt remiſſio peccatorũ, quàm innocẽtia: quia illa præſtatur indigno & hoſti, hæc autem datur ei qui non erat quidem dignus, ſed neque etiã erat poſitiuè indignus, nec hoſtis. Itaque peccatum poſt remiſſionem eſt maius, quàm peccatum poſt innocentiam, quia contra maius beneficium. Adde: peccatum, quod quis committit poſt remiſſionem peccatorum, etiam committi poſt innocentiam: vnde non ſolùm eſt contra beneficiũ remiſſionis, ſed etiam contra beneficium innocentiæ. Nam omne peccatum, quod committit homo in vita, eſt contra omnia beneficia quæ ei Deus præſtitit; nam ad omnia præbet ſe ingratũ: quare eſt etiam contra primum beneficium, quo ei præſtitit innocentiam in baptiſmo.

12 An hæc ingratitudo in neceſſariò confitenda. Petes: An hęc ingratitudo, qua quis poſt remiſſa peccata, denuò peccat, ſit neceſſariò confitenda?

Scotus. Scotus d. 21. q. 1. art. 3. putat neceſſariò eſſe explicandam in confeſſione hoc modo: Anteà grauiter Deum multis peccatis offenderam, & puto me fuiſſe conſecutum veniam; vnde nunc rurſus peccando, tanto beneficio fui ingratus.

Reſpondeo & Dico primò: Quando ingratitudo eſt ſpeciale peccatũ, eſt neceſſariò cõtenda, vt ſi quis longo admodum tempore nullas Deo gratias egit, ſi beneficia illius contẽpſit vel etiam parui fecit, ſi aliquid in contemptum Dei vel eius beneficiorum fecit. Eſt communis ſententia Doctorum.

Dico Secundò: Quando ingratitudo non eſt peccatum ſpeciale, ſed duntaxat circumſtantia peccati, non eſt neceſſariò confitenda. Eſt etiam communis Doctorũ. Et ratio eſt, quia etſi addat aliquam nouam malitiam ſuper malitiã peccati, non tamen tanti eſt momenti vt per ſe ſit mortalis. Adde, quòd nec fideles conſueuerunt ſe de hac circumſtantia accuſare, nec confeſſarij eos interrogare. Bonum tamen eſt eam explicare ad maiorem humilitatem.

De Articulo 3. & 4. Vide D. Thomam. Poſſunt autem hîc facilè ex dictis expediri?

QVÆSTIO LXXXIX.

De recuperatione virtutum per Pœnitentiam.

DVBIVM.

Circa quinque primos Articulos.

Virùm per Pœnitentiam reſtituatur homini tota gratia priſtina, & omnia merita quæ habuit priùs?

1 Variæ ſententiæ. SEntentiæ de hac re ſunt variæ & obſcuræ.

1. Thomiſtarum, ea que duplex Prima eſt Thomiſtarum, gratiam & merita priora ſolùm redire ſecundùm menſuram pœnitentiæ. Quod potiſſimùm dupliciter explicatur. Quidam enim id intelligunt comparando diſpoſitionem, quam quis habet, ad ſummam diſpoſitionem ſeu pœnitentiam quam homo per auxilium ſpeciale poteſt elicere. Ita Dominicus Soto in hunc articulum. V. g. ſumma pœnitentia ſeu contritio, quam homo poteſt elicere, ſit decem graduum; merita autẽ & gratia prior ſit triginta graduum. Quare ſi hanc totam contritionem decem graduum præſtes, reſtituentur tibi omnia merita, & omnis gratia priſtina, præter illam gratiam quæ illi diſpoſitioni per ſe reſpondet, quæ ſit decem graduum: Vnde habebis quadraginta gradus. Si dimidiam autem contritionem, ſcilicet quinque graduum, elicias dũ reſurgis à peccato, reſtituetur tibi dimidium meritorum & gratiæ prioris, ſcilicet quindecim gradus, præter eam gratiam quæ per ſe illi diſpoſitioni reſpondet, quæ eſt quinque graduum: itaque habebis viginti gradus. Si autẽ duos tantum gradus pœnitentiæ cum dimidio habeas, reſtituẽtur tibi ſeptem gradus cum dimidio priſtinorum

tum bonorum. Addit Dominicus Soto, non so-
De Soto. lùm primam illam pœnitentiam, quâ resurgis, hanc vim habere; sed etiam sequentia opera bona, ita vt simili modo & proportione restituat reliquum gratiæ & meritorum pristinorum, quãdo per primam pœnitentiam non fuerunt integrè restituta.

Alij intelligunt restitui merita pristina & gratiam priorem secundùm mensuram dispositionis, comparando illam pœnitentiam seu dispositionẽ quâ quis resurgit, non ad summam, quam quis per auxilium speciale potest elicere, sed ad eam quæ commensuratur pristinę gratię: vt pristina gratia sit 30. graduum, pœnitentia huic commensurata sit contritio etiam 30. graduum. Itaque qui resurgit per pœnitentiam triginta graduum, recuperat totam gratiam & merita præcedentia, præter illam gratiam quæ illi dispositioni per se respondet. Qui autem resurgit per penitentiã quindecim graduum, recuperat solùm quindecim gradus pristinę gratię & meriti. Qui verò per pœnitentiam vnius gradus resurgit, solùm recuperat vnum gradum pristinæ gratię & meriti; reliquũ autem sensim recuperabit operibus sequentibus.

Secunda sententia est, homini restitui omnia
1 merita quę anteà habebat; non tamẽ restitui pri-
2. Scoti. stinam gratiam habitualem, sed eam solùm recuperari pro mensurâ contritionis. Ita Scotus dist. 22. art. 2. & Durandus in 3. dist. 31. quæst. 2. ad 3.
5. Recentiorum. Tertia sententia est, restitui omnia merita & omnem gratiam, quæ meritis respondet; non tamen eam, quæ respondet Sacramentis, id est, quæ per Sacramenta est collata. Ita quidam recentiores.
4. Communis. Quarta sententia est communior; omnem gratiam & omnia merita pristina restitui.

3 Dico Primò: Non est credibile peccatori pœnitenti eam tantummodò gratiam dari, quæ præcisè respondet eius contritioni. Probat hoc rectè Dominicus Soto: quia hoc non esset virtutes aut merita redire, sed semper manere mortificata.

Dico Secundò: Neutro modo iam explicato in primâ sententia rectè dicitur gratiam & meritum redire secundùm mensuram dispositionis.

Thomistarum opiniones refelluntur. Probatur Primò: Quia contritio illa peccatoris resurgentis non est dispositio ad gratiam præcedentem, sed solùm respectu gratiæ quæ ei per se respondet, quæ ordìne naturę sequitur. Vnde D. Thomas art. 5. vocat eam non dispositionem respectu gratiæ præcedentis, sed *remouens prohibens*, siue remouens impedimentum illius gratię: ergo non habetur ratio, sit ne illa contritio intensa an remissa; sed solùm, an remoueat peccatum, quod prohibebat seu impediebat influxum gratiæ & meriti præcedentis.

Probatur Secundò: Speciatim contra modum Soti: Si summa contritio, quam homo potest habere per auxilium speciale, recuperat totam gratiam amissam, & dimidia dimidiam, sequetur plus posse contritionem imperfectam, v. g. quatuor graduum ex paruo auxilio profectam: nempe totidem graduum, quàm contritionem perfectiorem, v g. octo graduum profectam ex auxilio maximo, vt, sedecim graduum: quod sanè non est rationi consentaneum. Patet sequela: Quia contritio quatuor graduum in eo casu erit summa, quæ cum auxilio illo diuino potest haberi, ac proinde recuperabit totam gratiam: contritio autem octo graduum solùm erit dimidia respectu illius, quæ cum auxilio sedecim graduum haberi poterat, ac proinde solùm recuperabit dimidium.

Probatur Tertiò, contra alterum modum: Si gratia pristina restituitur secundùm istum modũ, sequetur, ei, qui habet gratiam vt centum, non plus restitui, quàm ei qui habuit solùm gratiam vt decem, si par sit vtriusque dispositio. Patet sequela: Nam ad gratiam vt centum requiritur directè dispositio vt centum: ergo qui solùm habet partem centesimam huius dispositionis, ei tantũ redderetur pars centesima ex pristinâ gratiâ, id est, vnus gradus: sed tantumdem etiam dabitur ei, qui habuit gratiam vt decem, & resurgit per vnũ pœnitentię gradum.

4 Probatur Quartò: Quia fictitium videtur, per opera sequentia semper aliquid pristinę gratiæ restitui, donec tota sit reparata: sic enim duplicem mercedem omnia illa opera haberent.

Dico Tertio: Homini resurgenti à peccato per veram contritionem, quantumuis intensione exiguam, valdè credibile est restitui omnia pristina merita, & ius ad vitam æternam, & totam gratiam priorem, perinde ac si nunquam peccasset. Et sic homo lapsus, per veram pœnitentiam semper resurgit ad maiorem gratiam & gloriam. Sententia Auctoris.

Prior pars, scilicet *Omnia merita redire*, est Henrici Quod l. 5. q. 24. Durandi in 3. dist. 31. quęst. 2. ad 3. Scoti dist. 22. art. 2. Gabrielis dist. 14. quęst. 3. dubio 3. art. 3. Occami quæst. 9. ad 6. & quęst. 8. Marsilij in 4. q. 11. Almaini lib. 2. moralium cap. 14. Medinę codice de Pœnitentiâ tractatu 1. quæst. 8. & multi alij. Omnia merita redeunt per pœnitentiam.

Probatur Primò, Ex Scriptura: Ezechielis 18. v. 21. *Si impius egerit pœnitentiam, omnium iniquitatum eius non recordabor.* At videretur recordari, si propter eas priuaret hominem præmio essentiali meritis præcedentibus debito. Et infrà cap. 33. v. 12. *Impietas impij nõ nocebit ei, in quacumque die conuersus fuerit.* At plurimùm noceret si illa impietas sustulisset illi in æternum fructũ præcedẽtium meritorum & laborum. Ioëlis 2. v. 12. cùm Domin⁹ dixisset: *Conuertimini ad me in ieiunio, fletu, & planctu*, subiungi beneficia, & inter alia ait, v. 25. *Reddam vobis annos quos comedit locusta, & bruchus, & rubigo, & eruca*, vbi Cloisa, *nõ patiar perire vbertatem, quam animi perturbationibus perdidistis.* Ad Gal. 3. v. 3. *Tanta passi estis sine caussâ? si tamen sine caussâ*: quasi dicat, In vobis situm est, vt non sitis passi hęc fructùs: nam potestis redire ad fidem, & sic vobis ea quæ passi estis antè pro christo, proderũt. Ita Hieronymus, Anselmus, Theophilactus, & alij multi. 1. Prob ex Script. Ezech. 18 Ioel. 2. Gal. 3.

Probatur Secundò: Ex Conc. Trident. sess. 6. c. 16. vbi dicit *Iustificatis nihil deesse, quo minus plenè illis quidem operibus, quæ in Deo sunt facta, diuinæ legi pro huius vitæ statu satisfeciss e, & vitam æternam suo etiam tempore consequendam (si tamen in gratiâ decesserint) verè promeruisse censeantur.* Hìc concilium non requirit, vt continẽter homo fuerit in gratia à principio vsque ad finem, sed vt opus sit factum in gratia, & vt homo in statu gratiæ ex hac vitâ decedat. Glosa in caput 6. ad Hebręos; *Sicut priora bona per sequentia mala mortua fuerant & irrita facta, ita ipsa eadem per pœnitentiã & alia bona sequẽtia reuiuiscunt.* Auctor lib. de vera & falsa Pœnitentia cap. 14. *Pium est credere & nostra fides hoc exposcit, vt receptâ Dei gratâ, quæ in eo destruit mala priora, etiam remuneret bona, vt cùm destruxerit quod suum non inuenit* (scilicet peccatũ) *amet & diligat bonum, quod in peccante plantauit.* 5 2. Prob ex Trident. gloſa. Auctor lib de Pœnit.

Probatur Tertiò, Ratione: Primò, Opera mortificata reuiuiscunt, vt communiter tenent Doctores, quamuis in modo non conueniant: ergo habebunt præmium vt antè. Neq; sufficit, si dicas reuiuiscere quoad præmium accidentale, vt insinuat D. Thomas art. 5. quia potissimùm ordi- 6 3 Probatur triplici ratione.

1. Ratio à reuiuiſcentia operũ.

nantur ad præmium eſſentiale. Similiter non ſufficit, ſi dicas gloriam dari duplici titulo, vt Caietanus inſinuat; quia hoc etiam non magni æſtimandum eſt, quando idcircò nihil ampliùs gloriæ datur. Denique non ſufficit; ſi dicas ea reuiuiſcere ex parte, nempe pro menſurâ diſpoſitionis: hoc enim iam refutatum eſt. Supereſt ergo vt integrè reuiuiſcant.

Probatur Secundò: Si non reuiuiſcerent abſolutè, ſequerentur multa incommoda. Primò: Poſitis duobus, quorum alter poſt quadraginta annos ſanctiſſimè traductos laberetur aliqua tẽtatione in peccatum mortiferum, & ſtatim reſurgeret mediocri contritione; alter ſimiliter poſt quadraginta annos ſceleratiſſimè tranſactos reſurgeret pari contritione, ſequeretur hos pares fore in gratiâ & gloriâ: quod nõ eſt credibile. *Non enim iniuſtus Deus, vt obliniſcatur operis noſtri*, vt inquit Apoſt. ad Hebræos 6. Sequeretur Secundò: Deum non renumerari omnes labores & ſanctiſſimas functiones illius, qui ex fragilitate lapſus erat: quod non eſt conſentaneum illi Scripturæ, *Reddet vnicuique ſecundùm opera ſua*. Sequeretur Tertio: Peccatum non perfectè remitti penitentibus, ſed in æternum puniri in cœlo. Patet ſequela; quia priuatio gratiæ prioris, & iuris ad hæreditatem, quod ante lapſum habebat, eſt pena peccati commiſſi: ergo ſi hæc gratia, & hoc ius non reſtituitur, homo iuſtus etiam in cœlo punietur perpetuò ob peccatum cõmiſſum. Quando enim pena conſiſtit in priuatione, tam diu durat, donec bonum, propter peccatum ablatum, reſtituatur. Neque ſatis eſt, quòd ei detur gratia & gloria reſpondens penitentiæ: nam hoc non eſt reſtituere bonum ablatum quod anteà habebat, cùm penitentiæ ſecundum ſe debeatur gratia & gloria, etiamſi homo anteà nulla merita habuiſſet: ergo vt pena peccati tollatur, debet reſtitui illa meritorũ portio, quę per peccatum ſubtracta fuerat, eaque tota. Sequeretur Quartò: Peccatum eſſe potentius ad opera bona mortificanda, quàm Chriſti merita ad ea viuificanda. Patet: quia peccatum ita mortificat opera bona, vt ſi quis in ipſo moriatur, nihil omnino proſint ad damnationẽ minuendam; ergo ſi per penitentiam ex Chriſti meritis non integrè reuiuiſcunt ad præmium, peccatum plus valet in mortificando, quàm Chriſti meritum in viuificando.

7
2. Ratio ex quàdruplici abſurdo oppoſitæ ſententiæ.

3
3. Ratio, quia opera non etiam delecta, ſed ſolum impedita.

Probatur Tertiò: Opera meritoria non delentur per peccata, ſed ſolùm impediuntur, ne conſequantur mercedem propter ſubiecti indignitatem, vt rectè D. Thomas art. 5. ad 1. Ergo ſublata illa indignitate per penitentiam, exerent omnem vim ſuam, ſicut anteà. Conſequentia patet. Antecedens probatur ex differentiâ, quæ eſt inter peccatum & opera meritoria quo ad delectionem: peccata enim propriè delentur à Deo, quia pro ipſis perfectè ſatisfacimus ex Chriſti meritis: bona autem opera non delentur, cùm non fuerint compenſata: ſed manent in acceptatione diuinâ; & ſolùm impediuntur per peccata, ne ſint homini fructuoſa. Sublato igitur peccato rurſum fient fructuoſa, Deumque obligabunt ad reddendam mercedem. Confirmatur exemplo: Si Rex ob officia præſtita debeat tibi mille, & tu ipſum capitaliter poſteà offendas, poteſt quidem tibi non ſoluere, & capite plectere; tamen ſitu illi perfectè pro illo crimine ſatisfacias, rurſum reuiuiſcet illud debitum, & Rex ex iuſtitiâ tenebitur ſicut anteà. Simili modo in propoſito. Confirmatur: nam per opera noſtra bona applicantur nobis Chriſti merita, quæ ſemper manent in acceptatione diuinâ, & nobis applicata ſunt efficacia, niſi per indignitatem ſubiecti contingat impediri.

Aduerte tamen, ſi moriaris in peccato mortifero, non ampliùs manere opera tua acceptata ad præmium, ſed penitus extinguiſ; ſimiliter & chriſti merita quatenus tibi fuerant donata. Quãdiu autem ſumus in hac vita, non extinguuntur, ſed veluti ſopiuntur.

9
Si moriaris in mortali merita extinguntur.

Altera Pars Propoſitionis, ſcilicet *Etiam gratiam priſtinam reſtitui in hac vita*, eſt prædictorum Auctorum, præter Scotum, Durandum, & Marſilium, qui putant gratiam illam reſtitui ſolùm in alterâ vitâ. Sed.

10
Per pœnitentiam etiam in hac vita reſtituitur omnis gratia.

Probatur Primò: Quia ſecundùm legem ordinatam nemo acceptatur ad gloriam, niſi ſimul acceptetur ad gratiam: ergo neque ad maiorem gloriam acceptabitur, niſi ad maiorem gratiam acceptetur: atqui dum merita reſtituuntur, acceptatur homo ad maiorem gloriam: ergo etiam ad maiorem gratiam. Si dicas id verum eſſe, ſed non idcircò illam gratiam dari in hac vitâ.

Contrà: quia non eſt ratio differendi illam gratiam in vitam futuram, cùm pertineat ad ſtatum huius vitę, ſitque homini debita, ſicut ſuprà diximus de augmento gratiæ. Idcircò enim, dum homo meretur augmentum gratiæ & gloriæ, datur augmentum gratiæ ſtatim, quia non eſt ratio differendi, cùm ad ſtatum huius vitę pertineat: augmentum verò gloriæ differtur, quia pertinet ad alteram vitam.

Probatur Secundò: quia merita præcedentia erant merita ex vi gratiæ, quam ſupponebant; ex hac enim habebant virtutem meritoriam: ergo vt redeant merita, debet redire idem fundamentum, id eſt, per gratiam, ex quâ vim meritoriam habent.

11
Etiam redit gratia, quæ data fuit per ſacramenta.

Tertia Pars Propoſitionis, *Quòd etiam gratia reſtituatur, quæ data fuit per Sacramenta*, poteſt probari ijſdem rationibus: nam vis Sacramenti æquialet merito; ita enim iuſtificat & tribuit ius ad gloriam, ſicut proprium meritum, & quidem efficacius. Ratio eſt: quia Sacramentum applicat nobis Chriſti meritum, & facit illud eſſe veluti meritum noſtrum: ergo illud meritum, per peccatum impeditum & conſopitum, rurſum efficaciâ habebit impedimento ſublato, & propter illud gratia amiſſa reſtituetur.

Sed contrà: Obijcitur Primò, Gratia datur ſecundùm diſpoſitionem ſuſcipientis: ergo non datur maior, quàm ſit diſpoſitio. Reſpondeo, Gratiam ſemper dari iuxta hominis diſpoſitionem, partim quæ nunc eſt, partim quæ fuit. Nam iuxta diſpoſitionem, quę nunc eſt, id eſt: iuxta præſentem contritionem datur certa gratiæ menſura, quæ huic diſpoſitioni per ſe debetur, etiamſi nulla alia merita præceſſerint: ſed gratia priſtina datur iuxta diſpoſitionem, quæ in homine fuit, tum per contritionem, tum per merita præcedentia. Præſens enim pœnitentia peccatoris duo prętitat: Primò, quòd ſit diſpoſitio ad nouam gratiam; & ſic confert certam menſuram nouæ gratiæ; Secũdò quod remoueat impedimenta gratiæ priſtinæ; & ſic eſt cauſa cur gratia priſtina reſtituatur, non vt diſponens ad illam, ſed vt remouens illius impedimentum.

12
1. Obiect. ſolvitur. gratia datur ſecundùm diſpoſitionem ſuſcipientis.

Obijcitur Secundò: Si reſtitueretur pœnitenti tota gratia priſtina, fieret repętè ex maximis ſceleribus perfectus: quod eſt abſurdum. Patet, vt ſi quis multos annos ſanctè vixiſſet, & poſteà multos ſceleratè, ad minimam pœnitẽtiam reciperet totam priſtinam ſãctitatem & perfectionẽ. Reſ-

2. Obiect ſolvitur.

pondeo:Illum fore tam perfectum habitu, quam vnquam anteà fuerat;non tamen actu, id eſt, expedito vſu habituum, idque ob prauas inclinationes,quę ex prioribus peccatis ſunt relictę; ob quas etiam ſit (non autem ob habitûs imperfectionem) vt talis ſentiat multas difficultates in virtutum actionibus. Quod autem Dominicus Soto vrget ex Gregorio, *charitas magna operatur, ſi eſt;ſi autem operari recuſat, charitas non eſt*;intelligendum non de habitu, ſed de actu charitatis interno,qui magna operatur exterius,ſi eſt; ſi autem operari recuſat,charitas non eſt.

13 5. Obiect. Soluitur. Obijcitur Tertiò: Adamo pœnitenti non fuit reſtituta immortalitas:ergo non redit gratia priſtina. Reſpondeo: Ea tantùm reſtitui,quæ per ſe hominem Deo gratum reddunt, & ius ad gloriã cœleſtem tribuunt;vt ſunt gratia & habitus virtutum infuſarum,& merita vitæ æternæ. Alia verò dona non eſt neceſſe ſtatim reſtitui,ſed ſatis eſt vt ſuo tempore reſtituantur,quando omnis omnino peccati pœna tolletur.

quæ dona præter gratiam, reddant.

4. Obiect. Obijcitur Quartò:Hęc ſententia videtur teporem adferre hominibus, tum in pœnitendo, tum etiam in cauendo peccato. Confirmatur:quia incredibile videtur Deum ad minimam pœnitentiam,ſeu contritionem,poſt maxima peccata reſtituere ſtatim omnia priſtina bona. Reſpondeo: Non magis adferre teporem, quàm ſummam illam facilitatem remiſſionis peccatorum, quam Dominus nobis contulit per Sacramentum Pœnitentiæ. Neque hoc eſt magis incredibile,quàm Deum ad minimam pœnitentiam condonare infinita peccata quo ad culpam.

Soluitur.

ARTICVLVS VI.

Vtrum opera mortua per Pœnitentiam viuificentur?

14 Reſpondetur Negatiuè. Et quidem de operibus mortuis,id eſt,de peccatis,de quibus Apoſtolus ad Hebræos. 9. v. 14. *Sanguis Chriſti emundabit conſcientias noſtras ab operibus mortuis*, certum eſt nunquam poſſe viuificari. Idem enim opus,quòd antèa erant peccatũ,non poteſt poſteà fieri acceptum Deo per ſolam mutationem hominis. Sed. QVÆSTIO EST DE OPERIBVS MORALITER BONIS, VEL ETIAM DE OPERIBVS SVPERNATVRALIBVS IN STATV PECCATI MORTIFERI FACTIS.

15 Opera in ſtatu peccati mortalis facta non reuiuiſcunt ad meritum. Reſpondeo & Dico Primò:Hæc opera non poſſũt viuificari per ſequentem pœnitentiam, neque ad meritum neque ad ſatisfactionem. Non loquor modò de Sacramentis vel eorum partibus.

Prior Pars, Quòd non ad meritum vitæ æternæ viuificentur. Patet Geneſ. 4. v. 4. *Reſpexit Deus ad Abel,& munera eius;ad Cain autem non reſpexit* vbi Scriptura indicat priùs reſpicere Deum ad perſonam operantem, quàm ad ipſum opus; & opus placere non poſſe ad meritum & vitam æternam,ſi operans diſpliceat. Eccleſiaſt. 34. v. 23. *Dona iniquorum non probat Altiſſimus*: atqui probaret,ſi per pœnitentiam viuificarentur. Ioan. 15. v. 4. *Non potes palmes fructum ferre,niſi manſeritin vite*: atqui peccator non manet in vite Chriſti; quia non manet in charitate,per quam manemus in Deo,& Deus in nobis. 1. ad Corinthios 13. v. 3. *Si diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, charitatem autem non habuero nihil mihi prodeſt.*

Altera Pars,Scilicet hæc opera non viuificari ad ſatisfactionem,eſt etiam certa, etſi minùs quã prior,cùm aliqui Doctores cõtrarium tenuerint. Probatur Primò,ijſdem teſtimonijs:Si enimeſſet ſatisfactoria:Deus ea reſpiceret,probaret,& palmes extra vitem ferret aliquem fructum, ſcilicet ſatisfactionis. Probatur Secundò, Ratione: Dignitas operis præcipuè ſpectatur apud Deum ex dignitate operantis,à quoprocedit:operans enim eſt veluti forma operis à quâ opus ſuam æſtimationem habet, vt alibi oſtenſum eſt. Et patet exemplis humanis: longè enim pluris æſtimatur obſequium paruum Principis, quàm maximum mancipij:operans enim per ipſum opus quod facit ad obſequium alterius:ſe totum ſuamque dignitatem alteri ſubijcit: atqui peccator operans eſt exoſus Deo:ergo opus ipſi⁹ nihili fit apud Deũ Confirmatur primò:Quia non poteſt dare excellentiam operi ſuo, quam non habet: atqui cùm reſurgit & accipit dignitatem filij,opus iam trãſijt,habuitque ſuam formam: ergo non poteſt illi dignitas perſonæ ſuperueniens communicari. Confirmatur Secundò:Quia gratia non informat actum,niſi qui ab eâ quodammodo procedit:act⁹ verò qui iam tranſijt,non poteſt reuocari,vt iterum fiat,& influxum gratiæ recipiat.

16 Nec reuiuiſcunt ad ſatisfactionem.

Dignitas operis maximè ſpectatur ex dignitate operantis.

17 Habet tamen quãdruplicem vtilitatem

Dico Secundò: Huiuſmodi tamen opera ſunt vtilia ad alia bona à Deo impetranda: ſcilicet ad bona temporalia. Exodi 1. v. 21. *Quia timuerunt obſtetrices Dominum,ædificauit ipſis domos*,id eſt,*dedit eis familiam*. Gregorius homilia 40. in Euangelium,ad illud, *Recepiſti bona in vitâ tuâ*, inter cætera ait,*Valdè metuendum diuitibus,& alys quibus omnia ex voto eueniunt,ne hîc receperint bonorum operum mercedem*. Vide plura de Pœnitentiâ diſt. 3. Capitulo *Cauendum*,ex Gregorio; & Capitulo *Si quando*,ex Hieronymo;& capitulo *Quid ergo*,ex Chryſoſtomo;& 22. qu. 2. Capitulo *Si qualiber*.

Secundò,Valent vt diſponant animam ad gratiam,nempe ſi fiant cum auxilio ſpeciali. Danielis 4. dicit Daniel Regi, *Peccata tua eleemoſynis redime.*

Tertiò:Dicuntur minuere pœnas gehennæ;non quòd peccator, qui plura huiuſmodi opera fecerit,minùs punietur pœnâ damni vel ſenſus quàm alius qui pauciora fecerit,tamen æquè peccauit; cùm opera moraliter bona,ſicut non poſſunt minuere culpam, ita nec pœnam: ſed quia interim homo culpam omiſſionis diuini præcepti euaſit, & per ea occaſionem habuit multa peccata, quæ aliàs feciſſet,cuitandi.

Quartò:Valent ad dilationem pœnæ temporalis & æternæ. Patet in Achab 3. Regum 21. *Nónne vidiſti humiliatum Achab coram me?quia igitur humiliatus eſt mei cauſâ,non inducam malum in diebus eius,ſed in diebus filij ſui inferam malum domui eius* Patet item in Niniuitis Ionæ. 3. ad quorum pœnitentiam,Deus euerſionem Niniue ſuſpendit & diſtulit vltra centum annos.

ized by Google

QVÆSTIO XC.

De partibus Pœnitentiæ in generali.

DVBIVM.

Circa tres primos Articulos.

Quot, & quæ ſint partes Pœnitentiæ?

1 Sacramenti Pœnitentiæ quæ partes.

NOtandum, Primò: Pœnitentiam actualem dupliciter accipi poſſe. Primò, Pro Sacramento: Secundò, Pro virtutis Pœnitentiæ functione. Si accipiatur pro Sacramento, conſtat partibus eſſentialibus, & integralibus. Partes eſſentiales ſunt *Verbum abſolutionis* (eſt enim inſtar formæ;) & actus pœnitentis, qui ſunt *quaſi materia*. Partes integrales ſunt partes materiæ; videlicet Contritio, Confeſſio, & Satisfactio. Nam iidem actus, quibus conſtat officium pœnitentis, ſunt partes integrales Sacramenti Pœnitentiæ.

2 Sententia Lutheri.

Notandum Secundò: Eſſe hîc duas ſententias hæreticorum. Prior eſt Lutheri; vt patet apud Roſſenſem art. 5. qui docet duas tantùm eſſe Pœnitentiæ partes ſeu officia, *Contritionem & Fidem*. Per *Contritionem* intelligit terrores conſcientiæ diuinitùs incuſſos. Per *Fidem* autem, certam fiduciam remiſſionis peccatorum ex Euangelij promiſſione conceptam; id eſt, certò credere ſibi eſſe remiſſa peccata propter chriſtum. Ratio ipſi⁹ eſt; quia ſic fit remiſſio peccatorum.

Reijcitur.

Verùm hæc ſententia eſt omnino abſurda. Primò: Quia, etſi timor, & fides concurrant ad remiſſionē peccatorū; nō tamen hinc fit, vt propriè ſint partes pœnitentiæ, ſic vt ratio pœnitentiæ illis propriè conueniat: alioquin etiam amor Dei, & diuina vocatio, erunt partes pœnitentiæ; nam per hęc fit remiſſio peccatorum. Secundò: Quia timor non ſemper concurrit; vt patet in Magdalenâ Lucæ 7. *Cui multa peccata dimittuntur, quia multum dilexit*: multique alij agunt pœnitentiam nullo terrore concuſſi. Tertiò: Fides illa nunquā concurrit: eſt enim falſa, temeraria, & cōtra ſcripturas. Plus enim requirit Scriptura, vt Chriſti merita nobis applicentur in remiſſione peccatorum: quàm fidem, quâ credamus illum pro nobis pleniſſimè ſatisfeciſſe: vnde ex hac non poſſumus nos reputare iuſtificatos à peccatis. Deniq; hanc

Tridēt.

ſententiam dānat Concilium Tridentinum ſeſſ. 14. cā. 4. *Si quis*, inquit, *negauerit ad integram & perfectam peccatorum remiſſionem requiri tres actus in pœnitente, quaſi materiam Sacramenti pœnitentiæ, videlicet Contritionem, Confeſſionem, & Satisfactionem, quæ tres Pœnitentiæ partes dicuntur: aut dixerit duas tantùm Pœnitentiæ eſſe partes, terrores ſcilicet incuſſos conſcientiæ, & fidem conceptam ex Euangelio; anathema ſit.* Altera ſententia eſt Caluini lib. 3.

3 Sententia Caluini.

Inſtit. cap. 3. vbi, refutans ſententiam Lutheranorum, ponit duas alias partes, videlicet *Mortificationem vitiorum, & Vinificationem*. Per *Vinificationem* intelligit ſtudium bonorum operum; ſicq; ait pœnitentiam per totam vitam durare debere.

Reijcitur.

Sed hęc ſententia abſurda eſt. Probatur: Quia pœnitentia eſt via ad iuſtificationem, cāque prior vt colligitur Ezechielis 18. & 33. vbi dicitur: *Si pœnitentiam egerit impius, omnium iniquitatum eius nō recordabor amplius*: atqui mortificatio illa, & viuificatio ſunt poſteriora iuſtificatione; nam ſunt fructus fidei iuſtificantis, vt ipſi affirmant: ergo abſurdè dicuntur partes Pœnitentiæ.

4 ſententia Catholicæ eſt, tres eſſe partes pœnitentiæ.

Tertia ſententia eſt Catholicorum. Tria eſſe pœnitentis officia, ſeu Pœnitentiæ partes, Contritionem, Confeſſionem & Satisfactionem; quas etiam naturalis ratio dictat eſſe ſuo modo neceſſarias ad reconciliationem. Eſt fide tenenda. Patet ex Concilio Trident. citato, & ex Concilio Florentino, quod ſic ait: *Quartum Sacramentum eſt Pœnitentia, cuius quaſi materia ſunt actus pœnitentis, qui in tres diſtinguūtur partes, quarum prima eſt cordis contritio, ad quam pertinet vt doleat de peccato commiſſo cum propoſito non peccandi de cætero: ſecunda eſt oris confeſſio: tertia eſt ſatisfactio.*

Florentin.

Probatur primò, Ex Scripturis: & primò, *Contritionem* eſſe partem pœnitentiæ. Patet pſal. 50. v. 19. *Cor contritum & humiliatum non deſpicies*, id eſt, *cor pœnitens*. Ioëlis 2. v. 13. *Scindite corda veſtra*.

1. Prob. ex ſcript.

Secundò, Idem patet de *Confeſſione* Num. 5. *Vir, ſiue mulier, cùm fecerint ex omnibus peccatis, quæ hominibus ſolēt accidere, confitebuntur peccatum ſuum*. Pſal. 31. *Dixi, confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam Dño*. 2. Eſdræ 9. v. 1. *Conuenērunt filij Iſraël in ieiunio, & in ſaccis, & confitebantur peccata ſua*. 1. Ioan. 1. v. 9. *Si cōfiteamur peccata noſtra, fidelis eſt & iuſtus, vt remittat peccata noſtra*. Tertiò deniq; idem patet de *Satisfactione*, Ioëlis 2. v. 12. *Conuertimini ad me in toto corde veſtro, in ieiunio, fletu & planctu*. Probatur idipſum exemplis Scripturæ: 2. Regum 24. deſcribitur pœnitentia Dauidis ob numeratum populum, & dicitur primò, *Percuſſit cor Dauid eum*; vbi inſinuatur *contritio*: Secundò, Dixit Dauid ad Dominum, *Peccaui valdè in hoc facto*; vbi *confeſſio*: Tertiò, Dauid placauit Dominū oratione, & ſubiectione ad flagella diuina, & holocauſto; vbi conſpicitur *ſatisfactio*. Lucæ 15. vbi deſcribitur pœnitentia filij prodigi: Primò, In ſe reuertitur agnitione ſuę miſeriæ, & dolore peccatorum: Secundò, Cōfitetur peccatum, *Patet peccaui in cœlum coram te*: Tertiò, Offert ſe ad ſatisfactionem, *fac me ſicut vnum ex mercenarijs tuis*. Idem confirmari poteſt teſtimonijs Patrum, de quibus infrà. Vide Chryſoſtomum ſermone de Pœnitētia, qui habetur tomo 5. poſt decem Homilias de Penitentia. *In corde*, inquit, *eius contritio eſt, in ore confeſſio, in opere tota humilitas:*

Exempla ſcripturæ.

5 2. Prob. Ratione.

Probatur Secundò, Ratione: prima eſt; penitentia eſt dolor, & punitio peccati, non ſolùm ad æqualitatem iuſtitiæ violatę inſtaurandam, ſicut Iudex punit ſontem; ſed maximè ad reconciliationem cum deo obtinendam: atqui hoc intereſt inter punitionem Iudicis, & penitentiam reconciliatiuā peccatoris, quòd ibi ſatis ſit, ſi reus patiatur penam à Iudice conſtitutam, ſiue ſpontè, ſiue coactè, ſiue is qui læſus eſt eâ cōtentus ſit, ſiue nō. In penitentiâ autem reconciliatrice hoc non ſufficit, ſed requiritur, vt is, qui alterum iniuriâ affecit, ſponte penam ſubeat, & ad arbitrium eius, quem offēdit. Ergo neceſſarium eſt primò, vt doleat de iniuriâ illatâ: alioqui non eſt dignus recōciliatione. Deinde, oportet vt ſubijciat ſe pœnę ad arbitrium Dei, quem iniuriâ affecit: Deus autē nobiſcum agit per ſuos miniſtros: ergo peccator debet ſe eius miniſtro ſubijcere, qui eius locum tenet. Hoc autem fieri non poteſt, niſi ſuas culpas

Differētia inter punitionem Iudicis, & pœnitentiam & reconciliatricem.

ei per confeſſionem aperiat: vnde ſecundo loco requiritur confeſſio: tertio ſatisfactio. Colligitur hæc ratio ex D. Thoma art. 3.

6 Secunda Ratio: Pœnitens recurrit ad Deum cum propoſito emendationis, ſicut ſeruus ad Dominum, iuxta illud Pſalmi 122. v. 2. *Sicut oculi ſeruorum in manibus dominum ſuorum, ita oculi noſtri ad Dominum Deum noſtrum, donec miſereatur noſtri.* Et ſicut filius ad patrem (Lucæ 15. v. 18. *Pater peccaui in cælum & coram te*) & ſicut vxor ad virum (Ieremiæ 3. v. 1. *Fornicata es cum amatoribus multis, tamen reuertere ad me, Dicit Dominus.*) Atqui quando ſerui cum dominis, liberi cum parentibus, vxores cum viris in gratiam redeunt, hæc tria dictante ratione naturali præſtant. Dolent enim ſe offendiſſe, fatentur ſuam culpam, denique pœnæ & caſtigationi ſe ſubijciunt, vel veniam precantur: ergo hæc tria ſunt veræ pœnitentiæ partes, quas Deus in noua lege ad Sacramenti dignitatem euexit; vt infrà magis conſtabit.

ARTICVLVS IV.

Vtrum Pœnitentia conuenienter diuidatur in Pœnitentiam ante Baptiſmum, & in Pœnitentiam poſt Baptiſmum?

7 POenitentiam in genere diuidit D. Thomas tamquam in ſuas ſpecies, in *Pœnitentiam ante Baptiſmum*, per quam intenditur generatio in nouam vitam: & in *Pœnitentiam poſt Baptiſmum*, quę duplex eſt; videl. *Pœnitentia mortalium*, per quam intenditur reformatio vitæ præteritæ iam corruptæ; & *Pœnitentia venialium*, per quam intenditur maior perfectio, & maius ſtudium bonorũ operum. His adde aliam diuiſionem *Pœnitentiæ mortalium poſt Baptiſmum*, de qua D. Tho. in Additionibus q. 28. Alia enim eſt *Priuata*, quæ videl. in occulto agitur: alia *Publica*. Rurſus *Publica*, alia eſt *Solemnis*, alia *non ſolemnis*.

8 Sex conditiones *Pœnitentiæ publicæ ſolemnis.*

Pœnitentia publica ſolemnis, habebat has conditiones. Primò, Semel tantum in vita imponebatur: vt patet ex Ambr. l. 2. de Pœnit. c. 10. & Auguſtino epiſt. 54. & Origene hom. 15. in Leuit. Et Ratio eſt, tum vt pluris fieret, tum quia erat ſolemnis quædam profeſſio nunquam ampliùs redeundi ad illa grauia crimina. Sicut Baptiſmus eſt ſolemnis quædam profeſſio nunquam redeundi ampliùs ad infidelitatem. Quòd ſi accidebat talem rurſus relabi in ſimilia crimina, priuabatur communione Sacramentorum vſque ad mortem; vt patet ex c. 5. epiſtolæ 1. Syricij Papę.

Secundò, Non iniungebatur niſi ob grauiſſima & publica crimina; vt homicidia, adulteria, idololatriam &c. vt patet ex Conc. Toletano I. can. 2. Tertiò, Non poterat imponi Sacerdotibus: neque illi qui pœnitentiam publicam egerãt, poterant ad Ordines promoueri; vt patet ex cap. 14. epiſtolæ Syricij ad Himmeticum Tarraconenſem Epiſcopum. Nec etiam coniugatis, ſine conſenſu alterius coniugis: nam à complexu coniugali tales pœnitentes abſtinere debebant; vt patet ex Concilio Arelatenſi 2. can. 21. & 22.

Quartò, A ſolo Epiſcopo imponebatur, & ab eodem ſoluebatur, non autem a Presbyteris, niſi in abſentia Epiſcopi, idque vrgente neceſſitate; vt patet ex Concilio Carthaginenſi 2. cap. 4. & ex epiſtola 86. D. Leonis.

Quintò, Imponebatur feria 4. ante Dominicam Quadrageſimæ; vt patet ex Concilio Agathenſi apud Gratianum diſt. 50. Can. *In capite*. In cuius ſignum conſignantur adhuc fideles eodem die cineribus. In die autem Cœnæ Domini omnes reconciliabantur & communicabant, idque ſingulis annis, donec tempus pœnitentiæ eſſet expletum, quod quibuſdam longius, alijs breuius conſtituebatur, vt trium, ſeptem, decem, vel duodecim annorum; vt patet ex eodem loco.

Sextò, Erant variæ pœnæ. *Prima*, Abſtinere à communione Euchariſtiæ, præterquam in Cœna Domini; vt patet ex Cypriano epiſt. 8. *Secunda*, Non poterant vnquam promoueri ad Cletum, vt patet ex dictis. *Tertia*, Abſtinere à nuptijs. Indulgebatur tamen interdum adoleſcentibus ad vitãdam fornicationem; vt patet ex epiſt. 92. cap. 12. *Quarta*, Non poterant accedere ad militiam ſeculare; vt patet ex eadem epiſt. c. 11. *Quinta*, Non poterãt interim eſſe ſuſceptores in Baptiſmo vel in Confirmatione; vt patet ex Concil. Pariſienſi lib. 1. cap. vltimo. *Sexta*, Carebant infirmorum Vnctione; vt patet ex Innocentio I. epiſtolã ad Decentium. c. 8. *Septima*, Erant ſeparati loco à reliquis fidelibus. Primò enim debebant manere ante fores Eccleſiæ: poſteà admittebantur intrò, ſed cum Catechumenis: poſtremò admittebantur cum fidelibus; ſed alijs communicantibus nõ poterant communicare ante reconciliationem; patet hoc ex epiſtola Canonica Gregorij Taumaturgi, quæ additur Canonibus Photij. *Octaua pœna*, Habebãt habitum lugubrem: erant enim induti veſte puella, & cilicio, & tonſo capite, exceptis feminis, quę caput velabant; patet hoc ex Ambroſio lib. ad virginem lapſam cap. 8. & ex Pacianò Epiſcopo Barcilonenſi in exhortatione ad pœnitentiam. *Nona*, Singulis diebus ieiuniorum debebant venire ad Eccleſiam, & ſubmittere capita Sacerdotibus, vt eis manus imponerent, & pro eis orarent; vt patet ex can. 80. Concilij IV. Carthaginenſis. *Decima*, Sepelire mortuos; patet ibidem can. 81. *Vndecima*, Flectere genua diebus Dominicis & tempore Paſchali, quando alij ſtantes orabant; ibid. can. 81. *Duodecima*, Vitare balnea & cõuiuia, & inſiſtere orationi & ieiunijs, cubare in ſacco & cinere; patet ex Ambroſio lib. ad virginem lapſam cap. 8. & ex alijs.

9 duodecim pœnæ *publicæ pœnitentiæ.*

IN ADDITIONES D. THOMÆ:

QVÆSTIO PRIMA.

De Contritione, quæ eſt prima pars Sacramenti Pœnitentiæ.

Quid ſit Contritio?

1 NOtandum eſt, Concilium Tridentinum ſeſſ. 14. can. 4. definire *Contritionem* generatim hoc modo, *Cõtritio eſt animi dolor, ac deteſtatio de peccato commiſſo cum propoſito non peccandi de cætero.* Circa quam definitionem ſunt aliquot dubia.

DVBIVM I.

Vtrùm Contritio eſſentialiter ſit deteſtatio, an dolor?

2 HI actus ſunt diſtincti. *Deteſtatio* enim eſt odium, & opponitur amori, ſeu complacentiæ. *Dolor* autem, ſeu *triſtitia* oritur ex deteſtatione mali, ſi ipſum malum ſit præſens, & opponitur gaudio.

Caietan. Reſpondeo: Quidam putant Contritionem proprie & eſſentialiter eſſe *deteſtationẽ: Dolorem* verò eſſe effectum contritionis. Ita Caietanus Opuſculo de Contritione qu. 1. Dominicus Soto diſt. 17. quæſt. 2. art. 1. Ratio ipſorum eſt: Quia contritio eſt primus actus pœnitentiæ: atqui dolor non poteſt eſſe primus actus, nam oritur ex diſplicentia, & odio.

3 Contritio propriè eſt *dolor*, non *deteſtatio.* Sed contrarium videtur eſſe verius, ſcilicet contritionem propriè eſſe *Dolorem de peccato commiſſo.* Primò, Quia ipſum nomen afflictionem & *dolorem* inſinuat. Secundò, Quia *pœnitere* formaliter eſt *dolere*, non *deteſtari*: atqui contritio formaliter eſt *pœnitentia*: ergo formaliter eſt *dolor.* Tertiò, Quia in Beatis eſt diſplicentia peccatorum olim commiſſorum, non tamen in illis eſt *contritio*; quia non eſt in illis dolor, cùm eius non ſint capaces, propter ſtatum.

4 An poſſit quis legitimè pœnitere ſine dolore. Aduerte tamen, *Dolorem* non poſſe eſſe ſine deteſtatione mali, de quo doletur; & ideò Concil. Tridentinum ſuprà ſeſſ. 14. can. 4. vtrumque poſuit. Dices: Ergo, ſi quis deteſtaretur peccata ſua ſine dolore, non legitimè peniteret. Reſpondeo: Fieri nequit in hac vita, vt quis ſeriò deteſtetur ſua peccata in ordine ad reconciliationem, quin ſimul doleat: nam deteſtatio ſeria mali, quod concipitur adeſſe, neceſſariò parit dolorẽ: ſicut amor boni præſentis neceſſariò parit gaudium. Si tamen ponamus non interuenire dolorem, non erit pœnitentia, vt patet in Beatis.

Ad Rationem in contrarium: Etſi dolor non ſit primus actus habitûs pœnitentiæ abſolutè conſiderati, eſt tamen primus actus ipſius quatenus dicitur *Penitentia.* Adde nec ipſam deteſtationem eſſe primum actum illius habitus, vt patet ex ſuprà dictis.

DVBIVM II.

Vtrùm ad contritionem requiratur propoſitum non peccandi in poſterum, & quale?

5 Reſponſio REſpondeo & Dico Primò: Certum eſt *Contritionem* continere non ſolum *dolorem* peccatorum commiſſorum; ſed etiam *propoſitũ amplius non peccandi*, ſeu rectè viuendi. Eſt fide tenendũ. affirmans eſt de fide. Patet ex Concilio Florentino in inſtructione Armenorum: & Tridentino ſeſſ. 14. cap. 4. vbi Cõtritio definitur eſſe *Dolor de peccato commiſſo cum propoſito non peccandi in poſterum.*

Ezech. 18. Probatur Ezechielis 18. v. 25. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, & cuſtodierit omnia præcepta mea, vitâ viuet, & non morietur; omnium iniquitatum eius non recordabor*: vbi illud (*cuſtodierit omnia præcepta mea*) referendũ eſt ad *propoſitum*, non ad *executionem*: quia non requiritur omnium mandatorum cuſtodia in executione ante iuſtificationem. Amos 5. v. 15. *Odite malum, & diligite bonum, ſi forte miſereatur Dñs Deus exercituum.* Amos 5. Iſaiæ 1. v. 16. *Auferte malum cogitationum veſtrarum, quieſcite agere perperàm, diſcite benè facere.* Et addit: *Si fuerint peccata veſtra, vt coccinũ, quaſi nix dealbabuntur*: vbi promittitur remiſſio poſt bona opera, ſaltè in *propoſito.* Idem colligitur ex illis Scripturis, quæ deſcribunt pœnitentiam per conuerſionem. Ioël 2. v. 12. *Cõuertimini ad me in toto corde veſtro: Conuerſio* enim includit, non ſolùm auerſionem à peccatis, ſed maximè applicationem animi ad obediendum Deo. Ioël. 2.

Dico Secundò: Hoc *propoſitum* debet eſſe formale & expreſſum, ſi homo cogitet de modo vitæ in poſterum degendæ. Si tamen hæc cogitatio non occurrat, ſufficit implicitum & virtuale propoſitum incluſum in ſerio dolore peccatorum.

6 Aliquando neceſſe eſt vt hoc propoſitum ſit expreſſum eſt formale.

Prior Pars eſt communis Doctorũ, & ſatis colligitur ex Concilijs, & Scripturis citatis, quę requirunt propoſitum emẽdationis. Quod maximè verum eſt, quando homo de ea re cogitat: vnde cõmuniter à Doctoribus recepta eſt illa definitio Magiſtri diſt. 15. *Penitentia eſt virtus, quâ commiſſa peccata cum emendationis propoſito plangimus.* Probatur Ratione: Quia inter homines ad reconciliationem non ſufficit dolere de iniuriâ, ſed requiritur, vt etiam promittat non ampliùs inferre. Patet, cùm filij redeunt in gratiam cũ parentibus, & domini cum ſeruis. Primùm enim, quod ratione naturali duce poſt oſtenſum dolorem dicunt, eſt, *Non faciam ampliùs*: quod ſi id ſponte non dicant, etiam pœnis extorquetur: ergo ſimiliter ratio naturalis fide inſtructa dictat, ad recõciliationem cum Deo requiri expreſſum propoſitum non peccãdi de cetero, ſi id animo occurrat. Confirmatur: Quia ſicuti ad compenſationem iniuriæ pertinet *dolere* de iniuriâ illatâ, ita etiam *proponere*, ſeu *promittere non ampliùs in ſerve.*

7 Aliquando ſufficit, vt ſit virtuale & implicitum. Altera Pars eſt contra Dom. Soto diſt. 15. q. 1. art. 2. & diſt. 17. q. 2. a. 1. Sed eam docet Andreas Vega. lib. 13. in Concilium Trident. c. 21. & 22. Nauarrus cap. 1. Enchiridij nu. 10. & 15. Ioannes Medina Codice de Pœnitentiâ Tract. 1. quæſt. 3. & alij multi recentiores.

Probatur Primò: Quia quando non habemus memoriã peccati mortiferi, ſufficit virtualis dolor, ſeu contritio incluſa in actu dilectionis Dei; & cõſequẽter ſufficit actus dilectionis Dei ſuper

omnia ad iuſtificationem, vt ſuprà dictu eſt: ergo ſimiliter quando non occurrit cogitatio illa de modo viuendi in poſterũ vt ſit dum homo totus eſt occupatus in examinandà & deteſtandà vitâ præterita ſufficiet virtuale propoſitum emendationis in ſerio peccati dolore inclusũ, ac proinde ſufficiet ſerius dolor de peccatis præteritis. Si enim virtualis pœnitentia aliquando ſufficit, cur non etiam virtuale propoſitum emendationis in actuali dolore peccati incluſum? Secundò: Contritio non accipit vim iuſtificandi ex propoſito emendationis; ſed ex eo, quòd perfectè repugnet peccato, quatenus eſt offenſio Dei: ergo abſolutè non eſt neceſſaria expreſſa voluntas emendationis. Tertiò: Hęc voluntas ſæpè poteſt inculpatè omitti ab eo, qui ex amore Dei ſuper omnia dolet de peccatis: atqui non eſt credibile huic non dimitti peccata, cum ſine vllâ ſuâ culpâ careat illo actuali propoſito, & alioqui diligat Deum ſuper omnia; præſertim cùm dilectio Dei ſuper omnia ſufficiat ad iuſtificationem, iuxta illud, *Charitas operit multitudinem peccatorum.*

8 Idem dic de neceſſitate huius propoſiti ad remiſſionem venialium.

Petes vtrùm illud expreſſum propoſitum ſit neceſſarium ad remiſſionem peccatorum venialiũ, ſeu ad legitimam venialium pœnitentiam?

Reſpondeo; Videri neceſſarium, ſi occurrat cogitatio de ratione viuendi inpoſterum. Primò: Quia Concilium Trid. generaliter requirit hoc propoſitum ad cõtritionem in genere acceptam, ſeu ad actum pœnitentiæ: atqui venialia non remittuntur ſine actu pœnitentiæ, ſeu cõtritione in genere. Secundò: Quia non poteſt quis ſeriò dolere de aliquo peccato, præſertim eo fine, vt Deo reconcilietur, quin ſtatim inde ſequatur propoſitum emendationis, ſi illa cogitatio incidat: nam hoc eſt vnum ex illis, quæ maximè inducunt offenſum ad ignoſcendum.

DVBIVM III.

Vtrùm Contritio includat etiam propoſitum confitendi, & ſatisfaciendi ex arbitrio Sacerdotis?

Reſpondeo: Contritio conſiderata, vt eſt legis naturæ, non continet hoc propoſitum. Vnde Concilium Trident. eam ſic definiens, nihil aliud poſuit, quàm *deteſtationem, dolorem, & propoſitum non peccandi de cetero*; quæ iure naturæ ſunt neceſſaria.

9 vt eſt legis naturę.

vt pertinet ad nouam legem.

Verùm contritio, vt ad nouam legem pertinet, continet etiam propoſitum cõfitendi, & ſatisfaciendi ad arbitriũ Sacerdotis. Patet hoc ex Synodo Complutenſi confirmata à Sixto IV. vbi damnatur hęc propoſitio cuiuſdam Petri Oxomenſis, *Per ſolam cordis contritionẽ remittuntur peccata mortifera quoad culpam: & pœnã alterius ſęculi ſine ordine ad claues.* Et ex Cõcilio Trident. ſeſſ. 14. c. 4. vbi dicitur, quòd *Contritio in homine lapſo poſt Baptiſmum ita demum præparat ad remiſſionẽ peccatorũ, ſi cũ fiducia diuinę miſericordiæ & voto reliqua præſtãdi coniuncta ſit*: & infrà dicitur, *Contritionem includere votum Sacramenti.* Hinc DD. paſſim in definitione *Contritionis* hoc addunt; vt patet ex art. 1. D. Thomæ, quia definiunt contritionem vt in noua lege exerceri debet. Verùm ſatis eſt, ſi hoc propoſitum ſit implicitum; continetur enim in propoſito delendi peccata, & ſeruandi mandata. Nam medium ad delenda peccata, eſt confeſſio Sacramentalis & ſatisfactio: & pari modo vnum ex diuinis mandatis eſt, vt confiteamur, & ſatisfaciamus. Ita Ioannes Medina qu. 3. de Pœnitentia; & Nauarrus cap. 1. num. 15. & alij.

DVBIVM. IV.

Quomodò differat Contritio propriè dicta ab Attritione?

10 Diuiſio contritionis, in perfectam & imperfectam.

Notandum Primò: *Contritionem* generatim acceptam, de qua hactenus, diuidi in duas ſpecies; in *Contritionem propriè dictã, & attritionẽ.* Colligitur ex Concilio Trident. ſeſſ. 14. cap. 4. vbi ait *Attritionem eſſe imperfectam contritionem.* Et quamuis, ſtrictè loquendo, ſolus ille dolor, qui eſt de peccato, vt eſt offenſio Dei, procedens ex imperfecta dilectione, dicatur *imperfecta contritio*, eõ quòd circa idem obiectum formale verſetur, tamen generatim omnis *Attritio* vocatur à Concilio, *Contritio imperfecta.*

11 Contritio perfecta.

Notandum Secundò: *Contritionem* propriè dictã, quæ *& perfecta* dicitur, eſſe dolorem de peccato, vt eſt offenſio Dei, tanquam de ſummo malo, cum propoſito emendationis non peccandi de cetero: vt communiter Doctores docent. Vnde ſequitur tot eſſe ſpecies *Attritionis*, quot modis contingit deficere ab hac perfectione. *Prima* ergo Species ſit, quâ quis dolet de peccato, & proponit abſtinere propter damnum temporale: vt fur ob infamiam, vel mortem. *Secunda*, quando dolet & proponit abſtinere propter turpitudinẽ peccati: idque dupliciter; vel quatenꝰ peccatum eſt contra dictamen nudę rationis naturalis, vel contra dictamen rationis fide illuſtratæ. *Tertia*, quando propter timorem gehennæ. *Quarta*, quãdo ob amiſſionem bonorum ſpiritualium; vt bonorum operum, gratię Diuinæ, & vitę æternæ. *Quinta*, quando dolet quis de peccatis propter Deum dilectum amore naturali, id eſt, quatenus eſt auctor bonorum naturalium. *Sexta*, quando dolet propter offenſionem Dei ex affectu ſupernaturali, ſed non tanquam de ſummo malo; imò fortaſſis magis doleret de iactura bonorum temporalium vel famę, etſi hanc comparationem nõ faciat. In his ſex ſpecieb⁹ ſuppono adeſſe propoſitum abſolutum emẽdationis, ſeu non peccandi in poſterum; eaſque dũtaxat deficere à perfectione cõtritionis ex parte rationis dolendi, quia videlicet nõ dolent propter Deũ ex affectu ſupernaturali, vel certè non ſuprà quoduis aliud malũ.

Contritionis imperfectæ, ſeu attritionis ſpecies, ex parte rationis dolẽdi.

His addi poteſt *Septima ſpecies* ex parte propoſiti; quando homo dolet propter Deum, ſed non habet abſolutum propoſitum abſtinẽdi in poſterum; verùm tantummodò velleitatem quãdam: qualis eſt plerumque vſurariorum, meretricum, attritio, & eorum qui penitus ſunt immerſi peccatis. Vtrùm autem ſolis naturę viribus poſſit haberi abſolutum propoſitum abſtinendi in futurum, eſt alterius loci. Nunc ſupponamus id eſſe poſſibile, quamuis ſit admodum difficile.

Septima ſpecies ex parte propoſiti.

12 Differẽtia inter attritionem & contritionem.

Ex his facile eſt colligere, quomodo Contritio propriè dicta & Attritio differant. Differunt enim Primò: quòd Contritio procedat ex dilectione Dei ſuper omnia; Attritio autem non procedat ex tàm perfecto affectu beneuolentiæ erga Deum; ſed vel ex affectu inferiore erga Deũ, vel ex amore propriæ ſalutis, vel pulchritudinis virtutis. Secundo: Contritio dolet de peccato tanquam de ſummo malo, ac proinde ſummè dolet, nempe appretiatiuè: Attritio verò non ſic apprehendit peccatum, tanquam ſummum malũ. Tertiò, Contritio dolet de peccato, quia eſt offenſa Dei, id eſt, quia offendit eum, quem ſummè amare & honorare debebat: Attritio autem non reſpicit ſemper hanc rationem formalem; ſed ple-

rumque ob alias cauſas dolet. Et quamuis ſit quędam Attritio, quæ etiam ob hanc cauſam dolet, ſcilicet ſexta ſpecies; non tamen ita perfectè dolet, ſicut decet, de ſummo malo.

Attritio nunquam fieri poteſt Contritio.

Ex his vlteriùs patet, Attritionem nunquam poſſe fieri Contritionem, cùm obiecto formali differant, vel ſaltem modo in illud tendendi.

DVBIVM. V.

Vtrùm omnes hę Attritiones ſufficiant, ſaltem cum Sacramento, ad iuſtificationem?

13 2. & 3. & 4 ſpecies attritionis cum Sacramento ſufficiunt ad iuſtificationem.

REſpondeo & Dico Primò: Certum eſt eam attritionem, quæ concipitur per auxilium ſpeciale ex conſideratione turpitudinis peccati, vel metu gehennæ (& idem dico, ſi ex amiſſione bonorum ſpiritualium) cum ſpe venię, ſi voluntatem peccandi excludat, ſufficere cum Sacramento Pœnitentiæ.

Tridենt.

Probatur Primò: quia hoc docet Concilium Trid. ſeſſ. 14. cap. 4. Vbi de hac attritione ſic ait, *Quamuis ſine ſacramento Pœnitentia per ſe ad iuſtificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentię impetrandam diſponit*: (nempe ad gratiam iuſtificationis, non ad contritionem, de illa enim apertè loquitur Concilium:) hęc autem in ipſo Sacramento impetratur, id eſt, per ipſum Sacramentum, ac proinde ex opere operato. Idem docent paſſim

Scolaſtici.

Doctores diſt. 18. qui dicunt, *Per Sacramentũ pœnitentiæ ex attrito fieri contritum.* Ita D. Thomas ſuprà qu. 86. ar. 6. & in 4. diſt. 18. q. 1. ar. 3. & ibidem Scotus, Durandus, Paludanus, & alij, præter paucos, qui contrarium ſentire videntur, vt Bonauentura, Richardus, Gabriel, & Alexander. Sed hęc res poſt Concilium non poteſt eſſe dubia.

Ratio.

Probatur Secundò, Ratione: Primò, quia in lege naturæ, & veteri, ſine Sacramento contritio ſemper fuit ſufficiés ad remiſſionem peccatorũ: ergo in lege Euangelica, quando habemus Sacramẽta quæ ex ſe ſunt efficacia ad remiſſionẽ peccatorum, ſufficiet attritio. Secũdò: quia alioquin per Sacramẽtum nunquam abſolueremur à culpa; ſed ſolùm declararemur eſſe abſoluti, antecedente cõtritione; quod eſt erroneum: nam ſic in Eccleſia non eſſet verè *Poteſtas remittẽdi peccata*; ſed ſolùm *declarãdi eſſe remiſſa*. Tertiò: quia alioqui remiſſio peccati non eſſet facilior nũc, quàm olim: quod eſt contra gratiam noui teſtamenti.

14 5. Species etiam ſufficit.

Dico Secundò: ſufficit etiam ea attritio, quæ ex amore Dei, vt auctoris naturæ, per auxilium ſpeciale concipitur: vt dum quis dolet, quòd offenderit Deum, à quo tot beneficia humana & naturalia accepit, opes, honores, ſanitatem, liberos, longam vitam, &c. Ratio eſt: quia hęc attritio magis accedit ad amicitiam Dei, quàm illa ſuperior, quæ ob metum gehennæ, vel turpitudinem peccatorum concipitur.

15 6. Species ſimiliter ſufficit.

Dico Tertiò, Sex ſpecies attritionis etiam ſufficiens eſt cum Sacramento. Probatur, Quia eſt omnium attritionũ optima & perfectiſſima, proximè accedens ad contritionem. Nam eſt ex affectu charitatis, ſicut contritio, & eſt coniuncta cum abſoluto & efficaci propoſito emendationis. Solùm autem differt à contritione, quòd contritio doleat de peccato, vt offendit Deũ vt auctorem bonorum ſupernaturalium; tãquam de ſummo malo; adeò, vt ſi in particulari faceret comparationem cum alijs malis, ex vi illius contritionis pluris æſtimaret peccatum, magiſque illud deteſtaretur. Hæc autem attritio non ita perfectè dolet, nam ſi fieret comparatio tum alijs malis, ex vi huius attritionis non inclinaret ad magis dolendum de peccatis, quàm de alijs maximis malis. Hanc tamen comparationem non facit, nec expedit vt faciat; ſi enim illam faceret, & actu pluris æſtimaret alia mala quàm peccata, non eſſet capax abſolutionis.

16 quæ attritio nõ ſufficere cum ſacramẽto

Dico Quartò: Nulla attritio ſufficit ad remiſſionem peccatorum in Sacramento conſequendam, quæ ſolis naturæ viribus concipitur; ſed omnis idonea attritio ad iuſtificationé debet proficiſci ex auxilio ſpeciali. Probatur ex Concilio Tridentino ſeſſ. 6. cap. 5. vbi docet exordium iuſtificationis in adultis ſumendum eſſe à gratia, id eſt, à vocatione, quæ nihil aliud eſt, quam inſpiratio diuina tum in intellectu, tum in voluntate. Loquitur autem Cõcilium non ſolùm de iuſtificatione, quæ fit extra Sacramentum, ſed maximè de eâ quę fit per Sacramentum. Et can. 3. definit, *ſine præuenięte Spiritus ſancti inſpiratione hominem non poſſe pœnitere vt oportet ad iuſtificationis gratiam conſequẽdam.* Ratio eſt: Quia cùm hęc attritio ſit diſpoſitio ad gratiã, debet aliquo modo eſſe ſupernaturalis, ſcilicet vel ſecundùm ſubſtantiã ſuam, vel ſecundùm modũ. Neque ſufficit, ſi bona fide exiſtimes te habere legitimũ dolorem: nam illa bona fides nõ poteſt ſupplere defectum, qui eſt in ipſa diſpoſitione; ſed ſolùm excuſat à peccato, quod committeres, ſi ſcires te non legitimè diſpoſitum accedere ad Sacramentum.

17 Attritio inſufficiés ad gratiã, poteſt eſſe ſufficiens ad ſubſtãtiam Sacramenti.

Aduerte tamen huiuſmodi attritionẽ eſſe ſufficientem ad ſubſtantiam Sacramẽti pœnitentiæ. Ratio eſt: quia Sacramenta conſtant rebus, vel actibus naturalibus, quæ ex diuina inſtitutione concipiunt vim ſupernaturalem, vt agant in hominem diſpoſitum. Diſpoſitio autem ad gratiam debet eſſe ſupernaturalis. Quare eadem attritio, etſi ſit inſufficiens diſpoſitio ad gratiam, poteſt tamen eſſe ſufficiens vt ſit pars Sacramenti.

18 1. Species videtur etiam ſufficere cum ſacramẽto

Dico Quintò: An prima ſpecies attritionis cum Sacramento ſufficiat, non eſt certum: ſatis tamen probabile eſt, ſufficere. Tenet Scotus diſt. 18. qu. 3. art. 3. Quod intellige, ſi malum illud temporale, propter quod dolet, apprehendatur tanquam à Deo infligendum: ſecùs vero, ſi apprehendatur vt malum merè humanum. Probatur exemplo Niniuitarum, quorum pœnitentia laudatur à Domino, & tamen timore euerſionis vrbis & mortis temporalis pœnitentiam egerunt: ergo, ſi quis cum tali pœnitentia accederet ad Sacramentum, conſequeretur fructum Sacramenti. Confirmatur: quia hic dolor ſequitur ex fide prouidentiæ & iuſtitiæ diuinæ, & ex timore Dei tanquam vltoris peccatorum.

19 7. Species nõ ſufficit.

Dico Sextò: vltima ſpecies, ſcilicet, cui deeſt abſolutum propoſitum, non ſufficit ad gratiam cõſequendam etiam cum Sacramento. Ita Dom. Soto ſuprà, & alij. Ratio eſt: quia ptopoſitum nõ peccandi debet eſſe abſolutum; alioquin non excluditur propoſitum peccandi, quod tamen excludi debere docet Concilium Tridentinum.

20 Dolor ſolùm putatus legitimus non ſufficit ad ſubſtantiã ſacramẽti.

An autem ſufficiat ad ſubſtantiam Sacramenti, ſi quis bonâ fide exiſtimaret, ſuum dolorem eſſe legitimum, dubium eſt. Dominicus Soto putat ſufficere: quod non eſt improbabile.

Contrarium tamen videtur omnino verius. Ratio eſt; quia talis peccator, omnibus conſideratis, non verè dolet de peccato, neque illud odit; Nam voluntariè in eo vult perſiſtere; ſed tantùm dolet ſecundùm quid, quatenus peccatum ſeorſim & præcisè conſideratur.

Dices: Alexander III. Cap. *Quod quidam* de

Pœnitentijs & remiſſionibus, præcipit recipi eorum confeſſionem, qui dicunt ſe à peccatis abſtinere non poſſe: ergo in illis ſaltem Sacramentū erit validum.

Reſpondeo, Ibidem dicere Pontificem talem pœnitentiam non eſſe veram: vult tamen eorum confeſſionem admitti, non vt abſoluantur ſine abſoluto propoſito, ſed vt ſalutaribus monitis ad illud concipiendum inducantur.

DVBIVM. VI.

Vtrùm Attritio in Sacramento Pœnitentiæ debeat eſſe exiſtimata Contritio à pœnitente?

21 Soto affirmat.

DOminicus Soto diſt. 18. q. 3. art. 2. affirmat. Quæ opinio eſt ſecuriſſima in praxi. Contrariam tamen ſententiam puto veriorem, quam ſequitur Nauarrus, cap. 1. num. 43. Correctâ ſentētiâ priore; & Melchior Canus lect. 5. de Pœnitentia, & paſſim recentiores. Probatur Primò: Quia Concilium Tridentinum hoc non requirit; quod tamen dogmaticè & ſtrictè loquitur, nec ignorabat Doctorum ſententias. Secundò: Quia ſicut Baptiſmus eſt Sacramentum mortuorum ſecundùm ſpiritum, ita etiam Pœnitentia: ergo ſicut non eſt neceſſe, vt is qui accedit ad Baptiſmum, exiſtimet ſe viuere ſpiritualiter, vt etiam Sotus fatetur, ita neque, vt is, qui ſe ſubmittit clauibus Eccleſiæ ad remiſſionē peccatorum. Tertiò: Ad Euchariſtiam ſufficit attritio exiſtimata contritio, quando non datur copia Confeſſoris; & pari modo ad alia Sacramēta, quæ non ſunt inſtituta ad remiſſionem peccatorum: ergo minùs requiritur ad Sacramentum Pœnitentiæ. Patet conſequentia, quia illa ſunt Sacramenta viuentium, & ideò ex præcepto diuino naturali ſupponunt vitam, vel verè exiſtentem, vel prudenter exiſtimatam. Sacramentum autem Pœnitentię per ſe primò inſtitutum eſt ad remiſſionem peccatorum. Quartò: Quia verbo abſolutionis ſignificatur hominem abſolui ab omni culpâ, etiam mortiferâ: ergo pœnitens nō debet exiſtimare ſe anteà fuiſſe liberatum; quod tamen deberet, ſi neceſſarium eſſet exiſtimare ſe contritum. Quintò: melior eſſet conditio hominis rudis, qui facilè exiſtimabit ſe contritum, quàm eruditi qui dubitabit.

Opinio negans eſt verior.

Valdè tamen conſulendum, vt is, qui animaduertit ſe non eſſe contritum, ſed ſolùm attritum, doleat quòd non perfectiùs doleat de offenſa diuina. Per hoc tamen non fiet cōtritus, vt quidam volunt, inter quos Paludanus diſt. 17. Nam talis velleitas non æquiualet actui abſoluto: vt ſi quis doleret ſe non habere tam perfectam contritionem, quàm habuit Magdalena, non ideò cenſeretur habere tàm perfectam. Neque verum eſt, voluntatem ſemper pro facto reputari: hoc enim ſolùm in actibus externis locum habet, à quibus impedimur ob impotentiam executionis extrinſecam; non autem in actibus internis, ad quos non habemus ſufficientes vires intrinſecas, vel ſaltem eas non vt oportet, exercimus.

22 Notabile ad praxim

Attritus dolēs ſe non eſſe contritum non fit per hoc contritus.

QVÆSTIO II.

De Obiecto Contritionis.

DVBIVM. I.

Vtrùm ante inſtitutum Sacramentum Pœnitentiæ fuerit neceſſaria diſtincta contritio peccatorum mortiferorum?

1 Tribus modis doleri poteſt de peccato mortali.

NOtandum eſt, de peccato mortifero tripliciter poſſe doleri, & conteri. Primò: excitando ſingulos dolores de ſingulis peccatis mortiferis, cuiuſque malitiâ ſeorſim expensâ. Secundò: ſi quis commemoratis omnibus peccatis ſuis in particulari, doleat de omnibus illis vnico dolore, qui formaliter ad omnia illâ ſe extendat: & hic poteſt dici dolor particularis, & per eum homo dolere in particulari de omnibus. Tertiò: ſi, non reductis in memoriam peccatis tuis, doleas de omnibus quæ commiſiſti generatim; & dicitur dolor generalis.

2 De ſingulis peccatis nō fuit vnquā neceſſe ſingulos dolores excitare.

Dico primò: Nunquā fuit neceſſarium de peccatis ſingulis ſingulos dolores excitare. Eſt communis Doctorum. Probatur: Quia homo ſubitò poteſt iuſtificari: ad iſtud autem eſſet opus longo tempore, ſi quis multa peccata haberet. Ratio eſt: quia vna efficax contritio, extendens ſe ad omnia ſine exceptione, eſt inſtar multarum contritionum ſingulis peccatis commenſuratarum: ſicut vna viſio, quâ decem res diſtinctè videntur, eſt inſtar decem viſionum.

Eſt tamen ſalutare conſilium.

Notandum tamen eſt, eſſe ſalutare conſilium, etiam de ſingulis præſertim peccatorum ſpecibus, dum quis conſcientiam examinat, dolorem excitare, cùm in illis ſint diſtincti malitiæ gradus.

Dico Secundò: Probabilius eſt neque in lege naturæ: neque in lege veteri ante inſtitutū Sacramentum Pœnitentiæ, fuiſſe neceſſarium ad iuſtificationem commemorare ſingula peccata, vt de omnibus vnica contritio cōciperetur, iuxta ſecundū modum. Eſt contra Melchiorē Canum Relectione de Pœnitentia part. 3. & quoſdam alios, qui putant illud neceſſarium fuiſſe neceſſitate medij. Et contra Dominicum Soto diſt. 17. quæſt. 2. art. 3. qui id putat fuiſſe neceſſarium neceſſitate præcepti. Sed noſtram ſentētiam docet Caietanus Opuſculo de Contritione queſt. 2. & Franciſcus Victoria in ſumma quæſt. 116. & alij multi recentiores.

3 Imò nec fuit neceſſe olim omnia, & ſingula peccata cōmemorare.

Probatur Primò: quia hæc commemoratio peccatorū ſingulorum ſolùm videtur neceſſaria ex præcepto diuino poſitiuò, iſque in noua lege, nempe ob confeſſionem Sacerdoti faciendam. Cuius ſignū eſt, quia ea peccata, quæ non ſunt neceſſariò confitenda, vt venialia, non ſunt neceſſariò reducenda in memoriam: ergo ex iure naturæ neque mortifera.

Secundò; Quia dolor de peccatis requiritur ad reconciliationem, tum vt homo per illum auertatur perfectè à peccato, tum vt compenſet apud Deum peccati culpam: ſed hęc auerſio & compenſatiò fieri poteſt per dolorem generalem ſine illa particulari conſcientiæ diſcuſſione; nam fieri facilè poteſt, vt quis plus doleat de peccatis ſine diſcuſſione, quàm alius poſt diſcuſſionem: ergo, ſi hic ſatisfacit, etiam ille ſatisfacit.

Tertiò: dolor iſte generalis, quo quis propoſitis ſibi duobus vel tribus notabilioribus pecca-

ized by Google

tis, dolet de illis, & de alijs omnibus quæ commiſit, virtute ſe extendit ad ſingula, quæ commiſit: adeò vt ſi de ſingulis rogaretur, diceret ſe ea deteſtari: ergo virtute æquiualet particularibus dolotibus illorum, ac proinde non opus eſt ea commemorare.

Quartò: Homo poteſt ſubitò iuſtificari; vt patet in Paulo, Dauide, &c. vt infrà oſtendetur: ergo illa commemoratio non eſt neceſſaria. Dices: poteſt quidem ſubitò iuſtificari, ſed poſteà obligatur ad examen cõſcientię, vt poſſit de omnibus in particulari dolere: ita Sotus. Sed contrà: ſi ille iam iuſtificatus eſt per contritionem generalem, non tenetur iterum concipere contritionem. Nulla enim ratio poſtulat, vt homo bis debeat de vno peccato conteri, maximè cùm per vnam contritionem poſſit iuſtificari.

4 Sed contrà: Obijcitur Primò, Iſaiæ 38. v. 15.
1. obiectio *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Reſpõdeo: ibi ſolùm dicitur, quid ille
Soluitur. bonus Rex fecerit; non autem ſignificatur hoc omnibus neceſſariò faciendum: ſic Dauid ait, *Lauabo per ſingulas noctes lectum meum, lacrymis meis ſtratum meum rigabo*: tamẽ hoc non eſt præceptũ.
2. obiectio Obijcitur Secundò, Ezechielis 18. v. 25. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, &c. non recordabor amplius*: quod eodem capite ſæpiùs repetitur, addito ſemper ſigno vniuerſali. Reſpondeo, non eſſe dubium, quin impius debeat dolere de omnibus peccatis ſuis, vt conuertatur & iuſtificetur: ſed hoc poteſt fieri generatim abſque ſingulorum conſideratione.
3. obiectio Obijcitur Tertiò: Ratio naturalis dictat, vt qui poſt varias iniurias alteri illatas cupit reconciliari, Perpendat quantum iniuriæ contulerit, vt eam dignè poſſit æſtimare: nam hęc æſtimatio & agnitio apud offenſum neceſſaria eſt ad reconciliationem: ergo &c. Confirmatur: quia cùm quis cupit reconciliari, ſponte occurrunt omnes iniuriæ, quas intulit, quaſi naturâ hoc procurãte tanquam medium ad reconciliationem neceſſa-
Soluitur. rium. Reſpondeo: Ratio dictat hoc eſſe valdè expediens, non tamen eſſe neceſſarium: quia hæc æſtimatio in genere fieri poteſt, cùm omnia peccata in eo conueniãt, quòd ſint iniuria in Deum. Ad Confirmationem: Ideo homini naturaliter tunc occurrunt iniuriæ, quia metuit ne fortè aliquid fecerit, propter quod non ſit in gratiam recipiendus: quãdo autem hoc non metuitur, non ſic occurrunt.

DVBIVM II.

Vtrùm poſt inſtitutum Sacramentum Pœnitentiæ ſit neceſſaria particularis Contritio?

5 REſpondeo & Dico Primò: etſi neceſſaria ſit ſingulorum peccatorum commemoratio ad faciendam confeſſionem, non tamen eſt neceſſaria contritio particularis poſt commemorationem. Probatur Primò: quia in noua lege non eſt neceſſaria maior aut diſtinctior contritio, quam in veteri; ſed potius minor; nam etiam attritio ſufficit cum Sacramento, quæ anteà nunquàm fuit ſufficiens: ergo &c. Secundò: ſi talis cõtritio eſſet neceſſaria, vel id eſſet propter cõfeſſionem; nempe vt confeſſio nõ ſit pura narratio, ſed dolens ſui accuſatio; vel propter remiſſionem peccatorum obtinendã: Non primũ: quia cõtritio generalis quæ præceſſit, ſufficiens eſt ad hoc, vt confeſſio ſit dolentis accuſatio: ſimiliter attritio præcedens. Non ſecundum: quia remiſſio peccatorum facta eſt per contritionem generalem præcedentem; vel ſi præceſſit ſolùm attritio, fit remiſſio per verbum abſolutionis vi Sacramenti: non eſt ergo neceſſarius alius actus contritionis, vel attritionis.

Nec in noua lege neceſſaria eſt Contritio particularis de peccatis.

Dico Secundò: Etſi hæc contritio particularis, vel attritio poſt cõmemorationem nõ ſit neceſſaria, ſi præceſſit generalis, eſt tamen vtiliſſima, & omnibus ferè pœnitere volentibus frequẽtãda. Probatur: quia interdum periculum eſt, ne is qui ſolùm in genere dolet de omnibus, quæ cõmiſit, non deſcendens ad ſingula, non doleat abſolutè, & efficaciter de omnibus, ſibi ipſi imponens: multi enim ſunt, qui dicunt ſe de omnibus dolere, tamen dum venitur ad particularia, non verè dolent, neque vellent ſe hoc non fecille, quamuis diſpliceat illis quòd in eo opere Deum offenderint. Patet in eo, qui occidit inimicum, vel vſuris parauit multas diuitias. Secundò: qui, ſeriò dolet in genere, & poſteà reuocat peccata ſua in memoriam, vix fieri poteſt, vt non etiam doleat, vel inter commemorandum, vel poſteà de omnibus. Tertiò: quia Patres hortantur ad hanc diſcuſſionem, & particularem pœnitentiam. Vide Auguſtinum lib. de vera & falſa Pœnitentia cap. 9. 14 17. & Chryſoſtomum Homil. 4. de Lazaro ſub finem.

6 Suaderur tamen ea r vt vtiliſſima.

DVBIVM III.

Vtrùm de peccatis oblitis ſit neceſſaria aliqua Contritio?

7 REſpondet D. Bonauẽtura diſt. 17. p. 2. ar. 2. quæſt. 2. Primò, Si oblitus ſis in particulari, ſed non in vniuerſali, id eſt, ſi ſcis te commiſiſſe aliqua peccata, ſed neſcis quę & qualia, neceſſaria eſt vniuerſalis contritio: Quod eſt veriſſimum. Secundò: ſi omnino ſis oblitus, vt nec in vniuerſali nec in particulari recorderis, dicit nihilominùs neceſſariam eſſe contritionem: quia quilibet debet exiſtimare ſe in multis offendiſſe. Quod eſt ſalutare conſilium, ſed non neceſſarium, niſi quis eſſet obliuioſus, & ex multo tẽpore non cõfeſſus.

Si oblitus es in particulari.

Si omnino oblitus es.

8 His adde, Quando quis recordatur peccati, cuius antè non meminerat cùm contritionem ceterorum concepit & confeſſus eſt, non eſſe neceſſarium nouam de eo contritionem concipere (quamuis id ſit valdè expediens (niſi quatenus neceſſarium eſt illud confiteri. Sequitur hoc ex dictis: quia contritio illa prior virtute ſe extendebat etiam ad hoc peccatum: ſi enim tũc occurriſſet, ſimul cum alijs, id de teſtatus fuiſſet: igitur cùm per illam remiſſum fuerit, non eſt opus aliâ contritione. Confirmatur: quia contritio ſolùm eſt neceſſaria ob reconciliationem: ergo obtentâ reconciliatione non eſt neceſſaria. Quia tamen præcepto poſitiuo diuino tenemur poſteà cõfiteri; & huius Sacramenti pars eſt contritio vel attritio, ob hanc cauſam requiritur nouus dolor.

Si primò occurrat poſt confeſſionem.

QVÆSTIO III.

De Quantitate Contritionis.

1 quis dolor ſummus Appretiatiuè vel intenſiuè.

NOtãdum eſt: dolorem aliquem voluntatispoſſe dici magnum, vel ſummum, dupliciter: intenſiuè, & appretiatiuè. *Intenſiuè ſummus* eſt, qui ſummo conatu excitatur, quem voluntas humana excitare poteſt vel abſolutè, vel per gratiam præſentem. *Appretiatiuè ſummus*, eſt quo voluntas dolet tanquam de ſummo malo, pluris æſtimans illud, quàm omnia alia mala: ſic vt malit quoduis aliud malum, etiam mortem, ſubire, quàm illud.

DVBIVM I.

Vtrùm Contritio debeat eſſe ſummus dolor appretiatiuè?

2 Cõmunis ſententia eſt affirmans.

REſpondeo debere. Eſt communis ſententia Doctorum. Probatur: quia dolor peccati debet ita eſſe ſummus in contritione, ſicut dilectio Dei debet eſſe ſumma in actu charitatis: atqui hæc debet eſſe ſumma appretiatiuè. Colligitur matthæi 10. vers. 37. *Qui amat Patrem, aut Matrem plus quàm me, non eſt me dignus*: vbi Dominus requirit, vt ipſe per amorem ceteris omnibus præferatur: ergo cõtritio debet eſſe ſumma. Confirmatur: quia ſicuti Deus eſt ſummum bonum; ita peccatum eſt ſummum malum: ergo ſicut Deus debet ſummè diligi appretiatiuè inter bona, ita peccatũ ſummè deteſtari inter mala.

3 Pœnitens non tenetur facere comparationem cũ alijs malis

Hîc tamen quædam ſunt notanda. Primò: Pœnitentem non teneri facere comparationem cum alijs malis; & imperfectos non eſſe talibus comparationibus tentandos, vt rectè D. Thomas articulo 1. & alij Doctores: ſatis enim eſt, vt verè doleant de omnibus peccatis ſuis, quibus Deum offenderunt, & abſolutè proponant ea vitare. Nam etiamſi talis dolor fortè non pertingat ad contritionis perfectionem, tamen ſaltem erit attritio, quæ cum Sacramento ſufficit ad remiſſionem. Quicumque tamen actu habet veram contritionem, ita animo comparatus eſt, vt ſi tales comparationes occurrerent, magis deteſtaretur peccatum, quàm quoduis aliud huius vitæ malũ; malletque quæuis mala huius vitę ſubire, quàm peccatum mortiferum cõmittere. Qui verò tantũmodò habitu ſunt contriti, vt ſunt omnes qui ſunt in ſtatu gratiæ, non neceſſariò talibus comparationibus occurrentibus præoptarẽt quoduis malum perpeti, quàm peccare; alioquin nemo ex illis vnquam peccaret mortifere. Ratio eſt: quia iuſtus non neceſſariò vtitur ſuis habitibus virtutum.

4 quid faciet ſi cõparatio vltrò occurrat.

Notandum Secundò: Dum tales comparationes occurrunt, pœnitẽs vel tenetur potiùs quoduis malum huius vitæ malle perpeti, quàm eligere peccatum letale; vel certè debet ſuſpendere electionem, & reiecta tali cõparatione, abſolutè peccatum deteſtari, & proponere abſtinere. Quãdiu autem fluctuat, ſeu deliberat quid eſſet facturus, non poteſt abſolui.

5 Comparatio ſolùm inſtituẽda cum malis huius & nõ alterius vitæ.

Notandum Tertiò: Comparationem peccati ſolùm eſſe faciendam cum malis huius vitæ, quæ interdum neceſſe eſt ſubire, vt peccatũ euitetur; vt, cum inopia, ſeruitute, exilio, morte, &c. nõ autem cum malis vitæ æternæ; verbi gratia, vt malit potiùs eſſe mille annos in igne purgatorio, vel ſemper in inferno, quàm peccare mortiferè. Ratio eſt: quia hæc mala nunquam ſunt ſubeunda ad vitandum peccatum; ſed contra potiùs diuinitus ſunt conſtituta, vt illorum timore peccatum vitemus. Vnde huiuſmodi comparationes includunt repugnantiam ſecundùm legem ordinariam, ac proinde ſunt reijciendę, niſi quis abũdãtiâ quãdam charitatis moueatur. Vide Chryſoſtomum in illud ad Rom. 9. *Optabã & ego anathema eſſe à Chriſto.* Confirmatur: quia Dominus lucæ 12. v. 4. ait. *Ne terreamini ab his, qui occidunt corpus*, id eſt, ne ſic terreamini, vt timore mali, quod illi poſſunt inferre, Deum offendatis *Timete autem eum, qui poſtquam occiderit, habet poteſtatem mittere in gehennã.* Vnde fortaſſis non imputaretur ad culpam mortiferam (ſi facta hypotheſi alterum deberet fieri, Deo ſic permittente:) ſi quis mallet ſemel fornicari, furari, quàm in æternum ardere: quia malum iſtud nimium ſuperat humanam conditionem.

DVBIVM II.

Vtrùm de maiori peccato ſit magis dolendum appretiatiuè?

6 Affirmatiua

REſpondetur, Eſſe. Eſt certa ſententia, & explicatur exemplo: Si neceſſarium eſſet incidere in hæreſim, vel in furtum, eligendus eſſet potiùs lapſus in furtũ, quàm in hæreſim; quia in furto eſt minor Dei contemptus, ac proinde minus malum: quare magis dolendum eſt de peccato hæreſis, quam furti. Quod confirmatur ex Cypriani ſermone de Lapſis, *Quàm magna deliquimus, tam grandia deſleamus.*

7 Appretiatiuè magis dolere de minore peccato, quam de maiore; videtur veniale.

Petes Primò: Quale peccatum eſt, ſi magis doleamus appretiatiuè de minore peccato, quàm de maiore? Vt ſi quis diceret, malle ſe committere, vel cõmiſiſſe, ſi eſſet neceſſe, blaſphemiam, quàm furtum, eò, quòd in furto ſit maior ignominia.

Reſpondet Sotus diſt. 17. quæſt. 2. art. 4. eſſe tantùm venialem charitatis peruerſionem, ſi animus vtrumque abſolutè deteſtatur. Idem tenent plerique recentiores: & videtur ſatis probabile. Ratio eſſe poteſt: Quia omnia peccata mortifera conueniunt in contemptu Dei: vnde aliud non excedit aliud infinitè, ſed finita duntaxat proportione. Quare non tam ſtrictè obligamur ad magis dolendum de maiore, quam de minore.

Magis dolere de malis huius vitæ quam de peccato mortali.

Secùs eſt, Si fiat comparatio cum malis huius vitæ, quæ peccatum infinitè ſuperat. Vnde eſſet peccatum mortiferum, ſi quis mallet ſe peccaſſe, quàm amiſiſſe ſua bona; niſi iam reconciliatus ſit Deo, eamque reconciliationem ſimul cum peccato coniungat: ſic enim in hac cõparatione non videtur mortifera inordinatio.

Notandum autem eſt; vt quis magis cenſeatur dolere de maiore peccato, nõ opus eſſe inter peccata facere comparationem; ſed ſufficere, vt quis omnia peccata ſua deteſtetur, quatenus ſunt offenſio Dei; ſic enim deteſtatio fertur in ſingula pro gradu & ordine cuiuſque.

8

Petes Secundò: vtrum magis dolendum ſit de ſuo minori peccato, quàm de maiori alterius?

Reſpondetur appretiatiuè magis dolendum eſt de ſuo, etiã minimo, quàm de maximo alterius.

Appretiatiuè magis dolet de tuo paruo peccato, quàm de alterius magno.

Ratio eſt: quia ad alterius peccatum, etiam maximum impediendum, non licet in ſe admittere vel minimum: vt patet ad Romanos 3. Intenſiuè tamen ſæpè magis dolemus de alterius maximis peccatis, quàm de noſtris minimis.

Similiter (cæteris paribus) magis dolendum eſt appretiatiuè de peccato alterius, quàm de quouis malo temporali. Dico (*cæteris paribus*:) quia ex malo temporali interdum multa peccata ſequuntur, vel ſequi poſſunt, vel etiam bona impediuntur; & hac ratione poteſt quis de illis magis dolere.

DVBIVM. III.

Virùm etiam debeat eſſe dolor ſummus intenſiuè in Contritione?

9 1. Sententia Adriani.

SVnt duæ ſententiæ: Prima eſt Adriani qu. 2. de Pœnitentia art. 2. qui dicit, in contritione requiri ſummũ conatum, ac proinde debere eſſe ſummum dolorem intenſiuè. Idem ſentit de dilectione Dei. Et ratio ipſius eſt: quia alioquin neque amabitur Deus pluſquam omne bonum, neque peccatum odio habebitur ſuper omne malum.

2. Petri à Soto.

Altera eſt Petri à Soto lectione 15. de Pœnitentia, qui docet non requiri quidem, vt ſit abſolute ſummus intenſiuè: tamen vt ſit intenſior, quam quiuis alius dolet de alio quouis malo. Idem ſentit de amore Dei.

10 3. Communis. Non requirit ſummum dolorem intenſiuè in contritione.

Reſpondeo & Dico Primò: Non requiritur, vt contritio ſit ſummus dolor intẽſiuè, ſeu ex ſummo conatu voluntatis. Eſt communis ſententia Doctorum.

Probatur Primò: In charitate, ex qua dolor cõtritionis manat, non requiritur ſummus conatus: ſunt enim tres gradus charitatis, ſcilicet *Incipiens*, *Proficiens*, & *Perfecta*; qui gradus non ſolùm appretiatione, ſed etiam intenſione differũt & conatu; ergo neque in contritione requiritur ſummus conatus.

Probatur ſecundò: Si contritio deberet eſſe ſummus dolor intenſiuè, vel eſſet ſummus reſpectu liberi arbitrij & auxilij præſentis, vel reſpectu liberi arbitrij & auxilij poſſibilis: neutrum dici poteſt: ergo. Non ſecundum: quia nullus datur dolor ſummus intẽſiuè reſpectu auxilij poſſibilis. ſicut enim illud auxiliũ poteſt eſſe maius & maius in infinitũ, ita & doloris vehemẽtia, ſiue intenſio. Sed nec primum dici poteſt, ſcilicet dolorem debere eſſe ſummum reſpectu auxilij præſentis: ſic enim ſæpè fieret, vt is qui haberet ingentẽ dolorem propter Deum de peccatis ſuis non iuſtificaretur, eò quòd dolor iſte non eſſet ſummus reſpectu auxilij præsẽtis; & ille qui haberet paruum dolorem iuſtificaretur, eò quòd eſſet ſummus reſpectu parui auxilij, quod ipſi datũ erat: atqui hoc per ſe abſurdum eſt, & alienum à diuina bonitate.

Probatur Tertiò: Quia valdè ratum eſt, vt homo adhibeat ſummũ conatum, faciatque extremum potentiæ: vnde pauciſſimi haberent veram contritionem.

Probatur Quartò: Quia nunquam, ne probabiliter quidem, ſcire poſſemus, an præſtiterimus id, quod neceſſarium eſt ad veram cõtritionem: nemo enim ſcire poteſt, quis ſit ſummus dolor intenſiuè, quem poteſt habere. Vnde hęc ſententia facit legem Dei nimis rigidã, & conſcientias hominum ſemper anxias, vt fragilitatem humanam ad ſummum, quod poteſt obſtringat.

Sed contra, Obijcitur primò: Deuteronomij 4. v. 29. *Cùm quæſieris Dominum Deum tuum, invenies eum; ſi tamen toto corde quæſieris eum, & tota tribulatione animæ tuæ.* & Ioëlis 2. v. 12. *Convertimini ad me in toto corde veſtro*: hîc videtur requirere totum animę conatum. 11

Reſpondeo, *Converti ex toto cordè*, eſt converti integrè & perfectè, ita vt cor, ſeu voluntas non quidem partim peccata deteſtetur, partim ijs adhæreat; ſed vt omnia abſolutè deteſtetur, idque tam perfectè, vt nullum ſit malum, quod non malit perpeti, quàm rurſus peccare; etſi hæc cõparatio explicitè non ſit neceſſaria. Sic *ex tota tribulatione animæ quærere Deum*, eſt converti ad Deũ eum ſincero dolore omnium peccatorum: Scripturæ enim, quæ *converſionem ex toto corde* requirunt, ſunt intelligẽdæ, ſicut illæ quæ *dilectionem ex toto corde exigunt*. *Diligere* autem *Deum ex toto corde*, non eſt diligere ex toto conatu cordis, alioquin rariſſimè vel potiùs nũquam Deum diligeremus vt oportet: ſed ita eum diligere, vt nihil in amore ei præponamus, aut etiam æquemus. quid ſit *converti ad Deum ex toto corde*. quid *diligere ex toto corde*.

Obijcitur Secundò: Sicut voluntas mouetur ab obiecto bono vel malo ad amorẽ vel odium, ita magis mouebitur à maiori bono vel malo: ergo cùm per intellectum proponatur culpa, vt sũmum malum, voluntas ſummè mouebitur. 12

Reſpondeo. Voluntas non ſemper mouetur intenſiùs, ſeu vehementiùs à maiori bono, vel malo, quã à minori. Cuius ratio eſt, partim libertas volũtatis quã ſe poteſt applicare, vel exerere magis vel minùs in ſuum actum; partim quia obiectum minùs bonum, interdum eſt familiarius & notius, quàm alterum; vnde facilius & naturali quadam procliuitate fertur ad eius amorem, vel odium: vt patet in amore vxoris & liberorũ: quò fit, vt hinc facilius ſequantur lacrymę, quàm ex dolore peccatorum. Sic Iacob Gen. 37. ita doluit de morte Ioſeph, vt nollet conſolationem accipere: ſic Dauid 2. Regum 19. de morte Abſalom. Vnde etiam non eſt reprehendendum, quod hic dolor interdum ſit atrior, quàm dolor peccatorum. Semper tamen voluntas ordinata maius bonum pluris æſtimat, & magis appretiatiuè diligit, quàm minora; & maius malum magis odit, magiſque de eo dolet. vnde fit, vt voluntas non ſẽper fortiùs mouetur à maiori bono, vel malo.

Dico Secũdò: Non eſt neceſſe, vt peccator magis doleat intenſiuè de peccato, quàm de alijs malis. Patet ex dictis. Et confirmatur: quia alioqui: qui doleret de peccato actu intenſo vt decẽ, de morte verò vxoris vſque ad duodecim, non iuſtificaretur, imò peccaret mortiferè, iuxta hanc ſententiam: nam cenſeretur præponere ſuum incommodum honori diuino. Et tamen alius, qui doleret de peccato actu intẽnſo vt quinque, de morte vxoris vt quatuor, iuſtificaretur; quia plus doleret de peccato, quàm de alijs malis: quæ ſanè per ſe abſurda ſunt. Omitto alia, quę contra hanc ſententiam poſſunt adferri. 13 Non eſt neceſſe magis intenſiuè dolere de peccato, quàm de alio malo.

Neque verum eſt, amorem illum eſſe fortiorẽ, & vincere cæteros, qui eſt intenſior. Nam multò fortior eſt is, qui maior eſt appretiatiuè; vt pote qui ſpecie ſua ſit perfectior. Pro quo. 14 Amor quis fortior.

Nótandum eſt, Quantitatem appretiatiuam in actu doloris vel amoris, non eſſe tantummodò quandam relationem rationis, à qua dolor dicatur ſummus, vt quidam volunt; ſed eſſe perfectionem eſſentialem ipſius actus. Dolor enim dicitur ſummus appretiatiuè, eò quòd tendat in malum formaliter ſub ratione ſummi mali; & amor dicitur ſummus appretiatiuè, quòd tendat in bonum vt formaliter ſummum bonum. Sicut autem Vnde dicatur Dolor vel Amor appretiatiuè ſummus.

autem eſt ordo inter mala ſuis gradibus diſtincta, ita quoque eſt ordo inter deteſtationes malorum, quando quodque pro ſuo gradu deteſtamur. Pari modo ſicut eſt ordo inter bona: ita inter amores bonorum ordo eſt, quando vnumquodque pro ſuo gradu amatur.

DVBIVM VI.

Vtrùm Contritio ſaltem requirat aliquam certam perfectionem intenſiuam, vel continuationem, vt ſit vera contritio?

15 Scotus requirit certam intenſionem & durationem.

SCotus diſt. 14. quæſt. 2. art. 2. requirere videtur certam aliquam quantitatem tum intenſionis, tum durationis, vt ſit legitima contritio, & gratiam impetret; quæ tamen intenſio & duratio quanta definitè eſſe debeat, ſoli Deo notum eſſe.

quantauis intenſio vel mora contritioni ſufficit.

Reſpondeo, Contritionem non neceſſariò poſtulare certum gradum intenſionis, infrà quem non ſit vera contritio; neque etiam certam durationem: ſed quantumuis parua intenſio & duratio ſufficit.

Scriptura.

Probatur Primò: quia Scripturæ abſolutè docent Deum ignoſcere illis, qui propter ipſum dolent de peccatis ſuis: nec faciunt mentionem certi gradus aut temporis. Iſaiæ 30. v. 15. *Si reuertamini, & quieſcatis, ſaluieritis*: vbi LXX. *Cùm reuerſus ingemueris, ſalvus eris.* Ezechielis 18 nihil aliud requirit Dominus, quàm vt *Impius ſe auertat ab impietate ſua, & conuertat ad obſeruationem mandatorum.* Zachariæ 1. v. 3. *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos.* Eccleſiaſtici 11. v. 23. *Facile eſt in oculis Dei ſubitò honeſtare pauperem.*

16 cyprianus

Probatur Secundò: Patres nullam temporis moram dicunt requiri ad conuerſionem: Cyprianus ad Demetrianum ſub finem, *In iſto mundo manenti nulla ſera pœnitentia eſt*: & in ſermone de Cœna Domini; *ſed & in eodem articulo temporis, cùm iam anima feſtinat ad exitum, & egrediens ad labia expirantis emerſerit, pœnitentiam clementiſſimi Dei benignitas non aſpernatur*: & infrà, *Nec quantitas criminis, nec breuitas temporis, nec hora extremitas, ſi vera contritio, ſi pura fuerit voluntatũ mutatio, excludit à venia.* Chryſoſtom⁹ epiſtola priore ad Theodorum lapſum, *Non ad temporis rationem, ſed iuxta affectum animæ ſolet diiudicari pœnitentia.* Et infrà loquens de bono latrone, *In eo momento peccata totius vitæ ſimul abſterſit* D. Leo epiſtola 91. *Apud Deum nullas patitur venia moras vera conuerſio, dicente ſpiritu Dei per Prophetam, Cùm conuerſus ingemueris, ſalvus eris.*

Chryſoſt.

17 Triplex Ratio.

Probatur Tertiò, Ratione. Primò, In præceptis aliarum virtutum, vt Fidei, Spei, Charitatis, quibus actus internus præcipitur, nõ requiritur certa menſura intenſionis graduum, aut durationis temporis: ergo nec in præcepto Contritionis. Antecedens patet: quia Species actus præcipitur, non autem intenſio, vehementia, duratio; quæ ſolùm ſunt extrinſecæ actus conditiones. Secundò; Homo in momento temporis poteſt auerti à Deo, & per actum voluntatis quantumuis remiſſum: ergo ſimiliter poterit conuerti. Patet conſequentia, quia Deus pronior eſt ad miſericordiam, quàm ad iram.

Tertiò; Si aliqua talis menſura temporis vel intenſionis requireretur, cùm ea ſit prorſus ignota mortalibus, fortuitò & non ex animi deſtinatione ad eam menſuram pertingeremus: quod ſanè eſt incommodum; nullo enim modo ſciemus, quouſq; debeamus conniti.

Dices. Ergo homo poterit ſcire ſe eſſe in gratia.

Reſpondeo, Poſſe valdè probabiliter id conijcere, non tamen certò ſcire. Ratio eſt, Quia non certò ſcimus, an noſtra contritio tanti æſtimes peccatum, & ex tam puro affectu erga Deum, quã par eſt.

QVÆSTIO IV.

De Tempore Contritionis.

DVBIVM I.

Vtrùm ſit aliquod præceptum Diuinum obligans ad Contritionem?

1 Negat Victoria.

FRanciſcus Victoria, vt refert Melchior canus Relect. de Pœnitentiâ part. 4. docuit non extare aliquod præceptum de contritione, ſed eam tantùm eſſe neceſſariam ad iuſtificationem neceſſitate medij. Vnde ſequitur, Peccatorem qui eam in fine vitæ non conciperet, nõ peccaturum nouo peccato; ſed ſolùm damnari propter antiqua. Sed contraria ſententia eſt omnino tenenda: Pro qua

Affirmatur

Dico Primò: Extare diuinum præceptum de contritione, ac proinde eam eſſe neceſſariam ad iuſtificationem, non ſolùm neceſſitate medij, ſed etiam præcepti. Eſt communis. Vide Vegam lib.

Scriptura.

13. in Trident. cap. 19. & Canum loco citato.

Probatur Primò: Quia Scriptura ſæpiſſimè nobis proponit pœnitentiam iſs loquendi formis, quibus apertè inſinuat præceptum. Lucæ 13. v. 3. *Niſi pœnitentiam habueritis, omnes ſimiliter peribitis.* Atqui præceptum non poteſt clariùs indicari, vt patet Ioan. 3. *Niſi quis renatus fuerit.* Et Ioan. 6. v. 53. *Niſi manducaueritis.* Sic Matthæi 4. v. 17. per modum præcepti proponitur: *Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum Dei.* Marci 1. v. 15. *Pœnitemini, & credite Euangelio.* Actorum 2. v. 38. *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnuſquiſq; veſtrum.*

Ratio.

Secundò: Quia Scriptura paſſim increpat peccatores, quòd non agant pœnitentiam; vt patet Iob 34. Eccleſiaſtici 2. Ieremiæ 8. Ioëlis 2. & alibi: ergo ad hoc obligantur. Tertiò: quia de omni actu qui eſt in noſtrâ poteſtate, & eſt neceſſarius ad ſalutem neceſſitate medij, eſt præceptum: atqui contritio eſt talis, vt omnes concedunt: ergo de ea eſt præceptum. Maior probatur: Quia quiſque tenetur diuinò præcepto procurare ſuam ſalutem: ergo etiam præſtare illos actus, qui ſunt media neceſſaria ad ſalutem. Confirmatur, Quia obligatiò præcepti affirmatiui maximè oritur ex ordine quem habet opus ad finem.

Soluuntur Obiectiones.

Dices Primò: Gratia Dei eſt neceſſaria homini neceſſitate medij, non tamen eſt præcepti. Cur non idem dici poſſit de contritione? Reſpondeo: Eſt diſpar ratio; quia gratia non eſt opus hominis, ſed Dei: præcepta autem ſolùm dantur de operibus noſtris: tale autem eſt contritio.

Dices Secundò: D. Thomas 2. 2. q. 14. art. 2. ait, Finalem impœnitentiam non eſſe ſpeciale peccatum, ſed ſolùm peccati circumſtantiam: ergo non eſt aliquod particulare præceptum, quo pœnitentia præcipiatur, & impœnitentia vetetur. Reſpon-

deo: Impœnitentia finalis, id est, continuatio peccati vsque in finem, est solùm circumstantia, quãdo quis in peccato existens subitò moritur, non præuiso periculo; & tunc non est contra aliquod particulare præceptum, ita vt sit peccatum mortiferum. Secùs autem est, quando quis aduertens periculum mortis, vel positiuè non vult pœnitere, vel omittit.

2 Præceptũ de Contritione non est positiũ sed naturale.

Dico Secundò: Hoc præceptum contritionis non est positiuum, sed naturale; connaturale tamen ordini gratiæ, sicut præceptum Fidei, Spei, & Charitatis. Probatur Primò: Quia sicut ius naturale dictat, vt Deum diligamus super omnia: ita etiam dictat, si eum offendimus, debere nos annitti vt reconciliemur; quod fit per contritionem. Secundò: Homo iure naturali charitatis tenetur proximum corripere & emendare: ergo etiam semetipsum. Tertiò: Eodem iure tenetur quisque sibi in graui & extremâ corporis necessitate subuenire: ergo & in pari necessitate salutis animæ.

Soluitur. Obiectio

Dices: Si contritio est medium necessarium, & præceptum legis naturæ; ergo nunquam poterit obtineri reconciliatio sine contritione; vel saltẽ semper tenebimur eam excitare, quãdo volumus reconciliari.

Respondeo Negando Consequentiam: Est enim medium necessarium, nempe quando non intercessit Sacramẽtum, quod eius defectum suppleat, sicut tempore legis Naturę & Veteris. Similiter est præcepta, quando deest Sacramentum; alioquidum quis vtitur Sacraméto ad remissionem peccatorum instituto, neq; est necessarium medium, nec est præcepta: sed sufficit attritio cum Sacramento. Excipio tamen periculum mortis, vt suprà dictum est de Baptismo qu. 68. art. 2.

DVBIVM. II.

Quando hoc præceptum obliget?

3 Non ligat statim a commisso facinore, saltem sub mortali.

REspondeo & Dico Primò: Hoc præceptum non obligat statim commisso facinore, sub nouo peccato mortifero. Est communis sententia Doctorum. Probatur; Quia hoc præceptum est affirmatiuum, quod non semper, sed tantùm pro certis temporibus obligat.

Dixi, *sub nouo peccato mortifero*: Primò: Quia peccator tenetur sub pœnâ permansionis in peccato commisso; quę permansio est continuatio peccati habitualis, non autem circumstantia prioris peccati actualis: neque addit nouam culpam mortiferam. Secundò: Quia videtur obligari, saltem sub peccato veniali, vt primâ opportunitate contritionem concipiat, seseque a statu peccati eximat. Probatur; quia esse in statu peccati & inimicitię Dei, est magnũ quoddã animę malũ, Deoq; valdè displicens: ergo velle in hoc statu permanere, cùm facilè possis exire, est peccatum, etiam si id tantùm interpretatiuè velis; sicut vult is, qui aliquid voluntariè negligit & omittit.

Confirmatur primò: Ecclesiastici 5. v. 8. *Ne tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem: subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te*: vbi non tantùm aliquod consiliũ sed etiam quoddam præceptum videtur insinuari. Et cap. 21. v. 2. *Quasi à facie colubri fuge peccatum: si accesseris ad illa, suscipient te: dentes leonis, dentes illius, interficientes animas hominum.*

Confirmatur Secundò: Quia is, qui Principem graniter offendit, & facilè potest ei reconciliari, valdè reprehensibilis est, si primâ opportunitate non conetur redire in gratiam, & videtur quodammodò parui facere illius amicitiã. Dices: Ex his videtur sequi, id esse peccatum mortiferum; Nam esse in statu peccati, est valdè ingens malum: ergo illud in se permittere, non est solùm veniale, sed etiam mortiferum. Respondeo: Est valdè ingens malum, quatenus supponit & quodammodò includit actum peccati: non autem est tantum malum per se nudè consideratum, scilicet vt indignitas habitualis. Vnde voluntaria permansio in illo, præsertim non ad longum tempus, non censetur grauis iniuria; sed negligentia quędam animi non satis æstimantis mala spiritualia.

Sed contrà. Obijcitur Primò: Quiuis tenetur sub peccato mortifero primâ oppertunitate proximum corripere; ergo & seipsum, concipiendo cõtritionem. 4 1. Obiect.

Respondeo; Non tenetur sub mortali peccato corripere proximum, vt exeat de statu peccati, sicut nec seipsum; sed tantùm sub veniali; nisi sit probabile periculum, quòd alioquin in illo peccato morietur. Secùs est, quando agitur de peccatis futuris euitandis, tunc enim tenemur proximum corripere primâ opportunitate, quatenus necesse est, vt illud peccatum euitet: similiter & nos ipsos. Aliter respondet Melchior Canus relictione de Pœnitent. part. 4. sed non satisfacit. An & quãdo, statim corripiendus proximus.

Obijcitur Secundò: Qui manet in statu peccati, exponit se periculo rursum peccandi, quia vnum peccatum trahit aliud, sicut ansa ansam: ergo ratione huius periculi peccat mortiferè, qui non concipit contritionem. 2. Obiect.

Respondeo: Illud periculum non est propinquum, sed remotum; vnde non obligat sub peccato mortifero ad sui vitationem. Quando autem incipit esse propinquum, tunc potest recedere à peccato, & petere auxilium: Nam auxilium orationis semper suppetit homini fideli. quasi periculo se exponat, qui manet in statu peccati.

Obijcitur Tertiò: Qui hominem afficit iniuriâ infama vel in fortunis, tenetur primo quoque tempore, dum commodè poterit, restituere sub peccato mortifero: ergo similiter, qui Deum affecit iniuriâ per peccatum, tenetur ei honorem restituere. 3. Obiect.

Respondeo Primò: Is qui aliquid furto abstulit; non tenetur semper sub nouo peccato mortifero primâ opportunitate restituere, sed solùm sub pœna *continuationis* prioris peccati. Postquãenim res surepta est, vel fama læsa, etsi per medium annum non restituas, non accedit aliqua malitia mortifera ex illâ dilatione, nisi inde aliquod extrinsecum incommodum ipsi, cui restitutio est facienda, eueniret. Respondeo Secundò: Esse disparem rationem restitutionis, & contritionis: qui enim non restituit, censetur quodammodò continuò lædere, & continuare priorem actum: Nam qui læsus est, assiduè sentit incommodum. Verùm peccator non censetur continuare peccatum, vel assiduè Deum irritare, dum non conteritur; quia Deus non percipit reipsà incommodum ex peccato, neque ex eo quod homo non conteritur. Antes iniustè ablata, statim restituẽda sit.

Dico Secundò, Præceptum contritionis non etiam obligat per se diebus festis sub nouo peccato mortifero. Est communis DD. Vide Medinam cod. de Pœnitent. Tract. 1. q. 6. qui contrariam sententiam tribuit Scoto, Angelo, Gabrieli, & Antonino, quamuis Scot⁹ aliud videatur velle: vide illum in 3. d. 27. sub finem. 5 Præceptũ contritionis non obligat diebus festis sub nouo mortali.

Probatur Primò: Quia nullum est ius diuinum vel humanum, quo ad hoc obligemur. Ius enim diuinum, quod aliquam speciem huius præcepti habeat, non est aliud, quàm illud Leuit. 16. v. 31

Sabbatum requietionis eſt, affligetis animas veſtras: Similia habet cap. 32. Sed hîc nomine *afflictionis animæ* non intelligitur *contritio*, ſed ieiunij, quod præcipuè in feſto expiationis ſeruabatur. Sed & hęc lex iam eſt abolita, quia cęremonialis. Eccleſia verò etiam non præcipit contritionem, quia non præcipit actus internos, ſaltem directè, ſed vt ſummum quatenus neceſſarij ſunt ad obeundos actus externos ſine peccato. Poſſumus autem colere diem feſtum ſine actu interno contritionis.

Probatur Secundò: Quia præcepta non dantur de fine, ſed de medijs ad finẽ: ergo licet finis diei ſit, conuerſio ad Deum, tamen non præcipitur in præcepto cultûs diuini. Notandum tamen eſt, maximè eſſe rationi conſentaneum; vt peccatores ſe tunc ad pœnitentiam excitent: tum, quia hic quoque eſt finis obſeruationis diei feſti; tum, quia alioqui ſine fructu Deum colent.

6 Nec obligat quoties occurrit peccatori memoria.

Dico Tertiò: non obligat etiam hoc præceptum ſub nouo peccato mortifero, quotieſcumque peccata prętcrita practicè occurrunt memoriç. Eſt communior ſententia Doctorum, præſertim recentiorum; Caietani, Soti, Cani, Ioan. Medinę, Adriani. Contrarium ſenſere multi veteres; vt Alexander Alenſis, Richardus, Paludanus, Gabriel, &c. Vbi Notandum eſt: *Peccatum occurrere ſpeculatiuè*, dum cogitas de eo, vt conditionem eius intelligas: *Practicè* autem, cùm occurrit homini cũ aliquo primo motu appetitûs in ipſum; ſeu cum quadam ſuggeſtione, quæ veluti inſinuat interi°, *Fac hoc*.

Probatur propoſitio: Si homo tunc teneretur, Vel id eſſet ratione ipſi° particularis præcepti cõtritionis; nempe quia cenſeretur impœnitens, niſi tum pœniteret: & hoc non: quia in cęteris præceptis hoc non cernitur: non enim tenemur, quoties nobis occurrit aliqua res credenda, ſtatim elicere actum fidei: neque cenſemur infideles, ſi id non faciamus. Ratio eſt, Quia obligatio præcepti naſcitur ex natura rei, non autem ex apprehenſione noſtra, aut motu aliquo ad id, quod præcepto eſt contrarium. Vel id eſſet ratione præcepti dilectionis; quia videlicet alioqui cenſeretur Deum contemnere: & hoc non: quia peccator non tenetur, quoties illi occurrit cogitatio aliqua de Deo diligendo, eiuſque beneficijs, excitare actum dilectionis. Vel denique, id eſſet ratione periculi conſentiendi; quòd niſi conteratur, euidens ſit periculum, ne à peccato turſus vincatur: & hoc non: quia non ſemper eſt tale periculum: & in tali euentu poſſum mentem ad alia diſtrahere, & ſic eam cogitationem excutere. Si tamen quis apprehendat ſe eſſe in euidenti periculo conſenſus, niſi ſe ad dolorem peccatorum excitet, tunc ratione conſcientiæ tenebitur.

7 Obligat aliquando per ſe.

Dico Quartò: Præceptũ Contritionis aliquando per ſe obligat peccatorem ſub nouo peccato mortali, aliquando ratione alterius operis.

Ratione ſui obligat, Primò: In periculo mortis: quia niſi tunc contritionem concipiat, cõſtituit ſe in præſentiſſimo periculo perpetuę inimicitię cũ Deo: & æternæ damnationis ſui ipſius: vnde peccat nouo modo contra dilectionem Dei & ſui. Secundò: valdè probabile eſt, hoc præceptum etiam obligare ratione ſui ſub nouo peccato mortifero, ne contritio nimis diu differatur, v. g. ad quatuor vel quinq; annos. Ratio eſt, Quia alioqui videbitur peccator nouo modo contemnere diuinam amicitiam, ſi tamdiu voluntariè maneat in eius inimicitia, ſicut alibi dictum eſt de præcepto charitatis: hoc tamen tempus non poteſt à nobis præcisè determinari, ſicut nec tempus Euchariſtię percipiendę, quatenus iure diuino præceptum. Dixi, *eſſe valdè probabile*, quia non eſt certũ: nã non eſt improbabile, præceptum contritionis nõ obligare per ſe ſub mortali, niſi in periculo mortis, ſed alias tantùm ſub veniali.

8 Aliquando ratione alterius.

Secundò modo obligat hoc præceptum *ratione alterius*: Primò, Quando peccator debet aliquod Sacramentum percipere, vel adminiſtrare & deeſt copia Confeſſoris; tunc enim, ne indignè Sacramentum tractet, tenetur cõcipere contritionem. Secundò: Quando tota aliqua Reſpubl. verſatur in grauiſſimo periculo ſalutis, ſicuti apud Niniuitas. Ratio eſt, Quia ſi in priuato periculo teneor, multò magis in communi. Ita Hadrianus quæſt. 3. de Contritione, & Petrus Soto lectione 3. Sed videtur hic caſus vix poſſe incidere, niſi quis ſe quoque in mortis periculo videat conſtitutum; tunc enim ratione ſui, nõ communitatis tenetur: vel certè, niſi quis exiſtimet ſuâ causâ malum diuinitus inferri Reipublicę, vt quando Achan accepit de anathemate Ioſue 7. & quando Iſraël punitus eſt ob numerationem populi factam per Dauid. 2. Regum 24. Tertiò: Quando aggrediendum eſt magnum opus quoddam ſpirituale, in quo magnum Dei auxilium eſt neceſſarium: vt ſi profitenda fides coram Tyranno, ſi prędicandũ Euangelium inter infideles, præſertim cum vitæ periculo peccator enim talia aggrediens ſine debitâ præparatione, videtur tentare Deum. Quartò: Quando quis in magno periculo peccati ratione alicuius tentationis conſtitutus eſt, quod non putat ſe ſuperaturum, niſi ſerió ad Deum recurrat.

Notandum: Quando præceptum contritionis obligat ratione alterius, v. g. ratione Sacramenti percipiendi, omiſſionem eius non eſſe diſtinctum peccatum ab indignâ perceptione Sacramenti; quidquid dixerit Melchior Can°. Ratio eſt: Quia contritio tunc non præcipitur propter ſe, ſed ſolùm vt neceſſaria diſpoſitio ad aliud, & quaſi ſub conditione, nempe; *Si velis Sacramentum percipere, contere re.* Vnde non peccatur præcisè omiſſione contritionis, ſed indigna Sacramẽti perceptione. Idem dicendum, quando peccatori videtur neceſſaria contritio ad vitandum aliud peccatum, & tamen eam omitti. Tunc enim omiſſio illa ſolùm cenſetur peccatum, quatenus eſt conſenſus interpretatiuus in peccatum, ad quod tentatio illum vrget, v. g. in fornicationem: vnde ſolùm habet malitiam fornicationis.

9 An omiſſio contritionis ſit diſtinctũ peccatum.

DVBIVM III.

Vtrum peccator teneatur in Paſchate conteri; ſicut tenetur confiteri?

10

DOminicus Soto diſt. 17. quęſt. 2. art. 6. reſpondet affirmatiuè: adeò, vt quamuis peccator in Paſchate careat Cõfeſſore, nihil ominùs teneatur tunc contritionem concipere ſub nouo peccato mortifero. Ratio ipſius eſt, Quia pœnitentia Chriſtiana continet contritionem & confeſſionem: atqui tempus Chriſtianæ pœnitentiæ ab Eccleſia determinatum, eſt tempus Paſchæ: ergo ſi tunc peccator non poſſit eam pœnitentiã præſtare quoad confeſſionem, ſaltem tenebitur quoad alteram partem, ſcilicet cõtritionem. Sed contrarium eſt tenendum cum Caietano, verbo *Contritio*, in Summa.

Dico igitur Primò: Si confiteatur peccator, non tenetur, niſi ad attritionem Sacramento neceſſariam. Ratio eſt, Quia cum præceptum contritionis & confeſſionis ſint duo præcepta, Eccle-

11 Reſponſio eſt negans contra Dõ Soto.

Digitized by Google

sia solùm in Paschate præcipit confessionem; & consequenter solùm id: quod ad hanc ritè faciendam est necessarium, quod est attritio.

12 Dico Secundò: Si non possit tunc confiteri, aut etiam nolit, non tenetur vi præcepti Ecclesiæ ad contritionem. Ratio est, Quia cùm contritio sit actus internus, non potest Ecclesia ad eam obligare, nisi quatenus necessaria est ad confessionem: ergo quando non potest confiteri, aut etiam non vult, non tenetur conteri ex vi præcepti Ecclesiæ: sicut qui non potest recitare Horas, non tenetur adhibere aliam internam deuotionem, quàm ad lectionem Horarum adhibere debuisset.

Dixi, *Ex vi præcepti Ecclesiæ*; quia si talis peccator velit percipere Eucharistiam, vel aliud Sacramentum, tenetur iure diuino concipere contritionem; vt suprà dictum est.

QVÆSTIO V.

De Effectu Contritionis.

OStensum est suprà, omnia peccata per veram pœnitentiam remitti posse; & contritionem dupliciter ad remissionẽ peccati concurrere in Sacramento; nempe instar causæ instrumentalis, & instar dispositionis. Solùm adhuc vnum superest.

2

DVBIVM.

Vtrùm Contritio possit delere peccata, & iustificare hominem sine reali perceptione Sacramenti?

2 quidam negant. QVidam docuerunt, Non posse, permoti quibusdam sententijs D. Augustini. Excipiunt tamen casum necessitatis, & martyrij, quàdo sacramentum externum nequit adhiberi; tũc enim Deum aiunt supplere vim Sacramenti.

Assertio est affirmans. Verùm dicendum est, Solâ Contritione coniunctâ cum voto confessionis, remitti peccata, & cõferri gratiam iustificationis, ante realem Sacramenti perceptionem. Est certa, & communis omnium Doctorum, qui docent, Contritione perfectâ remitti peccata extra Sacramenta.

3 Tridentinum. Probatur Primò: Quia hęc est expressa sententia Concilij Trid. sess. 14. c. 4. vbi dicitur, Contritionẽ charitate perfectâ, id est, quæ ex dilectione Dei proficiscitur, hominem Deo reconciliare, priusquam Sacramentum Pœnitentiæ actu suscipiatur. Et sess. 13. c. 7. docet, *Contritionem cum proposito Confessionis sufficere ad dignè percipiendam Eucharistiam, quando deest copia Confessoris*: vbi apertè supponit, hominem per hanc iustificari à peccatis, etiam extra casum necessitatis, & martyrij. Nam, si homo non iustificaretur, non posset ad Eucharistiam sine confessione accedere. Sess. 8 cap. 4 apertè indicat, hominem cum voto Baptismi posse iustificari, absque reali susceptione.

Scripturæ. Probari potest Secundò: Ex Scripturis. Ezech. 33. v. 12. *Impietas impij non nocebit ei, in quacumque die conuersus fuerit*: loquitur autem Propheta de conuersione per contritionem. At impietas multum nocet, quamdiu non est remissa: facit enim hominem reum æternę mortis: 2. Reg. 12. v. 13. cùm Dauid dixisset, *Peccaui Domino*, quibus verbis significabat internam contritionem, respondet Nathan: *Transtulit Dominus peccatum tuum*, id est, abstulit, remisit, vt insinuat ipse Dauid Psal. 31. v. 5. vbi de hoc facto loqui videtur, cùm ait: *Dixi, confitebor aduersus me iniustitiam meam Domino; & tu remisisti impietatem peccati mei*. Dices, Verbum *Transtulit* accipitur profuturo, *transferet*. Contrà, Quia verba illa immediatè sequẽtia, *Non morieris. Verũtamen quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini, propter verbũ hoc: Filius qui natus est tibi, morte morietur*: apertè indicant peccatum iam fuisse remissum, quod ad impietatem, seu culpam attinet, & præcipuam pœnam; solumque superfuisse pœnam quandam temporalem per mortem filij.

Probatur Tertiò: Ex SS. Patribus. Ambrosius Apologiæ Dauid c. 7. *Si dixit, Pronuntiabo, & Veniam meruit prius quam pronuntiaret: quãto magis vbi de se pronuntiat, dicens, Iniquitatem meam ego cognosco, remissum est ei omne peccatum*? S. Augustinus in eundem versiculum Psalmi: *Non pronũtiat Dauid, sed promittit se pronuntiaturum, & Deus illi iã dimittit*. Gregorius in eundem Psalmum: *Attende quanta sit indulgentię vitalis velocitis, vt confitentis desiderium comitetur venia, antequam ad cruciatum perueniat pœnitentia: ante remissio ad cor perueniat, quàm Confessio in vocẽ erumpat*. Et infrà: *Non solùm peccatum remisisti, sed etiam ipsam impietatem*, &c. Ruffinus in eũdẽ Psalmũ: *Vide quàm velox sit Dei misericordia erga peccatorem: proposuit se pronuntiaturum, & ille iam dimisit*. Richardus de S. Victore lib. de Potestate ligandi & soluendi, cap. 4. dicit, *Quando Dauid dixit, Peccaui, statim mutatam pœnã æternã in tẽporalẽ*. Et infrà: *Ex illa prophetică sentẽtiã, Dixi Confitebor aduersum me* &c. *datur intelligi, quod ad verã Contritionẽ & Confessionem cordis remittitur iniquitas veraciter pœnitentis*. His adde, Damnatã esse hãc propositionẽ, *Per Contritionem, etiam cum charitate perfectâ, & cũ voto Sacramenti coniunctã, nõ remitti crimẽ, extra casũ necessitatis, vel martyrij, sine actuali Sacramenti perceptione*. Videalia testimonia Patrum suprà qu. 3. dub. 4. in his Additionib⁹.

4 Patres. 5 Ambrosius 6 Augustinus. 7 gregorius Ruffinus. 8 Richardus Damnata propositio

Probatur Quartò: Ratione. Primò: Contritio perfecta non potest esse sine actu charitatis, imò ipsa est actus charitatis, vt suprà dictũ est: atqui charitas non potest esse sine peccatorum remissione: ergo neq; contritio. Minor Probatur; Prouerb. 8 v. 17. *Ego diligentes me diligo*. Prouerb. c. 10. v. 12. *Vniuersa delicta operit charitas*. Lucæ 7. *Remittuntur ei peccata multa, quoniã dilexit multum*; id est, magna dilectio est causa magnę indulgentię, vt explicat D. Gregorius Homil. 33. Idem docet S. Augustinus Tractatu 5. in Ioannem: *Dilectio*, inquit, *sola discernit inter filios Dei, & filios Diaboli*. Secundò: contritio est vltima dispositio ad gratiam & remissionem peccatorum: atqui posità vltimâ dispositione, statim datur gratia, & remissio peccatorum. Maior Probatur: tum, quia est communis sententia Doctorum: tum, quia est perfecta auersio à peccato, & conuersio ad Deum: tum denique, quia est actualis conformatio cum lege diuina; ac proinde debet post se relinquere habitualem conformationem, quæ est habitualis iustitia, cui coniuncta est remissio peccatorum.

6 1. Ratio. 2. Ratio. 3. Ratio.

Tertiò: Quia interdum dantur Indulgentię ab Ecclesia ijs, qui solùm sunt contriti, & habẽt propositũ confitendi suo tempore: ergo Ecclesia supponit per solam contritionem cum proposito Sacramenti hominem iustificari. Patet consequẽtia: quia indulgentiæ non prosunt, nisi ijs, qui sunt in statu gratiæ. Pari modo Ecclesia confert Sacra-

tum Confirmationis, & Sacramentum Ordinis, ijs qui tantùm ſunt contriti, neque poſtulat confeſsionem ob hæc Sacramenta. Similiter Sacramentum Euchariſtiæ, quando deeſt copia Confeſſoris. Quæ omnia euidenter declarant, Eccleſię ſenſum eſſe, hominem ſine Sacramento per contritionem poſſe iuſtificari: nam hæc Sacramenta non niſi à iuſtificatis percipi poſſunt.

4. Ratio.

Quartò: In articulo neceſſitatis poteſt homo iuſtificari per veram contritionem, cum voto baptiſmi vel Pœnitentię, vt ipſi cõcedunt: ergo etiã extra neceſſitatem. Patet Conſequẽtia: nam vbi eadem cauſa, idẽ quoque eſt effectus. Dices: Deus tunc ſua bonitate ſupplet defectum Sacramenti. Contrà: Hoc ſine fundamento dicitur: nam ſimili modo etiam dicere poterimus Deum ſupplere in paruulis defectum baptiſmi; vel, ſi Sacerdos non vtatur legitimâ materiâ, ſupplere etiam defectũ materiæ. Deinde, Sequetur hominem poſſe iuſtificari ſine proprio actu, ſine Sacramẽto, & martyrio, per hoc ſolùm, quòd immineat illi periculum mortis: quaſi periculum mortis moueat Deum ad hominem ſine ordinarijs medijs ſanctificandum.

7

Obijcitur Primò: Apoſtolus Paulus erat perfectè contritus, & tamen poſtridiè dicitur ei ab Anania: *Baptizare, & ablue peccata tua, invocato nomine ipſius*, vt refert ipſe Apoſtolus Acto. 22. v. 16. ergo peccata per contritionem non erant remiſſa. Et confirmatur: Quia ad iuſtificationem requiritur etiam oratio, iuxta illud Eccleſiaſtici 21. verſ. 1. *Fili peccaſti? non adjcias iterum: & de priſtinis deprecare, vt tibi dimittantur.*

An S. Paulus per cõtritionem ſine Sacramento iuſtificatus ſit.

Reſpondeo Primò: Etiamſi Paulus per contritionem eſſet mundatus, tamen poterat ampliùs mundari, iuxta illud Pſal. 53. v. 4. *Ampliùs lauame ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me*: à quo tamen peccato anteà emundatus erat: poterant enim adhuc reſtare aliquæ reliquiæ; vel ſi nullæ reſtabant, poterant nihilominùs, quãtum erat ex vi Sacramenti, rurſus lauari; iuxta ſuprà dicta de forma Abſolutionis. Secundò: Fortaſſis Ananias ignorabat eius conuerſionem fuiſſe ita perfectã, vt ſola ſufficeret. Ad Confirmationem, Reſpondeo: Antequam ad veram contritionem perueniatur, neceſſe eſt præcedere actum fidei & ſpei, vnde prodit oratio. Nam actus ſpei etiam implicitam deprecationem complectitur. Obtentâ autem verâ contritione, non eſt opus interuentu orationis ad peccati remiſſionem quoad culpam, ſed ſolùm quoad pœnam temporalem.

8 quomodo S. Magdalenæ ſint remiſſa peccata.

Obijcitur Secundò: Lucæ 7. v. 47. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*: hîc manifeſtè inſinuatur, magnam dilectionem præceſſiſſe ante remiſsionem peccatorum, eamque tandem impetraſſe. Confirmatur: quia tunc facta eſt ei remiſsio peccatorum, quando dictum eſt à Domino: *Remittuntur ei peccata multa*, ſicut indicat S. Thomas, 3. parte qu. 64. art. 3.

Reſpondeò: Dilectionẽ illam fuiſſe cauſam remiſsionis peccatorũ; ſic tamen, vt non tempore, ſed ſolùm naturæ ordine præceſſerit: eſt enim veluti diſpoſitio vltima ad iuſtificationẽ, & remiſsionem peccatorum. Nam per illam peccator perfectè auertitur à peccato, & cõuertitur ad Deum tanquam benigniſsimum Patrem, ſicut filius prodigus Lucę 15. amando eum ſuper omnia, & proponendo obedire omnibus eius mandatis: nihil enim aliud requiritur ad mentis rectitudinẽ. Ad Confirmationem, Reſpondeo: Magdalenæ anteà fuiſſe factam remiſsionem, quãdo multũ dilexit; non tũc primùm, quãdo Dominus illa verba dixit: illa enim verba non ſunt propriè abſoluentis, ſed indicantis cauſam remiſsionis; quod vel ex eo patet, quòd Dominus ſecundò dixerit, *Remittuntur tibi peccata tua*; cùm tamen ipſe anteà teſtatus eſſet, iam eſſe remiſſa. Quare illis verbis partim abſoluit illam exterius corã hominibus, quę iam intus à Deo abſoluta erat: partim cõfirmat abſolutionem ante inuiſibiliter datã: ſicut Marci 5. v. 31. Dominus mulieri, quam tacitè ſanauerat à fluxu ſanguinis, dixit palam; *Eſto ſana à plagâ tuâ.*

9 duæobiectiones ex S. Auguſt.

Obijcitur Tertiò: D. Auguſtinus Tract. 13. in Ioãnem: *Quantũcumque catechumenus proficiat, adhuc ſarcinã ſuæ iniquitatis portat, nec illi dimittitur, niſi cùm venerit ad baptiſmum.* Et l. 4. de baptiſmo c. 21. dicit, *Catechumeno bono, & diuinâ charitate flagrãti, deeſſe baptiſmũ ad capeſſendum regnũ cęlorũ.*

Reſpondeo Primò: Si hęc loca aliquid probant, etiã probant, non ſuppleri in neceſsitate defectũ Sacramenti, quæ tamen ipſi negant. Reſpondeo Secundò: Auguſtinum priori teſtimonio agere de catechumeno, qui negligit baptiſmum ſuſcipere, qui non habet ſerium baptiſmi votũ; & ideò adhuc ſarcinam ſuę iniquitatis portat, donec veniat ad baptiſmum, vel reipsà, vel ſerio voto. Patet ex verbis præcedentibus, vbi reprehendit eos, qui, quòd meliùs viuerẽt quàm Chriſtiani, exiſtimabant ſibi baptiſmum non eſſe neceſſarium. Ad alterum locum, Reſpõdeo: Talem catechumenum habere remiſsionem peccatorũ: dicitur tamen *ei deeſſe baptiſmus ad capeſſendũ regnum cælorũ*, quia tenetur baptiſmũ ſuſcipere; & ſi cõtempſerit aut neglexerit, non capeſſet regnum cœlorum. Quòd autem habeat remiſſionem peccatorum, patet; quia talem catechumenum dicit eſſe Cornelium Centurionem, qui ante baptiſmum Spiritu S. repletus eſt: veruntamen ſi Spiritu S. iam receptò baptizari noluiſſet, contemptu tanti Sacramẽti reus fieret. Et poſt pauca ſubdit: *Sicut bono catechumeno deeſt baptiſmus ad capeſſendum regnum cælorum, ſic malo baptizato vera conuerſio*, vbi tamen non eſt exacta comparatio: nam vera conuerſio ſic deeſt baptizato, vt neceſſitate medij neceſſaria ſit: baptiſmi autem realis ſuſceptio non ſic deeſt catechumeno; nam omnes fatentur catechumenũ ſine illâ poſſe ſaluari, ſi fortaſſe morte pręueniatur. Inſpiciatur totus locus, & manifeſtũ erit. *Catechumeno dici deeſſe baptiſmum ad regnum cælorũ*, quia quaſi ſub hoc onere remiſſa ſunt ei peccata, vt teneatur baptiſmum ſuſcipere: quem ſi neglexerit, damnabitur reus tanti Sacramenti.

Alia ex Auguſtino obiectio ſoluitur.

Obijcitur Quartò: S. Auguſt. l. 1. de Baptiſmo c. 8. & lib. 4. c. 21. dicit Cornelium, etſi laudetur à Scripturis, nondum fuiſſe talem, vt ſaluus eſſe poſſet, niſi baptizaretur.

Reſpondeo: Certiſſimum eſt Cornelium fuiſſe iuſtificatum ante baptiſmum: Nam *loquente Petro* accepit Spiritum S. ſicut Apoſtoli in Pentecoſte, vt patet ex verbis Scripturę, Act. 10. Vtrùm autẽ ante acceptum Spiritum S. iuſtificatus fuerit, parum ad preſentem quæſtionẽ facit. Vult ergo dicere Auguſtinus, illũ non potuiſſe eſſe ſaluũ, ſine baptiſmo: quia ſic tenebatur baptiſmum ſuſcipere, vt ſi negligeret, aut cõtemneret, ſaluus eſſe nõ poſſet.

10 Obiectiones ex Richardo & Vualdẽſs.

Obijcitur Quintò: Ex Richardo de S. Victore, lib. de Poteſtate ligandi atquẽ ſoluendi, c. 19. vbi dicit, *Eum, quem veraciter pœnitet, habere quidem charitatem, teneri tamen adhuc debito æternæ damnationis ante abſolutionem Sacerdotalẽ.* Et ex Thoma Vualdenſi tom. 2. c. 97. *Bonus catechumenus diuina charitate flagrans, iuſtus probatâ iuſtitiâ, priuſquam Chriſti Eccleſiæ coniungatur, eſt de vi ſtatus adhuc ineptus ad capeſſendum regnum Dei.*

Soluuntur.

Reſpondeo: Richardum videri eſſe omninò pro

nobis: nam cap. 8. docet, quod verè pœnitens ſine Sacerdotis abſolutione pœnam æternam euadere poteſt, cùm eam habere nequit; *Nã Deus*, inquit, *pœnitentem abſolvit à debito dãnationis ſub tali conditione*: id eſt, cum tali pacto & obligatione, *vt oporteat eum quærere, prout poteſt, abſolutionem Sacerdotis, & ad eius arbitrium ſatisfacere: quòd ſi facere neglexerit, periculum æternum non euadit*, hæc ille. Vnde patet Richardum ſentire, pœnitenti mox remitti peccata, manere tamen debitũ mortis æternæ, quatenus cum pacto & obligatione confitendi remiſſa ſunt; & quamdiu hæc obligatio non eſt impleta, cenſetur peccator debito æternæ damnationis teneri; quia ſi neglexerit, aut contempſerit, damnabitur; *Sicut Patriarchæ & Prophetæ*, inquit Richard. c. 19. *charitatem habebant, & tamen tenebantur debito dãnationis æternæ vſque ad Chriſti mortem*: quia videlicet peccatũ illis erat remiſſum quoad culpã: ſed vt ab inferno, quo tenebantur, liberarentur, neceſſe erat Chriſtum pro illis mori: vnde, ſi Chriſtus mortuus nõ fuiſſet, nunquã illi liberati fuiſſẽt. His adde, Hugonem ſatis apertè ſentire culpã remitti per cõtritionem, quod nobis ſatis eſt: nam remiſſio pœnæ æternæ neceſſariò huic eſt coniuncta. Quòd ſi Richardꝰ velit, hanc ſeparari à remiſſione culpæ, manifeſtè errat, vt ſuprà dictum eſt qu. 84. ar. 3. Ad Thomam Vvaldenſem Reſpondeo: Eum expreſsè docere, ſufficere Sacramentum quod vel reipsã, vel affectu grauido conſecutus fueris. Dicitur autem talis, *qui nondum eſt baptizatus, ex vi ſtatus ineptus ad regnum cælorum*, quia nondum habet Sacramentum quo coniungatur Eccleſiæ, extra quam nemo poteſt eſſe ſaluus.

QVÆSTIO VI.

De Confeſsione, & eius neceſsitate. Quæ eſt ſecunda pars Sacramenti Pœnitentiæ.

DVBIVM I. circa Art. 1. & 2.

Vtrùm Confeſsio omnium peccatorum mortiferorum ſit iure diuino neceſſaria ad ſalutem?

1 quid, & quotuplex ſit Confeſſio.

NOtandum Primò: Nomen *Confeſsionis* hîc accipi pro accuſatione peccatorum; quæ accuſatio vel fieri poteſt coram Deo tantùm, vt Pſal. 31. v. 5. *Dixi, confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam, & tu remiſiſti iniquitatem peccati mei*: vel coram homine, idque multis modis. Primò, In iudicio: Ioſue 7. v. 19. *Confitere & indica mihi*. Secundò, Ad petendum cõſilium: Prou. 28. v. 13. *Qui abſcõdit ſcelera ſua, nõ dirigetur: qui autem cõfeſſus fuerit, & reliquerit ea, miſericordiã cõſequetur*. Tertiò, Ad accuſandum ſeipſum, vt veniam impetret ab eo, qui locum Dei tenet: ſic accipitur hoc loco, nihilque eſt aliud, quàm *Accuſatio peccatorum facta ſacerdoti, ad obtinendã virtute Clauium abſolutionem*. Ratio itaque formalis Confeſſionis Sacramentalis, *eſt accuſatio ſui ipſius*. Materia, sũt *peccata*: Efficiens, eſt *ipſe pœnitẽs*: Finis, eſt *remiſſio peccatorum* per abſolutionem obtinẽdam. Eſt autem actus externus virtutis Pœnitentiæ, quatenus fit ad compenſandam iniuriam: imperatur à charitate, quatenus tendit ad reconciliationem.

2 duo circa eã errores.

Notandum Secundò: Eſſe potiſſimùm duos errores circa confeſſionem. Prior eſt hæreticorum, qui confeſſionem, vt fit in Eccleſia, omnino reijciunt, ſcilicet vt ordinatur ad abſolutionem. Sic Montaniſtæ & Nouatiani, de quibus ſuprà q. 84. Et Vvicleff, qui docet illam eſſe à Papa introductam, & Eccleſiæ eſſe perniciosam; vt teſtatur Thomas Vvalden. tom. 2. c. 135. Denique Caluiniſtę & Lutherani, qui docent ſufficere vt confiteamur Deo ad obtinendam remiſſionem: ad inſtructionem autem poſſe nos confiteri homini, non obligari tamen; ſufficere autem confeſſionem generalem: nam omnia peccata mortifera confiteri ſpeciatim eſſe impoſſibile. Ita Caluinus lib. 3. Inſtitut. c. 4. & Lutherus art. 8. damnato à Leone Papa X. Pro veritate.

3 Aſſertio prima, & de fide.

Dico Primò: Fide tenendum eſt, Confeſſionem omnium peccatorum mortiferorum, etiam occultorum ſpecialem eſſe neceſſariam Iure diuino lapſis poſt baptiſmum: vt patet ex Concil. Tridentino ſeſſ. 14. can. 6. 7. 8.

Probatur hæc Veritas: Primò, ex ſcripturis. 4 Ioãnis. 20.

PRobatur Primò: Ioan. 20. v. 21. vbi dicitur à Domino poſt reſurrectionem, ad Diſcipulos: *Pax vobis; ſicut miſit me Pater, & ego mitto vos*: & hæc dicens inſpirauit, *Accipite ſpiritum S. quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt*. Hîc præſtat Dominus id, quod promiſerat primùm Petro, Matth. 16. v. 19. cùm ait: *Tibi dabo claues regni cælorum: quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis*: Deinde, quod promiſerat Diſcipulis omnibus Matth. 18. v. 18. *Quæcumque alligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo*.

5

Hinc ducitur argumentum primum; Peccata tãdiu retinentur à Deo, quamdiu retinentur à Sacerdote, iuxta illud, *quorũ retinueritis, retẽta ſunt*: Sed tamdiu retinentur à Sacerdote, quamdiu nõ abſoluuntur; non poſſunt autem abſolui, niſi cognoſcantur: ergo peccator tenetur ſua peccata confiteri, vt remiſſionem cõſequatur. Dices, Peccator poteſt contritione iuſtificari, etiamſi Sacerdos nolit ipſum abſoluere: ergo falſum eſt, peccata tãdiu retineri à Deo, quãdiu non abſoluũtur. Reſp. Negando conſequentiã; Quia dũ cõtritione iuſtificatur, debet habere propoſitũ confitendi, & petendi abſolutionem, ſiue ab eodem Sacerdote, ſiue alio parem poteſtatem habente: vnde nõ iuſtificatur ſine abſolutione, ſaltẽ in voto perceptã, quam poſteà debet reipsã procurare.

Secundum hinc ducitur argumentum: Chriſtus his verbis, Ioan. 20. inſtituit Sacerdotes Iudices, & reliquit illis iudiciariam poteſtatem in cauſis peccatorum, quæ homini cum Deo intercedunt: atqui Sacerdotes non poſſunt rectè iudicare, niſi audita parte nocẽte; id eſt, niſi peccata cognoſcãt, ergo penitens tenetur eis ſua peccata confiteri.

Dices Primò: Hinc non ſequi, pœnitentem abſolutè teneri confiteri; ſed ſolùm, ſi velit obtinere abſolutionem Sacerdotis, quam non tenetur petere, cùm poſſit contritione iuſtificari.

Reſpondeo, Optimè ſequi, ſi præſentem materiam ſpectemus: non enim Sacerdotes ſunt Iudices voluntarij, ſed neceſſarij: id eſt, non ita conſtituti ſunt Iudices, vt liberum ſit peccatoribus ſe eorum tribunali ſiſtere, vel non ſiſtere; eorum iudicio ſe ſubmittere, vel non ſubmittere: id enim non erat conſentaneum nec tantę poteſtati,

Sacerdotes ſicut Iudices, neceſſarij, non volũtarij.

nec rectæ adminiſtrationi: Nam ſicut *Pater omne iudiciũ dedit filio*, ita Filius omnem poteſtatem ligandi atque ſoluendi peccata in terris, dedit Eccleſiæ, id eſt, Prælatis & Sacerdotibus; vt rectè docet Ruardus art. 5. & conſtat ex illo Ioan. 20. v. 21. *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos*; id eſt, ſicut pater me miſit in mundum cum poteſtate ligãdi & ſoluendi; ita & ego nũc diſcedẽs ex hoc mũdo, mitto vos cum eadem poteſtate. Vnde ſicut nemo poteſt recõciliari Patri, niſi per filium, ita neque poteſt eidem reconciliari niſi per Eccleſiam, id eſt, Eccleſiæ Rectores, quos Filius abiens ſuos Vicarios conſtituit. Recta quoque adminiſtratio poſtulat, vt Iudices non ſint liberi, ita vt ſubditi eos poſſint recuſare: hoc enim perturbationem in regimine introduceret.

6 Dices Secundò: Dominum non conſtituiſſe ibi Sacerdotes iudices peccatorũ, ſed ſolùm dediſſe poteſtatem ſeu miniſterium annuntiandi Euãgelium; id eſt, remiſſionem credentibus; nõ credentibus autem iram & vindictam. Ita hæretici huius temporis, qui volunt iſtorum verborum ſenſum eſſe, *In quibus excitaueritis fidem per prædicationẽ Euangelij, quâ fide peccata delentur, ijs remittuntur peccata apud Deum; qui autem noluerint credere, eorum peccata retinentur ad vindictam à Deo.*

Sed contrà: Quòd hæc poteſtas non ſit poteſtas prædicandi, ſed vera poteſtas iudiciaria, Probatur multis rationibus. *Primò*, Si poteſtas remittendi peccata hoc loco nihil eſt aliud, quã poteſtas prædicandi remiſſionem credentibus: ergo nihil peculiare datur hîc Apoſtolis, quod anteà non habuerunt Scribæ & Phariſæi; nam & hi habuerunt poteſtatẽ prædicandi, ſeu docendi, vt patet Matt. 23. v. 2. *Super cathedrã Moyſi ſederunt* &c. & Luc. 11. v. 52. *Væ vobis Legiſperitis, quia tuliſtis clauem ſcientiæ* &c. Imò nihil datur, quod non habebant omnes homines, etiam fœminæ, quæ poſſunt legere Euangelium: nam per hoc annuntiatur credentibus remiſſio. *Secundò*, Dominus cõtulit poteſtatẽ docẽdi Matth. 10. v. 7. *Eũntes prædicate* &c. ibi tamen non dedit poteſtatem remittendi peccata, cùm nulla huius ibi fiat mẽtio: ſed Ioan. 20. vbi è contrario nulla fit mentio docendi: quod eſt euidens ſignum, has poteſtates eſſe diſtinctas. *Tertiò*, Poteſtatem remittẽdi peccata cõtulit certâ quadam cæremoniâ, ſcilicet cum *inſtificatione*, dicendo, *Accipite ſpiritum ſanctum*: quorum neutrum fecit, cùm daret poteſtatem docendi. *Quartò*, Si *docere* eſt *ſoluere*: ergo *nolle docere*, eſt *ligare*: ergo omnes homines, qui nolunt prædicare, *ligãt peccatores*: quod eſt abſurdum. *Quintò*, Chriſtus docere iuſſit omnes homines: ergo, ſi *docere* eſt *ſoluere & remittere peccata*, iuſſit oẽs *ſoluere*: ergo non dedit *poteſtatem ligãdi*. *Sextò*, Ex Metaphora *Clauium* Matth. 16. v. 19. *Tibi dabo claues regni cælorum*: Claues non ſolent dari Miniſtro, vt ſignificet oſtium eſſe apertum vel clauſum; ſed vt ipſe aperiat vel claudat reipſa. Deinde, Nõ ſolent claues dari, niſi in ſignum poteſtatis; vt Magiſtratibus dantur claues ciuitatis, & Oeconomo claues domus: ergo cùm Dominus Apoſtolis dederit *Claues*, dedit etiam eis veram poteſtatem & auctoritatem *aperiẽdi & claudẽdi cœlum*; id eſt, *remittendi & retinendi peccata*; non autem *annuntiãdi, illa eſſe remiſſa vel retẽta*. Quod cõfirmatur Apocalyp. 3. vbi Chriſtus dicitur *habere clauẽ Dauid*, quâ ſignificatur vera poteſtas iudiciaria remittẽdi & retinendi peccata, admittendi & excludendi ab Eccleſia, & à cælo: Atqui Chriſtus claues ſuas cũ Apoſtolis, & ſucceſſoribꝰ eorum communicauit, iuxta illud, *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos*; ex-

Reiicitur expoſitio hæretico rũ vndecim. Rationib⁹

Prima.

Secunda.

Tertia.

quarta.

quinta.

Sexta.

go dedit illis verã poteſtatem iudiciariã in cauſis peccatorum, ſeu poteſtatẽ verè aperiendi & claudandi cœlum. *Septimò*, Ex aliâ Metaphorâ *ligãdi & ſolvẽdi*: *Ligare* enim & *ſoluere*, non eſt *declarare* *hominẽ eſſe vinctũ vel ſolutũ*; ſed eſt, *injicere vincula*, vel *ea remouere*. Cõfirmatur, quia non dicit, *Quæcunque ſolueritis, ſoluta erãt*: quomodo tamẽ dicere debuiſſet, ſi *ſoluere* eſſet idem, quod *ſolutum declarare*: ſed dicit, *ſoluta erũt*, inſinuãs ſolutionẽ illam Sacerdotis eſſe cauſam, cur ſoluta ſint apud Deũ. Sic Ioan. 20. non dicit, *Quorum remiſeritis peccata, remiſſa erant*, ſed, *remittuntur eis*. *Octauò*, Quando dicit, *Quæcunque ſolueritis ſuper terrã, erunt ſoluta & in cælo*, apertè indicat à contrario ſenſu, *quæcunque nõ ſoluerint ſuper terrã, nõ fore ſoluta in cælo*. Quod confirmatur Ioan. 20. v. 23. *Quorum retinueritis, retenta ſunt*. Quæ omnia apertè indicant, Sacerdotes non tãtùm declarare, peccata eſſe dimiſſa & ſoluta, ſed *verè remittere & ſoluere*, adeò vt ſine ipſorum abſolutione non poſſimus à peccatis liberari. *Nonò*, Ex illis verbis: *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos*, id eſt, cum eãdem auctoritate & poteſtate, vt elegantiſſimè Chryſoſtomus lib. 3. de Sacerdotio: vnde etiam continuò inſufflans ait: *Accipite Spiritum ſanctum: quorũ remiſeritis* &c. inſinuans ſe dare cœleſtem & diuinã poteſtatẽ, cui Spiritus ſanctus præſideat. *Decimò*, Si *remittere peccata*, eſt *annũtiare ea remiſſa credẽtibꝰ*, Vel hæc annuntiatio eſt abſoluta; & ſic eſt temeraria, quia miniſter non poteſt ſcire an peccator credat, ac proinde neſcit an ei ſint remiſſa peccata: Vel eſt conditionata, ſcil. ſi peccator credat, & ſic erit ſuperuacanea; nam non reddet pœnitentẽ magis certum remiſſionis peccatorũ, quàm erat antè: nam non eſt illi certũ, an credat ſicut oportet; & ſi hoc illi certum eſſet, non egeret abſolutione, quæ ſolùm ad hoc datur, vt ſit certus remiſſionis peccatorũ, ſecundùm Caluiniſtas. *Vndecimò*, Idem probatur ex SS. Patribus, qui docẽt his verbis tridui iudiciariam poteſtatem. Vide dicta ſuprà q. 84. a. 1. Item vide Baronium centur. 1. pag. 148. Item Bellarminum & Valentiam, & Chryſoſtomum lib. 3. de Sacerdotio.

Septimã.

Octaua.

Nona.

Decima.

Vndecima.

Secundus locus Scripturæ eſt Actorum 19. v. 18. *Multi credentium veniebant*, ſcilicet ad Paulum, *confitentes & annuntiãtes actus ſuos*. Hîc agitur de confeſſione peccatorum in ſpecie, vt patet ex illis verbis, *Actus ſuos*, & ex verbo Græco quod eſt, diſtinctè, & per partes refero. Item agitur de confeſſione quæ fiebat homini, videlicet Paulò. Denique de confeſſione omnium peccatorum, non quorumdam tantùm, vt dicunt hæretici: quia Scriptura quando agit de pœnitentia vel remiſſione peccatorum, de omnibus peccatis intelligi debet, vt patet ex alijs locis: Actorum 26. v 16. *Ablue peccata tua*. Et Daniel 4. v. 24. *Peccata tua eleëmoſynis redime*.

7 Actor. 19.

Tertius locus eſt Iacobi 5. v. 6. *Cõfitemini alterutrũ peccata veſtra*, id eſt, homines hominibus, peccatores Sacerdotibus, ſubiecti Prælatis, vt ait Hugo lib. 2. de Sacramentis parte 14. & patet ex ſequẽtibus, *Orate pro inuicem vt ſaluemini*, id eſt, Presbyteri pro infirmis. Hunc locum de confeſſione intelligunt Origenes Homil. 2. in Leuit. Chryſoſtomus l. 3. de Sacerdotio, & Auguſtinus lib. 50. Homil. Homilia 12. & Beda in hunc locũ.

Iacobi 5.

Quartus locus eſt 1. Ioãnis 1. v. 9. *Si confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt & iuſtus vt remittat nobis peccata noſtra, & emundet nos ab omni iniquitate*. Hîc ſatis indicatur requiri confeſſionem peccatorum in particulari; nam agnoſcere tantùm ſe eſſe peccatorem, non eſt confiteri peccata: item

omnium ; quia quando dicit vt remittat nobis peccata noſtra, loquitur de omnibus peccatis: denique quòd agatur de confeſſione quæ ſit homini, patet ex illis verbis; *Fidelis eſt & iuſtus*; id eſt, ſeruat promiſſa ſua: nulla enim extat promiſſio qua remittuntur peccata iis qui tantùm Deo cõfitentur ; ſed iis qui confitentur Sacerdotibus, Ioan 20. *Quorum remiſeritis*, &c.

Probatur ſecundò : ex Figuris.

8 PRobari poteſt Secundò eadem veritas ex Figuris. Ea enim quæ fuerunt in lege Veteri & in lege Naturę, fuerunt figuræ eorum quæ ſunt in lege Noua : ergo ſi tunc fuit aliqua confeſſionis peccatorum figura à Deo præcepta, neceſſe eſt in Noua lege eſſe confeſſionem peccatorum à Deo præceptam, quæ ſit accuratior quàm illa, ſicut res figurata perfectior eſt ſuâ figurâ.

Confeſſio Adæ.

Prima Figura eſt, Confeſſio quam Dominus exegit ab Adamo & Eua Geneſ. 3. & à Cain Geneſ. 4. quæ fuit confeſſio oris & delicti in particulari, & coram Dei miniſtro: nam Dominus loquebatur per Angelum. Exegit autem Dominus hanc confeſſionem, Primò, Vt nobis, teſte Tertulliano lib. 2. contra Marcionem conderentur exempla cõfitendorum potiùs delictorum, quàm negandorum, vt iam tunc initiaretur Euangelica doctrina. Deinde, Vt confeſſione delerent, quod peccauerant, vt ait Ambroſius lib. 2. de Cain & Abel c. 9. & Chryſoſtomus homil. 18. in Geneſ.

Confeſſio leproſorũ.

Secunda Figura eſt, leproſorum, Leuit. 13. & 14. qua cogebantur leproſi ſe Sacerdotibus ſiſtere, quibus iudicium lepræ commiſſum erat, & iuxta eorum ſententiam vel extra caſtra manere, vel poſt curationem ad caſtra reuerti. Ex hac figura D. Hieronymus in cap. 16. Matthæi colligit Sacerdotes debere cognoſcere varietates peccatorum: & Chryſoſtomus lib. 3. de Sacerdotio, colligit longè maiorem eſſe poteſtatem Sacerdotum Noui Teſtamenti, quàm Veteris : cùm hi non lepram curare, ſed tantùm curatam declarare potuerint : illi verò non corporalem lepram, ſed ſpiritualem, non curatam declarare, ſed omnino declarare poſsint.

Confeſſio præcepta Numerorum 5.

Tertia Figura eſt confeſsio communis quędam toti populo in Veteri lege, quam quiſque diuino pręcepto tenebatur Sacerdoti facere, quãdo peccatum aliquod præſertim iniuſtitiæ commiſerat, cui ſacrificium in ſanctificationem quandam cõiunctum erat. De hoc agitur Numerorum 5. v. 6. *Vir ſiue mulier cùm fecerint ex omnibus peccatis, quæ ſolent hominibus accidere, & per negligentiam trãſgreſſi fuerint mandatum Dñi, atque deliquerint, cõfitebuntur peccatum ſuum.* Hebraicè eſt, *Expreſsè confitebuntur peccatum ſuum, quod fecerunt.* Item Leuit. 5. v. 5. vbi nos habemus; *Agat pœnitentiã pro peccato ſuo*; Hebraicè eſt, *Apertè confitebitur peccatũ quod peccauit*: eſt enim idem verbum Hebraicũ hîc & Numer. 5. Ex quibus patet exigi hîc non ſolùm confeſsionem in genere, ſed in ſpecie : iubetur enim vt *apertè confiteatur*, & *peccatum quod peccauit*. De hac cõfeſsione Veteris legis ſæpè loquuntur Rabbini. Petrus etima Galatinus lib. 10. de Arcanis noſtræ Religionis cap. 3. citat aliquot loca Scripturæ, ex quibus Rabbini probant hæc tria: *Primò*, Eſſe neceſſariò cõfitendum. *Secundò*, Non tantùm Deo, ſed etiam homini. *Tertiò*, Non tantùm in genere, ſed etiam ſpeciatim. Collegerunt etiam Rabbini plurima præcepta legis ex Scripturis, ex quibus decimum ſextum eſt, *Confitenda eſſe peccata* Numerorum 5. Dicunt præterea, ſi quis neglecta confeſsione moriatur, etiãſi cętera rite peregerit, tamen in æternum perituru. Hunc autem ritum cõfitendi Thomas Vvaldenſis tomo 2. cap. 137. dicit ſe à Iudęis intelleXiſſe adhuc obſeruari. Ad hoc præceptum legale ſeruandum, videtur exhortari Eccleſiaſticus cap. 4. v. 31. *Non confundaris confiteri peccata tua*: nam confuſio non ſolet timeri niſi in confeſsione, quę fit homini, & in ſpeciali.

Confeſſio ante Baptiſmum Ioannis.

Quarta Figura eſt, Confeſsio eorum qui accedebant ad baptiſmum Ioannis, de quibus dicitur Matthęi 3. & Marci 1. quòd baptizabantur ab eo confitentes peccata ſua. Ioannes enim erat Propheta & filius Sacerdotis. Rectè autem coniungebatur illa confeſsio baptiſmo, quia baptiſmus Ioannis non erat per ſe efficax, ſicuti noſter: vnde noſtro, qui per ſe ſufficit, non coniungitur confeſsio, ſed poſteà lapſis ea conuenit.

Probatur Tertiò : Ex Concilijs.

9 PRobatur eadem veritas Tertiò : ex Concilijs. Concilium Laodicenum ante annos mille & centũ can. 2. *His, qui diuerſorum peccatorum lapſus incurrũt, & inſtãti orationi, confeſsioni, ac pœnitentię, pro qualitate peccati tempus pœnitentiæ tribuendũ eſt.*

Synodus Quiniſexta, can. vltimo: *Oportet eos, qui abſoluendi & ligandi poteſtatem accepêre à Deo, peccati qualitatem conſiderare, & peccatoris promptitudinem ad reuerſionem*; id eſt, ad emendationem: *& ſic morbo conuenientem adhibere medicinam.* Vide ibid. ſequentia valdè pulchra. Vnde patet, apud Græcos Sacramentalem Confeſſionem ſingulòrum peccatorum in vſu tunc fuiſſe, ſicut & modò eſt ; vt patet ex Nicolao Cabaſila cap. 29. explicationis Liturgiæ.

Concilium Carthaginenſe III. cap. 31. ante annos mille & centum, *Vt pœnitentibus ſecundùm peccatorum differentiam Epiſcopi arbitrio pœnitentiæ tempora decernantur.*

Concilium Cabilonenſe I. ante, annos mille, can. 8. *Vt pœnitentibus à Sacerdotibus facta confeſſione indicatur pœnitentia, vniuerſitas Sacerdotum noſcitur conuenire.*

Similia habentur in Concilio Turonenſi III. cap. 22. Et in Concilio Cabilonenſi II. cap. 32. *Sed*, inquit, *& hoc emẽdatione indigere perſpeximus, quod quidã, ánm confitentur peccata ſua Sacerdotibus, non plenè id faciunt.* Et infrà: *Solerti indignatione debẽt inquiri ipſa peccata, vt ex vtriſque plena fit confeſsio, ſcilicet vt ea confiteantur quæ per corpus geſta ſunt, & ea, quibus in ſolâ cogitatione delinquitur.*

In Germania Moguntinum II. ſub Rabano Anno Domini 833. cap. 26. *Ab infirmis in mortis periculo poſitis, per Presbyteros para inquirenda eſt confeſsio; nò tamen imponenda eſt eis quantitas pœnitentiæ, ſed innoteſcenda*, &c. &c. 27. dicit iis eſſe dandam Cõmunionem qui omnibus de peccatis ſuis puram Confeſſionem agunt, & dignè pœnitent.

Concilium Vvormatienſe circa annũ Domini 868. can. 7. *Pœnitentibus ſecundùm differentiã peccatorum, Sacerdotis arbitrio pœnitentiæ decernãtur. Debet itaque Sacerdos in pœnitentia danda ſingulorum cauſas ſigillatim conſiderare; originem quoque, modumque culparum, & affectus, geminuſque delinquentiũ diligenter examinare, manifeſteque cognoſcere; temporum etiam & perſonarum, locorum quoque & ætatum qualitates inſpicere, vt etiam pro conſideratione locorum, ætatum vel temporum, ſeu pro qualitate delictorum atque gemitum cuiuſque delinquentis, à ſacris regulis oculos non reflectat.*

Conciliam Lateranenſe ſub Innocentio III. anno Chriſti 1215. quod fuit quadringentorum.

Episcoporum & octingentorum aliorum patrum ex Ecclesia Græca & Latina cap. 21. *Omnis vtriusque sexus, omnia sua peccata confiteatur fideliter, saltem semel in anno, proprio Sacerdoti.*

Concilium Constantiense sess. 8. damnat articulos Vvicleffi, inter quos octauus est: *Si homo debitè fuerit contritus, omnis confessio exterior est sibi superflua & inutilis.*

Denique patet ex Concilio Florentino in instructione Armenorum; & ex Concilio Tridentino sess. 14. cap. 5. & canone 6. 7. 8.

Probatur Quartò: ex Patribus.

10 PRobatur Quartò eadem veritas ex Patribus; quos vide apud Ruardum art. 8. apud Hosiũ in confessione Polonica, apud Baronium, Bellarminum & Valentiam.

Clemens. Clemens Romanus epist. 1. ad Fratrem Domini: *Quòd si fortè alicuius cor vel liuor, vel infidelitas, vel aliquod malum ex his quæ superiùs memoramus, latenter irrepserit, non erubescat qui animæ suæ curam gerit, confiteri huic, qui præest, vt ab ipso per verbum Dei & consilium salubre curetur, quo possit integra fide & operib⁹ bonis pœnas æterni ignis effugere.* Et infrà dicit B. Petrũ malas cogitationes cordi suo aduenientes mox ad Christum allidere, & sacerdotibus Domini manifestare consueuisse.

Origenes. Origenes Homil. 2. in Leuit. *Est adhuc & septima, licet dura & laboriosa per pœnitentiam remissio peccatorum, cùm non erubescit peccator Sacerdoti Domini: confiteri peccatum suum, & quærere medicinã; secundùm eum qui dixit: confitebor aduersùm me iniustitiam meam.* Homil. 3. in Leuit. docet omnia peccata nostra in die iudicij in publicum proferenda per diabolum, nisi ea hîc coram Sacerdote accusauerimus. Vide eũdem Homil. 2. in psal. 37.

Tertullianus. Tertulianus lib. de Pœnitentia dicit, *Quosdam diffugere exomologesin*, hoc est, confessionem, *verecundiæ causâ; qui etsi notitiæ humanæ sua peccata subduxerint, Deum tamen celare non poterunt: melius que esse publicè absolui, quàm damnatum latere.* Et paulò infrà dicit, *Exomologesin à Domino iniungi.*

Cyprianus Cyprianus serm. de lapsis: *Quanto & fide maiore, & timore meliore sunt, qui quamuis nullo sacrificij aut libelli facinore constricti, quoniam tamen de hoc vel cogitauerunt, hoc ipsum apud sacerdotes Dei dolenter & simpliciter confitentes, exomologesin conscientiæ faciunt.* Et infrà. *Confiteantur singuli quæso, fratres, delictum suum, dum adhuc, qui deliquit, in sæculo est, dum admitti confessio eius potest, dum satisfactio & remissio per Sacerdotes facta, apud Dominum grata est.*

Athanasius. Athanasius serm. in illa verba Euangelij: *Ita in castellum &c Quod si*, inquit, *nondum soluta sint vincula, tradas teipsum discipulis Iesu: adsunt enim qui te soluant pro ea potestate, quam à saluatore acceperunt: Quæcumque enim liganeritis*, inquit, &c.

Basilius. Basilius Regula 228. *Necessariò iis peccata aperiri debent, quibus credita est dispensatio mysteriorũ Dei.* Similia habet Regula 229.

Ambrosius Ambrosius lib. 2. de Pœnitentia c. 6. *Si vis iustificari, fatere delictum tuum: soluit enim crimnũ nexus verecunda confessio peccatorũ.* Idem Ambrosius confessiones audire solitus erat, vt testatur Paulinus in vita eius.

Pacianus. Pacianus in Exhortatione ad Pœnitentiã multa habet clarissima testimonia: *Rogo vos fratres*, inquit, *per illum dominum, quem occulta non fallũt, desinite vulneratam tegere conscientiam: prudentes agri medicos non verentur, ne in occultis quidem partibus: etiam secaturos, etiam perusturos.*

Chrysostomus. Chrysostomus lib. 2. de Sacerdotio: *Multa arte opus est, vt qui laborant Christiani, vltrò sibi persuadeant sacerdotum curationi se submittere oportere.* Et infrà docet, non temerè ad delictorum modũ esse multam adhibendam; sed etiam explorandum esse animum pœnitentis, ne fortè noli tantam pœnitentiam subire. Et lib. 3. de Sacerdotio; apertissimè: item Homil. 33. in Ioannem.

Hieronymus. Hieronymus in cap. 10. Ecclesiastæ probat etiam occulta peccata Sacerdoti confitẽda: *Si enim*, inquit, *erubescat ægrotus vulnus medico confiteri: quod ignorat, medicina non curat.* Et in cap. 16. Matthæi; *Alligat & soluit Episcopus & presbyter, non eos qui insontes sunt vel noxij: sed pro officio suo cùm peccatorum audierit varietates, scit qui ligandus sit, quive soluendus.*

Refellitur Magister. Vbi nota contra Magistrum dist. 18. comparationem nostrorum Sacerdotum cum Leuiticis, tantùm in eo consistere, quòd sicut hi non poterant leprosos curare sola sua potestate, sine illorũ cooperatione: sed tantùm iudicare esse leprosos, & à consortio aliorum separare: ita nec illi possunt sola sua potestate peccata remittere, nisi ipsi pœnitentes per contritionem & confessionem cooperentur, tamen si cooperentur, omnino possunt. Vnde cùm Hieronymus dixisset; *Pro officio suo cùm peccatorũ audierit varietates*, non addidit, Scit quibus ligatus sit, quibus solutus, quomodo tamen iuxta magistri sententiam dicere debuisset, sed, *Scit qui ligandus, quive soluendus sit.* Idem Hieronymus in epistola ad Pamachium docet necessariam esse confessionem, *Quia*, inquit, *secunda post naufragium tabula est, peccatum simpliciter confiteri.*

Innocentius 1. Innocentius I. epist. 1. ad Decentium: *Caterùm de pondere æstimando delictorum, Sacerdotis est iudicare vt attendat ad confessionem pœnitentis, & ad fletus ac lachrymas corrigẽtis, ac tunc iubere dimitti, cùm viderit congruam satisfactionem.*

Augustinus. D. Augustinus Homil. 49. *Nemo sibi dicat, occultè ago, apud Deum ago. Ergo sine causa datæ sunt claues Ecclesiæ: ergo sine causa dictum est; Quæ solueritis in terra &c.* Et in lib. 50. Homiliarum homil. 12. *Deus quia pius & misericors est, vult vt ea cõfiteamur in hoc sæculo, ne pro illis confundamur postmodum in futuro.* & Homil. 41. eiusdem Operis: *Si ad vltimum virg fleterit, nescit si ipsam pœnitentiam accipere, ac deo & sacerdoti peccata sua confiteri poterit.* Idem Tract. in Psal. 66. *Tristis esto antequam confitearis, confessus exulta, iam sanaberis.* Et infrà: *Tu agnosce medici manum, confiteres, exeat in confessione, & desinat omnis sanies.*

Leo. D. Leo epist. 80. Prohibet ne peccata secreta publicè recitentur: *Quia*, inquit, *reatus conscientiarum sufficit solis sacerdotibus indicare cõfessione secretâ.* Vide eundem epist. 91.

Sozomenus. Sozomenus lib. 7. Historiæ cap. 16. *Pœnitentibus quamuis frequenter deliquissent; veniam dari Deus iussit; & ad impetrandam veniam confiteri necessarium est.*

Gregorius Gregorius Homil. 26. in Euangelia, idem docet ex Lazari suscitatione, & solutione: *Veniat*, inquit, *foras mortuus*, id est, *culpam confiteatur peccator: venientem verò foras soluant discipuli, vt Pastores Ecclesiæ ei pœnam amouere debeant, quam meruit, qui non erubuit confiteri quod fecit.*

Bernardus D. Bernardus serm. 16. in Cantica: *Omne, quod vere odet conscientiam, confitere humiliter, purè, fideliter.* Denique idem docent omnes Doctores posteriores.

Probatur Quintò : Ratione.

11 PRobatur Quintò : Ratione. Primò : Si confeſſio eſſet iure humano introducta, extaret eius origo in aliquo Concilio Oecumenico, vel decreto Pontificio : atqui fuit ante Concilia, & decreta Pontificum; vt patet ex Tertulliano, Origine, & Cypriano, qui expreſsè Confeſſionis Eccleſiaſticæ mentionem faciunt : ergo non humano, ſed diuino iure introducta eſt. Quod autē Hęretici dicunt à Concilio Lateranenſi introductam, nimis apertum mendacium eſt. Non enim ibi introducta confeſſio fuit, imò ne præcepta quidem propriè; ſed tātummodò tempus determinatum : ſicut neque Cōmunio introducta, ſed ſolùm frequentandi tempus præſcriptum.

Secundò : Eccleſia nunquam fuiſſet auſa rem tam arduam, & à quâ homines tantopere abhorrerent, præcipere, ſcilicet vt etiam ſecretiſſimas cogitationes, & fœdiſſimas libidines cum ſummâ verecundia homini patefacerent; idque non ſolùm plebei, ſed etiam Principes, Monarchæ, Prælati, & Eccleſiarum rectores. Neque etiam vnquam ad hoc potuiſſent adduci, niſi certò intellexiſſent, ſe iure diuino ad hoc compelli, eſſeque ad ſalutem neceſſarium. Addo, Eccleſiam non potuiſſe præcipere confeſſionem peccatorū occultorum; quia non poteſt quidquā præcipere circa actus merè internos; vt alibi oſtenſum eſt.

Vtilitates Confeſſionis.

Tertiò : Confeſſio tot ſecum adfert vtilitates, vt maximè eā decuerit à Domino inſtitui, & præcipi. Nam Primò, Elucet in ea Dei miſericordia & iuſtitia : Miſericordia, quòd tam facili remedio peccator Deo reconcilietur : Iuſtitia, quia ſuperbia & impudētia peccantis humilitate & verecundiâ confeſſionis vindicatur. Secundò : Vtilitatem adfert ipſis Paſtoribus. Nam ex confeſſionibus ſuorum ſubditorum morbos cognoſcūt, ſic vt facilè conuenientia remedia poſſint adhibere. Tertiò : Eſt vtiliſſima Reipublicæ. Nam multa, quæ per Magiſtratus nunquam potuiſſent emendari, facilè in confeſſionibus per Sacerdotes corriguntur. Nam reſtituuntur ablata, compenſantur damna, diſſoluuntur contractus iniuſti, condonantur iniuriæ, conciliantur paces, diſſociantur praue ſocietates, & alia huiuſmodi, quibus Reſpublicæ perturbantur. Vnde Norimbergenſes, cùm reiectâ confeſſione priuatâ tanquam humano inuento, inueniſſent plurima flagitia in ſuam Rempub. irrepſiſſe, quę anteà erant ignota, petierunt ab Imperatore, vt ipſe ſuo decreto rurſus eam ſanciret, vt refert Dominicus Soto, d. 18. q. 1. a. 1. Sed ridiculè : Quomodo enim imperator poſſet eos cōpellere, vt occulta crimina panderent? Hoc enim eius ſolius eſt, qui occulta cordium intuetur. Quartò : Eſt vtiliſſima cuique priuato : Tum quia per eā peccata remittuntur ex opere operato : tum quia magnā conſcientiæ tranquillitatem conciliat : tū quia conſilium, inſtructionem, & alia remedia cōtra futura homines ex ea reportant : tum quia timore confeſſionis, veluti retinaculo quodam, à peccatis cohibentur : tum denique, quia illā verecundiā partim ſatisfaciunt, & redimunt illam confuſionem, quam peccatores in die Iudicij patientur, quando Deus *illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium*. Vide Gregorium homil. 3. in Leuit. & Auguſtinum Homilia 12. lib 50. Homiliarum.

Ridicula Norimbergenſiū petitio circa confeſſionem auricularem.

1. Corinth. 4.

Denique probari poteſt Cōfeſſio ex Miraculis. vide Alanum Copum lib. 2. Dialog. cap. vltimo, vbi refert ex Climacho Gradu 4. cap. 2. pulcherrimum miraculum, & alia ex litteris Indicis. Vide etiam Bedam lib. 5. Hiſtor. c. 14. de quodam milite. Præterea Petrum Cluniacenſem lib. 1. de Miraculis cap. 3. 4. 5. & 6. vbi refert quatuor miracula. Item vide Vitam S. Bernardi lib. 1. cap. 9. & Bonauenturam in vita S. Franciſci cap. 10.

Obiectiones Soluuntur.

OBijciunt hęretici : primò. Confeſſionem ſolùm eſſe diſciplinam quādam Politicam, ab Epiſcopis inſtitutam tempore Nouatianorū, quam poſtea Nectarius ſuſtulit, vt colligitur ex Socrate lib. 5. Hiſtor. cap. 19. & ex Sozomeno lib. 7. cap. 16. 12

Reſponderi poteſt Primò : Falſam eſſe hiſtoriā illam, vt à Socrate & Sozomeno narratur; quod multis conatur probare Baronius centuria 4. pag. 487. Reſpondeo ſecundò; vt concedamus hiſtoriam eſſe veram; Certum tamen eſt Primò : Cōfeſſionem Sacramentalem, quæ priuatim fit Sacerdoti, non eſſe ſublatam per Nectarium; neque id auctores illi dicunt. Patet hoc ex Chryſoſtomo ſucceſſore Nectarij, qui lib. 2. de Sacerdotio ait : *Multā arte opus eſt, vt Chriſtiani qui laborant, vltrò ſibi perſuadeant, Sacerdotum curationi ſe ſubmittere oportere.* Et Homil. 20. in Geneſin : *Oportet ad confeſſionem facinorum feſtinare, &c.* Et idem lib. 3. de Sacerdotio mirè extollit poteſtatem remittendi, peccata; docetque magnā cautione eā vtendum eſſe. Idem patet ex ipſo Sozomeno lib. 7. Hiſtor. cap. 16. *Pœnitentibus, quamuis frequenter deliquiſſent, veniam dare Deus iuſſit; & ad impetrandam veniam confiteri neceſſarium eſt.* Omitto Græcos poſteriores, qui eam ſemper ſeruarunt. Secundò : Certum eſt non fuiſſe relictum liberū, vt quiſque pro ſuā conſcientiā ſine confeſſione accederet ad Euchariſtiā. Patet hoc ex Chryſoſt. Homil. 83 in Matthæum, vbi iubet repelli peccatores ab euchariſtiā, qui pœnitentiam non egerint. Idem indicat Homil 10. in matthæū. Tertiò : Certum etiam eſt, Pœnitentiam publicam non eſſe ſublatam pet Nectariū. Patet ex Chryſoſtomo Homil. 60. ad Populum, vbi ſic ait; *Audi-tem audis præconem, atque dicentem : Quotquot eſtis in pœnitentiā, omnes erate. &c.*

Nectarius non ſuſtulit confeſſionē priuatam.

Suſtulit itaque Nectarius tantummodò confeſſionem publicam, quæ erat appendix Pœnitētiæ publicæ. Cùm enim exorti eſſent Nouatiani, tēpore Cypriani, qui docent lapſos poſt baptiſmū, præſertim in grauiora peccata, non poſſe per Eccleſiam reconciliari, conuenerūt Epiſcopi variorum locorum, & conſtituerunt huiuſmodi lapſos eſſe omnino reconciliandos, ſicut anteà ſemper ſeruatum fuerat. Ne tamen hinis facilè viderentur eos recipere, & ſic calumniam à Nouatianis ſuſtinerent, veteri Canoni, quo talibus indicebatur pœnitentia publica, hanc addiderunt appendicem, Vt etiam publicè confiterētur; ſcilicet ea peccata quæ erant aliquo modo publica, & iudicio prudentis Sacerdotis viderentur publicè aperienda. Vnde in ſingulis Eccleſijs inſtituerūt *Sacerdotem pœnitentiarium* prudentem & ſeruātē ſecreti, quem omnes publicam pœnitentiā acturi accedere debebant. Huic ergo primò confitebantur priuatim omnia ſua peccata occulta, & manifeſta : deinde præſcribebatur eis pœnitentia publica, cuius pœnitentiæ additamentum erat, publicè confiteri in Eccleſia certa quædam crimina, quæ iudicio Sacerdotis videbantur manifeſtanda. Hanc Confeſſionem publicam ſuſtulit Sed ſuſtulit confeſſionem publicam.

Nectarius, & preſbyterum, qui publicè pœnitẽtibus præerat; idque ob grauem populi offenſionem quandam, occaſione publicæ pœnitentiæ & confeſſionis ortam. Cùm enim mulieri cuidam nobili pœnitentia publica, neſcio ob quæ crimina eſſet iniuncta, & illa ob hanc explendam diutius in templo moraretur, accidit vt quidam Diaconus eà in templo abuteretur: Mulier autem illa confeſſionem publicam, ſibi à ſacerdote præſcriptam factura, etiam hoc crimen videtur coram populo manifeſtaſſe; vnde grauiſſima populi in Clerum offenſio nata. Hinc quidam Eudæmon Preſbiter ſuaſit Nectario, vt illam conſuetudinẽ aboleret. Colliguntur hæc ex Socrate, & Sozomeno, locis citatis.

Dices, Si Nectarius non ſuſtulit confeſſionem priuatã, quomodo ergo dicũt illi Auctores, fuiſſe permiſſum omnibus, vt pro ſua quiſque conſcientia ad diuina myſteria accederet?

Reſpondeo, Eatenus permiſſum eſt, quatenus non ampliùs tenebãtur adire publicum illud tribunal Eccleſiæ, ſed ſatis erat priuatim reconciliari: ſicuti modo quiſque poteſt dici pro conſcientiâ ſuâ, accedere communionem.

13 2. obiectio ex Chryſoſtomo.

Obijciunt Secundò Chryſoſtomus Homil. 1. in Pſalmum 50. ſic ait: *peccata tua dicito, vt deleas ea: ſi confunderis dicere aliqui quæ peccaſti, dicito quotidiè ea in anima tua: Non dico, vt confiteatis cõſeruo tuo, qui exprobret: dicito deo, qui curet ea.* Similia habet Homil de Pœnitẽt. & cõfeſſione.

Soluitur.

Reſpondeo, Chryſoſtomum tantùm velle, non eſſe neceſſarium publicè confiteri, & in theatro ſuorum conſeruorum, vt Homil. 4. de Lazaro ait: Ex hac enim cõfeſſione ſequebatur exprobratio, non autem expriuatã, quę fit ſoli Sacerdoti, quia fit ſine teſtibus, & propriè fit Deo; Sacerdoti enim confitetur vt locũ Dei tenenti, & diuinâ auctoritate abſoluenti. Vnde *ſoli Deo confiteri* non excludit Sacerdotem, vt multis oſtendit Gregorius à Valentia in hunc locum. Inſtabis: Chryſoſtomus videtur ſolùm requirere, vt Deo cõfiteamur in anima, idque aſſiduè: vnde Homil. 8. de Pœnitentia ait: Non delictorũ teſtes ſtatuas; intus in conſcientiâ, aſtante nemine præter eum qui cuncta videt, reforma quod deliquiſti. Reſpondeo; Chryſoſtomus interdum loquitur de cõfeſſione coram Deo, quatenus ordinatur ad ſatisfactionem, ad quam referebatur illa publica confeſſio; non autem, quatenus ordinatur ad abſolutionem Sacramentalem, quam multis locis docet eſſe neceſſariam, vt patet lib. 2. & 3. de Sacerdotio &c.

DVBIVM II.

Vtrùm peccata Venialia ſint neceſſario confitenda?

14 Reſpondeo, eſſe quidem ſufficientem materiam confeſſionis, non tamen neceſſariam. Prior pars patet ex Concilio Tridentino ſeſſ. 14. Canon. 5. & Can. 7. vbi id expreſsè habetur. Et confirmatur ex ſententia Domini, Ioan. 20. v. 23. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*; quæ generalis eſt ad omnia peccata. Altera pars probatur ex eodem Concilio, loco citato: Quia peccatum veniale multis aliis remedijs expiari poteſt, vt ibidem Concilium docet.

quomodo venialia peccata retineri poſſint per ſacerdotes.

Dices Venialia comprehenduntur illâ ſententiâ Domini; *Quorum remiſeritis peccata* &c. alioqui non eſſent materia ſufficiẽs huius Sacramẽti: ergo ſi non remittãtur à Sacerdotibus poteſtate clauium, non remittuntur à Deo, ac proinde neceſſariò erunt in confeſſione explicanda. Patet conſequentia: quia addit Dominus; *Quorum retinueritis retenta ſunt.*

Reſpondeo: Sententiam Domini eſſe generalem quoad remiſſionem: non autẽ quoad retentionem. Ratio eſt, quia plura inſtituit remedia, quibus deleantur venialia, vt conſtat ex doctrina eccleſiæ: non tamen inſtituit plura, quibus mortifera deleantur. Dedit enim poteſtatem remittendi & mortifera, & venialia, ſed retinendi per ſe primò ſola mortifera; quia venialia ſunt minoris momenti, & amicitiam eius non diſſoluũt. Secundatiò, tamen poſſunt venialia *retineri*, quatenus retinentur mortifera, ſine quibus illa condonari nequeunt.

DVBIVM III.

Quo loco confeſsio ſit præcepta in ſcripturâ?

15 DBonauentura d. 17. p. 2. art. 1. q. 3. putat. Abſolutionem quidem inſtitutam eſſe & præceptam Ioan. 20. Confeſſionẽ autem ſolùm inſinuatam, inſtitutam autem ab Apoſtolis, & promulgatam Iacobi, 5. *Confitemini alterutrum peccata veſtra vt ſaluemini.*

Sed dicendum, certum eſſe, confeſſionem integram omnium peccatorum mortalium eſſe inſtitutam & præceptam, tanquam neceſſariam, Ioannis 20. *Quorum remiſeritis*, &c. Contrarium cẽſendum eſt erroneum. Patet hoc tum ex ſuprà dictis, tum ex Concilio Tridẽtino, quod ſeſs. 14. can. 3. expreſsè docet, Sacramentum Pœnitentiæ eſſe inſtitutum. Ioan 20. *Quorũ remiſeritis*: ergo ibidem eſt inſtitutâ confeſſio, quæ eſt neceſſaria pars huius Sacramẽti. Et canonæ 6. definit confeſſionem eſſe neceſſariam Iurè diuino ad ſalutem: atqui nullus Scripturæ locus eſt vnde hoc euidentiùs & efficaciùs cõlligatur, quã Ioan. 20. Denique idem Cõcil. c. 6. illius ſeſſionis expreſsè probat ex hoc loco Ioannis, Confeſſionem eſſe Iuris diuini.

ARTICVLVS III.

Vtrum omnes ad Confeſſionem teneantur?

Reſpondeo & Dico Primò: Qui nondum sũt baptizati, non tenentur confiteri. Probat hoc Dominicus Soto, quia hi ſolùm tenentur ad fidem & ad baptiſmum. Sed hoc verum non eſt: nam etiam tenẽtur ad Euchariſtiam, ita vt ante baptiſmum hanc obligationem habeant, quamuis eã non poſſint præſtare, niſi poſt baptiſmũ; vt ſuprà dictũ eſt q. 80. a. 11. dub. 1. num. 31. Vera ergo ratio eſt, quia peccata illorum non ſunt materia huius Sacramẽti. Solùm autem obligantur ad hoc Sacramentum ratione materiæ neceſſariæ.

16 Nondum baptizati, non tenẽtur ad cõfeſſionem.

Dico Secundò, Baptizati omnes obligantur ad confeſſionẽ, qui poſt baptiſmum in aliquod peccatum mortiferum inciderunt, etiamſi hoc peccatum ſolùm naturâ poſterius ſit ipſo baptiſmo; quale eſt ſacrile gium, quod cõmittitur fictâ baptiſmi ſuſceptione; vt ſuprà dictum eſt q. 69. a. 10. dub. 2. num. 19.

Tenentur baptizati.

ARTICVLVS IV.

Vtrum quis teneatur confiteri peccatum, quod non habet?

17 Omnia & ſola mortifera cõfitere, eo quo tibi conſcius es modo.

REſpondetur quemque debere confiteri omne, & ſolum peccatum mortiferum, quod habet in conſcientiâ,& eo modo,quo ſibicõſcius eſt:ſcilicet confitendo certa tanquam certa, dubia tanquam dubia,nihil augẽs, nihil imminuẽs.

Notandum eſt in Reſponſione ad 3. Quidquid committit homo vel omittit, in quo dubitat eſſe peccatum mortiferum;peccat mortiferè,quod ſe cõmittat diſcrimini. Sic quoque diſcrimi ſe committit, qui negligit cõfiteri id, quod eſt dubiũ, ſitne mortale,an non: quare peccat mortaliter. Quod tamen ſic intellige,ſi nimirum ita dubitet, vt non habeat probabiles rationes ad credendũ, non fuiſſe mortiferum. Si enim habeat probabiles rationes, vel probabile iudicium Sapientum, non fuiſſe peccatum mortiferum, poteſt omittere eius confeſſionem. Ratio eſt,Quia cum tali iudicio poſitiuo poſſet operari, v. g. facere talem contractum,nec peccaret mortiferè: ergo multò magis poterit omittere eius confeſſionem, tamquam nonſit peccatũ mortiferum; eò quòd probabiliter credat, non eſſe.

Dices: Melior eſt conditio poſſidentis: ergo etiam in dubio negatiuo non tenetur homo ſeipſum accuſare, videlicet quando neſcit quale peccatum ſit. Confirmatur:quia ob hanc cauſam non tenemur reſpondere Iudici, quando neſcimus an legitimè interroget.

Reſpondeo Negando Conſequentiam: Hoc enim ſolùm locum habet, quando cõfeſſio, ſiue patefactio rei cedit in notabile præiudicium meũ vel alterius: vti latiùs diximus de Iuſtit. & Iure lib. 2. cap. 31. dub. 3. num. 10. hîc verò non cedit in tale præiudicium, ſed in magnum commodum.

ARTICVLVS V.

Vtrum peccator teneatur ſtatim Confiteri?

18 Nullo iure tenet prima opportunitate confiteri.

REſpondetur,Neque Iure Diuino,neque Eccleſiaſtico tenetur peccator ſtatim, id eſt, primâ opportunitate confiteri. Eſt communis ſententia DD. Non Iure Eccleſiaſtico, quia Eccleſia ſolùm præcipit vt ſingulis annis confiteamur, vt patet ex Capitulo,*Omnis vtriuſque ſexus*. Non Diuino,quia præceptum confeſſionis eſt affirmatiuum,quod non obligat ad ſtatim, ſed ſuo tempore:præſertim cum ſine actuali confeſſione homo poſſit amicitiâ diuinam recuperare. Præterea, ſi iure Diuino teneremur ſtatim à cõmiſſo peccato confiteri. Eccleſia determinans annuum tempus, apertam dediſſet occaſionem errandi. Tali enim determinatione ſatis inſinuat, nos iure Diuino non obligari ante annum.

DVBIVM I.

Quando præceptum confeſſionis obliget nos Iure Diuino?

19

REſpõdeo&Dico Primò: Ratione ſui obligat nos in articulo mortis, id eſt, quando quis tendit ad mortem: vt cùm quis ſupplicio eſt afficiendus, cùm valetudo eſt deſperata,&c. Simili modo obligat in periculo mortis: vt, dum inſtat prælium, vel partus periculoſus,&c. Obligat per ſe in articulo & in periculo mortis.

Probatur,Quia hoc præceptum debet aliquãdo ſeruari ab eo, qui ſibi conſcius eſt pectati mortiferi: ergo maximè in articulo vel periculo mortis: ſi enim tunc non ſeruetur, non poteſt poſteà ampliùs ſeruari. Deinde, quia tunc maximè tenetur reconciliari Deo, quando eſt periculum æternæ inimicitiæ, & propriæ ſalutis. Neque tũc ſufficit votum, ſi poſſit reipſâ expleri: quia hoc votum poſt mortẽ expleri non poteſt. Denique, cẽſetur negligens ſuæ ſalutis, ſi tunc certioribus remedijs non vtatur. Vnde Iacobi 5. verſ. 14. cùm dixiſſet Apoſtolus: *Si quis infirmatur in vobis, inducat presbyteros Eccleſiæ*: ſubiungit v. 16. *Confitemini alterutrum peccata veſtra, vt ſaluemini*. Vide etiam Capitul. *Si infirmitas*, de Pœnitentijs & confeſſionibus, ex Concilio Magno lateranenſi, vbi præcipitur Medicis ſub pœnâ excõmunicationis ferendæ, vt ante omnia inducant infirmum ad confeſſionem.

20 Non obligat ne nimis diu in vita differatur.

Vtrùm verò etiam Iure diuino obliget ſub mortali, vt non nimis diu differatur in vitâ,ſicut dictum eſt de contritione, eſt dubium. Probabilius tamen videtur non obligare per ſe,niſi in articulo & periculo mortis. Ratio eſt, Quia non præcipitur Iure diuino confeſſiopeccatorum,niſi ratione iuſtificationis: atqui poſſumus iuſtificari per contritionem cum voto cõfeſſionis,quod votum poteſt impleri;quãdo videbitur eſſe aliquod mortis notabile periculum. Secùs eſt de contritione, quia ſine eâ non poſſumus iuſtificari, ſed manemus in Dei inimicitia: vnde non licet eam nimium diu differre.

21 Per accidẽs tamen obligat pluribus caſibus.

Dico Secundo:Per accidens, ſeu ratione alterius præcepti obligamur ad confeſſionem Iure Diuino multis caſibus. Primò: Quoties accidendum eſt ad Communionem, iuxta ſuprà dicta; quamuis etiam probabile ſit, ſolùm iure Eccleſiaſtico ab Apoſtolorum temporibus recepto, nos teneri. Secundò: ſi quis vouit confiteri. Tertiò: Si à confeſſario fuerit iniunctum. Quartò: Ratione ſtatuti Religionis. Quintò: Ratione conſcientiæ erroneæ;vt ſi putes te primâ opportunitate teneri confiteri. Sextò: Ratione grauis tentationis,per quam putes te vincendum, niſi confiteari. Ita Caietanus verbo, *Confeſſio*, Conditione 5. & alij.

22 Non tamẽ quando timemus nos aliàs non recordaturos peccati.

Septimò: Alium caſum addunt Caietanus, Sotus, & alij quidam,Quando credis te alio tẽpore non recordaturũ peccati. Sed probabilius eſt, eo caſu te non teneri, vt docet Petrus Soto lect. 5. de confeſſ. Et Nauarrus cap. 21. de Euchariſtia num. 35. Primò: Quia Eccleſia probè nouerat, pleroſque plurimorum peccatorum obliuiſci ante exactum annum, & tamen non præcepit niſi annuam confeſſionem,vt patet ex concilio Lateranenſi; & vt confiteamur ea peccata, quorum tunc meminimus, vt patet ex concil. Trident. ſeſſ. 14. cap. 5. Secundò: Quia eſſet graue onus ſeculatibus, ſi tenerẽtur confiteri quotieſcumq; metuunt obliuionem. Neque ſatisfacit quod Sotus ait hunc caſum eſſe Iuris diuini, ſed ſatis ei eſſe prouiſum per Eccleſiæ determinationem: Quia ſi ius diuinum me obligat ad confitendum, quando eſt periculum obliuionis, nulla temporis determinatio per Eccleſiam facta me, excuſat.

DVB.

DVBIVM. II.

Vtràm Eccleſia potuerit tempus Confeſſionis determinare? & quo iure?

23 Obligatur eccleſia ad aliquã determinationẽ Iure diuino.

REſpondeo & Dico Primò: Eccleſia non ſolùm potuit, ſed etiam Iure Diuino obligatà fuit determinare tempus confeſſionis. Probatur, Quia Chriſtus illud non determinauit, ſed id reliquit Vicario ſuo definiendum; qui id tenetur facere ex officio, præſertim cùm ſit neceſſarium ad ſalutem animarum, & commune bonum Eccleſiæ: Si enim maneret indeterminatum, plerique nunquam vterentur, cum magnâ morum corruptelâ, & ſalutis iacturâ.

24 Hæc tamẽ determinatio eſt Iuris humani.

Dico Secundò: Hæc determinatio facta eſt præcepto ſeu iure humano. Probatur, quia immediatè facta eſt non per auctoritatem diuinam & ſupremam; ſed per auctoritatem inferiorem participatam homini à Chriſto, nempe Pontifici, & ſub ipſo Concilio Oecumenico, quæ poteſtas more humano gerenda & exercenda eſt: Ergo hæc determinatio facta eſt iure humano. Patet Conſequentia; Nam hæc eſt diſtinctio inter ea, quæ ſunt iuris diuini, & iuris humani Eccleſiaſtici, quòd illa immediatè ſint ab auctoritate ſupernâ, hæc à participatâ.

Dices; Eccleſia non poteſt præcipere, vt peccatum occultiſſimum, quod nullo modo prodijt in opus externũ, confitear, quãuis ad id iure diuino obliger; quia non poteſt diſponere de actibus meræ internis: ergo nõ potuit præcipere, vt ea ſemel confitear in anno. Patet Conſequentia, quia qui non poteſt aliquid præcipere abſolutè, non poteſt præcipere, vt hoc vel illo tempore id faciam.

Reſpondeo, Præceptum Eccleſiæ directè & per ſe ſolùm obligat ad confitendum illa peccata, quæ in opus externum prodierunt. Verùm, quia iure diuino confeſſio debet eſſe integra, indirectè, & mediante Iure diuino, quaſi ex conſequenti præcipit etiam confeſſionem occultorum. Inſtabis: Ergo ſi quis confiteretur externa peccata, omiſſis internis, ſatisfaceret præcepto Eccleſiæ. Reſpondeo; Ita ſatisfaceret, vt contra illud non peccaret; ſed ſolùm contra Ius diuinum. Vnde neque incurreret excommunicationem, ſi ea in non confitentes lata ſit.

DVBIVM III.

Quodnam ſit illud tempus, quo iure Eccleſiaſtico tenemur confiteri?

25 quidã putant id eſſe tẽpus quadrageſimæ

QVidam exiſtimant directè nos obligari in Quadrageſima. Ita Petrus Soto lect. de Confeſſione. Et Ioannes Medina codice de Cõfeſſ. q. 14. Primò: quia Eccleſiæ conſuetudo eſt tunc confiteri, quam Concilium Tridẽt. ſeſſ. 14. cap. 5. approbat. Secundò: quia in multis diœceſibus ſolent excommunicari, qui tunc non confitentur. Tertiò: Quia Sixtus IV. in Extrauag: *Vices illius* Tit. *de Pace*, præcipit Mendicãtibus, vt deſiſtant prædicare populo, eos tempore Paſchatis non teneri confiteri ſuis Parochis.

Sufficit quoduis tempus per annum.

Reſpondeo; Verius eſſe, præceptum Eccleſiaſticum non obligare, niſi vt ſemel quotannis cõfiteamur, quocunque tandem id tempore fiat. Ita Canus relectione de Pœnitent. part. 5. Domin. Sotus d. 18. q. 1. art. 4. Couarr. in Caput, *Alma* p. 1. §. 1. num. 8.

Probatur Primò: Quia Caput. *Omnis vtriuſque ſexus*, ſolùm præcipit, vt ſaltem ſemel in anno confiteamur.

Secundò: Quia Concilium Trident. ſeſſ. 14. cap. 5. ſolùm dicit, conſuetudinem illam confitendi in Quadrageſima, eſſe piam & ſalutarem: indicat ergo, non eſſe præceptam.

Neque obſtat conſuetudo Eccleſiæ, quæ vim legis habere ſolet. Nam illa conſuetudo non eſt directè ex præcepto confeſſionis orta, ſed propter communionem, quæ in Paſchate obligat, quam neceſſariò debet confeſſio præcedere; vt ſuprà. Ob hanc cauſam fiunt excommunicationes in eos, qui non confitentur, nempe ob præceptũ Communionis. Vnde ſi quis ex legitima cauſa tunc non communicaret, & eo anno eſſet confeſſus, non incurreret excommunicationem Synodalem, quamuis in Paſchate non confiteretur: Nam reuerà non obligaretur. Vnde patet reſpõſio ad duo priora argumẽta. Ad tertium, Pontifex ſolùm ibi intendit, ne Mendicantes ſubditos à ſuis Parochis auertant, & idcircò prohibet talia prædicare. Ibidem enim facit illis poteſtatem, vt & ipſi tunc confeſſionem audiant. Dicit autem fideles tunc debere confiteri, intellige, propter Communionem.

DVBIVM IV.

An is, qui neque antè toto anno, neque in Quadrageſima eſt confeſſus, teneatur poſt tempus Paſchale ſtatim confiteri; an verò poſſit expectare alteram Quadrageſimam? 26 hic ſtatim tenetur confiteri.

REſpondeo & Dico Primò: Hunc teneri ſtatim confiteri. Ita Medina q. 14. Dominicus Soto loco citato. diſt. 18. q. 1. art. 4. Nauarrus cap. 21. num. 45. & alij paſſim. Ratio eſt, Quia Eccleſia præſcripſit tẽpus annuum, non vt proprium onus anni, vt expleto anno obligatio extingueretur, ſed ne vltra annum differretur cõfeſſio; ſicut determinari ſolet tempus in ſolutionibus debitorum, vt ſuprà dictum eſt in Euchariſtia; quod hîc etiam eo magis locum habet, quòd confeſſio non adſtringatur tempori Paſchali, ſicut communio, ſed per totum annuum ſpatium poſſit impleri. Confirmatur ex verbis Concilij Lateranenſis, *Omnis vtriuſque ſexus omnia peccata ſua confiteatur ſaltem ſemel in anno*: quaſi dicat, *Nõ differat vltra annum*; præſcribit enim frequentiã ſeruandam in vſu huius Sacramenti: ergo quo magis differtur, eò magis vrget præceptum.

Dices: Ergo iſte continuò peccat anno expleto: Nam præceptum negatiuum ſemper vrget. Peccat cõtinuò, ni fecerit.

Reſpondeo, Verum eſſe, quod peccet continuò, quando habet opportunitatem, & omittit: Nam eſt in continuâ omiſſione actuali, & voluntaria. Interrumpitur tamen hoc peccatum per ſomnũ, per inaduertentiam, & per defectum opportunitatis; ſicut detentio rei alienæ; vt dictum eſt de furto, lib. 2. de Iuſtitia & Iure cap. 12. dub. 3. Secùs eſt de feſtis diebus, ieiunijs, & precibus Horarijs, quæ ſic adſtringuntur certo tempori, vt ſint velut proprium onus, aut cultus illius temporis; vnde tranſacto tempore expirat obligatio.

Aduerte tamen, Silueſtrum verbo *Euchariſtia*, num. 3. §. 15. & *Confeſſio.* 1. §. 3. & quoſdam alios exiſtimare, poſſe differri confeſſionem vſque ad ſequens Paſcha; quorum ſententia non videtur ſatis probabilis. Minùs probabile eſt de Euchariſtia, vt ſuprà dictum eſt, quæſt. 80. art. 11. dub. 2. num. 34. quidã contrarium tenent.

Dico Secundò: Qui ritè confeſſus recordatur 27

Ritè nunc confeſſus, poteſt obliuiſci mortale differre in alterum annũ.

poſtea alicuius peccati mortiferi, non tenetur illud confiteri ante ſequentem annum. Probatur, quia iam præcepto Eccleſiæ ſatisfecit. Si verò nondum communicauit, tenetur ratione communionis, vt etiam ſuprà dictum eſt de Euchariſtia, q. 80. art. 11. dub. 2. num. 34.

DVBIVM. V.

Vtrùm qui probabiliter putat ſe tempore debitò non habiturum Confeſſorem, teneatur tempus præuenire?

28 Concluſio eſt affirmans.

REſpondeo cum Melchiore Cano relect. 5. de Pœnitentia, Teneri. Sicut in die feſto qui videt ſe poſt horam nonam impeditum iri, vel non futurum ſacrum, tenetur præuenire. Ratio eſt, Quia Eccleſia præſcripſit tempus annuum, ne vlteriùs differatur, obligans vnumquemque vt intra annum confiteatur.

Dices: Ergo qui videt ſe impediendum à lectione Horarum, tenetur præuenire eodem die.

Reſpondeo, Cùm eodem Cano, ſi illud impedimentum prouenturũ ſit à natura, vel à coactione, non tenetur præuenire. Ratio eſt, Quia quòd liceat præuenire tempus debitum, v.g. pridie recitare Matutinum & Laudes, & manè dicere Nonam vel Veſperas, eſt priuilegium, quo priuilegio non tenemur tunc vti. At non eſt priuilegium poſſe ſtatim confiteri. Secùs eſt, ſi impedimẽtum ſit voluntarium; tunc enim teneris præuenire; alioqui cenſeris voluntariè omittere horas, ſcilicet in Cauſa.

DVBIVM. VI.

Vtrùm pueri obligentur hac præcepto annua confeſſionis?

29 Pueri mortiferè peccãtes, obligantur ad cõfeſſionẽ

REſpondeo & Dico Primò: Omnino obligari, ſi peccent mortiferè: vt patet ex verbis Concilij Tridentini: Cùm, inquit, *ad annos diſcretionis peruenerint*. Hoc autem in quibuſdam eſt ſeptimo vel octauo ætatis anno, in alijs ſerius, nono vel decimo. Ad Communionem verò plures requiruntur anni, vt duodecim, vel plures. Nam vt rectè notat Canus parte 5. loco citato, non ſimul peruenitur ad vſum ratiocinis in omnibus rebus, ſed priùs in ijs quæ ſunt ſenſibus accommodatiora, & generaliora. Vnde priùs poteſt puer diſtinguere inter peccatum magnum & paruum, quàm inter cibum ſacrum & profanum, & quàm poſſit iſtud Sacramentum dignè æſtimare, & latentem diuinitatem apprehendere. Accedit, quòd ad hoc Sacramentum requiratur maior deuotio, quàm ad Sacramentum Pœnitentiæ.

Non tamẽ obligãtur ad communionem.

30 Impuberes non cõfeſſ., non incurrunt ex communicationem.

Dico Secundò: Tamen ante annos pubertatis non incurrunt pueri pœnam excommunicationis, quæ in non confitentes ſingulis annis in pleriſque diœceſibus eſt conſtituta. Ratio eſt, quia Prælati non intendunt eos huiuſmodi pœnâ inuoluere, vt conſuetudo declarat.

Aduerte tamen, verum non eſſe, pueros ante annos pubertatis non poſſe vllas cenſuras incurrere. Nam Concilium Trid. ſeſſ. 25. cap. 5. de Reformatione, excommunicat eos, cuiuſcunque generis aut conditionis, ſexus vel ætatis fuerint, ſi ſepta monialium ingrediantur. Vbi manifeſtum eſt pueros etiam comprehendi. Quare, niſi lex vel conſuetudo eos excipiat, cenſuras incurrunt.

DVBIVM. VII.

Vtrùm is, qui ſolùm habet Venialia, teneatur ſingulis annis confiteri?

D. Bonauentura d. 17. & Richardus ibidem; affirmant; idque propter tenorem præcepti quod habet, *Omnia peccata eſſe confitenda.* 31 quidã affirmant.

Reſpondeo & Dico Primò, Eum qui ſolùm habet venialia, non teneri ſingulis annis confiteri. Eſt communis aliorum Doctorum. Probatur Primò, Quia præceptum Eccleſiæ ſolùm determinat tempus obſeruationis præcepti diuini: atqui præceptum diuinum nõ obligat ad confeſſionem venialium: ergo nec præceptum Eccleſiæ. Ita Caietanus q. 1. de Confeſſione. Secundò: Quia quando Eccleſia iubet omnia peccata confiteri, vel intelligit ſola mortifera, & ſic habemus intentum: vel mortifera & venialia, & ſic qui confitetur mortifera, tenebitur etiam addere venialia, quod nemo vnquam dixit. Tertiò: Nemo poteſt confiteri omnia venialia: ergo ſolùm loquitur de mortiferis. Quod confirmatur ex grauiſſima pœna, quam ſubiungit: *Alioquin*, inquit, *& viuens arceatur ab ingreſſu Eccleſiæ, & mortuus Eccleſiaſticâ careat ſepulturâ*. Denique, quia Concil. Trident. ſeſſ. 14. cap. 5. expreſsè dicit, venialia taceri citra culpam poſſe.

Dico Secundò: Ratione ſcandali fieri poſſe, vt is, qui ſolùm venialia habeat, teneatur ſe exhibere proprio Sacerdoti, & inſinuare, ſe nihil habere: vt, ſi populus vel Paſtor alioqui putarent illum contemnere hoc Sacramentum. Niſi ratione ſcãdali.

DVBIVM VIII.

Vtrùm Eccleſia poſſit præcipere Venialium confeſſionem?

REſpondeo & Dico Primò: Non poteſt ita præcipere, vt tenearis interiora venialia confiteri, quãdo habes exteriora. Ratio eſt, Quia non poteſt directè in actus internos ſtatuere. 32 Venialia interiora.

Dico Secundò: Non poteſt etiam ſic præcipere, vt tenearis omnia exteriora venialia confiteri. Probatur: Quia non eſt ſufficiens ratio, ſeu vtilitas id præcipiendi. Quòd ſi concedamus poſſe præcipere, non tamen poteſt ſub mortali: quia id, quod præcipitur, eſt materia valdè leuis. Venialia omnia exteriora.

Dico Tertiò: Poteſt tamen præcipere indirectè, vt omnes teneantur venialia confiteri, nempe ſi alia non habeant. Colligitur ex Caietano, Opuſculo de Confeſſ. qu. 1. Probatur: Quia poſſet præcipere vſum huius Sacramẽti; & tunc, ſi quis non haberet mortifera, teneretur cõfiteri venialia. Quod patet: nam aliter non poteſt ſubſtantiam huius præcepti præſtare. Antecedens probatur: Quia vſus huius Sacramenti eſt res ſalubertima: ergo Eccleſia poteſt illum præcipere, ſicut alia bona opera, ieiunium, orationes, eleëmoſynam, &c. non quidem tanquam id neceſſarium ſit ad iuſtificationem, ſed vt ſummè expediens ad ſatisfactionem peccatorum, & vitæ Chriſtianæ profectum: quod eſt contra Dominicum Soto, & quoſdam alios. 33 Indirectè poteſt præcipere cõfeſſionem venialium

Dices Primò: Eccleſia non poteſt materiam non neceſſariam facere materiam neceſſariam Sacramenti: ergo non poteſt vllo modo præcipere venialium confeſſionem. 34

Reſpondeo: Non poteſt facere, vt id, quod nõ eſt materia neceſſaria, fiat abſolutè neceſſaria, quomodo materia

non neceſſaria Sacramenti, per Eccleſiam poſſit fieri materia neceſſaria

ſic vt ſine ea non conſtet Sacramentum, etiamſi alia materia ſubijciatur: poteſt tamen facere, vt fiat neceſſaria ſub conditione, ſi videlicet alia materia deſit, quę Clauibus ſubijciatur: nam poteſt præcipere vſum huius ſacramenti.

Dices Secundò: Confeſſio venialium non eſt materia grauis: ergo non poteſt eam Eccleſia præcipere, ſaltem ſub culpa mortiferâ.

Reſpondeo: Etſi confiteri venialia non ſit per ſe res tanti momenti, vt poſſit ſub peccato mortifero præcipi, quando adeſt alia materia: tamen quatenus eſt neceſſarium ad vſum huius ſacramẽti (vt, ſi alia materia deſit) eatenus eſt ſatis magni momenti, vt poſſit ſub graui culpa præcipi.

Nam vti hoc Sacramento, non eſt opus minoris momenti, quàm ieiunium, vel recitatio Officij, vel auditio Miſſę; quę tamen ab Eccleſia poſſunt ſub culpâ mortifera præcipi.

35 Eccleſia non præſcripſit cõfeſſionem venialium

Dico Quartò: Probabilius videtur, Eccleſiam hactenus non præcepiſſe indirectè confeſſionem venialium. Probatur, Quia nullum tale præceptũ extat, neque etiam eſt vlla talis conſuetudo.

Dices: Clementina, *Ne in agro Dominico*; §. *Sanè* Tit. *De ſtatu Monachorum*, ſic dicitur: *Sanè ſingulis menſibus, tam in monaſterijs quàm extra ſublatâ occaſione quacunque, ad confeſſionem ſaltem ſemel accedant omnes & ſinguli monachi*: Loquitur autem de Monachis S. Benedicti.

Reſpondeo breuiter: Nullum eſſe hîc propriè dictum præceptum, ſed ſolùm monaſticam conſtitutionem, obligantem tantummodò ad punitionẽ Regularem; vt patet diligenter examinanti: nullum enim verbum ponitur, quod propriè præceptum inſinuet.

ARTICVLVS VI.

Vtrum poſſit cum aliquo diſpenſari, ne confiteatur?

REſpondeo & Dico Primò: Non poteſt Pontifex diſpenſare cum aliquo, ne vnquã confiteatur. Probatur Primò: Quia cõfeſſio merè eſt Iuris Diuini: ergo Pontifex non poteſt in ea diſpenſare; præſertim cùm nulla poſſit occurrere cauſa rationabilis, cur aliquis ſit ab eâ excipiendus. Secundò: Quia confeſſio eſt intrinſeca pars Sacramenti neceſſarij ad ſalutem ei, qui poſt baptiſmum mortiferè peccauerit. Atqui huiuſmodi Sacramenta ſunt Eccleſiæ fundamenta; his enim Eccleſia formatur, perficitur, & conſiſtit: Miniſtri verò Eccleſię inſtituti ſunt, vt Eccleſiam, ſicut à Domino conſtituta eſt, gubernent; non autem eſt eis conceſſum, vt eius fundamenta mutent: ergo &c.

36 Nõ poteſt diſpenſari ne vnquã confiteatur

Dico Secundò: Summus Pontifex, & Concilium Generale ex iuſtâ cauſâ poſſunt diſpenſare in tẽpore confeſſionis; nempe, vt poſſit vltra annum differri, vel intra annum debeat ſæpiùs frequentari. Probatur, Quia determinatio huius temporis, ſicut iure humano facta eſt, ita etiam iure humano prorogari poteſt, vel contrahi. Vix tamen videtur poſſe occurrere cauſa diſpenſandi cum aliquo in particulari, vt non teneatur intra annũ confiteri. Vnde, ſi diſpenſatio detur, peccabit diſpenſans, eò quòd abutatur ſuâ poteſtate. Qui autem vtetur diſpenſatione, etiam peccabit, ſaltem venialiter; non quidem contra præceptum Eccleſię, in quo eſt diſpenſatum; ſed contra Ius Naturę, vel Gentium, quo pars debet ſe conformare toti, niſi cauſa ſubſit.

37 Diſpenſari poteſtin tempore confeſſionis.

Aduertendum autem, quamdiu perſeuerat præceptum annuę confeſſionis, Papam non minùs obligari ad confitendum, quàm alios; idque vel ex vi Iuris Naturalis, vel Iuris Gentium, quod dictat vt Princeps legem, quam imponit, patiatur, ſi eadem in ipſo & ſubditis ſit ratio. Non tamen incurret pœnam tranſgreſſori lege humanâ conſtitutam: ſolùm enim tenetur Princeps ſuis legibus quo ad vim directiuam, non verò quo ad vim coactiuam.

38 Etiam Papa tenetur præcepto annuę confeſſionis.

QVÆSTIO VII.

De Confeſſionis Quidditate.

Vide, quę diximus Quęſtione Sexta, in principio.

QVÆSTIO VIII.

De Miniſtro Confeſſionis.

Circa Articulum I. & II.

DVBIVM I.

Vtrùm Miniſter Confeſſionis ſit ſolus Sacerdos?

1 Error Lutheri. Caluini.

NOtandum eſt: Lutherum articulo 13. inter articulos à Leone X. damnatos, affirmare *Papam aut Epiſcopum non plus poſſe in Sacramento Pœnitentiæ, aut remiſſione peccatorum, quã mulierem, aut puerum.* Idem ſequitur ex doctrina Caluini. Fundamentum vtriuſque eſt; quia, vt ipſi putant, Sacramenta non operantur, niſi excitando fidem: atqui verba abſolutionis à quocunque recitentur, æquè fidem excitant. Eandem hæreſim docuit Ioannes Vvicleff, vt teſtatur Thomas Vvaldenſis, tom. 2. c. 135. Pro veritate:

Vvicleff.

Dico Primò: Fide tenendum eſt, ſolum Sacerdotem eſſe miniſtrum huius Sacramenti. Patet ex Concilio Lateran. c. 21. & ex Concil. Florentino in inſtructione Armenorum, & Tridẽtino ſeſſ. 14. cap. 6. & canone 10. Probatur, Quia Matthæi 18. ſolis Apoſtolis promiſſa eſt poteſtas ligãdi & ſoluendi. Et Ioan. 20. ſolis illis tradita eſt eadem poteſtas; & in illis, ſolis Epiſcopis, & Presbyteris, eorum in hoc ſucceſſoribus, vt notat Hieronymus in c. 16. Matthęi, & Concilium Trident. ſuprà. Confirmatur; Quia in veteri Teſtamento iudiciũ Lepræ ſolis Sacerdotibus erat commiſſum: vnde Dominus Lucæ 17. Leproſis ait, *Vt oſtenderent ſe ſacerdotibus.* Idem docent oẽs Patres: elegantiſſimè Chryſoſt. lib. 3. de Sacerdotio. Ratio præter cæteras eſt; quia in hoc Sacramento eſt quoddam

2 Solus ſacerdos eſt Miniſter confeſſionis.

Digitized by Google

Iudicium : atqui poteſtas iudicandi nullo modo debuit omnibus cõmitti. Si enim in rebus terrenis non quiuis habet poteſtatem iudicandi, ſed certi quidam à Principe conſtituti, multò minùs in ijs, quæ ad animæ ſalutem pertinent.

3 Confeſſio facta Laico nec Sacramentalis eſt, nec vnquam neceſſaria.

Dico Secundò: Hinc fit, vt confeſſio facta Laico, nullo modo ſit ſacramentalis , nec vnquam fuerit neceſſaria. Prior pars patet: quia Laicis nõ eſt commiſſa poteſtas Clauium, ſed ſolis Sacerdotibus. Altera pars probatur : quia nullum extat præceptum, niſi de facienda confeſſione Sacerdoti: ergo quando huic non poſſumus, non tenemur Laico. Confirmatur: quia neceſſitas confeſſionis naſcitur ex eo, quòd neceſſaria ſit abſolutio, quã Laicus non poteſt dare.

4 Dices Primò: Cyprianus epiſt. 13. concedit vt lapſi in perſecutione poſſint in articulo mortis, ſi Sacerdos non adfuerit, apud Diaconum exomologeſin facere, & manus impoſitionem in pœnitentiam accipere. Et Author libri *De falſa & vera pœnitentia* cap. 10. *Tanta*, inquit, *vis eſt confeſſionis, vt ſi deeſt Sacerdos, cõfiteatur proximo.* Et Beda in cap. 5. epiſtolæ D. Iacobi: *Coæqualibus quotidiana & leuia, graviora verò Sacerdoti pandamus.* Similia habet Gloſſa in Capit. *Paſtoralis*, Tit. de *Officio Iudicis ordinarij*.

quæ confeſſio poſſit Diacono committi.

Reſpondeo: His locis non agitur de confeſſione Sacramentali; id eſt, eâ, quæ fit propter abſolutionem à peccatis: hoc enim ſine conſcrti illi, qui nõ eſt Sacerdos, eſt magnum ſacrilegium: ſed de ea, quę fit ob aliam cauſam. Et Cyprianus quidem agit de confeſſione, quę ab egentibus publicam pœnitentiam fieri ſolet in eum finem, vt abſoluantur ab excommunicatione, & reconcilientur Eccleſiæ ; quę confeſſio fieri poteſt Diacono habenti iuriſdictionem abſoluendi ab excommunicatione, conceſſam ab Epiſcopo. Quod autem ad hunc D. Cypriani locum hîc annotat Pamelius, fortaſſe abſente Epiſcopo, & Presbyteris carceribus incluſis, ex priuilegio quodam in neceſſitate Diaconis conceſſam fuiſſe pœnitentium reconciliationem, ſicuti a Gregorio Presbyteris conceſſam legimus Sacramenti Confirmationis adminiſtrationem, non eſt probabile : Tum, quia nemo vnquam de hoc dubitauit , omnes enim Patres clarè docẽt ſolis Sacerdotibus poteſtatem remittendi peccata eſſe conceſſam: tum quia Diaconus omnino caret Charactere ſacerdotali ; vnde eſt longè maior diſtantia inter Diaconum & Presbyterum, quàm inter Presbyterum & Epiſcopum.

Confeſſio facta laico cur, & in quo cõmendetur.

In reliquis teſtimonijs commendatur cõfeſſio facta Laico, non vt neceſſaria, ſed tanquam vtilis : tum ad excitandum in ſe dolorem peccatorum ; tum ad ſatisfaciendum per illam verecundiam ; tum etiam ad petendum concilium. Ob hãc cauſam etiam Magiſter diſt. 17 eam laudat; quem ſequuntur plerique Doctores. Sed hoc intelligendum quando abeſt ſcandalum, & omne aliud periculum, quod ex tali confeſſione poſſet naſci.

Dices Secundò : D. Thomas art. 2. ad. 1. ait, in neceſſitate debere penitentem cõfiteri cui poteſt.

4 Explicatur D. Thomas.

Reſpondeo cum Soto, Illud *Debere* non ſignificat præceptum, ſed concilium ; quod tempore D. Thomæ frequentiùs erat in vſu. Quòd autem addit D. Thomas *Defectum Sacerdotis tunc à ſummo Sacerdote ſuppleri* ; intelligi debet ſuppleri quoad conſecutionem remiſſionis peccatorum, ſi pœnitens ſit contritus. Alioquin non eſt probabile, Deum ſupplere defectum eſſentialem Sacramenti, vt ſuprà dictum eſt de Baptiſmo qu. 68. art. 9. dub. 1.

Sed Dubium eſt, Vtrùm, ſi Laicus teneret abſoluere, efficiatur irregularis?

Reſpondeo: Non fieri irregularem, quidquid dicat Sotus, & alij quidam. Ita Silueſter Verbo *Confeſſio* 1. in principio. Ratio eſt: Quia nemo incurrit pœnam irregularitatis, niſi expreſſum hoc ſit in iure; vt patet Capit. *Is qui*, de Sententia excommunicationis in 6.

5 Laicus ſi tenetur abſoluere, non fit irregularis.

Sed inquit Sotus, Capitulo *Si quis*; de Clerico nõ ordinato, imponitur pœna irregularitatis ſolemniter baptizanti, aut aliquod officium diuinum exercenti ſine debito ordine. Nomine autem *Officij diuini* comprehenduntur omnia Sacramenta.

Reſpondeo: Nomine *Officij diuini* non intelligi omnia Sacramenta; ſed ea, quę non ſunt Sacramenta, tamen Ordinem ſacrum requirunt; vt ſacrificium Miſſę, & ſolemnis decantatio Euangelij, aut Epiſtolæ, Benedictio aquę, Chryſmatis, Templorũ. Vnde in Iure *Officium diuinum* diſtinguitur contra Sacramenta; vt infrà dicemus.

DVBIVM II.

Vtrùm in ſacerdote, cui fit Confeſſio, ſit neceſſaria Iuriſdictio?

6 Abſque Iuriſdictione inualida eſt confeſſio.

Reſpondeo: Iure diuino neceſſariam eſſe Iuriſdictionem ad abſoluendum pœnitentem à peccatis, adeò, vt ſine illâ, nulla ſit confeſſio. Eſt omnino certa propoſitio.

Prior Pars Probatur Primò: Nam abſolutio eſt actus iudicialis, vt docet Concilium Tridentinũ ſeſſ. 14. cap. 7. & definit can. 9. ergo neceſſariò requirit Iuriſdictionẽ. Patet Conſequentia: Quia *Iuriſdictio nihil eſt aliud, quàm poteſtas iudicandi, vel regendi*; cuius Actus ſunt, *Præcipere, Vetare, Punire, Abſoluere, Diſpenſare*. Quamuis non ſit neceſſariũ, vt omnes hi actus cuiuis habenti qualemcunque Iuriſdictionem, competant: ſatis eſt vt conueniãt illis, in quibus eſt Iuriſdictio plena; vt ſunt Prælati Eccleſiæ. Probatur Secũdò: Quia ob hãc cauſam Capit. *Si Epiſcopus*, de Pœnitentijs & remiſſionibus in 6. dicitur, *Nullâ conſuetudine poſſe induci, vt quis præter licentiam ſuperioris ſui Confeſſorem ſibi valeat eligere*; nempe, quia requiritur Iure diuino vera Iuriſdictio, quam Penitens dare non poteſt. Probatur Tertiò: Quia Concilium Florentinum cum materiâ & formâ huius Sacramenti, quæ iure diuino ſunt neceſſaria, coniungit *Miniſtrum habentem iuriſdictionem*.

quidiuriſdictio, quique eius Actus.

Hinc ſequitur altera pars, videlicet abſolutionem ſine iuriſdictione factam, eſſe nullã; quod expreſsè docet Concilium Tridentinum c. 7. dicẽs: *Perſuaſum ſemper in Eccleſia Dei fuiſſe, eſſeq; veriſſimum, nullius momenti eſſe debere eam abſolutionẽ, quàm ſacerdos in eum profert, in quem ordinariã, aut ſubdelegatam iuriſdictionem non habet.*

DVBIVM III.

Vtrùm ſacerdos hanc iuriſdictionem habeat ex ſuâ ordinatione, an ab Eccleſiâ?

7 quidam cenſent Iuriſdictionem completam haberi ex ordinatione.

Quidam ſentiunt, omnem iuriſdictionem haberi ex Ordinatione completam, ſic, vt ſepoſitâ lege Eccleſiæ quiuis Sacerdos poſſit quemuis abſoluere : Eccleſiam autem ad vitandam confuſionem, id vetuiſſe. Hanc ſentẽtiã fusè proſequitur Durandus d. 19. q. 2. & dicit eam eſſe probabilem, quamuis non ſequatur. Eandem ſequitur Richardus Armacanus lib. 11 qq. Armeniacarum cap. 2. & Abulenſis, 2. p. ſui defenſorij cap. 62.

Sed hæc ſententia non poteſt admitti. Primò : Refellitur

Quia ſi plena poteſtas iuriſdictionis haberetur ex Ordinatione, Eccleſia non poſſet eius executionē reddere irritam, quamuis poſſet prohibere: ſicut non poteſt irritam facere executionem poteſtatis Confirmandi, Ordinandi, Conſecrandi, Conferendi extremam Vnctionem; eò quòd hæ poteſtates non ſint collatę ab Eccleſia, vt causa principali; ſed à Chriſto per Sacramenta, Eccleſia ſolùm præbente miniſterium, tanquam Chriſti inſtrumentum. Secundò: Sequeretur, eum qui bonafide confitetur Sacerdoti alieno, verè abſolui.

Nam ex parte Sacerdotis nihil deeſt, iuxta hanc ſententiam; nec ex parte pœnitentis: nam per ignorantiam & bonam fidem excuſatur à tranſgreſſione præcepti Eccleſię, quo prohibemur alieno confiteri ſine licentiâ proprij, ac proindè nullum ponit impedimentum. Concedunt illi, eum abſolui. Sed hoc eſt apertè contra Concilium Tridentinum ſeſſ. 14. c. 7. & cótra capit. *Si Epiſcopus* de Pœnitentijs & remiſſionibus in 6. Omitto alias ſententias, quæ non tam re, quàm verbis & modo explicandi differunt.

8 Ex Ordinatione ſolùm datur Iuriſdictio Virtualis & incompleta.

Dicendum eſt, Per Ordinationem non dari *plenam & formalem iuriſdictionem ad abſoluendum*: dari tamen *virtualem*: ſeu, quòd in idem redit, Dari in Ordinatione quidem omnem iuriſdictionē, quę eſt neceſſaria ex parte efficientis, ſeu Iudicis ad ferendam ſententiam; non tamē dari eam, quę neceſſaria eſt ex parte materiæ.

Hanc ſententiam in re tenet Nauarrus in Canone *Placuit*; de Pœnitentia, diſt. 6. num. 19. vbi ait. *Quemlibet Sacerdotem, cùm Ordine inſignitur, iuriſdictionem accipere in habitu abſoluendi atq; ligandi omnes, qui ſe ei legitimè ſubiecerint*: eſſeque omnes Sacerdotes veluti Iudices Chartularios, id eſt, quibus conceſſa eſt à Principe poteſtas iudicandi cauſſas illorum, qui ſe illis ſubiecerint: de quibus meminit Bartolus leg. 1. dig. de Iudicis num. 7. Idem etiā tenet Paludanus diſt. 17. quęſt. 3. quem citat Nauarrus num. 46. & Antonin⁹ 3. parte tit. 17. cap. 4. caſu 3. & Angelus Verbo *Cōfeſſio* 3. num. 4. Eodem tendit ſententia Caietani tom. 1. Opuſc. 7. quęſt. vnica, quamuis in modo loquendi non nihil peccet.

9 Probatur Primò: Omnis Sacerdos in Ordinatione accipit poteſtatem abſoluendi, quę fundatur in charactere; vt patet ex verbis Domini Ioan. 20. Poteſtas autem abſoluendi eſſentialiter eſt poteſtas iuriſdictionis: nam abſoluere eſt actus iuriſdictionis. Ergo accipit quandā poteſtatem iuriſdictionis, nempe quatenus hæc neceſſaria eſt ex parte Iudicis, ſeu cauſæ efficientis. Sed quia non ita accipit hanc poteſtatem, vt poſſit exire in actū, eò quòd non applicetur materia, id eſt, quia non dantur ſimul ſubditi, in quos exerceatur, ideò dicimus hanc poteſtatem, non eſſe *formalem & completam iuriſdictionem*, ſed *virtualem & incompletam*; quæ tum completur, & fit formalis iuriſdictio, cùm dantur ſubditi. Ratio eſt: quia formalis & completa poteſtas iuriſdictionis includit non ſolùm auctoritatem iudicandi neceſſariam in Iudice, ſed etiam ſubditos, tanquam terminum relationis, quem hæc poteſtas reſpicit. Nam iuriſdictio non eſt niſi in ſubditos: vnde quando non habes ſubditos, non habes formalem iuriſdictionem, ſed ſolùm virtute & quaſi in radice: ſicut pereunte termino relationis perit formalis relatio ad illum terminum, ſolumque manet virtute, & fundamentaliter.

Hæc iuriſdictio non poteſt exire in actū, niſi ei applicetur materia.

Probatur exemplo Regis & Epiſcopi non habentium ſubditos.

Probatur Secundò: Exemplo Regis & Epiſcopi non habentis ſubditos: Hi enim etſi habeant omnem auctoritatem, quæ ex parte Rectoris eſt neceſſaria, tamen non habent formalem & completam iuriſdictionem, ſed ſolùm virtute: ſic tamen, vt hęc ſponte reſultet ex ſuo fundamento poſitis ſubditis. Ergo ſimili modo Sacerdos rectè concipi poteſt habere à Chriſto virtualem iuriſdictionem per ſuam Ordinationem; & hanc fieri completam & formalem abſque aliâ poteſtate ei datâ, per hoc ſolùm, quòd accipiat ſubditos à Pōtifice. Et Confirmatur à ſimili, in Iudicibus Chartularijs, de quibus Nauarrus, qui omnes poteſtatem iudicandi habebant ab Imperatore; ſed nullos habebant ſubditos, præter eos qui ſuas cauſas ad ipſos ſponte adferrent: vnde non habebant formalem & completam iuriſdictionem, quæ includit ſubditos, ſed virtualem & incompletam, quę tamen complebatur hoc ipſo ſolo, quòd aliqui ſe illis ſubiicerent; qui tamen per hoc nō dabant illis propriè vllam auctoritatem, cùm hanc omnem haberent ab Imperatore, ſicut Iudices Ordinarij, vel Delegati, ſed ſolùm ſeipſos eorum poteſtati præexiſtenti ſubmittebant.

Item Iudicis Chartularij.

Probatur Tertiò: Quia decebat, vt hæc poteſtas abſoluendi à peccatis à ſolo Chriſto immediatè penderet, vtpote quæ tota ſit diuina, ſuper conditionem omnis creaturę, iuxta illud Marci 2. v. 7. *Quis poteſt dimittere peccata, niſi ſolus Deus?*

11 Obiectio ex modo loquendi quòd Eccleſia dicatur conferre poteſtatem iuriſdictionis. Soluitur & explicatur.

Dices: Doctores communiter diſtingunt poteſtatem Ordinis, & poteſtatem Iuriſdictionis; & hanc dicunt dari ab Eccleſia, illam à Chriſto: ergo falſum eſt, iuriſdictionem virtualem neceſſariam ex parte Iudicis dari immediatè à Chriſto. Cōfirmatur: quia ſolus Papa habet immediatè à Chriſto iuriſdictionem, ceteri omnes à Papa; vt alibi oſtēſum eſt ex communiori ſententia Doctorum.

Reſpondeo Negando Conſequentiam: Nam per poteſtatem Ordinis in propoſito nō poteſt aliud intelligi, quàm poteſtas remittendi peccata, quæ confertur per Ordinationem Sacerdotum, poſt poteſtatem conſecrandi. Hæc autem poteſtas remittendi peccata, eſſentialiter, & intrinſecè eſt poteſtas iuriſdictionis virtualis, ſeu incompletæ. Vnde per poteſtatem iuriſdictionis abſolutè intelligenda eſt iuriſdictio formalis & completa apud Doctores. Dicitur autem Eccleſia dare hanc formalem iuriſdictionem, quia dat ſubditos, quibus cōpletur iuriſdictio virtualis, quæ anteà inerat Sacerdoti. Rectè enim dicitur dare iuriſdictionem, qui dat ſubditos, ſeu materiam, ſine qua non eſt completa iuriſdictio, quæ includit ſubditos: ſicut rectè dicitur dare poteſtatem videndi, qui præbet lumen, vel obiectum, ſine quo non poteſt fieri viſio. Hinc tamen non ſequitur, Eccleſiam dare aliquam partem poteſtatis ſacerdotalis, quæ ſit neceſſaria ex parte cauſæ efficientis; ſed ſolùm ſubijcere materiam, ratione cuius illa iuriſdictio, quæ inerat completur.

DVBIVM. IV.

Virùm fideles priuati, ſuâ auctoritate poſſint ſe ſubijcere cuiuis Sacerdoti, vt ab eo abſoluantur?

12 Paludanus & Antoninus quidam exiſtimant

PAludanus & Antoninus ſuprà, exiſtimant iure diuino licuiſſe priuatis fidelibus ſe ſubijcere, cui vellent, eiuſq; iuriſdictionem cōplere: ſed hanc poteſtatem eis eſſe ſubdatam per Eccleſiam in Can. *Placuit*, de Pœnitent. diſt. 6. Idem etiam videtur ſentire Nauarrus in eundem Canonem. Reſpondeo: Omnino tenendum eſt, ſolùm Pontificem iure diuino habere auctoritatem, materiam ſubijciendi huic poteſtati, eamque complendi.

Solus Papa iure diuino potest assignare subditos.

Probatur Primò: Quia si priuati haberent potestatem iure diuino confitendi cuilibet, Papa nõ potuisset eam generatim eripere; nec potuisset distinguere diœceses & parochias, sicut ab initio fecit. Probatur Secundò: Quorsum Christus dedisset hanc potestatem, quã non erat conueniens eos vti? nam necessarium erat distingui diœceses & paræcias ad vitandam confusionem. Probatur Tertiò: Ecclesia non posset irritum reddere hoc Sacramentum, si iure diuino haberet hanc potestatem: Nam reuerà tunc Sacerdotes haberent cõpletam iurisdictionem à Christo, omnesque iure diuino essent subditi, iuxta sententiam Armacani superiori dubio refutatã. Probatur Quartò: Quia soli Petro, & Successoribus eius dictum est Ioannis 21. *Pasce oues meas, pasce agnos meos*, quibus verbis, eis solis data est potestas Ecclesiam vniuersalem gubernandi: atqui ad gubernationem Ecclesiæ maximè necessarium est, vt populus christianus distribuatur sub Episcopis, & inferioribus Sacerdotibus, per quos immediatè regatur. Hæc enim dispositio in gubernatione prima occurrit: cùm enim Pontifex non possit per se immediatè omnes regere, tenetur iure diuino adhibere episcopos, & Sacerdotes etiam inferiores, eisq; subditos attribuere. Itaq; hęc vniuersalis distributio populi Christiani pertinet ad solum Romanum Pontificem. Vnde sequitur, solum Pontificem posse seipsũ, & omnes alios, cuiuis Sacerdoti subijcere, vt absolutio habeatur: alios quidem, auctoritate iurisdictionis, quam in omnes velut Pastor in oues habet; seipsum verò, quia Superiorem in terris, à quo regatur, non habet. Vbi tamen.

13 Papa potest se subijcere Cõfessario cui vult.

Aduerte: Sicut Pontifex, quando alios subijcit Sacerdoti, non dat ei proprie iurisdictionem in illos, quatenus iurisdictio ex parte Sacerdotis est necessaria; sed iurisdictioni incompletę, quam sacerdos iam habebat à Christo in omnes, applicat materiam, & fit iurisdictio completa: ita dum seipsum subijcit Confessori, non dat ei iurisdictionem in se (vt enim nemo in seipsum iurisdictionẽ habet, sic nec alteri eam dare potest:) sed seipsum applicat materiam iurisdictioni incompletæ, quæ Sacerdoti iam inerat: eo prorsus modo, quo priuati homines seipsos subijciebant Iudici Chartulario: non enim dabant ei iurisdictionem; sed iurisdictioni, quam ille habebat ab Imperatore, se materiam submittebant: ad quòd faciendum non requiritur iurisdictio, sed tantummodò libertas concessa, vel alteri non subdita. Vnde singuli frigili modo possent se subijcere Sacerdotibus, nisi iure diuino subiecti essent Pontifici, à quo in omnibus regi debent.

DVBIVM V.

Vtrùm, vt quis possit habere plenam iurisdictionem ad absoluendum à peccatis, requiratur approbatio Ordinarij?

14 Non egent hac approbatione, qui habent beneficia curata.

RESpondeo & Dico Primò: Qui habent beneficium Parochiale, vel aliud qui est annexa animarũ cura, his non opus est approbatione alia, sed ipso iure censentur approbati. Ratio est: Quia ipsum beneficium intrinsecè continet plenam iurisdictionem, ac proinde approbationem, quę iurisdictioni supponitur. Quænam verò requirantur, vt quis tale beneficium possit obtinere, dictũ est alibi ex Concilio Tridentino.

15 Cetetiomnes eã egent.

Dico Secundò: In ceteris omnibus, qui non habẽt ordinariam iurisdictionem, necessaria est approbatio Episcopi, vbi Concilium est promulgatum, ita vt sine illà non videantur plenam iurisdictionem posse accipere. Patet ex Conc. Trident. sess. 23. c. 15. vbi sic dicitur: *Decernit S. Synodus, nullũ, etiam regularem, posse confessiones sæcularium, etiam sacerdotum audire; nec ad id idoneum reputari, nisi aut Parochiale beneficiũ, aut ab Episcopis per examẽ, si illis videbitur esse necessarium, aut aliàs idoneus iudicetur, & approbationẽ, quæ gratis detur, obtineat.* Vbi. Notandum Primò: Hanc approbationem nõ complere quidem ipsius iurisdictionem, ita vt sine alia cõcessione possit absoluere; sed requiri solùm tanquam conditionem, vt possit ei plena iurisdictio dari: quæ conditio videtur ita esse necessaria, vt sine ea irrita sit absolutio; vt insinuat illud verbum, *non posse*, quod plus videtur quàm *non licere*. Etsi fortasse contrarium non sit improbabile.

16 sine approbatione an valeat Absolutio.

Notandum Secundò: Hoc ipso quo Episcopus iubet, vel permittit alicui confessiones audire, approbat illum tacitè, nec alia approbatio requiritur.

Tacita approbatio.

Notandum Tertiò: Ad Regularium confessiones audiendas non requiri Ordinarij approbationem: quia Concilium solùm meminit confessionis sęcularium; vt etiam notauit Nauarrus c. 4 n. 7. Vnde Regulares Regularibus, etsi non approbatis ab Ordinario, possunt confiteri: similiter possunt confiteri sæcularibus Sacerdotibus, si potestatem habent cuiuis confitendi.

Approbatio non requiritur ad confessiones Regularium.

Notandum Quartò: Probabile esse, si Episcopus Regularem nolit approbare, idque sine iustâ causâ, Regularem ipso facto censeri approbatum à Pontifice. Colligitur ex Clementinâ, *Dudum*; de Sepulturis, vbi dicit Pontifex, *Si prælati præfatis fratribus licentiam exhibere recusauerint, nos ex nũc ipsis, vt liberè liceatque confessiones audire valeant, de Apostolicæ Sedis plenitudine concedimus.* Neq; censeri debet huic derogatum per Concilium Tridentinum, vt quidam dicunt, cùm Concilio huic Clementinæ mentionem non faciat, nec directè contrarium statuat. Vide Nauarrum capite 27. num. 264.

si episcopus nolit Regularẽ approbare ipso iure approbatur.

17 semel approbatus, censetur vbique approbatus.

Notãdum Quintò: Probabile esse, sufficere semel esse approbatum, vt possit quis vbique eligi, nec requiri semper nouam approbationem, quotiescunque mutat diœcesin. Ita Henriq. lib. 3. de Penitent. cap. 6. qui pro hac sententia citat plurimos Doctores Theologos & Iurisperitos. Ratio est: Quia hæc approbatio non est collatio iurisdictionis, seu applicatio materię; sed solùm est declaratio aptitudinis, vt ei possit materia applicari. Atqui vnius Episcopi declaratio est sufficiens, vt meritò ille vbique debeat haberi idoneus, cui plena iurisdictio detur, quamdiu non constat de contrario. Ergo non est opus noua approbatione in singulis Diœcesibus. Confirmatur: Quia si approbatio cuiusuis facultatis in Vniuersitatibus est sufficiens, vt approbatus vbique debeat censeri idoneus ad docendum: cur non etiam approbatio Episcopi sufficiens sit, vt ille censeatur vbique idoneus ad audiendas confessiones?

Obiectio

Dices: Concilium dicit, *Non reputari idoneum ad audiendas confessiones, nisi idoneus ab Episcopis iudicetur, & approbationem obtineat*: ergo non sufficit idoneum iudicari ab vno Episcopo.

soluitur.

Respondeo Primò: Si Concilium voluit dicere, *In singulis Diœcesibus debere approbari de nouo*, cur id disertè non expressit? Cur eo modo loquendi vsum est, qui hoc tam obscurè significaret, præsertim cùm in nouo Iure statuendo clarè & disertè loqui oporteat; Respondeo Secundò: Illa verba commodè posse intelligi *Respectivè*; vt sensus sit; *Nemo censeatur idoneus, nisi approbatus ab Episcopis*, id est, *quisque à suo Episcopo, sub quo existit*,

dum eſt approbandus: alioqui oporteret quemuis approbari à pluribus Epiſcopis, quod nemo dixerit. Simili modo dicimus, *Peccatorem non poſſe Euchariſtiam percipere, niſi abſolutum à Sacerdotibus.* Neque inde perturbatur Hierarchia, cum per hãc approbationem non detur iuriſdictio.

Reſponſio ad extrag. Nec obſtat Extrauagans Bonifacij VIII. quæ incipit, *Super cathedram*, tit. de Sepulturis: vbi dicit, *Fratres non debere audire extra ciuitatem, vel diœceſim, ad quam fuerint deputati*: nam expreſsè ibidem addit, *ſe velle vt non deputentur, niſi ad vnam ciuitatem*: quod tamen non præcipit Concilium Tridentinum. Omitto quòd Parochus vbique cenſeatur approbatus, vt ei poſſit, vbique dari iuriſdictio, vt plurimi Doctores fatentur: cur non etiam Religioſus, cui fauet priuilegium Clementis VII. & Pauli III. & Oraculum viuæ vocis Pij V.? Hæc efficiunt hanc ſententiam probabilem. Vbi tamen eſt alia conſuetudo legitimè præſcripta, debet ſeruari.

18 An approbatio poſſit per Epiſcopos reuocari? Aduertendum autem, hanc approbationem in ijs, qui pleno Iure Epiſcopo ſunt ſubiecti, pro arbitrio Epiſcopi poſſe reuocari. Ratio eſt, Quia non ſolùm approbatio, ſed etiam tota iuriſdictio illorum pendet à nutu & commiſſione Epiſcopi.

In ijs verò, qui ſunt exempti, non poteſt reuocari ſine graui causâ. Ratio eſt, Quia hi immediatè ſunt ſubiecti Pontifici, & ſolùm approbantur ab Epiſcopo, vt ſatisfiat decreto Superioris, ſcilicet Concilij Tridentini.

In Parochis etiam reuocari non poteſt, quia non habent eam propriè ab Epiſcopo, ſed à Iure; niſi ob iuſtam cauſam ſuſpendantur, vel priuentur.

DVBIVM VI.

Vtrùm quiuis Sacerdos habeat plenam poteſtatem in Venialia? & vnde?

REſpondeo & Dico Primò: Quemuis Sacerdotem habere plenam poteſtatem inuenialia, idque reſpectu cuiuſuis. Eſt communis DD. Sed difficultas eſt, Vnde habeant. Dominicus Soto diſt. 18. quæſt. 4. artic. 2. dicit hoc inde eſſe, quia ad venialia non requiritur iuriſdictio. Sed hoc indubiè falſum eſt, niſi benignè accipiatur. Nam vbi eſt vera abſolutio, ibi eſt verus actus iudicialis, ac proinde vera Iuriſdictio. Quod etiam inde patet, quia poteſt illi imponere præceptum explendæ pœnitentiæ. Alij dicunt, omnes Sacerdotes habere hanc iuriſdictionem conceſſu Eccleſiæ. Ita Ioannes Medina, Nauarrus, & quidam alij.

19 quilibet ſacerdos poteſt abſoluere cuiuſuis venialia.

20 Idque ſure diuino. Dico Secundò: Verius eſt hanc plenam poteſtatem haberi Iure diuino. Ita Melchior Canus par. 5. Relection. de Pœnitentiâ. Ruardus art. 3. pag. 146. Paludanus diſt. 19. quæſt. 2. Caietanus Tom. 1. Opuſc. 7. quæſt. vnicâ. Idem ſequitur ex ſententiâ Soti, etſi non recte loquatur; qui pro hac ſententiâ citat D. Thomam dicentem, *Quòd remiſſio venialium ſequatur poteſtatem Ordinis.* Probatur Primò: Confeſſio venialium Iure diuino eſt libera: ergo credibile eſt, cuilibet eodem iure relictam libertatem cõfitendi cuilibet. Probatur Secundò: Quia venialia non poſſunt reſeruari à Superiore. Vnde non videmus hæc vnquam eſſe reſeruata. Ergo non poteſt in ſeriorib. Sacerdotibus tolli poteſtas ab his abſoluendi.

Dices: Si omnes Iure diuino haberent hanc poteſtatem, data illis eſſet Ioan. 20. Atqui ſi hîc data eſſet poteſtas in venialia, etiam eſſet data in mortifera, de quibus eſt potiſſimùm ſermo.

Reſpondeo, Negando Subſumptum: locus enim iſte intelligendus eſt pro ratione materiæ, cui applicatur. Ibidem enim datur etiam Apoſtolis pleniſſima poteſtas in peccata omnium fidelium, abſque aliâ humanâ conceſſione. Non tamen voluit Dominus idem intelligi de omnibus ſacerdotibus. Idcircò enim dedit Eccleſiæ Spiritum ſanctum, qui eam docuit quemadmodum Chriſti verba eſſent intelligenda.

DVBIVM VII.

Vtrùm Omnes Sacerdotes habeant plenam poteſtatem in peccata mortifera, aliàs ritè confeſſa?

SOtus ſuprà negat: eò quod hæc peccata per ſe ſunt materia neceſſaria.

21 Affirmatur contra Sotum. Dico Primò: Longè probabilius eſt, omnes habere plœnam poteſtatẽ in peccata mortifera, aliàs ritè confeſſa. Tenet Nauar. cap. 4. nu. 5. Caietanus in Summa, Verbo *Abſolutio*; & alij paſſim.

Dico Secundò: Probabilius etiam eſt, hanc poteſtatem eſſe ex Iure Diuino, ita vt non requiratur conceſſio Eccleſiæ. Tenet Ruardus, Canus, & alij iam citati. Ratio eadem eſt, quę de venialibus. Nec refert, quod per ſe ſint materia neceſſaria: quia poſtquam ſemel ſunt ritè confeſſa, deſinunt eſſe neceſſaria, & tranſeunt in materiam liberam.

DVBIVM VIII.

Vtrùm quiuis Sacerdos poſſit abſoluere quemuis fidelem in articulo mortis?

REſpondeo & Dico Primò; Poteſt quiuis ſacerdos quemuis fidelem abſoluere in articulo mortis. Eſt communis Doctorum, habeturque ex capitulo, *Paſtoralis officij*; Titul. de Officio Iudicis ordinarij: Et ex Concilio Tridentino ſeſſ. 14. cap. 7. *In Eccleſia Dei*, inquit, *cuſtoditum ſemper fuit, vt nulla in articulo mortis ſit cãſuum reſeruatio; atque ideò omnes ſacerdotes quoſlibet pœnitentes à quibuſuis peccatis & cẽſuris abſoluere poſſunt.* Vnde ſequitur, etiam *præciſis* non toleratis, id eſt, qui per ſententiam ſunt damnati, excommunicati, ſuſpenſi, aut interdicti, vel qui ſunt notorij percuſſores Cletici, competere tunc iſtam poteſtatem, quamuis id quidam negent. Nam de omnibus omnino Sacerdotibus loquitur Concilium, nemine excepto. Tenet hoc D. Thomas hac qu. art. 6. (quamuis in 3. p. q. 82. art. 7. ad 2. excipiat hæreticos & ſchiſmaticos, dicens. Non poſſe hæreticos & ſchiſmaticos in articulo neceſſitatis alia Sacramenta, quàm Baptiſmum, miniſtrare. (Sed etiam his conceditur Sacramẽtum Pœnitentię. Idem docet Canus Relect. 8. Caietanus Verbo *Abſolutio* § *neceſſitas*. Ruardus art. 3. vbi pro hac ſententia citat Silueſtrum, Paludanum, & Capreolum. Denique Nauarrus c. 27. num. 272. cap. 27.

22 Affirmatur

Dico Secundò: Etſi probabile ſit, Iure Diuino in hoc articulo omnes habere hanc poteſtatem: tamen probabilius eſt non haberi niſi tacitâ conceſſione Eccleſiæ. Prior pars probatur, Quia id abſolutè tenet Ruardus ſuprà. Durandus, Capreolus, Paludanus & Melchior Canus. Nec quidquam videtur obſtare, quod eam faciat improbabilem.

23 Hæc poteſtas eſt iuris diuini, Vero ſimilius eſt iuris Eccleſiaſtici.

Altera tamen pars videtur verior, quam tenent cæteri ferè omnes Doctores, Sotus, Ioan. Medina

Nauarrus, & alij. Probatur: Quia Confessio peccatorum mortalium est necessaria: ergo sicut iure Diuino non est relicta libertas ea cuilibet confitendi, dum sani sumus; ita neque dum sumus in articulo mortis. Neque verendum est, ne Ecclesia tunc malignè nolit concedere, quia regitur à Spiritu sancto: sicut nec verendum est, ne deneget absolutionem ab excommunicatione infirmo ritè disposito, sine quâ absolutione non potest absolui à peccato.

DVBIVM IX.

An eandem potestatem habeant omnes Sacerdotes in periculo mortis: vt, dum instat præsens, periculosa tempestas, parius periculosus?

24 Affirmatur

REspondeo: Omnes habere. Vt rectè Siluester Verbo *Confessio*, 1. qu. 6. puncto, 7. & Nauarrus suprà cap. 26. nu. 26.

Articulus & periculũ mortis videntur pro idem sumi.

Probatur Primò: Quia Canones non distinguunt inter *Articulum mortis*, & *periculum*, vt patet in Capitulo, *Eos qui*, de Senten. excommunicat. in 6. vbi *Articulus mortis* dicitur, quod paulò pòst vocatur *periculum*.

Secundò: Priuilegia in materia fauorabili sunt amplianda, quamuis in odiosa sint restringenda: ergo hæc nomina in sua generali significatione accipienda sunt. Tertiò: Quia si esset expectandus ipse articulus mortis, v. g. quando iam anima est exitura, vel quando nauis iam submergitur, plerique huiusmodi sine absolutione morerentur.

Absolutus tunc à cẽsuris.

Notandum tamen est, eum qui in articulo vel periculo mortis fuit absolutus à censuris Superiori reseruatis, si euaserit, teneri primâ commoditate sistere se Superiori; non quidem vt rursus absoluatur, sed vt mandatis eius pareat. Ita præcipitur Capit. *Eos qui*, suprà citato. Alioqui nisi id fecerit, reincidit in eandem excommunicationem, vt ibidem habetur.

Absolutus à reseruatis.

Qui autem absolutus fuit tantummodo à casibus reseruatis, non habentibus annexam censuram, non tenetur se sistere, nec ampliùs confiteri: nullum enim Ius id statuit. Vide Nauarrum cap. 26. num. 26.

ARTICVLVS IV.

Vtrum necesse sit confiteri Proprio Sacerdoti?

ARTICVLVS V.

Vtrum quis ex priuilegio Superioris possit alteri confiteri?

NOtandum est, In decreto Concilij Lateranensis, *Omnis vtriusque sexus*, vocari *Proprium Sacerdotem*, Vel eum cui ex officio incumbit cura animarum, habetque Iurisdictionem ordinariam; qualis est Papa ad totam Ecclesiam, Episcopus ad suam Diœcesim, & Parochus ad suam Parochiam, Prælati Ordinum ad Religiosos sibi subditos, Decani ad suos Canonicos. Ita Sotus d. 18. q. 4. art. 2. & Ioan. Medina cod. de Confessione, qu. 29. multique alij. Vel certè directè & propriè eum vocari proprium Sacerdotem, qui est Parochus. Sed à maiori idem censendum relinqui de superiore Parochi, Episcopo

25 quis dicatur *proprius Sacerdos*, cui sit cõfitendum.

scilicet & Pontifice, à quibus Parochus habet suam Iurisdictionem. Hoc posito. 26

Respondeo: Certum esse, omnes teneri confiteri proprio Sacerdoti, vel alteri cum eius licentiâ, saltem tacitâ. Patet: Quia omnes tenentur confiteri, vel suo Parocho, & immediato superiori: vel superiori mediato, vt Episcopo, vel Pontifici: vel certè ei, qui ab aliquo horum potestatem habuerit. Et hoc est, quod expressè præcipitur in Capit. *Omnis vtriusque sexus*: & colligitur ex Conc. Florent. vbi dicitur, *Ministrum huius Sacramenti esse Sacerdotem habentem Iurisdictionem ordinariam vel delegatam*: & ex Tridentino sess. 14. cap. 7. vbi dicitur, *Absolutionem esse nullius momenti, quam Sacerdos in eum profert, in quem non habet Iurisdictionem ordinariam vel delegatam.*

DVBIVM. I.

Vtrùm ratihabitio propriꝰ Sacerdotis sufficiat, vt subditus possit alteri confiteri?

REspondeo & Dico Primò: Non sufficere ratihabitionem futuram, seu spem ratihabitionis futuræ: contra Capreolum, & Paludanum. Est sententia communis. Ratio est, Quia requiritur præsens Iurisdictio completa, cùm sit actus iudicialis, significans effectum suum conferri in præsenti, & absolutè. Neque hîc locum habet illa regula Iuris; *Ratihabitio retrotrahitur & mandato æquiparatur*: quia hoc tantùm verum est in ijs, quæ possunt pendere à consensu futuro, vt contractus & similia; non autem in Sacramentis, præsertim ijs, quę absolutè & in præsenti operantur, & omnia necessaria requirunt in præsenti. 27 Non sufficit ratihabitio futura.

Dico Secundò: sufficit tamen ratihabitio præsens aliquo signo exteriori ostensa: v. g. si aliquando indicauerit sibi gratum fore, vt audiam confessiones. Ratio est. Quia tali modo potest conferri præsens Iurisdictio. Dixi, *Aliquo signo exteriori*; quia humano more non potest conferri Iurisdictio per actum internum; sicut nec donatio, & alia huiusmodi: quia ab altero non possunt percipi. 28 Sufficit præsens aliquo signo expressa.

DVBIVM. II.

An Parochus, seu Proprius Sacerdos *teneatur semper audire suum subditum, quando ille vult confiteri?*

REspondeo: Certum est; illum teneri toties audire, quoties alter tenetur confiteri. Potest tamen alium idoneum suo loco constituere. 29

Alijs verò temporibus quidam putant non teneri sub mortali eum audire. Ita Siluester Verbo *Confessor*. 1. q. 18. Richardus d. 18. art. 2. qu. 3. & Ioan. Medina. qu. 37. Sed omnino tenendum est Parochum teneri, quotiescunque subditus ob rationabilem aliquam causam vult confiteri. Ita Nauarrus in Canon. *Placuit*, de Pœnit. d. 6. nu. 152. Dominicus Soto, Adrianus, & alij. Probatur Primò: Quia Parochus ex officio tenetur non impedire profectum spiritualem suorum subditorum: atqui impediret, si nollet illos audire. Secundò: Quia fideles habent à Christo ius petendi ab Ecclesia salutis remedia, non solùm præcisè ad salutem necessaria, sed etiam vtilia ad profectum: ergo Ecclesia tenetur eis illa administrare, & consequenter Parochus, qui in hoc est immediatus Ecclesię minister. Tertiò: Quia fideles persoluunt decimas & stipendia Ecclesiæ,

Tenetur semper, quàdo subditus rationabiliter vult confiteri.

Digitized by Google

non ſolùm vt præcisè neceſſaria ab ea accipiant, ſed etiam vt conducibilia ad ſalutem: ergo ex iuſtitia tenentur Parochi.

30 Petenti ſubdito confiteri alteri, proprius Sacerdos an negabit?

Quæritur, Vtrùm *Proprius Sacerdos*, vel Parochus teneatur ſubdito facere poteſtatem confitẽdi alteri non habenti in illum Iuriſdictionem ordinariam, vel delegatam, ſi id ſubditus petat?

Reſpondet D. Thomas hîc art. 4. ad 6. peccare Sacerdotem, qui non ſe præbet facilem ad licentiam ſubdito concedendam, vt alteri confiteatur; & eos qui ſunt nimis ſolliciti vt conſcientias per ſubditorum confeſſiones ſciant, multis damnationis laqueum iniicere, & etiam ſibi ipſis. Idem dicit Opuſculo contra impugnantes religionem cap. 4.

Fieri tamen poteſt, vt hoc non ſit concedendum, quamuis id rarò contingat: & idcircò iudicio prudentis relinquitur.

DVBIVM III.

Vtrùm ob ignorantiam, malitiam, reuelationem confeſſionis proprij Sacerdotis, liceat ſubditis confiteri alteri ſine eius facultate?

REſpondeo & Dico Primò: Quando proprius Sacerdos eſt ita ignorans, vt neſciat communes peccati venialis & mortiferi diſtinctiones, licet ſubdito ipſo Iure confiteri alteri.

31 licet aliũ adire, ob certam *proprij Sacerdotis* ignorantiam.

Habetur apertè in Canone *Placuit*, de Pœnitent. diſt. 6. *Nulli Sacerdotum liceat quemlibet commiſſũ alteri Sacerdoti, ſuſcipere ad Confeſſionem ſine eius conſenſu, cui ſe commiſit priùs, niſi pro ignorantia illius, cui priùs confeſſus eſt.* Tenent hanc ſententiam Silueſter Verbo *Confeſſor.* 1. q. 6. citans Oſtiẽſem, Paludanum & Archidiaconum. Idem tenet Adrianus de Confeſſione, dub. 3. pag. 268. Ioan. Medina cod. de Confeſſione. q. 33.

Adhibe cautelam.

Aduerte tamen in hoc caſu, ſi pœnitens poteſt facilè adire eum, qui habet iuriſdictionem ex cõmiſſione, vt ſunt Religioſi priuilegio inſtructi, non poſſe confiteri ei, qui nullam habet iuriſdictionem. Ratio eſt: Quia hoc priuilegium confitendi alieno, non habenti vllam iuriſdictionem in pœnitentem, ſolùm conceditur in defectum alterius, qui aliquam iuriſdictionem habeat: Nam Canones ſemper intendunt, vt ſeruentur, quamtum commodè fieri poteſt. Idem quoque cenſendum in articulo mortis, quamuis aliqui contrarium putent.

Dices; Concilium Lateranenſe in Capit. *Omnis vtriuſque ſexus*, vetat confiteri alieno, niſi priùs à proprio ſacerdote veniam impetraueris: ergo derogat Canoni *Placuit*; ac proinde ob ignorãtiam proprij non licebit confiteri alieno.

Reſpondeo; Concilium Lateranenſe in illo Capit. ſolùm intendit determinare Ius Diuinum, aſſignando tempus, quo deberet impleri, vt apertè inſinuat Concilium Trident. ſeſſ. 14. cap. 5. ſub finem: non autem intendit Canonibus prioribus derogare: alioquin id debuiſſet explicare, ſicuti alibi facere conſueuit. Adde, eum qui ex decreto Canonis poteſt confiteri alteri, verè habere licentiam à proprio Sacerdote, ſcilicet à Papa: vnde nullo modo facit contra ſtatutum Concilij Lateranenſis.

32 Non licet ob alios defect' niſi cum venia Proprij.

Dico Secundò: Probabilius eſt, ob cæteros defectus proprij ſacerdotis, v. g. quia eſt reuelator confeſſionis, ſollicitator pudicitiæ, excommunicatus, ſuſpenſus, non licere confiteri alieno non habẽti iuriſdictionem, niſi veniã priùs à proprio impetratã. Colligitur ex Canone, *Placuit*, qui generatim prohibet confiteri alieno; ſolumque ca-ſum ignorantiæ excipit. Vnde tota ratio, cur non liceat, eſt; quia ius id non concedit, niſi ob ignorantiam, ne fortaſſis ſubditis detur occaſio cauſſas confingendi cur Proprio nolint confiteri.

Dices: Quid ergo tunc faciet pœnitens, ſi Proprius ei neget hanc veniam; neque adſint priuilegiati; tempuſque Communionis vrgeat?

Reſpondeo: In hoc caſu poterit ſine confeſſione communicare contritus; quia cenſetur deeſſe copia Confeſſoris: vt docent Doctores citati, & colligitur ex ſuprà dictis de Communione.

33 Probabile tamen eſt, in his etiã caſibus licere, ſi veniam negauerit.

Aduerte tamen Primò: Non eſſe improbabile, in his caſibus pœnitentem poſſe alieno confiteri, petitâ tamen priùs à Proprio veniâ, etſi non impetratâ. Docet expreſsè Medina ſuprà quæſt. 33. Silueſter citans Hoſtiẽſem, Paludanum & Archidiaconum. Adrianus item Gabriel & Richardus diſt. 17. Probant hi Auctores; Tum quia in his caſibus non eſt minor cauſa, quàm quando Proprius eſt ignorans: ergo ſicuti Canon concedit ob ignorantiam, ita implicitè cenſetur concedere in omni caſu, vbi eſt par, vel maior ratio. Tũ quia, vbi quis tenetur conſentire, ſufficit petita licentia, etſi non impetrata; argumento Capitis, *Licet*, de Regularibus & tranſeuntibus ad religionem.

34 Si confeſſor eſt cõplex peccati carnalis.

Aduerte Secundò: Secundùm Statuta Diœceſis Leodienſis Cap. *De Pœnitentiâ & Confeſſione*, ſi filia confeſſionis cum ſuo Confeſſario peccauit, non poſſe eam ſub pœna excommunicationis illi confiteri, nec illum eam audire; ſed teneri petere licentiam adeundi alium: quam ſi ille nolit dare, poteſt alteri confiteri; vt docet Adrianus loco citato. Nam Synodus in hoc caſu dat tacitam licentiam, hoc ipſo, quo vetat confeſſionem fieri illi Sacerdoti. Eademque eſt ratio de ſocijs, fautoribus, & mediatoribus illius peccati.

DVBIVM IV.

Quinam poſſint dare poteſtatem alteri confitendi?

35 Proprij.

REſpondeo: Omnes *Proprij*, ſiue omnes habentes Iuriſdictionem ordinariam in pœnitentem, quamuis nondum habeant Ordinem Sacerdotalem. Item omnes horum Vicarij, etiamſi temporales ſint: quidquid dicat Silueſter Verbo *Excommunicatio* 7. caſu 14. dub. 11. Hoc tamen intellige, modò *Proprij* commiſerint illis abſolutam poteſtatem in Sacramentis adminiſtrandis, id eſt, modò ſint Vicarij abſolutè. Merè autem delegatus non poteſt committere hanc facultatem, ſeu ſubdelegare, niſi cum expreſſa licentia eius à quo eſt delegatus. Vide plura apud Nauarrum in Can. *Placuit*. num. 69.

Vicarij abſolutè.

Merè delegati.

DVBIVM V.

Vtrùm ſummus Pontifex poſſit Religioſis dare poteſtatem & iuriſdictionem audiendi confeſſiones quorumuis ſecularium ſine licentia Ordinariorum vel Parochorum, ſic vt pœnitentes non teneantur eadem peccata Parocho confiteri?

REſpondeo: Erroneum eſt dicere Pontificem Summum non poſſe Religioſis dare poteſtatem & iuriſdictionem audiendi confeſſiones quorumuis ſecularium ſine licentia Ordinariorum vel Parochorum: aut eos, qui confeſſi ſunt eiuſmodi Religioſis, teneri rurſus eadem confiteri ſuis Parochis.

36 Id negare, eſt erroneum.

Probatur Primò: Ex Concilio Oecumenico Florentino, vbi ſic dicitur: *Definimus Romanum*

Papa eſt Proprius

Paſtor vniuerſalis eccleſiæ.

Pontificem in vniuerſum orbem tenere primatum, & eſſe verum Chriſti vicarium, totiuſque Eccleſiæ caput, & omnium Chriſtianorum Patrem, Doctorem; & ipſi in Beato Petro paſcendi, regendi, & gubernandi vniuerſalem Eccleſiam, à Domino noſtro IESV *Chriſto plenam poteſtatem traditam eſſe, quemadmodum etiam geſtis Oecumenicorum Conciliorum, & in ſacris Canonibus continetur.* Vnde ſic argumentor: Romanus Pontifex eſt caput totius Eccleſiæ, & omnium Chriſtianorum pater & doctor, & habet plenam poteſtatem regendi vniuerſalem Eccleſiam: ergo poteſt vbique locorum confeſſiones audire, ac proinde alijs, quos idoneos iudicauerit, eandem poteſtatem committere; cùm enim non poſſit omnes per ſe immediatè paſcere, neceſſe eſt vt poſſit alijs ſuas vices committere. Confirmatur, quia Epiſcopus abſque licentia ſui Parochi poteſt dare poteſtatem audiendi confeſſiones in parœcia: ergo multò magis Pontifex abſque conſenſu Epiſcopi: quia Pontifex plenam habet poteſtatem regendi Eccleſiam, idque a Chriſto immediatè: Epiſcopi autem habent limitatam, & quidem dependenter à Pontifice; vt docet Dominicus Soto in 4. diſt. 20. q. 1. a. 2. Caietanus de Auctoritate Pontificia & Concilij cap. 3. Gabriel in Canonem lect. 3. & alij plerique. Et quamuis haberent independenter à Papa, tamen fide tenendum eſt Papam habere tantam vel maiorem in ſubditos Epiſcopi, quàm ipſe Epiſcopus: ergo ſicut Epiſcopus poteſt dare poteſtatem audiendi Confeſſiones ſine licentia Parochi, ita Papa ſine licentia Epiſcopi. Quod etiam verum eſſet, quamuis ſolùm parem haberet poteſtatem: nam ſi eſſent duo qui parem haberent poteſtatem in ſubditum, poſſet vterque abſque licentia alterius audire ipſius confeſſionem, ac proinde id committere alicui tertio.

Poteſt vbique omnia audire confeſſiones per ſe, vel per ſtatutos, à ſe.

37 Decreta variorum Pontificū.

Probatur Secundò: Ex decretis Pontificum. Pontifices enim qui hæc priuilegia Religioſis conceſſerunt, ſunt plurimi & doctiſſimi; vt oſtendit Dominicus Soto in 4. diſt. 18. q. 4. art. 3. idque à tempore Alexandri IV. circa annum Domini 1218. Solùm adferam verba duorum vel trium qui hanc veritatem expreſsè definierunt.

Alexander 4.

Ioannes XXII. circa annum 1316. in Extrauag. quæ incipit, *Vas electionis*, re diligenter excuſſa à viris doctis, & adhibito Cardinalium concilio, condemnat hunc articulum Ioannis à Poliaco Doctoris Pariſienſis, tanquam falſum & erroneum: *Stante edicto Concilij Generalis Lateranenſis. Omnis vtriuſque ſexus, nec Romanus Pontifex, imò nec ipſe Deus poteſt facere, quod Parochiani non teneantur omnia peccata ſua ſemel in anno proprio ſacerdoti confiteri.* Similiter & iſte: *Confeſſi Fratribus habentibus licentiam generalem audiendi confeſſiones, tenentur eadem peccata quę confeſſi fuerunt, iterum confiteri proprio Sacerdoti.* Item definitur eſſe Doctrina vera & Catholica: *Quòd illi, qui prædictis Fratribus confitentur, non magis teneantur eadem peccata confiteri iterum, quàm ſi ea aliàs confeſſi fuiſſent eorum proprio Sacerdoti, iuxta Concilium Generale.* Idem definitum erat aliquot annis antè à Benedicto XI. anno 1304. in Extrauag. quę incipit, *Inter cunctas*: vbi inquit, *Electi ab vſdem Fratribus* (id eſt, expoſiti à Superioribus) *ad audiendas confeſſiones & pœnitentias iniungendas, liberè, auctoritate Apoſtolica, abſque licentia diœceſanorum, & aliorum Prælatorum inferiorum, exemptorum & non exemptorum, quibus ſubſunt qui ad confitendum accedunt, audiant eos peccata ſua confiteri volentes, abſoluant, iiſque pœnitentias ſalutares iniungant*, &c. Idem ſtatuitur à Clemente V. in Concilio Vienneſi, Clementina *Dudum*, de Sepulturis. Omitto Bonifacium VIII. Vrbanum IV. Clementem IV. & alios plurimos, qui idem ſtatuerunt. Omitto denique Paulum III. Gregorium XIII. & Gregorium XIV. qui Societati noſtræ idem priuilegium conceſſerunt.

Benedict. 11.

Clemens 5. Vrbanus 4. Clemēs 4. Paulus 3. Gregor. 13 Gregor. 14

Probatur Tertiò: Quia eadem eſt ſententia communis DD. & Canoniſtarum, exceptis pauciſſimis, qui ab omnibus iam pridem ſunt exploſi; vt oſtendit Dominicus Soto lib. 4. diſt. 18. q. 4. a. 3. Eandem egregiè tuetur D. Thomas in Opuſculo contra impugnantes Religionem cap. 4. 38

Sed Obiiciunt Capitulum; *Omnis vtriuſque ſexus*, vbi Concilium magnum Lateranenſe ſtatuit, vt omnis vtriuſque ſexus omnia ſua peccata confiteatur fideliter, ſaltem ſemel in anno proprio Sacerdoti, vel alieno, prius tamen à proprio Sacerdote impetratâ veniâ. 39

Reſponſio ad capitul. *Omnis vtriuſque ſexus.*

Ad hoc multis modis reſponderi poteſt. Primò, Paſtores & Ordinarios non murmurare, quòd ſubditi ad eos non veniant in Paſchate: ſed quòd ſingulis hebdomadis, vel menſibus non veniunt: quod tamen Concilium non iubet, ſed tantùm iubet vt ſemel in anno ſuo Proprio confiteantur.

Reſpondeo Secundò: Eos qui confitentur Religioſis etiam in Paſchate, nec adeunt ſuos Parochos, non facere contra hoc decretum: quia ex facultate conceſſa à Proprio, confitentur illis. Proprius enim Sacerdos in hoc decreto non tantùm eſt Parochus, ſed etiam Epiſcopus, & maximè Papa: nempe omnis is, qui ordinariam in ſubditos poteſtatem habet, vt exponit D. Thomas capite illo 4. Domin. Soto ſuprà, & ceteri omnes DD. Non enim intendebat Concilium Epiſcopis & Pontifici adimere poteſtatem audiendi cōfeſſiones, aut cōcedendi veniā ſubditis Parochorum confitendi alteri: hoc enim eſt abſurdiſſimum, cùm Epiſcopi & Pontifex maiorem iuriſdictionem habeant in ſubditos Parochorum, quàm ipſi Parochi: præſertim cum Epiſcopi vnà cum Pontifice hoc decretum fecerint. Vnde per illud *Proprium*, non intendit Concilium excludere Epiſcopum vel Pontificem, ſed ſolùm *alienum*, id eſt, non habentem ordinariam poteſtatem. Itaque cùm Papa, qui eſt Ordinarius omnium paſtor tribuat Religioſis poteſtatem, qui eis confitentur, confitentur ex licentia Proprij.

Reſpondeo Tertiò: Etiamſi per proprium Sacerdotem intelligeretur Parochus, tamen is qui confiteretur Religioſo, non faceret contra decretum: quia tunc intelligendum eſſet decretū, hoc modo, Vt non confiteatur quis alteri ſine licentia Proprij, vel habentis omnem auctoritatem, quam habet Proprius; vt rectè declarat S. Antoninus 3. part. tit. 17. c. 9. Atqui Epiſcopus & Papa habent omnem auctoritatem, quam Proprius: ergo. Et Confirmatur: quia tunc poſſet ſubditus confiteri Epiſcopo vel Papæ, nec faceret contra intentionem Concilij: ergo etiam ei, cui Epiſcopus vel Papa ſuas committeret vices. Quando igitur ſeculares confitentur in Paſchate Religioſis habentibus priuilegium, omnino faciunt iuxta intentionem Concilij. Plura alia argumenta minuta videri poſſunt apud Diuum Thomam Opuſculo & Cap. citato.

DVBIVM VI.

Vtrùm expediat Eccleſiæ & ſaluti animarum, vt Pontifex concedat Religioſis hanc poteſtatem & iuriſdictionem audiendi confeſſiones quorumuis ſecularium, ſine licentia Ordinariorum vel Parochorum?

40 Affirmatur

REſpondeo: Omnino expedit Eccleſiæ & ſaluti fidelium, vt Papa hanc poteſtatem Religioſis concedat: & vt ipſi Religioſi eâ prudenter vtantur. Et contrarium dicere, eſt temerarium & periculoſum, nę dicam erroneum.

Ab auctoritate Pōtificum.

Probatur Primò: Quia quod tot Pontifices tam doctī, adhibito conſilio ſuorum fratrum Cardinalium & Epiſcoporum & aliorum virorum doctorum, iudicarunt eſſe faciendū ad Eccleſię vtilitatem; dicere eſſe inutile, vel etiam noxium, & maioris boni impeditiuum, ſummæ temeritatis eſt & arrogantię; præſertim cùm in ijs quæ ad gubernationem Eccleſię vniuerſalis pertinent, Papa habeat ſingularem Spiritus ſancti aſſiſtentiam. Item dicere, *Non rectè fieri; quod Eccleſia vniuerſalis ſeruat, inſolentiſſimæ inſaniæ eſt*, inquit D. Auguſtinus epiſt. 118. Atqui per vniuerſalem Eccleſiam ſeruatur vt Religioſi audiant confeſſiones abſque licentia Parochorum, idque approbante toto populo Chriſtiano.

Probatur Secundò: Quia in Extrauag. *Vas electionis*, dicitur quòd aſſertio articulorū Ioannis à Poliaco redundare poterat in perniciem multarū animarum: quia videlicet per eam fuiſſet impeditum remediū, quod toti Eccleſię per hanc facultatem Religioſis conceſſam, præparatum eſt.

Probatur Tertiò: Si non expedit Eccleſię hanc poteſtatem Religioſis cōcedi, ergo Papa non poteſt eam concedere. Nam Papa non habet poteſtatem concedendi id, quod nunquam Eccleſiæ poteſt eſſe expediens. Ergo ſi Religioſos habere hanc poteſtatem nunquam eſt Eccleſię expediēs, (ſemper enim erunt eædem Parochorum querelæ) certè Pontifex non habet poteſtatem huius facultatis concedendæ: quod ſuperiore dubio tanquam error refutatum eſt.

41 Ab vtilitate.

Probatur Quartò: Quantum Eccleſiæ expedierit hanc facultatem dari Religioſis, patet ex fructu. Ante excitatum Ordinem S. Dominici & S. Franciſci, fideles valdè erant languidi in charitate & fide, & moribus valdè erant deprauati: ſed illorum induſtriâ per conciones & confeſſiones, Deo adiuuante, rurſus fuere excitati ad morum emendationem, & ad feruorem ac Sacramētorum vſum. Similiter noſtris temporibus quàm rarus fuerit Sacramentorum vſus, multi recordari poſſunt; & quātum per Societatem noſtram vbique locorum fuerit hic vſus ſalubertimus reuocatus, videmus. Itaque cùm tam eximios fructus videamus produxiſſe hanc conceſſionem, non poſſumus dubitare quin fuerit Eccleſiæ valdè conducibilis. Itaque non eſt quòd Parochi querantur. Non enim rariùs modò confitentur illis ſubditi, quàm anteà, quando ſolùm ſingulis annis confiteri aſſueuerant; & modò ſubditos habent meliores.

A. neceſſitate.

Probatur Quintò: Fieri nequit vt Paſtores vel quintam partem audiant eorum qui ſingulis hebdomadis Religioſis confitentur: nam in multis locis occupantur decem vel duodecim, & plures Confeſſarij, idque toto die, quando Paſtores valdè ſunt occupati in officijs diuinis & concionibus. Itaque non deberent conqueri, ſed gaudere quòd Deus illis tam inſigne auxilium miſerit, per quod ſibi perſuadere debent ſuos ſubditos melius adiutum iri, quàm per ipſos. Sed

42 1. obiectio quòd Paſtor debeat cognoſcere vultum ſui pecoris.

Obijciunt Primò: Prouerb. 27. v. 23. ait Sapiens, *Diligēter agnoſce vultum pecoris, tuoſque greges conſidera.* Sed Paſtor non poteſt vultum pecoris ſui cognoſcere, niſi per confeſſionem.

Reſpōdeo Primò: Illud argumentum etiam ab impugnantibus Religioſos olim tēpore D. Thomæ obijci ſolet: ad quod ipſe ſic reſpondet. *Dicēdum, quòd de bonitate & malitia alicuius cōſtare poteſt alicui, non ſolùm per propriam confeſſionem, ſed etiam per ſententiā ſuperioris de eo latā. Vnde ſi Epiſcopus ſubditū ſacerdotis abſoluat vel per ſe, vel per alium cui ipſe cōmiſit, ſacerdos Parochialis ita debet ſe reputare cognoſcere eum, ac ſi ſibi confeſſus eſſet*, &c.

Reſpōſio D. Thomæ

Reſpondeo Secundò: Dupliciter poteſt cognoſci vultus pecoris: Primò, per confeſſionem ipſi⁹. Secundò, Per diligentem conſiderationem morū & conuerſationis eius. Priore cognitione Sacerdos tantùm debet vti in confeſſione, iniungendo pœnitentiam, & dando bonum conſilium. Poſteà autem ita ſe gerere debet, ac ſi nihil omnino ſciret. In quo non rarò deprehendūtur peccare ſeculares Sacerdotes, qui poſteà ratione huius cognitionis ſunt liberiores tum in reprehēdendo, tum in imperando ſuis ſubditis, tum in colloquendo & cōuerſando; quod ſanè vix fieri poteſt ſine implicita ſacratiſſimi ſigilli violatione. Vnde fit vt ſeculares reformident illis confiteri. Debēt autem ſibi perſuadere Religioſos benè fungi ſuo officio, & præſtare totum quod ex hac ſcientia præſtari debet: non enim oportet ea vti extra cōfeſſionem. Poſteriore autē cognitione vultus ſui pecoris (de qua Scriptura potiſſimùm loquitur) debet vti extra confeſſionē. Sed ne eam ipſe habeat, religioſi non impediunt. Hæc enim non ex confeſſionibus, ſed ex morum conſideratione capienda eſt. Itaque Religioſi nullo modo impediunt cognitionem qua Paſtores ſuas oues dirigunt; ſed illos magna parte oneris ſui leuant.

Reſpōſio D. Thomæ

Reſpōſio Auctoris, de duplici cognitione pecoris.

Frequēter confitētes facilè ex moribus cognoſcūtur.

Reſpondeo Tertiò: Eos qui crebrò confitentur eſſe tales vitâ & moribus, vt facilè vultus eorum cognoſci poſſint: nam eorum probitas & bona vita ſtatim fit omnibus conſpicua. Vnde etiam Parochi non debent multum de illis eſſe ſolliciti: ſed de ijs potiùs qui Religioſis non confitentur, ſed ſuo tantùm Parocho, vel eius Cappellano ſemel aut bis in anno. Præterea peto, an modò minùs poſſint cognoſcere vultum pecoris ſui, quādo ſubditi ſępè confitentur religioſis, quàm anteà, quando vel ipſis confitebantur vel Cappellano, idque ſemel vel bis in anno, ſicuti olim facere ſolebant? ſanè, non poſſunt id dicere. Nam religioſi non abduxerunt oues à Parochis; ſed cùm anteà nec ad Parochū, nec ad alium quemquam accederent, ceperunt accedere religioſos, eorum ſanctitate & eruditione allecti. Itaque nihil Parochis eſt detractum: ſed ſine illorum labore ouibus eorum eſt conſultum.

Religioſi valdè idonei ſunt ſubſidiarij

Reſpondeo Quartò: Sæpe Parochus vnus habet duo, tria, quatuor, quinque, cēto, decem milia ouium. Quomodo tūc poteſt cognoſcere vultum omnium per cōfeſſionem, cùm vix quinquageſimam vel cēteſimam partem audire poſſit, & illis temporibus, quibus deberent audiri, ipſe ſit maximè occupatus circa diuinum Officium & conciones? Vnde nunc quoſuis Cappellanos exponere ſolent, per quos ſanè non magis ſuas oues cognoſcūt, quàm per Religioſos. An forte Sacellanis ſuis, eorūque eruditioni, & probitati, & diligentiæ magis fidunt, quā religioſorū? Sed paſſim

cõſtat quàm non ratò in ijs aliquid ad hoc munus comprimis neceſſarium deſideretur, qui ab illis exponuntur. Religioſi autem, præſertim Societatis noſtræ nunquã confeſſionibus audiẽdis adhibentur, niſi diu anteà caſibus conſcientię operam dederint: de quibus etiam crebrò fiunt collationes in ſingulis Collegijs; & poſtea per totam vitam in hoc genere ſtudij ſe exercent, vt valdè inſignes euadant. Sanè par non eſt vt Parochi ſuis illis Sacellanis magis confidant, quàm Religioſis, quibus illi ſcientiâ, virtute, & moribus multò inferiores ſunt.

43 1. obiectio quòd Parochi ordinariam in ſuos ſubditos habeant iuriſdictionem.

Obiiciunt Secundò: Parochi & Epiſcopi habẽt poteſtatem ordinariam in plebem ſuam: eam enim regunt ex officio tanquam rationem reddituri pro ea: ergo nemo debet habere poteſtatem delegatam niſi ab ipſis: ac proinde Religioſi ſine illorum licentia non debẽt confeſſiones audire.

Reſpondeo: Hanc obiectionem multis rationibus confutat D. Thomas, oſtendens Epiſcopum poſſe delegare quemuis, qui confeſſiones audiat, ſine licentia Parochi, ac proinde multò magis ſummũ Pontificem. Dico ergo omnem poteſtatẽ quæ eſt in Parochis & Epiſcopis, eminentiùs & pleniùs eſſe in ſummo Põtifice; vt patet ex definitione Cõcilij Florentini ſuprà num. 36. citata, vbi dicitur *habere plenitudinẽ poteſtatis in vniuerſalem Eccleſiã*, id eſt, in totam Eccleſiam, ſimul & in ſingula membra eius. Soli enim Petro, cuius ſucceſſor eſt Pontifex, dictum eſt, *Paſce oues meas*: vbi Dominus ei poteſtatem omnem tradidit quæ opportuna eſt ad regendum totum ouile Chriſti, & quẽuis qui eſt ouis Chriſti; vt Catholici egregiè probãt contra hæreticos. Cùm enim ait, *Paſce*, ſignificat ſe dare poteſtatem ad omnẽ actum paſtoralem: cùm autem ait, *Oues meas*, ſubiicit ei omnes fideles & ſingulos, etiam Epiſcopos. Et hęc eſt ſententia cõmunis ſanctorum Patrum, vt rectè Bellarminus docet lib. 1. de Pontifice cap. 15. & 16. Vnde ſi Parochi & Epiſcopi poſſunt alicui cõmittere ſuam iuriſdictionem, multò magis Papa id poteſt ſine licentia ipſorum, à quibus nullo modo dependet, cùm tamen illorum poteſtas dependeat ab ipſo. Neque metuere debent ſe reddituros rationem, ſi non omnia per ſe fecerint: ſed potiùs cogitare debent ſe rationem diſtrictam Deo reddituros, ſi non omnia præſidia opportuna quæſierint, quibus plebs iuuari poſſit; & maximè ſi ſalutares modos iuuandi à ſummo Paſtore inſtitutos, impedierint.

Reſponſio auctoris.

44 Cauſæ ob quas independenter à Parochis hæc licentia pet Papam concedatur.

Sed inquiet aliquis, quamuis Pontifex poſſit, non tamen conuenit vt det illis poteſtatem ſine licentia Parochorum, vel ſaltem Ordinariorum: quia hi meliùs norunt quid expediat ſuæ plebi, quàm Pontifex qui longè abeſt. Deinde, Paſtores & Prælati eſſẽt in maiori auctoritate apud plebẽ.

Reſpondeo: Non eſt dubitandum quin Pontifices grauiſſimas rationes habuerint, cur non iudicauerint expediens hanc licentiam omnino ab Epiſcopis & Parochis pendere. Et quidem quòd ad Parochos attinet, multę poſſẽt occurrere cauſæ & occaſiones, ob quas nollent hanc licentiam Religioſis dare. Primò, ſi Parochus nõ ſit probus. Secundò, ſi Religioſis ob aliquam cauſam infenſus, quod non ratò accidit. Tertiò, ſi cum quibuſdam ex ſuis liberiùs, vel minùs pudicè egerit. Quartò, ſi curioſus in factis ſuorum exigendis, præſertim mulierculariũ: ob has enim maxima ex parte querelæ talium contra Religioſos oriũtur. Quintò, ſi putaret ſuã auctoritatem alterius eruditione & prudentia minuendam apud ſubditos. Denique experiẽtia docet multas quotidie offenſiones incidere, ob quas, ſi in illorum poteſtate eſſet, Religioſis & confeſſiones & conciones prohiberent; atque ita impediretur fructus animarum, qui in Eccleſia ex Religioſorum induſtriâ percipitur. Similia multa poſſunt obuenire Epiſcopis, vt quotidiana experientia docet, & patet ex Clementina *Dudum*, ſuprà allata.

55

Hęc & ſimilia ſapientiſſimè perpendentes Pontifices, noluerunt hanc licentiam ex Prælatorum vel Parochorum voluntate penitùs dependere. Meliùs enim illi ſciunt quid Eccleſiæ vniuerſali expediat, cùm à Spiritu ſancto in ea gubernanda ſingulariter dirigantur, quàm Epiſcopi vel Parochi. Idem implicitè probat Concilium Tridentinum ſeſſ. 23. c. 15. Vt enim Regulares poſſint audire confeſſiones ſeculariũ, tãtùm requirit vt ab Epiſcopo approbentur tanquam idonei; non autem vt accipiant ab eis facultatem. Et cùm Martinus V. ob multas Prælatorum querelas ſtatuiſſet, vt Religioſi etiã ab ipſis licentiam peterent, nihilominùs addidit, Si nollent eam dare, nec poſſent tamen oſtendere præſentatum eſſe inſufficientem, ſe illam ex tunc dare, & præſentatum liberè poſſe confeſſiones audire. Itaque hæc licentiæ petitio ſolùm erat ſpecies honoris: nam ſi ipſi nollent concedere, Papa ipſo facto illam cõcedebat. Sed quia animaduerſum eſt hinc maiores naſci moleſtias & turbationes, ideò ſtatuerũt cum Concilio Tridentino vt ſolùm petatur ab illis iudicium de aptitudine: quod etiam alij Pontifices ante Martinum V. ſtatuerant.

Tridentinum implicitè id probat.

Martinus V.

Quòd ad auctoritatem Prælatorum & Parochorum attinet, ea multo maior erat apud plebem, ſi oſtenderint, ſe valdè eſſe coniunctos cum hominibus Religioſis, eorumque miniſteria ſibi eſſe grata, eoſque apud plebem cõmendauerint. Sic enim ſeculares concipient opinionem probitatis & zeli animarum de ſuis Superioribus, vti experientiâ in multis vidimus. Omitto alia quæ ad hoc argumentum reſponderi poſſent.

46 2. obiectio à neglectu ſummi Sacri.

Obiiciunt Tertiò: Ratione iſtarum confeſſionum fieri vt Parœciæ diebus Dominicis & feſtis à multis deſerantur, qui adeunt Religioſorum Eccleſias, nec veniunt ad ſummum Sacrum.

Reſpõſio.

Reſpondeo Primò: Confeſſiones ſolùm impediunt eos qui tunc temporis confitentur, qui pauci ſunt: reliqui omnes qui pridie, vel eodem die ante illud tempus confeſſi ſunt, non impediuntur.

Reſpondeo Secundò: Si ſummum Sacrum debita deuotione & modeſtia perageretur in pleriſque locis, ſine dubio plures accederent. Sed ſæpè id vidimus & celebrari & cantari ſine vlla pœnè reuerentia. Vnde etiam factum, vt qui interellent, fabulas miſcerent; & ſi quis orationi vacare vellet, eum impedirent. Et hæc plerumque cauſa cur multi ſuas parœcias minùs frequentent.

Reſpondeo Tertio: Subditos non teneri diebus feſtis & Dominicis in ſuis parœciis Sacrum audire: ſed ſatisfacere præcepto Eccleſia ſi apud Religioſos Sacrum audiant, quamuis etiam non confiteantur, modò id non faciant ex contemptu proprij Sacerdotis, vt declarauit Leo X. vt refert Nauarrus cap. 21. Enchiridij num. 5. eſtque hæc communis ſententia Doctorum, vt ex eodem colligitur. Vnde etiam Concilium Tridentinũ ſeſſ. 22. in decreto de obſeruandis & euitãdis in celebratione Miſſæ, non dicit, vt Epiſcopi iubeant, ſed vt moneant populum vt frequenter ad ſuas parochias, ſaltem diebus Dominicis & maioribꝰ feſtis accedant. Nec Prælati poſſunt illos compellere,

pellere, vt recte docet Siluester verbo Missa q. 5. & nuper respondit Congregatio Cardinalium deputata ad resolutionem dubiorum incidentium circa Concilium Tridentinum; vt patet ex responsis eorum in hoc Caput sessionis 22. Quòd si Concilium non vult cogi eos qui non confitentur nec communicant: multò sanè minùs eos vult cogi, qui apud Religiosos confitentur & communicant, & duas vel tres Missas audiunt: hi enim longè meliùs faciunt, quàm si totum summum Sacrum sine confessione & communione audirent.

47 4. Obiect. à quorundam decep tione.

Obijciunt quartò: Dum Religiosis permittitur hæc facultas, multi possunt suos Parochos decipere, & ab illis petere Communionem cum non sint confessi, mentientes se esse confessos Religiosis.

Resp. Respondeo Primò: Rarò id posse accidere: nã hîc agimus de confessionibus extra tempus Paschatis. Extra autem hoc tempus tales maligni homines non venient ad Pastores vt petant communionem. Tempore autem Paschatis Parochi non possunt audire omnes per seipsos; vnde eidẽ deceptioni sunt obnoxij.

Respondeo Secundò: Nisi Parocho constet, vel valdè sit probabile illum mentiri, debet illi credere: vt inquit D. Thomas cap. 4. Opusculi contra impugnantes Religionem. Et Benedictus XI. in Extrauag. *Inter cunctas: Sacerdotes*, inquit, *ipsis taliter confessis & absolutis astricti sunt ministrare Eucharistiæ & extremæ Vnctionis Sacramentum. Super confessione autem facta Fratribus memoratis cùm de confitentis solius præiudicio (si falsum dicat) agatur in iudicio animæ seu Pœnitentiæ foro, stabitur simplici verbo eius, qui Sacramenta prædicta petit, & dicit se Fratribus confessum.* Itaque nihil est cur hîc Parochi sint valdè anxij. Aliæ sunt obiectiones, sed minoris momenti.

Quartò: Parochi, Canonici, & omnes simplices sacerdotes ex consuetudine possunt eligere Confessorem. Neque hoc fuit reuocatum per Concilium Tridentinum, quia Concilium tantùm statuit; vt nemo eligatur, nisi approbatus. 4. Sacerdotes.

Quintò: Imperator, Reges, & Reginæ ferè semper habent Priuilegium. Familiæ ipsorum debent confiteri Parochis, vel habentibus iurisdictionẽ ex commissione. 5. Imperator, Rex &c.

Sextò: Vagabundi (id est, qui nullam certam habent sedem) Peregrini, & Viatores possunt quouis loco confiteri, vbi deprehensi fuerint. De Vagabundis est communis sententia, quia nullum certum habent Parochum. De Peregrinis & Viatoribus docet Caietanus verbo *Absoluio*, & Sotus loco citato. Ratio est; quia Eugenius IV. viuæ vocis Oraculo dicitur declarasse hos censendos esse tanquam incolas loci, vbi deprehensi fuerint, vt refert Caietanus. Vnde sequitur posse eos, perinde atque incolas, absolui etiam à casibus & censuris in suâ diœcesi reseruatis, modò ibi reseruati non sint; quia non est habenda ratio diœcesis vnde veniunt, sed vbi existunt dum volunt confiteri; idque non solùm tempore Paschatis, sed etiam quouis alio tempore; modò nihil fiat in fraudem; vt consuetudo declarat. Sed Studiosi, & alij, qui ad tempus habitant in aliquo loco, subijciuntur Parochis locorum. 6. Vagabundi, Peregrini, Viatores. Studiosi.

DVBIVM. VII.

An is, qui habet potestatem eligendi Confessorem, possit eligere quemuis?

48 Eligit approbatum.

Respondeo: Ante Concilium Trident. poterat eligi quilibet idoneus: Quia non erat necessaria approbatio Episcopi. Post Concilium nemo potest eligi, nisi approbatus ab Ordinario; vt patet sess. 23. cap. 15. Excipiuntur tamen religiosi, qui possunt eligere etiam non approbatum; vt suprà nu. 16. dictum est.

49 quinam possint eligere sibi confessorem.

Petes: Quinam iure, vel Consuetudine, vel Priuilegio possint sibi eligere Confessorem?

1. Episcopi & Prælati.

Respondeo Primò: Episcopi, & Prælati superiores & inferiores Iure possunt sibi Confessores deligere: vt patet ex Capitulo *Ne pro dilatione*, de Pœnitentijs & remissionibus. Tales sunt Generales Ordinum, Prouinciales, Guardiani, Priores, Præpositi, qui nomine *Prælatorum* censentur, eò quòd habeant iurisdictionem fori exterioris in suos. Vide Sotum dist. 18. quæst. 4. art. 2. Confessor ab his electus potest eos absoluere à quibuscunque casibus & censuris, à quibus ipsi suos subditos, idque etiam extra Prouinciam; vt docet D. Antoninus 3. part. tit. 17. cap. 2. §. 2.

Non tamen Abbatissa.

Hoc tamen Priuilegio non gaudet Abbatissa; quia propriè non habet Prælaturam, cùm careat claue Iurisdictionis. Vide Siluestrum *Confessor.* 1. quæst. 8.

2. & 3. cardinales, eorumque domestici

Secundò: Possunt id omnes Cardinales ex consuetudine.

Tertiò: Familia Cardinalis potest ipsi confiteri, vel alteri ab ipso constituto.

DVBIVM. VIII.

Quanta requiratur scientia in Confessario?

50 Vt sit Perfectus.

Respondeo: Vt sit *Perfectus*, debet esse Theologus & Canonista, & nosse decreta Synodalia ad confessionem aliquo modo pertinentia.

Vt sit sufficiens.

Vt autem sit *sufficiens*, debet Primò, scire distinguere quæ peccata sint mortifera, quæ venialia, etsi in particulari id non semper possit iudicare; v. g. primos motus non esse peccatum mortale, nec etiam omnem negligentiam in illis depellendis. Non solum externum opus esse peccatum, sed etiam internum consensum. Non omne furtum esse mortale, nec omnem superbiam &c. *Secundò*, nosse circumstantias peccatorum mutantes speciẽ. *Tertiò*, debet aliquid scire de restitutione bonorum & famæ. *Quartò*, excommunicationes visitatiores. *Quintò*, casus reseruatos, & reiterandæ cõfessionis. *Sextò*, vsitatiores contractus. *Septimò*, debet nosse modum interrogandi pœnitentem. *Octauò*, debet scire quædam particularia pertinẽtia ad singulos status.

Nota autem Primò, debere hæc scire non perfectè, sed mediocriter, ita vt sciat dubitare. Secundò, excusari ignorantiam Confessarij, quãdo in articulo mortis non est alius. Item in confessione venialium. Denique quando pœnitens est doctus & bonæ conscientiæ. De quo vide Nauarrum cap. 4. num. 8.

DVBIVM IX.

Vtrum Confessarius teneatur monere pœnitentem; quando videt illum versari in ignorantia Iuris *vel facti? V. g. Si aduertat & sciat illum contraxisse matrimonium in gradu prohibito, sed bona fide. Item retinere bona fide alienum.*

51 Opinio Adriani.

Adrianus quæst. 5. *De Confessione* dub. 7. existimat, quando ignorantia est *Iuris diuini*, siue sit vincibilis, siue inuincibilis, debere eum moneri: quando autem ignorantia est *Iuris hu-*

Digitized by Google

mani, ſi quidem ſit vincibilis, debere moneri; ſi autem inuincibilis, non debere. Probat ex cap. 20. Actor. v. 26. *Mundus ego ſum*, ait Paulus, *à ſanguine omnium, non enim ſubterfugi, quo minùs annuntiarem vobis omne cõſilium Dei*: & ex Ambroſio ſerm. 84. *Malo vos contumaciæ cauſas reddere, quã me negligentiæ*. Verùm.

52 Craſsè ignorantem inſtruat confeſſor.

Dico Primò cum Dominico Soto diſt. 18. q. 2. art. 4. & Ioanne Medina codice *de Confeſſione* q. 19: Quando ignorantia eſt craſſa, ſiue contra Ius humanum, ſiue contra Ius diuinum, Confeſſarius tenetur pœnitentem monere. Ratio eſt, quia ille in illâ ignorantiâ conſtitutus peccat quotieſcumque ex illâ operatur: nam ignorantia craſſa non excuſat.

Similiter dubium vel rogantem.

Dico Secundò: Si pœnitens oſtendit ſe dubitare, vel habere ſcrupulum, vel etiam roget Confeſſarium, tenetur illum Confeſſarius circa hoc inſtruere: nam in tali caſu *tacere*, eſt *interpretatiuè conſentire*; cùm ex officio teneatur.

Item inculpabiliter ignorantẽ ſi ſpes profectus.

Dico Tertiò: Quando ignorantia eſt inuincibilis, id eſt, inculpata: & ſacerdos ſperat ſe inſtruendo profuturum, nec eſt metus notabilis incommodi, tenetur illum inſtruere. Probatur: Quia Confeſſarius ex officio eſt doctor, conſultor, & medicus pœnitentis: ergo tenetur illum inſtruere, optima conſulere, & omnino curare.

Niſi profectus ſit exiguus.

Aduerte tamen, ſi cõmodum, quòd ſperatur, non eſt magni momenti, probabile eſt Confeſſorem non teneri monere: vt, ſi aduertat pœnitentẽ poſt diligens examen oblitum alicuius peccati, vel ex ignorantiâ inculpata commiſiſſe aliquid contra legem diuinam vel humanam, neque eſt timendum rurſus idem commiſſurum. Ita Medina codice *de Pœnitentia* quæſt. 19.

Et pœnitẽs ſe rectè ex cuſſerit.

Vnde ſequitur Confeſſorem non teneri interrogare pœnitentem quando videt illum ſatis diligenter ſe excuſſiſſe, quamuis fortè aliqua alia eſſet eliciturus.

53 Inculpatè ignorantẽ, Confeſſor ne moneat ſi metuat graue incommodũ.

Dico Quartò: ſi putat non profuturam ſuam monitionem, vel ſecuturum graue incommodum, & pœnitens laborat ignorantia inculpata, ſiue ea ſit *Iuris* ſiue *facti*, & ſiue *Iuris diuini* ſiue *humani*, non debet monere. Ratio eſt: quia illa monitio eſſet inutilis, imò perniciosa, vnde nec in correptione fraterna ſimili caſu eſt adhibenda.

Reſpondetur argumentis Adriani.

Ad argumenta Adriani: Reſpondeo, Illa loca intelligi de Concionatoribus qui non debent celare veritatem propter aliquos, qui offendentur; nam loquuntur communitati, in qua ſemper ſunt aliqui quibus proderunt.

DVBIVM X.

Adquid tenetur Sacerdos, quando ex ignorantia, vel negligentia commiſit aliquem errorem in audienda confeſſione?

54 Si male monuit vel poſtea monere pœnitentem erroris: vel ſi non poteſt, tenetur de damno, ſi tamen culpa lata interceſſit. Ratio eſt, quia eſt cauſa damni.

nõ monuit circa reſtitutionem, quid faciet Confeſſor.

Aduerte tamen: Non teneri de damno, ſi culpa fuit leuis. Ratio eſt, quia confeſſio & abſolutio ſolùm fiunt in commodum pœnitentis: ergo Sacerdos non tenetur de culpa leui vel leuiſſima à ſe commiſſa circa pœnitentem.

Nec obſtat, quòd aliquod ſtipendium accipiat: quia ratione huius, non tenetur maiorem curam adhibere: nam etiamſi non acciperet, teneretur tamen ex officio ſeu ex iuſtitia.

Notandum tamen: Si ſolùm omiſit monere pœnitentem de reſtitutione, non teneri reſtituere parti. Ratio eſt, quia Sacerdos non habet obligationem ex officio vel iuſtitia, niſi ad ipſum pœnitentem; non autem ad creditorem pœnitentis.

55 quid ſi malè abſoluit circa cenſuras.

Dico Secundò: Si non abſoluit à cenſuris, vel non validè ab ijſdem abſoluit defectu poteſtatis; poteſt, & debet eum poſtea abſoluere, quamuis abſentem, impetrata poteſtate, ſi eã nõ habebat. Probatur, Poſſe: quia non requiritur præſentia, aut bona diſpoſitio, aut intentio pœnitentis, vt abſoluatur à cenſuris. Quòd autem debeat, Probatur: tum quia tenetur ex officio illum plenè abſoluere; tum quia hæc abſolutio eſt pœnitenti valdè expediens, & multorum iudicio neceſſaria, vt ſit particeps ſuffragiorum Eccleſiæ, imò vt ſit capax abſolutionis à peccatis (quamuis contrarium verius ſit:) ergo, cum facere poſſit, tenetur. Idem dico, ſi ille pœnitens erat Sacerdos illigatus irregularitate, ſuſpenſione, vel interdicto.

56 quid ſi nõ abſoluit, vel nonvalidè abſoluit à peccatis.

Dico Tertiò: Si pœnitentem non abſoluit à peccatis, vel non validè defectu iuriſdictionis, vel, nõ potuit à caſibus reſeruatis; ſi quidem præſentem habere, & ſine notabili incommodo monere poſſit, tenetur monere. Ratio eſt, quia ex quo pœnitens illi eſt confeſſus, Sacerdos ex officio tenetur curare, vt legitimè abſoluatur. Hîc tamen aduerte, Sacerdotem non poſſe agere cum pœnitente de ijs quæ ad præteritam confeſſionem pertinẽt, niſi priùs petitâ venià pœnitentis.

DVBIVM. XI.

Quid faciet Confeſſor, quando pœnitens eſt contrariæ opinionis? v. g. Pœnitens putat contra-Ctum aliquem eſſe licitum, Confeſſarius verò illicitum?

57 Reſpondeo: Si opinio pœnitentis eſt probabilis etſi Confeſſoris ſententia ſit probabilior, tenetur nihilominùs eum abſoluere, ſi eius confeſſionem audiuit, nec poteſt in ſuam ſententiam pertrahere. Ratio eſt; quia pœnitens non peccat ſequendo opinionem probabilem, ac proinde non poteſt ei negari abſolutio. Secùs eſt, ſi nullo modo ſit probabilis. Vide quę diximus 1. 2. quæſt. 19. art. 6. dub. 7. num. 51. & præcedentib⁹; vbi agitur, vtrùm in operando poſſimus ſequi opinionem probabilem, omiſſâ eâ, quam iudicamus probabiliorem.

Digitized by Google

QVÆSTIO IX.

De Qualitate Confeſsionis.

ARTICVLVS I.

Vtrum Confeſsio poſsit eſſe informis?

1 quid ſit *Confeſsio informis.*

NOtandum eſt Primò: *Confeſsionem informem* hîc vocari verum Sacramentum Pœnitentiæ, quod tamen non confert gratiam ob aliquod impedimentum: ſicut *Baptiſmus informis* eſt verum Sacramentum non conferens gratiam ob indiſpoſitionem ſuſcipientis: de quo multa diximus ſuprà quæſt. 69. art. 9. & 10.

Notandum Secundò: numquam poſſe peti, aut dari abſolutionem à peccatis, quando conſtat diſpoſitionem pœnitentis eſſe inſufficientem ad cõſequendam gratiam per Sacramentum: hoc enim eſſet ſacrilegium cõtra ſanctitatem, & expreſſam ſignificationem Sacramenti. His poſitis:

Quidam negant eam dari.

Prior ſententia eſt, nullam dari confeſſionem informem. Ita Ioannes Maior diſt. 17. quæſt. 3. & 9. Gabriel ibidem quæſt. 1. artic. 3. Adrianus quæſt. 5. de Confeſſione dubio 5. Ioannes Medina quæſt. 20.

2 Verius affirmatur.

Verùm contrariâ ſententia eſt communior, ſcilicet dari confeſſionem informem. Ita D. Thomas hîc, Durandus, Richardus, Capreolus, Paludanus diſt. 17. Caietanus Opuſculo *de Confeſſione* quæſt. 5. Sotus diſt. 18. qũ. 7. art. 2. Melchior Canus Relectione 5. de Pœnitentia p. 129. Navarrus in Capitulo *Fratres*, de Pœnitentiâ diſt. 5. num. 33. & in Enchiridio cap. 9. num. 13. & alij. Probatur: Quia in omnibus alijs Sacramentis hoc vſu venit, vt detur validum Sacramentum ſine effectu gratiæ, & ſubſtantia Sacramenti ſeparetur à ſuo effectu: vti ſuprà dictum eſt quæſt. 69. art. 10. dub. 3. Cur non etiam in hoc Sacramento? Confirmatur: Nam ratio, cur hoc in illis accidit, etiam in pœnitentia locum habet; nempe quia ſunt actiones Sacerdotij chriſti, ex ipſius inſtitutione & meritis vim habentes; ac proinde per ſe ſunt actiones viuę, etſi vitam ob indiſpoſitionem ſubiecti non præſtent.

3 Obiectiones.

Dices: Eſſe diſparem rationem. Primò: Quia in hoc Sacramento actus ſuſcipientis ſunt materia Sacramenti, inter quos vnus eſt contritio, vel attritio, quæ cum Sacramento ſufficit adgratiam: in alijs autem non reperitur talis materia. Secundo: Quia forma huius ſacramenti ſignificat remiſſionem peccati: vnde, ſi non fiat remiſſio, falſa erit forma; & conſequenter irritum ſacramentum.

Solutiones.

Ad Primum Reſpondeo: Ad ſubſtantiam huius ſacramenti non requiri ſemper contritionem, vel attritionem tam perfectam vt ſufficiat ad effectum ſacramenti conſequendum: vt oſtenſum eſt ſuprà qu. 1. *Additionum*, dub. 5. & vt docet Navarrus loco citato. Ad Secundum: Etiam forma Baptiſmi ſignificat ablutionem animi à peccatis; & tamen poteſt verus eſſe Baptiſmus, etiamſi anima non abluatur propter indiſpoſitionem ſuſcipientis. Sic & in propoſito. Et quamuis talis homo, quantum in ſe eſt, falſam reddat formam, tamen abſolutè forma non eſt falſa. Nam ſignificatio formę eſt ex inſtitutione Chriſti, ex qua non ſignificat hominem ſanctificari quomodocumq; diſpoſitum, ſed ſolùm legitimè diſpoſitum.

An forma in confeſſione informi ſit falſa.

Inſtabis: Iſte non eſt abſolutus apud Deum: ergo neque in ſacramento. Si enim eſſet in ſacramento abſolutus, etiam apud Deum eſſet; vt patet ex illo Matth. 18. v. 18. *Quæcumq; ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo*: Ioannis 20. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*: ergo cùm non fuerit data in effectu vera abſolutio, non fuit validũ ſacramentum.

Reſpondeo: Ipſum eſſe verè abſolutum in ſacramento, quantum neceſſe eſt ex vi ſacramenti, & ex vi auctoritatis ſacerdotalis: parique modo verè abſolutus eſt apud Deum: nam ex parte Dei & ſacramenti abſolutio fuit data, ſed propter hominis ineptitudinem, non habuit effectum. ſimile eſt in donatione factâ homini inhabili, quæ non habet effectum, donec inhabilitas ſit ſublata.

DVBIVM I.

4

Quibus caſibus ſit Confeſsio informis?

REſpondeo: aſſignari varios modos à Doctoribus. Præcipui de quibus dubitari poteſt, ſunt quinque. Informitas enim illa prouenire poteſt, vel ex parte doloris, vel ex parte propoſiti, vel ex parte examinis, vel ratione ignorantię peccati, vel denique ratione excommunicationis.

4 Informitas ex quintuplici capite.

1. Ex parte doloris.

Primus modus, qui ex parte doloris prouenire poteſt, eſt: Si quis doleat de peccato, ratione & ſpiritu merè humano commotus, non autem ex inſtinctu Spiritus ſancti. Hic modus inter omnes videtur maximè probabilis, vt patet ex ſuprà dictis quæſt. 1. *Additionum*, dub. 5. Credibile autem eſt hanc confeſſionem habituram effectum, quãdo poſteà acceſſerit legitima hominis diſpoſitio, ſcilicet contritio, vel ſaltem attritio legitima, ſicut dictum eſt ſuprà de Baptiſmo quæſt. 69. art. 9. & 10. Idem docet D. Thomas hîc, & Caietanus quæſt. 5. de Confeſſione, Petrus Soto, Canus, Silueſter, Paludanus.

5 2. ex parte propoſiti.

Secundus modus eſt ex parte propoſiti: Dum quis putat ſe habere propoſitum abſolutum non peccandi inpoſterum; quod tamen non habet, ſed ſolùm habet velleitatem & deſiderium quoddã imperfectum: vt frequenter accidit in ijs, qui ferè ſemper reincidunt in eadem peccata mortifera. Hic tamen requiritur, vt bonâ fide putet ſe habere legitimum propoſitum, eſſeque abſolutionis capacem.

Hic modus eſt probabilis. Sic enim docent multi graues Doctores: Paludanus, & Caietanus ſuprà. Franciſcus Victoria qu. 157. Sotus diſt. 18. quæſt. 3. art. 3. concl. 5. Canus ſuprà, & alij.

Propoſiti emendationis niſi ſit abſolutum confeſſio eſt irrita.

Sed omnino verius videtur, quando propoſitum abſtinendi non eſt abſolutum, ita vt homo paratus ſit ſeriò ſe emendare, ſacramentum eſſe irritum. Probatur: quia Concilium Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 4. eam contritionem, quam cap. 3. dixerat eſſe partem penitentiæ, explicans, definit eſſe *Dolorem de peccato commiſſo cum propoſito non peccandi de cætero*: atqui iſte, de quo agitur, non habet verum propoſitum non peccandi, ſed ſolùm habet velleitatem, & ſimplicem affectum, qui non excludit propoſitum abſolutum peccandi: ergo non habet partem pœnitentię eſſentialem. Confirmatur: Quia, qui dicit *vellem abſtinere*, reuerà non vult abſtinere: ſed potiùs, omnibus conſideratis,

vult persistere; quamuis optet hac difficultate, seu necessitate expediri.

Non sufficit hic bona fides.

Neque sufficit bona fides, qua putant se rectè dispositum. Quia hæc quidem potest excusare talem pœnitentem à peccato sacrilegij, non tamen potest supplere defectum partis necessariæ Sacramento.

Nequedolor post confessionem.

Pari modo non sufficit, vt legitimus dolor sequatur absolutionem, sicut sequitur satisfactio; quidquid dicat Canus. Quia dolor requiritur nõ solùm pro remissione pœnæ, sicut satisfactio, sed ad remissionem culpę & iustificationem: vnde debet antecedere absolutionem, per quam datur remissio culpæ.

Non sufficit te confiteri tuam indispositionem.

Quòd verò Victoria, & quidam alij addunt, eum qui aduertit suam indispositionẽ, & cognoscens esse peccatum sic accedere ad hoc Sacramẽtum, confitetur hoc suum peccatum, valide confiteri, nec teneri reiterare confessionem; non videtur probabile. Ratio est; Quia sponte committit sacrilegium in confessione, dum petit absolutionem aduertens in se defectum legitimi propositi: vnde non solùm non habet attritionem huius peccati, sed etiam habet actuale propositum illius committendi. Nam quicunque sciens & volens committit aliquod peccatum, necessariò habet illius propositum: nec fieri vllo modo potest vt simul de illo doleat.

6

5. Exporre examinis conscientiæ.

Tertius modus est: Si quis putet se feciſſe debitam diligentiam in examinanda conscientiâ, cùm tamen non fecerit, sicque bonâ fide confiteatur. Ita omnes Auctores suprà dicti.

Sed probabilius est, etiam hoc modo non dari confessionem informem. Nam vel illa negligentia est talis, vt cum ea confiteri sit peccatum mortiferum, vel veniale. Si veniale, nihil obstat, quominus consequatur gratiam; alioquin fatendum esset, quotiescumque aliqua parua negligentia committitur in examine, non conferri gratiam per absolutionem, quod est improbabile. Si verò est mortiferum, ergo confessio est nulla. Tum quia non est integra; omittit enim confiteri aliquod peccatum mortiferum ex magnâ negligentiâ, quando enim aliquid ex mortifera negligentia omittitur, censetur voluntariè omitti. Et quãmis formali & expressa intentione velit integrè confiteri, tamen interpretatiuè vult contrarium, ob mortiferam & grauem negligentiam se ad id parandi. Tum quia deest legitima attritio, quæ non potest consistere cum peccato mortifero actuali.

Contraria tamen sententia non est omnino improbabilis propter Auctores.

7

4. ex parte ignorantiæ peccatis.

Quartus modus est ratione ignorantiæ: dum quis omittit confiteri peccatum mortiferum, eò quòd ignorantiâ crassâ ignoret esse peccatũ mortiferum: quod sæpè accidit adolescentibus, qui nesciunt contactus aliquos turpes, vel delectationes morosas, & huiusmodi, esse peccata mortifera; idque eâ ignorantiâ quæ non excusat à peccato mortali, & idcircò non confitentur, neque proponunt abstinere.

Verùm talis confessio non solùm est valida, & consequenter non necessariò repetenda, vbi constiterit fuisse peccatum; sed etiam confert gratiam, si reliqua adsint, sicut possunt adesse. Ratio est: Quia talis non peccat, saltem mortiferè omittendo illud peccatum in confessione, quod ipse ignorabat, etsi ignorantia crassa esset peccatum: nam præceptum confessionis non obligat, nisi ad confessionem eorum, quæ scimus esse peccata, non autem obligat, vt de singulis inquiramus, an sint peccata, nisi dubitatio de aliquo in particulari occurrat. Vnde, etsi ignorantia illa sit crassa respectu operis faciendi, (hoc enim opus faciendum postulabat inquisitionem, an esset licitum facere:) tamen non est crassa respectu confessionis.

8

5. ex parte excommunicationis

Quintus modus est ratione excommunicationis: quando is, qui est excommunicatus, cupit absolui à peccatis, nesciens vel non aduertens se esse excommunicatum, idque culpabiliter; vel certè, nesciens esse sacrilegium ita petere absolutionem à peccatis. Ita Nauarrus cap. 4. num. 4. Caietanus Verbo *Absolutionis impedimenta*, & alij.

Verùm hic modus rarò venit vsu in praxi: nam is qui scit sese excommunicatum, potest confiteri & petere absolutionem. Vtrùm verò priùs debeat absolui ab excommunicatione, an à peccatis, relinquit iudicio Sacerdotis, qui in formula, qua Ecclesia, vbique vtitur, priùs solet absoluere ab excommunicatione, quantum potest, quàm absoluat à peccatis. Tamen si ponamus pœnitentem excommunicatum petere absolutionem à peccatis ante absolutionem excommunicationis, tunc distinguendum est: vel enim pœnitens scit se non posse absolui à peccatis, nisi priùs absoluatur ab excommunicatione; & tunc peccat mortiferè, & nulla est absolutio; quia non habet attritionem, cùm non habeat propositum non peccandi: fieri enim nequit, vt is qui actu peccat, habeat propositum non peccandi. Vel nescit se posse petere, idque vel ignorantiâ crassâ, & sic rursum non est attritus ob causam dictam; vel ignorantiâ probabili, putans bona fide se posse sic absolui; & tunc non impeditur effectus Sacramenti, modò Sacerdos habeat in illum iurisdictionem. Nam casus reseruatus, vel censura reseruata, dum pœnitens bona fide, & debita dispositione confitetur, non impedit fructum Sacramenti, iuxta probabiliorem sententiam; sicut neque illius casus, vel censuræ obliuio; vt rectè Nauarrus cap. 9. num. 4. & 7. Caiet. quæst. 5. de Confessione. Victoria quæst. 3. de Excommunicatione, & alij.

quid si excommunicatus prius petat absolutionem à peccatis quam ab excommunicatione.

DVBIVM II.

Quibus casibus confessio est inualida, ita vt sit repetenda?

REspondeo: Id prouenire ex aliquo defectu, vel in Confessario, vel in Pœnitente.

9

ex parte Confessionis inualida est confessio.

Ex defectu in Confessario. Primò: Si deest intẽtio absoluendi: quod tamen numquam est credẽdum, nisi ipse dicat. Vide quæ diximus de necessitate intentionis Ministri, in Tractatu de Sacramentis in genere, quæst. 64. art. 8.

1. Si deest intentio.

Secundò: Si omnino desit illi potestas iurisdictionis requisita ex parte materię, ita vt ne coloratum quidem titulum habeat: vt si fingat se Parochum, cùm non sit.

2. si deest iurisdictio

Habens *titulum coloratum*, validè absoluit.

Dicitur autem *Habere titulum coloratum*, qui etsi non habeat verè iurisdictionem completam, tamen vulgò putatur habere ratione beneficij ei collati, vel commissionis ei factę, etsi inualidè. Exempli gratia, si factus sit Parochus per simoniam occultam, vel si erat ei commissa iurisdictio, sed ea iam expirauit, & ignoratur: vide Nauarrum cap. 9. num. 11. tunc confessio ei bona fide facta valet, vnde non est necessariò repetenda.

Ratio est; Quia Ecclesia in hoc casu confert iurisdictionem, ne tot fideles immeritò decipiantur

cum magno animarum damno.

3. Si ſuſpẽſa iuriſdictio. Tertiò: Si poteſtas iuriſdictionis in eo ſit impedita: vt, ſi ſit denuntiatus de excommunicatione, ſuſpenſione, vel interdicto. Si tamen hic vadat aliò, vbi omnino hæc res ignoratur, validè poterit abſoluere: quia habet titulum coloratum.

4. Si deſit forma. Quartò: Si non abhibuit legitimam formam. Vide ſuprà dicta de Sacramentis in genere quæſt. 60. art. 8. dub. 1. & 2.

5. Ob eius ignorãtiã. Quintò: Si deprehendatur poſteà fuiſſe omnino ignorans, aut non intellexiſſe pœnitentem, ſic vt non cognouerit illius ſtatum.

excipe caſum bonæ fidei. In hoc tamen caſu probabile eſt, ſi confeſſio bona fide facta fuit, abſolutionem non fuiſſe irritam. Ita tenet Antonius Cordubenſis citans Gabrielem & Silueſtrũ, & quidam alij recentiores. Ratio eſt, Quia iſte pœnitens ex parte ſua integrè confeſſus eſt; & ex parte Sacerdotis ſcientia generalis, quâ intelligit pœnitentem ſe accuſare de peccatis, videtur ſufficere præcisè ad abſolutionem. Cognitio enim diſtincta peccatorum nõ tam ad abſolutionem, quàm ad ſatisfactionem, & remedia præſcribẽda videtur neceſſaria. Quod confirmatur: quia, qui ſic abſoluitur in articulo mortis, validè abſoluitur; vt infrà art. 2. dub. 2. dicemus: atqui articulus mortis non dat illi hãc poteſtatem abſoluendi cum generali cognitione: ergo ex ipſa natura rei ſufficit.

An tũc partialiter iteranda confeſſio. Aduerte tamen, talem confeſſionem poſteà videri iterandam, quâ parte intellecta non fuit; vt communiter Doctores docent. Etſi contrarium non ſit improbabile, vt docet Henriques lib. 2. de Pœnitentia cap. 14. citans pro ſe Cordubam, Gabrielem, & Silueſtrum.

10 ex parte pœnitentis fit irrita confeſſio. Ex parte pœnitentis eſt inualida & repetenda. Primò: Quando non eſt integra de induſtria, ob verecundiam, vel aliam cauſam non legitimam. Ob cauſam tamen legitimam poteſt interdum de induſtriâ fieri nõn integra. Pati modo, ſi ex craſſa negligentia non fuerit integra, iuxta ea, quæ ſuprà num. 6. diximus: quamuis Confeſſor hoc non facilè debeat iudicare, quando pœnitens pro ſuo modulo aliquam operam dedit.

11 Si ſpõte non eſt integra. Secundò: Quando non habet vllum dolorem, aut non habet abſolutum propoſitum abſtinendi impoſterum, vt ſuprà num. 4. & 5. dictum eſt.

12 Si deſit dolor &c. Tertiò: Quando non eſt paratus acceptare aliquam rationabilem pœnitentiam, aut certè non habet animum illius implendæ, idque ante abſolutionem. Tenetur enim acceptare aliquam pœnitentiam rationabilem, ſi Sacerdos velit. Neque contrarium eſt probabile, quidquid aliqui dixerint. Hoc enim apertè docet Concilium Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 8. *Habeant ſacerdotes præ oculis, vt ſatisfactio, quam imponunt, non ſit tantùm ad nouæ vitæ cuſtodiam, & infirmitatis medicamentum, ſed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & caſtigationem. Nam Claues ſacerdotũ non ad ſoluendum dumtaxat, ſed etiam ad ligandum conceſſas, etiam antiqui Patres & credunt & docent.* Ratio eſt; Quia fungitur officio Iudicis auctoritate diuinâ præditi: ergo eius ſententia obligat pœnitentem, multò magis quàm ſententia Iudicis ſæcularis, qui tamen ad mulctam ſubeundam poteſt obligare. Vnde non poteſt pœnitens dicere, *Nolo hîc ſatisfacere, ſed ſatisfaciam in Purgatorio.* Quòd ſi pœnitentia illi videtur nimis grauis, roget Sacerdotem vt illam mitiget. Quòd ſi, dum pœnitentia iniungeretur, habuit animum implendi, poſteà tamen neglexit, vel etiam contempſit, non tenetur priorem confeſſionem repetere, vt falsò quidam exiſtimarunt; ſed ſufficit confiteri illud peccatum neglectæ pœnitentiæ. Et ratio eſt, quia peccatum ſequens non poteſt Sacramentum, quod præceſſit, reddere irritum: nam natura Sacramenti, eiuſque effectus non pendet ab euentu futuro.

Confeſſio quomodo iteranda. Notandum hîc eſt: Si quis inualidè confeſſus redeat ad eumdem Confeſſarium, qui adhuc aliquo modo ſaltem in confuſo, meminit peccatorum, vel ſtatus pœnitentis, vel ſaltem pœnitentiæ quam iniũxerat, ſufficere vt confiteatur peccata omiſſa, relictis ijs quæ anteà fuit confeſſus: ſic enim poterit ab omnibus abſolui; vt docet Nauarrus cap. 9. num. 19. Medina, Paludanus, Richardus. Quòd ſi Confeſſarius ille, quem adit, nullo modo meminerit, vel ſi alium adeat, tenetur ex integro omnia priora confiteri.

ARTICVLVS II.

Vtrum Confeſſio debeat eſſe integra?

RESpondetur: Confeſſio debet eſſe integra omnium peccatorum, quę poſt diligens examen memorię occurrunt: idque iure diuino eſt neceſſarium. Eſt fide tenenda. Patet ex Concilio Trid. ſeſſ. 14. can. 7. vbi hoc expreſsè definitur: & ex teſtimonijs Scripturæ, Conciliorum & Patrum ſuprà q. 6. d. 1. allatis. 11 Integram eſſe debere confeſſionem, eſt de fide.

Hinc ſequitur neceſſarium eſſe confiteri omnia peccata ſecundùm ſuas ſpecies, numerum, & circumſtantias ſpeciem mutantes: quod etiam fide tenendum eſt ex iiſdem locis Legatur diligenter cap. 5. & can. 7. ſeſſ. 14. & Concil. Lateranenſe cap. 21. Ratio eſt: quia ſine numero & circumſtãtijs nec pœnitens poteſt confiteri omnia peccata, à quibus debet abſolui; nec Sacerdos poteſt cognoſcere, à quibus debeat abſoluere.

12 explica numerum vt potes. Notandum tamen Primò: Si pœnitens adhibitâ diligentiâ non poſſit certum numerum inuenire, ſatis eſſe, vt dicat *plus minus*, quantum illi videatur. Vel ſi hoc non poteſt, aperiat ſuam cõſuetudinem, quanta & quàm diuturna ea fuerit: ſic enim poterit intelligi eius ſtatus. Ita militi ſatis erit dicere, ſe quotidie blaſphemare, quando datur occaſio, tali vel tali modo blaſphemiæ. Vſurario, ſe iam triennum omnibus aduentantibus dare ad vſuras. Meritrici, ſe quinquẽnium omnibus expoſitam.

Examẽ ſit iuxta cõditionem pœnitẽtis. Notandum Secundò: Eam diligentiam in examine requiri, quam quis pro ſuo captu in re ſeria adhibere ſolet. Vnde Ruſtici, & homines ſimplices cum modica diſcuſſione poſſunt audiri; quia parum ſunt idonei ad vitam præteritam excutiendam, & interrogatio Sacerdotis ſupplet. Vide Nauarrum in Capitulum *Fratres*, de Pœnitentia diſt. 5. nu. 65. & ſequentibus.

DVBIVM. I.

Vtrùm aliquando fieri poſſit Confeſſio non integra; & quibus caſibus?

13 RESpondeo: Poſſe, & debere interdum fieri confeſſionem non integram: nempe quotieſcumque interuenit iuſtum impedimentum, ſiue ex parte Pœnitentis, ſiue ex parte Confeſſoris.

Si pœnitẽs amittat loquelam. Primò: Si pœnitens dicto vno, vel altero peccato, amittat loquelam: tunc enim eſt abſoluendus. Ratio eſt; Quia hæc confeſſio eſt integra ſicut eſſe poteſt. Sicuti enim obliuio non tollit in-

tegritatem confeſſionis neceſſariam, ita nec impotentia.

Si periculũ mortis.

Secundò: Quando multi ſunt audiendi, & ob temporis breuitatem & periculum mortis ingruens, non poſſunt omnia dici: vt in naufragio, inuaſione hoſtili, & ſimilibus periculis.

14 Si metuat inde dãnũ.

Tertiò: Quando probabiliter timet aliquod notabile damnum ſibi, vel alteri ex confeſſione certi peccati obuenturum: exempli gratia, reuelationem peccati, odium graue, ſollicitationem pudicitiæ, vel etiam damnum temporale: Ratio eſt, Quia, dum pœnitens alteri timet malum ex ſua confeſsione, eſſet contra charitatem vel iuſtitiam, illud confiteri. Si ſibi timet malum, eſſet contra illam inclinationem vitandi proprij damni, quæ adeò naturalis eſt, vt humanæ imbecillitati non ſit conſentaneum obligari ſponte contra facere per nudum præceptum poſitiuum: vnde cùm *Iugum Domini ſit ſuaue*, non eſt credibile in tali caſu obligari.

Non tamẽ excuſat propriave complicis infamia apud ſolũ Confeſſarium.

Notandum autem, hoc damnum, quod timetur, debere eſſe notabile. Si enim ex mea confeſſione nihil aliud ſequeretur, quàm mala opinio Confeſſoris de me, vel de perſonâ peccati ſociâ, non poſſem omittere illud peccatum, aut neceſſariam circumſtantiam: vt ferè omnes Doctores docent: D. Thomas, Alexander, Bonauentura, Paludanus, Henricus, Durãdus, Richardus, Gabriel, Antoninus, Adrianus Papa, Sotus, Caietanus, Angelus: quos citat Petrus Nauarra lib. 2. cap. 4. num. 27. Ratio eſt duplex: Prior, Quia non eſt per ſe infamia, aut notabile damnũ, quòd vni apetiantur mea peccata, quando nihil inde aliud ſequitur: ſicut neque eſt notabile bonum, quod vnus ſciat meas virtutes, qui numquam id poteſt exterius oſtendere; vt rectè docet Petrus Nauarra loco citato. Si enim id notabile incommodum fuiſſet, Dominus confeſſionem peccatorum non præcepiſſet. Vnde meritò, propter integritatem huius Sacramenti, poterit tale peccatum aperiri. Secunda Ratio eſt: Quia Chriſtus ita inſtituit hoc iudicium pœnitentiæ, vt voluerit eſſe integrum & completum, id eſt, continere integram peccatorum abſolutionem: ergo etiam inſtituit & præcepit omne illud, quod per ſe eſt neceſſarium ad hãc integritatem: atqui commiſſo tali peccato, per ſe neceſſarium eſt ad integritatem huius iudicij, vt Sacerdoti ſpecies, & circũſtantia mutans ſpeciem, aperiatur: ergo hoc ipſum Dominus præcepit, quando nihil aliud incommodi inde ſequitur, quàm quod Sacerdos illam perſonam cognoſcet: (hoc enim per ſe ſequitur ex confeſsione) præſertim cùm non cognoſcat, niſi vt fungens auctoritate diuinâ.

15 Confitere Sacerdoti qui cõplicem non nouit.

Hic tamen Aduerte Primò: Si pœnitens poſsit commodè alteri confiteri, qui ſocium criminis non cognoſcet, tenetur ſaltem ſub veniali peccato: quia tunc non habet iuſtam cauſam ſic confitendi vt alterius peccatum aperiat.

Si confeſſarius cõplicem inde cõijcict quid agã?

Aduerte Secundò: Non eſſe improbabile tale peccatum, ſeu circumſtantiam poſſe, ac proinde debere taceri apud Confeſſarium, qui inde ſocium conijciet. Ita enim tenet Nauarrus cap. 7. num. 3. citans Hoſtienſem & Innocentium. Idem tenet Viguerius de Confeſsione. §. *Quòd ſi non poſſum*, verſiculo 27. Bannes 2. 2. quæſt. 33. art. 8. & alij eiuſdem Ordinis. Iuxta hanc ſententiam pœnitens, ſi non poſsit alteri confiteri, & præceptum vel conſuetudo confitendi vrgeat, debet omittere illam circumſtantiam vel illud peccatum; &, ſecundùm quoſdam, debet confiteri interim affectum, tacito opere externo.

DVBIVM II.

Vtrùm poſsit abſolui æger, qui Confeſſarium vocauit, & ante eius aduentum vox ei intercipitur?
Item: *An is qui non valens confiteri in genere vel ſpecie, ſolùm dedit in extremis ſigna contritionis mundando pectus, eleuando oculos in cælum, &c?*

16 quidam negãt poſſe abſolui.

QVidam putant, non poſſe abſolui. Fundamentum præcipuum eſt, quia deeſt materia confeſſionis. Ita Abulenſis in cap. 16. Matthæi quæſt. 79. Melchior Canus relectione 5. fol. 141. Dominicus Soto diſt. 18. quæſt. 2. art. 5. Ioannes Medina quæſt. 53. codice de Confeſſione Nauarrus in Enchiridio cap. 26. num. 27. & cap. 27. num. 268.

Veriùs affirmatur.

Sed dicendum eſt; Probabilius eſſe, talem debere abſolui. Probatur Primò: Ex Concilio Arauſicano can. 12. *Subitò obmutescens, & baptizari, & pœnitentiam accipere poteſt, ſi voluntatis præteritę teſtimonium aliorũ verbis habet, vel præſentis in ſuo nutu.* Et Concilium IV. Carthaginenſe cap. 77. *Is, qui in infirmitate pœnitentiam petit, ſi caſu, dum ad eum ſacerdos venit, oppreſſus infirmitate obmutuerit, dent teſtimoniũ, qui eum audierunt, & accipiat pœnitentiã: & ſi continò creditur moriturus, reconcilietur per manus impoſitionem, & infundatur ori eius Euchariſtia.* Idem præcipit Leo I. epiſtola 91. *His, qui in periculi vrgentis inſtantia præſidium pœnitentiæ, & mox reconciliationis implorãt, nec actio illis Pœnitentiæ nec Communionis denegetur, ſi eam, amiſſo etiã vocis officio, per indicium integri ſenſus quærere cõprobitur. Quòd ſi aliqua agritudine ita fuerint aggrauati, vt quod paulò antè poſcebant, ſub præſentia Sacerdotis ſignificare non valeant, teſtimonia eis fidelium circumſtantium prodeſſe debebunt, vt ſimul & pœnitentiæ & reconciliationis beneficium conſequantur.*

Arauſicanum. Carth. IV Leo.

17 1. Aduerſariorum reſponſio.

Ad hæc Reſpondent Primò: His locis agi ſolùm de reconciliatione eorum, qui erant excommunicati, & egebant abſolutione ab excommunicatione.

Refellitur

Sed contrà. Primò: Quia Concilium Arauſicanum *accipere pœnitentiam* coniungit cum *baptizari*: intelligit ergo Sacramentum. Idem facit Cõcilium Carthaginenſe & Leo. Secundò: Quia *accipere pœnitentiam*, numquam accipitur apud veteres pro *accipere abſolutionem ab excommunicatione*, ſed *accipere ſacramentum Pœnitentiæ*; vt patet ex epiſtola 2. Cęleſtini I. vbi dicitur, *Sacerdotem, qui in extremis pœnitentiam negat, eſſe reum animarum.* Idem patet ex verbis Leonis, qui *pœnitentiã* vocat *actionem pœnitentiæ*, quæ datur in ipſo Sacramento, dum imponitur ſatisfactio pro peccatis: *Reconciliationem* autẽ vocat *abſolutionẽ à peccatis*, vt patet ex decurſu totius epiſtolæ. Tertiò: Patres & Concilia non fuiſſent adeò ſolliciti de abſolutione ab excommunicatione, vel de aliqua reconciliatione non Sacramentali, ſine qua infirmi facilè poterant ſaluari, & quę etiam poſt mortem poterat impendi.

2. Aduerſariorum reſponſio.

Reſpõdent Secundò: Agi de abſolutione eorum, qui agebant pœnitentiam publicam, qui initio Quadrageſimę confitebantur, & circa Paſcha abſoluebantur: hi, ſi interim incidiſſent in morbum, poterant abſolui ſine alia confeſſione. Ita Canus.

Refellitur

Sed hoc facilè refellitur ex Leone, qui grauiter reprehendit eos, qui maturæ non poterant pœnitentiam, dum ſani ſunt: at hi non erant reprehendendi, quia non poterant petere abſolutionẽ

ante tempus ſtatutum. Deinde qui iam publicam agebant penitentiam, non dicebantur *petere pœnitentiam*, ſed *agere*: erat enim ſatisfactio Sacramentalis; nihilque petebant aliud, quam Abſolutionem.

18 Auguſtin. Probatur Secundò eadem ſententia ex D. Auguſtino lib. 1 *De adulterinis Coniugijs* cap. vltimo, vbi idem docet quod Leo, & Concilia citata.

Sacerdotale Rom. Probatur Tertiò: Ex Sacerdotali Romano approbato à Leone X. vbi in tractatu de Sacramento Penitentiæ cap. 20. fol. 65. eadem ſententia habetur.

Alcuinus. Præterea hanc ſententiam tenet Alcuinus lib. de diuinis Officijs §. *De infirmis* in fine pagine 94. vbi dicit: *Ægris qui non poſſũt exprimere quod paulò antè poſcebant, teſtimonia fideliũ debere prodeſſe; vt ſcilicet pœnitentiæ & reconciliationis beneficiũ aſſequantur.* Et D. Thomas Opuſculo 65. capite *De extrema vnctione: ſi infirm⁹*, inquit, *qui petit vnctionem, amiſit notitiã, vel loquelam, antequam ſacerdos veniat ad eum, nihilominus vnget eum ſacerdos: quia in tali caſu deberet etiã baptizari & abſolui.* Vbi patet eum loqui de abſolutione Sacramentali, quod eſt contra Nauarrum: nam coniungit eam cum Baptiſmo. Hãc quoque ſententiam tenet D. Antoninus parte 3. titulo 10. capite 2. his verbis: *Si infirmo petente ſacerdotem, interim dum veniret, obmutuit, vel effectus eſt phreneticus, aut amens, ſacerdos adueniens ſiue ad nutum infirmi, ſiue ad teſtimonium illorum qui audierunt illum petentem pœnitentiam, vel ſacerdotem, debet ei impẽdere quidquid poteſt humanitatis, abſoluendo, reconciliãdo.* Denique plurimi recẽtiores, quos citat Alponſus Vialdus fol. 121.

D. Antoninus.

Viualdus.

Ratio concluſionis. Ratio eſt: Quia hîc eſt ſufficiens materia Sacramenti Penitentiæ: nam ad hoc Sacramentum ſufficit ea peccati explicatio, quam homo pro ſua facultate præſtare poteſt. Cuius ſignum eſt, quod homo, ſi non poſſet, niſi vnum veniale explicare, omnium iudicio deberet abſolui: nam ſe accuſat, ſuaque peccata explicat quantum poteſt: ergo qui in articulo mortis dat ſignum contritionis, non valens amplius facere, debet abſolui: nam hoc ſigno cenſetur ſe accuſare de ſuis peccatis in ordine ad abſolutionem: ſicut enim confitemur voce, ita etiam geſtu, quando aliter nequimus. Hinc patet Reſponſio ad fundamentum ſententiæ contrariæ.

19 Reſpondetur ad rationes oppoſitæ ſententiæ. Contrà: Obijcitur Primò: Abſolutio eſt actus iudicialis, qui non poteſt exerceri, niſi cognitâ cauſâ in particulari: ergo &c.

Reſpondeo: Etſi id ordinariè verum ſit, ſcilicet quando cognitio particularis cauſæ poteſt haberi; tamen quando non poteſt haberi, ſufficit cognitio generalis, præſertim ad abſoluendum: ſicuti videmus ſufficere cognitionem dimidiatam quando integra haberi nequit. Sic etiam Eccleſia abſque particulari cauſæ cognitione abſoluit ab omnibus cenſuris. Atque hoc maximè locum habere debet in articulo mortis, vbi non eſt neceſſe imponere penitentiam, ſaltem exactã, ob quam potiſſimũ crimina in particulari cognoſci debẽt.

Obijcitur Secundò: Per illa ſigna contritionis Sacerdos non plus cognoſcit de ipſius peccatis, quàm anteà; cùm etiam homo ſanctiſſimus poſſit ea edere: ergo &c.

Reſpondeo: Si ille infirmus confiteretur, in vitâ ſuâ ſe dixiſſe vnum verbum otioſum, ſine dubio deberet abſolui: & tamen Sacerdos per hoc non plus cognoſcit de peccatis ipſius, quàm anteà. Satis ergo eſt, vt cognoſcat alio modo, ſcilicet per aliquam ſignificationem penitentis editam in ordine ad abſolutionem.

Obiicitur Tertiò: Concilium Tridentinum ſeſſ. 14. can. 9. dicit anathema ei, *Qui dicit confeſſionẽ pœnitentis non eſſe neceſſariam, vt poſſit à ſacerdote abſolui*: & loquitur de confeſſione in particulari.

Reſpondeo: Concilium agit contra hæreticos, & loquitur de eo, quod ordinariè neceſſarium eſt, & extra caſum neceſſitatis. Nam ſimili modo definit confeſſionem debere eſſe integram, cùm tamen conſtet ex cauſa poſſe dimidiari.

20 Tenetur quilibet Confeſſor in dictis caſibus abſoluere. Notandum hîc eſt Primò: Etiam illum, qui tenet contrariam ſententiam, debere in praxi vti hâc noſtrâ: tum quia tenetur abſoluere pœnitentem qui tenet probabilem ſententiam, etiamſi ipſius ſit probabilior: tum quia eſſet contra charitatem in hoc articulo denegare abſolutionem, quam ſine peccato poteſt impendere. Nam certum eſt hanc ſententiam in praxi eſſe ſecuram, & paſſim vbique ſeruari.

Non dans vllum ſignum doloris non poteſt abſolui. Notandum Secundò: Si pœnitens nullum ſignum cõtritionis dederit, non poſſe abſolui: quia deeſt materia huius Sacramẽti. Ianſonius & quidam alij putant poſſe abſolui, etſi non petierit, nec ſignum vllum dederit. Probat ex D. Auguſtino lib. 1. de Adulterinis coniugijs cap. vltimo. Sed manifeſtè Auguſtinus loquitur de eo qui agit pœnitentiam, vt aſſequatur ab Eccleſia abſolutionem. Talis autem iam ſignum dedit doloris, & petijt Sacramentum reconciliationis.

DVBIVM III.

Vtrùm teneamur confiteri peccata in præcedenti confeſſione per obliuionem vel ignorantiam inculpatam omiſſa?

21 Affirmatur. REſpondeò: Omnes fideles iure diuino ad confitẽda omnia peccata mortifera per obliuionem vel ignorantiã inculpatam, etiam poſt diligens examen in priore confeſſione omiſſa, obligantur quando poſtea memoriæ occurrent.

à conſenſu DD. Probatur Primò: Quia id docet communis DD. conſenſus. Omnes enim conſentiunt, eum, qui in confeſſione annua oblitus eſt aliquod peccatum etiam inculpatè, ſi poſteà memoriæ occurrat, teneri illud confiteri etiam anno tranſacto; etſi in eo diſcrepent, vtrùm ſtatim teneatur, an poſſit differre in alterum Paſcha: nec quiſquam eſt inter probatos Auctores qui de hoc legatur dubitaſſe.

à praxi eccleſiæ. Probatur Secundò: Quia id declarat vniuerſalis Eccleſiæ praxis; vt conſtare poteſt ex ijs qui in Italia, Hiſpania, Gallia, Germania ſcripſerunt de hac re. Non enim dubitari poteſt, quin ita vbique ſeruetur in Eccleſia, ſicut DD. paſſim per orbem diffuſi faciendum docent. Nam Epiſcopi & Parochi & Religioſi communem Doctorum ſentẽtiam in ſacramentorum miniſterio ſequuntur.

Ex Script. Probatur Tertiò: Quia idem confirmari poteſt ex illa ſententia Domini, Ioannis 20: *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis* &c. adiuncta interpretatione vniuerſæ Eccleſiæ, quæ vt Concilium Tridentinũ ſeſſ. 14. cap. 5. ait, *Semper intellexit ex verbis prædictis, inſtitutam eſſe à Dño integram peccatorum confeſſionem: & omnibus poſt Baptiſmum lapſis, iure diuino neceſſariã exiſtere.* Atqui reipſâ integra non eſt confeſſio, in qua aliquid per obliuionem omittitur, licet opinione & intentione confitentis integra ſit, & ideò gratiam conſequatur: ergo adhuc manet obligatio illa cõfitendi velut in habitu, licet ob impoſſibilitatẽ ſit ſopita, ac proinde ipſe excuſetur à trãſgreſſione:

nemo enim potest confiteri quod ignorat. Confirmatur, quia ante confessionem priorem, ille verè ex parte rei erat obligatus ad confitendum illud peccatum cuius nõ meminit, (vt facilè probari potest:) sed hæc obligatio non extinguitur per confessionem secutam; nam in ea non confitetur illud peccatum: ergo illa obligatio manet post illam confessionem velut in habitu, & vim suam exeret simulatque memorię occurret. Simile videm⁹ in obligatione restitutionis, quę per obliuionem vel ignorantiam iniuriæ, non extinguitur in reipsâ, sed sopitur: quando autem in mentem venit iniuriam illatam esse, rursus vim suam exerit. Sic quoque peccato perpetrato, statim oritur obligatio confessionis, quæ est veluti restitutio quędam honoris diuini violati, eaque per obliuionem non extinguitur, sed sopitur tãtummodò. Omitto alia quæ in hanc sententiam adduci possent, cùm sit res indubitata.

Neque hinc sequitur confessionem integrã fore conscientiarum carnificinam, vt dicit Lutherus in Assertione art. 9. Nam etsi obligemur reipsâ ad confitẽdum omnia peccata, etiam oblita; tamen hæc obligatio vim suam nõ exerit nisi circa ea peccata, quę post diligens examen, memoriæ occurrunt. Vnde in actu secũdo & in exercitio, non obligamur nisi ad ea confitenda quę memoriæ occurrunt. Vnde qui pro suo captu conuenientem diligentiam adhibuit in conscientia excutienda, & debito cum dolore, & emendationis proposito confessus est ea, quæ tunc occurrerunt, nõ debet esse ampliùs anxius de vlteriori examine vel confessione. Quòd si aliquid spõte occurrat, quod illi cõstat omissũ, potest id sine anxietate & carnificina conscięntiæ confiteri; idq; poterit quotiescumque aliquid noui occurret, quod illi constabit prętermissum. Quòd si illi sit probabile non esse omissum, non tenetur confiteri. Hîc sanè nulla est carnificina, nulla causa anxietatis rationę illius peccati cõfitendi, quod omissũ esse constabat. Esset autem carnificina conscientiarũ, si in actu secundo obligaremur absolutè omnia confiteri, sic vt, si forte aliquid per obliuionem omitteretur, irrita esset confessio, eiusque præcepto non satisfieret ex parte hominis. Quo modo hæretici doctrinam Ecclesię accipiunt: hinc etiã colligentes confessionem, quam Ecclesia præcipit, esse impossibilem: nam reuerâ sic maximè anxias redderet conscientias, & saepè impossibilis esset vera & legitima confessio. Quare Concilium Tridentinum vt vtramque hanc calũniam refutaret, sic ait sess. 14. c. 5. *Constat nihil aliud in Ecclesia à pœnitentibus exigi, quàm vt postquam quis se diligẽter excusserit, & conscientiæ suę sinus omnes & latebras explorauerit, ea peccata confiteatur, quibus se Dñm & Deum suum mortaliter offendisse meminerit: reliqua autẽ peccata, quę diligenter cogitanti nõ occurrunt, in vniuersũ, eádem confessione inclusa esse intelligũtur: pro quibus fideliter cũ Propheta dicimus, Ab occultis meis munda me Domine.* Quibus posterioribus verbis, non vult Concilium significare peccata quæ non occurrũt, sic censeri inclusa, vt non debeamus ea postea speciatim confiteri si memoriæ occurrant; sed vt non reddant confessionem irritam & infructuosam, cùm ab illis etiã, etsi indirectè & ex consequenti, liberemur. Hanc esse Concilij mentem patet ex scopo Concilij. Scopus enim Concilij erat ostendere confessionem vt ab Ecclesia præcipitur. non esse carnificinam conscientiarum, aut impossibilem, Atqui ad hoc, non erat necesse ostendere peccata omissa non esse confitenda; sed satis erat docere ad præceptum confessionis implendum, & fructum consequendum, sufficere vt quis omnia confiteatur quæ memorię post diligens examen occurrunt; & propter ea quæ obliuione omittuntur, non impediri fructum, aut integritatem confessionis reddi impossibilem: eò quòd peccata omissa generatim intentione & bona fide confitentis (qui intendit, & bona fide existimat se omnia confiteri) intelligantur contineri.

22 Hinc malè inferunt hæretici conscientiarum carnificinam.

Hinc patet, quid respondendum sit ad rationes quæ contra obiiciuntur. Prior est: Peccata omissa inclusa sunt eádem confessione, iuxta Concilium Trident. & subsecutâ absolutione verè dimissa sunt: quid ergo constringit & vrget ad eorum postea confessionem?

23 1. obiectio ex Trid.

Respondeo: Peccata omissa intelliguntur in vniuersum eâdem confessione inclusa; non quia reipsa sufficiẽter explicata sunt (hoc enim implicat contradictionem:) sed quia intentione & bona fide cõfitentis inclusa censentur; sic vt neque fructũ confessionis, neque integritatem necessariam ex parte pœnitentis impediant. Similiter dicũtur dimissa secutâ absolutione, non directè, sed indirectè. Nam cui remittitur vnum peccatũ mortiferum, necesse est remitti concomitanter omnia; eò quòd remissio vnius non fiat, nisi per infusionem gratiæ, quæ concomitãter necessariò excludit omnia reliqua. Hinc tamen non sequitur, nos non teneri ea postea confiteri cùm in memoriam venerint, vt directè ab illis absoluamur. Nam omnia subiici Clauibus debent, vt omnes docent, & Concilium Trident. apertè insinuat cap. 5. in principio. Et cõfirmatur: quia alioquin is qui in discrimine vitæ, quando intercepta voce vel ratione, non nisi vnum vel alterum peccatum potuit confiteri, non teneretur postea restitutus sanitati cetera confiteri, cùm ab omnibus fuerit absolutus; quod tamen constat falsum est, vt superiore dubio dictum est.

Soluitur.

Altera obiectio est: Confessio ob solam remissionem est absolutè necessaria. Nam extra necessitatem remittendi peccati, & tempus Paschale, nullum habemus confitendi præceptum: ergo cùm illa peccata obliuione omissa, sint remissa, non tenemur ea ampliùs confiteri.

24 2. obiectio quòd confessio ob solam remissionem sit necessaria.

Respondeo: Verum non esse, confessionem ob solam peccatorum remissionem esse necessariam, seu nos ad eam obligari, si per remissionem intelligitur remissio culpæ vel pœnæ. Patet hoc in exemplo allato, de eo, qui in extremis solum vnũ vel alterum peccatũ confiteri potuit. Item de eo, qui verâ contritionem de suis peccatis habuit ex amore Dei. Ratio autem cur præceptum confessionis obliget etiam remisso peccato, est, quia remissio peccati est finis huius præcepti, non substantia: atqui cessante fine in particulari, non idcircò cessat obligatio præcepti, modò nihil contrarium illi fini & intentioni legislatoris eueniat ex obseruatione; vt docent omnes Doctores: & patet in præcepto ieiunij, cuius finis est macceratio carnis; quod tamen non desinit obligare, etiamsi hac maceratione quis opus non habeat: & in præcepto baptismi, cuius finis est remissio peccati originalis, quod tamen non desinit obligare, etiamsi peccatum hoc remissum sit; vt patet Act. 10. v. 47. Idem patet in præcepto Eucharistiæ, & alijs multis.

Soluitur.

DVBIVM. IV.

Vtrùm liceat aliquando confiteri non integrè ratione caſus reſeruati?

15 Peccata quædam reſeruari poſſe, eſt de fide.

SVppono Primò: Poſſe ſuperiores Prælatos aliqua peccata grauiora, tum ratione culpæ, tum ratione cẽſuræ annexæ, ſibi reſeruare, à quibus inferiores non poſſint abſoluere: quod inde tenendum eſt. Patet ex Concilio Tridentino ſeſſ. 14. cap. 7. & canone 11. & Capitulo Si *Epiſcopus*, de Pœnitentijs, & remiſſionibus in 6. & ex perpetua Eccleſiæ conſuetudine, quam eſſe antiquiſſimam patet ex Cypriano epiſt. 13. Ratio eſt; quia etſi omnes Sacerdotes in ſua Ordinatione accipiant à Chriſto poteſtatem iudiciariam, quæ ex parte iudicis eſt neceſſaria, non tamen accipiunt ſubditos, in quos hanc exerant: ſed hos accipiunt à Pontifice mediatè vel immediatè, ſcilicet per Epiſcopos, & alios Prælatos. Sicut ergo in horũ poteſtate eſt dare hos vel illos ſubditos; ita etiam in poteſtate eſt ſubdere illos abſolutè, vel tantùm ſecundùm certos caſus. Quod vt interdum facerent, fuit conueniens ad diſciplinam populi Chriſtiani, vt ait Concilium Tridentinum: tum vt quorundam peccatorum grauitas magis innoteſceret, hominesque ſe magis ab illis continerent; tum vt efficacior medicina quibuſdã grauioribus peccatis adhiberetur. Simile videmus in Tribunalibus Principũ, qui multas cauſas ſuæ cognitioni reſeruare ſolent, quas inferioribus Iudicibus non permittunt.

Vtilitas reſeruationis.

16 In peccata purè mẽtali paſſim reſeruari.

Suppono Secundò: Hanc reſeruationem diſcretè fieri debere ad ædificationem, & non ad deſtructionem, vt inquit Concilium Trident. cap. 7. Hinc peccata purè mentalia non debent reſeruari. Si tamen ſuperior non concederet poteſtatem ea abſoluendi inferiori, habenti dũtaxat iuriſdictionem delegatam, valida eſſet reſeruatio: quia hæc iuriſdictio ex nudo Superioris arbitrio dependet. Secùs, ſi inferior haberet Iuriſdictionem ordinariam, vt Parochus: quia hæc Iuriſdictio nõ pendet ex arbitrio Superioris immediati, ſed ex ipſo Iure. Vnde inferior ſine iuſta cauſa non poteſt eâ priuari.

27 Nulla nuda culpa reſeruatur Papæ.

Suppono Tertiò: Pontifici nullos caſus eſſe reſeruatos, niſi ratione cenſuræ annexæ. Vnde ſi conſtat ſublatam eſſe cenſurã, vel eam non fuiſſe incurſam ob ignorantiam iuris vel facti, iſte caſus non erit ampliùs reſeruatus; vt tenet communis ſententia Doctorum. Vide Nauarrum cap. 27. num. 261. Epiſcopis autem reſeruantur etiam caſus ratione ſolius culpæ. Vide Nauarrum ibidem, & numero ſequenti. Et patet ex Synodo Mechlinienſi *De Sacramentis* capite 6. vbi reſeruantur Epiſcopo raptus virginum, homicidium, incendium deliberatum, ſimonia, ſodomia, hæreſis, apoſtaſia, incæſtus cum conſanguineâ aut ſanctimoniali, iniectio manuum in parentes cũ læſione, ſortilegium, adulterium notorium, & omnia delicta excõmunicationem maiorem annexam habentia. His poſitis.

Reſeruatur hæc Epiſcopis.

28 Superior non poteſt abſoluere à ſolis reſeruatis, remiſſo pœnitente pro ceteris ad inferiorem.

Reſpondeo & dico Primò: Quando pœnitens caſus habens reſeruatos, adit Superiorem vt ab eo abſoluatur, verius eſt Superiorẽ non poſſe audire ſola reſeruata, & ab ijs abſoluere, remiſſo pœnitente pro ceteris ad inferiorem: ac proinde non poteſt dimidiari confeſſio ratione caſus reſeruati. Ita Silueſter V. *Confeſſio* 1. quæſt. 19. Adrianus qu. 4. *de Confeſſione*. Melchior Can° Relectione *de pœnitentia* parte 5. & alij. Ratio eſt: quia integritas confeſſionis & abſolutionis eſt iuris diuini. Vnde, niſi cauſa legitima cogat, neq; cõfeſſionem dimidiare, neque ſuper dimidiatã ferre ſententiam abſolutionis licet: atqui hîc non interuenit cauſa legitima: nam vel Superior poteſt audire omnia, & ab omnibus abſoluere; vt ſi non habet tempus audiendi omnia, ſed ſolùm reſeruata, poteſt illum ſine abſolutione mittere ad inferiorem, cui integrè confiteatur, cum poteſtate, vt ab omnibus abſolui poſsit.

Contrariũ nõ eſt improbabile.

Notandum tamen eſt, Contrariam ſententiam eſſe plurimorum Doctorum, nempe ſuperiorem, præſertim Epiſcopum, & ſummum Pœnitentiarium Pontificis, poſſe audire ſola reſeruata, & ab ijs abſoluere Sacramẽtaliter, remiſſo pœnitente pro cæteris ad inferiorem. Ita tenent Henricus Quod l. 1. q. 29. Paludanus, & Richardus diſt. 17. Item Antonimus, Gerſon, Dominicus Soto, Petrus Soto, Ioannes Medina, Caietanus, & Nauarrus. Vnde non videtur improbabilis.

29 Inferior habentem reſeruata, nec ab his, nec ab alijs abſoluet.

Dico Secundò: Si pœnitens, habens caſus reſeruatos, confiteatur eos inferiori non habenti poteſtatem in illos, inferior non poteſt eum abſoluere, nec à reſeruatis, nec à nõ reſeruatis, extra articulum mortis. Tenet Richardus diſt. 17. art. 2. quæ. 8. ad 2. & Adrianus quæſt. 4. *de Confeſſione* §. *ſed dubium*: & colligitur ex Concilio Trident. ſeſſ. 14. cap. 7. vbi Concilium ait, *Inferiorẽ extra articulum mortis nihil poſſe in caſibus reſeruatis, ſed id vnum pœnitentibus perſuadere debere, vt Superiores pro abſolutione accedãt.* Colligit autem Concilium id ex eo, quòd ſententia lata in eum, in quem Sacerdos non habet iurisdictionem, ſit inualida. Item, quia Concilium dicit *In articulo mortis peccata non eſſe reſeruata, ne pereat quis ratione reſeruationis*: vbi apertè indicat Sacerdoti non eſſe licitum abſoluere vllo modo manẽte reſeruatione: ſi enim poſſet abſoluere, etiam indirectè, non eſſet periculum ne quis periret ratione reſeruationis. Vnde manifeſtè ſequitur non poſſe inferiorem abſoluere aliquem à reſeruatis. Sed quòd neque à non reſeruatis tunc poſſit abſoluere, patet; quia Iure diuino tã abſolutio, quàm confeſsio debet eſſe integra.

Dices: Ergo talis Confeſsio, & Abſolutio, etiamſi bonâ fide facta ſit, erit irrita.

Etſi bona fides intercedat.

Reſpondeo: Ita ſanè quidam Doctores ſentiunt, inter quos Richardus & Adrianus, & quidam huius ætatis: idque probant Primò: ex verbis Concilij citatis. Secundò, quia hoc Iudicium pœnitentiæ Iure diuino debet eſſe integrum, ſic vt non poſſit diuidi: ergo cùm inferior non habeat poteſtatem in peccata reſeruata, nec ſententia poſſit ferri in ſola non reſeruata, cùm abſolutio debeat eſſe integra, nihil efficiet. Tertiò: quia cenſura reddit in capacem abſolutionis. Hęc ſententia videtur ſatis conſentanea verbis Concilij.

30 Contrariũ eſt probabilius.

Verùm quia eſt admodum dura, magis probatur nobis contraria, quæ eſt communior Doctorum, ſcilicet, confeſſionem & abſolutionem eſſe validam, etiamſi pœnitẽs habeat caſum ratione culpæ vel cenſuræ reſeruatum, eumque cõfiteatur nõd habenti poteſtatem in illum caſum, modò bona fide ſic confiteatur, & ſacerdos iuriſdictionem habeat ſaltẽ in aliqua eius peccata mortifera. Ita Nauarrus cap. 9. nu. 4. & 7. & in capit. *Fratres*, de Pœnitentiã diſt. 5. num. 45. & 50. vbi citat multos alios: & Caietanus verbo, *Abſolutionis impedimenta*, & verbo *Cõfeſſionis iteratio*. Victoria quæſt. 3. *de excommunicatione*. Idem tenet Henricus Quodlib. 1. ſuprà. Durandus diſt. 17.

Digiti

quæst. 15. num. 8. Paludanus, Gabriel, Antoninus, Siluester, Ioannes Medina.

Ab incommodis.

Probatur; Quia alioqui plurimi fideles grauiter deciperentur cum magno salutis periculo, idque sine vlla sua culpa. Plerique enim Parochi & Confessores per orbem ignorant censuras & casus reseruatos, vnde sine discrimine absoluunt ab omnibus. Si hæc absolutio esset irrita propter reseruationem, fideles nihil ex ea perciperét fructus, & præterea tenerentur confessiones suas omnes repetere: quod sanè maximam perturbationem conscientijs, & damnum animabus afferret. Accedit: quod fideles non possint scire, an Parochus habeat potestatem absoluédi à censuris, vel à casibus reseruatis: vnde sine omni suâ culpâ priuarentur fructu Sacramenti, etiamsi facerent omnia, quę humano more facere debent, & possunt: quare meritò semper essent anxij. Et confirmatur: quia reseruatio debet *fieri ad ædificationem, & non ad destructionem*, vt dicit Concilium Trident. atqui si sic esset, facta esset in destructionem. Quare existimandum est, Ecclesiam in huiusmodi casibus tacito consensu dare iurisdictionem inferioribus, sicut dat ijs qui non habét titulum, nisi coloratum, vt Pœnitentes possint absolui à culpa & à censurâ ad effectum Sacramenti consequendũ, non tamen à reseruatione, sic vt maneãt posteà obligati se sistere superiori, vbi intellexerint casum reseruatum fuisse. Hoc enim modo consulitur fidelium saluti, & nihilominùs casuum reseruatio consequitur suum finem.

Censetur Ecclesia hic tacitè dare iurisdictionem

Vnde ad Primum Respondeo: Sacerdotem inferiorem extra articulum mortis nil il posse in casibus reseruatis. Primò, Nisi Ecclesia, tacito consensu, ratione bonæ fidei pœnitentis, det illi iurisdictionem, quasi per modum transeũtis. Secundò, & meliùs nihil posse licitè, & eo modo, vt tollat reseruationem. Hinc tamen non sequitur absolutionem esse irritam, si detur, quando Pœnitens bonâ fide procedit, quamuis Sacerdos peccet eam dando; sicut dictum est de eo, qui habet titulum coloratum. Si tam pœnitens sciret Sacerdoté non posse, non esset valida absolutio: tum quia tunc non subesset illa ratio concedendi iurisdictionem; tum quia peccaret petendo à Sacerdote, quod sine peccato non potest præstare.

31 Respondetur ad Tridentinum num. 29. citatum.

Episcopi possũt iure cõmuni absoluere à reseruatis Põtifici

Aduertendum autem est: Concilium signanter dixisse, *inferiores Sacerdotes*, id est, *inferiores Episcopis, nihil posse in casibus reseruatis extra articulum mortis*, quia Iure communi possunt Episcopi absoluere à casibus reseruatis pontifici, etiam extra articulum mortis, scilicet quando ad eum nõ patet facilis aditus ob ætatem sexum, debilitatem, vel aliam iustam causam; vt patet Capitulo, *De cetero*: & Capitulo, *Ea noscitur*: & Capitulo, *Quod de bis*, de Sententia excommunicationis. Posteà tamen sic absolutus, cessante impedimento, tenetur se præsentare Pontifici; vt patet ex eisdem locis.

Respõdetur ad alia argumẽta Richardi & Adriani.

Ad Secundum: Respondeo, Non diuidi hoc iudicium; quia inferiori censetur data potestas in hoc casu, tacito quodam Ecclesiæ consensu, quâ validè quidem, etsi non licitè, absoluit eum, qui bona fide ei confitetur. Potest etiam concedi illud iudicium diuidi, & Sacerdotem non rectè facere, tamen validè; quia in aliqua habet potestatem directam.

Ad Tertium: Excommunicatio pœnitentis non reddit illum incapacé absolutionis à peccatis, sicut neque gratię & iustificationis; sed solùm facit, ne quis licitè possit absolui à peccatis, vel aliud Sacramentum percipere ante absolutioné ab excõmunicatione. Quare si ignorantia excusset illum, valida erit absolutio.

Dices: Si Sacerdos inferior non potest licitè absoluere penitentem à casibus reseruatis, quid faciet penitens, si necessariò sit celebrandum, vel communicandum, nec possit adire superiorem?

32 In necessitate si non vales adire superiorẽ, conteritur.

Respondeo: In hoc casu potest communicare contritus sine confessione, tanquam non habens copiam Confessoris.

Aduerte tamen, quando aliqua talis necessitas vrget, non esse improbabile, Confessorem inferiorem posse licitè penitentem absoluere à casib⁹ reseruatis, si censuram annexam non habeant. Sic enim sentiunt plurimi Doctores suprà citati, qui non solùm tenent absolutioné esse validam, sed etiam Sacerdotem inferiorem posse sic absoluere, modò penitens non habeat censuram reseruatam; tunc enim fatentur Sacerdotẽ non posse sine peccato. Teneri tamen penitentem postea illud peccatum reseruatum confiteri superiori.

Probabile est te posse confiteri & absolui.

Quid facies si nulla vrget necessitas.

Non tamen videtur multùm probabile, quidquid Caietanus & alij quidam dixerint, posse sacerdotem absoluere à casu reseruato, etiam quãdo superior facilè adiri potest, & nulla necessitas vrget: nam Concilium Trident. satis apertè cõtrarium insinuat. Ratio est, quia si hoc esset permissum, tolleretur sollicitudo, quam Penitentes habere debent, vt absoluantur à reseruatis.

DVBIVM V.

Vtrùm, si quis confessus ei, qui habet potestatem absoluendi à reseruatis, fuerit oblitus confiteri reseruata, maneat reseruatio?

33 Probabile est nõ manere reseruationem.

Respondeo: Plurimorum sententia est, non manere reseruata, si obliuio pœnitentis fuit inculpata, ita vt non reddiderit irritam absolutionem: vnde posteà à quouis Sacerdote habente aliquam in illum iurisdictionem posse absolui. Ita tenet Couarruuias in Capit. *Alma*. 1. parte §. 11. num. 12. vbi citat multos alios, & Nauarrus in Enchirid. cap. 26. num 12. & 13. Ratio est, quia ille Sacerdos habens potestatem, siue ordinariâ, siue delegatam, intendit absoluere quantum potest: ergo etiam à reseruatis; saltem quoad reseruationem. Hæc sententia generatim est satis probabilis, & secura in praxi.

Forte argumẽtum in contrarium.

Dices: Reseruare peccatum, est adimere alijs potestatem absoluendi, & eam sibi retinere, & obligare pœnitentem ad sibi confitendum, vel alteri à se potestatem habenti, vt conueniens remedium & satisfactio debita adhibeatur: ergo non est in potestate, præsertim delegati, tollere illam reseruationem, nisi pœnitens confiteatur reuerà illud peccatum; quia delegatus non potest tolere obligationem à superiore impositã, nisi ex parte pœnitentis impleatur: ergo cùm pœnitens non sit confessus illud reseruatũ, non potuit esse ablata reseruatio: nõ enim liberatur quis obligatione confitendi superiori per hoc, quod indirectè ab aliquo peccato sit absolutus.

Respondeo: Hoc argumentum conuincere ita esse in rigore. Verùm contraria sententia probabilis est, & introducta per quandam *benignitatem*, ex tacito consensu superiorum, vt onus reseruationis subditis sit facilius. Qui enim bonâ fide confessus est Sacerdoti habẽti potestatem absoluendi à reseruatis, virtute & implicitè intendebat etiam reseruata confiteri; & omnino cõfessus fuisset, si memoriæ occurrissent: quæ inculpata

34 Sed excusat *ignorantia*.

obliuio non debet ei tãtum nocere, vt rurſus debeat ſuperiorem adire. Vnde ex quadã benigna interpretatione voluntatis, ſuperioris, id ei reputatur perinde atque ſi à reſeruatione abſolutus eſſet: quare ſufficit illud peccatum poſteà Parocho confiteri.

35 Si elegeris cõfeſſionẽ vi Iubilæi.

Aduerte Primò: Satis certum eſſe tolli reſeruationem omnem quando quis virtute Iubilæi eligit Confeſſorem, à quo abſoluatur ab omnibus reſeruatis: nam tunc cenſentur omnia peccata reſeruata fieri inſtar eorum peccatorum, quę non ſunt reſeruata.

Si caſus reſeruatus propter excõmunicationẽ.

Aduerte Secundò: Quando ſolùm caſus eſt reſeruatus ratione excommunicationis, probabilius eſſe tolli reſeruationem; etiamſi per obliuionem peccatum non explicetur. Ratio eſt, quia poteſt quis directè abſolui ab omni excommunicatione, etiamſi cauſa non ſit expreſſa in confeſſione. Vide Couarruuiam & Nauarrum locis citatis.

Si confeſſio fuerit inualida.

Aduerte Tertiò: Si pœnitens confeſſus ſit Superiori, vel habenti poteſtatem abſoluendi delegatam, peccata reſeruata deſinere eſſe reſeruata, etiamſi confeſſio fuerit inualida ob defectum doloris, integritatis, vel alium. Ita Antoninus 3. p. tit. 14. c. 18. §. 17. Silueſter V. Confeſſio 1. q. 19. Caietanus verbo Caſus reſeruatus. Ratio eſt, quia conſecutus eſt finem reſeruationis, qui eſt, manifeſtare peccatum Superiori vel delegato, vt de eo iudicium ferre, & accommodatum pœnitentiam poſſit imponere.

DVBIVM. VI.

Vtrùm ſolæ circumſtantiæ mutantes ſpeciem ſint confitendæ: an etiam aggrauantes?

36 quidam negãt circũſtantias enormiter aggrauantes eſſe cõfitendas. Verius affirmatur.

PLerique Doctores docẽt, illas quæ non mutant ſpeciem, quantumuis intra eandem ſpeciem aggrauent, non eſſe neceſſariò confitendas: Vide Nauarrum in Cap. *Conſideret*, de Pœnitentia diſt. 5. in principio num. 6. vbi hanc ſententiam tenet, & multos Doctores citat.

Hæc ſententia, etſi probabilis ſit ob authoritatem illorum Doctorum: Verius tamen videtur, eas circumſtantias, quæ enormiter aggrauant intra eandem ſpeciem, eſſe neceſſariò confitendas.

1. Si propter eas eſt annexa excõmunicatio.

Explicatur Exemplis: Primò: Si propter illam circumſtantiam erat excõmunicatio annexa Papalis, vel Epiſcopalis: vel ſi erat caſus ratione culpæ reſeruatus. Vt percutiens Clericũ, eſt excõmunicatus; ſed ſi leuiter percuſſerit, poteſt ab Epiſcopo abſolui; qui autẽ grauiter, à ſolo Papa abſoluitur: tamen hæ circumſtantiæ non mutant ſpeciem. Sic qui furatur bona naufragantium, eſt excommunicatus; ſine illa tamen circumſtantia fures non ſunt excommunicati. Vnde tales circumſtantiæ ſunt explicandæ: quod etiam cogũtur fateri Authores alterius ſententiæ.

2. Si plures ſimul iunctæ malitiæ.

Secundò: Quando peccatum recipit duplicẽ, vel triplicem, vel multiplicem malitiam in eadẽ ſpecie. Vt ſi quis vno eodemque deſiderio deſiderauit occidere quatuor homines, vel deſiderauit illicitum complexum quatuor mulierũ: etſi enim materialiter ſit vnus actus, ſunt tamẽ formaliter quatuor malitiæ. Similiter, ſi quis interfecit Ioannem, vt poſſet interficere Petrum, non ſufficit dicere, *occidi Ioannem, & volui occidere Petrum*; ſed debet dicere, ſe occidiſſe Ioannem ob talem finem: quia occiſio Ioannis duplici malitiâ homicidij contaminata eſt, ſcilicet intrinſecâ & extrinſecâ.

3. Ob quãtitat materiæ.

Tertiò: Quando ob materiæ quantitatem vnũ peccatum contrahit vnam malitiam, quæ pluribus in eadem ſpecie æquiualeat: hoc enim perinde eſt ac ſi eſſent plura peccata numero diſtincta: nam furtum cẽtum aureorum æquiualet decem furtis decem aureorum.

4 Ob quãtitatẽ temporis.

Quartò: Quando ratione quantitatis temporis, quo actus continuatur, eius malitia æquiualet pluribus peccatis. Vt ſi quis vno menſe fuiſſet occupatus ad vlciſcendum ſe de inimico vt eum interficeret. Idem de proſecutione puellę &c.

37 Rationes dictæ aſſertionis.

Nunc prob. Propoſitio: Primò, Nam ſæpè fit, vt circumſtantia intra eandem ſpeciem plus malitiæ adferat, quàm ſi transferret peccatum in alienam ſpeciem, aut eſſet duplex peccatum: ſed quando transfert in alienam ſpeciẽ, eſt neceſſariò confitenda; ſimiliter quando ſunt duo peccata: ergo etiam, quando enormiter auget intra eandem ſpeciem. Secundò: Si pœnitens non tenetur eas confiteri; ergo rogatus à Cõfeſſore poterit eas negare, ſaltem ſine nouo peccato mortifero; quod tamen nemo conceſſerit. Conſequẽtia patet: nam ſi Sacerdos interrogaret me de aliquo peccato veniali; poſſem negare me feciſſe, ſaltem ſic vt non peccarem mortiferè, quia non teneor illud confiteri: ergo ſimiliter. Tertiò: Sine confeſſione talium circumſtantiarum non poteſt Sacerdos cognoſcere ſtatum pœnitentis, nec imponere debitam ſatisfactionem: nam plurimũ diſtant furtum trium aureorum, & trecentorum: homicidium ſubitò commiſſum ex ira, & commiſſum ex odio, diuturna machinatione.

Dices: Concilium Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 5. de hâc re loquens, ſolùm ait eas circumſtantias confitendas, quæ ſpeciem peccati mutant: ergo.

Reſpondeo: Concilium non dicit eas ſolas confitendas, ſed tantùm dicit eas confitendas; de cæteris nihil dicit, quia noluit hanc quæſtionem definire, ſed ſolùm affirmare id quod extra controuerſiam erat.

38 Circumſtantiæ nõ enormiter aggrauantes, poſſũt taceri.

Dico Secundò: Circumſtantiæ, quæ augent quidem intra eandem ſpeciem, non tamẽ enormiter poſſunt omitti. Eſt communis Doctorum. Tales ſunt omnes illę, quæ communiter ſolent actum comitari. Vnde non eſt neceſſariò confitẽda intenſio actus, niſi fortaſſis eſſet valdè extraordinaria; neque continuatio, quę ordinariam non multùm excedit. Ratio eſt, quia ſine his Cõfeſſario ſatis innoteſcit conſcientia pœnitentis.

DVBIVM VII.

Quænam Circumſtantiæ dicantur mutare ſpeciem?

39

REſpondeo: Illæ omnes circumſtantiæ dicũtur mutare ſpeciem, quæ nouam malitiæ ſpeciem adiungũt actui ad eam malitię ſpeciem, quam actus per ſe habet. Explicatur in ſingulis. Circũſtantia *Quis* addit nouam malitiã, quando cõditio perſonę peculiari ratione repugnat actui: vt ſi Religioſus, vel Clericus Ordinis ſacri conſentiat in turpem delectationem; nam malitiæ quę eſt contra caſtitatem in illo conſenſu, addit malitiam ſacrilegij contra votũ. Non tamen eſt duplex malitia, propter duplex votum in Sacerdote religioſo, ſed vna malitia; quia vna iniuria in Deum, & vna voti violatio, etſi maior ob duplex votum. Sicut qui non ſoluit alteri quod duplici titulo Iuſtitiæ illi debet, non committit duas malitias ſeu culpas, ſed vnam, contra Iuſtitiam, etſi maiorem, quia contra duplicem titu-

Quis.

Sacerdos religioſus non peccat duplici peccato cõtra votũ caſtitatis.

lum. Idem dicendum de eo qui violat ieiunium duplici præcepto Eccleſiæ mandatum; vt cùm Vigilia Apoſtoli incidit in ieiunium Quatuor tẽporum. Ratio eſt, Quia in his & ſimilibus etſi ſint duę numero diſtinctę obligationes, tamen honeſtas quę contẽnitur & erat integra cauſa obligãdi, eſt eiuſdem rationis: vt, in violatione ieiunij contemnitur honeſtas Tẽperantiæ: in violatione voti, honeſtas Religionis quæ eſt in ſoluẽdo voto. Malitia autem peccati propriè ſumitur ex ordine ad honeſtatem virtutis quæ contemnitur, non autẽ ex numero obligationũ, qui ſolùm ſe habet per modum applicationis obiecti.

40 *quid.* Circumſtãtia *quid* addit nouam malitiam: vt cùm ex peccato ſequitur ſcandalum, id eſt, peccatum proprium, aut alienum, vel damnum v.g. in corpore, in fama, in bonis externis &c.

vbi Polutio & furtum in Eccleſia. Circumſtantia *vbi* addit nouam malitiam: vt quando opus repugnat peculiari modo ſanctitati loci & immunitati: vt pollutio in Eccleſia; cogitationes turpes cum periculo pollutionis; ſecùs eſt ſine periculo: pugna & furtum rei depoſitæ in Eccleſia; ſecùs ſi burſa aliqui in Eccleſia abſcindatur.

quibus auxilijs. Occidens per aſſaſinum. Circumſtantia *quibus auxilijs* tunc ſolùm addit nouam malitiam, quando propriam aliquam deformitatem continet illius vſus: vt ſi quis per Aſſaſinum occideret; hoc enim peculiari præcepto prohibetur ſub pœna excommunicationis. Si autem per famulum vel alium ſocium, non eſt per ſe noua malitia in actu homicidij; quauis potuit præceſſiſſe noua malitia in mandando, conſulendo, rogando, ſcilicet malitia ſcandali.

Cur. Furari vt libidinem exerceas. Circumſtantia *Cur*: vt quando finis externus per ſe malus eſt: vt ſi quis omittat ire ad Sacrũ, vt legat hiſtorias turpes delectationis turpis cauſâ. Si furetur vt inſumat in libidines.

quomodo. Circumſtantia *quomodo*: vt ſi cognoſcat extra vas naturale.

quando. Opus ſeruile die Feſto. Circumſtantia *quando*: vt cùm ſpecialiter prohibitum eſt ob ſanctitatem temporis: vt ſi opus ſeruile fiat die Feſto Hæc. Circumſtantia alijs operibus etſi peccata ſint, vt ebrietas & fornicatio &c. non addit malitiam mortalem.

41 *Circa quid.* Cognoſcere matrẽ vel filiam. Circumſtantia *Circa quid* addit nouam malitiã, quando conditio aliqua materiæ, vel obiecti peculiari modo repugnat operi: vt ſi quis furetur calicem: ſi cognoſcat matrem vel filiam. Vbi aduerte, omnem inceſtum cum aſcendentibus in linea recta & deſcendentibus, videri eſſe eiuſdem ſpeciei: vt, cum matre, nouerca, auia, filia, nepte, quãuis ſit diuerſa grauitas intra eandem ſpeciẽ, quia eiuſdem ſpecici reuerẽtia aſcẽdentibus debetur. Deſcẽdentibus in linea recta non debetur quidem illa reuerẽtia; tamen qui filiã cognoſcit, conſentit in irreuerentiam quæ fit paternę coniunctioni per filiam. Alterius ſpeciei eſt cum ſotore: quia aliud vinculum intercedit, alia coniunctio. Denique, quæ ex lege poſitiua oriuntur, ſunt eiuſdem ſpeciei.

ARTICVLVS III.

Vtrum quis per alium, vel per ſcriptum poſſit confiteri?

42 Reſpondet D. Thomas nos poſſe, niſi quis vſu linguæ careat. Ratio eſt, Quia ordinaria materia huius Sacramenti eſt confeſſio vocalis facta immediatè ab ipſo pœnitente.

DVBIVM I.

Vtrùm confeſſio facta Sacerdoti præſenti per ſcripturam vel interpretem, ſit ſacramentalis, ita vt accedente abſolutione Sacerdotis ſit verum Sacramentum?

Reſpondeo: Vtroque modo factam, eſſe Sacramentalem. Vide Melchiorem Canum relect. de Pœnitentia p. 5. Idem inſinuat D. Thomas Quodlib. 1. art. 10. Ratio eſt: Quia nihil hîc deeſt eſſentiale Sacramento. Non enim de ratione confeſſionis Sacramentalis eſt, vt fiat ſecretò ſoli Sacerdoti, vt inſinuat Scotus diſt. 17. quæſt. vnicâ. Nam hoc conceſſum eſt in fauorem pœnitentis, vt ſolùm cogatur ſecretò confiteri: cui fauori ipſe ob cauſam in aliquo caſu poteſt renuntiare, & publicè confiteri Sacerdoti audiente populo, & Sacramentaliter abſolui; vt colligitur ex Concilio Tridentino ſeſſ. 14. cap 5. & ex antiqua Eccleſiæ conſuetudine. Neque etiam requiritur, vt voce fiat, quãuis hic modus ſit vſitatior. Nam Chriſtus ſolùm obligat, vt patefaciamus noſtra crimina Sacerdoti per modum accuſationis, ſiue id fiat verbis, ſiue nutibus, ſiue ſcripturæ; modò ſigno aliquo externo fiat: quod addo, quia interno actu patefacere, ſicut loquuntur Angeli, non ſufficeret ad rationem Sacramenti. 43 Affirmatur. Confeſſio debet fieri aliquo externo ſigno, non tamen neceſſario voce.

Dices: Si iure diuino non tenemur confiteri voce, ergo confeſſio facta per ſcripturam poterit admitti, etiamſi pœnitẽs poſſit aliquo modo voce confiteri.

Reſpondeo: Ob iuſtam cauſam poſſe admitti, vt rectè Canus ſuprà: vt ſi aliqua puella prę magna verecundia non auderet eloqui ſuum peccatum, ſi eſſet ſcripto expreſſum tradere Confeſſori, ſicque abſolui. Sine cauſa tamen admitti non poteſt: quia generalis Eccleſiæ cõſuetudo vim legis habens, eſt, vt voce fiat; vt res ipſa declarat, & docet D. Thomas Quodlibeto 1. art. 10.

De Interprete omnes fatentur.

DVBIVM II.

Vtrùm obligemur confiteri per ſcripturam, interpretem, aut nutus, quando aliter non poſſumus?

Reſpondeo & dico Primò: Ex vi præcepti confeſſionis nemo tenetur confiteri per interpretem. Eſt communior ſententia Doctorum: Richardi, Paludani, Scoti, diſt. 17. Caietani Verbo *Confeſſio* condit. 11. Ratio eſt: quia Dominus non obligauit nos, niſi ad confitendum ſecretò coram ſolo Sacerdote: vt colligi poteſt ex Trident. ſeſſ. 14. cap. 5. vbi dicit, *confeſſionem publicam non eſſe præceptã à Domino, ſed tantùm eam quæ ſit ſoli Sacerdoti.* Contrariũ enim nimis graue onus, & humanæ fragilitati minimè accommodatum fuiſſet. Confirmatur: quia non obligamur confiteri, quando periculum eſt, ne Sacerdos alteri reuelet confeſſionem. 44 Non tenemur confiteri per interpretem.

Dixi, *Ex vi præcepti confeſſionis*, nã ex præcepto charitatis ſui & Dei, poſſumus ad id obligari; nẽpe in periculo mortis; præſertim, quando dubitamus vtrùm legitimam habeamus contritionem. Excipe caſum

Dico Secundò: Verius eſt mutum, qui non poteſt confiteri, niſi ſcripto, præcepto confeſſionis obligari ad ſic confitendum. Ita Petrus Soto lect. 11. Maior diſt. 17. & inſinuat Caietanus loco citato, etiamſi obſcurè loquatur. Probatur: Quia ſic poteſt 45 Mutus tenetur confiteri ſcripto.

sic potest fieri cõfessio sine notabili incommodo: ergo ex præcepto debet fieri: nam præcepto confessionis non præcipitur vt fiat voce, sed vt fiat eo modo, quo commodè fieri potest. Neque periculum est, ne Sacerdos abutatur isto scripto, aut nolit restituere scriptum (quod vrget Dominicus Soto) quia non est ratio, cur id potiùs faciat, quàm cur alias non reuelet, dum voce confitemur. Vnde sicut tunc ei confidimus, ita etiam confidere debemus, dum scripto confitemur.

Contrarii non est improbabile.

Contraria tamen sententia non est improbabilis, quam tenet Dominicus Soto, Ioannes Medina, & Nauarrus.

ARTICVLVS IV.

46 HOc Articulo agitur de conditionibus confessionis, quę sunt sedecim, comprehensæ his quatuor versiculis è D. Thoma descriptis: quos etiam prosequitur Nauarrus in cap. *Fratres* de Pœnitentia dist. 5. à num. 1. vsque ad 106.

Sit simplex, humilis confessio, pura fidelis,
Atque frequens, nuda, discreta, libens, verecunda,
Integra, secreta, lacrymabilis, accelerata,
Fortis & accusans, & sit parêre parata.

Circa conditionem *Fidelitatis*, videlicet vt confessio sit fidelis seu verax, est

DVBIVM.

Vtrùm omne mendacium in confessione sit peccatum mortiferum?

47 Affirmat Caietanus

CAietanus verbo *Confessio* cõditione 4. affirmat, præsertim quando quis mentitur contra propositum, quod antè habuit, confitendi illius peccati. Probatur Primò: Quia D. Thomas 2. 2. quæst. 69. art. 1. dicit mentiri in iudicio, esse peccatum mortale: atqui iudicium hoc Sacramẽtale est dignissimũ: ergo &c. Secundò: Quia facit materiam sacramenti falsam; quod est sacrilegij.

Respondeo & Dico Primò: Mentiri in re graui, est peccatum mortiferum: vt, si quis acculet vel neget peccatum mortiferum, quod non erat accusandum vel negandum.

48 Distingue fix es grauis. Si res leuis

Dico Secundò: Mentiri de re leui in confessione, est solùm peccatum veniale. Ita Nauarrus in capitulo *Fratres* num. 15 & sequentibus. Sotus dist. 18. quæst. 2. art. 4. & alij. Ratio est, quia hoc mẽdacium nec est contra integritatem confessionis, cùm peccatum veniale non sit materia necessaria: nec est contra effectum confessionis, quia attritio de peccatis mortiferis, quæ sufficit ad obtinendum effectum in hoc Sacramento, potest cõsistere cum peccato veniali: nec est contra veritatem formæ, quia in forma non dicitur, *Absoluo te ab his peccatis*, sed *à tuis peccatis*; neque demonstrat materiam, sed eam vagè significat. Secùs est de formâ consecrationis, quę demonstrat materiam; cùm dicitur *Hoc est Corpus meum*, quę falsa redditur, si vel vna hostia chartacea ponatur inter hostias veras; falsa (inquam) quo ad illam chartaceã: vnde peccatum mortiferum esset veris hostijs immiscere vnam falsam, non tamen est mortiferum veris peccatis in confessione immiscere vnũ falsum. Dico Tertiò: Si quis ita confiteretur, vt totã cõfessionem faceret mendacem, peccaret mortiferè, etiamsi solùm venialia confiteretur. Ratio est; quia irritum reddit totum illud iudicium Sacramentale: nam vbi non est vera confessio, ibi non est vera absolutio.

si tota confessio reddatur falsa.

Ad priorem rationem in contrarium suprà allatam: Respondeo, Etsi mendacium in iudicio sit mortiferum, quando est contra iuramentum, vel in notabile damnum alterius; id tamen aliàs non est mortiferum.

49 Respondetur ad argumentia Caietani

Ad secundam: Non facit totam materiam falsam: suppono enim illum alia verè confiteri: sed solùm particulam quandam materiæ non necessariæ falsam facit; quod non vitiat totam confessionem.

QVÆSTIO X.

De Effectibus Confessionis

Vide D. Thomam, nihil enim hîc dicendum præter ea, quæ suprà dicta sunt de Pœnitentia, & de Contritione.

QVÆSTIO XI.

De sigillo Confessionis.

ARTICVLVS I.

Vtrum in quolibet casu Sacerdos teneatur celare, qua sub sigillo confessionis accepit?

1 Affirmatur contra Gabrielem.

REspondeo Affirmatiuè. Ita sentiunt omnes Doctores, excepto Gabriele dist. 21. quæst. vnica, qui putat saltem ob periculum mortis posse reuelari: *Quia*, inquit, *neque præceptum positiuum secreti, neque naturale secreti obligat cum tanto dispendio*. Imò extendit hoc ad periculum famę & fortunarum.

Sed est error. Confirmatur ex Gregorio, Canone *Sacerdos*, de Pœnitentia dist. 6. vbi dicitur, *Ob nullum scandalum id licere*, id est, ob nullum malum vitandum, quod inde potest sequi. Vide Nauarrum in illum Canonem, nũ. 130. & deinceps.

DVBIVM I.

Quo Iure teneamur in omni casu hoc secretum seruare

NOtandum: Vario Iure teneri Sacerdotem ad hoc secretum. Primò: Iure naturali secreti, quo tenemur secreta nobis commissa celare propter infamiam, vel alia incommoda, quæ ex reuelatione possunt sequi. Sed hoc ius non obligat, quando reuelatio necessaria est ad aliquod graue malum auertendum: vt, ad impediendum

2 Tenetur sacerdos ad hoc secretum. 1. Iure naturali secreti.

Digitized by Google

homicidium vel proditionem.

2. Iure naturali Religionis.

Secundò, Tenetur Iure naturali Religionis, quatenus obligatur nihil facere contra reuerentiam debitam huic Sacramento, cuius dignitas poſtulat ſecretum, eò quòd id, quod in eo dicitur Deo dicatur; & quia alioqui redderetur exoſum. Sed hæc obligatio, quatenus eſt Iuris naturę, non habet vim in omni caſu, ſicut nec obligatio ſecreti iuramento confirmati; quamuis in hoc etiam ſit duplex obligatio, ſcilicet ſecreti naturalis & iuramenti. Verùm vt hoc in aliquo caſu poteſt aperiri ſine violatione naturalis obligationis iuramẽti, quãdo nimirũ eſſet in perniciem publicam, vel priuatam alicuius; ita etiam poterit iſtud ſecretum cõfeſſionis ſine iniuria Sacramenti aperiri, quando ſimilis caſus vrget. Nam reuerentia, Iure naturę debita huic Sacramento, non poſtulat, vt ſecretum ſeruetur, quando pœnitens machinatur malum in alterius perniciem: ſicut reuerentia naturaliter debita Euchariſtię non poſtulat, vt ſpecies in omni caſu ſumantur. Neque inde ſequitur propinquum aliquod periculum cõtemptus vel odij confeſſionis, ſicut nec iuramenti. Quia rationi conſentaneum eſt, vt non ſeruetur ſecretum, quod malignitas committentis intendit in alterius graue incõmodum. Vnde Dominus ſine dubio potuiſſet illud permittere ſine vlla huius Sacramenti iniuria.

3. Iure Eccleſiaſtico poſitiuo.

Tertiò, Tenetur Sacerdos Iure Eccleſiaſtico poſitiuo. Patet Canone *Sacerdos*, de Pœnitentia diſt. 6. vbi Gregorius id præcipit ſub pœnã depoſitionis, & perpetuæ peregrinationis. Et Concilium Lateranenſe idem præcipit ſub pœna inclusionis in arctum monaſterium ad perpetuam pœnitentiam. Sed his locis non conditur nouum ius, quo id præcipiatur, ſed explicatur dumtaxat obligatio antiqua, additã nouã pœna.

Ex his ſequitur, Hanc arctiſſimam obligationem, qua Sacerdos in omni euentu tenetur hoc ſecretum, confeſſione Sacramentali veluti quodam ſigillo conſignatum, ſeruare, ortam eſſe ex iure diuino poſitiuo quo Dominus hoc Sacramẽtum inſtituens, Apoſtoliſque tradens, ſic ſtatuit ſeruari (in reuerentiam huius iudicij, in quo pœnitens loquitur Sacerdoti tanquam Deo, & Sacerdos tanquam Deus abſoluit & iudicat) idque eo fine vt iugum confeſſionis fidelibus eſſet ſuauius, ipſique liberiùs & ſine vllo metu ſeſe Sacerdoti, tanquam Deo aperirent. Vide Scotum diſtinct. 21. Nauarrum cap. 8. num. 2. Medinam quæſt. 45.

3 4. & arctiſſimè iure Diuino poſitiuo.

Confirmatur: Quia niſi id ita in omni caſu ſtatutum fuiſſet iure diuino poſitiuo, ſed relictum ſoli iuri naturali periculum fuiſſet, ne confeſſo ſenſim redderetur exoſa; itaque aditus ad remiſſionem peccatorum præcluderetur; quod ſanè maius malum eſt, quàm amiſſio vitę Sacerdotis, aut Reipublicę proditio. Quòd autem tale periculum fuiſſet, ex eo patet; quòd iure naturæ in multis caſibus licuiſſet illa ſecreta patefacere, ſicuti & ſecreta iuramento confirmata. Vnde ad tanti mali periculum excludendum meritò Dominus in omni caſu voluit hoc ſecretum ſeruari.

Confirmatur à ſimili à humanis.

Simile videmus in iure humano: Dux enim poteſt præſcribere militi excubias certo loco, etiamſi periculum mortis ibi immineat; quia maius malum eſt interitus reipublicæ, cui immineat aliquod periculum, quàm mors vnius hominis. Pari ratione potuit fieri ſtatutum in Ordine Carthuſianorum obligans ad perpetuam carnium abſtinentiam, etiamſi mors inde alicui citiùs eſſet obuentura: nam relaxatio abſtinentię, cuius erat aliquod periculum, maius malum eſt, quàm paucorum vitam accidi.

4 Coniectaria. Confeſſor potiùs eligat occidi, quam reuelare confeſſionem.

Ex dictis ſequitur Primò: Si maritus adulteræ aggrederetur Sacerdotem ſtricto enſe, cui vxor peccatum ſuum eſt confeſſa, volens ſcire an ipſe ſciat de adulterio, vel audiuerit, vel vxor ſit ei confeſſa, non poſſe illud reuelare, ſed potiùs debere mortem perpeti. Poteſt autem in tali caſu dicere, ſe neſcire quidquam nec quidquam de tali peccato vxoris, audiuiſſe; idque iuramento confirmare. Ratio eſt; Quia non nouit, vt homo, ſeu vt pars reipublicæ Politicæ, vt poſſit illud reuelare; ſed nouit vt Deus, id eſt, vt locum Dei tenẽs; quomodo Chriſtus dicit *Se non noſſe diem Iudicij*, Marci 13. Eademque eſt ratio, ſi interrogetur à Iudice. Non tamen poſſet dicere, Se non audiuiſſe in confeſſione, vel vxorem hoc non eſſe confeſſam: nam hoc ſimpliciter falſum eſt; niſi adhibeat reſtrictionem mente, ſcilicet, vt poſſim illud reuelare. Vide Nauarrum num. 19.

Alterius confeſſionem in ſua aperire nõ poteſt.

Sequitur Secundò: Sacerdotem non poſſe in cõfeſſione ſua aperire peccatum, quod alius ei confeſſus eſt; quod eſt contra Gabrielem & Dom. Sotum. Sed eſt certa ſententia, & communis. Ratio eſt, quia integritas confeſſionis non eſt ſeruanda tam ſtrictè, quàm hoc ſecretum: nam multis caſibus licet non integrè confiteri, vt ſuprà q. 9. art 2. dub. 1. dictum eſt: non tamen licet ſecretum confeſſionis patefacere.

Poſt abſolutionem ne quidem ipſum pœnitentem monear.

Sequitur Tertiò: Confeſſarium poſt abſolutionẽ, non poſſe ampliùs de peccatis confeſſis pœnitẽtem, ſine eius venia, rogare aut monere: quia iudicium illud iam tranſactum eſt. Poteſt tamen Cõfeſſarius in cõfeſſione poſteriore pœnitentem interrogare de peccatis confeſſionis prioris: quia verſatur in eodem foro.

DVBIVM II.

Vtrùm Sacerdos extra confeſſionem poſſit interdum vti ſcientiâ ex confeſſione partâ, ſaltem ad gubernationem?

5 Affirmatiua ſententia eſt ferè omnium, & illuſtratur

RESpondent ferè omnes Doctores, Poſſe: modò id ita circumſpectè fiat, vt nec directè nec indirectè moueatur alijs ſuſpicio aliqua peccati pœnitentis, & alioqui immineret pœnitenti, vel alteri magnum alioquod periculum.

Explicatur Primò: ſi ſuperior ex confeſſione cognoſcat pœnitentem eſſe omnino ineptum ad officium quod gerit, vel etiam perniciosè adminiſtrare, poteſt eum poſteà officio priuare, ſi ad nutum auferri poteſt: ſecùs verò, ſi officium eſt perpetuum, vel definiti temporis.

Secundò: Si agatur de electione, poſſum negare meum ſuffragium, præſertim ſecretum, ei, quem ex confeſſione cognoui indignum.

Tertiò: Si habeam famulum furem, idque ex confeſſione cognoui, poſſum ei non credere pecunias, vel etiam à me dimittere, modò aliam iuſtam cauſam poſſim prætendere.

6 Negatiua tamen & rationi, & Clementi VIII. eidetur conformior.

Verùm contraria ſententia eſt valdè conſentanea dignitati huius iudicij, decet enim, vt eà ſciẽtiâ, quã accepit in illo ſecreti ſimo tribunali: vbi pœnitẽs illi tanquam Deo loquitur, nõ vtatur extra illud tribunal ad rerum humanarum directionem. In hanc ſententiam inclinat Hẽricus Quod l. 8. qu. 29. & 31. Et confirmatur: quia vti hâc ſcientiâ in opere externo, eſt ſecretum cõfeſſionis per effectum ſuum patefacere. Neque ſatis eſſe videtur, quòd hoc nõ poſſit ab alijs animaduerti, quia ſaltem nõ retinetur in animo occultã-

accedit; quòd sic maior erit libertas pœnitentibus, qui alioquin sæpè non audebunt se aperire, meruentes aliquod incommodũ ex vsu eius scientiæ. Vnde patet non deesse rationem, cur id ita à christo posset præcipi. An autem reipsa præceperit, non satis constat. Certe Clemens VIII. A. 1592. die 26. Maij, edidit decretum, quo præcipit Superioribus Regularium, vt diligentissimè caueant, ne ea notitia, quam in confessione de aliorum peccatis habuerunt, ad exteriorem gubernationem vtantur.

Aliquando superiores tenentur vti eâ scientia.

Posset tamen incidere casus, in quo Superiores eâ scientiâ tenerentur vti: quia contraria sententia est probabilis. Nec ius humanum potest efficere, vt sententiâ probabili non possim vti, quãdo id necessarium est ad ingens malum impediẽdum. Vide D. Thomam hic ad 2. & 4.

ARTICVLVS II.

Quænam cadant sub sigillum confessionis?

8 Omne peccatum, & omne inducens in eius cognitionem cadit sub sigillum.

REspondeo & Dico Primò: Directè sub hoc sigillum cadunt omnia peccata mortifera in genere, & in specie; & omnia venialia in specie: indirectè verò omnia ea, quæ possunt ducere in notitiam peccati pœnitentis. Est certa, & communis Doctorum. Ratio est: quia quidquid est materia confessionis, id omne per sanctitatem huius Sacramenti veluti consignatur, ne possit reuelari, & consequenter omne id, vnde peccatum pœnitentis posset coniectari.

Casus varij, quibus violatur sigillum.

Hinc colliguntur varij casus, vt videre est apud Nauarrum. Primò: Violari hoc secretum, si quis dicat, *Iste mihi confessus est mendacium iocosum, vel animi distractionem*, &c. Imò id esset peccatũ mortiferum. Neque leuitas materiæ excusat, vt rectè Nauarrus, Sotus, & alij docent: quia fit notabilis iniuria huic sacro sigillo, sicut iniuramento assertorio leuitas materiæ non excusat. Non tamen violat sigillum, qui dicit in genere, *Iste mihi confessus est peccata venialia*; nam per ipsam absolutionem, hoc implicitè dicit.

Secundò, Esset contra sigillum, si peccatum tertiæ personæ, quod pœnitens confitendo explicuit, aperiret. Ratio est: quia hoc etiam sub sigillum cadit, quando à pœnitente tanquam circumstantia sui peccati refertur: secùs verò, si omnino impertinens sit ad peccatum pœnitentis, & non dicatur, vt circumstantia.

Tertiò, Violari sigillum, si quis dicat, *In tali monasterio, vbi confessiones audiui, fiunt multa peccata*: nam etsi personam non exprimat in particulari, tamen exprimit communitatem, quæ non ita magna est, quin de multis possit haberi suspicio in particulari. Secùs, si quis dicat, *In tali ciuitate aut regno*: quamuis & hoc malè dicatur, præsertim de ciuitate.

Quartò. Etsi Ioannes Medina q. 47. & Adrianus qu. vlt. de Confessione, putent licitum dicere de peccatore publico, *Hic mihi confessus est sua publica peccata*; verius tamen videtur, non licere; vt docet Nauarrus in Capit. *Sacerdos*, num. 62. Quia etsi non reueler peccata absolutè, reuelat tamen secretum confessionis, seu peccata, quatenus in confessione sunt detecta. Videtur tamen non esse mortiferum: nam hoc ipso, quo illum absoluit, implicitè testari videtur, illum sua publica peccata confessum, quamuis non necessariò hoc indicet.

Quintò, Violat sigillum, qui dicit, *Iste mihi est confessus, sed eum non absolui*, quidquid dicat Caietanus: quia vix vnquam absolutio negatur, nisi ob impœnitentiam, vel casum reseruatum.

9 Defectus Naturales & similia non cadunt sub sigillum.

Dico Secundò: Defectus naturales, & aliæ imperfectiones, quæ neque sunt peccata pœnitentis, neq; peccatorum circumstantiæ, non cadunt proprie sub obligationẽ huius secreti. Ratio est, quia horum narratio facta à pœnitente in confessione, nullo modo pertinet ad confessionem, seu ad iudicium huius tribunalis, sed est illi mere extrinseca: ergo confessionis secretum nõ consignat ea. Tenetur tamen Sacerdos iure naturali secreti, & ad vitandum scandalum, hæc tacita tenere.

DVBIVM

An ea peccata, quæ quis confitetur sine proposito emendationis, cadant sub sigillum confessionis?

10 Si pœnitens velit absolui.

REspondeo & Dico Primò: Si ille non accedat animo consequendi absolutionem virtute Clauium, sed solùm animo decipiendi Confessarium, vel pertrahendi in suam sententiam, vel petendi consilij, non cadunt eius peccata sub obligationem huius secreti. Est communis DD.

Si velit absolui, sed non abstinere.

Dico Secundò: Si bono animo accedat vt se Clauibus subijciat, & absolutionem consequatur, etiamsi nolit abstinere, cadunt tamen eius peccata sub sigillum confessionis. Est communior sententia Doctorum vide Nauarrum Capitulo, *Sacerdos*, num. 120. & sequentibus, vbi plurimos pro hac sententia citat contra Panormitanum, Ancharanam, & quosdam alios Canonistas: & contra Alexandrum Halensem, Angelum, & Siluestrum, qui tenent peccatum quod committendum est, posse reuelari; id est, quando Pœnitens habet firmum propositum committendi peccatũ, quod retinetur.

Probatur nostra sententia: Quia, vt cõfessionis secretum obliget, non requiritur, vt confessio sit valida: sic enim latissima ianua pateret Sacerdotibus reuelandæ confessionis, sed sufficit, vt pœnitens bona fide confiteatur, seque subijciat Clauibus Ecclesiæ, vt ab illo absoluatur, quamuis fateatur se ita ad illud impelli, vt non possit abstinere. Sic enim interdum faciunt peccatores, qui necessitate quadam sibi videntur ad peccatum impelli, & dolent, rogantque Deum, vt ignoscat. Vide plura apud Nauarrum.

ARTICVLVS III.

Vtrum solus sacerdos obligetur sigillo Confessionis?

11 Præter confessorem varij obligantur sigillo.

REspondeo: Non solus Sacerdos, sed etiam omnes alij, qui norunt peccata confessa ex ipsa confessione, obligantur sigillo confessionis. Ratio est: quia quatenus solùm ex confessione innotescunt, eatenus sunt sacro illo sigillo obsignata, ita vt sine sacrilegio non possint aperiri. Confirmatur: quia res ad quemcumque transit, cum suo onere transit, patet in hypotheca: sed peccata cognita in confessione habent illud onus: ergo.

1. Malignè audientes.

Vnde sequitur Primò: Teneri eum, qui malignè auscultauit confitentem.

2. Formidolose audientes.

Sequitur Secundò. Etiam eum, qui casu & sine culpâ audiuit: vt rectè Nauar. cap. 8. Enchiridij: quod est cõtra Dom. Soto. Ratio est: quia iste nõ nouit nisi ex cõfessione, & res cũ suo onere trãsit.

3. Interpres.

Sequitur Tertiò, Etiam interpretem, quo pœ-

by Google

tegritatem confeſſionis neceſſariam, ita nec impotentia.

Si periculũ mortis.

Secundò: Quando multi ſunt audiendi, & ob temporis breuitatem & periculum mortis ingruens, non poſſunt omnia dici: vt in naufragio, inuaſione hoſtili, & ſimilibus periculis.

14 Si metuat inde dãnũ.

Tertiò: Quando probabiliter timet aliquod notabile damnum ſibi, vel alteri ex confeſſione certi peccati obuenturum: exempli gratia, reuelationem peccati, odium graue, ſollicitationem pudicitiæ, vel etiam damnum temporale. Ratio eſt, Quia, dum pœnitens alteri timet malum ex ſua confeſsione, eſſet contra charitatem vel iuſtitiam, illud confiteri. Si ſibi timet malum, eſſet contra illam inclinationem vitandi proprij damni, quæ adeò naturalis eſt, vt humanæ imbecillitati non ſit conſentaneum obligari ſponte contra facere per nudum præceptum poſitiuum: vnde cùm *Iugum Domini ſit ſuaue*, non eſt credibile in tali caſu obligari.

Non tamẽ excuſat propriave complicis infamia apud ſolũ Confeſſarium.

Notandum autem, hoc damnum, quod timetur, debere eſſe notabile. Si enim ex mea confeſſione nihil aliud ſequeretur, quàm mala opinio Confeſſoris de me, vel de perſonâ peccati ſociâ, non poſſem omittere illud peccatum, aut neceſſariam circumſtantiam: vt ferè omnes Doctores docent: D. Thomas, Alexander, Bonauentura, Paludanus, Henricus, Durãdus, Richardus, Gabriel, Antoninus, Adrianus Papa, Sotus, Caietanus, Angelus: quos citat Petrus Nauarra lib. 2. cap. 4. num. 27. Ratio eſt duplex: Prior, Quia non eſt per ſe infamia, aut notabile damnũ, quòd vni aperiantur mea peccata, quando nihil inde aliud ſequitur: ſicut neque eſt notabile bonum, quod vnus ſciat meas virtutes, qui numquam id poteſt exterius oſtendere; vt rectè docet Petrus Nauarra loco citato. Si enim id notabile incommodum fuiſſet, Dominus confeſſionem peccatorum non præcepiſſet. Vnde meritò, propter integritatem huius Sacramenti, poterit tale peccatum aperiri. Secunda Ratio eſt: Quia Chriſtus ita inſtituit hoc iudicium pœnitentiæ, vt voluerit eſſe integrum & completum, id eſt, continere integram peccatorum abſolutionem: ergo etiam inſtituit & præcepit omne illud, quod per ſe eſt neceſſarium ad hãc integritatem: atqui commiſſo tali peccato, per ſe neceſſarium eſt ad integritatem huius iudicij, vt Sacerdoti ſpecies, & circũſtantia mutans ſpeciem, aperiatur: ergo hoc ipſum Dominus præcepit, quando nihil aliud incommodi inde ſequitur, quàm quod Sacerdos illam perſonam cognoſcet: (hoc enim per ſe ſequitur ex confeſsione) præſertim cùm non cognoſcat, niſi vt fungens auctoritate diuinâ.

15 Confitere Sacerdoti qui cõplicem non nouit.

Hîc tamen Aduerte Primò: Si pœnitens poſsit commodè alteri confiteri, qui ſocium criminis non cognoſcet, tenetur ſaltem ſub veniali peccato: quia tunc non habet iuſtam cauſam ſic confitendi vt alterius peccatum aperiat.

Si confeſſarius cõplicem inde cõiiciet quid agã?

Aduerte Secundò: Non eſſe improbabile tale peccatum, ſeu circumſtantiam poſſe, ac proinde debere taceri apud Confeſſarium, qui inde ſocium coniiciet. Ita enim tenet Nauarrus cap. 7. num. 3. citans Hoſtienſem & Innocentium. Idem tenet Viguerius de Confeſsione. §. *Quòd ſi non poſſum*, verſiculo 27. Bannes 2. 2. quæſt. 33. art. 8. & alij eiuſdem Ordinis. Iuxta hanc ſententiam pœnitens, ſi non poſsit alteri confiteri, & præceptum vel conſuetudo confitendi vrgeat, debet omittere illam circumſtantiam vel illud peccatum; &, ſecundùm quoſdam, debet confiteri internum affectum, tacito opere externo.

DVBIVM II.

Vtrùm poſsit abſolui æger, qui Confeſſarium vocauit, & ante eius aduentum vox ei intercipitur? Item: *An is qui non valens confiteri in genere vel ſpecie, ſolùm dedit in extremis ſigna contritionis mundando pectus, eleuando oculos in cælum, &c?*

16 quidam negãt poſſe abſolui.

QVidam putant, non poſſe abſolui. Fundamentum præcipuum eſt, quia deeſt materia confeſſionis. Ita Abulenſis in cap. 16. Matthæi quæſt. 79. Melchior Canus relectione 5. fol. 141. Dominicus Soto diſt. 18. quæſt. 2. art. 5. Ioannes Medina quæſt. 53. codice de Confeſſione Nauarrus in Enchiridio cap. 26. num. 27. & cap. 27. num. 268.

Sed dicendum eſt; Probabilius eſſe, talem debere abſolui. Probatur Primò: Ex Concilio Arauſicano can. 12. *Subitò obmutescens, & baptizari, & pœnitentiam accipere poteſt, ſi voluntatis præteritę teſtimonium aliorũ verbis habet, vel præſentis in ſuo nutu.* Et Concilium IV. Carthaginenſe cap. 77. *Is, qui in infirmitate pœnitentiam petit, ſi caſu, dum ad eum ſacerdos venit, oppreſſus infirmitate obmutuerit, dent teſtimoniũ, qui eum audierunt, & accipiat pœnitentiã: & ſi continùo creditur moriturus, reconcilietur per manus impoſitionem, & infundatur ori eius Euchariſtia.* Idem præcipit Leo I. epiſtola 91. *His, qui in periculi vrgentis inſtantia præſidium pœnitentiæ, & mox reconciliationis implorãt, nec actio illis Pœnitentia nec Communionis denegetur, ſi eam, amiſſo etiã vocis officio, per indicium integri ſenſus quærere cõprobitur. Quòd ſi aliqua ægritudine ita fuerint aggrauati, vt quod paulò antè poſcebant, ſub præſentia Sacerdotis ſignificare non valeant, teſtimonia eis fidelium circumſtantium prodeſſe debebunt, vt ſimul & pœnitentię & reconciliationis beneficium conſequantur.*

Veriùs affirmatur.

Arauſicanum.

Carth. IV

Leo.

17 1. Aduerſariorum reſponſio.

Ad hæc Reſpondent Primò: His locis agi ſolùm de reconciliatione eorum, qui erant excommunicati, & egebant abſolutione ab excommunicatione.

Refellitur

Sed contrà. Primò: Quia Concilium Arauſicanum *accipere pœnitentiam* coniungit cum *baptizari*: intelligit ergo Sacramentum. Idem facit Cõcilium Carthaginenſe & Leo. Secundò: Quia *accipere pœnitentiam*, numquam accipitur apud veteres pro *accipere abſolutionem ab excõmunicatione*, ſed *accipere ſacramentum Pœnitentiæ*; vt patet ex epiſtola 2. Cęleſtini I. vbi dicitur, *Sacerdotem, qui in extremis pœnitentiam negat, eſſe reum animarum.* Idem patet ex verbis Leonis, qui *pœnitentiã* vocat *actionem pœnitentiæ*, quæ datur in ipſo Sacramento, dum imponitur ſatisfactio pro peccatis: *Reconciliationem* autẽ vocat *abſolutionẽ à peccatis*, vt patet ex decurſu totius epiſtolæ. Tertiò: Patres & Concilia non fuiſſent adeò ſolliciti de abſolutione ab excommunicatione, vel de aliqua reconciliatione non Sacramentali, ſine qua infirmi facilè poterant ſaluari, & quę etiam poſt mortem poterat impendi.

2. Aduerſariorum reſponſio.

Reſpõdent Secundò: Agi de abſolutione eorum, qui agebant pœnitentiam publicam, qui initio Quadrageſimę confitebantur, & circa Paſcha abſoluebantur: hi, ſi interim incidiſſent in morbum, poterant abſolui ſine alia confeſſionẽ. Ita Canus.

Refellitur

Sed hoc facilè refellitur ex Leone, qui grauiter reprehendit eos, qui maturæ non peterent pœnitentiam, dum ſani ſunt: at hi non erant reprehendendi, quia non poterant petere abſolutionẽ

ante tempus ſtatutum. Deinde qui iam publicam agebant penitentiam, non dicebantur *petere pœnitentiam*, ſed *agere*: erat enim ſatisfactio Sacramentalis; nihilque petebant aliud, quàm Abſolutionem.

18 Auguſtin. Probatur Secundò eadem ſententia ex D. Auguſtino lib. 1 *De adulterinis Coniugis* cap. vltimo, vbi idem docet quod Leo, & Concilia citata.

Sacerdotale Rom. Probatur Tertiò: Ex Sacerdotali Romano approbato à Leone X. vbi in tractatu de Sacramento Penitentiæ cap. 20. fol. 65. eadem ſententia habetur.

Alcuinus. Præterea hanc ſententiam tenet Alcuinus lib. de diuinis Officijs §. *De infirmis* in fine pagine 94. vbi dicit: *Ægris qui non poſſũt exprimere quod paulò antè poſcebant, teſtimonia fidelium debere prodeſſe; vt ſcilicet pœnitentiæ & reconciliationis beneficiũ aſſequantur.* Et D. Thomas Opuſculo 65. capite *De extrema vnctione: ſi infirmus*, inquit, *qui petit vnctionem, amiſit notitiã, vel loquelam, antequam ſacerdos veniat ad eum, nihilominùs vnget eum ſacerdos: qui in tali caſu deberet etiã baptizari & abſolui.* Vbi patet eum loqui de abſolutione Sacramentali, quod eſt contra Nauarrum: nam coniungit eam cum Baptiſmo. Hãc quoque ſententiam tenet D. Antoninus parte 3. titulo 10. capite 2. his verbis: *Si infirmo petente ſacerdotem, interim dum veniret, obmutuit, vel effectus eſt phreneticus, aut amens, ſacerdos adueniens ſiue ad nutum infirmi, ſiue ad teſtimonium illorum qui audierunt illum petentem pœnitentiam, vel ſacerdotem, debet ei impẽdere quidquid poteſt humanitatis, abſoluendo, reconciliãdo.* Denique plurimi recẽtiores, quos citat Alponſus Vialdus fol. 121.

D. Antoninus.

Vialdus.

Ratio concluſionis. Ratio eſt: Quia hîc eſt ſufficiens materia Sacramenti Penitentiæ: nam ad hoc Sacramentum ſufficit ea peccati explicatio, quam homo pro ſua facultate præſtare poteſt. Cuius ſignum eſt, quod homo, ſi non poſſet, niſi vnum veniale explicare, omnium iudicio deberet abſolui: nam ſe accuſat, ſuaque peccata explicat quantum poteſt: ergo qui in articulo mortis dat ſignum contritionis, non valens amplius facere, debet abſolui: nam hoc ſigno cenſetur ſe accuſare de ſuis peccatis in ordine ad abſolutionem: ſicut enim confitemur voce, ita etiam geſtu, quando aliter nequimus. Hinc patet Reſponſio ad fundamentum ſententiæ contrariæ.

Contrà: Obijcitur Primò: Abſolutio eſt actus iudicialis, qui non poteſt exerceri, niſi cognitâ cauſâ in particulari: ergo &c.

19 Reſpondetur ad rationes oppoſitæ ſententiæ. Reſpondeo: Etſi id ordinariè verum ſit, ſcilicet quando cognitio particularis cauſæ poteſt haberi; tamen quando non poteſt haberi, ſufficit cognitio generalis, præſertim ad abſoluendum: ſicuti videmus ſufficere cognitionem dimidiatam quando integra haberi nequit. Sic etiam Eccleſia abſque particulari cauſæ cognitione abſoluit ab omnibus cenſuris. Atque hoc maximè locum habere debet in articulo mortis, vbi non eſt neceſſe imponere penitentiam, ſaltem exactã, ob quam potiſſimũ crimina in particulari cognoſci debẽt.

Obijcitur Secundò: Per illa ſigna contritionis Sacerdos non plus cognoſcit de ipſius peccatis, quàm anteà; cùm etiam homo ſanctiſſimus poſſit ea edere: ergo &c.

Reſpondeo: Si ille infirmus confiteretur, in vitâ ſuâ ſe dixiſſe vnum verbum otioſum, ſine dubio deberet abſolui: & tamen Sacerdos per hoc non plus cognoſcit de peccatis ipſius, quàm antea. Satis ergo eſt, vt cognoſcat alio modo, ſcilicet per aliquam ſignificationem penitentis editam in ordine ad abſolutionem.

Obiicitur Tertiò: Concilium Tridentinum ſeſſ. 14. can. 9. dicit anathema ei, *Qui dicit confeſſionẽ pœnitentis non eſſe neceſſariam, vt poſſit à ſacerdote abſolui*: & loquitur de confeſſione in particulari.

Reſpondeo: Concilium agit contra hæreticos, & loquitur de eo, quod ordinariè neceſſarium eſt, & extra caſum neceſſitatis. Nam ſimili modo definit confeſſionem debere eſſe integram, cùm tamen conſtet ex cauſa poſſe dimidiari.

Notandum hîc eſt Primò: Etiam illum, qui tenet contrariam ſententiam, debere in praxi vti hâc noſtrâ: tum quia tenetur abſoluere pœnitentem qui tenet probabilem ſententiam, etiamſi ipſius ſit probabilior: tum quia eſſet contra charitatem in hoc articulo denegare abſolutionem, quam ſine peccato poteſt impendere. Nam certum eſt hanc ſententiam in praxi eſſè ſecuram, & paſſim vbique ſeruari.

20 Tenetur quilibet Confeſſor in dictis caſibus abſoluere.

Notandum Secundò: Si pœnitens nullum ſignum cõtritionis dederit, non poſſe abſolui; quia deeſt materia huius Sacramẽti. Ianſonius & quidam alij putant poſſe abſolui, etſi non petierit, nec ſignum vllum dederit. Probat ex D. Auguſtino lib. 1. de Adulterinis coniugijs cap. vltimo. Sed manifeſtè Auguſtinus loquitur de eo qui agit pœnitentiam, vt aſſequatur ab Eccleſia abſolutionem. Talis autem iam ſignum dedit doloris, & petijt Sacramentum reconciliationis.

Non dans vllum ſignum doloris non poteſt abſolui.

DVBIVM III.

Vtrùm teneamur confiteri peccata in præcedenti confeſſione per oblivionem vel ignorantiam inculpatam omiſſa?

21 Affirmatur. REſpondeo: Omnes fideles iure diuino ad confitẽda omnia peccata mortifera per obliuionem vel ignorantiã inculpatam, etiam poſt diligens examen in priore confeſſione omiſſa, obligantur quando poſteà memoriæ occurrent.

à conſenſu DD. Probatur Primò: Quia id docet communis DD. conſenſus. Omnes enim conſentiunt, eum, qui in confeſſione annua oblitus eſt aliquod peccatum etiam inculpatè, ſi poſteà memoriæ occurrat, teneri illud confiteri etiam anno tranſacto; etſi in eo diſcrepent, vtrùm ſtatim teneatur, an poſſit differre in alterum Paſcha: nec quiſquam eſt inter probatos Auctores qui de hoc legatur dubitaſſe.

à praxi eccleſiæ. Probatur Secundò: Quia id declarat vniuerſalis Eccleſiæ praxis; vt conſtare poteſt ex ijs qui in Italia, Hiſpania, Gallia, Germania ſcripſerunt de hac re. Non enim dubitari poteſt, quin ita vbique ſeruetur in Eccleſia, ſicut DD paſſim per orbem diffuſi faciendum docent. Nam Epiſcopi & Parochi & Religioſi communem Doctorum ſentẽtiam in ſacramentorum miniſterio ſequuntur.

Ex Script. Probatur Tertiò: Quia idem confirmari poteſt ex illa ſententia Domini, Ioannis 20: *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis* &c. adiuncta interpretatione vniuerſæ Eccleſiæ, quæ vt Concilium Tridentinũ ſeſſ. 14. cap. 5. ait, *Semper intellexit ex verbis prædictis, inſtitutam eſſe à Dño integram peccatorum confeſſionem: & omnibus poſt Baptiſmum lapſis, iure diuino neceſſariã exiſtere.* Atquí reipsâ integra non eſt confeſſio, in qua aliquid per oblivionem omittitur, licet opinione & intentione confitentis integra ſit, & ideò gratiam conſequatur: ergo adhuc manet obligatio illa cõfitendi velut in habitu, licet ob impoſſibilitatẽ ſit ſopita, ac proinde ipſe excuſetur à trãſgreſſione:

nemo enim potest confiteri quod ignorat. Confirmatur, quia ante confessionem priorem, ille verè ex parte rei erat obligatus ad confitendum illud peccatum cuius nõ meminit, (vt facilè probari potest:) sed hæc obligatio non extinguitur per confessionem secutam; nam in ea non confitetur illud peccatum: ergo illa obligatio manet post illam confessionem velut in habitu, & vim suam exeret simulatque memoriæ occurret. Simile videm⁹ in obligatione restitutionis, quę per obliuionem vel ignorantiam iniuriæ, non extinguitur in reipsâ, sed sopitur: quando autem in mentem venit iniuriam illatam esse, rursus vim suam exerit. Sic quoque peccato perpetrato, statim oritur obligatio confessionis, quæ est veluti restitutio quędam honoris diuini violati, eaque per obliuionem non extinguitur, sed sopitur tãtummodò. Omitto alia quæ in hanc sententiam adduci possent, cùm sit res indubitata.

21 Hinc malè inferunt hæretici conscientiarum carnificinam.

Neque hinc sequitur confessionem integrã fore conscientiarum carnificinam, vt dicit Lutherus in Assertione art. 9. Nam etsi obligemur reipsâ ad confitẽdum omnia peccata, etiam oblita; tamen hæc obligatio vim suam nõ exerit nisi circa ea peccata, quę post diligens examen, memoriæ occurrunt. Vnde in actu secũdo & in exercitio, non obligamur nisi ad ea confitenda quę memoriæ occurrunt. Vnde qui pro suo captu conuenientem diligentiam adhibuit in conscientia excutienda, & debito cum dolore, & emendationis proposito confessus est ea, quæ tunc occurrerunt, nõ debet esse ampliùs anxius de vlteriori examine vel confessione. Quòd si aliquid spõte occurrat, quod illi cõstat omissũ, potest id sine anxietate & carnificina conscientiæ confiteri; idq; poterit quotiescumque aliquid noui occurret, quod illi constabit prętermissum. Quòd si illi sit probabile non esse omissum, non tenetur confiteri. Hîc sanè nulla est carnificina, nulla causa anxietatis ratione illius peccati cõfitendi, quod omissũ esse constabat. Esset autem carnificina conscientiarũ, si in actu secundo obligaremur absolutè omnia confiteri, sic vt, si fortè aliquid per obliuionem omitteretur, irrita esset confessio, eiusque præcepto non satisfieret ex parte hominis. Quo modo hæretici doctrinam Ecclesię accipiunt: hinc etiã colligentes confessionem, quam Ecclesia præcipit, esse impossibilem: nam reuerã sic maximè anxias redderet conscientias, & saepè impossibilis esset vera & legitima confessio. Quare Concilium Tridentinum vt vtramque hanc calũniam refutaret, sic ait sess. 14. c. 5. *Constat nihil aliud in Ecclesia à pœnitentibus exigi, quàm vt postquam quis se diligẽter excusserit, & conscientiæ sinus omnes & latebras exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus se Dñm & Deum suum mortaliter offendisse meminerit: reliqua autẽ peccata, quę diligenter cogitanti nõ occurrunt, in vniversũ, eâdem confessione inclusa esse intelligũtur: pro quibus fideliter cũ Propheta dicimus, Ab occultis meis munda me Domine.* Quibus posterioribus verbis, non vult Concilium significare peccata quæ non occurrũt, sic censeri inclusa, vt non debeamus ea postea speciatim confiteri si memoriæ occurrant; sed vt non reddant confessionem irritam & infructuosam, cùm ab illis etiã, etsi indirectè & ex consequenti, liberemur. Hanc esse Concilij mentem patet ex scopo Concilij. Scopus enim Concilij erat ostendere confessionem vt ab Ecclesia pręcipitur, non esse carnificinam conscientiarum, aut impossibilem, Atqui ad hoc, non erat necesse ostendere peccata omissa non esse confitenda; sed satis erat docere ad præceptum confessionis implendum, & fructum consequendum, sufficere vt quis omnia confiteatur quæ memorię post diligens examen occurrunt; & propter ea quæ obliuione omittuntur, non impediri fructum, aut integritatem confessionis reddi impossibilem: eò quòd peccata omissa generatim intentione & bona fide confitentis (qui intendit, & bona fide existimat se omnia confiteri) intelligantur contineri.

Hinc patet, quid respondendum sit ad rationes quæ contra obiiciuntur. Prior est: Peccata omissa inclusa sunt eâdem confessione, iuxta Concilium Trident. & subsecutâ absolutione verè dimissa sunt: quid ergo constringit & vrget ad eorum postea confessionem? 23 1. obiectio ex Trid.

Respondeo: Peccata omissa intelliguntur in vniuersum eâdem confessione inclusa; non quia reipsâ sufficiẽter explicata sunt (hoc enim implicat contradictionem:) sed quia intentione & bona fide cõfitentis inclusa censentur; sic vt neque fructũ confessionis, neque integritatem necessariam ex parte pœnitentis impediant. Similiter dicũtur dimissa secutâ absolutione, non directè, sed indirectè. Nam cui remittitur vnum peccatũ mortiferum, necesse est remitti concomitanter omnia; eò quòd remissio vnius non fiat, nisi per infusionem gratiæ, quæ concomitãter necessariò excludit omnia reliqua. Hinc tamen non sequitur, nos non teneri ea postea confiteri cùm in memoriam venerint, vt directè ab illis absoluamur. Nam omnia subiici Clauibus debent, vt omnes docent, & Concilium Trident. apertè insinuat cap. 5. in principio. Et cõfirmatur: quia alioquin is qui in discrimine vitæ, quando intercepta voce vel ratione, non nisi vnum vel alterum peccatum potuit confiteri, non teneretur postea restitutus sanitati cetera confiteri, cùm ab omnibus fuerit absolutus; quod tamen constat falsum esse, vt superiore dubio dictum est. Solvitur.

24 2. obiectio quòd confessio ob solam remissionem sit necessaria.

Altera obiectio est: Confessio ob solam remissionem est absolutè necessaria. Nam extra necessitatem remittendi peccati, & tempus Paschale, nullum habemus confitendi præceptum: ergo cùm illa peccata obliuione omissa, sint remissa, non tenemur ea ampliùs confiteri.

Respondeo: Verum non esse, confessionem ob solam peccatorum remissionem esse necessariam, seu nos ad eam obligari, si per remissionem intelligitur remissio culpæ vel pœnæ. Patet hoc in exemplo allato, de eo, qui in extremis solum vnũ vel alterum peccatũ confiteri potuit. Item de eo, qui verã contritionem de suis peccatis habuit ex amore Dei. Ratio autem cur præceptum confessionis obliget etiam remisso peccato, est, quia remissio peccati est finis huius præcepti, non substantia: atqui cessante fine in particulari, non idcircò cessat obligatio præcepti, modò nihil contrarium illi fini & intentioni legislatoris eueniat ex obseruatione; vt docent omnes Doctores: & patet in præcepto ieiunij, cuius finis est macceratio carnis; quod tamen non desinit obligare, etiamsi hac macceratione quis opus non habeat: & in præcepto baptismi, cuius finis est remissio peccati originalis, quod tamen non desinit obligare, etiamsi peccatum hoc remissum sit; vt patet Act. 10. v. 47. Idem patet in præcepto Eucharistiæ, & alijs multis. Solvitur.

DVBIVM IV.

Vtrùm liceat aliquando confiteri non integrè ratione caſus reſeruati?

25 Peccata quædam reſeruari poſſe, eſt de fide.

SVppono Primò: Poſſe ſuperiores Prælatos aliqua peccata grauiora, tum ratione culpæ, tum ratione cẽſuræ annexæ, ſibi reſeruare, à quibus inferiores non poſſint abſoluere: quod hdie tenendum eſt. Patet ex Concilio Tridentino ſeſſ. 14. cap. 7. & canone 11. & Capitulo *Si Epiſcopus*, de Pœnitentijs, & remiſſionibus in 6. & ex perpetua Eccleſiæ conſuetudine, quam eſſe antiquiſſimam patet ex Cypriano epiſt. 13. Ratio eſt; quia etſi omnes Sacerdotes in ſua Ordinatione accipiant à Chriſto poteſtatem iudiciariam, quæ ex parte iudicis eſt neceſſaria, non tamen accipiunt ſubditos, in quos hanc exerant: ſed hos accipiunt à Pontifice mediatè vel immediatè, ſcilicet per Epiſcopos, & alios Prælatos. Sicut ergo in horũ poteſtate eſt dare hos vel illos ſubditos; ita etiam in poteſtate eſt ſubdere illos abſolutè, vel tantùm ſecundùm certos caſus. Quod vt interdum facerent, fuit conueniens ad diſciplinam populi Chriſtiani, vt ait Concilium Tridentinum: tum vt quorundam peccatorum grauitas magis innoteſceret, hominesque ſe magis ab illis continerent; tum vt efficacior medicina quibuſdã grauioribus peccatis adhiberetur. Simile videmus in Tribunalibus Principũ, qui multas cauſas ſuæ cognitioni reſeruare ſolent, quas inferioribus Iudicibus non permittunt.

vtilitas reſeruationis.

26 An peccata purè mẽtali paſſint reſeruari.

Suppono Secundò: Hanc reſeruationem diſcretè fieri debere ad ædificationem, & non ad deſtructionem, vt inquit Concilium Trident. cap. 7. Hinc peccata purè mentalia non debent reſeruari. Si tamen ſuperior non concederet poteſtatem ea abſoluendi inferioti, habenti dũtaxat iuriſdictionem delegatam, valida eſſet reſeruatio: quia hæc iuriſdictio ex nudo Superioris arbitrio dependet. Secùs, ſi inferior haberet Iuriſdictionem ordinariam, vt Parochus: quia hæc Iuriſdictio nõ pendet ex arbitrio Superioris immediati, ſed ex ipſo Iure. Vnde inferior ſine iuſta cauſa non poteſt eâ priuari.

27 Nulla nuda culpa reſeruatur Papæ.

Suppono Tertiò: Pontifici nullos caſus eſſe reſeruatos, niſi ratione cenſuræ annexæ. Vnde ſi conſtat ſublatam eſſe cenſurã, vel eam non fuiſſe incurſam ob ignorantiam iuris vel facti, iſte caſus non erit ampliùs reſeruatus; vt tenet communis ſententia Doctorum. Vide Nauarrum cap. 27. num. 261. Epiſcopis autem reſeruantur etiam caſus ratione ſolius culpæ. Vide Nauarrum ibidem, & numero ſequenti. Et patet ex Synodo Mechlinienſi *De Sacramentis* capite 6. vbi reſeruantur Epiſcopo raptus virginum, homicidium, incendium deliberatum, ſimonia, ſodomia, hæreſis, apoſtaſia, incæſtus cum conſanguineâ aut ſanctimoniali, iniectio manuum in parentes cũ læſione, ſortilegium, adulterium notorium, & omnia delicta excõmunicationem maiorem annexam habentia. His poſitis.

Reſeruatur hæc Epiſcopis.

28 Superior non poteſt abſoluere à ſolis reſeruatis, remiſſo pœnitente pro ceteris ad inferiorem.

Reſpondeo & dico Primò: Quando pœnitens caſus habens reſeruatos, adit Superiorem vt ab eo abſoluatur, verius eſt Superiorẽ non poſſe audire ſola reſeruata, & ab ijs abſoluere, remiſſo pœnitente pro ceteris ad inferiorem: ac proinde non poteſt dimidiari confeſſio ratione caſus reſeruati. Ita Siluester V. *Confeſſio* 1. quæſt. 19. Adrianus qu. 4. *de Confeſſione*. Melchior Can. Re*lectione de pœnitentia* parte 5. & alij. Ratio eſt: quia integritas confeſſionis & abſolutionis eſt iuris diuini. Vnde, niſi cauſa legitima cogat, neq; cõfeſſionem dimidiare, neque ſuper dimidiatã ferre ſententiam abſolutionis licet: atqui hîc non interuenit cauſa legitima: nam vel Superior poteſt audire omnia, & ab omnibus abſoluere; vel ſi non habet tempus audiendi omnia, ſed ſolùm reſeruata, poteſt illum ſine abſolutione mittere ad inferiorem, cui integrè confiteatur, cum poteſtate, vt ab omnibus abſolui poſsit.

Contrariũ nõ eſt improbabile.

Notandum tamen eſt, Contrariam ſententiam eſſe plurimorum Doctorum, nempe ſuperiorem, præſertim Epiſcopum, & ſummum Pœnitentiarium Pontificis, poſſe audire ſola reſeruata, & ab ijs abſoluere Sacramẽtaliter, remiſſo pœnitente pro cæteris ad inferiorem. Ita tenent Henricus Quod l. 1. q. 29. Paludanus, & Richardus diſt. 17. Item Antonimus, Gerſon, Dominicus Soto, Petrus Soto, Ioannes Medina, Caietanus, & Nauarrus. Vnde non videtur improbabilis.

29 Inferior habentem reſeruata, nec ab his, nec ab aliis abſoluet.

Dico Secundò: Si pœnitens, habens caſus reſeruatos, confiteatur eos inferiori non habenti poteſtatem in illos, inferior non poteſt eum abſoluere, nec à reſeruatis, nec à nõ reſeruatis, extra articulum mortis. Tenet Richardus diſt. 17. art. 2. quæ. 8. ad 2. & Adrianus quæſt. 4. *de Confeſſione* §. *ſed dubium*: & colligitur ex Concilio Trident. ſeſſ. 14. cap. 7. vbi Concilium ait, *Inferiores extra articulum mortis nihil poſſe in caſibus reſeruatis, ſed id vnum pœnitentibus perſuadere debere, vt Superiores pro abſolutione accedãt.* Colligit autem Concilium id ex eo, quòd ſententia lata in eum, in quem Sacerdos non habet iurisdictionem, ſit inualida. Item, quia Concilium dicit *In articulo mortis peccata non eſſe reſeruata, ne pereat quis ratione reſeruationis*: vbi apertè indicat Sacerdoti non eſſe licitum abſoluere vllo modo manẽte reſeruatione: ſi enim poſſet abſoluere, etiam indirectè, non eſſet periculum ne quis periret ratione reſeruationis. Vnde manifeſtè ſequitur non poſſe inferiorem abſoluere aliquem à reſeruatis. Sed quòd neque à non reſeruatis tunc poſſit abſoluere, patet; quia Iure diuino tã abſolutio, quàm confeſsio debet eſſe integra.

Dices: Ergo talis Confeſsio, & Abſolutio, etiamſi bonâ fide facta ſit, etiã irrita.

Etſi bona fides intercedat.

Reſpondeo: Ita ſanè quidam Doctores ſentiunt, inter quos Richardus & Adrianus, & quidam huius ætatis: idque probant Primò: ex verbis Concilij citatis. Secundò, quia hoc Iudicium pœnitentiæ Iure diuino debet eſſe integrum, ſic vt non poſſit diuidi: ergo cùm inferior non habeat poteſtatem in peccata reſeruata, nec ſententia poſſit ferri in ſola non reſeruata, cùm abſolutio debeat eſſe integra, nihil efficiet. Tertiò: quia cenſura reddit in capacem abſolutionis. Hęc ſententia videtur ſatis conſentanea verbis Concilij.

30 Contrariũ eſt probabilius.

Verùm quia eſt admodum dura, magis probatur nobis contraria, quæ eſt communior Doctorum, ſcilicet, confeſſionem & abſolutionem eſſe validam, etiamſi pœnitẽs habeat caſum ratione culpæ vel cenſuræ reſeruatum, eumque cõfiteatur nõ habenti poteſtatem in illum caſum, modò bona fide ſic confiteatur, & ſacerdos iuriſdictionem habeat ſaltẽ in aliqua eius peccata mortifera. Ita Nauarrus cap. 9. nu. 4. & 7. & in capit. *Fratres*, de Pœnitentiâ diſt. 5. num. 45. & 50. vbi citat multos alios: & Caietanus verbo, *Abſolutionis impedimenta*, & verbo *Cõfeſſionis iteratio*. Victoria quæſt. 3. *de excommunicatione*. Idem tenet Henricus Quodlib. 1. ſuprà. Durandus diſt. 17.

quæst. 15. num. 8. Paludanus, Gabriel, Antoninus, Siluester, Ioannes Medina.

Ab incommodis.

Probatur; Quia alioqui plurimi fideles grauiter deciperentur cum magno salutis periculo, idque sine vlla sua culpa. Plerique enim Parochi & Confessores per orbem ignorant censuras & casus reseruatos, vnde sine discrimine absoluunt ab omnibus. Si hæc absolutio esset irrita propter reseruationem, fideles nihil ex ea perciperét fructus, & præterea tenerentur confessiones suas omnes repetere: quod sanè maximam perturbationem conscientijs, & damnum animabus adferret. Accedit: quod fideles non possint scire, an Parochus habeat potestatem absoluēdi à censuris, vel à casibus reseruatis: vnde sine omni suâ culpâ priuarentur fructu Sacramenti, etiamsi facerent omnia, quę humano more facere debent, & possunt: quare meritò semper essent anxij. Et confirmatur: quia reseruatio debet *fieri ad ædificationem, & non ad destructionem*, vt dicit Concilium Trident. atqui si sic esset, facta esset in destructionem. Quare existimandum est, Ecclesiam in huiusmodi casibus tacito consensu dare iurisdictionem inferioribus, sicut dat ijs qui non habét titulum, nisi coloratum, vt Pœnitentes possint absolui à culpa & à censurâ ad effectum Sacramenti consequendū, non tamen à reseruatione, sic vt maneát posteà obligati se sistere superiori, vbi intellexerint casum reseruatum fuisse. Hoc enim modo consulitur fidelium saluti, & nihilominùs casuum reseruatio consequitur suum finem.

Censetur Ecclesia hic tacitā dare iurisdictionem

Vnde ad Primum Respondeo: Sacerdotem inferiorem extra articulum mortis nil il posse in casibus reseruatis. Primò, Nisi Ecclesia, tacito consensu, tatione bonæ fidei pœnitentis, det illi iurisdictionem, quasi per modum transeúntis. Secundò, & meliùs nihil posse licitè, & eo modo, vt tollat reseruationem. Hinc tamen non sequitur absolutionem esse irritam, si detur, quando Pœnitens bonâ fide procedit, quamuis Sacerdos peccet eam dando; sicut dictum est de eo, qui habet titulum coloratum. Si tam pœnitens sciret Sacerdoté non posse, non esset valida absolutio: tum quia tunc non subesset illa ratio concedendi iurisdictionem; tum quia peccaret petendo à Sacerdote, quod sine peccato non potest præstare.

31 Respondetur ad Tridentinum num. 29. citatum.

Episcopi possūt iure cōmuni absoluere à reseruatis Pōtifici

Aduertendum autem est: Concilium signanter dixisse, *inferiores Sacerdotes*, id est, *inferiores Episcopis, nihil posse in casibus reseruatis extra articulum mortis*, quia iure communi possunt Episcopi absoluere à casibus reseruatis pontifici, etiam extra articulum mortis, scilicet quando ad eum nō patet facilis aditus ob ætatem sexum, debilitatem, vel aliam iustam causam; vt patet Capitulo, *De cetero*: & Capitulo, *Ea noscitur*: & Capitulo, *Quod de his*, de Sententia excommunicationis. Posteà tamen sic absolutus, cessante impedimento, tenetur se præsentare Pontifici; vt patet ex eisdem locis.

Respōdetur ad alia argumēta Richardi & Adriani.

Ad Secundum Respondeo, Non diuidi hoc iudicium; quia inferiori censetur data potestas in hoc casu, tacito quodam Ecclesiæ consensu, quâ validè quidem, etsi non licitè, absoluit eum, qui bona fide ei confitetur. Potest etiam concedi illud iudicium diuidi, & Sacerdotem non rectè facere, tamen validè; quia in aliqua habet potestatem directam.

Ad Tertium: Excommunicatio pœnitentis non reddit illum incapacé absolutionis à peccatis, sicut neque gratię & iustificationis; sed solùm facit, ne quis licitè possit absolui à peccatis, vel aliud Sacramentum percipere ante absolutioné ab excōmunicatione. Quare si ignorantia excusset illum, valida erit absolutio.

Dices: Si Sacerdos inferior non potest licitè absoluere penitentem à casibus reseruatis, quid faciet penitens, si necessariò sit celebrandum, vel communicandum, nec possit adire superiorem?

32 In necessitate si non vales adire superiorē, contrere.

Respondeo: In hoc casu potest communicare contritus sine confessione, tanquam non habens copiam Confessoris.

Aduerte tamen, quando aliqua talis necessitas vrget, non esse improbabile, Confessorem inferiorem posse licite penitentem absoluere à casib⁹ reseruatis, si censuram annexam non habeant. Sic enim sentiunt plurimi Doctores suprà citati, qui non solùm tenent absolutioné esse validam, sed etiam Sacerdotem inferiorem posse sic absoluere, modò penitens non habeat censuram reseruatam; tunc enim fatentur Sacerdoté non posse sine peccato. Teneri tamen penitentem posteà illud peccatum reseruatum confiteri superiori.

Probabile est te posse confiteri & absolui.

Quid facies si nulla vrget necessitas.

Non tamen videtur multùm probabile, quidquid Caietanus & alij quidam dixerint, posse Sacerdotem absoluere à casu reseruato, etiam quādo superior facile adiri potest, & nulla necessitas vrget: nam Concilium Trident. satis apertè cōtrarium insinuat. Ratio est, quia si hoc esset permissum, tolleretur sollicitudo, quam Penitentes habere debent, vt absoluantur à reseruatis.

DVBIVM V.

Vnùm, si quis confessus ei, qui habet potestatem absoluendi à reseruatis, fuerit oblitus confiteri reseruata, maneat reseruatio?

33 Probabile est nō manere reseruationem.

REspondeo: Plurimorum sententia est, non manere reseruata, si obliuio pœnitentis fuit inculpata, ita vt non reddiderit irritam absolutionem: vnde posteà à quouis Sacerdote habente aliquam in illum iurisdictionem posse absolui. Ita tenet Couarruuias in Capit. *Alma*. 1. parte §. 11. num. 12. vbi citat multos alios, & Nauarrus in Enchirid. cap. 26. num 12. & 13. Ratio est, quia ille Sacerdos habens potestatem, siue ordinariā, siue delegatam, intendit absoluere quantum potest: ergo etiam à reseruatis; saltem quoad reseruationem. Hæc sententia generatim est satis probabilis, & secura in praxi.

Forte argumētum in contrarium.

Dices: Reseruare peccatum, est adimere alijs potestatem absoluendi, & eam sibi retinere, & obligare pœnitentem ad sibi confitendum, vel alteri à se potestatem habenti, vt conueniens remedium & satisfactio debita adhibeatur: ergo non est in potestate, præsertim delegati, tollere illam reseruationem, nisi pœnitens confiteatur reuerà illud peccatum; quia delegatus non potest tolere obligationem à superiore impositā, nisi ex parte pœnitentis impleatur: ergo cùm pœnitens non sit confessus illud reseruatū, non potuit esse ablata reseruatio: nō enim liberatur quis obligatione confitendi superiori per hoc, quod indirectè ab aliquo peccato sit absolutus.

Respondeo: Hoc argumentum conuincere ita esse in rigore. Verùm contraria sententia probabilis est, & introducta per quandam *consuetudinem*, ex tacito consensu superiorum, vt onus reseruationis subditis sit facilius. Qui enim bonā fide confessus est Sacerdoti habéti potestatem absoluendi à reseruatis, virtute & implicitè intendebat etiam reseruata confiteri; & omnino cōfessus fuisset, si memoriæ occurrissent: quæ inculpata

34 Sed excusat *ignorantia*.

obliuio non debet ei tãtum nocere, vt turſus debeat ſuperiorem adire. Vnde ex quadã benigna interpretatione voluntatis, ſuperioris, id ei reputatur perinde atque ſi à reſeruatione abſolutus eſſet: quare ſufficit illud peccatum poſteà Parocho confiteri.

35 Si elegeris cõfeſſionẽ vi Iubilæi.

Aduerte Primò: Satis certum eſſe tolli reſeruationem omnem quando quis virtute Iubilæi eligit Confeſſorem, à quo abſoluatur ab omnibus reſeruatis: nam tunc cenſentur omnia peccata reſeruata fieri inſtar eorum peccatorum, quę non ſunt reſeruata.

Si caſus reſeruatus propter excõmunicationẽ.

Aduerte Secundò: Quando ſolùm caſus eſt reſeruatus ratione excommunicationis, probabilius eſſe tolli reſeruationem; etiamſi per obliuionem peccatum non explicetur. Ratio eſt, quia poteſt quis directè abſolui ab omni excommunicatione, etiamſi cauſa non ſit expreſſa in confeſſione. Vide Couarruuiam & Nauarrum locis citatis.

Si confeſſio fuerit inualida.

Aduerte Tertiò: Si pœnitens confeſſus ſit Superiori, vel habenti poteſtatem abſoluendi delegatam, peccata reſeruata deſinere eſſe reſeruata, etiamſi confeſſio fuerit inualida ob defectum doloris, integritatis, vel alium. Ita Antoninus 3. p. tit. 14. c. 18. §. 17. Syluester V. Confeſſio 1. q. 19. Caietanus verbo Caſus reſeruatus. Ratio eſt, quia conſecutus eſt finem reſeruationis, qui eſt, manifeſtare peccatum Superiori vel delegato, vt de eo iudicium ferre, & accommodatum pœnitentiam poſſit imponere.

DVBIVM. VI.

Verùm ſolæ circumſtantiæ mutantes ſpeciem ſint confitendæ: an etiam aggrauantes?

36 quidam negãt circũſtantias enormiter aggrauantes eſſe cõfitendas. Verius affirmatur.

PLerique Doctores docẽt, illas quæ non mutant ſpeciem, quantumuis intra eandem ſpeciem aggrauent, non eſſe neceſſariò confitendas. Vide Nauarrum in Cap. *Conſideret*, de Pœnitentia diſt. 5. in principio num. 6. vbi hanc ſententiam tenet, & multos Doctores citat.

Hæc ſententia, etſi probabilis ſit ob authoritatem illorum Doctorum: Verius tamen videtur, eas circumſtantias, quæ enormiter aggrauant intra eandem ſpeciem, eſſe neceſſariò confitendas. Explicatur Exemplis: Primò: Si propter illam circumſtantiam erat excõmunicatio annexa Papalis, vel Epiſcopalis: vel ſi erat caſus ratione culpæ reſeruatus. Vt percutiens Clericũ, eſt excõmunicatus; ſed ſi leuiter percuſſerit, poteſt ab Epiſcopo abſolui; qui autẽ grauiter, à ſolo Papa abſoluitur: tamen hæc circumſtantiæ non mutant ſpeciem. Sic qui furatur bona naufragantium, eſt excommunicatus; ſine illa tamen circumſtantia fures non ſunt excommunicati. Vnde tales circumſtantiæ ſunt explicandæ: quod etiam cogũtur fateri Authores alterius ſententiæ.

1. Si propter eas eſt annexa excõmunicatio.

2. Si pluret ſimul iunctæ malitiæ.

Secundò: Quando peccatum recipit duplicé, vel triplicem, vel multiplicem malitiam in eadẽ ſpecie. Vt ſi quis vno eodemque deſiderio deſiderauit occidere quatuor homines, vel deſiderauit illicitum complexum quatuor mulierũ: etſi enim materialiter ſit vnus actus, ſunt tamẽ formaliter quatuor malitiæ. Similiter, ſi quis interfecit Ioannem, vt poſſet interficere Petrum, non ſufficit dicere, *occidi Ioannem, & volui occidere Petrum*; ſed debet dicere, ſe occidiſſe Ioannem ob talem finem: quia occiſio Ioannis duplici malitiâ homicidij contaminata eſt, ſcilicet intrinſecâ & extrinſecâ.

Tertiò: Quando: ob materiæ quantitatem vnũ peccatum contrahit vnam malitiam, quæ pluribus in eadem ſpecie æquiualeat: hoc enim perinde eſt ac ſi eſſent plura peccata numero diſtincta: nam furtum cẽtum aureorum æquiualet decem furtis decem aureorum. 3. Ob quãtitat materiæ.

Quartò: Quando ratione quantitatis temporis, quo actus continuatur, eius malitia æquiualet pluribus peccatis. Vt ſi quis vno menſe fuiſſet occupatus ad vlciſcendum ſe de inimico vt eum interficeret. Idem de proſecutione puellę &c. 4. Ob quãtitatẽ temporis.

Nunc prob. Propoſitio: Primò, Nam ſæpè fit, vt circumſtantia intra eandem ſpeciem plus malitiæ adferat, quàm ſi transferret peccatum in alienam ſpeciem, aut eſſet duplex peccatum: ſed quando transfert in alienam ſpeciẽ, eſt neceſſariò confitenda; ſimiliter quando ſunt duo peccata: ergo etiam, quando enormiter auget intra eandem ſpeciem. Secundò: Si pœnitens non tenetur eas confiteri; ergo rogatus à Cõfeſſore poterit eas negare, ſaltem ſine nouo peccato mortifero; quod tamen nemo conceſſerit. Conſequẽtia patet: nam ſi Sacerdos interrogaret me de aliquo peccato veniali; poſſem negare me feciſſe, ſaltem ſic vt non peccarem mortiferè, quia non teneor illud confiteri: ergo ſimiliter. Tertiò: Sine confeſſione talium circumſtantiarum non poteſt Sacerdos cognoſcere ſtatum pœnitentis, nec imponere debitam ſatisfactionem: nam plurimũ diſtant furtum trium aureorum, & trecentorum: homicidium ſubitò commiſſum ex ira, & commiſſum ex odio, diuturna machinatione. 37 Rationes dictæ aſſertionis.

Dices: Concilium Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 5. de hãc re loquens, ſolùm ait eas circumſtantias confitendas, quæ ſpeciem peccati mutant: ergo.

Reſpondeo: Concilium non dicit eas ſolas confitendas, ſed tantùm dicit eas confitendas; de cæteris nihil dicit, quia noluit hanc quæſtionem definire, ſed ſolùm affirmare id quod extra controuerſiam erat.

Dico Secundò: Circumſtantiæ, quæ augent quidem intra eandem ſpeciem, non tamẽ enormiter poſſunt omitti. Eſt communis Doctorum. Tales ſunt omnes illę, quæ communiter ſolent actum comitari. Vnde non eſt neceſſariò confitẽda intenſio actus, niſi forteſſis eſſet valdè extraordinaria; neque continuatio, quę ordinariam non multùm excedit. Ratio eſt, quia ſine his Cõfeſſario ſatis innoteſcit conſcientia pœnitentis. 38 Circumſtantiæ nõ enormiter aggrauantes, poſsũt taceri.

DVBIVM VII.

Quænam Circumſtantiæ dicantur mutare ſpeciem?

REſpondeo: Illæ omnes circumſtantiæ dicũtur mutare ſpeciem, quæ nouam malitiæ ſpeciem adiungũt actui ad eam malitię ſpeciem, quam actus per ſe habet. Explicatur in ſingulis. Circũſtantia *Quis* addit nouam malitiã, quando cõditio perſonę peculiari ratione repugnat actui: vt ſi Religioſus, vel Clericus Ordinis ſacri conſentiat in turpem delectationem; nam malitiæ quę eſt contra caſtitatem in illo conſenſu, addit malitiam ſacrilegij contra votũ. Non tamen eſt duplex malitia, propter duplex votum in Sacerdote religioſo, ſed vna malitia; quia vna iniuria in Deum, & vna voti violatio, etſi maior ob duplex votum. Sicut qui non ſoluit alteri quod duplici titulo Iuſtitiæ illi debet, non committit duas malitias ſeu culpas, ſed vnam, contra Iuſtitiam, etſi maiorem, quia contra duplicem titu- 39 *Quis.* Sacerdos religioſus non peccat duplici peccato cõtra votũ caſtitatis.

d by Google

lum. Idem dicendum de eo qui violat ieiunium duplici præcepto Eccleſiæ mandatum; vt cùm Vigilia Apoſtoli incidit in ieiunium Quatuor tẽporum. Ratio eſt, Quia in his & ſimilibus etſi ſint duę numero diſtinctę obligationes, tamen honeſtas quę contẽnitur & erat integra cauſa obligãdi, eſt eiuſdem rationis: vt, in violatione ieiunij contemnitur honeſtas Tẽperantiæ: in violatione voti, honeſtas Religionis quæ eſt in ſoluẽdo voto. Malitia autem peccati propriè ſumitur ex ordine ad honeſtatem virtutis quæ contemnitur, non autẽ ex numero obligationũ, qui ſolùm ſe habet per modum applicationis obiecti.

40 *quid.* Circumſtãtia *quid* addit nouam malitiam: vt cùm ex peccato ſequitur ſcandalum, id eſt, peccatum proprium, aut alienum, vel damnum v.g. in corpore, in fama, in bonis externis &c.

Vbi Polutio & furtum in Eccleſia. Circumſtantia *Vbi* addit nouam malitiam: vt quando opus repugnat peculiari modo ſanctitati loci & immunitati: vt pollutio in Eccleſia; cogitationes turpes cum periculo pollutionis; ſecùs eſt ſine periculo: pugna & furtum rei depoſitæ in Eccleſia; ſecùs ſi burſa aliqui in Eccleſia abſcindatur.

quibus auxilijs. Occidens per aſſaſinum. Circumſtantia *quibus auxilijs* tunc ſolùm addit nouam malitiam, quando propriam aliquam deformitatem continet illius vſus: vt ſi quis per Aſſaſinum occideret; hoc enim peculiari præcepto prohibetur ſub pœna excommunicationis. Si autem per famulum vel alium ſocium, non eſt per ſe noua malitia in actu homicidij; quauis potuit præceſſiſſe noua malitia in mandando, conſulendo, rogando, ſcilicet malitia ſcandali.

Cur. Furari vt libidinem exerceas. Circumſtantia *Cur*: vt quando finis externus per ſe malus eſt: vt ſi quis omittat ire ad Sacrũ, vt legat hiſtorias turpes delectationis turpis cauſâ. Si furetur vt inſumat in libidines.

quomodo. Circumſtantia *quomodo*: vt ſi cognoſcat extra vas naturale.

quando. Opus ſeruile die Feſto. Circumſtantia *quando*: vt cùm ſpecialiter prohibitum eſt ob ſanctitatem temporis: vt ſi opus ſeruile fiat die Feſto Hæc. Circumſtantia alijs operibus etſi peccata ſint, vt ebrietas & fornicatio &c. non addit malitiam mortalem.

41 *Circa quid.* Cognoſcere matrẽ vel filiam. Circumſtantia *Circa quid* addit nouam malitiã, quando conditio aliqua materiæ, vel obiecti peculiari modo repugnat operi: vt ſi quis furetur calicem: ſi cognoſcat matrem vel filiam. Vbi aduerte, omnem inceſtum cum aſcendentibus in linea recta & deſcendentibus, videri eſſe eiuſdem ſpeciei: vt, cum matre, nouerca, auia, filia, nepte, quãuis ſit diuerſa grauitas intra eandem ſpeciẽ, quia eiuſdem ſpecici reuerẽtia aſcẽdentibus debetur. Deſcẽdentibus in linea recta non debetur quidem illa reuerẽtia; tamen qui filiã cognoſcit, conſentit in irreuerentiam quæ ſit paternę coniunctioni per filiam. Alterius ſpeciei eſt cum ſorore: quia alind vinculum intercedit, alia coniunctio. Denique, quæ ex lege poſitiua oriuntur, ſunt eiuſdem ſpeciei.

ARTICVLVS III.

Vtrum quis per alium, vel per ſcriptum poſſit confiteri?

42 REſpondet D. Thomas nos poſſe, niſi quis vſu linguæ careat. Ratio eſt, Quia ordinaria materia huius Sacramenti eſt confeſſio vocalis facta immediatè ab ipſo pœnitente.

DVBIVM I.

Vtrùm confeſſio facta Sacerdoti præſenti per ſcripturam vel interpretem, ſit ſacramentalis, ita vt accedente abſolutione Sacerdotis ſit verum Sacramentum?

REſpondeo: Vtroque modo factam, eſſe Sacramentalem. Vide Melchiorem Canum relect. de Pœnitentia p. 5. Idem inſinuat D. Thomas Quodlib. 1. art. 10. Ratio eſt: Quia nihil hîc deeſt eſſentiale Sacramento. Non enim de ratione confeſſionis Sacramentalis eſt, vt fiat ſecretò ſoli Sacerdoti, vt inſinuat Scotus diſt. 17. quæſt. vnicâ. Nam hoc conceſſum eſt in fauorem pœnitentis, vt ſolùm cogatur ſecretò confiteri: cui fauori ipſe ob cauſam in aliquo caſu poteſt renuntiare, & publicè confiteri Sacerdoti audiente populo, & Sacramentaliter abſolui; vt colligitur ex Concilio Tridentino ſeſſ. 14. cap 5. & ex antiqua Eccleſiæ conſuetudine. Neque etiam requiritur, vt voce fiat, quãuis hic modus ſit vſitatior. Nam Chriſtus ſolùm obligat, vt patefaciamus noſtra crimina Sacerdoti per modum accuſationis, ſiue id fiat verbis, ſiue nutibus, ſiue ſcriptura; modò ſigno aliquo externo fiat: quod addo, quia interno actu patefacere, ſicut loquuntur Angeli, non ſufficeret ad rationem Sacramenti. 43 Affirmatur. Confeſſio debet fieri aliquo externo ſigno, non tamen neceſſario voce.

Dices: Si iure diuino non tenemur confiteri voce, ergo confeſſio facta per ſcripturam poterit admitti, etiamſi pœnitẽs poſſit aliquo modo voce confiteri.

Reſpondeo: Ob iuſtam cauſam poſſe admitti, vt recte Canus ſuprà: vt ſi aliqua puella prę magna verecundia non aude ret eloqui ſuum peccatum, ſi oſſet ſcripto expreſſum tradere Confeſſori, ſicque abſolui. Sine cauſa tamen admitti non poteſt: quia generalis Eccleſiæ cõſuetudo vim legis habens, eſt, vt voce fiat; vt res ipſa declarat, & docet D. Thomas Quodlibeto 1. art. 10.

De Interprete omnes fatentur.

DVBIVM II.

Vtrùm obligemur confiteri per ſcripturam, interpretem, aut nutus, quando aliter non poſſumus?

REſpondeo & dico Primò: Ex vi præcepti confeſſionis nemo tenetur confiteri per interpretem. Eſt communior ſententia Doctorum: Richardi, Paludani, Scoti, diſt. 17. Caietani Verbo *Confeſſio* condit. 11. Ratio eſt: quia Dominus non obligauit nos, niſi ad confitendum ſecretò coram ſolo Sacerdote: vt colligi poteſt ex Trident. ſeſſ. 14. cap. 5. vbi dicit, *confeſſionem publicam non eſſe præceptã à Domino, ſed tanùm eam quæ ſit ſoli Sacerdoti.* Contrariũ enim nimis graue onus, & humanæ fragilitati minimè accommodatum fuiſſet. Confirmatur: quia non obligamur confiteri, quando periculum eſt, ne Sacerdos alteri reuelet confeſſionem. 44 Non tenemur confiteri per interpretem.

Dixi, *Ex vi præcepti confeſſionis*, nã ex præcepto charitatis ſui & Dei, poſſumus ad id obligari; nẽpe in periculo mortis; præſertim, quando dubitamus vtrùm legitimam habeamus contritionem. Excipe caſum

Dico Secundò: Verius eſt mutum, qui non poteſt confiteri, niſi ſcripto, præcepto confeſſionis obligari ad ſic confitendum. Ita Petrus Soto lect. 11. Maior diſt. 17. & inſinuat Caietanus loco citato, etiamſi obſcurè loquatur. Probatur: Quia ſic poteſt 45 Mutus tenetur confiteri ſcripto.

Digitized by Google

sic potest fieri cõfessio sine notabili incommodo: ergo ex præcepto debet fieri: nam præcepto confessionis non præcipitur vt fiat voce, sed vt fiat eo modo, quo commodè fieri potest. Neque periculum est, ne Sacerdos abutatur isto scripto, aut nolit restituere scriptum (quod vrget Dominicus Soto) quia non est ratio, cur id potiùs faciat, quàm cur alias non reuelet, dum voce confitemur. Vnde sicut tunc ei confidimus, ita etiam confidere debemus, dum scripto confitemur.

Contrariũ non est improbabile.

Contraria tamen sententia non est improbabilis, quam tenet Dominicus Soto, Ioannes Medina, & Nauarrus.

ARTICVLVS IV.

46 HOc Articulo agitur de conditionibus confessionis, quę sunt sedecim, comprehensæ his quatuor versiculis è D. Thoma descriptis: quos etiam prosequitur Nauarrus in cap. *Fratres* de Pœnitentia dist. 5. à num. 1. vsque ad 106.

Sit simplex, humilis confessio, pura fidelis,
Atque frequens, nuda, discreta, libens, verecunda,
Integra, secreta, lacrymabilis, accelerata,
Fortis & accusans, & sit parêre parata.

Circa conditionem *Fidelitatis*, videlicet vt confessio sit fidelis seu verax, est

DVBIVM.

Vtrùm omne mendacium in confessione sit peccatum mortiferum?

47 Affirmat Caietanus. CAietanus verbo *Confessio* cõditione 4. affirmat, præsertim quando quis mentitur contra propositum, quod antè habuit, confitendi illius peccati. Probatur Primò: Quia D. Thomas 2. 2. quæst. 69. art. 1. dicit mentiri in iudicio, esse peccatum mortale: atqui iudicium hoc Sacramẽtale est dignissimũ: ergo &c. Secundò: Quia facit materiam sacramenti falsam; quod est sacrileigũ.

Respondeo & Dico Primò: Mentiri in re graui, est peccatum mortiferum: vt, si quis accuset vel neget peccatum mortiferum, quod non erat accusandum vel negandum. 48 Distinguitur res graues. Si res leuis

Dico Secundò: Mentiri de re leui in confessione, est solùm peccatum veniale. Ita Nauarrus in capitulo *Fratres* num. 15 & sequentibus. Socus dist. 18. quæst. 2. art. 4. & alij. Ratio est, quia hoc mẽdacium nec est contra integritatem confessionis, cùm peccatum veniale non sit materia necessaria: nec est contra effectum confessionis, quia attritio de peccatis mortiferis, quæ sufficit ad obtinendum effectum in hoc Sacramento, potest cõsistere cum peccato veniali: nec est contra veritatem formæ, quia in forma non dicitur, *Absoluo te ab his peccatis*, sed *à tuis peccatis*, neque demonstrat materiam, sed eam vagè significat. Secùs est de formâ consecrationis, quę demonstrat materiam, cùm dicitur *Hoc est Corpus meum*, quę falsa redditur, si vel vna hostia chartacea ponatur inter hostias veras; falsa (inquam) quo ad illam chartaceã: vnde peccatum mortiferum esset veris hostijs immiscere vnam falsam, non tamen est mortiferum veris peccatis in confessione immiscere vnũ falsum. Dico Tertiò: Si quis ita confiteretur, vt totã cõfessionem faceret mendacem, peccaret mortiferè, etiamsi solùm venialia confiteretur. Ratio est; quia irritum reddit totum illud iudicium Sacramentale: nam vbi non est vera confessio, ibi non est vera absolutio. si tota confessio reddatur falsa.

Ad priorem rationem in contrarium suprà allatam: Respondeo, Etsi mendacium in iudicio sit mortiferum, quando est contra iuramentum, vel in notabile damnum alterius; id tamen aliàs non est mortiferum. 49 Respondetur ad argumentis Caietani

Ad secundam: Non facit totam materiam falsam: suppono enim illum alia verè confiteri: sed solùm particulam quandam materiæ non necessariæ falsam facit; quod non vitiat totam confessionem.

QVÆSTIO X.

De Effectibus Confessionis

Vide D. Thomam, nihil enim hîc dicendum præter ea, quæ suprà dicta sunt de Pœnitentia, & de Contritione.

QVÆSTIO XI.

De sigillo Confessionis.

ARTICVLVS I.

Vtrum in quolibet casu Sacerdos teneatur celare, qua sub sigillo confessionis accepit?

1 Affirmatur contra Gabrielem. REspondeo Affirmatiuè. Ita sentiunt omnes Doctores, excepto Gabriele dist. 21. quæst. vnica, qui putat saltem ob periculum mortis posse reuelari: *Quia*, inquit, *neque præceptum positiuum secreti, neque naturale secreti obligat cum tanto dispendio.* Imò extendit hoc ad periculum famę & fortunarum.

Sed est error. Confirmatur ex Gregorio, Canone *Sacerdos*, de Pœnitentiâ dist. 6. vbi dicitur, *Ob nullum scandalum id licere*, id est, ob nullum malum vitandum, quod inde potest sequi. Vide Nauarrum in illum Canonem, nũ. 130. & deinceps.

DVBIVM I.

Quo iure teneamur in omni casu hoc secretum seruare

NOtandum: Vario iure teneri Sacerdotem ad hoc secretum. Primò: Iure naturali secreti, quo tenemur secreta nobis commissa celare propter infamiam, vel alia incommoda, quæ ex reuelatione possunt sequi. Sed hoc ius non obligat, quando reuelatio necessaria est ad aliquod graue malum auertendum: vt, ad impediendum 2 Tenetur sacerdos ad hoc secretum. 1. Iure naturali secreti.

Digitized by Google

Accedit; quòd ſic maior erit libertas pœnitentibus, qui alioquin ſæpè non audebunt ſe aperire, meruentes aliquod incommodũ ex vſu eius ſciẽtiæ. Vnde patet non deeſſe rationem, cur id ita à chriſto poſſet præcipi. An autem reipſa præceperit, non ſatis conſtat. Certè Clemens VIII. A. 1592. die 26. Maij, edidit decretum, quo præcipit Superioribus Regularium, vt diligentiſſimè caueant, ne eâ notitiâ, quam in confeſſione de aliorum peccatis habuerunt, ad exteriorem gubernationem vtantur.

Aliquando ſuperiores tenentur vti eâ ſcientiâ.

Poſſet tamen incidere caſus, in quo Superiores eâ ſcientiâ tenerentur vti: quia contraria ſententia eſt probabilis. Nec Ius humanum poteſt efficere, vt ſententiâ probabili non poſſim vti, quãdo id neceſſarium eſt ad ingens malum impediẽdum. Vide D. Thomam hîc ad 1. & 4.

ARTICVLVS II.

Quænam cadant ſub ſigillum confeſſionis?

8 Omne peccatum, & omne inducens in eius cognitionem cadit ſub ſigillum.

REſpondeo & Dico Primò: Directè ſub hoc ſigillum cadunt omnia peccata mortifera in genere, & in ſpecie; & omnia venialia in ſpecie: indirectè verò omnia ea, quæ poſſunt ducere in notitiam peccati pœnitentis. Eſt certa, & communis Doctorum. Ratio eſt: quia quidquid eſt materia confeſſionis, id omne per ſanctitatem huius Sacramenti veluti conſignatur, ne poſſit reuelari, & conſequenter omne id, vnde peccatum pœnitentis poſſet coniectari.

Caſus varij, quibus violatur ſigillum.

Hinc colliguntur varij caſus, vt videre eſt apud Nauarrum. Primò: Violari hoc ſecretum, ſi quis dicat, *Iſte mihi confeſſus eſt mendacium iocoſum, vel animi diſtractionem*, &c. Imò id eſſet peccatũ mortiferum. Neque leuitas materiæ excuſat, vt rectè Nauarrus, Sotus, & alij docent: quia fit notabilis iniuria huic ſacro ſigillo, ſicut iniuramento aſſertorio leuitas materiæ non excuſat. Non tamen violat ſigillum, qui dicit in genere, *Iſte mihi confeſſus eſt peccata venialia*; nam per ipſam abſolutionem, hoc implicitè dicit.

Secundò, Eſſet contra ſigillum, ſi peccatum tertiæ perſonæ, quod pœnitens confitendo explicuit, aperiret. Ratio eſt: quia hoc etiam ſub ſigillum cadit, quando à pœnitente tanquam circunſtantia ſui peccati refertur: ſecùs verò, ſi omnino impertinens ſit ad peccatum pœnitentis, & non dicatur, vt circumſtantia.

Tertiò, Violari ſigillum, ſi quis dicat, *In tali monaſterio, vbi confeſſiones audiui, fiunt multa peccata*: nam etſi perſonam non exprimat in particulari, tamen exprimit communitatem, quæ non ita magna eſt, quin de multis poſſit haberi ſuſpicio in particulari. Secùs, ſi quis dicat, *In tali ciuitate aut regno*: quamuis & hoc malè dicatur, præſertim de ciuitate.

Quartò. Etſi Ioannes Medina q. 47. & Adrianus qu. vlt. de Confeſſione, putent licitum dicere de peccatore publico, *Hic mihi confeſſus eſt ſua publica peccata*; verius tamen videtur, non licere; vt docet Nauarrus in Capit. *Sacerdos*, num. 62. Quia etſi non reueler peccata abſolutè, reuelat tamen ſecretum confeſſionis, ſeu peccata, quatenus in confeſſione ſunt detecta. Videtur tamen non eſſe mortiferum: nam hoc ipſo, quo illum abſoluit, implicitè teſtari videtur, illum ſua publica peccata confeſſum, quamuis non neceſſariò hoc indicet.

Quintò, Violat ſigillum, qui dicit, *Iſte mihi eſt confeſſus, ſed eum non abſolui*, quidquid dicat Caietanus: quia vix vnquam abſolutio negatur, nili ob impœnitentiam, vel caſum reſeruatum.

9 Defectus Naturales & ſimilia non cadunt ſub ſigillum.

Dico Secundò: Defectus naturales, & aliæ imperfectiones, quæ neque ſunt peccata pœnitentis, neq; peccatorum circumſtantiæ, non cadunt propriè ſub obligationẽ huius ſecreti. Ratio eſt; quia horum narratio facta à pœnitente in confeſſione, nullo modo pertinet ad confeſſionem, ſeu ad iudicium huius tribunalis, ſed eſt illi mere extranea: ergo confeſſionis ſecretum nõ conſignat ea. Tenetur tamen Sacerdos iure naturali ſecreti, & ad vitandum ſcandalum, hæc tacita tenere.

DVBIVM

An ea peccata, quæ quis confitetur ſine propoſito emendationis, cadant ſub ſigillum confeſſionis?

10 Si pœnitens vult abſolui.

REſpondeo & Dico Primò: Si ille non accedat animo conſequendi abſolutionem virtute Clauium, ſed ſolùm animo decipiendi Confeſſarium, vel pertrahendi in ſuam ſententiam, vel petendi conſilij, non cadunt eius peccata ſub obligationem huius ſecreti. Eſt communis DD.

Si velit abſolui, ſed non abſtinere.

Dico Secundò: Si bono animo accedat vt ſe Clauibus ſubijciat, & abſolutionem conſequatur, etiamſi nolit abſtinere, cadunt tamen eius peccata ſub ſigillum confeſſionis. Eſt communior ſententia Doctorum vide Nauarrum Capitulo, *Sacerdos*, num. 120. & ſequentibus, vbi plurimos pro hac ſententia citat contra Panormitanum, Ancharanam, & quoſdam alios Canoniſtas: & contra Alexandrum Halenſem, Angelum, & Silueſtrum, qui tenent peccatum quod committendum eſt, poſſe reuelari; id eſt, quando Pœnitens habet firmum propoſitum committendi peccatũ, quod confitetur.

Probatur noſtra ſententia: Quia, vt confeſſionis ſecretum obliget, non requiritur, vt confeſſio ſit valida: ſic enim latiſſima ianua pateret Sacerdotibus reuelandæ confeſſionis, ſed ſufficit, vt pœnitens bona fide confiteatur, ſeque ſubijciat Clauibus Eccleſiæ, vt ab illo abſoluatur, quamuis fateatur ſe ita ad illud impelli, vt non poſſit abſtinere. Sic enim interdum faciunt peccatores, qui neceſſitate quadam ſibi videntur ad peccatum impelli, & dolent, rogantque Deum, vt ignoſcat. Vide plura apud Nauarrum.

ARTICVLVS III.

Vtrum ſolus ſacerdos obligetur ſigillo Confeſſionis?

11 Præterea confeſſorem varij obligantur ſigillo.

REſpondeo: Non ſolus Sacerdos, ſed etiam omnes alij, qui norunt peccata confeſſa ex ipſa confeſſione, obligantur ſigillo confeſſionis. Ratio eſt: quia quatenus ſolùm ex confeſſione innoteſcunt, eatenus ſunt ſacro illo ſigillo obſignata, ita vt ſine ſacrilegio non poſſint apetiri. Confirmatur: quia res ad quemcumque tranſit, cum ſuo onere tranſit, patet in hypotheca: ſed peccata cognita in confeſſione habent illud onus: ergo.

1. Malignè auſcultantes.

Vnde ſequitur Primò: Teneri eum, qui malignè auſcultauit confitentem.

2. Forte audientes.

Sequitur Secundò. Etiam eum, qui caſu & ſine culpâ audiuit: vt rectè Nauar. cap. 8. Enchiridij: quod eſt cõtra Dom. Soto. Ratio eſt: quia iſte nõ nouit niſi ex cõfeſſione, & res cũ ſuo onere trãſit.

3. Interpres.

Sequitur Tertiò, Etiam interpretem, quo pœ-

nitens vtitur in confitendo; vt omnes docét præter Sotum: sed est eadem ratio.

14 4. Is cui confessor nefariè aperuit.

Sequitur Quartò: Etiam eum, cui confessio à Sacerdote nefariè fuit patefacta; vt communiter docent Doctores: quod est contra Medinam qu. 46. Ratio est: quia hic non nouit, nisi ex confessione. Cùm enim Sacerdos reuelans non sciat, nisi ex confessione, censetur etiam is, cui iniquè reuelatur cótra pœnitentis voluntatem, tantummodò ex confessione scire. Hinc si iudex à Sacerdote sigilli violatore audiuisset hùc commissile homicidium, non posset vllo modo ex hac cognitione contra reum procedere. Imò si aliquem condemnasset ad mortem conuictum testibus, deberet illum absoluere, vbi intelligeret totam accusationem vel delationem ex confessione reuelata ortam esse. Quæ est communis sententia Doctorum. Vide Sotum dist. 18. q. 4. a. 5. sub finem.

Non tamẽ cõ fillari' veldoctor.

Secùs verò est, si concessu pœnitentis Sacerdos illi dixisset: tunc enim ille non teneretur sigillo confessionis: & in hoc casu sententia Medinæ vera est. Ratio est: quia hoc perinde est, ac si ipse penitens dixisset illi tertio extra confessionem.

Nec obstat quòd pœnitens concesserit solùm hac conditione reuelari peccatum illi tertio, vt ille eodem iure teneretur peccatum sic reuelatum silentio comprimere: quia non potest pœnitens imponere obligationem sigilli confessionis, vt ex natura rei non est. Non enim ex conuentione aut voluntate partium pendet hæc obligatio, sed ex natura rei.

Vnde etiam Doctor, quem penitens consulit vel permissu penitentis Confessarius: non tenetur sigillo confessionis, etsi Nauarrus & quidam alij contrarium sentiant. Neque valet hîc ratio Nauarri, *Rex transit cum suo onere*; quia ille Doctor non accipit cognitionem peccati, vti confessione signatur, sed vt per pœnitentẽ extra cõfessionem patefacti. Nam cùm Sacerdos refert illud ex consensu pœnitentis, perinde censetur, ac si ipse pœnitens extra confessionem referret.

5. suppositiuus confessor.

Sequitur Quintò: Teneri hoc sigillo eum, qui se gerit tanquam Sacerdotem, cùm non sit, & sic audit confessiones. Ita Paludanus, Sotus, Gabriel dist. 21. & Adrianus qu. vltimâ de Confessione. Ratio est: quia peccatum illi innotescit ex confessione, quæ ex vera & prudenti intentione pœnitentis est sacramentalis, & ordinatur ad absolutionem potestate Clauium impetrãdam. Nec refert, quòd decipiatur circa personam, cui confitetur: nam est solùm deceptio facti, quæ facile in prudentissimum cadere potest, nec impedit quò minùs sit vera & prudens intentio Sacramenti; quare confessio illa debet censeri sacramentalis.

6 Non tenetur laicus cuivelaico confitetis

Sequitur Sextò: Non teneri hoc sigillo Laicum, cui aliquis in extrema necessitate confitetur, quidquid dicat Nauarrus cap. 8. num. 7. & quidam alij. Ita sentit Sotus, dist. 18. q. 3. art. 5. & insinuat D. Thomas hîc in Corpore. Ratio est: quia confessio, quę illi fit, non est sacramentalis; non enim ordinatur ad sacramentalem absolutionem. Quòd si pœnitens adeò sit rudis, vt putet eam esse verè sacramentalem, fallitur apertè in iure diuino; & perinde est ac si putaret etiam esse Sacramentum, dum se aperit Doctori ad habendum consilium.

ARTICVLVS IV.

Vtrum ex consensu pœnitentis possit Sacerdos aperire, quæ audiuit in Confessione?

14 quidam negant.

QVidam putant non posse, nisi pœnitens extra confessionem rursus narret peccatum Ita Scotus, Durandus, Gabriel, & Maior dist. 21.

Affirmatur.

Sed verius est, absolutè posse. Ita ceteri Doctores. Probatur P. imò Ex Capitulo *Significasti, de Adulteris*, vbi habetur quomodo Sacerdos detexerit adulterium cuiusdam mulieris cum alio Sacerdote ipsa volente.

Probatur Secundo: Ratione. Nam dum pœnitens concedit hanc facultatem Sacerdoti, perinde facit secundùm æstimationem thoralem, ac si ipsemet alteri diceret: perinde enim est siue per te dicas tertio, siue facias potestatem Sacerdoti vt illi dicat Confirmatur: Quia ille tertius non censetur scire ex confessione, sed extra confessionem.

Permittẽs peccatum suum reuelari, non dispensat in iure diuino.

Dices Primò: Sacerdos Iure Diuino tenetur celare: atqui pœnitens non potest dispensare in Iure diuino: ergo &c.

Respondeo: Pœnitentem non dispensare in Iure diuino, sed per suum consensum apponere circũstantiam, quâ positâ, definit ius diuinum obligare. Sicut si condones mihi quod tibi iuramento promisi, non dispensas in iuramento, sed apponis circumstantiam quâ positâ, definit iuramentum obligare: nam solùm in tui fauorem obligabar, ac proinde sub tacitâ quâdam conditione, nempe si velles.

Sigillum prioc ipaliter est institutum in fauorem pœnitentis, non sacramenti.

Dices Secundò: Sigillum introductum est in fauorem publicum; sicut priuilegium illud quòd Clericus non possit trahi ad tribunal sæculare: ergo sicut Clericus non potest huic fauori renuntiare vita nec pœnitens illi.

Respondeo. Præceptum Sigilli confessionis primariò introductum est in fauorem pœnitentis. Primarius enim finis est, vt confessio non esset suspecta & metuenda pœnitenti; non autem, vt honor haberetur Sacramento: quamquam hinc pendeat ratio obligandi: sicut obligatio iuramenti promissori; tota est in fauorem eius, cui fit promissio; ratio tamen obligans est reuerentia Religionis. Secùs est priuilegio Clericorum: hoc enim datum est principaliter in honorem Ordinis clericalis, qui censetur contemni, & iniuriâ affici in omnibus Clericis, dum aliquis Clericus ad tribunal sæculare pertrahitur.

qualis debeat esse licentia pœnitentis, vt possit reuelari peccatum.

Obseruandum tamen Primò: Hanc licentiam debere concedi expressè, vt omnes fatentur. Neque sufficit implicita seu interpretatiua licentia; multoq; minùs sufficit ratihabitio. Secundò: Debere esse omnino liberam, nulloque modo coactã. Vnde si vxor coacta à marito, daret hanc potestatem Confessario, esset sacrilegium reuelare.

Tertiò: Debere subesse iustam causam: alioquin si leui de causa fiat hæc concessio, nihilominùs erit aliquod peccatum sacrilegij reuelare: per se tamen non esset mortale: posset tamen esse mortale ratione scandali.

by Google

ARTICVLVS V.

Vtrum, quando Confessarius alia via nouit peccatum siue ante siue post confessionem, possit illud reuelare?

16 Affirmatur. REspondeo: Certum est, posse: vt communiter docent DD. Vide Nauarrum Capit. *Sacerdos*, num. 161. Probatur: Quia per confessionem non amittit ius illud, quod anteà habebat; vel post aliâ viâ acquisiuit: alioqui confessio euerteret iudicia, & fraudibus patrocinaretur: vt, si aliquis coram duobus Sacerdotibus crimen homicidij commisisset, illis confiteretur, ne posset accusari vel deferri.

Cautela. Cauendum tamen, vt nihil amplius dicat, quàm extra confessionem nouit: neque magis affirmet, quàm ratio per quam nouit, patiatur. Cauendum quoque omne scandalum.

QVÆSTIO XII.

De Satisfactione, quæ est tertia pars Sacramenti Pœnitentiæ. *Et primò, de eius essentia.*

1 Satisfactionis duplex Acceptio. CIrca hanc quæstionem: Notandum Primò: Nomen *Satisfactionis* esse commune ad compensationem, quæ fit in rebus ex contractu, vel damno illato, quæ compensatio propriè dicitur *Restitutio*: & ad eam, quæ fit in commutatione actionum, præsertim ex illata iniuria, quæ, quia proprio nomine caret, retinet nomen genericum *Satisfactionis*.

2 Debetur Deo, pro illata ei iniuria. Notandum Secundò: Per peccatum fieri iniuriam Deo, dum Deus per illud quodammodò cõtemnitur, eiusque honor læditur. Vnde pro eo, iure naturæ debetur Deo satisfactio. Si enim homini debita est satisfactio ob iniuriam ei irrogatam, multò magis Deo. Hæc autem Satisfactio est duplex: scilicet pro culpa peccati, & pro pœna. Pro culpa quidé: Quia enim peccator voluntariè Deo fecit iniuriam lædens eius honorem, obligatur ad hanc voluntatem retractãdam, & contrario affectu diuinum honorem satiendum: quod fit actu cõtritionis, quo dolemus de iniuria Deo illata, & contrario affectu honorem diuinum restituimus, (non quidem efficaciter, sed quo ad affectum:) proponentes Deo obedire. Et hæc dicitur satisfactio pro culpâ, id est, pro voluntariâ in Deum iniuriâ, quatenus hæc iniuria constituit hominem formaliter peccatorem, & iniurium in Deum: oriturque obligatio huius satisfactionis in peccatore immediatè ex ipsa culpa. Altera satisfactio est pro pœna debita: nam ex iniuria oritur in eo, cui iniuria infertur, ius puniendi, siue per se, siue per iudicem: & in peccatore oritur reatus pœnæ, id est, obligatio sustinendi pœnam. Et quamuis non sit necesse ad æqualitatem iustitiæ, vt peccator sibi pœnã inferat (satis enim est, vt alter, qui offensus est, eam infligat:) tunc tamen non erit verè *satisfactio*, sed *sati passio*. Vnde vt propriè dicatur *satisfacere* peccator, necesse est vt iniuriã in se vindicet, sibique pœnam infligat; præsertim cùm hæc satisfactio tendat ad reconciliationem.

Satisfactio alia pro culpa. Alia pro pœna.

differẽtia inter satisfactionem & satispassionẽ.

Notandum Tertiò: Remissâ culpâ mortiferâ, id est, condonatâ iniuriâ, seu læsione honoris diuini (quatenus constituebat hominem formaliter peccatorẽ) & consequenter remissâ pœnâ æternâ, remanere debitum pœnæ temporalis. Nam homine iustificato, non potest debitum pœnæ æternæ quod antè erat, permanere: sed necesse est vel totum tolli, vel cõmutari in debitum pœnæ temporalis, vt Doctores loquuntur; id est, tolli æternitatem, & remanere debitum pœnarum per aliquod determinatum tempus sustinendarum. Fieri enim nequit, vt iustificatus sit debitor pœnæ æternæ, cùm habeat ius ad æternam beatitudinem, quod non minùs est efficax, quàm debitum pœnarum; imò est efficacius: nam contra iustitiam esset, si ei non satisfieret; non autem esset cõtra iustitiam, si pœna non soluer etur. Quòd verò non tollatur totum debitum pœnæ per iustificationem, patet ex dictis suprà quæst. 86. art. 4.

3 Remissâ culpâ mortali, adeoque & pœnâ æternâ, remanet debitũ pœnæ temporalis.

4 quantũ illud sit, soli Deo notum. Quantum verò præcisè ex ipsa iustificatione remaneat pœnarum, soli Deo notum est, cuius arbitrio hæc res determinatur. Certum tamen est, esse aliquid determinatum. Quod tamen varium est, pro varietate, granitate, & multitudine peccatorum: de quo tamen aliquid detrahitur per contritionem, qua peccator se disponit ad iustificationem. Si enim hæc contritio est meritoria gloriæ, vt plerique Doctores tradunt, cur non etiam remissionis pœnæ temporalis? quin imò potest hæc esse tam vehemens, vt omne debitum pœnæ exhauriat. Pari modo virtute huius Sacramenti aliquid detrahitur: Nam hoc Sacramentũ non solùm ad remissionem culpæ & pœnæ æternæ est institutum, sed etiam pœnæ temporalis; quia institutum est ad perfectè delendum peccatum.

5 Cur christus voluerit satisfactionẽ esse partem Sacramenti. Verùm quia ordinariè neque contritio est adeò perfecta, vt totum debitũ pœnæ temporalis, quod præcisè ratione iustificationis supereſt, tollat; neque etiam ipsa absolutio totum quod reliquũ est, auferat; ideò Dominus huius Sacramenti partem tertiam voluit esse *satisfactionem*, quæ partim vi sua, partim virtute Clauium deleat, quod reliquum est pœnæ temporalis.

6 quid *satisfactio*, & quotuplex Et his patet quid sit *satisfactio*: quod D. Thomas explicat hâc qu. 12. Nam *satisfactio* hoc loco generatim est *Compẽsatio iniuriæ per peccatum Deo illatæ*; estque duplex, scilicet pro culpa, & pro pœna. *Satisfactio pro culpâ*, est compensatio pro iniuria Deo illata, quatenus illa constituit hominẽ formaliter peccatorem. *Satisfactio pro pœnâ*, est compensatio pro iniuriâ, quatenus inducit reatum pœnæ, seu obligationem pœnæ sustinendæ.

tized by Google

QVÆSTIO XIII.

De Satisfactionis possibilitate.

ARTICVLVS I.

Vtrum possit homo Deo satisfacere?

7 Homo deo est debitor duobus titulis, beneficij & iniuriæ.

NOtandum est: Hominem dupliciter esse Deo debitorem. Primò: Ratione beneficiorũ; & sic pro modulo suo ei satisfacit per virtutem Religionis; vt sacrificio, laude, gratiarum actione &c. Sed de hac satisfactione non est hîc quęstio. Secundò: Ratione iniuriæ illatæ per peccatũ. In peccato autem sunt tria, pro quibus potest intelligi fieri satisfactio, scilicet culpa, pœna æterna, & pœna temporalis, quæ remissâ culpâ & pœnâ æternâ supereſt luenda. Nunc est

DVBIVM. I.

Vtrùm homo possit condignè satisfacere pro culpa mortifera, & pœna æterna?

8 quidam existimant.

QVidam Catholici existimarunt, posse: idque duplici fundamento: Alterum est, Quia cõtritio naturâ suâ delet peccatum, sicut lux tenebras; ac proinde satisfacit pro illo: in tali enim modo delendi peccata implicitè continetur efficacissima satisfactio. Alterum est, Quia contritio æquiualet iniuriæ Deo illatæ, eamque ex æquo compensat: quia non minùs efficaciter honorem Dei instaurat, quàm eum læserit: sicut enim læsit solo affectu, ita etiam affectu eundem resarcit.

9 Verius est cõtritionem non deleri formaliter culpam mortalem. Tridentinum.

Respondeo & Dico Primò: Contritio non delet culpam mortalem, tamquam forma contraria. Est communis sententia Doctorum.

Probatur Primò: Ex Concil. Trid. sess. 6. c. 6. vbi dicit, *Contritionẽ esse dispositionem ad iustificationem*: ergo non est causa formalis iustificationis, ac proinde non delet formaliter peccatũ vt forma contraria. Capite 7. dicit remissionem peccatum consequi seriem dispositionum capite 6. descriptam, in qua serie includitur cõtritio: atqui, si formaliter fieret remissio culpæ per contritionẽ, non sequeretur, sed intimè in eâ includeretur. Eodem capite 7. docet nos formaliter iustos esse per donum quoddam permanens, quod nobis infunditur secundùm mensuram nostræ dispositionis: atqui contritio neque est donum permanẽs, neque propriè infunditur, neque datur secũdùm nostram dispositionem, sed ipsamet est dispositio à nobis elicita. Et capite 9. dicit necessarium esse credere, neque remitti, neq; remissa vnquã fuisse peccata, nisi gratis diuinâ misericordiâ propter Christum: atqui iuxta illam sententiã non remitteretur gratis, neque ex misericordia, sed ex iustitia; imò ex naturali necessitate, sicut infusa luce delẽtur tenebræ. Nec sufficit, si dicas peccata gratis remitti, quatenus gratis datur auxilium præueniens, quo auxilio peccator elicit cõtritionem: quia sic etiam dicere possemus vitam æternam numquam dari, nisi gratis & ex misericordia, non autem ex meritis: nam auxilium præueniens ad merendum datur gratis.

Absurdum primum.

Probatur Secundò: Ex illa sententia sequitur, remissionem peccatorum nõ esse nouum beneficium pœnitentibus distinctũ ab actu cõtritionis: nam intrinsecè includitur in contritione, veluti intrinsecus effectus eius formalis, sicuti depulsio tenebrarũ intrinsecè includitur in lumine, nec est quid distinctum; & sicut exclusio cæcitatis includitur in visu: atqui hoc est contra Scripturas, quibus promittitur remissio peccatorũ pœnitẽtibus, tanquam nouum & summum beneficium: Ezechielis 18. v. 21. *Si impius egerit pœnitentiam, omnium iniquitatum eius non recordabor.* Prouerb. 28. v. 13. *qui cõfessus fuerit scelera sua, & reliquerit ea, misericordiã consequetur*: & alibi. Et est cõtra Concilium Trident. sess. 14. c. 4. *Fuit*, inquit, *quondam tempore ad impetrandam peccatorum veniã hic cõtritionis motus necessarius, & in homine post baptismũ lapso ita demũ præparat ad remissionẽ peccatorũ, si cũ fiducia diuinæ misericordiæ, & voto præstandi reliqua coniunctus sit*: vbi Concilium duplicem distinctionem insinuat.

Absurdum secundum.

Probatur Tertiò: Si contritio formaliter deleret peccatum, homo esset causa efficiens & principalis suę iustificationis, & remissionis peccatorum: nam instructus gratiâ præueniente elicit in seipso actum contritionis efficaciter, tanquam causa physica & principalis in suo ordine: atqui illud est absurdum; nam sic multò perfectiùs seipsum iustificaret, & peccata deleret, quàm si iustificationem & remissionem peccatorum ex condigno mereretur.

10 Contritione etiãnon exhibetur æquiualẽs satisfactio pro culpa mortali.

Dico Secundò: Contritio etiam non delet culpam mortalem tanquam æquiualens satisfactio pro illa exhibita.

Probatur Primò: Quia satisfactio condigna, sicut & meritũ, postulat vt satisfaciens sit in gratiâ (fit enim satisfactio per modum meriti.) Atqui contritio, si consideretur, vt est prior remissione peccatorum, non procedit à subiecto grato; nam in illo signo adhuc intelligitur inesse peccatum; vnde non potest esse æquiualens satisfactio. Si autem consideretur, vt est posterior remissione peccatorum, iam non potest esse satisfactio pro culpa, aut pœna ęterna; quia iam intelligitur facta esse gratis remissio; sicut neque potest esse meritoria gratiæ iustificationis; quia iam intelligitur homo iustificatus.

Nõ ita instaurat debitum honorem contritio, vt peccatũ lædit.

Probatur Secundò: Quia peccatum in suo genere est longè maius malum, quàm contritio in suo genere sit bonum; est enim iniuria Dei, eiusque veluti læsio; vnde in genere malorum, est summum. Neque verum est contritionem sic instaurare Dei honorem, sicut peccatum læsit: quia longè pluris æstimatur vna iniuria vilis personæ in Principem, quàm mille eiusdem honores. Et quamuis contritio non videatur habere minorem vim ad conuertendum animum in Deum, quàm peccatum habeat ad vertendum, si ipsos reales actus spectemus, tamen auersio longè maior censetur injuria, quàm conuersio censeatur esse honor aut satisfactio. Cuius ratio est, quia iniuria æstimatur ex dignitate personæ læsę, quæ hîc est infinita: honor autem & satisfactio spectatur ex dignitate personæ satisfacientis, quæ pusilla est, atque adeò nulla, quatenus extra gratiam.

11 Contritio non ponit cõdignam satisfactionem pro pœna æterna.

Dico Tertiò: Sicut homo non potest condignã satisfactionem exhibere pro culpâ letali, ita nec pro reatu pœnæ æternæ. Sequitur ex dictis: nam reatus pœnæ æternæ ita cohęret culpæ, vt non possit ab ea separari; vnde hoc ipso, quo culpa remittitur, etiã pœna æterna remittitur. Cõfirmatur ex Conc. Trident. sess. 6. c. 14. vbi dicit,

Digitized by Google

ſatisfactionem fieri non pro pœna æterna, quæ vel Sacramento, vel Sacramenti voto, vnà cum culpâ remittitur, ſed pro pœna temporali &c.

Obiectio

Dices: Priùs naturâ homo eſt in gratia, habetque remiſſionem culpę, quàm habeat remiſſionem pœnę æternæ: ergo in illo ſigno naturæ ipſius contritio erit meritoria, vel ſatisfactoria pro pœna æterna. Confirmatur à ſimili: quia idcircò eſt meritoria vitæ æternæ.

Soluio.

Reſpondeo Negando Antecedens: Quia gratia, & remiſſio culpę ſecũ ferunt & includunt remiſſionem pœnæ æternæ. Remiſſio enim culpæ & pœnæ æternæ ſunt effectus formales gratiæ. Vnde contritio illa, quæ conſideratur, vt exiſtens iam in ſubiecto grato, non poteſt operari ad remiſſionem pœnæ æternæ. Fieri enim nequit, vt quis pro aliquo inſtanti intelligatur Filius Dei, Deoque charus, qui adhuc concipitur eſſe in debito pœnæ æternæ. Vnde remiſſio culpę non eſt verè prior naturâ, quàm remiſſio pœnæ æternæ, ſed ſimul ſunt. Ad Confirmationem Reſpondeo, Eſt diſpar ratio: nam vita æterna non eſt effectus formalis gratiæ iuſtificantis, ſicut remiſſio culpæ & pœnæ æternæ: neque ipſa gratia per ſe includit & adfert vitæ æternæ meritum, ſicut adfert & includit remiſſionem: vt patet in paruulis, qui ſine motu liberi arbitrij iuſtificantur. Plura dicta ſunt in 1. 2. quæſt. 114. art. 5. dub. 2.

DVBIVM. II.

Vtrùm ſaltem ex congruo poſſimus ſatisfacere pro culpâ letali?

Reſpondeo: Poſſe. Eſt communior ſententia Doctorum. Vide D. Thomam ſuprà qu. 85. art. 3. Ratio eſt: Quia ex congruo ſatisfacit, qui facit quantum poteſt, quantumque creditor exigit; idque eo modo, vt deceat creditorem eo eſſe contentum. Confirmatur: quia poſſumus ex congruo mereri huius remiſſionem: ergo etiam ex congruo poſſumus ſatisfacere.

12 Affirmatur

quid ſit *de congruo ſatisfacere.*

Aduerte tamen, hanc ſatisfactionem ex congruo, eſſe valdè imperfectam; quia ſolùm nititur miſericordiâ & benignâ Dei acceptatione. Vnde abſolutè loquendo, culpa & pœna æterna remittuntur gratis ex condigna ſatisfactione Chriſti: noſtra autem ſatisfactio ſolùm habet rationem diſpoſitionis, & præparationis ad remiſſionem.

DVBIVM III.

Vtrum pro culpa veniali poſſimus condignè ſatisfacere?

13 Affirmatur

Reſpondeo: Poſſe, ſi ſimus in gratia. Eſt ferè communis Doctorum. Probatur Primò: Quia pro tota pœna ei correſpondente poſſumus ſatisfacere: ergo etiam pro culpa. Patet conſequentia: nam pœna ſuo modo commenſuratur culpæ. Confirmatur: quia idcircò dicitur culpa venialis, quòd noſtris operibus ex condigno eius veniam poſſimus conſequi.

vnde culpa dicatur *Venialis.*

Probatur Secundò: Poſſumus mereri vitam æternam: ergo etiam remiſſionem culpæ venialis, ſi alioquin opus ſit accommodatum, vt ſuprà dictum eſt de contritione. Patet conſequẽtia; tum, quia remiſſio culpæ venialis eſt quid minus, quàm vita æterna; tum, quia is, qui meretur finem, poteſt etiam mereri amotionem impedimẽtorum finis conſequendi.

Probatur Tertiò: Culpa venialis eſt parua iniuria, vix habens rationem iniuriæ, quæ non violat amicitiam: ergo ex amicitia condignè poteſt ea reparari. Patet exemplis humanis.

Dices: Culpa venialis eſt quoddam Dei malum, quod peius eſt, quàm omne malum creaturæ: ergo non poteſt ex condigno compenſari.

14 Contritio eſt maius bonũ Dei, quàm culpa venialis ſit eius iniuria.

Reſpondeo, Negando Conſequẽtiam: Quia contritio eſt maius bonum Dei ſeu maior honor, quàm culpa venialis ſit illius iniuria. Vnde etiãſi minimum Dei malum, quatenus illius malum eſt, ſit peius, quàm omne malum creaturæ, quatenus creaturam male afficit; tamen bonum creaturæ, quatenus eſt bonum Dei, ſiue quatenus cedit in honorem Dei, poteſt eſſe maioris æſtimationis apud Deum, quàm aliquod paruum malũ. Cuius ſignũ eſt, quòd culpa venialis non extinguat bona opera, quæ apud Deum repoſita habemus, neque violet amicitiam.

DVBIVM IV.

Vtrùm poſſimus condignè ſatisfacere pro reatu pœnæ temporalis ex peccato remanente?

15 Negant hæretici.

Hæretici huius temporis omninò negant. Ratio illorum eſt; Tum quia Deus gratis ignoſcit culpam & omnem pœnam ob Chriſti meritum: tum quia omnia opera noſtra ſunt labe peccati inquinata. Ita Lutherus in aſſertione articuli 5. apud Roſſenſem, & Caluinus lib. 3. Inſtit. cap. 4.

Aſſerdo affirmans eſt de fide.

Reſpondeo: Fide tenendũ eſt, iuſtificatos poſſe ſatisfacere pro debito pœnæ temporalis, quod remiſſâ culpâ remanet. Eſt definitum à Concilio Trident. ſeſſ. 14. can. 13. & cap. 8. & ſeſſ. 6. c. 14.

Ex Scripturis.

Probatur Primò: Ex Scripturis. Danielis 4. v. 24. *Peccata tua eleëmoſynis redime*: quibus verbis ſignificatur eleëmoſynis deleri peccatum quoad culpam & pœnam, quamuis diuerſo modo. Prouerb. 16. v. 6. *Miſericordiâ & veritate redimitur iniquitas*: quod maximè verum eſt quoad pœnam tẽporalem. Lucæ 3. v. 8. *Facite fructus dignos pœnitentiæ*, id eſt, facite opera pœnitentiæ, digna & idonea peccatis veſtris redimendis, vt colligitur ex Chryſoſtomo homil. 10. in Matthæũ, & Gregorio homil. 20. in Lucam. Apoſtolus 2. ad Corinthios 7. v. 10. dicit, *Triſtitiã, quæ ſecundùm Deũ eſt, operari pœnitentiam in ſalutem ſtabilem*: & intęra etiam *operari vindictam*: atqui vindicta ſiue ſponte aſſumpta, ſiue ab alio impoſita, eſt quædam ſatisfactio: ergo &c. Item 1. ad Corinthios 11. v. 31. *Si nos ipſos dijudicaremus* (id eſt, condemnaremus & puniremus) *non vtique iudicaremur* (id eſt, non puniremur) *à Domino*, de quo loco vide Auguſt. in Enchiridio cap. 66.

16 Ex Patribus, Tertull.

Probatur Secundò: Ex Patribus. Vide Bellarminum, Theodorum Peltanum, & alios. Tertullianus lib. de Pœnitentia: *Offendiſti, ſed reconciliari adhuc potes: habes cui ſatisfacias, & quidẽ volentem.* Et infrà: *Quàm porrò ineptum, pœnitentiam non adimplere, & veniã delictorum ſuſtinere* (id eſt, expectare) *hoc eſt pretiũ nõ exhibere, ad mercedem manum emittere: hoc enim pretio Dominus veniam addictæ inſtituit, hac pœnitentiæ cõpenſatione redimendã proponit impunitatem.* vide ſequentia. Origenes homil. 6. in Exodum loquẽs de peccatore, *Pœnitendo, flendo, ſatisfaciẽdo deleat, quod admiſſum eſt.* Et homil. 3. in lib. Iudicum: *Quanto tempore deliquiſti, tanto tẽpore humilia te ipſum Deo, & ſatisfacito ei in confeſſione pœnitentiæ.* Homil. 15. in Lenit. dicit, *Peccata redimi in hac vita pretio, quod pretiũ pœnitentiæ lacrymis congregatum ſit: & labore boni operis inuentum.* Cyprianus epiſt. 10. *Hæc quæ*

Origenes.

Cyprianus

Hunc esse sensum huius loci, patet: quia similiter dicit v. 24. *Iustitiæ iusti non recordabuntur*: & tamen Deus remunerat sæpè bona opera peccatorũ præmio temporali. Patet ergo Scripturam loqui de pœna æterna, & de præmio æterno. Adde ostensum esse suprà quæst. 86. art. 4. posse culpam remissam Deum sæpè punire peccata vindictâ temporali; vt patet in Mose, Dauide & aliis ibidem relatis.

Eodem modo intelligenda sunt alia Scripturæ loca, in quibus dicitur Deus peccata nostra post tergum suum proijcere: delere instar nubis: demergere in profundum maris: tegere: non imputare: obliuisci, & similia: quia videlicet eos, quibus amicitiam suam restituit, ita respicit quo ad culpam & pœnam æternam, ac si nunquam peccassent; licet eos temporaliter puniat, aut velit vt ipsi se temporaliter castigent.

20 3. Obiectio, ex patribus.

Obijciunt Tertio: ex Patribus. Et Primò quidem ex D. Chrysostomo tria testimonia; quorũ prius est ex lib. 3. de Prouidentia, vbi sic ait: *Si ob hoc pœnas infert Deus, vt in malis perseuerantes ad pœnitentiam vocet, ostensâ pœnitentiâ superflua iam erit pœna.* Alterum est ex homil. 2. in Psal. 50. *Vbi*, inquit, *misericordia petitur, pœnæ locus non est: vbi misericordia postulatur, iudicium non venit.* Tertium est ex homil. de S. Philogonio: *Si quis recedens à priſtinis malis ex animo promittat Deo se nunquam ad illa redditurum, nihil aliud requirit Deus ad satisfactionem vlteriorem.*

Explicatur Chrysostomus.

Respondeo ad primum testimonium Chrysostomi: quando peccator ostendit perfectam pœnitentiam, quæ non tantùm continet internam conuersionẽ, sed etiam externos labores & opera satisfactoria, tunc par est vt diuina vindicta cesset. Vel potiùs dicendum est, Chrysostomum loqui de flagellis, quibus Deus homines in peccatis demorantes excitat ad cõuersionem & pœnitentiam, quæ cessant quando homo iam facit pœnitentiam; essent enim superflua: nam hoc habetur tunc, propter quod infligitur; quãuis ea flagella quibus punit peccata præterita non semper cessent, quando homo facit pœnitentiã, vt patet in Dauide. Ad secundum: Commendat ibi Chrysostomus misericordiam in genere, qui opponitur iudicium & pœna. Qui enim ex misericordia cõsecutus est veniam, non debet subire pœnam condonatam: & quatenus petimus misericordiam, eatenus deprecamur pœnam & iudicium. Sed quia Deus non ita passim vtitur misericordiâ, vt non etiam vtatur iustitiâ; ideò non remittit totam pœnam, sed partem relinquit luendã: vnde debet illã homo subire, nisi aliudè constet esse remissam. Vnde Chrisostomus eâdem homiliâ dicit: *Miseretur quidem Deus, sed non passim miseretur: prouocat nos & dicit, Da & tu aliquid* Et infrà: *Deus dicit. Da mihi confessionem tuam, & lacrymas pœnitentiæ.* Et in Psal. 106. *Peius est Dei offensam non placare satisfactione, quàm peccando Dei bonitatem offendere.* Ad tertium: Per satisfactionem intelligi Chrysostomus excusationem: vt patet ex præcedentibus verbis; vbi dicit: *Discede à malo, virtutem amplectere, & istud sufficiet ad excusationem.*

Ambrosius.

Alia quædam loca adferunt hæretici ex D. Ambrosio, & ex D. Augustino. Locus ex Ambrosio, est ex lib. 10. in Lucam, vbi de Petro loquens dicit, *Lacrymas eius lego, satisfactionem non lego.* Sed Ambrosius ibi per satisfactionem, intelligit excusationem: vt patet ex c. 96. Locus ex D. Augustino, vel potiùs ex Gennadio desumitur ex lib. De dogmatibus Ecclesiasticis c. 54. vbi dicitur: *Satisfactio est causas peccatorum exscindere, nec earum suggestionibus aditum indulgere.* Sed definitio illa data est ex effectu: vt suprà q. 12. dictum est. Videatur cap. 53. vbi clarissimè in satisfactione Auctor ille requirit lacrymas & orationem. Augustin⁹ seu Gennadius.

Obijciunt Quartò alia quædam, quæ etiam afferre solent contra meritum: vt, hominẽ, quidquid habet & potest, debere Deo titulo creationis & redemptionis: quid ergo poterit reddere pro iniurijs? Confirmatur: quia seruus cum totus sit domini, nõ potest domino quidquam reddere pro iniuria: quia quidquid est, & habet, est domini. 21 4obiectio. quòd omnia nostra opera Deo sint debita

Respondeo: non quidquid homo potest, absolutè tenetur facere: quia Deus non omnia à nobis exigit, sed ea tantùm quæ præcepta sunt; præter quæ potest multa alia facere, quæ etsi teneatur facere quando peccauit, tamen ante peccatũ non tenebatur, sed erant ei libera: & hæc vocamus opera satisfactoria. Ad Confirmationẽ Respondeo: Ex eo quòd homo totus naturâ suâ sit Dei, benè sequitur non posse inter illum & Deũ esse iustitiam perfectam; non autem quin possit esse imperfecta, præsuppositâ videlicet promissione & acceptatione diuina. Sicuti inter dominũ & seruum, si Dominus non exigat nisi certa quædam opera, reliqua relinquat in ipsius arbitrio, poterit seruus per illa satisfacere domino suo, si quod damnum intulerit, modò dominus velit acceptare. Vide lib. 13. de Perf. diuinis c. 1. Explicatur & negatur.

ARTICVLVS II.

Vtrum alius pro alio possit satisfacere?

Respondeo: Posse, modò vterque sit in gratiâ. Probant quidam Primò: Ex illo Apostoli ad Colossenses 1. v. 24. *Gaudeo in passionibus meis pro vobis, & adimpleo ea quæ desunt passionum christi, in carne mea pro corpore eius, quod est Ecclesia.* Sed Apostolus hic non loquitur de satisfactione, sed de suis laboribus, quos tolerabat in prædicando Euãgelio, vt sic meritum Christi applicaretur hominibus: hoc enim deerat passionibus Christi: nam sine Apostolorum & aliorum sanctorum prædicatorum laboribus, Euangeliũ Christi non innotuisset orbi, ac proinde eius passio vim non habuisset in hominibus. Probant secundo: Ad Galatas 6. v. 2. *Alter alterius onera portate.* Sed hic locus non vrget, quia de tolerandis mutuis imperfectionibus agit. 22 Affirmatur. Minùs solide id quidã probant.

Probatur ergo Primò: Iacobi 5. v. 26. *Orate pro inuicem, vt saluemini.* 1. Ioannis 5. v. 16. *Qui scit fratrem suum peccare non ad mortem, oret, & dabitur ei vita.* & alia huiusmodi. 23 Probatur Solidius.

Probatur Secundò: Ratione. Prima est; Deus propter Iacob benedixit domui Labã: Genes. 30. v. 27. Propter decem iustos voluit parcere quinque ciuitatibus Pentapolis: Genes. 18. v. 32. Propter preces Samuẽlis, pepercit populo cùm Regem petijssent: 1. Reg. 12. v. 19. Propter Dauid Dominus pepercit Salomoni: 3. Reg. 11. v. 12. Propter lachrymas viduæ suscitauit filium eius defunctum: Lucæ 7. v. 13. Propter fidem portãtium, sanauit paralyticum: Lucæ 5. v. 20. Ergo bona opera vnius possunt alteri prodesse ad remissionem pœnæ temporalis. Patet consequentia; nam si Dominus sæpè pepercit impijs, ijsque benefecit ob preces & merita iustorum, multò magis ignoscet pœnam temporalem filijs suis ob aliorum preces & afflictiones. Exempla scripturæ à maiori adsumus.

Secunda Ratio est: Omnes, qui sunt in gratia,

pœnitentiam pro pœnitente ſubeat, ſed ſolùm ipſi pœnitenti: ergo pœnitentia illa non eſt ſacramentalis.

Probatur Secundò: Quia pœnitentia ſacramentalis imponi debet tum ad remedium & ad cuſtodiam contra peccata futura, tum ad vindictã præteritorum: atqui ſatisfactio tua non eſt remedium, aut vindicta peccatorum alterius. Quòd ſit, vt quando pœnitens non poteſt implere pœnitentiam impoſitam, non teneatur eam curare per alium; & ſi curet, non ideò liberatur, quando rectè valuerit: neque illa per alterum impleta, aliter ipſi proderit, quàm per modum impetrationis, etiamſi conſenſu vel iuſſu Sacerdotis curauerit per alium impleri.

Pœnitens non valens per ſe implere pœnitẽtiam, non tenetur eam curare per alium impleri.

QVÆSTIO XIV.

De Qualitate Satisfactionis.

ARTICVLVS I.

Vtrum homo poſſit de vno peccato ſatisfacere, ſine alio?

REſpondeo & Dico Primò: Non poteſt quis ſatisfacere pro vno peccato quoad culpam & pœnam æternam, quin pari modo ſimul ſatisfaciat pro alio. Patet ex dictis ſuprà q. 86. & 87. & hoc ſolùm vult D. Tho. iſto articulo.

Dico ſecundò: iuſtificatus poteſt ſatisfacere pro pœna temporali vnius peccati, ſic vt non ſatisfaciat ſimul pro pœna alterius. Eſt etiam certum. Ratio eſt: quia diuerſis peccatis diuerſæ pœnæ reſpondent, quarum vna non eſt alteri connexa.

An quouis genere ſatisfactionis poſſis pro quouis peccato ſatisfacere.

Petes: An ergo pro diuerſis peccatis oporteat diuerſis pœnarum generibus ſatisfacere?

Reſpondeo: Si ſatisfactio conſideretur, quatenus eſt ſatisfactio, & vindicta pro peccatis præteritis, ſic quouis genere ſatisfactionis poſſumus pro quouis peccato ſatisfacere; nẽpe vel oratione, vel ieiunio, vel eleëmoſynis: quia quodlibet horum, ſi debitè & quantum oportet vſurpetur, ſufficit ad quamuis pœnam temporalem redimendã. Si autem conſideretur ſatisfactio, quatenus eſt in remediũ contra futura, debet fieri diuerſis operibus. Sacerdos autem in pœnitentijs imponendis vtrumque ſpectare debet, ſcilicet vt ſint in vindictam præteritorum & in remedium futurorum; vt præcipit Concilium Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 8.

quid ſpectare debeat Confeſſor in pœnitentijs Imponendis.

ART. II. III. IV. & V.

DE his quatuor articulis ſuprà dictum eſt q. 89. vbi oſtendimus hominem in peccato mortifero, nec poſſe mereri, nec ſatisfacere; nec opera illa reuiuiſcere ad meritum, aut ad ſatisfactionem charitate ſuperueniente: valere tamen ad temporalia beneficia impetranda, & ad præparationem animi ad iuſtificationem. Solùm ſuper eſt.

DVBIVM.

Vtrùm expleta ſatisfactio Sacramentalis in ſtatu mortifero valeat: & ſi non valeat, vtrùm ſaltem reuiuiſcat per pœnitentiam & charitatem ſuperuenientem?

REſpondeo & Dico Primò: Qui implet pœnitẽtiam iniunctam in ſtatu peccati mortalis, et ſi ſatisfaciat præcepto Sacerdotis, non tamen ſatisfacit pro debito pœnæ coram Deo. Patet ex rationibus ſuprà allatis q. 89. art. 6. Cõfirmatur Primò: Quia Sacramenta nihil proſunt ijs, qui ſunt in ſtatu peccati mortiferi ſine cõtritione, vel pœnitentia diſponente ad Sacramenta: ergo multò minùs ſatisfactio prodeſt. Secundò: quia ſatisfactio non applicat Chriſti meritum ad iuſtificationem, ſed ſolùm ad remiſſionem pœnarum: atqui talis applicatio nullam vim habet in eo, qui eſt inimicus: nam remiſſio pœnæ temporalis ſupponit amicitiam; & remiſſionem culpæ: eſt enim veluti cõplementum iuſtificationis, per quod omnis inæqualitas tollitur. Satisfacit tamẽ præcepto Sacerdotis: nã ſicut alijs pleriſque præceptis ſatisfieri poteſt in ſtatu peccati, ita etiam huic; præſertim cùm actus virtutum, ſcilicet orationem, ieiunium, & eleëmoſynam, quibus fit ſatisfactio, extrà gratiam præſtare poſſimus: quòd ſit, vt iſte poſtea non teneatur illam pœnitentiam repetere.

Implens pœnitentiã inmortali, non ſatisfacit debito pœnæ coram Deo.

Satisfacit tamẽ præceptoconfeſſoris.

Dico Secundò: Probabile tamen eſt, hanc ſatisfactionẽ reuiuiſcere per gratiam ſuperuenientem, quamuis ea quæ ſponte aſſumitur, non reuiuiſcat. Ita Caietanus Opuſculo *de ſatisfactione* q. 2. Petrus Soto lectione 2. *de Satisfactione* ſub finem. Victoria q. 201. & alij complures.

3 Reuiuiſcit illa ſatisfactio per gratiã ſuperueniẽtem.

Probatur Primò: Quia, etſi ſacramentalis ſatisfactio, dum impletur, non ſit grata Deo ex opere operantis, eſt tamen grata ex opere operato, id eſt, ratione operis externi ex inſtitutione Chriſti vim habentis; applicat enim Chriſti merita ad remiſſionem pœnæ temporalis: ergo habebit ſuam efficaciam, quando fuerit homo capax: ſola enim incapacitas hominis impediebat, quòminùs illa Chriſti merita Sacramentali ſatisfactione applicata haberent effectum: ſublatã ergo hominis indignitate erunt efficacia, ſicut dictum eſt de alijs Sacramentis. Secùs eſt de ſatisfactione nõ ſacramentali, quia hæc ſolùm ex opere operantis poteſt placere: quando ergo operans diſplicet, ipſa non poteſt eſſe accepta.

Probatur Secundò: Eccleſia numquam fuit ſollicita, vt pœnitentes repeterent pœnitentiam, quam in peccato expleuerunt: videtur ergo ſentire, illam prodeſſe ſaltem poſt conuerſionẽ: alioqui monendi fuiſſent penitentes, vt rurſum penitentiam iniunctam præſtarent, ne poſt hanc vitam diras pœnas luant.

Digitized by Google

QVÆSTIO XV.

De his, per quæ fit Satisfactio.

ARTICVLVS I.

Vtrum Satisfactio debeat fieri per opera pœnalia?

1 Affirmatur

REspondetur Affirmatiuè. Quod probari potest. Primò; Quia passim Scriptura, dum meminit pœnitentiæ, proponit opera pœnalia. Secundò; Quia satisfactio fit in vindictam peccatorum: vindicta autem sonat pœnam. Tertiò; Quia satisfactio compensat inæqualitatem, quæ per peccatum inter Deum & hominem est inducta; ea autem inæqualitas in hoc consistit, quod homo plus sibi tribuerit, minus Deo: postulat ergo satisfactio, vt aliquid sibi in honorē Dei adimat, quod fit inflictione pœnæ, quæ aufert homini bonum vtile, vel delectabile, sicut cùlpa aufert bonum honestum. Quartò denique, Satisfactio debet esse in remedium cōtra futura: optimum autem remedium est opus pœnale. Nihil enim tam collibet à peccato comittendo, quàm pœna, cuius molestiam es expertus. Notandum tamen est, has rationes solùm conuincere opus pœnale esse maximè accommodatum, proprijssimeque dici satisfactorium; & ideò ordinariè imponendum; non tamen, quin per alia opera meritoria etiam possit satisfieri. Vnde.

4 Notandum est: Tribus modis posse nos satisfacere.

Primò, Debitam pœnam sustinendo; sicut satisfacit qui ob crimen plectitur capite: sic satisfaciūt in Purgatorio. Sed hoc potiùs dicitur *satisfpassio, quàm satisfactio*: nam hic non habetur ratio patientiæ interioris, sed solùm externæ perpessionis.

Tribus modis possumus satisfacere.

1. Satisfpatiendo.

Secundò: Merendo pœnæ condonationem idque dupliciter. Primò: directè & immediatè: vt dum quis in statu gratiæ pro peccatis suis laboriosa & molesta facit opera; v. g. dum ieiunat, gerit cilicium, cubat humi, dat eleëmosynam. Huiusmodi enim operibus, eò quòd pœnalia sint, & sponte suscipiantur, meremur directè maiorē pœnam nobis remitti. Nam illa prōptitudo quā quis sibi infligit pœnam, vt alteri pro iniuriā satisfaciat, pluris æstimatur, quàm si quadruplum ab alio inflictam sustineret. Hæc propriè dicūtur satisfactoria quia maximè accommodata ad promerendam pœnæ remissionem. Secundò; meremur remissionem pœnæ secundariò & indirectè. Sic actus charitatis internus est satisfactorius, etiamsi cum summa voluptate fiat. Ratio est Primò: Quia per actum quemuis meritorium non solùm efficimur digni vitā æternā, sed etiam, ex cōsequenti, amotione impedimēti externi, quod impedit eius consecutionem; quale impedimentum est pœna illa temporalis: & quāuis non mereamur semper vt totū hoc impedimentū amoueatur, meremur tamen vt minuatur. Secundò: Quia, qui meretur incrementum amicitiæ, etiam meretur imminutionē iræ seu offensionis animi, quo amicus parabat vindictam ob præcedentem culpam; vt cernere est inter homines: ergo omni opere meritorio, quo meremur incrementū amoris Dei erga nos, ex consequenti meremur etiam imminutionem iræ, seu affectūs puniendi.

2. Merēdo pœnæ condonationē

Tertiò: Satisfacimus etiam impetrando remissionem pœnæ, sicut impetramus alia bona: sic oratione, & omnibus ijs, quæ adhibemus, vt oratio nostra Deum commoueat ad misericorditer ignoscendum, satisfacimus. Impetratio enim nititur misericordiā, & efficitur omnibus illis, quibus Deum ad miserendum flectimus. Ex dictis sequitur, fructum impetrationis posse alteri applicari, retento fructu qui est ex merito: quia non ideò sum minùs dignus condonatione pœnæ, quòd pro altero opus satisfactorium præstem.

3. Impetrādo pœnæ remissionem.

DVBIVM I.

Vtrum satisfactio debeat fieri per opus aliàs indebitum?

5 quidam affirmant.

MVltorum Doctorum Sententia est, opus satisfactorium debere esse aliàs indebitū; id est, ad quod homo nō teneretur nisi peccasset. Ita Paludanus, Gabriel, Maior dist. 15. Antoninus & Siluester. Ratio illorum est: quia quando aliquid est debitum titulo priore, non possumus per illud satisfacere obligationi nouæ, quæ alio titulo superuenit.

Opera alias debita, sunt etiam satisfactoria

Respondeo & Dico Primò: Etiam opera ex præcepto, vel voto debita, sunt satisfactoria Ita Medina q. 4. *De satisfactione* sub finē. Sotus dist. 19. qu. 2. art. 1. Adrianus qu. 3. *De satisfactione*. Probatur Primò: quia ieiunia Ecclesiæ sunt præcepta, & tamen sunt satisfactoria: Nam idcircò ab ecclesiā sunt instituta. Probatur Secundò, patientia martyrio tolerando est præcepta, & tamen est maximè satisfactoria. Probatur Tertiò, Ratione. Quia nostra satisfactio non fit per commutationem dati & accepti, sed per modū meriti: ergo sicut obligatio præcepti vel voti nihil obstat, quò minùs illo opere possimus mereri vitam æternam, ita nihil impedit, quin possimus satisfacere pro peccatis.

Ad rationem contrariam: Respondeo, Id solùm habere locum in debitis iustitiæ particularis, in quibus spectatur æqualitas dati & acceptj; vna enim res non potest esse æqualis duabus acceptis, ex quibus orta est duplex obligatio: vt si debeas Petro decem, quia laborauit, & decem quia mutuauit, debes restituere id quod est æquale illis duobus, quod non est decem, sed viginti. Secùs verò: si debeas Deo ex præcepto & iniuria illata: nam per hoc, quod satisfacis præcepto, nihil detrahitur operi dignitatis ad merendam remissionem, sed hæc potiùs crescit ex præcepto. Idem de voto optime Medina q. 4. sub finem.

4 Hæc tamē non sunt ordinariè à Cōfessore imponenda.

Dico Secundò: Opera tamen huiusmodi aliàs debita non sunt ordinariè in Sacramento pœnitentiæ imponenda: neque satisfactio iniuncta est de his intelligenda, nisi Sacerdos contrarium exprimat. Est communis Doctorum. Ratio est: quia æquitas postulat, vt is, qui illicita perpetrauit, ad aliquid noui obligetur, ad quod aliàs non tenebatur: alioquin non sentiet vindictam suorum peccatorum. Vide Gregorium hom. 20. in Lucam circa mediū, vbi super hæc verba, *Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ*, sic ait: *Aliud est fructū facere pœnitentiæ, aliud, dignum pœnitentiæ fructū facere. Vt enim secundùm dignos pœnitentiæ fructus loquamur, sciendum est, quia quisquis illicita nulla admisit, huic iure cōceditur, vt licitis vtatur: sicque pietatis opera faciat, vt tamen si voluerit, ea quæ mundi sunt, non relinquat. At si quis in fornicationis culpā, vel forte esse, quod est grauius, in adulteriū lapsus est: tanto &*

tanto à ſe licita debet abſcindere, quanto ſe meminit & illicita perpetraſſe. Neq; enim par fructus boni operis eſſe debet, eius qui minus, & eius qui amplius deliquit, aut eius qui in nullis, & eius qui in quibuſdam facinoribus cecidit, & eius qui in multis eſt lapſus.

Gregorius. Dixi, *Ordinariè*: Quia interdum Sacerdos habet iuſtas cauſſas opera præcepta imponendi: v. g. ieiunium Eccleſiæ, recitationem officij diuini Clerico, reſtitutionem furi: nempe quando videt eum aliâ ratione ad hęc vix poſſe adduci, aut non habere opportunitatem aliter faciendi. Hoc caſu duplici obligatione pœnitens tenetur: & ſi omittat, duplex peccatum cõmittit: ſi præſtet, duplicé conſequitur fructum, ſcilicet ratione operis præcepti & ratione virtutis, quam opus trahit ex poteſtate Clauium: hinc enim habet vim applicandi Chriſti meritum ad pœnarum remiſſionem.

Si imponantur, duplicem adferunt obligationem.

DVBIVM. II.

Vtrùm Penitentiæ ſint arbitrariæ?

5 Pœnitentię ſunt arbitrariæ?

REſpondeo, & Dico Primò: Communis ſententia Doctorum eſt, eſſe arbitrarias. Quod non ſic intelligendum eſt, quaſi Sacerdos pro nudo arbitratu poſſit imponere magnas vel paruas (tenetur enim, ſpectata conditione pœnitentis, & habita ratione ſpiritualis vtilitatis illius, iniungere, quantum fieri poteſt, accommodatas & commenſuratas, vt colligitur ex Concilio Tridentino cap. 8.) ſed quia non tenetur ſequi Canones pœnitentiales.

6 Ab initio eccleſiæ.

Dico Secundò: Valdè probabile eſt, non ſolùm à tempore magni Concilii Lateranenſis, vt quidam volunt, ſed ab initio naſcentis Eccleſię pœnitentias hoc modo arbitrarias fuiſſe: quamuis olim ob diſpoſitionem pœnitentium cõſueuerint maiores imponi. Colligitur hoc ex epiſt. 77. Leonis, vbi Nicetę Epiſcopo ſcribit, *Tempora pœnitudinis, habitâ moderatione, conſtituenda ſunt tuo iudicio, prout conuerſorum animos perſpexeris eſſe deuotos: pariter etiam habentes ætatis ſenilis intuitum*, &c. Item ex Canone, *Menſuram*, de Pœnitentiâ diſt. 1. vbi dicit, *Menſuram temporis agendę pœnitentiæ linqui in arbitrio ſacerdotis*. Canones autẽ Penitentiales ſeruabantur tum in foro externo, tum etiam interdũ in interno, quando id expediens videbatur.

Canones Pœnitentiales, quo modo ſeruati.

7 Confeſſor tenetur pœnitentiam iniũgere pro mortiferis peccatis.

Dico Tertiò: Sacerdos omnino tenetur pœnitẽti iniungere pœnitentiam maximè pro mortiferis, etiam in articulo mortis. Probatur Primò: Quia multi Canones & Concilia id præcipiunt, Concilium Trident. ſeſſ. 14. cap. 8. ſic ait: *Debent ergo ſacerdotes Domini, quantum ſpiritus & prudentia ſuggeſſerit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, ſalutares & conuenientes ſatisfactiones iniungere: ne, ſi forte peccatis cõniuerint, & indulgentiùs cum pœnitentibus agant, leuiſſima quædam opera pro grauiſſimis delictis iniungendo, alienorum peccatorũ participes efficiantur*. &c. Probatur Secundò: Quia Sacerdos eſt Iudex loco Dei, & veluti arbiter inter Deum & hominem: ergo tenetur curare vt parti læſæ ſatisfiat: alioquin facit cõtra ſuũ officiũ. Probatur Tertiò: Quia hęc ſatisfactio pertinet ad integritatem Sacramenti, quę integritas in cauſa magni momenti, qualis eſt confeſſio peccati mortalis, nullo modo poteſt permitti. Vnde etiam ſequitur pœnitentiam non poſſe tantùm iniungi ſub conſilio: quia hoc non eſt iniungere.

Qualẽ pro venialibus

Vbi tamen ſolùm eſt confeſſio venialium, probabilius eſt non eſſe peccatum mortale, ſi nulla iniungatur ſatisfactiò: quia hęc ſunt minoris momenti, & ipſa verecundia & humilitas confeſſionis, poteſt magna ex parte ſufficere. Similiter ſi conſtaret peccatum mortale iam penitus eſſe remiſſum quo ad culpam, & omnem penam ex perfectiſſima quadam contritione eſſe condonatam. Tunc enim probabilius eſt Sacerdotem non teneri iniungere ſatisfactionem: quia illa pars Sacramenti non eſt tunc neceſſaria ad perfectam peccati condonationem.

In articulo autem mortis ſi pœnitens vtitur ratione, debet etiam ei aliquid iniungi quod impleat ſi conualeſcat. Item poteſt ei iniungi, vt mortem acceptet dẽ manu Dei. Item vt dicat, *In manus tuas Domine, commendo ſpiritum meum*; vel verſiculum aliquem aſpiratoriũ ex Pſal. 50. &c. ſi non vtitur ratione, non eſt neceſſe quidquam iniungere.

Qualem in articulo mortis.

Dico Quartò: Opera à Sacerdote impoſita, ſunt magis ſatisfactoria, quàm ea, quæ ſponte aſſumũtur. Primò: Quia ex obedientia procedunt. Secundò: Quia ex virtute Clauium nouam quandam vim contrahunt: applicant enim merita chriſti tanquam ex opere operato. Vnde etiam reuiuiſcunt. Hinc pœnitentes optimè ſibi conſulunt, qui magnas pœnitentias pro peccatis mortiferis iniungi ſibi petunt.

8 Pœnitentia confeſſionis eſt præ ceteris ſatisfactoria.

DVBIVM. III.

An alius ſacerdos poſſit mutare pœnitentiam ab alio iniunctam?

REſpondeo & Dico Primò: Superior poteſt mutare pœnitentiam impoſitam ab inferiore. Ita communiter Doctores. Rationem adfert Sotus, quia ille habet iuriſdictionem in inferiorẽ. Sed hęc ratio non vrget: nam inferior Sacerdos ſecundùm eam poteſtatem, qua iniungit pœnitẽtiam pœnitenti, non eſt cuiquam ſubiectus, niſi Chriſto. Vnde tota ratio eſt ratihabitio inferioris, quę ſemper præſumitur, quando cauſa immutãdi eſt iuſta.

9 Superior.

Inferior.

Dico Secundò: Etiam inferior poteſt commutare ex iuſta cauſa pœnitentiam iniunctam à Superiore, præſertim ſi non fuit iniuncta ob caſum reſeruatum. Ita Victoria qu. 211. Nauarrus c. 26. n. 22. Silueſter *confeſſ.* 1. qu. 27. & alii. Ratio eſt: quia cenſetur eſſe ratihabitio Superioris.

Mutatio ſolùm fiat audita cõfeſſione.

Dico Tertiò: Hæc commutatio debet fieri audita confeſſione priorum peccatorum; alioqui pœnitẽtia, in qua fit commutatio, non erit Sacramentalis. Ita Silueſter loco citato. Ratio eſt: quia ſine confeſſione priorum peccatorum non poteſt ex virtute Clauium iniungere pœnitentiam pro illis peccatis; cùm illa peccata ipſius iudicio nũquam fuerint ſubiecta.

excipe eſt qui poteſt Indulgentias cõferre.

Dico Quartò; Superior tamen, qui poteſt conferre Indulgentias pœnitenti, poteſt eius pœnitentiam, vel totam, vel ex parte tollere non audita confeſſione. Patet ex praxi Eccleſiæ. Ratio eſt: quia poteſtas conferendi indulgentias, eſt poteſtas abſoluendi à pœnis debitis interuentu iuſtæ ſolutionis.

ARTICVLVS II.

Vtrum flagella præſentis vitæ ſint ſatisfactoria?

RESPONDETUR: Eſſe ſatisfactoria, ſi patienter tolerentur. Eſt fide tenendum, vt patet ex Tridentino ſeſſ. 14. can. 13. Sed eſt 12

Digitized by Google

DE EXCOMMVNICATIONE

Circa Quæſtionem 21. 22. 23. & 24.

1 TRactationem de Excommunicatione diuidimus in ſeptem Capita. Primum Caput; *Quid ſit, quotuplex; & quomodo differat ab alijs pœnis Eccleſiaſticis.* Secundum Caput, *Quos effectus habeat.* Tertium Caput, *quis poſſit excommunicare.* Quartum Caput, *De cauſa excommunicationis.* Quintum Caput, *Quæ requirãtur, vt ſit valida, & vt quis eam incurrat.* Sextum Caput, *Quo iure excommunicati ſint vitandi.* Septimum Caput, *De abſolutione ab excommunicatione.*

CAPVT I.

Quid ſit excommunicatio, quotuplex; & quomodo differat ab alijs pœnis Eccleſiaſticis?

2 Differentia inter *Anathema* & *Excommunicationem.*

NOtãdum Primò: *Excommunicationem* ſignificare ſeparationem à Communione Fidelium: Græcè dicitur *Ἀποσυναγωγὴ* quia excommunicatus eſt veluti piaculum, & res exterminanda, vt Deus placetur. Concilia tamen hoc nomen *Anathematis* potiſſimùm vſurpant in damnandis hæreſibus & hæreticis. In alijs plerumque vtuntur nomine *Excommunicationis*, *Separationis*, vel *Abſtentionis*; vt videre eſt, tum alibi, tum in Tridentino ſeſſ. 13. can. vltimo. Vide Couarruuiam in Cap. *Alma*, 1. parte §. 8. num. 6.

communio filium triplex.

Notandum Secundò: Eſſe triplicem communionem inter Fideles: Prior, Interna per fidem & charitatem. Secunda eſt, Partim interna, partim externa; ſcilicet in Orationibus, Sacrificijs, & Sacramentis: res enim ipſę externæ ſunt, ſed fructus earum eſt internus. Tertia eſt, Omnino externa, quæ poſita eſt in conuictu humano, in cõuiuijs, colloquijs, ſalutationibus, contractibus, & alijs huiuſmodi congreſſibus. His poſitis: Conſtat excommunicationem non tollere primam communionem, ſed eam ſupponere: hęc enim tollitur per ſolum peccatum: tollit autem excõmunicatio ſecundam, & tertiam.

DVBIVM I.

Quid ſit excommunicatio?

REſpondeo Definiri rectè poteſt, *Cenſura Eccleſiaſtica, qua ſeparatur homo à communione Sacramentorum, & conuictu Fidelium.*

3 explicatur definitio *Excommunicationis.*

Dixi, *Cenſura*; vt excludatur irregularitas, prouenies non ex delicto: ſed ex defectu lenitatis in Iudicibus, vel ſignificationis in bigamia. Etſi enim irregularitas prodeniens ex delicto, ſit vera & propriè dicta cenſura Eccleſiaſtica, id eſt, animaduerſio & punitio Eccleſiaſtica, vt rectè docet Sotus diſt. 22. quæſt. 3. art. 1. & Medina 1. 2. quæſt 106. art. 4. & multi alij recentiores: tamen ea, quę non prouenit ex delicto, cenſura non eſt. Quò fit, vt irregularitas in genere non ſit cenſura, ſed abſtrahat à ratione cenſuræ.

Similiter excluditur *Degradatio*, & *Ceſſatio à diuinis*, quæ etiam propriè non ſunt cenſuræ; vt docet Nauarrus cap. 27. num. 166. Quamuis hæc etiam alio modo excludi poſſint; quia hæc non ſeparant à conuictu Fidelium.

Dixi, *Eccleſiaſtica*: quia poteſtas ciuilis non poteſt aliquem excludere à communione Sacramẽtorum, imò nec propriè à conuictu Fidelium, ſed ſola Eccleſia.

Dixi, *Qua ſeparatur homo à communione* &c. vt diſtinguatur à *Suſpenſione*, & *Interdicto*. Nam *Suſpenſio* ſolùm excludit ab vſu officij vel beneficij, & ſolùm perſo nam Eccleſiaſticã cõtingit: à perceptione autẽ Sacramentorũ & conuictu Fidelium non excludit. *Interdictum* verò non ſeparat à cõuictu Fidelium, ſed ſolùm à diuinis officijs Sacramentis, & Eccleſiaſtica ſepultura, prohibens directè ipſas officij Eccleſiaſtici, Sacramentorum, & ſepulturæ actiones.

DVBIVM II.

Quotuplex eſt excommunicatio?

REſpondeo: Variè diuiditur. Prima diuiſio: Alia eſt *Maior*, quę priuat Sacramentis & conuictu Fidelium. Alia *Minor*, quæ ſolùm priuat Sacramentis percipiendis. Hęc ſolùm incurritur participatione cum excommunicatis denunciatis vel cum notorijs percuſſoribus Clericorum; nec inducit irregularitatẽ; vt patet Capitulo *Si celebret*, de Clerico excommunicato. Olim etiam ab homine infligebatur per ſententiam, & à iure in omni ſacrilegio: verùm hęc iam deſita ſunt. 4 Maior. Minor.

Secunda diuiſio: Excommunicatio. Alia eſt *à iure*. Alia *ab homine*. *A iure* ſunt, quę ſunt à Papa, vel Synodo vniuerſali, vel particulari; vel certe à Papa confirmatur; & hæ ſemper durant, etiamſi Auctor moriatur. *Ab homine* ſunt, quę fiunt per modum mandati vel ſententiæ: hæ expirant, id eſt, non amplius incurruntur mortuo auctore, vel depoſito ab officio. Vnde patet *Excommunicationes Bullæ Cœnæ Domini* partim cenſeri eſſe *à Iure*, quia mortuo Pontifice non expirant, partim *ab homine*, quia quot annis renouantur. A iure. Ab Homine. Excommunicatio Bullæ cœnæ ex his mixta.

Tertia diuiſio: Excommunicatio, Alia eſt *Lata ſententiæ*. Hęc ipſo facto incurritur: vt cùm dicitur, *Qui hoc fecerit, ipſo iure vel ipſo facto ſit excommunicatus, incurrat excommunicationem*, vel *ſubiaceat excommunicationi*, vel *excommunicamus talem*. Alia eſt *ferenda*, ſeu *comminatoria*: vt cùm dicitur, *Qui hoc fecerit, excommunicetur*; vel *Prohibemus ſub pœna excõmunicationis*. Denique cum dicitur, *Sit excommunicatus*, ordinariè intelligitur excommunicatione ferendâ, niſi aliunde conſtet contrariũ, iuxta Nauarrum cap. 27. num. 14. Latæ ſententiæ. Comminatoria.

Digitized by Google

CAPVT. II.

De effectibus excommunicationis.

DVBIVM I.

Qui sint effectus excommunicationis maioris, id est, sententiæ excommunicationis, sive actiuè sive passiuè consideretur: sive quatenus fertur, vel quatenus aliquem contingit?

1 REspondeo: Multos esse effectus istius excommunicationis, qui ferè omnes, in particulari pendent ex iure positiuo.

1. Effectus priuat cõmunione Sacramentorum.

Primus est, Quòd priuet communione Sacramentorum actiuâ & passiuâ: ita vt excommunicatus nec possit suscipere, nec alteri conferre vllum Sacramentum. Quòd si exerceat actum Ordinis Sacri, etiam fiat irregularis. Hoc intellige de quouis excommunicato, etiam occultè.

2. Effectus priuat fructu sacrificij, vt est à publico ministro.

Secundus, Quòd priuet fructu sacrificij Missæ & Suffragiorum Ecclesiæ. Ratio est, quia Ecclesia non vult ipsis hunc fructum applicari. Vbi.

Notandum Primò: Hoc esse intelligendum de fructu sacrificij, & officij diuini, quem habet quatenus à Ministro publico Ecclesiæ peragitur, vt dictum est suprà Tractatu de Sacrificio quæst. 83. art. 1. dub. 9. non autem de eo fructu, quem habet, vt celebratur à personâ priuata: nam Ecclesia non vetuit priuatis offerre preces, & suo modo etiam Sacrificia pro excommunicatis; imò

Non tamẽ vt est à priuato.

nec ipsi Sacerdoti, vt est priuata persona, id est, vt habet tantam vel tantam sanctitatem, vt offert tali vel tali deuotio nec sanctitas enim personæ & deuotio, qua offert, pertinent ad oblationem sacrificij, vt est actio priuata, sicut consecrario Sacerdotalis per quam Sacerdos gerit personam Christi & Ecclesiæ, pertinet ad oblationem, vt est actio publica. Vnde etiam licitum est orare pro illis in memento, & in quibusuis Orationibus priuatis, quæ nomine Ecclesiæ non obeuntur: vt rectè Nauarrus c. 27. n. 23. & 36. Couar. in Cap. *Alma* 1. partte §. 6. num. 3. Sotus dist. 22. quæst. 1. art. 1.

Priuat fructuoratiodis publicæ.

Notandum Secundò: Nullum excommunicatum, etiamsi excommunicatio sit occulta, comprehendi generalibus Ecclesiæ orationibus, quibus ipsa pro omnibus Fidelibus orat, vt omnes Doctores fatentur. Ratio est; quia Ecclesia non intendit illos comprehendere.

Exclude solos denunciatos, & notorios

Notandum Tertiò: Si alicuius excommunicatio non sit denũtiata, nec notoria, probabile esse pro eo posse orari publica oratione, & sacrificium offerri; vt docet Nauarrus num. 36. & Henriquez de Missâ cap. 15. Ratio est, quia Ecclesia non vetat communionem cum talibus. Patet ex decreto Concilij Constantiensis, quod incipit *Ad extirpanda*, apud Nauarrum num. 35. Vnde videtur sequi, neque orationem vetare pro talibus: nam oratio est communio quædam cum illo, pro quo oratur. Vnde etiam videtur sequi licitum esse offerre pro notoriis excommunicatis, modò non sint denuntiati, aut notorij percussores Clericorum: nã secundum hanc limitationem illud decretum est

Validè offertur Sacrificium pro excommunicato denuntiato, &c. etsi illicitè.

receptum, vt docet Nauarrus loco citato, & est communis sententia.

Notandum Quartò: Si offeratur sacrificium pro excommunicato denuntiato vel notorio Clerici percussore, etsi contra præceptum Ecclesiæ fiat, proderit tamen illis ex opere operato, vt suprà quæst. 83. art. 1. dub. 9. num. 52. dictum est de Sacrificio. Ratio est, quia applicatio fructus sacrificij non ita subest dispositioni Ecclesiæ, vt ipsa possit eam irritam reddere, cùm Sacerdos offerat ex persona Christi per potestatem immediatè à Christo communicatam, quam Ecclesia non potest limitare. Orationes tamen Ecclesiæ non proderunt, neq; vt publicæ, quia sic dicuntur in persona Ecclesiæ, quæ noluit eas ipsis prodesse: neq; vt priuatæ, quia qui contra Ecclesiæ præceptum facit, est in statu peccati, ac proinde eius oratio, vt est hominis priuati, vim non habet impetrandi bona spiritualia alteri.

Si excommunicatus est in gratia, hæc pœna non obest.

Notandum Quintò: Hanc pœnam non intelligi de illis excommunicatis, qui sunt in statu gratiæ; neque de alijs, qui coram Deo non sunt excõmunicati, quod est contra Dominicum Sexo, & quosdam alios. Sed ita sentit Couarruuias 1. p. §. 6. concl. 9. in Cap. *Alma*. Nauarrus cap. 27. nu. 36. Turrecremata in Cap. *Si quis Episcopus* II. quæst. 3. Antoninus 3. parte titul. 24. cap. 76. Ratio est: quia non est credibile Ecclesiam velle illis sua suffragia subtrahere, qui non ampliùs cõtumaces contra illam sunt, & ipsi Deo iã sunt reconciliati.

6

Tertius effectus: Quòd priuet diuinis Officijs, ita vt neque priuatim, neque simul cum alijs possit illis interesse, idque ne in festo quidem Paschatis. Tenetur nihilominùs recitare Officium, si sit in sacris, vel si habeat beneficium.

3. & 4. effectus.

Quartus effectus: Priuatio externi conuictus fidelium.

5. effectus, circa beneficij collationem, permutationem, & pensionem.

Quintus effectus: Quod faciat incapacem collationis Beneficij; ita vt collatio Beneficij facta excommunicato sit irrita, quamuis ipse ignoret suam excommunicationem. Ita Couarruuias supra §. 7. num. 1. Vnde in litteris Pontificijs, quibus beneficia conferuntur, solet dari ad cautelam absolutio ab excommunicatione, ad effectum præsentium consequendi. Hic sequitur etiam permutationem beneficiorum inter excommunicatos non valere; quia hîc fit mutua collatio, vt idem Couarruuias, & alij docent. An autem sit incapax pensionis, dubium est: Vtraque pars est probabilis, vt colligitur ex Couarruuia. Puto tamen non esse incapacem, cùm pensio non sit Beneficium vel Officium Ecclesiasticum, & pœnæ non sint extendendæ. Si tamen pensio requirat titulum Ecclesiasticum, & vbi Bulla Pii V. de Pensionibus est recepta, erit incapax.

7

6. effectus priuatio vocis activæ & passiuæ.

Sextus effectus: Quòd priuet voce activâ & passiuâ in electionibus, non solùm ad Beneficia & Officia Ecclesiastica, sed etiam ad dignitates seculares, quibus annexa est iurisdictio, vt ad Regalem, Imperatoriam, Ducalem, Præsidis, &c. vt patet ex Cap. *Venerabilem*, de Electionibus, vbi vide Panormitanum num. 8. Vnde sequitur, si excommunicatus eligatur ad beneficium, electionem esse irritam. Est communis sententia, vt docet Couarruuias §. 7. nu. 1. Similiter postulationem, si postuletur & præsentationem, si præsentetur, vt ibidem Couarruuias.

Si electus vel præsentatus absoluatur ante acceptationem.

Hîc tamen Aduerte Primò: Si electus aut præsentatus in excommunicatione absoluatur ante acceptationem vel collationẽ, id sufficere ad acquirendum titulum. Ita quidam, & citat Couarruuiã. Sed Couarruuias hoc nõ dicit, nec videtur habere solidum fundamentum. Probabilius est, quod ait Couar. n. 4. (etsi dubitãter) nẽpe si tibi facta sit collatio ante excommunicationẽ & postea incursa excommunicatione acceptes collationem, vel ingrediaris possessionem, non esse irritam acceptationẽ, aut possessionis ingressionẽ. Ratio ipsius est, quia acceptatio & ingressio pos-

seſſionis potiùs ad factum,quàm ad ius pertinet ; vt ibidem probat Couarruuias : per collationem enim acquiritur ius,etſi conditionale;&, ipſa acceptatio ſolùm eſt conditio neceſſaria vt illud ius fiat abſolutum. Ingreſſio poſſeſſionis ſolùm fit quando plenum ius iam acquiſitum eſt. Denique idipſum comprobat praxis.

Si ſit toleratus. Aduertè Secundò : Si ille excommunicatus ſit toleratus, id eſt,ſi non ſit denunciatus nominatim,aut notorius Clerici percuſſor, eius electio , præſentatio,& poſtulatio actiua videntur valere poſt decretum Concilij Conſtantienſis , ſicut etiam actus iuriſdictionis valent. Ratio eſt;quia ad bonum aliorum Eccleſia ſtatuit talem noneſſe vitandum:imò ipſe non videtur peccare mortiferè hos actus ſubeundo;quia ſolùm ſecùdariò ei prohibentur, ſicut & alij actus pertinentes ad communicationem in rebus humanis.

8 7. Effectus Septimus effect⁹, Irritam reddit gratiam per reſcriptum litterarum Apoſtolicarum obtentam. Vnde etiam in huiuſmodi litteris ſolet dari abſolutio ad cautelam. Vide nauarrum num. 22.

2. Effectus liberat ab obedictia. Octauus effectus:Liberat ſubditos ab obedientia Superiorum excommunicatorum tam ſæcularium,quàm Eccleſiaſticorum:quod intellige,ſi excommunicatio eſt publica. Quòd ſi etiam ſit denuncia ta,aut ob notoriam Clerici percuſſionem,non ſolùm liberat ſubditos, ſed etiam obligat,ne obediant,niſi ad maius malum vitandum : vt apertè colligitur ex Capitulo *Nos Sanctorum*,& Capitulo *Iuratos* 16. quæſt. 6. de quo plura 2. 2. quæſt. 11. art, 4. dub. 5.

9 9 effectus. ſuſpendit ab officio & beneficio. Nonus effectus : Suſpendit ab Officio, & Beneficio.

Aduertè tamen Primò:Id quod facit excommunicatus ratione officij publici quamdiu toleratur, ratum haberi : ſi autem non ſit toleratus,omnes ſententiæ, conſtitutiones,alijque legitimi actus irriti erunt : vt patet ex Capitulo *Aduerſus* , de Immunitate Eccleſiarum.

Anex communicatus faciat fructus ſuos. Aduerte Secundò:Multorum ſententiâ ita ſuſpendi à Beneficio,vt ſi ſit in mora petendæ abſolutionis,non faciat fructus ſuos:de quo vide Couarruuiam lib. 3. variarum cap. 13. num. 8. vbi dicit, hanc eſſe omnium conſenſu receptam ſententiam. Sed Petrus Nauarra lib. 2. de Reſtitutione dub. 4. ſatis probabiliter contrarium docet. Ratio eius eſt,quia, Iure non eſt expreſſum ipſum perdere fructus ipſo facto:vnde cùm titulum Beneficij retineat, & officium præſtet , non eſt cur dicamus eum ob vllum peccatum vel cenſuram fructus non facere ſuos. Nec obſtat Capitulum *Paſtoralis*,de Appellationibus , quia ſolùm dicit eſſe priuandum fructibus : & hâc ratione dicitur ſuſpenſus à Beneficio,quòd nempe fructibus Beneficij poſſit priuari.

10 10 11 & 12 effectus. Decimus effectus : Quòd excommunicatus non poſſit eſſe Teſtis, Aduocatus, Procurator, Actor ; imò nec poſſit conſtituere Procuratorem ad agẽdum aut impetrandum;vt patet Capitulo *Finali*, de Procuratoribus. *De hac re vide latiùs lib. 2. de Iuſtit. & Iure cap 29. dub. 7. vbi latè deducitur,Vtrũ Iudex excommunicatus peccet vſurpatione indicij , ſi indicia exerceat.*

Vndecimus effectus:Si per annum obdurato animo inſorduerit huic cenſuræ,poteſt contrà eũ procedi tanquam contra ſuſpectum de hæreſi, vt conſtituit Tridentinum ſeſſ. 25. cap. 3. *de Reformatione.*

Duodecimus effectus Si moriatur in excommunicatione,caret Eccleſiaſtica ſepulturâ. Intellige de non tolerato.

DVBIVM II.

Qui ſint effectus excommunicationis minoris ?

11 1. effectus excludit à participatione Sacram. PRimus effectus:Excludit à participatione Sacramentorum,adeò vt mortiferè peccet, qui in excommunicatione minore aliquod Sacramẽtum percipit; vt communiter Doctores docent. Nam Cap. *Si celebrat*,de Cleric. excom. min. dicitur grauiter peccare ſi celebret. Ratio eſt, quia perceptio Sacramentorum eſt res grauis,quæ directe ab Eccleſia huic excõmunicato prohibetur.

4. effectus facit electionem irritandam. Secundus effectus: Si quis eligatur ad beneficium,electio eſt irritanda. Hi duo effectus exprimuntur Cap. *Si celebrat*,de Clerico excommunicato. Vbi aduerte,pleroſque Doctores dicere, electionem eſſe irritam. Quod mirum videri poſſit cùm textus apertè dicat *eſſe irritandam*:& in pœnis non debeat dura interpretatio fieri prẽter vim verborum.

Huic conferens Sacramẽtum vel beneficium,peccat mortiferè. Ex dictis ſequitur,Eum quoque mortiferè peccare,qui ſciens huius excommunicationem,confert ei aliquod Sacramentum , vel beneficium priuſquam ab hâc cenſura abſoluatur vt paſſim Doctores docent.

excommunicatus alteri conferens Sacramentum peccat venialiter. Notandum tamen , Si talis excommunicatus conferat alteri Sacramentum , ſic tamen vt ipſemet non ſumat,non peccare, iuxta Nauarrum & alios quoſdam; vel certè non niſi venialiter , vt Sotus etiam docet , quod verius eſt. Nam in Capitulo *Si celebrat*, Gregorius ait , *Peccare adminiſtrantem , recipientem verò graviter peccare*; nempe quia ille venialiter,hic mortiferè. Ratio eſt, quia eſt nonnulla irreuerentia , quòd conferat Sacramenta,cùm non poſſit illa recipere.

CAPVT. III.

De potestate excommunicandi.

DVBIVM. I.

Vtrùm in Eccleſiâ ſit poteſtas excommunicandi ?

12 Affirmatur Scriptura. REſpondeo:Fide tenendum eſt,eſſe. Probatur ex Scripturis:Matt. 18. v. 16. *Si Eccleſiam nõ audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus* ; vbi Prælatis datur poteſtas excludendi contumaces ab illis omnibus,quæ ſunt Religionis Chriſtianæ, ſicut ab illis excluſus eſt Ethnicus. Confirmatur: Quia ibid. dicitur ; *Quæcunq; alligaueritis ſuper terrum,erunt ligata & in cælo*,in quem locum vide Hiero. & Chryſoſtomum. Ioannis 20. datur Petro plena poteſtas paſcendi omnes Chriſti oues : atqui ad rectè paſcendum,neceſſaria eſt poteſtas , qua oues morbidę & rebelles à grege ſeparentur. 1. ad Corinthios 5. v. *Iudicami huiuſmodi tradere ſatanæ in interitum cărnis* : quod nihil eſt aliud , quàm eijcere extra Eccleſiam,& permittere diabolo corporaliter vexandum : vide Chryſoſtomum , Theodoretum & Theophilactum in illum locum. 2. ad Theſſalonicenſes 3. v. 14. *Si quis non obedit verbo noſtro , ne commiſceamini cum illo,vt confundatur.* Idem patet ex omnibus Concilijs,& perpetuo Eccleſię vſu.

Ratio. Ratio eſt;Quia in omni Republica benè conſtituta eſt poteſtas puniendi contumaces , eoſque in exilium mittendi & priuandi priuilegijs bonisque communibus Reipublicę : ergo etiam in Ec-

cleſiâ, quæ perfectiſſimæ Reipublicæ formam habet, debet eſſe hęc poteſtas quâ extra Eccleſiam, veluti in exilium, rebelles mittantur; & Sacramentis, ſuffragijſque ſpiritalibus, tanquam communibus Eccleſię bonis, priuentur. Vnde etiamſi poteſtas excommunicandi ſit iure diuino conceſſa, tamen, ſuppoſitâ Eccleſię fundatione, ratio naturalis poſtulat talem poteſtatem: vnde velut naturaliter ipſi Eccleſiæ competit.

DVBIVM II.

In quibus ſit hęc poteſtas.

13 Papa. REſpondeo: Primò, In Pontifice, qui eſt caput vniuerſalis Eccleſię. Huic conuenit iure diuino plenitudo huius poteſtatis, idque in omnia Eccleſię membra.

concilium Oecumenicum. Secundò, In Concilio OEcumenico eſt poteſtas Excommunicationis in omnes perſonas Eccleſię totius, prętерquam in Pontificem. Ratio eſt, quia poteſtas concilij OEcumenici eſt infra Pontificē, eique ſubiecta, oriturque iure gentium ex ſingulorum Epiſcoporum coitione & conſenſu.

prouincia le. Tertiò, In Synodo Prouinciali eſt poteſtas in totam Prouinciam, & in ſingulos Epiſcopos illius Prouinciæ.

Epiſcopus Quartò, In ſingulis Epiſcopis eſt ordinaria excommunicandi poteſtas in omnes ſuos ſubditos. Ratio eſt, quia quilibet Epiſcopus eſt ſuorum ſubditorum Iudex ordinarius in ſpiritualibus. Confirmatur: Matthæi 18. *Dic Eccleſiæ*, inquit Dominus, id eſt, Prælato ſeu Epiſcopo, qui Eccleſiam repræſentat; vt paſſim Patres & Doctores interpretantur.

Ab vno epiſcopo excommunicatus, cenſetur vbique excommunicatus. Notandum autem; Eum, qui ab vno Epiſcopo, vel alio Superiore immediato legitimè eſt excommunicatus, vitandum eſſe non ſolùm in illa diœceſi, ſed etiam in tota Eccleſiâ per vniuerſum orbem, vt patet ex Concilio Nicæno can. 5. *Seruetur*, inquit, *& iſta ſententia, vt hi, qui ab aliis excommunicantur, ab aliis ad cōmunionem non recipiātur*. Eſtque conſentaneum iuri diuino Matth. 18. v. 16. *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus*: vbi Dominus non limitat hoc ad certum locum, quia loquitur omnibus Fidelibus. Ratio eſt: quia, etſi multæ ſint diœceſes per orbem, Eccleſia tamen vna eſt, & conuenit vbique in omnibus ijs, quibus excommunicatus priuatur: ergo, ſi in vna diœceſi ſit excommunicatus, cenſeri debet excommunicatus in omnibus. Aduertè tamen, poſſe conſtitui per Pontificem ex plenitudine poteſtatis, vt is qui eſt excommunicatus ab Epiſcopo, tantùm vitari debeat in illâ diœceſi; vt docet Scotus diſt. 19. art. 5. Sed id non eſſet conſentaneum naturæ excommunicationis: nam non eſſet excommunicatio abſoluta, ſed ſolùm ſecundùm quid.

Prælati ſeu ſuperiores eccleſiaſtici. Quintò, Hæc poteſtas eſt in omnibus prælatis, ſeu Superioribus Eccleſiaſticis qui aliquam habent in foro exteriori iuriſdictionem. Hi enim omnes debent habere poteſtatem coactiuam, quæ potiſſimùm conſiſtit in excommunicatione.

14 Parochi nō poſſunt excommunicare. Parochi, etſi olim potuerint excommunicare in quibuſdam caſibus, vt in furto & rapina, vt patet ex D. Thoma hoc loco quæſt. 22. art. 1. nunc tamen non poſſunt: quia iſta conſuetudo iam paſſim eſt abolita; idque meritò, cùm non habeant cognitionem in cauſis fori exterioris. Si tamen alicubi habeant hanc conſuetudinem legitimè vſu captam, potuerunt excommunicare.

Laicus & Mulier non poſſunt excommunicare. Fortè tamen poſſet illis ex plenitudine poteſtatis Pontificiæ committi; quamuis hactenus non extet exemplum. Nec laicus, nec mulier.

DVBIVM III.

Vtrùm aliquis ſeipſum poſſit excommunicare?

15 Nec ſeipſum, nec parem poteſt excommunicare. REſpondeo: Nemo poteſt ſeipſum, nec parem excommunicare ſiue per ſententiā, ſiue per ſtatutum. Neque poteſt quiſpiam inferiori, aut pari ſe ſubijcere, vt ab illo excommunicetur, niſi ipſe officium deponat. Ratio eſt: Quia excommunicatio eſt actus iuriſdictionis coactiuę, quæ niſi in ſubditum exeri non poteſt. Cuius vlterior ratio eſt, quia nemo ſeipſum poteſt cogere, cùm coactio ſit contra voluntatem, ac proinde neceſſariò ab extrinſeco debeat prouenire. Vide Silueſtrum *excommunicatio* 1. num. 8. & 9. Hinc etiam fit, vt inferiori vel pari ſubijcere ſe non poſſit ad hunc effectum: quia ſicut non habet in ſeipſum poteſtatem coactiuam, ita nec alteri eam dare poteſt, niſi officio depoſito. Alia eſt ratio eius, qui ſubijcit ſe inferiori, vt abſoluatur à peccatis; quia non dat ei iuriſdictionem actiuam, qua ille abſoluit, ſed ſolùm ſe illi applicat materiam habenti iuriſdictionem actiuam à Chriſto.

cur quis ſe poſſit ſubijcere inferiori, vt abſoluatur, non vt excommunicetur.

DVBIVM. IV.

Vtrùm excommunicatus poſſit excommunicare?

16 Toleratus validè excommunicat. Item excommunicatus validè excommunicat alium. REſpondeo: Si eſt toleratus, id eſt, ſi non eſt denuntiatus, aut notorius Clerici percuſſor, validè excommunicat. Idem dicendum de eo, qui eſt ſuſpenſus ab officio, vel interdictus. Tenet Couar. in cap. Alma 1. par. §. 11. num. 4. Sotus diſt. 22. q. 2. art. 1. Nauarrus cap. 22. num. 7. & 8. & alij multi. Ratio eſt: quia quamdiu Eccleſia illum tolerat, non cenſetur illum priuare iuriſdictione; vnde ratam vult eius haberi ſententiam: idque ob multa incommoda, quæ alioqui naſcerentur. Verum tamen eſt, poſſe quem excipere contra talem ſententiam, quę exceptio illi proderit.

an talis excommunicatus peccet. Vtrùm autem talis peccet exercendo iuriſdictionem, dubium eſt. Nauarrus, Couarruuias, & quidam alij inſinuant non peccare: nam ob bonum commune Iura permittunt ei iuriſdictionis vſū, quamdiu toleratur; vt colligitur ex Cap. *Ad euitanda*. Quæ ſententia eſt probabilis, & meo iudicio certa, quando procedit ex officio, vel ad inſtantiam partis.

DVBIVM. V.

Vtrùm conſuetudo poſſit excommunicare?

17 Affirmatur REſpondeo: Poſſe, ſi ſit legitimè prę ſcripta: vt exempli gratia, ſi in aliqua diœceſi haberetur à Clero & populo excommunicatus, qui in Quadrageſimâ veſcitur carne, vel qui non communicat in Paſchate, etiamſi nunquam tale ſtatutum eſſet editum. Ratio eſt: quia talis conſuetudo habet vim legis; vt recte Nauarrus cap. 27. num. 7. idque, vel quia ipſa Reſpublica ſeruans iſtam conſuetudinem, inſtar legis, habet poteſtatem condendæ legis, vt fit in rebus humanis & Republicâ liberâ; vel quia Superior vult conſuetudinem vim legis habere.

Google

DVBIVM VI.

Quinam non possint excommunicari?

18 REspondeo: Nec infidelis, nec catechumenus, nec summus Pontifex, nec vniuersitas seu congregatio, nec mortuus excommunicari potest. De infideli, patet 1. ad Corinth. 5. v. 12. *Quid mihi de his qui foris sunt, iudicare?*

Infidelis.

De catechumeno patet: quia nondum subest potestati Ecclesiæ, sicut nec infideles. Nam per Baptismum illi primùm subijcitur. Ante baptismum non potest cogi ad fidem, vel aliquid fidei annexum. Vnde nõ est verum, quod ait Alphonsus à Castro lib. 1. de Iusta hæretic. punitione cap. 8. *Catechumenũ, si fiat hæreticus, posse puniri ab Ecclesiâ.* Dices: Ecclesia determinat catechumenis tempus suscipiẽdi baptismũ; quo præcepto obligantur sub mortali: ergo subsunt Ecclesiæ quoad potestatem directiuam, & consequenter quoad coactiuam. Respondeo: Non peccant, quòd faciant contra Ecclesiæ præceptum; sed quia instructi iám in fide tenentur iure diuino primo quoque tẽpore, quo Ecclesia illos admittit, baptismum suscipere.

Catechumenus.

Papa.

De Pontifice Probatur: quia, quamdiu manet Pontifex, est omnium superior in Spiritualibus, nec habere potest in terris in ijsdem superiorem.

Communitas.

De Congregatione patet: quia excommunicatio congregationis posset cõtinere intolerabilem errorem: nam etiamsi congregatio peccauit, tamen multi particulares in eâ possunt esse innocẽtes. Vnde, si is, qui est inferior Papâ, ferat talem excommunicationem, est irrita: Capit. *sancta Romana*, de sententia excommunicationis in 6. Si autem ipse Papa ferat, valet quidem, quia ipse Iure humano non est alligatus: sed innocentes eâ non ligantur corã Deo, quidquid dicat Siluester.

Mortuus.

De mortuis patet: quia non subsunt ampliùs potestati iudiciarię Ecclesiæ: Dominus enim ait, *quæcũque alligaueritis super terram* Matth. 18. non enim pertinent ampliùs ad Ecclesiam visibilem, cuius superior est Pontifex. Possunt tamen declarari excommunicati, vel etiam improprie excommunicari, dum priuantur sepulturâ Ecclesiasticâ, & interdicitur ne pro illis offeratur sacrificium.

DVBIVM VII.

Vtrùm quis possit alterum excommunicare extrà locum suæ iurisdictionis?

19 Episcopus extra suã diœcesim posit⁹, non potest suos subditos excommunicare.

REspondeo & Dico Primò: Episcopus positus extra suam Diœcesim, non potest excommunicare suos subditos. Patet Cap. *Vt animarum*, de Constitutionibus in 6. Ratio est: quia excommunicatio requirit cognitionem causæ & tribunal, quod Episcopus extra suam diœcesim non habet: imò nec Pontificalia extra eam obire potest sine consensu Ordinarij, vt habet Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 5.

Nisi ab ijs fit expuls⁹

Aduerte tamen: Si Episcopus à suis pulsus sit extra diœcesim, potest petitâ facultate ab Ordinario loci, etsi non obtentâ, exercere iurisdictionem; vt habetur Clementina 1. *de foro competenti.*

Potest ibidẽ eos absoluere.

Potest etiam absoluere subditum extra diœcesim sine strepitu iudicij & solemnitate.

20 Delinquẽs extra diœcesim.

Dico Secundò: Subditi, extra diœcesim delinquentes, non incurrunt excommunicationem illi delicto in diœcesi positam. Patet Cap. *Vt animarum*, suprà. Ratio est: quia statuta non obligant extra limites iurisdictionis sui Auctoris.

Delinquẽs in loco exempto.

Ob eandem causam, si subditi peccent in loco exempto à iurisdictione Episcopi, non incurrunt excommunicationem ab Episcopo latam in eos, qui tale crimen committunt: nam, vt Canonistæ docent, locus exemptus, & locus extra diœcesim æquiparantur. Vide Siluestrum *Excommunicatio* 2. num. 12.

Si redeat in diœcesim.

Notandum tamen Primò: Si is, qui deliquit extra diœcesim, redeat, & conueniatur coram suo Ordinario, posse ab illo excommunicari, nisi obediat.

21 Si cõmisso crimine, exeat in aliam diœcesim.

Notandum Secundò: Si subditus commisso furto, vel homicidio, vel simili crimine in diœcesi, exeat in aliam, posse excommunicari à suo Episcopo, nisi debitè satisfaciat; quia non solùm ratione personæ, sed etiam ratione delicti est ei subiectus. Et Confirmatur: quia cognitio huius criminis non pertinet ad Episcopum vel iudicem alterius Diœcesis: ergo pertinet ad proprium Episcopum illius Personæ. Si verò extraneus, commisso huiusmodi crimine in diœcesi, exeat, non potest excommunicari ab illo Episcopo, nisi ante egressionem sit citatus ab illo; vel certè nisi habeat ibi domicilium. Vide Siluestrum *Excommunicatio* 2. num. 20.

22 Si crimen cõpleatur in diœcesi à subdito posito extra diœcesim.

Notandum Tertiò, Quando delictum completur in diœcesi à subdito posito extra diœcesim, posse eum excommunicari ab Episcopo diœcesis. Sic Episcopus potest excommunicare Clericos non residentes, etiamsi ipsi extra diœcesim sint: nam peccatum non residendi completur in diœcesi circa rem ipsi subiectam. Pari ratione potest excommunicare Parochos, qui non veniunt ad Synodum diœcesanam; & subditos, qui citati non comparent, etiamsi procul absint. Vide Siluestrum suprà.

Parochi non venientes ad synodũ diœcesanã, & citati non comparentes.

CAPVT IV.

De causa Excommunicationis.

DVBIVM I.

Quale peccatum debèt esse, ob quod possit quispiam excõmunicari?

23 Ob veniale excommunicari, nequis.

REspondeo & Dico Primò: Neminem posse excommunicari ob peccatum veniale. Ratio est; quia hoc peccatum non meretur tantam pœnam. Excommunicatio enim est pœnarũ omniũ, quas Ecclesia potest inferre, grauissima. Vnde D. Augustinus lib. 1. contra Aduersarium legis & prophetarum cap. 17. ait: *Illud, quod ait,* (scilicet Dominus) *si nec Ecclesiam audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus, grauius est, quàm si gladio ferireturs, si flammis absumeretur, si feris subiiceretur.* Hinc colligitur optima regula: *Numquã incurſam esse aliquam excommunicationem, nisi quãdo peruẽtum est ad mortiferum.* Ex quâ regula multæ difficultates possunt solui.

Sed ob solã mortiferã cui adiuncta contumacia.

Dico Secundò: Non ob quamuis culpam mortiferam potest ferri excommunicatio; seb ob solam contumaciam: vt, si monitus nolit ab aliquo peccato mortifero desistere: si recusat restitutionem facere: si citatus à Superiore, nolit comparere: si sententiæ iudicis Ecclesiastici nolit parẽre. Colligitur hoc Matth. 18. vbi Dominus non vult fratrem peccantem statim tanquã Ethnicum haberi; sed, *Si Ecclesiam non audierit.* Et Apostolus ad Titum 3. v. 10. post primam & secundam admonitionem vult hæreticum hominem

by Google

deuitari.

24 Si habes iustam causam, vel nûc non es soluendo.

Notandum Primò: Si subditus habet iustam causam, aut certè non potest præstare quod iubetur, non est coram Deo excommunicatus: vt, si excommunicetur, qui non est soluendo, vel saltem non potest sine graui incommodo, nisi fortassis creditor esset in pari vel grauiori necessitate: tenetur tamen eo casu eâ partem soluere, quam potest. Quòd si non possit nunc, possit autem post aliquod tempus, tenetur tunc sub pœna eiusdem excommunicationis, modò permaneat idem iudex, quia adhuc durat vis illius sententiæ: secùs, si iudex sit depositus, vel mortuus. Vide Sotum dist. 22. qu. 1. ar. 2.

Si possis postea solucre.

25 Contumacia non eadem sufficit ad excommunicationem ab homine quæ à Iure leuiter excommunicans, peccat.

Notandum Secundò: In excommunicationibus à Iure, non requiri aliam contumaciam, quàm eam, qua facit contra Ius, quod passim notum est, sciens vel scire debens huiusmodi penam illi esse annexam. Secùs est de excommunicatione, quæ fertur in aliquos per modum sententiæ.

Notandum Tertiò: Concilium Trident. sess. 25. capite 3. *de Reformatione*, præcipere omnibus iudicibus ecclesiasticis, vt in causis ciuilibus non vtãtur excommunicatione, nisi alijs Iuris remedijs antè tentatis: neque etiam in criminalibus, si realis executio fieri potest. Vnde grauiter peccant, qui tam facilè homines ob debita excommunicant.

DVBIVM II.

An excõmunicatio lata contra innocentem secundùm allegata & probata, sit valida?

26 quidam existimant validam. Veri° negatur.

QVidam putant esse validam, eò quòd secundùm ordinem iuris lata sit. Ita Durandus dist. 18. q. 4. & alij, quos refert & sequitur Couarruuias in cap. *Alma*, 1. p. §. 11. num. 14.

Sed verius est, Non esse validam, quamuis ratione scandali publicè seruari debeat. Tenet Caietanus 2. 2. q. 7. ar. 4. Adrianus Quod l. 6. Gabriel dist. 18. q. 2. Petrus Soto lectione 3. *de Excõmunicatione*. Dominic° Soto dist. 22. qu. 1. art. 3 Probatur Primò: Quia talis sententia est iniusta: est enim condemnatio innocentis, & procedit ex falsa præsumptione: ergo non obligat. Probatur Secundò: Quia sententia iudicis est instar priuatæ cuiusdam legis: atqui lex intrinsecè iniusta, non est lex, sed tyrannis, vnde nec obligat: ergo &c. Probatur Tertiò: quia in iudicijs sæcularibus non tenetur quis obedire sententiæ, quæ falsæ præsũptioni innititur, nisi fortè ob scandalum. Deniq; non est credibile Ecclesiam velle innocentẽ priuari tantis bonis, scilicet Suffragijs, Sacramentis, &c. aut Deũ talé sententiã ratam habere: nõ enim hęc potestas est ad opprimendos innocentes, sed ad puniendos contumaces. *Vide lib. 3. de Iustit. & Iure c. 29. dub. 10. vbi latè deducitur, Iudicem non posse condemnare reum, qui per testes legitimè est probatus criminosus, quem tamen ipse iudex certò nouit innocentem.*

Innocens in publico celebrans non fit irregularis.

Hinc sequitur, Si talis celebret, etsi in publico, non fieri irregularem, quidquid dicant aliqui Canonistę. Ratio est: quia Sacerdos celebrando non violat censuram quâ reuerà non erat obstrictus. Cauere tamen debet scandalum. Priuatim potest celebrare sine scrupulo.

CAPVT V.

Quænam requirantur, vt excommunicatio sit valida, & vt incurratur?

SVppono, vt excommunicatio sit valida, requiri Primò: vt lata sit ab eo, qui habet iurisdictionem in alium, & vt ea iurisdictio non sit suspensa per denuntiationem alicuius censuræ, vel notoriam clerici percussionem. Secundò: vt sit lata ob culpam mortiferam externam, id est, prodeuntem in opus externum, quod secundùm se sit peccatum mortale. Sed est 27

DVBIVM I.

Vtrùm etiam requiratur aliqua monitio præcedens?

28 Monitio necessario præmittenda.

REspondeo; Vt Excommunicatio constet, debet antecedere aliqua monitio, vel iudicis, vel legis. Est communis sententia. Vide Couarruuiam 1. parte §. 9. Patet Matthęi 18 vbi Dominus docet, vt fratrem corripiamus, antequam excommunicetur. Ad Titum. 3. v. 10. *Hæreticum hominem post primam & secundam admonitionem deuita.* Idem patet ex Cap. *Contingit.* Cap. *Constitutionem*, & Cap. *Cùm medicinalis*, de sententia excommunicationis in 6. Ratio est: quia Excommunicatio solùm debet ferri contra contumaces. Contumax autem nemo censetur, nisi monitus persistat in scelere.

Debet esse commonitoria excõmunicatio nis.

Dico Secundò: Hæc Monitio debet fieri cum interminatione Excommunicationis. Ita recentiores. Et ratio est, quia alioqui non videtur contumax contra potestatem Ecclesiasticam, nisi contemnat eius minas.

qualis, si feratur excommunicatio à iure, vel generatim. ab homine.

Dico Tertiò: Quando Excommunicatio fertur à Iure, vel generatim ab homine, sufficit illa monitio, quam lex, vel præceptum Superioris secum defert. Ratio est: quia quiuis sciens illam legem, vel præceptum, satis monetur vt obtemperet.

29 qualis, si speciatim contra aliquos.

Dico Quartò: Quando speciatim contra aliquos fertur à Iudice excommunicatio, ordinariè Iure positiuo requiritur trina monitio, cum certo dierum interuallo. Patet ex tribus Capitulis citatis. Vbi

qualis, cõtra participantes cùm excommunicato.

Aduertè: vt valida sit Excommunicatio, sufficere vnam admonitionem, excepto eo casu, quando iudex fert excommunicationem contra illos, qui participant cum eo, quem ipse excommunicauit: tunc enim ita requiritur trina monitio contra participantes, vt sine ea excommunicatio contra eos lata sit irrita; vt patet Capitulo *Statuimus*, de sententia excommunicationis in 6. Idẽ dicendum si iis minetur sẽtentiã suspensionis vel interdicti ob illam participationem cum excommunicato; vt habetur Cap. *Statuimus*, de sententia excommunicationis in 6.

Pœna iudicis hic errantis.

Si autem iudex sine monitione canonica excommunicauit (id est, trinâ, cum interuallo) vel si absque præsentia idonearum personarum per quas possit probari, est suspensus per mensem ab ingressu Ecclesiæ: Cap. *Sacro*, de sententia excommunicationis. Item si absque scripto, vel non expressâ causâ: Cap. *Medicinalis*, eod. in 6.

Nisi periculum sit ianotã.

Si tamen causa sit valdè vrgens, & in mora sit periculum, v. g. si iudex sæcularis vellet plectere Clericum, sufficit vna monitio loco trinæ, etiam

abſque interuallo dierum; vt habetur Cap. *Conſtitutionem*, ſuprà; cuius monitionis formulam ponit Couarruuias §. 9. num. 4.

Dices: Matthæi 18. Dominus requirit trinam monitionem. Reſpondeo: Requirit trinam, non ſimpliciter, ſed vt cõuenienti ordine procedatur in correptione fratris; cuius crimen eſt occultũ.

30 Ex natura rei eſt neceſſaria aliqua monitio.

Dico Quintò: Aliqua ſaltem monitio ita videtur neceſſaria ex natura rei, vt nec Pontifex ſine ea poſſit validè excommunicare. Ita ſotus *De ſecreto*, memb. 2. q. 6. ad 2. & Petrus Soto lectione 3. *de Excommunicatione*. Victoria q. 6. *de Excõmunicatione*. Vide Couarruuiam §. 9. num. 5. & 6. Ratio eſt: quia nemo poteſt excommuniari, niſi ſit contumax contra poteſtatem eccleſiaſticam, Matth. 18. Atqui non cenſetur aliquis cõtumax, niſi monitus ſit vt reſipiſcat; & quidem tum minis: niſi enim minæ adhibeantur, non ſatis appareat an Superior ex tota poteſtate imperet.

Nõ poteſt ferri excõmunicatio merè ob peccatum præteritũ.

Vnde ſequitur contra Caietanum 2. 2. q. 69. ar. 2. non poſſe ferri excommunicationem ob peccatum præteritum, vt illud puniatur. Si enim id fieri poſſet, poſſet etiam excõmuniari is, quem pœnitet peccati, qui Deo eſt recõciliatus. Poteſt tamen ferri ob peccatum præteritum, ſi monitus nolit ab eo deſiſtere, aut reſtitutioné facere, aut ſcandalum tollere, quod ex eo peccato ortũ eſt. Sed hoc non eſt præcisè, vt peccatum præteritum puniatur, ſed vt ab illo deſiſtat, aut vt aliquid faciat quo effectum peccati tollat. Nec obſtat, quòd aliæ pœnæ poſſint infligi ob peccatũ præteritũ: præcisè vt illud puniatur: quia per alias pœnas non ejicitur homo extra cœtum fidelium, nec habetur vt Ethnicus & Publicanus: vnde infligi poſſunt, etiamſi pœnitentiam agas, ſiſque Deo recõciliatus. Similiter non obſtat, quòd plerique effectus excõmunicationis, vel etiam omnes, poſſint infligi ob peccatum præteritum, etiam ipſa interna ſuffragiorum priuatio; quia non poteſt ita extra Eccleſiam ejici; vt habeatur *tamquam Ethnicus & Publicanus*, in quo conſiſtit ſubſtantia excõmunicationis.

DVBIVM II.

Vtrùm, vt quis incurrat excommunicationem, requiratur etiam cognitio excommunicationis?

31 Si excommunicatio feratur ſub certa verborũ formula.

REſpondeo & Dico Primò, Quando excommunicatio fertur huiuſmodi verborum formulâ, *Qui ſcienter contra-fecerit*: vel, *qui præſumpſerit contrarium facere*: vel, *qui auſu temerario contrarium fecerit*; requiritur, vt quis ſciat, non ſolùm illud factum eſſe peccatũ, ſed etiam habere annexam excõmunicationem; alioquin eam non incurret. Ita Nauarrus num. 141. & 155. Ratio eſt: quia qui ignorat pœnam legi appoſitam, non cenſetur peculiari modo præſumere contra præceptum Superioris, aut ſciẽter cõtra facere, quod tamen lex illa requirit. Vnde ignorantia craſſa, ſiue ſit *Iuris* ſiue *facti*, excuſat ab hac excommunicatione; non tamen ea, quæ eſt affectata, quę dolo exæquatur.

32 Si feratur ſimpliciter.

Dico Secundò: Quando Excommunicatio fertur ſimpliciter ſine huiuſmodi verbis, non excuſat quidem ignorantia craſſa: excuſat tamen omnis alia ignorantia ſiue *Iuris* ſiue *facti*, etiãſi culpabilis ſit, & res ipſa per ſe ſit illicita.

Ignorãtia craſſa tũc non excuſat.

Quòd ignorantia craſſa excommunicationis non excuſet, eſt cõmunis ſententia DD. Et probatur; quia non excludit cõtumaciam contra poteſtatem Eccleſiaſticam: qui enim ex tali ignorãtia facit contra præceptum Eccleſiæ, habens annexam excommunicationem, interpretatiuè cẽſetur contumax: nam cenſetur quis ſcire, quod debebat, & facilè poterat ſcire.

Excuſat ignorãtia leuis.

Quòd verò ignorantia, quæ non eſt craſſa, excuſet, docẽt multi doctores; vt Dominicus Soto diſt. 22. q. 1. ar. 2. & diſt. 28. q. 1. art. 2. Silueſter verbo *Ignorantia*, q. 8. num. 14. Nauarrus cap. 23. num. 45. & cap. 27. num. 16 Caſtro lib. 2. *de lege pœnali*. cap. 14. & primò quidem de *ignorantia facti*. Probatur ex Cap. *Si verò*, 2. de Sententia excõmunicationis, vbi Alexander III. definit, eum, qui occiderit Clericum alentem comam, neſciens eſſe Clericum, non eſſe excommunicatum. Et ratio eſt, quia talis non cõmittit formaliter ſacrilegam Clerici percuſſionem, ob quam fertur excommunicatio; ſed ſolùm materialiter.

Seu ea ſi facti.

Seu Iuris

De ignorãtia vero Iuris. Probatur ex Cap. *Vt Animarum*, de Conſtitutionibus in 6. vbi Pontifex ait, *Sententijs per ſtatuta quorumcumque Ordinariorum prælatis ligari nolumus ignorantes, dum tamen illorum ignorantia craſſa non fuerit*. Et quamuis loquatur ibi de ſtatutis Ordinariorum, id eſt, epiſcoporum: tamen eſt eadem ratio de ſtatutis Pontificijs; vt rectè Docet Caſtro loco citato: nempe quia excõmunicatio non debet ferri, niſi in contumaces, quales illi ignorantes non ſunt. Et confirmatur: quia ob hanc cauſam *ignorantia facti* excuſat, ergo etiam *Iuris*: idque verum eſt, ſiue ignorantia ſit *antecedens* ſiue *concomitans*; quidquid dicat Couarruuias §. 10. num. 14. in Cap. *Alma*: quia etiam *ignorantia concomitans* occultat peccatori ipſam pœnam, ac proinde facit, vt non cenſeatur contumax contra poteſtatem, quæ eam infligit.

DVBIVM III.

Vtrùm incurratur excommunicatio, ſi alter appellet?

33 Si legitimè appellet ante latam ſententiam.

REſpondeo & Dico Primò: Si legitimè appellet ante excommunicationem latam, & poſteà nihilominùs excõmunicetur, eſt inualida. Patet cap. *Cùm per tuas*, de ſententia Excommunicationis. Ratio eſt: quia legitima appellatio eximit à iuriſdictione. Secùs verò, ſi nulla ſit cauſa appellandi.

Si poſt latam ſentẽtiam.

Dicò ſecundò: Si poſt excommunicationem à Iudice latam appelles, vt probes eſſe nullam, nihilominùs eſt valida; ac proinde es vitandus extra iudicium. Ratio eſt: quia alioquin omnis ſententia iudicis inferioris fruſtraretur ſuo effectu.

Si appelles poſt declarationem de incurſa excõmunicatione.

Dico Tertiò: Si appelles poſt declarationem, qua iudex ſolùm declarat te incurriſſe excõmunicationem, valida erit appellatio, & ſuſpendet effectum illius declarationis, ſic vt ob eam non debeas vitari. Ita nauarrus in Cap. *Cùm contingat*, in fine: & Couarru. §. 10. num. 4. & ſequẽtibus. Ratio eſt: quia hęc ſententia declaratoria ſimilis eſt alijs ſententijs definitiuis, à quibus licet appellare, ſic vt appellatio ea ſuſpendat.

CAPVT VI.

De vitandis Excommunicatis?

DVBIVM I.

Quo Iure ſint vitandi?

34 REſpondeo, Primò: Non Iure diuino, ſed humano ſunt vitandi; idque non ſolùm in

Vitandi sunt iure humano.

conuictu humano, sed etiam in diuinis. Ita Dominicus Soto dist. 22. q. 1. art. 1. & alij passim, præter Ioannem Maiorem, Driedonẽ, & Couarruuium in Cap. *Alma* 1. p. §. 1. num. 1. qui dicunt iure humano eos esse vitandos in conuictu ciuili, sed Iure diuino in Sacris.

Sed probatur nostra sententia: nam si hoc esset iuris diuini, quomodo Concilium Constantiense & Basilienſe sanxerunt, vt non teneamur euitare nisi sertos quosdã, nempe denuntiatos nominatim &c? Non enim possunt Concilia ius diuinum abolere. Secundò: Quia ius diuinum, præsertim negatiuum, etiam cum periculo mortis seruandũ est: atqui cum periculo mortis non tenemur vitare excommunicatos, ne in sacris quidem. Tertiò: Scriptura magis videtur loqui de conuictu ciuili, quàm de participatione in sacris: vt patet Matth. 18. v. 16. *Sit tibi sicut Ethnicus & publicanus*; cum his enim Iudæi non conuersabantur: & ad Titum 3. *Hæreticum hominem deuita*: & Epist. 2. Ioannis *nec ave ei dixeritis*: ergo non est ratio cur dicantur iure diuino vitandi in sacris, & non in humanis.

Dices: ex his locis Scripturæ videtur esse iuris diuini, vt etiam in conuictu ciuili euitentur.

Cur vitandi excommunicati.

Respondeo: Solùm significatur, quo loco excommunicatos habere debeamus; & eos exterius vitari debere, quando id necessarium est ad nostrum vel aliorum bonum; videlicet ne ab ipsis peruertamur, aut nostra consuetudine eos in cõtumacia foueamus, aut ne alios scandalizemus. Quando nihil horum metuitur, non est iuris diuini eos vitare. Adde ex testimonio Ioannis & Pauli ad Tit. 3. nihil aliud colligi, quàm esse præceptum Apostolicum; quod etiam testatur Fabianus Papa Cap. *Sicut Apostoli*, 11. qu. 3. in que Ecclesia ob causam potuit dispensare, & etiam illud ex parte abolere.

DVBIVM II.

Quinam de excommunicatis sint vitandi?

35

Solum vitandi denuntiati nominatim & notorij. clericorũ percussores.

REspondeo: Solùm duo genera excommunicatorum vitanda: nempe *denuntiatos nominatim, & notorios clericorum percussores*. Alios verò, etsi publicos, non tenemur vitare, ne in sacris quidem. Ita Dominicus Soto dist. 22. q. 1. a. 4. Caietanus verbo *Excommunicatio*, sub finẽ. Petrus Soto lectione 3. *de Excommunicatione*. Antoninus 3. p. tit. 25. cap. 3. Idem tenet Nauarrus c. 27. num. 35. vbi dicit esse probabile, sicut & Couarruuias §. 2. num. 7.

Martinus V. Conc. Cõstant.

Probatur: quia hoc expressè habetur in decreto Martini V. facto in Concilio Constantiensi, & ab omnibus acceptato, vt refert D. Antoninus suprà, apud quem vide ipsum decretum. Nec obCõc. Basil.

stat; quòd Concilium Basiliẽse, quod decem annis fuit posterius, restrinxerit hoc decretum ad eos, qui neque essent denuntiati, neque notoriè excõmunicati: quia praxis Ecclesiæ recepit decretum Martini V. nusquam enim vitantur excommunicati publici, si non sint denuntiati, exceptis percussoribus Clericorũ. Versantur enim Catholici cum ijs, quos passim constat esse hæreticos, qui tamen sunt publicè excõmunicati,

qui dicatur *publice excommunicatus.*

publicè enim excommunicatus dicitur, non solũ qui est denuntiatus, sed cuius crimen est publicum, cui crimini constat annexam esse excommunicationem.

Nominatim excõmunicatũ,

Hinc fit, vt etiamsi quis sit nominatim excommunicatus, non tamen denuntiatus, nõ necessariò sit vitandus: nam decretum requirit denũtiationem. Idem dico de eo; qui damnatus est hæreseos: quamdiu enim non denuntiatur esse excommunicatus, non est necessariò vitãdus; quidquid dicat Dominicus Soto dist. 22. q. 1. ar. 4. quia pœnæ sunt restringendæ.

non tamen denuntiatum, non vitabis.

DVBIVM III.

In quibus hi excommunicati, scilicet excommunicati denuntiati, & notorij percussores Clericorum, *sint vitandi?*

REspondeo: In ijs, quæ continentur hoc versiculo. 36

Os, Orare, vale, communio, Mensa, Negatur.

Primò: Per *Os*, prohibetur collocutio verbis vel litteris, osculum, amplexus, & alia amicitiæ signa huiusmodi. Neque excusatur iudex, qui excommunicauit; quia posità excõmunicatione hus vetat, cui etiam subiectus est.

Os.

Secundò: Per *Orare*, vetatur communicatio cum illis in orationibus publicis; vt sacrificio Missæ, Officio chori, Processionibus, & huiusmodi: similiter oratio publica pro illis fusa; non tamen oratio priuata.

Orare.

Tertiò: Per *vale*; prohibetur omnis salutatio, verbis, vel litteris, vel etiam externo gestu; vt aperire caput, assurgere animo salutandi: licet tamẽ resalutare, quia est debiti solutio, quam etiam inimico præstare debemus.

Vale.

Quartò: Per *Communio*, prohibetur omnis cõtractus & societas in negotijs. Possumus tamen agere cum famulo excõmunicato alterius, si gerat negotia Domini sui; non autem, si sua negotia gerat. Contractus tamen cum excommunicato sunt validi, potestque cogi ad soluendum; quamuis ipse alterum cogere non possit, cùm nõ possit esse actor.

Cõmunio.

Famulus excõmunicatus.

Quintò: Per *Mensam*, prohibemur manducare in eadem mensâ. In hospitio tamen publico possumus vti eâdem mensâ, modò non simul: item eodem cubiculo, non tamen lecto.

Mensa.

DVBIVM IV.

Quibus casibus præditi excommunicati non sint vitandi.

REspondeo: in Hisce: *Vtile, lex, humile, res ignorata, necesse.* 37

Primò: Per *Vtile*, intelligitur tum ipsius excõmunicati, nempe vt conuertatur; tum alterius, vt si petam ab eo consilium, quando non possum commodè ab alio: si petam debitum; si audiam prælectiones, si illi prælectionem faciam, hoc enim vtrumque licitum esse docent Doctores Salmanticenses & Complutenses, vt testatur Henriquez cap. 22. de Excommunicatione.

Vtile.

Secundò: per *Lex*, intelligitur vinculum matrimonij, quo coniuges ad mutuam communionem obligãtur, maximè in petitione & redditione debiti. In ceteris vxor cum viro excommunicato potest communicare, etiam in diuinis, si opus sit; quia ei subiecta: vir tamen cum vxore excommunicata non potest in ceteris communicare, saltem ad longum tempus: nam, cùm sit eius Superior, potest eam cogere, vt absoluatur.

Lex.

Si alter coniugum sit excommunicatus

Tertiò: Per *Humile*, intelligitur seruos & famulos, qui nempe ante excommunicationem famuli erant, posse versari cum dominis excommunicatis, & filios cum parentibus, & Religio- 38

Humile. Si famulus, filius, ſubditus.

ſos cum ſuis Superioribus: & e conuerſo Dominos cum ſeruis excõmunicatis, & parẽtes cum filijs, quidquid dicat Gloſſa; idq; ratione vtilitatis, vel neceſſitatis. Tenentur tamen eos compellere ad quærendam abſolutionem.

Res ignorata.

Quartò: per *Res ignorata*, excuſantur, qui ignorant alterum eſſe excommunicatum. Similiter qui dubitant. Pari ratione excuſantur qui ignorant ius, quo ſtatuitur excommunicatos vitari debere.

Neceſſe.

Quintò: Per *Neceſſe*, intelligitur vera neceſſitas vel indigẽtia ſiue mea, ſiue Excommunicati: ſic medicus poteſt curare excommunicatum, & tabernarius recipere hoſpitio.

Notandum eſt, ratione *Vtilitatis*, vel *Rei ignoratæ*, vel *Neceſſitatis*, licere etiam in Diuinis cõmunicare cum excommunicato, quando ſic res poſtulat; quod etiam recẽtiores non improbabiliter extendunt ad *lex & humile*.

DVBIVM. V.

Vtrùm ipſi excommunicati ſemper teneantur vitare alios?

39 Excõmunicati etiã occulti, debent vitare alios.

REſpondeo: Teneri, ſiue publicè, ſiue occultè ſint excommunicati: exceptis duobus caſibus, nempe ſi inducantur ab alijs, idque potiſſimum in vtilitatem eorum à quibus inducuntur; & ad vitandum ſcandalum, vel notabile dãnum animæ, corporis, famæ, fortunarum.

Prior Pars Probatur: Quia expreſſè in decreto Concilij Conſtantienſis dicitur: *Per hæc tamen non intendimus excõmunicatis vllum ius concedere, aut eos in aliquo ſublenare.* Ratio eſt: Quia totum hoc decretum eſt in fauorem aliorum. Vnde peccant excommunicati, etiam occulti, ſi cum alijs verſentur, contrahant, comedant, &c. niſi fortè ab illis ſint inuitati. Vide Nauarrum num. 35. §. *Nota* 2.

Niſi ab alijs inuitentur.

Altera pars, & quidem Primò, Poſſe verſari quando inuitantur: Probatur, quia alioqui non cenſeretur eſſe priuilegium vllum cõceſſum non excommunicatis, ſi excommunicati non poſſent cum ipſis, quandò inuitantur, verſari: nam alij non poſſent illos inuitare, ſeu inducere. Secundò: Quòd ratione ſcandali & damni euitandi, poſſint cum alijs verſari: Probatur, Nam ob hanc cauſſam licet etiam dimidiatam facere confeſſionem, cuius tamen integritas iure Diuino præcipitur: ergo multò magis licebit illis verſari cum alijs. Deinde iure naturæ tenemur vitare ſcandalum: excommunicati autem ſolùm iure humano tenentur aliorum conſuetudine abſtinere: ergo quando hæc duo iura concurrent, cedet humanum.

Vel vt dãnum euitent.

Quòd ad damnum attinet, Eccleſia non vult ſua præcepta cum tanto rigore ſeruari; vt patet in alijs eius præceptis: imò id non eſſet humanæ fragilitati conſentaneum.

DVBIVM. VI.

Quale peccatum ſit verſari cum excommunicato; vel excommunicatum verſari cum alijs.

40 Mortiferè peccatur.

REſpondeo: In quibuſdam caſibus eſt mortiferum, in alijs eſt veniale.

Mortiferum eſt in diuinis: vt ſimul cum eo intereſſe officijs diuinis; recipere ab eo, vel ei miniſtrare Sacramenta. Ratio eſt, quia hæc communicatio cenſetur magni momenti, eamque directè & potiſſimùm Eccleſia prohibet.

1. Si communicesin diuinis.

Si cum alio priuatim dicat Horas Canonicas, non eſt mortiferũ, quia eſt materia leuis, & Cap. *Alma*, videtur loqui de officio publico.

Excipe priuatam lectionem Horarum.

Si tempore Officij diuini excommunicatus ingrediatur, ſimul vt diuinis intereſit, debet ejici. Quòd ſi ejici non poteſt, & Sacerdos nondũ peruenit ad Canonem, abrumpendum eſt ſacrificiũ. Quòd ſi Canon eſt inceptus, continuandum eſt, ſed alij debẽt egredi præter miniſtrũ. Vide Nauarrum num. 33. Si verò ingrediatur, non vt diuinis intereſit, ſed vt priuatim oret, non eſt ceſſandum, nec alij debent egredi. Pari modo, ſi ipſe in vno ſacello audiat Sacrum, & ego interim alteri Sacro in alio ſacello, non cenſeor cum illo communicare.

quid agendum, ſi excommunicatus intret templum ſub diuino officio.

Secundo: peccat mortiferè excommunicatus denuntiatus, vel notorius Clerici percurſor, ſi ferat ſententiam, ſi eligat, aut beneficium conferat, quia abſolutè eſt ſuſpenſus.

2. Si ferat ſententiã &c.

Tertiò: ſi ita verſeris cum excommunicato, vt ille foueatur in ſua contumacia, peccas mortiferè.

3. Si foueas in contumacia.

Quartò: Si contra præceptum Iudicis verſeris cum excommunicato à Iure, vel ab alio Iudice, & denuntiato, prohibentis hoc ſub pœna excommunicationis: tunc enim, ſi verſeris cum illo, incurres excommunicationem maiorem.

4. Si cõtra præceptũ iudicis.

In alijs caſibus, quia ſunt minoris momenti, eſt peccatum veniale. Maius tamen peccatum eſt, ſi excommunicatus verſetur cum alijs, quàm ſi alij cum ipſo: nã ipſi hoc prohibitum eſt ob propriũ delictum; alijs autem prohibitum eſt verſari cum ipſo, ad delictum ipſius puniendum.

41 quibus caſibus peccetur venialiter.

Dico Secundò: Ob metum mortis licitum eſt verſari cum excommunicato; etiam in diuinis, modò id non cogaris facere in contẽptum Eccleſiæ. Vide Couarru. §. 3. nu. 9. Probatur: Quia hoc commune eſt omnibus legibus humanis, vt niſi aliunde grauitas rei ex ſe aliud poſtulet, non obligent cum periculo mortis: non enim conueniens eſt, vt cum tanto rigore humana præcepta obligent. Neque obſtat cap. *Sacris*, de his quę vi metuſue cauſa fiunt, &c. vbi expreſsè dicit Innocẽtius III. eum incurrere excommunicationẽ, *qui metu impulſus communicat excommunicato*; quia loquitur de eo, qui compellitur leui metu.

42 Metumortis licitè ages cum excommunicato.

Quòd ſi quis graui metu compellatur in contemptum Eccleſiæ, peccat quidem mortiferè ſi obtemperet (quia facit cõtra legem diuinam naturalem,) non tamen incurrit excommunicationem. Sic ſi excommunicatus compellatur ſacrificare, non fiet irregularis. Ratio eſt; quia leges Eccleſiæ ceſſant in hoc periculo.

Cõpulſus ſacrificare non fis irregularis.

DVBIVM VII.

Qualem excommunicationem incurrit participans?

43 Participãs incurrit maiorem excõmunicationẽ triplicitèr

REſpondeo: Plerumque incurrit minorem tantùm. In quibuſdam tamen caſibus incurrit maiorem: Primò: Si participet cum excommunicato denuntiato in crimine, ob quòd fuit excommunicatus: vt ſi ſis excommunicatus ob adulterium vel fornicationem, perſona quæ tecum poſteà committet adulterium vel fornicationem, erit excommunicata: vel ſi tibi auxiliũ, conſilium aut fauorem præſtet ad illud peccatũ: vt habetur Cap. *Nuper*. & Cap. *Si Concubinæ*, de ſententia excommunicationis.

Digitized by Google

Notàndum autem; non extendi hoc ad eum, qui participat cum notorio percussore Clerici, si hic non sit denuntiatus: quia Canones prædicti requirunt denuntiationem.

Secundò: Quando clericus admittit ad diuina officia eum, qui est excommunicatus & denuntiatus à Pontifice: cap. *significasti*, de sententia excommunicationis.

Tertiò: Quando fertur excommunicatio in participantes cum eo, qui excommunicatus est à iure, vel à Iudice alterius tribunalis: tunc enim qui participant cum illo, statim sunt excommunicati.

Dixi *à Iudice alterius Tribunalis*, quia si quis ferat excommunicationem in participantes cum eo, qui excommunicatus est à se vel à suo decessore, requiritur vt trina monitio præcedat, & vt nominatim exprimantur illi participates, vt suprà num. 29. dictum est. Vide Nauarrum c. 29. num. 4.

CAPVT VII.

De absolutione ab excommunicatione?

44 *Absolutio triplex.* 1. Simpliciter. 2. Ad cautelam. 3. Ad Reincidentiã

NOtandum est: Triplicem esse absolutionem. Primò: quædam datur *simpliciter*. Secundò: quædam datur *ad cautelam*, nempe quando dubium est, vtrùm quis sit excommunicatus. Quicumq; potest absoluere *simpliciter*, potest etiam *ad cautelam*; quia non requiritur maior potestas. Tertiò: quædam datur *ad reincidentiam*: vt cùm quis absoluitur cum onere, vt nisi intra tot dies satisfecerit, reincidat.

Excõmunicatio lata sub cõditione, hac positâ, tollitur per se

Quòd si excommunicatio lata sit sub conditione, vel cum limitatione donec satisfeceris, secuta satisfactione per se tollitur, nec opus est alia absolutione. Ratio est: quia implicitè simul fertur absolutio cum excommunicatione, quo modo eam ferri posse docet Couarruuias §. 11. n. 5. 6. 7. quid quid alij senserint.

DVBIVM I.

Quis possit absoluere ab excommunicatione minore?

45 Probabile est quemuis Sacerdotẽ posse.

REspondeo & dico Primò: probabile est à *Minori excommunicatione* posse absoluere illũ, qui potest absoluere à peccato, quo hæc excommunicatio contracta est. Tenet D. Thomas in *additionibus* quæst. 23. art. 3. & Nauarrus num. 39. multique recensiores. Vnde, si peccatum, quo incursa est, sit veniale, quilibet Sacerdos poterit absoluere.

Probabilis negatur.

Dico Secundò: Probabilius tamen est neminẽ posse ab ea absoluere, nisi qui habet iurisdictionem in peccata mortifera. Est communior sententia Doctorum. Ratio est: Quia excommunicatio minor est censura Ecclesiastica excludens à participatione Sacramentorum: ergo nemo potest eam tollere, nisi qui potest impedimenta Sacramentorum submouere: atqui hic est Sacerdos habens iurisdictionem ad absoluendum à mortiferis. Vide Couarruuiam §. 12. n. 5. & 6.

Dices: quilibet Sacerdos potest absoluere à veniali: atqui propter veniale hæc excommunicatio potest incurri: ergo. Patet consequentia, quia, qui potest tollere fundamentum, potest etiam tollere id quod ei innititur.

Respondeo: Hoc non semper esse verum; vt patet in alijs peccatis mortiferis, à quibus potest quilibet confessarius expositus absoluere quamdiu eis non est annexa censura: quando verò hęc annexa est, non potest: vel etsi possit ab ipsis peccatis, non tamen à censura annexa, vt à suspensione, interdicto, irregularitate.

DVBIVM II.

Quis possit à maiore absoluere?

46 Si in particulari lata est ab homine.

REspondeo: & Dico Primò: *A maiore excommunicatione* lata ab homine in particulari contra alium, non potest absoluere, nisi is, qui eam tulit, vel eius superior, aut successor, aut delegatus. Ratio est: quia alioqui disciplina ecclesiastica turbaretur: consentaneum est enim, vt is soluat, qui ligauit.

In foro conscientiæ.

Aduerte tamen; bon intelligendum esse in foro externo: nam in foro conscientiæ interdum ob iustam causam absolui potest is, qui à iudice est nominatim excommunicatus: vt, si instet Iũbileum, & ille non possit adire iudicem; vel iudex nolit illum absoluere, cùm tamen paratus sit præstare id quod potest. Vide Angelum *Absolutio* 3. n. 9. In quibusdam casibus is qui excommunicauit, non potest absoluere, quos vide apud Nauar. c. 27. n. 40.

47 Si à Iure vel generaliter lata ab homine

Dico Secundò: Ab excommunicatione, quæ à iure, vel ab homine generaliter lata est, si specialim non reseruetur, potest absoluere quiuis Sacerdos, qui potest à peccatis mortiferis. Ratio est; quia hoc ipso, quo non reseruatur Papę, vel Episcopo, censetur Ius dare commissionem omnibus Sacerdotibus peccatorum confessiones audientibus, siue sint Parochi, siue delegati Parochorũ, siue Religiosi. Vide Couar. §. 12. nu. 4.

DVBIVM III.

Quando inferior possit absoluere ab excommunicatione reseruata Superiori?

48 Potest in articulo mortis, quiuis sacerdos.

REspondeo & Dico Primò: In articulo mortis quilibet Sacerdos potest absoluere ab omni excommunicatione, adhibitâ tamen debitâ cautione. Patet ex Concilio Trident. sess. 14. c. 7.

Dixi, *Adhibita cautione*: quia infirmus debet promittere, quòd, si conualescat, se præsentabit illi, cui erat reseruata, eiusque mandatis parebit; alioquin reincidet.

Petes: Si in articulo mortis adsit tantummodò Clericus non Sacerdos, vtrùm possit moribundũ ab excommunicatione absoluere?

Idem potest clericus non Sacerdos.

Respondeo: Valdè probabile est, Posse: quidquid dicat Sotus & Nauarrus. Ita tenet Glosla in Cap. *à nobis*, de Sententia excommunicationis. Panormitanus, & Felinus ibidem. Angelus Verbo *Absoluto* 3. §. 17. Siluester, *Absolutio*, 1. nu 8. qui dicunt etiam Laicum posse. Quod tamen non videtur verum; quia non est capax iurisdictionis spiritualis.

Non tamẽ laicus.

Potest clericus primæ Tonsuræ.

De Clerico tamen, etiam primæ Tonsuræ, est valdè probabile. Probatur Primò: Quia in articulo mortis Ecclesia concedit potestatem absoluendi à peccatis omni ei, qui est capax huius potestatis, id est, omni Sacerdoti: Ergo similiter cẽsetur cõcedere potestatem absoluendi ab excommunicatione omni ei, qui est capax hui⁹ potestatis: atqui omnis Clericus Primæ Tonsurę est capax huius potestatis. Secũdò: Hæreticus Sacerdos

in eo casu

in eo caſu poteſt abſoluere a peccatis: ergo multo magis quiuis Clericus Catholicus poterit à cenſuris; præſertim cùm hoc illi moribundo multùm proſit, tum vt non deſperet, tum vt pro eo poſſit fieri publica oratio, & concedi ſacra ſepultura.

49

Dico Secundò: Ex priuilegio ſerpetuo, vel temporaria delegatione, poteſt inferior abſoluere ab excommunicatione reſeruata. Vbi

Epiſcoporum priuilegia circa cenſuras Papæ reſeruatas.

Notandum eſt: Epiſcopis amplißimam eſſe conceſſam poteſtatem à Concilio Tridentino ſeſſ. 14. cap. 6: *de Reformatione* circa excommunicationes & cenſuras alias Pontifici reſeruatas. Primò: Vt Epiſcopus per ſe; vel per Vicarium poſſit abſoluere ab omni excommunicatione reſeruata Papæ, quæ proueniat ex delicto occulto. (Dicitur autem *delictum occultum*, quod non eſt notorium, etiamſi quinque teſtibus probari poſſit; vt rectè Siluester Verbo *Notorium*, 3. quæſt. 4. qui id probat ex iure; Præterea; Si deductum eſt ad forum externum, ſed quia probatum non eſt, reus eſt abſolutus; hoc euentu ceſſetur occultum. Ita DD. multi Salmaticenſes, vt refert Vizaldus de excommunicatione nu. 41. itaque Epiſcopus poterit abſoluere.) Ab hæreſi tamen non poſſit Epiſcopus abſoluere, niſi per ſeipſum. Probabile tamen eſt, quòd Epiſcopus per ſpeciale mandatum poſſit eam abſolutionem alteri committere: quod enim per ſpeciale mandatum quis facit, cenſetur facere per ſeipſum.

An huic priuilegio deroget Bulla Cœnæ.

Vtrùm autem huic priuilegio derogatum ſit per Bullam Cœnæ, dubium eſt. Valde probabile eſt non eſſe derogatum: quia Concilio Oecumenico recenti non cenſetur fieri derogatio per clauſulã generalem; ſed debet fieri expreſſa eius mentio. Ita plerique Theologi in Hiſpaniã. Nuper tamen Congregatio Cardinalium reſpondit in hæc verba: *Epiſcopus aut Inquiſitor abſoluere non poteſt hominem hæreticum in foro conſcientiæ, licet hæc facultas à Concilio ſit ipſi tradita.*

Reſponſũ Cardinalium.

Secundò: Concedit Concilium, vt Epiſcopus poſſit diſpenſare in occulta ſuſpenſione & irregularitate ex delicto occulto proueniente; exceptâ eâ, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentioſum.

Duo hic notanda.

Circa quæ duo priuilegia, duo ſunt notanda: Alterum eſt, Epiſcopum non poſſe abſoluere à cenſurâ Papæ reſeruatâ, quæ proueniat ex delicto notorio, etiamſi illa cenſura non ſit denuntiata. Ratio eſt, quia hoc à Concilio non conceditur. Tale enim delictum non eſt caſus occultus. Alterum eſt: Si crimen erat occultum, tamen iam ſit deductum ad forum contentioſum, id eſt; ad Tribunal iudicis ſæcularis vel eccleſiaſtici, non poſſe Epiſcopum ab eo abſoluere. Tunc autem dicitur *deductum ad forum contentioſum*, quando iuridicè delatum eſt ad iudicem, & delatio eſt inſinuata parti.

50

Si ſuperior adiri nequeat abſoluet inferior.

Dico Tertiò: Inferior poteſt abſoluere à cenſura ſuperiori reſeruata, quando pœnitens habet legitimum impedimentum adeundi Superiorem: v. g. ob morbum, ſenium, ſexum, pericula; tunc enim poteſt abſolui ab Epiſcopo, ſic tamen vt ceſſante impedimento promittat ſeſe ſtiturum Papæ vel Superiori, alioquin relapſurus in eandem cenſuram. Similiter, ſi Epiſcopo reſeruatur, poteſt abſolui à Parocho. Vide Nauarrum c. 27. n. 89.

Petes: Vtrùm abſolutio extorta valeat?

Reſpondeo: Si metu, vel vi extorta ſit, Iure poſitiuo eſt irrita: & ſic extorquens incurrit nouam excommunicationem. Nauarrus nu. 125.

51

Abſolutio vi extorta non valet.

DVBIVM IV.

Quænam eſt forma abſoluendi ab excommunicatione?

52

Reſpondeo: Forma ordinaria in foro conſcientiæ eſt: *Ego te abſoluo à vinculo excommunicationis, quam incurriſti ob talem N. cauſam: & reſtituo te ſacramentis Eccleſiæ, & communioni fidelium; in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.*

Sub quã cõditione poſſit dari hæc Abſolutio.

Notandum tamen, Etſi abſolutio poſſit dari ſub conditione præteritâ, aut præſenti, tamen ſub conditione futurâ non rectè datur; quia abſolutio non eſt pendens. Si tamen ſic detur, valet; vt rectè Couarruuias §. 11. nu. 6 & talis abſolutio ſortietur effectum impletâ conditione.

53

Duo ad abſolutionẽ requiſita.

Petes: Quænã requirantur, vt quis poſſit abſolui? Reſpondeo: Requiritur primò, Vt iuret ſe mandatis Eccleſiæ obtemperaturum. Ita couarruuias §. 11. n. 11. Item Nauarrus cap. 24. n. 11. Quod intellige in magnis criminibus iuxta Caietanũ Verbo *Abſolutio*. In quibus autem criminibus ſit hæc promiſſio exigenda, vide Nauarrum c. 26. n. 2. Requiritur Secundò: Vt ante abſolutionem ſatisfiat parti, vel detur ſufficiens cautio; vt patet Cap. *Solet* de Sententia excommunicationis in 6. Vide Nauarrum cap. 26. num. 7.

DVBIVM V.

Vtrùm abſolutio, non ſatisfacta parte, ſit irrita? v. g. Si ſis excommunicatus ob furtum, vel ob non ſolutas decimas, an abſolutio data ante reſtitutionem, vel ſolutionem, ſit valida?

54

Non ſatisfacta parte valet abſolutio.

Reſpondeo: Validam eſſe, ſiue detur ab eo, qui habet poteſtatem ordinariam, ſiue ab eo qui delegatam. Teneatur tamen abſoluens ad reſtitutionem, ſi inde ſequatur aliquod damnum parti: nam eſt cauſa damni. Vide Couarruuiam §. 11. num. 7. Ratio autem cur abſolutio valeat, eſt: quia ad eſſentiam abſolutionis non eſt neceſſarium, vt forma Iuris ſeruetur, etiamſi Pontifex in ſua commiſſione iuberet eam ſeruari. Nam illa forma non ponitur, vt conditio ſub qua detur poteſtas abſoluendi; ſed vt modus ſeruandus, vt legitimè fiat.

excipe caſum.

Secùs eſt, Si præſcribatur noua forma, quam ius non poſtulat, eaque ponatur tanquam conditio: tunc enim eâ non ſeruatâ, abſolutio erit irrita. Pari modo irrita erit, quãdo expreſſè dicitur eam non valere, niſi ſatisfacta parte, vel præſtita idonea cautione; ſicut in Bulla Cœnæ Gregorij XIII. & Sixti V. videmus.

Google

Neque ſi obeat officium Ordinum minorum.

Aduerte Secundò: Non fieri etiam irregularem, ſi obeat officium Ord. Minorum, etſi ſolemniter; quod eſt contra eundem Nauar. Ita tenet Antoninus. 3. p. tit. 28. c. 1. §. 1. citans Durandum, Aſtẽſis in Summa, & Veruecinus apud Silueſtrum V. *Irregularitas* n. 15. Ratio eſt: quia iſti Ordines ex communi Eccleſiæ conſuetudine ſolent paſſim à Laicis exerceri cum omni ſua ſolemnitate. Vnde quamuis in aliqua Eccleſia eſſet conſuetudo, vt à ſolis ordinatis obirentur, id non ſufficeret ad inducendam pœnam. Tertius modus eſt: Quando quis ſuſpenditur à certo & determinato ordine: v. g. à Pontificalibus. Hîc prohibetur vſus ordinis Pontificalis; vt confirmare, ordinare, benedicere calices, & alia huiuſmodi. Item prohibetur apparatus inſignium Pontificalium; vt vſus baculi, & mitræ, & pallij, & conſequenter prohibentur omnes actus cum huiuſmodi apparatu. Aduerte tamen, Si Epiſcopus cum pedo & mitra tũc caneret Miſſam, vel obiret aliud officium, quod non eſt proprium Epiſcopi, non fieret irregularis: vt rectè Siluеſter V. *Suſpenſio*, n. 5. eſtque communior ſententia contra Nauarrum hu. 163. cap. 27. Ratio eſt: quia ex violatione ſuſpenſionis non incurritur irregularitas, niſi propter exercitium ordinis prohibiti: atqui per talem ſuſpenſionem ſolùm prohibentur actus proprij ordini Epiſcopali; actus autem ſacerdotij non prohibentur, ſed ſolùm ſolemnitas in illis. Quòd ſi obiret actum proprium ordini Epiſcopali, ſiue id fieret cum ſolemnitate, ſiue non, fieret irregularis: nam talis actus per ſe prohibetur.

3. Suſpenſus à certo Ordine.

Epiſcopus ſic ſuſpenſus, non fit irregularis ſi cana miſſam cum pedo & mitra.

Duæ regulæ circa hanc Suſpenſionem

Notandę autem hîc ſunt duæ Regulæ: Prior eſt, *Suſpenſus ab exercitio ordinis inferioris, cenſetur etiã ſuſpenſus ab exercitio ordinis ſuperioris.* Quod tamen ſic intelligendum eſt; vt, ſi ordinem ſuperiorem obeat, peccet quidem, non tamen fiat irregularis, eò quòd directè ab illo ſuſpenſus non ſit, ſed ſolùm ob indecentiam. Eſt communis ſententia Doctorum. Vide Siluеſtrum Verbo *Suſpenſio*, num. 5. Ex quo ſequitur, eum, qui ſuſpenſus eſt à Subdiaconatu, eſſe quidem ex conſequenti ſuſpẽſum à recipiendo ordine Diaconatus, vel Sacerdotij, non tamen ita vt fiat irregularis, ſi contra fecerit; quod eſt contra Couarruuiam p. 2. §. 3. n. 5. in Cap. *Alma*: nam aſcendendo ad ſuperiorem, exercet quidem actum ſuperioris, à quo erat indirectè ſuſpenſus, ſed non exercet actum Subdiaconatus, à quo ſolo erat ſuſpenſus directè, quamuis enim compareat cum indumentis Subdiaconi, non tamen exercet munus Subdiaconi. Adde, quòd ſuſpenſio propriè ſit ab exercitio ordinis ſuſcepti, non autem à receptione noui Ordinis, niſi indirectè, & ob quandam decentiam.

Subdiaconus ſuſpenſus non fit irregularis ſuſcipiẽdo Diaconatum.

Secunda Regula: *Suſpenſus ab Ordine Superiori, non cenſetur idcircò ſuſpenſus ab inferioribus.* Ratio eſt, quia qui prohibet maius, non idcircò prohibet minus, Vide Siluеſtrum loco citato.

4. ſuſpẽſ. à collatione Ordinũ

Quartus modus: Quando quis ſuſpenditur à collatione Ordinum, prohibetur conferre quemuis Ordinem ſiue maiorem, ſiue minorem: non tamen primam Tonſuram, quia non eſt Ordo.

5. Suſpenſus à collatione certi Ordinis.

Quintus à collatione certi Ordinis: v. g. Preſbyterij, vel Diaconatus. Vbi nota: Etſi Epiſcopus ſuſpendatur à collatione Diaconatus, non idcircò cenſetur ſuſpenſus à collatione Presbyteratus, quidquid dicat Siluеſter, & alij quidam. Ratio eſt: quia ſunt diuerſę functiones vnius Ordinis, quarum vna non eſt annexa alteri. Eſt enim recepta regula quod *ſuſpenſus ab aliqua actione determinata vnius Ordinis, non cenſeatur ſuſpenſus ab aliis functionibus, quæ illi non ſunt annexæ*: vt ſuſpenſus à celebratione Miſſę, non cenſetur ſuſpenſus ab officio audiendę confeſſionis; vt rectè Nauarrus num. 159. Sextus modus; Quo quis ſuſpenditur à iuriſdictione. Hîc non prohibentur actus Ordinis, ſed tantùm nudæ iuriſdictionis: Nauarrus 160. Septimus: Quo quis ſuſpenditur ab officio generatim. Vbi prohibetur omnis actus ordinis & iuriſdictionis, idque vbique. Siluеſter Verbo *ſuſpenſio*, num. 5.

6. ſuſpẽs. à iuriſdictione.

7. Ab officio generatim.

Octauus: A Beneficio, vel à Beneficijs. Vbi prohibentur fructus beneficiorum; non tamen quotidianæ diſtributiones, quæ dantur ratione officij abſq; reſpectu adbeneficium. Siluеſter V. *ſuſpenſio*, nu. 5. Vbi aduerte iuxta communem ſententiã Canoniſtarum, eum qui ſuſpenſus eſt à beneficio ob delictum, poſſe accipere ex fructibus beneficij (ſi aliunde non habet) quantũ ei opus eſt ad ſimplicem ſuſtentationem. Qui verò ob contumaciã ſuſpenſus eſt, nihil omnino poſſe accipere ex fructibus illis: vide Panormitanum in Cap. *Paſtoralis*, de Electione. Pet. tamen Nauarra lib. 2. c. 2. d. 4. probabiliter tenet neutrum eſſe priuatum fructibus ante ſentẽtiam, modò officium præſtet. Et ratio eſt: quia hoc nuſquàm exprimitur in canonibus, quòd ſint priuati ipſo facto. Habet tamẽ ſuſpenſio eam vim, vt poſſint ei fructus negari, quamuis officium præſtet.

8. A Beneficio.

An ſic ſuſpenſus priuatur fructibus ipſo facto?

9. Adminiſtratione temporali & ſpirituali.

Nonus modus: quo quis priuatur ab adminiſtratione temporali & ſpirituali. *Adminiſtratio temporalis* eſt, quia quis poteſt agere in iudicio de iuribus & poſſeſſionibus beneficij. *Adminiſtratio ſpiritualis*, quâ adminiſtrantur alijs Sacramenta, vel exercetur iuriſdictio. Vnde qui ſic ſuſpenſus eſt; poteſt celebrare Miſſam, non tamen poteſt alicui ſubminiſtrare Sacramentum.

10. A collatione ſacramentorum.

Decimus: A collatione Sacramentorum: nempe, quæ fit tanquam ex officio. Vnde ſi ſolemniter baptizet, qui ſic ſuſpenſus eſt, fit irregularis, non autem ſi abſq; ſolemnitate. Item ſi aliquod aliud Sacramentum conferat. Nam cætera omnia cenſentur conferri ex officio, ſeu cum ſolemnitate.

11. Ab ingreſſu eccleſiæ.

Vndecimus modus: Quo quis ſuſpenditur ab ingreſſu Eccleſiæ. Hîc prohibetur Primò: Exercitium ſolemne cuiuſuis Ordinis intra Eccleſiam, ita vt ſi intra eam celebret, vel abſoluat: cantet Epiſtolam, &c. fiat irregularis. Extra tamen Eccleſiam, v. g. in Oratorio priuato, poteſt celebrare, & alios actus Ordinum ſubire, iuxta communem ſententiam; quia Canon ſolùm loquitur de Eccleſiâ. Secundò: Prohibetur ei, ne audiat diuina Officia in Eccleſia. Extra tempus tamen diuini Officij poteſt orare in Eccleſiâ, & percipere ſacramentum Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ. Tertiò: Prohibetur Eccleſiaſtica ſepultura: tam in cœmiterio, quàm in Eccleſia.

CAPVT. III.

Quibus modis ſuſpenſio ipſa ſuſpendatur, ſeu, impediatur, ita vt effectum non habeat?

An quid ſit *cenſuram ſuſpendi.*

NOtandum eſt: Cenſuram ſuſpendi, quando remanente ipſius cenſuræ ſubſtantiâ effectus eius ad tempus impeditur, ſic vt ſi quis tunc celebret, neque irregularis fiat, neque peccet.

Reſpondeo & Dico Primò: Appellatio, quæ precedit ſententiam ſuſpenſionis, communiter irritam & nullam reddit ipſam ſuſpenſionẽ. Ratio eſt: quia legitima appellatio aufert Iudici poteſtatem vlteriùs procedendi, idque ex iuris diſpoſitione: vt patet ex Cap. *Ad hæc* de Appellationibus,

Appellatio præcedens non tempersus pendit ſequentem ſententiã.

Dixi, *communiter*; quia appellatio non ſemper irritat ſententiam ſequentem; nempe quando iudici conceditur, vel iure, vel ſpeciali mandato, vt procedat *non obſtante*, vel, *poſtpoſita omni appellatione*; vt ſæpè videre eſt in Concilio Trident. Item quando appellatio nõ eſt probabilis: vt patet cap. *Ad noſtram*, de Appellationibus, vbi dicitur; *Remedium appellationis, quod iure introductum eſt ad ſublevandos innoxios, non debere in patrocinium improborum converti.*

Dico Secundò: Appellatio poſt ſententiam aliquando ſuſpendit, aliquando non ſuſpendit cenſuram ſuſpenſionis.

12 Appellatio ſubſequens ſubinde ſuſpendit cenſuram ſubinde non.

Non ſuſpendit, quando cenſura ſuſpenſionis erat ab ingreſſu Eccleſiæ, vel à diuinis officijs; vt habetur Cap. *Is cui*, de ſententia excommunicationis in 6. Præterea nullam ſuſpendit cenſuram ſuſpenſionis, quæ eſt in materia merè ſpiritali, vt ibidem docet Gloſſa communiter recepta. Ratio eſſe poteſt; quia officia illa ſpiritalia quotidie ferè obeuntur; vnde par erat, vt cenſura, qua illa prohibentur, ſtatim vim ſuam haberet; nec poſſet per appellationem ſuperuenientem impediri. Confirmatur: quia alioqui vix vnquam poſſet ad ſententiæ executionem peruenirì.

Suſpendit autem Appellatio ſuperueniens ipſam cenſuram ſuſpenſionis, quando cenſura verſatur in materia merè temporali; vt, ſi ſuſpenſus ſis per iudicem à fructibus beneficij, & appelles poſt ſententiam, poteris fructus percipere. Pari modo ſi ſis ſuſpenſus à beneficio: nam ſuſpenſio à beneficio non ſuſpendit à titulo, qui eſt ſpiritalis, ſed à fructibus, qui ſunt res temporalis. Vnde talis ſuſpenſio non cenſetur eſſe à re ſpiritali, ſed à temporali, vel mixtâ, quæ non comprehenditur Cap. *Is cui*. Ita docet Innocentius Cap. *Ad hæc*, & Panormitanus ibidem. Pari modo ſuſpenſio à Pontificalibus ſuſpenditur per appellationem ſequẽtem, iuxta Panormitanum ſuprà; quod eſt probabile, nam hæc ſuſpenſio eſt mixta.

13 Auctoritas Iudicis ſuſpendit cẽſuram ſuſpenſionis. Interim ? appellare potes.

Dico Tertiò: Auctoritate iudicis ſuſpendi poteſt non ſolùm cenſura interdicti perſonalis ob culpam propriam lata, ſed etiam cenſura ſuſpenſionis, Colligitur ex Cap. *Dilectus*, de Appellationibus.

Vbi Nota: Si interim, dum ita ſuſpenſa eſt cenſura per iudicem ad tempus, appellationem inſtituas, ſuſpendes vlteriùs ipſam ſuſpenſionem. Patet ex Cap. allato: v. g. Petrus ſuſpenſus eſt ab Ordinario à diuinis officijs, vel ab Ordine Sacerdotij: poſtea Ordinarius ob aliquam cauſam ſuſpendit ad triduum hanc cenſuram, conceſſa poteſtate, vt interim poſſit celebrare: ſi Petrus intra illud triduum appellet ad Pontificem, vel Legatũ, oſtenſurus ſuſpenſionem eſſe inualidam, manebit illa cenſura etiam poſt triduum ſuſpenſa, ita vt poſſit celebrare, donec cauſa fuerit per ſuperiorẽ definita. Ratio eſt: quia quando hæc appellatio fuit facta, cenſura non habebat ſuum vigorem, ſed erat ſuſpenſa; vnde appellatio in eã potuit vim habere: ſicut ſi quis ſub conditione eſſet ſuſpenſus, vel excommunicatus, ante cõditionis impletionem, cenſura non haberet ſuum effectum, vnde poſſet tunc appellare: ſecùs eſt, quando cõditio iam eſt impleta.

CAPVT IV.

De Abſolutione à ſuſpenſione?

DVBIVM I.

Quomodo tollatur ſuſpenſio?

14 REſpondeo: Quædam per ſe deſinere ſine vlla abſolutione: vt quæ cõſtitutæ ſunt ad terminum certi temporis, vel ad certam actionem, vel actionis ceſſationem. Tales ſunt, quę ponuntur *ad menſem, ad annum*: item, *donec ſatisfaciat, donec pœniteat, donec concubinam relinquat*, &c. Aliàs verò tolli per abſolutionem ſuperioris, vel delegati.

DVBIVM II.

Quis poſſit abſoluere à ſuſpenſione.

15 ſuſpenſum à Iure ad certum tẽpus, nemo abſoluat præterpapam.

DIco Primò: Si ſuſpenſio poſita ſit à Iure *ad certum tempus*, vel *donec ſatisfaciat, aut pœniteat*, nemo præter Papam poteſt ab eâ ante tempus præſcriptum abſoluere. Ratio eſt, quia hoc eſſet diſpenſare in Iure. Ius enim vult hunc ad illud tempus eſſe ſuſpenſum. Ita Gloſſa in Cap. *Cupientes*, de Electione, in 6. §. *Cæterum*, Silueſter Verbo *Suſpenſio*, num. 8.

excipe caſum.

Aduerte tamen, ſi talis ſuſpenſio eſſet occulta, poſſe tolli per Epiſcopum ex conceſſu Concilij Tridentini ſeſſ. 24. c. 6. vbi Epiſcopis dat facultatem diſpenſandi in omnibus irregularitatibus & ſuſpenſionibus ex delicto occulto prouenientibus, neque vllas excipit. Tunc autem cẽſebitur diſpenſare in Iure ex poteſtate legiſlatoris ipſi conceſſâ: nam Concilium eſt approbatum à Papâ.

16 ſuſpenſum à Iure ſimpliciter abſoluat epiſcopus.

Dico Secundò: Omnis ſuſpenſio ſimpliciter, ſeu ſine determinatione temporis, ob delictum in iure lata, poteſt tolli ab Epiſcopo, niſi ſit expreſſè reſeruata. Eſt contra Nauarrum n. 162. ſed eſt communior ſententia Doctorum, vt fatetur Panormitanus in cap. 2. *De ſolutionibus*. Idem dicit Gloſſa in cap. *At ſi Clerici*, de Iudicijs. Ratio eſt: Nam hoc ipſo, quo non eſt reſeruata, cenſetur conceſſa; ſicut patet in excommunicationibus: eſt enim eadem ratio, cùm vtraque ſit cenſura.

excipe caſum.

Aduerte tamen, ſi ſuſpenſio ita ſit lata à iure, vt conditor Canonis ſignificet expreſſè, velle ſe in pœnam delicti illam eſſe perpetuam, vel ſine ſpe veniæ, non poſſe tolli per Epiſcopum, ſed per ſolũ Pontificem. Excipe tamen eam, quæ orta eſt ex delicto occulto, & nondum ad forum contentioſum deducto, à qua poteſt Epiſcopus abſoluere iuxta Concilium Tridentinum.

17 ſuſpenſum ab homine abſoluat ſuſpendẽs &c.

Dico Tertiò: Suſpenſio lata ab homine in particulari contra aliquem, non poteſt tolli, niſi ab eo, qui eam inflixit, vel eius ſucceſſore, vel ſuperiore. Patet ex cap. *Paſtoralis*, de Officio Ordinarij. Ratio eſt: quia alioquin diſciplina & iuriſdictio Eccleſiaſtica perturbaretur.

Forma abſoluendi à Suſpenſione.

Notandum pro concluſione huius materię: etſi in abſolutione non requirantur neceſſariò certa verba, ordinariè tamen his vtẽdum eſt *Abſoluo te à vinculo ſuſpenſionis, quam incurriſti ob talem cauſã; & reſtituo te executioni tuorum Ordinum, vel tui officij: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus S. Amen.* Vide Silueſtrum num. 8.

Digitized by Google

DE INTERDICTO

Diuiditur hæc materia in quinque Capita. Primum, *quid sit Interdictum & quotuplex.* Secundum, *De effectibus Interdicti qui, & quot sint.* Tertium, *De potestate Interdicti, eiusque obligatione.* Quartum, *De pœnis violantium Interdictum.* Quintum, *De Absolutione & suspensione interdicti.*

CAPVT I.

Quid sit Interdictum, & quotuplex?

DVBIVM I.

Quid sit interdictum, & quotuplex?

Differẽtia Interdicti ab excommunicatione & Suspensione.

1 REspondeo Primò: *Interdictum est censura Ecclesiastica, quâ absolutè prohibentur certa Sacramenta, officia diuina, & Ecclesiastica sepultura.* Differt autem multis modis ab Excommunicatione & Suspensione: nam non solùm Clerici interdicuntur, sed etiam Laici; nec solùm nocentes, sed etiam innocentes; nec solùm personæ, sed etiam loca.

Diuiso in locale, & personale.

2 Respondeo Secundò: *Interdictum generatim acceptum*, aliud est *Locale*, aliud *Personale*, aliud *Mixtum*. Differunt autem, quòd in *Interdicto locali*, illi omnes, qui non fuerint causa Interdicti, possint alibi audire diuina, suscipere Sacramenta, & sepeliri. In *Personali* autem nusquam possunt, vt patet Cap. *Si sententia* de Sententia excommunicationis in 6. Clerici tamen, qui cum cæteris non sunt interdicti causa, possunt in *Interdicto Personali* in illis locis diuina officia obire coram omnibus non interdictis, vt docet Couarruuias in Cap. *Alma*, p. 2. §. 2. n. 7. nempe ianuis clausis, vt notat Siluester.

Locale generale.

Dico Tertiò: *Interdictum locale*, subdiuiditur in *Generale* & *Particulare*. *Generale, interdictum loci est*, quo interdicitur aliquis locus continens plura loca alia. Et tunc in nullo illorum licet diuina officia celebrare; vt quando interdicitur regnũ, prouincia, diœcesis, ciuitas, vel etiam parochia (etsi in hoc postremo Couarruuias §. 1. num. 5. contrarium sentiat:) Nam parœcia etiam alia loca sub se continere potest.

Locale particulare.

Particulare interdictum loci est, quo interdicitur locus aliquis particularis nõ continens in se plura loca sacra & profana: vt quando interdicitur aliqua Ecclesia; tunc enim solùm interdicitur ipsamet, & Cœmeterium contiguum: vt patet ex Cap. *Si ciuitas*, de Sententia excommunicationis in 6. quare tunc extra illam licet celebrare.

Sub interdicto ciuitatis etiam sunt Suburbia, etsi alterius diœcesis.

Circa interdictum generale loci, Aduerte: Dum interdicitur ciuitas, censeri etiam suburbia interdici, etiamsi fortè essent alterius diœcesis. Ratio est: Nam sine illis sententia illa interdicti esset frustratoria: posset enim populus facilè adire suburbia, ibique diuina audire. patet ex Capitulo *Si ciuitas*. Dices, In pœnis est stricta interpretatio adhibenda: ergo. Respondeo: Id verum esse, quãdo alioquin sententia non redditur frustratoria, Vide Couar. suprà num. 8.

Personale generale.

3 Dico Quartò: *Interdictum Personale*, similiter diuiditur in *Generale*, & *Speciale*. *Generale est*, quo interdicitur integer populus, vel vniuersitas hominum, vel collegium: & tunc si quis definat esse de illo cœtu, definit esse interdictus; modò causam interdicto non dederit. Ratio est: Quia tale interdictum per se primò afficit communitatem: vnde si quis incipiat esse pars illius communitatis, incipit esse interdictus.

Interdicto populi nõ continentur infantes nec Clerici.

Notandum: *Interdicto populi*, non contineri infantes & amentes; contra Nauarrum nu. 168. Ita Couarruuias 2. p. §. 4. n. 3. Ratio est: quia sũt incapaces præceptorum Ecclesiasticorum, sicut & ciuilium; & si interssint diuinis, actus eorum non est humanus. Continentur tamen *Interdicto loci*; sic vt non possint sepeliri in loco interdicto. Similiter, *Interdicto populi*, non continentur Clerici; nec interdicto Clericorum continetur populus; imò nec regularis, teste Angelo, *Interdictum* §. 4. & Siluestro *Interdictum* 2. §. 17. Ratio est: Quia in odio sis nomine Clericorum non veniunt Regulares, etiamsi tantùm Nouitij sint.

Personale particulare.

Particulare, seu *speciale interdictum personæ est*, quo censentur interdicti omnes illi, qui dederunt interdicto causam, quamuis generale fuerit. Deinde, quo interdicitur aliqua familia, vel aliquis nominatim, expresso nomine vel officio. Isti cùm per se primò afficiantur censurâ, vbique sunt interdicti, etiamsi desinant esse de illa communitate.

DVBIVM II.

Quale peccatum requiratur, vt possit ferri Interdictum.

4 quædam Interdicta requirunt culpam moralem.

REspondeo & Dico Primò: *interdictum generale* vel *speciale loci*, aut *generale personarum* non potest ferri, nisi ob grauem culpam. Imò maior requiritur culpa ad tale interdictum, quam ad excommunicationem; vt docet Sotus d. 22. q. 3. a. 1. Nam est pœna grauior extensiuè, cùm etiam secundariò inuoluat innocentes. Vnde ob culpam hominis priuati non potest ferri interdictum generale loci, vel personarũ, vt docet Couarruuias: sed debet esse culpa Domini vel Rectoris loci, cuius sunt aliqui ipsi inferiores, ita, vt si puniãtur ob eius culpam, ille censeatur in ipsis puniri. Vide Couar. §. 1. num. 4.

quædam culpam venialem.

Dico Secundò: *Interdictum personæ speciale* interdum ferri potest ob culpam venialem; sicuti excommunicatio minor & suspensio. Ita Caietanus Verbo *Interdictum*: quamuis de hoc dubitari possit.

5 Formula ferendi interdicti.

Petes: Quâ formâ debeat ferri interdictum.

Respondeo: Debet ferri in scriptis expressâ causâ particulari, sicut in alijs censuris. Vide Nauarrum num. 165. & 187.

CAPVT. II.

De Effectibus Interdicti: qui, & quot sint?

6 TRes sunt potissimùm Interdicti effectus, quatenus tria per illud fidelibus prohibentur. Primum est, ne interfint diuinis officijs. Secundum, ne suscipiant, vel administrent certa quædã

Digitized by Google

Sacramenta. Tertium, nè sepeliant, vel sepeliantur in loco sacro.

1. effectus ne intersint diuinis.

Primum prohibetur Cap. *Responsa*, de Sententia excommunicationis. Vbi nomine *diuinorum officiorum* intelliguntur illa officia, seu ministeria, quæ in Ecclesia speciatim sunt deputata alicui Ordini sacro, nec tamen sunt Sacramenta (etsi aliter sentiat Nauarrus nu. 172.) vt celebratio Missæ solennis ministratio aquæ benedictæ; benedictio chrysmatis, calicis, templi, denique ipsa recitatio Horarum Canonicarum, præsertim eo modo, quo in Choro. Probatur hæc definitio: quia officia diuina distinguuntur à Sacramentis; pertinent enim ad diuersas pœnas Interdicti.

7 Bonifacius 8. mitigauit Ius antiquum.

Notandum est, Iure antiquo tantùm licuisse tempore interdicti singulis hebdomadis facere vnum Sacrum, ad renouandum Sacramentum pro infirmis, vt patet ex Cap. *Permittimus*, de Sententia excommunicationis. Verùm Bonifacius VIII. hoc ius valdè mitigauit, vt patet ex Cap. *Alma*, in 6. vbi concedit, vt tempore interdicti liceat quotidiè dicere Missam, & alia officia sub missâ voce, ianuis templi clausis, exclusis interdictis & excommunicatis, & campanis nõ pulsatis; exceptis diebus Natalis Domini, Paschæ Resurrectionis, & Pentecostes, & Assumptionis B. Virginis, quibus diebus officia diuina ianuis apertis celebrari possunt pulsatis campanis.

Notabilia aliquot circa hanc mitigationem.

Circa quam Constitutionem, Notandum Primò: Eam loqui de Interdicto generali loci, vt ait Glossa ibidem: vnde hæc non permittuntur in Ecclesijs specialiter interdictis, iuxta Couarruuiam §. 4. num. 1.

Notandum Secundò, Dari facultatem celebrãdi tantummodò in Ecclesijs, vel Monasterijs; non autem in priuatis Oratorijs, vt notat Couarruuias num. 5. etsi Nauarrus num. 175. etiam in Oratorijs putet concedi.

Notandum Tertiò: Tempore interdicti posse admitti omnes eos, qui sunt Clerici, vt recte Nauarrus num. 174. faculares verò illius loci minimè, nisi habeant priuilegia. Possunt etiam officia diuina eâ voce recitari, quâ ab vno Choro ad alterum possint exaudiri; non tamen ita clarè, vt extra Ecclesiam audiantur: Nauarrus suprà.

Notandum Quartò: Non posse pulsari campanis ad Sacrum, vel ad alia officia; potest tamen ad concionem, & ad salutationem Angelicam, & ad alia huiusmodi, quæ non sunt diuina officia: Nauarrus num. 173.

Notandum Quintò: Dies Festos, quibus suspenditur Interdictum, non esse extendendos ad octauas eorum: vsus enim habet, vt post Completoriũ Festi interdictum redeat. Vide plura hac de re apud Nauarrum num. 182.

Notandum Sextò: Diebus illis exemptis posse fieri sepulturam cum solemnitate, iuxta couarruuiam, & alios: quia tunc licita sunt diuina officia, propter quæ duntaxat prohiberi solet sepultura Ecclesiastica in interdicto.

8 2. effectus, ne certa sacramenta administrent vel suscipiant

Secundum, quod prohibetur interdicto, est administratio & receptio quorundam Sacramentorum; vt patet cap. vltimo, de sententia Excõmunicationis, in 6. Vbi.

Notandum est Primò: Hæc Sacramenta tempore interdicti posse conferri: Primò, Baptismum tã adultis, quàm paruulis. Secundò, Confirmationem. Tertiò, Pœnitentiam & Eucharistiam moribundis: & hęc omnia publicè & solemniter, vt notat couarruuias num. 6. quia absolutè permittuntur. Quartò, post constitutionem Bonifacij potest Sacramentum Pœnitentię etiam sanis administrari, ijs videlicet qui non fuerint causa interdicti, nec dederint auxilium, consilium, aut fauorem. Quintò, Potest celebrari Sacramentum matrimonij, tamen absque solemnitate: ita Couarruuias suprà: Minister enim huius non est Sacerdos, sed ipsi contrahentes.

Notandum Secundò: Sacramentum extremæ Vnctionis tempore interdicti conferri non posse, ne clericis quidem, nisi speciale priuilegium habeant. Ita Couarruuias §. 2. nu. 8. & alij. Neque etiam Sacramentum Ordinis, ne in illis quidem diebus exemptis: neque Eucharistiam, nisi per modum viatici solis moribundis.

Quares, Vtrùm saltem Clericis & Laicis, quibus permissum est cũ moderatione Capitis *Alma*, assistere diuinis, non sit etiam concessum percipere Eucharistiam? Respondeo: Non esse permissũ sine priuilegio. Ita couarr. §. 3. num. 1. & Nauar. num. 178. Nam illis diebus exemptis solùm permittuntur officia diuina, quæ distinguuntur à perceptione Sacramentorum, vt suprà dictum est: & colligitur ex cap. *Si sententia*, in 6. Nec obstat, quod Sacerdos celebrans tunc communicet, quia solùm communicat quatenus hoc est necessarium ad complementum sacrificij, seu officij diuini.

Tertium, Quod prohibetur, est sepultura in loco sacro: Cap. *Vt priuilegia*, de Priuilegijs. Vbi

9 3. effectus prohibitio sepulturæ sacrę.

Nota Primò: Non comprehendi Clericos, quia possunt tũc sine solemnitate & sonitu campanarum sepeliri, idque vel in cæmeterio, vel Ecclesiâ. Vide Couarr. §. 2. num. 7.

Nota Secundò: Omnes eos, qui possunt tempore Interdicti audire Missam, posse etiam sepeliri in loco sacro. Nam cui communicamus viuo, possumus etiam communicare defuncto. Nauarrus num. 181.

CAPVT III.

De potestate Interdicti, eiusque obligatione.

DVBIVM I.

Qui possint interdicere, & qui interdici?

10 Respondeo & Dico Primò: Omnes eos posse interdicere, qui ex potestate ordinariâ vel delegatâ possunt excommunicare. Ita communiter Doctores.

Dico Secundò: Non solùm singulæ personæ, sed etiam communitates, & loca interdicto subijci possunt. Patet ex vsu Ecclesiæ.

DVBIVM II.

Vtrùm is, qui sententiam Interdicti protulit, teneatur illud seruare?

11 Exempli gratia, Si Episcopus subijciat interdicto omnes Ecclesias huius vrbis, vtrùm ipse possit apertis ianuis &c. celebrare?

Respondeo: Teneri seruare: quòd si non seruet, incurrere pœnas iuris. Ita Nauarrus num. 165. sicuti etiam tenetur seruare excommunicationem à se latam. Ratio est: Quia ius commune præcipit censuram seruari. Vnde iure communi ligatur, non autem propriâ suâ sententiâ: sed hęc est solùm conditio, sine qua non obligaretur.

Nisi seruet incurret pœnas iuris.

Aduerte tamen, Episcopum posse relaxare, vel

Digitized by Google

ſuſpendere illud interdictum; & tunc nec ipſe tenebitur nec alij.

DVBIVM III.

Vtrùm omne Interdictum ſit ſeruandum?

12 Seruà interdictum perſonale.

REſpondeo & Dico Primò: Omne interdictum perſonale, ſiue ſit denuntiatum, ſiue non denuntiatum, ſiue à iure, ſiue ab homine proueniens, eſt ſeruandum ab eo, qui ſic eſt interdictus. Eſt ſententia Communis DD. Ratio eſt: Quia per Extrauagantem, *Ad euitanda*, non ſubleuantur ipſi interdicti in aliquo: vnde ius antiquum in illis vim habet.

Itē Interdictum locale denũciatum.

Dico Secundò: Nullum interdictum locale eſt ſeruandum, niſi ſit denuntiatum; vt docet Nauarrus num. 187. & colligitur manifeſtè Extrauagante *Ad euitanda*. Quò fit, vt nullum locale interdictum incurratur à iure, ſed ſolùm per ſententiam, vel certè denuntiationem.

Dico Tertiò: Sacerdos & quiuis alius Clericus in obeundo diuino officio non tenetur vitare, aut excludere aliquem interdictum ſpeciatim vel generatim, niſi denuntiatum; vt patet eâdem Extrauagante.

DVBIVM IV.

Quale peccatum ſit violare interdictum?

13 Clericus violãs peccat mortiferè.

REſpondeo & Dico Primò: Violatio interdicti in Clericis eſt peccatum mortale: quod eſt contra Caietanum. Ita Nauarrus nu. 187. & Sotus d. 22. q. 3. art. 1. Ratio eſt; quia eſt violatio præcepti Eccleſiæ in re graui, cui etiam pœna grauis in iure conſtituta eſt.

Violat autem Clericus interdictum tripliciter. Primò: Cùm ipſe, generatim vel ſpeciatim interdictus, facit alicubi actum Ordinis ſacri, à quo eſt interdictus. Secundò: Si Sacramentum prohibitum recipiat; ſcilicet Euchariſtiam, extremam Vnctionem, vel Ordinem. Tertiò: Si ſolemniter obeat actum Ordinis ſacri in loco, qui de interdicto eſt denuntiatus, etiamſi ipſe perſonaliter non ſit interdictus.

14 Similiter & laicus.

Dico Secundò: Laicus perſonaliter interdictus, ſiue ſpeciatim, ſiue generatim, peccat mortaliter audiendo ſacrum, aliaue diuina officia: ſimiliter percipiendo Euchariſtiam, aut extremam vnctionem; quod eſt contra Caietanum, qui putat ſolùm peccare venialiter: cuius ſententia non eſt improbabilis, ſi loquamur de eo qui generatim eſt interdictus, nec interdicto cauſam dedit. Verùm altera ſententia eſt communis, ſaltem quoad alios interdictos. Vide Nauarrum & Sotum ſuprà. Et Confirmatur: vt ſi interdictus iuſſus à Clerico vt exeat Eccleſiâ, non obtemperet, ipſo facto incurrit excommunicationem; vt patet in Clementina *Grauis*, de Sententia excommunicationis.

Non tamẽ, ſi locus tãtùm ſit interdictus.

Dico Tertiò: Si locus tantùm ſit interdictus; Laicus audiens ibi Sacrum, nõ peccat mortiferè. Nauar. num. 187. Caietanus ſuprà, & alij. Ratio eſt: quia in interdicto locali præceptum non imponitur Laicis, ſed Clericis, quibus mandatur, vt ibi ſeruent Interdictum, neque ianuas aperiant, aut Laicos admittant; vt patet Clementinâ primâ de ſententia excommunicationis.

Excipe tres caſus.

Peccant tamen Laici mortiferè: Primò, Si vi ingrediantur. Secundò, Si mendacio, vt ſi dicant ſe eſſe Clericos, vel habere priuilegium: nam decipiunt Eccleſiam. Ita multi Doctores. Contrarium tamen huius videtur verius; quia mendacium iſtud non eſt pernicioſum, nec eſt deceptio in re magni momenti. Tertiò, Si nolint egredi, cùm id à Clericis præcipitur. Vide Nauarrum loco citato num. 187.

15 Cleric' tenetur excludere interdictos.

Dico Quartò: Clerici in celebratione diuinorum officiorum tenentur ſub peccato mortifero excludere interdictos, quos iudex denuntiauit ſiue ſpeciatim, ſiue generatim. Vide Couarruuiã §. 2. n. 3. Ratio eſt, quia id illis directè ab Eccleſia præcipitur, eſtque res magni ponderis: nam alioquin tota hæc cenſura eſſet inanis.

Laicus non tenetur eos vitare.

Dico Quintò: Laici non tenentur vitare interdictos, etſi denuntiatos, neque in diuinis, neque in humanis. Vnde poſſunt audire Miſſam Sacerdotis interdicti, & vnà cum alijs interdictis. Ita Nauar. & Caietan. ſuprà. Ratio eſt, quia nullum extat præceptum, quo Laici iubeantur communionem interdictorum vitare. Idemque cenſendum de Clericis, cùm ſe inſtar Laicorum gerunt: vt, ſi audiant Sacrum, percipiant Sacramenta, &c.

CAPVT IV.

De *Pœnis violantium interdictum.*

DVBIVM I.

Quas pœnas incurrant Clerici violantes Interdictum?

16 Si violent exercitio ordinis ſacri, fiunt irregulares.

REſpondeo & Dico Primò: Clerici violantes Interdictum per exercitium Ordinis ſacri, fiunt irregulares. Eſt communis Doctorum. Ratio eſt: Quia omnis violatio cenſuræ per exercitium Ordinis ſacri inducit irregularitatem. Excuſat tamen ab hac irregularitate probabilis ignorantia Interdicti; vt rectè Couarruuias ſuprà §. 2.

Secùs ſi exercitio ordinũ minorum.

Dico Secundò: Per exercitium Ordinum minorum non fiunt irregulares. Colligitur ex dictis ſupra de ſuſpenſione cap. 2. Idem docet Sotus, & paſſim Theologi. Ratio eſt: quia iſti actus poſſunt etiam à laicis fieri cum omni ſolemnitate, qui tamen nullam idcircò incurrunt irregularitatem. Contrarium tenent Canoniſtæ & Nauarrus; ſed alterum eſt verius.

17 quatuor aliæ pœnæ

Dico Tertiò: Præter irregularitatem ſunt aliquæ aliæ pœnæ Clericis violantibus interdictum conſtitutæ. Primò, quòd poſſint priuari omnibus beneficijs Eccleſiaſticis: Cap. *Poſtulaſtis*, §. 2. de Clerico excommunicato miniſtrante. Secundò, poſſunt priuari omni iuriſdictione; non tamen reipſa ſunt priuati: quod eſt contra Silueſtrum; vt patet ex Cap. *Tanta*, de Exceſſibus Prælatorum. Tertiò, non poſſunt eligi, nec poſtulari ad Prælaturas; cap. 1. *De poſtulatione Prælatorum*. Quartò, Priuantur ſepulturâ Eccleſiaſticâ: Vide Silueſtrum Verbo *Interdictum* 6.

DVBIVM II.

Vtrùm Clericus non ſeruans in Interdicto moderationem Capituli Alma, *incurrat irregularitatem?*

18

VT ſi celebret cum pulſu campanarum, apertiſque ianuis?

Reſpondet Couarr. §. 4. num. 6. Incurrere irregularitatem, ſi aliquis interſit officio diuino, qui iure prohibetur. Verùm contraria ſententia

est probabilis, quia non est Iure expressum, sed solùm à Doctoribus per quandam rationis similitudinem colligitur.

CAPVT V.

De Absolutione & Suspensione Interdicti?

19 NOtandum est: Interdictum posse dupliciter ferri. Primò, absolutè: Secundò, ad tempus. Hoc per se desinit tempore illo transacto, vel actione requisitâ præstita. Illud solùm tollitur absolutione.

DVBIVM I.

A quo tollatur Interdictum absolutè latum; & quomodo?

20 REspondeo & Dico Primò: Interdictum latum ab homine, tollitur ab eodem, vel ab eius successore, vel superiore; non autem ab alio, ne disciplina perturbetur.

Si latũ ab homine.

Si à Iure.

Dico Secundò: Si sit latum à Iure, & non sit reseruatum, potest tolli ab Ordinario, & à Regularibus habentibus priuilegium.

Modus id relaxandi.

Dico Tertiò: In Iure non est certa forma relaxandi interdictum; sed sufficit intentio relaxantis quibusuis verbis expressa: ita cõmuniter DD. Debet autem hæc intentio aliquibus verbis vel signis exprimi. Quia sicuti nemo potest per solum actum internum interdici, ita nec absolui.

Ad cautelã

Dico Quartò: Interdictum generale, quando dubium est, non potest tolli ad cautelam; nempe ab eo, qui est Papâ inferior: sed, idoneâ cautione acceptâ, debet tolli absolutè, vt patet Cap. *Præsenti*, de sententia excommunicationis in 6. Quod intellige de Interdicto generali loci: nam Interdictum generale personale potest in singulis personis ad cautelam tolli. Vide Couar. §. 2. num. 5.

DVBIVM II.

Quomodo suspendatur interdictum?

21 REspondeo & Dico Primò: Interdictum locale suspendi potest, etiamsi eius causa permaneat, vt patet ex Cap. *Dilectis*, de Appellationibus: & est communior sententia Doctorum. Locale.

Dico Secundò; Interdictum latum in certam personam similiter suspendi potest: Couarr. §. 2. num. 4. Ratio est, quia potest tolli omnino: ergo etiam ad tempus suspendi. Personale.

Dices: Excommunicatio non potest suspendi: ergo nec interdictum.

Respondeo, Negando Antecedens: Nam cum quis absoluitur ad reincidentiã, videtur excommunicatio ad certum tempus suspendi, reditura quoad effectus, nisi mãdatis pareatur. Hoc solùm est discriminis, quòd excommunicatio nõ possit, suspendi secundùm vnum effectum, quin suspendatur secundùm omnes: nam ius non patitur effectus excommunicationis diuidi, manente censurâ. Suspensio autem & interdictum habent effectus, qui non necessariò coniunguntur: vnde hæ censuræ possunt suspendi secundùm vnum effectum, sic tamen, vt secundùm alios ligent. Conuenientia, & disconuenientia excommunicationis cum suspensione & interdicto quoad suspensionem.

Hoc tamen Aduertendum est: si Interdictum non sit suspensum secundùm omnes suos effectus, sed vim habeat vel secundùm vnum effectum appellationem interpositam fore nullam: v. g. Petrus simpliciter est interdictus, obtinet ab Episcopo, vt ad octiduum interdictum suspendatur quoad officia diuina non autem quoad sacramẽta: si interim appellet à sententia interdicti, appellatio erit nulla. Causa est: nam tota ratio, in qua Doctores fundant valorem appellationis facit eo tempore, quo sententia manet suspensa, est, quia suspensa sententia æquiparatur sententiæ cõditionatæ, cuius conditio nondum est completa. A sententia autem conditionali licet appellare; quia nondum constringit. Atqui cùm interdictũ habet aliquem effectum coniunctum, non æquiparatur sententiæ cõditionali, sed absolutæ quoad illum effectum. Vnde appellatio interposita in aliquo festorum, quibus licet celebrare officium diuinum, non valet: quia interdictum non est tunc suspensum quoad Sacramenta. Cætera quæ hic dici possent vide apud Couarr. in Capitul. *Alma*. par. 2. §. 2. num. 1. & 6. & §. 4.

DE IRREGVLARITATE.

SVnt in hoc Tractatu nouem Capita: Primum, *De irregularitate in genere*. Secundũ, *De Irregularitate proueniente ex defectu lenitatis*. Tertium, *De Irregularitate ex homicidio voluntario* propriè dicto. Quartum, *De Irregularitate ex homicidio casuali*. Quintum, *De Irregularitate ex delicto notorio seu infamia*. Sextum, *De irregularitate ex delicto circa sacramenta*. Septimum, *De irregularitate ex defectu corporis*. Octauum, *De irregularitate ex bigamia*. Nonum, *De irregularitate illegitimorum*.

CAPVT I.

De Irregularitate in genere.

DVBIVM I.

Quid sit Irregularitas?

1 REspondeo, *Irregularitas*, in proposito, *est impedimentum Canonicum, id est, Iure Canonum introductum, directè impediens acceptionem Ordinum Ecclesiasticorum, vel in susceptis ministerium.* Dico, *Directè impediens*: quia *Irregularitas formaliter est inhabilitas ad Ordines suscipiendos, vel ad vsum susceptorum.* Vnde distinguitur à *suspensione*, quæ non dicit formaliter hanc inhabilitatem, sed prohibitionem vsũs Ordinis, vel Iurisdictionis: vnde non impedit directè Ordinum susceptionem, vt Irregularitas, sed solùm executionem; idque non perpetuò. Definitio.

Differt à suspensione Excõmunicatione & Interdicto.

Ab *Excommunicatione* & *Interdicto* distinguitur, tum ratione formali; tum quia, præter impedimentum susceptionis & executionis Ordinũ, hæc etiam alia quædam includunt. *Excommunicatio* enim separat ab omnibus Sacramentis dandis & recipiendis, quatenus sunt participatio cum fidelibus, & à ciuili comictu fidelium; *Interdictum* autem ab officijs diuinis audiendis, & à quibus-

Digitized by Google

dam Sacramentis, quæ Irregularis potest suscipere. Tum denique Irregularitas generatim non est censura, cuiusque violatio non parit aliam irregularitatem. *Excommunicatio* autem, *Suspensio*, & *Interdictum* secundùm se sunt Censuræ, quarum violatio si fiat per vsum Ordinum sacrorum, inducit *Irregularitatem*. Vide Nauarrum, num. 194.

2 quando & vnde quis censendus Irregularis.

Notandum est, Neminem habendum esse Irregularem, nisi id sit Iure expressum; vt communiter Doctores in Cap. *Is qui*, de Sentent. excõmunicationis in 6. Vnde opinio Doctorum, vel cõsuetudo non potest irregularitatem, inducere. Quare quandocumque dubium est, Vtrùm in Iure sit posita irregularitas ob certum factum, vel ob aliquem defectum, nemo idcirco cõsendus est irregularis: nam potest sequi benigniorem partem. Ita Couarr. in Clemẽtina, *Si furiosus*. num. 3. & Nauarrus Cap. *Si quis autem*, de Pœnitẽtia, d. 7. num. 35. & 40. Similiter non est quispiam censendus irregularis; quando, etsi de iure constet, tamen de facto dubitatur. Quod est contra Nauarrum & Couarr. suprà.

3 In dubio homicidij incurritur irregularitas.

Vnus tamen casus excipitur: nempe, quando in homicidio dubitatur, an hic occiderit, vel an cum debito moderamine in sui defensionem occiderit. Nam hic in dubio facti iudicandus est irregularis in vtroque foro; vt patet ex Cap. *Significasti*. 2. & Cap. *Ad audientiam*, de Homicidio. Ratio est, quia ita Iura statuerunt in detestationem homicidij, eò quòd hoc peccatum maximè dedeceat Ecclesiasticam mansuetudinem. Vnde etiam Episcopis à Concilio Tridentino non conceditur potestas dispensandi in irregularitate homicidij occulti.

Non Item in alijs dubijs.

Cur verò in alijs casibus nemo sit censendus irregularis in dubio siue Iuris, siue facti, ratio est: Primò, quia non est expressũ in Iure; & alioquin *in dubio melior est conditio possidentis*; vt patet de *regulisiuris* in 6. atqui hic possidet Ius ad ordines: ergo. Confirmatur: Quia in dubio nemo est spoliandus iure, quod habet; vt patet Titulo *De restitutione spoliatorum*. Secundò: Quia in pœnis semper benignior interpretatio facienda: quando id tenor verborum permittit; vt dicitur in regulis iuris in 6.

An semper in dubijs sit tutior pars eligenda.

Dices: In dubijs pars tutior est eligenda: atqui tutius est, vt se censeat irregularem, & abstineat à sacris Ordinibus. Confirmatur: quia hæc est ratio quam adferunt Canones.

Respondeo: Id verum esse, quando est periculum alicuius magni momenti in vna parte, quod in altera non est: v.g. Dubium est, vtrùm baptismus in nomine Christi collatus sit validus; hic est tutior pars eligenda ob periculum. Quando autẽ dubium est tale, quod vtrimque probabiles rationes habeat, quibus vtraque pars reddatur practicè probabilis, potes sequi vtram mauis: quia vtraque tuta est. Ad Confirmationem, Respõdeo: Illam rationem, quam adferunt Canones illi, nõ esse valdè solidam; neque id esse necessarium: sufficit enim, vt decretum ipsum solidum sit.

Obiectio ex Innocentio.

Dices, Innocent. III. in Cap. *illud Dominus*, de clerico excõmunicato ministrante, statuit Episcopum celebrantem cum dubio excõmunicationis, incidisse in pœnas Iuris: *Nam in dubijs, inquit tutior, pars est eligenda, & ideò debebat abstinere.*

Soluitur.

Respõdeo: Ille Episcopus non habebat dubium probabile, quod esset excommunicatus, sed laborabat crassâ ignorantiâ, quæ non excusat ab irregularitate. Adde, post dubitationem non adhibuisse diligentiam, vt veritatem cognosceret.

DVBIVM II.

Vtrùm contrahatur irregularitas, si crimen vel causa, vnde oritur, sit occulta, vel paucis cognita?

ALphõsus à Castro lib. 2. *De lege penali*, cap. vltimo, docet. Pro nullo crimine, quod vni tantum, vel paucis notum est, esse post pœnitentiam aliquem irregularem excepto homicidio, quod irregularé faciat, si vel vni constet: quod si sit occultũ, vt nemini constet, ne hoc quidem irregularem facere. Vnde etiã infert filiũ Presbyteri non esse irregularem, nisi constet.

4 A Castro negat.

Sed dicendum est, quando in iure pro aliquo crimine, vel causa infligitur Irregularitas absolutè, quamuis illud sit occultum, nihilominùs verè efficere irregularem. Est communis sententia DD. Vide Couarr. Clementinâ, *si furiosus*, 2. p. §. 3. num. 4.

Veritas affirmatur.

Probatur Primò: Ex Concilio Tridentino sess. 24. c. 6. vbi ne Episcopis quidem permittit dispensationem in Irregularitate homicidij occulti, quamuis permittat ex alijs delictis occultis. Supponit ergo Concilium ex delicto occulto incurri Irregularitatem. Secundò: quia Ecclesia punit occultos criminosos per excõmunicationem; vt hæreticos, qui suam hæresim, quamuis occultissimè, exteriùs prodiderint. Tertiò: Ecclesia ob crimen occultum inhabilitat ad matrimonium; vt patet ex Concilio Trident. sess. 24. c. 4. *De reformat matrimonij*: vbi ob affinitatem, ortam ex fornicatione intra secundum gradum, statuit esse inhabilem ad contrahendum.

Dices Primò: Ecclesia non infligit pœnam Ecclesiasticam ob crimen occultum: *Non enim habent latentia peccata vindictam*, vt dicitur 52. q. 5. Cap. *Christiana*.

5 1. Obiectio, quòd Ecclesia nõ puniat crimen occultum.

Respondeo primò: Si delictum sit per se occultum, vt quando est merè internum, Ecclesia non potest illud punire: Secùs vero, si solùm per accidẽs sit occultum, quia videlicet accidit, alios non fuisse præsentes.

Respondeo Secundò: Si delictum sit occultum per accidens, Ecclesia etiam non punit illud per sentẽtiam in foro externo; & de tali vindicta loquitur Canon: sed benè punit sentẽtiâ latâ à Iure, seu per Canonẽ in foro interiore &c. Nam simili modo potestas ciuilis ob delictum paternũ, quamuis occultissimum, facit illegitimum inhabilem ad successionem hæreditariam.

Dices Secundò: Ecclesia non polluitur ex crimine occulto, vel paucis noto: ergo nec homo efficitur irregularis ex causa occulta. Patet consequentia: nam quod in Ecclesia est pollutio, in homine est irregularitas.

2. Obiectio, quòd templum non polluitur ex occulto crimine.

Respondeo, Negando Consequentiã: est enim dispar ratio. Quia quòd Ecclesia censetur polluta, egeatque expiatione, non est propriè in pœnam alicuius delicti, neque ob ipsam Ecclesiam: sed vt populus intelligat, locum illum, in quo Deus colitur, singularem requirere venerationem, quæ non cessat, quando delictum est occultum; quia per tale delictũ veneratio populi erga locũ non est imminuta. In irregularitate spectatur punitio criminum, quæ etiam in occultis locum habet.

3. Obiectio, occultè criminosus nõ tenetur se prodere.

Dices Tertiò: Si occultus criminosus est irregularis, ergo tenetur se prodere abstinẽdo ab officio, ad quod tenetur.

Respondeo: Quando est periculum, ne absti-

nendo contrahat infamiam, potest prævia contritione celebrare, quàdiu durat illud periculũ; intellige, si antè non potest habere dispensationem: non tamen potest suscipere Ordines; quia non suscipiendo non se prodit, nec infamat.

DVBIVM III.

Vtrùm ad irregularitatem, quæ in pœnam delicti est constituta, sufficiat culpa venialis?

6 Opinio negans probabilior contra Caietanũ.

CAietanus Verbo *Irregularitas*, & 2. 2. q. 64. art. 8. & multi alij affirmãt. Ratio est, quia culpa venialis sufficit ad excõmunicationem minorem, quæ non est minor pœna.

Respondeo, Verius esse requiri culpam mortiferam. Ita docet Sotus lib. 5. de Iustitia, q. 1. a. 9. Nauarrus nu. 252. Alphonsus à Castro lib. 2. *De lege pœnali* c. 14. Petrus Nauarra lib. 2. de restitut. cap. 1. n. 54. multique alij recentiores.

Probatur Primò: Quia est pœna grauis, imò multò grauior, quàm excommunicatio minor: reddit enim inhabilem ad Ordines, & rerum vsũ, & ad beneficium ecclesiasticum, multoque difficiliùs tollitur. Vnde quando infligitur ob culpã, censenda est ob culpam cõpletam in ratione culpæ infligi, qualis est sola mortifera. Cõfirmatur: quia æquitas non patitur, vt pro leui culpa grauis infligatur pœna.

Probatur Secundò: Quia alioquin, qui se defendendo occideret alterum, rarò euaderet irregularitatem; quod est contra Clementinam, *si furiosus*, de Homicidio: nam rarò ita cautè se defendit, vt non peccet venialiter.

DVBIVM IV.

Qui sint effectus sententiæ irregularitatis latæ à iure, vel ab homine?

7 REspondeo: Primus effectus est, Ineptitudo ad Ordines suscipiendos.

Secundus, Ineptitudo ad Ordinum executionem. Vbi notãdum est, si oriatur irregularitas ex defectu corporis sine culpa, non impedire cuiusuis Ordinis quamuis executionẽ, sed eam dumtaxat, ad quam est inhabilis: vt si Sacerdos amittat manum, poterit nihilominùs absolutè, canere Euangelium, & similia.

An collatio beneficii facta irregulari sit irrita de facto?

Tertius effectus, Est inhabilitas ad beneficium Ecclesiasticum, sic, vt collatio facta irregulari sit nulla. Ita Nauar. nu. 251. Couarr. 2. p. §. 3. n. 6. quod est contra Siluestrũ, *Excommunicatio*. 4. n. 4. vbi docet collationem valere, & impetratâ dispensatione ab irregularitate, non esse opus nouâ collatione. Verùm altera sententia est cõmunis. Ratio iuxta Nauarrũ est, quia inhabilis ad principale, est inhabilis ad annexum: sed beneficium est annexum Ordini, & vsui ordinis, ad quem vsum irregularis est inhabilis. Et Confirmatur; quia *Beneficium est propter officiũ*, vt patet Capit. *Finali*, de Rescriptis in 6. Atqui irregularis est ineptus ad officia Ecclesiastica: ergo & ad beneficium. Aduerte tamen, Has rationes non conuincere de beneficio simplici, quod solùm requirit Horarum recitationem.

Consectaria.

Hinc sequitur, Eum teneri restituere fructus ex beneficio in irregularitate quæsito perceptos.

Quòd autem ad beneficium ante irregularitatem obtentum attinet, per irregularitatem superuenientem non priuatur ipso iure: non potest tamẽ illud retinere, nisi det operam, vt impetret dispensationem irregularitatis. Quod intellige; si beneficium requirat vsum Ordinis sacri, alioquin non erit opus dispensatione. Vide Couar. in Epitome 4. Decretalium 1. p. cap. 6. §. 8. num. 7.

Sequitur de speciebus Irregularitatis.

CAPVT. II.

De Irregularitate proueniente ex defectu lenitatis, seu ex hominis occisione, vel mutilatione iusta &c.

NOtandum Primò: Tripliciter hominem iustè occidi, Primò: ad sui, vel suorum necessariam defensionem. Secundò: in bello iusto. Tertiò: in Iudicio. 8 Tripliciter homo iustè occiditur.

Notandum Secundò: Quando agitur de irregularitate, nomine homicidij vel occisionis, cõprehendi etiam mutilationem, & nihil aliud, iuxta communem Doctorum sententiam. Vnde si alterum grauiter vulneres, aut mancum reddas, sine tamen mutilatione, non incurres irregularitatem. Sub homicidio comprehenditur sola mutilatio.

Notandum Tertiò: Si occidas aut mutiles ante baptismum, non contrahes, inde irregularitatẽ, sed solùm, si post baptismum: nam Iura id solùm exprimunt, Cap. *Si quis viduam*, d. 50. Idque meritò: quia omnis culpa, omnisque lenitatis defectus baptismo censetur ablui: secùs de bigamia, vt infrà. Occidens vel mutilans ante baptismũ non fit irregularis, vt nec mutilans ad sui iustam defensionem.

Notandum Quartò: Eum qui occidit, vel mutilauit alium ad sui necessariam tuitionem, excipi ab hâc irregularitate. Clementina, *si furiosus*, De homicidio. Circa tamen occisionem ex defensione sui, est.

DVBIVM. I.

Vtrùm occidens inuasorem, si poterat fugâ euadere, fiat irregularis?

9 Si fuga sit periculosa. Si ignominiosa.

REspondeo: si fuga sit illi periculosa, non fit irregularis, etiamsi occidat si inuasorem Ita Couarr. 3. p. num. 4. Ratio est, quia defensio ibi censetur necessaria. Si autem non sit periculosa, sed solum ignominiosa, fiet irregularis, iuxta communiorem sententiam, quam tenet Couarr. suprà, etsi dubitanter, & Nauarrus num. 211. Ratio est: quia in Clemẽtina *De homicidio* solùm excipitur is, qui aliter mortem vitare non potest, nisi occidendo vel mutilando inuasorem.

Verùm probabile est, Laicum non fore irregularem in hoc euentu; si videlicet fuga ita sit ei ignominiosa, vt sub peccato mortifero non teneatur fugere. Insinuat Couarr. suprà num. 6. Ratio patet partim ex dictis Dubio 3. partim ex dicendis infrà.

DVBIVM II.

Vtrùm is, qui in aliquo casu teneatur defendere proximum, aut Rempub. incurrat irregularitatem, si occiderit?

10 Opinio negãs probatur.

NAuarrus num. 213. & quidam alij putant incurrere.

Sed verius videtur non incurrere, vt docet Couarr. 3. p. num. 5. citans Fortunium in legem *Vt vim. ff. de iustitia & iure*. Idem etiam tenent multi recentiores.

Probatur Primò: Quando quis iusto præcepto.

Digitized by Google

cogitur, non cenſetur homicidium voluntarium: at ob ſolum homicidium ſeu occiſionem voluntariam incurritur irregularitas, iuxta communiorem ſententiam. Nec obſtat quòd Iudex, occidens ſontem, fiat irregularis, cùm tamen ad id iuſto præcepto cogatur: nam illa occiſio cenſetur voluntaria in ſua cauſa; ſponte enim ſuſcepit officium Iudicis.

Secundò; Hæc Irregularitas incurreretur ſolùm ob defectum lenitatis, cùm omnis culpa abſit: ſed qui præcepto coactus occidit in neceſſariam defenſionem Reipublicæ, cenſetur ſatis lenis & mitis: ergo.

Tertiò: ſi Clericus accuſat aliquem, quando ad id tenetur ad impediendum damnum proximi, vel Reipublicę, non fit irregularis, etiamſi mors inde ſequatur, vt docet Caietanus 2. 2. q. 33. art. 7. Cuius ratio eſt, quia Canones non prohibent, quod Ius diuinum præcipit: ergo ſimiliter neque fiet Irregularis, ſi rempub. defendens aliquem interficiat.

Quartò: Nó eſt credibile Eccleſiam velle cuiquam eſſe tanto detrimento, quod Ius diuinum impleat: multi enim auerterentur ab huius præcepti impletione timore tãtę pœnę. Graue enim incommodum eſt, non poſſe ad ſacros Ordines promoueri, neque in ſuſceptis miniſtrare. Aliud eſt in Iudicibus, quia ſponte hoc faciunt.

Obiectio. Dices, Clementinâ, *Si furioſus*, excipitur ſolus is, qui mortem euadere non poteſt, niſi occidendo ſuum inuaſorem: ergo qui pro neceſſaria defenſione alterius occidit, fit irregularis.

Soluitur. Reſpondeo: In illa Clementina ſolùm agitur de homicidio voluntario, quo quis occidit alterũ non compulſus aliquo iuſto præcepto, vel magnâ neceſſitate. Qui enim non voluntariè occidunt, nullo vnquam Iure fuerunt irregulares: vnde Clementina de illis non loquitur.

DVBIVM III.

Vtrùm fiat Irregularis, qui pro neceſſaria bonorum defenſione alterum occidit?

10 Clementis ſententia affirmat. V. G. Si fur res meas auferat, nec aliter eas poſſim tueri, aut recuperare, niſi eum occidendo. Communis fere ſententia eſt, fieri irregularem. Vide Nauarr. num 111. Ratio ipſius eſt, quia hic Iure antiquo ante Clementem. V. erat irregularis; & in clementina vnica de homicidio, non excipitur: ergo manet Ius antiquum in ſuo vigore. Si obijcias, Clericum & Laicum in hoc caſu licitè poſſe occidere, & ſine peccato, ac proinde non fieri irregularem: Reſpondet Negando Conſequentiam: Nam ad irregularitatem non requiritur peccatum. Quidam propter hoc argumentum dicunt, Clericum non poſſe ſic tueri ſua bona.

11 Probabilis opinio negat. Nota tamen: Couarruuiam 3. par. num. 6. tenere, nunquam occiſorem fieri irregularem ob defenſionem bonorum ſuorum, vel vitæ alterius, quando iure naturæ poteſt inuaſorem occidere, nempe, vim vi repellendo.

Ratio ipſius eſt, quia ob homicidium priuatum, id eſt, à priuato, non auctoritate publica commiſſum, non incurritur irregularitas, niſi ſit peccatũ: atqui, dũ quis vim vi repellendo, à ſe vel bonis ſuis, vel à vitâ boniſue alterius, aliũ occidit, non committit peccatũ: ergo nec contrahit irregularitatem. Quam ſententiam etiam tenet Fortunius, & alij quidam recentiores. Et confirmari poteſt ex Cap. *Significaſti*, 2. de Homicidio, vbi Innocentius III. apertè inſinuat non eſſe irregularem eum, qui vim vi repellendo cum moderamine inculpatæ tutelæ alium occidit.

Nec obſtat Clementina, *Si furioſus*, vbi hic caſus non excipitur. Nam in illâ Clementinâ ſolùm explicatur qui non ſint irregulares; & inter ceteros ponit eum, qui pro neceſſaria defenſione ſuæ vitæ occidit alterum. At videtur eadem ratio de illo, qui ob neceſſariam defenſionem bonorum occidit, quia nempe Iure naturæ id ei licet, quando aliter illorum iacturam euadere non poteſt. Quod autem Nauarrus & alij dicunt hunc Iure antiquo fuiſſe irregularem, id probari nõ poteſt; cùm id nuſquam Iure ſit expreſſum.

DVBIVM IV.

Vtrùm ſit Irregularis, qui præuentum inſidias occidit, præueniendo inuaſionem?

Reſpondeo; Si in tali cõſtituatus ſis periculo, vt, niſi præuenias, mortem non ſis euaſurus, non fies irregularis, etiamſi occidas: vt ſi vxor pugionem à marito ſub ceruicali poſitum inueniat, quo noctu ſit interficienda. Vide Couarr. p. 3. num. 3. Idem dicendum de alijs ſimilibus caſibus. Ratio eſt, quia conſtituatus inter illas angustias cenſetur actu inuaſus & conſtrictus. Si verò non ſit tale periculum, non licet. 13 Si occidas præueniẽdo inuaſionem, nõ fis irregularis.

Circa homicidium in bello, Nota primò: Si bellum ſit iniuſtum, non ſolùm omnes qui occidunt & mutilant, fieri irregulares, ſed etiam omnes qui exortantur ad prælium: Nam omnes, qui concurrunt, cenſentur vna cauſa. Ita Couar. p. 2. §. 3. num. 2. Probat ex Capit. *Sicut dignum*, §. vltimo, de Homicidio, vbi id notant paſſim Doctores. Sed reuerà inde non ſequitur: nam Pontifex ſolùm decernit ibi vt irregulares ſint omnes, qui conſilium, auxilium, & fauorem præſtiterint interfectioni ſancti Thomæ Epiſcopi Cãtuarienſis: hinc tamen non licet inferre, omnes eſſe irregulares, qui interſunt bello iniuſto. Vnde infrà ſententiam hanc limitabimus. Aduerte tamen, ſi quis prior inuadatur ab hoſte, nec valens aliter effugere, eum occidat, non fiet irregularis, etiamſi pugnârit ex parte iniuſtâ. Irregularitas ex bello iniuſto.

Nota Secundò: Si bellum ſit iuſtum, omnes qui occidunt aut mutilant, fiunt irregulares. Couarr. ſuprà. Excipe tamen, niſi id faciant ad neceſſariam ſui defenſionẽ, vel patriæ, vel alterius, præſertim quando tenentur defendere patriam vel proximum, (ſeipſum nemo tenetur defendere, licet ad ſui defenſionem ius habeat) iuxta ſuprà dicta. 14 Et bello iuſto.

Nota Tertiò: Eos, qui non occidunt vel mutilant in bello iuſto, quamuis hortentur ad pugnã, non fieri irregulares, etſi ſint Clerici, ſuiſque manibus pugnent. Vide Couar. ſuprà num. 2. Et Nauarr. num. 215. & 216. Imò etiamſi hortentur ipſos milites vt occidant hoſtem, non fiunt irregulares ſecutâ occiſione, niſi in particulari hortentur, vt hunc vel illum occidant; vt quidam recentiores notârunt. Ratio eſt: Quia ſi Clerici pugnantes, & exẽplo ſuo incitantes milites ad pugnandum & occidendum, non fiant irregulares, modò ipſi neminem occidant, vt communis ſententia tenet: cur fiant irregulares qui verbo ſolo hortantur, cùm hoc minus ſit? quid ſi milites ad pugnam adhortentur.

Dices; Prælatus, v. g. Epiſcopus, habens iuriſdictionem temporalem, efficitur irregularis, ſi iubeat Iudicem, vel hortetur eum occidere: ergo

similiter Clericus, si in bello hortetur ad occidendum.

Respondeo Negando Consequentiam: Quia in bello iusto solùm sunt irregulares, qui propriâ manu occidunt, vel mutilant, vel in particulari iubent hunc aut illum interfici, non autem qui solùm sunt causa consilio vel exhortatione generali. Circa Iudicia verò, iura aliter statuerùt. Possunt tamen tales Prælati facere leges, quibus statuatur pœna capitis: sic enim solum sunt causa remota, & vniuersalis occasio; quod non inducit irregularitatem.

DVBIVM V.

Quænam efficiantur Irregulares ex occisione iudiciaria?

15 quid de Iudice.

RESpondeo Primò: Iudex qui condemnat ad mortem vel mutilationem, vel coniicit in carcerem ita grauem, vt reus inde mortem incurrat, Patet ex Cap. *Clerici*, & Cap. *Sententiæ*, Tit. Ne *clerici vel monachi*.

quid de Inquisitore hæreticos.

Inquisitores tamen hæreticæ prauitatis non sunt irregulares, cùm tradùt hæreticos brachio sæculari. Couarr. tamen §. 5. num. 6. requirit, vt pro ipsis intercedant, ne pœnâ sanguinis afficiantur. Alij tamen dicunt id omninò esse necessarium.

Prælatus Ecclesiasticus habens sub se iudicem sæcularem, potest hortari, & in communi præcipere, vt faciat iustitiam, non tamen in particulari, vt hunc vel illum interficiat, aut mutilet; alioquin fiet irregularis, iuxta communem sententiam.

16 quid de Accusatore.

Secundò: Fit irregularis Accusator, si mors, vel mutilatio reo inferatur. Vide Couarr. §. 5. num. 1. Clericus tamen accusans, si protestetur se non intendere iudicium sanguinis, vel mortis, aut mutilationis sententiam, non fiet irregularis: nempe si accuset aliquem, vel capiat, aut detineat, & iudici tradat pro damno sibi, rebusque suis illato; vt habetur Cap. 2. *De homicidio* in 6. Secùs verò, si pro rebus alienis id faciat; tunc enim nihil iuuaret protestatio, nisi in casu, quo obligaretur. Vide Couarr. §. 3. num. 3. Qui tamè accusat vel defert apud Inquisitores, non opus est vt protestetur: quia Inquisitores non ferunt sententiam sanguinis, sed tradunt brachio sæculari.

Dices Primò: Quid si accusem aliquem de crimine, quod non meretur mortem; iudex tamen suâ malitiâ morti adiudicet?

Respondeo: Non fies irregularis, quamuis non protesteris; quia non sequitur mors vi accusationis, sed iudicis crudelitate. Sic Couarr. § 5. n. 3.

Dices Secundò: Quid si protestatio solùm ore fiat, non mente: vtrùm excuset ab irregularitate?

Nauar. cap. 27. num. 226. putat non excusare; quia Ius requirit veram protestationem, non fictâ. Contrarium, & meritò, tenet Couarr. §. 5. num. 2. Nam illa protestatio, quoad actum externum, eiusque circumstantias externas, est vera protestatio, non ficta: Ecclesia autem tantùm iudicat de externo.

17 De Aduocato.

Tertiò: aduocatus fit irregularis, si patrocinetur accusatori in causâ sanguinis, Capit. *Aliquantos*, dist. 51. secùs verò, si patrocinetur reo, etiamsi contingat accusatorem, ob defectũ probationis vel calumniam, pœnâ talionis plecti; quod est contra Nauarrum num. 212. Sentit Couarrunias §. 5. num. 5. Et ratio est, quia merè per accidens sequitur mors accusatoris, cùm hic Aduocatus solùm intendat defendere reum?

Protestatio nihil iuuat Aduocatum; nam hæc sola est pro accusatore, ne Clerici impediantur accusare, quando id est necessarium ad repellendam iniuriam.

Quartò, testis fit irregularis, si ex ipsius testimonio sequatur mors, vel mutilatio per iudicem: nec excusatur protestatione, quòd non intendat Iudicium sanguinis; quia id Iure non est expressum, nisi de accusatore. 18 De Teste.

Probabile tamen est, testem excusari in eo casu, in quo tenetur in conscientiâ testari, præsertim si protestationem adiungat, quamuis hæc etiam non videatur esse necessaria. Nam in simili casu, quando videlicet obligatur defendere Rempublicam vel proximum, posset inuasorem etiam occidere absque irregularitatis nota, vt superiùs dictum est.

Quintò: Notarius, qui sententiam, vel dictat (etsi non scribat) aut recitat. Item qui sciens aut prudens literas scribit, quibus mors aut mutilatio præcipitur. 19 De Notario.

Vbi tamen semper aduertendum est, Vtrùm cẽseatur moraliter ad mortem, vel mutilationem alterius concurrere: si enim non concurrat, non erit irregularis. Vide Nauarrum num. 212. Vnde probabile est, famulos Notariorum, qui sententiam iudiciariam transcribunt, non fieri irregulares; quia non efficaciter cẽsentur cooperari occisioni; sicuti famulus vsurarij scribens in libro rationem dati & accepti, non cooperatur ad vsuras, vt alibi dictum est. Secùs de Notario, qui subscribit, & auctoritatem tribuit Scripturæ. Nec obstat Cap. *Aliquantos*, dist. 51. Quia solùm loquitur de Aduocatis, militibus, & curialibus, id est, officialibus curiæ, vt explicat Glossa; vbi non continentur famuli Notariorum. De famulo.

Sextò: Omnes Ministri Iustitiæ, & alij qui efficaciter censentur ad mortem, vel mutilationem cooperari. Vide Nauar. cap. 27. num. 209. & seq. Qui verò non censẽtur cooperari, etiamsi intersint dum fertur sententia, vel dum fit executio, non fiunt irregulares. 20 De Ministris Iustitiæ.

Vnde infertur Primò: Non esse eum irregularem, qui à Iudice impetrat, vt reus mitiore breuioreque morte afficiatur; verbi gratia, vt potiùs gladio feriatur, quàm lento cremetur igne: vel vt sacculus pulueris applicetur cordi, ne diu crucietur igne. Ratio est, quia hic non censetur cooperari absolutè eius morti, aut iuuare Iudicem; sicuti nec is, qui impetrat, vt reus, qui erat occidendus, solùm mutiletur: Tum quia, si iste reus iniustè plecteretur, ad nullam tenereris restitutionem, quod est signum quòd ad eius mortem non sis cooperatus, dum leuiorem mortem impetrasti: Tum denique, quia hæc irregularitas cõtrahitur ex defectu lenitatis: atqui is qui sic impetrat, habet perfectam Christianam lenitatẽ. Adde, nullo Iure contrarium probari posse. Si impetres mitiorem mortem.

Infertur Secundò: Idem probabile esse de ijs, qui vendunt funes, gladios, ligna, & alia huiusmodi, si passim omnibus vendant: quia probabile est, non censeri moraliter cooperari, nisi id faciant ob illum finem, idque externo signo prodant. Si vendas instrumẽta mortis.

DVBIVM VI.

Digitized by Google

DVBIVM VI.

Quis possit dispensare in hac irregularitate proueniente ex defectu lenitatis.

21 Quidam negant episcopum posse.

REspondeo & Dico Primò : Episcopum non videri hîc posse dispensare, vt plerique Doctores affirmant. Ratio est, Quia ante Concilium Tridentinum non poterat, & per Concilium non est ei facta potestas, nisi in irregularitate ortâ ex delicto occulto : hæc autem ex delicto non oritur.

Probabiliter potest.

Nota tamen, non esse improbabile, Episcopum posse in hac dispensare, vt docet Couarru. §. 3. in fine. Ratio est, Quia istud homicidium æquiparatur homicidio casuali in Iure (id est, quod casu factum est) in quo potest Episcopus dispensare. Vnde per quandam *Extrauag.* colligimus, simili modo posse dispensari in isto.

Habentes priuilegiũ

Dico Secundò: Omnes eos posse absolutè in hac irregularitate dispensare, qui habent priuilegium dispensandi generatim in omni irregularitate, exceptâ homicidij voluntarij, mutilationis, bigamiæ, & defectus natalium. Ita Caietanus Verbo *Irregularitas*, in fine Couarruuias suprà §. 3. & insinuat Nauarr. num. 240. Ratio est, Quia hæc irregularitas non est propriè ex homicidio. Nam homicidium est iniusta occisio, vt rectè Nauarrus suprà. Hinc sequitur, si Clericus in bello iusto aliquem occideret, quamuis peccaret contra præceptum iuris, non tamen committeret homicidium; quia non iniustè occideret : ac proinde irregularitas eius posset per tale priuilegium tolli.

CAPVT III.

De Irregularitate ex homicidio voluntario proprie dicto?

22 Homicidij voluntarij & casualis quid.

NOta ex Couarruuio parte 2. num. 2. homicidium dici *Voluntarium*, quod in se volitum est, vel in causa proximâ : vt si sciens & volens propines ei venenum, vel traijcias pectus aut caput. Quod autem præter intentionem euenit ex opere, dicitur *Casuale*.

DVBIVM I.

Quando multi concurrunt ad vnius occisionem, quinam efficiantur irregulares?

REspondeo & Dico Primò: Omnes illos censeri irregulares, qui cum cæteris concurrũt, quamuis vnus tantùm, & vnius manu occidatur. Ratio est, Quia omnes censentur vna causa moralis illius homicidij. Ita Couarr. 2. parte §. 2. num. 3. in Clementina, *Si furiosus*; & alij passim.

23 Omnes qui ad occisionem concurrunt, sunt irregulares. Excipe solùm comitantes.

Nota tamen : Probabile esse, si quis alios comitetur, & nihil omnino per se faciat, nec causa sit cur homicidium hîc & nunc fiat : id est, cùm his circumstantijs, *Celeriùs, acriùs, animosiùs, audaciùs*; &c. non esse irregularem. Et ratio est, quia non censetur cõtuliſſe quidquam, aut vllum præbuisse influxum in illud facinus : vnde etiam non tenetur ad restitutionem, vt alibi ostensum est.

24 Si multi ex intervallo vulnerent, cu tamen non letaliter.

Dico Secundò : Si multi vnum vulnerent, sed ex intervallo, sic, vt non censeantur instar vnius causę concurrere, si prior non inflixit vulnus letale, sed aliud non letale, non est irregularis, quamuis ille læsus ab alijs occidatur. Colligitur ex Capitulo *Significasti*, 2. de Homicidio: vbi respondet Pontifex, parochum, qui primò vulnerârat furem Ecclesiæ ornamenta asportantem, quẽ deinde Parochiani occiderunt, non esse irregularem, si vulnus non fuit letale: quod est contra Nauarrum num. 223. Si autem infligat vulnus letale; erit irregularis, quamuis ex eo reipsâ non sequatur mors, sed ab alijs occidatur. Colligitur ex eodem Cap. Vide Couarr. num. 4. §. 2.

Nota tamen quosdam dubitare; præsertim si vulnus non fuerit causa, cur citiùs moreretur : vt si repentè ab alijs fuit illi præcisum caput, vel cõfossum cor, vel cerebrum, sic vt reipsâ mors tantummodò sit secuta ex vulnere & læsione aliorũ. quod sanè videtur rationi consentaneum.

25 Si dubium quis occiderit.

Dico Tertiò : Quando non constat à quo quis fuerit occisus, vel à quo vulnus letale acceperit, omnes de quibus dubitatur, sunt irregulares. Est communior sententia. Vide Couarruuiam suprà. Ratio est: quia in dubio homicidij censendus est quisque irregularis: Capitulum *Significasti*, suprà.

Nota tamen, quosdam recentiores non improbabiliter dicere, hoc solùm habere locum in foro externo, idque maximè ante diligentem inquisitionem: in foro tamen conscientiæ, si post factam diligentem inquisitionem adhuc manet omnino dubium, quis sit auctor, neminem censendum irregularem: quia *Satius est crimen aliquod impunitum relinqui, quàm innocentes puniri.*

Si medici incuriosi.

Petes : Quid si vulnus non sit letale, & tamen Medici negligentiâ, vel malo suo regimine læsus moriatur, eritne vulnerator irregularis.

Respondeo: Verius videri non fore irregularem: contra Couarruuiam & Nauarrum. Ita Caietanus 2. 2. quæst. 64. art. 8. Et Sotus lib. 5. de Iust. quæst. 1. art. 9. Ratio est, quia mors non sequitur ex vi vulneris; sed aliunde. Vnde etiam non tenetur ad restitutionem. Colligitur etiam ex Capitulo *Significasti*, 2. de Homicidio, vbi requiritur vt *vulnùs sit letale*. Dices : si quis mandet famulo, vt aliquem iniustè percutiat, non tamen letaliter; famulus tamen occidat; mandans erit irregularis, quia est causa mortis: debuisset enim cogitare, facilè ex eiusmodi mandato posse mortem sequi; vt colligitur ex Capitulo vltimo, de Homicidio in 6. ergo hîc similiter. Respondeo. Negando Consequentiam: Quia est dispar ratio. Nam ibi reuerà infligitur vulnus letale ab eo, cui datum est mandatum vulnerandi : hîc autem non infertur vulnus letale.

DVBIVM II.

Vtrùm mandans homicidium semper fiat irregularis?

REspondeo & Dico Primò: Mandantem fieri irregularem, si homicidium sequatur. Excipe, nisi anteà reuocauerit mandatum, & reuocatio innotuerit mandatario. Tunc enim non censetur causa moralis. Ita Couarr. §. 3. num. 3. Nauarrus num. 223.

26 Si ex mandato homicidium sequatur.

Si rectum habeat.

Dico Secundò : Ex eo, quòd quis rectum habeat homicidium suo nomine factum, si ipse anteà nullo modo illius causa fuit per aliquod signum externum, non efficitur irregularis. Couarruuias. §. num. 4. Est contra Nauarrum, num. 223. Ratio est, Quia non censetur præbuisse influxum

Digitized by Google

in facinus & cooperationem. Nam etsi ratihabitio æquiparetur mandato, id verum est in contractibus, & quoad culpam contrahendam; non tamen in inferendo damno, aut etiam [illegible] Iuris. Quia ratihabitio sequitur ipsum opus, ac proinde non potest esse causa efficiens operis.

DVBIVM. III.

Vtrùm consentiens fit irregularis?

27 Si ex consilio homicidium sequatur.

REspondeo & Dico Primò: Fieri irregularem, si ex consilio sequatur homicidium, vel mutilatio: vel si alter sine tuo consilio non erat facturus, vel non ita citò, vel non ita animosè & audacter. Est communis sententia.

si dubium.

Dico Secundò: Quando dubium est, an sine tuo consilio fuisset facturus, præsumitur non fuisse facturus: Nam *in dubio nemo præsumitur peccaturus*. Vnde in eo casu Consultor erit irregularis. ita Couar. §. num. 4. p. 2.

28 Si consilium reuoces.

Dico Tertiò: Si consulens reuocet consilium: alter tamen, persuasus prioribus eius rationibus, nolit desistere, consultor fiet irregularis. Ratio est: Quia eius consilium verè est causa. Secùs est de mandato, quia mandatarius agit vices mandantis: vnde hoc ipso, quo mandatum reuocatur, cessat omnis ratio exequendi mandatum. Sed qui consilium accipit, agit partes suas: vnde etsi consultor reuocet consilium, nisi persuaserit contrarium, semper manet ratio exequendi consilij.

Si consilium licitum.

Dico Quartò: Consultor nunquam fit irregularis, quando alter, cui dat consilium, vt mortifere exponat, licitè id potest, v. g. pro liberatione parentum, amicorum, & aliorum. Ratio est, quia mors censetur illi inuoluntaria, & casu obueniens, nullaque intercedit culpa in concilio dando. Vide Couar. p. 2. §. 4. num. 9.

29 Si volenti occidere, suadeas mutilationem.

Petes: Vtrùm, si latroni volenti occidere Petrum, persuadeas vt potiùs illum mutilet, sis irregularis?

Respondeo, Non esse: tum quia illa mutilatio non censetur tibi voluntaria, solùm enim intendis auertere eius mortem: tum quia sine omni culpa ita consulis: atqui ex homicidio vel mutilatione, quæ priuatâ auctoritate fit, non contrahitur irregularitas sine propriâ graui culpâ, iux à suprà dicta.

DVBIVM. IV.

Vtrùm non impediens homicidium sit Irregularis?

30 Si teneatur impedire ex iustitia

DIco Primò: Qui ex iustitiâ tenetur impedire, si dolosè omittat, & ideircò contingat aliquem occidi, fiet irregularis. Est communis. Vide Nauarr. num. 231. Ratio est, quia in foro externo talis tenetur homicidij reus. Sine tamen dolo vel negligentiâ craſſâ, quæ dolo æquiparetur, nullam incurrit hæc irregularitas. Vnde infertur, dominum, si iniuriâ ab aliquo affectus, videat famulos vel amicos velle interficere eum, qui iniuriâ affecit, & non conetur impedire, fieri irregularem homicidio secuto. Vide Couarr. §. 2. nu. 7. Si autem bona fide conetur impedire, non fiet irregularis, quamuis ipse rixam vel litigium inique aduersus eum excitârit. Vide Nauarrum num. 236.

31 Si solum teneatur ex charitate.

Dico Secundò: Qui solùm ex charitate tenentur, etiamsi negligentiâ vel dolo se subtrahant, non fient irregulares secuto homicidio. Est communior sententia Doctorum. Vide Nauarrum cap. 24 num. 22. Ratio est, quia non peccant contra iustitiam; ac proinde nec peccato homicidij. Idem dico, etiamsi alijs suadeant, ne se immisceant. Si tamen vi vel fraude alios à periclitantis defensione auertant, fient irregulares: quia peccant contra iustitiam.

CAPVT IV.

De Irregularitate quæ prouenit ex homicidio seu mutilatione casuali?

DVBIVM I.

Quinam contrahant Irregularitatem ex homicidio vel mutilatione, quam casu inferunt?

32 Si abhibeas necessariam circumspectionem non noceas.

DIco Primò: Qui dat operam rei licitæ, & adhibet necessariam circumspectionem ne noceat, non fiet irregularis, etiamsi sequatur homicidium, vel mutilatio. Patet dist. 50. multis capitibus. Ratio est, quia tale homicidium nullo modo censetur voluntarium. Aduerte, eam diligentiam, ceu circumspectionem sufficere, quæ à viris prudentibus in simili opere solet adhiberi, spectatis omnibus circumstantijs.

33 Si eam non adhibeas.

Dico Secundò: Qui dat operam rei licitæ vel illicitę, si non adhibeat debitam circumspectionem ne noceat, fiet irregularis, secuto homicidio, vel mutilatione. Est certa & communis sententia. Ratio est, Quia tale homicidium censetur indirectè, & in suâ causâ voluntarium; vt si deijcias regulam è tecto, nec clames vt caueant.

requiritur grauis negligentia.

Petes: Quæ culpa negligentię requiratur, vt hæc irregularitas incurratur?

Respondeo: Leuissima non sufficit; quia nullâ lege tenemur summam diligentiam præstare. Neque etiam sufficit culpa vel negligentia leuis; quia non tenemur facere, quod diligentiores faciunt. Requiritur ergo negligentia grauis, quę sit peccatum mortiferum ob periculum rei, vt docet Nauarrus num. 228. multique alij recentiores, vt Couarruuias, Paludanus, Castro, Petrus Nauarra, Sotus, &c. Ratio est, quia lex non punit, nisi actus perfectos in materiâ quam prohibet; non censetur autem perfectus, nisi sit perfectè voluntarius: atqui id, quod fit ex negligentiâ, non censetur perfectè voluntarium, nisi sit negligentiâ, grauis. Confirmatur, Quia qui bonâ fide aliquid facit vel omittit, vnde mors sequitur, non fit irregularis: vt patet de Clerico ordinato ante legitimam ætatem, & bonâ fide celebrante: hic enim non fit irregularis, vt docet couarruuias 1. parte §. 1. num. 4. Atqui negligentia leuis non excludit bonam fidem; sed dolus duntaxat, & negligentia grauis, quæ dolo æquiparatur, vt docet Couarruuias regulâ *Possessor*. 2. parte cap. 7. num. 6. Hinc sequitur, eos qui regunt infirmos, si moueant eos, vt meliùs quiescant, vel vt cibum sumant, vel aliquid propinent bonâ fide, vnde contingat accelerari mortem, non fieri irregulares, nisi id fecerint tam temerè seu incircumspectè, vt peccârint mortiferè; vt rectè Couar. 2. parte nu. 3. & 10. Sotus lib. 5. de Iustit. quæst. 1. art. 9. Nauar. num. 229.

Dico Tertiò: Valdè probabile est etiam, eum qui dat operam rei illicitę, quia periculosa & ten-

44

dens ad homicidium, ſi debitam circumſpectionem adhibeat, ne grauis noxa ſequatur, non eſſe irregularem, etſi fortè ſecuta fuerit. Ita multi recentiores hoc tempore. Ratio eſt, Quia homicidium ſecutum cenſetur planè inuoluntarium: diligentia enim illa abſtergit periculum, ratione cuius videtur tendere ad homicidium. Eſt contra Couarr. Nauarrum, Sotum, & alios.

Peccat clericus exercendo chirurgiam, etſi non fiat irregularis.

Hinc ſequitur, Clericum peritum chirurgiæ, ſi ſecundùm artis præcepta incidat, vel vrat, etſi peccet contra præceptum Iuris, quo tale miniſterium, tãquam indecorum eius ſtatui, prohibetur, non tamen fieri irregularem, etſi fortè mors ſequatur; quia cenſetur omninò inuolũtariè ſequi. Quod confirmo; Quia Laicus in huiuſmodi caſu non fiet irregularis, vt omnes fatentur: ergo neq; Clericus; Iura enim non conſtituunt differentiam inter Laicum & Cleticum in hâc ſpecie.

Dices, Ille Clericus tenebatur vitare illam inciſionem ob periculum homicidij: ergo, ſi non vitet, ei imputabitur.

Reſpondeo, Si erat peritus, non tenebatur vitare præcisè ob periculum, ſed ob præceptum Iuris, quod vetuit hanc inciſionem generatim Clericis: partim, quia dedecet eorum ſtatum; partim, quia plerumque Clerici non ſunt ita periti, vt res illa poſtulat ad vitandum homicidium. Cum hoc tamen ſtat, quod ſi quis Clericus teperiatur ſatis peritus, qui omnem diligentiam neceſſariam præſtet, hunc non cenſeri cauſam mortis, ſicuti nec Laicus cenſetur.

DVBIVM II.

Quis poſſit diſpenſare in homicidio voluntario, & caſuali?

35 In homicidio voluntario ſolus Papa diſpenſat.

Respondeo & Dico Primò: In irregularitate ex homicidio voluntario, etſi occulto, ſolus Papa diſpenſare poteſt, non autem Epiſcopus. Patet ex Concilio Tridentino ſeſſ. 24. cap. 6. vbi excipit homicidium voluntarium: & ſeſſ. 14. c. 7. ſtatuit Concilium, vt talis homicida careat omni ordine, beneficio, & officio eccleſiaſtico. Vbi tamen.

Aduerte Primò: Si iſte habebat anteà bene ficium, non eſt priuatus ipſo facto, ſed priuandus per Superiorem, causâ cognitâ: Couar. §. 3. num. 6.

quid in eo aget Epiſcopus?

Aduerte Secundò: Probabile eſſe, Epiſcopum poſſe diſpenſare, vt homicida voluntarius, ſi crimen occultum ſit, Minoribus iam ſuſceptis vtatur; imò, ſi cauſa iuſta ſubſit, vt etiam in ſacris anteà ſuſceptis miniſtret: quia concilium ſolùm vetat promoueri ad ſacros Ordines. Ita tenent multi ex recentioribus, & Couarr. §. 3. num. 4. qui etiam num. 6. docet, ab Epiſcopo poſſe admitti ad beneficium ſimplex: quod etſi dubium ſit, ſaltem Epiſcopus poteſt diſpenſare, vt beneficium anteà obtentum retineat.

36 quid aget in homicidio caſuali.

Dico Secundò: In irregularitate ex homicidio caſu facto, ſi ſit occultum, & nondum deductum ad forum externum, poteſt Epiſcopus abſolutè diſpenſare ad omnes Ordines. Patet ex Tridentino, ſeſſ. 24. cap. 6. Tale homicidium eſt, quodcõmittitur in ſui defenſionem, ſine debito moderamine: item ſi Clericus exercens chirurgiam, aliquem interficiat ex negligentia, vel imperitia: item ſi dominus mãdet famulo, vt inimicum percutiat non letaliter, & tamen famulus occidat.

Huc etiam referri poteſt homicidium ex ſubitâ irâ commiſſum, quia non cenſetur voluntarium, cùm non ſit factum per inſidias, vel induſtriam; quod tamen Concilium videtur requirere, vt dicatur voluntarium.

Dico Tertiò: Si homicidium caſuale ſit publicum, Epiſcopus non poteſt diſpenſare, niſi ad Ordines Minores, & ad beneficium ſimplex. Ratio eſt: quia Iure antiquo hoc tantum poterat, & cõcilium circa hoc nihil innouauit. Vide Nauarr. num. 240.

CAPVT V

De Irregularitate ex delicto notorio, & infamia?

DVBIVM I.

Quinam ratione delicti ſint Irregulares?

37 Si crimen occultum.

Respondeo & Dico Primò: Nemo ſit irregularis ob aliquod delictum occultum, quantumuis ſit graue, niſi hoc delictum ſit violatio cẽſuræ, vel crimen homicidij, aut quædam violatio Sacramenti. Ita Nauar. n. 248. & alij. Vnde hæreticus occultus non eſt irregularis.

Si crimen publicum.

Dico Secundò. Crimen publicum, cui annexa eſt infamia Iuris, inducit irregularitatem. Eſt communis. Vide Nauarr. num. 204. Pro quo

Infamia Iuris dupliciter incurritur.

Notandum eſt, Infamiam Iuris incurri dupliciter: Primò, Per ſententiam Iudicis definitiuam, quâ quis de aliquo crimine condemnatur. Secundò, Per quædam crimina, quibus ſtatuto Iuris annexa eſt infamia. Vide Silueſt. Verbo: *Infamia*, num. 8. & 9. Huiuſmodi ſunt periurium in iudicio, ſimonia, ſodomia, improbum fenus, id eſt, vbi vſuræ vſurarum exiguntur, ſacrilegium, duellum, crimen læſæ maieſtatis, hæreſis, ſimiliter eſſe fautorem defenſorem, receptatorem hæreticorum. Hi omnes ita ſunt irregulares, quando crimen eſt publicum, vt per pœnitentiam non purgẽtur, ſed opus habeant diſpenſatione.

38 An, & quando, filius hæretici ſit irregularis.

Ob eandem cauſam irregulares ſunt filij hæreticorum, fautorum, defenſorum & receptatorum. Patet capit. *Statutum* 2. *de Hæreticis* in 6. Et quidem ſi pater erat hæreticus, filius erit irregularis & nepos: ſi autem mater tantùm, ſolus filius erit irregularis, non nepos. Vbi

Aduerte Primò: Requiri vt filius natus ſit, parente iam hæretico: ſi enim ante hæreſim natus ſit, non erit irregularis, quia non eſt filius formaliter hæretici. Secundò requiritur, vt conſtet parentem deceſſiſſe in hæreſi, vel certè adhuc hæreticum eſſe: ſi enim reconciliatus obijt, vel cum ſignis pœnitentiæ, filius non erit irregularis.

Adde: Non eſſe improbabile, filium nõ fieri irregularem, niſi parens ſit condemnatus de hæreſi; vel certè in iudicio conuictus, id enim videtur inſinuare Capitulum, *Statutum*, ſi rectè expendatur.

Dico Tertiò, Alia crimina notoria, etſi digna ſint depoſitione, ſi tamen non habeant annexam infamiam Iuris, non inducunt veram irregularitatem, niſi poſt ſententiam Iudicis.

39 Si crimen non habeat annexam Infamiam Iuris.

Ratio eſt, quia vera irregularitas non tollitur per pœnitentiam: hęc autem infamia per pœnitentiam & vitæ mutationem, vel etiam per purgationem canonicam tollitur. Vnde per adulteriũ, & crimina adulterio minora, non incurritur vera irregularitas, quamuis notoria ſint; ſed ſuſpenſio quædam ob indecentiam, donec infamia ſit ab-

Digitized by Google

ſterſa, iuxta Couarruuiam 2. parte §. 1. num. 4. Quod eſt contra Nauarrum, qui cum multis alijs propter Capit. *quæſitum eſt*, de temporibus ordinandorum, putat incurri irregularitatem. Verùm hoc Capitulum non cogit, quia facilè exponi poteſt de ſuſpenſione, ſicut exponit Couarruuias: vel certè, quòd ſolùm contineat pœnam inferendam: tantùm enim ait, eos qui laborant infamiâ facti, impediri debere ab Ordinibus. Ratio eſt, quia hæc delicta ſolùm faciunt inhabilem ad Ordines, & eorum vſum, ob infamiam facti: ergo hâc infamiâ abſtersâ, erit & inhabilitas abſterſa. Et fauet ipſe Nauarrus num. 204. vbi dicit, emendationem vitę interdum tollere quandâ irregularitatem: vbi irregularitatem non accipit propriè, ſed pro quodam modo ſuſpenſionis.

DVBIVM II.

Quis poſſit in hac irregularitate diſpenſare.

40 REſpondeo & Dico Primò: In adulterio & huiuſmodi criminibus, quibus per ſe non eſt annexa infamia iuris, poſt peractam pœnitentiâ, & deterſam infamiam facti, non eſt opus diſpenſatione. Ratio eſt, quia hæc non inferunt veram irregularitatem, niſi poſt ſententiam Iudicis; ſed ſolùm quandam ſuſpenſionem ob indecentiâ, quæ, ſublatâ infamiâ, ſponte perit.

Dico Secundò: Si quis de huiuſmodi crimine ſit condemnatus per ſententiam, diſpenſare poteſt Epiſcopus in infamiâ Iuris contractâ per illam ſententiam; vt colligitur ex Capit. *At ſi clerici*; de Iudicijs.

Dico Tertiò: In irregularitate, quæ oritur ex crimine enormi, habente annexam per ſe infamiam Iuris, non poteſt Epiſcopus diſpenſare. Talis eſt ea, quæ oritur ex Hæreſi, Apoſtaſia, Sodomia, & ſimilibus. Vide couarr. lib. 3. Variarum cap. 3. num. 3.

CAPVT VI.

De Irregularitate ex delicto circa Sacramenta?

DVBIVM I.

Vtrùm repetens Sacramentum, quod imprimit characterem, ſit irregularis?

41 Abſolutè bis baptizans aut bis baptizatus.

REſpondeo & Dico Primò: Qui ſciens bis baptizatur, aut eundem abſolutè bis baptizat, ex communi ſententia cenſetur irregularis. Dicò, *Abſolutè*, quia qui ſub conditione tacitâ vel expreſſâ rebaptizat, vel rebaptizatur, non fit irregularis: ſicut nec is, qui ſub conditione contrahit cum conſanguineâ, eſt excommunicatus excommunicatione latâ contra inceſtas nuptias. Ratio eſt, quia rebaptizare ſub conditione, non eſt ſimpliciter rebaptizare, contra quod tantùm pœna eſt ſtatuta.

Aduerte tamen, non eſſe improbabile, eum qui rebaptizat, non fieri irregularem: quia in iure nō eſt expreſſum niſi de eo qui rebaptizatur, & de Acolytho miniſtrante Sacerdoti rebaptizanti: vt dictum eſt de Baptiſmo q. 66. art. 9. dub. 1. Vide Capit. 2. *de Apoſtatis.*

Bis confirmatus, ordinatus. &c.

Dico Secundò: Bis Confirmatus, vel bis eundem Confirmans: bis Ordinatus eodem Ordine, vel Ordinans; & bis conſecrans eandem hoſtiā; non ſunt irregulares, quidquid dicat Nauarrus, & quidam alij. Ratio eſt, quia non eſt Iure expreſſum. Doctores autem non poſſunt inducere irregularitates, argumentando à ſimili, vel pari, vel à maiori.

DVBIVM II.

Quinam ex indebitâ receptione, vel vſu Ordinum fiant irregulares?

Dico Primò: Clericus vtens Ordine, quem nō habet, non fit irregularis, niſi vtatur Ordine ſacro in Baptiſmo ſolenni, id eſt, adhibitis cæremonijs baptiſmi; vel in officio diuino, ſcil. celebrando Sacrum; cùm non ſit Sacerdos canendo Epiſtolam tanquam Subdiaconus cum manipulo; Euangelium tanquam Diaconus cum ſtolâ: item benedicens aquam, templum, calicem, &c. cum Ordine illo careat. Patet ex Cap. 1. *de Clerico non ordinato miniſtrante.* Non tamen ſit irregularis, ſi abſoluat à peccatis, tametſi Sacerdos non ſit. Ratio eſt, quia abſoluere à peccatis, non eſt exercere officium Diuinum. Vide Silueſtrum, Verbo *Confeſſor* 1. in principio, & Franciſcum Victoria q. 143. 42 si Clericus vtatur ordine, quem non habet. si abſoluat cùm non ſit Sacerdos.

Dico Secundò: Laicus non fit irregularis, etiam ſi baptizet ſolemniter, vel ſimulet ſe vti Ordine ſacro in officio diuino. Eſt contra Nauarrum & multos alios. Patet, quia Ius non loquitur, niſi de clerico, vt apparet ex titulo; qui ſic habet: *de Clerico non ordinato miniſtrante.* Canones enim, qui titulo ſubijciuntur, intelligendi ſunt prout poſtulat titulus. 43 si id faciat Laicus.

Dico Tertiò: Exercens actum Ordinis ſacri quem habet, ſi ligatus ſit cenſurâ excommunicationis, ſuſpenſionis ab Ordine ſacro, vel interdicti, eſſicitur irregularis. Eſt communis ſententia. Excuſat tamen Primò, ignorantia ſui vinculi, ſi non ſit craſſa. Secundò, excuſat neceſſitas: vt ſi Parochus celebret ad vitandam infamiam vel ſcandalum, quamuis ſit excommunicatus; vel ſi miniſter ſubdito petenti Sacramenta, ſi alium nō habeat, quem ſubſtituat. Ratio eſt, quia his modis nihil temerè præſumit, imò nec peccat. Pari modo non contrahit irregularitatem, ſi baptizet, Epiſtolam vel Euangelium canat ſine ſolemnitate; id eſt, ſine manipulo & ſtola; quia non cenſetur exercere actum Ordinis ſacri. 44 si ligatus cenſurâ, exerceat actum Ordinis ſacri

Dico Quartò: Qui ligatus cenſurâ excommunicationis recipit Ordinem, præſertim ſacrum, fit irregularis. Eſt communis, ex Capitulo *Cùm illorum*, de Sententia excommunicationis. Vtrùm verò, ſi minores recipiat, fiat irregularis, eſt dubium. Plerique putant eſſe irregularem; quia canon generaliter loquitur de Ordine eccleſiaſtico. Sed contrarium non eſt improbabile: quia cùm Canones de Ordinibus eccleſiaſticis loquuntur, ſæpè tantummodò ſacros intelligunt; vt videre eſt in Concilio Tridentino ſeſſ. 14. cap. 7. *De reformatione.* 45 si excōmunicatione recipiat Ordines.

Dico Quintò: Qui in ſuſpenſione recipit Ordinem ſacrum, non videtur fieri irregularis: quia Iure non eſt expreſſum. Eſt contra Nauarrum. Ratio eſſe poteſt, quia ſuſpenſio eſt directè ab exercitio Ordinis ſuſcepti, & ſolùm ex decentiâ impedit ſuſceptionem noui. Idem probabile eſt, ſi quis in interdicto conſtitutus ordinetur: quia Iure non invenitur expreſſum. 46 si in ſuſpenſione eos recipiat.

DVBIVM III.

Vtrùm ex indebitâ Ordinatione fiat quis irregularis?

47 Si ordinat⁹ ab episcopo ligato censurâ

Dico Primò: Ordinatus ab Episcopo excommunicato, suspenso, vel interdicto denuntiato, vel ab eo qui est notorius Clerici percussor, vel ab eo qui absolutè renuntiauit dignitati Episcopali, est irregularis. Ita Nauarrus num. 241. & alij. Excusatur tamen, qui vi vel metu graui sic ordinatur; quia tunc cessant leges Ecclesiæ pœnales. Item, excusatur, qui ignorat Episcopi impedimentum; modò ea ignorantia non sit crassa. Nam irregularitas posita in pœnam, non incurritur, nisi ob culpam mortiferam.

48 Si ordinat⁹ ab alieno.

Dico Secundò: Ordinatus ab alieno Episcopo sine licentiâ proprij, non est irregularis; sed ipso facto suspensus, quamdiu proprio Episcopo videbitur. Ita Concilium Tridentinum sess. 23. cap. 8. Ante Concilium solùm erat suspendendus. Nam Bulla Pij II. per quam ipso facto suspendebatur, passim omnibus erat ignota. Vide Nauarrum cap. 25. num. 70. & Couarr. 2. parte §. 1. num. 4.

49 Si ordinat⁹ ante legitimã ætatem, & extra statuta tempora.

Dico Tertiò: Ordinatus ante legitimam ætatem, aut extra tempora à Iure statuta, non est irregularis, sed suspensus ab executione Ordinum: quòd si fungatur Ordine sic suscepto, fiet irregularis per Bullam Pij II. Vide Nauarr. num. 242. Hæc tamen Bulla non videtur adhuc vbique recepta, vt notat Fumus. Saltem si quis bonâ fide Ordine sic suscepto fungatur, nõ fiet irregularis, vt notat Couar. suprà; & Nauar. in Capit. *Accepta*, in solutione oppositionis octauę, nu. 34. Ratio est, quia illa Extrauagans requirit, vt quis cum præsumptione ministret. Nec obstat Bulla Sixti V. quia reuocata est ad limites iuris communis à Gregorio XIV. præterquam vbi tangit simoniacos; ibi enim in suo vigore relicta est.

50 Si duos ordines simul suscipiat.

Dico Quartò: Qui duos Ordines sacros simul suscepit, suspensus est à posterioribus. Vide Nauar. cap. 25. n. 71. Idem dicendum de eo, qui quatuor Minores, & Subdiaconatũ eodem die temerario ausu recipit, vt habetur Capitulo 2. *De eo qui furtiuè Ordines suscipit*. Secùs est, Si Episcop⁹ illum ad hoc inuitet, & ipse bona fide recipiat; quia Canon requirit ausum temerarium.

51 Si per saltũ ordinetur.

Dico Quintò: Qui per saltum ordinatur, est suspensus ab Ordine sic suscepto. Quòd si non ministrauerit in illo, Episcopus potest dispẽsare, vt, postquam Ordinem relictum susceperit, ministret. Ita Concilium Trident. sess. 23. cap. 14. Quòd si ministrauerit ante dispensationem, fit irregularis, in qua irregularitate solus Papa dispensat; vt colligitur eodem loco: quod intellige, si delictum est notorium; si enim est occultum, potest etiam dispensare Episcopus per facultatem ei concessam sess. 24. cap. 6.

DVBIVM IV.

Vtrùm, quando quis suscipiendo Ordinem Presbyteratus ante legitimam ætatem, vel extra statuta tempora, incurrit suspensionem, fiat irregularis; si celebret cum Episcopo?

Videtur enim fieri irregularis, quia vtitur Ordine sacro, à quo est suspensus.

52 Non fit irregularis.

Respondeo: Non fieri irregularem. Ratio est: Nam susceptio Ordinis, & illa celebratio cum Episcopo censentur vnus actus: celebratio enim est necessariò annexa; vnde solùm incurrit suspensionem.

Etsi episcop⁹ addat excommunicationem.

Idem dicendum, Si Episcopus sub pœna excommunicationis prohibeat, ne quis cum aliquo Canonico impedimento ordinetur. Si enim contra huiusmodi præceptum cum impedimento ordineris, incurres quidem excommunicationem, non tamen irregularitatem celebrando in illa excommunicatione cum Episcopo. Secùs verò, si posteà celebres; tunc enim fies irregularis. Ità communiter recentiores.

CAPVT VII.

De Irregularitate ex defectu corporis?

DVBIVM I.

Quis defectus corporis faciat irregularem?

53 Si nequeat decore obire sacrũ ministerũ

Respondeo & Dico Primò, Omnis defectus corporis, & omnis deformitas reddit hominem irregularem, quæ facit, vt nequeat decore sacrum ministerium obire. Quis autem talis defectus sit, Episcopi est in dubio arbitrari. Sic carens altero oculo est irregularis, quia est notabilis deformitas; secùs verò si solùm careat aspectu alterius oculi siue dextri, siue sinistri, quia id exterius non est notabile, & facilè in celebrando potest ita se aptare, vt nulla sit indecentia. Ita Nauarr. num. 199.

Si Epilepticus.

Huic referendi sunt Epileptici, id est, qui morbum caducum patiuntur, qui nunquam possunt ordinari: si autem post ordinationem incidant, non possunt offerre, quamdiu est periculum relabendi. Vide Nauarr. nu. 203.

54 Si culpabiliter tibi ipsi membrũ abscideris

Dico Secundò: Si quis sibi membrum per culpam abscidit, est irregularis, etiamsi talis defectus non impediret vsum Ordinis, nec adferret notabilem deformitatem. Ratio est, Quia est mutilator.

Si inuito membrum abscissum.

Dico Tertiò: Cui inuito ab alio membrum abscissum est, non est irregularis, etiamsi id ob culpam passus sit, nisi inde fit notabilis deformitas & ineptitudo. Est contra Nauar. n. 198. & quosdam alios; sed tenent multi recentiores: nusquã enim in Iure, id est expressum: vt si ab hoste vel inimico sis mutilatus ob factam illi iniuriam; si in duello sis mutilatus; si à marito adulteræ inuentus in adulterio sis mutilatus. Quòd si à iudice sis mutilatus per sententiam; non tam es irregularis ob mutilationem, quàm ob infamiam Iuris, quam per sententiam incurristi.

55 Si partem digiti tibi abscideris

Dico Quartò: Qui sibi partem digiti abscidit ex indignatione per culpam, quamuis per hoc non sit factus inhabilis ad celebrandum, est tamen irregularis. Patet ex Capitulo *Qui partem*, dist. 55. Idem dicendum de eo, qui sibi ex culpâ alterius membri partem abscidit. Hoc tamen est limitandum, quando notorium est, eum hoc culpabiliter fecisse. Vide Couarr. p. 1. num. 6. & Nauarr. num. 198.

Si abscideris alteri digitum vel auricu.

Dico Quintò: Qui alteri digitum abscidit vel pollicem, vel auriculas, non est irregularis, etiãsi alter ob inhabilitatem ad Eucharistiam tractandam factus sit irregularis. Est communis Canonistarum. Ratio est, quia non abscidit membrum: digitus enim non est membrum, sed pars membri; auris etiam membrum non est, sed ornamentum.

Digitized by Google

quid membrum. Membrum enim dicitur, quod per se integra aliquam functionem habet.

DVBIVM. II.

Quis dispenset in hac Irregularitate?

56 si totum membrū. DIco Primò: Solus Papa dispensat super irregularitate, quæ prouenit ex notabili corporis deformitate, vel epilepsiâ, & similibus. Nauarrus num. 200.

si pars membri. Dico Secundò: Solus etiam Papa dispensat in irregularitate, quę ex abscissione partis membri orta est. Ratio est, quia hæc nascitur ex delicto notorio: si enim ea mutilatio fieret ex delicto occulto, cùm non sit mutilatio membri, sed partis membri, non induceret irregularitatem.

si membrū secretū tibi abscideris. Dico Tertiò: Episcopus potest dispensare cum eo, qui sibi fecit abscindi membrum, purans obsequium se præstare Deo, modo defectus sit occultus. Patet Capitulo *Significauit*, De corpore vitiatis. Vide Couar. 1. p. in principio nu. 6.

CAPVT VIII.

De Irregularitate ex bigamia?

DVBIVM I.

Quis dicatur Bigamus, seu bigamus?

57 Bigamus quis. REspondeo: Bigamus proprie dicitur, qui binas nuptias iniit: γάμος enim nuptias significat.

explicatur Apostol°, de vnius vxoris viro. Quòd autem hoc sit impedimentum Ordinum, patet ex Apostolo, qui in Episcopo, Presbytero, & Diacono requirit, vt non sint bigami, 1. ad Timoth. 3. & ad Tit. 1. vers. 6. cùm ait. *Oportere esse vnius vxoris virum*, id est, *non bigamum*, vt Patres interpretantur, excepto Theodoreto. Quod confirmatur, quia eâdem epistolâ Apostolus iubet, vt eligatur vidua, *quæ fuerit vnius viri vxor*: quod non potest intelligi, quòd excludatur solùm illa, quæ simul habuit duos viros, hoc enim nunquam fuit licitum aut vsitatum; sed solùm excluditur, quæ habuit duos viros successiuè: ergo similiter cùm ait, *Episcopum debere esse vnius vxoris virum*, hoc dicit vt excludatur is, qui successiuè habuit duas vxores.

Ratio verò, cur bigami censeantur irregulares, est, non quòd secundæ nuptiæ Sacramento careant, vt hæretici calumniantur, sed quia carent quadam Sacramenti significatione. Nam per secundas nuptias non benè significatur vnio Christi cum Ecclesiâ vnicâ suâ sponsâ, cuius tamen personam Clerici gerere debent.

DVBIVM II.

Quotuplex sit Bigamiâ?

58 Bigamia triplex. *Vera.* REspondeo, Est triplex, iuxta communem Doctorum sententiam, *Vera*, *Interpretatiua*, & *similitudinaria*. *Vera* est, cùm quis duas vxores legitimas habet, vel habuit, siue ante, siue post baptismum; siue alteram ante, alteram post; & cum vtrâque consummauit. Postremum hoc addo, quia ad omnem bigamiam requiritur consummatio per coniunctionem affectu maritali factam. Ratio est: Quia sine consummatione non est facta diuisio carnis.

Interpretatiua, eaque duplex. *Interpretatiua* est varia: Primò, cùm quis duxit viduam, vel ab alio corruptam, & consummauit. Quod de corrupta dicitur, non rectè probatur ex Cap. *Si quis viduam*, dist. 50. quia ibi tantùm dicitur, *Si quis viduam vel ab eo relictam duxerit*. Itaque debet alteri fuisse coniuncta. Probatur tamen ex Cap. *qui in aliquo*, dist. 51. vbi dicitur, *qui corruptarum mariti fuerint*: & Cap. *Maritum*, dist. 33. Secundò, cùm quis cognouit vxorem suam, postquam illa adulterium perpetrauit, siue ipse id sciat, siue ignoret.

Hi duo modi admittũtur ab omnibus; suntque fundati in Iure. Quamuis, si quis benè aduertat, Canon in secundo requirat vt constet vxorem adulterium perpetrasse. Vide Cap. *Si cuius*, & seq. 34. dist. Imò videtur adulterium debere esse euidenter probatum, vel certè notorium. Sed addunt plerique duos alios. Prior est, cùm quis contraxit cum duabus simul viuentibus, etsi cum vtraque, vel cum alterâ tantum inualidè, & consummauit. Alter modus est, quando contraxit cũ duabus successiuè, id est, mortuâ priore cum secundâ, quamuis inualidè cum alterâ, vel cum vtrâque. Ita Nauar. n. 195. & Couar. 1. p. §. 2. in Clemet. *Si furiosus*. Verùm hi duo vltimi modi non possunt probari ex Iure. Nam Cap. *Nuper*, de Bigamis, quod adferunt, loquitur de clerico, qui mortua vxore in sacris ordinatus, secũdam duxit, etsi inualidè. Capitulum *Presbyterum*. 28. dist. est obscurum, & solùm loquitur de Presbytero qui nuptijs non legalibus iungitur. Vnde probabile est duos istos modos non inducere irregularitatem. Ita Henriches lib. 2. *de Matrimonio*, cap. 6.

59 *Similitudinaria*, eaque quadruplex. *Similitudinaria bigamia* est varia. Primò, si Professus religionis approbatæ, vel insignitus Ordine sacro matrimonium contrahat cum aliqua, quamuis virgine, & consummet affectu maritali. Sed neutrum habetur in Iure expressum.

Secundus modus, si Clericus, vel etiam Laicus contrahat cum Moniali professa. Verùm neque hoc in Iure reperitur.

Tertius ergo modus sit, Si clericus Ordinis sacri contrahat cum aliqua viduâ, & affectu maritali consummet: hic enim, etsi non fiat verè bigamus, cum matrimonium sit irritum, tamen incurrit pœnam bigamorum, scilicet irregularitatem, vt habetur Capit. *vltimo*, de Bigamis: diciturque per similitudinem bigamus. Secùs verò, si Laicus vel Clericus Minorum ordinum contrahat cum vidua, propter aliquod impedimentum inualidè: hic enim non fiet irregularis, vt rectè notauit Nauarr. nu. 191. Quia hoc Iure non est expressum.

Quartus modus, Si mortuâ priore vxore initieris sacris, & posteà rursus contrahas, quamuis inualidè, incurris pœnam bigamiæ, id est, irregularitatem, quamuis verè bigamus non sis. Habetur expressè Capitulo *Nuper de Bigamis*. Alij modi non inueniũtur huiº similitudinariæ bigamiæ. Vnde patet eam tantummodò incurri à Clerico in sacris constituto, qui contrahit & cõsummat cum vidua; vel qui contrahit & consummat cum virgine, & ante Ordines sactos iunctus fuit matrimonio.

Ex dictis sequitur, non esse irregularem ex hoc capite, qui vnam duxit, & cum alijs adulteratur: quia non censentur duo matrimonia. Similiter nec qui ductam ab alio ducit, & cognoscit; quia, hæc censetur virgo.

Digitized by Google

DVBIVM III.

Quomodo auferatur hęc Irregularitas?

60 Augustin. censet non auferri per baptismũ.

REspondeo & Dico Primò: Non aufertur per baptismum. Docet D. Augustinus lib. De bono coniugali cap. 18. & Innocentius I. epist. ad Decentium: habetur Capit. *Acutus*, 9. d. 26. Hos sequuntur ferè omnes Doctores Scolastici, d. 27. in 4. exceptis paucis; scilicet Henrico, Maiore, & Almaino. Item Doctores Canonistæ in Capitulum *Gaudemus*, de Diuortijs. Contrarium tenuit Hieronymus epist. ad Oceanum, & in Commentarijs ad epistolam ad Titum 1. vbi docet, non effici irregularem eum, qui alteram ante baptismum habuit; alteram post. Hunc sequuntur tres illi Scolastici; & quidam alij.

Contrariũ tenet D. Hieronymus.

Verùm sententia S. Augustini est melior & probabilior. Nam, præterquam quòd sit longè plurium Auctorum, est etiam sententiâ Innocentij 1. comprobata. Et Confirmatur ex verbis Apostoli: Nam Apostolus absolutè requirit, vt is, qui assumendus est ad Episcopatum, non sit bigam⁹: sed qui alteram ante baptismum habuit, alteram post, verè & propriè est bigamus: ergo excluditur per Apostolum.

Dices: Ecclesia non potest leges statuere infidelibus.

Respondeo: Etsi leges Ecclesiæ non afficiant infideles ante baptismum; potest tamen Ecclesia suis legibus statuere aliqua impedimenta Ordinum, quæ si reperiantur in ijs qui iam baptizati sunt, siue orta sint ante baptismum, siue post, poterit eos inhabiles censere ad Ordines; sicuti ad eosdem inhabiles censet corpore vitiatos. Neque per baptismum hæc bigamia tollitur, cùm neque peccatum sit, neque eius pœna. Vide Couar. §. 2. num. 5.

61 quid in ea possit papa

Dico Secundò: Papa absolutè in omni bigamiâ potest dispensare. Couarr. §. 2. num. 4. Ratio est, quia Iure humano inducta est. Nec refert, quòd sit constitutio Apostolica; quia etiam ieiunium Ecclesiæ, & trina mersio in baptismo, est institutum Apostolicum; in quibus tamen Ecclesia potest dispensare, quia Apostolicam habet auctoritatem.

quid episcopus.

Dico Tertiò: Episcopus non potest in *Verâ & Interpretatiuâ bigamiâ* dispensare, nisi ad Ordines minores. De quo vide Nauarrum num. 197. & Couarr. suprà.

Dico Quartò: In *Similitudinariâ* dispensare potest Episcopus. Vide Couar. & Nauar. suprà.

CAPVT IX.

De Irregularitate illegitimorum?

DVBIVM. I.

Quis dicatur illegitimus?

61 Definitio illegitimi.

REspondeo: Is dicitur Illegitimus, qui non est natus ex matrimonio verè, vel saltem opinione, legitimo. Dico, *vel opinione legitimo*: quia etiâsi matrimonium verè legitimum non fuerit ob aliquod occultum impedimentum, tamen si bonâ fide contrahentium, vel saltem bonâ fide alterius partis reputetur legitimum; proles nata erit legitima. Patet ex Capit. *Cùm inter*. Tit. Qui filij sint legitimi. Quod limita, si fuerit contractum in facie Ecclesiæ: nam si clandestinè, reputabuntur illegitimi; vt patet Cap. *Cùm inter*, de clandestinâ desponsatione, §. 2. Parì modo, si post Concil. Tridentinum omittę sint denunciationes sine licentia Ordinarij, & subsit impedimentum dirimens, quamuis ignotum, reputabuntur illegitimi. Colligitur ex cap. 5. sess. 24.

clandestinum, vel si omissæ proclamationes.

Aduerte tamen Primò: Si nondum erat matrimonium, parentes tamen dum prolem suscipe-rent, vel saltem dum nascetetur, erant habiles ad contrahendum, & postea contrahant, proles erit legitima. Capit. *Tanta*, Qui filij sint legitimi. Vide Couar. *De spõsalibus*. 2. p. cap. 8. §. 2. n. 2. qui extendit hoc etiam ad tempus natiuitatis, cùm Canon solùm habeat de tempore susceptionis. Idque verum est, etiamsi interceſſerit aliud matrimonium, & proles per viginti annos fuerit illegitima, vt notat Couar. num. 15. imò etiamsi proles ante obijsset, vt notat num. 19.

Si matrimoniũ subsequatur.

Aduerte Secundò: In dubijs quemque cẽseri legitimum quoad Ecclesiastica. Vnde exposititij sunt cẽsendi legitimi. Nam etiam coniuges pauperes aliquando prolem exponunt. Et hęc causa est fauorabilis: ac in dubio nemo debet spoliari suo iure quod habet. In ciuilibus tamen non præsumitur legitimus in dubio, nisi id probetur. Ad quod tamen probandum sufficit ostendere in facie Ecclesiæ parentes contraxisse, & tempore cõuenienti coniugaliter conuixisse. Et licet fuerit aliquod impedimentum dirimens, cẽsẽtur tamen bonâ fide contraxisse, nisi probetur contrarium. Vide Couarr. cap. 8. §. 3. in 2. p. *De sponsalibus*.

In dubio quisque cẽsetur legitimus quoad ecclesiastica nõ ciuilia.

DVBIVM II.

Vtrùm censeatur illegitimus, cuius parentes ante conceptionem castitatem vouerant?

REspondeo: Non censeri, nisi per Ecclesiæ auctoritatem fuerint toro & habitatione separati. Tunc enim reputabuntur illegitimi, qui post talem separationem fuerint susceptì, ita, vt nec succedere possint, nec ordinari. Ita Siluester verbo *Illegitimus* q. 4. ex Hostiensi. 63

DVBIVM. III.

Vtrùm illegitimus teneatur credere matri asserenti ipsum esse illegitimum?

64 Non tenetur credere.

REspondeo, Non teneri, nisi ex circumstãtijs res ita fiat euidens; vt liqueat nullam esse rationem non credendi. Et quamdiu non credet, potest ordinari. Vide Nauar. nu. 201. Quòd si credat, non potest ordinari; alioquin peccat mortiferè, nec potest Ordine susceptο vti, quia ab executione est suspẽsus. Si tamen vsus fuerit Ordine sacro susceptο, non fiet idcircò irregularis nouâ irregularitate. Est contrà Nauarrum. Ita Couar. in Clement. *Si furiosus*, de homicidio, §. 1. num. 5. Ratio est; Quia violatio suspensionis, quæ est ob defectum, non inducit nouam irregularitatem; sed solùm violatio eius suspensionis, quæ est ob culpam: atqui hæc suspensio est ob defectum, nempe tori legitimi; oritur enim præcisè ex irregularitate tori illegitimi.

Si credat, non potest ordinari.

DVBIVM IV.

Quomodo tollatur hoc impedimentum?

65 Tollitur

DIco Primò; Tollitur per ingressum & professionem religionis approbatæ, sic vt pro-

per ingreſſum religionis.

ſcilus fiat hábilis ad Ordines ſacros, non tamen ad dignitates & Prælaturas: Vnde non poteſt eſſe Generalis, Prouincialis, Abbas, vel ſuperior habens iuriſdictionem fori externi in ſuos, ſine priuilegio vel diſpenſatione Papæ. Vide Nauar. num. 201. & Silueſtrum, q. 6. Vbi

Aduerte: Eſſe probabile, per profeſſionem religionis tolli omnẽ irregularitatem ad omnes Ordines ſacros, excepto Epiſcopatu, præter eam quę ex homicidio, vel bigamia oritur. Ita Sotus diſt. 25. q. 1. art. 3. & quidam recentiores.

66 Dico Secundò: Epiſcopus poteſt diſpenſare in hac irregularitate ad Ordines minores, & ad beneficium ſimplex; non autem ad Ordines ſacros, aut beneficium curatũ. Ita communiter Doctores. Vnde ſequitur, Epiſcopum non videri poſſe diſpenſare cum illegitimo ad canonicatum Eccleſiæ cathedralis. Ratio eſt, quia Conciliũ Tridentinum ſeſſ. 24. cap. 12. ſtatuit, vt omnes canonicatus Eccleſiæ cathedralis habeant annexum Ordinem ſacrum; ad quem Epiſcopus non poteſt diſpenſare cum illegitimo.

Aduerte tamen: Quando hoc impedimentum eſt occultum, probabile eſſe, Epiſcopum poſſe in eo abſolutè diſpenſare ad omnia: nam tunc cenſetur eſſe ex delicto occulto, ſcilicet ipſorum parentum; ac proinde videtur concedi diſpenſatio per caput 6. ſeſſ. 24. Etſi enim omnis diſpenſatio ſtrictè ſit interpretanda, cùm ſit odium iuris; facultas tamen diſpenſandi eſt latè interpretanda, præſertim quæ conceſſa eſt Epiſcopis: tum quia ipſis, ſepoſitâ reſeruatione ſuperioris, per ſe competit; tum quia beneficium Principis quod non eſt in præiudicium tertij, latè interpretandum eſt, vt docet Gloſſa in Clement. *Primam*, De officio Vicarij, quam ſequuntur omnes.

An, & quouſque tollatur per epiſcopũ.

DE INDVLGENTIIS.

Circa Quæſtionem 25 26. & 27.

1 Variæ acceptiones *Indulgentiæ.*

NOta, nomine *Indulgentiæ* generatim ſignificari quandam iuris relaxationem; nempe, quando cum aliquo minùs ſeuerè agimus, quam pro noſtro iure poſſemus. Apud Patres accipitur interdum pro remiſſione peccatorum, vt patet a pud Cyprianum epiſtolà ad Iubaianum; & apud Hieronymum in comment. cap. 4. Danielis, idque meritò, quia in remittendis peccatis, quoad culpam & pœnam Deus maximè de ſuo iure remittit. Sed poſteà accommodatum eſt hoc nomen ad ſignificandam propriè condonationem pœnæ temporalis. Nam vulgo etiam parentes dicuntur *Indulgentes*, quando filios non caſtigant: & caſtigationis condonatio vocatur *Indulgentia*. Ita accipitur in propoſito, & poteſt ſic deſcribi: *Indulgentia eſt remiſſio pœnę temporariæ, ob culpam actualem Deo debitæ, per auctoritatem Eccleſiaſticam extra Sacramentum ſacta, per applicationem earum ſatisfactionum, quæ in communi theſauro Eccleſiæ ſunt repoſitæ.*

CAPVT I.

De poteſtate conferendi Indulgentias.

DVBIVM. I.

Vtrùm in Eccleſia ſit poteſtas conferendi Indulgentias?

2 Hæretici negantes.

NOtandum eſt: Primos qui hanc poteſtatem negauêre, fuiſſe Vvaldenſes, vt docet Alphonſus à Caſtro *De hæreſibus*, Verbo *indulgentia*: quos ſecutus eſt Ioannes Vvicleff, vt patet ex Concilio Conſtantienſi ſeſſ. 8, huic Lutherus, Lutherum Caluinus, & alij hæretici noſtri æui. Vide Lutherum apud Roſſenſem in aſſertione articuli 18. & 19. vbi dicit, *indulgentias non valere ad remiſſionem pœnæ*; & articulo 20. *Non eſſe ſalutares*: Caluinus lib. 3. Inſtitut. cap. 5. docet *eſſe figmenta.*

Veritas Catholica affirmat

Sed veritas Catholica eſt, *Eſſe in Eccleſia poteſtatem concedendi indulgentias*, id eſt, condonandi pœnas peccatis debitas extra Sacramentum. Patet ex Concilio Tridentino ſeſſ. vltimà, vbi dãnat anathemate eos, qui dicunt *indulgentias eſſe inutiles; vel eas concedendi in Eccleſia poteſtatem eſſe negant.* Et ex Concilio Conſtantienſi ſeſſ. 8. vbi damnãtur articuli Vvicleffi, inter quos 42. eſt: *Fatuum eſt credere indulgentiis Papæ & Epiſcoporum.* Et ex Bulla Leonis X. quæ habetur in tomo 4. Conciliorum, pag. 700. vbi damnantur ſex articuli Lutheri de Indulgentijs.

3 1. Probatur ex Scripturis.

Probatur Primò ex varijs Scripturę locis. Primus locus eſt Ioannis 20. v. 23. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.* Hîc Dominus dat Eccleſiæ Prælatis poteſtatem remittendi peccata. Atqui nomine *remiſſionis peccatorum*, in Scripturis non ſolum ſignificatur remiſſio culpæ, ſed etiam pœnæ temporalis: Pſalmo 50. v. 4. *Amplius lauame ab iniquitate mea.* quod multi intelligunt de remiſſione pœnæ temporalis: Num. 14. v. 20. *Dimiſi iuxta verbum tuum*, id eſt, dimiſi peccatum quo ad vindictam temporariam: & alibi ſæpè. Ergo dat hîc etiam poteſtatem remittendi pœnam temporalem. Ioannis 20

Dices: Dominus hîc ſolùm dat poteſtatem remittendi peccata per Sacramentum Pœnitentię: ergo non rectè colligitur Sacerdotem ea poſſe remittere extra Sacramentum.

Reſpondeo: Principaliter quidem datur poteſtas remittendi peccata per Sacramentum; ſecũdariò tamen etiam extra Sacramentum. Si enim dedit Eccleſiæ poteſtatem remittendi culpàm & pœnam æternam per ſuam ſententiam, quam voluit eſſe Sacramentum; multò magis ei dederit poteſtatem remittendi pœnam temporalem, ſi cauſa ſubſit. Confirmatur ex Cyrillo lib. 12. in Ioan. cap. 56. vbi dicit, Paulum huius poteſtatis auctoritate fornicariumillum Corinthium, quem priùs in perniciem carnis tradiderat, rurſus recepiſſe; nempe condonatâ vindictâ, ne maiore triſtitiâ abſorberetur. Atqui Paulꝰ hoc extra Sacramentum fecit; abſens enim erat.

Alius locus eſt Matthęi 16. v. 19. *Tibi dabo claues regni cælorum.* Ad claues regni cælorum pertinet impedimenta cæli tollere: atqui non ſolùm culpa, ſed etiam reatus pœnæ impedit cœli ingreſ- Matt. 16.

Digitized by Google

ſum: ergo data eſt Eccleſiæ poteſtas tollendi hûc reatum, alioquin claues eſſent imperfectę, neque poſſent cœlum aperire. Vnde Theophilactus in hunc locum; *Claues*, inquit, *intelligas, quæ ligant & ſoluunt, hoc eſt, delictorum vel indulgentias, vel pœnas.*

Matth. 18. Tertius locus Matth. 18. v. 18. omnibus Apoſtolis, & in ipſis omnibus Eccleſiæ Prælatis, dicitur, *Quæcunque alligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlis: & quæcũque ſolueritis ſuper terrã, erũt ſoluta & in cœlis.* Hîc ampliſſimã poteſtatẽ ligandi & ſoluendi promittit; atqui proprijſſimè dicitur quis *Solui*, quando à debito pœnæ abſolnitur: ergo hîc iſtud continetur.

quid proprijſſimè aliquem ſolui.

Dices, Hæc poteſtas intelligenda eſt exerceri mediante Sacramento.

Contrà: Quia *Poteſtas ligandi* non aſtringitur Sacramento, ergo neque *Soluendi*. Confirmatur, quia ſub poteſtate ſoluendi continetur etiam poteſtas diſpenſandi in votis, iuramentis, & legibus Eccleſiaſticis, & abſoluendi ab excommunicatione, alijſque cenſuris: ergo non ſolùm exercetur per ſacramentum, ſed etiam Sne Sacramento.

Dices, Si poteſtas ſoluendi à peccatis nõ aſtringitur Sacramento, ergo etiam Eccleſia poterit remittere culpam mortiferam & pœnam æternam ſine Sacramento.

Reſpondeo, Negando Conſequentiam: Quia datur poteſtas remittendi culpam iuxta naturã & conditionem culpæ, & pœnam iuxta conditionem pœnæ. Conditio autem culpæ eſt, vt nequeat remitti ſine internâ aliquâ renouatione, quam miniſtri Eccleſiæ non poſſunt in alijs facere, niſi mediante Sacramento. Reatus autem pœnæ temporalis, vt tollatur, non poſtulat vllam internam mutationem, ſed fit per condonationem extrinſecã; vnde extra Sacramentum fieri poteſt.

2. Cor. 2. Quartus locus, 2. ad Corinth. 2. v. 10. *Cui aliquid donaſtis & ego; nam & ego quod donaui, ſi quid donaui propter vos in perſona Chriſti.* Hîc Apoſtolus dicit ſe condonare pœnitentiam iniunctam inceſtuoſo, ne maiore triſtitia abſorbeatur; nam per donationem intelligit remiſſionem pœnæ impoſitæ, vt notauit hîc Ambroſius, Theodoretus, Theophilactus, Anſelmus, Oecumenius. Quòd autem hæc donatio rata fuerit apud Deum, ex eo patet, quod Apoſtolus dicat *ſe donare in perſona Chriſti*, id eſt, Chriſti auctoritate, tanquam Chriſti vicarius, qui dixit; *Quæcunque ligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in Cœlis.* Ita Ambroſius & Anſelmus in hunc locum, & Cyrillus ſuprà lib. 12. cap. 56. in Ioannem. Vnde hæc condonatio non minùs erat efficax, quàm ſi à Chriſto facta fuiſſet, vt notant Gloſſa & Anſelmus.

4

2. Probatur ex Cõcilijs & Patribus. Probatur Secundò, Ex Concilijs & patribus. Ex quibus conſtat in Eccleſia ſemper fuiſſe vſum remittendi pœnas peccatis debitas iuſtis de cauſis. Nam penes Epiſcopum erat, habita ratione perſonarum, peccatorũ, & prõptitudinis agendæ pœnitentiæ, *remittere de pœnitentia inimicã*; quod nihil eſt aliud, quàm *Indulgentias concedere*. Patet hoc ex Concilio Ancyrano cap. 2. circa annum Domini 308. ſub Silueſtro 1. vbi in arbitrio & poteſtate Epiſcoporum dicitur eſſe, vt Diaconis lapſis in perſecutione, *aliquid pœnitẽtiæ imminuãt*. Et cap. 5. *Epiſcopum hanc habere licentiam oportet, vt perſpectâ ſingulorum* (pœnitentium) *converſatione, normam regulamque converſationis attribuat*; id eſt, vt humaniùs agens, ſecundùm vitæ modum, tempus alicui pœnitentiæ breuiare poſſit. Et ex Concilio Nicæno cap. XI. vbi dicitur, *Epiſcopo licere humanius aliquid cogitare circa eos, qui aliquod tempus ferventer pœnitendo expleuerint*. Vide etiam Concilium Laodicenum can. 2. ſub Silueſtro I. & Carthaginenſe IV. can. 76. ſub Anaſtaſio I. An. Domini 436.

Cõcil. Ancyranum.

Nicænum.

Laodicenum.

Carthag.

Idem Confirmatur ex Tertuliano *lib. ad Martyres* circa principium: *Quam pacem*, inquit, *quidã in Eccleſia non habentes, à Martyribus in carcere exorare cõſueuerunt, eam in vobis cuſtodire debetis, vt ſi fortè alijs eam dare poſſitis.* In quem locũ vide Pameliũ. Et ex Cypriano varijs epiſtolis: vt epiſtolâ, 11. 12. 13. 14. & 52. Erat enim conſuetudo, vt lapſi in perſecutione, quibus grauis & longa pœnitentia erat agenda, adirent Martyres & Confeſſores, qui pro fide Chriſti multa erãt perpeſſi, vel adhuc in vinculis detinebantur, & ab illis impetrarent libellos, vel litteras ad Epiſcopos, vt eis propter Martyrum merita pœnas iniunctas condonarent. Eiuſdem relaxationis meminerunt Baſilius can. 54. & 74. ad Amphilochiũ, vt habet Balſamum: & Gregorius Niſſ. epiſt. ad Latoium apud Balſamonem, & Methodius Epiſcopus Conſtantinopolitanus, apud eundem in fine, & Innocentius I. epiſt. 1. ad Decentium c. 7. & Chryſoſtomus lib. 2. de Sacerdotio. Atqui relaxatio pœnitentiæ conſtitutæ eſt Indulgentia quædam. Neque dici poteſt hanc condonationẽ non fuiſſe ratam apud tribunal Dei: tum quia fiebat in perſonâ Chriſti ab Epiſcopis, licet propter Martyrum merita; tum quia alioquin Martyres illi & Epiſcopi peſſimè pœnitentibus conſuluiſſent, & potiùs maleficium, quàm beneficium contuliſſent.

Tertul. Cyprianus

Mos veterũ impetrandi à martyribus litteras ad donatorias.

Expreſſiùs autem de Indulgẽtijs habemus circa annum Domini 1088. quando propter neceſſitatem Eccleſiæ, ad excitandos animos fidelium conceſſę ſunt Indulgentiæ ab Vrbano II. in Synodo Claromontanâ, proficiſcentibus contra infideles, vt ſcribit Nauclerus, Abbas Vſpergenſis in Chronico, & alij. Idem fecit Alexander III. circa annùm Domini 1160. & Innocentius III. in magno Concilio Lateranẽſi circa annum Domini 1220. Vide Capit. *Excõmunicamus*, De hæreticis, §. *Catholici*: Et Capit. *Cùm ex eo*, de Pœnitentijs & remiſſionibus.

Indulgentiæ datæ proficiſcentibus contra infideles.

Deinde circa annum 1300. Bonifacius VIII. ſanciens Iubilęum centeſimo quoque anno habẽdum, inſinuat eſſe rem antiquam: quod Iubilæũ paulò pòſt Clemens VI. reuocauit ad annum 50. & poſteà Sixtus IV. ad annum 25. vt habetur in Extrauagante de pœnitẽtijs & remiſſionibus. Idem patet ex Cõcilio Conſtantienſi, & Tridentino citatis.

Conceſſio Iubilæi.

Probatur Tertiò: Ratione. Primò, Eccleſiæ data eſt poteſtas obligãdi ad pœnas pro peccatis ſubeundas, vt ſuprà dictum eſt. Cur non etiam ſit data poteſtas ex cauſa eas diſſoluendi? præſertim cùm Deus pronior ſit ad miſericordiam, quã ad vindictam.

5

3. Probatur Ratione.

Secundò: In omni Republica perfecta non ſolum Princeps & Magiſtratus habẽt poteſtatem delicta puniendi, ſed etiam punitionem ex cauſa condonandi: ergo Eccleſia, quæ diuina quedam & perfectiſſima Reſpub. eſt, ſimilem poteſtatem habebit, ſublimioré tamen, ſuoque fini cõgruentem: Nempe, quæ etiam apud Deum effectum habeat, à quo ipſa omnem poteſtatem immediatè accepit.

Tertiò: Adde hanc poteſtatẽ eſſe Eccleſiæ valdè vtilem ad eius bonam adminiſtrationem, ad populi pietatem excitandam, ad religionis Chriſtianę ſtudium & amorem; præſertim cùm ea ſit hominũ conditio, vt ſenſim rigor diſciplinæ lan-

gueſcat, & à pœnitentijs ſubeũdis magis magiſque abhorreat, vt meritò oportuerit mitiori modo illorum ſaluti tandem conſulere.

6 Vſus Indulgentiarum eſt vetuſtiſſimus.

Ex dictis patet, vſum Indulgentiarum non eſſe recentem, neque à quadringentis annis primùm exortum, ſed iam inde à temporibus Apoſtolorũ extitiſſe, etſi partiorem, quàm ab annis 500. in quo decepti ſunt quidam Catholici, qui putârũt à 400. vel 500. annis earum vſum cœpiſſe; hoc enim verum non eſſe patet ex ſuprà dictis. Nam Alexander III. in illo Capitulo *Quòd autem*, De pœnitentijs & remiſſionibus, loquitur de Indulgentijs tanquam de re iam pridem vſitatâ. Similiter Innocentius III. in Concilio magno Lateranenſi. Ante tamen illud tempus parcior fuit earũ vſus, eò quòd primis temporibus fideles eſſent feruentiores, & promptiores ad ſua peccata vindicanda. Vnde Patres illam feueritatem pœnitẽtiarum retinuerunt quamdiu licuit. Verùm vbi cœperunt abhorrere omnino ab illa aſperitate, & langueſcere ad bona opera, neceſſarium fuit aperire theſaurum Indulgentiarum, vt ſaltẽ hac benignitate allecti, ſtudium religionis Chriſtianæ, & ſuam ſalutem non negligerent. Quò fit, vt, ſi moderatæ fuerint, non eneruent diſciplinam Eccleſiaſticam, ſed potiùs corroborent, dum cultum pietatis in fidelibus excitant.

DVBIVM. II.

Verum in Eccleſia ſit aliquis theſaurus ſatisfactionum, ex meritis & ſatisfactionibus Chriſti & Sanctorum, cuius diſpenſatio in concedendis Indulgentijs intercedat?

7 Negat Maronius & Angelus

FRanciſcus Maronius inter Catholicos negat extare huiuſmodi theſaurum, quem ſequitur Angelus Verbo *Indulgentia*, num. 9. Fundamentum eorum eſt, quia merita Chriſti plenè illi ſunt remunerata: propter enim illa exaltatus eſt, & accepit *nomen, quod eſt ſuper omne nomen*, ad Philip. 2. Sanctorum quoque merita fuerunt ipſis remunerata, etiam ſupra condignum: quare ex his nihil ſupereſt, quod alijs applicetur.

Aſſertio eſt Catholica.

Reſpondeo & Dico Primò: Certum eſt in Eccleſia eſſe quendam theſaurum, qui conſtet primariò meritis & ſatisfactionibus Chriſti: ſecundariò meritis & ſatisfactionibus Sanctorum. Eſt definita à Clemẽte VI. Extrauag. *Vnigenitus*, vbi dicitur, *Chriſtum per copioſiſſimam ſui Sanguinis effuſionem, infinitũ theſaurũ Eccleſiæ militanti reliquiſſe; ad cuius theſauri cumulum B. Dei Genitricis, omniũque electorũ à primo iuſto vſque ad vltimũ merita, adminiculum præſtare noſcuntur.* Et à Leone X. in Bulla damnationis articulorum Lutheri; vbi inter cæteros damnatur iſte articulus 17. *Theſaurus Eccleſiæ, vnde Papa dat Indulgentias, non eſt Chriſti & Sanctorum.*

Clemens VI.

Leo X.

Prob. de ſatisfactionibus Chriſti.

Probatur de meritis & ſatisfactionibus Chriſti: Quia hęc ſufficiunt pro exhauriendis totius mundi peccatis, tam ſecundùm pœnã, quàm ſecundùm culpam, modò applicentur: ſi enim omnes crederent & baptizarẽtur, Chriſti ſatisfactio per baptiſmum applicata omne debitum pœnarum tolleret.

8 Prob. de ſatisfactionibus Sanctorũ

De ſatisfactionibus Sanctorum Probatur Primò: Quia in operibus bonis eſt vis merendi, & vis ſatisfaciendi, quæ duo ſunt diſtincta, vt ſuprà dictum eſt. Sanctis autem, etſi plenè & ſupra condignum opera bona ſint remunerata quoad vim meritoriam, non tamen remunerata ſunt quoad vim ſatisfactoriam; non enim tantum pœnarum debebant, quãtum perſoluerunt; vt patet ex illo Iob. 6. v. 1. *Vtinam appenderentur peccata mea quibus iram merui; & calamitas quam patior, inſtatera. Quaſi arena maris hæc grauior appareret.* Patet etiã ex afflictionibus B. Virginis, quæ nunquam peccauit. Nullo etiam modo credibile eſt, S. Ioannẽ Baptiſtam, Apoſtolos, Martyres, & alios ſanctiſſimos viros, qui plurima perpeſſi ſunt, omnem illam afflictionem ex debito ſubijſſe. Manẽt ergo hæ afflictiones Chriſti & Sanctorum in acceptatione diuina ad aliorum vtilitatem. Et hac ratione vocantur theſaurus.

Probatur Secundò: Bona opera & afflictiones ſanctorum non ſolùm merentur, vt ipſis detur præmium, quod ex iuſtitia debetur; ſed etiam, vt illorum causâ Deus etiã alij benefaciat: id enim obſequijs amicorum iure amicitię debetur. Ergo etiamſi poneremus illa eſſe plenè remunerata quoad debitum iuſtitię, tamen non ſunt plenè remunerata quoad debitũ amicitiæ. Ergo ſic sẽper manent in acceptatione diuina, vt vlteriùs remunerationem accipiant.

Ex dictis patet ſolutio rationis Franciſci Maronij de meritis Sanctorum. Quòd autem ait de meritis Chriſti, omnino falſum eſt. Nõ enim hęc plenè remunerata ſunt ipſi Chriſto quoad debitũ iuſtitiæ, vt alibi dictũ eſt: præſertim cùm ipſius meritum non fuerit deſtinatum ad ipſi gloriam promerendam, ſed ad generis humani ſalutem.

9 Theſaurus hic nũquã poteſt deficere.

Dico Secundò: Hunc theſaurũ nunquam poſſe deficere. Eſt cõmunis Doctorum. Probatur: Quia merita & ſatisfactiones Chriſti non poſſũt exhauriri, cùm ſuperent omnem omnium hominum malitiam: ſunt enim per ſe infinitę virtutis, tum in ratione meriti, tum in ratione ſatisfactionis. Merita verò & ſatisfactiones Sanctorum, etſi exhauriri poſſint, quatenus illis ex iuſtitia aliquid debitum eſſe poteſt; non tamen exhauriri poſſunt quatenus iure amicitiæ, & ex cõgruo illis aliquid debetur. Nam illis amicitia æterna eſt cum Deo, ſemperque decet Dei charitatem & liberalitatem, vt propter amicorum ſuorum merita & patientiam ſemper benefaciat iis, qui ad ipſorum opem confugiunt. Itaque non poſſunt exhauriri quoad vim impetrandi, quam habent ex congruo.

10 Eccleſiã habet poteſtatem ex hoc theſauro diſpensãdi

Dico Tertiò: In Eccleſia eſſe poteſtatem ex hoc theſauro fidelibus diſpenſandi. Definitur à Clemente VI. ſuprà, vbi dicitur: *Quem theſaurũ non in ſudario repoſitum, non in agro abſconditũ, ſed per B. Petrum cœli Claſigerum, eiuſque ſucceſſores ſuos in terris vicarios, commiſit fidelibus ſalubriter diſpenſandum.*

Ratio eſt, Primò: Quia in omni Republica perfecta debet eſſe poteſtas diſpenſandi bona communia. Atqui hic theſaurus, ſicut & Sacraméta, pertinet ad bona communia Eccleſiæ. Secundò: Dominus Eccleſiæ reliquit poteſtatem diſpenſandi Sacramenta, & per Sacramenta ipſius merita ad remiſſionem culpę & pœnę æternæ, idque etiam in ſuos inimicos: ergo multò magis reliquit illi poteſtatem diſpenſandi ex cauſa ipſius ſatisfactionis in ſuos filios & viua membra, ad remiſſionem pœnæ temporalis. Si enim iudicauit Eccleſiam ſuam dignã tam magnâ poteſtate diſpenſandi, cur negauerit illi minorem? Neque neceſſe erat vt hæc diſpenſatio fieret per Sacramenta, cùm remiſſio pœnæ temporalis non requirat gratiæ infuſionem. Tertiò: Quia dubitãdum non eſt, quin Sanctorum, dum in hac vita erant, voluntas fuerit, ſaltem implicita, vt labores & paſſiones illorum, quantum fieri poſſet,

prodeſſent omnibus Eccleſię membris; vt colligi poteſt ex locis Cypriani ſuprà nu. 4. citatis.

11 Per ſatisfactiones Sanctorum verè redimuntur noſtræ pœnæ.

Aduertendum tamen eſt: Etſi ſatisfactiones Chriſti & Sanctorũ diuerſo modo nobis valeant; tamen Sanctorũ ſatisfactiones non ſolùm nobis applicãtur, vt efficiamur digni; qui à pœnis peccatorũ noſtrorũ pretio ſanguinis Chriſti liberemur, vt quidam docuerunt: ſed etiam per illas redimuntur ipſe pœnę quamuis ex cõgruo, dum nobis applicantur. Nam ſi ipſum debitum pœnæ præcisè conſideretur, id eſt, non vt eſt in alio ſubiecto, offertur Deo per ſatisfactiones Sanctorum æquiualens: nam ipſi Sancti in ſeipſis tantundẽ pœnarum per huiuſmodi afflictiones ex condigno redimere potuiſſent. Neque ideò ipſi dicentur ſui ipſorum, vel aliorum *Redemptores*, niſi ſecundùm quid; id eſt, ſecundùm quoddam debitum pœnę tempotalis, idque ſub Chriſto; quomodo *Eleemoſinis*, & alijs bonis operibus dicuntur *redimi peccata*; Daniel. 4. Prouer. 16. Nam hanc vi rtutem acceperunt ex gratia Chriſti, quæ merito paſſionis illius collata eſt: vnde ipſe vbique cenſetur principalis cauſa.

Ideò cæteri non ſunt propriè noſtri redemptores

DVBIVM III.

Quinam in Eccleſia habeant poteſtatem conferendi Indulgentias?

12 Papa & Concilium Generale dant Indulgentiã Plenariã.

REſpondeo & Dico primò: Summus Pontifex, hoc ipſo quo legitimè eſt electus, iure diuino habet plenitudinem poteſtatis in Indulgẽtijs conferendis, ſiue tunc habeat ordinem Epiſcopatus, ſiue non. Eſt certa & communis. Patet: quia hoc ipſo, quo legitimè eligitur, accipit immediatè à Chriſto omnem poteſtatem iuriſdictionis, quam Chriſtus Eccleſię conceſſit. Poteſtas autem Indulgentiarum eſt poteſtas iuriſdictionis, non Ordinis, cùm extra Sacramentum dentur Indulgentię: ergo

Dico Secundò: Etiam Concilium Generale habet poteſtatem concedendi plenariam Indulgentiam. Ita Nauar. Tractatu *De Iubileo*, notabili 31. num. 2. & Sotus d. 21. q. 1. art. 2. Ratio eſt: nam huius Concilij eſt ſumma in vniuerſam Eccleſiam, quamuis ſub Pontifice, auctoritas, idque ex coitione & conſenſu conuenientium.

13 Epiſcopi quantam dare poſſint.

Dico Tertiò: Epiſcopi etiam habent poteſtatẽ Indulgentiarum, ſed reſtrictam. Nam Innocentius III. in Cõcilio magno Lateranenſi ſtatuit, vt Epiſcopi in Baſilicarum dedicatione non vltra annum, in anniuerſario verò dedicationis non niſi 40. dies de iniunctis pœnitentijs Indulgentias concedere poſſint; iubetque hanc menſuram etiam in cæteris non excedj. Vbi illud, *De iniunctis*, etiam ad annum referri debet, iuxta Doctorum explicationem. Vide Capit. *Cùm ex eo*, de pœnitentijs & remiſſionibus.

Si modum excedant.

Quod ſi ipſi prædictum modum exceſſerint, Indulgentię vires non habebunt; vt patet ex declaratione Bonifacij VIII. Cap. *Indulgentia*, de Pœnitentijs & remiſſionibus, in 6. Notandum tamen: Quod talis conceſſio valebit quoad eam partem, quam iure poterant dare. Nam *Vtile ab inutili ſeparari poteſt*; vt ibidem probat efficaciter Gloſſa citans Panormitanum, & Ioan. Andream. Idem ſentit Nauarrus notab. 31. num. 16. Silueſter verbo *Indulgentia*, num. 15. Sotus diſt. 21. q. 2. art. 2. & plerique alij. Nulla enim eſt ratio, cur Pontifex velit talem conceſſionem eſſe irritam, etiam ex ea parte, quæ iuri non repugnat.

Aduerte: Epiſcopum non poſſe dare Indulgentias, niſi ſuis ſubditis; vt expreſsè habetur in Capit. *Quòd autem*, de Pœnit. & remiſſion. in 6. Ex eodem tamen Capitulo rectè colligitur, Indulgentias Epiſcopi poſſe prodeſſe non ſubditis, de licentia proprij Iudicis, id eſt, proprij Epiſcopi.

Si dent alieno ſubdito.

An autem Parochus poſſit ſuo ſubdito facere hanc poteſtatem accipiendi Indulgẽtias ab alieno Epiſcopo, eſt dubium. Quidam exiſtimant nõ poſſe. Ita Corduba q. 11. *de Indulgent.* & Speculator in cap. *Noſtrũ*, De pœnitent & remiſſionibus. Probabile tamen eſt, poſſe dare. Ita tenet Nauar. notab. 31. num. 13. & Paludanus diſt. 20. q. 4. ar. 3. Ratio eſt: quia Parochus poteſt alteri ſuum ſubditum in fauorabilibus ſubijcere, cùm id non cedat in vllum præiudicium proprij Epiſcopi.

Conuenia Parochi.

Religioſi exempti eas lucrãtur.

Dices, Si Epiſcopus ſolùm poteſt dare Indulgentias ſuis ſubditis, ergo Religioſi exempti non poſſunt obtinere Indulgentias Epiſcoporum.

Reſpondeo Negando. Conſequentiam; quia exemptio conceſſa eſt in fauorem exemptorum; nempe in onerosis, non autem in fauorabilibus, ſi ipſi in illis ſe velint ſubijcere. Docet hoc Corduba. q. 11.

14 quid poſſint Primas, Cardinalis, &c.

Dico Quartò Archiepiſcopi poſſunt concedere Indulgentias non ſolùm in ſua Diœceſi, ſed etiã per totam Prouinciam, id eſt, in Diœceſibus Suffraganeorum. Patet ex Capit. *Noſtro*, de Pœnitẽt. & remiſſionibus. Pari modo Primas intra limites ſui Primatûs, vt Archiepiſcopus Toletanus per totam Hiſpaniam; Legatus intra limites ſuæ legationis. Ita Nauar. notab. 31. num. 3. Vide eundem nu. 17. de ſummo Pœnitentiario & Cardinalibus, qui poſſunt concedere centum dies, nõ Iure ſcripto, ſed Pontificis conceſſu.

quid poſſint inferiores Epiſcopis.

Dico Quintò; Inferiores Epiſcopis, vt ſunt Archidiaconi, Decani, Abbates, Parochi, nullam habent ordinariam poteſtatem Indulgentias cõcedẽdi. Vide Capitul. *Accedentibus*, De exceſſibus Prælatorum. Imò nec Epiſcopi Vicarius generalis, vt docet Nauar. notab. 31. num. 6. & ſequentibus.

quid Capitulum Sede vacante.

Vtrùm verò Capitulum Sede vacante hanc poteſtatem habeat, dubium eſt. Multi negant; ſed probabilius videtur, habere; vt docet Nauar n. 7. cum Panormitano. Ratio eſt; quia Capitulũ ſuccedit in totam iuriſdictionem Epiſcopi Sede vacante, exceptis ijs, quæ Iure excipiuntur: atqui Ius non excipit Indulgentiarum poteſtatem.

15 quid Confeſſor in foro pœnitentiæ.

Notandum eſt: Quoſdam Doctores exiſtimare Confeſſorẽ poſſe in foro pœnitentiæ Indulgẽtias dare, dicendo, quando imponit pœnitentiã: *Impone tibi hanc pœnitentiã, V. G. Septem Pſalmos Pœnitentiales, & diſſẽſe tecum ſuper reſidua pœnitẽtię, quam deberes.* Ita tenet Sũma Roſella, verbo *Indulgentia*, n. 28. Angelus nu. 5. Armilla nu. 2. Item Archidiaconus, Panormitanꝰ, Innocẽtius, Aluarus, Cardinalis Sabarella, & Bernardus Gloſſator Decretalium; quos citant Angelus & Roſella.

Sed contrarium eſt verius, quod tenent cõmuniter reliqui Doctores; & iura ab alijs citata non probant illud, vt rectè Nauarrus docet.

DVBIVM IV.

Vtrùm is, qui inrè poteſtatem non habet Indulgentias conferendi, poſſit hanc conſuetudine obtinere?

16

REſpondeo: Si Pontifex omnino ignoret illam conſuetudinem, aut cognitã improbet, nulla per eam acquiritur poteſtas in indulgẽtias. Nam poteſtas remittẽdi pœnas in iudicio Dei de-

bitas, non niſi vera auctoritate à Chriſto deſcendente, haberi poteſt. Si autẽ conſuetudo illa Põtifici ſit perſpecta, & ſic tolerata, vt approbari tacitè videatur, tunc per eam verum ius acquiritur. Nam ſicut ipſe poteſt hoc ius conferre expreſſâ voluntate, ita etiam tacitâ approbatione. Ita docet Antonius Corduba quæſt. 10.

CAPVT. II.

Quid ſint Indulgentiæ.

DVBIVM. I.

Vtrùm conceſſio Indulgentiarum *formaliter ſit abſolutio à pœnis debitis; an ſolutio pro ijſdem ex theſauro Eccleſiæ?*

17 Tres ſententiæ.

SVnt tres ſentẽtiæ. Prima eſt Franciſci Maronij, *Eſſe meram abſolutionem à pœnis peccatorũ ex poteſtate Clauium, ſine interuentu ſolutionis*; quia putat non extare theſaurum vnde fiat ſolutio.

Secunda ſententia eſt in altero extremo, ſcilicet *Eſſe ſolummodò, ſolutionem pro debito pœnarum.* Ita Durand. in 4. diſt. 20. q. 3. & 5. Palud. eâdem diſt. q. 4. D. Antoninus 1. p. tit. 10. c. 3. Silueſter Verbo *Indulgentia*, num. 3. & fauet D. Thomas hîc qu. 25. art. 1. ad 2.

quid ſit *Indulgentia vitorũ?*

Tertia ſententia eſt media. Pro qua

Dico Primò, Indulgentia, quæ datur viuis, eſt abſolutio à pœna debita; interueniente tamen applicatione ſatisfactionum ex theſauro ad iuſtã pœnæ illius compenſationem. Ita tenet Abulenſis q. 90. in c. 16. Matthæi, Caiet. Tract. 15. c. 5. & 6. in tomo 1. Opuſculorum. Dom. Soto d. 21. q. 2. a. 3. Petrus Soto lect. 2. *de indulgentijs.* Richard. à Media-villâ diſt. 20. circa tertium principale, quæſt. 1. & 3. Eandem inſinuat D. Thomas in 4. diſt. 20. art. 3. quæſtiuncula 1.

Probatur eſſe veram Abſolutionem.

Prima Pars Probatur Primò: Quia conceſſio Indulgentiarum eſt actus poteſtatis Clauium; vt patet ex dictis dub. 1. c. 1. Atqui conceſſio indulgentiarum non pertinet ad poteſtatem Ordinis, vt omnes fatẽtur; nam epiſcopus ante conſecrationem Indulgentias cõferre poteſt: ergo ad poteſtatẽ iuriſdictionis: Ergo Eccleſia in cõceſſione indulgẽtiarum vtitur iuriſdictione, & iuridicè abſoluit à pœnis peccatorum. Cõfirmatur ex nomine: quia non ille qui ſoluit pro altero, dicitur *indulgere ei pœnam*, ſed qui ex auctoritate eam remittit.

Probatur Secundò: Ex Capit. *Quod autem*, de Pœnitentijs & remiſſ. vbi Alexander III. apertè reſpondet. Epiſcopos non poſſe conferre Indulgẽtias, niſi ſuis ſubditis, eaſque aliis nõ prodeſſe: *Quia*, inquit, *nemo niſi à ſuo Iudice ligari, vel abſolui poteſt*: apertè ergo ſentit conceſſionem Indulgentiarum eſſe iuridicam abſolutionem.

Probatur Tertiò: Indulgentiæ paſſim in iure & literis Pontificum, quibus conceduntur, vocãtur *peccatorũ abſolutiones, relaxationes, remiſſiones, cõdonationes.* Vide Cap. *Quia quidã.* Cap. *quod ex eo.* Et cap. *Noſtro*, de Pœnit. & remiſſion. Et Extrauagantẽ Bonifacij VIII. quæ incipit, *Antiquorũ*, cõdẽ tit. inter Extrauagãtes. Et bullã Martini V. in fine Conſtit. Cõſtantienſis. Et epiſtolã Gregorij VII. ad Clerum & populum Bellouacenſem.

Probatur Quartò: Quia alioqui priuatus poſſet cõcedere Indulgentias; poteſt enim per ſuas ſatisfactiones pro alterius debito ſoluere. Similiter ſacerdos in ſacrificio Miſſæ diceretur concedere Indulgentias; applicat enim Chriſti ſatisfactiones ad remiſſionem pœnæ temporalis. Quæ tamen abſurdè dicerentur. Cõſtat ergo *Indulgẽtias viuorum* eſſe *veram abſolutionem.*

18 Probatur etiã interuenire theſauri diſpenſationem.

Secunda Pars, Quòd etiam interueniat diſpẽſatio theſauri, certiſſima eſt, quidquid dixerit Michaël Medina. Primò: Quia id apertè aſſeritur in Extrauagãte, *Vnigenitus.* Secũdò: Quia in Bulla Leonis X. cõtra Lutherum, damnatur iſte articulus: *Theſaurus, vnde Papa dat Indulgentias, non eſt Chriſti & Sanctorũ*: qui tamẽ articulus veriſſimus eſſet, ſi nulla interueniret theſauri diſpenſatio. Tertiò: Remittere pœnã ſine vllâ cõpenſatione eſt eius, qui habet ſupremam & independentem poteſtatẽ, qualis eſt in Deo: atqui Papa non habet poteſtatẽ, niſi vicarij Chriſti, ac proinde nõ poteſt remittere, niſi pro vt ſtatuit chriſtus, qui pro omni culpâ & penâ ſatisfecit. Quartò: In Sacramento pœnitẽtiæ peccator nõ abſoluitur à culpa vel à pœna, niſi intercedente applicatione pretij Sanguinis chriſti. Alia quoq; Sacraméta nõ liberãt à culpâ vel pœna, niſi eiuſdẽ pretij interuẽtu, iuxta illud 1. Ioã. 1. *Sãguis Ieſu Chriſti Filij Dei emũdat nos ab omni peccato*: ergo multò minùs extra Sacramentũ poterit quis abſolui à pœna, niſi eodem pretio mediante.

Hæc diſpẽſatio nõ debet fieri actu expreſſo.

Notandum tamen, Quãdo Põtifex à pœnâ abſoluit, non requiri aliquem actũ, quo ſignificet ſe applicare ſatisfactiones Chriſti & Sanctorũ, aut ſoluere Deo per eaſdem. Nã hoc ipſo, quo abſolnit virtute Clauium, implicitè cenſetur hanc applicationem & ſolutionẽ facere: ſicut quando Sacerdos in Sacraméto Pœnitẽtię abſoluit, non debet expreſsè intendere applicare pretiũ sãguinis Chriſti ad peccatorũ expiationẽ, aut ad ſoluendũ Deo pro debito peccatorũ: nam ſatis hoc intendere cenſetur, dum intẽdit cõferre Sacramentũ. Si tamen expreſsè vellet non applicare has ſatisfactiones, & ſola virtute Clauium abſoluere, nihil efficeret, quia talis poteſtas nõ eſt in Eccleſia.

quid *Indulgentia mortuorum.*

Dico Secũdò: Indulgentia, quæ datur mortuis, non eſt abſolutio facta per Eccleſiam, ſed ſolutio & oblatio pretii, vt à Deo abſoluantur. Sed de hoc infrà.

19 1. obiectio quòd papa lucrando Indulgentias, ſeipſũ abſolueret

Obiicitur Primò: Pontifex poteſt conſequi Indulgentias, quas ipſe aliis concedit: atqui non poteſt ſeipſum *abſoluere*, quia nemo in ſeipſum iuriſdictionem exercere, aut alteri in ſe eam tribuere poteſt, quidquid alii dixerint: ergo *indulgentia* quę datur viuis non eſt *abſolutio.*

Soluitur.

Omiſſis variis reſponſionibus dicendum eſt, vt Pontifex conſequatur Indulgentiam, ſatis eſſe, vt per modum ſolutionis & compenſationis eam accipiat. Quamuis enim non poſſit ſeipſũ abſoluere, poteſt tamen, tanquam diſtributor theſauri Eccleſiæ, ex Chriſti & Sanctorum meritis accipere pro ſe compenſationem, quâ Deo ſoluat. Ita Nauarrus notab. 20. num. 9. 10. 11.

2. Obiectio, quòd actus iuriſdictionis nõ poſſit operari in inuitũ.

Obiicitur Secundò: iuriſdictio poteſt exerceri in inuitum; poteſt enim quis etiã inuitus abſolui ab excõmunicatione, aliiſque cẽſuris: atqui indulgentiæ non poſſunt conferri inuitis: ergo earũ conceſſio non eſt actus iuriſdictionis. Confirmatur: quia iuriſdictio nõ poteſt exerceri ſine cauſæ cognitione: vnde etiã in Sacramento Pœnitentiæ requiritur cauſæ cognitio. At indulgentiæ conferuntur ſine cauſæ cognitione. Ergo.

Soluitur.

Reſpondeo: Nõ omnis actus iuriſdictionis poteſt in inuitos exerceri, vt patet in ſacramento pœnitentiæ; ſed illud ſolùm locũ habet, quando ille actus non requirit neceſſariò aliquã diſpoſitionem in ſuſcipiẽte; vt fit in abſolutione ab excommunicatione. Ad confirmationem: quando ſententia

ſententia non fertur ſuper aliquo facto particulari, ſicut in Sacramento Pœnitentiæ, ſed in genere & quaſi ſub conditione, non requiritur cauſæ cognitio; vt dum quis ſic excommunicatur, *Si quis clericum percuſſerit, ſit excommunicatus*: tales ſunt omnes cenſuræ Iuris. Indulgentię autem conceduntur in genere, & ſub conditione; nempe, *ſi tale opus præſtetur*; vnde non requirunt cauſæ cognitionem, niſi generatim; videlicet vt generatim cauſæ dignitas expendatur, propter quã conceduntur.

3. Obiectio, quòd pœnæ purgatorij nõ ſubſint iuriſdictioni Eccleſiæ.

Obijcitur Tertiò: Pœnæ Purgatorij non ſubſunt iuriſdictioni Eccleſiæ: atqui per indulgentias liberamur à pœnis Purgatorij: ergo earum conceſſio non eſt *iuridica abſolutio*, ſed tantùm *compenſatio*. Confirmatur: quia compenſatio ſufficiens eſt ad obtinendam remiſſionem pœnæ: ergo ſuperuacanea eſt *Abſolutio*.

Reſpondent quidam, indulgentiam quatenus tollit pœnam iniunctam, eſſe *abſolutionem iuridicam*; ſed reſpectu pœnæ quę in Purgatorio luenda ſit, eſſe ſolùm *ſolutionem*. Verùm hęc reſponſio non valet: nã Pontifex viuos etiam à pœnis Purgatorij poteſt abſoluere; vt colligitur ex Synodo completenſi ſub Sixto IV. vbi damnatur hęc propoſitio Petri Oxomenſis, *Papa non poteſt alicui viuo indulgere pœnam Purgatorij*, id eſt, à pœna Purgatorij abſoluere; *indulgere* enim propriè ad iuriſdictionem pertinet. Vnde

Vera ſolutio.

Reſpondeo: Debitum pœnæ Purgatorij, quamdiu homines viuunt, ad iuriſdictionem Eccleſiæ pertinet, & ab eo poteſt Eccleſia directè viuos abſoluere. Neque hoc mirum eſt, cùm etiam à debito pœnæ æternę directè per ſententiam iuridicam abſoluat viuos; vt patet in Sacramento Pœnitentiæ: habet enim *Claues regni cælorum*, id eſt, poteſtatem remouendi omnia impedimenta vitæ æternæ, vt Doctores interpretantur. In defunctos verò, iuxta veriorem ſententiam, iuriſdictionem nõ habet. Ad cõfirmationẽ: cõpẽſatio nõ ſufficit ad pœnæ relaxationẽ, ſed pręterea opus eſt vt à iudice acceptetur, & reus propter illam abſoluatur. Vnde neceſſe eſt, vt vel Deus immediatè per ſeipſum hominem, pro quo exhibetur compenſatio, à reatu pœnæ abſoluat; vt fit in baptiſmo, & dum alius pro alio ſatisfacit: vel certè vt Vicarius ipſius auctoritate diuinâ id faciat; vt fit in Sacramento Penitentię, in quo non ſolùm eſt compenſatio, ſed etiam efficax abſolutio.

DVBIVM II.

Vtrùm Pontifex poſſit viuis dare indulgentias per ſolam ſolutionem ex theſauro Eccleſiæ, ſine iuridica abſolutione?

20 Pòteſt id Papa.

REſpondeo: Poſſe, tum quia hoc modo conceduntur Indulgentiæ defunctis: tum quia Eccleſia habet plenam poteſtatem circa diſpenſationem ſine abſolutione; ſicut quando priuatus pro altero offert ſuas ſatisfactiones, quæ tamen alteri non valent, niſi ex congruo: ſatisfactiones autem chriſti, quas Pontifex poteſt applicare, valent alteri ex condigno.

It modus ſit minus efficax, & incertior.

Nota tamen: Hunc modum concedendi viuis indulgentias non eſſe vſitatum: nam aliter eſt, qui fit per abſolutionem, eſt efficacior & certior. *Abſolutio* enim efficaciter remittit reatum pœnæ. *Applicatio theſauri* ſolùm offert Deo pretium, vt ipſe dignetur remittere: vnde ſolùm valet per modum impetrationis; ſicuti cùm quis offert pretium pro captiuo.

CAPVT III.

De effectu Indulgentiarum?

DVBIVM I.

Vtrùm indulgentiæ ſolùm valeant ad remiſſionem pœnitentiæ iniunctæ, an etiam ad remiſſionem eius quę erat iniungenda: & conſequenter an valeant ad remiſſionem pœnę Purgatorij, quę pœnæ iniungendæ reſpondet?

21 Indulgentiæ non valent ad remiſſionem culpæ mortiferæ, nec pœnæ æternæ. Nec culpę venialis.

SVppono Primò: Indulgentias non valere ad remiſſionem culpæ mortiferę, vel pœnę æternæ; hoc enim tantùm fit per Sacramenta. Vnde quod in quibuſdam conceſſionibus indulgentiarum legitur, *per illam indulgentiam dari remiſſionem culpæ & pœnæ*, intelligendum eſt de adiuncto ſimul Pœnitentiæ Sacramento, quod ſemper coniungi, imò præcedere debet, ſaltem in voto, priuſquam indulgentiam conſequaris. Verius quoque eſt, eas non valere ad deletionem culpæ venialis, quia hęc requirit interiorem renouationem; vt alibi dictum eſt.

Nec pœnarum fori externi.

Suppono Secundò: Indulgentias valere ad remiſſionem pœnę temporalis, quę remiſſâ culpâ mortiferâ, vel veniali, luenda ſupereſt: non autem ad remiſſionem pœnarum ſiue ciuilium, ſiue eccleſiaſticarum, quæ ad forum contentioſum ſpectant: quia alioquin diſciplinam politicam & eccleſiaſticam diſſoluerent.

His poſitis: Caietanus opuſc. 15. cap. 7. tom. 1. putat. Pontificem quidem habere poteſtatem per Indulgentias relaxandi pœnas, etiam non iniunctas; tamen de facto omnes indulgentias, quas concedit, eſſe tantùm de pœnis in foro pœnitentiæ iniunctis. Idem tenet Petrus Soto lect. 2. *de indulgentiis*; & quidam antiqui Doctores Scholaſtici, Albertus & Altiſiodorenſis.

22 Quid ſonẽ *de Pœnitijs iniunctis.*

Reſpondeo & Dico Primò: Quando in formulâ exprimitur Indulgentias dari *de Pœnitentijs iniunctis*, probabilius eſt eam ſolùm extendi ad pœnitentias actu à confeſſario iniunctas. Eſt ferè communis. Vide Nauarrum relect. *de indulgentijs*, notab. 11. nu. 12. & Antonium Corduba qu. 7. propoſ. 3. Probatur Primò: Quia conceſſio indulgẽtiarum ſtrictè eſt interpretanda, etſi enim materia videatur fauorabilis, tamen in iure cenſetur odioſa, vt probat Nauarrus ex iure. Nam ad Eccleſiaſticum rigorem debilitandum aliquo modo pertinet: ergo non eſt extendenda vltra proprietatem verborum.

Pij V. ſententia.

Probatur Secundò: Si Pontifex vellet illas Indulgentias intelligi etiam *de iniungendis*, non diceret *de iniunctis*: inepta enim eſſet illa locutio, & contra communem vſum.

Nec obſtat quòd Pius V. viuæ vocis oraculo dicatur hac de re conſultus reſpondiſſe in hæc verba: *Ego Pius V. auctoritate omnipotentis Dei, & Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli declaro, atq; ita intelligo, quoties in aliqua Bullâ conceditur Indulgentia tot vel tot annorum de pœnitentijs iniunctis, debere non ſolũ de ijs, quæ ſunt iniuncta à Confeſſore, ſed etiã de iis intelligi, quæ alio quouis modo deberent iniungi.* Nam hęc declaratio ſolùm pertinet ad indulgentias ab ipſo conceſſas, quia omnino priuatim facta eſt nullâ editâ conſtitutione.

23 Indulgentia abſolutè data comprehendit pe-

Dico Secundò: Quando generatim & abſolutè conceditur indulgentia, liberat, non ſolũ à pœnis iniunctis, ſed etiam ab ijs quæ meritò deberẽt iniungi, & à pœna Purgatorij hijs reſpondente. Eſt

nitentias non iniunctas.

communis ſententia DD. vt inquit Nauarrus *de indulgent.* notab. 11. num. 12. Corduba quæſt. 7. propoſit. 4. *de indulgentijs.*

Probatur Primò: Quia omnis diſpoſitio Iuris tantum eſt extendenda, quantum proprietas verborum patitur: atqui abſoluta conceſſio indulgẽtiarum ſine reſtrictione iuxta proprietatem verborum æquè comprehendit remiſſionem pœnarum non iniunctarum, atque earum quę ſunt iniunctæ: ergo nulla eſt ratio, cur reſtringatur adiniunctas. Et confirmatur: *Vbi ius non diſtinguit, nec nos debemus diſtinguere*; vt ait Gloſſa cap. *Si Euangelica*, diſt. 50.

Secundò: Ridiculum eſſet concedere *indulgentias centum, vel mille annorum*, cùm nemini vnquam iniungatur pœnitentiæ tot annorum.

Tertiò: Omnes penè Indulgentiæ, quæ hac tempeſtate conceduntur, eſſent inanes: nam vix paucorum dierum pœnitentia iniungitur; idque Pontifices & Prælati benè nôrunt. At parui momenti eſt, ſi tantummodò ab exiguâ illâ pœnitẽtentia libereris.

Quartò: In anno Iubilæi Romæ non ſolent iniungi Pœnitentiæ, niſi exiguæ; & Paludanus refert, Bonifacium VIII. anno Domini 1300. ita præcepiſſe ſuo Penitentiario: ergo intelligunt Pontifices ſe dare Indulgentias *pro pœnis etiam non iniunctis*. Confirmatur: quia idem Bonifacius Extrauag. *Antiquorum*, conceſſit *plenissimam indulgentiam omnium peccatorum*, id eſt, *tantam, quantam vllo modo poteſtate Clauium dare poteſt*, vt ipſemet interpretatus eſt, teſte ipſius Gloſſatore, qui præſens aderat. Eandem conceſſit Clemens VI. & Sixtus IV. in anno iubilæi, & alij paſſim: ergo Pontifices concedunt indulgentias etiam *de pœnis non iniunctis*.

Quintò: Plerique implent pœnitentiam iniunctam, priuſquam faciunt vltimum opus, quo Indulgentias lucrantur: atqui tales, iuxta hanc ſententiam, nihil conſequerentur, quod eſt abſurdum.

24 1. Obiect. Caietani.

Sed contrà. Obijcit Primò Caietanus cum Petro Soto & paucis alijs: in Concilio Lateranenſi Capite *Cùm ex eo*, de Pœnitẽtijs & remiſſionibus, innocentius III. reſtringit poteſtatem Epiſcoporũ, vt in Baſilicarum dedicatione Indulgentias vltra annum non extendant; & in anniuerſario dedicationis die indulta remiſſio quadraginta dies *de iniunctis pœnitentijs* non excedat.

Soluitur.

Reſpondeo: ibi ſolùm reſtringi poteſtatem Epiſcoporum *ad iniunctas*, non autem Pontificis, qui obtinet poteſtatis plenitudinem, vt ibidem dicitur. Adde, nunc ex conſuetudine Epiſcopos etiam *de non iniunctis* Indulgentias concedere, alioqui fruſtrà concederentur, ſaltem maximâ ex parte; vt notant Doctores.

2. Obiect.

Obijcitur Secundò: Saltem illæ Indulgentiæ, in quibus exprimitur certus dierum vel annorũ numerus; vt, dum conceduntur *duæ vel tres quadragenæ*, 7. *vel* 10. *anni*; intelligendæ erunt *de iniunctis* duntaxat: quia hæ formulæ alludunt ad Canones pœnitentiales.

ſoluitur.

Reſpondeo: Etſi in talibus habeatur reſpectus ad Canones pœnitentiales, tamen non remittuntur ſolùm eę pœnæ, quæ actu ſecundùm Canones ſunt iniunctæ, ſed etiam eæ, quæ ſecundùm illos eſſent iniungendæ, quarum pœnarum verè coram Deo ſumus debitores. Aliæ rationes Caietani facilè ex dictis ſolui poſſunt. Vide Corduba q. 7. & Michaëlem Medinam diſp. 4. c. 13. & 14.

DVBIVM II.

Vtrùm pœnitens per Indulgentias liberetur ab implenda pœnitentia, quam Confeſſarius impoſuit?

Dico Primò: Si *indulgentia* eſt *plenaria*, liberatur à tota pœnitentia, etſi ſit multorum annorum. 25 Indulgentia ſi plenaria, ſi certi temporis.

Dico Secundò: *Si indulgentia eſt certorum dierum vel annorum*, liberatur pœnitens à tot diebus vel annis iniunctæ pœnitentiæ; præſertim ſi probabiliter credit ſe non amplius coram Deo debere. Ita Corduba q. 8. Corollario 4. Silueſt. V. *Indulgentia*, §. 23: cum Panormitano. Caietanus opuſ. 15. c. 7. tom. 1. Nauarrus notab. 31. num. 43.

26 Si plus debeas pœnæ quàm confeſſor iniunxit.

Dico Tertiò: Quòd ſi credat ſe amplius debere, quàm ipſi à Confeſſario eſt iniunctum, debet potiùs Indulgentiam recipere pro eo quod non eſt iniunctum, & ſatisfactionem implere, quæ iniuncta eſt. Ita Corduba, & alij. Ratio eſt: Quia illacéſetur intentio concedentis, ne ſatisfactiones pœnitentiales omnino langueſcant.

Quamuis contrarium ſit probabile, & forſan verius; nempè ne tunc quidem teneri implere iniunctam pœnitentiam. Inſinuat Nauarrus ſuprà, & tenet Gabriel in ſupplemento, diſt. 45. q. 3. art 2. Ratio eſt: quia poſſum Indulgentiam accipere pro pœnitẽtiâ iniunctâ, & eam partem debiti pœnalis quæ ſupereſt, vel hîc: vel in Purgatorio perſoluere. Vnde enim conſtat, intentionem concedentis eſſe, vt non accipiã indulgẽtias pro pœnitentia iniuncta, quando exiſtimo me amplius coram Deo debere?

27 Si penitentia ſit medicinalis.

Notandum tamen eſt: Quando pœnitentia impoſita non ſolũ eſt ſatisfactoria, ſed peculiari modo etiam medicinalis, & in remedium futurorũ, non eſſe omittendâ propter indulgentias, vt paſſim notant Doctores. Vnde D. Thomas q. 25. a. 1. ad vltimum, ait, *Omnibus eſſe conſulendum, vt opera ſatisfactoria diligenter obeant, quamuis parent ſe Indulgentias conſecutos*: tum quia ſunt in remedium contra futura; tum quia ſæpè plus debemus, quàm exiſtimemus; tum quia non ſumus certi an indulgentiam reipſa ſimus conſecuti; tum denique quia quotidie noua debita contrahimus.

quale peccatum eam omittere.

Addo tamen, non videri mortiferum peccatum, etſi pœnitentiam, etiam medicinalem, omitteres obtentâ Indulgentiâ. Ratio eſt: quia quatenꝰ pœnitentia eſt remedium futurorum, non videtur poſſe abſolutè iniungi à Sacerdote, niſi hoc remedium omnino ſit neceſſarium ad futura vitanda; quod rarum eſt. Cuius vlterior ratio eſt, quia poteſtas Clauium ſolùm reſpicit id, quod eſt neceſſarium ad ſolutionem culpæ & pœnę in Sacramento, quod inſinuat Concilium Tridẽt. ſeſſ. 14. c. 8. Cũ enim dixiſſet, Sacerdotes *non ſolùm debere ſpectare, vt ſatisfactio ſit in remedium contra futura, ſed etiam in vindictam præteritorum*, ſubijcit: *Nam claues Sacerdotibus non ad ſoluendum duntaxat, ſed etiam ad ligandum conceſſas Patres docent*: vbi indicat poteſtatem ligandi ſpectare propriè vindictã præteritorum.

DVBIVM III.

Vtrùm indulgentiæ tantum valeant, quantum ſonant?

Reſpondeò Affirmatiuè: Modò hęc quatuor adſint, ſcilicet, auctoritas in concedente iu- 28

ſta cauſa concedendi, ſtatus gratię in obtinente, & opus præſcriptum debito modo præſtitum. Vide Antoninum 1. p. tit. 10. c. 3. quãuis paulò aliter explicet: & Durandum, diſt. 20. qu. 4.

DVBIVM IV.

Quomodo intelligendæ ſint illæ Indulgentiarum formæ, quibus conceduntur centum, vel mille anni, aut decem millium annorum Indulgentiæ?

29 Intelligẽdæ ſunt de pœnitentia iuxta Canonesagẽda.

REſpondeo: intelligendæ ſunt de annis, non qui eſſent in Purgatorio luendi, ſed qui in hac vitâ, ſi tantum ſe vita extenderet, iuxta canones deberent in pœnitentia peragi; & conſequẽter in illis conceditur remiſſio pœnę Purgatorij, quæ tam diuturnæ pœnę canonicæ reſpondeat: cùm enim pœna Purgatorij ſit continua ſimul & acerbiſſima, non debet eſſe tam longa, quàm pœnitentia quæ per Canones conſtituitur. Vbi

Notandum eſt: Per Canones cuique peccato mortifero grauiori, vt adulterio, magno furto &c. indici pœnitentiam *ſeptem annorum*, vt patet cauſ. 33. q. 2. cap. *Hoc ipſum*. Grauiſſimis autẽ peccatis, vt homicidio parricidio &c. *decẽ vel duodecim annorum*, vel *per totam vitam*. Quare cũ multi ſint, qui centum, vel mille peccata mortifera omnis generis commiſerint, multorum millium pœnitentia iuxta canones, ſi vita ſuppeteret, illis iniũgi deberet; quamuis nemo tamdiu ſit in Purgatorio cruciandus, eò quòd longinquitas acerbitate compenſetur. Vnde non ſunt ridiculę illę indulgentiæ, quibus mille, vel plures anni conceduntur; cùm multi ſint totidem annorum debitores, ſi canonicam pœnitentiam ſpectemus.

Hæ formę non ſunt ridiculæ.

DVBIVM. V.

Vtrùm ſit aliquod diſcrimen inter Indulgentiam plenam, pleniorem, pleniſſimam?

30 Nauarrus exiſtimat.

HÆc diſtinctio ſæpè reperitur in conceſſionibus indulgentiarum, Nauarrus notab. 9. putat eſſe diſtinctionem.

Meliùs Sotus negat.

Sed probabilius eſt, quod ait Sotus; quidquid olim fuerit, ſaltem modò non eſſe diſcrimen; ſed huiuſmodi verborum exaggeratione interdũ vti Pontifices, vt ſignificent ſe ex parte ſuâ cõcedere quidquid poſſunt: vt videre eſt in Extrauag. *Antiquorum*, Bonifacij VIII. Idem ſentit Antonius Corduba quæſt. 9.

DVBIVM VI.

Vtrùm ſit diſcrimen inter Indulgentiam Plenariam, & Iubilæum?

31 REſpondeo: Non eſſe diſcrimen in pœnarum relaxatione, ſed ſolum in alijs quibuſdã. Nã in iubilæo conceduntur quædam priuilegia, quæ non ſolent in ſimplicibus plenarijs indulgentijs concedi; nempe facultas deligendi Confeſſorem, cum poteſtate abſoluendi à reſeruatis, & diſpenſandi in votis & iuramentis.

CAPVT IV.

De cauſa Indulgentiarum?

DVBIVM I.

Vtrùm requiratur iuſta cauſa, vt Indulgentia conſtet?

REſpondeo indulgentiam ſine iuſta cauſa cõceſſam non valere ad tollendam omnem obligationem pœnarum coram Deo, etſi fortè poſſit liberare ab obligatione pœnæ iniunctæ. Ill ferè communis. 32

Probatur Primò: Quia ab ijs quæ in foro Dei debentur, non poteſt Pontifex ſine cauſa quenquam eximere, vt patet in votis, iuramentis, reſtitutione, & ſimilibus: atqui pœna temporalis remanens poſt culpam condonatam, iure diuino debetur: ergo ſine cauſa non poteſt condonari.

Non valet diſpenſatio ſine cauſa, adeoque nec indulgentia.

Secundò: Pontifex debitum pœnæ temporalis nõ poteſt tollere, niſi mediante applicatione ſatisfactionis chriſti: ſed huiuſmodi ſatisfactionem ſine cauſa nequit applicare: non enim eſt Dominus theſauri Eccleſiaſtici, ſiue tẽporalis ſiue ſpiritualis, ſed diſpenſator; iuxta illud 2. ad cor. 4. v. 1. *Sitnos exiſtimet homo vt miniſtros Chriſti, & diſpẽſatores miſteriorum Dei*. Diſpenſator autẽ niſi expreſſo ſcripto domini diſpenſet, irrita eſt diſpenſatio.

Tertiò: idipſum ſatis inſinuat Clemens VI. Extrauag. *Vnigenitus*, vbi dicit *Pontificibus conceſſam eſſe poteſtatem Eccleſiaſticum theſaurum proprijs ac rationabilibus cauſis ſalubriter diſpenſandi.*

DVBIVM II.

Vtrùm quamuis cauſa pia cenſeatur iuſta ad quantumuis magnam Indulgentiam?

QVidã affirmant. Ita D. Thomas hîc in Additionibus q. 25. a. 2. Durandus diſt. 20. q. 4. Paludanus ibid. qu. 4. in principio Antoninus 1. p. tit. 10. cap. 3. §. 1. & 2. multique alij. Addũt tamen, peccare Papam, ſi ob leuiſſimam cauſam maximam Indulgentiam concedat; valere tamen Indulgentiam.

33 Affirmat D. Thom.

Sed verius eſt, non quamuis cauſam piam ſufficere ad quantumuis magnam Indulgentiam: ſed neceſſarium eſſe, vt cauſa ſit Indulgentię proportionata, adeò, vt ſi maior ſit, quàm pro cauſæ magnitudine, non cenſeatur rata, niſi quoad eam partem, quæ cauſæ proportionem non ſuperat.

communis ſententia negat.

Eſt communis ſententia hoc tempore, inquit corduba quæſt. 17. Tenet Bonauentura diſt. 20. parte 2. quæſt. vltima. Richardus eãdem diſt. circa quintum principale qu. 1. Auguſtinus de Ancona in Summa *de poteſtate Eccleſię*, qu. 30. art. 3. 4. 5. Caietanus Opuſc. *de Indulgentijs*: quæſt. 1. tom. 1 (eſt opuſc. 9.) item opuſc. 15. *de indulgent.* ad Iulium Medicem cap. 8. Bartholom. Fumus Verbo *indulgentia*, num. 10. Sotus diſt. 21. qu. 2 art. 2. & alij multi Theologi. Et inter Canoniſtas Nauarr° relect. *de indulgent.* notab. 15. num. 3. & 4. & Innocentius IV. in Capit. *Quòd autem*, de Pœnitentijs & remiſſionibus; & alij.

Probatur Primò: Pontifex in Eccleſia non eſt Dominus, præſertim bonorum ſpiritualium, ſed nudus diſpenſator: ergo non poteſt ob quamuis leuiſſimam cauſam, quantumuis magnos theſauros ſpiritualium gratiarum diſtribuere. Dominus enim non habebit ratam huiuſmodi diſpenſationem. Confirmatur: quia in voto & iuramento non quæuis cauſa ſufficit ad diſpenſandum, ſed requiritur cauſa iuſta, alioquin diſpenſatio coram Deo eſt irrita: ergo, cùm relaxatio pœnæ Deo debitæ ſimilis ſit diſpenſationi voti vel iuramenti, non poteſt ob quamuis cauſam fieri; ſed requiritur cauſa proportione reſpondens.

Probatur Secundò: Collatio Indulgentiæ abſque pia cauſa omnium ſententia eſt inualida: ergo collatio tantæ Indulgentiæ ſine tanta cauſa non

Digitized by Google

valet tanti.

Probatur Tertiò, Ex Capitulo *Antiquorum*, vbi Pontifex Indulgentiam pleniſſimam concedens, ſubijcit: *Vnuſquiſque tamen plus merebitur, & Indulgentiam efficaciùs conſequetur, qui Baſilicas ipſas ampliùs & deuotiùs frequentabit.* Vnde patet, non omnes illos, qui per 30. dies conſtitutos Baſilicas viſitabant, conſecutos fuiſſe pleniſſimam Indulgentiam; ſed quoſdam amplius, quoſdam minus, intra illum terminum, prout deuotiùs & frequentiùs, vel minùs deuotè opus præſcriptum præſtiterunt. Vide Nauarrum notab. 15. vbi hūc locum expendit.

34 Valent ſēper indulgentiæ ſecundum cauſæ proportionē.

Quòd autem talis Indulgentia ſemper ſit rata quoad aliquam partem, quæ cauſę proportionem non excedit, certum eſt, & ab omnibus ferè conceſſum, vt ſuprà dictum eſt: alioqui Eccleſia vehementer deciperetur, vireque dici poſſet *Indulgentias eſſe pias fidelium fraudes*, vt principio ſuæ hæreſis docuit Lutherus.

DVBIVM III.

Vnde ſpectanda ſit magnitudo cauſæ, ob quam dantur Indulgentiæ.

35 REſpondeo: Eam ſpectandam eſſe tum ex parte finis, quem ſibi proponit Pontifex; tum ex parte operis, quod in illum finem ab ipſo præſcribitur.

Finis ob quem Indulgentia concedi-tur.

Finis propter quem indulgentiæ conceduntur, eſt cultus Dei, honor Sanctorum, Sacramentorum frequentatio, Sedis Apoſtolicę tuerētia & amor, hæreticorum conuerſio, hoſtium Eccleſiæ repulſio, & ſimilia. Huiuſmodi fines præſtituit ſibi Pōtifex in conceſſione indulgentiarum.

Opus quo indulgentia obtinetur.

Opus autem quod præſcribitur, eſt illud, per quod vnuſquiſque ad prædictos fines promouendos cooperatur, cuius operis veluti merces, vel præmium eſt indulgentia: quamuis non propriè dicatur *Merces*, quia opus iſtud non tam eſt meritum indulgentiæ, quàm diſpoſitio vel conditio ad eam obtinendam. Vtrumque horum duorum ad cauſam indulgentiæ pertinet, & proinde ex vtroque ſpectanda eſt cauſę quantitas; quamuis principaliter ex fine.

Cauſa indulgentię ſpectanda ex fine & opere.

Hinc patet, cùm dicimus *Indulgentiam debere eſſe cauſæ proportionatam*, ſpectandam eſſe proportionem, quam habet cum fine, & cum opere: v. g. quantum ille finis pertineat ad Dei gloriam, ad animarum ſalutem, ad commune bonum Eccleſiæ. Similiter in opere non ſolùm eſt ſpectanda difficultas aut excellentia, ſed maximè vtilitas & neceſſitas ad prædictos fines. Etſi enim paruimomenti videatur in ſe, v. g. *Accipere benedictionem Pontificis in die Paſchæ, vel die Ioannis ſanctę*, eſt tamē valdè expediens ad retinēdum populum in vnione cum Sede Apoſtolicâ, & profeſſione vnius capitis, quod populo Chriſtiano ad ſaluté eſt neceſſarium. Similiter etſi leue videatur *recitare ecceronam per calculos benedictos*, eſt tamen valdè vtile ad fidei Eccleſiæ Romanæ contra hæreticos profeſſionem, & ad vnionem cum illa Eccleſia.

36 Papa non facilè hic iudicandus.

Ex dictis infertur Primò: Non eſſe facilè præſumendum Pontificem errare, quando pro cauſa, quę videtur parua, magnam confert indulgentiā: tum quia non eſt facilè omnes cauſas noſſe, & debitè eſtimare, quæ ipſum mouent: tum quia ipſius intentio non eſt abſolutè tantam indulgentiam conferre, ſed ſolùm quantum poteſtas Clauium intra hunc terminum ſe poteſt extendere, dumtalis cauſa ſubeſt. Cùm enim non poſſit certò ſciri ab hominibus, quę, & quanta requiratur cauſa ad tantam indulgentiam, v. g. *centum annorum* (hoc enim ſoli Deo notū eſt) propoſitâ certâ cauſâ piâ intendit dare indulgentiam intra certam menſuram, *vt centum annorum*, quantam poteſt vi Clauium; adeò, vt, ſi illa cauſa coram Deo tantæ indulgentię ſit proportionata, conferat tantam indulgentiam; ſi autem minori, conferat minorem intra terminum centum annorum. Expedit autē, vt ille terminus ſatis ſit amplus; partim, quia non conſtat, an non poſſit virtute Clauium ob talem cauſam etiam maior indulgētia concedi; partim, quia quando terminus eſt ſatis amplus, is qui feruentiùs facit opus præſcriptum, plus conſequitur intra illum terminum; fierique poteſt vt tantâ deuotione præſtet, vt totam Indulgentiam conſequatur. Nam quò magis creſcit operis perfectio, eò magis creſcit eius aptitudo & proportio ad tantam indulgentiæ menſuram conſequendā. Quòd ſi exiguus eſſet terminus ſeu menſura indulgentiæ, is qui ſummâ deuotione expleret opus præſcriptum, non poſſet lucrari amplius, quam is qui mediocri, vel infima deuotione id expleret; vltra enim menſuram conceſſam vi Clauium nihil optineri poteſt. Vide Nauarrum notab. 15. nū 8. vbi hæc doctiſſimē explicat, & probat efficaciter per Extrauagantem, *Antiquorum*: & ex Innocentio IV. in Capitulo *Quod autem*, de Pœnitent. & remiſſionibus.

37 temerariè paruipendunt aliqui indulgentias rerum ſacrarum.

Infertur Secundò: Non poſſe à magna temeritate excuſari eos, qui granorum benedictorum, & ſimilium rerum ſacrarum Indulgentias vel reijciunt, vel paruipendunt: tum quia cauſas, cur hæ concedantur, vel ignorant, vel non ſatis expendunt, tum quia iudicium ſuum Eccleſię Romanæ iudicio, quę eſt mater omnium Eccleſiarum, videtur præponere: tum quia fideles per Italiam & Hiſpaniam, & alia loca non infecta, huiuſmodi indulgentias magna deuotione & religione complectuntur, etſi Epiſcopi ſint vel Prælati.

CAPVT V.

De Indulgentijs Defunctorum?

DVBIVM I.

Vtrùm Indulgentiæ proſint defunctis?

SVppono: Nec beatis, nec damnatis prodeſſe. Vide D. Auguſtinum in Enchiridio cap. 110. & lib. *De cura pro mortuis habenda*, cap. 1. Nunc

38 Non proſunt damnatis vel Beatis, ſed in Purgatorio exiſtentibus.

Reſpondeo: Indulgentias prodeſſe defunctis in Purgatorio detentis, ſi illis ab Eccleſia applicentur: Eſt certum: & contrarium eſt hæreſis, vel hæreſi proximum.

Probatur Primò: Nam inter cęteros Lutheri articulos damnatur etiam iſte vigeſimus ſecundus: *Indulgentiæ ſex hominum generibus nec ſunt neceſſariæ, nec vtiles: mortuis ſeu morituris, infirmis, legitimè impeditis, his qui non admiſerunt crimina, his qui crimina commiſerunt ſed non publica, his qui meliora operantur.* Vide Leonis X. Bullam apud Caietanum 3. parte quæſt. 48. art. 5.

Probatur Secundò: quia defuncti ſunt membra Eccleſiæ, Fide, Spe, & Charitate ei coniuncta; vt docet D. Auguſtinus lib. 20. de Ciuitate Dei, c. 9. ergo ab Eccleſiâ iuuari poſſunt. Conſequentia probatur, quia idcircò eſt bonorum communio in Eccleſia, quòd fideles ſint inuicem membra: membrum autem pro membro ſollicitum ſit, & laboret.

by Google

Probatur Tertiò: Suffragia, id eſt, preces Eccleſiæ, ſacrificia, & alia pia opera proſunt defunctis, vt patet 2. Machab. cap. 12. v. 46. *ſanctа & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis ſoluantur.* Idem definitum eſt in Concilio Tridentino ſeſſ. 25. in principio; & in Florẽtino, in decreto vnionis Armenorum cum Eccleſia latina. Idem quoque docent Patres apud Gratianũ 13. quæſt. 2. Cur non etiam illis proſint ſatisfactiones Chriſti & Sanctorum, ſi per Eccleſiam applicentur? Poſſe autem applicari, ex eo liquet, quòd ſint membra Eccleſiæ opis indiga.

Paſchal. I. Probatur Quartò: Ex vſu Eccleſiæ ſatis antiquo. Nam Paſchalis I. ante annos 700. Indulgẽtias defunctis conceſſit, cuius factum vndecim ſequentes Pontifices confirmárunt. Idem fecit Gregor. I. Gregorius I. antè annos ferè mille, vt monumenta teſtantur, quæ in templo S. Praxedis, & alibi Romæ paſſim extant. Vide Gabrielem in Canonem Miſſæ, lectione 57. Ioan. Maiorem, diſt 20. qu. 2. ſub finem. & Nauar. notab. 22. num. 9.

DVBIVM II.

Quomodo Indulgentiæ Defunctis concedantur?

39 Mich. Medina. MIchaël Medina diſput. 7. cap. 34. *de indulgentiis*; exiſtimat illis conferri *per modum abſolutionis*, ſicut viuis; idque valdè acriter tuetur.

Verius eſt dari *per modũ ſuffragij*, non *abſolutionis* Contrarium tamen eſt verius, & probabilius: nẽpe, *ſolùm per modum compenſationis ſeu ſuffragij illis indulgentias conferri.* Eſt cõmunis ſententia. Nam præter eos, qui hoc modo etiam viuis dari volunt indulgentias, tenent hanc ſententiã etiam illi, qui viuis dicũt concedi *per modũ abſolutionis*: Bonauẽtura diſt. 20. parte 2. quęſt. 3. Richardus eãdem diſt. circa 3. principale, quæſt. 3. Maior ſuprà diſt. 20. quæſt. 2. vbi dicit id à Pariſienſi Facultate eſſe definitum. Gabriel in Canonem Lect. 57. Caietanus Opuſc. 15. cap. 5. Nauarr. notab. 22. *de indulgentiis* num. 3. & alij.

Probatur Primò: Quia Eccleſia in defunctorum animas nullam habet iuriſdictionem: ergo non poteſt illis dare Indulgẽtias *per modũ iuridicæ abſolutionis.* Antecedens probatur, Matthæi 18. v. 18 *quæcũque ſolueritis ſuper terrã, erunt ſoluta & in cœlis*: vbi datur poteſtas tãtùm in viuẽtes ſuper terrã, vt indicat Gelaſius Papa, Capit. *Legatur*, 24. quęſt. 2. vbi ait: *ſuper terram, inquit Dñs; nam in ligatione defunctum nunquã dixit eſſe abſolvendum.* Hìc probat Gelaſius, defunctum in excommunicatione non poſſe ab Eccleſia abſolui, *quia Dñs inquit; quidquid ſolueritis ſuper terram.* D. Leo epiſt. 90. ad Epiſcopum Narbonenſem de cõmunione priuatis, & ita defunctis: *Horũ cauſa iudicio Dei reſervãda eſt*, (quia videlicet Eccleſia non poteſt eos abſoluere.) & infrà dicit: *Nos talibus cõmunicare non poſſumus.* Eadem docet Gratianus in eãdem quæſt. & cauſa in principio: *ſuper terrã, inquit, non ſub terrâ, oſtendens quòd viuẽtes pro varietate ſuorum meritorum ſoluere poſſumus, & ligare; de mortuis verò ſententiam ferre non poſſumus.* Idem confirmatur ex Ambroſio lib. 2. *de Cain & Abel*, cap. 4. *Dominus*, inquit, *par ius eſſe voluit ſoluendi atque ligandi*: atqui Eccleſia defunctos ligare nõ poteſt: ergo nec ſoluere.

Probatur Secundò: Pontifices in omnibus Indulgentijs, quas defunctis concedunt, addere ſolent, eas obtineri vel concedi *per modum ſuffragij*; ſatis per hoc inſinuantes aliter ſe conferre non poſſe. Dubium enim non eſt, quin optimo & efficaciſſimo modo, quo poſſunt, eas concedere velint.

40 quid ſit, dari indulgentias per modũ ſuffragij. Dicuntur autem concedi *per modum ſuffragij indulgentiæ*, non quia conceduntur ipſis mediante opere viuorum, vt vult Gabriel; (hoc enim non eſt concedere indulgẽtias ipſas per modum ſuffragij, ſed per alterius ſuffragium:) verũ quia ipſę ſatisfactiones Chriſti & Sanctorum applicãtur illis *tãquam ſuffragium*, id eſt, tanquam opus bonum ſuffragatorium vel opitulatorium. Nã valdè probabile eſt etiam ſine opere alicuius alteri viuentis poſſe eis à Pontifice immediatè Chriſti & Sanctorum ſatisfactiones applicari. Ita docet Nauarr. notab. 22. nu. 33. vbi dicit aliquot Pontifices huiuſmodi indulgentias conceſſiſſe.

DVBIVM III.

Vtrùm Indulgentiæ defunctis, per modum ſuffragij conceſſæ, valeant illis ex condigno, certaque lege; an tantùm ex congruo, nempe ſi Deus acceptauerit?

41 Valent ex condigno, & certa lege. REſpondeo, Quidquid Caietanus & alii quidam dixerint, valere ex condigno, & certâ lege. Eſt ferè communis ſententia, vt docet Nauarr. notabili 22. num. 18. Probatur: quia etſi fortaſſe noſtra ſatisfactio non alteri valeat ex cõdigno; tamen ſatisfactio Chriſti ita valet non ſolùm viuis, ſed etiam defunctis: atqui hęc potiſſimùm applicatur per Indulgentias, vt patet in Extrauag. *Vnigenitus.*

Cui Papa non poſſit vno die exhaurire Purgatorium. Dices: Ergo Pontifex poſſet vno die exhaurire Purgatorium.

Reſpondet Caietanus opuſculo 16. quæſt. 5. id fieri non poſſe: quia indulgentiæ iis duntaxat defunctis proſunt, qui, vt prodeſſent, meruerunt. Ii autem id meruerunt, qui, dum viuerent, conati ſunt, quantum in ipſis erat, pro peccatis ſuis ſatisfacere.

Verùm hæc ſententia paſſim reiicitur, vt oſtẽdit Sotus d. 21. q. 2. ar. 3. ſub finem: Omnes enim, qui in gratia diſcedunt, capaces ſunt cuiuſuis influxus meritorum Chriſti, qui per indulgentias diſpenſatur. Non enim fundamentum communionis ſuffragiorum Eccleſiæ eſt particulare aliquod meritum, ſed ſtatus gratiæ, ob quem ſatis digni ſunt qui iuuentur. Et hoc ſolùm vult D. Auguſtinus lib. *De cura pro mortuis*, cap. 2. & in Enchiridio cap. 109. cùm ait, *Illis prodeſſe ſuffragia; qui meruerunt, vt ſibi prodeſſe poſſent*: ſolùm enim damnatos excludit; vt patet ex diuiſione, quam ibi inſtituit.

Reſpondeo ergo: Pontificem id non poſſe præſtare; quia non ſubeſt cauſa, ob quam poteſtate Clauium tam ingens diſpenſatio fieri queat: atqui diſpenſatio ſine iuſta cauſa eſt irrita.

CAPVT. VI.

De Indulgentiis viuorum?

NOtandum eſt: Ex communi ſententia ſaltem hæc duo requiri ex parte ſuſcipientis: 42 Alterum, vt ſit in ſtatu gratiæ, qui enim eſt in ſtatu peccati mortiferi, non eſt capax remiſſionis pœnæ. Alterum eſt, vt præſtet opus præſcriptum.

DVBIVM I.

Vtrùm hoc opus debeat fieri in ſtatu gratiæ?

43 Veriot opinio negat.

REſpondeo: Etſi Caietanus & quidam alij contrarium ſentiant, probabilius eſt nõ eſſe neceſſarium, vt totum opus, quod præſcribitur, fiat in ſtatu gratiæ; ſed ſufficere, vt vltimum, in quo indulgentia debet obtineri, fiat in gratia. Ita Paludanus d. 20. q. 4. ar. 3. D. Antoninus p. 1. tit. 10. cap. 3. §. 5. in fine. Silueſter verbo *Indulgentia*, num. 20. citans Archidiaconum pro hac ſententia. Corduba q. 21. & 22. Nauarr. notab. 19. num. 19. Et in expoſitione Iubilæi Gregorij XIII. expreſsè docet, ſatis eſſe, vt homo ſit in gratia tempore indulgentię conſequendæ, quãuis anteà in ſtatu peccati templa viſitauerit, vel ieiunauerit. Additque Romæ hoc vltimo Iubilęo Bullam Gregorij ita fuiſſe intellectam; & omnes ferè Theologos & Canoniſtas ante & poſt Caietanum, contra Caietanum ſentire.

Probatur Primò: Opus quod ad indulgentias requiritur, non requiritur tanquam meritum indulgentiæ, ſeu remiſſionis pœnarum, ſed tanquam diſpoſitio & conditio quædam: atqui opus pium, factum etiam in ſtatu peccati, poteſt eſſe diſpoſitio ad indulgentias; ergo non eſt neceſſe, vt fiat in ſtatu gratiæ.

Maior patet. Minor probatur: Quia opus pium factum extra gratiam eſt diſpoſitio ad gratiam & reconciliationem; cur etiam non ſit diſpoſitio ad conſequendas indulgentias?

Dices: Meritum Chriſti non poſſe applicari ad remiſſionem pœnarum per opus mortuum: ergo.

ſufficit vt vltimũ op⁹ fiat in gratia.

Reſpondeo Primò: Etſi fortè per tale opus non poſſit completè applicari; tamen nulla eſt ratio, cur non poſſit applicari inchoatè per illud tanquam per diſpoſitionem, ſic vt completa applicatio fiat per vltimum opus, quod ponimus fieri in ſtatu gratiæ: ſicut per confeſſionem & attritionem applicatur Chriſti meritum inchoatè, per abſolutionem completè.

Reſpondeo Secundò: Applicationem meritorum Chriſti in indulgentiis proprie non fieri per ipſum opus niſi diſpoſitiuè, ſed per intentionem ſeu abſolutionem Pontificis.

44 A ſimili.

Probatur Secundò: Preces, ieiunia, & alia pia opera, facta in ſtatu peccati, valent ad auertendam Dei iram, ſeu flagella tẽporaria, vt patet in Niniuitis & in Achab, quos credibile non eſt fuiſſe per pœnitentiam iuſtificatos. Valent etiam ad diſponendum populum ad vitę emendationem, & reconciliationem cum Deo: atqui huiuſmodi fines ſpectat Pontifex in concedendis indulgentiis: ergo habet cauſam idoneam eas cõcedendi, quamuis opus totum non fiat in ſtatu gratiæ.

Ab vſu eccleſiæ.

Probatur Tertiò: Quando conceduntur indulgentiæ in forma Iubilæi, vſus Eccleſiæ habet, vt fideles triduo antè ieiunent, & poſteà confiteantur & communicent. Quòd ſi totum opus præſcriptum deberet fieri in gratia; oporteret antè omnia confiteri, deinde ieiunia, & reliqua obire: nam certum eſt, pleroſque ante confeſſionem non iuſtificari.

Probatur Quartò: In anno Iubilæi Romæ præſcribitur, vt per 30. dies incolæ, & externi per 15. viſitent Baſilicas, vt patet Extrauag. *Antiquorum*, De pœnitent. & remiſſionibus: tamen moraliter vix fieri poteſt, vt omnes iſtæ viſitationes paſſim ab hominibus rudibus præſtentur in ſtatu gratiæ.

Aduerte tamen, ſemper eſſe ſecurius, vt totum opus fiat in gratia: quia contraria ſententia non eſt omnino certa. Quòd ſi non totum fiat, ſaltem curandum vt pars fiat in gratia: nam pro ea parte indulgentiam conſequeris, quamuis fortè contraria ſententia eſſet vera, vt rectè docet Nauar. ſuprà, nu. 19. Intentio enim Pontificis eſt, dare illam vel in totum vel in partem, quantum poteſt, & cauſa patitur. Securiꝰ eſt vt totum opꝰ fiat in gratia.

DVBIVM II.

Vtrùm indulgentiæ reuiniſcant? id eſt: *Vtrùm is, qui eas percepit in ſtatu peccati mortiferi, fructum conſequatur, quam do reſurgit?*

REſpondeo: Non reuiniſcere: ſi enim tempore ſuſceptionis indulgentię non ſis in ſtatu gratię, nihil poſteà conſequeris. Eſt communis ſententia, vt docet Corduba quæſt. 21. Ratio eſt: Nam tenor earum ſolùm eſt, eas concedi tẽpore certo: ergo, ſi tunc ſis indiſpoſitus, nihil poſteà conſequêris, quia non applicantur. Poſſet tamen Pontifex ſtatuere, vt tunc valere incipiãt. 45 Non reuiniſcũt indulgentię, etſi Papa id poſſet ſtatuere.

Dices: Satisfactio Sacramentalis reuiniſcit, cur non etiam indulgentiæ?

Reſpondeo: Eſt diſpar ratio: Tum quia ipſa ſatisfactio applicat nobis Chriſti merita, tanquam ea in ſe continens: vnde ſiue ſimus diſpoſiti, ſiue non, per eam applicantur nobis abſolutè. In indulgentiis autem non applicantur nobis per opus pium, ſed per Eccleſię intentionem, quæ non intendit ea applicare, niſi diſpoſitis; vt colligitur ex formulâ. Tũ quia ſatisfactio ſacramentalis in nobis realiter recipitur & conſequenter merita Chriſti per eam qua ſi intrinſecè applicantur. In indulgentiis autẽ ſolùm fit extrinſeca applicatio.

Aduerte tamen, Silueſtrum verbo *indulgentia*, nu. 32. ex Archidiacono, & Paludanum diſt. 20. qu. 4. & quoſdam recentiores tenere *indulgẽtias reuiniſcere*. Eccleſia enim videtur intendere applicare ſatisfactiones Chriſti omni modo, quo poteſt: atqui poſſet ſic applicari: ergo. Hæc ſententia non eſt improbabilis, præſertim ſi adhuc tempus indulgentię conſequendæ duret. Contrariũ nõ eſt improbabile.

DVBIVM III.

Vtrùm culpa venialis impediat fructum Indulgentiarum?

REſpondeo & Dico Primò: Quamdiu manet aliquis in affectu peccati venialis, & vniuerſim quamdiu aliquis manet in culpa veniali, non poteſt vllo modo conſequi remiſſionem pœnæ illius peccati. Ratio eſt: quia ex culpa neceſſariò ſequitur reatus pœnæ. Poteſt tamen conſequi remiſſionem pœnę aliorum peccatorum, quorum culpa eſt remiſſa. 46 Si culpæ veniali afficeris.

Dico Secundò: Si peccatum veniale committatur in opere præſcripto, non tamen vitiet ipſum opus, non impedit indulgentiam: vt ſi, dum ieiunas, mentiaris. Si autem inficiat ipſum opus præſcriptũ, ita vt ipſum efficiat peccatum veniale; v. g. ſi ieiunes vel ores ob vanam gloriam, putat Corduba qu. 22. propoſit. 2. indulgentiæ fructum non impediri. Sed contrarium videtur probabilius, quod tenẽt Adrianus tract. de *indulgentiis*, concluſ. 4. Petrus Soto lect. 3. Nauarr. notab. 32. nu. 45. & 46. Ratio eſt: quia tale opus eſt omnino ineptum, vt ſit conditio requiſita ad indulgentiã: ſatiùs enim eſt abeſſe, quàm adeſſe. Si veniale non vitiet, vel vitiet ipſum opꝰ præſcriptũ

oogle

Deinde est prorsus inutile ad finem honestum: vnde non potest esse dispositio ad indulgentias.

Notandum tamen: Probabile esse, opus externum ex duplici intentione posse procedere, quarum altera sit bona, altera mala. Quo posito: Probabiliter dici potest indulgentiam obtineri per illud opus, quatenus procedit ex intentione bona, licet non obtineatur quatenus procedit ex intentione mala; quod sæpè vsu venire videtur in dandis eleemosynis.

DVBIVM IV.

Vtrùm, præter statum gratiæ in suscipiente, requiratur præterea sollicitudo & diligentia satisfaciendi pro peccatis per condignam pœnitentiam, petendo eam iniungi à Confessario, vel sponte assumendo?

47 Affirmat Caietanus

Caietanus tract. 10. qu. 1. putat hoc requiri: Sequitur Fumus verbo *Indulgentia*, nu. 13.

Communis opinio negat.

Sed quamuis hoc sit salutare consilium, non tamen est necessarium. Ita Corduba q. 27. Nauar. notab. 21. nu. 2. & seqq. & est communis sententia. Probatur Primò: Ideò cepit indulgentiarum vsus crebriùs frequentari in Ecclesia, quia homines erant tepidiores facti ad pœnitentias, adeò vt vix ad iustas satisfactiones possent induci: ergo, si requitur illa sollicitudo & diligẽtia satisfaciendi, tunc demum caperunt frequentari, quando caperant esse inutiles. Hæc ratio est ab absurdo. Secundò: Qui est in gratia, est Christi membrum viuum: ergo est particeps cuiusuis influxus, qui ex eius passione dimanat. Tertiò: Iustus est membrum viuum Ecclesiæ: ergo est particeps communionis Sanctorum, ac proinde illorum meritis ac satisfactionibus potest iuuari.

salubre cõsilium in praxi.

Notandum tamen: Hanc sententiam Caietani in praxi esse valdè salutarem, vt monet Nauarrus; præsertim cùm altera non sit omnino certa. Vnde optimè sibi consulunt, qui statuunt in hac vita satisfacere, idque reipsà nituntur præstare, donec Indulgentias consequantur; hoc enim tantùm requirit Caietanus.

DVBIVM V.

Vtrùm requiratur confessio reipsâ, an in voto tantùm?

48 si in formula non exprimatur vel exprimatur confessio.

Respondeo & Dico Primò: Si in formulâ non exprimatur confessio, sufficit contritio cum proposito confitendi debito tempore. Ita communiter Doctores.

Dico Secundò: Si exprimatur Indulgentiam concedi *verè pœnitentibus & confessis*, probabilius est, requiri confessionem in ijs, qui habent peccatum mortiferum. Ita Nauar. notab. 18. Caietanus Opusc. 15. cap. 10. Corduba q. 24. & alij passim. Ratio est, Tum quia in dubio non est recedendum à proprietate verborum: tum quia vna ex præcipuis vtilitatibus indulgentiarũ est, inducere fideles ad confessionem peccatorum.

An hic nõ sufficiat propositũ confitẽdi.

Aduerte tamen: Non esse improbabile, etiam in hoc casu sufficere propositum confitendi suo tempore. Tenet enim hoc Siluester Verbo *Indulgentia*, num. 20. citans Paludanum, Panormitanum, Ioannem Andream, Glossam, Imolam, & Cardinalem Sabarellam: additque sic fuisse declaratum in Concilio Constantiensi; ita enim se reperisse scriptum in quodam libro cuiusdam Fratris sui ordinis. Sed Antonius Corduba negat talem declarationem, quia nec in Concilio, nec apud aliquem Auctorem grauem vlla est huius mentio.

49 An requiratur confessio generalis.

Dico Tertiò: Etsi requiratur confessio, non tamen necessaria est confessio generalis: sed sufficit ea mortifera confiteri, quæ antea nunquam es confessus legitimè. Ita Corduba q. 24. & Nauarrus suprà notab. 18. Nec obstat, quòd formula dicat, *Concedi indulgentiã omnium peccatorum, de quibus quis fuerit verè contritus & confessus*: ac proinde videatur restringere indulgentiã ad ea peccata quæ tunc confiteris. Non enim dicit, *Quòd iam de nouo debeat esse contritus & confessus*, sed sufficit vt aliàs ea sit legitimè confessus. Quare non requirit, nisi vt ea confiteatis, quæ anteà nunquam es legitimè confessus; sic enim aliorum etiam, quæ olim confessus es, veniam consequeris, vt rectè Corduba & Nauar. suprà.

50 si careas peccato mortifero

Dico Quartò: Si quis non habeat peccatum mortiferum, etsi in formula requiratur confessio, probabilius tamen est, non teneri ad confessionẽ. ita Nauar. Corduba, & alij. Ratio est: Quia formula explicanda est de ijs, qui habent materiam necessariam confessionis, id est, peccatum mortiferum. Quomodo intelligendum etiam est præceptum de annua confessione. Notandum tamen, in praxi securius esse semper confiteri.

DVBIVM VI.

Vtrùm necesse sit totum opus præscriptum explere: an saltem, qui partem operis explet, non etiam partem indulgentiæ assequatur?

51 Totũ opus præscriptũ est explendum.

Respondeo: Probabilius est, eum nihil indulgentiæ consequi, qui non fecerit totum opus secundùm substantiam, siue id morbo, siue paupertate, siue alio impedimento prouenerit. Colligitur ex D. Thoma q. 27. art. 3. Antonino p. 1. titul. 10. cap. 3. §. 4. Nauarro notab. 18. vbi id fusè probat.

si nequeas tunc confiteri.

Ratio est: Quia concessio conditionata, qualis est Indulgentiarum, nihil valet, nisi expletâ conditione. Quæ causa est, cur Pontifex soleat in Iubilæis facere potestatem Confessariis commutandi opera præscripta legitimè impeditis.

Aduerte tamen: Si dedisti operam vt confiteareris, tamen ob multitudinem nequiuisti, consequeris indulgentiam, modò proponas postea confiteri. Ratio est: Quia formula intelligenda est de habentibus peccatum mortiferum, qui potuerunt confiteri.

DVBIVM VII.

Vtrùm alius pro alio possit facere opus indulgentiæ consequendæ præscriptum?

52

Respondeo; Non posse, nisi id exprimatur; vel certè nisi opus sit tale, vt à te fieri censeatur, quamuis per alium facias: sicut cùm largiris eleëmosynam per famulum.

Quòd si exprimatur in formulâ, potest alius pro alio facere, & sic alteri indulgentias consequi. Ita viui interdum defunctis indulgentias obtinent.

Non potest tamen alter alteri indulgentiam sibi obtentam applicare, vt communiter sentiunt Doctores: quia fructus iste est personalis, sicut & Sacramentorum; eò quòd sequatur absolutionem, vel applicationem thesauri, quam solus Prælatus facere potest.

DVBIVM VIII.

Vtrùm necesse sit eum in statu gratiæ esse, qui pro alio indulgentiam quærit seu obtinet, concedente id formula?

53 REspondeo: Valdè probabile est, id non esse necessarium, verùm sufficere, vt is, pro quo quæritur, sit in gratia, siue sit viuus, siue defunctus. Ita Nauar. notab. 22. num. 30. & seqq. Corduba, q. 23. & alij passim. Ratio est: quia Indulgentia nō nititur illo opere, quod facit peccator, neque tanquam merito, neque tanquam dispositione; sed solùm, vt conditione quadam extrinsecâ; quâ positâ, Pōtifex applicat defuncto Christi satisfactiones, quod interdum etiam sine opere viuorum facere potest; vt suprà dictum est ex Nauarro.

DVBIVM. IX.

Vtrùm eadem Indulgentia possit sapiùs obtineri?

54 Plerique negant. PLerique Doctores docēt non posse nisi semel obtineri, si determinato tempori est alligata: v. g. cùm durat à primis vesperis, vsque ad occasum solis dies sequentis; vt Indulgentiæ stationum: vel cùm durant ad vnam, vel duas septimanas; vt Indulgentiæ concessæ in forma Iubilæi. Quæ autem non sunt adstrictæ tempori determinato, eas sæpiùs, nempe toties, quoties præstatur opus, obtineri.

Contrariū est probabile. Sed contrarium est probabile, scilicet has indulgentias toties posse obtineri, quoties op' præscriptū integrè & legitimè præstatur. Ita Henriquez & quidam recentiores. Tenet Angelus, Rosella, Speculator, & Innocentius IV. Ratio est, quia vbi lex vel priuilegium non distinguit aut restringit, nec nos debemus distinguere aut restringere. Vnde quando iubilęum datur per duas hebdomadas, qui in priore consecutus est iubilæum, & absolutus est à casibus reseruatis, potest rursus secunda hebdomade, repetitis præscriptis operibus, scilicet ieiunijs, visitationibus, eleēmosynis, eligere Confessorem, absolui à reseruatis, & consequi indulgentiam.

DVBIVM X.

Quomodo intelligenda sint quædam Priuilegia, quæ in Iubilæis conceduntur de facultate eligendi Confessorem, qui possit absoluere à reseruatis & censuris, dispensare in votis, &c.

55 Etsi indulgentias nō consequaris, elige confessor. REspondeo & Dico Primò: Si habeas animū cōsequendi indulgentias, verè obtines hanc facultatem, quamuis posteà indulgentias non consequaris, nec opus præscriptum expleas. V. g. bonā hāc constituisti consequi indulgentias, potes eligere Confessorem, & absolui à reseruatis, etiamsi posteà cætera non præstes, quæ ad Iubilæum consequendum sunt necessaria. Neque ob id reincides in censuras, sed absolutio manet valida, quia non pendebat à conditione futuri, sed à præsenti quæ inerat tibi, nempe ab animo sincero indulgentias consequendi.

Bis absolui potes. Dico Secundò: Si quis, v. g. Die Iouis sit confessus & absolutus ex vi Iubilæi, & die Sabbati rursum incidat in casum reseruatum ante indulgentiæ consecutionem, potest dennò vi Iubilæi absolui. Est etiam communior sententia Doctorum.

quid si spe absolutionis, committas casum reseruatum. Dico Tertiò: Si quis factâ Iubilæi promulgatione committat casum reseruatum spe facilioris absolutionis, probabilius est etiam tunc posse absolui vi Iubilæi; quod est contra D. Antoninū & quosdam alios. Vide Nauarr. notab. 34. num. 4. & Cordub. quæst. 34.

DE PVRGATORIO.

1 NOtandum est: Hominem tribus modis liberari reatu pœnæ post culpam condonatam, Primò, satisfactione propriâ; vt ieiunio, oratione, eleēmosynâ in hac vitâ. Secundò, satisfactione aliena, siue in hac vitâ, siue in futurâ; vt indulgentiis. Tertiò, Satispassione, id est, sustinendo totam pœnam debitam: sic in vitâ futurâ liberamur reatu pœnæ, nempe per ignem Purgatorium. De Prioribus duobus modis dictum est, restat vt breuiter agamus de tertio.

quid purgatorium. Nomine *Purgatorij* intelligimus locum quendam, in quo animæ iustorum post hanc vitam, quæ cum aliquâ labe vel reatu pœnæ excesserūt, expiantur, & pœnas soluunt.

CAPVT I.

De loco Purgatorij.

DVBIVM I.

An post hanc vitam sit aliquis Purgatorius animarum locus?

2 Hæretici negantes. HÆretici huius temporis negant, idque ob duas causas. Prior est, quia putant cum culpâ remitti omnem pœnam. Altera causa est, quia tollūt nostram satisfactionem, eò quòd Christus plenè satisfecerit. In eādem sententiā videtur fuisse Aërius, qui teste S. August. hæresi 53. docuit non esse pro defunctis orandum; & quidam hæretici dicti *Apostolici* tempore D. Bernardi, qui eos refutat sermo 66. in Cantica. Hos secuti sunt Valdenses, vt patet ex Antonino, 4. p. tit. 11. c. 7. vbi recenset 19. errores eorum; & Albigenses, vt patet ibidem. Sed certâ fide tenendum est, Esse purgatorium, seu locum quendam, in quo animæ iustorum, quæ in hāc vitâ non fuerunt plenè à peccatis expurgatæ, expientur.

3 Sententia affirmans est de fide.

1. Probatur ex scripturis. Probatur Primò; Ex Scripturis. Primus locus est 2. Machab. 15. vbi narrat Scriptura Machabæum misisse magnam vim pecuniæ Ierosolymā ad offerenda sacrificia pro iudæis, qui in bello pro religione gesto cæsi erant. Quod factum scriptura probans subiungit: v. 46. *Sancta & salubris est cogitatio, pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur*, id est, à pœnis peccatorum.

2. Mach. 12

Soluuntur obiectiones. Sed contrà Obiiciunt Primò 1 Librum Machabæorum non esse canonicum.

Digitized by Google

Reſpondeo: Etſi apud Iudæos non ſit in Canone, ſicut & multi alij, tamẽ Eccleſia illum ſemper pro canonico habuit, vt patet ex S. Auguſtino lib. 18. de ciuit. Dei, c. 36. *Machabeorũ*, inquit, *libros non Iudæi; ſed Eccleſia pro canonicis habet.* Id etiam docent alij Patres. Nec obſtat, quòd idem S. Auguſt. lib. 2. contra Gaudentium cap. 23. ait, *Scripturam Machabæorum receptam ab Eccleſia non inutiliter, ſi ſobriè legatur*; quia illud (*Si ſobriè*) nũ dicit propter aliquem errorem, cùm bis ibidem *Scripturam ſanctam* vocet, ſed propter exẽplum Raſiç, qui ſe occidit, quod Scriptura videtur commendare, cùm reuerà, vt S. Auguſtinus oſtendit, non commendet abſolutè. Hoc modo *Canica* etiam *ſobriè legi* debent, & multa alia in Scripturis.

Obijciunt Secundò: Quòd ibidem dicatur eſſe *ſuperſtuum orare pro defunctis*, ſi nõ reſurgũt mortui; quod ſanè falſum eſt. Nam etiamſi anima nũquam rediret ad Corporis commercium, poſſet tamen pati pœnas, ac proinde vtiliter iuuari.

Reſpõdeo: Apud Iudæos & Sadducæos, & paſſim in Scriptura pro eodem habetur, *Animam eſſe mortalem, & non eſſe reſurrectionem*, ſimiliter *Animam eſſe immortalem, & eſſe reſurrectionẽ*, vt patet Matth. 22. vbi Dominus probat eſſe reſurrectionem, quia animæ viuunt: & 1. ad Corinth. 15. vbi Apoſtolus probat nullas eſſe pœnas, nulla præmia, atque adeò animas interire, ſi non eſt reſurrectio mortuorũ; idque meritò: ſi enim anima eſt immortalis, non poteſt perpetuò carere ſuo corpore, cuius naturaliter eſt forma; vnde neceſſariò debet eſſe reſurrectio. Quòd ſi tollas reſurrectionem, neceſſe eſt etiam fatearis, animas interire.

Obijciunt Tertiò; Iſti obierãt in peccato mortifero; nam inuenta ſunt apud illos idolorum donaria, vt patet ex loco citato, quæ tamẽ lex Deuteron. 7. vetabat accipere.

Reſpondeo: Vel illi legem ignorabãt, vel certè multi ex illis in mortis diſcrimine pœnitentiâ ducti ſunt. Quare cùm non conſtaret obijſſe in peccato mortifero, optimè pro illis Sacrificium offerebatur.

4 expẽditur locus Mat. 12. contra hæreticos. Alius locus eſt Matth. 12. vbi Dominus dicit eſſe quoddam peccatum, *Quod neque in hoc ſæculo, neque in futuro remittitur*. Quare S. Auguſtinus lib. 21. de Ciuit. cap. 24. ait: *Non veraciter de quibuſdã diceretur, quod non eis remittatur neque in hoc ſæculo, neque in futuro, niſi eſſent, quibus, etſi non in iſto, tamen remitteretur in futuro ſæculo.*

Reſpondent hæretici, Non ſequi: ſolùm enim ſignificari, *tale peccatum nunquam remitti*; idque probant ex Marco, cap. 3. verſ. 29. qui de hac re agens dicit, *non remittetur in æternum.*

Sed hæc reſponſio parum valet: Etſi enim idẽ ſit *æternum*, quod *ſpatium huius ſæculi & futuri*; nũquam tamen ſolemus *æternum* in has ſuas partes diuidere, niſi res, de qua agitur, ad vtrãque partem pertineat. V.g. Et ſi rectè dixeris, *Qui vouit continentiam, non poteſt in æternum vxorem ducere*; non tamen rectè dixeris, *Qui vouit continentiam, non poteſt vxorẽ ducere, neque in hoc, neque in altero ſæculo*; hoc enim ineptè & fatuè diceretur, eò quòd *vxorem ducere* non pertineat vllo modo ad futurum ſæculũ. Pari ratione dici non poteſt, *Qui ſic peccauerit, non remittetur ei neque in hoc ſæculo, neque in futuro*, niſi in futuro ſæculo ſit aliquorũ peccatorũ remiſſio. Neque vllum poteſt adferri exemplum in contrarium.

3 Tertius locus eſt 1. ad Corinth. 3. v. 12. vbi Apoſtolus dicit, eos, qui *ſuper fundamentum*, quod ipſe poſuit, ſcilicet ſuper fidem Chriſti, *ædificat lignum, fœnũ, ſtipulas, ſaluos quidem fore, ſic tamen quaſi per ignem.* Ex quo loco omnes ferè Patres colligunt *Purgatorium*, quo peccata leuiora poſt hanc vitam expiabuntur. Vide Ambroſij cõmentarium, Haymonis, Anſelmi, Occumenij, & D. Thomæ in hunc locum. Origenem Hom. 12. in Ieremiam, Cyprianum epiſt. 52. Auguſtinum in pſalm. 37. Gregorium lib. 4. Dialogorum c. 39. expẽditur locus 1. Corinth. 3.

6 2. Prob. ex traditione. Probatur Secundò: Ex perpetua Eccleſiæ traditione, quæ ſemper conſueuit orare pro defunctis; vt patet ex omnibus, quæ vnquam extiterunt, Liturgijs: ex Liturgia Iacobi, Clementis, Baſilij, Chryſoſtomi, Ambroſij, & Aethiopum. Patres etiam docent eſſe traditionem Apoſtolicã; Tertullianus lib. de Corona militis, pag. 2. Chryſoſtomus hom. 69. & 70. ad Populum.

7 3. Prob. ex conciliis. Probatur Tertiò: Ex Cõcilio Lateranenſi ſub Innocentio III. cap. 66. vbi approbantur exequiæ pro defunctis. Et ex Concilio Florentino ſeſſ. vltima, in decreto fidei, vbi definitur eſſe Purgatorium, in quod Decretum etiam Græci conſenſerunt, & teſtati ſunt ſe ſemper Purgatoriũ credidiſſe. Idem etiam definitur à Concilio Tridentino ſeſſ. 25. in principio; vt omittam Concilia prouincialia omnium Prouinciarum.

8 4. Prob. ex patribus. Probatur Quartò: Teſtimoniis, & communi conſenſu Patrum Græcorum & Latinorum; ex quibus plurima collegit Garetius lib. *De oratione pro defunctis*, & Damaſcenus *de iis, qui in fide dormierunt*. Pauca tamen adferam.

Hilarius in illud Pſalm. 118. *Concupiuit anima mea, vt deſiderarem iudicia tua in omni tẽpore*: Cùm, inquit, *nemo viuens in conſpectu ipſius mundus ſit, quomodo deſiderabile poteſt eſſe iudicium eius? An, cùm ex omni otioſo verbo rationem ſumus præſtituri, diem iudicij concupiſcimus, in quo nobis eſt ille indefeſſus ignis obeundus, in quo ſubeunda ſunt grauia illa expiandæ à peccatis animæ ſupplicia?* Hilarius.

S. Auguſt. lib. 21. de ciuit. cap. 24. *Tales fideles* (nempe, qui cum leuibus) peccatis obeũt) *conſtat ante iudicij diem per pœnas tẽporales, quas eorũ ſpiritus patiuntur, purgatos, æterni ignis ſupplicijs non tradendos.* Et lib. 20. Homiliarum in 16. *Qui temporalibus pœnis digna geſſerint, per ignem quendã purgatorium tranſibunt, de quo Apoſtolus: Saluus erit, ſic tamen, quaſi per ignem.* Auguſt.

Gregorius Nyſſenus in oratione, *Non eſſe delendũ deobitu eorũ, qui in fide dormierũt*: Non poterit, ait, *ſpiritus à corpore egreſſus Diuinitatis particeps fieri, niſi maculas animi purgatorius ignis abſtulerit.* Similia multa habet tũ ibi, tum oratione ſequenti. Greg. Nyſſ.

Eucherius Lugdunenſis Homil. 3. De Epiphania: *qui temporalibus pœnis digna geſſerunt, per fluuium igneum, per vada feruentibus globis horrenda tranſibunt.* Eucherius.

S. Gregorius lib. 4. Dialog. cap. 39. *De quibuſdam leuibus culpis eſſe ante iudicij tẽpus purgatorius ignis credendus eſt.* Alios quam plurimos omitto. Gregor. I.

9 5. Prob. Ratione. Probatur Quintò: Ratione. Primò, Certum eſt remiſſâ culpâ ſæpè reſtare debitum pœnæ tẽporalis, vt ſuprà oſtenſum eſt. Item certũ eſt eſſe aliqua peccata venialia, ob quæ homo non damnatur in æternum: atqui fieri poteſt, vt quis cum tali debito pœnæ, & cum peccatis venialibus excedat è vitâ: ergo neceſſe eſt, vt talis poſt hanc vitam purgetur & puniatur: nam in æternũ puniri non poteſt, cùm ſit iuſtus, & charitatem habeat; nec ante expiationem poſſit cœlũ ingredi. Neque dici poteſt, huiuſmodi homines omnes morte purgari: tum, quia in ipſâ morte poſſunt

by Google

habere inordinatos affectus, qui proinde per ipsâ mortem tolli nequeunt; tum quia mors est pœna communis bonis & malis; tum denique, quia mors sæpè repentè occupat, homine minimè aduertente.

Secundò: Omnes gentes veluti natura duce constituunt aliquas pœnas purgatorias leuiorum peccatorum post hanc vitam, vt Mahometani, Philosophi, Ethnici. Nam ratio naturalis dictat, ad diuinam prouidentiam pertinere, vt crimina in hac vitâ non castigata, in altera castigentur; idque pro eorum grauitate.

Tertiò, Probari potest ex varijs animarum apparitionibus. Vide Bedam lib. 3. Anglorum historiæ cap. 19. & lib. 5. cap. 13. & alios.

10 Hæreticorum obiectiones refutantur.

Contrà Obiiciunt hæretici: Ecclesiastæ 11. v. 3. *Si ceciderit lignum ad Austrum, vel ad Aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit*: ergo tantum sunt duo loca. Confirmatur ex lib. 5. Hypognosticum, vbi dicitur, *esse solùm duo loca, regnum cælorum & gehennam; tertium autem penitus ignorari ab Ecclesia.*

Respondeo: Hic locus Scripturæ non magis est contra *Purgatorium*, quàm contra *Limbũ patrum*. Sicut ergo Patres in limbo pertinebãt *ad Austrũ*, id est, ad statum salutis, ita qui sunt *in Purgatorio*. Ad Confirmationẽ, Auctor iste loquitur de locis æternis contra Pelagianos. Existimabant enim pelagiani esse tria loca æterna, scilicet, *cælum, infernum, & locum in quo infantes nondum baptizati habebant iuxta illos vitam æternam.*

Obiiciunt Secũdò: 2. ad Corinth. 5. v. 10. *Omnes manifestari oportet ante tribunal Christi vt referat vnusquisque prout gessit in corpore suo, sive bonũ sive malum.* Atqui si esset, *Purgatorium*, & animę iuuarentur aliorum operibus, *non referret vnusquisque prout gessit.*

Respondeo, Negando Consequentiam: Nam etiam illi, qui iuuantur aliorum operibus, *referũt prout gesserunt in corpore.* Cùm enim essent in corpore, reddiderunt se dignos tali auxilio: sicut Sancti in hac vitâ meruerunt vt orationes eorũ, quas post hanc vitam in cælo funderent; exaudirentur. Vide S. Augustinum in Enchirid. c. 110. vbi hoc clarè docet.

Obiiciunt Tertiò: Apocal. 14. v. 13. *Beati mortui qui in Domino moriuntur. Amodo iam dicit spiritus, vt requiescant à laboribus suis.*

Respondeo: Est sermo de tempore iudicii, seu fine mundi: *Amodo*, id est, ab extremo iudicio. Patet ex connexis. Vide Anselmum.

Obiiciunt Quartò, Quędam loca Patrum, vbi dicitur: *Post hanc vitam non posse nos peccata delere, remissionem accipere*, & similia.

Respondeo: Est sermo de remissione peccatorum mortiferorum.

DVBIVM II.

Vbi sit Purgatorium?

11 Dogma caluini de limbo & inferno.

CAluinus, eiusque sectatores non solùm negant *Purgatorium*, sed etiam omnem locum subterraneum animarum. Et addunt, Patres, qui dicũtur fuisse *in Limbo* non fuisse sub terra, sed in cœlo, solumque caruisse visione diuina, qua etiam vsque ad diem iudicii sint caritari. *Infernum* etiam non esse sub terra, sed vbique; *pœnasque inferni* nihil esse aliud, quàm terrorem & anxietatem, quâ animæ afficiuntur, dum cogitant Deũ sibi esse iratum. Ita Caluin⁹ lib. 3. Institutionum, cap. vlt. & lib. 2. cap. 16. vbi dicit esse *aniles fa-*

bulas, quæ dicuntur de locis animarum.

Communis sententia Doctorum & Patrum est: *Purgatorij locum esse antrum subterraneum, inferno damnatorum propinquum.* Pro quo.

12 quatuor loca animarũ post vitam.

Notandum est, ex communi DD. sententiâ, quatuor esse loca statuẽda subterranea animarũ, quæ cõmuni nomine *Inferni* vocentur, & varijs Scripturæ locis inuenturnempe, *Infernũ damnatorum*, *Purgatorium*, *Limbum puerorum absque baptismo morientiũ*, *& Limbũ Patrum veteris testamenti*. Ratio est: quia quatuor sunt genera pœnarũ animarũ, post hanc vitã; nempe *pœna damni & sensus æterna*, *pœna damni & sensus temporalis*, *pœna damni tantum æterna*, *& pœna damni tantũ tẽporalis*. *Infernus damnatorum* est proijs, quibus debetur pœna damni & sẽsus æterna. *Purgatoriũ* est pro ijs, quibus debetur pœna damni & sensus tẽporalis. *Limbus puerorum* pro ijs, quibus debetur pœna damni tantùm, sed æterna. *Limbus patrum* pro ijs, quibus debetur pœna damni tantùm, sed tẽporalis. Vide Palud. in 4. d. 45. q. 3. vbi etiã agit de statu & ordine horum locorum, docetque *infernum & Purgatorium* post resurrectionem euasurum vnum locum: pari ratione etiam *Limbum Patrum & Puerorum*. Nunc.

13 Infernum esse subterraneum locum est de fide.

Dico primò; Fide tenendum est, *locum damnatorum* esse subterraneum, & inferiorem.

Probatur Primò: Deuter. 32. v. 22. *Ignis succensus est in furore meo, & ardebit vsque ad inferni nouissima*; id est, *vsque ad infernum inferiorem.* Prouerb. 9. v. 18. *Ignorauit quòd ibi sint gigantes, & in profundis inferni conuiuæ eius.* & Prouerb. cap. 15. v. 24. *Semita vitæ sursum est ad eruditum, vt declinet ab inferno inferiore.*

Probatur Secundò: Quia Scriptura *infernum* opponit *cælo*, tanquam imum locum summo. Iob 11. v. 8. *Excelsior cælo est, & quid facies? profundior inferno, & vnde cognosces?* Isaiæ 14. v. 14. *Dixisti, ascendam supra altitudinem nubium*, &c. *Et in infernum detraberis, in profundum laci.* Psal. 138. v. 8. *Si ascendero in cælum, tu illic es; si descendero in infernum, ades.* Matthei. 11. v. 23. *Et tu Capharnaũ, nunquid vsque in cælum exaltaberis, vsque ad infernum descendes.* Ex quibus patet, hunc locum esse profundissimum, veluti voraginem quandam, & abyssum, quæ impleri nequeat, vt habet nomen Hebraicum: vnde Dæmones Lucæ 8. rogant, ne Dominus eos mittat *in abyssum.*

Probatur Tertiò: Ratione. Quia sicuti locus iustorum, qui amorem mundi & creaturarum vicerunt, est summus, scilicet supremũ cœlum; ita impiorum, qui amorem creaturarum Deo prępoluerunt, debet esse infimus, ac proinde sub terra: quod insinuant nomina, quibus in Scripturâ passim appellatur, *infernus*, *abyssus*, *lacus*, *profundũ laci*, *puteus abyssi*, *vorago*, *caminus ignis*, *stagnũ ignis & sulphuris.* Quare pulchrè Tertullianus in Apologet. cap. 47. *infernum* vocat *arcani ignis subterraneum thesaurum.* De inferno & pœnis damnatorum vide lib. 13. De perfectionibus diuinis, vbi c. 14. & 25. fusè docteque hæc tractantur.

14 Vbi Limbus puerorum.

Dico Secundò: Pari modo certum videtur *Limbum puerorum esse subterraneum.* Patet ex Concilio Florentino sess. vltimâ, vbi definitur, *Animas illorum, qui in peccato mortifero actuali, vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, pœnis tamen disparibus puniẽdas.* Auctor Hypognosticon lib. 5. dicit *fidem Catholicam non agnoscere, nisi duo loca æterna, cœlum & infernum*: Limbus ergo ad infernum pertinet, est que veluti extrema inferni ora. Valdè tamen credibile est ignem eò non pertingere; vt colligitur ex Innocentio III. Ca-

ized by Google

pit. *Maiores*, de Baptiſmo; & communiter docent Doctores.

15 Vbi Limbus Patrum.

Dico Tertiò: Fide quoq; tenendum eſt, *Limbum patrum etiam eſſe locum ſubterraneũ*. Probatur Primò ex Symbolo, *Deſcendit ad inferos*. Et ad Epheſ. 4. vbi Chriſtus dicitur *deſcendiſſe ad inferiores partes terræ*, ſcilicet ad locum Patrum. Vide plura Scripturæ & PP. teſtimonia in libro Bellarmini ſub finem.

16 An Purgatorium ſub terra.

Dico Quartò: *Locus Purgatorij ſimiliter eſt ſub terrâ*. Hæc propoſitio, etſi non æquè certa eſt, ac præcedens; videtur tamen fidei proxima. Primò: Nam præterquam quòd ſit communis ſententia Theologorum, videtur etiã eſſe ſenſus Eccleſiæ, quę in Miſſa defunctorum ſic orat; *Libera animas omnium fidelium defunctorum de pœnis inferni, & de profundo lacu*. Et probatur ex illo Apocal. 5. v. 13 vbi aperto libro per Agnum (quod fiet in fine mundi) *Creaturæ quæ ſub terrâ ſunt*, dicunt laudẽ Deo & Agno; quæ *creaturæ* ſine dubio ſunt *animæ fidelium in purgatorio exiſtentes*, ad quas beneficiũ redemptionis Agni pertinet. Ad Philip. 2. v. 10. *In nomine* IESV *omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum*. Deinde locus iſte Actor. 2. v. 24. *Solutis inferni doloribus*, à multis patribus intelligitur de Purgatorio; vt ab Auguſtino epiſt. 99. vbi dicit ſe non intelligere, quomodo aliter poſſit exponi. Et ab Epiphanio in hæreſi Tatiani.

Apocal. 5. Ad Philip. 2. Actor. 2.

Omitto viſiones. Vide Bedam lib. 5. cap. 13.

Congruentia eſt; quia animæ illæ eandem pœnam patiuntur, quam damnati, ſcilicet pœnam damni, & ſenſus; ſolũ differt, quòd non ſit æterna, ſicut pœna damnatorum: ergo conſentaneũ eſt, vt eodem loco, eodemque igne patiantur.

CAPVT. II.

De pœna Purgatorij.

DVBIVM I.

Quas pœnas patiantur animæ in Purgatorio?

17 Pœna Purgatorij eſt pœna ſẽſus & damni.

Dico Primò. Certum eſt eas pati *pœnã dãni*, id eſt, priuari aſpectu Dei, ſeu viſione beatificâ: vnde in illis magnus mœror naſcitur; ſicuti cùm quis ob ſuam culpam non admittitur in cõſpectum Principis vel parentis.

Dico Secundò: Certum etiam eſt, in Purgatorio eſſe *pœnam ſenſûs*. Dicitur autem, *pœna ſenſûs* omnis dolor aliunde proueniens, quàm ex carentia viſionis Dei. Ratio eſt: quia ſicuti ſe inordinatè ad creaturas conuerterunt, ijſque ſunt oblectatæ; ita par eſt, vt per eas puniãtur, iuxta illud Sapientiæ 11. v. 17. *Per quę peccat quis, per hęc & torquetur*.

18 Eſt ibi ignis corporeus. dubitant Græci.

Dico Tertiò: In purgatorio eſt pœna ignis corporei. Eſt communis Doctorum ſententia; nõ tamen eſt fidei. Quia Græci in Concil. Florentino ſeſſ. vltima, etſi fateantur ſe sẽper credidiſſe Purgatorium, & orationẽ pro defunctis; tamen dicunt ſe dubitare: vtrùm igne corporeo cruciẽtur, an tenebris dumtaxat, vel alio aliquo modo: quam eorum ſententiam Concilium tolerat.

Probatur Primò: Prioris ad Corinth. 3. *Saluus erit, ſi tamen, quaſi per ignem*: hîc Apoſtolus loquitur de vero igne, *quia dies Domini in igne reuelabitur*. Atqui loquitur de igne Purgatorij, qui minora peccata comburit, id eſt, comburendo expiat.

Probatur Secundò: Ignis inferni eſt corporeus: ergo etiam Purgatorij, cùm iuxta receptam Doctorum ſententiam, vnus idemque ſit. Antecedens probatur Matth. 25. v. 41. *Ite in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & Angelis eius*. Hîc apertè inſinuatur eundem eſſe ignem quo ſpiritus cruciantur, & quo corpora impiorum: atqui conſtat, eum quo corpora impiorum vruntur, eſſe corporeum: ergo.

Probatur Tertiò: Quia paſſim in Scriptura veteri & noua abſolutè vocatur, *ignis flamma, ardor, ſtagnum ignis & ſulphuris, caminus ignis, gehennæ ignis*. Vide Eſai. 33. & 66. Iob 20. Matthæi 3. 5. 13. & 18. Apocal. 20. Quorſum ſemper vocetur *ignis*, ſi non ſit verus ignis?

Denique idem colligitur ex teſtimonijs Patrum citatis. Vide Gregoriũ lib. 4. Dialog. cap. 39. vbi expreſsè dicit, *ignem, quo animæ puniuntur, eſſe corporeum*. Vide etiam Auguſt. lib. 20. de Ciuit. cap. 10.

19 quomodo ignis corporeus poſſit agere in ſpiritum.

Dices, Ignis non poteſt agere in ſpiritum, quia non poteſt producere niſi qualitatem corporeã, quæ non poteſt afficere materiã incorpoream.

Reſpondeo breuiter: Etſi ignis ſolis viribus naturę non poſſit agere in ſpiritũ à corpore ſeparatum, poteſt tamen id diuinâ virtute, Deo ſingulari modo cooperante, & influente cum eius naturali facultate: Si enim ignis poteſt naturaliter agere in ſpiritum corpori vnitum, cur non poſſit diuinâ virtute concurrente in ſpiritum ſeparatum? Etſi calor ab igne productus in corpore, vel ſpecies ſenſibilis poteſt naturaliter concurrere cum potentia ſentiendi, ad actum ſenſionis, qui iuxta veriorem ſententiam eſt qualitas ſpiritalis exiſtẽs in ipſa animâ, nõ in corpore; cur diuina virtute cooperante non poſſet concurrere ad qualitatem ſpiritalem, vel ad ſenſum doloris in ſpiritu à corpore ſeparato? De hac re vide plura lib. 13. de Perfectionibus diuinis c. 24. num. 134. vbi latè oſtenditur Dæmones & damnatos in inferno vri igne corporeo.

DVBIVM II.

Vtrùm pœna Purgatorij ſit grauiſſima?

20 *Pœna damni* in Purgatorio eſt grauiſſima appretiatiuè.

Dico Primò; Pœna damni, ſeu dilatio gloriæ, etſi ſit grauiſſima appretiatiuè, non tamen videtur grauiſſima acerbitate.

Prior Pars Probatur: quia ſanctæ illæ animæ pluris æſtimant viſionem Dei, quàm quoduis aliud bonum; omnia enim ſuis momentis æſtimant: ergo pluris æſtimant huius boni carentiam, quàm quoduis aliud malum, cum quo hoc bonum poſſet conſiſtere; mallentque quiduis pati, & frui hoc bono, quàm pati carentiam huius boni: ergo maximè dolent de hoc malo appretiatiuè. Idem videmus in viris ſanctis etiam in hac vita: ad hoc enim perfecta charitas inclinat.

Non tamẽ eſt grauiſſima acerbitate.

Altera pars eſt D. Bonauenturæ d. 20. quæſt. 2. art. 1. Ratio eſt: partim quia certiſſima ſpes, breui fore, vt Deum videant, sũmoperè eas cõſolatur; partim quia pœna ſenſus magis repugnat naturæ, vnde magis cruciat. Et confirmatur à ſimili: Quia Patres in limbo non tantoperè cruciabantur ob carentiam viſionis, quantum quis per pœnam ignis crutiaretur. Dices; Eſſe diſparem rationem; quia Patres in limbo non ob culpam propriæ voluntatis, ſed ob culpam originalem erant priuati illâ viſione: animę autem in Purgatorio ob culpam propriam. Reſpondeo: Id non tantoperè refert. Nam ſubſtantia mali eadem eſt vtrobique. Eſt enim eadem

carentia visionis diuinæ, & idem desiderium. Vnde si illos non cruciabat summè, neque etiam animas in purgatorio summè cruciabit. Adde, nec damnatos maximè cruciari ob pœnam damni. Immò parum curarent, quòd non fruantur diuino conspectu, si liceret illis perpetuò huius vitæ delicijs frui. Hoc patet in multis hominibus impijs adhuc viuentibus.

Obiectio ex D. Aug.

Dices: S. Augustinus in Enchirid. cap. 112. ait: *Exulare à ciuitate Dei, perire à regno Dei, tam grandis est pœna, vt ei nulla possint tormenta, quæ nouimus, comparari.*

Soluitur.

Respondeo: Loquitur de magnitudine appretiationis, non acerbitatis seu afflictionis. Dici etiam potest eum loqui de tormentis aliquando finiendis, & de exilio non finiendo; vt patet intuenti verba.

21 Pœna ignis in Purgatorio est grauissima acerbitate.

Dico Secundò: Pœna ignis Purgatorij est grauissima quoad acerbitatem, atque adeò grauior quauis pœnâ huius vitæ. Est communis sententia Doctorum, eamque docet D. Augustinus apertè in Psal. 37. *quia*, inquit, *dicitur saluus erit, ille ignis contemnitur; grauior tamen erit ille ignis, quàm quidquid homo pati potest in hac vitâ* S. Gregorius in eundem Psal. *Illum*, ait, *transitorium ignē omni tribulatione præsente existimo intolerabiliorem.* Similia habet Anselmus 1. ad Cor. 3. & multi alij. D. Bernardus epist. de obitu Humberti: *Post hāc vitam in Purgatorijs locis centupliciter, quæ fuerunt hic neglecta, reddentur vsque ad nouissimum quadrantem.* Idem confirmari potest ex probatis reuelationibus, quas narrat Beda lib. 3. cap. 19. & lib. 5. cap. 13. Ratio esse potest. Primò: quia anima separata longè plura potest perferre, quàm corpori iuncta: in corpore enim statim pœnis vincitur, eò quòd fragile corpus statim dissoluatur, quo dissoluto necesse est hominem mori; sed extra corpus anima est immortalis, vnde in immensum eius pœna potest intendi. Deinde, quia ignis ibi agit vt instrumentum iustitiæ diuinæ; quo modo lōgè est efficacior quàm suapte naturâ. Denique, quia tunc ignis immediatè potest ipsâ animam totam attingere, seu totaliter: nunc autem non attingit, nisi per medium, videlicet per corpus, tanquam per vestem, & quasi partialiter.

22 Nō omnes animæ in Purgatorio cruciātur pœnâ ignis.

Dico Tertiò, Valdè tamen probabile est, neque omnes animas quæ sunt in Purgatorio pati pœnam ignis; neque eas quę pœnâ ignis patiūtur, semper pœnam ignis pati. Vt enim verè docet D. Bonauentura suprà, *dum pœna purgatorij dicitur grauior quauis pœna huius vitæ*, intelligendū est de grauissima pœna Purgatorij, quę maior est, quàm grauissima huius vitę; ea autem est pœna ignis; & de hac loquuntur Patres citati. Sūt tamen aliæ pœnę longè mitiores: Non enim videtur credibile, pro vno verbulo otioso hominē ibi exurendum, sicuti hîc exuruntur latrones. Deinde, ex probatis visionibus habemus, quorundam pœnam esse valdè exiguam, vt vix quidquā pati videantur præter mœstitiā quandam ob dilationem cœlestis patriæ; vt patet ex visione Drithelmi, apud Bedam lib. 5. cap. 13. qui in amœnissimo loco multa millia animarum albatarum Deo canentium laudes vidit, ita vt putaret esse paradisum; quę tamen animæ non erāt perfectè expiatæ. Vnde & iste locus ad purgatorium pertinebat, siue sub terra, siue super terram fuerit. Nam etsi locum, vbi ordinariè fit expiatio animarum, sub terra ponamus; non tamen negamus etiam alibi purgari posse, præsertim eas, in quibus parum restat purgandum. Denique, quia valdè probabile est, pœnam sensim minui, vt tandem minima sit. Colligitur ex vita S. Malachiæ, cui soror, vt scribit S. Bernardus cap. 4. vitę eius, apparuit: primò, in veste pullâ ad limen Ecclesię foris: secundò, in veste subfuscâ, & intra limen Ecclesię, procul tamen ab altari: tertiò, in veste candidâ ad ipsū altare cum cęteris sanctis. Similis etiam visio est apud D. Gregorium 4. Dialog. c. 25. de duabus monialibus, quibus S. Benedictus minatus erat excommunicationem.

Animæ subinde alibi, quam sub terra, purgātur.

DVBIVM III.

Vtrùm animæ in Purgatorio à dæmonibus torqueantur?

COmmunior sententia est, neque ab Angelis, neque à dæmonibus torqueri: sed solùm ab igne, vt est instrumentum diuinæ Iustitiæ.

23 Solùm ab igne torquentur.

Est tamen satis probabile, interdum à dæmonibus torqueri, quia non perfectè illos vicerunt, sed ex parte ab illis victæ sunt, consentiētes peccatis venialibus vel mortiferis, pro quibus pœnę temporales restant luendæ. Cōfirmatur ex visione B. Fursei apud Bedam lib. 3. hist. Angl. cap. 19. & ex vita D. Bern. lib. 1. cap. 10. vbi quidam frater defunctus B. Bernardo apparuit, qui se quatuor lacertis traditum esse dixit; qui postea precibus S. Bernardi liberatus est.

Probabile est interdū etiā à dæmonibus torqueri.

DVBIVM IV.

Quàm diu durent pœnæ Purgatorij?

REspondeo: Certum esse, non durare vltra diem extremi iudicij, vt docet S. Aug. l. 21. de Ciuit. c. 16. *Purgatorias*, inquit, *pœnas nullas futuras opinemur, nisi antè vltimum illud remēdumque iudicium.* Et colligitur aperte Matth. 25. vbi tātùm duo statuuntur ordines iudicandorū, quorum *Hi ibunt in vitam æternam, illi in ignem æternum*: ergo nulli in ignem temporalem; omnes enim fideles ad alterutrū istorū ordinū pertinēt.

24 Pœnę purgatorij nō durāt vltra diem iudicij.

Vtrùm autem vna eadéque anima per aliquot annorum centurias, vsque ad diem iudicij sit puniēda, non est ita certum. Dominicus Soto d. 19. q. 3. a. 2. putat nullam manere in purgatorio vltra decennium, quia grauitas pœnæ compensat diuturnitatem.

Dom. Soto eas coarctat ad 10. annos.

Sed probabilius est, aliquas ibi diutissimè, etiam per aliquot annorū centenarios, puniri. Nam Ecclesia celebrat Anniuersaria defunctorū etiam per aliquot annorū cētenarios. Censet ergo fieri posse, vt tam diu auxilio opus habeant. Idem etiā confirmatur ex fūdationibus perpetuis Anniuersariorum. Confirmari etiam potes ex Beda lib. 5. cap 13. vbi Angelus dixit S. Dirthelmo, animas eorum, qui in hâc vitâ semper male vixerunt, & tandem sub finem conuertuntur, salvādas omnes in die iudicij, quāuis aliquæ orationibus & eleēmosynis viuentium, & præsertim altaris sacrificio iuuari possint, vt ante illum diem liberentur.

Vero similius quidā eas patiūtur per annorum cēturias.

CAPVT. III.

De conditione animarum purgandarum?

SVppono nullam animam purgari post hāc vitam, nisi in charitate decesserit, obstricta tamen culpâ aliquâ veniali, vel saltem reatu pœnę.

25

25 Assiduè deum laudant.

Vide B. Augustinum lib. 21. de Ciuit. cap. 26. Hinc sequitur, animas illas assiduè amare & laudare Deum, patiéterque ferre supplicia. Colligitur Apocal. 5. sub finem. Ratio est, quia virtutes in anima separata non possunt esse otiosæ, cùm nihil habeant impedimenti, & suâpte naturâ in suas functiones propendeant, neque etiam corpore aggrauentur, neque tormentis impediãtur: hæc enim non impediunt, nisi turbando organa corporea, quæ ibi non sunt. Vnde etiam in inferno perfecta ratione vtuntur, vti colligitur Lucæ 6.

DVBIVM I.

Vtrùm possint ibi mereri, vel demereri?

26 Nec meretur, nec demeretur

REspondeo: Neutrum posse. Est contra Lutherum art. 39. vbi docuit eas continuò demereri, eò quòd pœnas refugiant: posse tamen & debere mereri, vt habet art. 38. eò quòd charitas ipsarum sit imperfecta. Sed probatur nostra doctrina, 2. ad Corinth. 5. vers. 10. *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis pro vt gessit, siue bonum siue malum.* Cur addit, *Propria corporis*, nisi quia ea, quę post corpus fiunt, non puniuntur aut remunerantur? Sap. 4. v. 11. *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius*: ergo post mortem non potest quis mutari. Idem significatur Ecclesiastæ 11. v. 3. *In quocunque loco ceciderit, ibi erit.* Vide Ecclesiastæ 9. & Ecclesiastici 14. Hinc D. Augustinus lib. de Prædest. Sanctorum cap. 14. ait, *Neminem Christianum hac de re dubitare posse.* Ratio est, Diuina ordinatio, quæ hunc mundum voluit hominibus esse ceu stadium ac palæstram; actiones huius vitæ, cursum in stadio; mortem, terminum cursus, quando præmia, id est, honor vel ignominia cursoribus est tribuenda. Opera autem bona vel mala, quæ post hanc vitam fiunt, non pertinent ad cursum: vnde nec imputantur, ad meritum vel demeritum, ac proinde non augent præmium vel supplicium; sed sunt fructus animæ in termino constitutæ.

27 quatuor obiectiones.

Dices Primò: Animæ in Purgatorio non vident Deum, nec amant necessariò: ergo possunt peccare. Patet consequentia, quia hęc est ratio, cur Beati non possint peccare.

Secundò, Istæ animæ fugiunt pœnas, quas tamen Deus vult illas pati: ergo peccant.

Tertiò, Adhuc sunt in via, cùm nondum comprehenderint: ergo possunt mereri & demereri.

Quartò, D. Augustinus dubitat, an adhuc afficiantur rebus terrenis inordinatè. Vide illum libro 21. de Ciuit. cap. 26.

Solvuntur.

Respondeo ad Primum: Etsi illæ animæ non videant Deum, nec etiam ament necessariò quoad exercitium actus, ac proinde nec ab intrinseco sint impeccabiles, sicut Beati; ab intrinseco tamẽ habent, quòd peccare nequeant, nempe à diuinâ protectione: *Iustorum enim animæ in manu Dei sũt, & non tanget eos tormentum mortis*: Sap. 3. quòd fit, vt nullos etiam motus prauos sentiant.

Ad secundum: Abhorrent à pœnis quatenus sunt contrariæ naturę, sicut & Dominus abhorruit; quæ fuga non est peccatum, sed naturalis & innoxius motus. Amant tamen quodam modo suas pœnas, quatenus à diuinâ iustitiâ infliguntur; quia amant diuinam iustitiam, seseque resignant ad patiendum id, quod Deus vult eas pati.

Ad Tertium: Non sunt ampliùs in via, si statum merendi spectes; sed sunt in termino, etsi nondum præmium acceperint: sicut transacto tempore certaminis non potest aliquid cursu, vel luctâ obtineri, quamuis præmia nondum sint distributa.

Ad Quartum: Certum est, in illis nullos ampliùs esse inordinatos affectus & motus erga res humanas: nam clarè vident istarum rerum vanitatem & noxam. Quod probatur, quia alioquin essent in illis verę tentationes & incitamẽta peccandi, quæ D. Augustinus negat in illis esse post hanc vitam: patet c. 14. de Prædestinatione Sanctorum. Possunt tamẽ fœtum deferre aliquas pravas affectiones habituales, sed illæ mox per contrarios motus corriguntur, vt alibi dictum.

DVBIVM II.

Vtrùm animæ istæ sint certæ de sua salute?

28 quidam negant.

LVtherus art. 38. vult quaidã saltem esse incertas. Idem etiam tenuerũt quidam Catholici, eò quòd existimarent, omne peccatum ex natura sua esse mortiferũ, & mereri mortem æternam, solumque esse veniale ex misericordia Dei.

Verior sẽtentia affirmat.

Sed omnino tenendum est, esse certas de salute sua. Probatur Primò. Quia contraria sententia est damnata, primùm quidem à Leone X. in Luthero, deinde à Pio V. & Gregorio XIII.

Secundò: Quia Concilium Florentinum definit, eas animas quę habent culpam letalem, statim damnari: atqui illæ animæ quę sunt in Purgatorio, vident se non esse damnatas: ergo agnoscunt se non habere culpam letalem: præterea certò norunt ex fide, eum qui non habet culpam letalem vel originalem, post hanc vitam non posse damnari: ergo certę sunt, quòd non possint damnari. Quòd autem videant se non esse damnatas, Probatur: quia vident se non blasphemare Deum, quod est damnatorum, sed amare & laudare illum, ac patienter ferre supplicia.

Tertiò: Quia in Canone Ecclesia dicit, eas *dormire in somno pacis, & quiescere in Christo*, vbi per *somnum* & *quietem* significatur illa securitas & solatium, quod habent ex certitudine suæ salutis. Quòd si essent incertę, essent inquietissimę, summeque anxię.

Quartò: Quia sciunt qualia sint opera quæ fecerunt, bona an mala, venialia an mortifera: ergo sciunt se non posse damnari. Antecedens patet Ecclesiastici 11. vers. 29. *In fine hominis denudatio operum ipsius*; id est, cuiuis in fine denudantur opera sua; quod etiam est necessarium, vt intelligãt, quàm iusta sit retributio. Denique, quia certum est, eas statim post mortem iudicari.

Dices: Si animæ illæ sint certę de sua salute, cur orat Ecclesia, vt Deus *liberet eas de pœnis inferni, de profundo lacu, & ne absorbeat eas tartarus, nec cadant in obscurum*?

quid velit ecclesia certo modo orans pro defunctis.

Respondeo: Ecclesia solùm intendit his verbis orare, vt à pœnis Purgatorij liberentur. Vtitur autem tali modo loquendi, quasi animæ illæ essent in periculo dãnationis, tum ad excitandum maiorem affectum in fidelibus ad orandum pro illis, tum etiã, quia repręsẽtat diem obitus. Sicuti in Aduẽtu Ecclesia sic orat, ac si Christus iam deberet nasci, *Rorate cœli desuper, & nubes pluãt iustũ*. Quod etiam facit in aliis Festis: repræsentat enim illa mysteria, vt præsentia vel instantia, ad affectum excitãdum. Tamen non intendit aliud, quàm vt fructus natiuitatis, passionis, & aliorũm mysteriorum nobis applicetur. Pari modo hîc non intendit aliud, quàm vt animæ liberentur à pœnis, eo modo, quo liberari possunt; nempe vt

Digitized by Google

non detineantur, vel certè vt mitiùs cum illis agatur.

DVBIVM. III.

Quando, & quomodo anima iudicentur?

29 Iudicãtur in primo instãti quo separatæ sunt à corpore.

REspondeo & Dico Primò: Iudicantur in primo instanti, quo sunt separatæ à corpore, vel certè post primum instans mortis, si tale instans detur.

Probatur Primò: Quia nulla est ratio, cur hoc iudicium differatur. Neque enim credibile est, animas in cœlum ante Christi conspectum deduci, vt ibi iudicentur (alioquin enim postea deberent redire è cœlo ad supplicia.) Præterea, hoc iudicium fit in instanti: nam nihil est aliud, quàm locutio quædam spiritalis, quâ Deus, vel Christus ipse vt homo, manifestat animæ spiritaliter suam sententiam; quæ manifestatio fit per spiritalem locutionem, quam nulla locorum intercapedo potest impedire.

Probatur Secundò: Ecclesiastici 11. vers. 28. *Facile est coram Deo in die obitus retribuere vnicuique vias suas.* Hîc significatur, in ipso momento obitus (id enim significat, *in die obitus*,) animas iudicari, iisque præmia vel supplicia à Deo iudice decerni. Illud enim, *Facile*, non significat, *Deum facilè posse*, si velit, sed *absolutè tribuere*: si enim non *tribueret* de facto, non rectè Sapiens hoc argumento hortaretur homines ad benefaciendum.

Obiectio, quòd aliqui ante, aliqui diu post mortẽ iudicentur

Dices: Interdum animæ videntur iudicari ante mortem. Colligitur ex Gregorio Dialog. lib. 4. cap. 38. vbi dicit quendam Chrysaorium ante mortem vidisse damnationis suæ sententiam. Similia refert Beda lib. 5. Hist. Angl. cap. 14. & 15. Interdum videtur differri iudicium aliquamdiu post mortem, vt patet de isto Doctore, cuius fit mentio in vita S. Brunonis.

soluitur.

Respondeo: Nunquam iudicantur ante mortem, quia nondum sunt in termino; vnde possunt mutari. Permittit tamen interdum Deus, vt propter peccata sua incidant in desperationem, & tunc videantur sibi damnati. Post mortem autem non differtur sententia, nisi sint excitandi ad vitam: & credibile est, Doctorem illum ab initio iudicatum fuisse, quamuis per huiusmodi interualla ad hominum instructionem sic apparuerit.

30 An hoc iudiciũ fiat à christo vt homine.

Dico Secundò: Etsi non sit certum, vtrùm Christus vt homo sententiam ferat: valdè tamen est probabile quòd Christus post suam resurrectionem, vel etiam post instans suæ mortis, hanc sententiam ferre cœperit.

Prior Pars Probatur: Nam Scripturæ, quibus Christus dicitur *Iudex viuorum & mortuorum*, facilè possunt de iudicio generali intelligi: & ante Christi Incarnationem etiam particulare iudiciũ in morte cuiusque exercebatur, idque per solam diuinitatem.

Altera Pars Probatur: *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terrâ*: ad quam potestatem videtur maximè pertinere potestas iudiciaria. Quòd autem statim hanc cœperit exercere post mortem, ex eo confirmari potest, quod animas Patrum beatas effecerit.

31 Credibile est in iudicio particulari ab animabus christum videri.

Dico Tertiò: Vtrùm animæ, dum iudicantur, Christum videant, est etiam incertum. Probabile tamen est videre; quia id facilè fieri potest; & valdè est consentaneum, vt cernant suum Iudicem, vel ad solatiũ, vel ad terrorem. Tenet hoc Innocentius III. de Contemptu mũdi lib. 2. cap. 43. Quamuis non sit credibile, quòd omnibus appareat in forma Crucifixi, vt ipse existimat.

Dico Quartò: Latâ sententiâ, si anima est omnino pura, statim deducitur ad cœlos ab Angelis; vt colligitur Lucæ 16. vbi anima Lazari dicitur *portari ab Angelis in sinum Abrahæ*. Idem significatur in precibus Ecclesiæ, quæ morientibus recitari solent. Posset tamen anima facilè per se ad cœlum euolare; quia lumine gloriæ illustrata non valet à dæmone impediri.

32 Animæ sãctæ deferuntur ab Angelis.

Impiæ à dæmonib⁹

Quòd si anima sit impia, statim rapitur à dæmonibus, tanquam iustitiæ diuinæ ministris, ad inferos: sponte enim nunquam eò concederet. Vide Cyril. orat. *De exitu animæ.*

Si est purganda, probabile est, sponte quidem concedere ad locum supplicij, eò quod intelligat eam esse Dei voluntatem: valdè tamen credibile est, ab Angelis eò deduci, saltem à suo Custode, qui eam foueat; vt colligere est ex multis visionibus apud Bedam, & alios.

Purgandæ deducũtur ab Angelis

DVBIVM. IV.

Vtrùm animæ possint egredi è suis receptaculis?

DIco Primò: E cœlo posse egredi animas Beatorum. Docet expressè B. Hieronymus dialogo contra Vigilantium: *Si Agnus vbique, ergo & hi qui cum Agno sunt, vbique esse credendi sunt. Et cùm diabolus ac dæmones toto vagentur in orbe, & celeritate nimiâ vbique præsentes sint, Martyres post effusum sanguinem sui arcâ operientur inclusi, & inde exire non poterunt?* Nec obstat quòd D. Augustinus lib. *De cura pro mortuis habendâ* cap. 13. contrarium sentire videatur: quia loquitur iuxta naturæ cursum, vt D. Thomas illum exponit in 4. dist. 45. quæst. 1. art. 1. quæstiuncula 3. nempe, quia earum status multùm discrepat à statu viuentium in corpore; vnde postulat, vt rebus viuentium non interfint, saltem crebrò: neque aliud argumenta D. Augustini probant.

33 Anima Beata potest egredi à cœlo.

Vtrùm autem aliqua anima in cœlo existens aliquando reuocata sit ad hanc vitam mortalem, dubium est. Quidam affirmant propter historiam aliquam, quam refert S. Gregorius lib. 1. Dialog. cap. 10. de quedam Marcello viro bono reuocato ad vitam à B. Fortunato Episcopo.

quidã putant aliquãdo animã è cœlo reuocatam ad vitam.

Sed probabilius videtur contrarium cum Soto dist. 45. quæst. 1. art. 4. Tum, quia visio beatifica est vita æterna, quæ non potest vnquam abrumpi, præsertim in cœlo, quod æternæ vitæ propriè est destinatum. Cur enim datur vita æterna, si statim debet auferri, & reuerti ad vitam mortalem? Tum, quia summi boni iam possessi detractio censeretur meritò, non beneficium, sed ingens tormentum; cùm tamen excitatio ad vitam sit beneficium. Tum denique, quia non omnes essent securæ de bono quod obtinent, si inde possent ad vitam reuocari.

Melius negatur.

Ad locum Gregorij, Respondeo: Solùm ibi dici, Marcellum in locum bonum deductum fuisse. Quod autem Gregorius addit, *Illum non perdidisse locum, quem acceperat*; sic intellige: quia postea benè viuendo consecutus est meliorem.

34 ex Purgatorio cur subinde egredi permittantur.

Dico Secundò: E Purgatorio sine singulari Dei dispensatione ante debitum expiationem egredi non possunt. Ratio est, quia sunt ibi iussu Dei tanquam in carcere. Interdum tamen Dei permissu egrediuntur, vt viuorum suffragia implorent; vt constat plurimis exemplis. Interdum etiam ex Purgatorio sunt excitatæ ad vitã: nam

Prophetæ & Chriſtus Dominus excitarunt multos fideles, qui ante Chriſti mortem erant vel in Purgatorio, vel in Limbo. Apoſtoli quoque & reliqui Sancti multos alios excitarunt, è quibus credibile eſt multos in Purgatorio fuiſſe.

Sunt tales confirmati in gratia.

Notandum autem: Eſſe valdè credibile, omnes iſtos fuiſſe confirmatos in gratia per omnem vitam, ita vt non poſſent ampliùs à ſalute excidere. Docet Sotus diſt. 45. quæſt. 2. artic. 2. & quæſt. 1. artic. 4. Ratio eſt, quia alioqui maximo ſuo incommodo fuiſſent excitati, quia erant certi ſuæ ſalutis, quam certitudinem amiſiſſent.

35 Ex inferno egredi non poſſunt citra ſpecialem dei diſpoſitionem.

Dico Tertiò: Ex inferno non poſſunt vllo modo egredi ſine ſingulari diſpoſitione Dei; quę tamẽ aliquando quibuſdam conceſſa eſt, vt hominibus ad terrorem, & vitæ emendationem apparerent: vt multis exemplis conſtat.

Vtrùm autem aliquæ animæ ab inferno ſint reuocatæ; quæſtio eſt. Quidam affirmant ob exemplum quod refert Gregorius lib. 1. Dialog. cap. 12. & quia ex probatis Auctoribus conſtat, multos Ethnicos eſſe ad vitam reuocatos; vt patet de filio præfecti Sempronij, qui à diabolo necatus fuerat, quòd vellet S. Agnetem violare, quem ipſa virgo à morte exçitauit, vt refert Ambroſius ſerm. 90.

Vero ſimilius eſt nemi nem ex inferno ad vitam reuocatum.

Verùm probabilius eſt, neminem vnquam inferni pœnis adiudicatum, fuiſſe poſteà ad vitam reuocatum; ita Sotus ſuprà. Ratio eſt: quia locus ille æternę manſioni & pœnæ eſt deſtinatus. Vnde non videtur conſentaneum, vt quis illi adiudicatus reſtituatur huic vitæ, per quam poſſit illum euadere. Confirmatur: quia alioqui damnati poſſent ſperare liberationem, nec abſolutè deſperarent; quod eſt omnino falſum.

Ad exempla allata reſpondet Sotus, omnes huiuſmodi laboraſſe ignorantia inuincibili fidei, ac proinde non fuiſſe mortuos in peccato mortifero Sed hoc parum eſt credibile: nam Gregorius loco citato ſcribit, virum quendam peſſimum, qui à dæmonibus id inferos raptabatur, à S. Seuero fuiſſe excitatum. Filius quoque Præfecti nullo modo poteſt à peccato mortifero excuſari. Vnde dicendum eſt, tales, etſi obierint in peccato mortali, non tamen fuiſſe inferni penis addictos; ſed ſingulari Dei diſpenſatione eorum ſententiam ad breue tempus fuiſſe ſuſpẽſam, eò quòd paulò pòſt eſſent ad vitam reuocandi.

CAPVT IV.

De Suffragijs pro defunctis?

36 Tria genera Suffragiorum.

Notandum eſt: Eſſe tria genera *Suffragiorum*; nempe Sacrificium Miſſę, Orationem, & Eleëmoſynam: ad quam tertiam partem referenda ſunt quælibet opera pœnalia, & ſatisfactoria; vt ieiunium, cilicium, peregrinationes, & ſimilia. His adde Indulgentias, quia per eas opera ſatisfactoria aliorum applicantur defunctis.

Reſtitutio autem rei alienę non eſt quartum genus *Suffragii*, vt quidam voluerunt. Nam ſiue fiat reſtitutio, ſiue non fiat, hoc defuncto nec obeſt, nec prodeſt, per ſe loquendo. Deus enim non punit, niſi culpam propriam in vita contractam.

An reſtitutio rei alienæ numeretur inter ſuffragia.

Niſi fortè hæc reſtitutio fiat per modum eleëmoſynæ; vt, v. g. quando fit ab eo, qui non tenebatur reſtituere; vel certè niſi fiat meritoriè ex amore iuſtitiæ: omne enim opus bonum poteſt referri ad alterius auxilium per modum deprecationis. Ad huiuſmodi reſtitutionem referendę ſunt quędam animarum apparitiones, petentium vt fieret reſtitutio quarundam rerum, quas ipſę neglexerãt: vel certè ad inſtructionem viuentium factæ ſunt; vt quiſque in vita reſtitutionem faceret.

DVBIVM I.

Vtrùm Eccleſię Suffragia profint defunctis?

Reſpondeo: Fide tenendum eſt, prodeſſe. Patet ex teſtimonijs Scripturæ, 2. Machab. 12. & ex Concilijs ac Liturgijs ſuprà citatis. Idem docent quoque omnes Patres, vt videre eſt apud Garetium in libello *de Oratione pro defunctis*. Ratio eſt, quia Eccleſia vniuerſa eſt vnum quoddam corpus, cuius caput eſt Chriſtus: ergo neceſſe eſt, vt omnes ad hoc corpus pertinentes, tanquam membra inter ſe communionem habeant: atqui ad hoc corpus pertinent ij, qui in charitate defuncti ſunt, vt docet D. Auguſt. lib. 20. de Ciuit. cap. 9. *Neque eorum animę mortuorum ſeparantur ab Eccleſia Dei, quæ etiam nunc eſt regnum Dei: alioqui nec ad altare fieret eorum memoria.* Et infrà: *Cur enim iſta fiunt, niſi quia fideles, etiam defuncti, eius membra ſunt:*

37 Eſt de fide ſuffragia defunctis prodeſſe.

Hinc ſequitur, defunctos, cùm ope egeant, ab alijs in Eccleſia poſſe iuuari; ſicut membrum vnum laborans adiuuatur ab alio. Confirmatur: quia viui profunt viuis, vt patet Iacobi 5. v. 16. *Orate pro inuicem, vt ſaluemini.* quin imò ipſi Apoſtoli preces fidelium ſæpè expetierunt. Cur non etiam profint mortuis, qui & magis egent, & minùs ſemetipſos iuuare poſſunt?

Dices: Eccleſiaſtæ 9. v. 5. dicitur, *Mortuos non habere ampliùs mercedem, nec partem in hoc ſæculo, in opere quod ſub ſole geritur.*

Reſpondeo: Senſus eſt, eos non poſſe ampliùs mereri, neque habere communionem cum viuẽtibus in rebus temporalibus huius mundi.

DVBIVM II.

Vtrùm omnibus defunctis Suffragia proſint?

Reſpondeo: Non prodeſſe damnatis; neque etiam beatis, ſi propriè loquamur: ſed his ſolùm qui in charitate defuncti aliquo reatu pœnæ temporalis tenentur. Eſt communis ſententia Patrum, & Doctorum diſt. 45. Vide S. Auguſtinum in Enchiridio cap. 110. & libro *De cura pro mortuis habenda*, cap. 1. vbi ait; *Eccleſiæ Suffragia pro valdè bonis eſſe gratiarum actiones; pro valdè malis nulla eſſe adiumenta mortuorum; pro non valdè malis eſſe propitiationes.* Vbi per *non valdè malos* intelligit eos, qui in Purgatorio ſunt, habentque culpam venialem, vel reatum pœnę temporalis.

38 Nec damnatis, nec beatis proſunt: ſed ſolis defunctis in charitate.

Nec obſtat, quòd Patres aliquando dicant, *Sacrificium offerri pro Apoſtolis, & Martyribus*; vt Chryſoſtomus in Liturgiâ. Tantùm enim voluit dicere, *offerri pro gratiarum actione de eorum victoriâ in certamine huius vitæ, & gloriâ in cœlo obtentâ*; ſicut S. Auguſtinus dicit, *Suffragia pro valdè bonis eſſe gratiarum actiones.* Ita quod in quibuſdam Miſſæ orationibus dicitur *Sacrificium prodeſſe Sanctis ad gloriam, ad honorem*, intellige vel de gloriâ quadam & gaudio accidentali, vel potiùs de gloria apud homines, idq; ad hominum vtilitatem. Colligitur ex Capitulo *Cùm Marthæ*, de celebratione Miſſarum.

quo ſenſu dicatur offerri ſacrificium pro Apoſtolis, &c.

Contrà obijcitur Primò: Diuus Auguſtinus in Enchiridio cap. 110. ſic ait, *Quibus proſunt Suffragia, aut ad hoc proſunt, vt plena ſit remiſſio, aut ſi*

1. Obiectio ex au

by Google

Augustino & Innocentio.

tolerabilior sit ipsa damnatio: ergo prosunt damnatis. Confirmatur ex Innocentio III. Capitulo *Cùm Martha*; vbi dicit, *Mortuis valdè bonis non op' esse suffragiis; valdè malis non prodesse suffragia: mediocriter bonis prodesse ad expiationem, mediocriter malis ad propitiationem*: quo vltimo membro non videntur posse alij intelligi, nisi damnati.

Soluitur.

Respondeo: Diuum Augustinum *Tolerabiliorem damnationem* vocare *penam Purgatorij mitiorem*, vt patet ex verbis præcedentibus, vbi docet, *Suffragia non prodesse valdè malis*, sed *solùm mediocriter bonis, qui sunt purgandi & saluandi*. Ad Confirmationem: Fortè Innocétius per *mediocriter bonos* intelligit eos, qui nullam habent culpam, sed solum reatum pœnæ, dum hinc excedunt: per *mediocriter autem malos*, eos, qui habent culpas veniales.

2. Obiectio, de Traiano, & alijs ex inferno saluatis.

Obijcitur Secundo: Damascenus *Oratione de ijs qui in fide dormierunt*, dicit Traianum precibus S. Gregorij ex inferno liberatum: & animam cuiusdam Falconillæ paganę feminę precibus S. Theclæ primæ martyris. Idem refert ex Palladij historia Lausiacâ, cranium cuiusdam idololatræ respondisse S. Macario, *Damnatos sentire aliquod solatium, quando pro ipsis preces offerret.*

Soluitur.

Respondeo: Exemplum istud de Traiano videri totum fictitium, vt docet Canus lib. 11. De locis cap. 2 & 3. & multi recentiores. Quomodo enim credibile est, Traianũ, qui non tantùm fuit idololatra per omnem vitam, & infinitos Sanctos affecit martyrio, & præpostere libidini deditus fuit, sed etiam voluit statuam suam adorari; post quingentos annos, ob opus misericordiæ planè naturale viduę pręstitum infidelitate & peccato mortifero, ex inferno esse liberatum; aut B. Gregoriũ ob tantillum opus id à Deo petere voluisse? Adde in eâdem historiâ dici S. Gregorium ob hanc petitionem fuisse punitum perpetuo stomachi dolore. Quomodo ergo in re tanta fuit exauditus, si petendo peccauerit? Dicendum ergo, Damascenum non esse auctorem istius orationis, sed Græcum aliquem parum eruditum. Nam in eadem oratione dicitur, *Multos alios infideles in inferno fuisse à Christo illuc descendente, & prædicante conuersos, & saluatos*: quod est error exploratus & euidens. Similiter apocrypha est illa historia de cranio: tum ob alias causas, tum quia in Palladio non reperitur. Neque etiam credibile est, Macarium pro damnatis orare consueuisse.

DVBIVM III.

Vtrùm Sancti in cælis orent pro defunctis?

39 Dom. Soto negat.

DOminicus Soto dist. 45. quæst. 3. art. 2. negat; eò quòd oratio Sanctorum non sit satisfactoria: Suffragia autem non prosint, nisi permodum satisfactionis.

Affirmatur.

Sed hæc sententia defendi non potest. Primò, Quia Lucæ 16. v. 9. dicitur: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cùm defeceritis, excipiant vos in æterna tabernacula*: in quem locum vide Ambros. in Comment. & August. lib. 21. de Ciuit. cap. 27. Secundò: Quia Ecclesia in oratione, *Deus venia largitor*, rogat Deum, vt *B. Virgine, & omnibus Sanctis intercedentibus, animas defunctorum ad perpetuę beatitudinis consortium perducere dignetur.*

Soti ratio soluitur.

Ad rationem Soti, Resp: Etsi oratio Sanctorum non sit satisfactoria, est tamen impetratoria, & sic applicat quodammodo animabus christi satisfactiones. Precanturenim Sancti, vt Deus propter Christi & Sanctorum satisfactiones illis condonet; quomodo etiam nobis gratiam impetrant, quamuis Deus non statuerit nobis gratiam conferre, nisi interueniente aliquo merito, saltem Christi, vt alibi dictum est.

DE SACRAMENTO EXTREMÆ VNCTIONIS.

Circa Quæstionem 29. 30. 31. 32. & 33.

CAPVT I.

De Essentialibus huius Sacramenti.

DVBIVM I.

Vtrùm Extrema Vnctio sit verum noue Legis Sacramentum?

11 Hæretici negantes.

PRimi, qui hoc Sacramentum sustulerunt, videntur fuisse Vvaldenses; vt refert Thomas Vvaldensis Tom. 2. cap. 163. Hos secutus est Vvicleff, & demùm hæretici nostri temporis.

Sententia affirmans est de fide.

Sed certa fide tenendum est, extremam Vnctionem esse verum & propriè dictum nouę legis Sacramentum. Patet ex Concilio Trident sess. 14. can. 1. De extremâ Vnctione: *Si quis dixerit, extremam Vnctionem non esse verè ac propriè sacramentũ à christo Domino nostro institutum, & à B. Iacobo Apostolo promulgatum, sed ritum tantùm acceptum à patribus, aut figmentum humanum, anathema sit.* Idem patet ex Concil. Florentino, cui interfuerunt Græci, & simul cum Latinis approbarunt Asmenorum institutionem.

Expenditur locus Marci 6. de Vnctione ægrorũ.

Probatur Primò: Marci 6. *Vngebant* (Apostoli, *oleo multos ægros, & sanabant.* Hunc locum intelligi de hoc Sacramẽto probat Multis; Maldonatus & insinuat Hieronymus in Commentario huius loci, dicens: *Cùm vngunt oleo ægros, infirmitatem fidei virtute corroborant*; vbi satis indicat, se non loqui de dono miraculorum, sed de sacramento interius sanante. Clariùs adhuc Beda; Theophylactus, Oecumenius, Euthymius, Albertus Magnus, & Dionysius Carthusianus in hunc locum Marci, & Beauxamis tom. 2. fol. 516. Thomas Vvaldensis suprà, Alphosus à castro verbo *Extrema Vnctio.* Petrus Soto lect. 1. Francisc. Victoria lect. 213. Probatur: quia omnia hîc insinuantur, quæ ad rationem huius sacramenti pertinent, Materia remota, *Oleum*; propinqua, *Vnctio*;; Minister, *Apostoli*; sub quib' intellige *Sacerdotes & Presbyteros*, Apostolorum in hoc successores: subiectũ quod vngitur, *Infirmi*; effectus, *sanatio*, corporis scilicet & animæ: non enim sanabant Apostoli corpore, nisi quos etiam sanabant spiritu. Et quamus hîc non exprimatur formula verborum; dubitandum tamen non est, quin aliquam adhibuerint; vt etiam

Digitized by Google

fatentur ij, qui existimãt hic agi de dono miraculorum. Confirmãtur hæc omnia: Quia parum credibile est, Dominum præcepisse Apostolis vnctionem olei ad curandum corpus per donum miraculorum, quia hæc vnctio multu detraxisset miraculo; visi enim fuissent virtute olei curasse; quod quidam hæretici, inter quos Vvicleff, & aliqui Caluinistę, dixerunt: ergó præcepit eam vnctionem ad significandã & efficiendam potissimum internam animæ curationem, quæ fit Sacramenti virtute.

soluuntur obiectiones.

Dices Primò: Hoc Sacramentum non potest conferri, nisi à Presbyteris: atqui Apostoli tunc non erant Presbyteri: ergo.

Respondeo: in principio fundationis Ecclesiæ multa fiebant extraordinariã viã & potestate, donec omnia essent constituta: sic Apostoli baptizabãt, quod tamen solius est Sacerdotalis officij.

Dices Secundò: Hoc Sacramentum non potest conferri, nisi baptizatis; Apostoli verò vngebant etiam non baptizatos.

Respondeo: Credibile est eos vnxisse solos baptizatos, præsertim cùm iam antè multi essent baptizati. Vnde enim constare potest de contrario? His adde: saltem hîc omnium sententiã insinuari Sacramentum extremæ Vnctionis, vt expressè docet Concilium Trident. siue insinuetur directè, siue tanquam in figurã.

2 expẽditur locus Iacobi 5.

Alius locus est Iacob. 5. v. 14. *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesię, & orent super eũ, vngentes eum oleo, in nomine Domini: & oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei.* his verbis, præterquã quod Apostolus indicet materiam, formam, effectum, & ministrũ, vt inquit Concil. Tridentinũ, etiam clarè insinuat esse verum Sacramentum.

Tria enim tãtummodò ad rationem Sacramenti requiruntur, vt hæretici cõsentiunt: Primò, Symbolum externum. Secundò, Promissio gratiæ. Tertiò, vt non sit institutum temporale, sed perpetuum. Atqui hæc tria apertè hîc habem⁹: Symbolum enim externum est *Vnctio olei cum oratione fidei*: Promissio cernitur in *alleuiatione infirmi, & remissione peccatorũ*: Perpetua duratio indicatur, cùm ait: *infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros*, &c. insinuans hunc ritum esse frequentandum, quamdiu infirmi in Ecclesia erunt.

Obiectio hæreticorũ

Respondent hæretici, Apostolum loqui de Vnctione, non sacramentali quę gratiã conferat; sed de alia quadã tunc abhiberi solitã ad curationem corporum per donum miraculorum. Vnde nunc, quando hoc donum cessauit, superstitiosam esse huiusmodi vnctionem. Quòd autem de tali vnctione loquatur, probant, eò quòd vtatur verbis significantibus sanitatem corporalem, vt ἐγερεῖ, id est, *excitabit ad hilaritatem, & saluabit.*

soluitur.

Sed contrà: Primò: Donum miraculorum non solùm infirmis prodest, sed etiam cæcis, claudis, mutis, mortuis: & tamen Apostolus solos infirmos vult vngi. Secundò, Si loqueretur de dono miraculorum, non præscriberet *oleum*; hoc enim donum non est oleo alligatũ. imò si quâ re Deus nos vult vti, ea ferè est inutilis & perniciosa morbo, vt virtus diuina appareat illustrior. Sic Moyses læsos à serpentibus curauit aspectu serpentis ænei, Numerorum 21. Elisæus aquâ Iordanis curauit lepram Naaman 4. Reg. 5. Isaias caricis, id est, ficubus siccis, curauit vlcus Ezechię, quæ tamen vlceribus sunt perniciosæ, Isaiæ 38. Dominus cæcum curauit luto, Ioannis 9. Petrus infirmos sanauit vmbrâ, Actor. 5. Tertiò, Cur Apostolus iussisset potiùs *Presbyteros* adduci, quàm alios, cùm nec ipsi omnes, nec soli donum curationum haberent? Quartò, per donum miraculorum non remittebãtur peccata: atqui Apostolus dicit, per hanc *vnctionem, & orationem fidei remitti peccata.* Quintò, Non est credibile Apostolum præcipere infidelibus, vt miracula quærãt, quæ *infidelibus in signum sunt*, non autem *fidelibus*, 1. ad Corinth. 14. Denique, si ageretur de dono curationum, nemo fidelium illius temporis obijsset mortem; quia donum illud habebat infallibilem effectum, & Apostoli promissio est absoluta: *Oratio fidei*, inquit, *saluabit infirmum.* Vnde patet eum non principaliter loqui de salute corporis, quæ frequenter non sequitur; sed animæ, quę semper sequitur, si homo sit dispositus.

Ad rationem in contrarium: Verbum ἐγείρω, *excito*, non solùm ad corpus pertinet, sed etiam ad animũ: significat enim in Scripturis, *pellere mœrorem, torporem, negligentiam*: Ad Rom. 13. v. 11. *Hora est iam nos de somno surgere.* 2. Petri 3. v. 1. *Excito sinceram vestram mentem.* Similiter σῴζω *Saluo* etiam ad animũm pertinet. Nec obstat quòd etiã salutem corporis significet, quia extrema Vnctio interdum corporaliter saluat, quando ita expedit. Rectissimè ergo vocabulum commune positum est, quo effectus huius Sacramenti exprimeretur. Vide Maldonatum suprà, & Bellarminum de hoc Sacramento, & Valentiam.

quid propriè significet. ἐγείρω.

Probatur Secundò: Ex Conciliis, præter Concilia iam ante citata. Vide Concilium Cabilonẽse II. tempore Caroli Magni habitum, cap. 48. & Aquisgranense II. can. 8 & alia quædam Prouincialia. Probatur Tertiò: Ex Patribus. Innocentius I. epist. 1. cap. 8. multa scribit de hoc Sacramento, respondens Episcopo Eugubino, qui illum de hoc consuluerat: Primò, dicit locum Iacobi esse intelligendum de omnibus fidelibus ægrotantibus, qui sacro oleo chrismatis perungi possunt, *quę, ab Episcopo confecta, non solum Sacerdotibus*, inquit, *sed, omnibus Christianis vti licet in suâ vel suorum necessitate iungendo*, id est, *vt vngantur.* Secundò dicit, *Non solùm Episcopis, sed etiam Presbyteris licitum esse hoc Chrismate*, id est, hac vnctione alios vngere. Tertiò, solius Episcopi esse, *benedicere.* Quartò, illis, quos non pœnitet peccatorum, non posse cõferri; *Quia genus*, inquit, *sacramenti est: nam quibus reliqua sacramenta negantur, quomodo vnum genus putatur concedi posse?* Eadem verba Innocentij refert Cœcilium Vvormatiense circa annũ Domini 868. can. 72. Chrysostomus lib. 3. de Sacerdotio; *Sacerdotes*, inquit, *non solùm quando nos regenerant, sed etiam postea habent potestatem indulgendi peccata: infirmatur*, *ait Apostolus, aliquis ex vobis? adducat presbyteros Ecclesiæ, & vngant eum oleo*, &c. D. August. serm. 215. *de Tempore*, monet vt infirmi Eucharistiam sumant; deinde Iacobi Apostoli præceptum seruent: *infirmatur quis in vobis?* &c. Idem docet Beda, & alij suprà citati.

3 ex Concilijs.

4 ex Patrib⁹. Innocẽt. I.

Cœcil. Vvormatiense. Chrysostomus. Augustin⁹

Probatur Quartò: Ratione. Sacramenta sunt instituta in remedium peccatorum, & ad vincendas tentationes, & ad progressum virtutum: sed in exitu vitæ maximè egemus gratia & auxilio ad delenda peccata, & vincendas tentationes, & ad excitandum animum in amorem cœlestium; quia tunc maximas patimur difficultates, cùm & diabolus omnes suas vires exerit, & morbus mentem deprimit, & timor mortis ac damnationis miram anxietatem adfert: ergo, si vnquam est necessarium Sacramentum, est vel maximè in illo statu necessarium.

5 Ex ratione

Et Confirmatur: Quia si Christus instituit ali-

gitized by Google

qua Sacramenta pro initio vitæ & progreſſu, cõſentaneum fuit, vt etiam inſtitueret aliquod pro exitu, quia tunc maximè opus eſt, & homo minimè aptus eſt vt ſeipſum iuuet. Dices: Sufficere confeſſionem & Euchariſtiam. Reſpondeo: Vniuersè non ſufficere: tum quia ſunt plurimi, qui tunc nec confiteri, nec Euchariſtiam ſumere poſſunt; tamen hoc Sacramento poſſunt ab æternâ morte liberari: tum quia tunc ſingulari eſt opus auxilio, ergo & ſingulari Sacramento: tum denique quia poſt confeſſionem & Euchariſtiam manent reliquiæ peccatorum impedientes ingreſſum cœli: ergo oportebat eſſe Sacramentum aliquod, quo illæ proprie abſtergerentur, & mens ad cœleſtia diſponeretur.

DVBIVM. II.

Vtrùm extrema Vnctio ſit vnum Sacramentum?

6 Reſpondeo: Eſſe vnum Sacramentum, etſi conſtet varijs vnctionibus, & formulis verborum partialibus. Vide D. Thomam. Sed dubiũ eſt: Vtrùm plures iſtæ vnctiones ita pertineant ad rationem Sacramenti, vt, niſi omnes adhibeantur, ſaltem quę in locis ſenſuum adhiberi ſolent, nihil ſit actum, id eſt, non ſit Sacramentum?

7 Dominic. Soto. Dominicus Soto multique alij putant, illas vnctiones omnino eſſe neceſſarias ad rationem Sacramenti, adeò, vt ante vltimam nihil efficiatur. Ratio eſt: quia hoc Sacramentum applicatur homini in modum perfectæ medicinæ ad curanda vulnera interiora: ergo de eius ratione eſt, vt applicetur ad omnes ſenſus externos, tanquam ad omnes radices vulnerum animę interiorum. Patet conſequentia: quia alioqui non habebit rationem perfectè medicinę; non enim ſignificabit perfectam curationem.

In ſingulis vnctionibus eſt ratio Sacramenti. Verùm altera ſententia etiam eſt probabilis, nempe in ſingulis vnctionibus eſſe rationem Sacramenti, quamuis omnes ad integritatem vnius perfectæ vnctionis concurrant, eo ferè modo, quo ſuprà q. 73. a. 2. dictum eſt de Euchariſtia. Tenet Scotus d. 23. in fine. Paludanus ead. diſtinct. q. 1. art. 3. concluſ. 2. & q. 2. ſub finem. Ioan. Medina Cod. De confeſſione, q. 11. citans pro hac ſententia Adrianũ. Inſinuat D. Thomas hîc in corpore ſub finem, ad 1. & 5.

Probatur Primò: Quia vnctiones iſtę non fiunt coniunctim per modum vnius, ſed ſeorſim; & quæque habet ſuam integram formam, non dependentem à præcedentibus vel conſequentibus: ergo &c.

Secundò: Sacramenta ſtatim efficiunt, quod ſignificant: ſed vnctio, v. g. oculorum cum ſuâ formâ ſignificat condonari peccata commiſſa per oculos: ergo hæc vnctio ſtatim hoc efficit, nec expectatur reliquorum ſenſuum vnctio: ſicuti vt conſecretur ſpecies panis, non expectatur conſecratio vini; aut vt ſpecies panis gratiam conferat, non expectatur ſumptio ſpeciei vini.

Si vnus ſacerdos deficiat, debet alius ſupplere reli quas vnctiones. Tertiò: Vnum Sacramentum non poteſt confici à duobus miniſtris, niſi conſtet partibus quæ per ſe ſunt Sacramentum, vt patet in Baptiſmo, Confirmatione, Penitentiâ & ſimilibus, quę non poſſunt à duobus miniſtris ſucceſſiuè fieri, eò quòd pars Sacramenti non ſit Sacramentum: vnũ enim ſimplex Sacramentum non poteſt fieri, niſi ab vno miniſtro. Atqui hoc Sacramentum poteſt ſucceſſiuè conferri à duobus miniſtris; ſi enim ſacerdos poſt vnctionem duorum ſenſuum deficiat, alius debet ei ſuccedere, qui non poteſt illas duas vnctiones repetere, ſed debet progredi ad alias; quod eſt ſignum illas duas habuiſſe ſuum effectum, & in illis conſtitiſſe rationem Sacramenti, vt patet in Euchariſtia: ſi enim poſt conſecrationem panis deficiat ſacerdos, qui ſubſtituetur, perget conſecrare calicem, non verò nouum panem conſecrabit.

DVBIVM. III.

Vtrùm hoc Sacramentum fuerit à Chriſto inſtitutum?

Reſpondetur: Iſtud Sacramentum, ſicut & cætera, immediatè eſſe à Chriſto inſtitutum, non ab Apoſtolis: Patet ex concilio Trident. ſeſſ. 7. can. 1. vbi hoc definitur de omnibus Sacramẽtis, quamuis illud verbum, *Immediatè*, non exprimatur. Et ſeſſ. 14. can. 1. definitur idipſum ſpeciatim de hoc Sacramento. Idem clarè colligitur ex verbis D. Iacobi: non enim tam abſolutè promitteret virtute illius *ſaluationem & remiſſionem peccatorum*, niſi ſciuiſſet illud à Domino eſſe inſtitutum, cuius ſoliùs virtute id fieri poteſt. Vide quæ ſupra dicta ſunt q. 64. art. 2. 8 Affirmat.

Notandum eſt: Magiſtrum hoc loco videri ſentire contrarium ex Hugone Victorino, qui lib. 2. de Sacramentis part. 15. cap. 2. dicit, *Sacramentum Vnctionis infirmorum ab Apoſtolis inſtitutum legitur: ait enim Iacobus, Infirmatur quis ex vobis?* &c. Et D. Bonauent. hac diſt. 21. art. 1. q. 2. *Spiritus ſanctus*, inquit, *per Apoſtolos hoc Sacramentum inſtituit.* Sed fortè explicari poſſunt, quòd loquantur de inſtitutione promulgatoriâ; ſic enim D. Thomas explicat Magiſtrum quomodo Moyſes interdum *Auctor* dicitur *Veteris legis*. Explicantur Magiſter.

DVBIVM. IV.

Vtrùm materia huius Sacramenti ſit oleum ab Epiſcopo conſecratum?

Reſpondetur Affirmatiuè. Eſt fide tenẽdum. Patet ex Concilio Florentino, vbi dicitur, *Huius Sacramenti materiam eſſe oleum olivæ ab Epiſcopo benedictum.* & Tridentino ſeſſ. 14. c. 1. *De extrema Vnctione*: *Intellexit*, inquit, *Eccleſia materiã eſſe oleum ab Epiſcopo benedictum.* Idem expreſſè habetur in Concil. Cabilonenſi 2. can. 48. *Secundum B. Iacobi Apoſtoli documentum, cui etiam decreta Patrum conſonant, infirmi oleo, quod ab Epiſcopis benedicetur, à Presbyteris vngi debent.* Idem expreſſè habet Innocentius I. ſuprà; & Beda in cap. 5. Iacobi, dicens, *Per illa verba, Vngentes oleo in nomine Domini, ſignificari oleum benedictum, nec poſſe, niſi ab Epiſcopis confici.* 9 Reſponſio affirmatiua eſt de fide.

Et quidem quòd debeat eſſe *Oleum*, patet ex ipſa Scriptura, *Vngentes*, inquit *Oleo*. Quia verò nullus liquor propriè eſt *Oleum*, niſi qui ex oliuis exprimitur, ideò neceſſe eſt, vt ſit *oleum olivæ*, vt expreſſè habet Concilium Florentinum. Vnde per *oleum amygdalinum*, *nucum*, *raparum*, &c. nihil efficietur. Ratio primaria eſt, inſtitutio diuina. Congruentia eſt, quia *oleum* optimè ſignificat effectum huius Sacraméti. Primùm enim lenit; vnde ſignificat optimè alleuiationem infirmi. Deinde curat vulnera, & intima penetrat: vnde ſignificat remiſſionem peccatorum, & vulnerum animę curationem. Deniq; ſignificat miſericordiã, qua tunc maximè opus eſt homini, & gratiam Spiritus ſancti, qua anima ægrotãtis inuiſibiliter Debet eſſe *Oleum olivæ*.

Digitized by Google

inungitur, vt inquit Concilium Tridentinum.

Et quidem benedictũ ab Episcopo.

Ratio verò, cur hoc *oleũ* debeat *esse benedictum*, est similiter diuina institutio. Congruentia est, quòd materia externa, quæ ad Sacramenta adhibetur, huiusmodi sacrâ benedictione debeat veluti disponi, aptari, & eleuari ad formam Sacramentalem; & vt sit idoneum instrumentum, per quod gratia conferatur. Materię quidem baptismi & Eucharistiæ ipso Christi vsu & contactu sanctificatę & aptatę ad formam sacramentalem fuerunt; vnde non indigent alia benedictione, vt sint idoneæ materiæ. Sed Sacramenti Vnctionis & Confirmationis materiâ Christus nunquam est vsus; vnde oportebat vt aliquâ benedictione consecrarentur. Debet autem hæc benedictio fieri ab Episcopo: tum quia in ipso est plenitudo potestatis circa Sacramentorum administrationem: tum quia ab ipso ad sacerdotes omnes potestas descendere debet; vnde etiam meritò ab ipso debent accipere materiam.

Dices: Dispositio materiæ pertinet ad artem inferiorem: ergo hæc benedictio pertinebit ad potestatem, quę sit inferior Sacerdotio, non autem ad superiorem.

Respondeo: Dispositio materię pertinet ad artem inferiorem, quando is, qui illâ materiâ vtitur, præscribit ei, qui materiam disponit: atqui Sacerdos non præscribit Episcopo, sed contrà Episcopus præscribit Sacerdoti, quomodo illâ materiâ vti debeat. Adde, hoc non debere habere locum in rebus sacris, quarum omnis dispositio & perfectio descendit à suprema potestate ad inferiores.

DVBIVM V.

Vtrùm hæc benedictio sit necessaria ad essentiam huius sacramenti.

10 Caietanus Victoria.

CAietanus suprà q. 73. art. 3. dubitat. Franciscus Victoria, q. 217. negat.

Hęc benedictio est necessaria.

Respondeo & Dico Primò: Omnino esse necessarium, vt oleum sit benedictum. Colligitur ex locis suprà citatis, ex perpetuo Ecclesiæ vsu, & ex communi Doctorum sententia. Fortasse tamen non est necessarium, vt benedictione propria hoc oleum sit benedictum. Videtur enim sufficere benedictio Chrismatis, vt docet Sotus q. 1. a. 3. d. 21. & plures alij.

Fieri debet ab episcopo.

Dico Secundò: Similiter necessarium est, vt *ab Episcopo sit benedictũ*, adeò, vt, si à Sacerdote simplici sit benedictum (nisi fortè id fiat ex commissione Papæ) nihil efficiatur. Probatur: quia Concilia suprà citata id expressè requirũt, præsertim Florentinum & Tridentinum, quæ propter hęreticos hæc omnia distinctè explicuerunt. Baptismi enim materiam aiunt esse *aquam simplicem*, nec requirunt *vllam benedictionem*, nempe, quia non est de essentia, quamuis in cæremoniam adhibeatur. Huius verò Sacramenti materiam expressè affirmant esse *oleum ab Episcopo benedictum*.

Vel ex cõmissione Papæ, à sacerdote.

Dico Tertiò: Ex commissione Pontificis non est improbabile simplicem Sacerdotem posse hoc oleum benedicere, sicut de Chrismatis benedictione dictum est suprà, q. 72. a. 3.

11 Huic oleo benedicto addi potest oleum non benedictum.

Animaduertendum est: In necessitate posse addi *oleo benedicto* aliquid olei non benedicti, vt habetur in Capit. *Quod in dubiis*, de Consecratione Ecclesiæ & altaris. Quod intellige, modò id quod additur, minus sit quãtitate: vel si non sit minus, saltem fiat additio sensim. Si enim id, quod additur, superet, vel etiam æquale sit, & confertim addatur; id quod auctum est, non censetur esse idem quod ante fuit. Si autẽ sensim fiat additio, semper censetur esse idem, quod immediatè ante erat: vnde cùm anteà esset benedictũ, etiam post additionem censetur esse benedictum. Vide Siluestr. verbo, *Aqua benedicta*; & Fumum ibid. Est enim eadem ratio additionis ad *aquam benedictam*.

DVBIVM VI.

Vtrùm hęc forma sit conueniens: Per istam sanctam Vnctionem, & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid deliquisti per visum &c.

12 Affirmatur

REspondeo: Esse conuenientem. Patet ex Concilio Florent. & Tridentino, & vsu Romanæ Ecclesiæ. Consentiunt quoque Doctores Scolastici.

Ratio est: Quia his verbis explicantur omnia, quæ in formâ Sacramenti debent significari. Explicatur enim *causa principalis*, quæ est *Deus*, & *Dei misericordia*; & *instrumentalis*, quæ est *sacra vnctio*; & *effectus*, qui est *peccatorum remissio*, *alleuiatio infirmi*, & *sanitas corporis* quæ ex remissione peccatorum sæpè pendet; quæ tria satis insinuãtur per verbum, *indulgeat*.

13 Omnia verba non sunt de essentia huius formæ.

Notandum autem Primò: Non esse de essentia formæ hæc verba; *Per suam piissimam misericordiam*; satis enim hoc intelligitur in nomine *Dei*, & *Indulgeat*. Vnde ad essentiam Sacramenti sufficit dicere, *Per hãc vnctionem indulgeat tibi Deus, quidquid deliquisti per &c.*

Verba tamen ista, *Per hanc vnctionem*, multorum sententiâ sunt repetenda ad singulas vnctiones: alioqui non satis videtur materia exprimi; quod est in praxi securius, quamuis contrarium non videatur improbabile, vt infrà c. 4. dub. 2. dicemus.

Notandum Secundò: Non esse etiam de essentia illa verba; *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*. Est sententia communis. Nam in solo Baptismo & Confirmatione est necessaria Trinitatis inuocatio.

Neque vnctio in formâ crucis.

Notandum Tertiò: Non necessariò debere fieri vnctionem in formam crucis, sed sufficere simplicem vnctionem. Est tamen seruanda consuetudo.

DVBIVM VII.

Vtrùm sit necessarium, vt hæc forma sit deprecatoria? præsertim cùm nulla aliorum Sacramentorum talis sit?

14 Asseritur.

REspondeo: Id esse necessarium. Est communis Doctorum, d. 23. Colligunt ex verbis Apostoli. Sed hæc probatio non videtur efficax; quia Patres passim omnium Sacramentorum formas vocant *Preces Mysticas*, *inuocationes spiritus sancti*, *inuocationes consecratorias*; vt patet ex Dionysio Areopag. cap. 7. parte 3. Hierarchię Ecclesiasticæ, & Cyrillo Hierosol. Catechesi 2. & 3. mystagogica.

Ratio verior.

Verùm firmius argumentum peti potest ex traditione, & vsu Ecclesiæ. Ratio esse potest, quia hoc Sacramentum est veluti pœnitentia quædam infirmorum, qui non possunt per opera bona satisfacere. Confertur ergo illis hoc Sacramentum deprecatoriè, vt significetur dari remissionem peccatorum per hoc Sacramentum ex solâ misericordiâ, nec requiri opera laboriosa, sicut in Sacramento Pœnitentiæ. Ob hanc causam videtur Christus hoc modo instituisse.

Deprecatio hæc operatur ex opere operato.

Notandum tamen Primò: Etsi hoc Sacramentũ deprecatoriè detur, non tamen habere vim ex deuotione orantiũ, vt cęteræ preces; sed ex opere operato, idque propter infallibilem promissionem annexam. Nam Sacramentorum efficacia non pendet ex fide aut deuotione Ministrorum, sed ex Christi certissimâ institutione. Vocat autẽ Apostolus hãc formam *Orationem fidei*, quia solâ fide intelligitur. Quomodo D. Augustinus tract. 80. in Ioannem, verbum Sacramentale, quod cum elemento operatur, vocat *Verbum fidei*.

An valeat forma indicatiua.

Notandum Secundò: Si aliquæ Ecclesiæ aliquãdo vsę sint illâ formâ indicatiuâ, de qua D. Tho. a. 8. *Vngo hos oculos oleo sanctificato*, &c. credibile est, eas tamen non prętermisisse deprecationem; illamque solùm fuisse veluti pręparatoriam quãdam cæremoniam. Vel certè dicendum est, quòd eam deprecatoriè intellexerint. Nam variæ fuerunt diuersarum Ecclesiarum in hoc Sacramento conferendo formulæ, vt testatur Eckius hemil. 54. de Sacramentis, quæ etsi verbis distinctæ essent, sententiam tamen eãdem habere poterant.

CAPVT II.

De effectu huius Sacramenti?

15 Non imprimit characterem.

NOtandum est: Duo hic esse certa: Alterum, hoc Sacramentum non imprimere characterem. Ratio est, quia per hoc Sacramentum non deputamur ad alia Sacramenta conferenda, vel suscipienda, neque accipimus aliquem statum in Ecclesia, sicut per Baptismum, Confirmationem, & Ordinem. Vnde iterari potest, etiam in eodem morbo, quãdo diu durat, & inæqualis est, ita vt intercedente aliquot hebdomadarum intervallo sæpiùs periculum mortis adferat. Alterum est, hoc Sacramentum interdum conferre sanitatem corporis, quando sic expedit saluti animæ; & abstergere peccatorum reliquias: hoc enim expressè affirmant Concilium Tridentinũ, & Florentinum. Sed duo hic occurrunt dubia.

eius effectus.

DVBIVM I.

An hoc Sacramentum semper conferat sanitatem corporis, quando id expedit saluti animæ?

16 Dom. Soto negat.

DOminicus Soto hoc loco negat: & putat Cõcilia id affirmare, non proponendo dogma Ecclesię; sed sequẽdo opinionem probabilem Hugonis. Ratio ipsius est: Primò, quia interdum fit, vt inunctus conualescens peior euadat; ergo hoc Sacramentum confert sanitatem, etiam dum non expedit animæ. Secundò: sæpè fit, vt multi inuncti non conualescant, quibus tamen expediret ad animæ salutem; augerent enim coronam. Tertiò: sæpè necessarium esset miraculum, nempe quando is, cui expediret sanari, iam pœnè morbo consumptus est.

Improbatur eius sententia.

Sed sententia ista nullo modo est probanda. Nam vtrumque Concilium proponit hoc sine vllâ hæsitatione, sicut & alia, quæ tradit de Sacramentis: ergo proponit tanquam doctrinam Ecclesię. Quare dicendum est: Non esse necessariũ, vt hoc Sacramentum semper conferat sanitatem corporis quãdo id expediret animæ saluti; sed satis est, vt interdum id faciat. Nihil enim aliud dicit Concilium Trident. cap. 2. de extrema Vnctione: *Et sanitatem corporis interdum, vbi saluti animæ expedierit, consequitur.* Concilium autem Florent. sic ait: *Effectus verò est mentis sanatio; in quantum autem expedit, etiam ipsius corporis.* Quod intelligi potest generatim, *in quantum expedit iuxta ordinem diuinæ prouidentiæ.*

Certum ergo est, nunquam sanari aliquem per hoc Sacramentum, nisi id expediat animę saluti. Vnde si is, qui sanatur, peior euadat, & in peccatis moriatur, non conualuit virtute Sacramenti, sed naturalibus remedijs. Hinc patet responsio ad Primum argumentum Soti. Ad Secundum; Concedo: Non enim dicimus, quòd semper debeat conualescere quando id saluti expediret, sed *interdum*, prout visum fuerit prouidentię diuinæ. Ad Tertium: Concedo virtute supernaturali conferri valetudinem per hoc Sacramentum, ac proinde quasi miraculosè. Non tamen propriè dicetur fieri *Miraculosè*, quia fit per remedium ordinarium.

Nemo sanatur per hoc sacramentũ, nisi id expediat saluti animæ.

Notandum: Hunc effectum significari ab Apostolo, cùm ait; *Et oratio fidei saluabit infirmum.* Etsi enim hæc verba principaliter intelligenda sint de saluatione animæ, secundariò tamen intelliguntur de saluatione corporis; vnde & nomen, *saluabit*, commune est.

DVBIVM II.

Quæ sint illæ reliquiæ peccatorum, quas sacramentum dicitur abstergere?

QVidam intelligunt *Peccata venialia.* Ita D. Bonauentura, Scotus, Durandus, Richardus d. 23. Ratio est; Quia cùm tria sint genera peccatorum, originale, mortale, & veniale; contra originale, est baptismus; contra mortale, Pœnitentia; contra veniale, extrema Vnctio.

17 Per has reliquias malè intelliges peccata venialia

Sed contrà Primò, quia Apostolus ait, *si in peccatis fuerit.* Quòd si solùm loqueretur de venialibus, non diceret, *Si*: omnes enim plerumque sunt in peccatis venialibus, & *in multis offendimus omnes*, vt idem Apost. ait cap. 2. Secundò, Apostolus loquitur generatim *De peccatis*; ergo non oportet restringere ad venialia. Tertiò, quia contra peccata venialia sunt alia remedia; ergo ob illa sola non fuit opus Sacramento.

Sed 1. intelligę peccata quæ remanent post alia Sacramẽta

Dicendum ergo est: Duplices esse *Peccatorum reliquias* in proposito. Primò, Peccata quę remanent post alia Sacramẽta: fieri enim potest, vt post alia Sacramenta incidat quis in peccatum mortiferum, idque ignoret, ac proinde nequeat confiteri. Hoc peccatum abstergitur per istud Sacramentum cum pœnitentia generali vel virtuali, etiam attritione, sumptum. Et quamuis commune sit omnibus Sacramentis, quòd tollãt peccata occulta, si quæ inueniant; hoc tamen per accidens eis conuenit, vt suprà dictum est: non enim ad hoc peculiariter sunt instituta. Sed hoc Sacramentum ex suâ principali institutione habet, vt quidquid ex vitâ præteritâ remanet, id omne expiet, idque propter articulum illum, qui tanti est momenti. Hoc indicat Apostolus, cùm ait; *si in peccatis fuerit, remittentur ei.* Et Concil. Trid. cap. 3. *Si qua delicta sint adhuc expianda, abstergit*

2. intelligę torporem, mœrorem, & anxietatẽ.

Secundò, ad *reliquias* pertinet torpor animi ad res diuinas; mœror ob mortem instantem, & ob ea quæ deseret; anxietas ob incertitudinem salutis; quæ tria dicuntur *reliquiæ peccatorum*, quia ex peccatis orta sunt. Hęc maximè hominem opprimunt in exitu vitæ. Has *reliquias abstergit hoc sacramentum* certâ quadam mensurâ, quod significat Apostolus, dum ait; *Alleuiabit*, seu, *excitabit eum Dominus.*

Petes: Quomodo hoc fiet? Respondeo: Per

auxilium ſpeciale, quod hoc Sacramento confertur, vt verbum græcum ὠφελῇ indicat, quo auxilio extitatur homo ab illo torpore ad cogitationem & amorem cœleſtem; ad conſolationem ſpiritualem, & ad fiduciam diuinæ miſericordię, *Vt facilius poſſit morbi incommoda perferre, & tentationibus dæmonis reſiſtere*, vt inquit Concil. Tridentinum, cap. 2.

CAPVT III.

De Miniſtro huius Sacramenti.

DVBIVM I.

Quis ſit Miniſter huius ſacramenti?

18 Solus ſacerdos eſt miniſter.

REſpondeo: *ſolus Sacerdos* eſt Miniſter huius Sacramenti. Eſt fide tenendum. Colligitur ex verbis Apoſtoli: *Inducat Presbyteros Eccleſiæ.* Vbi per *Presbyteros* non poſſunt intelligi *ſeniores grate*, vt exponunt quidam hæretici: tum quia, iuxta vſum Scripturę noui teſtaméti & Eccleſiæ, *Presbyter* non ſignificat, niſi ſolùm Sacerdotem: tum quia neque ſoli, neque omnes *ætate ſeniores* habent donum miraculorum, de quo ipſi volunt agi: tum quia horum non eſt *ungere*, ſed Sacerdotum: tum denique quia Patres hoc loco per *Presbyteros* intelligunt *ſacerdotes*, vt patet ex teſtimonijs ſuprà citatis. Vide Concilium Trident. ſeſſ. 14. c. 3. & can. 4. *De ſacramento extremæ Vnctionis.*

Dices Primò: Apoſtolus ait in plurali, *Inducat Presbyteros*: atqui vnus Sacerdos ſufficit: ergo non loquitur de Sacerdotibus.

Reſpondeo: Eſſe heteroſin numeri, id eſt, pluralem accipi pro ſingulari; ſicut cùm dicimus, Peccata eſſe confitenda ſacerdotibus: Non enim volumus dicere *multis eſſe confitẽda*, ſed *alicui à multis.*

Nec in neceſſitate id poteſt laicus.

Dices Secundò: Innocẽtius I. ſuprà epiſt. 1. cap. 8. ad Decentiũ, inter cætera ait: *Quo oleo ab Epiſcopo confecto, non ſolùm ſacerdotibus, ſed omnibus Chriſtianis vti licet in ſuâ aut ſuorum neceſſitate, inungendo*: ergo omnes Chriſtiani poſſunt inũgere.

Reſpondet Thomas Vvaldenſis Tom. de Sacramentis, cap. penult. verba Innocentij intelligenda eſſe de abſentia Sacerdotis: tunc enim laicum poſſe hoc Sacramẽtum adminiſtrare, ſi infirmus ob periculum non poſſit expectare. Sed hęc reſponſio nihil valet; quia nullum eſt Sacramentum, quod non requirat miniſtrum Sacerdotem, prẽter Baptiſmum, ob ſummam eius neceſſitatem; & matrimonium, quod conſiſtit in mutuo contractu nubentium.

Dicendum ergo breuiter: Illud *Inungendo*, accipe paſſiuè, id eſt, *vt inungantur*; omnes enim Chriſtiani poſſunt vti hoc oleo, aduocando Sacerdotes in ſuis & ſuorum neceſſitatib⁹, vt inungantur, ſcilicet qui in neceſſitate ſunt. Ita Ianſenius in cap. 6. Marci. Et facilè patet ex verbis Innocentij: nam ſequentibus verbis incipit primùm declarare quis ſit miniſter huius Sacramenti, & ait, eſſe Epiſcopum, & Sacerdotem. Habet autem hoc Sacerdos ex proprio officio, & non ex commiſſione, ſicut Diaconus eſt miniſter Baptiſmi tantùm ex commiſſione.

DVBIVM II.

Vtrùm liceat cuiuis ſacerdoti hoc ſacramentum adminiſtrare?

DIco Primò: Nemini Sacerdoti licitum eſt abſque facultate adminiſtrare vllum Sacramentum, niſi ſuo ſubdito, excepto articulo extremæ neceſſitatis. Ratio eſt, quia adminiſtrare Sacramenta eſt paſcere populum Chriſtianum; imò eſt primarius actus Paſtoralis, vnde non eſt niſi Paſtorum Eccleſiæ, vel eorum, quibus ipſi commiſerint. Imò Clementinâ I. *De priuilegijs*, excõmunicantur ipſo facto Religioſi, qui clericis aut laicis Sacramentum extremæ Vnctionis, vel Euchariſtiæ miniſtrare, aut Matrimonia ſolénizare, ſine ſpeciale Parochialis Presbyteri licentia præſumpſerint, vti etiam diximus ſuprà q. 82. ar. 3. in Dub. Alij tamen Sacerdotes non excommunicantur, quãuis id ipſis non liceat, vt rectè Nauarrus cap. 21. Enchiridij, num. 52. & cap. 27. num. 101.

19 Nõ omnis ſacerdos hoc ſacramentum licitè adminiſtrat.

Dico Secundò: In neceſſitate, quando proprius Sacerdos haberi nequit, poteſt & debet quiuis Sacerdos inungere infirmum, vt rectè Sotus. Quod eſt contra Nauar. cap. 27. num. 101. & quoſdam alios. Ratio eſt, quia per hoc Sacramẽtum fieri poteſt, vt ſaluetur is, qui alioquin eſſet damnandus. Vnde in tali caſu cenſetur adeſſe ratihabitio Parochi. Et quamuis conſtaret illum non conſentire, cenſetur tamen Eccleſia conſentire, & dare liberam poteſtatem, quę nõn vult infirmum in tali caſu eo beneficio deſtitui.

Religioſi hoc adminiſtrantes, excommunicantur. Non tamẽ alij ſacerdotes. quilibet Sacerdos poteſt in neceſſitate

CAPVT IV.

De ſuſcipientibus hoc ſacramentum?

DVBIVM I.

Quibus hoc ſacramentum conferri debeat?

REſpondeo & Dico Primò: Non poſſe conferri ſanis, ſed ſolùm infirmis morti propinquis. Eſt certa.

20 Nõ poteſt dari ſanis, ſed ægris.

Probatur Primò ex verbis Apoſtoli: *Infirmatur*, ait, *quis in vobis?* Quòd autẽm loquatur de graui infirmitate: Patet, tum quia iubet adduci Preſbyteros Eccleſię; tum quia dicitur, *Oratio fidei ſalvabit infirmum*; vbi notanda eſt vox græca κάμνοντα *infirmum*: κάμνω enim ſignificat, *graviter laborare.*

Probatur Secundò: Ex Concilijs & Patribus ſuprà citatis. Inter cætera Concil. Florentinum ſic ait: *Hoc ſacramentum non niſi infirmis, de quorum morte timetur, dari debet.* Et Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 3. de extrema Vnctione: *Declaratur etiam, hanc vnctionem infirmis adhibendam, illis verò præſertim, qui tam periculosè decumbunt, vt in exitu vitę conſtituti eſſe videantur; vnde & ſacramentum exeuntium nuncupatur.*

Probatur Tertiò: Ratione, Primò: nam hoc Sacramentum etiam valet ad ſanitatem corporis recuperandam: atqui non eſt recurrendum ad remedia ſupernaturalia, quamdiu ſuppetunt naturalia, quæ videantur poſſe iuuare. Secundò: quia hoc Sacramẽtum eſt extremum remedium, quòd exhiberi poteſt ægrotis pœnitentiam agere non valentibus, vt per illud reliquiæ peccatorum abſtergantur, & ipſi cœlo præparentur. Cuius etiam ſignum eſt, quòd Eccleſia hoc ſoleat conferre poſt confeſſionem & communionem.

Hinc ſequitur, non poſſe dari ijs, qui afficiendi ſunt extremo ſupplicio, ſi alioqui non ſint infirmi ad mortem; quia ob inſtãtem mortem non dicuntur *infirmi*. Vulneratis tamen ad mortem dari poteſt, & debet; quia ſunt verè *infirmi*. Iis quoque qui vſque ad mortem infirmi ſunt, quãuis mox ſint extremo ſupplicio afficiendi, vt paſſim Doctores tradunt; quia etſi non proſit ad ſa-

Neque afficiendis ſupplicio.

Sed vulneratis.

nitatem recuperandam, proderit tamen quoad primarium effectum.

21 si detur sano, nihil fit.

Petes: Quid si hoc Sacramentum detur alicui, qui non grauiter ægrotet?

Respondeo: Si detur sano, certum est nihil effici; quia est remedium institutum tantummodò pro infirmis, sicut pœnitentia pro pœnitentibus post baptismum. Vt ergo pœnitentia non esset Sacramentum in eo, qui post baptismum non peccallet, ita nec hæc vnctio, si detur non infirmo.

si leuiter ægro.

Si infirmitas sit valdè leuis, probabilissimum quòque est nihil effici, quia tam Apostolus, quam Concilia de graui infirmitate loquuntur.

si grauiter ægro sed non periculosè.

Si verò sit grauis, non tamen appareat periculosæ, probabile est, esse sacramentum: hoc enim videtur colligi posse ex Concilio Tridentino. Peccant tamen, qui sic scientes conferunt, vel accipiunt; Nam Concilium Florentinum ait, *Non debere dari, nisi infirmo, de cuius morte metuitur.* Idem quoque habet consuetudo Ecclesiæ, quæ debet esse instar legis.

Non expectadus vltim' mortis articulus.

Aduerte tamen Primò: Non esse expectandum vltimum articulum dum infirmus agat animam: sed maturè conferendam, dum adhuc est integris sensibus, & iudicio medicorum adest notabile periculum vitæ; tum, vt deuotione huius sacramenti possit affici; tum, vt per hoc ad alacritatẽ, gaudium, & fiduciam excitetur. Hinc qui peste infectus est, vel venenum hausit, si aliam opportunitatem non habet, poterit adire ipsum Parochum dum adhuc robustus est, & ab eo inunctus domum reuerti, vt se comparet ad mortem.

si peste sis infectus. si venenũ hausisti.

si dubites, an ægre obierit, da sub conditione.

Aduerte Secundò: Si dubitatur, an infirmus obierit, posse ei conferri vnctionem sub tacitâ vel expressâ conditione; nimirum, *si es capax, si adhuc viuis* &c. vt rectè Nauarr. cap. 22. num. 33. estque communis sententia.

22 Pueris & perpetuo amentibus ne detur.

Dico secundò: Sacramentum hoc non posse dari pueris ante vsum rationis, aut amentibus à natiuitate. Est etiam communis. Ratio est; quia hi non habent, nec possunt habere reliquias peccatorum abstergendas. Forma quoque in ipsis falsa esset; quia non peccarunt per visum, auditum, & alios sensus.

Si amens habuerit intervalla.

Si tamen aliquis amens interdum ratione vsus esset, & hoc sacramentum saltem virtute & implicitè petijsset (quod fit Christianè viuendo) deberet ei conferri.

Si quis notori' peccator.

Idem dicendum de eo, qui subitò per morbum rationis vsu destitutus est, modò tamen anteà non fuerit in aliquo notorio peccato mortifero, vt vsurarius publicus, &c. Vel si fuerit in huiusmodi peccato, ostenderit tamen signa contritionis, vt rectè Nauar. cap. 26. num. 27. & Siluester Verbo *Vnctio*, q. 5. & alij.

qua ætate possit vel debeat dari pueris.

Petes: Quâ ætate possit hoc sacramentum conferri pueris?

Respondeo: Quando idonei sunt ad sacramentum Eucharistiæ. Nam ex consuetudine Ecclesiæ hoc sacramentum succedit viatico. Vnde ei qui aliquando percepit Eucharistiam, omnino conferri potest, & debet. Ita communiter Doctores, vt Sotus, art. 2. Addo etiam illis dari debere, qui possunt peccare mortiferè, & confiteri, etsi fortè sint octo, nouem, vel decem annorum, quamuis etiam Eucharistiam non perceperint. Ratio est, quia his danda est Eucharistia in periculo mortis, eò quòd opportunius tempus non expectetur, vt suprà dictum est: ergo etiam extrema Vnctio, quæ viatico succedit. Vinaldus q. 28. dicit, à sapientissimis & doctissimis viris sic practicari.

DVBIVM II.

Quæ corporis partes sint Vngendæ in hoc sacramento?

Dico primò: Vt hoc sacramentum habeat integra suam perfectionem, necesse est quinque sensuum sedes inungi; nempe sedes oculorum, propter visum; aurium, propter auditum; narium, ob odoratum; labia, propter gustum & locutionem; manus, ob tactum. Patet ex Concilio Florentino, ex vsu Ecclesiæ, & consensu Doctorum. Etsi enim non conflet inter Doctores, an quinque sensuum vnctiones sint de substantiâ sacramenti; plerique tamen, & ferè omnes antiqui videntur ita sentire: quidam enim id expressè docent, alij verò dicunt illas esse necessarias. Itaque omnes in eo conueniunt quòd quinque sensuum vnctiones iure diuino sint adhibendæ, quamuis probabile sit in singulis vnctionibus gratiam aliquam conferri, vt diximus supra cap. 1. dub. 2. Vnde sequitur non posse vnquam omitti, quando possunt adhiberi: cùm enim non ex instituto Ecclesiæ, sed præcepto diuino sint omnes adhibendæ, non potest Ecclesia dispensare vt aliquando cæteræ prætermittantur, & vna sufficiat. Accedit quòd Ecclesiæ praxis sit in contrarium: nunquam enim tempore contagionis ratione periculi infectionis solet aliqua prætermitti. Facere autem contra communem Ecclesiæ praxim, & communem sententiam Doctorum in re tanti momenti, esset valdè reprehensibile, & temerarium; maximè cùm etiam nouitas omnis in huiusmodi rebus sit vitanda, vt passim Doctores tradunt. Ratio autem cur ad integram perfectionem huius Sacramenti necesse sit quinque sensuum sedes inũgi, est, quia hoc Sacramentum applicatur in modum cuiusdam medicamenti ad curandos omnes animæ morbos: ergo omnibus morborum radicibus debet applicari; medicina enim ad radicem morbi applicanda est. Primæ autem radices morborum animi sunt quinque sensus, qui etiam sunt veluti quinque ostia, per quæ peccatum intrat ad animam. Debent ergo sedes horum sensuum inungi.

23 quinque sensus necessario sunt vngendi.

Petes: Vtrùm singuli sensus in singulis organis sint vngẽdi: an verò sufficiat vnctio singulorum sensuum in vno organo, v. g. in vno oculo, in vna aure. Item, an sub vna generali forma omnes istę quinque vnctiones peragi possint: dum v. g. peste infectum inungis, vt periculum contagionis euites: an verò etiam tunc debeat tota forma ad singulas vnctiones repeti?

24

Respondeo: Mihi valdè probabile est, & quasi certum sufficere vnctionem singulorum sensuũ in vno organo, v. g. in vno oculo, vnâ aure, idq; sine signo crucis, quamuis celerrimo contactu id fiat & sub vnâ generali formâ: v.g. *Per has vnctiones & suam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid commisisti per visum, per auditũ, per odoratũ, per gustum & per tactum*, vngendo simul organa singula. Nec op' esse addere in nomine Patris &c. Nam ex Doctoribus constat nec inuocationem Trinitatis, nec signũ crucis, nec vnctionem vtriusque organi esse necessariam. Et quamuis forma ex vsu Ecclesiæ ad singulas vnctiones videatur repetenda; hîc tamen ita concipitur vt secundùm communem intelligẽtiam æquiualeat repetitioni, & singulis vnctionibus respondeat: quod in negotio sacramentorũ videtur sufficere. Nihilominus tamen non putarem vtendum hoc

Sufficit tamẽ vnctio vnius organi in quoquesẽsu. Item vna generalis forma ad omnes sensus.

Cautela.

modo, nisi quando ex morâ esset notabile periculum v. g. dum peste infectum in angusto concluso loco inungis: quod tamen periculum rarum est in tantillo excessu temporis. Alioquin breuiter forma expresse repetenda est ad singulas vnctiones: vti suprà c. 1. dub. 6. dictum est.

25 Vnctio pedum, renũ, & vmbilici non est necessaria.

Dico Secundò: Vnctio pedum, & renum vel vmbilici, non est necessaria. Patet, quia multę Ecclesiæ non seruant vnctionem pedum, & renum vel vmbilici: vnde non est hoc vniuersalis Ecclesiæ vsu approbatum. Idem docent Doctores.

Dices: Concilium Florentinum enumerat etiam vnctionem pedum & renum: *In pedibus*, inquit, *vngendus est propter gressum; in renibus, propter delectationem.* Confirmatur, quia non solùm quinque sensus sunt radices peccatorum; sed etiam *vis motiua*, quæ est in pedibus, & *appetitiua*, quæ in renibus.

Respondeo: Concilium Florentinum enumerat omnes vnctiones, quæ possunt adhiberi, & à quibusdam Ecclesijs adhibentur, idque eo fine, vt omnes approbet; non tamen eas præcipit vt necessarias: nam vnctio renum laudabiliter omittitur tam in viris, quàm in feminis: similiter & vmbilici in feminis. Vnctio pedum commodiùs fieri potest, tamen non est necessaria. Ad confirmationem: etsi *appetitus*, & *vis executiua* sint etiam radices peccatorum; sensus tamen sunt primæ radices è quibus peccatorum tentationes primò oriuntur. Tentatio enim à sensibus transit ad appetitum inferiorem, ab inferiore ad superiorem, à superiore ad vim executiuam. Et idcircò sufficit sedes sensuum vngere.

26 qui caret aliquo sensu, vbi vngendus

Dico Tertiò: Qui sensu aliquo carent, vel trũci sunt manibus, vngendi sunt in partibus vicinis: vt, si quis cęc' sit à natiuitate, vel careat organo, vngendus est ad locum organi, & qui truncus est manibus, ad partem vicinam. Etsi enim talis non peccauerit per sensum illum externum, quo semper caruit; potuit tamen peccasse per sensum internum seu imaginationem, quatenus sensui externo respondet. Nam, sensus internus est instar quinque sensuum externorũ, qui omnia apud se format, quæ in sensus externos cadere possunt. Potuit etiã peccasse per voluntatem v. g. videndi, audiendi. Sic, qui non peccauit per manus ipsas, potuit peccasse per sensum tãgendi: qui non peccauit per gressum, potuit peccasse per ipsam vim gradiendi & sese mouendi, illicita conando.

DVBIVM III.

Cùm adhibentur septem vnctiones, in qua tandem detur gratia?

27 Soto putat eam dari in septima

DOminicus Soto q. 2. art. 3. putant eam primùm dari in septima. *Sicut*, inquit, *consecratio calicis fit per omnia verba illius formæ, quamuis non omnia sint de essentia formæ; nam ex constitutione Ecclesiæ concurrunt ad effectum sacramenti. Pari modo*, inquit, *si Ecclesia præciperet tribus mersionibus fieri baptismum, non daretur gratia ante tertiam mersionem.*

Sed hoc suprà refutatum est: nam posita tota essentia Sacramenti, ponitur quoque sacramenti effectus, si in suscipiente non sit impedimentum. Vnde duæ illæ vnctiones nihil operantur sacramentaliter. Ratio est, quia Ecclesia, vel Minister non potest suis additamentis efficere, vt sacramentum, quod iuxta Christi institutionem est essentialiter cõpletum, non habeat statim suum effectum; siue vt ille effectus suspendatur donec illud sit additum. Quare dubitandum non est, completis quinque vnctionibus ad organa sensuum, dari gratiam, nec expectari septimam. Adde, valdè probabile esse, ad singulas vnctiones completâ cuiusque formâ gratiam dari, vt colligitur ex suprà dictis cap. 1. dub. 2.

Duæ vltimę vnctiones nihil operantur sacramentaliter.

DVBIVM IV.

Vtrùm extrema Vnctio possit iterari?

28 Vt iteretur sit mot bi stat' diuersus.

DThomas hîc quæst. 33. docet hoc sacramentum esse iterabile, eò quòd characterem non imprimat: posseque etiam in eodem morbo, si ille diuturnus sit, repeti, modò morbus ille diuersos status habeat, ita vt bis hominem, interposità nonnullà conualescentià & temporis tractu, vicinum morti fecisse videatur. Hinc si quis ex phtisi decumbat, ex qua certum videtur eum non posse diu viuere, & is in aliquo deliquio semel inungatur, non poterit posteà rursus inungi, etiamsi post aliquot menses simile deliquium superueniat: quia morbus ita manet in eodem statu, vt ex eo mors sit expectanda. Vide cetera apud D. Thomam.

DE SACRAMENTO ORDINIS.

à Quæst. 34. vsque ad quæst. 40. inclusiuè.

CAPVT I.

De Essentialibus huius Sacramenti.

DVBIVM I.

Vtrùm in Ecclesia debeat esse Ordo?

1 Varij sunt gradus seu Ordines in ecclesia

REspondeo: In Ecclesia necessariò debere esse *Ordinem*; id est, distinctionem graduum & ministeriorum sacrorum, per quos alij alijs præsint, & diuina administrent. Ratio est: Primò, Quia Ecclesia est veluti vnum corpus heterogeneum, quale est humanum; ad Rom. 12. atqui in corpore debent esse varia membra, quæ habeãt distincta officia, inter se ordinata, & quorum aliud influxum habeat in aliud: ergo & in Ecclesia debent esse varij gradus & ordines inter se ordinati, per quos alij in alios sacrum influxũ habeant. Secundò, Ecclesia, quæ est in terris, debet imitari cælestem, in qua sunt varij gradus superiores & inferiores: ergo similiter & in ea tales esse debent. Idem confirmari potest ex Republica Politica, in qua sunt varij gradus.

Digitized by Google

dantium & accipientium deuotione curandum sit, ne tanta benedictionis Sacramentum negligenter videatur impletum. Et epist 87. c. 1. loquēs de ordinatione personarum indignarum: *Quis*, inquit *dissimulare audeat, quod in tanti Sacramenti perpetratu iniuriam.* D. Gregorius lib. 4. Comment. in libros Regum c. 5. de Sacramento Ordinis loquens, *Qui promouetur*, inquit, *benè foris vngitur, si intus virtute Sacramenti roboretur.* Deniq; idem docent omnes DD. cum Magistro d. 24.

Gregor.

6 4. ex Ratione.

Probatur Quartò: Ratione, Prima est: In *Ordinatione* datur potestas conficiendi & administrandi Sacramenta, quibus in Eccle sia catholica nihil est sanctius: atqui hæc potestas non potest conuenienti modo exerceri sine gratia iustificante: ergo *in Ordinatione* confertur gratia iustificans; ac proinde Ordinatio est verum Sacramentum. Consequentia patet; quia cùm Deus dat potestatem alicuius muneris, simul confert ea, quæ necessaria sunt ad illud munus ritè obeundum: Dei enim perfecta sunt opera. Secunda ratio est: Non minùs necessaria est gratia ad legitimè conficienda Sacramenta & administranda', quàm ad ea recipienda; conficiens enim magis in illa influit, ac proinde si sit peccator, magis ea contaminat: ergo si in Baptismo, tribuitur gratia ad alia Sacramenta conuenienter recipienda, multò magis in Ordinatione dabitur ad omnia Sacramenta conuenienter tractanda & conficienda.

DVBIVM. IV.

Vtrùm forma huius Sacramenti conuenienter exprimatur?

REspondeo Affirmatiuè. Notandum Primò: Aptè exprimi formam huius Sacramenti verbo imperandi; vt in Ordinatione Sacerdotis. *Accipe potestatem offerendi*: similique modo in alijs Ordinibus: vt patet ex Concilio Florentino, & ex Rituali Romano. Ratio est: Primò, Quia per hoc Sacramentum confertur potestas ei, qui ordinatur; potestas autem optimè confertur verbo imperandi, *Accipe potestatem*. Sic cùm constituitur Rex, præsertim à potestate superiore, rectissimè ei diceretur porrecto sceptro, *Accipe potestatem regendi populum*. Secundò, Quia hoc solum Sacramentum producit effectum sibi similem in altero: Episcopus enim per *Ordinem* quem habet, confert alteri *Ordinem*. Quare, vt hæc traductio potestatis à potestate significetur, dicitur, *Accipe potestatem* &c. Per hoc enim significatur communicari *Ordinato* eam potestatem, quæ est in *Ordinante*. Qualis autem sit hæc potestas, significatur per actum, qui in forma exprimitur.

7. Cur hæc forma exprimatur verbo *Imperandi*.

Notandum Secundò: In forma huius Sacramenti non exprimi effectum illum Sacramenti, qui est gratia iustificans, sicut exprimitur in Baptismo, Confirmatione, Pœnitentia, & extrema Vnctione. Ratio est, quia hoc Sacramentum non est institutum primariò in vtilitatem suscipientis, sed aliorum: illa autem sunt instituta ad ipsum suscipientem in se sanctificandum. Vnde in forma huius Sacramenti exprimitur solùm potestas spiritualis, quæ in aliorum vtilitatem datur; in alijs autem exprimitur gratia sanctificans seu remissio peccatorum, quę datur in vtilitatem suscipientis.

8 Cur in hac forma non explicetur effectus sacramenti.

DVBIVM. V.

Vtrùm hoc Sacramentum habeat materiam?

REspondeo Affirmatiuè: Hoc enim omni sacramento est commune, vt patet ex supra dictis. Notandum est: In sacramentis materiam & formam ad eandem rē significandā adhiberi. Vnde in hoc sacramento sicut forma significat & exprimit potestatem quæ per illud traditur, ita & materia. Instrumenta enim quibus cuiusque Ordinis potestas & officium designatur, sunt materia huius sacramenti; vt in Sacerdotio calix cum patena, vino & hostia; in Diaconatu, liber Euangeliorum, & sic in cæteris. Verùm cùm in sacerdotio, non solùm hęc instrumenta porrigantur, sed etiam manus imponantur ab Episcopo: quęritur inter Doctores, vtrùm hęc *impositio manuum* sit necessaria ad essentiam huius Ordinis tanquā pars materiæ essentialis. Vt autem hæc resmeliùs & distinctiùs intelligatur singulari dubio eam excutiemus.

9 Materia.

DVBIVM VI.

Vtrùm impositio manuum Episcopi sit necessaria ad essentiam Ordinis Sacerdotalis?

SOtus dist. 24. q. 1. art. 4. docet hanc impositionem manuum non esse necessariam; neque etiam verba illa, quę simul cum impositione proferūtur ab Episcopo, *Accipe Spiritum sanctum, quorum remiseritis &c.* sed totum sacramentum Ordinis sacerdotij perfici in porrectione calicis cum vino, patenæ cum pane, tanquam integra materia & illis verbis, *Accipe potestatem offerendi &c.* tanquam integra forma. Impositione autem manuū solùm explicari gratiam, & potestatem antè collatam: esse enim cęremoniam sacramentalem, nō sacramentum. Hanc sententiam existimat sotus esse communem Doctorum. Verum contraria est certa. Pro qua

10 Negat sotus.

Dico Primò: *Impositionem manuum* pertinere ad essentiam huius sacramenti, sic vt sine ea Ordinatio sacerdotis sit essentialiter imperfecta. Colligitur ex D. Thoma qu. 37. art. 5. vbi dicit, *Per manus impositionem dari plenitudinem gratiæ*: atqui non daretur gratia, si non esset sacramentum, sed solùm aliquid sacramentale. Et in responsione ad 2. dicit Dominum post resurrectionem Ioannis 20. quando dixit, *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis &c.* dedisse Apostolis sacerdotalē potestatem quoad actum secundarium, qui est *ligare & soluere*. D. Bonauentura dist. 24. parte 2. q. 4. expresse docet, nō solùm *instrumentorum porrectionem*, sed etiam *manus impositionem* esse materiam, tum in sacerdotio, tum in Diaconatu: & initio Ecclesiæ Diaconos esse ordinatos per solā *manuum impositionem*; eò quòd in hac alia instrumēta virtute contineātur, cùm *manus sit organum organorum*. Et infrà dicit *impositionem manuum Episcopi* non solùm esse significationem, sed etiā potestatis collationem. Idem expresse docet scotus dist. 24. art. 3. & Paludanus eadem dist. q. 2. vt omittā recentiores. Vnde patet illam alteram non esse communem, vt sotus affirmauit.

11 Impositio manuum est de essentia sacramenti. D. Thom. Bona ventr.

Probatur Primò: ex scriptura Apostolus 2. ad Timoth. 1. dicit *per manus impositionem dari gratiam*. Confirmatur; quia in scriptura Ordinatio ministrorum nunquam exprimitur, nisi per *manus impositionem*; nec aliud eius symbolum externū traditur: vt patet act. 6. v. 6. & c. 13. v. 3. 1. ad Tim. 4. & 5. & 2 ad Tim. 1. Atquinon est credile scri-

ex scripturis.

ptuam omisso ritu essentiali semper exprimere hoc Sacramentum per cęremoniam extrinsecam.

ex Conciliis. Probatur Secundò: ex Concilijs, quę passim docent *per manus impositionem* ordinari ministros. Vide Concil. Nicęnum. can. 9. vbi dicit *per manuum impositionem ordinari Presbyterũ*. Cõcil. Carthaginense IV. can. 3. dicit *Presbyterum ordinari Episcopo super caput eius manum tenente : simili modo ordinari Diaconum*. Idem confirmat Concil. Trid. sess. 14. c. 3. de extrema Vnctione, dicens, *Ministrum Extremæ Vnctionis esse Episcopum vel Presbyterum ritè ordinatum per manus impositionem*. Et sess. 23. can. 4. apertè indicat *dari Spiritum sanctum cùm Episcopus dicit in Ordinatione, Accipite spiritum sanctum*: atqui hoc dicitur, dum manus imponuntur.

ex Patribus. Probatur Tertiò: Ex Patribus, qui expressè docent Sacerdotes ordinari per χειροθεσίαν, id est, *manuum impositionem*. Vide Dionysium Areopagitam lib. de Ecclesiasti. Hierarch. c. 5. parte 2. & 3. Clementem Rom. lib. 8. constitutionum Apostol. c. 16. Ambros. suprà. & Hieron. in c. 58. Isaię.

12 Verba, *Accipe Spiritum S.* &c. sum de essentia Sacramenti Sacerdotij

Dico Secundò: Sicut *impositio manuum* pertinet ad essentiam huius Sacramenti, veluti pars materiæ, seu materia partialis; ita hæc verba, *Accipe Spiritum sanctum* &c. pertinent ad essentiam huius Sacramenti, tanquam forma partialis. Docet hoc expressè Scotus dist. 24. art. 3. Et indicat Hierõ in c. 58. Isaiæ cùm ait χειροτονία *non solùm ad imprecationem vocis, sed etiam ad impositionem manuum impletur*. Vbi per *imprecationem vocis*, intelligit illa verba, *Accipe Spiritum sanctum*. Idem colligitur ex Concil. Trid. sess. 23. can. 4. vbi per verba illa, *Accipe Spiritum sanctum*, vult dari gratiã ergo vult esse formam partialem. Probatur; quia, si *impositio manuum* est partialis materia Ordinationis sacerdotalis, ergo debet habere formam sibi respondentem: neque enim verba illa, quæ in porrectione calicis pronunciantur, impositioni manuum respondere possunt, cùm diu antè pronuntiata sint, nempe ante Canonem inceptum; impositio verò manuum fiat post Canonem. Idem confirmari potest ex Rituali Romano, vbi sicuti porrectioni calicis, respondent illa verba, *Accipe potestatem*; ita impositioni manuum ista, *Accipe Spiritum sanctum*.

13 Porrectio calicis & impositio manuum habent diuersos effectus.

Dico Tertiò, Aliam potestatem & gratiam dari in *porrectione calicis*, aliam *in manuum impositione*. Ita docet Scotus suprà, & Paludanus loco citato. Sequitur ex dictis: nam per vtrumque confertur potestas Ordinato, ac proinde etiam gratia: atqui potestas illa est distincta: alia enim potestas exprimitur dum calix porrigitur, alia quando manus imponuntur. In calicis porrectione significatur & exprimitur potestas consecrandi Corpus & sanguinem Domini; quæ dicitur *Potestas in Corpus Christi verum*: ac proinde hæc potestas confertur & simul gratia ad eius vsum necessaria. In impositione manuum significatur & exprimitur potestas remittendi peccata per Sacramentum Pœnitentiæ, quæ vocatur *Potestas in Corpus Christi mysticum*; ac proinde confertur hęc potestas & gratia illi respondens.

Ordo sacerdotalis constat duabus partibus.

Hinc patet Sacramentum Ordinis sacerdotalis constare duabus partibus, quarum quęque suam habeat materiam & formam partialem, & quæq; suum conferat effectum; quę etiam possent distinctis temporibus conferri, vt colligitur ex Gregorio IX. c. *Presbyter*. de Sacramentis non iterandis. Vnde etiam Dominus eas distinctis temporibus dedit: potestatem enim consecrandi dedit in cæna; potestatem remittendi peccata, post resurrectionem, Ioannis 20. Vnde nisi impositio manuum ad priorem accedat, ordinatio est imperfecta, & veluti dimidium constituit Sacerdotem, vt qui nondum habeat potestatem remittendi peccata, licet habeat potestatem consecrandi.

14 1. Obiect. ex Florentino.

Sed contrà Obijcitur Primò, ex soto: Concilium Florent. non meminit nisi vnius materiæ & formæ; scilicet porrectionis calicis cum vino, & patenæ cum pane, & verborum respondentium, & per hæc dicit tradit Presbyteratum.

Soluitur.

Respondeo: sicut Patres, cùm explicant ritum ordinandi Sacerdotes, non faciunt mentionem, nisi *impositionis manuum*, nec tamen idcircò negant *porrectionem calicis* esse necessariam: ita Concil. Flor. etsi non meminerit nisi *Porrectionis calicis*, tamẽ nõ negat *impositionẽ manuũ*: nõ enim Concilio propositum erat, exactè explicare omnia necessaria, cùm ea ex libro Rituali Romano petenda sint, ad quem Concilium tacitè remittit, cùm ait, *similiter in alijs* &c.

Petes: cur Concilium potiùs expressit calicis porrectionem, quàm manuum impositionem?

Respondeo: Fortasse, quia calicis traditio est prima & præcipua pars huius Sacramenti; vnde sufficiebat hanc expressisse, & reliquas tacitè indicasse. Obijcitur secundò: characteri sacerdotali annexa est potestas remittendi peccata; sed hic character imprimitur *porrectione calicis*: ergo etiã tunc datur potestas remittendi peccata.

2. Obiect. quòd vna potestas in altera contineatur.

Respondeo: Integro characteri sacerdotali annexa est illa potestas remittendi peccata: qui autem porrectione calicis imprimitur, non est integer: nam integer ex duobus cõstat characteribus, sicut integra sacerdotis potestas duabus potestatibus constat, quæ diuersis symbolis externis conferuntur. Neque hoc est absurdum, aut contra communem sententiam, vt sotus existimat. Quãdo enim datur potestas consecrandi, datur solùm character huic potestati respondens, in quo hæc potestas fũdatur: & quãdo datur potestas remittendi peccata, datur alius character, cùm sit alia potestas, quæ proinde in alio charactere fũdari debet. Neque est vlla ratio, cur non sint duo characteres, sicut sunt duæ potestates.

Integra sacerdotis potestas duabus potestatibus constat, vt & integer character duobus characteribus.

Dices: Non imprimi nouum characterem per *impositionem manuum*, sed extendi dumtaxat priorem.

An, & quo. modo dici possit extendi character vel Potestas sacerdotalis.

Respondeo: Si verè extenditur, ergo reale aliquid ei additur; ac proinde aliquid noui imprimitur, quod nos volumus. Quo modo etiam potestas sacerdotalis potest dici extendi per impositionem manuum ad remissionem peccatorum, quæ potestas anteà solùm se extendebat ad consecrationẽ; nihilominùs tamen aliqua vera & noua potestas confertur, quæ antea non inerat. Si autem non verè, sed solùm significatiuè extẽdatur character; sequetur etiam per *impositionem manuum* non dari veram potestatem aut gratiam, sed solùm significari potestatem & gratiam antè datã; quod falsum esse ostendimus.

3. Obiect. ex Cap. Presbyter.

Obijcitur Tertiò: In Capitulo *Presbyter*, de Sacramentis non iterandis, definitur, inquit Sotus, *Impositionem manuum non esse de essentia Sacramẽti, sicut nec in Subdiacono*.

soluitur.

Respondeo: Nihil tale dici, sed contrarium insinuari. Sic enim dicitur: *Presbyter & Diaconus cùm ordinantur, manus impositionem tactu corporali (ritu ab Apostolis introducto) recipiunt. Quod si omissum fuerit, non est aliquatenus iterandum, sed statuto tempore ad huiusmodi Ordines conferendos cautè supplendum, quod per errorem extitit prætermissũ*. Quòd

autem contrarium insinuetur patet : nam pari modo requirit *impositionem manus* ad ordinationem Presbyteri,& Diaconi:atqui in ordinatione Diaconi est omnino necessaria;vt patet Actorum 6.vbi per solam *manus impositionem & orationem* ordinati sunt Diaconi,sine *porrectione libri Euangeliorum*,qui tum nondum extabat : ergo *manus impositio* erat omnino necessaria materia : ergo pari modo in Sacerdotio est necessaria. Deinde, si solùm est cæremonia,cur dicitur *debere cautè suppleri tempore ad Ordines conferendos constituto*?Nam quouis tempore suppleri posset ; imò parum esset necessarium.

DVBIVM VII.

Vtrùm contactus materiæ sit necessarius ad essentiam huius Sacramenti ?

15 quidam negant.

PLerique Doctores tenent non esse necessariũ. D. Thomas hîc,Caietanus in Summa , verbo *Ordinandi*. Dominic. Soto q. 1. a. 2. Victoria q. 230. Ratio est:tum quia hoc Sacramentum consistit potiùs *in traditione* , quàm *in acceptione* , vt Concil. Flor. indicat ; tum quia censetur aliquis accipere,quando manus extendit ad comprehendendum id,quod porrigitur.

sententia aliens tutior, & in praxi seruanda.

Hæc sententia probabilis est,non tamen certa. Vnde contrarium tutius est , & in praxi seruandum;nempe,vt ea quæ porriguntur benè tangantur,præsertim in Sacerdotio , vbi *calix & patena tangenda*. Si enim altera sententia fortassis in re, vera non sit,excusaberis quidem à peccato, quòd bonâ fide non tetigeris;tamen hæc bona fides nõ poterit supplere defectum essentialem Sacramẽti. *Hostia* autem satis contingi censetur,dum tangitur *patena*;sicut *vinum*,dum *calix* tangitur. Bonum tamen est esse diligentem etiam *in Hostia tangenda*. Aduerte tamen:Non esse necessarium , vt contactus materiæ , & formæ prolatio simul fiant:satis est vt moraliter simul fieri censeantur, etiamsi alterum nonnihil præcedat alterum. Ita Sotus hîc & alij.

16 D. Thom benignè explicandus.

Notandum circa ea, quæ D. Thomas habet hîc q. 34. a. 5. in Corpore,& ad 3. quædam non videri solida , nisi benignè explicentur. Nam Primò certum est,spiritalem potestatem,quæ confertur in hoc Sacramento,non solùm causari à Ministro, sed etiam ab ipso Sacramento,ac proinde à materia & forma huius Sacramenti. Quare hæc materia & forma non tantũ adhibentur ad determinandam potestatem,quæ à Ministro traditur,sed etiam ad causandam,quin imò Minister nõ causat immediatè ipsam potestatem, vel characterẽ , vel gratiam,sed solùm mediante Sacramento. Secundò certum est,effectum, qui in alijs Sacramentis confertur,non solùm esse à Deo,sed etiam à Ministro, quamuis mediante Sacramento. Vnde ex hac parte non videtur statuendum discrimen inter Sacramentum Ordinis , & alia Sacramenta.

Verùm hoc solùm differunt , quòd effectus huius Sacramenti deriuetur à Ministro,tanquam à causa vniuoca,sicut potestas à potestate ; in alijs Sacramentis,effectus non ita à Ministro descendat , sed solùm tanquam abeo, qui applicat materiam habentem diuinitus virtutem Sacramentalem. Et hoc videtur velle D. Thomas.

CAPVT II.

De Effectu huius Sacramenti.

DVBIVM I.

Vtrùm in Sacramento Ordinis conferatur gratia & Character. Et an Character Ordinis supponat characterem Baptismi ?

17

REspondeo & Dico Primò : In Sacramento Ordinis confertur gratia & character. De gratia,patet ex dictis suprà du. 3. De Charactere,etiam patet : quia per singulos Ordines datur aliqua peculiaris potestas in ordine ad Eucharistiam. De hoc plura infrà.

Dico Secundò:Character Ordinis supponit characterem Baptismi. Quod adeò verum est , vt si quis careat charactere Baptismi,sit omnino incapax Ordinis:estque id commune Ordini cum cæteris Sacramentis. Baptismus enim tribuit proximam capacitatem ad cætera Sacramenta:vnde dicitur *Ianua Sacramentorum*.

18 Si non baptizatus ordinetur,& faciamenta administret,Deus nõ supplet defectum.

Notandum est:Id quod D. Thomas ait q. 35. a. 3. in respons. ad 2. *Si contingat non baptizatum ordinari , & Sacramenta administrare , piè credi posse ; Christum,qui est summus Sacerdos ,suppleturum defectum,dando vltimos effectus Sacramentorum,nempe gratiam* ; parum habere soliditatis. Nam ex Scripturis,& Patrum traditione non habemus alium modum ordinarium iustificationis impij , quàm per sacramentum,vel veram contritionem cum voto Sacramenti. Sicut enim non pertinet ad diuinam prouidẽtiam supplere defectum causarum naturalium,quando illæ causæ desunt , sed procurare vt ordinariè non desint;ita non pertinet ad eam supplere effectum Sacramentorum , quando ipsa Sacramenta reuerà non existunt,sed procurare vt omnia necessaria ad ipsa ordinarie adsint Quòd si aliquãdo permittat aliquid abesse quod necessarium est ad substantiam Sacramenti, non est existimandum statim eius effectum supplere;sed eodem iudicio,quo permittit vt aliquid ad substantiam sacramenti requisitum desit,permittit etiam eius effectum abesse.

DVBIVM II.

Vtrùm Character Ordinis supponat Characterem Confirmationis ?

REspondeo : Non necessariò supponere. Vnde,si non confirmatus ordinetur,verè accipiet characterem & potestatem Ordinis:cuius exemplum habemus in Apostolis,qui ordinati sunt in cœna,sed confirmati in Pentecoste. Consentaneum tamen est,vt ante ordinationem sit confirmatus:non enim decet, vt in Ecclesia assumatur quis in ducem,qui in ea nondum adscriptus est in vllum militem.

19 Non est mortiferũ ordinari ante confirmationem.

Aduerte tamen: non videri peccatum mortiferum,si ante confirmationem ordineris ; quamuis id à veniali negligentia excusari vix possit , vt communiter Doctores , Sotus, Victoria , & alij. Nec obstat Concilium Trident. sess. 24. cap. 4. *De reformatione*;quia præceptum eius non dirigitur ad ordinandos, sed solùm ad Episcopos , quibus prohibet ne ordinent nondum confirmatos.

Digitized by Google

DVBIVM III.

Vtrùm Character vnius Ordinis ſuppenat Characterem alterius?

20

REſpondeò: Non ſupponere. Vnde ſi quis ordinetur Sacerdos, qui ante non erat Diaconus vel Subdiaconus, ordinatio tamen eſt valida. Ratio eſt; quia Ordines non habent neceſſariam inter ſe dependentiam, præter Epiſcopatum, qui neceſſariò ſupponit Sacerdotium; vt infrà. c. 4. Dub. 1. nu. 33. dicemus. Notandum eſt; quod ait D. Thomas, q. 35. art. 5. *Ordinem ſuperiorem virtute in ſe continere Ordinem inferiorem.* Vnde, qui per ſaltum ordinatus eſt Sacerdos, habet poteſtatem, quæ datur per Ordinem Diaconatus, & ſubdiaconatus, & per alios inferiores. Imò initio naſcentis Eccleſiæ, Minores ordines, Diaconatus, & Subdiaconatus, non dabantur paſſim omnibus Sacerdotibus, ſed ſolum ſacerdotium; vt notat D. Thomas.

Premotus per ſaltum habet poteſtatem inferiorũ Ordinem.

eam tamen exercere non poteſt

Aduerte tamen circa hęc Primò: eos, qui ita per ſaltum ordinati ſunt, iure Eccleſiaſtico eſſe ſuſpẽſos ab executione illius Ordinis, & etiam quodammodò Irregulares, ſic vt nec Ordinem omiſſum, nec vlteriorem, ſine diſpenſatione poſſint ſuſcipere.

Poteſt in eo diſpenſare epiſcopus.

Aduerte Secundò: Epiſcopum poſſe diſpenſare, tum vt Ordinem omiſſum ſuſcipiant, tũ vt etiam ante per ſaltum accepto vtantur, tum vt ad vlteriorem aſcendant; ſi tamen ante diſpenſationem non miniſtrauerint, vt inquit Concilium Trident. ſeſſ. 23. cap. 14. *De reformatione.* Vide Nauar. cap. 25. nu. 71. & cap. 27. num. 242.

CAPVT III.

De diſtinctione Ordinum?

DVBIVM. I.

Quot ſint Ordines.

21 Septem ſũt Ordines.

REſpondeo: Ordines Eccleſiaſtici ſũt ſeptem numero. Nempe: *ſacerdotum, Diaconorum, ſubdiaconorum, Acolythorum, Exorciſtarum, Lectorum, Oſtiariorum.* Eſt contra hæreticos huius ętatis, qui ſolùm agnoſcunt tres Ordines, ſcilicet: *Epiſcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum*, eò quòd horum trium dumtaxat fiat mẽtio in Scripturis, reliquos volunt non eſſe *Ordines*, ſed *miniſteria Eccleſię*, ad quæ ſine vlla myſtica Ordinatione pro arbitrio Epiſcoporum, idonei homines aſſumebantur. Sed Probatur: Quia Patres iam inde ab initio Eccleſię horum Ordinum meminere.

Probatur ex SS. Patribus.

Ignatius.

D. Ignatius Epiſtola ad Antiochenos: *ſaluto*, inquit, *ſacrũ Presbyterorũ cœtũ: ſaluto ſactos Diaconos, ſaluto ſubdiaconos, Lectores, Cantores, Oſtiarios, Laborantes, Exorciſtas, Confeſſores.* Hic enumerat omnes *Ordines*, prętet Acolythum. Et addit duo officia, quæ non ſunt *Ordines*, nempe *Cantores, & Laborantes*, id eſt, *ſepelientes mortuos.* Et præter hos addit *Confeſſores*, id eſt, qui Chriſti nomen coram Magiſtratibus confeſſi erant. Cornelius Papa epiſtola ad Fabianum, quam tefert Euſebius lib. 6. cap. 3. dicit, *In Eccleſia Romana ſuo tempore*, id eſt, circa annum Domini 254. *fuiſſe Presbyteros quadraginta ſex, Diaconos 7. ſubdiaconos 7. Acolythos 42. Exorciſtas & Lectores, cum Oſtiariis ſimul 52.* Hic enumerat ſeptem *Ordines.* Ijdem numerantur in Concilio Romano priore ſub Silueſtro I. 5. *ſi quis*, vbi etiam tempora præſcribuntur, quamdiu in ſingulis Ordinibus verſari oporteat. Et in poſteriore ſub eodem Silueſtro cap. 3. ijdem numerantur. Concilium Carthaginenſe IV. cui interfuit D. Auguſtinus, à capite 2. vſque ad 9. non ſolùm enumerat prædictos *Ordines*, ſed etiam ſingulorum ritum exponit. Idem ſentiunt reliqui Patres & Doctores Scholaſtici.

Cornelius.

Concil. Romanum I.

Concil. Carthagin. IV.

Ratio huius numeri euidens adferri non poteſt. Congruentia tamen, quam habent Doctores, eſt valdè bona. Numerus enim *Ordinum* accipiendus eſt ex diuerſis functionibus ad Euchariſtiam deſtinatis, quę eſt omnium Sacramentorum vertex. Hæ autem functiones ſunt ſeptem, è quibus quatuor directe pertinent ad ipſum Sacramentum, tres ad diſpoſitionem ſuſcipientium. Prima ad Sacramentum pertinens, eſt *Euchariſtiæ conſecratio*: ob hanc functionem eſt *Ordo Presbyterij.* Secunda, eſt *eius adminiſtratio* ob hanc eſt *Ordo Diaconatus.* Tertia, eſt *præparatio materię in vaſis ſacris* ab hanc fũctionem eſt *Subdiaconatus.* Quarta, eſt *præſentatio materię ad altare*: ad hanc eſt Ordo Acolythi.

22 Ratio huius Sepremarij.

Ordinum ſingulorũ functione

Tres reliquiæ functiones pertinent ad diſponendos ſuſcipientes, qui ſunt immundi. Triplex eſt enim genus immundorum. Quidam enim ſunt *Infideles*, qui nolunt credere: hi omnino arcendi ſunt, vt ne ſymbola quidem Euchariſtiæ videant. Ad quos arcendos, & ſimul ad fideles dumtaxat recipiendos, eſt *Oſtiarius.* Quidam autem volunt quidem credere, ſed nondum ſunt ſatis inſtructi; quales ſunt *Catechumeni.* Ad hos inſtruendos eſt *Lector.* Quidam credunt, & ſunt inſtructi, ſed habent impedimentum ex poteſtate dæmonis; pro his eſt, *Exorciſta.*

Tonſura non eſt Ordo.

Tonſura non eſt Ordo, ſed diſpoſitio & proxima quædam capacitas ad munera Eccleſiaſtica: quia nullam habet functionem, & nullam tribuit poteſtatem. Canoniſtæ tamen numerant *Ordinem.* Eſt quæſtio de nomine. Sine tonſura nemo eſt capax beneficij.

23 1. Obiect. è Patribus

Contrà Obijcitur Primò: Multi Patres enumerant pauciores *Ordines*, quàm ſeptem: adduntque etiam alios, quàm prædictos. Canones Apoſtolorum quadrageſimus ſecundus, & quadrageſimus tertius enumerant ſolùm quinque, *Epiſcopum, Presbyterum, Diaconum, Subdiaconum, Lectorem*: & addunt *Cantorem*, qui etiam numeratur inter *Ordines* ab Ignatio, & Concilio Carthaginenſi IV. Dionyſius Areopagita c. 5. Eccleſiaſticæ Hierarchiæ ſolùm tres enumerat, *Pontificum, Sacerdotum & Diaconorum.* Ignatius ſuprà enumerat ſex ſupradictos, ſed omittit *Acolythos*; & addit *Cantores, Laborantes, & Confeſſores.* Hieronymus in cap. 19. Iſaię numerat è dictis ſolùm tres *Epiſcopos, Presbyteros, Diaconos*: & addit *fideles & Catechumenos.*

ſoluitur.

Reſpondeo Iſti Patres non ſemper intendunt enumerare omnes *Ordines*: ſed interdum aliquos ſolùm, prout res præſens poſtulabat: interdum mõ ſolos *Ordines propriè dictos*, ſed etiam alia *miniſteria*, diuinis obſequijs dedicata recenſent; quæ cõmuni ratione *Ordines* dici poſſunt: ſunt enim *officiorum vel ſtatuum gradus*; vt *Cantorum, Laborantium*, ſcilicet in mortuis ſepeliendis, *Monachorum, Confeſſorum.* Interdum intendunt enumerare nõ *Ordines Eccleſiaſticos*, ſed vel *Hierarchicos* tantùm, vt Dionyſius: vel *gradus Eccleſiæ*, vt Hieronymus, qui nomine *Diaconorum* intelligit omnes *Miniſtros Eccleſię infra Sacerdotes.*

Obijcitur Secundò: Epiſcopatus videtur eſſe diſtinctus Ordo à Sacerdotio: ergo ſunt octo

Ordines.

24 1. obiectio quod sint octo Ordines.

Respondeo: Quidam Doctores, inter quos D. Thomas, volunt *Episcopatum* non esse *Ordinem*, quia non est Sacramentum ordinatum ad ministerium Eucharistiæ. Sed infrà c. 4. dub. 1. ostendemus etiam *Episcoporũ ordinationem* verè & proprie esse Sacramentum. Imò *Episcopatus* etiam ordinatur ad Eucharistiam: nam per *Ordinationem Episcopalem*, datur potestas consecrandi Sacerdotem, qui conficit Corpus Domini; ac proinde *Episcopus*, saltem mediatè, concurrit ad consecrationem Eucharistiæ; nempe per Sacerdotem. Vnde Nauarrus cap. 22. Enchiridij num. 18. concedit esse *octo ordines*: & rectè, si de re ipsa loquamur. Nam reuerà *Ordinatio Episcopi* specie distinguitur ab *Ordinatione Presbyteri*.

quo sensu admitti possint octo Ordines.

Verùm, quia communis enumeratio solùm septem Ordines ponit, videndum est qua ratione hoc fiat. Vnde Notandum est: quòd olim etiam nudi *Presbyteri* vocabantur *Episcopi*; vt docet Chrysostomus homil. 1. in Epistolam ad Philippenses, explicans illud v. 1. *Cum Episcopis & Diaconibus* &c. *Quid*, inquit, *hoc est? Eranine multi vnius ciuitatis Episcopi? Nequaquam: sed Presbyteros ita vocauit.* Tunc enim temporis adhuc vocabulum erat commune, & vicissim veri Episcopi vocabantur Presbyteri, vt ibidem Chrysost. docet: & colligitur ex cap. 4. epist. 1. ad Timoth. *Cum impositione manuum*, inquit, *Presbyterij*, id est, *cœtus Episcoporum*, vt exponũt Patres, Chrysostom⁹, Theodoretus, Theophilactus, & alij: & ad Titũ 1. v. 5. *Vt constituas per ciuitates Presbyteros*, id est, *Episcopos*, vt inquit Chrysostomus. Pari modo nomen *Sacerdotis* commune erat *Episcopo & Presbytero*. Hinc liber Ambrosij & Chrysostomi *De sacerdotio* inscribitur, id est, *De dignitate Episcopali*. Et hoc modo si nomine *sacerdotij* vel *Presbyteratus*, comprehendamus *Episcopatum*, sunt solùm *septem ordines*: videlicet, vnus *sacerdotis* qui duplex est, nempe *Sacerdotum minorum & maiorum*, alius *Diaconorum*, alius *subdiaconorum*, & sic consequenter.

Nomen *Presbyteri & Episcopi* aliquando pro eodem sumuntur.

Sacerdotũ *maiorũ & minorũ* vn⁹ est Ordo.

25 3. obiectio de Chorepiscopis.

Obiicitur Tertiò: Apud veteres erant quidam, qui dicebantur *Chorepiscopi*: atqui horum *Ordo* videtur distinctus ab *ordine Presbyterorum*, & *verorum Episcoporum*: ergo sunt plures *Ordines*, quàm septem.

Respondeo: *Chorepiscopi* erant nudi Presbyteri, sic vocati, quod loco Episcopi haberent inspectionem, & curam certorum quorundam locorum, veluti quidam vicarij Episcoporum. Vide Franciscum Turianum in annotatione circa 54. Canonem Concilij Niceni ex Arabico. Hos *Chorepiscopos* Damasus sustulit; vt patet ex 4. eius epist.

erãt hi nudi sacerdotes.

DVBIVM. II.

Vtrùm Ordines *debeant distingui, per* Sacros, *& non* Sacros?

26 quot ordines *sacri*, & vnde sic dicti.

Respondeo: Si *Ordines* secundùm se considerentur, omnes esse *Sacros*: sunt enim Sacramenta; vt infrà cap. 4. dicemus. Si autem considerentur ratione materiæ, sic propria & peculiari ratione, tres dicuntur *sacri*, quia circa materiam consecratam versantur. Sacerdotium quidem & Diaconatus *sacri* dicuntur, quia versantur circa Corpus & Sanguinem Domini vel consecrandum vel administrandum. *Subdiaconatus* verò *sacer* dicitur, quia versatur circa præparationem materiæ in vasis consecratis. Reliqui autem dicuntur *non sacri*, eò quòd materiam consecratam non contrectent.

Alia etiam ratio assignari solet, ob quam tres illi Ordines *sacri* vocentur; quia videlicet habent annexum votum continentiæ; *sacerdotium* quidẽ *& Diaconatus*, iam inde à tẽporibus Apostolorũ, vt docet Concil. Carthaginense II. cùm ait; *Omnibus placuit, vt Episcopi, Presbyteri, & Diaconi, vel qui sacramenta contrectãt, ab vxoribus abstineãt: vt quod Apostoli docuerunt, & ipsa seruauit antiquitas, nos quoque custodiamus.* Subdiaconatus autẽ saltem à temporibus Siluestri, qui expressè in Concilio Romano prohibet *Subdiaconis vxorem ducere*. Reliqui verò Ordines numquam talem obligationem habuerunt. Hæc tamen ratio ex priore oritur. Ideò enim illi Ordines continentiam habere debebant, isti verò minimè; quòd illi circa materiam consecratam versarentur, quæ non nisi à puris contrectari debet; isti verò circa non consecratam.

DVBIVM. III.

Vtrùm actus Ordinis conuenienter assignentur, Sine; quæ sint singulorum Ordinum Officia?

27 Officia *Episcopi*.

Dico Primò: *Episcopo* ex Officio Ordinis conuenit primariò administratio omnium Sacramentorum: Secundariò, consecrare chrisma, oleum infirmorum, & catechumenorum; item calices, altaria, templa, & alia huiusmodi.

Officia *Sacerdotis*.

Dico Secundò, *Presbytero*, ex officio tantùm conuenit consecrare Eucharistiam, absoluere, baptizare, & vngere infirmos: non autem ordinare, vel signare chrismate, vel consecrare ea quę muneris sunt Episcopalis. Aduerte tamen ex commissione Pontificis Presbyterum posse omnia, quæ potest Episcopus, excepta ordinatione ministrorum, præsertim Episcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum, vt multi probabiliter tenent; & insinuat Hieronymus epistola ad Euagrium: *Quid facit Episcopus*, inquit, *excepta ordinatione, quod Presbyter non faciat*, id est, non possit facere si ei committatur?

28 Officia *Diaconi*.

Dico Tertiò: Officium *Diaconi* est: Primò, Episcopo & Presbytero in sacrificio, & in omnibus Sacramentis ministrare; vnde & nomen inuenit. Secundò, ex commissione populo Eucharistiam distribuere; vt patet ex Cypriano serm. *De lapsis*: & ex simili commissione baptizare; patet ex vsu Ecclesię. Tertiò in sacrificio *Euangelium canere*. Quartò, ex commissione prędicare, publicè pœnitentes reconciliare; & quędam similia, quę potestatem Ordinis non requirunt, obire: vt patet ex Epistolis Cypriani, & ex Gregorio lib. 4. epist. 88. Quintò, oblationes fidelium colligere, & eleëmosynas Ecclesiæ præsertim vbi communiter viuebant, administrare. Vbi

Malè statuunt hæretici Diaconi officiũ in solo ministerio mẽsarum.

Notandum est Primò: Hæreticos solùm hanc postremam functionem admittere, ex c. 6. Actor. vbi ad ministerium mensarum ordinantur septẽ Diaconi. Sed hoc facilè refutatur: nam Philippus Diaconus erat, qui tamen baptismo & prędicationi, non autem eleëmosynis distribuẽdis operã dabat; vt patet Act. 8. Ephesi quoq; Philippus, & in Creta Diaconi erant, vt patet 1. ad Timot. 3. ad Philipp. 1. & ad Titum 1. vbi tãmen Christiani non viuebant cõmuniter, nec opus erat hoc ministerio mensarum. Vide Caietanum Opusculo 11. tom. 1. & Pameliũ *annotatione in epist. 65. Cypriani*.

Synodus Trullana

Dices: Synodus Trullana can. 16. dicit septem illos Diaconos, Actor. 6. non fuisse ordinatos, nisi ad ministerium mensarum; & probat

ex Chryſoſtomo ſcribente in illum locum.

Reſpondeo: Fortaſſe non fuiſſe illos ordinatos ad munus ſacrum pro illo tempore obeundum, ſed poſteà cùm opus eſſet. Adde, idem Concilium docere *præcipuum munus Diaconorum eſſe ſacrum.*

Nec primarium diaconi officium eſt *cane. Euangelium.*

Notandum Secundò: Primariam Diaconi functionem non eſſe, *canere Euangelium*: nam ante Euangelium conſcriptum, Diaconi fuerunt. Sed *miniſtrare Epiſcopis & Presbyteris in ſacrificio, & in omnibus ſacramentis*, vt dictum eſt. Vnde non ſolùm ordinantur per *librũ euangeliorum*; ſed etiam, & quidem potiſſimùm, per *manus impoſitionem*; vt patet ex cap. 6. Actor. & ex Concilio Carthaginenſi IV. cap. 4. Imò Durandus diſt. 24. qu. 3. dicit in Eccleſia Anicienſi, vbi ipſe fuit Epiſcopus, non ſolitum dari *librum Euangeliorum* in ordinatione Diaconi, ſed ſolùm *manuum impoſitionem.*

Durand⁹.

Florẽtinũ explicatur

Nec obſtat Concil. Florentinum, quod ſolùm meminit *porrectionis libri Euangeliorum*; quia non erat ipſius inſtitutum totam materiam exprimere; ſolùm expreſſit eam, quæ erat huic Sacramento propria: *Impoſitio* enim *manus* eſt communis Epiſcopo, Presbytero, & Diacono.

29 Officium *ſubdiaconi.*

Dico Quartò, Officium *ſubdiaconi* eſt miniſtrare Diacono in ſacrificio: nam illi panem & vinum porrigit in vaſis ſacris per Diaconum diſponenda. Vnde in ſua ordinatione accipit *calicem vacuum & patenam*, vt expreſsè habet Concilium Carthaginenſe IV. cap. 5.

30 Officia *Acolythi.*

Dico Quintò: Primarium Officium *Acolythi* eſt, vrceolos cum vino & aqua ad ſacrificium præparare, vt eos Subdiacono porrigat. Secundarium verò officium eſt, cum accenſo cereo ſequi Diaconum ad locum Euangelij. Hinc dictus eſt *Acolythus*, quaſi *pediſſequus*; nã etſi præcedat loco, ſequitur tamen officio, ſicut *pediſſequus* præcedens dominum vel dominam ſuam. Quidam dici volunt *Acolythum*, quaſi *minimè prohibuũ, & liberũ.*

Nomẽ hoc vnde.

Dicitur enim *Ceroferarius.*

Dicitur etiam *Ceroferarius*; quod nomen habetur in Concilio Carthaginenſi IV. cap. 6. vbi deſcribitur forma ordinationis Acolythi. Vnde Caluinus non habet, quod hoc nomen tanquam magicum calumnietur, cùm D. Auguſtino, & alijs ſapientiſſimis viris non diſplicuerit. Concilium tamen hoc nomen videtur accipere pro *candelabro*, non pro ipſo *Acolytho*: *accipiat*, inquit *ceroferariũ cum cereo.* Sed ſi candelabrum poteſt dici *Ceroferarium*, quia cereum ſuſtentat, cur Acolythus non poſſit dici *Ceroferarius*, qui cereum defert? Sic vocatur ab Iſidoro, Amalario, Rabano, & alijs. Accipit autem Acolythus in ſua ordinatione *vrceolos vacuos, & ceroferarium cum cereo*, vt patet ex Concilio citato.

31 Officium *Exorciſtæ.*

Dico Sextò: Officium *Exorciſtæ* eſt legere exorciſmos ſuper energumenos ad diabolum expellendum. Vnde in ſua ordinatione accipit *librum exorciſmorum.* Docet Concil. Carthaginenſi IV. cap. 7. Ex quo Concilio clarè patet eſſe *Ordinem Eccleſiaſticum*: ait enim, *Exorciſtã fieri ordinatione per Epiſcopum.* Nec obſtat, quòd Clemens lib. 8. Conſtitut. Apoſtolicarum cap. 26. dicat, *Exorciſta non fit ordinatione, ſed Dei gratia per Chriſtum, & ſpiritus ſancti aduentum*: quia loquitur de dono quodam gratis dato ad dæmones pellendos.

Officium *Lectoris.*

Dico Septimò, *Lectoris* Officium eſt legere in Eccleſia ex pulpito, quidquid legendum eſt ex vtroque teſtamento: nam etiam Euangelia legere cõſueuit; vt patet ex Cypriano epiſt. 33. Non tamen ſub ſacrificio, ſed in alijs conuentibus. *Lectoratum* autem eſſe *ordinẽ*, patet ex Cypriano epiſt. 24. & 33. & ex Concilio Carthaginenſi cap. 8. In ſua ordinatione accipit ab Epiſcopo *codicem ex quo lecturus eſt*; vt inquit Concilium loco citato.

Officium *oſtiarij.*

Dico Octauo: Officium *oſtiariorum* eſt claudere & aperire fores Eccleſiæ, admittere fideles, repellere infideles & excommunicatos. Accipit ab Epiſcopo in ſua ordinatione *claues eccleſiæ*, ſub certa verborum forma; vt docet Concil. Carthaginenſe can. 9. Vnde patet eſſe Ordinem Eccleſiaſticum.

CAPVT IV.

An ſinguli Ordines ſint Sacramenta gratiam conferentia?

DVBIVM I.

Verùm Ordinatio Epiſcopi ſit ſacramentum conferens gratiam?

32 Affirmatur

REſpondeo: Quidquid aliqui olim ſenſerint, certũ eſt *Ordinationem Epiſcopi* eſſe propriè Sacramentum conferens gratiam. Ita tenet Altiſiodorenſis 4. parte Summæ, cap. *de Ordine*, Durandus, Scotus, Maior, Paludanus, in 4. diſt. 24. Caietanus Opuſc. 11. tom. 1. Pet. Soto lectione 4. *de Ordine*, qui rectè dicit id eſſe fide tenendum. Idem tenent Canoniſtæ in Cap. *Cleros*, diſt. 21. & Cap. *Perlectis.* diſt. 25. Gloſſa in Proœmio 6. decretalium in verbo *Epiſcopus.* Nauarr⁹ cap. 22. Enchiridij nu. 18. & paſſim recentiores.

ex Script.

Probatur Primò: Quia Scripturæ, quibus oſtendimus *ordinationem* eſſe Sacramentum, non loquuntur de Ordinatione nudi Sacerdotis, ſed *Epiſcopi*; vt patet 1. ad Timoth. 4. & 2. ad Timot. 1. Agitur enim ibi de *impoſitione manuum*, qua Timotheus à Paulo erat ordinatus Epiſcopus; vt paſſim docent Patres. Pleraque etiam teſtimonia Patrum⁹ agunt de *Epiſcoporum ordinatione*; vt Chryſoſtomi & Ambroſij ſuprà, & Leonis epiſt. 81. c. 1. ergo, niſi hæc ordinatio ſit Sacramentum, neque ex Scripturis, neque ex Patribus, niſi perpaucis, poterimus probare *ordinationem* eſſe Sacramentum.

Ordinatio epiſcopalis imprimit characterem.

Probatur Secundò: *Ordinatio Epiſcoporum* eſt ritus exterior imprimens characterem & cõferens gratiam. Quòd imprimat characterem, Probatur: tum quia non poteſt repeti; cuius non poteſt reddi alia ratio, quàm quod relinquat effectum indelebilem, quem vocamus characterem: tum quia hæc ordinatio confert nouam poteſtatem, quæ nullo modo poteſt conuenire *Ordini Presbyterali*, ſcilicet poteſtatem Ordinandi. Nulla ergo eſt ratio, cur non det etiam nouum characterem, cùm character ſit poteſtas ſpiritalis actiua vel paſſiua.

Ille character diuerſus eſt à ſacerdotali.

Dices: Non conferre nouum characterem; ſed ſolùm, extendere Presbyteralem. Reſpondeo: Vel *extẽdit, addendo aliquid reale*, & hoc ſatis eſt: Nam nõ requiritur ad hoc minor efficacia, quàm ad imprimendum nouum; ac proinde illa cæremonia, habens illam efficaciam, erit Sacramentũ. Vel *extẽdit ſolùm ſignificatione*, nihil addendo; & hoc non ſufficit: cùm enim detur nouus character, non eſt ratio cur etiam non detur nouus character, in quo hæc poteſtas fundetur. Confirmatur; quia character Ordinis eſt poteſtas actiua, non phyſico modo, ſed morali, veluti ſignum quoddam diuini pacti, de cooperando homini ad functiones ſacramentales, quod ſignum debet eſſe quid reale: ergo imprimit realem characterem. Idem cõfirmari poteſt, quia ipſi admittunt, Diacono & Subdiacono imprimi diuerſos characte-

ſes, eò quòd in illis cernãtur diuerſæ poteſtates: atqui maior eſt diuerſitas inter poteſtatem propriam Presbyteri & Episcopi, quàm inter poteſtatem Diaconi & Subdiaconi; ergo etiam diuerſi ſunt characteres Episcopi & Presbyteri.

Hæc ordinatio etiã dat gratiã.

Quòd verò *Episcopalis ordinatio* gratiam conferat, patet ex Scriptura, & Patribus ſuprà citatis; & ex eo quòd *Episcopus* duo eximia Sacramenta conferre debeat; ſcilicet Sacramentũ Ordinis, & Confirmationis. Denique ex eo, quòd munus Episcopi ſit difficillimum: debet enim gubernare Eccleſiam, præeſſe omnibus Presbyteris, eoſque in omnibus rebus diuinis dirigere. Vnde ſi ad munus Diaconi & Subdiaconi requiritur noua gratia, eorumque Ordinatio eſt Sacramentum, vt volunt illi Doctores; multò magis ad munus Episcopi gratia requiretur, eiuſque Ordinatio Sacramentum erit.

33 Nõ poteſt ordinari episcopus, qui non eſt Presbyter.

Dices: Si *episcopi Ordinatio* eſt Sacramentum diſtinctum à Presbyteratu, ergo poterit aliquis ordinari *episcopus*, qui non ſit Presbyter: ſicut poteſt quis ordinari Presbyter, qui non ſit Diaconus; & Diaconus, qui non ſit Subdiaconus.

Reſpondeo: Couarruuias lib. 1. variarum reſolutionum cap. 10. §. 16. cum quibuſdam Canoniſtis, concedit totum. Verùm omnino neganda eſt conſequentia; ſequeretur enim, eum, qui non ſit Presbyter, poſſe alium ordinare Presbyterum; quod contra rationem traductionis Ordinum, qui deriuantur ab Ordine; ſicut ſimile à ſimili, ſeu ſicut poteſtas à poteſtate.

Dices: *Presbyteratum* in *episcopatu* contineri eminenter, Sicut *Diaconatus in ſacerdotio*; ac proinde non eſſe abſurdum id, quod infertur.

Non ſic Presbyteratus in episcopatu cõtinetur, ſicut Diaconatus in Presbyteratu.

Reſpondeo: Hoc dici non poſſe: nam ſi ſic *Presbyteratus* in *episcopatu* contineretur, poſſet quis conſecrare Euchariſtiam & offerre ſacrificium, qui non eſſet Ordinatus Presbyteri ordinatione; quod omnino eſt inauditum, & falſum. Nam ſenſus Eccleſiæ eſt, illam diuiniſſimam poteſtatem non dari, niſi per propriam ſingularem ordinationem, quia eius miniſterium ſignificetur. Neque ſimile eſt, quod adfertur in aliis Ordinibus: Nam Ordo Diaconatus & Subdiaconatus meritò eminenter continentur in Ordine Presbyteri: quia munus Presbyteri eſt longè excellẽtius, imò eſt finis ad quem munera inferiora ordinantur. In poteſtate autem quæ immediatè attingit finẽ, ſunt continentur poteſtates, quę circa media verſantur, & quaſi eminùs ad finem deſtinatur. Munus autem *episcopi* proprium, non eſt excellentius munere Presbyteri, ſed potiùs contrà: nihil enim ſublimius cõſecratione Euchariſtiæ. Vnde etiam munus Presbyteri non ordinatur ad functionem propriam *episcopi*, nec in eo continetur. Vide Scotum diſt. 24. art. 2.

DVBIVM II.

Vtrùm Episcopus *iure diuino ſit maior, ſeu ſuperior.* Presbytero?

34 Noſtri hæretici negant.

HÆretici noſtri negant, ſecuti in hoc Aërium, qui teſte Epiphanio hæreſi 75. docebat *episcopos nõ eſſe Presbyteris maiores poteſtate Ordinis: neque rectè fieri in Eccleſia, quòd eis concedatur maior auctoritas ſeu iuriſdictio.*

Sed fide tenendum eſt, *episcopum eſſe iure diuino, Presbytero maiorẽ, ſaltem quoad Ordinis poteſtatẽ.* Definitur in Conc. Trid. ſeſſ. 23. c. 7. *Si quis dixerit Episcopos non eſſe Presbyteris ſuperiores; vel nò habere poteſtatẽ Cõfirmãdi & Ordinandi; vel eam, quam habent, ijs eſſe cum Presbyteris communem, anathema ſit.*

episcopi ſunt Presbyteris maiores poteſtate Ordinis.

Ratio eſt manifeſta: Quia Episcopi poſſunt ordinare Presbyteros, quod nudus Presbyter non poteſt; vt etiã expreſſe docet Hieronymus epiſt. 85: ergo poteſtate ſunt ſuperiores. Patet conſequentia; qui benedicit, maior eſt, quàm qui benedicitur. Hoc tamen non ſic accipiendum eſt, quaſi *Ordinatio Episcopi*, vel *poteſtas*, quæ per illam ordinationẽ confertur, ſit excellentior, aut maior ordinatione vel poteſtate *Preſbyteri* (etſi externa cæremonia ſit auguſtior (hoc enim falſum eſt: nulla enim poteſt eſſe poteſtas, quæ maior ſit, quam poteſtas conſecrandi Corpus & Sanguinẽ Domini, & abſoluendi à peccatis, quæ eſt poteſtas Presbyteri: Sed quia *ordinatio & poteſtas Episcopi* includit ordinationem & poteſtatem Preſbyteri, ſicut totum includit partem. *Episcopatus* enim eſſentialiter cõſtat duabus poteſtatibus veluti partibus, poteſtate Preſbyteratus, & poteſtate illa propria Episcoporum, quæ in vltima ordinatione confertur. Vnde Presbyter eſt veluti *Dimidiatus Episcopus*, & accedente vltima ordinatione ſit *perfectus Episcopus.*

quomodo id intelligendum.

Presbyter eſt dimidiat' Epiſcopus.

35 Dico Secundò: Meritò quoque *Episcopus* in Eccleſia eſt maior *Presbytero*, etiã iuriſdictione Eſt etiã fide tenendũ; vt patet ex definitione Cõcilij allati; cùm ait: *Si quis dixerit Episcopos, non eſſe Preſbyteris ſuperiores, anathema ſit.* Neque id Hieronymus vnquam negauit.

35 ſunt etiam illis iuriſdictione maiores.

Probatur Primò: ex Scriptura. Actorum 20. v. 28. *Attendite vobis, & vniuerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Episcopos regere Eccleſiã Dei.* Dicitur autẽ *Spiritus ſanctus poſuiſſe Episcopos*, vel quia reuelatione Spiritus ſancti conſtituti ſũt; vti Timotheus: Vel quia Episcoporum ordinatio inſtituta eſt à Deo; quomodo Reges dicuntur à Deo habere poteſtatem, ad Rom. 13. quod multò magis locum habet in *Epiſcopis*, quorum poteſtas eſt ſupernaturalis; ac proinde ſpeciali modo inſtituta eſt à Spiritu ſancto: Vel denique, quia auctoritate Apoſtolica conſtituti erant *Epiſcopi*, quæ auctoritas immediatè eſt à Spiritu ſancto; ac proinde quod per eam fit, à Spiritu ſancto fieri dicitur. Sic alibi in Actis; *Viſum eſt Spiritui ſancto, & nobis.* Nec obſtat, quòd ijdem paulò antè vocentur *Presbyteri*, Actor. 20. v. 17. cùm dicitur, *Vocauit Presbyteros Eccleſiæ*; quia nomẽ *Presbyteri* tunc erat commune *Epiſcopo, & ſimplici Sacerdoti.*

Actor. 20.

Idem Probatur 1. ad Timotheum 5. verſ. 19. *Aduerſus Presbyterum accuſationem noli recipere, niſi ſub duobus, vel tribus teſtibus.* Hîc videmus *Epiſcopum* eſſe *iudicem Presbyterorum*: idque tempore Pauli.

1. Tim.

Probatur Secundò: Ex Patribus. Dionyſ. c. 5. de cribens Hierarchiam Eccleſiaſticam, primo loco ponit *Põtifices*, ſecũdo *Sacerdotes*, tertio *Miniſtros ſeu Diaconos.* Ignatius Epiſt. ad Philadelph. *Boni ſunt Sacerdotes, melior autẽ eſt Pontifex, cui credita ſunt ſancta ſanctorum.* Ireneus lib. 3. cap. 3. dicit Episcopis eſſe commiſſas Eccleſias, tanquã Apoſtolorum ſucceſſoribus. Sed

Dionyſ. Ignat. Ireneus.

36 Hęc maior iuriſdictio illis iure diuino debetur.

Difficultas eſt, Vtrùm Episcopi iure diuino habeant hanc iuriſdictionem?

Reſpondeo & Dico Tertiò: Verius eſt Epiſcopis iure diuino deberi iuriſdictionem maiorem, quàm Sacerdotibus; non tamen eam actu habere, niſi iure humano.

Prior pars eſt certa, & communis: & colligi poteſt ex teſtimonijs citatis.

Probatur Primò: Quia id quod in veteri teſta-

mẽto erant *Pontifex*, *minores Sacerdotes*, & *Leuitæ*, id in nouo Teſtamẽto sũt *Epiſcopi*, *minores ſacerdotes*, & *Diaconi*: vt docet Hieron. ep. 85. ad Euagriũ in fine: atqui in veteri teſtamẽto, iure diuino, iuriſdictio erat penes *Pontificem*, nõ autem penes *ſacerdotes*: vt patet Deuteronomij 17. ergo in nouo teſtamento debita eſt Epiſcopo. Secundò, Epiſcopi reſpõdent Apoſtolis in Eccleſia; Sacerdotes autem 72. diſcipulis; vt paſſim docent Patres: ideò enim dicunt *Epiſcopos* ſucceſſiſſe Apoſtolis, & Sacerdotes 72. diſcipulis. Atqui Apoſtoli iure diuino erant maioris auctoritatis 72. diſcipulis: ergo *Epiſcopis* iure diuino debetur maior auctoritas, quàm Presbyteris. Tertio: Quia in Concilijs ſoli *Epiſcopi* iudicant: atqui in his maximè exercetur iuriſdictio, quia conduntur canones totam Eccleſiam concernentes: ergo

Sed actu eam ſolum habent à Papa.

Secunda Pars Probatur: Quia Epiſcopi iuriſdictionem ſuam habent à *Pontifice*: hic enim *Epiſcopos* conſtituit, eiſque iuriſdictionem dat vel aufert, reſtringit vel auget. Ratio eſt; quia cùm *Põtifex* iure diuino ſit caput & ſuperior omnium Chriſtianorum, etiam *Epiſcoporum*; neceſſarium erat, vt iuriſdictio quoque *Epiſcoporum* eſſet in ipſius poteſtate; eamque poſſet dare vel adimere, extendere vel contrahere, prout expediens futurum erat Eccleſiæ.

Dices: Id poſſe fieri ſubtractâ tantummodo materiâ, id eſt, ſubtractis ſubditis, non autem mutando quidquam circa ipſam *Epiſcopalem iuriſdictionem*, quæ ex parte cauſæ efficiẽtis eſt neceſſaria: ſicut ſuprà dictum eſt de poteſtate abſoluẽdi.

Reſpondeo: Eſſe diſparem rationem: Quia *poteſtas abſoluendi*, naturâ ſuâ eſt poteſtas iuriſdictionis: vnde *Pontifex* ſolius materiæ ſubtractione reddit hanc poteſtatem inualidam ſeu otioſam. *Poteſtas* autem *quam Epiſcopus accipit* per ſuam ordinationem, non eſt poteſtas iuriſdictionis, neque requirit iuriſdictionem, vt exeat in actum; vnde non cenſetur illi dari, vel detrahi iuriſdictio, quòd dumtaxat dentur vel detrahantur ſubditi: ſed quia datur ipſa poteſtas iuriſdictionis neceſſaria ex parte cauſæ efficientis.

explicatur mens S. Hieronymi.

Ex dictis colligi poteſt, quomodo intelligendum ſit, quod ait Hieronymus tum in epiſt. ad Euagrium, tum in Commentario ad Titum 1. Non enim negat *Epiſcopum eſſe maiorẽ ordinatione*; nam hoc apertè dicit in ipſa epiſtola: *neque* etiam *iuriſdictione* ſaltem collatâ per Eccleſiam: ſed inſinuat hanc iuriſdictionem ijs conuenire potiùs ex conſuetudine, quàm ordinatione Chriſti: quod in bonum ſenſum exponi poteſt. Nam quòd ſinguli Epiſcopi actu habeant maiorem iuriſdictionem, quàm Presbyteri, id ex conſuetudine eſt ſeu ex iure humano; vt iam ante diximus.

DVBIVM III.

Vtrùm Diaconatus & Subdiaconatus ſint ſacramentum?

DVrandus diſt. 24. qu. 2. & Caietanus Opuſculo 11. negant. Inclinat Victoria qu. 226. dicens hanc ſententiam eſſe probabiliſſimã, niſi torrens Doctorum eſſet in contrarium.

37 Negat Durandus.

Reſpondeo & Dico Primò: Valdè probabile eſt *Diaconatum eſſe ſacramentum*. Primò, Quia eſt ferè communis Doctorum ſententia. Secũdò, quia videtur imprimere characterẽ, & conferre gratiam: ergo eſt Sacramentum. Quòd characterem imprimat, Probatur: tum quia *Diaconatus* ſemel acceptus, non poteſt amitti, vel repeti: tum quia, niſi characterem imprimeret, eſſet tantummodò ſimplex iniunctio officij: vnde poſſet auferri, & *Diacon.* poſſet deſinere eſſe *Diacon.* ſicut *Monach.* poteſt deſinere eſſe *Monach.* per Pontificis diſpẽſationem. Quòd autem gratiam conferat, Probatur: quia munus *Diaconi eſt* in abſentia *Presbyteri & Epiſcopi* baptizare, & Euchariſtiam adminiſtrare, & populo in rebus ſacris præeſſe: vnde à Dionyſio ponitur inter *ordines hierarchicos*, qui populo præſunt. Atqui officium baptizandi, & præſertim Euchariſtiã adminiſtrandi requirit gratiam: ergo &c. Confirmatur; quia Diaconatus confertur etiam *manuũ impoſitione, & cum oratione*, ſicut Sacerdotium & Epiſcopatus; vt patet Act. 6.

Diaconatus eſt ſacramentum.

Dices Primò: Cyprianus epiſt. 65. agens contra ſuperbum Diaconum, ait: *Meminiſſe Diaconi debent, quoniã Apoſtolos, id eſt, Epiſcopos & Præpoſitos Dñs elegit: Diaconos autem poſt aſcenſum Domini in cœlos, Apoſtoli ſibi conſtituerunt Epiſcopatus ſui & Eccleſiæ miniſtros*: ergo Cyprianus vult Diaconos non eſſe à Domino inſtitutos. 1. obiectio ex cypriano.

Reſpondeo: fortaſſe ita Cyprianus ſentit. Quamuis dici poſſet, Cyprianum tantummodò velle Dominum non ſic elegiſſe Diaconos, ſicut elegit Epiſcopos in Apoſtolis; quia neminem Diaconum conſtituit aut conſecrauit.

Dices Secundò: Damaſus epiſt. 4. dicit tantùm duos Ordines à Domino eſſe inſtitutos, ſcil. *Apoſtolorum & 72. Diſcipulorum*. Reſpondeo: Damaſum videre loqui de *ordinibus ſacerdotum*; duos enim dumtaxat Sacerdotum ordines Dominus inſtituit, Epiſcoporum in Apoſtolis, in 72. diſcipulis Presbyterorum: idque contra *Chorepiſcopos*, qui volebant videri tertium genus Sacerdotum, cùm ſolùm eſſent Presbyteri. 2. obiectio ex Damaſo.

Dices Tertiò: Materia in *Diaconatu* eſt *liber Euangeliorum*: atqui Dominus non inſtituit, vt hic liber porrigeretur: quia neque tunc ſcriptus erat, neque Dominus præcepit ſcribi: ergo Dominus hanc materiam non inſtituit; ac proinde nec ipſam Ordinationem. Reſpondeo, omiſſis variis ſententijs: Primariam materiam eſſe, *manus impoſitionem*, vt ſuprà dictum eſt: ſecundariam, *traditionem libri*, non neceſſariò *Euangeliorum*; ſed vel *diuinæ ſcripturæ*, *vel Ritualis*, ex quo diuina officia peragi in Eccleſia neceſſariò debebant; qui *liber* modò confertur. 3. obiectio ex libro euangeliorum.

Dico Secundò: De *ſubdiaconatu* eſt etiam ſatis probabile eſſe ſacramentum; minus tamen quàm de *Diaconatu*, cùm non detur *per manus impoſitionem*. Probatur Primò, quia eſt cõmunior ſententia. Secundò, quia videtur imprimere characterẽ cùm non poſſit repeti; & conferre gratiam, quia munus *ſubdiaconi* eſt miniſtrare Diacono in ſacrificio; quod, vt dignè fiat, gratiam poſtulat: vnde etiam habet annexum votum continentiæ.

38 *Subdiaconatus* eſt Sacramentum.

Dices Primò: Magiſter diſt. 24. dicit *ſubdiaconos* ab Eccleſia introductos. Reſpondeo: Id facilè poſſe negari. Nam tempore Apoſtolorum hunc Ordinem fuiſſe, patet ex epiſtolis D. Ignatij ad Heronem & Antiochenos.

Dices Secundò: *ſubdiaconatus* olim non cenſebatur inter *ordines ſacros*, ſed tantùm cœpit cenſeri à temporibus Gregorij I. vt docet Innocentius III. Cap. *A multis*, De ætate & qualitate ordinãdorum, & Cap. *Miramur*, De ſeruis non ordinandis. Reſpondeo: Non cenſebatur *Ordo ſacer*, non eò quòd non eſſet Sacramẽtum; ſed partim, quia vaſa ſacra tangere non poterant; vt patet ex Can. *Nullus*, diſt. 24. & ex Concilio Laodiceno can. 21. partim, quia non vouebant continentiã, Etſi enim Silueſter I. id ordinaſſet, tamen non vi- Cur olim Subdiaconatus non eſſet Ordo ſacer.

Digitized by Google

detur paſim ſeruatum vſque ad tempora Gregorij I. Vide Capitulum *Miramur*, ſuprà citatum.

DVBIVM IV.

Vtrùm Minores Ordines ſint Sacramenta?

39 Probabilis eſt opinio affirmans.

REſpondeo: Etiam probabile eſſe *hos Ordines* eſſe Sacramenta. Primò, Quia eſt communior ſententia Doctorum, quam ſequitur Couarruuias lib 1. Variarum, cap. 10. §. 10. Petrus Soto lect. 4. *de Ordine*, & multi recétiores; qui id probant ex Concilio Florent. vbi ſic dicitur: *Sextum Sacramentum eſt Ordinis, cuius materia eſt illud per cuius traditionem cõfertur Ordo, ſicut Presbyteratus traditur per calicis cum vino, & patenę cum pane porrectionem: Diaconatus per libri Euangeliorum dationem: Subdiaconatus per calicis vacui cum patenâ vacuâ ſuperpoſitâ traditionem: & ſimiliter de alijs per rerum ad miniſteria ſua pertinentium aſſignationem*, quo modo loquendi inſinuat Conciliũ *alios Ordines* eſſe Sacramentum, ſicut *Presbyteratus, Diaconatus, & Subdiaconatus*. Idem inſinuat Con. Trident. nam ſeſſ. 23. cap. 2. enumerat *ſeptem Ordines*. Et mox cap. 3. dicit *Ordinem eſſe verè & propriè vnum ex ſeptem Eccleſiæ Sacramentis*.

40 Negãs tamen etiam eſt probabilis: & variè probatur.

Altera ſententia, *hos Ordines* non eſſe Sacramenta, ſed dumtaxat ſacramẽtalia quædam; etiã eſt probabilis: quam tenet Durandus & Caietanus ſuprà. Dominicus Soto diſt. 24. qu. 1. art. 4. Nauarrus cap. 22. numero 18. & alij quidam. Et poteſt Probari Primò, Quia hi Ordines poſſunt dari à Presbyteris præſertim ex commiſſione Papæ: de quo infra num. 46. ſicut videmus eos iure communi dari ab Abbatibus.

Secundò, Quia hi Ordines non habent annexũ votum caſtitatis, nec vllam precum obligationem, nec aliquod aliud vinculum; neque dedicãt hominẽ diuino obſequio inſeparabiliter: cẽſet ergo Eccleſia hæc nũ eſſe Sacramẽta. Confirmatur; Qui enim per Sacramentum, quod gratiam confert, & characterem indelebilem imprimit, diuino cultui mancipatus eſt, fieri nequit quin peccet, ſi ſtatum ſæcularem capeſſat, & cultum diuinum in perpetuum negligat: fit enim per hoc iniuria Sacramento, vti videtur.

Tertiò, Officia iſtorum Ordinum non videntur poſtulare gratiam, cùm non attingant res ſacras: non enim videtur requiri gratia, vt conuenienter templũ claudas, & infideles expellas, aut Scripturam extra Sacrificium legas, aut vrceolos vel cereum in ſacrificio geſtes.

Ad manus exorciſtæ non requiritur gratia ſanctificans.

Si dicas exorciſtam requirere gratiam ad dæmones expellendos. Reſpondeo: Poſtulare quidem aſſiſtentiam diuinam, ſicut etiã Exorciſtæ veteris teſtamenti: non tamen gratiam ſanctificantem. Vnde non requiritur aliquod Sacramẽtum, quo hęc poteſtas conferatur, ſed dumtaxat preces eccleſiæ, quibus aſſiſtentia diuina impetretur; ſicut in aqua benedicta videtur. Adde in cõſtitutionibus Apoſt. cap. 16. lib. 8. dici *Exorciſtam non fieri ordinatione, ſed per Chriſti gratiam & aduentum Spiritus ſancti*: vnde videtur colligi, illo tempore nondum fuiſſe *Ordinem*, ſed paulò pòſt inſtitutum; quando nimirum donum illud miraculorum, quo dæmones expellebantur, ceſſauit.

Quartò, Ordines minores poſſunt ſimul conferri, imò paſſim ſimul conferuntur, & interdum vbi talis eſt conſuetudo poſſunt conferri cũ Subdiaconatu: atqui Ordines ſacri, non niſi per temporum interualla. Cuius non videtur eſſe alia ratio, niſi quòd hi ſint Sacramenta, illi minimè.

Quintò, Parum videtur credibile tot imprimi characteres reales & ſupernaturales, & toties cõferri gratiam ex opere operato, idque ad obeundas functiones, quæ paſſim à laicis fieri poſſunt. Si dicas characteres & gratiam dari, vt iſtæ functiones ſolemniter fiant. Reſpondeo, etiam à laicis fiunt cum omni ſolemnitate, vt paſſim videmus in Eccleſijs. Quod tamen Eccleſia non deberet permittere, ſi ad hoc poteſtas quædam ſupernaturalis, & gratia diuina eſſet neceſſaria. Deinde poteſtas & gratia quæ datur in Ordine, non datur ob ſolemnitatem actui Ordinis adiunctã, ſed ob ipſam ſubſtantiam actus; nam ſolemnitas ab Eccleſia eſt inſtituta: ergo non datur character & gratia, vt actus horũ ordinũ ſolẽniter fiant.

Sextò, Si iſti ordines ſint Sacramenta, ergo erit peccatum mortiferum ſacrilegij ſuſpicere illos in ſtatu peccati mortiferi. Quod ſi ita eſt, cur Eccleſia non curat, vt ſuſcepturi anteà cõfiteantur, vel ſaltem dolorẽ peccatorum ſuſcipiant, vt in alijs Sacramentis?

41 Cur hi ordines non poſſint repeti. etſi Sacramenta ab ſint

Nec obſtat, quòd iſti Ordines non poſſint repeti, ac proinde videãtur eſſe Sacramenta imprimentia characterem. Hęc enim ratio rectè concluderet, ſi conſtaret eſſe Sacramenta. Alioqui facilè reſpõderi poteſt: nam *ordinatio Diaconiſſæ*, quam habet Clemens lib 8. cõſtitut. Apoſtolicarum cap. 19. repeti non poteſt, tamen non eſt Sacramentum. Pari modo cõſecratio calicis, altaris, templi, & ſimilia, quamdiu manent integra, non repetuntur; tamen nihil reale imprimũt. Ratio eſt: quia omnis conſecratio, etſi ſolùm ſacramẽtalis ſit, & non Sacramentum, de ſe eſt perpetua, nec deſinit eſſe niſi per deſitionẽ rei conſecratæ. Ob hæc, & ſimilia argumenta hæc ſententia eſt ſatis probabilis.

CAPVT V.

De Suſcipientibus, & de Conferentibus hoc Sacramentum?

DVBIVM I.

Quales debeant eſſe qui hoc ſacramentum ſuſcipiunt?

42 Requiritur bona vita & fama.

REſpondeo & Dico Primò: Ordinandi debent eſſe bonæ conſcientiæ, ita vt non ſint ſibi cõſcij alicuius peccati mortiferi. Deinde debent eſſe bonę famę. Ratio eſt, quia Ordinatio eſt Sacramentum, non quidem inſtitutum ad remiſſionem peccatorum, ſed ad conſtituendũ hominem Mediatorem inter Deum & plebem. Nam Sacerdotes debent Deo vota populi & ſacrificia offerre, & populo diuinam doctrinam & Sacramenta miniſtrare, ad quæ & bona conſcientia apud Deum, & bona fama apud homines requiritur. Adde, commune eſſe omnibus Sacramentis, vt non poſſint ſumi in peccatis.

43 Cognitio neceſſaria ad executionem Ordinis ſuſcipiendi

Dico Secundò: Non requiritur ad ſingulos Ordines niſi ea cognitio, quę neceſſaria eſt executioni & miniſterio illius. Vnde, ſi quis ordinetur ad Sacerdotium, tantùm vt ſacrificium offerat, quod eſt primarium Sacerdotis miniſterium: non autem vt confeſſiones audiat & abſoluat, quod eſt alterum eius munus, ſed minùs principale, nõ non requiritur vt pluria ſciat, quàm quæ ad illud miniſterium neceſſaria ſunt.

Dico Tertiò: Homo non conſequitur digni-

44 Sanctitas vitæ non confert Ordinem.

tatem Sacerdotij vel alterius Ordinis per vitæ sanctitatem: alioquin Ioannes Bapt. & B. Virgo Sacerdotes fuissent. Et ratio est, quia potestas Ordinis non datur in propriam vtilitatem, sed in aliorum. Sanctitas autem vita & omnæ eius præmium est in propriam sancti vtilitatem.

Promouẽs indignos, peccat.

Dico quartò: Grauiter is peccat qui promouet indignos ad ordines, præsertim sacros: quia est infidelis dispensator. Contra hos autem, & eos qui indigne promouentur, vel contra Canones promouentur, grauissimas pœnas constituit Xistus V.

45 Sacrũ officium mortali obiens, qualiter peccet.

Dico Quintò: mortaliter, iuxta D Thomam hîc q. 36. ar. 5. is peccat, qui in peccato mortali existens, aliquod sacrum officium obit. Verùm.

Notandum est: Probabilius esse non peccare Mortaliter Ordinatum, si Epistolam aut Euangelium cantet, aut alicuius Minoris Ordinis ministerium peragat in peccato mortali, modò id cùm debita reuerenta faciat. Sed tantùm quando Sacramentum aliquod in peccato mortali administrat. Ita Domini Soto hîc. Et ratio est, quia illa ministeria in se nullam habent consecrationem, aut singularem sanctitatem; sicut habent Sacramenta, in quibus gratia Spiritus sancti, & Sanguis Christi contineri censetur. Cantare enim Euangelium non est actio sancta, nisi quatenus vel procedit à bona intentione, & hac ratione non polluitur à peccatore, sed potiùs peccator per illam actionem ad gratiam præparatur: vel quatenus est signum & explicatio rerum sacrarũ; & sic etiam non polluitur, quia sanctitas illa est extrinseca isti functioni: vel denique quatenus ex institutione diuina est officium sacri Ordinis. Dupliciter autem potest quis Euangeliũ legere aut cãtare: Primò, simpliciter & non ex officio; & sic non censetur pollui. Secũdò, ex officio, v.g. quatenus illud est munus & actio Ordinis sacri; & sic sanctitatem trahit ex ipso Ordine, & proinde censetur pollui, si extra gratiam fiat: tamen illa sanctitas non est tanta, vt hæc contaminatio cẽseatur peccatum mortale. Vide dicta suprà qu. 64. art. 6. num 9.

DVBIVM II.

Vtrùm solus Episcopus Sacramentum Ordinis conferat?

46 Solus episcopus ex officio.

REspondeo: Ad solum Episcopum pertinet cõferre omnes Ordines. Ratio est, quia ipse solus est sacrorum Princeps, cuius est inferiores Ecclesiæ & sacrorum ministros instituere & consecrare: sicut in Republica solius Principis est omnes inferiores ministros constituere.

Notandum tamen Primò: Simplici Sacerdoti auctoritate pontificis, posse committi collationẽ Ordinum Minorum: nam hanc modo habẽt Abbates, si Presbyteri sint, & benedicti; vt patet ex Cap. *Cùm cõtingat*, de ætate & qualitate Ordinãdorum, & ex Concilio Trid. sess. 23. c. 10. Idem valdè probabile est de subdiaconatu: nam Abbas cuiusdã monasterij Cisterciensis, in Germania habet priuilegiũ conferẽdi Subdiaconatus Ordinem, concessum & confirmatum à multis Sũmis Pontificibus; vt refert Nauar. Consilio 13. lib. 5. tit. *de Priuileg.* Franciscus Victoria q. 255. dicit se vidisse Bullam Pontificis, qua cuidam Abbati Ordinis Cisterciensis hoc priuilegium concedebatur. De Diaconatu non extat exemplum certum, & Doctores communiter negant præter Durandum & Caietanum.

Sacerdos ex cõmissione Papæ.

Abbas ex iure.

Notandum Secundò: Abbates non posse conferre primam tonsuram, vel Ordines minores, nisi suis subditis regularibus; vt expresse statuit Conc. Trident. sess. 23. c. 10. vbi etiam omnibus priuilegijs & consuetudinibus derogat.

Archidiaconus tradit materiam.

Notandum Tertiò: Quando Archidiaconus in quibusdam Ordinibus porrigit materiã ordinãdis (quod facere potest in Minoribus & Subdiaconatu) non censeri ipsum conferre ordinẽ; quia non suo nomine porrigit, sed veluti manus Episcopi, Episcopo interim formã proferente. Hoc tamen fieri non potest in Sacerdotio & Diaconatu.

Episcopus hæreticus vel præcisus.

Notandum Quartò: Episcopum, etsi hæreticus sit, vel ab Ecclesia præcisus, posse hoc Sacramentum conferre. De quo vide suprà qu. 64. art. 6. dub. 3. & art. 9.

CAPVT VI.

De impedimentis Ordinum.

DVBIVM I.

Vtrùm sexus femineus Ordinis susceptionem impediat?

47 Cur fœminæ sint omnino incapaces Ordinum.

REspondeo Affirmatiuè: Adeò vt si femina ordinetur, præsertim Ordine Sacro, nihil efficiatur. Nõ enim tam est irregularis, quàm prorsus incapax huius Sacramenti, vnde etiam nullũ extat exemplum. Ratio primaria est institutio Christi. Congruentiæ sunt variæ: Prima, Quia Ordines adferunt quandam præeminentiã suprà alios: fœminarum autem est, subesse, Gen. 3. v. 16. *Sub potestate viri eris.* Secũda, Quia Ordinib⁹ annexum est officium docendi: femina iubetur *tacere in Ecclesia, & discere in silentio, cũ omni subiectione.* 1. ad Timoth. 2. v. 12. Tertia, Sexus femineus multas alias habet imperfectiones, ob quas non decet illam ordinari.

Nec obstat, quòd Clemens suprà meminit *Diaconissarum*, & Gregorius lib. 4. Dialog. c. 11. *Presbyterarum*, quod habetur Can. *Presbyter*, 32. dist. Quia illæ *Diaconissæ* nihil eorum poterant, quæ Presbyteri vel Diaconi; sed tantùm custodiebãt ianuas, & Sacerdoti ministrabãt in baptismo mulierum, idque ob decorem, vt ait Clemens c. 28. Vnde illarum ordinatio erat sacramentalis quædam cæremonia, ab Apostolis instituta, quæ parum durauit. *Presbytera* autem ibi vocatur vxor *Presbyteri*, quam ante sacrum Ordinem duxerat, quæ cum illo simul continentiam seruabat. Aliquando sic vocatur vidua senior; vt docet Gratianus ibidem ex Concilio Laodiceno suprà, Canone sequenti.

quæ Diaconissa vel Presbytera.

DVBIVM II.

Vtrùm pueri, & carentes vsu rationis, sint Ordinis incapaces?

48 Affirmatur

REspondeo Affirmatiuè. Est communis Doctorum, præterquam Durandi, qui id negat. Sed confirmatur ex Baptismo & Confirmatione, quæ ante vsum rationis validè conferuntur. Ea enim Sacramẽta, quę pro materia vel forma non habent actum suscipientis, vt sunt omnia præter Pœnitentiam & Matrimonium, possunt dari ratione carentibus. Neque ad hoc requiritur intentio parentum, vt contra Durandum ostendimus suprà qua st. 68. art. 10. in Dubio: nam Baptismus etiam inuitis parentibus infanti colla-

tus, est validus. In adulto tamen requiritur positiuus consensus: vt dictum est eadem quæ. 68. art 7. contra Caietanum.

Ante vsum rationis Ordinatus non tenetur voto castitatis.

Notandum tamen, puerum, qui ante vsum rationis ordinatus est, non teneri ad votum castitatis, sed posse liberè matrimonium contrahere. Ni nemo tenetur ad consilia, nisi se sponte ad ea obligarit. Secùs est de Christiana religione, etsi inuitis parentibus sit baptizatus: hanc enim tenebatur suscipere, & nulla ei in hoc fit iniuria, sed dumtaxat parentibus, quæ prolem ab Ecclesiæ potestate non eximit. Si tamẽ nolit seruare castitatem, suspẽdendus est ab Ordinũ executione.

Similiter qui per metum ordinatus.

Idem dico de eo qui metu cadente in constantem virum, ordinatus est: cuius exemplum habuim⁹ Romæ anno 1585. Sub Gregorio XIII. in quodam religioso professo, & sacerdotio initiato, cũ quo ob metum illum, cùm de eo legitimè probatum esset, dispensatum fuit, super votis Religionis & Sacerdotio, vt posset vxorem ducere.

Quænam autem ætas ad singulos Ordines requiratur, vide Concilium Tridentinum sess. 23. cap. 4. de Reformatione & sequentibus. Capite enim 4. ad Tonsuram requirit Tridentinum vt quis antea Confirmationis Sacramentum susceperit, & sciat legere & scribere. Capite 11. ad Minores ordines requirit saltem intelligentiam linguæ latinæ, ætatem autem certã non præscribit. Capite 12. ad Subdiaconatum requirit annũ vigesimum secũdum inchoatũ. Ad Diaconatum requirit vigesimum tertium inchoatum. Ad Sacerdotium vigesimum quintum inchoatum. Ante hæc tempora suscipere Ordines est peccatum mortale: & in Maioribus incurritur suspensio ab executione; vt patet in Extrauagante Pij II. Alias graues pœnas addidit Xistus V. in sua constitutione contra Clericos male promotos. 49 quæ ætas ad singulos Ordines requisita.

Vtrùm verò serui, homicidę, defectuosi & illegitimi ad Ordines promoueri possint; agit hìc D. Thomas quæst. 39. art. 3. 4. 5. 6. Nos verò de his satis diximus in materia de Irregularitate. 50 quicam præterea ad ordines sint incpti.

DE SACRAMENTO MATRIMONII.

CAPVT. I.

De Matrimonio secundum se considerato, quatenus est officium naturæ.

DVBIVM I.

Quid sit Matrimonium?

1 Origo nominis *Matrimonij.*

ORigo huius nominis ab Auctoribus variè deducitur, vt videre est apud Couar. in epitome 4. Decretal. p. 2. c. 1. in princ. Augustinus lib. 19. contra Faustum c. 26. deducit matrimonium, ab eo quòd mulier nubere debeat, vt mater fiat. Aulus Gellius lib. 18. cap. 6. Noctium Atticarum, à nomine matris statim obtinendo. Alij verò quòd in liberorũ procreatione maior matris, quàm patris ratio habeatur: nã mater est certior; vnde est lex recepta, *Partum sequi ventrem.* Alij denique matrimonium deducunt quasi *matris munium* vel *munimen*; quia ipsa primùm infantem fouet & munit: pater autem adulto posteà prouidet: à qua paterna prouisione dicitur *Patrimonium.* Vocatur etiam Matrimonium *Nuptię*, quę dicuntur à *nubendo*, id est velando; quòd puella antequam viro tradatur, debeat caput obnubere seu velare; vt habetur Can. *Nec illud*, 30. q. 5. ex Ambrosio, idque in signũ pudoris. Sic Rebecca Gen. 25. viso Isaaco operuit se pallio. Idem significat Apostolus 1. Corint. 11. vbi vult mulierem velare caput: quamuis hoc etiam fiat in signum obedientiæ respectu viri. His præmissis.

2 Definitio matrimonij.

Respondeo & Dico: *Matrimonium est coniunctio maritalis viri & mulieris, perpetuam vitæ consuetudinem retinens.* Ita definitur à Theologis, Canonistis, & Iurisperitis, vt videre est dist. 27. 4. Sententiarum. Et Capitulo *Illud*, de præsumptionibus, & lege 1. dig. *de ritu nuptiarum.* Vbi.

Notandum est, in matrimonio esse tria. Primũ est, consensus interior. Secundum est, contractus exterior. Tertiũ est, ipsum vinculum, quod ex contractu nascitur. Hoc loco *Matrimoniũ* non accipitur pro cõtractu sed pro vinculo quod nascitur ex contractu. Vnde dicitur, *Matrimoniũ est coniunctio*, id est, vinculum, & habitudo mutua inter virum & mulierẽ; quæ habitudo non est proprie relatio rationis, sed morale quiddam, sicut iura & obligationes quæ ex contractibus oriuntur. Consistit enim hęc coniunctio seu habitudo in duobus, scilicet in mutuo iure, & in mutua obligatione: nam maritus obligatus est vxori, ac proinde ipsa ius & potestatẽ habet in corpus mariti, (obligatio enim respicit ius seu potestatẽ in altero) & vicissim vxor obligata est viro, ac proinde vir in illam ius & potestatem habet. explicatur definitio.

Additur, *Maritalis*, id est, à qua alter dicitur *maritus*, altera *vxor.* Per quod excluduntur aliæ obligationes & coniunctiones, quæ possunt esse inter virum & feminam; vt est: *coniunctio socialis, fraterna, filialis.* Ordinatur autem *coniunctio maritalis* principaliter ad prolem suscipiendam & educandam, qui est primarius matrimonij finis. Alię coniunctiones ad alios fines referuntur.

Dicitur autem *Viri & Mulieris*; quia matrimonium est coniunctio *vnius viri, & vnius mulieris.* Vnde, si Patres antiqui habuerint plures vxores, plura haud dubiè erant matrimonia.

Perpetuam vitæ consuetudinem retinens: hac parte significatur obligatio ad perpetuò cõiuuendum, nisi ob aliquam iustam causam superuenientem contingat separari. Hic est secundarius matrimonij finis.

Clariùs sic definiri potest: *Matrimonium est vinculum insolubile, ex mutuo translationis corporum contractu inter virum & feminam, ad prolem suscipiendam & educandam, ortum.* Clarior Matrimonij definitio.

DVBIVM II.

An Matrimonium sit iuris naturę: eiusque vsus sit licitus?

OLim quidam hæretici senserunt matrimonium esse illicitũ: vt Saturninus apud Irenæum lib. 1. contra hæreses cap. 22. & Marcion 3

Hæretici impugnãtes matrimonium.

apud Hieronymum lib. 1. contra Iouinianum, & Tatianus discipulus S. Iustini Martyris apud Irenæum l. 1. c. 30. Fuerunt etiam Adamiani, qui dicebant, si adam non peccasset, non futurũ fuisse matrimonium, vt refert Epiphanius hæresi 52. In eodem errore fuerunt quidam Apostolici apud S. Bernardum serm. 68. in Cantica. Et Albigenses apud D. Antoninum p. 4. tit. 11. c. 2. §. 5.

4 Matrimonium est iuris naturæ.

Respondeo & Dico Primò: Matrimonium est iuris naturæ. Vt autem hæc propositio melius intelligatur: Notandum est, Dupliciter esse aliquid iuris naturæ. Primò, Quia ratio naturalis illud euidenter dictat: vt sunt prima principia legis naturę, & conclusiones ex his euidenter deductę: vt nemini iniuriam esse faciendam, non furandum, non mœchandum. Secundò, Dicitur aliquid esse iuris naturæ, quia ratio naturalis illud dictat; non tamen ita euidenter, sed, potissimùm apud sapientes. Et hoc modo matrimonium est legis naturæ; quia ratio naturalis dictat vt vir vnus cum vna muliere insolubili vinculo iungatur. Nunc

Probatur tribus rationibus.

Probatur conclusio: Primò: Nam ratio naturalis dictat homini, vt mas & fœmina simul habitẽt, non solùm ad suscipiendam prolem, sed etiam ad educandam & promouendam ad perfectum statũ hominis: atqui ad hoc necessarium est vinculum matrimoniale: ergo &c. Secundò: Natura etiam inclinatur ad mutua obsequia quæ vir & fœmina inter se præstant: quædam enim sunt officia in familia, quæ tantùm à fœminis obeuntur, alia à maribus: ergo ratio naturalis dictat matrimonium. Tertiò: Si non esset matrimonium, non esset certitudo liberorũ, vnde sequeretur maxima confusio: nam nemo suas proles agnosceret; quò fieret vt patet cum filia, mater cum filio contra ius naturę concumberet: ergo &c. Ex quibus rectè infertur fornicationem & concubinatum esse contra ius naturæ: quia impeditur præcipuus matrimonij finis, qui est, conueniens educatio prolis.

5 Vsus eius est licitus.

Dico Secundò: Fide tenendum est licitum esse matrimonij vsum. Sequitur ex priore cõclusione.

Probatur contra prędictos hęreticos. Deus in statu innocentię creauit vtrumque sexum, ijsque benedixit, dicens: *Crescite & multiplicamini*: quod fieri non potest nisi per sexus vsum. Dominus quoque nuptijs interfuit, suaque præsẽtia & miraculo comprobauit. Præterea Apostolus 1. ad Tim. 5. v. 14. expressè dicit; *Volo iuniores nubere, filios procreare, domus curam habere*. Et 1. ad Cor. 7. v. 3. *Vxori vir debitum reddat, & vxor viro*. Denique, nisi vsus matrimonij licitus esset, mũdus deberet perire, quia sine eius vsu cõseruari nequit.

Et sæpè meritorius.

Hinc sequitur etiam posse hũc vsum esse meritorium, nempe si fiat, non causâ voluptatis, sed spiritali fine, scil. vt proles suscipiatur & ad Dei honorẽ educetur, vt coniugi debitum iustitia postulãte reddatur, vt à peccato auertatur, & similia.

6 quæ immundities in copula carnali.

Dices Primò: Copula carnalis in Scriptura cẽsetur adferre immunditiem & coinquinationẽ; vt patet 1. Regum 21. v. 4. & 5. vbi petit Sacerdos Achimelech à Dauide: *Si mũdi sunt pueri, maximè à mulieribus?* & Apocal. 14. v. 4. *Hi sunt qui cũ mulieribus non sunt coinquinati*.

Respondeo: Immundities illa non est mentis, sed corporis; neque est peccatũ, sed pœna peccati, consistens potissimùm in rebellione membrorum, & in motu concupiscentiæ coniuncto, quæ tamen ipsum actum non fatiunt malum.

Dices Secundò: Canone *Connubia* 32. q. 2. dicitur, *in actu coniugali non adesse Spiritum S.* Quod cõfirmatur, quia Siricius Papa, epist. ad Himeriũ Terraconens. Episc. coniugatis applicat illa verba Apostoli, *qui in carne sunt, Deo placere nõ possũt*.

Respondeo: Capitulum illud *Connubia*, nõ esse canonem aliquem Ecclesię, sed sententiã quandam decerptam ex Origene, qui tantùmodò vult dicere, Spiritum S. non adesse operi coniugali ad actum externum efficiendũ; hic enim fit sola virtute naturali: vult enim Origenes ostendere, nõ omnia Sanctorum opera à Spiritu S. proficisci, inter quæ sunt ea opera ad quæ natura per se sufficit. Hinc tamen non sequitur, quin Spiritus S. adsit in hoc opere, quatenus est actus iustitiæ, vel charitatis, vel religionis, vel alterius virtutis: voluntas enim non potest harum virtutum fines intendere sine auxilio Spiritus sancti, quamuis etiam tunc actus exterior propriè & immediatè non procedat à Spiritu sancto, sed à naturali virtutè; nã solus actus interior est ex auxilio Spiritus sancti, exterior verò naturaliter sequitur, posito interiore, sine alio auxilio. Ad confirmationẽ: nõ loquitur ibi Pontifex de legitimo cõiugio, sed de sacrilego, nempe sacerdotũ & monachorũ. Qui autem per talem coniunctionem *in carne sunt*, Deo placere non possunt.

Petes: An actus ille sit licitus si fiat ob delectationem intra limites matrimonij. Item si fiat ad vitandam fornicationem vel pollutionem?

7 Si fiat copula ob delectationẽ, &c.

Respondeo: Si fiat præcisè ob delectationem, est peccatũ veniale; quia non est actus rationi cõsentaneus. Homo autem tenetur secũdùm rectã rationem operari. Si autem fiat ad vitandam fornicationem, vel pollutionem, non est peccatum. Quod colligitur ex Apostolo 1. ad Corint. 7. v. 5. vbi sic ait: *Iterum reuertimini in idipsum, ne tentet vos satanas propter incontinentiã vestram*. Et Cõfirmatur Primò: quia velle fugere peccatum per remedia licita, est licitũ: atqui is qui vtitur actu coniugali ne incidat in peccatum fornicationis vel pollutionis, vtitur remedio licito ad vitandũ peccatũ: ergo. Confirmatur Secundò: quia matrimonium est etiam institutum in remedium concupiscentiæ: ergo licet eo vti ad concupiscentiæ medelam.

DVBIVM III.

Vtùm Matrimonium sit præceptum?

8 Matrimonium non est præceptum lege positiua.

Respondeo Primò: Genere humano satis iam propagato, certũ est matrimonium non esse præceptum. Est cõtra quosdam hæreticos, & maximè contra Lutherum, qui docuit *Matrimonij vsum omnibus esse necessariũ, non minùs quàm cibum & potum*: vnde sequitur *omnibus esse præceptum*.

Probatur: Quia neque lege positiua præceptũ est: verba enim illa, *Crescite & multiplicamini*, Gen. 1. & 9. quibus maximè aduersarij nitũtur, si vim præcepti habent, non pertinent nisi ad illud tempus mundi nascentis, quando erat necessariũ ad generis humani propagationem, vt omnes catholici docent: alibi verò nullum est vestigiũ talis præcepti. Cõfirmatur: Quia in veteri testamẽto multi seruarunt virginitatem; vt Melchisedech, Elias, Ieremias, Elisęus, filij Prophetarũ, Ioannes Baptista, B. Virgo, alijque multi, teste Ignatio ad Philadelphios, & Hieronymus epist. ad Eustochium, *De custodia Virginitatis*.

Neque lege naturali præceptũ est. Primò, Quia iure naturę nemo tenetur ad matrimonium, nisi vel quia id necessariũ propagationi humanæ, vt initio mundi, quæ necessitas iam olim cessauit: vel quia

Neque lege naturę.

vel quia id neceſſarium eſt propriè perſonæ; vt ſi quis continere non poſſet: ſed neque hæc neceſſitas locum habet; quia certiſſimum eſt, & fide tenendũ, hominẽ poſſe à Deo gratiã, quæ ad continendum ſit neceſſaria, impetrare. Secundò: Quia paſſim in nouo Teſtamento commendatur virginitas, & cõiugijs abſtinentia, ad eamque hortatur Dominus Matth. 19. v. 11. *Non omnes capiunt verbum hoc. Sunt Eunuchi &c. qui poteſt capere capiat.* Et Apoſt. 1. ad Corinth. 7. Item Apocal. 14. & alibi. Hinc patet, quã abſurda ſit ſententia caluini quam docet in Comment. c. 19. Matthei, ſcilicet *Eos omnes diuino præcepto coniugium inire debere, niſi impij eſſe velint, quibus nõ eſt diuinit⁹ reuelatũ, quòd donum continentiæ habeant.* Vide Maldonatum in illum locum.

Abſurda Caluini ſententia.

Vtrùm autem in principio mundi fuerit datum præceptum coniugij, dubium eſt: multi enim Doctores affirmãt ex illis verbis Gen. 1. & 9. *Creſcite & multiplicamini*, quę repetuntur cap. 9. idq; vel ſingulis pro illo tempore, vel certè cętui humani generis.

9 ne quidem in principio mundi fuit tale præceptũ poſitiuum

Dico Secundò: Verius eſt, nullum vnquam latum præceptum poſitiuum coniugij ineundi.

Probatur, Quia illis verbis, *creſcite & multiplicamini*, de quibus ſolis eſt difficultas, non ſignificatur præceptum matrimonij, ſed ſolùm benedictio, qua confertur inſignis fęcunditas ad generãdum, vt docet Michaël Medina lib. 4 de continentia, controuerſia 2. Oleaſter, Vatablus, & ferè rerius in hunc locum. Quod.

expenditur locus geneſis *Creſcite &c.*

Confirmatur Primò: Nam his verbis non apertè ſignificatur præceptum (non enim eſt in poteſtate hominum *creſcere*, præſertim plurimum & fæcũdè *multiplicari*, *& replere terram*; ſed eſt effectus, qui ſingulari Dei beneficio ex opere matrimonii ſequitur:) aptiſſimè autem ſignificatur conferri beneficium fœcunditatis. per quod fit, vt *multiplicentur, terramque repleant.* Confirmatur Secundò: Nam paulò antè ſimili modo verſu 22. piſcibus & auibus dixit, *Creſcite & multiplicamini*; vbi non poteſt ſignificari præceptũ, ſed ſolùm benedictio. Confirmatur Tertiò Sicut dixit primis hominibus, *Creſcite & multiplicamini*; ita continenter addens dixit, *Subijcite terram, & dominamini piſcib⁹ maris, & volatilibus cæli, & vniuerſis animantibus, terræ* quibus verbis certũ eſt: nõ dari vllũ mandatum, ſed ſolùm tradi dominium terræ & animãtium, ſeu ius ea vindicandi & poſſidẽdi: ergo &c. Cõfirmatur Quartò: Ex verbo *Benedictionis: Maſculum*, inquit, *& feminam creauit eos, benedixitq; eis dicens; creſcite & multiplicamini*; quo modo loquẽdi apertè Scriptura indicat eſſe ſolùm benedictionem. Denique nihil opus erat præcepto poſitiuo: nam ſatis intelligebant homines ſe iure naturali obligari, donec mundus inciperet compleri.

Dices Primò: Cyprianus lib. *de Diſciplina & habitu Virginũ*, verſus finem, ait; *Prima ſententia creſcere & generare præcipit: ſecunda continentiã ſuaſit.* Hieronymus contra Heluidium pag. 4. poſt principium: *Quamdiu lex illa permanſit, creſcite & multiplicamini; &, Maledicta ſterilis quæ non parit ſemẽ in Iſrael, omnes nubebant & nubebantur*: ergo erat præceptum.

10 Obiectio ex cypriano & Hieronymo.

Reſpondeo; Illos Patres fortaſſis ſic loqui, quòd illis verbis inſinuata ſit naturalis obligatio: hoc ipſo enim quo dabatur fæcunditas, inſinuabatur eos debere illa vti in illis initijs. Illa autẽ verba, *Maledicta ſterilis &c.* non habentur in Scriptura: ſed ſolùm dicitur Exodi 23. *Non erit infœcunda, nec ſterilis in terra tua*: vbi ſignificatur benedictio, nõ præceptum; vt patet ex adiunctis.

Soluitur.

Dices Secundò: Ergo ſaltem, ſi mundus aliqua calamitate exhauriretur, Matrimonium eſſet præceptum.

11 quid, ſi mũdus exhauriretur?

Reſpondeo: Non eſt improbabile tunc fore præceptum: ſicut ſi alicuius nuptię eſſent neceſſariæ ad Reipublicæ pacem, is teneretur contrahere: ergo multò magis ſi eſſent neceſſariæ ad generis humani incolumitatem. Ita sẽtit maior pars Doctorũ. Fortaſſe tamen verius eſt, non fore in præcepto, præſertim hoc tempore legis Euangelicæ: nam Dominus abſolutè conſuluit cælibatum, neque vllum caſum excepit. Incolumitas autem humani generis non pertinet ad ſingulos homines; ſed ad prouidentiam diuinam. Vnde credendum potiùs eſſet, ſi talis caſus incideret, Deũ velle mundo finem imponere.

DVBIVM IV.

Virum Polygamia, qua plures vxores ſucceſſiuè habentur, ſit permiſſa?

NOtandum eſt: Polygamiam eſſe triplicem. Prima eſt: qua vir vnus habet plures vxores ſucceſſiuè, vel vna mulier plures viros ſucceſſiuè. Secunda, qua vnus vir habet plures vxores ſimul viuas. Tertia, qua vna mulier habet plures viros ſimul. Hìc loquimur de prima. Montaniſtæ olim damnabant ſecũdas nuptias inſtar fornicationis, vt docet Auguſt. lib. *de Hæreſibus, ad Quod-vult-Deum, hæreſi* 26. quem errorem defendit Tertullianus lib. *de Monogamia.* Idem tenebant Nouatiani, vt patet ex Concilio Niceno can. 8.

12 triplex eſt Polygamia.

Reſpondeo: Fide tenendum eſt hanc Polygamiã eſſe permiſſam; ſic vt licitè poſt mortem prioris coniugis, vel prioris matrimonii ſolutione quoad vinculum, poſſit aliud coniugium iniri.

1 Poligamia licita eſt qua vir vnus plures habet vxores ſucceſſiuè.

Probatur Primò: Ex Scriptura 1. ad Cor. 7. v. 39. *Si dormierit vir eius, liberata eſt; cui vult nubat: tantùm in Domino.* Non dicit Apoſtolus *vir primus*, aut *ſecũdus*, aut *tertius*, ſed *vir eius*, vt ſignificet sẽper conceſſum nubere mortuo priore; vt optimè notauit D. Auguſt. lib. *de Bono viduitatis* c. 12. Deinde 1. ad Timoth. 5. hortatur Apoſtolus *Viduas iuniores vt nubant*, ob incontinentiæ periculum.

Probatur Secundò: Ex Conciliis. In Conc. Nicæno can. 8. Nouatianis ad Eccleſiam redire volentibus præſcribitur, vt profiteantur *ſe cõmunicaturos cum eis, qui ſecundas nuptias contraxerunt.* Cõcilium Florentinum in inſtructione Armenorum, *Declaramus*, inquit, *non ſolùm ſecundas nuptias, ſed etiam tertias, & quartas, & vlteriores licitè contrahi poſſe.*

Prob. Tertiò: Ex Patribus, de quibus dubitari non poteſt, præter Hieronymũ qui *ſecũdis nuptiis* videtur fuiſſe iniquior hic epiſt. 11. quæ eſt ad Ageruchiam: *Quid ergo dãnamus ſecũda matrimonia? minimè ſed prima laudamus.* Et Apologia pro libris contra Iouinianum. *Non damnamus*, inquit, *bigamos & trigamos, nec, ſi dici poteſt, octigamos.* Vide etiam D. Auguſtinum lib. *de Bono viduitatis.* Et Ambroſius lib. *de Viduis.*

Dices Primò: Conc. Neocęſarienſe celebratum tẽpore Silueſtri 1. can. 7. vetat *ne Clerici intereſſint conuiuio ſecundarum nuptiarum, quæ præcipiunt ſecũdis nuptijs tribuere pœnitentiam.* Et Conc. Laodicenum ſub eodẽ ſilueſtro can. 1. dicit, *Iis qui cerebrò vxores ducunt, vel ſæpiùs nubunt, conſtitutum eſſe tempus pœnitentiæ.*

13 Obiectio ex Concil.

Reſpondeo: Illa Concilia iuxta rigorem antiquum *cenſuiſſe aliquã pœnitentiã bigamis iniungẽdã*, priuſquam ad communionem admitterentur, eò

ſoluitur.

quòd *secundæ nuptiæ* viderentur esse signum incontinentiæ, nec præberent tale exemplum quale decebat Christianos; non tamen iudicabant ipsas peccatum: vt colligitur ex can. 1. Concilij Laodicæni, vbi *bę nuptiæ vocantur legitimę*.

Cur secundæ nuptiæ non benedicantur.

Dices Secundò: Cur ergo *non benedicuntur*?

Respondeo: Quia primæ sunt benedictæ. Benedictio autem semel data alicui personę non debet repeti, quia non perit; vt ait Vrbanus III. Cap. *Capellanum*, & Cap. *Vir autem*, de Secundis nuptijs. De quo vide Nauar. c. 22. n. 83.

DVBIVM. V.

Vtrùm Polygamia plurium virorum, sit permissa?

14 Poligamia plurium virorum est contra ius naturæ nec vnquam permissa.

REspondeo: Polygamia, qua vna mulier habeat simul plures viros, est contra ius naturę primarium, vnde nunquam fuit permissa. Est certa, & communis omnium. Vide D. August. lib. *de Bono coniugali* c. 17. vbi dicit nullam extare huius coniugij exemplum.

Probatur Primò: Quia tale coniugium pugnat cum primario & principali fine Matrimonij, qui est susceptio & educatio prolis. Si enim mulier plures habeat viros, nulla proles suscipi potest, vt experientia docet in meretricibus; neque etiam educari potest, quia parentes non agnoscent suas proles, ac proinde eas negligent.

Probatur Secundò: Quia tale coniugium pugnat etiam cum finibus secundarijs, quorum primus est *societas domestica*, quæ nullo modo constare potest: nam plura erunt capita in vna familia, quæ sæpe contraria imperabunt. Confirmatur: Quia vnus seruus non potest seruire duobus dominis, quamuis vnus plus minus possit habere plures seruos: ergo vna mulier non potest subesse multis viris, quamuis vnus vir possit aliquo modo regere duas vxores. Secundus finis secundarius est, *remedium concupiscentiæ*, qui finis impediretur: nam vxor alteri sæpè non poterit reddere debitum altero nolente. Tertius finis est, vt *sit Sacramentum*, id est, symbolum Christi & Ecclesiæ; qui finis etiam tollitur, nam vnus est Christus, non plures.

DVBIVM VI.

Vtrùm Polygamia plurium vxorum, sit permissa?

15 1 sententia Lutheri.

TRes sunt sententiæ. Prima est Lutheri & Anabaptistarum hanc Polygamiam iure diuino esse permissam, etiam in noua lege. Huic sententię videtur multum fauere Caietanus in cap. 10. Marci, vbi ait, *Legem de vnitate vxoris in canonicis libris nullibi esse scriptam.* Et in c. 19. Matth. idem confirmat. Fatetur tamen *lege Ecclesiæ prohibitam esse, cui sit parendum*; in quo multùm differt ab istis hæreticis.

2. Durandi & Abul. Secunda est, Eam nunc quidem iure diuino prohibitam esse, lege tamen veteri olim non fuisse prohibitam, nec contra ius naturæ. Ita Durandus dist. 33. quæst. 1. & Abulensis in cap. 19. Matth. quæst. 30. & aliquot sequentibus.

3 Communis. Tertia est communis. Pro qua

Dico Primò: Polygamia plurium vxorum simul est contra ius naturæ secundarium. Est communis sententia dist. 33. Probatur; quia etsi non pugnet cum primario fine matrimonij, qui est susceptio prolis: tamen secundarijs finibus aliquo modo aduersatur. Primò enim turbatur vita socialis in tali matrimonio: nam domus non potest rectè à duabus vxoribus administrari, & essent inter illas crebrò vel semper discordiæ; sicut patet exemplo earum, quæ sanctæ fuerunt: vt inter Saram & Agar, Genesis 16. inter Liam & Rachelem, Genes. 30. inter Annam & Phenennam 1. Reg. 1. neque poterit vir eas tanquam ancillas compescere, quia non sunt *ferę, sed socię*; ideò enim Eua ex latere formata est. Secundò impeditur etiam alter finis, qui est remedium concupiscentię: quia non potest vnus vir commodè pluribus vxoribus debitum reddere. Denique significatio etiam sacramenti tollitur. Nam vna Ecclesia Christo iuncta est, non duę.

Polygamia plurium vxorum simul est contra ius naturæ secundarium.

His adde: Si multitudo vxorum non esset contra ius naturæ, Deus illam initio instituisset, cùm maximè videbatur necessaria ad celerem humani generis propagationem: atqui non instituit, vt patet Matth. 19. Vnde primus qui duas vxores habuit, non fuit vir aliquis pius, sed impius, scilicet Lamech; vt docet Hieronymus lib. 1. contra Iouinianum: *Primus*, inquit, *Lamech sanguinarius & homicida, vnam carnem in duas diuisit vxores. Fratricidium & bigamiam eadem cataclysmi delevit pœna.*

Dico Secundò: Hæc Polygamia etiam est contra ius diuinum Scripturis expressum, præsertim in noua lege.

16 est etiam contra ius diuinum. explicantur verba Christi, Matt. 19.

Probatur Primò: Quia Matth. 19. v. 4. Dominus reuocat Matrimonium ad primæuam Dei institutionem, quæ nõ admittebat nisi vnã vxorem; eamq; præcipit deinceps seruari: *Nõ legistis*, inquit *quia qui fecit hominem ab initio, masculum & feminã fecit eos? & dixit, Propter hoc dimittet homo patrẽ & matrem, & adhærebit vxori suæ: & erũt duo in carne vna. Itaque iam non sunt duo: sed vna caro. Quod ergo Deus cõiunxit, homo non separet.* His verbis significatur vnã vni inseparabiliter adhærere debere. Primò, cùm dicitur; *Masculum & feminã fecit eos*, id est, *vnum & vnam*, non *vnum & duas*. Secundò, cùm ait; *Adhærebit vxori suæ*, nõ *vxoribus*. Tertiò, *Erũt duo in carne vna*, non *tres* vel *quatuor*. Quartò, *Iã nõ sũt duo, sed vna caro*, id est, *sũt tãquã vn⁹ homo*. Nam femina est veluti corpus, vir vti spiritus. Adde, quòd Dominus ibidem ait, ideò repudium esse illicitum, quia *ab initio non fuit sic*, id est, quia non est consentaneum primæ institutioni: apertè insinuans matrimonium in noua lege seruandum iuxta formam primęuæ institutionis.

17 Lucæ 16.

Probatur Secundò: Qui, dimissa priore, vxore, aliã duxerit, mœchatur; vt apertè habetur Matth. 19. & Lucæ 16. ergo etiam mœchatur, qui retenta priore aliam duxerit. Consequentia probatur: Nã ideò ille mechatur, qui dimissa priore aliam ducit, quòd prior vxor, etsi coram hominibus non ampliùs videatur esse vxor, cùm sit dimissa, tamen coram Deo verè manet vxor, & cum ea alteram habere non potest: atqui ea quę remanet in domo, cui alia superinducitur, non solùm coram Deo, sed etiam coram hominibus manet vxor: ergo potiori iure censetur adulter, si cum illa aliam habuerit.

Nec obstat, quòd Marci 10. non dicatur simpliciter *mœchatur*, sed *mœchatur super eam*; quasi velit significare nõ esse absolutè adulterum, sed solùm secundũ quid, scilicet respectu vxoris dimissæ, vt Caietanus præpostera subtilitate exponit: quia illud *super eam*, non est particula diminuens, quasi non sit verum adulterium quod ille cõmittit super eam: nam Matth. 19. & Lucæ 16. absolutè dicitur quòd *mœchatur* nec additur *super eam*. Significat autem hęc particula, hoc adulterium esse cõtra vxorem dimissam, seu in eius iniuriam: omne enim adulterium, ideò est adulterium, quòd fiat in iniuriam alicuius coniugis. Quamuis enim prior dimissa sit, quòd in iniuriam mariti adulterium commiserit, tamen si maritus aliam ducat, etiam

quid sit *Mœchatur super eam* Marci 10.

committit adulterium,& quidem *super*, id est, *contra vxorem dimissam*. Vnde sequitur, priorem non ita esse dimissam, vt possit altera duci: &, si altera ducatur, non esse verum matrimonium, sed adulterium in prioris matrimonij iniuriam. Vide D. Augustinum lib. 1. *de Adulterinis coniugijs* cap. 11.

Rom. 7. 1. cor. 7. Probatur Tertiò: Apostolus docet mulierem non posse habere plures viros, esseque *adulteram*, si viuente priore marito, alteri nupserit: ad Rom. 7. & 1. ad cor. 7. Atqui in ratione coniugij pares sũt in noua lege vir & mulier, vt idẽ Apostol⁹ docet 1. ad Cor. 7. v. 3. cùm ait, *Vxori vir debitũ reddat, & vxor viro*. Et, *Mulier sui corporis potestatem nõ habet, sed vir: similiter vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier*. Ergo vir non potest etiam simul habere plures vxores.

Tridentinum. Probatur Quartò: Ex Conc. Trid. sess. 24. can. 2. *Si quis dixerit, licere Christianis habere simul plures vxores, & hoc nulla lege diuina esse prohibitum, anathema sit*. Vide plura apud Gratianum 24. q. 3. & Cap. *Gaudemus*, de Diuortijs.

18 Nec per ecclesiam. Ciuilem permitti potest hæc Poligamia Ex dictis sequitur Primò: Ecclesiam super hac Polygamia nullo modo posse dispensare, cum iure naturali & diuino sit prohibita. Secundò patet grauiter erasse Valentinianum seniorẽ, qui primus inter Christianos Polygamiam inducere conatus est, eamque lege lata sanciuit, vt docet Socrates lib. 4. cap. 27. vel 31. Vide Couarruuiam.

DVBIVM VII.

Vtrùm ante Christum concessa fuerit plurium vxorum Polygamia?

19 euthymius negat. EVthymius in c. 8. Ioannis negat: vnde existimat Patriarchas non habuisse plures vxores, sed vnam dumtaxat legitimam, reliquas autem omnes fuisse concubinas. Quod probat: quia sic eas Scriptura passim appellat. Et confirmat Ioãnis 8. vbi dicunt Iudæi, *Nos ex fornicatione non sumus*, id est, vt ipse interpretatur; *non sumus ex Agar concubina, sed ex Sara, legitima vxore*. Alij dicunt eam concessam fuisse Iudæis tantùm; vt Scotus dist. 33. art. 2. Alij omnibus posteris Abrahæ; vt Sotus. Alij omnibus absolutè; vt multi recentiores. Dico Primò: Certissimum est, Patriarchas olim habuisse plures legitimas vxores. Estcõmunis sentẽtia Doctorum, & Patrum. Probatur Primo: Quia si nõ fuissent legitimæ, vixissent ipsi in perpetuo adulterio; quod nefas est de viris sanctissimis vel suspicari. Secũdò, Quia scriptura semper vocat Liam & Rachelem *vxores Iacob*, nunquam verò *concubinas*: ergo saltem duas veras vxores habuit. Tertiò, Quia Scriptura eas, quas aliquãdo vocat *concubinas*, alibi vocat *vxores*: ergo erant legitimæ vxores. Antecedens patet Gen. 25. vbi Agar & Cetura vocantur *concubinæ*: eodem tamen capite Cetura vocatur. *vxor*. Et cap. 16. Agar similiter *vxor* vocatur. Iudicum 19. vxor vnica & legitima cuiusdam Leuitæ, nũc vocatur *vxor*, nũc *concubina*. Causa huj⁹ diuersæ appellationis erat, quòd apud Iudæos essent duo genera vxorum; vt colligitur Gen. 25. Quædam enim ducebantur non solùm ad suscipiendam prolem, sed etiam ad gubernandam familiam, vt essent tanquam Dominæ in familia. Hæ propriè dicebantur *vxores & matres familias*: harum soli filij succedebãt in hæreditatem. Aliæ ducebantur solùm prolis causâ: hæ dicebantur *concubinæ*: non gubernabant familiam, earumque liberi non succedebant in hæreditatem, sed tantùm accipiebant aliqua munera. Idem mos fuit apud Ethnicos, vt colligitur ex Gellio lib. 18. *Noctium Atticarum* cap. 6.

Scotus. Sotus. Recentiores.

20 patriarchę habuerunt plures legitimas vxores.

Duogenera vxorum apud Iudęos.

Dico Secundò: Hanc Polygamiam illis fuisse permissam diuina dispensatione. Ita expressè Innocentius III. Cap. *Gaudemus*, de Diuortijs, vbi ait, *Sine diuina dispensatione nunquam licitum fuisse habere simul plures vxores*: quem sequuntur Doctores Scholastici & Canonistę. Insinuat Chrysost. homil. 56. in Genes. vbi dicit *consuetudinem Polygamiæ pranam fuisse, ideoque à Christo esse abolytam: Patribus tamen fuisse licitam, quòd à Deo illis esset permissa*. Ratio est: quia cùm sit contraius naturæ, saltem secundarium, nemo potuit in eo dispensare, nisi auctor & institutor naturæ. 21 Hæc Polygamia olim à Deo permissa

Dices Primò: Dispensatio seu concessio Dei non tollit incommoda, quæ Polygamiam naturaliter sequuntur, ob quæ ipsa est contra ius naturę: ergo posita quauis dispensatione adhuc manebit contra ius naturæ. Soluuntur obiectiones.

Respondeo, Etsi dispensatio non tollat incommoda illa, quæ naturaliter sequuntur; tamen facit ne ob illa incommoda Matrimonium cum secunda vel tertia vxore sit irritum. Sicut in principio mundi dispensauit Deus, vt Matrimonium constaret inter fratrem & sororem; tamen hæc dispensatio non sustulit primum gradum, qui iure naturæ alias matrimonium irritum redderet. Sũt enim quædã, quæ secundùm se & solitariè considerata, talia sunt vt ob illa matrimonium irritum censeri debeat si contrahatur, nisi is qui est institutor & auctor naturæ & Matrimonij, sua auctoritate concedat esse ratum: posita autem hac concessione non est ampliùs contra ius naturæ, aut rectam rationem, plures vxores ducere: nam incommoda quę ex Polygamia sequuntur, bono copioso prolis compensari possunt. quid hic oppetatur. diuina dispensatio.

Dices Secundò: Si incommoda Polygamiæ poterant compensari copiosa sobole: ergo Matrimonium secundum non debebat irritum censeri propter illa, ac proinde non opus erat dispensatione diuina.

Respondeo Negando Consequentiam: Quia non est cuiusuis, quouis modo multam sobolem procurare, sed solùm modo sibi proportionato; nempe *Vnus vir per vnam vxorem*, nec amor posteritatis naturalis ad aliud inclinat: quare opus est dispensatione diuina, vt alio modo; scilicet per plures vxores, quærere possis posteritatem. Sicut, etsi Matrimonium Religiosæ professæ esset necessarium ad pacem regni, & illud incommodum, quod ipsa pateretur, dum ab illa sancta quiete abstraheretur, abundè regni bono compensaretur, tamen opus esset dispensatione, vt sit validum, vel licitum.

Dices Tertiò: Ergo saltem statim post Diluuium Polygamia sine dispensatione fuit licita, quia tũc erat necessaria ad generis humani propagationem: quam illi tunc procurare tenebantur; alioquin nimis lentè propagatum fuisset ob vitæ breuitatem & eorporum imbecillitatem. Post Diluuium fuit necessaria hæc Dei dispẽsatio concessa, sed etiam gentilibus

Respondeo, Non esse improbabile pro eo tempore dispensationem non fuisse necessariam. Cõtrarium tamen est probabilius, & ferè communis sententia: quia non pertinebat ad homines illius sæculi curare vt celeriùs propagaretur genus humanum, quàm modo cõsentaneo & singulis proportionato commodè fieri posset. Sed hoc ad diuinam prouidentiam pertinebat, quę naturam instituit, & gubernat, qui ante diluuium, cùm homines diutissimè viuerent, essentque valetudine firmissima, non permisit Polygamiam; sed post Diluuium ob vitæ breuitatem, & imbecillitatem corporis muliebris meritò id eõcessit. Venus enim

ante Diluuium tot poterat habere liberos ex vna vxore, quod octo vel nouem viri ex duabus vel tribus.

22 Non ſolis Iudæis hæc diſpenſatio conceſſa, ſed etiam Gentilibus.

Dico Tertiò: Hæc diſpenſatio non ad ſolos Iudæos, ſed etiam ad Gentiles videtur pertinuiſſe. Probatur Primò: Nam Eſau plures vxores habuit, vt patet Geneſ. 26. & 28. nec tamen idcircò a ſcriptura reprehenditur. Et Iſmaëlitæ vſque in hodiernum diem, tanquam à maioribus acceptum ſeruant hunc morem. Secundò: quia D. Auguſt. lib. 16 *de Ciuit.* cap. 38. ait, *eo tempore, quo Iacob accepit plures vxores, nulla lex, habere plures vxores multiplicandæ poſteritatis causâ, prohibebat*: ergo erat tũc generalis permiſſio. Et lib 22 cõtra Fauſtũ cap. 47. ait, *Morem ducendi plures vxores, receptum fuiſſe in illis terris, vbi Iacob peregrinabatur, nec vlla lege tunc id fuiſſe prohibitum*: atqui Iacob tunc erat apud Gentiles, nempe apud Laban idololatrã in Meſopotamia. Vnde ceſſat quæſtio, quam quidam ponunt, *An ſingulis factâ ſit hæc diſpenſatio?* Satis enim conſtat communiter factam fuiſſe generali quadam conceſſione, & diuina inſpiratione inſinuatam primis Patribus poſt Diluuium; & fortaſſis ſoli Noë, à quo poſteri intellexerunt id eſſe licitum; & ab horum exemplo alijs idem licitum eſſe iudicatum & frequentatum.

Hæc diſpenſatio generatim facta.

Dices Apoſt. 1. ad Corinth. 7. v. 4. ait, *Virum non habere poteſtatem ſui corporis, ſed mulierem*: ergo, ſi mulier non conſentiebat, non poterat vir alteri mulieri poteſtatem ſui corporis, per nouum Matrimonium tradere.

Reſpondeo Primò: Etſi mulier habeat poteſtatem in corpus mariti, Deus tamen habet maiorẽ: vnde quamuis ipſa non conſentiat in Polygamiã, ſufficit Deum conſentire.

Reſpondeo Secundò: Apoſtolum ibi non agere de *poteſtate ducendi alteram*, ſed *negandi debitum*; ſcilicet, virum non ita habere ſui corporis poteſtatem, vt vxori debitum negare poſſit.

23 Hæc diſpenſatio per chriſtũ omnino eſt reuocata.

Petes; Quando ceſſauit hæc diſpenſatio? Reſpondeo: Certum eſt ſublatam fuiſſe per totum mundum Polygamiam, quando Dominus Matrimonium ad primæuam inſtitutionem reuocauit. Vnde Gentiles, ſi conuertantur, tenentur poſteriorem dimittere, & ſolam primam retinere; eò quòd cum cæteris non fuerit verum coniugium: vt expreſſe docet Innocẽtius III. Cap. *Gaudemus* de Diuortijs.

CAPVT II.

De Matrimonio generatim conſiderato, vt eſt Sacramentum?

DVBIVM I.

Vtrùm Matrimonium inter fideles tempore legis Euangelicæ ſit Sacramentum gratiam conferens?

24 Negant noſtri hæretici. Dubitat Durandus

Hæretici huius ſæculi pænè omnes negant eſſe Sacramentum, putantes eſſe ſolùm cõtractum Politicum, nec habere gratiæ promiſſionem. Dico *Pænè omnes*, quia Zuinglius dicitur docuiſſe *Matrimonium eſſe Pulcherrimum Sacramentum*. Inter Catholicos ſolus Durandus cum paucis Canoniſtis videtur dubitaſſe. Nam diſt. 26 qu. 3. docet Matrimonium non eſſe vniuoce Sacramentum cum cæteris, nec gratiam conferre.

eſt de fide.

Reſpondeo: Fide tenendum eſt Matrimonium inter fideles in noua Lege eſſe propriè ſacramentum gratiam conferens. Definitur in Concilio Trident. ſeſſ. 24. can. 1. Notandum eſt: Etſi hæc veritas non poſſit ex ſcripturis probari, non tamen idcircò poſſe vllo modo de illa ambigi; cũ multa alia credere firmiter teneamur, quæ ex ſcripturis non probantur: inter quę eſt illud fundamentum omnium quę ex ſcripturis credimus nempe; *quęnam ſit vera ſcriptura, & quæ eius vera interpretatio*; hoc enim ſola traditione credimus ſufficere enim Chriſtiano debet Eccleſię Catholicæ traditio, *quæ eſt columna & firmamentum veritatis*, 1. ad Timoth. 3. Nihilominus vtrumque ex varijs ſcripturæ locis ſuaderi poteſt: nos tria adducemus.

25 1 Probatur ex ſcripturis.

Primus locus eſt ad Epheſ. 5. v. 31. vbi Apoſt. ait: *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem ſuã & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna. Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in chriſto & in Eccleſia.* Senſus eſt, nẽpe: *Quòd homo relinquat patrem & matrem, vt vxori adhæreat, eſt magnũ Sacramentum ſeu Myſterium; quod ego in Chriſtum & Eccleſiam interpretor, quia coniugium Chriſti: & Eccleſiæ ſignificat.* Nunc ſubſumo: Atqui coniugium Chriſti cum Eccleſia eſt per gratiam & charitatem: ergo neceſſarium eſt, vt Matrimonium coniunctam habeat gratiæ ſanctificationem; alioqui non poterit aptè Chriſti & Eccleſiæ connubium repræſentare. Vide Adamum Sasbout in explicatione huius loci.

Ad eph. 5.

Hinc colligo Matrimonij eſſe ſacramentum.

Ex hoc teſtimonio Apoſtoli duo colligimus. Primum eſt, Matrimonium Chriſtianorum eſſe *magnum Sacramentum* ſeu Myſterium quia Chriſti & Eccleſiæ connubium ſignificat. Vnde euidenter ſequitur, Matrimonium à Deo eſſe inſtitutum in ſignum coniunctionis Chriſti & Eccleſiæ: non enim naturaliter id ſignificare poteſt, cùm illa cõiunctio ſit omnino ſupernaturalis, ſicut etiã *Verbi incarnatio*, per quam extitit Chriſtus.

Obiectio quòd ratio Myſterij non tribuatur matrimonio ſed coniũctioni chriſti & eccleſiæ

Dices: Apoſtolus Matrimonium non vocat *Myſterium*, ſed Chriſti & Eccleſiæ coniunctionem vocat Myſterium: ac proinde ratio Myſterij non eſt tribuenda *Matrimonio*, ſed *vnioni Chriſti & Eccleſiæ*. Quod Confirmatur Primò: quia nullum eſt ſupernaturale Myſterium, quòd vir & femina coniungantur, cùm ratio naturalis hoc dictet. Confirmatur ſecundò, quia Apoſtolus apertè dicit, *Sacramentum hoc magnum eſt in Chriſto & in Eccleſia*. Confirmatur Tertiò: D. Auguſtinus lib. 1. *de Nuptijs & concupiſcentia* cap. 21. dicit *Magnum Sacramentum in Chriſto & Eccleſia cõſtituit; in viro autem & vxore eſſe minimum Sacramentum*. Et Anſelmus in hunc locum: *Ne quis iſtam magnitudinem in ſingulis hominibus vxorẽ habentibus intelligeret addit Apoſtolus; Ego autem dico in Chriſto & eccleſia*, id eſt, ego allegoricè interpretor hęc verba Geneſeos de coniugio Chriſti & Eccleſiæ.

exponitur mens Apoſtoli ad eph. 5

Reſpondeo: Certiſſimum eſt Apoſtolum rationem *Myſterij* tribuere *Matrimonio*, non autem *vnioni Chriſti & Eccleſię*. Probatur Primò, Cũ enim dicit, *Sacramentum hoc magnum eſt*, pronomen (*hoc*) debet referri ad id quod proximè præceſſit; nam demonſtrat id, de quo agebatur: atqui proximè præceſſit, *Relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori ſuę, & erunt duo in carne vna*, ergo vult dicere, Hoc videlicet quòd relinquet homo patrem & matrem &c. vt adhæreat vxori ſuę, eſſe magnum myſterium. Secundò: quia Apoſtolus non dicit *hoc magnum Sacramentum eſſe in Chriſto & Eccleſia*, quaſi illis inſit tanquam ſubiecto, ſed eſſe *in Chriſtum & Eccleſiam*, vt Græca expreſsè habent, nempe quia *hoc myſterium* tendit *in Chriſtum & Eccleſiam* veluti in terminũ; ſi-

ſicut ſignũ reſpicit ſignatum: ergo ratio *Myſterij* ſeu *Sacramenti* ineſt *Matrimonio* tanquam ſubiecto, & reſpicit *Chriſti Eccleſiæque coniunctionem*, tanquam terminũ ſacræ ſignificationis. Tertiò: Quia Apoſtolus hortatur coniuges ad mutuam dilectionem ex eo, quòd ipſorum *Matrimonium magnum Myſterium* includat, cùm ſignificet cõnubium Chriſti & Eccleſiæ, quod mutua dilectione conſtat. Quòd ſi ipſa ratio *Myſterij* non eſſet *in Matrimonio*, ſed ſolùm *in coniunctione Chriſti & Eccleſiæ*, totum argumentũ Apoſtoli eſſet friuolũ, nec quidquam faceret ad propoſitũ. Quartò: Quia omnes Patres ita hunc locum explicant, vt rationẽ *Myſterij* tribuant *Matrimonio* reſpectu vnionis Chriſti & Eccleſiæ. Vide Hieronymum in hunc locum, & Gregorium Nazianzenum, cuius verba adducit Hieronymus. Commentarius Ambroſij in hunc locum, *Myſterij Sacramentum grande in vnitate viri & feminæ eſſe ſignificat.* Chryſoſtomus homil. 20. in epiſt. ad Epheſios pulchrè explicat, quãtũ ſit *Sacramentum relinquere patrem & matrẽ, vt vxori anteà ignotæ adhæreatur.* Hunc ſequuntur Theophylactus & Oecumenius. Diuus Leo epiſt. 92. cap. 4. *Societas nuptiarum ita ab initio conſtituta eſt, vt præter ſexuum coniunctionem, haberet in ſe chriſti & Eccleſiæ Sacramentũ* D. Auguſt. lib. 1. *de Nuptiis & concupiſcentia* cap. 10. *Sacramentũ nuptiarũ cõmendatur fidelibus cõiugatis*, & alias ſæpè vocat cõiugiũ *Sacramentum*. Neque diſſentit Anſelmus; nam dicit locum Geneſeos allegoricè intelligi de Chriſti & Eccleſiæ vnione: vnde ſequitur, *Matrimonium* eſſe ſignum huius coniunctionis: nam ſẽſus allegoricus eſt de re, quæ per ſenſum litteralẽ & hiſtoricum ſignificatur. Dicit autẽ Anſelmus *Magnitudinẽ huius ſacramenti non conſtitui in ſingulis hominibus vxorem habentibus, ſed in chriſto & eccleſia*; quia res Myſticè ſignificata per *Matrimoniũ* (hæc enim ipſa etiã dicitur *Sacramentum* & ratione huius *Matrimonium* dicitur *Sacramentum* ſeu *Myſterium*) non conſtituitur in ſingulis hominibus, ſed in chriſto & eccleſia. Non negat tamẽ Anſelmus *magnitudinem ſigni myſtici reperiri in ſingulis hominibus vxorem habentibus*: nam ſingulorum Matrimonium eſt *magnum ſignum*, quia rei magnę ſignum. Sic quoq; intelligendus Auguſtinus cap. 21. *De Nuptiis & concupiſcentia*: Res enim, quę per matrimonium in viro & femina ſignificatur, eſt quid minimum reſpectu rei, quæ in Chriſto & & Eccleſia ſignificatur: nam in viro & femina per Matrimonium ſignificatur coniunctio & amor mutuus, qui certè minimum quid eſt reſpectu cõiunctionis Chriſti & Eccleſię.

eſt communis explicatio Patrum.

Ex his patet reſponſio ad Secundam & Tertiam Confirmationem. Ad Primam, Reſpondeo: Ratio naturalis non dictat Matrimonium eſſe ſignũ coniunctionis Chriſti & Eccleſię, ſed doctrina fidei hoc tradit. Sic hominem aqua perfundi eſt actio naturalis; ſed quòd hęc actio ſignificet animæ ablutionem, non eſt naturale, ſed diuinum inſtitutum.

ſoluitur obiectio.

Agit hic Apoſtolus de Matrimonio Chriſtianorum.

Dices: Eſto concedamus Apoſtolum rationem *Myſterii* tribuere *Matrimonio*; hinc tamen non ſequitur *Matrimonium chriſtianorum eſſe Myſterium ſeu Sacramentum*: quia videtur tantùm loqui de *Matrimonio Adami & Euæ*: nam adfert verba, quæ Adam dixit.

Reſpondeo: Perſpicuum eſt Apoſtolum, nõ loqui potiſſimùm *de coniugio Adami & Euæ*, ſed *de coniugio Chriſtianorum*. Primò: quia in verbis Geneſeos agitur de Matrimonio futuro, *Relinquet homo patrem & matrem*. Secundò: Adam & Eua non habuit *patrem & matrem*, quos relinqueret. Tertiò quia Apoſtolus ex hoc loco hortatur fideles ad ſuas vxores diligendas: ergo pò. iſſimùm intendit agere de *coniugio fidelium*: vnde non ait, *ſacramentum hoc magnum fuit*, ſed, *eſt in Chriſto & eccleſia*. Eccleſia enim propriè per chriſtum incepit.

Collige 2. per Matrimonium dari gratiam.

Secundum quod colligitur ex verbis illis ad Epheſios 5. eſt, Matrimonium conferre gratiam: quia cùm Matrimonium ex diuina inſtitutione debeat repræſentare vnionem chriſti & Eccleſię, quæ fit per mutuam dilectionem ſupernaturalem; neque poſſit hanc vnionem conuenienter repræſentare vt eſt contractus ciuilis promiſſione gratiæ deſtitutus, neceſſarium eſt ad hanc vnionem aptè ſignificandam, vt gratiam conferat, ac proinde vt ſit verum Sacramentum, id eſt, externum ſymbolum efficax ſanctificationis.

Dices: Ante Chriſti aduentum *Matrimonium fidelium* erat *myſterium vnionis Chriſti & Eccleſiæ*, & tamen non conferebat gratiam: ergo hinc non rectè colligimus conferre gratiam.

Matrimonium antè Chriſtum remotè repræſentabat vnionem chriſti & eccleſiæ

Reſpondeo: Ante Chriſtum, matrimonium non repræſentabat hanc vnionem, niſi imperfectè & remotè, vt docet D. Thomas quęſt. 42. art. 2. Cuius ſignum eſt, tum quòd potuerit diſſolui dato libello repudij; tum quòd admiſerit Polygamiam: quę duo ſunt contra rationem huius Myſterij. Simili modo, etſi matrimonium ſecundùm primam inſtitutionem conſideratum, fuerit *myſterium huius vnionis*, tamẽ imperfectum & inchoatum fuit, eò quòd res repręſentata nondum exiſteret: Chriſtus enim necdum carnem aſſumpſerat, vt ſponſus eſſe poſſet; necdum Eccleſiam ſuã quæ eſſet eius ſponſa, inſtituerat: vnde illud matrimonium non debebat gratiam conferre.

Alia loca ſcripturæ pro hoc ſacramento.

Alius locus eſt 1. ad Theſſal. 4. v. 4. vbi Apoſtolus hortatur coniũges, vt abſtineant à fornicatione, *Vt ſciat vnuſquiſq; poſſidere vas ſuum in ſanctificatione*, nempe eã, quam per coniugium accepit. Tertius locus eſt 1. ad Timoth. 2. v. 15. vbi dicitur, quòd *mulier ſalua bitur per filiorum generationem*, id eſt, in ſtatu Matrimonij. Sed hic locus minùs vrget.

2ª Probatur ex concilijs, & Decretis Pontificum.

Probatur Secundò: Ex Concilijs, & Decretis Pontificum. Concilium Florentinũ *in inſtructione Armenorum*, cõſentiẽtibus Græcis, dicit *Matrimonium eſſe propriè dictum nouæ legis Sacramentum, gratiam conferens.* Quod etiamnum tenet Eccleſia Græca, vt patet ex cenſura Ieremiæ Patriarchæ Cõſtantinopolitani, quam ante 18. circiter annos fecit contra confeſſionem Auguſtanam, vbi dicit: *Matrimonium eſſe diuinum ſacramentum, vnum ex illis ſeptem quæ chriſtus & Apoſtoli eccleſiæ tradiderunt*; & probat ex loco allato ad ephes. 5. conc. Trid. ſeſſ. 24. can. 1. *Si quis dixerit, Matrimoniũ nõ eſſe verè & propriè vnum ex ſeptem legis euangelicæ ſacramentis à chriſto Dño inſtitutum, neq; gratiã conferre, anathema ſit.* Antiquiora concilia non habemus, quæ id apertè definiant, eò quòd olim non fuerint hęreſes, quę id præciſè negarent. Habemus tamen varia teſtimonia ex decretis Pontificum, è quibus hæc veritas colligitur. Siricius Papa epiſt. 1. cap. 4. dicit *Sacrilegium committi, ſi alter coniugũ viuente coniuge ad ſecundas nuptias tranſeat.* vnde ſequitur *Matrimonium* eſſe rem ſacrã, & continere in ſe ſanctificationem, nec eſſe nudum ſignum. Innocentius I. Epiſt. 1. *Statuimus*, inquit, *fide Catholica ſuffragãte, illud eſſe cõiugiũ, quod primitiùs erat diuina gratia fundatũ.* Lucius III. ante annos 400 in concilio Veronenſi anathematizat dicit eis, *qui de Sacramento corporis Domini, Baptiſmo, Matrimonio, iiſque eccleſiæ ſacramentis aliter ſentirent, quã ac-*

Florent.

Trident.

Siric. Pap.

Innoc. I.

Lucius 3.

cleſia Romana fides doceret; vt habetur Capitulo *Ad abolendam*, de Hæreticis. Vnde patet Lucium cum Concilio voluiſſe, *Matrimonium ita eſſe ſacramentum, ſicut Baptiſmum & Euchariſtiam.*

3 Probatur ex patribus.

Probatur Tertiò: Ex Patribus, præter ſuprà citatos. Ambroſius lib. 1. *de Abraham* cap. 7. dicit, *Eum, qui polluit alienum torum; Sacramenti cæleſtis amittere conſortium.* vbi *Coniugium* vocat *Sacramentum cæleſte*, cuius conſortium dicitur amittere, quia gratiam amittit. Cyrillus lib. 2. in Ioannem cap. 22 inter cætera dicit *Dñm ſanctificaſſe coniugium ſua præſentia, eiq; gratiam præparaſſe, vt additus hominum in hanc vitam benediceretur.* Vbi cyrillus videtur etiam innuere *Matrimonium tunc fuiſſe euectum in ſacramentum.* Quamuis fortè verius ſit id fuiſſe factum Matth. 19. quando Polygamiâ & repudio abolito, Matrimonium ad primæuam inſtitutionem reduxit. D. Auguſt. ſæpè docet *Matrimonium non eſſe ſacramentũ, niſi in Eccleſia.* Lib. *de fide & operibus* cap. 7. *In ciuitate Dñi, in monte ſancto eius, nuptiarum non ſolùm vinculum, fœderiam Sacramentum, ita commendatur, vt non liceat viro vxorem ſuã alteri tradere.* Lib. *de Bono coniugali* cap. 18. *In noſtrarum nuptiis plus valet ſacramenti fœcunditas, quàm veri fœcunditas.* Et cap. 24. *Bonum nuptiarum per omnes gentes in cauſa generandi eſt, & in fide caſtitatis. Quòd autem ad populum Dei pertinet, etiam in ſanctitate ſacramenti, per quam nefas eſt, etiã repudio intercedẽte, alteri nubere, dũ vir eius viuit.*

Cyril.

Auguſt.

Quòd autem nomen *ſacramenti* propriè accipiat Auguſtinus, patet Primò, quia diſtinguit Matrimonia infidelium à fidelium Matrimonijs; quòd fidelium ſint *Sacramenta*, infidelium minimè: cùm tamen largo modo etiam hæc dicantur *Sacramenta*, vt patet ex Cap. *Gaudemus.* Secundò: quia ex eo, quòd ſit *Sacramentum*, colligit eſſe inſolubile. Quod argumentum non valeret, niſi proprie acciperet *Sacramentum.* Tertiò: quia lib. 1. *de Nuptiis & concupiſcentia* cap. 10. comparat *Sacramentum Matrimonii* cum Baptiſmo, & dicit etiã illud manere in coniugibus ſeparatis, ſicut baptiſmus manet in Apoſtatis; quod intellige ratione vinculi coniugalis, non ratione alicuius characteris.

Auguſt.

28 4. Probatur ratione

Probatur Quartò: Ratione. Prima eſt: Matrimonium Chriſtianorum eſt vnius cum vna tantùm, & penitus inſolubile: vt patet Marci 10. Matth. 19. Atqui huius non poteſt eſſe alia cauſa, quàm quod ſit *Sacramentum coniunctionis Chriſti & Eccleſiæ*, vt ſæpè docet D. Auguſtin⁹. vide cap. 7. 18. 24. *de Bono coniugali.* Atqui huius vnionis non eſt perfectè repræſentatiuum, niſi gratiam conferat: ergo eſt ſignum rei ſacræ gratiam conferens, ac proinde *Sacramentum.*

Secunda eſt: Matrimonium Chriſtianorum inijcit vinculum inſolubile cum vna vxore: atqui ad tale vinculum tolerandum neceſſaria eſt gratia: ergo gratiam confert: Deus enim in neceſſarijs non deeſt: vnde rem adeò difficilem ſine auxilio gratiæ non inſtituiſſet. Confirmatur; quia alioquin lex noua eſſet durior & intolerabilior lege veteri, quę repudium & polygamiam permittebat: quæ duo remedia per nouam legem ſunt ſublata: oportuit ergo hęc gratiâ compenſari.

quàm neceſſaria ſit coniugatis gratia.

Tertia eſt: Ex fine Matrimonij, qui triplex eſt: Propagatio Eccleſiæ, Euitatio fornicationis, & Vita ſocialis in mutua dilectione: ſed ad hos fines requiritur gratia: ergo &c. Minor Probatur. Nã Primò parẽtes non poſſunt rectè educare liberos in fide & Dei timore, tamquam Eccleſiæmembra, ad quod tamen ratione ſui Matrimonij tenẽtur, ſine auxilio gratiæ: ergo Deus ad hoc ritè præſtandum, dat eis gratiam in contractu, ſicut in ordinatione dat gratiam ad Ordinum officia. Deinde, ad fornicationem euitandam coniugium ſine gratia non ſufficit; partim quia concupiſcentia per vſum coniugij plus accẽditur, quàm reprimitur; partim quia coniugati ſæpè vel ob morbũ vel abſentiam coniugis coguntur abſtinere. Denique, *vxor debet diligere virum, eique obedire tanquã Chriſto; & vir debet diligere vxorem, vt Chriſtus Eccleſiam*, iuxta Apoſtolum ad Epheſ. 5. quod ſine gratia fieri nequit.

Quarta eſt: Matrimonium in Eccleſia ſemper habitum eſt inter res ſacras, & tempore ſacrificij conſuetum celebrari, adhibitis precationibus & benedictione Sacerdotis: vt patet ex Euariſto Papa epiſt. 1. Decretalium Concilio Carthag. IV. cap. 13 & ex Ambroſio epiſtola 70. quæ eſt ad Vigilium: ergo non eſt ſolùm contractus ciuilis, ſed quoddam Sacramentum. Vide Petrum Soto lect. 1. de Matrimonio.

Obijcitur Primò: Sacramẽtum efficit id, quod ſignificat: atqui Matrimonium non efficit vnionẽ Chriſti cum Eccleſia, quam tamen ſignificat: ergo non eſt Sacramentum.

19 Obiectiones ſoluuntur. quomodo Matrimonium efficiat, quod ſignificat.

Reſpondeo: Non eſt neceſſe omne ſignificatum ſacramenti eſſe ipſius effectum. Euchariſtia enim ſignificat ſacrificium crucis & Mortem Domini, non tamen efficit: Baptiſmus quoque ſignificat Mortem Chriſti, iuxta Apoſtolum, non tamen efficit. Sufficit igitur, vt Matrimonium ſignificet aliquem effectum ſupernaturalem quem efficiat. Eſt autem is duplex: Primus, inſolubilis coniunctio coniugum; quam neque ſignificat, neque efficit merè naturaliter, ſed ex Chriſti inſtitutione: non enim ratio naturalis dictat debere hanc coniunctionem eſſe adeò inſolubilem, vt nullo caſu poſſit dirimi. Quod colligitur ex Auguſtino de *Bono coniugali* c. 7. Secundus effectus eius eſt, cõiunctio ſupernaturalis animorum: hanc efficit conferendo gratiam, & naturalem coniugum amorem diuina charitate informando; nempe, vt vxor iungatur viro, ſicut Eccleſia Chriſto; & contrà.

Obijcitur Secundò: Poteſt fieri pactum de contrahendo Matrimonio, interueniente pretio: atqui pro Sacramentis non poteſt dari vel accipi pretium: ergo non eſt Sacramentum. Ob hanc rationem quidam canoniſtę, ſcilicet Oſtienſis, Gaufredus, & Bernardus, quos citat & ſequitur Durandus, ſentiunt Matrimonium non cõferre gratiam. His Durandus addit Magiſtrum in 4. Diſt. 2. vbi Magiſter ait, *ſacramentum coniugij tantùm eſſe inſtitutum in remedium, aliàs verò vt etiam gratiam adiutricem præbeant.*

quomodo pro Matrimonio poſſit dari pretium.

Reſpondeo: Iſtos Canoniſtas falli, & communem Canoniſtarum ſententiam illis aduerſari; vt docet Nauarrus cap. 22. Enchiridij num. 20. Ratio illorum nihil vrget: non enim datur pretium pro ipſo ſacramẽto, ſed pro obligatione ad onera matrimonij, quæ ille contractus adfert: ſicuti Parocho non datur pretium Sacramentorum quæ adminiſtrat; ſed pro obligatione ad onera paſtoralia. Adde, ſi ratio illorum aliquid concluderet, ſequeretur Matrimonium ne ſacramentale quidem eſſe, ſed eſſe rem omnino profanam: nam ne pro ſacramentalibus quidem pecunia dari poteſt; vt pro benedictione calicis, aquæ, nuptiarum, & ſimilium. Ad Confirmationem: Reſpondeo Magiſtrum ibi paſſim reijci, vt notatur in margine ibidem D. Thomas tamen in expoſitione literæ Magiſtri conatur illum commodè interpretari, ſcilicet, Magiſtrum intelligendum eſſe de fine principali.

Google

DVBIVM II.

Vtrùm Matrimonium ante Christi aduentum, vel etiam modò, inter infideles contractum, sit sacramentum?

30 quidam asserunt matrimonium Iudæorum ante Christum fuisse sacramentum.

QVidam existimát apud Iudęos *Matrimoniũ fuisse verum Sacramentũ gratiam conferens; & à Christo non tam fuisse institutũ in Sacramentũ, quàm confirmatum.* Ita sensit Henricus Rex Angliæ, vel potiùs Rossensis *in defensione assertionis septimæ de Sacramentis.* Alphonsus Castro verbo *Nuptiæ*, hæresi 3. Petrus Soto lectione 2. *de matrimonio*, & Albertus Pigius cõtrauersia 10. Ex qua sententia sequitur, etiam modò inter infideles esse Sacramentum.

Negatur.

Respondeo, & Dico Primò: Certum est, Matrimonium ante Christum non fuisse Sacramentum proprie dictum, gratiam conferens. Probatur Primò: Ex Concilio Trident. sess. 24. can. 1. vbi definit sub anathemate, *Matrimonium esse Sacramentum legis Euangelicæ, & esse à Christo institutũ*: quod stare non potest cum altera sententia. & cap. 1: *Cùm* inquit, *Matrimonium in lege Euangelica veteribus connubijs gratiâ præstet, meritò inter nouæ legis sacramenta annumeratur*: vnde apertè sequitur vetera connubia gratiam non cõtulisse. Idem docet Concil. Florentinum, vt mirum sit illos auctores ita sentire potuisse. Secundò: Si fuisset verum Sacramentum, debuisset esse institutum in statu innocentiæ, nempe quando Deus benedixit coniugio Adami & Euæ. Sed hoc non rectè dicitur: nam ille status non egebat peccati remedio, cùm nullum esset peccatum, nulla cõcupiscentia, nulla difficultas boni, nullum periculum mali. Tertiò: In veteri lege concessa erat Polygamia, & repudium, quorum vtrumque pugnat cum ratione Sacramenti. Denique, accedit communis sententia Doctorũ, qui docent in statu innocentiæ Matrimonium fuisse institutum in officium naturæ; post lapsum, institutum in remedium concupiscentiæ; in noua lege euectum in sacramentum.

31 Matrimonium infidelium nunquam fuit sacramentum.

Dico Secundò, *Matrimonium infidelium nunquã fuit sacramẽtum.* Probatur Primo, Ex Augustino, qui multis locis docet *tantummodò in Ecclesia Matrimonium habere sacramenti sanctitatem, & idcircò in ea esse penitus insolubile.* Secundò, Ex Innocentio III. Cap. *quanto*, de Diuortijs, vbi dicit *Matrimonia infidelium esse quidem Matrimonia legitima, sed non esse rata, quod sacramenti firmitate careàt.* Vide Couarruuiam in epiteme 4. parte 2. cap. 1. §. vnico nu. 4. Ratio est; quia *Baptismus est ianua sacramentorum*, vt rectè conciliũ Florent. vnde quando idem Innocentius Cap. *Gaudemus*, dicit *sacramentum coniugij apud fideles & infideles extare*, accipit nomen *sacramenti* amplè pro quouis signo sacro.

Sed contrà Obijcitur Primò: Genes. 1. Deus benedixit coniugio primorum parentum: atqui hæc benedictio non fuit in corpore, sed transijt in animam, ac Proinde gratiam cõtulit: ergo etiã in alijs cõiugijs collata semper fuit, cùm hæc benedictio ad omnia coniugia pertineat. Et Cõfirmatur Primò; quia non solùm in noua lege, sed omni tempore parentes egerunt gratia ad ritè suas proles instituendas. Confirmatur Secundò; quia statim post peccatum fuit Matrimoniũ institutum in remedium concupiscentiæ: atqui non fuisset remedium sine auxilio gratiæ, ergo gratiam cõtulit.

Respondeo, Illa benedictio præstabat tantùm fœcunditatem corporibus, non autem gratiæ auxilium mentibus: vt expresse docet D. august. lib. 13. Confess. cap. 24. idque probat ex eo, quòd etiam piscibus & auibus Dominus benedixerit. Ad primam confirmationem: Neganda est Consequentia: nam ad multa alia rite peragenda in veteri lege opus habebant gratia, hæc tamen non conferebatur per aliquod Sacramentum, sed impetrabatur deuotione orantis, & benè operantis. Sacerdotes enim ad ritè sacrificãdum, Deumque placandum gratiã egebant, quæ tamen in eorum ordinatione non dabatur: hoc enim est priuilegiũ legis euangelicæ. Ad secundam Confirmationẽ: Matrimonium non propriè dicitur *institutum esse in remedium post lapsum*, quasi Deus nouã aliquã ordinationẽ de hoc fecerit, sed naturaliter cessit in remediũ cõcupiscẽtiæ: sic intellige Doctores. Cùm enim actus coniugalis naturaliter esset licitus, obortâ concupiscentiâ factũ est, vt ei obedire nõ cederet homini in damnationẽ. Accedit, quòd tum plures permissæ fuerint vxores, & libellus repudij, vt sic quoque cupiditati carnali possent mederi. In noua lege hoc remedium debebat esse perfectius, & minuere ardores concupiscentiæ, præsertim repudio & Polygamia iam vetitis.

quid operata sit Dei benedictio in cõiugio Adæ & Euæ.

quomodò post lapsũ, matrimonium sit institutum in remediũ concupiscentiæ.

Obijcitur Secundò: Apostolus ad Ephes. 5. de coniugio Adami & Euæ dixit, *sacramentum hoc magnum est*: ergo erat *sacramentum* Confirmatur ex Leone epist. 92. cap. 4. vbi dicit, *societas nuptiarum ita est ab initio instituta, vt præter sexuum cõiunctionem haberet in se Christi & Ecclesiæ sacramentum*: ergo ab initio fuit Sacramentum.

Respondeo: Apostolus loquitur de *coniugio fidelium*, qui applicat verba Geneseos. Deinde, etsi loqueretur de omni *coniugio* secundùm primam institutionem spectato, nihil aliud sequeretur, quam fuisse *sacramentũ* largo modo, sicut Mãna, sicut aqua manans è petra, sicut aspectus serpentis, &c. Ad D. Leonem: Respondeo nomen *sacramenti* laxè sumi.

DVBIVM III.

Vtrùm Matrimonia Infidelium fiant sacramenta, quando baptizantur?

32

QVidam existimant fieri Sacramenta hoc ipso, quo baptisma suscipiunt, sine alio consensu vel contractu. Ita Couarru. 2. parte. cap. 1. §. vnico: vbi dicit *Matrimonium infidelium non esse sacramentum actu, sed habitu*, nempe quia per baptisma fit actu Sacramentum. Probat suam sẽtentiam ex D. Thoma dist. 39. qu. 1. art. 2. Alij volunt necessarium esse nouum contractum, & tunc fieri *Sacramentum.*

Respondeo: Verius esse, *neutro modo matrimonium Infidelium posse fieri sacramentum.* Non priori modo: nã baptismus non potest efficere, vt id quod non erat *sacramentum* cùm existeret, fiat Sacramẽtum postquam desijt esse; nam ratio Sacramenti non potest pendere ab euentu futuro. Fieri quidem potest, vt id quod præterijt, & fuit Sacramentum cùm existeret, incipiat habere effectum postquã desijt, accedẽte aliqua noua dispositione ipsi subiecto; vt patet in baptismo fictè suscepto; quia effectus Sacramenti est extrinsecus Sacramento: tamen fieri nequit, vt id, quod iam præterijt, nec erat Sacramentum cùm existeret, fiat postea Sacramentũ ratione alicuius dispositionis, quę subiecto superuenit: nã ratio Sacramenti est intrinseca rei sensibili. Quãdo ergo res

Matrimonium non fit Sacramentum præcisè per baptismum.

deſiit habere eſſe ſenſibile, non poteſt retinere eſſe ſacramentale, multoque minus illud de nouo accipere. Neque etiam ſecundo modo: quia ille contractus, qui poſt baptiſmum inter illos coniuges initur, non eſt verus contractus Matrimonij: ſed ſolùm rati-habitio cõtractus præteriti. ratio eſt; quia vir non habet corporis ſui poteſtatem, ſed eam iam olim in vxorem ſuam tranſtulit; ſimiliter nec vxor: ergo non poſſũt vltro citroque poteſtatem ſui corporis efficaciter transferre, ac proinde non eſt contractus Matrimonii; ſicut qui aliquid donauit, vẽdidit, & permutauit, ſecuta traditione, non poteſt illud rurſus donare, vẽdere, aut permutare, quia nõ eſt Dominus illius rei. Hinc ſequitur, non eſſe verum contractum, ac proinde nec Sacramentum: quia ratio Sacramenti huius ſupponit rationem veri & efficacis contractus.

Neq; per nouum cõtractum.

Obiectio. Dices: Matrimonium infidelium per baptiſmũ vtriuſque cõiugis fit omnino inſolubile, cùm anteà causà fidei ſolui poſſet: ergo incipit eſſe Sacramentum. Patet conſequentia: quia D. Auguſtin⁹ paſſim aſſignat hanc cauſam inſolubilitatis, vt ſuprà dictum eſt.

Solutio Reſpondeo: Diſtinguendo conſequens: Si enim per Matrimonium intelligas *contractum*, & velis hunc fieri Sacramentum, neganda eſt conſequẽtia, hic enim tranſiit, nec poteſt incipere eſſe Sacramentum, cum non exiſtat. Si autem loquaris de *vinculo coniugali*, quod eſt effectus contractus præteriti, concedo hoc vinculum quodammodò incipere eſſe Sacramentum per baptiſmum; nam incipit eſſe vinculũ coniugale fidelium ſeu membrorum Chriſti, & ſic incipit repræſentare vnionem Chriſti & Eccleſiæ, ratione cuius repræſentationis fit magis inſolubile, quàm anteà.

DVBIVM IV.

Vtrùm Matrimonium fidelis cum infideli, ceſſante lege Eccleſiaſtica qua irritatur, ſit Sacramentum?

33 Aſſertio negãs probatur. DOminicus Soto diſt. 26. qu. 2. art. 3. in fine, putat eſſe Sacramentum, ſaltem ex parte fidelis.

Sed verius eſt, neutra ex parte eſſe Sacramentum. Ratio eſt, quia ad eſſentiam exterioris contractus Matrimonij non ſufficiunt ſigna vnius partis conſenſus expreſſiua; ſed neceſſariò requiruntur ſigna, vtriuſque partis, ex quibus ſignis contractus exterior conſtat: ergo contractus non poteſt eſſe Sacramentũ, niſi vtraque pars contrahẽs ſit capax Sacramẽti. Quare cùm infidelis non ſit capax, neutra ex parte erit Sacramentũ; ſicut neutra ex parte eſt contractus, quãdo altera pars eſt incapax contractus. Cõfirmatur: quia contractus Matrimonij eſt vnum Sacramentũ, eſſentialiter exiſtens in duobus, duos coniungens, & ſãctificans: ergo vterque debet eſſe capax Sacramenti.

DVBIVM V.

Vtrùm Matrimonium, quod non eſt complexu coniugali conſummatum, ſit Sacramentum?

34 Aſſeruit Vviclef. Iulianus. VViclef teſte Vvaldenſi tom. 2. cap. 130. docuit *Matrimonium non eſſe firmum ante copulam, & proinde ante non eſſe Sacramentum.* Idem olim tenuit Iulianus Pelagianus vt patet ex Auguſtino lib. 5. contra Iulianũ cap.. 9. Idem videtur ſentire Gratianus can. *Inſtitutum* & can. *Hic quippe*, 27. qu. 2. pro qua adfert Canonem *Non eſt dubium*, & Canonem *Cum Societas.* Gratian⁹. Negatur.

Reſpondeo: Certum eſt ad ſubſtantiam Matrimonij, ſiue vt eſt contractus ciuilis, ſiue vt eſt Sacramentum, copulam non eſſe neceſſariam.

Probatur Primò: Quia inter Adamum & Euã fuit verum matrimonium in Paradiſo: patet Geneſ. 1. & 2. vbi paſſim vocatur *vxor*, idque ante complexum. Similiter inter *Beatam Virginem & Ioſeph*um; vt patet Matth. 1. vbi ipſa dicitur *cõiunx Ioſephi, & Ioſeph⁹ eius vir.* Vide D. Auguſt. lib. 5. contra Iulianum cap. 9. vbi ex profeſſo hunc errorem refutat. Probatur Secundò: Quia cõmunis ſententia Patrum eſt, pactione coniugali fieri matrimonia, non virginitatis defloratione. Vide Ambroſiũ *de inſtitutione Virginis* cap. 6. Auguſtinum lib. 1. *de Nuptijs* cap. 11. Chryſoſtomum, & alios apud Gratianum, 27. quæſt. 2. Probatur Tertio: Ratione. Quia matrimoniũ conſiſtit in contractu quodam inter virum & feminam, quo ſibi viciſſim faciunt corporum poteſtatem ad ſobolem generandam; quem contractum Chriſtus ad Sacramenti dignitatem euexit: atqui in omnibus contractibus videmus vſum rei non pertinere ad ſubſtantiã contractus; eſt enim vera emptio domus & equi, etſi emptor illis nunquam vtatur: atqui cõplexus maritalis eſt vſus rei per matrimonium in poteſtatem alterius tranſlatæ: ergo &c. Vnde *Vinculum matrimonij* eſt *ius & poteſtas moralis ad complexum, & veluti habitus; ipſe autem complexus* eſt *vſus huius iuris & veluti operatio, ſeu actus ſecundus.* Quare ſicut vſus iuris non eſt de ipſius iuris ſubſtãtia, & operatio nõ eſt de ſubſtantia habitus; ita nec complexus eſt de ſubſtãtia Matrimonij. Hinc patet, quomodo hęc copula pertineat ad Matrimonij perfectionem; ſcilicet, vt operatio ad perfectionẽ habitus; & ſicut vſus iuris ad perfectionẽ iuris, videlicet, tãquam finis ob quẽ principaliter Matrimonium contrahitur. Vtrùm etiam alio modo, infrà dicetur. quid vinculum, quidque vſus matrimonij.

Dices Primò: Canone *Non eſt dubium*: dicitur; *Non eſt dubium illam mulierem non pertinere ad Matrimonium, cum qua commixtio ſexus non docetur fuiſſe.*

Reſpondeo: Iſte Canon nuſquam reperitur in auguſtino, quem Gratianus citat; ſed malè videtur tranſcriptus ex Leone epiſt. 92. cap. 4. vbi dicitur, *Non eſt dubium illam mulierem non pertinere ad matrimoniũ, cum qua docetur nuptiale non fuiſſe myſterium*: loquitur autem Leo de concubina. 35 Obiectiones Gratiani, qui in citationibus corrigitur.

Dices Secundò: Canon *Cùm ſocietas.* Cùm, inquit, *Societas nuptiarum ita ab initio ſit inſtituta, vt præter commixtionem ſexuum non habeant in ſe chriſti & Eccleſiæ coniunctionis Sacramentum, non eſt dubium illam mulierem non pertinere ad coniugium.*

Reſpondeo: Gratianum non rectę hunc canonem citare. Contrarium enim verum eſt: illud enim (*non*) tolli debet, vt patet ex epiſtola Leonis loco citato: ſic enim legendum; *Vt præter cõmixtionem ſexuum, habeant in ſe Chriſti & Eccleſiæ Sacramentorum*, vt rectè Couarr. 2. p. cap. 7. §. 4. 20. Ex hoc loco Gratiani deceptus quoque videtur Innocentius III. cap. *Debitum*, de Bigamis non ordinandis: vbi dicit, *Coniugium illud, quod non eſt commixtione corporum conſummatũ, non pertinet ad illud coniugium deſignãdum, quod inter Chriſtum & Eccleſiam per Incarnationis myſterium eſt contractũ.* Nam reuerà coniugium Chriſtianorum, etiam ante copulam, ſignificat Chriſti & eccleſiæ connubium, quod ſupponit coniunctionem Verbi & carnis, quæ per vnionem hypoſtaticam facta eſt:

tion enim poterat Chriſtus eſſe ſponſus Eccleſiæ, niſi aſſumpta carne fieret illi ſimilis: debēt enim coniuges eſſe *duo in carne vna.*

36 Dices Tertiò: Matrimonium efficit, *Vt duo ſint in carne vna*, & hoc Apoſtolus dicit eſſe magnum myſterium: atqui *non ſunt duo in carne vna* ante copulam: ergo ante copulā non eſt Sacramentū.

Eſſe duos in carne vna, fit per matrimoniū etiam ante copulam.

Reſpondeo Negando Minorem: Nam *eſſe duos in carne vna*, non eſt, *duos cōmiſceri reipſa*, ſed eſt *duos haberi tanquā vnam carnē, & vnam perfectam perſonam*; quod fit etiam ante copulam: nam alter habet poteſtatem corporis alterius perinde ac ſi eſſet ſuū. Sic fictione Iuris teſtator & hæres, procurator & dominus cenſentur *vna perſona.*

Dices Quartò: Matrimonium interdum contrahitur per ipſam copulam maritali affectu tentatam, præſertim ante Concilium Tridentinum, & etiam poſt, vbi illius decretū de Reformatione matrimonij non eſt promulgatum: ergo tunc ſaltem copula pertinet ad eſſentiā matrimonij.

quo caſu, & quomodo copula pertinet ad ſubſtātiāMatrimonij.

Reſpondeo: Admitto in eo caſu copulam pertinere ad ſubſtantiā illius Matrimonij; non quidē quatenus eſt copula carnalis, ſed quatenus eſt ſignum exprimēs conſenſum præſentem in Matrimonium: quomodo nutus, & alia ſigna cōſenſum inſinuantia, pertinent ad rationē huius cōtractus. Nam de ſubſtantia huius contractus eſt, vt fiat per aliqua ſigna conſensūs expreſſiua, qualiacūque demum illa ſint: hoc enim nihil refert. Notandum autem, in hoc caſu, per ipſum cōplexum carnalem gratiam conferri, ſicut confertur per verba, quando verbis cōtrahitur. Neque hoc mirum videri debet: quia, cùm ſit res quædam naturalis à Deo inſtituta, quæ etiam meritoriè fieri poſſit, non eſt cenſenda inepta, vt fiat inſtrumentum gratiæ conferendæ, modò alioqui contrahentes ſint diſpoſiti. Ita tenet communis ſententia Doctorum.

DVBIVM VI.

Vtrùm Matrimonium ſine benedictione Sacerdotali contractum, ſit ſacramentum?

37 Canus Negat. MElchior Canus lib. 8. de locis cap. 5. multis rationibus docet, probabilius videri, illud dumtaxat Matrimonium eſſe Sacramētum, quod ſacerdotali benedictione fuerit conſecratum: formam enim Matrimonij, vt ſacramentum eſt, eſſe illa verba ſacerdotis, *Ego vos coniūgo in nomine Patris, & Filij, & ſpiritus ſancti*: Materiam autē huius ſacramenti eſſe *verba coniugū cōſensūs expreſſiua.* Alia matrimonia, quib⁹ benedictio ſacerdotis non acceſſerit, eſſe quidē veros contractus, non tamen eſſe vera ſacramenta, quòd forma ſacramentalis deſit. Idē omnino videtur ſentire Concilīū Colonienſe celebratum anno 1536. cap. *de ſacramento Matrimonij.* §. *Elementū* & §. *Hunc Canonem* & §. *de Miniſtro*, vbi etiā expreſsè ait, *Clandeſtina matrimonia non eſſe ſacramenta.*

Concil. Coloniēſ.

Cōmunis ſententia eſt eſſe Sacramentū.

Reſpondeo, & Dico primò: Certum eſt Matrimonium contractum abſque benedictione ſacerdotis inter Chriſtianos eſſe verū ſacramentum. Eſt communis ſententia Doctorum.

Concil. Florentin.

Probatur primò. Ex Concilio Florentino, vbi cùm Concilium dixiſſet, *ſeptimum ſacramentū eſt ſacramentum Matrimonij*, mox ſubijcit, *Cauſa efficiens Matrimonij eſt regulariter mutuus conſenſus per verba de præſenti expreſſus.* Vnde infero: ſi cōſenſus mutuus efficit Matrimoniū, non ergo benedictio ſacerdotis. Vbi Notandum: Quando Cōcilium dicit *Mutuum conſenſum per verba de præſenti expreſſum eſſe cauſā efficientem Matrimonij*, tūc loqui *de vinculo Matrimonij*, quod per Sacramentum efficitur; huius enim vinculi *cauſa efficiens eſt hic conſenſus per verba expreſſus*: nam reſpectu cōtractus, *conſenſus ille per verba expreſſus potiùs eſt cauſa formalis, quā efficiēs.* Vnde ſequitur Primò, Benedictionem Sacerdotis nihil efficere ad vinculū; ac proinde eſſe merè extrinſecā huic Sacramento. Secundò, ſequitur non eſſe aliū miniſtrum, quam ipſos contrahentes: hi enim ſoli per mutuum cōſenſum verbis expreſſum efficiūt vinculum Matrimonij, vt docet Concilium. Ratio eſt: nam ea eſt natura contractuum, vt ipſi cōtrahentes ſuo cōſenſu ſe ligent, nec egeāt a alio obligari. Secùs eſt in alijs Sacramētis; nemo enim ſe regenerat, aut abſoluit, aut conſecrat, aut ordinat, aut vngit.

Miniſtri huius Sacramenti non ſunt alij, quam ipſi contrahentes.

Concil. Tridēn.

Probatur Secundò: Ex concilio tridētino ſeſſ. 24. in principio, vbi apertè inſinuat Chriſtum nihil addidiſſe primę inſtitutioni matrimonij, præter gratiam: vnde infert *Matrimonium in lege Euangelica veteribus coniugijs, per Chriſtū, gratiā præſtare, ideoque eſſe legis nouæ Sacramentum.* Idem Concilīū cap. 1. *de Reformatione Matrimonij*, docet *Matrimonia clandeſtina, quamdiu ab Eccleſia non fuerunt irritata, non ſolùm fuiſſe legitima, ſed etiam rata*: atqui *Matrimonia* non dicuntur *rata*, niſi ratione Sacramenti, vt patet ex Cap. *Quanto*, De Diuortijs, vbi dicitur Matrimonium infidelium poſſe diſſolui altero ad fidem conuerſo, quia non fuit *ratum*, nempe quòd Sacramenti ſanctitas defuerit. Vide Couar. 2. parte c. 1. §. vnico, n. 4. vbi optimè diſtinguit ex Iure *Matrimonium legitimū, ratum, & conſummatum.*

Ratio efficax huius ſententiæ

Probatur Tertiò: Si illa benedictio eſt neceſſaria, cur Eccleſia non curauit eam olim clandeſtinis matrimonijs adhiberi? Cur nunquam explicuit eam eſſe neceſſariam, ad homines à clandeſtinis matrimonijs auertendos? Sanè vel ignorauit eſſe neceſſariam, & proinde ignorauit id quod eſt neceſſarium ad ſubſtantiam Sacramēti, quod dictu nefas eſt; vel ſi ſciuit, cur rem tanti momenti nunquam explicuit?

Petes: Si verba Sacerdotis nō ſint forma huius Sacramenti, quæna igitur eſt alia forma vel materia, cùm non videatur alia commodè poſſe aſſignari?

38 Variæ ſententiæ de materia & forma matrimonij.

Reſpondeo: Etſi hîc ſint variæ opiniones Doctorum, omnes tamen conueniunt formam non eſſe *benedictionem Sacerdotis.*

Quidam igitur dicunt conſenſum expreſſū perſonarum idoneārum eſſe materiam: verba autem vel ſigna, quibus exprimitur hic conſenſus, eſſe formam. Ita nauar. c. 22. n. 20. Sed hæc ſententia non videtur vera: Vel enim per conſenſum expreſſum intelligit nudum conſenſum, vt diſtinguitur à verbis vel ſignis externis; & ſic nō poteſt eſſe materia, quia non eſt ſenſibilis: Vel intelligit conſenſū, vt includit verba, quibus exprimitur; & ſic eſt quidem ſenſibilis, ſed nihil relinquitur quod poſſit eſſe forma: ipſa enim materia includet formam Sacramenti; nam poſt cōſenſum expreſſum nihil amplius ſupereſt. Adde, conſenſū potiùs debere habere rationem formæ, quàm ſigna externa, quibus exprimitur.

Alij dicunt coniugum verba ſibi viciſſim eſſe materiam & formam. Ita Sotus diſt. 26. q. 2. a. 1. & multi alijs. Sed hi confundunt materiam & formam, cùm rectè poſſint diſtingui.

Vera ſententia.

Reſpondeo & Dico Secundo: Corpora contrahentium eſſe materiam: verba, quibus contrahunt, eſſe formam. Ita Couar. 2 parte in Epitome

4. Decretal. c.1. §. vnico, n. 8. & Adrianus qu.1. *de Matrimonio*. Eandem insinuat Palud. dist. 26. q. 4. Probatur: quia in reliquis contractibus res, de qua contrahitur, siue quæ per contractum datur & accipitur, est materia: verba autem cõtrahentium, quibus exprimitur consensus, sunt forma contractus: Vt, materia contractus emptionis & venditionis, est domus, ager, pãnus; materia mutui est res habens functionem: verba autem, quib⁹ hæres transferuntur, dicuntur forma contractus. Ergo pari modo, cùm per contractum matrimonij vir & mulier transferant corpora sua vltrò citroque in alterius potestatẽ, ipsa corpora erũt materia contractus; verba autem, quibus exprimunt suum consensum, & transferunt ea, erunt forma, ac proinde erunt materia & forma Sacramenti: non enim quęrẽda est alia materia & forma contractus, & alia huius Sacramẽti, cùm ipse cõtractus sit ductus in Sacramentum; vt colligitur ex Cõcilio Tridẽt. sess. 24. in principio. Notãdum tamen, ad formam huius sacramenti etiam pertinere omnem solemnitatem necessariam ad substantiã cõtractus, qualis est *præsentia Parochi, & duorum testium*; sicut ad formã aliorum contractuum similes solemnitates, præsertim in foro externo pertinere censentur.

quomodo præsentia Parochi spectet ad formã sacramenti.

Contra hanc doctrinam multa obijcit Canus. præcipua sunt: Primò: Sacramenta sunt cæremoniæ sacræ, actusque religionis: sed matrimonium contractum sine Ministro nihil habet sacri aut religiosi: ergo &c.

39 1. obiectio Cani.

Respondeo Negando Minorem: Nam verba coniugum, quatenus ex Christi institutione rem sacram significant & efficiunt (scilicet vnionem non solùm corporum, sed etiam animorum) verè sacra sunt: sicut ablutio in baptismo est res sacra quatenus à Christo est instituta ad significandã & efficiendam animę ablutionem, etsi alioqui per se sit res naturalis. Adde, Etiam ex sententia Cani, verba coniugum debere esse sacra, & habere supernaturalem significationem & effectũ: nam ipse vult ea esse materiam sacramenti: atqui in sacramentis non solùm forma, sed etiam materia significationẽ & effectum supernaturalem habere debet.

soluitur.

Obijcit secundò: Actuum sacramentalium non potest ratione naturali vlla reddi causa: atqui contractũs matrimonij potest reddi causa iudicio naturali: ergo &c.

2. obiectio

Respondeo: Potest quidem naturale iudicium adferre aliquam causam matrimonij, vt est contractus ciuilis; ideò enim isti contrahunt, vt alter alterius habeat potestatem ad liberorum procreationem, quod etiam apud Ethnicos locũ habet: ton tamen potest eius reddi ratio vt est Sacramentum: nam rationem Sacramenti non potest lumen naturale ingenij humani in eo cognoscere. Vnde etsi aliquem finem huius Sacramenti possit ratio naturalis cognoscere, non tamẽ omnem, neque proprium Sacramenti, qui est vinculum omnino insolubile, coniunctio animorum per charitatem, & repræsentatio coniunctionis Christi & Ecclesiæ. Simile esset, si Eucharistia daretur Fidelibus ea quãtitate, qua posset alere corpus: posset enim tunc Ethnicus reddere aliquam rationem, quare huic detur Eucharistia, nempe vt corpus alatur; sed non omnem, neque adæquatam.

soluitur.

Obijcit Tertiò: Guilielmus Parisiensis lib. *de Sacramentis*, Tractatu *de Matrimonio*, cap. 9. dicit *Matrimoniũ non habere vim Sacramentalem, nisi sacerdotali ministerio fuerit consecratum*. Idem habẽt Patres Concilij Colonienſis, & quidam Canonistæ, quos suprà citauimus. Et confirmatur ex D. Thoma lib. 4. *contra Gentes* cap. 78. *vbi dicit, Matrimonium esse sacramentum, quia per Ministros Ecclesiæ dispensatur, & quædam benedictio datur nubentibus*.

3. obiectio

Respondeo: Decipi Guilielmum Parisiensem, & istos Colonienses, tum vt patet ex suprà dictis: tum quia insinuat iste Guilielmus necessariã esse eam benedictionem, & eas preces quę tẽpore sacrificij coniugatis adhibentur, quas omnino constat extrinsecas esse matrimonio, quod iam ante contractum est & benedictũ per Sacerdotem, his verbis, *Ego vos coniungo* &c. in quibus verbis Canus ponit formã. Ad confirmationẽ D. Thomæ: Respondeo: Eum tantùm velle probare à signo, *Matrimonium esse Sacramentum*; nempe quia causa matrimonij ad Ecclesię Ministros pertinet, & Ecclesię benedictione ornatur. Adde, quòd D. Thomas vbique contrarium expressè doceat: vnde ex vno loco obscuro non debet hoc colligi.

soluitur. Mens D. Thomæ.

Obijcit Quartò: Euaristus epist. 1. Decretaliũ explicans quomodo coniugia contrahi debeant, dicit *Matrimonia aliter præsumpta*, scilicet, *sine benedictione sacerdotum, non coniugia, sed adulteria & fornicationes censeri debere*.

4. obiectio

Respondeo: Euaristus non dicit, *Talia coniugia non esse Sacramenta*, quod vult canus: sed, *ne coniugia quidem esse cẽsenda, quin potiùs fornicationes & adulteria*: quod necessariò est intelligendũ de foro externo, vbi præsumitur defuisse legitim⁹ cõsensus, quando illa omnia absunt, quæ ibi requirit: alioqui certum est clãdestina matrimonia, qualia ibi improbantur, semper fuisse vera coniugia, nõ adulteria, aut fornicationes; vt patet ex Cõcilio Trid. suprà citato, donec Cõcilium illa irritaret.

soluitur.

Denique obijcit Canus multos Canones Pontificum & Conciliorum. Sed hi nihil aliud habẽt, quàm in matrimonio adhiberi debere benedictionem sacerdotalem; quod omnes docent nusquam autem insinuatur matrimonium sine hac benedictione non esse Sacramentum, aut verum matrimonium.

DVBIVM VII.

Vtrùm Matrimonium contractum per Procuratores inter absentes sit Sacramentum?

40 Caietanus negat.

Caietanus Tom. 1. Opus. 12. quæst. 1. *De Matrimonio*, docet matrimonium per Procuratores, vel per litteras contractum, non esse Sacramentum, donec per præsentes coniuges, saltem tacitè, ratificetur.

Affirmatur

Sed dicendum est: Multò probabilius & verius esse huiusmodi matrimonium esse verum Sacramentum. Est communis ferè sententia Doctorũ. Probatur ratione, ex Concil. Trident. suprà allata: Sacramentum enim Matrimonij nihil habet supra contractum ciuilem, quàm gratiam; Dominus enim ipsum contractũ in Sacramentũ euexit: atqui hic contractus per Procuratores est verum matrimonium, quatenus matrimonium est contractus ciuilis, vt fatetur Caietanus, & definitur Cap. vltimo, in 6. *de Procuratoribus*: ergo est verum Sacramentum.

1. obiectio Caietani.

Dices Primò: Ex Caietano; nullum aliud Sacramentum potest suscipi per Procuratores: ergo nec Sacramentum Matrimonii.

Soluitur.

Respondeo esse disparem rationem: quia nullum aliud Sacramẽtum consistit in contractu ciuili hoc autẽ consistit in ipso contractu, cuius est

ea natura vt & per litteras & per procuratores fieri possit; sic vt obligentur, non ipsi Procuratores qui alieno nomine agunt, sed illi pro quibus agunt, quosue repræsentant. Aliorũ sacramentorũ actiones per alios exercitę vel susceptę non habent vim, nisi in eos quorum sunt, vnde non possumus per aliũ baptizari aut confirmari &c.

1. obiectio

Dices Secundò: Hinc sequeretur posse hominẽ recipere gratiam, dum dormit: vt si adolescens dormiat, dum eius Procurator contrahit cum puella. Similiter quòd possit peccare mortiferè, dum dormit; nẽpe si tunc non sit in statu gratiæ.

Soluitur.

Respondeo: Hæc non esse absurda. Potest enim conferri gratia puero carenti vsu rationis, & adulto si antè legitimè dispositus baptizetur insomnis vel in amentia. Et confirmatur: Nam talis contractus est causa, cur in dormiente nascatur obligatio: quidni etiam possit esse causa, vt detur ei simul gratia, qua huic obligationi debitè satisfaciat; vnde debent se sponsi ad gratiam disponere, quando probabiliter putant suos Procuratores conuenturos.

DVBIVM VIII.

Qualis est ista gratia, quæ per Sacramentum Matrimonij confertur?

41 Est hæc gratia quadruplex.

Respondeo: primò conferri gratiã habitualem seu augmentum gratię ex opere operato: vnde etiã potest ex attrito facere contritum, & conferre primã gratiam, quando quis bona fide existimabat se esse in gratia; sicut dictum est de aliis Sacramentis, quæ dicuntur Sacramenta viuorum. Ratio est; quia quod per se est efficax gratię, semper eam confert, si ex parte subiecti non sit impedimentum, ipsumque subiectum sit legitimè dispositum: Attritio autem, prudenter existimata contritio, est sufficiens dispositio in omnibus Sacramentis (excepta Eucharistia) vt suprà dictum est.

Secundò: Datur auxilium speciale ad mutuam dilectionem Christianam seu spiritalem.

Tertiò: Datur auxilium ad remedium concupiscentię, nempe vt honestè matrimonio vtãtur, seseque mutuo sint contenti, & non quærant illicitas extra matrimonium voluptates.

Quartò: Datur auxilium ad prolẽ in fide Christi & timore Dei educandam. Vnde sæpè monendi sunt coniuges, vt gratiam, quam in hoc Sacramento acceperunt, excitent.

CAPVT. III.

De Sponsalibus.

DVBIVM I.

Quid sint Sponsalia?

42 *Sponsalia*, vnde dicta

NOtandum est: *Sponsalia* dicit à *spondendo*; idque vel quia olim veteres per stipulationem, quæ & *sponsio* dicitur, futuras sibi vxores sponderent, vt vult Cõuar. 1. p. c. 1. vel quia vir & mulier sibi mutuo spondent matrimonium, aut parentes illorum nomine. Hinc mulier dicitur *sponsa*, quasi à parẽte, vel à se alteri promissa; & vir dicitur *sponsus*, quia se ipse promisit, vel (vt quidam volunt) quia ipsi fit promissio. Cùm autẽ in ipso matrimonii contractu etiam fiat quædam promissio, nempe futuræ copulæ (salutem implicita) factum est, vt coniuges, qui matrimonium contraxerunt, ante consummationem à parentibus *sponsi* vocentur, post consũmationem, *coniuges maritus & vxor*, & matrimonii consummatio *Nuptiæ*. Vide Hieronymum in cap. 1. Matth. & Gregorium homil. 16. in Euangelia. Citantur 27. quæst. 2. Can. *Coniuges*. His positis:

quid Sponsalia.

Respondeo: *Sponsalia* stricte accepta, *esse futurarum nuptiarum repromissionem*. Vide Couar. 1. p. epitomes c. 1. Dico, *Futurarum nuptiarum*, id est, futuri contractus matrimonij; *Nuptiæ* enim hic accipiuntur pro ipso matrimonij contractu, qui promittitur in sponsalibus. Dico, *Repromissio*, id est, reciproca seu mutua promissio: nam antequã accedat alterius promissio, non censentur esse *sponsalia*. Vnde si Petrus promittat Catharinæ matrimonium, & ipsa acceptans promissionem cupiat deliberare, nascitur quidem in Petro obligatio simplicis promissionis, sed nondum sunt *sponsalia*, donec Catharina consentiat; quę si dutius expectet, Petrus à sua obligatione liberatur, quia non aliter intendit se obligare.

DVBIVM II.

Quænam requirantur ad sponsalia?

43 Requiritur ætas septẽnij expleti.

Respondeo & Dico Primò: Requiri ętatem septennij expletã in vtroque. Patet ex cap. *Litteras*, & cap. *Accessit*, de Desponsatione impuberum: vbi etiam expressè dicitur, septennium debere esse expletum. Ratio, cur Iura hęc statuerint, est quia tarò ante hoc tempus est sufficiens iudicium seu prudentia ad huiusmodi obligationem. Vide D. Thomam q. 43. art. 2.

Prudentia nũ suppleat hic ætatẽ.

Petes: Quid si prudentia ætatem compensęt & suppleat, eruntne valida sponsalia ante septennium completum?

Respondeo: multi putant esse valida. Ita D. Thomas loco citato. Silucster verbo *Sponsalia*, q. 2. Nauar. c. 22. n. 29. Couar. 1. parte c. 2. n. 1. Hæc sententia est probabilis. Verius tamen omnino videtur, non valere sponsalia; si vel altera pars, vel vtraque septenniũ non impleuerit. Ita Panormitanus in Capit. *Inuenis*, de Spõsalibus. Angelus verbo *sponsalia*, n. 5. & alij quidam. Ratio est; quia Iura expressè requiruntur septenniũ completum, & in aliquot casibus decernunt non fuisse sponsalia, eò quòd ante illud tempus cõtractus esset initus; vt patet ex Cap. *Litteras*, & cap. *Accessit*. Nusquam autem excipiunt Iura illum casum, in quo prudentia ætatem suppleat, quod faciunt in matrimonio. Si dicas, illa Capitula intelligenda esse, in foro externo censeri non esse sponsalia ante illud tempus, eò quòd præsumatur defuisse prudentia sufficiens, si septennium non sit completum. Respondeo: Hoc non rectè dici: si enim septenniũ fuisset expletũ, nulla fuisset ambiguitas de sponsalium valore, aut de sufficienti prudentia, nisi moraliter euidens fuisset prudentiam defuisse: atqui prudentia & vsus rationis non aduenit ita repentè: ergo paulò antè completum septenniũ non potest Ius præsumere defuisse prudentiam.

Eadem sententia confirmatur: nam pari modo Iure antiquo ad professionem annus pubertatis completus, id est, decimus quartus completus in viro, & duodecimus in femina requirebatur; & modò post Conc. Trid. requiritur in vtriusque decimus sextus completus: neque possumus hoc ita interpretari, vt aliquando prudentia ætatẽ compensęt: ergo nec hîc in sponsalibus.

Dices Primò: Ius in matrimonio requirit annos

44 Cur malitia potiùs ſupplear ætatem in matrimonio, quam in ſponſalibus prudentia.

pubertatis completos, & tamen excipit caſum in quo malitia ſupplet ætatem: ergo idem cenſendũ erit deſponſalibus, cùm in eâdem materiâ verſentur.

Reſpondeo Negando conſequentiam: Tum quia Ius in matrimonio facit expreſsã exceptionem, in ſponſalibus non facit: tum quia eſt diſparatio. Nam ad contrahendum matrimonium duo requiruntur, ſcilicet iudiciũ ſufficiés, & aptitudo propinqua ad vſum matrimonij; quod ſecundum, etſi Iure naturæ non ſit neceſſarium, cùm ſufficiat potentia remota; tamen meritò Ius poſitiuũ id requirit: & quia ratò ante annos pubertatis in viro & in femina hoc ſecundum reperitur, conſtituit Ius vt ante hoc tẽpus matrimonium non ſit validum: excipit tamen vnum caſum, in quo malitia ſupplet ætatẽ, nempe quãdo certũ eſt ante id tempus eſſe aptos ad procreationẽ: quod interdum aliquo euentu poteſt conſtare: eſſet enim graue incommodũ, ſi nunquam in tali caſu matrimonium eſſet validum. Ad ſponſalia autem contrahenda ſolùm requiritur iudicium rationis; quod quia ferè circa ſeptennium elucere incipit, conſtituit Ius ſeptennium completum vtriq; parti. Neque fuit hîc facienda hæc exceptio, *Niſi prudentia ætatem ſuppleat*: tum quia neque in matrimonio hęc facta fuit, ſed alia, nẽpe de aptitudine ad actum coniugalem: tum quia, ſi talis exceptio fieret in ſponſalibus, fruſtrà conſtitueretur ſeptennium completum; nam quotieſcumque liceret contrahere completo ſeptennio, liceret etiam ante completum; qui enim completo ſeptennio habet rationis vſum, moraliter etiam eum habet ante completum, idque facilè conſtare poteſt. Vnde quando Iure poſitiuo conſtituitur certum tẽpus ob iudicii maturitatẽ, nunquam poteſt illud tempus præueniri, quãuis ſumma ſit maturitas; vt patet in votis tum perſonalibus, tum realib⁹, in profeſſione, & in contractionibus minoris: nam vota illa & contractus poſſunt irritari, & profeſſio abſolutè eſt irrita.

Cap. *Inuenis.*

Dices Secundò: Cap. *Inuenis*, de Sponſalibus, inſinuatur *ex ſponſalibus cum puella quadam contractis, quæ nondum ſeptennium expleuerat, eorum fuiſſe impedimentum publicæ honeſtatis*: ergo fuerunt vera ſponſalia.

Reſpondeò: Non ideò cenſetur ibi ortum impedimentum, quòd nuda ſponſalia eſſent contracta, ſed quòd iuuenis tẽtaſſet eã cognoſcere maritali affectu, vt indicat Pontifex: vnde nõ cẽſuit Pontifex honeſtum, vt poſteà cum conſobrina puellæ contraheret, præſertim cùm inter plebem puella diceretur ipſius coniux.

45 Requiritur etiam liber conſenſus cõſenſus cõtrahentiũ.

Dico Secundò: Requiri etiam liberum conſenſum contrahentium. Ratio eſt, quia nemo poteſt alium ad matrimoniũ obligare; ſed quiſque ſolũ ſeipſum: ergo multò minùs poteſt alius alium obligare, vt cum certa perſona cõtrahat. Matrimonia etiam debent eſſe libera, cùm ad ſtatum totiꝰ vitæ pertineant, ſicut & religio. Hinc ſequitur, quando parentes loco ſuarum proliũ cõtrahunt, ſponſalia non eſſe valida, niſi ipſæ proles poſteà in ætate legitima liberè conſentiant.

Iſque ſignis externis expreſſus.

Dico Tertiò: Hunc cõſenſum debere eſſe ſignis externis expreſſum. Probatur: quia omnis cõtractus debet fieri ſignis externis, vt conſenſus mutuus viciſſim innoteſcat. Si tamen diuina virtute alter alterius animum intueretur, poſſent fieri ſponſalia ſine vllo ſigno externo.

Denique perſonarũ habilitas.

Dico quartò: Præter hæc nihil requiritur ad ſpõſalia, niſi vt perſonæ ſint legitimæ, ſeu habiles ad matrimonium ſuo tempore contrahendum.

DVBIVM III.

Vtùm ſponſalia contracta per procuratores ſint valida? Item, An clandeſtina ſponſalia, quæ nullo teſte fiunt, ſint valida?

46 Sponſalia per procuratorem sũt valida.

REſpondeo & Dico Primò: Spõſalia per Procuratores contracta, ſunt valida. Ratio eſt: quia ad rationem contractuum iure naturæ non requiritur, niſi conſenſus partiũ vltro citroque expreſſus: quæ expreſſio, ſicut verbis coram, ita litteris & internuntijs inter abſentes fieri poteſt.

Si procurator ignoret mutatum domini conſenſum.

Dico Secundò: Si miſſo Procuratore dominus reuocet conſenſum, idque Procuratori non innoteſcat ante contractum initum nõ erunt quidem ſponſalia, tenebitur tamen dominus ſeruare id quod ipſius nomine per Procuratorem actum eſt. Probatur: quia Ius gentium eſt, pacta per Procuratores inita conſtringere.

Si ſciat.

Dico Tertiò: Si Procurator intellexit mutatam eſſe domini ſui voluntatẽ, dominus pactis nõ tenetur. Ratio eſt, quia omnis poteſtas illi ablata fuit, nec potuit ipſius nomine agere.

Sponſalia clandeſtina ſunt valida.

Dico Quartò: Clandeſtina ſponſalia, quę nullo teſte fiunt, ſunt valida, ſemperque valida fuere. Nam Concil. Trident. quod ſolum obſtare poſſe videtur, tantummodò clandeſtina matrimonia irritat: ſponſalibus in vigore Iuris antiqui relictis.

DVBIVM IV.

Quemodo contractus ſponſalium obliget? Et, An Eccleſia poſſit cogere eum, qui ſponſalia contraxit, vt promiſſum impleat?

47 Sponſalia obligant ſub mortali.

REſpondeo & Dico Primò: Contractus ſpõſalium obligat ſub peccato mortifero ad ſui impletionem: non tamen ad ſolutionem pœnæ, ſi qua contractui fuit appoſita Eſt certa.

Prior pars patet; Quia omnis contractus iuſtus vltro citroque initus, id eſt, vtrique parti oneroſus, in re graui obligat ſub peccato mortifero: eſt enim veluti lex quædam iuſtitiæ, quàm ſibi vterque imponit ſub onere alterius.

Non obligant ad pœnam.

Altera pars patet; Quia Iure vetitum eſt, ne ſponſalium contractui pœna apponatur: Imò Ius irritat pœnæ ſoluendæ obligationem, idque ob matrimonij libertatem; vt patet Capit. *Gemma*, de Sponſalibus.

Obligant vt perdatur arrha.

Permittit tamen Ius tradi arrhas, cum pacto vt perdantur ab eo, qui ſine iuſta cauſa reſiliereit; vt patet L. vltima. Codice de Sponſalibus. Ratio diuerſitatis eſt; tum quia non tã facilè datur arrha, quàm promittitur pœna: tum quia arrha iã tradita eſt; vnde ſi reſilias, nihil amittis, niſi quod iam tradideras, quod non multum videtur adimere libertatis matrimonio. Aduerte tamen, Si arrha nõ ſit tradita.

si arrha non ſit tradita, ſed promiſſa ſolùm, ſi reſilias, non debes ſoluere; vt docet Couarr. 2. parte de Sponſalibus cap. 3. §. 7. nn. 8. & ſequentibus.

49 Eccleſia poteſt cogere vt ſpõſalia impleãtur.

Dico Secundò: Eccleſia abſolutè poteſt cogere eum, qui ſpõſalia contraxit, vt promiſſũ impleat; cùm ille ex iuſtitia ad hoc obligetur. Quod intelligo, niſi ille perfectiora meditetur. Plerumque tamẽ id non expedit; vt patet Cap. *Requiſiuit*, de Sponſalibus, vbi Lucius III. dicit, eum qui iurauit contrahere cum aliqua, debere potiùs moneri, quàm cõpelli; quia matrimonia coacta non ſolent habere bonos exitus; vt vbidem ait. Cõfeſſor tamen debet huiuſmodi denegare abſolutionẽ, eò quòd

tò quòd sit in malo statu. Quòd si nõ sit notabile periculum futuro matrimonio, expedit adhibere cohibitionem aliquam, etiam vsque ad excommunicationem. Vide Couar. 1. p. c. 4. n. 4. & 5.

DVBIVM. V.

Quibus modis sponsalia dissoluantur?

49
1. Dissoluuntur vtriusque partis consensu.

REspondeo: Multis modis sponsalia posse dissolui, Primò: Vtriusque partis consensu, quãuis vtrumque sint iurata. Patet Cap. 2. *de Sponsalibus*. Ratio est: nã *ex quibus causis res dissoluitur, quibus contrahitur*: intellige, *si per se solubilis sit*. Patet hoc in alijs contractibus. Nec Obstat iuramentũ, quia est conditionatum, nempe in fauorem partis, cui fauori pars potest cedere. Vna tamẽ est hic exceptio, quãdo vterque vel alter impubes cõtraxit: tunc enim ante pubertatem non possunt ea dissolucre, etsi vtriusque cõsensus adsit. Patet Cap. *De illis*, priore, *de Despõsatione impuberum*, idque Iura statuerunt ad occurrendum puerorum leuitati & inconstantiæ.

50
2. Religionis ingressu.

Secũdò: soluuntur spõsalia, Religionis ingressu. Patet, quia matrimonium ratum sic dissoluitur, vt habemus Cap. *Ex publico*, de conuersione coniugatorum: ergo multo magis sponsalia.

Dices: Cap. *Cõmissum*, de Sponsalibus, habetur, cum qui sponsalia iurauit, & postea ad Religionẽ vult transire, tutiùs facturũ si primùm contrahat matrimonium, & tunc Religionẽ ingrediatur: sic enim vtrique obligationi satisfacturum.

Respondeo: Talem tutiùs facturum opinione vulgi, cui alioquin videbitur violare iuramẽtum; non rei veritate: nam verè nũ tenetur cõtrahere. Ratio est; quia status perfectionis in sponsalibus semper cẽsetur tacitè exceptus. Nec refert, quòd iuramento confirmata sint; quia iuramentum intelligitur iuxta naturam promissionis, super quã cadit. Si igitur promissio sponsalium habet hanc tacitam exceptionem, iuramentum confirmat eã dumtaxat cum hac exceptione. Addo, quòd iniuriam quandam puellæ faceret, qui eam duceret animo mox deserendi.

Non est expectãda professio.

Petes Primò: An ad dissolutionem sponsalium in hoc casu sit expectanda professio, sicut in matrimonio rato?

Respondeo: Non esse expectandam: nam hoc ipso, quo sponsus ingreditur Religionem, renuntiat sponsalibus; similiter hoc ipso, quo Ordinem sacrũ recipit; grauissimũ enim esset, si puella teneretur postea nubere illi, qui cappam gestauit; hoc enim illi esset in sæculo ignominiosum.

An votum castitatis perpetuæ in sęculo seruandæ dirimat sponsalia?

Petes Secundò: An votum castitatis perpetuæ ante sponsalia emissum dirimat sponsalia?

Respondeo: Certum est votum castitatis perpetuæ ante sponsalia emissum dirimere spõsalia sequentia. Patet Cap. *Rursus*, ex Cælestino III. titulo *Qui Clerici vel vouentes*. Ratio est, quia prior promissio est seruanda. Imò sponsalia illa sequentia post votum sunt irrita, quia sine peccato seruari nequeunt.

De voto autem post sponsalia emisso, duplex est sententia. Prior est, non licere tale votum emittere; & si emittatur, spõsalia per hoc non dirimi. Ita Nauar. c. 22. n. 25. & Palud. dist. 27. q. 1. a. 5. Altera est, absolutè licitum esse emittere huiusmodi votum castitatis, & sponsalia antecedentia per illud dirimi, siue emittatur susceptione Ordinis sacri, siue in nudo cælibatu. Ita Dom. Soto dist. 27. q. 2. art. 5. Richardus eãdem dist. art. 10. qu. 4. in fine; quæ sententia est verior. Ratio est; quia status perfectionis vitæ semper censetur exceptus.

Tertiò: Dissoluũtur sponsalia propter affinitatẽ superuenientem inter sponsum & sponsã: Cap. *Ex litteris*, & Cap. *Veniẽs*, titulo *De eo qui cognouit consanguineã vxoris*: vt si spõsus cognosceret sororem sponsæ: neque enim posset cum sponsa contrahere, quia esset illi affinis in primo gradu: neque cum eius sorore, propter impedimentum publicæ honestatis, quod ex sponsalibus ortum est.

52
3. Si superueniat affinitas.

Quarto: Sponsalia dissolui possunt ex superueniente fornicatione alterius partis, volente parte innocente. Patet Cap. *Quemadmodũ*, de Iure iurando. Nec refert, quòd fortasse sponsa per vim corrupta sit, vt notat Glossa in illud Capitulum, & passim Doctores. Quia non tenetur sponsus bigamiæ vitium contrahere nondum præstito consensu coniugali; quod vitium incurreret, si eam duceret. Vide Couar. 1. p. c. 5. n. 2. Sub fornicatione etiam intelligitur hæresis & apostasia: vt patet Cap. *Non solùm*. 28. qu. 1.

4. Si superueniat fornicatio.

Quid si præcesserit fornicatio.

Dices: Quid si fornicatio præcessit sponsalia, & in contractu fuerit ignorata?

Respondeo: In hoc casu verius esse fornicationem puellæ, si à viro ignorata fuerit, dirimere sponsalia: viri autem fornicationẽ non dirimere. Ratio est, quia fornicatio in femina est res infamis, & veluti ingens vitium in mercibus, quod emptorem meritò facit inuitum. In viro fornicatio non cẽsetur infamis, etsi coram Deo sit culpa mortalis. Vnde, si præcedat, non dirimit sponsalia: sed solùm, si sequatur. Nec obstat Capitulum *Quemadmodũ*, vbi Innocentius ait, *Si quis iurauit aliquã ducere in vxorem, non potest ei obijcere præcedentem fornicationem*; quia loquitur in casu, quando fornicatio puellæ erat cognita, vel facile cognosci poterat à viro ante contractum.

52
5. Si alteruter lõgè abierit.

Quintò, Possunt dissolui ob alterius in longinquam regionem discessum parte non monita: Patet Cap. *De illis*, de Sponsalibus, vbi dicitur, *Mulieribus relictis ad alia vota licitum esse transire, si sponsus discesserit in remotas terras.*

Notandum: Ius ciuile statuere, si sponsus discesserit extra Prouinciã, vt sponsa expectet triennium. Patet lege 2. Cod. *de Repudijs*. Si autem intra Prouinciam, expectet biennium: lege 2. Cod. *de Sponsalibus*: quam legem quidam existimant obligare in conscientia. Ita Hostiensis & Ioannes Andreas in dictam Capitulum *De illis*, & Siluester verbo *Sponsalia* quæst. 10. Sed verius est non obligare, vt docet Panormitanus, Cardinalis, & alij. Vide Couar. 1. parte cap. 5. nu. 7. & Dominicum Sotum dist. 27. qu. 2. art. 5 Probatur, Tum quia Cap. *De illis*, loquitur absolutè sine temporis præscriptione, tum quia sponsus videtur sponsalibus renuntiasse, dum non monitã sponsã longè abit. Quòd si ex causa iusta illi discedendum sit, Iudicis Ecclesiastici erit tempus præscribere, quo si non redierit, contrahere cum alio sponsæ liceat.

53
6. Si matrimonium cum alio contrahat.

Sextò, Dirimuntur sponsalia, quando is, qui cum aliqua contraxit sponsalia, postea contrahit matrimonium cum alia per verba de præsenti: matrimonium enim superueniens dirimit sponsalia antecedentia. Capitulo *Si inter virum*, & Capitulo *Sicut*, de Sponsalibus.

An priora sponsalia dirimãtur per secũda?

Petes, An priora sponsalia dirimantur per secunda.

Respondeo: Non dirimi, quamuis secunda essent iurata, & prima simplicia. Ratio est: quia secunda sunt illicita: nam prioribus fit iniuria, vnde iuramentum non obligat.

Aduerte tamen Primò: Si accesserit consum-

matio ex affectu maritali cum secunda, trãsibunt illa spõsalia in matrimonium. Ratio est: quia hoc opus cum his circumstantiis est sufficiens signum expressiuum consensus maritalis de præsenti, vt infra dicemus: sicque dirimentur priora sponsalia, non per secunda sponsalia, sed per matrimonium: quod intellige ante decretum Concilij Tridentini.

Aduerte Secundò: Si impetrauit vsuram corporis cum secunda, probabilius est dissolui priora sponsalia, modò ipsa nihil de prioribus sciuerit, etsi Couarruuias & quidam alij contra sentiant. Ratio est: quia sub promissione matrimonij damnum intulit secundæ, quod non potest aliter compensari nisi matrimonio, nec ipsa tenetur aliam compensationẽ admittere. Confirmatur à simili: quia qui promisit alicui mille, & deinde contingit inferre alteri damnum æstimatum mille, si vtrique nequit satisfacere, tenetur saltem damnum cõpensare, omissa impletione promissorum: ergo similiter hîc. Est enim obligatio illa superueniẽs ex delicto seu damno illato multò maior, quàm obligatio sponsalium, quæ solùm est ex promissione seu stipulatione; quia vtrobique sit promissio: vnde illa cẽsetur excepta in contractu sponsaliũ. Dirimuntur itaque hoc casu sponsalia priora, non per sponsalia secunda, sed per damnum illatum secundæ, seu per obligationem damni sarciendi.

Dixi, *Modò illa nihil sciuerit de prioribus sponsalibus*: nam si sciuit ipsum alteri obligatum, sibimet imputet quod vsuram corporis permiserit.

54 7. Si cõtracta sponsalia ante pubertatem. Septimò, Dissoluuntur, quando contracta sunt ante pubertatẽ alterius vel vtriusque, & alteriam impleta pubertate, vult rescindere, quamuis sine causa: tunc enim priuilegio Iuris dissoluuntur, idque non tantùm in foro exteriori, sed etiam in foro conscientiæ. Patet Cap. *De illis*, de Desponsatione impuberũ. Quod intellige, nisi esset iurata ab impubere: tunc enim ratione iuramenti non posset ea postea rescindere; vt rectè Couarr. 1. p. c. 5. §. vnico nu. 4. Si tamen impubes cum pubere cõtraxit, puber non potest resilire, sed solus impubes. Vnde claudicat hic contractus, sicut contractus Maioris cum Minore, seu cum Pupillo sine auctoritate Tutoris, qui datur vsque ad annum pubertatis: vel sine auctoritate Curatoris, qui datur vsque ad annum 25. Potest enim Minor dissoluere contractum, non autem Maior. Vide Couarr. suprà num. 5.

55 8. Si quid superueniat quod partẽ reddat inuitã. Octauò, Dissoluuntur sponsalia in omni euentu, seu casu superueniente, qui meritò alterũ contrahentiũ reddat inuitum. Ita Nauar. c. 22. n. 27. Ratio est; quia omne tale incommodum censetur in illo contractu tacita contrahentium mente exceptum. Talia multa exptimuntur in Iure: vt lepra, vel cancer, vel similis morbus incurabilis alteri superueniẽs, inimicitię inter familias exortę, paupertas superueniens, crudelitas sponsi, mores praui. Neque tãtùm possunt dirimi spõsalia, dum hæc post contractum incidunt; sed etiam dum antecedunt, & in contractu fuerunt ignorata: vt rectè docet Sotus dist. 27. q. 2. a. 5. Nam eadem est ratio; cùm meritò æquè reddant inuitam partem.

DVBIVM VI.

Vtrùm sponsalia sine Iudicis auctoritate possint dissolui?

56 Dico Primò: Si altera pars Religionem ingrediatur, vel matrimonium cum alio contrahat, ipso facto sponsalia sunt dissoluta.

Dico Secundò, In aliis casibus, vbi non dissoluuntur ipso facto, si quidẽ sint occulta sponsalia, non opus est Iudicis auctoritate vt soluantur.

Dico Tertiò: Si sint publica sponsalia, sicut esse debẽt, & causa quoque dissoluendi sit publica, non est etiam necesse Iudicis auctoritatem adhibere.

Dico Quartò: Si sponsalia sint publica, & causa sit occulta, nec possit probari apud Iudicem, non est etiam opus Iudicis auctoritate; vt si sponsa sit occultè fornicata: hîc tamen prudenter cauendum est scandalum.

Dico Quintò: Si causa probari potest, sed inde sequeretur grauis infamia, vt in casu fornicationis, non est etiã auctoritas Iudicis interponenda.

Dico Sextò: In aliis casibus opus est Iudicis auctoritate.

DVBIVM VII.

Quomodo sponsalia transeant in Matrimonium?

Respondeo: Sponsalia transire in matrimonium per omnia signa externa exprimentia consensum de præsenti. Debet tamen reuerà in vtroque esse talis consensus, saltem virtualis, alioqui nulla signa externa sufficient, quamuis ex ipsis in foro externo poterit præsumi esse matrimonium. 57

Signa autem ista sunt varia. Primum: *Verba de præsenti*; de quibus nullum est dubium. 1. Per verba de præsenti.

Secundũ: *Copula affectum maritali post sponsalia tẽtata*; vt patet ex Capitulo, *Is qui fidem*, de Sponsalibus, estque communis sententia Doctorum. Ratio est, quia contractis sponsalibus copula superueniens per se est sufficiens signum expressiuum consensus in matrimonium; idque ex naturali rei conditione, non ex Iure statuto vel præsumptione. Non enim Ius facere potest vt aliquod signum sit expressiuum aut non expressiuum consensus, sed hoc pendet ex conditione naturali signorum. Hîc tamen 58 2. Per copulam affectu maritali tentatam.

Notandum est Primò: Hoc signum non esse sufficiẽs, nisi vtraque pars liberè se aptet ad hunc complexum. Si enim sponsa importunitate quodammodò cogatur, non satis declarauit consensum maritalem, sed potiùs videbitur complexus fornicarius.

Notandum Secundò: Hæc, & sequentia, intelligenda esse secundùm Ius antiquum, vel vbi decretum Concilij Tridentini non est promulgatum: nam vbi hoc decretum semel promulgatum est, ibi non possunt vllo modo sponsalia per copulam carnalem in matrimonium transire: eò quòd ad matrimonij contractum requiratur præsentia Parochi & duorum testium. Vnum tamen casum excipio, nempe quando matrimonium fuit contractum coram Parocho & testibus, sed fuerat occultum impedimentum ex defectu ætatis, eò quòd altera pars non peruenisset ad pubertatem: tunc enim, sublato impedimento per accessum legitimæ ætatis, sponsalia illa per copulam transeunt in matrimonium. Vbi enim semel Parochus & testes adfuerunt matrimonio præsumpto, non necesse est ampliùs adesse, vt declarauit Pius V. An hoc locũ habeat post Concilium Trid

Tertium signum est *Conatus ad copulã*: per hunc enim sponsalia transeunt in matrimonium, quidquid aliqui senserint, inter quos Nauarrus & Sotus. Probatur: Quia conatus ad copulam, quando fit vtriusque pleno consensu, non minus est 59 3. Per conatum ad copulam.

ſignum expreſſiuum conſenſus in matrimonium, & affectûs maritalis, quam copula conſummata: quod enim hic non conſummetur, non ex illorũ voluntate pendet, ſed ex aliquo naturali impedimento. Itaque hic defectus cùm ſit omnino præter illorum voluntatem, non impedit, quin ille conatus ſit ſufficiens ſignum conſenſus: vnde facit, vt etiam ſponſalia contracta per verba de futuro, in matrimonium tranſeant. Dices: Capitulo vltimo *de ſponſalibus*, dicitur conatum non ſufficere, niſi adſit copula. Reſpondeo: Hoc intelligi debet de conatu, qui ſit inuita & repugnante ſponſa: hic enim non ſufficit; vt ſponſalia tranſeant in matrimonium; quia non exprimit conſenſum.

60 4. Per oſcula & tactus.

Quartum ſignum: *Etiam oſcula & tactus* aliquando ſufficiunt, vt ſponſalia, quæ per verba de præſenti cõtracta ſunt inter impuberes, tranſeat in matrimonium; nempe ſi poſtquam ad pubertatem venerint, ſimul habitẽt, & talia viciſſim permittant qualia inter ſolos coniuges ſolent. Ita Siluester, *Matrimonium* 2. queſt. 16. Probatur ex Capitulo vnico *de Deſponſatione impuberum* in 6. vbi dicitur, *Matrimonium contractum per verba de præſenti inter impuberes, ſolùm habere vim ſponſaliũ; tamen lapſu temporis vſque ad pubertatem conualeſcere per copulam, aut per aliquem alium modum.* Vbi per *aliquem alium modum* videtur hunc modũ cõplecti, vt explicat Gloſſa: nam hic modus ſatis explicat eos continuare affectum maritalem, quem ab initio cùm contraherent, habuerunt.

Aduerte tamen hoc ſignum non ſufficere, vt ſponſalia, facta per verba de futuro, in matrimonium tranſeant: nam in his non ſignificat perſeuerantiam affectus mari talis, qui nunquam fuit, ſed potiùs perſeuerantiam affectus futuri matrimonii. Si tamen reuerà ſponſi, qui contraxerunt per verba de futuro, oſcula & tactus inter ſe permittant affectu maritali, reuerà illorum ſponſalia tranſibunt in matrimonium; quamuis ex hoc nudo ſigno in foro externo contrarium iudicabitur, eò quòd hoc ſignum per ſe non ſufficiẽter exprimat conſenſum maritalem in huiuſmodi ſponſis. Vide Siluestrum ſuprà.

61 5. Petractio Sponsæ.

Quintum Signum: *Solemnis traductio ſponſæ in domum ſponſi* eſt etiam ſufficiens, vt ſponſalia in Matrimonium tranſeant. Vide Couar. 1. parte cap. 4. §. 2. & colligitur ex lege *Mulierem*, ff. *de ritu nuptiarum*. Ratio eſt, quia hæc traductio eſt ſignum expreſſiuum affectus maritalis.

An & per ſubarrhationem per annulum?

Subarrhatio per annulum non eſt per ſe ſufficiens ad hunc effectum, niſi alia ſigna acceſſerint; etſi Courtiuius contrarium inſinuet. Ratio eſt, quia inter ſponſos de futuro, ſæpè ſolet intercedere, vt dent annulum alter alteri; vnde per ſe nõ ſignificat affectum maritalem.

CAPVT IV.

De conſenſu neceſſario ad Matrimonium?

DVBIVM I.

Qualis Conſenſus ſit neceſſarius ad Matrimonium?

62 Conſenſus debet eſſe liber.

REſpondeo: Ad matrimoniũ Neceſſarius eſt conſenſus liber, de præſenti, aliquo ſigno externo expreſſus. Prior pars patet ex cap. *Cùm locum*. & Cap. *Tuę fraternitati*, de Sponſalibus & Cap. *Sufficiat*. & Cap. *Si quippe*. 27. qu. 2. Ratio eſt; tum quia Matrimonium impedit Chriſti conſilia, ſeu ſtatum perfectionis, quæ, ſicuti nemo cogi poteſt vt complectatur, ita neque vt ſe ad ea reddat inhabilem: tum quia coactio repugnat Matrimonij bonis; non enim ſeruabitur fides & amor coniugalis.

Dices; Poteſt quis rapi in ſeruitutem inuitus: ergo ſimiliter poterit inuitus iungi matrimonio.

Reſpondeo: eſſe diſparem rationem: ſeruitus enim eſt pœna, quæ propter peccatum infligi poteſt, ſtatus autem Matrimonij nõ eſt pœna, ſed iure naturali eſt ſtatus liber. Præterea, ſeruitus naturâ ſuâ non eſt inſolubilis, ſicut Matrimonium; nec requirit amorem inter ſeruum & Dominum, vt matrimonium inter coniuges.

Hinc ſequitur, neminem qui vſu rationis careat, poſſe matrimonium cõtrahere, quia non habet liberum conſenſum.

Altera pars, ſcilicet *Hunc conſenſum debere eſſe expreſſum*: Patet, tũ quia Matrimoniũ eſt Sacramentum, quod in ſigno externo conſiſtit: tum quia eſt contractus inter homines, qui humano more ſine ſigno externo fieri nequit; aliter enim mutui conſenſus non innoteſcunt. Et exteriùs expreſſus.

DVBIVM II.

Vtrùm nullo modo ſine Conſenſu poſſit fieri Matrimonium?

63 Non poteſt id fieri humana auctoritate,

REſpondeo: & Dico Primò: Nulla humana, auctoritate fieri poteſt matrimonium ſine conſenſu, ſiue vt eſt Sacramentum, ſiue vt eſt vinculum. Ratio eſt, quia Eccleſia nõ habet abſolutum ius & dominium in hominum corpora, præſertim ad actum Matrimonij: cuius ſignum eſt, quòd Eccleſia non poſſit coniugia ſeparare quoad vinculum, etſi coniuges velint: ergo multò minùs poterit ea coniungere, ſi ipſi nolint.

Fieri id poteſt auctoritate diuina.

Dico Secundò: Per abſolutam Dei potentiam fieri poteſt vinculum coniugale ſine conſenſu coniugum. Ratio eſt; quia Deus poteſt tui corporis poteſtatem dare alteri, non minùs quam tu ipſe, ac proinde non minùs eris obligatus alteri ad officium Matrimonij, quàm ipſe conſẽſiſſes. Hic tamen nullus erit contractus, de cuius ratione eſt conſenſus contrahentium. Poteſt tamen eſſe contractus Matrimonij per diuinam potentiã ſine ſigno externo, ſi mutui conſenſus vltro citroque contrahentibus per reuelationem innoteſcant: nam ſigna externa non requiruntur in contractibus, niſi vt conſenſus viciſſim innoteſcant, etſi Sotus contrariũ tenere videatur diſt. 27. queſt. 1. art. 3.

DVBIVM III.

Vtrùm in matrimonio duo illi conſenſus debeant ſimul concurrere?

64 Conſenſus non debent ſimul actu exiſtere;

REſpondeo, & Dico Primò: Non eſt neceſſe, vt duo illi conſenſus ſimul actu exiſtentes concurrant. Vt patet in Matrimonio contracto per litteras vel procuratores. Idẽ cernitur in aliis contractibus. Satis enim eſt, vt ſe viciſſim determinent; quod fieri poteſt, etiamſi alterius conſenſus diu præceſſerit, alterius poſtea ſequatur, modò tamen prior nullo modo ſit reuocatus aut obliuioni traditus. Ratio eſt: quia is, qui prior conſenſit, etiamſi nunc actu non conſentiat, nec de eo cogitet, cenſetur tamen virtute in eodem

consensu persistere, quamdiu tacitè vel expressè non renocauit.

Si pars cõsensum simulauit.

Dico Secundò: Si sponso consentiente, sponsa non consentit; vel contrà; idque vel quia voluit deliberare, vel certè, quia etsi exterius simulauerit se consentire, interius tamen consensum inhibuit, potest postea consentire & contractum perficere, etiamsi sponsus nouum consensum non præstet; modò tamen dum ipse consentiret, nullum intercesserit impedimentum. Sequitur ex dictis: quia sponsus censetur in suo consensu, qui legitimus erat, perseuerare. Nec refert, quòd aliquot menses, aut etiam vnus vel alter annus interuenerint, vt rectè Sotus d. ist. 27. qu. 1. art. 3.

Si tuberat impedimẽtum.

Dico Tertiò: Si tuberat impedimentum, quando sponsus consensit, accedente postea consensu sponsæ non efficitur matrimonium, etiamsi fortè impedimentum tũc sit sublatum. Ratio est; quia sponsi consensus non cadebat in materiam legitimam: vt, si spõsæ prior maritus alibi erat superstes; sponsa enim tunc non erat apta isti coniugio quare consensus sponsi prior non potest concurrere ad contractum, sed alius de nouo præstari debet. Vide Sotum suprà.

DVBIVM IV.

Quod sit obiectum consensus necessarij ad contractum matrimonij, in quod oporteat consentire?

REspondeo & Dico Primò: Obiectum, in quod formaliter sponsi consentiunt; nõ esse ipsam copulam coniugalem, sed mutuam corporum potestatem & veluti dominium. Patet ex Cap. *sufficiat*, & sequenti, 27. qua st. 2. Ratio est;

65 Consensus hic fertur in mutuam obligationem.

quia essentia matrimonii consistit in mutua obligatione & potestate, vt suprà dictum, non in ipsa copula; ergo consensus sufficiens matrimonii, nõ est formaliter in copula. Confirmatur ex aliis contractibus: nam in domus venditione non est necesse venditorem expressè consentire, vt emptor domo vtatur, sed solùm vt potestatem seu dominium domus habeat.

Non in copulam, nisi implicite.

Dico Secundò: Implicitè tamen seu virtute, consentit in copulam: nempe, vt si coniux petat debitum, teneatur reddere. Ratio est quia qui tradit dominium rei, implicitè concedit vsum. Hinc sequitur non posse aliquid apponi in contractu, quod huic vsui repugnet; vt decent communiter Doctores, excepto Paludano dist. 30. qui putat esse Matrimonium etiamsi dicatur, *Ego te accipio in vxorem, al sque tamen debiti reddendi obligatione*; vel, *si fis parata mecum viuere in perpetua continentia.*

Sententia Paludani.

Ratio ipsius est Primò: quia Matrimonio iam perfecto cõiuges possunt se obligare, sic vt alter alteri debitum reddere non teneatur; ergo etiam ante matrimonium contractum, vel in ipso matrimonii contractu. Secundò: quia sufficit, vt contentiant in finem secundarium, scilicet in fidem & domesticam consuetudinem. Sed contrarium est tenendum; & colligitur ex Apostolo 1. ad Cor. 7. *Mulier*, inquit, *sui corporis potestatem non habet, sed vir: & contrà.* Vnde sequitur ad rationem matrimonii requiri mutuam corporis potestatem.

Soluuntur obiectiones Paludani.

Ad primam rationem Paludani: Respondeo, Matrimonio iam contracto, possunt coniuges se obligare ad non petendum vel non reddendum debitum; nam possunt se mutuo priuare vsu matrimonii per alium contractum; in ipso tamen matrimonii contractu hoc fieri nequit: quia matrimonium est contractus inducens obligationem ad reddendum debitum: nam confert alteri absolutum ius & potestatem in corpus alterius. Obligare autem se ad reddendum debitum ea lege, vt alter non possit petere, non est verè se obligare, neque est alteri verum & morale ius petẽti dare. Patet exemplo: qui enim vendit domum, saltem implicitè debet consentire, vt emptor ea vtatur si velit, alioqui non est vera venditio: & qui dat mutuũ, debet consentire vt mutuatarius eopossit vti alioqui non est mutuum; tamen post contractum possunt alio contractu conuenire, vt vti non liceat. Vide Couar. 2. parte §. 1. nu. 5.

Ad Secundam rationem: Finis secundarius non sufficit ad rationem matrimonii, sed requiritur finis primarius.

DVBIVM V.

Vitiẽt conditio posita in contractu vitiet consensum?

NOtandum Primò: In contractu interdum aliquod poni *tanquam causam*, interdum *vt demonstrationem* interdum *tanquam modum seu finem*, denique interdum *tanquam conditionem.*

66 quibus modis aliquid in contractu ponatur.

Causa non suspendit consensum, sed solùm explicat consensus motiuum: vt, *Contrabo tecum, quia es nobilis, quia dines es &c.*

Demonstratio non suspendit, sed solùm demonstrat aliquam qualitatem: vt *Contrabo tecum, quæ es dines, quæ es nobilis, filia talis.*

Modus limitat quidem aliquo modo consensum, non tamen suspendit: vt, *Contrabo tecum ea lege, vt sustentes matrem, tantam inferas dotem &c.*

67 Variæ conditiones in contractibus.

Conditio si de futuro sit, suspendit consensum: vt, *Contrabo tecum, si sufficientem dotem dederit pater.* Si autem sit de præsenti, vel de præterito, non suspendit.

Notandum Secundò: In contractibus varias posse apponi conditiones. Aliæ enim sunt necessariæ; idque vel ex natura rei: vt, *Contrabo tecum, si sol orietur cras.* Vel ex suppositione: *Contrabo tecum, si Antichristus veniet.*

Aliæ sunt impossibiles, idque vel ex natura rei: vt, *Contrabo tecum, si lunaculo excideris.* Vel ex statu contrahentis: vt si pauperculę dicas, *Contrabo tecum, si milionem aureorum numeraueris.*

Alię sunt contingentes. Quarum quædam sunt contra substantiam Matrimonii: huiusmodi sunt, quæ sunt vel *contra bonum prolis*; vt, *Contrabo tecum si sterilitatem procuraueris: si partum abiges.* Vel *contra fidem*: vt *si te adulterandã tradideris*, quidquid dicat Angelus, contra quem agit Couarruuias n. 2. Vel *contra indissolubilitatem*, seu contra rationem Sacramenti: vt, *Contrabo tecum vsque ad mortem parentum.*

Aliæ verò non sunt contra substantiam. Quarum quædam sunt turpes, quędam honestę. Vide plura apud Couar. 2. parte cap. 3. §. 1. nu. 1. 2. 3. His positis.

Respondeo, & Dico Primò: Conditiones necessariæ non vitiant consensum, etiamsi sint de futuro. Ratio est; quia æquiualent præsenti. Perinde enim est dicere, *Contrabo tecum si sol orietur cras, & contrabo tecum si est certum & determinatum quod orietur*: at qui præsens cõditio non suspendit contractum: ergo &c.

68 Conditio necessaria nõ suspendit nec vitiat consensum.

Notandum: Glossam in Cap. *Per tuas*, de Conditionibus appositis, existimare Matrimonium suspendi donec conditio impleatur. Sed contrarium est verius, vti ratio allata probat. Si tamen contrahens expressè intenderet modificare suum

Digitized by Google

consensum ad tempus futurum, neque antea vellet contractum esse validum, tunc ratione intentionis suspenderetur: sed hoc est præter naturam talis conditionis. Eadem est ratio conditionis, quæ ex suppositione est necessaria, idque ob certitudinem diuinæ reuelationis, propter quam censetur esse præsens.

69 Impossibilis an, & quãdo vitiet.

Dico Secundò: Conditio impossibilis vitiat consensum, nisi ioco sit addita. Probatur: quia hæc conditio significat potiùs dissensum, quam consensum; vt patet ex modo communi loquendi, &c. ex cæteris contractibus. Dixi, *nisi ioco, si addita*, propter Cap. vltimum, de Conditionibus appositis, & communem Doctorum sententiam, qui docent *conditiones impossibiles non vitiare consensum aut contractum*, eò quòd *habeantur pro non adiectis*: hoc enim non potest aliter rectè intelligi, quàm *tunc haberi pro non adiectis*, quando ex circumstantijs præsumitur esse ioco additas. Vide Cauarr. 2. parte cap. 3. §. 2.

70 Conditio, quę est cõtra substãtiã, vitiat.

Dico Tertiò: Conditiones, quæ sunt contra substantiam, seu cõtra bona Matrimonij, vitiant consensum. Patet Cap. vltimo, de Conditionibus appositis. Ratio est: quia cùm Matrimonium essentialiter includat obligationem ad tria suprà dicta, scilicet ad reddendum debitum in ordine ad concipiendam prolem, ad seruandam fidem, & insolubilem coniunctionem, substantia ipsius euertitur, si quis obligetur ad aliquid quod his repugnet. Sicut si quis profiteatur Religionem ea lege, vt non teneatur obedire Prælato, vel vt possit vti vxore, vel retinere proprium, irrita est professio; quia continet conditionem, quæ est contra substantiam Religionis.

Si habeat animũ non reddendi debitum.

Dices Primò: Quid si quis in contractu haberet animum non reddendi debitum, vel non seruandi fidem, estne irritus contractus?

Respondeo: Si intendat se obligare ad ea, quæ sunt matrimonij, valet matrimonium, quamuis animus ea præstandi desit. Ratio est: quia essentia vinculi Matrimonialis consistit in obligatione ad tria suprà dicta, non autem in proposito ea præstandi: sicut votum, quod quis vouet sine animo explendi, validum est, modo verè intendat vouere seque obligare. Quòd si interius non consentiat in obligationem, etsi verba exterius proferat, irritum est siue votum, siue Matrimonium: pendent enim contractus ex consensu.

Conditio de præsẽti nõ vitiat.

Dices Secundò: Quid si conditio illa contra substantiam seu bona matrimonij adiecta, sit de præsenti.

Respondeo, Tunc non vitiabit matrimonium, vt rectè Couarr. 2. parte, cap. 5. §. 1. nu. 12. modò non obliget se ad aliquid futurum, quod sit contra Matrimonij bonum: vt si dicat, *Contrahotecum, si procurasti tibi sterilitatem, si es adultera*, validum est Matrimonium, si conditio insit.

71 Turpis, vel honesta, si sit de futuro suspendit matrimoniũ.

Dico Quartò: Conditio turpis, quæ non est contra substantiam, si sit de futuro, suspendit matrimonium: vt, *Contrahotecum, si mecum furari volueris*. Probatur: Quia, si seriò addatur, indicat non adesse consensum, nisi ipsa posita: ergo suspendit. Si autem sit de præsenti, non suspendit, sed est Matrimonium, si insit. Non est, si non insit. Nec obstat, quòd Cap. *Finali* dicitur, *conditionem turpem cen seri pro non adiecta*: Hoc enim intelligẽdum est, si aliunde constet non esse seriò additam; sicut dictum est de conditione impossibili. Quod si seriò sit addita, ante impletam conditionem non erit coram Deo Matrimonium, quidquid tandẽ præsumatur aut iudicetur in foro externo.

Dico Quintò: Conditio honesta de futuro suspendit Matrimonium. Patet ex Cap. *super eo*, de Conditionibus appositis. De præsenti non suspendit. Sed est

DVBIVM. VI.

Vtrùm iste consensus per verba de præsenti, cum conditione de futuro, faciat Matrimonium simul ac ponitur conditio: An verò requiratur nouus consensus expressus de presenti?

72 D. Thomas requirit nouum cõsensum.

PLerique Doctores docent requiri nouum consensum. Ita D. Tho. hîc qu. 47. ar. 5. Ioannes Maior dist. 27. qu. 4. Victoria Relectione *de Matrimonio*. Sotus dist. 29. q. 2. art. 1. Couar. 2. parte cap. 3. nu. 5. in principio.

Canonistæ negant.

Verùm communis sententia Canonistarum est in contrarium; vt idem Couarruuias testatur; quam etiam tenet Nauarr. cap. 22. num. 63. Siluester *Matrimonium* 3. §. 6. Paludanus dist. 29. q. 4. a. 4. Gabriel dist. 28. in fine.

73 Sententia auctoris.

Respondeo: Si contrahentes exprimant, vel saltem intendant, vt contractus firmus sit posita conditione sine alio consensu, probabile est esse matrimonium statim posita conditione. Tenent Auctores secundæ sententiæ. Ratio est: nam in cæteris contractibus sub conditione initis, videmus eos statim conditione posita esse validos: ergo idem censendum de contractu matrimonij: neque enim est vlla ratio, cur illi validi sint, hic non sit.

1. obiectio quòd sacramẽtũ non possit pẽdere ex ditione futura.

Dices Primò: Hic contractus est Sacramentum at Sacramentum nõ potest esse pendens; vt patet in aliis Sacramentis: non enim Baptismus incipit esse Sacramentum ex aliqua conditione futura; sed statim, dum fit, est, vel non est Sacramentum. Confirmatur: quia si contractus incipit esse Sacramentum posita conditione, incipit tunc esse Sacramentum, quando non amplius est; quod est absurdum.

Soluitur & negatur.

Respondeo: Ratio Sacramenti debet sequi naturam rei, in qua ponitur. Quare, cùm hoc Sacramentum ponatur in contractu, debet sequi naturam contractus. Dominus enim nihil mutauit circa contractum Matrimonij, sed solùm constituit vt omnis talis contractus legitimus inter fideles initus, esset Sacramentum, vt suprà dictum est ex Concilio Tridentino. Vnde, si postea conditione posita cõtractus Matrimonij efficitur validus (sicuti videmus in aliis contractibus) oportet etiam tunc sit Sacramentum: alioqui dabitur contractus coniugij inter fideles, qui non sit Sacramentum. Vnde nego Sacramentum non posse esse vllo modo pendens ex cõditione futura, quãdo illa conditio est veluti pars & complementum illius signi sacramẽtalis. Simile est in sacramento Confessionis, quod pendens est in ratione sacramenti, donec absolutio accedat, quæ interdum post multos dies accedere potest: quã posità confessio primùm habet rationem Sacraméti, estque causa gratię. Simile queq; esset si Deus instituisset sacramentum Baptismi, vt conferret gratiam postridie, idque sub aliqua conditione futura; videlicet si homo tunc ratũ haberet quod antè susceperat. Tunc enim Baptismus non esset sacramentum absolutè, nisi posita illa prædicta conditione; sed tantisper esset Sacramentum pendẽs & conditionatum: posita tamen illa conditione, sine alia actione fieret signum absolutum & causa absoluta. Multò autem facilius id fieri potest in cõtractibus, qui sicut possunt esse causa sub conditione, ita etiam possunt esse signa sub conditione,

A similiũ.

vt manifeſtum eſt ſi contractus ad obligationem quam efficit, comparetur. Quòd ſi id fieri poteſt reſpectu obligationis, cur nõ etiam reſpectu gratiæ? Fateor tamen, id, quod omnino completum eſt, non poſſe eſſe pendens, ſed neceſſariò tũc habere rationem Sacramenti, dum aliquid eius eſt, vel nunquam: fieri enim nequit, vt poſtquam nihil eius eſt, incipiat eſſe Sacramentum, vt ſuprà dictum eſt. Ad confirmationem ſuprà poſitam:

Reſpondeo Negando Conſequentiam: Contractus enim ille adhuc aliquo modo eſt, cùm incipit exiſtere conditio; nam conditio eſt pars contractus, pertinens ad eius ſubſtantiam: conditio enim impleta, ſi iungatur verbis contractùs, ſignificat præſentem conſenſum.

74 2. obiectio ſoluitur. Dices Secundò, Capitulo *Pertuæ*, de Conditionibus appoſitis, Pontifex talem contractum matrimonij ſub conditione initum vocat ſponſalia: ergo non eſt Matrimonium.

Reſpondeo: Vocat ſponſalia ante impletam conditionem, non autem poſt impletam.

3. obiectio Dices Tertiò, Capitulo *Super eo.* eodem titulo, Vrbanus dicit, eos qui contraxerunt ſub conditione, *Si pater conſenſerit*, non eſſe cogendos ad contrahendum Matrimonium, niſi poſita conditione: ergo ſentit nondum eſſe Matrimonium. Et confirmatur. Nam ibidem dicit *eũdem conſenſum non eſſe habendum de præſenti, qui licet per verba de præſenti euidenter exprimatur in alieno tamen arbitrio nondum habito ponitur.*

Soluitur. Reſpondeo: Fateor non eſſe Matrimonium ante poſitam conditionem, imò nec vim ſpõſalium habere abſolutè loquendo; & ideò non eſt quis cogendus: impleta autem conditione cogendus eſt, vt ſtet contractui. Vide Gloſſam in illa duo Capitula. Ad Confirmationem: Etſi ille conſenſus non cenſeatur conſenſus de præſenti ante poſitam conditionem, eâ tamen poſitâ cenſetur eſſe de præſenti, vt rectè notat Gloſſa: exiſtentia enim illius conditionis iuncta verbis contractus, ſignificat præſentem conſenſum in Matrimonium; ſicut enim conſenſus poteſt ſignificari verbis, ita etiam ſignificari poteſt aliquo ſigno externo ad id inſtituto ex conuentione contrahentium.

4. obiectio Dices Quartò: Si quis contraxiſſet hoc modo cum vna: *Accipio te ex hac tempore in meam vxorẽ, ſi pater conſenſerit*; & poſteà ante conſenſum patris contrahat abſolutè cum alia, validum erit Matrimonium cum ſecunda; & accedente conditione prioris contractus, nihil fiet cum prima: ergo prior contractus non habebat vim matrimonij.

Soluitur. Reſpondeo: Hinc rectè inferri non habuiſſe vim Matrimonij abſoluti ante conditionem impletam, imò ne ſponſalium quidem de futuro; quia ex tali cõtractu cum priore, non eſſet ortum impedimentum publicæ honeſtatis; quod tamen vera ſponſalia pariunt: vnde poſteà cum illius ſorore poſſet contrahere. Aduerte tamen eatenus hunc contractũ habere vim ſponſalium, quatenus accedente copula affectu maritali, etiam non cõpletam conditionem, tranſiret in matrimonium: vt apertè colligitur ex duobus Capitulis citatis.

Petes: Si quis contrahens cum conſanguinea in quarto gradu, dicat: Contraho tecum ex nunc

75 cõtrahens cum conſanguinea ſi Papa diſpenſauerit

ſi Papa diſpenſauerit: vtrùm poſteà conditione poſita ſit factum matrimonium, ſine nouo conſenſu?

Reſpondeo: Probabilius videri eſſe matrimonium, modò expreſsè inter illos conuenerit, vt poſita conditione cenſeatur abſolutè conſenſiſſe de præſenti. Hanc ſententiam docent plerique Iuriſperiti citati à Couarruuia p. 2. c. 3. num. 8. in principio. Addit autem Couarruuias eſſe hanc ſententiam neceſſariò conſequentem ex opinione Canoniſtarum. Et probari poteſt ratione ſuprà facta ex aliis contractibus.

Dices Primò: Iſtæ perſonæ ſunt inhabiles ad contrahendum matrimonium; ac proinde earum conſenſus non cadit in debitam materiam.

Reſpondeo: Etſi illæ perſonæ ſint inhabiles ad contrahendum abſolutè, non tamen ſunt inhabiles ad contrahendum conditionatè: ſicuti filiusfamilias etſi ſit inhabilis ad donandum abſolutè, non tamen eſt inhabilis ad donandum ſub conditione, v. g. ſi parens conſenſerit; quo conſenſu poſito donatio eſt valida ſine noua actione. Ergo pari modo hîc. Eadem eſt ratio in votis conditionatis, etiamſi ſint contra Iura: vt ſi Religioſus vouerat longam aliquam peregrinationem contra regulam; tamen ſub conditione, ſi Papa vel ſuperior conſenſerit.

Dices Secundò: Conditio quam illi adiungunt eſt contra Ius: nam non eſt in poteſtate contrahentium, & cenſeri debet impoſſibilis. Ob hanc rationem; quidam putant ne quidem ſponſalia naſci ex tali contractu, aduentu conditionis. Ita Siluеſter Verbo *Matrimonium*. 3. q. 9. & Dominicus Soto diſt. 29. q. 2. art. 1.

Reſpondeo: Conditio tunc non cenſetur impoſſibilis, quando Princeps ſolet eam concedere. Vnde cum Papa ſoleat diſpenſare in 3. & 4. gradu, cenſetur hæc conditio poſſibilis.

Adde tamen: Etſi hęc ſententia videatur probabilior & verior, tamen in praxi ſequendum eſt id quod eſt ſecurius; præſertim quando ſine difficultate fieri poteſt. Vnde qui ſub talibus conditionibus contraxiſſent, omnino inducendi ſunt, vt poſita conditione rurſum contrahunt.

DVBIVM VII.

Vtrùm conſenſus metu extortus ſufficiat ad Matrimonium?

76 Reſpondeo, Non ſufficere; ſed huiuſmodi metum irritum reddere Matrimonium, ſi ſit metus cadens in virum conſtantem, & ad extorquendum conſenſum iniquè inculſus. Patet Capitulo, *Cum locum.* & Cap. *Conſultationi*, de Sponſalibus.

Tria requiſita vt metus cadens in cõſtantẽ virũ reddat irritum matrimoniũ.

Notandum eſt Primò: Metum cadentem in conſtantem virum, eſſe metum grauis mali, qui prudentem virum meritò permoueat, v. g. ad matrimonium, tanquam ad minus malum. Talis eſt Primò: Metus mortis vel mutilationis. Secundò: ſeruitutis, verberum atrocium, longi exilij, longi carceris. Tertiò: amiſſionis ſtatus honorifici, iniquæ infamiæ Iuris, amiſſionis omnium bonorum vel maioris partis, excõmunicationis iniuſtæ & difficilis ſublatu. Quartò: Omnis metus, qui reſpectiuè grauis meritò cenſeri queat; quod prudens arbitrabitur. Quod enim eſt grauis metus puellę, vel adoleſcenti, vel ſeni, non eſt grauis viro robuſto & animoſo. Vide Couarruuiam 2. parte cap. 3. §. 4. & Nauarrum cap. 22. nu. 51.

Notandum Secundò: Hunc metum debere eſſe inculſum ad conſenſum eliciendum. Si enim aliunde proueniat, non irritat Matrimonium: vt ſi metu mortis ex tempeſtate concepto contrahas cum concubina, vel emittas votum Religionis, firmum eſt.

Notandum Tertiò: Hunc metum debere eſſe inculſum iniquè, ſaltem reſpectu huius finis. Nã ſi iuſtè incutiatur, non irritat Matrimonium; vt

ſi quis per excommunicationem cogatur contrahere Matrimonium, vel quia ſponſalia iurauit, vel propter copulam ſub promiſſione matrimonij obtentam. Item ſi lex ſit, vt qui virginem vitiauit, illam ducat, poteſt compelli etiam ſub pœna mortis. Nec obſtat, quod ait Couarruuias 2. parte. cap. 3. §. 5. nu. 7. metum irritare Matrimonium, etſi is, qui cogitur, metus cauſam dederit: quia fieri poteſt, vt quis cauſam dederit, & tamen iniuſtè cogatur; quia non cogitur abeo cuius eſt compellere: vt ſi parens inuentum adoleſcentem cum filia, cogat contrahere (habetur caſus iſte in Cap. *Veniens*) alioqui minitans accuſationem. Quamuis enim poſſit eum accuſare abſolutè, non tamen poteſt minari accuſationem eo fine vt conſenſum extorqueat: vnde hic metus eſt iniuſtè incuſſus reſpectu huius finis. Et ſic intellige Cap. *Veniens*, 2. de Sponſalibus.

DVBIVM VIII.

Vtrùm Matrimonium graui metu contractum, ſit irritum Iure diuino naturali, an ſolùm Eccleſiaſtico?

77 Sententia Scoti.

QVidam putant matrimonium graui metu contractum, eſſe irritum Iure diuino naturali. Ita Scotus diſt. 29. ar. 2. Couarruuias 2. parte. cap. 3. §. 5. nu. 6. & inſinuat Nauarrus cap. 22. nu. 51. Ratio eſt; quia talis conſenſus metu extortus non eſt liber: matrimonium autem liberũ conſenſum poſtulat. Ex quo fundamento Nauarrus cenſet, etiam Matrimonium, quod leui metu contractum eſt, eſſe irritum coram Deo, ſi metus iſte contractui verè cauſam dederit; quod tamen in foro externo non præſumitur.

Cõmunior ſententia.

Sed communior ſententia eſt, ſolùm Iure Eccleſiaſtico irritum eſſe huiuſmodi matrimonium. Ita Durandus diſt. 29. qu. 2. Palud. ibidem q. 1. art. 2. Maior ibidem qu. 1. Sotus ibid. q. 1. art. 3. & alij.

Matrimonium metu contractũ non eſt irritum defectu libertatis.

Reſpondeo & Dico Primò: Matrimonium ex graui metu contractum non eſt irritum præcisè defectu libertatis. Probatur: quia contractus ex metu graui abſolutè eſt liber; nam per opus ex tali metu profectum poſſumus mereri & peccare: ergo non deeſt libertas Iure naturæ neceſſaria. Confir. ex Matrimonio contracto metu mortis in tempeſtate, vel inſtante prælio; vbi non eſt maior libertas, quàm ſi metus ad id eſſet incuſſus; æquè enim inuitè facit.

78 Nec eſt irritum ob iniuriam.

Dico Secundò: Verius & probabilius eſt talem contractum non eſſe irritum Iure naturæ ob iniuriam, ſed ſolùm eſſe irritandum.

Non eſſe irritum: Probatur Primò, quia contractus pendent ex intentione contrahẽtium: ſed contrahens hîc intendit verè ſe obligare alteri, qui iniuriã intulit: ergo ſe obligat. Dices; Alter non eſt capax iuris ex mea obligatione, eò quòd iniuriam intulit. Reſpõdeo: Hoc verum non eſſe: nam poſſum me obligare ei, qui maximis me iniurijs affecit. Etſi enim ipſe mihi viciſſim ratione iniuriæ obligetur, nihil tamen refert quin poſſim me ipſi quoque obligare: nam mea obligatio non oritur ex actione iniurioſa ipſius in me, neque per actionem illam ius acquirit in me, ſed per metum voluntarium conſenſum verbis expreſſum.

Probatur Secundò: Matrimonium, leui metu per iniuriam extortum, eſt validum, iuxta communem ſententiam: ergo ratione iniuriæ matrimonia metu extorta, Iure naturę non ſunt irrita. Patet conſequentia, quia Ius naturæ non diſtinguit inter magnas & ſummas iniurias; quòd attinet ad vim irritandi. Si enim non irritat Matrimonium contractum metu amiſſionis tertię partis bonorum, cur irritet contractum metu amiſſionis dimidiæ partis? Præſertim cum is qui tertiam partem metuit admittere, poſſit maiorem iniuriam pati, quàm alter; idque, vel quia tertia illa pars huius eſt maior, quàm dimidia alterius; vel quia pluris tertiam partem æſtimat, quàm alter dimidiam; vel denique quia ab amico hanc iniuriam patitur, alter ab inimico.

ſed eſt Iure naturæ irritandum.

Altera Pars: quòd nimirum talis contractus Iure naturæ poſſit irritari ſeu reſcindi, ſi ſolubilis ſit: Probatur, nam qui iniuriam intulit, tenetur alterum reſtituere in integrum, & ponere in ea libertate, in qua fuit ante illatam iniuriam; qua reſtitutione facta, nihil ampli⁹ ei debebitur, ſi alter velit. Et quia hanc reſtitutionem alter poteſt exigere, idcircò ſi nolit is qui iniuriam intulit, eam præſtare, poteſt vti compenſatione reſciſſo contractu, eò quòd alter iniuſtè ei fuerit cauſa dãni.

79 Eſt tamen irritũ Iure eccleſiaſtico, & ciuili.

Dico Tertiò: Matrimonium contractum metu graui ad id immiſſo, eſt irritum Iure Eccleſiaſtico & Ciuili: quod tamen Ius magis more receptum eſt, quàm ſcripto ſancitum; vt Canones citati indicant. Probatur: Quia, cùm certum ſit tale matrimonium eſſe irritum, & probauerimus non eſſe irritum Iure naturali, ſequitur eſſe irritũ Iure poſitiuo; non diuino, cùm hoc nuſquam extet; ſed humano. Patet Cap. *Cùm locum.* & Cap. *Conſultationi*: quibus tamen locis non videtur condi nouum decretum, ſed ſolùm dicitur *Tale Matrimonium eſſe irritum*; & inſinuatur hoc Iuris vſu & more in Eccleſia antè fuiſſe receptum, tanquam rationi naturali valdè conſentaneum. Cùm enim matrimonium naturâ ſuâ ſit inſolubile, fit vt ſemel contractum, ſiue iure, ſiue iniuria, non poſſit diſſolui, ſicut poſſunt alij contractus. Vnde meritò Eccleſia, vt huic tanto incommodo occurreret, ſtatuit talẽ cõtractum ab initio eſſe irritum, & perſonas ad ſic contrahẽdum inhabiles. Simili modo irritauit etiam vota, quæ ſimili metu fiunt; vt patet Cap. *Perlatum*, De ijs quæ vi metuſuè cauſa fiunt: ſicut enim potuit ſtatuere ætatem vouendi, ita & modum. In cæteris contractibus hæc irritatio nõ erat neceſſaria, cùm voluntate contrahentium ſolui poſſint.

80 Metus reuerẽtialis dirimit matrimõnium.

Ex dictis infertur Primò: Metum reuerentialem dirimere matrimonium: vt ſi puella ob magnam reuerentiam patris, cui nullam ob cauſam audet contradicere, conſentiat. Ratio eſt: quia cenſetur metus grauis; vt rectè Nauarrus cap. 22. Enchiridij nu. 51. & Commentario 2. *de Regulariibus* nu. vltimo. & Henriches lib. 1. de matrimonio cap. 9. Quod confirmatur: quia impedit profeſſionẽ Religionis, vt docet Gloſa in Cap. *Præſens*. 20. qu. 3. eſtque communis ſententia Canoniſtarum, vt docet Couarru. 2. parte cap. [illegible] §. 6. Cur non etiam dirimat Matrimonium? cùm ad Matrimonium nõ minor libertas requiratur, quã ad profeſſionem, vt idem Couarruuias docet. Vnde non eſt facienda diſtinctio inter Matrimonium & profeſſionem quoad metum reuerentialem, vt facit Gloſſa, & multi Canoniſtæ contra quos agit Conarruuias ſuprà.

81 Metus graui⁹ dirimit ſponſalia.

Infertur Secundò: Sponſalia metu graui contracta eſſe vel irrita, vel certè à parte quæ iniuriã paſſa eſt, poſſe irritari, niſi iuramento ſint confirmata: tunc enim iuramentũ eſt ſeruandum. Quod eſt contra Sotum diſt. 29. qu. 1. ar. 3. qui putat huiuſmodi iuramẽtum promiſſorium non obligare: *Tum quia alias*, inquit, *nõ ſatis proſpectũ eſſet libertati*

Mr. Hume

Mr. Hume said, that he had no objection to the Bill, but he thought that the Committee ought to be informed of the reasons why the Bill was brought in.

Mr. Stanley

Mr. Stanley said, that the Bill was brought in at the request of the Irish Government, and that the reasons for it would be stated when the Bill was brought up for the second reading.

CAPVT V.

De bonis matrimonij, & ſpeciatim de inſolubilitate ratione Sacramenti.

87 quæ bona matrimonij quidque operetur.

NOtandum eſt: Eſſe tria matrimonij bona, quibus ipſum cohoneſtetur, & expetendum reddatur: ſcilicet, *Fidem*, *Prolem & Sacramentũ*: vt docet D. Auguſtinus tum alibi, tum lib. 1. *de Nuptijs* cap. 11. & 17. Et Concilium Florentinum in inſtructione Armenorum. *Sacramentũ* ſpectatur in cõtractu, & in vinculo inſolubili, quatenus repræſentat Chriſti & Eccleſiæ coniunctionem. *Fides* autem in vſu matrimonij. *Proles* in fructu. Vnde *ſacramentum* pertinet quaſi ad habitum matrimonij; *Fides* ad actum; *Proles* ad effectum, qui per actum producitur.

Dicuntur autem *hæc bona excuſare Matrimoniũ*: quia ſi ipſum vinculum coniugale per ſe ſpectemus cum oneribus & incommodis, quæ ſecum adfert, nemini ſecundùm rectam rationem eſſet expetendum. His autem *Bonis*, ac ornamentis cohoneſtatum, redditur dignum, quod ſecundùm rectam rationem poſſit expeti.

DVBIVM I.

Vtrùm matrimonium conſummatum in veteri lege fuerit ſolubile per libellum repudij?

88. Multi negant.

MVlti cenſent Matrimonium conſummatũ non potuiſſe ſolui quoad vinculum per libellum repudij. Ita Bonauentura, Richardus & Dominicus Soto diſt. 33. Couar. 2. p. cap. 7. §. 4. num. 4. Liranus in cap. 24. Deuteron. c. & 19. Matthæi. Alphonſus Caſtro lib. 2. De poteſtate legis pœnalis cap. 11.

Affirmatur.

Sed contrarium eſt verius. Tenet Scotus diſt 33. quæſt. 3. & benè probat. Durandus ibidem q. 3. Palud. ibidem qu. 1. art. 2. Ioannes Maior ibid. qu. 2. Abulenſis in cap. 19. Matthæi qu. 49. & 50. Caietanus in eundem locum, & Maldonatus ibidem. Petrus Soto lect. 13. de Matrimonio, Bellarminus & alij.

Lex libelli Repudij.

Probatur Primò: Nam Deutero. 24. v. 1. præcipitur lex faciendi repudij: *ſi acceperit homo vxorem, & non inuenerit gratiam ante oculos eius ob aliquam ſaditatem, ſcribet libellum repudii, & dabit in manus illius, & dimittet eam de domo ſua, &c.* quibus verbis ſignificatur non ſolùm permitti, tanquam minus malum ad euitãdum maius, ſicut permittuntur vſuræ & meretrices; ſed licitũ eſſe ob cauſam, & diſſolui: vbi enim eſt ſolùm permiſſio, non opus eſt lege, ſed ſufficit diſſimulatio. Confirmatur: Quia ibidem ſignificatur *Repudiatam poſſe impunè alteri nubere*: ergo ſolutum erat vinculum prioris matrimonij. Patet Conſequentia: Quia niſi fuiſſet ſolutũ, ſecundæ nuptiæ fuiſſent adulterium: vnde lex permiſiſſet continua & aſſidua adulteria, cùm tamen iubeat adulteras lapidari.

Probatur Secundò: Si vinculum non potuiſſet ſolui libello repudij, iniquiſſima fuiſſet feminarũ conditio: nam plurimæ debuiſſent perpetuò manere cælibes, idque abſque ſua culpa (non enim poteſt vna mulier eodem tempore plures viros habere:) viri autem nihil incommodi accepiſſẽt, etſi ſuo vitio illas repudiaſſent: nam poterãt plures vxores habere. Vnde hæc conceſſio repudij contra naturalem æquitatem fuiſſet;

Probatur Tertiò: Leuitici 21. prohibetur Sacerdoti, ne ducat viduam, vel repudiatam, vel meretricem, ſed ſolùm virginem: ergo alijs licebat ducere repudiatam, ſicut licebat ducere viduam & meretricem: ergo vinculum prioris matrimonij erat ſolutum.

Probatur Quartò: Repudiata à priore marito, non poterat poſt repudium factum a ſecũdo marito, vel poſt eius mortem, redire ad priorem; vt patet Deuter. 24. Atqui, ſi vinculũ cum priore marito non fuiſſet ſolutum, non debuiſſet prohiberi redire, ſed laudabile fuiſſet vt priori reconciliaretur; ſicuti fit in noua lege, & ratio naturalis dictat.

Probatur Quintò: Non minùs facile Deo diſpenſare in repudio, atque in polygamia, cùm ſupremam in omnium corpora & animas habeat poteſtatem: vnde ſicut habenti vxorem, potuit dare poteſtatem corporis ſui, ita vt eam poſſet etiã in ſecundã vxorem conferre, manente nihilominùs priore vinculo; ita potuit prius vinculum diſſoluere, reddita vtrique ſui corporis, quam vterque in alterum tranſtulerat, poteſtate.

89 1. obiectio ex Malachiæ 2.

Sed contra: Obijcitur Primò: Malachiæ 2 v. 16. dicitur, *Qui vxorem dimiſerit, iniquitas operiet veſtimentum ipſius*: ergo non licebat dimittere. Reſpondeo, ſolùm dicitur peccare eũ, qui ex odio vel ſine cauſa legitima vxorẽ dimittit, vt multi tũc temporis faciebant: videntes enim mulieres alienigenas vxoribus ſuis pulchriores, repudiabant ſuas, quæ erant Iudeæ, & accipiebant alienigenas: hoc reprehendit Propheta.

2 obiectio ex Matth. 19. v. 8.

Dices Secundò: Matt. 19. v. 8. Dicit Chriſtus *Moyſem permiſiſſe libellum repudij ob duritiẽ cordis ipſorum*: ergo ſolum erat diſſimulatio cum impunitate.

Reſpondeo: *Duritiem cordis* fuiſſe cauſam, cur libellus repudij permitteretur; permiſſus tamen fuit ex auctoritate & diſpenſatione: ſicut interdum bonus Princeps ob rebelle ſubditorum ingenium mitigat legum rigorem. Adde hanc permiſſionem repudij non caruiſſe myſterio; ſignificabat enim repudiandã Synagogam, & eccleſiam ex gentibus in ſponſam Chriſto eſſe coaptãdam. Vnde Dominus Geneſ. 21. præcepit Abrahæ *vt repudiaret agar*.

3. obiectio ex D. Auguſtino.

Dices Tertiò: D. Auguſtinus lib. *De bono cõiugali* c. 18. ſic ait: *itaque ſicut duobus pluribuſve ſeruire, ſic à viro viuo tranſire in alterius connubiũ, nec tunc licuit, nec nunc licet, nec vnquam licebit*: ergo vinculum non fuit ſolutum.

Reſpondeo: Auguſtinus non loquitur de *Vxore repudiata*; hæc enim *non tranſit à viro ſuo*, cùm deſierit habere virum: ſed loquitur de *nõ repudiata*. colligitur ex ratione coniũcta: nam dicit: *non licet apoſtatare à Deo, & tranſire ad cultum aliorum Deorum*: hoc enim idcirco non licet; quia Deus nos à ſuo cultu non repellit.

DVBIVM II.

Vtrùm Gentibus fuerit tunc temporis permiſſum repudium?

90 Repudiũ Gentium.

REſpõdeo: Valdè credibile eſt Gẽtibus fuiſſe permiſſum repudiũ, præſertim ex quo tempore id Iudæis permiſſum fuit. Iudæis autem fortaſſe id cæptum concedi, quando deus præcepit Abrahæ repudiũ Agar, Gen. 21. Videtur hi cuius inter gentes fuiſſe ſatis frequens, vt patet ex hiſtoria Eſther c. 1. vbi Aſſuerus Rex Perſarum atque Medorum repudiauit Reginam Vaſthi. Apud

Digitized by Google

Repudium Romanorum.

Romanos vſque ad annum quingenteſimũ vigeſimum vrbis cõditæ nullum interceſſit repudium inter virum & vxorẽ, teſte Valerio Maximo lib. 2. de Viris illuſtribus. Primus autem fuit Spurius Carbilius qui vxorem ſterilitatis causâ repudiauit; qui tamen ideò reprehẽſione non caruit, vt idem Valerius ait. Ariſtoteles 7. Polyticorũ docet indecens eſſe vt vir vxorẽ etiam ſterilem dimittat. Quod ſignum eſt, id eſſe alioquo modo contra naturæ legem, neque ſine diſpenſatione Dei licitum.

91 Cauſæ repudij.

Petes: Quæ fuerint olim cauſæ repudij?

Reſpondeo: Quidam Rabbini putant ſolum adulterium fuiſſe cauſam iuſtam repudij. Sed cõtrà: Quamuis apud alias gentes adulterium vxoris fuerit legitima cauſa; tamen apud Iudæos nõ videtur fuiſſe hæc cauſa vſitata. Nam ſi adulteriũ mulieris erat publicum, ipſa lapidabatur, vt præcipitur Leuitici 20. v. 10. Si autem occultũ erat, ſed viro ſuſpectum, cogebatur bibere aquas Zelotypiæ, numerorum 5. Alij dicunt cauſam fuiſſe ſterilitatem, veneficium, leprã, & mores incorrigibiles: quę ſententia videtur vera.

DVBIVM III.

Vtrùm adhuc apud Iudæos & gentiles repudium ſit permiſſum?

92 Negatur.

REſpondeo: Neque apud Iudæos, neque apud Gẽtiles nunc permiſſum eſſe repudiu: & ſi fiat, non ſolui vinculum Matrimonij. Ratio eſt; quia hęc diſpenſatio, ſicut & Polygamię, per legem Euangelicam eſt ſublata, quando Domin⁹ Matth. 19. matrimonia reuocauit ad primæuam inſtitutionem, iuxta quam vnus vni inſeparabiliter adhærere debet. Hinc Iudæus, vel Gentilis habens plures vxores, ſi ad fidem cõuerſus fuerit, compellitur, cęteris dimiſſis, dũtaxat primã retinere, etſi fortè illam repudiaſſet, modò ipſa ſimul conuerti velit: vt definit Innocentius III. Cap. *Gaudemus*, De diuortijs.

DVBIVM IV.

Vtrùm in noua lege Matrimonium Infidelium poſſit diſſolui, ſi alter conuertatur ad fidem, altero nolente conuerti?

93 Ius diſſoluendi hoc matrimonium eſt à Chriſto.

REſpondeo: Matrimonium Infidelium in eo caſu poſſe diſſolui, quamuis ſit conſummatum. Probatur Primò: 1. ad cor. 7. v. 15. *Si infidelis diſcendit, diſcedat; non enim ſeruituti ſubiectus eſt frater aut ſoror in huiuſmodi*: vbi omnes Interpretes id docent. Probatur Secũdò: Ex cap. *Quãto*, & cap. *Gaudemus*, de Diuortijs, & cap. *Si infidelis*. 28. quæſt. 2.

Vbi notandum: Hoc ipſo quo alter conuerſus eſt ad fidem, ſi altera nolit conuerti, habet cõverſus à Chriſto ius diſſoluẽdi matrimonium, vt patet ex verbis Apoſtoli, cùm ait; *Nam cæteri: ego dico, non Dominus: ſi quis frater vxorem habet infidelem, & hæc cum illo habitare conſentit, non dimittat illã*. Non ergo Dominus precipit, *vt non dimittatur*, ac proinde Dominus *permittit vt dimittatur*. Idem patet ex Auguſtino lib. 1. *de Adulterinis coniugijs* c. 13. vbi in fine ſic ait: *non enim propter vinculum cum talibus coniugale ſeruandum, ſed vt acquirantur Chriſto, recedi ab infidelibus coniugibus Apoſtolus verat*. Vbi nota, illud; *Vinculũ cõiugale*.

Diſſoluitur vinculum.

Hinc colligitur nõ eſſe verum, quod docet Sotus d. 39. q. vnica, a. 4. & D. Tho. in Addit. q. 59. a. 5. *Si vir infidelis conſentit habitare cum vxore fideli ſine iniuria fidei, poſſe quidem dimitti quoad torum & cohabitationem, non tamen quoad vinculum*, nam Apoſtolus loquitur de *ſolutione vinculi*, vt explicat Auguſtinus loco citato. Hortatur tamen Apoſtolus, *Vt fidelis non dimittat infidelem, ſi conſentit cohabitare ſine iniuria fidei*, nẽpe quia ſpes eſt eius conuertendi. Similiter ſuadet, *vt vxor fidelis non dimittat virum in fide*; tũ quia ſpes eſt cõuerſionis eius, tum quia alioqui *filij ipſorũ immũdi eſſẽt*, id eſt, inſtruerẽtur in infidelitate, nam in repudio ſequerentur patrem. Theodoretus tamen putat eſſe præceptum Apoſtolicum. Sed verius eſt eſſe ſolùm conſiliũ, vt Auguſtinus inſinuat: quia non vult Apoſtolus eos priuare iure, quod Dominus cõceſſit, ſed monet, vt in caſu prędicto nõvtãtur.

94 Soluuntur obiectiones ex Matth. 19.

Dices primò: Matth. 19. v. 6. Chriſtus ait, *Quod Deus coniunxit, homo non ſeparet*: ergo, cum matrimonia infidelium legitima, à Deo iuncta cenſeãtur, non poſſunt dirimi.

Reſpondeo: Non dirimi ab homine, ſed à Deo, cuius interpres eſt Apoſtolus: id enim Domin⁹ in fauorem fidei conceſſit.

Dices Secundò: Dominus ibidẽ ſolũ permittit vxorem dimitti cauſa fornicationis: ergo non ob infidelitatem. Confirmatur: quia non poteſt dimitti ob hæreſim vel apoſtaſiam, ſic vt vinculum ſoluatur: ergo neque poteſt dimitti, quia nõ vult conuerti.

Reſpondeo: Dominum ibi loqui de matrimonio pari, id eſt, quod inter eos, qui paris ſunt conditionis ſeu religionis, cõſtat; quale eſt matrimonium inter coniuges fideles, & inter coniuges infideles: vt docet D. Auguſt. lib. 1. *de Adulterinis coniugijs* c. 13. quod etiam ſatis inſinuat Apoſtolus 1. ad Cor. 7. v. 10. 12. 13. Ad cõfirmationem: Reſpondeo, eſſe diſparem rationem: nam matrimoniũ contractũ à Chriſtianis, eſt Sacramentũ; ac proinde omnino inſolubile poſt conſũmationem; vnde ob hæreſim vel apoſtaſiam ſolui nequit: matrimonium verò infidelium non eſt Sacramentum, quare non habet tantã firmitatem.

95 Mos Hiſpaniæ.

Aduerte: In Hiſpania vbi Conc. Toletanũ IV. id vetuit, & Romæ vbi idem decretum eſt receptum, non poſſe manere coniugem fidelem cum coniuge infideli, etiamſi iſte ſine iniuria fidei cõſentiat habitare. In Indijs tamen & aljs locis vbi hoc decretum non eſt receptum, licitum eſt vti conſilio Apoſtoli, & ſimul habitare ſine iniuria fidei.

Cuinam aſſignandę proles in tali diuortio.

Petes: Cui aſſignãdi ſint liberi in tali diuortio?

Reſpondeo: Si habeant vſum rationis, relinquendi ſunt ſuo arbitrio. Si verò careant vſu rationis, aſſignandi ſunt conuerſo, idque in fauorẽ fidei, vt patet ex Concilio Toletano IV.

DVBIVM V.

Quando hoc Matrimonium ſoluatur?

96 Soluitur per nouũ matrimonium vel profeſſionem.

REſpondeo: Hoc matrimonium tunc ſolui, quando fidelis cõtrahit cum alio, relicto infideli; vel quando improbata religione profitetur, profeſſio enim in hac cauſa æquiualet matrimonio, vt vſus Eccleſię docet. Non tamen ſoluitur, ſi infidelis cõtrahat ante fidelẽ. Et ratio eſt; quia infidelis non habet ius contrahendi cũ alio; tenetur enim cõuerti & manere cũ priori cõiuge. Quòd ſi nõ cõuertatur, iniuriã irrogat prioti matrimonio, præbens iniuſtè cauſam eius diſſolvendi. Poſtquã tamẽ fidelis cum alio cõtraxerit, iam ſolutum eſt matrimonium prius; & ſic etiam infidelis licitè poteſt contrahere, quod eſt contra Dem. Soto diſt. 39. art. 4. q. vnica. Ratio eſt; quia

Ecclesia non potest prohibere infideli ne cõtrahat, cùm eius legibus non sit subiectus : neque iure diuino prohibetur, cùm vinculo prioris matrimonij per secũdas nuptias fidelis, sit solutum.

97 Non soluitur per sacros Ordines.

Quòd si fidelis nec cõtraha: secundò, nec religionem approbatam profiteatur, sed sacris Ordinibus initietur; non potest infidelis matrimoniũ inire, etiamsi conuertatur postea. Ratio est, quia vinculum prius non est solutum. Sed neque potest ad priorem coniugem redire, quia hic legitimè sacris Ordinibus est initiatus. Vnde sibi imputare debet quòd cogatur manere cælebs. Ita Sotus suprà, & alij.

Ratio autem cur non æquè tale matrimonium soluatur per ordines sacros, quam per professionem in Religione approbata, est; quia susceptio Ordinum non est mors ciuilis, sicut professio Religionis : neque ita matrimonium pugnat cum statu Sacerdotali, sicut cum monachatu. Nã vsus matrimonij est contra essentiam religiosæ professionis, non est autem contra essentiam status Sacerdotalis.

DVBIVM VI.

Vtrùm matrimonium fidelium nondum consummatum, aliquando solui possit?

98 Sententia affirmans est de fide.

REspondeo & Dico Primò: Matrimonium fidelium nondum consummatum solui potest per professionem alterius coniugis in Religione approbata, quamuis alter repugnet. Est fide tenendum. Patet ex Concil. Trid. sess. 24. can. 6. *Si quis dixerit matrimonium ratum, non consummatum, per solemnem Religionis professionem alterius coniugũ non dirimi, anathema sit.* Est cõtra hæreticos huius temporis, & Erasmum, qui in Paraphrasi cap. 7. 1. ad Corinth. contrariũ insinuat.

Canones.

Probatur Primò: Ex multis Canonibus antiquis. Cap. *Ex publico.* Cap. *Ex parte tua*, Alexãdri III. Et cap. *Verum*, Innocentij III. *de Conuersione coniugatorum.* & Cap. *Desponsatam* 27. q. 1. Eusebij, quibus locis id apertissimè definitur.

Exempla Sanctorũ.

Probatur Secundo: Exemplis Sanctorum, qui ante matrimonij cõsummationem coniuges seu sponsos suos reliquerunt, statum Religionis amplectentes. Sic fecit Thecla hortatus B. Pauli, teste Epiphanio hæresi 78. Sic Macharius teste Hieronymo in eius vita. Sic Alexius teste Simeone Metaphrastе. Sic duo milites prope Treuiros, lectà vitâ B. Antonii, relictis sponsis suis ingressi sunt monasterium, teste D. Augustino lib. 8. Cõfess. cap. 6. Sic plures alii.

Ratio cõgruentiæ.

Congruentia esse potest Primò: Quia sicut vinculum matrimonii consummati, eò quòd sit carnale, soluitur per mortem naturalẽ; ita par erat, vt vinculum matrimonii rati, necdũ consummati, cùm sit spirituale, vtpote solo consensu nascẽs, solui possit per mortem ciuilem : atqui professio Religionis est mors ciuilis; nam per illam amisit homo omnia iura ciuilia. Ita Durandus dist. 27. q. 2. Secundò: Nam rationi consentaneum est, vt liceat ad statum perfectionis transire, quando id sine vlla alterius iniuria fieri potest: atqui in matrimonio rato, necdum consummato id fieri potest sine cuiusquam iniuria : ergo &c.

99 Soluuntur obiectiones.

Dices Primò : Hoc matrimonium est verum Sacramentũ, significans Christi & Ecclesiæ vnionem : ergo est omnino insolubile. Patet consequentia: quia D. Augustinus passim hanc rationem insolubilitatis adferre solet.

Respondeo: Quando matrimonium dicitur esse omnino insolubile, eò quòd sit Sacramentũ, intelligẽdum est de matrimonio consummato; hoc enim, dum Sacramentũ est, nullo casu solui potest, nisi per mortem naturalem; vt infrà. Itaque vt omnimodò sit insolubile, duo requiruntur. Primum, Vt sit *Consummatum*. Secundum, Vt sit *Sacramentũ*. Quòd si non sit consummatum, potest solui per statum perfectionis, & fortassis etiã alio modo. Si autem non sit Sacramentum, potest solui causa religionis, quamuis sit cõsummatum.

Duo requisita vt matrimoniũ sit omnino insolubile.

Dices Secundò: Coniux post contractum non habet amplius sui corporis potestatem : ergo non potest illud alio transferre contra coniugis voluntatem.

Respondeo: Per contractum traditur potestas corporis vtrò citroque, saluo iure diuinitus concesso, vel saltẽ dispẽsatione Apostolica; quo posto initum coniugium, ante consummationem, potest vterque statum perfectionis eligere.

DVBIVM VII.

Quo Iure matrimonium ratum soluatur per professionem?

100 Soluitur Iure Ecclesiastico

REspondeo: Omissis sentẽtiis, probabilius videri non solui Iure naturali, vel Iure diuino positiuo, sed Apostolico seu Ecclesiastico. Ita Michaël Medina lib 4. *De continentia sacrorum hominũ* c. 41. & 43. & aliis locis eiusdem Operis.

Probatur Primò: Quia si Iure naturali, vel diuino id fieret, etiam solueretur hoc matrimoniũ professione Religionis non approbatæ: quod tamẽ falsum esse patet tum ex vsu Ecclesiæ, tum ex cõmuni Doctorum sententia. Maior probatur quia Religio approbata, & nõ approbata, nõ differũt Iure diuino, vel naturali: ergo quod Iure diuino vel naturali operatur Religio approbata, etiam operatur non approbata.

Probatur secundò: Professio religionis soluit matrimonium ratũ, quatenus est professio solemnis; vt omnes fatentur: atqui solemnitas professionis est ex cõstitutione Ecclesiæ; vt patet ex Bonifacio VIII. Capitulo vnico *De voto & voti redditione*, n. 6. & ex constitutione Gregorij XIII. quæ incipit, *Ascendite Domino*: ergo, quòd professio soluat matrimonium, est ex constitutione Ecclesiæ.

Olim etiã soluebatur matrimonium per professionem Religionis non approbatæ

Probatur Tertiò: Ius naturale & diuinum non possunt per Ecclesiam mutari: atqui Ius illud quo professio Religionis irritat matrimoniũ, est mutatum per Ecclesiam : ergo non est Ius naturale vel diuinum. Minor probatur; quia Ecclesia cõstituit, vt sola professio Religionis approbatæ matrimoniũ irritet, cùm tamen olim etiã professio Religionis non approbatæ irritarit. Nam approbatio illa primùm cœpit esse necessaria circa annũ Domini millesimũ ducentesimum decimũ quintum, quando magnum Conciliũ Lateranẽse statuit, vt nulla Religio institueretur, nisi cum Sedis Apostolicæ approbatione; vt patet ex Capitulo *Nenimia*, de religiosis domibus: & tamen anteà professio soluebat matrimonium; vt patet ex Capitulo *Verum*; de Conuersione coniugatorum, & ex exemplis allatis.

Aduertendum autem, hoc Ius esse valdè antiquum, & videri ex Apostolica traditione descendere. Nam non inuenitur eius auctor. Nonnulla tamen in eo facta est variatio.

DVBIVM VIII.

Vtrùm matrimonium ratum possit in aliquo alio casu solui per Ecclesiæ dispensationem?

101 Posse, verior sententia est.

REspõdeo: Posse, modo legitima causa subsit, quidquid dicat Sotus, & multi alii.

Probatur Primo: Quia est communis sententia Canonistarum; vt docet Nauar. c. 22. n. 21. Idem tenet Caietanus Opusc. 28. Siluester V. *Diuortium* q. 4. & plerique Doctores hac tempestate: quamuis ante annos LX. communior sententia Theologorum fuerit contraria.

Probatur Secundò: Quia pontifices sæpè ob causas grauissimas in eo dispensarunt; vt referunt Antoninus 3. parte tit. 1. c. 12. §. 3. de Martino V. & Eugenio IV. & Nauarrus suprà de Paulo III. & Pio IV. Non est autem credibile in re tanti momenti eos errasse: saltem nemo id nisi temerè dixerit.

Probatur Tertiò: Quia in alijs quibusdam casibus iuris diuini Pontifices possunt dispensare, vt in iuramentis, & votis, etiam solemnibus; quæ tamen solemnia vota non minùs videntur hominem obligare, quàm matrimonium non consummatum; cuius signum est, quòd huiusmodi vota matrimonium soluunt.

Probatur Quartò: Hæc potestas erat valdè expediens Ecclesiæ ad cõsulendum saluti animarũ, & occurrendũ grauissimis scãdalis, quæ nascerẽtur, si talia matrimonia nunquam solui possent.

DVBIVM IX.

Quantùm temporis concessum est coniugibus post contractum, vt possint ingredi Religionem?

102 Sæpe ante cõsummationem licet ingredi religionem.

QVidam dicunt solùm duos menses concedi. Sed dicendum est, semper posse ingredi Religionem, quamdiu matrimonium non est consummatum. Patet ex cap. *Verum*, de Cõuersione cõiugatorum. & cap. *Desponsatam* 27. q. 2. quibus locis nullũ tempus determinatur. Nec obstat Capitulum *Ex publico*, de conuersione coniugatorũ: nam solùm iubet Pontifex, vt Episcopus, ad quẽ causa delata erat, compellat coniugem volentem intrare Religionem, vt intra duos mẽses vel Religionem ingrediatur, vel debitum viro reddat; vnde illi duo menses numerandi sunt à tempore sententiæ Iudicis, nõ à tempore contractus. Hinc rectè colligunt Doctores, coniugem deliberantẽ de ingressu, habere ius negandi debitum per duos menses à contractu.

quid si inuitam opprimat maritus?

Petes: Quid si maritus vi opprimat vxorẽ volentem ingredi Religionem, poteritne ingredi?

Respondeo: Valdè probabile est non posse. Ratio est; quia matrimonium iam est cõsummatum. Docet Couar. 2. p. c. 7. §. 4. n. 15. Dices: Ergo priuatur suo iure sine sua culpa. Resp. Id mirũnõ esse, cùm in similibus rebus id sæpè accidat; vt in iure ad Ordines, ad beneficia, & ad matrimoniũ.

Aduerte tamen, contrarium quoque probabile esse; scilicet vxorem posse Religionem capessere: quod tenent multi recẽtiores. Tunc tamẽ maritus debet viuere cælebs; quia, cùm matrimonium fuerit consummatum, non soluitur vinculum. Ita Henriches lib. 1. *de Matrimonio*, c. 8. qui citat multos recentiores, & antiquos Canonistas.

DVBIVM X.

Vtrùm matrimonium fidelium consummatum possit aliquo modo solui quoad vinculum, sit, vt vtrique liceat aliud inire?

103 Lutherus asserit.

LVtherus docuit posse solui ob quasuis causas, ob quas alter alteri displicet; vel non ita cõmodum præbet; vt ob hæresim, ob crebras rixas, ob diuturnã absentiam, ob suasionẽ peccati, &c. Vnde ipsius sententiã facilius possunt soluimatrimonia, quàm alij contractus; vt notauit Ruardus art. 18. Caluinus, & alij volunt solui, saltẽ causa fornicationis. In quã sententiã propendet Caietanus in cap. 19. Matth. & Catarinus lib. 5. cõtra Caietanum, decepti Paraphrasi Erasmi, quietiam huic sententiæ fauet.

Assertio fidei est negans.

Sed fide tenendum est, hoc vinculum nullo casu, præterquam morte, solui posse. Est definitum à Concilio Tridentino sess. 24. can. 6. & 7.

Marci 10.

Probatur Primò: Ex Script. Marci 10. v. 11. Dominus seorsim explicans Apostolis, quæ dixerat Phariszeis, ait: *Quicumque dimiserit vxorem suã & aliam duxerit, adulterium cõmittit super eã; & si vxor dimiserit virum suum, & alij nupserit, mœchatur.* Et Lucæ 16. v. 18. *Omnis qui dimittit vxorẽ suã, & alteram ducit, mœchatur; & qui dimissam à viro ducit, mœchatur.* His locis vniuersè pronũtiat Dominus, esse adulterũ, qui priore dimissa aliã duxerit: ergo nõ soluitur vinculũ prioris matrimonij per dimissionẽ. Vide D. Augustin. lib. 1. *de Adulterinis cõiugijs* cap. 9. vbi grauiter reprehendit eos qui has Scripturas tã euidẽtes nõintelligũt vniuersaliter.

Lucæ 16.

Explicantur quædã Scripturæ

Neque exceptio illa, quæ est apud Matth. c. 5. & 19. (*nisi ob fornicationem*) pugnat cum his propositionibus Scripturæ tam vniuersalibus: nã solùm respicit illam partẽ, *qui dimiserit vxorẽ suã*: voluit enim Matthæus explicare causam, ob quam *liceret dimittere*, nõ verò ob quam *liceret alia ducere*. Capite 5. sic dicitur, *Omnis qui dimiserit vxorem suam excepta fornicationis causa, facit eã mœchari, & qui dimissam ducit, adulterat*; qui locus difficultatem non habet: *qui enim vxorem suam dimittit extra causam fornicationis, facit eam mœchari*; id est, efficit auctor vt adulteriũ committat cum alio viro, vnde eius adulterium ipsi imputatur. Si tamen ob causam fornicationis ipsam dimittat, iam non facit eam mœchari, sed mœchãtem dimittit, vt inquit Augustinus loco citato, nec adulterium eius ipsi imputatur. Capite vero 19 sic dicitur: *Quicumque dimiserit vxorem suam (nisi ob fornicationem) & aliam duxerit, mœchatur; & qui dimissã duxerit, mœchatur*: vbi hęc exceptio dupliciter potest exponi: Primò, Vt legatur per parẽthesim, & sensus sit, *quicũque dimiserit vxorẽ suã (quod non licet nisi ob fornicationem) & aliam duxerit, mœchatur*. Vbi aduerte, ideò exceptionem positam esse, non post illa verba *& aliam duxerit*, sed ante; vt intelligeremus, ne in hoc quidẽ casu licere aliã ducere, quando licitè dimissa est; nam vir etiam tunc mœchatur, si aliã duxerit. Vide Hieronymum in hunc locum. Ita ferè exponunt recentiores. Secundò, Vt illa exceptio non intelligatur exceptiuè, sed negatiuè; hoc sensu: *Quicumque dimiserit vxorem suã extra causã fornicationis, de qua modò non ago, mœchatur*. Ita D. Augustin. lib. 1. *de Adulterinis cõiugijs* c. 9. Ideòautẽ tunc Dominus nolebat causam fornicationis cõprehendi, quòd Phariszei potuissent apud plebem eius orationem tam generalem calumniari. Vide plura apud Maldonatum in c. 5. & 19. Matthæi.

Idem probatur 1. ad Cor. 7. v. 10. *Iis qui matrimonio* 1. Corin. 7.

Digitized by Google

unio iuſta ſint, præcipio non ego, ſed Dominus; vxorē à viro non diſcedere: quòd ſi diſceſſerit, manere innuptam aut viro ſuo reconciliari. Loquitur Apoſtolus de muliere, quæ ob iuſtam cauſam diſceſſit: nam dat ei optionē vt redeat, vel vt non redeat; quod nullo modo poſſet, niſi ob iuſtā cauſam diuortiū fuiſſet. Iubet tamen eam manere innuptā, ſi nolit reconciliari: vnde euidens eſt, vinculum non eſſe ſolutum. Idem eodem capite. v. 39. *Mulier alligata eſt legi, quanto tempore vir eius viuit.* Et ad Roman. 7. v. 3. *Viuente viro vocabitur adultera, ſi fuerit cum alio viro. Hæc verba*, inquit Auguſtin⁹ lib. 2 de Adulterinis coniugiis c. 4. *tales reperiri, vera ſunt, viua ſunt, ſana ſunt, plana ſunt.*

Concilia. Probatur Secundò: Ex Conciliis. Vide Canonem 48. Apoſtolorum, vbi iubetur excommunicari qui dimiſſa vxore aliam duxerit: & Canonem 9. Conc. Elibertini. Vide etiam Concil. Mileuitanum c. 17. *Placuit, vt ſecundùm Euangelicam & Apoſtolicam diſciplinam, neque dimiſſus ab vxore, neque dimiſſa à marito alteri coniugatur, ſed ita maneāt aut ſibimet reconcilientur.* Idem definitur in Concil. Foroiulienſi c. 10. & ab Innocentio I. epiſt. 3. c. 6. Ab Innocentio III. Cap. *Gaudemus*, de Diuortiis. Denique à Concilio Florentino & Tridentino. Vt valde mirum ſit Catarinum & Caietanum hac de re dubitare potuiſſe.

105 Patres. Probatur Tertiò: Ex Patribus. Iuſtinus Martyr Apologia pro Chriſtianis ad Antoninum Imperatorem, ponit inter dogmata Chriſtianæ religionis, *Adulterū eſſe ſi quis dimiſſam ab alio duxerit.* Origenes Tract. 7. in Matthæum, dicit eſſe cōtra Scripturam, *Dimiſſam alterius ducere.* Ambroſius in cap. 16. Lucæ in illa verba, *Qui dimittit vxorem*, multa ſcribit in hanc ſententiam. Similiter Hieronymus de obitu Fabiolæ. Item epiſtolà ad Amandum, & in cap. 19. Matthæi. D. Auguſtinus libris duobus ad Polentium *de Adulterinis coniugiis*, qui erat in eo errore, ex profeſſo id demonſtrat, & in lib. *de Bono cōiugali.* Leinde Chryſoſtomus, Theodoretus, Theophylactus & Oecumenius. Anſelmus quoque & alij in cap. 5. vel 19. Matthæi, & in cap. 7. prioris ad Corinthios. Quibus adde Magiſtrum cum Doctoribus diſt. 35.

106 Triplex ratio. Probatur Quartò: Ratione. Prima ratio eſt: Si ob fornicationem poſſet ſolui vinculum matrimonij conſummati, melior eſſet conditio mulieris fornicariæ, & ob ſuam fornicationem dimiſſæ, quàm mulieris honeſtæ dimiſſæ ſine ſua culpa; quod eſt contra omnem æquitatem, & ſapientiſſimam Chriſtianæ legis diſpoſitionem. Secunda ratio: Si vinculum ſic poſſet ſolui, aperiretur aditus infinitis repudiis; nam coniuges ſæpè fornicarentur vt matrimonium poſſet ſolui, & ſic magnum commodum ex fornicatione reportarent; quod ne fieret, lex vetus non volebat fieri repudium ob fornicationem vxoris, ſed fornicariam iubebat lapidari: multò ergo minùs id permitti debuit in lege noua. Sæpè etiam alter alteri calumniam fornicationis ſtrueret, quando vellet ſeparari. Has & ſimiles occaſiones oportuit per legem nouā vitari. Tertia ratio: Dominus Matth. 19. coniugium ad primeuam inſtitutionem reuocauit, cui repugnat ſolutio vinculi. Vnde prorſus repugnat cum intētione Domini, dicere *illum excepiſſe fornicationem* quaſi propter illam vinculum poſſit ſolui.

107 1 Obiectio ex Canone *Concubuiſti.* Dices Primò: Canone *Concubuiſti* 32. queſt. 7. dicitur, eum, qui cum vxoris ſorore dormierit, neutram habere poſſe, ipſius tamen vxorem poſſe nubere, cui voluerit,

Reſpondeo: Iuxta Gloſſam; loquitur Pontifex de coniugio; quod parti innocēti poſt mortē cōiugis conceditur; quod tamen non conceditur ei, qui peccauit; quamuis vxori ſit ſuperſtes. Eodem modo intelligendus eſt Canon qui incipit, *Quedam*, eādem quæſtione.

Dices Secundò: Ambroſius in cap. 7. prioris ad Corinth. ait Apoſtolum non dicere de viro, ſi dimiſerit vxorem, maneat celebs, vel reconcilietur vxori, ſicut de vxore dimiſſa dixerat: *Quia*, inquit, *viro licet aliam vxorem ducere, vxori non licet nubere alteri viro.*

Reſpondeo cum Magiſtro diſt. 35. ex Gratiano 32. q. 7. illa verba fuiſſe ab aliquo falſario addita, vel certè parum interelle quid iſte auctor ſenſerit, cùm conſtet non eſſe Ambroſij opus; de cuius ſententia ſatis cōſtat tum ex Commentario in c. 16. Lucæ, vbi docet *Virū mechari, ſi dimiſſa vxore aliā duxerit*: tum ex lib. 1. *de Abraham* cap. 4. vbi docet *Pari iure coniugibus concedi diuortium*; quod eſt apertè contra hanc ſententiam. 1. Obiectio Ambroſio.

DVBIVM XI.

Vtrùm poſſit aliquando fieri diuortium quoad torum, & cohabitationem, inter coniuges?

108 REſpondeo & Dico Primò: Aliquando poſſe fieri diuortium quoad torum & cohabitationem, idque vel ad tempus, vel in perpetuum, ob varias cauſas. Definitur in Concilio Tridentino ſeſſ. 24. can. 8.

Dico Secundò: Hoc diuortium fieri poſſe dupliciter. Primò: Vtriuſque conſenſu: vt ſi vterque ingrediatur Religionem; vel certè ſi vxore Religionem ingrediente, vir ordinetur. Secūdò: Sine conſenſu alterius: ſic coniux innocens poteſt dimittere alterum ob eius crimen.

Crimē; ob quod hoc liceat, eſt multiplex. Dico Tertiò: Hoc crimen; ob quod diuortium fieri poteſt, eſt multiplex. Primum eſt, Fornicatio ſeu adulterium coniugis, Matthæi 5. & 19. Vbi Aduerte Primò: Sub *fornicatione* omnem illicitū coitum contineri; vt patet Canone *Meretrices*, 32. q. 4. & Can. *Non ſolùm*, q. 7. eadem cauſa. Vnde ob eadem iam fieri poteſt diuortium, vt cōmunicet Doctores docēt diſt. 36. & Silueſter V. *Diuortium*, q. 7. idque non ſolùm ſi coniux cum alio tale crimen cōmiſerit, ſed etiam ſi ipſam coniugem, tali modo, renitentem cognouerit. Vide Couar. 2. p. cap. 7. §. 5.

Aduerte Secundò: Caietanum in c. 19. Matth. putare, ſolùm permitti, vt vir vxorem fornicantē, non autem vt vxor virum fornicantem dimittat. Sed contraria ſententia eſt omninò certa, & communis: patet ex Apoſt. 1. ad Cor. 7. v. 11. qui, ſicut ait, *Vir vxorem non dimittat*, ſcilicet niſi ob iuſtam cauſam; ſic etiā dicit, *Vxor à viro non diſcedat*, hoc eſt, virum non dimittat: non enim vxor ſolet virum expellere domo, ſed ab eo recedere. Itē ſicut dixit, *Vxor non habet poteſtatē ſui corporis, ſed vir*; ita etiam dicit, *Vir non habet poteſtatem ſui corporis, ſed vxor*: ergo in cauſa diuortij pareſt vtriuſque poteſtas. Idem patet ex Can. 17. Conc. Mileuitani. Et ex D. Auguſt. lib. 1. de Adulterinis coniugiis c. 8. Et Innocentio III. Cap. *Gaudemus*, de Diuortiis. In diuortio par eſt vtriuſque coniugis poteſtas.

Secundum crimen ob quod dimitti poteſt, eſt hæreſis, vel Apoſtaſia, iuxta illud Apoſtoli ad Titum 3. v. 10. *Hæreticum hominē poſt vnam & ſecundā correptionem deuita.* Non poteſt tamen ob hæreſim coniugis fieri diuortium perpetuū, niſi vel iudicio Eccleſiæ ſeparentur, vel certè coniux ſit hæreſcos condemnatus; quæ condemnatio implicitè pœnā 109

diuortij continet. Colligitur ex Cap. *De illa*, de Diuortiis, & Cap. *Mulier*, de Conuersione coniugatorum. Nec obstat Cap. *Quanto*, de Diuortiis, in fine. Vbi insinuatur coniugē ab hęresi conuertum debere ab altero recipi: quia intelligi potest de eo, qui non fuit condemnatus hæreticos.

Tertium est: Si coniux conetur alterum pertinaciter in aliquod peccatū pertrahere, iuxta illud, *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum & proice abs te*, in quem locum vide Hieronymum.

Quartum est: Si alter alteri graue malum corporis machinetur: vt si vxor sit venefica, vel contrà: si maritus in vxorem sæuitiam exerceat.

Quintò: Recensentur multa alia crimina in lege *Consensu* Codice *de Repudiis*, ob quę intercedente iudicio Ecclesiastico potest fieri diuortium.

Dices: Quomodo ergo Dominus excepit solam *Fornicationem*, ob quā licet vxores dimittere?

Differētia inter fornicationē, & alia crimina, quoad diuortium.

Respondeo: Quia *Fornicatio* opponitur fidei coniugali; vnde ipsa est propria causa diuortij. Deinde fornicatio talis est, vt si vel semel sit commissa, etsi mox pœniteat, tamen coniux perpetuò dimitti possit; quod in aliis non licet. Vnde etiam in hoc casu coniux innocens potest ingredi Religionem, sicut fecit Paulus simplex; vel initiari sacris, vel manere in cælibatu sæculari.

DVBIVM. XII.

Vtrùm coniux innocens teneatur dimittere coniugem fornicantem?

IIo Non tenetur absolutè.

RESpondeo: Absolutè non teneri coniugem innocentem dimittere coniugem fornicantem. Nam Dominus id non iubet, sed tolùm permittit. Ratio est, quia nemo tenetur se priuare re sua, vel suo iure, sine sua culpa.

Tenetur aliquando per accidens.

Fieri tamen potest vt per accidens teneatur innocens à se dimittere nocentem: Primò, Ratione scandali: nam nisi dimiserit, videbitur consentire eius flagitiis. Et iuxta hunc casum explicādi sunt Canones, *Virum teneri relinquere coniugē adulterā*. Secundò, Quando non est spes alias coniugē corrigendi, nisi per diuortium: tenetur enim eius correctionem optimo modo procurare. Si tamen maritus possit occurrere scandalo, non tenetur illam dimittere, maximè si illi esset magno incommodo illā carere, vel ratione rei domesticæ, vel ratione incontinentiæ suæ.

DVBIVM XIII.

Vtrùm facto diuortio, possit innocens sibi reconciliare dimissum?

III. Affirmatur.

RESpondeo: Posse; maximè si dimissus se emēdauerit: vt patet 1. Corinth. 7. vbi Apostolus mulierem, quæ ob iustam causam separata est à viro, iubet manere innuptam, vel viro suo reconciliari: permittit ergo reconciliationem. Ratio est: quia diuortium factum est ad instantiam partis innocentis, vt nimirum eius iuri satisfieret: quisque autem potest cedere iuri suo. Deinde, sētentia Ecclesiæ non compellebat innocentem dimittere vxorem, sed permittebat & adiuuabat.

Innocens non tenetur ad reconciliationem.

Adde tamen: Partem innocentem non teneri ad reconciliationem, vt colligitur ex Apostolo, qui loquitur sub diuisione, id liberum relinquens. Ratio est, quia sententia Ecclesiæ concessit diuortium perpetuum: vnde, facto diuortio, potest innocens ingredi Religionē, vel initiari sacris Ordinibus, vel manere in cælibatu sęculari. Coniunx tamen qui dimissus est tenetur reconciliari si innocens velit: quia diuortium factum est in fauorem innocentis. Vnde non potest fieri Sacerdos, nec ingredi Religionem sine facultate vxoris innocentis; vel saltem nisi innocens significauerit se nunquam illi reconciliatum iri.

Potest innocens admittere nō emendatū.

Petes: Quid si coniunx dimissus non est emendatus, sed adhuc fornicetur, poteritne reconciliari?

Respondeo: Absolutè posse, si absit scandalum. Sicut enim innocens non tenebatur illum dimittere, ita dimissum non tenetur perpetuò excludere, sed potest rursus recipere, etiamsi sit incorrigibilis; vt docet Abulensis in cap. 19. Matthæi quæst. 71.

DVBIVM XIV.

Vtrùm facto diuortio, si innocens fornicetur, teneatur coniugem dimissum sibi reconciliare?

IIII Absolutè non tenetur.

RESpondeo: Absolutè non teneri in foro conscientiæ, antequam à iudice compellatur: nam sententia perpetui diuortij iuridicè data est, vnde iuridicè est irritanda. Ex quadam tamen æquitate videtur teneri cùm dimisso reconciliari; quia iam per suum crimen ius diuortij amisit, & coniunx dimissus acquisiuit ius coniugem repetendi. Vnde, si id postulet à iudice, post sufficientem probationem, alter est compellendus redire ad coniugem dimissum.

DVBIVM XV.

Quibus casibus fiat illicitum diuortium in causa fornicationis?

RESpondeo: Diuortium in causa fornicationis ex se illicitum in sex casibus. Primus est: Quando vxor putans maritum esse mortuum, alteri iuncta est, vt habetur Canone *Bellica*, 34. q. 2. Ratio est: quia tunc vxor non nisi materialiter fornicatur: quæ fornicatio non tam grauiter puniri debet.

IIIs 1. Si putet maritum esse mortuum.

Secundus est: Quando vi est oppressa ab aliquo; vt habetur Canone *Item ne*, 32. quæst. 5. Tunc enim non verè fornicatur; nam non peccat. Si tamen fuerit solùm metu etiam graui compulsa, non excusatur: quia est verum adulterium. Patet ex Canone *Omnes confessiones*, 32. qu. 7.

2. Si vi oppressa.

Tertius est: Quando per fraudem decepta est ab aliquo, putans eum esse suum maritum. Patet, quia non est fornicatio nisi materialiter: Can. *Si virgo*, 34. qu. 3.

3. Si per fraudem decepta.

Quartus est: Quando vterque coniunx est fornicatus. Nam paria delicta mutuâ compensatione soluuntur. Patet ex Cap. *Significasti*, de Diuortiis.

4. Si vterque fornicatus.

Quintus est: Quando alter consensit in adulterium alterius: vt patet Capitulo *Discretionem*, de eo qui cognouit consanguineā vxoris. Ad hoc tamen non sufficit vt vir vxorem domo expulerit, & eam alere noluerit, nisi id eo fide fecerit, vt adulterium cōmitteret: vt patet Capitulo *Significasti*, & Cap. *Ex litteris*, de Diuortijs

5. Si alter in adulterium consensit.

Sextus est: Quando innocens reconciliauit sibi alterum: quod fit, vel expresse condonando, vel petendo reddendoque sponte debitum, postquam sciuit alterius flagitium: vt patet Canone *Si quis*, & Canone *Quod autem*, 32. q. 5. Si enim nesciat, vel coactè reddat debitum, non amittit ius diuortij.

6. Si innocēs sibi alterum reconciliauit.

Digitized by Google

DVBIVM XVI.

Quando ſtudio maioris perfectionis ſit diuortium, quidnam ſecundùm Iura obſeruari debeat?

114 Si vxor religionem ingreditur.

REſpondeo, & Dico Primò: Quando vxor ingreditur Religionem, neceſſe eſt virum ſimiliter ingredi, vel ſuſcipere ſacros Ordines; vel certè eſſe in ea ætate vt non ſit periculum incontinentiæ, id eſt, circiter ſexaginta annorum: vt patet ex Cap. *Cum his.* & Cap. *Ad Apoſtolicam*, De conuerſione coniugatorum. Similiter ſi vir ingrediatur Religionem, vel ſacros Ordines ſuſcipiat, neceſſe eſt etiam vxorem ingredi Religionē, vel vt ſit prouectæ ætatis. Hoc autem diuortium fieri non poteſt ſine auctoritate Epiſcopi.

Si ſine cōſenſu coniugis profiteatur.

Dico Secundò: Si alter coniunx ſine alterius cōſenſu profiteatur, profeſſio eſt irritanda, & reddendus eſt coniugi. Non poteſt autem talis liberè petere debitum: tenetur tamen reddere vxore petente. Mortua autem vxore tenetur ſeruare caſtitatem; non tamen tenetur ingredi Religionē: quia reſpectu Religionis votum fuit irritatum, non autem reſpectu caſtitatis, niſi quatenus vxori præiudicabat, videlicet quo ad redditionem debiti, non autem quo ad petionem.

Si vxor manet in ſæculo.

Dico Tertiò: Si vir ingrediatur Religionē conſentiente vxore, ſed manente in ſęculò, ſi quidem ipſa conſenſit, quia ignorabat Iura, putans ſe poſſe manere ſolutam in ſęculo, profeſſio viri eſt irritanda: vnde reſtituendus eſt coniugi, niſi coniux antè moriatur. Quòd ſi ipſa ſciuit Ius, cogenda eſt etiam ingredi Religionem, niſi proteſtata fuerit cum conſentiret, ſe nolle fieri religioſam.

Si aliter cōſenſum reuocet.

Dico Quartò: Si coniux coniugi facultatem dedit Religionis ingrediendæ, & eam reuocet ante profeſſionem, peccat quidem ſi ſine iuſta cauſa id faciat, alter tamen non poteſt profiteri. Vide Dominicum Soto diſt. 27. qu. 1. art. 4. & Nauarrum cap. 12. nu. 60.

CAPVT VI.

De fide & prole.

DVBIVM I.

Vtrùm Coniuges teneantur ſibi mutuò debitum reddere?

115 Affirmatur.

REſpondeo: Tenentur coniuges ſibi mutuò debitum reddere, & quidem pari iure, idque ſub peccato mortifero. Eſt certa: Apoſtolus 1. ad Corinth. 7. v. 3. *Vir*, inquit, *vxori debitum reddat: ſimiliter & vxor viro.* Vbi nota verbum *debitum*, quod obligationem iuſtitiæ inſinuat. Confirmatur: Quia ita debetur, ſicut domino debetur vſus rei ſuæ. Quare cùm ſit in re graui, erit peccatum mortiferum contra iuſtitiam, ſi negetur.

Dico, *Pari iure*, quia etſi in adminiſtranda familia non ſit par ius vtriuſque, ſed vir ſit caput mulieris; in liberorum tamen procreatione eſt æquale: quia hîc vxor nō eſt inferior, ſed ſocia; vnde ex coſta procreata eſt, non ex capite, vel pedibus. Confirmatur ex Apoſtolo, qui eodem modo loquitur de vxore atque de viro.

Negans debitum peccat.

Hinc ſequitur ſemper peccare coniugem negantem, quoties alter petit tanquam debitum, niſi iuſta negandi cauſa ſupperat.

DVBIVM II.

Quænam ſint cauſæ iuſtæ negandi debitum?

REſpondeo: Prima iuſta cauſa negandi dubitum, eſt periculum grauis morbi. Nam iure naturæ quilque ſibi magis, quàm alteri conſulere poteſt. Hinc Leproſo, vel ſimili lue infecto non tenetur Coniux ſanus cum periculo contagij debitum reddere; nempe ſi vel eius vitium in cōtractu ignorauit, vel ſi poſt contractum ſuperuenit. Aduerte tamen, ſi non ſit probabile contagij periculum (quod iudicio Medicorum cognoſcitur) teneri coniugem reddere debitum. Sic intelligе Capitulum *Quoniam*, de coniugio Leproſorum. Vide Caietanum verbo *Matrimonij peccata.* 116

1. Periculum grauis morbi.

2. Periculum abortus.

Secunda Cauſa eſt, periculum abortus: nam vinculum Matrimonij non adſtringit contra matrimonij finem.

3. Sanctitas loci.

Tertia Cauſa eſt, Sanctitas loci. Aduerte tamen, ſi coniuges diu in loco ſacro verſari cogantur, vt interdū fit tempore belli, non eſſe peccatū ibidem vti matrimonio, nempe ſi humana fragilitas vrgeat, & alio loco commodo careant. Ita Richardus diſt. 32. art. 3. q. 1. Siluеſter verbo *Cōſecratio* 2. §. 6. Alphonſus Caſtro lib. 1. de lege pœnali cap. 7. documento 2. Sotus diſt. 32. art. 3. Couar. 2. parte cap. 7. §. 2. nu. 3. Ratio eſt, quia tunc non polluitur Eccleſia, cùm non cenſeatur loco ſacro fieri irreuerentia, ſicut neque dum ſanguis licitè effunditur in neceſſaria ſui defenſione.

Quādo locus ſacer nō polluitur per effuſionem ſeminis vel ſanguinis.

Solemnitas feſti non ſufficit ad negandum debitum, vt colligitur prioris ad Corinth. 7. v. 5. *Nolite fraudare inuicem, niſi ex conſenſu, vt vacetis orationi:* poteſt tamen precibus declinare. Petere autem tunc ordinariè eſt veniale.

Quarta Cauſa, Fornicatio coniugis, ob quam in perpetuum negari poteſt: vt ſuprà dictum eſt.

Quinta Cauſa, Menſtrua coniugis. Nota: eſſe duplex genus menſtruorum. Quoddam enim eſt perpetuum, ſicut fluxus ſanguinis Hæmorrhoiſſę, quam Dominus tactu fimbrię curauit Matthæi 9. v. 20. & hoc non impedit quò minùs coniuges poſſint petere & reddere debitum, vt communiter Doctores docent. Ratio eſt: Quia non debent perpetuò priuari ſuo iure ob aliquod incommodum, quòd fortè proli eueniret: quamuis probabilius ſit nullum incommodū ſecuturum; eò quòd proles ex tali non videatur ſuſcipienda. Eadem eſt ratio ſi vir patiatur fluxum ſeminis. 117 Menſtrua.

Fluxus perpetuus ſanguinis in vxore.

Aliud autem eſt Ordinarium, quod ſuis periodis recurrit, & feminis ſanis ſolet ſingulis menſibus euenire. Si vxor tunc debitum petat, omniū ſententia peccat, non tamen mortaliter, vt docet valdè benè D. Antoninus 3. p Sūmæ tit. 1. c. 20. §. 5. & Paludanus diſt. 32. qu. 1. Dominicus Soto eadem diſt. ar. 2. & Caietanus in Summa, verbo *Matrimonij peccata.* Et ratio eſt: Quia non eſt tantum periculum, proli vt experientia docet, vt debeat cenſeri peccatum mortale. Et confirmatur: Quia leproſi vel infecti morbo gallico ſic opulentur, multo maius periculum eſt infectionis proli; & tamen iſti coniuges non peccant mortaliter: *Satius enim eſt prolem ſic eſſe, quàm non eſſe.* Vxor tamen, ſi non poſſit maritum precibus auertere, non peccat reddendo: imò tenetur reddere, vt iidem Auctores docent. Ob eandem cauſam ſolùm peccat venialiter maritus, ſi debitum petat ſciens vxorem menſtruis affectam.

Fluxus ſeminis in viro.

Menſtruata petens debitum, peccat venialiter.

Non peccat reddēdo.

Maritus peccat venialiter petendo.

Dices: Leuitici 20. iubetur interfici mulier menſtruata, & quiad eam acceſſerit: ergo vterque

peccat mortaliter; videlicet, tam reddens debitũ, quàm, petens. Et confirmatur: quia Leuit. 18. accedere ad mulierem menſtrua patiẽtem, ponitur inter crimina ob quæ gentes illæ Chananeæ internecione ſint deletæ. Vnde videtur etiã eſſe contra legem naturæ. Quod confirmatur: quia D. Hieronymus in cap. 18. Ezech. dicit ex tali coniunctione naſci claudos & leproſos, & imbecilles: vnde ſequitur grauem iniuriã inferri proli. Ob has rationes Scotus diſt. 32. putat eſſe peccatum mortale in menſtruis non ſolùm petere, ſed etiam reddere debitum. Sed quod diximus tenendum eſt, iuxta communem doctorum ſententiam. Vnde.

Legaliter erat mortale accedere ad menſtruatam.

Reſpondeo: Legem illam partim fuiſſe cæremonialem, partim naturalem. Quatenus erat cęremonialis, habebat adiunctam pœnam mortis: ſicut & multa alia cæremonialia, quæ tamen iure naturæ non erãt illicita, ſicut colligere ligna die Sabbati, retinere fermentatũ diebus azymorum, comedere ſanguinem. Et hoc modo illo tempore obligabat ad mortale peccatum. Ceterum hæc obligatio in lege noua ceſſauit, & tamen remãſit obligatio naturalis: nam accedere ad menſtruatam, indecentiam quandam continet, & proli nonnihil eſt periculoſum. Sed hæc res non eſt tãti vt inducat peccatum mortale. Nam illa indecentia eſt parui momenti, & ordinariè non eſt periculum proli: nam plures naſcerẽtur cum talibus defectibus, quod tamen non videmus & quãuis eſſet aliquod periculũ proli, nõ tamen ideò eſſet periculum peccati mortalis, vt iam dictum eſt, & rectè docet D. Antoninꝰ ſuprà. Hinc patet reſponſio ad teſtimonium Hieronymi.

Naturaliter verò ſolùm veniale.

Ad Primam Confirmationẽ: Reſpondeo, præcipua peccata, ob quæ, gentes illæ deletæ ſunt, fuiſſe inceſtus, adulteria. Sodomiam, beſtialitatẽ & idololatriã, qua ſemen humanum offerebant idolo. Accedere autem ad menſtruatam erat minimum. Ponitur tamen cum illis magnis peccatis, quia tãtùm ibi agitur de peccatis carnalibus. Et veniale peccatum adiunctum alijs mortalibus ſæpè eſt cauſa punitionis temporalis.

118 Paupertas non excuſat.

Paupertas autem, & liberorum multitudo, non eſt ſufficiens cauſa negandi debitum, quidquid dicat Sotus. Ita Silueſter verbo *Debitũ coniugale*, §. 10. Nauar. cap. 16. nu. 24. & alij. Quia quod ex iuſtitia debetur, non poteſt negari ob incõmodum, quod proli ex paupertate obueniet.

DVBIVM III.

Vtrùm coniux occultè fornicatus poſſit petere debitum coniugale?

119 Affirmatur.

Reſpondeo: verius eſt, poſſe petere tanquam debitum: quod eſt contra Nauarrum. Ita Caietanus tomo 1. tractatu 29. & Sotus diſt. 36. art. 3. Ratio eſt, quia per fornicationẽ non ſtatim ipſo facto priuatus eſt ſuo iure, ſed per coniugem vel iudicem eſt priuandus: neque verò tenetur ſeſe aperire. Confirmatur exemplo filij, qui cõmiſit crimen in parentẽ, ob quod poteſt exheredari; qui tamẽ nõ eſt exheres, niſi actu priuetur.

Nõ poteſt tamen extorquére.

Adde tamen, Non poſſe maritum tunc per vim debitum extorquere: nam vxor habet ius negãdi, etſi ignoret. Vnde ſi vis ei inferatur, fiet illi iniuria.

DVBIVM IV.

Vtrùm Maritus poſſit petere & reddere, dum dubitat de Matrimonij firmitate?

120 Si quaſi certus de inualiditate.

Reſpondeo, & Dico Primò: Si ſit quodammodò certus, matrimonium fuiſſe inualidũ, nec petere poteſt, nec reddere, etſi aliquam ſuſpicionem in contrarium habeat: quia non habet probabilem rationem qua iudicet hanc ſuam eſſe vxorem.

Si ſcriptũ habeas.

Dico Secundò: Si ſit moraliter certus Matrimonium fuiſſe validum, etſi habeat leues coniecturas in contrarium, non ſolùm poteſt reddere, ſed etiam petere. Nam leues coniecturæ non faciunt dubium, ſed ſcrupulũ. Scrupulus enim eſt apprehenſio inclinans ad iudicandum eſſe illicitũ ex leuibus coniecturis. Hæc duo dicta habentur Capitulo *Inquiſitioni*, de ſententia excommunicationis.

Si bona fide contraxiſti & poſtea dubites, pete & redde.

Dico Tertiò: Qui bona fide contraxit ſi dubium de firmitate matrimonij poſtea ciinciderit, tenetur diligentiam inquirendæ veritati adhibere; per quem, ſi nihil certi inuenerit, manetq; adhuc dubius, poteſt petere & reddere. Ita Sotus lib. 4. de Iuſtitia qu. 5. art. 4. contra Adrianum. & diſt. 37. art. 5. Eſt communior ſententia. Ratio eſt; quia in dubio, nemo priuandus eſt ſuo iure quod poſſidet, nam *Melior eſt conditio poſſidentis*: iuxta regulam Iuris in 6.

Dices: Capitulo *Dominus*, De ſecundis nuptijs, Lucius III. ait, Eum, qui adhuc dubitat de morte prioris coniugis, non poſſe debitum petere; teneri tamen poſtulanti reddere. Et Capitulo *Inquiſitioni*, Innocentius III. dicit, *Cùm conſcientia pulſat animum ex probabili credulitate, & diſcreta, quamuis non euidenti, debitũ reddere quidem poſſe, ſed petere non debere; ne in alterutrum vel contra legem coniugij, vel contra iudicium conſcientiæ committat offenſam.*

Reſpondeo: Omiſſis varijs ſententijs, Lucium III. loqui de eo, qui mala fide contraxit; ſcilicet nondum habita certitudine coniugis de mortuæ, quod etiam teſtatur Panormitanus: nos vero loquimur de eo, qui bona fide contraxit, cui poſtea dubitatio incidit. Innocẽtius agit quidem de eo, qui bona fide contraxit, ſed qui, poſtquam incidit dubitatio, non præſtitit debitam diligentiam in inquirenda veritate; vt Sotus notauit.

121 Si contraxiſti cum dubio, cõiugi bonæ fidei redue non pete.

Dico Quartò: Qui contraxit cum dubio, debet coniugi bona fide poſtulanti reddere debitum; ſed non potes petere. Eſt communis ſententia doctorum, præter Sotum, qui putat in hoc euẽtu nec petere poſſe, nec reddere. Sed noſtra ſententia colligitur ex D. Tho. *in Additionibus*, qu. 55. art. 9. in fine. Bonauentura diſt. 36. in expoſitione litterę. Ioannes Medina Codice *de reſtitutione* qu. 17. Nauar. cap. 22. nu. 54. & Commentario in Cap. *Si quis*, de Pœnitentia, diſt. 7. Couarruuiàs 2. parte cap. 7. §. 2. nu. 8. Illi namque auctores loquuntur generatim, & comprehendunt etiam eum qui mala fide contraxit.

Probatur Primò; Ex cap. *Dominus*, de Secundis nuptijs, vbi id expreſsè habetur. Neque verum eſt, Pontificem loqui in foro externo, vt Adrianus expoſuit: nam quærebatur an tales nuptiæ eſſent licitæ, & an earum vſus licitus eſſet? Reſpondet Pontifex *debere reddere debitũ, non petere.* Neque etiam Soti expoſitio ſatisfacit, qui vult Capitulum intelligi de eo, qui bona fide contraxit: nam expreſsè agitur de eo, qui mala fide con-

Digitized by Google

traxit, nempe cum dubio de morte prioris coniugis. Deinde si ageretur de eo, qui bona fide contraxit, falsum esset quod ibi dicitur; nempe, *Non posse petere debitum.*

Probatur Secundò: Quod enim teneatur reddere debitum, patet: quia dum quis dubitat an aliquid sit faciendum, & ex altera parte etiam dubitat an non sit maius peccatum hoc omittere, tenetur ad id quod videtur minus malum: vt patet Capitulo *Nemi*, dist. 15. ex Gregorio. Atqui in hoc casu in negando debito est periculum iniuriæ in coniugem, in reddendo est solum periculum fornicationis: minus autem malum est fornicatio, quàm illa iniuria.

Probatur Tertiò: Alter coniux, qui nihil dubitat, habet ius petendi: nam bona fide contraxit, & in ea permanet: ergo alter non potest petenti negare, nisi ipsi constet non esse verum coniugium. Confirmatur: quia ille possidet bona fide ius corporis alterius: ergo alter, nisi constet se non esse alterius coniugem, non potest se illi subtrahere: sicut patet exemplo aliarum rerum dominio subiectarum.

Dices: Nemo acquirit ius per malam fidem.

Respondeo: Id verum esse: & propterea coniugem, qui mala fide contraxit, non posse petere debitum; reddere tamen posse & debere: quia reddere non est iuris ipsius, sed alterius qui est in bona fide; nam ob ius, quod alter habet in ipsum, tenetur reddere.

122 quid, si vterque dubitet.

Ex his etiam patet, quid dicendum, si vterque dubitet. Si enim bona fide contraxerint, & posteà dubium obueniat, debent adhibere omnem diligentiam, vt veritatem cognoscant. Quòd si tunc adhuc manserit dubium, possunt reddere & petere. Si mala fide contraxerint, nec petere possunt, nec reddere, donec iusta ratione possint dubium deponere; quod non fiet, nisi aliquo modo moraliter constet de veritate.

DVBIVM V.

An Coniux, qui continentiam vouit, possit petere & reddere?

123 si vouit absque cõsensu vxoris.

Dico Primò: Si vir sine consensu vxoris continentiam voverit, tenetur quidem reddere debitum vxori petenti, sed non potest sponte petere. Habetur expressè Capitulo *Quidam*, de Conuersione coniugatorum. Ratio est; quia tenetur seruare votum, quantum in se est, id est, quantum potest sine iniuria & onere coniugis: vnde sponte petere non potest. Si tamen aliquo signo aduerteret vxorem id desiderare, posset petere: quia votum ipsius, in quod illa non consensit, non debet illi esse onerosum.

si vouit absque cõsensu viri.

Dico Secundò: Si vxor continentiam vouit absque viri consensu, tenetur similiter reddere, sed non potest petere. Ita Capitulo *Placuit*, de Conuersione Coniugatorum. Ratio est eadem.

Nota tamen, Non esse improbabile, coniuges posse irritare hoc votum quoad debiti non petendi obligationem; vt dictum est tractatu de voto, qua sententia in aliquo casu posset quis vti.

si vouit ex consensu alterius.

Dico Tertiò: Si coniux ex consensu alterius continentiam vouit, non potest petere debitum. Reddere tamen debet expressè postulanti, nisi ipse suo consensu renuntiauerit iuri petendi.

Prior pars patet: Quia per hoc quod vir consentit, vt coniux voueat continentiam, non idcirco renuntiat iuri petendi. Vnde, nisi interueniat hæc renuntiatio, non est magna distinctio inter eum, qui vouet cum cõsensu alterius, & qui sine consensu: nisi quòd is, qui cum consensu vouit, non teneatur reddere nisi coniux expressè petat, alter verò etiam ad indicium teneatur.

Altera Pars Probatur: quia cùm vir renuntiat iuri petendi, potest vxor quæ vouit, recusare debitum; eò quòd ille ius petendi amplius non habeat; ac proinde tenetur recusare. Tenetur enim vxor votum suum seruare quantum potest.

si vterque vouit cõmuni consensu.

Dico Quartò: Si vterque communi consensu vouit, neuter potest vel petere vel etiam reddere. Ratio est: quia vterque tunc iuri petendi censetur renuntiasse. Vide D. Augustinum epist. 199. ad Edibiam. Si tamen constaret eos non renuntiasse iuri petendi, vterque teneretur petẽti reddere, neque reddendo peccaret; quamuis is qui peteret, peccaret. Ratio est, quia per hoc, quod maritus vouit Deo continentiam, non fuit vxor soluta obligatione, qua ipse erat adstricta; & contrà: vt patet in debito pecuniario.

124 Si vouit castitatem ante matrimonium.

Dico Quintò: Qui ante matrimonium vouit continentiam, non solùm peccat contrahendo, sed etiam quoties sponte petit debitum. Non tamen tenetur ante consummationem ingredi Religionem, vt votum suum seruet.

Prior Pars Probatur: nam qui contrahit, habet animum non seruandi castitatem, quam tamen iste vouit. Petendo quoque debitum re ipsa non seruat, cùm tamen possit & teneatur.

Alteram Partem tenet Sotus dist. 38. quæst. 2. art. 1. Et ante illum Angelus verbo *Matrimonium* 3. Impedimento 5. Etsi plerique contrarium teneant. Ratio est, quia status Religionis est status omnino liber, ad quem nemo qui in eum non cõsensit, est obligandus: atqui hic nullo modo in hunc statum consensit, sed tantummodò in continentiam seruandam in sæculo: sufficit igitur vt seruet votum suum, prout potest in statu in quo nunc est. Vnde tenetur hortari coniugem ad continentiam: quod si non persuadet, potest ei petenti debitum reddere. Quamuis non possit liberè petere absque dispensatione, quam dispensationem concedit Episcopus.

Si ante matrimoniũ vouit ingredi religionem.

Dico Sextò: Qui vouit ingressum Religionis, peccat quidem contrahendo & consummando, eò quòd ante consummationem, causâ voti teneretur, & posset religionem ingredi; consummato tamen Matrimonio potest non solùm reddere, sed etiam petere debitum. Ratio est: quia consummato matrimonio ingressus Religionis est illi factus impossibilis. Reddere autem & petere debitum non est contra ipsius votum. Hinc patet quantum interfit inter eum, qui vouit continentiam, & qui vouit ingressum Religionis.

Si contrahat cum eo quẽ scit habere votum.

Dico Septimò: Si alter coniux, scilicet vxor, sciuit votum continentiæ viri, & nihilominùs cum eo contraxit, peccauit contrahendo; quia consensit in voti ipsius violationem. Similiter peccat quoties petit debitum: quia cùm mala fide contraxerit, non potest licitè petere. Tenetur tamen marito petenti debitum reddere, quia corporis sui potestatem non habet. Pari modo vir non potest petere, propter votum. Tenetur tamen vxori petenti reddere debitum, quia corporis sui potestatem non habet.

lized by Google

DVBIVM. VI.

Vtrùm coniuges teneantur simul cohabitare, & se mutuo adiuuare in familia administranda?

125 Tenetur. REspondeo: Coniuges ad hoc teneri. Patet ex Cap. *Litteras*, de Restitutione spoliatorum, & Cap. 1. de Sponsalibus & matrimonijs. Ratio petitur ex natura matrimonij, quod est vinculum indissolubilem vitę societatē retinens: & etiam ex finibus matrimonij, qui sunt, proles, vitatio fornicationis, & mutuum auxilium; qui fines sine cohabitatione obtineri nequeunt.

Petes: An vir ob dotem non solutam possit differe cohabitationem vxoris? etsi dos sit insoluta.

Respondeo: Couarruuias 2. p. de Sponsalibus c. 7. adfert aliquos Iurisperitos, qui sentiunt posse. Sed hæc opinio non est probabilis: nam cohabitatio est Iuris naturæ & diuini. Dominus enim ait, vxorem non esse dimittendam nisi in causa fornicationis. Vnde propter dotem non solutam, non potest reijci, sed debet compelli à iudice vt eam soluat.

DVBIVM VII.

Vtrùm vxor teneatur sequi virum?

126 Cas⁹, quibus nō tenetur sequi. REspondeo: Vxorem teneri sequi virum: vt patet Capitulo *Vnaquæque* 13. qu. 2. Ratio est, quia est viro subdita.

Excipiuntur tamen aliquot casus. Primus: Si vxori ex sequela esset periculum corporis, vel animæ. Secundus: Si vir factus sit vagabundus post matrimonium. Secùs verò se antea vagabundus erat, idque ipsa sciebat; tunc enim tenetur sequi. Tertius: Si pactum præcessit de non mutando domicilio, nisi fortè superueniret vrgens necessitas. Vide Couarr. 2. p. c. 7. in principio.

DVBIVM VIII.

Vtrùm ea quæ vxor lucratur, sint in potestate viri, an vxoris?

127 RAtio dubitandi est, Quia Panormitanus in Cap. *Litteras*, de restitutione Spoliatorum, docet omnia quæ vxor lucratur, esse viri, eò quòd ipse curam familiæ gerat, & vxor teneatur laborare pro familia. Tamen D. Thomas 22. qu. 32. ar. 8. & alij Theologi concedunt mulierem posse disponere de ijs quæ lucratur.

Respondeo cum Nauarro c. 17. num. 154. ea quæ vxor lucratur esse in potestate viri, nec ipsam posse de ijs liberè disponere, quando non dedit sufficientem dotem ad se & liberos alendos: tunc enim tenetur laborare pro familia. Quando autē dedit sufficientem dotem, non tenetur laborare, vnde potest disponere de ijs quæ lucratur.

DVBIVM IX.

Vtrùm marius posset vxorem verberare?

128 Vir nō est dominus vxoris. REspondeo Primò ex Panormitano in Cap. *Cùm contingat*, De foro competenti, virum non habere potestatem ordinariam in vxorem, sicut dominus habet in seruum, neque etiam propriè sicut pater in filiam; vt patet Genes. 2. vbi vxor datur in sociam.

Respondeo Secundò: Iuxta Panormitanum in Cap. *Quemadmodum*, de Iureiurando, posse illam verberare moderatè in causa graui. Ratio est: quia est superior, & potest ei imperare; & ipsa in causa graui tenetur ei obedire, etiam sub peccato mortali, Genes. 2. *Sub potestate viri eris*: ergo potest eam conuenienti modo ad hoc cogere. Nam potestas imperandi non potest benè exerceri sine potestate cogendi. Videndum tamen est vt id discretè fiat, nec facilè consulendum. est superior potēs eam corrigere.

DVBIVM X.

De Prole.

HOc loco dicendum foret de prole legitima & illegitima. Sed hac de re, quantum satis est Theologo, diximus in Tractatu de Irregularitate. 129

Dicendum etiam esset de iure & debito liberorum erga parentes, & parentum erga liberos, tum quo ad educationem, tum quo ad hæreditatem. Sed hoc pertinet ad materiam de Iustitia & Iure. Vide Couarruuiam 2. par. cap. 8. Pleraque autem ad forum externum pertinent.

CAPVT VII.

De impedimentis Matrimonij.

DVBIVM I.

Quotuplicia sint Matrimonij impedimenta?

REspondeo: Duplicia esse Matrimonij impedimenta. Quædam dicuntur *Dirimentia*, non quod Matrimonium iam contractum possit dirimi, sed quia illud irritum reddunt si antecedant, sic vt non possit validè contrahi. Alia dicuntur *Impedientia*, quæ contractum quidem non irritum, sed illicitum reddunt. 130 Alia *Dirimentia*, alia *Impedientia*.

Dirimentia sunt duodecim, his versibus comprehensa:

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, Ordo, ligamen, honestas;
Si sis affinis, si forte coire nequibis.
Hæc impedita vetant matrimonia, facta retractat,

Ratio huius numeri sic explicatur. Ad Matrimonium duo requiruntur, scilicet legitimus consensus signis expressus, & legitimæ personæ contrahentes. Ex parte consensus sunt tria impedimenta: *error personæ, error conditionis, & vis illata.* Ex parte cōtrahentium sumuntur reliqua nouē; quorum quędam reddunt contrahentem absolutè inhabilem, quędam tantummodò respectu certæ personæ. Quæ absolutè inhabilem reddunt, vel sunt naturalia, vt *impotentia copulæ*, quæ dicitur *frigiditas, vel maleficium*: vel sunt voluntaria, vt *votum solemne Religionis, Ordo sacer, & ligamē cum alio coniuge.* Quę verò inhabilem reddunt tātummodò respectu certæ personæ, sunt triplicia: scilicet, *Certum quoddam crimē*; *nimia disiunctio*, vt, *per cultus disparitatem*; *& nimia coniunctio*, nempe *per cognationem affinitatis, & publicam honestatem.* Numerus dirimētiū & eius ratio.

Præter hæc impedimenta Iuris antiqui, est nouum quoddam inductum à Concil. Trident. scilicet *Contractus clandestinus*, hoc est, *sine Parocho & duobus testibus*; quod olim solùm erat impediens, non dirimens; de quo infrà c. 13. Nouum impedimentū dirimens ex Concil. Triden.

Digitized by Google

DVBIVM II.

Quomodo Eccleſia potuerit impedimenta Matrimonij ſtatuere; cùm ſit Sacramentum, in quo nihil ipſa mutare poteſt?

3

131 REſpondeo, & Dico Primò: Fide tenendum eſt, Eccleſiam poſſe impedimenta dirimentia conſtituere. Definitum eſt in Concil. Trid. ſeſſ. 24. can. 3. & 4. vbi dicitur anathema iis, qui negant Eccleſiam poſſe matrimonij impedimenta conſtituere.

Poteſt id ex ratione Materiæ, & ratione formæ.

Dico Secundò: Eccleſiam id potuiſſe duplici ratione; nempe, quia contractus matrimonij, quatenus eſt contractus ciuilis, duplici modo Eccleſiæ ſubeſt; ſcilicet ratione materiæ, & ratione formæ.

Probatur hoc ex alijs contractibus, qui pari modo ſubſunt humanę poteſtati: ergo ſicut in alijs contractibus poſſunt præſcribi certæ formulę & ſolemnitates, ſine quibus ſi fiant, irriti cenſeantur; ita etiam in matrimonio: & ſicut poſſunt res ipſæ decerni inhabiles, vt in hos vel illos trãsferantur; ita etiam perſonæ decerni poſſunt inhabiles, vt cum his vel illis contrahant.

Confirmatur Primò: Quia id fieri poteſt in contractu venditionis, ſiue quo quis ſeſe alteri in perpetuam ſeruitutem tradit; cur non etiam in contractu matrimonij, vbi quis corpus ſuum tradit in alterius poteſtatem?

Confirmatur Secundò: nam inter Ethnicos fuerunt leges matrimonij ab Imperatoribus Ethnicis latę; vt patet ff. *De Ritu nuptiarum* & Codice *Ad legem Iuliam*, de Adulterijs; quod ſignum eſt contractum matrimonij ſubeſſe legibus humanæ diſpoſitionis, ſicut alios contractus.

Nec obſtat, quòd Matrimonium ſit Sacramentum; quia Dominus nihil in eo mutauit, vt eſt cõtractus ciuilis, ſed reliquit in ſua natura, adiunctà dignitate Sacramenti, & gratiæ efficaciâ: vnde non determinauit inter quas perſonas hic cõtractus deberet cẽſeri legitimus vel illegitimus, quâ formâ, quibuſque ſolemnitatibus eſſet contrahendus; ſed hoc reliquit iuri naturali & humano. Vide Couar. 2. parte, cap. 6. §. 10. nu. 33. & 34.

DVBIVM III.

132 *Vtrùm poteſtas ciuilis poſſit matrimonio impedimentum dirimens conſtituere?*

Nõ poteſt id Chriſtianorum Princeps.

REſpondeo, & Dico Primò: Secluſo omni iure Eccleſiaſtico poſſet ciuilis poteſtas huiuſmodi impedimenta ſancire. Verùm quia Eccleſia hoc ius ſibi aſſumpſit, tanquam neceſſariũ ad regimen ſpiritale, nempe eò quòd Matrimonium per Chriſtum factum ſit res ſpiritualis, vt pote Sacramentũ; ideò apud Chriſtianos poteſtas ciuilis hîc nihil poteſt ſtatuere. Quare, ſi Princeps ſæcularis prohiberet aliquod matrimonium inter eos, quibus nullum eſt Canonicum impedimentum, vetatio illa nullam vim haberet.

Poteſt id non Chriſtianorum Princeps.

Dico Secundò: Principem Ethnicorum, ſeu non Chriſtianorum, ſiue is Ethnicę ſit, ſiue Chriſtianus, poſſe conſtituere impedimenta, quę matrimonium dirimant. Ratio eſt: tum quia poteſtas Eccleſiaſtica, quæ ſibi hoc ius ſeruare potuit apud Chriſtianos, non extendit ſe ad Ethnicos, 1. ad Corinth. 5. tum quia matrimonium apud Ethnicos non eſt Sacramentum, aut res ſpiritualis, ſed nudus contractus ciuilis, ac proinde ciuili poteſtati ſubiectus.

DVBIVM. IV.

Quis poſſit in Matrimonij impedimentis diſpenſare?

REſpondeo, & Dico Primò: Pontifex in omni impedimento matrimonij, quod iure poſitiuo humano introductum eſt, valide diſpenſare poteſt. Ratio eſt; quia in ipſo eſt plenitudo poteſtatis Eccleſiaſticæ. Vnde quidquid per poteſtatem Eccleſiaſticam potuit conſtitui, poteſt etiam Pontificis poteſtate in totum vel in partem abrogari. 133 Papa poteſt abſolutè.

Dico Secundò: Epiſcopus ordinariè non poteſt in impedimentis dirimentibus diſpenſare: quia non poteſt quemquam à lege ſuperioris eximere, niſi iure vel conſuetudine id ei ſit cõceſſum. Probabile tamen eſt poſſe in certo euentu, nempe his quatuor conditionibus concurrentibus. Primò: Si matrimonium publicè & bona fide, ſaltem alterius partis, contractum ſit. Secundò: Si impedimentum eſt occultum. Tertiò: Si ſeparatio futura eſſet ſcandalo. Quartò: Si ad Pontificem, vel ad eius legatum, qui poteſtatem habeat, non pateat acceſſus, ob paupertatem vel alia incommoda. Verbi gratia: Petrus bona fide contraxit cum Catharina in facie Eccleſiæ, tamen ante cõtractum, cognouit ſororem Catharinæ, vnde factus eſt affinis Catharinæ in primo gradu, quæ affinitas eſt impedimentum dirimens. Vnde quando contraxit cum ea, matrimonium fuit nullum: ſed ipſe in contractu neſciuit eſſe impedimẽtum, & ſolùm id poſt aliquot annos ſuſceptis iam liberis intellexit, vnde etiam videt matrimonium fuiſſe inualidum. Sed propter paupertatem, vel aliam cauſam legitimam non poteſt accedere Põtificem. Neque etiam poteſt fieri ſeparatio à coniuge, quia naſceretur magnum ſcandalum, vel ſaltem ingens illorum & prolium infamia. Dico in hoc euentu Epiſcopum poſſe diſpenſare in hoc impedimento. Ita Nauarrus cap. 22. num. 82. Silueſter verbo *Diſpenſatio* n. 15. Angelus eodem verbo n. 5. Bartholomæus Fumus eodem verbo nu. 19. Alphonſus Viualdo *de Matrimonio* num. 248. Ratio eſt: quia in tali caſu per quandam *præſumptionem* cenſetur Pontifex tacito conſenſu Epiſcopo dare poteſtatem; non enim credibile eſt, ſuam Sanctitatem velle illas animas peccatis illaqueari, vel ſcandalum naſci, vel infamiam incurri, præſertim quando bona fide, ſaltem alterius partis, contractus eſt celebratus. Epiſcopus non poteſt niſi in caſibus quibuſdam.

DVBIVM V.

Quid faciendum eſt, ſi matrimonium cum impedimento contractum fuerit?

134 RÉſpondeo, & Dico Primò: Si hoc impedimentum fuerit vtrique, vel alteri in contracta, ignoratum, eo ceſſante per diſpenſationẽ, vel alio modo, nõ ſatis eſt ſic perſeuerare vt priꝰ, vel affectu maritali coniugem cognoſcere; ſed opus eſt nouo contractu. Ratio eſt, quia per illum conſenſum continuatum, ſeu per illam perſeuerantiam, & per illum affectum maritalẽ, non intendunt coniuges de nouo contrahere, ſed ſolùm in præcedenti perſeuerare; atqui præcedens coniugium nullum erat; ergo nõ ſufficit ſic permanere, ſed neceſſe eſt vt intendãt de nouo cõtrahere. Hoc autem fiet, ſi alter, qui nouit impedimentum interueniſſe, alteri aperiat, eumq; induat vt rur- Si impedimentũ vni ſoli ſit cognitũ, opꝰ eſt nouo contractu.

Digitized by Google

ſus contrahere velit: vel ſi id commodè fieri non poteſt, ſatis erit illum inducere, vt ad ſui ſolatiũ, & ad teſtandum coniugalem affectum, turſus velit contrahere, perinde ac ſi iam primùm coniugium initretur. Non enim eſt neceſſe, vt impedimẽtum in ſpecie ſignificetur; vt vult Scotus diſt. 35. Neque etiam vt ſignificetur in genere; vt vult Nauar. cap. 22. nu. 45. Vide Caietanum tom. 1. Opuſculo 12. & Sotũ diſt. 28. art. 2.

Notabile conſilium.

Ratio eſt; Quia, etſi aliter neſciat Matrimoniũ hactenus fuiſſe inualidum, imò etſi omnino putet fuiſſe validum, ſi tamen de nouo intendat contrahere quantum in ſe eſt, erit validus contractus, quamuis ex illo errore ad hoc fuerit inductus. Sic ſi quis contrahat Matrimonium, eò quòd putet ſponſalia, quæ fecerat, non potuiſſe diſſolui, quæ tamen reuerà diſſolui poterant: vel ſi profiteatur in religione, eò quòd putet votum ſimplex ingrediendi religionem non potuiſſe irritari, vel diſpenſari, validè contraxit vel vouit.

ſi impedimẽtum vtrique cognitum.

Dico Secundò: Si impedimentum ſciatur ab vtroque coniuge, ſufficit virtualis conſenſus, qualis eſt copula matitali affectu tentata.

CAPVT VIII.

De errore perſonæ, & conditionis ſeruilis?

DVBIVM I.

Vtrùm error perſonæ matrimonium dirimat?

135 REſpondeo, & Dico Primò: Error perſonæ matrimonium irritum reddit, ſiue ſit *Error Antecedens, ſiue Concomitans.*

error duplex.

Notandum Primò: Errorem in propoſito eſſe duplicem; alius enim dicitur *Antecedens*, qui eſt cauſa actus: vt ſi ineſciens hanc eſſe ſeruam, contrahas cum ea, id nullo modo facturus, ſi ſcires. Alius dicitur *Concomitans*: vt cùm aliquis facit quippiam cum ignorantia rei, quod tamen eſſet facturus etiamſi ſciret: hic error non eſt cauſa rei.

error hic quadruplíciter fit.

Notandum Secundò: Quadruplicitèr hominem poſſe decipi in propoſito. Primò, Circa perſonam: vt ſi putes hanc eſſe Rachelem, cùm tamen ſit Lia. Secundò, Circa conditionem ſeruilem: vt ſi putes eſſe perſonam liberam, quæ tamen eſt ſerua. Tertiò, Circa qualitatem: vt ſi putes eſſe nobilem, ſanam &c. quæ non eſt. Quartò, Circa fortunam: vt ſi putes eſſe diuitem, quæ non eſt. Nunc

error perſonæ irritat.

Probatur Propoſitio: Error perſonæ tollit conſenſum Matrimonij cum hac perſona: ergo irritum reddit contractum. *Antecedens* probatur: quia non conſentit, niſi in eam perſonam, quam animo concepit: ergo non conſentit in hanc, cùm hanc animo non conceperit. Vnde ſequitur hoc impedimentum eſſe iuris naturæ.

Quòd etiam *Error Concomitans* dirimat, Probatur, quia ille, qui cum hoc errore conſentit, reipſa non intendit conſentire in hanc, ſed in eam quam animo conceptam habet. Ergo non contrahit cum hac. Nec refert, quòd ſic animo ſit affectus, vt vellet conſentire, ſi illam cognoſceret; quia reipſa non conſentit: Matrimonium autem naſcitur ex conſenſu, qui reipſa eſt, non ex eo, qui eſſet facta aliqua hypotheſi.

136 error qualitatis vel fortunæ, nõ irritat.

Dicò Secundò: Error qualitatis & fortunæ non dirimit: quia iſte error non eſt circa rei ſubſtantiam, ſed circa quid extrinſecum. Vnde iſte verè intendit conſentire in perſonam, quæ præſens eſt, cui putat ineſſe aliquas qualitates; vt nobilitatem, virginitatem, &c. Ergo, quamuis illæ qualitates non inſint, firmus tamen erit contractus. Quod patet ex alijs contractibus, emptione, venditione, locatione, & ſimilibus.

DVBIVM II.

Vtrùm error conditionis ſeruilis dirimat coniugium?

137 si liber cõtrahat cũ ſerua.

REſpondeo: Error conditionis ſeruilis dirimit matrimonium, ſiue ſit antecedens ſiue concomitans: modò tamen is, qui contrahit cum illo errore, ſit liber. Patet hoc ex Capitulo *Ad noſtram*, de Coniugio ſeruorum. & Capitulo *Si quis libet*, 29. quæſt. 2.

Specialim Probatur de *errore Concomitante*: quia qui ſic contrahit, verè ignoranter contrahit, ac proinde non efficitur Matrimonium. Nam in Capitulo *Ad noſtram*, abſolutè dicitur *Non eſſe matrimonium, quando liber ignoranter cõtrahit cum ſerua*. Idem patet ex multis Canonibus 29. qu. 2. qui requirunt cognitionem conditionis ſeruilis.

Neque ſatis eſt, quod liber ita ſit diſpoſitus, vt vellet contrahere, quamuis ſciret ſponſæ conditionem; quia non idcircò reipſa vult, vt ſupra dictum eſt. Si tamen exprimeret ſe conſentire quamuis ſponſa eſſet ſerua, vel ſi ſic ſaltem conſentiret interiùs dum contrahit, eſſet verum Matrimonium.

138 si ſeruus cum ſerua.

Notandum hic Primò: Si ſeruus contrahat cum ſerua, quamuis ignoret eius conditionem, validum erit matrimonium: quia par eſt vtriuſque conditio.

si liber dubitet de ſeruitute ſponſæ.

Notandum Secundò: Si liber dubitet de ſeruitute ſponſæ, vel contrà: & nihilominùs contrahat: validum erit matrimonium: quia non cenſetur ignoranter contraxiſſe.

si liber cõtracto matrimonio, ſciat eſſe ſeruam.

Notandum Tertiò: Si liber qui contraxit cum ſerua ignoranter, poſteà cognoſcat eius conditionẽ, & nihilominùs accedat ad eam affectu maritali, validatur matrimonium, ſaluo decreto Concilij Tridentini, quod requirit Parochi & teſtium præſentiam. Ratio eſt: quia tali coniunctione cenſetur de nouo velle contrahere, cùm ſciat matrimonium hactenus non fuiſſe validum.

si dubitet.

Petes: Quando aliquis dubitat de ſeruitute alterius contracto iam matrimonio, Vtrùm fiat validum matrimonium ſi accedat ad coniugem?

si exigat debitum.

Reſpondeo Primò: Certum eſt effici validum matrimonium, ſi accedat affectu maritali exigens debitum. Nam cùm dubitet de firmitate, cẽſetur tali petitione, quantum in ſe eſt, velle cõtrahere.

si debitum reddat.

Reſpondeo Secundò: Si verò ſolùm reddat debitum affectu maritali, vel ſi ſolùm reddat affectu fornicario, vel ſolèm ne fraudet coniugem in iſto matrimonio, non fiet validum matrimoniũ. Fiet autem validum matrimonium, ſi ita reddat debitum, vt velit contrahere. Ita Silueſter V. *Matrimonium* 8. q. 3. Et videtur poſſe intelligi ex Cap. *Inquiſitioni*, De ſententia excommunicationis.

DVBIVM III.

Vtrùm ſerui poſſint contrahere inuitis dominis?

139 affirmatur

REſpondeo: Seruos poſſe contrahere inuitis dominis. Patet Cap. 1. De Coniugio ſeruorũ, vbi id expreſsè habetur. Et Can. *Omnib⁹* 29. q. 2. Ratio eſt: quia contrahere matrimonium eſt

Digitized by Google

iuris naturæ; nam quisque à natura ius habet cõtrahendi matrimonij, & conseruandi naturam humanam: seruitus autem iure gentium introducta est, quod ius non debet euertere ius naturale. Adde, quòd carere matrimonio, pertinet ad statum perfectionis, ad quem nemo inuitus compelli potest.

Seruus cõtrahens cũ libera, fit quatuor casi us liber.

Petes Primò: An seruus contrahens cum libera efficiatur liber?

Respondeo: Non fieri liberum, nisi in quibusdam casibus. Primò, Si dominus tradat ipsũ vxori liberę ignoranti eius seruitutem, nec illi eam indicet; tunc enim fit liber: si tamẽ ipsa sciat eiꝰ seruitutẽ, ipse non efficitur liber. Secundò, Si domino sciente, nec contradicente, seruus cõtrahat cum libera, quam dominus scit ignaram esse eius cõditionis seruilis. Tertiò, Si dominus seruo dotem cõstituat ad matrimonium ineundum, efficitur ipse liber, etiamsi cõtrahat cum libera sciẽte eius conditionem seruilem. Vide Couar. 2. p. de Sponsalibus cap. 5. §. 7.

quid si liber in his casibus. ignoret alterius seruitutem?

Petes Secundò: An matrimoniũ in istis casibꝰ sit validum, si liber ignoret alterius seruitutem?

Respondeo: Validum esse matrimonium. Ita docet Glossa in Cap. finale, De coniugio seruorũ, Panormit. & alij DD. ibidem. Siluester V. *Matrimonium* 8. q. 2. n. 5. Soto dist. 35. a. 2. Et ratio est: quia seruus ille in eo instãti in quo cõtrahit, iam est liber ex dispositione Iuris; ac proinde non ampliùs subest impedimentũ. Dices: Contractus est causa cur fiat liber: ergo prior est contractus, quã habilitas contrahendi in seruo; & consequenter contractus erit nullus. Respondeo: Contractus est prior libertate in genere causæ efficientis; sed in genere causę materialis libertas est prior matrimonio: sicut in rebus naturalibus illustratio aẽris in genere causę efficiẽtis prior est depulsione tenebrarum; sed in ordine causæ materialis prior est depulsio tenebrarum, quàm illustratio aëris.

140 Seruũ coniugatum dominus ne vendat in alienam prouinciam.

Petes Tertiò: An dominus possit seruũ, qui cõtraxit matrimoniũ, vendere in alienã prouinciã?

Respondeo: Communis sentẽtia Doctorũ est, quãdo consensu domini factum est matrimoniũ, seruum non posse in longinquas oras distrahi, quò vxor commodè sequi non possit. Si autẽ sine consensu domini factum sit, quidam dicunt dominum posse illum vendere in quæuis loca. Ita Nauar. c. 22. n. 32. Sed hoc non videtur absolutè verum: Nam est contra charitatẽ virum ab vxore diuellere. Ita D. Thom. q. 52. a. 2. ad 4. vbi dicit cogendum dominum ne ita diuendat seruum. Et D. Antoninus 3. p. tit. 1. c. 3. Soto d. 35. a. 1. In vno tamen casu sententia Nauarri teneri potest: nẽpe, si dominus esset in maxima aliqua necessitate constitutus, cui non posset aliter occurrere, nisi ita vendendo seruum. Et tunc vxor teneretur eum sequi.

excipe casum.

141 Impedimentũ seruilis conditionis est solùm Iuris Ecclesiastici.

Petes Quartò: An hoc impedimentum seruilis conditionis sit iuris naturæ, an Ecclesiastici?

Respondeo: hoc impedimentum non esse Iuris naturæ sicut est error personæ; sed Ecclesiastici. ita communiter DD. D. Thomas d. 36. a. 1. q. 2. Soto d. 35. a. 2. Quòd non sit iuris naturæ patet: nam iste verè consentit in hanc personam, neque aliam animo gerit, sed solùm fallitur in accidentaria qualitate, sicut is qui putat esse nobilem, virginem, &c. Meritò tamen Ecclesia tale impedimentum induxit in fauorem eius qui liber est: quia per tale matrimonium grauiter deciperetur. Nam serua non potest liberè reddere debitum suo coniugi, cùm sit obstricta obsequijs domini

CAPVT IX.

De impedimento voti, & Ordinis sacri.

DVBIVM I.

An votum dirimat matrimonium?

142 votũ aliud *solemne*, aliud *simplex*.

NOtandum est: Votum aliud esse *Simplex*, aliud *Solemne*. *Solemne* dicitur, quod nuncupatum in susceptione Ordinis sacri, vel in religionis per Sedem Apostolicã approbatę professione. Ita expressè habemꝰ Capitulo *Quod votum*, de Voto in 6. *Simplex* autẽ est, omne aliud votum, quod non est solemne.

143 Votũ simplex non irritat matrimoniũ.

Dico Primò: *Votum simplex* impedit quidem matrimonium contrahendum, cùm sine graui peccato non possit contrahi; non tamen dirimit, si contrahatur: quod intellige secundùm iuris communis dispositionẽ: Nam ex priuilegio Summi Pontificis fieri potest, vt votum simplex emissum in aliqua Religione secundùm certam formam, dirimat matrimonium; vt patet ex Constitut. Greg. XIII. quę incipit, *Ascendẽte Domino*.

144 Solemne irritat.

Dico Secundò: Votum solemne in Religione approbata tacitè vel expressè emissum, dirimit matrimonium. Hæc propositio est fide tenenda.

Dixi: *In religione approbata*: quia si quis profiteatur in Religione non approbata per sedem Apostolicam, non erit impedimentum dirimens, vt in tertio ordine S. Francisci, vel S. Dominici: neq; enim tale votum est proprie dictum solemne; vt patet ex Capitulo *Quod votum*.

Dixi, *Tacitè vel expressè emissum*: quia vtroque modo fieri potest professio, etiam post Concilium Tridentinum; vt patet ex responsis Cardinalium. Expressè quidem fit, dum certa formula recitatur. Implicitè verò, si quis exacto anno professionis gestet habitum professorum: & gerat se in officijs vt professum. Nunc

145 Concilia. Chalcedonense. Triburiense. Toletanũ IV. Turonicum. Foroiuliense. Tridentinum.

Probatur propositio Primò: ex Concilijs. Concilium Chalcedonense can. 16. dicit virginem, quæ se Deo consecrauit, similiter & Monachum, non posse nuptialia iura contrahere: quòd si hoc inuenti fuerint perpetrare, excommunicentur. Vbi ij dicat tales nuptias esse illicitas. Quod patet primò, quia dicit non posse eos nuptialia iura contrahere. Quibus verbis significatur non tantùm hoc esse peccatum, nam de hoc nemo vnquã dubitauit; sed non posse inter eos ius matrimonij constare. Secundò; quia iubet eos excommunicari; nempe, quia in peccato manẽt donec separentur. Tertiò, quia Concilium Triburiense can. 23. allegat hunc Canonem, vt probet non esse verum matrimonium, quod post votum solemne contrahitur. Concilium Toletanum IV. ante annos 930. can. 51. iubet Monachos, qui vxores acceperunt, reduci in monasterium, & pœnitentię deputari. Concil. Turonicum can. 16. iubet Monachum, qui vxorem duxerit, etiam auxilio iudicis sæcularis ab ea separari. Idem sanxit Concil. Foroiulense de sacris Virginibus. Denique Concilium Tridentinum sess. 24. can. 9. *Si quis dixerit Clericos in sacris Ordinibus constitutos, vel Regulares castitatem regulariter professos, posse validè matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege Ecclesiastica, vel voto; anathema sit.*

146 Pontifices

Probatur Secundò: Ex pontificibus. Siricius Papa epist. 1. c. 6. iubet monachos & Virgines sacras, si matrimonium contraxerint, excommu-

Digitized by Google

Siricius. Innocentius. 1. Gregor. I.

nicari, & perpetuò in carceribus pœnitentiam agere. Innocentius I. epist. 2. c. 12. dicit eam, quę velum sacrum accepit, & postea nupsit, non posse admitti ad pœnitentiam, nisi separetur. Gregorius I. lib. 1. Epistolarum, epist. 40. dicit Monachos, qui vxores duxerunt, se parandos esse à coniugibus, & ad monasteria reducendos. Posteriorum Pontificum decreta vide in Tit. *Qui Clerici vel Voventes*. & Cap. *Meminimus*, & Cap. *Infamat*. & Clementina *De consanguinitate & affinitate*, vbi excommunicantur Clerici, Monachi, & monachæ nuptias contrahentes.

147 Patres. Cyprian. Basilius. Ambros.

Probatur Tertiò: Ex Patribus. Cyprianus lib. 1. epist. 11. vocat matrimonium sacrarum virginum, *incestam coniunctionem*; & vocat illas *adulteras Christi*: sentit ergo non esse matrimoniũ. Basilius lib. de Virginitate paulò pòst medium, dicit virginem sacram, quæ Deo virginitatem professa est, per nullam legem dici posse vxorem eius, cui se, deserto sponso Christo, libidine incitata coniunxit. Ambrosius lib. ad Virginem lapsam: *Quæ se spopondit Christo, & sacrum velamen accepit, iam nupsit; & si voluerit nubere communi lege coniugij, adulterium perpetrat.* Idem docent alij Patres.

DVBIVM. II.

Vtrùm votum solemne Castitatis hanc vim dirimendi matrimonij habeat Iure diuino, an dumtaxat Ecclesiastico?

148 quidã adscribunt Iuri diuino.

MVlti existimãt habere Iure Diuino. Diuus Thomas q. 55. a. 2. Bonauentura Richardus, Durandus, Dom. Soto dist. 38. Fundamentũ ipsorũ est: Quia votum solẽne est traditio sui in potestatem Christi, quam traditionem Christus per Ecclesiam acceptat. Quò fit, vt ille non amplius habeat sui corporis potestatem, sicut nec is qui se coniugi tradidit per matrimonium. Vnde inferunt Pontificem in solemni voto non posse dispensare.

Verius est id esse ex Iure ecclesiæ.

Sed longè verius est, votum solemne hanc vim habere ex sola Ecclesiæ constitutione. Est communis sententia Canonistarum teste Panormitano in Capitulum *Rursus*, Qui Clerici vel voventes. Scoti dist. 36. & 38. Paludani dist. 38. qu. 1. art. 2. & qu. 4. Caietani 2. 2. quæst 88. art. 7. & multorum hoc tempore.

149 quid, & vnde *solemnitas voti* cõsistentia.

Probatur Primò: Quia solemnitas voti sola Ecclesiæ institutione inuenta est; vt ait Bonifacius VIII. Capitulo *Quod votum*. & Greg. XIII. in constit. *Ascendente Domino* Atqui solemnitas voti continentię in hoc consistit, quod homo se ita Deo consecret & tradat per illud, vt nullo modo ad matrimonij statum sit habilis: ergo si solẽnitas est ex sola Ecclesiæ constitutione, etiam vis dirimendi matrimonij, quæ est in illo voto, ex Ecclesiæ constitutione erit.

Probatur Secundò: quia non ideò votum solemne dirimit, quòd sit traditio sui; vt ipsi volunt: nam etiam votum simplex castitatis est traditio sui, præsertim dum acceptatur à Prælato: non enim est promissio de futuro, sed donatio de præsenti, quę hîc non differt à traditione. Promittere enim castitatem, est ex hoc tempore omne commercium carnale repudiare, suumque corpus Christo consecrare. Vnde ijsdem verbis votum simplex fit, quibus solemne.

150 Non ex eo dirimit, quod sit traditio sui.

Probatur Tertiò: Quia votum solemne, quod emittũt ordinandi, est etiam traditio sui; & tamẽ non dirimit Iure diuino matrimonium, vt ipsi fatentur, sed tantùm Ecclesiastico: vnde concedũt Pontificem in eo posse dispensare: ergo fundamentum ipsorum destruitur: nempe votum solemne idcircò iure diuino matrimoniũ dirimere, quòd sit traditio sui. Respondet Dom. Sotus Pontificem ideò posse dispensare in voto solemni sacrorum Ordinum, quòd hoc votum non sit Iure diuino annexum Ordini sacro, sed solum Ecclesiæ præcepto: Votum autem solemne castitatis regularium, sit iure diuino statui Regulariũ annexum. Sed hinc solùm sequitur, Pontificẽ posse dispensare, vt aliquis sit Sacerdos, qui castitatẽ non voueat; non autem, vt possit esse Religiosus sine hoc voto: non autem sequitur, Pontificem non posse dispensare in voto istius hominis, quo Religiosus est, (etsi tunc Religiosus esse desinat) sicut potest dispensare in voto Sacerdotis. Si enim in hoc potest, cur non etiã in illo? cum vtrũque sit votum solemne, vtrumq; sit traditio sui, vtrumque ab Ecclesia sit acceptatum. traditio sui.

An Papa in voto solemni Religionis possit dispensare.

Nec obstat Capit. *Cùm ad monasterium*, de statu Monachorum, vbi dicitur, *Custodia castitatis adeò est annexa regulæ monachali, vt contra eam nec Summus Pontifex possit licentiã indulgere*: hoc enim intelligendum est de eo, qui manet Monachus, retinetq; monachalem statũ. Fieri enim nequit, vt talis non teneatur ad castitatem. Mirum est Sotum hoc Capitulum pro se adducere, cùm idem ibidem dicatur de abdicatione proprietatis: & tamen ipse sæpè docet, Monachum si fiat Episcopus, vel e monasterio ob sua delicta expellatur, non teneri ampliùs seruare paupertatem. Vide illum lib. 10. de Iustitia, quæst. 5. art. 7. 151

Denique fieri potest Pontificis cõstitutione, vt etiam votum simplex matrimonium dirimat. Patet ex Constit. Gregorij XIII. *Ascendente Domino*, Vnde sequitur etiam votum solemne ex eãdem cõstitutione vim dirimendi matrimonij habere.

DVBIVM III.

Vtrùm Ordo sacer sit impedimentum dirimens?

152 Dirimere, est de fide

REspondeo: Ordo sacer est impedimentum dirimens matrimonium, idque certa fide tenendum: nam expressè definitur in Cõcilio Trident. sess. 24. can. 9. Probatur ex decreto Callisti I. circa annum Domini 220. habetur Can. *Presbyteris*, dist. 27. *Presbyteris*, inquit, *Diaconibus, & Subdiaconibus, & Monachis concubinas habere, seu matrimonia contrahere penitus interdicimus: contracta quoque matrimonia ab huiusmodi personis, diffungi; & personas ad pœnitentiam redigi iuxta sacrorum Canonum definitionem indicimus.* Et ex Cõcilio Toletano 2. can. 1. circa annum 534. *Canendum est his*, scilicet Presbyteris, Diaconibus, & Subdiaconibus, *nequando sue sponsionis immemores, ad terrenas nuptias vltrò recurrant. Quod si forte fecerint, vt sacrilegij rei ab Ecclesia habeãtur extranei.* Hieron. lib. 1. contra Iouinianũ: *Certè confiteris nõ posse esse Episcopum, qui in Episcopatu liberos faciat, Alioquin si inuentus fuerit, non quasi vir tenebitur, sed quasi adulter damnabitur.*

153 Cur debeat dirimere.

Hinc patet, iam inde ab initio Ecclesiæ hoc impedimentum fuisse; idque meritissimò: quia sacer Ordo requirit animum valdè purum, cælestẽ & quasi Angelicum; ob sublimitatem tanti ministerij; vt inter cæteros docet Chrysostomus tum alibi, tum lib. 3. *de sacerdotio*. Matrimonium autẽ deprimit illum ad voluptates carnales & brutales, variasque sollicitudines, & terrenas cupiditates: quæ omnia maximè repugnant animi puritati & tranquillitati.

DVBIVM IV.

Vtrum Ordo sacer diuimat matrimonium ratione sui, an solùm ratione voti solemnis adiuncti?

154 A principio ecclesiæ continentia annexa est Ordini sacro, etiam apud Græcos.

SVppono continentiã annexam fuisse Ordini sacro iam inde ab exordio Ecclesiæ; vt patet ex epist. ad Titum c. 1. v. 8. *Oportet Episcopum esse continentem*, nempe ab vxoris amplexibus, vt inquit Hieronymus in hunc locum. Ex Concilio Carthag. II. can. 2. *Omnibus placet vt Episcopi, Presbyteri, Diaconi, vel qui Sacramenta contrectant, pudicitiæ custodes etiam ab vxoribus se abstineant: vt quod Apostoli docuerunt, & ipsa seruauit antiquitas, nos quoque custodiamus.* Idem in Ecclesia Græca per aliquot annorum centurias seruatum est, vt patet ex Hieronymo lib. contra Vigilantium, *Quid*, inquit, *faciunt Orientis Ecclesiæ, quid Ægipti, & Sedis Apostolicæ quæ aut virgines Clericos accipiunt, aut continentes; aut si vxores habuerint maritiesse desistunt*; quòd ad vsum scilicet. Idem docet Epiphanius hæresi 59. & colligitur ex Cõcilio Nicæno can. 3. vbi prohibet Episcopo, Presbytero & Diacono ne domi mulierem vllam habeant præter matrem, sororem, amitam. Vide plura apud Bellarminum & Gregorium à Valentia. His positis:

155 Ordo irritet matrimonium non solùm ratione voti, sed etiam ratione sui.

Respondeo: Ordinem sacrum esse impedimentum dirimens, non solùm ratione voti annexi, sed etiã ratione sui; quatenus ipsi Ordini lex Ecclesiastica irritans annexa est. Probatur Primò: Ex Concilio Tridentino sess. 24. can. 9. vbi insinuatur matrimoniũ à Clerico Ordinis sacri cõtractum esse inualidum ob legem Ecclesiasticam; scilicet quæ annexa est ipsi Ordini: à Monacho autem cõtractum esse inualidum propter votum. Vult igitur illud esse inualidum, etiam ob aliam causam, quàm ob votum; quia ipsi Ordini Ecclesia talem legem imposuit. Secũdò: Si quis in ordinatione nollet vouere; & accepto Ordine matrimonium contraheret, contractus esset irritus: Ergo ipsi Ordini talis lex irritãs annexa est. Tertiò: Idem colligitur ex decreto Callixti I. & ex aliis Canonibus, qui non faciunt mentionẽ voti, sed solùm Ordinis.

DVBIVM V.

156 Est Iuris tantũ ecclesiastici.

Vtrum hoc impedimentum sit Iuris diuini, an Ecclesiastici?

QVidam existimãt esse Iuris diuini. Ita Ioannes Maior dist. 24. qu. 2. & Iudocus Clithoueus lib. *de continentia Sacerdotali*, cap. 4. & sequentibus, & quidam alij.

Sed non videtur dubitandũ; quin hoc impedimẽtum Iure dumtaxat Ecclesiasticos sit introductum; vt communior sententia Doctorũ habet. Probatur: Si esset Iuris diuini, id esset, vel ratione voti, vel ratione Ordinis.

Non *ratione Ordinis*: nam nusquam habemus diuinum præceptum, quo ordinati prohibeantur ducere vxores. Confirmatur: quia Ecclesia Romana iam à multis sæculis permisit Sacerdotibus Græcis vsum vxorum, quas ante Ordinem sacrũ duxerãt: vt patet Capitulo *Cum olim*, de Clerico coniugato. Concilium quoque Ancyranum c. 10. dicit Diaconos permissu Episcopi posse vxores ducere, etiam post ordinationem. Et Gregorius I. lib. 1. epist. 42. permittit Subdiaconis, vt vtantur vxoribus, quas iam anteà duxerant: quãuis ibidem prohibeat eos in posterum ordinari, nisi continentiam voueant. Denique Concil. Trident. satis insinuat tantummodò lege Ecclesiastica tale matrimonium irritum esse.

Sed 3. neque *ratione voti* hoc impedimentum est Iuris diuini; quia votum Ordini sacro est annexũ ex Ecclesiæ cõstitutione. Solemnitas quoque vocis, qua matrimonium dirimitur, Iure Ecclesiastico est introducta. Hinc sequitur Pontificem in hoc impedimento posse dispensare: quod sæpissimè fecit.

CAPVT X.

De impedimento cognationis, affinitatis, & iustitiæ publicæ honestatis.

NOtandum est: Cognationem esse triplicem: *Carnalem*, quæ *consanguinitas* dicitur: *Spiritalem*, quæ oritur ex Baptismo & Confirmatione; & *Legalem*, quæ oritur adoptione. 157 Cognatio triplex.

DVBIVM I.

Quid sit consanguinitas: & quomodo suis gradibus distinguatur?

DIco Primò: *Consanguinitas*, est propinquitas sanguinis personarum ab eodem stipite descendentium; vel earum, quarum altera descendit ab altera. 158 quid *consanguinitas*

Dico Secundò: Consanguinitas distinguitur per lineas, & linea per gradus. *Linea*, est *ordinata series personarum sanguine iunctarum*: vt filius, pater, auus, proauus. Estque triplex: *Ascendentium*, *Descendentium*, & *Collateralium*. Ascendentium & Descendentium linea, dicitur *linea recta*; Collateralium *transuersa*. quid *linea* & quotuplex.

Vt autem intelligatur, quo gradu inter se distẽt secundùm hasce lineas, notãdę sunt tres regulæ. Prima regula sit pro linea recta: *Quot sunt personæ in linea recta, totidem sunt gradus uno demptus*: exempli gratia, cùm in linea data filius, pater, auus sint tres personæ, filius est auo in secundo gradu cõsanguineus, & vicissim auus nepoti: singulæ enim personæ tanquam puncta cõcipiendę sunt, inter quæ dictæ sint lineæ seu interualla, tãquam singuli gradus: v. g. primum punctum sit pater, secundum filius, tertium nepos: linea ducta inter primum & secundum, erit primus gradus: inter secũdum & tertium, secundus gradus: inter tertiũ & quartũ, tertius gradus. Vnde patet filium à patre tantùm vno gradu distare, ab auo duobus, à proauo tribus, ab abauo quatuor, à tritauo quinque. In hac regula consentiunt Iurisperiti cum Canonistis: in sequentibus dissentiunt. Regula *linea recta*.

Secunda & tertia regula sit pro linea transuersa. Secunda est: *Inter personas, quæ æqualiter distant à communi stipite, quo gradu quælibet earum distat ab eo, eodem quoq; inter se ipsæ distant.* Hinc duo fratres sunt in primo gradu, quia tantummodò vno gradu vterque eorum distat à cõmuni parẽte. Duo fratrueles sunt in secundo gradu, quia tantùm duobus gradibus distant à communi parente. Horum filij sunt in tertio gradu, quia tribus gradibus absunt à communi principio. 159 Duæ regulæ *linea transuersa*.

Tertia regula: *Quando personæ distant inæqualiter à cõmuni parente, quo gradu ab illo distat is, qui remotior est, eodẽ quoque ipsi inter sese distant*: vt Ioseph & Ismaël sunt in tertio gradu consanguini-

Digitized by Google

ratis; quia Ioseph tribus gradibus distat à communi principio, scilicet ab Abraham patre Ismaëlis. Ratio huius regulæ est; quia cùm consanguinitas nascatur ex conuenientia in sanguine cõmunis principij, fieri nequit vt inter se sint viciniores, quàm secundùm distantiam communis principij, *in* quo primùm sanguine coniungũtur.

Computatio Iurisperitorum diuersa est à Canonica.

Aliter de his sentiunt Iurisperiti: nam ipsorum sententia, duo fratres sunt in secundo gradu: duo fratrueles in quarto: duo pronepotes in sexto. Considerant enim ipsi quot gradibus quisque distet à communi principio; ijsque coniunctis affirmant totidem quoque inter se distare. Exẽpli gratia: Quia vterque pronepos distat à communi stipite tribus gradibus, idcirco volunt duos pronepotes inter se distare sex gradibus; nam bis tria sunt sex: pronepotẽ verò ab altero nepote quinque gradibus, quia pronepos à proauo distat tribus, nepos verò ab eadem personâ distat duobus; duo autem & tria sunt quinque. Vide Couarr. 1. parte, cap. 6. §. 6.

Aduerte tamen: Canonicam supputationem esse seruandam in causa matrimonij in vtroque foro, vt notat Couarruuias loco citato: Legalẽ verò, in hæreditatibus & successionibus. In alijs contractibus vtraque in suo foro seruanda.

DVBIVM. II.

Quinam gradus Iure naturæ dirimant matrimonium?

160 Gradus in Leuitico vetiti.

HÆretici nostri putant omnes gradus, qui habentur Leuitici 18. ita esse prohibitos, vt nulla in illos cadat dispensatio; ac proinde prohibitos esse Iure naturę: alios verò non esse vllo modo prohibitos.

Prohibentur autem Leuitici 18. dumtaxat primus, & secundus gradus consanguinitatis. In *linea recta*, matrimoniũ patris cum filia, & nepte: matris cum filio & nepote. *In transuersa*, fratris cum sorore, & nepotis cum amita, & matertera. Patrui verò & auunculi matrimoniũ cum nepte ex fratre vel sorore, non vetatur.

Quòd verò ad *affinitatem* attinet: *in linea recta* vetatur coniugium priuigni cum nouerca, & patris cum priuigna eiusque filia, & soceri cum nuru. *In transuersa* vetatur coniugium cum vxore fratris, & cum sorore vxoris viuente vxore, & cum vxore patrui. His positis:

161 Nõ omnes gradus vetiti in Leuitico irritant Iure naturę matrimoniũ.

Respondeo & Dico Primò: Non omnes gradus, prohibiti in Leuitico, sunt ita vetiti Iure naturę, vt matrimonium irritum faciant.

Probatur primò: Genes. 29. Iacob accepit sororem vxoris suæ adhuc viuentis, scilicet Rachelem viuente Lia, quod prohibetur in Leuitico; nam est affinis in primo gradu. Neque dici potest id factum dispensatione diuina: nam satis cõstat fuisse consuetudinem loci, vt duæ sorores possẽt vni viro nubere. Cùm enim Laban decepisset Iacob obtrusâ Liâ pro Rachele, etiam Rachelem obtulit pro obsequio septennij, & Iacob statim consensit.

Secundò: Exodi 6. Amran pater Moysis accepit Iochabed patruelem suam seu patruam, id est, patris sui sororem, vt vox Hebręa insinuat, & colligi potest ex c. 26. Numerorum v. 59. Atqui hoc coniugium etiam prohibetur in Leuitico.

Tertiò: Coniugium patrui cum nepte non prohibetur in Leuitico, & tamẽ est in eodem gradu, In quo amita cum nepote scilicet in secũdo: ergo ille gradus Iure naturę non est prohibitus. Quod confirmatur; quia Abraham duxit neptem suam, scilicet Saram filiam Aram; similiter & Nachor duxit neptem suam Melcham filiam eiusdem Aram: ergo non est contra Ius naturæ.

Quartò: Deut. 25. præcipitur, si quis moriatur sine liberis, vt frater eius ducat vxorem relictã, vt ex illa semen suo fratri suscitet: ergo matrimonium cum vxore fratris non est irritum Iure naturæ. Dices: Leuitici 18. prohibetur tale matrimonium, quomodo ergo Deuteron. 25. præcipitur? Respondeo: In Leuitico prohibetur nude acceptum, eò quod per se indecens sit nisi per aliquam circumstantiam honestetur. In Deuteronomio præcipitur solùm in certo euentu, nempe dum frater sine liberis obijt, idque ne eius familia prorsus intereat.

Est indecens contrahere in his gradibus.

Quintò Probatur ex Cap. *Gaudemus*, de diuortijs, vbi Innocentius III definit *infidelium conuersorum matrimonia, quæ in secundo vel tertio gradu ante conuersionem fuit contracta, non esse dirimenda*: tale est inter amitam & nepotem, & inter vxorẽ patrui & nepotẽ patrui, quę vetãtur in Leuitico.

Hinc patet non omnes illos gradus Iure naturę matrimonium irritare. De Iure diuino positiuo non est dubitatio, cùm hoc ius pertineat ad legẽ veterẽ, quod vniuersum per legem nouã est abrogatum. Aduertendum tamen: Coniunctionem in his gradibus cõtinere quandam indecentiam, nisi iusta aliqua ratio illam cohoneſtet: quia cõsanguineis & affinibus debentur maior quædam reuerentia, & verecundiæ signa, quam alijs: cui reuerẽtię, & verecundiæ non satis cõgruit actus coniugalis; vt rectè D. August. lib. 15. de Ciuitate cap. 16. & colligi potest ex ipsa Scriptura.

162 1. & 2. gradus *lineæ rectæ* Iure naturæ irritat matrimoniũ.

Dico Secundò: In linea recta irritum est matrimonium Iure naturæ in primo & secũdo gradu, quãuis non sit intrinsecè malum sicut mendaciũ. In vlterioribus gradibus eiusdem lineæ probabilius etiam est eodem Iure irritum esse.

Prior pars est cõmunis sententia. Probatur de primo & secundo gradu: quia talis coniunctio repugnat vsui matrimonij: nam reuerentia naturalis non permittit vt filius discooperiat turpitudinẽ matris, aut filia patris. Cuius signũ est, quòd vix vlla natio tam sit barbara, quin ab huiusmodi coniunctione abhorreat. Vnde Romani non permittebant, vt filius vna cum patre eodem balneo lauaretur, teste Valerio Maximo. Et Aristoteles de historia Animalium lib. 9. cap 47. scribit camelos & equos non posse compelli, vt matribus misceantur.

Hæc coniunctio nõ est intrinsecè mala.

Aduerte tamen: non esse intrinsecè malum, vt videtur sentire Caietanus 2. 2. q. 154. art. 9. Nam per dispensationem diuinam, certo euẽtu, posset esse honestum: vt si genus humanum interiret, præter patrem & filiam: quomodo quidã excusant filias Loth, Genesis cap. 19. v. 32.

Probatur Secũdò: Legefinali ff. *de Ritu nuptiarum*, vbi dicitur, *Incestum iure gentium committit, qui ex gradu ascendentium vel descendentium vxorẽ duxerit*. Et cõfirmatur: quia nepotes & neptes sunt veluti filij & filię; aui & auiæ sunt veluti patres & matres. Vnde similis est irreuerentia cum illis nuptias inire.

Tertius aut quart⁹ gradus *lineæ rectæ* etiam Iurę naturæ irritat matrimoniũ.

Altera Pars est contra Dom. Sotum, qui putat tertium & quartum gradũ in linea recta nõ esse Iure naturæ prohibitum. Sed cõmunior sententia Doctorum nobiscum tenet. Probatur ex lege citata vbi nullus gradus ascendentium & descẽdentium excipitur. Censet ergo eodem iure esse prohibitos. Et ratio est: Quia etsi linea trãsuersa censeatur consanguinitas decursu generationũ minui,

minui, tandemque euanescere; non tamen ita fit in linea recta: nam in hac semper alter respectu alterius habet rationem principij & parentis, alter rationem filij & effectus. Principio autem & parenti summa debetur reuerentia; imò eò maior, quò principium est altius & vniuersalius. Quare Adamo, si inter homines versaretur, summa deberetur. Vnde Henoch, ex quo Noë & omnes homines post diluuium, cùm venerit in fine mundi, non poterit inire connubium: nam omnes sunt eius filiæ.

Henoch non potuit contrahere, & cur.

Dices Primò: Maior est propinquitas sanguinis inter Petrũ & neptem ex fratre, quàm inter Petrum & eius tritauiam: sed matrimonium inter Petrum & illam neptem non esset iure naturæ irritum: ergo neque cum illa tritauia.

1. Obiectio.

Respondeo: Esse quidem maiorem propinquitatem, si gradus numeremus, non autè absolutè: nam gradus illi sunt diuersi generis, vnde nõ possunt inter se propriè comparari. Absolutè enim maior est propinquitas seu cõiunctio inter Petrũ & eius tritauiam, quàm inter Petrum & eius sororem: illi enim habent se vt causa & effectus, hi verò vt duo effectus eiusdem causæ.

Solatur.

Dices Secundò: In Leuitico non prohibentur nisi duo gradus lineæ rectæ, & Ecclesia solùm quatuor prohibet; quod signum est, vlteriores non esse prohibitos.

2. Obiectio.

Respondeo: In Leuitico expressè quidem vlteriorum graduum non fit mentio: quia cẽsentur eãdem lege prohiberi, qua primus & secundus; nam omnes sunt parentes & filij. Ecclesia etiam vlteriorum non meminit, quia nunquam potest incidere casus, vt tritauus, qui est in quinto gradu, possit aut velit inire matrimonium cum trinepte.

Soluitur.

163 Primus gradus *lineæ transuersa* irritat Iure naturæ.

Dico Tertiò: In linea transuersa irritum est matrimonium Iure naturæ in primo gradu, scilicet inter fratrem & sororem: in cæteris non est irritum.

Prior Pars est contra Caietanum suprà. Et probatur Primò: Genes. 20. Abraham, cum peregrin⁹ esset in Geraris, dixit Saram esse sororem suã, nempe vt Geraritæ nescirẽt esse eius cõiugẽ: ergo tunc temporis apud Ethnicos cõmunis sensus erat inter fratrem & sororem matrimonium non posse constare. Nec obstat, quòd Abraham ibidem rogatus à Rege, quomodo dixillet sororem esse, cùm esset vxor; responderit, *Verè soror mea est, filia patris mei, & non filia matris meæ, & duxi eam in vxorem*: quia *soror* ibi vocatur *consanguinea*, scilicet *neptis ex fratre*; vt docet Iosephus lib. 1. Antiquitatum cap. 12. vel 14. Hieronymus lib. contra Heluidium, & in quæstionibus Hebraicis. D. Augustinus lib. 22. contra Faustum c. 35. vbi etiam ait, Scripturam testari, consanguineos & cõsanguineas fuisse antiquitus appellatos *fratres & sorores*. Sic & consanguinei Domini vocabantur *fratres Domini*. Sic Isaac in simili casu Rebeccam vocabat *suam sororem*, quæ tamen erat neptis ex patruele, Gen. 26. Simili modo Abraham potuit Sram appellare *sororem*, etiamsi esset neptis ex fratre. Dicit, *filia patris mei*; scilicet *filia Thare*, non immediatè, sed mediante *Aram* fratre Abrahami, qui iam obierat. Vnde Auus erat illi loco patris.

Abrah-m vocat vxorem suam sororem.

Probatur Secundò: Ex D. Augustino lib. 22. contra Faustum c. 35. vbi ait: *Ex vtroque, vel altero parente natos nulli cõiugio non licebat*, scilicet temporibus Abrahæ. & lib. 15. de Ciuit. cap. 16. inter cætera ait, *Consuetudinem & sensum humanũ etiam inter Ethnicos fraterna connubia abhorrere, quamuis peruersis legibus concessa fuerint.*

Probatur Tertio: Quia Ecclesia nunquam legitur in hoc gradu dispensasse, nec vllus Sanctorũ contraxisse. Quòd autem vitio generis humani fratres & sorores contraxerint, factum fuit Deo dispensante ob absolutam necessitatem.

Dices: Thamar cùm à fratre vim pateretur, dixit fratri, *Loquere ad Regem, & non negabit me tibi*, 2. Reg. 13. ergo putabat tale connubium fieri posse.

Obiectio.

Respondeo: Illam vel fuisse ignaram legis diuinæ; vel hoc astu vim auertere voluisse. Certissimũ enim est tale matrimonium fieri non potuisse, nõ solùm ob legem naturæ, sed etiam ob legem diuinam positiuam tunc obligantem, & grauissimâ pœnâ munitam.

Soluitur.

DVBIVM III.

Quinam gradus consanguinitatis absolutè dirimant matrimonium, siue Iure naturæ, siue Ecclesiastico?

164 Omnes dirimunt vsque ad quartum inclusiuè.

Respondeo: Omnes consanguinitatis gradus vsque ad quartum gradum inclusiuè absolutè dirimunt matrimonium. Patet ex hoc Concilio Magno Lateranensi cap. 50. *Prohibitio copulæ coniugalis quartum gradum consanguinitatis & affinitatis de cætero nõ excedat: quoniam in vlterioribus gradibus iã non potest absque graui dispendio huiusmodi prohibitio generaliter obseruari.* Vbi aduerte: Olim prohibita fuisse coniugia vsque ad septimũ gradum; vt patet ex multis Canonibus 35. quæst. 2. Sed Cõcilium ob grauissimas causas reduxit ad quartum. Post quartum enim, ob vitæ breuitatẽ, sæpè non cognoscuntur consanguinei. Vnde fiebat, vt sæpè in gradibus prohibitis, vel ex negligentia, vel ex ignorantia, contraheretur. Hinc scandala & lites.

Papa dispensat non in *linea recta*, Sed *transuersa*.

Ex dictis sequitur Pontificẽ in linea recta consanguinitatis non posse dispensare. In linea trãsuersa posse, præterquam in primo gradu. Hæc de consanguinitate.

DVBIVM IV.

Quid sit affinitas?

165 quid *Affinitas*.

Respondeo: *Affinitatem* propriè *esse propinquitatem ex copula carnali prouenientem.* Addo, *vel ex ipsa propinquo ad copulam.*

Dico; *Ex copula carnali*: quia generatim ex omni copula, etiam fornicaria nascitur. *Copulam* voco actum consummatum, qui per se talis est, vt ex eo possit sequi generatio. Vnde ex copula sterilium nascitur affinitas, non tamẽ ex copula frigidorũ.

Addo, *Vel ex ipsa propinquo ad copulam*: nam ex matrimonio rato, non consummato, nascitur etiã vera affinitas; vt dicitur declarasse Pius V. Anteà tamen à plerisque Doctoribus non vocabatur *affinitas*, sed *impedimentũ iustitiæ publicæ honestatis.* Rectiùs tamen vocatur *affinitas*; tum quia passim apud omnes censetur *affinitas* cõtrahi per ipsum matrimonij contractum; nam statim post contractum, nominibus *affinitatis* se mutuo compellant vir & consanguinei vxoris, vxor & consanguinei viri: tum quia per ipsum contractũ vir & mulier fiunt vna caro, quasi in habitu; atqui ratione cõiũctionis in vnam carnem nascitur *affinitas*: tum quia non minùs dirimit Matrimonium, quàm si copula accessisset: *tum denique*, quia Concilium Trident. sess. 24. restringit *impedimentum iustitiæ publicæ honestatis* ad primum gradum; hoc autem

Digitized by Google

impedimentum se extendit vsque ad quartum.

Affinitas non caret Parentelâ.

Notandum Primò: Quosdam addere huic definitioni, *Omni carens parentelâ*. Sed hæc particula non est necessaria, imò potiùs obscurat definitionem: potest enim *affinitas* superuenire cõsanguinitati; vt si frater committat incestũ cum sorore, eric affinis alteri sorori, & matri, & cæteris vsque ad quartum gradum.

166 Regula ad cognoscẽdos gradus *affinitatis.*

Notandum Secundò: Ad cognoscendos gradus affinitatis: Contrahi affinitatem inter virum & consanguineos vxoris, vel mulieris cognitæ carnaliter; & contrà, inter vxorem & cõsanguineos viri, idque in eo gradu quo erant consanguinei: v. g. si Petrus cognouit Catharinam, consanguinei Catharinę in primo gradu, fiunt Petro affines in primo gradu; & consanguinei Catharinæ in secundo, fiunt Petro affines in secundo gradu, & vicissim.

Affinitas iam non parit affinitatem.

Notandum Tertiò: Olim si defuncto coniuge alter inibat secũdas nuptias, nascebatur secundũ genus affinitatis, scilicet inter consanguineos defuncti, & alterum coniugem cum quo superstes contrahebat. Si tertiò contrahebat, nascebatur tertium genus affinitatis. Verùm hic modus cõtrahendi affinitatem sublatus est per Concilium Magnum Lateranense cap. 51. Vnde modo affinitas non parit affinitatem, id est, persona, quæ mihi est affinis, non potest mihi alios affines accersere.

DVBIVM V.

Quoto gradu dirimit affinitas Matrimonium?

167 *Affinitas ex coniugio dirimit vsque ad quartũ gradũ.*

Dico Primò: Affinitas, quæ ex actu coniugali, vel ex matrimonio rato nascitur, est impedimentum dirimens vsque ad 4. gradum, siue in linea recta, siue in transuersa. De priore, quæ est ex actu coniugali probatur ex Capitulo *Non debet*, de Consanguinitate & affinitate, quod acceptum est ex Concilio Lateranensi cap. 50. Itẽ 35. qu. 3. sunt multi Canones hac de re. Altera pars, scilicet de Matrimonio rato non consummato, probatur ex Capitulo *Si quis desponsauerit*, & quatuor sequentibus 27. qu. 2.

168 *Affinitas ex fornicatione dirimit tantũ vsque ad secundum gradum.*

Dico Secundò: Affinitas, quæ ex fornicatione nascitur, dirimit matrimonium; ost Concil. Trident. tantummodò vsque ad secundum gradum inclusiuè. Patet ex Concil. sess. 24. cap. 4. Sed quia Concilium solùm dicit, *Matrimonium non dirimi vltra secundum gradum per talem affinitatem*, dubiũ esse poterat, vtrùm saltem impediretur. Vnde Pius V. explicuit *in 3. & 4. gradu per hanc affinitatem matrimonium non impediri*; vt docet Nauarrus cap. 22 nu. 43.

Nec vltra impedit debiti petitionem.

His adde: Etsi vir cognoscat consanguineam vxoris in 3. vel 4. gradu, nõ impediri petitionem debiti, vt respondit facultas Salmanticensis & Complutensis, teste Viualdo, & colligi vtcũque potest ex Concilio Trident. suprà, vbi Conciliũ *ex fornicatione noluit nasci impedimentũ vltra secũdum gradum ad contrahendum*. Vnde sequitur, neque etiam nasci impedimentum ad petẽdum debitum. Quando enim affinitas non repugnat matrimonio contrahẽdo, non potest etiam eius vsui repugnare, si matrimonio superueniat.

169 quale nascitur impedimentũ, si nesciam esse consanguineã.

Petes; Quid si Petrus cognoscat consanguineã Catharinæ in 1. vel. 2. gradu, penitus ignorans esse eius consanguineam, nascitur ne impedimentum respectu Catharinæ?

Respondeo: Nasci indubiè ad contrahendum cum Catharina matrimonium: non tamen ad petendum debitum si iam erat eius vxor, vt docet Castro lib. 2. de Potestate legis pœnalis cap. 14. Paludanus dist. 34. qu. 1. Victoria qu. 288. Sotus dist. 36. art. 2. Ratio est; quia in hoc casu non posse petere debitum, est pœna incestûs: Nemo enim priuari potest iure in re quam possidet, nisi ob culpam: atqui hîc non est culpa incestus, sed solùm fornicationis vel adulterij. Impedimentum autẽ ad contrahendum potest nasci etiam sine culpa, quare cùm hîc orta sit affinitas, non potest contrahere. Confirmatur à simili: Si vir in necessitate baptizat filium vxoris suæ, non prohibetur petere debitum: tamen si esset concubina, non posset contrahere matrimonium cum illa, ob spiritalem cognationem.

DVBIVM VI.

Quinam gradus affinitatis Iure naturæ efficiant Matrimonium irritum?

170 Primus gradus *lineæ rectæ* irritat iure naturæ.

Dico Primò: In primo gradu affinitatis lineæ rectæ valdè probabile est Matrimonium esse irritum Iure naturæ. Vbi nota: In hoc primo gradu affinitatis, esse hos; vitricum & priuignam, nouercam & priuignum, socerum & nurum, socrum & generum.

Probatur Primò: Prioris ad Corinthios 5. v. 1. *Auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes; ita vt vxorem patris sui quis habeat.* Vbi Apostolus insinuat esse contra legem naturę.

Probatur Secundò: Leuitici 28. talia matrimonia puniuntur pœnâ mortis, sicut patris cum filia, matris cum filio, aui cum nepte, fratris cum sorore, quę suprà diximus esse Iure naturę irrita: cætera leuioribus pœnis puniuntur.

Probatur Tertiò: Quia nunquam auditum est Ecclesiam in his gradibus lineæ rectæ dispensasse. Neque in lege veteri vlla exempla Sanctorum existunt.

171 In *linea transuersa* primus tũ irritat iure naturæ.

Dico Secundò: In primo gradu affinitatis lineæ trãsuersę non est irritum Iure naturę matrimonium, multoque minus in secundo & tertio. Vbi aduerte: In primo gradu lineæ transuersæ, esse v. g. Petrum, & vxoris eius sororem; item vxorem Petri, & fratrem Petri.

Probatur Primò: Deuteron. 25. præcipitur, vt frater ducat vxorem fratris sui defuncti si nec liberis. Genesis 38. Iudas dedit Thamar duos filios suos successiuè maritos. Genesis 29. Iacob accepit duas sorores,

Dispensarit in eo Pontifices.

Probatur Secundò: Quia sæpè à Pontificibus est dispensatũ. Alexander VI. cum Emanuele Rege Portugalliæ dispensauit, vt duas sorores filias Regum Catholicorum successiuè haberet. Iulius. II. cum Henrico VIII. vt Catharinam filiam Ferdinandi vxorem fratris Arcturi sine liberis defuncti. Innocentius III. dispensauit cum Liuonibus, vt manerent cum vxoribus fratrum, quas in infidelitate acceperant; vt patet Capitulo finali, *de Diuortiis.*

Noc obstat, Quòd Matthæi 14. v. 4. Ioannes dicebat Herodi, *Non licet tibi habere vxorem fratris tui*: nam frater viuebat, vt refert Hieronymus in hunc locũ; vna autem non potest simul esse vxor duorum. Deinde, etsi fuisset mortuus frater, non tamen licuisset propter legem veterem Leuitici 18. Nam frater reliquerat semen ex Herodiade, puellam saltatricem; vt testatur Chrysostomus homil. 49. in Matth. Solùm autem poterat frater accipere vxorem fratris defuncti, quando ille absque liberis defunctus erat.

Google

DVBIVM VII.

Vtrùm cognatio ſpiritalis, quæ naſcitur ex baptiſmo, vel confirmatione, ſit impedimentum dirimens, & inter quos?

172 REſpondeo: Hęc cognatio eſt impedimentum dirimens inter baptizantem, confirmantẽ, & ſuſcipientem ex vna parte; & baptizatum, cõfirmatum, eiuſque patrem & matrem ex altera parte: non autem inter alios. Patet hoc ex Concilio Trident. ſeſſ. 24. cap. 2. *de Reformatione matrimonii*, vbi cognatio ſpiritalis reſtringitur ad *paternitatem & compaternitatem. Conſi aternitas* omnino tollitur, qualis eſt inter baptizatum, & filios baptizãtis vel ſuſcipiẽtis. *Paternitas* verò & *compaternitas* ex parte tollitur, ſcilicet inter baptizantis vel ſuſcipientis coniugẽ, aut cõcubinam ex vna parte, & baptizatum eiuſque conſanguineos ex altera parte. Vide multos Canones hac de re 30. qu. 1. & in tit. *de Cognatione ſpiritali*. Ratio horum omnium eſt: quia ſicut decuit, vt cognatio carnalis ob reuerentiam conſanguineis debitam, & ad amicitias propagandas dirimeret matrimonium: ita etiam decuit, vt cognatio ſpiritualis dirimeret matrimonium, cùm illæ cauſæ hic quoque locum habeant.

Hæc cognatio eſt reſtricta per Trid.

173 Petes: vtrùm hoc impedimentum contrahatur ex baptiſmo minùs celebri in extrema neceſſitate collato?

oritur etiã hęc cognatio ex baptiſmo minùs celebri in extrema neceſſitate collato.

Reſpondeo: Hoc impedimentum omnino contrahi ex tali baptiſmo, non ſolùm inter baptizãtem & baptizatum, ſed etiam inter leuantem & baptizatum, eiuſque parentes: quod eſt contra Sotum. Ratio eſt: quia hoc impedimentum dirimens naſcitur ob Sacramentum, non ob eius ſolemnitatem. Nam ratione Sacramenti non ſolùm baptizans, ſed etiam leuans fit parens ſpiritualis infantis.

Aduerte: In hoc impedimento quod ortum eſt ex baptiſmo dato in extrema neceſſitate, iuxta Sotum, poſſe Epiſcopum diſpenſare ad matrimoniũ contrahendum, quando non eſſet facillimus ad Vrbem tranſitus.

DVBIVM. VIII.

Quandonam à Patrinis contrahatur hæc affinitas?

174 REſpondeo: Hanc affinitatem non contrahi à Patrinis dum portant infantem, vel etiam dum tenent in Cathechiſmo: ſed, cùm tenent eum quando actu baptizatur; vel cum leuant eum de ſacro fonte, iuxta communiorem ſententiam. Nec refert an reſpondeant nomine infantis, an non. Quod eſt contra Hoſtienſem.

Duo ſolũ ſint Patrini.

Petes Primò: Quot poſſint eſſe Patrini;

Reſpondeo: Ad ſummum duo, iuxta Tridentinum ſuprà. v. g. vnus & vna. Vnde maritus & vxor poſſunt eandem prolem ſuſcipere. Neque Epiſcopus poteſt diſpenſare vt loco vnius viri & vnius mulieris, duo viri ſuſcipiant, vel duæ mulieres; vt reſpondit Congregatio Cardinalium. Vide quæ diximus q. 67. a. 7. & 8. de Baptiſmo.

quidam negant hanc cognationem contrahi per

Petes Secundò: An iſta cognatio poſſit contrahi per Procuratores?

Reſpondent plerique non poſſe contrahi. Vnde quando Princeps aliquis per procuratorẽ ſuſcipit infantẽ, Principem non contrahere cognationẽ, ſed procuratorem ipſius, qui tangit vel leuat. Ita Couarruuias 2. p. de Sponſalibus cap. 6. §. 4. n. 6. Silueſter V. Matrimonium. 8. quæſt. 7. §. 14. Soto diſt. 24. quæſt. 1. art. 2. procuratorem.

Contrarium tamen eſt tenendum cum Panormitano in Cap. *Veniens*, de Cognatione ſpirituali: quia Congregatio Cardinalium inſtituta ad explicandum Concilium Tridentinum, reſpondit cum qui leuat, aut tenet procuratoris nomine, nullam cõtrahere cognationem ſpiritualẽ. Quod ſanè multo magis rationi eſt conſentaneum: quia procurator non agit ſuo, ſed Principis nomine. Vnde Princeps cenſetur leuare; ſicut in contrahendis ſponſalibus & matrimonio fieri videmus. Verius affirmatur.

DVBIVM. IX.

Vtrùm cognatio legalis ſit impedimentum dirimens, & quouſque?

NOtandum eſt: *Cognationem legalem* eſſe vinculum, quod naſcitur ex adoptione. *Adoptio* autẽ *eſt aſſumptio legitima perſonæ extraneæ in filiũ vel filiam.* Iure enim Gentium conceſſum eſt, vt qui liberos non habent, poſſint in ſterilitatis ſolatium, aliquos in liberos aſſumere. Quod poſteà etiam cõceſſum eſt iis qui liberos habent. Caſtratis & frigidis non conceditur: quia quos natura fecit Matrimonio ineptos, nolit Ius facere parẽtes. Feminę quoque non conceditur, niſi interdum ex priuilegio. Neque etiam illi, qui ætate non ſuperat adoptandum, ſaltem annis 18. 175 quid legalis cognatio.

quid *Adoptare*, & quotum.

Adoptio generatim eſt duplex. Quędam eſt *imperfecta*; dicturque tantùm *Adoptio*. Hæc fit auctoritate Magiſtratûs. Non transfert adoptatum in poteſtatem adoptantis, nec facit ſuccedere ab inteſtato. Altera eſt *perfecta*, & vocatur *Arrogatio*, fitque reſcripto Principis; trãsfert quoque Arrogatum in poteſtatem Arrogantis, facitque Arrogatum ſuccedere ab inteſtato, ita vt Arrogator nõ poſſit eum priuare legitima. Vide Silueſtrem verbo *Adoptio*. & *Inſtituta de Adoptionibus* tit. 11. & ff. eodem titulo. His notatis:

Adoptio perfecta & imperfecta.

176 Reſpondeo: Cognationem legalem dirimere Matrimoniũ. Primò quidem in *linea recta* vſque ad 4. gradum deſcendentium; id eſt, inter adoptãtem & adoptatam, eiuſque adoptatæ poſteros, vſque ad 4. gradum, non tamen aſcendentium. Tenet Palud. diſt. 42. q. 1. concluſione 6. Silueſter *Matrimonium* 8. §. 8. Nauar. cap. 22. nu. 45. & alij.

Adoptio dirimit in *linea recta* vſque ad 4. gradum.

Aduerte tamen: Probabile eſſe poſſe Concilium Trident. hoc impedimentum ſolùm dirimere vſque ad 2. gradum inclusiuè, ſicut cognatio ſpiritalis. Ita quidam Doctores Salmanticenſes, & Henriches lib. 2. *de Matrimonio* c. 12. Quod Confirmatur; Quia ſi cognatio ſpiritalis, quę maius eſt vinculum & inſolubilius dirimit ſolùm vſque ad 2. gradum; cur non idem dici queat de cognatione legali, quę ſimilis eſt cognationi ſpiritali? præſertim cùm non habeamus Canonem, quo contrarium exprimatur?

Probabile eſt, quòd ſolum vſque ad 2. gradum.

Secundò verò, Dirimit in *Linea tranſuerſa* matrimonium inter filios naturales adoptantis, & eũ qui perfectè eſt adoptatus; id eſt, arrogatum.

Inter eos dirimit in linea tranſuerſa.

Tertiò autem, Hęc cognatio per modum cuiuſdam affinitatis dirimit inter adoptatum & cõiugem adoptantis, quę illi eſt veluti nouerca: & inter adoptantem & coniugem adoptati, quę illi eſt inſtar nurus.

Notandum eſt Primò: In linea recta hoc impedimentum eſſe perpetuum, quamuis moriatur alter, vel filius emancipetur, vel adoptio diſſoluatur. Perpetuum quoque eſt inter cõiugem adop- 177 Impedimentum hoc in vtroque affinitatis

perpetuũ, in quibuſdam temporale.

tantis & adoptatum, inter coniugem adoptati & adoptantem, vt expreſſe habemus lege *Adoptiuus*. ff. de Ritu nuptiarum. Verùm inter filios naturales adoptantis & adoptatũ eſt impedimẽtum temporale; nempe quamdiu filij naturales ſunt ſub patria poteſtate, vel certè quamdiu ipſe adoptatus ſub ea eſt. Vnde ſi filij naturales emãcipentur, vel emancipetur adoptatus, vel ſi adoptans moriatur, poſſunt inter ſe contrahere; vt colligitur Capitulo vnico *De cognatione legali*: vbi Nicolaus I. ſic ait; *Si qua per adoptionem mihi ſoror eſſe cœperit, quamdiu durat adoptio, inter me & iſtam nuptiæ conſiſtere non poſſunt*: intellige niſi alter emancipetur; vt patet ex Capitulo *Per adoptionem*, 30. quæſt. 3.

Notandum Secundò: Etſi iſti gradus non exprimantur Iure Canonico, tamen Iure Ciuili habẽtur expreſſi, quod ferè hac in parte à Canonico eſt receptum: vt patet Capitulo *Diligere*, 30.q.3. & etiam ferè receptum eſt Eccleſię cõſuetudine.

Nõ eſt impedimentum inter adoptatũ, & filiam illegitimam adoptãtis.

Petes: vtrùm inter adoptatum & filiam illegitimam adoptantis cenſeatur eſſe hoc impedimentum durante adoptione?

Reſpondeo: Non cenſeri eſſe impedimentum. Ratio eſt; quia illegitima non eſt in patria poteſtate. Ita Innocentius IV. Hoſtienſis, & alij, quos refert & ſequitur Fumus V. *Matrimonium*, §. 18. eſtque ſententia communis teſte Nauarro cap. 22 nu. 44. Pari modo, nullum eſt impedimentum inter duos adoptiuos; vt docet idem Fumus n. 19.

Neque inter duos adoptãtiuos.

DVBIVM X

Vtrùm impedimentum iuſtitiæ publicæ honeſtatis matrimonium dirimat?

178

REſpondeo: Impedimentum iuſtitiæ publicæ honeſtatis dirimit matrimoniũ: vt patet ex variis Canonibus. Impedimentum autem hoc ſecundùm quoſdam naſcitur tripliciter. Quod ad Primum.

1. Naſcitur ex ſponſalibus.

Notandum eſt Primò: Sicut ex copula carnali, & ex matrimonio rato naſcitur affinitas inter virum & conſanguineos vxoris, inter vxorem & conſanguineos viri: ita ex contractu ſponſalium inter ſponſum & conſanguineos ſponſæ naſcitur quiddam ſimile affinitati, veluti quædam affinitatis inchoatio, quam vocant *iuſtitiam publicæ honeſtatis*, vel *publicam honeſtatem*: poſtulat enim honeſtas, vt non iungaris matrimonio cum ſorore tuæ ſponſæ.

Debent ea eſſe valida.

Notandum Secundò: Etſi olim hoc impedimentum naſceretur ex ſponſalibus inualidis, & dirimeret vſque ad 4. gradum incluſiuè: poſt Cõcilium tamen Tridentinũ ſolùm naſcitur ex ſpõſalibus de futuro validis, & tantùm in 1. gradu dirimit. Statuit itaque Concilium ſeſſ. 24. cap. 3. vt ſi contraxeris ſponſalia cum aliqua, nunquam poſſis cum eius ſorore, matre, vel filia contrahere, etiamſi ſponſa tua moriatur; nec ipſa cum patre, fratre, vel filio tuo poſſit contrahere: poſſit tamen cum tuo nepote qui eſt in 2. gradu, ad quem hoc impedimentum iam non extenditur.

Solùm extenditur ad 1. gradum.

Si ea ſint irrita defectu conſenſus.

Quidam, inter quos Conarru. 2. parte, cap. 6. §. 2. putant hoc impedimentum etiam naſci ex ſponſalibus irritis, quæ tantùm defectu conſenſus interioris irrita ſunt, & in foro externo præſumũtur valida. Sed verius videtur non naſci: nã huiuſmodi ſponſalia reuerà ſunt inualida quamuis in foro externo valida præſumantur. Concilium autem non vult illud naſci ex ſponſalibus inualidis, quacumque ratione inualida ſint; vt patet ex verbis Concilij.

Si ſint cõditionata.

Ex conditionatis ſponſalibus ante conditionem impletã nõ naſcitur hoc impedimẽtum. Completa tamen conditione naſcitur, quia ſpõſalia ſunt valida. Patet ex Capitulo vnico *de Sponſalibus*.

2 Naſcitur ex matrimonio clãdeſtino.

Quod ad ſecundum: naſcitur id ex matrimonio clandeſtino poſt Concilium Tridentinum cõtracto. Ratio eſt: quia etſi ille contractus non habeat vim matrimonij ob decretum Concilij, videtur tamen habere vim ſponſalium, vt dicũtur declaraſſe Cardinales qui interpretando Cõcilio præſunt. Contrarium tamen non eſt improbabile, ſi verba Concilij expendantur, quamdiu illæ declarationes non ſunt authenticè emiſſæ in lucem.

3 Naſcitur ex matrimonio præſumpto.

Quo ad tertium: Naſcitur id ex matrimonio præſumpto in facie Eccleſiæ contracto. Ita Couar. cap. 6. §. 2. nu. 2. & Nauarrus cap. 22. nu. 57. vbi dicit Pium V. id declaraſſe. Vnde quod idem Nauarrus numero ſequenti ait hoc impedimentũ non naſci ex matrimoniis contractis inter conſanguineos & affines intra gradum prohibitum, aut cum initiato ſactis, aut cum Religioſo, quia ſunt inualida; vel verum non eſt, cùm repugnet ei quod ante dixit: vel debet intelligi de huiuſmodi matrimoniis clandeſtinè contractis; vt infrà inſinuat.

CAPVT XI.

De impedimento Criminis, Diſparitatis cultus, Violentiæ, & Ligaminis.

DVBIVM I.

Vtrùm ſit aliquod crimen, quod irritet Matrimonium?

179

REſpondeo: Eſſe quædam crimina, quæ matrimonium irritant, idque in tribus caſibus. Primus eſt: Si vxor tua, cum alio conſpiret in tuã mortem, vt poſſint ſimul contrahere, & ex illorũ machinatione mors ſequatur; tũc enim inter eos nullo modo poteſt conſtare matrimonium, quamuis non interceſſerit adulterium. Idem dicendũ, ſi maritus in mortem vxoris conſpiret cum alia. Patet Capitulo *Laudabilem*, de Conuerſione Infidelium. Hoc impedimentum ſtatuit Eccleſia ad tollendas occaſiones occidendi coniuges.

179 Primum crimen.

Crimẽ hoc debet fieri vtriuſque conſenſu.

Duo autem hic ſunt notanda. Alterum eſt, occiſionem debere fieri vtriuſque conſpiratione. Si enim alterius tantùm machinatione fiat, altero neſciente, non irritat matrimonium; vt patet ex Capitulo citato, niſi interuenerit adulterium, vt ſtatim dicetur. Neque ſufficit, ſi alter poſt factũ ratum habeat; quia rati-habitio illa non eſt cauſa actus. Sufficit tamen conſilium & iuſſio; quia hęc concurrunt ad opus. Alterum eſt, vt occiſio fiat animo contrahendi: ſi enim alio fine fiat, non impedit; vt recte Gloſſa in Capit. *Super hoc*, De eo qui duxit; quam ſequuntur communiter Doctores contra Caietanum verbo *Matrimonij impedimenta*, Caſu 5.

Et animo contrahẽdi.

Secundus caſus eſt: Quando alter coniux adulterium committit cum alio; & vt poſſit cum eo contrahere, interficit ſuum coniugem, etſi adultero ignorante. Similiter ſi adulter interficiat maritum adulteræ in eum finem, etſi ipſa non conſentiat. Patet Capitulo *Super hoc*, De eo qui duxit.

Secundum crimen.

Tertius caſus eſt: Adulterium cum coniuge alterius ſcienter committere, & contrahere ma-

Tertium crimen.

trimonium cum eo ante mortem cõiugis, vel dare fidem de contrahendo per verba quæ ex se ad sponsalia sufficiant. Ita habemus Capitulo *Significasti*. & Capit. *Ex literis*, De eo qui duxit. Quòd si non sit vere coniux, licet putetur esse, non incurritur hoc impedimentum. Similiter si dolus fides, aut contrahatur matrimonium secundum sine adulterio interueniente: debet enim vtrumque adesse, idque ante mortem coniugis. Vnde si puella probabiliter ignoret Petrũ esse coniugem alterius, quamuis adulterium cum eo committat, & cõtrahat cum eo, vel vltrò citroque dent fidem de contrahendo in futurum, nõ nascitur hoc impedimentum; nisi illa, postquam cognouerit Petrum habere vxorem, rursus cum eo adulterium committat. Ita Nauar. & alij Doctores ex capitulis citatis. Quòd si ipsa post cognitionem non cõmiserit amplius adulterium, tenebitur Petrus mortua vxore eam ducere, si ipsa velit; vt habetur Capitulo *Propositum*, De eo qui duxit in matrimonium. Et ratio est; quia ex parte puellæ fuerunt valida sponsalia, & sub spe futuri matrimonij bona fide concessit vsum corporis.

DVBIVM II.

Vtrùm Disparitas cultus sit impedimentum dirimens?

180 Impedimẽtũ hoc est inter baptizatũ & nõ baptizatũ.

RESpondeo, & Dico Primò: Disparitas cultus est impedimentum dirimens: nempe inter baptizatum & non baptizatum. Est communis sententia Theologorum & Canonistarum, qui id tanquam indubitatum tradunt. Sed difficultas est, quo iure id fiat.

Irritat, sed non Iure naturæ.

Dico Secundò: Matrimonium per hoc impedimentum non dirimitur. Iure naturæ; neque diuino positiuo, neque Ecclesiastico scripto, sed Iure Ecclesiastico consuetudine recepto.

Non Iure naturæ: nam multa extant Sanctorum exempla, qui cum infidelibus contraxerunt. In lege veteri Genes. 41. v. 50. Ioseph accepit vxorẽ filiã Phutipharis sacerdotis idolorum. Moyses filiã Iethro Exod. 2. v. 22. & Æthiopissã Numer. 12. v. 1. Dauid filiam Regis Gessur 2. Reg. 3. v. 3. Esther nupsit Assuero, lib. Esth. c. 2. In nouo testamento, Monica S. Augustini mater habuit virum gentilem; & Clothildis nupsit Clodoueo Regi Francorum ethnico. Imò huiusmodi coniugia olim erant frequentissima; vt testatur D. Augustinus lib. *De fide & operibus*, cap. 19. Ratio est: quia talis coniunctio non est contra matrimonij finem: potest enim ex ea proles suscipi, & etiam aliquo modo in Religione enutriri.

181 Nec diuino.

Non etiam Iure diuino: quia tale nullum Ius extat, præsertim in lege noua: Etsi enim in lege veteri Deus prohibuerit Iudæis matrimoniacum infidelibus, vt patet Deuter. 7. & 3. Regum 11. Tamen hoc præceptum, quatenus irritabat matrimonium, erat iudiciale, non morale; ac proinde vna cum lege veteri abolitum. Quod patet, quia solùm prohibebat matrimonia cum infidelibus habitantibus in terra Chanaam, quos Deus volebat omnino deleri; non autem cum gentibus remotioribus, vt Persis, Medis, Chaldæis, Ægyptiis, illis tantùm Ægyptiis exceptis, qui in terra Chanaan habitabant, de quibus Esdræ lib. 1. capite 9.

Dices: 1. ad Corinth. 7. v. 39. Apostolus ait, *Si dormierit vir eius, cui vult nubat, tantùm in Domino*: id est, cum Christiano; vt Theodoretus & Anselmus, in hunc locum.

Respondeo: Hinc vt summum probati, matrimonium cum Infidelibus esse illicitum, non tamen esse irritum. Nam matrimonium cum hæretico non contrahitur *in Domino*, iuxta mentem Apostoli; & tamen irritum non est.

182 Nec iure Ecclesiæ scripto.

Non Iure Ecclesiastico scripto est irritum: nam nullum tale Ius reperitur. Concilium quidem Chalcedonense can. 13. prohibet matrimonia cũ Iudæis & Paganis, non tamen illa facit irrita: nam similiter prohibet matrimonia cũ hæreticis, quæ tamen constat valida esse. Dices: Concilium Toletanum IV. can. 6. iubet Iudæos, qui Christianis iuncti sunt, aut conuerti, aut separari. Respõdeo hoc Concilium non est generale, & solùm agit de incolis Hispaniæ, vti suprà diximus capite 5. num. 95.

183 Sed tãtùm ex recepto vsu Ecclesiæ.

Ex dictis sequitur, solùm more & consuetudine Ecclesiæ, quæ vim legis habeat, hoc impedimentum esse introductum. Idque meritò: tum quia tale matrimonium non potest esse Sacramẽtum, quod requirit vt vterque sit baptizatus; est enim contractus duorum: tum quia in lege veteri matrimonia Iudæorum cum infidelibus eorum regionem incolentibus irrita erãt: tum denique, quia periculum est coniugi & prolibus, ne ab infideli peruertantur.

184 Coniugũ fidelis cum hæretico illicitum, non irritũ.

Dico Tertio: Disparitas cultus, quæ est inter fidelem & hæreticum, Iure naturæ & Ecclesiastico est *impedimentum impediens*; id est, reddens matrimonium culpabile, non tamen *irritum*. Ratio est: Tum quia est periculum peruersionis; tum, quia in Religionis ista discrepantia vix pax domestica seruari potest. Vide Ambrosium lib. 1. *de Patriarcha Abraham* c. 9. vbi inter cætera sic ait: *Caue Christiane Gentili aut Iudæo filiam tuã tradere. Caue, inquam, gentilem, Iudæam, aut alienigenã, id est, hæreticam, & omnem alienam à fide tua, accersas tibi.* Vide etiam Tertullianum lib. 2. ad vxorem, vbi fusè prosequitur pericula talis matrimonij.

DVBIVM III.

Vtrùm metus vi incussus, & raptus sint impedimentum dirimens?

185

QVòd ad *vim* attinet, seu metũ vi incussum, quomodo matrimonium irritet, suprà dictum est cap. 4. dub. 7. & seq.

Raptor est inhabilis ad contrahendum.

Solùm hic addenda quædam ex Concilio Tridentino sess. 24. cap. 6. vbi decernit Primò, inter *raptorem & raptam*, quamdiu est in eius potestate, non posse matrimonium cõstare. Vnde quæ rapta est, debet priùs à raptore separari, & in loco tuto constitui, alioqui eius consensus erit irritus, etiamsi omnino sponte præstetur.

Aduerte tamen hoc esse nouum, Iure antiquo minimè necessariũ. Sufficiebat enim ipsam liberè consentire, quamuis adhuc in eius potestate esset. Quod notandum est pro illis locis, vbi Concilium non est receptum. Vide Nauarrum lib. 4. Consiliorum tit. 3. consilio 2.

Infamis.

Secundò: Decernit *raptorem* perpetuò esse infamem, & omnium dignitatum incapacem. Hoc quidam intelligunt, *nisi raptam duxerit*: si enim duxerit, non fore infamem vel incapacem. Sed Concilium insinuat contrarium.

Excommunicatus excommunicantur auxiliantes.

Tertiò: Decernit ipsum esse de facto excommunicatum.

Quartò: Omnes, qui illi consilium, vel fauorem, vel auxilium ea in re præbuerint, esse etiam excommunicatos, & infames.

Digitized by Google

Tenetur ad dotem.

Quintò: Raptorem teneri ad dotandam raptam arbitrio iudicis, siue eam duxerit, siue non. Sed ad hoc non obligatur, nisi post sententiam.

DVBIVM IV.

Vtrùm ligamen seu vinculum alterius matrimonij dirimat matrimonium subsequens?

186 Si credas vxorẽ esse viuã, quæ reuerà sit mortua, & tamen cũ alia contrahas.

REspondeo: Vinculum alterius matrimonij seu ligamen iure naturę dirimit omne aliud matrimoniũ. Patet ex dictis suprà cap. 4. dub. 7. Petes Primò: Vtrùm matrimonium sit validum, si quis credens vxorem suam esse viuam, contrahat cum alia, cùm tamen illa reuerà sit mortua. Similiter si contrahat cum ea quam putat esse consanguineam, cùm tamen reuerà non sit: Nauarrus cap. 22. Enchiridij num. 43. & 56. respondet negatiuè. Similiter Dominicus Soto dist. 37. art. 5. & Siluester 3. matrimonium 8. num. 13. Ratio illorum est; eò quòd, cùm iste credat matrimonium non posse esse validum, fieri nequeat vt habeat voluntatem absolutam contrahendi. Nemo enim potest absolutè velle quod iudicat esse impossibile.

Sed dicendum est cum Couar. 2. parte, & multis alijs, validum esse tale matrimonium, si contrahens ex primat, vel saltem intendat contrahere quantum potest. Nam si quis cõtraheret cum hac conditione, *Cerrabo tecum si possum*, etiamsi existimaret se non posse, firmum esset matrimonium, modò verè ex parte rei non subsit impedimentũ: ergo & istud firmum erit; quia intendit contrahere quantum potest. Pari modo si quis putet se non posse donare, tamen de facto donet quantum in ipso est, donatio erit valida si poterat donare.

Petes Secundò: Vtrùm is qui adhibita diligentia per multos annos nihil intellexit de vita coniugis, possit contrahere cum alio?

187 Si post inquisitionẽ nihil intelligas de vita coniugis.

Respondeo: Certum est non posse: nisi ipse habeat moralem certitudinem de eius morte, qualis habetur per nuntium fide dignum; vel quando tanta sunt indicia, vt equiualeant certo nuntio. De quibus iudicabit Iudex Ecclesiasticus. Patet Cap. *Dominus*, de Secundis nuptijs.

Dices: Capite *Perlatum*, Qui filij sint legitimi, Alexander III. laudat Episcopum Vintonienſem, qui mulierem quandam separauit à viro in extera regione posito, dedítque ei licentiam nubendi alteri; eò quòd non posset se cõtinere, quãuis vir nondum putaretur mortuus. Et dicit Pontifex filios ex secundo marito esse legitimos.

Respondeo: Pontifex laudat Episcopum illum tanquam prouidum, quòd diligentiam adhibuerit vt vir rediret: non tamen laudat quòd promulgauerit diuortium; neque laudat vxorem quod secundò contraxerit. Nam hęc sunt contra Ius diuinum. Quòd autem filios dicit esse legitimos, causa est, quòd diuortium per Ecclesiam factum fuerit, etsi malè.

CAPVT XII.

De impedimento impotentiæ.

DVBIVM I.

Vtrùm impotentia ad actum coniugalem sit impedimentum dirimens?

188 REspondeo: Impotentiam ad actum coniugalem est impedimentum dirimens. Ratio est, quia nemo potest se obligare ad id, quod nullo modo potest præstare. Vnde hoc impedimentum est Iuris naturæ.

quę impotentia dirimat.

Notandum Primò: Impotentiam, quæ est impedimentum dirimens, esse illam, per quam non possunt vti actu coniugij, siue ex parte viri, siue mulieris: vt si vir sit frigidus, si maleficio teneatur, si perfectè eunuchus, exectus, attritus; si vxor sit angustior. Nec refert, vtrùm hoc impedimentum sit cognitum, an ignoratum. Si enim tempore contractus fuerit, irritat contractum. Secùs est si contractui superueniat. Matrimonium enim validum, non potest, nisi morte dirimi, præsertim tentatâ copulâ. Ad Romanos 7. 2. ad Corinth. 7.

An etiam impotẽtia temporalis dirimat & quo casu?

Notandum Secundò: Hanc impotentiam, vt dirimat, debere esse perpetuã. Temporalis enim non dirimit: vt si adolescens expleto anno 14. ob naturæ in becillitatem sit impotens huius actus, crescente tamen ætate sit futurus potens, matrimonium eius est validum. Si tamen ante completum decimum quartum ætatis annum cõtraxit cum tali defectu, est irritum, quamuis ille defectus temporalis sit. Sic enim Iura statuerunt, non pe vt matrimonium ante completum decimum quartum annum viri, & duodecimum fœminæ contractum, sit irritum, nisi malitia suppleat ætatem: vt patet Capitulo vltimo *de Desponsatione impuberum*. & Capitulo vnico in 6. eodem titulo, quæ malitia duo continet: scilicet sufficientem discretionem ad talem contractum, & potentiam copulę coniugalis. Vnde quando hæc duo adsunt ante hoc tempus expletum, etiamsi adhuc quinque vel sex menses desint, matrimonium est validum: si absint, est inualidum; vt patet ex locis citatis.

quando censeatur hoc impedimentum perpetuũ.

Vt autem dicatur impedimentum perpetuum, debet esse tale, vt ope humana tolli nequeat, vel saltem non sine peccato. Vnde si maleficio dumtaxat possit curari, censetur perpetuum. Similiter si non possit curari sine probabili mortis periculo, vel grauiſi mo cruciatu; vt patet Capitulo *Fraternitatis*, De frigidis & maleficiatis.

quid in dubio, an sit impotẽtia perpetua.

Notandum Tertiò: Quando dubium est, vtrum impedimentum sit perpetuum, concedi à Canonibus ordinariè triennium, ad bona fide experiẽdum; vt habetur Capitulo *Laudabilem*, De frigidis & maleficiatis. Si intra illud tempus non successerit, Ecclesia pronuntiare debet sententiam diuortij. Quòd si postea deprehendatur impedimentum non fuisse verò perpetuum, reuocandi sunt ad prius matrimonium, etiamsi alia matrimonia iniuissent: vt patet Capitulo *Accepisti*, & Capitulo *Fraternitatis*, De frigidis & maleficiatis. Reliqua pertinent ad iudices & ad medicos, potiùs quàm ad confessarios. Vide plura apud Siluestrum, *Matrimonium* 8. num. 16.

DVBIVM II.

Vtrùm liceat tollere ligaturas, nodos, volumina capillorum, & alia signa maleſica, posita à maleficis, eo fine vt diabolus desinat nocere?

QVidam putant non licere. Fundamentum præcipuum est, quia hoc est implicitè pacisci cum Dæmone. Sed 189

Non licet ea tollere alio maleficio, nec petere à

Dico Primò: Etsi nullo modo cõcessum sit illa tollere alio maleficio seu incantamento; aut petere à maleſico, quamuis ad id parato, vt per maleficium ea tollat; tamen omnino licitum est

malefico vt maleficio tollat.

ea tollere & deſtruere abſque maleficio, vbi inuenta fuerint.

Prima & Secunda Pars eſt omnino certa, & communis Doctorum, excepto Angelo verbo *ſuperſtitio* §. 13. & Petro Aureolo, quem ibidem citat. Hi enim, etſi concedant eſſe illicitum incantationes facere, licitum tamen putant vti alterius incantatione ſeu maleficio ad tollendum malum à nobis, vel ab aliis, modò ille paratus ſit arte ſua vti. Sed refutatur ab omnibus tamquam error. Vide Caietanum tomo 2. Opuſculo 12. Silueſtrum verbo *Maleficium* qu. 8. & Caſtro lib. 1. De iuſta hæreticorum punitione c. 15. Ratio eſt: quia illa maleſici operatio eſt intrinſecè mala, cum ſit vſus artis magicæ, & tacita vel optinendum expreſſa dæmonis inuocatio ad aliquem effectum, ac proinde nullo modo benè fieri poteſt. Ergo nec petere; nec conſentire poteſt, vt fiat; iuxta illud ad Rom. 1. v. 32. *Qui talia agunt, digni ſunt morte, non ſolùm qui faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus.* Secùs eſt, cùm petitur iuramentum ab eo, qui putatur per falſos Deos iuraturus: aut mutuum ab eo, qui ſolet exigere vſuras: nam id, quod hîc petitur, malum non eſt, & benè fieri poteſt, ſi velit is à quo petitur.

190 Licet ea tollere ſine Maleficio.

Tertia Pars eſt communis ſententia omnium Doctorum, qui hanc quæſtionem attingũt: inter quos Henricus à Gandauo Quodlibeto 5. qu. 33. Scotus in 4. diſt. 34. vbi dicit, ridiculum eſſe, *quærere, an liceat tollere maleficium intentione curandi maleficiatum. Non enim*, inquit, *ſolùm licet, ſed etiam eſt meritorium deſtruere opera Diaboli.* Idẽ docet Gabriel ijſdem penè verbis in 2. diſt. 8. quæſt. 2. art. 4. dub. 2. Caietanus tom. 2. Opuſc. 12. *Duobus modis*, inquit, *contingit maleficit mã maleficis ſolui. Primò, Per ſimplicem diſſolutionem, ſeu deſtructionem maleficij priùs facti; puta diſſoluendo ligaturam capillorum cum annulo ligneo &c. & hoc abſque dubio licitum eſt, nec eſt ejus maleficij vt maleficus eſt, ſed hominis ſcientis impedimentum boni proximi ſui: quia hîc nulla euenit Dęmonũ inuocatio, ſed ſola diſſolutio ſigni, quo durante Diabolus ſtatuerat malum alterius continuare. Secundò, Per inuocationem Dæmonum ſeu aliud maleficiũ: & hoc abſque dubio peccatum eſt mortale.* Hęc ille. Idem docet Silueſter verbo *Maleficium* quæſt. 7. & 8. & cæteri Doctores, qui *Summas* ſcripſerunt; vt Roſella, Angelica, & Fumus verbo *maleficium*, nu. 2. Alphonſus à Caſtro lib. 1. de iuſta hæreticorum punitione, cap. 15. Dominicus Soto diſt. 34. quæſt. vnica art. 3. *Poteſt*, inquit, *quiſque conuenire maleficum, & rogare, imò & pecuniâ ab illo extorquere, vt illas ligaturas quas habet ſepultas, aut ſuſpenſas, aut alicubi aſſeruatas, inde dimoueat: quia illud maleficium facere virtus eſt.* Ioſephus Angles in floribus quæſt. 6. De maleficiatis. Nauar. cap. 11. nu. 29. Petrus Binsfeldius in titulum codicis *de Maleficis & Mathematicis*, qu. 5. & alij. Hi omnes docent hanc ſententiam vt indubitatam. Incredibile autem eſt omnes decipi, præſertim cùm non agatur de poſitiuo aliquo dogmate, cuius ratio eſt ſola Dei voluntas; ſed de veritate naturali pertinente ad moralem philoſophiam, vbi ingenij acumen valet. Nusquam vidimus erraſſe Doctores in quæſtione ingenij ſic conſentientes.

Probatur vnica ratione: Si eſſet illicitum amouere huiuſmodi ſigna vt diabolus nocere deſinat, id eſſet, quòd ille actus amouendi cenſeretur eſſe tacita quædam Dęmonis inuocatio: ſed id verum non eſt: ergo nõ eſt illicitum amouere. Maior eſt euidens, & conceditur ab aduerſarijs; nulla enim poteſt alia vel in ſpeciem cauſa fingi: ſepono enim ſcandalum, quod vbique vitandum eſt.

Probatur ratione.

Talis amotio non eſt inuocatio dæmonis.

Minor Probatur Primò: quia amotio illa ſignorum, neque ex natura rei eſt inuocatio dęmonis, vt per ſe patet: neque ex intentione amouentis; non enim intendit dæmonem inuocare, ſed inuocationem per magum illo ſigno factam impedire: neque ex pacto aliquo antecedente; quia qui amouet ſignum, non eſt pactus cum dæmone, vt ad amotionem ſigni deſinat nocere. Nec refert quòd fortaſſis magus cum dæmone ſic pactus ſit: quia qui amouet ſignum, non intendit ex pacto ipſius magi operari, aut dæmonem inducere, vt pactum cum mago initum ſeruet; ſed ſolùm intendit pactum nocendi reſcindere; quod licitè & meritorie poteſt.

Secundò Probatur Minor à ſimili: Si quis cum hoſte eſſet pactus, vt dato certo ſigno, v. g. ſuſpenſo funiculo coccineo, accurrat, mœnia conſcendat, vel ignem vrbi injiciat; & ego tale pactum ſcirem, poſſem illud ſignum tollere; nec vllo modo cenſerer conſentire illorum pactis, ſed potiùs illa odiſſe & deſtruere: ergo ſimiliter, ſi ſciam inter magum & dæmonem eſſe pactum, vt dato certo ſigno, v. g. poſito nodo capillorum ſub limine, noceat; potero illum nodum tollere, ne noceat; neque cenſebor vllo modo in illud pactum conſentire: cur enim hîc potius videar conſentire pacto, quàm ibi?

Tertiò Probatur Minor: Si quis verbis alliceret dæmonem, vt mihi vel alteri noceat, poſſem omni ope impedire. Similiter ſi per ſcripturam vel characteres. Cur non etiam poſſim impedire, ſi quis alijs ſignis illum accerſat? Quid enim intereſt ſiue verbis, ſiue ſcriptis, ſiue alijs quibuſue ſignis dęmonem allicias ad nocendum? Poſſum igitur illa ſigna dimouere & deſtruere, vt dæmon deſinat allici, & conſequenter deſinat nocere.

Sed contrà Obijcitur Primò: Dominus in Euangelio Matt. 17. v. 21. ait de certo genere dæmoniorum, *Hoc genus non ejicitur niſi per orationem & ieiunium*: ergo ſi hoc genus ingreſſum eſſet per maleficium, non liceret eius egreſſum procurare per ſigni ablationem.

191 1. obiectio ex ſcriptura.

Reſpondeo Primò: Si hoc argumentum aliquid concludit, etiam conuincit non licere exorciſmis agere in hoc caſu. Secundò: Quomodo poteſt nobis conſtare, an ſit ex illo genere? fortaſſe eſt ex alio: ac proinde nihil vetat, quin poſſimus tentare per ſignorum amotionem. Tertiò: Dominus agit de dęmonum ejectione, qui hominem poſſident, quos non legimus ejici per amotionẽ ſignorũ; ſicuti nec permittuntur ingredi operâ magorum, niſi forte rariſſimè, atque vel interueniente peccato eius qui poſſidetur, vel aliâ nobis occultâ & ſoli diuinæ prouidentiæ notâ cauſâ. Nos autẽ loquimur de nocumento, quod damon magicis ſignis illectus infert.

Reſpondeo

Obijcitur Secundò: Hieronymus in vita S. Hilarionis refert; cùm quędam puella, per incantationes à Dæmone obſeſſa, adducta eſſet ad S. Hilarionem, *Noluiſſe virum ſanctum, antequam purgaret virginem vel adoleſcentem, ſigna inbere inquiri, ne aut ſolitis incantationibus receſſiſſe Dęmon videretur, aut ipſe ſermoni eius accommodaſſe fidem*: ergo perquirere & tollere ſigna ad incantationem pertinet. Reſpondeo Primò: Hieronymum non dicere, *Ne ſolitis incantationib⁹ recederet*, ſed *receſſiſſe videretur*, ſcilicet vulgo ſpectanti; cui meritò id viſum fuiſſet, ſi vir tantus ad hoc præſidium confugiſſet, maximè cùm Dæmon illud cõſilium ſuggeſſiſſet indicato ſignorum loco, & ſe illis ligatum teneri, neque ſe poſſe egredi, illis

2. obiectio ex facto S. Hilarionis

Reſpondeo

non ſublatis. Secundò: Hieronymus diſiunctiuè dicit, *Ne aut ſolitis incantationibus videretur receſſiſſe, aut ipſe ſermoni Dæmonis accommodaſſe fidem.* Verebatur enim Hilarion, ne ſi ſigna quæri iuſſiſſet, alterum ſaltem horum ſequeretur. Adde, prorſus indignũ fuiſſe tanto viro, ſigna illa iubere inquiri, quaſi abſque illis non poſſet expelli, qui excellenti miraculorum dono præditus erat.

192 3. obiectio quòd amotis ſigna, miſceat ſe pacto magi cum dæmone.

Obiicitur Tertiò: Qui ſignum tollit, vt ceſſet noxa, miſcet ſe pacto, quod eſt malefico cum Dæmone intercedit, quod eſt huiuſmodi, vt ſigno poſito Dæmon nocere incipiat, ablato deſinat.

Reſpondeo Primò: Plerumque ſolùm eſt vnum pactum, ſcilicet vt poſito tali ſigno noceat. Quãdo enim Diabolus aliquo ſigno debet allici vt faciat aliquid extraordinariè, non eſt opus nouo pacto vt deſinat facere, ſed ſufficit vt deſinat allici, quod fit ſublato ſigno. Hinc enim ſequitur vt deſinat operari, eò quòd vis prioris pacti, ex quo ad operandum eſt inductus, ſit eliſa. Secundò: Etiáſi fortè tale pactum eſſet inter magum & Dæmonem; is tamen qui ſignum tollit, id ignorat, & poteſt meritò exiſtimare tale pactum non eſſe; ſicque ſignum illud tãquam Dæmonis illecebram ſubmouere. Tertiò: Quamuis ſciret eſſe tale pactum, non tamen idcirco ſe huic pacto miſceret, aut ei vllo modo conſentiret: quia amotione ſigni non intendit Dæmonem inducere ad pactum ſeruandum; neque vtitur amotione ligaturæ veluti ſigno alterius pacti; ſed ſolùm intendit deſtruere ſignum prioris pacti, quo dæmon ad nocendum alliciebatur. Hæc enim multũ diſtinguũtur: aliud enim eſt, *Amouere ſignum ea mente, vt moneas Dæmonẽ, vt ſeruet pactũ, & ex fide data deſinat nocere*; aliud eſt *amouere, vt deſtruas Dæmonis quaſi realem inuocationẽ, & pactũ cum mago initum*; vt per ſe patet. Quando enim aliquod ſignum ex natura ſua non eſt ordinatum ad aliquid ſignificandum, facilè per intentioné aliò referri poteſt; vt patet in adoratione Naaman Syri, 4. Regum cap. 5. qui adorante Rege in templo Remmon, ſimul flectebat genua ante idolũ, vt Regi ſibi innitenti ſe aptaret: quæ actio etſi videbatur eſſe idololatria, tamen reuerà non erat; quia non intentione adorandi idoli, ſed ſuſtentandi domini fiebat. Multò apertiùs id cernitur in propoſito: cùm enim amotio ſignorũ facta, vt ceſſet dæmonis noxa, nõ ſit inuocatio dæmonis ex natura rei, ſed potiùs euerſio prioris pacti; neque etiam ex intentione amouentis, vt quæ prorſus ſit contraria; nullo modo cenſeri poteſt eſſe illicitum.

Reſponſio

193 4. Obiectio, quòd illicitum ſit expectare effectum aliquẽ à dæmone.

Obiicitur Quartò: Qui ſignum tollit ſpe nocumenti ceſſaturi, hunc effectum non expectat à cauſa naturali, neque ab humana voluntate, neque per miraculum à voluntate Dei: ergo expectat à diabolo; ac proinde eſt opus ſuperſtitioſum: nam perinde eſt ac ſi diabolo dicat, *Pactus es amoto ſigno te ceſſaturum; ecce amouco ſignum, præſta quod promiſiſti.*

Reſponſio

Reſpondeo: Effectus qui hîc expectatur, non eſt aliqua actio poſitiua dæmonis; ſed ceſſatio ſeu priuatio actionis; quem effectum licet à dæmone expectare: multa enim quotidie facimus, vt diabolus aliquid non faciat, vel ceſſet facere, nõ ſolùm coactꝰ diuina poteſtate, ſed etiá quaſi offenſus & abhorrẽs; vt dum geſtamus Agnos Dei, & Reliquias, dum vtimur aqua benedicta, dũ benedicimus domos & templa: cur non etiam poſſimus deſtruere ſigna magica, vt deſinat nocere, tãquam non ampliùs ad nocendum allectus? Itaque non quouis modo illicitum eſt expectare effectum priuatiuũ à dæmone, ſed expectare illum ex fide data & accepta, ſeu ex vi alicuius pacti cum dæmone initi; quòd hîc non fit. Non enim expectatur ex vi pacti, ſed ex euerſione pacti ſeu inuocationis: eſt enim effectus priuatiuus, qui ſufficiẽter ex hoc ſequitur, quòd non ampliùs per ſignum prouocetur, ſeu quod prius pactum deſtruatur. Vnde ſine ratione allumitur, quòd ille qui hîc expectat ceſſationem à diabolo, perinde faciat ac ſi dicat, *Præſta, quod promiſiſti*: quin potiùs perinde facit, ac ſi dicat, *Pactum tuum cum mago reſcindo, ſigna tua quæ inſtituiſti ad nocendum deſtruo; non eſt ergo quod noceas ampliùs.*

5. Obiectio, quòd ſit expectare beneficium à dæmone.

Obiicies Quintò: Diabolus nunquam ceſſat à nocumento corporali, niſi vt grauiùs noceat in anima: beneficia enim illius nocentiora ſunt omnibus vulneribus; vt teſtatur D. Leo ſerm. 19. de Paſſione: ergo per ceſſationem nocumenti, quæ fit amoto ſigno, grauius damnum infert vel amouenti, vel malefi ciato, vel vtrique.

Reſponſio

Reſpondeo Negando Conſequentiã: Etſi enim diabolus id forte intendat, non tamẽ ſemper aſſequitur quod intendit, præſertim cùm in noſtra ſit poteſtate per Dei gratiã ne in anima noceat. Neque verum eſt, expectari ceſſationem tã quam beneficium eius, niſi quis dicat eum, qui amouet ſignum proditionis vrbis, expectare ceſſationem proditionis, tanquam beneficium proditorum.

194 6. Obiectio, quòd dæmon nõ ſit alligatꝰ ſignis.

Obiicitur Sextò: Diabolus non eſt alligatus ſignis; poteſt enim nocere ſine ſignis, & deſinere nocere etiam poſitis ſignis, & nõ deſinere ſublatis ſignis: ergo fruſtrà tolluntur ſigna, niſi intercedat pactum, vt illis ſublatis deſinat nocere.

Reſpõſio.

Reſpondeo Primò, Negando Conſequentiam, tolluntur enim ſigna vt euertatur pactũ magicũ, & tacita dæmonis inuocatio. Quòd autem diabolus poſſit cõtinuare vel non continuare nocumẽtum, parum refert; modò conſtet ſemper vel ferè ſemper deſinere nocumentum, ſublato ſigno vel illecebra. Secundò: Sæpè diabolus non poteſt nocere corporaliter, niſi humana malitia ei cooperetur: ita enim ligata eſt eius poteſtas, vt nihil ferè ſolus poſſit in hominis corpus vel bona externa (vt patet ex hiſtoria Iob) niſi Deo ſpecialiter permittente & laxante vinculum quo conſtringitur: quia tãta eſt eius malitia vt nihil prætermitteret mali quod poſſet. Humana tamẽ poteſtas non ſic eſt ligata (quia homo homini reſiſtere poteſt) quę dum dæmoni cooperatur, plura Deus permittit dęmoni, quàm cùm ſolus eſt. Vnde Frãciſcus Victoria relectione de arte magica ſub finẽ: *Mirum*, inquit, *eſt & myſteriũ, quòd cùm dæmones per ſe nocere non permittantur, tamen non adeò impediuntur nocere per homines, ſicut per magos, lamias, & alias maleficas*; quod etiam cæteri Doctores tradunt. Quare falſum eſt, *dæmonem poſſe ordinariè nocere ſine ſignis magicis, ſicut poteſt cum illis; vel poſſe cõtinuare noxã ſublatis ſignis, ſicut poteſt poſitis ſignis.* Hinc fit, vt non fruſtrà tollantur; nam illi fortaſſis permiſſum non eſt ſublato ſigno nocere. Neq; hinc ſequitur, Deum habere aliquod pactum cum dæmone: ſicut ſi Rex non impediat hoſtem in ijs quæ facit cooperantibus ſubditis; non inde ſequitur Regem habere pactum cum ſuo hoſte.

Dæmõ ſæpè nocere non poteſt niſi humana malitia cooperãte.

7. Obiectio, quòd patiẽs maleficiũ, vel etiam maleficus teneretur amouere ſigna.

Obiicitur Septimò: Si licet ſigna maleſica amouere, vel ad eam rem malefici opem implorare: ergo, qui maleficium patitur, tenetur id procurare, ſi aliud remedium non occurrat.

Reſpõſio.

Reſpondeo: Sæpè poſſe contingere, vt teneat ſignum maleficum amouere, ſi illud ſciam, & commodè poſſim: maximè autem ad id tenetur maleficus, qui poſuit: nec video quomodo de hoc dubitari poſſit. Neque refert, quòd Docto-

res hoc expreſsè non doceat: ſatis eſt id ex eorũ doctrina ſequi. Sicut enim maleficus, qui diabolum inuocat verbis vel ſcriptis, vt noceat cuipiã, tenetur ceſſare ab iſta inuocatione, non ſolũ quia ſuperſtitioſa, ſed & quia noxia; ita quoque tenentur ſigna poſita, quibus allicitur ad nocendũ, tollere, & aliter nocumentũ impediri nequit. Et cõfirmatur: quia ſicut is: qui poſuit puluerem tormẽtarium certo loco, vbi dãnum illaturus eſt, tenetur illum tollere ſi aliter damnum nequit auertere; ita qui ſignum poſuit, ex quo nocumentũ ſequitur, illud amouere debet. Quid enim refert, quòd puluis vi naturali ſit nociturus, ſignum vi morali, ſeu vi pacti: quando æquè certò & efficaciter nocumẽtum ſequitur? Sanè perinde ſe habet illud ſignum, ac ſi vis diabolica illi eſſet alligata: vnde tanquam res nocentiſſima eſt tollendum.

195 8. Obiectio, quòd hinc ſequatur licitum eſſe maleficis ſub quæſtione radere pilos vel capillos.

Obijcitur Octauò: Si licet ſigna amouere: ergo rectè faciunt, qui maleficis ad quæſtiones vocatis abradunt omnes pilos corporis, ne quo maleficij ſigno corpori adhæreſcente, reddantur inſenſibiles, & ita non poſſint cogi ad confeſſionem: atqui hoc eſt ſuperſtitioſum. Confirmatur ex Victoria relectione de Magia n. 16. vbi dicit, *Si ad expulſionem dæmonum radunt pilos, aut capillos, aut aliquid huiuſmodi, eſt magia manifeſta.*

Reſpondeo

Reſpondeo: Si illi id faciant, ne ſub capillis aliquod tale ſignum occultatũ lateat, non ſunt dãnandi ſuperſtitionis. Vide Dãhouderium. An ſatis decorè faciãt, non diſputo. Quod Frãciſcus Victoria ait, ad propoſitũ non facit: loquitur enim de expulſione dæmonum è corporibus hominum per gratiam gratis datam, qualem habent viri ſancti. Non enim pili ſunt ſignum maleficum, ibi poſitum à mago; ac proinde non ſunt amouendi, vt pactum aliquod magicum ceſſet.

196 9. obiectio quòd SS. Patres improbent amotionẽ ſignorum.

Obijcitur Nonò: 33. quæſt. 1. Capitulo 4. *Si per ſortiarias*, Hincmarus Rhemenſis enumerat remedia contra maleficium concubitus coniugalis, nec meminit huius remedij, nec alij Patres meminerunt: ergo &c.

Reſpondeo

Reſpondeo Primò: Non eſt neceſſe huius remedij mentionem facere, quia vulgò ſatis notũ sẽper fuit: nec decuit eos niſi remedia Eccleſiaſtica & diuina proponere. Secundò: ſi illicitum putabant hoc remedium, non ſolùm debebant eis nullã facere mentionem, ſed etiam expreſsè prohibere, cùm ſcirent eſſe vulgare; quod nobis argumento eſt eos non improbaſſe. Adde, eos loqui in caſibus, in quibus humana remedia non ſuppetunt: plerumque enim ignorantur ſigna, & eorum loca, niſi à magis indicẽtur. Vnde niſi remedia Eccleſiaſtica & diuina proſint, cenſent impedimentũ maleficij eſſe perpetuũ, iubẽtque eos ſepatari: quod tamen nunquã iudicarent, ſi maleficia cognita eſſent, & illis ſublatis maleficium poſſet ſolui. Cõmunis enim Doctorum ſententia eſt, impedimentum non cenſeri perpetuũ, quãdo ope humana ſine nouo maleficio tolli poteſt.

Impedimentũ maleficij quãdoque ceſſare eſſe perpetuũ.

197 Licite ponis ſigna, quibus poſitis, magica ſigna vim ſuam amittunt.

Dico Secundò: Non ſolùm fas eſt tollere ſigna magica, ſed etiam per ſe loquendo ponere alia, quibus poſitis expirat vel deſtruitur pactũ prius, & diabolus deſinit nocere: vel certè priora ſigna vim ſuam amittunt. Colligitur ex ijſdem Doctoribus.

Probatur Primò: Quia licitum eſt aliquid facere, quo poſito finitur prauum pactum, & diabolus deſinit nocere: hoc enim nõ eſt ſignũ noui pacti, ſed euerſio vel impedimentum antiqui. Nec refert vtrùm hoc proueniat ex eo quòd diabolus tali ſigno offendatur, an quòd ipſemet ita ſtatuerit vt tali re interueniente pactum non cõſtet, ſi non fiat modo deprecatorio, aut affectu aliquo beneuolentiæ. Exempla ſint; ſi venefica te tangat, inficeris; ſi tamen illam mox repercutias, impeditur noxa: idque vel quia diabolus ſtatuit tunc non nocere; vel quia ſignum non eſt tale, quale ipſe requirit. Item cùm à ſaga iam quis eſt infectus, dicitur ceſſare nocumentum, ſi infectus det illi panem & ſalem, vel ab illa panẽ accipiat, fortaſſe propter Euchariſtiæ myſterium. Nec refert quòd diabolus ipſe forte hoc ſtatuerit; quia ſolùm ſtatuit his poſitis non nocere, & vt pactum præcedens expiret: atqui licitum eſt aliquid facere quod per ſe indifferens eſt vt diaboli pactum expiret, & nocumentum ceſſet: hoc enim non eſt ſignum amicitiæ; quia etiam erga inimicum poteſt quis talibus ſignis vti abſq; vlla ſpecie beneuolentiæ. Dices, Hîc expectatur effectus à dæmone. Reſpondeo, Nõ expectatur vllus effectus poſitiuus, ſed ſolùm ceſſatio à malo, qualis effectus expectari poteſt, modò non ex amicitia.

Secundò: Licitum eſt tollere ſigna vt deſinat pactum, & nocumentum: ergo licitum eſt apponere alia ſigna ad eundem finem.

Tertiò: Licitum eſt petere verbo à diabolo, vt deſinat nocere; modò id non petatur deprecãdo, aut ex amicitia aliqua, ſed indignando: ergo idẽ licitum eſt petere ſigno. Secùs eſt ſi petas vt aliquid agat; hoc enim eſt beneuolentiæ.

Quartò: Si diabolus haberet tale pactum cum mago, vt poſito tali ſigno noceat donec ponatur ſignum illud contrariũ; & non eſſet aliud remedium vt deſinat nocumentum, poſſet magus illud alterum ſignum adhibere: ſicut enim poſſet diabolo dicere *Ceſſa*: ita poteſt idipſum ſigno aliquo exprimere

Hæc tamen omnia intelligenda ſunt de pura ceſſatione; non autem de aliqua actione poſitiua, aut fauore obtinendo à diabolo. Vnde ſi putaretur nocumentum deſinendum per actionem poſitiuam eiuſdem vel alterius dæmonis, non liceret: ſimiliter ſi res ſit dubia. Non enim licitũ eſt vti remedio ſuperſtitioſo, aut de quo dubium eſt an contineat tacitam dæmonis inuocationem: hoc enim eſt ſe exponere manifeſto periculo ſuperſtitionis; niſi fortè id fiat cum expreſſa contrariæ voluntatis proteſtatione. Pari modo fas non eſt à mago petere vt maleficium diſſoluat, ſi dubitas an abſque nouo maleficio id poſſit: quia id de quo dubium eſt an ſine peccato fieri poſſit, ſicut abſolutè non eſt faciendũ, ita nec abſolutè ab alio petendum eſt, vt faciat. Secùs eſt quando conſtat ſine peccato fieri poſſe; & cauſa iuſta petendi ſubeſt; vt diximus lib. 2. de iuſtitia & iure cap. 42. dub. 10.

198 Nõ poteſt interuenire actio poſitiua dæmonis, aut eius fauor poſtulari.

Neque dubium eſſe debet an magnus poſſit deſtruere abſque nouo maleficio.

CAPVT XIII.

De impedimento ex defectu Parochi, & teſtium.

DVBIVM I.

Vtrùm defectus Parochi, vel teſtium, ſit impedimentum dirimens?

199 Ante Tridentinum ſolùm erat impediens

Dico Primò: Ante Concilium Tridentinum abſentia Parochi & teſtium non erat impedimentum dirimens, erat tamen impedimentũ impediens. Prior Pars eſt certa. Nam ante Con-

Google

citum Tridentinum matrimonia clandeſtina ſine teſtibus contracta, fuerunt vera matrimonia; vt patet ex eodem Concilio ſeſſ. 24. cap. 1. *de Reformatione matrimonij*, vbi illud ſub anathemate definitur. Altera Pars patet: Quia ille modus contrahendi erat prohibitus ab Eccleſia, vt patet ex toto titulo *de Clandeſtina deſponſatione*.

eſt iam dirimens. Dico Secundò: Abſentia Parochi & teſtium eſt impedimentum dirimens, ita vt ſi non adſit Parochus, vel aliquis Sacerdos ab eo vel ab Ordinario habens licentiam, contractus ſit irritus. Similiter ſi non adſint ſaltem duo teſtes. Patet ex Concilio Tridentino ſeſſ. 24. cap. 1. vbi ſic dicitur; *Qui aliter, quàm præſente Parocho, vel alio Sacerdote de ipſius Parochi ſeu Ordinarij licentia, & duobus vel tribus teſtibus, matrimonium contrahere attentabunt, eos ſancta Synodus ad ſic contrahendū omnino inhabiles reddit: & huiuſmodi contractus irritos & nullos eſſe decernit, prout eos præſenti decreto irritos facit & annullat.* Circa quæ verba.

200 Parochus debet eſſe Sacerdos. Nota Primò: Non eſſe neceſſe vt Parochus ſit Sacerdos; ſufficit, vt ſit verè Parochus, habens titulum & ius Parochi, etſi tantùm habeat primam tonſuram: quia Concilium generatim loquitur. Si tamen Parochus committat alteri, vt nomine ipſius adſit matrimonio, ille debet eſſe Sacerdos, vt colligitur ex verbis Concilij.

201 Debet eſſe proprius Parochus. Nota Secundò: Debere eſſe proprium Parochum alterius partis; ſiue ſponſi, ſiue ſponſæ: & hoc ſatis eſt, vt declararunt Cardinales. Vnde ſi aliqui, ne à ſuo Parocho impediantur, dolosè cōferant ſe in aliam ciuitatem, animo reuertendi poſtquam contraxerint, non eſt matrimonium; vt recte Nauarrus lib. 4. Conſiliorum tit. 3. Conſilio 2. Idem dicendum ſi bona fide contrahant alibi: vt v. g. quia id eis eſt commodius, cò quòd ibi tunc verſentur. Si tamen propria Parochia procul abeſſet, & illi non eſſent breui reuerſuri, puto illos poſſe vti Parocho loci, bona fide: non enim videtur conſentaneū, vt teneantur diu expectare, aut procul ire. Licētia etiam petita à proprio per literas non debet; quia non eſt ipſius cōcedere licentiam extra ſuum locum; vt recte Nauarrus lib. 4. tit. 1. Conſilio 47.

Non debet ſponte adſtare. Nota Tertiò: Non eſſe neceſſarium, vt Parochus ſpōtè adſit, vel ob hunc finem; ſed ſufficit eſſe præſentem, & aduertere quid fiat. Idem dicendum de teſtibus. Ita habet declaratio Cardinalium.

202 Parochus ſponſæ nō poteſt aſſiſtere in parochia ſponſi. Nota Quartò: Quando ſponſus & ſponſa ſunt diuerſarum parochiarum, Parochum ſponſæ nō poſſe aſſiſtere in parochia ſponſi, vt habet declaratio Cardinalium: quia non potes in alienū ſubditum in aliena diœceſi ſeu parochia exercere ſpeciem iuriſdictionis externæ. Valet tamen ſi fiat: eſt contra Nauarrum lib. 4. tit. 1. Conſilio 1. quia eſt reuerà Parochus alterius partis.

Contract⁹ hic inualidus non habet vim ſponſaliū. Nota Quintò: Huiuſmodi contractum ſine Parocho vel teſtibus eſſe irritum, vt eſt contractus matrimonij. Dubium tamen eſt, vtrùm non habeat ſaltem vim ſponſalium? Cardinales dicuntur declaraſſe habere vim ſponſaliū ex interpretatione Iuris, quod eſt probabile. Vide Candelabrum, de Sponſalibus num. 20. nam ſimili modo matrimonium impuberum, ſponſalium vim habet. Contrarium tenet Nauarrus cap. 25 num. 44. quia Concilium ait: *Huiuſmodi contractum eſſe irritum & nullum*; id eſt, non ſolùm in ratione matrimonij, ſed etiam in ratione contractus in genere.

Vagabundi. Nota Sextò: Vagabundos, qui nullam certam ſedem habent, poſſe contrahere coram aliquo Parocho oppidi vel loci vbi fuerint: quia ille cēſetur eorum Parochus, vti declarauit Eugenius IV. teſte Caietano Verbo *Abſolutio*. Peregrinos autem ſeu alienigenas in loco alico ad breue tēpus habitantes, ita vt non cenſeantur vagabundi, debere adhibere Parochū in cuius parochia habitant: is enim cenſetur proprius eorum Parochus; quod etiam declarauit Congregatio Cardinalium. Peregrini.

Teſtes. Nota Septimò: Loco teſtium ſufficere patrem & matrem ſponſi aut ſponſæ, vel alios quoſuis viros aut feminas, conſanguineos aut extraneos. Quia Concilium loquitur generatim de teſtibus. Docet hoc Couarruuias de Sponſalibus parte 2. cap. 8. §. 12. nu. 8. Aduerte tamen, non ſufficere ſi matrimonium contrahatur coram Parocho & vno tantùm teſte: quia Concilium requirit vt minimum duos teſtes præter Parochum: adeoque matrimonium erit irritum.

DVBIVM. II.

Quidnam requiratur, vt prædictum decretum Concilij vim habeat?

203 RESpondeo: Requiri duo vt decretum illud vim habeat. Alterum eſt, vt ſit promulgatū in illa parochia, vbi contractus celebratur. Alterum, vt à promulgatione elapſi ſint dies 30. Ita habetur cap. 1. ſeſſ. 24. Vnde

1 Infertur Primò: Si in parochia S. Petri promulgatum hoc decretum non eſſet, etiamſi in S. Michaēlis eſſet, non irritaret matrimonia, quæ in S. Petri celebrantur.

Differētia huius decreti ab alijs decretis Tridentini. Infertur Secundò: Hoc decretum multis in locis eſſe promulgatum, vbi tamen Concilium Tridentinum non eſt promulgatum. Nam multū differt huius decreti promulgatio à promulgatione aliorum. Alia enim non debent promulgari in ſingulis parochijs, ſed ſufficit vt in Eccleſia cathedrali promulgentur; neque opus eſt expectare 30. dies vt *vim habeant*; neque requiritur vt ſæpiùs promulgentur, ſicut Concilium iubet promulgari hoc decretum: quanquam abſolutè non ſit neceſſarium, vt ſæpè promulgetur. Reliqua, quæ ad promulgationes pertinent, & ad pœnas eorum Sacerdotum, qui hoc decretum Concilij non ſeruāt, vide in ipſo Concilio ſeſſ. 26. cap. 1. quæ difficultatem non habent.

CAPVT XIV.

De impedimentis impedientibus, non dirimentibus.

DVBIVM. I.

Quænam impedimenta reddant matrimonium illicitum, ſic tamen vt non dirimant?

204 quatuor genera Voti. RESpondeo: Varia eſſe matrimonij impedimenta, quæ illud illicitum reddunt, ſic tamen vt non dirimant. Primò, Sunt quatuor genera votorum: ſcilicet, Votum ſimplex caſtitatis, Votum Religionis, Votum ſuſcipiendi ſacros Ordines, & votum non nubendi. Patet ex cap. *Meminimus*. & cap. *Conſuluit*. & Cap *Rurſus*. tit. qui clerici vel vouētes. Vide dicta ſuprà c. 9. De impedimento voti.

Spōſalia. Secundò, ſponſalia cum vna perſona contracta, reddunt matrimonium illicitum cum alia:

Digitized by Google

ficati promiſſio huius equi facta Petro, efficiat, vt illicite eundem promittam Paulo.

Interdictum. Tertiò, Interdictum Eccleſiaſticum: de quo diximus ſuprà cap. 2. de Interdicto n. 8. Aduerte, Prohiberi nuptias à 1. Dominica Aduentus vſque ad Epiphaniam incluſiuè: & à die Cinerum, ad octauam Paſchæ. Ita Concilium Trid. ſeſſ. 24. c. 10. Sine ſolemnitate tamen liceret his temporibus contrahere & cõſummare. Ita nauar. c. 22. nu. 71. & Caiet. Verbo *Matrimonium*, quia Conc. Trid. ſolùm prohibet ſolemnitates illis temporibus, quæ continent benedictionem in Miſſa & ſolemnem traductionẽ in domum. Addo, etiam alijs temporibus conſummare ante benedictionem non eſſe peccatum: Quia Concilium Trid. ſolùm hortatur contrahentes, vt benedictionem ſuſcipiant ante conſummationem.

Tempus ſacrum

Cognatio ex Catechiſmo. Quartò, Cognatio quædam ſpiritualis orta ex Catechiſmo reddit matrimonium illicitum. Patet ex Cap. *Per Catechiſmum*, de Cognatione in 6. Huiuſmodi cognationem docet Nauar. c. 22. n. 72. eſſe reſtrictã inter catechizantem & catechizatum, eiuſque parentes, ſicuti reſtricta eſt cognatio ſpiritualis ex Baptiſmo & Confirmatione.

excõmunicatio. Quintò, Excõmunicatio maior & minor: quia hæ impediunt ſuſceptionem Sacramentorum, inter quæ eſt matrimonium.

Pœnitẽtia publica. Sextò, Pœnitentia ſolemnis: par enim eſt vt qui eam fecit, totâ vitâ luctum præſeferat. Patet Can. *Antiqui.* & can. *De bis verò*, 23. quæſt. 2. Vide quæ diximus ſuprà quæſt. 90. art. 4. num. 9. vbi 12. pœnas publicè pœnitentium retulimus.

Denique adde ſex crimina. Primũ eſt, Inceſtus: videlicet cùm quis peccat cum cõſanguinea vxoris: & etiam ſecundùm Nauarrum cap. 22. numero 75. cùm quis peccat cum cõſanguinea propria: ita enim ait habere ſtilum curiæ Romanæ. Quod intellige, ſi peccet vxore viuente: nam ſi eã mortuã cognoſcat cõſanguineam, ſiue ſuam, ſiue ſuæ vxoris, non facit iniuriam matrimonio, ob quam hoc impedimentum eſt inſtitutum.

205 Sex crimina. Inceſtus.

Vxoricidium. Secundùm crimen eſt vxoricidiũ: ſi videlicet quis occidat ſuam vxorem, vt poſſit aliam ducere. Sin autem alia de cauſa occidat, non incurrit hoc impedimentum.

Petes: An liceat vxorem in adulterio deprehenſam occidere? Reſpõdeo: Non licere, ſed eſſe homicidam, qui id facit ſua propria auctoritate. Si autem tradatur viro, tanquam miniſtro legũ, non incurrit impedimentum, nec crimen vllum. De qua re fuſiùs egimus lib. 2. de Iuſt. & Iure cap. 9. dub. 5.

Presbytericidium. Tertium eſt, Presbytericidium, Capitulo *Qui Presbyterum*, de Pœnitentijs & remiſſionibus.

Raptus ſponſæ. Quartum eſt, Raptus alienæ ſponſæ: qui enim rapit alterius ſponſam, cum nulla poteſt cõtrahere; vt habetur Cap. *Statutum*, 27 q. 2.

Baptiſmus Quintum eſt, Proprii filij de ſacro fonte ſuſceptio, vel baptizatio malitioſè facta à coniugi, ne teneatur cõiugi reddere debitum. De hac re quid ſentiendum ſit, vide quæ diximus ſuprà qu. 67. art. 8. num 12.

Coniugium cum moniali. Sextum eſt, Coniugium cum moniali ſcienter initum: vt patet Cap. *Si ergo*, 27. qu. 1.

DVBIVM. II.

Vtrùm cum votis ſupradictis contrahere, ſit peccatum mortale.

106 REſpondeo Primò: Certum eſt, contrahere cum voto non nubendi, eſſe peccatum mortale. Vbi tamen talis cõtraxerit, ad nihil amplius tenetur, ſi nihil amplius vouit.

Dico Secundò: Etiam cum alijs votis contrahere animo conſũmandi matrimonij, eſt peccatum mortale, vt patet; quia eſt directè contra votum.

Petes: Quid ſi contraxerit cum animo ingrediendi Religionem ante conſummationem? Caietanus Verbo *Matrimonium* tenet non peccare. Idem tenet Angelus.

Peccat qui contrahit cũ animo impediẽdi religionẽ. Contrarium tenet Nauarrus cap. 22. num. 73. Siluester V. *Matrimonium* 7. qu. 5. Sotus diſt. 38. quæſt. 2. art. 2. Et hoc tenendum: quia eſt contra Canones; vt patet ex Cap. *Meminimus.* & Cap. *Conſulimus.* & Cap. *Rurſus* tit. *Qui clerici, vel venientes.* Ratio eſt: quia exponit ſe periculo conſummandi, & patiendi repulſam à religione. Deinde facit iniuriam coniugi, quæ non tam facilè inueniet maritũ ob ſuſpicionem copulæ. Si tamen nihil ſubſit incommodi, non videtur eſſe peccatum, præſertim ſi aliqua ſit iuſta cauſa cõtrahendi; vt v. g. ſi iuraſſet ſe ductum Catharinam, & illa monita nollet diſſoluere ſponſalia.

DVBIVM III.

Quis poſſit in his impedimentis diſpenſare, vt licitè poſſit contrahi matrimonium?

107 REſpõdeo: Epiſcopus poteſt in omnibus diſpenſare, præterquã in ſponſalibus cum alio contractis: nam hoc cederet in iniuriam tertij; & præterquam in voto caſtitatis, & Religionis, quæ reſeruantur Pontifici. In cæteris impedimẽtis, vt in cognatione ex Catechiſmo, & in ſex criminibus, vbi non eſt conſuetudo diſpenſationem petendi, non eſt peccatum mortale ſine diſpenſatione cõtrahere; vt docet Nauarr. cap. 22. n. 85. Adde, ne veniale quidem eſſe, vbi eſt cõſuetudo quia conſuetudo habet vim abrogandi omnem legis obligationem.

FINIS.

Digitized by Google

INDEX QVÆSTIONVM ARTICVLORVM ET DVBIORVM.

QVÆSTIO LX.
De Eſſentia Sacramenti.
In octo Articulos diuiſa.

Art. 1. VTrùm Sacramentum ſit in genere ſigni. 534.
Art. 2. *Vtrum omne ſignum rei ſacræ ſit Sacramentum.* ibid.
Art. 3. *Vtrùm Sacramentum ſit ſignum vnius rei tantùm.* ibid.
Art. 4. *Vtrum omne Sacramentum ſit res ſenſibilis.* ibid.
Dub. *Quæ ſit integra Sacramenti ratio & definitio.* ibid.
Art. 5. *Vtrùm requirantur determinatæ res ad Sacramenta.* 537
Art. 6. *Vtrùm in ſignificatione Sacramentorum requirantur verba.* 538
Dub. *Vtrùm omnia Sacramenta conficiantur rebus & verbis.* ibid.
Art. 7. *Vtrùm requirantur determinata verba.* ibid.
Dub. 1. *Qualia verba in Sacramentis requirantur.* ibid.
Dub. 2. *Vtrùm res, & verba in Sacramentis ſe habeant inſtar materiæ & formæ.* 540
Art. 8. *Vtrùm liceat aliquid addere verbis ſacramentalibus.* ibid.
Dub. 1. *Quot modis fiat mutatio in forma.* ib.
Dub. 2. *Quando intentio Miniſtri vitiet Sacramentum.* 541

QVÆSTIO LXI.
De neceſſitate Sacramentorum.
In quatuor Articulos Diuiſa.

Art. 1. *Vtrùm Sacramenta ſint neceſſaria ad humanam ſalutem.* 542
Art. 2. *Vtrùm ante peccatum fuerint homini Sacramenta neceſſaria.* ibid.
Art. 3. *Vtrum poſt peccatum ante Chriſtũ debuerint eſſe Sacramenta.* 543
Art. 4. *Vtrum poſt Chriſtum debuerint eſſe aliqua Sacramenta.* ibid.

QVÆSTIO LXII.
De principali effectu Sacramentorum, qui eſt gratia.
In ſex Articulos diuiſa.

Art. 1. *Vtrùm Sacramenta ſint cauſa gratiæ.* 544
Dub. 1. *Vtrùm Sacramenta aliquando conferant primam gratiam iuſtificationis* 545
Dub. 2. *Quando Sacramenta conferant gratiam.* ibid.
Art. 2. *Vtrum gratia Sacramentalis aliquid addat ſuper gratiam virtutum & donorum.* 546
Art. 3. *Vtrum ſacramẽta nouæ legis contineant gratiam.* 547
Art. 4. *Vtrum in ſacramentis ſit aliqua virtus gratiæ cauſſatiua.* ibid.
Art. 5. *Vtrum ſacramenta nouæ legis habeant virtutem ex Chriſti paſſione.* 549
Art. 6. *Vtrum ſacramenta veteris legis gratiam cauſarint.* ibid.

QVÆSTIO LXIII.
De effectu Sacramentorum qui eſt Character.
In ſex Articulos diuiſa.

Art. 1. & 6. *Vtrum ſacramenta imprimant Characterem, & quænam ex illis.* 549
Art. 2. *Vtrum Character ſit ſpiritualis poteſtas.* 550
Art. 3. *Vtrum Character ſacramentalis ſit Character Chriſti.* ibid.
Art. 4. *Vtrum Character ſit in potentijs animæ ſicut in ſubiecto.* 551
Art. 5. *Vtrum Character inſit animæ indelebiliter.* ibid.

QVÆSTIO LXIV.
De Miniſtro Sacramenti.
In decem Articulos diuiſa.

Art. 1. *Vtrum ſolus Deus operetur interius ad effectum ſacramenti.* 552
Art. 2. *Vtrum ſacramenta ſolùm ſint ex inſtitutione diuinâ.* ibid.
Art. 3. *Vtrum Chriſtus, vt homo, habuerit poteſtatem operandi interiorem effectum ſacramentorum.* 553
Art. 4. *Vtrum potuerit Chriſtus ſuam poteſtatem miniſtris communicare.* ibid.
Art. 5. *Vtrum per malos miniſtros poſſint ſacramẽta conferri.* ibid.
Art. 6. *Vtrum mali adminiſtrantes ſacramenta peccent.* 554
Dub. 1. *Vtrum peccator adminiſtrans ſacramentum in extremâ neceſſitate peccet mortaliter.* 555
Dub. 2. *An liceat interdum à miniſtris peccatoribus ſacramentum ſuſcipere, ſi nouerit ſtatum illorum.* ibid.
Dub. 3. *An liceat aliquando accipere ſacramenta à miniſtro præciſo ab Eccleſia per excommunicationem, aut ſuſpenſionem.* 556
Art. 7. *Vtrum Angeli poſſint ſacramenta miniſtrare.* ibid.
Art. 8. *Vtrum intentio miniſtri ſit neceſſaria ad perfectionem ſacramenti.* 557
Dub. 1. *Vtrum efficiatur ſacramentum, ſi in miniſtro ſint intentiones aliquo modo contrariæ.* 558
Dub. 2. *Qualis intentio requiratur.* ibid.
Art. 9. *Vtrum fides miniſtri ſit de neceſſitate ſacramenti.* 559
Art. 10. *Vtrum intentio recta miniſtri requiratur ad perfectionem ſacramenti?* 560

QVÆSTIO LXV.
De numero Sacramentorum.
In quatuor Articulos diuiſa.

Art. 1. *Vtrum debeant eſſe ſeptem ſacramenta Eccleſiæ.* 560
Art. 2. *Vtrum ſacramenta conuenienter ordinentur ſecundùm modum prædictum.* 561
Art. 3. *Vtrum ſacramentum Euchariſtiæ ſit potiſſimum.* 562
Art. 4. *Vtrum omnia ſacramenta ſint ad ſalutem neceſſariam.* ibid.

De Sacramentis in ſpecie.

DE BAPTISMO

QVÆSTIO LXVI.
Quantum ad ea quæ ad ipſum Baptiſma pertinent.
In duodecim Articulos diuiſa.

Art. 1. *Vtrùm Baptiſmus ſit ablutio.* 562
Dub. 1. *Quid ſit Baptiſmus.* ibid.
Dub. 2. *Vtrum iſta ablutio conſiſtat in actione an in paſſione.* 563
Art. 2. *Vtrum Baptiſmus ſit inſtituendus poſt Chriſti Paſſionem*

Digitized by Google

Bacteria, 1:1–2
  Archaea, 1:2
  Bacteroidetes, 1:2
  Chlamydiae, 1:2
  Cyanobacteria, 1:2
  Deinococcus-Thermus, 1:2
  Fibrobacteres, 1:2
  Firmicutes, 1:2
  Fusobacteria, 1:2
  Gram-negative, 1:2
  Gram-positive, 1:2
  Planctomycetes, 1:2
  Proteobacteria, 1:2
  Spirochaetes, 1:2
  Verrucomicrobia, 1:2
Bacteroidetes, 1:2
Bats, 1:2–3
  echolocation, 1:3
  flight, 1:3
  habitat, 1:3
  hibernation, 1:3
  migration, 1:3
  reproduction, 1:3
Bears, 1:3–4
  habitat, 1:3
  hibernation, 1:3
  reproduction, 1:3
Bees, 1:4–5
  colony, 1:4
  communication, 1:4
  habitat, 1:4
  reproduction, 1:4
Beetles, 1:5–6
  habitat, 1:5
  reproduction, 1:5
Behavior, 1:6–7
  aggression, 1:6
  communication, 1:6
  courtship, 1:6
  habitat, 1:6
  migration, 1:6
  reproduction, 1:6
Bilateria, 1:7–8
  Acoelomorpha, 1:7
  Annelida, 1:7
  Arthropoda, 1:7
  Brachiopoda, 1:7
  Chaetognatha, 1:7
  Chordata, 1:7
  Cnidaria, 1:7
  Ctenophora, 1:7
  Echinodermata, 1:7
  Hemichordata, 1:7
  Mollusca, 1:7
  Nematoda, 1:7
  Nematomorpha, 1:7
  Nemertea, 1:7
  Platyhelminthes, 1:7
  Porifera, 1:7
  Rotifera, 1:7
Birds, 1:8–9
  habitat, 1:8
  migration, 1:8
  reproduction, 1:8
Bivalves, 1:9–10
  habitat, 1:9
  reproduction, 1:9
Brachiopoda, 1:10
Bryophytes, 1:10–11
  Anthocerotophyta, 1:10
  Bryophyta, 1:10
  Marchantiophyta, 1:10
Butterflies, 1:11–12
  habitat, 1:11
  reproduction, 1:11
Cacti, 1:12–13
  habitat, 1:12
  reproduction, 1:12
Camels, 1:13–14
  habitat, 1:13
  reproduction, 1:13
Carnivores, 1:14–15
  habitat, 1:14
  reproduction, 1:14
Cats, 1:15–16
  habitat, 1:15
  reproduction, 1:15
Cattle, 1:16–17
  habitat, 1:16
  reproduction, 1:16
Cephalopods, 1:17–18
  habitat, 1:17
  reproduction, 1:17
Chaetognatha, 1:18
Chlamydiae, 1:18
Chordata, 1:18–19
  Cephalochordata, 1:18
  Tunicata, 1:18
  Vertebrata, 1:18
Cnidaria, 1:19–20
  Anthozoa, 1:19
  Hydrozoa, 1:19
  Scyphozoa, 1:19
Conifers, 1:20–21
  habitat, 1:20
  reproduction, 1:20
Crabs, 1:21–22
  habitat, 1:21
  reproduction, 1:21
Crustaceans, 1:22–23
  habitat, 1:22
  reproduction, 1:22
Ctenophora, 1:23
Cyanobacteria, 1:23–24
Deer, 1:24–25
  habitat, 1:24
  reproduction, 1:24
Deinococcus-Thermus, 1:25
Dinosaurs, 1:25–26
  habitat, 1:25
  reproduction, 1:25
Dogs, 1:26–27
  habitat, 1:26
  reproduction, 1:26
Echinodermata, 1:27–28
  Asteroidea, 1:27
  Crinoidea, 1:27
  Echinoidea, 1:27
  Holothuroidea, 1:27
  Ophiuroidea, 1:27
Elephants, 1:28–29
  habitat, 1:28
  reproduction, 1:28
Fibrobacteres, 1:29
Fish, 1:29–30
  habitat, 1:29
  reproduction, 1:29
Flowering plants, 1:30–31
  habitat, 1:30
  reproduction, 1:30
Fungi, 1:31–32
  Ascomycota, 1:31
  Basidiomycota, 1:31
  Chytridiomycota, 1:31
  Glomeromycota, 1:31
  habitat, 1:31
  reproduction, 1:31
  Zygomycota, 1:31
Fusobacteria, 1:32
Gram-negative, 1:32
Gram-positive, 1:32
Hemichordata, 1:32–33
Horses, 1:33–34
  habitat, 1:33
  reproduction, 1:33
Insects, 1:34–35
  habitat, 1:34
  reproduction, 1:34
Lizards, 1:35–36
  habitat, 1:35
  reproduction, 1:35
Mammals, 1:36–37
  habitat, 1:36
  reproduction, 1:36
Mollusca, 1:37–38
  Bivalvia, 1:37
  Cephalopoda, 1:37
  Gastropoda, 1:37
Nematoda, 1:38
Nematomorpha, 1:38
Nemertea, 1:38–39
Pigs, 1:39–40
  habitat, 1:39
  reproduction, 1:39
Planctomycetes, 1:40
Platyhelminthes, 1:40–41
  Cestoda, 1:40
  Monogenea, 1:40
  Trematoda, 1:40
Porifera, 1:41–42
  Calcarea, 1:41
  Demospongiae, 1:41
  Hexactinellida, 1:41
Primates, 1:42–43
  habitat, 1:42
  reproduction, 1:42
Proteobacteria, 1:43
Reptiles, 1:43–44
  habitat, 1:43
  reproduction, 1:43
Rodents, 1:44–45
  habitat, 1:44
  reproduction, 1:44
Rotifera, 1:45
Sharks, 1:45–46
  habitat, 1:45
  reproduction, 1:45
Snakes, 1:46–47
  habitat, 1:46
  reproduction, 1:46
Spirochaetes, 1:47
Verrucomicrobia, 1:47
Whales, 1:47–48
  habitat, 1:47
  reproduction, 1:47

quatur ſuum effectum. 593
Dvb. 1. Vtrum recedente fictione baptiſmus totum effectum conferat, quem contuliſſet ſi fictio non interceſſiſſet. ibid.
Dvb. 2. Quis actus neceſſarius eſt ad tollendam fictionem (id eſt, indiſpoſitionem negatiuam, vel contrariam) vt baptiſmus effectum ſuum habeat. 594
Dvb. 3. Vtrum ſolius baptiſmi ſit proprium vt eius effectus redeat. 595

QVÆSTIO LXX.
De Circumciſione.

Art. 4. Vtrùm Circumciſio gratiam iuſtificantem contulerit. ibid.

QVÆSTIO LXXI.
De Cæremoniis Baptiſmi.
Vtrùm Cæremoniæ Baptiſmi ſint recipiendæ, & quam vim habeant 598

QVÆSTIO LXXII.
De Confirmatione.
In duodecim Articulos diuiſa.

Art. 1. Vtrum Confirmatio ſit ſacramentum. 600
Dvb. Quando hoc ſacramentum ſit inſtitutum. 601
Art. 2. Vtrum Chriſma ſit conueniens materia huius ſacramenti. 602
Art. 3. Vtrum ſit de neceſſitate huius ſacramenti, vt chriſma fuerit ab Epiſcopo conſecratum. 603
Dvb. 1. Vtrum hæc benedictio, ſeu conſecratio Chriſmatis ſit de neceſſitate ſacramenti. 604
Dvb 2. An hæc benedictio neceſſariò fieri debeat ab Epiſcopo. ibid.
Art. 4. Vtrum hæc ſit conueniens forma confirmationis: Conſignate ſigno Crucis, &c. ibid.
Art. 5. Vtrum ſacramentum confirmationis imprimat character. 605
Art. 6. Vtrum character confirmationis præſupponat characterem baptiſmi. ibid.
Art. 7. Vtrum per ſacramentum Confirmationis conferatur gratia gratum faciens. ibid.
Dvb. 1. Vtrum Confirmatio det maiorem gratiam, quàm baptiſmus. ibid.
Dvb. 2. Quæ diſpoſitio requiratur ad gratiam huius ſacramenti. 606
Art. 8. Vtrum hoc ſacramentum ſit omnibus exhibendum. ibid.
Dvb. 1. Vtrum hoc ſacramentum ſit conferendum Infantibus ante vſum rationis. ibid.
Dvb 2. Vtrum confirmatio ſit præcepti, an conſilij tantùm. ibid.
Art. 9. Vtrum hoc Sacramentum ſit conferendum in fronte. 607
Art. 10 Vtrum is qui confirmatur debeat teneri ab aliquo. 608
Art. 11. Vtrum ſolus Epiſcopus hoc ſacramentum conferre poſſit. ibid.
Dvb. Vtrùm Summus Pontifex collationem Confirmationis poſſit Presbyteris delegare. ibid.
Art. 12. Vtrum ritus cuius ſacramenti ſit conueniens. 609

QVÆSTIO. LXXIII.
De SS. Sacramento Euchariſtiæ,
In Sex Articulos diuiſa.

Art. 1. Vtrum Euchariſtia ſit Sacramentum. ibid.
Dvb. Cum quatuor concurrant ad Euchariſtiam, ſcilicet, Verba conſecrationis, Species panis & vini, Corpus Chriſti, & eius Sumptio, quidnam ex his propriè ſit Sacramentum Euchariſtiæ. 610
Art. 2. An hoc ſacramentum ſit vnum Sacramentum an plura. 611
Art. 3. Vtrum Euchariſtia ſit de neceſſitate ſalutis. 612
Dvb. Vtrum verè Euchariſtia ſit medium ad ſalutem neceſſarium in re, vel in voto, ſicut baptiſmus omnibus eſt neceſſarius, & pœnitentia relapſis. ibid.
Art. 4. Vtrum conuenienter pluribus nominibus hoc ſacramentum nominetur. 613
Art. 5. Vtrum inſtitutio huius Sacramenti fuerit conueniens. ibid.
Art. 6. Vtrum Agnus paſchalis fuerit præcipua figura huius ſacramenti. 614

QVÆSTIO. LXXIV.
De materia Euchariſtiæ quantum ad ſpeciem.
In Octo Articulos diuiſa,

Art. 1. Vtrum materia huius ſacramenti ſit panis, & vinum. ibid.
Art. 2. Vtrum requiratur determinata quantitas panis, & vini. 615
Dvb. 1. Vtrum quantumuis parua quantitas poſſit conſecrari. ibid.
Dvb. 2. Quæ preſentia materiæ requiratur vt poſſit conſecrari. ibid.
Dvb. 3. Vtrum miniſter mente debeat determinare id, quod conſecrandum eſt. ibid.
Art. 3. Vtrum requiratur vt ſit panis triticeus. 616
Dvb. 1. Vtrum panis ex ſecali, ſpelta, amylo, ſit conſecrabilis. ibid.
Art. 4. Vtrum debeat eſſe panis azimus. ibid.
Art. 5. Vtrum vinum vitis ſit propria materia huius ſacramenti. 619
Art. 6. An aqua ſit vino miſcenda. ibid.
Art. 7. Vtrum permixtio aquæ ſit de neceſſitate huius ſacramenti. ibid.
Art. 8. Vtrum aqua debeat in magna quantitate apponi. 620
Dvb. Vtrum ſi ante conſecrationem aqua nondum ſit mutata in vinum, conuertatur in ſanguinem ſicut vinum. ibid.

QVÆSTIO. LXXV.
De Conuerſione panis & vini, in Corpus & Sanguinem Chriſti.
In octo Articulos diuiſa.

Art. 1. Vtrum in Euchariſtia ſit verè corpus Chriſti, an ſolùm ſicut in ſigno. 621
Art. 2. Vtrum poſt conſecrationem remaneat ſubſtantia panis, & vini in ſacramento. 630
Dvb. 1. Vtrum maneat exiſtentia panis, vel etiam gradus aliquis ſubſtantialis. 633
Dvb. 2. Vtrum ſi ſubſtantia panis non conuerteretur in corpus Chriſti, ſed maneret, poſſet ibidem poni corpus Chriſti per diuinam potentiam. ibid.
Art. 3. Vtrùm ſubſtantia panis & vini per conſecrationem annihiletur. 634
Art. 4. Vtrum panis poſſit conuerti in corpus Chriſti. 635
Dvb. 1. Qua actione fiat hæc cõuerſio, & quis ſit formalis terminus huius actionis. ibid.
Dvb. 2. Quomodo differat hæc actio à creatione, ſeu actione creatiua. 637
Dvb. 3. Vtrùm Deus rem quamuis poſſit cõuertere in aliud. 638
Art. 5. Vtrùm remaneant accidentia panis, & vini poſt conuerſionem. ibid.
Art. 6. Vtrùm facta conſecratione remaneat in hoc ſacramento forma ſubſtãtialis panis. ibid.
Art. 7. Vtrùm illa conuerſio fiat in inſtanti. 639

Digitized by Google

ART. 8. *Vtrum hæc sit falsa*, Ex pane fit corpus Christi. ibid.

QVÆSTIO. LXXVI.

De modo quo Christus est in hoc Sacramento.

In Octo Articulos diuisa.

ART. 1. & 2. *Vtrum totus Christus sit in hoc sacramento sub vtrauis specie.* ibid.

DVB. 1. *Quid præcisè includit corpus quatenus est hic ex vi verborum.* 640

DVB. 2. *Vtrum Verbum diuinum sit in Eucharistiâ per concomitentiam, an ex vi verborum.* 641

ART. 3. *Vtrum totus Christus sit sub quâlibet parte specierum panis, & vini.* ibid.

ART. 4. *Vtrum quantitas dimensiua corporis Christi sit in hoc Sacramento.* 642

DVB. 1. *Vtrum quantitas, & cetera accidentia sint in Eucharistia concomitanter.* 644

DVB. 2. *Quomodo intelligendum sit, quod ait D. Thomas quantitatem corporis Christi existere sub singulis partibus hostiæ, eò quòd sit ibi concomitenter.* ibid.

ART. 5. *Vtrum corpus Christi sit in hoc Sacramento, sicut in loco.* ibid.

DVB. 1. *Vtrum saltem respectu spatij sit velut in loco? spatium enim manet immobile dum transfertur corpus Christi, sicut locus manet immobilis dum transfertur locatum.* ibid.

DVB. 2. *Vtrum sit hîc circumscriptiuè, an definitiuè.* ibid.

ART. 6. *Vtrum Christi corpus sit mobiliter in hoc sacramento.* 646

DVB. 1. *A quo moueatur corpus Christi, dum mouentur species.* ibid.

DVB. 2. *Vtrum mutatio facta in corpore Christi, quatenus est in Eucharistia, etiam fiat in illo, vt est in cœlo, vel contrà? Idem quæri potest de omni corpore existente in duobus locis.* ibid.

DVB. 3. *Vtrum corpus Christi vt est in Eucharistia possit ad causis naturalibus immutari alia mutatione, quam motu locali.* 646.

DVB. 4. *Quomodo corpus Christi desinat esse in Eucharistia.* 647

ART. 7. *Vtrum corpus Christi prout est in hoc sacramento, possit videri ab aliquo oculo saltem glorificato.* ibid.

DVB. 1. *An saltem intellectu possit conspici hoc corpus, & quomodo.* 648

DVB. 2. *Vtrum Christus possit, videre in sacramento oculo corporali ea quæ circumstant hostiam, vel alias operationes sensuum, aut intellectus habere.* ibid.

ART. 8. *Vtrum quando in hoc sacramento miraculosè apparet caro, vel puer, sit ibi corpus Christi.* ibid.

QVÆSTIO. LXXVII.

De remanentibus accidentibus in Sacramento.

In Octo Articulos diuisa.

ART. 1. *Vtrum accidentia remaneant sine subiecto in hoc Sacramento.* 649

DVB. 1. *Quomodo possit fieri, vt accidens sit sine subiecto, cum accidentis esse sit inesse, & accidens omne debeat indiuiduari à subiecto.* ibid.

DVB. 2. *Vtrum vt accidens per se existat, debeat illi addi aliquis modus positiuus, qui sit veluti subsistentia per se.* ibid.

ART. 2. *Vtrum quantitas panis, & vini sit aliorum accidentium subiectum.* 650

ART. 3. *Vtrum species possint aliquid extrinsecum immutare.* 651

ART. 4. *Vtrum species possint corrumpi.* ibid.

ART. 5. & 6. *Vtrum ex speciebus sacramentalibus possit aliquid generari, vel nutriri.* ibid.

ART. 7. *Vtrum species sacramentales frangantur.* 652.

ART. 8. *Vtrum aliquis liquor vino consecrato possit admisceri.* ibid.

QVÆSTIO LXXVIII.

De forma Sacramenti Eucharistiæ.

In Sex Articulos diuisa.

ART. 1. *Vtrum hæc sit forma huius sacramenti*, Hoc est corpus meum. Hic est calix sanguinis mei. 653

DVB. 1. *Vtrum his verbis fiat consecratio ab Ecclesia.* ibid.

DVB. 2. *Vtrum Dominus eisdem verbis consecrauerit, quibus nos.* 654

ART. 2. *Vtrum hæc sit conueniens forma consecrationis panis*, Hoc est corpus meum. 655

ART. 3. *Vtrum hæc sit conueniens forma calicis*, Hic est calix sanguinis mei, &c. ibid.

ART. 4. *Vtrum prædictis verbis insit aliqua vis creata effectiua consecrationis.* 656

ART. 5. *Vtrum prædictæ locutiones sunt veræ.* ibid.

DVB. 1. *Vtrum hæc verba.* Hoc est corpus meum, *dicantur à Sacerdote tantummodò historicè, seu narrando: an etiam affirmando.* 657

DVB. 2. *Vtrum hæc oratio*, Hoc est corpus meum, *operetur quatenus est vera? an alio modo, scilicet quatenus est neutra, id est, neque vera, neque falsa.* ibid.

QVÆSTIO LXXIX.

De Effectibus Sacramenti Euchatistiæ.

DVB. 1. *An hoc sacramentum aliquando conferat primam gratiam? & consequenter an aliquando deleat culpam peccati mortalis.* 658

DVB. 2. *Vtrum eo momento, quo confertur gratia habitualis in Eucharistia, necesse sit habere actualem deuotionem, & non peccare venialiter.* ibid.

DVB. 3. *Quando hoc sacramentum conferat hanc gratiam.* 659

DVB. 4. *Vtrum Eucharistia post manducationem nihil amplius conferat gratiæ habitualis.* ibid.

DVB 5. *De aliis effectibus Eucharistiæ.* ibid.

QVÆSTIO LXXX.

De sumptione huius Sacramenti.

In Duodecim Articulos diuisa.

ART. 4. *Vtrum peccatur sumens corpus Christi sacramentaliter. peccet.* 661

DVB. 1. *Vtrum peccator, qui sibi conscius mortalis peccati, debeat illud confiteri ante communionem, præsertim si omnino existimet se contritum.* ibid.

DVB. 2. *Quando liceat communicare, vel celebrare absque præuia confessione ei, qui sibi conscius est peccati mortiferi.* 662

ART. 5. *Vtrum accedere ad hoc sacramentum cum conscientia peccati mortalis sit grauissimum omnium peccatorum.* 664

ART. 6. *Vtrum Sacerdos debeat denegare Eucharistiã peccatori petenti.* ibid.

ART. 7. *Vtrum nocturna pollutio impediat à communione.* 665

Digitized by Google

ART. 8. *Vtrum cibus, vel potus præſumptus impediat communionem.* ibid.
DVB. *Quænam ſumpta aduerſus malignam auram: Quæ oris abluſio: Quæ ciborum præguſtatio impediant Sacræ Euchariſtiæ ſumptionem.* 666
ART. 9. *Vtrum non habentibus vſum rationis ſit dandum hoc ſacramentum.* ibid.
ART. 10. *Vtrum liceat quotidie hoc Sacramentum ſuſcipere.* 667
ART. 11. *Vtrum omnino liceat à communione abſtinere.* ibid.
DVB. 1. *Quinam obligentur hoc præcepto communionis* ibid.
DVB 2. *Quando obliget hoc præceptum communionis.* 668
ART. 12. *Vtrum liceat corpus Chriſti ſumere ſine ſanguine.* 669
DVB. 1. *Vtrum Communio ſub vtrâque ſpecie iure diuino ſit Laicis præcepta.* ibid.
DVB. 2. *Vtrum ſaltem Sacerdotes teneantur iure diuino ſub vtrâque ſpecie hoc Sacramentum conſecrare & ſumere.* 672

QVÆSTIO LXXXI.
De modo quo Chriſtus vſus eſt hoc Sacramento.
In Quatuor articulos diuiſa.
ART. 1. *Vtrum Chriſtus ſumpſerit corpus ſuum, & ſanguinem.* 672
ART. 2. *Vtrum Chriſtus dederit Iudæ corpus ſuũ.* 677
ART. 3. *Vtrum Chriſtus ſumpſerit & dederit Diſcipulis ſuis Corpus impaſſibile.* ibid.
ART. 4. *Vtrum ſi hoc Sacramentum fuiſſet ſeruatum vel conſecratum in tridio mortis, Chriſtus ibi fuiſſet mortuus.* ibid.

QVÆSTIO LXXXII.
De Miniſtro huius Sacramenti.
Hic tribus Articulis tractata.
ART. 1. *Vtrum conſecrare hoc Sacramentum ſit proprium Sacerdotis.* 673
ART. 2. *Vtrum plures Sacerdotes poſſint eandem hoſtiam conſecrare.* 674
ART. 3. *Vtrum diſpenſatio huius Sacramenti pertineat ad ſolum Sacerdotem.* 675
DVB. *Vtrùm requiratur iuriſdictio ad Euchariſtiæ diſpenſationem.* ibid.

QVÆSTIO LXXXIII.
De ritu huius Sacramenti.
In Sex Articulos diuiſa.
ART. 1. *Vtrùm Chriſtus in hoc Sacramento immoletur.* 676
DVB. 1. *Vtrum omne opus bonum quo Deum honorámus, ſit propriè dictum ſacrificiũ.* ib.
DVB. 2. *Quid ſit ſacrificium propriè dictum.* 677
DVB. 3. *Quotuplex ſit ſacrificium.* 678
DVB. 4. *Vtrum liceat hoc tempore offerre agnũ, vel quid ſimile in ſacrificium.* 679
DVB. 5. *Vtrum Euchariſtia in Eccleſia vere & propriè offeratur in ſacrificium.* ibid.
DVB. 6. *In quibus actionibus conſiſtat hoc ſacrificium.* 683
Qua ratione conſecratio ad eſſentiam huius ſacrificij pertineat. 684
Quæritur, quid ſentiendum de quatuor ſubiectis propoſitionibus. 686
DVB. 7. *Quibus modis hoc ſacrificium ſuum fructum conferat.* 687
DVB. 8. *Quem fructum conferat.* 688
DVB. 9. *Quibus conferat ſacrificium ſuos fructus.* 690
De ijs pro quibus hoc ſacrificiũ offertur. 691
DVB. 10. *Vtrum hoc ſacrificium habeat effectum aliquo modo infinitum* 693
ART. 2. &c. *De requiſitis ad ſacrificiũ Miſſæ.* 694
De Sacerdote. ibid.
De Miniſtrante. 695
De Materia. ibid.
De Tempore. ibid.
De Loco. 696
De Veſtibus & Vaſis ſacris. 697
De Precibus & Ceremonijs. ibid.

De Sacramento Pœnitentiæ.

QVÆSTIO LXXXIV.
De Pœnitentia vt eſt Sacramentum.
In decem Articulos diuiſa.
ART. 1. *Vtrum Pœnitentia ſit Sacramentum.* 698
DVB. 1. *Vtrum in hoc Sacramẽto ſint diſtinguenda illa tria, quæ in alijs pleriſque reperiuntur, ſcilicet* Sacramentum tantũ, res tantum, & res & Sacramentum ſimul. 700
DVB. 2. *Vtrùm verũ ſit quod habet* D. Thomas, Primum eſſe cauſam ſecundi, & ſecundum tertij. ibid.
ART. 2. *Vtrum peccata ſint propria materia huius Sacramenti.* 701
DVB. *Cur in hoc Sacramento non ſit aliqua materia externa corporalis; vt aqua, oleũ panis, ſicut in alijs Sacramentis.* ibid.
ART. 3. *Vtrùm hæc ſit forma huius Sacramenti,* Ego te abſoluo. ibid.
DVB. 1. *Quẽ ſenſum habeat hæc forma.* 702
DVB. 2. *Vtrum verbis abſolutionis poſſit addi aliqua conditio.* 703
ART. 4. *Vtrum impoſitio manuum Sacerdotis ſit neceſſaria.* ibid.
ART. 5. *Vtrum hoc Sacramentum ſit neceſſarium ad ſalutem.* ibid.
ART 6. & 7. *Vtrum pœnitentia ſit ſecũda tabula poſt naufragium? & vtrum hoc Sacramentum fuerit conuenienter in lege noua inſtitutum.* 704
DVB. 1. *Vbi & quando hoc Sacramentum ſit inſtitutum.* ibid.
DVB. 2. *Vtrùm ratio naturalis dictet ſine vllarevelatione, dolorem peccati eſſe neceſſarium, & huius doloris eſſe aliqua edenda ſigna.* ibid.
ART. 8. & 9. *Vtrùm homo debeat vſque ad finẽ vitæ pœnitere, idque continuò.* ibid.
ART. 10 *Vtrùm Sacramentum Pœnitentiæ debeat iterari.* 705

QVÆSTIO LXXXV.
De Pœnitentia, vt eſt virtus.
In Sex Articulos diuiſa.
ART. 1. *Vtrum Pœnitentia ſit virtus.* 705
ART. 2. *Vtrum Pœnitentia ſit virtus ſpecialis,* 706
ART. 3. *Vtrum virtus Pœnitentiæ ſit ſpecies iuſtitiæ,* 708.
ART. 4. *Vtrum Pœnitentia ſit in voluntate, an in appetitu ſenſitiuo.* 709
DVB. 1. *Vtrum in parte ſenſitiuâ non ſit etiã aliquis habitus pœnitentiæ.* ibid.
DVB. 2. *An Pœnitentia ſit ſolùm in peccatoribus.* 719
ART. 5. *Vtrum principium Pœnitentiæ ſit ex timore.* ibid.
ART. 6. *Vtrùm Pœnitentia ſit prima virtutum.* 711

QVÆSTIO LXXXVI.
De effectu Pœnitentiæ quo ad peccatorum mortalium remiſſionem.

Digitized by Google

In Sex Articulos diuiſa.

ART. 1. *Vtrùm omnia peccata mortifera per pœnitẽtiam remitti poſſint.* 712
DVB. *Vtrùm omnes homines poſſint agere pœnitentiam de ſuis peccatis.* ibid.
ART. 2. *Vtrùm ſine pœnitentia peccatum mortiferum poſſit remitti.* ibid.
DVB. 1. *An ſaltem per potentiam Dei abſolutam, qua præter legem ordinatam poteſt operari, poſſit peccatum mortiferum ſine pœnitentia remitti.* 713
DVB 2. *Vtrùm illa pœnitentia, quæ eſt neceſſaria ad remiſſionem peccati mortiferi, requirat expreſſam & formalẽ deteſtationem peccati; ita vt ſine hac peccatum non condonetur.* ibid.
ART. 3. *Vtrùm per pœnitentiam poſſit vnum peccatũ ſine altero remitti.* 714
DVB. *Vtrùm homo poſſit pœnitere de vno peccato, ſic tamen vt non pœniteat de aliis à ſe commiſſis.* 715
ART. 4. *Vtrùm remiſſa culpa per pœnitentiam, maneat reatus pœnæ.* ibid.
ART. 5. *Vtrùm remiſſa culpa mortali, tollantur omnes reliquiæ peccati.* 716
ART. 6. *Vtrùm remiſſio culpæ ſit effectus pœnitentiæ.* ibid.

QVÆSTIO LXXXVII.

De remiſſione venialium peccatorum.

In quatuor Articulos diuiſa.

ART. 1. *Vtrùm peccatum veniale ſine pœnitentia remitti poſſit.* 717
DVB. *Quomodo remittatur culpa venialis, in quaquis ex hac vita diſcedit.* 718
ART. 2. *Vtrùm ad remiſſionem peccati venialis requiratur gratiæ infuſio.* 719
DVB. *Vtrùm quoties gratia homini infunditur, toties etiam peccata venialia remittantur.* ibid.
ART. 3. *Vtrùm peccata venialia remittantur per aſperſionem aquæ benedictæ, & ſimilia.* 720
DVB. *Quæ vi hæc deleant culpas veniales.* ibid.
ART. 4. *Vtrùm peccatum veniale poſſit remitti ſine mortali.* 721

QVÆSTIO LXXXVIII.

De reditu peccatorum per pœnitentiam dimiſſorum.

In quatuor Articulos diuiſa.

ART. 1. *Vtrùm peccata remiſſa redeant per ſequens peccatum.* 722
DVB. *An ſaltem per potentiam abſolutam Dei, fieri poſſit, vt peccata remiſſa integrè redeant,* 723
ART. 2. *Vtrùm peccata dimiſſa redeant per ingratitudinem, quæ peculiari modo eſt in quatuor generibus peccatorum.* 724
DVB. *Vtrùm maius peccatum ſit quod committitur contra innocentiam, an quod contra beneficium remiſſionis peccatorum.* ibid.

QVÆSTIO LXXXIX.

De recuperatione virtutum per pœnitentiam.

DVB. *circa quinque primos articulos. Vtrùm per pœnitentiam reſtituatur homini tota gratia priſtina, & omnia merita quæ habuit priùs.* 724
ART. 6. *Vtrùm opera mortua per pœnitentiam viuificentur.* 727

QVÆSTIO XC.

De partibus pœnitentiæ in generali.

DVB. *circa tres primos articulos. Quot, & quæ ſint partes pœnitentiæ.* 728
ART. 4. *Vtrùm pœnitentia conuenienter dividatur in pœnitentiam ante baptiſmum, & in pœnitentiam poſt baptiſmum.* 729

IN ADDITIONES D. THOMÆ.

QVÆSTIO I.

De Contritione, *Quæ eſt prima pars Sacramenti Pœnitentiæ.*

Quid ſit Contritio.

DVB 1. *Vtrùm contritio eſſentialiter ſit deteſtatio, an dolor.* 730
DVB. 2. *Vtrùm ad contritionem requiratur propoſitum non peccandi imposterum, & quale.* ibid.
DVB. 3. *Vtrùm contritio includat etiã propoſitum confitendi, & ſatisfactionem ex arbitrio Sacerdotis.* 731
DVB. 4. *Quomodo differat contritio proprie dicta ab attritione.* ibid.
DVB. 5. *Vtrùm omnes hæ attritiones ſufficiant, ſaltem cum Sacramento, ad iuſtificationem.* 732
DVB. 6. *Vtrùm attritio in Sacramento pœnitentiæ debeat eſſe exiſtimata contritio à pœnitente.* 733

QVÆSTIO II.

De obiecto Contritionis.

DVB. 1. *Vtrùm ante inſtitutum Sacramentum pœnitentiæ fuerit neceſſaria diſtincta contritio peccatorum mortiferorum.* ibid.
DVB. 2. *Vtrùm poſt inſtitutum Sacramentũ pœnitentiæ ſit neceſſaria particularis contritio.* 734
DVB. 3. *Vtrùm de peccatis oblitis ſit neceſſaria aliqua contritio.* 734

QVÆSTIO. III.

De Cantitate Contritionis.

DVB. 1. *Vtrum contritio debeat eſſe ſummus dolor appretiatiuè.* 735
DVB. 2. *Vtrum de maiori peccato ſit magis dolendum appretiatiuè.* ibid.
DVB. 3. *Vtrum etiam debeat eſſe dolor ſummus intenſiuè in contritione.* 736
DVB. 4. *Vtrum contritio ſaltem requirat aliquam certam perfectionem intenſiuam, vel continuationem vt ſit vera contritio.* 737

QVÆSTIO. IV.

De Tempore Contritionis.

DVB. 1. *Vtrum ſit aliquod præceptum diuinum obligans ad contritionem.* ibid.
DVB. 2. *Quando hoc præceptum obliget.* 738
DVB. 3. *Vtrum peccator teneatur in Paſcha ſe conteri, ſicut tenetur confiteri.* 739

QVÆSTIO. V.

De effectu Contritionis.

DVB *Vtrum contritio poſſit delere peccata & iuſtificare hominem ſine reali perceptione Sacramenti.* 740

QVÆSTIO. VI.

De Confeſſione & eius neceſſitate.

Quæ eſt ſecunda pars Sacramenti Pœnitentiæ

DVB. 1. circa ART. 1. & 2. *Vtrum confeſſio omnium peccatorum mortiferorum, ſit iure diuino neceſſaria ad ſalutem.* 742
DVB. 2. *Vtrum peccata venialia ſint neceſſariò confitenda.* 747
DVB. 3. *Quo loco confeſſio ſit præcepta in S. Scriptura.* ibid.
ART. 3. *Vtrum omnes ad confeſſionem teneantur.* ibid.

Digitized by Google

ART. 4. *Vtrum quis teneatur confiteri peccatum quod non habet.* 748
ART. 5. *Vtrum peccator teneatur ſtatim confiteri.* ibid.
DVB. 1. *Quando præceptum confeſſionis obliget iure diuino.* ibid.
DVB. 2. *Vtrum Eccleſia potuerit tempus confeſſionis determinare? & quo iure.* 749
DVB. 3. *Quodnam ſit illud tempus, quo iure Eccleſiaſtico teneatur confiteri.* ibid.
DVB. 4. *An is qui neque antè tot annos, neque in quadrageſima eſt confeſſus, teneatur poſt tempus Paſchale ſtatim confiteri: an verò poſſit expectare alteram quadrageſimam.* ibid.
DVB. 5. *Vtrum qui probabiliter putat ſe tempore debito non habiturum confeſſorem, teneatur tempus præuenire.* 750
DVB. 6. *Vtrum pueri obligentur hoc præcepto annuæ confeſſionis.* ibid.
DVB. 7. *Vtrum is qui ſolùm habet venialia, teneatur ſingulis annis confiteri.* ibid.
DVB. 8. *Vtrùm Eccleſia poſſit præcipere venialium confeſſionem.* ibid.
ART. 6. *Vtrum poſſit cum aliquo diſpenſari ne confiteatur.* 751

QVÆSTIO VII.
De Miniſtro Confeſſionis.
Circa Articulum 1. & 2.

DVB. 1. *Vtrum Miniſter confeſſionis ſit ſolus Sacerdos.* 251
DVB. 2. *Vtrum in Sacerdote cui ſit confeſſio ſit neceſſaria iuriſdictio.* 752
DVB. 3. *Vtrum Sacerdos hanc iuriſdictionem habeat ex ſua ordinatione, an ab Eccleſia.* ibid.
DVB. 4. *Vtrum fideles priuati, ſua auctoritate poſſint ſe ſubijcere cuiuis Sacerdoti, vt ab eo abſoluantur.* 753
DVB. 5. *Vtrum, vt quis poſſit habere plenã iuriſdictionem ad abſoluendum à peccatis, requiratur approbatio Ordinarij.* 754
DVB. 6. *Vtrum quiuis Sacerdos habeat plenam poteſtatem in venialia? & vide.* 755
DVB. 7. *Vtrum omnes Sacerdotes habeant plenam poteſtatẽ in peccata mortifera, aliàs ritè confeſſa.* ibid.
DVB. 8. *Vtrum quiuis Sacerdos poſſit abſoluere quemuis fidelem in articulo mortis* ibid.
DVB. 9. *An eandem poteſtatem habeant omnes Sacerdotes in periculo mortis: vt dum præſumpt, periculoſa tempeſtas, partus periculoſus.* 756
ART. 4. *Vtrum neceſſe ſit confiteri proprio Sacerdoti.* ibid.
ART. 5. *Vtrum quis ex priuilegio ſuperioris poſſit alteri confiteri.* ibid.
DVB. 1. *Vtrum ratihabitio proprij Sacerdotis ſufficiat vt ſubditus poſſit alteri confiteri.* ibid.
DVB. 2. *An Parochus ſeu proprius Sacerdos teneatur ſemper audire ſuum ſubditum, quando ille vult confiteri.* ibid.
DVB. 3. *Vtrum ob ignorantiam, malitiam, reuelationem confeſſionis proprij Sacerdotis, liceat ſubditis confiteri alteri ſine eius facultate.* 757
DVB. 4. *Quinam poſſint dare poteſtatem alteri confitendi.* ibid.
DVB. 5. *Vtrum ſummus Pontifex poſſit Religioſis dare poteſtatem & iuriſdictionẽ audiendi confeſſiones quorumuis ſecularium, ſine licentia Ordinariorum vel Parochorum, ſic vt pœnitentes non teneantur eadem peccata Parocho confiteri.* ibid.
DVB. 6. *Vtrum expediat Eccleſiæ & ſaluti animarũ, vt Pontifex concedat Religioſis hanc poteſtatem & iuriſdictionem audiẽdi confeſſiones quorumuis ſecularium, ſine licentia Ordinariorum vel Parochorum.* 759.
DVB. 7. *An is qui habet poteſtatem eligẽdi confeſſorem, poſſit eligere quemuis.* 761
DVB. 8. *Quanta requiratur ſcientia in Cõfeſſario.* ibid.
DVB. 9. *Vtrum Confeſſarius teneatur monere pœnitentem, quando videt illũ verſari in ignorantia iuris vel facti: v.g. ſi aduertat & ſciat illum contraxiſſe matrimoniũ in gradu prohibito, ſed bona fide. Itẽ, retinere bona fide alienum.* ibid.
DVB. 10. *Ad quid tenetur Sacerdos, quãdo ex ignorantia vel negligentia commiſit aliquem errorem in audienda confeſſione.* 762
DVB. 11. *Quid faciet Confeſſor, quando pœnitens eſt contrariæ opinionis. v. g. Pœnitens putat contractum aliquem eſſe lictum, Confeſſarius verò illicitum.* ibid.

QVÆSTIO IX.
De Qualitate Confeſſionis.

ART. 1. *Vtrum confeſſio poſſit eſſe informis.* 763
DVB. 1. *Quibus caſibus ſit confeſſio informis.* ibid.
DVB. 2. *Quibus caſibus confeſſio eſt inualida ita vt ſit repetenda.* 764
ART. 2. *Vtrùm Confeſſio debeat eſſe integra.* 765
DVB. 1. *Vtrum aliquando fieri poſſit confeſſio non integra, & quibus caſibus.* ibid.
DVB. 2. *Vtrum poſſit abſolui æger, qui Confeſſarium vocauit, & ante eius aduentum vox ei interciditur? Item: An is, qui non valens confiteri in genere vel ſpecie, ſolùm dedit in extremis ſigna contritionis tundendo pectus, eleuando oculos in cælum, &c.* 766
DVB. 3. *Vtrum teneamur confiteri peccata in præcedenti confeſſione, per obliuionem, vel ignorantiam inculpatam omiſſa,* 767.
DVB. 4. *Vtrum liceat aliquando confiteri non integrè ratione caſus reſeruati.* 769
DVB. 5. *Vtrum, ſi quis confeſſus ei, qui habet poteſtatem abſoluendi à reſeruatis, fuerit oblitus confiteri reſeruata, maneat reſeruatio.* 770
DVB. 6. *Vtrùm ſola circumſtantia mutans ſpeciem ſint confitenda: an etiam aggrauantes.* 771
DVB. 7. *Quænam circumſtantiæ dicantur mutare ſpeciem.* ibid.
ART. 3. *Vtrum quis per alium vel per ſcripturam poſſit confiteri.* 772
DVB. 1. *Vtrùm Confeſſio facta Sacerdoti præſenti per ſcripturam vel interpretem, ſit Sacramentalis, ita vt accedente abſolutionem Sacerdotis, ſit verum Sacramẽtum.* ibid.
DVB. 2. *Vtrùm obligemur confiteri per ſcripturam interpretem, aut nutus quando aliter non poſſumus.* ibid.

Digitized by Google

ART. 4. De Conditionib⁹ Confessionis. 773
DVB. Vtrùm omne mendacium in confessione sit peccatum mortiferum. ibid.

QVÆSTIO. XI.
De Sigillo Confessionis.

ART. 1. Vtrùm in qualibet casu Sacerdos teneatur celare, quæ sub sigillo confessionis accepit. 773.
DVB. 1. Quo iure teneatur in omni casu hoc secretum seruare. ibid.
DVB. 2. Vtrùm Sacerdos extra confessionem possit interdum vti scientia ex confessione parta, saltem ad gubernationem. 774.
ART. 2. Quænã cadant sub sigillum confessionis. 775
DVB. 3. An ea peccata quæ quis confitetur sine proposito emendationis, cadant sub sigillum confessionis. ibid.
ART. 3. Vtrùm solus Sacerdos obligetur sigillo Confessionis. ibid.
ART. 4. Vtrùm ex consensu pœnitentis possit Sacerdos aperire quæ audiuit in confessione. 776
ART. 5. Vtrùm, quando Confessarius alia via nouit peccatum, siue ante siue post confessionem, possit illud reuelare. 777

QVÆSTIO. XII.
De Satisfactione, Quæ est tertia pars Sacramenti Pœnitentiæ. & primò, de eius.
essentia. ibid.

QVÆSTIO. XIII.
De Satisfactionis Possibilitate.

ART. 1. Vtrùm possit homo Deo satisfacere. 178
DVB 1. Vtrùm homo possit condignè satisfacere pro culpa mortifera, & pœna æterna. ibid.
DVB. 2. Vtrùm saltem ex congruo, possimus satisfacere pro culpa letali. 779
DVB. 3. Vtrum pro culpa veniali possimus condignè satisfacere. ibid.
DVB. 4. Vtrum possimus condignè satisfacere pro reatu pœnæ temporalis ex peccato remanente. ibid.
ART. 2. Vtrum alius pro alio possit satisfacere. 787
DVB. 1. Vtrum satisfactio vnius valeat alteri ex condigno. 798
DVB. 2. Vtrùm satisfactio, quam alius pro alio suscipit, sit Sacramentalis. ibid.

QVÆSTIO. XIV.
De qualitate satisfactionis.

ART. 1. Vtrum homo possit de vno peccato satisfacere sine alio. 783
DVB. Vtrum expleta satisfactio Sacramentalis in statu mortifero valeat: & si non valeat, vtrum saltem reuiuiscat per pœnitentiam, & charitatem superuenientem. ibid.

QVÆSTIO. XV.
De his per quæ fit satisfactio.

ART. 1. Vtrum satisfactio debeat fieri per opera pœnalia. 784
DVB. 1. Vtrum satisfactio debeat fieri per opus alias indebitum. ibid.
DVB. 2. Vtrum pœnitentiæ sint arbitrariæ. 785.
DVB. 3. An alius Sacerdos possit mutare pœnitentiam ab alio iniunctam. ibid.
ART. 2. Vtrum flagella præsentis vitæ sint satisfactoria. ibid.
DVB. An solum ratione actus interioris patientiæ sint ista flagella satisfactoria, an per seipsa. 786
ART. 3. An conuenienter enumerentur opera satisfactoria. ibid.

QVÆSTIO. XVI. 17. 18. 19. 20.
De Potestate Clauium.

De Excommunicatione.
Circa Quæstionem 21. 22. 23. & 24.

CAP. 1. Quid sit excommunicatio, quotuplex & quomodo differat ab aliis pœnis Ecclesiasticis. 785.
DVB 1. Quid sit excommunicatio. ibid.
DVB. 2. Quotuplex est excommunicatio. ibid.
CAP. 2. De effectibus excommunicationis. 784
DVB 1. Qui sint effectus excommunicationis Maioris, id est, sententiæ excommunicationis, siue actiuè siue passiuè considerentur: siue quatenus feruntur, vel quatenus aliquem contingit. ibid.
DVB 2. Qui sint effectus excommunicationis Minoris. 785
CAP. 3. De potestate excommunicandi. 785
DVB 1. Vtrum in Ecclesia sit potestas excommunicandi. ibid.
DVB. 2. In quibus sit hæc potestas. 786
DVB. 3. Vtrum aliquis sei ipsum possit excommunicare. ibid.
DVB. 4. Vtrum excommunicatus possit excommunicare. ibid.
DVB. 5. Vtrum consuetudo possit excommunicare. ibid.
DVB 6. Quinam non possint excommunicare. 787
DVB 7. Vtrum quis possit alterum excommunicare extra locum suæ iurisdictionis ibid.
CAP. 4. De causa excommunicationis. ibid.
DVB 1. Quale peccatum debet esse ob quod possit quispiam excommunicari. ibid.
DVB 2. An excommunicatio lata contra innocentem secundùm allegata & probata sit valida. 788
CAP. 5. Quænam requiratur vt excommunicatio sit valida, & vt incurratur. ibid.
DVB 1. Vtrum etiam requiratur aliqua monitio præcedens, &c. ibid.
DVB 2. Vtrum, vt quis incurrat excommunicationem, requiratur etiam cognitio excommunicationis. 789
DVB 3. Vtrum incurratur excommunicatio si alter appellet. ibid.
CAP. 6. De vitandis excommunicatis. ibid.
DVB. 1. Quod iure sint vitandi. ibid.
DVB 2. Quinã de excõmunicatis sint vitãdi. 790
DVB 3. In quibus hi excommunicati, scilicet excommunicati denuntiati, & notorij percussores Clericorum, sint vitandi. ibid.
DVB 4. Quibus casibus prædicti excommunicati non sint vitandi. ibid.
DVB. 5. Vtrum ipsi excommunicati semper teneantur vitare alios. 791
DVB 6. Quale peccatum sit versari cum excommunicato, vel excommunicatum versari cum alijs ibid.
DVB. 7. Qualem excommunicationem incurrit participans. ibid.
CAP. 7. De absolutione ab excommunicatione. 752
DVB 1. Quis possit absoluere ab excommunicatione minore. ibid.
DVB. 2. Quis possit à maiore absoluere. ibid.
DVB. 3. Quando inferior possit absoluere ab excommunicatione reseruata Superiori. ibid.
DVB. 4. Quænam est forma absoluendi ab excommunicatione. 793
DVB 5. Vtrum absolutio non satisfacta parte sit irrita? v. g. Si sis excommunicatus ob furtum, vel ob non solutas decimas, an absolutio data antequam

Digitized by Google

ſtitutionem, vel ſolutionem, ſit valida. ibid

De Suſpenſione.

CAP. 1. *De natura ſuſpenſionis.* 794
DVB. 1. *Quid ſit Suſpenſio, & quotuplex.* ibid.
DVB. 2. *Quinam poſſint ſuſpendere.* ibid.
DVB. 3. *Quæ cui pœna requiratur ad ſuſpenſionē.* ib.
CAP. 2. *De variis modis ſuſpenſionis.* ibid.
CAP. 3. *Quibus modis ſuſpenſio ipſa ſuſpendatur, ſeu impediatur, ita vt effectum non habeat.* 795
CAP. 4. *De abſolutione à ſuſpentione.* 796
DVB 1. *Quomodo tollatur ſuſpenſio.* ibid.
DVB. 2. *Quis poſſit abſolvere à ſuſpentione.* ibid.

De Interdicto.

CAP. 1. *Quid ſit Interdum, & quotuplex.* 797
DVB. 1. *Quid ſit interdictum, & quomodo diuidatur.* ibid.
DVB 2. *Quale peccatum requiratur vt poſſit fieri interdictum.* ibid.
CAP. 2. *De effectibus interdicti, qui, & quot ſint.* ibid.
CAP. 3. *De poteſtate interdicti, einſque obligatione.* 798
DVB. 1. *Qui poſſint interdicere, & qui interdici.* ibid.
DVB. 2. *Vtrum is qui ſententiam interdicti protulit teneatur illud ſeruare.* ibid.
DVB. 3. *Vtrum omne interdictum ſit ſeruandum.* 799
DVB 4. *Quale peccatum ſit violare interdictum.* ibi.
CAP. 4. *De pœnis violantium interdictum.* ibid.
DVB. 1. *Quas pœnas incurrant Clerici violantes interdictum.* ibid.
DVB 2. *Vtrum Clericus non ſeruans in interdicto moderationem Capituli* Alma, *incurrat irregularitatem.* ibid.
CAP. 5. *De abſolutione & ſuſpenſione interdicti.* 800.
DVB. 1. *A quo tollatur interdictum abſolutè latum, & quomodo.* ibid.
DVB. 2. *Quomodo ſuſpendatur interdictum.* ibid.

De Irregularitate.

CAP. 1. *De Irregularitate in genere.* ibid.
DVB. 1. *Quid ſit irregularitas,* ibid.
DVB. 2. *Vtrum contrahatur irregularitas ſi crimen vel cauſa, vnde oritur, ſit occulta, vel paucis cognita.* 801
DVB. 3. *Vtrum ad irregularitatem, quæ in pœnam delicti eſt conſtituta, ſufficiat culpa venialis.* 802
DVB. 4. *Qui ſint effectus ſententiæ irregularitatis latæ à Iure vel ab homine.* ibid.
CAP. 2. *De irregularitate proueniente ex defectu lenitatis, ſeu ex hominis occiſione vel mutilatione iuſta, &c.* ibid.
DVB. 1. *Vtrum occidens inuaſorem, ſi poterat fuga euadere, fiat irregularis.* ibid.
DVB. 2. *Vtrum is qui in aliquo caſu tenetur defendere proximum aut rempub. incurrat irregularitatem, ſi occiderit.* ibid.
DVB. 3. *Vtrum fiat irregularis, qui pro neceſſaria bonorum defenſione alterum occidit.* 803
DVB. 4. *Vtrum ſit irregularis, qui paratum inſidias occidit, præueniendo inuaſionem.* ibid.
DVB. 5. *Quinam efficiantur irregulares ex occiſione iudiciaria.* 804
DVB. 6. *Quis poſſit diſpenſare in hac irregularitate.* 805
CAP. 3. *De irregularitate ex homicidio voluntario proprie dicto.* ibid.
DVB. 1. *Quando multi concurrunt ad vnius occiſionem, quinam efficiantur irregulares.* ibid.
DVB. 2. *Vtrum mandans homicidium ſemper fiat irregularis.* ibid.
DVB. 3. *Vtrum conſentiens ſit irregularis.* 806
DVB. 4. *Vtrum non impediens homicidium ſit irregularis.* ibid.
CAP. 4. *De irregularitate quæ prouenit ex homicidio vel mutilatione caſuali.* ibid.
DVB. 1. *Quinam contrahant irregularitatem, ex homicidio vel mutilatione, quam caſu infe-runt.* ibid.
DVB 2. *Quis poſſit diſpenſare in homicidio voluntario, vel caſuali.* 807
CAP. 5. *De irregularitate ex delicto notorio & infamia.* ibid.
DVB. 1. *Quinam ratione delicti fiant irregulares.* ibid.
DVB. 2 *Quis poſſit in hac irregularitate diſpenſare.* 808
CAP. 6. *De irregularitate ex delicto circa Sacramenta.* ibid.
DVB. 1. *Vtrùm repetens Sacramentum quod imprimit characterem: ſit irregularis.* ibid.
DVB. 2. *Quinam ex indebita receptione, vel vſu ordinum fiant irregulares.* ibid.
DVB. 3. *Vtrùm ex indebita ordinatione fiat quis irregularis.* 809
DVB. 4. *Vtrum Quando quis ſuſcipiendo Ordinem presbyteratus, ante legitimam ætatem, vel extra ſtatuta tempora, incurrit ſuſpenſionem, fiat irregularis, ſi celebret cum Epiſcopo.* ibid.
CAP. 7. *De irregularitate ex defectu corporis.* ibid.
DVB. 1. *Quis defectus corporis faciat irregularem,* ibid.
DVB. 2. *Quis diſpenſet in hac irregularitate.* 810
CAP. 8. *De irregularitate ex bigamia.* ibid.
DVB. 1. *Quis dicatur Bigamus, ſeu Digamus.* ibid.
DVB. 2. *Quotuplex ſit Bigamia.* ibid.
DVB. 3. *Quomodo auferatur hæc irregularitas.* 811
CAP. 9. *De irregularitate illegitimorum.* ibid.
DVB. 1. *Quis dicatur illegitimus.* ibid.
DVB. 2. *Vtrum cenſeatur illegitimus, cuius parentes ante conceptionē caſtitatem vouerant.* ibid.
DVB. 3. *Vtrum illegitimus teneatur credere matri aſſerenti ipſum eſſe illegitimum.* ibid.
DVB. 4. *Quomodo tollatur hoc impedimentū.* ibid.

De Indulgentijs.

Circa quæſtionem, 25. 26. & 27.

CAP. 1. *De poteſtate conferendi Indulgentias.* 812
DVB. 1. *Vtrum in Eccleſia ſit poteſtas conferendi Indulgentias.* ibid.
DVB. 2. *Vtrùm in Eccleſia ſit aliquis theſaurus ſatisfactionum, ex meritis & ſatisfactionibus Chriſti & Sanctorum, cuius diſpenſatio in concedēdis Indulgentijs interueniat.* 814
DVB. 3. *Quinam in Eccleſia habeant poteſtatem conferendi Indulgentias.* 815
DVB. 4. *Vtrum is qui iure poteſtatem non habet Indulgentias conferendi, poſſit hanc conſuetudine obtinere.* ibid.
CAP. 2. *Quid ſint Indulgentiæ.* 816
DVB. 1. *Vtrum conceſſio Indulgentiarum formaliter ſit abſolutio à pœnis debitis, an ſolutio pro iiſdem ex theſauro Eccleſiæ.* ibid.
DVB. 2. *Vtrum Pontifex poſſit vllis dare Indulgentiam per ſolam ſolutionem ex theſauro Eccleſiæ ſine iudicia abſolutione,* 817
CAP 3. *De effectu Indulgentiarum.* ibid.
DVB. 1. *Vtrum Indulgentiæ ſolum valeant, ad remiſſionem pœnitentiæ iniunctæ, an etiam ad re-*

Digitized by Google

missionem eius quæ erat iniungenda, & consequenter, an valeant ad remissionem pœnæ purgatorij, quæ pœnæ iniungendæ respondet. ibid.
Dvb. 2. *Vtrum pœnitens per indulgentias liberetur ab implenda pœnitentia, quam confessarius imposuit.* 818
Dvb. 3. *Vtrum Indulgentiæ tantum valeant, quantum sonant.* ibid.
Dvb. 4. *Quomodo intelligendæ sint illæ indulgentiarum formæ, quibus conceduntur centum aut mille anni, aut decem millium annorum indulgentiæ.* 819
Dvb 5. *Vtrũ sit aliquod discrimen inter Indulgẽtiam plenam pleniorem, plenissimam.* ibid.
Dvb. 6. *Vtrum sit discrimen inter Indulgentiam plenariam & Iubilæum.* ibid.
Cap. 4. *De causa Indulgentiarum.* ibid.
Dvb. 1. *Vtrum requiratur iusta causa, vt Indulgentia constet* ibid.
Dvb. 2. *Vtrum quæuis causa pia censeatur iusta ad quamuis magnam Indulgentiam.* ibid.
Dvb. 3. *Vnde spectanda sit magnitudo causæ, ob quam dantur Indulgentiæ.* 820
Cap. 5. *De Indulgentijs defunctorum.* ibid.
Dvb. 1. *Vtrum Indulgentiæ prosint defunctis.* ibid.
Dvb. 2. *Quomodo Indulgentiæ defunctis concedãtur.* 821
Dvb. 3. *Vtrum Indulgentiæ defunctis per modum suffragij concessæ, valeant illis ex condigno, certaque lege, ac tantùm ex cõgruo, nempe si Deus acceptauerit.* ibid.
Cap. 6. *De Indulgentijs viuorum.* ibid.
Dvb. 1. *Vtrum hæc opus debeat fieri in statu gratiæ.* 822
Dvb. 2. *Vtrum Indulgentiæ reuiuiscant, id est vtrũ is, qui eas percepit in statu peccati mortiferi, fructum consequatur, quando resurgit.* ibid.
Dvb. 3. *Vtrum culpa venialis impediat fructum Indulgentiarum* ibid.
Dvb. 4. *Vtrum præter statum gratiæ in suscipiente requiratur præterea sollicitudo & diligentia satisfaciendi pro peccatis per condignam pœnitentiam, petendo eam iniungi à Confessario, vel sponte assumendo.* 823.
Dvb. 5. *Vtrum requiratur confessio ipsa, an in voto tantùm.* ibid.
Dvb. 6. *Vtrum necesse sit totum opus præscriptum explere: an saltem, qui partem operis explet, non etiam partem indulgentiæ consequatur.* ibid.
Dvb. 7. *Vtrum alius pro alio possit facere opus Indulgentiæ consequendæ præscriptum.* ibid.
Dvb. 8. *Vtrum necesse sit eum in statu gratiæ esse, qui pro alio indulgentiam quærit seu obtinet concedente id formula.* 824
Dvb. 9. *Vtrum eadem Indulgentia possit sæpiùs obtineri.* ibid.
Dvb. 10. *Quomodo intelligenda sint quædam priuilegia, quæ in Iubilæis conceduntur de facultate eligendi Confessorem, qui possit absoluere à reseruatis & censuris, dispensare in votis. &c.* ibid.

De Purgatorio.

Cap. 1. *De loco Purgatorij.* ibid.
Dvb. 1. *An post hanc vitam sit aliquis purgatorius animarum locus.* ibid.
Dvb. 2. *Vbi sit purgatorium.* 826.
Cap. 2. *De pœna purgatorij.* 827
Dvb. 1. *Quas pœnas patiantur animæ in purgatorio.* ibid.
Dvb. 2. *Vtrum pœnæ purgatorij sit grauissima.* ibid.
Dvb 3. *Vtrum animæ in purgatorio à dæmonibus torqueantur.* 828
Dvb. 4. *Quandiu durent pœnæ purgatorij.* ibid.
Cap. 3. *De conditione animarum purgandarum.* ibid.
Dvb. 1. *Vtrum possint ibi mereri vel demereri.* 829.
Dvb. 2. *Vtrùm animæ sint certæ de sua salute.* ibid.
Dvb. 3. *Quando & quomodo animæ iudicentur.* 830
Dvb. 4. *Vtrum animæ possint egredi è suis receptaculis.* ibid.
Cap. 4. *De suffragijs pro defunctis.* 831
Dvb. 1. *Vtrum Ecclesiæ suffragia prosint defunctis.* ibid.
Dvb. 2. *Vtrum omnibus defunctis suffragia prosint.* ibid.
Dvb. 3. *Vtrum Sancti in cœlis orent pro defunctis.* 832.

De Sacramento extremæ vnctionis.

Cap. 1. *De essentialibus eius Sacramenti.* ibid.
Dvb. 1. *Vtrum extrema vnctio sit verum nouæ legis Sacramentum.* ibid.
Dvb. 2. *Vtrum extrema vnctio sit vnum Sacramentum.* 834
Dvb. 3. *Vtrum hoc Sacramentum fuerit à Christo institutum.* ibid.
Dvb. 4. *Vtrum materia huius Sacramenti sit oleũ ab Episcopo consecratum.* ibid.
Dvb 5. *Vtrum hæc benedictio sit necessaria ad essentiam huius Sacramenti.* 835
Dvb. 6. *Vtrum hæc forma sit conueniẽs: Per istam sanctam vnctionem, & suam pijssimam misericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid deliquisti per visum, &c.* ibid.
Dvb 7. *Vtrum sit necessarium vt hæc forma sit deprecatoria, præsertim cùm nulla aliorum Sacramentorum talis sit.* ibid.
Cap. 2. *De effectu huius Sacramenti.* 836
Dvb. 1. *An hoc Sacramentum semper conferat sanitatem corporis, quando id expedit saluti animæ.* ibid.
Dvb. 2. *Quæ sint illæ reliquiæ peccatorum quas hoc Sacramentum dicitur abstergere.* ibid.
Cap. 3. *De Ministro huius Sacramenti.* 837
Dvb. 1. *Quis sit Minister huius Sacramenti.* ibid.
Dvb. 2. *An liceat cuiuis Sacerdoti hoc Sacramentum administrare..* ibid.
Cap. 4. *De suscipientibus hoc sacramentum.* ibid.
Dvb. 1. *Quibus hoc Sacramentum conferri debeat.* ibid.
Dvb. 2. *Quæ partes corporis sint vngendæ in hoc Sacramento.* 838
Dvb. 3. *Cùm adhibentur septem vnctiones, in qua tandem detur gratia.* 839
Dvb. 4. *Vtrum extrema vnctio possit iterari.* ibid.

De Sacramento Ordinis.

A quæst. 34. vsque ad quæst. 40. inclusiuè.

Cap. 1. *De essentialibus huius Sacramenti.* ibid.
Dvb. 1. *Vtrum in Ecclesia debeat esse Ordõ.* ibid.
Dvb. 2. *Vtrũ conuenienter Ordo definiatur à Magistro in 4. Sententiarum.* 840
Dvb. 3. *Vtrum Ordo seu potiùs ordinatio, sit Sacramentum.* ibid.
Dvb. 4. *Vtrum forma huius Sacramenti conueniẽter exprimatur.* 841
Dvb. 5. *Vtrùm hoc Sacramentum habeat materiam* ibid.
Dvb. 6. *Vtrum impositio manuum Episcopi sit ne-*

ceſſaria ad eſſentiam Ordinis Sacerdotalis. ibid.
Dvb. 7. *Vtrum contactus materiæ ſit neceſſarius ad eſſentiam huius Sacramenti.* 843
Cap. 2. *De effectu huius Sacramenti.* ibid.
Dvb. 1. *Vtrum in Sacramento Ordinis conferatur gratia & character: & an character Ordinis ſupponat characterem baptiſmi.* ibid.
Dvb. 2. *Vtrum character Ordinis ſupponat characterem Confirmationis.* ibid.
Dvb. 3. *Vtrum character vnius Ordinis ſupponat characterem alterius.* 844
Cap. 3. *De diſtinctione Ordinum.* ibid
Dvb. 1. *Quot ſint Ordines.* ibid.
Dvb. 2. *Vtrum ordines debeant diſtingui per ſacros & non ſacros.* 845
Dvb. 3. *Vtrum actus ordinis conuenienter aſſignetur, ſine, quæ ſint ſingulorum ordinum officia.* ibid.
Cap. 4. *An ſinguli ordines ſint Sacramenta gratiam conferentia.* 846
Dvb. 1. *Vtrum ordinatio Epiſcopi ſit Sacramentũ conferens gratiam.* ibid.
Dvb 2. *Vtrum Epiſcopus Iure diuino ſit maior, ſeu ſuperior Presbytero.* 847
Dvb. 3 *Vtrum Diaconatus & Subdiaconatus ſint Sacramentum.* 848
Dvb. 4. *Vtrum Minores ordines ſint Sacramenta.* 849.
Cap. 5. *De ſuſcipientibus & conferentibus hoc Sacramentum.* ibid
Dvb 1 *Quales debeant eſſe qui hoc Sacramentum ſuſcipiunt.* ibid.
Dvb. 2. *Vtrum ſolus Epiſcopus Sacramentum ordinis conferat* 850
Cap. 6. *De impedimentis ordinum.* ibid.
Dvb. 1. *Vtrum ſexus femineus ordinis ſuſceptionẽ impediat.* ibid.
Dvb 2 *Vtrum pueri, & carentes vſu rationis, ſint ordinum capaces,* ibid.

De Sacramento Matrimonii.

Cap. 1. *De matrimonio ſecundum ſe conſiderato, quatenus eſt officium naturæ.* 851
Dvb 1. *Quid ſit matrimonium.* ibid.
Dvb. 2. *An matrimonium ſit Iuris naturæ; eiuſque vſus ſit licitus.* ibid.
Dvb. 3. *Vtrum matrimonium ſit præceptum.* 852.
Dvb. 4. *Vtrum Polygamia qua plures vxores ſucceſſiuè habentur, ſit permiſſa.* 853
Dvb. 5. *Vtrum Polygamia plurium virorum ſit permiſſa* 854
Dvb. 6. *Vtrum Polygamia plurium vxorum ſit permiſſa.* ibid.
Dvb 7. *Vtrum ante Chriſtum conceſſa fuerit plurium vxorum Polygamia.* 855
Cap. 2. *De matrimonio generatim conſiderato, vt eſt Sacramentum.* 856
Dvb. 1. *Vtrum matrimonium inter fideles tempore legis Euangelicæ ſit Sacramentum gratiam conferens.* ibid.
Dvb. 2. *Vtrum matrimonium ante Chriſti aduentum, vel etiam modo, inter infideles contractum ſit Sacramentum.* 859
Dvb 3. *Vtrum matrimoniá infidelium fiant Sacramenta quando baptizantur.* ibid.
Dvb. 4. *Vtrum matrimonium fidelis cum infideli ceſſante lege Eccleſiaſtica qua irritatur, ſit Sacramentum.* 860
Dvb. 5. *Vtrum matrimonium, quod non eſt complexu coniugali conſummatum, ſit Sacramentum.* ibid.
Dvb. 6. *Vtrum matrimonium ſine benedictione ſacerdotali contractum, ſit Sacramentum.* 861
Dvb. 7. *Vtrum matrimonium contractum per Procuratores, ſit Sacramentum.* 861
Dvb 8. *Qualis eſt iſta gratia quæ per Sacramentum matrimonij conferitur.* 863
Cap. 3. *De Sponſalibus.* ibid.
Dvb. 1. *Quid ſint Sponſalia.* ibid.
Dvb. 2. *Quænam requirantur ad Sponſalia.* ibid.
Dvb. 3. *Virùm ſponſalia, contracta per Procuratores ſint valida? item, an clandeſtina ſponſalia, quæ nullo teſte ſiunt ſint valida.* 864
Dvb. 4. *Quomodo contractus ſponſalium obligent? & an Eccleſia poſſit cogere eum, qui ſponſalia contraxit, vt promiſſum impleat.* ibid.
Dvb 5. *Quibus modis ſponſalia diſſoluantur.* 865
Dvb. 6. *Vtrum ſponſalia ſine Iudicis auctoritate poſſint diſſolui.* 866
Dvb 7. *Quomodo ſponſalia tranſeant in matrimonium.* ibid.
Cap. 4. *De conſenſu neceſſario ad matrimonium.* 867
Dvb. 1. *Qualis conſenſus ſit neceſſarius ad matrimonium.* ibid.
Dvb 2. *Vtrum nullo modo ſine conſenſu poſſit fieri matrimonium.* ibid.
Dvb 3. *Vtrum in matrimonio duo illi conſenſus debeant ſimul concurrere.* ibid.
Dvb 4. *Quod ſit obiectum conſenſus neceſſarij ad contractum matrimonij, in quod oporteat conſentire.* 868
Dvb 5. *Vtrum conditio poſita in contractu vitiet conſenſum.* ibid.
Dvb 6. *Vtrum iſte conſenſus per verba de præſenti cum conditione de futuro faciat matrimonium ſimul ac ponitur conditio: an verò requiratur nouus conſenſus expreſſus de præſenti.* 869
Dvb. 7. *Vtrum conſenſus metu extortus ſufficiat ad matrimonium.* 870
Dvb. 8. *Vtrum matrimonium grauimetu contractum, ſit irritum Iure diuino naturali, an ſolùm Eccleſiaſtico.* 871
Dvb. 9. *Vtrum matrimonium, quod diximus eſſe irritum, à quòd ſit metu grani contractum, accedente copula cum affectu maritali, confirmetur.* 872
Dvb. 10. *Vtrum requiratur conſenſus parentum vt matrimonium validè contrahatur.* ibid.
Cap. 5. *De bonis matrimonij & ſpecialim de inſolubilitate ratione Sacramenti.* 873
Dvb. 1. *Vtrum matrimonium conſummatum in veteri lege fuerit ſolubile per libellum repudij.* ibid.
Dvb. 2. *Vtrum Gentibus fuerit tunc temporis permiſſum repudium.* ibid.
Dvb. 3. *Vtrum adhuc apud Iudæos & gentiles repudium ſit permiſſum.* 874
Dvb. 4. *Virùm in nouæ legis matrimonium infidelium poſſit diſſolui, ſi alter conuertatur ad fidẽ altero nolente converti.* ibid
Dvb. 5. *Quando hoc matrimonium ſoluatur.* ibid.
Dvb. 6. *Vtrum matrimonium fidelium nondum conſummatum, aliquando ſolui poſſit.* 875
Dvb 7. *Quo iure matrimonium ratum ſoluatur per profeſſionem.* ibid.
Dvb. 8. *Virùm matrimonium ratum poſſit in aliquo alio caſu ſolui per Eccleſiæ diſpenſationem.* 876
Dvb. 9. *Quantum temporis conceſſum eſt coniugibus poſt contractum vt poſſint ingredi religionem.* ibid.
Dvb. 10. *Vtrum matrimonium fidelium conſum-*

Digitized by Google

matrimonium possit aliquo modo solui quoad vinculum, sic vt vtrique liceat aliud inire. ibid.
Dvb. 11. *Vtrum possit aliquando fieri diuortium quoad torum & cohabitationem, inter coniuges.* 877.
Dvb. 12. *Vtrum coniux innocens teneatur dimittere coniugem fornicantem.* 878
Dvb. 13. *Vtrum facto diuortio, possit innocens sibi reconciliare dimissum.* ibid.
Dvb 14. *Vtrum facto diuortio si innocens fornicetur, teneatur coniugem dimissum sibi reconciliare.* ibid.
Dvb. 15. *Quibus casibus fiat illicitum diuortium in causa fornicationis.* ibid.
Dvb. 16. *Quando studio maioris perfectionis fit diuortium, quidnam secundùm Iura obseruari debeat.* 879
Cap. 6. *De fide & prole.* ibid.
Dvb. 1. *Vtrum coniuges teneantur sibi mutuò debitum reddere.* ibid.
Dvb. 2. *Quænam sint causæ iustæ negandi debitum.* ibid.
Dvb. 3. *Vtrum coniux occultè fornicatus possit petere debitum coniugale.* 880
Dvb. 4. *Vtrum maritus possit petere & reddere, dum dubitat de matrimonij veritate.* ibid.
Dvb. 5. *An coniux, qui continentiam vouit, possit petere & reddere* 881
Dvb. 6. *Vtrum coniuges teneantur simul cohabitare & se mutuò adiuuare in familiæ administranda.* 882
Dvb. 7. *Vtrum vxor teneatur sequi virum.* ibid.
Dvb. 8. *Vtrum ea quæ vxor lucratur, sint in potestate viri, an vxoris,* ibid.
Dvb. 9. *Vtrum maritus possit vxorem verberare.* ibid.
Dvb. 10. *De prole.* ibid.
Cap. 7. *De impedimentis matrimonij.* ibid.
Dvb. 1. *Quotuplicia sint matrimonij impedimenta.* ibid.
Dvb. 2. *Quomodo Ecclesia potuerit impedimenta matrimonij statuere, cùm sit Sacramentum, in quo nihil ipsa mutare potest.* 883
Dvb. 3. *Vtrum potestas ciuilis possit matrimonio impedimentum dirimens constituere.* ibid.
Dvb. 4. *Quis possit in matrimonij impedimentis dispensare.* ibid.
Dvb. 5. *Quid faciendum est, si matrimonium cum impedimento contractum est.* ibid.
Cap. 8. *De errore personæ, & conditionis seruilis.* 884
Dvb. 1. *Vtrum error personæ matrimonium dirimat* ibid.
Dvb. 2. *Vtrum error conditionis seruilis dirimat coniugium.* ibid
Dvb. 3. *Vtrum serui possint contrahere inuitis dominis.* ibid
Cap. 9. *De impedimento voti & ordinis sacri.* 885
Dvb. 1. *An votum dirimat matrimonium.* ibid.
Dvb. 2. *Vtrum votum solemne castitatis hanc vim dirimendi matrimonij habeat Iure diuino, an duntaxat Ecclesiastico.* 886.
Dvb. 3. *Vtrum ordo sacer sit impedimentum dirimens.* ibid.
Dvb. 4. *Vtrum ordo sacer dirimat matrimonium ratione sui, an solum ratione voti solemnis adiuncti,* 887.
Dvb. 5. *Vtrum hoc impedimentum sit Iuris diuini an Ecclesiastici.* ibid.
Cap. 10. *De impedimento cognationis affinitatis, & iustitiæ publicæ honestatis* ibid.
Dvb 1. *Quid sit consanguinitas, & quomodo suis gradibus distinguatur.* ibid.
Dvb. 2. *Quinam gradus iure naturæ dirimãt matrimonium.* 888.
Dvb. 3. *Quinam gradus consanguinitatis absolutè dirimant matrimonium, siue Iure naturæ, siue Ecclesiastico.* 889
Dvb. 4. *Quid sit affinitas.* ibid.
Dvb. 5. *Quoto gradu dirimat affinitas matrimonium.* 890
Dvb. 6. *Quinam gradus affinitatis Iure naturæ efficiant matrimonium irritum.* ibid.
Dvb. 7. *Vtrum cognatio spiritalis quæ nascitur ex Baptismo vel Confirmatione, sit impedimentum dirimens, & inter quos.* 891
Dvb. 8. *Quandonam à Patrinis contrahatur hæc affinitas.* ibid.
Dvb 9. *Vtrum cognatio legalis sit impedimentum dirimens, & quousque.* ibid.
Dvb. 10. *Vtrum impedimentum iustitiæ publicæ honestatis matrimonium dirimat.* 892
Cap. 11. *De impedimento criminis, disparitatis cultus, violentiæ & ligaminis.* 892
Dvb. 1. *Vtrum sit aliquod crimen quod irritet matrimonium.* ibid.
Dvb. 2. *Vtrum disparitas cultus sit impedimentum dirimens.* 893
Dvb. 3. *Vtrum metus ei incussus & raptus sint impedimentum dirimens.* ibid.
Dvb 4. *Vtrum ligamen seu vinculum alterius matrimonij dirimat matrimonium subsequens.* 894.
Cap. 12. *De impedimento impotentiæ.* ibid.
Dvb. 1. *Vtrum impotentia ad actum coniugalem sit impedimentum dirimens.* ibid
Dvb. 2. *Vtrum liceat tollere ligaturas, nodos, volumina capillorum & alia signa maleficia posita à maleficis eo fine vt diabolus desinat nocere.* ibid.
Cap. 13. *De impedimento ex defectu Parochi & testium.* 897
Dvb. 1. *Vtrum defectus Parochi vel testium sit impedimentum dirimens.* ibid.
Dvb 2. *Quidnam requiratur, vt præditum decretum Concilij vim habeat.* 898
Cap. 14. *De impedimentis impedientibus non dirimentibus.* ibid.
Dvb. 1. *Quænam impedimenta, reddant matrimonium illicitum, sic tamen vt non dirimant.* ibid.
Dvb. 2. *Vtrum cum votis supradictis contrahere sit peccatum mortale.* 899
Dvb. 3 *Quis possit in his impedimentis dispensare, vt licitè possit contrahi matrimonium.* ibid.

Digitized by Google

INDEX
RERVM PRÆCIPVARVM
De Sacramentis & Cenſuris.

Prior numerus paginam; poſterior, marginalem paginæ numerum denotat. Vbi numerus marginalis ſolùm apponitur, ad proximè deſignatam paginam refertur.

Ablutio.

Ablutio pedum cur Euchariſtiæ præmiſſa. pag. 536. num. 14.

Ablutio Baptiſmi. Vide Baptiſmus. §. 1.

Abſolutio.

Abſolutio Sacramentalis facienda eſt auctoritatiuè, non deprecatoriè. 701. 18

Sacerdos verè abſoluit, etſi Chriſtus etiam dicatur abſoluere. 701. 20

Peccata à quibus abſoluimur, habent rationem vinculi. n. 21.

Vtiliter ab eodem peccato ſæpiùs abſoluimur. 703. 22

Ad abſolutionem non eſt neceſſaria nec expediens manus impoſitio. 24.

Vide Pœnitentia vt eſt Sacramentũ §. 4. Eius form.

Laicus tentans abſoluere non fit irregularis. 752. 5

Abſolutio ſine approbatione nulla eſt. 754. 16

Abſoluere poteſt quiuis Sacerdos cuiuſuis venialia. 755. 19. *idque Iure diuino.* 20

Item mortalia ſemel confeſſa. 755. 21

Abſoluere poteſt in articulo mortis quiuis Sacerdos quemuis fidelem. ibid. 23

Item in periculo mortis. 756. 24.

Abſoluendus æger qui Confeſſarium vocauit, & ante eius aduentum vox ei intercipitur. 767. 16

Item qui ſigna dat. ibid

Vide Auctarium ad 1. 2. V. Abſolutio, Caſum 1.

Abſolutio à reſeruatis.

Abſoluere non poteſt Superior à ſolis reſeruatis, remiſſo pœnitente procæteris ad inferiorem. 769. 28

Contrarium tamen non eſt improbabile. ibid.

Abſoluere nequit inferior confitentem reſeruata neque à reſeruatis, neque à non reſeruatis. ibid. 29

Abſolutio valida eſt cùm pœnitẽs bona fide caſum reſeruatum confitetur in hunc iuriſdictionem non habenti, habenti tamen in aliqua mortalia pœnitentis, 769. 30

Innecessitate, ſi Superiorem adire nequis, potes à reſeruatis abſolui. 770. 32

Abſoluere poſſunt Iure communi Epiſcopi à reſeruatis Pontifici. ibid. 31

Vide Confeſſionis integritas. Reſeruatio Caſuum

Item vide Auctarium ad 1. 2. V. Abſolutio à Caſu 2. vſque ad 8.

Abſolutio ab excommunicatione. Vide Excommunicatio. §. 5.

Abſolutio ab interdicto. Vide Interdictum, §. 4.

Abſolutio à ſuſpenſione. Vide Suſpenſio. §. 3.

Accidens.

Poteſt eſſe extra ſubiectum. 648. 1

Non indiuiduatur à ſubiecto. 2

Vt accidẽs per ſe ſubſiſtat non requiritur aliquis modus poſitiuus, ſed ſufficit vt ſubtracto ſubiecto, diuinitus conſeruetur. 650. 4

Dupliciter accidens ſeruati poteſt extra ſubiectum. 5

Vide Euchariſtia. § 8.

Acolythus.

Officium eius primarium & ſecundarium. 846. 30

Acolythus quaſi pediſequus præcedens dominum: vel quaſi Minimè liber. ibid.

Dicitur etiam Ceroferarius. ibid.

Caluinus ineptè hoc traducit. ibid.

Inſtrumenta ordinationis eius. ibid.

Adoptio. Adoptare.

Quid ſit adoptare, & quorum. 891. 175.

Quomodo Adoptio diriment matrimonium ob cognationem. 176

Adoptio non ſemper eſt impedimentum perpetuum. 891.

Inter duos adoptiuos non eſt impedimentum, neque inter adoptiuum & illegitimam adoptantis. ibid.

Adulterium.

Adulter occultus poteſt petere debitum, ſed non per vim extorquere. 880. 119

Coniux innocens abſolutè non tenetur dimittere fornicantem. 278. 110.

Coniux innocens facto diuortio non tenetur ad reconciliationem. ibid. 111. *Ne quidem ſi ipſe poſteà etiam adulterium committat.* ibid. 112.

Adulter interficiens ſuam coniugem vt poſſit cum adultera contrahere, contrahit impedimentum dirimens. 893

178. Vide Matrimonium. §. 13.

Aduocatus.

Aduocatus accuſatori patrocinans in cauſa ſanguinis, fit irregularis: ſecùs ſi patrocinetur reo. 804. 17

Affinitas.

Quid ſit affinitas 889. 165. Vide Matrimon. §. 12

Agnus.

Agni Paſchalis immolatio, & ipſe etiam Agnus Paſchalis eſt figura Euchariſtiæ. 680. 14

Non poterat ſumi niſi à legaliter mundis. 680. 14

Non licet iam immolare agnum in ſacrificium 669. 11

Altare.

Altare requiritur ad ſacrificium. 677. 4

Altare ſit lapideum conſecratum. 697. 84

Quomodo pereat eius conſecratio. ibid.

Altare ſternatur duabus mappis. ibid. 88

Non debent ei ineſſe reliquiæ. ibid.

Angelus.

Angelus poteſt per diuinam diſpenſationem adminiſtrare Sacramenta. 557. 17

Angelus à Deo ſeruari poteſt in locis diſcontinuis. 628. 25.

Angelus naturaliter cognoſcit Chriſti corpus in Euchariſtia. 648. 49. *Eam honorat.* 614. 13

Angeli animas ad purgatorium deducunt. 830. 32

Non tamen eas ibi torquent. 828. 23

Angeli deferunt animas ſanctas in cælum. ibid.

Quomodo in Angelis ſit virtus Pœnitentiæ. 710. 23

Apoſtoli.

Apoſtoli fuerunt baptizati ante mortem Chriſti. 563. 5

An & quomodo baptizarint Apoſtoli in nomine Chriſti. 569. 24

Appatitio.

Dupliciter Chriſtus in Euchariſtia apparet. 648. 52

Vide Euchariſtia. §. 12.

Apparitio animarum Purgatorij. 828. 22

Quidam

Quidam apparuit S. Bernardo, qui se quatuor lacertis dixit traditum esse torquendum. ibid. 23
Apparitio animæ Traiani Imperatoris, Falconillæ, & cuiusdam idololatræ dicentium se ex inferno liberatas. 832. 38

Appellatio.

Appellans legitimè ante excommunicationem latam, & dein tamen excommunicatus, invalidè excommunicatur. 789. 33
Post latam sententiam appellas frustrà. ibid.
Post declarationem te excommunicationem incurrisse, item validè appellas. ibid.

Approbatio.

Approbatione non eget qui habet officium curatum. 754. 14.
Cæteri omnes eâ egent. ibid. n. 15
Sine ea invalida est absolutio. n. 16
Tacita approbatio sufficit. ibid.
Non requiritur approbatio ad cõfessiones regularium. ib.
Approbatus Regularis ipso iure si Ordinarius sine causa recuset approbare. ibid. 16
Approbatur semel, vbique censetur approbatus. ib. n. 17
Approbationem an possit Episcopus revocare. ibid. n. 18

Attritio.

Attritionis & Contritionis differentia. 731. 12
Attritionis Species ex parte rationis dolendi. ibid. n. 11
Quænam ex his speciebus sufficiant ad iustificationem cum Sacramento. 732. 13
Quæ attritio non sufficiat cum Sacramento. n. 16
Attritio insufficiens ad gratiam, potest esse sufficiens ad substantiam Sacramenti. ibid. n. 17
Attritio putata non sufficit ad substantiã Sacramẽti. 20
Attritio in Sacramento Pœnitentiæ non debet esse existimata contritio. 733. 21
Attritio, putata contritio sufficit cum martyrio ad iustificationem. 555. 47
Attritio cum baptismo magis sufficit ad iustificationem, quàm cum martyrio. ibid.
Vide Contritio. Dolor.

Baptismus.

§. 1. Et ea quæ in ipso fit ablutio.

Varia Baptismi nomina, & vnde. 562. 1
Baptismi definitio. ibid. n. 2
Baptismus constat forma intrinseca. 563
Cur baptismus dicatur sigillum. 536. 13
Baptismus mimicus quando sit validus. 557. 20
Baptismus institutus est ante passionem probabiliùs quando post ieiunium Christus cepit habere discipulos. 563. 4. & 564. 6.
Ablutio baptismi consistit in contactu aquæ ad corpus instar passionis. 563. 3
Non est necesse vt ablutio fiat successivè. ibid.
An immersio in aqua sit de necessitate baptismi. 569. 26
Necesse est aqua immediatè corpus tangat. 570. 27
Quænam corporis partes abluendæ sint, & quænam debeant tangi ad substantiam baptismi. ibid. 28
Trina immersio non est necessaria: qui eam tamen omitteret contra Ecclesiæ suæ consuetudinem, peccaret. ibid. n. 29. *Eius significatio.* ibid. n. 30
Vnica immersio per quem in Ecclesiam inducta, & eius congruentiæ. ibid.
Si infans moreretur antetertiam mersionem, vtrùm cẽseretur baptizatus. ibid. n. 31
Vtrùm tota ablutio, præsertim quando fit per motum localem, sit de substantia Sacramenti. ibid. n. 32
Ad rationem baptismi quando fit per immersionem non est necessaria succedens emersio. 571. 33
Validè baptizabitur puer, etsi proiciatur in puteum. ib.

§. 2. Eius necessitas, & obligatio.

De fide est baptismum esse necessarium. 579. 1
Baptismus necessarius est omnibus ad salutem in re vel in voto. 580. 2
Adultus potest salvari per contritionem & vel amorem Dei includentem votum baptismi. ibid
Votum baptismi debet esse expressum vel implicitũ. ib
Obligatio baptismi cuique incipit quando Euangelica prædicatio ei innotuit, vel innotescere more humano potuit. 564. 8
Nemo seipsum potest baptizare. 567. 18
Omnes adulti tenentur præcepto divino statim ac commodè possunt baptizari. 580. 3
An aliqui & qui adulti baptismum distulerint. ibid.
Ecclesia potest catechumenos indirectè, nõ directè obligare ad susceptionem baptismi. 581. 6
Cur baptismus metu susceptus valeat, non autem matrimonium. 582. 12
Peccatores impœnitentes non sunt baptizandi. 581. 7
Baptizatis licet magna fecerint peccata, non est imponenda pœnitentia. ibid. 8
Peccatores ad baptismum accedentes non debent confiteri. ibid. n. 9
Infantes licitè & salubriter baptizantur. 583. 14
Baptismus reipsa susceptus est medium absolutè infantibus necessarium. 584. 17
Infantes voto parentum non possunt salvari. ibid. 19

§. 3. Infantes baptizandi.

Parentes multis titulis tenentur baptizare suos liberos in necessitate. 585. 23. *Extra periculum iure divino non tenentur, sed possunt differre baptismum vsque ad ætatem adultam.* ibid.
Infantes infidelium non licet baptizare invitis parentibus. 586. 24. *Nisi infans sit in periculo.* ib. 25. *Vel si alter parentum consentiat.* ibid. 587. 27. *Item si avus consentiat invita matre.* ibid. *Item si parentes sint mancipia Christianorum.* ibid. n. 28
Si infantem nequeas ab invito parẽte separare, ne baptizes extra casum necessitatis. ibid. n. 28
Quid faciendum cum iis qui furtim vel plagio ex terris infidelium ablati sunt. ibid.
Puer capax rationis potest baptizari invitis parentibus. ibid. n. 29.
Pueri infidelium si baptizentur invitis parentibus, validè baptizantur. ibid. n. 30.
Infantes in vtero materno non possunt baptizari, nisi aliquo instrumento aquâ possint aspergi. ibid. n. 31
Mater non est scindenda vt infans baptizetur. ib. n. 32
An & quando amentes & furiosi sint baptizandi. 588. 33.

§. 4. Eius materia.

Errores hæreticorum circa materiam baptismi. 565. 10
Vera materia est aqua sensibilis & vsualis. ibid. n. 11
Congruentiæ inter effectus aquæ & baptismi. 566
Quomodo baptismus Christi sit in Spiritu sancto & igne. ibid. n. 12
An in arena quandoque possit baptizari. ibid. n. 12
Duæ regulæ circa materiam baptismi. ibid. 13
De baptismo sanguinis, Vide Martyrium.

§. 5. Eius forma.

Errores hæreticorum circa formam baptismi. 566. 15
Forma necessaria & legitima, est hæc: Ego te baptizo in nomine Patris & Filij & Spiritus S. n. 16
Quale peccatum esset omittere, ego, *in forma baptismi.* 567.
Actio baptizandi necessariò exprimenda est. ibid. n. 17
Actus verò baptizandi variè potest exprimi. ibid. 17
Innocentii IV. opinio refutatur. ibid.
Necesse est exprimatur persona quæ baptizatur. ib. 18.
Hæc variis modis exprimi potest. ibid.
An hic baptismus valeat: Ego te Paulum baptizo, *& hic non fit Paulus, sed Petrus.* ibid. n. 19
An sit necesse dicere In nomine, *vel,* In nominibus. ibid. n. 20.
In nomine quid significet. ibid.
Vtrùm præpositio (in) *& coniunctio* (&) *sint de essen-*

tia formę. 568. 21
Forma vitiabitur ſi per harum omiſſiones ſignificetur error Sabellianorum. ibid.
An hęc forma valeat, In nomine genitoris, geniti, & procedentis ab vtroque. *ibid.*
Valet hæc forma, In nomine Patris, & Ieſu Chriſti, & Paracliti. *ibid.*
An hęc valeat, In nomine ingeniti, & imaginis, & doni. *ibid.*
Baptiſmus, In nomine Chriſti *collatus non eſt validus.* ibid. 23
Non ſufficit implicita Trinitatis invocatio. 568. 23
An & quomodo Apoſtoli baptizarint in nomine Chriſti. ibid. n. 24

§. 6. Eius effectus.

Baptiſmus tollit omnia peccata. 588. 1
Eſt imitatio mortis & reſurrectionis Chriſti. ibid.
Verè delet omne peccatum. ibid. n. 2
Tollit etiam omnem reatum pœnæ. 589. 3
Non tamen tollit pœnalitates vitæ præſentis. ibid. n. 4
Confert gratiam & virtutes, ibid. n. 5
Differentia inter baptiſmum & reliqua Sacramenta quoad remiſſionem omnis pœnæ. 589. 3
Confert parvulis æqualem gratiam: & adultis æqualiter diſpoſitis æqualem. 592. 7. *Inæqualiter diſpoſitis inæqualem.* ibid. n. 8
Vide Sacramentũ. §. 8. Diſpoſitio ad Sacramenta.

§. 7. Eius iteratio.

De fide eſt non poſſe iterari. 571. 35
Rebaptizans & rebaptizatus Iure civili plectuntur morte. ibid. n. 36
Iure Eccleſiaſtico ſunt irregulares. ibid.
Quæ ignorantia ab hac irregularitate excuſet. 572. 38
Sub conditione rebaptizans non fit irregularis ib. n. 37
Quid ſi metus accedat. ibid. n. 40
Baptiſmus de quo non eſt, probabilis cauſa dubitandi, non poteſt iterari. 573. 41
Baptizati ab obſtetricibus non debent ſub conditione rebaptizari. ibid.
An vnus teſtis ſufficienter probet baptiſmum. ibid.
Quando eſt probabilis ratio dubitandi de Sacramento, debet ſub conditione reperi. ibid.

§. 8. Intentio ex parte Baptizati.

Poſitivè diſſentiens invalidè baptizatur. 582. 10
Imò ſe habens negativè. ibid.
Requiritur conſenſus poſitivus. Sufficit tamen habitualis. ib. n. 11.
Cur hic conſenſus requiratur in adultis, & non in infantibus. ibid n. 11.
Quænam intentio conditionata ſufficiat. ibid. n. 12.

§. 9. Miniſter Baptiſmi.

Quam intentionem habere debeat baptizans, Vide Intentio.
Baptizare non pertinet ad Diaconum ratione officij, ſed tantum ex commiſſione Sacerdotis. 576. 1. *Is ſolenniter baptizans ſine commiſſione, ſit irregularis.* ibid.
Solemnis baptiſmus non poteſt committi Subdiacono niſi à ſolo Papa. ibid. n. 2
Sacerdos ex officio eſt miniſter Baptiſmi. 577. 3
Eget tamen ad hoc iurisdictione. ibid.
Laicus in neceſſitate poteſt baptizare. ib. n. 4.
Imò & mulier. n. 5
Ordo inter eos qui baptizare poſſunt. ibid.
In neceſſitate infidelis poteſt baptizare. ibid n. 6
Laicus vel femina baptizans extra neceſſitatem, peccat mortaliter. ibid.
In privata domo quando liceat baptizare. ibid.
Duo nunquam validè baptizant vt cauſæ partiales. 578. 7.
Poſſunt id facere vt cauſæ totales. ibid. n. 8.
Vtrùm ſit verus baptiſmus, ſi duo ſic ſimul baptizent. Ego te baptizo, ſi alius te non baptizat. *ib.* n. 9.
An ſit legitimus baptiſmus ſi vterque vtatur hac forma, Nos te baptizamus. ibid. n. 10
Vide Patrinus.

Beati.

Animæ beatæ è corporibus ab Angelis ad cœlos deferuntur. 830. 32
Animæ beatæ è cœlis poſſunt egredi. ibid. 33
Probabilius eſt nunquam aliquam è cœlo egreſſam. ib.
Beatis non proſunt ſuffragia viventium. 831. 33
Quo ſenſu dicatur offerri ſacrificium pro beatis. ibid.
Beati in cœlis orant pro defunctis. 832. 39
Beatis cum Chriſto regnantibus aliquo modo prodeſt ſacrificium Miſſæ. 691. 48
In Beatis eſt virtus pœnitentię. 710. 22

Beneficium Eccleſiaſticum.

Qui habet beneficium curatum non eget approbatione ad confeſſiones. 754. 14
Beneficij collatio facta excommunicato eſt irrita. 784. 6.
Communicatio beneficij inter excommunicatos facta eſt irrita. ibid.
Suſpenſus à beneficio privatur eius fructibus, non quotidianis diſtributionibus. 795. 9. *Non tamen privatur ipſo facto.* ibid.
Beneficij collatio facta irregulari, eſt irrita. 802. 7

Bigamia Bigamus.

Quis bigamus. 810. 57
Explicatur Apoſtolus de Vnius vxoris viro. ibid.
Ratio ob quam bigamia inducat irregularitatem. ibid.
Bigamia triplex, Vera, interpretativa & ſimilitudinaria. n. 58. & ſeq.
Vide Irregularitas ex Bigamia.

Calix.

Calicis attactus in conſecratione Sacerdotis cavè adhibendus. 843. 15
Vide Auctarium V. Ordines Sacri Caſum. 3. & 4.
Quid ſignificet Hic eſt calix novi teſtamenti. 626. 17
Quomodo calix *propriè ſit & dicatur teſtamentum* 627. 18.
Quomodo Chriſtus præceperit dari Calicem. 671. 41.
Calix & Patena Miſſæ ex qua materia eſſe debeat, quę eius conſecratio, reparatio &c. 697. 88

Cæremoniæ.

Quid ſit Cæremonia. 598. 1
Cæremoniæ quinque modis dividuntur. ibid.
Eccleſia poteſt Cæremonias inſtituere. 599. 3
Cæremoniæ defenduntur contra hæreticos. ibid. 2. & 6
Vtilitas Cæremoniarum. ibid. 3
Cæremoniæ etſi non ſanctificent, valent tamen ad effectus ſpirituales. ibid. n. 7
In ſtatu innocentiæ fuiſſent certæ cæremoniæ. 543. 3
Quæ cæremoniæ in Miſſa adhibendæ. 697. 89
Mutatio cæremoniæ quale peccatum. 90

Character.

Sacramenta quædam imprimunt Characterem. 549. 1
Negant id hæretici. ibid.
Character eſt quædam potentia activa vel paſſiva. 550. 3.
Effectus Characteris. n. 3
Character eſt in prima ſpecie qualitatis. ibid.
Quomodo Character ſacramentalis ſit character Chriſti. n. 4
Quomodo Character Ordinis nos aſſimilet Chriſto. ib.
Character eſt in ipſa anima eſſentia. 551. 5
Character in eſt animæ indelebiliter. n. 7
Quomodo ſit diſpoſitio ad gratiam. ibid.
Probabilius manet poſt hanc vitam. n. 8
Character non habet immediatum influxum in animam eius cui confertur Sacramentum. 551. 1
Vide Confirmationis effectus.
Character Ordinis præſupponit Characterem Baptiſmi. 843. 17

Digitized by Google

Non tamen eſſentialiter Characterem Confirmationis. ibid. 19
Character vnius Ordinis non præſupponit Characterem alterius. 844. 20
Charakter Epiſcopi differt à Charactere Sacerdotis. 846. 32

Charitas.

Charitas ſufficit ad peccati, cuius memor non es, remiſſionem. 714. 16
Vide Contritio. Dilectio.

Chriſmà.

Chriſtus poſt cœnam vltimam docuit Apoſtolos conficere Chriſma. 602. 8
Chriſma conficitur ex oleo & balſamo. ibid. 10
Poteſt fieri ex vero quolibet balſamo. 603. 12
Nec eſſe eſt vt Chriſma ab Epiſcopo benedicatur. n. 13
Conſecratio Chriſmatis eſt de eſſentia Confirmationis. 604. 14
Non eſt tamen certis verbis vel figuris alligata. ibid.
Simplex Sacerdos non poteſt Chriſma conficere poteſtate ordinaria. ibid. n. 15
Imò probabiliùs ne quidem id poteſt ex commiſſione Pontificis. 16

Chriſtus.

Chriſtus inſtituit omnia Sacramenta nouæ legis immediatè per ſe. 552. 2
Inſtituit ea quà homo poteſtate excellentiæ. ibid.
Chriſtus quà Deus habet poteſtatem auctoritatis: quà homo habet poteſtatem excellentis miniſterij reſpectu interioris effectus. 553. 4
Chriſtus poteſtatem auctoritatis non poteſt alicui communicare: poteſt verò poteſtatem excellentis miniſterij. n. 5
Chriſtus in Euchariſtia eſt ſignum ſui ipſius, & quomodo. 628. 13
Totus Chriſtus in Euchariſtia eſt ſub vtraque ſpecie. 639. 1
Chriſtus naturaliter in Euchariſtia non poteſt vti ſenſibus. 648. 50
Poteſt hîc naturaliter intelligere abſque conuerſione ad phantaſmata. ibid.
Diuinitus hic poteſt audire & videre Sacerdotem. 51
Chriſtus in vltima cœna ſumpſit ſuum Corpus & Sanguinem. 672. 1
Idem etiam dedit Iudæ. 673. 2. *Corpus quidem erat paſſibile, ſed impaſſibili modo ſumpſit & dedit aliis.* n. 3
Chriſtus quomodo ſit Sacerdos ſecundùm ordinem Melchiſedech. 679. 13
Chriſtus in cœna, non in cruce fecit teſtamentum. 680. 15
Chriſtus in ſacrificio Miſſæ tribus titulis eſt primarius offerens. 693. 56
Vide Euchariſtia.

Chorepiſcopus.

Quales hi olim fuerint. 845. 25

Circumciſio.

Circumciſio ex opere operato non iuſtificauit infantes vel adultos. Vti nec alia Sacramenta veteris legis. 597. 5. 598. 7
Refurantur rationes partis affirmantis. 595. 1
Parentum vel circumcidentium fides externo ſigno applicata paruulos iuſtificauit. 597. 5
Circumciſio non conferebat adultis gratiam vltra meritum propriæ fidei & deuotionis. 6

Circumſtantia.

Circumſtantiæ graniter aggrauantes peccatum intra eandem ſpeciem, ſunt confitendæ. 771. 36
Exempla huius caſus. ibid.
Non graniter aggrauantes poſſunt taceri. ibid. 38
Quæ circumſtantiæ mutent ſpeciem, oſtenditur in ſingulis. 39

Clauis Eccleſiæ.

Quid ſit, & qui eius actus. 786

Clericus.

Clericatus non eſt Ordo. 844. 22
Clericus chirurgicam exercendo peccat, ſed non ſit irregularis. 807. 34
Clericus vtens Ordine quem non habet, quando ſiat irregularis. 808. 42
Clericus violans interdictum, peccat mortiferè. 799. 15
Clericus tenetur excludere Interdictos. 15
Clericus violans Interdictum exercitio Ordinis ſacri, ſit irregularis. 16
Secùs eſt ſi violet Interdictum exercitio Ordinum Minorum. ibid.
Quatuor aliæ pœnæ Clerici violantis Interdictum. 17
Vide Interdictum.
Clericus occidens innocentem, quia ſine ignominia fugere non poterat, ſit irregularis. 802. 9
Soli Clerici incurrunt ſimilitudinariam bigamiam. 810. 59.

Communio Sanctorum.

Qualis, & in quo ſit communio Sanctorum in Eccleſia. 798. 27
Communio fidelium triplex. 783. 2
In Eccleſia eſt theſaurus conſtans meritis & ſatisfactionibus Chriſti, ac Sanctorum. 814. 7. *hic theſaurus nunquam poteſt deficere.* 9
Eccleſia habet poteſtatem hunc theſaurum diſpenſandi. 10
Per ſatisfactiones Sanctorum verè redimuntur noſtræ pœnæ. 815. 11. *Non ideò tamen ſunt propriè noſtri redemptores.* ibid.
An aliquid fructus ex quouis ſacrificio Miſſæ perueniat ad ſingula membra Eccleſiæ. 690. 46

Concilium.

Generale Concilium habet poteſtatem concedendi plenariam Indulgentiam. 815. 12
Habet etiam poteſtatem excommunicationis in omnes perſonas Eccleſiæ totius, præterquam in Papam. 786. 13.

Concupiſcentia.

Concupiſcentia impropriè dicitur peccatum. 588. 4

Confessarius.

§. 1. Eius Iuriſdictio.

Miniſter Pœnitentiæ eſt ſolus Sacerdos. 751. 2
Confeſſio facta laico an vtilis: & quare commendetur. 752. 3
Confeſſarius debet habere iuriſdictionem. ibid. 6
Sacerdos non habet omnem iuriſdictionem ex ſua ordinatione, ſed tantùm virtualem & incompletam. 753. 8
Habens titulum coloratum validè abſoluit. 764. 9
Fideles non poſſunt ſe ſubijcere cuiuis Sacerdoti. 753. 12
Ob quas cauſas liceat ſubditis confiteri alteri, quàm proprio Parocho ſine eius facultate. 757. 32
Quinam poſſint eligere Confeſſarium. 761. 48
Vide Iuriſdictio.

§. 2. Eius Scientia.

Quænam requiratur ſcientia vt quis poſſit dignè fungi officio Confeſſarij. 761. 50
Craſſè ignorantem Confeſſarius debet inſtruere. 762
Item dubium, vel rogantem, & inculpabiliter ignorantem ſi ſpes ſit profectus. ibid.
Inculpatè peccantem ne moneat, ſi metuat graue incommodum. ibid. 53
Quid faciet Confeſſarius ſi malè monuit, vel non monuit circa reſtitutionem. 54
Quid faciet ſi non validè abſoluerit &c. 55
Quid faciet quando pœnitens eſt contrariæ opinionis. 57

§. 3. Pœnitentiæ iniunctio.

Confeſſarius plerumque pro ſatisfactione non imponat opera aliàs debita ex præcepto vel voto. 984. 4

Digitized by Google

Confeſſarius pro mortalibus tenetur iniungere pœnitẽtium. 785. 7
Non tamen pro venialibus, ſaltem ſub mortali. ibid.
Non poteſt Confeſſarius in foro pœnitentiæ dare Indulgentias. 815. 15
Vide Pœnitentia Sacramentalis §. 6.

§. 4. Confeſſarij ad ſigillum obligatio.

Sigillum nullo caſu violari poteſt. 773. 1
Sacerdos ad ſigillum ſeruandum tenetur omni iure, naturali, religionis, eccleſiaſtico, diuino. 2
Confeſſor potiùs eligat occidi, quàm revelare confeſſionem. 774. 4
Alterius confeſſionem in ſua aperire non poteſt. ibid.
Neque poteſt pœnitentẽ monere poſt abſolutionẽ. ibid.
Sigillũ non obligat ſi pœnitens conſentiat vt dicas tentio. 776. 14
Licentia reuelandi ſit expreſſa, libera, ob iuſtam cauſam. ibid. 15
Si ante confeſſionem, vel poſt aliunde nouerit, nõ tenetur ſilere. 777. 16
Hauſtâ ex confeſſione ſcientiâ ſecundùm communem ſententiam poteſt vti Sacerdos. 774. 5
Sed non poſſe, conformius eſt rationi. ibid.
Subinde tamen vti eâ ſcientiâ tenetur Superior. 775. 7
Cuius crimen ſolùm noſcis ex confeſſione, ei etiam occultè Euchariſtiam ne deneges. 664. 14
Sigillo cõfeſſionis plures obligãtur v. g. malignè auſcultans: fortuitò audiens: interpres, is cui confeſſarius nefariè aperuit: ſuppoſititius Cõfeſſarius 775. 11. & ſeq.
Non tamẽ conſiliarius vel doctor. 776. 12. Nec laicus cui vt laico confiteris. 13
Materiâ ſigilli eſt omne peccatum. 775. 8
Item quidquid indirectè ducere poteſt in notitiam peccati. ibid.
Peccata quæ quis confitetur ſine propoſito emendationis cadunt ſub ſigillum, ſi pœnitens verè intendat abſolui: non cadunt, ſi contrà ibid. 10

Confessio.

§. 5. Eius præceptum diuinum.

Quid & quotuplex confeſſio. 742. 1
Hæreticorum circa eam errores. 2
Confeſſio omnium peccatorum iure diuino eſt neceſſaria relapſis. ibid. 3
Probatur ex Scripturis: 744. 4. Ex Figuris. ib. 8. Ex Cõciliis. 745. 9. Ex Patribus. 746. 10. Ex Ratione. 11
Confeſſionis vtilitas. ibid
Nectarius non ſuſtulit confeſſionem priuatam, ſed publicam. 12
Venialia tamẽ non ſunt neceſſariò confitenda. 747. 14
Confeſſio præcipitur Ioannis 20. 15
Omnes baptizati tenentur confiteri. 16
Omnia & ſola mortalia ſunt confitenda. 648. 17
Qui in mortali eſt, non tenetur prima opportunitate cõfiteri 18
Confeſſio faciẽda eſt iure diuino in articulo mortis. 19
Ius diuinum probabilius nõ obligat ne nimis diu differatur. 20
Per accidens ſæpiùs obligamur confiteri. 21
Confeſſio facta ſcripto, vel per interpretem præſenti ſacerdoti, accedente abſolutione ſacerdotis, eſt verum Sacramentum. 772. 43
Faciẽda actu aliquo externo, nõtamẽ neceſſaria voce. ib.
Nemo per interpretem tenetur confiteri vi præcepti confeſſionis. ibid. 44
Mutus tenetur ſcripto confiteri. 45
Confeſſionis conditiones ſedecim. 773. 46

§. 6. Eius præceptum Eccleſiaſticum.

Obligatur Eccleſia iure diuino ad aliquam determinationem faciendæ confeſſionis. 749. 23
Ita tamen determinatio eſt iuris humani. n. 24
Quonis tempore anni poteſt ſatisfieri, præcepto annuæ confeſſionis. 25
Qui ſpatio vnius anni non fuit confeſſus, tenetur ſtatim poſt confiteri. ibid. 26
Peccat continuò, ni fecerit. ibid.
Ritè confeſſus poteſt mortale oblitum differre in alterum annum. 750. 27
Qui poſt non eſt habiturus copiam Confeſſarii, debet præuenire.
Pueri mortiferè peccantes obligantur hoc præcepto. 29. Secùs eſt de communione. ibid.
Impuberes non confeſſi, non incurrunt excommunicationem. 30
Qui tantùm habet venialia, non tenetur hoc præcepto per ſe. 31. Teneri poſſet ratione ſcandali. ibid.
Indirectè poteſt præcipere Eccleſia confeſſionem venialium. ibid. 34. Hactenus eam non præcepit. 751. 35
Poteſt diſpenſari ne vnquam confiteatur. 36
Diſpenſari poteſt in tempore confeſſionis annuæ. 37
Etiam Papa tenetur hoc præcepto. 38

§. 7. Confeſſio Communioni præmittenda.

Confeſſio neceſſariò Euchariſtiæ præmittenda ſi ſis in peccato mortali. 662. 6. idque ex Iure diuino poſitiuo, non tantùm ex Eccleſiaſtico. ibid.
Confeſſio in ſeptem caſibus neceſſitatis non eſt neceſſariò communioni vel celebrationi præmittenda. ib. 8
Confeſſio non eſt præmittenda communioni ſi deſit cõfeſſor. 663. 9
Cenſetur deeſſe confeſſor ſi is linguam tuam ignoret ibid.
Si timeas ab eo infamiam vel aliud malum. ibid. Alia tamen mortalia illi confitenda, de quibus nihil times. ibid. non tamen venialia. ibid.
Si inferior te non poſſit à reſeruatis abſoluere, & ſuperior abſit, cenſetur deeſſe confeſſor. ibid.
Eo tamen caſu ſi habeas mortalia non reſeruata, verius eſt te teneri ea cum reſeruatis inferiori confiteri. ib.
Confeſſio non eſt peccatori communicaturo omittenda quia abeſt ordinarius confeſſor. ibid.
Sacerdos qui vrgente neceſſitate celebrauit abſque confeſſione, ſtatim poſt tenetur confiteri. 10. idque non ex Iure diuino, ſed humano. ibid. 10
Laicus in ſimili caſu non tenetur ſtatim poſt confiteri. 11

§. 8. Confeſſio Indulgentiis præmittenda.

Confeſſio an neceſſaria ad promerendas Indulgentias. 823. 48
Quid ſi tunc careas peccato mortifero? 50
Quid ſi ob multitudinem confitentium tunc non poſſis accedere? ibid. 51

§. 9. Confeſſio informis.

Quidam negant dari confeſſionem informem. 763. 1
Verius eſt eam dari. 2. forma tamen hic non eſt falſa. 3
Confeſſio eſt informis ſi dolor ſit merè humanus. 4
Item ſi propoſitum emendationis non ſit abſolutum, ſed ſolùm velleitas. 5
Verius tamen eſt hoc caſu confeſſionem non eſſe informem, ſed irritam. ibid. neque tunc ſufficere bonam fidem, qua ſe putet ritè diſpoſitum. ibid. neque etiã ſufficere legitimum dolorem ſequi poſt abſolutionem. ibid. neque te confiteri tuam hanc indiſpoſitionem. 764
Item confeſſio eſt informis ſi bona fide putes te adhibuiſſe debitam diligentiam in examine, quam tamẽ non adhibuiſti. 6. modus hic improbatur. ibid.
Item ſi omittas confiteri mortale, ignorans ex craſſe ignorantia eſſe mortale. 7. Sed & hic modus improbatur. ibid.
Item ſi excommunicatus petas abſolui à peccatis, culpabiliter ne ſciens eſſe ſacrilegium abſolui à peccatis,

Digitized by Google

antequam ab excommunicatione absoluatur. 8. *Hic modus etiam improbatur.*.

§. 10. Confessio inualida & repetenda.

Ex parte Confessarij sit inualida confessio quinque casibus. 764. 9

Ex parte pœnitentis sit inualida, si sponte non integra facta. Si absque dolore vel proposito emendationis. Si nullam velit admittere pœnitentiam. 765. 10

Apud eundem Confessorem præcedentium memoriam etiam in confuso, repete solùm omissa. ibid. *Apud immemorem, vel alium omnia repete.* ibid.

§. 11. Confessio sit integra.

De fide est eam debere esse integram. ibid. 11

Explica numerum vt potes. 12

Examen sit iuxta conditionem pœnitentis. ibid.

Sit integra, etsi cum tua & complicis apud solum confessorem infamia. 766. 14

Peccata in præcedente confessione per oblivionem vel inculpatam ignorantiam omissa, postea confitenda dum occurrent. 767. 21

Integra confessio facienda non est carnificina conscientiarum. 768. 22

Reseruatio non excusat ab integritate. 769. 28

Vide Reseruatio.

Circumstantiæ intra eandem speciem enormiter aggrauantes necessariò confitendæ. 77136. *Non enormiter aggrauantes possunt taceri.* 38

Circumstantiæ speciem mutantes necessariò confitendæ. ibid. 39

Vide Circumstantiæ.

§. 12. Excusantia ab integritate.

Amissio loquelæ dicto aliquo peccato. 746. 13

Periculum mortis instans. ibid.

Sibi, vel alteri damnum vel infamiam metuis. 747. 14. & 663. 9.

Coniectura quam faciet Confessor de complice. 766. 15.

Imò sub veniali teneris adire alium qui complicem non nouit. ibid.

Absolue ægrum te vocantem, cui tamen ante aduentum vox præcluditur. ibid. 16. 767. 20

Etiam absolue qui in extremis impotens confiteri, dat solùm generalia signa contritionis. ibid. 20

Si nulla signa dederit, ne absolnas. ibid.

Vide Auctarium ad 1. 2. V. Absolutio *Casum* 1.

CONFIRMATIO.

§. 1. Eius institutio.

Confirmatio est verum Sacramentum. 600. 2

Impositio manuum in Confirmatione non fuit oblatio baptizati. 3

Nec fuit tantùm adhibita ad conferenda dona visibilia Spiritus sancti. ibid. *Nec etiam pro breui tempore instituta.* ibid. *Cur nunc non habeantur in Confirmatione iidem effectus visibiles, qui olim?* ibid.

Confirmatio facit perfectè & plenè Christianum. 601. 5

Transfert in statum virilem. 6

Vide Eius effectus.

Instituta est in vltima cœna. 7

Potestas tamen conferendi data est post resurrectionem. ibid.

Christus nulli contulit hoc Sacramentum. ibid.

§. 2. Eius materia & forma.

Materia remota Confirmationis est Chrisma. 602. 8

Illud semper Apostoli in hoc Sacramento adhibuerunt. 9

Impositio manuum & vnctio pro eodem sumuntur. ibid.

Chrisma conficitur ex oleo & balsamo. 602. 10

Huius balsami est de essentia huius Sacramenti. 603. 11.

Vnctio frontis in modum crucis est materia proxima huius Sacramenti. 607. 33

Si hæc fiat extra frontem, non valet. ibid.

Item non valet si fiat absque signo crucis. 34

Debet fieri immediatè manu Confirmantis. ibid.

Vide Chrisma.

Forma Confirmationis est, Consigno te signo Crucis &c. 604. 17

Constat hæc magis ex Traditione, quam Scriptura. ib.

Explicantur singulæ eius partes. 605

§. 3. Eius effectus & dispositio.

Character Confirmationis distinguitur realiter à Charactere Baptismi. 605. 18

Supponit Characterem Baptismi. 19

Vide character.

Probabile est olim aliquos accepisse effectus confirmationis absque Sacramento confirmationis. 20

Per hoc Sacramentũ datur gratia gratum faciens. 21

Confert maiorem gratiam quàm Baptismus. 22

In iusto nulla requiritur dispositio præter gratiam habitualem. 606. 23

In peccatore memore requiritur contritio vel attritio. 24

In immemore sufficit virtualis attritio. ibid.

Non requiritur ieiunium vel confessio. 27

§. 4. Eius subiectum.

Omnibus hoc Sacramentum est exhibendum. 606. 25

Varia fuit Ecclesiæ consuetudo in Confirmatione conferenda. 26

Cur modo differatur vsque ad vsum rationis. ibid.

An & quando expediat hoc Sacramentum non differri in infantibus, & morbundis. 27

Dandum amentibus. 28. *Etsi aliquando vsi fuerint ratione.* ibid.

§. 5. Eius obligatio.

Omissio huius Sacramenti per se non est peccatum mortiferum. 606. 29

Nec ad hoc Sacramentum vllum est præceptum. ibid.

An & quæ sit necessitas huius Sacramenti suscipiendi. 607. 30

Omissio huius Sacramenti vnde & quibus titulis possit esse peccatum. 31

Ex decentia debet præmitti Eucharistiæ & ceteris Sacramentis. 32. *Non autem ex obligatione.* ibid

§. 6. Eius Minister.

Solus Episcopus est ordinarius minister confirmationis. 608. 36

Simplex sacerdos potest ex commissione Papæ confirmare. 608. 16. & 604. 37

Simplex sacerdos sine commissione confirmans, nil efficit. 608. 38

Papa esset non esset Episcopus, posset confirmare, & alteri committere. 609. 41

Vide Patrinus.

Consanguinitas.

Quid sit, Quid sit hic linea. quid gradus &c. 887.

Vide Matrimonium. §. 11.

CONTRITIO.

§. 1. Eius essentia.

Contritionis definitio. 729. 2

Ad contritionem requiritur propositum non peccandi, & quale. 730. 5

Aliquando sufficit propositum virtuale. 7

Includit etiam, vt pertinet ad nouam legem, propositum confitendi & satisfaciendi. 9

Contritionis diuisio. 731. 10

Differentia inter Attritionem & Contritionem. 11

Quæ sit imperfecta contritio. 718. 6

Digitized by Google

§. 2. Eius obiectum.

Tribus modis de peccatis possumus conteri. 733. 1
Numquam fuit necesse de singulis peccatis singulos dolores excitare. 2
Olim non fuit necesse omnia peccata commemorare. 3
Nec etiam iam est necessaria particularis contritio de singulis peccatis, est tamen suadenda. 734. 6
De peccatis oblitis an & qualis requiratur contritio. 7

§. 3. Eius Quantitas.

Contritio debet esse summus dolor appretiatiuè. 735. 2
Non tamen tenetur pœnitens facere comparationem cum alijs malis. 3
Quid faciendum si talis comparatio occurrat. 735. 4
De maiori peccato appretiatiuè magis est dolendum. 6
Contrarium facere, est peccatum veniale. 7
Appretiatiuè magis dolendum est de tuo veniali, quàm de alterius magno. 736. 8
Ad contritionem non requiritur summus dolor intensiuè. ibid. 10
Vnde dolor dicatur Appretiatiuè summus. ibid. 14
Non est necessarium vt dolor sit magis intensus de peccato, quàm de alio malo. ibid. 13
Quantumis intensio vel mora Contritioni sufficit. 737. 15

§. 4. Eius obligatio.

Datur præceptum de Contritione. 735. 1. *Idque naturale.* 738. 2
Non obligat statim sub mortali. ibid. 3. *Nec diebus festis.* 5. *Nec quoties occurrit memoria.* 739. 6. *Obligat aliquando per se.* 7. *Aliquando ratione alterius.* 8. *An tunc omissio contritionis sit distinctum peccatum.* 9
Non tenetur in Paschate conteri. 11
Contritio delet peccata. 740. 3
Si habes casum reseruatum, & est necessariò celebrandum, conterere, si non vales adire Superiorem. 770. 32.

§. 5. Eius effectus.

Contritio non delet formaliter culpam mortalem. 777. 9.
Neque delet vt æquivalens satisfactio. 778. 10
Contritio non condignè satisfacit pro pœna æterna. 11
De congruo satisfacimus pro culpa letali: & quid hoc sit. 779. 12
Contritio est maius bonum Dei, quàm culpa venialis sit eius inimica. ibid. 14
Vide Dilectio Dei.

Contumacia.

Contumacia alia requiritur ad excommunicationem ab homine, quàm à Iure. 788

Conuersio vnius rei in aliam.

Creatura non potest conuerti in substantiam diuinam. 638. 57.
Quæuis res creata videtur in aliam posse conuerti. 58
Quibus modis res corporales cõuerti possint in res corporales. ibid.
Spiritus conuerti potest in corpus, & contrà. ibid.
In conuersione Eucharistica remanent accidentia sensibilia & insensibilia panis. 59. *Non tamen modi substantiales.* ib. *Conuersio fit in instanti.* 639

Creare, Creatio.

Creatio est prima collatio ipsius esse. 637. 54
Differt à transubstantiatione & conseruatione. ibid.
Non habet terminum à quo positiuum, sed solum negatiuum. ibid. 54
Actio qua Christus ponitur in Eucharistia, non differt vi intrinseca à creatione. ibid. *Non ideò tamen debet dici quotidie Christi Corpus creari vel produci.* 55
Si Christi Corpus non esset alibi, posset dici per hanc actionem creari. ibid.

Crimen.

An aliquod crimen irritet matrimonium. 892. 178 *& quænam.* ibid.

Vide Matrimonium. § 13.

Dæmon.

Non potest administrare Sacramenta, ne quidem per dispensationem Dei. 555. 17
Neque consecrare Eucharistiam, vt tamen volunt hæretici. 673. 1
Dæmones naturaliter cognoscunt Christum esse in Eucharistia. 648. 49
Dæmones interdũ torquent animas purgatorij. 828. 23
An quis dæmoni cooperetur soluens maleficia. 896. 192 & seqq.

Damnati.

Illis non prosunt suffragia viuorum. 831. 38. *nec suffragia Missæ.* 691. 47
Animæ damnatæ deducuntur in infernum à dæmonibus. 830. 32
Vide Infernus.

Debitum matrimoniale.

Coniuges pari iure tenentur sibi reddere debitum. 879. 115.
Excusantia à redditione debiti, eamque prohibentia. Vide Matrimonium. §. 6.

Diaconus. Subdiaconus.

Diaconatus est Ordo sacer. 845. 26
Officia Diaconi. ibid. 28
Malè statuunt hæretici officium Diaconi in solo ministerio mensæ. ibid.
Diaconatus est Sacramentum. 848. 37
Diaconus cantans Euangelium in mortali, non peccat mortaliter. 554. 9. & 850. 45
Diaconi non sunt capaces vt Confirmationem conferãt ex commissione Papæ. 609. 39
Diacono committi potest dispensatio Eucharistiæ impedito Sacerdote. 675. 7. *Interdum eam dispensare potest Diaconus absque commissione.* 8
Officium Subdiaconi. 846. 29
Subdiaconatus est Ordo sacer. 845. 26. *Est etiam Sacramentum.* 848. 38
Olim Subdiaconatus non fuit Ordo sacer. ibid.
Subdiaconus suspensus non fit irregularis suscipiendo Diaconatum. 795. 7

Diaconissa.

Quæ olim Diaconissæ. 850. 46
Ordinatio Diaconissæ non potest repeti. 849. 41

Dilectio Dei.

Dilectio vera Dei in eo non est qui peccati sui memor, de eo non dolet. 714. 15
Dilectio Dei sufficit ad peccati, cuius memor non est, remissionem. 16
Anima iusti statim à morte per dilectionem Dei impetrat peccati venialis, si quod habet, remissionem. 718. 7
Dolere de peccato vt est offensa Dei, est actus dilectionis. 707. 11
Perfecta pœnitentia nequit esse sine dilectione. 606. 8
Vide Contritio.

Diœcesis.

Delinquens extra diœcesim non incurrit excõmunicationem illi delicto positam in sua diœcesi. 787. 20
Item delinquens in loco exempto. ibid.
Commisso crimine exiens in aliam diœcesim, potest à suo Episcopo excommunicari. 21
Non potest si sit extraneus, nisi antequam egrederetur, fuisset citatus ab Episcopo. ibid.
Potest excommunicari extra diœcesim positus, cuius crimen in diœcesi completur. 22

Dispensatio.

Deus olim dispensauit in matrimonio consummato. 873. 90.
Christus dispensauit in matrimonio infidelium, manente altero ad fidem conuerti. 874. 93
Ecclesia dispensat in matrimonio rato, non consummato. 875. 99

Digitized by Google

Papa poteſt diſpenſare in voto ſolemni Religionis. 886. 150.

Diſpenſat papa in omnibus matrimonij impedimentis iure humano introductis. 883. 133

Papa non poteſt diſpenſare in linea recta, ſed tranſuerſa. 889. 164

Pontifices, ſæpè diſpenſarunt in primo gradu affinitatis lineæ tranſuerſæ. 890. 171

Papa non poteſt diſpenſare ne vnquam confitearis. 751 36. *Poteſt tamen diſpenſare in tempore confeſſionis.* 38

Epiſcopus non poteſt diſpenſare in impedimentis dirimentibus. 883. 10;

Poteſt tamen ſi quatuor conditiones concurrant. ib. *Poteſt etiam diſpenſare in impedimento orto ex baptiſmo in extrema neceſſitate collato.* 891. 173

Vide Auctarium. V. Matrimonium. Caſum. 8. & 9

In quibus impedimentis matrimonium impedientibus poſſit Epiſcopus diſpenſare. 899. 207

Epiſcopus poteſt diſpẽſare vt extra locum ſacrũ Miſſa fiat. 696. 78. *Item vt in loco polluto.* ibid. 85 *Item vt hora ſacrificij conſueta præueniatur & extendatur.* 696. 74. & 75

Diſpẽſatio in irregularitate. Vide Irregularitas. § 8.

Diuortium.

Diuortiũ quoad torum, & cohabitationem licet pluribus de cauſis. 877. 108

Ad diuortium par eſt ius coniugum. ibid.

Innocens coniux partem fornicantem non tenetur dimittere. 878. 110

Niſi fortè per accidens. ibid.

Poſt diuortium poteſt innocens ſibi reconciliare dimiſſum. 111

Sed non tenetur. ibid.

Quid ſi facto diuortio innocens fornicetur. 112

Diuortium quando illicitum etiam poſita fornicatione. n. 113.

Diuortium factum ſtudio maioris perfectionis. 879. 114

Vide Matrimonium §. 5.

Dolor Dolere.

Ratio naturalis dictat de præterito peccato eſſe dolendum. 704. 29

Non ſolis naturæ viribus poſſumus dolere de peccatis. 30.

De peccato ritè confeſſo nõ teneris ãplius dolere. 405. 13

Eſt tamen conſulendum. 32

Non teneris dolere de præteritis quãdo memoria occurrunt. ibid.

Non potes dolere de vno peccato vt eſt offẽſa Dei, niſi etiam doleas de aliis quæ memoria occurrunt. 715. 19

Dolor meritè humanus reddit confeſſionẽ informẽ. 763. 4

Vide Attritio. Contritio. Pœnitentia. Peccati remiſſio.

Epiſcopus.

Epiſcopatus & Sacerdotij vnus eſt Ordo. 845. 14. *hinc Epiſcopus & Presbyter interdum pro eodem ſumuntur.* ibid.

Epiſcopi ordinatio eſt Sacramentum conferens gratiam 846. 32. *Et imprimens Characterem à ſacerdotali diuerſum.* ibid.

Nequit ordinari Epiſcopus qui non eſt Presbyter. 847. 33.

Neque in Epiſcopatu eminenter continetur Presbyteratus. ibid.

Epiſcopus eſt Presbytero maior poteſtate Ordinis. 34

Item Iuriſdictione. ibid. 35

Iuriſdictio illi debetur Iure diuino, ſed humano traditur. 36

Epiſcopi officia. 845. 27

Poteſt excommunicare ſuos ſubditos. 786. 13

Non tamen extra ſuam diœceſim poſitos. 787. 19

Vide Diœceſis.

Epiſcopus eſt ordinarius Miniſter Confirmationis. 608. 36.

Epiſcopus Sacramentum Ordinis confert ex officio. 850. 46.

Etiamſi ſit hæreticus vel præciſus. 46

Non eſt abrogandus mos quo recens ordinati cum Epiſcopo conſecrant 674. 4

Epiſcopus conficiens Chriſma, conſecrans altaria. &c. in ſtatu peccati mortalis, non peccat mortaliter. 554. 9

Peccaret verò mortaliter ſi ordinariè tales functiones vellet obire in mortali. ibid.

Epiſcopus quas Indulgentias poſſit concedere. 815. 13

Quas poſſit concedere Archiepiſcopus & Primas. ib. 11

Epiſcopus Iure communi abſoluere poteſt à reſeruatis Papæ. 770. 31.

Item poteſt abſoluere ab omni excommunicatione Papæ reſeruata orta ex delicto occulto. 793. 49

Et ab Interdicto, quod latum eſt à Iure. 800. 20

Et à ſuſpenſione, quæ lata à Iure. 796. 16

Epiſcopus ſuſpenſus à Pontificalibus non fit irregularis ſi canat Miſſam cum pedo & mitra. 795. 7

In quibus diſpenſare poſſit Epiſcopus. Vide Diſpenſatio.

Evcharistia.

§. 1. Eius nomen & inſtitutio.

Varia eius nomina. 603. 19

Qua ſenſu poſſit vocari panis. 632. 36

Inſtituta eſt in vltima cœna. 613. 20

Variæ eius figuræ. 614. 21

Chriſtus in Euchariſtia eſt ſignum ſui ipſius, & quomodo. 618. 23

Præſtat ceteris omnibus Sacramentis. 562. 9

Sancti Patres variis eam modis laudant. 624. 13

§. 2. Eius eſſentia & vnitas.

Euchariſtia non conſiſtit in ſumptione, ſed in re permanente. 610. 3

Nec verba conſecrationis, nec materia conſecranda eſt Sacramentum Euchariſtiæ. 6

Verba conſecrationis obliquè pertinent ad eſſentiam Euchariſtiæ. 611. 6

Euchariſtia propriè eſt compoſitum ex Corpore Chriſti & ſpeciebus. 7

Sacramentum ſic componitur ex ſpeciebus & Corpore Chriſti, vt homo eſt ipſum compoſitum ex anima & corpore. 8

Corpus Chriſti in Euchariſtia ſe habet ad ſpecies, vt forma ad materiam. 9

Euchariſtia eſt vnum ſpecie Sacramentum. 10.

Quomodo ſub vna ſpecie habeamus integram refectionem ſpiritualem. 612. 11

Duplex differentia inter Euchariſtiam & reliqua Sacramenta. 633. 1

§. 3. Eius Materia

Panis.

Proxima materia ſunt ſenſibiles ſpecies panis & vini verborum ſacramentalium formula conſecratæ. 611. 7

Materia remota & tranſiens eſt panis & vinum. 610. 6 & 614. 1.

Tres eius congruentiæ. ibid.

Panis ſit triticeus. 616. 9

Hordeaceus non eſt materia. ibid.

Nec maſſa cruda, aut elixa. 10

Nec panis ex leguminibus, piſis, caſtaneis, amylo. ibid.

Probabile eſt panem ex ſecali ſeu ſiligine eſſe conſecrabilem. ibid.

Idem eſt de ſpelta. 10

Panis lacte vel aqua roſacea coctus, non videtur conſecrabilis. ibid.

Cauc adhibere materiam dubiam. ibid.

Tam panis fermentatus, quàm azymus eſt materia. 11.

Græcorum errores & fundamenta refutantur. 12

Digitized by Google

§. 4. Vinum & aqua.

pro cõsecratione calicis debet esse vinũ de vite. 619.24
Non liquores ex leguminibus, nec acetum. ibid.
Vinum acidum est consecrabile. ibid.
similiter mustum: sed ob fæces ne adhibe. ibid.
Vinum intra vas non est consecrabile. ibid.
An vinum gelatum & degelatum sit consecrabile, est dubium. ibid.
Aqua vino est permiscenda. Ibid. 25
Permixtio aquæ non est de necessitate huius Sacramenti. 26
Cur aquę omissio sit graue peccatum. ibid.
Papa in ea potest dispensare 620
Aqua modicissima adhibenda est. 27
Aqua probabiliter mutatur immediatè in sanguinẽ. 28
Quomodo species vini vinum gignant. 651. 8
Liceres tantum speciebus, non sanguini misceri possunt. 652. 15
Si liquor vincatur à speciebus, non verteretur in Sanguinem christi. ibid.
Si Sanguini misceatur vinum, non desinet ibi esse sãguis christi, etsi mixto fiat per totum. ibid. 16
Inde nec desinet Sanguis in vna gutta consecrata immissa in vas non consecratum. 653.

§. 5. Vtriusque Quantitas & præsentia.

Quantumuis magna quantitas potest consecrari, modò sit sufficienter præsens. 653. 2
Quantumuis etiam parua, modò in toto sit. ibid.
Si à toto sit separata, potest consecrari, modò sub ea possit conseruari substantia, & sit sensibilis. 4
Si autem sit insensibilis, consecrari non potest. ibid.
Si particula consecrata fiat insensibilis, non desinet corpus christi. ibid.
Materia debet sic esse præsens vt sensu percipi, & manu designari possit. 88. 5. *Non tamen vt manu attingi queat.* 6
Panis si sit post murum, non potest consecrari. ibid.
Totum mare non est consecrabile: nisi forsan Dei virtute fieret præsens. ibid.
Si pixis sit clausa, panis potest consecrari. 6
Id quod à tergo est, non potest consecrari. ibid.
Materia consecranda à sacerdote est determinanda. 7
non possunt solæ partes proportionales consecrari, nec determinatio alteri permittenda est. ibid.

§. 6. Forma Consecrationis.

Hęc est forma huius sacramenti, Hoc est Corpus meum. Hic est Calix Sanguinis mei. 653. 1. & 655. 9.
Quomodo hæc oratio, Hoc est Corpus meum, *sit Sacramentum.* 626. 16
Consecratio non fit precibus (vt volunt Græci) sed solis verbis suprà positis. 653. 2
Christus consecrauit eisdem verbis, quibus nos. 654. 5
An christus debuerit dicere imperatiuè, Hoc fiat corpus meum. 625. 15
An to Hoc *in forma Consecrationis significet panem.* ibid.
Quid propriè designet to Hoc. ibid.
Verbum Est *nunquam accipitur pro significat.* 626. 19
To Enim *non est de essentia, nec omissio eius mortalis.* 655. 9
Vox est *non necessariò addenda: omissio tamen peccaminosa.* ibid.
Si loco Hoc *dicatur* hîc, *nihil conficitur.* ibid.
Accipite & manducate, *non spectant ad formam.* ib.
Forma Calicis, *hæc est*: Hic est calix Sanguinis mei &c. *eadem explicatur.* ibid. 11
Prædictæ locutiones sunt verè. 656. 14
Formæ dicuntur non tantùm recitatiuè, sed etiam affirmatiuè. 657. 15
Eæ ma operantur vt significatiua. 17. *Et vt veræ practicè.* ibid. 18

§. 7. Transsubstantiatio.

Error hæreticorum manere panem in Eucharistia. 630. 32
error Ruperti substantiam panis assumi hypostatice à Verbo. ibid. & n. 38
Error Durandi manere materiã panis. ibid. n. 30 & 39
De fide est totam substantiam panis verti in Corpus Christi. 631. 31
Falsa est hęc propositio, hic panis est Corpus meũ. ib.
Dogma Transsubstantiationis non est à concilio Lateranensi inuentum. ibid. 34
Quo sensu Eucharistia vocetur panis 652. 36
Quo sensu possit dici materia panis in ea remanere. 37
Existentiam panis in eucharistia remanere repugnat fidei & Philosophiæ. 633. 40
Idem dic de entitate contra Caietanum. 41
Posset diuinitus Corpus Christi simul esse cum pane in Eucharistia. 42
Sed alium tunc accidentia panis ad Corpus Christi, quam nunc, haberent Ordinem. ibid.
Transsubstantiatio quid sit, & quid in eadem. 634. 43
In transsubstantiatione panis non annihilatur. 44
Transsubstantiatio fit per solam actionem substantialem conuersiuam. 651. 48
Implicat Christum per solam actionem adductiuam esse in eucharistia. 635. 49. & seqq.
Vide Replicatio & Reproductio.
Hæc reproductio qua Christus ponitur in Eucharistia differt connotato à creatione. 637. 55
Si Christus non existeret in forma naturali, per consecrationem non reproduceretur. 56
Hæc propositio vera est, Ex pane fit Corpus Christi. 639. 61
Hę impropriæ. De pane fit Corpus Christi. Panis fit Caro Christi. Panis post consecrationem est Corpus Christi.

§. 8. Accidentia in Eucharistia.

De fide est accidentia in Eucharistia esse sine subiecto. 648. 1. & 638. 59
Accidentia non individuantur à subiecto. 648. 2
Vt accidens per se existat, non requiritur aliquis modus positiuus, sed sufficit vt subtracto subiecto diuinitus id conseruetur. 650. 4
Dupliciter accidens seruari potest extra subiectum. 5
Quantitas panis & vini probabilius non est subiectum accidentium. 6
Accidentia panis eum ordinem habẽt ad Corpus Christi quem antea habebant ad substantiam panis, excepta informatione. 632. 35
Accidentia in Eucharistia eodem modo agunt, ac si essent in subiecto. 653. 8. *Et sic corrumpuntur.* 9
Ex speciebus sacramentalibus potest aliquid generari, & ijs nutriri. 11
Explicatur quomodo ex speciebus aliquid generetur. 652. 13
Quomodo species vini vinum gignant &c. Vide supra §. 5.

§. 9. Quid in Eucharistia contineatur.

Hæreses quorundam Græcorum & Latinorũ circa præsentiam Corporis Christi in Eucharistia. 621. 1
Christus verè & realiter & substantialiter est in Eucharistia. 2
probatur ex Scripturis, quas hæretici malè interpretãtur. ibid. *Ineptè ad tropum hîc confugiunt.* 622. 7
Quid sit hîc esse vi verborum, vel concomitanter. 639. 2
Potest Deus hic seorsim ponere Corpus sine Sanguine. 3
Ea quę directè, & quę per concomitantiam ponuntur in Eucharistia, ponuntur alia & alia actione 640. 3
Corpus hic non est sola materia, nec sola materia cum forma corporeitatis. 4
Sed includit formas partiales partiũ heterogenearũ. 6
Christus est sub qualibet parte specierum, & etiam sub singulis punctis & terminis indiuisibilibus. 641. 10

Digitized by Google

Corpus Christi verè est in hoc spatio in quo sunt species. 644. 28.
Non tamen circumscriptivè nec definitivè. 29
Verbum divinum & SS. Trinitas sunt hîc per concomitantiam. 641. 8
Quantitas quoque, si ea sit re distincta à re quanta. 644. 22.
Omnia etiam accidentia corporea absoluta à loco. 23
Inter quæ sunt dotes gloriosæ. ibid.
Denique accidentia Animæ christi perpetua. 24.

§. 10. Quantitas dimensiua Corporis Christi in Eucharistia.

Corpus Christi non habet hic actualem extensionem. 642. 15. *Quid propriè sit quantitas.* ibid.
Christus est hîc cum tota magnitudine sui Corporis, sed modo indivisibili. 16
Est cum tota sua mole in puncto 643. 17
Non tamen per condensationem vel penetrationem, sed alio modo sublimi. ibid.
De ratione quantitatis non est vt actu sit extensa. n. 19
Partes Corporis Christi invicem non penetrant, sed habent distantiam inter se. ibid.
Probabile est quantitatem panis non esse subiectum accidentium. 650. 6
An quantitas hîc possit corrumpi. 651. 9
An Sanguis Christi sit hîc per modum continui an discreti. 640. 7

§. 11. Mutationes Corporis Christi in Eucharistia.

Corpus Christi movetur motu speciebus. 645. 30
Transitione admittit intrinsecum vbi nouum. 31
Movetur ab eo qui movet species. 32
Extra species potest moueri à Deo, vel à sua anima. 43
Corpus Christi tantùm motu locali immutari potest a causis naturalibus. 646. 38
Nec vna pars agere in alteram, imò nec Corpus Christi in corpora circumstantia. 39
Non definit per motum localem quo ascendat in cœlum. 647. 40
Nec definit per solam factam mutationem in speciebus. 41
Dum definit, amittit modum existendi indivisibiliter, non tantùm præsentiam ad hoc spatium. n. 42
Definit per substractionem influxus diuini. ibid.
Quandonam desinat esse Corpus Christi sub speciebus: 651. 10.
Christus propriè hic non frangitur, quo sensu dicatur hic Videri, tangi. &c. 652. 14
Corpus Christi ne quidem supernaturaliter potest videri oculo corporeo. 647. 44. *Nec seipsum sic videt.* 46
Christus hic videtur à Beatis supernaturaliter. 648. 47
Naturaliter hic cognoscitur ab Angelis & dæmonibus. 49
Si Corpus Christi seruatum vel consecratum fuisset in triduo mortis, Christus ibi fuisset moriturus. 673. 4

§. 12. Apparitiones Christi in Eucharistia.

Duplex modus quo Christus in Eucharistia apparet. 647. 52. *Christus aliquando in se videtur.* ibid.
Quando mutantur species sacramentales, ordinariè non est ibi caro Christi naturalis in specie naturali. 648. 54.
An sic mutata species possit sumi. 55
Si non sumatur, an debeat fieri noua consecratio. ibid.
Sanguis emanans ex hostia, non est sanguis Christi in propria specie. ibid.

§. 13. Necessitas Eucharistiæ.

Eucharistia in re non est necessarium medium ad salutem. 612. 14. *Nec etiam in voto.* 15
Est tamen ad salutem valdè vtilis, & quasi necessaria. n. 16
Quando & quomodo parvuli manducent Corpus Domini, habeantque eius votum. 613. 18

§. 14. Eucharistiæ sumendæ præceptum & obligatio.

Infantibus & perpetuò amentibus non est danda Eucharistia. 666. 24
Pueri seriùs capaces sunt communionis, quàm confessionis. 750. 29
Danda est omnibus implicitè petentibus qui eam aliquando desiderarunt. 667. 25
Quanus hora diei sumi possit. 27
Quotidie licet communicare. Sufficit tamen vt seculares communicent octauo die. ibid. 26
Iure diuino tenemur aliquando communicare. n. 28
Hoc præcepto non obligantur infantes, sed tantùm adulti. 30. *Obligat in articulo mortis.* 668. 32
Imò tenemur aliquoties Iure diuino in vita sumere. 33. *Paschalis communio est iuris Ecclesiastici.* 34
Illi satisfit sacrilegâ communione. ibid.
Tempus Paschale an præuertendum. 669. 34
Probabilius est, quòd qui in Paschate non communicauit, post teneatur. ibid.

§. 15. Euchàristiæ sumptio sub vna specie.

Communio Laicis sub vtraque specie non est præcepta. 669. 36. *Quæ communio Laica, quæ peregrina.* 37
Sub vna specie Clericis dabatur in pœnam. 670. 37
Domi asseruabatur sub vna specie. ibid.
Manichæi semper à Calice abstinebant. ibid.
Idem etiam aliquando faciebant Græci. ibid.
Ecclesia potuit præcipere communionem sub vna tantùm specie. 670. 40
Quomodo Dominus præceperit dari Calicem. 671. 42
Sumentes sub vna tantùm Specie quòd multum gratiæ accipiunt. ibid. 45
Sacerdotes Iure Ecclesiastico tenentur Eucharistiam consecrare sub vtraque Specie, & sumere. 672. 46
Ad vtrumque etiam tenentur Iure diuino: & probabiliùs in eo Pontifex non potest dispensare. 47

§. 16 Sumptio Eucharistiæ & ad eam dispositio.

Veneratio Eucharistiæ exhibenda. 624. 15
Varij modi manducandi Christum. 661. 1
Peccator tenetur Eucharistiæ sumendæ præmittere confessionem. 661. 2. & 6
Idque iure diuino positiuo. 662. 7
Septem casus quibus licet peccatori absque præuia confessione communicare. 8
Tres casus quibus censeatur non habere copiam Confessarij. 663. 9
Peccator celebrans non præmissa confessione tenetur prima opportunitate confiteri: non autem Laicus qui sic communicauit. ibid. 11
Peccatori publico publicè neganda est Eucharistia. 664. 13. *Peccatori publico occultè pœnitenti, occultè ea dari potest.* ibid.
Peccatori occulto publicè ea danda. Non tamen priuatim: nisi ex confessione sola crimen scias. n. 14
Pollutus an peccet communicando. 665. 15. & 16
Eucharistia non nisi à ieiunio sumenda. 18
Excipe infirmos & supplicio afficiendos. 19
Sacerdos subinde celebrare potest non ieiunus. ibid.
Casus quibus liceat ei non ieiuno Eucharistiam sumere. 666. 20
Quæ sumpta aduersus malignam auram: quæ oris abluio: quæ ciborum prægustatio impediant communionem. 21. & sequent.

§. 17. Consecrans & administrans Eucharistiã.

Soli Sacerdotes possunt consecrare Eucharistiã. 675. 1
Triplicem Sacerdos habere potest intentionem, & quæ sit necessaria. 557. 18
Debet mẽte determinare id quod cõsecrandũ est. 615. 7
Si mediã hostiæ partem designet, eam solã cõsecrare. ib.
Si confusè alteram intẽdat consecrare, neutram consecrat. ib. *Si ex decem tantùm quinque intendat consecrare, easque non designet, nullas consecrat.* ib

Si ſolum intendat conſecrare partes proportionales, nihil agit. 616.
Similiter ſi determinationem alteri permittat. ibid.
Si ad iuxta poſitas hoſtias poſteà nullatenus reflectat, eas non conſecrat. 557. 23
In miniſtro ad conſecrandũ nõ eſt neceſſaria fides &c. 674. 3. plures eandem hoſtiam poſſunt conſecrare. 4
Diſpenſatio huius Sacramẽti conuenit ſoli ſacerdoti. 6. In neceſſitate committi poteſt Diacono. 675. 7
Qui & tunc id poteſt facere abſque commiſſione. 8
Similiter & Laicus in extrema neceſſitate. ibid.
Requiritur iuriſdictio ad Euchariſtiæ diſpenſationẽ. 9
Sine eâ peccas mortaliter. Et ſi religioſus es, excõmunicaris. 10. Excipe caſum quo deeſt copia Parochi. 13
Hanc poteſt quinis Parochus delegare cuinis Sacerdoti. ibid.
Ipſo die Reſurrectionis poſſunt Mẽdicantes in ſuis tẽplis eam adminiſtrare. 12
Parochus ſemper tenetur eam ſubdito rationabiliter petenti adminiſtrare. 14. Sacerdos æger, & Laicus in periculo mortis eam ſibi ipſis poſſunt porrigere. 15
Sacerdos in mortali eam adminiſtrans, peccat mortaliter. Non tamen eam attingens aut deferens in ſupplicatione. 676. 16

§. 18. Effectus Euchariſtiæ.

Varij effectus Euchariſtiæ. 624. 13. & 858. 1
Per ſe non dat primam gratiam. 2
Ad eius effectũ non requiritur actualis deuotio. ibid. 5
Veniale commiſſum in ipſa ſuſceptione non impedit gratiæ infuſionem. 6
Quandonã confertur gratia in hoc Sacramento: 659. 9
Creſcente deuotione creſcit gratia ſi ſpecies durent. 10
Si durantibus ſpeciebus tollatur obex, conferetur gratia. 11
Tribus caſibus Euchariſtia remittit mortale. 12
Per ſe remittit veniale. 13
Pœnam temporalẽ remittit ſolùm concomitãter. 659. 14
præſeruat à futuris peccatis, & tentationibus. 660. 15
Dat ſpiritualem delectationem. 16
Glorificabit corpora noſtra in reſurrectione. 17

EXCOMMVNICATIO.

§. 1. Quid ſit. Eius pœnæ Et cauſæ.

Excõmunicatio & anathema quomodo differant. 783. 2
Eius definitio. 3. Et triplex diuiſio. 4
Excommunicationis maioris pœnæ duodecim. 784. 5
Excommunicationis Minoris pœna duæ. 785. 11.
Excõmunicatus exercẽs actũ Ordinis ſacri, ſit irregularis. 5. Non tamen ſit meritò compulſus celebret. 784. 42.
Excommunicatus minori excommunicatione conferens alteri ſacramentum, peccat venialiter. 785. 11
Excommunicatus ab vno Epiſcopo cenſetur vbique excommunicatus. 786. 13
Solum ferri poteſt ob mortiferum, cui adiuncta cõtumacia. 787. 23. Contumacia non eadem ſufficit ad excommunicationem ab homine, quæ à iure. 788. 25
Excommunicationi præmittenda monitio. ibid. 28
Qualis, & quotuplex ea eſſe debeat. ibid. 28. & 29
Nõ poteſt inſtigi ob peccatũ præteritũ. 789. 30. Neque etiam ſi neſcias iſi facto annexã eſſe excommunicationem. 31
Non excuſat ignorãtia craſſa. Excuſat leuis ſeu ſit iuris, ſeu facti. 32
Excõmunicantur religioſi adminiſtrãtes extremã Vnctionem ſine venia Parochi. 837. 19.
Similiter & Euchariſtiam. 675. 10

§. 2 Excommunicandi Poteſtas.

De fide eſt in eccleſia eſſe poteſtatẽ excommunicandi. 785. 12.
Eſſe hæc penes Papam: Concilium generale: Prouinciale: Epiſcopum & Prælatos eccleſiaſticos. 786. 13
Parochi olim poterant excommunicare, ſed non modò. 14. Nec Laicus poteſt, nec mulier ibid.
Nec teipſum, nec parem potes excommunicare. 15
Nec teipſũ pari aut inferiori ſubijcere, vt ab eo excõmunicetis. ib. Toleratus validè & licitè alium excommunicat. 16 Excommunicare poteſt conſuetudo. 17
Excõmunicare non poteſt epiſcopus ſubditos ſuos extrà ſuam diœceſim poſitus. 787. 19. Niſi ab iis ſit expulſus. Leuiter ob ſuorum &c. excõmunicans peccat. 788. 25

§. 3. Excommunicari nequeunt.

Excommunicari non poſſunt infideles, Catechumeni, Papa, Communitas mortuus. 787. 18
Ob veniale excommunicari nequis. ibid. 23
Sed ob ſolum mortiferũ cui adiuncta contumacia. ib.
Iuſta cauſa, vel impotentia parendi excuſat. 788. 24
Excuſat ignorantia leuis ſeu Iuris ſeu facti. 789. 32
Appellans aliquando nequit, aliquando poteſt excommunicari. 790. 33
Excommunicatio innocentis lata ſecundùm allegata & probata, inualida eſt ob ſcandalũ tamen ſeruãda. 788. 26. Si is in publico celebrat, non fit irregularis. ib.

§. 4. Excommunicati vitandi.

Excõmunicati vitandi ſunt Iure humano. 790. 34
Et quare. ibid.
Vitandi tantùm excõmunicati, denunciati & Clericorũ notorij percuſſores. 35. In quibus vitandi ſint. 36
In quibus non vitandi ſint. 37
Excommunicatus etiam occultus tenetur vitare alios, exceptis duobus caſibus. 791. 39
Excommunicato cõmunicare, quale peccatum ſit. 40
Metu mortis licitè agis cum excommunicato. 42
Excõmunicato participans plerumque Minorẽ, tribus caſibus Maiorẽ excommunicationem incurrit. 43

§. 5. Abſolutio ab Excommunicatione.

Abſolutio ab excommunicatione quotuplex. 792. 44
Excommunicatio lata ſub conditione, hac poſitâ, tollitur per ſe. ibid.
Abſolnere ab excommunicatione minore non poteſt, niſi qui habet iuriſdictionem in mortalia. 45
A maiore excommunicatione lata ab homine in particulari contra alium, is tollat qui ligauit 46
Si à iure vel generaliter lata ab homine, abſoluit qui poteſt à mortiferis abſoluere. 47
Abſolutio ab excommunicatione vi extorta non valet. 793. 51.
Valet non ſatisfacta parte. n. 54
In articulo mortis quinis ſacerdos à quauis excommunicatione poteſt abſoluere 792. 48. Idem poteſt quinis Clericus. ibid. Inferior abſoluat à cenſuris reſeruatis ſuperiori, ſi is adiri nequeat. 793. 50
Vide Auctarium, V. Abſolutio, Caſum. 7. 8. & 9.

Exorciſta exorciſmus.

Officium eius eſt expellere dæmones. 844. 22. & 846. 31.
Eius ordinatio non eſt ſacramentum. 849. 40
Videtur hic Ordo inſtitutus poſtquam ceſſauit donum miraculorum, quo dæmones expellebantur. ibid.
Exorciſmus præmittitur baptiſmo. 599. 6
Ex ſufflatione ſignificatur expulſio dæmonis, & afflatus ſpiritus ſancti. ibid.

EXTREMA VNCTIO.

§. 1. Quid ſit, eiuſque inſtitutio.

Eſt verum legis nouæ ſacramentum 832. 1
A Chriſto inſtitutum. 834. 8
Tota extrema Vnctio ſimul eſt vnum ſacramentũ. n. 6
Vngendi iure diuino quinque ſenſuum ſedes. 838. 23
Vnctio pedum, renum, & vmbilici non eſt neceſſaria 839. 25

§. 2. Eius materia.

Eſt oleum olivæ ab epiſcopo benedictum. 834. 9
Ad eſſentiam huius materiæ benedictio eſt neceſſaria. 855. 10. Et quidem ordinariè per epiſcopum. ibid.
Vel ex commiſſione Papæ per ſacerdotem. ibid.

Digitized by Google

§. 3. Eius Forma.

Quæ forma ſit conueniens 835. 12. Quæ eſſentialis. 13
Sit deprecatoria. 14
Sufficit tempore neceſſitatis generalis vna forma ad omnes, infuſus, & vna vnius organi inunctio. 839. 24

§. 4. Eius Effectus.

Interdum confert ſanitatem corporis. ibid.
Sed nunquam niſi id expediat ſaluti animæ. 16
Abſtergit reliquias peccatorum. 836. 15
Per has intellige peccata etiam mortifera in quę quis incidit poſt ſumpta alia Sacramenta. ibid.
Item intellige torporem, mœrorem, & anxietatē. n. 17

§. 5. Eius Miniſter.

Solus eſt Sacerdos. 837. 18. Laicus ne quidem in neceſſitate ib. Sacerdos nulli licitè adminiſtrat niſi ſubditor 19
Excipe caſum extremę neceſſitatis. ibid.
Religioſus extra hunc caſum adminiſtrans, excommunicatur. ibid.
Alius Sacerdos, etſi peccet, non excōmunicatur. ibid.

§. 6. Eius Subiectum.

Extrema Vnctionē poteſt dari ſanis, ſed ægris. ibid. 20
Poteſt dari vulneratis. ibid.
Non ſupplicio efficiendis. ibid.
Si detur ſano, nihil fit. 838. 21. Neque ſi leuiter ægro. ib.
Graviter, nō tamen periculosè ægro datur validè ſed licitè. ib. Non eſt expectāda mortis articulus. ib.
Infectum peſtè ſtatim vngè. Similiter eū qui hauſit venenū. ib. Si dubites an æger obierit, da ſub conditione. ibid.
Pueris & perpetuò amentibus ne detur. 22
Secus eſt de amentibus per intervalla. ibid.
Non detur moriō peccatori, niſi ſigna contritionis oſtenderit. ibid.
Danda eſt extrema vnctio pueris poſtquam ſemel communicarint: vel, ſi id nondū fecerint, tamen obrationis vſum facere debuiſſent: 838 22
Vbinam vngendus qui aliquo ſenſu caret. 839. 26
Suſcipi his poteſt in eodē morbo, ſi ſtatus morbi varietur. ibid. 28. Phiſicus ſemel inunctus, poſt aliquot menſes ne iterum inungatur. ibid.

Femina.

Femina poteſt baptizare in neceſſitate. 577. 3
Cedat tūc præſenti viro, niſi ſit obſtetrix & peritior. ib. Inuerſio huius ordinis eſt ſolùm veniale. ibid.
Extra neceſſitatem baptizans, peccat mortaliter n. 6
Non poteſt alium excommunicare. Fortè tamen id poſſet ei à Papa committi. 786. 14
Non poteſt conferre extremam vnctionem 837. 18
Femina eſt omnino incapax Ordinū, præſertim Sacrorum. 850 47. Poteſt tamen eſſe Diaconiſſa & Preſbytera. Quod earum munus. ibid.
Poteſt ſibi ipſi in neceſſitate porrigere communionem 675. 15. Fecit id Regina Scotiæ ibid.
Poteſt ſuſcipere de ſacro fonte. 579. 12
& de Confirmatione. 608. 35
Poteſt eſſe teſtis in matrimonio. 898. 202

Fictio.

Quis dicatur Fictus, & quotuplex. 591. 9. Fictè accedens ad baptiſmum, non accipit remiſſionem originalis. ibid.
Fictione recedente Baptiſmus confert omnem ſuum effectum, quē ab initio cōtuliſſet, ſi fictio non adfuiſſet. 593. 15. & ſeq. Vide Reuiuiſcentia.
Datur ficta ſeu informis cōfeſſio. Vide Cōfeſſio §. 9.

Gratia.

Omnia Sacramenta noua legis conferūt gratiā ex opere operato. 12. 2. Vide Sacramentū, §. 7.
Quæ gratia per Baptiſmum conferatur, Vide Baptiſmus. §. 6.
Quę gratia per Euchariſtiam, vide Euchariſtia. §. 18
Quæ per Confirmationem, vide Confirmatio, §. 3.
Quæ per Pœnitentiam ſeu Confeſſionem, vide Peccati remiſſio.
Quæ per extremā Vnctionē, vide Extrema vnctio. §. 4
Quæ per Ordinationem, vide Ordo. §. 4.
Quam coniugatis ſit neceſſaria gratia. 858. 28
Gratia quę per Sacramentum matrimonij conferitur, eſt quadruplex. 863. 41. Gratitudo, vide Ingratitudo.

Hæreſes circa Sacramenta.

§. 1. In genere.

Caluiniana Sacramenti definitio. 534. 9
Errores in definitione Caluini. 10
Caluinus in Sacramentis requirit verba concionatoria. 538. 22.
Lutherana definitio Sacramenti reūcitur. 535. 12
Lutherus ait Sacramenta non conferre gratiam ex opere operato. 544. 1
Hæretici negant vlla Sacramenta cōferrè gratiam. ib.
Et imprimere characterem. 549. 1
Negant miniſtrum Sacramenti nos Deo reconciliare. 551. 1
Eorum diſcrepantia in aſſignando numero Sacramentorum. 560. 1

§. 2. Circa Baptiſmum: Confirmationem. & Euchariſtiam.

Anabaptiſtæ, Petro-Bruſiani & Henriciani negant infantes licitè baptizari. 583. 14
Satisfit eorum argumentis: n. 16
Hæretici negant per baptiſmum culpā remitti. 588. 1
Negant cæremonias poſſe ab Eccleſia inſtitui. 599. 2
Sępè tamen Caluinus eas præcepit. ibid.
Negant confirmationem eſſe Sacramentum. 600. 1
Eorum errores circa præſentiam Corporis Chriſti in Euchariſtia. 621. 1
Negant poſt conſecrationem fieri transſubſtantiationē panis in Corpus Chriſti. 630. 30
Dicunt hominem eò aptiorem eſſe percipiendę Euchariſtię, quò pluribus peccatis eſt inquinatus. 661. 1
Volunt Iure diuino communionem Laicis ſub vtraque ſpecie eſſe præceptam. 659. 35
Dicunt omne opus bonum eſſe verum Sacrificiū. 676. 3
Dicūt omnes homines & diabolū poſſe cōſecrare. 673. 1

§ 3. Circa Pœnitentiam.

Dicunt pœnitentiam non eſſe Sacramentum. 698. 1
Error Nouatianorum circa pœnitentiam: 705. 33
Hæretici volunt nomen pœnitentię ſignificare nudam reſipiſcentiam. ibid. 1
Volunt quędam peccata eſſe irremiſſibilia. 711. 2
Volunt ſolam fidem ſuffĩcere abſque pœnitētia ad peccati remiſſionem. 712. 8
Negant Deum vllas pœnas in vindictam pręteritorum peccatorum exigere. 715. 20
Volunt duas ſolùm eſſe Pœnitentię partes, ſcilicet Cōtritionem & Fidem. 727. 2
Confeſſionē, vt ſit in Eccleſia, omnino reūciunt. 742. 2
Eorum argumenta diſſoluuntur. 743. 6. & 746. 12
Docent papam aut Epiſcopum non plus poſſe remittere peccata, quàm mulierem aut puerum. 751. 1
Negant iuſtum poſſe condignè ſatisfacere, pro reatu pœna temporalis ex peccato remanente. 779. 15
Soluuntur eorum obiectiones. 780. 18

§. 4. Circa extremam Vnctionem: Ordinem: & Matrimonium.

Negant extremam Vnctionem eſſe Sacramentū. 832. 1
Rigidi Lutherani negant Ordinem eſſe Sacramentū: admittunt Caluiniſtæ. 839 1
Quinam hæretici matrimonium impugnarint. 852. 3
Lutherus docet eſſe neceſſarium & præceptum. ibid. 8
Caluinus ait ab omnibus ineundum, quibus non eſt reuelatum quòd habeant donum continentiæ. 853.
Lutherus & Anabaptiſtæ volunt Polygamiam Iure diuino eſſe permiſſam. 854. 19
Noſtri hæretici negant eſſe Sacramentum. 856 24

Digitized by Google

Vvicleſ negat matrimonium eſſe Sacramentum ante copulam. 860. 34
Lutherus docet matrimonium fidelium conſummatum variis de cauſis poſſe ſolui quoad vinculũ. 877. 103
Hæretici noſtri putant omnes gradus Conſanguinitatis Leuitici 18. prohibitos Iure naturæ. 888. 160

Homicidium.

Homicidium voluntarium & caſuale, quid ſit. 805. 22
An ſit homicida qui baptizando infantem occidit proiectione in puteum. 571. 34
Vide V. Irregularitas ex homicidio, §. 1. vbi multa de homicidio dicuntur.
Deus fecit hominem dominum vitæ ſuæ ſpiritualis, non corporalis 586. 26
Homicidio violatur locus ſacer. 697. 79
Occidere per aſſaſſinum addit nouam malitiam homicidio. 772. 40. Habetque adiunctam excommunicationem ibid. Occidere per famulum non addit nouam malitiam. ibid.

Illegitimus.

QVis dicatur illegitimus. 811. 62
Illegitimus non eſt cuius parentes ante conceptionem caſtitatem vouerant. 63
Non tenetur quis credere matri dicenti ipſum eſſe illegitimum. 64. Vide Irregularitas. §. 7.

Inceſtus.

Inceſtus cum matre, nouerca, auia, nepte, filia eſt eiuſdem ſpeciei, habet tamen diuerſam grauitatem intra eandem ſpeciem. 772. 41
Inceſtus cum conſanguinea vxoris vel cum propria cõſanguinea, viuente vxore, adfert impedimentum impediens. 899. 205.

Indvlgentiæ.

§. 1. Quid ſint: & qui eas conferant.

Quid ſint indulgentiæ. 812. 1
Eſt in Eccleſia poteſtas conferendi Indulgentias. 2
Negant id hæretici ibid.
Indulgentiarum vſus vetuſtiſſimus 814. 6
Eſt in Eccleſia theſaurus ſatisfactionum pro Indulgentijs. 7
Conſtat ex ſatisfactionibus chriſti & ſanctorum. 8
Nunquam hic theſaurus poteſt deficere. 9
Papa & Concilium Generale habent poteſtatem conferendi Indulgentias Plenarias. 815. 12
Epiſcoporum poteſtas eſt hîc reſtricta ab Innocentio III. in Concilio Lateranenſi. 13
Religioſi exempti lucrantur indulgentias ab Epiſcopis conceſſas. ibid. Similiter alterius diœceſis ſubditis cum venia proprij Parochi. ibid.
An conſuetudo poſſit hanc poteſtatem conferre. n. 16

§. Earum valor.

Indulgentiæ datæ de pœnitentijs iniunctis quò vſque extendantur. 817. 22
Datæ abſolutè extenduntur etiam ad iniungendas pœnitentias. 818. 23
Indulgentia plenaria liberat à tota pœnitentia. 25
Quid faciat Indulgentia certi temporis. ibid.
Indulgentiæ tantum valent, quantum ſonant. n. 28
Quomodo intelligenda formula Indulgentiarũ. 1000 annorũ, &c. 29. Plena, Plenior, Pleniſſima idem ſunt. 30
Item Iubilæum, ſed hoc habet annexa quædam priuilegia. 31

§. 3. Earum cauſa ob quam.

Vt Indulgentia conſtet, requiritur cauſa iuſta. 32
Etiam pro maximis Indulgentijs requiritur cauſa proportionata. 33
Cauſæ magnitudo colligitur ex fine Pontificis, & opere præſcripto. 820. 35
Papa non eſt hîc facilè diiudicandus. 36
Temerariè quidam reijciunt vel parui pendunt Indulgentias granorum benedictorum &c. 37

§. 4. Indulgentiæ Defunctorum.

An hæ proſint Defunctis. 38
Dantur defunctis per modum Suffragij. 821. 39
Quid ſit ſic dari eas. 40
Indulgentiæ valent mortuis ex cõdigno & certa lege. 41
Indulgentia mortuorum eſt ſolutio & oblatio precij vt à Deo abſoluantur. 816. 19

§. 5. Indulgentiæ viuorum.

Indulgentia viuorũ eſt abſolutio & ſimul ſolutio. ib. 17
Opus ad indulgentias merendas iniunctum non debet totum fieri in gratia 822. 43. Sufficit vt vltimum ſic fiat. ibid.
Indulgentiæ non reminiſcunt. 45
Indulgentiarum fructum quando impediat veniale, quando non. 46
Ad illas promerendas præter ſtatum gratiæ, non requiritur ſollicitudo & diligentia ſatis-faciendi pro peccatis per condignam pœnitentiam. 823. 47
Requiritur tamen vt totũ opus iniunctũ expleas. ib. 51
Et quidem ipſe per te vt plurimum. 52
Indulgẽtias à te promeritas inualidè alteri applicas. ib
Eas pro altero obtinens, vbi formula patitur, non eſt neceſſe ſit in gratia ſed is cui obtinentur. 824. 53
Eadem indulgentia poteſt ſæpius obtineri. 54
Quomodo intelligenda priuilegia quæ conceduntur tempore Iubilæi. ibid. 55

Infantes.

Eſt de fide infantes licitè & ſalubriter baptizari. 583. 14.
Baptiſmus reipsâ ſuſceptus eſt medium abſolutè infantibus neceſſarium ad ſalutem. 584. 19 De baptiſmo infantium vide V. Baptiſmus. Eius neceſſitas & obligatio.
Deus ex parte ſua non reliquit infantes ſine ſufficienti remedio. 885. Iudicia Dei qui tam multos infantes finit perire, inſtaſ, ſed inſcrutabilia. ibid.
Infantibus moribundis expedit conferre Confirmationis Sacramentum. 606. 27
Infantibus & pueris ne detur extrema Vnctio. 838. 22
Infantes ſanctificantur martyrio. 573. 43
Infantes poſt baptiſmum morientes erũt infimi in gloria. 576. 51. in fine, & 593. 18
Infantes ſunt capaces ſacrorum Ordinum. 850. 48
Non obligantur ad ſumptionem Euchariſtiæ. 667. 30

Infernus.

Caluinus negat infernum eſſe ſub terra, ſed ait eſſe vbique. 826. 18
Infernum eſſe ſub terra, de fide eſt. n. 13
Quatuor loca animarum poſt hanc vitam. ibid.
Quomodo ignis agat in ſpiritum. 827. 19
Animæ impiorum deducuntur in infernum à dæmonibus. 830. 32. Animæ ex inferno egredi non poſſunt citra ſpecialem Dei diſpoſitionem. 831. 35
Verò ſimilius eſt neminem ex inferno ad vitam reuocatum. ibid. Nec animam Traiani. 332. 38
Damnatis non proſunt Suffragia viuorum. ibid.
Nec ſacrificium Miſſæ. 691. 47

Ingratitudo.

Peccata remiſſa quadammodò redeunt ratione ingratitudinis 723. 5
Ingratitudo eſt circumſtantia omnis peccati. ibid.
Ingratitudo peculiariter eſt in quatuor generibus peccatorũ. 724. 10. Videtur maior ingratitudo peccare poſt remiſſionem peccatorũ, quàm poſt innocentiã. 11
Scotus putat ingratitudinem quæ eſt in relapſu, eſſe cõfitendam. 12. Ingratitudo quæ eſt ſpeciale peccatũ, eſt neceſſariò confitenda. ib. Ingratitudo quæ eſt ſolùm circumſtantia peccati, non eſt neceſſariò confitenda. ibid.

Intentio Miniſtri Sacramentorum.

Triplicem miniſter habere poteſt intentionem: & quæ ſit neceſſaria. 557. 18

Miniſter

Miniſter intendens facere quod chriſtus inſtituit, nõ tamen quod facit Eccleſia, conficit Sacramentum. 558. 21
Si velit conferre Sacramentum ſine effectu Sacramenti, conficiet Sacramentum: non tamen contrà. ibid.
Si duo baptizati intendant contrahere matrimonium, nullo tamen modo facere velint Sacramentum, non erit Sacramentum. ibid.
Intentio conditionata quę efficax: quæ non. 22
Non ſufficit intentio interpretativa ad Sacramentum conficiendum. ibid. *Nec etiam habitualis.* ibid.
Sufficit autem actualis & virtualis. Excipe caſum quo nullatenus poſtea Sacerdos ad hoſtias, initio Sacri propè ſe poſita, reflectat. 559. 23
Vide Sacramentum §. 10. & Euchariſtia §. 17.

§. 1. INTERDICTVM.

Quid ſit & quomodo ab aliis Cenſuris differat. 796. 1
Diviſio in Locale & Perſonale. 2
Interdictũ vt poſſit ferri quale peccatũ requirat. 797. 4
Quâ formâ ferendum ſit. 5
Qui ſententiam Interdicti tulit, tenetur etiam ipſum ſervare, niſi diſpenſet tantiſper. 798. 11
Interdictum omne ſervandũ ab eo qui interdictus eſt: ab aliis verò nonniſi interdictũ denuntiatum. 799. 12

§. 2. Interdicti effectus.

Tres ſunt effectus Interdicti. 797. 6
Bonifacii VIII. conſtitutio de celebrãda quotidie Miſſa in loco interdicto. 7
Circa hanc conſtitutionem notabilia ibid.
Pœnę Clericorum violantium interdictum. 799. 16.

§. 3. Interdicti obligatio.

Peccat mortaliter Clericus violãs interdictum. 799. 13
Item Laicus. 14.
Non tamen ſi locus ſit tantùm interdictus. Excipe tres caſus. ibid.
Interdictos tenetur excludere Clericus. 15
Non tenetur eos vitare Laicus. ibid.

§. 4. Interdicti abſolutio, ſuſpenſio.

A quibus, & quomodo tollatur interdictum. 800. 10
Quomodo ſuſpendatur locale. 11. *Et perſonale* ibid.
Quomodo interdictum ſuſpẽdi poſſit, & quę inter huius, & excommunicationis ſuſpenſionem diverſitas. ibid.

IRREGVLARITAS.

§. 1. Quid ſit: & quomodo incurratur.

Quid ſit, & quomodo ab excommunicatione &c. differat. 800. 1. *Quando quis cenſendus irregularis.* 2
Irregularitas contrahitur crimine occulto, vel paucis noto. 801. 4
An & quando qui ſic contraxit irregularitatem, teneatur ſe prodere. 5
Veniale non ſufficit ad irregularitatem inſtigendam in pœnam delicti. 802. 6
Irregularitas quando incurratur occiſione, mutilatione inſtá &c. n. 8.
An & quando filius hæretici ſit irregularis. 807. 38
Collatio beneficij Eccleſiaſtici factu irregularis eſt irrita. 802. 7.

§. 2. Irregularitas ex homicidiõ.

Homicidium voluntariũ, & caſuale quid ſit. 805. 22
Omnes qui ad voluntarium concurrunt, ſunt irregulares. 23
Homicidam comitantes, probabiliter non ſunt irregulares. ibid. 23
Si multi vulnerent, ſed tu prior, non tamen letaliter, non es irregularis. 24
Omnes de quibus dubitatur, ſunt irregulares. 25
Homicidium mandans ſit irregularis ſi id ſequatur. 26
Si ratum habeat iam admiſſũ, non ſit irregularis. ibid.
Homicidium ex tuo cõſilio ſecutũ facit te irregularem. 806. 27.
Etiam dum eſt dubium an ex tuo cõſilio ſecutum. ibid.
Sècùs ſi tuum conſilium licitum. 28. *Occidere volenti ſuadens mutilationem, non ſit irregularis.* 29
Homicidiũ nõ impediẽs vbi tenetur ex inſtitia, ſit irregularis: 30. *Vbi tantùm tenetur impedire ex charitate, non ſit irregularis.* 31
Homicidium caſuale non inducit irregularitatem, niſi interveniat gravis negligentia. 32. & ſeq.
In dubio homicidij incurritur irregularitas. 801. 3
Occidens invaſorem ſi non poterat niſi cum ſuo periculo fugere, non ſit irregularis. 802. 9. *Si Clericus poterat fugere, ſed tantùm cum ſua ignominia, ſit irregularis.* ibid.
Contrarium in Laico probabile eſt. ibid.
Occidens, cùm ad id tenetur ob bonum proximi, aut reipub. non ſit irregularis. 803. 10
Occidens pro defenſione neceſſaria bonorum ſuorum, non incurrit irregularitatem. 12
Occidens parentem certo inſidiat, non incurrit irregularitatem. n. 13
Occidens in bello iniuſto ſit irregularis. ibid.
Item in bello iuſto, niſi ſit defenſio ſui vel patriæ. 14
Occidens per iudicium quando ſiat irregularis. 804. 15
Advocatus patrocinãs accuſatori in cauſa ſanguinis ſit irregularis. Secùs ſi patrocinetur reo. n. 17
Non ſit irregularis qui impetrat à Iudice vt reus mitiorè breviorque morte afficiatur. 29
Neque vendens mortis inſtrumenta. ibid.
Irregulares ſunt teſtes, Notarius, miniſtri iuſtitiæ dum quis occiditur. n. 18. &c ſeqq.

§. 3. Irregularitas ex delicto notorio, & infamia.

Non oritur ob vllum delictum occultum præter trium. 807. 37.
Oritur ob publicum, quando huic annexa eſt à Iure infamia. ibid.
Si non eſt annexa infamia, non oritur irregularitas. n. 39.

§. 4. Irregularitas ex delicto circa ſacramenta.

Bis ſuſcipiens abſolutè aut conferens baptiſmum, ſit irregularis. 808. 41
Probabile tamen eſt conferentem non fieri irregularem. ibid.
Bis confirmatus, ordinatus &c. non ſit irregularis. ibid.
Clericus vtens Ordine quem non habet, quando ſiat irregularis. 42
Laicus baptizans ſolẽniter &c. non ſit irregularis. 43
Ligatus cenſurâ ſi exerceat actum Ordinis, ſit irregularis. 44. *Item excommunicatus ſuſcipiens Ordines.* 45
Secùs ſi in ſuſpenſione quis eos ſuſcipiat. 46
Ordinatus ab Epiſcopo ligato cenſurâ, ſit irregularis. 809. 48.
Ordinatus ab alieno non ſit irregularis. 48
Ordinatus ante legitimam ætatem aut extra ſtatuta tempora non ſit irregularis, ſed ſuſpenditur ab executione Ordinum. 49
Qui duos Ordines ſacros ſimul ſuſcepit, ſuſpenſus eſt à poſteriori. 50
Per ſaltum ordinatus ſi miniſtret in ordine ſic ſuſcepto abſque diſpenſatione, ſit irregularis. 51
Ordinatus ante legitimam ætatem vel extra ſtatuta tempora non ſit irregularis propter celebrationem cum Epiſcopo. 52

§. 5. Irregularitas ex defectu corporis.

Si hic defectus talis ſit, vt neque as decorè ſacrũ miniſterium obire, es irregularis. 809. 53. *Itẽ ſi epilepticus.* ibid. *Item ſi culpabiliter tibi membrũ abſcideris.* 54
Non tamen ſi alteri digitum, pollicem, aures abſcideris, licet inde alter fiat irregularis. 55

§. 6. Irregularitas ex Bigamia.

Ratio ob quàm bigamia induxit irregularitatẽ. 810. 57
Ad Veram bigamiã requiritur conſummatio per coniunctionem cum affectu maritali factam. 58
Interpretativa bigamia eſt ſi ducas viduam, vel ab alio corruptam, & cum ea conſummas. ibid.

Digitized by Google

Item ſi cognoſcas vxorem tuam poſtquam illa adulterium perpetrauit. ibid.
Similitudinaria bigamia eſt, ſi clericus Ordinis ſacri contrahat cũ vidua, & affectu mariti ab illa conſummet. 59.
Item ſi martua priore vxore iniueris ſacris, & poſtea vnam ſuã cum alia contrahas. ib. Hæc ſimilitudinaria bigamia à ſolis clericis incurritur. ibid.

§. 7. Irregularitas Illegitimorum.

Natus ex matrimonio non verè vel ſaltem opinione legitimo, eſt irregularis. 811. 62
Natus ex matrimonio clandeſtino, vel cui deſint proclamationes, ſi ſubſit impedimentũ dirimens, eſt irregularis. ib. Expoſiti in non cenſentur irregulares. ibid.
Neque nati ex parentibus qui ante concepionem vouerunt caſtitatem. 63. Si credas matri aſſerenti te illegitimum, ſis irregularis: ſecùs ſi non credas. 64

§. 8. Diſpenſatio in Irregularitate.

Quis diſpenſet in Irregularitate orta ex defectu lenitatis. 805.
In Irregularitate homicidij voluntarij ſolus Papa diſpenſat. 807. 35
In Irregularitate ex homicidio caſuali occulto, vel nondum ad Iudicẽ deducto, etiam diſpenſat Epiſcopus. 36
Si ſit publicũ, non poteſt Epiſcopus niſi ad Ordines minores, & beneficium ſimplex. ibid.
Quis diſpenſet in irregularitate ex delicto notorio & infamia. 808. 40
In irregularitate orta ex notabili corporis deformitate, ſolus Papa diſpenſat. 810. 56
Idem ſit ſi pars membri ablata eſt notoriè. ibid.
Diſpenſat Epiſcopus ſi tibi ſecretò membrũ abſciderit. ib.
Irregularitas orta ex bigamia non auferitur Baptiſmo. 811. 60.
Papa abſolutè in omni bigamia poteſt diſpenſare. 61
Epiſcopus in Vera & Interpretatiua bigamia ad Minores tantùm ordines diſpenſat. ibid.
Ad omnes Ordines poteſt Epiſcopus diſpenſare in Similitudinaria. ibid.
Irregularitas illegitimorum tollitur per ingreſſum & profeſſionem Religionis approbatæ. 812. 65
Tollitur quoad Ordines ſacros & beneficium ſimplex ab Epiſcopo. 66
Debet tamen hoc impedimentum eſſe occultum vt poſſit Epiſcopus diſpenſare ad omnes Ordines. ibid.

Iudex.

Iudex chartularius habet poteſtatem iudicandi, non tamen habet ſubditos. 554. 9
Pœnę Iudicis errantis in excõmunicandis participãtibus cum excõmunicato ob omiſſas monitiones. 788. 29
Iudex ad mortem vel mutilationem condemnans, fit irregularis. 804. 15
Similiter miniſtri iuſſitiæ. ibid. 20

Iudicare. Iudicium.

Quando & quomodo iudicentur animę morientium. 830. 29.
Probabile eſt eas iudicari à Chriſto vt homine. 30

Iuriſdictio.

Quid iuriſdictio, & qui eius actus. 752. 6. Sine ea inualida eſt confeſſio. ibid.
Iuriſdictio tantùm virtualis & incompleta datur ex vi ordinationis. ibid. 8. Hæc non exit in actum niſi ei applicetur materia. 9
Quo ſenſu dicatur Eccleſia cõferre iuriſdictionẽ. 753. 11
Iuriſdictionem complet ſeu ſubditos aſſignat iure diuino ſolus Papa. 754. 12
Tribuitur plena Iuriſdictio abſoluẽdi à peccatis, opus eſt approbatione Ordinarij. 15. Vide Approbatio.

Laicus.

Laicus in neceſſitate poteſt baptizare. 577. 4. Extra eam baptizans, peccat mortaliter. 6. Præſente Clerico Laicus ne baptizet. ib. 5. Laico non eſt iure diuino præcepta cõmunio ſub vtraque ſpecie. 669. 36
Laica vel peregrina communio, quæ 37
Poteſt ſibi ipſi in neceſſitate porrigere Communionem. 675. 15. Non peccat mortaliter ſi Euchariſtiam contingat aut deferat ad infirmum ipſe exiſtens in mortali. 676. 16
Laico nec ſacramẽtaliter nec neceſſariò cõfiteri. 752. 3
Fit tamen id aliquando vtiliter. 4
Laicus tentans abſoluere non fit irregularis. 5
Laicus cui vt Laico confiteris, non tenetur ad ſigillum. 776. 13.
Non poteſt excõmunicare. Fortè id ei poſſet à Papa committi. 786. 14
Non poteſt alium abſoluere ab excommunicatione, ne quidem in articulo mortis. 792. 48
Laicus perſonaliter interdictus peccat mortaliter violando interdictum. 799. 14
Non tamen peccat mortaliter ſi locus ſolùm interdictus. ibid. Excipe tres caſus. ibid.
Non tenetur vitare interdictos. 15
Laicus occidens innaforem quem ſine ignominia effugere non poteſt, non fit irregularis. 802. 9
In neceſſitate non poteſt cõſerre extremam vnctionem. 837. 18.

Lector.

Officium Lectoris. 844. 22. & 846. 31. Hic Ordo verosimiliter non eſt Sacramentum. 849. 40

Lex.

Lex Euangelica cuique ſufficienter prædicata obligat ad baptiſmum. 564. 8
Lex ſupernaturalis ſolùm ſeruanda eſt ſalnâ naturæ lege. 586. 26
Quę leges Eccleſiæ in mortis periculo obligent. 872. 84
Lex repudij. 873. 88
Lex ciuilis non poteſt matrimonio impedimentum dirimens conſtituere. 883. 132

Maleficium.

NOn licet maleficium tollere maleficio, nec petere, vt maleficus ſic tollat. 895. 189
Licet maleficia tollere ſine maleficio. 190. Neque amouens miſcet ſe pacto magi cum dæmone. 896. 192
Neque hoc eſt expectare beneficium à dæmone. 193
Impedimentum maleficij quandoque eſt perpetuum. 897. 196.
Licitè ponis ſigna, quibꝰ ſigna magica vim ſuam amittunt. 197. Nõ tamẽ interueniat fauor dæmonis. 198.
De magia vide plura lib. 2. de Iuſtit. & Iure cap. 44. in quique primis dubitationibus. Item vide Auctarium ad 1. 2. Verbo Magia.

Manna.

Manna non fuit inſtitutum ad ſanctificationẽ. 536. 14
Mannę & Euchariſtiæ inſignis comparatio, 614. 23
Patres Euchariſtiam cum Manna comparant. 623. 13

Martyr. Martyrium.

Martyres olim dabãt litteras cõdonatorias pœnitentiꝰ publicè, in relaxationem pœnitentiæ explendæ. 813. 4
Martyrium dicitur baptiſmus ſanguinis. 573. 42
Martyrium non eſt Sacramentum. ibid.
Infantes ſanctificantur martyrio. 43
Adulto aliquando confert martyrium primam gratiam. ibid. 44
Quomodo Martyriũ ſit actus imperatus charitatis. 574. 45. Ad martyriũ raptus peccator & nondũ baptizatus, tenetur ſub mortali adhibere operam vt baptizetur aquâ. 46. Peccator etiam baptizatus in tali caſu tenetur conteri. ibid.
Martyriũ non eſt virtualis dilectio dei ſuper omnia, nec virtualis contritio. ibid.
Attritio putata contritio ſufficit cum martyrio ad iuſtificationem. 575. 47
Magis ſufficit attritio cum Baptiſmo, quàm cum martyrio ad iuſtificationem. ibid.
Voluntas martyrij cum externa perpeſſione non ſufficit in immemore peccatore ſine virtuali pœnitentia. 48

Digitized by Google

Voluntati tali ferè ſemper coniuncta eſt virtualis pœnitentia. ibid.
Sola voluntas mariendi pro Chriſto ſufficit in infto ad martyrium. 49. *Etiam in dormiente. Sufficit etiam ſola voluntas habitualis.* ibid.
Confertur effectus martyrij in vltimo inſtanti vitæ, vel paulò ante ſeparationem animæ. ibid.
Præſtantia Baptiſmi ſanguinis præ alijs baptiſmatibus. 576. 51

MATRIMONIVM.

§. 1. Secundùm ſe conſideratum.

Origo nominis Matrimonij. 851. 1. *Definitio eius.* 2
Matrimonium eſt Iuris naturę. 852. 4. *Eius vſus eſt licitus, & ſæpè meritorius.* 5. *Quid ſi fiat ob delectationem, vel ad vitandam fornicationem, vel pollutionē.* 7
Matrimonium non eſt præceptum lege poſitiua. 8
Neque lege naturæ. ibid.
Ne quidem in principio mũdi fuit præceptum lege poſitiua. 853. 9. *Nec eſſet præceptum licet iam mundus exhauriretur.* ibid. 11
Quid vinculum, quidque vſus matrimonii. 860. 34

§. 2. Vt eſt Sacramentum.

Matrimoniũ inter fideles verũ Sacramentũ eſt. 856. 24
Probatur contra noſtros hæreticos ex Scriptura. 25. *Idē probatur ex Conciliis & Decretis Pontificum.* 857. 26. *Item ex Patribus.* 858. 27. *Item ex Ratione.* ib.
Non fuit Sacramentum ante Chriſtum, nec modò eſt inter infideles. 859. 30. 31
Matrimoniũ infidelium per Baptiſmum non fit Sacramentum. 860. 32. *Neque eſt Sacramentum matrimonium fidelis cum infideli.* 33
Matrimonium eſt Sacramentum abſque copula. 34. *Eſſe duos in carne vna fit per matrimonium etiam ante copulam.* 861. 36. *Quo caſu & quomodo copula pertineat ad ſubſtantiam matrimonii.* ibid.
Contractum etiam ſine benedictione Sacerdotis inter Chriſtianos, eſt verum Sacramentum. 37. *Quid operata ſit benedictio in coniugio Adę & Euę.* 859. 31
Et quomodo poſt lapſum Adę ſit inſtitutum in remedium concupiſcentiæ. ibid.
Matrimonium per Procuratores contractum, eſt Sacramentum. 862. 40
Miniſtri huius Sacramenti non ſunt alij, quàm ipſi contrahentes. 861. 37
Materia hîc ſunt corpora contrahentium. Forma, verba quibus contrahunt. 38
Quomodo matrimoniũ efficiat, quod ſignificat. 858. 29
Quomodo pro matrimonio poſſit dare pretium. ibid.
Sacramentum hoc poteſt pendere ex conditione futura. 869. 73.

§. 3. Conſenſus in Matrimonium.

Conſenſus hic ſit liber & exterius expreſſus. 867. 62
Sine conſenſu nequit fieri matrimonium per homines: poteſt per Deum. 63
Conſenſus vtriuſque non debent ſimul exiſtere. 64
Conſenſus hic fertur in mutuam obligationem, non copulam. 868. 65
Debet cõſenſus eſſe liber à metu iniuſtè incuſſo. 870. 76
Matrimoniũ metu contractum non eſt irritum defectu libertatis. 871. 77
Nec eſt irritum Iure naturæ ob iniuriam, ſed irritandum. 78
Eſt tamen irritum Iure Eccleſiaſtico, & Ciuili. 79
Matrimonium inualidum ob iniuſtum metum non confirmatur copulâ, ſi malè putet conſenſum priorem fuiſſe validum. 872. 83. *Neque etiam ſi copula metu coacta.* 83
Quid faciet metu mortis coactus contrahere & conſummare? 84
Conſenſus parentum non eſt neceſſarius vt valida ſint matrimonia, ſed vt licitè & honeſtè contrahantur. 85. *& ſeqq. Vide* Auctarium *ad* 1. 2. V. Matrimonium. *Casum* 19. & 20.

§. 4. Conditio vitians conſenſum in Matrimonium.

Variæ conditiones. 868. 67
Cõditio neceſſaria nec vitiat, nec ſuſpẽdit conſensũ. 68
Impoſſibilis vitiat, niſi loco ſit addita. 869. 69
Conditio contra ſubſtantiam, vel bona matrimonii, vitiat. 70. *Non tamen ſi hęc ſit de præſenti.* ibid.
Quid operetur turpis conditio. 71. *Quid honeſta.* 71.
Conſenſus per verba de præſenti cum conditione de futuro, poſita conditione, non requirit nouum conſenſum expreſſum de præſenti. ibid. 73
Sacramentum poteſt pendere ex conditione futura. ib.
Contrahens cum conſanguinea ſub conditione, Si Papa diſpenſauerit, an validè. 870. 75

§. 5. Matrimonij ſolutio *ſeu* diuortium.

Matrimonium conſummatum fuit in veteri lege ſolubile per libellum repudii. 873. 88.
Olim Iudęis cœpit permitti repudiũ cùm Deus præcepit Abrahæ repudiũ Agar. 90. *Tunc etiam apud Gentes permiſſũ repudiũ.* ib. *Cauſæ repudii.* 874. 91. *Nunc Iudæis & Gentibus eſt id illicitum.* 92
Duo requiſita vt matrimonium ſit omnino inſolubile. 875. 99.
Matrimoniũ infidelium poteſt ſolui quo ad vinculũ, ſi altero ad fidem converſo, alter convertì nolit. 874. 93
In Hiſpaniis tales coguntur ad ſeparationẽ. 95. *Cuinam in tali diuortio aſſignandę proles.* ib. *Tale matrimonium ſoluitur per nouum matrimonium, vel profeſſionem: non per Ordines ſacros.* 96. & ſeqq.
Matrimoniũ fideliũ ratum ſoluitur profeſſione in Religione approbata. 875. 98. *Probatur exemplis ſanctorum.* ib. *Ratio congruentiæ.* ibid. *Sed iure tantùm Eccleſiaſtico.* n. 100
Poteſt idem ſolui iuſtis aliis de cauſis. 87. 101
Ante conſummatũ matrimoniũ ſępe licet parti ingredi Religionẽ. ib. 102. *Quid ſi per vim conſummetur.* ib.
Matrimonium fidelium conſummatum nullo caſu ſolnitur quo ad vinculum. 103
Soluipoteſt quo ad torum & cohabitationem, idque variis modis, & variis de cauſis. ibid.
In hoc diuortio par eſt vtriuſque coniugis poteſtas. ibid.
Coniux innocens abſolutè non tenetur dimittere fornicantem. 878. 110. *Neque facto diuortio, tenetur ad reconciliationem.* 111. *Poteſt tamen admittere non emendatum.* ibid.
Innocẽs facto diuortio fornicans, non tenetur coniugem ante dimiſſum, admittere. 112
Diuortium non poteſt fieri ob fornicationem in ſex caſibus. 113
In diuortio facto ob maiorem perfectionem, quædam obſeruari debent ſecundùm iura. 879. 114

§. 6. Debitum Matrimoniale.

Coniuges pari iure tenentur ſibi mutuo reddere debitum. 115
Excuſat à redditione, periculum grauis morbi & abortus. 116. *Item menſtrua quæ ſtatis periodis recurrunt.* 117
Non excuſat fluxus perpetuus ſanguinis in vxore neque ſeminis in viro. ibid. *Neque ſanctitas loci.* 116. *Vel neque ſolemnitas feſti. Sed veniale eſt tunc petere.* ib.
Paupertas etiam non excuſat. 880. 118
Coniux occultè fornicatus poteſt petere debitum, ſed nõ per vim extorquere. 119
Debitũ reddi aut peti nequit ab eo, qui quaſi certus de inualiditate matrimonii. 120. *Quid ſi ſcrupulum habeat?* ibid.
Quid ſi bona fide contraxeris, & poſtea dubites. ibid.
Si contraxiſti cum dubia redde, non pete. 121
Pars quæ ſine conſenſu partis vouit continentiam, tenetur reddere, non poteſt petere. 881. 123

Si pari conſenſu vouerint, neuter poteſt petere: vterque tamen poteſt reddere ſi alteruter petat, quamuis illicitè. 123
Quid agendum circa debitum ſi vouerit caſtitatem ante matrimonium? 124
Quid ſi vouerit ingreſſum Religionis? ibid.
Quid ſi contrahat cum eo quem ſcit habere votum? ib.

§. 7. Matrimonij bona.

Tria ſunt Matrimonij bona. Et quid ea operentur. 875. 87.
Coniuges tenentur cohabitare, ſe mutuo iuuare &c. 882. 125. *etiam dote non ſolutâ.* ibid.
Vxor tenetur ſequi virũ, exceptis aliquot caſibus. 126
An ad virum, an ad vxorem ſpectent quæ vxor lucratur. 127
Maritus poſſitne vxorem verberare? 128
Proles eſt matrimonij fructus. 129

Impedimenta Matrimonium dirimentia.

§. 8. Quis ea poſſit inducere & ſoluere.

Quotuplicia ſint matrimonij impedimenta. 882. 130
Dirimẽtia *poteſt Eccleſia ſtatuere ratione materiæ & formæ.* 883. 131
Non poteſt id Chriſtianorum princeps: poteſt tamen non Chriſtianorum princeps. 132
Diſpenſat Papa in impedimentis omnibus iure humano introductis. 133
In quibuſdam diſpenſat Epiſcopus. ibid.
Si matrimonium cum impedimento contractum fuerit, quid agendum ſi deinde innoteſcat. 134. *De hac re vide* Auctarium *ad* 1. 2. *V.* Matrimonium *Caſum.* 3.

§. 9. Impedimentum I. & II.

Error perſonæ & Conditio ſeruilis.

Duplex hic eſt error, ſitque quadrupliciter. 884. 135
Error perſonæ irritat matrimonium. ibid. *Non tamen error qualitatis, vel fortunæ.* 136
Si liber cum ſerua contrahat, eſt irritum matrimonium. 137
Si liber contracto matrimonio ſciat eſſe ſeruam, quid agat. 138
Quid ſi dubitans, exigat aut reddat debitum. ibid.
Serui poſſunt inuitis dominis contrahere matrimonium. 139
Seruus contrahens cum libera, quibus caſibus fiat liber. 885. *Quid ſi his caſibus ſerui conditionem ignorez liber dum contrahit.* ibid.
Seruum coniugatum dominus ne vendat in alienam prouinciam. 140

§. 10. Impedimentum III. & IV.

Votum & Ordo.

Votum *quotuplex hic ſit.* 142
Simplex non irritat matrimonium. 143
Solemne irritat. 144
Idque ex iure Eccleſiaſtico. 886. 149
Voti continentiæ ſolemnitas quid, & vnde ſit. ibid.
Non dirimit ſolemne votum ex eo matrimonium, quòd ſit traditio ſui. 150
Votum ſimplex ſcholaſticorum Societatis IESV *dirimit matrimonium.* 151
Vide Auctarium *ad* 1. 2. *V.* Matrimonium *Caſum.* 5. *&* V. Profeſſio religiola inualida, *Caſum.* 1. & 4.
Dirimit Ordo *matrimonium* 886. 152. *idque meritiſſimò.* 153
Ordini annexa fuit continentia ab initio Eccleſiæ. 887 154.
Ordo per ſe irritat matrimonium, nec tantùm ratione voti annexi. 155
Hoc impedimentum eſt Iuris tantùm Eccleſiaſtici. 156

§. 11. Impedimentum. V.

Conſanguinitas.

Quid conſanguinitas. 887. 158
Quid linea. ibid. *Ad eas dignoſcendas tres regulæ.* ib.
Gradus vetiti Leuitici 18. *non irritant matrimonium iure naturæ.* 888. 161
Conſanguinitas in primo & ſecundo gradu lineæ rectè irritat iure naturæ. 162. *Fortè etiam in tertio & quarto gradu.* ibid.
Hinc Henoch rediens in fine mundi non poterit contrahere. 889. 162
Primus gradus lineæ tranſuerſæ irritat iure naturæ. ib.
Omnes gradus conſanguinitatis vſque ad quartum inclusiuè abſolutè dirimunt matrimonium. n. 164

§. 12. Impedimentum. VI.

Affinitas Carnalis, Spiritualis, & Legalis.

Quid ſit Affinitas. ibid. 165
Regula ad cognoſcendos gradus affinitatis. 890. 166
Affinitas iam non parit affinitatem. ibid.
Affinitas ex coniugio dirimit vſque ad quartum gradum. 167. *ex fornicatione tantùm ad ſecundum.* ib.
Naſcitur impedimentum ad contrahendum etſi neſciat eſſe conſanguineam. 169
Quis gradus affinitatis Iure naturæ irritet matrimonium. 170
Vide Auctarium *ad* 1. 2. V. Matrimonium, *Caſum.* 6. 7. 8. & 9.
Cognatio ſpiritualis *inter quos dirimat matrimonium.* 891. 172. *Eſt reſtricta per Tridentinum.* ibid.
Oritur hæc ex Baptiſmo ſolemni. ib. *Etiam ex minùs celebri in neceſſitate collato.* 173
Quandonam hæc à patrinis contrahatur. 174
Etiam contrahitur per procuratores. ibid.
Cognatio legalis *ſeu Adoptio dirimit matrimonium in linea recta vſque ad* 4. *gradum: Probabiliter tamen ſolùm ad* 2. n. 176. *Inter quos dirimat in linea tranſuerſa.* ibid.
Impedimentum hoc in quibuſdam eſt perpetuum; in quibuſdam temporale. 177
Non eſt impedimentum inter adoptatum & filiam illegitimam adoptantis. ibid. *Neque inter duos adoptiuos.* 892

§. 13. Impedimentum VII. VIII. & IX.

Iuſtitia publicæ honeſtatis. Crimen. Diſparitas cultûs.

Vnde naſcatur impedimentum Iuſtitiæ publicæ honeſtatis. n. 178
Extenditur tantùm ad primum gradum. ibid.
Quid ſi ſponſalia ſint irrita, naſcitur ne hoc impedimentum? ibid.
Quid ſi ſint conditionata? ibid.
Naſcitur iam ex matrimonio clandeſtino. ibid.
Item ex matrimonio præſumpto. ibid.
Crimina *quædam irritant matrimonium.* 179
Si vxor conſpiret in mariti necem vt poſſit tecum contrahere. ibid.
Si alter coniux interficiat coniugem, vt cum adultero contrahat. ibid.
Si adulterer datâ fide quòd poſt mortem coniugis tecum contraham. ibid.
Vide Auctarium *ad* 1. 2. V. Matrimoniũ, *caſum.* 10
Diſparitas cultus *inter baptizatum & non baptizatũ dirimit matrimonium.* 893. 180
Sed non Iure naturæ, nec diuino. 81
Nec Iure Eccleſiæ ſcripto. 182
Sed ex recepto vſu Eccleſiæ. 183
Coniunctum inter fidelem & hæreticum non eſt irritum, ſed illicitum. 184
Vide Auctarium *ad* 1. 2. *V.* Hæreticorum cum Catholicis conuerſatio. *Caſum* 23. 24. 25. & 26.

§. 14. Impedimentum X. XI. & XII.

Vis ſeu Raptus. Ligamen. Impotentia.

Digitized by Google

Raptor eſt inhabilis ad contrahendum. 185. *Item eſt infamis. Excommunicatus cum auxiliantibus. Tenetur ad dotem.* ibid.
Ligamen *ſeu vinculum alterius matrimonij dirimit omne matrimonium ſubſequens.* 894. 186
Quid ſi credas vxorem tuam eſſe vinam, & ſit mortua, & tu aliam ducas? ibid.
Quid ſi poſt inquiſitionem nihil intelligas de vita? 187
Impotētia Iure *naturæ dirimit matrimonium.* 188
Qualis ea eſſe debeat vt dirimat matrimonium. ibid.
Adoleſcens contrahens ante 14. annum ætatis ſuæ, ſi ſit impotens, eſt irritum matrimonium, etſi poſtea fiat potens. ibid.
Quandonam cenſeatur hoc impedimentum perpetuum. ibid.
In dubio conceditur experimentum triennij. ibid.
Vide Auctarium. *Verbo* Matrimonium. *Caſum.* 11
An liceat impotentiam tollere ſi ſit à maleficio, & quando. n. 189
Impedimentum maleficij aliquando eſt perpetuum. 897 196. *Vide* Maleficium.

§. 15. Impedimentum XIII.

Defectus Parochi & teſtium.

Ille defectus ante Tridentinum erat impediens. n. 199
Iam eſt dirimens. ibid.
Parochus ſit Sacerdos. 898. 200
Debet eſſe proprius Parochus. 201. *Sufficit qualiſcunque eius præſentia cum aduertentia quid fiat.* ibid.
Parochus ſponſæ non aſſiſtat in parochia ſponſi. n. 202
An contractus cum hoc impedimento habeat vim ſponſalium. ibid.
Quis ſit Parochus huic caſu vagabundorum, peregrinorum. ibid.
Numerus & qualitas teſtium. ibid.
Duæ conditiones vt hoc impedimentum liget. 203
Vide Auctarium. *Verbo* Matrimonium, *Caſum.* 12. 13 14. 15. 16. 17. & 18.

§. 16. Impedimentum impediens tantùm.

Quatuor genera voti ſunt impediens impedimentum. n. 204.
Item ſponſalia cum aliâ. Interdictum, Tempus ſacrum. &c. ibid.
Item ſex crimina: Vxoricidium. Presbytericidium &c. 899. 205.
Quomodo peccet qui contrahit habens votum aliquod ex impedientibus. 206
Quis poſſit in his impedimentis diſpenſare. 207

Melchiſedech.

Sacrificium Melchiſedech fuit figura ſacrificij Euchariſtiæ. 679. 13
Christus *eſt Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech.* ibid.
Vide Indicē de Incarnatione. *Verbo* Melchiſedech.

Membrum.

Membrum quid. 810. 55. *Qui ſibi per culpam membrū abſcindit, eſt irregularis.* 54. *Non eſt irregularis, cui invito membrum abſcinditur.* ibid.
Si tibi partem digiti ex indignatione abſcindis, es irregularis. 55 *Idem dic ſi id facias ex culpa nouricis alterius.* ibid.
Si alteri digitum, vel pollicem, vel auriculas abſcindis nos eſt irregularis. ibid.
Solus Papa diſpenſat in hac irregularitate. 56
Diſpenſat Epiſcopus ſi membrum tibi occultum abſciderit. ibid.

Mendacium.

Mentiri in confeſſione, ſine negare leue peccatum, eſt leue. Negare mortale, eſt item mortale. 773. 48

Menſtrua & Menſtruata.

Duplex genus menſtruorum. 879. 117
Prius non impedit quò minus poſſint coniuges petere & reddere debitum. ibid.
Menſtruata petens debitum, peccat venialiter. ibid.
Non tamen peccat reddendo. ibid.
Marius à menſtruata petens, peccat venialiter. ibid.
In Leuitico iubetur interfici menſtruata, & qui ad eam accesſerit. ibid. *Lex hæc iam ceſſat: & ſolùm manet naturalis obligatio.* ibid.

Mereri meritum.

Nemo poteſt alteri immediatè iuſtitiam, & gloriam mereri, ſed tantùm auxilium præueniens. 590. 7
Per pœnitentiam merita omnia reuiniſcunt. 725. 4
Et gratia omnis redditur. 726. 10
Satisfactio ſacramentalis expleta in mortali reuiniſcit per gratiam ſuperuenientem. 783. 3 *Non verò ſponte aſſumpta.* ibid.
Meritum: & merita Christi, &c. *Vide Indicem de* Incarnatione; *Verbo* Meritum.

Miſſa.

Miſſam execrantur noſtri hæretici. 679. 13. *Aſtruitur variis figuris.* ibid. & ſeqq. *Probatur ex veteri Teſtamento per oblationem* Minchæ. 681. 17 *Item quinque rationibus.* n. 20. *Soluuntur obiectiones hæreticorum.* 682. 21
Miſſa completitur ſex partes. 683. 25 *In quibus ex his conſiſtat eſſentia ſacrificij.* ibid. *Conſiſtit in conſecratione, & quomodo.* 684. 31
Refutantur quatuor propoſitiones quæ perperā aſſignāt eſſentiam Miſſæ. 686. *Vide* Sacrificium §. 2. 3. & ſeqq.
Pro vna Miſſa tantùm licet petere vnum ſtipendium 694. 59
An Epilepticus poſſit celebrare. Vide Auctarium *V.* Miſſa, *Caſum* 7.
An liceat ſub Miſſa fabulari, confiteri, colligere eleemoſynas, Vide ibid. *Caſum* 1. 2. *&* 3.

Monitio.

Monitio excommunicationi neceſſariò præmittenda 788. 28 *Et quidem ex natura rei.* 789. 36
Sit comminatoria excommunicationis. n. 28
Si excommunicatio lata ſit à Iure, vel generatim ab homine, ſufficit monitio quam præceptum Superioris vel lex ſecum defert. 29
Monitio trina requiritur ſi excommunicatio ſpeciatim contra aliquos feratur. ibid.
Per vnam monitionem valida eſt excommunicatio, ſed non quando excommunicantur participantes cum excommunicato. ibid.

Mutilatio.

Hæc ſola comprehenditur ſub occiſione vbi agitur de irregularitate. 802 8

Oleum.

Oleum *olinæ benedictum eſt materia extremæ vnctionis.* 834. 9
Oleum commune addi poteſt benedicto. 835. 11.
Vide Chriſma.

Opera mortua.

Opera in ſtatu peccati mortalis facta, non reuiniſcunt ad meritum. 727. 15
Neque etiam reuiniſcunt ad ſatisfactionem. 16
Sunt tamen vtilia ad alios fines. 17
Dignitas operis maximè ſpectatur ex dignitate operantis. ibid.

Ordo.

§. 1. quid ſit. Quot ſint eorum officia.

Varij ſunt Ordines in Eccleſia. 839. 1
Ordinis definitio. 2. *Ordinis duplex acceptio,* ibid.
Ordines ſunt ſeptē, 844. 21 *Quo ſenſu admitti poſſint octo ordines,* 845. 24 *Tonſura non eſt ordo,* 844. 22
Ordinum ſingulorum functiones, ibid. & 845. 27
Quot ordines ſacri, & vnde dicti, ibid. 26

§. 2. Vt eſt Sacramentum.

Ordo eſt proprium legis nouæ Sacramentum, 840
An Christus ordinarit per impoſitionem manuum. ibid.

Digitized by Google

Ordinatio Episcopi est Sacramentum. 846.32
Ordinari nequit Episcopus qui nõ est Presbyter. 847.33
Ordinatio Diaconi & Subdiaconi est Sacramentum. 848.37.
Minores Ordines probabiliter affirmabis aut negabis esse Sacramentum. 849.39

§. 3. Eius materia & forma.

Materia Ordinis quæ sit. 841.9
Impositio manuum est de essentia materiæ Sacramenti Sacerdotij. n. 18
Tutius & probabilius est contactum materiæ esse necessarium ad essentiam Sacramenti. 843.15
Vide Auctarium *ad* 1. 2. *V.* Ordines sacri, *Casum* 3. & 4.
Cur forma Ordinis exprimatur verbo imperãdi. 841.7
Cur in hac forma non explicetur effectus Sacramenti. 8
Hæc verba. Accipe Spiritum sanctum &c. *sunt pars essentialis formæ.* 842.12

§. 4. Eius Effectus.

In Sacramento Ordinis confertur gratia iustificans. 840.3. & seqq.
Diuersos effectus habent porrectio calicis, & impositio manuum. 842.13
In Ordine confertur Character. 843.17. & seqq.
Gratia propria ordinationi Episcopi. 846.32
Gratia propria ordinationi Diaconi & Subdiaconi. 848.37.
Probabile est per Minores Ordines conferri gratiam. 849.39.

§. 5. Conferens Ordines.

Solus Episcopus cõfert omnes Ordines ex offi. 850.46
Etsi sit præcisus & hæreticus. ibid.
Sacerdos cõferre potest Ordines Minores, etiam subdiaconatum ex commissione Papæ. 845.27. & 850.46
Abbas ex Iure potest conferre Minores, & subdiaconatum ex priuilegio Papæ. ibid.
Archidiaconus porrigens materiam, nisi censetur conferre Ordines. ibid.
Promouens indignos, peccat. 850.44

§. 6. Suscipiens Ordines.

Ordinari nequit qui non est baptizatus: nec Deus hîc supplet defectum. 843.17. & 18
Suscipiens non sit conscius peccati mortalis. 849.42
Sciat quæ ad eum Ordinem spectant, quem suscipit. 43
Femina incapax est Ordinationis. 850.47
Pueri & carentes vsu rationis sunt capaces Ordinationis. 48
Ante vsum rationis ordinatus non tenetur voto castitatis. ibid. *Vti neque is qui iniusto metu ordinatus est.* 851
Quæ aetas ad singulos Ordines sit requisita. n. 49

§. 7. Pœnæ ex indebita Ordinatione.

Quando & quis ex indebita ordinatione fiat irregularis. 809.46. & seqq.
Suspensus est qui ante ætatem, vel extra statuta tempora est ordinatus. ibid. 49
Item qui duos ordines simul suscipit. 50
Item qui per saltum ordinatus est. 51
Suscipiens Presbyteratum ante ætatem, & simul celebrans cum Episcopo, suspenditur: non autem fit irregularis. 52
Idem verum est etsi Episcopus addat excommunicationem. ibid.
Matri dicenti, se illegitimum, si credas & ordineris, peccas mortiferè: & suspenderis ab vsu Ordinis. 811.64
Secùs si credas. ibid.
Ordo quomodo irritet matrimonium. 886.152
Ordinatus sine titulo patrimonij. Vide Auctarium. *V.* Ordines Sacri, *Casum.* 6.
Ordinatus à non suo Ordinario. Vide ib. *Casum.* 1. & 5
Si ordinetur energumenus, fit irregularis. Vide. ibid. *Casum.* 7.
Illegitimus accipiẽs tonsurã sine dispensatione, vt peccet. Vide Auctarium. *V.* Illegitimus. *Casum.* 4.

Ostiarius.

Ostiarij Ordo & officium. 844.21. & 22. *Item* 845.31
Verosimiliter non est Sacramentum. 849.40. *Non tamen potest iterari.* 41.

Panis.

PAnis non est à Verbo hypostaticè assumptus. 630.30. & 632.38.
Materia panis in Eucharistia remanere non potest. 630.30. & 632.39.
An & quomodo Eucharistia possit dici panis. n. 36.
Non manet etiã in Eucharistia existentia panis. 633.40
Si substantia panis non conuerteretur in corpus Christi, sed maneret, posset ibidem poni diuinitus Corpus Christi. n. 42
Panis in cõuersione Eucharistica nõ annihilatur. 634.44

Papa.

Papa potest viris concedere Indulgentias per modum solutionis meræ. 817.20
Papa potestatem habet concedendi Indulgentias plenarias. 815.12
Papa quomodo Indulgentias possit mereri. 816.19
Papa potest se subijcere Confessario cui vult. 754.13
Papa potest vbique omnium audire confessiones per se, vel per alios à se. 758.36
Expedit Ecclesiæ hanc potestatem à Papa concedi Religiosis. 759.40
Papa potestatem habet vniuersalem excommunicandi. 786.15.
Non potest dispensare ne vnquam confitearis. 751.36
Potest tamen dispensare in tempore confessionis. 37
Papa in voto solemni Religionis an possit dispensare. 886.150.
Papa non dispensat in linea recta consanguinitatis, sed in transuersa, excepto primo gradu. 889.164
Papa dispensat in matrimonio rato, non consummato. 875.99.
Item in omnibus matrimonij impedimentis Iure humano introductis. 883.133
Vide Dispensatio. Et Irregularitas. §. 8.

Parochus.

Parochus semper tenetur audire subditum dum iis vult rationabiliter confiteri. 756.29
Parochus ne neget petenti subdito facultatem alteri confitendi. 757.30
Parochi seu proprij Sacerdotis ignorantia facit vt alium liceat adire. 31
Non verò alij defectus. 32
Licebit tamen si petieris veniam, & negata sit. 33
Item si Confessor est complex peccati carnalis. 34
Cur Parochis etiam inuitis à papa potestas concedatur Regularibus audiendi parochianorum confessiones. 760.44.
Parochus potest subdito facere potestatem promerendi indulgentias alicui Episcopi. 815.13
Si Parochus matrimonio non assistat, est irritum. 897.199.
Parochus assistens matrimonio sit Sacerdos. 898.201
Vide plura. ibid. *& in* Auctario. *V.* Matrimonium, *à Casu* 12. *vsque ad* 17.

Patrinus.

In Baptismo & Confirmatione.

Cur Patrinus seu susceptor adhibeatur in Baptismo. 579.11.
Quod eius munus. ibid.
Arcentur munere susceptoris, infideles: nec hi contraherent cognationem spiritualem. ibid.
Arcentur etiam Monachi & Abbates: non Religiosi Mendicantes. Omnes tamen hi contraherent cognationem spiritualem. ibid.
Arcentur Parentes ne propriam prolem suscipiant. Hi tamen possunt petere & reddere debitum. ibid.

Digitized by Google

Arcentur plures quàm duo. ibid.
An baptizandus offerri poſſit Miniſtro hæretico, & quæ inſtructio ſufficiat, Vide Auctarium, V. Baptiſmus, *Caſum* 1. & 3.
Confirmandus *debet habere* Patrinum. 608. 35. *Eſt hæc antiqua cæremonia.* ibid.
An & quando teneatur erudire Confirmandum. ibid.
Patrinus debet eſſe confirmatus. ibid.
Patrinus in baptiſmo & Confirmatione contrahit impedimentum dirimens inter ſe & baptizatum ac confirmatum, eiuſque patrem & matrem: non autem inter alios. 891. 172

Peccator. Peccatum.

Quatuor gradus gravitatis peccatorum. 664. 12
Gravitas peccati contra Euchariſtiam. ibid.
Quis cenſeatur peccator publicus. 13
Quæ malitiæ ſint in quouis peccato. 707. 11
Peccatum habet rationem vinculi. 702. 21

Peccati remiſſio Pœna, Reuiuiſcentia.

Nulla in hac vita peccata ſunt irremiſſibilia. 711. 1
Solumntur obiectiones hæreticorum. 2. & ſeqq.
Omnes viatores poſſunt agere pœnitentiam. 712. 6
Ad peccati remiſſionem non ſufficit fides, ſed requiritur pœnitentia. n. 8
Diminutus tamen remitti poteſt ſine omni pœnitentia. 713. 12.
Conſcio peccati mortalis neceſſaria eſt formalis pœnitentia ad remiſſionem. 714. 14
In non conſcio ſufficit virtualis. n. 16
De potentia ordinaria vnum mortale ſine alio non remittitur. Poteſt tamen remitti per potentiam abſolutam. 17
An ad remiſſionem mortalium, ſingula ſint rememoranda. 718. 8
Peccato remiſſo ſæpè in iuſtificatis manet obligatio pœnæ. 715. 20
Et iam manent quædam reliquiæ. 716. 24
Peccata remiſſa numquam reminiſcuntur. 722. 2 & 723. 9.
Quodammodo tamen reminiſcunt ratione ingratitudinis. 723. 5. & 724. 10.
Poſſent etiam reminiſcere, ſi tantùm conditionatè remitterentur. n. 9
Pœnitenti merita reminiſcunt. 725. 4
Opera mortua, non reminiſcunt ad meritum. 727. 15
Nec ad ſatisfactionem. 16

Peccati venialis remiſſio.

Non quouis opere meritorio remittitur veniale. 717. 2
Requiritur quædam pœnitentia: nec etiam in iuſto ſufficit quælibet attritio. n. 4
Sed contritio imperfecta. 718. 5
Conuenientia & diſconuenientia peccati mortalis & venialis, adeoque doloris quo vtrumque deletur. 6
Deletur veniale in defunctis per formalem pœnitentiã ex perfecta dilectione manentem. 7
Remiſſio venialis vt modo ſit, poſtulat infuſionem gratiæ, non tamen neceſſariò. 719. 10
Omnia venialia remittuntur per Sacramenta poſita aliquâ de iis diſplicentiâ. n. 12
Non omnia venialia remittuntur ei, cui datur gratia ſine Sacramento. 720. 14
Peccati venialis octo remedia. 15
Hæ tamen non operantur ex opere operato. 16
Veniale non poteſt remitti ſine mortali ſecundùm ordinationem præſentem: poteſt tamen de potentia abſoluta. 721. 19

Pœnitentia vt est virtvs.

§. Eius actus & habitus.

Pœnitentia quid ſignificet. 705. 1
Pœnitentia eſt virtus, eiuſque varia deſcriptio. n. 2 & 3.
Pœnitentiæ habitus per ſe fertur in bonũ. 706. 5. & 6.
Is præcipuè actus completitur. n. 4. & 9.
Pœnitentia fruſtrà non eſt, niſi facta nequeant fieri infecta. ibid.
Pœnitentia militat. ibid.
Pœnitere & debere quomodo differant. 8
Perfecta pœnitentia nequit eſſe ſine charitate. Imperfecta ad eam diſponit. ibid.
Quomodo pœnitentia ſit virtus peculiaris. n. 9
Eius actus Charitatis. 707. 11
Eſt ſpecies Iuſtitiæ commutatiuæ. n. 12. & 16
Et ſic non videtur diſtingui à Religione. 708. 17
Quomodo Pœnitentia *ſit, & non ſit virtus ab aliis diſtincta.* ibid. 15
Et an ſit prior habitibus & actibus aliarum virtutum. 711. 29.

Eius ſubiectum & Principium.

Ad veram pœnitentiam non eſt neceſſarius dolor partis ſenſitiuæ. 709. 19
Pœnitentia vt virtus, eſt in voluntate irraſcibili & concupiſcibili. ibid.
Eſt etiam in parte ſenſitiua aliquis habitus pœnitentiæ. 20
Eſt in Chriſto, Deipara, & Angelis virtus pœnitentiæ. 710. 23
Primum pœnitentiæ principium eſt gratia Dei. 24
Qualiter timor ſeruilis ſit primum principium pœnitentiæ. 25
Ordo motuum & actuum pœnitentiæ. 26
Qualiter Pœnitentia procedat à charitate vt proximo principio. 27
Motus ad veram pœnitentiam neceſſarij. 711. 28

Eius Partes.

Partes Pœnitentiæ iuxta Lutheranos. 712. 2. *Iuxta Caluinianos.* 3
Tres ſunt partes Pœnitentiæ. 4
Diuiſio Pœnitentiæ ante & poſt baptiſmum. 713. 7
Pœnitentia publica ſolemnis ſex habebat conditiones. 8
Publicè pœnitentium duodecim ſunt pœnæ. 9
Effectus pœnitentiæ, Vide Peccati remiſſio.

§. 2. Pœnitentia vt eſt Sacramentum.

Nouatiani negant in Eccleſia Sacramentum ſeu remedium lapſis poſt baptiſmum. 698. 1
Caluniſtæ negant aliud Pœnitentiæ Sacramentum, quàm baptiſmum memoriâ repetitum. ibid.
De fide eſt Pœnitentiam *eſſe Sacramentum.* ibid. 2
& quidem à baptiſmo diſtinctum. 699. 7
Vocatur baptiſmus Lacrymarum, & ſecunda poſt naufragium tabula. 700. 7
Vocatur etiam Manus impoſitio. 703. 25
Inſtitutum eſt hoc Sacramentum poſt reſurrectionem. 180. 28. *Eſt iterabile.* 705. 33

§. 3. Eius Materia.

Materia ex quâ circa quàm, & in qua, *huius Sacramenti* 700. 13
Actus pœnitentis vocantur à Concilijs quaſi materia. 699. 6
Cur hoc in Sacramento non ſit aliqua materia externa corporalis, ſicut in aliis Sacramentis, 701. 14
Actus pœnitentiæ fuit ſemper neceſſarius ad ſalutem: iam aſſumptus eſt in materiam huius Sacramenti. 704. 23

§. 4. Eius forma.

Hæc eſt ſufficiens forma: Ego te abſoluo à peccatis tuis. 701. 16
Ad ſubſtantiam formæ ſufficiunt hæc duo verba: Abſoluo te. ibid.
Item ſufficiunt verba æquiualentia. 17
Item, Abſoluat te Chriſtus. 18
Forma hæc non debet eſſe deprecatoria, ſed indicativa. ibid.
Inuocatio SS. Trinitatis non eſt de eſſentia huius formæ. 19

Neque dicendum eſt, Abſoluo te auctoritate Papæ. 702.
Male additur. A confeſſis & contritis. ibid.
Varij varium huius formæ ſenſum exponunt. n. 20
Forma abſolutionis non poteſt addi conditio de futuro. 703. 23.
Sed de præſenti vel præterito. ibid.
Vide Abſolutio.

§. 5. Eius neceſſitas & præceptum.

Lapſis poſt baptiſmum in mortale, eſt hoc Sacramentũ neceſſarium ſaltem in voto. n. 26
Quando & quale votum ſufficiat. ibid.
Pœnitentia eſt ſecunda tabula poſt naufragiũ. 704. 27
Homo non debet vſque ad finem actu conteri de peccatis. n. 31
Conſulitur tamen vt quis ſæpe doleat de peccatis, niſi quid obſtet. 705. 32
Debet fieri compenſatio iniuriæ Deo per peccatum irrogatæ. 707. 12
Vtile eſt, ſed non neceſſe, excitare expreſſam voluntatem compenſandi & vindicandi iniuriam Dei 708. 18.

§. 6. Pœnitentia Sacramentalis.

Satisfactio non eſt pars eſſentialis pœnitentiæ. 603. 11
Pœnitentiæ in confeſſione ſunt arbitrariæ. 787. 5
Idque ab initio Eccleſiæ. 6
Pro mortiferis peccatis pœnitentia neceſſariò iniungenda. 7
Non tamen pro venialibus. ibid.
Qualis iniungenda in articulo mortis. ibid.
Pœnitentia confeſſionis eſt præ cæteris ſatisfactoria 8
Pœnitentiam ab inferiore impoſitam. Superior poteſt mutare. 9
Item inferior ex iuſta cauſa, ſed auditâ priùs confeſſione. ibid.
Pœnitentia medicinalis non leuiter omittenda eſt ob indulgentias. 818. 27
Pœnitentiæ Sacramentalis expleta in mortali reuiuiſcit per gratiam ſupernenientem. 783. 3. *Non verò ſponte aſſumpta.* ibid.
Satisfactio pœnitentis per alium impleta, eum non liberat. 782. 28
Satisfactio in mortali expleta ſatisfacit præcepto Confeſſoris. 784. 2
Opera aliàs præcepto vel voto debita iniungi poſſunt à Confeſſario. n. 4. *Duplicem tunc habent obligationem.* ibid. *Vide* Satisfactio.
Recuſans acceptare rationabilem pœnitentiam, aut ante abſolutionem carens animo eam implendi, non poteſt abſolui. 765. 10

Polygamia.

Triplex eſt Polygamia. 853. 11
Licita eſt illa qua vir vnus plures habet vxores ſucceſſiuè. ibid.
Polygamia plurium virorũ ſimul nunquam permiſſa. 854. 14
Polygamia plurium vxorum ſimul, eſt contra ius naturæ ſecundarium. 15
Eſt etiam contra ius diuinum ſcriptum. 16
Nec illa permitti poteſt vlla lege humana. 855. 38
Polygamia olim Patriarchis permiſſa à Deo. n. 20
Nec ſolis Indæis, ſed etiam gentilibus poſt diluuium diſpenſatio conceſſa. 21
Reuocata eſt per chriſtum. 856. 23

Pollutio.

Pollutus an & quando peccet communicando. 665. 15
Quid noctu polluto agendum vt ſequenti die communicet. 16
Nocturna pollutio quando ſub mortali cauenda. 17
Pollutio, & cogitatio turpis cum periculo pollutionis in Eccleſia, addit nouam malitiam. 772. 40

Presbyter Presbytera.

Nomen Presbyteri & Epiſcopi *aliquando pro eodem ſumitur.* 845. 24. *Officium Presbyteri.* 27
Presbyteratus non continetur in Epiſcopatu, ſicut Diaconatus continetur in presbyteratu. 847. 33
Presbyter Iure diuino minor eſt Epiſcopo poteſtate Ordinis. 34. *Et Iuriſdictione.* 35
Presbyter eſt dimidiatus Epiſcopus. n. 34
Presbytericiditũ eſt impedimentũ impediens. 899. 205
Vide Sacerdos Sacrificium §. 4. & 5.
Presbytera *vocatur vxor Presbyteri ducta ante ſacrum ordinem.* 850. 47
Item vidua ſenior. ibid.

Purgatorium.

§. 1. An & vbi ſit.

Dari poſt hanc vitam Purgatorium, oſtenditur contra hæreticos. 824. 1. & ſeqq.
Patrum de hac re teſtimonia. 825. 8
Obiectiones hæreticorum ſoluuntur. 826. 10
Caluinus negat omnem locum ſubterraneum animarum. 11. *Eius infernus.* ibid.
Quatuor loca ſubterranea animarũ poſt hanc vitã. 12
Purgatorij locus eſt ſub terra. 827. 26
Creaturæ ſub terra & in inferno Deũ laudãtes vel gemn flentes, ſunt animæ purgatorij. ibid.
Animæ ſubinde alibi quàm ſub terra purgãtur. 828. 22

§. 2. Purgatorij pœna.

Eſt ibi pœna ſenſus & damni. 827. 17
Eſt pœna ignis corporei. 18
Quomodo is agat in ſpiritum. 19
Pœna damni ibi eſt grauiſſima appretiatiuè. 20
Non tamen acerbitate. ibid.
Pœna ignis eſt acerbiſſima. 828. 21
Non tamen pœnâ ignis omnes animæ ibi cruciantur. 22.
Fortè torquentur à dæmonibus. 23
Pœna ibi non extenditur vltra diem iudicij: probabile tamen extendi in annorum centurias. 24
Pœnæ purgatorij ſubſunt iuriſdictioni Eccleſiæ. 817. 3

§. 3. Purgandarum animarum conditio.

Aſſiduè Deum laudant. 829. 25
Nec merentur, nec demerentur 26
Animæ iſtæ ſunt certæ de ſalute. n. 28
Quando & quomodo iudicentur. 830. 29
Credibile eſt eas in inſtanti mortis Chriſtum videri. 31.
Item purgandas deduci ab Angelis. 32
E purgatorio animæ ſubinde egrediũtur, non è cælo. 33 & ſeqq. *Illæ tamen confirmatæ ſunt in gratia.* 34

§. 4. Suffragia pro defunctis.

Tria genera Suffragiorum. 831. 36
Reſtitutio rei iniquæ non eſt quartum genus ſuffragiorum pro defunctis. ibid.
Suffragia defunctis prodeſſe, eſt de fide. 37. *ſed ſolis defunctis in Charitate.* 38
Sancti in cælis orant pro defunctis. 832. 39
Per Sacrificium Miſſæ immediatè remittitur illis reatus pœnæ. 689. 42. & 691. 49. *idque per modum impetrationis & ex opere operato.* 50

Raptor.

Raptor eſt inhabilis ad contrahendum. 893. 185
Item eſt infamis. Excommunicatus cum auxiliantibus. Tenetur ad dotem. ibid.
Raptor alienæ ſponſæ contrahit impedimentum dirimens, vt cum nulla poſſit contrahere. 899. 205

Ratihabitio.

Non ſufficit ratihabitio futura proprij ſacerdotis vt ſubditus poſſit alteri confiteri. Sufficit præſens ſigno expreſſa. 756. 27. & 28

Reliquiæ.

Reliquiæ non ſunt neceſſariæ ad conſecrationem Altaris. 697. 84

Digitized by Google

Quid nomine Reliquiarum intelligatur, aliaque plura Vide in Indice de Incarnatione V. Reliquiæ.

Replicatio & Reproductio.

Non implicat idem corpus esse in diuersis locis. 628. 25
Quomodo per Deum vna res esse possit in diuersis locis discontinuis. ibid. *Probatur id similibus & exemplis.* ibid. & seqq.
Quomodo possit Deus vnam rem ponere in diuersis locis. 629. 27
Idem potest sibi esse dextrum & sinistrum, mouere & quiescere. 630. 28
Replicatus non potest naturaliter se penetrare. 29
Idem homo potest hic viuere, & alibi mori. ibid.
Accidentia in corpore replicato non necessariò replicantur. ibid.
Actio qua ponitur Corpus Christi in Eucharistia, est productiua. 635. 49
Implicat eum ibi boni per actionem adductiuam. 50. 51. & 52.
Reproductio quomodo distinguatur à creatione. 637. 54
Motus localis Corporis Christi in Eucharistia, non fit in illo, vt est in coelo. 645. 34
Motus alterationis, vel termini earum, ex natura rei non replicantur. 646. 35
Actus vitales non necessariò replicantur replicato subiecto. n. 37

Repudium.

Lex repudij. 873. 83
Repudium olim soluebat matrimonium consummatum. ibid.
Repudium an Gentilibus iuxta ac Iudæis fuerit licitũ. n. 90.
Item neutris licet 92. *Vide* Matrimonij solutio §. 5
Causæ repudij. 91.

Reseruatio casuum.

Peccata quædam reseruari posse, est de fide 769. 25
Reseruationis vtilitas. ibid.
Purè mentalea nequeunt reseruari. 26
Nulla nuda culpa reseruatur Papæ 27. *Reseruantur aliquæ undè culpæ Episcopis.* ibid.
Reseruatio non manet si confessus es habenti iurisdictionem in reseruata, sed tamen reseruata oblitus es dicere. 770. 33. *Sed id merè ex tacito consensu Superiorum.* 34.
Reseruatio tollitur si vi Inhibiti confessus es. 771. 35.
Item si Superiori reseruata confessus es, licet confessio esset inualida. ibid.
Casus reseruatus vel censura reseruata non impedit fructum Sacramenti, dum poenitens bona fide & debita dispositione confitetur. 764. 8. *in fine.*

Vide Absolutio à reseruatis.

Restitutio.

Restitutio non est quartum genus suffragij pro defunctis 831. 36.

Reuiuiscentia.

Reuiuiscit Baptismus. 593. 15
Remittit omnem culpam & poenam temporalem debitam peccatis ante eius susceptionem commissis. 17
Non tamen remittit veniale cui actu afficeris. ibid.
In reuiuiscentia baptismi datur ea gratia, quæ daretur infantibus. 18
Contritio, per quam baptismus reuiuiscit, non auget eius effectum. 594.
Baptismus si in ipsa susceptione mortale cõmissum sit, non reuiuiscit nisi per contritionem, vel attritionem cum Sacramento. 19
In reuiuiscentia baptismus & poenitentia simul conferunt gratiam. 20
Si in susceptione baptismi sit tantùm commissum veniale, nec post aliud mortale, sufficit attritio ad reuiuiscentiam. 595. 21
Reuiuiscentia conuenit Sacramentis in primentibus characterem: Item matrimonio: extremæ vnctioni: Pœnitentiæ & Eucharistiæ probabiliter. 22
Per pœnitentiam merita omnia reuiuiscunt. 725. 4
& gratia omnis redditur. n. 10
Opera mortua non reuiuiscunt ad satisfactionẽ. 727. 16
Sunt tamen vtilia ad alios fines. 17
Satisfactio Sacramentalis expleta in mortali reuiuiscit per gratiam superuenientem. 783. 3. *Non verò sponte assumpta.* ibid.
Non reuiuiscunt Indulgentiæ. 823. 45

Sacerdotium Sacerdos.

Ordinatio Sacerdotij est verũ nouæ legis Sacramentum. 840. 3
De essentia huius Sacramenti est impositio manuum 841. 11. *Item hæc verba.* Accipe spiritum sanctũ 842. 12
Integra Sacerdotis potestas constat duabus potestatibus consecrandi & absoluendi. 13. & 14
Officia Sacerdoti propria 845. 27
Sacerdos est dimidiatus Episcopus. 847. 34
Sacerdos sacrificat vt sustinens personam Christi. 695. 55. & 56. & *vt persona publica.* 690. 44. *Eius sanctitas iuuat ad fructum sacrificij.* 688. 11
Sacerdos vnicus in æternum est Christus. 682. 21
Vide Sacrificium § 2. & §. 7.
An & quando Sacerdos possit celebrare non ieiunus. 665. 19.
Casus quibus licet Sacerdoti non ieiuno Eucharistiam sumere. 666. 20
Sacerdos Iure diuino & Ecclesiastico debet sumere vtramque speciem. 672. 46
Sacerdos ex commissione Papæ potest conferre Minores ordines, etiam subdiaconatum: 845. 27. & 850. 46
Potest etiam Confirmationem conferre. 603. 38
Non tamen ex eadem potest chrisma conficere. 604. 15.
Sacerdos religiosus non peccat duplici peccato contra votum Castitatis. 771. 39
Sacerdos est iudex necessarius, non voluntarius sententia voluntatè constituus. 742. 5. *Vide* Confessarius.

SACRAMENTVM.

§. 1. Sacramenti significatio.

Quid apud prophanos & Ecclesiasticos ferè significet. 533 2. *Strictè sumptum quid significet.* 3
Sacramentum potiùs est in genere signi, quàm causæ 534. 4
Non omne signum rei sacræ est Sacramentum. n. 6
Sacramentum (maximè nouæ legis) est signum multarum rerum. 7
Omne Sacramentum est res sensibilis. 8
Ineptè hæretici ea vocant sigilla. 9. &c.
Discrimen Sacramentorũ nouæ & veteris legis. 535. 13
Sacramenti ratio nouis & veteribus analoga & vniuoca est. 537. 16
Sacramentum an & quomodo sit aliquid reale. ibid.
Non est eius rationis. ibid.
Sacramentum cur dicatur signum practicum. 536. 15
Singula Sacramenta propriam habent excellentiam 562. 10.
Sacramentum potest pendere ex conditione futura. 869. 73.

§. 2. Institutio Sacramenti.

Omnia Sacramenta nouæ legis immediatè à Christo sunt instituta. 552. 2
Instituit ea Christus quà homo potestate excellentiæ. ibid.
Potuit eam potestatem hominibus communicare; sed non decuit. 553. 5
Ecclesia non potest instituere Sacramenta. 536. 15
Sancti potuerunt Indulgentias mereri, non tamen Sacramenta.

Digitized by Google

quam Ecclesia significet, nihil efficiet. ibid.
Si ad veram formã addat aliquid falsi, nisi efficiet. 28
Si ad veram formam addat aliquid non necessarium, efficiet sacramentum. ibid.

Vide Intentio Ministri Sacramentorum.

Sacramentalia.

Sacramentalia cur non sint sacramenta. 556. 15. & 600. 10
Etsi non valeant ad iustificandum, valent tamen ad spirituales effectus. ibid. 7
Delent peccata venialia. 720. 15
Sed mediante motu pœnitentiæ. 721. 17
Sacramentalia non improbabiliter habẽt vim ex opere operato. 600. 9. Probabilior tamen est pars negans. 198. 17

SACRIFICIVM.

§. 1. Sacrificium in genere.

Sacrificium quid sit secundùm nostros hæreticos. 676. 3
Omne opus bonum non est Sacrificium propriè dictũ. 4
Sæpè tamen latè sumitur pro omni opere bono. 677. 5
Ad Sacrificium requiritur Sacerdos & altare. ibid.
Sacrificium est præstantissimus Dei cultus externus. ib.
Est testimonium dominij principatus, & nostræ seruitutis. n. 7. Non omnis externa oblatio ad honorem Dei facta, est propriè Sacrificium. ibid. 6
Vox Sacrificare in linguis sacris significat occidere. ibid.
Definitio Sacrificij, eiusque explicatio. n. 7
Triplex diuisio Sacrificij: ratione materiæ: formæ: & effectus. 673. 8
In lege naturæ cuilibet fuit licitum sacrificare. n. 7
Non licet iam offerre agnum vel quid simile, in sacrificium. 679. 11
Vnicum est in Ecclesia sacrificium. ibid.
Et alterius instituendi potestatem Christus sustulit. 12

§. 2. Sacrificium Missæ.

Eucharistia non solùm est sacramentum, sed etiam Sacrificium. 676. 2
In Eucharistiæ consecratione Christus duobus modis immolatur. ibid. 1. & 684. 24
Eucharistia offertur vt verum & propriè dictum Sacrificium. 679. 13
Variæ figuræ Eucharistiæ vt est Sacrificium. ibid. & seqq.
Testimonia veteris testamenti pro Eucharistiæ sacrificio. 680. 17 Item testimonia noui testamenti. 681. 18
Item quinque rationes. n. 20
Soluuntur argumenta hæreticorum. 682. 21

§. 3. Eius Essentia.

In quibus actionibus Missæ consistat hoc Sacrificium. 683. 25.
Oblatio panis & vini circa Offertorium, non est de ratione sacrificij. 26. Nec oblatio verbalis post cõsecrationem. 27. Nec fractio vel mixtio. ibid. Nec distributio facta populo, nec ipsa sumptio. 29
Sed consecratio, vel sola vel maximè pertinet ad rationem huius sacrificij. 30
Per consecrationem constituitur Corpus & Sanguis Christi seorsim ex vi verborum tanquã partes hostiæ mactatæ. 685. 32
Differentia inter sacrificium Eucharistiæ, & reliqua sacrificia. 684. 31
Differt ratio Sacrificij & Sacramenti. n. 32
Sumptio Sacerdotis etiam pertinet ad rationem sacrificij. 33
Ad essentialem rationem sacrificij, prout est de iure naturæ, requiritur mutatio. 686.
Formalis ratio cuiuscumque sacrificij non est relatio ad Deum. ibid.
Formalis ratio Sacrificij Missæ non est præsentatio hostiæ factæ Deo in recognitionẽ summi dominij. ibid.
Nec per verba Offerimus essentialiter fit sacrificium. ibid.

§. 4 Quibus modis, & quos fructus Sacrificium huc conferat.

Sacrificium Missæ confert suum effectum per modum meriti. 687. 35
Item per modum satisfactionis. 35
Item per modum impetrationis. 36
Item ex opere operato. 37
Quid sit conferre ex opere operato. ibid.
Ex modum impetrationis confert hoc sacrificiũ auxilium præueniens, sufficiens, & efficax. 988. 38
Hi fructus dantur, etsi Sacerdos sit in malo statu. ibid.
Sacerdotis tamen sanctitas iuuat ad hunc effectum impetrandum. 39
Differentia inter modum quo sacrificium confert fructum per modum impetrationis, & eum quo ex opere operato. ibid. 39
Ex opere operato confert remissionem pœnæ temporalis & auxilium gratiæ præueniens. 689. 40
Non confert immediatè primam gratiam. 41. Nec eius augmentum. 42. Ratio ob quam Sacramenta quadam primam gratiam conferant, & non hoc sacrificium. n. 41
Non remittit immediatè culpam venialem, sed reatum pœnæ. ibid. 42

§. 5. Quibus conferat Sactificium suos fructus.

Confert suum fructum sacerdoti, vt est persona publica. 690. 44. Hunc fructum alteri potest applicare ibid.
Eidem confert fructum vt est persona priuata. ibid.
Hunc alteri applicare non potest. ibid. 44
Ministrantibus, assistentibus & procurantibus sacrificium, suus etiam est fructus. 45
Singulis Ecclesiæ membris non potest ex opere operato, nec per modum impetrationis. 46. Datur tamen aliquid commune quod ad omnes aliquo modo pertingit. ibid. in fine.

Pro quibus possit offerri,

Prodest beatis & in Purgatorio existẽtibus, non autem damnatis. n. 47. & seqq.
Idque ex opere operato & per modum impetrationis. 691. 50.
Prodest fidelibus viuis pro quibus offertur. 51
Quomodo prosit Catechumenis. ibid. Quomodo hæreticis, schismaticis & excõmunicatis. 692. 52. Quomodo liceat pro illis sacrificiũ offerre. ibid. Valide offertur; sed illicitè pro excommunicato denuntiato. ibid.
Potest offerri pro Infidelibus. n. 53
Tantùm prodest ex opere operato illis, quibus sacerdos applicat. 54. Nec potest per superiorem ipso inuito fructus hic alteri applicari. ibid.
Sacerdos nulli tenetur hunc fructum applicare, ne quidem Ecclesiæ. ibid. quem si nulli applicet, censetur sibi applicare. ibid.

§. 6. Dignitas huius Sacrificij.

Secundùm se est infinitæ dignitatis. 693. 55
Christus hîc est principalis offerens: idque ex tribus titulis. 56. Concurrit actu ad omnia sacrificia ibid.
Hoc Sacrificium nullum effectũ infinitũ impetrat. 57
Oblatum pro multis, non tantum prodest singulis, quãtum vni. 58. Hinc pro vno sacrificio, ne accipias duo stipendia. 694. 59
Inæqualiter dispositis confert suum effectum non inæqualiter, sed iuxta applicationem Sacerdotis. 60
Oblatum pro multis simul offerentibus, tantum prodest singulis, quantum vni soli. 61. Et sic eius fructus est extensiuè infinitus. ibid.
Sacrificiũ Missæ omnia sacrificia eminẽter cõtinet. 62

§. 7. De requisitis ad Sacrificium Missæ.

Ex parte Sacerdotis.

Sacerdos debet esse in gratia. ibid. 63
Sit liber à censuris, nisi scandalum vel infamia oriretur ex omissione Sacri. 695. 63

Digitized by Google

Quando ſponſalia ſolui poſſint ſine Iudicis auctoritate, quando non. 56
Prima ſponſalia non ſolumntur per ſecũda. 53. *Niſi acceſſerit conſummatio affectu maritali cum ſecundis.* ibid. *Quid ſi vſuram corporis impetrauit à ſecundâ præcedentium ſponſalium ignarâ?* ibid.
Vide Auctarium. *V.* Sponſalia. *Caſum.* 1. & 3.

§. 1. Suſpenſio, Suſpendere, Suſpenſus.

Suſpẽſionis Eccleſiaſticę definitio. 794. 1. *Eius diuiſio.* 2
Quinam poſſint ſuſpendere. 3
Is non ſuſpendit niſi ob mortale. Homo poteſt ob veniale. 4
Ferenda in ſcripto, & expreſſâ cauſâ. ibid. *Excipe Superiorem Regularem.* ibid.
Suſpenſus generatim. 279. 5
Suſpenſus generatim ab Ordine. 6. *Si hic cõcionetur, reſit irregularis.* ib. *Neque ſi obeat Minores Ordines.* 795
Suſpenſus à certo Ordine. 7. *Suſpenſus ab exercitio ordinis inferioris, cenſetur etiam ſuſpenſus ab exercitio Ordinis ſuperioris.* 7. *Non contrà.* ibid.
Suſpenſus à collatione Ordinum. 8. *Et à collatione certi Ordinis.* ibid.
Suſpenſus à Iuriſdictione, & ab officio generatim. 8
Suſpenſus à beneficio. 9. *Prohibentur hîc fructus, non quotidianæ diſtributiones.* ibid.
Suſpenſus ab adminiſtratione temporali & ſpirituali. 10
Suſpenſus à collatione Sacramentorum. ibid.
Suſpenſus ab ingreſſu Eccleſiæ. ibid.
Suſpenditur qui ante ætatem & extra ſtatuta tempora Ordines ſuſcipit. 809. 49. *Item qui duos ſimul Ordines ſuſcipit.* 50. *Item qui per ſaltum ordinatur.* 51

§. 2. Suſpenſio Suſpenſionis.

Quid ſit ſuſpẽſionem ipſam ſeu cenſuram aliquam ſuſpendi. 795. 11
Appellatio præcedens ſententiam ſuſpenſionis, hanc ipſam ſuſpendit. 796. *Non tamen ſemper.* ibid.
Appellatio ſubſequẽs ſubinde ſuſpendit, ſubinde non. 12
Auctoritas Iudicis ſuſpendit cenſuram ſuſpenſionis. 13
Interim appellare poteſt. ibid.

§. 3. Abſolutio à Suſpenſione.

Quædam ſuſpenſiones deſinunt per ſe. ibid. 14
Nemo præter Papam abſoluat ſuſpenſum à Iure ad certum tempus. 15
Suſpenſum à Iure ſimpliciter, abſoluat Epiſcopus. 16
Excipe *Caſum.* ibid.
Suſpenſum ab homine, abſoluat ipſe ſuſpendẽs vel ſucceſſor, vel ſuperior. 17. *Forma abſoluendi à ſuſpenſione.* ibid.

Stipendium.

Pro vna Miſſa tantùm licet petere vnum ſtipendium. 694. 59.

Suffragium pro defunctis.

De fide eſt ſuffragia viuorum defũctis prodeſſe. 831. 37
Non tamen damnatis, nec beatis: ſed ſolis defunctis in charitate. 38
Sancti in cælis erant pro defunctis. 832. 39
Vide Purgatorium §. 4.

Teſtamentum.

Teſtamentum dupliciter accipitur. 626. 18
Sanguis Teſtamenti veteris erat figura ſanguinis teſtamenti noui. 680. 15
Chriſtus in cœna, non in cruce fecit teſtamentum. ibid.
Euchariſtia eſt Teſtamentum & ſacramentum & ſacrificium. 158. 23

Ss. Trinitas.

Ss. Trinitas eſt per concomitantiam in Euchariſtia. 641 9.

Tranſubſtantiatio.

Tranſubſtantiatio. Vide Euchariſtia, §. 7. Replicatio & Conuerſio vnius rei in aliam.

Verbum diuinum.

VErbum diuinum tantùm per concomitantiam eſt in Euchariſtia. ibid. 8

Voluntas benè viuendi.

Oritur talis voluntas à variis virtutibus. 708. 14

Vnctio.

Vide Chriſma. Confirmatio. Extrema Vnctio. Oleum.

Vnio.

Vnio myſtica per charitatem ſpeciatim tribuitur Euriſtiæ. 612. 14

Votum.

VOtum aliud ſolemne: aliud ſimplex. 885. 142 *Votum ſimplex non irritat matrimonium.* 143. *Irritat tamen id in Societate IESV.* 886. 151. *Irritat ſponſalia.* 865. 50
Votũ ſolemne irritat matrimonium. 885. 144. *Non tamen Iure diuino, ſed Eccleſiaſtico.* 886. 148. & ſeq. *Papa poteſt diſpenſare in voto annexo Ordinibus ſacris, & in voto Religionis.* n. 150. *Non tamen vt Religioſus tunc maneat Religioſus.* ibid.
Coniux qui vouit continentiam abſque conſenſu coniugis, reddat debitum, non petat. 881. 123. *Coniuges hoc votum irritare poſſunt.* ibid.
Qui vouit cum conſenſu coniugis, reddat non petat. ib. *Imò ne reddat, ſi alter iuri petendi renuntiarit.* ibid.
Si vterque vouit communi conſenſu, neuter petat aut reddat. ibid.
Qui vouit continentiã ante matrimoniũ, peccat contrahendo, & poſteà debitum petendo. 124. *Non tamen tenetur ante conſummationem ingredi religionem.* ib.
Qui vouit ingreſſum Religionis, poteſt reddere & petere debitum. ibid.
Si contrahis cum eo quem ſcis votũ continentiæ habere, tu non petes, ſed reddes: ille reddet, ſed non petet. ib.
Votũ ſimplex caſtitatis, Religionis, ſuſcipiendi ſacros Ordines, & non nubendi, impediunt matrimonium, etſi non dirimant. 898. 204
Quale peccatum ſit cum aliquo horum votorum contrahere. 899. 206
Vide Diſpenſatio.

FINIS.

LAVDETVR
SANCTISSIMVM
SACRAMENTVM!

Digitized by Google

ERRATA.

PRæter leuia quædam errata quæ facile aduerter, & corriget Lector, hæc notatu digna ſunt. Pag. 5. col. 2. lin. 64. Nota 2. *adde* Principaliter. pag. 9. col. 2. lin. 35. quòd Deus ſit vnus, *lege* quòd Deus ſit, & quòd ſit vnus. pag. 11. col. 2. lin. 4. raticoinatur, *lege* ratiocinatur. pag. 29. col. 1. in margine lin. 5. habere alio, *lege* alio habere. pag. 47. col. 2. lin. 56. videndi, *lege* volendi. pag. 59. col. 1. lin. 57. quod non ſit, *lege* quid. pag. 72. lin. 1. poteſt, *lege* poſſet. pag. 87. in titulo diſp. Immenſitate, *lege* immutabilitate. pag. 95. col. 1. lin. 40. eſſes impliciter, *lege* eſſe ſimpliciter. pag. 96. col. 1. lin. 40. interminabiliter exiſtentis, *lege* interminabiliter, & neceſſariò exiſtentis. pag. 111. col. 1. in titulo ſectionis, indiuiſibilis, *lege* inuiſibilis. pag. 118. col. 2. lin. 35. & vt dicunt Pius V. *lege* vt dicunt Pius V. &c. pag. 123. col. 2. lin. 13. quo verò, *lege* quæ verò. pag. 159. col. 1. lin. 4. ſeipſam, *lege* ſeipſum. pag. 163. col. 2. lin. 42. eſt infallibilis, *lege* & infallibilis. pag. 167. col. 2. lin. 61. ſua, *lege* ſuæ. pag. 173. col. 1. lin. 16. relat in, *lege* relati n. pag. 238. col. 1. l. 14. & fuſè, *lege* fuſè &. pag. 245. col. 1. lin. 18. ſunt in Deo, *lege* ſunt Deo. pag. 263. col. 2. lin. 6. participalis, *lege* participabilis. pag. 341. col. 1. lin. 42. Dup. *lege* Dub. pag. 346. col. 1. lin. 59. iniuſtus & Deus, *lege* iniuſtus Deus. pag. 363. col. 1. tres primæ lineæ ſunt delendæ. pa. 390. col. 2. lin. 32. Vuardi, *lege* Vſuardi. pag. 422. col. 1. lin. 45. aſſerrimus, *lege* aſſerimus. pag. 423. col. 1. lin. 16. mulis, *lege* multis. ibid. col. 2. lin. 34. afferemur, *lege* afferemus. pag. 487. col. 2. lin. 6. producit, *lege* procedit. pag. 527. col. 1. lin. 36. illum, *lege* illud. pag. 542. col. 2. lin. 59. ſuſtentate, *lege* ſuſtentante. pag. 561. col. 2. lin. 12. in margine, illorum, *lege* illarum. pag. 564. col. 2. lin. 3. & 5. ab ipſis generat, *lege* ab ipſis generat. pag. 585. col. 1. lin. 27. πιμέρωτ, *lege* πιμέρωτ. pag. 604. col. 1. lin. 7. ex, *lege* &. pag. 613. col. 1. lin. 26. æque, *lege* aquæ. pag. 619. col. 2. lin. 53. creaturæ, *lege* creatura. pag. 640. col. 2. lin. 5. pag. *lege* part. pag. 667. col. 1. lin. 24. habitus, *lege* habitibus. pag. 752. col. 1. lin. 31. Angelis, *lege* Angeli. pag. 756. col. 2. lin. 17. illo, *lege* alio. pag. 759. col. 1. lin. 5. immortalitatis, *lege* immutabilitatis.

Errauit etiam interdum Typographus in numeris citationum: vt pag. 21. col. 1. lin. 4. vbi pro, cap. 1. *lege* 8. & pag. 703. col. 2. lin. 16. vbi pro num. 3. *lege* num. 6. & pag. 710. col. 2. lin. 30. vbi pro diſt. 5. *lege* 3. & pag. 720. col. 1. lin. 3. vbi pro, lib. 12. cap. 2. *lege* lib. 2. cap. 12. & pag. 745. col. 1. lin. 12. vbi pro n. 12. *lege* 125. & pag. 773. c. 2. l. 7. vbi pro q. 2. 2. 52. *lege* q. 52. 2. 2. & forte alibi: ſed non licuit omnia recenſere, & conferre cum autographo.

ed by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google